UVA.BSCH

Biblioteca de Santa Cruz
Estante 15
Tabla
Número 12704

UVA.BSCH

UVA.BSCH

*De la Liberia de la Conpañia ... de Valladolid*

*La Biblioteca ...*




# SACRA BIBLIA

*De la Libreria de Valld.*

Vulgata Editione, Tranſlat. ex Hebræo Sanctis Pagnini, Tranſl. Romana ex Septuag. & Chaldaicæ Paraphraſis Tranſl. congeſta

FRATRIS

FORTVNATI FANENSIS

Ordinis Erem. S. Auguſtini

*Studio & labore, ſuiſq; numeris adeò diſtincta, vt dum verſus verſui reſpondet Sacrarum Litterarum Pius contemplator earundem myſteria facilius percipere queat.*

Tribus diſtincta partibus.

Illuſtr. atque Reuer.

D. D. SCIPIONI BVRGHESIO

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo, dicata.

CVM PRIVILEGIO

*VENETIIS Apud Antonium Puellum MDCIX*

UVA.BSCH.

*Es de la Biblioteca de la Real Universidad de Valladolid.*

UVA.BSCH

# ILLVSTRISSIMO,
## ATQVE REVERENDISSIMO
## D. D. SCIPIONI
## BVRGHESIO.

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo, Legato Auinionenſi, Baſſilicæ Lateranenſis Archipresbytero, & Eccleſiaſtici ſtatus Generali ſuperintendenti, &c.

*Frater Fortunatus Fanenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologorum minimus Neſtoreos optat annos.*

CATHOLICIS è parentibus prognatum eſſe, Chriſtianæque religionis myſterijs ab incunabulis initiari, quam ſingularis, quamque diuini beneficij loco numerandum ſit Illuſtriſs. Princeps, neminem profectò, niſi cuius mentis oculi planè cecutiant non intueri arbitror. Id enim inter cætera, quibus à munificentiſſimo Deo cumulatus eſt homo, vt aditum ſibi ad ęternam ſalutem patefaciat principem proculdubio locum obtinet. At ſi quis huiuſmodi natalibus, & diſciplina inſignitus quoquo modo eidem Chriſtianæ Religioni prodeſſe queat, hoc ſanè munus multo diuinius, ac preſtantiori laudis præconio dignum fuerit. Ipſe igitur ex Catholicis ortus, & Chriſtianæ fidei rudimentis vnà cum lacte enutritus vbi adoleui, cum ætate, ſimul etiam amorem Chriſtianam in Rempublicam, vſque adeò in me ſuccreſcere ſenſi, vt nunquam aliud cogitauerim nihil aliud vnquam ſtuduerim ( non tantum dum Theologicis ſtudijs in Complutenſi Academia operam dedi, verum etiam, Deum teſtor, puer adhuc dum grammaticalibus præceptionibus imbuebar) quam vt, & verbis, & ſcriptis pro Eccleſia Sancta Dei laborarem, ſtudioſos ſacrarum litterarum iuuarem, impiorum errores euerterem, & pro veritate Orthodoxa omni animi contentione pugnarem. Cui à teneris, vti dicunt, vnguiculis in me innato deſiderio, vt quoquomodo poſſem aliquando ſatis facerem, licet quam tenuiſſimas in me ſemper vires agnouerim, vbi primum ex Hiſpania Theologicis



UVA.BSCH

abſolutis ſtudijs redij: vt & concionatoribus, qui verbo laborant, & ſtudioſis, qui ſacram Scripturam explicare, eiuſdemque myſteria contemplari conantur, inopiæ ſuccurrerem, atque neceſſitati variarum translationum, quas non niſi ſumptibus immenſis ex Complutenſibus, aut Regijs voluminibus, & ex ijs nō ſatis puras, nitidasvè petere poterant; cum in ijs codicibus, & Chaldaicæ Paraphraſis translatio pluribus Rabbinorum erroribus vndiq; ſcateat: & quæ ſub nomine tranſlationis Septuaginta duorum Interpretum circumfertur in ijs codicibus translatio, Symmachi nunc, nunc verò Theodotionis, aut Aquilę translationibus vndique deturpata appareat: harum translationum copiam ſtudioſis facere tenuiſſimis quoad fieri poſſet ſumptibus, & accommodatiſſimis voluminibus mihi in mentem venit. Et poſt diuturnam huiuſce ſtudij mei cum quamplurimis, ijſque doctiſſimis, & pientiſſimis viris conſultationem; in primis verò cum Religioſiſſimo, nec non doctiſſimo Ceſare Baronio S. R. E. quondam Illuſtriſs. Cardinali à quo potiſſimum ſicuti, & ab alijs, vt prouinciam hanc aggrederer, & ad exitum perducerem adhortatus, mihi etiam ſuam non defuturam operam vltro ſpoponderat; grauiſſimum ſanè onus, longèque meis humeris impar Præpotentis Dei gratia fretus libenter ſubiui. Delectis igitur purioribus ſacrarum litterarū Translationibus, quæq; cum ſimplicitate eloquij puritatem, ac firmitatem ſententiarum tenerent iudicio ſuperiorum, ijſque, Vulgatæ editioni, quam ſemper venerata eſt ab immemorabilibus ſeculis mater Eccleſia, & quæ ſtudio, ac diligentia Summorum Pontificum Sixti V. & Clem. VIII. quam emendatiſſimè in lucem prodijt, adiunctis: abſoluto denique hoc labore in lucem editur opus ſub fœliciſſimis tui Patrui Petri ſedem tenentis auſpicijs inchoatum, ijſdemque ad vmbilicum perductum. Cumque de opere dicando cogitarem, & Complutenſia Sacrorum Bibliorum volumina Summo Pontifici Leoni X. Philippo II. Hiſpaniarum Regi Catholico Antuerpienſia conſecrata viderem; Clem. VII. ſuas à Sancte Pagnino in Biblijs lucubrationes; Sixto V. translationem ex Septuaginta Romæ elaboratam; nec non Sanctiſſimi, & in linguarum peritia doctiſsimi Hieronymi Biblica munera Damaſo Papæ nuncupata conſpicerem; intellexi profecto nemini potius hoc opus dicandum, quam Pont. Opt. Max. qui & Philippo II. Regi dignitate longè præcellit, & Damaſo, Leoni, Sixto, Clementibus, ac ipſimet Petro dignitate inferior non eſt; pietate verò & vigilantia in Chriſti gubernanda Eccleſia nulli ſecundus, ac in eo maximè, vt Sacra Scriptura cœlitus data, eiuſque variæ translationes omni labe, ac tabe expurgatæ ſemper prodeant, cuius rei illud euidentiſsimum fuerit argumentum, quod dum Chaldaicæ Paraphraſis transla-

tionem

UVA.BSCH

tionem rabbinorum nonnullis conſperſam maculis, cæteris adiungere in his noſtris Biblijs ex aliorum potius ſententia, quam propria cogitarem, iuſſu ſuperiorum Præfectorum ab ipſo rebus fidei id abſoluendi in omnibus ſacris libris mihi prohibitum fuit: quamuis vt plurimorum votis morem gererem, neque laborem, ſanè quam arduum, detrectare viderer in hac ipſa Chaldaicæ Paraphraſis translatione expurganda, & laboraſſem, & me pro viribus inſudaturum ſacræ Illuſtr. Card. Congregationi rebus fidei præfectorum ſignificaſſem. Illo igitur auſpice elaboratum opus, Patronum expoſcebat, qui Petri gubernacula tenet, illum qui primam Chriſtianæ Eccleſiæ Cathedram occupet: ei debebatur opus complectens quicquid fides Chriſtiana profitetur, quæque Cathedram illam firmiſſimam firmiſſimè tuetur; ei debebatur theſaurus Chriſtianæ Eccleſiæ, qui eiuſdem theſauri claues in perſona Petri à Chriſto Domino Seruatore noſtro accepit, ei debentur deliciosiſſima, ac omni dulcedine referta Sacrarum Scripturarum Paſcua, cui à Domino gregis paſcendi cura trina repetitione iniuncta eſt. ipſi dicanda fuiſſet profecto noſtra hæc diligentia, meus hic quicumque vel minimus labor, Paulo V. Paſtori, Patri, Regi, Supremo Eccleſiæ capiti, Chriſtianæ Reipublicæ Principi conſecrari hę vigiliæ debuiſſent, tum vt omnes intelligerent nullam niſi Catholicam hic inſertam translationem ſacrorum Bibliorum; tum vt cognoſcerent non niſi ſuperiorum aſſenſu opus hoc in lucem prodijſſe, ac denique non ignorarent præſtitum eccleſiaſticis viris ſacrorum arcanorum cupidis adiumentum Hebraicis, Græcis, & Chaldaicis textibus eorumdemque latinis translationibus ſub Leon. X. Pio V. & Sixto V. Pontificibus Maximis, nunc Compluti, nunc Antuerpiæ, nunc Romæ editis: Latinis eorumdem textuum translationibus purioribus illud idem faciliori methodo præſtitum ſub fœliciſſimo tui Patrui Pontificatu, me authore: quem cum indoctiſſimum non ignorem, & inter ſtudioſos ſacrorum arcanorum minimum, ac indigniſſimum, qui ad tantam accederem Maieſtatem; nullis denique prædito neque morum, neque ſtudiorum meritis haud quaquam mihi tantum adire conſpectum audendum erat. Vt vero exiguis, ac tenuiſſimis laboribus morem geram, nec non omnibus qui in re litteraria per parum, vel minimum laborarunt, tua humanitate, atque benignitate confiſſus te Illuſt. Principem adire ſum auſus Sacra hac comitatus Biblia; Vulgata editione. Translatione ex Hebræo Sanctis Pagnini, Translatione Romana ex Græca Septuaginta, & Chaldaicæ Paraphraſis in ſolis Moſaicis libris translatione. tuæ hæc volumina manus contrectabunt, vt te deferente Pontificis Summi dignentur aſpectu, dum ego ore ſacros eius contrectauero pedes, eiſdemque caput demiſero,



UVA.BSCH

vt eam obedientiam, quam Sacro Sanctæ Sedi, & ſacro fonte perfuſus, & habitum Eremiticũ inter Auguſtinianos ſuſcipiens, & ſacris ordinibus initiatus profeſſus ſum, perpetuo iterum me ſeruaturum profitear, & in illo vno Chriſtum Dominum, cuius vices gerit, & Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, qua poſſum veneratione proſequar. atque hoc cultu, ſacris voluminibus ſociatus ea doctrina, ijſque ſtudijs me paſci velle innuam, quibus à Summo Paſtore mihi in Chriſti caula ouicula minima dabitur. Præcipiat igitur, imperet, iubeat Pater, prohibeat, percutiat, inclamet pro libito: meus etenim eius eſt animus ab obedientia Apoſtolicæ ſedis, nec latum vnquam vnguem diſcedere; imò in hac tuenda ſede verbo, ſcriptis, & viribus omnibus laborare: in eius Maieſtate deffendenda, fortunarum iacturam facere, ſanguinem fundere, animam denique ipſam prodegere. Scriptis nonnulla hac ipſa de re mandaui, licet homine deſtitutus in piſcinam deſcendere nequiuerim, ac Petri primam dignitatem filijs inobedientibus viuis rationibus aperire; dabit fortaſſe Opt. Max. Deus pro quo laboraui, vt aliquando in lucem edantur; nec enim qui pro Dei honore laborat merito ſuo fruſtratur. Quoties autem verbis hoc in negotio laborauerim modo cum Græcis, modo cum Latinis hæreticis, alijſque pluribus hæſitantibus, nec rectè de Petri dignitate ſentientibus, norunt ij, qui me tanto ardore, atque amore hæc pertractantem audierunt, vt de tempore citius, quam deſiderabam auolantem conquerer. Accipe igitur Illuſt. Princeps mearum vigiliarum hoc quantuluncumque monimentum, & ardentiſſimi deſiderij mei Chriſtianæ Reipublicæ tuẽdæ hos primos labores hilari fronte precor, vultuque ſereno aſpice; fiet enim, vt cum tibi pergratum munus hoc fuiſſe intellexero, alia propediem ſim commentaturus, tum ad ſacras litteras adiumenta, quam maxima, quibus iam manus admoui, tum etiam ad ſcholaſticę Theologię quęſtiones difficillimas enodandas: interim Patrem luminum precabor, vt te Patrem pauperum, & Eccleſię Chriſtianę Cardinem, vna cum Patruo tuo Paulo V. Pont. Opt. Max. diu pro eiuſdem Eccleſię incolumitate, ac proſperitate ſeruet, atque tueatur. Vale.

Dat. Venetijs Nonis Auguſti Anno à Virgineo partu M. DCIX.

UVA.BSCH

# FRATRIS FORTVNATI
# FANENSIS
## ORDINIS EREMITARVM
## SANCTI AVGVSTINI

### *Præfatio in Sacris Biblijs ex varijs Tranſlationibus ab ipſo congeſtis.*

SApientiſſimum profectò dictum, nec ſapientiſſimum eſſe non poteſt, quod à Dei ſapientia editum eſt per ſapientiſſimum Salomonem: qui dum Dei præpotentis artem in extaſim raptus contemplaretur aliquando; ab ipſo cuncta facta fuiſſe bona in tempore ſuo docuit. Res etenim omnes ſalibus quibuſdam Maximus Optimus Deus tanta cum arte aſpergit; quanta nec lingua effari, nec intellectus capere ſufficit; nullum etenim eſt malum in Ciuitate, quod non faciat Dominus: facit autem, vt aliquod inde maximum bonum ſibi elicere liceat; vt autem rei veriſſima aliquod afferamus exemplum, contemplamini precor inobedientiam, & culpam Protoplaſtorum noſtrorum. Quod nam grauius damnum, maiorisue detrimenti homini accidere potuit? vnde illi tot emanarunt damna. hinc fames, ſitis, frigus, calor, infirmitates, dolores, tribulationes, anguſtiæ; hinc quodcumque damnum, quodcumque malum, cuiuſcumque generis illud ſit, obortum eſt; hinc mors ipſa, quæ vltimum terribilium, terribiliumque horrendiſſimum à Philoſophis dicitur, ab omnibus comprobatur, originem duxit. Quodque magis dolendum fuiſſet, caſus à diuina gratia, diſiunctio à ſummo, & incommutabili bono hinc emanauit. Sed quot nam inde bona, quæ gratiæ, quæ dona? quæ ſublimior dignitas, quæ maior excellentia eidem huic homini occaſione huiuſmet culpæ collata eſt? nonne eò euecta eſt natura humana, vt Angelicam ſublimitate, & dignitate excelluerit? ſemen Abrahæ apprehendit, nuſquam Angelos apprehendit, hoc idem admirans Vas electionis Paulus dixit; vnde iure optimo canat eccleſia; fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem. ni homo peccaſſet, donum vtique gloriæ, fructus gratiæ, innocentiam vitæ adepti fuiſſent homines, at Deum hominem factum in terris, Deum homines docentem, Deum hominibus ſociatum, Deum ad ſubleuandam hominum miſeriam, miſerum factum, nunquam conſpexiſſent: Deum ſub panis, & vini accidentibus nunquam guſtaſſent: quia propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: Fælix infirmitas, optima culpa, ſi culpa, optima aliquomodo dicenda eſt, viuificans mors, ſalubris infirmitas, dulciſſima amaritudo, vitale venenum, delitioſiſſimus dolor, qui dolores noſtros abſtulit; venena, quæ vitam nobis dederunt, amaritudo, quæ cæleſte nectar, Angelorumque dulcedines, ac delitioſa pabula guſtanda hominibus præbuit; infirmitas, quæ nos ſanos reddidit; mors, quæ in pane vitæ, vitam attulit; malum plenum omni bono; dum Præpotens, & ſapientiſſimus Deus omnia, quantumuis mala, bona facit in tempore ſuo. intuemini cuncta Dei opera, ſcrutamini ſacras litteras, tum noui, tum veteris inſtrumenti, ut ex illis liceat nobis admirari, ac intelligere nullum adeſſe malum, adeo malum, ex quo bona, & maxima bona non elicuerit Deus. Superbiam, & audaciam iniquiſſimorum hominum molem Babylonicæ turris pertentantium quis non horreat? quis hominum, iniquiſſimos labores molientium non admiretur? quis poterit ſuſtinere dicentes: Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cælum? ut iure optimo horum ſuperbiam, & iniquitatem admirati poetæ fabulati fuerint homines Dijs bellum indixiſſe, ut illos Cælo pellerent. Audite diuinum de illorum iniquitate teſtimonium cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis; notate teſtatam horum hominum audaciam, Deique miſericordiam admiramini. Peccatum grauiſſimo ſupplicio animaduertendum, ſola linguarum confuſione, ſectione labij, ac in totum orbem diſperſione mulctati ſunt; quis iam diuinam non intelligat artem, qua uſus eſt, ut mundum totum habitandum redderet? Hominum audacia, per orbem homines linguis confuſis diſperſit, ut inde iuxta numerum filiorum Iſrael per diuiſionem linguarum diuiderentur homines. Sed quid ſibi voluere bone Deus, genera linguarum, quibus die Sancto Pentecoſtes Sancti Spiritus numine afflante, quos maximè amabas fideles imbuiſti? quique erant labij unius unitate non diuiſa, diuerſis linguarum generibus donaſti? ut, ut Iudæi proſelyti, Cretes, Arabes, Parthi, Medi, Elamitæ, & ex omni natione, quæ ſub Cælo erat, proprijs idiomatibus, præconia Præpotentis, magnalia Maximi Dei audirent? Diuinæ ultionis animaduerſio fuit in turri Babylonica immiſſa à Deo confuſio linguarum; ſingulare Dei donum, præcipuum beneficium, amoris ſui pignus precioſiſſimum fuit, hominibus Deo caris in Hieroſolymitano cænaculo ieiunijs, orationibus, & obſecrationibus inſiſtentibus diuerſitatem linguarum concedere: genera linguarum data ſunt in Babylonica turri, ut iniquiſſimi homines per orbem diſperſi, ab iniquitate ceſſarent,

Prouer.
Oſe.
ELM.
Paul.
Eccleſia.
Symb.Nicen.
Gen.11.



UVA.BSCH

data ſunt in Cœnaculo, vt qui per orbem diſperſi pietatem ſectari voluiſſent, auditis Dei arcanis, ad vni-
tatem fidei, in vna Chriſti eccleſia congregarentur: vt ex vtroque loco Dei Omnipotentiam contemplari
liceret, qui cuncta facit bona in tempore ſuo. Dum genera linguarum, quæ ſignum fuere diuinæ vltionis,
in iiſdemet hominibus, eius diuini amoris ſignum eſſe cœperunt, & potiſſimum indagandæ veritatis, &
fidei confirmandæ inſtrumentum. quamuis enim etiam ante tempora Apoſtolorum in varias linguas
tranſlata fuerit ſacra Scriptura; in cõfirmationem tamen Euangelij ex eo tantum tempore variæ ſcriptu-
rarum tranſlationes inter fideles vſu venire cœperunt. Iudæi enim cum ebrietatem obijcerent Chriſti di-
Ioel. ſcipulis, Petrus qui redarguendum ſuſcepit mendacium, cathedram cõcionaturus conſcendit, & ex Ioele,
nec non etiam Iſaiæ teſtimonia depromens, numine diuini Spiritus afflatos diſcipulos comprobauit. ſi-
mulq; Chriſtum Dominum, Dei filium, illum eundem, quem cruci ſuffixerant Iudæi, ſurrexiſſe à mortuis,
ex eiſdem ſcripturis petitis teſtimonijs teſtabatur. non equidem, vt reor, Hebraico tantum vſus ſermone
in ſacræ ſcripturæ locis explicandis, ſed Chaldaico, Græco, Syro, Latino, atque alijs idiomatibus, vt iure
optimo dixerint viri ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, qui Petrum audierant, & alios Chriſti diſcipulos
concionantes; audiuimus eos loquẽtes noſtris linguis: non (inquiunt) audiuimus eos loquẽtes tantum lingua
Hebræa, Syra, aut Galilæa, ſed noſtris linguis magnalia Dei. quæ nam magnalia, niſi opera Chriſti Domini
vaticinijs prophetarum comprobata? Quæ magis manifeſta fient, ſi a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis
prolata teſtimonia, petita nunc ex Hebraicis fontibus, nunc ex Græca Septuaginta duorum interpretum
tranſlatione, quis contemplari voluerit: cognoſcet enim ſcripturarum Sacrarum varias tranſlationes lac
fuiſſe, quo eccleſia infantia enutrita eſt, & pueritia ſuccreuit, atque adoleſcentiam attingens, membra,
oſſa, neruos, vires, atque artus ſibi omnes parauit, legantur ſcripta Romani Clementis, Tertulliani, Igna-
tij, Irenæi, ſi quæ alij ſunt Apoſtolorum temporibus viciniores, perpendantur, quæ ab his adducuntur loca
ſcripturæ; legantur, qui his ſucceſſere, Patres; Alexandrinus Clemens, Origenes, Nazianzenus, vterque
Cyrillus, Chryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, lumen eccleſiæ D. Auguſtinus, &
quotquot fuere Patres, & ex eorum vigilijs, ac lucubrationibus facile erit conijcere, quantum vtilitatis
variæ ſacrarum Scripturarum tranſlationes earundẽ veritatem indagantibus afferant; nam eorum ſcri-
pta varijs his tranſlationibus ex Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, ſeu Syris fontibus petitis conſperſa vnde-
Grego. quaque, atque referta cognoſcere licebit. vnum Gregorij Magni in medium proferamus teſtimonium, qui
in præfatione ſuorum moralium, nouam, inquit, tranſlationem diſſero, Hieronymianam ipſe intelligit, ſed
cum probationis cauſa exigit, nunc veterem, nunc nouam pro teſtimonio aſſumo: vt quia ſedes Apoſtoli-
ca, cui auctore Deo præſideo, vtraque vtitur, mei quoque labor ſtudij ex vtraque fulciatur. Quid verò
Hieronymus ſentiat, non eſt meum diſſerere; cum de eius in hac re ſententia ambigere clariſſimæ luci
oculos claudere foret, ambigere inquam de ſententia viri, præ cæteris eccleſiæ Patribus peritia lingua-
rum doctiſſimi; cum & ipſe nouam ſacrorum Bibliorum tranſlationem ediderit; & in ſuis in Prophe-
tas, aut alios ſacræ Scripturæ libros Commentarijs, aut in Euangelia, ſi in ceſpites aliquos impegerit diuer-
ſis tranſlationibus ſe committit, vt ex illis veritatem eliciat. miſſa faciamus ſexcenta, ac penè innume-
rabilia huius Sanctiſſimi viri loca. nonne, cum de ſanguine Zachariæ filij Barachiæ, quem occiſum inter
templum, & altare aſſerit Dominus, ambigeret, tranſlatione qua vtebantur Nazaræi vſus eſt, vt pro-
baret ex illa iſtum Barachiam eſſe illum filium Ioiadæ, quem ingratiſſimus Rex Ioas occidit inter tem-
plum, & altare? Quanto autem vſui ſint hoc noſtro ſeculo, nullus eſt, qui ſi ſupremis vix labris Theolo-
gica ſtudia, ſacras litteras, vel acclamationes Concionatorum deguſtauerit, de hoc dubitare queat. Sed ad
priſcos, & peruetuſtos Eccleſiæ Patres redeamus. nonne hoc voluit pro certo haberi Sanctiſſimus Chriſti
martyr Lucianus, qui animaduertens græca Septuaginta duorum interpretum exemplaria, & vitio mul-
torum græcis ſuperſtitionibus addictorum, & incuria notariorum valdè corrupta, atque à ſuo originali
fonte aliena, plurima in illis falſa, atque adulterina ſuppoſita; ſuam ipſe ſacrorum librorum interpreta-
tionem elaborauit? & hæc Luciani tranſlatio adeo ſyncera, & emendata iudicata eſt, totius ferè Græciæ
iudicio, & conſenſu, vt nulla alia permitteretur legi in eccleſia tum Conſtantinopolitana, tum Antio-
chena, & in eccleſijs ijs locis ſubiectis, quæ propterea editio Græca communis, ſiue vulgata appellata eſt.
Iſid. lib. 6. Ethimolog. cap. 1. Hieron. epiſtol. ad Sonnid. & Fretel-lam. Sed non minorem etiam conſecutus eſt laudem doctiſſimus vir Heſychius, dum & ipſe in hunc vnum
ſcopum intendens, Chriſtianam Rempublicam varijs tranſlationibus iuuandi, ſuam ſacrorum Biblio-
rum interpretationem elaborauit, adeò laudatam, vt hæc vna præ cæteris cum interpretatione Septuagin-
ta duorum virorum, & cum noſtra vulgata, quam maximè conuenire cenſeatur; ſicque contigit, vt
hanc vnam cum maximè ſequeretur eccleſia, cæteræ omnes breui neglectæ iacuerint, atque paulatim
interciderint, vt teſtatur D. Ambroſius. Quot denique fuerint, qui in interpretandis, & vertendis
ſacris libris nunc ex fontibus Hebræorum, nunc ex Græcis Septuaginta duorum interpretum laborau-
rint, in præſentia omittamus, cum nulla vnquam fuerit ætas, nullum ſeculum, tempus nullum, quod ſuos
non agnouerit interpretes. Quid memorem Aquilam Synoſeum, vel Symachum Samaritanum, aut
Theodotionem, ſiue Ponticus, ſiue Epheſinus is fuerit? cum hi potius in odium Chriſtianæ religionis, &
ad Chriſtianam ueritatem deludendam ad hæc ſtudia ſeſe contulerint, quàm ueritatis aperiendæ gratia.
Horum etenim primus ſacris Chriſtianæ fidei documentis initiatus, cum à Genethliacis nequaquam ab-
ſtineret, ac proinde ab Eccleſia pulſus fuiſſet: adeo ſuperbè, & grauiter id tulit; ut Iudæis ſe dederit,
iamque grandæuus elementa Hebraica didicit, & in eorum perdiſcenda lingua laborans, illis ſtudijs ita
ſe dedit, ut ex Hebraico textu ad Græcam Septuaginta duorum Interpretum editionem corrumpendam
in odium Chriſtianorum, nouam ipſe tranſlationem conſarcinauit. Alter uerò Samaritanus, deficiens à
ſuis, quod primatum inter eos obtinere nequiret, ad Iudæos ſeſe conuertit, cumque apud Samaritanos Græ-
cam Septuaginta duorum Interpretum editionem in uſu eſſe cognoſceret; eò ſuum conuertit ſtudium, ut

Hebrai-

UVA.BSCH

Hebraicorum textuum ſententiam ſuo iudicio ſequutus, Græcam Septuaginta editionem contemneret: & tandem Hebræorum ut faueret totam ſeſe applicuit. Quanti denique translatione Theodotionis faciendum ſit, ipſe uideris, is enim aliquando Chriſtianus, nunc in Hebionis hæreſi, nunc uero in Marcionis errore uolutatus, tandem ne impietati ſuæ aliquid deeſſet, obſtinationi, & erroribus Iudæorum nefariè ſeſe ſubdidit, totumque ſuum ſtudium illi uni labori addixit, ut Græcam Septuaginta Interpretum editionem ab omnibus, & ubique receptam, quam maximè probari Chriſtianæ religioni intelligebat, contaminaret, & maculis aſpergeret. In quorum horum hominum labores, ſi quam optime perpendes, optime Lector, tibi nequaquam difficile erit cognoſcere; cur Patres Eccleſiæ Spiritus Sancti numine afflati tantum nauauerint operæ in corrigendis ſacris libris, illiſq; fideliter uertendis, ac in purganda editione Græca Septuaginta duorum interpretum. cur tantam ſuorum laborum laudem iam ſupra relati Sanctiſſimi uiri Lucianus & Heſichius conſequuti fuerint. cur huic uni rei incumbens Damaſus & re litteraria, & pietate uir maximè inſignis cum Summum Pontificatum teneret, uertendorum ex Hebræo Sacrorum Librorum, & eorum, qui ſub nomine Septuaginta duorũ Interpretum circumferebatur prouinciã D. Hieronymo demandauerit. Verum inter reliquos Eccleſiæ Patres Origeni maximè ſunt habendæ gratiæ, qui non ſolum ex editionibus Theodotionis, & Septuaginta duorum interpretum, aliam quandam ad quotidianum Eccleſiæ uſum conflauit translationem aſteriſcis deſignans, quæ minus apparerent in una, & obeliſcis quæ ſuperfluè uiderentur appoſita, ut ſic utramq; translationem commiſceret: quæ poſtea editio à Pamphilo martyre, & ab Euſebio Cæſarienſi uulgata Palæſtina translatio nuncupata eſt, eo quod omnibus Palæſtinæ & Syriæ Eccleſiis legenda in quotidianis lectionibus recepta eſſet; ſed antequam huic operi animum applicaret ſuum, duo illa exemplaria Sacrorum Bibliorum Hexapla & Octapla compoſuit, quorum priora cum in ſingulis paginis ſex columnellis eſſent referta hoc ordine, ut prima haberet Sacræ Scripturæ contextum Hebraicè exaratum, ſecũda itidem Hebraicum contextum, ſed Græcis exaratũ caracteribus, tertia Aquilæ uerſionẽ contineret, quarta Symachi translationem, quinta Septuaginta duorum Interpretum editionem, ſexta denique Theodotionis monſtraret translationem Ἑξάπλα ſunt appellata communiter, ut adnotat Euſebius Cæſarienſis; à nonnullis uerò Τετράπλα dicta ſunt, hoc eſt, quadrupla; quia quattuor Græcis translationibus congeſta eſſent, ut teſtantur Suidas, & Ioannes Zonaras: poſteriora autem exemplaria, quæ ab ipſo autore Ὀκτάπλα dicta ſunt; ſic appellata, eo quod octo columnellis diſtinguerentur ſingulæ paginæ hoc ordine, ut illis iam dictis ſex columnellis adderetur editio quædam Græca inuenta ab ipſo Origene in urbe Hierico, in doliis clauſa, quæ ab aliis diſtinguebatur hac ſuperimpoſita nota. E. quæ quinarium indicat numerum apud Græcos: hoc autem, quia iſta, quinta editio nuncupabatur, cum poſt editionem Septuaginta, Aquilæ, Symachi, & Theodotionis hæc Hiericuntina quintam obtineret ſedem: huic uerò ſeptimæ columnæ alia ſuccedebat octaua in qua apparebat altera Sacrorum Librorum editio reperta ab eodem Origene in doliis ſimiliter occultata apud Nicopolim in littore Actiaco, quæ notula. ς. quam Græci epiſiſemon dicunt, & ſenarii numeri index eſt apud ipſos, demonſtrabatur: ut illa notula denotaretur editionem hanc inter Græcas ſextum obtinere locum: hæc omnia elaborauit Origenes, uir ſanè re litteraria, & pietate inter Eccleſiæ Patres omni ueneratione dignus; ni fabulis hæreticorum eius ſcripta fœdata fuiſſent. is primus uarias Scripturæ Sacræ translationes ſimul coniunxit & ad ueritatem earum inueſtigandam, & ad myſteria earundem contemplanda.

Hunc imitatus Auguſtinus Iuſtinianus Epiſcopus Nebienſis, uir de peritia linguarum nunquam ſatis laudatus ſimilem exaplam editionem Sacrorum Librorum elaborauit; licet ſolum pſalterium in lucem prodierit. Sed melioribus auſpiciis Origenem eſt imitatus Illuſtriſſimus uir ille Franciſcus Ximenius à Ciſneros natione Hiſpanus, Religione Minorita. S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Balbinæ, Archiepiſcopus Toletanus, Archicancellarius Hiſpaniarum, & earundem Primas, inſigni edito Sacrorum Bibliorum opere, quod Complutenſis Biblia communiter appellatur: immenſis profectò ſumptibus, laboribus, atque uigiliis elaborato; accitis undequaque non ſolum in peritia linguarum doctiſſimis uiris; ſed caſtigatiſſimis etiam, & uetuſtiſſimis exemplaribus ex Vaticana, & Medicea Bibliotheca deſumptis, uel ab inclito Senatu Veneto ultro tranſmiſſis, ſua in lucem edidit uolumina in Complutenſi Academia Hebræo textu, ac Græco Septuaginta duorum Interpretum cum ſuis latinis translationibus, adiuncta his Chaldaica Paraphraſi, quam Thargum, appellant Hebræi, cum ſua latina interpretatione ſibi reſpõdente, licet in ſolis quinque Moyſis libris hæc habeatur: dempta hac eadem Paraphraſi à reliquis hiſtorialibus, hagiographis, necnon etiam propheticis libris, quod undequaque Thalmudicis fabulis conſperſa appareat; ſi autem hæc congeries Sacrorum Librorum à textibus Hebraicis Chaldaicis, & Græcis denominanda eſſet nunc hexapla, nunc quadrupla dici poſſent hæc Complutenſia exemplaria; quæ cum temporis diuturnitate, & operis æſtimatione iam defeciſſent, Catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus huius nominis Secundus accitis undequaque & uiris linguarum cognitione peritiſſimus, & codicibus præſtantiſſimis Hebraicis, Græcis, Chaldaicis, necnon etiam Syriacis perſimile elaborãdum curauit opus, tanta characterum pulchritudinem non ſolum ad latinas cudendas translationes, ſed quod difficilius erat, ad Hebraicos, Græcos, Chaldaicos, necnon etiam in Nouo Teſtamento Syriacos cudendos textus, ut nihil ſupra; rem profectò experimento comprobandam potius, quam calamo & atramento ſuadendam: ut uel hanc editionem Sacrorum Bibliorum triplam, quod Hebræa, Græca, & Chaldaica lingua congeſta ſit illam appellare, aut ſi mauis hexaplam illam dicere poſſis; quod tribus columnellis ex illis tribus linguis diſpoſitis ſua quæque latina reſpõdeat, quæ ſenarium abſoluant numerum. Quod uerò de Chaldaica Paraphraſi in Complutenſi ab Illuſtriſſimo Franciſco Ximenio prætermiſſum fuit, in his, quæ uulgo Biblia Regia appellantur, habetur. cum enim præclarus ille uir Franciſcus Ximenius primam ſuorum Bibliorum editionem abſoluiſſet, Chaldaicam Paraphraſim Sacrorum Librorum, quæ deſiderabatur, expurgandam curauit: & cum iam

Orig. trac. [illegible] in Matt. & [illegible] tom. 4.

ſecundam

*ſecundã corundē Bibliorum editionem aggredi vellet tanto præſtantiorē prima, quanto nihil de Chaldaica Paraphraſi deſiderandũ relinqueretur, morte præuentus, ne dicam abſoluere, ſed nec inchoare hoc ſuũ piũm deſiderium valuit; quod tamē, & inchoãdum, & abſoluendũ curauit Catholicus Rex: correctionibus illis, ſtudio, & diligentia Ximenij in expurgationem Chaldaicæ Paraphraſis, habitis; uſque miſſis, ad uiros qui huic operi ex mandato Regio Antuerpiæ incumbebant. ſed licet omni ſtudio hæc Chaldaica Paraphraſis a quamplurimis non ſemel, ſed bis, & iterum expurganda ſuſcepta fuerit, numquam tamen adeo perpolita fuit, quin aliqua adhuc labe ſit infecta, in ipſiſmet etiam Biblijs Regijs, quod facile intelliget, qui eorundem Bibliorum Cantica Canticorum, librum Iob, Threnos Hieremiæ, aliosue præcipuè propheticos perlegerit libros, quæ quidem in lectione cognoſcet, Chaldæum Paraphraſten potius expoſitoris, & expoſitoris Iudaici, quam ueri interpretis ſubijſſe perſonã; multoties ad Hebraici populi laudem multa accõmodans, quæ non ſolum ad rem minimè faciunt, uerum ipſiſmet textui maximè repugnant: cognoſcet, inquam, ut media in luce cæcutiat. ego etenim ipſe dum hanc Paraphraſim perlegerem, ut hiſce noſtris Biblijs illã inſererem, & omni ex parte ſtudioſos iuuarem, uix libros hiſtoriales a Pentatheuco, & infra, Iob, & Pſalterium perlegeram, cum ſupra triginta corrigenda loca adnotaueram: cumque has ego correctiones Sacræ Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationi ad negotia Sanctæ Inquiſitionis deputatæ obtuliſſem, vt iudicio Sanctæ Matris Eccleſiæ ſtarem de cudenda in his noſtris Biblijs Chaldaicæ Paraphraſis trãſlatione, me reliquos etiam libros expurgaturum exhibens: ſatius iudicarunt cum Sanctiſs. Domino Patres cõgregationis quibus de doctrinis cognoſcere datum eſt a Domino, huius Chaldaicæ Paraphraſis tranſlationem ab his noſtris exemplaribus reijciendam, quam thalmudicis fabulis illa fœdandam; ſicuti ſuis ad me datis litteris teſtatus eſt Illuſtriſſimus & Reuerēdiſſimus D. Robertus Bellarminus S.R.E. Presbyter Cardinalis de re litteraria, deque Chriſti Eccleſia vir optimè meritus, quemadmodũ eius labores atq; vigiliæ in impugnandis hæreticis, & dogmata fidei confirmãda teſtantur, addiditque ſub Pontificatu Greg. XIII. Pontif. Opt. Max. habitum fuiſſe conſilium coram Sanctiſſimo Patre de Biblijs Regijs ſuſpēdendis, donec expurgarentur; expurgatio vero eo tendebat, vt ab illis exemplaribus hæc Chaldaica Paraphraſis remoueretur, cuius expurgationis cura ipſimet Roberto Bellarmino, antequam ad ſacrum Cardinalatus apicem promoueretur demandata ſuit: ob hæc tamen non eſt damnandum, ſed quam maximè complectendum ſtudium, & diligentia illorum virorum, qui Antuerpiæ hoc in opere omni laude digno inſudarunt, & in primis Catholici Regis Philippi II. pietas numquam ſatis laudata: nec minores habendæ erunt gratiæ Patribus, qui ne aliquibus fabulis Thalmudicis hæc noſtra exemplaria fœdarentur, hanc eandem Paraphraſim remouendam curarunt. Cum enim omne ſtudium Patrum Eccleſiæ illud ſemper fuerit, vt vero, & germano ſacrarum Litterarum, & myſteriorum abditiſſimorum ſenſu hauſto, veritatem aſtruerẽt, & falſitatem, atque errores refellerent, hinc euenit, vt cæteris tranſlationibus, à Tranſlatione Septuaginta duorum Interpretum, & à vulgata veteri editione latina, quæ communis etiam dicta eſt, & qua vſa eſt Eccleſia ante tempora Hieronymi, non publicè, vel tamquam authenticis vſi ſint Patres, & Sacri Interpretes, ſed tamquam alienis, & extraneis ad particularem illorum vſum; ac vt ex earum tranſlationum inter ſe collatione, has, quas pro authenticis habebant, clarius, & facilius intelligerent: illarum quas apocriphas exiſtimabant falſitates redarguerent; vt affirmat Hieronymus: immo Phylaſtrius, & Epiphanius huius rei gratia factitatum eſſe tradunt, vt in hexaplis, & Octaplis Biblijs hinc inde à Tranſlatione Septuaginta duorum Interpretum cæteræ haberentur editiones, illa medium teneret locum; vt hinc, inde poſitis, earum diſcrepantia dignoſceretur, & huic vni declarationi deſeruirent; quæ in re defeciſſe mihi videntur (ſaluo ſemper meliori iudicio, & pace grauiſſimorum virorum dictum ſit) tam Regia, quam Complutenſia exemplaria, quibus deſuit vulgata editio; licet enim Tranſlatio ex Hebræo quæ in ipſis ſub nomine Hieronymi circumfertur vulgatæ proxima ſit, immo eadem in quam plurimis libris, in multis tamen diſcrepat, vt has inuicem conferenti manifeſtum erit, ac proinde eius declarationi obſequi voluiſſe haud videntur; quod nos, Patres illos imitati, contendimus in his noſtris Biblicis laboribus, licet quam tenuiſſimis. fateor (benigne Lector) parum adeſſe laboris, & ſtudij in hoc opere: quodcumq; tamen illud ſit, maximo tibi emolumento, atq; fructui eſſe ſenties, dum pro viribus curauimus ex cæteris tranſlationibus viam aperire ad enucleandos veros, & germanos ſenſus litterales Sacrarum Scripturarum, Tetraplaque tibi diſpoſuimus Biblia, prout diſpoſuerant prima illa Græcorum Patrum ſtudia; etiã ante tempora Origenis, illa congerentes ex quattuor Græcis tranſlationibus, quattuor diſtinctis inter ſe columnis; nos autem ſingulis in paginis ſimiliter columnas quattuor tibi oſtendentes, quattuor latinas tranſlationes ſaltem in libris Moſaycis tibi aſſignauimus; ita vt in his libris meritò Tetrapla dici poſſent, in reliquis vero nuncupanda forent tripla, quod ſemota Chaldaica Paraphraſi; Vulgata editione, Tranſlatione ex Hebræo Sanctis Pagnini, & Tranſlatione ex Græca Septuaginta duorum Interpretum congeſta ſit: vt dum tu Sacrarum Litterarum ſtudioſus, tam litterales, quam myſticos ipſarum Sacrarum Litterarum ſenſus inueſtigare conaris, his tranſlationibus adiutus facilius tuum adipiſcaris optatum. Prima verò facie veluti cæterarum omnium tranſlationum præſtantiorem, textum noſtræ vulgatæ editionis tibi in prima columna damus, cuius oſtendendæ authoritati illud tantum ſufficere debet, quod immemorabiliter à principio vſque naſcentis Eccleſiæ apud latinos vſu recepta fuerit, tranſlationis huius ignorato authore, quod diuini aliquid præſeferre numinis arbitror. Licet enim aliquando Hieronymi credita fuerit, tamen, vt à maioribus noſtris quaſi per manus traditum eſt, libri qui in ea continentur partim ex antiquiſſima, & vetuſtiſſima editione latina, quam Sanctus Hieronymus communem, & vulgatam, Sanctus Pater Auguſtinus Italam, & Sanctus Gregorius veterē appellant retenti ſunt, cæteri vero vel ab ipſo Hieronymo correcti, atq; emendati, vel ex ipſius noua tranſlatione deſumpti: cum enim apud latinos tot eſſent exēplaria, quot codices, teſte ipſo Hieronymo, & in aliquibus libris multa corroſa*

Hierony. præfat. in lib. Paral. Phylaſtr. Epiphan.

Sixt. Sen. l. 7. Biblio. Sanct. lib. 4.

Hierony. in præfat. lib. 105.

*deſide-*

UVA.BSCH

*deſiderarentur: ipſe Hieronymus iuſſu Damaſi Sedem Petri tunc tenentis correctioni illius incumbere aggreſſus eſt, quantum ſibi licuit, vel ex Græcis exemplaribus, vel quantum ſufficere ad vſum Eccleſiæ iudicauit: ſed quia adeo deprauata exemplaria comperit, vt ſe illa emendare poſſe deſperaret; nouam, & ipſe editionem adorſus eſt, quam Sanctus Gregorius nouam appellat, & tanti fecit, vt moraliter explicaturus ſusceperit, affirmans eum cuncta præ cæteris verius tranſtuliſſe; cum igitur in hac editione nonnulli libri, vt diximus, ex Tranſlatione Hieronymi deſumpti ſint, nonnulli ab ipſo emendati, atque correcti, hinc Hieronymi aliquando credita fuit; quæ tamen verius vetus vulgata appellanda eſt tantæ authoritatis ſemper habita in Eccleſia, vt omnibus alijs editionibus ſemper prælata fuerit teſte Auguſtino, & Gregorio. Innumerabilibus verò relictis locis Sanctorum Patrum latinorum, quibus huius editionis latinæ præſtantiam, excellentiam, dignitatem, & authoritatem oſtendere manifeſte poſſemus: nobis, qui piè, & rectè de Chriſti Eccleſia, eiuſque authoritate ſentimus, quique captum noſtrum Sacris Concilijs, & Summo Chriſti Vicario Pontifici Romano ſubmiſſimus, ſufficit, quod in Oecumenica Tridentina Synodo decretum fuit dum* ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat. *Cuius nam editionis aliquando tam celebri decreto accidit approbatio? nulli profectò, ſicuti nec aliqua paris authoritatis editio dari poteſt; corruptis, vel deprauatis tot ſæculorum curriculis Hebræis codicibus; & quos in lucem edidere Græcis exemplaribus Septuaginta duo Interpretes. ne mireris igitur, ſi editionem hanc, quâ ſemper vſa eſt Eccleſia, quam firmiſſimo decreto approbauit Sancta Tridentina Synodus cæterarum Tranſlationum fundamentum in hac noſtra Sacrorum Bibliorum congerie tibi proponimus, merito enim titulus hic illi debetur Tranſlationi, quæ verbis & ſententijs tenacior cum ſit, purior ſeruata eſt: nam reliquæ omnes Tranſlationes adeo, vel Hebræo textui hærent, vt nec latum vnguem ab eo recedendo, Septuaginta duorum Interpretum Tranſlationem abhorreant, vel hanc ita ſequuntur, vt Hebræos codices tamquam corruptos damnent: at hæc noſtra vulgata editio adeo vtrorumque codicum dignitatem veneratur, vt grauitatem ſententiarum ab vna, ab altera tenacitatem verborum ſibi vſurpauerit: hanc verò librariorum incuria, codicum diuerſitate, ac vetuſtate mendis plurimis cum ſcateret ex decreto Sacri Concilij Tridentini expurgandam ſuſcepit Pius IIII. fælic. record. Pontifex Opt. Max. ſelectis plurimis pientiſſimis, & doctiſſimis viris, quibus hoc munus demandauit, quod itidem inſtitutum proſequutus Pius V. ac intermiſſum tempore Greg. XIII. ob varia negotia, tandem Sixtus V. de re litteraria optime meritus Pontifex, & Eccleſiæ Dei vigilantiſſimus Paſtor, abſoluit, hacque expurgata, & emendata ad codices peruetuſtos Vaticanæ Bibliothecæ tandem in lucem produit iuſſu Clem. VIII. cum igitur inter omnes Sacrorum Bibliorum editiones hæc principem obtineat locum, & reliquæ omnes, ſiue ſint ex Hebræo fonte deductæ ſiue ex Græca Septuaginta duorum Interpretum, ſiue denique ex Chaldaica Paraphraſi, ad hoc proſint, vt pio Lectori deſeruiant, tamquam inſtrumenta, vt faciliorem ſibi pateat aditum ad myſteria Sacrarum Litterarum capeſſenda, ideo hanc tibi editionem vulgatam ſtatim in prima columna ante oculos propoſuimus.*

*Apparet autem in ſecunda columna Tranſlatio ex Hebræo textu reddita de verbo ad verbum à doctiſſimo viro Fratre Sancte Pagnino Lucenſi Prædicatorum Ordinis; id verò fecimus, non ea ratione, quod Tranſlationem huius authoris dignitate, aut authoritate præferendam fore intelligeremus Tranſlationi ex Septuaginta duorum Interpretum, ſed vt conuenientiam noſtræ vulgatæ ad Græcam Septuaginta Interpretum, & ambarum ad Hebraicum textum latine redditum de verbo ad verbum dignoſcere poſſes, idcirco huic Tranſlationi ex Hebræo mediam aſſignauimus ſedem inter noſtram vulgatam, & Tranſlationem ex Græca Septuaginta. Quibus verò laudibus à nobis celebrabitur vir iſte doctiſſimus? illumne ab exactiſſima Hebraicarum litterarum cognitione, commendem? qua profectò tantopere præſtitit, vt peritiſſimi quique Hebræorum Rabbini, hanc huiuſce viri Tranſlationem laudibus ſummis celebrantes omnibus, quæ nunc extant, Tranſlationibus præferant; an à ſtudio, diligentia & labore, quibus præclarum ſuum hunc fætum in lucem dedit? quæ omnia eò peruenere, vt quamuis nulli in cognitione, & peritia Hebraicæ litteraturæ ſecundus eſſet, ac ſumma facilitate cuncta explicare poſſet, adeo tamen in hoc conficiendo opere linceis oculis elaborauit, vt non citius viginti quinque annorum ſpatio illud abſoluerit: currenti viro, ſedulis adhortationibus calcaria addēte ſumptuſq; adminiſtrante Leone X. Pont. Opt. Max. qui tunc Petri ſedem regebat. huius verò viri peritiam linguæ Hebrææ teſtatur præclarum illud opus ab ipſo primo tentatum inter Chriſtianos, & inſcriptum Theſaurus linguæ Sanctæ, nec immerito ſane theſaurus inſcriptum fuit, cum hoc in vno libro opes omnes, & diuitias linguæ Sanctæ in vſum eorum, qui ad Hebræam Sacrarum litterarum peritiam anhelant affluenti copia collegerit, illoque opere ſignificationes omnium Hebraicarum vocum radicitus explicauerit: vt quam facillime, quod difficillimū eſt in ea lingua quiſque percipere valeret: teſtatur hoc idem, liber interpretationum Hebræorum, Chaldæorum, nec non etiam Græcorum nominum, quæ paſſim occurrunt in Sacris Biblijs, in quo iuxta idiomata, cuiuſque linguæ proprias adhibuit interpretationes, ac compoſitiones; eiuſdem authoris in Sacris litteris peritiam confirmat liber, qui ab ipſo inſcribitur Iſagoge ad Sacras litteras, in quo præclaras edocet regulas ad explicandas obſcuras phraſes, figuratas locutiones, & myſticos Sacræ Scripturæ ſenſus; quibus laboribus, & præclaris monumentis, omiſſis alijs, quæ morte præuentus abſoluere non valuit, probauit vir ille doctiſſimus ſe, & in ſtudio Sacrarum Litterarum, & in cognitione Hebraicæ linguæ nemine inferiorem eſſe, immo neminem ſibi ſuperiorem, neque tunc temporis agnouiſſe, neque in poſterum, quod nobis monimentis litterarijs ex Hebraicis ſtudijs deſumptis compertum fuerit, hæc igitur ſunt, quæ clare indicant, quantum debeamus doctiſſimo huic viro, quanti hæc eius Tranſlatio facienda ſit: quæ cum omnino Hebraici textus con-*

Augu. lib. 18 de ciui. ca. 43. & 2. de Doctri. Christ. cap. 15. Grego. in Præfat. c. 5. in 6. & in Moral. lib. 20. Trid. ſeſſ. 4.

*ſequere-*

ſequeretur ſeriem, & diſpoſitionem, & aliquãdo capitulum inchoaret, aut deſineret aliter, quam in noſtra vulgata editione, nobis, quibus huic vni reliqua omnes accommodandæ erant, neceſſe fuit ibidem in hac Tranſlatione inchoare, aut claudere capitulum, vbi noſtra vulgata illud incipiebat, aut finiebat, in margine breuiter hoc adnotato, ne textus immutare à ſuo originali videremur: quod idem fecimus, ſi quando accidit aliqua haberi in noſtra vulgata, quæ huic Sanctis Pagnini Tranſlationi deeſſent; quod ſi notatum id minime reperis, deeſſe verò in hac Tranſlatione comperceris, non negligentiæ, aut errori illud aſcribas, ſed non haberi illud in Hebræo pro certo habeas, à nobis verò ſuperflua reſecantibus nimine adnotata ſunt, vt me feciſſe aliquando fateor, quod ſuper vacaneum iudicauerim te pium, & prudentiſſimum Lectorem de hac re ſemper commonefacere: quod ſi, dum hanc Tranſlationem perlegeris, in aliquas dictiones diuerſo charactere impreſſas incideris, quod potiſſimum tibi eueniet in libris Iob, Pſalmorum, & Prophetarum; ſcias illas dictiones, ideo diuerſo prænotatas fuiſſe charactere, quod in Hebræo textu non habeãtur dictiones Hebraicæ latinis dictionibus reſpondẽtes, ex ſuo tamen additas dictiones illas à Sancta Pagnino nunc ad declarationem, nunc ad ſeriem, & ſenſum ipſius textus ordinandũ, vt multoties noſtris marginibus declarauimus: quamuis non ſemper, quod ſatis ſemel, atque iterum ſuis in locis, & in hac noſtra præfatione monuiſſe pium Lectorem duxerimus, vt quoties illud acciderit cognoſcere poſſet. Cumque ipſemet Sanctes Pagninus in ſua hac Tranſlatione, cum ſecundo illam edidit, nonnulla immutauerit commonefaciendum te cenſuimus, nos in his noſtris cudendis vſos fuiſſe exemplari, quodam impreſſo Lugduni anno Domini 1528. quod adeo ſcatebat erroribus, vt correctione potius indigeret, quam nobis ea in re poſſet aliquid inſeruire: adiuti nihilominus hac eadem Tranſlatione cum interlineari textu Hebræo, quæ habetur in Biblijs Regijs, correctiſſimam illam, quoad fieri potuit, tibi dare curauimus; tuæ erit humanitatis ignoſcere, aliquando librariorum incuriæ, & noſtros ſummos labores æqui, boniqué conſulere, qui quidem quales fuerint in hoc opere cudendo nequaquam crederes ni experimento probares. potuiſſes fortaſſe quærere, cur in libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Thobiæ, Iudith, necnon etiam Machabæorum, & Noui Teſtamenti non tibi dederimus Tranſlationem Sanctis Pagnini, ex Græco, quod à nobis factum eſſe ſcito: tum quia in his libris varietas lectionis, ex huius viri Tranſlatione à noſtra vulgata aſcripſiſſe ſatis fuiſſet, tum etiam ne magnitudine voluminum, & ſumptuum te grauaremus, & quod varietas illa lectionum, minima ſit in his libris à noſtra vulgata editione.

Huic verò vulgatæ editioni ex aduerſo ſtatim poſt Tranſlationem ex Hebræo reſpondet Tranſlatio ex præclara illa Tranſlatione Septuaginta duorum Interpretum. quanta verò Tranſlationis Septuaginta duorum Interpretum authoritas ſit illud facile argumentari debet; quod antiquior illa, nulla detur, quod adeo expetita fuerit à ſapientiſſimo Rege Ptolemæo, vt nullis ſumptibus ſibi parcendũ putauerit, ſed maximis cum muneribus ad Eleazarum Iudæorum Pontificẽ miſerit legatos, vt ſuis potiretur votis, ergo vt viri miſſi ſunt (ſelectis ſex ex vnaquaque tribu) vt munus hoc obirent; illi inquã miſſi ſunt, qui & Regi ſapientiſſimo ſatisfacerent, & doctrina, atque pietate ſumma præditi opus inſigne ad quod perficiendũ mittebantur perficere valerent; qui in lege doctiſſimi, legis arcana aliud in idioma transferre poſſent, & morum pietate, pietatem, quam ex lege profitebantur, viuendi ratione demonſtrarent; nec enim mittendi fuerant ad legem Sanctiſſimam, & Prophetarum myſteria Regi alterius gentis ſuo in idiomate interpretanda, qui moribus non eſſent Sancti, & ſanctitatem legis, quam ſcripto profitebantur, moribus non profiterentur, aut qui à prophetico ſpiritu alieni eſſent. Exiſtimentur igitur, & ſanctitate morum conſpicui, & prophetico Spiritu afflati illi, qui licet Sacra Scripta ſeorſim in cellulis interpretati fuerint; tanta tamen numinis præſentia id perfecerunt, vt nec verbis quidem inter ſe diſcrepauerint, atque diuinitus factum eſt, vt annis amplius octingentis Græca hæc Tranſlatio vſu venerit in omni ſynagoga Hebræorum, apud quos omnes, Græcus ſermo notiſſimus erat, cum Hebraicus pauciſſimis innoteſceret, vt teſtatur Tertullianus; & ad ſua vſque tempora hoc idem perdurasse inter Hebræos Philo Iudæus, & martyr Iuſtinus teſtatum reliquerunt. At cur de eius authoritate, & dignitate huius Tranſlationis laboramus nos, cum doctiſſimus Origenes in epiſtola ad Iulium Aphricanum tantum tribuerit huic uni Tranſlationi, ut dixerit hoc ſolum pro uero habendum eſſe in Sacris Scripturis, quod Septuaginta Interpretes tranſtuliſſent. & D. Auguſt. Eccleſia Chriſti, inquit, tot hominum authoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem indicat præferendum: & Diuus Hieronymus multis in locis præſertim in præfatione Paralipomenon aſſerit Septuaginta Interpretes uiros Spiritu Sancto plenos fuiſſe, & Spiritus Sancti authoritate ſcripſiſſe, ſed plurimis omiſſis, quæ de hac re, & Tranſlationis huius dignitate in medium adduci poſſent; eo cuncta obſignentur, quod Apoſtoli, & Euangeliſtæ ex ea, tanquam de uera, ac fida interpretatione teſtimonia acceperunt, unde & manifeſte conſtat hac interpretatione ſæpe uſum fuiſſe Chriſtum Dominum, quod ad eius dignitatem, & maieſtatem ſuadendam nihil ſupra dici poteſt, ut merito affirmet Diuus Hieronymus, quod ſi Septuaginta duorum uirorum Interpretatio pura, atque ſincera permanſiſſet, qualis ab ipſiſmet authoribus ſcripta fuit, ſupernacaneum futurum nouæ cuiuſcumque interpretationis laborem: & quamuis Cardinalis Ximenius, & Catholicus Rex per doctiſſimos homines ad hoc onus delectos in eorum Biblijs hanc Græcam Interpretationem Septuaginta duorum uirorum ponendam curauerint: illorum tamen ſtudium adeò adhæſit Hebraico textui, ut hanc Septuaginta Tranſlationem eidem accommodare conati fuerint, non ſolum quo ad initia Capitum, & tranſpoſitionem materiarum, ut quæ dicebantur alicubi à Septuaginta duobus Interpretibus, & in Hebraico textu ibidem non reperirentur, à ſua ſublata Sede eò transferrentur ubi connecterentur Hebræo textui, quod ſi aliqua adeſſent in Hebræo, quæ deſiderarentur apud Septuaginta ab ipſis de induſtria prætermiſſa, hæc eadem ſibi ſupplenda ex aliqua alia Tranſlatione iudicarunt; ſi, verò è contra hæc

Tertullia. Philo. Iuſtinus. Orig. epiſ. ad Iul. Afric.

Aug. li. 18. de ciuitat. cap. 43.

Hierony. in præfat. Paralip.

in Tranſ-

UVA.BSCH

*in Tranſlatione Septuaginta aliqua reperirentur, quæ in Hebræo textu minime reperirentur, quæque Origenes obelo notare ſatis indicauit, ipſi reſecare non ſunt veriti; immo etiam ita adhæſerunt Hebraico textui, vt ſi quando inter ipſos Græcos codices varia lectio intercidiſſet, quod quam ſæpiſſimè euenisſe nulli dubium eſt, eam lectionem probarunt, atque retinuerunt, quæ propius ad Hebraicum textum accederet; hinc factum eſt, vt ipſi non purum, & ſyncerum textum ipſorum Septuaginta Interpretum retinuerint; ſed nunc Theodotionem, nunc Aquilam, nunc alterum aliquem fuerint ſequuti, nouamque ediderint editionem, ex multis, & varijs editionibus permixtam, ſub nomine Septuaginta cuſam, quam eorundem veram tibi tradiderint; quam magnum vero eſſet damnum Sixt. V. vigilantiſſimus Pontifex probè intelligens, dum adhuc Cardinalis eſſet Gregorio XIII. Pontifici Opt. Max. ſuaſit, vt Tranſlationem Septuaginta duorum Interpretum ſinceram, & incorruptam Eccleſiæ dari, quoad fieri poſſet, curaret; cui poſtulationi benignè annuens de Chriſtiana Republica optime meritus Paſtor, & Chriſti Vicarius, demandata hac prouincia Illuſtriſſimo Cardinali Caraffæ peritia linguarum ornatiſſimo viro, ipſæ viam vniuerſæ carnis ingreſſus, & ad Summum deinde Apoſtolatus apicem euectus ipſe Sixt. V. quod Cardinalis adhuc ſuaſerat anteceſſori, ipſe Pontifex perficiendum curauit; Itaque eiuſdem Cardinalis Caraffæ opera tandem hæc Tranſlatio Græca ex Septuaginta in lucem prodijt correcta atque emendata ad optima quæque exēplaria aſſeruata in Bibliotheca Vaticana: arbitrati ſunt, viri illi ad tantū munus deſignati, ſibi non recedendū præcipuè à peruetuſto codice Vaticano inſcripto κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα, antiquitate charactērū integritate dictionum, ſimplici quadam conſtructione, & collatione locorum à Sanctis Patribus citatorum venerando; cum enim ea, quæ antiqui Patres teſtantur deeſſe Septuaginta Interpretibus, huic vni codici deſint, videri profectò poteſt ex melioribus codicibus, qui haberi poſſint; cum de eius antiquitate ſupra nongentos annos conſtet; ita, vt ſaltem indicare poſſimus hunc vnum codicem, & hoc vnum exemplar ad veram Septuaginta duorum Tranſlationem præ cæteris accedere. Vt autem vigilantiſſimus is Paſtor rem litterariam Sacram vndequaque iuuaret, & ingeniorum humanorum tenuitati in Chriſtiana Republica conſuleret, illorum ſcilicet, qui linguæ Græcæ peritiam aſſequi non valent, eandem Septuaginta duorum Interpretum Tranſlationem latinam reddere curauit. hæc autem eſt, quæ iuſſu Pontificis Optimi Max. edita tibi datur in hac noſtra Sacrorum Bibliorum congerie; tum quod puriori fonte è vicino ſcaturiat, tum quod in verbis aſperitatem, ſimplicitatem, atque duritiem ipſorum Græcorum exemplarium, & locorum à Sanctis Patribus citatorum ſequatur: monuerunt enim B. B. Ioannes Chryſoſtomus, & Gregorius ſuas habere Scripturam Sanctam proprietates, cui concedendum ſit, neque intra donati regulas arctandam: hoc innatum eſſe Sacris litteris nequaquam intelligunt, aut cognoſcunt Hæretici; intelligunt verò & cognoſcunt, qui in illorum ſtudio ſe exercuerint pietate potius, quam curioſitate affecti; quod vt tu intelligeres, optimè Lector, hanc tibi præ cæteris ex facultate ſuperiorum tibi proponendam duximus. Cumque hæc tranſlatio, texturæ, & diſpoſitioni noſtræ vulgatę editionis accommodanda eſſet, nobis neceſſe fuit, quæ vno in loco apud Septuaginta dicebantur, eò transferre, quo eadem in vulgata haberentur, quoties id opus fuit toties breui margine hoc indicauimus, & ex quo loco illa deſumpta fuerint, demonſtrauimus; ne dum illa accommodamus noſtræ vulgatæ editioni, ordinem, diſpoſitionemque ipſorum Septuaginta contemnere videremur. hanc autem Tranſlationem Romanā appellamus, & quia iuſſu Summi Romani Pontificis Romæ reuiſta, recognita, atque eius iuſſu edita fuit, & ne dum quis texturam huius tranſlationis in his noſtris Biblijs perlegeret, illamque eodem ordine cerneret in tranſlatione, quæ ſub nomine Septuaginta circumfertur in Biblijs Regia, & Complutenſi, allucinari nos arbitraretur dum aſſerimus in margine illa eadem alibi haberi in Tranſlatione Septuaginta: quod ſi aliqua deſuere in hac Tranſlatione, quæ haberentur in vulgata, & in reliquis, loci vacuitatem ſimiliter breui margine quoad fieri potuit diligentius, indicauimus; ne incuria, aut negligentia aliquid omiſſum arbitraretur Lector. vbi verò hæc Tranſlatio reliquas exceſſit in aliquo, cum ex ipſo contextu appareat ſuperfluum, illud adnotandum iudicauimus; accidit verò in libro Exodi, vt Caput 36. 37. 38. & 39. vbi de conſtructione Tabernaculi ſermo habetur, adeo varium ſit & diuerſum à textura, atque diſpoſitione vulgatæ editionis, & cæterarum Tranſlationum: & breuibus marginibus, quales anguſtia loci ferebat, hanc varietatem nequaquam ſatis aperte indicare quiuerimus, immo cum multa in illis apparerent locis repetita, ac ſuperflua, quæ alicui noſtræ vulgatæ loco minime cohęrere poterant, ac proinde omittenda: idcirco, vt textus ipſorum Septuaginta clare conſpicere poſſes, & eorum texturam ex teipſo contemplari, illa eadem capitula ad calcem huius Primi Tomi, abſque numeris, & prout apparent in ipſamet Tranſlatione cudenda curauimus, ſicuti etiam fragmentum quoddam cap. 2. ex Libro III. Regum, & cap. 12. hoc ob variam texturam, illud quia repetitum & ſuperfluum cum videretur, non erat ſedes in vulgata, cui accommodari poſſet: vt contemplatione iſtorum textuum noſtro etiam labori aliquo modo indulgere poſſis. Nec prætermittendum duco, vt te admoneam, quod cum aliquando, præſertim in Libris Regum maxima pars hiſtoriæ in hac Tranſlatione deeſſe videretur, quod tamen haberi, in aliquibus exemplaribus, & apud aliquos ex Sanctis Patribus, qui Tranſlatione Septuaginta vſi ſunt, teſtabatur obſeruator variarum lectionum in hac eadem Tranſlatione, ideo tamen expuncta à contextu huius Tranſlationis, quia non haberentur in illo peruetuſto codice Vaticano, quo potiſſimum vſi ſunt; nos quia haberentur in vulgata noſtra editione, illa prout habebantur inter varias lectiones tibi dedimus in margine Tranſlationis ex Septuaginta, quoties breuitas materiæ hoc nobis conceſſit, cum adnotatiuncula, quæ tibi declararet, vnde illa deſumpta fuerint, & cur ibi poſita, vbi verò aliquando accidit id nobis non permitti materiæ quantitate, & anguſtia marginulæ intra contextum Septuaginta illa inſeruimus diuerſo tamen charactere, & marginula, quibus cognoſcere poſſes, illa quæ tali diuerſo charactere cuſa erant, non pertinere ad contextum huius Tranſlationis ex Septuaginta. Denique quia Pſalterium, quod habemus in vulgata editione, idem ferè eſt, ac*

illud,

UVA.BSCH

illud, quod in hac Translatione habetur, & ſola adnotatio variarum lectionum opus fuiſſet, vt tibi hoc Pſalterium vſui venire poſſet, cũ hac vice ab hac varietate lectionum abſtinuerimus, daturi in altera editione illas cum alijs plurimis adnotationibus in grattam ſtudioſorum Sacrarum Litterarũ: idcirco ſatis duximus in Pſalterio duplicem tibi aſſignare Translationem vulgatæ ſcilicet editionis, & ex Hebræo Sanctis Pagnini: at verò libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, necnon Machabæorum Primus & Secundus cum in Hebræo Canone non habeantur, & Græcam cum redoleant eloquentiam, parum, vel nihil diſcrepent à vulgata editione; idcirco hos libros ſola vnius tantum textus editione conſpicies, qua diximus ratione factum. verum hæc translatio non ſolum diſpoſitione materiarum, verum etiam ordine librorum maximè diſtinguitur à noſtra vulgata editione. quapropter licet ſuo quoſque loco illos poſuerimus, quo reſponderet vulgatæ, hoc tamen non ſine adnotatione in margine fecimus, vt diſpoſitionem huius Translationis, etiam quoad ordinem librorum non ignorares.

His tandem tribus Sacrorum Bibliorum Translationibus quartam adiunximus ex Chaldaica Paraphraſi Translationem; ſiue ex Syriaco textu, vt aliqui arbitrantur, exaratum tamen Hebraicis characteribus, quod illud tunc eſſet inter Palæſtinos commune eloquium, vnde Rabbini nonnulli Sacrorum Codicum Translationem, vt vernacula lingua Sacram Scripturam darent, Paraphraſim hanc elaborarunt, additis, vel ſublatis dictionibus, prout elucidatio locorum abditorum exigebat, cuius Paraphraſis tres fuere authores, vt communiter ſentiunt, Onchelos, Ionathan, & Ioſeph cæcus, quorum primum Pentateuchum Moyſi tranſtuliſſe ferunt, alterum legem, & Prophetas, tertium denique Pſalterium, Prouerbia, Iob, Eccleſiaſten, Cantica, Ruth, Eſter, & alij ſi qui ſunt libri; ſed, quia inter has Paraphraſes ſola, quæ in quinque Moyſis libros habetur, purior, & ſyncerior indicatur, idcirco hæc ſola digna iudicata eſt, vt cæteris in his noſtris Biblijs adiungeretur, iudicio Superiorum rebus fidei præfectorum: quod ſi aliquando nobis hanc Paraphraſim expurgatam cum alijs in lucem edere permiſſum fuerit, cum alios Deo fauente Biblicos edemus labores varijs lectionibus, Geographicis necnon ſcenographicis ſtudijs pro intelligentia Sacrarum Litterarum refertis, nequaquam laboribus nos ceſſuros ſcias, dummodo rem litterariam, & piorum hominum ſacra ſtudia iuuare poſſimus: hæc nunc noſtra ſtudia, qualiacunque illa ſint, & hos noſtros labores læto accipe animo, & hilari ſuſcipe vultu, & dum aliquam vtilitatem, commoditatemve ex his Biblijs ad tua accommodaueris ſtudia, mei memento, qui te ſumma beneuolentia proſequor, in grattam cuius, dum hos cuderem libros, oculos ferè amiſi; necnon etiam recordare, & gratias plurimas habeas Illuſtri, ac Reuerendo D. D. Hieronymo de Gabrielis Ciui Fanenſi, viro pio, & de pietate optime merito: mittam nunc plurima, quæ de illo deque eius pietate, religione, zelo, amore in pauperes, ac charitate dicere poſſem, viuit adhuc, laudandus poſt vitam, magnificandus poſt conſummationem, vir optimus iſte: qui præter reliqua bona, quæ piè conſumit, in hoc opere cudendo ad tria ferè millia ſcutatorum expendit, vt ſtudioſis Sacrarum Litterarum prodeſſet; & dum huius viri, & mei memineris, datorem omnium bonorum rogato, vt meis humerulis robur concedere dignetur, quo ipſum toto pectore colere pro eius Eccleſia laborare, & tua ſtudia in dies meis lucubrationibus, quoad potero iuuare valeam. Vale.

# HIERONYMI PROLOGVS
## GALEATVS.

Viginti & duas litteras eſſe apud Hebræos, Syrorum quoque lingua, & Chaldæorum teſtatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis eſt: nam & ipſi viginti duo elementa habent eodem ſono, ſed diuerſis characteribus. Samaritani etiã Pentateuchum Moyſi totidem litteris ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certumque eſt Eſdram ſcribam, legiſque doctorem poſt captam Ieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias litteras reperiſſe quibus nunc vtimur: cum ad illud vſque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum hæc eadem ſupputatio, ſub Leuitarum, ac ſacerdotum cenſu, myſtice oſtenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibuſdam Græcis voluminibus, vſque hodie antiquis expreſſum litteris inuenimus. Sed & Pſalmi trigeſimus ſextus, & centeſimus decimus, & centeſimus vndecimus, & centeſimus decimuſoctauus, & centeſimus quadrageſimuſquartus, quamquam diuerſo ſcribantur metro, tamen eiuſdem numeri texuntur alphabeto. Et Ieremiæ lamentationes, & oratio eius: Salomonis quoque in fine prouerbia, ab eo loco in quo ait. Mulierem fortem quis inueniet? iiſdem alphabetis, vel inciſionibus ſupputantur. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos ſunt: Caph, Mem, Nun, Pe, Sade, aliter enim ſcribuntur per has principia, medietateſque verborum, aliter fines. Vnde & quinque à pleriſque libri, duplices æſtimantur, Samuel Melachim, Dibre haiamim, Eſdras, Ieremias, cum Cinoth, id eſt lamentationibus ſuis. Quomodo igitur vigintiduo elementa ſunt, per quæ ſcribimus Hebraice omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi litteris, & exordiis in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri iuſti eruditur infantia.

Primus apud eos liber, vocatur בראשית Bereſith: quem nos Geneſim dicimus.

Secundus, ואלה שמות Veelle ſemoth: qui Exodus appellatur.

Tertius, ויקרא Vaiicra, id eſt Leuiticus.

Quartus, וידבר Vaieddaber, quem Numeros vocamus.

Quintus, אלה הדברים Elle haddebarim, qui Deuteronomium prænotatur.

Hi ſunt quinque libri Moyſi, quos propriè תורה Thora, id eſt Legem appellant.

Secundum, prophetarum ordinem faciunt: & incipiunt ab Ieſu filio Naue: qui apud eos יהושע בן נון Ioſue ben Nun dicitur.

Deinde ſubtexunt שפטים Sophetim, id eſt Iudicum librum. Et in eumdem compingunt Ruth: quia in diebus Iudicum facta eius narratur hiſtoria.

Tertius ſequitur שמואל Samuel, quem nos Regum primum & ſecundum dicimus.

Quartus, מלכים Melachim, id eſt Regum, qui tertio & quarto Regum volumine continetur.

Meliuſque multo eſt מלכים Melachim, id eſt Regum, quàm ממלכות Mamlachot, id eſt Regnorum dicere. Non enim multarum gentium deſcribit regna, ſed vnius Iſraelitici populi, qui tribubus duodecim continetur.

Quintus, eſt ישעיה Iſaias.

Sextus, ירמיה Ieremias.

Septimus, יחזקאל Ezechiel.

Octauus, liber duodecim Prophetarum: qui apud illos vocatur תרי עשר Thereaſar.

Tertius ordo, Hagiographa poſſidet.

Et primus liber incipit à איוב Iob.

Secundus à דוד Dauid: quem quinque inciſionibus, & vno Pſalmorum volumine comprehendunt.

Tertius eſt של מה Salomon, tres libros habens: Prouerbia, quæ illi משלי Miſle, id eſt Parabolas appellant.

Quartus, Eccleſiaſten, id eſt קהלת Coheleth.

Quintus, Canticum canticorum, quem titulo שיר השירים Sir haſſirim prænotant.

Sextus, eſt דניאל Daniel.

Septimus, דברי הימים Dibre haiamim, id eſt Verba dierum: quod ſignificantius, Chronicon totius diuinæ hiſtoriæ poſſumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus, & ſecundus inſcribitur.

Octauus, עזרא Eſdras: & qui & ipſe ſimiliter apud Græcos, & Latinos, in duos libros diuiſus eſt.

Nonus, אסתר Eſther.

Atque ita fiunt pariter Veteris legis libri viginti duo: id eſt Moyſi quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum nouem. Quamquam nonnulli רות Ruth, & קינות Cinoth, inter Hagiographa ſcriptitent, & hos libros in ſuo putent numero ſupputandos: ac per hoc eſſe priſcæ legis libros vigintiquattuor: quos ſub numero vigintiquattuor ſeniorum Apocalypſis Ioannis inducit adorantes Agnum, & coronas ſuas proſtratis vultibus offerentes: ſtantibus coram quattuor animalibus oculatis ante & retro, id eſt in præteritum, & in futurum reſpicientibus, & indefeſſa voce clamantibus, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Hic prologus, Scripturarum quaſi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire poteſt: vt ſcire valeamus, quidquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filii Syrach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in canone. Machabæorum primum librum, Hebraicum reperi. Secundus, Græcus eſt: quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt. Quæ cum ita ſe habeant, obſecro te Lector, ne laborem meum, reprehenſionem exiſtimes antiquorum. In templo Dei offert vnuſquiſque quod poteſt: alii aurum, argentum, & lapides pretioſos: alii byſſum, & purpuram, & coccum offerunt: & hyacinthum: nobiſcum bene agitur, ſi obtulerimus pelles, & caprarum pilos. Et tamen Apoſtolus contemptibiliora noſtra magis neceſſaria iudicat. Vnde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per ſingulas ſpecies, Eccleſiæ præſentis futuræque diſtinctio, pellibus tegitur, & ciliciis, ardoremque ſolis, & iniuriam imbrium ea, quæ viliora ſunt prohibent. Lege ergo primum Samuel, & Melachim meum: meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, & emendando ſollicitius, & didicimus, & tenemus, noſtrum eſt. Et cum intellexeris, quod antea neſciebas, vel interpretem me æſtimato, ſi gratus es; vel Paraphraſten, ſi ingratus. quamquam mihi omnino conſcius non ſim, mutaſſe me quippiam de Hebraica veritate. Certè ſi incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum iis opuſculis, quę nuper emendauimus: & vbicumque diſcrepare inter

ſevi-

UVA.BSCH

ſe videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas ſi leni: & ſi noſtra firmauerit, puto quòd eum non æſtimes coniectorem, vt in eodē loco mecū ſimiliter diuinarit. Sed & vos famulas Chriſti rogo (quæ Domini diſcūbentis pretioſiſſima fidei myrrha vngitis caput, quæ nequaquam Saluatorem quæritis in ſepulchro, quibus iam ad Patrem Chriſtus aſcendit) vt contra latrantes canes, qui aduerſum me rabido ore deſæuiunt, & circumeunt ciuitatem, atque in eo ſe doctos arbitrantur ſi alijs detrahant, orationum veſtrarum clypeos opponatis. Ego ſciens humilitatem meam, illius ſemper ſententiæ recordabor, Dixi, cuſtodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum: & ſilui à bonis. Pſal.38.

# HIERONYMVS PAVLINO.

FRATER Ambroſius tua mihi munuſcula perferens, detulit ſimul & ſuauiſſimas litteras, quæ à principio amicitiarum, fidem probatæ iam fidei, & veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio: ſed Dei timor, & Diuinarum ſcripturarum ſtudia conciliant. Legimus in veteribus hiſtorijs quoſdam luſtraſſe prouincias, nouos adiſſe populos, maria tranſiſſe: vt eos quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, ſic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragrauit: vt qui Athenis magiſter erat, & potens, cuiuſque doctrinam Academiæ gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus: malens aliena verecunde diſcere, quam ſua impudenter ingerere. Denique dum litteras quaſi toto fugientes orbe perſequitur, captus à piratis & venundatus, etiam tyranno crudeliſſimo paruit, captiuus, vinctus & ſeruus; tamen quia philoſophus, maior emente ſe fuit. Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, vt vrbem tantam ingreſſi, aliud extra vrbem quærerent. Apollonius, ſiue ille magus, vt vulgus loquitur, ſiue philoſophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetrauit: & ad extremum, latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem. Inde per Aelamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos, reuerſus Alexandriam, perrexit Æthiopiam vt Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam Solis menſam videret in ſabulo. Inuenit ille vir vbique quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. Scripſit ſuper hoc pleniſſime octo voluminibus Philoſtratus.

II. Act.9. Quid loquar de ſæculi hominibus, cum Apoſtolus Paulus, vas electionis & magiſter Gentium, qui de conſcientia tanti in ſe hoſpitis loquebatur, 2.Cor.13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Gal.1. poſt Damaſcum Arabiamque luſtratam, aſcenderit Ieroſolymam, vt videret Petrum, & manſerit apud eum diebus quindecim? Hoc enim myſterio hebdomadis & ogdoadis futurus Gentium prædicator inſtruendus erat. Gal.2. Rurſumque poſt annos quatuordecim aſſumpto Barnaba & Tito expoſuerit Apoſtolis Euangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Habet enim neſcio quid latentis ἐνεργείας viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore tranſfuſa, fortius ſonat. Vnde & Æſchines cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus ſuſpirans ait, Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam, ſua verba reſonantem?

III. Hæc non dico, quod ſit in me aliquid tale, quod vel poſſis à me audire, vel velis diſcere: ſed quod ardor tuus & diſcendi ſtudium etiam abſque nobis per ſe probari debeat. Ingenium docile, & ſine doctore laudabile eſt. Non quid inuenias, ſed quid quæras conſideramus. Mollis cera, & formandum facilis, etiam ſi artificis & plaſtæ ceſſent manus: tamen virtute totum eſt quidquid eſſe poteſt. Act.22. Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis legem Moyſi, & Prophetas didiciſſe ſe gloriatur, vt armatus ſpiritalibus telis, poſtea diceret confidenter: 2.Cor.10. Arma noſtræ militiæ, non carnalia ſunt: ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum ad obediendum Chriſto, & parati ſubiugare omnem inobedientiam. 1.Tim.3. 2.Tim.4. Ad Timotheum ſcribit ab infantia Sacris litteris eruditum, & hortatur ad ſtudiū lectionis, ne negligat gratiam quæ data ſit ei per impoſitionem manus presbyterij. Tit.1. Tito præcipit vt inter ceteras virtutes epiſcopi, quem breui ſermone depinxit, ſcientiam quoque in eo eligat Scripturarum, Obtinentem, inquit, eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contra dicentes reuincere.

IIII. Sancta quippe ruſticitas ſolum ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet ſi deſtruētibus non reſiſtat. Agg.2. Malachias propheta, immo per Aggæum Dominus, interroga, ait, ſacerdotes Legem: intantum ſacerdotis officium eſt interrogatum reſpondere de Lege. Deut.32. Et in Deuteronomio legimus, Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. In Pſalmo quoque centeſimo decimooctauo, Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et in deſcriptione iuſti viri, cum eum Dauid arbori vitæ, quæ eſt in paradiſo compararet, inter ceteras virtutes & hoc intulit, Pſal.1. In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Dan.12. Daniel in fine ſacratiſſimæ viſionis ait: iuſtos fulgere ſicut ſtellas & intelligētes, id eſt doctos, quaſi firmamentum. Vides quantum inter ſe diſtent iuſta ruſticitas, & docta iuſtitia? Alij ſtellis, alij cælo

comp-

UVA.BSCH

comparantur. Quamquam iuxta Hebraicam veritatem vtrumque de eruditis poſſit intelligi. Ita enim apud eos legimus: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplẽdor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? Nempe quia legis, & Scripturarum ſanctarum erat armarium. Phariſæi ſtupent in doctrina Domini: & mirantur in Petro, & Ioanne quomodo legem ſciant, cum litteras non didicerint. Quidquid enim alijs exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis hoc Spiritus ſanctus ſuggerebat, & erant iuxta quod ſcriptum eſt θεοδίδακτοι. Duodecim annos Saluator impleuerat, & in templo ſenes de quæſtionibus legis interrogans, magis docendum prudenter interrogat. Niſi forte ruſticum Petrũ, ruſticum dicimus Ioannem: quorum vterque dicere poterat. Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Ioannes ruſticus, piſcator, indoctus? & vnde illa vox obſecro, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum λόγος enim Græce multa ſignificat: nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſa vniuſcuiuſque rei, per quam ſunt ſingula, quæ ſubſiſtunt: quæ vniuerſa rectè intelligimus in Chriſto. Hoc doctus Plato neſciuit, hoc Demoſthenes eloquens ignorauit. Perdam, inquit, ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vera ſapientia perdet falſam ſapientiam, & quamquam ſtultitia prædicationis in cruce ſit, tamen Paulus ſapiẽtiam loquitur inter perfectos: ſapientiam autem non ſæculi huius, nec principum ſæculi iſtius, quæ deſtruitur; ſed loquitur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quã prædeſtinauit Deus ante ſæcula. Dei ſapientia, Chriſtus eſt. Chriſtus enim, Dei virtus, & Dei ſapientia. Hæc ſapientia, in myſterio abſcondita eſt: de qua & noni pſalmi titulus prænotatur, Pro occultis filij, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Et qui in myſterio abſconditus erat, prædeſtinatus eſt ante ſæcula: prædeſtinatus autem & præfiguratus in Lege, & Prophetis. Vnde & Prophetæ appellabantur videntes: quia videbant eum, quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem eius, & lætatus eſt. Aperiebantur cœli Ezechieli, qui populo peccatori clauſi erant. Reuela, inquit David, oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Lex enim ſpiritualis eſt, & reuelatione opus eſt, vt intelligatur, ac reuelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur: quem ſi dederis homini ſciẽti litteras, vt legat, reſpondebit tibi. Non poſſum: ſignatus eſt enim. Quanti hodie putant ſe noſſe litteras, tenent ſignatum librum, nec aperire poſſunt, niſi ille reſerauerit, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit? In Actibus Apoſtolorum ſanctus Eunuchus, immo, vir (ſic enim eum Scriptura cognominat) cum legeret Iſaiam prophetam, interrogatus à Philippo, Putaſne intelligis, quæ legis? reſpondit, Quomodo poſſum, niſi aliquis me docuerit? Ego (vt de me loquar interim) nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Æthiopia, id eſt de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis diuinæque ſcientiæ fuit, vt etiam in vehiculo legeret Litteras ſacras. Et tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs perſonaret, ignorabat eũ, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei Ieſum, qui clauſus latebat in littera. O miræ doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis, & ſanctus factus eſt, ac magiſter de diſcipulo, plus in deſerto fonte Eccleſiæ, quam in aurato ſynagogæ templo reperit. Hæc à me perſtricta ſunt breuiter (neque enim epiſtolaris anguſtia euagari longius patiebatur) vt intelligeres te in Scripturis ſacris ſine præuio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.

Act. 9.
Ioan. 6.
Luc. 2.
2. Cor. 12.
Ioan. 1.
Abd. 1.
Iſa. 29.
1. Cor. 1.
1. Cor. 2.
Coloſ. 2.
Ioan. 8.
Ezech. 1.
Pſal. 118.
Rom. 7.
2. Cor. 3.
Apoc. 5.
Iſa. 29.
Apoc. 3.
Act. 8.

Taceo de grammaticis, rhetoribus, philoſophis, geometris, dialecticis, muſicis, aſtronomis, aſtrologis, medicis, quorum ſcientia mortalibus, vel vtiliſſima eſt, & in tres partes ſcinditur. τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quam manu adminiſtrantur. Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumque cæſores, lanarij quoque, & fullones, & cæteri qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt. Quod medicorum eſt, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vindicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequã diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur. Alij diſcunt, pro pudor, à fœminis, quod viros doceant. & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, immo audacia ediſſerunt alijs quod ipſi non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuũ incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam, Scripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit, Iam redit, & virgo, redeunt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et patrem loquentem ad Filium, Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus. Et poſt verba Saluatoris in cruce, Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat. Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: immo, vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quòd neſcias.

Videlicet manifeſtiſſima eſt Geneſis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuiſione terræ, de confuſione linguarum, & gentium, vſque ad exitum ſcribitur Hebræorum.

Patet Exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum miſticis diuiniſque præceptis.

In promptu eſt Leuiticus liber, in quo ſingula ſacrificia, immo ſingulæ pene ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leuiticus ſpirant cœleſtia ſacramenta.

Numeri vero, nonne totius arithmeticę, & prophetię Balaam, & quadraginta duarum per eremum manſionum myſteria continent?

Deuteronomium quoque ſecunda lex, & Euangelicæ legis præfiguratio, nonne ſic ea habet, quæ priora ſunt, vt tamen noua ſint omnia de veteribus? Hucuſque Moyſes, hucuſque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui ſe velle Apoſtolus in Eccleſia gloriatur.

Iob exemplar patientiæ, quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? Proſa incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur: omneſque leges dialecticæ, propoſitione, aſſumptione, confirmatione, concluſione determinat. Singula in eo verba, plena ſunt ſenſibus. Et (vt de cæteris ſileam) reſurrectionem corporum ſic prophetat, vt nullus de ea, vel manifeſtius, vel cautius ſcripſerit. Scio inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. & ruſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe. & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Veniam ad Ieſum Naue, qui typum Domini non ſolum geſtis, verum etiam nomine præfert, tranſit Iordanem, hoſtium regna ſubuertit, diuidit terram victori

V I.
VI I. Geneſis.
Exodus.
Leuiticus.
Numeri.
Deuter.
1. Cor. 14.
Iob.
Ioſue, ſiue Ieſus Naue.

† †   po-

populo,& per ſingulas vrbes,viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Eccleſiæ cæleſtiſque Ieruſalem ſpiritualia regna deſcribit.

Lib. Iudic. In Iudicum libro, quot principes populi, tot figuræ ſunt.

Ruth. Iſa. 16. Ruth Moabitis, Iſaiæ explet vaticinium, dicentis, Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti,ad montem filiæ Sion.

Reg. I. & II. Samuel in Heli mortuo, & in occiſo Saul, veterem legem abolitam monſtrat. Porro in Sadoc, atque Dauid, noui ſacerdotij, nouique imperij ſacramenta teſtatur.

Reg. III. & IIII. Melachim, id eſt tertius & quartus Regum liber, à Salomone vſque ad Iechoniam, & à Ieroboam filio Nabat vſque ad Oſee,qui ductus eſt in Aſſyrios, regnũ Iuda,& regnum deſcribit Iſrael. Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt: ſi in litteris ſenſum latentem inſpexeris,Eccleſiæ paucitas, & hæreticorum contra Eccleſiam bella narrantur.

Duodecim prophetæ in vnius voluminis anguſtias coarctati, multo aliud, quam ſonet in littera, præfigurant.

Oſee. Oſee crebo nominat Ephraim, Samariam, Ioſeph Iezrahel,& vxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clauſam mariti, multo tempore ſedere viduam, & ſub veſte lugubri, viri ad ſe reditum præſtolari.

Ioel. Ioel filius Phatuel deſcribit terram duodecim tribuum,eruca,bruche,locuſta,rubigine vaſtante conſumptam: & poſt euerſionem prioris populi, effuſum iri Spiritum ſanctum ſuper ſeruos Dei, & ancillas, id eſt ſuper centum viginti credentium nomina, & effuſum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti ab vno vſque ad quindecim paulatim,& per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in pſalterio myſtice continentur.

Act. 2. Amos. Amos paſtor, & ruſticus, & ruborum mora diſtringens,paucis verbis explicari non poteſt. Quis enim digne exprimat tria,aut quatuor ſcelera Damaſci,& Gazæ,& Tyri,& Idumææ, & filiorum Ammon, & Moab; & in ſeptimo,& octauo gradu Iudæ, & Iſrael? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ ſunt in Samariæ monte, ruituram domum maiorem, minoremque teſtatur. Ipſe cernit fictorem locuſtæ, & ſtantem Dominum ſuper murum litum, vel adamantinum, & vncinum pomorum, attrahentem ſupplicia peccatoribus, & famem in terram; non famem panis, nec ſitim aquæ,ſed audiendi verbum Dei.

Abdias. Abdias, qui interpretatur ſeruus Dei, perſonat contra Edom ſanguineum terrenumque hominem, fratris quoque Iacob ſemper æmulum, haſta percutit ſpiritali.

Ionas. Ionas columba pulcherrima naufragio ſuo paſſionem Domini præfigurans. mundum ad pœnitentiam reuocat: & ſub nomine Niniue, Gentibus ſalutem nunciat.

Michæas. Michæas de Moraſthi cohæres Chriſti, vaſtationem annunciat filiæ latronis,& obſidionem ponit contra eã: quia maxillam percuſſerit iudicis Iſrael.

Nahum. Nahum conſolator orbis increpat ciuitatem ſanguinum,& poſt euerſionem illius loquitur,Ecce ſuper mõtes pedes euangelizantis,& annunciantis pacem.

Habacuc. Habacuc luctator fortis, & rigidus, ſtat ſuper cuſtodiam ſuam,& figit gradum ſuper munitionem, vt Chriſtum in cruce contempletur, & dicat, Operuit cælos gloria eius,& laudis eius plena eſt terra. Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

Sophonias. Sophonias ſpeculator, & arcanorum Dei cognitor, audit clamorem à Porta piſcium,& eiulatum à Secunda, & contritionem à collibus. Indicit quoque vlulatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt vniuerſi qui inuoluti erant argento.

Aggæus. Aggæus feſtiuus & lætus, qui ſeminauit in lacrymis vt in gaudio meteret. deſtructum templum ædificat, Deumque patrem inducit loquentem, Adhuc vnum, modicum,& ego commouebo cœlum & terram,& mare,& aridam,& mouebo omnes gentes,& veniet deſideratus cunctis gentibus.

Zacharias. Zacharias memor Domini ſui,multiplex in prophetia,Ieſum veſtibus ſordidis indutum, & lapidem oculorum ſeptem: candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis: duas quoque oliuas à ſiniſtris lampadis cernit,& dextris: vt poſt equos nigros,ruſos, albos, & varios, & diſſipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, pauperem regem vaticinetur & prædicet, ſedentem ſuper pullum filium aſinæ ſubiugalis.

Malachias. Malachias aperte, & in fine omnium prophetarum, de abiectione Iſrael,& vocatione Gentium: Non eſt mihi,ait,voluntas in vobis,dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Iſaias. Iſaiam,Ieremiam,Ezechielem,& Danielem quis poteſt vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, ſed Euangelium.

Ieremias. Secundus virgam nuceam, & ollam ſuccenſam à facie Aquilonis, & pardum ſpoliatum ſuis coloribus, & quadruplex diuerſis metris nectit alphabetum.

Ezechiel. Tertius principia & finem tantis habet obſcuritatibus inuoluta, vt apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos triginta non legantur.

Daniel. Quartus vero, qui extremus inter quatuor prophetas temporum conſcius, & totius mundi φιλίστωρ lapidem præciſum de monte ſine manibus, & regna omnia ſubuertentem claro ſermone pronunciat.

Dauid. Dauid Simonides noſter,Pindarus,& Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo pſalterio, ab inferis excitat reſurgentem.

Prouerbia. Eccleſiaſtes. Canticũ. Salomon pacificus,& amabilis Domini, mores corrigit,naturam docet, Eccleſiam iungit, & Chriſtum ſanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Eſther. Eſther in Eccleſiæ typo populum liberat de periculo,& interfecto Aman,qui interpretatur iniquitas partes conuiuij,& diem celebrem mittit in poſteros.

Paralip. Paralipomenon liber, id eſt inſtrumenti veteris, ἐπιτομή, tantus,ac talis eſt,vt abſque illo ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina iuncturaſque verborum, & prætermiſſæ in Regum libris tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Euangelij quęſtiones.

Eſdras. Nehemias. Eſdras,& Nehemias,adiutor videlicet, & conſolator à Domino, in vnum volumen coarctantur, inſtaurant templum,muros extruunt ciuitatis: omniſque illa turba populi redeuntis in patriam, & deſcriptio ſacerdotum,Leuitarum Iſraelis, proſelytorum, ac per ſingulas familias murorum, ac turrium opera diuiſa, aliud in cortice pręferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, exceſſiſſe modum epiſtolę,& tamen non impleſſe quod volui. Audiuimus tantum quid noſſe,quid cupere debeamus, vt nos quoque poſſimus dicere,Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Cæterum illud Socraticum impletur in nobis, Hoc tantum ſcio, quod neſcio.

Pſal. 118.

Matthæus. Marcus. Lucas. Ioannes. Ezech. 1. Tangam & nouum breuiter teſtamẽtum, Matthęus, Marcus,Lucas, & Ioannes quadriga Domini, & verum Cherubim,quod interpretatur ſcientię multitudo, per

totum

totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in ſublime tendentes, terga pennata, & vbique volitantia, tenent ſe mutuo, ſibique perplexi ſunt, & quaſi rota in rota voluuntur, & pergunt quocumque eos flatus Spiritus ſancti perduxerit.

Paulus Apoſtolus. Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit eccleſias, octaua enim ad Hebræos, à pleriſque extra numerum ponitur. Timotheum inſtruit, ac Titum, & Philemonem pro fugitiuo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto, quam pauca ſcribere.

Actus Apoſtolorum. Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi nouerimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe, medicum, cuius laus eſt in Euangelio, animaduertemus pariter, omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.

1.Cor.1. Iacobus. Petrus. Ioannes. Iudas. Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, ſeptem epiſtolas ediderunt tam myſticas, quam ſuccinctas, & breues pariter, ac longas: breues in verbis, longas in ſententijs, vt rarus ſit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocal. Apocalypſis Ioannis tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te frater chariſſime, inter hæc viuere, iſta meditari, nihil aliud noſſe, nihil quærere. Nonne tibi videtur iam hic in terris regni cæleſtis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum vel de induſtria ſic prolata ſunt, vt ruſticam concionem facilius inſtruerent, & in vna eademque ſententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non ſum tam petulans, & hebes, vt hæc me noſſe pollicear, & eorum fructus carpere, quorum radices in cœlo fixæ ſunt: ſed velle fateor. Sedenti me præfero, magiſtrum renuens, comitem ſpondeo. Petenti datur, pulſanti aperitur, quærens inuenit. Matt.7. Luc.11. Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeueret in cœlo. Obuiam te manibus excipiam, & (vt ineptè aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæſieris, tecum ſcire conabor. Habes hic amantiſſimum tui fratrem Euſebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicauit, referens honeſtatem morum tuorum, contemptum ſæculi, fidem amicitiæ, amorem Chriſti. Nam prudentiam, & eloquij venuſtatem etiam abſque illo ipſa epiſtola præferebat. Feſtina, quæſo te, & hærentis in ſalo nauiculæ funem magis præcide, quam ſolue. Nemo renunciaturus ſæculo bene poteſt vendere, quæ contempſit, vt venderet. v11. Quidquid in ſumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum eſt, auaro tam deeſt, quod habet, quam quod non habet. Prou.17. Credenti totus mundus diuitiarum eſt: infidelis autem etiam obolo indiget. Sic 1.Cor.6. viuamus tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Victus & veſtitus diuitiæ Chriſtianorum ſunt. Si habes in poteſtate rem tuam, vende: ſi nõ habes, proijce. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum eſt. Matt.5. Scilicet niſi tu, ſemper recraſtinans, & diem de die trahens, cautè & pedetentim tuas poſſeſſiunculas vendideris, non habet Chriſtus vnde alat pauperes ſuos. Totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit. Apoſtoli nauem tantum & retia reliquerunt. vidua duo æra miſit in gazophylacium, & præfertur Crœſi diuitijs. Matth.4. Mar.12. Luc.21. Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.



# PRAEFATIO SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI

## In Pentateuchum Moyſi ad Deſiderium.

Dan. 9. DEſiderij mei deſideratas accepi epiſtolas, qui quodam præſagio futurorum, cum Daniele ſortitus eſt nomen, obſecrantis, vt tranſlatum in Latinam linguam de Hebræo ſermone Pentateuchum, noſtrorum auribus traderem. Periculoſum opus certè, & obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me aſſerunt in Septuaginta interpretum ſugillationem noua pro veteribus cudere, ita ingenium quaſi vinum probantes: cum ego ſæpiſſime teſtatus ſim, me pro virili portione in Tabernaculo Dei offerre quæ poſſim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari.
Exod. 35. Quod vt auderem, Origenis me ſtudium prouocauit, qui editioni antiquæ tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo opus omne diſtinguens: dum aut illuſcere facit, quæ minus ante fuerant: aut ſuperflua quæque iugulat, & confodit, maximè quæ Euangeliſtarum, & Apoſtolorum auctoritas promulgauit. In quibus multa de Veteri teſtamento legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur, vt eſt illud, Ex Ægypto vocaui filium meum: &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem compunxerunt: &, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: &, Quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: & multa alia, quæ proprium σύνταγμα deſiderant. Interrogemus ergo eos vbi hæc ſcripta ſint: & cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus.
Oſee 11. Iſa. 11. Zach. 12. Prouer. 18. Iſa. 64. Primum teſtimonium eſt in Oſee, ſecundum in Iſaia, tertium, in Zacharia, quartum in Prouerbijs, quintum æque in Iſaia. Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta ſectantur: & Hiberas nænias libris authenticis præferunt. Cauſas erroris non eſt meum exponere. Iudæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio: ne Ptolemæus vnius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem diuinitatem deprehenderet. Quod maximè idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique vbicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt: vt & regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Et neſcio quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit: quibus diuiſi eadē ſcriptitarint: cum Ariſtæas eiuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Ioſephus nihil tale retulerint: ſed in vna baſilica congregatos, contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Niſi forte putandus eſt Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte, orationem afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe. Aut aliter de eiſdem libris per Septuaginta interpretes, aliter per Apoſtolos Spiritus ſanctus teſtimonia texuit: vt quod illi tacuerunt, hi ſcriptum eſſe mentiti ſint. Quid igitur? damnamus veteres? Minimè. Sed poſt priorum ſtudia, in domo Domini, quod poſſumus laboramus. Illi interpretati ſunt ante aduentum Chriſti, & quod neſciebant, dubijs protulere ſententijs: nos vero poſt paſſionem, & reſurrectionem eius, non tam prophetiam, quam hiſtoriam ſcribimus. aliter enim audita: aliter viſa narrantur. quod melius intelligimus, melius & proferimus. Audi igitur æmule, obtrectator auſculta: non damno, non reprehendo Septuaginta: ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero. Per iſtorum os mihi Chriſtus ſonat, quos ante prophetas inter ſpiritalia chariſmata poſitos lego: in quibus vltimum pene gradum interpretes tenent. Quid liuore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in tranſlatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diuerſarum vrbium magiſtros conſule. Quod illi habent de Chriſto, tui codices non habent. Aliud eſt ſi contra ſe poſtea ab Apoſtolis vſurpata teſtimonia probauerunt, & emendatiora ſunt exemplaria Latina, quam Græca, & Græca, quam Hebraica. Verum hæc contra inuidos. Nunc te precor Deſideri chariſſime, vt me, quia tantum opus ſubire feciſti, & a Geneſi exordium capere orationibus iuues: quo poſſim eodem ſpiritu quo ſcripti ſunt libri, in Latinum eos transferre ſermonem.

### *Eiuſdem in Ieſue Præfatio.*

TAndem finito Pentateucho Moyſi, velut grandi fœnore liberati, ad Ieſum filium Naue manum mittamus, quem Hebræi יהושע בן נון id eſt Ieſue filium Nun, vocant: & ad Iudicum librum quem שפטים appellant: ad Ruth quoque & Eſther, quos eiſdem nominibus efferunt. Monemuſque lectorem, vt ſiluam Hebraicorum nominum, & diſtinctiones per membra diuiſas diligens ſcriptor conſeruet: ne & noſter labor, & illius ſtudium pereat. Et vt in primis, quod ſæpe teſtatus ſum ſciat me non in reprehenſionem veterum noua cudere, ſicut amici mei criminantur: ſed pro virili parte offerre linguæ meæ hominibus, quos tamen noſtra delectant: vt pro Græcorum ἑξαπλοῖς, quæ & ſumptu, & labore maximo indigent, editionem noſtram habeant. Et ſicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inueniant, quod requirunt: maxime cum apud Latinos tot ſint exemplaria, quot codices: & vnuſquiſque pro arbitrio ſuo, vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt: & vtique non poſſit verum eſſe, quod diſſonat. Vnde ceſſet arcuato vulnere contra nos inſurgere ſcorpius, & ſanctum opus venenata carpere lingua, vel ſuſcipiens, ſi placet: vel contemnens, ſi diſplicet: memineritque illorum verſuum, Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Pſal. 49. Sedens, aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Quæ enim audientis, vel legentis vtilitas eſt, nos laborando ſudare, & alios detrahendo laborare? dolere Iudæos, quod calumniandi eis, & irridendi Chriſtianos ſit ablata occaſio, & Eccleſiæ homines id deſpicere, immo lacerare, vnde aduerſarij

tor-

loquebantur? Quod ſi veteres eis tantum interpretatio placet, quæ & nuſſi non diſplicet, & nihil extra recipiendum putant; cur ea quæ ſub aſteriſcis & obelis vel addita ſunt vel amputata, legunt, & negligunt? Quare Danielem iuxta Theodotionis tranſlationem, eccleſiæ ſuſceperunt? Cur Origenem mirantur, & Euſebium Pamphili, cunctas editiones ſimiliter diſſerentes? Aut quæ fuit ſtultitia, poſtquam vera dixerunt, proferre quę falſa ſunt? Vnde autem in nouo teſtamento probare poterunt aſſumpta teſtimonia, quæ in libris veteribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Cæterum poſt ſanctæ Paulæ dormitionem, cuius vita virtutis exemplum eſt, & hos libros quos Euſtochio virgini Chriſti negare non potui; decreuimus dum ſpiritus hos regit artus, prophetarum explanationi incumbere, & omiſſum iam diu opus, quaſi quodam poſtliminio, repetere: præſertim cum & admirabilis, ſanctuſque vir Pammachius, hoc idem litteris flagitet; & nos ad patriam feſtinantes, mortiferos ſirenarum cantus ſurda debeamus aure tranſire.

*Præfationem eiuſdem Sancti Hieronymi in libros Regum ſupra reperies, ideo in principio poſitam, quod librorum ſacrorum ordinem contineat. Inſcribitur autem, Prologus Galeatus.*

## Eiuſdem in librum Paralipomenon Præfatio.

SI ſeptuaginta interpretum, pura & vt ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperflue me, Chromati epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, vt Hebræa tibi volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupauerat, & naſcentis Eccleſiæ roborauerat fidem, iuſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Nunc vero cum pro varietate regionum diuerſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta ſit, atque violata; noſtri arbitrij putas, aut e pluribus iudicare quid verum ſit, aut nouum opus in veteri opere cudere, illudentibuſque Iudæis, cornicum, vt dicitur, oculos configere. Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis vſque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ Palæſtinos codices legunt: quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgauerunt: totuſque orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat. Et certe Origenes non ſolum exempla compoſuit quattuor editionum, e regione ſingula verba deſcribens, vt vnus diſſentiens, ſtatim ceteris inter ſe conſentientibus arguatur: ſed, quod maioris audaciæ eſt, in editione Septuaginta Theodotionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minus fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita. Si igitur alijs licuit non tenere quod ſemel ſuſceperant: & poſt Septuaginta cellulas, quæ vulgo ſine auctore iactantur, ſingulas cellulas aperuere, hocque in eccleſijs legitur quod Septuaginta neſcierunt; cur me non ſuſcipiant Latini mei, qui inuiolata editione veteri ita nouam condidi, vt laborem meum Hebræis, &, quod his maius eſt, Apoſtolis auctoribus comprobem? Scripſi nuper librum de optimo genere interpretandi, oſtendens illa de Euangelio, Ex Ægypto vocaui filium
Matth. 2. meum: & Quoniam Nazaræus vocabitur: &, videbunt
Ioan. 19. in quem compunxerunt: & illud Apoſtoli, Quæ ocu-
1.Cor 2. lus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus illum: ceteraque his ſimilia in Hebræorum libris inueniri. Certe Apoſtoli & Euangeliſtæ Septuaginta interpretes nouerant: & vnde eis hæc quæ in Septuaginta in-
Ioan.7. terpretibus non habentur? Chriſtus Dominus noſter vtriuſque teſtamenti conditor, in Euangelio ſecundum Ioannem, Qui credit, inquit in me ſicut dicit Scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vtique ſcriptum eſt, quod Saluator ſcriptum eſſe teſtatur. Vbi ſcriptum eſt? Septuaginta non habent: apocrypha neſcit Eccleſia. Ad Hebræos igitur reuertendum eſt, vnde Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt. Hæc pace veterum loquor, & obtrectatoribus meis tantum reſpondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, & legentes in angulis, ijdem & accuſatores & defenſores, cum in alijs probent quod in me reprobant: quaſi virtus & vitium non in rebus ſit, ſed cum auctore mutetur. Cæterum memini editionem Septuaginta tranſlatorum, olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris: nec inimicum debere exiſtimari eorum quos in conuentu fratrum ſemper ediſſero. Et quod nunc דברי הימים, id eſt verba dierum, interpretatus ſum: idcirco feci, vt inextricabiles moras, & ſiluam nominum, quæ ſcriptorum confuſa ſunt vitio, ſenſuumque barbariem apertius, & per verſuum cola digererem, mihimet ipſi & meis iuxta Iſmeniam canens, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum.

*Ad Domnionem & Rogatianum in eundem Præfatio eiuſdem.*

QVomodo Græcorum hiſtorias magis intelligunt qui Athenas viderint; & tertium Virgilij librum qui à Troade per Leucatem, & Acroceraunia, ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis nauigauerint: ita ſanctam Scripturam lucidius intuebitur qui Iudæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum vrbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit. Vnde & nobis curæ fuit cum eruditiſſimis Hebræorũ hunc laborem ſubire: vt circumiremus prouinciam, quam vniuerſæ Chriſti eccleſiæ ſonant. Fateor enim, mi Domnion & Rogatiane chariſſimi, numquam me in diuinis voluminibus, proprijs viribus credidiſſe, nec habuiſſe opinionem meam, ſed ea etiam de quibus ſcire me arbitrabar, interrogare me ſolitum. quanto magis de his ſuper quibus anceps eram? Denique, cum à me nuper litteris flagitaſſetis, vt vobis librum Paralipomenon Latino ſermone transferrem, de Tiberiade quendam legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſi; & contuli cum eo à vertice, vt aiunt, vſque ad extremum vnguem: & ſic confirmatus, auſus ſum facere quod iubebatis. Libere enim vobis loquor ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitioſus eſt, vt non tam Hebræa quàm Barbara quædam, & Sarmatica nomina coniecta arbitrandum ſit. Nec hoc Septuaginta interpretibus, qui Spiritu ſancto pleni, ea quæ vera fuerunt tranſtulerant, ſed ſcriptorum culpæ aſcribendum, dum de emendatis inemendata ſcriptitant; & ſæpe tria nomina, ſubtractis e medio ſyllabis, in vnum vocabulum cogunt, vel e regione vnum nomen, propter latitudinem ſuam, in duo vel tria vocabula diuidunt. Sed & ipſæ appellationes, non homines, vt plerique exiſtimant, ſed vrbes, & regiones, & ſaltus, & prouincias ſonant, & oblique ſub interpretatione, & figura eorum, quædam narrantur hiſtoriæ: de quibus in Regnorum libro dicitur, Nonne ecce hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Quæ vtique in noſtris codicibus non habentur. Hoc primum ſciendum, quod apud Hebræos, liber Paralipomenon, vnus ſit: & apud illos vocatus, דברי הימים, id eſt verba dierum: qui propter magnitudinem, apud nos diuiſus eſt, quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo faciunt, vt cum in tres partes ſecent, cum vnus à ſuo Auctore ſit editus. Deinde etiam illud attendendum, quod frequenter nomina, non vocabula hominum, ſed rerum, vt dixi, ſignificantias ſonant. Ad extremum quod omnis

eruditio Scripturarum in hoc continetur: & hiſtoriæ quæ vel prætermiſſę ſunt in ſuis locis, vel perſtrictæ leuiter, hic per quædam verborum compendia explicentur. Orationum itaque veſtrarum adiutus auxilio, miſi librum beneuolis placiturum, tamen inuidis diſpliciturum eſſe non ambigo. Optima enim quæque, vt ait Plinius malunt contemnere plerique, quam diſcere. Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, ſuam conſcientiam recolat, videat ordinem textumque ſermonis; & tunc noſtro labori, ſi potuerit, detrahat. Vbicumque ergo aſteriſcos, id eſt ſtellas, radiare in hoc volumine videritis: ibi ſciatis de Hebræo additum quod in Latinis codicibus non habetur. Vbi vero obelus, tranſuerſa ſcilicet virga, præpoſita eſt, illic ſignatur quid Septuaginta interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.

*Eiuſdem ad Domnionem & Rogatianum, & in Eſdram, & Nehemiam præfatio.*

VTrum difficilius ſit, facere quod poſcitis, an negare, necdum ſtatui. nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere, ſententiæ eſt: & magnitudo oneris impoſiti ita ceruices premit, vt ante ſub faſce ruendum ſit, quam leuandum. Accedunt ad hoc inuidorum ſtudia; qui omne quod ſcribimus, reprehendendum putant: & interdum contra ſe conſcientia repugnante, publice lacerant quod occulte legunt, intantum vt clamare compellar, & dicere: Domine, libera animam
Pſal. 119. meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Tertius annus eſt quod ſemper ſcribitis atque reſcribitis, vt Eſdræ librum & Eſther, vobis de Hebræo transferam: quaſi non habeatis Græca & Latina volumina: aut quidquid illud eſt quod à nobis vertitur, non ſtatim ab omnibus conſpuendum ſit. Fruſtra autem, vt ait quidam, niti, neque aliud fatigando niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Itaque obſecro vos mi Domnion & Rogatiane chariſſimi, vt priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicũ, nec faſtidioſis cibos ingeratis: vitetiſque eorũ ſupercilium, qui iudicare tantum de alijs, & ipſi facere nihil nouerunt. Si qui autem fratrum ſunt quibus noſtra non diſplicent, his tribuatis exemplar; admonentes vt Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia eſt, diſtincte & per interualla tranſcribant. Nihil enim proderit emendaſſe librum, niſi emendatio, librariorum diligentia, conſeruetur. Nec quenquam moueat quod vnus à nobis liber editus eſt: nec apocryphorum tertij & quarti ſomnijs delectetur: quia & apud Hebræos Eſdræ Nehemiæque ſermones in vnum volumen coarctantur, & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quattuor ſenibus ſunt, procul abijcienda. Siquis autem Septuaginta vobis oppoſuerit interpretes, quorum exemplaria varietas ipſa lacerata & inuerſa demonſtrat; nec poteſt vtique verum aſſeri quod diuerſum eſt: mittite eum ad Euangelia: in quibus multa ponuntur quaſi de Veteri teſtamento, quæ apud Septuaginta interpretes non habentur, velut illud, Quoniam Nazaræus vocabitur. &, Ex Ægypto vocaui filium meum. &, Videbunt in quem compunxerunt. multaque alia, quæ latiori operi reſeruamus: & quærite ab eo vbi ſcripta ſint. cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus quæ nuper à nobis edita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed vt ad compendium veniam, certe quod illaturus ſum, æquiſſimum eſt. Edidi aliquid quod non habetur in Græco, aut aliter habetur quam à me verſum eſt? Quid interpretem laniant? interrogent Hebræos: & ipſis auctoribus, tranſlationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porro aliud eſt, ſi clauſis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere, & non imitantur Græcorum ſtudium ac beneuolentiam, qui poſt Septuaginta tranſlatores, iam Chriſti Euangelio coruſcante, Iudæos & Hebionitas legis veteris interpretes, Aquilam videlicet & Symmachum, & Theodotionem, & curioſe legunt, & per Origenis laborem in hexaplis, eccleſijs dedicarunt. Quanto magis Latini grati eſſe deberent, quod exultantem cernerent Græciam à ſe aliquid mutuari? Primum enim magnorum ſumptuum eſt & infinitæ difficultatis, exemplaria poſſe habere omnia: deinde etiam qui habuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt, ignorantes quis e multis verius dixerit. Quod etiam ſapientiſſimo cuidam nuper apud Græcos accidit, vt interdum Scripturę ſenſum relinquens, vniuſcuiuſque interpretis ſequerentur errorem. Nos autem qui Hebręę linguę ſaltem paruam habemus ſcientiam, & Latinus nobis vtcumque ſermo nõ deeſt, & de alijs magis poſſumus iudicare, & ea quę ipſi intelligimus, in noſtra lingua promere. Itaque licet hydra ſibilet, victorque Sinon incendia iactet: numquam meũ iuuante Chriſto, ſilebit eloquium: etiam præciſa lingua balbutiet. Legant qui volunt: qui nolunt abijciant. Euentilent apices, litteras calumnientur: magis veſtra charitate prouocabor ad ſtudium, quam illorum detractione & odio deterrebor.

*Eiuſdem ad Chromatium & Eliodorum in Tobiam præfatio.*

MIrari non deſino exactiones veſtrę inſtantiam. exigitis enim vt librum Chaldęo ſermone conſcriptum, ad Latinum ſtylum traham; librum vtique Tobię, quem Hebręi de catalogo diuinarum ſcripturarum ſecantes, his quę hagiographa memorant, mancîparunt. Feci ſatis deſiderio veſtro, non tamen meo ſtudio. Arguunt & nos Hebręorum ſtudia; & imputant nobis, contra ſuum canonem Latinis auribus iſta tranſferre. Sed melius eſſe iudicans Phariſęorum diſplicere iudicio, & Epiſcoporum iuſſionibus deſeruire, inſtiti vt potui. Et quia vicina eſt Chaldęorum lingua ſermoni Hebraico; vtriuſque linguę peritiſſimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui: & quidquid ille mihi Hebraicis verbis expreſſit, hoc ego accito notario ſermonibus Latinis expoſui. Orationibus veſtris mercedem huius operis compenſabo, cum gratum vobis didiciſſe me, quod iubere eſtis dignati, compleſſe.

*Eiuſdem Præfatio in Librum Iudith.*

APud Hebręos liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa quę in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldęo tamen ſermone conſcriptus, inter hiſtorias computatur. Sed quia hunc librum ſynodus Nicęna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtrę, immo exactioni: & ſepoſitis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis ſenſum è ſenſu, quam ex verbo verbum tranſferens. Multorum codicum varietatem vitioſiſſimam amputaui: ſola ea, quę intelligentia integra in verbis Chaldęis inuenire potui, Latinis expreſſi. Accipite Iudith viduam, caſtitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis eam præconijs declarate. Hanc enim non ſolum fęminis, ſed & viris imitabilem dedit, qui caſtitatis eius remunerator, virtutem ei talem tribuit, vt inuictum omnibus hominibus vinceret, & inſuperabilem ſuperaret.

*Eiuſdem in Librum Eſther præfatio.*

LIbrum Eſther varijs tranſlatoribus conſtat eſſe vitiatum: quem ego de archiuijs Hebręorum reuelans, verbum è verbo expreſſius tranſtuli. Quem librum

editio

UVA.BSCH

editio vulgata, laciniosis hinc inde verborum finibus trahit. addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis, ſumpto themate, excogitare quibus verbis vti potuit qui iniuriam paſſus eſt, vel qui iniuriam fecit. Vos autem o Paula & Euſtochium, quoniam & bibliothecas Hebræorum ſtuduiſtis intrare, & interpretum certamina comprobaſtis, tenentes Eſther Hebraicum librum, per ſingula verba noſtram tranſlationem aſpicite; vt poſſitis agnoſcere, me nihil etiam augmentaſſe addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam Latinæ linguæ tradidiſſe.

Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expaueſcimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus: quoniam Deus diſſipat oſſa eorum qui hominibus placere deſiderant: & ſecundum Apoſtolum, Qui eiuſmodi ſunt, ſerui Chriſti eſſe non poſſunt. Rurſum, in libro Eſther alphabetum ex minio vſque ad Teth litteram fecimus diuerſis in locis, volentes ſcilicet Septuaginta interpretum ordinem per hoc inſinuare ſtudioſo lectori. Nos enim iuxta morem Hebraicum, ordinem proſequi etiam in Septuaginta editione maluimus.

Pſal. 52.

Gal. 1.

DE

UVA.BSCH

# DE CANONICIS SCRIPTVRIS DECRETVM EX CONCILIO TRIDENTINO SESSIONE QVARTA.

SACROSANCTA Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur. *Et infra.*

Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto aſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt vero infraſcripti: Teſtamenti veteris, Quinque Moyſi, ideſt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ioſue, Iudicum, Ruth: Quattuor Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Neemias: Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Cãticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, ideſt Oſea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & ſecundus. Teſtamenti Noui: Quattuor Euangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: Quattuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ: Ioannis Apoſtoli duæ: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: Iudæ Apoſtoli vna: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit.

GLi Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Conſiglio de X. infraſcritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relatione delli due acciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitore, & dal Circ. Secretario del Senato Giouanni Maraueglia con giuramento, che nella Sacra Biblia Stampata in Anuerſa l'anno 1605. ſecondo l'editione vulgata: in vn'altra Stampata in Lione ſecondo l'editione di Santi Pagnino Lucheſe, & in vn'altra ſecondo la Tranſlatione delli Settanta Interpreti Stampata in Roma in foglio l'anno 1588 item nelli cinque libri de Moiſe preſi dalla Bibia Regia Stampata in Anuerſa in foglio ſecondo l'editione Chaldaica non ſi troua coſa contra le leggi, & ſono degni di Stampa concedono licenza, che poſſino eſſer ſtampati in queſta Città.

Dat. die 18. Nouembr. 1608.

D. Marc'Antonio Erizo.
D. Andrea Contarini.
D. Hieronimo Corner.
} Capi dell'Eccelſo Conſ. di X.

Illuſtr. Conſ. X. Secretarius
Leonardus Ottobonus.

ORDO

UVA.BSCH

# ORDO LIBRORVM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI,

*Qui in his Tribus Partibus Sacrorum Bibliorum ex varijs translationibus congeſtorum habentur.*


*In Priori Parte habentur*

| | |
|---|---|
| GEneſis | 2 |
| Exodus | 136 |
| Leuiticus | 244 |
| Numeri | 324 |
| Deuteronomium | 436 |
| Ioſue | 530 |
| Iudicum | 575 |
| Ruth | 622 |
| Regum I. | 629 |
| Regum II. | 691 |
| Regum III. | 742 |
| Regum IIII. | 801 |
| Paralipomenon I. | 856 |
| Paralipomenon II. | 909 |
| Eſdræ I. | 973 |
| Eſdræ II. | 991 |
| Tobias | 1017 |
| Iudith | 1031 |
| Eſther | 1052 |

*Libri qui extra Canonem reijciuntur, & in fine huius Primæ Partis habentur.*

| | |
|---|---|
| Eſdræ III. | 1079 |
| Eſdræ IIII. | 1088 |

*In Poſteriori Parte habentur*

| | |
|---|---|
| IOb | 1 |
| Liber Pſalmorum | 51 |
| Prouerbia Salomonis | 157 |
| Eccleſiaſtes | 181 |
| Canticum Canticorum | 196 |
| Liber Sapientiæ | 204 |
| Eccleſiaſticus | 213 |
| Iſaias | 254 |
| Ieremias | 321 |
| Baruch | 432 |
| Ezechiel | 441 |
| Daniel | 531 |
| Oſeas | 566 |
| Ioel | 579 |
| Amos | 584 |
| Abdias | 595 |
| Iona | 597 |
| Micheas | 601 |
| Nahum | 609 |
| Habachuc | 613 |
| Sophonias | 617 |
| Aggæus | 621 |
| Zacharias | 624 |
| Malachias | 640 |
| Machabæorum I. | 645 |
| Machabæorum II. | 662 |


# ORDO LIBRORVM NOVI TESTAMENTI,

*Qui in Poſtrema Parte Sacrorum Bibliorum habentur.*


| | |
|---|---|
| EVangelium ſecundum Matthæum | 2 |
| Euangelium ſecundum Marcum | 43 |
| Euangelium ſecundum Lucam | 70 |
| Euangelium ſecundum Ioannem | 116 |
| Acta Apoſtolorum | 150 |
| Pauli Epiſtola ad Romanos | 196 |
| Epiſtola ad Corinthios I. | 214 |
| Epiſtola ad Corinthios II. | 232 |
| Epiſtola ad Galatas | 244 |
| Epiſtola ad Epheſios | 250 |
| Epiſtola ad Philippenſes | 256 |
| Epiſtola ad Coloſſenſes | 261 |
| Epiſtola ad Theſſalonicenſes I. | 265 |
| Epiſtola ad Theſſalonicenſes II. | 269 |
| Epiſtola ad Timotheum I. | 271 |
| Epiſtola ad Timotheum II. | 277 |
| Epiſtola ad Titum | 281 |
| Epiſtola ad Philemonem | 283 |
| Epiſtola ad Hebræos | 284 |
| Iacobi Epiſtola | 298 |
| Petri Epiſtola I. | 303 |
| Epiſtola II. | 308 |
| Ioannis Epiſtola I. | 310 |
| Epiſtola II. | 315 |
| Epiſtola III. | 315 |
| Iudæ Epiſtola | 316 |
| Apocalypſis | 318 |

# LIBRI GENESIS.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

Act. 14.15. 17.24. Pſal. 32.6. 135.5. Eccl. 18.1.

IN Principio creauit Deus cœlum & terram. 1
Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ 2
erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei fe-
rebatur ſuper aquas.

* Heb. 11.3.

Dixitque Deus: * Fiat lux. Et facta eſt lux. 3
Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lu- 4
cem à tenebris.
Appellauitque lucem Diem, & tenebras No- 5
ctem: factumque eſt veſpere & mane, dies
vnus.
Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio 6
aquarum: & diuidat aquas ab aquis.
Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ 7
erant ſub firmamento, ab his * quæ erant ſuper fir-
mamentum. Et factum eſt ita.

* Pſal. 135.5. Ierem. 10.12. 51.15. Pſal. 148.4.

Vocauitque Deus firmamentum, Cœlum: & 8
factum eſt veſpere & mane, dies ſecun-
dus.
Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub 9
cœlo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et
factum eſt ita.

* Pſal. 32.7. Iob 38.8. 135.6.

Et vocauit * Deus aridam Terram, congregatio- 10
neſque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus
quod eſſet bonum.
Et ait: Germinet terra herbam virentem & 11
facientem ſemen, & lignum pomiferum fa-
ciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſe-
men in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum
eſt ita.
Et protulit terra herbam virentem, & facientem 12
ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fru-
ctum, & habens vnumquodque ſementem ſecun-
dum ſpeciem ſuam. Et [vidit] Deus quod eſſet bo-
num.
Et factum eſt veſpere & mane, dies tertius. 13
Dixit autem Deus: Fiant luminaria in fir- 14
mamento cœli, & diuidant diem ac noctem,
& ſint * in ſigna, & tempora, & dies, & an-
nos:

* Pſal. 135.7.

Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent ter- 15
ram. Et factum eſt ita.
Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare 16
maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præ-
eſſet nocti: & ſtellas.
Et poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper 17
terram,
Et præeſſent diei, ac nocti: & diuiderent lu- 18
cem, ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bo-
num.
Et factum eſt veſpere & mane, dies quartus. 19
Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ 20
viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento
cœli.
Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam 21
viuentem, atque motabilem: quam produxerant
aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum
ſuum genus. Et vidit Deus quod eſſet bonum.
Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplica- 22
mini, & replete aquas maris: aueſque multipli-
centur ſuper terram.

Et fa-

# LIBRI BERESITH.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *IN Principio creauit Deus cœlum, & terram.*
2 *Et terra erat deſolata, & inanis, & tenebræ*
*erant in ſuperficie voraginis, & ſpiritus Dei*
*ſufflabat in ſuperficie aquarum.*
3 *Et dixit Deus: Sit lux. Et fuit lux.*
4 *Et vidit Deus quòd eſſet bona, & diuiſit Deus lu-*
*cem, à tenebris.*
5 *Et vocauit Deus lucem Diem, & tenebras vocauit*
*Noctem. Et fuit veſpera, & fuit mane dies*
*vnus.*
6 *Et dixit Deus: Sit firmamentum in medio aqua-*
*rum, & diuidat aquas ab aquis.*
7 *Et fecit Deus firmamentum, & diuiſit aquas, quæ*
*erant ſub firmamento, ab aquis quæ erant ſuper fir-*
*mamentum. Et fuit ita.*
8 *Et vocauit Deus firmamentum, Cœlum: &*
*fuit veſpera, & fuit mane dies ſecun-*
*dus.*
9 *Et dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ ſunt ſub*
*cœlo in locum vnum, & appareat arida. Et fuit*
*ita.*
10 *Et vocauit Deus aridam Terram, & congregatio-*
*nem aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus*
*quòd eſſet bonum.*
11 *Et dixit Deus: Germinet terra germen, her-*
*bam ſeminificantem ſemen, arborem fructi-*
*feram facientem fructum in ſpecie ſua, in*
*qua ſemen eius ſit ſuper terram. Et fuit*
*ita.*
12 *Et protulit terra germen, herbam ſeminifi-*
*cantem ſemen in ſpecie ſua, & arborem fa-*
*cientem fructum, in qua ſemen eius ſuit in*
*ſpecie ſua. Et vidit Deus, quòd eſſet bo-*
*num.*
13 *Et fuit veſpera, & fuit mane dies tertius.*
14 *Et dixit Deus: Sint luminaria in firma-*
*mento cœli, vt diuidant diem à nocte, &*
*ſint in ſigna, & tempora, & dies, & an-*
*nos.*
15 *Et ſint in luminaria in firmamento cœli, vt illumi-*
*nent terram. Et fuit ita.*
16 *Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare ma-*
*ius ad dominium diei, & luminare minus ad domi-*
*nium noctis. Et ſtellas.*
17 *Et poſuit eas Deus in firmamento cœli, vt illumina-*
*rent terram.*
18 *Et vt præeſſent diei, ac nocti: & diuiderent lu-*
*cem, à tenebris. Et vidit Deus quòd eſſet bo-*
*num.*
19 *Et fuit veſpera, & fuit mane dies quartus.*
20 *Et dixit Deus: Repere faciant aquæ reptile anima*
*viuentis: & volatile volet ſuper terram in ſuperfi-*
*cie firmamenti cœli.*
21 *Et creauit Deus cetes magnos, & omnem animam*
*viuentem repentem, quam repere fecerunt aquæ in*
*ſpecie ſua, & omne volatile alatum ſecundum ſpe-*
*ciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.*
22 *Et benedixit eis, dicendo: Creſcite, & multiplicate*
*vos, & replete aquas in maribus, & volatile multi-*
*plicet ſe in terra.*

*Et fuit*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Et factum eſt veſpere, & mane dies quintus.
24 Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.
25 Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta & omnes reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quod eſſet bonum,
26 Et ait: Faciamus hominem ad * imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.
27 Et creauit Deus hoiem ad imaginẽ ſuã: ad imaginẽ Dei creauit illũ, * maſculũ & feminã creauit eos.
28 Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.
29 Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, * vt ſint vobis in eſcam:
30 Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita.
31 * Viditq; Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus.

* Col. 3. 10. Inf. 5. 1. 9. 6. 1. Cor. 11. 7.
* Sap. 2. 23. Mat. 19. 4. Eccl. 17. 1. Inf. 8. 17. 9. 1.
* Inf. 9. 3.
* Eccl. 39. 21. Mar. 7. 37.

### CAP. II.

1 IGitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.
2 Compleuitq; Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & * requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.
3 Et benedixit diei ſeptimo; & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.

4 Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dñs Deus cœlum & terrã:
5 Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemq; herbam regionis priuſquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus ſuper terrã, & homo non erat qui operaretur terram:
6 Sed fons aſcendebat e terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.
7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & * factus eſt homo in animam viuentem.
8 Plantauerat autẽ Dñs Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominẽ quẽ formauerat.
9 Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.
10 Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigãdũ Paradiſũ, qui inde diuidit in quatuor capita.
11 Nomen vni * Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum:
12 Et aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.
13 Et nomen fluuij ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Æthiopiæ.
14 Nomen verò fluminis tertij, Tygris: ipſe vadit contra Aſſyrios, fluuius aũt quartus, ipſe eſt Euphrates.
15 Tulit ergo Dñs Deus hominem, & poſuit eũ in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illũ:
16 Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede:

* Exo. 20. 11. 17. Deu. 5. 14. Heb. 4. 4.
* 1. Cor. 15. 45.
* Eccl. 24. 35.

De li-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et fuit veſpera, & fuit mane dies quintus.*
24 *Et dixit Deus. Producat terra animam viuentem ſecundum ſpeciem ſuam, iumentum, & reptile, & beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam. Et fuit ita.*
25 *Et fecit Deus beſtias terræ ſecũdũ ſpeciẽ ſuã, & iumentum ſecundũ ſpeciem ſuã, & omne reptile terræ, ſecũdũ ſpeciem ſuam. Et vidit Deus q effet bonum.*
26 *Et dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatili cœli, & iumento, & omni terræ, & omni reptili reptanti ſuper terram.*
27 *Et creauit Deus hoiem ad imaginẽ ſuã. Ad imaginẽ Dei creauit illum, maſculum, & fœminã creauit eos.*
28 *Et benedixit eis Deus, & dixit ad eos Deus. Creſcite & multiplicate vos, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominemini piſcibus maris, & volatili cœli, & omni beſtiæ reptanti ſuper terram.*
29 *Et dixit Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemen, quæ eſt in ſuperficie omnis terræ. Et omnis arbor in qua eſt fructus arboris ſeminans ſemen, vobis erit in eſcam.*
30 *Et omni beſtiæ terræ, & omni volatili cœli, & omni reptanti ſuper terram, in quo eſt anima viuens, omne viride herbæ in eſcam. Et fuit ita.*
31 *Et vidit Deus omne quod fecerat: & ecce bonum valde. Et fuit veſpera, & fuit mane dies ſextus.*

### CAP. II.

1 *ET perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum.*
2 *Et perfecit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit in die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod fecerat.*
3 *Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum, quia in illo requieuerat ab omni opere ſuo, quod creauerat Deus, vt faceret.*

4 *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creati ſunt, in die qua fecit Dominus Deus cœlũ, & terrã.*
5 *Et omne virgultum agri, antequam eſſet in terra, & omnem herbam agri, antequam oriretur, quia non pluere fecerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat, qui coleret terram.*
6 *Et vapor aſcendebat, & irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ.*
7 *Et formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Et fuit homo in animam viuentem.*
8 *Et plantauit Dominus Deus Hortum in Heden ab oriente, & poſuit ibi hominem, quem formauerat.*
9 *Et germinare fecit Dominus Deus è terra omnem arborem concupiſcibilem viſu, & bonam ad veſcendum, & arborem vitæ in medio Horti, & arborem ſcientiæ boni, & mali.*
10 *Et fluuius egrediebatur ex Heden, ad irrigandum Hortum, & inde diuiditur, & eſt in quatuor capita.*
11 *Nomen vnius Piſon, ipſe circuit totam terram Chauilah, vbi eſt aurum.*
12 *Et aurum terræ illius bonum. Ibi eſt bdellium, & lapis onychinus.*
13 *Et nomen ſecundi fluuij Ghichon. Ipſe circuit omnem terram Æthiopiæ.*
14 *Et nomen fluuij tertij Chiddeckel. Ipſe vadit ante Aſſur. Et flumen quartum eſt Perath.*
15 *Et tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Horto Heden, vt coleret eum, & cuſtodiret eum.*
16 *Et præcepit Dominus Deus homini dicendo. Ex omni ligno Horti, comedendo comedes.*

At de

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

23 Et factũ eſt veſpere, & factũ eſt mane dies quintus.
24 Et dixit Deus: Producat terra animam viuentem
ſecundum genus,quadrupedia, & reptilia,& beſtias
terræ ſecundum genus. Et factum eſt ſic.
25 Et fecit Deus beſtias terræ ſecundum genus, & pe-
cora ſecundum genus eorum, & omnia reptilia ter
ræ ſecundum genus. Et vidit Deus,quia bona ſunt.
26 Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem
noſtram,& ad ſimilitudinem. Et habeant principatũ
piſciũ maris,& volatiliũ cœli, & pecorum,& omnis
terræ, & omniũ reptilium repentium ſuper terram.
27 Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit
eum: maſculum & feminam fecit eos.
28 Et benedixit eos Deus,dicens: Creſcite,& multipli-
camini,& replete terrã, & dominamini eius,& prin-
cipamini piſcium maris, & volatilium cœli, & om-
nium pecorum, & omnis terræ, & omnium repti-
lium repentium ſuper terram.
29 Et dixit Deus: Ecce dedi vobis omne pabulum ſe-
minale ſeminans ſemen,quod eſt ſuper omnem ter
ram,& omne lignum, quod habet in ſe fructum ſe-
minis ſeminalis: vobis erit ad eſcam,
30 Et omnibus beſtijs terræ,& omnibus volatilibus cœ
li,& omni reptili repenti ſuper terram, quod habet
in ſe animam vitæ:& omne pabulum viride in eſcã.
Et factum eſt ſic.
31 Et vidit Deus oĩa,quæcũque fecit: & ecce bona val
de. Et factũ eſt veſpere,& factũ eſt mane dies ſextus.

### C A P. II.

1 ET conſummata ſunt cœlum & terra, & omnis
ornatus eorum.
2 Et conſummauit Deus in die ſexto opera ſua, quæ
fecit Et requieuit in die ſeptimo ab omnibus ope-
ribus ſuis, quæ fecit.
3 Et benedixit Deus diem ſeptimum,& ſanctificauit
eum: quia in ipſo requieuit ab omnibus operibus
ſuis,quæ inchoauit Deus facere.
4 Hic eſt liber generationis cœli & terræ, cum fa-
cta ſunt: qua die fecit Dñs Deus cœlum & terram.
5 Et omne viride agri, antequam eſſet ſuper terrã,
& omne fœnum agri, antequã exortum eſſet: Non
enim pluerat Deus ſuper terram: nec erat homo,
qui operaretur eam.
6 Fons autem aſcẽdebat de terra, & irrigabat om-
nem faciem terræ.
7 Et finxit Deus hominem, puluerem de terra. Et
inſufflauit in faciem eius flatum vitæ: & factus eſt
homo in animam viuentem.
8 Et plantauit Deus paradiſum in Edem ad orien-
tem: & poſuit ibi hominem, quem plaſmauerat.
9 Et produxit adhuc Deus de terra omne lignum
ſpecioſum ad aſpectum, & bonum ad eſcam: &
lignum vitæ in medio paradiſi, & lignum ad ſcien
dum cognoſcibile boni & mali.
10 Flumen autem procedit ex Edem, ad irrigandum
paradiſum: quod inde diuiditur in quatuor ini-
tia.
11 Nomen vni Phiſon: hoc eſt, quod circuit totam
terram Euilat: vbi eſt aurum:
12 Et aurum terræ illius bonum: & ibi eſt carbun-
culus, & lapis praſinus.
13 Et nomen flumini ſecundo Geon: hoc eſt, quod
circuit totam terram Æthiopiæ.
14 Et flumen tertium Tigris: hoc eſt, quod vadit con
tra Aſſyrios. Et flumen quartum Euphrates.
15 Et ſumpſit Dñs Deus hominẽ, quẽ fecit: & poſuit
eũ in paradiſo deliciarum,operari eũ, & cuſtodire.
16 Et præcepit Dominus Deus Adam,dicens: Ex om-
ni ligno, quod eſt in paradiſo, eſca edes.

## Chald. Paraph. Tranſl.

23 *Et fuit veſpere & fuit mane, dies quintus.*
24 *Et dixit Deus, Producat terra animam viuentem ſe*
*cundum genus ſuum, iumentum & reptile & beſtiã*
*terræ ſecundum ſpecies ſuas: & fuit ita.*
25 *Et fecit Deus beſtiam terræ ſecundum genus ſuum,*
*& iumentũ iuxta genus ſuum, & omne reptile ter-*
*ræ iuxta genus ſuum: et vidit Deus quòd eſſet bonũ.*
26 *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem no*
*ſtram, ſicut ſimilitudo noſtra: & dominetur in piſces*
*maris & i volatilia cœlorũ,& in iumẽta,& in õem*
*terram: & in omne reptile quod reptat ſuper terrã.*
27 *Et creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuã: ad imagi*
*nẽ Dei creauit illũ: maſculũ et fœminã creauit eos.*
28 *Et benedixit Deus, & dixit eis Deus, Creſcite &*
*multiplicamini,& replete terram,& roboramini ſu-*
*per eam: & dominamini piſcibus maris, & volatili*
*cœli, & omni animanti quod reptat ſuper ter-*
*ram.*
29 *Et dixit Deus: Ecce dedi vobis omnẽ herbam, cuius*
*granũ ſemẽtis ſeminatur, quæ eſt ſuper faciẽ vniuer*
*ſæ terræ,& oẽm arborẽ in qua eſt fructus arboris, cu*
*ius granũ ſemẽtis ſeminatur: vobis erit ad veſcẽdũ:*
30 *Et omni beſtiæ terræ, & omni volatili cœli, & omni*
*reptili quod reptat ſuper terram, in quo eſt anima vi*
*uens: omnem virentem herbam ad veſcendum. Et*
*fuit ita.*
31 *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat: & ecce bona val*
*de. Et fuit veſpere & fuit mane, dies ſextus.*

### C A P. I I.

1 *ET perfecti ſunt cœli & terra, & omnis exerci-*
*tus eorum.*
2 *Et delectatus eſt Deus in die ſeptimo opere ſuo, quod*
*fecerat, & requieuit in die ſeptimo ab vniuerſo ope*
*re ſuo, quod fecerat.*
3 *Et benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificauit eũ:*
*quia in ipſo requieuit ab vniuerſo opere ſuo quod*
*creauit Deus vt faceret.*
4 *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ quando creatæ*
*ſunt, in die quo creauit Dñs Deus terrã & cœlum.*
5 *Et omnem arborem agri, antequam eſſet in terra & *
*omnem herbam agri antequam germinaret, quia nõ*
*pluerat Dominus Deus ſuper terram: & homo non*
*erat ad operandum terram.*
6 *Et nubes aſcendebat de terra: & irrigabat vniuer-*
*ſam faciem terræ.*
7 *Et creauit Dominus Deus hominem puluerẽ de ter-*
*ra: & inſpirauit in faciem eius animam vitæ: &*
*fuit homo in ſpiritum loquentem.*
8 *Et plantauit Dominus Deus Hortum in loco volu-*
*ptatis à principio: et poſuit ibi hominẽ quẽ creauit.*
9 *Et germinare fecit Dominus Deus de terra omnem*
*arborem, quæ erat deſiderabilis ad videndũ, & bonã*
*ad veſcẽdũ,& arborẽ vitæ in medio Horti: & arborẽ*
*cuius fructus mãducantes ſciẽt inter bonũ et malũ.*
10 *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irri-*
*gandum Hortum. Et inde diuidebatur: & erat in*
*quatuor capita fluminum.*
11 *Nomen vnius Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem ter*
*ram Euila: vbi eſt aurum.*
12 *Et aurum terræ illius bonum: ibi eſt bdelium & la*
*pis onychinus.*
13 *Et nomen fluuij ſecundi, Gion: ipſe eſt qui circuit*
*omnem terram Æthiopiæ.*
14 *Et nomẽ fluuij tertij, Hidecel: ipſe eſt qui vadit ad*
*orientem Aſſyriæ. Et fluuius quartus eſt Euphrates.*
15 *Et tulit Dñs Deus hominẽ: & collocauit eũ in hor-*
*to voluptatis, vt operaretur eum,& cuſtodiret illum.*
16 *Et præcepit Dominus Deus Adã, dicens, Ex omni ar*
*bore Horti comedens comedes.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.
18 Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hoīem ſolum: faciamus ei adiutoriū ſimile ſibi.
19 Formatis igitur, Dñs Deus, de humo cūctis animātibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adā, vt videret quid vocaret ea: omne n. q; vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.
20 Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & oēs beſtias terræ: Adæ vero nō inueniebatur adiutor ſimilis eius.
21 Immiſit ergo dñs Deus ſoporē in Adā: cūq; obdormiſſet, tulit vnā d̄ coſtis ei', & repleuit carnē ꝓ ea.
22 Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.
1. Cor. 11. 9. — 23 Dixitq; Adam: * Hoc nunc, os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt.
Matt. 19. 5. Mar. 10. 7. Ephe. 5. 31. * 1. Cor. 6. 16. — 24 Quamobrē relinquet homo patrē ſuū, & matrē, & adhærebit vxori ſuæ: * & erunt duo in carne vna.
25 Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet & vxor eius: & non erubeſcebant.

### CAP. III.

1 Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi?
2 Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur:
3 De fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.
* 2. Cor. 11. 3. — 4 Dixit aūt ſerpēs ad mulierē: * Nequaq̄ morte moriemini.
5 Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.
6 Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & * comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.
*Eccl. 25. 33. 1. Tim. 2. 14.
7 Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.
8 Et cū audiſſent vocē Dñi Dei deambulantis in paradiſo ad aurā poſt meridiē, abſcondit ſe Adam & vxor eius a facie Dñi Dei in medio ligni paradiſi.
9 Vocauitque Dñs Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?
10 Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiſo: & timui eo quod nudus eſſem & abſcondi me.
11 Cui dixit: Quis enim indicauit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?
12 Dixitque Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.
13 Et dixit Dñs Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: Serpens decepit me & comedi.
14 Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.
15 Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.
* 1. Cor. 14. 34. — 16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, * & ipſe dominabitur tui.
17 Adæ verò dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo, præceperam tibi ne

come-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*17 At de ligno ſcientiæ, boni, & mali, non comedes, quia in die quo comederis ex eo, moriendo morieris.*
*18 Et dixit Dominus Deus. Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciam ei adiutorium quod ſit coram eo.*
*19 Et formauit Dominus Deus è terra omnem beſtiam agri, & omne volatile cæli, & adduxit ad Adam vt videret quid vocaret illud. Et omne quod vocauit Adam anima viuentis, eſt nomen eius.*
*20 Et vocauit Adam nomina omni iumento & volatili cæli, & omni beſtiæ agri. Et Adæ non inuenit adiutorium quod eſſet coram eo.*
*21 Et cadere fecit Dñs Deus ſoporē ſup Adā, & dormiuit. Et tulit vnā è coſtis eius, & clauſit carnē ꝓ ea.*
*22 Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat ex Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.*
*23 Et dixit Adam. Hac vice os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea, & vocabitur Viriſſa, quia ex viro ſumpta eſt iſta.*
*24 Idcirco relinquet vnuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuā, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt caro vna.*
*25 Et erant ambo nudi, Adam & vxor eius, & non pudebat eos.*

### CAP. III.

*1 Et ſerpens erat callidior omni beſtia agri, quam fecerat Dominus Deus. Et dixit ad mulierem. Vere dixit Deus, non comedetis ex omni arbore Horti?*
*2 Et dixit mulier ad ſerpentem. De fructu arboris Horti veſcimur.*
*3 At de fructu arboris quæ eſt in medio Horti, dixit Deus: Non comedetis ex ea, & non contingetis eam, ne forte moriamini.*
*4 Et dixit Serpens ad mulierē. Nō moriēdo moriemini.*
*5 Scit enim Deus, quòd in die qua comedetis ex eo, aperientur oculi veſtri & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum.*
*6 Et vidit mulier, quod bona eſſet arbor ad veſcendū, & quod deſiderabilis eſſet oculis, & concupiſcibilis arbor ad intelligendum, & tulit de fructu ipſius, & comedit, deditque etiam viro ſuo ſecum, & comedit.*
*7 Et aperti ſunt oculi amborum ipſorum, & cognouerunt, quod nudi eſſent, & conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi cingulos.*
*8 Audieruntq; vocem Domini Dei ambulantis per Hortum ad auram diei: & abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio arboris Horti.*
*9 Vocauitq; Dñs Deus Adam, & dixit ei. Vbi es tu?*
*10 Et ait. Vocem tuam audiui in Horto, & timui, quia nudus eram, & abſcondi me.*
*11 Et dixit. Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes? Nonne ex arbore quam præcepi tibi, vt non comederes, comediſti?*
*12 Et ait Adam. Mulier quam dediſti vt eſſet mecum, ipſa dedit mihi de arbore, & comedi.*
*13 Dixitq; Dominus Deus ad mulierē. Cur hoc feciſti? Et ait mulier. Serpens errare fecit me, & comedi.*
*14 Et dixit Dominus ad ſerpentem. Quia feciſti hoc, maledictus eris præ omni animali, & præ omni beſtia agri. Super ventrem tuum gradieris, & puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*
*15 Et inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, & inter ſemen tuum, & inter ſemen eius, ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.*
*16 Ad mulierē dixit: Multiplicādo multiplicabo dolorē tuū, & conceptū tuū cū dolore paries filios, & ad virū tuū erit deſideriū tuū. Et ipſe dominabitur tibi.*
*17 Adæ vero ait. Quia paruiſti voci vxoris tuæ, & comediſti ex arbore de qua præcepi tibi dicens, non*

*come-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 De ligno autem cognoſcendi bonû & malum, non edetis de illo. Qua die autem ederitis ex co, morte moriemini.

18 Et dixit Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum. Faciamus ei adiutorium ſm ipſum.

19 Et finxit Deus adhuc de terra oés beſtias agri, & omnia volatilia cæli: & adduxit illa ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Et omne, quodcumque vocauit Adam illud, animam viuam; hoc eſt nomé ei.

20 Et vocauit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus volatilibus cæli, & oîbus beſtijs agri. Ipſi autem Adam non eſt inuentus adiutor ſimilis ei.

21 Et immiſit Deus ecſtaſim in Adâ, & obdormiuit Et accepit vnam coſtarû eius, & inſarſit carnê pro ea.

22 Et ædificauit Deus coſtam, quâ accepit de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.

23 Et dixit Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea. Hæc vocabitur mulier: quoniam ex viro ſumpta eſt.

24 Propter hoc relinquet homo patré ſuû & matrem: & adhærebit vxori ſuæ: & erût duo in carne vna.

25 * Et erât ambo nudi, Adam & mulier eius: & non confundebantur.

* Hic incipit cap. 3 in Biblia Septuag. Romanæ editio.

### C A P. III.

1 Serpens autem erat prudentiſſimus omnium beſtiarum, quæ erant ſuper terram, quas fecerat Dominus Deus. Et dixit ſerpens mulieri: Quid, quia dixit Deus, ne edatis ab omni ligno Paradiſi?

2 Et dixit mulier ſerpenti: à fructu ligni Paradiſi edemus:

3 De fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi, dixit Deus, non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini.

4 Et dixit ſerpens mulieri: Non morte moriemini.

5 Sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaueritis de eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.

6 Et vidit mulier, quia bonum eſt lignum ad eſcam, & quia gratum oculis ad videndum, & ſpecioſum eſt ad intelligêdum. Et ſumens de fructu eius edit: & dedit & viro ſuo ſecum: & ederunt.

7 Et aperti ſunt oculi amborum: & agnouerunt, quia nudi erant: & conſuerunt fol a fici, & fecerunt ſibi ſuccinctoria.

8 Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad veſperâ: & abſconderunt ſe Adâ & mulier eius a facie Dñi Dei in medio ligni Paradiſi.

9 Et vocauit Dñs Deus Adâ, & dixit illi: Adâ, vbi es?

10 Et dixit ei: Vocem tuam audiui deambulantis in Paradiſo, & timui, quia nudus ſum, & abſcondi me.

11 Et dixit illi Deus: Quis nunciauit tibi, quia nudus es, niſi a ligno, quod præceperam tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo ediſti?

12 Et dixit Adam: Mulier, quam dediſti mecum, hæc mihi dedit de ligno. & edi.

13 Et dixit Dominus Deus mulieri: Quid hoc feciſti? Et dixit mulier: Serpens ſeduxit me, & mâducaui.

14 Et dixit Dominus Deus ſerpenti: Quia feciſti hoc; maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus beſtijs, quæ ſunt ſuper terrâ: ſuper pectus tuû, & ventré ambulabis: & terrâ edes oés dies vitę tuę:

15 Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen eius. Ipſe ſeruabit caput tuum: & tu ſeruabis eius calcaneum.

16 Et mulieri dixit: Multiplicâs multiplicabo triſtitias tuas, & gemitû tuum: in triſtitijs paries & filios: & ad virû tuum côuerſio tua. Et ipſe tui dominabitur.

17 Adæ autem dixit: quia audiſti vocé mulieris tuę, & ediſti de ligno, de quo pręceperâ tibi, de eo ſolo nô

ede-

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et de arbore cuius fructum comedêtes ſcient inter bonum & malum, non comedes ex ea; quoniam in die qua comederis ex ea, morte morieris.*

18 *Et dixit Dominus Deus, Non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciam ei adiutorium quaſi eum.*

19 *Et creauit Dominus Deus de terra omnes beſtias agri & omnia volatilia cæli, & adduxit ad Adam vt videret quid vocaret ea: & omne quod vocabat Adam anima viuentis, ipſum eſt nomen eius.*

20 *Et vocauit Adam nominibus omne iumentum & volatile Cęli, & omnem beſtiam agri: & Adæ non inuenit adiutorium quaſi eum.*

21 *Et immiſit Dominus Deus ſoporê in Adâ, & dormiuit: & tulit vnâ de coſtis eius, & poſuit carnê pro ea.*

22 *Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem; & adduxit eam ad Adam.*

23 *Et dixit Adam: Hæc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur mulier, quia de viro ſuo aſſumpta eſt iſta.*

24 *Propterea relinquet homo lectulum patris ſui & matris ſuæ, et adhærebit vxori ſuæ, et erût in carnê vnâ.*

25 *Et erant ambo nudi, Adam & vxor eius; & non erubeſcebant.*

### C A P. III.

1 *Et ſerpens erat ſapientior cunctis beſtijs agri quas fecit Dominus Deus: & dixit mulieri, Verumne eſt quòd dixit Deus: non comedatis ex omni arbore Horti?*

2 *Et dixit mulier ſerpenti: de fructu arboris Horti comedemus.*

3 *Sed de fructu arboris quæ eſt in medio Paradiſi, dixit Deus, Non comedetis ex eo, neque accedatis ad eum: ne forte moriamini.*

4 *Et dixit ſerpens mulieri, Non morte moriemini.*

5 *Quoniam manifeſtum eſt coram Deo quòd in die quo comederitis ex eo, aperiêtur oculi veſtri: & eritis ſicut principes ſcientes inter bonum & malum.*

6 *Et vidit mulier quòd bona eſſet arbor ad veſcendum, & quòd ſalutifera eſſet oculis, & delectabilis arbor ad intuendû in eam: & tulit de fructu eius & comedit, & dedit et marito ſuo, & comedit cum ea.*

7 *Et aperti ſunt oculi amborum: & cognouerunt quòd nudi eſſent: & conſuerunt ſibi folia ficus; & fecerunt ſibi cinctoria.*

8 *Et audierunt vocem verbi Domini deambulantis in Horto ad aurâ diei, & abſconderunt ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei î medio arboris Horti.*

9 *Et vocauit Dñs Deus Adam, & dixit ei, Vbi es tu?*

10 *Et ait, Vocem verbi tui audiui in Horto, & timui quoniam nudus ſum ego, & abſcondi me.*

11 *Et ait, Quis indicauit tibi quòd nudus eſſes tu? nunquid de arbore, de qua præcepi tibi vt non comederes ex ea, comediſti?*

12 *Et dixit Adam, Mulier quam dediſti mecum, ipſa dedit mihi de arbore, & comedi.*

13 *Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc feciſti? & dixit mulier, Serpens ſeduxit me, & comedi.*

14 *Et dixit Dominus Deus ſerpenti, Quia feciſti hoc: maledictus tu præ omnibus iumentis & præ omnibus beſtijs agri: ſuper ventrem tuum gradieris; & puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

15 *Et inimicitiâ ponâ inter te & inter mulierê, & inter filiû tuum, & inter filiû eius: ipſe obſeruabit tibi qđ feciſti ei à principio, & tu obſeruabis ei in finê.*

16 *Mulieri dixit, Multiplicâs multiplicabo tribulationes tuas, et côceptiones tuas: & i tribulatione paries filios, & ad virû tuû erit côuerſio tua: & ipſe dñabit tui.*

17 *Adæ quoque dixit: Quia obediſti verbo vxoris tuæ, comediſti de arbore de qua præcepi tibi, dicens, Ne*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

comederes maledicta terra in opere tuo: in labori
bus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.
18 Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes her-
bam terræ.
19 In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reverta-
ris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es, &
in pulverem reverteris.
20 Et vocavit Adam nomen vxoris ſuæ, Heva: eo
quòd mater eſſet cunctorum viventium.
21 Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius
tunicas pelliceas, & induit eos:
22 Et ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt,
ſciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mit-
tat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno Vitæ, &
comedat, & vivat in æternum.
23 Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo volu-
ptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.
24 Eiecitq; Adam: & collocavit ante Paradiſum vo-
luptatis Cherubim, & flammeũ gladium atque ver
ſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni Vitæ.

### CAP. IIII.

1 ADam verò cognovit vxorem ſuam Hevam:
quæ concepit & peperit Cain, dicens: Poſſedi
hominem per Deum.
2 Rurſumque peperit fratrem eius Abel; Fuit autem
Abel paſtor ovium, & Cain agricola.
3 Factum eſt autẽ poſt multos dies vt offerret Cain
de fructibus terræ munera Domino.
4 Abel * quoq; obtulit de primogenitis gregis ſui,
& de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad
Abel, & ad munera eius.
5 Ad Cain vero, & ad munera illius, nõ reſpexit: ira-
tuſq; eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.
6 Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? &
cur concidit facies tua?
7 Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem ma-
le, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub
te erit appetitus eius, & tu dominaberis il-
lius.
8 Dixitq; Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur
foras. Cumq; eſſent in agro, conſurrexit Cain ad-
verſus fratrem ſuum Abel, & * interfecit eum.
9 Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus?
Qui reſpondit: Neſcio: Num cuſtos fratris me
ſum ego?
10 Dixitque ad eum: Quid feciſti? vox ſanguinis fra-
tris tui clamat ad me de terra.
11 Nũc igitur maledictus eris ſuper terrã, quæ aperuit
os ſuũ, & ſuſcepit ſanguinẽ fratris tui de manu tua.
12 Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus
ſuos: vagus & profugus eris ſuper terram.
13 Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas
mea, quàm vt veniam merear.
14 Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua
abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis
igitur qui invenerit me, occidet me.
15 Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed
omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur Po
ſuitque Dominus Cain ſignum, vt non interfice-
ret eum omnis qui inveniſſet eum.
16 Egreſſuſque Cain a facie Domini, habitavit pro-
fugus in terra ad orientalem plagam Eden.
17 Cognovit autem Cain vxorem ſuam, quæ conce-
pit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem, voca
vitque nomen eius ex nomine filij ſui, Henoch.
18 Porro Henoch genuit Irad, & Irad genuit Maviael,
& Maviael genuit Mathuſael, & Mathuſael genuit
Lamech.

* Heb. 11. 4.

* Sap. 10. 3. Matt. 23. 35. 1. Ioan. 3. 12. Iudæ 1. 11.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*comedes ex eo, maledicta terra propter te. In labore
comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*
*13 Et ſpinam & tribulum germinabit tibi, & comedes
herbam agri.*
*19 In ſudore vultus tui, veſceris pane, donec reverteris
in terram, quia ex ea ſumptus es, quia ex pulvere es
& in pulverem reverteris.*
*20 Et vocavit Adam nomen vxoris ſuæ Channah, quia
ipſa erat mater omnium viventium.*
*21 Fecitq; Dominus Deus Adæ & vxori eius, tunicas
pelliceas, & induere fecit eos.*
*22 Dixitque Dominus Deus. Ecce Adam fuit fermè
vnus ex nobis ſciendo bonum, & malum. Et nunc, ne
forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ar-
bore vitæ, & comedat, & vivat in ſæculum.*
*23 Emiſit eum Dominus de Horto Heden, ad colendum
terram, ex qua ſumptus fuerat.*
*24 Et eiecit hominem, & collocavit ab Oriente Horti He
den Cherubim, & flammeum gladium, verſatilem,
ad cuſtodiendum viam arboris vitæ.*

### *CAP. IIII.*

*1 ET Adam cognovit Channah vxorem ſuam, &
concepit & peperit Cain: & dixit, acquiſivi
virum à Domino.*
*2 Et addidit, vt pareret fratrem eius Hebel. Et erat
Hebel paſtor pecudum: & Cain erat colens terram.*
*3 Et fuit, in fine dierum adduxit Cain de fructu terræ
oblationem Domino.*
*4 Et Hebel etiam ipſe adduxit de primogenitis pecu-
dum ſuarum, & de adipe earum. Et reſpexit Domi-
nus ad Hebel, & ad oblationem eius.*
*5 Et ad Cain & ad oblationem eius non aſpexit: Et
iratum eſt Cain valde, & concidit vultus eius.*
*6 Et dixit Dominus ad Cain. Vt quid eſt ira tibi? Et
vt quid concidit vultus tuus?*
*7 Nonne ſi benefeceris venia erit? Et ſi non benefeceris
in porta peccatum cubat? Et in te erit appetitus
eius, & tu dominaberis ei.*
*8 Et dixit Cain ad Hebel fratrem ſuum. Et fuit, cum
eſſent in agro, ſurrexit Cain contra Hebel fratrem
ſuum, & occidit eum.*
*9 Et dixit Dominus ad Cain. Vbi eſt Hebel frater
tuus? Et ait. Non novi. Numquid cuſtos fratris mei
ſum ego?*
*10 Et dixit. Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui cla-
mat ad me è terra.*
*11 Et nũc maledictus eris ſuper terram quæ aperuit os
ſuum, vt ſuſciperet ſanguine fratris tui è manu tua.*
*12 Quando coles terram non addet vt det fructũ ſuum
tibi: Vagus, & profugus eris in terra.*
*13 Et dixit Cain ad Dominum. Maior eſt punitio mea
quam vt feram.*
*14 Ecce eieciſti me hodie à facie terræ, & à facie tua
abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. Et
erit: Omnis qui invenerit me, occidet me.*
*15 Et dixit ei dominus. Propterea omnis qui occiderit
Cain, ſeptemplicitet vindicabitur. Et poſuit Do-
minus ſignum in Cain vt non percuteret eum omnis
qui inveniſſet eum.*
*16 Et egreſſus eſt Cain à facie Domini, & habitavit in
terra Nod, ad orientem Heden.*
*17 Et cognovit Cain vxorem ſuam, & concepit, & pe-
perit Chanoch. Et ædificavit civitatem, & vocavit
nomen civitatis, & nomine filij ſui Chanoch.*
*18 Et natus eſt ipſi Chanoch Hirad, & Hirad genuit
Mechuiael. Et Mechuiael genuit Methuſael, &
Methuſael genuit Lemech.*

## Tranſl. ex Septuag.

edere, de eo ediſti; maledicta terra in operibus
tuis: in triſtitijs edes illam omnes dies vitæ tuæ:
18 Spinas & tribulos germinabit tibi; & edes fœnum
agri:
19 In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec re-
uertaris in terram, de qua ſumptus es: quia terra
es, & in terram ibis.
20 Et vocauit Adam nomen mulieris ſuæ, vita; quo-
niam eſt mater omnium viuentium.
21 Et fecit Dominus Deus Adæ, & mulieri eius tu-
nicas pelliceas, & induit eos.
22 Et dixit Deus: Ecce Adam factus eſt, tamquam
vnus ex nobis, in cognoſcendo bonum & malum.
Et nunc ne aliquando extendat manum ſuam, &
ſumat de ligno vitæ, & edat & viuet in æternum.
23 Et dimiſit illum Dominus Deus de Paradiſo vo-
luptatis, operari terram, ex qua ſumptus eſt.
24 Et eiecit Adam, & collocauit eum contra Paradi-
ſum voluptatis: & ordinauit Cherubim, & flam-
meã rõphæã, quæ vertitur, cuſtodire viã ligni vitæ.

### C A P. IIII.

1 ADam autem cognouit Heuam mulierem ſuã:
quæ concepit, & peperit Cain. Et dixit:
acquiſiui hominem per Deum.
2 Et adiecit parere fratrem eius Abel. Et factus eſt
Abel paſtor ouium: Cain autem operabatur terrã.
3 Et factum eſt poſt dies: obtulit Cain ex fructibus
terræ ſacrificium Domino.
4 Abel autem obtulit & ipſe de primogenitis ouium
ſuarum, & de adipibus earum. Et reſpexit Deus
ſuper Abel, & ſuper munera eius:
5 Super Cain autẽ, & ſup ſacrificia eius nõ aduertit.
Et contriſtatus eſt Cain valde: & cõcidit vultu ſuo.
6 Et dixit Dominus Deus ad Cain: Quare triſtis
factus es? & quare concidit vultus tuus?
7 Nonne ſi recte offeras, non autem recte diuidas,
peccaſti? Quieſce: ad te conuerſio eius; & tu prin-
cipatum habebis ipſius.
8 Et dixit Cain ad Abel fratrem ſuum: Tranſeamus
in campum. Et factum eſt, dum eſſet in campo, ſur-
rexit Cain ſuper Abel fratrem ſuum, & occidit eũ.
9 Et dixit Dominus Deus ad Cain: Vbi eſt Abel fra-
ter tuus? Et dixit: Neſcio. Numquid cuſtos fratris
mei ego ſum?
10 Et dixit Dominus: Quid feciſti? Vox ſanguinis
fratris tui clamat ad me de terra.
11 Et nunc maledictus tu a terra, quæ aperuit os ſuũ
accipere ſanguinem fratris tui de manu tua.
12 Quando operaberis terram; & non adijciet virtutẽ
ſuam dare tibi. Gemens & tremens eris ſuper terrã.
13 Et dixit Cain ad Dominum Deum: Maior cauſa
mea eſt, quam vt ego dimittar.
14 Si eijcis me hodie a facie terræ: & a facie tua ab-
ſcondar; & ero gemens, & tremens ſuper terram:
Et erit: Omnis qui inuenerit me, occidet me.
15 Et dixit ei Dominus Deus: Non ſic. Omnis, qui
occiderit Cain, ſeptem vindictas exoluet. Et poſuit
Dominus Deus ſignum ſuper Cain, ne eum occi-
dat omnis, qui inuenerit eum.
16 Egreſſus eſt autem Cain a facie Dei, & habitauit
in terra Næd contra Eden.
17 Et cognouit Cain vxorem ſuam: & concipiens pe-
perit Enoch. Et erat ædificans ciuitatem: & nomi-
nauit ciuitatem in nomine filij ſui Enoch.
18 Natus eſt autem Enoch Gaidad. Et Gaidad genuit
Maleleel. Et Maleleel genuit Mathuſala. Et Ma-
thuſala genuit Lamech.

Et ae

## Chald. Paraph. Tranſl.

*comedas ex eo, Maledicta terra propter te: in tribu-
latione comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.*
18 *Et ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes
herbam agri.*
19 *In ſudore vultus tui comedes panem: donec reuer-
taris in terram de qua creatus es: quia puluis tu, &
in puluerem reuerteris.*
20 *Et vocauit Adam nomẽ vxoris ſuæ Heuam, eo quòd
ipſa eſſet mater omnium filiorum hominum.*
21 *Et fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius veſtimẽ-
ta honoris ſuper cutem carnis ſuæ, & induit eos.*
22 *Et dixit Dominus Deus, Ecce Adam eſt vnicus in
ſæculo, ex ſe ſciens bonum & malum; & tunc fortè
extendet manum ſuam, & ſumet etiam de arbore vi-
tæ, & comedet & viuet in æternum.*
23 *Et emiſit eum Dominus Deus de Horto voluptatis,
vt operaretur terram de qua creatus fuerat.*
24 *Et eiecit Adam: & collocauit ad orientem Horti vo-
luptatis Cherubim & acutum gladium verſatilem,
ad cuſtodiendam viam arboris vitæ.*

### C A P. IIII.

1 *ET Adam cognouit Heuam vxorem ſuam: & con
cepit & peperit Cain, & dixit; Poſſedi virum
coram Domino.*
2 *Et addidit vt pareret fratrem eius Abel. Fuitq́;
Abel paſtor ouium: & Cain fuit vir agricola.*
3 *Et factum eſt poſt aliquot dies; & adduxit Cain
de fructu terræ munus coram Domino.*
4 *Et Abel adduxit etiam ipſe de primogenitis ouium
ſuarum & de adipibus earum: & ſuſcepit Dominus
cum beneplacito Abel & munus eius.*
5 *Cain aũt & mun⁹ eius nõ ſuſcepit cũ beneplacito: &
iratus eſt Cain vehementer, & ceciderũt vultus eius.*
6 *Dixitq́; Dominus ad Cain, Cur iraſceris tu? & qua-
re ceciderunt vultus tui?*
7 *Nonne ſi bene egeris opera tua, dimittetur tibi? & ſi
non bene egeris, in diem iudicij peccatum tuum ſer-
uatum eſt, in quo futurum eſt vt vlciſcatur de te, ſi
non conuerteris; & ſi conuerteres dimitteretur tibi.*
8 *Et loquens Cain ad Abel fratrem ſuum: fuitq́; cùm
eſſent in agro, & ſurrexit Cain contra Abel fratrem
ſuum & occidit eum.*
9 *Et dixit Dominus ad Cain, Vbi eſt Abel frater
tuus? Et dixit, Neſcio. Numquid cuſtos fratris mei
ego ſum?*
10 *Et ait, Quid feciſti? vox ſanguinis generationũ, q̃ futur
erãt ſuccedere de fratre tuo, clamat corã me à terra.*
11 *Et nunc maledictus tu de terra quæ aperuit os ſuũ,
vt ſuſciperet ſanguinem fratris tui de manu tua.*
12 *Quando operatus fueris terrã, nõ dabit amplius tibi
virtutẽ ſuã: inſtabilis & tranſmigrans eris in terra.*
13 *Et dixit Cain coram Domino: Magna eſt iniquitas
mea, vt dimittatur.*
14 *Ecce eieciſti me hodie de ſuperficie terræ: & à facie
tua ero abſconditus; & ero inſtabilis & tranſmigrãs
in terra: & erit omnis qui inuenerit me, occidet me.*
15 *Et dixit ei Dominus: Propterea omnes qui occide-
rint Cain, in ſeptem generationes vindicta aſſume-
tur ex eis: & poſuit Dominus in Cain ſignum, vt non
occideret eum omnis qui inueniſſet eum.*
16 *Et egreſſus eſt Cain à facie Domini, & habitauit in
terra Nod, ad Orientem Eden.*
17 *Et cognouit Cain vxorem ſuam, & concepit & pepe-
rit Enoch: & fuit ædificator ciuitatis, & vocauit
nomen ciuitatis ſicut nomen filij ſui Enoch.*
18 *Et natus eſt ipſi Enoch Irad. Et Irad genuit Ma-
uiael, & Mauiael genuit Mathuſael, & Mathuſael
genuit Lamech.*

Et ae-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. | 19 | 19 | *Et accepit ſibi Lemech duas vxores nomen vnius Hadah, & nomen ſecundæ Sillah.* |
| Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atque paſtorum. | 20 | 20 | *Et genuit Hadah Iabal. Ipſe fuit pater inhabitantis tentorium, & pecudis.* |
| Et nomen fratris eius Iubal: ipſe fuit pater canentium cithara & organo. | 21 | 21 | *Et nomen fratris eius Iubal. Ipſe fuit pater omnis tenentis cytharam & organum.* |
| Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò Tubalcain, Noema. | 22 | 22 | *Et Sillah etiam ipſa peperit Tubalcain malleatorem acuentem omne opificium æreum & ferreum & ſoror Tubalcain fuit Nahamah.* |
| Dixitque Lamech vxoribus ſuis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. | 23 | 23 | *Et dixit Lemech vxoribus ſuis Hadah, & Sillah. Audite vocem meam vxores Lemech. Auſcultate eloquium meum: Si virum occidero in vulnere meo, & puerum in liuore meo.* |
| Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties. | 24 | 24 | *Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lemech ſeptuaginta, & ſeptem.* |
| Cognouit quoque adhuc Adam vxorem ſuam: & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. | 25 | 25 | *Et cognouit Adam adhuc vxorem ſuam, & peperit filium, & vocauit nomen eius Seth, Quia poſuit mihi Deus ſemen alterum pro Hebel. Quia occidit eum Cain.* |
| Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos: iſte cœpit inuocare nomen Domini. | 26 | 26 | *Et ipſi Seth etiam natus eſt filius, & vocauit nomē eius Enos. Tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini.* |
| CAP. V. | | | *CAP. V.* |
| HIc eſt liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, * ad ſimilitudinem Dei fecit illum. | 1 | 1 | *ISte eſt liber generationum Adam, in die qua creauit Deus hominem. Ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* |
| Maſculū & feminam creauit eos, & benedixit illis: & vocauit nomen eorū Adā, in die quo creati ſunt. | 2 | 2 | *Maſculum & feminam creauit eos, & benedixit eis, et vocauit nomen eorum Adā in die qua creati ſunt.* |
| Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth. | 3 | 3 | *Et vixit Adam triginta, & centum annos, & genuit ad ſimilitudinem ſuam: ad imaginem ſuam, & vocauit nomen eius Seth.* |
| Et facti ſunt dies * Adam, poſtquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias. | 4 | 4 | *Et fuerunt dies Adam, poſtquam genuit Seth, octingenti anni, & genuit filios, & filias.* |
| Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt. | 5 | 5 | *Et fuerunt omnes dies Adam quibus vixit nongenti anni, & triginta anni, & mortuus eſt.* |
| Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos. | 6 | 6 | *Et vixit Seth quinque annos, & centum annos, & genuit Enos.* |
| Vixitque Seth poſtquam genuit Enos, octingentis ſeptem annis, genuitque filios & filias. | 7 | 7 | *Et vixit Seth poſtquam genuit Enos ſeptem annos, & octingentos annos, & genuit filios, & filias.* |
| Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eſt. | 8 | 8 | *Et fuerunt omnes dies Seth duodecim anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* |
| Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainā. | 9 | 9 | *Et vixit Enos nonaginta annos, & genuit Chenan.* |
| Poſt cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. | 10 | 10 | *Et vixit Enos poſtquam genuit Chenan, quindecim annos, & octingentos annos, & genuit filios & filias.* |
| Factique ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni & mortuus eſt. | 11 | 11 | *Et fuerunt omnes dies Enos, quinque anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* |
| Vixit quoque Cainan ſeptuaginta annis, & genuit Malaleel. | 12 | 12 | *Et vixit Chenan ſeptuaginta annos, & genuit Mahalalel.* |
| Et vixit Cainan poſtquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis genuitque filios & filias. | 13 | 13 | *Et vixit Chenan poſtquā genuit Mahalalel quadraginta annos, et octigētos annos, et genuit filios, et filias* |
| Et facti ſunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus eſt. | 14 | 14 | *Et fuerunt omnes dies Chenan, decem anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* |
| Vixit autem Malaleel ſexaginta quinque annis, & genuit Iared. | 15 | 15 | *Et vixit Mahalalel quinque annos, & ſexaginta annos, & genuit Iered.* |
| Et vixit Malaleel poſtquam genuit Iared, octingentis triginta annis: & genuit filios & filias. | 16 | 16 | *Et vixit Mahalalel, poſtquā genuit Iered, triginta annos, & octingentos annos, & genuit filios & filias.* |
| Et facti ſunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus eſt. | 17 | 17 | *Et fuerunt omnes dies Mahalalel quinque, & nonaginta anni, & octingenti anni, & mortuus eſt.* |
| Vixitque Iared centum ſexaginta duobus annis, & genuit Henoch. | 18 | 18 | *Et vixit Iered duos, & ſexaginta annos, & centum annos, & genuit Chanoch.* |
| Et vixit Iared poſtquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios & filias. | 19 | 19 | *Et vixit Iered poſtquam genuit Chanoch, octingentos annos, & genuit filios, & filias.* |
| Et facti ſunt omnes dies Iared nongenti ſexaginta duo anni, & mortuus eſt. | 20 | 20 | *Et fuerunt omnes dies Iered duo, & ſexaginta anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* |
| Porrò Henoch vixit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalam. | 21 | 21 | *Et vixit Chanoch quinque & ſexaginta annos, & genuit Methuſelach.* |
| Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit, poſtquam genuit Mathuſalam, trecentis annis & genuit filios & filias. | 22 | 22 | *Et ambulauit Chanoch cum Deo, poſtquam genuit Methuſelach trecentos annos, & genuit filios & filias.* |

* Supra 1. 26. Eccl. 17. 1. Sap. 1. 13. Infra 9. 6.

* 1. Par. 1. 1.

Et fa- *Et fur-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

19 Et accepit ſibi Lamech duas vxores: nomen vni Ada, & nomen ſecundæ Sella.

20 Et Ada peperit Iobel. Hic fuit pater habitantium in tabernaculis, paſcentium pecora.

21 Et nomen fratri eius Iubal. Hic fuit, qui monſtrauit pſalterium & citharam.

22 Sella autem & ipſa peperit Thobel. Et fuit malleator, faber æris & ferri. Soror autem Thobel, Noema.

23 Dixit autem Lamech vxoribus ſuis, Ada, & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech: auribus percipite verba mea: quoniam virum occidi in vulnus mihi, & adoleſcentulum in liuorem mihi:

24 Quoniam ſepties vindicatum eſt de Cain: de Lamech autem ſeptuagies ſepties.

25 Cognouit autem Adam Heuam vxorem ſuam: & concipiens peperit filium. Et cognominauit nomen eius Seth, dicens: Suſcitauit enim mihi Deus ſemẽ aliud pro Abel, quem occidit Cain.

26 Et Seth factus eſt filius, & vocauit nomẽ eius Enos. Hic ſperauit inuocare nomen Domini Dei.

### C A P. V.

1 Hic eſt liber generationis hominum. Qua die fecit Deus Adam; ad imaginem Dei fecit illum:

2 Maſculum & feminam fecit eos, & benedixit eos. Et vocauit nomen eius Adam, qua die fecit eos.

3 Vixit Adam triginta & ducentos annos: & genuit ad figuram ſuam, & ad imaginem ſuam: & vocauit nomen eius Seth.

4 Facti autẽ ſunt dies Adã, quos vixit, poſtquã ipſe genuit Seth, ſeptingenti anni: & genuit filios & filias.

5 Et facti ſunt omnes dies Adam, quos vixit, triginta & nongenti anni: & mortuus eſt.

6 Vixit autem Seth quinque & ducentos annos: & genuit Enos.

7 Et vixit Seth, poſtquam ipſe genuit Enos, ſeptem annos, & ſeptingentos: & genuit filios & filias.

8 Et facti ſunt omnes dies Seth duodecim & nongenti anni: & mortuus eſt.

9 Et vixit Enos annos cẽtũ nonaginta: & genuit Cainã.

10 Et vixit Enos, poſtquã ipſe genuit Cainan, quindecim annos, & ſeptingentos: & genuit filios & filias.

11 Et facti ſunt omnes dies Enos quinque anni & nõgenti: & mortuus eſt.

12 Et vixit Cainan ſeptuaginta & centum annos: & genuit Maleleel.

13 Et vixit Cainan, poſtquam genuit Maleleel, quadraginta & ſeptingentos annos: & genuit filios & filias.

14 Et facti ſunt omnes dies Cainan decem anni & nõgenti: & mortuus eſt.

15 Et vixit Maleleel quinque & ſexaginta & centum annos: & genuit Iared.

16 Et vixit Maleleel, poſtquam genuit Iared, annos triginta & ſeptingentos: & genuit filios & filias.

17 Et facti ſunt omnes dies Maleleel anni quinque & nonaginta & octingenti: & mortuus eſt.

18 Et vixit Iared duos & ſexaginta annos, & centum: & genuit Enoch.

19 Et vixit Iared, poſtquam genuit Enoch, octingentos annos: & genuit filios & filias.

20 Et facti ſunt omnes dies Iared, duo & ſexaginta & nongenti anni: & mortuus eſt.

21 Et vixit Enoch, quinque & ſexaginta & centum annos: & genuit Mathuſala.

22 Enoch autem placuit Deo, poſtquam genuit Mathuſala, ducentos annos: & genuit filios & filias.

Et fa-

## Chald. Paraph. Tranſl.

19 *Et accepit ſibi Lamech duas vxores: nomen vnius Ada, & nomen alterius Sella.*

20 *Et peperit Ada Iabal: ipſe fuit magiſter habitantium in tabernaculis, & poſſidentium pecora.*

21 *Et nomen fratris ſui Iubal: ipſe fuit magiſter canentium in cithara & organo.*

22 *Et Sella etiam ipſa peperit Tubal-Cain: qui fuit magiſter eorum omnium ſcientium opus æris & ferri: & ſoror ipſius Tubal-Cain fuit Naama.*

23 *Et dixit Lamech vxoribus ſuis Ada et Sella: Audite vocẽ meã vxores Lamech: auſcultate ſermonẽ meũ. Qm nõ occidi virũ, vt pp eũ ego portẽ peccatũ: neq; adoleſcẽtulũ diſperdidi, vt pp eũ cõſumatũ ſemẽ meũ.*

24 *Quoniam ſi in ſeptem generationes vindicta dabitur de Cain, nunc de Lamech in ſeptuaginta, et ſeptem.*

25 *Et cognouit Adam rurſus vxorem ſuam, & peperit filium: & vocauit nomen eius Seth: quoniam poſuit Deus mihi filium alium pro Abel: quem interfecit eum Cain.*

26 *Et Seth quoq; natus eſt filius: & vocauit nomẽ eius Enos. tũc inceperunt filij hominũ orare in noĩe Dñi.*

### C A P. V.

1 *Hic eſt liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem: ad ſimilitudinem Dei fecit illum.*

2 *Maſculũ & fœminã creauit eos: & benedixit illis: et vocauit nomẽ eorum Adam, in die qua creati ſunt.*

3 *Et vixit Adam centum & triginta annis: & genuit ad ſimilitudinem ſuam ſecundum imaginem ſuam: & vocauit nomen eius Seth.*

4 *Et fuerunt dies Adam poſtquam genuit Seth, octingenti anni: & genuit filios & filias.*

5 *Et fuerunt omnes dies Adam quibus vixit, nongenti & triginta anni: & mortuus eſt.*

6 *Et vixit Seth centum & quinque annis: & genuit Enos.*

7 *Et vixit Seth poſtquam genuit Enos, octingentis & ſeptem annis: & genuit filios & filias.*

8 *Et fuerunt omnes dies Seth nongenti & duodecim anni: & mortuus eſt.*

9 *Et vixit Enos nonaginta annis: & genuit Chainan.*

10 *Et vixit Enos poſtquam genuit Chainan, octingentis & quindecim annis: & genuit filios & filias.*

11 *Et fuerunt omnes dies Enos nongenti & quinque & mortuus eſt.*

12 *Et vixit Cainan ſeptuaginta annis: & genuit Malalehel.*

13 *Et vixit Chainan poſtquam genuit Malalehel octingentis & quadraginta annis: et genuit filios & filias.*

14 *Et fuerunt omnes dies Chainan nongenti & decem anni: & mortuus eſt.*

15 *Et vixit Malalehel ſexaginta & quinque annis: & genuit Iared.*

16 *Et vixit Malalehel poſtquam genuit Iared, octingentis & triginta annis: & genuit filios & filias.*

17 *Et fuerunt omnes dies Malalehel octingenti & nonaginta & quinque anni: & mortuus eſt.*

18 *Et vixit Iared centum & ſexaginta & duobus annis: & genuit Enoch.*

19 *Et vixit Iared poſtquam genuit Enoch, octingentis annis: & genuit filios & filias.*

20 *Et fuerunt omnes dies Iared nongenti & ſexaginta & duo anni: & mortuus eſt.*

21 *Et vixit Enoch ſexaginta & quinque annis: & genuit Mathuſalach.*

22 *Et ambulauit Enoch in timore Dei, poſtquam genuit Mathuſalach, trecentis annis: & genuit filios & filias.*

*Et fue-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni.
24 Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.
25 Vixit quoque Mathuſala centum octoginta ſeptem annis, & genuit Lamech.
26 Et vixit Mathuſala, poſtquam genuit Lamech, ſeptingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias.
27 Et facti ſunt omnes dies Mathuſala nongenti ſexaginta nouem anni, & mortuus eſt.
28 Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium:
29 Vocauitque nomen eius Noe, dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.
30 Vixitque Lamech poſtquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias.
31 Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem anni, & mortuus eſt. Noe vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cam, & Iapheth.

### CAP. VI.

1 CVmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent,
2 Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.
3 Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum viginti annorum.
4 Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes a ſeculo viri famoſi.
5 Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,
6 Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus, *
7 Delebo, inquit, hominem, quem creaui, a facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cœli. pœnitet enim me feciſſe eos.
8 Noe vero inuenit gratiam coram Domino.
9 Hæ ſunt generationes Noe: * Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.
10 Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.
11 Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.
12 Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram)
13 Dixit ad Noe: Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.
14 Fac tibi arcam de lignis læuigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.
15 Et ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.
16 Feneſtram in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem eius: oſtium autem arcæ pones ex latere: deorſum, cœnacula, & triſtega facies in ea.

Ecce

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et fuerunt omnes dies Chanoch quinque & ſexaginta anni, & trecenti anni.*
24 *Et ambulauit Chanoch cum Deo & non fuit, quia tulit eum Deus.*
25 *Et vixit Methuſelach ſeptem, & octoginta annos, & centum annos, & genuit Lemech.*
26 *Et vixit Methuſelach poſtquam genuit Lemech, duos, & octoginta annos, & ſeptingentos annos, & genuit filios, & filias.*
27 *Et fuerunt omnes dies Methuſelach nouem, & ſexaginta anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.*
28 *Et vixit Lemech duos, & octingentos annos, & centum annos, & genuit filium.*
29 *Et vocauit nomen eius Noach dicendo. Iſte conſolabitur nos ab opere noſtro, & à dolore manuum noſtrarum de terra cui maledixit Dominus.*
30 *Et vixit Lemech poſtquam genuit ipſe Noach, quinque, & nonaginta annos, & quingentos annos, & genuit filios, & filias.*
31 *Et fuerunt omnes dies Lemech ſeptem, & ſeptuaginta anni, & ſeptingenti anni, & mortuus eſt.* * *Et erat Noach quingentenarius, & genuit Noach, Sem, Cham, & Iepheth.*

### CAP. VI.

1 *ET fuit, cum cœpiſſent homines multiplicari in ſuperficie terræ, & filiæ natæ eſſent eis.*
2 *Viderunt filij principum, filias hominum, quod pulchræ eſſent, & acceperunt ſibi vxores, ex omnibus, quas elegerant.*
3 *Et dixit Dominus. Non erit vt in vagina ſpiritus meus in homine in ſeculum, eo quod ſit etiam caro. Et erunt dies eius centum, & viginti anni.*
4 *Gigantes fuerunt in terra in diebus ipſis, Et etiam poſtquam ingreſſi ſunt filij principum, ad filias hominum, genuerunt eis. Iſti ſunt potentes, qui à ſeculo fuerunt viri nominati.*
5 *Et vidit Dominus, quod multa eſſet malitia hominum in terra, & quod omnis imaginatio cogitationũ cordis eorum, tantummodo eſſet malum omni die.*
6 *Pœnituit Dominum, quod feciſſet hominem in terra, & doluit in corde ſuo.*
7 *Et dixit Dominus. Delebo homines, quos creaui à ſuperficie terræ, ab hominibus vſque ad iumentum, vſque ad reptile, & vſque ad volatile cœli: quia pœnitet me, quod fecerim ea.*
8 *Et Noach inuenit gratiam in oculis Domini.*
9 *Iſtæ ſunt generationes Noach. Noach vir iuſtus, perfectus fuit in generationibus ſuis. Cum Deo ambulauit Noach.*
10 *Et genuit Noach tres filios, Sem, Cham, & Iepheth.*
11 *Et corrupta eſt terra coram Deo. Et repleta eſt terra iniquitate.*
12 *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat, quia corruperat omnis caro viam ſuam ſuper terram.*
13 *Et dixit Deus ad Noach. Finis omnis carnis venit coram me, quia repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ecce ego diſperdo eos cum terra.*
14 *Fac tibi arcam è lignis gopher. Nidos facies in arca, & bituminabis eam intrinſecus, & extrinſecus bitumine.*
15 *Et hoc modo facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius.*
16 *Feneſtram facies arcæ, & in cubito conſummabis eam supernè: & oſtium arcæ in latere eius pones. Inferiora, & ſecunda, & tertia facies.*

Et ego

* Hic incipit cap. 6. in Biblia Sanctis Pagnini.

* Infrà 11. Matth. 15. 17.

* Eccl. 44. 17.

## Tranſl. ex Septuag.

23 Et facti ſunt omnes dies Enoch quinque & ſexaginta & trecenti anni.
24 Et placuit Enoch Deo: & non inueniebatur, quia tranſtulit eum Deus.
25 Et vixit Mathuſala ſeptem annos, & ſexaginta, & centum: & genuit Lamech.
26 Et vixit Mathuſala, poſtquam genuit Lamech, duos, & octingentos annos: & genuit filios & filias.
27 Et facti ſunt omnes dies Mathuſala quos vixit, nouem, & ſexaginta, & nongenti anni: & mortuus eſt.
28 Et vixit Lamech octo & octuaginta & centum annos: & genuit filium
29 Et vocauit nomẽ eius Noe dicens: Iſte requieſcere nos faciet ab operibus noſtris, & à triſtitijs manuũ noſtrarum, & à terra, quam maledixit Dñs Deus.
30 Et vixit Lamech, poſtquam genuit Noe, quingentos & ſexaginta & quinque annos: & genuit filios & filias.
31 Et facti ſunt omnes dies Lamech ſeptingenti & quinquaginta tres anni: & mortuus eſt. * Et erat Noe annorum quingentorum: & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.

* Hic incipit cap. 6. in Roman. edit.

### C A P. V I.

1 ET factum eſt, poſtquam cœperunt homines multi fieri ſuper terram: & filiæ natæ ſunt illis.
2 Videntes autem filij Dei filias hominum, quia bonæ ſunt; ſumpſerunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.
3 Et dixit Dominus Deus: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus his in æternũ, quia carnes ſunt. Erunt autem dies eorum centum viginti anni.
4 Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Et poſt illud, cum intrarent filij Dei ad filias hominum; & generabant eis. Illi erant gigantes à ſæculo homines nominati.
5 Videns autẽ Dñs Deus, quia multiplicatæ ſunt malitiæ hominũ ſuper terrã, & vnuſquiſq; cogitat in corde ſuo diligenter ſuper maligna omnibus diebus;
6 Et cogitauit Deus, quia fecit hominem ſuper terram. Et recogitauit,
7 Et dixit Deus: Delebo hominem, quem feci, à facie terræ, ab homine vſque ad pecus, & à reptilibus vſque ad volatilia cæli: quia cogitaui, quoniam feci eos.
8 Noe autem inuenit gratiam coram Domino Deo.
9 Hæ vero ſunt generationes Noe. Noe homo iuſtus, perfectus exiſtens in generatione ſua. Deo placuit Noe.
10 Genuit autem Noe tres filios, Sem, Cham, Iapheth.
11 Corrupta eſt autem terra coram Deo: & terra impleta eſt iniuſtitia.
12 Et vidit Dominus Deus terram: & erat corrupta: quia corruperat omnis caro viam ipſius ſuper terram.
13 Et dixit Dominus Deus Noe. Tempus omnis hominis venit coram me: quia terra impleta eſt iniquitate ab ipſis. Et ecce ego diſperdo ipſos & terrã.
14 Fac igitur tibi arcam de lignis quadratis: nidos facies in arcam: & bituminabis eam intus, & foris bitumine.
15 Et ita facies arcam. Trecentorum cubitorum longitudo arcæ: & quinquaginta cubitorum latitudo: & triginta cubitorum altitudo ipſius.
16 Colligens facies arcam: & in cubito conſummabis eam deſuper: oſtium vero arcæ facies à latere. Inferiora, bicamerata, & tricamerata facies eam.

Ego

## Chald. Paraph. Tranſl.

23 *Et fuerunt omnes dies Enoch trecenti, & ſexaginta, & quinque anni.*
24 *Et ambulauit Enoch in timore Dei, & non comparuit: nec etiam occidit eum Deus.*
25 *Et vixit Mathuſalach centum, & octoginta, & ſeptem annis: & genuit Lamech.*
26 *Et vixit Mathuſalach poſtquam genuit Lamech, ſeptingentis, & octoginta, & duobus annis: & genuit filios & filias.*
27 *Et fuerunt omnes dies Mathuſalach nongenti, & ſexaginta, & nouem anni: & mortuus eſt.*
28 *Et vixit Lamech centum & octoginta & duobus annis: & genuit filium.*
29 *Et vocauit nomen eius Noe: dicens, Iſte conſolabitur nos ab operibus noſtris, & à labore manuum noſtrarum, de terra cui maledixit Dominus.*
30 *Et vixit Lamech poſtquam genuit Noe, quingentis & nonaginta & quinque annis: & genuit filios & filias.*
31 *Et fuerunt omnes dies Lamech ſeptingenti et ſeptuaginta & ſeptem anni: & mortuus eſt. Et fuit Noe filius quingentorum annorum: & genuit Noe, Sem, Cham, & Iaphet.*

### C A P. V I.

1 *ET factum eſt cum cœpiſſent filij hominum multiplicari ſuper faciẽ terræ, et filiæ natæ eſſent eis:*
2 *Et vidiſſent filij principum filias hominum quòd eſſent pulchræ; acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas voluerunt.*
3 *Et dixit Dñs: Nõ ꝑmanebit gñatio peſſima hæc corã me i æternũ: eò ꝙ caro sũt, et opa eorũ peſſima. & terminꝰ dabo eis cẽtũ et vigĩti annorũ, ſi forte cõuertãt.*
4 *Gigãtes erant in terra in diebus illis: & etiam poſtquam ingreſſi ſunt filij principum ad filias hominum, & genuerunt eis. Ipſi ſunt potentes à ſæculo viri nominis.*
5 *Et palã fuit corã Dño, ꝙ multa eſſet malicia hominis in terra: & omnis ſenſus cogitationis cordis ſui eſſet malus omni tẽpore.* * *Et pœnituit Dñm in*
6 *verbo ſuo, ꝙ feciſſet hoĩem ĩ terra: et dixit ĩ verbo ſuo vt cõtereret fortitudinẽ eorũ iuxta bñeplacitũ ſuũ.*
7 *Et dixit Deus: Delebo hominem quem creaui ſuper faciem terræ, ab homine vſque ad iumentum, vſque ad reptile, & vſque ad volucres cœli: quoniam pœnitet me in verbo meo quòd fecerim eos.*
8 *Noe autem inuenit miſericordiam coram Domino.*
9 *Iſtæ ſunt generationes Noe: Noe vir iuſtus perfectuſque fuit in generationibus ſuis. In timore Dei ambulauit Noe.*
10 *Et genuit Noe tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.*
11 *Et corrupta eſt terra coram Deo: & impleta eſt terra rapinis.*
12 *Et vidit Deus terram: & ecce erat corrupta; quoniam corruperat omnis caro, vnuſquiſque viam ſuam ſuper terram.*
13 *Et dixit Deus ad Noe: Finis vniuerſæ carnis venit coram me: qm̃ repleta eſt terra rapinis à facie operũ ſuorũ peſſimorũ: & ecce ego diſperdã eos cum terra.*
14 *Fac tibi arcam de lignis cedri: manſiones facies in arca: & operies eam intus & foris bitumine.*
15 *Et ſic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo; & triginta cubitorum altitudo eius.*
16 *Feneſtras facies in arca; & in cubito conſummabis eam deſuper: & oſtium arcæ in latere eius pones: manſiones inferiores, ſecundas & tertias facies in ea.*

*Et ec-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram, vt interficiã omnẽ carnẽ, in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cęlum: Vniuerſa quæ in terra ſunt, conſumentur.

18 Ponamque fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.

19 Et ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum: maſculini ſexus, & fœminini.

20 De volucribus iuxta genus ſuum, & de iumentis in genere ſuo, & ex omni reptili terræ ſecundum genus ſuum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt poſſint viuere.

21 Tolles igitur tecũ ex omnibus eſcis, quæ mãdi poſſũt, & cõportabis apud te: & erũt tã tibi, quã illis in cibũ.

Heb. 11. 7. 22 Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.

### CAP. VII.

2. Pet. 2. 5. 1 Dixitque Dominus ad eum. Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.

2 Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena maſculũ, & fœminam: de animantibus verò immundis duo, & duo, maſculum & fœminam.

3 Sed, & de volatilibus cœli ſeptena, & ſeptena, maſculum & fœminam: vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ.

4 Adhuc enim, & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terrã quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terrę.

5 Fecit ergo Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus.

6 Eratque ſexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt ſuper terram.

* Matt. 24. 38. Luc. 17. 26. 1. Pet. 3. 20. 7 Et * ingreſſus eſt Noe & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij.

8 De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quòd mouetur ſuper terram.

9 Duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcam, maſculus, & fœmina, ſicut præceperat Dominus Noe.

10 Cumque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram.

11 Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt.

12 Et facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

13 In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius: vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam:

14 Ipſi & omne animal ſecundum genus ſuum, vniuerſaque iumenta in genere ſuo, & omne quod mouetur ſuper terram in genere ſuo, cunctumque volatile ſecundum genus ſuum, vniuerſæque aues, omneſque volucres

15 Ingreſſæ ſunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat ſpiritus vitæ.

16 Et quæ ingreſſa ſunt, maſculus & fœmina ex omni carne introierunt, ſicut præceperat ei Deus: & incluſit eum Dominus deforis.

17 Factumque eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram: & multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.

Vehe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et ego, ecce ego adduco diluuium aquarum ſuper terram: vt diſperdam omnem carnem, in qua eſt ſpiritus vitæ ſub cœlo. Omne quod eſt in terra morietur.*

18 *Et ſtatuam pactum meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.*

19 *Et ex omni viuente, ex omni carne, bina ex omnibus introduces in arcam, vt viuant tecum, Maſculus, & fœmina erunt.*

20 *Ex volatili ſecundum ſpeciem ſuam. Ex omni reptili terræ ſecundum ſpeciem ſuam, bina ex omnibus ingredientur ad te, vt viuant.*

21 *Et tu cape tibi ex omni eſca, quæ comeditur, & congregabis tibi, & erit tibi, & eis in eſcam.*

22 *Et fecit Noach, ſecundum omnia quæ præcepit ei Deus, ſic fecit.*

### CAP. VII.

1 *Et dixit Dominus ad Noach. Ingredere tu, & omnis domus tua arcam, quia te vidi iuſtum coram me in generatione illa.*

2 *Ex omni iumento mundo capies tibi ſeptena ſeptena, virum, & vxorem eius. Et ex iumentis quæ non munda ſunt bina: virum, & vxorem eius.*

3 *Etiam ex volatili cœli ſeptena, ſeptena, maſculum, & fœminam, vt viuificent ſemen in ſuperficie omnis terræ.*

4 *Quia poſt dies adhuc ſeptem ego pluo ſuper terram quadraginta dies, & quadraginta noctes, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci à ſuperficie terræ.*

5 *Et fecit Noach ſecundum omnia, quæ præcepit ei Dominus.*

6 *Et Noach erat ſexcentenarius, & diluuium fuit aquarum ſuper terram.*

7 *Et ingreſſus eſt Noach, & filij eius & vxor eius, & vxores filiorum eius ſecum in arcam propter aquas diluuij.*

8 *Ex iumento mundo, & ex iumento, quod non erat mundum, & ex volatili, & ex omni quod reptat ſuper terram.*

9 *Bina, bina ingreſſa ſunt ad Noach in arcam, maſculus, & fœmina, quemadmodum præcepit Deus Noach.*

10 *Et fuit poſt ſeptem dies, aquæ diluuij fuerunt ſuper terram.*

11 *In anno ſexcenteſimo annorum vitæ Noach, in menſe ſecundo, in ſeptimadecima die menſis, in die hac, rupti ſunt omnes fontes voraginis magnæ, & feneſtræ cœli apertæ ſunt.*

12 *Et fuit pluuia ſuper terram quadraginta dies, & quadraginta noctes.*

13 *In ipſomet die, ipſe ingreſſus eſt Noach, & Sem, & Cham, & Iepheth filij Noach, & vxor Noach, & tres vxores filiorum eius ſecum in arcam.*

14 *Ipſi, & omnis beſtia ſecundum ſpeciem ſuam, & omne iumentum ſecundum ſpeciem ſuam, & omne reptile, quod reptat ſuper terram ſecundum ſpeciem ſuam, & omne volatile ſecundum ſpeciem ſuam, omnis auis, omne alatum.*

15 *Ingreſſa ſunt ad Noach in arcam bina, bina ex omni carne in qua erat ſpiritus vitæ.*

16 *Et ingreſſa ſunt maſculus & fœmina ex omni carne ingreſſa ſunt, quemadmodum præcepit ei Deus. Et clauſit Dominus ſuper eum.*

17 *Et fuit diluuium quadraginta dies ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam, & eleuata eſt ſuper terram.*

*Et ro-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Ego aũt ecce induco diluuiũ, aquã ſuper terram, vt diſperdã omnẽ carnẽ, in qua eſt ſpiritus vitæ ſub cœlo: & omnia, quæ fuerint ſuper terram, morientur.

18 Et ſtatuam teſtamentum meum tecum. Ingredieris autem in arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum:

19 Et ab oĩbus pecoribus, & ab oĩbus reptilibus, & ab oĩbus beſtijs, & ab oĩ carne, duo duo ab oĩbus induces ĩ arcã, vt nutrias tecũ. Maſculus & fœmina erunt.

20 Ab oĩbus auibus volatilibus ſm genus, & ab oĩbus pecoribus ſm genus, & ab oĩbus reptilibus repentibus ſp terrã ſm genus eorũ, duo duo ab oĩbus ingredietur ad te, vt nutriãtur tecũ maſculus, & fœmina.

21 Tu aũt ſumes tibi ab oĩbus eſcis, quas comeditis: & cõgregabis ad te: & erũt tibi & illis ad mãducandũ.

22 Et fecit Noe omnia quæcumque præcepit ei Dominus Deus: ſic fecit.

### CAP. VII.

1 ET dixit Dominus Deus ad Noe. Intra tu, & omnis domus tua in arcam: quia te vidi iuſtum coram me in generatione iſta.

2 A iumentis autem mundis induc ad te, ſeptem ſeptem, maſculum & fœminam: à iumentis autem immundis duo, duo: maſculum & fœminam;

3 Et à volatilibus cœli mũdis ſeptẽ ſeptẽ, maſculũ & fœminã, & ab oĩbus volatilibus immundis duo, duo: maſculũ & fœminã, vt nutriaſ ſemẽ ſp oẽm terram.

4 Adhuc enim ſeptem diebus, ego induco pluuiam ſuper terram quadraginta dies, & quadraginta noctes: & delebo omnem ſuſcitationem, quam feci, à facie omnis terræ.

5 Et fecit omnia Noe, quæ præcepit ei Dominus Deus.

6 Noe autem erat annorum ſexcentorum: & diluuium aquæ factum eſt ſuper terram.

7 Intrauit autem Noe, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquam diluuij:

8 Et à volatilibus mundis, & à volatilibus immundis, & à pecoribus immundis, & ab omnibus repentibus ſuper terram,

9 Duo duo intrauerunt ad Noe, maſculus & fœmina: ſicut præceperat Deus Noe.

10 Et factum eſt poſt ſeptem dies: & aqua diluuij facta eſt ſuper terram.

11 In ſexcenteſimo anno in vita Noe, in menſe ſecundo, in ſeptima & vigeſima menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi: & cataractæ cœli apertæ ſunt.

12 Et facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta dies, & quadraginta noctes.

13 In die hac intrauit Noe, Sem, Cham, Iaphet filij Noe, & vxor Noe, & tres vxores filiorum eius cum eo in arcam:

14 Et omnes beſtiæ ſecundum genus, & omnia pecora ſecundum genus, & omne repens, quod mouetur ſuper terram, ſecundum genus, & omnis auis volatilis ſecundum genus ſuum:

15 Intrauit ad Noe in arcam, duo, duo, maſculus & fœmina ab omni carne, in quo eſt ſpiritus vitæ.

16 Et quæ ingrediebantur, maſculus & fœmina ab omni carne intrarunt, ſicut præceperat Deus Noe. Et clauſit Dominus Deus arcam de foris eius.

17 Et factum eſt diluuium quadraginta dies, & quadraginta noctes ſuper terram: Et exundauit aqua, & leuauit arcam: & exaltata eſt à terra.

Et ſupe-

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et ecce ego adducam diluuium aquarum ſuper terram, vt diſperdat omnem carnem in qua eſt ſpiritus vitæ ſub cœlo: omnia quæ in terra ſunt, morientur.*

18 *Et ſtatuam pactum meum tecum: & ingredieris in arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum:*

19 *Et de omni viuenti de vniuerſa carne, bina de omnibus introduces in arcam: vt ſuſtententur tecum. Maſculus, & fœmina erunt.*

20 *De volucribus ſecundum ſpecies ſuas & de iumentis ſecundum ſpecies ſuas, & de omni reptili terræ iuxta ſpecies ſuas: bina ex omnibus ingredientur tecum, vt permaneant.*

21 *Et tu ſume tibi de omni eſca, quæ comeditur, & repones apud te; & erit tibi & eis ad veſcendum.*

22 *Et fecit Noe iuxta omnia quæ præcepit ei Dominus: ita fecit.*

### CAP. VII.

1 *ET dixit Dominus ad Noe: Ingredere tu & omnes homines domus tuæ in arcam: quia te vidi iuſtum coram me in generatione hac.*

2 *Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena ſeptena, maſculum & fœminam: de beſtijs quoque immundis bina, maſculum & fœminam.*

3 *De volucribus quoque cœli ſeptena ſeptena, maſculum & fœminam, vt conſeruetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ.*

4 *Quia adhuc poſt tempus ſeptem dierum ego deſcendere faciã pluuiam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem ſubſtantiam quam feci deſuper faciem terræ.*

5 *Et fecit Noe iuxta omnia quæ præcepit ei Dominus.*

6 *Et Noe erat filius ſexcentorum annorum: & diluuium aquæ fuit ſuper terram.*

7 *Et ingreſſus eſt Noe, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, à facie aquæ diluuij.*

8 *De animalibus mundis, & de animalibus immundis, & de volucribus, & de omnibus, quæ reptant ſuper terram;*

9 *Bina, & bina intrauerunt cum Noe in arcam, maſculus & fœmina; ſicut præcepit Deus Noe.*

10 *Et factum eſt poſt tempus ſeptem dierum, & aquæ diluuij fuerunt ſuper terram.*

11 *In anno ſexcenteſimo vitæ Noe, in menſe ſecundo, in decimaſeptima die menſis, in die hac rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ: & feneſtræ cœli apertæ ſunt.*

12 *Et pluuia deſcendit ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

13 *In articulo diei huius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham & Iaphet filij Noe & vxor Noe, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam.*

14 *Ipſi, & omne animal ſecundum genus ſuum, & omnia iumenta ſecundum genus ſuum, & omnia reptilia quæ reptant ſuper terram ſecũdum genus ſuum, & omnes volucres ſecundum ſpecies ſuas; omnis auis, & omne quod volat.*

15 *Et ingreſſi ſunt cum Noe in arcam bina, & bina, ex omni carne in qua eſt ſpiritus vitæ.*

16 *Et quæ ingreſſa ſunt maſculus, & fœmina ex omni carne introierunt; ſicut præcepit ei Dominus: & protexit Dominus ſuper eum.*

17 *Et fuit diluuium quadraginta diebus ſuper terrã: & creuerunt aquæ, & eleuauerunt arcam: & eleuata eſt deſuper terram.*

*Et præ-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Vehementer enim inundauerunt: & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ: porro arca ferebatur ſuper aquas.
19 Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo.
20 Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper omnes montes, quos operuerat.
* Sup. 10. Eccl. 36. 18 21 * Conſumptaque eſt omnis caro quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram, vniuerſi homines,
22 Et cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.
23 Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cæli: & deleta ſunt de terra: remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in arca.
1. Pet. 3. 20 24 Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

### CAP. VIII.

1 Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.
2 Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cæli: & prohibitæ ſunt pluuiæ de cælo.
3 Reuerſæque ſunt aquæ de terra euntes, & redeuntes: & cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies.
4 Requieuitque arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ.
5 At vero aquæ ibant, & decreſcebant vſque ad decimum menſem: decimo enim menſe, prima die mēſis, apparuerunt cacumina montium.
6 Cumque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noe feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit coruum:
7 Qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.
8 Emiſit quoque columbam poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ.
9 Quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam: aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram: extenditque manum, & apprehenſam intulit in arcam.
10 Expectatis autem vltra ſeptem diebus alijs, rurſum dimiſit columbam ex arca.
11 At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Intellexit ergo Noe, quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram.
12 Expectauitque nihilominus ſeptem alios dies: & emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa vltra ad eum.
13 Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram: & aperiens Noe tectum arcæ, aſpexit, viditque quòd exiccata eſſet ſuperficies terræ.
14 Menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis areſacta eſt terra.
15 Locutus eſt autem Deus ad Noe, dicens:
16 Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.
* Sup. 1. 28. Inf. 9. 1. 17 Cuncta animãtia, quæ ſunt apud te, ex omni carne, tã in volatilibus, quàm in beſtijs, & vniuerſis reptilibus, quæ reptant ſuper terrã, educ tecum, & ingredimini ſuper terrã: * creſcite, & multiplicamini ſup eã.

Egreſ-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et roborauerunt ſe aquæ, & multiplicatæ ſunt valdè ſuper terram, & ambulauit arca ſuper faciem aquarum.*
19 *Et aquæ roborauerunt ſe valdè ſuper terram, & operti ſunt omnes montes excelſi, qui erant ſub toto cælo.*
20 *Quindecim cubitis supernè roborauerunt ſe aquæ, & operti ſunt montes.*
21 *Et mortua eſt omnis caro, quæ reptat ſuper terram, tam de volatili, quàm de iumento, & beſtia, & omni reptili, quod reptat ſuper terram, & omni homine.*
22 *Omnia in quorum facie erat anhelitus ſpiritus vitæ, ex omnibus quæ erant in ſicco, mortua ſunt.*
23 *Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper faciẽ terræ, ab homine vſque ad iumentum, vſq; ad reptile, & vſque ad volatile cæli, & deleta ſunt à terra: & remanſit tãtũ Noach, & qui cũ eo erant in arca.*
24 *Et roborauerunt ſe aquæ ſuper terram quinquaginta, & centum dies.*

### CAP. VIII.

1 *Et recordatus eſt Deus Noach, & omnis beſtiæ, & omnis iumenti, quæ erant cum eo in arca, & tranſire fecit Deus ventum ſuper terram, & quieuerunt aquæ.*
2 *Et clauſerunt ſe fontes abyſſi, & feneſtræ cæli, & prohibita eſt pluuia de cælo.*
3 *Et reuerſæ ſunt aquæ, quæ erant ſuper terram, eundo, & redeundo, & defecerunt aquæ in fine quinquaginta, & centum dierum.*
4 *Et requieuit arca in menſe ſeptimo, in ſeptima decima die menſis ſuper montem Ararath.*
5 *Et aquæ ibant, & deficiebant vſque ad menſem decimum. In decimo, in vna menſis viſa ſunt cacumina montium.*
6 *Et fuit, in fine quadraginta dierum, aperuit Noach feneſtram arcæ, quam fecerat, & miſit coruum.*
7 *Et egreſſus eſt, egrediendo, & redeundo, donec ſiccarentur aquæ, quæ erant ſuper terram.*
8 *Et miſit columbam à ſe, vt videret, an alleuiatæ eſſent aquæ, quæ erant ſuper faciem terræ.*
9 *Et non inuenit columba requiem plantæ pedis ſui, & reuerſa eſt ad eum in arcam, quia aquæ erant in ſuperficie omnis terræ. Et miſit manum ſuam, & accepit eam, & introduxit eam ad ſe in arcam.*
10 *Et expectauit adhuc ſeptem dies alios, & addidit, vt mitteret columbam ex arca.*
11 *Et venit ad eum columba tempore veſpertino, & ecce folium oliuæ raptũ erat in ore eius. Et cognouit Noach, quòd alleuiatæ eſſent aquæ quæ erant ſuper terram.*
12 *Et expectauit adhuc ſeptem dies alios, & miſit columbam, & non addidit, vt reuerteretur ad eum amplius.*
13 *Et fuit in vno, & ſexcenteſimo anno, in primo, in vna menſis, ſiccauerunt ſe aquæ, quæ erant ſuper terram, & remouit Noach operimentum arcæ: & vidit & ecce ſiccauerunt ſe facies terræ.*
14 *Et in menſe ſecundo, in ſeptima, & vigeſima die menſis, aruit terra.*
15 *Et locutus eſt Deus ad Noach dicendo.*
16 *Egredere ex arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.*
17 *Omnem beſtiam, quæ eſt tecum, ex omni carne, tam de volatili, quàm de iumento, & omni reptili, quod reptat ſuper terram, educ tecum, & reptent in terram, & creſcant & multiplicentur ſuper terram.*

*Et egreſ-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

18 Et ſuperabat aqua, & multiplicabatur valde ſu-
per terram: Et ſuperferebatur arca ſuper a-
quam:
19 Aqua autem ſuperabat valde valde ſuper terram.
Et operuit omnes montes excelſos, qui ſunt ſub
cœlo:
20 Quindecim cubitos deſuper exaltata eſt a-
qua.
21 Et mortua eſt omnis caro, quæ mouetur ſuper
terram, volatilium, & pecorum, & beſtiarum: & om-
ne reptile, quod mouetur ſuper terram, & omnis
homo,
22 Et omnia quęcumque habent flatum vitæ & omne
quod erat ſuper aridam, mortuum eſt.
23 Et deleuit omnem ſuſcitationem, quæ erat ſuper
faciem terræ, ab homine vſque ad pecus, & reptilia,
& volatilia cœli. Et deleta ſunt de terra. Et relictus
eſt ſolus Noe, & qui erant cum eo in arca.
24 Et exaltata eſt aqua ſuper terram centum quinqua
ginta dies.

### CAP. VIII.

1 ET memor fuit Dominus Noe, & omnium be-
ſtiarum, & omnium iumentorum, & omnium
volatilium, & omnium reptilium repentium, quæ
erant cum eo in arca. Et induxit Deus ſpiritum ſu-
per terram: & ceſſauit aqua.
2 Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli: & co-
hibita eſt pluuia à cœlo:
3 Et cedebat aqua vadens de terra: & mi-
nuebatur aqua poſt quinquaginta & centum
dies.
4 Et ſedit arca in menſe ſeptimo, ſeptima & vigeſima
menſis ſuper montes Ararat.
5 Et in decimo menſe prima menſis apparuerunt ca-
pita montium.

6 Et factum eſt poſt quadraginta dies, aperuit Noe
feneſtram arcæ, quam fecerat.
7 Et emiſit coruum. Et egreſſus non rediit, donec ſic-
caretur aqua à terra.
8 Et emiſit columbam poſt eum videre, ſi ceſſauit a-
qua à terra.
9 Et cum non inueniſſet columba requiem pedibus
ſuis, reuertit ad eum in arcam: quoniam aqua e-
rat ſuper omnem faciem terræ. Et extendens ma-
num accepit eam, & induxit eam ad ſemetipſum in
arcam.
10 Et cum ſuſtinuiſſet adhuc ſeptem dies alios, rurſus
emiſit columbam ex arca.
11 Et reuertit ad eum columba ad veſperam: & habe
bat folium oleæ, feſtucam in ore ſuo. Et cognouit
Noe, quia ceſſauit aqua à terra.
12 Et cum ſuſtinuiſſet adhuc ſeptem dies alios; rur-
ſus emiſit columbam: & non appoſuit reuerti ad
eum amplius.
13 Et factum eſt in vno & ſexcenteſimo anno in vita
Noe primi menſis vna menſis defecit aqua à terra.
Et denudauit Noe tectum arcæ quod fecerat: & vi-
dit quia defecerat aqua à facie terræ.
14 In ſecundo autem menſe ſiccata eſt terra, ſeptima
& vigeſima menſis.
15 Et ait Dominus Deus ad Noe, dicens:
16 Exi de arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filio-
rum tuorum tecum,
17 Et omnes beſtiæ, quæ ſunt tecum, & omnis caro à
volatilibus vſque ad iumenta: & omni reptile, quod
mouetur ſuper terram educ tecum: & creſcite &
multiplicamini ſuper terram.

## Chald. Paraph. Tranſl.

18 *Et præualuerunt aquæ, & creuerunt valdè ſuper
terram: & ferebatur arca ſuper faciem aqua-
rum.*
19 *Et aquæ præualuerunt valde nimis ſuper terram:
& operti ſunt omnes montes excelſi qui ſunt ſub om
nibus cœlis.*
20 *Quindecim cubitis altitudine præualuerunt aquæ;
& operuerunt montes.*
21 *Et mortua eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper ter-
ram, in volucribus, & in animalibus, & in beſtiis,
& in omni reptili quod reptat ſuper terram, & om-
nes homines.*
22 *Omnia in quibus eſt ſpiraculũ ſpiritus vitæ in nari-
bus ſuis; ex omnibus quæ ſunt in arida, mortua ſunt.*
23 *Et deleuit omẽ ſubſtantiam quæ erat ſuper faciẽ ter
ræ, ab homine vſque ad iumentũ, vſque ad reptile, &
vſque ad volucres cœli, & deleta ſunt de terra: & re
lictus eſt ſolũmodo Noe, & qui cũ eo erant in arca.*
24 *Et præualuerunt aquæ ſuper terram cẽtum & quin-
quaginta diebus.*

### *CAP. VIII.*

1 *ET recordatus eſt Deus Noe, & omnium
animalium & omnium iumentorum quæ
erant cum eo in arca: & tranſire fecit
Deus ventum ſuper terram: & ceſſauerunt
aquæ.*
2 *Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & feneſtræ cœli: & pro-
hibita eſt pluuia de cœlo.*
3 *Et reuerſæ ſunt aquæ deſuper terram, euntes & re-
uertentes: & diminutæ ſunt aquæ poſt centum &
quinquaginta dies.*
4 *Et quieuit arca in menſe ſeptimo, in decimaſeptima
die menſis, ſuper montes Cardu.*
5 *Et aquæ ibant & diminuebantur vſque ad deci-
mum menſem: in prima die menſis decimi apparue-
runt capita montium.*
6 *Et factum eſt in fine quadraginta dierum; & ape-
ruit Noe feneſtram arcæ quam fecerat:*
7 *Et emiſit coruum, & egrediebatur & reuertebatur,
donec ſiccarentur aquæ deſuper terram.*
8 *Et emiſit columbam à ſe, vt videret ſi alleuiatæ fuiſ
ſent aquæ deſuper faciem terræ.*
9 *Et non inuenit columba requiem plantæ pedis ſui:
& reuerſa eſt ad eum in arcam: quoniam aquæ e-
rant ſuper faciem vniuerſæ terræ: & extendit ma-
num ſuam, & tulit eam; & induxit eam ſecum in
arcam.*
10 *Et expectauit adhuc ſeptem diebus aliis, & rurſus
emiſit columbam ex arca.*
11 *Et venit ad eũ columba in tẽpore veſpertino: & ecce
folium oliuæ quod decerpſerat ore ſuo: & cognouit
Noe quòd aquæ imminutæ erant deſuper terram.*
12 *Et expectauit vltra ſeptem diebus aliis; & emiſit
columbam; & nunquam eſt reuerſa ad eum am-
plius.*
13 *Et factum eſt in ſexcenteſimo & vno anno, prima
die menſis, ſiccatæ ſunt aquæ deſuper terram: & ab-
ſtulit Noe tectum arcæ: & vidit; & ecce ſiccata erat
facies terræ.*
14 *Et in menſe ſecundo, vigeſima ſeptima die menſis,
areſacta eſt terra.*
15 *Et locutus eſt Deus cum Noe, dicens:*
16 *Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxo-
res filiorum tuorum tecum.*
17 *Et cuncta animantia quæ tecũ ſunt ex omni carne,
tã de volucribus, quã de iumentis, & de reptilibus
quæ reptant ſuper terram, educ tecũ: & generent in
terra, & multiplicentur & creſcant ſuper terram.*

## Vulgat. Editio.

18 Egreſſus eſt ergo Noe, & filij eius: vxor illius & vxo-
res filiorum eius cum eo.
19 Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ
repunt ſuper terram ſecundum genus ſuum, egreſ-
ſa ſunt de arca.
20 Ædificauit autem Noe altare Domino: &
tollens de cunctis pecoribus & volucri-
bus mundis, obtulit holocauſta ſuper al-
tare.
21 Odoratusque eſt Dominus odorem ſuauitatis, &
ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter
* Sup. 6. 5. Matth. 15. 19.
hominem: * ſenſus enim & cogitatio humani cor-
dis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: non
igitur vltra percutiam omnem animam viuentem
ſicut feci.
22 Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus &
æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requie-
ſcent.

### CAP. IX.

Sup. 1. 22. 8. 17.
1 BEnedixitque Deus Noe & filijs eius. Et dixit
ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete
terram.
2 Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta anima-
lia terræ, & ſuper omnes volucres cœli cum vniuer-
ſis quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces ma-
ris manui veſtræ traditi ſunt.
Sup. 1. 29.
3 Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in
cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis om-
nia.
Lev. 17. 14.
4 Excepto, quòd carnem cum ſanguine non comede-
detis.
5 Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram
de manu cunctarum beſtiarum: & de manu ho-
minis, de manu viri, & fratris eius requiram ani-
mam hominis.
* Matt. 26. 52. * Apo. 13. 10. * Sup. 1. 28. 8. 17.
6 Quicumque * effuderit humanum ſanguinem, fun-
detur ſanguis illius: * ad imaginem quippe Dei
factus eſt homo.
7 * Vos autem creſcite & multiplicamini, & ingredi-
mini ſuper terram, & implete eam.
8 Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios eius
cum eo:
9 Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum
ſemine veſtro poſt vos:
10 Et ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcũ,
tam in volucribus quam in iumentis, & pecudibus
terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & vniuerſis
beſtijs terræ.
* Iſa. 54. 9.
11 * Statuam pactum meum vobiſcum & nequaquam
vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque
erit deinceps diluuium diſſipans terram.
12 Dixitque Deus: Hoc ſignum fœderis quod do
inter me & vos, & ad omnem animam viuentem,
quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiter-
nas:
13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœ-
deris inter me, & inter terram.
Eccle. 43. 12.
14 * Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit ar-
cus meus in nubibus:
15 Et recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum om-
ni anima viuente quæ carnem vegetat: & non e-
runt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerſam
carnem.
16 Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recor-
dabor fœderis ſempiterni quod pactum eſt inter
Deum & omnem animam viuentem vniuerſæ car-
nis quæ eſt ſuper terram.

Dixitque

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et egreſſus eſt Noach, & filij eius, & vxor eius, &
vxores filiorum eius ſecum.*
19 *Omnis beſtia omne reptile, & omne volatile, omne
quod mouetur ſuper terram ſecundum familias eo-
rum, egreſſa ſunt ex arca.*
20 *Et ædificauit Noach altare Domino, & tu-
lit ex omni iumento mundo, & ex om-
ni volatili mundo, & obtulit holocauſta in al-
tari.*
21 *Et odoratus eſt Dominus odorem quietis. Et dixit
Dominus in corde ſuo. Non addam, vt maledi-
cam vltra terræ propter hominem, quia cogitatio
cordis hominis mala eſt à pueritia ſua, & non ad-
dam vltra, vt percutiam omne viuens quemadmo-
dum feci.*
22 *Adhuc omnes dies terræ, ſementis, & meſſis, & fri-
gus, & æſtus, & æſtas, & hyems, & dies, & nox non
ceſſabunt.*

### CAP. IX.

1 *ET benedixit Deus Noach, & filijs eius & dixit
ad eos. Creſcite, & multiplicamini, & reple-
te terram.*
2 *Et timor veſter, & pauor veſter erit ſuper om-
nem beſtiam terræ, & ſuper omne volatile cœli. Om-
nia quæ mouere faciet terra, & omnes piſces maris
manui veſtræ tradita ſunt.*
3 *Omne reptile, quod eſt viuens, vobis erit
in eſcam: ſicut germen herbæ dedi vobis om-
nia.*
4 *Veruntamen carnem cum anima eius, ſanguinem
eius, non comedetis.*
5 *Et profectò ſanguinem veſtrum, animarum veſtra-
rum requiram, de manu omnis beſtiæ, requiram il-
lum, & de manu hominis, & de manu viri fratris
eius, requiram animam hominis.*
6 *Qui effuderit ſanguinem hominis in homine,
ſanguis eius effundetur, quia ad imaginem Dei fe-
cit hominem*
7 *Et vos creſcite, & multiplicamini generamini in
terra, & multiplicamini in ea.*
8 *Et dixit Deus ad Noach, & ad filios eius ſecum di-
cendo.*
9 *Et ego ecce ego ſtatuo pactum meum vobiſcum, &
cum ſemine veſtro poſt vos.*
10 *Et cum omni anima viuente, quæ eſt vobiſcum, tam
de volatili, quam de iumento, & omni beſtia terræ
vobiſcum ex omnibus egreſſis ex arca, & omni beſtia
terræ.*
11 *Et ſtatui pactum meum vobiſcum, & non excidetur
omnis caro vltra ab aquis diluuij, & non erit vltra
diluuium, vt diſperdat terram.*
12 *Et dixit Deus. Hoc eſt ſignum fœderis, quod
ego do inter me, & inter vos, & inter omnem
animam viuentem quæ eſt vobiſcum in generatio-
nes ſæculi.*
13 *Arcum meum ponam in nube, & erit in ſignum fœ-
deris inter me, & inter terram.*
14 *Et erit cum obnubilauero nubem ſuper terram appa-
rebit arcus in nube.*
15 *Et recordabor fœderis mei, quod eſt inter me & in-
ter vos, & inter omnem animam viuentem cum om-
ni carne: & non erit vltra aqua ad diluuium, vt di-
ſperdat omnem carnem.*
16 *Et erit arcus in nube, & videbo illum, vt re-
corder pacti perpetui inter Deum, & inter om-
nem animam viuentem cum omni carne, quæ eſt
ſuper terram.*

*Et di-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

18 Et egreſſus eſt Noe & vxor eius & filij eius, & vxores filiorum eius cum eo.

19 Et omnes beſtiæ, & omnia iumenta, & omne volatile, & omne reptile, quod mouetur ſuper terram ſecundum genus ſuum exiuerunt ex arca.

20 Et ædificauit Noe altare Domino: & ſumpſit ab omnibus pecoribus mundis, & ab omnibus volatilibus mundis: & obtulit in holocarpoſin ſuper altare.

21 Et odoratus eſt Dominus Deus odorem ſuauitatis. Et dixit Dominus Deus recogitans: Non adijciam adhuc maledicere terram propter opera hominum: quia permanet mens hominis diligẽter ſuper mala a iuuentute ſua. Nõ adijciam ergo adhuc percutere omnem carnem viuentem, ſicut feci.

22 Omnibus diebus terræ, ſemen & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & ver, die ac nocte non requieſcent.

### CAP. IX.

1 ET benedixit Deus Noe, & filios eius: & dixit eis: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius:

2 Et tremor, & timor veſtri erit in omnibus beſtijs terræ, ſuper omnia volatilia cœli, & ſuper omnia quæ mouentur ſuper terram, & ſuper omnes piſces maris: ſub manus vobis dedi:

3 Et omne reptile quod eſt viuum, vobis erit ad eſcam, ſicut olera pabuli dedi vobis omnia.

4 Verumtamen carnem in ſanguine animæ non comedetis.

5 Etenim veſtrum ſanguinem, animarum veſtrarum de manu omnium beſtiarum exquiram ipſum: & de manu hominis fratris exquiram animam hominis.

6 Qui effuderit ſanguinem hominis; pro ſanguine eius effundetur; quia in imagine Dei feci hominem.

7 Vos autem creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius.

8 Et ait Deus Noe, & filijs eius cum eo, dicens.

9 Et ecce ego ſtatuo pactum meum vobis, & ſemini veſtro poſt vos,

10 Et omni animæ viuenti vobiſcum ab auibus & a pecoribus, & omnibus beſtijs terræ, quæ vobiſcum ſunt, ab omnibus quæ egreſſa ſunt ex arca.

11 Et ſtatuam pactum meum ad vos: & non morietur omnis caro vltra ab aqua diluuij, & non vltra erit diluuium aquæ, vt corrumpat omnem terram.

12 Et dixit Dominus Deus ad Noe. Hoc ſignum teſtamenti quod ego do inter me & vos, & inter omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes æternas.

13 Arcum meum pono in nube; & erit ſignum teſtamenti inter me & terram.

14 Et erit: in connubilando me nubes ſuper terram, parebit arcus in nube:

15 Et memor ero teſtamenti mei, quod eſt inter me & vos, & inter omnem animam viuentem in omni carne. Et non erit vltra aqua in diluuium, vt deleat omnem carnem.

16 Et erit arcus meus in nube: & videbo, ad recordandum teſtamenti æterni inter me & terram, & inter animam viuentem in omni carne, quæ eſt ſuper terram.

Et di-

## Chald. Paraph. Transl.

18 *Et egreſſus eſt Noe, & filij ſui, & vxor eius, & vxores filiorum ſuorum cum eo.*

19 *Omnia animalia, & omnia reptilia, & omnes volucres; omne quod mouetur ſuper terram ſecundum generationes eorum, egreſſa ſunt de arca.*

20 *Et ædificauit Noe altare coram Domino: & tulit ex omnibus animalibus mundis, & ex omnibus volucribus mundis; & obtulit holocauſtum ſuper altare.*

21 *Et ſuſcepit Dominus cum beneplacito oblationem eius: & dixit Dominus in verbo ſuo. Non addam maledicere rurſus terram, propter peccata hominum: quoniam ſenſus cordis humani malus eſt ab infantia ſua: & non addam vltra percutere omne viuẽs, ſicut feci.*

22 *Adhuc omnibus diebus terræ ſeminatio & meſſis, & frigus & calor, & æſtus & hyems, & dies & noctes non ceſſabunt.*

### CAP. IX.

1 *ET benedixit Deus Noe & filijs eius: & dixit eis, Creſcite & multiplicamini, & replete terram.*

2 *Et timor veſter & terror erit ſuper beſtias terræ, & ſuper omnes volucres cæli, in omni quod reptat ſuper terram, & in omnibus piſcibus maris: qui in manu veſtra traditi ſunt.*

3 *Omne quod mouetur & viuit, vobis erit ad veſcendum: quaſi herbam virentem dedi vobis omnia.*

4 *Veruntamen carnem cum anima ſua, ſanguineque ſuo non comedetis.*

5 *Etenim ſanguinem animarum veſtrarum requirã: de manu cunctarum beſtiarum requiram eum: & de manu hominis, de manu viri qui effuderit ſanguinem fratris ſui, requiram animam hominis.*

6 *Quicunque effuderit ſanguinem hominis cum teſtibus, per ſententiam iudicum ſanguis eius fundetur: quoniam ad imaginem Dei fecit hominem.*

7 *Vos autem creſcite & multiplicamini, generationemq; facite in terra, & multiplicamini in ea.*

8 *Et dixit Deus ad Noe & ad filios eius cum eo, dicens:*

9 *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum filijs veſtris poſt vos:*

10 *Et cum omni anima viuenti quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in animalibus, & in omnibus beſtijs terræ quæ ſunt vobiſcum, ex omnibus egredientibus de arca in vniuerſis animantibus terræ.*

11 *Et ſtatuam pactum meum vobiſcum: & non conſummabitur vltra omnis caro propter aquas diluuij: neque erit vltra diluuium ad diſperdendam terram.*

12 *Dixitque Deus: Hoc eſt ſignum pacti quod ego pono inter verbum meum, & inter vos, & inter omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſeculi.*

13 *Arcum meum ponam in nube, & erit in ſignum fœderis inter verbum meum & terram.*

14 *Et erit cùm adduxero nubem ſuper terram, & videbitur arcus in nube.*

15 *Et recordabor pacti mei quod eſt inter verbum meũ, & inter vos, & inter omnem animam viuentem in vniuerſa carne: neque erit vltra aqua diluuij ad diſperdendam omnem carnem.*

16 *Et erit arcus in nube; & videbo eum in memoriam fœderis ſempiterni, quod eſt inter verbum Dei, & inter omnem animam viuentem in vniuerſa carne quæ eſt ſuper terram.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Dixitque Deus ad Noe : Hoc erit ſignum fœderis , quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram .

18 Erant ergo filij Noe,qui egreſſi ſunt de arca,Sem, Cham , & Iapheth : porro Cham ipſe eſt pater Chanaan .

19 Tres iſti filij ſunt Noe : & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram.

20 Cœpitque Noe vir agricola exercere terram , & plantauit vineam .

21 Bibenſque vinum inebriatus eſt , & nudatus in tabernaculo ſuo .

22 Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras .

23 At vero Sem , & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis , & incedentes retrorſum , operuerunt verenda patris ſui : facieſque eorum auerſæ erant , & patris virilia non viderunt .

24 Euigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor ,

25 Ait: Maledictus Chanaan,ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis .

26 Dixitque : Benedictus Dominus Deus Sem , ſit Chanaan ſeruus eius .

27 Dilatet Deus Iapheth , & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius .

28 Vixit autem Noe poſt diluuium trecentis quinquaginta annis .

29 Et impleti ſunt omnes dies eius nongentorũ quinquaginta annorum: & mortuus eſt .

### CAP. X.

1.Par.1.5. 1 HAc ſunt generationes filiorum Noe , Sem , Cham,& Iapheth : natique ſunt eis filij poſt diluuium .

2 Filij Iaphet: Gomer,& Magog,& Madai, & Iauan , & Thubal,& Moſoch,& Thiras .

3 Porro filij Gomer : Aſcenez & Riphath & Thogorma .

4 Filij autem Iauan: Eliſa & Tharſis,Cetthim & Dodanim .

5 Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis,vnuſquiſque ſecundum linguam ſuam,& familias ſuas in nationibus ſuis .

6 Filij autem Cham: Chus, & Meſraim,& Phuth, & Chanaan .

7 Filij Chus : Saba , & Heuila , & Sabatha, & Regma , & Sabathaca. Filij Regma : Saba & Dadan .

8 Porrò Chus genuit Nemrod : ipſe cœpit eſſe potens in terra ,

9 Et erat robuſtus venator coram Domino. Ob hoc exiuit prouerbium: Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino .

10 Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach,& Achad,& Chalanne,in terra Sennaar.

11 De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen,& plateas ciuitatis,& Chale .

12 Reſen quoque inter Niniuen & Chale: hæc eſt ciuitas magna .

13 At vero Meſraim genuit Ludim , & Anamim , & Laabim,Nepthuim ,

14 Et Phetruſim, & Chaſluim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthijm & Caphtorim .

15 Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum,Hethæum ,

Et Ie-

## Trans.Lex Heb.Sanct.Pagn.

17 *Et dixit Deus ad Noach . Hoc eſt ſignum fœderis , quod ſtatui inter me , & inter omnem carnem , quæ eſt ſuper terram .*

18 *Et fuerunt filij Noach, qui egreſſi ſunt de arca , Sem,Cham, & Iepheth. Et Cham eſt pater Chenahan .*

19 *Tres iſti filij Noach. Et ab iſtis diſperſa eſt omnis terra .*

20 *Et incœpit Noach colere terram , & plantauit vineam .*

21 *Et bibit de vino,& inebriatus eſt, & diſcooperuit ſe in medio tabernaculi ſui .*

22 *Et vidit Cham, pater Chenahan, turpitudinem patris ſui , & nunciauit duobus fratribus ſuis in plateas .*

23 *Et tulerunt Sem , & Iepheth veſtimentum , & poſuerunt ſuper humerum ſuum , & euntes auerſa facie, operuerunt turpitudinem patris ſui ; & facies eorum erant auerſæ, & turpitudinem patris ſui non viderunt .*

24 *Et expergefactus eſt Noach à vino,& cognouit quod fecit ſibi filius eius minor .*

25 *Et dixit : Maledictus Chenahan , ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis .*

26 *Et dixit : Benedictus Dominus Deus Sem , & ſit Chenahan ſeruus eis .*

27 *Dilatet Deus Iepheth , & habitet in tabernaculis Sem,& ſit Chenahan ſeruus eis .*

28 *Et vixit Noach poſt diluuium trecentos annos . Et quinquaginta annos .*

29 *Et fuerunt omnes dies Noach nongenti anni , quinquaginta anni,& mortuus eſt.*

### CAP. X.

1 *ET iſta ſunt generationes filiorum Noach Sem , Cham, & Iepheth . Et nati ſunt eis filij poſt diluuium .*

2 *Filij Iepheth Gomer , & Magheh,& Madai,& Iauan,& Tubal,& Meſech,& Tiras .*

3 *Et filij Gomer , Aſchenaz, & Riphath, & Tegharmah .*

4 *Et filij Iauan, Eliſah , & Tarſis, Chittim , & Dodanim .*

5 *Ab iſtis ſeparatæ ſunt inſulæ gentium ſecundum terras ſuas,ſingulæ ſecundum linguam ſuam,ſecundum familias ſuas in gentibus ſuis .*

6 *Et filij Cham,Chus,& Miſraim, & Phuth, & Chenahan .*

7 *Et filij Chus,Seba,Chauilah,& Sabthah, & Rahamah,& Sabthecah. Et filij Rahamah, Seba,& Dedan .*

8 *Et Chus genuit Nimrod . Ipſe cœpit eſſe potens in terra .*

9 *Ipſe fuit potens venator coram Domino . Idcirco dicitur , Sicut Nimrod potens , venator coram Domino .*

10 *Et fuit principium regni eius Babel , & Erech , & Acchad,& Chalneh in terra Sinhar .*

11 *E terra ipſa egreſſus eſt Aſſur,et ædificauit Nineueh, & Rechoboth ciuitates,& Chalach .*

12 *Et Reſen inter Nineueh , & inter Chalach . Ipſa eſt ciuitas magna .*

13 *Et Miſraim genuit Ludim,& Hananim, & Behabim,& Naphthuchim .*

14 *Et Pathruſim,& Chaſluchim,Vnde egreſſi ſunt Peliſtim,& Chaphthorim .*

15 *Et Chenahan genuit Sidon primogenitum ſuum, & Cheth .*

Et Ie-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et dixit Deus Noe. Hoc ſignum teſtamenti, quod diſpoſui inter me & inter omnem carnem, quæ eſt ſuper terram.
18 Erant autem filij Noe, qui egreſſi ſunt de arca Sem, Cham, Iaphet. Et Cham erat pater Chanaan.
19 Tres hi ſunt filij Noe. Ab his diſſeminati ſunt ſuper omnem terram.
20 Et cepit Noe homo agricola eſſe terræ, & plantauit vineam:
21 Et bibit de vino: & inebriatus eſt, & nudauit ſe in domo ſua.
22 Et vidit Cham pater Chanaan nudationem patris ſui: & egreſſus annunciauit duobus fratribus ſuis foris.
23 Et ſumentes Sem, & Iaphet veſtimentum, impoſuerunt ſuper duos humeros ſuos, & perrexerunt retrorſum, & cooperuerunt nuditatem patris ſui: & facies eorum retrorſum: & nuditatem patris ſui non viderunt.
24 Et ſobrius factus eſt Noe à vino: & cognouit omnia quæ fecit ei filius eius iunior,
25 Et dixit: Maledictus Chanaan puer: famulus erit fratribus ſuis.
26 Et dixit: Benedictus Dominus Deus Sem: & erit Chanaan puer famulus eius.
27 Dilatet Deus Iaphet: & habitet in domibus Sem: & fiat Chanaan puer eius.
28 Vixit autem Noe poſt diluuium annos trecentos quinquaginta.
29 Et facti ſunt omnes dies Noe, nongenti quinquaginta anni: & mortuus eſt.

### CAP. X.

1 HÆ ſunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, Iaphet; & nati ſunt eis filij poſt diluuium
2 Filij Iaphet Gamer, & Magog, & Madoi, & Ionan, & Eliſa, & Thobel, & Goſoch & Thiras.
3 Et filij Gamer, Aſcanaz, & Riphath, & Thorgama.
4 Et filij Ionam, Eliſa, & Tharſis, Cetij, Rhodij.
5 Ex his ſegregatæ ſunt inſulæ gentium in terra ſua: vnuſquiſque ſecundum linguam, in tribubus ſuis, & in gentibus ſuis.
6 Filij autem Cham, Chus, & Meſraim, Phud & Chanaan.
7 Filij autem Chus, Saba, & Euila, & Sabatha, & Rhegma, & Sabathaca. Filij autem Rhegma, Saba, & Dedan.
8 Chus autem genuit Nebrod. Hic cepit eſſe gigas ſuper terram.
9 Hic erat gigas venator contra Dominum Deum: propter hoc dicent, ſicut Nebrod gigas venator contra Dominum.
10 Et factum eſt initium regni eius Babylon, & Orech, & Archad & Chalanne in terra Senaar.
11 De terra illa exijt Aſſur: & ædificauit Niniuem, & Rhooboth ciuitatem, & Chalach,
12 Et Daſe inter medium Niniues, & Chalach. Hæc ciuitas magna.
13 Et Meſraim genuit Ludijm, & Nephtalim, & Enemenijm, & Labijm,
14 Et Patroſonijm, & Chaſmonijm Vnde exierunt Philiſtijm, & Gaphthorijm.
15 Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum & Chettæum,

## Chald. Paraph Tranſl.

17 Dixitque Deus ad Noe: Hoc eſt ſignum fœderis inter verbum meum, & vniuerſam carnem quæ eſt ſuper terram.
18 Et fuerunt filij Noe qui egreſſi ſunt de arca, Sem, & Cham, & Iapheth, & Cham ipſe eſt pater Chanaan.
19 Tres iſti ſunt filij Noe: & ab his diſſeminata eſt vniuerſa terra.
20 Et cœpit Noe eſſe vir operarius in terra: & plantauit vineam.
21 Et bibit ex vino, & inebriatus eſt. & nudatus eſt in medio tabernaculi ſui.
22 Et vidit Cham pater Chanaan verenda patris ſui: & nuntiauit duobus fratribus ſuis foras.
23 Et tulerunt Sem, & Iapheth pallium, & impoſuerunt ſuper humerum amborum: & abierunt retrorſum, & operuerunt verenda patris ſui: & facies eorum auerſa erant, & verenda patris ſui non viderunt.
24 Euigilans autem Noe ex vino, cognouit quod fecerat ei filius ſuus minor.
25 Et ait, Maledictus Chanaan: ſeruus ſeruiens erit fratribus ſuis.
26 Et ait: Benedictus Dominus Deus Sem: & ſit Chanaan ſeruus illis.
27 Dilatet Deus Iapheth: & habitet gloria eius in tabernaculis Sem: & ſit Chanaan ſeruus eis.
28 Et vixit Noe poſt diluuium trecentis & quinquaginta annis.
29 Et fuerunt omnes dies Noe, nongenti & quinquaginta anni: & mortuus eſt.

### CAP. X.

1 ET hæ ſunt generationes filiorum Noe, Sem, & Cham, & Iapheth: natique ſunt eis filij poſt diluuium.
2 Filij Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Tubal, & Meſech, & Thiras.
3 Et filij Gomer, Aſchenez, & Riphat, & Togarma.
4 Et filij Iauan, Heliſa, & Tharſis, Cethim & Dodanim.
5 Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in terris ſuis, vnuſquiſque ſecundum linguam ſuam, ſecundum familias ſuas in populis ſuis.
6 Et filij Cham, Chus, & Meſraim, & Phut, & Chanaan.
7 Et filij Chus, Saba, & Euila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca: & filij Regma, Saba & Dedan.
8 Et Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra.
9 Ipſe erat vir robuſtus coram Domino: propterea dicebatur, Quaſi Nemrod vir robuſtus coram Domino.
10 Et fuit principium regni ſui Babylon, & Erech, & Achad, & Calane in terra Babylonis.
11 De terra illa egreſſus eſt Aſur, & ædificauit Niniuen, & Rooboth ciuitatem, & Chale;
12 Et Reſen, quæ eſt inter Niniue, & inter Chale. hæc eſt ciuitas magna.
13 Et Meſraim genuit Ludim, & Ananiim, & Laabim, & Neptuim:
14 Et Phetruſim & Ceſluim: de quibus egreſſi ſunt Philiſtiim & Cappadoces.
15 Et Chanaan genuit Sidon primogenitum ſuum, & Ethæum:



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Et Iebuſæum, & Amorrhæum Gergeſæum,
17 Heuæum, & Arachæum: Sinæum,
18 Et Aradium, Samaræũ & Amathæum: & poſthæc diſſeminati ſunt populi Chananæorum.
19 Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vſque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim vſque Leſa.
20 Hi ſunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus terriſque & gentibus ſuis.
21 De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore.
1.Par.1.17 22 Filij Sem: Aelam & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.
23 Filij Aram: Vs, & Hul, & Gether, & Mes.
24 At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eſt Heber.
25 Natique ſunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuiſa ſit terra: & nomen fratris eius Iectan.
26 Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, Iare,
27 Et Aduram, & Vzal & Decla,
28 Et Ebal & Abimael: Saba,
29 Et Ophir, & Heuila, & Iobab. Omnes iſti, filij Iectan.
30 Et facta eſt habitatio eorum de Mesha pergentibus vſque Sephar montem orientalem.
31 Iſti filij Sem ſecundum cognationes, & linguas, & regiones in gentibus ſuis.

32 Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes ſuas: ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.

### CAP. XI.

Sap.10.5 1 ERat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.
2 Cumque proficiſcerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.
3 Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento:
4 Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.
5 Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam,
6 Et dixit: Ecce, vnus eſt populus, & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.
7 Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.
8 Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem.
9 Et idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et Iebuſi, & Emori, & Ghirgaſi.*
17 *Et Chiuui, & Harchi, & Sini.*
18 *Et Aruadi, & Semari, & Chamathi. Et poſtea ſparſa ſunt familiæ Chenahanæi.*
19 *Et fuit terminus Chenahanæi à Sidon ingredientem Gherar, vſque ad Hazzah, donec ingrediaris Sedom, & Hamorah. Admah, & Seboim vſque ad Laſah,*
20 *Iſti filij Cham per familias ſuas, per linguas ſuas in terris ſuis in gentibus ſuis.*
21 *Et ipſi Sem natus eſt. Etiam ipſe eſt pater omnium filiorum Heber, frater Iepheth maior.*
22 *Filij Sem, Helam, & Aſſur, & Arphachſad, & Lud, & Aram.*
23 *Et filij Aram, Hus, & Chul, & Ghether, & Mas.*
24 *Et Arphachſad genuit, Selach, & Selach genuit Heber.*
25 *Et ipſi Heber nati ſunt duo filij, nomen vnius Peleg. Quia in diebus eius diuiſa eſt terra, & nomen fratris eius Iocthan.*
26 *Et Iocthan genuit Almodad, & Seleph, & Chaſarmaueth, & Iarach.*
27 *Et Hadoram, & Vzal, & Diclah,*
28 *Et Hobal, & Abimael, & Seba.*
29 *Et Ophir, & Chauilah, & Iobab. Omnes iſti filij Iocthan.*
30 *Et fuit habitatio eorum à Meſah. donec ingrediaris Sephar montem orientis.*
31 *Iſti filij Sem per familias ſuas, per linguas ſuas, in terris ſuis, in gentibus ſuis.*
32 *Iſtæ familiæ filiorum Noach per generationes ſuas, in gentibus ſuis. Et ab iſtis diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.*

### CAP. XI.

1 *ET erat omnis terra labij vnius, & verborum eorumdem.*
2 *Et fuit, cum proficiſcerentur ipſi ab oriente inuenerunt campum in terra Sinhar, & habitauerunt ibi.*
3 *Et dixerunt ſinguli ad proximum ſuum. Affer, lateriſicemus lateres, & comburamus ad combuſtionem. Et fuit eis later pro lapide, & lutum fuit eis pro cæmento.*
4 *Et dixerunt. Affer, ædificemus nobis ciuitatem, & turrim, & caput eius in cœlum, & faciamus nobis nomen, ne forte diſpergamur ſuper faciem omnis terræ.*
5 *Et deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij hominum.*
6 *Et dixit Dominus. Ecce populus vnus, & labium vnum eſt omnibus ipſis. Et hoc eſt incipere eorum, vt faciant. Et nunc non prohibebitur ab eis, quod cogitauerint, vt facerent.*
7 *Affer deſcendamus, & confundamus ibi labium eorum, vt non audiat vnuſquiſque labium proximi ſui.*
8 *Et diſperſit Dominus eos inde ſuper faciem omnis terræ, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem.*
9 *Propterea vocauit nomen eius Babel, quia ibi confudit Dominus labium omnis terræ, & inde diſperſit eos ſuper faciem omnis terræ.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

16 Et Iebuſæum, & Amorrhæum, & Gergeſæum,
17 Et Euæum, & Aruchæum & Aſennæum,
18 Et Aradium, & Samaræum, & Amathi. Et poſt hæc diſperſæ ſunt tribus Chananæorum.
19 Et facti ſunt fines Chananæorum à Sidone, donec veniatur ad Gerara, & Gazam, donec veniatur vſque ad Sodomam, & Gomorrham, Adama, & Seboim vſque ad Daſa.
20 Hi filij Cham in tribubus ſuis ſecundum linguas ſuas in regionibus ſuis, & in gentibus ſuis.
21 Et Sem natus eſt etiam ipſi, patri omnium filiorum Heber, fratri Iaphet maioris.
22 Filij Sem, Elam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aran, & Cainan.
23 Et filij Aran, Hus, & Vl, & Gater, & Moſoch.
24 Et Arphaxad genuit Cainan: & Cainan genuit Sala. Sala autem genuit Heber.
25 Et Heber nati ſunt duo filij: nomen vni Phaleg, quia in diebus eius diuiſa eſt terra: & nomen fratri eius Iectan.
26 Iectan autem genuit Elmodad, & Saleth, & Sarmoth, & Iarach,
27 Et Hodorra, & Aebel, & Decla,
28 Et Eual, & Abimael, & Saba,
29 Et Ophir, & Euila, & Iobab. Omnes hi filij Iectan.
30 Et facta eſt habitatio eorum à Maſſe, donec venias ad Saphera montem orientis.
31 Hi filij Sem in tribubus ſuis, ſecundum linguas ſuas, in regionibus ſuis, & in gentibus ſuis.
32 Hæ tribus filiorum Noe ſecundum generationes eorum, ſecundum gentes eorum. Ab his diſperſæ ſunt inſulæ gentium ſuper terram poſt diluuium.

### C A P. XI.

1 ET erat omnis terra labium vnum: & vox vna omnibus.
2 Et factum eſt, cum mouerent ipſi ab oriente; inuenerunt campum in terra Sennaar: & habitauerunt ibi.
3 Et dixit homo proximo ſuo: venite, faciamus lateres, & coquamus illos igni. Et facti ſunt illis lateres in lapidem: & bitumen erat illis lutum.
4 Et dixerunt: Venite, ædificemus nobiſmetipſis ciuitatem, & turrim, cuius caput erit vſque ad cœlum: & faciamus nobis nomen, antequam diſpergamur in faciem omnis terræ.
5 Et deſcendit Dominus videre ciuitatem, & turrim, quam ædificauerant filij hominum.
6 Et dixit Dominus: Ecce genus vnum, & labium vnum omnium: & hoc inchoauerunt facere: & nunc non deficient ab illis omnia, quæ conati fuerint facere.
7 Venite & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum: vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi.
8 Et diſperſit eos Dominus inde ſuper faciem omnis terræ: & ceſſauerunt ædificantes ciuitatem, & turrim.
9 Propter hoc appellatum eſt nomen illius, confuſio: quia ibi confudit Dominus labia omnis terræ: & inde diſperſit illos Dominus ſuper faciem omnis terræ.

## Chald. Paraph. Tranſl.

16 *Et Iebuſæos, & Amorræos, & Gergeſæos:*
17 *Et Euæos, & Arachæos, & Cinæos:*
18 *Et Aradios, & Samarathæos, & Amathæos: & poſtea diſſeminatæ ſunt familiæ Chananæorum.*
19 *Et fuit terminus Chananæorum à Sidone, pertingens Geraram vſque Gazam, pertingens Sodomam, & Gomorrham, & Adama, & Seboym vſque Laſſa.*
20 *Iſti ſunt filij Cham per cognationes ſuas, & linguas ſuas in terris ſuis, in populis ſuis.*
21 *Et de Sem nati ſunt: ipſe quoque eſt pater omnium filiorum Heber, frater Iapheth maior.*
22 *Filij Sem, Helam, & Aſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.*
23 *Et filij Aram, Hus, & Hul, & Gether, & Mes.*
24 *Arphaxad autem genuit Sale: & Sale genuit Heber:*
25 *Et de Heber nati ſunt duo filij: nomen vnius Phaleg, quia in diebus ſuis diuiſa eſt terra: & nomen fratris ſui, Iectan.*
26 *Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, & Iare:*
27 *Et Aduram, & Vzal, & Decla:*
28 *Et Hobal, & Abimael, & Saba:*
29 *Et Ophir, & Euila, & Iobab: omnes iſti filij Iectan.*
30 *Et fuit habitatio eorum à Meſſa, pertingens vſque Saphar montem Orientalem.*
31 *Iſti ſunt filij Sem per cognationes, & linguas ſuas, in terris ſuis, in populis ſuis.*
32 *Illæ ſunt cognationes filiorum Noe per generationes ſuas in populis ſuis: & ab his diuiſi ſunt populi in terra poſt diluuium.*

### C A P. X I.

1 *ERatque omnis terra lingua vnius, & loquela vnius.*
2 *Et factum eſt cùm proficiſcerentur in principio, & inueniſſent campum in terra Babylonis, habitauerunt ibi.*
3 *Dixeruntque vnuſquiſque ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: & erat eis later pro lapide, & bitumen erat eis pro luto.*
4 *Et dixerunt, Venite, ædificemus nobis ciuitatem & turrim: & culmen eius pertingat vſque ad cœlos: & faciamus nobis nomen, ne fortè diſpergamur ſuper faciem vniuerſæ terræ.*
5 *Et apparuit Dominus, vt vlciſceretur ſuper opera ciuitatis & turris, quas ædificauerunt filij hominum.*
6 *Et dixit Dominus: Ecce populus vnus, & lingua vna eſt omnibus illis, & hoc eſt quod cœperunt facere, & nunc non prohibebitur ab eis omne quod cogitauerunt facere.*
7 *Venite, appareamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque linguam proximi ſui.*
8 *Et diſperſit eos Dominus inde ſuper faciem vniuerſæ terræ: & prohibiti ſunt ab ædificatione ciuitatis.*
9 *Idcirco vocatum eſt nomen eius Babel: quoniam ibi confudit Dominus linguam vniuerſæ terræ. & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem vniuerſæ terræ.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* 1.Par.1.17.
10 Hæ ſunt generationes Sem: * Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium.
11 Vixitque Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias.
12 Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.
13 Vixitque Arphaxad poſtquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios, & filias.
14 Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.
15 Vixitque Sale poſtquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: & genuit filios, & filias.
16 Vixit autem Heber triginta quattuor annis, & genuit Phaleg.
17 Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios & filias.
1.Paral. 1.19.
18 Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.
19 Vixitque Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios, & filias.
20 Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.
21 Vixit quoque Reu poſtquam genuit Sarug, ducentis ſeptem annis: & genuit filios, & filias.
22 Vixit vero Sarug triginta annis, & genuit Nachor.
23 Vixitque Sarug poſtquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios, & filias.
24 Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare.
25 Vixitque Nachor poſtquam genuit Thare, centum decem & nouem annis: & genuit filios, & filias.
* 1.Par.1.18. Ioſ.24.2.
26 Vixitque Thare ſeptuaginta * annis, & genuit Abram & Nachor, & Aran.
27 Hæ ſunt autem generationes Thare, Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot.
28 Mortuuſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum, in terra natiuitatis ſuæ: in Vr Chaldæorum.
29 Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores. Nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Ieſchæ.
30 Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos.
* Ioſ.24.2. Nehe.9.7. Iudit.5.6.
31 * Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum: vt irent in terram Chanaan: veneruntque vſque Haran, & habitauerunt ibi.
Act.7.2.
32 Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran.

### CAP. XII.

Act.7.3.
1 DIxit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.
2 Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Iſta generationes Sem. Sem filius centum annorum genuit Arphachſad duobus annis poſt diluuium.*
11 *Et vixit Sem poſtquam genuit Arphachſad, quingentos annos, & genuit filios, & filias.*
12 *Et Arphachſad vixit quinque, & triginta annos, & genuit Selach.*
13 *Et vixit Arphachſad poſtquam genuit Selach tres annos, & quadringentos annos, & genuit filios, & filias.*
14 *Et Selach vixit triginta annos, & genuit Heber.*
15 *Et vixit Selach poſtquam genuit Heber tres annos, & quadringentos annos, & genuit filios, & filias.*
16 *Et vixit Heber quattuor, & triginta annos, & genuit Pelegh.*
17 *Et vixit Heber poſtquam genuit Pelegh triginta annos, & quadringentos annos, & genuit filios, & filias.*
18 *Et vixit Pelegh triginta annos, & genuit Rehu.*
19 *Et vixit Pelegh poſtquam genuit Rehu nouem annos, & ducentos annos, & genuit filios, & filias.*
20 *Et vixit Rehu duos, & triginta annos, & genuit Serugh.*
21 *Et vixit Rehu poſtquam genuit Serugh ſeptem annos, & ducentos annos, & genuit filios, & filias.*
22 *Et vixit Serugh triginta annos, & genuit Nachor.*
23 *Et vixit Serugh poſtquam genuit Nachor ducentos annos, & genuit filios, & filias.*
24 *Et vixit Nachor nouem, & viginti annos, & genuit Therach.*
25 *Et vixit Nachor poſtquam genuit ipſe Terach nouem & decem annos, & genuit filios, & filias.*
26 *Et vixit Terach ſeptuaginta annos, & genuit Abram, Nachor, & Haran,*
27 *Et iſta ſunt generationes Terach. Terach genuit Abram, Nachor, & Haran. Et Haran genuit Loth.*
28 *Et mortuus eſt Haran coram Terach patre ſuo in terra natiuitatis ſuæ: in Vr Chaſdim.*
29 *Et accepit Abram, & Nachor vxores. Nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Milchah filia Haran patris Milchah, & patris Iſchac.*
30 *Et fuit Sarai ſterilis. Non erat ei natus.*
31 *Et tulit Terach Abram filium ſuum, & Loth filium Haran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui. Et egreſſi ſunt cum eis de Vr Chaſdim: vt pergerent in terram Chenahan: & venerunt vſque ad Charan, & habitauerunt ibi.*
32 *Et fuerunt dies Terach quinque anni, & ducenti anni, & mortuus eſt Terach in Charan.*

### *CAP. XII.*

1 *ET dixit Dominus ad Abram: Vade tibi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, ad terram quam videre faciam te.*
2 *Et faciam te in gentem magnam, & benedixi tibi, & magnificaui nomen tuum, & eſto benedictio.*



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

10 Et hæ generationes Sem. Et erat Sem filius centum annorum, cum genuit Arphaxad, ſecundo anno poſt diluuium.
11 Et vixit Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentos annos: & genuit filios, & filias: & mortuus eſt.
12 Et vixit Arphaxad ad centum triginta quinque annos: & genuit Cainan.
13 Et vixit Arphaxad, poſtquam genuit Cainan, annos trecentum: & genuit filios & filias: & mortuus eſt. Et vixit Cainan centum, & triginta annos, & genuit Sala. Et vixit Cainã, poſtquã genuit Sala annos trecẽtũ triginta: & genuit filios & filias: & mortuus eſt
14 Et vixit Sala centum triginta annos: & genuit Heber.
15 Et vixit Sala poſtquam genuit Heber, trecentum triginta annos: & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
16 Et vixit Heber centum triginta quatuor annos, & genuit Phaleg.
17 Et vixit Heber, poſtquam genuit Phaleg, annos ducentos ſeptuaginta: & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
18 Et vixit Phaleg centum triginta annos: & genuit Rhagau.
19 Et vixit Phaleg, poſtquam genuit Rhagau, ducentos & nouem annos: & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
20 Et vixit Rhagau centum triginta & duos annos: & genuit Seruch.
21 Et vixit Rhagau poſtquam genuit Seruch, ducentos ſeptem annos: & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
22 Et vixit Seruch centum triginta annos: & genuit Nachor.
23 Et vixit Seruch poſtquam genuit Nachor, annos ducentos: & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
24 Et vixit Nachor annos centum ſeptuaginta nouem: & genuit Thara.
25 Et vixit Nachor poſtquam genuit Thara, annos centum viginti quinque & genuit filios & filias: & mortuus eſt.
26 Et vixit Thara ſeptuaginta annos: & genuit Abram, & Nachor, & Aran.
27 Et Aran genuit Lot.
28 Et mortuus eſt Aran coram Thara patre ſuo in terra qua natus eſt, in regione Chaldæorum.
29 Et ſumpſerunt Abram, & Nachor ſibi vxores. Nomen vxoris Abram, Sara: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran, & pater Melcha, & pater Ieſca.
30 Et erat Sara ſterilis, & non generabat.
31 Et ſumpſit Thara Abram filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filij ſui, & Saram nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui. Et eduxit eos de regione Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: & venerunt vſque ad Charram, & habitauit ibi.
32 Et facti ſunt dies Tharra in terra Chanaan ducenti quinque anni: & mortuus eſt Thara in Charran.

### C A P. XII.

1 ET dixit Dominus ad Abram: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & vade in terram, quam tibi demonſtrauero:
2 Et faciam te in gentem magnam: & benedicam te, & magnificabo nomen tuum: & eris benedictus.



## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Hæ ſunt generationes Sem: Sem filius centum annorum erat, quando genuit Arphaxad, duobus annis poſt diluuium.*
11 *Et vixit Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias.*
12 *Et Arphaxad vixit triginta & quinque annis, & genuit Sale.*
13 *Et vixit Arphaxad poſtquam genuit Sale, quadringentis & tribus annis: & genuit filios & filias.*
14 *Et Sale vixit triginta annis, & genuit Heber.*
15 *Et vixit Sale poſtquam genuit Heber, quadringentis, & tribus annis: & genuit filios & filias.*
16 *Et vixit Heber triginta & quatuor annis, & genuit Phaleg.*
17 *Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis, & triginta annis: & genuit filios & filias.*
18 *Et vixit Phaleg triginta annis, & genuit Reu.*
19 *Et vixit Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis & nouem annis: & genuit filios, & filias.*
20 *Et vixit Reu triginta & duobus annis, & genuit Saruch.*
21 *Et vixit Reu poſtquam genuit Saruch, ducentis & ſeptem annis: & genuit filios, & filias.*
22 *Et vixit Saruch triginta annis, & genuit Nachor.*
23 *Et vixit Saruch poſtquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios, & filias.*
24 *Et vixit Nachor viginti & nouem annis, & genuit Thare.*
25 *Et vixit Nachor poſtquam genuit Thare, centum & decem & nouem annis: & genuit filios & filias.*
26 *Et vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abrã, Nachor, & Aran.*
27 *Hæ ſunt generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran: Aran autem genuit Loth.*
28 *Et mortuus eſt Aran viuente Thare patre ſuo, in terra natiuitatis ſuæ, in Vr Chaldæorum.*
29 *Et acceperunt ſibi Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha, filia Aran, patris Melcha, & patris Ieſcha.*
30 *Eratq́; Sarai ſterilis: nec erat ei filius.*
31 *Et tulit Thare Abram filium ſuum, & Loth filium Aran, filium filij ſui; & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui: & egreſſi ſunt ſimul de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan. veneruntque vſque Aran, & habitauerunt ibi.*
32 *Et fuerunt dies Thare, ducenti & quinque anni: & mortuus eſt Thare in Aran.*

### C A P. XII.

1 *ET dixit Dominus ad Abram: Proficiſcere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, ad terram quam monſtrauero tibi.*
2 *Et faciam te in populum magnum, & benedicam tibi: & magnificabo nomen tuum: & eris benedictus.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

3 Benedicam benedicentibus tibi & maledicam maledicentibus tibi, atque * IN TE BENEDICENTVR vniuerſæ cognationes terræ.

* Gal. 3. 8. Inf. 18. 18. 22. 18. Heb. 11. 8.

4 Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: ſeptuaginta quinque annorum erat Abrã cũ egrederetur de Haran.

5 Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran: & egreſſi ſunt vt irent in terram Chanaam. Cumque veniſſent in eam,

6 Pertranſiuit Abram terram vſque ad locũ Sichem, vſque ad conuallem illuſtrem: Chananæus autem tunc erat in terra.

7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: * Semini tuo dabo terram hanc: Qui ædificauit tibi altare Domino, qui apparuerat ei.

* Inf. 13. 15. 15. 18. 26. 3. Deut. 34. 4.

8 Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientẽ Bethel, tetẽdit ibi tabernaculũ ſuum: ab occidẽte habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Dño, & inuocauit nomen eius.

9 Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem.

10 Facta eſt autem fames in terra: deſcenditq. Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra.

11 Cumque prope eſſet vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: Noui quòd pulchra ſis mulier:

12 Et quod cum viderint te Aegyptij, dicturi ſunt: Vxor ipſius eſt: & interficient me, & te reſeruabunt.

13 * Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis: vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob grãm tui.

* Inf. 20. 12.

14 Cum itaque ingreſſus eſſet Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem quod eſſet pulchra nimis.

15 Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.

16 Abram vero bene vſi ſunt propter illam: Fueruntque ei oues & boues, & aſini, & ſerui & famulæ, & aſinæ & cameli.

17 Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.

18 Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti quod vxor tua eſſet?

19 Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade.

20 Præcepitque Pharao ſuper Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

### CAP. XIII.

1 ASCENDIT ergo Abram de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo ad auſtralem plagam.

2 Erat autem diues valde in poſſeſſione auri & argenti.

3 Reuerſuſque eſt per iter, quo venerat, à meridie in Bethel vſque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai:

4 In loco altaris * quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini.

* Sup. 12. 8.

5 Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta & tabernacula.

Nec

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Et benedixi benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi, maledicam.* ET BENEDICENT SE IN TE *omnes familiæ terræ.*

4 *Et abijt Abrã quemadmodũ locutus eſt ad eũ Dñs, & perrexit ſecũ Loth. Et Abram erat filius quinque annorũ, et ſeptuagita annorũ, qñ egreſſus ẽ ẽ Charã.*

5 *Et cœpit Abram Sarai vxorem ſuam, & Loth filium fratris ſui & omnem ſubſtantiam ſuam, quam acquiſierant, & animas quas fecerunt in Charan, & egreſſi ſunt, vt pergerent in terram Chenahan, & venerunt ad terram Chenahan.*

6 *Et tranſiuit Abram in terram vſque ad locum Sechem vſque ad quercum moreh. Et Chenahanæi tunc erat in terra.*

7 *Et viſus eſt Dominus Abra, & dixit. Semini tuo dabo terram hanc. Et ædificauit ibi altare Domino, quia apparuerat ſibi.*

8 *Et tranſtulit ſe inde ad montem ab oriente ipſi Bethel. Et tetendit tabernaculum ſuum: Bethel erat ab occidente, & Hai ab oriente. Et ædificauit ibi altare Domino, & inuocauit nomen Domini.*

9 *Et profectus eſt Abram eundo, & proficiſcendo ad meridiem.*

10 *Et fuit fames in terra. Et deſcendit Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi, quia grauis fames erat in terra.*

11 *Et fuit, quando appropinquauit, vt ingrederetur Ægyptum, dixit ad Sarai vxorem ſuam. Ecce nunc cognoui, quòd mulier pulchra aſpectu es.*

12 *Et erit, cum viderint te Ægyptij, dicent, vxor eius eſt: & occident me, & te viuere facient.*

13 *Dic nunc, Soror mea es, vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea propter te.*

14 *Et fuit, cum ingrederetur Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd pulchra eſſet valde.*

15 *Et viderunt eam principes Parhoh, & laudauerunt eam Parhoni. Et ducta eſt mulier in domum Parhoh.*

16 *Et ipſi Abram benefecit propter eam. Et fuerunt ei pecudes, & boues, & aſini, & ſerui, & ancillæ, & aſinæ, & cameli.*

17 *Et percuſſit Dominus Parhoh percuſſionibus magnis, & domum eius cauſa Sarai vxoris Abram.*

18 *Et vocauit Parhoh Abram, & dixit. Cur hoc feciſti mihi? Vt quid non indicaſti mihi quòd vxor tua eſſet?*

19 *Vt quid dixiſti ſoror mea eſt? Et tuli eam mihi in vxorem. Et nunc ecce vxor tua, cape, & vade.*

20 *Et præcepit ſuper eum Parhoh viris, & dimiſerunt eum, & vxorem eius, & omnia quæ erant ei.*

### CAP. XIII.

1 *ET aſcendit Abram ex Ægypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ erant ei, & Loth cum eo ad meridiem.*

2 *Et Abram diues erat valde in pecudibus, in argento, & in auro.*

3 *Et perrexit per profectiones ſuas à meridie vſque ad Bethel, vſque ad locum, vbi fuerat tabernaculũ eius in principio, inter Bethel, & inter Hai.*

4 *Ad locum altaris, quod fecerat ibi principio, & inuocauerat ibi Abram nomen Domini.*

5 *Et etiam ipſi Loth ambulanti cum Abram erant pecudes, & boues & tabernacula.*

*Et non*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Et benedicam benedicentes te: & maledicam ma-
ledicentes te: ET BENEDICENTVR
IN TE omnes tribus terræ.
4 Et iuit Abram, quemadmodũ loquutus eſt ei Dñs:
& abijt cum eo Lot. Abram autem erat ſeptuagin-
ta quinque annorum, cum egreſſus eſt de Charan.
5 Et ſumpſit Abram Saram vxorem ſuam, & Lot fi-
lium fratris ſui, & omnem ſubſtãtiam ſuam, quam-
cumque poſſederant, & omnem animam quam poſ
ſederant de Charan: Et egreſſi ſunt, vt irent in
terram Chanaan.
6 Et perambulauit Abram terram in longitudinem
ipſius vſque ad locum Sichem, ad quercum altam.
Chananæi autem tunc habitabant terram.
7 Et apparuit Dominus Abram, & dixit illi. Semini
tuo dabo terram hanc. Et ædificauit ibi Abram al-
tare Domino, qui apparuerat ei:
8 Et receſſit inde in montem ad orientem Bæthel:
& tetendit ibi tabernaculum ſuum in Bæthel ad
mare, & Angæ ad orientem. Et ædificauit ibi altare
Domino, & inuocauit in nomine Domini.
9 Et abijt Abram, & profectus caſtrametatus eſt in
deſerto.
10 Et facta eſt fames ſuper terram: deſcenditq́ue A-
bram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: quia in-
ualuerat fames ſuper terram.
11 Factum eſt autem cum prope eſſet Abram, vt ingre
deretur in Aegyptum, dixit Abram Saræ vxori: No
ui ego quod mulier pulchra aſpectu es.
12 Erit ergo cum te viderint Aegyptij, dicent, quia
vxor illius hæc: & occident me, te autem ſer-
uabunt.
13 Dic igitur, quia ſoror eius ſum: vt bene mihi ſit pro
pter te: & viuet anima mea propter te.
14 Factum eſt autem ſtatim vt intrauit Abram in Ae-
gyptum, videntes Aegyptij mulierem eius, quia
ſpecioſa erat valde:
15 Et viderunt eam principes Pharaonis: & laudaue-
runt eam apud Pharaonem: & introduxerunt eam
in domum Pharaonis:
16 Et Abram bene vſi ſunt propter eam. Et fuerunt
ei oues, & vituli, & aſini, & pueri, & ancillæ, & mu-
li, & cameli.
17 Et afflixit Deus Pharaonem afflictionibus ma-
gnis, & ſæuis, & domum eius pro Sara vxore
Abram.
18 Vocans autem Pharao Abram, dixit: Quid hæc
feciſti mihi? quia non annunciaſti mihi, quia
vxor tua eſt?
19 Vt quid dixiſti, quia ſoror mea eſt? Et ſumpſi eam
mihi vxorem. Et nunc ecce vxor tua coram te:
accipe, & recede.
20 Et præcepit Pharao viris de Abraham, vt comitan-
tes dimitterent eum, & vxorem eius, & omnia quę-
cumque erant ei.

### CAP. XIII.

1 AScendit autem Abram de Aegypto, ipſe,
& vxor eius, & omnia eius: & Lot cum
eo in deſertum.
2 Abram vero erat diues valde pecoribus, & argen-
to, & auro.
3 Et iuit, vnde venerat, in deſertum vſque ad Bethel,
vſque ad locum, vbi erat Tabernaculũ ipſius prius
inter Bethel & Angæ,
4 Ad locum altaris, quod fecerat ibi à principio. Et
inuocauit ibi Abram nomen Domini.
5 Et ipſi Lot ſimul ambulanti cum Abram, erant
oues, & boues, & tabernacula:

Et non

## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Benedicamq́; benedicentibus tibi, & maledicentibus
tibi maledicam: ET BENEDICENTVR
PROPTER TE omnes cognationes terræ.*
4 *Et abijt Abrã ſicut locutus eſt cum eo Dñs: & abijt
cum eo Loth. Abram autẽ erat filius ſeptuaginta &
quinque annorum, cum egrederetur de Aran.*
5 *Et tulit Abram Sarai vxorem ſuam, & Loth filium
fratris ſui, & omnem poſſeſſionem ſuam quam poſſe-
derant, & omnes animas quas ſubiecerant legi in
Aran: & egreſſi ſunt vt irent in terram Chanaan:
& venerunt in terram Chanaan.*
6 *Et pertranſiuit Abram per terram vſque ad locum
Sichem, vſque ad planiciem More. Chananæus au-
tem tunc morabatur in terra.*
7 *Et apparuit Dominus Abram, & dixit: Filijs tuis
dabo terram hanc: & ædificauit ibi altare Domino,
qui apparuerat ei.*
8 *Et aſcendit inde in montem qui erat ad Orientem
Bethel, & tetendit tabernaculum ſuum, ab Occiden
te habens Bethel, & ab Oriente Hai. & ædificauit ibi
altare coram Domino: & orauit in nomine Domini.*
9 *Et profectus eſt Abram vadens & proficiſcens ad
Meridiem.*
10 *Et fuit fames in terra, deſcenditque Abram in Ægy
ptum, vt peregrinaretur ibi: quoniam præualuerat
fames in terra.*
11 *Et factum eſt cum appropinquaret vt ingrederetur
in Ægyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: Ecce nunc cogno
ui quòd mulier pulchra aſpectu tu es.*
12 *Et erit cum viderint te Ægyptij, & dicent, Vxor
eius eſt hæc: interficientque me, & te reſerua-
bunt.*
13 *Dic nunc quòd ſoror mea ſis tu, vt bene ſit mihi pro-
pter te, & ſuſtentetur anima mea propter verba tua.*
14 *Et factum eſt cum ingreſſus eſſet Abram in Ægy-
ptum, viderunt Ægyptij mulierem quòd pulchra
eſſet nimis.*
15 *Et viderunt eam principes Pharaonis: & laudaue-
runt eam apud Pharaonem: & ſublata eſt mulier in
domum Pharaonis:*
16 *Et Abram benefecit propter eam. Et fuerunt ei
oues, & boues, & aſini, & ſerui, & ancillæ, & aſinæ,
& cameli.*
17 *Et adduxit Dominus ſuper Pharaonem plagas ma-
gnas, & ſuper homines domus eius, propter Sarai
vxorem Abram.*
18 *Vocauitque Pharao Abram, & dixit: Quid eſt hoc
quod feciſti mihi? quare non nunciaſti mihi quòd
vxor tua eſſet?*
19 *Quare dixiſti, ſoror mea eſt? & tuli eam mihi in
vxorem: & nunc ecce vxor tua: tolle, &
vade.*
20 *Præcepitque ſuper eum Pharao viris: & comitati
ſunt eum, & vxorem ſuam, & omnia quæ ha-
bebat.*

### CAP. XIII.

1 *ET aſcendit Abram de Ægypto ipſe & vxor
eius, & omnia ſua, & Loth cum eo ad
Auſtrum.*
2 *Et Abram erat honoratus valde in pecoribus & ar-
gento & auro.*
3 *Et abijt per manſiones ſuas à meridie, & vſque Be-
thel, & vſque ad locum in quo tetenderat prius ta-
bernaculum ſuum inter Bethel, & inter Hai;*
4 *Ad locum altaris quod ibi fecerat prius: & orauit
ibi Abram in nomine Domini.*
5 *Sed & Loth qui abijt cum Abram, fuerunt oues, &
boues, & tabernacula.*

*Et non*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: * erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.

* Inf. 36. 7.

7 Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abrã & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.

8 Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus.

9 Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.

10 Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequã ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.

11 Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente: diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo.

12 Abram habitauit in terra Chanaan: Lot verò moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.

13 Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

14 Dixitque Dominus ad Abram, poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot: * Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem.

* Sup. 12. 7. Inf. 15. 18. 26. 4. Deut. 34. 4.

15 Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.

16 Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit.

17 Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine ſua: quia tibi daturus ſum eam.

18 Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificauitque ibi altare Domino.

### CAP. XIIII.

1 FActum eſt autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium

2 Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Berſa regem Gomorrhæ, & contra Sennaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipſa eſt Segor.

3 Omnes hi conuenerunt in vallem ſiluestrem, quæ nunc eſt mare ſalis.

4 Duodecim enim annis ſeruierant Chodorlahomor, & tertio decimo anno receſſerunt ab eo.

5 Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percuſſeruntque Raphaim in Aſtarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim,

6 Et Chorræos in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine.

7 Reuerſique ſunt, & venerunt ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades: & percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Aſaſonthamar.

8 Et egreſſi ſunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ eſt Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Siluestri:

9 Scilicet aduerſus Chodorlahomor regẽ Elamitarũ, & Thadal regẽ Gentiũ, & Amraphel regẽ Sennaar, & Arioch regẽ Põti: quatuor reges aduerſus qnq;.

Val-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et non ferebat eos terra, vt habitarent pariter, quia erat ſubſtantia eorum multa, & non poterant habitare pariter.*

7 *Et fuit contentio inter paſtores gregis Abram, & inter paſtores gregis Loth. Et Chenahananæ, & Perizæus tunc habitabat in terra.*

8 *Et dixit Abram ad Loth, Ne nunc ſit contentio inter me & inter te, & inter paſtores meos, & inter paſtores tuos, quia viri fratres ſumus.*

9 *Numquid non omnis terra eſt coram te? Separa te nunc à me. Si ieris ad ſiniſtram dexteram tenebo, & ſi ad dextram ieris, ſiniſtram tenebo.*

10 *Et leuauit Loth oculos ſuos, & vidit omnem planiciem Iarden, quòd tota eſſet irrigua, antequam diſperderet Dominus Sedom, & Hamorah, ſicut Hortus Domini, ſicut terra Ægypti, ingrediente te in Sohar.*

11 *Et elegit ſibi Loth omnem planiciem Iarden, & profectus eſt Loth ab Oriente, & ſeparauerunt ſe alter ab altero.*

12 *Abram habitauit in terra Chenahan, & Loth habitauit in vrbibus planiciei, & tetendit tabernaculum Sedom vſque.*

13 *Et viri Sedom erant mali, & peccatores Domino valde.*

14 *Et Dominus dixit ad Abram, poſtquam ſeparauit ſe Loth ab eo. Leua nunc oculos tuos, & vide à loco, vbi es, ad aquilonem, & meridiem, & ad orientem, & ad occidentem.*

15 *Quia omnem terram, quam tu vides tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſæculum.*

16 *Et ponam ſemen tuum ſicut puluerem terræ, quia ſi poterit quiſquam numerare puluerem terræ, etiam ſemen tuum numerabit.*

17 *Surge, ambula per terram in longitudinem eius, & in latitudinem eius, quia tibi dabo eam.*

18 *Et tetendit tabernaculum Abram & venit, & habitauit in quercubus Mamre, quæ ſunt in Chebron, & ædificauit ibi altare Domino.*

### *CAP. XIIII.*

1 *ET fuit in diebus Amraphel regis Sinhar, Arioch rex Elaſar, Chedorlahomer rex Helam, & Tidhal rex gentium.*

2 *Fecerunt bellum cum Berah rege Sedom, & Birſah rege Hamorah, Sinab rege Admah, & Semeber rege Seboim, & rege Belah, Ipſa eſt Sohar.*

3 *Omnes illi coniuncti ſunt in valle Siddim: Ipſa eſt mare ſalis.*

4 *Duodecim annos ſeruierunt Chedorlahomer, & tertiodecimo anno defecerunt.*

5 *Et quartodecimo anno venit Chedorlahomer, & reges qui erant cum eo: Et percuſſerunt Rephaim in Aſhteroth Charnaim, & Zuzim in Ham, & Emim in Saueh Chiriathaim.*

6 *Et Chori in monte eorum Sehir vſque ad planiciem Paran, quæ eſt ſuper deſertum.*

7 *Et reuerſi ſunt, & venerunt ad Hen Miſpath. Ipſa eſt Cades, & percuſſerunt omnem agrum Amalechitæ, & etiam Emoræum habitantem in Chaſeſonthamar.*

8 *Et egreſſus eſt rex Sedom, & rex Hamorah, & rex Admah, & rex Seboim, & rex Belah: Ipſa eſt Sohar, & ordinauerunt cum eis bellum in valle Siddim.*

9 *Cum Chedorlahomer rege Helam, & Tidal rege gẽtium, & Amraphel rege Sinhar, & Arioch rege Elaſar, quatuor reges cum quinque.*

*Et val-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

6 Et non capiebat eos terra, vt habitarent ſimul: quoniam erat ſubſtantia eorum multa.

7 Et facta eſt rixa inter paſtores pecorum Abram, & paſtores pecorum Lot. Chananæi autem, & Pherezæi tunc inhabitabant terram.

8 Dixit autem Abram ad Lot: Non ſit rixa inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: quia homines fratres ſumus nos.

9 Nonne ecce tota terra ante te eſt? Diſcede à me: ſi tu in ſiniſtram, ego in dexteram: vel ſi tu in dexteram, ego in ſiniſtram.

10 Et leuans Lot oculos ſuos, vidit omnem regionem circa Iordanem, quod omnis eſſet irrigua, antequam euerteret Deus Sodomã, & Gomorrhã, ſicut Paradiſus Dei & ſicut terra Ægypti, vſque dum venias in Zogora.

11 Et elegit ſibi Lot omnẽ regionem circa Iordanẽ: & abijt Lot ab oriente. Et ſeparati ſunt vnuſquiſque à fratre ſuo. Abrã autẽ habitauit in terra Chanaan.

12 Lot autem habitauit in ciuitate circumiacentium: & tabernaculum tetendit in Sodomis.

13 Viri autem, qui in Sodomis, mali, & peccatores in conſpectu Dei valde.

14 Et dixit Deus ad Abram poſtquam receſſit Lot ab illo: Reſpice oculis tuis, & vide, à loco, in quo nunc tu es, ad aquilonem, & africum, & orientem & mare:

15 Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eã, & ſemini tuo vſque in ſæculum:

16 Et faciam ſemen tuum, ſicut arenam terræ. Si poteſt aliquis dinumerare arenam terræ; & ſemen tuum dinumerabitur.

17 Surgens perãbula terrã in longitudinẽ eius, & in latitudinẽ, quia tibi dabo eã, & ſemini tuo in ſæculũ.

18 Et mouens tabernaculum Abram veniens habitauit iuxta quercum Mambre quæ erat in Chebron: & ædificauit ibi altare Domino.

### C A P. XIIII.

1 FActum eſt autem in regno Amarphal regis Sennaar, & Arioch regis Hellaſar, Chodorlogomor rex Elam, & Thargal rex gentium,

2 Fecerunt bellum cum Balla rege Sodomorum, & cum Barſa rege Gomorræ, & cum Sennaar rege Adama, & cum Symobor rege Seboim, & rege Balac: hæc eſt Segor.

3 Omnes iſti conſenſerunt ad vallem ſalſam: hoc eſt mare ſalis.

4 Duodecim annis ipſi ſeruierant Chodorlogomor: tertio autem, & decimo anno receſſerunt.

5 In quarto autem, & decimo anno venit Chodorlogomor, & reges, qui cum eo: Et percuſſerunt gigantes, qui in Aſtaroth, & Carnain, & gentes fortes ſimul cum eis, & Ommæos, qui in Saue ciuitate,

6 Et Chorræos, qui in montibus Seir vſque ad terebinthum Pharan, quæ eſt in deſerto.

7 Et reuerſi venerunt ad fontem iudicij: hæc eſt Cades. Et percuſſerunt omnes principes Amalech, & Amorræos, qui habitabant in Aſaſonthamar.

8 Egreſſus eſt autem rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, & rex Adama, & rex Seboim, & rex Balac: hæc eſt Segor. Et direxerunt aciem contra eos in bellum, in valle Salſa,

9 Contra Chodorlogomor regẽ Elã, & Thargal regẽ gentiũ, & Amarphal regẽ Sennaar, & Arioch regẽ Hellaſar: quatuor reges aduerſus quinque:



## Chal. Paraph. Tranſl.

6 *Et non poterat ſuſtinere eos terra vt habitarent ſimul: quia erat ſubſtantia eorum multa: & non poterant habitare ſimul.*

7 *Et facta eſt rixa inter paſtores pecorum Abram, & paſtores pecorum Loth: Chananeus autem, & Pherezæus tunc habitabant in terra.*

8 *Et dixit Abram ad Loth: Ne ſit nunc iurgium inter me & inter te, & inter paſtores meos & inter paſtores tuos: quoniam viri fratres ſumus nos.*

9 *Ecce omnis terra coram te eſt, recede nunc à me, ſi tu ad Aquilonem, ego ad Meridiem, & ſi tu ad Meridiem, ego ad Aquilonem.*

10 *Et leuauit Loth oculos ſuos, & vidit omnem planiciem Iordanis quia tota eſſet irrigua antequam diſperderet Dominus Sodomam & Gomorram, ſicut Hortus Domini, & ſicut terra Ægypti ad introitum Segor.*

11 *Et elegit ſibi Loth omnem planiciem Iordanis, & profectus eſt Loth prius: & diuiſi ſunt vnuſquiſque à fratre ſuo.*

12 *Abram habitabat in terra Chanaan, & Loth habitabat in vrbibus campeſtribus, & tetendit tabernacula vſque ad Sodomam.*

13 *Viri autem Sodomæ erant iniqui cum ſuo mamona, & peſſimi in corporibus ſuis coram Domino nimis.*

14 *Dixitque Dominus ad Abram poſtquam diuiſus eſt Loth ab eo: Leua nunc oculos tuos, & vide à loco in quo tu es, ad aquilonem & ad meridiem, & ad orientem, & ad occidentem.*

15 *Quoniam omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam, & filijs tuis vſque in ſæculum.*

16 *Et ponam filios tuos multos ſicut puluerem terræ. ſicut enim non eſt poſſibile viro numerare puluerem terræ: ſic filij tui non numerabuntur.*

17 *Surge ambula per terram in longitudine & in latitudine ſua: quia tibi dabo eam.*

18 *Et tetendit Abram tabernaculum & venit, & habitauit in planicie Mamre, quæ eſt in Ebron: & ædificauit ibi altare coram Domino.*

### C A P. XIIII.

1 *ET factum eſt in diebus Amraphel regis Babylonis: Arioch, rex Elaſar; Codorlahomer, rex Elam; & Tadaal rex gentium,*

2 *Fecerunt prælium cum Bera rege Sodomæ, & cum Berſa rege Gomorræ, Senaab rege Adamæ, & Semeber rege Seboim & rege Bala: ipſa eſt Segor.*

3 *Omnes hi congregati ſunt in valle campeſtri quæ eſt mare ſalis.*

4 *Duodecim annis ſeruierant Codorlahomer, & in terciodecimo anno rebellauerunt.*

5 *In quartodecimo autẽ anno venit Codorlahomer, & reges qui erant cum eo: & percuſſerunt gigantes qui erant in Aſtaroth Carnaim, & robuſtos qui erant in Ham: & Horrendos qui erant in Saue Cariathaim:*

6 *Et Chorrhæos qui erant in montibus Seyr vſque ad planiciem Pharam, quæ eſt iuxta deſerto.*

7 *Et reuerſi ſunt & venerunt ad planiciem diuiſionis iudicij, quæ eſt Cades: & percuſſerunt omnem regionem Amalech & Amorræum, qui habitabat in Engaddi.*

8 *Et egreſſus eſt rex Sodomæ, & rex Gomorræ, & rex Adamæ, & rex Seboim, & rex Bala quæ eſt Segor: & inierunt cum eis certamen in valle campeſtri.*

9 *Cum Codorlahomer rege Elam, & Tadaal rege Gentium, & Amraphel rege Babylonis, & Arioch rege Elaſar: quatuor reges contra quinque.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Vallis autem Silueſtris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi: & qui remanſerant, fugerunt ad montem.

11 Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuerſa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:

12 Necnon & Lot & ſubſtantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

13 Et ecce vnus, qui euaſerat nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Eſchol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

14 Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo: & perſecutus eſt vſque Dan.

15 Et diuiſis ſocijs, irruit ſuper eos nocte: percuſſitq; eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci.

16 Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum.

17 Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum eius poſtquam reuerſus eſt à cęde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quę eſt vallis regis.

* Heb. 7. 1. 18 * At vero Melchiſedech rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi,

19 Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram:

20 Et benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

21 Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi.

22 Qui reſpondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli, & terræ,

23 Quòd à filo ſubtegminis vſque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditaui Abram:

24 Exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eſchol, & Mambre: iſti accipient partes ſuas.

### CAP. XV.

1 HIs itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.

2 Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis: & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer.

3 Addiditque Abram: Mihi autem non dediſti ſemẽ: & ecce vernaculus meus, hęres meus erit.

4 Statimque ſermo Domini factus eſt ad eum, dicens: Non erit hic hęres tuus: ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hęredem.

* Rom. 4. 18. 5 Eduxitque eum foras, & ait illi: * Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum.

* Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Iac. 2. 23. 6 * Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

7 Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxit te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.

8 At ille ait: Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam?

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et vallis Siddim plena erat puteis cæmenti. Et fugerunt rex Sedom & Hamorah, & ceciderunt ibi, & reſidui in montem fugerunt.*

11 *Et ceperunt omnem ſubſtantiam Sedom, & Hamorah, & omnem eſcam eorum, & abierunt.*

12 *Et ceperunt Loth, & ſubſtantiam eius, filiũ fratris Abram, & abierunt. Et ipſe habitabat in Sedom.*

13 *Et venit euaſus, & nunciauit Abram Hebræo, & ipſe habitabat in quercubus Mamre Emori fratris Eſchol, fratris Haner, & ipſi erant fœderati cum Abram.*

14 *Et audiuit Abram quòd captus eſſet frater ſuus, & armauit pueros ſuos, pueros domus ſuæ, octo, & decem, & trecentos, & perſecutus eſt vſque ad Dan.*

15 *Et diuiſit ſe ſuper eos nocte ipſe, & ſerui eius, & percuſſit eos, & perſecutus eſt eos vſque ad Chobah, quæ eſt à læua Dammeſech.*

16 *Et reduxit omnem ſubſtantiam, & etiam Loth fratrem ſuum, & ſubſtantiam eius reduxit. Et etiam mulieres & populum.*

17 *Et egreſſus eſt rex Sedom in occurſum eius, poſtquam reuerſus eſt ipſe à cedendo Chedorlahomer, & reges qui erant ſecum, ad vallem Saueh. Ipſa eſt vallis regis.*

18 *Et Malchiſedech rex Salem protulit panem & vinum. Et ipſe erat ſacerdos Deo altiſſimo.*

19 *Et benedixit ei, & dixit: Benedictus Abram à Deo altiſſimo poſſeſſore cœli, & terræ.*

20 *Et benedictus Deus altiſſimus, qui tradidit hoſtes tuos in manu tua, & dedit ei decimam de omnibus.*

21 *Et dixit rex Sedom ad Abram. Da mihi animas, & ſubſtantiam tolle tibi.*

22 *Et dixit Abram ad regem Sedom. Leuaui manum meam ad Dominum Deum altiſſimum, poſſeſſorem cœli & terræ.*

23 *Si à filo vſque ad corrigiam calciamenti, accepero ex omnibus, quæ ſunt tibi, vt non dicas: Ego ditaui Abram.*

24 *Præter ea tantum, quæ comederunt pueri, & partem virorum, qui perrexerunt mecum Aner, Eſchol, & Mamre. Ipſi accipiant partem ſuam.*

### CAP. XV.

1 *POſt res iſtas fuit verbum Domini ad Abram in viſione dicendo: Ne timeas Abram. Ego ſcutum ero tibi, merces tua multa valde.*

2 *Et dixit Abram. Domine Deus, quid dabis mihi? Et ego vado abſque liberis: & filius gubernator domus meæ eſt Dammeſech Elihezer.*

3 *Et dixit Abram. Ecce mihi non dediſti ſemen. Et ecce filius domus meæ hæreditat me.*

4 *Et ecce verbum Domini ad eum dicendo. Non hæreditabit te iſte, ſed qui egredietur de viſceribus tuis: ipſe hæreditabit te.*

5 *Et eduxit eum foras: & dixit: Suſpice nunc cœlum, & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas. Et dixit ei. Sic erit ſemen tuum.*

6 *Et credidit Domino, & reputatum eſt illud ſibi iuſtitia.*

7 *Et dixit ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaſdim, vt darem tibi terram iſtam, vt hæreditares eam.*

8 *Et dixit. Domine Deus in quo cognoſcam, quòd hæreditabo eam?*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

Vallis autem Salſa, putei bituminis. Fugit au- 10
tem rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, & ce-
ciderunt ibi: reſidui autem fugerunt in monta-
nam.
Cœperunt autem omnem equitatum Sodomo- 11
rum, & Gomorrhæ, & omnes eſcas eorum: &
abierunt.
Cœperunt autē & Lot filiū fratris Abrā, & apparatū 12
eius; & diſceſſerūt. Erat enim habitans in Sodomis.
Adueniens autem eorum, qui euaſerant, quidam, 13
nunciauit Abram tranſitori. Ipſe autem habitabat
ad quercum Mambre, Amorrhæi fratris Eſchol, &
fratris Aynan, qui erant coniurati Abram.
Audiens autem Abram, quia captiuatus eſt Lot fi- 14
lius fratris ſui, numerauit proprios vernaculos ſuos
trecentos decem, & octo. Et perſequutus eſt poſt
eos vſque Dan.
Et irruit ſuper eos nocte ipſe, & pueri eius: percuſ- 15
ſitque eos, & perſequutus eſt eos vſque Choba, quę
eſt ad ſiniſtram Damaſci.
Et reduxit omnem equitatum Sodomorum: & Lot 16
fratris ſui filium reduxit, & omnem ſubſtantiam
eius, & vxores, & populum.
Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum 17
ei, poſtquam ille reuerſus eſt à cæde Chodorlogo-
mor, & regum, qui cum eo, in valle Saby: hic erat
campus regum.
Et Melchiſedec rex Salem protulit panes, & vinū: 18
erat autem ſacerdos Dei altiſſimi:
Et benedixit Abram, & dixit. Benedictus Abram 19
Deo altiſſimo, qui creauit cœlum & terram:
Et benedictus Deus altiſſimus, qui tradidit inimi- 20
cos tuos ſub manus tuas. Et dedit ei Abram deci-
mam de omnibus.
Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mi- 21
hi homines: equitatum autem ſume tibi.
Dixit autem Abram ad regem Sodomorum: Ex- 22
tendam manum meam ad Dominum Deum altiſ-
ſimum, qui creauit cœlum & terram,
Si à filo vſque ad corrigiam calceamenti ſumam 23
ab omnibus tuis: vt non dicas, quia ego ditaui
Abram,
Præter ea quæ comederunt iuuenes, & portionem 24
virorum, qui mecum vna profecti ſunt, Eſchol, Ay-
nan, Mambre. Hi ſument portionem.

### C A P. X V.

POſt hæc autem verba factum eſt verbum Do- 1
mini ad Abram in viſu, dicens: Noli time-
re Abram: ego protego te: merces tua multa
erit valde.
Dixit autem Abram: Deſpota Dñe quid mihi da- 2
bis? Ego autem dimittor ſine liberis. Filius autem
Maſec, vernaculæ meæ, iſte Damaſcus Eliezer.
Et dixit Abram. Qm quidem mihi non dediſti ſe- 3
men: vernaculus autem meus hæreditabit me.
Et ſtatim vox Domini facta eſt ad eum, dicens: 4
non hæreditabit te ille: ſed qui egredietur ex te,
hic hæreditabit te.
Eduxit autem eum foras; & dixit ei: Reſpice in 5
cœlum, & numera ſtellas, ſi potes dinumerare eas.
Et dixit: Sic erit ſemen tuum.
Et credidit Abram Deo: & deputatum eſt ei ad 6
iuſtitiam.
Dixit autem ad eum. Ego Deus, qui te eduxi de re 7
gione Chaldæorum, vt dem tibi terram hanc hæ-
reditare.
Dixit autem. Deſpota Domine, ſecundum quid 8
ſciam, quod hæreditabo eam?

## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Vallis autem campeſtris habebat puteos ex quibus*
*effodiebatur bitumen: & fugerunt rex Sodoma, &*
*rex Gomorrha, & ceciderunt ibi: & qui remanſe-*
*rant, in montem fugerunt.*
11 *Et deprædati ſunt omnem ſubſtantiam Sodoma*
*& Gomorra, & omnes cibos eorum: & abie-*
*runt.*
12 *Ceperunt quoque Loth filium fratris Abra, & ſub-*
*ſtantiā eius, & abierūt: et ipſe habitabat in Sodomis.*
13 *Et venit qui euaſerat, & nunciauit Abra Hebræo*
*qui morabatur in campeſtribus Mamre Amorræi*
*fratris Eſchol, & fratris Aner: & hi erant confœ-*
*derati Abra.*
14 *Et audiuit Abram quòd captus eſſet frater ſuus, &*
*armauit pueros ſuos natos in domo ſua trecentos*
*& decem & octo, & perſequutus eſt vſque*
*Dan.*
15 *Et diuiſit ſeruis ſuis contra eos, percuſſerunt eos no-*
*cte, & perſecutus eſt eos vſque Hoba: quæ eſt ad Aqui*
*lonem Damaſci.*
16 *Et reduxit vniuerſam ſubſtantiam, & etiam Loth*
*fratrem ſuum, & ſubſtantiam eius reduxit, mulie-*
*res quoque & populum.*
17 *Et egreſſus eſt rex Sodoma in occurſum eius poſtquā*
*reuerſus eſt à cæde Codorlaomer, et regum qui erant*
*cum eo in valle plana: quæ erat locus refrigerij*
*regis.*
18 *Et Melchiſedech rex Ieruſalem adduxit panem &*
*vinum: & ipſe erat miniſter coram Deo excelſo.*
19 *Et benedixit ei: & dixit, Benedictus Abram coram*
*Deo excelſo, cuius poſſeſſio eſt cœlum & terra,*
20 *Et benedictus Deus excelſus qui tradidit hoſtes*
*tuos in manu tua. Et dedit ei vnum ex decem de*
*omnibus,*
21 *Et dixit rex Sodoma ad Abram: Da mihi animas,*
*& ſubſtantiam tolle tibi.*
22 *Et dixit Abram regi Sodomæ: Leuo manum meam*
*in oratione coram Deo excelſo, cuius poſſeſſio cœlum*
*& terra eſt:*
23 *Si à filo & vſque ad corrigiam calceamenti acci-*
*piam ex omnibus quæ tua ſunt: & non dices, ego*
*ditaui Abram.*
24 *Exceptis his quæ comederunt iuuenes, & parte viro-*
*rum qui venerunt mecum; Aner, Eſchol, & Mam-*
*re: illi recipiant partes ſuas.*

### C A P. X V.

1 *POſt verba hæc factus eſt ſermo à facie Do-*
*mini ad Abram in prophetia dicens: Ne*
*timeas Abram; verbum meum erit fortitudo tua,*
*merces tua multa nimis.*
2 *Et dixit Abram Domino: Deus quid dabis mihi?*
*& ego vado abſque liberis, & filius gubernator ille*
*qui in domo mea eſt; ipſe eſt Damaſcenus Eliezer.*
3 *Et dixit Abram: Ecce mihi non dediſti generatio-*
*nem: & ecce filius domus meæ hæres meus erit.*
4 *Et ecce ſermo à facie Domini factus eſt ad eum di-*
*cens, Non erit hic hæres tuus, ſed filius quem genue-*
*ris, ipſe erit hæres tuus.*
5 *Et eduxit eum foras: & dixit: Reſpice nunc cœ-*
*lum, & numera ſtellas, ſi potes numerare eas. Et di-*
*xit ei: Sic erunt filij tui.*
6 *Et credidit in verbo Domini, & reputatum eſt ei*
*ad iuſtitiam.*
7 *Dixitque ei: Ego Dominus qui eduxi te de Vr*
*Chaldæorum, vt darem tibi terram hanc in hære-*
*ditatem.*
8 *Et dixit: Domine Deus, in quo ſciam, quòd hære-*
*ditabo eam?*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Et reſpondens Dominus: Sume,inquit,mihi vaccã triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium,turturem quoque,& columbam.

* Ier.34. 18.

10 Qui tollens vniuerſa hæc,* diuiſit ea per medium: & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit:aues autem non diuiſit.

11 Deſcenderuntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abram.

12 Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram,& horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.

* Act.7.6.

13 Dictumque eſt ad eum: Scito prænoſcens quòd * peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.

14 Verumtamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia.

15 Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.

16 Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum,vſque ad præſens tempus.

17 Cum ergo occubuiſſet ſol,facta eſt caligo tenebroſa,& apparuit clibanus fumans,& lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas.

* Sup.12. 7.13.15. Inf.26.4 Deu.34.4. 2. Par.9. 26. 3. Reg.4. 21.

18 In illo die * pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphraten:

19 Cinæos,& Cenezæos,Cedmonæos:

20 Et Hethæos,& Pherezæos,Raphaim quoque;

21 Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos.

### CAP. XVI.

1 IGitur Sarai,vxor Abram,non genuerat liberos: ſed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar:

2 Dixit marito ſuo: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Cumque ille acquieſceret deprecanti:

3 Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam poſt annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro ſuo vxorem.

4 Qui ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns,deſpexit dominam ſuam.

5 Dixitque Sarai ad Abram:Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit,deſpectui me habet.Iudicet Dominus inter me,& te.

6 Cui reſpondens Abram: Ecce, ait ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai,fugam iniit.

7 Cumque inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine, qui eſt in via Sur in deſerto,

8 Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quo vadis? quæ reſpondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9 Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.

10 Et rurſum: Multiplicans, inquit, multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11 Ac deinceps: Ecce ait concepiſti, & paries filium vocabiſque nomen eius Iſmael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam.

12 Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes,& manus omnium contra eum:& e regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula.

Voca-

## Transl.ex Heb.Sanct Pagn.

9 *Et dixit ad eum. Tolle mihi vitulam triennem, & capram triennem,& arietem triennem,et turturem, & pullum collumbarum.*

10 *Et tulit ſibi omnia iſta,& diuiſit ea per medium,& poſuit ſingulam diuiſionis eius partem alteram contra alteram, ſed auem non diuiſit.*

11 *Et deſcenderunt aues ſuper cadauera, & abigebat eas Abram.*

12 *Et fuit,ſole occumbẽte,ſopor cecidit ſuper Abrã. Et ecce terror tenebroſus magnus cadens ſuper eum.*

13 *Et dixit ad Abram. Cognoſcendo cognoſces, quòd peregrinum erit ſemen tuum in terra, non ſua. Et ſeruire facient eos, & affligent eos quadringentis annos.*

14 *Et etiam gentem, cui ſeruient, indico ego: & poſtea egredientur cum ſubſtantia magna.*

15 *Et tu ingredieris ad patres tuos in pace. Sepelieris in canitie bona.*

16 *Et generatione quarta reuertentur huc: quia non eſt perfecta punitio Emorei vſque adhuc.*

17 *Et fuit, ſole occumbente, caligo erat. Et ecce furnus fumans, & lampas ignis, quæ tranſibat inter diuiſiones ipſas.*

18 *In die ipſo pepigit Dominus cum Abram fœdus,dicendo. Semini tuo dabo terram hanc,à flumine Ægypti vſque ad flumen magnum, flumen Perath.*

19 *Chenæum,& Chenizæum,& Chadmonæum:*

20 *Et Chitæum,& Perizæum,& Rephaim:*

21 *Et Emoræum, & Chenaanæum, & Chirghaſæum, & Iebuſæum.*

### CAP. XVI.

1 *ET Sarai vxor Abram non pepererat ei.Et ei erat ancilla Ægyptia:& nomen eius Haghar.*

2 *Et dixit Sarai ad Abram. Ecce nunc concluſit me Dominus,ne parerem. Ingredere nunc ad ancillam meam. Si fortè filios ſuſcipiam ex ea. Et paruit Abram voci Sarai.*

3 *Et tulit Sarai vxor Abram Haghar Ægyptiã ancillã ſuam in fine decẽ annorũ, quibus habitauit Abrã in terra Chenahan,et dedit eã Abrã viro ſuo in vxorẽ.*

4 *Et ingreſſus eſt ad Haghar, & concepit. Et vidit ꝙ concepiſſet,& deſpectui fuit dñа eius in oculis ſuis.*

5 *Et dixit Sarai ad Abram: Punitio mea ſuper te: Ego dedi ancillam meam in ſinu tuo. Et vidit quod concepit, & deſpectui ſum in oculis eius. Iudicet Dominus inter me,& inter te.*

6 *Et dixit Abram ad Sarai. Ecce ancilla tua in manu tua,fac ei quod bonum eſt in oculis tuis. Et afflixit eam Sarai,& fugit à facie eius.*

7 *Et inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ, in deſerto, iuxta fontem in via Sur.*

8 *Et dixit: Haghar ancilla Sarai, Vbi vnde venis? & quo vadis? Et dixit. A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.*

9 *Et dixit ei Angelus Domini. Reuertere ad dominam tuam & humilia te ſub manibus eius:*

10 *Et dixit ei Angelus Domini. Multiplicando multiplicabo ſemen tuum,& non numerabitur præ multitudine.*

11 *Et dixit ei Angelus Domini. Ecce tu prægnãs, & paries filium,& vocabis nomen eius Iſmahel,quia audiuit Dominus afflictionem tuam.*

12 *Et ipſe erit ſyluestris homo. Manus eius in omnes, & manus omnium in eum: Et coram omnibus fratribus ſuis habitabit.*

Et in-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

9 Dixit autem ei: Accipe mihi iuuencam trimam, & capram trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbam.
10 Accepit autem ſibi hæc omnia: & diuiſit illa media: & poſuit ea contra faciem alterum alteri: aues autem non diuiſit.
11 Deſcenderunt autem aues ſuper corpora, ſuper diuiſiones eorum: & conſedit illis Abram.
12 Circa ſolis autem occaſum ecſtaſis cecidit ſuper Abrā: & ecce timor tenebroſus magnus incidit ei.
13 Et dictum eſt ad Abram. Sciendo ſcies, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria: & in ſeruitutem redigent eos, & affligent eos, & humiliabunt eos quadringentis annis:
14 Gentem autem, cui ſeruierint, iudicabo ego: poſt hæc vero exibunt huc cum apparatu multo.
15 Tu autem ibis ad patres tuos in pace, nutritus in ſenectā bona.
16 Quarta vero generatione reuertentur huc. Nondum enim impleta ſunt peccata Amorræorum vſque adhuc.
17 Cum autem iam ſol erat ad occaſum; facta eſt flāma: & ecce fornax fumigabunda: & lāpades ignis, quæ pertranſierunt per medias diuiſiones iſtas.
18 In die illa diſpoſuit Dominus teſtamentum ad Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à flumine Ægypti vſque ad flumen magnū Euphratem,
19 Genæos, & Cenezæos, & Cedmonæos,
20 Et Chettæos, & Pherezæos, & Raphaim,
21 Et Amorrhæos, & Chananæos, & Euæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos.

### CAP. XVI.

1 SAra autem vxor Abram non pariebat ei: Erat autem ei ancilla Ægyptia, cui nomen Agar.
2 Dixit autem Sara ad Abram: Ecce concluſit me Dominus, vt non pariam; intra ergo ad ancillam meam, vt filios faciam ex illa. Obediuit autem Abram voci Saræ.
3 Et ſumens Sara vxor Abrā Agar Ægyptiam ancillā ſuam, poſt decē annos habitationis Abrā in terra Chanaan, dedit eam Abram viro ſuo, ipſi vxorem.
4 Et intrauit ad Agar: & cōcepit: Et vidit quia in vtero haberet; & deſpecta eſt Domina coram ipſa.
5 Dixit autem Sara ad Abram: Iniuriam accipio ex te. Ego dedi ancillam meam in ſinum tuum: vbi autem vidit, quia in vtero habet; ſpreta ſum coram ea: Iudicet Deus inter me & te.
6 Dixit autem Abram ad Saram: Ecce ancilla tua in manibus tuis: vtere ea, quomodo tibi placuerit. Et afflixit eam Sara; & fugit à facie eius.
7 Et inuenit eam Angelus Domini ſuper fontem aquæ in deſerto, ſuper fontem in via Sur.
8 Et dixit ei Angelus Domini: Agar ancilla Saræ, vnde venis? & quo vadis? Et dixit: A facie Saræ dominæ meæ ego fugio.
9 Dixit autem ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manibus eius.
10 Et dixit ei Angelus Domini: Multiplicans multiplicabo ſemen tuum: & non numerabitur præ multitudine.
11 Et dixit ei Angelus Domini. Ecce tu in vtero habes, & paries filium, & vocabis nomen eius Iſmael: quia exaudiuit Dominus humilitatem tuam.
12 Hic erit ruſticus homo: manus eius ſuper omnes: & manus omnium ſuper eum: & ad faciem omniū fratrum ſuorum habitabit.

## Chald. Paraph. Tranſl.

9 *Et dixit ei: Offer coram me vitulos tres, & capras tres, & arietes tres, & turturem, & filium columbæ.*
10 *Et obtulit coram eo omnia hæc, & diuiſit ea æqualiter: & poſuit diuiſiones, vnamquamque è regione alterius, aues autem non diuiſit.*
11 *Et deſcenderunt volucres ſuper diuiſiones, & eiecit eas Abram.*
12 *Et factū eſt cū ſol occūberet, & ſomnus cecidit ſup Abrā: & ecce horror tenebroſus magnus cecidit ſup eū.*
13 *Et dixit ad Abram: Sciens ſcies quia peregrini erunt filij tui in terra non ſua; & in ſeruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis.*
14 *Populum quoque cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia.*
15 *Et tu colligeris ad patres tuos in pace, ſepelierisque in ſenectute bona.*
16 *Generatione autem quarta reuertentur huc: quoniam non eſt completum peccatum Amorræi vſque adhuc.*
17 *Et factum eſt cum occubuiſſet ſol, & caligo facta eſſet: & ecce clibanus fumans, & lampas ignis quæ tranſibat inter diuiſiones illas.*
18 *In die illa pepigit Dominus pactum cum Abram, dicens: Filijs tuis dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphratem:*
19 *Salamæos, & Cenezæos, & Cedmonæos;*
20 *Et Ethæos, & Pharezæos, & Gigantes:*
21 *Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos.*

### *CAP. XVI.*

1 *SArai autem vxor Abram non pepererat ei: & habebat ancillam Ægyptiam: & nomen eius Agar.*
2 *Dixitque Sarai ad Abram: Ecce nunc priuauit me Dominus generatione; ingredere nunc ad ancillam meam ſi forte ſuſcipiam filios ex ea. Et obediuit Abram verbo Sarai.*
3 *Et tulit Sarai vxor Abrā Agar Ægyptiā ancillam poſt decem annos, ex quo habitauit Abram in terra Chanaan: & dedit eam Abram marito ſuo in vxorē.*
4 *Et ingreſſus eſt ad Agar, & concepit. Et vidēs quia concepit, deſpexit dominam ſuam in oculis ſuis.*
5 *Et dixit Sarai ad Abram: Iudicium habeo contra te: ego dedi ancillam meam in manu tua: & videns quia concepit; deſpecta ſum in oculis eius: Iudicet Dominus inter me & te.*
6 *Et dixit Abram ad Sarai: Ecce ancilla tua in manu tua eſt fac ei ſicut placuerit in oculis tuis. Et afflixit eam Sarai, & fugit à facie eius.*
7 *Et inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem aquarum in ſolitudine iuxta fontem, qui eſt in via Agara.*
8 *Et dixit Agar ancilla Sarai, Vnde venis: & quò vadis? Et dixit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.*
9 *Et dixit Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & ſubijcere ſub manu eius.*
10 *Et dixit ei Angelus Domini: Multiplicans multiplicabo filios tuos, & non numerabuntur præ multitudine.*
11 *Et dixit ei Angelus Domini: Ecce tu concepiſti, & paries filium: & vocabis nomen eius Iſmael: quia ſuſcepit Dominus orationem tuam.*
12 *Et ipſe erit onager in hominibus: ipſe indigebit omnibus, & etiam omnes filij hominum indigebunt eo. Et è regione omnium fratrum ſuorum morabitur.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Vocauit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim: Profectò hic vidi poſteriora videntis me.

Inf. 24. 62. 14 Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me. Ipſe eſt inter Cades & Barad.

15 Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Iſmael.

16 Octoginta & ſex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Iſmael.

### CAP. XVII.

1 POſtquam vero nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens ambula coram me, & eſto perfectus.

2 Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.

3 Cecidit Abram pronus in faciem.

4 Dixitque ei Deus: Ego ſum, & pactum meum tecum, * eriſque pater multarum gentium.

* Eccle. 44. 20. Rom. 4. 17.

5 Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te.

6 Faciamque te creſcere vehementiſſime, & ponam te in gentibus, regeſque ex te egredientur.

7 Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.

8 Daboque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam: eroque Deus eorum.

* Act. 7. 8. 9 Dixit iterum Deus ad Abraham. * Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.

10 Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum:

* Rom. 4. 11. Leu. 12. 3. Luc. 2. 21. 11 Et circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit * in ſignum fœderis inter me & vos.

12 Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra:

13 Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.

14 Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.

15 Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai: ſed Saram.

16 Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.

17 Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putáſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

Dixit-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et inuocauit nomen Domini, qui loquebatur ſibi. Tu Deus videns me: Quia dixit. Nonne etiam hic vidi quæ ſunt poſt videntem me?*

14 *Idcirco vocauit puteum viuentis, videntis me. Ecce eſt inter Cades, & Bered.*

15 *Et peperit Haghar Abram filium. Et vocauit Abram nomen filij ſui, quem peperit Haghar, Iſmahel.*

16 *Et Abram filius erat octoginta annorum, & ſex annorum quando peperit Haghar Iſmahel ipſi Abra.*

### CAP. XVII.

1 *ET erat Abram filius nonaginta annorum, & nouem annorum: & viſus eſt Dominus Abram, dixitque ad eum. Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.*

2 *Et dabo pactum meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementiſſime.*

3 *Et cecidit Abram ſuper faciem ſuam.*

4 *Et locutus eſt ſecum Deus dicendo. Ego ecce pactum meum tecum, & eris in patrē multitudinis gentium.*

5 *Et non vocabitur vltra nomen tuum Abram: Sed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multitudinis gentium poſui te.*

6 *Et multiplicabo te vehementiſſimè, & ponam te in gentes, & reges ex te egredientur.*

7 *Et ſtatuam pactum meum inter me, & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationes eorum, in pactum perpetuum, vt ſim tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te.*

8 *Et dabo tibi, & ſemini tuo poſt te, terram peregrinationum tuarum omnem terram Chenahan in poſſeſſionem perpetuam: & ero eis in Deum.*

9 *Et dixit Deus ad Abraham. Et tu pactum meum cuſtodies, tu & ſemen tuum poſt te in generationes eorum.*

10 *Hoc pactum meum, quod cuſtodietis inter me, & vos, & inter ſemen tuum poſt te: vt circumcidatur in vobis omnis maſculus.*

11 *Et circumcidetis carnem præputij veſtri, & erit in ſignum pacti inter me & vos.*

12 *Et filius octo dierum circumcidetur in vobis. Omnis maſculus in generationes veſtras, natus domus, & emptus argento ab omni filio alienigena, qui non eſt de ſemine tuo. Circumcidendo circumcidetur natus domus tuæ, & emptus argento tuo.*

13 *Et erit pactum meum in carne veſtra in pactum perpetuum.*

14 *Et præputiati maſculi, cuius non fuerit circumciſa caro, exterminabitur anima ipſa de populis ſuis, pactum meum irritauit.*

15 *Et dixit Deus ad Abraham. Sarai vxoris tuæ non vocabis nomen Sarai: quia Sarha eſt nomen eius.*

16 *Et benedicam ei, & etiam dabo ex ea tibi filium, & benedicam ei, & erit in gentes: reges populorum ex ea erunt.*

17 *Et cecidit Abraham ſuper faciem ſuam, & riſit, dixitque in corde ſuo. Nunquid filio centum annorum naſcetur? Et an Sara filia nonaginta annorum pariet?*

Et di-

## Transl. ex Septuag.

13 Et vocauit nomen Domini loquentis ad eam: Tu Deus, qui reſpexiſti me: Quia dixit. Etenim coram vidi eum, qui apparuit mihi.

14 Propter hoc vocauit puteum: puteum, vbi coram vidit: Ecce inter Cades, & inter Barad:

15 Et peperit Agar Abram filium: & vocauit Abram nomen filij ſui, quem peperit ei Agar, Iſmael.

16 Abram autem erat annorum octoginta ſex, cum Agar peperit ipſi Abram Iſmael.

### C A P. XVII.

1 ERat autem Abram annorum nonaginta nouem: Et apparuit Dominus Abram, & dixit illi: Ego ſum Deus tuus: place in conſpectu meo: & eſto inculpabilis:

2 Et ponam teſtamentum meum inter me, & inter te: & implebo te valde.

3 Et procidit Abram in faciem ſuam.

4 Et locutus eſt illi Deus dicens; Et ego: ecce teſtamentum meum tecum: & eris pater multitudinis gentium:

5 Et non vocabitur vltra nomen tuum Abram; ſed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multarum gentium poſui te,

6 Et augebo te valde valde: & ponam te in gentes: & reges ex te exibunt:

7 Et ſtatuam teſtamentum meum inter te, & inter ſemen tuum poſt te in generationes eorum, in teſtamentum: vt ſim tibi Deus, & ſemini tuo poſt te.

8 Et dabo tibi & ſemini tuo poſt te terram, in qua incola es omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, & ero illis in Deum.

9 Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem teſtamentum meum conſeruabis, tu, & ſemen tuum poſt te in generationes ſuas.

10 Et hoc eſt teſtamentum, quod conſeruabis inter me & vos, & inter ſemen tuum poſt te in generationes ſuas. Circuncidetur omne veſtrum maſculinum:

11 Et circuncidemini carnem præputij veſtri: & erit in ſignum teſtamenti inter me, & vos.

12 Et puer octo dierum circuncidetur vobis, omne maſculinum in progenies veſtras: & vernaculus, & emptitius, ab omni filio alienigena, qui non eſt de ſemine tuo, circunciſione circuncidetur, vernaculus domus tuæ, & emptitius.

13 Et erit teſtamentum meum in carne veſtra in teſtamentum æternum.

14 Et qui non fuerit circunciſus, maſculus, qui non circuncidetur carnem præputij ſui, octauo die interibit anima illa de genere ſuo; quia teſtamentum meum diſſipauit.

15 Et dixit Deus ad Abraham: Sara vxor tua, non vocabitur nomen eius Sara: Sara erit nomen eius.

16 Benedicam vero eam, & dabo tibi ex ea filium: & benedicam illum, & erit in gentes: & reges gentium ex eo erunt.

17 Et procidit Abraham ſuper faciem ſuam, & riſit: & dixit in animo ſuo dicens, ſi centum annos habenti naſcetur filius? Et ſi Sara nonaginta annorum pariet?

## Chald. Paraph. Transl.

13 *Et orauit in nomine Domini qui locutus eſt cum ea dicens: Tu es Deus videns omnia; Quia dixit: Ecce ego cœpi videre poſtquam apparuit mihi.*

14 *Propterea appellauit puteum: Puteum ſuper quem apparuit Angelus vitæ: ecce eſt inter Recam & Agara.*

15 *Et peperit Agar Abra filium, & vocauit nomen filij ſui quem peperit Agar, Iſmaelem.*

16 *Et Abram filius octoginta, & ſex annorum erat quando peperit Agar Iſmaelem Abræ.*

### C A P. XVII.

1 *ERatque Abram filius nonaginta & nouem annorum: Et apparuit Dominus Abræ, & dixit ei: Ego Deus omnipotens: ſeruias coram me, & eſto perfectus.*

2 *Et dabo fœdus meum inter verbum meum, & inter te, & multiplicabo te vehementer nimis.*

3 *Et cecidit Abram ſuper faciem ſuam:*

4 *Et locutus eſt cum eo Deus, dicens: Ecce ego pepigi pactum meum tecum; & eris in patrem multarum gentium.*

5 *Et non vocabitur vltra nomen tuum Abram: ſed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multarum gentium dedi te.*

6 *Et multiplicabo te valdè nimis, & ponam te in gentes; & reges qui dominabuntur populos, ex te egredientur.*

7 *Et ſtatuam pactum meum inter verbum meum, & inter te; & inter filios tuos poſt te in generationibus ſuis in pactum ſempiternum: vt ſim tibi in Deum, & filijs tuis poſt te.*

8 *Et dabo tibi & filijs tuis poſt te, terram habitationis tuæ, vniuerſam terram Chanaan in hæreditatem æternam: & ero eis in Deum.*

9 *Et dixit Deus Abrahæ: Tu autem pactum meum ſeruabis; tu & filij tui poſt te in generationibus ſuis.*

10 *Hoc eſt pactum meum quod ſeruabitis inter verbum meum & inter vos, & inter filios tuos poſt te: vt circuncidatur in vobis omnis maſculus.*

11 *Et circuncidetis carnem præputij veſtri: & erit in ſignum fœderis inter verbum meum, & inter vos.*

12 *Et filius octo dierum circuncidetur in vobis: omnis maſculus in generationibus veſtris; tam natus domi quàm emptus argento ab omnibus filijs populorum, qui non ſunt de filijs tuis. Circunciſione circuncidetur tam natus domi tuæ quàm emptus argento tuo;*

13 *Et erit pactum meum in carne veſtra in pactum æternum.*

14 *Et maſculus habens præputium qui non circunciderit carnem præputij ſui, peribit homo ille de populo ſuo: quoniam pactum meum irritum fecit.*

15 *Et dixit Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis nomen eius Sarai: ſed Sara eſt nomen eius.*

16 *Et benedicam ei, & inſuper dabo tibi ex ea filium; & benedicam ei, & erit in gentes; & reges qui dominabuntur populis, ex ea erunt.*

17 *Et cecidit Abraham ſuper faciem ſuam, & gauiſus eſt. Et dixit in corde ſuo: Nunquid homini centum annorum naſcetur filius? Et ſi Sara nonagenaria pariat?*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Dixitque ad Deum: Vtinam Iſmael viuat coram te.

* Inf. 18. & 21.1.

19 Et ait Deus ad Abraham: * Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum.

20 Super Iſmael quoque exaudiui te: ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.

21 Pactum vero meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero.

22 Cumque finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham.

23 Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ: vniuerſoſque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ: & circumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus.

24 Abraham nonaginta & nouem erat annorum quãdo circumcidit carnem præputij ſui.

25 Et Iſmael filius tredecim annos impleuerat tempore circumciſionis ſuæ.

26 Eadem die circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius.

27 Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quã emptitij, & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.

### CAP. XVIII.

Heb.13.2.

1 APparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.

2 Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eũ: quos cũ vidiſſet, cucurrit in occurſum eorũ de oſtio tabernaculi, & adorauit in terrã.

3 Et dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum:

4 Sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore

5 Ponamque bucellam panis, & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis: idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui dixerunt: Fac vt locutus es.

6 Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes.

7 Ipſe vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui feſtinauit & coxit illum.

8 Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe vero ſtabat iuxta eos ſub arbore.

9 Cumque comediſſent, dixerunt ad eum. Vbi eſt Sara vxor tua? ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt.

Sup.17.19 Inf.21.1. Rom.9.9. 1.Pet.3.6.

10 Cui dixit: * Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.

11 Erant autem ambo ſenes, prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.

12 Quæ riſit occulte dicens: Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?

13 Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara, dicens: Num vere paritura ſum anus?

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et dixit Abraham ad Deum. Vtinam Iſmahel viuat coram te.*

19 *Et dixit Deus. Verè Sarah vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iſchak. Et ſtatuam pactum meum: ſecum in pactum perpetuum, ſemini eius poſt eum.*

20 *Et pro Iſmahel audiui te: ecce, benedixi ei & creſcere faciam eum, & multiplicare faciam eum vehementiſſimè: duodecim principes generabit, & ponam eum in gentem magnam.*

21 *Et pactum meum ſtatuam cum Iſchach, quem pariet tibi Sarha in tempore hoc anno altero.*

22 *Et finiuit loqui cum eo, & aſcendit Deus ſupra Abraham.*

23 *Et tulit Abraham Iſmahel filium ſuum, & omnes natos domus ſua, & omnem acquiſitum argẽto ſuo; omnis maſculi in viris domus ſua circuncidit carnem præputij eorum in corpore diei ipſius, quando locutus eſt cum eo Deus.*

24 *Et Abraham erat filius nonaginta & nouem annorum, quando circuncidit ipſe carnem præputij ſui.*

25 *Et Iſmahel filius eius, erat filius tredecim annorum, quando circuncidit ipſe carnem præputij ſui.*

26 *In corpore diei ipſius circunciſus eſt Abraham, & Iſmahel filius eius.*

27 *Et omnes viri domus eius, & emptus argento à filio alienigena, circunciſi ſunt cum ipſo.*

### CAP. XVIII.

1 *ET viſus eſt illi Dominus in quercubus Mamreh: & ipſe ſedebat in oſtio tabernaculi in æſtu diei.*

2 *Et eleuauit oculos ſuos, & vidit: & ecce tres viri ſtabãt iuxta eũ: & vidit & cucurrit in occurſũ eorũ ab oſtio tabernaculi, & incuruauit ſe ſuper terrã.*

3 *Et dixit: Domine, ſi nunc inueni gratiam in oculis tuis, ne nunc tranſeas à ſeruo tuo.*

4 *Tolletur nunc parum aquæ, & lauate pedes veſtros, & innitimini ſub arbore*

5 *Et capiam bucellam panis, & fulcite cor veſtrũ poſtea tranſibitis, quia idcirco tranſiſtis ad ſeruum veſtrũ. Et dixerunt: Sic facias quẽadmodũ locutus es.*

6 *Et feſtinauit Abraham ad tabernaculum ad Sarah, & dixit. Feſtina, tria ſata farinæ ſimilæ miſce, & fac ſubcinericios panes.*

7 *Et ad boues cucurrit Abraham; & tulit filium bouis tenerum, & bonum, & dedit puero, & feſtinauit, vt pararet eum.*

8 *Et tulit butyrum, & lac, & filium bouis, quem parauerat, & poſuit ante eos, & ipſe ſtabat iuxta eos ſub arbore, & comederunt.*

9 *Et dixerunt ad eum. Vbi eſt Sarah vxor tua? Et dixit. Ecce in tabernaculo.*

10 *Et dixit. Reuertendo reuertar ad te ſecundum tempus vitæ: & ecce filius erit Sarah vxori tuæ. Et Sarah audiebat in oſtio tabernaculi. Et ipſum erat poſt eum.*

11 *Et Abraham & Sarah ſenes egreſſi erant in dies: deſierat eſſe ipſi Sarah conſuetudo, vt mulierum.*

12 *Et riſit Sarah intra ſeſe dicendo. Poſtquam ſenui, erit mihi voluptas? Et Dominus meus ſenuit.*

13 *Et dixit Dominus ad Abraham. Vt quid dixit Sarah dicendo: Nunquid etiam verè pariam, & ego ſenui?*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

18 Dixit autem Abraham ad Deum: Iſmael hic vi-
uat in conſpectu tuo.
19 Dixit autem Deus ad Abraham: Ita: Ecce Sara
vxor tua pariet tibi filium & vocabis nomen eius
Iſaac: & ſtatuam teſtamentum meum ad illum in
teſtamentum æternum, vt ſim illi Deus, & ſemini
eius poſt illum.
20 De Iſmael autem ecce exaudiui te: & ecce bene-
dixi eum: & amplificabo illum, & multiplicabo il-
lum valde: duodecim gentes generabit: & dabo il-
lum in gentem magnam.
21 Teſtamentum autem meum ſtatuam ad Iſaac;
quem pariet tibi Sara in tempore hoc in anno
altero.
22 Conſummauit autem loquens ad eum: & aſcendit
Deus ab Abraham.
23 Et ſumpſit Abraham Iſmael filium ſuum, & om-
nes vernaculos ſuos, & omnes emptitios, & omne
maſculinum virorum, qui erant in domo Abrahã:
& circuncidit præputia eorum in tempore diei il-
lius, ſicut locutus erat ei Dominus.
24 Abraham autem erat nonaginta nouem annorum,
cum circunciſus eſt carnem præputij ſui.
25 Iſmael autem filius eius erat annorum tredecim
cum circunciſus eſt carnem præputij ſui.
26 In tempore autem diei illius circunciſus eſt Abra-
ham, & Iſmael filius eius,
27 Et omnes viri domus eius, & vernaculi eius, & em-
ptitij ex alienigenis gentibus.

### CAP. XVIII.

1 APparuit autem ei Deus ad quercum Mam-
bre, cum ille ſederet in oſtio tabernaculi ſui
in meridie.
2 Et reſpiciens oculis ſuis vidit: & ecce tres viri ſta-
bant ſuper eum. Et vidẽs præcucurrit obuiã illis ab
oſtio tabernaculi ſui: & adorauit ſuper terram;
3 Et dixit: Domine, ſi vtique inueni gratiam ante te,
ne prætereas ſeruum tuum.
4 Sumatur iam aqua: & lauent pedes veſtros: & re-
frigerate ſub arbore:
5 Et ſumam panem, & manducabitis: & poſtea tran-
ſibitis ad viam veſtram, propter quod declinaſtis ad
ſeruum veſtrum. Et dixit: Sic fac, ſicut dixiſti.
6 Et feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Sarã:
& dixit ei: Feſtina, & conſperge tres menſuras ſimi-
læ: & fac ſubcinericia.
7 Et in boues cucurrit Abraham, & ſumpſit tenerũ
vitulum, & bonum, & dedit puero: & properauit ad
faciendum illum.
8 Sumpſit autem butyrum, & lac, & vitulum, quem fe-
cerat, & appoſuit eis: & manducauerunt. Ipſe au-
tem aſſtabat eis ſub arbore.
9 Dixit autem ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? Il-
le autem reſpondens dixit: Ecce in taberna-
culo.
10 Dixit autem: Reuertens veniam ad te in tempo-
re hoc in horas: & habebit filium Sara vxor tua.
Sara autem audiuit ad oſtium tabernaculi, cum
eſſet poſt eum.
11 Abraham autem, & Sara ſeniores, progreſſi in
diebus: defecerant autem Saræ fieri mulie-
bria:
12 Riſit autem Sara in ſemetipſa dicens: hoc dum
mihi factum eſt vſque nunc: Dominus autem meus
ſenex eſt.
13 Et dixit Dominus ad Abraham: *Quid*, quod riſit
Sara in ſemetipſa, dicens; num vtique verè pa-
riam? ego autem ſenui?

Nun-

## Chald. Paraph. Transl.

18 *Et dixit Abraham coram Deo: Vtinam Iſmael per-
maneat coram te.*
19 *Et dixit Deus: In veritate Sara vxor tua
pariet tibi filium, & vocabis nomen eius
Iſaac; & ſtatuam pactum meum cum
eo in pactum æternum, & filijs ſuis poſt
eum.*
20 *Et ſuper Iſmael ſuſcepi orationem tuam: ecce bene-
dixi ei, & creſcere eum faciam, & multiplicabo eũ
valde nimis: duodecim principes generabit, & po-
nam eum in gentem magnam.*
21 *Et pactum meum ſtatuam cum Iſaac, quem
pariet tibi Sara in tempore iſto anno al-
tero.*
22 *Et cùm conſummaſſet loqui cum eo: aſcendit glo-
ria Domini deſuper Abraham.*
23 *Et tulit Abraham Iſmaelem filium ſuum, & om-
nes vernaculos domus ſuæ, & omnes quos emerat ar-
gento ſuo, cunctos maſculos ex viris domus Abrahæ;
& circuncidit carnem præputij eorum in ipſa die, ſi-
cut locutus eſt cum eo Deus.*
24 *Et Abraham erat filius nonaginta & nouem anno-
rum, quando circuncidit carnem præputij ſui:*
25 *Et Iſmael filius eius erat filius tredecim annorum,
quando circunciſa eſt caro præputij ſui.*
26 *In ipſa die circunciſus eſt Abraham, & Iſmael fi-
lius eius;*
27 *Et omnes viri domus ſuæ, tam vernaculi, quàm em-
ptitij de filijs populorum, circunciſi ſunt cum eo.*

### CAP. XVIII.

1 *ET apparuit ei Dominus in conualle Mamre, &
ipſe ſedebat in oſtio tabernaculi, cùm incaluiſ-
ſet dies.*
2 *Et leuauit oculos ſuos, & vidit: & ecce tres viri ſtã-
tes iuxta eum: & vidit, & cucurrit in occurſum eo-
rum de oſtio tabernaculi: & adorauit ſuper terram.*
3 *Et dixit: Domine, ſi inueni nunc gratiam coram te,
ne tranſeas, obſecro, à ſeruo tuo.*
4 *Accipiant nunc pauxillum aquæ, & lauate pedes ve-
ſtros: & recumbite ſub arbore.*
5 *Et accipiã bucellã panis, & confortate cor veſtrũ:
poſtea tranſibitis; quia idcirco tranſiſtis iuxta ſer-
uum veſtrũ. Et dixerunt: Sic facies, ſicut locutus es.*
6 *Et feſtinauit Abraham in tabernaculo ad Saram:
& dixit, Accelera, tria ſata farinæ ſimilæ commiſce,
& fac placentas.*
7 *Et ad boues cucurrit Abraham, & tulit vitulum
tenerum & optimum; & dedit puero; & feſtinauit
vt coqueret eum.*
8 *Et tulit butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat;
& poſuit coram eis: & ipſe miniſtrabat iuxta eos
ſub arbore: & comederunt.*
9 *Et dixerunt ei: Vbi eſt Sara vxor
tua? Et dixit: Ecce in tabernaculo
eſt.*
10 *Et ait: Reuertens reuertar ad te in tempore iſto quo
vos eritis viui: & ecce filius erit Saræ vxori tuæ.
Et Sara audiebat in oſtio tabernaculi: & oſtium erat
à tergo eius.*
11 *Abraham autem & Sara ſenuerant, & prouecti
erant ætatis: & deſierat eſſe Saræ conſuetudo mu-
lierum.*
12 *Et riſit Sara intra ſe, dicens: Poſtquam conſe-
nui, erit mihi iuuentus, & Dominus meus ſenex
eſt.*
13 *Et dixit Dominus Abrahæ: Quare riſit Sara, di-
cens: Nunquid in veritate paritura ſum, & ego
conſenui?*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

14 Nunquid Deo quidquam eſt difficile? iuxta con-
dictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita co-
mite & habebit Sara filium.
15 Negauit Sara, dicens, Non riſi: timore perterri-
ta. Dominus autem: Non eſt, inquit, ita: ſed
riſiſti.
16 Cum ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerunt ocu-
los contra Sodomam: & Abraham ſimul gradie-
batur, deducens eos.
17 Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham
quæ geſturus ſum:
18 Cum futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſi-
mam, & BENEDICENDÆ ſint in illo
omnes nationes terræ?
Sup. 12. 3. Inf. 22. 17. 19 Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis, & do-
mui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & fa-
ciant iudicium & iuſtitiam: vt adducat Dominus
propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad
eum.
20 Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum &
Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum
aggrauatum eſt nimis.
21 Deſcendam, & videbo vtrum clamorem qui venit
ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt
ſciam.
22 Conuerteruntque ſe inde, & abierunt Sodo-
mam: Abraham vero adhuc ſtabat coram Do-
mino.
23 Et appropinquans ait: Numquid perdes iuſtum
cum impio?
24 Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt
ſimul? & non parces loco illi propter quinquagin-
ta iuſtos, ſi fuerint in eo?
25 Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum
cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius, non eſt hoc
tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam fa-
cies iudicium hoc.
26 Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis
quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam
omni loco propter eos.
27 Reſpondenſque Abraham, ait: Quia ſemel cœpi,
loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & ci-
nis.
28 Quid ſi minus quinquaginta iuſtis quinque fue-
rint? delebis, propter quadraginta quinque, vniuer-
ſam vrbem? Et ait: Non delebo, ſi inuenero ibi
quadraginta quinque.
29 Ruſumque locutus eſt ad eum: Sin autem qua-
draginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non
percutiam propter quadraginta.
30 Ne quæſo, inquit, indigneris Domine, ſi loquar:
Quid ſi ibi inuenti fuerint triginta? Reſpondit:
Non faciam, ſi inuenero ibi triginta.
31 Quia ſemel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum:
Quid ſi ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non inter-
ficiam propter viginti.
32 Obſecro, inquit, ne iraſcaris Domine, ſi loquar ad-
huc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint ibi decem? Et
dixit: Non delebo propter decem.
33 Abijtque Dominus, poſtquam ceſſauit loqui
ad Abraham: & ille reuerſus eſt in locum
ſuum.

### CAP. XIX.

Heb. 13. 2. 1 VEneruntque duo Angeli Sodomam veſperè,
& ſedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cum
vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauit-
que pronus in terram,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Nunquid abſcondetur à Domino quicquam? Ad
tempus reuertar ad te ſecundum tempus vitæ, & ip-
ſi Sarah erit filius.*
15 *Et negauit Sarah dicendo. Non riſi: quia
timuit. Et dixit: Nequaquam, quia ri-
ſiſti.*
16 *Et ſurrexerunt inde viri, & reſpexerunt contra
faciem Sedom. Et Abraham ibat cum eis, vt di-
mitteret eos.*
17 *Et Dominus dixit. Nunquid celo ego Abraham,
quod ego facio?*
18 *Et Abraham eſſendo erit in gentem magnam,
& fortem, & BENEDICENT ſibi in eo
omnes gentes terræ.*
19 *Quia noui eum. Propterea præcipiet filijs ſuis,
& domui ſuæ poſt ſe, & cuſtodient viam Do-
mini, vt faciant iuſtitiam, & iudicium, vt ve-
nire faciat Dominus ſuper Abraham quod locutus
eſt ſuper eum.*
20 *Et dixit Dominus. Clamor Sedom & Hamorah,
quia multiplicatus eſt, & peccatum eorum, quia ag-
grauatum eſt valdè.*
21 *Deſcendam nunc, & videbo: an ſecundum clamorē,
qui venit ad me, fecerint conſummationem, & ſi
non, ſciam.*
22 *Et verterunt ſe inde viri, & perrexerunt in Se-
dom. Et Abraham adhuc ipſe ſtabat coràm Do-
mino.*
23 *Et acceſſit Abraham, & dixit. Nunquid etiam
diſperdes iuſtum cum impio.*
24 *Si fuerint quinquaginta iuſti intra ciuitatem, num
quid etiam diſperdes, & non parces loco propter
quinquaginta iuſtos, qui ſunt intra eam.*
25 *Abſit tibi vt facias ſecundum rem hanc, vt mori
facias iuſtum cum impio, & ſit iuſtus ſicut impius.
Abſit tibi. Nunquid iudex omnis terræ non faciet
iudicium?*
26 *Et dixit Dominus, Si inuenero in Sedom quinqua-
ginta iuſtos intra ciuitatem, parcam toti loco pro-
pter eos.*
27 *Et reſpondit Abraham, & dixit. Ecce ego cœpi lo-
qui ad Dominum meum, & ſum puluis, & ci-
nis.*
28 *Si forſitan defuerint quinquaginta iuſtis quinque,
nunquid diſperdes propter quinque omnem ciuita-
tem? & dixit. Non diſperdam, ſi inuenero ibi qua-
draginta & quinque.*
29 *Et addidit adhuc vt loqueretur ad eum, & dixit.
Si fortè inuenti fuerint ibi quadraginta? Et dixit.
Non faciam propter quadraginta.*
30 *Et dixit. Ne nunc ſit ira Domino meo, Et loquar.
Si fortè inuenti fuerint ibi triginta? Et dixit. Non
faciam, ſi inuenero ibi triginta.*
31 *Et dixit. Ecce nunc cœpi loqui ad Dominum meum.
Si forſitan inuenti fuerint ibi viginti? Et dixit, Non
diſperdam propter viginti.*
32 *Et dixit. Ne nunc ſit ira Domino meo, & loquar. Ve-
runtamen ſemel. Si forſitan inuenti fuerint ibi de-
cem? Et dixit. Non diſperdam propter decem.*
33 *Et perrexit Dominus quando finiuit loqui ad
Abraham: Abraham reuerſus eſt ad locum
ſuum.*

### CAP. XIX.

1 *ET venerunt duo angeli in Sedom veſperè, &
Loth ſedebat in porta Sedom. Et vidit Loth, &
ſurrexit in occurſum eorum. Et incuruauit ſe in fa-
ciem ſuper terram. Et dixit.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Nunquid apud Deum impoſſibile erit verbum? In tempore hoc reuertar ad te in horas: & erit Sarræ filius.

15 Negauit autem Sarra, dicens; non riſi: timuit enim. Et dixit ad eam: nequaquam, ſed riſiſti.

16 Exurgentes autem inde viri conſpexerunt in faciem Sodomorum & Gomorrhæ: Abraham autem ſimul ambulabat cum eis comitans eos.

17 Dominus autem dixit: non abſcondam ego ab Abraham puero meo, quæ ego facio.

18 Abraham autem fiet in gentem magnam, & multam: & BENEDICENTVR in eo omnes gentes terræ.

19 Scio enim quia conſtituet filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe: & cuſtodient vias Domini; vt faciant iuſtitiam & iudicium; vt adducat Dominus in Abraham omnia quæ locutus eſt ad illum.

20 Dixit autem Dominus. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ impletus eſt erga me; & peccata eorum magna valde.

21 Deſcendens ergo videbo; ſi ſecundum clamorem ipſorum venientem ad me conſummantur: ſin autem non, vt ſciam.

22 Et recedentes inde viri venerunt in Sodomam. Abraham autem adhuc erat ſtans in conſpectu Domini,

23 Et appropinquans Abraham dixit: Nunquid ſimul perdes iuſtum cum impio? & erit iuſtus, ſicut impius?

24 Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, perdes illos? nonne dimittes omnem locum ob quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in ea?

25 Nequaquam tu facies ſicut verbum hoc; vt occidas iuſtum cum impio: & erit iuſtus vt impius. Nequaquam. Qui iudicas omnem terram, non facies iudicium?

26 Dixit autem Dominus: ſi fuerint in Sodomis quinquaginta iuſti in ciuitate; dimittam totam ciuitatem, & omnem locum propter eos.

27 Et reſpondens Abraham dixit: Nunc cœpi loqui ad Dominum meum. Ego autem ſum terra & cinis.

28 Sin autem diminuti fuerint quinquaginta illi iuſti in quadraginta quinque; perdes propter quinque omnem ciuitatem? Et dixit: Non perdam, ſi inuenero ibi quadragintaquinque.

29 Et adiecit adhuc loqui ad eum, & dixit: Sin autem inuenti fuerint ibi quadraginta? Et dixit: Non perdam propter quadraginta.

30 Et dixit: Nunquid Domine, ſi loquar? Sin autem inuenti fuerint ibi triginta? Et dixit: Non perdam propter triginta.

31 Et dixit: Quandoquidem habeo loqui ad Dominum: Sin autem inuenti fuerint ibi viginti? Et dixit: Non perdam ſi inuenero ibi viginti.

32 Et dixit: Nunquid Domine ſi loquar adhuc ſemel? Sin autem inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non perdam propter decem.

33 Abijt autem Dominus, poſt quam ceſſauit loquens ad Abraham. Et Abraham reuerſus eſt in locum ſuum.

### CAP. XIX.

1 VEnerunt autem angeli duo in Sodoma veſperi. Lot autem ſedebat ad portam Sodomorum. Videns autem Lot exurrexit obuiam illis: & adorauit facie ſuper terram:

Et di-

## Chal. Paraph. Tranſl.

14 *Nunquid occultabitur à facie Domini verbum? In tempore reuertar ad te, ſicut nunc quo eritis viui: & Saræ erit filius.*

15 *Et negauit Sara, dicens: Non riſi: quia timuit. Et ait: Nequaquam; ſed riſiſti.*

16 *Et ſurrexerunt inde viri, & reſpexerunt contra faciem Sodomæ: & Abraham ibat cum eis, vt comitaretur eos.*

17 *Dixitque Dominus: Nunquid celabo ego ab Abraham quod ego facio?*

18 *Abraham autem erit in gentem magnam & robuſtam: & BENEDICENTVR propter eum omnes populi terræ.*

19 *Quia noui quòd præcipiet filijs ſuis, & viris domus ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant vias quæ rectæ ſunt coram Domino; vt faciant iuſtitiam & iudicium: vt adducat Dominus ſuper Abraham, quod locutus eſt vt adduceret ſuper eum.*

20 *Dixitque Dominus: Clamor Sodomæ & Gomorræ, quia multus eſt; & peccatum eorum, quia fortè eſt nimis.*

21 *Apparebo nunc, & diiudicabo, vtrum ſicut clamor q venit corã me fecerint, cõſumabo eos, ſi nõ egerint pœnitentiã. ſi autem egerint pœnitentiã, nõ vlciſcar.*

22 *Et receſſerunt inde viri; & abierunt Sodomam: & Abraham adhuc ſtabat in oratione coram Domino.*

23 *Et acceſſit Abraham & dixit: Nunquid in furore conſumes iuſtum cum impio?*

24 *Si fortè ſunt quinquaginta iuſti in medio ciuitatis, num in furore conſumes: & non dimittes loco propter quinquaginta iuſtos, qui ſunt in medio eius?*

25 *Vera ſunt iudicia tua: ne facias ſicut rem hanc, vt conſumas iuſtum cum impio, vt ſit iuſtus ſicut impius: vera ſunt iudicia tua. Nunquid iudex vniuerſæ terræ non vtique faciet iudicium?*

26 *Dixitque Dominus: Si inuenero in Sodoma quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.*

27 *Et reſpondit Abraham, & dixit: Multum locutus ſum coram Domino, cùm ſim ego puluis & cinis.*

28 *Fortè deficient de quinquaginta iuſtis, quinque: nunquid diſperdes propter quinque omnem ciuitatem? Et dixit: Non diſperdam, ſi inuenero ibi quadraginta & quinque.*

29 *Addiditque rurſus loqui cum eo, & dixit: Fortè inuenientur ibi quadraginta. Et dixit: Non faciam conſumationem propter quadraginta.*

30 *Et dixit. Ne, obſecro, iraſcatur furor Domini, & loquar. Fortè inuenientur ibi triginta. Et dixit: Non faciam conſumationem ſi inuenero ibi triginta.*

31 *Et dixit: Ecce nunc multum locutus ſum coram Domino: fortè inuenientur ibi viginti. & dixit: Non diſperdam propter viginti.*

32 *Et ait: Ne, obſecro, iraſcatur furor Domini, & loquar tantummodo hac vice: Fortè inuenientur ibi decem, & dixit: Non diſperdam propter decem.*

33 *Et eleuata eſt gloria Domini cùm ceſſaſſet loqui cum Abraham. & Abraham reuerſus eſt in locum ſuum.*

### CAP. XIX.

1 *ET venerunt duo angeli Sodomam veſperè: & Lot ſedebat in porta Sodomæ. Et vidit Lot, & ſurrexit in occurſum eorum: & adorauit pronus ſuper terram.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Et dixit: Obſecro domini, declinate in domum pue
ri veſtri, & manete ibi, lauate pedes veſtros: & ma-
ne proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixerunt:
Minime, ſed in platea manebimus.
3 Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: in-
greſſiſque domum illius fecit conuiuium, & coxit
azima: & comederunt.
4 Prius autem quàm irēt cubitum, viri ciuitatis val-
lauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis
populus ſimul.
5 Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: Vbi ſunt viri
qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt co-
gnoſcamus eos.
6 Egreſſus ad eos Lot, poſt tergum occludens oſtium,
ait:
7 Nolite quæſo fratres mei, nolite malum hoc fa-
cere.
8 Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt vi-
rum: educam eas ad vos, & abutimini eis ſicut vo-
bis placuerit: dummodo viris iſtis nihil mali fa-
ciatis; quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis
mei.
9 At illi dixerunt: Recede illuc. Et rurſus. Ingreſſus
es, inquiunt, vt aduena; numquid vt iudices? te er-
go ipſum magis quàm hos affligemus. * Vimque
faciebant Lot vehementiſſime: iamque propè erat,
vt effringerent fores.

* 2. Pet. 2. 8.

10 Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad
ſe Lot, clauſeruntque oſtium:
11 Et eos, qui foris erant, * percuſſerunt cæcitate à mi
nimo vſque ad maximum; ita vt oſtium inuenire
non poſſent.

* Sap. 19. 16.

12 Dixerūt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuo-
rum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui
ſunt, educ de vrbe hac:
13 Delebimus enim locum iſtum, eo quòd increuerit
clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt per-
damus illos.
14 Egreſſus itaque Lot, locutus eſt ad generos ſuos
qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite,
egredimini de loco iſto: quia delebit Dominus ci-
uitatem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens lo-
qui.
15 Cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli, di-
centes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias
quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ci-
uitatis.
16 Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius,
& manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd
parceret Dominus illi.
17 * Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuita-
tem: ibique locuti ſunt ad eum, dicentes: Salua
animam tuam: noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes
in omni circa regione: ſed in monte ſaluum te fac;
ne & tu ſimul pereas.

* Sap. 10. 6.

18 Dixitque Lot ad eos: Quæſo Domine mi,
19 Quia inuenit ſeruus tuus gratiam coràm te: &
magnificaſti miſericordiam tuam quam feciſti
mecum; vt ſaluares animam meam, nec poſſum
in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum,
& moriar:
20 Eſt ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, par-
ua, & ſaluabor in ea: numquid non modica eſt, &
viuet anima mea?
21 Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc ſuſcepi pre-
ces tuas, vt non ſubuertam vrbem pro qua locu-
tus es.
22 * Feſtina, & ſaluare ibi: quia nō potero facere quid-
quam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum eſt
nomen vrbis illius Segor.

* Sap. 10. 6.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Ecce nunc Domini mei declinate nunc ad domum
ſerui veſtri, & pernoctate, & lauate pedes veſtros,
& mane ſurgetis, & pergetis in viam veſtram. Et di
xerunt. Nequaquam. Quia in platea pernoctabimus.*
3 *Et vim fecit eis valde, & declinauerunt ad eum, &
venerat ad domum eius, & fecit eis conuiuium, &
infermentata coxit, & comederunt.*
4 *Antequam dormirent, viri ciuitatis viri Sedom gi-
rauerunt iuxta domum à puero vſque ad ſenem om
nis populus ab extremo.*
5 *Et vocauerunt Loth, & dixerunt ei. Vbi ſunt viri
qui venerunt ad te nocte? Educ eos ad nos, & cogno
ſcemus eos.*
6 *Et egreſſus eſt ad eos Loth ad oſtium, & oſtium clau-
ſit poſt ſe.*
7 *Et dixit. Ne nunc fratres mei male facia-
tis.*
8 *Ecce mihi ſunt duæ filiæ, quæ non cognouerunt vi-
rum, educam nunc eas ad vos, & facite eis, ſicut bo-
num eſt in oculis veſtris. Tantum viris iſtis, ne fa-
ciatis quicquam, quia idcirco venerunt in vmbra
tigni mei.*
9 *Et dixerunt. Vade vltra. Et dixerunt Vnus venit
ad peregrinandum, & iudicabit iudicando? Nunc
magis malefaciemus tibi, quam ipſis. Et vim fece-
runt in virum ipſum Loth valde. Et appropinqua-
uerunt, vt frangerent oſtium.*
10 *Et miſerunt viri manum ſuam, & introduxerunt
Loth ad ſe in domum, & oſtium clauſerunt.*
11 *Et viros qui erant ad oſtium domus, percuſſerunt cæ-
citatibus à minimo vſque ad magnum; & laborane-
runt, vt inuenirent oſtium.*
12 *Et dixerunt viri ad Loth. Adhuc eſt aliquis tibi hic
gener? Et filios tuos, & filias tuas, & omnia quæ
ſunt tibi in ciuitate, educ de loco.*
13 *Quia diſperdimus locum hunc, quia creuit clamor
eorum coram Domino. Et miſit nos Dominus ad
perdendum eum.*
14 *Et egreſſus eſt Loth, & locutus eſt ad generos ſuos,
qui acceperant filias eius. Et dixit, Surgite,
egredimini de loco iſto, quia diſperdit Dominus ci-
uitatem. Et fuit, ſicut ludens in oculis generum ſuo-
rum.*
15 *Et cum aurora aſcendiſſet vim faciebant angeli in
Loth dicendo. Surge cape vxorem tuam, & duas fi-
lias tuas, quæ inueniuntur, ne forte pereas in punitio-
ne ciuitatis.*
16 *Et tardabat. Et apprehēderūt viri manū eius, & ma
nū vxoris eius, & manū duarū filiarū ei', eo ꝙ parce
ret Dñs ei, et eduxerūt eū, et poſuerūt eū extra vrbē.*
17 *Et fuit, cum illi educerent eos foras, & di-
xit. Erue te in anima tua, ne reſpi-
cias poſt te, & ne ſtes in omni pla-
nicie. Ad montem erue te, ne fortè pe-
reas.*
18 *Et dixit Loth ad eos. Ne nunc Domini mei.*
19 *Ecce nunc inuenit ſeruus tuus gratiam in oculis
tuis: & magnificaſti miſericordiam tuam, quam fe-
ciſti mecum, vt viuificares animam meam. Et ego
non potero eruere me ad montem, ne fortè hæreat mi-
hi malum, & moriar.*
20 *Ecce nunc ciuitas iſta propinqua, vt fugiam illuc,
& eſt parua. Eruam me nunc illuc. Numquid non
parua eſt? Et viuet anima mea.*
21 *Et dixit ad eum. Ecce ſuſcepi faciem tuam, e-
tiam in re hac, vt non ſubuertam ciuitatem, vt lo-
cutus es.*
22 *Feſtina erue te illuc, quia non potero facere quicquā,
donec ingrediaris illuc: Idcircò vocauit nomen ciui-
tatis Sohar.*


Sol

UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

2 Et dixit : Ecce Domini declinate in domum pue-
ri veſtri, & diuertite , & lauamini pedes veſtros : &
mane ſurgentes abibitis in viam veſtram. Et dixe-
runt : Nequaquam ; ſed in platea diuertemus .
3 Et coegit illos:& declinauerunt ad eum:& ingreſſi
ſunt in domum eius: & fecit eis potum: & azymos
coxit eis : & manducauerunt .
4 Prius autem quam cubitum irent,viri ciuitatis So
domitæ circundederunt domum ab adoleſcente
vſque ad ſeniorem,totus populus ſimul .
5 Et euocauerunt Lot,& dixerunt ad eum:Vbi ſunt
viri , qui ingreſſi ſunt ad te nocte ? Educ illos ad
nos,vt coeamus cum eis .
6 Exijt autem Lot ad eos ad veſtibulum ,& occluſit
oſtium poſt ſe .
7 Dixit autem ad eos . Nequaquam fratres : nolite
male facere .
8 Sunt autem mihi duæ filiæ, quæ non nouerunt vi-
rum:producam eas ad vos: & vtimini illis,quomo-
do placuerit vobis : tantummodo in viros iſtos ne
faciatis iniquum,quam ob cauſam ingreſſi ſunt ſub
tegmen trabium mearum .
9 Dixerunt autem ei: recede illuc. Intraſti,vt incola
eſſes : numquid etiam,vt iudicium iudices ? Nunc
igitur te affligemus magis,quam illos. Et vim facie
bant in virum ipſum Lot vehementer & appropin-
quauerunt ad confringendum oſtium .
10 Extendentes autem viri ipſi manus attraxerũt Lot
ad ſeipſos in domum:& oſtium domus clauſerunt:
11 Viros autem,qui erant ad oſtium domus,percuſſe-
runt in cęcitate à paruo vſque ad magnum: & de-
fecerunt quærentes oſtium .
12 Dixerunt autem viri ad Lot : Sunt tibi hic gene-
ri,aut filij,aut filiæ? aut,ſi quis tibi alius eſt in ciui-
tate ; educ de loco iſto :
13 Quia nos perdimus locum hunc : quoniam exal-
tatus eſt clamor eorum coram Domino : & miſit
nos Dominus exterere eam .
14 Egreſſus eſt autem Lot : & locutus eſt ad generos
ſuos, qui acceperant filias eius,& dixit : Surgite, &
egredimini de loco hoc : quia diſperdit Dominus
ciuitatem . Viſus eſt autem ludere coram generis
ſuis .
15 Poſtquam autem diluculum factum eſt ; vrgebant
angeli Lot,dicentes:Surgens accipe vxorem tuam,
& duas filias tuas,quas habes,& egredere:ne tu etiã
perdaris ſimul cum iniquitatibus ciuitatis .
16 Et turbati ſunt: & tenuerunt Angeli manum eius,
& manum vxoris eius , & manus duarum filiarum
eius in eo, quod parceret Dominus ei .
17 Et factum eſt mox,vt eduxerunt eos foras, & dixe-
runt:Saluans ſalua tuã ipſius animam: ne reſpexe-
ris retrorſum,nec ſteteris in omni circa regione:in
montem ſaluum te fac: ne forte ſimul comprehen-
daris .
18 Dixit autem Lot : ad illos : Oro Domine,
19 Quia inuenit puer tuus miſericordiam ante te , &
magnificaſti iuſtitiam tuam,quod facis in me,vt vi
uat anima mea.Ego autẽ non potero ſaluus fieri in
montem : ne forte comprehendant me mala , &
moriar .
20 Ecce hæc ciuitas prope eſt ad fugiendum me illuc,
quæ eſt parua ; & illuc ſaluus euadam : nonne par-
ua eſt ; & viuet anima mea propter te :
21 Et dixit ei : Ecce admiratus ſum faciem tuam
etiam in verbo hoc, vt non euertam ciuitatem, de
qua locutus es .
22 Feſtina igitur ad euadendum illuc : non enim po-
tero facere rem, donec tu venias illuc . Propterea
vocauit nomen ciuitatis illius, Segor .

Sol

## Chald. Paraph. Tranſl.

2 Et ait : Obſecro nunc, domini mei, declinate nunc in
domum ſerui veſtri : & manete,& lauate pedes ve-
ſtros: & mane ſurgentes,ibitis in viam veſtram: &
dixerunt: Nequaquam,ſed in platea manebimus .
3 Et compulit eos valdè; & declinauerunt ad eum,&
ingreſſi ſunt in domum eius : & fecit eis conuiuium
& azyma coxit eis : & comederunt .
4 Priuſquam autem irent cubitum, viri ciuitatis viri
Sodoma vallauerunt domum à puero vſque ad ſe-
nem, omnis populus ſimul .
5 Et vocauerunt Lot , & dixerunt ei : Vbi ſunt viri
qui venerunt ad te nocte ? educ eos ad nos,& cogno-
ſcemus eos .
6 Et egreſſus eſt ad eos Lot ad portam : & oſtium
clauſit poſt ſe .
7 Et ait : Obſecro nunc , fratres mei , nolite malè fa-
cere .
8 Ecce nunc habeo duas filias,quæ non cognouerunt vi
rum : educam nunc eas ad vos , & facite illis ſicut
placuerit in oculis veſtris : tantummodo viris iſtis
ne faciatis quicquam : quia propterea ingreſſi ſunt
ſub vmbra tegminis mei .
9 Et dixerunt : Recede illuc. Et dixerunt,Vnus venit
ad peregrinandum, & ecce iudicat iudicium : nunc
malefaciemus tibi magis , quàm eis . & compule-
runt virum Lot valde : & acceſſerunt ad confrin-
gendam ianuam .
10 Et extenderunt viri manus ſuas , & introduxerunt
Lot ad ſe in domum : & ianuam clauſerunt .
11 Et viros,qui erant in porta domus, percuſſerunt cę-
citate à minimo vſque ad maximum : defatigati-
que ſunt, vt inuenirent portam .
12 Dixeruntque viri ad Lot : Quoſcumque habes hic
generos tuos , & filios tuos, & filias tuas , & omnia
quæ habes in ciuitate,educ de loco iſto :
13 Quoniam diſperdemus nos locum iſtum : quia ma-
gnus eſt clamor eorum coram Domino : & miſit nos
Dominus,vt diſperderemus eum .
14 Et egreſſus eſt Lot , & locutus eſt cum generis ſuis,
qui accepturi erant filias ſuas,& ait:Surgite,egredi
mini de loco iſto , quia diſperdet Dominus ciuita-
tem . Et fuit quaſi ridiculum in oculis generorum
ſuorum .
15 Et cum aſcendiſſet aurora, & eſſet manè, cogerunt
angeli Lot,dicentes: Surge,& tolle vxorem tuam,&
duas filias tuas,quæ inuentæ ſunt fideles tecum : ne
fortè percutiaris in peccatis ciuitatis .
16 Et cũ morã feciſſet,apprehẽderũt viri manᵘ eiᵘ et manũ
vxoris eiᵘ, et manũ duarũ filiarũ eiᵘ, eo q miſereret
Dñs illiᵘ:et eduxerũt eũ,& poſuerũt eũ ex̃ ciuitatē.
17 Et factum eſt cum eduxiſſent eos foras , ait :
Miſerere animæ tuæ : non reſpicias poſt ter-
gum tuum : neque ſtes in omni planitie ;
ſed in monte ſaluum te fac , ne fortè pe-
reas .
18 Et ait Lot ad eos : Obſecro nunc , domini mei ;
19 Ecce nunc inuenit ſeruus tuus miſericordiam in ocu
lis tuis : & multiplicaſti bonam tuam,quam feciſti
mecum,ſuſtentando animam meam:& ego non poſ-
ſum ſaluari in monte , ne fortè occurrat mihi ma-
lum , & moriar .
20 Ecce nunc ciuitas hæc iuxta eſt ad fugiendum ibi,
& eſt parua ; ſaluabor nunc ibi : nonne parua eſt ?
& viuet anima mea.
21 Dixitque ei : Ecce ſuſcepi faciem tuam etiam pro
hac re , vt non ſubuertam ciuitatem pro qua ro-
gaſti .
22 Feſtina,ſaluare ibi: quia non poſſum quicquam face
re,donec venias illuc . Propterea vocauit nomen ci-
uitatis Segor .

Sol

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt
Segor.
24 * Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Go-
morrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo:
25 Et ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regio-
nem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta ter-
ræ virentia.
26 * Reſpiciensque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſta-
tuam ſalis.
27 Abraham autem conſurgens mane, vbi ſteterat
prius cum Domino,
28 Intuitus eſt Sodomam & Gomorrham, & vniuer-
ſam terram regionis illius: viditque aſcendentem
fauillam de terra quaſi fornacis fumum.
29 Cum enim ſubuerteret Deus ciuitates regio-
nis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Lot
de ſubuerſione vrbium in quibus habitaue-
rat.
30 Aſcenditque Lot de Segor, & manſit in monte,
duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim ma-
nere in Segor) & manſit in ſpelunca ipſe, & duæ
filiæ eius cum eo.
31 Dixitque maior ad minorem: Pater noſter ſenex eſt
& nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit in-
gredi ad nos iuxta morem vniuerſæ terræ.
32 Veni, inebriemus eum vino, dormiamuſq; cum eo,
vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen.
33 Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum nocte il-
la: Et ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum patre:
at ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec
quando ſurrexit.
34 Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce
dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vi-
num etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt ſalue-
mus ſemen de patre noſtro.
35 Dederunt etiam & illa nocte patri ſuo bibere vi-
num, ingreſſaque minor filia, dormiuit cum eo: &
ne tunc quidem ſenſit quando concubuerit, vel
quando illa ſurrexerit.
36 Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo.
37 Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius
Moab: ipſe eſt pater Moabitarum vſque in præ-
ſentem diem.
38 Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen
eius Ammon, ideſt filius populi mei: ipſe eſt pater
Ammonitarum vſque hodie.

* Deu. 29. 20. Iſa. 13. 19. Ier. 50. 40. Ezech. 16. 46. Oſe. 11. 8. Amos 4. 11. Luc. 17. 29. Iudæ 1. 7.
* Luc. 17. 32.
Sup. 18. 1.

### CAP. XX.

1 PRofectus inde Abraham in terram auſtralem,
habitauit inter Cades, & Sur: & peregrinatus
eſt in Geraris.
2 Dixitque de Sara vxore ſua, Soror mea eſt.
Miſit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit
eam.
3 Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium no-
cte & ait illi: En morieris propter mulierem quam
tuliſti: habet enim virum.
4 Abimelech vero non tetigerat eam, & ait: Do-
mine, num gentem ignorantem & iuſtam in-
terficies?
5 Nonne ipſe dixit mihi: Soror mea eſt: & ipſa ait:
Frater meus eſt? in ſimplicitate cordis mei, & mun-
ditia manuum mearum feci hoc.
6 Dixitque ad eum Deus: Et ego ſcio quòd
ſimplici corde feceris: & ideo cuſtodiui te
ne peccares in me, & non dimiſi vt tange-
res eam.

Nunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Loth ingreſſus eſt
Sohar.*
24 *Et Dominus pluit ſuper Sedom, & ſuper Hamorah
ſulfur, & ignem à Domino è cælis.*
25 *Et ſubuertit ciuitates iſtas, & omnem planiciem,
& omnes habitatores vrbium, & germen ter-
ræ.*
26 *Et reſpexit vxor eius poſt eum, & effecta eſt ſtatua
ſalis.*
27 *Et ſurrexit Abraham mane ad locum, vbi ſteterat
coram Domino.*
28 *Et reſpexit ſuper faciem Sedom, & ſuper omnem fa-
ciem terræ planiciei, & vidit; Et ecce aſcendebat fu-
mus terræ, ſicut fumus fornacis.*
29 *Et fuit cum diſperderet Deus vrbes planiciei, recor-
datus eſt Deus Abraham & emiſit Loth è medio
ſubuerſionis, quando ſubuertit ciuitates, in quibus
habitabat Loth.*
30 *Et aſcendit Loth de Sohar, & habitauit in monte,
& duæ filiæ eius cum eo; quia timuit habitare in
Sohar, & habitauit in ſpelunca ipſe, & duæ
filiæ eius.*
31 *Et dixit primogenita ad minorem. Pater noſter ſe-
nex eſt, & vir non eſt in terra, vt ingrediatur ad nos
ſecundum morem omnis terræ.*
32 *Veni potum demus patri noſtro vinũ & dormiamus
cum eo, & viuificemus de patre noſtro ſemen.*
33 *Et potum dederunt patri ſuo vinum, nocte ipſa, &
ingreſſa eſt primogenita, & dormiuit cum patre ſuo,
& non cognouit quando dormiuit ipſa, & quando
ſurrexit ipſa.*
34 *Et fuit in craſtino, dixit primogenita ad minorem:
Ecce dormiui heri ſero cum patre meo. Potũ demus
ei vinum, etiam nocte: & ingredere, dormi cum eo, &
viuificemus de patre noſtro ſemen.*
35 *Et potum dederunt etiam nocte ipſa patri ſuo vi-
num. Et ſurrexit minor, & dormiuit cum eo, &
non cognouit, quando dormiuit ipſa & quando ſur-
rexit ipſa.*
36 *Et conceperunt duæ filiæ Loth de patre ſuo.*
37 *Et peperit primogenita filium, & vocauit no-
men eius Moab. Ipſe eſt pater Moab vſque ho-
die.*
38 *Et minor etiam ipſa peperit filium, & vocauit no-
men eius Benhammi Ipſe eſt pater filiorum Hem-
mon vſque hodie.*

### CAP. XX.

1 *ET profectus eſt inde Abraham ad terram me-
ridianam, & habitauit inter Cades, & Sur, &
peregrinatus eſt in Gherar.*
2 *Et dixit Abram ſuper Sarha vxore ſua. Soror
mea eſt. Et miſit Abimelech rex Gherar, & acce-
pit Sarah.*
3 *Et venit Deus ad Abimelech in ſomnio noctis, & di-
xit ei. Ecce es mortuus propter vxorem, quam acce-
piſti. Et ipſa maritata eſt marito.*
4 *Et Abimelech non appropinquauerat ad eam,
& dixit. Domine, numquid gentem etiam iu-
ſtam occides?*
5 *Numquid non ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt, & ipſa
etiam dixit, frater meus eſt? In perfectione cordis
mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.*
6 *Et dixit ad eum Deus in ſomnio. Etiam ego no-
ui, quòd in perfectione cordis tui feciſti hoc, & pro-
hibui etiam ego te, ne peccares mihi; idcirco non per-
miſi te, vt tangeres eam.*

Et nunc

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

23 Sol egreſſus eſt ſuper terram: & Lot ingreſſus eſt in Segor.

24 Et Dominus pluit ſuper Sodoma & Gomorrha ſulphur & ignem à Domino de cœlo.

25 Et euertit ciuitates has, & omnem circa regionem, & omnes habitantes in ciuitatibus, & quæ exoriuntur e terra.

26 Et reſpexit vxor eius retrorſum: & facta eſt ſtatua ſalis.

27 Mane autem ſurgens Abraham diluculo iuit ad locum, in quo ſteterat coram Domino:

28 Et reſpexit in faciem Sodomorum, & Gomorrhæ, & in faciem circumiacentis regionis & vidit. Et ecce aſcendebat flamma de terra, quaſi vapor fornacis.

29 Et factum eſt cum diſperderet Deus omnes ciuitates vicinas, recordatus eſt Deus Abraham: & emiſit Lot de medio euerſionis, cum euerteret Dominus ciuitates in quibus habitabat in eis Lot.

30 Aſcendit autem Lot de Segor: & ſedit in monte, ipſe & duæ filiæ eius cum eo. Timuit enim habitare in Segor. Et habitauit in ſpelunca ipſe & duæ filiæ eius cum eo.

31 Dixit autem ſenior ad iuniorem Pater noſter ſenior eſt: & nemo eſt ſuper terram qui intret ad nos: ſicut conuenit omni terræ.

32 Veni & potemus patrem noſtrum vino, & dormiamus cum eo, & ſuſcitemus de patre noſtro ſemen.

33 Potauerunt autem patrem ſuum vino in nocte illa: & ingreſſa ſenior dormiuit cum patre ſuo in nocte illa. Et neſciuit cum ipſe dormiuit, & cum ſurrexit.

34 Factum eſt autem in craſtino: & dixit ſenior ad iuniorem: Ecce dormiui heri cum patre noſtro. Potemus eum vino & in nocte hac: & ingreſſa dormi cum eo, & ſuſcitemus de patre noſtro ſemen.

35 Potauerunt autem, & in nocte illa patrem ſuum vino: & ingreſſa iunior dormiuit cum patre ſuo, & neſciuit cum dormiuit ipſe, & ſurrexit.

36 Et conceperunt duæ filiæ Lot de patre ſuo;

37 Et genuit ſenior filiũ, & vocauit nomen eius Moab, dicens, de patre meo. Iſte eſt pater Moabitarum vſque in hodiernum diem.

38 Peperit autem & iunior filium: & vocauit nomen eius Amman dicens, filius generis mei. Hic eſt pater Ammanitarum vſque in hodiernum diem.

### C A P. XX.

1 ET mouit illinc Abraham in terram ad Africam: & habitauit inter Cades, & Sur: & incola fuit in Geraris.

2 Dixit autem Abraham de Sarra vxore ſua, quia ſoror mea eſt Timuit enim dicere, quia vxor mea eſt: ne forte occiderent eũ viri ciuitatis pp eam. Miſit autem Abimelech rex Gerarorum: & tulit Sarrã.

3 Et ingreſſus eſt Deus ad Abimelech in ſomno nocte, & dixit: Ecce tu moreris propter vxorem, quam accepiſti: illa verò eſt cohabitans viro.

4 Abimelech autem non tetigerat eam. Et dixit: Domine gentem ignorantem, & iuſtam perdes.

5 Nonne ipſe mihi dixit, ſoror mea eſt? & hæc mihi dixit, frater meus eſt? In corde puro & in iuſtitia manuum feci hoc.

6 Dixit autem ei Deus per ſomnum: Et ego cognoui, quoniam in corde puro feciſti hoc: & peperci tibi, vt non peccares in me: propter hoc non permiſi tibi tangere eam.

## Chald. Paraph. Transl.

23 *Sol egreſſus eſt ſuper terram: & Lot venit in Segor.*

24 *Et Dominus pluit ſuper Sodomam et Gomorram ſulphur & ignem à facie Domini de cælo.*

25 *Et ſubuertit ciuitates has, & omnem planiciem, & omnes habitatores vrbium, & germen terræ.*

26 *Et reſpexit vxor eius poſt ſe: & facta eſt ſtatua ſalis.*

27 *Et ſurrexit Abraham manè, ad locum vbi ſteterat in oratione coram Domino.*

28 *Et aſpexit contra faciem Sodomæ & Gomorræ, & cõtra faciem terræ campeſtris: & vidit: & ecce aſcendit fumus de terra ſicut fumus fornacis.*

29 *Et factum eſt cum diſperderet Dominus ciuitates campeſtres, recordatus eſt Dominus Abrahæ, & miſit Lot de medio ſubuerſionis, quando ſubuertit ciuitates in quibus habitabat Lot.*

30 *Et aſcendit Lot de Segor, & habitauit in monte, & duæ filiæ eius cum eo: quia timuit habitare in Segor: & habitauit in ſpelunca, ipſe & duæ filiæ eius.*

31 *Et dixit maior minori: Pater noſter ſenex eſt, & non eſt vir in terra, vt ingrediatur ad nos iuxta conſuetudinem vniuerſæ terræ.*

32 *Veni, potemus patrem noſtrum vino: & cubemus cum eo, & reſeruabimus de patre noſtro filios.*

33 *Et potauerunt patrem ſuum vino in nocte illa: & ingreſſa eſt maior, & concubuit cum patre ſuo: & neſciuit quando cubuit, nec quando ſurrexit.*

34 *Et factum eſt in die ſequenti, & dixit maior minori: Ecce concubui heri cum patre meo. potemus eum vino etiam in hac nocte, & ingredere, cuba cum eo, vt reſeruemus de patre noſtro filios.*

35 *Et potauerunt etiam in nocte illa patrem ſuum vino: & ſurrexit minor, & concubuit cum eo: & neſciuit quando cubuit, nec quando ſurrexit.*

36 *Et conceperunt duæ filiæ Lot de patre ſuo.*

37 *Et peperit maior filium, & vocauit nomen eius Moab. ipſe eſt pater Moabitarum vſque in diem hanc.*

38 *Et minor etiam ipſa peperit filium, & vocauit nomen eius, filium populi mei. ipſe eſt pater filiorum Amon vſque in diem hanc.*

### C A P. XX.

1 *ET profectus eſt inde Abraham in terram Auſtralem: & habitauit inter Recam & Agara: & peregrinatus eſt in Gerar.*

2 *Et dixit Abraham de Sara vxor ſua: Soror mea eſt. Et miſit Abimelech rex Gerar, & tulit Saram.*

3 *Et venit verbum à facie Dei ad Abimelech in viſione noctis: & ait illi: En tu morieris propter mulierem quam tuliſti: eſt enim vxor viri.*

4 *Et Abimelech non acceſſit ad eam. Et ait: Domine, nunquid gentem etiam iuſtam interficies.*

5 *Nonne ipſe dixit mihi: Soror mea eſt. & ipſa quoque ait: Frater meus eſt? in rectitudine cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.*

6 *Et ait illi Deus per ſomnium: Manifeſtum eſt etiam coram me, quòd in rectitudine cordis tui feciſti hoc: & prohibui quoque ego te, ne peccares coram me: propterea non dimiſi te, vt accederes ad eam.*





UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, quia propheta eſt: & orabit pro te, & viues: ſi aũt nolueris reddere, ſcito quòd morte morieris tu, & oĩa quæ tua ſunt.

8 Statimque de nocte conſurgens Abimelech, vocauit omnes ſeruos ſuos: & locutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde.

9 Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis? quid peccauimus in te, quia induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande? quæ non debuiſti facere, feciſti nobis.

10 Rurſumque expoſtulans, ait: Quid vidiſti, vt hoc faceres?

11 Reſpondit Abraham: Cogitaui mecum, dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto: & interficient me propter vxorem meam:

* Sup. 12. 13. Inf. 21. 23. 12 Alias autem & * vere ſoror mea eſt, filia patris mei & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.

13 Poſtquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam. Hanc miſericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus ſim.

14 Tulit igitur Abimelech oues & boues, & ſeruos & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram vxorem ſuam,

15 Et ait: Terra coram vobis eſt, vbicumque tibi placuerit habita.

16 Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehenſam.

17 Orante autem Abraham, ſanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillaſque eius, & pepererunt.

18 Concluſerat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

### CAP. XXI.

* Sup. 17. 19. 18. 10. 1 Viſitauit autem Dominus Saram ſicut * promiſerat: & impleuit quæ locutus eſt.

* Gal. 4. 23. Hebr. 11. 11. 2 Concepitque & * peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus.

3 Vocauitque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac:

* Sup. 17. 10. Mat. 1. 2. 4 Et circumcidit eum octauo die, ſicut * præceperat ei Deus,

5 Cum centum eſſet annorum: hac quippe ætate patris natus eſt Iſaac.

6 Dixitque Sara: Riſum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi.

7 Rurſumque ait: Quis auditurum crederet Abraham quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam ſeni?

8 Creuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

9 Cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham.

* Gal. 4. 30. 10 * Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.

11 Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo,

* Ro. 9. 7. Hebr. 11. 18. 12 Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia * in Iſaac vocabitur tibi ſemen.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et nunc redde vxorem viro, quia propheta eſt, et orabit pro te, & viues. Et ſi tu nõ reddideris, ſcito quòd moriendo morieris tu, & omne quod eſt tibi.*

8 *Et ſurrexit Abimelech mane, & vocauit omnes ſeruos ſuos, & locutus eſt omnia verba iſta in auribus eorum. Et timuerunt viri valde.*

9 *Et vocauit Abimelech Abraham, & dixit ei. Quid feciſti nobis? Et quid peccaui tibi, quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande? Opera, quæ non ſunt facienda, feciſti mecum.*

10 *Et dixit Abimelech ad Abraham. Quid vidiſti, quia feciſti rem hanc?*

11 *Et dixit Abraham. Quia dixi: Vere non eſt timor Dei in loco iſto. Et occident me propter vxorem meam.*

12 *Et etiam vere ſoror mea eſt, filia patris mei eſt: verumtamẽ nõ filia matris meæ, & fuit mihi in vxorẽ.*

13 *Et fuit quando errare fecit me Deus de domo patris mei, dixi ei: Hæc eſt miſericordia tua, quam facies mecum. In omni loco ad quem venimus: dic propter me: frater meus eſt.*

14 *Et cœpit Abimelech pecudes, & boues, & ſeruos, & ancillas, & dedit Abraham, & reſtituit ei Sarah vxorem eius.*

15 *Et dixit Abimelech. Ecce terra mea coram te. Sicut bonum eſt in oculis tuis habita.*

16 *Et ad Sarah dixit: Ecce dedi mille argenteos fratri tuo. Ecce eſt tibi opertimentum oculorum, omnibus qui ſunt tecum, & in omnibus erudiuit ſe.*

17 *Et orauit Abraham ad Deum, & ſanauit Deus Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius, & pepererunt.*

18 *Quia claudendo clauſerat Dominus per ſe omnem vuluam domus Abimelech propter Sarah vxorem Abraham.*

### CAP. XXI.

1 *Et Dñs viſitauit Sarah quẽadmodũ dixit: Et fecit Dñs ipſi Sarah, quemadmodum locutus eſt.*

2 *Et concepit & peperit Sarah ipſi Abrahã filium in ſenectute eius: in tẽpore, quod locutus fuerat Deus.*

3 *Et vocauit Abraham nomen filij ſui, qui natus eſt ſibi, quem peperit ſibi Sarah Iſchac.*

4 *Et circumcidit Abraham Iſchac filium ſuum, filiũ octo dierum, quemadmodum præcepit ei Deus.*

5 *Et Abraham filius erat centum annorum, quando natus eſt ei Iſchac filius ſuus.*

6 *Et dixit Sarah: Riſum fecit mihi Deus. Omnis audiens corridebit mihi.*

7 *Et dixit: Quis locutus eſt ad Abraham, lactare fecit filios Sarah, quia peperi filium in ſenectute eius.*

8 *Et creuit puer, & ablactatus eſt. Et fecit Abraham conuiuium magnum, in die qua ablactatus eſt Iſchac.*

9 *Et vidit Sarah filium Haghar Ægyptiæ, quem peperit ipſi Abraham ludentem. Et dixit ad Abraham.*

10 *Eijce ancillam hanc, & filium eius, quia non hæreditabit filius ancillæ huius cum filio meo cum Iſchac.*

11 *Et diſplicuit res valde in oculis Abraham propter filium ſuum.*

12 *Et dixit Deus ad Abraham: Ne ſit diſplicentia in oculis tuis ſuper puerum, & ſuper ancillam tuam. In omnibus quæ dixerit tibi Sarah, audi vocem eius: quia in Iſchac vocabitur tibi ſemen.*

*Et etiam*

UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

7 Nunc autem redde vxorem homini: quia propheta eſt: & orabit pro te: & viues. Sin autem non reddis; ſcito, quia morieris tu, & omnia tua.

8 Et mane ſurrexit Abimelech diluculo: & vocauit omnes pueros ſuos: & locutus eſt omnia verba hęc in aures eorum. Timuerunt autem omnes homines valde.

9 Et vocauit Abimelech Abraham, & dixit ei: Quid hoc feciſti nobis? Numquid peccauimus in te; quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum magnum? Opus, quod nemo faciet, feciſti mihi.

10 Dixit autem Abimelech ad Abraham: Quid videns feciſti hoc?

11 Dixit autem Abraham: Dixi enim: forſitan non eſt Dei cultus in loco hoc: & me interficient propter vxorem meam.

12 Etenim vere ſoror mea eſt de patre, ſed non ex matre: facta eſt autem mihi in vxorem:

13 Facta eſt autem quando eduxit me Deus è domo patris mei, & dixi ei: Hanc iuſtitiam facies in me: ad omnem locum, quocumque ingreſſi fuerimus illuc, dic de me, quia frater meus eſt.

14 Sumpſit autem Abimelech mille didrachmas, & oues, & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abraham: & reddidit ei Saram vxorem eius.

15 Et dixit Abimelech ad Abraham: Ecce terra mea coram te: vbicumque tibi placuerit, habita.

16 Sarræ autem dixit: Ecce dedi mille didrachmas fratri tuo. Hæ tibi erunt in precium faciei tuæ, & omnibus, quæ tecum ſunt: & omnia vere dicito.

17 Orauit autem Abraham ad Deum: & ſanauit Deus Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius: & pepererunt;

18 Quia concludens concluſerat Dominus de foris omnem vuluam in domo Abimelech propter Saram vxorem Abraham.

### C A P. XXI.

1 ET Dominus viſitauit Saram, ſicut dixerat. Et fecit Dominus Sarræ, ſicut locutus eſt:

2 Et cum concepiſſet, peperit ipſi Abrahā filium in ſenectute, in tempore, ſicut locutus eſt ei Dominus.

3 Et vocauit Abraham nomen filij ſui, qui factus erat ei, quem peperit ei Sara, Iſaac.

4 Circumcidit autem Abraham Iſaac die octauo, ſicut præceperat ei Deus.

5 Et Abraham erat centum annorum, cum factus eſt ei Iſaac filius eius.

6 Dixit autem Sara: Riſum mihi fecit Dominus: quicumque enim audierit, congaudebit mihi.

7 Et dixit: Quis annunciabit Abraham, quia lactat puerum Sara, quia peperi filium in ſenectute mea?

8 Et creuit puer, & ablactatus eſt. Et fecit Abraham conuiuium magnum, qua die ablactatus eſt Iſaac filius eius.

9 Cum vidiſſet autem Sara filium Agar Ægyptiæ, qui factus eſt ipſi Abraham, ludentem cum Iſaac filio ſuo; & dixit ad Abraham:

10 Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ huius, cum filio meo Iſaac.

11 Durum autem viſum eſt verbum valde coram Abraham de filio ſuo.

12 Dixit autem Deus ad Abraham: Ne ſit durum coram te de puero, & de ancilla: omnia quæcumque dixerit tibi Sara; audi vocem eius: quoniam in Iſaac vocabitur tibi ſemen:



## Chald.Paraph.Tranſl.

7 *Et nunc redde vxorem viro: quia propheta eſt: & orabit pro te, & viues. Et ſi nolueris reddere, ſcito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua ſunt.*

8 *Et ſurrexit Abimelech manè, & vocauit omnes ſeruos ſuos: & locutus eſt vniuerſa verba hæc coram eis: & timuerunt viri valde.*

9 *Et vocauit Abimelech Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis, & quid peccaui tibi: quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande? Opera quæ non erant digna fieri, feciſti mecum.*

10 *Et ait Abimelech ad Abraham: Quid vidiſti, quòd feciſti rem hanc?*

11 *Dixitque Abraham: Quia dixi, fortè non eſt timor Dei in loco iſto: & interficient me propter vxorem meam.*

12 *Sed & in veritate ſoror mea eſt, filia patris mei, ſed non filia matris meæ, & fuit mihi in vxorem.*

13 *Et factū eſt cū aberraſſent populi poſt opera manuū ſuarū, me applicauit Dñs ad timorē ſuū ex domo patris mei, & dixit ei: Hæc ē miſericordia tua q̄ facies mecū: in oī loco ī quē īgrediemur, dic d̄ me, frater meus ē.*

14 *Et tulit Abimelech oues, & boues, & ſeruos, & ancillas: & dedit Abrahā: & reddidit ei Saram vxorem ſuam.*

15 *Dixitque Abimelech: Ecce terra mea coram te eſt: vbicunque placuerit oculis tuis, habita.*

16 *Sara autem dixit: Ecce dedi mille ſiclos argenti fratri tuo. Ecce illud eſt tibi velamē honoris: pro eo quod miſerim tollere te, & viderim te, & omnia quæ tecū ſunt, & ſuper omnia quæ dixiſti, eſtoque reprehenſa.*

17 *Et orauit Abraham coram Deo, & ſanauit Deus Abimelech, & vxorem eius, ancillaſque eius, & refrigerati ſunt.*

18 *Quoniam concludens concluſerat Dominus omnem aperturam vuluæ domus Abimelech, propter Saram vxorem Abraham.*

### C A P. XXI.

1 *RECordatuſque eſt Dominus Saræ, ſicut dixerat: & fecit Dominus Saræ ſicut locutus eſt.*

2 *Et concepit & peperit Sara Abrahā filium in ſenectute ſua, in tempore quo locutus fuerat ei Deus.*

3 *Vocauitque Abraham nomen filij ſui qui natus eſt ei, quem peperit ei Sara, Iſaac.*

4 *Et circumcidit Abraham Iſaac filium ſuum, filium octo dierum, ſicut præcepit ei Deus.*

5 *Abraham autem erat filius centum annorum quando natus eſt ei Iſaac filius ſuus.*

6 *Et dixit Sara: Gaudium mihi fecit Deus, omnis qui audierit, congratulabitur mihi.*

7 *Et dixit: Fidelis eſt qui dixit Abrahę, & impleuit quòd lactaret filios Sara; quia peperi filium in ſenectute ſua.*

8 *Et creuit puer, & ablactatus eſt. Et fecit Abraham conuiuium magnum in die quo ablactatus eſt Iſaac.*

9 *Et vidit Sara filium Agar Ægyptiæ, quem peperit Abrahæ ludentem: Et dixit Abrahæ:*

10 *Eijce ancillam hanc et filium eius, quia non erit hæres filius ancillæ huius, cum filio meo Iſaac.*

11 *Et diſplicuit verbum nimis in oculis Abrahæ, propter filium ſuum.*

12 *Dixitque Deus Abrahæ: Ne diſpliceat in oculis tuis ſuper puero & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, acquieſce illi; quoniam in Iſaac vocabuntur tibi filij.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.
14 Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abijſſet, errabat in ſolitudine Berſabee.
15 Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborum, quæ ibi erant.
16 Et abijt, ſeditque è regione procul quantum poteſt arcus iacere. dixit enim: Non videbo morientem puerum: & ſedens contra, leuauit vocem ſuam & fleuit.
17 Exaudiuit autem Deus vocem pueri: vocauitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt.
18 Surge, tolle puerum & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.
19 Aperuitque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere.
20 Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus eſt in ſolitudine, factuſque eſt iuuenis ſagittarius.
21 Habitauitque in deſerto Pharan, & accepit illi mater ſua vxorem de terra Ægypti.
22 Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis.
23 Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & poſteris meis, ſtirpique meæ: ſed iuxta miſericordiam, * quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua verſatus es aduena.
24 Dixitque Abraham: Ego iurabo.
25 Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abſtulerant ſerui eius.
26 Reſpondítque Abimelech: Neſciui quis fecerit hanc rem: ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non audiui præter hodie.
27 Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech: percuſſeruntque ambo fœdus.
28 Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeorſum.
29 Cui dixit Abimelech. Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum?
30 At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: vt ſint mihi in teſtimonium; quoniam ego fodi puteum iſtum.
31 Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee: quia ibi vterque iurauit.
32 Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti.
33 Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reuerſique ſunt in terram Palæſtinorum. Abraham vero plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.
34 Et fuit colonus terræ Palæſtinorum diebus multis.

* Sup. 20. 15.

### CAP. XXII.

1 QVæ poſtquam geſta ſunt, * tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abrahã. At ille reſpondit: Adſum.
2 Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montiũ quem monſtrauero tibi.
3 Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinũ ſuum: ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum: cumque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus.

* Iudit 8. 11. Hebr. 11. 17.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et etiam filium ancillæ in gentem ponam, quia ſemen tuum eſt.*
14 *Et ſurrexit Abraham ſummo manè, & tulit panẽ, & vtrem aquæ, & dedit Haghar, poſuit ſuper humerum eius, & puerum, & dimiſit eam: Et perrexit, & errauit in deſerto Beerſebah.*
15 *Et defecerunt aquæ de vtre, & proiecit puerum ſubter vnam ex arboribus.*
16 *Et abijt, & ſedit ſibi è regione elongando ſe, quantum eſt iactus arcus: quia dixit: Non videbo quando morietur puer: & ſedit è regione, & eleuauit vocem ſuam, & fleuit.*
17 *Et audiuit Deus vocem pueri: Et clamauit Angelus Dei ad Haghar de cœlis, & dixit ei: Quid tibi eſt Haghar? Ne timeas, quia audiuit Deus vocem pueri in loco vbi eſt.*
18 *Surge tolle puerum, & tene manu tua eum, quia in gentem magnam ponam eum.*
19 *Et aperuit Deus oculos eius, & vidit puteum aquæ, & perrexit, & impleuit vtrem aqua, & potum dedit puero.*
20 *Et fuit Deus cum puero, & creuit, & habitauit in deſerto, & fuit iaculator ſagittarius.*
21 *Et habitauit in deſerto Paran, & accepit ei mater eius vxorem ex terra Ægypti.*
22 *Et fuit in tempore ipſo, dixit Abimelech, & Pichol princeps exercitus eius ad Abraham dicendo: Deus tecum eſt in omnibus quæ tu facis.*
23 *Et nunc iura mihi per Deum, Si mentitus fueris mihi, & filio meo, & nepoti meo, ſecundùm miſericordiam, quam feci tecum, facies mecum, & cum terra, in qua peregrinatus es.*
24 *Et dixit Abraham: Ego iurabo.*
25 *Et increpauit Abraham ipſum Abimelech propter puteum aquæ, quem rapuerant ſerui Abimelech.*
26 *Et dixit Abimelech: Non noui quis fecerit rem hanc, & etiam tu non nunciaſti mihi, & etiam ego non audiui præter hodie.*
27 *Et accepit Abraham pecudes, & boues, & dedit ipſi Abimelech. Et percuſſerunt ambo fœdus.*
28 *Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas pecorũ ſeorſum.*
29 *Et dixit Abimelech ad Abraham. Quid ſunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum?*
30 *Et dixit: Quia ſeptem agnas capies è manu mea, vt ſit mihi in teſtimonium; quòd fodi puteum hunc.*
31 *Idcirco vocauit locum ipſum Beerſebah. Quia ibi iurauerant ambo.*
32 *Et percuſſerunt fœdus in Beerſebah.*
33 *Et ſurrexit Abimelech, & Pichol princeps exercitus eius, & reuerſi ſunt in terram Peliſtim. Et plantauit nemus, in Beerſebah, & inuocauit ibi nomen Domini Dei ſæculi.*
34 *Et habitauit Abraham in terra Peliſtim dies multos.*

### CAP. XXII.

1 *ET fuit, poſt hæc, Deus tentauit Abraham, & dixit ad eum: Abraham. Et dixit: Ecce ego.*
2 *Et dixit: Cape nunc filium tuum, vnicum tuum, quem dilexiſti Iſchac, & vade tibi ad terram Moriah, & offer eum ibi in holocauſtum ſuper vnum è montibus quem dixero tibi.*
3 *Et ſurrexit Abraham manè, & ſtrauit aſinum ſuũ, & cepit duos pueros ſuos ſecum & Iſchac filium ſuum: & ſcidit ligna holocauſti, & ſurrexit, & perrexit ad locum, quem dixit ei Deus.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

13 Sed & filium ancillæ huius in gentem magnam faciam eum: quia ſemen tuum eſt.

14 Surrexit autem Abraham mane, & ſumpſit panes, & vtrem aquæ; & dedit Agar: & impoſuit ſuper humerum eius & puerum: & dimiſit eam. Abiens autē errabat per deſertum ad puteum iuramenti.

15 Defecit autem aqua de vtre. Et proiecit puerum ſub vnam abietem:

16 Et ambiens ſedit contra eum longe, quaſi arcus iactum: dixit enim, non videbo mortem pueri mei: Et ſedit contra eum. Exclamans autem puer plorauit:

17 Exaudiuit autem Deus vocem pueri de loco vbi erat. Et vocauit Angelus Dei Agar de cœlo: & dixit ei: Quid eſt Agar? Ne timeas: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco vbi eſt.

18 Surge, & tolle puerum, & tene illum manu tua: nam in gentem magnam faciam eum.

19 Et aperuit Deus oculos eius, & vidit puteum aquæ viuæ, & iuit, & impleuit vtrem aqua, & potauit puerum.

20 Et erat Deus cum puero: & creuit & habitauit in deſerto: factus eſt autem ſagittarius:

21 Et habitauit in deſerto Pharan: & accepit ei mater vxorem de terra Ægypti.

22 Factū eſt autē i tpe illo: & dixit Abimelech, Hochozath pronub⁹ eius & Phicol princeps exercitus ei⁹ ad Abrahā, dicēs: Deus tecū in omnib⁹, quǣq; facis.

23 Nunc ergo iura mihi Deum, non læſurum me, neque ſemen meum, neque nomen meum: ſed ſecundum iuſtitiam quam feci tecum, facies mecum, & terræ in qua tu incoluiſti in ea.

24 Et dixit Abraham: Ego iuro.

25 Et increpauit Abraham ipſum Abimelech de puteis aquæ, quos abſtulerant filij Abimelech.

26 Et dixit ei Abimelech: Non noui, quis fecerit tibi verbum hoc: neque tu mihi annunciaſti; neque ego audiui, niſi hodie.

27 Et ſumpſit Abraham oues, & vitulos, & dedit Abimelech: & diſpoſuerunt ambo teſtamentum.

28 Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas ouium ſolas.

29 Et Abimelech dixit ad Abraham: Quid ſunt iſtæ ſeptem agnæ ouium harum, quas ſtatuiſti ſolas?

30 Et dixit Abraham: quia ſeptem agnas capies a me: vt ſint in teſtimonium mihi, quia ego fodi puteum hunc.

31 Propter hoc cognominauit nomen loci illius, puteum iuramenti: quoniam ibi iurauerunt ambo,

32 Et diſpoſuerunt teſtamentum in puteo iuramenti.

33 Surrexit autem Abimelech, Hochozath, pronubus eius, & Phicol princeps exercitus eius, & reuerſi ſunt ad terram ipſorum Phyliſtijm. Et plantauit Abraham agrum in puteo iuramenti: & inuocauit ibi nomen Domini, Deus æternus.

34 Incola autem fuit Abraham in terra Phyliſtijm, diebus multis.

### C A P. XXII.

1 ET factum eſt poſt verba iſta: Deus tentauit Abraham: & dixit ei, Abraham, Abraham. Et dixit: Ecce ego.

2 Et dixit: Tolle filium tuum dilectum, quem dilexiſti Iſaac: & vade in terram excelſam, & offer illum ibi in holocauſtum ſuper vnum de montibus, quos tibi dixero.

3 Surgens autem Abraham mane ſtrauit aſinam ſuā: aſſumpſit autem ſecum duos pueros, & Iſaac filium ſuum: cumque concidiſſet ligna in holocauſtū, ſurgens iuit, & venit ad locum, quem dixit illi Deus,

Die

## Chal. Paraph. Tranſl.

13 *Filium quoque ancillæ in gentem ponam eum, quia filius tuus eſt.*

14 *Et ſurrexit Abraham manè, & tulit panem & lagenam aquæ, & dedit ipſi Agar, ponens ſuper humerum eius & puerum, & dimiſit eam. Et abijt & errabat in deſerto Berſabee.*

15 *Et conſumptæ ſunt aquæ de lagena, & proiecit puerum ſubter vnam arborem:*

16 *Et abijt, & ſedit è regione, longe quantum poteſt arcus iacere; quia dixit, non videbo mortem pueri. Seditque è regione, & leuauit vocem ſuam, & fleuit.*

17 *Et audita eſt coram Deo vox pueri. Et vocauit Angelus Dei Agar de cœlo; & dixit ei: Quid tibi Agar? Ne timeas: quoniam audita eſt coram Domino vox pueri in loco in quo ipſe eſt.*

18 *Surge tolle puerum & apprehende manu tua eum, quoniam in populum magnum ponam eum.*

19 *Et aperuit Deus oculos eius, & vidit puteum aquæ, & abijt, & impleuit lagenam aqua, & dedit puero bibere.*

20 *Et fuit verbum Dei in adiutorium pueri, & creuit, & habitauit in deſerto, & fuit iaculator arcus.*

21 *Et habitauit in deſerto Pharan: & accepit ei mater eius vxorem de terra Ægypti.*

22 *Et factū eſt in tpe illo: & dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius ad Abrahā, dicens: Verbū Dei eſt in adiutoriū tuum in vniuerſis quæ tu agis.*

23 *Et nūc iura mihi per verbum Domini hic, ne noceas mihi, & filio meo, & filio filij mei: iuxta miſericordiam quam feci tecum facies mecum, & cum terra in qua peregrinatus es.*

24 *Et ait Abraham: Ego iurabo.*

25 *Et increpauit Abraham Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſerui Abimelech.*

26 *Et ait Abimelech: Neſcio quis fecit rem hanc: & tu quoque non indicaſti mihi; neque ego audiui, niſi hodie.*

27 *Et tulit Abraham oues & boues, & dedit Abimelech, & pepigerunt ambo fœdus.*

28 *Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas ouium ſeorſum.*

29 *Dixitque Abimelech ad Abraham: Quæ ſunt iſtæ ſeptem agnæ, quas ſtatuiſti ſeorſum?*

30 *Et ait: Quoniam ſeptem agnas accipies de manu mea, vt ſit mihi in teſtimonium, quoniam fodi puteum iſtum.*

31 *Propterea vocauit locum illum, Berſabea: quia ibi iurauerunt ambo:*

32 *Et inierunt pactum in Berſabea.*

33 *Surrexitque Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, & reuerſi ſunt in terram Philiſthinorum. Et plantauit plantationem in Berſabea: & orauit ibi in nomine Domini Dei æterni.*

34 *Et peregrinatus eſt Abraham in terra Philiſthinorum diebus multis.*

### C A P. XXII.

1 *ET factum eſt poſt verba hæc, & Deus tentauit Abraham, & dixit ei: Abraham. Et ait: Ecce ego.*

2 *Et dixit: Tolle nunc filium tuum vnicum tuum, quē diligis Iſaac, & vade in terram diuini cultus, & offer illum coram me ibi in holocauſtum ſuper vnum montium, quem dixero tibi.*

3 *Et ſurrexit Abraham manè, & ſtrauit aſinū ſuum: & tulit duos pueros ſuos ſecum, & Iſaac filium ſuum: & concidit ligna in holocauſtum: & ſurrexit, & abijt in locum quem dixerat ei Deus.*

Die

## Vulgat. Editio.

4 Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul:

5 Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino: ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

6 Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac, filium ſuum: ipſe vero portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent ſimul,

7 Dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi eſt victima holocauſti?

8 Dixit autem Abraham: Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Pergebant ergo pariter:

9 Et venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus: in quo ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit: cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.

Iac. 2. 21. 10 Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.

11 Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum.

12 Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.

13 Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.

14 Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.

15 Vocauit autem Angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo, dicens:

* Pſ. 104. 9. Luc. 1. 73. Eccl. 44. 21 Heb. 6. 13 1. Mac. 2. 52. Luc. 1. 73. 16 * Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me:

17 Benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum,

* Sup. 12. 3. 18. 18. Inf. 26. 4. Act. 3. 25. Eccl. 44. 25 18 Et * BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.

19 Reuerſus eſt Abraham ad pueros ſuos, abieruntque Berſabee ſimul, & habitauit ibi.

20 His ita geſtis: nunciatum eſt Abrahæ quòd Melcha quoque genuiſſet filios Nachor fratri ſuo,

21 Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum,

22 Et Caſed, & Azau Pheldas quoque, & Iedlaph,

23 Ac Bathuel, de quo nata eſt Rebecca: octo iſtos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ.

24 Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

### CAP. XXIII.

1 VIxit autem Sara centum vigintiſeptem annis.

2 Et mortua eſt in ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret, & fleret eam.

3 Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens:

Adue-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *In die tertia leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit locum procul.*

5 *Et dixit Abraham ad pueros ſuos. Manete vobis hic cum aſino: & ego, & puer pergemus vſque illuc, & adorabimus, & reuertemur ad vos.*

6 *Et accepit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ſuper Iſchac filium ſuum, & accepit in manu ſua ignem, & gladium, & perrexerunt ambo pariter.*

7 *Et dixit Iſchac ad Abraham patrem ſuum: Et dixit: Pater mi. Et dixit: Ecce ego fili mi. Et dixit: Ecce ignis, & ligna, & vbi agnum in holocauſtum?*

8 *Et dixit Abraham: Deus prouidebit ſibi agnum in holocauſtum fili mi. Et perrexerunt ambo pariter.*

9 *Et venerunt ad locum, quem dixerat ei Deus: & ædificauit ibi Abraham altare, & ordinauit ligna, & ligauit Iſchac filium ſuum, & poſuit eum ſuper altare deſuper ligna.*

10 *Et miſit Abraham manum ſuam, & accepit gladium, vt iugularet filium ſuum.*

11 *Et clamauit ad eum Angelus Domini è cælo, & dixit: Abraham, Abraham. Et dixit: Ecce ego.*

12 *Et dixit: Ne extendas manum tuam in puerum, & ne facias ei quicquam: quia nunc cognoui, quod timens Deum es, & non prohibuiſti filium tuum vnicum tuum à me.*

13 *Et leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit, & ecce aries poſt detentus in perplexitate cornibus ſuis. Et perrexit Abraham, & accepit arietem & obtulit eum in holocauſtum pro filio ſuo.*

14 *Et vocauit Abraham nomen loci ipſius, Dominus videbit. Idcirco dicitur hodie, in monte Dominus videbitur.*

15 *Et clamauit Angelus Domini ad Abraham ſecundo è cælo. Et dixit:*

16 *Per me iuraui dixit Dominus: Quia pro eo, quod feciſti rem hanc, & non prohibuiſti filium tuum, vnicum tuum.*

17 *Quia benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt iuxta litus maris, & hæreditabit ſemen tuum portam inimicorum ſuorum.*

18 *Et BENEDICENT ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obediuiſti voci meæ.*

19 *Et reuerſus eſt Abraham ad pueros ſuos, & ſurrexerunt, & perrexerunt pariter ad Beerſebah, & habitauit Abraham in Beerſebah.*

20 *Et fuit: poſt res iſtas nunciatum fuit ipſi Abraham dicendo: Ecce peperit Milchah etiam ipſa filios Nachor fratri tuo.*

21 *Hus primogenitum ſuum & Hus fratrem eius, & Chemuel patrem Aram.*

22 *Et Cheſed, & Chazo, & Pildas, & Idlaph, & Bethuel.*

23 *Et Bethuel genuit Ribchah: octo iſtos peperit Milchah Nachor fratri Abraham.*

24 *Et concubina eius, & nomen eius Reumah peperit & ipſa Thebach, & Ghacha, & Tachas, et Mahacal.*

### CAP. XXIII.

1 *ET fuit vita Sarah centum anni, & viginti anni, & ſeptem anni, anni vitæ Sarah.*

2 *Et mortua eſt Sarah in Chiriatharbah, ipſa eſt Chebron in terra Chenahan. Et venit Abraham ad plangendum Sarah, & ad lugendum eam.*

3 *Et ſurrexit Abraham à facie mortui ſui, & locutus eſt ad filios Cheth dicendo:*

*Per-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

4 Die tertia : & reſpiciens Abraham oculis ſuis vidit locum à longe.
5 Et dixit Abraham pueris ſuis, Sedete hic cum aſina: ego autem & paruulus pertranſibimus vſque illuc : & cum adorauerimus, reuertemur ad vos.
6 Sumpſit autem ligna holocauſti, & impoſuit Iſaac filio ſuo: ſumpſit autem in manibus & ignem & gladium : Et perrexerunt ambo ſimul.
7 Dixit autem Iſaac ad Abraham patrem ſuum : Pater. At ille dixit: Quid eſt fili? Dixit autem : Ecce ignis & ligna : vbi eſt ouis in holocauſtum?
8 Dixit autem Abraham : Deus videbit ſibi ouem ad holocauſtum fili. Pergentes autem ambo ſimul
9 Venerunt ad locum, quem dixerat ei Deus : & ædificauit ibi Abraham altare, & impoſuit ligna : & cum colligaſſet Iſaac filium ſuum;& impoſuit eum ſuper altare ſuper ligna.
10 Et extendit Abraham manum ſuam ad capiendum gladium,vt iugularet filium ſuum.
11 Et vocauit illum Angelus Domini de cœlo; & dixit : Abraham, Abraham, At ille dixit : Ecce ego.
12 Et dixit : Ne inijcias manum tuam ſuper puerum, neque facias ei quicquam : nunc enim cognoui, quia times tu Deum : & non peperciſti filio tuo dilecto propter me.
13 Et reſpiciens Abraham oculis ſuis vidit : & ecce aries vnus, qui tenebatur in virgulto Sabec cornibus. Et iuit Abraham,& ſumpſit arietem, & obtulit illum in holocauſtum pro Iſaac filio ſuo.
14 Et vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, vt dicant hodie, in monte Dominus apparuit.
15 Et vocauit Angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo dicens :
16 Per memetipſum iuraui dicit Dominus : propterea quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti filio tuo dilecto propter me;
17 Certe benedicens benedicā te,& multiplicans multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cęli, & tanquam arenam,quæ eſt iuxta labium maris : & hæreditate poſſidebit ſemen tuum ciuitates aduerſariorum :
18 Et BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obaudiſti vocem meam.
19 Reuerſus eſt autem Abraham ad pueros ſuos:& ſurgentes perrexerunt ſimul ad puteum iuramenti: & inhabitauit Abraham ad puteum iuramenti.
20 Factum eſt autem poſt verba hæc: & annunciatum eſt ipſi Abraham dicentes : Ecce peperit Melcha & ipſa filios Nachor fratri tuo,
21 Vz primogenitum & Baux fratrem eius,& Camuel patrem Syrorum,
22 Et Carad, & Azay, & Phaldes, & Ieldaph, & Bathuel.
23 Bathuel autem genuit Rebeccam : octo hi filij quos peperit Melcha Nachor fratri Abraham.
24 Et concubina eius,cui nomen Reuma, peperit & ipſa Tabec,& Taam,& Tochos,& Mocha.

### C A P. XXIII.

1 FActa eſt autem vita Saræ anni centum viginti ſeptem.
2 Et mortua eſt Sara in ciuitate Arboc:quę eſt in valle:hæc eſt Chebron in terra Chanaan.Venit autem Abraham,vt plangeret Saram, & lugeret.
3 Et ſurrexit Abraham à mortuo ſuo : & dixit Abraham filijs Chet, dicens :

## Chald. Paraph. Tranſl.

4 *Die autem tertia: leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit locum à longe.*
5 *Et dixit Abraham pueris ſuis : Expectate vos hic cum aſina : ego autem & puer accedemus vſque illuc; & adorabimus, & reuertemur ad vos.*
6 *Et tulit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ſuper Iſaac filium ſuum:& accepit in manu ſua ignem & gladium : Et abierunt ambo ſimul.*
7 *Aitque Iſaac ad Abraham patrem ſuum, dicens : Pater mi. Et ait : Ecce ego, fili mi. Et ait : Ecce ignis & ligna;vbi ergo eſt agnus in holocauſtum?*
8 *Et dixit Abraham : Coram Deo reuelabitur ſibi Agnus in holocauſtum, fili mi. Et abierunt ambo ſimul :*
9 *Et venerunt ad locum quem dixerat ei Deus; & ædificauit ibi Abraham altare, & ordinauit ligna : & ligauit Iſaac filium ſuum, & poſuit eum ſuper altare deſuper ligna.*
10 *Extenditque Abraham manum ſuam, & tulit gladium,vt immolaret filium ſuum.*
11 *Et vocauit eum Angelus Domini de cœlo, & dixit : Abraham, Abraham : & ait : ecce ego.*
12 *Et dixit : Ne extendas manum tuam ad puerum, neque facias illi quicquam: nunc enim ſcio quòd timens Deum tu es : & non peperciſti filio tuo vnico propter me.*
13 *Et leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit : & ecce aries, poſtquam apprehenſus eſt in arbore cornibus ſuis. Et abijt Abraham,& tulit arietem,& obtulit eum in holocauſtum pro filio ſuo.*
14 *Et orauit,atq; imolauit Abrahā i loco illo. Et dixit corā Dño:Hic erūt ſeruiētes ḡnationes: ꝑpea dicebāt in die hac, In mōte iſto Abrahā corā Dño imolauit.*
15 *Et vocauit Angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo.*
16 *Et ait : Per verbum meum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnico :*
17 *Quoniam benedictione benedicam te, & multiplicans multiplicabo filios tuos ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris : & hæreditabunt filij tui ciuitates inimicorum ſuorum :*
18 *Et BENEDICENTVR propter filios tuos omnes populi terræ, pro eo quòd obediſti verbo meo.*
19 *Et reuerſus eſt Abraham ad pueros ſuos : & ſurrexerunt, & abierunt ſimul ad Berſabee : & habitauit Abraham in Berſabee.*
20 *Et factum eſt poſt verba hæc,& nunciatum eſt Abrahæ,dicendo: Ecce peperit Melcha etiam ipſa filios Nachor fratri tuo :*
21 *Hus primogenitum eius,& Bus fratrem eius,& Camuel patrem Aram,*
22 *Et Caſeth, & Azau, & Pheldas, & Iedlaph, & Bathuel.*
23 *Bathuel autem genuit Rebeccam, iſtos octo peperit Melcha Nachor, fratri Abrahæ.*
24 *Concubina autem eius, cuius nomen Roma,ipſa quoque peperit Thabee,& Gaam,& Thaas,& Maacha.*

### C A P. XXIII.

1 *FVit autem vita Saræ, centum & viginti & ſeptem annorum, qui fuerunt anni vitæ Saræ.*
2 *Et mortua eſt Sara in Cariatharbe : ipſa eſt Hebron in terra Chanaan. Et venit Abraham, vt lugeret Saram, & fleret eam.*
3 *Et ſurrexit Abraham à conſpectu mortui ſui : & locutus eſt cum filijs Heth,dicens :*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Aduena ſum & peregrinus apud vos: date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.

5 Reſponderunt filij Heth, dicentes:

6 Audi nos domine, princeps Dei es apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum: Nullusque te prohibere poterit quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum.

7 Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth:

8 Dixitque ad eos: Si placet animæ veſtræ vt ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor:

9 Vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri.

10 Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Reſponditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens:

11 Nequaquam ita fiat, dñe mi, ſed tu magis auſculta q loquor: agrũ trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filijs populi mei, ſepeli mortuũ tuũ.

12 Adorauit Abraham coram populo terræ.

13 Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe: Quæſo, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro: ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.

14 Reſponditque Ephron:

15 Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas quadringentis ſiclis argẽti valet: iſtud eſt pretium inter me & te: ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum.

16 Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.

17 Confirmatuſque eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex, reſpiciens Mambre, tam ipſe, quàm ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum,

18 Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filijs Heth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius.

19 Atque ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre. Hæc eſt Hebron in terra Chanaan.

20 Et confirmatus eſt ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem monumenti à filijs Heth.

### CAP. XXIIII.

1 ERat autem Abraham ſenex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.

2 Dixitque ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam ſubter femur meum,

In c.47.29. 3 Vt adiurem te per Dominum, Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito;

4 Sed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem filio meo Iſaac.

5 Reſpondit ſeruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egreſſus es?

6 Dixitque Abraham: Caue ne quando reducas filium meum illuc.

7 Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & iurauit mihi, dicens: * Semini tuo dabo terram hanc: ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo:

*Sup.12.7. 13.15.& 15.18. Iof.24.2.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Peregrinus, & aduena ſum vobiſcum. Date mihi hæreditatem ſepulchri vobiſcum, & ſepeliam mortuum meum à facie mea.*

5 *Et reſponderunt filij Cheth ad Abrahã dicendo ei:*

6 *Audi nos Domine mi: princeps Dei es in medio noſtri: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum. Singulus è nobis ſepulchrum ſuum non prohibebit à te ne ſepelias mortuum tuum.*

7 *Et ſurrexit Abraham, & incuruauit ſe populo terræ, filijs Cheth.*

8 *Et locutus eſt cum eis dicendo: Si eſt cum anima veſtra, vt ſepeliam mortuum meum à facie mea, audite me, & intercedite pro me apud Hephron filium Sochar.*

9 *Vt det mihi ſpeluncam duplicem, quæ eſt ei in fine agri ſui: argento pleno det eam mihi, in medio veſtri in hæreditatem ſepulchri.*

10 *Et Hephron habitabat in medio filiorum Cheth. Et reſpondit Hephron Chitthæus ad Abraham in auribus filiorum Cheth: omnibus ingredientibus portam ciuitatis ſuæ dicendo:*

11 *Non domine mi, audi me: agrum dedi tibi, & ſpeluncam, quæ eſt in eo tibi dedi. In oculis filiorum populi mei dedi eam tibi: ſepeli mortuum tuum.*

12 *Et incuruauit ſe Abraham coram populo terræ.*

13 *Et locutus eſt ad Hephron in auribus populi terræ dicendo: Verum, ſi tu vtinam audias me dabo argentum agri: Cape à me, & ſepeliam mortuum meũ ibi.*

14 *Et reſpondit Hephron ad Abraham dicendo ei.*

15 *Domine mi, audi me: Terra quadringentorum ſiclorum argenteorum eſt inter me, & te. Quid eſt? Et mortuum tuum ſepeli.*

16 *Et obediuit Abraham ipſi Hephron, & appendit Abraham ipſi Hephron argentum, quod locutus fuerat in auribus filiorum Cheth, quadringentos ſiclos argenteos tranſeuntes per mercatores.*

17 *Et confirmatus eſt ager Hephron, qui erat in ſpelunca duplici, qui erat coram Mamre, ager, & ſpelunca, quæ erat in eo, & omnis arbor, quæ erat in agro, quæ erat in omni termino eius per circuitum.*

18 *Ipſi Abraham in poſſeſſionem, in oculis filiorum Cheth, & omniũ ingredientiũ portam ciuitatis eius.*

19 *Et poſtea ſepeliuit Abraham Sarah vxorem ſuam, in ſpelunca agri duplici, coram Mamre. Hæc eſt Chebron in terra Chenahan.*

20 *Et confirmatus eſt ager, & ſpelunca, quæ erat in eo, ipſi Abrahã in hæreditate ſepulchri à filijs Cheth.*

### CAP. XXIIII.

1 *ET Abraham ſenex venerat in dies, & Dominus benedixit Abraham in omnibus.*

2 *Et dixit Abraham ad ſeruum ſuum, ſenem domus ſuæ, qui dominabatur omnibus, quæ erant ei. Pone nunc manum tuam ſub femore meo.*

3 *Et adiurabo te per Dominum Deum cæli, & Deum terræ, vt non capias vxorem filio meo, de filiabus Chenahanæi in cuius medio ego habito.*

4 *Quod ad terram meam, & ad cognationem meam perges, & capies vxorem filio meo Iſchac.*

5 *Et dixit ad eum ſeruus: Si forſitan noluerit mulier venire poſt me ad terram hanc, nunquid reducendo reducam filium tuum ad terram, vnde egreſſus es?*

6 *Et dixit ad eum Abraham: Caue tibi, ne forte reducas filium meum illuc.*

7 *Dominus Deus cæli, qui tulit me è domo patris mei, & è terra cognationis meæ, & qui locutus eſt mihi, & qui iurauit mihi dicendo: ſemini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet Angelum ſuum ante te, & capies vxorem filio meo inde.*



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

4 Aduena & peregrinus ego ſum vobiſcum: date igitur mihi poſſeſſionem ſepulchri vobiſcum, & ſepeliam mortuum meum à me.
5 Reſponderunt autē filij Chet ad Abrahā, dicentes:
6 Nequaquam Domine: audi vero nos: rex à Deo tu es in nobis: in electis monumentis noſtris ſepeli mortuum tuum. Nemo enim noſtrum prohibebit monumentum ſuum à te, ad ſepeliendum mortuum tuum ibi.
7 Exurgens autem Abraham adorauit populum terræ, filios Chet.
8 Et locutus eſt ad eos Abraham, dicens: Si habetis in anima veſtra, vt ſepeliam mortuum meum à facie mea; audite me, & loquimini pro me cum Ephron filio Saar:
9 Et det mihi ſpeluncam duplicem, quæ eſt ei, quæ eſt in parte agri eius: argento digno det mihi eam in vobis in poſſeſſionem monumenti.
10 Ephron autem ſedebat in medio filiorum Chet. Reſpondens autem Ephron Chettæus ad Abrahā, dixit audientibus filijs Chet, & ingredientibus in ciuitatem omnibus dicens:
11 Apud me eſto Domine, & audi me: agrum, & ſpeluncam, quæ in eo, tibi do: in conſpectu omnium ciuium meorum dedi tibi, ſepeli mortuum tuum.
12 Et adorauit Abraham coram populo terræ,
13 Et dixit ad Ephron in aures coram populo terræ: quoniam quidem à me es; audi me: argentum agri cape à me: & ſepeliam mortuum meum ibi.
14 Reſpondit autem Ephron ad Abraham dicens:
15 Nequaquam Domine: audiui enim: terra eſt quadringentorum didrachmorum: ſed quid vtique fuerit hoc inter me & te? tu vero mortuū tuū ſepeli.
16 Et audiuit Abraham Ephron, & appendit Abraham Ephron argentum, quod locutus eſt in auribus filiorum Chet, quadringenta didrachma argenti probati mercatoribus.
17 Et ſtetit ager Ephron, qui erat in duplici ſpelunca, qui eſt ad faciem Mambre, ager & ſpelunca quæ erat in eo, & omnis arbor quæ erat in agro, & quidquid eſt in finibus eius in circuitu,
18 Ipſi Abraham in poſſeſſionem coram filijs Chet, & omnibus ingredientibus in ciuitatem.
19 Poſt hæc ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ eſt contra Mambre. Hæc eſt Chebron, in terra Chanaan.
20 Et confirmatus eſt ager, & ſpelunca, quæ erat in eo, ipſi Abrahā in poſſeſſionem ſepulchri à filijs Chet.

### C A P. XXIIII.

1 ET Abraham erat ſenior prouectus diebus: Et Dominus benedixit Abraham per omnia.
2 Et dixit Abraham puero ſuo ſeniori domus ſuæ potestatem habenti omnium quæ ei erant: Pone manum tuam ſub femore meo,
3 Et adiurabo te per Dominum Deum cœli, & Deū terræ, vt non ſumas filio meo Iſaac vxorem de filiabus Chananæorum, cum quibus ego habito in eis:
4 Sed in terram meam, vbi natus ſum, ibis, & ad tribum meam: & ſumes vxorem filio meo Iſaac inde.
5 Dixit autem ad eum puer: Ne quando noluerit mulier ire mecum retro in terram hanc; reuocabo filium tuum in terram, vnde exiſti inde?
6 Dixit autem Abraham ad eum: Attende tibi, ne reuoces filium meum illuc.
7 Dominus Deus cœli, & Deus terræ, qui accepit me de domo patris mei, & de terra, in qua natus ſum, qui locutus eſt mihi, & qui iurauit mihi, dicens, tibi dabo terrā hanc, & ſemini tuo, ipſe mittet Angelū ſuum ante te: & accipies vxorem filio meo inde.

## Chald. Paraph. Tranſl.

4 *Aduena & peregrinus ego ſum vobiſcum: date mihi poſſeſſionem ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum à facie mea.*
5 *Et reſponderunt filij Heth ad Abraham, dicendo ei:*
6 *Acquieſce nobis, domine noſter: princeps coram Deo tu es inter nos: in meliori ſepulchrorum noſtrorum ſepeli mortuum tuum. Non prohibebit vir ex nobis ſepulchrum ſuum à te; quin ſepelias mortuum tuum.*
7 *Et ſurrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth.*
8 *Locutuſque eſt cum eis, dicens: Si eſt voluntas animæ veſtræ, vt ſepeliam mortuum meum à facie mea, acquieſcite mihi; & rogate pro me Ephron filium Seor;*
9 *Vt det mihi ſpeluncam duplicem ſuam, quæ eſt in latere agri ſui: pecunia digna tradat eam mihi inter vos in poſſeſſionem ſepulchri.*
10 *Ephron autem ſtabat in medio filiorum Heth: & reſpondit Ephron Ethæus ad Abraham coram filijs Heth, ingredientibus portam ciuitatis illius, dicens:*
11 *Nequaquam, domine mi: ſed acquieſce mihi: agrum tibi dabo, & ſpeluncam quæ in eo eſt tibi dabo: corā filijs populi mei tradam eam tibi: ſepeli mortuū tuū.*
12 *Et adorauit Abraham coram populo terræ.*
13 *Et locutus eſt cū Ephrō corā populo terræ, dicēs: Si tu vtiq; facis mecū miam, acquieſce mihi: dabo pecuniā ꝑ agro, accipe illā à me, vt ſepeliā ibi mortuū meum.*
14 *Reſponditque Ephron ad Abraham, dicens ei:*
15 *Domine mi, acquieſce mihi: terra quæ valet quadringentos ſiclos argenti, inter me & te quæ eſt? & mortuum tuum ſepeli.*
16 *Et acquieuit Abraham Ephron: & appendit Abraham argentum, quod Ephron locutus fuerat coram filijs Heth, quadringētos ſiclos argenti, quod recipiebatur pro mercimonijs in vnaquaque prouincia.*
17 *Et confirmatus eſt ager Ephron, in quo eſt ſpelunca duplex, quæ eſt ante Mamre: tam ager quàm ſpelunca quæ in eo eſt, & omnes arbores quæ ſunt in agro, & in omni termino eius per circuitum:*
18 *Abrahæ in emptionem, videntibus omnibus filijs Heth, qui intrabant portam ciuitatis illius.*
19 *Et poſt hæc ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca duplici, in agro qui eſt contra faciem Mamre. ipſa eſt Hebron in terra Chanaan.*
20 *Confirmatuſque eſt ager, & ſpelunca quæ in eo eſt, Abrahæ in poſſeſſionem ſepulchri à filijs Heth.*

### C A P. XXIIII.

1 *ET Abraham erat ſenex, prouectuſque ætatis: & Dominus benedixit Abraham in omnibus.*
2 *Dixitque Abraham ſeruo ſuo ſeniori domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone nunc manum tuam ſubter femur meum:*
3 *Et adiurabo te per verbum Domini Dei cœli & Dei terræ, quòd non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito.*
4 *Sed ad terram meam, & ad generationem meam ibis: & accipies vxorem filio meo Iſaac.*
5 *Dixitque ei ſeruus: Fortè nolet mulier venire poſt me in terram hanc: numquid reducens reducam filium tuum ad terram de qua egreſſus es?*
6 *Et dixit ei Abraham: Caue ne fortè reducas filium meum illuc.*
7 *Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ: & qui locutus eſt mihi, & qui iurauit mihi, dicens: Filijs tuis dabo terram hanc, ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies vxorem filio meo inde.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Sin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantum ne reducas illuc.

9 Poſuit ergo ſeruus manum ſub femore Abraham domini ſui & iurauit illi ſuper ſermone hoc.

10 Tulitque decem camelos de grege domini ſui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans ſecum; profectuſque perrexit in Meſopotamiam ad vrbem Nachor.

11 Cumque camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ veſpere, tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:

12 Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum domino meo Abraham.

13 Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam.

14 Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam quod feceris miſericordiam cum domino meo.

15 Necdum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in ſcapula ſua:

16 Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur.

17 Occurritque ei ſeruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

18 Quæ reſpondit: Bibe domine mi. Celeriterque depoſuit hydriam ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum.

19 Cumque ille bibiſſet, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

20 Effundenſque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam: & hauſtam omnibus camelis dedit.

21 Ipſe autem contemplabatur eam tacitus, ſcire volens vtrum proſperum iter ſuum feciſſet Dominus, an non.

22 Poſtquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem.

23 Dixitque ad eam: Cuius es filia? Indica mihi: eſt in domo patris tui locus ad manendum?

24 Quæ reſpondit: Filia ſum Bathuelis, filij Melchę, quem peperit ipſi Nachor.

25 Et addidit, dicens: Palearum quoque & fęni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendū.

26 Inclinauit ſe homo, & adorauit Dominum,

27 Dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui nō abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam a domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

28 Cucurrit itaque puella, & nunciauit in domum matris ſuæ omnia quæ audierat.

29 Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui feſtinus egreſſus eſt ad hominem, vbi erat fons.

30 Cumque vidiſſet inaures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis: Hæc locutus eſt mihi homo: venit ad virum, qui ſtabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et ſi noluerit mulier pergere poſt te, mundus eris à iuramento meo iſto, dumtaxat filium meum non reducas illuc.*

9 *Et poſuit ſeruus manum ſuam ſub femore Abraham domini ſui, & iurauit ei ſuper re hac.*

10 *Et cepit ſeruus decem camelos è camelis domini ſui, & perrexit, & de omni bono domini ſui erat in manu eius: & ſurrexit, & perrexit in Aram Naharaim ad ciuitatem Nachor.*

11 *Et genuflectere fecit camelos extra ciuitatem ad puteum aquæ tempore veſpertino, tempore quo egrediuntur, quæ hauriunt. Et dixit:*

12 *Domine Deus domini mei Abraham occurrere fac nunc coram me hodie: & fac miſericordiam cum domino meo Abraham.*

13 *Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ, & filiæ virorum ciuitatis egrediuntur ad hauriendum aquam.*

14 *Et erit, puella ad quam dixero, inclina nunc hydriam tuam, & bibam, & dixerit, bibe, & etiam camelis tuis potum dabo, ipſam præparaſti ſeruo tuo Iſchac: & in hoc ſciam ſi feceris miſericordiam cum domino meo.*

15 *Et fuit, ipſe antequam compleuiſſet loqui, ecce Ribcah egrediebatur, quæ nata erat Bethuel filio Milchah vxoris Nachor fratris Abraham, & hydria eius erat ſuper humerum eius.*

16 *Et puella erat pulchra aſpectu valde, virgo, & vir non cognouerat eam: & deſcendit ad fontem, & impleuit hydriam ſuam, & aſcendit.*

17 *Et cucurrit ſeruus in occurſum eius, & dixit: Potum da mihi nunc parum aquæ de hydria tua.*

18 *Et dixit: Bibe domine mi. Et feſtinauit, & deſcendere fecit hydriam ſuam ſuper manum ſuam, & potum dedit ei.*

19 *Et compleuit potum dare ei. Et dixit: Etiam camelis tuis hauriam, donec compleuerint bibere.*

20 *Et feſtinauit, & effudit hydriam ſuam in canale, & cucurrit adhuc ad puteum, vt hauriret, & hauſit omnibus camelis eius.*

21 *Et vir ſtupebat in ea tacens, vt ſciret vtrum proſperari feciſſet Dominus viam ſuam, an non.*

22 *Et fuit, cum compleuiſſent cameli bibere, tulit vir inaurem auream, ſemiſſis pondus eius, & duas armillas, decem aurei pondus earum.*

23 *Et dixit: Filia cuius es? Indica nunc mihi: numquid eſt in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum?*

24 *Et dixit ad eum: Filia Bethuel ſum filij Milchah, quem peperit ipſi Nachor.*

25 *Et dixit ad eum: Et palea, etiam pabulum multum eſt nobiſcum, etiam locus ad pernoctandum.*

26 *Et incuruauit ſe vir, & genuflexit Domino.*

27 *Et dixit. Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non dereliquit miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam à domino meo. Peregrinantem, duxit me Dominus ad domum fratris domini mei.*

28 *Et cucurrit puella, & nunciauit domui matris ſuæ ſecundum verba hæc.*

29 *Et ipſi Ribcah erat frater, & nomen eius Laban, & cucurrit Laban ad virum foras ad fontem.*

30 *Et fuit: Cum vidiſſet inaurem, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & cum audiſſet ipſe verba Ribcah ſororis ſuæ dicendo, ſic locutus eſt ad me vir, venit ad virum: & ecce ſtabat iuxta camelos, iuxta fontem.*



UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Quod ſi noluerit mulier tecum venire in terram hanc ; purus eris à iuramento meo : tantummodo filium meum ne reuoces illuc. | 8 | 8 | *Et ſi noluerit mulier venire poſt te, eris innocens à maledictione mea hac : tantummodo filium meum ne reducas illuc.* |
| Et poſuit puer manum ſuam ſub femore Abraham domini ſui : & iurauit ei de verbo hoc. | 9 | 9 | *Et poſuit ſeruus manum ſuam ſub femore Abraham domini ſui : & iurauit illi ſuper verbo hoc.* |
| Et ſumpſit puer decem camelos de camelis domini ſui, & de omnibus bonis domini ſui ſecum : & ſurgens perrexit in Meſopotamiam ad ciuitatem Nachor. | 10 | 10 | *Et tulit ſeruus decem camelos de camelis domini ſui : & abijt, & omnia optima domini ſui portans in manu ſua : & ſurrexit, & abijt in Syriam, quæ eſt iuxta Euphratem, in ciuitatem Nachor.* |
| Et fecit accumbere camelos extra ciuitatem iuxta puteum aquæ, ad veſperum, quando egrediuntur aquatrices : Et dixit : | 11 | 11 | *Et accumbere fecit camelos extra ciuitatem, iuxta puteum aquæ, in tempore veſpertino, in quo mulieres egrediuntur ad hauriendam aquam. Et ait :* |
| Domine Deus domini mei Abraham proſpere dirige coram me hodie : & fac miſericordiam cum domino meo Abraham. | 12 | 12 | *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie ; & fac miſericordiam cum domino meo Abraham.* |
| Ecce ego ſteti ſuper fontem aquæ: filiæ autem habitantium ciuitatem egrediuntur ad hauriendum aquam. | 13 | 13 | *Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ hominum ciuitatis egrediuntur ad hauriendum aquam.* |
| Et erit : virgo, cuicunque dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam: & dixerit mihi, bibe tu, & camelos tuos adaquabo, quoadusque bibere deſinent ; hanc paraſti puero tuo Iſaac ; & in hoc cognoſcam, quia feciſti miſericordiam cum domino meo Abraham. | 14 | 14 | *Et erit puella cui dixero : Inclina obſecro hydriam tuam vt bibam : & dixerit, bibe, & camelos quoque tuos adaquabo ; ipſam præparaſti ſeruo tuo Iſaac : & in hoc ſciam, quod feciſti miſericordiam cum domino meo.* |
| Et factum eſt, priuſquã ipſe conſummaret loquens in mente ſua, & ecce Rebecca egrediebatur, quæ nata erat Bathuel filio Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam ſuper humeros ſuos. | 15 | 15 | *Et factum eſt antequam ille ceſſaſſet loqui, ecce Rebecca egrediebatur, quæ nata eſt Bathuel, filio Melchæ vxoris Nachor, fratris Abrahæ, & hydria ſua ſuper humerum eius.* |
| Virgo autẽ erat ſpecioſa aſpectu valde: virgo erat : vir non cognouerat eam : deſcendens autem ad fontem impleuit hydriam ſuam, & aſcendit. | 16 | 16 | *Et puella erat pulchra aſpectu valde, virgo, & vir non cognouerat eam : & deſcendit ad fontem, & impleuit hydriam ſuam, & aſcendit.* |
| Accurrit autem puer obuiam ei, & dixit : Pota me paululum aquæ de hydria tua. | 17 | 17 | *Et cucurrit ſeruus in occurſum eius, & ait : Fac me guſtare, obſecro, paululum aquæ de hydria tua.* |
| Illa vero dixit : bibe Domine. Et feſtinauit: & depoſuit hydriam ſuper brachium ſuum : & potauit eum, quoad vſque ceſſauit bibens. | 18 | 18 | *Et ait : Bibe, domine mi. Et feſtinauit, & depoſuit hydriam ſuper manum ſuam ; & dedit ei bibere.* |
| Et dixit : & camelis tuis hauriam aquam, quoad vſque omnes biberint. | 19 | 19 | *Et cum ceſſaſſet bibere, dixit : Etiam camelis tuis hauriam, donec ceſſent bibere.* |
| Et feſtinauit, & euacuauit hydriam in canalem : & cucurrit ad puteum ad hauriendum rurſus: & hauſit aquam omnibus camelis. | 20 | 20 | *Et feſtinauit, & effudit hydriam ſuam in canali : & cucurrit iterum ad puteum ad hauriendum, & hauſit omnibus camelis eius.* |
| Homo autem conſiderabat eam, & tacebat, ad cognoſcendum, ſi proſperaſſet Dominus viam eius, an non. | 21 | 21 | *Vir autem admirabatur eam tacitus cõtemplando, vt ſciret vtrum proſperaſſet Dominus viam ſuam, an non.* |
| Factum eſt autem, poſtquam ceſſarunt omnes cameli bibentes, ſumpſit homo inaures aureas ſingularum drachmarum ponderis, & duas virias in manus eius : decem aureorum pondus earum. | 22 | 22 | *Et factum eſt quando ceſſauerunt bibere cameli, tulit vir inaurem auream appendentem ſiclum vnum, & duas armillas ſuper manus eius, appendentes decem ſiclos auri.* |
| Et interrogauit eam, & dixit : Filia cuius es? Annuncia mihi, ſi eſt apud patrem tuum locus nobis ad diuertendum. | 23 | 23 | *Et ait : Cuius filia es tu? Indica, obſecro, mihi : ſi eſt in domo patris tui locus ſufficiens nobis ad manendum.* |
| At illa dixit ei : Filia Bathuel ſum filij Melchæ, quem peperit ipſi Nachor. | 24 | 24 | *Et dixit ei : Filia Bathuelis ego ſum, filij Melchæ, quem peperit de Nachor.* |
| Et dixit ei : Et paleæ & pabula multa apud nos, & locus ad diuertendum. | 25 | 25 | *Et ait ei : Etiam palearum & pabuli multum eſt apud nos : locus quoque ſufficiens ad manendum.* |
| Et benedicens homo, adorauit Dominum, | 26 | 26 | *Et flexit vir genua ſua : & adorauit coram Domino.* |
| Et dixit : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham ; qui non dereliquit iuſtitiam ſuam, & veritatem à domino meo : meque proſpere deduxit Dominus in domum fratris domini mei. | 27 | 27 | *Et ait : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non dimiſit miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam à domino meo : & recta via duxit me Dominus in domum fratris domini mei.* |
| Et currens puella nunciauit in domum matris ſuæ ſecundum verba hæc. | 28 | 28 | *Et cucurrit puella, & nunciauit in domo matris ſuæ verba hæc.* |
| Rebeccæ autem frater erat, cui nomen Laban : & cucurrit Laban ad hominem foras ad fontem. | 29 | 29 | *Erat autem Rebeccæ frater, & nomen eius Laban : & cucurrit Laban ad virum foras ad fontem.* |
| Et factum eſt, poſtquam vidit inaures, & virias in manibus ſororis ſuæ, & quando audiuit verba Rebeccæ ſororis ſuæ, dicentis, ſic locutus eſt mihi homo ; & venit ad hominem, ſtante illo ſuper camelos ſuper fontem. | 30 | 30 | *Et factum eſt, cum vidiſſet inaurem & armillas in manibus ſororis ſuæ, & cum audiſſet verba Rebeccæ ſororis ſuæ, dicentis : Hæc locutus eſt mecum vir : venitque ad virum ; & ecce ſtabat iuxta camelos prope fontem.* |

| Vulgat-Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris ſtas? præparaui domum, & locum camelis. | 31 | 31 | *Et dixit: Ingredere benedicte domini. Vt quid manes foris? Et ego paraui domum, & locum camelis.* |
| Et introduxit eum in hoſpitium: ac deſtrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo. | 32 | 32 | *Et venit vir ad domum, & ſoluit camelos, & dedit paleam, & pabulum camelis, & aquam ad lauandum pedes eius, & pedes virorum, qui erant ſecum.* |
| Et appoſitus eſt in conſpectu eius panis: Qui ait: Non comedam, donec loquar ſermones meos. Reſpondit ei: Loquere. | 33 | 33 | *Et poſitum eſt coram eo, vt comederet, & dixit: Non comedam, donec loquar verba mea. Et dixit: Loquere.* |
| At ille. Seruus, inquit Abraham ſum: | 34 | 34 | *Et dixit: Seruus Abraham ſum.* |
| Et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatuſque eſt: & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, ſeruos & ancillas, camelos & aſinos. | 35 | 35 | *Dominus benedixit domino meo valde, & magnificatus eſt, & dedit ei pecudes, & boues, & argentum, & aurum, & ſeruos, & ancillas, & camelos, & aſinos.* |
| Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in ſenectute ſua, deditque illi omnia quæ habuerat: | 36 | 36 | *Et peperit Sarah vxor domini mei filium domino meo poſt ſenectutem ſuam, & dedit ei omnia, quæ ſunt ei.* |
| Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: | 37 | 37 | *Et iurare fecit me dominus meus dicendo: Non capies vxorem filio meo de filiabus Chananæi, in cuius terra ego habito.* |
| Sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo: | 38 | 38 | *Sed ad domum patris mei perges, & ad familiam meam, & capies vxorem filio meo.* |
| Ego vero reſpondi domino meo: Quid ſi noluerit venire mecum mulier? | 39 | 39 | *Et dixi domino meo. Forſitan non perget mulier poſt me.* |
| Dominus, ait, in cuius conſpectu ambulo, mittet Angelum ſuum tecum, & diriget viam tuam: accipieſque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. | 40 | 40 | *Et dixit ad me: Dominus in cuius conſpectu ambulaui mittet Angelum ſuum tecum, & ſecundabit viam tuam: & capies vxorem filio meo de familia mea, & de domo patris mei.* |
| Innocens eris à maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi. | 41 | 41 | *Tunc mundus eris à iuramento meo, ſi veneris ad familiam meam: & ſi non dederint tibi, eris mundus à iuramento meo.* |
| Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, ſi direxiſti viam meã, in qua nunc ambulo, | 42 | 42 | *Et veni hodie ad fontem, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, ſi tu nunc ſecundas viam meã, per quam ego ambulo.* |
| Ecce ſto iuxta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: | 43 | 43 | *Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ, & erit virgo, quæ egredietur ad hauriendum, & dixero ei, propina mihi quæſo parum aquæ de hydria tua.* |
| Et dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipſa eſt mulier quam præparauit Dominus filio domini mei. | 44 | 44 | *Et dixerit mihi, etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriam, ipſa eſt vxor, quam præparauit dominus filio domini mei.* |
| Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in ſcapula: deſcenditque ad fontem, & hauſit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere. | 45 | 45 | *Ego antequam complerem loqui in corde meo; ecce Ribcah egrediebatur, & hydria eius erat ſuper humerum eius: & deſcendit in fontem, & hauſit. Et dixi ad eam: Da mihi potum nunc.* |
| Quæ feſtinans depoſuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit camelos. | 46 | 46 | *Et feſtinauit, & deſcendere fecit hydriam ſuam deſuper ſe, & dixit: Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo: & bibi, & etiam camelis dedit potum.* |
| Interrogauiq; eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ reſpondit: Filia Bathuelis ſum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suſpẽdi itaque inaures ad ornandã faciem eius, & armillas poſui in manibus eius. | 47 | 47 | *Et interrogaui eam & dixi: Filia cuius es? Et dixit: Filia Bethuel filij Nachor quem pepererat ei Milcah. Et poſui inaurem ſuper faciem eius, & armillas ſuper manus eius.* |
| Pronuſque adoraui Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt ſumerem filiam fratris domini mei filio eius. | 48 | 48 | *Et inclinaui me, et incuruaui me Domino, & benedixi Domino Deo domini mei Abraham; qui duxit me per viam veritatis, vt caperem filiam fratris domini mei filio eius.* |
| Quamobrẽ ſi facitis miſericordiam, & veritatem cũ dño meo indicate mihi: ſin aũt aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, ſiue ad ſiniſtrã. | 49 | 49 | *Et nunc ſi facitis miſericordiam, & veritatem cum domino meo, indicate mihi. Et ſi non, indicate mihi, & vertam me ad dexteram, vel ad ſiniſtram.* |
| Reſponderuntque Laban & Bathuel: A Domino egreſſus eſt ſermo: non poſſumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. | 50 | 50 | *Et reſponderunt Laban & Bethuel, & dixerunt: A domino egreſſa eſt res: non poſſumus loqui ad te malum, vel bonum.* |
| En Rebecca coram te eſt: tolle eam, & proficiſcere: & ſit vxor filij domini tui, ſicut locutus eſt Dominus. | 51 | 51 | *Ecce Ribcah coram te: accipe, & vade: & ſit vxor filio domini tui, quemadmodum locutus eſt Dominus.* |
| Quod cum audiſſet puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum. | 52 | 52 | *Et fuit, quando audiuit ſeruus Abraham verba eorum, incuruauit ſe ſuper terram Domino.* |



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

31 Et dixit ei : Heus ingredere Benedictus Domini : vt quid ſtetiſti foris ? ego autem paraui domum & locum camelis.

32 Intrauit autem homo in domum : & deſtrauit camelos, & dedit paleas & pabula camelis, & aquam ad lauandum pedibus ipſius, & pedibus virorum, qui cum eo.

33 Et appoſuit eis panes ad manducandum. Et dixit : Non manducabo, donec ego locutus fuero verba mea. Et dixit : Loquere.

34 Et dixit : Puer Abraham ego ſum.

35 Dominus autem benedixit dominum meum valde : & exaltatus eſt, & dedit ei oues & vitulos, & argentum & aurum, pueros & ancillas, camelos & aſinos.

36 Et peperit Sara vxor domini mei filium vnum domino meo, poſt quam ipſe ſenuit : & dedit ei omnia quæ erant ſibi.

37 Et adiurauit me dominus meus dicens : Non ſumes vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito in terra eorum.

38 Sed in domum patris mei ibis, & ad tribum meam : & ſumes vxorem filio meo inde.

39 Dixi autem domino meo : ne forte non eat mulier mecum.

40 Et dixit mihi : Dominus Deus, cui placui ante ipſum, ipſe mittet Angelum ſuum tecum, & proſperabit viam tuam : & ſumes vxorem filio meo de tribu mea, & de domo patris mei :

41 Tunc innocens eris à maledicto meo. Quando cûque enim veneris ad tribum meam, & tibi non dederint ; & eris innocens à iuramento meo.

42 Et veniens hodie ad fontem dixi : Domine Deus domini mei Abraham, ſi tu proſperas viam meam, in qua nunc ego ambulo in ea :

43 Ecce ego ſteti ſuper fontem aquæ : & filiæ hominum ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam : & erit virgo, cui ego dixero : Da mihi bibere de hydria tua puſillum aquæ ;

44 Et dixerit, & tu bibe, & camelis tuis hauriã ; hæc eſt mulier, quam parauit Dominus famulo ſuo Iſaac : & in hoc cognoſcam, quia feciſti miſericordiam domino meo Abraham.

45 Et factum eſt priuſquam ego conſummarem loquens in mente mea ; ſtatim Rebecca egrediebatur habens hydriam ſuper humeros : & deſcendit ad fontem, & hauſit aquam. Dixi autem ei : pota me :

46 Et feſtinans depoſuit hydriam ſuper brachium ſuum à ſe ipſa, & dixit : bibe tu, & camelos tuos potabo : & bibi, & camelos potauit.

47 Et interrogaui eam, & dixi : filia cuius es ? nuncia mihi : At illa dixit : Filia ſum Bathuel filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et circumpoſui ei inaures, & virias circa manus eius :

48 Et benedicens adoraui Dominum : & benedixi Dominum Deum domini mei Abraham, qui proſperauit me in via veritatis ad ſumendam filiam fratris domini mei filio ipſius.

49 Si ergo facitis vos miſericordiam, & iuſtitiam ad dominum meum : ſin autem non ; renunciate mihi, vt redeam ad dexteram, aut ſiniſtram.

50 Reſpondens autem Laban & Bathuel dixerunt : à Domino exijt res hæc : non poterimus tibi contradicere malum, vel bonum.

51 Ecce Rebecca in conſpectu tuo : accipiens recurre : & ſit vxor filio domini tui, quemadmodum locutus eſt Dominus.

52 Factum eſt autem, cum puer Abraham audiret verba hæc, adorauit ſuper terram Dominum.

Et pro-

## Chald. Paraph. Tranſl.

31 *Et ait : Ingredere, benedicte Domini : cur ſtas foris ? ego autem præparaui domum, & locum aptum camelis.*

32 *Et ingreſſus eſt vir in domum, & ſoluit cameles, & dedit paleas & pabulum camelis ; & aquam ad lauandos pedes eius, & pedes virorum qui erant cum eo.*

33 *Et poſuerunt coram eo cibum : & ait : Non comedam, donec loquar ſermones meos. Et dixit : Loquere.*

34 *Et ait : Seruus Abrahæ ego ſum.*

35 *Et Dominus benedixit domino meo valde : & magnificatus eſt : & dedit ei oues & boues, & argentum & aurum, & ſeruos, & ancillas, & camelos & aſinos.*

36 *Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo poſtquam ſenuit : deditque illi omnia quæ habebat.*

37 *Et adiurauit me dominus meus, dicens : Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra ego habito :*

38 *Sed ad domum patris mei ibis, & ad cognationem meam ; & accipies vxorem filio meo.*

39 *Et dixi domino meo : Fortè non veniet mulier poſt me.*

40 *Et dixit mihi : Dominus in cuius conſpectu ego ſeruio, mittet Angelum ſuum tecum, & diriget viam tuam : & Accipies vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei.*

41 *Tunc eris innocens à maledictione mea, quãdo ieris ad cognationem meam : & ſi non dederint tibi, eris innocens à maledictione mea.*

42 *Et veni hodie ad fontem : & dixi : Domine Deus domini mei Abraham, ſi eſt voluntas coram te, vt dirigas viam meam in qua nunc ego ambulo.*

43 *Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ : & erit puella quæ egreſſa fuerit ad hauriendum : & dixero ei : Da mihi, obſecro, paululum aquæ ad bibendum de hydria tua :*

44 *Et dixerit mihi : Tu quoque bibe, & etiam camelis tuis hauriam : ipſa eſt mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei.*

45 *Antequam ceſſarem loqui cum corde meo ; ecce Rebecca egrediebatur, & hydria ſua ſuper humerum eius erat : deſcenditque ad fontem, & impleuit illam. Et dixi ei : da mihi bibere, obſecro.*

46 *Et feſtinauit, & depoſuit hydriam ſuam deſuper ſe : & dixit : Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo : & bibi, camelos quoque adaquauit.*

47 *Et interrogaui eam, & dixi : Cuius filia es tu ? & ait ; Filia Bathuelis, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. & poſui inaurem ſuper faciem eius, & armillas ſuper manus eius.*

48 *Et flexi genua, & adoraui coram Domino : & benedixi domino Deo domini mei Abraham, qui duxit me in viam rectam, vt acciperem filiam fratris domini mei filio ſuo.*

49 *Et nunc ſi vos facitis miſericordiam & veritatem cum domino meo, annunciate mihi : ſi autem non, iudicate mihi, et diuertam ad dexterã, aut ad ſiniſtrã.*

50 *Reſponditque Laban & Bathuel, & dixerunt : à facie Domini egreſſus eſt ſermo : non poſſumus nos loqui tecum malum, aut bonum.*

51 *Ecce Rebecca coram te eſt : tolle eam, & vade ; & ſit vxor filio domini tui, ſicut locutus eſt Dominus.*

52 *Et factum eſt cum audiſſet ſeruus Abrahæ verba eorum adorauit in terra coram Domino.*

 Et pro-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

53 Prolatiſque vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere; fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.
54 Inito conuiuio, veſcentes pariter, & bibentes manſerunt ibi. Surgens autem mane, locutus eſt puer: Dimittite me, vt vadam ad Dominum meum.
55 Reſponderuntque fratres eius, & mater. Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur.
56 Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me vt pergam ad Dominum meum.
57 Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.
58 Cumque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cũ homine iſto? Quæ ait: Vadam.
59 Dimiſerunt ergo eam, & nutricem illius, ſeruumque Abraham, & comites eius,
60 Imprecantes proſpera ſorori ſuæ, atque dicentes: Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.
61 Igitur Rebecca, & puellæ illius aſcenſis camelis, ſecutæ ſunt virum: qui feſtinus reuertebatur ad Dominum ſuum.
62 Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viã quæ ducit ad Puteum, cuius nomen eſt Viuentis, & videntis: habitabat enim in terra Auſtrali:

Sup.16.14

63 Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cumque eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul.
64 Rebecca quoque, conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo,
65 Et ait ad puerum: Quis eſt ille homo qui venit per agrum in occurſum nobis? Dixitque ei: Ipſe eſt Dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit ſe.
66 Seruus autem cuncta, quæ geſſerat, narrauit Iſaac.
67 Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem: & in tantum dilexit eam; vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

### CAP. XXV.

1.Par.1.32

1 ABraham vero aliam duxit vxorem nomine Ceturam:
2 Quæ peperit ei Zamran & Iecſan, & Madan, & Madian, & Ieſboc, & Sue.
3 Iecſan quoque genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt Aſſurim, & Latuſim, & Loomim.
4 At vero ex Madian ortus eſt Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: Omnes hi filij Ceturæ.
5 Deditque Abraham cuncta, quæ poſſederat, Iſaac:
6 Filijs autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret, ad plagam Orientalem.
7 Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta quinque anni.
8 Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum.
9 Et ſepelierunt eum Iſaac & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi, e regione Mambre,

Quem

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

53 *Et protulit ſeruus vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & dedit ipſi Ribchah, & precioſa dedit fratri eius, & matri eius.*
54 *Et comederunt, & biberunt, ipſe, & viri, qui erant cum eo, & pernoctauerunt, & ſurrexerunt mane. Et dixit: Dimitte me ad Dominum meum.*
55 *Et dixit frater eius, & mater eius. Maneat puella nobiſcum per dies ſaltem decem, poſtea ibis.*
56 *Et dixit ad eos. Ne retardetis me. Et Dominus ſecundauit viam meam. Dimittite me, vt vadam ad Dominum meum.*
57 *Et dixerunt: Vocemus puellam, & interrogemus os eius.*
58 *Et vocauerunt Ribchah, & dixerunt ad eam. Nunquid ibis cum viro iſto? Et dixit: Ibo.*
59 *Et dimiſerunt Ribchah ſororem ſuam, & nutricem eius, & ſeruum Abraham, & viros eius.*
60 *Et benedixerunt Ribchah, & dixerunt ei: Soror noſtra es: Sis in millia milium. Et hereditet ſemen tuum portam odio habentium eum.*
61 *Et ſurrexerunt Ribchah, & puella eius, & aſcenderunt ſuper camelos, & perrexerunt poſt virum. Et tulit ſeruus Ribchah, & abijt.*
62 *Et Iſchac veniebat à veniendo de Puteo Viuentis videntis me: & ipſe manebat in terra Meridiana.*
63 *Egreſſus erat Iſchac ad orandum in agro, dum declinaret veſpera, & eleuauit oculos ſuos, & vidit, & ecce cameli venientes.*
64 *Et eleuauit Ribchah oculos ſuos, & vidit Iſchac, & iallauit ſe de camelo.*
65 *Et dixit ad ſeruum: Quis eſt vir iſte qui ambulat per agrum in occurſum noſtrum? Et dixit ſeruus: Ipſe eſt Dominus meus. Et accepit operimentum & operuit ſe.*
66 *Et narrauit ſeruus ipſi Iſchac omnia quæ fecerat.*
67 *Et introduxit eam Iſchac in tabernaculum Sarah matris ſuæ, & accepit Ribchah, & fuit ei in vxorem, & dilexit eam: & conſolatus eſt ſe Iſchac poſt matrem ſuam.*

### CAP. XXV.

1 *ET addidit Abraham: & accepit vxorem, & nomen eius Chethurah.*
2 *Et peperit ei Zimran, & Iockſan, & Medan, & Midian, & Iſbach, & Suach.*
3 *Et Iockſan genuit Seba, & Dedan. Et filij Dedan fuerunt Aſſurim, & Letuſim, & Leummim.*
4 *Et filij Midiam Hephah, & Hepher, & Chanoch, & Abidah, & Eldaah: Omnes iſti filij Chetura.*
5 *Et dedit Abraham omnia, quæ erant ſibi ipſi Iſchac.*
6 *Et filijs concubinarum, quæ erant ipſi Abraham dedit Abraham dona, & emiſit eos ab Iſchac filio ſuo, adhuc ipſo viuente, ad Orientẽ, ad terrã Orientalẽ.*
7 *Et iſti ſunt dies annorũ vitæ Abraham quos vixit. Centũ annos, & ſeptuaginta annos, & quinq; annos.*
8 *Et obijt, & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex, & ſaturus, & congregatus eſt ad populos ſuos.*
9 *Et ſepelierunt eum Iſchac, & Iſmahel filij eius in ſpelunca duplici in agro Hephron filij Sechar Chittæi, quæ eſt ante Mamre.*

*Agro,*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

53 Et proferens puer vaſa argentea, & aurea, & veſtem, dedit Rebeccæ: & dona dedit fratri eius, & matri eius.
54 Et manducauerunt & biberunt, & ipſe, & viri, qui cum eo erant, & dormierunt. Et ſurgens mane dixit: Dimitte me, vt redeam ad dominum meum.
55 Dixerunt autem frater eius, & mater: Maneat virgo nobiſcum ad decem dies: & poſteà abibit.
56 At ille dixit ad eos: Ne retineatis me: & Dominus proſperauit viam meam in me: dimittite me, vt abeam ad dominum meum.
57 Illi autem dixerunt: Vocemus puellam, & interrogemus os eius.
58 Et vocauerunt Rebeccam, & dixerunt ei: Ibis cum homine hoc? At illa dixit: ibo.
59 Et dimiſerunt Rebeccam ſororem ſuam, & ſubſtantiam eius? & ſeruum Abraham, & eos, qui cum eo:
60 Et benedixerunt Rebeccam, & dixerunt ei: Soror noſtra es, eſto in millia decem millium: & hæreditatem obtineat ſemen tuum ciuitates aduerſariorum.
61 Surgens autem Rebecca, & ancillæ eius aſcenderunt ſuper camelos, & iuerunt cum homine: Et accipiens puer Rebeccam abijt.
62 Iſaac autem deambulabat per deſertum iuxta puteum viſionis: & ipſe habitabat in terra, quæ ad Africum:
63 Et egreſſus eſt Iſaac, exerceri in campo ad veſperam. Et reſpiciens oculis ſuis, vidit camelos venientes.
64 Et reſpiciens Rebecca oculis vidit Iſaac: & deſilijt de camelo,
65 Et dixit puero: Qui eſt homo ille, qui ambulat in campo in occurſum nobis? Dixit autem puer: Hic eſt Dominus meus. At illa ſumens theriſtrum operuit ſe.
66 Et narrauit puer ipſi Iſaac omnia verba, quæ fecerat.
67 Intrauit autem Iſaac in domum matris ſuæ: Et accepit Rebeccam: & facta eſt eius vxor: & dilexit eam, & conſolatus eſt ſe Iſaac de Sara matre ſua.

### C A P. XXV.

1 ADijciens autem Abraham ſumpſit vxorem, cui nomen Chettura.
2 Peperit autem ei Zombran, & Iezan, & Madal, & Madian, & Ieſboc, & Soie.
3 Iezan autem genuit Saba, & Dedan. Filij autem Dedan, Aſſurijm, & Latuſijm, & Laomim.
4 Filij autem Madian Gephar, & Aphir, & Enoch, & Abida, & Eldaga: Omnes hi erant filij Chetturæ.
5 Et dedit Abrahã vniuerſa, quæ habuit, Iſaac filio ſuo:
6 Et filijs concubinarum ſuarum dedit Abraham munera: & dimiſit eos ab Iſaac filio ſuo, cũ adhuc ipſe viueret, ad Orientem, ad terram Orientis.
7 Hi vero ſunt anni dierum vitæ Abraham, quos vixit, centum ſeptuaginta quinque anni.
8 Et deficiens mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & plenus dierum. Et appoſitus eſt ad populum ſuum:
9 Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filij eius in ſpelunca duplici, in agro Ephron filij Saar Chettæi, qui eſt è regione Mambre: agro & ſpelunca,



## Chald. Paraph. Transl.

53 *Et protulit ſeruus vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & dedit Rebeccæ; & munera dedit fratri eius, & matri.*
54 *Et comederunt & biberunt, ille & viri qui erant cũ eo & dormierunt, & ſurrexerunt manè. Et dixit: Mittite me ad dominum meum.*
55 *Et dixit frater eius, & mater: Maneat puella nobiſcum aliquo tempore, aut decem dies; & poſteà ibit.*
56 *Et dixit eis: Ne retineatis me: Dominus autem direxit viam meam: dimittite me, vt vadam ad dominum meum.*
57 *Dixeruntque: Vocemus puellam, & audiamus quid ipſa dicat.*
58 *Vocaueruntque Rebeccam, & dixerunt ei: Nunquid ibis cum viro illo? & dixit: Vadam.*
59 *Dimiſeruntque Rebeccam ſororem ſuam, & nutricem eius, & ſeruum Abrahæ, & viros eius.*
60 *Et benedixerunt Rebeccæ, atque dixerunt ei: Soror noſtra, tu ſis in millia millium: & poſſideant filij tui ciuitates inimicorum ſuorum.*
61 *Et ſurrexit Rebecca, & puellæ eius, & aſcenderunt ſuper camelos; & ibant poſt virum: & tulit ſeruus Rebeccam, & abijt.*
62 *Iſaac autem veniebat de puteo ſuper quo Angelus vitæ apparuit: & ipſe habitabat in terra Auſtrali.*
63 *Et egreſſus eſt Iſaac ad orandum in agro in tempore veſpertino: & leuauit oculos ſuos, & vidit, & ecce cameli veniebant.*
64 *Et leuauit oculos ſuos Rebecca, & vidit Iſaac; & inclinauit ſe ſuper camelum.*
65 *Et ait ſeruo: Quis eſt vir ille, qui ambulat in agro in occurſum noſtrum? Et ait ſeruus: Ipſe eſt Dominus meus: Et tulit pallium, & operuit ſe.*
66 *Et narrauit ſeruus Iſaac omnia, quæ fecerat.*
67 *Et introduxit eam Iſaac in tabernaculũ: Et vidit: & ecce opera eius recta erãt, ſicut opera Saræ matris ſuæ. Et accepit Rebeccã, & fuit ei vxorẽ: & dilexit eã: & cõſolatus eſt Iſaac poſtquã mortua ẽ mater eius.*

### C A P. XXV.

1 *ET addidit Abraham, & accepit vxorem; & nomen eius Cethura.*
2 *Et peperit ei Zamran, & Ieſſan, & Madan, & Madian, & Ieſboch, & Sue.*
3 *Ieſſan autem genuit Saba, & Dadan. Filij autem Dadan fuerunt in caſtris, & in tabernaculis, & in inſulis.*
4 *Et filij Madian, Epha, & Epher, & Enoch, & Abida, & Heldaa: Omnes hi filij Cethuræ.*
5 *Et dedit Abraham omnia ſua Iſaac.*
6 *Filijs autem concubinæ Abrahæ, dedit Abraham munera: & miſit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret ad Orientem, in terram filiorum Orientis.*
7 *Et hi ſunt dies annorum vitæ Abrahæ, quibus vixit centum, & ſeptuaginta & quinque anni.*
8 *Et defecit, & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum.*
9 *Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filij ſui, in ſpelunca duplici, in agro Ephron filij Seor Ethæi, è regione Mamre.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Quem emerat à filijs Heth: Ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius.

11 Et poſt obitum illius benedixit Deus Iſaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis.

12 Hæ ſunt generationes Iſmael filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ:

13 Et hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus ſuis. * Primogenitus Iſmaelis Nabaioth deinde Cedar, & Adbeel, & Mabſam,

* 1. Par. 1. 29.

14 Maſma quoque, & Duma, & Maſſa,

15 Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma.

16 Iſti ſunt filij Iſmaelis: & hæc nomina per caſtella, & oppida eorum, duodecim principes tribuum ſuarum.

17 Et facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum triginta ſeptem: deficienſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.

18 Habitauit autem ab Heuila vſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum introeuntibus Aſſyrios: coram cunctis fratribus ſuis obijt.

19 Hæ quoque ſunt generationes Iſaac filij Abrahã: Abraham genuit Iſaac:

20 Qui cum quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Meſopotamia, ſororem Laban.

21 Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

22 Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque vt conſuleret Dominum.

23 Qui reſpondens, ait: * Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.

* Rom. 9. 10.

24 Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt.

25 * Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen eius Eſau. * Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.

* Oſe. 12. 3. Mat. 1. 2.

26 Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli.

27 Quibus adultis factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.

28 Iſaac amabat Eſau, eo quòd de venationibus illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob.

29 Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cum veniſſet Eſau de agro laſſus,

30 Ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò laſſus ſum. Quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius * Edom.

31 Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua.

* Heb. 12. 16. Abdiæ 1.

32 Ille reſpondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

33 Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Eſau, & vendidit primogenita.

34 Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt; paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.

### CAP. XXVI.

1 ORta autem fame ſuper terram poſt eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorum in Gerara.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Agrũ, quem emit Abraham à filijs Cheth: Ibi ſepultus eſt Abraham, & Sarah vxor eius.*

11 *Et fuit, poſtquam mortuus eſt Abraham benedixit Deus Iſchac filio eius, & habitauit Iſchac apud puteum viuentis, videntis me.*

12 *Et iſtæ generationes Iſmahel filij Abrahã, quẽ peperit Haghar Ægyptia ancilla Sarah ipſi Abraham.*

13 *Et hæc nomina filiorum Iſmahel per nomina ſua, per generationes ſuas. Primogenitus Iſmahel Nebaioth, & Chedar, & Adbeel, & Mibſam.*

14 *Et Miſmah, & Dumah, & Maſſa,*

15 *Chadar, & Tema, Iethur, Naphis, & Chedmah.*

16 *Illi ſunt filij Iſmahel, & iſta nomina eorum per villas ſuas, & per palatia ſua, duodecim principes per familias ſuas.*

17 *Et iſti ſunt anni vitæ Iſmahel, centum anni, & triginta anni, & ſeptem anni: Et obijt, & mortuus eſt, & congregatus eſt ad populos ſuos.*

18 *Et habitauerunt à Chauilah vſque ad Sur, quæ eſt ante Ægyptum, ingrediente te in Aſſur: coram omnibus fratribus ſuis mortuus eſt.*

19 *Et iſtæ ſunt generationes Iſchac filij Abraham: Abraham genuit Iſchac.*

20 *Et erat Iſchac quadragenarius, quãdo accepit Ribchah filiam Bethuel Aramæi de Padam Aram, ſororem Laban Aramæi ſibi in vxorem.*

21 *Et orauit Iſchac ad Dominum pro vxore ſua, quia ſterilis erat: Et complacuit ei Dominus, & concepit Ribchah vxor eius.*

22 *Et collidebant ſe filij in vtero eius, & dixit: Si ita, vt quid ego? Et iuit ad interrogandum Dominum.*

23 *Et dixit Dñs ad eã: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi à viſceribus tuis ſeparabunt ſe: Et populus populo robuſtior erit, & maior ſeruiet minori.*

24 *Et impleti ſunt dies eius, vt pareret, & ecce gemini erant in vtero eius.*

25 *Et egreſſus eſt prior rufus totus ipſe ſicut pallium piloſum: Et vocauerunt nomen eius Heſau: & poſtea egreſſus eſt frater eius, & manus eius tenebat calcaneum Heſau, & vocauit nomen eius Iahacob.*

26 *Et Iſchac erat ſexagenarius, quando peperit eos.*

27 *Et creuerunt pueri: Et fuit Heſau vir ſciens venationem, vir agricola, & Iahacob erat vir perfectus manens in tabernaculis.*

28 *Et dilexit Iſchac Heſau, quia venatio in ore eius, & Ribchah diligebat Iahacob.*

29 *Et coxit Iahacob coctum: Et venit Heſau ex agro, & erat laſſus.*

30 *Et dixit Heſau ad Iahacob: Fac me comedere nunc de rufo, rufo iſto, quia laſſus ſum. Idcirco vocauit nomen eius Edom.*

31 *Et dixit Iahacob: Vende hoc tempore primogenituram tuam mihi.*

32 *Et dixit Heſau: Ecce ego vado, vt moriar, & ad quid mihi primogenitura?*

33 *Et dixit Iahacob: Iura mihi hoc tempore. Et iurauit ei: Et vẽdidit primogeniturã ſuã ipſi Iahacob.*

34 *Et Iahacob dedit Heſau panem, & coctum lenticularum, & comedit, atque bibit: Et ſurrexit, & abijt, contempſitque Heſau primogenituram.*

### *CAP. XXVI.*

1 *ET fuit fames in terra præter famem priorem, quæ fuerat in diebus Abraham, & perrexit Iſchac ad Abimelech regem Peleſtim in Gherar.*





UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

10 Quam acquiſiuit Abraham à filijs Chet: Ibi ſepelierunt Abraham, & Saram vxorem eius.

11 Factum eſt autem, poſtquam mortuus eſt Abrahã, benedixit Deus Iſaac filium eius: & habitauit Iſaac apud puteum viſionis.

12 Hæ vero ſunt gñationes Iſmael filij Abrahã quem peperit Agar Ægyptia ancilla Saræ ipſi Abraham.

13 Et hæc ſunt nomina filiorum Iſmael, ſecundum nomina generationum eius: Primogenitus Iſmael, & Nabaioth, & Cedar, & Nabdeel, & Maſſam:

14 Et Maſma, & Duma, & Maſſe,

15 Et Choddan, & Thæman, & Ietur, & Naphes, & Cedma.

16 Hi ſunt filij Iſmael: & hæc nomina eorum in tabernaculis eorum, & in manſionibus eorum, duodecim principes ſecundum gentes eorum.

17 Et hi ſunt anni vitæ Iſmael, centum triginta ſeptem anni: & deficiens mortuus eſt: & appoſitus eſt ad genus ſuum.

18 Habitauit autem ab Euilat vſque Sur, quæ eſt ad faciem Ægypti, donec veniatur ad Aſſyrios: ad faciem omnium fratrum ſuorum habitauit.

19 Et hæ ſunt generationes Iſaac filij Abraham: Abraham genuit Iſaac.

20 Erat autem Iſaac annorum quadraginta, quãdo accepit Rebeccam filiam Bathuel Syri de Meſopotamia Syriæ, ſororem Laban Syri ſibi in vxorem.

21 Rogauit autem Iſaac Dominum pro Rebecca vxore ſua: quoniam ſterilis erat: Et exaudiuit eũ Deus: & concepit in vtero Rebecca vxor eius:

22 Exultabant autem infantes in ea; dixit autem: Si ſic mihi futurum eſt; vt quid mihi hoc? Iuit autem inte rogare à Domino.

23 Et dixit Dominus ei: Duæ gẽtes in vtero tuo ſunt: & duo populi de ventre tuo ſeparabuntur: & populus populum ſuperabit: & maior ſeruiet minori.

24 Et impleti ſunt dies, vt ea pareret: & ei erant gemini in vtero.

25 Exijt autem primogenitus rubeus totus, ſicut pellis piloſus: cognominauit autem nomen eius Eſau. Et poſtea exijt frater eius: & manus eius tenens calcaneum Eſau: & vocauit nomen eius Iacob.

26 Iſaac autem erat annorum ſexaginta, quando peperit eos Rebecca.

27 Creuerunt autem iuuenes: & erat Eſau homo ſciẽs venari, agreſtis: Iacob autem homo ſimplex habitans domum.

28 Dilexit autẽ Iſaac Eſau, quoniam venatio eius erat cibus ipſi: Rebecca autem diligebat Iacob.

29 Coxit autem Iacob coctionem: Venit autem Eſau ex agro deficiens.

30 Et dixit Eſau ipſi Iacob: Da mihi guſtum de coctione rubea iſta, quia deficio. Propterea vocatum eſt nomen eius Edom.

31 Dixit autem Iacob Eſau: Vende mihi hodie primogenita tua mihi:

32 Et dixit Eſau: Ecce ego vado mori: vt quid mihi hæc primogenita?

33 Et dixit ei Iacob: Iura mihi hodie. Et iurauit ei: Vendidit autem Eſau primogenita ipſi Iacob:

34 Iacob autem dedit Eſau panem, & coctionem lentis: & comedit & bibit: Et ſurgens abijt: & contempſit Eſau primogenita.

### C A P. XXVI.

1 FActa eſt autem fames ſuper terram præter famem priorem, quæ facta eſt in tempore Abraham: Iuit autem Iſaac ad Abimelech regem Phyliſtijm in Gerara.

Appa-

## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Quem agrum emit Abraham à filijs Heth: Ibi ſepultus eſt Abraham, & Sara vxor eius.*

11 *Factumq; eſt poſtquam mortuus eſt Abraham, & benedixit Deus Iſaac filio eius: & habitauit Iſaac iuxta puteum ſuper quo apparuit Angelus vitæ.*

12 *Et hæ ſunt generationes Iſmael filij Abrahã, quem peperit Agar Ægyptia ancilla Saræ Abrahæ.*

13 *Et hæc ſunt nomina filiorum Iſmael, per nomina ſua in generationibus ſuis: Primogenitus Iſmael, Nabaioth, & Cedar, & Adbeel, & Mabſam,*

14 *Et Maſma, & Duma, & Maſſa,*

15 *Adad, & Thema, Iethur, Naphis, & Cedma.*

16 *Hi ſunt filij Iſmael: & hæc nomina eorum in villis ſuis, & in ciuitatibus ſuis: duodecim principes per nationes ſuas.*

17 *Et hi ſunt anni vitæ Iſmaelis, centum & triginta, & ſeptem anni: & defecit & mortuus eſt: & congregatus eſt ad populum ſuum.*

18 *Et habitauerũt ab Euila vſq; Agara, quæ eſt è regione Ægypti, pertingens vſque ad Aſſyriam: è regione omnium fratrum ſuorum habitauit.*

19 *Et hæ ſunt generationes Iſaac, filij Abrahæ: Abraham genuit Iſaac.*

20 *Erat autem Iſaac quadraginta annorũ ætatis, quando accepit ſibi Rebeccam filiam Bathuelis Syri, de Meſopotamia Syriæ, ſororem Laban Syri in vxorem.*

21 *Orauitque Iſaac coram Domino pro vxore ſua: quoniam ſterilis erat: & ſuſcepit Dominus orationem eius, & concepit Rebecca vxor eius.*

22 *Et collidebantur filij in vtero eius: & ait: Si ſic mihi futurum erat, ad quid ego concepi? Et abijt, vt quæreret oraculum à facie Domini.*

23 *Et ait ei Dominus: Duo populi ſunt in viſceribus tuis: & duo regna de vtero tuo diuidentur: & regnũ regno fortius erit: & maior ſeruiet minori.*

24 *Et impleti ſunt dies eius, vt pareret: & ecce gemini in vtero eius erant.*

25 *Et egreſſus eſt primus rufus totus, quaſi pallium hiſpidum: & vocauerunt nomen eius, Eſau. Et poſteà egreſſus eſt frater eius, & manus eius tenebat plantam Eſau: & vocauit nomen eius, Iacob.*

26 *Iſaac autem erat ſexaginta annorum ætatis, quando genuit eos.*

27 *Et creuerunt pueri: & fuit Eſau vir venator, vir egrediens in agrum. Iacob autem erat vir perfectus, miniſter domus doctrinæ.*

28 *Et dilexit Iſaac Eſau, quia de venatione eius edebat: & Rebecca diligebat Iacob.*

29 *Et coxit Iacob pulmentum: & venit Eſau de agro; & ipſe erat laſſus.*

30 *Et dixit Eſau ad Iacob: Da mihi de coctione hac rufa, quia laſſus ſum ego: Propterea vocatum eſt nomen eius, Edom.*

31 *Et ait Iacob: Vende mihi hodie primogenita tua.*

32 *Et dixit Eſau: Ecce ego vado ad mortem: & ad quid mihi primogenita?*

33 *Et dixit Iacob: Iura mihi hodie. Et iurauit ei, & vendidit primogenita ſua Iacob.*

34 *Iacob autem dedit Eſau panem, & edulium lentium: & comedit, & bibit: & ſurrexit, & abijt: & paruipendit Eſau primogenita.*

### C A P. XXVI.

1 *ET fuit fames in terra, præter famem priorem, quæ fuit in diebus Abrahæ: & abijt Iſaac ad Abimelech regem Philiſtinorum in Geraræ.*

*Et appa-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi.

3 Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, * complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo.

* Sup. 12. 7. 13. 15. 18.

4 Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli: daboque poſteris tuis vniuerſas regiones has: * ET BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ,

* Sup. 12. 3. 18. 18. 22. 17. 18. 19.

5 Eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legeſque ſeruauerit.

6 Manſit itaque Iſaac in Geraris.

7 Qui cum interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit: Soror mea eſt: Timuerat enim confiteri quod ſibi eſſet ſociata coniugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem.

8 Cumque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua.

9 Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt quòd vxor tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? Reſpondit: Timui ne morerer propter eam.

10 Dixitque Abimelech: Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum: Præcepitque omni populo, dicens:

11 Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.

12 Seuit autem Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum: benedixitque ei Dominus.

13 Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiẽs atq; ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt:

14 Habuit quoque poſſeſſiones ouium, & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæſtini,

15 Omnes puteos, quos foderant ſerui patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo:

16 In tñ, vt ipſe Abimelech diceret ad Iſaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

17 Et ille diſcedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi:

18 Rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obſtruxerant Philiſthijm: appellauitque eos eiſdem nominibus quibus ante pater vocauerat.

19 Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam viuam.

20 Sed & ibi iurgium fuit paſtorum Geraræ aduerſus paſtores Iſaac, dicentium: Noſtra eſt aqua, quam ob rem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit Calumniam.

21 Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellauitque eum: Inimicitias.

22 Profectus inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.

23 Aſcendit autem ex illo loco in Berſabee,

24 Vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere,



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et viſus eſt ei Dominus, & dixit: Ne deſcendas in Ægyptum: Habita in terra, quam dicam tibi.*

3 *Inhabita terram hanc, & ero tecum, & benedicam tibi: quia tibi, & ſemini tuo dabo omnes terras iſtas. Et ſtatuam iuramentum, quod iuraui ad Abraham patrem tuum.*

4 *Et multiplicare faciam ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & dabo ſemini tuo omnes terras iſtas: ET BENEDICENT SIBI in ſemine tuo omnes gentes terræ.*

5 *Eo quòd obediuerit Abraham voci meæ, & cuſtodierit cuſtodiam meam, præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas.*

6 *Et habitauit Iſchac in Gherar.*

7 *Et interrogauerunt viri loci de vxore eius. Et dixit: Soror mea eſt: Quia timuit dicere, vxor mea eſt: Ne fortè occiderent me viri loci propter Ribcah: quia pulchra aſpectu erat.*

8 *Et fuit, cum prolongati eſſent ei ibi dies, aſpexit Abimelech rex Peliſtim per feneſtram, & vidit: Et ecce Iſchac ludebat cum Ribcah vxore ſua.*

9 *Et vocauit Abimelech Iſchac, & dixit: Verè ecce vxor tua eſt: & quomodo dixiſti, ſoror mea eſt? Et dixit ad eum Iſchac: Quia dixi, ne fortè moriar propter eam.*

10 *Et dixit Abimelech: Quid hoc feciſti nobis? Paulum abfuit, quin dormierit vnus è populo cum vxore tua, & venire feciſſes ſuper nos delictum: Et præcepit Abimelech omni populo, dicendo.*

11 *Qui tetigerit virum hunc, & vxorem eius, moriendo morietur.*

12 *Et ſeuit Iſchac in terra ipſa, & reperit in anno ipſo centum modios: & benedixit ei Dominus.*

13 *Et creuit vir, & perrexit pergendo, & creſcendo, donec creſceret valdè.*

14 *Et fuit ei poſſeſſio pecudum, & poſſeſſio boum, & famulatus multus: Et inuiderunt ei Peliſtim.*

15 *Et omnes puteos, quos foderunt ſerui patris ſui, in diebus Abraham patris ſui, obturauerunt Peliſtim, & impleuerunt eos terra.*

16 *Et dixit Abimelech ad Iſchac: Abi à nobis, quia fortior es nobis valdè.*

17 *Et abijt inde Iſchac, & manſit in valle Gherar, & habitauit ibi.*

18 *Et reuerſus eſt Iſchac, & fodit puteos aquæ, quos foderant in diebus Abraham patris ſui: & obturauerant eos Peliſtim, mortuo Abraham: Et vocauit eos nominibus ſecundum nomina quibus vocauerat pater ſuus.*

19 *Et foderunt ſerui Iſchac in valle, & inuenerunt ibi puteum aquæ viuæ.*

20 *Et iurgati ſunt paſtores Gherar cum paſtoribus Iſchac dicendo: Noſtra eſt aqua. Et vocauit nomen putei Heſech, quia iurgati ſunt cum eo.*

21 *Et foderunt puteum alium, & iurgati ſunt etiam ſuper eo: Et vocauit nomen eius Sitnah.*

22 *Et tranſtulit ſe inde, & fodit puteum alium, & non ſunt iurgati ſuper eo: & vocauit nomen eius Rechoboth. Et dixit: Quia nunc dilatare fecit Dominus nobis, & creſcemus in terra.*

23 *Et aſcendit inde in Beerſebah.*

24 *Et viſus eſt ei Dominus nocte ipſa, & dixit: Ego ſum Deus Abraham patris tui: Ne timeas,*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

2 Apparuit autem ei Dominus, & dixit: noli deſcendere in Ægyptum: habita autem in terra, quam tibi dixero,

3 Et incole in terra hac: & ero tecum, & benedicam te: tibi enim & ſemini tuo dabo omnem terram hanc: & ſtatuam iuramentum meum, quod iuraui Abraham patri tuo:

4 Et multiplicabo ſemen tuum tamquam ſtellas cœli; & dabo ſemini tuo omnem terram hanc: ET BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ:

5 Pro eo quod obaudiuit Abraham pater tuus vocẽ meam, & cuſtodiuit præcepta mea, & mãdata mea, & iuſtificationes meas, & legitima mea.

6 Habitauit autem Iſaac in Geraris.

7 Interrogauerunt autem viri loci de Rebecca vxore eius. Et dixit: Soror mea eſt: Timuit enim dicere, quia vxor mea eſt, ne forte interficerent eum viri loci propter Rebeccam: quoniam ſpecioſa aſpectu erat.

8 Fuit autem multo tempore ibi: Et proſpiciens Abimelech rex Gerarorum per feneſtram vidit Iſaac ludentem cum Rebecca vxore ſua.

9 Vocauit autem Abimelech Iſaac, & dixit ei: vtique vxor tua eſt: cur dixiſti, ſoror mea eſt? Dixit autem ei Iſaac: dixi enim, ne forte moriar propter eam.

10 Dixit autem ei Abimelech: Quid hoc feciſti nobis? Ferè dormiuit quis de genere meo cum vxore tua: & induxiſſes ſuper nos ignorantiam: Præcepit autem Abimelech vniuerſo populo ſuo, dicens:

11 Omnis qui tetigerit hominem hunc, & vxorem eius; morti obnoxius erit.

12 Seminauit autem Iſaac in terra illa: & inuenit in anno illo centuplicans hordeum: Benedixit autem eum Dominus:

13 Et exaltatus eſt homo: & procedens maior factus eſt: quoadusque magnus factus eſt valde.

14 Facta autem ſunt ei pecora ouium, & pecora boũ, & agri colationes multæ: Inuiderunt autem ei Phyliſtijm:

15 Et omnes puteos, quos foderant pueri patris eius in tempore patris eius, obſtruxerũt eos Phyliſtijm, & impleuerunt eos terra.

16 Dixit autem Abimelech ad Iſaac: Recede à nobis quoniam potentior nobis factus es valde.

17 Et abijt inde Iſaac, & diuertit in valle Gerarorum: & habitauit ibi.

18 Et rurſus Iſaac fodit puteos aquæ, quos foderant pueri Abraham patris eius, & obſtruxerant eos Phyliſtijm, poſtquam mortuus fuerat Abraham pater eius: Et cognominauit eis nomina ſecundum nomina, quæ nominauerat pater eius.

19 Et foderunt pueri Iſaac in valle Gerarorum: & inuenerunt ibi puteum aquæ viuentis.

20 Et pugnauerunt paſtores Gerarorum, cum paſtoribus Iſaac dicentes ſuam eſſe aquam: Et vocauerunt nomen putei, iniuſtitia: Iniuſtitiam enim fecerant in eum.

21 Profectus autem inde fodit puteum alium: Et altercati ſunt etiam de illo: Et cognominauit nomen eius, inimicitia.

22 Profectus autem inde fodit puteum alium: Et non pugnauerunt de eo: Et cognominauit nomẽ eius, latitudo, dicens: quia dilatauit nunc nobis Dominus, & auxit nos ſuper terram.

23 Aſcendit autem inde ad puteum iuramenti.

24 Et apparuit ei Dominus in nocte illa, & dixit: Ego ſum Deus Abraham patris tui: Noli timere:

tecum

## Chal. Paraph. Tranſl.

2 *Et apparuit ei Dominus, & dixit ei: Ne deſcendas in Ægyptum: ſed morare in terra quam dixero tibi.*

3 *Habita in terra hac: & erit verbum meum in adiutorium tibi: & benedicam tibi; quia tibi & filijs tuis dabo vniuerſas terras has: & confirmabo iuramentum quod iuraui Abrahæ patri tuo.*

4 *Et multiplicabo filios tuos ſicut ſtellas cœli: & dabo filijs tuis vniuerſas terras has: ET BENEDICENTVR propter filios tuos omnes populi terræ:*

5 *Eo quòd obediuit Abraham verbo meo, & cuſtodiuit cuſtodiam verbi mei, præcepta mea, pacta mea, & leges meas.*

6 *Habitauitque Iſaac in Geraris.*

7 *Et interrogauerunt viri loci ſuper vxore ſua. Et ait: Soror mea eſt: quoniam timuit dicere: Vxor mea eſt; ne fortè interficerent eum viri loci illius propter Rebeccam: quoniam pulchra aſpectu ipſa erat.*

8 *Et factum eſt cùm multis diebus ibi moraretur, proſpexit Abimelech rex Philiſtinorum per feneſtram: & vidit; & ecce Iſaac ludebat cum Rebecca vxore ſua.*

9 *Et vocauit Abimelech Iſaac, & ait: Ecce vtique vxor tua eſt: quomodo ergo dixiſti: Soror mea eſt? Et dixit ei Iſaac: Quia dixi, ne fortè moriar propter eam.*

10 *Et ait Abimelech: Quid eſt hoc feciſti nobis? Parùm affuit, quin dormiſſet vnus de populo cum vxore tua: & induxiſſes ſuper nos peccatum: Et præcepit Abimelech omni populo, dicens:*

11 *Qui nocuerit huic viro, & vxori ſuæ, morte morietur.*

12 *Et ſeminauit Iſaac in terra illa, & inuenit in anno illo centuplum quàm æſtimauerat: & benedixit ei Dominus.*

13 *Et creuit vir, & ibat multiplicans, & creſcens, donec creuit vehementer.*

14 *Et fuerunt ei greges ouium, & greges boum, & familia magna: Et inuidebant ei Palæſtini.*

15 *Et omnes puteos quos foderunt ſerui patris ſui in diebus Abrahæ patris ſui obturauerunt Palæſtini, & impleuerunt eos puluere.*

16 *Et ait Abimelech ad Iſaac: Recede à nobis, quoniam fortior nobis factus es valdè.*

17 *Et abijt indè Iſaac, & habitauit iuxta torrentem Geraræ: & moratus eſt ibi.*

18 *Et reuerſus eſt Iſaac, & fodit puteos aquarum, quos foderant in diebus Abrahæ patris ſui: & obturauerant eos Philiſtijm poſtquam mortuus eſt Abraham: appellauitque eos eiſdem nominibus, quibus vocabat eos pater eius.*

19 *Et foderunt ſerui Iſaac in torrente: & inuenerunt ibi puteum aquarum manantium.*

20 *Et rixati ſunt paſtores Geraræ cum paſtoribus Iſaac, dicentes: Noſtra eſt aqua: Et vocauit nomen putei, Litigium: eo quòd litigauerunt cum eo.*

21 *Et foderunt alium puteum: & ſuper eum quoque rixati ſunt: & vocauit nomen eius Aduerſarium.*

22 *Et aſcendit indè, & fodit puteum alium: Et non ſunt rixati ſuper eum: & vocauit nomen eius Rooboth, & ait: Quoniam nunc dilatabit nos Dominus; & creſcere nos faciet ſuper terram.*

23 *Et aſcendit indè in Berſabee.*

24 *Et apparuit ei Dominus in nocte illa, & ait: Ego Deus Abraham patris tui: Ne timeas:*

quia

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

quia ego tecum ſum : benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraham.
25 Itaque ædificauit ibi altare : & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum : præcepitque ſeruis ſuis vt foderent puteum.
26 Ad quem locum cum veniſſent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum,
27 Locutus eſt eis Iſaac : Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?
28 Qui reſponderunt : Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus : Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus,
29 Vt non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet : ſed cum pace dimiſimus auctum benedictione Domini.
30 Fecit ergo eis conuiuium, & poſt cibum, & potum
31 Surgentes manè, iurauerunt ſibi mutuo : dimiſitque eos Iſaac pacificè in locum ſuum.
32 Ecce autem venerunt in ipſo die ſerui Iſaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes : Inuenimus aquam.
33 Vnde appellauit eum, Abundantiam : & nomen vrbi impoſitum eſt Berſabee, vſque in præſentem diem.
34 Eſau vero quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Elon eiuſdem loci :
35 * Quæ ambæ offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ.

* Inf. 27. 46.

### CAP. XXVII.

1 SEnuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat : vocauitque Eſau filium ſuum maiorem, & dixit ei : Fili mi? Qui reſpondit : Adſum.
2 Cui pater : Vides, inquit, quòd ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ.
3 Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras : cumque venatu aliquid apprehenderis,
4 Fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer vt comedam : & benedicat tibi anima mea antequam moriar.
5 Quod cum audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret,
6 Dixit filio ſuo Iacob : Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei :
7 Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.
8 Nunc ergo fili mi, acquieſce conſilijs meis :
9 Et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas pátri tuo, quibus libenter veſcitur :
10 Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur.
11 Cui ille reſpondit : Noſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis :
12 Si attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*quia tecum ſum, & benedicam tibi, & multiplicare faciam ſemen tuum propter Abraham ſeruum meum.*
25 *Et ædificauit ibi altare, & inuocauit nomen Domini, & tetendit ibi tabernaculum ſuum, & foderunt ibi ſerui Iſchac puteum.*
26 *Et Abimelech perrexit ad eum ex Gherar, & Achuzath qui erat ex amicis eius, & Pichol princeps exercitus eius.*
27 *Et dixit ad eos Iſchac : Cur veniſtis ad me, & vos odio habuiſtis me, & emiſiſtis me, ne eſſem vobiſcum?*
28 *Et dixerunt : Videndo vidimus, quòd fuit Dominus tecum, & diximus : Sit nunc iuramentum inter nos, & inter te : Et percutiemus fœdus tecum.*
29 *Si feceris nobiſcum malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus tecum duntaxat bonum, & dimiſimus te in pace : Tu nunc es benedictus Domini.*
30 *Et fecit eis conuiuium, & ederunt atque biberunt.*
31 *Et ſurrexerunt manè : Et iurauerunt alter alteri : Et dimiſit eos Iſchac, & abierunt à ſe in pace.*
32 *Et fuit, in die ipſa venerunt ſerui Iſchac, & nunciauerunt ei cauſam putei, quem foderant, & dixerunt ei : Inuenimus aquam.*
33 *Et vocauit eum Sibhah : Idcirco nomen vrbis eſt Beerſebah vſque ad diem hanc.*
34 *Et erat Heſau quadragenarius, & accepit vxorem Iehudith filiam Beeri Chittai, & Boſmath filiam Elon Chittai.*
35 *Et irritabant ſpiritum Iſchac, & Ribchah.*

### CAP. XXVII.

1 *ET fuit, cum ſenuiſſet Iſchac, & caligaſſent oculi eius, vt non videret, vocauit Heſau filium ſuum maiorem, & dixit ad eum : Fili mi? Et dixit ad eum : Ecce adſum.*
2 *Et dixit : Ecce nunc ſenui : Non noui diem, quo moriar.*
3 *Et nunc cape quæſo inſtrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & egredere in agrum, & venare mihi venationem.*
4 *Et fac mihi cibos quemadmodum dilexi : & affer mihi, & comedam : vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar.*
5 *Et Ribchah audiebat, dum loqueretur Iſchac ad Heſau filium ſuum : Et perrexit Eſau in agrum, vt venaretur venationem, vt afferret.*
6 *Et Ribchah dixit ad Iahacob filium ſuum, dicendo : Ecce audiui patrem tuum loquentem ad Heſau fratrem tuum dicendo.*
7 *Affer mihi venationem, & fac mihi cibos, & comedam : & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar.*
8 *Et nunc fili mi obedi voci meæ, in eo quod præcipio tibi.*
9 *Vade nunc ad pecudes, & cape mihi inde duos hædos caprarum bonos, & faciam ex eis eſcas patri tuo, quemadmodum dilexit.*
10 *Et afferes patri tuo, & comedet, vt benedicat tibi antequam moriatur.*
11 *Et dixit Iahacob ad Ribchah matrem ſuã : Ecce Heſau frater meus eſt vir piloſus, & ego vir lenis.*
12 *Si fortè palpauerit me pater meus, ero in oculis eius tanquam qui errare facit, & venire faciam ſuper me maledictionem, & non benedictionem.*



Et di-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

tecum enim ſum : & benedicam te : & multiplicabo ſemen tuum propter Abraham patrem tuum.

25 Et ædificauit ibi altare : & inuocauit nomen Domini: & fixit ibi tabernaculum ſuum ; foderunt autem ibi pueri Iſaac puteum in valle Gerarorum.

26 Et Abimelech iuit ad eum de Geraris, & Hochozath pronubus eius, & Phicol princeps militiæ virtutis eius.

27 Et dixit eis Iſaac : Vt quid veniſtis ad me ? vos autem odiſtis me, & dimiſiſtis me à vobis.

28 At illi dixerunt : Videntes vidimus, quia fuit Dominus tecum : & diximus : Fiat execratio inter nos, & inter te : & diſponemus tecum teſtamentum,

29 Ne facias nobiſcum malum ; ſicut non ſumus te abominati nos, & quemadmodum vſi ſumus te bene, & dimiſimus te cum pace : & nunc benedictus tu à Domino.

30 Et fecit eis conuiuium : & comederunt, & biberunt.

31 Et ſurgentes manè iurauit vnuſquiſque proximo : Et dimiſit eos Iſaac ; & diſceſſerunt ab eo cũ ſalute.

32 Factum eſt autem in die illa : & aduenientes pueri Iſaac, nunciauerunt ei, de puteo quem foderant : & dixerunt : non inuenimus aquam.

33 Et vocauit eum iuramentum : Propterea vocauit nomen ciuitati illi puteus iuramenti, vſque in hodiernum diem.

34 Erat autem Eſau annorum quadraginta : & ſumpſit vxorem Iudith filiam Beoch Chettæi, & Baſemath filiam Elon Chettæi.

35 Et erant renitentes Iſaac, & Rebeccæ.

### C A P. XXVII.

1 ET factum eſt poſtquam ſenuit Iſaac, & hebetes facti ſunt oculi eius ad videndum : & vocauit Eſau filium ſuum ſeniorem, & dixit ei : Fili mi ? Et dixit : Ecce ego.

2 Et dixit : Ecce ſenui, & non cognoſco diem mortis meæ.

3 Nunc igitur ſume vas tuum, pharetramque, & arcum : & exi in campum : & venare mihi venationem,

4 Et fac mihi eſcas, ſicut amo ego, & affer mihi vt comedam : vt benedicat te anima mea, priuſquam moriar.

5 Rebecca autem audiuit loquentem Iſaac ad Eſau filium ſuum : iuit autem Eſau in campum ad venandum venationem patri ſuo.

6 Rebecca autem dixit ad Iacob filium ſuum minorem : Vide ; audiui patrem tuum loquentem ad Eſau fratrem tuum, dicentem :

7 Affer mihi venationem, & fac mihi eſcas ; vt cum comedero, benedicam te coram Domino, antequam moriar.

8 Nunc igitur fili mi audi me ; ſicut ego tibi præcipio :

9 Et vadens ad oues ſume mihi inde duos hædos teneros, & bonos : & faciam eos eſcas patri tuo, ſicut amat :

10 Et inferes patri tuo, & comedet ; vt benedicat te pater tuus, antequam moriatur.

11 Dixit autem Iacob ad Rebeccã matrem ſuam : Eſt Eſau frater meus vir piloſus, ego autem vir lenis :

12 Ne forte attrectet me pater : & ero in cõſpectu eius quaſi ſpernens : & inducam ſuper me ipſum maledictionem, & non benedictionem.

Dixit

## Chald. Paraph. Tranſl.

*quia in adiutorium tuum erit verbum meum : & benedicam tibi : & multiplicabo filios tuos propter Abraham ſeruum meum.*

25 *Et ædificauit ibi altare : & orauit in nomine Domini : & tetendit ibi tabernaculum ſuum : & foderunt ibi ſerui Iſaac puteum.*

26 *Abimelech autem abijt ad eum de Gerarit, comitatus amicis ſuis, & Phicol principe exercitus ſui.*

27 *Et dixit eis Iſaac : Vt quid veniſtis ad me ? vos autem odiſtis me, & dimiſiſtis me à vobis.*

28 *Et dixerunt : Videntes vidimus, quoniam erat verbũ Domini in adiutorium tuum : & diximus : Confirmetur nunc iuramentum quod erat inter patres noſtros, & inter nos, & te : & ineamus pactum tecum.*

29 *Si feceris nobiſcum malum, ſicut non nocuimus tibi, & ſicut fecimus tecum tantummodo bonum, & dimiſimus te in pace ; tu nunc benedictus es Domini.*

30 *Fecitque eis conuiuium ; & comederunt, & biberunt.*

31 *Et ſurrexerũt manè, et iurauerũt vnuſquiſque fratri ſuo, Et dimiſit eos Iſaac, & profecti ſũt ab eo in pace.*

32 *Et fuit in ipſo die, & venerunt ſerui Iſaac, & nunciauerunt ei de puteo quem foderant : & dixerunt ei : Inuenimus aquam.*

33 *Et vocauit eum Sebaa : propterea nomen ciuitatis fuit Berſabee, vſque in diem hunc.*

34 *Eratque Eſau ætatis quadraginta annorum, & accepit vxorem Iudith, filiam Beeri Ethæi, & Baſemath filiam Elon Ethæi.*

35 *Et fuerunt rebelles, & [illegible] contra mandatum Iſaac & Rebeccæ.*

### C A P. XXVII.

1 *ET factum eſt cum ſenuiſſet Iſaac, caligauerunt oculi eius, & videre non poterat : Vocauitque Eſau filium ſuum maiorem ; & dixit ei : Fili mi ? Et dixit ei : Ecce ego.*

2 *Et ait : Ecce nunc ſenui ; neſcio diem qua moriturus ſum.*

3 *Et nunc tolle, obſecro, arma tua, gladium tuum, & arcum tuum, & egredere in agrum, & venare mihi venationem.*

4 *Et fac mihi edulia, ſicut dilexi : & affer mihi, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.*

5 *Et Rebecca audiebat quando loquebatur Iſaac cum Eſau filio ſuo : & abijt Eſau in agrum ad venandum, vt afferret venationem.*

6 *Et Rebecca ait Iacob filio ſuo, dicens : Ecce audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem :*

7 *Affer mihi venationem : & fac mihi edulia, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino ante mortem meam.*

8 *Et nunc, fili mi, acquieſce verbo meo, quod ego præcipio tibi.*

9 *Vade nunc ad oues, & tolle mihi inde duos hædos caprarum optimos, & faciam ex eis edulia patri tuo, ſicut dilexit.*

10 *Et afferes patri tuo, & comedet ; vt benedicat tibi ante mortem ſuam.*

11 *Et dixit Iacob Rebeccæ matri ſuæ : Ecce Eſau frater meus vir piloſus eſt, & ego vir lenis.*

12 *Forte contrectabit me pater meus, & ero in oculis ſuis quaſi illudens, & inducam ſuper me maledictiones, & non benedictiones.*

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Ad quem mater: In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

14 Abijt, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius.

15 Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum:

16 Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.

17 Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.

18 Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille reſpondit: Audio. Quis es tu fili mi?

19 Dixitque Iacob: Ego ſum primogenitus tuus Eſau: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.

20 Rurſumque Iſaac ad filiũ ſuũ: Quo modo, inquit, tã cito inuenire potuiſti, fili mi? Qui reſpondit: Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi quod volebã:

21 Dixitque Iſaac: Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu ſis filius meus Eſau, an non.

22 Acceſſit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau.

23 Et non cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant: Benedicens ergo illi,

24 Ait: Tu es filius meus Eſau? Reſpondit, Ego ſum.

25 At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cũ oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum: quo hauſto,

26 Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi.

27 Acceſſit, & oſculatus eſt eum. Statimque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

28 Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.

29 Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

30 Vix Iſaac ſermonem impleuerat: & egreſſo Iacob foras, venit Eſau,

31 Coctoſque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima tua.

32 Dixitque illi Iſaac: Quis enim es tu? Qui reſpondit: Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau.

33 Expauit Iſaac ſtupore vehementi: & vltra quam credi poteſt, admirans, ait: Quis igitur ille eſt qui dudũ captã venationẽ attulit mihi, & comedi ex omnibus priuſquã tu venires? benedixitque ei, & erit benedictus.

34 Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugijt clamore magno: & conſternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.

35 Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

36 At ille ſubiunxit: Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me en altera vice: * primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam. Rurſumque ad patrem: Numquid non reſeruaſti, ait, & mihi benedictionem?

* Sup. 25. 33.

Reſpon-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et dixit ei mater ſua: Super me ſit maledictio tua fili mi: Verumtamen obedi voci meæ, & vade, cape mihi.*

14 *Et perrexit: & accepit, & attulit matri ſuæ. Et fecit mater eius cibos, quemadmodum dilexit pater eius.*

15 *Et accepit Ribkah veſtes Heſau filij ſui maioris concupiſcibiles, quæ erant apud ſe in domo, & induit Iahacob filium ſuum minorem.*

16 *Et pelles hœdorum caprarum induere fecit manus eius, & lenitatem colli eius.*

17 *Et dedit cibos, & panem, quos parauerat in manu Iahacob filij ſui.*

18 *Et venit ad patrem ſuum, & dixit: Pater mi? Et dixit: Ecce adſum. Quis es fili mi?*

19 *Et dixit Iahacob ad patrem ſuum: Ego ſum Heſau primogenitus tuus: Feci quemadmodum locutus es ad me: Surge nunc, ſede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.*

20 *Et dixit Iſchac ad filium ſuum: Quid eſt hoc? Feſtinaſti, vt venires fili mi? Et dixit: Quia occurrere fecit Dominus Deus tuus coram me.*

21 *Et dixit Iſchac ad Iahacob: Appropinqua nunc, & palpabo te fili mi, vtrum ſis ipſe filius meus Heſau, an non.*

22 *Et appropinquauit Iahacob Iſchach patri ſuo, & palpauit eum, & dixit: Vox, vox Iahacob eſt, & manus, manus Heſau.*

23 *Et non agnouit eum, quia erant manus eius, ſicut manus Heſau fratris ſui piloſæ: Et benedixit ei.*

24 *Et dixit: Tu es ipſe filius meus Eſau? Et dixit: Sum.*

25 *Et dixit: Appropinquare fac mihi, & comedã de venatione filij mei, vt bñdicat tibi aia mea. Et appropinquare fecit ei, & comedit: & attulit ei vinũ, et bibit.*

26 *Et dixit ad eum Iſchac pater eius: Appropinqua nunc, & oſculare me fili mi.*

27 *Et appropinquauit, & oſculatus eſt eum. Et odoratus eſt odorem veſtimentorum eius, & benedixit ei, & dixit. Vide odorem filij mei, ſicut odorem agri, cui benedixit Dominus.*

28 *Et det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti, & vini noui.*

29 *Seruiant tibi populi, & incuruent ſe tibi populi: eſto Dominus fratribus tuis, & incuruent ſe tibi filij matris tuæ. Maledicentes tibi maledicti erunt, & benedicentes tibi benedicti.*

30 *Et fuit, qñ compleuit Iſchac benedicere Iahacob, & fuit tantum egrediẽdo egreſſus erat Iahacob à facie Iſchac patris ſui, Heſau frᵉˢ venit à venatiõe ſua.*

31 *Et fecit etiam ipſe cibos, & attulit patri ſuo: & dixit patri ſuo: Surgat pater meus, & comedat de venatione filij ſui, vt benedicat mihi anima tua.*

32 *Et dixit ei Iſchac pater eius: Quis es? Et dixit: Ego ſum filius tuus, primogenitus tuus Heſau.*

33 *Et expauit Iſchac pauore magno vehementiſſimè, & dixit: Quis? Vbi eſt, qui venatus eſt venationem, & attulit mihi, & comedi ex omnibus antequam venires, & benedixi ei, etiam benedictus erit.*

34 *Cũ audiſſet Heſau verba prĩs ſui, clamauit clamore magno, & amaritudine affectᵘˢ eſt vehemẽtiſſimè. Et dixit prĩ ſuo: Bñdic, mihi, et ego filᵘˢ tuᵘˢ ſũ pater mi.*

35 *Et dixit: Venit frater tuus dolo, & accepit benedictionem tuam.*

36 *Et dixit: Verè vocatum eſt nomen eius Iahacob, & ſupplantauit me iam duabus vicibus: Ius meum primogeniti accepit, & ecce nunc accepit benedictionem meam. Et dixit: Nunquid non reſeruaſti mihi benedictionem?*

Et re-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

13 Dixit autem ei mater: Super me maledictio tua fili; tantum exaudi vocem meam: & pergens affer mihi.

14 Profectus autem ſumpſit, & attulit matri: & fecit mater eius eſcas, ſicut amabat pater eius.

15 Et ſumens Rebecca ſtolam Eſau filij ſui ſenioris bonam, quæ erat apud ipſam domi, induit eam Iacob filium ſuum iuniorem:

16 Et pelles hœdorum circumpoſuit ſuper brachia eius, & ſuper nuda colli eius:

17 Et dedit eſcas, & panes, quos fecerat, in manus Iacob filij ſui.

18 Et intulit patri ſuo: dixit autem: Pater: Ille vero dixit: Ecce ego: Quis es tu fili?

19 Et dixit Iacob patri: Ego Eſau primogenitus tuus feci, ſicut locutus es mihi: ſurgens ſede, & comede de venatione mea, vt benedicat me anima tua:

20 Dixit autem Iſaac filio ſuo. Quid hoc, quod cito inueniſti fili? At ille dixit: Quod tradidit Dominus Deus tuus coram me.

21 Dixit autem Iſaac Iacob: Appropinqua mihi, & contrectabo te fili, ſi tu es filius meus Eſau, an non.

22 Appropinquauit autem Iacob ad Iſaac patrem ſuũ: Et contrectauit eum, & dixit: Vox quidem, vox Iacob: manus autem, manus Eſau.

23 Et non agnouit eum: erant enim manus eius, velut manus Eſau fratris ſui, piloſæ: Et benedixit eum,

24 Et dixit: Tu es filius meus Eſau? At ille dixit: Ego.

25 Et dixit: Affer mihi, & comedam de venatione tua fili; vt benedicat te anima mea: Et attulit ei, & manducauit: & intulit ei vinum, & bibit.

26 Et dixit ei Iſaac pater eius: Accede ad me, & oſculare me fili.

27 Et accedens oſculatus eſt eum: Et odoratus eſt odorem veſtimentorum eius: & benedixit eum, & dixit: Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni, quem benedixit Dominus.

28 Et det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, & multitudinem frumenti, & vini: & ſeruiant tibi gentes:

29 Et adorent te principes: & ſis dominus fratris tui: & adorabunt te filij fratris tui: Qui maledixerit te, maledictus: & qui benedixerit te, benedictus.

30 Et factũ eſt poſtquã ceſſauit Iſaac bñdicere Iacob filiũ ſuũ: & factũ eſt, vt egreſſus ẽ Iacob à facie Iſaac patris ſui: & Eſau frater eius venit à venatione.

31 Et fecit etiam ipſe eſcas, & attulit patri ſuo, & dixit patri: Surgat pater meus, & comedat de venatione filij ſui; vt benedicat me anima tua.

32 Et dixit ei Iſaac pater eius: Quis es tu? At ille dixit: Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau.

33 Expauit autem Iſaac pauore magno valde, & dixit: Quis igitur venatus eſt mihi venationem, & intulit mihi, & comedi de omnibus antequam tu venires? & benedixi eum, & benedictus erit.

34 Factum eſt autem quando audiuit Eſau verba patris ſui Iſaac, clamauit voce magna, & amara valde, & dixit: Benedic nunc & me pater.

35 Dixit autem ei: Veniens frater tuus cum dolo, accepit benedictionem tuam.

36 Et dixit: Iuſte vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me ecce ſecundo iam: & primogenita mea accepit, & nunc accepit benedictionem meam. Et dixit Eſau patri ſuo: Non reliquiſti mihi benedictionem pater?

## Chald. Paraph. Tranſl.

13 *Et dixit ei mater ſua: Mihi dictũ eſt per prophetiã, q non venient maledictiones ſuper te, niſi benedictiones fili mi: tũmodo acqueſce mihi, & vade, tolle mihi.*

14 *Et abijt, & tulit, & attulit matri ſuæ: & fecit mater eius edulia, ſicut dilexit pater eius.*

15 *Et tulit Rebecca veſtimenta Eſau filij ſui maioris, quæ erant munda, quæ ſecum erant in domo, & induit Iacob filium ſuum minorem.*

16 *Et pelles hœdorum induit ſuper manus eius, & ſuper leuitatem colli ſui.*

17 *Et poſuit edulia quæ fecerat, & panem in manu Iacob filij ſui.*

18 *Et ingreſſus eſt ad patrem ſuum, & ait: Pater mi. Et dixit: Ecce ego: Quis es tu fili mi?*

19 *Et ait Iacob patri ſuo: Ego ſum Eſau primogenitus tuus: feci ſicut mihi locutus es: Surge, obſecro, recumbe, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.*

20 *Et ait Iſaac filio ſuo: Quid eſt hoc, quòd tam citò inueniſti, fili mi? & ait: Quoniam præparauit Dominus Deus tuus coram me.*

21 *Et dixit Iſaac ad Iacob, Accede, obſecro, & attrectabo te, fili mi, vtrùm tu ſis filius meus Eſau, an non.*

22 *Et acceſſit Iacob ad Iſaac patrem ſuum; & attrectauit eum, & ait: Vox, vox Iacob: & manus, manus Eſau.*

23 *Et non cognouit eum, quoniam erant manus eius ſicut manus Eſau fratris ſui piloſæ: Et benedixit ei:*

24 *Et ait: Tu es filius meus Eſau? Et dixit, Ego ſum.*

25 *Et ait: Accede coram me, & comedam de venatione filij mei, vt benedicat tibi anima mea: Et obtulit ei, & comedit; & attulit ei vinum, & bibit.*

26 *Et dixit ei Iſaac pater eius: Accede, obſecro, & oſculare me, fili mi.*

27 *Et acceſſit, & oſculatus eſt eum: Et odoratus eſt odorem veſtimentorum ſuorum: & benedixit ei, & ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus.*

28 *Det autem tibi Dominus de rore cœli, & de bonis terræ, & multitudinem frumenti, & vini.*

29 *Seruiant tibi populi, & ſubijciantur tibi regna eſto princeps fratribus tuis: & adorabunt te filij matris tuæ: Maledicentes tibi, erunt maledicti: & benedicentes tibi, erunt benedicti.*

30 *Et factum eſt cùm conſummaſſet Iſaac benedicere Iacob; Iacob egrediẽte à facie Iſaac patris ſui, Eſau frater eius veniebat de venatione ſua.*

31 *Et fecit quoque ipſe edulia, & intulit patri ſuo, & dixit ei: Surgat pater meus, & comedat de venatione filij ſui; vt benedicat mihi anima tua.*

32 *Et ait illi pater eius: Quis es tu? Et dixit: Ego filius tuus primogenitus tuus Eſau.*

33 *Et admiratus eſt Iſaac admiratione magna vſque nimis, & ait: Quis eſt ille qui venatus eſt venationẽ, & attulit mihi, & comedi ex omnibus priuſquã intrareſ? & benedixi ei, benedictus quoque erit.*

34 *Quando audiuit Eſau verba patris ſui, clamauit clamore magno, & amaro vſque nimis: & dixit patri ſuo: Benedic etiam mihi, pater mi.*

35 *Et ait: Venit frater tuus ſapienter, & accepit benedictionem tuam.*

36 *Et ait: Rectè vocatum eſt nomen eius, Iacob ſupplantauit enim me his duabus vicibus: primogenita mea tulit, & ecce nunc ſuſcepit benedictionem meam. Et dixit: Nunquid non reſeruaſti mihi benedictionem?*





UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Reſpondit Iſaac: Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui: frumento, & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc, fili mi, vltrà quid faciam?

38 Cui Eſau: Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obſecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret,

39 Motus Iſaac, dixit ad eum: * In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper

* Heb. 11. 17.

40 Erit benedictio tua: Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies: tempuſque veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.

41 Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: * Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.

* Abd. 1. 10.

42 Nunciata ſunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, & vocans Iacob filium ſuum, dixit ad eum: Ecce Eſau frater tuus minatur, vt occidat te.

43 Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:

44 Habitabiſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui,

45 Et ceſſet indignatio eius, obliuiſcaturque eorum quæ feciſti in eum: poſtea mittam, & adducam te inde huc: Cur vtroque orbabor filio in vno die?

46 * Dixitque Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere?

* Sup. 26. 35.

### CAP. XXVIII.

1 VOcauit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan.

2 Sed vade, & proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.

3 Deus autem omnipotens benedicat tibi, & creſcere te faciat, atque multiplicet: vt ſis in turbas populorum.

4 Et det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te: vt poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt auo tuo.

5 * Cumque dimiſiſſet eum Iſaac, profectus venit in Meſopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris ſuæ.

* Oſe. 12.

6 Videns autẽ Eſau, quod benedixiſſet pater ſuus Iacob, & miſiſſet eum in Meſopotamiã Syriæ, vt inde vxorem duceret; & qđ poſt benedictionẽ præcepiſſet ei, dicẽs: Nõ accipies vxorẽ de filiabus Chanaã.

7 Quodque obediens Iacob parentibus ſuis iſſet in Syriam:

8 Probans quoque quod non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus:

9 Iuit ad Iſmaelem, & duxit vxorem abſque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Iſmael filij Abraham, ſororem Nabaioth.

10 Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, pergebat Haran.

11 Cũq; veniſſet ad quẽdã locũ, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitũ, tulit de lapidibus, q iacebãt, & ſupponẽs capiti ſuo, dormiuit in eodem loco.

12 Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoq; Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam,

Et Do-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Et reſpondit Iſchac, & dixit ad Heſau: Ecce Dominum poſui eum tibi, & omnes fratres eius dedi ei in ſeruos, & frumentum, & vinum nouum adiunxi ei: Et tibi nunc quid faciam fili mi?*

38 *Et dixit Heſau ad patrem ſuum: Num benedictio vna eſt tibi pater mi? Benedic mihi: Etiam ego filius tuus pr̃ mi. Et eleuauit Heſau vocẽ ſuam, & fleuit.*

39 *Et reſpondit Iſchac pater eius, & dixit ad eum: Ecce de pinguedinibus terræ: erit habitatio tua, & de rore cœli deſuper.*

40 *Et gladio tuo viues, & fratri tuo ſeruies: Et erit, quando dominaberis, franges iugum eius à collo tuo.*

41 *Et odio habuit Heſau Iahacob propter benedictionem, qua benedixit ei pater eius, & cogitauit Heſau in corde ſuo: Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Iahacob fratrem meum.*

42 *Et nunciata ſunt ipſi Ribcha verba Heſau filij ſui maioris, & miſit, & vocauit Iahacob filium ſuũ minorem, & dixit ad eum: Ecce Heſau frater tuus conſolatur ſe propter te, vt occidat te.*

43 *Et nunc fili mi, obedi voci meæ, & ſurge, fuge ad Laban fratrem meum in Charan,*

44 *Et habita cum eo dies aliquot, donec quieſcat furor fratris tui.*

45 *Donec auertatur furor fratris tui à te, & obliuiſcatur eorum quæ feciſti ei: Et mittam & accipiam te inde: Vt quid orbabor ambobus vobis die vna.*

46 *Et dixit Ribchah ad Iſchac: Anguſtijs affecta ſum in vita mea propter filias Cheth: Si acceperit Iahacob vxorem de filiabus Cheth, ſicut iſtas de filiabus terræ, vt quid eſt mihi vita?*

### CAP. XXVIII.

1 *ET vocauit Iſchac Iahacob, & benedixit ei, & præcepit ei, & dixit ei: Non capies vxorem de filiabus Chenahan,*

2 *Surge, vade in Padan Aram ad domum Bethuel patris matris tuæ, & cape tibi inde vxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.*

3 *Et Deus omnipotens benedicat tibi, & creſcere faciat te, & multiplicare faciat te, & ſis in cœtum populorum.*

4 *Et det tibi benedictionem Abraham, tibi, & ſemini tuo tecum, vt hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus ipſi Abraham.*

5 *Et miſit Iſchac Iahacob, & perrexit in Padan Arã ad Laban filium Bethuel Aramæi fratris Ribchah, matris Iahacob, & Heſau.*

6 *Et vidit Heſau, quòd benedixit Iſchac Iahacob, & miſit eum in Padan Aram, vt caperet ſibi inde vxorem quando benedixit ei: & præcepit ei, dicendo; Non accipies vxorem de filiabus Chenahan*

7 *Et obediuit Iahacob patri ſuo, & matri ſuæ, & iuit in Padan Aram.*

8 *Et vidit Heſau, quòd diſplicerent filiæ Chenahan in oculis Iſchac patris ſui.*

9 *Et abijt Heſau ad Iſmahel, & accepit Machalath filiam Iſmahel filij Abraham ſororem Nebaioth ſuper vxores ſuas, ſibi in vxorem.*

10 *Et egreſſus eſt Iahacob à Beerſebah, & perrexit in Charan.*

11 *Et occurrit in locum, & pernoctauit ibi, quia occubuerat ſol, & tulit de lapidibus loci, & poſuit ſub capite ſuo, & dormiuit in loco eodem.*

12 *Et ſomniauit: Et ecce ſcala erecta erat ſuper terrã, & caput eius tangebat cœlum: Et ecce Angeli Dei aſcendebant, & deſcendebant per eam.*

*Et ecce*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

37 Reſpondens autem Iſaac dixit Eſau: Si dominum illum feci tuum, & omnes fratres eius feci eius famulos, frumento, & vino firmaui eum; tibi autem quid faciam fili?

38 Dixit autem Eſau ad patrem ſuum: Nunquid benedictio vna tibi eſt pater? Benedic nunc etiam me pater.

39 Compunctō autem Iſaac, exclamauit voce Eſau, & fleuit: Reſpondens autem Iſaac pater eius dixit ei: Ecce de pinguedine terræ erit habitatio tua: & de rore cœli deſuper:

40 Et ſuper gladio tuo viues: & fratri tuo ſeruies: & erit, cum depoſueris, & ſolueris iugum illius de collo tuo.

41 Et grauiter iratus erat Eſau Iacob de benedictione, qua benedixerat eum pater eius: dixit autem Eſau in mente ſua: Appropinquent dies luctus patris mei; vt interficiam Iacob fratrem meum.

42 Nunciata autem ſunt Rebeccæ verba Eſau filij ſui ſenioris: & mittens vocauit Iacob filium ſuum iuniorem, & dixit ei: Ecce Eſau frater tuus minatur tibi ad occidendum te.

43 Nunc igitur fili, audi vocem meam: & ſurgens fuge in Meſopotamiam ad Laban fratrem meum in Charran:

44 Et habita cum eo dies aliquot: donec auertatur furor,

45 Et ira fratris tui à te, & obliuiſcatur quæ feciſti ei: & mittens accerſam te inde: ne forte orba filijs ſiam ex ambobus vobis in die vna.

46 Dixit autem Rebecca ad Iſaac: Infenſa ſum vitæ meæ propter filias filiorum Chet: Si ſumet Iacob vxorem de filiabus terræ huius; vt quid mihi viuere?

### C A P. XXVIII.

1 Aduocans autem Iſaac Iacob, benedixit eum, & mandauit ei dicens: Non accipies vxorem ex filiabus Chananæorum:

2 Surgens fuge in Meſopotamiam in domũ Bathuel patris matris tuæ: & ſume tibi inde vxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.

3 Deus autem meus benedicat te, & augeat te, & multiplicet te: & eris in congregationibus gentium:

4 Et det tibi benedictionem Abraham patris mei, tibi & ſemini tuo poſt te: vt hæres ſis terræ incolatus tui, quam dedit Deus ipſi Abraham.

5 Et miſit Iſaac Iacob: & iuit in Meſopotamiam ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris Iacob, & Eſau.

6 Vidit autē Eſau, quia benedixit Iſaac Iacob, & miſit in Meſopotamiam Syriæ, ad ſumendã ſibi vxorē inde, cum benediceret eum; & mandauit ei, dicēs: Non ſumes vxorem de filiabus Chananæorum.

7 Et Iacob audiuit patrem, & matrem ſuam: Et iuit in Meſopotamiam Syriæ.

8 Videns autem & Eſau, quia malæ ſunt filiæ Chanaan coram Iſaac patre ſuo;

9 Iuit Eſau ad Iſmael: & ſumpſit Maeleth filiam Iſmael filij Abraham, ſororem Nabeoth ſuper vxores ſuas vxorem.

10 Et exijt Iacob à puteo iuramenti: & profectus eſt in Charran:

11 Et occurrit loco: & dormiuit ibi: occiderat enim Sol: & ſumpſit ex lapidibus loci: & poſuit ad caput ſuum: & dormiuit in loco illo:

12 Et ſomniauit: Et ecce ſcala ſtabilita ſuper terram: cuius caput pertingebat ad cœlum: & Angeli Dei aſcendebant, & deſcendebant in ea.

## Chald. Paraph. Tranſl.

37 *Reſponditque Iſaac, & dixit ad Eſau: Ecce principem conſtitui eum tibi; & omnes fratres ſuos dedi ei in ſeruos, & frumento, & vino ſtabiliui eum: & nunc tibi quid faciam vltrà, fili mi?*

38 *Et dixit Eſau patri ſuo: Nunquid benedictio vna tantùm eſt tibi, pater mi? benedic quoque mihi pater mi: Et leuauit Eſau vocem ſuam, & fleuit.*

39 *Et reſpondit Iſaac pater eius, & ait illi: Ecce de optimo terræ erit habitatio tua, & de rore cœli deſuper.*

40 *Et in gladio tuo viues: & fratri tuo ſeruies: & erit quando tranſgredientur filij eius verba legis, Auferes iugum eius de ceruicibus tuis.*

41 *Et habuit Eſau odio Iacob, pro benedictione qua benedixerat ei pater eius: & dixit Eſau in corde ſuo: Appropinquabunt dies luctus patris mei; & interficiam Iacob fratrem meum.*

42 *Nunciataque ſunt Rebeccæ verba Eſau filij ſui maioris: & miſit & vocauit Iacob filium ſuum minorem, & dixit ei: Ecce Eſau frater tuus inſidiatur tibi, vt interficiat te.*

43 *Et nunc, fili mi, acquieſce mihi: & ſurge, vade ad Laban fratrem meum in Aram.*

44 *Et habitabis apud eum dies paucos, donec quieſcat ira fratris tui:*

45 *Donec reuertatur ira fratris tui à te: & obliuiſcatur eius quod feciſti ei: Et mittam adducamque te inde: cur orbabor ambobus vobis die vna?*

46 *Et dixit Rebecca ad Iſaac: Pœnitet me vitæ propter filias Heth: Si acceperit Iacob vxorem de filiabus Heth ſimilem iſtis de filiabus terræ, ad quid mihi eſt vita?*

### C A P. XXVIII.

1 *Vocauitque Iſaac Iacob, & benedixit ei: & præcepit ei, & dixit ei: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan.*

2 *Surge, vade in Meſopotamiam Syriæ, in domum Bathuelis patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.*

3 *Et Deus omnipotens benedicat tibi: & creſcere te faciat, & multiplicet te: & ſis in turbas tribuum.*

4 *Et det tibi benedictionem Abrahæ, & filijs tuis tecum; vt poſſideas terram habitationis tuæ, quam dedit Deus Abrahæ.*

5 *Et dimiſit Iſaac Iacob, & abijt in Meſopotamiam Syriæ, ad Laban filium Bathuelis Syri, fratrem Rebeccæ matris Iacob, & Eſau.*

6 *Et vidit Eſau, quòd benedixit Iſaac Iacob, & miſit eum in Meſopotamiam Syriæ, vt acciperet inde ſibi vxorem: & quòd quando benedixit ei, præcepiſſet ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan.*

7 *Et quòd obediſſet Iacob verbo patris, & matris ſuæ, & iuiſſet in Meſopotamiam Syriæ.*

8 *Videns igitur Eſau, quòd diſplicuiſſent filiæ Chanaan in oculis Iſaac patris ſui:*

9 *Abijt quoque Eſau ad Iſmael, & accepit Maalath filiam Iſmaelis filij Abraham, ſororem Nabaioth ſibi in vxorem ſuper vxores ſuas.*

10 *Et egreſſus eſt Iacob de Berſabee, & ibat in Aram.*

11 *Et venit ad quemdam locum: & manſit ibi, quoniã occubuit ſol: & tulit de lapidibus loci, & ſuppoſuit capiti ſuo: & cubuit in loco illo.*

12 *Et ſomniauit: Et ecce ſcala erat defixa in terra, & caput illius pertingebat vſque ad cœlũ: & ecce Angeli Domini aſcendebant, & deſcendebant per eam.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Inf. 35. 1. 48. 3.
* Deut. 12. 20. & 19. 14.
* Sup. 26. 4.
Inf. 31. 13.

13 Et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: Terrã, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo.

14 Eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ: *dilatáberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: *ET BENEDICENTVR IN TE, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.

15 Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris: & reducam te in terram hanc: nec dimittam niſi compleuero vniuerſa quæ dixi.

16 Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.

17 Pauenſque: Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte? non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.

18 Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.

19 Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.

20 Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum,

21 Reuerſusq; fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum,

22 Et lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

### CAP. XXIX.

1 PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalem.

2 Et vidit puteum in agro; tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur.

3 Moriſque erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rurſum ſuper os putei ponerent.

4 Dixitque ad paſtores: Fratres, vnde eſtis? Qui reſponderunt: De Haran.

5 Quos interrogans: Numquid, ait, noſtis Laban filium Nachor? Dixerunt: nouimus,

6 Sanuſne eſt? inquit: Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege ſuo.

7 Dixitque Iacob: Adhuc multum diei ſupereſt, nec eſt tempus, vt reducantur ad caulas greges: date ante potum ouibus, & ſic eas ad paſtum reducite.

8 Qui reſponderunt: Non poſſumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.

9 Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui: nam gregem ipſa paſcebat.

10 Quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, oueſque Laban auunculi ſui: amouit lapidem quo puteus claudebatur.

11 Et adaquato grege, oſculatus eſt eam: & eleuata voce fleuit,

12 Et indicauit ei, quòd frater eſſet patris ſui, & filius Rebeccæ: at illa feſtinans nunciauit patri ſuo.

13 Qui cum audiſſet veniſſe Iacob filium ſororis ſuæ, cucurrit obuiam ei: complexuſque eum, & in oſcula ruens, duxit in domum ſuam: Auditis autem cauſis itineris,



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et ecce Dominus ſtabat iuxta eã, & dixit: Ego Dominus Deus Abrahã patris tui, & Deus Iſchac: Terram ſuper quam tu dormis, tibi dabo, & ſemini tuo.*

14 *Et erit ſemen tuum ſicut puluis terræ, & multiplicaberis ad Occidentem, & ad Orientem, & ad Aquilonem, & ad Meridiem,* ET BENEDICENTSE IN TE *omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo.*

15 *Et ecce ſum tecum, & cuſtodiam te in omnibus, ad quæ perges: & redire faciam te ad terram hanc, quia non derelinquam te, donec faciam, quod locutus ſum tibi.*

16 *Et expergefactus eſt Iahacob à ſomno ſuo, & dixit: Verè eſt Dominus in loco iſto, & ego non noueram.*

17 *Et timuit, & dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte: non eſt hic, niſi domus Dei, & hic eſt porta cœli.*

18 *Et ſurrexit Iahacob manè, & tulit lapidem, quem poſuerat ſub capite ſuo, & poſuit eum ſtatuam, & effudit oleum ſupra ſummitatem eius.*

19 *Et vocauit nomen loci ipſius Bethel: Et vtique Luz erat nomen ciuitatis primò.*

20 *Et vouit Iahacob votum dicendo: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via iſta per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad operiendum,*

21 *Et reuerſus fuero in pace ad domum patris mei, erit Dominus mihi in Deum.*

22 *Et lapis iſte quem poſui ſtatuam, erit domus Dei: Et ex omnibus quæ dederis mihi decimas prorſus dabo tibi.*

### CAP. XXIX.

1 *ET leuauit Iahacob pedes ſuos, & perrexit ad terram filiorum Orientalium.*

2 *Et vidit, & ecce puteus erat in agro, & ecce ibi tres greges pecudum, qui cubabant iuxta illum: quia è puteo ipſo potum dabant gregibus, & lapis magnus erat ſuper os putei.*

3 *Et congregabant ſe ibi omnes greges, & reuoluebant lapidem ab ore putei, & potum dabãt pecudibus: Et reſtituebant lapidem ſuper os putei in locum ſuum.*

4 *Et dixit ad eos Iahacob: Fratres mei vnde eſtis? Et dixerunt: De Charan ſumus.*

5 *Et dixit ad eos: Nunquid noſtis Laban filium Nachor? Et dixerunt: nouimus.*

6 *Et dixit ad eos: Nunquid eſt pax ei? Et dixerunt: Pax: Et ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus.*

7 *Et dixit: Ecce adhuc dies magnus: Non eſt tempus, vt congregetur grex: Potum date pecudibus, & ite, paſcite.*

8 *Et dixerunt: Non poſſumus, donec congregentur omnes greges, & reuoluant lapidem ab ore putei, & potum demus pecudibus.*

9 *Adhuc eo loquente cum eis Rachel venit cum pecudibus, quæ erant patri ſuo: quia paſtor erat.*

10 *Et fuit, quando vidit Iahacob Rachel filiam Laban fratris matris ſuæ, & pecudes Laban fratris matris ſuæ, acceſſit Iahacob, & reuoluit lapidem ab ore putei.*

11 *Et potũ dedit pecudib. Labã frĩs mrĩs ſuæ. Et oſculatus eſt Iahacob Rachel, et eleuauit vocẽ ſuã, & fleuit.*

12 *Et nunciauit Iahacob ipſi Rachel, quòd frater patris ſui eſſet, & quòd filius Ribcah eſſet, & cucurrit: & nunciauit patri ſuo.*

13 *Et fuit, cum audiſſet Laban auditionem Iahacob filij ſororis ſuæ, cucurrit in occurſum eius, & amplexatus eſt eum, & oſculatus eſt eum, & venire fecit eũ ad domum ſuam, & narrauit ipſi Laban omnia hæc.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

13 Et Dñs innitebatur ſuper eã, & dixit: Ego ſum Deus Abrahã patris tui, & Deus Iſaac: noli timere: terra, ſuperq; dormis ſup eã, tibi dabo illã, & ſemini tuo:

14 Et erit ſemen tuum, ſicut arena terræ: & dilatabitur ſuper Mare, & Africum, & Aquilonem, & ad Orientem: ET BENEDICENTVR IN TE omnes tribus terræ, & in ſemine tuo.

15 Et ecce ego ſum tecum, cuſtodiens te in omni via, quacunque ibis: & reducam te in terram hanc: quia te non derelinquam, donec faciam omnia, quæ locutus ſum tibi.

16 Et ſurrexit Iacob de ſomno ſuo, & dixit: Quia Dominus eſt in loco hoc: ego autem neſciebam.

17 Et timuit, & dixit: Quam terribilis eſt locus hic: non eſt hic, niſi domus Dei, & hæc porta cœli.

18 Et ſurrexit Iacob manè, & ſumpſit lapidem, quem ſuppoſuerat ibi ad caput ſuum: & ſtatuit illum, titulum, & ſuperfudit oleum in cacumen eius:

19 Et vocauit nomen loci illius, Domus Dei. Et Vlam Luz erat nomen ciuitatis prius.

20 Et vouit Iacob votum, dicens: Si fuerit Dominus Deus mecum, & cuſtodierit me in via hac, qua ego vado, & dederit mihi panem ad comedendum, & veſtimentum ad induendum,

21 Et reduxerit me cum ſalute in domum patris mei; & erit Dominus mihi in Deum,

22 Et lapis hic, quem ſtatui titulum, erit mihi domus Dei: & omnium, quæcunque mihi dederis, decimam decimabo ea tibi.

C A P. XXIX.

1 ET eleuans Iacob pedes iuit in terram Orientis ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem autem Rebeccæ matris Iacob, & Eſau.

2 Et videt: & ecce puteus in agro. Erant autem ibi tres greges ouium requieſcentes ſuper eum: de puteo enim illo potabant greges: lapis autem erat magnus ſuper os putei.

3 Et congregabantur illuc omnes greges: & reuolue bant lapidẽ ab ore putei, & potabant oues, & reponebant lapidem ſuper os putei in locum ſuum.

4 Dixit autem eis Iacob: Fratres, vnde eſtis vos? At illi dixerunt: De Charran ſumus.

5 Dixit autem eis: Noſtis Laban filium Nachor? At illi dixerunt: noſcimus.

6 Dixit autem eis: Valet? At illi dixerunt: valet: Et ecce Rachel filia eius veniebat cum ouibus.

7 Et dixit Iacob: Adhuc eſt dies multa: nondum hora, vt congregentur pecora: cum potaueritis oues; abeuntes paſcite.

8 At illi dixerunt: Non poterimus, donec congregati fuerint omnes paſtores: & reuoluent lapidem ab ore putei, & potabimus oues.

9 Adhuc loquente eo cum illis, & ecce Rachel filia Laban veniebat cum ouibus patris ſui: ipſa enim paſcebat oues patris ſui.

10 Factum eſt autem, vt vidit Iacob Rachel filiam Laban fratris matris ſuæ, & oues Laban fratris matris ſuæ; & accedens Iacob reuoluit lapidem ab ore putei,

11 Et potauit oues Laban fratris matris ſuæ. Et oſculatus eſt Iacob Rachel: & exclamans voce ſua fleuit,

12 Et indicauit ipſi Rachel, quia frater patris eius eſt, & quia filius Rebeccæ eſt: Et currens illa nunciauit patri ſuo ſecundum verba hæc.

13 Factum eſt autem, vt audiuit Laban nomen Iacob filij ſororis ſuæ, cucurrit obuiam ei, & complexus eũ oſculatus eſt, & induxit eum in domum ſuam: & narrauit ipſi Laban omnes ſermones hos.

## Chald. Paraph. Transl.

13 Et ecce gloria Domini ſtabat ſuper eã, & ait: Ego Dominus Deus Abrahã patris tui, & Deus Iſaac: terra ſuper quam tu cubas, tibi dabo eam, & filijs tuis.

14 Et erunt filij tui multi, quaſi puluis terræ: & propagabis ad Occidentem, & ad Orientem, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum: ET BENEDICENTVR PROPTER TE omnes cognationes terræ, & propter filios tuos.

15 Et ecce verbum meum in adiutorium tuum erit: & cuſtodiam te in omni loco quò ibis: & reducam te ad terram hanc: quoniam non derelinquam te, donec faciam quod locutus ſum tibi.

16 Euigilauitq; Iacob de ſomno ſuo, & ait: Vtiq; in veritate gloria Dñi habitat in loco iſto: et ego neſciebã.

17 Et timuit, & ait: Quã terribilis e loc⁹ iſte! nõ eſt locus communis, ſed locus in quo beneplacitum eſt coram Deo: & è regione loci huius eſt porta cœli.

18 Et ſurrexit Iacob manè, & tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo: & ſtatuit eum in titulum: & effudit oleum ſuper caput eius.

19 Et vocauit nomen loci illius, Bethel: nomen autem ciuitatis Luz prius vocabatur.

20 Et vouit Iacob votum, dicens: Si fuerit verbum Dei in adiutorium meum, & cuſtodierit me in via hac in qua ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum:

21 Et reuerſus fuero in pace in domum patris mei: & erit mihi verbum Domini in Deum:

22 Et lapis iſte, quem poſui in titulum, erit ſuper quem ſeruiam coram Domino: Et omnium quæ dederis mihi, vnum ex decem ſeparabo coram te.

C A P. XXIX.

1 ET leuauit Iacob pedes ſuos, & abijt in terram filiorum Orientis.

2 Et vidit: & ecce puteus in agro, & ecce ibi tres greges ouium accubantes iuxta eum: quia de puteo illo adaquabantur greges: & lapis grandis erat ſuper os putei.

3 Et congregabantur ibi omnes greges: & deuoluebant lapidem ab ore putei, & adaquabant oues, & reducebant lapidem ſuper os putei in locum ſuum.

4 Dixitque eis Iacob: Fratres mei, vnde eſtis? Et dixerunt: De Aram nos ſumus.

5 Et dixit eis: Nunquid noſtis Laban filium Nachor? Et dixerunt: nouimus.

6 Et dixit eis: Nunquid pax eſt ei? & dixerunt? Pax: Et ecce Rachel filia eius veniebat cum ouibus.

7 Et ait: Ecce adhuc multum diei ſupereſt: non eſt tempus, vt colligantur pecora: adaquate oues, & ite ad paſtum.

8 Et dixerunt: Non poſſumus, donec congregentur omnes greges, & deuoluant lapidem ab ore putei, & potum demus ouibus.

9 Adhuc ille loquebatur cum eis, & Rachel venit cum ouibus patris ſui: nam oues ipſa paſcebat.

10 Et factum eſt cum vidiſſet Iacob Rachel filiam Laban fratris matris ſuæ, & oues Laban fratris matris ſuæ, acceſſit Iacob, & reuoluit lapidem ab ore putei:

11 Et adaquauit oues Labã fratris matris ſuæ. Et oſculatus eſt Iacob Rachel: & leuauit vocẽ ſuã, & fleuit.

12 Et narrauit Iacob Rachel, quòd filius ſororis patris ſui ipſe eſſet, & quòd filius Rebeccæ eſſet: Et cucurrit, & nunciauit patri ſuo.

13 Et factum eſt cũ audiſſet Laban rumorẽ de Iacob filio ſororis ſuæ, cucurrit in occurſum eius: & amplexatus eſt eũ, & oſculatus eſt eũ, & introduxit eũ in domum ſuam: & narrauit Laban omnia verba hæc.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

14 Reſpondit: Os meum es,& caro mea. Et poſtquam impleti ſunt dies menſis vnius,

15 Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi? Dic quid mercedis accipias.

16 Habebat vero duas filias,nomen maioris Lia: minor vero appellabatur Rachel.

17 Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venuſto aſpectu.

18 Quam diligens Iacob,ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.

19 Reſpondit Laban: Melius eſt vt tibi eam dem quàm alteri viro,mane apud me.

20 Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

21 Dixitque Laban: Da mihi vxorem meam:quia iam tempus impletum eſt,vt ingrediar ad illam.

22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.

23 Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum,

24 Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Iacob fuiſſet ingreſſus,facto manè vidit Liam:

25 Et dixit ad ſocerum ſuum: Quid eſt quod facere voluiſti? Nonne pro Rachel ſeruiui tibi? quare impoſuiſti mihi?

26 Reſpondit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis,vt minores ante tradamus ad nuptias.

27 Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis alijs.

28 Acquieuit placito: & hebdomada tranſacta Rachel duxit vxorem:

29 Cui pater ſeruam Balam tradiderat.

30 Tandemque potitus optatis nuptijs, amorem ſequentis priori prætulit, ſeruiens apud eum ſeptem annis alijs.

31 Videns autem Dominus,quòd deſpiceret Liam, aperuit vuluam eius,ſorore ſterili permanente.

32 Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

33 Rurſumque concepit,& peperit filium,& ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi: Vocauitque nomen eius Simeon.

34 Concepitq; tertio,& genuit aliũ filiũ: dixitq; Nunc quoq; copulabitũ mihi maritus me⁹,eo ꝙ pepererim ei tres filios: & idcirco appellauit nomẽ eius, Leui.

35 Quarto concepit,& peperit filium,& ait: Modo confitebor Domino: *Et ob hoc vocauit eum,Iudam: ceſſauitque parere.

*Matt.1.

### CAP. XXX.

1 Cemens autem Rachel,quòd infecunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos,alioquin moriar.

2 Cui iratus reſpondit Iacob: Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui?

3 At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios.

4 Deditque illi Balam in coniugium: quæ,

In-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et dixit ei Laban: Profectò os meum, & caro mea es. Et habitauit cum eo menſem dierum.*

15 *Et dixit Laban ad Iahacob: Nunquid quoniam frater meus es, ſeruies mihi gratis? Indica mihi, quæ ſit merces tua.*

16 *Et Laban erant duæ filiæ, nomen maioris Leah,& nomen minoris Rachel.*

17 *Et oculi Leah erant teneri, & Rachel erat pulchra forma,& pulchra aſpectu.*

18 *Et dilexit Iahacob Rachel, & dixit: Seruiam tibi ſeptem annos pro Rachel filia tua minore.*

19 *Et dixit Laban: Melius eſt, vt dem eam tibi, quàm dem eam viro alteri: mane mecum.*

20 *Et ſeruiuit Iahacob pro Rachel ſeptem annos: & fuerunt in oculis eius ſicut dies pauci, eo quòd diligeret eam.*

21 *Et dixit Iahacob ad Laban: Da vxorem meã, quia completi ſunt dies mei,& ingrediar ad eam.*

22 *Et congregauit Laban omnes viros loci, & fecit conuiuium.*

23 *Et fuit,veſperi,accepit Leah filiam ſuam, & venire fecit eam ad eum,& ingreſſus eſt ad eam.*

24 *Et dedit Laban ei Zilpah ancillam ſuam, Leah filiæ ſuæ ancillam. Et fuit manè, & ecce erat Leah.*

25 *Et dixit ad Laban: Quid hoc feciſti mihi? Nunquid non pro Rachel ſeruiui tibi? Et vt quid decepiſti me?*

26 *Et dixit Laban: Non fit ita in loco noſtro, vt detur minor ante primogenitam.*

27 *Comple hebdomadam huius, & dabimus tibi etiam hanc pro ſeruitute, quam ſeruies mihi adhuc ſeptem annos alios.*

28 *Et fecit Iahacob ſic, & compleuit hebdomadã illius, & dedit ei Rachel filiam ſuam in vxorem.*

29 *Et dedit Laban Rachel filiæ ſuæ Bilhah ancillam ſuam,in ancillam.*

30 *Et ingreſſus eſt etiam ad Rachel, & dilexit etiam Rachel magis quam Leah, & ſeruiuit ei adhuc ſeptem annos alios.*

31 *Et vidit Dominus,quòd exoſa eſſet Leah, & aperuit vuluam eius,& Rachel erat ſterilis.*

32 *Et concepit Leah, & peperit filium, & vocauit nomen eius Reuben, quia dixit: Quia vidit Dominus afflictionem meam, nunc enim diliget me vir meus.*

33 *Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit: Quia audiuit Dominus, quòd exoſa eſſem dedit mihi etiam hunc, & vocauit nomen eius Simhon.*

34 *Et concepit adhuc, & peperit filium,& dixit: Nunc vice hac copulabitur vir meus mihi. Quia peperi ei tres filios: Idcirco vocauit nomen eius Leui.*

35 *Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit: Vice hac confitebor Domino: Idcirco vocauit nomen eius Iehudah,& ſtetit à pariendo.*

### CAP. XXX.

1 *Et vidit Rachel,quòd non pareret ipſi Iahacob. Et inuidit Rachel ſorori ſuæ, & dixit ad Iahacob: Da mihi filios,ſin minus mortua ſum.*

2 *Et iratus eſt furor Iahacob in Rachel,& dixit: Nunquid pro Deo ſum, qui prohibuit à te fructum ventris?*

3 *Et dixit: Ecce ancilla mea Bilhah, ingredere ad eam, & pariet ſuper genua mea, & erit etiam mihi filius ex ea.*

4 *Et dedit ei Bilhah ancillam ſuam in vxorem.*

*Et in-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Et dixit ei Laban: De oſſibus meis, & de carne mea es tu: Et fuit cum eo menſem dierum.
15 Dixit autem Laban ipſi Iacob: Quia enim frater meus es; non ſeruies mihi gratis: Indica mihi, quæ merces tua eſt.
16 Erant autem Laban duæ filiæ: nomen maiori Lia, & nomen iuniori Rachel:
17 Oculi autem Liæ infirmi: Rachel autem erat pulchra ſpecie, & decora aſpectu valde.
18 Dilexit autem Iacob ipſam Rachel, & dixit: Seruiã tibi ſeptem annos pro Rachel filia tua iuniore.
19 Dixit autem ei Laban: Melius eſt dare me eam tibi, quam dare me eam viro alteri: habita mecum.
20 Et ſeruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annos: & fueruntq; in cõſpectu eius tanquam pauci dies, eo quod ipſe diligebat eam.
21 Dixit autem Iacob ad Laban: Da mihi vxorẽ meã: impleti enim ſunt dies, vt ingrediar ad eam.
22 Congregauit autem Laban omnes viros loci, & fecit nuptias.
23 Et facta eſt veſpera: & ſumens Liam filiam ſuam, introduxit ad Iacob: & ingreſſus eſt ad eam Iacob.
24 Dedit autem Laban Liæ filiæ ſuæ Zelpham ancillam ſuam, ei ancillam: Factum eſt autem mane: & ecce erat Lia.
25 Dixit autem Iacob ad Laban: Quid hoc feciſti mihi? Nonne pro Rachel ſeruiui apud te? Et vt quid decepiſti me?
26 Reſpondit autem Laban; Non eſt ſic in loco noſtro, vt detur iunior prius quam ſenior.
27 Conſumma itaque ſeptimanam iſtius: & dabo tibi, & hanc pro opere, quod operaberis apud me adhuc ſeptem annos alios.
28 Fecit autem Iacob ſic: & impleuit ſeptimanã iſtius: & dedit ei Laban Rachel filiam ſuam ipſi vxorem.
29 Dedit autem Laban filiæ ſuæ Balam ancillam ſuam, ei ancillam.
30 Et intrauit ad Rachel: dilexit autem Rachel magis quam Liam: & ſeruiuit ibi ſeptem annos alios.
31 Videns autẽ Dominus Deus, quod odio habebatur Lia, aperuit vuluam eius: Rachel autẽ erat ſterilis.
32 Et concepit Lia, & peperit filium ipſi Iacob: Vocauit autem nomen eius Ruben, dicens: Quoniam vidit Dominus humiliationem meam, & dedit mihi filium: nunc itaque diliget me vir meus:
33 Et concepit iterum, & peperit filium ſecundum ipſi Iacob, & dixit: quoniam audiuit Dominus, quod odio habeor, & addidit mihi etiam hunc, & vocauit nomen eius Symeon.
34 Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit: in hoc nunc tempore apud me erit vir meus: quia peperi ei tres filios: Ideo vocauit nomen eius Leui.
35 Et concipiens adhuc peperit filium, & dixit: Nunc etiam hoc confitebor Domino: Ob id vocauit nomen eius Iudam: Et ſtetit à pariendo.

### C A P. XXX.

1 Videns autem Rachel, quod non peperiſſet ipſi Iacob, & Rachel inuidit ſorori ſuæ: & dixit ad Iacob: Da mihi filios: ſin autem non, moriar ego.
2 Iratus autem Iacob ipſi Rachel, dixit ei: Nunquid pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris?
3 Dixit autem Rachel ad Iacob: Ecce ancilla mea Bala: intra ad eam; & pariet ſuper genua mea, & filios faciam ego etiam ex ea.
4 Et dedit ei Balam ancillam ſuam ei vxorem: Et intrauit ad eam Iacob.

## Chald. Paraph Tranſl.

14 *Et ait ei Laban: Vtique conſanguineus meus, & caro mea tu es: Et habitauit cum eo menſem dierum.*
15 *Et dixit Laban ad Iacob: Nunquid quia frater meus es, ſeruies mihi gratis? Indica mihi quæ erit merces tua.*
16 *Habebat autem Laban duas filias, nomen maioris Lia, & nomen minoris Rachel.*
17 *Oculi autem Liæ erant pulchri: & Rachel erat decora forma, & decora aſpectu.*
18 *Et dilexit Iacob Rachel, & ait: Seruiam tibi ſeptem annis pro Rachel filia tua minori.*
19 *Et dixit Laban: Melius eſt vt dem eam tibi, quàm vt tradam viro alteri habita mecum.*
20 *Et ſeruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis: & fuerunt in oculis eius quaſi dies pauci, eo quòd diligebat eam.*
21 *Et dixit Iacob ad Labã: Da mihi vxorẽ meã, quia impleti ſunt dies ſeruitutis meæ, & ingrediar ad illã.*
22 *Congregauitque Laban omnes viros loci, & fecit conuiuium.*
23 *Et facto veſpere, tulit Liam filiam ſuam, & introduxit eam ad eum, & ingreſſus eſt ad eam.*
24 *Et dedit Laban Zelpham ancillam ſuam Liæ filiæ ſuæ in famulam. Et facto manè, ecce ipſa erat Lia:*
25 *Et dixit ad Laban: Quid eſt hoc quod feciſti mihi? Nonne pro Rachel ſeruiui apud te? quare ergo mentitus es mihi?*
26 *Et ait Laban: Non ſolet fieri hoc in loco noſtro, vt detur minor antequam maior.*
27 *Imple hebdomadam huius; & dabimus tibi etiam hanc, pro ſeruitute qua ſeruies mihi adhuc ſeptem annis alijs.*
28 *Et fecit Iacob ſicut dixerat: & impleuit hebdomadã huius: & dedit ei Rachel filiam ſuam in vxorem.*
29 *Et dedit Laban Rachel filiæ ſuæ Balam ancillam ſuam in famulam.*
30 *Et ingreſſus eſt etiam ad Rachel: dilexit & Rachel magis quàm Liam: & ſeruiuit apud eum rurſus alijs ſeptem annis.*
31 *Et manifeſtũ fuit coram Domino quòd odioſa eſſet Lia: & dedit ei vt conciperet: & Rachel erat ſterilis.*
32 *Et concepit Lia, & peperit filium, & vocauit nomen eius Ruben: quia dixit: Quoniam manifeſta fuit coram Domino iniuria mea: nunc enim diliget me maritus meus.*
33 *Et concepit rurſus, & peperit filium, & ait: Quia auditum eſt coram Domino quoniam odio habita eſſem ego: & dedit mihi etiam hunc: & vocauit nomen eius Simeon.*
34 *Concepitque iterum, & peperit filium, & ait: Nunc hac vice copulabitur mihi maritus meus, quia peperi ei tres filios: Propterea vocauit nomen eius Leui.*
35 *Et concepit vltrà, & peperit filium, & ait: Hac vice confitebor coram Domino: Propterea vocauit nomen eius Iuda: Ceſſauitque parere.*

### C A P. XXX.

1 *Et vidit Rachel, quòd non pepererat ex Iacob: & inuidit Rachel ſorori ſuæ; & dixit ad Iacob: Da mihi filios, alioquin moriar.*
2 *Et iratus eſt furor Iacob in Rachel, & ait: Nũquid à me tu petis filios? Nonne à facie Dñi debuiſſes petere, qui prohibuit à te generationem ventris tui?*
3 *Et ait: Ecce ancilla mea Bala; ingredere ad eam, vt pariat: & ego ero nutrix, & ſuſcipiam quoque ego filios ex ea.*
4 *Et dedit ei Balam ancillam ſuam in vxorem: & ingreſſus eſt ad eam Iacob.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Trans. Lex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ingreſſo ad ſe viro, concepit, & peperit filium. | 5 | 5 | *Et ingreſſus eſt ad eam Iahacob. Et concepit Bilhah, & peperit ipſi Iahacob filium.* |
| Dixitque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. Et idcirco appellauit nomen eius, Dan. | 6 | 6 | *Et dixit Rachel. Iudicauit me Deus, & etiam audiuit vocem meam, & dedit mihi filium. Idcirco vocauit nomen eius Dan.* |
| Rurſumque Balæ concipiens, peperit alterum, | 7 | 7 | *Et concepit adhuc, & peperit Bilhah ancilla Rachel, filium ſecundum ipſi Iahacob.* |
| Pro quo ait Rachel: Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui: vocauitque eum, Nephthali. | 8 | 8 | *Et dixit Rachel: Luctationibus vehementibus luctata ſum cum ſorore mea, etiam præualui, & vocauit nomen eius Naphthali.* |
| Sentiens Lia quòd parere deſiiſſet, Zelpham ancillam ſuam marito tradidit. | 9 | 9 | *Et vidit Leah, quod ſtetiſſet à pariendo, & accepit Zilpah ancillã ſuã, & dedit eam Iahacob in vxorem.* |
| Quæ poſt conceptum edente filium, | 10 | 10 | *Et peperit Zilpah ancilla Leah ipſi Iahacob filium.* |
| Dixit: Feliciter. & idcirco vocauit nomen eius, Gad. | 11 | 11 | *Et dixit Leah. Venit proſperitas, & vocauit nomen eius Ghad.* |
| Peperit quoque Zelpha alterum. | 12 | 12 | *Et peperit Zilpah ancilla Leah filium ſecundum ipſi Iahacob.* |
| Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres: propterea appellauit eum, Aſer. | 13 | 13 | *Et dixit Leah. Vt beata dicar, quia beatam me dicent filiæ: & vocauit nomen illius Aſer.* |
| Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. | 14 | 14 | *Et perrexit Ruben in diebus meſſis triticeæ & reperit mandragoras in agro, & attulit eas Leah matri ſuæ. Et dixit Rachel ad Leah: Da nunc mihi de mandragoris filij tui.* |
| Illa reſpondit: Parumne tibi videtur quòd præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. | 15 | 15 | *Et dixit ei: Nunquid parum eſt quòd acceperis virum meum, vt accipere velis etiam mandragoras filij mei? Et dixit Rachel: Idcirco dormiat tecum nocte pro mandragoris filij tui.* |
| Redeuntique ad veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lia, & ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea nocte illa. | 16 | 16 | *Et venit Iahacob ex agro veſperi, & egreſſa eſt Leah in occurſum eius, & dixit: Ad me ingredieris, quia mercando mercata ſum te mandragoris filij mei: Et dormiuit cum ea nocte illa.* |
| Et exaudiuit Deus preces eius: concepitque & peperit filium quintum, | 17 | 17 | *Exaudiuit Deus Leah, & concepit Iahacob filium quintum.* |
| Et ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo: appellauitque nomen eius, Iſſachar. | 18 | 18 | *Et dixit Leah: Dedit Deus mercedem meam, quia dedi ancillam meam viro meo: & vocauit nomen eius Iſſachar.* |
| Rurſum Lia concipiens, peperit ſextum filium, | 19 | 19 | *Et concepit adhuc Leah, & peperit filium ſextum ipſi Iahacob.* |
| Et ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quòd genuerim ei ſex filios: & idcirco appellauit nomen eius, Zabulon. | 20 | 20 | *Et dixit Leah: Dotauit me Deus dote bona, ſemel habitabit mecum vir meus: quia peperi ei ſex filios, & vocauit nomen eius Zebulun.* |
| Poſt quem peperit filiam, nomine Dinam. | 21 | 21 | *Et poſtea peperit filiam, & vocauit nomen eius Dinah.* |
| Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. | 22 | 22 | *Et recordatus eſt Deus Rachel, & exaudiuit eam Deus, & aperuit vuluam illius.* |
| Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abſtulit Deus opprobrium meum. | 23 | 23 | *Et concepit, & peperit filium, & dixit: Amouit Deus probrum meum.* |
| Et vocauit nomen eius, Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. | 24 | 24 | *Et vocauit nomen eius Ioſeph, dicendo: Addat Dominus mihi filium alium.* |
| Nato autem Ioſeph, dixit Iacob ſocero ſuo: Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam. | 25 | 25 | *Et fuit, cum peperiſſet Rachel Ioſeph, dixit Iahacob ad Laban. Dimitte me, & ibo ad locum meum, & ad terram meam.* |
| Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam: tu noſti ſeruitutem qua ſeruiui tibi. | 26 | 26 | *Da vxores meas, & liberos meos propter quos ſeruiui tibi: tu enim noſti ſeruitutem meam, quam ſeruiui tibi.* |
| Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conſpectu tuo: experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te: | 27 | 27 | *Et dixit ad eum Laban: Si quæſo inueni gratiam in oculis tuis, expertus ſum, quòd benedixit mihi Dominus propter te.* |
| Conſtitue mercedem tuam quam dem tibi. | 28 | 28 | *Et dixit: Nomina mercedem tuã mihi, & dabo eam.* |
| At ille reſpondit: Tu noſti quomodo ſeruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. | 29 | 29 | *Et dixit ad eum: Tu noſti qualiter ſeruierim tibi, & qualis fuit grex tuus mecum,* |
| Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nũc diues effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Iuſtum eſt igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ. | 30 | 30 | *Quia puſillus qui fuit tibi ante me, creuit in multitudinem, & benedixit Dominus tibi ad ingreſſum pedis mei. Et nunc quando faciam etiam ego pro domo mea?* |
| Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: ſed ſi feceris quod poſtulo, iterum paſcam, & cuſtodiam pecora tua. | 31 | 31 | *Et dixit: Quid dabo tibi? Et dixit Iahacob: Non dabis mihi quicquam, ſi feceris mihi hoc: Reuertar, paſcam, pecudes tuas cuſtodiam.* |

Gyra Tran-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Incenderunt hoſtes domum Dei, deſtruxeruntque 19
murum Ieruſalem, vniuerſas turres combuſſerunt, &
quidquid pretioſum fuerat, demoliti ſunt.
Si quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem ſer- 20
uiuit regi & filijs eius, donec imperaret rex Perſa-
rum,
& compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, & ce- 21
lebraret terra ſabbata ſua: cunctis enim diebus deſo-
lationis egit ſabbatum vſque dum complerentur ſe-
ptuaginta anni.
* Anno autem primo Cyri regis Perſarum ad ex- 22
plendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat
per os Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri
regis Perſarum: qui iuſſit prædicari in vniuerſo re-
gno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens:
Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Omnia regna ter- 23
ræ dedit mihi Dominus Deus cæli. & ipſe præcepit
mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt
in Iudæa: quis ex vobis eſt in omni populo eius? ſit
Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat.

* Iere 25. 12. & 29. 11. 1. Eſd. 1. 1. & 6. 3.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et incenderunt domum Dei, deſtruxeruntque murũ*
*Ieruſalaim, & omnia palatia eius combuſſerunt igni*
*& omnia vaſa concupiſcibilia eius, ad delendum.*
20 *Et tranſmigrare fecit qui reliĉtus fuerat à gladio in*
*Babel: & fuerunt ei, & filijs eius in ſeruos, donec*
*regnauit regnum Paras.*
21 *Ad explendum verbum Domini in ore Irmeiahu, do-*
*nec perficeret terra ſabbata ſua, omnibus diebus qui-*
*bus deſolata fuit, quieuit, vt complerentur ſeptua-*
*ginta anni.*
22 *Anno autem primo Chores regis Paras ad explen-*
*dum verbum Domini per os Irmeiahu, ſuſcitauit*
*Dominus ſpiritum Chores regis Paras, & tranſire*
*fecit vocem per vniuerſum regnum ſuum, & etiam*
*per ſcripturam, dicendo:*
23 *Sic dixit Chores rex Paras: Omnia regna terræ de-*
*dit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi,*
*vt ædificarem ei domum in Ieruſalaim, quæ eſt in*
*Iehudah: quis in vobis de omni populo eius? Domi-*
*nus Deus ſuus ſit cum eo, & aſcendat.*

LI-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et incendit domum Domini, & demolitus eſt murum Hieruſalem, & palatia eius incendit in igni, & omne
vas ſpecioſum in perditionem. 20 Et tranſtulit reſiduos in Babylonem, & fuerunt ei, & filijs eius in ſeruos
vſque ad regnum Medorum, 21 ad implendum verbum Domini per os Hieremiæ; donec ſuſciperet terra
ſabbata ſua ad ſabbatizandum, omnibus diebus deſolationis ſuæ ſabbatizare in completionem annorum ſeptua-
ginta. 22 Anno primo Cyri regis Perſarum, poſtquam impletum eſt verbum Domini per os Hieremiæ, ſu-
ſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum: & iuſſit prædicari in omni regno ſuo in ſcripto, dicens:
23 Hæc dicit Cyrus rex Perſarum omnibus regnis terræ Dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe mandauit mi-
hi ædificare domum ei in Hieruſalem in Iudæa. Quis ex vobis ex omni populo eius, erit Deus eius cum eo, &
aſcendat.

## FINIS LIBRI SECVNDI PARALIPOMENON.



LIBRI

UVA.BSCH

LIBRI PRIMI

# ESDRÆ.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

Iere. 25.12. & 29.10. 2.Par. 36.22.

IN anno primo Cyri regis Perſarum vt com- 1
pleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, ſu-
ſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſa-
rum: & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam
per ſcripturam, dicens:
Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Omnia regna ter- 2
ræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit
mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt
in Iudæa.
Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus 3
illius cum ipſo. Aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in
Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe
eſt Deus qui eſt in Ieruſalem.
Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habi- 4
tant, adiuuent eum viri de loco ſuo argento & auro,
& ſubſtantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie
offerunt templo Dei, quod eſt in Ieruſalem
Et ſurrexerunt principes patrum de Iuda, & Benia- 5
min, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis, cuius Deus
ſuſcitauit ſpiritum, vt aſcenderent ad ædificandum
templum Domini, quod erat in Ieruſalem.
Vniuerſique qui erant in circuitu, adiuuerunt ma- 6
nus eorum in vaſis argenteis & aureis, in ſubſtantia
& iumentis, in ſupellectili, exceptis his, quæ ſponte
obtulerant.
Rex quoque Cyrus protulit vaſa templi Domini, 7
quæ tulerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem, & po-
ſuerat ea in templo Dei ſui.
Protulit autem ea Cyrus rex Perſarum per manum 8
Mithridatis filij Gazabar, & annumerauit ea Saſſa-
baſar principi Iuda.
Et hic eſt numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, 9
phialæ argenteæ mille, cultri viginti nouem, ſcyphi
aurei triginta,

Scy-

LIBRI PRIMI

# HEZRÆ.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET anno primo Choreſ regis Paras, vt perfice-
retur verbum Domini ex ore Irmeiah, ſuſci-
tauit Dominus ſpiritum Choreſ regis Paras:
& tranſire fecit vocem per omne regnum ſuum, &
etiam per ſcripturam, dicendo:*
2 *Sic dixit Choreſ rex Paras: Omnia regna terræ de-
dit mihi Dominus Deus cœli: & ipſe præcepit mihi,
vt ædificem ei domum in Ieruſalaim, quæ eſt in Ie-
hudah.*
3 *Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus
eius cum eo. Et aſcendat in Ieruſalaim quæ eſt in
Iehudah, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ip-
ſe eſt Deus qui eſt in Ieruſalaim.*
4 *Et omnem* Iehudæum, *qui remanſit ex omnibus locis
in quibus peregrinatur, ſubleuabunt viri loci ſui ar-
gento, & auro, & ſubſtantia, & iumentis, cum obla-
tione ſpontanea domus Dei quæ eſt in Ieruſalaim.*
5 *Et ſurrexerunt principes patrum Iehudah, & Bi-
niamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, omnis cuius ſuſci-
tauit Deus ſpiritum, vt aſcenderet ad ædificandum
domum Domini, quæ eſt in Ieruſalaim.*
6 *Et omnes qui erant in circuitu eorum roborauerunt
manus eorum vaſis argenteis, & aureis, ſubſtantia,
& iumentis, & precioſis præter omne ſponte obla-
tum.*
7 *Rex autem Choreſ protulit vaſa domus Domini quæ
eduxerat Nebuchadneſar de Ieruſalaim, & poſue-
rat in domo Dei ſui.*
8 *Et eduxit ea Choreſ rex Paras per manum Michre-
dath theſaurarij, & numerauit ea ipſi Sesbaſar prin-
cipi Iehudah.*
9 *Et iſti numeri eorum pelluibra aurea triginta, pellu-
bra argentea mille, cultri nouem, & viginti, cochlea-
ria aurea triginta,*

Co-

LIBRI PRIMI

# ESDRÆ.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

In Trãslat. ex Sep. Ro. liber hic, ſecundi lo cum obti- net, primi verò ſed- hîs, qui ſub nõie tertij Eſ- dræ extra canonẽ re- iiciũtur, & in fine hu ius primi tomi ha- bentur iux- ta textum vulgatæ editionis

ET in primo anno Cyri regis Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, ſuſcitauit Do-
minus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & tranſmiſit vocem in omni regno ſuo, etiam in ſcriptura, dicens:
2 Sic dixit Cyrus rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cęli, & ipſe requiſiuit
ſuper me, ad ædificandum ipſi domum in Hieruſalem, quę in Iudæa. 3 Quis in vobis de vniuerſo populo eius?
Et erit Deus illius cum eo & aſcendet in Hieruſalem, quæ in Iudæa, & ædificet domum Dei Iſrael: ipſe eſt Deus,
qui in Hieruſalem. 4 Et omnis reſiduus ex omnibus locis, vbi ipſe habitat ibi, & ſument eum viri loci eius in
argento, & auro, & apparatu, & pecoribus vnà cum voluntario in domum Dei, quæ in Hieruſalem. 5 Et ſurre-
xerunt principes patriarum Iuda, & Beniamin, & ſacerdotes, & Leuitæ, omnes quorum ſuſcitauit Deus ſpiritum
eorum aſcendere ad ædificandam domum Domini, quæ in Hieruſalem. 6 Et omnes, qui in circuitu, conforta-
uerunt in manibus eorum in vaſis argenti, in auro, in apparatu, & in xenijs præter voluntaria. 7 Et rex Cyrus
protulit vaſa domus Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Hieruſalem, & dederat ea in domo Dei ſui.
8 Et protulit ea Cyrus rex Perſarum ſuper manum Mithridatis Gasbareni. Et numerauit ea ipſi Saſabaſar
principi Iuda. 9 Et hic numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, & phialæ argenteæ mille, mutatoria nouem
& viginti, Cephures aurei triginta,

& ar-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Scyphi argentei ſecundi quadringenti decem: vaſa alia mille.

11 Omnia vaſa aurea & argentea quinque millia quadringenta: vniuerſa tulit Saſſabaſar cum his, qui aſcendebant de tranſmigratione Babylonis in Ieruſalem.

### CAP. II.

1.Eſd.7.6. 1 HI ſunt autem prouinciæ filij, qui aſcenderunt de captiuitate, quam tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis in Babylonem, & reuerſi ſunt in Ieruſalem & Iudam vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.

2 Qui venerunt cum Zorobabel, Ioſue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belſan, Meſphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Iſrael:

3 Filij Pharos duo millia centum ſeptuagintaduo.

4 Filij Sephatia, trecenti ſeptuagintaduo.

5 Filij Area, ſeptingenti ſeptuagintaquinque.

6 Filij Phahath Moab, filiorum Ioſue: Ioab duo millia octingenti duodecim.

7 Filij Ælam mille ducenti quinquagintaquattuor.

8 Filij Zethua, nongenti quadragintaquinque.

9 Filij Zachai, ſeptingenti ſexaginta.

10 Filij Bani, ſexcenti quadragintaduo.

11 Filij Bebai, ſexcenti vigintitres.

12 Filij Azgad, mille ducenti vigintiduo.

13 Filij Adonicam, ſexcenti ſexagintaſex.

14 Filij Beguai, duo millia quinquagintaſex.

15 Filij Adin, quadringenti quinquagintaquattuor.

16 Filij Ather, qui erant ex Ezechia, nonagintaocto:

17 Filij Beſai, trecenti vigintitres.

18 Filij Iora, centum duodecim.

19 Filij Haſum, ducenti vigintitres.

20 Filij Gebbar, nonagintaquinque.

21 Filij Bethlehem, centum vigintitres.

22 Viri Netupha, quinquagintaſex.

23 Viri Anathoth, centum vigintiocto.

24 Filij Azmaueth, quadragintaduo.

25 Filij Cariathiarim, Cephira, & Beroth, ſeptingenti quadragintatres.

26 Filij Rama, & Gabaa, ſexcenti vigintiunus.

27 Viri Machmas, centum vigintiduo.

28 Viri Bethel, & Hai, ducenti vigintitres.

29 Filij Nebo quinquagintaduo.

30 Filij Megbis, centum quinquagintaſex.

Filij

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Cochlearia ex argento ſecundo quadraginta, & decem, vaſa alia mille.*

11 *Omnia vaſa aurea, & argentea, quinque millia, & quadringenta: omnia aſcendere fecit Seſbaſar cum aſcendere faceret captiuitatem è Babel in Ieruſalaim.*

### CAP. II.

1 *ET iſti ſunt filij prouinciæ aſcendentes de captiuitate tranſmigrationis, quam tranſmigrare fecit Nebuchadneſar rex Babel in Babel: & reuerſi ſunt in Ieruſalaim, & in Iehudah, vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.*

2 *Qui venerunt cum Zerubabel, Ieſuah, Nechemiah, Seraiah, Rehelaiah, Mordochai, Bilſan, Miſpar, Biguai, Rechum, Bahanah. Numerus virorum populi Iſrael.*

3 *Filij Parhos duo millia centum ſeptuaginta & duo.*

4 *Filij Sephathiah trecenti ſeptuaginta, & duo.*

5 *Filij Arach, ſeptingenti quinque, & ſeptuaginta.*

6 *Filij Pachathmoab, filiorum Ieſuah, Ioab, duo millia octingenti, & duodecim.*

7 *Filij Helam, mille ducenti, quinquaginta, & quattuor.*

8 *Filij Zattu, nongenti, & quadraginta, & quinque.*

9 *Filij Zacchai, ſeptingenti, & ſexaginta.*

10 *Filij Bani, ſexcenti quadraginta, & duo.*

11 *Filij Bebai, ſexcenti viginti, & tres.*

12 *Filij Haſgad, mille ducenti viginti, & duo.*

13 *Filij Adonicham, ſexcenti ſexaginta, & ſex.*

14 *Filij Biguai, duo millia quinquaginta, & ſex.*

15 *Filij Hadin, quadringenti quinquaginta, et quattuor.*

16 *Filij Ather ipſi Chizchiiah, nonaginta, & octo.*

17 *Filij Beſai, trecenti viginti, & tres.*

18 *Filij Iorah, centum, & duodecim.*

19 *Filij Chaſum, ducenti viginti, & tres.*

20 *Filij Ghibbar, nonaginta, & quinque.*

21 *Filij Bethlechem, centum viginti, & tres.*

22 *Viri Nethophah, quinquaginta, & ſex.*

23 *Viri Hanathoth, centum viginti, & octo.*

24 *Filij Haſmaueth, quadraginta, & duo.*

25 *Filij Chiriathiharim Chephirah, & Beeroth, ſeptingenti quadraginta, & tres.*

26 *Filij Ramah & Ghabah, ſexcenti viginti, & vnus.*

27 *Viri Michmas, centum, & viginti, & duo.*

28 *Filij Bethel, & Hai, ducenti viginti, & tres.*

29 *Filij Nebo, quinquaginta, & duo.*

30 *Filij Magbis, centum quinquaginta, & ſex.*

*Filij*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 & argentei duplices quadringenta decem, & vaſa alia mille: 11 omnia vaſa auro, & argento quinque millia quadringenta: omnia aſcendentia cum Saſabaſar à tranſmigratione è Babylone in Hieruſalem.

### CAP. II.

ET hi filij prouinciæ, aſcendentes de captiuitate tranſmigrationis, quam tranſmigrare fecerat Nabuchodonoſor rex Babylonis in Babylonem; & reuerſi ſunt in Hieruſalem, & Iuda, vir in ciuitatem ſuam. 2 Qui venerunt cum Zorobabel, Ieſus, Neemias, Saraias, Reelias, Mardochæus, Balaſan, Maſphar, Begue, Reum, Baana. Virorum numerus populi Iſrael: 3 Filij Phares, duo millia centum ſeptuaginta duo: 4 Filij Saphatia, trecenti ſeptuaginta duo: 5 Filij Ares, ſeptingenti ſeptuaginta quinque: 6 Filij Phaath Moab de filijs Ieſuë Ioab, duo millia octingenti duodecim: 7 Filij Ailam, mille ducenti quinquaginta quattuor: 8 Filij Zattuä, nongenti quadraginta quinque: 9 Filij Zacchù, ſeptingenti ſexaginta: 10 Filij Banui, ſexcenti quadraginta duo: 11 Filij Babai, ſexcenti viginti tres: 12 Aſgad, mille ducenti viginti duo: 13 Filij Adonicam, ſexcenti ſexaginta ſex: 14 Filij Bagué, duo millia quinquaginta ſex: 15 Filij Addin, quadringenti quinquaginta quatuor: 16 Filij Ater ex Ezecia, nonaginta octo: 17 Filij Baſſà, trecenti viginti tres: 18 Filij Iorà, centum duodecim: 19 Filij Aſum, ducenti viginti tres: 20 Filij Gaber, nonaginta quinque: 21 Filij Bethleem, centum viginti tres: 22 Filij Netophà quinquaginta ſex: 23 Filij Anathot, centum viginti octo: 24 Filij Aſmoth, quadraginta tres: 25 Filij Cariathiarim, Caphirà & Beroth, ſeptingenti quadraginta tres: 26 Filij Ramà, & Gabaa, ſexcenti viginti vnus: 27 Viri Machmas, centum viginti duo: 28 Viri Bæthel, & Aià, quadringenti viginti tres: 29 Filij Nabu quinquaginta duo: 30 Filij Magebis, centum quinquaginta ſex:

Filij

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Filij Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor. | 31 | 31 | *Filij Helam alterius mille ducenti quinquaginta & quatuor.* |
| Filij Harim, trecenti viginti. | 32 | 32 | *Filij Harim, trecenti, & viginti.* |
| Filij Lod Hadid, & Ono, ſeptingenti vigintiquinque. | 33 | 33 | *Filij Lod Chadid, & Ono, ſeptingenti viginti, & quinque.* |
| Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque. | 34 | 34 | *Filij Iericho, trecenti quadraginta, & quinque.* |
| Filij Senaa, tria millia ſexcenti triginta. | 35 | 35 | *Filij Senaah, tria millia, & ſexcenti, & triginta.* |
| Sacerdotes: Filij Idaia in domo Ioſue, nongenti ſeptuagintatres. | 36 | 36 | *Sacerdotes filij Iedahiah domus Ieſuah nongenti ſeptuaginta, & tres.* |
| Filij Emmer, mille quinquaginta duo. | 37 | 37 | *Filij Immer, mille quinquaginta, & duo.* |
| Filij Pheshur, mille ducenti quadraginta ſeptem. | 38 | 38 | *Filij Paſchur, mille ducenti quadraginta, & ſeptem.* |
| Filij Harim, mille decem & ſeptem. | 39 | 39 | *Filij Harim, mille, & ſeptem decem.* |
| Leuitæ: Filij Ioſue & Cedmihel filiorum Odouiæ ſeptuagintaquatuor. | 40 | 40 | *Leuitæ filij Ieſuah, & Chadmiel filij Hodauiah ſeptuaginta, & quatuor.* |
| Cantores: Filij Aſaph, centum vigintiocto. | 41 | 41 | *Cantores, filij Aſaph, centum viginti, & octo.* |
| Filij Ianitorum: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: vniuerſi centum trigintanouem. | 42 | 42 | *Filij Ianitorum, filij Sallum, filij Ather, filij Talmon, filij Hacub, filij Chatithah, filij Sobai, omnes centum triginta, & nouem.* |
| Nathinæi: filij Siha, filij Haſupha, filij Tabbaoth, | 43 | 43 | *Nethinim filij Sichah, filij Chaſupha, filij Tabaoth.* |
| Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon, | 44 | 44 | *Filij Cheros, filij Sihaha, filij Padon,* |
| Filij Lebana, filij Hagaba, filij Accub, | 45 | 45 | *Filij Lebanah, filij Chaghabah, filij Hacub,* |
| Filij Hagab, filij Semlai, filij Hanan, | 46 | 46 | *Filij Chaghab, filij Samlai, filij Chanan,* |
| Filij Geddel, filij Gaher, filij Raaia, | 47 | 47 | *Filij Ghiddel, filij Ghachar, filij Reaiah,* |
| Filij Raſin, filij Necoda, filij Gazam, | 48 | 48 | *Filij Reſin, filij Nechuda, filij Ghazam,* |
| Filij Aza, filij Phaſea, filij Beſee, | 49 | 49 | *Filij Huzza, filij Paſeach, filij Beſai,* |
| Filij Aſena, filij Munim, filij Nephuſim, | 50 | 50 | *Filij Aſna, filij Mehunim, filij Nephuſim,* |
| Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur, | 51 | 51 | *Filij Bacbuch, filij Chacupha, filij Charchur,* |
| Filij Beſluth, filij Mahida, filij Harſa, | 52 | 52 | *Filij Basluth, filij Mechida, filij Charſa,* |
| Filij Bercos, filij Siſara, filij Thema, | 53 | 53 | *Filij Barchum, filij Siſra, filij Tamach,* |
| Filij Naſia, filij Hatipha, | 54 | 54 | *Filij Neſiach, filij Chatipha,* |
| Filij ſeruorum Salomonis, filij Sotai, filij Sophereth, filij Pharuda, | 55 | 55 | *Filij ſeruorum Selomoh, filij Sothai, filij Sophereth, filij Peruda,* |
| Filij Iala, filij Dercon, filij Geddel, | 56 | 56 | *Filij Iahalah filij Darcon, filij Ghiddel,* |
| Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erant de Aſebaim, filij Ami. | 57 | 57 | *Filij Sephathiah, filij Chattil, filij Pochereth Haſbaim, filij Ami.* |
| Omnes Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis, trecenti nonagintaduo. | 58 | 58 | *Omnes Nethinim, & filij ſeruorum Selomoh trecenti nonaginta, & duo.* |
| Et hi qui aſcenderunt de Thelmala, Thelharſa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum & ſemen ſuum, vtrum ex Iſrael eſſent. | 59 | 59 | *Et iſti aſcendentes de Telmelach, Telcharſa, Cherub, Addan, Immer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum, an ex Iſrael eſſent.* |
| Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, ſexcenti quinquagintaduo. | 60 | 60 | *Filij Delaiah, filij Thobyah, filij Necuda ſexcenti quinquaginta, & duo.* |
| Et de filijs Sacerdotum: Filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, vxorem, & vocatus eſt nomine eorum: | 61 | 61 | *Et de filijs ſacerdotum filij Chabaiah, filij Cos, filij Barzillai qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhaditis vxorem, & vocatus eſt nomine eorum.* |
| Hi | | | *Hi* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

31 Filij Elamar, mille ducenti quinquaginta quatuor : 32 Filij Elam, trecenti viginti : 33 Filij
Lodadi, & Ono, ſeptingenti vigintiquinque : 34 Filij Hiericho, trecenti quadraginta quinque :
35 Filij Senaa, tria millia ſexcenti triginta. 36 Et ſacerdotes filij Ledua, de domo Ieſu, nongenti ſeptua-
gintatres: 37 Filij Emmer, mille quinquaginta duo : 38 Filij Phaſſur, mille ducenti quadraginta
ſeptem : 39 Filij Erem, mille ſeptem. 40 Et Leuitæ filij Ieſu, & Cadmiel ex filijs Oduia, ſeptuaginta
quatuor, 41 Cantores filij Aſaph, centum viginti octo : 42 Filij Ianitorum, filij Sellum, filij Ater,
filij Telman, filij Acub, filij Atita, filij Sobai, omnes centum triginta nouem. 43 Nathinæi, filij Suthia, filij
Aſupha, filij Tabaoth, 44 filij Cades, filij Siaa, filij Phaeon, 45 filij Labano, filij Agaba filij
Acub, 46 filij Agab, filij Selami, filij Anan, 47 filij Geddel, filij Gaar, filij Raia, 48 filij
Raſon, filij Necodà, filij Gazem, 49 filij Azò, filij Phaſà, filij Bari, 50 filij Aſenà, filij Mounim,
filij Nephuſim. 51 filij Bachuc filij Acuphà, filij Arur, 52 filij Batalolh, filij Maudà filij
Araa, 53 filij Barios, filij Siſara, filij Thema, 54 filij Naſthie, filij Atupha, 55 filij ſer-
uorum Salomon, filij Sotai, filij Sephera, filij Phadura, 56 filij Ieela filij Darcon, filij Gediel,
57 filij Saphatia, filij Aſil, filij Phacherath, filij Aſeboim, filij Hemei : 58 omnes Nathinæi, & filij Abde-
ſelma, trecenti nonaginta duo. 59 Et hi, qui aſcenderunt de Thelmelech, Thelareſa, Cherub, Hedan,
Emmer, & non potuerunt indicare domum patriæ ſuæ, & ſemen ſuum, ſi ex Iſrael ſunt,
60 filij Dalaia filij Bua, filij Thobiæ, filij Necoda, ſexcenti quinquaginta duo : 61 & de filijs ſa-
cerdotum, filij Labia, filij Anchus, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditæ vxorem, & vocatus
eſt in nomine eorum.

Hi quæ-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non 62
inuenerunt & eiecti ſunt de ſacerdotio.
Et dixit Atherſatha eis vt non comederent de San- 63
cto ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos doctus at-
que perfectus.
Omnis multitudo quaſi vnus, quadraginta duo mil- 64
lia trecenti ſexaginta:
Exceptis ſeruis eorum, & ancillis, qui erant ſeptem 65
millia trecenti trigintaſeptem: & in ipſis cantores,
atque cantatrices ducenti.
Equi eorum ſeptingenti trigintaſex, muli eorum 66
ducenti quadragintaquinque,
Cameli eorum quadringenti trigintaquinque, aſini 67
eorum, ſex millia ſeptingenti viginti.
Et de principibus patrum, cum ingrederentur tem- 68
plum Domini, quod eſt in Ieruſalem, ſponte obtu-
lerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco
ſuo.
Secundum vires ſuas dederunt impenſas operis, au- 69
ri ſolidos ſexagintamillia & mille, argenti mnas
quinque millia & veſtes ſacerdotales centum.
Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de 70
populo, & cantores: & ianitores, & Nathinæi in
vrbibus ſuis, vniuerſuſque Iſrael in ciuitatibus
ſuis.

### CAP. III.

IAmque venerat menſis ſeptimus, & erant filij Iſ- 1
rael in ciuitatibus ſuis: congregatus eſt ergo po-
pulus quaſi vir vnus in Ieruſalem.
Et ſurrexit Ioſue filius Ioſedec, & fratres eius ſacer- 2
dotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, &
ædificauerunt altare Dei Iſrael vt offerrent in ho-
locauſtomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi vi-
ri Dei:
Collocauerunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas 3
deterrentibus eos per circuitum populis terrarum,
& obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino ma-
ne & veſpere:
Feceruntque ſolemnitatem tabernaculorum, ſicut 4
ſcriptum eſt, & holocauſtum diebus ſingulis per
ordinem ſecundum præceptum opus diei in die
ſuo.
Et poſt hæc holocauſtum iuge tam in Calendis quã 5
in vniuerſis ſolemnitatibus Domini, quæ erant cõ-
ſecratæ, & in omnibus in quibus vltro offerebatur
munus Domino.

A pri-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

62 *Hi quæſierunt ſcripturam ſuam, genealogias, & non*
*ſunt inuenta, & elongati ſunt à ſacerdotio.*
63 *Et dixit Tirſatha ad eos, vt non comederent de ſan-*
*ctitate ſanctitatum, donec ſtaret ſacerdos in Vrim,*
*& Tummim.*
64 *Omnis congregatio tamquam vnus quater decem*
*millia, & duo millia trecenti ſexaginta.*
65 *Præter ſeruos eorum, & ancillas eorum ſeptem mil-*
*lia trecenti, triginta & ſeptem, & eis erant canto-*
*res, & cantatrices ducenti.*
66 *Equi eorum ſeptingenti triginta, & ſex, muli eorum*
*ducenti quadraginta, & quinque.*
67 *Cameli eorum quadringenti triginta, & quinque,*
*aſini ſex millia ſeptingenti, & viginti.*
68 *Et de principibus patrum quum ingrederentur do-*
*mum Domini quæ eſt in Ieruſalaim ſponte obtu-*
*lerunt ſe ad domum Dei, vt ſtare facerent eam in*
*loco ſuo.*
69 *Secundum vires ſuas dederunt in theſaurum operis*
*auri dragmas ſexies decem millia, & mille, & argenti*
*minas quinque millia, & tunicas ſacerdotales centũ.*
70 *Et habitauerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo*
*& cantores, & ianitores, & Nethinim in vrbibus*
*ſuis, & omnis Iſrael in vrbibus ſuis.*

### CAP. III.

1 *ET attingit menſis ſeptimus, & filij Iſrael erant*
*in vrbibus: & congregati ſunt populus, tam-*
*quam vir vnus in Ieruſalaim.*
2 *Et ſurrexit Ieſuah filius Ioſadach, & fratres eius*
*ſacerdotes, & Zorobabel filius Sealthiel, & fratres*
*eius, & ædificauerunt altare Dei Iſrael, vt offerrent*
*ſuper illud holocauſta ſicut ſcriptum eſt in lege Mo-*
*ſeh viri Dei.*
3 *Et firmauerunt altare in loco ſuo eo quod timerent*
*ſibi ipſi à populis terrarum: & obtulit ſuper illud*
*holocauſta Domino, holocauſta mane, & veſpe-*
*re.*
4 *Et fecerunt ſolemnitatem tabernaculorum ſicut*
*ſcriptum eſt, & holocauſta per ſingulos dies in nu-*
*mero ſecundum conſuetudinem per ſingulos dies.*
5 *Et poſtea holocauſtum iuge, & in Kalendis, & omni-*
*bus ſolemnitatibus Domini ſanctificatis, & omni*
*ſpontanea offerenti ſpontaneum Domino.*

*A die*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

62 Hi quæſierunt ſcripturam ſuam Methoeſim, & non ſunt inuenti, & abdicati ſunt à ſacerdotio. 63 Et dixit Atherſaſtha eis, vt non comederent de ſancto ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos illuminantibus, & perfectis. 64 Omnis autem Eccleſia ſimul quaſi quadraginta duo millia trecenta ſexaginta, 65 abſque ſeruis eorum, & ancillis eorum: hi ſeptem millia trecenti triginta ſeptem: & hi cantores, & cantatrices bis centum. 66 Equi eorum ſeptingenti triginta ſex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque: 67 cameli eorum, quadringenti triginta quinque: aſini eorum, ſex mille ſeptingenti viginti. 68 Et ex principibus patriarum, in ingrediendo ipſos in domum Domini, quæ in Hieruſalem ſponte obtulerunt in domum Dei, ad ſtatuendam eam ſuper ſtabilitatem ſuam, 69 ſicut potentia eorum, dederunt in theſaurum operis, aurum purum minæ millia ſexaginta vnum, & argenti minas quinque millia, & Cothoni ſacerdotum centũ. 70 Et ſederunt ſacerdotes, & Leuitæ, & qui de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinim in ciuitatibus ſuis, & oĩs Iſrael in ciuitatibus ſuis.

### CAP. III.

ET aduenit menſis ſeptimus, & filij Iſrael in ciuitatibus ſuis. Et congregatus eſt populus tamquam vir vnus in Hieruſalem. 2 Et ſurrexit Ieſus filius Ioſedec, & fratres eius ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius: & ædificauerunt altare Dei Iſrael, ad offerendum ſuper illud holocauſtoſes, ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi hominis Dei. 3 Et ſtabilierunt altare ſuper ſtabilitatem ſuam: quoniam in terrore ſuper ipſos à populis terrarum. Et aſcendit ſuper Iſrael holocauſtoſis Domino mane, & ad veſperam. 4 Et fecerunt ſolemnitatem tabernaculorum, ſecundum quod ſcriptum eſt, diem in die in numero, ſicut iudicium, verbum diei in die ſuo: 5 & poſt hæc holocauſtum iugis ſacrificij, & ad Neomenias, & ad omnes feſtiuitates Domino ſanctificatas, & omni ſponte offerenti ſpontaneum Domino.

In die

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

6 A primo die menſis ſeptimi cœperunt offerre holocauſtum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat.

7 Dederunt autem pecunias latomis & cœmentarijs: cibum quoque, & potum, & oleum Sidonijs, Tyrijſque vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus rex Perſarũ eis.

8 Anno autem ſecundo aduentus eorum ad templũ Dei in Ieruſalem menſe ſecundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui venerant de captiuitate in Ieruſalem, & conſtituerunt Leuitas à viginti annis & ſupra, vt vrgerent opus Domini.

9 Stetitque Ioſue & filij eius, & fratres eius, Cedmihel, & filij eius, & filij Iuda, quaſi vir vnus, vt inſtarent ſuper eos qui faciebant opus in templo Dei: filij Henadad, & filij eorum, & fratres eorum Leuitę.

10 Fundato igitur à cœmentarijs templo Domini, ſteterunt ſacerdotes in ornatu ſuo cum tubis: & Leuitæ filij Aſaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid regis Iſrael.

11 Et concinebant in hymnis, & confeſſione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius ſuper Iſrael. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominũ, eo quòd fundatum eſſet templum Domini.

12 Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & ſeniores, qui viderant templum prius cum fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, eleuabant vocem.

13 Nec poterat quiſquam agnoſcere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

### CAP. IIII.

1 AVdierunt autem hoſtes Iudæ, & Beniamin, quia filij captiuitatis ędificarent templum Domino Deo Iſrael:

2 Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum dixerunt eis: Ædificemus vobiſcum, quia ita vt vos, quærimus Deum veſtrum: ecce nos immolauimus victimas à diebus Aſor Haddan regis Aſſur, qui adduxit nos huc.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *A die primo menſis ſeptimi cœperunt offerre holocauſta Domino: templum autem Domini non erat fundatum.*

7 *Et dederunt argentum latomis & opificibus, & cibum, & potum, & oleum Sidonijs, & Sorijs, vt adducerent ligna Cedrina de Lebanon ad mare Iappo iuxta voluntatem Chores regis Paras eis.*

8 *Anno autem ſecundo aduentus eorum ad domum Dei in Ieruſalaim, menſe ſecundo, cœperunt Zorubabel filius Sealthiel, & Ieſuah filius Ioſadach, & reliqui fratres eorum ſacerdotes, & Leuitæ, omnes qui venerunt de captiuitate in Ieruſalaim, & ſtatuerunt Leuitas à filio viginti annorum, & ſupra, vt præeſſent operi domus Domini.*

9 *Stetitque Ieſuah filij eius & fratres eius, Chadmiel, & filij eius, & filij Iehudah tamquam vnus, vt præeſſent facienti opus in domo Dei filij Chenadad, filij eorum, & fratres eorum Leuitæ.*

10 *Et fundauerunt ædificantes templum Domini, & ſtare fecerunt ſacerdotes indutos cum tubis, & Leuitas filius Aſaph cum cymbalis, vt laudarent Dominum per manus Dauid regis Iſrael.*

11 *Et concinebant, dum laudarent Dominum, & confiterentur Domino, quoniam bonus quoniam in ſæculum miſericordia eius ſuper Iſrael: & omnis populus vociferati ſunt vociferatione magna dum laudaret Dominum, eo quod fundata eſſet domus Dñi.*

12 *Et multi ex ſacerdotibus, & Leuitis, & principibus patrum, ſeniores qui viderent domum primam, dum fundarent hanc domum in oculis eorum flebant voce magna, & multi in vociferatione in lætitia, & eleuando vocem.*

13 *Et non agnoſcebat populus vocem clamoris lætitiæ à voce fletus populi, quia populus vociferabatur vociferatione magna, & vox audiebatur vſque ad longinquum.*

### CAP. IIII.

1 *AVdierunt autem hoſtes Iehudah, & Biniamin, quod filij tranſmigrationis ædificarent templum Domino Deo Iſrael.*

2 *Et acceſſerunt ad Zerubabel & ad capita patrum, & dixerunt eis: Ædificabimus vobiſcum, quia ſicut vos quærimus Deum veſtrum, & ei immolauimus à diebus Eſrechadon regis Aſſur, qui aſcendere fecit nos huc.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 In die vna menſis ſeptimi cęperunt offerre holocauſtoſes Dño: & domus Domini fundata non erat. 7 Et
dederunt argentum latomis, & fabris, & cibos, & poculenta, & oleum Sydonijs, & Tyrijs, ad afferendum ligna cedrina e Libano, ad mare Ioppes, ſecundum permiſſionem Cyri regis Perſarum ſuper eos. 8 Et in anno ſecundo aduentus eorum ad domum Dei in Hieruſalem, in menſe ſecundo cępit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec, & reliqui ex fratribus eorum ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui veniebant e captiuitate in Hieruſalem. Et ſtatuerunt Leuitas à viginti annis, & ſupra, ſuper facientes opera in domo Domini. 9 Et ſtetit Ieſus, & filij eius, & fratres eius Cadmiel, & filij eius, filij Iudã, ſuper facientes opera in domo Dei: filij Ennadad, filij eorũ, & fratres eorum Leuitæ, 10 Et fundamenta iecerunt ad ædificandam domum Domini. Et ſteterunt ſacerdotes amicti ſtolis in tubis, & Leuitarum filij Aſaph in cymbalis ad laudandum Dominum ſuper manus Dauid regis Iſrael. 11 Et reſponderunt in laude, & confeſſione Domino quoniam bonum, quoniam in ſæculum miſericordia eius ſuper Iſrael. Et omnis populus ſignificabat voce magna laudando Dominum ſuper fundatione domus Domini. 12 Et multi de ſacerdotibus, & Leuitis, & principes patriarum, ſeniores, qui viderant domum primam in fundatione eius, & hanc domum in oculis ſuis, plorabant voce magna. Et turba in ſignificatione cum lætitia ad eleuandum canticum. 13 Et non erat populus agnoſcens vocem ſignificationis lætitiæ à voce fletus populi: quoniam populus vociferabatur voce magna, & vox audiebatur vſque à longe.

### CAP. IIII.

ET audierunt ij, qui tribulabant Iuda, & Beniamin, quia filij tranſmigrationis ædificant domum Dño Deo Iſrael. 2 Et acceſſerunt ad Zorobabel, & ad principes patriarum, & dixerunt eis: Ædificabimus vobiſcũ qm̃ ſicut vos, quęrimus Deum noſtrum, & ei nos ſacrificamus à diebus Aſaradan regis Aſſur, qui adduxit nos huc.

## Vulgata Editio.

3 Et dixit eis Zorobabel, & Ioſue, & reliqui principes
patrum Iſrael: Non eſt vobis vt ædificemus domum
Deo noſtro, ſed noſipſi ſoli ædificabimus Domino
Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus rex Perſarũ.
4 Factum eſt igitur vt populus terræ impediret ma-
nus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando.
5 Conduxerunt autem aduerſus eos conſiliatores, vt
deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cy-
ri regis Perſarum, & vſque ad regnum Darij regis
Perſarum.
6 In regno autem Aſſueri, in principio regni eius, ſcri
pſerunt accuſationem aduerſus habitatores Iudæ &
Ieruſalem.
7 Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithrida-
tes, & Thabeel, & reliqui, qui erant in conſilio eo-
rum, ad Artaxerxem regem Perſarum: epiſtola au-
tem accuſationis ſcripta erat Syriace, & legebatur
ſermone Syro.
8 Reum Beelteem, & Samſai ſcriba ſcripſerunt epi-
ſtolam vnam de Ieruſalem Artaxerxi regi, huiuſce-
modi:
9 Reum Beelteem, & Samſai ſcriba, & reliqui conſi-
liatores eorum, Dinæi, & Apharſathachæi, Terpha-
læi, Apharſæi, Erchuæi, Babylonij, Suſanechæi, Die-
ui, & Ælamitæ,
10 Et cæteri de Gentibus, quas tranſtulit Aſenaphar
magnus & glorioſus; & habitare eas fecit in ciuita-
tibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen
in pace:
11 (Hoc eſt exemplar epiſtolæ, quam miſerunt ad eũ)
Artaxerxi regi, ſerui tui, viri qui ſunt trans flumen
ſalutem dicunt.
12 Notum ſit regi quia Iudæi, qui aſcenderunt à te ad
nos, venerunt in Ieruſalem ciuitatem rebellem &
peſſimam, quam ædificant extruentes muros eius, &
parietes componentes.
13 Nunc igitur notum ſit regi, quia ſi ciuitas illa ædi-
ficata fuerit, & muri eius inſtaurati, tributum, & ve-
ctigal, & annuos reditus non dabunt, & vſque ad re-
ges hæc noxa perueniet.
14 Nos autem memores ſalis, quod in palatio comedi-
mus, & quia læſiones regis videre nefas ducimus,
idcirco miſimus & nunciauimus regi,
15 Vt recenſeas in libris hiſtoriarum patrum tuorum,
& inuenies ſcriptum in commentarijs: & ſcies quo-
niam vrbs illa, vrbs rebellis eſt, & nocens regibus &
prouincijs, & bella concitantur in ea ex diebus anti-
quis: quam ob rem & ciuitas ipſa deſtructa eſt.
Nun-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Et dixit eis Zerubabel, & Ieſuah, & reliqui princi-
pes patrũ Iſrael: nõ veſtra, ſed nr̃a intereſt ædificare
domũ Deo nr̃o: ſed nos pariter ædificabimus Dño Deo
Iſrael, quẽadmodũ pcepit nobis rex Chores rex Paras.*
4 *Et populus terræ diſſoluebat manus populi Iehudah,
& perturbabat eos, ne ædificarent.*
5 *Et conduxerunt contra eos conſiliarios, vt diſſipa-
rent conſilium eorum omnibus diebus Chores regis
Paras, & vſque ad regnum Dariaues regis Pa-
ras.*
6 *Et in regno Achaſueros in principio regni eius ſcrip-
ſerunt accuſationem contra habitatores Iehudah, &
Ieruſalaim.*
7 *Et in diebus Arthachſaſta ſcripſit verbis pacificis
Mithredath, Thabel, & reliqui ſocij eius ad Artha-
chſaſta regem Paras, & ſcriptura epiſtolæ ſcripta
erat Syriace, & interpretata erat Syriace.*
8 *Rechum à commentarijs, & Simſai ſcriba ſcripſe-
runt epiſtolã vnam ſuper Ieruſalaim ad Arthach-
ſaſta regem huiuſcemodi.*
9 *Tunc Rechum à commentarijs, & Simſai ſcriba,
& reliqui ſocij eorum, Dinaie, & Apharſathchaie
Tharpelaie, Apharſaie, Archauaie, Bablaie Suſan-
chaie, Dehaue, Helmaie.*
10 *Et reliquæ gentes quas tranſtulit Aſnaphar magnus
& glorioſus: & habitare fecit eas in vrbibus Sa-
mariæ, & reliquæ gentes quæ ſunt trans flumen, &
Chebeneth.*
11 *Hoc exemplar epiſtolæ quam miſerunt ad ipſum ad
Arthachſaſta regẽ. Serui tui quicumque ſunt trans
flumen, & Chebeneth.*
12 *Notum ſit regi quod Iehudai, qui aſcenderunt à te ad
nos venerunt in Ieruſalaim, ciuitatem rebellem, &
malam ædificantes, & muros fundauerunt, & parie-
tes compoſuerunt.*
13 *Nunc notum ſit regi, quod ſi ciuitas illa ædificata
fuerit, & muri fuerint, tributum, vectigal, & red-
ditum annuum non dabunt, & tributum regum læ-
detur.*
14 *Nunc pro omni viciſſitudine ſalis palatij, quem co-
medimus, contemptum regis non eſt pulchrum nobis
videre: propterea miſimus, & notificauimus regi.*
15 *Vt quæras in libro hiſtoriarum patrum tuorum, &
inuenies in libro hiſtoriarum: & ſcies quod vrbs il-
la vrbs eſt rebellis & nocens regibus, & defectioni
facientes fuerunt in medio eius à diebus ſæculi: pro-
pterea ciuitas hæc deſtructa eſt.*
*Noti-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et dixit ad eos Zorobabel, & Ieſus, & reliqui principum patriarum Iſrael: Non nobis, & vobis ædificare domum Deo noſtro: quoniam nos ipſi in idipſum ædificabimus Domino Deo noſtro; ſicut mandauit nobis Cyrus rex Perſarum. 4 Et erat populus terræ diſſoluens manus populi Iudæ: & impediebat eos ædificare, etiam mercede conducentes ſuper eos, 5 conſultantes ad diſſipandum conſilium ipſorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & vſque ad regnum Darij regis Perſarum. 6 Et in regno Aſſueri, & in principio regni eius ſcripſerunt epiſtolam ſuper habitantes Iuda, & Hieruſalem. 7 Et in diebus Arthaſaſtha ſcripſit in pace Mithridati Tabeel, & reliquis conſeruis: ad Arthaſaſtha regem Perſarum ſcripſit tabellarius ſcripturam Syriace, & interpretatam: 8 Rheum Baltam, & Sampſa ſcriba ſcripſerunt epiſtolam vnam contra Hieruſalem Arthaſaſtha regi. 9 Hæc iudicabat Rheum Balthan, & Sampſa ſcriba, & reliqui conſerui noſtri, Dinæi, Apharſathachæi, Tarphalæi, Apharſæi, Archyæi, Babylonij, Suſanachæi, Danæi, 10 & reliqui ex gentibus, quas tranſtulit Aſſenaphar magnus, & glorioſus, & habitare fecit eos in ciuitatibus ipſius Someron, & reliquum trans flumen. 11 Hæc eſt diſpoſitio epiſtolæ, quam miſerunt ad eum. AD ARthaſaſta regem pueri tui viri trans flumen. 12 Notum ſit regi, quia Iudæi, qui aſcendunt à te ad nos, venerunt in Hieruſalem, ciuitatem rebellem, & malignam, quam ædificant: & mœnia eius extructa ſunt & fundamenta eius exaltauerunt.
13 Nunc igitur notum ſit regi, quia ſi ciuitas illa reædificata fuerit, & mœnia eius extructa; tributa non erunt tibi, neque dabunt. Et hoc regibus nocet, 14 & turpitudinem regis non licet nobis videre. Propter hoc miſimus, & notum fecimus regi, 15 vt requirat in libro admonitionis patrum tuorum; & inuenies, & cognoſces, quia ciuitas illa, ciuitas refuga, & malefaciens regibus, & prouincijs: & perfugia ſeruorum ſunt in medio eius à diebus ſæculi. Propter hæc ciuitas illa deſolata eſt.

Notum

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Nunciamus nos regi, quoniam ſi ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipſius inſtaurati, poſſeſſionem trans flumium non habebis.

17 Verbum miſit rex ad Reum Beelteem, & Samſai ſcribam, & ad reliquos, qui erant in conſilio eorum habitatores Samariæ, & cęteris trans fluuium, ſalutem dicens & pacem.

18 Accuſatio, quam miſiſtis ad nos, manifeſte lecta eſt coram me.

19 Et à me præceptum eſt: & recenſuerunt, inuenerúntque, quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduerſum reges rebellat, & ſeditiones, & prælia concitantur in ea:

20 Nam & reges fortiſſimi fuerunt in Ieruſalem, qui & dominati ſunt omni regioni, quæ trans fluuium eſt: tributũ quoque & vectigal, & reditus accipiebãt.

21 Nunc ergo audite ſententiam: Prohibeatis viros illos vt vrbs illa non ædificetur, donec ſi forte à me iuſſum fuerit.

22 Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim creſcat malum contra reges.

23 Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum eſt coram Reum Beelteem, & Samſai ſcriba, & conſiliarijs eorum: & abierunt feſtini in Ieruſalem ad Iudæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore.

24 Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Ieruſalem, & non fiebat vſque ad annum ſecundum regni Darij regis Perſarum.

### CAP. V.

1 PRophetauerunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Iudæos, qui erãt in Iudæa & Ieruſalẽ, in nomine Dei Iſrael.

2 Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Ieruſalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos.

3 In ipſo autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, & Sitharbuzanai, & conſiliarij eorum: ſicque dixerunt eis: Quis dedit vobis conſilium vt domum hanc ædificaretis, & muros eius inſtauraretis?

4 Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina hominum auctorum ædificationis illius.

5 Oculus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuitque vt res ad Darium referretur, & tunc ſatisfacerent aduerſus accuſationem illam.

Exem-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Notificamus regi, quia ſi ciuitas hæc ædificata fuerit & muri ipſius fundati fuerint, pro vice illa, portio q̃ tibi debetur ab ijs qui ſunt tráſflumẽ, nõ erit tibi.*

17 *Verbum miſit rex ad Rechum à commentarijs, & Simſai ſcribam, & reliquos ſocios eius qui habitant in Samaria, & reliquos qui erant trans flumen Selam, & Checheth.*

18 *Epiſtola quam miſiſtis ad nos manifeſtè lecta eſt coram me.*

19 *Et à me poſitum eſt decretum, & quæſierunt, & inuenerunt, quod ciuitas illa à diebus ſæculi eleuatur aduerſum reges, & rebellat, & rebellio fiebat in ea.*

20 *Et reges fortes fuerunt in Ieruſalaim, & dominati ſunt omnibus, qui erant trans flumen, & tributum, vectigal, & redditus annualis dabatur eis.*

21 *Nunc ponite edictum, vt ceſſent viri illi, & vrbs illa non ædificetur, donec à me præceptum poſitum fuerit.*

22 *Et moniti eſtis vt faciatis iuxta hoc: cur creſcet corruptio ad nocendum regibus?*

23 *Cumque exempla epiſtolæ Arthachſaſtæ regis lectũ eſſet coram Rechum, & Simſai ſcriba, & ſocijs eorum abierunt feſtinanter in Ieruſalaim ad Iehudæos, & ceſſare fecerunt eos brachio, & robore.*

24 *Tunc ceſſauit opus domus Dei quæ erat in Ieruſalaim, & ceſſauit vſque ad annum ſecundum Dareiaueſ regis Paras.*

### CAP. V.

1 *ET prophetauit Chaggai propheta, & Zechariah filius Hiddo propheta, qui erant in Iudæa & in Ieruſalaim in nomine Dei Iſrael ſuper eos.*

2 *Tunc ſurrexerunt Zerubabel filius Sealthiel, & Ieſuah filius Ioſadach, & cœperunt ædificare domum Dei, quæ eſt in Ieruſalaim, & cum eis erant prophetæ Dei auxiliantes eis.*

3 *In illo tempore venit ad eos Tattenai dux eorum qui trans flumen, & Setharbozenai, & ſocij eorum, & ſic dixerunt eis: Quis poſuit vobis præceptum, vt domum hanc ędificaretis, & fundaretis?*

4 *Tunc adhuc diximus eis: Quę ſunt nomina virorum qui hoc ędificium ædificant.*

5 *Et oculus Dei eorum fuit ſuper ſenes Iehudæorum, & non ceſſare fecerunt eos, donec res ad Dariaueſ pergeret, & tunc reſponderunt per epiſtolam ſuper his.*

*Exem-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Notum igitur facimus nos regi; quia ſi ciuitas illa ædificata fuerit, & mœnia eius extructa; non eſt tibi pax. 17 Et miſit rex ad Rheum Baltam, & Sampſa ſcribam & reliquos conſeruos eorum, habitantes in Samaria, & reliquos trans fluuium, pacem: 18 Et ait: Tabellarius quem miſiſtis ad nos vocatus eſt coram me: 19 & à me poſita eſt ſententia & requiſiuimus, & inuenimus, quia ciuitas illa à diebus ſæculi ſuper reges eleuatur, & rebelliones, & transfugia fiunt in ea: 20 & reges fortes fuerunt in Hieruſalem, & obtinentes totam transfluuialem: & tributa plena & pars dabantur eis. 21 Et nunc ponite edictum, ceſſare viros illos: & ciuitas illa non ædificabitur vltra: 22 vt ex edicto cauti ſitis remiſſe agere de hoc; ne forte multiplicetur perditio in nocumentum regibus. 23 Tunc tabellarius Arthaſaſtæ regis legit coram Rheum Baltham, & Sampſa ſcriba, & conſeruis eius. Et ierunt feſtinanter in Hieruſalem & in Iuda; & ceſſare fecerunt eos in equis, & virtute. 24 Tunc ceſſauit opus domus Dei, quod in Hieruſalem: & fuit ceſſans vſque ad ſecundum annum regni Darij regis Perſarum.

### CAP. V.

ET prophetauit Aggæus propheta, & Zacharias filius Addo prophetiam ſuper Iudæos, qui in Iuda, & Hieruſalem in nomine Dei Iſrael ſuper ipſos. 2 Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec: & cęperunt ędificare domum Dei, quę in Hieruſalem: & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos. 3 In ipſo tempore venit ſuper eos Thanthanai ſubregulus trans flumen, & Satharbuzanai, & conſerui eorum: & talia dixerunt eis: Quis poſuit vobis decretum ędificare domum hanc, & apparatum hunc perficere? 4 Tunc iſta dixerunt eis: Quæ ſunt nomina virorum ędificantium ciuitatem hanc? 5 Et oculi Dei ad captiuitatem Iuda: & non fecerunt ceſſare eos, donec ſententia ad Darium delata fuit. Et tunc data eſt tabellario ſuper hoc



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

6 Exemplar epiſtolæ, quam miſit Thathanai dux regionis trans flumen, & Stharbuzanai, & conſiliatores eius Arphaſachæi, qui erant trans flumen ad Darium regem.

7 Sermo, quem miſerant ei, ſic ſcriptus erat: Dario regi pax omnis.

8 Notum ſit regi iiſſe nos ad Iudæam prouinciã, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: opuſque illud diligenter extruitur, & creſcit in manibus eorum.

9 Interrogauimus eis: Quis dedit vobis poteſtatem, vt domum hanc ædificaretis, & muros hos inſtauraretis?

10 Sed & nomina eorum quæſiuimus ab eis, vt nunciaremus tibi: ſcripſimuſque nomina eorum virorum qui ſunt principes in eis.

11 Huiuſcemodi autem ſermonem reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſerui Dei cœli & terræ, & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque rex Iſrael magnus ædificauerat, & extruxerat.

12 Poſtquam autem ad iracundiam prouocauerant patres noſtri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc deſtruxit, & populum eius tranſtulit in Babylonem.

13 Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex propoſuit edictum vt domus Dei hæc ędificaretur.

14 Nam & vaſa templi Dei aurea & argentea, quę Nabuchodonoſor tulerat de templo, quod erat in Ieruſalem, & aſportauerat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, & data ſunt Saſſabaſar vocabulo, quem & principem conſtituit,

15 Dixitque ei: Hęc vaſa tolle, & vade, & pone ea in templo, quod eſt in Ieruſalem, & domus Dei ędificetur in loco ſuo.

16 Tunc itaque Saſſabaſar ille venit & poſuit fundamenta templi Dei in Ieruſalem, & ex eo tempore vſque nunc ędificatur, & necdum completum eſt.

17 Nunc ergo, ſi videtur regi bonum, recenſeat in bibliotheca regis, quę eſt in Babylone, vtrum nam à Cyro rege iuſſum fuerit vt ędificaretur domus Dei in Ieruſalem, & voluntatem regis ſuper hac re mittat ad nos.

CAP

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Exemplar epiſtolæ, quam miſit Tattenai dux eorum qui erant trans flumen, & Setharbeznai, & ſocij eius, Apharſathaie qui erant trans flumen ad Darianes regem.*

7 *Verbum miſerunt ad eum, & iuxta hoc ſcriptũ erat in medio eius Darianes regi pax omnis.*

8 *Notum ſit regi quod iuimus in Iehudaam prouinciam ad domũ Dei magni, & ipſa ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus, & opus ipſum feſtinanter fit, & proſperatur in manibus eorum.*

9 *Tunc interrogauimus ſeniores illos huiuſcemodi diximus eis: Quis poſuit vobis præceptum vt domum hanc ædificaretis, & parietes hos fundaretis.*

10 *Et etiam de nominibus eorum interrogauimus eos, vt notificaremus tibi, vt ſcriberemus nomina virorum qui ſunt duces eorum.*

11 *Et eiuſcemodi verborum reſponderunt nobis, dicendo: Nos ſumus ſerui Dei cœli, & terræ, & reædificamus domum quæ fuit ædificata ante hos annos multos: & rex Iſrael magnus ædificauit eam, & fundauit eam.*

12 *Verumtamen ex quo prouocauerunt patres noſtri Deum cœli, tradidit eos in manu Nebuchadneſar regis Babel, & domum hanc deſtruxit, & populum eius tranſmigrare fecit in Babel.*

13 *Verumtamen anno primo Chores regis Babel, Chores rex poſuit edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur.*

14 *Et etiam vaſa domus Dei aurea, & argentea, quæ Nebuchadneſar è templo quod eſt in Ieruſalaim attulerat in templum Babel, eduxit Chores rex è templo Babel, & data ſunt ipſi Sesbaſar, quem ducem conſtituerat.*

15 *Dixitque ei: Hæc vaſa tolle, & vade, deferre fac ea in templum, quod eſt in Ieruſalaim, & domus Dei ædificetur in loco ſuo.*

16 *Tunc Sesbaſar ille venit, poſuit fundamenta domus Dei, quæ eſt in Ieruſalaim, & ex eo tempore vſque ad hoc tempus ædificatur, & non eſt perfecta.*

17 *Et nunc ſi regi bonum eſt quæratur in domo theſaurorum regis quę eſt in Babel, an ſit à Chores rege poſitum edictum, vt ędificarent domum Dei hanc, quę eſt in Ieruſalaim, & voluntatem regis ſuper hoc mittat ad nos.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 explicatio epiſtolę, quam miſit Thanthanai ſubregulus regionis trans flumen, & Satharbuzanai, & conſerui
eorum Apharſachęi, qui in transfluuiali, Dario regi: 7 verbis miſerunt ad eum. Et hęc ſcripta ſunt
in eo. Dario regi pax omnis: 8 Notum ſit regi, quia iuimus in Iudęam prouinciam ad domum Dei
magni: & ipſa ędificatur lapidibus electis, & ligna imponuntur in parietibus, & opus illud valde dexterum fit, &
bene procedit in manibus eorum. 9 Tunc interrogauimus ſeniores illos, & ſic diximus eis: Quis po-
ſuit vobis decretum, domum hanc ędificare, & apparatum hunc perficere? 10 Et nomina eorum in-
terrogauimus eos ad notificandum tibi: vt ſcriberemus tibi nomina virorum principum eorum.
11 Et huiuſmodi verbum reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſerui Dei cœli, & terrę: & ędificamus do-
mum, quę erat ędificata ante hunc annos multos: & rex Iſraël magnus ędificauit eam, & perfecit eam ipſis.
12 Ex quo autem irritarunt patres noſtri Deum cœli; dedit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis
Chaldęi: & domum hanc diſſoluit, & populum tranſtulit in Babylonem. 13 Sed in anno pri-
mo Cyri regis, Cyrus rex poſuit decretum, domum Dei hanc ędificari: 14 & vaſa domus Dei
aurea, & argentea, quę Nabuchodonoſor extulerat de domo, quę in Hieruſalem, & aſportauerat ea in templum
regis, protulit ea Cyrus rex è templo regis, & dedit Sabanaſar cuſtodi theſaurorum, qui ſuper theſaurum,
15 & dixit ei: Omnia vaſa ſume, & vade: pone ea in domo, quę in Hieruſalem, in locum eorum.
16 Tunc Sabanaſar ille venit, & dedit fundamenta domus Dei in Hieruſalem: & ex tunc vſque nunc ędificata
eſt, & non eſt perfecta. 17 Et nunc, ſi ſuper regem, bonum; requirat in domo Gazę regis Baby-
lonis; vt cognoſcas, quia à rege Cyro poſitum eſt decretum, ędificare domum Dei illam, quę in Hieruſalem. Et
cum nouerit rex de hoc; mittat ad nos.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. VI.

1 TVnc Darius rex præcepit: & recenſuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repoſiti in Babylone,

2 Et inuentum eſt in Ecbatanis, quod eſt caſtrum in Medena prouincia volumen vnum, taliſque ſcriptus erat in eo commentarius:

3 Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Ieruſalem, in loco vbi immolant hoſtias, & vt ponant fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta.

4 Ordines de lapidibus impolitis tres, & ſic ordines de lignis nouis: ſumptus autẽ de domo regis dabitur.

5 Sed & vaſa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo Ieruſalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum in Ieruſalem in locum ſuum, quæ & poſita ſunt in templo Dei.

6 Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzanai, & conſiliarij veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans flumen, procul recedite ab illis,

7 Et dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum, & à ſenioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco ſuo.

8 Sed & à me præceptum eſt quid oporteat fieri à presbyteris Iudæorũ illis vt ædificetur domus Dei, ſcilicet vt de arca regis, id eſt, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſe ſumptus dentur viris illis ne impediatur opus.

9 Quod ſi neceſſe fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, vinum, & oleum, ſecundum ritum Sacerdotum, qui ſunt in Ieruſalem, detur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia.

10 Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis, & filiorum eius.

11 A me ergo poſitum eſt decretum: Vt omnis homo, qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem eius publicetur.

12 Deus autem, qui habitare fecit nomen ſuum, ibi, diſſipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum ſuam vt repugnet, & diſſipet domum Dei illam, quæ eſt in Ieruſalem. Ego Darius ſtatui decretum, quod ſtudioſe impleri volo.

Igi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. VI.

1 *TVnc Darianes rex poſuit præceptum, & quæſierunt in domo librorum theſaurorum qui poſiti erant ibi in Babel.*

2 *Et inuentum eſt in lagena quæ erat in palatio, quod erat in Madai prouincia volumen vnum, & ſic ſcriptum erat intrinſecus memoriale.*

3 *Anno primo Chores regis, Chores rex poſuit edictũ, vt domus Dei quæ eſt in Ieruſalaim domus ædificaretur, quæ eſt locus in quo immolant victimas, parietes eius colligarentur: altitudo eius cubitorum ſexaginta: latitudo eius cubitorum ſexaginta.*

4 *Parietes ex lapidibus marmoreis tres, & paries interior è lignis nouis, et ſumptus de domo regis dabitur.*

5 *Et etiam vaſa domus Dei aurea, & argentea, quæ Nebuchadneſar eduxerat è templo quod erat in Ieruſalaim, & detulerat in Babel, reddant & vadant ad templum quod eſt in Ieruſalaim ad locum ſuum & deſcendant in domum Dei.*

6 *Nunc Tathenai dux eorum qui ſunt trans flumen Sethar bozenai, & ſocij eorum Apharſechaei qui eſtis trans flumen longinqui eſtote inde.*

7 *Dimittite vt fiat domus Dei huius à duce Iehudæorum, & ſenioribus Iehudæorum: domus Dei hæc ædificabitur in loco ſuo.*

8 *Et à me poſitum eſt edictum illi quod facietis cum ſenioribus Iehudæorum iſtorum, in ædificando domũ Dei hanc, & de ſubſtantia regis quæ eſt tributum trans flumen feſtinanter redditus ſit datus viris illis, vt non ceſſent.*

9 *Et quod neceſſarium fuerit, & filij boum, & arietes, & agni in holocauſtum ſacerdotum, qui ſunt in Ieruſalaim dabuntur eis per ſingulos dies, vt non ſit error.*

10 *Vt offerant ſuffimenta Deo cœli, & orent pro vita regis, & pro filijs eius.*

11 *Et à me poſitum eſt decretum: quod omnis homo, qui mutauerit verbum hoc, diruatur lignum è domo eius & erectum ſuſpendatur in eo, & domus eius ſterquilinium fiat propter hoc.*

12 *Deus autem qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnem regem, & populum qui miſerit manum ſuam ad mutandum, & corrumpẽdum domum Dei hanc, quæ eſt in Ieruſalaim. Ego Darianes poſui decretum, feſtinanter fiat.*

*Tunc*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. VI.

TVnc Darius rex poſuit decretum, & requiſiuit in bibliothecis, vbi Gaza poſita eſt in Babylone. 2 Et in-
uentum eſt in ciuitate in palatio caput vnum, & hic ſcriptus in eo commentarius. 3 In anno primo Cyri
regis, Cyrus rex poſuit decretum de domo ſacra Dei, quæ in Hieruſalem: Domus ędificetur, & locus, vbi ſacri-
ficant ſacrificia. Et poſuit eleuationem, altitudo cubiti ſexaginta, latitudo eius cubitorum ſexaginta: 4 & do-
mus lapideę validæ tres: & domus lignea vna. Et ſumptus de domo regis dabitur. 5 Et vaſa domus Dei ar-
gentea, & aurea quæ Nabuchodonoſor extulit è domo quę in Hieruſalem, & portauit in Babylonem; & dentur,
& remittantur in templum, quod in Hieruſalem ſuper locum, vbi poſita fuerant in domo Dei. 6 Nunc dabitis
ſubreguli trans flumen Sacharbuzanai, & conſerui ipſorum Apharſachæi, qui trans flumen longe exiſtentes illinc
7 nunc permittite opus domus Dei. Præpoſiti Iudęorum, & ſeniores Iudęorum domum Dei illam ędificent ſu-
per locum ipſius. 8 Et à me decretum poſitum eſt, ne quando quid faciatis cum ſenioribus Iudęorum ad ędi-
ficandum domum Dei illam. Et de ſubſtantijs regis, tributis ipſis trans flumen, diligenter ſumptus ſit datus vi-
ris illis, vt non ceſſent. 9 Et quodcumque neceſſarium, & filios boum, & arietum, & agnos in holocauſtoſes
Deo cœli, frumentum, ſal, vinum, oleum iuxta verbum ſacerdotum, qui in Hieruſalem, ſit datum eis, diem in die,
quodcumque petierint; 10 vt beneolentia offerant Deo cœli, & deprecentur ad vitam regis, & filiorum eius.
11 Et à me poſitum eſt decretum; quod omnis homo, qui mutauerit verbum hoc, tolletur lignum de domo ip-
ſius, & erectus percutietur ſuper illud: & domus eius fiet id quod ad me: 12 & Deus, cuius inhabitat nomen
ibi, euertat omnem regem, & populum, qui extendet manum ſuam ad mutandam, aut delendam domum Dei,
quę in Hieruſalem. Ego Darius poſui decretum: diligenter erit.

## Tranſl. ex Septuag.

5 Et concepit Bala ancilla Rachel, & peperit ipſi Iacob filium.

6 Et dixit Rachel: Iudicauit mihi Deus, & exaudiuit vocem meam: & dedit mihi filium. Propterea vocauit nomen eius Dan.

7 Et concepit adhuc Bala ancilla Rachel: & peperit filium ſecundum ipſi Iacob.

8 Et dixit Rachel: Conſumpſit me Deus: & colluctata ſum cum ſorore mea: & valui: & vocauit nomen eius Nephtali.

9 Vidit aũt Lia, q̃ ſteterat à pariendo: & ſumpſit Zelpham ancillam ſuam, & dedit eã ipſi Iacob vxorẽ.

10 Et intrauit ad eam: & concepit Zelpha ancilla Liæ; & peperit ipſi Iacob filium.

11 Et dixit Lia: In fortuna: Et cognominauit nomen eius Gad.

12 Et concepit adhuc Zelpha ancilla Liæ, & peperit ipſi Iacob filium ſecundum.

13 Et dixit Lia: Beata ego, quia beatificabunt me mulieres. Et vocauit nomen eius, Aſer.

14 Iuit autem Ruben in die meſſis triticeæ: & inuenit poma mandragorarum in agro, & attulit ea ad Liã matrem ſuam. Dixit autem Rachel Liæ ſorori ſuæ: Da mihi de mandragoris filij tui.

15 Dixit autem Lia: Non ſatis eſt tibi, quod accepiſti virum meum: nunquid & mandragoras filij mei accipies? Dixit autem Rachel: non ita: Dormiat tecum nocte hac pro mandragoris filij tui.

16 Ingreſſus eſt autem Iacob ex agro veſperi, & exijt Lia in occurſum ei, & dixit: Ad me intrabis hodie: mercede enim conduxi te pro mandragoris filij mei. Et dormiuit cum ea nocte illa.

17 Et exaudiuit Deus Liam: & concipiens peperit ipſi Iacob filium quintum.

18 Et dixit Lia: Dedit mihi Deus mercedem meam, pro eo quod dedi ancillam meam viro meo: & vocauit nomen eius Iſſachar, quod eſt merces.

19 Et concepit adhuc Lia, & peperit filium ſextum ipſi Iacob.

20 Et dixit Lia: Donauit Deus mihi donum bonum nunc temporis: diliget me vir meus: peperi enim ei filios ſex. Et vocauit nomen eius Zabulon.

21 Et poſt hoc peperit filiam: & vocauit nomen eius Dina.

22 Recordatus eſt autem Deus Rachel: & exaudiuit eam Deus, & aperuit eius vuluam:

23 Et concipiens peperit ipſi Iacob filium. Dixit autem Rachel. Abſtulit Deus meum opprobrium.

24 Et vocauit nomen eius Ioſeph dicens: Addat Deus mihi filium alium.

25 Factum eſt autem vt peperit Rachel Ioſeph, dixit Iacob ad Laban: Dimitte me, vt abeam in locum meum, & in terram meam:

26 Redde vxores meas, & paruulos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam: tu enim noſti ſeruitutem, quam ſeruiui tibi.

27 Dixit autem ei Laban: Si inueni gratiam coram te; auguratus ſum vtique: benedixit enim me Deus in tuo ingreſſu.

28 Diſtingue mercedem tuam ad me, & dabo.

29 Dixit autem Iacob: Tu noſti quæ ſeruiui tibi, & quanta erant pecora tua mecum:

30 Parua enim erant, quæ tibi erant coram me: & aucta ſunt in multitudinem: & benedixit te Dominus Deus in pede meo. Nunc itaque quando faciam & ego mihi domum?

31 Et dixit ei Laban: Quid tibi dabo? Dixit autem ei Iacob: Non dabis mihi quicquam. Si feceris mihi verbum hoc, rurſus paſcam oues tuas, & cuſtodiã.

Tran-

## Chald. Paraph. Tranſl.

5 *Et concepit Bala, & peperit filium Iacob.*

6 *Et ait Rachel: Iudicauit me Deus, & ſuſcepit orationem meam, & dedit mihi filium: Idcircò vocauit nomen eius Dan.*

7 *Concepitque rurſus & peperit Bala ancilla Rachel filium ſecundum Iacob.*

8 *Et ait Rachel: Suſcepit Deꝰ dẽprecatiõẽ meã, cũ dẽprecatus ſũ in oratiõe mea: cõcupiui vt eẽt mihi filiꝰ ſicut ſorori meæ quod vtiq; cõceſſũ ẽ mihi. & vocauit nomẽ eiꝰ Nephtali.*

9 *Et vidit Lia quòd ceſſaſſet parere: & tulit Zelpham ancillam ſuam, & dedit eam Iacob in vxorem.*

10 *Et peperit Zelpha ancilla Liæ Iacob filium.*

11 *Et dixit Lia: Venit felicitas: & vocauit nomen eius Gad.*

12 *Et peperit Zelpha ancilla Liæ filium ſecundum Iacob.*

13 *Et ait Lia: Laus erit mihi: quoniam nunc laudabunt me mulieres: & vocauit nomen eius Aſer.*

14 *Et abijt Ruben in diebus meſſis tritici, & inuenit mandragoras in agro; & attulit eas Liæ matri ſuæ. Et dixit Rachel ad Liam: Da mihi, obſecro, de mandragoris filij tui.*

15 *Et ait ei: Nunquid parum eſt quòd tuliſti maritum meum, niſi quòd accipias etiam mandragoras filij mei? Et ait Rachel: Propterea cubabit tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.*

16 *Et venit Iacob de agro veſperè, & egreſſa eſt Lia in occurſum eius: & ait: Ad me ingredere; quoniam mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Et cubuit cum ea nocte illa.*

17 *Et ſuſcepit Deus orationem Liæ; & concepit & peperit filium quintum Iacob.*

18 *Et ait Lia: Dedit Deus mercedem meam, quia dedi ancillam meam marito meo: & vocauit nomen eius Iſachar.*

19 *Et concepit rurſus Lia, & peperit filium ſextum Iacob.*

20 *Et ait Lia: Dedit mihi Deus optimam partem: hac vice erit habitatio mariti mei apud me; quoniam peperi ei ſex filios. & vocauit nomen eius Zabulon.*

21 *Et poſteà peperit filiam, & vocauit nomen eius Dinam.*

22 *Et venit memoria Rachelis in conſpectu Dei: & ſuſcepit Deus orationem eius: & dedit ei vt cõciperet.*

23 *Et concepit & peperit filium: & ait, Abſtulit Deus opprobrium meum.*

24 *Et vocauit nomen eius Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.*

25 *Et factum eſt cum peperiſſet Rachel Ioſeph, & dixit Iacob ad Laban: Dimitte me, vt vadam in locum meum & in terram meam.*

26 *Da mihi vxores meas & filios meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt vadam: quoniam tu noſti ſeruitutem meam qua ſeruiui tibi.*

27 *Et dixit ei Laban: Si nunc inueni gratiam in oculis tuis, expertus ſum quòd benedixeret mihi Deus propter te.*

28 *Et ait: Conſtitue mercedem tuam mihi, & dabo tibi.*

29 *Et dixit ei: Tu noſti quomodo ſeruierim tibi; & quanta erant pecora tua apud me,*

30 *Quoniam pauca quæ erant tibi coram me, creuerunt in multitudinem. Et benedixit tibi Dominus propter me. Et nunc quando faciam etiam ego pro domo mea?*

31 *Et dixit: Quid dabo tibi? Et ait Iacob: Non dabis mihi quicquam: ſed ſi feceris mihi verbum hoc, reuertar & paſcam oues tuas, & cuſtodiam eas.*

Tranſ-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

13 Igitur Thanai dux regionis trans flumen, & Sharbuzanai, & conſiliarij eius, ſecundum quod præceperat Darius rex, ſic diligenter executi ſunt.
14 Seniores autem Iudæorum ædificabant, & proſperabantur iuxta prophetiam Aggæi prophetæ & Zachariæ filij Addo: & ædificauerunt & conſtruxerunt iubente Deo Iſrael, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum:
15 Et compleuerunt domum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darij regis.
16 Fecerunt autem filij Iſrael Sacerdotes, & Leuitæ, & reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio.
17 Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Iſrael duodecim, iuxta numerum tribuum Iſrael.
18 Et ſtatuerunt Sacerdotes in ordinibus ſuis, & Leuitas in vicibus ſuis ſuper opera Dei in Ieruſalem, * ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.

* Nu. 3. 6. & 8. 9.

19 Fecerunt autem filij Iſrael tranſmigrationis Paſcha quartadecima die menſis primi.
20 Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ quaſi vnus: omnes mundi ad immolandum paſcha vniuerſis filijs tranſmigrationis, & fratribus ſuis Sacerdotibus, & ſibi.
21 Et comederunt filij Iſrael, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione, & omnes qui ſe ſeparauerant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.
22 Et fecerunt ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Aſſur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Iſrael.

### CAP. VII.

1 Poſt hæc autem verba in regno Artaxerxis regis Perſarum, Eſdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helciæ,
2 Filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob,
3 Filij Amariæ, filij Azariæ, filij Maraioth,
4 Filij Zaraiæ, filij Ozi, filij Bocci,
5 Filij Abiſue, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron ſacerdotis ab initio.

Ipſe

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Tunc Thattenai dux eorum qui erant trans flumē, Setharbozna, & ſocij eorum, ſecundū quod miſit Darianes rex, ſecundum hoc feſtinanter fecerunt.*
14 *Seniores autem Iehudæorum ædificabant, & proſperabantur ſecundum prophetiam Chaggai prophetæ, & Zachariah filij Hiddo, & ædificauerunt, & fundauerunt ex præcepto Dei Iſrael, & ex præcepto Choreſ, & Darianes, & Arthachſaſtha regis Paras.*
15 *Et perfecta eſt domus hæc vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darianes regis.*
16 *Et fecerunt filij Iſrael ſacerdotes, & Leuitæ, & reliqui filij tranſmigrationis, dedicationem domus Dei huius cum gaudio.*
17 *Et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos caprarum pro peccato, pro toto Iſrael duodecim, ſecundum numerum tribuum Iſrael.*
18 *Et ſtatuerunt ſacerdotes in diuiſionibus ſuis, & Leuitas in diſtinctionibus ſuis ſuper opera Dei qui erant in Ieruſalaim.*
19 *Et fecerunt filij tranſmigrationis Peſach quartadecima menſis primi.*
20 *Purificati enim ſunt ſacerdotes, & Leuitæ tanquam vnus, cuncti ipſi mundi: & immolauerunt Peſach pro omnibus filijs tranſmigrationis, & fratribus eorum ſacerdotibus, & ſibi ipſi.*
21 *Et comederunt filij Iſrael qui reuerſi erant de tranſmigratione, & omnis qui ſe ſeparauerat à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.*
22 *Et fecerunt ſolemnitatem infermentatorum ſeptem diebus cum lætitia, quia lætificauerat eos Dominus, & conuerterat fecerat cor regis Aſſur ad eos ad confortandum eos in opera domus Dei Iſrael.*

### CAP. VII.

1 *Et poſt hæc in regno Arthachſaſtha regis Paras erat Hezrah filius Seraiah filij Hazariah, filij Chilchijah.*
2 *Filij Sallum, filij Sadoc, filij Achitob.*
3 *Filij Amariah, filij Hazariah, filij Meraioth,*
4 *Filij Zerachiah, filij Huzzi, filij Bucchi,*
5 *Filij Abiſuah, filij Pinchas, filij Elhazar, filij Aharon ſacerdotis primi.*

*Ipſe*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Tunc Thanthanai ſubregulus trans flumen, Satharbuzanai, & conſerui eius, ſecundum quod miſit Darius rex, ſic fecerunt diligenter. 14 Et ſeniores Iudæorum ædificabant, & Leuitæ in prophetia Aggæi prophetæ, & Zachariæ filij Addo. Et ædificauerunt, & perfecerunt ex decreto Dei Iſrael, & ex decreto Cyri, & Darij, & Arthaſaſtha regum Perſarum. 15 Et perfecerunt domum iſtam vſque ad diem tertiam menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darij regis. 16 Et fecerunt filij Iſrael, ſacerdotes, & Leuitæ, & reliqui ex filijs tranſmigrationis Encęnia domus Dei in lætitia: 17 & obtulerunt in Encęnia domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato pro omni Iſrael duodecim ad numerum tribuum Iſrael. 18 Et ſtatuerunt ſacerdotes in diuiſionibus ipſorum, & Leuitas in partitionibus ipſorum, ſuper ſeruitutem Dei in Hieruſalem, ſecundum ſcripturam libri Moyſi. 19 Et fecerunt filij tranſmigrationis Paſcha quartadecima menſis primi: 20 quoniam mundati fuerant ſacerdotes & Leuitę: vſque ad vnum, omnes mundi. Et iugularunt Paſcha omnibus filijs tranſmigrationis, & fratribus ſuis ſacerdotibus, & ſibi ipſis. 21 Et comederunt filij Iſrael Paſcha, qui de tranſmigratione, & omnis ſeparans ſe ab immunditia gentium terrę ad eos, ad quęrendum Dominum Deum Iſrael. 22 Et fecerunt feſtiuitatem Azymorum ſeptem diebus in lætitia: quoniam lętificabat eos Dominus: & conuertit cor regis Aſſur ſuper eos ad confortandas manus eorum in operibus domus Dei Iſrael.

### CAP. VII.

Et poſt verba hæc, in regno Arthaſaſtha regis Perſarum, aſcendit Eſdras filius Sareę filij Azariæ filij Chelciæ 2 filij Sellum filij Sadduc filij Achitob 3 filij Samaria filij Eſria filij Marcoth 4 filij Zaraiã filij Oziæ filij Bocci, 5 filij Abiſue filij Phinees filij Eleazari filij Aaron ſacerdotis primi.

Ipſe

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moyſi, quam Dominus Deus dedit Iſrael: & dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei eius, ſuper eum, omnem petitionem eius.

7 Et aſcenderunt de filijs Iſrael, & de filijs Sacerdotum, & de filijs Leuitarum, & de cantoribus, & de ianitoribus, & de Nathinæis in Ieruſalem anno ſeptimo Artaxerxis regis.

8 Et venerunt in Ieruſalem menſe quinto, ipſe eſt annus ſeptimus regis.

9 Quia in primo die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone, & in primo die menſis quinti venit in Ieruſalem, iuxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe.

10 Eſdras enim parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret & doceret in Iſrael præceptum & iudicium.

11 Hoc eſt autem exemplar epiſtolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ erudito in ſermonibus & præceptis Domini, & ceremonijs eius in Iſrael.

12 Artaxerxes rex regum Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cœli doctiſſimo, ſalutem.

13 A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ieruſalem, tecum vadat.

14 A facie enim regis, & ſeptem conſiliatorum eius, miſſus es, vt viſites Iudæam & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua:

15 Et vt feras argentum & aurum quod rex, & conſiliatores eius ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cuius in Ieruſalem tabernaculum eſt.

16 Et omne argentum & aurum quodcumque inueneris in vniuerſa prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ ſponte obtulerint domui Dei ſui, quæ eſt in Ieruſalem,

17 Libere accipe, & ſtudioſe eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos & ſacrificia & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Ieruſalem.

18 Sed & ſi quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro, vt faciatis, iuxta voluntatem Dei veſtri facite.

19 Vaſa quoque, quæ dantur tibi in miniſterium domus Dei tui, trade in conſpectu Dei in Ieruſalem.

20 Sed & cetera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque neceſſe eſt vt expendas, dabitur de theſauro, & de fiſco regis,

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Ipſe Hezra aſcendit è Babel, & erat ſcriba velox in lege Moſeh, quam dedit Dominus Deus Iſrael: & dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei ſui ſuper eum omnem petitionem eius.*

7 *Et aſcenderunt de filijs Iſrael & de ſacerdotibus, Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & Nethinim in Ieruſalaim anno Arthachſaſtha regis.*

8 *Et venit in Ieruſalaim quinto menſe: ipſe eſt annus ſeptimus regis.*

9 *Quia in prima menſis primi fuit initium aſcenſionis de Babel, & in prima menſis quinti venit in Ieruſalaim ſecundum manum Dei ſui bonam ſuper eum.*

10 *Quia Hezra parauit cor ſuum, vt quæreret legem Domini, & faceret, & doceret Iſrael præceptum, & iudicium.*

11 *Et hoc eſt exemplar epiſtolæ, quam dedit rex Arthachſaſtha Hezra ſacerdoti ſcribæ, ſcribæ verborum præceptorum Domini, & ſtatutorum eius ſuper Iſrael.*

12 *Arthachſaſtha rex regum Hezra ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cœli conſumato, & Chebeneth.*

13 *A me poſitum eſt decretum, quod omnis qui ſpontaneus eſt in regno meo de populo Iſrael, & ſacerdotibus, & Leuitis, vt eat in Ieruſalaim tecum vadat.*

14 *Pro eo quod à facie regis, & ſeptem conſiliariorum eius miſſus es ad viſitandum Iehudaam, & Ieruſalaim in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua.*

15 *Et ad ferendum argentum & aurum quod rex, & conſiliarij eius ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cuius in Ieruſalaim eſt habitaculum.*

16 *Et omne argentum, & aurum, quod inueneris in vniuerſa prouincia Babel, cum ſpontaneis populis, & ſacerdotibus, qui ſponte obtulerint in domui Dei ſui, quæ eſt in Ieruſalaim.*

17 *Vt citò emas argento hoc, vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia eorum, & libamina eorum, & offeras ea ſuper altare domus Dei veſtri, quæ eſt in Ieruſalaim.*

18 *Et illud quod tibi, & fratribus tuis placuerit de reſiduo argento & auro, vt faciat, ſecundum voluntatem Dei veſtri facite.*

19 *Et vaſa quæ data ſunt tibi in miniſterium domus Dei tui redde coram Deo in Ieruſalaim.*

20 *Et reliqua quæ fuerunt neceſſaria pro domo Dei tui quæ opus fuerint tibi, vt dentur, dabis è domo theſaurorum regis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moyſi quam dedit Dominus Deus Iſrael. Et de-
dit ei rex: quoniam manus Domini Dei eius ſuper ipſum in omnibus, quæ quærebat ipſe. 7 Et aſcenderunt
de filijs Iſrael, & de ſacerdotibus, & de Leuitis, & cantores, & oſtiarij, & Nathinim in Hieruſalem in anno ſeptimo
Arthaſaſtha regi. 8 Et venerunt in Hieruſalem menſe quinto: hic annus ſeptimus regi: 9 quoniam
in vna menſis primi ipſe fundauit aſcenſionem, quæ e Babylone: in prima autem menſis quinti venerunt in Hie-
ruſalem: quoniam manus Dei eius erat bona ſuper eum: 10 quoniam Eſdras dedit in cor ſuum quærere
legem, & facere, & docere in Iſrael præcepta, & Iudicia. 11 Et hæc explicatio conſtitutionis, quam dedit Ar-
thaſaſtha Eſdræ ſacerdoti ſcribæ libri ſermonum mandatorum Domini & præceptorum ipſius ſuper Iſrael.
12 Arthaſaſtha rex regum Eſdræ ſcribæ legis Domini Dei cœli. Perficiatur ſermo, & reſponſio. 13 A me
poſitum eſt decretum, vt omnis ſponte volens in regno meo de populo Iſrael, & ſacerdotibus, & Leuitis ire in Hie-
ruſalem tecum eat. 14 A facie regis, & ſeptem conſiliariorum miſſum eſt viſitare ſuper Hieruſalem, & in Iu-
dæam, lege Dei ipſorum, quæ in manu tua: 15 & ad domum Domini argentum, & aurum, quod rex, & con-
ſiliarij ſponte dederunt Deo Iſrael, habitanti in Hieruſalem, 16 & omne argentum, & aurum, quodcumque
inueneris in omni regione Babylonis cum ſpontanea datione populi, & ſacerdotum ſponte dantium, in domum
Dei, quæ in Hieruſalem. 17 Et omnem venientem hunc prompte ordina in libro hoc, vitulos, arietes, agnos,
& ſacrificia eorum, & libamina eorum, & offeres ea ſuper altare domus Dei veſtri, quæ in Hieruſalem.
18 Et ſi quid ſuper te, & fratres tuos, bonum fuerit in reſiduo argenti, & auri facere; ſicut placitum Deo veſtro,
facite. 19 Et vaſa, quæ dantur tibi in miniſterium domus Dei, trade in conſpectu Dei in Hieruſalem.
20 Et reliquum neceſſitatis domus Dei tui, quodcumque viſum fuerit tibi; dabis ex ædibus gazæ regis,



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

21 Et à me. Ego Artaxerxes rex, ſtatui atque decreui omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans flumen, vt quodcumque petierit à vobis Eſdras ſacerdos, ſcriba legis Dei cœli, abſque mora detis

22 Vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad frumenti coros centum, & vſque ad vini batos centum, & vſque ad batos olei centũ, ſal vero abſque menſura.

23 Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne forte iraſcatur contra regnum regis, & filiorum eius.

24 Vobis quoque notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.

25 Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Dei tui quæ eſt in manu tua, conſtitue iudices & præſides vt iudicent omni populo, qui eſt trans flumen, his videlicet qui nouerunt legem Dei tui, ſed & imperitos docete libere.

26 Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo ſiue in mortem, ſiue in exilium, ſiue in condemnationem ſubſtantiæ eius, vel certe in carcerem.

27 Benedictus Dominus Deus patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde regis vt glorificaret domum Domini, quæ eſt in Ieruſalem,

28 Et in me inclinauit miſericordiam ſuam coram rege & conſiliatoribus eius, & vniuerſis principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me congregaui de Iſrael principes qui aſcenderent mecum.

### CAP. VIII.

1 HI ſunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui aſcenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

2 De filijs Phinees, Gerſom: De filijs Ithamar Daniel: De filijs Dauid, Hattus.

3 De filijs Secheniæ, filijs Pharos, Zacharias: & cum eo numerati ſunt viri centum quinquaginta.

4 De filijs Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri.

5 De filijs Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri.

6 De filijs Adan, Abed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta viri.

De

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et à me Arthachſaſtha poſitum eſt decretum omnibus theſaurarijs qui ſunt trans flumen, vt omnia quæ petierit à vobis Hezra ſacerdos ſcriba legis Dei cœlo fiat.*

22 *Vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad tritici choros centum, & vſque ad vini batos centum, & vſque ad batos olei centum, & ſal vt non ſcribatur.*

23 *Omne quod eſt ex decreto Dei cœli fiat feſtinanter domui Dei cœli: cuius, vt quid futura eſt ira contra regnum regis, & filiorum eius?*

24 *Et vobis notificamus quod omnibus ſacerdotibus, & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Nethinæis, & miniſtris domus Dei huius, tributum vectigal, & redditus profectus non imponet.*

25 *Tu autem Hezra ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue iudices, & cauſidicos, qui iudicent omnem populum qui eſt trans flumen, omnes ſcientes legem Dei tui, & eum qui non nouit ſcire facietis.*

26 *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis, cito iudicium fiat de eo, ſiue ad mortem, ſiue ad eradicationem eius, ſiue ad condemnationem ſubſtantiæ, & ad vinciendum.*

27 *Benedictus dominus Deus patrum noſtrorum, qui dedit ſimile in corde regis, vt glorificaret domum Domini, quæ eſt in Ieruſalaim.*

28 *Et ſuper me inclinauit miſericordiam coram rege, & conſiliarijs eius, & omnibus principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Dei mei ſuper me, congregaui de Iſrael principes, vt aſcenderent mecum.*

### CAP. VIII.

1 *ET iſti principes patrum eorum, & genealogia eorum qui aſcenderunt mecum in regno Arthachſaſtæ regis de Babel.*

2 *De filijs Pinchas Gherſom: de filijs Ithamar Daniel: de filijs Dauid Chattus.*

3 *De filijs Sechaniah, de filijs Parhos Zechariah, & cũ eo genealogia eorũ maſculorũ cẽtũ, & quiquaginta.*

4 *De filijs Pachathmoab Eliehoenai filius Zechariah & cum eo ducenti maſculi.*

5 *De filijs Sechaniah filius Iachaziel, & cum eo trecenti maſculi.*

6 *De filijs Hadin Hebed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta maſculi.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 & à me. Ego Arthaſaſthâ rex poſui decretum omnibus gazis, quæ vltra flumen, vt omne, quodcumque petie-
rit à vobis Eſdras ſacerdos, & ſcriba Dei cęli, prompte fiat 22 vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad fru-
menti coros centum, & vſque ad vini batos centum, & vſque ad olei batos centum, & (ſal), cuius non eſt ſcriptura.
23 Quodcumque eſt in ſententia Dei cęli, fiat. Attendite, ne quis manum inijciat in domũ Dei cęli; ne forte fiat
ira ſuper regnum regis, & filiorum eius. 24 Et vobis notificatum eſt, in omnibus ſacerdotibus, & Leuitis, can-
toribus, ianitoribus, Nathinim, & miniſtris domus Dei hoc, tributum non erit tibi, non habebis poteſtatem ſerui-
tute opprimendi eos. 25 Et tu Eſdra, ſicut ſapientia Dei in manu tua, conſtitue ſcribas, & iudices, vt ſint iudi-
cantes omni populo, qui vltra flumen, omnibus ſcientibus legem Dei tui: Et non ſcienti notificabitis. 26 Et om-
nis, quicumque non fuerit faciens legem Dei, & legem regis prompte; iudicium factum erit de eo, ſiue ad mortẽ,
ſiue ad caſtigationem, ſiue ad damnum vitæ, ſiue ad traditionem. 27 Benedictus Dominus Deus patrum no-
ſtrorum, qui dedit in cor regis ita, ad glorificandam domum Domini, quæ in Hieruſalem: 28 & ſuper me in-
clinauit miſericordiam in oculis regis, & conſiliariorum eius, & omnium principum regis eleuatorum. Et ego
confortatus ſum, ſicut manus Dei bona ſuper me: & congregaui de Iſrael principes ad aſcendendum mecum.

### CAP. VIII.

ET hi principes familiarum ſuarum duces aſcendentes mecum in regno Arthaſaſthâ regis Babylonis.
2 De filijs Phinees, Gerſon: De filijs Ithamar, Daniel: De filijs Dauid Attus: 3 De filijs Sechenia, &
de filijs Phoros, Zacharias, & cum eo globus centum & quinquaginta: 4 De filijs Phath Moab, Elianâ filius
Saraia, & cum eo ducenti maſculi: 5 Et de filijs Zathoes, Sechenias filius Aziel, & cum eo trecenti maſcu-
li: 6 Et de filijs Adin, Obeth filius Ionathan, & cum eo quinquaginta maſculi:

Et do

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 De filijs Alam, Iſaias filius Athaliæ, & cum eo ſeptuaginta viri.

8 De filijs Saphatiæ, Zebedia filius Michael, & cum eo octoginta viri.

9 De filijs Ioab, Obedia filius Iahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.

10 De filijs Selomith, filius Ioſphiæ, & cum eo centum ſexaginta viri.

11 De filijs Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri.

12 De filijs Azgad, Iohanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.

13 De filijs Adonicam, qui erant nouiſſimi: & hæc nomina eorum: Elipheleth, & Iehiel, & Samaias, & cum eis ſexaginta viri.

14 De filijs Begui, Vthai, & Zachur, & cum eis ſeptuaginta viri.

15 Congregaui autem eos ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua, & manſimus ibi tribus diebus: quæſiuique in populo, & in ſacerdotibus de filijs Leui, & non inueni ibi.

16 Itaque miſi Eliezer, & Ariel, & Semeiam, & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Moſollam principes: & Ioiarib, & Elnathan ſapientes.

17 Et miſi eos ad Eddo, qui eſt primus in Chaſphiæ loco, & poſui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres eius Nathinæos in loco Chaſphiæ, vt adducerent nobis miniſtros domus Dei noſtri.

18 Et adduxerunt nobis per manum Dei noſtri bonam ſuper nos, virum doctiſſimum de filijs Moholi filij Leui filij Iſrael, & Sarabiam, & filios eius, & fratres eius decem & octo:

19 Et Haſabiam, & cum eo Iſaiam de filijs Merari, fratreſque eius, & filios eius viginti:

20 Et de Nathinæis, quos dederat Dauid, & principes ad miniſteria Leuitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi ſuis nominibus vocabantur.

21 Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filijs noſtris, vniuerſæque ſubſtantiæ noſtræ.

22 Erubui enim petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes, qui quærũt eũ in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor ſuper omnes, qui derelinquunt eum.

Ieiu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et de filijs Helam, Ieſahiah filius Hathaliah, & cum eo ſeptuaginta maſculi.*

8 *Et de filijs Sephatiah, Zebadiah filius Michael, & cum eo octoginta viri.*

9 *De filijs Ioab Hobadiah filius Iechiel, & cum eo ducenti, & octo, & decem maſculi.*

10 *Et de filijs Selomith filius Ioſiphiah, & cum eo centum, & ſexaginta maſculi.*

11 *Et de filijs Bebai, Zechariah filius Bebai, & cum eo viginti, & octo maſculi.*

12 *Et de filijs Hazghad, Iochanan filius Chatham, & cum eo centum, & decem maſculi.*

13 *Et de filijs Adonicam nouiſſimis: & hæc nomina eorum: Elipheleth Iehiel, & Semahiah, & cum eis ſexaginta maſculi.*

14 *Et de filijs Bighuai, Nuthai, & Zabud, & cum eo ſeptuaginta maſculi.*

15 *Et congregaui eos ad flumen, quod venit ad Ahaua: & manſimus ibi diebus tribus: & conſideraui populum, & ſacerdotes, & de filijs Leui non inueni ibi.*

16 *Et miſi ad Elihezer, & ad Ariel, ad Semahaiah, & ad Elnathan & ad Iarib, & ad Elnathan, & ad Nathan, & ad Zechariah, & Meſullam principes, & ad Ioiarib, & ad Elnathan peritos.*

17 *Et præcepi eis, vt loquerentur ad Iddo caput in Chaſiphiah loco, & poſui in ore eorum verba, vt loquerentur ad Iddo fratres eius Nethinim in Chaſiphiah loco, vt adducerent nobis miniſtros pro domo Dei noſtri.*

18 *Et adduxerunt nobis ſecundum manum Dei noſtri bonam, ſuper nos virum intelligentem de filijs Machali filij Leui filij Iſrael & Serebiah, & filios eius, & fratres eius, octo & decem:*

19 *Et Chaſabiah, & cum eo Ieſahiah, de filijs Merari fratres eius, & filij eorum viginti:*

20 *Et de Nethinim, quos poſuit Dauid, & principes ad miniſterium Leuitarum, Nethinim ducentos, & viginti: omnes hi nominati ſunt per nomina.*

21 *Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Achaua, vt affligeremur coram Deo noſtro, vt quæreremus ab eo viam rectam.*

22 *Erubui enim petere à rege exercitum, & equites, vt auxiliarentur nobis ab inimico in via: dixeramus enim ad regem, dicendo: Manus Dei noſtri ſuper omnes quærentes eum in bonitate, & fortitudo eius, & furor eius, ſuper omnes derelinquentes eum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et de filijs Elam, Iſaias filius Athelia, & cum eo ſeptuaginta maſculi: 8 Et de filijs Saphatia, Zabadias fi-
lius Michael, & cum eo octuaginta maſculi: 9 Et de filijs Ioab, Abadia filius Ieiel, & cum eo ducenti decem
octo maſculi: 10 Et de filijs Baani, Selimuth filius Ioſephia, & cum eo centum ſexaginta maſculi:
11 Et de filijs Babi, Zacharias filius Babi, & cum eo viginti octo maſculi: 12 Et de filijs Aſgad, Ioanã filius
Accatan, & cum eo centum decem maſculi: 13 Et de filijs Adonicam nouiſſimi, & hæc nomina eorum, Eli-
phalat, Iehel, & Samaia, & cum eis ſexaginta maſculi: 14 Et de filijs Bagué, Vthai, & Zabud, & cum eo ſep-
tuaginta maſculi. 15 Et congregaui eos ad fluuium venientem ad Eui: & caſtrametati ſumus ibi dies tres.
Et conſideraui in populo, & in ſacerdotibus: & de filijs Leui non inueni ibi. 16 Et miſi ad Eleazar, & ad
Ariel, ad Semeia, & ad Alonam, & ad Iareb, & ad Elnatham, & ad Nathan, ad Zachariam, & ad Meſollam, & ad
Ioarim, & ad Elnatan intelligentes. 17 Et emiſi eos ad principes in argento loci: & poſui in ore eorum ver-
ba ad loquendum ad fratres ſuos de Athinim in argento loci, vt adducerent nobis cantores in domum Dei no-
ſtri. 18 Et venerunt nobis, ſicut manus Dei noſtri bona ſuper nos, vir Sachon de filijs Mooli filij Leui filij
Iſrael. Et principio venerunt filij eius, & fratres eius decem octo, 19 & Aſebia, & Iſaia, de filijs Merari,
fratres eius, & filij eius viginti. 20 Et de Nathinim, quos dedit Dauid, & principes in ſeruitutem Le-
uitarum, Nathinim ducenti viginti: omnes congregati ſunt in nominibus. 21 Et vocaui ibi ieiunium
ſuper flumen Abué, vt humiliaremur in conſpectu Dei noſtri, quærendo ab eo viam rectam nobis, & filijs no-
ſtris, & omni poſſeſſioni noſtræ: 22 quoniam erubui petere à rege virtutem, & equites ad ſaluandum
nos ab inimico in via: quoniam dixeramus regi dicentes: Manus Dei noſtri ſuper omnes quærentes ipſum in
bonum: & fortitudo eius, & furor eius ſuper omnes derelinquentes ipſum.

Et

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum noſtrum per hoc: & euenit nobis proſpere.

24 Et ſeparaui de principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Haſabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.

25 Appendique eis argentum,& aurum, & vaſa conſecrata domus Dei noſtri,quæ obtulerat rex, & conſiliatores eius, & principes eius, vniuerſuſque Iſrael eorum,qui inuenti fuerant:

26 Et appendi in manibus eorum argenti talenta ſexcenta quinquaginta, & vaſa argentea centum, auri centum talenta:

27 Et crateres aureos viginti, qui habebant ſolidos millenos,& vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum.

28 Et dixi eis: Vos ſancti Domini, & vaſa ſancta, & argentum, & aurum, quod ſponte oblatum eſt Domino Deo patrum noſtrorum:

29 Vigilate, & cuſtodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum Iſrael in Ieruſalem, in theſaurum domus Domini.

30 Suſceperunt autem Sacerdotes, & Leuitæ pondus argenti, & auri, & vaſorum, vt deferrent Ieruſalem in domum Dei noſtri.

31 Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die menſis primi, vt pergeremus Ieruſalem: & manus Dei noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici,& inſidiatoris in via.

32 Et venimus Ieruſalem, & manſimus ibi tribus diebus.

33 Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Meremoth filij Vriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Iozabed filius Ioſue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ:

34 Iuxta numerum, & pondus omnium: deſcriptumq; eſt omne pondus in tempore illo.

35 Sed & qui venerant de captiuitate filij tranſmigrationis,obtulerunt holocauſtomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni populo Iſrael, arietes nonaginta ſex,agnos ſeptuaginta ſeptem,hircos pro peccato,duodecim:omnia in holocauſtum Domino.

36 Dederunt autem edicta regis ſatrapis, qui erant de conſpectu regis,& ducibus trans flumen,& eleuauerunt populum,& domum Dei.

CAP.

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

23 *Et ieiunauimus,& quæſiuimus à Deo noſtro propter hoc: & placatus eſt nobis.*

24 *Et ſeparaui de principibus Sacerdotum duodecim, Serebiah, Chaſabiah,& cum eis ex fratribus eorum decem.*

25 *Et appendi eis argentum, & aurum, & vaſa oblationis domus Dei noſtri,quæ obtulerunt rex, & conſiliarij eius,& principes eius & omnis Iſrael,qui reperti fuerant:*

26 *Et appendi manibus eorum argenti talenta ſexcenta, & quinquaginta, & vaſa argentea centum talentorum,auri centum talenta:*

27 *Et crateras aureas viginti drachmarum mille, & vaſa ærea auri coloris duo, deſiderabilia, vt aurum.*

28 *Et dixi eis: Vos eſtis ſanctitas Domino,& vaſa ſanctitas,& argentum, & aurum ſpontaneum Domino Deo patrum noſtrorum:*

29 *Vigilate,& cuſtodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & principibus familiarum Iſrael in Ieruſalaim in cubiculis domus Domini.*

30 *Et ſuſceperunt Sacerdotes, & Leuitæ pondus argenti,& auri,& vaſorum,vt adducerent in Ieruſalaim ad domum Dei noſtri.*

31 *Et profecti ſumus à flumine Ahaua duodecima menſis primi,vt pergeremus Ieruſalaim: & manus Dei noſtri fuit ſuper nos, & eruit nos de manu inimici,& inſidiatoris in via.*

32 *Et venimus Ieruſalaim, & manſimus ibi diebus tribus.*

33 *Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Meremoth, filij Vrijah Sacerdotis, & cum eo Elhazar filius Pinchas, & cum eis Ioſabad filius Ieſuah, & Nebadiah filius Binnui Leuitæ:*

34 *Iuxta numerum, iuxta omne pondus: & ſcriptum eſt omne pondus in tempore illo.*

35 *Venientes de captiuitate filij tranſmigrationis obtulerunt holocauſta Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni Iſrael, arietes nonaginta, & ſex, agnos ſeptuaginta,& ſeptem,hircos pro peccato duodecim: omnia in holocauſtum Domino.*

36 *Et dederunt leges regis ſatrapis regis, & ducibus, qui erant trans flumen, & exaltauerunt populum, & domum Dei.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et ieiunauimus,& quæſiuimus à Deo noſtro de hoc.Et exaudiuit nos. 24 Et diſtinxi de principibus ſacerdotum duodecim,Saraia Aſabia & cum eis de fratribus eorum decem: 25 & appendi eis argentum,& aurum,& vaſa primitiarum domus Dei noſtri,quæ exaltauit rex & conſiliarij eius, & principes eius,& omnis Iſrael,qui inueniebantur. 26 Et appendi ſuper manus eorum argenti talenta ſexcenta quinquaginta,& vaſa argentea centum,& talenta auri centum: 27 & chaphure aurei viginti ad viam mille,& vaſa æris fulgentis boni diuerſa deſiderabilia in auro. 28 Et dixi ad eos: Vos ſancti Domino,& vaſa ſancta,& argentum,& aurum ſpontanea Domino Deo patrum noſtrorum. 29 Vigilate & cuſtodite, donec appendatis in conſpectu principum ſacerdotum, & Leuitarum, & principum patriarum in Hieruſalem in tabernaculis domus Domini. 30 Et ſuſceperunt ſacerdotes & Leuitæ pondus argenti & auri,& vaſorum ad afferendum in Hieruſalem in domum Dei noſtri. 31 Et promouimus à fluuio Ahue in duodecima menſis primi ad veniendum in Hieruſalem. Et manus Dei noſtri fuit ſuper nos, & eruit nos à manu inimici,& hoſtis in via. 32 Et venimus in Hieruſalem,& ſedimus ibi dies tres.

33 Et factum eſt, die quarta appendimus argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri ſuper manum Merimoth filij Vria ſacerdotis: & cum eo Eleazar filius Phinees: & cum eo Iozaba filius Ieſu, & Noadia filius Banaia Leuitæ: 34 in numero,& in pondere omnia: & ſcriptum eſt vniuerſum pondus.

35 In tempore illo,qui venerant ex captiuitate,filij tranſmigrationis, obtulerunt holocauſtoſes Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni Iſrael,arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim, omnia holocauſtomata Domino. 36 Et dederunt decretum regis procuratoribus regis,& ſubregulis trans flumen. Et exaltauerunt populum,& domum Dei.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. IX.

1 POſtquam autem hæc completa ſunt, acceſſe-
runt ad me principes, dicentes: Non eſt ſepara-
tus populus Iſrael, Sacerdotes, & Leuitæ à populis
terrarum & abominationibus eorum Chananæi vi-
delicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Iebuſæi, & Am-
monitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & A-
morrhæorum:
2 Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi, & filijs ſuis,
& commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis ter-
rarum: manus etiam principum, & magiſtratuum
fuit in tranſgreſſione hac prima.
3 Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium
meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, &
barbæ, & ſedi mœrens.
4 Conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant
verbum Dei Iſrael, pro tranſgreſſione eorum, qui
de captiuitate venerant, & ego ſedebam triſtis vſque
ad ſacrificium veſpertinum:
5 Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione
mea, & ſciſſo pallio, & tunica, curuaui genua mea,
& expandi manus meas ad Dominum Deum
meum:
6 Et dixi: Deus meus confundor, & erubeſco leuare
faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ
multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta
noſtra creuerunt vſque ad cœlum
7 A diebus patrum noſtrorum: ſed & nos ipſi pecca-
uimus grauiter vſque ad diem hanc, & in iniquitati-
bus noſtris traditi ſumus ipſi, & reges noſtri, & Sa-
cerdotes noſtri in manum regum terrarum, & in
gladium, & in captiuitatem, & in rapinam, & in cõ-
fuſionem vultus, ſicut & die hac.
8 Et nunc quaſi parum, & ad momentum facta eſt de-
precatio noſtra apud Dominum Deum noſtrum, vt
dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis pa-
xillus in loco ſancto eius, & illuminaret oculos no-
ſtros Deus noſter, & daret nobis vitam modicam in
ſeruitute noſtra:
9 Quia ſerui ſumus, & in ſeruitute noſtra non dere-
liquit nos Deus noſter, ſed inclinauit ſuper nos mi-
ſericordiam coram rege Perſarum, vt daret nobis
vitam, & ſublimaret domum Dei noſtri, & extrue-
ret ſolitudines eius, & daret nobis ſepem in Iuda, &
Ieruſalem.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. IX.

1 *ET cum finita eſſent hæc, acceſſerunt ad me prin-*
*cipes, dicendo: Non ſunt ſeparati populus Iſ-*
*rael, & Sacerdotes, & Leuitæ, à populis terrarum in*
*abominationibus eorum, Chenahanæi, Chittæi, Peri-*
*zæi, Iebuſæi, Hammonitæ, & Moabitæ, Miſritæ, & E-*
*morræi:*
2 *Quia tulerunt de filiabus eorum ſibi, & filijs ſuis,*
*& mixtum eſt ſemen ſanctum cum populis terrarũ,*
*& manus principum, & magiſtratuum fuit in præ-*
*uaricatione iſta prima.*
3 *Et cum audiſſem verbum iſtud, ſcidi veſtimentum*
*meum, & tunicam meam, & euulſi capillos capitis*
*mei, & barbam meam, & ſedi ſtupens.*
4 *Et ad me congregabantur omnes pauidi in verbis*
*Dei Iſrael pro præuaricatione transmigrationis, &*
*ego ſedebam ſtupens vſque ad ſacrificium veſperti-*
*num:*
5 *Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione*
*mea, & cum ſcidiſſem veſtimentum meum, & tuni-*
*cam meam, curuaui me ſuper genua mea, & expan-*
*di palmas meas ad Dominum Deum meum:*
6 *Et dixi: Deus mi pudore affectus ſum, & erubui ele-*
*uare Deus mi faciem meam ad te: quoniam iniqui-*
*tates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput, & deli-*
*cta noſtra creuerunt vſque ad cœlum.*
7 *A diebus patrum noſtrorum fuimus in delicto ma-*
*gno vſque ad diem hanc, & propter iniquitates no-*
*ſtras traditi ſumus nos, reges noſtri, & Sacerdotes*
*noſtri in manum regum terrarum, in gladium in ca-*
*ptiuitatem, & in rapinam, & in pudorem vultus, ſe-*
*cundum diem hanc.*
8 *Et nunc modico momento, fuit deprecatio à Domi-*
*no Deo noſtro, vt derelinqueret nobis euaſorem, &*
*daret nobis clauum in loco ſanctitatis eius, vt illu-*
*minaret oculos noſtros Deus noſter, & daret nobis*
*vitam modicam in ſeruitute noſtra:*
9 *Quia ſerui ſumus, & in ſeruitute noſtra non dereli-*
*quit nos Deus noſter, & inclinauit ſuper nos miſe-*
*ricordiam coram rege Paras, vt daret nobis vitam,*
*vt exaltaret domum Dei noſtri, & ſtare faceret ſoli-*
*tudines eius, & daret nobis ſepem in Iehudah, & in*
*Ieruſalaim.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. IX.

ET poſtquam completa ſunt hæc; acceſſerunt ad me principes, dicentes: Non eſt ſeparatus populus Iſrael, &
ſacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum in elongationibus eorum, de ſtirpe Chanani, Ethi, Pherezi, Iebusi,
Ammoni, Moabi & Moſeri, & Amoni: 2 quoniam acceperunt de filiabus eorum ſibi, & filijs ſuis: & tranſmiſ-
ſum eſt ſemen ſanctum in populos terrarum, & manus principum in præuaricatione hac in principio. 3 Et vt
audiui verbum hoc; conſcidi veſtimenta mea, & pauebam, & euellebam de capillis capitis mei, & de barba mea, &
ſedebam tacens. 4 Et conuenerunt ad me omnis ſequens verbum Dei Iſrael ſuper præuaricatione tranſmi-
grationis. Et ego ſedens, tacens vſque ad ſacrificium veſpertinum. 5 Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi ab hu-
miliatione mea. Et cum ſcindebam veſtimenta mea, & pauebam; & inclino ſuper genua mea, & expando manus
meas ad Dominum Deum, 6 & dixi: Domine confuſus ſum, & erubui eleuare Deo mi faciem meam ad te:
quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra magnificata ſunt vſque in
cœlum. 7 A diebus patrum noſtrorum ſumus in delicto magno vſque in diem hanc. Et in noſtris iniqui-
tatibus traditi ſumus nos, & reges noſtri, & filij noſtri in manu regum gentium in gladio, & in captiuitate, & in
direptione, & in confuſione faciei noſtræ, ſicut dies hæc. 8 Et nunc manſuefactus eſt nobis Deus noſter ad
dimittendum nos in ſalutem, & dandum nobis firmamentum in loco ſanctificationis ſuæ, ad illuminandos ocu-
los noſtros, & dandum viuificationem paruam in ſeruitute noſtra: 9 quoniam ſerui ſumus: & in ſer-
uitute noſtra non dereliquit nos Dominus Deus noſter. Et inclinauit ſuper nos miſericordiam coram regibus
Perſarum ad dandam nobis viuificationem, exaltando eos domum Dei noſtri, & ſuſcitando ſolitudines eius, &
dando nobis ſepem in Iuda, & Hieruſalem.

Quid

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Et nunc quid dicemus Deus noſter poſt hæc? quia dereliquimus mandata tua:

11 Quæ præcepiſti in manu ſeruorum tuorum prophetarum, dicens: * Terra, ad quam vos ingredimini, vt poſſideatis eam, terra immunda eſt iuxta immunditiam populorum, cæterarumque terrarum, abominationibus eorum, qui repleuerunt eam ab ore vſque ad os in coinquinatione ſua.

*Deu. 7. 1.

12 Nunc ergo filias veſtras ne detis filijs eorum, & filias eorum ne accipiatis filijs veſtris, & non quæratis pacem eorum, & proſperitatem eorum vſque in æternum: vt confortemini, & comedatis, quæ bona ſunt terræ, & hæredes habeatis filios veſtros vſque in ſæculum.

13 Et poſt omnia, quæ venerunt ſuper nos in operibus noſtris peſſimis, & in delicto noſtro magno, quia tu Deus noſter liberaſti nos de iniquitate noſtra, & dediſti nobis ſalutem, ſicut eſt hodie:

14 Vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum iſtarum. Numquid iratus es nobis vſque ad conſummationem ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem?

15 Domine Deus Iſrael iuſtus es tu: quoniam derelicti ſumus, qui ſaluaremur, ſicut die hac. Ecce coram te ſumus in delicto noſtro. Non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc.

### CAP. X.

1 SIc ergo orante Eſdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſrael cœtus grandis nimis virorum, & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu multo.

2 Et reſpondit Sechenias filius Iehiel de filijs Ælam, & dixit Eſdræ: Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc, ſi eſt pœnitentia in Iſrael ſuper hoc:

3 Percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proijciamus vniuerſas vxores, & eos qui de his nati ſunt iuxta voluntatem Domini, & eorum, qui timent præceptum Domini Dei noſtri: ſecundum legem fiat.

4 Surge, tuum eſt decernere, noſque erimus tecum: confortare, & fac.

Sur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et nunc quid dicemus Deus noſter poſt hoc? quia dereliquimus præcepta tua:*

11 *Quæ præcepiſti per manum ſeruorum tuorum prophetarum, dicendo: Terra ad quam ingredimini, vt poſſideatis eam, terra immunda eſt iuxta immunditiam populorum terrarum, ſecundum abominationes quibus repleuerunt eam ab ore ad os immunditia ſua.*

12 *Et nunc filias veſtras ne detis filijs eorum, & filias eorum ne accipiatis filijs veſtris, & ne quæratis pacem eorum, & bonum eorum vſque in ſæculum, vt confortemini, & comedatis bonum terræ, & hæreditate accipere faciatis filios veſtros vſque in ſæculum.*

13 *Et poſt omne, quod venit ſuper nos propter opera noſtra mala, & propter delictum noſtrum magnum, quia tu Deus noſter prohibuiſti ne eſſemus deorſum propter iniquitates noſtras, & dediſti nobis euaſionem ſecundum hoc:*

14 *Numquid conuertemur ad diſſipandum præcepta tua, & ad affinitatem contrahendam cum populis abominationum iſtarum? Numquid non iraſceris in nos vſque ad conſumptionem, vt non ſit reſiduum, & euaſio?*

15 *Domine Deus Iſrael iuſtus es tu: quoniam reſidui ſumus euaſio ſecundum diem hanc. Ecce ſumus coram te in delictis noſtris. Non enim eſt ſtare coram te propter hoc.*

### CAP. X.

1 *ET cum oraſſet Hezra, & confeſſus eſſet flens, & cecidiſſet coram domo Dei, congregati ſunt ad eũ de Iſrael cœtus grandis valde virorum, & mulierum, & paruulorum, & cum fleuiſſet populus multo fletu.*

2 *Reſpondit Sechenia filius Iechiel, de filijs Helam, & dixit ad Hezra: Nos præuaricati ſumus in Deũ noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc eſt ſpes Iſraeli ſuper hoc.*

3 *Et nunc percutiamus fœdus cum Deo noſtro, vt educamus omnes vxores, & natos ex eis ſecundum conſilium Domini, & pauentium præceptum Dei noſtri: & ſecundum legem fiat.*

4 *Surge, quia ad te pertinet res, & nos erimus tecum: confortare & fac.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Quid dicemus Deus noſter poſt hoc? quoniam dereliquimus mandata tua, 11 quæ dediſti nobis in manu
ſeruorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, in quam introitis ad hæreditandam eam, terra peruerſa eſt in per-
uerſione populorum gentium in elongationibus eorum, quibus impleuerunt eam ab ore ad os in ſuis immundi-
tijs. 12 Et nunc filias veſtras ne dederitis filijs eorum, & de filiabus eorum ne accipiatis filijs veſtris: & non
quæretis pacem eorum, & bonum eorum vſque in ſæculum; vt inualeſcatis, & comedatis bona terræ, & in hære-
ditatem diſtribuatis filijs veſtris vſque in ſæculum. 13 Et poſt omne, quod venit ſuper nos in factis noſtris
malignis, & in delicto noſtro magno quoniam non eſt ſicut Deus noſter, quoniam alleuaſti noſtras iniquitates, &
dediſti nobis ſalutem; 14 quoniam reuertimus diſſipare mandata tua, & contrahere affinitatem cum popu-
lis terrarum; nunquid irritatus es in nos vſque ad conſummationem, vt non ſit reſiduum, & ſuperſtes?
15 Domine Deus Iſrael iuſtus tu, quoniam remanſimus incolumes, ſicut dies hæc. Ecce nos coram te in delictis
noſtris: quoniam non eſt ſtare in conſpectu tuo ſuper hoc.

### CAP. X.

ET, vt deprecatus eſt Eſdras, & vt confeſſus eſt plorans & orans coram domo Dei; congregati ſunt ad eum de
Iſrael eccleſia multa valdè, viri, & mulieres, & iuuenes: quoniam plorauerunt populus, & eleuauit plorans.
2 Et reſpondit Sechenias filius Iehel de filijs Elam, & dixit Eſdræ: Nos præuaricati ſumus Deo noſtro, & habi-
tare fecimus vxores alienas de populis terræ: Et nunc eſt expectatio ipſi Iſrael ſuper hoc.
3 Et nunc diſponamus teſtamentum Deo noſtro, eijciendi omnes vxores, & genita ex eis: prout volueris. Surge,
& fac eos timere in mandatis Dei noſtri: & ſicut lex, fiat. 4 Surge: quoniam ſuper te ver-
bum, & nos tecum: confortare, & fac.

Et ſur-

## Vulgat. Editio.

5 Surrexit ergo Eſdras, & adiurauit principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Iſrael, vt facerent ſecundum verbum hoc, & iurauerunt.

6 Et ſurrexit Eſdras ante domum Dei, & abijt ad cubiculum Iohanan filij Eliaſib, & ingreſſus eſt illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim tranſgreſſionem eorum, qui venerant de captiuitate.

7 Et miſſa eſt vox in Iuda, & in Ieruſalem omnibus filijs tranſmigrationis, vt congregarentur in Ieruſalem:

8 Et omnis, qui non venerit in tribus diebus iuxta conſilium principum, & ſeniorum, auferetur vniuerſa ſubſtantia eius, & ipſe abijcietur de cœtu tranſmigrationis.

9 Conuenerunt igitur omnes viri Iuda, & Beniamin in Ieruſalem tribus diebus, ipſe eſt menſis nonus, vigeſimo die menſis: & ſedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, & pluuijs.

10 Et ſurrexit Eſdras ſacerdos, & dixit ad eos: Vos tráſgreſſi eſtis, & duxiſtis vxores alienigenas, vt adderetis ſuper delictum Iſrael.

11 Et nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite placitum eius, & ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.

12 Et reſpondit vniuerſa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, ſic fiat.

13 Verumtamen quia populus multus eſt, & tempus pluuiæ, & non ſuſtinemus ſtare foris, & opus non eſt diei vnius, vel duorum (vehementer quippe peccauimus in ſermone iſto)

14 Conſtituantur principes in vniuerſa multitudine: & omnes in ciuitatibus noſtris, qui duxerunt vxores alienigenas veniant in temporibus ſtatutis, & cum his ſeniores per ciuitatem, & ciuitatem, & iudices eius donec auertatur ira Dei noſtri à nobis ſuper peccato hoc.

15 Igitur Ionathan filius Azahel, & Iaaſia filius Thecue ſteterunt ſuper hoc, & Meſollam, & Sebethai Leuites adiuuerunt eos:

16 Feceruntq; ſic filij tranſmigrationis. Et abierſit Eſdras Sacerdos, & viri principes familiarum in domos patrum ſuorū, & omnes per nomina ſua, & ſederunt in die primo menſis decimi, vt quærerent rem.

17 Et conſummati ſunt omnes viri, qui duxerant vxores alienigenas, vſque ad diem primam menſis primi.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et ſurrexit Hezra, & adiurauit principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Iſrael, vt facerent ſecundum verbum hoc, & iurauerunt.*

6 *Et ſurrexit Hezra à facie domus Dei, & abijt ad cubiculum Iehochanan filij Eliaſib, & abijt illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim ſuper præuaricatione tranſmigrationis.*

7 *Et tranſire fecerunt vocem per Iehudah, & Ieruſalaim omnibus filijs tranſmigrationis, vt congregarentur in Ieruſalaim:*

8 *Et omnis, qui non venerit in tribus diebus iuxta conſilium principum, & ſeniorum, peribit omnis ſubſtantia eius, & ipſe ſeparabitur à cœtu tranſmigrationis.*

9 *Et congregati ſunt omnes viri Iehudah, & Biniamin in Ieruſalaim intra triduum, ipſe eſt menſis nonus, in vigeſima menſis: & ſederunt omnis populus in platea domus trementes propter rem, & propter pluuias.*

10 *Et ſurrexit Hezra ſacerdos, & dixit ad eos: Vos præuaricati eſtis, & duxiſtis vxores alienigenas, vt adderetis delicto Iſrael.*

11 *Et nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite voluntatem eius, & ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.*

12 *Et reſponderunt omnis cœtus, & dixerunt voce magna: Sic ſecundum verbum tuum nobis eſt faciendum.*

13 *Sed populus multus, & tempus pluuiarum eſt, & non eſt vis ad ſtandum foris, & opus non eſt dies vnius, neque duorum, quia multi ſumus, qui præuaricati ſumus in hoc.*

14 *Stent obſecro principes noſtri in vniuerſo cœtu, & omnis in vrbibus noſtris, qui duxit vxores alienigenas, veniat temporibus ſtatutis, & cum eis ſint ſeniores ſingularum ciuitatum, & iudices eius donec auertat iram furoris Deus noſter à nobis propter hoc.*

15 *Veruntamen Ionathan filius Haſael, & Iachaziah filius Ithuah conſtituti fuerunt ſuper hoc, & Meſullam, & Sabbethai Leuites adiuuerunt eos:*

16 *Et fecerunt ſic filij tranſmigrationis, & ſeparati ſunt Hezra, viri principes familiarum per domum patrum ſuorum, & vniuerſi ipſi per nomina, & ſederunt in die vna menſis decimi, vt quærerent rem.*

17 *Et perfecerunt opus in omnibus viris, qui duxerunt vxores alienigenas vſque ad diem primum menſis primi.*



## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et ſurrexit Eſdras, & adiurauit principes, ſacerdotes, & Leuitas, & omnem Iſrael, faciendi iuxta verbum hoc. Et iurarunt. 6 Et ſurrexit Eſdras à facie domus Dei: & iuit in gazophylacium Ioanan filij Eliſub: & iuit illuc: panem non manducauit, & aquam non bibit: quoniam lugebat ſuper præuaricatione tranſmigrationis. 7 Et tráſmiſerunt vocem in Iuda, & in Hieruſalem omnibus filijs tranſmigrationis, & congregentur in Hieruſalem. 8 Omnis, qui non venerit ad tres dies, ſicut conſilium principum, & ſeniorum; anathemabitur omnis ſubſtantia eius, & ipſe ſeparabitur ab eccleſia tranſmigrationis. 9 Et conuenerunt omnes viri Iuda, & Beniamin in Hieruſalem ad tres dies. Hic eſt menſis nonus. In vigeſima menſis ſedit omnis populus in platæa domus Dei præ turbatione ſua de verbo, & ab hyeme: 10 Et ſurrexit Eſdras ſacerdos, & dixit ad eos: Vos præuaricati eſtis, & habitare feciſtis vxores alienas ad apponendum ſuper delictum Iſrael. 11 Et nunc date laudem Domino Deo patrum noſtrorum, & facite, quod placitum in conſpectu eius, & ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienis. 12 Et reſponderunt omnis eccleſia, & dixerunt: Magnum hoc verbum tuum ſuper nos ad faciendum. 13 Sed populus multus, & tempus hybernum, & non eſt facultas ſtandi foris: & opus non in die vno, neque in duobus; quoniam multiplicauimus iniuſtè agere in verbo hoc. 14 Stent nunc principes noſtri, & ex omnibus, qui in ciuitatibus noſtris, qui habitare fecit vxores alienas, veniant ad tempora ex conſtitutionibus, & cum eis ſeniores ciuitatis, & ciuitatis, & iudices, ad auertendam iram furoris Dei noſtri à nobis de verbo hoc. 15 Verũ Ionathan filius Aſael, & Izias filius Thecoë mecum de hoc: & Meſollam, & Sabbathai Leuita adiuuans eos. 16 Et fecerunt ſic filij tranſmigrationis. Et receſſerunt Eſdras ſacerdos, & viri principes patriarum domui, & omnes in nominibus: quia reuerterunt in die vna menſis decimi ad exquirendum verbum. 17 Et compleuerunt in omnibus viris, qui habitare fecerant vxores alienas vſque ad diem vnam menſis primi.



UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Et inuenti ſunt de filijs ſacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filijs Ioſue filij Ioſedec, & fratres eius, Maaſia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia. | 18 | 18 | *Et inuenti ſunt de filijs ſacerdotum, qui duxerunt vxores alienigenas. De filijs Ieſuah filij Ioſadach, & fratrum eius, Mahaſeiah, & Elihezer, & Iarib, & Ghedaliah.* |
| Et dederunt manus ſuas, vt eijcerent vxores ſuas, & pro delicto ſuo arietem de ouibus offerrent. | 19 | 19 | *Et dederunt manum ſuam, vt educerent vxores ſuas, & delinquentes* venerunt cum *ariete pecorum pro delicto ſuo.* |
| Et de filijs Emmer, Hanani, & Zebedia. | 20 | 20 | *Et de filijs Immer, Chanani, & Zebadiah.* |
| Et de filijs Harim, Maaſia, & Elia, & Semeia, & Iehiel, & Ozias. | 21 | 21 | *Et de filijs Harim, Mahaſeiah, & Elijah, & Semaiah, & Iechiel, & Huzzijah.* |
| Et de filijs Pheshur, Elioenai, Maaſia, Iſmael, Nathanael, Iozabed, & Elaſa. | 22 | 22 | *Et de filijs Paſchur, Eliohenai, Mahaſeiah, Iſmahel, & Nethanel, Iozabad, & Elhaſah.* |
| Et de filijs Leuitarum, Iozabed, & Semei, & Celaia, ipſe eſt Calita, Phataia, Iuda & Eliezer. | 23 | 23 | *Et de Leuites Iozabad, & Simhi, & Chelaiah, ipſe eſt Chelitah, Pethachiah, Iehudah, & Elihezer.* |
| Et de cantoribus, Eliaſib. Et de ianitoribus, Sellum, & Telem, & Vri. | 24 | 24 | *Et de cantoribus Eliaſib, & de ianitoribus Sallum, & Thelem, & Vri.* |
| Et ex Iſraël, de filijs Pharos, Remeia, & Iezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer, & Melchia, & Banea. | 25 | 25 | *Et de Iſrael, de filijs Parhos, Ramiah, & Hezijah, & Malchijah, Mijamin, & Elhazar, & Malchijah, & Chenaiah.* |
| Et de filijs Ælam, Mathania, Zacharias, & Iehiel, & Abdi, & Ierimoth, & Elia. | 26 | 26 | *Et de filijs Helam, Matthaniah, Zechariah, & Iechiel, & Habdi, & Ieremoth, & Elijah.* |
| Et de filijs Zethua, Elioenai, Eliaſib, Mathania, & Ierimuth, & Zabad, & Aziza. | 27 | 27 | *Et de filijs Zatthu, Eliohenai, Eliaſib, Matthaniah, & Ieremoth, & Zabad, & Haziza.* |
| Et de filijs Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai. | 28 | 28 | *Et de filijs Bebai, Iehochanan, Chananiah, Zabbai, & Hathlai.* |
| Et de filijs Bani, Moſollam, & Melluch, & Adaia, Iaſub, & Saal, & Ramoth. | 29 | 29 | *Et de filijs Bani, Meſullam, Maluch, & Hadaiah, Iaſub, & Seal, Ieramoth.* |
| Et de filijs Phahath, Moab, Edna, & Chalal, Banaias, & Maaſias, Mathanias, Beſeleel, Bennui, & Manaſſe. | 30 | 30 | *Et de filijs Pachath, Moab, Hadna, & Chelal, Benaiah, Mahaſeiah, Matthaniah, Beſalel, & Binnui, & Menaſſeh.* |
| Et de filijs Herem, Eliezer, Ioſue, Melchias, Semeias, Simeon: | 31 | 31 | *Et de filijs Harim, Elihezer, Iſijah, Malchijah, Semahiah, Simhon:* |
| Beniamin, Maloch, Samarias. | 32 | 32 | *Biniamin, Maluch, Semariah.* |
| Et de filijs Haſom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Elipheleth, Iermai, Manaſſe, Semei. | 33 | 33 | *De filijs Chaſum, Matthenai, Matthathah, Zabad, Elipheleth, Ieremai, Menaſſeh, Simhi.* |
| De filijs Bani, Maaddi, Amram, & Vel: | 34 | 34 | *De filijs Bani, Mahadai, Hamram, & Vel:* |
| Baneas, & Badaias, Cheliau: | 35 | 35 | *Benaiah, Bediah, Cheluhu:* |
| Vania, Marimuth, & Eliaſib: | 36 | 36 | *Vaniah, Meremoth, Eliaſib:* |
| Mathanias, Mathanai, & Iaſi: | 37 | 37 | *Matthaniah, Matthenai, & Iahaſai:* |
| Et Bani, & Bennui, Semei: | 38 | 38 | *Et Bani, & Binnui, Simhi:* |
| Et Salmias, & Nathan, & Adaias: | 39 | 39 | *Et Selemiah, & Nathan, & Hadaiah:* |
| Et Mechnedebai, Siſai, Sarai: | 40 | 40 | *Machnadebai, Saſai, Sarai:* |
| Ezrel, & Selemiau, Semeria: | 41 | 41 | *Hazarel, & Selemiahu, Semariah:* |
| Sellum, Amaria, Ioſeph. | 42 | 42 | *Sallum, Amariah, Ioſeph.* |
| De filijs Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Ieddu, & Ioel, & Banaia. | 43 | 43 | *De filijs Nebo, Iehiel, Mathithiah, Zabad, Zebinah, Iadau, & Ioel, Benaiah.* |
| Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerũt ex eis mulieres, quæ pepererant filios. | 44 | 44 | *Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & erant ex eis mulieres, & poſuerant filios.* |
| LI- | | | LI- |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et inuenti ſunt de filijs ſacerdotum, qui habitare fecerant vxores alienas, de filijs Ieſu filij Ioſedec, & fratres
eius, Maaſia, & Eliezer, & Iarib, & Gadalia: 19 Et dederunt manum ſuam ad emittendas vxores ſuas, & delicti
arietem ex ouibus pro delicto ſuo: 20 Et de filijs Emmer, Anani, & Zabdia: 21 Et de filijs Eram Maſiel,
& Elia, & Samaia, & Iehel & Ozia: 22 Et de filijs Phaſur, Elionai, Maaſia, & Iſmael, & Mathanael, & Iezabad,
& Elaſa. 23 Et de filijs Leuitarum Iozabad, & Samu, & Colia (ipſe Colita) & Phetheia, & Iudas, & Eliezer.
24 Et de cantoribus Eliſab. Et de ianitoribus, Solmen, & Telmen, & Oduth. 25 Et de Iſrael, de filijs Phoros,
Ramia, & Azia, & Melchia, & Meamin, & Eleazar, & Aſabia, & Banæa: 26 Et de filijs Helam, Matthania, & Zacharia, & Iaiel, & Abdia, & Iarimoth, & Elia: 27 Et de filijs Zathua, Elionai, Eliſub, Matthanai, & Arimoth, &
Zabad, & Oziza: 28 Et de filijs Babei Ioanan, Anania, & Zabu, & Thali: 29 Et de filijs Banoi, Moſollam,
Maluch, Adaias, Iaſub, & Saluia, & Rhemoth: 30 Et de filijs Phaathmoab, Edne, & Chalel, & Banæa Maaſia,
Matthania, Beſeleel, & Banui, & Manaſſe: 31 Et de filijs Eram, Eliezer, Ieſia, Melchia, Samaias, Semeon.
32 Beniamin, Baluch, Samaria: 33 Et de filijs Aſem, Metthania, Matthatha, Zabab, Eliphalet Hieremi. Manaſſe, Semei: 34 Et de filijs Bani, Moodia, Amram, Vhel, 35 Banæa, Badaia, Chelcia, 36 Vuania, Merimoth, Eliaſiph, 37 Matthania, Matthanai. 38 Et fecerunt filij Banui, & filij Semei, 39 & Selemia, &
Nathan, & Adaia, 40 Machadnabu, Seſei, Sariu, 41 Ezriel, & Selemia & Samaria, 42 & Sellum, Amaria, Ioſeph: 43 De filijs Nabu Iael, Matthanias, Zabad, Zebenias, Zadai, & Ioel, & Banæa. 44 Omnes hi
acceperant vxores alienas, & genuerant ex eis filios.

*FINIS LIBRI PRIMI ESDRÆ.*

LIBRI

UVA.BSCH

# LIBRI NEHEMIAE, QVI ET ESDRÆ SECVNDVS DICITVR.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 VErba Nehemiæ filij Helchiæ. Et factum eſt in menſe Caſleu, anno vigeſimo, & ego erã in Suſis caſtro.

2 Et venit Hanani vnus de fratribus meis, & ipſe & viri ex Iuda: & interrogaui eos de Iudæis, qui remanſerant & ſupererant de captiuitate, & Ieruſalem.

3 Et dixerunt mihi: Qui remanſerunt, & relicti ſunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictione magna ſunt, & in opprobrio: & murus Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni.

4 Cumque audiſſem verba huiuſcemodi, ſedi, & fleui, & luxi diebus multis: ieiunabam, & orabam, ante faciem Dei cœli.

5 Et dixi: * Quæſo Domine Deus cœli fortis, magnæ atque terribilis, qui cuſtodis pactum, & miſericordiam cum his qui te diligunt, & cuſtodiunt mandata tua:

* Dan. 9. 4.

6 Fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui, quam ego oro coram te hodie nocte, & die pro filijs Iſrael ſeruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Iſrael, quibus peccauerunt tibi: ego, & domus patris mei peccauimus:

7 Vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia, quæ præcepiſti Moyſi famulo tuo.

8 Memento verbi, quod mandaſti Moyſi ſeruo tuo, dicens: Cum tranſgreſſi fueritis, ego diſpergam vos in populos:

Et

# LIBRI NECHEMIAH, QVI ET HEZRÆ SECVNDVS DICITVR.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *VErba Nechemiah filij Chachaliah. Et fuit, in menſe Chiſleu anno vigeſimo eram in Suſan caſtro.*

2 *Et venit Chanani vnus è fratribus meis, & viri de Iehudah: & interrogaui eos de Iehudæorum euaſione, qui remanſerant ex captiuitate, & de Ieruſalaim.*

3 *Et dixerunt mihi: Reſidui qui remanſerunt de captiuitate ibi in prouincia ſunt in malo magno, & opprobrio: & murus Ieruſalaim dirutus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni.*

4 *Et fuit, cum audiſſem verba hæc ſedi, & fleui & luxi per dies. & ieiunaui, & oraui coram Deo cæli.*

5 *Et dixi: Quæſo Domine Deus cœli, fortis, magne, & terribilis cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua:*

6 *Sit quæſo auris tua intendens, & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui, quam oro coram te hodie die, ac nocte, pro filijs Iſrael ſeruis tuis: & confiteor pro peccato filiorum Iſrael, quod peccauimus tibi: & ego, & domus patris mei peccauimus:*

7 *Corruptione corrupti ſumus tibi, & non cuſtodiuimus præcepta, & ſtatuta, & iudicia, quæ præcepiſti Moſeh ſeruo tuo.*

8 *Memento quæſo verbi, quod mandaſti Moſeh ſeruo tuo, dicendo: Vos præuaricabimini, & ego diſpergam vos in populos:*

*Et*

# LIBRI NEEMIÆ.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

Liber hic in hac trãſlat. ex Septuag. ſub nomine Nehemiæ habetur tertio loco inter libros Eſdræ.

VErba Neemię filij Chelcia. Et factum eſt in menſe Chaſeleu anni vigeſimi, & ego eram in Suſan Abira.
2 Et venit Anani vnus de fratribus meis, ipſe, & viri Iuda. Et interrogaui eos de ſuperſtitibus, qui remãſerant ex captiuitate, & de Hieruſalem. 3 Et dixerunt ad me: Reſidui qui remanſerunt de captiuitate
ibi in prouincia, in malo magno, & in opprobrio: & mœnia Hieruſalẽ deiecta: & portæ eius incenſæ ſunt in igne.
4 Et factũ eſt in audiendo me verba hæc, ſedi, & plorauι, & luxi dies, & fui ieiunãs, & orãs in cõſpectu Dei cœli.
5 Et dixi: Ne, quæſo, Dñe Deus cœli, fortis, magnus, & terribilis, cuſtodiẽs teſtamẽtũ & miſericordiã tuã diligentibus ipſum, & cuſtodiẽtibus mãdata ipſius. 6 Sit, quæſo, auris tua attẽdẽs, & oculi tui aperti ad audiẽdã deprecationẽ ſerui tui; q̃ ego deprecor in cõſpectu tuo hodie die, ac nocte pro filijs Iſrael ſeruis tuis. Et confiteor ſuper peccatis filiorum Iſrael, quæ peccauimus tibi. Et ego, & domus patris mei peccauimus: 7 diſſolutione diſſoluimus erga te, & non cuſtodiuimus mandata, & præcepta, & iudicia, quæ mandaſti Moyſi puero tuo. 8 Memento nunc verbi tui, quod mandaſti Moyſi puero tuo, dicens: Vos, ſi præuaricati eritis, ego diſpergam vos in populis:

Iis 6

## Vulgat. Editio.

32 Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues va-
rias, & ſparſo vellere: & quodcumque furuum, &
maculoſum, variumque fuerit, tam in ouibus,
quam in capris, erit merces mea.
33 Responditque mihi cras iuſtitia mea, quando placi-
ti tempus aduenerit coram te: & omnia quæ non
fuerint varia, & maculoſa, & furua, tam in ouibus,
quam in capris, furti me arguent.
34 Dixitque Laban: Gratum habeo, quod pe-
tis.
35 Et ſeparauit in die illa capras, & oues, &
hircos, & arietes varios, atque maculoſos:
cunctum autem gregem vnicolorem, id eſt
albi, & nigri velleris, tradidit in manu filio-
rum ſuorum.
36 Et poſuit ſpatium itineris trium dierum inter
ſe & generum, qui paſcebat reliquos greges
eius.
37 Tollés ergo Iacob virgas populeas virides, & amyg-
dalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, de-
tractiſq. corticibus, in his, quæ ſpoliata fuerant, can-
dor apparuit: illa vero q̄ integra fuerant, viridia per-
manſerũt: atq; in hũc modũ color effectus eſt varius.
38 Poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur
aqua: vt cum veniſſent greges ad bibendum, an-
te oculos haberent virgas, & in aſpectu earum con-
ciperent.
39 Factumque eſt vt in ipſo calore coitus, oues intue-
rentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, &
diuerſo colore reſperſa.
40 Diuiſitque gregem Iacob, & poſuit virgas in cana-
libus ante oculos arietum: erant autem alba & ni-
gra quæque, Laban: cetera vero, Iacob, ſeparatis
inter ſe gregibus.
41 Igitur quando primo tempore aſcendebãtur oues,
ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante
oculos arietum & ouium, vt in earum contem-
platione conciperent:
42 Quando vero ſerotina admiſſura erat, & conceptus
extremus, nõ ponebat eas. Factaq. ſunt ea quę erãt
ſerotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob.
43 Ditatuſque eſt homo vltra modum, & habuit gre-
ges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos.

### CAP. XXXI.

1 POſtquam autem audiuit verba filiorum La-
ban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fue-
runt patris noſtri, & de illius facultate ditatus,
factus eſt inclytus:
2 Animaduertit quoque faciem Laban, quod non
eſſet erga ſe ſicut heri & nudiuſtertius,
3 Maxime dicente ſibi Domino: Reuertere in ter-
ram patrum tuorum, & ad generationem tuam,
eroque tecum.
4 Miſit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pa-
ſcebat greges,
5 Dixitque eis: Video faciem patris veſtri quod non
ſit erga me ſicut heri, & nudiuſtertius: Deus au-
tem patris mei fuit mecum.
6 Et ipſæ noſtis quod totis viribus meis ſeruierim pa-
tri veſtro.
7 Sed & pater veſter circumuenit me: & mutauit
mercedem meam decem vicibus: & tamen non di-
miſit eum Deus vt noceret mihi.
8 Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ
pariebant omnes oues varios fœtus: quando
vero econtrario ait: Alba quæque acci-
pies pro mercede: omnes greges alba pepe-
rerunt.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Tranſibo per oẽs pecudes tuas hodie, remouẽdo inde oẽ
pecus pũctis paruis reſperſũ, & reſperſũ maculis la
tis. Et oẽ pecus ruſũ in pecudibus, & reſperſũ macu-
lis latis, & reſperſũ pũctis ĩ capris, erit merces mea.*
33 *Et teſtificabitur mihi iuſtitia mea in die craſtina cũ
venerit ſuper mercedẽ meã corã te. Omne q̄ nõ erit
punctis reſperſum, & maculis reſperſum in capris,
& ruſum in pecudibus furto ablatum erit à me.*
34 *Et dixit Laban: Ecce vtinam ſit ſecundum ver-
bum tuum.*
35 *Et remouere fecit in die illa hircos maculis reſper-
ſos in locis vbi colligari ſolent, & maculis reſperſos,
& omnes capras punctis reſperſas, & maculis re-
ſperſas, omne in quo erat candor, & omne ruſum in
pecudibus, & dedit in manu filiorum ſuorum.*
36 *Et poſuit viam trium dierum inter ſe, & inter Ia-
hacob: Et Iahacob paſcebat pecudes Laban reſi-
duas.*
37 *Et tulit ſibi Iahacob virgam populeam
viridem, & amigdalinam, & caſtane-
am, & decorticauit in eis cortices al-
bos, denudans candorem qui erat in
virgis.*
38 *Et ſtatuit virgas, quas decorticauit in canalibus, in
potatorijs aquarum ad quæ veniebant pecudes, vt bi-
berent, è regione pecudum, & coirent, dum veni-
rent ad bibendum.*
39 *Et coibant pecudes ad virgarum aſpectum, & parie-
bant pecudes maculis reſperſas in locis vbi colligari
ſolent, & pũctis reſperſas, & maculis latis reſperſas.*
40 *Et pecudes diuidere fecit Iahacob, & poſuit facies
pecudũ ad maculis reſperſũ vbi colligari ſolet, & oẽ
ruſum in pecudibus erat Laban. Et poſuit ſibi greges
ſeorſum, & non poſuit eos iuxta pecudes Laban.*
41 *Et fuit, in omni coitu pecudum pri-
mitiuarum, ponebat Iahacob virgas in
oculis pecudum in canalibus, vt coirent
in virgarum aſpectu.*
42 *Et quando ſerotina faciebant pecudes, non pone-
bat. Et erant ſerotina ipſius Laban, & primitiua
ipſius Iahacob.*
43 *Et creuit vir vehementiſſimè. Et fuerunt ei pecu-
des multæ, & ancillæ, & ſerui, & cameli, & aſini.*

### CAP. XXXI.

1 *ET audiuit verba filiorum Laban dicentium:
Tulit Iahacob omnia quæ erant patri noſtro,
& de his quæ erant patri noſtro, fecit omnem glo-
riam hanc.*
2 *Et vidit Iahacob faciem Laban, & ecce non erat ſe-
cum, ſicut heri, & nudiuſtertius.*
3 *Et dixit Dominus ad Iahacob: Reuertere ad ter-
ram patrum tuorum, & ad cognationem tuam, &
ero tecum.*
4 *Et miſit Iahacob, & vocauit Rachel, & Leah in
agrum ad pecudes ſuas.*
5 *Et dixit ad eas. Video faciem patris veſtri, quia non
eſt erga me ſicut heri, & nudiuſtertius, & Deus pa-
tris mei fuit mecum.*
6 *Et vos noſtis, quod omnibus viribus meis ſeruiui pa
tri veſtro.*
7 *Et pater veſter mentitus eſt mihi, & mutauit mer-
cedem meam decem vicibus. Et non permiſit ei
Deus, vt male faceret mihi.*
8 *Si ita dicebat, punctis reſperſa erunt merces tua, pa-
riebant omnes pecudes punctis reſperſa. Et ſi ita
dicebat, maculis reſperſa in loco vbi colligari ſolent
erunt merces tua, pariebant omnes pecudes maculis
reſperſas in locis vbi colligari ſolent,*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Et ſi reuertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamſi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi.

10 Et ipſi ſerui tui, & populus tuus: quos redemiſti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11 Obſecro Domine, ſit auris tua attendens ad orationem ſerui tui, & ad orationem ſeruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige ſeruum tuum hodie, & da ei miſericordiam ante virũ hunc. Ego enim eram pincerna regis.

### CAP. II.

1 Factum eſt autem in menſe Niſan, anno vigeſimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi regi: & eram quaſi languidus ante faciem eius.

2 Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus triſtis eſt, cum te ægrotum non videam? non eſt hoc fruſtra, ſed malum neſcio, quod in corde tuo eſt. Et timui valde, ac nimis:

3 Et dixi regi: Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus ſepulchrorum patris mei deſerta eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni?

4 Et ait mihi rex: Pro qua re poſtulas? Et oraui Deum cœli:

5 Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & ſi placet ſeruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem ſepulchri patris mei, & ædificabo eam.

6 Dixitque mihi rex, & regina, quæ ſedebat iuxta eũ: Vſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis, & miſit me: & conſtitui ei tempus.

7 Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epiſtolas det mihi ad duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam:

8 Et epiſtolam ad Aſaph cuſtodem ſaltus regis, vt det mihi ligna, vt tegere poſſim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum, quam ingreſſus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum.

9 Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedique eis epiſtolas regis. Miſerat autem rex mecum principes militum, & equites.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et ſi reuerſi fueritis ad me, & cuſtodieritis præcepta mea, & feceritis, ſi fuerit expulſio veſtra ad extremum cœli, inde congregabo vos, & adducam eos ad locum quem elegi, vt habitare facerem nomen meum ibi.*

10 *Et ipſi ſerui tui, & populus tuus, quem redemiſti in fortitudine tua magna, & in manu tua forti.*

11 *Quæſo Domine ſit obſecro auris tua attendens ad orationem ſerui tui, & ad orationem ſeruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & proſperare fac quæſo ſeruum tuum hodie. Ego eram pincerna regis.*

### CAP. II.

1 *Et fuit, in menſe Niſan anno vigeſimo Arthachſaſthæ regis: vinum erat ante eum, & accepi vinum, & dedi regi: & non eram ſolitus eſſe triſtis coram eo.*

2 *Et dixit mihi rex: Quare vultus tuus eſt triſtis, & non ægrotas? non eſt hoc niſi malum cordis. Et timui multum valde:*

3 *Et dixi regi: Rex in æternum viue: cur non erit triſtis vultus meus, quum ciuitas domus ſepulchrorum patrum meorum deſerta ſit, & portæ eius conſumptæ ſint igni?*

4 *Et dixit mihi rex: Pro quo poſtulas? Et oraui ad Deum cœli:*

5 *Et dixi ad regem: Si regi bonum eſt, & ſi placet ſeruus tuus coram te, rogo vt mittas me in Iehudah, ad ciuitatem ſepulchrorum patrum meorum, vt ædificem eam.*

6 *Dixitque mihi rex, & regina ſedens apud eum: Vſquequo erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit coram rege, & miſit me, & dedi ei tempus.*

7 *Et dixi regi: Si regi eſt bonum, epiſtolas dent mihi ſcribæ ad duces, qui ſunt trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iehudah:*

8 *Et epiſtolam ad Aſaph cuſtodem pomarij, quod eſt regi, vt det mihi ligna ad contignandum portas palatij, quæ erant domui, & muro ciuitatis, & domui, in quam ingreſſus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam ſuper me.*

9 *Et veni ad duces, qui erant trans Flumen, & dedi eis epiſtolas regis. Et miſit mecũ rex principes exercitus, & equites.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et, ſi reuerteritis ad me, & ſeruaueritis mandata mea, & feceritis ea; ſi fuerit diſperſio veſtra à ſummo cœli; inde congregabo ipſos, & introducam ipſos in locum, quem elegi ad habitandum nomen meum ibi.
10 Et ipſi pueri tui, & populus tuus; quos redemiſti in virtute tua magna, & in manu tua valida.
11 Ne, quæſo, Domine. Sed ſit aures tua attendens in deprecationem ſerui tui, & ad deprecationem puerorum tuorum volentium timere nomen tuum. Et proſpera, quæſo, ſeruum tuum hodie; & da eum in miſerationes in conſpectu viri huius. Et ego eram pincerna regi.

### CAP. II.

Et factum eſt in menſe Niſan anni vigeſimi Arthaſaſthà regi, & erat vinum coram me: & leuaui vinum, &
dedi regi: & non erat alius coram eo. 2 Et dixit mihi rex: Quare facies tua mala, & non es infirmus? Et nõ
eſt hoc: niſi malum cordis. Et timui multum valde, 3 & dixi regi: Rex in æternum viuat. Cur non fiat mala facies
mea; quandoquidem ciuitas, domus monumentorum patrum meorum deſolata eſt, & portæ eius exuſtæ ſunt
in igne? 4 Et dixit mihi rex: Pro quo hoc tu quæris? Et deprecatus ſum ad Deum cœli, 5 & dixi regi: Si ſuper
regem. bonum, & ſi bonus erit puer tuus in conſpectu tuo, vt mittat ipſum in Iuda, in ciuitatem monumẽtorum
patrum meorum; & reædificabo eam. 6 Et dixit mihi rex, & concubina ſedens iuxta eum: Vſque ad quod
tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et bonum fuit coram rege, & miſit me, & dedi ei terminum. 7 Et
dixi regi. Si ſuper regem, bonũ; det mihi epiſtolas ad ſubregulos trans flumen; vt deducant me, donec venero in
Iudam, 8 & epiſtolam ad Aſaph cuſtodem paradiſi, qui eſt regi, vt det mihi ligna ad tegendum portas, & ad
murum ciuitatis, & ad domum, quam ingrediar in eam. Et dedit mihi rex, ſicut manus Dei bona. 9 Et veni ad
ſubregulos trans flumen, & dedi eis epiſtolas regis. Et miſerat mecum rex principes virtutis, & equites.

Et au-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias ſeruus Ammanites: & contriſtati ſunt afflictione magna, quòd veniſſet homo, qui quæreret proſperitatem filiorum Iſrael.
11 Et veni Ieruſalem, & eram ibi tribus diebus:
12 Et ſurrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dediſſet in corde meo vt facerem in Ieruſalem, & iumentum non erat mecum, niſi animal, cui ſedebam.
13 Et egreſſus ſum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam ſtercoris, & conſiderabam murum Ieruſalem diſſipatum, & portas eius conſumptas igni.
14 Et tranſiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento, cui ſedebam, vt tranſiret.
15 Et aſcendi per torrentem nocte, & conſiderabã murum, & reuerſus veni ad portam vallis, & redij.
16 Magiſtratus autem neſciebant quò abijſſem, aut quid ego facerem: ſed & Iudæis, & ſacerdotibus, & optimatibus, & magiſtratibus, & reliquis qui faciebant opus, vſque ad id loci nihil indicaueram.
17 Et dixi eis: Vos noſtis afflictionem in qua ſumus; quia Ieruſalem deſerta eſt, & portæ eius conſumptæ ſunt igni: venite, & ædificemus muros Ieruſalem, & non ſimus vltra opprobrium.
18 Et indicaui eis manum Dei mei, quòd eſſet bona mecum, & verba regis, quæ locutus eſſet mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ ſunt manus eorum in bono.
19 Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias ſeruus Ammanites, & Goſem Arabs, & ſubſannauerunt nos, & deſpexerunt, dixeruntque: Quæ eſt hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?
20 Et reddidi eis ſermonem, dixitque ad eos: Deus cæli ipſe nos iuuat, & nos ſerui eius ſumus: ſurgamus, & ædificemus: vobis autem non eſt pars, & iuſtitia, & memoria in Ieruſalem.

### CAP. III.

1 ET ſurrexit Eliaſib ſacerdos magnus, & fratres eius ſacerdotes, & ædificauerunt portam gregis: ipſi ſanctificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & vſque ad turrim centum cubitorum ſanctificauerunt eam, vſque ad turrim Hananeel.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*10 Et audiuit Sanballath Choronites, & Thobijah ſeruus Hammonites: & diſplicuit eis diſplicentia magna, quòd veniſſet homo ad quærendum bonum filijs Iſrael.*
*11 Et veni in Ieruſalaim, & fui ibi diebus tribus:*
*12 Et ſurrexi nocte, & viri pauci erant mecum, & non indicaui homini, quid Deus dediſſet in cor meum, vt facerem in Ieruſalaim, & iumentum non erat mecum niſi iumentum ſuper quod ſedebam.*
*13 Et egreſſus ſum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam ſtercorum, & conſideraui muros Ieruſalaim, qui erant diruti, & portas eius, quæ conſumptæ erant igni.*
*14 Et tranſiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento ad tranſeundum ſub eo.*
*15 Et aſcendi per torrentem nocte, & conſideraui murum, & veni ad portam vallis, & redij.*
*16 Et magiſtratus neſciebant quò abijſſem, & quid facerem: & Iehudæis, & ſacerdotibus, & optimatibus, & magiſtratibus, & reſiduis facientibus opus, illud non indicaui.*
*17 Et dixi eis: Vos videtis malum in quo ſumus; quia Ieruſalaim deſerta eſt, & portæ eius ſuccenſæ ſunt igni: venite, & ædificemus murum Ieruſalaim, & non ſimus vltra opprobrium.*
*18 Et indicaui eis manum Dei mei, quòd eſſet bona ſuper me, & verba regis, quæ dixit mihi, & dixerunt: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ ſunt manus eorum in bono.*
*19 Audiuit autem Sanballath Choronites, & Thobijah ſeruus Hammonites, & Gheſem Harbites, & ſubſannauerunt nos, & deſpexerunt nos, & dixerunt: Quid eſt hoc quòd facitis? numquid contra regem rebellatis?*
*20 Et reddidi eis verbum, dixitque ad eos: Deus cæli, ipſe proſperare faciet nos, & nos ſerui eius ſumus: ſurgamus, & ædificemus: vobis autem non eſt pars, & iuſtitia, & memoria in Ieruſalaim.*

### CAP. III.

*1 ET ſurrexit Eliaſib ſacerdos magnus, & fratres eius ſacerdotes, & ædificauerunt portam pecorum: ipſi reparauerunt eam, & ſtatuerunt oſtia eius, vſque ad turrim Meah, reparauerunt eam vſque ad turrim Chananel.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et audiuit Sanaballat Aroni, & Tobia ſeruus Ammoni: & malum eis factum eſt; quia venit homo quærere bonum filijs Iſrael. 11 Et veni in Hieruſalem, & fui ibi dies tres. 12 Et ſurrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non annunciaui homini, quid Deus dat in cor meum facere cum Iſrael: & iumentum non eſt mecum niſi iumentum, quem ego inſcendo ſuper illud. 13 Et egreſſus ſum in porta Gôlilâ, & ad os fontis ficuum, & ad portam ſtercoris. Et eram conuerſans in muro Hieruſalem, quod ipſi diruunt, & portæ eius exeſæ erãt igne. 14 Et tranſiui ad portam Ain, & ad piſcinam regis, & non erat locus iumento tranſire ſub me: 15 & fui aſcẽdẽs in muro torrentis nocte, & fui conuerſans in muro, & fui in porta vallis, & reuerti. 16 Et cuſtodes non cognouerunt, quid ibam, & quid ego facio. Et Iudęis, & ſacerdotibus, & optimatibus, & ducibus, & reliquis facientibus opera vſque tunc non indicaueram. 17 Et dixi ad eos: Vos videtis malum hoc in quo ſumus in eo, quomodo Hieruſalem deſerta, & portę eius datę ſunt igni. Venite, & exędificemus murum Hieruſalem: & non erimus vltra opprobrium. 18 Et annunciaui eis manum Dei, quæ eſt bona ſuper me, & prętèrea verba regis, quę dixit mihi. Et dixi: Surgamus, & ędificemus. Et confortatę ſunt manus eorum in bonum. 19 Et audiuit Sanaballat Aroni, & Tobia ſeruus Ammoni, & Geſam Arabi, & ſubſannauerunt nos, & venerunt ſuper nos, & dixerũt: Quid verbũ hoc, quod vos facitis? An ſuper regem vos rebellatis? 20 Et retuli eis verbũ, & dixi eis: Deus cœli ipſe proſperabit nos: & nos ſerui eius puri, & ędificabimus. Et vobis nõ eſt pars, & iuſtitia, & memoria in Hieruſalem.

### CAP. III.

ET ſurrexit Eliaſub ſacerdos magnus, & fratres eius ſacerdotes, & ędificauerunt portam gregis: ipſi ſanctificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & vſque ad turrim centum ſanctificauerunt vſque ad turrim Anameel.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho: & iuxta eum ædificauit Zachur filius Amri.

3 Portam autem piſcium ædificauerunt filij Aſnaa: ipſi texerunt eam,& ſtatuerunt valuas eius, & ſeras, & vectes. Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ,filij Accus.

4 Et iuxta eum ædificauit Moſollam filius Barachiæ, filij Meſezebel: & iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana:

5 Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: optimates autem eorum non ſuppoſuerunt colla ſua in opere Domini ſui.

6 Et portam veterem ædificauerunt Ioiada filius Phaſea,& Moſollam filius Beſodia: ipſi texerunt eam,& ſtatuerunt valuas eius,& ſeras,& vectes;

7 Et iuxta eos ædificauerunt Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maſpha, pro duce qui erat in regione trans Flumen.

8 Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eum ædificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiſerunt Ieruſalem vſque ad murum plateæ latioris.

9 Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Ieruſalem.

10 Et iuxta eum ædificauit Iedaia filius Haromaph contra domum ſuam: & iuxta eum ædificauit Hattus filius Haſeboniæ.

11 Mediam partem vici ædificauit Melchias filius Herem, & Haſub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.

12 Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Ieruſalem, ipſe & filiæ eius.

13 Et portam vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanoe: ipſi ædificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & ſeras, & vectes, & mille cubitos in muro vſque ad portam ſterquilinij.

14 Et portam ſterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipſe ædificauit eam, & ſtatuit valuas eius, & ſeras, & vectes.

15 Et portam fontis ædificauit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maſpha: ipſe ædificauit eam, & texit, & ſtatuit valuas eius, & ſeras, & vectes, & muros piſcinæ Siloe in hortum regis, & vſque ad gradus, qui deſcendunt de ciuitate Dauid.

Poſt

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*2 Et iuxta locum eius ædificauerunt viri Iericho: & iuxta locum eius ædificauit Zacur filius Imri.*

*3 Et portam piſcium ædificauerunt filij Haſenah: ipſi contignauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius. Et iuxta locum inſtaurauit Meremoth filius Vrijah filij Hacbos.*

*4 Et iuxta locum eorum inſtaurauit Meſullam filius Berechiah filij Meſezabel: & iuxta locum eorum inſtaurauit Sadoc filius Bahana:*

*5 Et iuxta locum eorum inſtaurauerunt Techohita: & maiores eorum non adduxerunt collum ſuum, in opere Domini ſui.*

*6 Et portam veterem inſtaurauerunt Ioiadah filius Paſeach, & Meſullam filius Beſodiah: ipſi contignauerunt eam, & ſtare fecerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius:*

*7 Et iuxta locum eorũ inſtaurauit Melathiah Ghibhonites, & Iadon Meranothites, viri Ghibhon, & Miſpah pro ſolio ducis trans Flumen.*

*8 Et iuxta locum eius inſtaurauit Huzziel filius Harhaiah aurifices: & iuxta locum eius inſtaurauit Chananiah filius Haracchachim: & inſtaurauerunt Ieruſalaim vſque ad murum latum.*

*9 Et iuxta locum eorum inſtaurauit Rephaiah filius Chur, princeps mediæ partis Ieruſalaim.*

*10 Et iuxta locum eorum inſtaurauit Iedaiah filius Charumaph contra domum ſuam: & iuxta locum eius inſtaurauit Chattus filius Chaſabneiah.*

*11 Menſuram ſecundam inſtaurauit Malchijah filius Harim, & Chaſub filius Pachathmoab, & turrim furnorum.*

*12 Et iuxta locum eius inſtaurauit Sallum filius Halochesh princeps dimidiæ partis Ieruſalaim, ipſe, & filiæ eius.*

*13 Portam vallis inſtaurauit Chanun, & habitatores Zanoach: ipſi ædificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, ſeras eius, & vectes eius, & mille cubitos in muro, vſque ad portam ſtercorum.*

*14 Et portam ſtercorum ædificauit Malchijah filius Rechab, princeps partis Bethhacherem: ipſe ædificauit eam, & ſtatuit valuas eius, ſeras eius, & vectes eius.*

*15 Et portam fontis inſtaurauit Sallum filius Cholchozeh, princeps regionis Miſpah: ipſe ædificauit eam, & texit eam, & ſtatuit valuas eius, ſeras eius, & vectes eius, & murum piſcinæ pomarij iuxta hortum regis, vſque ad gradus deſcendentes de ciuitate Dauid.*

*Poſt*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ad manus virorum filiorum Hiericho,& ſuper manus filiorum Zacchur filij Amari. 3 Et portam pi-
ſcium ædificauerunt filij Aſana: ipſi texerunt eam,& texerunt valuas eius,& ſeras eius,& vectes eius. Et ad manũ
eorum tenuit ſuper Ramoth filium Vriæ filij Accos. 4 Et ad manum eorum tenuit Moſollam filius Bara-
chiæ filij Mazebel. 5 Et ad manum eorum tenuerunt Thecoim: & Adorim non miſerunt collum ſuum
in ſeruitutem ipſorum. 6 Et portam Iaſanai tenuerunt Ioida filius Phaſec,& Meſulam filius Baſodia:
ipſi texerunt eam,& ſtatuerunt valuas eius,& ſeras eius & vectes eius. 7 Et ad manum eorum tenue-
runt Maltias Gabaonites,& Euaron Meronothithes,viri Gabaon,& Maſphâ vſque ad thronum principis, qui trãs
flumen. 8 Et iuxta eum muniuit Oziel filius Arachiæ ex aurificibus. Et ad manum eorum tenuit
Ananias filius Roceim.Et reliquerunt Hieruſalem vſque ad murum latum. 9 Et ad manum eorum
tenuit Raphaia filius Sur.princeps dimidiæ regionis Hieruſalem. 10 Et ad manum eorum tenuit Ie-
daia filius Eromaph, & e regione domus ſuæ. Et ad manum eius tenuit Attuth filius Aſabonia. 11 Et ſe-
cundus tenuit Melchias filius Heram,& Aſub filius Phaathmoab & vſque ad turrim Thanurim. 12 Et ad
manum eius tenuit Sallum filius Aloes,princeps dimidiæ regionis Hieruſalem,ipſe,& filiæ eius. 13 Por-
tam vallis tenuerunt Anon,& habitantes Zano: ipſi ædificarunt eam,& ſtatuerunt valuas eius,& ſeras eius, & ve-
ctes eius,& mille cubitos in muro vſque ad portam ſtercoris. 14 Et portam ſtercoris tenuit Melchia,
filius Recab princeps regionis Bethaccharam, ipſe, & filij eius, & texerunt eam,& ſtatuerunt valuas eius, & ſeras
eius,& vectes eius. 15 Portam autem fontis muniuit Salomon filius Choleze, princeps partis Maſ-
phâ: ipſe exædificauit eam, & texit eam,& ſtatuit valuas eius,& vectes eius, & murum piſcinæ codiorum e glarici
regis, & vſque ad ſcalas deſcendentes e ciuitate Dauid.

Poſt

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

16 Poſt eum ædificauit Nehemias filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethſur vſque contra ſepulchrum Dauid,& vſque ad piſcinam, quæ grādi opere conſtructa eſt,& vſque ad domum fortium.

17 Poſt eum ædificauerunt Leuitæ, Behum filius Benni: poſt eum ædificauit Haſebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico ſuo.

18 Poſt eum ædificauerunt fratres eorum Banai filius Enadad,princeps dimidiæ partis Ceilæ.

19 Et ædificauit iuxta eum Azer filius Ioſue, princeps Maſpha menſuram ſecundam, contra aſcenſum firmiſſimi anguli.

20 Poſt eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai menſuram ſecundam, ab angulo vſque ad portam domus Eliaſib ſacerdotis magni.

21 Poſt eū ædificauit Merimuth filius Vriæ filij Haccus,menſuram ſecundam,à porta domus Eliaſib,donec extenderetur domus Eliaſib.

22 Et poſt eum ædificauerunt ſacerdotes viri de campeſtribus Iordanis.

23 Poſt eum ædificauit Beniamin, & Haſub contra domum ſuam: & poſt eum ædificauit Azarias filius Maaſiæ filij Ananiæ contra domum ſuam.

24 Poſt eum ædificauit Bennui filius Henadad menſuram ſecundam, a domo Azariæ vſque ad flexuram,& vſque ad angulum.

25 Phalel filius Ozi contra flexuram, & turrim, quæ eminet de domo regis excelſa id eſt, in atrio carceris: poſt eum Phadaia filius Pharos.

26 Nathinæi autem habitabant in Ophel vſque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

27 Poſt eum ædificauerunt Thecueni menſuram ſecundam è regione, à turre magna, & eminente vſque ad murum templi.

28 Surſum autem à porta equorum ædificauerunt ſacerdotes,vnuſquiſque contra domum ſuam.

29 Poſt eos ædificauit Sadoc filius Emmer contra domum ſuam.Et poſt eum ædificauit Semaia filius Secheniæ,cuſtos portæ Orientalis.

30 Poſt eum ædificauit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph ſextus, menſuram ſecundam: poſt eum ædificauit Moſollam filius Barachiæ, contra gazophylacium ſuum. Poſt eum ædificauit Melchias filius aurificis vſque ad domum Nathinæorū, & ſcruta vendentium contra portam iudicialem, & vſque ad cœnaculum anguli.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Poſt eum inſtaurauit Nechemiah filius Hazbuch princeps dimidiæ regionis Bethſur, vſque contra ſepulchra Dauid, & vſque ad piſcinam factam, & vſque ad domum fortium.*

17 *Poſt eum inſtaurauerunt Leuitæ Rechum filius Bani: iuxta locum eius inſtaurauit Chaſchabiah princeps dimidiæ regionis Cheilah in regione ſua.*

18 *Poſt eum inſtaurauerunt fratres eorum Banai filius Chenadad princeps dimidiæ regionis Cheilah.*

19 *Et inſtaurauit iuxta locum eius Hezer filius Ieſuah princeps Miſpah menſuram ſecundam è regione aſcenſus armorum anguli.*

20 *Poſt eum accendit ſe, & inſtaurauit Baruch filius Zacchai menſuram ſecundam ab angulo vſque ad oſtium domus Eliaſib ſacerdotis magni.*

21 *Poſt eum inſtaurauit Meremoth filius Vrijah filij Hacchos menſuram ſecundam, ab oſtio domus Eliaſib, vſque ad perfectionem domus Eliaſib.*

22 *Et poſt eum inſtaurauerunt ſacerdotes viri planiciei.*

23 *Poſt eum inſtaurauit Biniamin, & Chaſub contra domum ſuam: poſt eum inſtaurauit Hazariah filius Mahaſeiah filij Hananiah apud domum ſuam.*

24 *Poſt eum inſtaurauit Binnui filius Chenadad menſuram ſecundam à domo Hazariah vſque ad angulum, & vſque ad angulum.*

25 *Palal filius Vzai contra angulum, & turrim, quæ egrediebatur à domo regis excelſam, quæ erat in atrio carceris: poſt eum Pedaiah filius Parhos.*

26 *Et Nethinim, qui habitabant in arce vſque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim egredientem.*

27 *Poſt eum inſtaurauerunt Techohim menſuram ſecundam è regione turris magnæ egredientis, vſque ad murum arcis.*

28 *Super portam equorum inſtaurauerunt ſacerdotes, vnuſquiſque contra domum ſuam.*

29 *Poſt eum inſtaurauit Sadoc filius Immer contra domum ſuam. Et poſt eum inſtaurauit Semahiah filius Secheniah cuſtos portæ Orientalis.*

30 *Poſt eum inſtaurauit Chananiah filius Selemiah, & Chanun filius Salaph ſextus menſurā ſecundā: poſt eum inſtaurauit Meſullam filius Berechiah contra cubiculum ſuum. Poſt eum inſtaurauit Malchijah filius aurificis vſque ad domum Nethinim, & negotiatorum contra portam præcepti, vſque ad cœnaculum anguli.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Poſt eum tenuit Neemias filius Azabuch, princeps dimidiæ regionis Bethſur vſque ad hortum ſepulchri
Dauid,& vſque ad piſcinam factam,& vſque Bethangarim. 17 Poſt eum tenuerunt Leuitæ,Rauni filius
Bani. Ad manum eius tenuit Aſabia princeps dimidiæ regionis Ceilà regione ſua. 18 Et poſt eum tenuerunt fratres eorum Benei filius Enadad,princeps dimidiæ regionis Ceilà. 19 Et tenuit ad manum eius
Azur filius Ieſu princeps Maſpha menſuram ſecundam turris aſcenſionis contingentis angulum. 20 Poſt
eum tenuit Baruch filius Zabu, menſuram ſecundam ab angulo vſque ad ianuam Beth Eliaſib ſacerdotis magni. 21 Poſt eum tenuit Meramoth filius Vria filij Accos menſuram ſecundam à ianua Beth Eliaſub vſ-
que ad finem Beth Eliaſub. 22 Et poſt eum tenuerunt ſacerdotes,viri Echechar. 23 Et poſt eum
tenuit Beniamin,& Aſub è regione domus ipſorum. Et poſt eum tenuit Azarias filius Maaſiæ filij Ananiæ iuxta
domum ſuam. 24 Poſt eum tenuit Bani filius Adad, menſuram ſecundam à Beth Azaria vſque ad angulum,& vſque ad flexuram 25 Phalach filij Euzai ex aduerſo anguli,& turris eminens è domo regis ſuperior,quæ atrij cuſtodiæ.Et poſt eum Phadaia filius Phoros. 26 Et Nathinim erant habitantes in Ophla
vſque ad hortum portę aquę ad Orientem,& turris eminens. 27 Et poſt eum tenuerunt Thecoim menſuram ſecundam ex aduerſo turris magnę eminentis,& vſque ad murum Ophla. 28 Supra portam equorum
tenuerunt ſacerdotes,vir è regione domus ſuę. 29 Et poſt eum tenuit Sadduc filius Emmer ex aduerſo domus ſuę Et poſt eum tenuit Semaia filius Sechenia cuſtos portę Orientis. 30 Poſt eum tenuit Anania filius Selemia,& Anom filius Seleph ſextus, menſuram ſecundam. Poſt eum tenuit Meſulam filius Barachia ex
aduerſo gazophylacij ſui Poſt eum tenuit Melchia filius Sarephi vſque ad Bæthan Nathinim.Et ſcruta vendentes è regione portę Maphecad,& vſque ad aſcenſionem flexurę.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

31 Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificauerunt aurifices, & negotiatores.

### CAP. IIII.

1 FActum eſt autem, cũ audiſſet Sanaballat, quòd ædificaremus murum, iratus eſt valde: & motus nimis ſubſannauit Iudæos:

2 Et dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num ſacrificabunt, & complebunt in vna die? Numquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combuſti ſunt?

3 Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: Ædificent: ſi aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum.

4 Audi Deus noſter, quia facti ſumus deſpectui: conuerte opprobrium ſuper caput eorum, & da eos in deſpectionem in terra captiuitatis.

5 Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriſerunt ædificantes.

6 Itaque ędificauimus murum, & coniunximus totum vſque ad partem dimidiam: & prouocatum eſt cor populi ad operandum.

7 Factum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammanitæ, & Azotij, quòd obducta eſſet cicatrix muri Ieruſalem, & quòd cepiſſent interrupta concludi, irati ſunt nimis.

8 Et congregati ſunt omnes pariter, vt venirent, & pugnarent contra Ieruſalem, & molirentur inſidias.

9 Et orauimus Deum noſtrum, & poſuimus cuſtodes ſuper murum die, ac nocte contra eos.

10 Dixit autem Iudas: Debilitata eſt fortitudo portantis, & humus nimia eſt, & nos non poterimus ædificare murum.

11 Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & ignorent donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & ceſſare faciamus opus.

12 Factum eſt autem venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerant ad nos:

13 Statui in loco poſt murum per circuitum populum in ordinem cum gladijs ſuis, & lanceis, & arcubus.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

31 *Et intra cœnaculum anguli ad portam pecorum inſtaurauerunt aurifices, & negotiatores.*

### *CAP. IIII.*

1 *ET fuit, cum audiſſet Sanballath, quòd ædificaremus murum, ita fuit ei, & iratus eſt multũ, & ſubſannauit Iehudæos.*

2 *Et dixit coram fratribus ſuis, & exercitu Somron, & dixit: Quid Iehudæi imbecilles faciunt? Numquid dimittent eis? Numquid ſacrificabunt? Numquid conſumabunt in die? Numquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris, & ipſi combuſti ſunt?*

3 *Et Thobijah Hammonites erat apud eum, & dixit: Etiam quòd ſi ipſi ædificent: ſi aſcenderit vulpes, rumpet murum lapideum eorum.*

4 *Audi Deus noſter, quia ſumus deſpectui: & conuerte opprobrium eorum in caput eorum, & da eos in deſpectionem in terra captiuitatis eorum.*

5 *Et ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum à facie tua ne deleatur, quia irritauerunt ædificantes.*

6 *Et ædificauimus murum, & colligatus eſt totus murus, vſque ad medium eius: & fuit cor populo ad faciendum.*

7 *Et fuit, cum audiſſet Sanballath, & Thobijah, & Harabes, & Hammonita, & Aſdodij, quòd obducta eſſet cicatrix muris Ieruſalaim, quòd incæperunt interrupta concludi, ita fuit eis valdè.*

8 *Et coniurati ſunt omnes pariter, vt venirent ad pugnandum contra Ieruſalaim, & facerent ei commiſionem.*

9 *Et orauimus ad Deum noſtrum, & ſtatuimus cuſtodiam iuxta eos die, ac nocte à facie eorum.*

10 *Dixit autem Iehudah: Debilitatæ ſunt vires portantis, & humus multa eſt, & nos poterimus ædificare murum.*

11 *Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & non videãt, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & ceſſare faciamus opus.*

12 *Et fuit, cum veniſſent Iehudæi habitantes apud eos, & dicerent nobis decem vicibus ex omnibus locis ex quibus reuerſi fuerant ad nos:*

13 *Statui ab inferioribus locis poſt murum in excelſis, & ſtatui populum per familias cum gladijs ſuis, lanceis ſuis, & arcubus ſuis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

31 Et inter medium portæ gregis tenuerunt fabri, & ſcruta vendentes.

### CAP. IIII.

ET factum eſt, quando audiuit Sanaballat, quia nos ædificamus murum; & malum ipſi viſum eſt: & iratus eſt
valde, & ſubſannabat ſuper Iudæos. 2 Et dixit in conſpectu fratrum ſuorum, hæc eſt virtus Sa-
mariæ: Quia Iudæi illi ædificant ſuam ciuitatem? Nanquid ſacrificant? nunquid poterunt? Et hodie ſanabunt
lapides; poſtquam facti ſunt tumulus terræ combuſtę? 3 Et Tobias Ammanites iuxta eum ve-
nit, & dixit ad eos: Nanquid ſacrificant, aut comedent ſuper locum ſuum? Nonne aſcendet vulpes, & diruet
murum lapideum eorum? 4 Audi Deus noſter, quia facti ſumus in ſubſannationem, &
conuerte opprobrium eorum in caput eorum: & da eos in ſubſannationem in terra captiuitatis:
5 & ne operias ſuper iniquitatem. 7 Et factum eſt, vt audiuit Sanaballat, & Tobia, & Ara-
bes, & Ammanitæ, quia aſcendit germen muris Hieruſalem, quia cœperunt fracturæ obſtrui; & malum eis viſum
eſt valde. 8 Et congregati ſunt omnes in idipſum venire ad prælиandum in Hieruſa-
lem, & faciendum eam exterminatam. 9 Et deprecati ſumus ad Deum noſtrum, & conſtitui-
mus cuſtodes ſuper eos die, ac nocte à facie eorum. 10 Et dixit Iudas: Contrita eſt fortitu-
do inimicorum, & humus multa, & nos non poterimus ædificare in muro. 11 Et dixerunt ij,
qui tribulabant nos: Non cognoſcent, & non videbunt, quoadusque venerimus in medium eorum, & occidamus
eos, & ceſſare faciamus opus. 12 Et factum eſt, vt venerunt Iudæi habitantes prope eos; & dixe-
runt nobis: Aſcendunt ex omnibus locis ſuper nos. 13 Et ſtatui in infimis loci poſt murum in
abſconditis, & ſtatui populum per familias cum gladijs ſuis, lanceas ſuas, & arcus ſuos.

Et vi-

## Vulgat. Editio.

14 Et perſpexi, atque ſurrexi: & aio ad optimates, & magiſtratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus veſtris, filijs veſtris, & filiabus veſtris, & vxoribus veſtris, & domibus veſtris.

15 Factum eſt autem, cum audiſſent inimici noſtri nunciatum eſſe nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum. Et reuerſi ſumus omnes ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum.

16 Et factum eſt à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & principes poſt eos in omni domo Iuda.

17 Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium:

18 Ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, & clangebant buccina iuxta me.

19 Et dixi ad optimates, & ad magiſtratus, & ad reliquã partem vulgi: Opus grande eſt, & latum, & nos ſeparati ſumus in muro procul alter ab altero:

20 In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noſter pugnabit pro nobis.

21 Et noſipſi faciamus opus: & media pars noſtrum teneat lanceas ab aſcenſu auroræ donec egrediantur aſtra.

22 In tempore quoque illo dixi populo: Vnuſquiſque cum puero ſuo maneat in medio Ieruſalem, & ſint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

23 Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & cuſtodes, qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra: vnuſquiſque tantum nudabatur ad baptiſmum.

### CAP. V.

1 ET factus eſt clamor populi, & vxorum eius magnus aduerſus fratres ſuos Iudæos.

2 Et erant qui dicerent: Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.

3 Et erant qui dicerent: Agros noſtros, & vineas, & domos noſtras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et vidi, & ſurrexi: dixique ad optimates, & ad magiſtratus, & ad reſiduum populi: Ne timeatis à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote, & pugnate pro patribus veſtris, filijs veſtris, & filiabus veſtris, vxoribus veſtris, & domibus veſtris.*

15 *Et fuit, cum audiſſent inimici noſtri, quòd notificatum eſſet nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum, & reuerſi ſumus omnes ad murum, vnuſquiſque ad opus ſuum.*

16 *Et fuit, à die illa dimidia pars iuuenum faciebat in opere, & media pars eorum tenebat lanceas, & ſcuta, & arcus, & loricas, & principes poſt omnem domum Iehudah.*

17 *Qui ædificabant in muro, & portabant onera, & qui onerabant: vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium:*

18 *Et ædificantium vnuſquiſque gladio ſuo accincti erant ſuper lumbos ſuos. Et ædificabant, & clangebãt tuba apud me.*

19 *Et dixi ad optimates, & magiſtratus, & ad reſiduũ populi: Opus multum, & latum eſt, & ſeparati ſumus in muro, remoti vnuſquiſque ab altero:*

20 *In loco in quo audieritis ſonitum tubæ, illuc congregamini ad nos: Deus noſter pugnabit pro nobis.*

21 *Et nos faciamus opus: & media pars eorum tenebat lanceas ab aſcenſu auroræ vſque ad exitum ſtellarum.*

22 *Etiam tempore illo, dixi populo: Vnuſquiſque & puer eius maneat in medio Ieruſalaim, & ſint nobis nocte in cuſtodiam, & die in opere.*

23 *Nec ego, nec fratres mei, nec pueri mei, neque viri cuſtodes, qui erant poſt me exuebamus veſtimentum noſtrum, nec quiſquam dimittebat illud, niſi lauandi gratia.*

### CAP. V.

1 *ET fuit clamor populi, & vxorum eorum magnus aduerſus fratres ſuos Iehudæos.*

2 *Et erant qui dicerent: Cum filijs noſtris, & filiabus noſtris ſumus multi: accipiamus frumentum, & comedamus, & viuamus.*

3 *Et erant qui dicerent: Agros noſtros, & vineas noſtras, & domos noſtras in pignus tradamus, & accipiamus frumentum in fame.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et vidi: & ſurrexi, & dixi ad optimates, & ad duces, & ad reliquos populi: Ne timeatis à facie eorum: memẽ
tote Dei noſtri magni, & terribilis: & prælìamini pro fratribus veſtris, filijs veſtris, filiabus veſtris, vxoribus veſtris,
& domibus veſtris. 15 Et factum eſt, quando audierunt inimici noſtri, quia cognitum eſt nobis; &
diſſipauit Deus conſilium eorum. Et reuerſi ſumus omnes nos ad murum, vir ad opus ſuum. 16 Et fa-
ctum eſt à die illa, dimidium excuſſorum faciebant opus, & dimidium eorum reſiſtebant, & lanceæ, & clypei &
arcus, & thoraces, & principes poſt omnem domum Iuda. 17 ædificantes in muro: & tollentes in hu-
meris, in armis: in vna manu faciebat ſuum opus, & in vna tenebat iaculum: 18 & ædificatores, vir
gladio ſuo accinctus ſuper lumbum ſuum, & ædificabant: & clangens in cornea iuxta eum. 19 Et di-
xi ad optimates, & ad principes, & ad reliquos populi: Opus latum, & multum, & nos diſpergimur ſuper murum
longè vir à fratre ſuo. 20 In loco, quocumque audieritis vocem corneæ, illuc congregabimini ad nos:
& Deus noſter bellabit pro nobis. 21 Et nos facientes opus & dimidium noſtri tenentes lanceas ab
aſcenſu auroræ vſque ad exitum ſyderum. 22 Et in tempore illo dixi populo: Vnuſquiſque cum iu-
uene ſuo commoramini in medio Hieruſalem: & ſit nobis nox cuſtodia, & dies opus. 23 Et eram
ego, & viri cuſtodiæ poſt me: & non fuit ex nobis exuens vir veſtimenta ſua.

### CAP. V.

ET clamor populi, & mulierum eorum magnus ad fratres ſuos Iudæos. 2 Et erant quidam
dicentes: In filijs noſtris, & in filiabus noſtris nos multi: & accipiemus frumentum, & comedemus, & viue-
mus. 3 Et ſunt quidam dicentes: Agri noſtri, & vineæ noſtrę, & domus noſtrę: nos oppignoramus, & accipiemus frumentum, & comedemus.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Et alij dicebant: Mutuo ſumamus pecunias in tributa regis, demuſque agros noſtros, & vineas:

5 Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum ſic carnes noſtræ ſunt: & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri, ecce nos ſubiugamus filios noſtros, & filias noſtras in ſeruitutem, & de filiabus noſtris iam ſunt famulæ, nec habemus vnde poſſint redimi, & agros noſtros, & vineas noſtras alij poſſident.

6 Et iratus ſum nimis cum audiſſem clamorem eorum ſecundum verba hæc.

7 Cogitauitque cor meum mecum: & increpaui optimates, & magiſtratus, & dixi eis: Vſuraſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis? Et congregaui aduerſum eos concionem magnam:

8 Et dixi eis: Nos, vt ſcitis, redemimus fratres noſtros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus ſecundũ poſſibilitatem noſtram: & vos igitur vendetis fratres veſtros, & redimemus eos? Et ſiluerunt, nec inuenerunt quid reſponderent.

9 Dixitque ad eos: Non eſt bona res, quam facitis: quare non in timore Dei noſtri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis noſtris?

10 Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, & frumentum: non repetamus in commune iſtud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis.

11 Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & oliueta ſua, & domos ſuas: quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere ſoletis ab eis, date pro illis.

12 Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quæremus: ſicque faciemus, vt loqueris. Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta quod dixeram.

13 Inſuper excuſſi ſinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus oẽm virũ, qui nõ cõpleuerit verbũ iſtud, de domo ſua, & de laboribus ſuis: ſic excutiatur, & vacuus ſit. Et dixit vniuerſa multitudo: Amen. Et laudauerunt Deum. Fecit ergo populus ſicut erat dictum.

14 A die autem illa, qua præceperat rex mihi, vt eſſem dux in terra Iuda, ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum ſecundum Artaxerxis regis per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

15 Duces autem primi, qui fuerant ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, & pecunia quotidie ſiclos quadraginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

Quin

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*4 Et erant, qui dicerent: Mutuo ſumamus argentum ad vſuram ſuper agros noſtros & vineas noſtras:*

*5 Et nũc ſicut caro fratrum noſtrorum eſt caro noſtra: ſicut filij eorum filij noſtri, & ecce nos ſubijcimus filios noſtros, & filias noſtras ſeruituribus, & è filiabus noſtris ſubijciuntur, & non eſt facultas in manibus noſtris ad redimendum, & agros noſtros, & vineas noſtras tradimus alijs.*

*6 Et iratus ſum vehementer, cum audiſſem clamorem eorum, & verba iſta:*

*7 Et cogitauit cor meum in me: & increpaui optimates, & magiſtratus, & dixi eis: Vſuram vnuſquiſque à fratribus ſuis accipitis? Et poſui contra eos congregationem magnam:*

*8 Et dixi eis: Nos emimus fratres noſtros Iehudæos, qui venditi erant gentibus ſecundum facultatem, quæ erat in nobis: & vos vendetis fratres veſtros, & vendentur nobis? Et ſiluerunt, & non inuenerunt quo ſe excuſarent verbum.*

*9 Et dixit: Non eſt bonum quod facitis: nonne in timore Dei noſtri ambulare debetis propter opprobriũ gentium inimicarum noſtrarum?*

*10 Et etiam ego fratres mei, & pueri mei, commodauimus argentum, & frumentum: relinquamus quaſo vſuram hanc.*

*11 Reddite quaſo eis hac die agros eorum, vineas eorum, & oliueta eorum, & domos eorum: & centeſimam partem argenti, & frumenti, vini, & olei, quam exigitis ab eis.*

*12 Et dixerunt: Reddemus, & ab eis non quæremus: ſic faciemus ſicut tu loqueris. Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta verbum hoc.*

*13 Etiam veſtimentum meum excuſſi, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non ſtatuerit verbũ iſtud de domo ſua, & de labore ſuo: & ſic ſit excuſſus, & vacuus. Et dixerunt omnis cœtus: Amen. Et laudauerũt Dñm, & fecit populus ſecũdũ verbũ iſtud.*

*14 Etiam à die qua præcepit mihi, vt eſſem dux in terra Iehudah, ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum, & ſecundum Arthachſaſtha regis, annis duodecim, nec ego, neque fratres mei panem ducalem comedi.*

*15 Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, poſtea argenti ſiclos quadraginta: etiam pueri eorum dominati ſunt populo. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et ſunt quidam dicentes: Mutuo ſumpſimus argentũ in tributa regis: agri noſtri, & vineæ noſtræ, & domus noſtræ. 5 Et nunc, ſicut caro fratrũ noſtrorũ, caro noſtra: ſicut filij eorum, filij noſtri. Et ecce nos ſubiugamus filios noſtros, & filias noſtras in ſeruos: & ſunt de filiabus noſtris ſubiectæ: & non eſt poteſtas manuũ noſtrarũ: & agri noſtri, & vineę noſtrę optimatibus. 6 Et triſtatus ſum valde, ſicut audiui clamorẽ eorum, & ſermones hos. 7 Et conſultauit cor meũ in me: & concertaui aduerſus optimates, & principes & dixi eis: Exiget vir fratrẽ ſuũ, quem vos exigitis? Et dedi ſuper eos eccleſiam magnam, 8 & dixi eis: Nos acquiſiuimus fratres noſtros Iudæos venditos gentibus in ſpontaneo noſtro: & vos vendite fratres veſtros, & tradentur nobis. Et ſiluerunt, & non inuenerunt verbum. 9 Et dixi Non bonum verbum, quod vos facitis: non ſic in timore Dei noſtri abibitis ab opprobrio gentium inimicorum noſtrorum. 10 Etiam fratres mei, & noti mei, & ego poſuimus eis argentum & frumentũ: relinquamus, obſecro, exactionem hanc. 11 Reddite, quæſo, eis, ſicut hodie, agros eorum, & vineas eorum, & oliueta eorum, & domos eorum. & de argento, frumentum, & vinum, & oleum promittite eis. 12 Et dixerunt: Reddemus, & ab eis non quæremus: ſic faciemus, ſicut tu dixiſti Et vocaui ſacerdotes, & adiuraui eos facere, ſicut verbum hoc. 13 Et veſtimentum meum excuſſi, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non ſtatuet verbum hoc è domo eius, & è labore eius: & erit ſic excuſſus, & inanis. Et dixit omnis Eccleſia: Amen. Et laudauerunt Dominum. Et fecit populus verbum hoc. 14 A die qua mandauit mihi eſſe in principem eorum in terra Iuda, ab anno vigeſimo, & vſque ad annum trigeſimum & ſecundum Arthaſaſtha annos duodecim ego, & fratres mei extorſionem eorum non comedi, 15 & etiam extorſiones primas quas ante me aggrauauerant ſuper eos, & acceperant ab eis in panibus, & in vino, vltimum argentum didrachma quadraginta. Et excuſſi eorum exercebant poteſtatem ſuper populum. Et ego non feci ſic à facie timoris Dei:

& in

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

16 Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non
emi, & omnes pueri mei congregati ad opus e-
rant.
17 Iudæi quoque & magiſtratus centum quinquagin-
ta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in
circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant.
18 Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus,
arietes ſex electi, exceptis volatilibus, & inter dies
decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam: inſu-
per & annonas ducatus mei non quæſiui: valde enim
attenuatus erat populus.
19 Memento mei Deus meus in bonum ſecundum
omnia, quæ feci populo huic.

### CAP. VI.

1 FActum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat, &
Tobias, & Goſſem Arabs, & cæteri inimici no-
ſtri, quod ædificaſſem ego murum, & non eſſet in
ipſo reſidua interruptio (vſque ad tempus autem
illud valuas non poſueram in portis)
2 Miſerunt Sanaballat, & Goſſem ad me, dicentes:
Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in
Campo Ono. Ipſi autem cogitabant, vt facerent
mihi malum.
3 Miſi ergo ad eos nuncios, dicens: Opus grande ego
facio, & non poſſum deſcendere: ne forte negliga-
tur cum venero, & deſcendero ad vos.
4 Miſerunt autem ad me ſecundum verbum hoc per
quattuor vices: & reſpondi eis iuxta ſermonem
priorem.
5 Et miſit ad me Sanaballat iuxta verbũ prius quinta
vice puerum ſuum, & epiſtolam habebat in manu
ſua ſcriptam hoc modo:
6 IN GENTIBVS auditum eſt, & Goſſem di-
xit, quod tu & Iudæi cogitetis rebellare, & propte-
rea ædifices murum, & leuare te velis ſuper eos re-
gem: propter quam cauſam
7 Et prophetas poſueris, qui prædicent de te in Ieru-
ſalem, dicentes: Rex in Iudæa eſt. Auditurus eſt rex
verba hæc: idcirco nunc veni, vt ineamus conſilium
pariter.
8 Et miſi ad eos, dicens: Non eſt factum ſecundum
verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu
componis hæc.
9 Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod ceſ-
ſarent manus noſtræ ab opere, & quieſceremus. Quã
ob cauſam magis confortaui manus meas:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et etiam in opere muri huius inſtauraui, & agrum
non emimus, & omnes pueri mei congregati erant
ibi ad opus.*
17 *Et Iehudæi, & magiſtratus centum, & quinquagin-
ta viri, & venientes ad nos è gentibus, quæ ſunt in
circuitu noſtro, in menſa mea erant.*
18 *Quod aũt parabatur per ſingulos dies, erat bos vnus,
pecudes ſex electæ, & aues parabãtur mihi, & in dies
tãtũ bibebãt vini, quãtũ ſat ſuffice per decẽ dies in
eo vino ad multiplicandũ: & cũ hoc panẽ ducalem
non quæſiui: quia grauis erat ſeruitus populo huic.*
19 *Memento mei Deus meus in bonum ſecundum om-
nia, quæ feci populo huic.*

### CAP. VI.

1 *ET fuit, cum auditum eſſet ipſi Sanballath, &
Thobijah, & Gheſem Araba, & reſiduo inimico-
rum noſtrorum, quod ædificaſſem murum, & non re-
maneret in eo interruptio, & vſque ad tempus hoc
valuas non ſtatueram in portis.*
2 *Miſit Sanballath, & Gheſem ad me, dicendo: Veni,
& conueniamus pariter in Chephirim in Campo
Ono. Et ipſi cogitabant facere mihi malum.*
3 *Et miſi ad eos nuncios, dicendo: Opus grande facio,
& non poſſum deſcendere: vt quid ceſſabit opus, vt
negligam illud, & deſcendam ad vos.*
4 *Et miſerunt ad me iuxta verbum hoc quatuor vi-
cibus: & reſpondi eis iuxta verbum hoc.*
5 *Et miſit ad me Sanballath iuxta verbum hoc vice
quinta puerum ſuum, & epiſtolam apertam in ma-
nu eius, ſcriptum erat in ea:*
6 *IN GENTIBVS auditum eſt, & Gheſmu di-
cit, quòd tu, & Iehudæi cogitatis rebellare, idcirco tu
ædificas murum, & tu eris eis rex ſecundum verba
hæc.*
7 *Et etiam prophetas ſtatueris ad prædicandum de te,
& de Ieruſalaim, dicendo: Rex in Iehudah eſt. Et
nũc diuulgabitur regi ſecundum verba hæc: & nunc
veni, & conſilium pariter ineamus.*
8 *Et miſi ad eum, dicendo: Non eſt factum ſecundum
verba hæc, quæ tu dicis: ſed de corde tuo fingis
ea.*
9 *Quia omnes hi terrebant nos, dicendo: Debilitabun-
tur manus eorum ab opere, & non fiet. Et nunc con-
forta manum meam.*



## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 & in opere muri hæc non tenui, & agrum non acquiſiui, & omnes congregati ibi ad opus.
17 Et Iudæi centum, & quinquaginta viri, & venientes ad nos ex gentibus, quę in circuitu noſtro, ad menſam
meam. 18 Et erat factum in diem vnum, vitulus vnus, & oues ſex electę, & hircus vnus fiebant
mihi: & inter medium decem dierum, in omnibus vinum multitudine. Et cum his panes extorſionis non quęſi-
ui, quoniam grauis ſeruitus ſuper populum hunc. 19 Memento mei Deus in bonum, om-
nia quęcumque feci populo huic.

### CAP. VI.

ET factum eſt, ſicut auditum fuit ipſi Sanaballat, & Thobia, & Geſam Arabi, & reliquis inimicorum noſtro-
rum, quia ędificaui murum; & non remanſit in eis ſpiratio: vſque ad tempus illud valuas non poſueram in
portis. 2 Et miſit Sanaballat, & Geſam ad me, dicens: Veni, & congregemur in idipſum in pagis in campo
Ono. Et ipſi cogitantes facere mihi malum. 3 Et miſi nuncios ad eos, dicens: Opus magnum ego facio, &
non potero deſcendere, ne forte ceſſet opus. Cum perfecero illud, deſcendam ad vos. 4 Et miſerunt ad me,
ſicut verbum hoc. Et miſi eis ſecundum hęc. 5 Et miſit ad me Sanaballat puerum ſuum, & epiſtolam aper-
tam in manu eius. Et erat ſcriptum in ea: 6 IN GENTIBVS auditum eſt, quia tu, & Iudęi cogitatis
rebellare: propter hoc tu ędificas murum: & tu eris eis in regem: 7 & ad hęc prophetas ſtatuiſti tibi, vt
ſedeas in Hieruſalem in regem ſuper Iuda. Et nunc annunciabuntur regi verba hęc. Et nunc veni, conſultemus
in idipſum. 8 Et miſi ad eum, dicens: Non fuit, ſicut ſermones hi, ſicut tu dicis: quoniam de corde tuo
fingis eos. 9 Quoniam omnes terrent nos, dicentes: Diſſoluentur manus eorum ab opere hoc, &
non fiet. Et nunc confortaui manus meas:



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Et ingreſſus ſum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij 10
Metabeel ſecretò. Qui ait: Tractemus nobiſcum in
domo Dei in medio templi, & claudamus portas
ædis: quia venturi ſunt, vt interficiant te, & nocte
venturi ſunt ad occidendum te.
Et dixi: Num quiſquam ſimilis mei fugit? & quis 11
vt ego ingredietur templum, & viuet? non ingre-
diar.
Et intellexi, quòd Deus non miſiſſet eum, ſed quaſi 12
vaticinans locutus eſſet ad me, & Tobias, & Sana-
ballat conduxiſſent eum.
Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & 13
peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent
mihi.
Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, 14
iuxta opera eorum talia: ſed & Noadiæ prophetæ,
& cæterorum prophetarum, qui terrebant me.
Completus eſt autem murus vigeſimoquinto die 15
menſis Elul, quinquaginta duobus diebus.
Factum eſt ergo cum audiſſent omnes inimici no- 16
ſtri, vt timerent vniuerſæ gentes, quæ erant in cir-
cuitu noſtro, & conciderent intra ſemetipſos, & ſci-
rent quòd à Deo factum eſſet opus hoc.
Sed & in diebus illis multæ optimatum Iudæorum 17
epiſtolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia venie-
bant ad eos.
Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum 18
eius, quia gener erat Sechenıæ filij Area, & Ioha-
nan filius eius acceperat filiam Moſollam filij Ba-
rachiæ:
Sed & laudabant eum coram me, & verba mea 19
nunciabant ei: & Tobias mittebat epiſtolas, vt ter-
reret me.

### CAP. VII.

Poſtquam autem ædificatus eſt murus, & poſui 1
valuas, & recenſui ianitores, & cantores, &
Leuitas:
Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi do- 2
mus de Ieruſalem (ipſe enim quaſi vir verax, & ti-
mens Deum plus cæteris videbatur)
Et dixi eis: Non aperiantur portæ Ieruſalem vſque 3
ad calorem ſolis. Cumque adhuc aſſiſterent, clauſæ
portæ ſunt, & oppilatæ: & poſui cuſtodes de habi-
tatoribus Ieruſalem, ſingulos per vices ſuas, & vnũ-
quenque contra domum ſuam.

Ci-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et ego ingreſſus ſum domũ Semahiah filij Delaiah,*
*filij Mehetabel, & ipſe clauſus. Et ait: Conueniamus ad domum Dei ad medium templi, & claudamus oſtia templi: quia veniunt ad occidendum te, & nocte veniunt ad occidendum te.*
11 *Et dixi: Num quiſquam ſimilis mihi fugiet? & quis vt ego qui ingrediatur templum, & viuat? non ingrediar.*
12 *Et cognoui, & ecce non Deus miſit illum, ſed prophetiam locutus eſt ad me, & Thobijah, & Sanballath conduxit eum mercede.*
13 *Quia mercede conductus erat, vt timerem, & facerem ſic, & peccarem, & eſſet mihi ad nomen malum, vt probris aſficerent me.*
14 *Memẽto Deus meus Thobijah, & Samballath ſecundum opera eius iſta: & etiam Nohadiah propheta, & reſidui prophetarum, qui terrebant me.*
15 *Et perfectus eſt murus vigeſima, & quinta Elul, quinquaginta, & duobus diebus.*
16 *Et fuit, cum audiſſent omnes inimici noſtri, timuerunt omnes gentes, quæ erant in circuitu noſtro, & conciderunt valdè in oculis ſuis, & cognouerunt, quòd à Deo noſtro factum eſt opus hoc.*
17 *Etiam in diebus illis multiplicabant optimates Iehudah epiſtolas ſuas eũtes ad Thobijah, & quæ erãt ipſi Thobijah veniebant ad eos.*
18 *Multi enim in Iehudah habebant iuramentum eius, quia gener erat Sechaniah filij Arach, & Iehanan filius eius acceperat filiam Meſullam filij Berechiah:*
19 *Etiam bonitates eius dicebant coram me & verba mea referebant ei: epiſtolas miſit Thobijah ad terrendum me.*

### CAP. VII.

1 *Et fuit, cum ædificatus eſſet murus, & ſtatuiſſem valuas, & conſtituti eſſent ianitores, & cantores, & Leuitæ:*
2 *Præcepi Chanani fratri meo, & Chananiah principi palatij in Ieruſalaim, quia ipſe erat vir verax, & timens Deum præ multis.*
3 *Et dixi ad eos: Non aperiantur portæ Ieruſalaim vſque ad calorem ſolis. Et adhuc ipſis ſtãtibus claudent valuas, & contignabunt: & ſtatui cuſtodes habitatores Ieruſalaim, vnumquemque in cuſtodia ſua, & vnumquemque contra domum ſuam.*

Ci-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 & ego ingreſſus ſum in domum Semei filij Dalata filij Metabeel: & ipſe clauſus, & dixit: Congregemur in
domum Dei in medio eius & claudamus ianuas eius: quoniam veniunt nocte ad occidendum te. 11 Et di-
xi: Quis eſt vir, qui ingredietur in domum, & viuet? 12 Et cognoui, & ecce Deus non miſerat eum: quo-
niam propheta, ſermo contra me. Et Tobias, & Sanaballat 13 mercede conduxerunt aduerſus me turbam,
vt timeam, & faciam ſic, & peccem, & ſiam eis in nomen malum, vt exprobrarent mihi. 14 Memento Deus
Tobiæ, & Sanaballat, ſicut facta eius hæc. & Noadia prophetæ, & reliquis prophetarum, qui erant terrentes me.
15 Et perfectus eſt murus quinta & vigeſima Elul menſis in quinquaginta & duobus diebus. 16 Et factum
eſt, quando audierunt omnes inimici noſtri; & timuerunt omnes gentes, quæ in circuitu noſtro: & incidit timor
valde in oculis eorum: & cognouerunt, quia à Deo noſtro factum eſt, vt perficeretur opus hoc. 17 Et in
diebus illis à multis optimatibus Iuda epiſtolæ ibant ad Tobiam, & Tobiæ veniebant ad eos: 18 quoniam
multi in Iuda iuramento coniuncti erant ei; quoniam gener erat Sechenıæ filij Herae: & Ionan filius eius acce-
perat filiam Meſulam filij Barachiæ in vxorem: 19 & ſermones eius erant dicentes ad me, & verba mea
erant afferentes ei. Et epiſtolas miſit Tobias ad terrendum me.

### CAP. VII.

Et factum eſt quando ædificatus eſt murus; & ſtatui valuas; & recenſiti ſunt ianitores, & cantores, & Leuitæ.
2 Et mandaui Anania fratri meo & Anania principi Bira in Hieruſalem; quoniam ipſe tanquam vir verax,
& timens Deum præ multis. 3 Et dixi eis: Non aperientur portæ Hieruſalem vſque ad ſimul cum Sole:
adhuc ipſis vigilantibus claudantur valuæ, & opilentur: & ſtatue cuſtodes ex habitantibus in Hieruſalem: vir in
cuſtodia ſua, & vir e regione domus ſuæ.

Et ci-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

4 Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.
5 Deus autem dedit in corde meo, & congregaui optimates, & magiſtratus, & vulgus, vt recenſerem eos: & inueni librum cenſus eorum, qui aſcenderant primum, & inuentum eſt ſcriptum in eo.
* 1.Eſdr. 2.
6 * Iſti filij prouinciæ, qui aſcenderunt de captiuitate migrantium, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis, & reuerſi ſunt in Ieruſalem, & in Iudæam, vniſquiſque in ciuitatem ſuam.
7 Qui venerunt cum Zorobabel, Ioſue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belſam, Meſpharath, Begai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Iſrael:
8 Filij Pharos, duo millia centum ſeptuaginta duo:
9 Filij Saphatia, trecenti ſeptuaginta duo:
10 Filij Area ſexcenti quinquaginta duo:
11 Filij Phahathmoab filiorum Ioſue & Ioab, duo millia octingenti decem & octo:
12 Filij Ælam, mille ducenti quinquagintaquattuor:
13 Filij Zethua, octingenti quadragintaquinque:
14 Filij Zachai, ſeptingenti ſexaginta:
15 Filij Bannui, ſexcenti quadragintaocto:
16 Filij Bebai, ſexcenti vigintiocto:
17 Filij Azgad, duo millia trecenti vigintiduo:
18 Filij Adonicam, ſexcenti ſexagintaſeptem:
19 Filij Beguai, duo millia ſexagintaſeptem:
20 Filij Adin, ſexcenti quinquagintaquinque:
21 Filij Ater, filij Hezeciæ, nonagintaocto:
22 Filij Haſem, trecenti vigintiocto:
23 Filij Beſai, trecenti vigintiquattuor:
24 Filij Hareph, centum duodecim:
25 Filij Gabaon, nonagintaquinque:
26 Filij Bethlehem, & Netupha, centum octogintaocto.
27 Viri Anathoth, centum vigintiocto.
28 Viri Bethazmoth, quadragintaduo.
29 Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, ſeptingenti quadragintatres.
30 Viri Rama & Geba, ſexcenti vigintiunus.
31 Viri Machmas, centum vigintiduo.
32 Viri Bethel & Hai, centum vigintitres.
33 Viri Nebo alterius, quinquagintaduo.
34 Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquattuor.
35 Filij Harem, trecenti viginti.
36 Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque.
Filij

## Transl. ex Heb Sanct. Pagn.

4 *Ciuitas autem erat lata locis, & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificata.*
5 *Et poſuit Deus in corde meo, & congregaui optimates, & magiſtratus, vt recenſerentur ſecundum ſuas generationes: & inueni librum genealogiæ eorum qui aſcenderunt primum, & inueni ſcriptum in eo.*
6 *Iſti filij prouinciæ, qui aſcenderunt de captiuitate tranſmigrationis, quam tranſmigrare fecit Nebuchadneſar rex Babel, & reuerſi ſunt in Ieruſalaim, & in Iehudah vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.*
7 *Qui venerunt cum Zerubabel, Ieſuah, Nechemiah, Hazariah, Rahamiah, Nachamani, Mordochai, Bilſan Miſpereth Biguai, Nechum, Bahenah, numerus virorum populi Iſrael.*
8 *Filij Parhos, duo millia cētū, & ſeptuaginta, & duo.*
9 *Filij Sephatiah, trecenti ſeptuaginta, & duo.*
10 *Filij Arach, ſexcenti quinquaginta, & duo.*
11 *Filij Pachathmoab de filijs Ieſuah, & Ioab duo millia, & octingenti octo, & decem.*
12 *Filij Helā, mille ducenti quinquaginta, & quatuor.*
13 *Filij Zattu, octingenti quadraginta & quinque.*
14 *Filij Zecchai, ſeptingenti, & ſexaginta.*
15 *Filij Binnui, ſexcenti quadraginta, & octo.*
16 *Filij Bebai, ſexcenti viginti, & octo.*
17 *Filij Hazgad, duo millia ſexcenti, viginti, & duo.*
18 *Filij Adonicam, ſexcenti ſexaginta, & ſeptem.*
19 *Filij Biguai, duo millia ſexaginta, & ſeptem.*
20 *Filij Adin, ſexcenti quinquaginta, & quinque.*
21 *Filij Ather de Chizchiiah, nongenti, & octo.*
22 *Filij Chaſum, trecenti viginti, & octo.*
23 *Filij Beſai trecenti viginti, & quatuor.*
24 *Filij Chariph, centum duodecim.*
25 *Filij Ghibhon nonaginta, & quinque.*
26 *Viri Bethlechem, & Nethophah, centum octoginta, & octo.*
27 *Viri Hanathoth, centum viginti, & octo.*
28 *Viri Bethhazmaueth, quadraginta, & duo.*
29 *Viri Chiriathiiharim Chephirah, & Beroth ſeptingenti quadraginta, & tres.*
30 *Viri Ramah, & Nabah, ſexcenti viginti, & vnus.*
31 *Viri Michmas, centum viginti, & duo.*
32 *Viri Bethel, & Hai, centum viginti, & tres.*
33 *Viri Nebo alterius, quinquaginta, & duo.*
34 *Filij Helam alterius, mille ducenti quinquaginta, & quatuor.*
35 *Filij Harem, trecenti, & viginti.*
36 *Filij Ierecho, trecenti quadraginta, & quinque.*
*Filij*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et ciuitas lata, & magna & populus paucus in ea: & non erant domus ædificatæ. 5 Et dedi cor meum, & congregaui optimates, & principes & populum ad conuentus. Et inueni librum conuentus, qui aſcenderant in primis. Et inueni ſcriptum in eo. 6 Et hi filij prouinciæ, qui aſcenderunt de captiuitate tranſmigrationis, quam tranſmigrauit Nabuchodonoſor rex Babylonis: & reuertit in Hieruſalem, & in Iuda, vir in ciuitatem ſuam 7 cum Zorobabel, & Ieſu, & Neemia, Azaria, & Reelma Naemani, Mardochæus, Balſan, Maſpharat, Eſdra, Boguia, Inaum Baana, Maſphar, viri populi Iſrael. 8 Filij Phoros, duo millia centum ſeptuaginta duo: 9 Filij Saphatia, trecenti ſeptuaginta duo: 10 Filij Era, ſexcenti quinquaginta duo: 11 Filij Phaathmoab de filijs Ieſu, & Ioab duo millia ſexcenti decem octo: 12 Filij Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor: 13 Filij Zathina, octingenti quadraginta quinque: 14 Filij Zacchu, ſeptingenti ſexaginta: 15 Filij Banui, ſexcenti quadraginta octo: 16 Filij Bebi ſexcenti viginti octo: 17 Filij Aſgad, duo millia trecenti viginti duo: 18 Filij Adonicam, ſexcenti ſexaginta ſeptem: 19 Filij Bagoi, duo millia ſexaginta ſeptem: 20 Filij Edin, ſexcenti quinquaginta quinque: 21 Filij Ater Ezeciæ, nonaginta octo: 22 Filij Eſam, trecenti viginti octo: 23 Filij Beſei, trecenti viginti quatuor: 24 Filij Ariph, centum duodecim: Filij Aſen, ducenti viginti tres: 25 Filij Gabaon, nonaginta quinque: 26 Filij Bethelem, centum viginti tres: Filij Atophâ, quinquaginta ſex: 27 Filij Anathoth, centum viginti octo: 28 Viri Bethſamoth, quadraginta duo: 29 Viri Cariathiarim, Caphirâ, & Beroth, ſeptingenti quadraginta tres. 30 Viri Aramâ, & Gabaa, ſexcenti viginti: 31 Viri Machemias, centum viginti duo: 32 Viri Bæthel, & Ai, centum viginti tres: 33 Viri Nabia, centum quinquaginta duo: 34 Viri Elamaar, mille ducēti quinquaginta duo: 35 Filij Erā, trecenti viginti: 36 Filij Hiericho trecēti quadraginta quinque:

Filij

## Tranſl. ex Septuag.

32 Tranſeant omnes oues tuæ hodie, & ſepara inde omnem ouem fuſcam in agnis; & omne ſubalbum & ſparſum in capris: erit mihi merces:

33 Et exaudiet me iuſtitia mea in die craſtina: quia eſt merces mea in conſpectu tuo. Omne, quodcumque non fuerit ſparſum, & ſubalbum in capris, & fuſcum in agnis; furto ablatum erit apud me.

34 Dixit autem ei Laban: Sit iuxta verbum tuum.

35 Et ſeparauit in die illa hircos ſparſos, & ſubalbos, & omnes capras ſparſas, & ſubalbas, & omne quod erat fuſcum in agnis, & omne quod erat album in eis: & dedit per manum filiorum ſuorum:

36 Et fecit diſtare viam trium dierum & inter eos, & inter Iacob. Iacob autem paſcebat oues Laban reliquas.

37 Sumpſit autem ſibi Iacob virgam ſtyracinam viridem, & nucinam, & platani: & decorticauit eas, decorticationes albas: Et diſtrahens viride apparebat in virgis album, quod decorticauerat varium.

38 Et appoſuit virgas, quas decorticauerat in alueis canalium aquæ, vt cum veniſſent oues bibere, in conſpectu virgarum venientibus ipſis ad bibendum, conciperent oues in virgas.

39 Et concipiebant oues in virgas, & pariebant oues ſubalbas, & varias, & cinericias ſparſas.

49 Agnos autem ſegregauit Iacob: & ſtatuit coram ouibus arietem ſubalbum, & omne variũ in agnis: & ſeparauit ſibi greges per ſeipſum: & non miſcuit eos ad oues Laban.

41 Factum eſt autem, in tempore, quo concipiebant oues in vtero accipientes, poſuit Iacob virgas coram ouibus in canalibus, vt ipſæ conciperent ſecundum virgas.

42 Cum vero peperiſſent oues, non ponebat. Facta ſunt autem non ſignata ipſius Laban, ſignata autem ipſius Iacob.

43 Et ditatus eſt hõ valde valde: & facta ſunt ei pecora multa, & boues, & pueri, & ancillæ, & cameli, & aſini.

### C A P. XXXI.

1 Audiuit autem Iacob verba filiorum Laban dicentium: tulit Iacob omnia, quæ patris noſtri, & ex iis, quæ patris noſtri, fecit omnem gloriam hanc.

2 Et vidit Iacob faciem Laban: & ecce non erat ad eum, ſicut heſterna, & nudius tertiana die.

3 Dixit autem Dominus ad Iacob: Reuertere in terram patris tui, & ad generationem tuam: & ero tecum.

4 Mittens autem Iacob vocauit Liam, & Rachel in agrum, vbi erant greges:

5 Et dixit eis: Video ego faciem patris veſtri: quia non eſt erga me, ſicut heri, & nudiuſtertius: Deus autem patris mei fuit mecum.

6 Et ipſæ autem noſtis, quia in omni fortitudine mea ſeruiui patri veſtro:

7 Pater autem veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem agnorum: & non dedit ei Deus malefacere mihi.

8 Si ita diceret, varia erunt merces tua; & parient omnes oues varia: ſin autem diceret, alba erunt merces tua; & parient omnes oues alba.

Et ab-

## Chal. Paraph. Tranſl.

32 *Tranſibo per vniuerſas oues tuas hodie auſer inde omnem agnum varium & ſparſo vellere, & omnem agnum nigrum in agnis, & ſparſum & maculoſum in capris: & hoc erit merces mea.*

33 *Et teſtificabitur mihi iuſtitia mea in die craſtino, qũ veneris ſuper mercedem meam; quæ erit coram te. omne quod nõ fuerit maculoſum & reſperſum in capris & nigrum in agnis furto ſublatum eſt apud me.*

34 *Et dixit Laban: Vtinam eſſet ſicut verbum tuum.*

35 *Et ſeparauit in die illa omnes hircos varios pedibus & reſperſos vellere, & omnes capras maculoſas & reſperſas, omne in quo erat macula alba, & omne quod erat nigrum in agnis, & tradidit in manus filiorum ſuorum.*

36 *Et poſuit ſpacium trium dierum inter ſe & inter Iacob. Iacob autem paſcebat oues Laban quæ remanſerant.*

37 *Et tulit ſibi Iacob virgas populeas, & ex amygdalo & ex platano: & decorticauit in eis decorticationem: & vbi detracta ſunt cortices, apparuit album, quod erat in virgis.*

38 *Et defixit virgas quas decorticauerat in canalibus in loco adaquationis aquarum, quò veniebant oues ad bibendum, vt contra oues eſſent virgæ, & calefierent cum venirent ad bibendum.*

39 *Calefaciebantque oues ante virgas, & pariebant oues varia maculoſa atque reſperſa.*

40 *Agnos autem ſeparauit Iacob, & poſuit ante oues omne quod erat maculoſum, & omne quod erat nigrum in ouibus Laban. Et poſuit ſibi greges ſeorſum; & non miſcuit eos cum ouibus Laban.*

41 *Et factum eſt in omni tempore, quo calefiebant oues temperanea, ponebat Iacob virgas in conſpectu ouium in canalibus, vt calefierent ante virgas.*

42 *Et quando oues erant ſerotinæ, non ponebat. Erantque ſerotina Laban, & temperanea Iacob.*

43 *Et creuit vir valdè nimis: & habuit oues multas, & ſeruos, & ancillas, & camelos, & aſinos.*

### C A P. XXXI.

1 *Et audiuit verba filiorum Laban, qui dicebant: Tulit Iacob vniuerſa quæ erant patris noſtri: & de his quæ erant patris noſtri, acquiſiuit omnem ſubſtantiam iſtam.*

2 *Et vidit Iacob aſpectum vultus Laban: & ecce non erat cum eo ſicut heri & nudiuſtertius.*

3 *Et dixit Deus ad Iacob: Reuertere in terram patrum tuorum & natiuitatis tuæ: & erit verbum meum in adiutorium tuum.*

4 *Et miſit Iacob, & vocauit Rachel & Liam in agrum vbi erant oues ſuæ.*

5 *Et dixit eis: Video ego aſpectum vultus patris veſtri quòd non eſt mecum ſicut heri & nudiuſtertius: & verbum Dei patris mei fuit in adiutorium meum.*

6 *Et vos ſcitis quòd omni virtute mea ſeruiui patri veſtro.*

7 *Pater autem veſter mentitus eſt mihi; & mutauit mercedem meam decem vicibus: & non dimiſit eum Deus vt noceret mihi.*

8 *Si ſic dicebat: Varia erunt pro mercede tua; pariebant omnes oues varia. Et ſi ſic dicebat: Maculoſa erunt pro mercede tua, pariebant omnes oues maculoſa.*

*Et ſe-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

57 Filij Lod Hadid & Ono ſeptingenti vigintiunus.
58 Filij Senaa,tria millia nongenti triginta.
59 Sacerdotes: Filij Idaia in domo Ioſue,nongenti ſeptuagintatres.
40 Filij Emmer,mille quinquagintaduo.
41 Filij Phashur,mille ducenti quadragintaſeptem.
42 Filij Arem,mille decem & ſeptem.
43 Leuitæ: Filij Ioſue & Cedmihel filiorum
44 Oduiæ,ſeptuagintaquattuor.
45 Cantores: Filij Aſaph,centum quadragintaocto.
46 Ianitores: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: centum trigintaocto.
47 Nathinæi: filij Soha,filij Haſupha,filij Tebbaoth,
48 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon, filij Lebana, filij Hagaba,filij Selmai,
49 Filij Hanan,filij Geddel filij Gaher,
50 Filij Raaia,filij Raſin,filij Necoda,
51 Filij Gezem,filij Azæ,filij Phaſea,
52 Filij Beſai,filij Munim,filij Nephuſſim,
53 Filij Bacbuc,filij Hacupha,filij Harhur,
54 Filij Beſloth,filij Mahida,filij Harſa,
55 Filij Bercos,filij Siſara,filij Thema,
56 Filij Naſia,filij Hatipha.
57 Filij ſeruorum Salomonis, filij Sothai, filij Sophereth,filij Pharida,
58 Filij Iahala filij Darcon,filij Ieddel,
59 Filij Saphatia filij Hatil, filij Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim,filio Amon.
60 Omnes Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis, trecenti nonagintaduo.
61 Hi ſunt autem, qui aſcẽderunt de Thelmela,Thelharſa,Cherub,Addon,& Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum, vtrum ex Iſrael eſſent.
62 Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, ſexcenti quadragintaduo.
63 Et de Sacerdotibus,filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem: & vocatus eſt nomine eorum.
64 Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu,& non inuenerunt: & eiecti ſunt de ſacerdotio.
65 Dixitque Atherſatha eis vt non manducarent de Sanctis ſanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus.
66 Omnis multitudo quaſi vir vnus quadragintaduo millia trecenti ſexaginta,

Abſque

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

57 *Filij Ledeharid,& Ono ſeptingenti,& vigintiunus.*
58 *Filij Senaah,tria millia nongenti,& triginta.*
59 *Sacerdotes filij Iedahiah de domo Ieſuah, nongenti ſeptuaginta,& tres.*
40 *Filij Immer,mille quinquaginta,& duo.*
41 *Filij Paſchur,mille ducenti quadraginta,& ſeptem.*
42 *Filij Harim,mille ſeptem,& decem.*
43 *Leuitæ: Filij Ieſuah de Chadmiel*
44 *De filijs Lehoduah ſeptuaginta,& quattuor.*
45 *Cantores: Filij Aſaph,centum quadraginta,& octo.*
46 *Ianitores: filij Sallum,filij Ather, filij Talmon, filij Hackub,filij Chathitha,filij Sobai,centum triginta,& octo.*
47 *Nathinim: filij Sicha,filij Chaſupha,filij Thabaoth,*
48 *Filij Cheros,filij Siha,filij Padon,filij Lebanah, filij Chaghaba,filij Salmai.*
49 *Filij Chanan,filij Ghiddel,filij Ghachar.*
50 *Filij Reaiah,filij Reſin,filij Necudah.*
51 *Filij Ghazam,filij Huzza,filij Paſeach.*
52 *Filij Beſai,filij Mehunim,filij Nephuſſim.*
53 *Filij Bacbuc,filij Chacupha,filij Charchur.*
54 *Filij Baslith,filij Mechida,filij Gharſa,*
55 *Filij Barcos,filij Siſra,filij Tamach.*
56 *Filij Neſiach,filij Cathipha.*
57 *Filij ſeruorum Selomoh, filij Sethai, filij Sophereth, filij Peridah.*
58 *Filij Iahala,filij Darcon,filij Ghiddel.*
59 *Filij Sephathiah,filij Chathil,filij Pochereth de Haſebaim,filij Amon.*
60 *Omnes Nethinim,& filij ſeruorum Selomoh, trecenti nonaginta,& duo.*
61 *Et iſti qui aſcenderunt de Telmelach, Telcharſa, Cherub,Addon,& Immer:& non potuerunt indicare domum patrum ſuorum,& ſemen ſuum,an ex Iſrael eſſent.*
62 *Filij Delaiah, filij Thobijah filij Necheda, ſexcenti quadraginta,& duo.*
63 *Et de ſacerdotibus, filij Chobaiah, filij Hacos, filij Barzillai,qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhaditis vxorem,& vocatus eſt nomine earum.*
64 *Iſti quæſierunt ſcripturam ſuam qua ſeries generationis eorum recenſeretur,& non eſt inuenta,& elongati ſunt à ſacerdotio.*
65 *Et dixit Tirſatha eis, vt non manducarent de Sanctitate ſanctitatum,donec ſtaret ſacerdos in Vrim,& Tummim.*
66 *Omnis congregatio tamquam vnus quater decem millia trecenti,& ſexaginta.*

*Præ-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

57 Filij Lodadid,& Onò,& ſeptingenti viginti vnus: 58 Filij Sanana tria millia nongenti triginta. 59 Sacerdotes filij Iodae in domo Ieſu,nongenti ſeptuaginta tres: 40 Filij Emmer, mille quinquaginta duo: 41 Filij Phaſeur,mille ducenti quadraginta ſeptem: 42 Filij Eram,mille decem ſeptem. 43 Leuitæ filij Ieſu,ipſius Cadmiel de filijs 44 Vduia,ſeptuaginta quattuor. 45 Cantores filij Aſaph centum quadraginta octo. 46 Ianitores filij Salum,filij Aſer,filij Telmon,filij Acub,filij Atità,filij Sabi,centum triginta octo. 47 Nathinim,filij Seà,filij Aſphà,filij Tabaoth, 48 filij Ciras,filij Aſiia,filij Phadon,filij Labanà,filij Agabà, filij Selemei, 49 filij Anan,filij Gadel,filij Gaar, 50 filij Raaia,filij Raſſon,filij Necodà, 51 filij Gezam, filij Ozi,filij Pheſe, 52 filij Beſi,filij Meinon,filij Nephotaſi. 53 filij Bacbuc,filij Achiphà,filij Arur, 54 Filij Baſaloth,filij Mida,filij Adaſan, 55 filij Barcue,filij Saſarath,filij Thema, 56 filij Niſia,filij Aſephà, 57 filij ſeruorum Salomon,filij Sutei,filij Sapharat,filij Pheridà, 58 filij Ielel,filij Dorcon,filij Gadael, 59 filij Saphatia,filij Ettel,filij Phacarath,filij Sabaim,filij Emim, 60 omnes Nathinim,& filij ſeruorum Salomon,trecenti nonaginta duo. 61 Et hi aſcenderunt e Thelmeleth,Thelareſà,Charub,Erom,Iemer,& non potuerunt annunciare domos patriarum ſuarum,& ſemen ſuum,ſi de Iſrael ſunt: 62 filij Dalaia,filij Tobia,filij Necodà,ſexcenti quadraginta duo. 63 Et de ſacerdotibus,filij Ebia,filij Acos,filij Berzelli,quoniam acceperunt de filiabus Berzelli Galaaditæ vxores,& vocati ſunt in nomine earum.
64 Hi quæſierunt ſcripturam ſuam conuentus: & non eſt inuenta: & abdicati ſunt à ſacerdotio.
65 Et dixit Atherſathà, vt non comedant de Sancto ſanctorum; quoadusque ſurgat ſacerdos illuminatus. 66 Et fuit omnis Eccleſia quaſi quadraginta duo millia trecenti ſexaginta,

abſque

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

67 Abſque ſeruis & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, & inter eos cantores & cantatrices, ducenti quadragintaquinque.
68 Equi eorum, ſeptingenti trigintaſex: muli eorum, ducenti quadragintaquinque:
69 Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque: aſini, ſex millia ſeptingenti viginti.

*Hucuſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit, exin Nehemiæ hiſtoria texitur.*

70 Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Atherſatha dedit in theſaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas ſacerdotales quingentas triginta.
71 Et de principibus familiarum dederunt in theſaurũ operis auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia ducentas.
72 Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia, & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem.
73 Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Iſrael in ciuitatibus ſuis.

### CAP. VIII.

1 ET venerat menſis ſeptimus: filij autem Iſrael erant in ciuitatibus ſuis. Congregatuſque eſt omnis populus quaſi vir vnus ad plateam, quæ eſt ante portam aquarum: & dixerunt Eſdræ ſcribæ, vt afferret Librũ legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli.
2 Attulit ergo Eſdras ſacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi.
3 Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portã aquarum, de mane vſque ad mediam diem, in conſpectu virorum & mulierum, & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum.
4 Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: & ſteterunt iuxta eũ Mathathias, & Semeia, & Ania, & Vria, & Helcia, & Maaſia, ad dexteram eius: & ad ſiniſtram, Phadaia, & Meſchia, & Haſum, & Haſbadana, Zacharia, & Moſollam.
5 Et aperuit Eſdras Librum coram omni populo: ſuper vniuerſum quippe populum eminebat: & cum aperuiſſet eum, ſtetit omnis populus.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

67 *Præter ſeruos eorum, & ancillas: iſti erant ſeptem millia trecenti triginta & ſeptem, & inter eos cantores, & cantatrices ducenti quadraginta quinque.*
68 *Equi eorum ſeptingenti triginta, & ſex: muli eorum ducenti quadragintaquinque.*
69 *Cameli quadringenti triginta, & quinque: aſini ſex millia ſeptingenti, & viginti.*
70 *Et aliqui è principibus dederunt in opus Tirſatha dedit in theſaurum drachmas mille, crateras quinquaginta, tunicas ſacerdotum triginta, & quingentas.*
71 *Et de principibus familiarum dederunt in theſaurum operis auri drachmas bis decem millia, & argenti minas duo millia, & ducentas.*
72 *Et quod dederunt reſiduum populi auri drachmas bis decem millia, & argenti minas duo millia, & tunicas ſacerdotum ſexaginta, & ſeptem.*
73 *Habitauerunt autem ſacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & de populo, & Nethinim, & omnis Iſrael in vrbibus ſuis, & contigit menſis ſeptimus, & filij Iſrael erant in ciuitatibus ſuis.*

### CAP. VIII.

1 *ET congregati ſunt omnis populus tamquam vir vnus ad plateam quæ eſt ante portam aquarum & dixerunt Hezra ſcribæ, vt afferret Librum legis Moſeh, quam præcepit Dominus Iſraeli.*
2 *Et attulit Hezra ſacerdos legem coram multitudine à viro vſque ad mulierem, & omnem intelligentem, vt audiret die prima menſis ſeptimi.*
3 *Et legit in eo ante plateam quæ erat ante portam aquarum, à luce vſque ad dimidium diem coram viris, & mulieribus, & intelligentibus, & aures omnis populi erant ad librum legis.*
4 *Et ſtetit Hezra ſcriba ſuper ſuggeſtum ligneum quod fecerunt propter verbum, & ſtetit iuxta eum Matthithiah, & Semah, & Hanaiah, & Vrijah, & Chilchijah, & Mahaſeiah, ad dexteram eius: à ſiniſtra vero eius Pedaiah, Miſael, & Malchijah, & Chaſum, & Chasbadanah, Zechariah, & Meſullam.*
5 *Et aperuit Hezra librum in oculis omnis populi, quia ſupra omnem populum erat: & cum aperuiſſet ſtetit omnis populus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

67 abſque ſeruis eorum, & ancillis eorum. Hi ſeptem millia trecenti triginta ſeptem. Et cantores, & cantatrices, ducenti quadraginta, quinque. 68 Aſini, duo millia ſeptingenti. * 70 Et de parte principum patriarum dederunt ad opus Neemiæ in theſaurum aureos mille, phialas quinquaginta, & Chothonoch ſacerdotum triginta. 71 Et de principibus patriarum dederunt in theſauros operis, auri numiſmatis viginti millia, & argenti minas bis mille quadringentas. 72 Et dederunt reliqui de populo auri viginti millia, & argenti minas bis mille ducentas, & Chothonoth ſacerdotum, ſexaginta ſeptem. 73 Et ſederunt ſacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & qui de populo, & Nathinim, & omnis Iſrael in ciuitatibus ſuis.

* Reliqua quæ debe- bant reſpō- dere no- ſtræ vulga- tæ deſunt in hoc trā- ſlat.

### CAP. VIII.

ET aduenit menſis ſeptimus, & filij Iſrael in ciuitatibus ſuis. Et congregati ſunt omnis populus tamquam vir vnus in plateam, quæ ante portam aquæ. Et dixerunt Eſdræ ſcribæ, vt afferret Librum legis Moyſi, quam mandauit Dominus Iſrael. 2 Et attulit Eſdras ſacerdos legem coram Eccleſia à viro vſque ad mulierem, & omnis intelligens, ad audiendum in die vna menſis ſeptimi. 3 Et legit in eo ab hora illuminationis Solis vſque ad dimidium diei, coram viris, & mulieribus: & ipſi intelligentes: & aures omnis populi ad librum legis. 4 Et ſtetit Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum: & ſteterunt iuxta eum Matthathias, & Samaias, & Ananias, & Vrias, & Chelcia, & Maaſia à dextris eius, & à ſiniſtris Phadaias, & Miſael, & Melchias, & Aſom, & Aſabadma, & Zacharias, & Meſellam. 5 Et aperuit Eſdras librum in conſpectu omnis populi: quoniam ipſe erat ſupra populum. Et factum eſt, quando aperuit illum; ſtetit omnis populus.

Et he-

## Vulgata Editio.

6 Et benedixit Eſdras Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus: Amen, Amen: eleuans manus ſuas: & incuruati ſunt, & adorauerunt Deum proni in terram.

7 Porro Ioſue, & Bani, & Serebia, Iamin Accub, Septhai, Odia, Maaſia, Celita, Azarias, Iozabed, Hanan, Phalaia, Leuitæ, ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autẽ ſtabat in gradu ſuo.

8 Et legerunt in Libro legis Dei diſtinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cum legeretur.

9 Dixit autem Nehemias (ipſe eſt Atherſatha) & Eſdras ſacerdos & ſcriba, & Leuitæ interpretantes vniuerſo populo: Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.

10 Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non præparauerunt ſibi: quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari: gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.

11 Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies ſanctus eſt, & nolite dolere.

12 Abijt itaque omnis populus vt comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

13 Et in die ſecundo congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Eſdram ſcribam, vt interpretaretur eis verba Legis.

14 Et inuenerunt ſcriptum in Lege præcepiſſe Dominum in manu Moyſi vt habitent filij Iſrael in tabernaculis, in die ſolemni, menſe ſeptimo:

15 Et vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuerſis vrbibus ſuis, & in Ieruſalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.

16 Et egreſſus eſt populus, & attulerunt. Feceruntque ſibi tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.

17 Fecit ergo vniuerſa eccleſia eorum, qui redierant de captiuitate, tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: non enim fecerant à diebus Ioſue filij Nun taliter filij Iſrael vſque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.

Le-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*6 Et benedixit Hezra Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus: Amen, Amen: cum exaltatione manuum ſuarum: & incuruati ſunt, & adorauerunt Dominum proni in terra.*

*7 Et Ieſuah, & Bani, & Serebiah, Iamin, Haccub, Sabbethai, Hodaiah, Mahaſeiah, Chelitha, Hazariah, Iozabad, Chanan, Pelaiah, & Leuitæ intelligere faciebant populum legem, populus autem erat in loco ſuo.*

*8 Et legerunt in libro, in lege Dei expoſiti, & poſitus eſt intellectus, & intellexerunt ſcripturam.*

*9 Et dixit Nechemiah (ipſe eſt Tirſata,) & Hezra ſacerdos ſcriba & Leuitæ intelligere faciebat populum omni populo: Dies ſanctus eſt Domino Deo noſtro, ne lugeatis, & ne fleatis: flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.*

*10 Et dixit eis: Ite comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes ei qui non parauit ſibi, quia ſanctus dies Domino noſtro, & ne contriſtemini, quia gaudium Domini eſt fortitudo veſtra.*

*11 Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo, dicendo: Tacete, quia dies ſanctus eſt, & ne doleatis.*

*12 Et abierunt omnis populus ad comedendum, & bibendum, & ad mittendum partes, & ad faciendum lætitiam magnam, quia intellexerunt ſecundum verba quæ notificauerat eis.*

*13 Et in die ſecunda congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi ſacerdotes, & Leuitæ ad Hezra ſcribam, & ad intelligendum verba legis.*

*14 Et inuenerunt ſcriptum in lege, quam præcepit Dominus per manum Moſeh, vt habitarent filij Iſrael in tabernaculis, in ſolemnitate, in menſe ſeptimo.*

*15 Et audire facerent, & tranſire facerent vocem per vniuerſas vrbes ſuas, & per Ieruſalaim, dicendo: Egredimini in montem & afferte frondes oliuæ, & frondes arboris pinus, & frondes myrti, & frondes palmarũ & frondes ligni denſi, vt faciatis tabernacula ſicut ſcriptum eſt.*

*16 Et egreſſi ſunt populus, & attulerunt: feceruntque ſibi tabernacula vnuſquiſque in tecto ſuo, et in atrijs ſuis, & in atrijs domus Dei, et in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.*

*17 Et fecerunt omnis cœtus, qui redierunt de captiuitate tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: quia non fecerunt à diebus Iehoſuah filij Nun, ſic filij Iſrael vſque ad diem illum, & fuit lætitia magna valde.*

*Le-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et benedixit Eſdras Dominum Deum magnum. Et reſpondit omnis populus & dixerunt: Amen, eleuantes ma-
nus ſuas. Et inclinarunt, & adorauerunt Dominum in faciem ſuper terram. 7 Et Ieſu, & Banaias, & Saradias
erant inſtruentes populum in lege. Et populus in ſtatione ſua. 8 Et legerunt in libro legis Dei: & docuit Eſ-
dras, & diſtinxit in ſcientia Domini, & intellexit populus in lectione. 9 Et dixit Neemias, & Eſdras ſacerdos, &
ſcriba, & Leuitæ, & qui inſtruebant populum: & dixerunt omni populo: Dies ſancta eſt Domino Deo noſtro: ne
lugeatis, neque ploretis: quoniam plorabat omnis populus, vt audiuerunt verba legis. 10 Et dixit eis: Ite, co-
medite pinguedine, & bibite dulcedines, & mittite partes non habentibus: quia ſancta eſt dies Domino noſtro: &
ne concidatis: quoniam eſt Dominus fortitudo noſtra. 11 Et Leuitæ ſilere faciebant omnem populum, dicen-
tes: Silete, quoniam dies ſancta: & ne concidatis. 12 Et abijt omnis populus comedere, & bibere, & mittere
partes, & facere lætitiam magnam; quoniam intellexerant in verbis, quæ notificauerat eis. 13 Et in die ſecun-
da congregati ſunt principes patriarum cum omni populo ſacerdotes, & Leuitæ ad Eſdram ſcribam ad intelligē-
dum ad omnia verba legis. 14 Et inuenerunt ſcriptum in lege, quam mandauit Dominus Moyſi; vt habitent
filij Iſrael in tabernaculis in feſtiuitate in menſe ſeptimo, 15 & vt ſignificent tubis in omnibus ciuitatibus ip-
ſorum, & in Hieruſalem. Et dixit Eſdras: Exite in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes lignorum cupreſ-
ſinorum, & frondes myrti, & frondes palmarum, & frondes ligni denſi ad faciendum tabernacula iuxta id, quod
ſcriptum eſt. 16 Et exiuit populus, & attulerunt, & fecerunt ſibi tabernacula, vir in domate ſuo, & in atrijs ſuis,
& in atrijs domus Dei, & in plateis ciuitatis, & vſque ad portam Ephræm. 17 Et fecerunt omnis Eccleſia, qui
reuerterant è captiuitate, tabernacula, & ſederunt in tabernaculis: quoniam non fecerunt à diebus Ieſu filij Na-
ue ſic filij Iſrael vſque in diem illam. Et facta eſt lætitia magna.

Et le-

## Vulgata Editio.

18 Legit autem in Libro legis Dei per dies ſingulos, à die primo vſque ad diem nouiſſimum, & fecerunt ſolemnitatem ſeptem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum.

### CAP. IX.

1 IN die autem vigeſimoquarto menſis huius conuenerunt filij Iſrael in ieiunio & in ſaccis, & humus ſuper eos.

2 Et ſeparatum eſt ſemen filiorum Iſrael ab omni filio alienigena: & ſteterunt, & confitebantur peccata ſua & iniquitates patrum ſuorum.

3 Et conſurrexerunt ad ſtandum: & legerunt in volumine Legis Domini Dei ſui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum.

4 Surrexerunt autem ſuper gradum Leuitarum Ioſue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum ſuum.

5 Et dixerunt Leuitæ Ioſue, & Cedmihel, Bonni, Haſebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathathia: Surgite, benedicite Domino Deo veſtro ab æterno vſque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelſo in omni benedictione & laude.

6 Tu ipſe, Domine, ſolus, tu feciſti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuerſa quæ in ea ſunt: maria, & omnia quæ in eis ſunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.

*Gen. 11. 31.*

7 Tu ipſe, Domine Deus, qui elegiſti Abram, & * eduxiſti eum de igne Chaldæorum, & poſuiſti nomen eius Abraham.

8 Et inueniſti cor eius fidele coram te: & percuſſiſti cum eo fœdus vt dares ei terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebuſæi, & Gergeſæi, vt dares ſemini eius: & impleſti verba tua, quoniam iuſtus es.

9 Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto: clamoremque eorum audiſti ſuper Mare rubrum.

10 Et dediſti ſigna atque portenta in Pharaone, & in omnibus ſeruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouiſti enim quia ſuperbe egerant contra eos: & feciſti tibi nomen, ſicut & in hac die.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Legit autem in libro legis per ſingulos dies à die primo vſque ad diem nouiſſimum, & fecerunt ſolemnitatem ſeptem diebus, & die octauo collectam iuxta morem.*

### CAP. IX.

1 *IN die autem vigeſima, & quarta menſis huius congregati ſunt filij Iſrael in ieiunio, & ſaccis, & terra ſuper ſe.*

2 *Et ſeparauerunt ſe filij Iſrael ab omnibus filijs alienigenis, & ſteterunt, & confeſſi ſunt peccata ſua, & iniquitates patrum ſuorum.*

3 *Et ſurrexerunt in loco ſuo, & legerunt in libro legis Dei ſui, quater in die, & quater confeſſi ſunt, & incuruauerunt ſe Domino Deo ſuo.*

4 *Surrexit autem ſuper gradum Leuitarum Ieſuah, & Bani, Chadmiel, Sebaniah, Buni, Serebiah, Bani Chenani, & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum ſuum.*

5 *Et dixerunt Leuitæ Ieſuah, & Chadmiel, Bani, Chaſabneiah, Serebiah, Hodijah, Sebaniah, Perhachiah: Surgite, benedicite Domino Deo noſtro à ſæculo, & vſque in ſæculum: & benedicant nomini gloriæ tuæ, & excelſo ſuper omnem benedictionem, & laudem.*

6 *Tu Domine ſolus feciſti cœlum, cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuerſa quæ ſunt in ea: maria, & vniuerſa quæ ſunt in eis, & viuificas omnia hæc, & exercitus cœli tibi ſe incuruant.*

7 *Tu ipſe Domine Deus elegiſti Abram, & eduxiſti eum de Vr Chaſdim: & poſuiſti nomen eius Abraham.*

8 *Et inueniſti cor eius fidele coram te, & percuſſiſti cum eo fœdus vt dares terram, Chenahanæi, Chittæi, & Emorræi, & Perizæi, & Iebuſæi, & Ghirgaſæi, vt dares ſemini eius: & confirmaſti verba tua, quia iuſtus es.*

9 *Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto: clamoremque eorum audiſti in mari Suph.*

10 *Et dediſti ſigna, & portenta in Parhoh, & in vniuerſis ſeruis eius, & in omni populo terræ eius: cognouiſti enim quia ſuperbe egerant contra eos, & feciſti tibi nomen ſecundum diem hanc.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et legit in libro legis Dei, diem in die à die prima vſque ad diem vltimam. Et fecerunt feſtiuitatem ſeptem diebus, & die octaua Exodium iuxta iudicium.

### CAP. IX.

ET in die vigeſima & quarta menſis huius congregati ſunt filij Iſrael in ieiunio, & in ſaccis & cinere ſuper caput ſuum. 2 Et ſeparati ſunt filij Iſrael ab omni filio alieno: & ſteterunt, & confeſſi ſunt peccata ſua, & iniquitates patrum ſuorum. 3 Et ſteterunt in ſtatione ſua: & legerunt in libro legis Domini Dei ſui: & fuerunt confitentes Domino & adorantes Dominum Deum ſuum. 4 Et ſtetit ſuper aſcenſum Leuitarum Ieſus, & filij Cadmiel, Sechenia filius Sarabia, filij Choneni: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum ſuum. 5 Et dixerunt Leuitæ, Ieſus, & Cadmiel: Surgite, benedicite Dominum Deum noſtrum à ſæculo & vſque in ſæculum: & benedicent nomen gloriæ tuæ: & exaltabunt in omni benedictione, & laude.
6 Et dixit Eſdras: Tu es ipſe Dominus ſolus: tu feciſti cœlum & cœlum cœli, & omnem ſtationem eorum, terram, & omnia, quæcumque ſunt in ea, maria, & omnia, quæ in eis: & tu viuificas omnia, & te adorant exercitus cœlorum. 7 Tu es Dominus Deus: tu elegiſti in Abram & eduxiſti eum de regione Chaldæorum: & impoſuiſti ei nomen Abraham: 8 & inueniſti cor eius fidele coram te; & diſpoſuiſti ad eum teſtamentum dare ei terram Chananæorum, & Chettæorum, & Amorræorum, & Pherezæorum, & Iebuſæorum, & Gergeſæorum, & ſemini eius. Et ſtatuiſti verba tua, quoniam iuſtus tu: 9 & vidiſti humiliationem patrum noſtrorum in Ægypto: & clamorem eorum audiſti ſuper mare rubrum: 10 & dediſti ſigna, & prodigia in Ægypto in Pharaonem, & in omnes pueros eius, & in omnem populum terræ eius: quoniam nouiſti, quia ſuperbe egerunt ſuper eos: & feciſti tibi nomen, ſicut dies hæc.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Et mare diuiſiſti ante eos, & tranſierunt per medium maris in ſicco: perſecutores autem eorum proieciſti in profundum, quaſi lapidem in aquas validas.

12 Et in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via, per quam ingrediebantur.

13 Ad montem quoque Sinai deſcendiſti, & locutus es cum eis de cœlo, & dediſti eis iudicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona:

14 Et ſabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepiſti eis in manu Moyſi ſerui tui.

15 Panem quoque de cœlo dediſti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxiſti eis ſitientibus, & dixiſti eis vt ingrederentur & poſſiderent terram, ſuper quam leuaſti manum tuam vt traderes eis.

16 Ipſi vero & patres noſtri ſuperbe egerunt, & indurauerunt ceruices ſuas, & non audierunt mandata tua.

17 Et noluerunt audire, & non ſunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et indurauerunt ceruices ſuas, & dederunt caput vt conuerterentur ad ſeruitutem ſuam, quaſi per contentionem. Tu autem Deus propitius & clemens, & miſericors, & longanimis, & multæ miſerationis non dereliquiſti eos,

18 Et quidem cum feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: Iſte eſt Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blaſphemias magnas.

19 Tu autem in miſericordijs tuis multis non dimiſiſti eos in deſerto: columna nubis non receſſit ab eis per diem vt duceret eos in viam, & columna ignis per noctem vt oſtenderet eis iter per quod ingrederentur.

20 Et ſpiritum tuum bonum dediſti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum, & aquam dediſti eis in ſiti.

12 Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto, nihilque eis defuit: veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non ſunt attriti.

22 Et dediſti eis regna, & populus, & partitus es eis ſortes: & poſſederunt terram Sehon, & terram regis Heſebon, & terram Og regis Baſan.

23 Et multiplicaſti filios eorum ſicut ſtellas cœli, & adduxiſti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum vt ingrederentur et poſſiderent.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et mare diuiſiſti ante eos, & tranſierunt per medium maris in ſicco, & perſecutores eorum proieciſti in profunda tamquam lapidem in aquas validas.*

12 *Et in columna nubis duxiſti eos per diem, & in columna ignis per noctem, vt illuceſcere faceres eis viam per quam ambulaturi erant.*

13 *Et ſuper montem Sinai deſcendiſti, & locutus es cum eis è cælo, & dediſti eis iudicia recta, & leges veras, ſtatuta, & præcepta bona.*

14 *Et ſabbatum ſanctum tuum notificaſti eis, & præcepta, & ſtatuta, & legem præcepiſti eis per manum Moſeh ſerui tui.*

15 *Et panem de cælo dediſti eis, in fame eorum, & aquã è petra eduxiſti eis in ſiti eorum, & dixiſti eis, vt ingrederentur ad poſſidendum terram ſuper quam leuaſti manum tuam, vt traderes eis.*

16 *Et ipſi, & patres noſtri ſuperbe egerunt, & indurauerunt ceruicem ſuam, & non audierunt præcepta tua.*

17 *Et renuerunt audire, & non ſunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras cum eis: Et indurauerunt ceruicem ſuam, & poſuerunt caput ſuum, vt reuerterentur ad ſeruitutem ſuam cum rebellione ſua. Et tu Deus propitiationum clemens, & miſericors, longanimis, & multa miſericordia, non dereliquiſti eos.*

18 *Inſuper quando fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & dixerunt: Iſte eſt Deus tuus, qui aſcendere fecit te è terra Ægypti, feceruntque conuitia in Deum magna.*

19 *Tu propter miſericordias tuas multas nõ dereliquiſti eos in deſerto, columna nubis non receſſit ab eis per diem, vt duceret eos per viam, & columna ignis per noctem, vt lucere faceres eis, & viam per quam ambulaturi in ea.*

20 *Et ſpiritum tuum bonum dediſti ad audiendum eos, & man tuum non prohibuiſti ab ore eorum, & aquã dediſti eis in ſiti eorum.*

21 *Et quadraginta annis pauiſti eos in deſerto: non eguerunt, veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non tumuerunt.*

22 *Et dediſti eis regna, & diuiſiſti eos vt eſſent ad angulum vnum, & poſſederunt terram Sichon, & terrã regis Cheſbon, & terram Hogh regis Baſan.*

23 *Et filios eorum multiplicaſti ſicut ſtellas cæli, & adduxiſti eos ad terram de qua dixeras patribus eorũ, vt ingrederentur ad poſſidendum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et mare ſcidiſti coram eis: & tranſierunt in medio maris in ſicco: & perſequentes eos proieciſti in profun-
dum, tamquam lapidem in aqua valida. 12 Et in columna nubis deduxiſti eos die, & in columna ignis no-
cte ad illuminandam eis viam, in qua ibunt in ea. 13 Et ſuper montem Sina deſcendiſti, & locutus es ad eos
de cœlo: & dediſti eis iudicia recta, & leges veritatis, præcepta, & mandata bona. 14 Et ſabbatum tuum ſan
ctum notificaſti eis: & mandata, & præcepta, & legem mandaſti eis in manu Moyſi ſerui tui. 15 Et panem
de cœlo dediſti eis in cibum eorum: & aquam de petra protuliſti eis in ſiti eorum. Et dixiſti eis ingredi ad hære-
ditandam terram, ſuper quam extendiſti manum tuam ad dandam eis. 16 Et ipſi, & patres noſtri ſuperbe
egerunt, & indurauerunt ceruicem ſuam, & non audierunt mandata tua: 17 & abnuerunt exaudire, & non
ſunt recordati mirabilium tuorum, quæ feciſti cum eis. Et indurauerunt ceruicem ſuam, & dederunt principium
reuertendi ad ſeruitutem ſuam in Ægypto. Et tu Deus miſericors, & miſerator, longanimis, & multum miſeri-
cors, & non dereliquiſti eos. 18 Adhuc autem & fecerunt ſibi vitulum fuſilem, & dixerunt: Hi ſunt Dij,
qui eduxerunt nos de Ægypto. Et fecerunt irritationes magnas: 19 & tu in miſerationibus tuis multis
non dereliquiſti eos in deſerto: columnam nubis non declinaſti ab eis die ad deducendum eos in via, & colum-
nam ignis nocte, ad illuminandam eis viam, in qua ibunt in ea. 20 Et ſpiritum tuum bonum dediſti ad in-
ſtruendos eos. Et Manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum, & aquam dediſti eis in ſiti eorum. 21 Et
quadraginta annis enutriuiſti eos in deſerto; non feciſti eis deeſſe quicquam: veſtimenta eorum non inuetera-
uerunt, & pedes eorum ſunt diſrupti. 22 Et dediſti eis regna, & populos diſtribuiſti eis. Et hæreditaue-
runt terram Seon regis Eſebon, & terram Og regis Baſan. 23 Et filios eorum multiplicaſti tamquam
aſtra cœli, & introduxiſti eos in terram, quam dixiſti patribus eorum: & hæreditarunt eam.

Et ex-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

24 Et venerunt filij, & poſſederunt terram, & humiliaſti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dediſti eos in manu eorum & reges eorum & populos terræ, vt facerent eis ſicut placebat illis.

25 Ceperunt itaque vrbes munitas & humum pinguẽ, & poſſederunt domos plenas cunctis bonis: ciſternas ab alijs fabricatas, vineas, & oliueta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & abundauerunt delicijs in bonitate tua magna.

26 Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua: & prophetas tuos occiderunt, qui conteſtabantur eos vt reuerterentur ad te: feceruntque blaſphemias grandes.

27 Et dediſti eos in manu hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum.

28 Cumque requieuiſſent, reuerſi ſunt vt facerent malum in conſpectu tuo: & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & poſſederunt eos. Conuerſique ſunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cœlo exaudiſti, & liberaſti eos in miſericordijs tuis, multis temporibus.

29 Et conteſtatus es eos vt reuerterentur ad Legem tuam. Ipſi vero ſuperbe egerunt, & non audierunt mandata tua, & in iudicijs tuis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, nec audierunt.

30 Et protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es eos in ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum: & non audierunt, & tradidiſti eos in manu populorum terrarum.

31 In miſericordijs autem tuis plurimis non feciſti eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos: quoniam Deus miſerationum, & clemens es tu.

32 Nunc itaque Deus noſter magne, fortis, & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos, reges noſtros, & principes noſtros, & ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & patres noſtros, & omnem populum tuum à diebus regis Aſſur vſque in diem hanc.

33 Et tu iuſtus es in omnibus quæ venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti, nos autem impie egimus.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Et venerunt filij, & poſſederunt terram, & humiliaſti coram eis habitatores terræ Chenahanæorum, & dediſti eos in manu eorum, & reges eorũ, & populos terræ, vt facerent in eis ſecundum voluntatem ſuã,*

25 *Et ceperunt vrbes munitas, & humum pinguem, & poſſederunt domos plenas omni bono, ciſternas excisas, vineas, & oliueta, & arbores fructiferas in multitudine: & comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & delitijs affluxerunt propter bonitatem tuam magnam.*

26 *Et irritauerunt, & rebellauerunt contra te, & proiecerunt legem tuam poſt corpus ſuum, & prophetas tuos occiderunt, qui teſtificabantur eis, vt conuerterent eos ad te, & fecerunt conuicia* in Deum *magna.*

27 *Et dediſti eos in manum hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cælo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſeruatores, & ſeruauerunt eos de manu hoſtium ſuorum.*

28 *Et cum fuiſſet requies eis, reuerſi ſunt ad faciendum malum coram te, & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & dominati ſunt eis: & conuerſi ſunt, & clamauerunt ad te, & tu de cælo exaudiſti, & eruiſti eos ſecundum miſerationes tuas multis temporibus.*

29 *Et conteſtatus es eis, vt redirent ad legem tuam, ſed ipſi ſuperbe egerunt, & non audierunt præcepta tua, & in iudicijs tuis peccauerunt quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, & non audierunt.*

30 *Et protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es eos ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum, & non auſcultauerunt, & tradidiſti eos in manum populorum terrarum.*

31 *Et propter miſericordias tuas multas non feciſti eos in conſumptionem, & non dereliquiſti eos, quia Deus clemens, & miſericors es.*

32 *Et nunc Deus noſter, Deus magne, fortis, & terribilis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam, ne diminuatur coram te omnis labor qui inuenit nos, reges noſtros, principes noſtros, ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & omnem populum tuum à diebus regum Aſſur vſque ad diem hanc.*

33 *Et tu iuſtus in omni quod venit ſuper nos, quia veritatem feciſti, & nos impie egimus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et extriuiſti coram eis habitantes terram Chananæorum, & dediſti illos in manus ipſorum, & reges illorum, & populos terræ ad faciendum eis, ſicut placitum coram ipſis. 25 Et ceperunt ciuitates excelſas & hæreditarũt domos plenas omnium bonorum, ciſternas exciſas, vineas, & oliueta, & omne lignum ſui aptum in multitudine. Et comederunt, & repleti ſunt, & impinguati ſunt, & deliciati ſunt in bonitate tua magna. 26 Et mutauerunt & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt corpus ſuum. Et prophetas tuos occiderunt, qui conteſtabantur in eis, vt reuerterent ipſi ad te. Et fecerunt irritationes magnas. 27 Et dediſti eos in manu tribulantium eos: & tribulauerunt eos. Et clamauerunt ad te in tempore tribulationis ſuæ, & tu de cęlo tuo audiſti, & in miſerationibus tuis magnis dediſti eis ſaluatores: & ſaluaſti eos de manu tribulantium eos. 28 Et vt requieuerunt, reuerterunt facere malum in conſpectu tuo: & dereliquiſti eos in manus inimicorum eorum: & dominati ſunt in eis. Et rurſus exclamauerunt ad te: & tu de cęlo exaudiſti, & eruiſti eos in miſerationibus tuis multis: 29 & conteſtatus es eis, vt ipſi reuerterentur in legem tuam. Et non audierunt, ſed in mandatis tuis, & iudicijs tuis peccauerunt quæ faciens ea homo viuet in eis. Et dederunt dorſum rebelle, & ceruicem ſuam indurauerunt: & non audierunt. 30 Et protraxiſti ſuper eos, annos multos, & conteſtatus es eis in ſpiritu tuo in manu prophetarum tuorum: & nõ perceperunt auribus: & dediſti eos in manu populorum terræ. 31 Et tu in miſerationibus tuis multis non feciſti eos in conſummationem, & non dereliquiſti eos, quoniam fortis es, & miſericors, & miſerator. 32 Et nunc Deus noſter fortis, magnus, validus, & terribilis cuſtodiens teſtamentum tuum, & miſericordiam tuam; ne paucus fit coram te omnis labor, qui inuenit nos, & reges noſtros, & principes noſtros, & ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & patres noſtros, & in omni populo tuo à diebus regum Aſſur, & vſque ad diem hanc. 33 Et tu iuſtus in omnibus, quæ veniunt ſuper nos: quoniam veritatem feciſti. Et nos peccauimus,

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

34 Reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri, &
patres noſtri non fecerunt legem tuam, & non at-
tenderunt mandata tua,& teſtimonia tua quæ teſti-
ficatus es in eis.
35 Et ipſi in regnis ſuis,& in bonitate tua multa,quam
dederas eis, & in terra latiſſima & pingui,quam tra
dideras in conſpectu eorum,non ſeruierunt tibi,nec
reuerſi ſunt à ſtudijs ſuis peſſimis.
36 Ecce noſipſi hodie ſerui ſumus: & terra, quam de-
diſti patribus noſtris vt comederent panem eius,
& quæ bona ſunt eius,& noſipſi ſerui ſumus in ea.
37 Et fruges eius multiplicantur regibus,quos poſuiſti
ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus no-
ſtris dominantur, & iumentis noſtris ſecundum vo-
luntatem ſuam,& in tribulatione magna ſumus.
38 Super omnibus ergo his noſipſi percutimus fœdus,
& ſcribimus, & ſignant principes noſtri, Leuitæ no-
ſtri,& Sacerdotes noſtri.

### CAP. X.

1 SIgnatores autem fuerunt,Nehemias,Atherſatha
filius Hachelai,& Sedecias,
2 Saraias,Azarias,Ieremias,
3 Phethur,Amarias,Melchias,
4 Hattus,Sebenia,Melluch,
5 Harem,Merimuth,Obdias,
6 Daniel,Genthon Baruch,
7 Moſollam,Abia,Miamin,
8 Maazia,Belgai,Semeia: hi ſacerdotes.
9 Porro Leuitæ, Ioſue filius Azaniæ, Bennui de filijs
Henadad,Cedmihel,
10 Et fratres eorum,Sebenia,Odaia, Celitha, Phalaia,
Hanan,
11 Micha,Rohob,Haſebia,
12 Zachur,Serebia,Sabania,
13 Odaia,Bani,Baninu.
14 Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Aelam, Ze-
thu,Bani,
15 Bonni,Azgad,Bebai,
16 Adonia,Begoai,Adin,
17 Ater,Hezecia,Azur,
18 Odaia,Haſum,Beſai,
19 Hareph,Anathoth,Nebai,
20 Megphias,Moſollam,Hazir,
21 Meſizabel,Sadoc,Ieddua,
22 Pheltia,Hanan,Anaia,

Oſee,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Et reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri, & patres noſtri, non fecerunt legem tuam, & non attenderunt præceptis tuis, & teſtimonijs tuis quæ teſtificatus es eis.*
35 *Et ipſi in regno ſuo,& in bonitate tua multa quam dediſti eis, & in terra lata, & pingui, quam tradideras coram eis,non ſeruierunt tibi,& non ſunt conuerſi ab operibus ſuis malis.*
36 *Ecce hodie ſerui ſumus, & in terra quam dediſti patribus noſtris,vt comederent fructum eius, & bonitatem eius,ecce ſerui ſumus.*
37 *Et fructus eius multus regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur,& iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam,& in tribulatione magna ſumus.*
38 *Et cum toto hoc percutimus fidelitatem,& ſcribimus & ſuper ſignaturam ſunt principes noſtri, Leuitæ noſtri,Sacerdotes noſtri.*

### CAP. X.

1 *ET ſuper ſignaturas fuerunt Nechemiah Tirſatha filius Chachaliah,& Sidchyah,*
2 *Seraiah,Hazaryah,Irmeiah,*
3 *Paſchur Amariah,Malachyah,*
4 *Chattus,Sebeniah,Malluch,*
5 *Charim,Meremoth,Hobadiah,*
6 *Daniel,Ghinethon,Baruch,*
7 *Meſullam,Abyah,Myamin,*
8 *Mahaziah,Bilgai,Semeiah: iſti ſacerdotes.*
9 *Et Leuitæ,& Ieſuah filius Azaniah, Binui de filijs Chenadad Chadmiel,*
10 *Et fratres eorum Sebeniah,Hodyah,Chelicha, Pelaiah,Chanan,*
11 *Micha,Rechob,Chaſabiah,*
12 *Zacchur,Serebiah,Sebaniah,*
13 *Hodyah,Bani,Beninu.*
14 *Capita populi, Parhos, Pachathmoab, Helam,Zatthu,Bani,*
15 *Buni,Hazghad,Bebai,*
16 *Adonyah,Biguai,Hadin,*
17 *Ather,Chizchyah,Hazur,*
18 *Hodyah,Chaſumi,Beſai,*
19 *Chariph,Hanathoth,Nebai,*
20 *Magphibas,Meſullam,Chezir,*
21 *Meſezabel,Sadoc,Iadduah,*
22 *Pelathiel,Chanan,Hanaiah,*

*Ho-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

34 & reges noſtri, & principes noſtri, & ſacerdotes noſtri, & patres noſtri non fecerunt legem tuam; & non at-
tenderunt mandata tua,& teſtimonia tua,quæ conteſtatus es eis. 35 Et ipſi in regno tuo,& in bonita-
te tua multa,quam dediſti eis,& in terra lata,& pingui, quam dediſti coram eis, non ſeruierunt tibi,& non auer-
terunt ſe à ſtudijs ſuis malis. 36 Ecce hodie ſumus ſerui,& terra, quam dediſti patribus noſtris
ad comedendum fructum eius,& bona eius,ecce ſumus ſerui ſuper eam, 37 & fructus eius mul-
ti regibus, quos dediſti ſuper nos in peccatis noſtris, & ſuper corpora noſtra poteſtatem habent, & in pecoribus
noſtris,ſicut placitum eis,& in tribulatione magna ſumus. 38 Et in omnibus his nos diſponimus
fidem,& ſcribimus,& ſignant principes noſtri,Leuitæ noſtri,Sacerdotes noſtri.

### CAP. X.

ET ſuper obſignantes Neemias Artaſaſthà filius Achabia,& Sedecias filius 2 Araa,& Azaria,
& Hieremia, 3 Phaſur,Amaria,Melchia, 4 Attias,Sebani,Maluch,
5 Iram,Meramoth Abdia, 6 Daniel,Hannathon,Baruch, 7 Meſulam Abia,
Miamin, 8 Maazia Belgai,Samaia: hi ſacerdotes. 9 Et Leuitæ,Ieſus filius
Azania,Banæu de filijs Enadad,Cadmiel, 10 & fratres eius,Sabania,Oduia,Calitan,Phelia,
Anan, 11 Michà,Roob,Aſebias, 12 Zacchor,Sarabia,Sebania,
13 Odun. Filij Banuè. 14 Principes populi Phoros,Phaathmoab,Elam,Zathuia,
15 filij Bani Algad,Bebai, 16 Adama,Bagoi,Edin, 17 Ater,Ezecia,Azur,
18 Oduia Eſam,Beſi, 19 Ariph.Anathoth,Nabai, 20 Megaphes,Meſullam,
Ezir, 21 Meſozebel,Saduc,Ieddua, 22 Phaltia,Anan,Anaia,

Oſee,

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Oſee, Hanania, Haſub,
24 Alohes, Phalea, Sobec,
25 Rehum, Haſebna, Maaſia,
26 Echaia, Hanan, Anan,
27 Mellach, Haram, Baana:
28 Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, & cantores, Nathinæi, & omnes qui ſe ſeparauerunt de populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum & filiæ eorum,
29 Omnes qui poterant ſapere ſpondentes pro fratribus ſuis optimates eorum, qui veniebant ad pollicendum, & iurandum vt ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moyſi ſerui Dei, vt facerent & cuſtodirent vniuerſa mandata Domini Dei noſtri, & iudicia eius & ceremonias eius,
30 Et vt non daremus filias noſtras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filijs noſtris.
31 Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad vſum, per diem ſabbati vt vendant, non accipiemus ab eis in ſabbato & in die ſanctificato. Et dimittemus annum ſeptimum, & exactionem vniuerſæ manus.
32 Et ſtatuemus ſuper nos præcepta, vt demus tertiam partem ſicli per annum ad opus domus Dei noſtri,
33 Ad panes propoſitionis, & ad ſacrificiũ ſempiternũ, & in holocauſtũ ſempiternũ in ſabbatis, in calendis, in ſolẽnitatibus & in ſanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Iſrael, & in omnẽ vſum domus Dei noſtri.
34 Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferentur in domum Dei noſtri per domos patrum noſtrorum, per tempora, à temporibus anni vſque ad annum: vt arderent ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi:
35 Et vt afferremus primogenita terræ noſtræ, & primitiua vniuerſi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.
36 Et primitiua filiorum noſtrorum, & pecorum noſtrorum, ſicut ſcriptum eſt in lege, & primitiua boũ noſtrorum, & ouium noſtrarum, vt offerrentur in domo Dei noſtri, Sacerdotibus qui miniſtrant in domo Dei noſtri:
37 Et primitias ciborum noſtrorum, & libaminum noſtrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus Sacerdotibus ad gazophylaciũ Dei noſtri & decimam partem terræ noſtræ Leuitis. Ipſi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum noſtrorum.

Erit

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Hoſeah, Chananiah, Chaſub,*
24 *Halochez, Pilcha, Sobech,*
25 *Rechum, Chaſabnah, Mahaſeiah,*
26 *Et Achyah, Chanan, Hanan,*
27 *Malluch, Charim, Bahanah:*
28 *Et reſiduum populi Sacerdotes, Leuitæ, & ianitores, & cantores, Nethinim, & omnis diuiſus à populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum:*
29 *Omnis ſciens, intelligens, tenentes cum fratribus ſuis optimates eorum, & venientes cum execratione, & iuramento, vt ambularent in lege Dei quæ data eſt per manum Moſeh ſerui Dei, & cuſtodirent & facerent vniuerſa præcepta Domini Dei noſtri, & iudicia eius, & ſtatuta eius.*
30 *Et non daremus filias noſtras populis terræ, & filias eorum non acciperemus filijs noſtris.*
31 *Et à populis terræ afferentibus merces, & omne venale in die ſabbati, vt vendant, non accipiemus ab eis in ſabbato, & in die ſancto, & dimittemus annum ſeptimum, & exactionem vniuerſæ manus.*
32 *Et ſtatuemus ſuper nos præcepta, vt imponatur nobis tertia pars Sechel in anno, ad opus domus Dei noſtri.*
33 *Ad panem propoſitionis, & ſacrificium iuge, & ad holocauſtum iuge, ſabbata, calendas, ad ſolemnitates, & ad ſancta, & ad peccata, ad exorandum pro Iſrael, & omne opus domus Dei noſtri.*
34 *Et ſortes iecimus ſuper oblationem lignorum, ſacerdotes, Leuitæ, & populi, vt afferant in domum Dei noſtri per domum patrum noſtrorum per tempora determinata annuatim, vt ardeant ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege.*
35 *Et afferemus primitiua terræ noſtræ, & primitiua omnis fructus omnis arboris annuatim in domum Domini.*
36 *Et primogenita filiorum noſtrorum, & iumentorum noſtrorum ſicut ſcriptum eſt in lege & boum noſtrorum, & pecorum noſtrorum, vt afferant in domum Dei noſtri ſacerdotibus miniſtrantibus in domo Dei noſtri.*
37 *Et primitias paſtarum noſtrarum, & donationum noſtrarum, & fructus omnis arboris, vini, & olei afferemus ſacerdotibus ad cubicula domus Dei noſtri, & decimam terræ noſtræ Leuitis: & Leuitæ decimas accipient in omnibus vrbibus operum noſtrorum.*

*Erit*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Oſee, Anania, Aſub, 24 Aloes, Phalai, Sobee, 25 Reum, Eſabana, Maaſia, 26 & Aia, Ænan, Henam,
27 Maluch, Eram, Baana, 28 & reliqui de populo: Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cãtores Nathinim, & accedens
de populis terræ ad legem Dei, vxores eorum, filiæ eorum: 29 Omnis ſciens, & intelligens inualeſcebant ſuper
fratribus ſuis, & execratione adſtringebant eos. Et ingreſſi ſunt in execratione, & in iuramento ambulandi in le-
ge Dei quæ data eſt in manu Moyſi ſerui Dei cuſtodiendi, & faciendi omnia mandata Domini, & iudicia eius, &
præcepta eius, 30 & non dandi filias noſtras populis terræ, & filias eorum non accipiemus filijs noſtris,
31 & populi terræ afferentes venalia, & omnem venditionem in die ſabbati ad vendendum, non ememus ab eis
in ſabbato & in die ſancta: & dimittemus annum ſeptimum, & exactionem vniuerſæ manus: 32 & ſtatuemus
ſuper nos mandata ad dandum ſuper nos tertiam partem didrachmatis per annum in ſeruitutem domus Dei no
ſtri, 33 in panes faciei, & ſacrificium continuationis, & in holocauſtum continuationis ſabbatorum, Neome-
niarum, in feſtiuitates, & in ſancta, & quæ pro peccato, ad depropitiandũ pro Iſrael, & ad opera domus Dei noſtri.
34 Et ſortes iecimus de ſorte portationis lignorum, ſacerdotes, & Leuitæ, & populus, ad afferendum in domum
Dei noſtri, in domum patriarum noſtrarum, in tempora à temporibus, annum per annum, ad accendendum ſuper
altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege, & ad afferendum primitiua terræ noſtræ, & primitiua fructus
omnis ligni annum per annum in domum Domini, 35 & primogenita filiorum noſtrorum, & pecorũ noſtro-
rum, ſicut ſcriptum eſt in lege, 36 & primogenita boum noſtrorum, & gregum noſtrorum, ad afferendum in
domum Dei noſtri, ſacerdotibus miniſtrantibus in domo Dei noſtri: 37 & primitias frumentorum noſtrorum
& fructum omnis ligni, vini, & olei afferemus ſacerdotibus in gazophilacium domus Dei, & decimam terræ no-
ſtræ Leuitis: & ipſi Leuitæ decimas accipientes in omnibus ciuitatibus ſeruitutis noſtræ.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

38 Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri, ad gazophylacium in domum theſauri.
39 Ad gazophylacium enim deportabunt filij Iſrael, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vaſa ſanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & ianitores, & miniſtri, & non dimittemus domũ Dei nſi.

### CAP. XI.

1 HAbitauerunt autem principes populi in Ieruſalem: reliqua vero plebs miſit ſortem, vt tollerent vnam partem de decem qui habitaturi eſſent in Ieruſalem ciuitate ſancta, nouem vero partes in ciuitatibus.
2 Benedixit autem populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerant vt habitarent in Ieruſalem.
3 Hi ſunt itaque principes prouinciæ qui habitauerunt in Ieruſalem, & in ciuitatibus Iuda. Habitauit autem vnuſquiſque in poſſeſſione ſua, in vrbibus ſuis, Iſrael, Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis.
4 Et in Ieruſalem habitauerunt de filijs Iuda, & de filijs Beniamin: de filijs Iuda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Saphatiæ, filij Malaleel: de filijs Phares,
5 Maaſia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis:
6 Omnes hi filij Phares, qui habitauerunt in Ieruſalem, quadringenti ſexaginta octo viri fortes.
7 Hi ſunt autem filij Beniamin: Sellum filius Moſollam, filius Ioed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Maſia, filius Etheel, filius Iſaia,
8 Et poſt eum Gebbai, Sellai, nongenti vigintiocto,
9 Et Ioel filius Zechri præpoſitus eorum, & Iudas filius Senua ſuper ciuitatem ſecundus.
10 Et de ſacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin,
11 Saraia filius Helciæ, filius Moſollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei,
12 Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amſi, filius Zachariæ, filius Pheſhur, filius Melchiæ,
13 Et fratres eius principes patrum: ducenti quadragintaduo. Et Amaſſai filius Azreel, filius Ahazi, filius Moſollamoth, filius Emmer,

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

38 *Eritque ſacerdos filius Aharon cum Leuitis cum decimam acciperent Leuitæ, offerent decimam decimæ in domo Dei noſtri ad cubiculum in domo theſauri.*
39 *Ad cubicula enim deferent filij Iſrael, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei, & ibi erunt vaſa ſanctuarij, & ſacerdotes miniſtrantes, et ianitores, et cantores, & non dimittemus domum Dei noſtri.*

### *CAP. XI.*

1 *HAbitauerunt autem principes populi in Ieruſalaim: reſiduum vero populi iecerunt ſortes, vt adducerent vnum è decem ad habitandum in Ieruſalaim ciuitatem ſanctam: nouem vero partes in ciuitatibus.*
2 *Et benedixerunt populus omnibus viris ſpontaneis ad habitandum in Ieruſalaim.*
3 *Et iſti ſunt principes prouinciæ qui habitauerunt in Ieruſalaim, & in vrbibus Iehudah. Habitauerunt vnuſquiſque in poſſeſſione ſua in vrbibus ſuis, Iſrael ſacerdotes, & Leuitæ, & Nethinim, & filij ſeruorum Selomoh.*
4 *Et in Ieruſalaim habitauerunt de filijs Iehudah, & de filijs Biniamin: de filijs Iehudah, Hathaiah filius Huzziah, filij Zecharia, filij Amariah, filij Sephatiah, filij Mahalalel, de filijs Peres:*
5 *Et Mahaſeiah, filius Baruch, filij Cholchozeh, filij Chazaiah, filij Hadaiah, filij Ioiarib filij Zechariah filij Haſiloni.*
6 *Omnes filij Peres qui habitabant in Ieruſalaim quadringenti ſexaginta & octo viri fortes.*
7 *Et iſti filij Biniamin Salum filius Meſullam, filij Iohed, filij Pedaiah, filij Cholaiah, filij Mahaſeiah, filij Ithiel, filij Ieſahiah.*
8 *Et poſt eũ Gabbai, Sallai, nongenti viginti & octo.*
9 *Et Ioel filius Zichri præpoſitus ſuper eos, & Iehudah filius Senuah ſuper ciuitatem ſecundus.*
10 *De ſacerdotibus Iedahiah filius Ioiarib Iachin.*
11 *Seraiah filij Chilchijah, filij Meſullam, filij Sadoc, filij Meraioth, filij Achitub princeps domus Dei.*
12 *Et fratres eorum facientes opus in domo octingenti viginti, & duo: & Hadaiah filius Ierocha, filij Pelaliah, filij Amſi, filij Zechariah, filij Paſchur, filij Malchijah,*
13 *Et fratres eius principes patrum ducenti quadraginta, & duo, & Hamaſſai filius Hazarel, filij Achazai, filij Meſillemoth, filij Immer.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

38 Et erit ſacerdos filius Aaron cum Leuita in decima: & Leuitæ offerent decimam decimæ in domum Dei noſtri, in gazophilacia in domum Dei. 39 Quoniam in theſauros inferent filij Iſrael, & filij Leui primitias frumenti, & vini, & olei, & ibi vaſa ſancta, & ſacerdotes, & miniſtri, & ianitores, & cantores: & non derelinquemus domum Dei noſtri.

### CAP. XI.

ET ſederunt principes populi in Hieruſalem. Et reliqui de populo miſerunt ſortes ad adducendum vnum e decem ad ſedendum in Hieruſalem ciuitate ſancta, & nouem partes in ciuitatibus. 2 Et benedixit populus omnes viros ſponte ſe offerentes ad ſedendum in Hieruſalem. 3 Et hi principes prouinciæ, qui ſederunt in Hieruſalem, & in ciuitatibus Iuda: ſederunt vir in poſſeſſione ſua in ciuitatibus ſuis Iſrael, ſacerdotes, & Leuitæ, & Nathinæi, & filij ſeruorum Salomon. 4 Et in Hieruſalem ſederunt de filijs Iuda, & de filijs Beniamin: de filijs Iuda, Athaia filius Azia, filius Zacharia, filius Samaria, filius Saphatia, filius Maleleel, Et de filijs Phares, 5 & Maaſia filius Baruch, filius Chalazà filius Oſia, filius Adaia, filius Ioarib, filius Zachariæ, filius Selom, 6 omnes filij Phares ſedentes in Hieruſalem, quadringenti ſexaginta octo viri virtutis. 7 Et hi filij Beniamin, Selo filius Meſulam, filius Ioad, filius Phadaia, filius Coleia, filius Maaſiæ, filius Ethiel, filius Ieſia, 8 & poſt eum, Gebe, Seli, nongenti viginti octo. 9 Et Ioel filius Zechri viſitator ſuper eos. Et Iuda filius Aſaria de ciuitate ſecundus 10 de ſacerdotibus: & Iadia, filius Ioarib, Iachin, 11 Saræa filius Elchia, filius Meſulam, filius Sadduc, filius Marioth, filius Æloth ante domum Dei. 12 & fratres eorum facientes opus domus, octingenti viginti duo. Et Adaia filius Hieoram filij Phalalia, filij Amaſi, filius Zacharia, filius Phaſſur, filius Melchia. 13 & fratres eius principes patriarum, ducenti quadraginta duo. Et Amaſia filius Eſdriel filij Meſarimuth filij Emmer,

& fra-

## Vulgat. Editio.

14 Et fratres eorum potentes nimis : centum viginti-octo, & præpoſitus eorum Zabdiel filius potentium.
15 Et de Leuitis Semeia filius Haſub, filius Azaricam, filius Haſabia, filius Boni,
16 Et Sabathai & Iozabed, ſuper omnia opera, quæ erant forinſecus in domo Dei, à principibus Leuitarum.
17 Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Aſaph princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione, & Becbecia ſecundus de fratribus eius, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithun :
18 Omnes Leuitæ in ciuitate ſancta ducenti octogintaquattuor.
19 Et ianitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui cuſtodiebant oſtia : centum ſeptuaginta duo.
20 Et reliqui ex Iſrael Sacerdotes & Leuitæ in vniuerſis ciuitatibus Iuda, vnuſquiſque in poſſeſſione ſua.
21 Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaſpha de Nathinæis.
22 Et epiſcopus Leuitarum in Ieruſalem, Azzi filius Bani, filius Haſabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filijs Aſaph, cantores in miniſterio domus Dei.
23 Præceptum quippe regis ſuper eos erat, & ordo in cantoribus per dies ſingulos,
24 Et Phathahia filius Meſezebel, de filijs Zara filij Iuda in manu regis, iuxta omne verbum populi,
25 Et in domibus per omnes regiones eorum. De filijs Iuda habitauerunt in Cariatharbe, & in filiabus eius : & in Dibon, & in filiabus eius : & in Cabſeel, & in viculis eius,
26 Et in Ieſue, & in Molada, & in Bethphaleth,
27 Et in Haſerſual, & in Berſabee, & in filiabus eius,
28 Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius,
29 Et in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth,
30 Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis, & regionibus eius, & Azeca, & filiabus eius. Et manſerunt in Berſabee vſque ad vallem Ennom.
31 Filij autem Beniamin, à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius :
32 Anathoth, Nob, Anania,
33 Aſor, Rama, Gethaim,
34 Hadid, Seboim, & Neballat, Lod,
35 Et Ono valle artificum.
36 Et de Leuitis portiones Iudæ & Beniamin.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et fratres eorum potentes robore centum viginti, & octo: & præpoſitus ſuper eos Zabdiel filius Haggedolim.*
15 *Et de Leuitis Semaiah filius Chaſub filius Hazricham, filij Chaſabiah, filij Buni.*
16 *Et Sabbethai, & Ioſabad ſuper opus extrinſecum domus Dei de principibus Leuitarum.*
17 *Et Matthaniah filius Micha, filij Zabdi, filij Aſaph princeps principalis confitens in oratione: & Babuchiah ſecundus de fratribus eius, & Habda filius Samuah filij Ghalal, filij Iedutkun.*
18 *Omnes Leuitæ in ciuitate ſancta ducenti octoginta, & quatuor.*
19 *Et ianitores Hacbub, Talmon, & fratres eorum qui erant cuſtodes in portis, centum ſeptuaginta, & duo.*
20 *Et reſiduum Iſrael ſacerdotes, Leuitæ in vniuerſis ciuitatibus Iehudah, vnuſquiſque in hæreditate ſua.*
21 *Et Nethinim qui habitabant in arce, & Sicha, & Ghiſpa ſuper Nethinim.*
22 *Et præpoſitus Leuitarum in Ieruſalaim Huzzi filius Bani, filij Chaſabiah, filij Mathaniah, filij Mechah, de filijs Aſaph cantores ſuper opus domus Dei.*
23 *Quia præceptum regis ſuper eos erat, & permanentia ſuper cantores per ſingulos dies.*
24 *Et Pethachiah filius Meſezabel de filijs Zerach, filij Iehudah ad manum regis in omni re ad populum.*
25 *Et ad villas in agris ſuis. De filijs Iehudah habitauerunt in Chiriatharbah, & in viculis eius, & in Iecabſeel, & villis eius.*
26 *Et in Ieſuah & Moladah, & in Bethpeleth.*
27 *Et in Chaſarſuhal, et in Beerſebah, & i viculis eᵒ,*
28 *Et in Sielagh, & in Mechonah, & in viculis eius,*
29 *Et in Henrimmon, & in Sarhah, & in Iarmuth,*
30 *Zanoah, Hadullam, & in villis earum, Lachis, & agris eius, Hazecbah, & viculis eius: & manſerunt in Beerſebah, vſque ad Chehinnom.*
31 *Filij autem Biniamin in Mighbah, Micmas, & Haia, & Bethel, & viculis eius.*
32 *Hanathoth, Nob, Hananiah,*
33 *Chaſor, Ramah, Ghitthaim,*
34 *Chadid, Seboim, Neballath, Lod,*
35 *Et Ono, valle artificum,*
36 *Et de Leuitis portiones Iehudah in Biniamin.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et fratres eius, potentes aciei, centum viginti octo : & viſitator Badiel filius magnorum.
15 Et de Leuitis, Samaia filius Eſricam,
17 Matthanias filius Michâ, & Iobeb filius Samiu, ducenti octuaginta quattuor.
19 Et ianitores Acub, Telamin, & fratres eorum, centum ſeptuaginta duo.
22 Et viſitator Leuitarum filius Bani filius Ozi filius Aſabia filius Micha. De filijs Aſaph cantorum ante opus domus Dei :
23 quoniam mandatum regis ad eos.
24 Et Phathaia filius Baſezâ ad manum regis
25 ad omnem vſum populo, & ad pagos in agro ſuo. Et de filijs Iuda ſederunt in Cariatharboc,
26 & in Ieſu, & in Berſabee : & pagi eorum Lachis, & agri eius : & caſtrametati ſunt in Berſabee.
31 Et filij Beniamin de Gabaa Machmas.
36 Et de Leuitis partes Iuda, Beniamin.

Reliqua quæ hic deſiderantur poſita non ſunt in hac tranſl. ex Septua. Ro. ſicut neque in illo codice peruetuſto Vaticano quo potiſſimũ vſi ſunt q Sep. Inter. tranſl. recognouerunt.



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Tulitque Deus ſubſtantiam patris veſtri, & dedit mihi. | 9 | 9 | *Et abſtulit Deus gregem patris veſtri, & dedit mihi.* |
| Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares ſuper fœminas, varios, & maculoſos, & diuerſorum colorum. | 10 | 10 | *Et fuit, in tempore, quo coeunt pecudes, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnio, & ecce hirci aſcendebant ſuper capras maculis reſperſas vbi colligari ſolent, punctis reſperſas, & maculis reſperſas.* |
| Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis: Iacob? Et ego reſpondi: Adſum. | 11 | 11 | *Et dixit ad me Angelus Dei in ſomnio: Iahacob. Et dixi: Ecce adſum.* |
| Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, varios, maculoſos, atque reſperſos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. | 12 | 12 | *Et dixit: Leua nunc oculos tuos, & vide omnes hircos aſcendentes ſuper capras maculis reſperſas, vbi colligari ſolent, punctis reſperſas & maculis reſperſas. Vidi enim omnia quæ Laban facit tibi.* |
| Sup. 28. 11 Ego ſum Deus Bethel, * vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. | 13 | 13 | *Ego Deus Bethel, vbi vnxiſti ſtatuam, vbi vouiſti mihi votum. Nunc ſurge, egredere de terra hac, & reuertere ad terram cognationis tuæ.* |
| Responderuntque Rachel & Lia: Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri? | 14 | 14 | *Et reſpondit Rachel, & Leah, & dixerunt ei: Numquid adhuc eſt nobis pars, & hæreditas in domo patris noſtri?* |
| Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum? | 15 | 15 | *Nunquid non extraneæ reputatæ ſumus ab eo, quia vendidit nos, & conſumpſit etiam conſumendo pecuniam noſtram?* |
| Sed Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis ac filijs noſtris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. | 16 | 16 | *Quia omnes diuitiæ quas abſtulit Deus à patre noſtro, nobis pertinebant, ac filijs noſtris. Et nunc, omnia quæ dixit Deus ad te, fac.* |
| Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuis ſuper camelos abijt. | 17 | 17 | *Et ſurrexit Iahacob, & eleuauit filios ſuos, & vxores ſuas ſuper camelos.* |
| Tulitque omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſierat, pergens ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan. | 18 | 18 | *Et duxit omnes pecudes ſuas, & omnem ſubſtantiam ſuam quam acquiſierat, pecudes acquiſitionis ſuæ quas acquiſierat in Padan Aram, vt veniret ad Iſchac patrem ſuum in terram Chenahan.* |
| Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues: & Rachel furata eſt idola patris ſui. | 19 | 19 | *Et Laban perrexerat ad tondendum oues ſuas: & furata eſt Rachel idola, quæ erant patri ſuo.* |
| Noluitque Iacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret. | 20 | 20 | *Et furatus eſt Iahacob cor Laban Aramæi; eo quòd non indicauit ei quòd fugeret.* |
| Cumque abijſſet tam ipſe quam omnia quæ iuris ſui erant, & amne tranſmiſſo pergeret contra montem Galaad. | 21 | 21 | *Et fugit ipſe, & omnia quæ erant ei. Et ſurrexit, & tranſiuit flumen, & poſuit faciem ſuam ad montem Ghilhad.* |
| Nunciatum eſt Laban die tertio quod fugeret Iacob. | 22 | 22 | *Et nunciatum fuit ipſi Laban die tertio, quòd fugeret Iahacob.* |
| Qui, aſſumptis fratribus ſuis, perſecutus eſt eum diebus ſeptem: & comprehendit eum in Monte Galaad. | 23 | 23 | *Et tulit fratres ſuos ſecum, & ſecutus eſt eum itinere ſeptem dierum, & aſſecutus eſt eum in monte Ghilhad.* |
| Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum: Caue ne quidquam aſpere loquaris contra Iacob. | 24 | 24 | *Et venit Deus ad Laban Aramæum in ſomnio noctis, & dixit ei: Caue tibi, ne forte loquaris cum Iahacob à bono vſque ad malum.* |
| Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculũ: cumque ille conſecutus fuiſſet eum cum fratribus ſuis: in eodem Monte Galaad fixit tentorium. | 25 | 25 | *Et aſſecutus eſt Laban ipſum Iahacob. Et Iahacob fixerat tabernaculum ſuum in monte, & Laban fixit cum fratribus ſuis in monte Ghilhad.* |
| Et dixit ad Iacob: quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio? | 26 | 26 | *Et dixit Laban ad Iahacob: Quid feciſti? Et furatus es cor meum, & duxiſti filias meas, ſicut captiuas gladio.* |
| Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis? | 27 | 27 | *Vt quid abſcondiſti te, vt fugeres, & furatus es me, & non indicaſti mihi, & dimiſiſſem te cum lætitia, & canticis, cum tympano, & cythara.* |
| Non es paſſus vt oſcularer filios meos & filias: ſtulte operatus es: & nunc quidem | 28 | 28 | *Et non dimiſiſti me, vt oſcularer filios meos, & filias meas? Nunc ſtulte egiſti faciendo.* |
| Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. | 29 | 29 | *Eſt fortitudo in manu mea ad faciendum vobiſcum malum: ſed Deus patris veſtri nocte præterita dixit ad me dicendo: Caue tibi, ne loquaris cum Iahacob à bono vſque ad malum.* |
| Eſto, ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos? | 30 | 30 | *Et nunc eundo iuiſti. Si deſiderando deſiderabas ire ad domum patris tui. Vt quid furatus es deos meos?* |
| Reſpondit Iacob: Quod inſcio te profectus ſum, timui nè violenter auferres filias tuas. | 31 | 31 | *Et reſpondit Iahacob, & dixit ad Laban: Quia timui, ſi dixiſſem, ne forte raperes filias tuas à me.* |
| Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur corã fratribus noſtris. ſcrutare, quidquid tuorũ apud me inueneris, & aufer. | 32 | 32 | *Is cum quo inueneris Deos tuos, non viuat coram fratribus noſtris. Agnoſce ſi quid eſt meum de tuo, & cape tibi.* |

hæc

*& ve-*

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XII.

1 HI ſunt autem Sacerdotes & Leuitæ,qui aſcen-
derunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Io-
ſue: Saraia,Ieremias,Eſdras,
2 Amaria,Melluch,Hattus,
3 Sebenias,Rheum,Merimuth,
4 Addo,Genthon,Abia,
5 Miamin,Madia,Belga,
6 Semeia,& Ioarib,Idaia,Sellum,Amoc,Helcias,
7 Idaia. Iſti principes Sacerdotum, & fratres eorum
in diebus Ioſue.
8 Porro Leuitæ,Ieſua,Bennui,Cedmihel,Sarebia, Iu-
da,Mathanias,ſuper hymnos ipſi & fratres eorum:
9 Et Becbecia atque Hanni, & fratres eorum vnuſ-
quiſque in officio ſuo.
10 Ioſue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Elia-
ſib,& Eliaſib genuit Ioiada.
11 Et Ioiada genuit Ionathan,& Ionathan genuit Ied-
doa.
12 In diebus autem Ioacim erant Sacerdotes & prin-
cipes familiarum: Saraiæ, Maraia: Ieremiæ, Ha-
nania:
13 Eſdræ,Moſollam: Amariæ,Iohanan:
14 Milicho,Ionathan,Sebeniæ Ioſeph:
15 Haram,Edna: Maraioth,Helci:
16 Adaiæ,Zachariæ: Genthon,Moſollam,
17 Abiæ,Zechri: Miamin & Moadiæ,Phelti:
18 Belgæ,Sammua: Semaiæ,Ionathan,
19 Ioiarib,Mathanai: Iodaiæ,Azzi:
20 Sellai,Celai: Amoc,Heber:
21 Helciæ,Haſebia: Idaiæ,Nathanael.
22 Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanan, &
Ieddoa ſcripti principes familiarum, & Sacerdotes
in regno Darij Perſæ.
23 Filij Leui principes familiarum, ſcripti in Libro ver-
borum dierũ & vſque ad dies Ionathan,filij Eliaſib.
24 Et principes Leuitarum, Haſebia, Sarebia, & Ioſue
filius Cedmihel: & fratres eorum per vices ſuas, vt
laudarent & confiterentur iuxta præceptum Dauid
viri Dei,& obſeruarent æque per ordinem.
25 Mathania,& Becbecia, Obedia,Moſollam,Telmon,
Accub cuſtodes portarum & veſtibulorum ante
portas.
26 Hi in diebus Ioacim filij Ioſue,filij Ioſedec,& in die-
bus Nehemiæ ducis, & Eſdræ ſacerdotis ſcribæque.

In

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XII.

1 *ISti ſunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, qui aſcen-
derunt cum Zerubabel filio Sealthiel,& Iehoſuah:
Seraiah,Irmeiah,Hezra,*
2 *Amariah,Malluch,Chattus,*
3 *Sechaniah,Rechum,Meremoth,*
4 *Hiddo,Ghinnethoi,Abijah,*
5 *Mijamin,Mahadiah,Bilghah,*
6 *Semahiah,& Ioiarib,Iedahiah,*
7 *Salum,Hamoch,Chilchijah,Iedaiah. Iſti principes
Sacerdotum,& fratres eorum in diebus Ieſuah.*
8 *Et Leuitæ,Ieſuah,Binnui,Chadmiel,Serebiah,Iehu-
dah,Matthaniah ſuper hymnos,ipſe & fratres eorũ.*
9 *Et Bacbuchiah, & Hunni fratres eorum coram eis
in cuſtodijs.*
10 *Et Ieſuah genuit Ioiachim, & Ioiachim genuit E-
liaſib,& Eliaſib genuit Ioiadah.*
11 *Et Ioiadah genuit Ionathan, & Ionathan genuit
Iadduah.*
12 *In diebus autem Ioiachim erant ſacerdotes princi-
pes familiarum ipſi Seraiah,Meraiah, ipſi Irmeiah,
Chananiah:*
13 *Ipſi Hezra,Meſullam: ipſi Amariah, Iehochanan:*
14 *Ipſi Meluchu,Ionathan: ipſi Sebaniah,Ioſeph:*
15 *Ipſi Charim,Adna: ipſi Meraioth,Chelchai:*
16 *Ipſi Iddo, Zechariah: ipſi Ghinnethon, Meſullam:*
17 *Ipſi Abijah,Zichri: ipſi Miniamin: ipſi Moadiah,
Piltai:*
18 *Ipſi Bilgah,Sammuah: ipſi Semahiah,Iehonathan:*
19 *Et ipſi Ioiarib,Matthenai: ipſi Iedahiah,Hozi:*
20 *Ipſi Sallai,Chellai: ipſi Hamoch,Heber:*
21 *Ipſi Chilchijah,Chaſabiah: ipſi Iedahiah,Nethanel:*
22 *Leuitæ in diebus Eliaſib, Ioiadah, & Iochanan, &
Iadduah ſcripti principes familiarum, & ſacerdotes
vſque ad regnum Dareaues Perſæ.*
23 *Filij Leui principes familiarum ſcripti in Libro ver-
borum dierum, vſque ad dies Iochanan,filij Eliaſib.*
24 *Et principes Leuitarum Chaſabiah,Serebiah,& Ie-
ſuah filius Chadmiel,& fratres eorum coram eis ad
laudandum,ad confitendum, iuxta præceptum Da-
uid viri Dei cuſtodia contra cuſtodiam.*
25 *Matthaniah,& Bacbuchiah, Hobadiah, Meſullam,
Talmon,Haccub, cuſtodes ianitores in cuſtodia in li-
minibus portarum.*
26 *Hi in diebus Ioiachim filij Ieſuah,filij Ioſadac,& in
diebus Nechemiah ducis,et Hezræ ſacerdotis ſcribæ.*

*In*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XII.

ET hi Sacerdotes,& Leuitæ,qui aſcenderunt cum Zorobabel filio Salathiel,& Ieſu, Saraia,Hieremia, Eſdra,
2 Amaria,Maluc,Sechenia. 7 Iſti principes ſacerdotum,& fratres eorum in diebus
Ieſoi. 8 Et Leuitæ,Ieſu,Banui,Cadmiel,Sarabia Iodae,Matthania, ſuper manus ipſe & fra-
tres eorum in vices. 10 Et Ieſus genuit Ioacim: & Ioacim genuit Eliaſib: & Eliaſib
Iodae: 11 & Iodae genuit Ionathan: & Ionathan genuit Iadu. 12 Et in
diebus Ioacim fratres eius ſacerdotes,& principes patriarum,ipſi Saraia Amaria,ipſi Hieremia Anania,
13 ipſi Eſdræ Meſulam,ipſi Amaria Ioanan, 14 ipſi Amaluch Ionathan,ipſi Seche-
nia Ioſeph, 15 ipſi Are Mannas,ipſi Marioth Elcai, 16 ipſi Adaia
Zacharia,ipſi Ganathoth Meſolam, 17 ipſi Abia Zechri,ipſi Miamin Maadai,ipſi Phe-
leti, 18 ipſi Balgas Samue,ipſi Semia Ionathan, 19 ipſi Ioarib Ma-
thanai,ipſi Edio Ozi 20 ipſi Salai Callai,ipſi Amec Abed, 21 ipſi El-
cia Aſabias ipſi Iedeihu Nathanael. 22 Leuitæ in diebus Eliaſib,Ioada,& Ioa,& Ioanan,&
Idua ſcripti principes patriarum,& ſacerdotes in regno Darij Perſæ: 23 Filij autem Leui
principes patriarum ſcripti in Libro verborum dierum,& vſque ad dies Ioanan filij Eliſue.
24 Et principes Leuitarum Aſabia,& Sarabia,& Ieſu: & filij Cadmiel, & fratres eorum ante eos ad hymnum ad
laudandum in mandato Dauid hominis Dei,vicem ad vicem.
25 In congregando me ianitores
26 in diebus Ioacim filij Ieſu,filij Ioſedec,& in diebus Neemia,& Eſdras ſacerdos,& ſcriba.

Et in

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

27 In dedicatione autem muri Ieruſalem requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis vt adducerent eos in Ieruſalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, & pſalterijs, & citharis.

28 Congregati ſunt autem filij cantorum de campeſtribus circa Ieruſalem, & de villis Nethuphati,

29 Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaueth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalem.

30 Et mundati ſunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.

31 Aſcendere autem feci principes Iuda ſuper murum, & ſtatui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram ſuper murum ad portam ſterquilinij.

32 Et iuit poſt eos Oſaias, & media pars principum Iuda,

33 Et Azarias, Eſdras, & Moſollam, Iudas, & Beniamin, & Semeia, & Ieremias.

34 Et de filijs ſacerdotum in tubis, Zacharias filius Ionathan, filius Semeia, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Aſaph,

35 Et fratres eius Semeia, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Iudas, & Hanani, in vaſis cantici Dauid viri Dei: & Eſdras ſcriba ante eos in porta Fontis.

36 Et contra eos aſcenderunt in gradibus ciuitatis Dauid in aſcenſu muri ſuper domum Dauid, & vſque ad portam Aquarum ad Orientem.

37 Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex aduerſo, & ego poſt eum, & media pars populi murum & ſuper turrim furnorũ, & vſque ad murũ latiſſimũ,

38 Et ſuper portam Ephraim, & ſuper portam antiquã, & ſuper portam piſcium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & vſque ad portam gregis: & ſteterunt in porta cuſtodiæ,

39 Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magiſtratuum mecum.

40 Et ſacerdotes, Eliachim, Maaſia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis,

41 Et Maaſia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Aelam, & Ezer. Et clare cecinerunt cantores, & Iezraia propoſitus:

42 Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: Deus enim lætificauerat eos lætitia magna, ſed & vxores eorum & liberi gauiſi ſunt, & audita eſt lætitia Ieruſalem procul.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et in dedicatione muri Ieruſalaim quæſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt adducerent eos in Ieruſalaim, vt facerent dedicationem, & lætitiam, & in confeſſionibus, & in cantico, cymbalis, pſalterijs, & citharis.*

28 *Et congregati ſunt filij cantorum, & de planitie circa Ieruſalaim, & de villis Nethophathi.*

29 *Et de domo Ghilghal, & de agris Ghebah, & Hazmaueth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores, in circuitu Ieruſalaim,*

30 *Et mundati ſunt ſacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.*

31 *Et aſcendere feci principes Iehudah ſuper murum, & ſtatui duos choros magnos, & ambulatores ad dexteram ſuper murum ad portam ſtercorum.*

32 *Et iuit poſt eos Hoſahiah, & dimidium principum Iehudah.*

33 *Et Hazariah, Hezra, & Meſullam, & Iehudah, & Biniamin, & Semahiah, & Irmeiah.*

34 *Et de filijs ſacerdotum cum tubis Zachariah filius Ionathan, filij Semahiah, filij Matthaniah, filij Michaiah, filij Zacchur, filij Aſaph.*

35 *Et fratres eius Semahiah, & Hazarel, Millalai, Ghillalai, Mahai, Nethanel, & Iehudah, Chanani cum inſtrumentis muſicis Dauid viri Dei, & Hezra ſcriba ante eos: & ad portam fontis,*

36 *Et contra eos aſcenderunt ſuper gradus ciuitatis Dauid in aſcenſu ad murum ſuper domum Dauid, vſque ad portam Aquarum ad Orientem.*

37 *Et chorus ſecundus ibat ex aduerſo populi ſuper murum, ſuper turrim furnorum vſque ad murum latum.*

38 *Et ſuper portam Ephraim & ſuper portam veterem & ſuper portam piſcium, & turrim Chananel, & turrim Meah &, vſque ad portam pecorum: & ſteterunt in porta cuſtodiæ.*

39 *Steteruntque duo chori in domo Dei, & ego, & dimidium magiſtratuum mecum.*

40 *Et ſacerdotes Eliachim, & Mahaſeiah, Miniamin, Michaiah Eliohenai, Zechariah, Chananiah cũ tubis*

41 *Et Mahaſeiah, & Semahiah, & Elhazar, & Huzzi, & Iehochanan, & Malchijah, & Helã, & Hazar. Et audite fecerũt cantores, & Izrachiah præpoſitus.*

42 *Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: Deus enim lætificauit eos lætitia magna, & etiam vxores, & nati lætati ſunt, & audita eſt lætitia Ieruſalaim procul.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et in Encænijs muri Hieruſalem quæſierunt Leuitas in locis eorum ad adducendum eos in Hieruſalem ad faciendum Encænia, & lætitiam in Thodathi, & in canticis, pulſantes cymbala, & pſalteria, & citharæ.

28 Et congregati ſunt filij cantorum, & de adiacente regione in circuitu in Hieruſalem,

29 & de villis, & de agris: quoniam villas ædificauerant ſibi cantores in Hieruſalem.

30 Et mundati ſunt ſacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & ianitores, & murum.

31 Et aſcendere fecerunt principes Iuda ſuper murum: & ſtatuerunt duos pro laudatione magnos, & tranſierunt à dextris ſuper murum ſtercoris.

32 Et ierunt poſt eos Oſaia & dimidium principum Iuda,

33 & Azarias, & Eſdras, & Meſollam, & Iuda, & Beniamin, & Samarias, & Hieremias,

34 & de filijs ſacerdotum in tubis, Zacharias, filius Ionathan, filius Samaia, filius Matthania, filius Michæa, filius Zacchur, filius Aſaph.

35 Et fratres eius, Samaia, & Oziel, Gelol, Iamã, Aia, Nathanael, & Iuda, Anani, ad laudandum in canticis Dauid hominis Dei. Et Eſdras ſcriba ante eos ſuper portam ad laudandum ante eos.

36 Et aſcenderunt ſuper ſcalas ciuitatis Dauid in aſcenſione muri deſuper domo Dauid, vſque ad portam aquæ.

38 Ephræm, & ſuper portam piſcium, & turri Arameel, & vſque ad portam gregis. Textus hic mutil' eſt.

41 Et auditi ſunt cantores, & viſitati ſunt.

42 Et ſacrificauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: quoniam Deus lætificauit eos magnifice. Et vxores eorum, & filij eorum lætati ſunt: & audita eſt lætitia in Hieruſalem à longe.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

43 Recenſuerunt quoque in die illa viros ſuper gazophilacia theſauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas: quia lætificatus eſt Iuda in Sacerdotibus & Leuitis aſtantibus.

44 Et cuſtodierunt obſeruationem Dei ſui, & obſeruationem expiationis, & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius,

45 Quia in diebus Dauid & Aſaph ab exordio erant principes conſtituti cantorum in carmine laudantium, & confitentium Deo.

46 Et omnis Iſrael, in diebus Zerobabel, & in diebus Nehemiæ dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies ſingulos, & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aaron.

### CAP. XIII.

1 IN die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi audiente populo: & inuentum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in eccleſiam Dei vſque in æternum:

2 Eo quod non occurrerint filijs Iſrael cum pane & aqua: & conduxerint aduerſum eos Balaam, ad maledicendum eis: & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem.

3 Factum eſt autem, cum audiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſrael.

4 Et ſuper hoc erat Eliaſib ſacerdos, qui fuerat præpoſitus in gazophylacio domus Dei noſtri, & proximus Tobiæ.

5 Fecit ergo ſibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vaſa, & decimam frumenti, vini, & olei, & partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias ſacerdotales.

6 In omnibus autem his non fui in Ieruſalem, quia anno trigeſimo ſecundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, & in fine dierum rogaui regem.

7 Et veni in Ieruſalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliaſib Tobiæ vt faceret ei theſaurum in veſtibulis domus Dei.

8 Et malum mihi viſum eſt valde. Et proieci vaſa domus Tobiæ foras de gazophylacio:

9 Præcepique & emundauerunt gazophylacia: & retuli ibi vaſa domus Dei, ſacrificium, & thus.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*43 Et conſtituti ſunt in die illa viri ſuper cubicula, ſuper theſauros, ſuper donata, ſuper primitias, & ſuper decimas, ad coaceruandum in ea ex agris ciuitatum partes legis, ſacerdotibus, & Leuitis: Lætitia enim Iehudah erat ſuper ſacerdotibus, & Leuitis qui ſtabant.*

*44 Et cuſtodierunt cuſtodiam Dei ſui, & cuſtodiam expiationis: & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Selomoh filij eius.*

*45 Quia in diebus Dauid, & Aſaph ab exordio erant principes cantorum cantici, hymni, & confeſſionum Deo.*

*46 Et omnis Iſrael in diebus Zerubabel, & in diebus Nehemiah dabant partes cantorum, & ianitorum per ſingulos dies: & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aharon.*

### CAP. XIII.

*1 IN die illo lectum eſt in libro Moſeh in auribus populi, & inuentum eſt ſcriptum in eo quod non ingrediantur Hammonites, & Moabites eccleſiam Dei vſque in ſæculum.*

*2 Quia non præuenerunt filios Iſrael cum pane, & aquis, ſed conduxit aduerſus eum Bilham ad maledicendum ei: & conuertit Deus veſter maledictionem in benedictionem.*

*3 Et fuit, cum audiſſent legem, ſeparauerunt omnem mixturam ab Iſrael.*

*4 Et ante hoc Eliaſib ſacerdos, fuerat præpoſitus cubiculo domus Dei noſtri, propinquus ipſi Thobijah.*

*5 Et fecit ſibi cubiculum grande, & ibi ante hoc ponebant munera, thus, & vaſa, & decimam frumenti, & vini, & olei iuſſam vt detur Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & oblationem ſacerdotum.*

*6 Et in omni hoc non fui in Ieruſalaim, quia anno trigeſimo, & ſecundo Arthachſaſtha regis Babel veni ad regem, & in fine dierum poſtulaui à rege.*

*7 Et veni in Ieruſalaim, & intellexi malum quod fecerat Eliaſib propter Thobijah, vt faceret ei cubiculum in atrijs domus Dei.*

*8 Et diſplicuit mihi valde, & proieci omnia vaſa domus Thobijah extra cubiculum.*

*9 Et dixi, & mundauerunt cubicula, & retuli illuc vaſa domus Dei, oblationem, & thus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

43 Et conſtituerunt in die illa viros ſuper gazophilacia, theſauris, primitijs, & decimis, & congregatis in ipſis principibus ciuitatum partes ſacerdotibus & Leuitis: quoniam lætitia in Iuda ſuper ſacerdos, & ſuper Leuitas ſtantes. 44 Et cuſtodierunt cuſtodias Dei ſui, & cuſtodias mundationis & cantores, & ianitores; ſicut mandata Dauid, & Salomon filij eius. 45 Quoniam in diebus Dauid Aſaph ab initio primus cantorum, & hymnum, & laudem Deo. 46 Et omnis Iſrael in diebus Zorobabel, & in diebus Neemiæ dantes partes cantorum, & ianitorum, verbum diei in die eius, & ſanctificantes Leuitis, & Leuitæ ſanctificantes filijs Aaron.

### CAP. XIII.

IN illa die lectum eſt in libro Moyſi in auribus populi. E inuentum eſt ſcriptum in eo, vt nõ ingrediantur Ammanitæ, & Moabitæ in eccleſiam Dei vſque in ſæculum: 2 quoniam non occurrerunt filijs Iſrael in pane, & aqua, & conduxerunt ſuper eum Balaam ad maledicendum: & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem. 3 Et factum eſt, vt audierunt legem, & ſeparati ſunt omnis admiſtus in Iſrael. 4 Et ſuper hoc Eliaſib ſacerdos habitans in gazophilacio domus Dei noſtri propinquus Tobiæ. 5 Et fecit ſibi gazophilacium magnum. Et ibi fuerant antea dantes manaa, & thus, & vaſa, & decimam frumenti, & vini, & olei, mãdatum Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias ſacerdotum. 6 Et in omni hoc non fui in Hieruſalem: quoniam in anno trigeſimo & ſecundo Arthaſaſthã regis Babylonis veni ad regem, & poſt finem dierum petij à rege, 7 & veni in Hieruſalem: & intellexi in malo, quod fecerat Eliaſib Tobiæ, faciendo ei gazophilacium in atrio domus Dei. 8 Et malum mihi viſum eſt valde: & proieci omnia vaſa domus Tobiæ foras de gazophilacio. 9 Et dixi, & mundauerunt gazophilacia. Et retuli illuc vaſa domus Dei, manaa, & thus.

Et co-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Et cognoui quod partes Leuitarum non fuiſſent datæ: & fugiſſet vnuſquiſque in regionem ſuam de Leuitis, & cantoribus, & de his, qui miniſtrabant:

11 Et egi cauſam aduerſus magiſtratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci ſtare in ſtationibus ſuis.

12 Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea.

13 Et conſtituimus ſuper horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc ſcribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati ſunt, & ipſis creditæ ſunt partes fratrum ſuorum.

14 Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miſerationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis eius.

15 In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in ſabbato, portantes aceruos, & onerantes ſuper aſinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ieruſalem die ſabbati. Et conteſtatus ſum vt in die qua vendere liceret, venderent.

16 Et Tyrii habitauerunt in ea inferentes piſces, & omnia venalia: & vendebant in ſabbatis filiis Iuda in Ieruſalem:

17 Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis: Quæ eſt hæc res mala, quam vos facitis & profanatis diem ſabbati?

18 Numquid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam ſuper Iſrael violando ſabbatum.

19 Factum eſt autem, cum quieuiſſent portæ Ieruſalem in die ſabbati, dixi: & clauſerunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vſque poſt ſabbatum: & de pueris meis conſtitui ſuper portas vt nullus inferret onus in die ſabbati.

20 Et manſerunt negotiatores, & vendentes vniuerſa venalia foris Ieruſalem ſemel & bis.

21 Et conteſtatus ſum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerſo muri? ſi ſecundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in ſabbato.

22 Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad cuſtodiendas portas, & ſanctificandam diem ſabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi ſecundum multitudinem miſerationum tuarum.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et cognoui quod pars Leuitarum non eſſet data, & quod fugiſſent vnuſquiſque ad agrum ſuum, Leuitæ & cantores facientes opus.*

11 *Et increpaui magiſtratus, & dixi: Cur dereliquimus domum Dei? & congregaui eos, & ſtare feci eos in loco ſuo.*

12 *Et omnis Iehudah attulerunt decimam frumenti, vini, & olei ad theſauros.*

13 *Et conſtitui theſaurarios ſuper theſauros, Selemiah ſacerdotem, & Sadoc ſcribam, & Pedaiah de Leuitis, & iuxta manum eorum Chanan filium Zacchur filii Matthaniah, quia fideles reputati ſunt, & ſecundum eos ad diuidendum fratribus ſuis.*

14 *Memento mei Deus propter hoc, & ne deleas miſericordias meas, quas feci in domo Dei mei, & in obſeruationibus eius.*

15 *In diebus illis vidi calcantes torcularia in ſabbato, & afferentes aceruos, & onerantes ſuper aſinos, & etiam vinum, vuas, & ficus, & omne onus, & afferentes in Ieruſalaim in die ſabbati: & conteſtatus ſum diem qua venderent eſcam.*

16 *Et Sorim habitauerunt in ea, afferentes piſces, & omne venale, & vendebant in ſabbato filiis Iehudah, in Ieruſalaim.*

17 *Et obiurgaui optimates Iehudah, & dixi eis: Quod malum eſt hoc quod facitis, & prophanatis diem ſabbati?*

18 *Nonne ſic fecerunt patres veſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem iſtam? & vos additis iracundiam ſuper Iſrael, violando ſabbatum?*

19 *Et fuit cum obumbratæ eſſent portæ Ieruſalaim ante ſabbatũ, & dixi: Et clauſæ ſunt valuæ, & dixi, vt non aperirent eas niſi poſt ſabbatum: & de pueris meis ſtatui in portis, vt non introduceretur onus in die ſabbati.*

20 *Et remanſerunt negotiatores, & venditores omnis venalis extra Ieruſalaim ſemel, & iterum.*

21 *Et conteſtatus ſum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerſo muri? Si irritaueritis, manum mittam in vos. A tempore illo non venerunt in ſabbato.*

22 *Dixique Leuitis, vt eſſent mundati, & venirent cuſtodes portarum ad ſanctificandum diem ſabbati: etiam propter hoc memento mei Deus mi, & parce mihi ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.*

*Etiam*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et cognoui, quia partes Leuitarum non fuerant datæ: & fugerant vir in agrum ſuum, Leuitæ, & cantores, facientes opus.
11 Et concertaui cum magiſtratibus, & dixi: Cur derelicta eſt domus Dei? Et congregaui eos, & ſtatui eos in ſtatione ipſorum.
12 Et omnis Iuda attulerunt decimam tritici, & vini, & olei in theſauros
13 ſuper manum Selemia ſacerdotis, & Sadoc ſcribæ, & Phadaia ex Leuitis. Et ad manum eorum Anan filius Zahur filius Matthania, quoniam fideles putati ſunt: ſuper eos diſtribuere fratribus ſuis.
14 Memento mei Deus in hoc; non deleatur miſericordia mea, quam feci in domo Domini Dei.
15 In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in ſabbato, & ferentes manipulos, & onerantes ſuper aſinos, & vinum & vuam, & ficus, & omne onus, & ferentes in Hieruſalem in die ſabbati. Et conteſtatus ſum in die venditionis eorum.
16 Et ſederunt in ea ferentes piſcem, & omnem venditionem vendentes ſabbato filiis Iuda, & in Hieruſalem.
17 Et concertaui cum filiis Iuda ingenuis, & dixi eis: Quod verbum hoc malum, quod vos facitis? & polluitis diem ſabbati?
18 Nonne ſic fecerunt patres veſtri; & adduxit ſuper eos Deus noſter, & ſuper nos omnia mala hæc, & ſuper ciuitatem hanc? Et vos additis iram ſuper Iſrael polluendo ſabbatum.
19 Et factum eſt, quando conſtiterunt portæ in Hieruſalem ante ſabbatum, & dixi, & clauſerunt portas: & dixi, vt illæ non aperirentur vſque poſt ſabbatum. Et de pueris meis ſtatui ſuper portas, vt non tollerent onera in die ſabbati.
20 Et commorati ſunt omnes, & fecerunt venditionem extra Hieruſalem ſemel, & bis:
21 & conteſtatus ſum in eis, & dixi ad eos: Cur vos commoramini ante murum? ſi iteraueritis; extendam manum meam in vos. A tempore illo non venerunt in ſabbato.
22 Et dixi Leuitis, qui erant mundati, & venientes cuſtodientes portas ſanctificare diem ſabbati. Ad hæc memento mei Deus, & parce mihi ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.

## Vulgata Editio.

13 Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas & Moabitidas.

14 Et filij eorum ex media parte loquebantur Azotice & neſciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.

15 Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias ſuas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs ſuis, & ſibimetipſis, dicens:

16 * Numquid non in huiuſcemodi re peccauit Salomon rex Iſrael? & certe in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus regem ſuper omnem Iſrael: * & ipſum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.

*3. Reg. 3. 7.

* 3. Reg. 11. 1.

17 Numquid & nos inobedientes faciemus omnem malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo noſtro & ducamus vxores peregrinas?

18 De filijs autem Ioiada filij Eliaſib ſacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugaui à me.

19 Recordare Domine Deus meus aduerſum eos, qui polluunt ſacerdotium, iuſque Sacerdotale & Leuiticum.

20 Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & conſtitui ordines Sacerdotum, & Leuitarum, vnumquemque in miniſterio ſuo:

31 Et in oblatione lignorum in temporibus conſtitutis & in primitiuis: memento mei Deus meus in bonum. Amen.

L I-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pag.

23 *Etiam in diebus illis, vidi Iehudæos, qui duxerant vxores Aſdodytidas, Hammonitidas, Moabytidas.*

24 *Et filij eorum partim loquebantur aſdodice, & neſciebant loqui Iehudaice, ſed ſecundum linguam cuiuſque populi.*

25 *Et contendi cum eis, & maledixi eis, & percuſſi ex eis aliquos, & capillos euulſi eis, & adiuraui eos per Deum: ſi dederitis filias veſtras filijs eorum, & ſi acceperitis de filiabus eorum filijs veſtris, & vobis:*

26 *Nonne propter iſtas peccauit Selomoh rex Iſrael? Et in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus regem ſuper Iſrael: Etiam eum peccare fecerunt mulieres alienigenæ.*

27 *Et vobis numquid obediamus, vt faciamus omne malum grande hoc, vt præuaricemus in Deum noſtrum, ducendo vxores alienigenas?*

28 *De filijs autem Iehoiadah filij Eliaſib ſacerdotis magni, gener erat ipſi Sanballath Choronita, & fugaui eum à me.*

29 *Recordare eorum Deus mi contra eos qui polluunt ſacerdotium, & pactum ſacerdotij, & Leuitarum.*

30 *Et mundaui eos ab omni alienigena, & ſtatui obſeruantias ſacerdotibus, & Leuitis, vnicuique in opere ſuo.*

31 *Et oblationi lignorum in temporibus conſtitutis, & primitiuis: recordare mei Deus mi in bonum.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et in diebus illis vidi Iudæos, qui habitare fecerant vxores Azotias, Ammanitidas, Moabitidas:
24 & filij eorum dimidium loquentes Azotice: & non ſunt ſcientes loqui iudaice. 25 Et concertaui
cum eis, & execratus ſum eos: & percuſſi in eis viros, & decalunai eos, & adiuraui eos in Deo: Si dederitis filias
veſtras filijs eorum, & ſi acceperitis de filiabus eorum filijs veſtris. 26 Nonne ſic peccauit Salomon
rex Iſrael? & in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo erat, & dederat eum Deus in regem ſuper
omnem Iſrael: & hunc declinare fecerunt mulieres alienæ. 27 Et vos numquid audiemus facere
omne malum hoc, præuaricari in Deum noſtrum, ducendo vxores alienas? 28 Et de filijs Ioada filij
Eliſub ſacerdotis magni, generis Sanaballat Vranitæ, & expuli eum à me. 29 Memor eſto eis Deus
ſuper abdicatione ſacerdotis, & teſtamento ſacerdotij, & Leuitas. 30 Et mundaui eos ab omni alienatione, & ſtatui vices ſacerdotibus, & Leuitis, vir, ſicut opus eius. 31 Et donum portantium ligna in
temporibus à temporibus, & in Bacchurijs. Memento mei Deus in bonitatem.

# FINIS LIBRI SECVNDI ESDRÆ.

LIBRI

# LIBRI TOBIÆ.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 TObias ex tribu,& ciuitate Nephthali (quæ
eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſ-
ſon,poſt viam, quæ ducit ad Occidentem,
in ſiniſtro habens ciuitatem Sephet )
a 4. Reg. 17.3. & 18.9.
2 a Cũ captus eſſet in diebus Salmanaſar regis Aſſy-
riorum, in captiuitate tamen poſitus, viam veritatis
non deſeruit,
3 Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie conca-
ptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, imperti-
ret.
4 Cumque eſſet iunior omnibus in tribu Nephthali,
nihil tamen puerile geſſit in opere.

a 3. Reg. 12.28.
5 Denique cum irent omnes ad vitulos aureos,a quos
Ieroboam fecerat rex Iſrael,hic ſolus fugiebat con-
ſortia omnium,
6 Sed pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, &
ibi adorabat Dominum Deum Iſrael, omnia primi-
tiua ſua,& decimas ſuas fideliter offerens,

7 Ita vt in tertio anno proſelytis,& aduenis miniſtra-
ret omnem decimationem.
8 Hæc & his ſimilia ſecundum legem Dei puerulus
obſeruabat.
9 Cum vero factus eſſet vir, accepit vxorem Annam
de tribu ſua, genuitque ex ea filium, nomen ſuum
imponens ei,
10 Quem ab infantia timere Deum docuit,& abſtine-
re ab omni peccato.
11 Igitur, cum per captiuitatem deueniſſet cum vxore
ſua,& filio in ciuitatem Niniuen cũ omni tribu ſua,
12 (Cum omnes ederent ex cibis Gentilium) iſte cu-
ſtodiuit animam ſuam, & numquam contaminatus
eſt in eſcis eorum.
13 Et quoniam memor fuit Domini in toto corde
ſuo, dedit illi Deus gratiam in conſpectu Salmana-
ſar regis,
14 Et dedit illi poteſtatem quocumque vellet ire, ha-
bens libertatem quæcumque facere voluiſſet.
15 Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate,
& monita ſalutis dabat eis.
16 Cum autem veniſſet in Rages ciuitatem Medorũ,
& ex his,quibus honoratus fuerat à rege, habuiſſet
decem talenta argenti:
17 Et cum in multa turba generis ſui Gabelum egen-
tem videret,qui erat ex tribu eius,ſub chirographo
dedit illi memoratum pondus argenti.
18 Poſt multum vero temporis, mortuo Salmanaſar
rege, cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo &
filios Iſrael exoſos haberet in conſpectu ſuo:



# LIBRI TOBIT.

## Transl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 *LIber verborum Tobit filÿ Tobiel filÿ Ananiel
filÿ Aduel filÿ Gabael de ſemine Aſiel, de
tribu Nephthali,*
2 *Qui captiuus ductus eſt in diebus Enemeſſari regis
Aſſyriorũ, è Thisbes, quæ eſt à dextris Cydios Neph-
thali in Galilæa ſuper Aſer. Ego Tobit in vÿs verita-
tis ambulabam,& iuſtitia,omnibus diebus vitæ meæ,*
3 *Et eleemoſynas multas feci fratribus meis, &
genti, profectis mecum in regionem Aſſyriorum in
Niniue.*
4 *Et quando eram in regione mea in terra Iſrael, cum
ego eſſem iunior, vniuerſa tribus Nephthali patris
mei receſſit à domo Hieroſolymorum,quæ fuerat ele-
cta ex omnibus tribubus Iſrael, vt omnes tribus ſa-
crificarent: & ſanctificatum fuerat templum habi-
tationis altiſſimi,& ædificatum fuerat in omnes ge-
nerationes ſæculi.*
5 *Et omnes tribus, quæ ſimul receſſerant, ſacrifica-
bant ipſi Baal ipſi vitulæ, & domus Nephthali pa-
tris mei.*
6 *Et ego ſolus ibam ſæpe in Hieroſolyma in feſtiuitati-
bus, ſicut ſcriptum eſt omni Iſrael in præcepto æter-
no,primitias,& decimas geniminum, & primas ton-
ſuras habens: & dabam eas ſacerdotibus filÿs Aarõ
ad altare omnium geniminum: decimam dabã filÿs
Leui miniſtrantibus in Hieruſalem, & ſecũdam de-
cimam diuendebam, & ibam & expendebam eã in
Hieroſolymis per ſingulos annos:*
7 *Et tertiam dabam, quibus conueniebat, ſicut man-
dauerat Debbora mater patris mei:*
8 *Propterea, quod orphanus relictus ſum à patre
meo.*
9 *Et, quando factus ſum vir, accepi Annam vxorem
de ſemine patriæ meæ: & genui ex ea Tobiam.*
10
11 *Et quando captiui ducti ſumus in Niniue,*
12 *Omnes fratres mei,& qui de genere meo,comedebãt
de panibus gentium: ego autem conſeruaui animam
meam,vt non manducarem;*
13 *Sicut memineram Dei in tota anima mea. Et dedit
altiſſimus gratiam, & formam in conſpectu Ene-
meſſari;*
14 *Et fui eius emptor.*
15
16 *Et iui in Mediam,*
17 *Et depoſui Gabaelo fratri Gabriæ in Ragis Mediæ,
argenti talenta decem.*
18 *Et quando mortuus eſt Enemeſſar; regnauit Senna-
cherim filius eius pro eo: & viæ eius infirmatæ ſunt:
& non vltra potui ire in Mediam.*

## Vulgata Editio.

19 Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam,& conſolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat,de facultatibus ſuis:

20 Eſurientes alebat,nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis, atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat.

* 4. Reg. 19.35. Eccl. 48. 24.

21 *Denique cum reuerſus eſſet rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam,quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filijs Iſrael, Tobias ſepeliebat corpora eorum.

22 At vbi nunciatum eſt regi,iuſſit eum occidi, & tulit omnem ſubſtantiam eius.

23 Tobias vero cum filio ſuo, & cum vxore fugiens, nudus latuit,quia multi diligebant eum.

* Eſa. 37. 38. 2. Mac. 8. 19. 1. Par. 32. 21.

24 * Poſt dies vero quadragintaquinque occiderunt regem filij ipſius,

25 Et reuerſus eſt Tobias in domum ſuam, omniſque facultas eius reſtituta eſt ei.

### CAP. II.

1 POſthæc vero, cum eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ,

2 Dixit filio ſuo: Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra,timentes Deum,vt epulentur nobiſcum.

3 Cumque abijſſet,reuerſus nunciauit ei, vnum ex filijs Iſrael iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus:

4 Tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet,cautè ſepeliret eum.

5 Cumque occultaſſet corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore,

6 Memorans illum ſermonem, quem dixit Dominus * per Amos prophetam: Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem,& luctum.

* Amos 8. 10. 1. Mac. 1. 14.

7 Cum vero ſol occubuiſſet,abijt,& ſepeliuit eum.

8 Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iā huius rei cauſa interfici iuſſus es,& vix effugiſti mortis imperium,& iterum ſepelis mortuos?

* Sup. 1. 23.

9 * Sed & Tobias plus timens Deum, quam regem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua,& medijs noctibus ſepeliebat ea.

10 Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura,veniens in domum ſuam,iactaſſet ſe iuxta parietem,& obdormiſſet,

11 Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretque cæcus.

## Transl. ex Septuag.

19 *Et in diebus Emeneſſari eleemoſynas multas faciebam fratribus meis:*

20 *Panes meos dabam eſurientibus, & veſtimenta nudis: & ſi quem de genere meo aſpiciebam mortuum, & proiectum poſt murum Nineue, ſepeliebam eum:*

21 *Et ſi quem interfecerat Sennecherim rex, quando venit fugiens à Iudæa; ſepeliebam eos furatus: multos enim interfecit in furore ſuo. Et quæſita ſunt à rege corpora, & non ſunt inuenta.*

22 *Profectus autem vnus eorum, qui de Nineue, indicauit regi de me, quia ſepelio eos: & occultatus ſum.*

23 *Cognoſcens autē, quia quærer, vt moriar, timore perculſus ſeceſſi. Et direpta ſunt omnes ſubſtantia mea: & non remanſit mihi quicquam præter Annā vxorem meam, & Tobiam filium meum.*

24 *Et non tranſierunt dies quinquaginta, donec interfecerunt eum duo filij eius. Et fugerunt in montes Ararath. Et regnauit Sacherdonus filius eius pro eo: & conſtituit Achiacharum Anael filium fratris mei ſuper omnem computationem regni ſui, & ſuper omnem adminiſtrationem: & poſtulauit Achiacharus pro me: & veni in Nineue. Achiacharus autem erat pincerna, & ſuper annulum, & adminiſtrator, & computator. Et conſtituit eum Sacherdonus ſecundo: erat autem filius fratris mei.*

25 * *Quando autem deueni in domum meam; & reſtituta eſt mihi Anna vxor mea, & Tobias filius meus.*

* Hic incipit cap. in translat. ex Sept. Rom.

### CAP. II.

1 *IN Pentecoſte feſtiuitate, quæ eſt ſancta ſeptem hebdomadarum, factum eſt prandium bonum mihi: & accubui ad manducandum. Et aſpexi obſonia multa,*

2 *Et dixi filio meo: Vade, & adduc, quemcumque inueneris fratrum noſtrorum egentem, qui meminerit Domini: & ecce expecto te.*

3 *Et veniens dixit: Vnus de genere noſtro ſtrangulatus proiectus eſt in platea. Et ego, antequam ego guſtarem,*

4 *Exiliens tuli in domum quandam, donec occidit Sol.*

5 *Et reuerſus, laui me, & comedebam panem meum in triſtitia:*

6 *Et recordatus ſum prophetiæ Amos, quomodo dixit: Conuertentur dies feſti veſtri in luctum, & omnes lætitiæ veſtræ in lamentationem. Et ploraui:*

7 *Et quando occiderat Sol, abij, & fodiens ſepeliui eum.*

8 *Et proximi irridebant, dicentes: Non adhuc timet interfici pro re hac: & aufugit, & ecce rurſus ſepelit mortuos.*

9

10 *Et in ipſa nocte, redij, cum ſepeliſſem, & cubui pollutus iuxta murum atrij:*

11 *Et facies mea diſcooperta erat: & non vidi, quia paſſeres in muro erant: & oculis meis apertis immiſerunt paſſeres calidum in oculos meos: & facta ſunt albugines in oculis meis: & iui ad medicos: & non profuerunt mihi. Achiacharus autem nutriebat me, quoadusque profectus ſum in Elymaida.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

13 Nam cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus cõtra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei,

14 Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

15 Nam ſicut beato Iob inſultabant reges, ita iſti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes:

16 Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas?

17 Tobias vero increpabat eos dicens: Nolite ita loqui:

18 Quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.

19 Anna vero vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat.

20 Vnde factum eſt, vt hœdum caprarum accipiens detuliſſet domi:

21 Cuius cum vocem balantis vir eius audiſſet, dixit: * Videte, ne forte furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

* Deu. 28. 1.

22 * Ad hæc vxor eius irata reſpondit: Manifeſte vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt.

* Iob 2. 9.

23 Atque his, & alijs huiuſcemodi verbis exprobrabat ei.

### CAP. III.

1 TVnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis,

2 Dicens: Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas, & iudicium.

3 Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.

4 * Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus diſperſiſti nos.

* Deu. 28. 15.

5 Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus ſecundum præcepta tua, & non ambulauimus ſynceriter coram te.

6 Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam, fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam viuere.

7 Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipſa audiret improperium ab vna ex ancillis patris ſui,

8 Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.

9 Ergo cum pro culpa ſua increparet puellam, reſpondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum.

## Transl. ex Septuag.

19 *Et vxor mea Anna ſeruiebat in Gynecæis, & mittebat dominis: & reddiderunt ei etiam ipſi mercedem,*

20 *Addentes etiam hœdum.*

21 *Quando autem venit ad me, cœpit clamare. Et dixi ad eam: Vnde hœdus? nunquid furtiuus eſt? redde illum dominis: non enim licitum eſt manducare furtiuum. At illa dixit: donum mihi datum eſt ſuper mercedem. Et non credebam ei: & dicebam reddere illum dominis, & erubeſcebam aduerſus eam.*

22 *At illa reſpondens dixit mihi: Vbi ſunt eleemoſynæ tuæ, & iuſtitiæ tuæ? Ecce cognita omnia tecum.*

23

### CAP. III.

1 *ET triſtatus plorauí: & deprecatus ſum cum dolore,*

2 *Dicens: Iuſtus es Domine: & omnia opera tua, & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas: & iudicium verum, & iuſtum tu iudicas in ſæculum.*

3 *Memẽto mei, & reſpice ſuper me. Ne de me vindictã ſumas propter peccata mea, & ignorantias meas, & patrum meorum, quæ peccauerunt in conſpectu tuo.*

4 *Non enim obedierunt mandatis tuis: & dediſti nos in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & parabolam improperij omnibus gentibus, in quibus diſperſi ſumus.*

5 *Et nunc multa ſunt iudicia tua, & vera ex me ad faciendum pro peccatis meis, & patrum meorum: quoniam non fecimus mandata tua: non enim ambulauimus in veritate coram te.*

6 *Et nunc ſecundũ id, quod placet corã te fac mecum: præcipe recipere ſpiritum meum, vt diſſoluar, & fiã terra: quoniam expedit mihi mori, quàm viuere, quoniam improperia falſa audiui: & triſtitia multa eſt in me. Præcipe abſolui me de neceſſitate iam in æternum locum: ne auertas faciem tuam à me.*

7 *In eadem die contigit filia Raguel Sarræ in Ecbatanis Mediæ, & ipſam improperari ab ancilla patris ſui:*

8 *Quoniam data fuerat viris, ſeptem: & Aſmodæus malum dæmonium interfecerat eos; antequam illi fuiſſent cum ea, vt in vxoribus.*

9 *Et dixerunt ad eam: Non intelligis ſuffocans tu viros? Ecce ſeptem habuiſti: & vnius eorum non es nominata. Quid nos flagellas? Si mortui ſunt, vade cum eis: non videamus tuum filium, vel filiam in ſæculum.*

Num- Hæc

## Vulgat. Editio.

10 Numquid & occidere me vis,ſicut iam occidiſti ſeptem viros? Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit,neque bibit:
11 Sed in oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum,vt ab iſto improperio liberaret eam.
12 Factum eſt autem die tertia, dum compleret orationem,benedicens Dominum,
13 Dixit: Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum: qui cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his,qui inuocant te.
14 Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.
15 Peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me,aut certe deſuper terram eripias me.
16 Tu ſcis Domine,quia numquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia.
17 Numquam cum ludentibus miſcui me: neque cum his,qui in leuitate ambulant,participem me præbui.
18 Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.
19 Et,aut ego indigna fui illis, aut illi forſitan me non fuerunt digni: quia forſitan viro alij cõſeruaſti me.
20 Non eſt enim in hominis poteſtate conſilium tuũ.
21 Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius,ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.
22 Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem,tranquillum facis: & poſt lachrymationem, & fletum,exultationem infundis.
23 Sit nomen tuum Deus Iſrael benedictũ in ſæcula.
24 In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei:
25 Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.

### CAP. IIII.

1 IGitur cum Tobias putaret orationem ſuam exaudiri, vt mori potuiſſet, vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum,
2 Dixitque ei: * Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo,quaſi fundamentum conſtrue. (* Eccl. 7. 29.)
3 Cum acceperit Deus animam meam, corpus meũ ſepeli: * & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: (* Exo. 20. 12.)
4 Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.
5 Cum autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me.
6 Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.
7 * Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. (* Luc. 14. 13. Prou. 3. 9. Eccl. 4. 1. & 14. 13. Eccli. 35. 4.)

## Transl. ex Septuag.

10 *Hæc audiens triſtata eſt valdè, vt ſuffocaretur, & dixit: Vna quidem ſum patri meo: ſi fecero hoc, opprobrium ei erit, & ſenectutem eius deducam cum dolore ad infernum.*
11 *Et orauit ad feneſtram:*
12
13 *Et dixit: Benedictus es Domine Deus meus, & benedictum nomen tuum ſanctum, & honoratum in ſæcula. Benedicant te omnia opera tua in ſæculum.*
14 *Et nunc Domine oculos meos, & faciem meam in te dedi:*
15 *Dixi vt abſoluas me de terra, & non facias me audire vltra improperium.*
16 *Tu cognoſcis Domine, quia munda ſum ab omni peccato viri, neque pollui nomen meum, neque nomen patris mei in terra captiuitatis meæ. Vnigenita ſum patri meo: & non adeſt ei puer, qui hæreditabit eum, neque frater propinquus, neque exiſtens ei filius, vt conſeruem me ei vxorem: iam perierunt mihi ſeptem. Vtquid mihi viuere? Et ſi non videtur tibi interficere me; præcipe reſpicere in me, & non vltra miſerabilem me facere, & audire improperium.*
24 *Et exaudita eſt deprecatio vtrorumque coram gloria magni*
25 *Raphael: & miſſus eſt ad ſanandum, ipſius Tobit reſquamare albugines, & Sarram filiam Raguel dare Tobiæ filio Tobit vxorem, & ligare Aſmodæum malum dæmonium: quoniam ad Tobiam pertinet hæreditare eam. In eodem tempore reuertens Tobit intrauit in domum ſuam: & Sara filia Raguel deſcendit de ſuperiore cubiculo ſuo.*

### CAP. IIII.

1 *IN illa die recordatus eſt Tobit de argento, quod depoſuerat apud Gabael in Ragis Mediæ: & dixit in ſeipſo: Ego petij mortem: cur non Tobiam filium meum, vt ei indicem, priuſquam ego moriar?*
2 *Et vocans eum dixit:*
3 *Fili, ſi mortuus fuero, ſepeli me, & ne deſpicias matrem tuam: honora eam omnibus diebus vitæ tuæ, & fac quod placitum ei: & ne contriſtes eam:*
4 *Memento fili, quia multa pericula vidit propter te in ventre.*
5 *Cum mortua fuerit, ſepeli eam iuxta me in vno ſepulchro.*
6 *Omnibus diebus fili Domini Dei noſtri recordare, & noli peccare, & trãſgredi mãdata eius. Iuſtitiam fac õibus diebus vitæ tuæ, & ne ambulaueris vijs iniuſtitiæ, quoniam facienti te veritatẽ, proſperitates erunt in operibus tuis, & omnibus facientibus iuſtitiam.*
7 *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & non videat oculus tuus in faciendo te eleemoſynam. Ne auertas faciem tuam ab omni mendico: & à te non auertetur facies Dei.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Quo modo potueris, ita eſto miſericors. | 8 | 8 | *Quomodo tibi fuerit ſecundum multitudinem; facito ex eis eleemoſynam.* |
| Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguũ tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. | 9 | 9 | *Si paucum tibi fuerit, iuxta paucum ne timeas facere eleemoſynam.* |
| Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. | 10 | 10 | *Præmium enim bonum theſaurizas tibi in diem neceſſitatis:* |
| * Eccl. 29. 13. * Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. | 11 | 11 | *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & non permittit introire in tenebras.* |
| Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. | 12 | 12 | *Munus enim bonum eſt eleemoſyna omnibus facientibus eam in conſpectu altiſſimi.* |
| * 1. Theſ. 4. 3. * Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire. | 13 | 13 | *Attende tibi fili ab omni fornicatione: & vxorem primum accipe de ſemine patrum tuorum: non accipias vxorem alienam, quæ non eſt de tribu patris tui, quoniam filij prophetarum ſumus: Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, iſti patres noſtri à ſæculo. Memento fili, quia ipſi omnes acceperunt vxores de fratribus ſuis, & benedicti ſunt in filijs ſuis, & ſemen eorum hæreditabit terram.* |
| * Gen. 3. 5. Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: * in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. | 14 | 14 | *Et nunc fili dilige fratres tuos: & noli ſuperbire corde tuo, præ fratribus tuis, & filijs, & filiabus populi tui, accipere tibi ex eis vxorem: quoniam in ſuperbia perditio, & perturbatio multa. & in nequitia diminutio, & egeſtas magna: nequitia enim mater eſt famis.* |
| * Leu. 19. 13. Deu. 24. 14. Mat. 7. 12. * Luc. 6. 31. * Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. | 15 | 15 | *Merces omnis hominis, quicumque operatus fuerit, apud te non moretur: ſed redde ei ſtatim. Si ſeruieris Deo, reddetur tibi.* |
| * Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. | 16 | 16 | *Attende tibi fili in omnibus operibus tuis, & eſto eruditus in omni conuerſatione tua. Et quod odio habes, nemini feceris.* |
| * Luc. 14. 14. * Panem tuum cum eſurientibus, & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. | 17 | 17 | *Vinum ad ebrietatem ne bibas: & non eat tecum ebrietas in via tua. De pane tuo da eſurienti, & de veſtibus tuis, nudis. Omne quodcumque ſuperfuerit tibi, fac eleemoſynam, & non inuideat oculus tuus in faciendo te eleemoſynam.* |
| Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus. | 18 | 18 | *Effunde panes tuos ſuper ſepulturam iuſtorum: & ne dederis peccatoribus.* |
| Conſilium ſemper à ſapiente perquire. | 19 | 19 | *Conſilium ab omni prudente quære: & ne contemnas ſuper omne conſilium vtile.* |
| Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. | 20 | 20 | *Et in omni tempore benedic Dominum Deum & ab eo pete, & viæ tuæ rectæ ſint, & omnes ſemitæ tuæ, & conſilia tua proſperentur: eo quod omnis gens non habet conſilium: ſed ipſe Dominus dat omnia bona: & quemcumque voluerit humiliat, ſicut vult. Et nunc fili recordare mandatorum meorum, & non deleantur de corde tuo.* |
| Indico etiam tibi fili mi dediſſe me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo: | 21 | 21 | *Et nunc indico tibi decem talenta argenti, quæ depoſui apud Gabaelum filium Gabriæ in Ragis Mediæ.* |
| Et ideo perquire quo modo ad eum peruenias, & recipias ab eo ſupra memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum. | 22 | 22 | |
| * Rom. 8. 17. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed * multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. | 23 | 23 | *Et ne timeas fili, quia mendici facti ſumus. Sunt tibi multa; ſi timueris Deum, & receſſeris ab omni peccato, & feceris, quod placitum coram eo.* |
| **CAP. V.** | | | ***CAP. V.*** |
| TVnc reſpondit Tobias patri ſuo, & dixit: Omnia quæcumque præcepiſti mihi faciam pater. | 1 | 1 | *ET reſpondens Tobias dixit ei: Pater faciã omnia, quæcumque mandaſti mihi:* |
| Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. ille me neſcit, & ego eum ignoro: quod ſignum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui. | 2 | 2 | *Sed quomodo potero accipere argentum, & non cognoſco eum?* |
| Tunc pater ſuus reſpondit illij, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi oſtenderis, ſtatim reſtituet. | 3 | 3 | *Et dedit ei Chirographum.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

9 Et abſtulit Deus omnia pecora patris veſtri, & dedit mihi ea.

10 Et factum eſt, quando concipiebant oues in vtero accipientes, & vidi oculis meis in ſomno: & ecce hirci, & arietes aſcendentes ſuper oues, & capras ſubalbi, & varij, & cineritij ſparſi.

11 Et dixit mihi Angelus Dei per ſomnum: Iacob. Ego autem dixi: Quid eſt?

12 Et dixit: Reſpice oculis tuis, & vide hircos & arietes aſcendentes ſuper oues & capras, ſubalbos, & varios, & cineritios ſparſos. Vidi enim quæcumque tibi Laban facit.

13 Ego ſum Deus, qui apparui tibi in loco Dei: vbi vnxiſti mihi ibi titulum, & vouiſti mihi ibi votum. Nunc igitur ſurge, & exi de terra hac, & abi in terram generationis tuæ: & ero tecum.

14 Et reſpondentes Rachel, & Lia dixerunt ei: Nunquid eſt nobis adhuc portio, vel hæreditas in domo patris noſtri?

15 Nonne ſicut alienæ reputatæ ſumus ei? Vendidit enim nos, & deuoratione abſorbuit argentum noſtrum.

16 Omnes diuitias & gloriam, quam abſtulit Deus à patre noſtro, nobis erunt, & filijs noſtris. Nunc igitur quæcumque tibi dixit Deus, fac.

17 Surgens autem Iacob ſumpſit vxores ſuas, & paruulos ſuos ſuper camelos;

18 Et abduxit omnem ſubſtantiam ſuam, & omnem apparatum ſuum, quem acquiſierat in Meſopotamia, & omnia ſua, vt abiret ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan.

19 Laban autem iuerat tondere oues ſuas. Furata eſt autem Rachel idola patris ſui.

20 Celauit autem Iacob Laban Syrum, non indicando ei, quia fugit.

21 Et aufugit ipſe, & ipſius omnia, & tranſiuit flumen, & properauit in montem Galaad.

22 Nunciatum eſt autem Laban Syro die tertia, quia aufugit Iacob.

23 Et aſſumens fratres ſuos ſecum, perſecutus eſt poſt eum viam dierum ſeptem: & aſſecutus eſt eum in monte Galaad.

24 Venit autem Deus ad Laban Syrum per ſomnum nocte; & dixit ei: Cuſtodi te, ne forte loquaris cum Iacob mala.

25 Et aſſecutus eſt Laban Iacob. Iacob autem fixerat tabernaculum ſuum in monte: Laban autem ſtatuit fratres ſuos in monte Galaad.

26 Dixit autem Laban ad Iacob: Quid feciſti? vt quid occulte aufugiſti? & furatus es me, & abduxiſti filias meas, quaſi captiuas gladio?

27 Et ſi annunciaſſes mihi; dimiſiſſem vtique te cum lætitia, & cum muſicis, & tympanis, & cythara.

28 Nec ſum habitus dignus oſculari paruulos meos, & filias meas: Nunc autem imprudenter egiſti,

29 Et nunc valet manus mea tibi malefacere: Deus autem patris tui heri dixit ad me, dicens: Cuſtodi teipſum, ne forte loquaris cum Iacob mala.

30 Nunc autem iuiſti: deſiderio enim deſideraſti abire in domum patris tui; vt quid furatus es Deos meos?

31 Reſpondens autem Iacob dixit ad Laban: Quia timui: dixi enim; ne forte auferas filias tuas à me, & omnia mea.

32 Et dixit Iacob: Apud quemcumq; inueneris Deos tuos, nõ viuet corã fratribus nris. Cognoſce qđ é apud me tuorũ, & cape. Et nõ cognouit apud eũ qcq̃.

Neſcie-

## Chald. Paraph. Tranſl.

9 *Et ſeparauit Dominus de pecoribus patris veſtri, & dedit mihi.*

10 *Et factum eſt in tempore quo oues caleſiebant, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnio: & ecce arietes qui aſcendebant ſuper oues, erant varij, & maculoſi & reſperſi.*

11 *Et dixit mihi Angelus Dei in ſomnio: Iacob. & dixi: Ecce ego.*

12 *Et ait: Leua nunc oculos tuos, & vide omnes arietes qui aſcendunt ſuper oues, maculoſos, varios atque reſperſos. Quoniam manifeſtum eſt coram me omne quod facit tibi Laban.*

13 *Ego ſum Deus qui apparui tibi in Bethel, vbi vnxiſti titulum, vbi vouiſti coram me votum. Nunc ſurge, egredere de terra hac, & reuertere in terram natiuitatis tuæ.*

14 *Et reſponderunt Rachel & Lia, atque dixerunt ei: Nunquid adhuc eſt nobis pars & hæreditas in domo patris noſtri?*

15 *Nonne extraneæ reputatæ ſumus ei: quia vendidit nos, & comedit quoque argentum noſtrum?*

16 *Quoniam omnes diuitiæ quas abſtulit Deus ex patre noſtro, noſtræ ſunt & filiorum noſtrorum. Nũc quodcumque dixerit tibi Deus, fac.*

17 *Et ſurrexit Iacob, & leuauit filios ſuos & vxores ſuas ſuper camelos:*

18 *Et duxit vniuerſa pecora ſua, & omnem ſubſtantiam ſuam quam acquiſierat in Meſopotamia Syriæ, vt veniret ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan.*

19 *Laban autem abierat ad tondendas oues ſuas: & tulit Rachel imagines quæ erant patris ſui.*

20 *Et celauit Iacob à Laban Syro, & non indicauit ei quòd ipſe proficiſceretur.*

21 *Et abijt ipſe & omnia ſua, & ſurrexit & tranſiuit Euphratem: & poſuit faciem ſuam contra montem Galaad.*

22 *Et nunciatum eſt Laban in die tertio quòd abijſſet Iacob.*

23 *Et tulit fratres ſuos ſecum, & perſecutus eſt poſt eum itinere ſeptem dierum: & comprehendit eum in monte Galaad.*

24 *Et venit verbum à facie Dei ad Laban Syrum in ſomnio noctis, & dixit ei: Caue tibi ne loquaris cum Iacob à bono vſque ad malum.*

25 *Et comprehendit Laban Iacob. Et Iacob tetenderat tabernaculum ſuum in monte: & Laban collocauit fratres ſuos in monte Galaad.*

26 *Et dixit Laban ad Iacob: Quid feciſti? & celaſti à me, & duxiſti filias meas quaſi captiuas gladio?*

27 *Quare occultè abijſti, & celaſti à me, & non indicaſti mihi, vt dimitterem te cum gaudio & canticis, cum tympanis & cytharis?*

28 *Et non permiſiſti me, vt oſcularer filias meas? Nunc ſtultè egiſti.*

29 *Et poteſtas in manu mea, vt facerem vobiſcum malum: ſed Deus patris veſtri heſterna nocte ait mihi, dicens: Caue tibi ne loquaris cum Iacob à bono vſque ad malum.*

30 *Et nunc abiens abijſti, quoniam cupiens cupiebas domum patris tui: cur tuliſti Deos meos?*

31 *Et reſpondit Iacob, & dixit ad Laban: Quoniam timui, dicens, ne violenter auferres filias tuas à me.*

32 *Locus in quo inueneris Deum tuum, non permaneat: coram fratribus noſtris. Cognoſce quid tuum ſit apud me; & tolle tibi.*

*Et ne-*

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua: vt, dum adhuc viuo, recipias eam. | 4 | 4 | *Et dixit ei: Quære tibi hominem, qui ſimul ibit tecum, & dabo ei mercedem, dum viuo: & accipe vadens argentum.* |
| Tunc egreſſus Tobias, inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. | 5 | 5 | *Et iuit quærere hominem, & inuenit Raphael,* |
| Et ignorans, quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eũ, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis? | 6 | 6 | *Qui erat Angelus, & neſciebat.* |
| At ille reſpondit: Ex filijs Iſrael. Et Tobias dixit ei: Noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum? | 7 | 7 | *Et dixit ei: Si poſſum ire tecum in Ragis Mediæ, & ſi peritus es locorum?* |
| Cui reſpondit: Noui: & omnia itinera eius frequẽter ambulaui, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis. | 8 | 8 | *Et dixit ei Angelus: Ibo tecum, & viæ peritus ſum, & apud Gabael fratrem noſtrum commoratus ſum.* |
| Cui Tobias ait: Suſtine me obſecro, donec hæc ipſa nunciem patri meo. | 9 | 9 | *Et dixit ei Tobias: Subſtine me, & dicam patri. Et dixit ei: Vade, & ne tardaueris.* |
| Tuncque ingreſſus Tobias, indicauit vniuerſa hæc patri ſuo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introiret ad eum. | 10 | 10 | *Et ingreſſus dixit patri: Ecce inueni, qui ſimul ibit mecum. At ille dixit: Voca ipſum ad me, vt agnoſcam, cuius tribus eſt, ac, ſi fidelis ad eundum tecum.* |
| Ingreſſus itaque ſalutauit eum, & dixit: Gaudium tibi ſit ſemper. | 11 | 11 | *Et vocauit eum, & introiuit: & ſalutarunt ſe inuicem.* |
| Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? | 12 | 12 | |
| Cui ait iuuenis: Forti animo eſto, in proximo eſt, vt à Deo cureris. | 13 | 13 | |
| Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cum redieris, reſtituam tibi mercedem tuam. | 14 | 14 | |
| Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te. | 15 | 15 | |
| Cui Tobias reſpondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? | 16 | 16 | *Et dixit ei Tobit: Frater, ex qua tribu, & ex qua patria es tu? indica mihi.* |
| Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipſum mercenarium qui cum filio tuo eat? | 17 | 17 | *Et dixit ei: Tribum, & patriam tu quæris, an mercenarium, qui ſimul ibit cum filio tuo?* |
| Sed ne forte ſolicitum te reddam, ego ſum Azarias Ananiæ magni filius. | 18 | 18 | *Et dixit ei Tobit: Volo frater agnoſcere genus tuũ, & nomen. At ille dixit: Ego Azarias Ananiæ magni de fratribus tuis.* |
| Et Tobias reſpondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne iraſcaris, quòd voluerim cognoſcere genus tuum. | 19 | 19 | *Et dixit ei: Sanus venias frater: & ne mihi iraſcaris, quia quæſiui tribum tuam, & patriam tuam agnoſcere: & tu es frater meus ex pulchra, & bona progenie. Cognoui enim ego Ananiam, & Ionathan filios Semei magni, quomodo ibamus vnà in Hieroſolyma ad adorandum, afferentes primogenita, & decimas geniminum: & non errauerunt in errore fratrum noſtrorum. De bona radice es frater. Sed dicito mihi, quam tibi ero mercedem daturus? drachmam die, & neceſſaria tibi, ſicut & filio meo, & adhuc adijciam tibi ſuper mercedem, ſi ſani reuerteritis. Et bene ſenſerunt ſic. Et dixit ad Tobiam: Paratus eſto ad viam, & proſperemini.* |
| Dixit autem illi Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum. | 20 | | |
| Reſpondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum. | 21 | | |
| Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri ſuo, & matri ſuæ, & ambulauerunt ambo ſimul. | 22 | 22 | *Et parauit filius eius, quæ ad viam. Et dixit ei pater eius: Vade cum homine hoc. Qui autem in cœlo habitat Deus, proſperabit viam veſtram: & Angelus eius ibit vobiſcum.* |
| *Inf. 10.4 — * Cumque profecti eſſent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis. | 23 | 23 | *Et exierunt vtrique ad abeundum, & canis pueri cum eis. Plorauit autem Anna mater eius, & dixit ad Tobit: Quid emiſiſti filium noſtrum? An non virga manus noſtræ eſt in ingrediendo ipſum, & egrediendo coram nobis?* |
| Numquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum. | 24 | 24 | *Argentum argento non anteuertat, ſed peripſema filij noſtri ſit.* |
| Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium noſtrum. | 25 | 25 | *Quomodo enim datum eſt nobis viuere à Domino, hoc ſatis multum nobis eſt.* |
| Dixitque ei Tobias: Noli flere, ſaluus perueniet filius noſter, & ſaluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. | 26 | 26 | *Et dixit ei Tobit: Ne ſolicitudinem habeas ſoror: ſanus veniet, & oculi tui videbunt eum.* |



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene diſponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. | 27 | 27 | *Angelus enim bonus ibit cum eo: & proſperabitur iter eius, & redibit ſanus.* |
| Ad hanc vocem ceſſauit mater eius flere, & tacuit. | 18 | 18 | ** Et ceſſauit plorans.* |
| CAP. VI. | | | CAP. VI. |
| PRofectus eſt autem Tobias, & canis ſequutus eſt eum, & manſit prima manſione iuxta fluuium Tigris. | 1 | 1 | *ILli vero euntes viam, venerunt veſperi ad Tigrim flumen, & manſerunt ibi.* |
| Et exiuit, vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum. | 2 | 2 | *Puer autem deſcendit ad lauandum ſe: & proſiluit piſcis è flumine, & voluit deuorare puerum.* |
| Quem expaueſcens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine inuadit me. | 3 | 3 | |
| Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. | 4 | 4 | *Angelus autem dixit ei: Apprehende piſcem. Et tenuit piſcem puer, & proiecit eum ſuper terram.* |
| Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter. | 5 | 5 | *Et dixit ei Angelus: Incide piſcem, & ſumens cor, & iecur, & fel, repone tuto.* |
| Quod cum feciſſet, aſſauit carnes eius & ſecum tulerunt in via: cætera ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Rages ciuitatē Medorum. | 6 | 6 | *Et fecit puer, ſicut dixit ei Angelus. Piſcem autem aſſantes comederunt. Et pergebant vterique, donec appropinquauerunt in Ecbatana.* |
| Tunc interrogauit Tobias Angelū, & dixit ei: Obſecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remediū habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti. | 7 | 7 | *Et dixit puer Angelo: Azaria frater, quid eſt cor, & iecur, & fel piſcis?* |
| Et reſpondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos. | 8 | 8 | *Et dixit ei: Cor, & iecur, ſi quem turbauerit dæmonium, vel ſpiritus malignus, hæc oportet ſuffire coram homine, vel muliere: & non vltra turbabitur.* |
| Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur. | 9 | 9 | *Fel autem, vnge hominem, qui habet albugines in oculo, & ſanabitur.* |
| Et dixit ei Tobias: Vbi vis, vt maneamus? | 10 | 10 | *Vt autem appropinquauerunt Rage,* |
| Reſpondenſque Angelus, ait: Eſt hic Raguel nomine vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, ſed neque maſculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam. | 11 | 11 | *Dixit Angelus puero: Frater, hodie manebimus apud Raguel, & ipſe cognatus tuus eſt, & eſt ei filia nomine Sarra.* |
| * Num. 27. 8. & 36. 8. * Tibi debetur omnis ſubſtantia eius, & oportet eā te accipere coniugem. | 12 | 12 | *Loquar de ea, vt ipſa detur tibi in vxorem, & quoniam ad te pertinet hæreditas eius, & tu ſolus es de genere eius, & puella pulchra, & prudens eſt.* |
| Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem. | 13 | 13 | *Et nunc audi me, & loquar patri eius: &, quando reuertemur è Ragis, faciemus nuptias: quoniā noui Raguel, quia non dabit eam viro alteri iuxta legem Moyſi, vel reus erit mortis: quoniam hæreditatem tibi conuenit accipere, quàm omnem hominem.* |
| Tunc reſpondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt: ſed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos. | 14 | 14 | *Tunc dixit puer Angelo: Azaria frater, audiui ego puellam datam eſſe ſeptē viris, & omnes in nuptiali thalamo periſſe.* |
| Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eueniant: & cum ſim vnicus parentibus meis, deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos. | 15 | 15 | *Et nunc ego ſolus ſum patri: & timeo, ne ingreſſus moriar ſicut & priores: quoniam dæmonium diligit eam, quod non nocet cuiquam, niſi accedentibus ad eam. Et nunc ego timeo, ne moriar, & deducam vitā patris mei & matris meæ cum dolore ſuper me in ſepulturam ipſorum: & filius alius non eſt eis, qui ſepeliet eos. Dixit autem ei Angelus: Non meminiſti verborum, quæ mandauit tibi pater tuus, ſuper accipiendo te vxorem de genere tuo? Et nunc audi me frater: quoniam tibi erit in vxorē: & dæmonij nullam rationem habe: quoniam nocte hac dabitur tibi hæc ipſa in vxorem. Et, ſi ingreſſus fueris in thalamum; ſumes cinerem thymiamatum, & ſuperpones de corde, & iecore piſcis, & facies fumigare: & olfaciet dæmonium, & fugiet, & non redibit iterum in ſæculum ſæculi.* |
| Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus præualere poteſt dæmonium. | 16 | | |
| Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. | 17 | | |
| Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea. | 18 | | |
| Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium. | 19 | | |
| Secunda vero nocte in copulatione ſanctorum patriarcharum admitteris. | 20 | 20 | *Quando autem accedes ad eam; ſurgite vterique, & clamate ad miſericordem Deum, & ſaluabit vos, & miſerebitur. Ne timeas, quoniam tibi hæc parata fuit à ſæculo: & tu ipſam ſaluabis, & ibit tecum: & exiſtimo, quia tibi erunt ex ea filij. Et, vt audiuit Tobias hæc; dilexit eam, & anima ipſius adhæſit valdè ei. Et venit in Ecbatana.* |
| Tertia autem nocte benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes. | 21 | | |
| Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris. | 22 | | |

Hic incipit cap. 6. in editat. ex Sept. Romana.

Textus hic in tranſl. adeo differt à noſtra vulgata, vt vix verſus reſpondentibus numeris comparari poſſint.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. VII.

1 INgreſſi ſunt autem ad Raguelem, & ſuſcepit eos Raguel cum gaudio.
2 Intuenſque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori ſuæ: Quam ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo?
3 Et cum hæc dixiſſet, ait: Vnde eſtis iuuenes fratres noſtri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali ſumus, ex captiuitate Niniue.
4 Dixitque illis Raguel: Noſtis Tobiam fratrem meũ? Qui dixerunt: Nouimus.
5 Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater iſtius eſt.
6 Et miſit ſe Raguel, & cum lachrymis oſculatus eſt eum, & plorans ſupra collum eius,
7 Dixit: Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri filius es.
8 Et Anna vxor eius, & Sara ipſorum filia lachrymatæ ſunt.
9 Poſtquam autem locuti ſunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos diſcumbere ad prandium,
10 Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo, neq; bibam, niſi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.
11 Quo audito verbo Raguel expauit, ſciens quid euenerit illis ſeptem viris, qui ingreſſi ſunt ad eam: & timere cœpit ne forte, & huic ſimiliter contingeret: & cum nutaret, & non daret petenti vllum reſponſum,
12 Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam iſti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.
13 Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces, & lachrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit.
14 Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt iſta coniungeretur cognationi ſuæ * ſecundum legem Moyſi: & nunc noli dubium gerere, quod tibi eam tradam.

* Num. 36.

15 Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.
16 Et accepta charta, fecerunt conſcriptionem coniugij.
17 Et poſt hæc epulati ſunt, benedicentes Deum.
18 Vocauitque Raguel ad ſe Annam vxorem ſuam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum.
19 Et introduxit illuc Saram filiam ſuam, & lachrymata eſt,
20 Dixitque ei: Forti animo eſto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio, quod perpeſſa es.

### CAP. VIII.

1 POſtquam vero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.
2 Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli, protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos.
3 Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.

## Transl. ex Septuag.

### CAP. VII.

1 *ET aduenit in domum Raguel. Et Sarra occurrit ei, & ſalutauit eum, & ipſe eos. Et introduxit eos in domum.*
2 *Et dixit Raguel Ednæ vxori ſuæ: Quàm ſimilis adoleſcens Tobit conſobrino meo!*
3 *Et interrogauit eos Raguel: Vnde eſtis fratres? Et dixerunt ei: De filijs Nephthali captiuorum in Niniue.*
4 *Et dixit eis: Noſcitis Tobit fratrem noſtrum? At illi dixerunt: Noſcimus. Et dixit eis: Valet? At illi dixerunt: Et viuit, & valet.*
5 *Et dixit Tobias: Pater meus eſt.*
6 *Et proſilijt Raguel: & deoſculatus eſt eum, & plorauit,*
7 *Et benedixit eum, & dixit ei: Honeſti, & boni hominis filius. Et audiens, quia Tobit amiſit oculos ſuos, triſtatus eſt, & plorauit.*
8 *Et Edna vxor eius, & Sarra filia eius plorauerunt:*
9 *Et ſuſceperunt eos promptè: & immolauerunt arietem ouium, & appoſuerunt obſonia plura.*
10 *Dixit autem Tobias ad Raguel: Azarias frater loquere, de quibus dicebas in itinere, & perficiatur negocium. Et communicauit verbum ipſi Raguel.*
11 *Et dixit Raguel ad Tobiam: Comede, & bibe, & iucundè eſto: tibi enim conuenit filiolam meam accipere: veruntamen indicabo tibi veritatem. Dedi filiolam meam ſeptem viris: & ſimulatque ingrediebantur ad eam, moriebantur ſub noctem. Sed in præſentia iucundè eſto. Et dixit Tobias: Non guſtabo quicquam hic, quoadusque ſtetis, & ſtatuatis ante me. Et dixit Raguel: Duc illam ex nunc iuxta iudicium: tu vero frater es illius, & ipſa tui eſt. Miſericors autem Deus proſperabit vobis optima.*

Difficile [illegible] vulgata.

15 *Et vocauit Sarram filiam ſuam, & ſumens manum eius tradidit eam Tobiæ vxorem: & dixit: Ecce iuxta legem Moyſi duc eam, & adduc ad patrem tuum. Et benedixit eos. Et vocauit Ednam vxorem ſuam:*
16 *Et ſumens librum, ſcripſit ſyngrapham, & obſignauit.*
17 *Et cœperunt comedere.*
18 *Et vocauit Raguel Ednam vxorem ſuam, & dixit ei: Soror para alterum thalamum, & introduc eam. Et fecit, ſicut dixit:*
19 *Et introduxit eam illuc, & plorauit: & ſuſcepit lachrymas filiæ ſuæ.*
20 *Et dixit ei: Confide filia, Dominus cœli, & terræ det tibi gratiam pro triſtitia tua hac. Confide filia.*

### CAP. VIII.

1 *POſt quam vero conſummauerunt cœnantes, introduxerunt Tobiam ad eam.*
2 *Ille autem vadens recordatus eſt verborũ Raphael, & ſumpſit cinerem thymiamatum, & ſuperpoſuit cor piſcis, & iecur, & fecit fumigare.*
3 *Quando autem olfecit dæmonium odorem, fugit in ſuperiora Ægypti: & ligauit ipſum Angelus.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Tunc hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus coniugio. | 4 | 4 | *Vt autem clauſi ſunt vtrique, ſurrexit Tobias de lecto, & dixit: Surge ſoror, & deprecemur, vt miſereatur noſtri Dominus.* |
| Filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum. | 5 | 5 | |
| Surgentes autem pariter, inſtanter orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis. | 6 | 6 | |
| Dixitque Tobias: Domine Deus patrum noſtrorum, benedicant te cœli, & terræ, mareque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt. | 7 | 7 | *Et cœpit Tobias dicere: Benedictus es Deus patrum noſtrorum, & benedictum nomen tuum ſanctum, & honoratum in ſecula. Benedicant te cœli, & omnes creaturæ tuæ.* |
| *Gen. 2. 7.* * Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adiutorium Heuam. | 8 | 8 | *Tu feciſti Adam, & dediſti ei adiutricem Euam firmamentum vxorem eius. Ex his natum eſt hominũ ſemen. Tu dixiſti non bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutricem ſimilem ei.* |
| Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. | 9 | 9 | *Et nunc Domine non propter fornicationem ego accipio ſororem meam hanc, ſed ſuper veritatem.* |
| Dixit quoque Sara: Miſerere nobis Domine, miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani. | 10 | 10 | *Præcipe miſereri mei, & ei conſeneſcere. Et dixit ſecum, Amen. Et dormierunt vtrique nocte.* |
| Et factum eſt circa pullorum cantum, accerſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent ſepulchrum. | 11 | 11 | *Et ſurgens Raguel iuit, & effodit ſepulchrum.* |
| Dicebat enim: ne forte ſimili modo euenerit ei, quo & cæteris illis ſeptem viris, qui ſunt ingreſſi ad eam. | 12 | 12 | |
| Cumque paraſſent foſſam, reuerſus Raguel ad vxorem ſuam, dixit ei: | 13 | 13 | *Et venit Raguel in domum ſuam, & dixit Ednæ vxori ſuæ.* |
| Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, vt ſepeliam eum antequam illuceſcat dies. | 14 | 14 | *Mitte vnam ancillarum, & videant, ſi viuit: ſi autem non, vt ſepeliamus eum, & nemo ſciat.* |
| At illa miſit vnam ex ancillis ſuis. Quæ ingreſſa cubiculum, reperit eos ſaluos, & incolumes, ſecum pariter dormientes. | 15 | 15 | *Et intrauit ancilla aperiens ianuam, & inuenit ambos dormientes:* |
| Et reuerſa, nunciauit bonum nuncium: & benedixerunt Dominũ, Raguel videlicet & Anna vxor eius, | 16 | 16 | *Et egreſſa annunciauit eis, quia viuit. Et benedixit Raguel Deum,* |
| Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Iſrael, quia non contigit quemadmodum putabamus. | 17 | 17 | *Dicens: Benedictus es tu Deus in omni benedictione munda, & ſancta: & benedicant te ſancti tui, & omnes creaturæ tuæ, & omnes Angeli tui, & electi tui: benedicant te in ſecula.* |
| Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos. | 18 | 18 | *Benedictus es, quoniam lætificaſti me, & nõ factum eſt mihi ſicut ſuſpicabar, ſed ſecundum multam miſericordiam tuam feciſti nobiſcum.* |
| Miſertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ ſanitatis offerre, vt cognoſcat vniuerſitas gẽtium, quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra. | 19 | 19 | *Benedictus es, quoniam miſertus es duorum vnigenitorum: fac eis Domine miſericordiam, conſumma vitam eorum in ſanitate cum lætitia, & miſericordia.* |
| Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerunt priuſquam eluceſceret. | 20 | 20 | *Iuſſit autem famulos exaggerare ſepulchrum.* |
| Vxori autem ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria. | 21 | 21 | *Et fecit eis nuptias diebus quatuordecim.* |
| Duas quoque pingues vaccas, & quattuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis. | 22 | 22 | |
| Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe. | 23 | 23 | *Et dixit ei Raguel, antequam conſummarentur dies nuptiarum, cum iuramento non exire eum, niſi impleti fuerint quattuordecim dies nuptiarum,* |
| De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſupererat poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret. | 24 | 24 | *Et tunc accipientem dimidium ſubſtantiæ ipſius ire cum ſanitate ad patrem, & reliqua, cum mortuus fuero, & vxor mea.* |
| CAP. IX. | | | *CAP. IX.* |
| TVnc vocauit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto vt auſcultes verba mea. | 1 | 1 | *ET vocauit Tobias Raphael, & dixit ei: Azaria frater.* |
| Si meipſum tradam tibi ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. | 2 | 2 | |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

3 Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi animalia, ſiue ſer-
uitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Me-
dorum: reddaſque ei chyrographum ſuum, & reci-
pias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nu-
ptias meas.
4 Scis enim ipſe quoniam numerat pater meus dies:
& ſi tardauero vna die plus, contriſtatur anima eius.
5 Et certe vides quomodo adiurauit me Raguel, cu-
ius adiuramentum ſpernere non poſſum.
6 Tunc Raphael aſſumens quattuor ex ſeruis Rague-
lis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum
perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chiro-
graphum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.
7 Indicauitque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ
geſta ſunt: fecitque eum ſecum venire ad nuptias.
8 Cumque ingreſſus eſſet domum Raguelis, inuenit
Tobiã diſcumbentem: & exiliens, oſculati ſunt ſe
inuicem: & fleuit Gabelus, benedixitque Deum,
9 Et dixit: Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es o-
ptimi viri, & iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas
facientis:
10 Et dicatur benedictio ſuper vxorem tuam, & ſuper
parentes veſtros:
11 Et videatis filios veſtros: & filios filiorum veſtrorũ,
vſque in tertiam, & quartam generationem: & ſit
ſemen veſtrum benedictum à Deo Iſrael, qui re-
gnat in ſæcula ſæculorum.
12 Cumque omnes dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad
conuiuium: ſed & cum timore Domini nuptiarum
conuiuium exercebant.

### CAP. X.

1 CVm vero moras faceret Tobias, cauſa nuptia-
rum, ſolicitus erat pater eius Tobias, dicens:
Putas quare moratur filius meus, aut quare deten-
tus eſt ibi?
2 Putaſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi
pecuniam?
3 Cœpit autem contriſtari nimis ipſe & Anna vxor
eius cum eo: & cœperunt ambo ſimul flere: eo quòd
die ſtatuto minime reuerteretur filius eorũ ad eos.
4 Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachry-
mis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te
miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum,
baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ,
ſpem poſteritatis noſtræ?
5 Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus
dimittere à nobis.
6 Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, ſanus eſt fi
lius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cũ quo miſimus eũ.
7 Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quo-
tidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias om-
nes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul vi-
deret eum, ſi fieri poſſet, venientem.

8 At vero Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane
hic, & ego mittam nuncium ſalutis de te ad To-
biam patrem tuum.
9 Cui Tobias ait: Ego noui, quia pater meus, & ma-
ter mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus
eorum in ipſis.
10 Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, &
ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Sa-
ram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in
pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vac-
cis, & in pecunia multa: & ſaluum, atque gauden-
tem dimiſit eum à ſe.

## Transl. ex Septuag.

3 *Sume tecum puerum, & duos camelos, & vade in
Ragis Mediæ ad Gabael, & affer mihi argentum, &
ipſum adduc mihi ad nuptias,*
3 *Quoniam iurauit Raguel non exire me;*
4 *Et pater meus numerat dies; ac ſi tardauero valdè,
triſtabitur nimis.*
6 *Et iuit Raphael, & manſit apud Gabael, & dedit ei
Chirographum. Ille autem protulit arculas in ſigil-
lis, & dedit ei.*
7 *Et diluculo ſurrexerunt vnà, & venerunt ad nup-
tias. Et benedixit Tobias uxorem ſuam.*

### CAP. X.

1 *ET Tobit pater eius computabat vnumquemque
diem. Et poſtquam completi ſunt dies itineris,
& non veniebat, dixit: Nunquid fortè confuſi
fuerunt?*
2 *Aut, nunquid fortè mortuus eſt Gabael, & nemo ei
dat argentum?*
3 *Et triſtabatur nimis. Dixit autem ei vxor: Perijt
puer, quandoquidem tardauit,*
4 *Et cœpit flere eum, & dixit: Non mihi curæ eſt fili,
quia dimiſi te lumen oculorum meorum?*
5
6 *Et Tobit dicit ad eam: Tace, ne ſolicita ſis, valet.*
7 *Et dixit ei: Tace, ne decipias me, perijt puer meus.
Et ibat per diem ad viam foras, qua abierat. Ac die-
bus panem non comedebat, & noctibus non intermit
tebat flens Tobiam filium ſuum; quoadusque con-
ſummati ſunt quattuordecim dies nuptiarum, quos
iurauerat Raguel facere eum ibi. Dixit autem To-
bias Raguel: Dimitte me, quoniam pater meus, &
mater mea non vltra ſperant aſpicere me.*
8 *Dixit autem ei ſocer: Mane apud me: & ego mit-
tam ad patrem tuum, & indicabunt ei, quæ circa
te.*
9 *Et Tobias dicit: Dimitte me ad patrem meum.*
10 *Surgens autem Raguel dedit ei Sarram vxorem
eius, & dimidium ſubſtantiæ, corpora, & pecora, &
argentum. & benedicens eos dimiſit, dicens: Proſpe-
rabit vos filij, Deus cœli, priuſquam ego moriar. Et
dixit filiæ ſuæ: Honora ſoceros tuos: ipſi nunc paren-
tes tui ſunt: audiam de te auditionem bonam. Et
oſculatus eſt eam.*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.

12 Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire:

13 Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

### CAP. XI.

1 CVmque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die.

2 Dixitque Angelus: Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum.

3 Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus.

4 Cumque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

5 Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

6 Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longe, & illico agnouit venientem filium ſuum: currenſque nunciauit viro ſuo, dicens: Ecce venit filius tuus.

7 Dixitque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuũ: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum.

8 Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum. ſcias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aſpectu tuo gaudebit.

9 Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuncius adueniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

10 Et conſurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio ſuo.

11 Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

12 Cumque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt.

13 Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

14 Et ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui, egredi.

15 Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit.

16 Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum.

17 Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Iſrael quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

18 Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris: ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo:

19 Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.

## Transl. ex Septuag.

11 *Et Edna dixit ad Tobiam: Frater dilecte, reſtituat te Dominus cœli, & det mihi videre tuos filios ex Sarra filia mea, vt læter in conſpectu Domini. Et ecce depono apud te filiam meam in depoſito: & ne contriſtes eam. Poſt hæc ibat, & Tobias benedicens Deum, quia proſperauerat viam ipſius: & benedicebat Raguel, & Ednam vxorem eius. Et ibat, quoadusque appropinquarunt ipſi in Niniue.*

### CAP. XI.

1

2 *Et dixit Raphael ad Tobiam: Non cognoſcis frater quomodo dimiſiſti patrem tuum?*

3 *Præcurramus ante vxorem tuam, & paremus domum. Sume autem ad manum fel piſcis.*

4 *Et iuerunt, & ſimul venit canis poſt eos.*

5 *Et Anna ſedebat circumſpectans in viam puerum ſuum:*

6 *Et proſpexit eum venientem, & dixit patri eius: Ecce filius tuus venit, & homo, qui iuit cum eo.*

· · ·

8 *Et Raphael dixit: Scio ego, quia aperiet oculos pater tuus: Tu vnge fel in oculos eius: & croſus deteret, & abiiciet albugines, & videbit te. Et accurrens Anna irruit ſuper collum filij ſui, & dixit ei: Vide te fili: ex nunc moriar. Et plorauerunt vtrique.*

10 *Et Tobit exibat ad ianuam, & prolapſus eſt. Filius autem eius accurrens ei, & apprehendit patrem ſuum,*

11

12

13 *Et inſperſit fel ſuper oculos patris ſui, dicens: Confide pater.*

14 *Vt autem eroſi ſunt, detriuit oculos ſuos, & deſquamata ſunt ab angulis oculorum eius albugines.*

15

16 *Et videns filium ſuum procidit ſuper collum eius, & plorauit,*

17 *Et dixit: Benedictus es Deus, & benedictum nomẽ tuum in ſæcula, & benedicti omnes ſancti tui Angeli; quoniam flagellaſti, & miſertus es mei: Ecce video Tobiam filium meum. Et intrauit filius eius gaudens, & annunciauit patri ſuo magnalia facta ſibi in Media. Et exiuit Tobit in obuiam nurui ſuæ gaudens, & benedicens Deum, ad portam Niniue. Et mirabantur ſpectantes eum euntem, quia vidit. Et Tobit confitebatur coram eo, quia miſertus eſt ipſorum Deus. Et vt appropinquauit Tobit nurui ſuæ, benedixit eam, dicens: Venias Sarra filia. Benedictus Deus, qui adduxit te ad nos, & pater tuus, & mater tua. Et factum eſt gaudium omnibus, qui in Niniue, fratribus eius.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Veneruntque Achior, & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.

21 Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

### CAP. XII.

1 TVnc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?

2 Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?

3 Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4 Sed peto te pater mi, vt roges eum, ſi fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.

5 Et vocantes eum, pater ſcilicet, & filius, tulerunt eũ in partem: & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

6 Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

7 Etenim ſacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.

8 Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere:

9 Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiã, & vitam æternam.

10 Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.

11 Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.

12 Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13 Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.

14 Et nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

15 Ego enim ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.

16 Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam.

17 Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

18 Etenim cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi.

19 Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.

Tem-

## Transl. ex Septuag.

*10 Et aduenit Achiacharus, & Nasbas filius fratris ipſius:*

*21 Et facta ſunt nuptiæ Tobiæ cum lætitia diebus ſeptem.*

### CAP. XII.

*1 ET vocauit Tobit Tobiam filium ſuum, & dixit ei: Vide fili mercedem homini, qui venit vna tecum: & adijcere ei oportet.*

*2 Et dixit: Pater non lædor dans ei dimidium eorum, quæ attuli:*

*3 Quoniam me tibi reduxit ſanum, & vxorem meam curauit: & argentum meum attulit, & te ſimiliter curauit. Et dixit ſenex: Iuſte fit ei.*

*4*

*5 Et vocauit Angelum, & dixit ei: Accipe dimidium omnium, quæ attuliſti, & abduc ſanus.*

*6 Tunc vocans ambos clam, dixit eis: Benedicite Deum, & ei confitemini, & magnificentiam date ei: & confitemini ei coram omnibus viuentibus, pro ijs, quæ fecit vobiſcum.*

*7 Bonum eſt benedicere Deum, & exaltare nomẽ eius, verba operum Dei honorifice demonſtrantes: & ne pigri ſitis confiteri ei. Myſterium regis bonum eſt occultare, opera autem Dei reuelare honorifice. Bonum facite: & malum non inueniet vos.*

*8 Bonum oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, & iuſtitia. Bonum eſt paucum cum iuſtitia, quàm multum cum iniuſtitia. Bonum facere eleemoſynam, quàm theſaurizare aurum.*

*9 Eleemoſyna enim à morte liberat: & ipſa emundat omne peccatum. Facientes eleemoſynas, & iuſtitias, implebuntur vita:*

*10 Peccantes autem, ſunt hoſtes ſuæ ipſorum vitæ.*

*11 Non occultabo à vobis omne verbum. Dixi iam: myſterium regis occultare bonum, opera autem Dei reuelare honorifice.*

*12 Et nunc, quando oraſti tu, & nurus tua Sarra; ego obtuli memoriale orationis veſtræ coram ſancto: & quando ſepeliebas mortuos, ſimiliter aderam tibi: & quando non piger eras ſurgere, & relinquere prandium tuum, vt abiens operires mortuum, non latuiſti me benefaciens, ſed tecum fui.*

*14 Et nunc miſit me Deus ſanare te, & nurum tuam Sarram.*

*15 Ego ſum Raphael vnus ex ſeptem ſanctis Angelis, qui offerunt orationes ſanctorum, & ingrediuntur in conſpectu gloriæ ſancti.*

*16 Et turbati ſunt ambo, & ceciderunt in faciẽ, quoniam timuerunt.*

*17 Et dixit eis: Ne timeatis: pax vobis erit.*

*18 Deum autem benedicite in ſæcula: quoniam non mea ipſius gratia, ſed voluntate Dei noſtri veni: vnde benedicite eum in ſæcula.*

*19 Omnibus diebus apparebam vobis, & non manducabam, neque bibebam: ſed viſionem vos ſpectabatis.*

*Et*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum, qui me miſit : vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.
21 Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt.
22 Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum : & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

### CAP. XIII.

1 APeriens autem Tobias ſenior os ſuum, benedixit Dominum, & dixit : Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula regnum tuum :
2 * Quoniam tu flagellas, & ſaluas : deducis ad inferos, & reducis : & non eſt qui effugiat manum tuam.
3 Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum :
4 Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.
5 Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras : & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.
6 Aſpicite ergo quæ fecit nobiſcum, & cum timore, & tremore confitemini illi : regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris :
7 Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi : quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem.
8 Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quòd faciat vobiſcum miſericordiam ſuam.
9 Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.
10 Benedicite Dominum omnes electi eius : agite dies lætitiæ, & confitemini illi.
11 Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.
12 Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſæculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſæcula ſæculorum.
13 Luce ſplendida fulgebis : & omnes fines terræ adorabunt te.
14 * Nationes ex longinquo ad te venient : & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.
15 Nomen enim magnum inuocabunt in te.
16 Maledicti erunt qui contempſerint te : & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te : benedictique erunt qui ædificauerint te.
17 Tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.
18 Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.
19 Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noſter.
20 Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem.
21 * Portæ Ieruſalē ex ſapphiro, & ſmaragdo ædificabūtur : & ex lapide pretioſo oīs circuitus murorū eius.

* Deut. 32. 39. 1 Reg. 2. 6. Sap. 16. 13.

* Iſa. 60. 5.

* Apoc. 21. 18.

## Transl. ex Septuag.

20 *Et nunc confitemini Deo, quoniam aſcendo ad eum, qui miſit me : & ſcribite omnia, quæ conſummata ſunt, in libro.*
21 *Et ſurrexerunt, & non vltra viderunt eum.*
22 *Et confitebantur opera magna, & mirabilia eius, quemodo apparuerat eis Angelus Domini.*

### CAP. XIII.

1 *ET Tobit ſcripſit orationem in exultationem, & dixit : Benedictus Deus viuens in ſæcula, & regnum eius :*
2 *Quoniam ipſe flagellat, & miſeretur, deducit ad infernum, & reducit : & non eſt, qui effugiat manum eius.*
3 *Confitemini ei filij Iſrael in conſpectu gentium,*
4 *Quoniam ipſe diſſeminauit nos in eis. Ibi demonſtrate magnificentiam eius : exaltate eum coram omni viuente ſicut ipſe Dominus noſter, & Deus ipſe pater noſter in omnia ſæcula.*
5 *Et flagellabit nos in iniuſtitijs noſtris : & rurſus miſerebitur, & congregabit nos ex omnibus gentibus, vbicumque diſperſi fueritis in eis. Si reuerteritis ad eum in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra ad faciendum coram eo veritatem : tunc redibit ad vos, & non occultabit faciem ſuam à vobis :*
6 *Et videte, quæ faciet vobiſcum, & confitemini ei in toto ore veſtro, & benedicite Dominum iuſtitiæ, & exaltate regem ſæculorum.*
7 *Ego in terra captiuitatis meæ confiteor ei, & oſtendo fortitudinem, & magnificentiam eius genti peccatorum.*
8 *Reuertite peccatores, & facite iuſtitiam coram eo. Quis ſcit, ſi volet vos, & faciet miſericordiam vobis?*
9 *Deum meum exalto, & anima mea regi cœli, & exultabit magnificentiam eius.*
10 *Dicant omnes, & confiteantur ei in Hieroſolymis.*
11 *Hieroſolyma ciuitas ſancti, flagellabit ſuper opera filiorum tuorum : & rurſus miſerebitur filiorum iuſtorum.*
12 *Confitere Domino bene, & benedic regem ſæculorū, vt rurſus tabernaculum eius ædificetur in te cum gaudio, & lætificet in te captiuos, & diligat in te miſeros in omnes generationes ſæculi.*
13
14 *Gentes multæ de longe venient ad nomen Domini Dei, munera in manibus habentes, & munera regi cœli.*
15 *Generationes generationum dabunt tibi exultationem.*
16 *Maledicti omnes, qui odio habent te : benedicti erunt omnes diligentes te in ſæculum.*
17 *Gaude, & exulta ſuper filijs iuſtorum, quoniam congregabuntur, & benedicent Dominum iuſtorum.*
18 *O beati, qui diligunt te, gaudebunt in pace tua. Beati, quicumque triſtati ſunt ſuper omnibus flagellis tuis : quoniam in te gaudebunt, videntes omnē gloriam tuam, & lætabuntur in ſæcula.*
19 *Anima mea benedicat Deum regem magnum :*
20
21 *Quoniam ædificabitur Hieruſalem Saphiro, & Smaragdo, & lapide pretioſo muri tui, & turres :*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.

13 Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit regnũ eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam. Amen.

### CAP. XIIII.

1 ET conſummati ſunt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum.

2 Completis itaque annis centum duobus, ſepultus eſt honorifice in Niniue.

3 Quinquaginta namque & ſex annorum lumen oculorum amiſit, ſexagenarius vero recepit.

4 Reliquum vero vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

5 In hora autem mortis ſuæ vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios eius nepotes ſuos, dixitque eis:

6 Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & * fratres noſtri, qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuertentur ad eam.

* 1. Eſd. 1.

7 Omnis autem deſerta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incenſa eſt, iterum reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum,

8 Et relinquent gentes idola ſua, & venient in Ieruſalem, & inhabitabunt in ea,

9 Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Iſrael.

10 Audite ergo filij mei patrem veſtrum: Seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita ſunt illi:

11 Et filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua.

12 Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc:

13 Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.

14 Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ, Tobias abſceſſit ex Niniue cum vxore ſua, & filijs, & filiorum filijs, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos.

15 Inuenitque eos incolumes in ſenectute bona: & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum.

16 Et completis annis nonagintanouem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum.

17 Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit, ita vt accepti eſſent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

## Transl. ex Septuag.

22 *Et propugnacula in auro mundo, & plateæ Hieruſalem in beryllo, & carbunculo, & lapide de Suphir ſternentur. Et dicent omnes vici eius Alleluia,*

23 *Et laudem, dicentes: Benedictus Deus, qui exaltauit omnia ſæcula.*

### CAP. IIII.

1 *ET ceſſauit confitens Tobit.*

2

3 *Et erat annorum quinquaginta octo, quando amiſit viſum: & poſt annos octo recuperauit viſum.*

4 *Et faciebat eleemoſynas: & adiecit timere Dominum Deum, & confitebatur ei.*

5 *Magnopere autem ſenuit: & vocauit filium ſuum, & filios eius, & dixit ei: Fili accipe filios tuos. ecce ſenui, & ad exeundum è vita ſum.*

6 *Abi in Mediam fili, quoniam credidi, quæcumque locutus eſt Ionas propheta de Niniue, quia ſubuertetur: in Media autem erit pax magis vſque ad tempus: & quia fratres noſtri in terra diſpergentur à bona terra: & Hieroſolyma erit deſerta, & domus Dei in ea comburetur, & deſerta erit vſque ad tempus. Et rurſus miſerebitur eorum Deus, & reducet eos in terram, & ædificabunt domũ, non qualis prior, donec impleta fuerint tempora ſæculi.*

7 *Et poſt hæc reuertent de captiuitatibus, & ædificabunt Hieruſalem honorifice: & domus Dei in ea ædificabitur glorioſe ſicut locuti ſunt de ea prophetæ.*

8 *Et omnes gentes conuertentur veraciter ad timendũ Dominum Deum, & defodient idola ſua: & benedicent omnes gentes Dominum. Et populus eius confitebitur Deo: & exaltabit Dominus populum ſuum:*

9 *Et gaudebunt omnes, qui diligunt Dominum Deum in veritate, & iuſtitia, facientes miſericordiam fratribus noſtris.*

10 *Et nunc fili diſcede à Niniue, quoniam omnino erunt, quæ locutus eſt propheta Ionas. Tu autem ſerua legem, & præcepta, & eſto amator miſericordiæ, & iuſtus, vt tibi bene ſit. Et ſepeli me honeſte, & matrẽ tuam mecum, & non vltra maneatis in Niniue. Fili vide, quid fecit Aman Achiacharo, qui nutrierat eum, quomodo è luce adduxit eum in tenebras, & quæcumque retribuit ei. Et Achiacharum quidem ſaluauit: illi autem retributio retributa eſt, & ipſe deſcendit in tenebras. Manaſſes fecit miſericordiam, & ſaluatus eſt de laqueo mortis, quem fixerat ei. Aman autem incidit in laqueum, & perijt. Et nunc filij videte, quid eleemoſyna facit, & iuſtitia liberat. Et hæc ipſo dicente, defecit anima eius ſuper lectũ. Erat autem annorum centum quinquaginta octo: & ſepelierunt eum glorioſe. Et quando mortua eſt Anna, ſepeliuit eam cum patre ſuo. Diſceſſit autẽ Tobias cum vxore ſua, & filijs ſuis in Ecbatana ad Raguel ſocerum ſuum. Et ſenuit honorifice. Et ſepeliuit ſoceros ſuos glorioſe, & hæreditauit ſubſtantiam eorum, & Tobit patris ſui. Et mortuus eſt annorum centum vigintiſeptem in Ecbatanis Mediæ. Et audiuit, priuſquam ipſe moreretur, perditionem Niniue, quam captiuauit Nabuchodonoſor, & Aſſuerus: & gauiſus eſt, antequam moreretur ſuper Niniue.*

FINIS LIBRI TOBIÆ.



UVA.BSCH

# LIBRI IVDITH.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 ARphaxad itaque, rex Medorum, ſubiugaue-
rat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædi-
ficauit ciuitatem potentiſſimam, quam
appellauit Ecbatanis,

2 Ex lapidibus quadratis & ſectis fecit muros eius in
latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudi-
nem cubitorum triginta, turres vero eius poſuit in
altitudinem cubitorum centum.
3 Per quadrum vero earum latus vtrumque viceno-
rum pedum ſpatio tendebatur, poſuitque portas
eius in altitudinem turrium:
4 Et gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus
ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum.

5 Anno igitur duodecimo regni ſui: Nabuchodono-
ſor rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuita-
te magna, pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit
eum
6 In campo magno, qui appellatur Ragau, circa Eu-
phraten, & Tigrin, & Iadaſon in campo Erioch re-
gis Elicorum.
7 Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, &
cor eius eleuatum eſt: & miſit ad omnes, qui habi-
tabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano,
8 Et ad gentes, quæ ſunt in Carmelo, & Cedar, & in-
habitantes Galilæam in campo magno Eſdrelon,
9 Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen
Iordanem vſque ad Ieruſalem, & omnem terram
Ieſſæ quouſque perueniatur ad terminos Æthio-
piæ.
10 Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor rex
Aſſyriorum:
11 Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiſe-
runt eos vacuos, & ſine honore abiecerunt.
12 Tunc indignatus Nabuchodonoſor rex aduerſus
omnem terram illam, iurauit per thronum, & re-
gnum ſuum quòd defenderet ſe de omnibus regio-
nibus his.

# LIBRI IVDITH.

## Transl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ANno duodecimo regni Nabuchodonoſor, qui
regnauit ſuper Aſſyrios in Niniue, ciuitate
magna, in diebus Arphaxad, qui regnauit
ſuper Medos in Ecbatanis, & ædificauit ſuper Ec-
batana,*
2 *Et in circuitu muros ex lapidibus ſectis, in latitu-
dine, cubitorum trium, & in longitudine, cubitorum
ſex: & fecit altitudinem muri, cubitorum ſeptua-
ginta, & latitudinem eius, cubitorum quinquagin-*
3 *ta: & turres eius ſtatuit ſuper portas illius cubito-
rum centum: & latitudinem eius fundauit in cubi-
tis ſexaginta: & fecit portas eius portas ſuſcitatas*
4 *in altitudinem cubitorum ſeptuaginta, & latitudi-
nem earum cubitos quadraginta ad exitus exerci-
tuum potentium ipſius, & ordines peditum ipſius.*
5 *Et fecit bellum in diebus illis rex Nabuchodonoſor
aduerſus regem Arphaxad in campo magno: hic eſt
in finibus Ragau. Et concurrerunt ad eum omnes ha-
bitantes montanam, & omnes habitantes Euphra-
tem, & Tigrim, & Aydaſpem, & campo Irioch rex
Elymæorum. Et conuenerunt gentes multæ valdè in
aciem filiorum Cheleul. Et miſit Nabuchodonoſor
rex Aſſyriorum ad omnes habitantes Perſidem, &
ad omnes habitantes ad Occidentem, habitantes Ci-
liciam, & Damaſcum, Libanum, & Antilibanum,
& omnes qui habitabant ad faciem maritimæ, &
qui in gentibus Carmeli, & Galaad, & ſuperiorem
Galilæam, & magnum campum Eſdrelom, & omnes,
qui in Samaria, & ciuitatibus eius, & trans Iorda-
nem vſque Hieruſalem, & Betane, & Chellus, & Ca-
des, & fluminis Ægypti, & Taphnas, & Rameſſe, &
omnem terram Geſem, vſque ad veniendum ſupra
Tanim, & Memphim, & omnes habitantes Ægyptũ
vſque ad veniendum ſuper fines Aethiopiæ. Et vili-
penderunt omnes habitantes vniuerſam terram ver-
bum Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum: & non con-
uenerunt ei ad bellum; quoniam non timuerunt eũ:
ſed erat coram eis tanquam vir æqualis. Et remiſe-
runt nuncios eius vacuos in ignominia ante faciem
ſuam. Et indignatus eſt Nabuchodonoſor ſuper om-
nem terram hanc valdè, & iurauit per thronum, &
regnum ſuum, nimirum vlturum ſe omnes fines Ci-
liciæ, & Damaſcenæ, & Syriæ, interempturum gla-
dio ſuo, & omnes habitantes in terra Moab, & filios
Ammon, & omnem Iudæam, & omnes, qui in Aegy-
pto vſque ad veniendum ſuper fines duorũ mariũ.
Et aciẽ ſtruxit in virtute ſua aduerſus Arphaxad
regẽ in anno ſeptimo & decimo: & præualuit in præ-
lio ſuo, & euertit oĩm virtutẽ Arphaxad, & omnem
equitatũ eius, & oẽs currus eius, & dominatus eſt
ciuitatibus eius. Et peruenit vſque Ecbatana, & ob-
tinuit turres, & prædatus eſt plateas eius, & ornatũ
eius poſuit in opprobriũ eius. Et cepit Arphaxad in
montibus Ragau, & confixit eum in iaculis ſuis, &
exterminauit eũ vſque in diem illũ. Et reuertit cum
eis ipſe, & omnis commiſtus eius, multitudo virorum
bellatorum plurima valdè. Et erat ibi torpẽs, & epu-
lans, ipſe, & virtus eius per dies centum viginti.*





UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata eſſet idola. | | | & neſciebat Iahacob, quòd Rachel furata eſſet eos. |
| Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob & Liæ, & vtriuſque famulæ, non inuenit. Cumque intraſſet tentorium Rachelis, | 33 | 33 | Et venit Laban in tabernaculum Iahacob, & in tabernaculum Leah, & in tabernaculum ambarum ancillarum, & non inuenit. Et egreſſus eſt de tabernaculo Leah, & venit in tabernaculum Rachel. |
| Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper: ſcrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, | 34 | 34 | Et Rachel accepit idola, & poſuit ea in ſtratorio cameli, & ſedit ſuper ea: & contrectauit Laban totum tabernaculum, & non inuenit. |
| Ait: Ne iraſcatur dominus meus quòd coram te aſſurgere nequeo: quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt. | 35 | 35 | Et dixit ad patrem ſuum: Ne ſit ira in oculis domini mei, quod non poſſim ſurgere à facie tua: quia conſuetudo mulierum eſt mihi, & ſcrutatus eſt, & non inuenit idola. |
| Tumensque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, | 36 | 36 | Et ira fuit ipſi Iahacob, & iurgatus eſt cum Laban. Et reſpondit Iahacob, & dixit ad Laban: Quæ eſt præuaricatio mea, quod peccatum meum? quia perſecutus es me? |
| Et ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te. | 37 | 37 | Qui contrectaſti omnia ſupellectilia mea, Quid inueniſti ex omnibus ſupellectilibus domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & declarent inter ambos nos. |
| Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi. | 38 | 38 | Iam viginti annos fui tecum, oues tuæ & capræ tuæ non abortiuæ ſunt: & arietes pecudum tuarum non comedi. |
| Nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: | 39 | 39 | Raptum non attuli tibi: ego pœnas luebam pro eo. De manu mea requirebas illud ſic quod furto ſubripiebatur tam de die, quam de nocte. |
| Die noctuque æſtu vrebar, & gelu; fugiebatque ſomnus ab oculis meis. | 40 | 40 | Fui, in die conſumebat me æſtus, & gelu in nocte, & recedebat ſomnus meus ab oculis meis. |
| Sicque per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quattuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis: immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus. | 41 | 41 | Iam viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & ſex annos pro pecudibus tuis: & mutaſti mercedem meam decem vicibus. |
| Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modo nudum me dimiſiſſes: afflictionem meam & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri. | 42 | 42 | Niſi fuiſſet Deus patris mei, Deus Abraham, & pauor Iſchac fuiſſet pro me, quia nunc vacuum dimiſiſſes me: afflictionem meam, & laborem manuum mearũ vidit Deus: & increpauit te nocte præterita. |
| Reſpondit ei Laban: Filiæ meæ, & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea ſunt: quid poſſum facere filijs, & nepotibus meis? | 43 | 43 | Et reſpondit Laban, & dixit ad Iahacob. Filiæ, filiæ meæ ſunt, & filij, filij mei ſunt, & pecudes, pecudes meæ ſunt. Et quicquid vides meum eſt, & filiabus meis quid faciam iſtis hodie, vel filijs earum quos pepererunt. |
| Veni ergo, & ineamus fœdus: vt ſit in teſtimonium inter me & te. | 44 | 44 | Et nunc veni. Percutiamus fœdus ego, & tu, & erit in teſtimonium inter me, & inter te. |
| Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum: | 45 | 45 | Et tulit Iahacob lapidem, & erexit illum in ſtatuam. |
| Dixitque fratribus ſuis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque ſuper eum: | 46 | 46 | Et dixit Iahacob fratribus ſuis: Colligite lapides. Et tulerunt lapides, & fecerunt tumulum, & comederunt ibi ſuper tumulum. |
| Quem vocauit Laban Tumulum teſtis: & Iacob, Aceruum teſtimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ ſuæ. | 47 | 47 | Et vocauit eum Laban Ieghar Sahaduta, & Iahacob vocauit eum Galghed. |
| Dixitque Laban: Tumulus iſte erit teſtis inter me, & te hodie, & idcirco appellatum eſt nomen eius Galaad, id eſt, Tumulus teſtis. | 48 | 48 | Et dixit Laban: Cumulus iſte ſit teſtis inter me, & te hodie: Idcirco vocauit nomen eius Ghalghed. Et Miſpah; quia dixit: |
| Intueatur & iudicet Dominus inter nos quando receſſerimus à nobis, | 49 | 49 | Speculetur Dominus inter me, & te: quia latemus alter alteri. |
| Si afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit. | 50 | 50 | Si afflixeris filias meas, & ſi acceperis vxores ſuper filias meas, non eſt quiſquam nobiſcum. Vide, Deus eſt teſtis inter me, & te. |
| Dixitque rurſus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, | 51 | 51 | Et dixit Laban ad Iahacob: Ecce cumulus iſte, & ecce ſtatua, quam ieci inter me, & te. |
| Teſtis erit: tumulus, inquam, iſte & lapis ſint in teſtimonium; ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. | 52 | 52 | Teſtis cumulus iſte, & teſtis ſtatua, ꝙ ego nõ trãſibo veniens ad te cumulũ iſtũ, & ꝙ tu nõ tranſibis veniens ad me cumulum iſtũ, & ſtatuã iſtã, ad malũ. |
| Deus Abraham & Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac: | 53 | 53 | Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos: Deus patris eorum. Et iurauit Iahacob per pauorem patris ſui Iſchac. |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. II.

1 ANno tertiodecimo Nabuchodonoſor regis, vigeſima & ſecunda die menſis primi, factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum, vt defenderet ſe.

2 Vocauitque omnes maiores natu, omneſque duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui:

3 Dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.

4 Quod dictum cum placuiſſet omnibus, vocauit Nabuchodonoſor rex Holofernem principem militiæ ſuæ,

5 Et dixit ei: Egredere aduerſus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipue, qui contempſerunt imperium meum.

6 Non parcet oculus tuus vlli regno, omnemque vrbem munitam ſubiugabis mihi.

7 Tunc Holofernes vocauit duces, & magiſtratus virtutis Aſſyriorum: & dinumerauit viros in expeditionem, ſicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum ſagittariorum duodecim millia.

8 Omnemque expeditionem ſuam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus ſufficerent copioſe, boum quoque armenta, gregeſque ouium, quorum non erat numerus.

9 Frumentum ex omni Syria in tranſitu ſuo parari conſtituit.

10 Aurum vero, & argentum de domo regis aſſumpſit multum nimis.

11 Et profectus eſt ipſe, & omnis exercitus cum quadrigis, & equitibus, & ſagittarijs, qui cooperuerunt faciem terræ, ſicut locuſtæ.

12 Cumque pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, aſcenditque omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

13 Effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melothi, prædauitque omnes filios Tharſis, & filios Iſmael, qui erant contra faciem deſerti, & ad Auſtrum Cellon.



## Transl. ex Septuag.

### CAP. II.

1 *ET in anno octauo & decimo, ſecunda & vigeſima primi menſis, factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum, vlciſci omnem terram, ſicut locutus erat.*

2 *Et conuocauit omnes miniſtros ſuos, & omnes magnates ſuos, & poſuit cum eis myſterium conſilij ſui.*

3 *Et conſummauit omne malum terræ de ore ſuo: & ipſi iudicauerunt exterminare omnem carnem, qui non obſequuti fuerant ſermoni oris eius.*

4 *Et factum eſt, vt conſummauit conſilium ſuum; vocauit Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum Olophernem principem virtutis ſuæ, qui ſecundus erat ab ipſo,*

5 *Et dixit ad eum: Hæc dicit rex magnus, dominus vniuerſæ terræ. Ecce tu egredieris à facie mea, & ſumes tecum viros confidentes in fortitudine ſua, peditum ad millia centum viginti, & multitudinẽ equorum cum aſcenſoribus myriadum duodecim: & egredieris in occurſum omni terræ ad Occidentem, quoniam non obedierunt verbo oris mei: & annunciabis eis parare terram, & aquam: quoniam egrediar in furore meo ſuper eos; & operiam omnem faciem terræ in pedibus virtutis meæ: & dabo illos in direptionem eis: & caſi iſtorum implebunt valles, & torrentes ipſorum: & fluuius inundans mortuis eorum implebitur: & ducam captiuitatem eorum, ad ſummitates vniuerſæ terræ. Tu verò egreſſus præoccupabis mihi omnem terminum eorum: & dedent ſe tibi, & conſeruabis mihi eos in diem argutionis eorum: ſuper inobedientes autem non parcet oculus tuus dare eos in cæde, & direptionem in omni terra tua: quoniam viuens ego, & imperium regni mei: locutus ſum, & faciam hæc in manu mea.*

6 *Et tu autem non tranſgredieris vnum quid ex verbis domini tui, ſed perficiens perficies, ſicut præcepi tibi: & non cunctaberis facere hæc.*

7 *Et exiuit Olophernes à facie domini ſui, & vocauit omnes Dynaſtas, & duces, & præſides virtutis Aſſur, & numerauit electos viros in aciem ſicut iuſſerat ei dominus eius ad myriadas duodecim, & equites ſagittarios duodecim millia:*

8 *Et ordinauit eos quemadmodum belli multitudo coordinatur. Et ſumpſit camelos, & aſinos ad impedimenta ipſorum, multitudinem plurimam valdè, & oues, & boues, & capras ad apparatum ipſorum, quorum non erat numerus.*

9 *Et rem frumentariam omni viro in multitudine,*

10 *Et aurum, & argentum è domo regis multum valdè.*

11 *Et exijt ipſe, & vniuerſa virtus eius ad iter ad præcedendum regem Nabuchodonoſor, & operiẽdum omnem faciem terræ ad Occidentem in curribus, & equitibus, & peditibus electis ipſorum. Et multus admiſtus, tanquam locuſta exierunt cum eis, & tanquam arena terræ. Non enim erat numerus præ multitudine eorum.*

12 *Et abierunt de Niniue viam trium dierum ſuper faciem campi Bectileth: & caſtra fecit à Bectileth prope montem, qui ad ſiniſtram ſuperioris Ciliciæ. Et ſumpſit omnem virtutem ſuam pedites, & equites, & currus ſuos: & abijt inde in montanam:*

13 *Et excidit Phud, & Lud: & prædati ſunt omnes filios Raſſis, & filios Iſmael, qui ſuper faciem deſerti ad Auſtrum Chellæn.*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

14 Et tranſiuit Euphratem, & venit in Meſopotamiam: & fregit omnes ciuitates excelſas, quæ erant ibi, à torrente Mambre vſquequo perueniatur ad mare:
15 Et occupauit terminos eius, à Cilicia vſque ad fines Iapheth, qui ſunt ad Auſtrum.

16 Abduxitque omnes filios Madian, & prædauit omnem locupletationem eorum, omneſque reſiſtentes ſibi occidit in ore gladij.
17 Et poſt hæc deſcendit in campos Damaſci in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omneſque arbores, & vineas fecit incidi:

18 Et cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram.

### CAP. III.

1 TVnc miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbiũ, ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ ſcilicet Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem dixerunt:
2 Deſinat indignatio tua circa nos: Melius eſt enim vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor regi magno, & ſubditi ſimus tibi, quàm morientes cum interitu noſtro ipſi ſeruitutis noſtræ damna patiamur.
3 Omnis ciuitas noſtra, omniſque poſſeſſio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregeſque ouium, & caprarum, equorumque & camelorum, & vniuerſæ facultates noſtræ, atque familiæ in conſpectu tuo ſunt:
4 Sint omnia noſtra ſub lege tua.
5 Nos, & filij noſtri, ſerui tui ſumus.
6 Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi.

7 Tunc deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram.
8 De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.
9 Tantuſque metus prouincijs illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores principes, & honorati ſimul cum populis exirent obuiam venienti,
10 Excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibijs.
11 Nec iſta tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt:
12 Nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit.
13 Præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.
14 Pertranſiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnemque Meſopotamiam, venit ad Idumeos in terram Gabaa,
15 Accepitque ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuerſum exercitum virtutis ſuæ.

### CAP. IIII.

1 TVnc audientes hæc filij Iſrael, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius.

Tre-

## Transl. ex Septuag.

14 *Et tranſiuit Euphratem, & pertranſiit Meſopotamiam, & diruit omnes ciuitates excelſas, quæ ſuper torrentem Abronà vſque ad veniendum ſuper mare.*
15 *Et cepit fines Cilicia, & concidit omnes reſiſtentes ſibi. Et venit vſque ad fines Iapheth, qui ad Auſtrum ſuper faciem Arabia.*
16 *Et circuiuit omnes filios Madian, & incendit tabernacula eorum, & diripuit mandras eorum.*

17 *Et deſcendit in campum Damaſci in diebus meſſis triticeorum, & incendit omnes agros eorum: & greges, & armenta boum dedit in perditionem: & ciuitates eorum ſpoliauit, & campos eorum ventilauit & percuſſit omnes iuuenes eorum in ore gladij.*
18 *Et incidit timor, & tremor eius ſuper omnes habitantes maritimam, eos qui erant in Sydone, & Tyro, & habitantes Sur, & Ocinà, & omnes habitantes Hiemnaan. Et habitantes in Azoto, & Aſcalone timuerunt eum valde.*

### CAP. III.

1 *ET miſerunt ad eum nuncios verbis pacificis, dicentes:*

2 *Ecce nos pueri Nabuchodonoſor regis magni adſumus coram te: vtere nobis, ſicut placitum eſt in facie tua.*

3 *Ecce villa noſtra, & omnis campus triticorum, & greges, & armenta, & omnes mandra tabernaculorum noſtrorum adſunt ante faciem tuam: vtere, quomodo placuerit tibi. Ecce & ciuitates noſtra, & habitantes in eis ſerui tui ſunt.*
4
5
6 *Veniens occurre eis, prout eſt bonum in oculis tuis. Et aduenerunt viri ad Olophernem, & annunciarunt ei ſecundum verba hæc.*
7 *Et deſcendit ſuper maritimam ipſe, & virtus eius, & præſidia poſuit in ciuitatibus excelſis:*

8 *Et aſſumpſit ex eis in belli ſocietatem viros electos,*

9

10 *Et ſuſceperunt eum ipſi, & omnis regio adiacens eorum cum coronis, & choris, & tympanis.*
11

12 *Et demolitus omnes fines eorum, & lucos eorum excidit.*
13 *Et erat decretum ei exterminare omnes Deos terra: vt ipſi ſoli Nabuchodonoſor ſeruirent omnes gentes: & omnes lingua, & omnes tribus eorum inuocarent eum in Deum.*
14 *Et venit ſuper faciem Eſdrelon prope Dotaim, quæ eſt contra Serram magnam Iudæa.*

15 *Et caſtrametatus eſt inter Gaba, & Scytharum ciuitatem: & fuit ibi menſem dierum ad colligenda omnia impedimenta virtutis ſua.*

### CAP. IIII.

1 *ET audierunt filij Iſrael habitantes in Iudæa omnia, quæcumque fecerat Olophernes gentibus, princeps militia Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum, & quomodo ſpoliauerat omnia templa eorum, & dederat ea in perditionem:*

Exi-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Tremor, & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini, quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum.

3 Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium:

4 Et muris circumdederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.

5 Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos, qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuerſos, per quos vix tranſitus eſſe poterat,

6 Vt obtinerent aſcenſus montium, per quos via eſſe poterat ad Ieruſalem, & illic cuſtodirent vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes.

7 Et fecerunt filij Iſrael ſecundum quod conſtituerat eis ſacerdos Domini Eliachim.

8 Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiunijs, & orationibus, ipſi & mulieres eorum.

9 Et induerunt ſe Sacerdotes cilicijs, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio:

10 Et clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium Gentibus.

11 Tunc Eliachim, ſacerdos Domini magnus, circuiuit omnem Iſrael, allocutuſque eſt eos,

12 Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs, & orationibus in conſpectu Domini.

13 * Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit:

14 Sic erunt vniuerſi hoſtes Iſrael: ſi perſeueraueritis in hoc opere, quod cœpiſtis.

15 Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in conſpectu Domini.

16 Ita vt etiam hi, qui offerebant Domino holocauſta, præcincti cilicijs offerrent ſacrificia Domino, & erat cinis ſuper capita eorum.

17 Et ex toto corde ſuo omnes orabant Deum, vt viſitaret populum ſuum Iſrael.

### CAP. V.

1 NVnciatumque eſt Holoferni principi militiæ Aſſyriorum, quod filij Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum, ac montium itinera concluſiſſent,

2 Et furore nimio exarſit in iracundia magna, vocauitque omnes principes Moab & duces Ammon,

Et di-

## Tranſl. ex Septuag.

2 *Et timuerunt valde valde à facie eius, & pro Hieruſalem, & templo Domini Dei ſui turbati ſunt: quoniam recenter aſcenderant è captiuitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Iudææ: & vaſa, & altare, & domus ex pollutione fuerant ſanctificata.*

3 *Et miſerunt in omnē terminum Samariæ, & Conàs, & Bethoren, & Belmen, & Hiericho, & in Chobà, & Aſorà, & vallem Salem: & præoccupauerunt omnia cacumina montium excelſorum,*

4 *Et muris circumdederunt pagos, qui in eis: & repoſuerunt in rem frumentariam ad apparatum belli: quoniam recenter fuerant campi ipſorum demeſſi.*

5 *Et ſcripſit Ioacim ſacerdos magnus, qui erat in diebus illis in Hieruſalem, habitantibus Betylua, & Betomeſtham, quæ eſt à regione Eſdrelon ſuper faciem campi, qui prope Dothaim,*

6 *Dicens obtinere aſcenſiones ipſius montana: quoniā per eas erat introitus in Iudæam: & erat facile prohibere eos accedentes, quod anguſtus acceſſus erat, duos ſuper omnes viros.*

7 *Et fecerunt filij Iſrael, ſicut conſtituit eis Ioacim ſacerdos magnus, & ſenatus vniuerſi populi Iſrael, qui ſedebant in Hieruſalem.*

8 *Et exclamauerunt omnis vir Iſrael ad Deum in inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in inſtantia magna, ipſi, & vxores ipſorum, & infantes ipſorum, & iumenta ipſorum: & omnis incola, vel mercennarius, vel argento emptus ipſorum*

9 *Impoſuerunt ſaccos ſuper lumbos ſuos. Et omnis vir Iſrael, & mulier, pueri, & habitantes in Hieruſalem ceciderunt ad faciem templi, & cinere conſperſerunt capita ſua, & extenderunt ſaccos ſuos ad faciem Domini. Et altare ſacco circumtexerunt.*

10 *Et clamauerunt ad Deum Iſrael vnanimiter aſſidue, vt non daret in direptionem infantes ipſorum, & vxores in prædam, & ciuitates hereditatis ipſorum in perditionem, & ſancta in pollutionem, & opprobrium, gaudium gentibus. Et exaudiuit Dominus vocem eorum, & inſpexit tribulationem eorum. Et fuit populus ieiunans dies plures in omni Iudæa, & Hieruſalem ad faciem ſanctorum Dei omnipotentis.*

16 *Et Ioacim ſacerdos magnus, & omnes aſſiſtentes ante Dominum, ſacerdotes, & miniſtrantes Domino, ſaccis accincti lumbos ſuos, offerebant holocauſtoma iugis ſacrificij, & vota, & ſpontanea dona populi: & erat cinis ſuper cidaras eorum.*

17 *Et clamabant ad Dominum ex omni virtute in bonum viſitare omnem domum Iſrael.*

### *CAP. V.*

1 *ET nunciatum eſt Olopherni principi virtutis Aſſur, quia filij Iſrael parati erant ad prælium, & tranſitus montana concluſerant, & muros circumdederant omne cacumen montis excelſi, & poſuerant in campis ſcandala.*

2 *Et iratus eſt furore valde, & vocauit oēs principes Moab, & duces Ammon, & oēs ſatrapas maritimæ,*

*Et di-*

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

3 Et dixit eis: Dicite mihi quis ſit populus iſte, qui montana obſidet: aut quæ, & quales, & quantæ ſint ciuitates eorum: quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum:

4 Et quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, iſti contempſerunt nos, & non exierunt obuiam nobis vt ſuſciperent nos cum pace?

5 Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon reſpondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo de populo iſto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo.

6 Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt.

7 * Hic primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum.

* Gen. 11. 31.

8 Deſerentes itaque ceremonias patrum ſuorum, quę in multitudine deorum erant,

9 Vnum Deum cœli coluerunt. * qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan. Cumque operuiſſet omnem terram fames, * deſcenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, vt dinumerari eorum non poſſet exercitus.

* Gen. 12. 1.
* Gen. 46. 1.

10 Cumque grauaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium ſuarum in luto & latere ſubiugaſſet eos, clamauerunt ad Dominum ſuum, & percuſſit totam terram Ægypti plagis varijs.

11 * Cumque eiecisſent eos Ægyptij à ſe, & ceſſaſſet plaga ab eis, & iterum eos vellent capere & ad ſuum ſeruitium reuocare,

* Exo. 14. 1.

12 * Fugientibus his Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarentur, & iſti pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent.

* Exo. 14. 21.

13 In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos perſequeretur, ita aquis coopertus eſt, vt non remaneret vel vnus, qui factum poſteris nunciaret.

14 Egreſſi vero mare rubrum, deſerta Sina montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.

15 Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo conſecuti ſunt.

16 Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta, & abſque ſcuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.

17 Et non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui.

18 Quotieſcumque autem præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

19 Quotieſcumque autem pœnituerunt ſe receſſiſſe à cultura Dei ſui, dedit eis Deus cœli virtutem reſiſtendi.

20 Denique Chananæum regem, & Iebuſæum, & Pherezæum, & Hethęum, & Heuæum, & Amorrhęum, & omnes potentes in Heſebon proſtrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipſi poſſederunt:

21 Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona: Deus enim illorum, odit iniquitatem.

## Transl. ex Septuag.

3 *Et dixit eis: Annunciate nunc mihi filij Chanaan, quis populus hic habitans in montana, & quænam quas habitant, ciuitates, & quæ multitudo virtutis eorum, & in quo poteſtas eorum, & fortitudo eorum, & quis ſurrexit ſuper eis rex dux exercitus eorum,*

4 *Et cur erexerunt dorſum, vt non venirent in occurſum mihi præter omnes habitantes in Occidente.*

5 *Et dixit ad eum Achior dux omnium filiorum Ammon: Audiat, quaſo dominus meus verbum ex ore ſerui ſui, & annunciabo tibi veritatem de populo, qui habitat montanam hanc prope te habitantem: & non exibit mendacium ex ore ſerui tui.*

6 *Populus hic ſunt prognati ex Chaldæis,*

7 *Et incoluerunt antea in Meſopotamia: quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum:*

8 *Et digreſſi ſunt è via parentum ſuorum,*

9 *Et adorauerunt Deum cæli, Deum, quem cognouerunt. Et eiecerunt eos à facie deorum ſuorum. Et fugerunt in Meſopotamiam, & incoluerunt ibi dies multos. Et dixit Deus eorum, vt exirent de incolatu ſuo, & irent in terram Chanaan. Et habitauerunt ibi, & multiplicati ſunt auro, & argento, & in pecoribus multis valde. Et deſcenderunt in Ægyptum (operuerat enim faciem terræ Chanaan fames) & incoluerunt ibi, quoadusque aucti ſunt. Et facti ſunt ibi in multitudinem plurimam, & non erat numerus generis eorum.*

10 *Et inſurrexit eis rex Ægypti, & circumuenerunt eos in labore, & latere, & humiliauerunt eos, & poſuerunt eos in ſeruos. Et exclamauerunt ad Deum ſuum. & percuſſit vniuerſam terram Ægypti plagis in quibus non erat curatio.*

11 *Et eiecerunt eos Ægyptij à facie ſua.*

12 *Et exiccauit Deus rubrum mare ante eos,*

14 *Et duxit eos in viam Sina, & Cades Barne. Et eiecerunt omnes habitantes in deſerto: & habitauerunt in terra Amorræorum: & omnes Eſebonitas exterminarunt in fortitudine ſua. Et tranſeuntes Iordanem hæreditarunt vniuerſam montanam:*

20 *Et eiecerunt à facie ſua Chananæum, & Pherezæum, & Iebuſæum, & ipſum Sychem, & omnes Gergeſæos: & inhabitarunt in ea dies multos.*

21 *Et quoadusque non peccauerunt in conſpectu Dei ſui, fuerunt bona cum eis: quoniam Deus odio habens iniuſtitiam cum eis eſt.*

Nam

*Quan-*

## Vulgata Editio.

Nam & ante hos annos cum receſſiſſent à via,quam 22
dederat illis Deus,vt ambularent in ea, exterminati
ſunt prælijs à multis nationibus , & plurimi eorum
captiui abducti ſunt in terram non ſuam .

Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum , 23
ex diſperſione qua diſperſi fuerant , adunati ſunt, &
aſcenderunt montana hæc omnia , & iterum poſſi-
dent Ieruſalem,vbi ſunt ſancta eorum .
Nunc ergo mi domine,perquire ſi eſt aliqua iniqui- 24
tas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad
illos,quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi,
& ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ .
Si vero non eſt offenſio populi huius coram Deo 25
ſuo , non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus
eorum defendet illos: & erimus in opprobrium vni-
uerſæ terræ .
Et factum eſt,cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc 26
irati ſunt omnes magnates Holofernis , & cogita-
bant interficere eum,dicentes ad alterutrum:
Quis eſt iſte,qui filios Iſrael poſſe dicat reſiſtere re- 27
gi Nabuchodonoſor , & exercitibus eius , homines
inermes , & ſine virtute , & ſine peritia artis pu-
gnæ?
Vt ergo agnoſcat Achior quoniam fallit nos,aſcen- 28
damus in montana : & cum capti fuerint potentes
eorum , tunc cum eiſdem gladio tranſuerbera-
bitur :
Vt ſciat omnis gens quoniam Nabuchodonoſor 29
Deus terræ eſt,& præter ipſum alius non eſt .

### CAP. VI.

FActum eſt autem cum ceſſaſſent loqui,indigna- 1
tus Holofernes vehementer,dixit ad Achior :

Quoniam propheraſti nobis dicens , quod gens Iſ- 2
rael defendatur à Deo ſuo,vt oſtendam tibi quoniā
non eſt Deus,niſi Nabuchodonoſor :

Cum percuſſerimus eos omnes , ſicut hominem 3
vnum , tunc & ipſe cum illis Aſſyriorum gladio in-
teribis , & omnis Iſrael tecum, perditione diſpe-
riet :

Et probabis quoniam Nabuchodonoſor Dominus 4
ſit vniuerſæ terræ : tuncque gladius militiæ meæ
tranſiet per latera tua,& confixus cades inter vulne-
ratos Iſrael , & non reſpirabis vltra, donec extermi-
neris cum illis .

## Transl.ex Septuag.

22 *Quando autem receſſerunt à via , quam diſpoſuit
eis ; exterminati ſunt in multis bellis plurimum
valde:& captiui ducti ſunt in terram nō propriam:
& templum Dei ipſorum factum eſt in pauimen-
tum : & ciuitates eorum captæ ſunt ab aduer-
ſarijs .*
23 *Et nunc reuertentes ad Deum ſuum, aſcenderunt è
diſperſione , vbi diſperſi fuerunt illic , & tenuerunt
Hieruſalem,vbi ſanctuarium eorum : & habitaue-
runt in montana,quoniam erat deſerta .*
24 *Et nunc dominator domine, ſiquidem eſt ignorantia
in populo hoc,& peccant in Deum ſuum, & videbi-
mus,quia eſt in eis ſcandalum hoc , & aſcendemus,
& debellabimus eos .*
25 *Si autem non eſt iniquitas in gente ipſorum ; prætere-
reat,quæſo,dominus meus ; ne forte protegat Domi-
nus eorum,& Deus eorum pro ipſis,& erimus in op-
probrium coram omni terra .*
26 *Et factum eſt , vt ceſſauit Achior loquens ſermones
hos ; & murmurauit omnis populus circundans ta-
bernaculum,& adſtans .*
27 *Et dixerunt magnates Olophernis , & omnes habi-
tantes maritimam,& Moab concidere eum:non enim
timebimus à filijs Iſrael . Ecce enim populus , in
quo non eſt virtus, neque potentia ad faciem fortē .*
28 *Quare nunc aſcendamus : & erunt in eſcam vni-
uerſi exercitus tui domine Olophernes .*

### CAP. VI.

1 *ET vt ceſſauit tumultus virorum , qui in cir-
cuitu conſeſſus , & dixit Olophernes princeps
virtutis Aſſur ad Achior coram omni populo alieni-
genarum,& ante omnes filios Moab .*
2 *Et quis es tu Achior , & mercenarij Ephram , quia
propheraſti in nobis, ſicut hodie, & dixiſti genus Iſ-
rael non oppugnare , quoniam Deus eorum prote-
git eos ? Et quis eſt Deus , niſi Nabuchodono-
ſor ?*
3 *Hic mittet potentiam ſuam , & exterminabit eos à
facie terræ : & non liberabit eos Deus eorum: ſed
nos ſerui eius percutiemus eos , tamquam virum
vnum: & non ſuſtinebunt potentiam equorum no-
ſtrorum . Comburemus enim eos in ipſis , & mon-
tes eorum inclinabuntur in ſanguine ipſorum , &
campi eorum implebuntur mortuis ipſorum : &
non reſiſtet veſtigium pedum eorum ad faciem no-
ſtram ,*
4 *Sed perditione perdentur, dicit rex Nabuchodonoſor
dominus vniuerſæ terræ . Dixit enim : non euane-
ſcent verba ſermonum eius . Tu autem Achior mer-
cennarie Ammon,qui locutus es verba hæc in die in-
iuſtitiæ tuæ,non videbis amplius faciem meam à die
hac : quoadusque vlciſcar genus eorum , qui ex
Ægypto . Et tunc pertranſibit ferrum exercitus
mei , & populus miniſtrorum meorum coſtas tuas :
& cades in coſtis eorum,quando reuertero : & redu-
cent te ſerui mei in montanam , & ponent te in vna
ciuitatum aſcenſionum : & non peribis , donec ex-
termineris cum illis .*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

5 Porro autem ſi prophetiam tuam veram exiſtimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet, abſcedat à te, ſi verba mea hæc putas impleri non poſſe.

6 Vt autem noueris quia ſimul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo ſociaberis, vt, dum dignas mei gladij pœnas exceperint, ipſe ſimul vltioni ſubiaceas.

7 Tunc Holofernes præcepit ſeruis ſuis vt comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliã, & traderent eum in manus filiorum Iſrael.

8 Et accipientes eum ſerui Holofernis, profecti ſunt per campeſtria: ſed cum appropinquaſſent ad montana, exierunt contra eos fundibularij.

9 Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & ſic vinctum reſtibus dimiſerunt eum, & reuerſi ſunt ad dominum ſuum.

10 Porro filij Iſrael deſcendentes de Bethulia venerunt ad eum: Quem ſoluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum ſtatuentes, percunctati ſunt quid rerum eſſet quod illum vinctum Aſſyrij reliquiſſent.

11 In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

12 In medio itaque ſeniorum, & in conſpectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipſe fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluiſſet propter hoc verbum interficere eum,

13 Et quemadmodum ipſe Holofernes iratus iuſſerit eum Iſraelitis hac de cauſa tradi: vt dum, vicerit filios Iſrael, tunc & ipſum Achior diuerſis iubeat interire ſupplicijs, propter hoc quod dixiſſet: Deus cœli defenſor eorum eſt.

14 * Cumque Achior vniuerſa hæc expoſuiſſet, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces ſuas Domino effuderunt,

* Sup. 5. 11.

15 Dicentes: Domine Deus cœli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende, & oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te: & præſumentes de ſe, & de ſua virtute glориantes, humilias.

16 Finito itaque fletu, & per totam diem oratione populorum completa, conſolati ſunt Achior,

17 Dicentes: Deus patrum noſtrorum, cuius tu virtutem prædicaſti, ipſe tibi hanc dabit viciſſitudinem, vt eorum magis tu interitum videas.

18 Cum vero Dominus Deus noſter dederit hanc libertatem ſeruis ſuis, ſit & tecum Deus in medio noſtri: vt ſicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerſeris nobiſcum.

19 Tunc Ozias, finito conſilio, ſuſcepit eum in domũ ſuam, & fecit ei cœnam magnam.

20 Et vocatis omnibus presbyteris, ſimul expleto ieiunio refecerunt.

21 Poſtea vero conuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra eccleſiam orauerunt petentes auxilium à Deo Iſrael.

## Transl. ex Septuag.

5 *Et, ſi quidem ſperas corde tuo, quia non capientur: ne concidat tuus vultus. Locutus ſum, & nihil decidet de verbis meis. Et iuſſit Olophernes ſeruis ſuos, qui erant aſſiſtentes in tabernaculo eius, comprehendere Achior, & reducere eum in Betylua, & tradere in manus filiorum Iſrael.*

8 *Et comprehenderunt eum ſerui eius, & duxerunt eum extra caſtra in campum. Et promouerunt è medio campeſtris in montanam, & aduenerunt ſuper fontes, qui erant ſub Betylua. Et, viderunt eos viri ciuitatis ſuper cacumen montis: ſumpſerunt arma ſua, & abierunt extra ciuitatem ad cacumen montis: & omnis vir fundibularius tenuit aſcenſum ipſorum, & iaculati ſunt in lapidibus ſuper eos.*

9 *Et ſubeuntes ſubter montem, ligauerunt Achior, & reliquerunt proiectum ſubter radicem montis, & abierunt ad dominum ſuum.*

10 *Deſcendentes autem filij Iſrael de ciuitate ſua, ſteterunt ſuper eum, & ſoluentes eum abduxerunt in Betylua, & conſtituerunt eum ſuper principes ciuitatis ſuæ, qui erant*

11 *In temporibus illis Ozias filius Michà de tribu Symeon, & Abric filius Gothoniel, & Charmis filius Melchiel.*

12 *Et conuocauerunt omnes ſeniores ciuitatis: & concurrerunt omnis iuuenis eorum, & mulieres in eccleſiam: & ſtatuerunt Achior in medio populi ſui. Et interrogauit eum Ozias, quod acciderat. Et reſpondens annunciauit eis verba conſeſſus Olophernis,*

13 *Et omnia verba, quæcumque locutus erat in medio principum filiorum Aſſur, & quæcumque magniloque locutus erat Olophernes in domum Iſrael.*

14 *Et procidentes populus adorauerunt Deum, & clamauerunt,*

15 *Dicentes: Domine Deus cœli reſpice ſuperbias eorum, & miſerere humiliationis generis noſtri, & reſpice in faciem ſanctificatorum tibi in die hac.*

16 *Et conſolati ſunt Achior, & laudauerunt eum valde.*

19 *Et aſſumpſit eum Ozias de eccleſia in domum ſuam: & fecit conuiuium ſenioribus.*

21 *Et aduocauerunt Deum Iſrael in adiutorium tota nocte illa.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. VII.

1 Holofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis vt aſcenderent contra Bethuliam.

2 Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouincijs & vrbibus vniuerſæ iuuentutis.

3 Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnam contra filios Iſrael, & venerunt per crepidinem montis vſque ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothain, à loco qui dicitur Belma vſque ad Chelmon, qui eſt contra Eſdrelon.

4 Filij autem Iſrael vt viderunt multitudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, vnanimes orantes vt Deus Iſrael miſericordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum.

5 Et aſſumentes arma ſua bellica, ſederunt per loca, quæ ad anguſti itineris tramitem dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea tota die & nocte.

6 Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte Auſtrali extra ciuitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum.

7 Erant tamen non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandũ potius quàm ad potandum.

8 Sed filij Ammon & Moab acceſſerunt ad Holofernem, dicentes: Filij Iſrael non in lancea, nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti.

9 Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos pone cuſtodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putant in montibus poſitam ſuperari non poſſe.

10 Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram ſatellitibus eius, & conſtituit per gyrum centenarios per ſingulos fontes.

Cum-

## Transl. ex Septuag.

### CAP. VII.

1 *Poſtridie autem annunciauit Olophernes vniuerſo exercitui ſuo, & omni populo ſuo, qui venerant in auxiliũ ipſius, mouere caſtra ſuper Betylua, & aſcenſiones montana præoccupare, et facere bellũ aduerſ' filios Iſrael. Et mouit caſtra in die illa oĩs vir potẽs eorũ:*

2 *Et virtus eorum, virorum bellatorum, millia virorũ peditum centum ſeptuaginta, & equitum millia duodecim, præter apparatum, & viros, qui erant pedites in eis, multitudo plurima valde.*

3 *Et caſtrametati ſunt in valle prope Betylua ſuper fontem: & extenderunt in latitudinem ſuper Dothaim, & vſque Belthem, & in longitudinem à Betylua vſque ad Cyamonem, quæ eſt contra Eſdrelom.*

4 *Filij autem Iſrael, vt viderunt eorum multitudinem: turbati ſunt valde: & dixit vnuſquiſque ad proximum ſuum. Nunc exſorbebunt hi faciem terræ vniuerſæ: & neque montes excelſi, neque valles, neque colles ſuſtinebunt grauitatem eorum.*

5 *Et aſſumentes vnuſquiſque vaſa bellica ſua, & accendentes pyras ſuper turres ſuas manebant cuſtodientes totam noctem illam.*

6 *Die autem ſecunda eduxit Olophernes vniuerſum equitatum ſuum ad faciem filiorum Iſrael, qui erant in Betylua, & conſiderauit aſcenſiones ciuitatis eorum:*

7 *Et fontes aquarum eorum aggreſſus eſt, & occupauit eos: & impoſuit eis cuſtodia virorum bellatorum: & ipſe rediit ad populum ſuum.*

8 *Et accedentes ei omnes principes filiorum Eſau, & omnes duces populi Moab, & duces maritimæ dicebant: Audiat nunc verbum dominus noſter: vt non fiat quaſſatio in virtute tua. Populus enim hic filiorum Iſrael non confidunt in lanceis ſuis, ſed in ſublimitatibus montium ſuorum, in quibus ipſi inhabitant in eis. Non enim eſt facile accedere cacuminibus montium eorum.*

9 *Et nunc domine ne bellas aduerſus eos, ſicut ſit belli prælij: & non cadet de populo tuo vir vnus. Mane in caſtris tuis, cuſtodiens omnem virum de virtute tua & obtineant pueri tui fontem aquæ, qui egreditur è radice montis, quoniam inde aquantur omnes habitantes Betyluæ: & perdet eos ſitis, & dedent ciuitatem ſuam. Et nos, & populus noſter aſcendemus ſuper vicina cacumina montium, & caſtrametabimur in eis ad cuſtodiam, vt non exeat è ciuitate vir vnus. Et tabeſcent in fame ipſi, & vxores eorum, & filij eorum: & priuſquam veniat gladius ſuper eos ſternẽtur in plateis habitationis ſuæ: & retribues eis retributionem malam, pro eo quod rebellarunt, & non occurrerunt faciei tuæ in pace.*

10 *Et placuerunt verba eorũ in cõſpectu Olophernis, & in conſpectu oium miniſtrorũ eius, & conſtituerunt facere, ſicut locuti fuerant. Et promouerunt caſtra filiorũ Ammon, & cũ eis millia quinque filiorũ Aſſur: & caſtrametati ſunt in valle, & præoccupauerunt aquas, & fontes aquarũ filiorũ Iſrael. Et aſcenderunt filij Eſau, & filij Ammon, & caſtrametati ſunt in montana contra Dothaim: & miſerunt ex ipſis ad Auſtrũ, & ſubſolanũ è regione Ecrebel, quæ eſt prope Chus, quæ eſt ſuper torrentẽ Mochmur. Et reliquus exercitus Aſſyriorum caſtrametati ſunt in cãpo, & operuerunt oẽm faciem terræ Et tabernacula, & impedimẽta eorũ caſtrametata ſunt in turba multa, & fuerũt in multitudine plurima valde Et filij Iſrael exclamauerunt ad Dñm Deum ſuũ, qm̃ puſillanimis factus eſt ſpiritus eorum, quoniam in circuitu erant inimici ipſorum, & non erat effugere è medio eorum.*

Et man-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Cumque iſta cuſtodia per dies viginti fuiſſet expleta, defecerunt ciſternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non eſſet intra ciuitatem vnde ſatiarentur vel vna die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie.

12 Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæque, iuuenes, & paruuli, omnes ſimul vna voce

* Exod. 5. 21.

13 Dixerunt: * Iudicet Deus inter nos & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Aſſyrijs, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

14 Et ideo non eſt qui adiuuet, cum proſternamur ante oculos eorum in ſiti, & perditione magna.

15 Et nunc congregate vniuerſos, qui in ciuitate ſunt, vt ſponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

16 Melius eſt enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quam moriamur, & ſimus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores noſtras, & infantes noſtros mori ante oculos noſtros.

17 Conteſtamur hodie cœlum & terram, & Deum patrum noſtrorum, qui vlciſcitur nos ſecundum peccata noſtra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & ſit finis noſter breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate ſitis.

18 Et cum hæc dixiſſent, factus eſt fletus & vlulatus magnus in eccleſia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes:

* Pſal. 105. 6.

19 * Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſte egimus, iniquitatem fecimus.

20 Tu quia pius es, miſerere noſtri, aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te,

21 Vt non dicant inter Gentes: Vbi eſt Deus eorum?

22 Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus laſſati ſiluiſſent,

23 Exurgens Ozias infuſus lachrymis, dixit: Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino miſericordiam.

24 Forſitan enim indignationem ſuam abſcindet, & dabit gloriam nomini ſuo.

25 Si autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti eſtis.

### CAP. VIII.

1 ET factum eſt, cum audiſſet hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari filij Idox, filij Ioſeph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben:

2 Et vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ:

## Transl. ex Septuag.

11 *Et manſerunt in circuitu eorum caſtra Aſſur, pedites, & currus, & equites eorum diebus triginta quatuor. Et defecerunt omnibus habitantibus Betulua omnia receptacula ſua aquarum: & ciſternæ euacuabantur, & non habebant bibere ad ſatietatem aquam diem vnum: quoniam in menſura dabant eis bibere. Et conſternati ſunt infantes eorum & mulieres eorum, & iuuenes defecerunt præ ſiti, & cadebant in plateis ciuitatis, & in tranſitibus portarum: & non erat robur vltra in eis.*

12 *Et congregati ſunt omnis populus ad Oziam, & principes ciuitatis, iuuenes, & mulieres, & pueri, & exclamauerunt voce magna.*

13 *Et dixerunt coram omnibus ſenioribus: Iudicet Deus inter nos & vos: quoniam feciſti in nobis iniuſtitiam magnam, non loquentes pacifica cum filijs Aſſur.*

14 *Et nunc non eſt adiutor noſter, ſed vendidit nos Deus in manus eorum, vt proſternamur coram eis in ſiti, & perditione magna.*

15 *Et nunc inuocate eos, & date ciuitatem omnem in direptionem populo Olophernis, & omni virtuti eius.*

16 *Melius enim nobis fieri eis in direptionem. Erimus enim in ſeruos, & viuet anima noſtra: & non videbimus mortem infantium noſtrorum in oculis noſtris, & vxores, & filios noſtros, deficientes animas eorum.*

17 *Conteſtamur vobis cœlum, & terram, & Deum noſtrum, & Dominum patrum noſtrorum, qui vlciſcitur nos ſecundum peccata noſtra, & ſecundum peccata patrum noſtrorum, vt non faciat iuxta verba hæc in die hodierna.*

18 *Et facta eſt ploratio magna in medio eccleſiæ omnium vnanimiter: & clamauerunt ad Dominum Deum voce magna.*

23 *Et dixit ad eos Ozias: Confidite fratres: obduremus adhuc quinque dies, in quibus conuertet Dominus Deus noſter miſericordiam ſuam ſuper nos.*

24 *Non enim derelinquet nos in finem.*

25 *Si autem tranſierint hi, & non venerit ſuper nos auxilium; faciam ſecundum verba veſtra. Et diſperſit populum in caſtra ipſius, & ad muros, & turres ciuitatis ſuæ abierunt: & mulieres, & filios in domos ſuas dimiſit. Et fuerunt in humiliatione multa in ciuitate.*

### *CAP. VIII.*

1 *ET audiuit in illis diebus Iudith filia Merari, filij Ox, filij Ioſeph, filij Oziel, filij Elcia, filij Elim, filij Cibelcia, filij Eliab, filij Nathanael, filij Salamiel, filij Saraſadai, filij Iſrael.*

2 *Et vir eius Manaſſes de tribu eius, & de patria eius, & mortuus eſt in diebus meſſis hordeorum.*



UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo,& venit æſtus ſuper caput eius,& mortuus eſt in Bethulia ciuitate ſua, & ſepultus eſt illic cum patribus ſuis. | 3 | 3 | Inſtabat enim ſuper ligantem manipulum in campo,& æſtus venit ſuper caput eius, & procidit in lectum, & obijt in Betulua ciuitate ſua: & ſepelierunt eum cum patribus eius in agro, qui inter Dothaim,& Belamon. |
| Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus,& menſibus ſex. | 4 | 4 | Et fuit Iudith in domo ſua viduitatem ſeruans annos tres,& menſes quattuor. |
| Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, | 5 | 5 | Et fecit ſibi tabernaculum ſuper ſolarium domus ſuæ, |
| Et habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ,præter ſabbata,& neomenias,& feſta domus Iſrael. | 6 | 6 | Et impoſuit ſuper lumbum ſuum cilicium: & erant ſuper eam veſtimenta viduitatis eius: & ieiunabat omnibus diebus viduitatis ſuæ præter anteſabbata, & ſabbata,& anteneomenias, & Neomenias,& feſtiuitates,& lætas ſolemnitates domus Iſrael. |
| Erat autem eleganti aſpectu nimis,cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas. | 7 | 7 | Et erat pulchra ſpecie, & decora aſpectu valde: & reliquerat ei Manaſſes vir eius aurum, & argentum, & pueros,& ancillas,& pecora, & agros: & manebat ſuper ea. |
| Et erat hæc in omnibus famoſiſſima,quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. | 8 | 8 | Et non erat, qui inferret ei verbum malum; quoniam timebat Deum valde. Et audiuit verba populi mala in principem, quia animo defecerunt ſuper raritate aquarum. |
| Hæc itaque cum audiſſet quoniam Ozias promiſiſſet quod tranſacto quinto die traderet ciuitatem, miſit ad presbyteros Chabri,& Charmi. | 9 | 9 | Et audiuit omnia verba Iudith,quæ locutus erat ad eos Ozias, quomodo iurauerat eis traditurum ciuitatem poſt dies quinque Aſſyrijs. Et mittens ancillam ſuam,quæ præerat omnibus ſubſtantijs ſuis,vocauit Oziam,& Chabrin, & Charmin ſeniores ciuitatis ſuæ. |
| Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod eſt hoc verbum,in quo conſenſit Ozias,vt tradat ciuitatem Aſſyrijs ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? | 10 | 10 | Et venerunt ad eam. Et dixit ad eos: Audite nunc me principes habitantium in Betulua: quoniam non rectum eſt verbum veſtrum,quod locuti eſtis coram populo in die hac, & ſtatuiſtis iuramentum, quod locuti eſtis inter Deum, & vos, & dixiſtis dedituros ciuitatem inimicis noſtris, niſi intra illos dies conuerſus fuerit Dominus ad adiuuandum nos. |
| Et qui eſtis vos,qui tentatis Dominum? | 11 | 11 | Et nunc qui eſtis vos,qui tentaſtis Deum in die hodierna, & ſtatuiſtis pro Deo in medio filiorum hominum? |
| Non eſt iſte ſermo,qui miſericordiam prouocet,ſed potius qui iram excitet,& furorem accendat. | 12 | 12 | Et nunc Dominum omnipotentem examinatis,& nihil cognoſcetis vſque in ſæculum: quoniam profundum cordis hominis non inuenietis, & verba cogitationis eius non percipietis: |
| Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum,diem conſtituiſtis ei. | 13 | 13 | Et quomodo Deum qui fecit omnia hæc,inueſtigabitis,& mentem eius cognoſcetis,& cogitationem eius contemplabimini? |
| Sed quia patiens Dominus eſt,in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus: | 14 | 14 | Nequaquam fratres:nolite ad iracundiam prouocare Dominum Deum noſtrum:quoniam ſi noluerit in iſtis quinque diebus auxiliari nobis,ipſe habet poteſtatem,in quibus velit, tegere diebus, vel etiam exterminare nos ante faciem inimicorum noſtrorum. |
| Non enim quaſi homo,ſic Deus comminabitur,neque ſicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. | 15 | 15 | Vos autem ne extorqueatis conſilia Domini Dei noſtri, quoniam non tamquam homo Deus, vt minis terreatur, neque tamquam filius hominis, vt iudicetur. |
| Et ideo humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato ſeruientes illi, | 16 | 16 | Quamobrem expectantes eam, quæ ab ipſo,ſalutem, inuocemus eum in adiutorium noſtrorum: & exau- |
| Dicamus flentes Domino,vt ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam ſuam: vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum,ita etiam de noſtra humilitate gloriemur: | 17 | 17 | diet vocem noſtram,ſi fuerit ipſi placitum: |
| Quoniam non ſumus ſecuti peccata patrum noſtrorum, qui dereliquerunt Deum ſuum, & adorauerunt deos alienos, | 18 | 18 | Quoniam non ſurrexit in generationibus noſtris, neque eſt in hodierna die neque tribus, neque patria, neque oppidum neque ciuitates ex nobis,qui adorent Deos manufactos, ſicut factum eſt in prioribus diebus, |
| Pro quo ſcelere dati ſunt in gladium,& in rapinam, & in confuſionem inimicis ſuis: nos autem alterum Deum neſcimus præter ipſum. | 19 | 19 | Quorum gratia dati ſunt in gladium, & in direptionem patres noſtri, & ceciderunt ruina magna coram inimicis noſtris. Nos autem alium Deum non agnouimus præter eum. |

Expe- Vnde

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

20 Expectemus humiles conſolationem eius, & exqui-
ret ſanguinem noſtrum de afflictionibus inimico-
rum noſtrorum, & humiliabit omnes Gentes: quæ-
cumque inſurgunt contra nos, & faciet illas ſine ho
nore Dominus Deus noſter.

21 Et nunc fratres, quoniam vos eſtis preſbyteri in po-
pulo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad elo-
quium veſtrum corda eorum erigite, vt memores
ſint, quia tentati ſunt patres noſtri vt probarentur, ſi
vere colerent Deum ſuum.
22 * Memores eſſe debent quomodo pater noſter A- (* Gen. 22.)
braam tentatus eſt, & per multas tribulationes pro-
batus, Dei amicus effectus eſt.
23 Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes tribulatio-
nes tranſierunt fideles.

24 Illi autem, qui tentationes non ſuſceperunt cum ti-
more Domini, & impatientiam ſuam & imprope-
rium murmurationis ſuæ contra Dominum protu-
lerunt,
25 * Exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpenti- (* 1 Cor. 10. 9.)
bus perierunt.
26 Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his, quæ pati-
mur,
27 Sed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia
minora eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſerui cor
ripimur ad emendationem, & non ad perditionem
noſtram eueniſſe credamus.
28 Et dixerunt illi Ozias, & preſbyteri: Omnia, quæ lo-
cuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla
reprehenſio.

29 Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es
& timens Deum.

30 Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei
eſſe cognoſcitis:
31 Ita quod facere diſpoſui, probate ſi ex Deo eſt, &
orate vt firmum faciat Deus conſilium meum.
32 Stabitis vos ad portam nocte iſta, & ego exeam cum
Abra mea: & orate, vt ſicut dixiſtis, in diebus quin-
que reſpiciat Dominus populum ſuum Iſrael.

33 Vos autem nolo vt ſcrutemini actum meum, & vſ-
que dum renunciem vobis, nihil aliud fiat, niſi ora-
tio pro me ad Dominum Deum noſtrum.
34 Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda: Vade in pa-
ce, & Dominus ſit tecum in vltionem inimicorum
noſtrorum. Et reuertentes abierunt.

### CAP. IX.

1 QVibus abſcendentibus, Iudith ingreſſa eſt ora-
torium ſuum: & induens ſe cilicio, poſuit ci-
nerem ſuper caput ſuum: & proſternens ſe Domi-
no, clamabat ad Dominum, dicens:

## Transl. ex Septuag.

20 *Vnde ſperamus, quia non deſpiciet nos, neque à gene-
re noſtro: quoniam cum capti fuerimus nos, ſic ſe-
debit omnis Iudæa, & diripientur ſancta noſtra, &
quæret pollutionem eorum de ore noſtro, & cædem
fratrum noſtrorum, & captiuitatem terræ, & deſola-
tionem hæreditatis noſtræ conuertet in caput noſtrũ
in gentibus, vbicumque ſeruierimus ibi, & erimus in
offendiculum, & in opprobrium coram poſſidentibus
nos: quoniam non dirigetur ſeruitus noſtra in gra-
tiam, ſed in ignominiam dabit eam Dominus Deus
noſter.*
21 *Et nunc fratres oſtendamus fratribus noſtris, quia
ex nobis pendet anima eorum, & ſancta, & domus,
& altare innitantur ſuper nos. Præter hæc omnia
gratias agamus Domino Deo noſtro, qui tentat nos,
ſicut & patres noſtros.*
22 *Recordamini, quæcumque fecit cum Abraham,*

23 *Et quæcumque tentauit Iſaac, & quæcumque eue-
nerunt Iacob in Meſopotamia Syriæ, paſcenti pecora*
24 *Laban fratris matris ſuæ:*
& *Quoniam non ſicut illos examinauit in examen cor-*
25 *dis eorum,*

26 *Etiam nos non eſt vltus, ſed ad monitionem flagellat
Dominus appropinquantes ſibi.*
27

28 *Et dixit ad eam Ozias: omnia, quæcumque dixiſti,
bono corde locuta es, & nõ eſt qui reſiſtat verbis tuis:
quoniam non hodie ſapientia tua manifeſta eſt, ſed
a principio dierum tuorum nouit omnis populus in-
tellectum tuum, quomodo bona eſt formatio cordis
tui. Sed populus ſitiuit vehementer, & coegerunt
facere nos ſecundum ea, quæ locuti ſumus eis, &
inducere iuramentum ſuper nos, quod non tranſgre-
diemur.*
29 *Et nunc ora pro nobis, quoniam mulier pia es: &
mittet Dominus pluuiam ad impletionem ciſterna-
rum noſtrarum, & non deficiemus vltra.*
30 *Et dixit ad eos Iudith: Audite me, & faciam rem,
quæ perueniet in generationes generationum filijs ge
neris noſtri.*

32 *Vos ſtabitis ſuper portã nocte hac, & exibo ego cum
ancilla mea, & in diebus, poſt quos dixiſtis tradituros
ciuitatem inimicis noſtris, viſitabit Dominus Iſ-
rael in manu mea.*
33 *Vos autem non perſcrutabimini actionem meam:
non enim dicam vobis, donec perfecta fuerint, quæ
ego facio.*
34 *Et dixit Ozias, & principes ad eam: Vade in pace:
& Dominus Deus ante te in vltionem inimicorum
noſtrorum. Et reuertentes è tabernaculo, iuerunt ad
ordines ſuos.*

### CAP. IX.

1 *IVdith autem procidit in faciem, & impoſuit cine-
rem ſuper caput ſuum. Et nudauit quem indue-
rat ſaccum: (& erat nuper oblatum in Hieruſa-
lem in domo Dei thymiama veſperæ illius) & cla-
mauit voce magna Iudith, & dixit.*



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

Neſciebat autem Iacob,quia Rachel vxor ſua furâta erat eos.

33 Ingreſſus autem Laban,ſcrutatus eſt in domo Liæ, & nõ inuenit:& exijt de domo Liæ,& ſcrutatus eſt domum Iacob,& in domo ambarum ancillarum,& non inuenit. Ingreſſus eſt autẽ & in domũ Rachel.

34 Rachel autem ſumpſerat idola, & miecerat ea in ſtramenta cameli, & inſederat eis.

35 Et dixit patri ſuo: Ne grauiter feras domine: non poſſum ſurgere in conſpectu tuo;quoniam quæ ſecundum conſuetudinem mulierum,mihi ſunt. Scrutatus ẽ aũt Labã in tota domo, & nõ inuenit idola.

36 Iratus eſt autem Iacob, & rixatus eſt cum Laban. Reſpondens autem Iacob dixit ad Laban: Quæ iniuſtitia mea,& quod peccatum meum; quia perſecutus es poſt me,

37 Et quia ſcrutatus es omnia vaſa domus meæ? Quid inuenisti de vniuerſis vaſis domus tuæ? Pone hic in conſpectu fratrum tuorum & fratrum meorum: & arguant inter nos duos.

38 Hos mihi viginti annos ego ſum tecum: oues tuæ & capræ tuæ non fuerunt ſteriles: arietes ouium tuarum non comedi:

39 Captum à beſtia non attuli tibi: ego ſoluebam à meipſo furta diei, & furta noctis.

40 Factus ſum diei combuſtus æſtu,& glacie noctis:& abſceſſit ſomnus meus ab oculis meis.

41 Hos mihi viginti annos ego ſum in domo tua: ſeruiui tibi quatuordecim annos, pro duabus filiabus tuis, & ſex annos in ouibus tuis: & decepiſti mercedem meam decem agnabus.

42 Niſi Deus patris mei Abraham,& timor Iſaac fuiſſet mihi;nunc vtique vacuum me dimiſiſſes: humiliationem meam,& laborem manuum mearum vidit Deus,& arguit te heri.

43 Reſpondens autem Laban dixit ad Iacob: Filiæ,filiæ meæ: & filij,filij mei: & pecora,pecora mea,& omnia quæcumque tu vides, mea ſunt, & filiarum mearum: quid faciam eis hodie; aut filijs earum, quos pepererunt?

44 Nunc igitur veni,diſponam teſtamẽtũ ego,& tu: & erit in teſtimonium inter me & te.Dixit aũt ei:Ecce nemo nobiſcũ eſt: vidit Deus;teſtis iter me & te.

45 Sumens autem Iacob lapidem, ſtatuit eum titulum.

46 Dixit autem Iacob fratribus ſuis: Colligite lapides. Et collegerunt lapides, & fecerunt aceruum, & comederunt ibi ſuper aceruum.

47 Et dixit ei Laban: aceruus hic teſtatur inter me & te hodie. Et vocauit eum Laban,aceruus teſtimonij: Iacob autem vocauit eum, aceruus teſtis.

48 Dixit autem Laban ad Iacob: Ecce aceruus hic,& titulus, quem ſtatui inter me & te. Teſtatur aceruus hic,& teſtatur titulus hic.Propterea vocatũ eſt nomen,aceruus teſtatur: & viſio quam dixit:

49 Reſpiciat Deus inter me & te; quia diſcedemus alter ab altero:

50 Si humiliabis filias meas; ſi ſumpſeris vxores ſuper filias meas vide: nemo nobiſcum eſt videns: Deus teſtis inter me, & inter te.

51 Et dixit Laban ad Iacob: Ecce aceruus hic,

52 Et teſtis titulus hic: Sine enim ego non tranſgrediar ad te,neque tu tranſgredieris ad me aceruum hunc, & titulum hunc ad malum:

53 Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos. Et iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac,

Et Ia-

## Chal.Paraph.Tranſl.

Et neſciebat Iacob, quòd Rachel accepiſſet eos.

33 Et ingreſſus eſt Laban in tabernaculũ Iacob, & in tabernaculum Liæ,& in tabernaculum duarum concubinarum;& non inuenit. Et egreſſus eſt de tabernaculo Liæ,& ingreſſus eſt in tabernaculum Rachelis.

34 Rachel autem accepit imagines,& poſuit eas in ſtramentis cameli;& ſedit deſuper:& attrectauit Labã vniuerſa quæ erant in tabernaculo, & non inuenit.

35 Et dixit patri ſuo: Ne diſpliceat in oculis domini mei,quoniam non poſſum ſurgere coram te: conſuetudo enim mulierum eſt mihi. Et ſcrutatus eſt, & non inuenit imagines.

36 Et iratus eſt Iacob,& rixatus eſt cum Laban. Et reſpondens Iacob,dixit ad Laban: Quæ eſt iniquitas mea,& quod eſt delictum meum, quia perſecutus es poſt me.

37 Quoniã attrectaſti omnia vaſa mea; quid inueniſti de vniuerſis vaſis domus tuæ? pone nunc coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter nos ambos.

38 Iſtis viginti annis quibus ego ſui apud te, oues tuæ, & capræ tuæ non fuerunt orbatæ: & arietes ouium tuarum non comedi.

39 Dilaceratum non adduxi tibi: quod deficiebat ex numero,à me tu quærebas illud: cuſtodiebam in die,& cuſtodiebam in nocte.

40 In die conſumabat me æſtus,& glacies deſcendebat ſuper me in nocte:& receſſit ſomnus ab oculis meis.

41 Iſtis viginti annis ſeruiui tibi in domo tua: quatuordecim annis pro duabus filiabus tuis,& ſex annis pro ouibus tuis: & mutaſti mercedem meam decem vicibus.

42 Niſi ꝙ Deus patris mei Deus Abraha, & ille quẽ timebat Iſaac fuiſſet in adiutoriũ meũ, iã nũc vacuũ me dimiſiſſes:labor meus & afflictio manuũ mearũ manifeſta ſunt corã Deo:et arguit te heſterna nocte.

43 Et reſpondit Labã & dixit ad Iacob: Filiæ,ſunt filiæ meæ:& filij,ſunt filij mei: & oues,ſunt oues meæ: & quodcunque tu vides, meum eſt: & quid faciam iſtis filiabus meis hodie, aut filijs earum quos pepererunt?

44 Et nunc veni, ineamus fœdus ego & tu: & ſit in teſtimonium inter me & te.

45 Et tulit Iacob lapidem, & erexit eum in titulum.

46 Et ait Iacob fratribus ſuis: Colligite lapides. Et tulerunt lapides, & fecerunt aceruum, & comederunt ibi ſuper aceruum.

47 Et vocauit eum Laban, Aceruum teſtimonij. Iacob autem appellauit eum, Galaad.

48 Et ait Laban: Aceruus iſte erit teſtis inter me & inter te hodie: ideò appellauit nomen eius, Galaad. Et ſpeculam, quia dixit:

49 Speculetur verbum Domini inter me & te, quando abſentes fuerimus vnuſquiſque à proximo ſuo.

50 Si afflixeris filias meas, & ſi acceperis vxores ſuper filias meas,non eſt vir nobiſcum, vide quòd verbum Domini eſt teſtis inter me & te.

51 Et dixit Laban ad Iacob: Ecce tumulus iſte: & ecce titulus quem erexi inter me & te.

52 Teſtis tumulus iſte, & teſtis titulus, quòd ego non tranſibo tumulum hunc ad te, & quòd tu non pertrãſibis tumulũ hunc & titulũ hunc in malũ mihi.

53 Deus Abraham & Deus Nachor iudicent inter nos, Deus patrum eorum. Et iurauit Iacob per illum quem timebat pater ſuus Iſaac.

Et im-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

* Gen. 34. 25.

2 Domine Deus patris mei Simeon, * qui dediſti illi
gladium in defenſionem alienigenarum, qui viola-
tores extiterunt in coinquinatione ſua, & denuda-
uerunt femur virginis in confuſionem:

3 Dediſti mulieres illorum in prædam, & filias illorũ
in captiuitatem: omnem prædam in diuiſionem
ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum: ſubueni
quæſo te Domine Deus meus mihi viduæ.

4 Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti: &
hoc factum eſt quod ipſe voluiſti.

5 Omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt, & tua iudicia in
tua prouidentia poſuiſti.

* Exo. 14. 9.

6 * Reſpice caſtra Aſſyriorum nunc, ſicut tunc caſtra
Ægyptiorum videre dignatus es, quando poſt ſeruos
tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, &
in equitatu ſuo, & in multitudine bellatorum.
7 Sed aſpexiſti ſuper caſtra eorum, & tenebræ fatiga-
uerunt eos.
8 Tenuit pedes eorum abyſſus, & aquæ operuerunt
eos.
9 Sic fiant & iſti, Domine, qui confidunt in multitu-
dine ſua, & in curribus ſuis, & in contis, & in ſcutis,
& in ſagittis ſuis, & in lanceis gloriantur,
10 Et neſciunt quia tu ipſe es Deus noſter, qui conte-
ris bella ab initio, & Dominus nomen eſt tibi.
11 Erige brachium tuum ſicut ab initio, & allide vir-
tutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum
in iracundia tua, qui promittunt ſe violare ſancta
tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deij-
cere gladio ſuo cornu altaris tui.
12 Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia ampu-
tetur:
13 Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percu-
ties eum ex labijs charitatis meæ.
14 Da mihi in animo conſtantiam, vt contemnam il-
lum: & virtutem, vt euertam illum.

* Iud. 4. 21. 5. 26.

15 * Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum ma-
nus fœminæ deiecerit eum.
16 Non enim in multitudine eſt virtus tua Domine,
neque in equorum viribus voluntas tua eſt, nec ſu-
perbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium &
manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.
17 Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus to-
tius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantem, &
de tua miſericordia præſumentem.
18 Memento Domine teſtamenti tui, & da verbum in
corde meo conſilium corrobora, vt domus tua in ſan
ctificatione tua permaneat:

19 Et omnes Gentes agnoſcant quia tu es Deus, & nõ
eſt alius præter te.

### CAP. X.

1 FActum eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad Do-
minum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtra
ta ad Dominum.

Voca-

## Transl. ex Septuag.

2 *Domine Deus patris mei Symeon, qui dediſti in ma-*
**nu** *gladium in vltionem alienigenarum, qui ſolue-*
*rant vuluam virginis in pollutionem, & nudaue-*
*runt femur in confuſionem, & polluerunt vuluam*
*in opprobrium: dixiſti enim non ſic erit. Et pro ijs,*
*quæ fecerunt, dediſti principes eorum in cædem, &*
*ſtratum eorum, quod nouerat deceptionem eorum, in*
*ſanguine, & percuſſiſti ſeruos ſuper dynaſtas, & dy-*
*naſtas ſuper thronos eorum:*
3 *Et dediſti vxores eorum in direptionem, & filias in*
*captiuitatem, & omnia ſpolia in diſtributionem fi-*
*liorum dilectorum à te, qui etiam zelauerant zelum*
*tuum, & abominati erant contaminationem ſangui-*
*nis ſui, & inuocauerant te in adiutorem: Deus Deus*
*meus, etiam exaudi me viduam.*
4 *Tu enim feciſti, quæ ante illa, & illa, & quæ dein-*
*ceps, & quæ nunc, & ſuperuenientia cogitaſti: & fa-*
*cta ſunt quæ in mente habuiſti, & affuerunt quæ de-*
*liberaſti, & dixerunt, ecce adſumus:*
5 *Omnes enim viæ tuæ paratæ, & iudicium tuum in*
*præcognitione. Ecce enim Aſſyrij multiplicati ſunt*
*in virtute ſua, exaltati ſunt ſuper equo, & aſcenſo-*
*re, glorιati ſunt in brachio peditum, ſperauerunt in*
*clypeo, & in gæſo, & arcu, & fundibula, & non co-*
*gnouerunt quia tu es Dominus conterens bella Do-*
*minus nomen tibi:*

11 *Tu frange eorum fortitudinem in virtute tua, & pro*
*ſterne robur eorum in furore tuo. Deliberauerunt*
*enim polluere ſancta tua, contaminare tabernacu-*
*lum requietis nominis gloriæ tuæ, & diruere ferro*
*cornu altaris tui.*
12 *Aſpice in ſuperbiam eorum, mitte iram tuam in ca-*
*pita eorum.*

14 *Da in manu mea viduæ, quod cogitaui robur: per-*
*cute ſeruum è labijs deceptionis meæ ſuper princi-*
15 *pem, & principem ſuper miniſtrum eius: frange eo-*
*rum celſitudinem in manu fœminæ.*
16 *Non enim in multitudine robur tuum, neque poten-*
*tatus tuus in fortibus: ſed humilium es Deus, mi-*
*norum es adiutor, ſuſceptor infirmorum, deplorato-*
*rum protector, deſperatorum ſaluator.*
17 *Næ, næ, Deus patris mei, & Deus hæreditatis Iſrael,*
*Domine cœlorum, & terræ, creator aquarum, rex om-*
*nis creaturæ tuæ, tu exaudi orationem meam,*
18 *Et da verbum meum, & deceptionem, in vulnus, &*
*liuorem eorum: qui contra teſtamentum tuum, &*
*domum ſanctificatam tuam, & verticem Sion, & do*
*mum poſſeſſionis filiorum tuorum deliberauerunt du*
*ra:*
19 *Et fac ſuper omnem gentem tuam, & omnem tribũ*
*cognitionẽ ad ſciendum, quia tu es Deus omnis vir-*
*tutis, & potentiæ, & non eſt alius protegens genus*
*Iſrael, niſi tu.*

### CAP. X.

1 *ET factum eſt, vt ceſſauit clamans ad Deum Iſ-*
*rael, & conſummauit omnia verba hæc; & ſur-*
*rexit à deiectione.*

Et vi-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Septuag. |
|---|---|---|---|
| Vocauitque Abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, | 2 | 2 | *Et vocauit ancillam ſuam, & deſcendit in domum, in qua verſabatur in ea in diebus ſabbatorum, & in feſtiuitatibus ſuis, & circumabſtulit ſaccum, quem induerat, & exuit veſtimenta viduitatis ſuæ,* |
| Et lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitrã ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. | 3 | 3 | *Et circumlauit corpus aqua, & vnxit vnguento pingui, & diſcriminauit capillos capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper illud, & induit veſtimenta lætitiæ ſuæ in quibus amiciebatur in diebus vitæ viri ſui Manaſſe: & ſumpſit ſandalia in pedes ſuos, & circumpoſuit monilia, & armillas, & annulos, & inaures, & omnem ornatum ſuum.* |
| Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. | 4 | 4 | *Et ornata eſt valde in occurſum oculorum hominum, quicunque viderint eam.* |
| Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. | 5 | 5 | *Et dedit ancillæ ſuæ aſcoperam vini, & campſacem olei, & peram impleuit farinis, & palatha, & panibus mundis, & circumduplicauit omnia vaſa ſua, & impoſuit ſuper eam.* |
| Cumque veniſſent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam & presbyteros ciuitatis. | 6 | 6 | *Et exierunt ad portam ciuitatis Betulua, & inuenerunt inſiſtentes ſuper eam Oziam, & ſeniores ciuitatis, Chabrin, & Charmin.* |
| Qui cum vidiſſent eam, ſtupentes mirati ſunt nimis pulchritudinem eius. | 7 | 7 | *Vt autem viderunt eam (& erat mutata facies eius & ſtolam mutatam eius;) & mirati ſunt ſuper pulchritudine eius quamplurimum valde.* |
| Nihil tamen interrogantes eam, dimiſerunt tranſire, dicentes: Deus patrum noſtrorum det tibi gratiam, & omne conſilium tui cordis ſua virtute corroboret, vt glorietur ſuper te Ieruſalem, & ſit nomen tuum in numero ſanctorum & iuſtorum. | 8 | 8 | *Et dixerunt ei: Deus, Deus patrum noſtrorum det te in gratiam, & perficere adinuentiones tuas in glorificationem filiorum Iſrael, & exaltationem Hieruſalem.* |
| Et dixerunt hi qui illic erant, omnes vna voce: Fiat, fiat. | 9 | 9 | *Et adorauit Deum, & dixit ad eos: Præcipite aperire mihi portam ciuitatis, & exibo ad perfectionem verborum, quæ locuti eſtis mecum. Et præceperunt iuuenibus aperire ei, ſicut locuti fuerant. Et fecerunt ſic.* |
| Iudith vero orans Dominum, tranſiuit per portas, ipſa & Abra eius. | 10 | 10 | *Et exijt Iudith, ipſa, & ancilla eius cum ea. Proſpectabant autem eam viri ciuitatis, quoadusque deſcendit montem, donec tranſijt vallem, & non vltra aſpiciebant eam.* |
| Factum eſt autem, cum deſcenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Aſſyriorũ, & tenuerunt eã dicentes: Vnde venis? aut quo vadis? | 11 | 11 | *Et ibant in valle in rectum: & occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum: & ceperunt eam, & interrogauerunt: Quorum es, & vnde venis & quo vadis?* |
| Quæ reſpondit: Filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quod detur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt vltro tradere ſeipſos vt inuenirent miſericordiam in conſpectu veſtro. | 12 | 12 | *Et dixit: Filia ſum Hebræorum, & aufugio à facie eorum: quoniam dandi ſunt vobis in deuorationem.* |
| Hac de cauſa cogitaui mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi ſecreta illorum, & oſtendam illi quo aditu poſſit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. | 13 | 13 | *Et ego venio ad faciem Olophernis principis virtutis veſtræ ad annunciandum verba veritatis: & oſtendam ante faciem eius viam, per quam ibit, & dominabitur vniuerſæ montanæ, & non diſſonabit de viris eius caro vna neque ſpiritus vitæ.* |
| Et cum audiſſent viri illi verba eius, conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. | 14 | 14 | *Vt autem audiuerunt viri verba eius, & contemplati ſunt faciem eius, & erat ante eos admirabilis pulchritudine valde;* |
| Et dixerunt ad eam: Conſeruaſti animam tuam eo quod tale reperiſti conſilium, vt deſcenderes ad dominum noſtrum. | 15 | 15 | *Et dixerunt ad eam: Saluaſti animam tuam, feſtinans deſcendere ad faciem domini noſtri.* |
| Hoc autem ſcias, quoniam cum ſteteris in conſpectu eius, bene tibi faciet, & eris gratiſſima in corde eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam. | 16 | 16 | *Et nunc accede ad tabernaculum eius, & ex nobis præmittent te, donec tradent te in manus eius. Si autem ſteteris coram eo, ne timeas corde tuo, ſed annuncia ſecundum verba tua, & bene tibi faciet.* |
| Cumque intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes. | 17 | 17 | *Et elegerunt è ſeipſis viros centum, & adiunxerunt ei, & ancillæ eius, & duxerunt eas ad tabernaculum Olophernis. Et factus eſt concurſus in omnibus caſtris. Perſonuerat enim in tabernaculis præſentia eius. Et venientes circumdabant eam, ſicut ſtabat extra tabernaculum Olophernis, donec annunciauerunt ei de ea: & mirabantur ſuper pulchritudine eius: & mirabantur filios Iſrael ex ea.* |



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

18 Dixeruntque ad eum ſatellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus?

19 Videns itaque Iudith Holofernem ſedentem in conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & ſmaragdo, & lapidibus pretioſis intextum:

20 Et cum in faciem eius intendiſſet, adorauit eum, proſternens ſe ſuper terram. Et eleuauerunt eam ſerui Holofernis, iubente domino ſuo.

### CAP. XI.

1 TVnc Holofernes dixit ei: Æquo animo eſto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nũquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor regi.

2 Populus autem tuus, ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam ſuper eum.

3 Nunc autem dic mihi, qua ex cauſa receſſiſti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos?

4 Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam ſi ſecutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.

5 Viuit enim Nabuchodonoſor rex terræ, & viuit virtus eius, quæ eſt in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non ſolum homines ſeruiunt illi per te, ſed & beſtiæ agri obtemperant illi.

6 Nunciatur enim animi tui induſtria vniuerſis gentibus, & indicatum eſt omni ſæculo, quoniam tu ſolus bonus, & potens es in omni regno eius, & diſciplina tua omnibus prouincijs prædicatur.

* Sup. 5. 5.
7 * Nec hoc latet, quod locutus eſt Achior, nec illud ignoratur, quod ei iuſſeris euenire.

8 Conſtat enim, Deum noſtrum ſic peccatis offenſum vt mandauerit per prophetas ſuos ad populũ, quod tradat eum pro peccatis ſuis.

9 Et quoniam ſciunt ſe offendiſſe Deum ſuum filij Iſrael, tremor tuus ſuper ipſos eſt.

10 Inſuper etiam fames inuaſit eos, & ab ariditate aquę iam inter mortuos computantur.

11 Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora ſua, & bibant ſanguinem eorum:

Et ſan-

## Transl. ex Septuag.

18 *Et dixit vnuſquiſque ad proximum ſuum. Quis contemnet populum hunc, qui habet in ſe mulieres tales? quoniam non bonum eſt remanere ex eis virum vnum: qui dimiſſi poterunt decipere omnem terram. Et exierunt, qui dormiebant iuxta Olophernem, & omnes miniſtri eius; & introduxerunt eam in tabernaculum.*

19 *Et erat Olophernes requieſcens ſuper lectum ſuum in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & ſmaragdo, & lapidibus precioſis inteſtis. Et annunciauerunt ei de ea: & exiuit in proſcenium, & lampades argenteæ precedentes eum. Vt autem venit ad faciem eius Iudith, & miniſtrorum eius, mirati ſunt omnes ſuper pulchritudine faciei eius.*

20 *Et procidens in faciem adorauit eum: & erexerunt eam ſerui eius.*

### CAP. XI.

1 *ET dixit ad eam Olophernes: Confide mulier: ne timeas corde tuo: quoniam ego non malefeciam homini, quiſquis elegerit ſeruire regi Nabuchodonoſor omnis terræ.*

2 *Et nunc populus tuus habitans montanam, niſi vilipendiſſent me, non eleuaſſem haſtam meam ſuper eos: ſed ipſi ſibi fecerunt hæc.*

3 *Et nunc dic mihi, cuius gratia aufugiſti ab eis, & veniſti ad nos. Venis enim ad ſalutem: Confide: in nocte hac viues & in reliquum. Non enim eſt, qui tibi iniuriam illaturus ſit, ſed bene tibi faciet, ſicut fit ſeruis domini mei regis Nabuchodonoſor.*

4 *Et dixit ad eum Iudith: Suſcipe verba ſerue tuæ, & loquatur ancilla tua ad faciem tuam, & non annunciabo mendacium domino meo in nocte hac. Et, ſi ſecutus fueris verba ancillæ tuæ, perfecte negocium faciet tecum Deus: & non decidet dominus meus à ſtudijs ſuis.*

5 *Viuit enim rex Nabuchodonoſor vniuerſæ terræ, & viuit imperium eius, qui miſit te ad correctionem omnis animę, quia non ſolum homines propter te ſeruient ei, ſed etiam beſtiæ agri, & pecora, & volatilia cæli propter fortitudinem tuam viuent ſuper Nabuchodonoſor, & omnem domum eius.*

6 *Audiuimus enim ſapientiam tuam, & calliditates animę tuę: & annunciatum eſt omni terrę: quia tu ſolus bonus in omni regno, & potens in ſcientia, & mirabilis in expeditionibus belli.*

7 *Et nunc ſermo, quem locutus eſt Achior in conſeſſu tuo, audiuimus verba eius, quoniam ſeruauerunt eum viri Betulua, & annunciauit eis omnia, quęcumque elocutus erat apud te.*

8 *Quare dominator domine ne tranſgrediaris verbum eius, ſed depone illud in corde tuo, quoniam verax eſt. Non enim ſumitur vindicta de genere noſtro, non praualet gladius aduerſus eos, niſi peccauerint in Deum ſuum.*

9 *Et nunc, vt non fiat dominus meus eiectus, & re infecta deſiſtens, & cadet mors ſuper faciem eorum, & occupauit eos peccatum, in quo irritabunt Deum ſuum, quandocumque fecerint abſurditatem.*

10 *Quoniam enim defecerunt eos eſcę, & rarefacta eſt omnis aqua;*

11 *Deliberauerunt inijcere manum iumentis ſuis,*

*Et om-*

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Et ſancta Domini Dei ſui quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt conſumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum eſt quod in perditionem dabuntur.

13 Quod ego ancilla tua cognoſcens, fugi ab illis, & miſit me Dominus hæc ipſa nunciare tibi.

14 Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum,

15 Et dicet mihi quando eis reddat peccatum ſuum, & veniens nunciabo tibi, ita vt ego adducam te per mediam Ieruſalem, & habebis omnem populum Iſrael, ſicut oues, quibus non eſt paſtor, & non latrabit vel vnus canis contra te:

16 Quoniam hæc mihi dicta ſunt per prouidentiam Dei.

17 Et quoniam iratus eſt illis Deus, hæc ipſa miſſa ſum nunciare tibi.

18 Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ſapientiam eius, & dicebant alter ad alterum:

19 Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.

20 Et dixit ad illum Holofernes: Bene fecit Deus, qui miſit te ante populum, vt des illum in manibus noſtris:

21 Et quoniam bona eſt promiſſio tua, ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuerſa terra.

### CAP. XII.

1 TVnc iuſſit eam introire vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo.

2 Cui reſpondit Iudith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo.

3 Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi iſta, quæ tecum detuliſti, quid faciemus tibi?

4 Et dixit Iudith: Viuit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc, quæ cogitaui. Et induxerunt illam ſerui eius in tabernaculum, quod præceperat.

5 Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum.

6 Et præcepit cubicularijs ſuis, vt ſicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum ſuum, per triduum:

7 Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ & baptizabat ſe in fonte aquæ.

## Transl. ex Septuag.

12 *Et omnia quæcumque diſtinxit eis Deus in legibus ſuis non comedere, decreuerunt inſumere, & primitias frumenti, & decimas vini, & olei, quæ ſeruauerant ſanctificantes ſacerdotibus aſſiſtentibus in Hieruſalem ante faciem Dei noſtri, decreuerunt expendere, quæ neque manibus oportebat tangere quemquam eorum, qui de populo. Et miſerunt in Hieruſalem (quoniā & qui ibi habitant, fecerunt hæc) eos, qui transportarent ipſis remiſſionem à ſenatu. Et erit, ſimul ac renunciatum ipſis fuerit, & fecerint, dabuntur tibi in perditionem in die illa.*

13 *Vnde ego ſerua tua cognoſcens hæc omnia, aufugi à facie eorum. Et miſit me Deus facere tecum negocia, ſuper quibus ſtupebit vniuerſa terra, quicumque audiuerint ea:*

14 *Quoniam ſerua tua Dei cultrix eſt, & miniſtrans nocte, & die Deo cœli. Et nunc manebo apud te domine mi: & exibit ſerua tua per noctem in vallem, & deprecabor ad Deum,*

15 *Et dicet mihi, quando fecerint peccata ſua: & veniens diſferam tibi, egredieris cum omni virtute tua, & non eſt, qui reſiſtet tibi ex eis. Et ducam te per medium Iudææ vſque ad veniendum contra Hieruſalem. Et ponam ſedem tuam in medio eius, & ages eos tamquam oues, quibus non eſt paſtor: & non latrabit canis lingua ſua coram te:*

16 *Quoniam hæc dicta ſunt mihi ſecundum præcognitionem meam, & annunciata ſunt mihi,*

17 *Et miſſa ſum annunciare tibi.*

18 *Et placuerunt verba eius coram Olopherne, & coram omnibus miniſtris eius: & mirati ſunt ſuper ſapientia eius, & dixerunt:*

19 *Non eſt talis mulier à ſummo vſque ad ſummum terræ, pulchra ſpecie, & intellectu verborum.*

20 *Et dixit ad eam Olophernes: Bene fecit Deus mittens te ante populum, vt fiat in manibus noſtris potentia: in iis autem, qui vilipenderunt dominum meum, perditio.*

21 *Et nunc venuſta es tu in ſpecie tua, & bona in verbis tuis. Quare, ſi feceris, ſicut locuta es, Deus tuus erit meus Deus: & tu in domo regis Nabuchodonoſor ſedebis, & eris nominata apud omnem terram.*

### CAP. XII.

1 *ET iuſſit introducere eam, vbi poſita erat ſupellex argentea ſua: & præcepit parari ei de obſoniis ſuis, & de vino ſuo bibere.*

2 *Et dixit Iudith: Non comedam ex eis: vt non ſit ſcandalum: ſed de iis, quæ ſecuta ſunt me, præbebitur.*

3 *Et dixit ad eam Olophernes: Si autem defecerint, quæ ſunt tecum, vnde proferemus tibi ad dandum ſimilia eis? Non enim eſt nobiſcum de gente tua.*

4 *Et dixit Iudith ad eum: Viuit anima tua domine mi, quia non inſumet ſerua tua ea, quæ ſunt mecum, donec fecerit Dominus in manu mea, quæ deliberauit. Et duxerunt eam miniſtri Olophernis in tabernaculum: & dormiuit vſque ad mediam noctem. Et ſurrexit ad matutinam vigiliam:*

5 *Et miſit ad Olophernem, dicens: Præcipiat, quæſo, Dominus meus, permittere ſeruam tuam ad deprecationem exire.*

6 *Et præcepit Olophernes cuſtodibus corporis non prohibere eam. Et manſit in caſtris dies tres:*

7 *Et exibat per noctem in vallem Betulua, & baptizabatur in caſtris ſuper fontem aquæ.*

## Vulgat. Editio.

Et cum hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ 8
erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in
ea ligatus pendebat, exoluit.
Cumque euaginaſſet illum, apprehendit comam ca- 9
pitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in
hac hora.
Et percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput 10
eius, & abſtulit conopeum eius à columnis, & euol-
uit corpus eius truncum.
Et poſt puſillum exiuit, & tradidit caput Holofer- 11
nis ancillæ ſuæ, & iuſſit vt mitteret illud in peram
ſuam.
Et exierunt duæ, ſecundum conſuetudinem ſuam, 12
quaſi ad orationem, & tranſierunt caſtra, & gyrantes
vallem, venerunt ad portam ciuitatis.
Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum: Ape- 13
rite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus, qui fecit
virtutem in Iſrael.
Et factum eſt, cum audiſſent viri vocem eius, voca- 14
uerunt presbyteros ciuitatis.
Et concurrerunt ad eam omnes, à minimo vſque ad 15
maximum: quoniam ſperabant eam iam non eſſe
venturam.
Et accendentes luminaria congyrauerunt circa 16
eam vniuerſi: illa autem aſcendens in eminentio-
rem locum, iuſſit fieri ſilentium. Cumque omnes
tacuiſſent,
Dixit Iudith: Laudate Dominum Deum noſtrum, 17
qui non deſeruit ſperantes in ſe:
Et in me ancilla ſua adimpleuit miſericordiam 18
ſuam, quam promiſit domui Iſrael: & interfecit in
manu mea hoſtem populi ſui hac nocte.
Et proferens de pera caput Holofernis, oſtendit il- 19
lis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ
Aſſyriorum, & ecce conopeum illius, in quo re-
cumbebat in ebrietate ſua, vbi per manum fœminæ
percuſſit illum Dominus Deus noſter.
Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me 20
Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem,
& inde huc reuertentem, & non permiſit me Do-
minus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollu-
tione peccati reuocauit me vobis gaudentem in vi-
ctoria ſua, in euaſione mea, & in liberatione ve-
ſtra.
* Pſ. 105. 1. & 106. 1. * Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam 21
in ſæculum miſericordia eius.
Vniuerſi autem adorantes Dominum, dixerunt ad 22
eam: Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per
te ad nihilum redegit inimicos noſtros.
Porro Ozias princeps populi Iſrael, dixit ad eam: 23
Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ
omnibus mulieribus ſuper terram.
Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, 24
qui te direxit in vulnera capitis principis inimico-
rum noſtrorum:
Quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non 25
recedat laus tua de ore hominum, qui memores fue-
rint virtutis Domini in æternum pro quibus non pe-
percisti animæ tuæ propter anguſtias & tribulatio-
nem generis tui, ſed ſubueniſti ruinæ ante conſpe-
ctum Dei noſtri.
Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. 26

## Transl. ex Septuag.

8 *Et accedens ad canonem lecti, qui erat ad caput Olo-
phernis, depoſuit acinacem eius ab eo.*
9 *Et appropinquans lecto apprehendit comam capitis
eius, & dixit: Confirma me Deus Iſrael in die
hac.*
10 *Et percuſſit in ceruicem eius bis in fortitudine ſua,
& abſtulit caput eius ab eo, & reuoluit corpus eius à
ſtrato, & abſtulit conopæum à columnis.*
11 *Et poſt paucum exiuit, & tradidit ancillæ ſuæ caput
Olophernis, & iniecit illud in peram ciborum ſuo-
rum:*
12 *Et exierunt ambæ ſimul ſecundum conſuetudinem
ſuam. Et tranſeuntes caſtra circuierunt vallem
illam, & aſcenderunt montem Betulua, & venerunt
ad portas eius.*
13 *Et dixit Iudith à longe iis, qui cuſtodiebant ſuper
portas: Aperite, aperite nunc portam, nobiſcum Deus,
Deus noſter ad faciendam adhuc fortitudinem in
Iſrael, & potentiam contra inimicos, ſicut etiam ho-
die fecit.*
14 *Et factum eſt, vt audierunt viri ciuitatis eius vo-
cem eius, feſtinauerunt deſcendere ad portam ciui-
tatis ſuæ: & conuocauerunt ſeniores ciuitatis:*
15 *Et concurrerunt omnes à paruo vſque ad magnum:
quoniam præter opinionem erat eis venire ipſam: &
aperuerunt portam, & ſuſceperunt eas.*
16 *Et accendentes ignem ad illuminationem, circum-
dederunt eas.*
17 *At illa dixit ad eos voce magna: Laudate Deum,
laudate, laudate Deum, qui non amouit miſericor-
diam ſuam à domo Iſrael.*
18 *Sed fregit inimicos noſtros per manum meam in no-
cte hac.*
19 *Et proferens caput è pera oſtendit, & dixit eis: Ec-
ce caput Olophernis principis virtutis Aſſur, & ecce
conopæum, in quo recumbebat in ebrietatibus ſuis:
& percuſſit eum Dominus in manu fœminæ.*
20 *Et viuit Dominus, qui cuſtodiuit me in via mea,
qua iui: quoniam decepit eum facies mea in perdi-
tionem ipſius, & non fecit peccatum mecum in pol-
lutionem, & confuſionem.*
22 *Et obſtupuit omnis populus valde: & procumbentes
adorauerunt Deum, & dixerunt vnanimiter: Be-
nedictus es Deus noſter, qui ad nihilum redegiſti in
die hodierna inimicos populi tui.*
23 *Et dixit ei Ozias: Benedicta tu filia Deo altiſſimo
præ omnibus mulieribus, quæ ſuper terram,*
24 *Et benedictus Dominus Deus, qui creauit cælos, &
terram, qui direxit te in fractionem capitis principis
inimicorum noſtrorum:*
25 *Quoniam non remouebitur ſpes tua à corde homi-
num commemorantium fortitudinem Dei vſque in
ſæculum. Et faciat ea tibi Deus in ſublimitatem
æternam viſitando te in bonis, eo quod non peperciſti
animæ tuæ propter humiliationem generis noſtri, ſed
ſubueniſti ruinæ noſtræ, in rectum vadens coram
Deo noſtro.*
26 *Et dixerunt omnis populus: Fiat: fiat.* *

* Cetera eſt hic in hac tranſl. ex Septua. Rom.

## Vulgata Editio.

17 Porro Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith: Deus Iſrael, cui tu teſtimonium dediſti quod vleiſcatur ſe de inimicis ſuis, ipſe caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.

18 Et vt probes quia ita eſt, ecce caput Holofernis, qui in contemptu ſuperbiæ ſuæ Deum Iſrael contempſit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Iſrael, gladio perforari præcipiam latera tua.

19 Videns autem Achior caput Holofernis, anguſtiatus præ pauore, cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & æſtuauit anima eius.

30 Poſtea verò quàm reſumpto ſpiritu recreatus eſt, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit:

31 Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael.

### CAP. XIIII.

1 DIxit autem Iudith ad omnem populum: audite me fratres, ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros:

2 Et erit, cum exierit Sol, accipiat vnuſquiſque arma ſua, & exite cum impetu, non vt deſcendatis deorſum, ſed quaſi impetum facientes.

3 Tunc exploratores neceſſe erit vt fugiant ad principem ſuum excitandum ad pugnam.

4 Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in ſuo ſanguine volutatum, decidet ſuper eos timor.

5 Cumque cognoueritis fugere eos, ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret eos ſub pedibus veſtris.

6 Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij ſui & appoſitus eſt ad populum Iſrael, & omnis ſucceſſio generis eius vſque in hodiernum diem.

7 Mox autem vt ortus eſt dies, ſuſpenderunt ſuper muros caput Holofernis, accepitque vnuſquiſque vir arma ſua, & egreſſi ſunt cum grandi ſtrepitu & vlulatu.

8 Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.

9 Porro hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingreſſum cubiculi perſtrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, ſed à ſonantibus Holofernes euigilaret.

10 Nullus enim audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrando aperire.

Sed

## Transl. ex Septuag.

### CAP. XIIII.

1 *ET dixit ad eos Iudith: Audite nunc me fratres: & tollentes caput hoc, ſuſpendite illud ſuper pinnaculum muri veſtri.*

2 *Et erit, cum illuxerit aurora, & exiuerit Sol ſuper terram; ſumetis vnuſquiſque vaſa bellica veſtra, & exibitis omnis vir fortis extra ciuitatem, & dabitis principem in eos, tamquam deſcendentes in campum ad excubias filiorum Aſſur: & non deſcendetis.*

3 *Et ſumentes illi armaturas ſuas, ibunt ad caſtra ſua, & excitabunt duces virtutis Aſſur,*

4 *Et concurrent ad tabernaculum Olophernis, & non inuenient eum, & irruet ſuper eos timor,*

5 *Et fugient à facie veſtra. Et inſequuti vos, & omnes habitantes omnem terminum Iſrael, proſternite eos in vijs eorum. Priuſquam vero faciatis hæc, vocate mihi Achior Ammanitem; vt videns agnoſcat eum, qui vilipendebat domum Iſrael, & ipſum tamquam ad mortem miſerat ad nos. Et vocauerunt Achior è domo Oziæ.*

6 *Vt autem venit, & vidit caput Olophernis in manu viri vnius de eccleſia populi, cecidit in faciē, & exolutus eſt ſpiritus eius. Vt autem recreauerunt eū, procidit ad pedes Iudith, & adorauit faciem eius, & dixit: Benedicta tu in omni tabernaculo Iuda, & in omni gente, qui quidem audientes nomen tuum turbabuntur. Et nunc annuncia mihi, quæcumque feciſti in diebus his. Et annunciauit ei Iudith in medio populi omnia, quæcumque fuerat faciens, ex qua die exijt, vſque dum loquebatur eis. Vt autem ceſſauit loquens, iubilauit populus voce magna, & dedit vocē lætam in ciuitate ſua. Videns autem Achior omnia, quæcumque fecerat Deus Iſrael, credidit Deo valde & circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad domum Iſrael vſque in diem hanc.*

7 *Poſtquam vero aurora aſcendit, & ſuſpenderunt caput Olophernis è muro. Et ſumpſit omnis vir Iſrael arma ſua, & exiuerunt per ſpiras ad aſcenſiones montis.*

8 *Filij autem Aſſur, vt viderunt eos, miſerunt ad præfectos ſuos.*

10 *Illi autem venerunt ad duces, & ad Chiliarchos, & ad omnem principem ſuum.*

Et ad-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Sed cum veniſſent eius duces, ac tribuni, & vniuerſi
maiores exercitus regis Aſſyriorum, dixerunt cu-
bicularijs:
12 Intrate, & excitate illum, quoniam egreſſi mures de
cauernis ſuis, auſi ſunt prouocare nos ad prælium.
13 Tunc ingreſſus Vagao cubiculum eius ſtetit ante
cortinam, & plauſum fecit manibus ſuis: ſuſpicaba-
tur enim illum cum Iudith dormire.
14 Sed cum nullum motum iacentis ſenſu aurium ca-
peret, acceſſit proximans ad cortinam, & eleuans
eam, videnſque cadauer abſque capite Holofernis
in ſuo ſanguine tabefactum iacere ſuper terram,
exclamauit voce magna cum fletu, & ſcidit veſti-
menta ſua.
15 Et ingreſſus tabernaculum Iudith, nō inuenit eam,
& exilijt foras ad populum,
16 Et dixit: Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in
domo regis Nabuchodonoſor: ecce enim Holofer-
nes iacet in terra, & caput eius non eſt in illo.
17 Quod cum audiſſent principes virtutis Aſſyrio-
rum, ſciderunt omnes veſtimenta ſua, & intolerabi-
lis timor, & tremor cecidit ſuper eos, & turbati ſunt
animi eorum valde.
18 Et factus eſt clamor incomparabilis in medio ca-
ſtrorum eorum.

### CAP. XV.

1 CVmque omnis exercitus decollatum Holo-
fernem audiſſet, fugit mens, & conſilium ab
eis, & ſolo tremore, & metu agitati, fugæ præſidium
ſumunt,
2 Ita vt nullus loqueretur cum proximo ſuo, ſed in-
clinato capite, relictis omnibus, euadere feſtinabant
Hebræos, quos armatos ſuper ſe venire audiebant,
fugientes per viam camporum, & ſemitas collium.
3 Videntes itaque filij Iſrael fugientes, ſecuti ſunt il-
los. Deſcenderuntque clangentes tubis, & vlulantes
poſt ipſos.
4 Et quoniam Aſſyrij non adunati, in fugam ibant
præcipites: filij autem Iſrael vno agmine perſequē-
tes, debilitabant omnes quos inuenire potuiſſent.
5 Miſit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates, &
regiones Iſrael.
6 Omnis itaque regio, omniſque vrbs electam iuuen-
tutem armatam miſit poſt eos, & perſecuti ſunt eos
in ore gladij quouſque peruenirent ad extremita-
tem finium ſuorum.
7 Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingreſſi ſunt
caſtra Aſſyriorum, & prædam, quam fugientes Aſſy-
rij reliquerant, abſtulerunt, & onuſtati ſunt valde.
8 Hi vero, qui victores reuerſi ſunt ad Bethuliam, om-
nia quæ erant illorum attulerunt ſecum, ita vt non
eſſet numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuerſis
mobilibus eorum, vt à minimo vſque ad maximum
omnes diuites fierent de prædationibus eorum.
9 Ioachim autem ſummus pontifex de Ieruſalem ve-
nit in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt
videret Iudith.

## Transl. ex Septuag.

11 *Et aduenerunt ad tabernaculum Olophernis, & di-
xerunt ei, qui ſuper omnia illius:*
12 *Excita nunc Dominum noſtrum, quoniam auſi ſunt
ſerui deſcendere ſuper nos ad prælium, vt extermi-
nentur in finem.*
13 *Et intrauit Bagoas, & pulſauit aulam tabernacu-
li: ſuſpicabatur enim dormire illum cum Iudith.*
14 *Vt autem nemo exaudiuit, disiungens intrauit in
cubiculum, & inuenit eum ſuper ſtratum proiectum
mortuum, & caput eius ablatum erat ab eo. Et cla-
mauit voce magna cum ploratu & fletu, & clamore
forti, & diſcidit veſtimenta ſua.*
15 *Et intrauit in tabernaculum, vbi fuit Iudith diuer-
tens, & non inuenit eam. Et proſilijt ad populum*
16 *Vociferans: Præuaricati ſunt ſerui: fecit confuſio-
nem vna mulier hebræorum in domum regis Nabu-
chodonoſor, quoniam ecce Olophernes humi, & caput
non eſt ſuper eum.*
17 *Vt autem audierunt verba hæc principes virtutis
Aſſur, tunicas ſuas diſciderunt, & turbata eſt ani-
ma eorum valdè:*
18 *Et facta eſt eorum vociferatio, & clamor magnus
valdè in medio caſtrorum.*

### CAP. XV.

1 *ET vt audiuerunt, qui erant in tabernaculis, ob-
ſtupuerunt ſuper factum: & irruit ſuper eos ti-
mor, & tremor:*
2 *Et non fuit homo manens ad faciem proximi vl-
tra: ſed effuſi vnanimiter fugiebant ſuper omnem
viam campi, & montana. Et qui caſtrametati
erant in montana in circuitu Betulua, & verſi
ſunt in fugam.*
3 *Et tunc filij Iſrael, omnis vir bellator ex eis, effude-
runt ſe ſuper eos.*
4
5 *Et miſit Ozias in Bethomaſtham, & Chobai & Cho-
là, & ad omnem terminum Iſrael, qui annunciarēt
ſuper his, quæ confecta fuerant, & vt omnes ſuper-
funderentur hoſtibus ad perditionem eorum.*
6 *Vt autem audiuerunt filij Iſrael, omnes vnanimi-
ter irruerunt ſuper eos, & cædebant eos vſque Cho-
bà. Similiter autem & qui de Hieruſalem aduene-
rant, & ex omni montana. Annunciauerant enim
eis, quæ facta erant caſtris inimicorum ſuorum. Et
qui in Galaad, & qui in Galilæa, diſſipauerunt eos
plaga magna, quoadusque præterierunt Damaſcum,
& fines eius.*
7 *Cæteri autem, qui habitabant Betulua, irruerunt in
caſtra Aſſur, & prædati ſunt eos, & ditati ſunt val-
dè.*
8 *Filij autem Iſrael reuertentes à cæde, dominati ſunt
reliquorum: & pagi, & villæ in montana & campe-
ſtri obtinuerunt multa ſpolia: erat enim multitudo
plurima valdè.*
9 *Et Ioacim ſacerdos magnus, & ſeniores filiorum Iſ-
rael habitantes in Hieruſalem venerunt ad ſpectan-
dum bona, quæ fecerat Dominus Iſraeli, & ad vidē-
dam Iudith, & loquendum cum ea pacem,*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

10 Quæ cum exiſſet ad illum, benedixerunt eam om-
nes vna voce,dicentes: Tu gloria Ieruſalem, tu læ-
titia Iſrael,tu honorificentia populi noſtri:
11 Quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum,
eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum,
alterum neſcieris: ideo & manus Domini conforta-
uit te,& ideo eris benedicta in æternum.
12 Et dixit omnis populus: Fiat,fiat.
13 Per dies autem triginta,vix collecta ſunt ſpolia Aſ-
ſyriorum à populo Iſrael.
14 Porro autem vniuerſa, quæ Holofernis peculiaria
fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro, & ar-
gento,& veſtibus,& gemmis,& omni ſupellectili, &
tradita ſunt omnia illi à populo.

15 Et omnes populi gaudebant cum mulieribus,& vir-
ginibus,& iuuenibus,in organis,& citharis.

### CAP. XVI.

1 TVnc cantauit canticum hoc Domino Iudith,
dicens:
2 Incipite Domino in tympanis, cantate Domino
in cymbalis,modulamini illi pſalmum nouum,exal-
tate & inuocate nomen eius.
3 Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt
illi.
4 Qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui, vt eri-
peret nos de manu omnium inimicorũ noſtrorum.
5 Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone in mul-
titudine fortitudinis ſuæ: cuius multitudo obtu-
rauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt val-
les.
6 Dixit ſe incenſurum fines meos,& iuuenes meos
occiſurum gladio,infantes meos dare in prædam, &
virgines in captiuitatem.
7 Dominus autem omnipotens nocuit eum,& tra-
didit eum in manus fœminæ,& confodit eum.
8 Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus,
nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigan-
tes oppoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari in
ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.
9 Exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe
veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael.
10 Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cin-
cinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad deci-
piendum illum.
11 Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritu-
do eius captiuam fecit animam eius, amputauit pu-
gione ceruicem eius.
12 Horruerunt Perſæ conſtantiam eius,& Medi au-
daciam eius.
13 Tunc vlulauerunt caſtra Aſſyriorum,quando ap-
paruerunt humiles mei,areſcentes in ſiti.
14 Filij puellarum compunxerunt eos, & ſicut pue-
ros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio à
facie Domini Dei mei.
15 Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum
cantemus Deo noſtro.
16 Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in
virtute tua,& quem ſuperare nemo poteſt.

## Transl. ex Septuag.

10 *Vt autem intrarunt ad eam,benedixerunt eam om-
nes vnanimiter,& dixerunt ad eam: Tu ſublimitas
Iſrael, tu exultatio magna Iſrael, tu gloriatio ma-
gna generis noſtri.*
11 *Feciſti omnia hæc in manu tua, feciſti bona cum Iſ-
rael: & bene ſentiat ſuper eis Deus. Benedicta eſto
apud omnipotentem Dominum in æternum tempus.*
12 *Et dixit omnis populus: Fiat.*
13 *Et ſpoliauit omnis populus caſtra per dies trigin-
ta:*
14 *Et dederunt Iudith tabernaculum Olophernis, &
omnem argenteam ſupellectilem,& lectos, & peluẽ,
& omne vaſarium eius. Et accipiens ipſa impoſuit
ſuper mulam ſuam, & iunxit plauſtra ſua, & coa-
ceruauit ea ſuper illa. Et concurrit omnis mulier Iſ-
rael ad videndam eam,& benedixerunt eam: & fe-
cerunt ei chorum ex ſe: & ſumpſit thyrſos in mani-
bus ſuis,& dedit mulieribus,quæ ſecum, & corona-
tæ ſunt oliua,ipſa,& quæ cum ipſa.*
15 *Et præiuit omnem populum in choream, ducens omnes
mulieres: & ſequebatur omnis vir Iſrael armati
cum coronis,& hymnis in ore ſuo.*

### CAP. XVI.

1 *ET incheauit Iudith confeſſionem hanc in om-
ni Iſrael,& ſubcinebat omnis populus laudem
hanc. * Et dixit Iudith:*
2 *Incipite Deo meo in tympanis: cantate Domino
meo in cymbalis: modulamini ei pſalmum nouum:
exaltate,& inuocate nomen eius:*
3 *Quoniam Deus conterens bella Dominus:*
4 *Quoniam in caſtris eius in medio populi eripuit
me de manu perſequentium me.*
5 *Venit Aſſur à montibus ab Aquilone: venit in
myriadibus virtutis ſuæ, quarum multitudo ea-
rum obſtruxerat torrentes, & equitatus eorum ope-
ruerat colles.*
6 *Dixit combuſturum fines meos, & iuuenes meos
perempturum in gladio,& lactantes meos poſiturum
in pauimentum,& infantes meos daturum in direp-
tionem,& virgines meas ſpoliaturum.*
7 *Dominus omnipotens fruſtratus eſt eos in manu
fœminæ.*
8 *Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, neq;
filij Titanum percuſſerunt eum,neque excelſi gigan-
tes inuaſerunt eum, ſed Iudith filia Merari in pul-
chritudine faciei ſuæ diſſoluit eum.*
9 *Exuit enim ſtolam viduitatis ſuæ in ſublimitate
laborantium in Iſrael,*
10 *Vnxit faciem ſuam in vnguento,& ligauit capil-
los ſuos in mitra, & ſumpſit ſtolam lineam in dece-
ptionem illius:*
11 *Sandalium ipſius rapuit oculum eius,& pulchri-
tudo ipſius captiuauit animam eius. Pertranſijt aci-
naces ceruicem eius:*
12 *Horruerunt Perſæ audaciam ipſius,& Medi conſi-
dentia ipſius diſrupti ſunt.*
13 *Tunc vociferati ſunt humiles mei, & timuerunt
infirmi mei, & expauerunt: exaltauerunt vocem
ſuam,& reuerſi ſunt.*
14 *Filij puellarum compunxerunt eos, & tanquam
pueros transfugarum vulnerabant eos. Perierunt ab
acie Domini mei.*
15 *Hymnum dicam Deo meo,hymnum dicam.*
16 *Domine magnus es,& glorioſus, mirabilis in for-
titudine,inſuperabilis.*

* Quæ hic duobus aſteriſcis clauduntur in translat. ex Sept. Rom. iunguntur ſuperiori capitulo.

Tibi

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Gen. 1. Pſal. 32. 9.

17 Tibi ſeruiat omnis creatura tua: * quia dixiſti, &
facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, &
non eſt qui reſiſtat voci tuæ.
18 Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis:
petræ ſicut cera, liqueſcent, ante faciem tuam.
19 Qui autem timent te, magni erunt apud te per
omnia.
20 Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Domi-
nus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudi-
cij viſitabit illos.
21 Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vran-
tur, & ſentiant vſque in ſempiternum.
22 Et factum eſt poſt hæc, omnis populus poſt vi-
ctoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum: &
mox, vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocau-
ſta, & vota, & repromiſſiones ſuas.
23 Porro Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ
dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtule-
rat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis.
24 Erat autem populus iucundus ſecundum faciem
ſanctorum, & per tres menſes gaudium huius victo-
riæ celebratum eſt cum Iudith.
25 Poſt dies autem illos vnuſquiſque rediit in domum
ſuam, & Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præ-
clarior erat vniuerſæ terræ Iſrael.
26 Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta, ita vt non co-
gnoſceret virum omnibus diebus vitæ ſuæ, ex quo
defunctus eſt Manaſſes vir eius.
27 Erat autem diebus feſtis procedens cum magna
gloria.
28 Manſit autem in domo viri ſui annos centum quin-
que, & dimiſit Abram ſuam liberam, & defuncta eſt,
ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia.
29 Luxitque illam omnis populus diebus ſeptem.
30 In omni autem ſpatio vitæ eius non fuit qui per-
turbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis.
31 Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis, ab Hebræis
in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur
à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diem.

## Transl. ex Septuag.

17 *Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quoniã dixiſti,*
*& facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & ædificauit:*
*& non eſt qui reſiſtet voci tuæ.*
18 *Montes enim à fundamentis cum aquis commoue-*
*buntur: petræ autem à facie tua tanquam cera, li-*
*queſcent: ſuper timentes autem te tu bene propitia-*
*ris eis: quoniam paruum omne ſacrificium in odo-*
*rem ſuauitatis, & minimus omnis adeps in holo-*
*cauſtoma tibi:*
19 *Timens autem Dominum magnus ſemper.*
20 *Væ gentibus inſultantibus generi meo. Dominus*
*omnipotens vleiſcetur eos in die iudicij.*
21 *Dando ignem, & vermes in carnes eorum: & plo-*
*rabunt in ſenſu vſque in ſæculum.*
22 *Vt autem venerunt in Hieruſalem, adorauerunt*
*Deum. Et poſtquam mundatus eſt populus, obtule-*
*runt holocauſtomata ſua, & ſpontanea ſua, & do-*
*na.*
23 *Et poſuit Iudith omnia vaſa Olophernis, quæ dede-*
*rat populus ipſi, & conopæum, quod ſumpſerat ipſa è*
*cubili eius, in anathema Deo dedit.*
24 *Et fuit populus lætans in Hieruſalem ad faciem*
*ſanctorum per menſes tres; & Iudith cum eis man-*
*ſit.*
25 *Poſt dies autem hos diſceſſit vnuſquiſque ad hæredi-*
*tatem ſuam. Et Iudith abijt in Betulua, & manſit*
*ſuper ſubſtantiam ſuam. Et facta eſt per tempus ſuũ*
*glorioſa in vniuerſa terra.*
26 *Et multi concupierunt eã: & non cognouit vir eam*
*omnibus diebus vitæ eius; ex qua die mortuus eſt*
*Manaſſes vir eius, & appoſitus eſt ad populũ ſuum.*
27 *Et erat procedens magna valdè.*
28 *Et ſenuit in domo viri ſui annos centum quinque,*
*& dimiſit ancillam ſuam liberam: & mortua eſt*
*in Betulua. Et ſepelierunt eam in ſpelunca viri*
*eius Manaſſe:*
29 *Et luxit eam domus Iſrael dies ſeptem.*
30 *Et diſtribuit ſubſtantiam ſuam, antequam ipſa mo-*
*reretur, omnibus propinquis Manaſſe viri ſui, &*
*propinquis generis ſui.*
31 *Et non fuit amplius, qui terreret filios Iſrael in die-*
*bus Iudith, & poſtquam ipſa mortua eſt, dies mul-*
*tos.*

FINIS LIBRI IVDITH.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Immolatiſque victimis in monte, vocauit fratres 54
ſuos vt ederent panem. Qui cum comediſſent,
manſerunt ibi.
Laban vero de nocte conſurgens, oſculatus eſt fi- 55
lios,& filias ſuas, & benedixit illis: reuerſuſque eſt
in locum ſuum.

### CAP. XXXII.

* Infr. 48. 16.

IAcob * quoque abijt itinere quo cœperat; 1
fueruntque ei obuiam Angeli Dei.
Quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc. Et 2
appellauit nomen loci illius Mahanaim, id eſt,
Caſtra.
Miſit autem, & nuncios ante ſe ad Eſau fra- 3
trem ſuum in terram Seir, in regionem E-
dom:
Præcepitq; eis, dicens: Sic loquimini domino meo 4
Eſau: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban
peregrinatus ſum, & fui vſque in præſentem diem.
Habeo boues,& aſinos,& oues,& ſeruos,& ancillas: 5
mittoque nunc legationem ad dominum meum,
vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.
Reuerſique ſunt nuncij ad Iacob, dicentes: Veni- 6
mus ad Eſau fratrem tuum,& ecce properat tibi in
occurſum cum quadringentis viris.
Timuit Iacob valde: & perterritus diuiſit populum 7
qui ſecum erat, greges quoque & oues & boues, &
camelos in duas turmas,
Dicens: Si venerit Eſau ad vnam turmam, & per- 8
cuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt ſaluabitur.
Dixitque Iacob: Deus patris mei Abraham, & 9
Deus patris mei Iſaac: Domine qui dixiſti mihi:
Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis
tuæ,& benefaciam tibi:
Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate 10
tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tran
ſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis
regredior.
Erue me de manu fratris mei Eſau,quia valde eum 11
timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum
filijs.
Tu locutus es,quod benefaceres mihi, & dilatares 12
ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ multitu
dine numerari non poteſt.
Cumque dormiſſet ibi nocte illa, ſeparauit de 13
his quæ habebat, munera Eſau fratri
ſuo,
Capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & 14
arietes viginti,
Camelos fœtas cum pullis ſuis triginta,vaccas qua 15
draginta, & tauros viginti, aſinas viginti, & pullos
earum decem.
Et miſit per manus ſeruorum ſingulos ſeorſum gre 16
ges,dixitque pueris ſuis: Antecedite me: & ſit ſpa
tium inter gregem & gregem.
Et præcepit priori dicens: Si obuium habueris fra 17
trem meum Eſau:& interrogauerit te, cuius es?aut,
Quo vadis?aut,Cuius ſunt iſta quæ ſequeris?
Reſpondebis: Serui tui Iacob, munera miſit 18
domino meo Eſau: ipſe quoque poſt nos ve-
nit.
Similiter dedit mandata ſecundo, & tertio, & 19
cunctis qui ſequebantur greges, dicens: Iiſ-
dem verbis loquimini ad Eſau, cum inueneri-
tis eum.
Et addetis: Ipſe quoque ſeruus tuus Iacob iter no 20
ſtrum inſequitur: dixit enim: Placabo illum mu-
neribus quæ præcedunt,& poſtea videbo illum: for
ſitan propitiabitur mihi.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

54 *Et mactauit Iahacob victimam in monte & voca-*
*uit fratres ſuos, vt comederent panem, & comede-*
*runt panem,& pernoctauerunt in monte.*
55 *Et ſurrexit Laban mane, & oſculatus eſt filios ſuos*
*ac filias ſuas, benedixitque eis, & abijt: & reuer-*
*ſus eſt Laban ad locum ſuum.*

### *CAP. XXXII.*

1 *ET Iahacob abijt in viam ſuam, & occurrerunt*
*ei Angeli Dei.*
2 *Et dixit Iahacob, quando vidit eos: Caſtra Dei*
*ſunt hæc. Et vocauit nomen loci illius Macha-*
*naim.*
3 ** Et miſit Iahacob nuncios ante ſe ad Heſau fra-*
*trem ſuum ad terram Sehir regionis Æ-*
*dom.*

* Hic ſcipit caput in Biblia Sancti Pagni. Lugdunenſi.

4 *Et præcepit eis dicendo: Sic dicetis Domino meo He*
*ſau: Sic dixit ſeruus tuus Iahacob: Cum Laban*
*habitaui vſque ad hoc tempus.*
5 *Et ſunt mihi boues & aſini, pecudes,& ſerui,& an-*
*cillæ,& miſi, vt nunciarem domino meo, vt inueni-*
*rem gratiam in oculis tuis.*
6 *Et reuerſi ſunt nuncij ad Iahacob dicendo: Venimus*
*ad fratrem tuum, ad Heſau,& etiam pergit in occur*
*ſum tui, & quadringenti viri ſunt cum eo.*
7 *Et timuit Iahacob valde, & anguſtijs affectus eſt,*
*& diuiſit populum, qui erat ſecum, & pecudes, &*
*boues & camelos in duas turmas.*
8 *Et dixit: Si venerit Heſau ad turmam vnam,& per*
*cuſſerit eam; turma, quæ remanſerit euadet.*
9 *Et dixit Iahacob: Deus patris mei Abraham, &*
*Deus patris mei Iſchac: Domine, qui dixiſti ad me:*
*Reuertere ad terram tuam,& cognationem tuam,&*
*benefaciam tibi.*
10 *Minor ſum cunctis miſericordijs, & omni veritate,*
*quam feciſti cum ſeruo tuo. Quia in baculo meo*
*tranſiui Iarden hunc, & nunc habeo duas tur-*
*mas.*
11 *Erue me nunc de manu fratris mei, de manu Heſau:*
*timeo enim eum, ne forte veniat, & percutiat me,*
*matremque cum filijs.*
12 *Et tu dixiſti: benefaciendo benefaciam tibi, & po-*
*nam ſemen tuum ſicut arenam maris, quæ non nu-*
*meratur præ multitudine.*
13 *Et pernoctauit ibi nocte ipſa; & tulit ex ijs quæ oc-*
*currebant ad manum ſuam munus mittendum ad*
*Heſau fratrem ſuum.*
14 *Capras ducentas,& hircos viginti,oues ducentas &*
*arietes viginti.*
15 *Camelos lactantes,& filios earum triginta, vaccas*
*quadraginta, & iuuencos decem, aſinas viginti, &*
*pullos decem.*
16 *Et dedit in manu ſeruorum ſuorum ſingulos greges*
*ſeorſum, dixitque ad ſeruos ſuos: Tranſite ante me,*
*& interſtitium ponetis inter gregem, & gregem.*
17 *Et præcepit primo dicendo: Si occurrerit tibi Heſau*
*frater meus, & interrogauerit te dicendo: cuius es,*
*& Quo pergis, & Cuius ſunt iſta ante te?*
18 *Dices: Serui tui Iahacob munus eſt, miſſum ad*
*dominum meum Heſau: ecce etiam ipſe eſt poſt*
*nos.*
19 *Et præcepit etiam ſecundo, etiam tertio, etiam*
*cunctis pergentibus poſt greges dicendo: Secun-*
*dum verbum hoc loquemini ad Heſau quando in-*
*ueneritis eum.*
20 *Et dicetis etiam: Ecce ſeruus tuus Iahacob eſt poſt*
*nos: dixit enim: Placabo faciem eius munere, quod*
*vadit ante me, & poſtea videbo faciem eius: ſi for-*
*te ſuſcipiat faciem meam.*



UVA.BSCH

## LIBRI ESTHER.

### Vulgata Editio.

#### CAPVT PRIMVM.

IN diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias: 1

Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit. 2

Tertio igitur anno imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe, 3

Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet, & octoginta diebus. 4

Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum: & iuſſit ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat. 5

Et pendebant ex omni parte tentoria aerij coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei, & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat. 6

Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & alijs, atque alijs vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. 7

Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſq; quod vellet. 8

Vaſthi quoque regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat. 9

Itaque die ſeptimo, cum rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, ſeptem eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant, 10

Vt

## LIBRI MEGHILLATH.

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

#### CAPVT PRIMVM.

1 *ET fuit in diebus Achaſueros, ipſe eſt Achaſueros, q regnabat ab India, et vſq; ad Æthiopiã ſup ſeptẽ, & viginti, & cẽtũ prouincias.*

2 *In diebus illis cum ſederet rex Achaſueros ſuper ſolium regni ſui, quod erat in Suſan regia.*

3 *Anno tertio quo regnauit, fecit conuiuium cunctis principibus ſuis, & ſeruis ſuis, exercitui Perſico, & Medico, & principibus maioribus, & principibus prouinciarum qui erant ante ſe.*

4 *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, & honorem gloriæ magnitudinis ſuæ diebus multis, octoginta, & centum diebus.*

5 *Et cum impleti fuiſſent dies ipſi fecit rex omni populo qui inuentus eſt in Suſan regia à maximo vſque ad minimum conuiuium ſeptem dierum, in atrio horti palatij regis.*

6 *Aulæum candidum, & viride, coloris candidi, & hyacinthinum tentum funibus byſſinis, & purpureis in circulis argenteis, & columnis marmoreis. Lecti aurei, & argentei ſuper pauimentum porphyreticum, & marmoreum, & parium, & hyacinthum lapidem.*

7 *Et propinabant in vaſis aureis, & vaſa erant à vaſis variata, & vinum regium multum ſecundum potentiam regiam. Et potus erat ſecundum legem.*

8 *Non erat qui cogeret, quia ſic diſpoſuerat rex cum omni magiſtro domus ſuæ, vt facerent ſecundum voluntatem vniuſcuiuſque.*

9 *Etiam Vaſthi regina fecit conuiuium fœminarum in domo regni, quæ erat regis Achaſueros.*

10 *Die ſeptimo cum iucundum eſſet cor regis propter vinum dixit ad Mehuman, & Biztha, Charbonam, & Bigtha, & Bagtha, Zethar, & Charchas ſeptem eunuchos, qui miniſtrabant ante faciem regis Achaſueros.*

*Vt*

## LIBRI ESTHER.

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

#### CAPVT PRIMVM.

Quæ hic in initio capituli poſita ſunt in tranſlat. ex Sep. Rom. habentur circa medium capituli primi & ante iſta ponuntur, quæ tanquam prohemium agnoſcuntur à D. Hieron. & quia non habentur apud Hebræos reiecta ſunt ab ipſo infra cap. 11. num. 1.

ET factum eſt poſt verba hæc in diebus Artaxerſis: hic Artaxerſes ab Indica centum viginti ſeptem regiones obtinuit. 2 In iſtis diebus, quando ſedit in throno rex Artaxerſes in Suſis ciuitate, 3 in anno tertio, regnante ipſo, conuiuium fecit amicis, & reliquis gentibus, & Perſarum, & Medorum inclytis, & principibus Satraparum. 4 Et poſt hæc, poſtquam oſtendit eis diuitias regni ſui, & gloriam lætitiæ opulentiæ ſuæ in diebus centum octoginta. 5 Quando autem impleti ſunt dies nuptiarum, fecit rex conuiuium gentibus inuẽtis in ciuitate per dies ſex in atrio domus regis 6 ornato byſſinis, & carpaſinis extentis ſuper funibus byſſinis, & purpureis, ſuper cubos aureos, & argenteos, ſuper columnas parias, & lapideas: lecti aurei, & argentei ſuper pauimentum ſmaragdini lapidis, & pinnini, & parij lapidis: & ſtrata pellucida varie ornata floribus: in circuitu roſæ ſparſæ: 7 pocula aurea, & argentea, & gemmatus calix propoſitus e talentis triginta millibus: vinum multum, & ſuaue, quod ipſe rex bibebat. 8 Potus autem hic non ſecundum propoſitam legem fiebat. Sic enim voluit rex, & præcepit œconomis facere voluntatem ipſius, & hominum. 9 Et Aſtin regina fecit conuiuium mulieribus in regijs, vbi rex Artaxerſes. 10 In die autem ſeptima exhilaratus rex dixit ad Aman, & Bazan, & Tharra, & Barazi, & Zatholtha, & Abataza, & Tharaba ſeptem eunuchos miniſtros regis Artaxerſis,

VT in-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Vt introducerent reginam Vaſthi coram rege, poſito ſuper caput eius diademate vt oſtenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.

12 Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit. Vnde iratus rex,& nimio furore ſuccenſus,

13 Interrogauit ſapientes, qui ex more regio, ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges,ac iura maiorum:

14 ( Erant autem primi, & proximi, Charſena, & Sethar,& Admatha,& Tharſis,& Mares,& Marſana, & Mamuchan, ſeptem duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant )

15 Cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret,quæ Aſſueri regis imperium,quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet.

16 Reſponditque Mamuchan,audiente rege,atq; principibus,Non ſolum regem læſit regina Vaſthi,ſed & omnes populos,& principes,qui ſunt in cunctis prouincijs regis Aſſueri.

17 Egredietur enim ſermo reginæ ad omnes mulieres,vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit.

18 Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarum, atque Medorum, paruipendent imperia maritorum: vnde regis iuſta eſt indignatio.

19 Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum, atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnum illius, altera,quæ melior eſt illa,accipiat.

20 Et hoc in omne ( quod latiſſimum eſt ) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum deferant maritis ſuis honorem.

21 Placuit conſilium eius regi, & principibus fecitque rex iuxta conſilium Mamuchan,

22 Et miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæque gens audire, & legere poterat, diuerſis linguis,& litteris, eſſe viros principes, ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

CAP.

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

11 *Vt ducerent Vaſthi reginam coram rege cum diademate regni,vt oſtenderet populis,& principibus pulchritudinem eius: quoniam decora aſpectu erat.*

12 *Et renuit regina Vaſthi venire ad verbum regis, quod fuerat per manum eunuchorum. Et iratus eſt rex valdè,& ira eius ſuccenſa eſt in eo.*

13 *Dixitque rex ſapientibus ſcientibus tempora, quia ſic erat conſuetudo regis coram omnibus ſcientibus legem,& iudicium.*

14 *Et propinquus, ei Charſena,Sethar,Admatha,Tarſis,Meres,Marſena,Memuchan,ſeptem principes Paras, & Madai videntes faciem regis, qui ſedebant primi in regno.*

15 *Secundum legem quid agendũ in reginam Vaſthi,eo quòd non fecit ſermonem regis Achaſueros per manum eunuchorum.*

16 *Dixitque Memuchan coram rege,& principibus,Nõ contra regem tantum peccauit Vaſthi regina, ſed contra omnes principes,& contra omnes populos,qui ſunt in omnibus prouincijs regis Achaſueros.*

17 *Egredietur enim verbum reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant maritos ſuos in oculis ſuis, dum dicent: Rex Achaſueros dixit, vt ducerent Vaſthi reginam ante ſe,& non venit.*

18 *Et die hac dicent dominæ Paras,& Madai, quæ audierint verbum reginæ ad omnes principes regis, & erit huius rei gratia abundans contemptus,& ira.*

19 *Si regi bonum eſt,egrediatur verbum regium à facie eius,& ſcribatur inter leges Paras,& Madai,& non tranſgrediatur, quòd non ingrediatur Vaſthi coram rege Achaſueros,& regnum eius det rex alteri, quæ melior ſit illa.*

20 *Et audietur verbum regis, quod faciet in toto regno ſuo, quia magnum eſt, & omnes vxores exhibebunt honorem maritis ſuis,tam maiori,quàm minori.*

21 *Et placuit verbum in oculis regis, & principum, fecitque rex iuxta verbum Memucham.*

22 *Miſitque epiſtolas ad omnes prouincias regis ad ſingulas prouincias ſecundum ſcripturam ſuam, & ad ſingulos populos iuxta linguam eius, vt omnis vir dominetur in domo ſua, & loquatur ſecundum linguam populi ſui.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 vt introducerent reginam ad ipſum,ad faciendum eam regnare,& circumponendum ei diadema,& oſtendendam eam principibus,& gentibus pulchritudinem eius,quoniam pulchra erat. 12 Et non exaudiuit eum Aſtin regina,vt veniret cum eunuchis. Et triſtatus eſt rex,& iratus eſt, 13 & dixit amicis ſuis: Secundum hæc loquuta eſt Aſtin Facite igitur de hoc legem & iudicium.

14 Et acceſſit ad eum Arceſæus, & Sarſathæus, & Maliſear principes Perſarum,& Medorum, qui prope regem, qui primi aſſidentes regi, 15 & annunciauerunt ei, ſecundum leges quomodo oportet facere Aſtin reginæ,quia non fecit ea,quæ à rege ſunt conſtituta per eunuchos.

16 Et dixit Muchæus ad regem, & principes: Non regem ſolum iniuria affecit Aſtin regina, ſed etiam omnes principes,& duces regis. 17 (Etenim narrauit eis verba reginæ, & quomodo contradixit regi: ) Sicut igitur contradixit regi Artaxerſi,

18 ſic hodie reliquæ dominæ principum Perſarum, & Medorum audientes, quæ regi dicta ſunt ab ea, audebunt ſimiliter vilipendere viros ſuos.

19 Si igitur videtur regi; ſtatuat edictum regium,& ſcribatur ſecundum leges Medorum,& Perſarum,& non aliter vtatur,neque ingrediatur vltra regina ad eum,& regnum illius det rex mulieri meliori ea.

20 Et audiatur lex,quæ à rege; quamcumque fecerit in regno ſuo. Et ita omnes mulieres deferent honorem viris ſuis à mendico vſque ad diuitem.

21 Et placuit verbum regi,& principibus.Et fecit rex,ſicut loquutus eſt Muchæus,

22 & miſit in omne regnum per regionem iuxta ſermonem eorum; vt eſſet timor eis in domibus ſuis.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. II.

1 His ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet:
2 Dixeruntque pueri regis, ac miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines, ac ſpecioſæ,
3 Et mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas, & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum feminarum ſub manu Egei Eunuchi, qui eſt præpoſitus, & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mũdum muliebrem, & cætera ad vſus neceſſaria.
4 Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi. Placuit ſermo regi: & ita, vt ſuggeſſerant, iuſſit fieri.
5 Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini,
6 * Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat,

* 4. Reg. 24. 15. Hier. 24.

7 Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis & decora facie. Mortuiſque patre eius, ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.
8 Cumque percrebuiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur Eunucho; Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum.
9 Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & tam ipſam, quam pediſſequas eius ornaret, atque excoleret:
10 Quę noluit indicare ei populum, & patriam ſuam: Mardochęus enim pręceperat ei, vt de hac re omnino reticeret:
11 Qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electę virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.

Cum

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. II.

1 *Poſt hæc cum quieuiſſet ira regis Achaſueros, recordatus eſt ipſius Vaſthi, & eorum quæ fecerat, & eius quod diſpoſitum erat ſuper eam:*
2 *Dixeruntque pueri regis, miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines decoræ aſpectu.*
3 *Et præficiat rex præfectos in omnibus prouincijs regni ſui, & congregent omnem puellam virginem pulchram aſpectu in Suſan regia in domum mulierum in manu Hegem eunuchi regis: cuſtodis mulierum, & det purificatoria earum.*
4 *Et puella, quæ placuerit in oculis regis regnet pro Vaſthi. Et placuit res in oculis regis: & fecit ſic.*
5 *Vir Iehudæus erat in Suſan regia, & nomen eius Mordechai filius Iair, filius Simhi, filij Chis, vir Iemini.*
6 *Qui tranſmigratus fuerat de Ieruſalaim cum trãſmigratione, quæ tranſmigrata eſt cum Iechoniah rege Iehudah, quam tranſmigrare fecerat Nebucadneſar rex Babel.*
7 *Et nutriuit Hadaſah (ipſa eſt Eſter) filiam patrui ſui: non enim erat ei pater, & mater, & puella erat pulchra ſpecie, & decora aſpectu. Et cum mortuus fuiſſet pater eius, & mater eius, accepit eam Mordechai ſibi in filiam.*
8 *Et fuit cum auditum eſſet verbum regis, & lex eius, & dum congregarentur puellæ multæ in Suſan regia ad manum Hegai, ſublata eſt Eſter in domum regis in manum Hegai cuſtodis mulierum.*
9 *Et placuit puella in oculis eius, & ſuſcepit miſericordiam in conſpectu eius, & accelerari fecit purificatoria eius, & partes eius, vt daret ei, & ſeptem puellas dignas, vt daret ei è domo regis, & mutauit eam, & puellas eius bonum domus mulierum.*
10 *Non indicauit Eſter populum ſuum, nec cognationem ſuam: quia Mordechai præceperat ei, vt non indicaret.*
11 *Et quotidie Mordechai deambulabat ante atrium domus mulierum, vt cognoſceret pacem Eſter, & quid fieret de ea.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. II.

Et poſt verba hęc ceſſauit rex à furore: & non vltra recordatus eſt ipſius Aſtin, in memoria habens, qualia loquuta erat, & quomodo condemnauerat eam. 2 Et dixerunt miniſtri regis: Quęrantur regi puellę incorruptę pulchrę ſpecie: 3 & conſtituet rex pręfectos in omnibus regionibus regni ſui: & deligant puellas virgines pulchras ſpecie in Suſam ciuitatem in Gynęcęum: & tradantur eunucho regis cuſtodi mulierum: & detur vnguentum abſtergens, & reliquus cultus.
4 Et mulier, quę placuerit regi, regnabit pro Aſtin. Et placuit regi res, & fecit ſic.
5 Et homo erat in Suſis ciuitate, & nomen eius Mardochęus filius Iairi filij Semeię filij Ciſęi de tribu Beniamin, 6 qui fuerat ductus captiuus è Hieruſalem, quam captiuauerat Nabuchodonoſor rex Babylonis.
7 Et erat huic puella nutrita filia Aminadab fratris patris ipſius, & nomen ei, Eſther. In tranſmigrando autem parentes eius, erudiuit eam ſibi in mulierem. Et erat puella pulchra ſpecie.
8 Et quando auditum eſt edictum regis; congregatę ſunt multę puellę in Suſam ciuitatem ſub manum Gai. Et ducta eſt Eſther ad Gai cuſtodem mulierum:
9 & placuit ei puella, & inuenit gratiam in conſpectu eius. Et feſtinauit dare ei vnguentum, & partem, & ſeptem puellas aſſignatas ei è domo regia. Et vſus eſt illa bene, & ancillis eius in Gynęcęo.
10 Et non indicauit Eſther genus ſuum, neque patriam: Mardochęus enim mandauerat ei non annunciare.
11 Per ſingulos autem dies deambulabat Mardochęus per atrium Gynęcęi, ſpeculans, quid Eſther accideret.

Hoc

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vterentur.

13 Ingredientesque ad regem, quidquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens accipiebant, & vt eis placuerat, compoſitæ de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant.

14 Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur mane, atque inde in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Saſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat: nec habebat poteſtatem ad regem vltra redeundi, niſi voluiſſet rex, & eam venire iuſſiſſet ex nomine.

15 Euoluto autem tempore per ordinem inſtabat dies, quo Eſther filia Abihail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.

16 Ducta eſt itaque ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius.

17 Et adamauit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi.

18 Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptijs Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.

19 Cumque ſecundo quærerentur virgines, & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis:

20 Necdum prodiderat Eſther patriam, & populum ſuum, iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.

21 Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathan, & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant: volueruntque inſurgere in regem, & occidere eum.

Quod

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et cum appeteret tempus ſingularum puellarum, vt intrarent ad regem Achaſueros in fine cum eſſent ei ſecundum legem mulierum duodecim menſes, quia ſic implebantur dies purificationum earum ſex menſibus cum oleo myrrhæ, & ſex menſibus cum aromatibus, & purificationibus mulierum.*

13 *Et in hoc puella veniebat ad regem, omne quod dicebat, dabatur ei veniendo cum ea è domo mulierum vſque ad domum regis.*

14 *Veſpere intrabat, & mane reuertebatur ad domum mulierum ſecundam, ad manum Schaaſgaz eunuchi regis cuſtodis concubinarum: non ingrediebatur amplius ad regem niſi voluiſſet eam rex, & vocaretur per nomen.*

15 *Et cum adueniſſet tempus Eſter filiæ Abichail, patrui Mordechai, quam acceperat ſibi in filiam, vt ingrederetur ad regem. Non requiſiuit aliquid, niſi quod dixerat Hegai eunuchus regis, cuſtos mulierum. Et Eſter ſuſcepit gratiam in oculis omnium videntium eam.*

16 *Et ſublata eſt Eſter ad regem Achaſueros, ad domũ regni eius, menſe decimo (ipſe eſt menſis Tebeth) anno ſeptimo regni eius.*

17 *Et dilexit rex Eſter præ omnibus mulieribus, & ſuſcepit gratiam, & miſericordiam coram eo præ omnibus virginibus, & poſuit diadema regni in capite eius, & regnare fecit eam pro Vaſthi.*

18 *Fecitque rex conuiuium magnum omnibus principibus ſuis, & ſeruis ſuis, conuiuium Eſter. Et requiem prouincijs fecit, & dedit dona ſecundum potentiam regiam.*

19 *Et dum congregarentur virgines ſecundo, Mordechai ſedebat in porta regis:*

20 *Non Eſter indicauerat progeniem ſuam, & populum ſuum ſecundum quod præceperat ei Mordechai, & ſermonem Mordechai Eſter faciebat, ſicut erat dum nutriretur ſecum.*

21 *In diebus illis Mordechai ſedente in porta regis, irati ſunt Bigthan, & Teres duo eunuchi regis ex cuſtodibus liminis: & quæſierunt mittere manum in regem Achaſueros.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Hoc autem erat tempus puellæ intrandi ad regem, cum impleuerit menſes duodecim. Sic enim implentur dies cultus, menſes ſex vnctis in oleo myrrhino, & menſes ſex in aromatibus, & in vnguentis mulierum:

13 & tunc ingreditur ad regem: & cuicumque dixerit, tradet eam, vt ſimul ingrediatur ad ſe de Gynecęo vſque ad regias;

14 veſpere ingreditur, & verſus diem recurrit in Gynecęum ſecundum, vbi Gai eunuchus regis, cuſtos mulierum: & non vltra ingreditur ad regem, niſi vocata fuerit nomine.

15 Dum autem impleretur tempus Eſther filię Aminadab fratris patris Mardochęi intrandi ad regem; nihil prę̨uaricata eſt eorum, quę mandauit eunuchus cuſtos mulierum. Erat enim Eſther inueniens gratiam apud omnes aſpicientes eam.

16 Et intrauit Eſther ad Artaxerſem regem duodecimo menſe, qui eſt Adar, ſeptimo anno regni eius.

17 Et amauit rex Eſther: & inuenit gratiam prę omnibus virginibus: & impoſuit ei diadema muliebre.

18 Et fecit rex conuiuium omnibus amicis ſuis, & virtutibus per dies ſeptem: & exaltauit nuptias Eſther, & remiſſionem fecit ijs, qui ſub regno ipſius.

19 Mardochęus autem ſeruiebat in aula.

20 Eſther autem non indicauit patriam ſuam. Sic enim mandauerat ei Mardochęus, timere Deum, & facere pręcepta eius, ſicut erat cum eo. Et Eſther non mutauit educationem ſuam.

21 Et triſtati ſunt duo eunuchi regis principes cuſtodum corporis; quoniam prouectus fuerat Mardochęus: & quęrebant occidere Artaxerſem regem.

Et ma-

## Vulgat. Editio.

22 Quod Mardochæum non latuit, ſtatimque nunciauit reginæ Eſther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat.

23 Quæſitum eſt, & inuentum: & appenſus eſt vterque eorum in patibulo. Mandatumque eſt hiſtorijs, & annalibus traditum coram rege.

### CAP. III.

1 POſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag: & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat.

2 Cunctique ſerui regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis imperator. ſolus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

3 Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præſidebant: Cur præter cæteros non obſeruas mandatum regis?

4 Cumque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrum perſeueraret in ſententia: dixerat enim eis ſe eſſe Iudæum.

5 Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde,

6 Et pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas: audierat enim quod eſſet gentis Iudææ. Magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem.

7 Menſe primo (cuius vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam, quę Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die, & quo menſe gens Iudęorum deberet interfici: & exiuit menſis duodecimus, qui vocatur Adar.

8 Dixitque Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuo ſeparatus, nouis vtens legibus, & ceremonijs, inſuper & regis ſcita contemnens. Et optime noſti quod nō expediat regno tuo, vt inſoleſcat per licentiam.

9 Si tibi placet, decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazę tuę.

10 Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hoſti Iudęorum,

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et inuenit res ipſi Mordechai, & nunciauit Eſter reginæ: & dixit Eſter regi nomine Mordechai.*

23 *Et quæſita eſt res, & inuenta, & ſuſpenſi ſunt ambo ſuper lignum, & ſcriptum eſt in libro verborum dierum coram rege.*

### CAP. III.

1 *POſt hæc magnificauit rex Achaſueros Haman filium Hamedatha, Agagæum: & eleuauit eum, & poſuit thronum eius ſuper omnes principes, qui erant ſecum.*

2 *Et omnes ſerui regis, qui erant in porta regis incuruabant ſe, & genuflectebant ipſi Haman: ſic enim præceperat eis rex. Mordechai autem nec genuflectebat, nec adorabat.*

3 *Dixeruntque ſerui regis, qui erant in porta regis ad Mordechai: Quare tranſgrederis præceptum regis?*

4 *Et fuit, cum dicerent ad eum per ſingulos dies, & non audiret eis nunciauerunt ipſi Haman, vt viderent, an ſtarent verba Mordechai: indicauerat enim eis quod eſſet Iehudæus.*

5 *Et vidit Haman, quòd non Mordechai inclinaret ſe: nec genuflecteret ſibi, & repletus eſt Haman furore.*

6 *Et contempſit oculis ſuis mittere manum in Mordechai tantummodo: indicauerant enim ſibi populum ipſius Mordechai, & quæſiuit Haman diſperdere omnes Iehudæos, qui erant in regno Achaſueros, populum Mordechai.*

7 *In mēſe primo, (ipſe eſt mēſis Niſan) in anno duodecimo regis Achaſueros proijcere fecit ſortem (ipſa eſt Gheral, idest ſors) coram Haman, pua die, & quo menſe deberet id agere: & cecidit duodecimo, (ipſe eſt menſis Adar.)*

8 *Dixitque Haman ad regem Achaſueros: Eſt populus quidam diſperſus, & diuiſus inter populos in omnibus prouincijs regni tui, & leges eorum ſunt diuerſæ ab omni populo, & leges regis non faciunt: & regi non eſt vtile, vt dimittat eos.*

9 *Si regi placet ſcribatur, vt perdantur & decem millia talenta argenti appendam manibus facientium opus, vt adducant in theſauros regis.*

10 *Et remouit rex annulum ſuum è manu ſua, & dedit illum Haman filio Hammedatha Aghaghai hoſti Iehudæorum.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Et manifeſtum fuit Mardochęo verbum & ſignificauit Eſther, & ipſa patefecit regi inſidias.

23 Rex autem examinauit duos illos eunuchos, & ſuſpendit eos. Et pręcepit rex ſe ponere in commentario in regia bibliotheca pro beneuolentia Mardochęi in encomio.

### CAP. III.

POſt hęc autem glorificauit rex Artarxerſes Aman Amadathi Buggum, & exaltauit eum: & prior ſedebat omnibus inimicis ſuis:

2 & omnes, qui in aula, adorabant eum. Ita enim pręcepit rex facere. Mardochęus autem non adorabat eum.

3 Et loquuti ſunt, qui in aula regis, Mardochęo: Mardochęe, quid non obſeruas ea, quę à rege dicuntur?

4 Per ſingulos dies loquebantur ei: & non obediebat eis. Et indicarunt Aman, Mardochęum verbis regis repugnantem: & indicarat eis Mardochęus, quia Iudeus eſt.

5 Et cognoſcens Aman, quia non adorat eum Mardochęus; indignatus eſt valdè,

6 & decreuit delere omnes, qui ſub Artarxerſis regno, Iudæos.

7 Et fecit decretum in anno duodecimo regni Artaxerſis & miſit ſortes, diem ex die, & menſem ex menſe, vt perderet in vna die genus Mardochęi. Et cecidit ſors in quartam & decimam menſis, qui eſt Adar.

8 Et locutus eſt ad regem Artaxerſem, dicens: Eſt gens diſſeminata in gentibus in omni regno tuo: leges autem eorum diuerſę pręter omnes gentes: legibus autem regis ſunt inobedientes: & non confert regi permittere eos.

9 Si videtur regi; decernat perdere eos: & ego deſcribam in gazophylacio regis argenti talenta decem millia.

10 Et tollens rex annulum, dedit in manus Aman ad obſignandum ſuper ijs, quę ſcripta contra Iudæos.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum ſit, de populo age, quod tibi placet.

12 Vocatique ſunt ſcribæ regis menſe primo Niſan, tertiadecima die eiuſdem menſis: & ſcriptum eſt, vt iuſſerat Aman, ad omnes ſatrapas regis, & iudices prouinciarum, diuerſarumque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum ex nomine regis Aſſueri: & litteræ ſignatæ ipſius annulo,

13 Miſſæ ſunt per curſores regis ad vniuerſas prouincias, vt occiderent, atque delerent omnes Iudæos, a puero vſque ad ſenem, paruulos, & mulieres, vno die, hoc eſt tertiodecimo menſis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.

14 Summa autem epiſtolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ ſcirent, & pararent ſe ad prædictam diem.

15 Feſtinabant curſores, qui miſſi erant, regis imperiũ explere. Statimque in Suſan pependit edictum, rege, & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant flentibus.

### CAP. IIII.

1 QVæ cum audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimẽta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui,

2 Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare.

3 In omnibus quoque prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco, & cinere multis pro ſtrato vtentibus.

4 Ingreſſę autem ſunt puellę Eſther, & eunuchi, nunciaueruntque ei. Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit, vt ablato ſacco induerent eum: quam accipere noluit.

5 Accitoque Athach eunucho, quem rex miniſtrum ei dederat, præcepit ei, vt iret ad Mardochæum, & diſceret ab eo cur hoc faceret.

6 Egreſſuſque Athach, iuit ad Mardochęum ſtantem in platea ciuitatis, ante oſtium palatij:

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Dixitque rex ad Haman: Argentum datum tibi ſit, & populus, vt facias de eo ſecundum quod placet in oculis tuis.*

12 *Et vocati ſunt ſcribæ regis menſe primo tertiadecima die eiuſdem, & ſcriptum eſt iuxta omnia, quæ præcepit Haman ad principes regis, & ad duces, qui ſunt ſuper ſingulas prouincias, & ad principes ſingulorum populorum, & ſingularum prouinciarum ſecundum ſcripturam vniuſcuiuſque propriam, & ad ſingulum populum iuxta linguam ſuã nomine regis Achaſueros ſcriptum, & ſignatum annulo regis.*

13 *Et vt mitterentur epiſtolæ per manum curſorum ad omnes prouincias regis vt diſſiparent, vt occiderent, & vt perderent omnes Iehudæos à puero vſque ad ſenem paruulum, & mulieres die vna tertiadecima menſis duodecimi, (ipſe eſt menſis Adar) & ſpolia eorum, vt prædarentur.*

14 *Exemplar ſcripturæ erat, vt poneretur lex in qualibet prouincia manifeſta omnibus populis, vt eſſent parati ad diem hanc.*

15 *Curſores egreſſi ſunt impulſi verbo regis, & lex poſita eſt in Suſan regia. Rex autem, & Haman ſederunt ad bibendum, ciuitas autem Suſan perplexa erat.*

### CAP. IIII.

1 *MOrdechai autem cognouit omne, quod geſtum fuerat, & ſcidit Mordechai veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & cinere, & egreſſus eſt in medio ciuitatis clamauitq́; clamore magno, & amaro.*

2 *Et venit vſque locum, qui erat coram porta regis. Non enim fas erat, vt intraret portam regiam qui indutus eſſet ſacco.*

3 *Et in qualibet prouincia, & loco, quem verbum regis, & lex eius attigit, luctus magnus fuit Iehudæis, & ieiunium, & fletus, & planctus, ſaccus, & cinis ſternebatur multis.*

4 *Et venerunt puellæ Eſther, & eunuchi eius, & nunciauerunt ei, & doluit regina valdè. Et miſit veſtes, vt induere faceret ipſum Mordechai, & remouere faceret ſaccum eius ab eo, & non recepit.*

5 *Et vocauit Eſther Hathach ex eunuchis regis quem ſtare fecit coram ſe, & præcepit ei ſuper Mordechai, vt ſciret quid hoc eſſet, & propter quid hoc.*

6 *Et egreſſus eſt Hathach ad Mordechai ad plateam ciuitatis, quæ erat ante portam regis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dixit rex ad Aman Argentum quidem habe: gente autem vtere, ſicut vis.
12 Et vocati ſunt ſcribę regis menſe primo tertiadecima die: & ſcripſerunt, ſicut præcepit Aman, ducibus, & principibus per omnem regionem ab Indica vſque ad Æthiopiam, centum viginti ſeptem prouincijs, & principibus gentium ſecundum eorum linguam, per Artaxerſem regem.
13 Et miſſum eſt per tabellarios in Artaxerſis regnum, delere genus Iudęorum in die vna menſis duodecimi, qui eſt Adar, & diripere ſubſtantias eorum. Epiſtolę autem exemplar eſt hoc.
* 14 Exemplaria autem epiſtolarum edita ſunt per regionem, & imperatum fuit omnibus gentibus, paratos eſſe in diem iſtam.
15 Vrgebatur autem negocium & in Suſa. Rex autem, & Aman epulabantur: turbabatur autem ciuitas. *

### CAP. IIII.

MArdochęus autem cognoſcens id, quod conſummatum fuerat, diſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & conſperſit ſe cinere: & exiliens per platęam ciuitatis, clamabat voce magna:
2 Tollitur gens, quę nihil iniuſtè egit. Et venit vſque ad portam regis, & ſtetit. Non enim erat ei licitum ingredi
in aulam, ſaccum habenti, & cinerem. 3 Et in omni regione, vbi editę fuerant litterę,
clamor, & planctus, & luctus magnus Iudęis: ſaccum, & cinerem ſtatuerant ſibi.
4 Et intrauerunt ancillę, & eunuchi reginę, & annunciarunt ei. Et turbata eſt audiens factum. Et miſit ad induendum ſtola Mardochęum, & auferendum eius ſaccum. Ille autem perſuaſus non eſt.
5 Eſther autem aduocauit Achrathęum eunuchum ſuum, qui aſſiſtebat ei, & miſit, vt diſceret ipſa à Mardochęo rem ipſam exquiſitè.

## Vulgat. Editio.

7 Qui indicauit ei omnia, quæ acciderant, quo modo Aman promiſiſſet, vt in theſauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum,

8 Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Suſan, dedit ei, vt reginæ oſtenderet, & moneret eam, vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo.

9 Regreſſus Athach, nunciauit Eſther omnia, quæ Mardochæus dixerat.

10 Quæ reſpondit ei, & iuſſit, vt diceret Mardochæo:

11 Omnes ſerui regis, & cuncta, quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quod ſiue vir, ſiue mulier non vocatus, interius atrium regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?

12 Quod cum audiſſet Mardochæus,

13 Rurſum mandauit Eſther, dicens: Ne putes, quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis:

14 Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?

15 Rurſumque Eſther hæc Mardochæo verba mandauit:

16 Vade, & congrega omnes Iudęos, quos in Suſan reperceris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti, & periculo.

17 Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Eſther præceperat.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et indicauit ei Mordechai omne, quod acciderat ſibi, & expoſitionem argenti, quam dixit Haman appendere theſauris regis propter Iehudæos ad perdendum eos.*

8 *Et exemplar ſcripturæ legis, quæ poſita erat in Suſan, vt diſperdere faceret eos dedit ei, vt oſtenderet ipſi Eſther, & indicaret ei, & mãdaret ei, vt ingrederetur ad regem, ad precandum eum, & ad quærendum à facie eius pro populo ſuo.*

9 *Et venit Hathac, & nũciauit ipſi Eſther verba Mordechai.*

10 *Dixitque Eſter ad Hathach, & præcepit ei, vt diceret ad Mordechai.*

11 *Omnes ſerui regis, & populus prouinciarum regis ſciunt, quòd omnis vir, & mulier qui ingreſſus fuerit ad regem in atrium interius, qui non fuerit vocatus, vna lex eius eſt, vt mori faciat, niſi extenderit ad eum rex virgam auream, & viuat, & ego non ſum vocata, vt ingrediar ad regem iam triginta diebus.*

12 *Et nunciauerunt ipſi Mordechai verba Eſther.*

13 *Dixitque Mordechai, vt reſponderent ipſi Eſther: Ne putes in animo tuo, vt euaſura te in domo regis præ cunctis Iehudæis:*

14 *Si enim ſilendo ſilueris in tempore iſto reſpiratio, & euaſio ſtabit Iehudæis ex loco alio, et tu & domus patris tui peribitis. Et quis ſcit ſi in tempore ſimili attingere facta ſis ad regnum?*

15 *Dixitque Eſter, vt reſponderet ipſi Mordechai:*

16 *Vade, & congrega omnes Iehudæos, qui reperiuntur in Suſan, & ieiunate pro me. Et ne comedatis, neque bibatis tribus diebus nocte: & die, & ego & puellæ meæ ieiunabo ſic, & tunc ingrediar ad regem, quod non eſt ſecundum legem, & quemadmodumque peream, peream.*

17 *Et progreſſus eſt Mordechai, & fecit iuxta omnia, quæ præcepit ei Eſter.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Mardochęus autem indicauit ei factum, & promiſſionem, quam promiſerat Aman regi in gazam talentorum
decem millium, vt perdat Iudęos. 8 Et exemplar in Suſis editum de ipſis perdendis dedit
ei ad oſtendendum ipſi Eſther, & dixit ei, vt mandaret illi ingrediens deprecari regem, & orare eum pro populo,
memor dierum humiliationis tuę, quomodo nutrita es in manu mea: quoniam Aman ſecundus à rege locutus
eſt contra nos ad mortem. Inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, libera nos à morte.
9 Ingreſſus autem Achrathæus locutus eſt ei omnia verba hęc.
10 Dixit autem Eſther ad Achrathęum: Vade ad Mardochęum, & dic,
11 quia gentes omnes regni ſciunt, quia omnis homo, vel mulier, qui ingreditur ad regem in aulam interiorem
non vocatus, non eſt ei ſalus: tantum, cui extenderit rex auream virgam, hic ſaluabitur. Et ego non ſum vocata
ingredi ad regem, ſunt ipſi dies triginta.
12 Et annunciauit Achrathęus Mardochęo omnia verba Eſther.
13 Et dixit Mardochęus ad Achrathęum: Vade, & dic ei: Eſther, ne dixeris tibi, quia ſaluaberis ſola in regno
pręter omnes Iudęos:
14 quoniam, niſi audieris in tempore hoc; aliunde auxilium, & protectio erit Iudęis: tu autem, & domus patris
tui peribitis. Et quis nouit, ſi ad tempus hoc facta es regina?
15 Et miſit Eſther eum, qui veniebat ad ſe, ad Mardochęum, dicens:
16 Vadens conuoca Iudęos, qui in Suſis, & ieiunate ſuper me, & non comedatis, neque bibatis per dies tres, nocte
& die: ego vero, & ancillę meę abſtinebimus à cibo: & tunc ingrediar ad regem pręter legem, etiam ſi perire
me oporteat. 17 Et pergens Mardochęus fecit, quęcumque mandarat ei Eſther.

CAP.

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| CAP. V. | | | *CAP. V.* |
| Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra baſilicam regis: at ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatij contra oſtium domus. | 1 | 1 | *ET fuit, die tertio induit ſe Eſther regio veſtimento, & ſtetit in atrio domus regis interiori contra domum regis: rex autem ſedebat ſuper ſolium regni ſui in domo regni contra oſtium domus.* |
| Cumque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius. | 2 | 2 | *Et fuit, cum vidiſſet rex Eſther reginam ſtantem in atrio, recepit gratiam in oculis eius, & extendit rex ad Eſther virgã auream, quæ erat in manu eius, & acceſſit Eſther, & tetigit ſummitatem virgæ.* |
| Dixitque ad eam rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. | 3 | 3 | *Dixitq; ei rex: Quid tibi eſt Eſther regina? & quæ eſt petitio tua? vſque ad dimidium regni, dabitur tibi.* |
| At illa reſpondit: Si regi placet obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui. | 4 | 4 | *Dixitque Eſther: Si regi placeat ingrediatur rex, & Haman hodie ad conuiuium, quod feci ei.* |
| Statimque rex, vocate, inquit, cito Aman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium, quod eis regina parauerat. | 5 | 5 | *Dixitque rex: Feſtinate ipſum Haman, vt faciat verbum Eſther. Et venit rex, & Haman ad conuiuium, quod fecerat Eſther.* |
| Dixitque ei rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis, vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris impetrabis. | 6 | 6 | *Dixitq; rex ad Eſther in conuiuio vini: Quæ eſt petitio tua, & dabitur tibi? & quæ inquiſitio tua? vſque ad dimidium regni pete, & fiet.* |
| Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces ſunt iſtæ. | 7 | 7 | *Et reſpondit Eſther, & dixit: Petitio mea, & inquiſitio mea eſt.* |
| Si | | | *Si* |

TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

CAP. V.

Hæc huc reſpondēt loco & his q̃ habētur cap. 15. in vulgata.

ET factum eſt in die tertia, vt ceſſauit orans, exuit veſtimenta ſeruitutis, & circundata eſt gloria ſua: & facta
ſplendens, inuocans omnium inſpectorem Deum, & ſaluatorem, aſſumpſit duas famulas, & vni quidem in-
nitebatur, tanquam delicijs diffluens, altera autem ſubſequebatur alleuans veſtem eius. Et ipſa rubens vigore
pulchritudinis ſuæ: & facies eius hilaris, tanquam iucunda: cor autem eius arctatum præ timore. Et ingreſſa om-
nes ianuas ſtetit in conſpectu regis. Et ipſe ſedebat ſuper thronum regni ſui & omnem ſtolam ſplendoris ſui in-
duerat, totus in auro, & lapidibus precioſis, & erat terribilis valde. Et eleuans faciem ſuam inflammatam gloria, in
vigore furoris aſpexit. Et cecidit regina, & mutauit colorem ſuum in diſſolutione, & procubuit ſuper caput ancil-
læ præeuntis. 2 Et immutauit Deus ſpiritum regis ad manſuetudinem: & factus in agonia proſilijt e throno
ſuo, & aſſumpſit eam ſuper vlnas ſuas, donec reſtituta eſt. Et conſolabatur eam verbis pacificis, & dixit ei: Quid eſt
Eſther? Ego frater tuus: Confide, non morieris: quoniam commune præceptum noſtrum eſt: accede. Et eleuans
auream virgam impoſuit ſuper ceruicem eius, & amplexatus eſt eam: & dixit, loquere mihi. Et dixit ad eum: Vidi
te Domine tanquam Angelum Dei, & turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ: quoniam mirabilis es Do-
mine, & facies tua gratiarum plena. Dum autem ipſa loqueretur, cecidit præ diſſolutione. Et rex turbatus eſt: &
omne famulitium eius conſolabatur eam. * 3 Et dixit rex: Quid vis Eſther? Et quod tuum eſt poſtulatum? Vſ-
que ad dimidium regni mei, & erit tibi. 4 Dixit autem Eſther: Dies mea inſignis hodie eſt. Si igitur videtur
regi; veniat & ipſe & Aman ad conuiuium, quod faciam hodie. 5 Et dixit rex: Vocate cito Aman, vt faciamus
verbum Eſther. Et adueniunt vtrique ad conuiuium, quod dixit Eſther. 6 In potatione autem dixit rex Eſther:
Quid eſt regina Eſther? & erunt, quæcumque poſtulaueris. 7 Et dixit: Petitio mea, & poſtulatum:

## Vulgat. Editio.

8 Si inueni in conſpectu regis gratiam, & ſi regi placet, vt det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.
9 Egreſſus eſt itaque illo die Aman lætus, & alacer. Cumque vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolum non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valde:
10 Et diſſimulata ira reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam:
11 Et expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes principes, & ſeruos ſuos rex eleuaſſet.
12 Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum aliũ vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum.
13 Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quam diu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.
14 Reſponderuntque ei Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane regi, vt appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei conſilium, & iuſſit excelſam parari crucem.

### CAP. VI.

1 NOctem illam duxit rex inſomnem, iuſſitque ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum. Quæ cum illo præſente legerentur,
2 Ventum eſt ad illum locum vbi ſcriptum erat quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathan, & Thares eunuchorum, regem Aſſuerum iugulare cupientium.
3 Quod cum audiſſet rex, ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius, ac miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.
4 Statimque rex: Quis eſt, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt ſuggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.
5 Reſponderunt pueri: Aman ſtat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Si inueni gratiam in oculis regis, & ſi regi placeat, vt det petitionem meam, & faciat poſtulationem meam: veniat rex, & Haman ad conuiuium, quod faciam eis, & cras faciam iuxta verbum regis.*
9 *Et egreſſus eſt Haman die ipſa lætus, & iucundus corde. Et cum vidiſſet Haman ipſum Mordechai ad portam regis, & non ſurrexiſſet, nec ſe mouiſſet ab eo, repletus eſt Haman contra Mordechai ira:*
10 *Et continuit ſe Haman, & venit ad domum ſuam, & miſit, & venire fecit amicos ſuos, & Zeres vxorem ſuam:*
11 *Et narrauit eis Haman gloriam diuitiarum ſuarum, & multitudinem filiorum ſuorum, & omnia quibus magnificauerat eum rex, & quòd eleuaſſet eum ſuper principes, & ſeruos regis.*
12 *Dixitque Haman: Inſuper non fecit venire Eſther regina cum rege ad conuiuium, quod fecit, niſi me: & etiam cras vocatus ſum ab ea cum rege.*
13 *Et totum hoc non eſt vtile mihi, toto tempore quo video Mordechai Iehudæum ſedentem in porta regis.*
14 *Dixitque ei Zeres vxor eius, & omnes amici eius: Aptent lignum altum quinquaginta cubitorum, & mane dic regi, vt ſuſpendant Mordechai ſuper illud, & ingredere cum rege ad conuiuium lætus. Et placuit res in oculis Haman, & aptari iuſſit lignum.*

### CAP. VI.

1 *IN nocte illa fugerat ſomnus regem, & dixit vt afferrent librum monumentorum verborum dierũ, & fuerunt lecta coram rege.*
2 *Et inuenta eſt ſcriptum, quòd indicaſſet Mordechai de Bigthana, & Teres duobus eunuchis regis ex cuſtodibus liminis, qui quæſierunt mittere manum in regem Achaſuerος.*
3 *Dixitque rex: Quid factum eſt honoris, & magnificentiæ ipſi Mordechai propter hoc? Et dixerunt pueri regis miniſtri eius: Non eſt factum cum eo quicquam.*
4 *Dixitque rex: Quis eſt in atrio? Haman autem venerat in atrium domus regis exterius, vt diceret regi, quòd ſuſpenderet Mordechai ſuper lignum, quod parari fecerat ei.*
5 *Dixeruntque pueri regis ad eum: Ecce Haman ſtat in atrio Et dixit rex: Ingrediatur.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 ſi inueni gratiam in conſpectu regis, veniat rex, & Aman adhuc cras ad conuiuium, quod faciam eis, & cras faciam ea. 9 Et exijt Aman à rege alacer lętus. In videndo autem Aman Mardochæum Iudæum in aula, indignatus eſt valde. 10 Et ingreſſus in propria, vocauit amicos, & Zoſaram vxorem ſuam, 11 & demonſtrauit eis diuitias ſuas, & gloriam, quam rex ei circumpoſuerat, & quomodo fecerat eum tenere primum locum, & præeſſe regno. 12 Et dixit Aman: Non vocauit regina cum rege quemquam ad conuiuium, niſi me: etiam in craſtinam vocatus ſum. 13 Et hæc mihi non placent, quamdiu videro Mardochæum Iudæum in aula. 14 Et dixit ad eum Zoſara vxor eius, & amici: Cædatur tibi lignum cubitorum quinquaginta, mane autem dic regi, & ſuſpendatur Mardochęus ſuper lignum. Tu autem intra ad conuiuium cum rege, & lętare. Et placuit verbum ipſi Aman, & paratum fuit lignum.

### CAP. VI.

DOminus autem amouit ſomnum à rege nocte illa: & dixit miniſtro ſuo afferre litteras memoriales dierum ad legendum ei. 2 Inuenit autem litteras ſcriptas de Mardochęo, quomodo annunciauerat regi de duobus eunuchis regis, dum illi cuſtodias agerent, & quęrerent inferre manum Artaxerſi. 3 Dixit autem rex: Quam gloriam, vel gratiam fecimus Mardochęo? Et dixerunt miniſtri regis: Non feciſti ei quicquam. 4 Dum autem percunctaretur rex de beneuolentia Mardochęi ecce Aman in aula. Dixit autem rex: Quis in aula? Aman autem intrauerat ad dicendum regi, vt ſuſpenderet Mardochęum in ligno, quod parauerat. 5 Et dixerunt miniſtri regis: Ecce Aman ſtat in aula Et dixit rex: Vocate eum.

Dixit

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Cumque eſſet ingreſſus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare deſiderat? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans, quod nullum alium rex, niſi ſe, vellet honorare,

7 Reſpondit: Homo, quem rex honorare cupit,

8 Debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum,

9 Et primus de regijs principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

10 Dixitque ei rex: Feſtina, & ſumpta ſtola, & equo, fac, vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

11 Tulit itaque Aman ſtolam, & equum, indutumque Mardochæum in platea ciuitatis, & impoſitū equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus eſt, quemcumque rex voluerit honorare.

12 Reuerſuſque eſt Mardochæus ad ianuam palatij: & Aman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens, & operto capite:

13 Narrauitque Zareſ vxori ſuæ, & amicis omnia, quæ eueniſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio, & vxor eius: Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.

14 Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & cito eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.

### CAP. VII.

1 INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina.

2 Dixitque ei rex etiam ſecunda die, poſtquam vino incaluerat: Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

3 Ad quem illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro.

4 Traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in ſeruos, & famulas venderemur: eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in regem.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et ingreſſus eſt Haman, & dixit ei rex: Quid faciendum eſt viro cuius rex vult honorem? Dixitque Haman in corde ſuo, cui volet rex facere honorem magis quam mihi.*

7 *Et dixit Haman ad regē: Vir cuius vult rex honorē.*

8 *Adducant veſtem regiam, qua induit ſe rex, & equū ſuper quo equitat rex, & detur diadema regium in capite eius.*

9 *Et detur veſtimentum, & equus per manum viri de principibus regis maioribus principibus, & induat virum cuius rex vult honorem, & equitare faciat eum per plateam ciuitatis, & clament ante eum: Sic fiet viro cuius rex vult honorem.*

10 *Dixitque rex ad Haman: Feſtina, tolle veſtimentū, & equum, quemadmodum locutus es, & fac ita Mordechai Iehudæo, qui ſedet in porta regis. Ne cadere facias quicquam ex omnibus quæ locutus es.*

11 *Tulitque Haman veſtimentum, & equum, & induit Mordechai, & equitare fecit eum per plateam ciuitatis, & clamabant ante eum: Sic fiet viro cuius rex vult honorem.*

12 *Et reuerſus eſt Mordechai ad ianuam regis: Haman vero compulſus eſt ad domum ſuam lugens, & operto capite:*

13 *Et narrauit Haman Zeres vxori ſuæ, & omnibus amicis ſuis quicquid acciderat ſibi. Dixeruntq; ei ſapientes eius, & Zeres vxor eius: Si de ſemine Iehudæorū eſt Mordechai ante cuius cœpiſti cadere conſpectū, non præualebis ei, ſed cadendo cades ante eū.*

14 *Adhuc illis loquentibus cum eo, eunuchi regis peruenerunt, & feſtinauerunt, vt adducerent Haman ad conuiuium, quem fecerat Eſter.*

### CAP. VII.

1 *VEnit autem rex & Haman ad bibendum cum Eſter regina.*

2 *Dixitque rex ad Eſter etiam die ſecunda in conuiuio vini: Quæ eſt petitio tua Eſter regina, & dabitur tibi? & quæ inquiſitio tua? vſque ad dimidium regni, pete & fiet.*

3 *Et reſpondit Eſter regina, & dixit: Si inueni gratiam in oculis tuis rex, & ſi regi placet, detur mihi anima mea pro petitione mea, & populus meus pro poſtulatione mea.*

4 *Quia venditi ſumus ego, & populus meus ad diſperdendum, & occidendum, & ad perdendum. Et ſi in ſeruos, & ancillas venderemur tacuiſſem, quanquam hoſtis non recompenſaret damnum regis.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Dixit autem rex ad Aman: Quid faciam homini, quem ego volo glorificare? Dixit autem in ſeipſo Aman:
Quem vult rex glorificare, niſi me? 7 Dixit autem ad regem: Hominem quem vult rex glorifi-
care, 8 afferant pueri regis ſtolam byſſinam, qua rex circundatur, & equum, ſuper quem rex inſce-
dit, 9 & det vni amicorum regis honoratorum, & induat ſtola hominem, quem rex diligit: & aſcende-
re faciat eum ſuper equum, & prædicet per platæam ciuitatis, dicens: Sic erit omni homini, quem rex glorificat.
10 Dixit autem rex ad Aman: Probe locutus es. Sic facito Mardochæo Iudęo ſeruienti in aula: & non decidat
à te verbum ex ijs, quę locutus es. 11 Sumpſit autem Aman ſtolam, & equum, & ſtola induit Mardo-
chęum, & impoſuit ſuper equum, & tranſiuit per platęam ciuitatis, & prędicabat dicens: Sic erit omni homini,
quem rex vult glorificare. 12 Redijt autem Mardochęus in aulam. Aman autem reuerſus eſt in pro-
pria triſtans demiſſo capite. 13 Et narrauit Aman, quę ſibi acciderant, Zoſarę vxori ſuę, & amicis. Et
dixerunt ad eum amici, & vxor: Si de genere Iudęorum Mardochęus, cœpiſti humiliari coram eo: cadens cades,
& non poteris eum vlciſci: quoniam Deus viuens cum eo. 14 Adhuc ipſis loquentibus, adueniunt
eunuchi vrgentes Aman ad conuiuium, quod parauerat Eſther.

### CAP. VII.

INtrauit autem rex, & Aman, vt biberent cum regina. 2 Dixit autem rex ad Eſther ſecunda die in pota-
tione: Quid eſt Eſther regina? & quę petitio tua, & quod poſtulatum tuum? Et eſto tibi vſque ad dimidium
regni mei. 3 Et reſpondens dixit: Si inueni gratiam in conſpectu regis; detur anima petitioni meę, & po-
pulus meus poſtulationi meæ. 4 Venditi enim ſumus, & ego, & populus meus in perditionem, & direptio-
nem, & ſeruitutem nos, & filij noſtri in pueros, & ancillas: & non audiui non enim dignus criminator aula regis

## Tranſl. ex Septuag.

54 Et ſacrificauit ſacrificium in monte, & vocauit fratres ſuos, & comederunt, & biberunt, & dormierunt in monte.

55 Surgens autem Laban mane deoſculatus eſt filios, & filias ſuas, & benedixit eos: & reuerſus Laban abijt in locum ſuum.

### C A P. XXXII.

1 ET Iacob abijt in viam ſuã; & reſpiciens vidit caſtra Dei applicãtia, & occurrẽrũt ei Angeli Dei.

2 Dixit autem Iacob, quando vidit eos: Caſtra Dei hæc. Et vocauit nomen loci illius, Caſtra.

3 Miſit autem Iacob, nuncios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Seir in regionem Edom:

4 Et mandauit eis dicens: Sic dicetis domino meo Eſau: Sic dicit puer tuus Iacob: Cum Laban incolui & demoratus ſum vſque modo:

5 Et facti ſunt mihi boues & aſini, & oues, & pueri, & puellæ, & miſi annunciare domino meo Eſau, vt inueniat puer tuus gratiam coram te.

6 Et reuerterunt nuncij ad Iacob dicentes: Venimus ad fratrem tuum Eſau: & ecce ipſe venit in occurſum tuum, & quadringenti viri cum eo.

7 Timuit autem Iacob valde, & hæſitabat: & diuiſit, populum, qui ſecum erat, & boues, & camelos & oues in duo caſtra.

8 Et dixit: Si venerit Eſau ad caſtra vna, & exciderit ea, erunt caſtra ſecunda in ſalutem.

9 Dixit autem Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine tu qui dixiſti mihi: Recurre in terram generationis tuæ, & benefaciam tibi:

10 Sufficiat mihi ab omni iuſtitia, & ab omni veritate, quam feciſti puero tuo. In virga enim mea hac tranſiui Iordanem hunc: nunc autem factus ſum in duo caſtra.

11 Erue me de manu fratris mei, de manu Eſau, quia ego timeo illum, ne, cum venerit feriat me, & matrem ſuper filios.

12 Tu autem dixiſti benefaciam tibi, & ponam ſemen tuum, tanquam arenam maris, quæ non dinumerabitur præ multitudine.

13 Et dormiuit ibi nocte illa, & ſumpſit, de quibus ferebat, dona: & miſit ad Eſau fratrem ſuum

14 Capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, arietes viginti,

15 Camelos lactantes & paruulos earum triginta, boues quadraginta, tauros decem, aſinos viginti, & pullos decem:

16 Et dedit ea pueris ſuis, vnicuique ſeorſum gregem, dixitque autem pueris ſuis: Præite ante me, & interuallum facite inter gregem & gregem.

17 Et mandauit primo, dicens: Si tibi occurrerit Eſau frater meus, & interrogauerit te dicens, cuius es? & quo vadis? cuius hæc, quæ antecedunt te?

18 Dices: Pueri tui Iacob, munera miſit domino meo Eſau, & ecce ipſe poſt nos.

19 Et mandauit primo & ſecundo & tertio, & omnibus qui præibant poſt greges hos, dicens: Iuxta verbum hoc loquimini ad Eſau, cum vos inueneritis eum.

20 Et dicetis: Ecce puer tuus Iacob accedit poſt nos: dixit enim: Placabo vultum eius in muneribus præcedentibus eum, & poſt hoc videbo faciem eius, forſitan enim ſuſcipiet faciem meam.

## Chal. Paraph. Tranſl.

54 *Et immolauit Iacob victimam in monte, & vocauit fratres ſuos, vt comederent panem: & comederunt panem, & dormierunt in monte.*

55 *Et ſurrexit Laban manè, & oſculatus eſt filios ſuos & filias ſuas, & benedixit eis, & abijt: & reuerſus eſt Laban in locum ſuum.*

### C A P. XXXII.

1 *IAcob autem abijt per viam ſuã: & obuiauerunt ei Angeli Dei.*

2 *Et ait Iacob quando vidit eos: Caſtra à facie Dei ſunt hæc. Et vocauit nomen loci illius, Manaim.*

3 *Et miſit Iacob nuncios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum, ad terram Seir regionis Idumeæ:*

4 *Et præcepit eis, dicens: Sic dicetis domino meo Eſau: hæc dicit ſeruus tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & moratus ſum vſque nunc.*

5 *Habeoq́; boues & aſinos, & ſeruos & ancillas & mitto vt indicem domino meo, vt inueniam gratiam in oculis tuis.*

6 *Et reuerſi ſunt nuncij ad Iacob, dicentes: Venimus ad fratrem tuum Eſau: & ipſe quoque venit in occurſum tuum, & quadringenti viri cum eo.*

7 *Et timuit Iacob valdè, & anguſtiatus eſt: & diuiſit populum qui erat cum eo, & oues, & boues, & camelos in duas turmas.*

8 *Et ait: Si venerit Eſau ad vnam turmam, & percuſſerit eam, turma quæ reliqua eſt, & ſaluabitur.*

9 *Et dixit Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Dominus qui dixit mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi.*

10 *Minora ſunt merita mea omnibus miſericordijs & beneficijs quæ feciſti cum ſeruo tuo: Quoniam ſolus trãſiui Iordanem iſtum, & nunc factus ſum in duas turmas.*

11 *Libera me, obſecro, de manu fratris mei, de manu Eſau: quoniam ego timeo eum, ne fortè veniat, & interficiat matrem cum filijs.*

12 *Tu autem dixiſti: Benefaciens benefaciam tibi, & ponam filios tuos multos, quaſi arenam maris, qui non numerabuntur præ multitudine.*

13 *Et dormiuit ibi in nocte illa: & tulit de his quæ habebat in manu ſua munus Eſau fratri ſuo:*

14 *Capras ducentas, & hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti:*

15 *Camelos lactantes, & filios earum triginta, vaccas quadraginta, & tauros decem, aſinas viginti & pullos decem.*

16 *Et tradidit in manum ſeruorũ ſuorũ ſingulos greges ſeorſum, & ait ſeruis ſuis: Tranſite ante me, & ponetis ſpacium inter gregem & gregem.*

17 *Et præcepit primo, dicens: Si obuiauerit tibi Eſau frater meus, & interrogauerit te, dicens, Cuius es tu? & quò vadis? & cui ſunt iſta, quæ ducis ante te?*

18 *Dices: Serui tui Iacob, munus eſt miſſum domino meo Eſau: & ecce ipſe quoque venit poſt nos.*

19 *Et præcepit etiam ſecundo & tertio, omnibus quoque qui ſequebantur greges, dicens: Secundum verbum hoc loquimini cum Eſau, quando inueneritis eum:*

20 *Dicetisq́; Ecce quoque ſeruus tuus Iacob venit poſt nos: quia dixit: Quieſcere faciam iram eius munere quod præcedit ante me, & poſteà videbo faciem eius: forſitan ſuſcipiet faciem meam.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Reſpondenſque rex Aſſuerus ait: Quis eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?

6 Dixitque Eſther: Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman. Quod ille audiens, illico obſtupuit, vultum regis, ac reginæ ferre non ſuſtinens.

7 Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum. Aman quoque ſurrexit, vt rogaret Eſther reginam pro anima ſua, intellexit enim à rege ſibi paratum malum.

8 Qui cum reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet conuiuij locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.

9 Dixitque Harbona, vnus de eunuchis, qui ſtabant in miniſterio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10 Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

### CAP. VIII.

1 Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman aduerſarij Iudæorum, & Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem regis. Confeſſa eſt enim ei Eſther, quòd eſſet patruus ſuus.

2 Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo. Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.

3 Nec his contenta, procidit ad pedes regis, fleuitque & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius peſſimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri.

4 At ille ex more ſceptrum aureum protendit manu, quo ſignum clementię monſtrabatur: illaque conſurgens ſtetit ante eum,

5 Et ait: Si placet regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur eſſe cõtraria, obſecro, vt nouis epiſtolis, veteres Aman litterę inſidiatoris, & hoſtis Iudęorum, quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigantur.

6 Quomodo enim potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Dixitque rex Achaſueros, & dixit ad Eſter reginam: Quis eſt hic, & qualis eſt hic qui repleuit cor ſuum, vt faceret ſic?*

6 *Et dixit Eſter: Vir hoſtis, & inimicus eſt Haman malus hic. Et Haman territus eſt à facie regis, & reginæ.*

7 *Rex autem ſurrexit in furore ſuo, de conuiuio vini ad hortum palatij. Haman autem ſtetit, vt poſtularet pro anima ſua ab Eſter regina, vidit enim quòd completum eſſet ſibi malum à rege.*

8 *Rex autem reuerſus eſt ab horto palatij ad domum conuiuij vini, Haman autem ceciderat ſuper lectum ſuper quo erat Eſter, dixitque rex: Num etiam vt ſubagitet reginam me exiſtente in domo. Verbum egreſſum eſt ex ore regis, & faciem Haman operuerunt.*

9 *Dixitque Charbona vnus de eunuchis ante regem: En lignum, quod fecerat Haman pro Mordochai, qui locutus eſt bonum ſuper regem, ſtat in domo Hamã, altitudinis quinquaginta cubitorum. Dixitque rex: Suſpendite eum in illo.*

10 *Et ſuſpenderunt Haman in ligno, quod parari fecerat pro Mordochai, & ira regis quieuit.*

### CAP. VIII.

1 *Die illa dedit rex Achaſueros Eſter reginæ domũ Haman hoſtis Iehudæorum, Mordochai autem ingreſſus eſt ante regem. Indicauit enim Eſter quid ipſe ſibi eſſet.*

2 *Et remouere fecit rex annulum ſuum quem tolli fecerat ab Haman, & dedit illum Mordochai. Et poſuit Eſter Mordochai in domo Haman.*

3 *Addiditque Eſter, & locuta eſt ante regem, & cecidit ante pedes eius, & fleuit, & rogauit eũ, vt tranſire faceret malitiam Haman Agagitæ, & cogitationem eius quam cogitauit contra Iehudæos.*

4 *Et extendit rex ad Eſter virgam auream, & ſurrexit Eſter, ſtetitque ante regem.*

5 *Et dixit: Si regi placet, & ſi inueni gratiam ante eũ, & conueniens eſt res ante regem, & placeo in oculis eius, ſcribatur, vt retractent literas cogitationis Hamã filij Hamedatha Agagitæ, quas ſcripſit ad perdẽdum Iehudæos, qui erant in oĩbus prouincijs regis.*

6 *Quomodo enim potero videre malum, quod inueniet populum meum? Et quomodo potero videre perditionem progeniei meæ?*

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Dixit autem rex: Quis iſte, qui auſus eſt facere rem hanc.

6 Dixit autem Eſther: Homo inimicus Aman malignus iſte. Aman autem turbatus eſt ex rege, & regina.

7 Rex autem ſurrexit à ſympoſio in hortum. Aman autem deprecabatur reginam. Viderat enim ſe in malis eſſe.

8 Reuertit autem rex de horto. Aman autem procubuerat ſuper lectum orans reginam. Dixit autem rex: Vt etiam vxori vim afferat in domo mea? Aman autem audiens confuſus eſt facie.

9 Dixit autem Bugathan vnus eunuchorum ad regem: Ecce & lignum parauit Aman Mardochęo, qui locutus eſt pro rege: & erectum eſt in proprijs Aman lignum cubitorũ quinquaginta. Dixit autẽ rex: Crucifigatur in eo.

10 Et ſuſpenſus eſt Aman ſuper lignum, quod paratum fuerat Mardochęo. Et tunc rex ceſſauit à furore.

### CAP. VIII.

ET in eadem die rex Artaxerſes largitus eſt Eſther, quæcumque fuerãt Aman calumniatori. Et Mardochęus accerſitus eſt à rege. Indicauit enim Eſther, quia ſibi propinquus erat.

2 Sumpſit autem rex annulum, quem abſtulerat ab Aman, & dedit eum Mardochęo. Et Eſther conſtituit Mardochęum ſuper omnia, quę fuerant Aman:

3 & adijciens locuta eſt ad regem, & procidit ad pedes eius, & poſtulauit auferre malum ipſius Aman, & quæcumque fecerat Iudęis.

4 Extendit autem rex ad Eſther virgam auream, Surrexit autem Eſther ad adſtandum regi.

5 Et dixit Eſther. Si videtur tibi, & inueni gratiam; mittatur, vt reuertantur litterę miſſę ab Aman, ſcriptę vt perderentur Iudęi, qui ſunt in regno tuo.

6 Quomodo enim potero videre afflictionem populi mei, & quomodo potero ſaluari in perditione patrię meę?

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Reſponditque rex Aſſuerus Eſther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman conceſſi Eſther, & ipſum iuſſi affigi cruci, quia auſus eſt manum mittere in Iudæos.

8 Scribite ergo Iudæis,ſicut vobis placet, regis nomine,ſignantes litteras annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis, quæ ex regis nomine mittebantur,& illius annulo ſignatæ erant,nemo auderet contradicere.

9 Accitiſque ſcribis,& librarijs regis(erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban) vigeſima & tertia die illius ſcriptæ ſunt epiſtolæ, vt Mardochæus voluerat,ad Iudæos, & ad principes, procuratoreſque & iudices, qui centum vigintiſeptem prouincijs ab India vſque ad Æthiopiam præſidebant: prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo iuxta linguas,& litteras ſuas, & Iudæis, prout legere poterant,& audire.

10 Ipſæque epiſtolę, quę regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatę ſunt,& miſſę per veredarios: qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres litteras nouis nuncijs præuenirent.

11 Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudęos per ſingulas ciuitates, & in vnum pręciperent congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus,ac liberis, & vniuerſis domibus,interficerent,atque delerent, & ſpolia eorum diriperent.

12 Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt tertiadecima menſis duodecimi Adar.

13 Summaque epiſtolę hęc fuit, vt in omnibus terris, ac populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, notum fieret,paratos eſſe Iudęos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis.

14 Egreſſique ſunt veredarij celeres nuncia perferentes,& edictum regis pependit in Suſan.

15 Mardochęus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regijs, hyacinthinis videlicet & aerijs, coronam auream portans in capite,& amictus ſerico pallio, atque purpureo. Omniſque ciuitas exultauit,atque lętata eſt.

16 Iudęis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor,& tripudium.

Apud

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

7 *Dixitque rex Achaſueros ad Eſter reginam, & Mordechai Iehudæum: Ecce domum Haman dedi Eſter, & ipſum appenderunt in ligno eo quòd miſit manum ſuam in Iehudæos.*

8 *Vos autem ſcribite Iehudæis ſicut bonum eſt in oculis veſtris nomine regis, & ſignate annulo regis. Scriptura enim quæ ſcribuntur nomine regis, & ſignantur annulo regis non retractabantur.*

9 *Et vocati ſunt ſcribæ regis tempore illo menſe tertio (ipſe eſt Siuan) tertia,& vigeſima eiuſdem,& ſcriptum eſt iuxta omnia quæ præcepit Mordechai ad Iehudæos,& ad principes,& duces, & principes prouinciarum, qui erant ab India vſque ad Æthiopiam, ſeptem & viginti, & centum prouinciarum, ſingulis prouincijs iuxta ſcripturam earum, & ſingulis populis iuxta linguam eorum, & ad Iudæos ſecundum ſcripturam eorum, & iuxta linguam eorum.*

10 *Scripſitque nomine regis Achaſueros, & ſignauit annulo regis, & miſit litteras per manum curſorum in equis equitantes velociſſima animalia, mulos filios equarum.*

11 *Quas dedit Iehudæis, qui erant in ſingulis ciuitatibus,vt congregarent ſe, & ſtarent pro anima ſua, vt diſperderent, & occiderent, & perderent omnem exercitum populi,& prouinciæ, qui opprimerent eos, paruulos,& mulieres,& ſpolia eorum raperent.*

12 *In die vna in omnibus prouincijs regis Achaſueros, tertiadecima menſis duodecimi, ipſe eſt menſis Adar.*

13 *Exemplar ſcripturæ erat dari legem in qualibet prouincia manifeſtã omnibus populis,vt eſſent Iehudæi parati ad diem illum ad vindicandum ſe de inimicis ſuis.*

14 *Curſores equitantes equos, velociſſimos mulos egreſſi ſunt accelerantes,& feſtinantes ad verbum regis, & lex data eſt in Suſan palatio.*

15 *Et Mordechai egreſſus eſt à facie regis in veſte regali hyacinthina,& candida,& corona aurea magna, & amictu byſſi, & purpura. Et ciuitas Suſan exultauit,& lætata eſt.*

16 *Iudæis fuit lux,& lætitia,& gaudium,& honor.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et dixit rex ad Eſther: Si omnem ſubſtantiam Aman dedi,& gratificatus ſum tibi, & ipſum ſuſpendi ſuper lignum quoniam manus intulerat Iudęis; quid adhuc quęris?

8 Scribite etiam vos ex nomine meo,ſicut videtur vobis,& obſignate annulo meo. Quęcumque enim ſcribuntur rege pręcipiente,& obſignata fuerint annulo meo; non eſt eis contradicere.

9 Vocati autem ſunt Scribę in primo menſe, qui eſt Niſan, tertia & vigeſima eiuſdem anni. & ſcriptum eſt Iudęis,quęcumque mandauit Oeconomis,& principibus Satraparum ab India vſque ad Æthiopiam centum viginti ſeptem Satrapis per prouinciam,& prouinciam,ſecundum eorum linguam.

10 Scriptum eſt autem per regem,& obſignatum annulo eius. Et miſerunt litteras per tabellarios,

11 quomodo pręcepit eis vti legibus ſuis in omni ciuitate,& auxiliari illis,& vti inimicis ipſorum, & aduerſarijs ipſorum,ſicut volunt,in die vna in omni regno Artaxerſis tertia decima die duodecimi menſis,qui eſt Adar.

12 Quarum eſt exemplar epiſtolę,quę ſubſcripta ſunt.

13 Exemplaria autem proponantur viſibiliter in omni regno,paratique ſint omnes Iudęi in hanc diem, debellare ſuos aduerſarios.

* Hic incipit cap. 9. in transl. ex Hebr. Rom.

* 14 Igitur ipſi quidem equites exiuerunt feſtinantes ea,quę à rege dicta erant,perficere. Propoſitum eſt autem edictum etiam in Suſis.

15 Mardochęus autem proceſſit ornatus regali ſtola, & coronam habens auream,& diadema byſſinum purpureum. Videntes autem,qui in Suſis,gauiſi ſunt.

16 Iudęis autem facta eſt lux,& lętitia per ciuitatem,& prouinciam,



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque regis iuſſa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque conuiuia, & feſtus dies: in tantum, vt plures alterius gentis, & ſectæ eorum religioni, & ceremonijs iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.

### CAP. IX.

1 Igitur duodecimi menſis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quãdo cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabãt ſanguini, verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſarijs vindicare.

2 Congregatique ſunt per ſingulas ciuitates, oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos, & perſecutores ſuos. Nulluſque auſus eſt reſiſtere, eo quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.

3 Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omniſque dignitas, quæ ſingulis locis, ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi:

4 Quem principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant: fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.

5 Itaque percuſſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis, quod ſibi parauerant facere:

6 In tantum vt etiam in Suſan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hoſtis Iudæorum: quorum iſta ſunt nomina:

7 Pharſandatha, & Delphon, & Eſphatha,

8 Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha,

9 Et Phermeſta, & Ariſai, & Aridai, & Iezatha.

10 Quos cum occidiſſent, prædas de ſubſtantijs eorum tangere noluerunt.

11 Statimque numerus eorum, qui occiſi erant in Suſan, ad regem relatus eſt.

12 Qui dixit reginæ: In vrbe Suſan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in vniuerſis prouincijs? Quid vltra poſtulas, & quid vis, vt fieri iubeam?

13 Cui illa reſpondit: Si regi placet, detur poteſtas Iudæis, vt ſicut fecerunt hodie in Suſan, ſic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis ſuſpẽdantur.

Præ-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et in qualibet prouincia, & in qualibet ciuitate, & loco quo verbum regis attigit lætitia, & gaudium, Iehudæis autem conuiuium, & dies iucundus, & multi è populis terræ Iudæi ſe faciebant, quia cecidit pauor Iehudæorum ſuper eos.*

### CAP. IX.

1 *Duodecimo menſe (ipſe eſt menſis Adar) tertiadecima die eiuſdem qua peruenit verbũ regis, & decretum eius, vt fieret in die qua ſperabant inimici Iehudæorum dominari eis, oppoſitum fuit, quia dominati ſunt Iehudæi odio habentibus illos.*

2 *Congregauerunt ſe Iehudæi in ciuitatibus ſuis in omnibus prouincijs regis Achaſueros, vt mitterent manum in inquirentes malum ſuum. Et vir non ſtetit ante eos, quia cecidit pauor eorum ſuper omnes populos.*

3 *Et omnes principes prouinciarum, & principes magni, & duces, & facientes opus quod erat regis extollebant Iehudæos, quia cecidit pauor Mordechai ſuper eos:*

4 *Magnus enim erat Mordechai in domo regis: & fama eius ibat per omnes prouincias, quia vir Mordechai proficiebat, & creſcebat.*

5 *Et percuſſerunt Iehudæi omnes inimicos ſuos plaga gladij, & occiſionis, & perditionis, & fecerunt cõtra odio habentes illos ſecundum voluntatem ſuam.*

6 *Et in Suſan regia occiderunt Iehudæi, & perdiderunt quingentos viros:*

7 *Et Parſandatha, & Dalphon, & Aſphatha.*

8 *Et Porata, & Adalia, & Aridatha.*

9 *Et Parmaſtha, & Ariſai, & Aridai, & Vaizatha.*

10 *Decem filios Haman filij Hamedatha hoſtis Iehudæorum occiderunt, ſed in prædam non miſerunt manum ſuam.*

11 *Die ipſa venit numerus occiſorum in Suſan regia coram rege.*

12 *Dixitque rex ad Eſter reginam: In Suſan regia occiderunt Iehudæi, & perdiderunt quingentos viros, & decem filios Haman: in reliquis prouincijs regis quid fecerunt, & quæ petitio tua, & dabitur tibi? Et quæ requiſitio tua vltra, & fiet?*

13 *Et dixit Eſter: Si regi placet, detur etiam cras Iehudæis in Suſan, vt faciant ſecundum legem hodiernã, & decem filios Haman ſuſpendat in ligno.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 vbicumque propoſitum fuerat edictum, gaudium, & lætitia Iudęis, epulatio, & lętitia. Et multi ex gentibus circumcidebantur, & iudaizabant propter timorem Iudęorum.

### CAP. IX.

IN duodecimo enim menſe, tertiadecima menſis, qui eſt Adar, aderant litteræ ſcriptæ à rege. In eadem die perierunt, qui aduerſabantur Iudęis. Nullus enim contra ſtetit, timens eos.

3 Principes enim ſatraparum, & tyranni, & regij Scribę honorabant Iudęos. Timor enim Mardochęi incubuerat eis.

4 Aduenerat enim edictum regis, vt nominatus eſſet in omni regno.

6 Et in Suſis ciuitate interfecerunt Iudęi viros quingentos,

7 & Pharſannes, & Delphon, & Phaſga,

8 & Pharadatha, & Barea, & Sarbara,

9 & Marmaſima, & Ruphęum, & Arſęum, & Zabuthęum,

10 decem filios Aman Amadathi Bugæi inimici Iudęorum, & diripuerunt in eadem die.

11 Et datus eſt numerus regi eorum, qui perierant in Suſis.

12 Dixit autem rex ad Eſther: Peremerunt Iudæi in Suſis ciuitate viros quingentos: in adiacente autem quomodo, putas, vſi ſunt? Quid igitur poſtulas amplius, & erit tibi?

13 Et dixit Eſther regi. Detur Iudęis, vt vtantur ſimiliter cras, vt decem filios Aman ſuſpendant.

Et per-

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Præcepitque rex vt ita fieret. Statimque in Suſan pependit edictum, & decem filij Aman ſuſpenſi ſunt. | 14 | 14 | *Et dixit rex, vt fieret ſic. Et data eſt lex in Suſan, & decem filios Haman ſuſpenderunt.* |
| Congregatis Iudæis quartadecima die mẽſis Adar, interfecti ſunt in Suſan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta ſubſtantia eſt. | 15 | 15 | *Et congregati ſunt Iehudæi qui erant in Suſan etiã die quarta decima menſis Adar, & interfecerunt in Suſan trecentos viros, ſed in prædam non miſerunt manum ſuam.* |
| Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni regis ſubiacebant, pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi, interfectis hoſtibus ac perſecutoribus ſuis: in tantum vt ſeptuaginta quinque millia occiſorum implerentur, & nullus de ſubſtantijs eorum quidquam contingeret. | 16 | 16 | *Reliqui autem Iehudæi qui erant in prouincijs regis congregati ſunt, & ſteterunt pro animabus ſuis, & quieuerunt ab inimicis ſuis, & occiderunt de hoſtibus ſuis quinque, & ſeptuaginta millia, ſed in prædam non miſerunt manum ſuam.* |
| Dies autem tertiuſdecimus menſis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere deſierunt. Quem conſtituerunt eſſe ſolemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis gaudio atque conuiuijs. | 17 | 17 | *In die tertia decima menſis Adar, & quieuerunt in quarta decima eiuſdem, & fecerunt eum diem conuiuij, & lætitiæ.* |
| At hi, qui in vrbe Suſan cædem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die eiuſdem menſis in cæde verſati ſunt: quintodecimo autem die percutere deſierunt. Et idcirco eundem diem conſtituerunt ſolemnem epularum atque lætitiæ. | 18 | 18 | *Iehudæi vero qui erant in Suſan congregati ſunt tertiadecima die eiuſdem, & quartadecima die eiuſdem, & quieuerunt quintadecima eiuſdem, & fecerunt eum die conuiuij, & lætitiæ.* |
| Hi vero Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem menſis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant ſibi mutuo partes epularum & ciborum. | 19 | 19 | *Idcirco Iehudæi villici, qui habitant in vrbibus non muratis, faciunt diẽ quartamdecimã menſis Adar lætitiæ, & conuiuij, & diem bonum, & miſſionis partium vnuſquiſque proximo ſuo.* |
| Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouincijs morabantur, tam in vicino poſitis, quàm procul, | 20 | 20 | *Et ſcripſit Mordechai verba hæc, miſitque litteras ad omnes Iehudæos qui erant in omnibus prouincijs regis Achaſueros propinquis, & remotis.* |
| Vt quartamdecimã & quintamdecimã diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore: | 21 | 21 | *Statuendo eis, vt facerent diem quartam decimam menſis Adar, & quintamdecimam eiuſdem per ſingulos annos.* |
| Quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque conuerſa ſunt, eſſentque dies iſti epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur. | 22 | 22 | *Secundum dies in quibus quieuerunt Iehudæi ab inimicis ſuis, & menſem qui conuerſus fuerat eis à dolore in lætitiam, & à luctu in diem iucundum, vt facerent eos dies conuiuij, & lætitiæ, & miſſionis partium vnuſquiſque proximo ſuo, & donorum pauperibus.* |
| Suſceperuntque Iudæi in ſolemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandauerat. | 23 | 23 | *Suſceperunt Iehudæi quæ cœperunt facere, & quod ſcripſit Mordechai ad eos.* |
| Aman enim, filius Amadathi ſtirpis Agag, hoſtis & aduerſarius Iudæorum cogitauit contra eos malū, vt occideret illos atque deleret: & miſit phur, quod noſtra lingua vertitur in ſortem. | 24 | 24 | *Quoniam Haman filius Hamdatha Agagites hoſtis omnium Iehudæorum cogitauit contra Iehudæos vt perderet eos & proiecit pur. (Ipſa eſt Ghoral) vt deleret eos, & perderet eos.* |
| Et | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et permiſit rex ſic fieri, & permiſit Iudæis ciuitatis, corpora filiorum Aman ſuſpendere.
15 Et congregati ſunt Iudæi in Suſis quartadecima Adar, & occiderunt viros trecentos, & nihil diripuerunt.
16 Cæteri autem ex Iudæis, qui in regno, congregati ſunt, & ſeipſos adiuuabant, & requieuerunt ab hoſtibus.
17 Peremerunt enim ex eis quindecim millia die tertiadecima Adar, & nihil diripuerunt. Et requieuerunt quartadecima eiuſdem menſis, & egerunt diem illum requietis cum gaudio, & lætitia:
18 Iudæi autem, qui in Suſis ciuitate, congregati ſunt etiam quartadecima; & requieuerunt. Egerunt autem & quintamdecimam cum gaudio & lætitia:
19 Propter hoc igitur Iudæi, qui diſſeminati ſunt in omni regione, quæ extra muros, agunt quartamdecimam Adar diem bonam cum lætitia, mittentes partes vnuſquiſque proximo.
10 Scripſit autem Mardochæus verba hæc in libro, & miſit Iudæis, quicumque erant in regno Artaxerſis, ijs qui prope, & ijs qui longe,
21 vt ſtatuerent dies hos bonos, & celebrarent quartamdecimam, & quintamdecimam Adar
22 (In his enim diebus requieuerunt Iudæi ab inimicis ſuis) & menſem in quo facta eſt eis conuerſio, qui erat Adar, ex luctu in gaudium, & ex dolore in bonam diem, celebrarent totum, bonos dies nuptiarum, & lætitiæ, mittentes partes amicis, & mendicis.
23 Et ſuſceperunt Iudæi, ſicut ſcripſit eis Mardochæus,
24 quomodo Aman Amadathi Macedo impugnabat eos, ſicut poſuerat decretum ſortem delendi eos,

& vt

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad regem, obſecrans vt conatus eius, litteris regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipſum & filios eius affixerunt cruci,
26 Atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt phurim, id eſt ſortium: eo quod phur, id eſt ſors, in vrnam miſſa fuerit. Et cuncta, quæ geſta ſunt, epiſtolæ, id eſt libri huius volumine continentur:
27 Quæque ſuſtinuerunt, & quæ deinceps immutata ſunt, ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum, & ſuper cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere: quos ſcriptura teſtatur, & certa expetunt tempora, annis ſibi iugiter ſuccedentibus.
28 Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per ſingulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas, in qua dies phurim, id eſt ſortium, non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremonijs obligata eſt.
29 Scripſeruntque Eſther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam ſecundam epiſtolam vt omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum.
30 Et miſerunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti ſeptem prouincijs regis Aſſueri verſabantur, vt haberent pacem, & ſuſciperent veritatem,
31 Obſeruantes Dies ſortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent: ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther, & illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo ieiunia, & clamores, & Sortium dies,
32 Et omnia, quæ libri huius, qui vocatur Eſther, hiſtoria continentur.

### CAP. X.

1 Rex vero Aſſuerus omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias:
2 Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque ſublimitas, qua exaltauit Mardochæum, ſcripta ſunt in libris Medorum, atque Perſarum:
3 Et quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea, quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.

Quæ

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et cum veniſſet ipſa ante regem, dixit rex cum epiſtola altera: conuertatur cogitatio eius mala quam cogitauit contra Iehudæos ſuper caput eius, & ſuſpendant eum, & filios eius in ligno.*
26 *Idcirco vocauerunt dies iſtos purim propter ſortem: ideo in omnibus verbis epiſtolæ huius, & quid viderunt ſuper hoc, & quid contigit eis.*
27 *Statuerunt, & receperunt Iehudæi ſuper ſe & ſuper ſemen ſuum, & ſuper omnes copulatos ſibi vt non tranſgrediatur, vt facerent duos dies hos, iuxta ſcripturam eorum, & iuxta tempus eorum ſingulis annis.*
28 *Et dies iſti erunt memorati & ſient in omni generatione, familia, & familia, prouincia, & prouincia, & ciuitate, & ciuitate: & dies purim illi non tranſibunt è medio Iehudæorum, & memoria eorum non deſinet à ſemine eorum.*
29 *Et ſcripſit Eſter regina filia Abichail, & Mordechai Iehudæus omni fortitudine, vt firmaret epiſtolam purim hanc ſecundo.*
30 *Et miſit litteras ad omnes Iehudæos ad ſeptem, & viginti, & centum prouincias regni Achaſueros verbis pacis, & veritatis.*
31 *Ad confirmandum dies Purim iſtos iuxta tempora eorum ſecundum quod ſtatuit eis Mordechai Iehudæus, & Eſter regina, & ſecundum, quod firmauerunt ſuper animam ſuam, & ſuper ſemen ſuum verba ieiuniorum, & clamorem ſuum.*
32 *Et ſermo Eſter firmauit verba Purim iſtorum, & ſcriptum eſt in libro.*

### CAP. X.

1 *Et poſuit rex Achaſueros tributum ſuper terram, & inſulas maris.*
2 *Et omne opus fortitudinis eius, & potentia eius, & expoſitionem magnitudinis Mordechai, qua magnificauit eum rex, nonne ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Madai, & Paras.*
3 *Quomodo Mordechai Iehudæus ſecundus regi Achaſueros, & magnus Iehudæis, & acceptus multitudini fratrum ſuorum quærens bonum populo ſuo, & loquens pacem omni ſemini ſuo.*

*Finis Libri Eſther ſecundum Hebræos.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 & vt intrauit ad regem dicens ſuſpendere Mardochæum: quæcumque vero aggreſſus eſt inducere ſuper Iudæos mala, ſuper ipſum euenerunt, & ſuſpenſus eſt ipſe, & filij eius.
26 Propter hoc vocati ſunt dies illi Phruræ propter ſortes: quoniam lingua eorum vocantur Phruræ. Per verba epiſtolæ huius
27 quæcumque paſſi ſunt propter hæc; & quæcumque euenerunt ipſis. Et ſtatuit, & ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe, & ſuper ſemen ſuum, & ſuper appoſitos ad ipſos: nec ſane aliter vtentur.
28 Dies autem hi memoriale perfectum per progeniem, & progeniem, & ciuitatem, & patriam, & regionem. Dies autem hi ipſorum Phruræ celebrabuntur in omne tempus: & memoria eorum non deficiet à generationibus.
29 Et ſcripſit Eſther regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus, quæcumque fecerunt, & firmamentum epiſtolæ ipſorum Phruræ.
31 Et Mardochæus, & Eſther regina ſtatuerunt ſibi per ſe: & tunc ſtatuentes per ſanitatem ſuam ipſorum, & conſilium ipſorum.

### CAP. X.

Scripſit autem rex ad regnum terræ, & maris.
2 Et fortitudinem eius, & magnificentiam eius, & diuitias, & gloriam regni eius, ecce ſcripta ſunt in libro regum Perſarum, & Medorum in memoriam.
3 Mardochæus autem ſecundus erat à rege Artaxerſe, & magnus erat in regno, & glorificatus à Iudæis, & amatus narrabat educationem omni genti ſuæ.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

*Quæ habentur in Hebræo, plena fide expreſſi. Hæc autem, quæ ſequuntur, ſcripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt, veru prænotauimus.*

4 Dixitque Mardochæus: A Deo facta ſunt iſta.
5 Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec eorum quidquam irritum fuit
6 Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit: Eſther eſt, quam rex accepit vxorem, & voluit eſſe reginam.
7 Duo autem dracones: ego ſum, & Aman.
8 Gentes, quæ conuenerant: hi ſunt, qui conati ſunt delere nomen Iudæorum.
9 Gens autem mea: Iſrael eſt, quæ clamauit ad Dominum, & ſaluum fecit Dominus populum ſuum: liberauitque nos ab omnibus malis, & fecit ſigna magna atque portenta inter Gentes.
10 Et duas ſortes eſſe præcepit, vnam Populi Dei, & alteram cunctarum Gentium.
11 Venitque vtraque ſors in ſtatutum ex illo iam tempore diem coram Deo vniuerſis gentibus.
12 Et recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ.
13 Et obſeruabuntur dies iſti in menſe Adar quartadecima, & quintadecima die eiuſdem menſis, cum omni ſtudio, & gaudio in vnum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Iſrael.

### CAP. XI.

1 ANno quarto regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, attulerunt Doſithæus, qui ſe Sacerdotem, & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epiſtolam phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Ieruſalem.

*Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.*

2 Anno ſecundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Beniamin.
3 Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Suſis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.
4 * Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalem cum Iechonia rege Iuda.

* 4. Reg. 24. 15. Supra 2. 6.

5 Et hoc eius ſomnium fuit: Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio ſuper terram.
6 Et ecce duo dracones magni, paratiq. contra ſe in prælium.
7 Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum.
8 Fuitque dies illa tenebrarum & diſcriminis, tribulationis & anguſtiæ, & ingens formido ſuper terram.
9 Conturbataque eſt gens iuſtorum timentium mala ſua, & præparata ad mortem.
10 Clamaueruntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.
11 Lux & ſol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos.

## Transl. ex Septuag.

∴ ∴

4 *Et dixit Mardochæus: A Deo facta ſunt iſta.*
5 *Recordatus enim ſum ſomnij, quod videram de verbis his. Neque enim præteriit de eis verbum.*
6 *Paruus fons, qui factus eſt flumen, & erat lux & Sol & aqua multa. Eſther eſt flumen, quam matrimonio iunxit rex, & fecit reginam.*
7 *Duo vero dracones ego ſum, & Aman.*
8 *Gentes autem, quæ conuenerant ad perdendum nomen Iudæorum.*
9 *Gens autem mea, hic eſt Iſrael, qui clamantes ad Deum, & ſaluati. Et ſaluauit Dominus populum ſuum: & eruit Dominus nos ex omnibus malis his. Et fecit Deus ſigna & prodigia magna, quæ non ſunt facta in gentibus.*
10 *Propter hoc fecit ſortes duas, vnam populo Dei, & vnam omnibus gentibus.*
11 *Et venerunt duæ ſortes hæ ad horam, & tempus, & ad diem iudicij coram Deo, & omnibus gentibus.*
12 *Et recordatus eſt Deus populi ſui, & iuſtificauit hæreditatem ſuam.*
13 *Et erunt eis dies hi, in menſe Adar die quartadecima & quintadecima menſis, cum ſynagoga, & gaudio, & lætitia coram Deo per progeniem in ſæculum in populo eius Iſrael.*

### CAP. XI.

1 *ANno quarto regnante Ptolemæo, & Cleopatra, attulit Doſitheus (qui dicebat ſe eſſe ſacerdotem, & Leuitam) & Ptolemæus filius eius propoſitam epiſtolam ipſorum Phruræ: quam dixerunt eſſe, & interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi, qui in Hieruſalem.*

2 *Anno ſecundo regnante Artaxerſe magno, prima die menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Iairi filij Semeia filij Ciſæi de tribu Beniamin*
3 *Homo Iudæus qui habitabat in vrbe Suſis, homo magnus, miniſtrans in aula regis.*

In tranſl. hac Rom. hæc ſunt in principio libri.

4 *Erat autem ex captiuitate, quam captiuam duxerat Nabuchodonoſor rex Babylonis è Hieruſalem cum Iechonia rege Iudæa.*
5 *Et hoc eius ſomnium. Et ecce voces, & tumultus, tonitrua, & terræmotus, conturbatio ſuper terram.*
6 *Et ecce duo dracones magni parati proceſſerunt vterque ad colluctandum.*
7 *Et facta eſt eorum vox magna: & voce eorum parata eſt omnis gens ad bellum, vt impugnarent iuſtorum gentem.*
8 *Et ecce dies tenebrarum, & caliginis, tribulatio, & anguſtia, afflictio, & turbatio magna ſuper terram.*
9 *Et turbata eſt vniuerſa gens iuſta timentes ſua mala: & parati erant perire.*
10 *Et clamauerunt ad Deum. A clamore autem eorum factum eſt tanquam à paruo fonte flumen magnum, aqua multa.*
11 *Et lumen, & Sol exortus eſt: & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos.*



UVA.BSCH

**Vulgata Editio.**

Quod cum vidiſſet Mardochęus, & ſurrexiſſet de 12
ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum
habebat in animo ſcire cupiens quid ſignificaret
ſomnium.

## CAP. XII.

Supr. 2. d. 21. & 6. a. 1. MOrabatur autem eo tempore in aula regis cũ 1
Bagatha & Thara eunuchis regis, qui ianito-
res erant palatij.
Cumque intellexiſſet cogitationes eorum, & curas 2
diligentius peruidiſſet, didicit quod conarentur in
regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit ſu-
per eo regi.
Qui de vtroque, habita quęſtione, confeſſos iuſſit 3
duci ad mortem.
Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commen- 4
tarijs: ſed & Mardochęus rei memoriam litteris
tradidit.
Pręcepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, da- 5
tis ei pro delatione muneribus.
Aman vero filius Amadathi Bugęus erat glorioſiſ- 6
ſimus coram rege, & voluit nocere Mardochęo, &
populo eius pro duobus eunuchis regis, qui fuerant
interfecti.

*Huc uſque proœmium.*

*Quæ ſequuntur, in eo loco poſita erant, vbi ſcrip-
tum eſt in volumine,*
Et diripuerunt bona, vel ſubſtantias eorum.
*Quæ in ſola vulgata editione reperimus.*
Epiſtolę autem hoc exemplar fuit.

## CAP. XIII.

REx maximus Artaxerxes ab India vſq. Æthio- 1
piam centum viginti ſeptem prouinciarũ prin-
cipibus, & ducibus, qui eius imperio ſubiecti ſunt,
ſalutem.
Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuerſum 2
orbem meę ditioni ſubiugaſſem, volui nequaquam
abuti potentię magnitudine, ſed clementia & leni-
tate gubernare ſubiectos, vt abſque vllo terrore vi-
tam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus
pace fruerentur.
Quęrente autem me a conſiliariis meis quomodo 3
poſſet hoc impleri, vnus qui ſapientia & fide cęteros
pręcellebat, & erat poſt regem ſecundus, Aman no-
mine,
Indicauit mihi in toto orbe terrarum populum eſſe 4
diſperſum, qui nouis vteretur legibus, & contra om-
nium Gentium conſuetudinem faciens, Regum iuſ-
ſa contemneret, & vniuerſarum concordiam natio-
num ſua diſſenſione violaret.
Quod cum didiciſſemus, videntes vnam gentem re- 5
bellem aduerſus omne hominum genus peruerſis
vti legibus, noſtriſque iuſſionibus contraire, & tur-
bare ſubiectarum nobis prouinciarum pacem atque
concordiam,
Iuſſimus vt quoſcunque Aman, qui omnibus prouin 6
ciis prępoſitus eſt, & ſecundus a rege, & quem patris
loco colimus, monſtrauerit, cum coniugibus ac li-
beris deleantur ab inimicis ſuis, nulliuſque eo-
rum miſereatur quartadecima die duodecimi men-
ſis Adar anni pręſentis:
Vt nefarij homines vno die ad inferos deſcendentes, 7
reddant imperio noſtro pacem, quam turbauerant.

*Huc uſque exemplar epiſtolæ.*

**Tranſl. ex Septuag.**

12 *Et excitatus Mardochæus, qui viderat ſomnium hoc,
& quid Deus deliberauerat facere, habuit illud in
corde; & in omni verbo volebat cognoſcere illud vſ-
que ad noctem.*

## CAP. XII.

1 *ET quieuit Mardochæus in aula cum Gabatha,
& Tharra duobus eunuchis regis, qui cuſtodie-
bant aulam,*
2 *Et audiuit eorum ſermocinationes, & curas eorum
perſcrutatus eſt. Et didicit, quia parant manus in-
ferre Artaxerſi regi. Et indicauit regi de his.*
3 *Et examinauit rex vtroſque eunuchos, & confeſſi
ſtrangulati ſunt.*
4 *Et ſcripſit rex verba hæc in commentario. Et Mar-
dochæus ſcripſit de verbis his.*
5 *Et præcepit rex Mardochæo miniſtrare in aula, &
dedit ei munera pro his.*
6 *Et erat Aman Amadathi Bugæus inclytus coram re-
ge: & quæſiuit nocere Mardochæo, & populo eius pro-
pter duos eunuchos regis.*

## CAP. XIII.

1 *REx magnus Artaxerxes his, qui ab India vſque
ad Æthiopicam centum viginti ſeptem prouin-
ciarum principibus, & locorum perfectis ſubiectis hæc
ſcribit.* Hæc omnia hic capit. in vulgat. hac ex Septua. Rom.
2 *Multis cum imperarem gentibus, & vniuerſum obti-
nuiſſem orbem; volui confidentia poteſtatis non ela-
tus, ſed mitius, & cum manſuetudine ſemper guber-
nans, ſubiectorum trãquillas perpetuo reddere vitas,
& regnum placidum, & peruium vſque ad fines præ-
bens, renouare etiam optatam omnibus hominibus
pacem.*
3 *Percunctante autem me conſiliarios, quomodo perdu-
catur hoc ad finem, is, qui moderatione apud nos præ-
cellit, & in beneuolentia immutabilis, & ſtabili fide
probatus, & ſecundũ à rege honorem adeptus Aman*
4 *Indicauit nobis in omnibus, quæ per orbem, tribubus
admiſtum eſſe aduerſum populum quendam, legibus
oppoſitum aduerſus omnes gentes, & regum præter-
mittentes aſſidue conſtitutiones, vt non componatur
is, qui à nobis dirigitur, ſine vitio cõcors principatus.*
5 *Cum igitur acceperimus hanc ipſam gentem ſolam
ex aduerſo omni ſemper homini poſitam, commutan-
tem inſtitutionem legum peregrinam, & diſſentien-
tem noſtris rebus peſſima conſummare mala, & ad
id, vt regnum bonum ſtatum non conſequatur,*
6 *Præcipimus igitur his, qui ſignificantur vobis in ſcri-
ptis ab Aman præpoſito ſuper negotia, & ſecundo pa-
tre noſtro, omnes cum vxoribus, & filijs perdere radi-
citus ipſis inimicorum gladijs, ſine vlla miſericordia,
& clementia, die quartadecima duodecimi menſis
Adar præſentis anni:*
7 *vt qui olim, & nunc inimici; in die vna violenter ad
infernum deſcendentes, in poſterum tempus bene con-
ſtitutas, & tranquillas præbeant nobis perfecte res.*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

*Quæ ſequuntur, poſt eum locum ſcripta reperi, vbi legitur,*
Pergenſque Mardochæus, fecit omnia, quæ ei mandauerat Eſther.
*Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.*
8 Mardochæus autem deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum eius,
9 Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & nõ eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.
10 Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.
11 Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.
12 Cuncta noſti, & ſcis quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum,
13 (Libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem,)
14 Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.
15 Et nunc Domine rex Deus Abraham miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere.
16 Ne deſpicias partem tuam, quam redemiſti tibi de Ægypto.
17 Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.
18 Omnis quoque Iſrael pari mente & obſecratione clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

### CAP. XIIII.

1 ESther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat.
2 Cumque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs: omniaque loca, in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.
3 Et deprecabatur Dominum Deum Iſrael, dicens: Domine mi, qui rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius.
4 Periculum meum in manibus meis eſt.
5 * Audiui à patre meo quod tu Domine tuliſſes Iſrael de cunctis Gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro maioribus ſuis, vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtique eis ſicut locutus es.
6 Peccauimus in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum:
7 Coluimus enim deos eorum. Iuſtus es Domine:
8 Et nunc non eis ſufficit, quod duriſſima nos opprimunt ſeruitute, ſed robur manuum ſuarum, idolorum potentiæ deputantes,
9 Volunt tua mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,



## Transl. ex Septuagin.

8 *Et deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum Domini,*
9 *Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, quia in poteſtate tua ſunt omnia, & non eſt, qui diſſentiat à te, cum tu volueris ſaluare Iſrael:*
10 *Quoniam tu feciſti cœlum, & terram, & omne, quod ſuſpicitur in ſubcœleſti:*
11 *Et Dominus es omnium, & non eſt, qui reſiſtat tibi Domino.*
12 *Tu omnia cognoſcis: tu noſti Domine, quia non in contumelia, neque in ſuperbia, neque in cupiditate gloriæ feci hoc, vt non adorarem ſuperbum Aman:*
13 *Quoniam bene affectus eram oſculari veſtigia pedum eius ad ſalutem Iſrael:*
14 *Sed feci hoc, vt non ponerem gloriam hominis ſuper gloriam Dei: & non adorabo quemquam præter te Dominum meum, & non faciam hæc in ſuperbia.*
15 *Et nũc Domine Deus rex, Deus Abraham parce populo tuo: quoniam intuentur nos ad perditionem, & concupierunt perdere eam, quæ à principio, hæreditatem tuam.*
16 *Ne deſpicias partem tuam, quam tibi redemiſti è terra Ægypti.*
17 *Exaudi deprecationem meam, & propitiare ſorti tuæ, & verte luctum noſtrum in delectationem: vt viuentes hymnis celebremus nomen tuum Domine: & ne deleas os laudantium te Domine.*
18 *Et omnis Iſrael vociferatus eſt ex fortitudine ſua: quoniam mors ſua in oculis ipſorum.*

### CAP. XIIII.

1 *ET Eſther regina confugit ad Dominum in agone mortis comprehenſa:*
2 *Et auferens veſtimenta gloriæ ſuæ, induit veſtimenta anguſtiæ, & luctus: & pro ſuperbis ſuauitatibus, cinere, & fimo impleuit caput ſuum: & corpus ſuum humiliauit valde: & omnem locum ornatus exultationis ſuæ repleuit laceratis capillis ſuis:*
3 *Et deprecata eſt Dominum Deum Iſrael, & dixit: Domine mi rex noſter tu es ſolus: adiuua me ſolam, & non habentem adiutorem, niſi te:*
4 *Quoniam periculum meum in manu mea.*
5 *Ego audiebam à natiuitate mea in tribu patria mea, quia tu Domine aſſumpſiſti Iſrael ex omnibus maioribus eorum in hæreditatem æternam, & feciſti eis, quæcumque locutus es.*
6 *Et nunc peccauimus coram te: & tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum,*
7 *Et quod glorificauimus Deos eorum. Iuſtus es Domine.*
8 *Et nunc non ſatis habuerunt in amaritudine ſeruitutis noſtræ: ſed poſuerunt manus ſuas ſuper manus idolorum ſuorum*
9 *Ad tollendam determinationem oris tui, & delendam hæreditatem tuam, & obturandum os laudantium te, & extinguendam gloriam domus tuæ, & altaris tui,*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum for-
titudinem, & prædicent carnalem regem in ſempi-
ternum.
11 Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non
ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram: ſed conuerte
conſilium eorum ſuper eos, & eum, qui in nos cœpit
ſæuire, diſperde.
12 Memento Domine, & oſtende te nobis in tempore
tribulationis noſtræ, & da mihi fiduciam Domine
rex deorum, & vniuerſæ poteſtatis:
13 Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in con-
ſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis
noſtri, vt & ipſe pereat, & cæteri, qui ei conſen-
tiunt.
14 Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nullum
aliud auxilium habentem, niſi te, Domine, qui ha-
bes omnium ſcientiam.
15 Et noſti quia oderim gloriam iniquorum, & dete-
ſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ.
16 Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum
ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum
in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi
pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilen-
tij mei,
17 Et quod non comederim in menſa Aman, nec mihi
placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum
libaminum:
18 Et numquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc
tranſlata ſum vſque in præſentem diem, niſi in te
Domine Deus Abraham.
19 Deus fortis ſuper omnes, exaudi vocem eorum, qui
nullam aliam ſpem habent, & libera nos de manu
iniquorum, & erue me à timore meo.

CAP.

## Transl. ex Septuag.

10 *Et aperiendum os gentium ad virtutes vanorum,
& admirationi habendum regem carneum in ſæcu-
lum.*
11 *Ne tradas Domine ſceptrum tuum ijs, qui non ſunt:
& non irrideant in ruina noſtra: ſed verte conſi-
lium eorum ſuper eos: & in eum, qui cœpit ſuper
nos, exempla ſtatue.*
12 *Memento Domine, oſtende te in tempore tribulatio-
nis noſtra, & da mihi fiduciam rex Deorum, & om-
ni principatui imperans.*
13 *Da ſermonem bene compoſitum in os meum coram
leone, & transfer cor illius in odium impugnantis
nos, in conſummationem eius, & conſentientium
ei.*
14 *Nos autem libera in manu tua, & adiuua me ſo-
lam, & non habentem, niſi te Domine. Omnium
ſcientiam habes,*
15 *Et noſti, quia odi gloriam iniquorum, & abominor
cubile incircumciſorum, & omnis alieni*
16 *Tu noſti neceſſitatem meam; quia abominor ſignum
ſuperbiæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus
oſtentationis meæ: abominor illud, ſicut pannum
menſtruatum: & non porto illud in diebus ſilentij
mei.*
17 *Et non comedit ſerua tua menſam Aman: & non
glorificaui conuiuium regis, neque bibi vinum liba-
minum:*
18 *Et non eſt lætata ſerua tua à die tranſlationis meæ
vſque nunc, niſi in te Domine Deus Abraam:*
19 *Deus fortis ſuper omnes, exaudi vocem deſperato-
rum, & erue nos de manu malignantium, & libera
me à timore meo.*

*CAP.*

## Vulgata Editio.

### CAP. XV.

*Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.*

ET mandauit ei (haud dubium quin eſſet Mar- 1
dochæus) vt ingrederetur ad regem & rogaret
pro populo ſuo & pro patria ſua. * Memorare, in- 2
quit, dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita ſis
in manu mea, quia Aman ſecundus à rege locutus
eſt contra nos in mortem: * & tu inuoca Domi- 3
num, & loquere regi pro nobis, & libera nos de
morte.

*Necnon & iſta quæ ſubdita ſunt.*

* Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui 4
& circumdata eſt gloria ſua. * Cumque regio ful- 5
geret habitu, & inuocaſſet omnium rectorem & ſal-
uatorem Deum, aſſumpſit duas famulas, * & ſuper 6
vnam quidem innitebatur, quaſi præ delicijs & ni-
mia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens:
* altera autem famularum ſequebatur dominam, 7
defluentia in humum indumenta ſuſtentans. * Ip- 8
ſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac
nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio
timore contractum. * Ingreſſa igitur cuncta per 9
ordinem oſtia, ſtetit contra regem, vbi ille reſidebat
ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auro-
que fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis
aſpectu. * Cumque eleuaſſet faciem, & ardenti- 10
bus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina cor-
ruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper an-
11 cillulam reclinauit caput. * Conuertitque Deus
ſpiritum regis in manſuetudinem, & feſtinus ac me-
tuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis,
12 donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: * Quid
habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere.
13 * Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus
14 hæc lex conſtituta eſt. * Accede igitur, & tange
15 ſceptrum. * Cumque illa reticeret, tulit auream
virgam, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt
eam, & ait: Cur mihi non loqueris? * Quæ reſpon-
16 dit: Vidi te domine quaſi Angelum Dei, & con-
turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ
17 tuæ. * Valde enim mirabilis es Domi-
ne, & facies tua plena eſt gratia-
18 rum. * Cumque loquere-
tur, rurſus corruit, &
pene examinata
19 eſt. * Rex
autem
tur-
babatur, & omnes mini-
ſtri eius conſo-
labantur
eam.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XVI.

*Exemplar epiſtolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis, ad totas regni ſui prouincias miſit: quod & ipſum in Hebraico volumine non habetur.*

Sup.11.1. 1 REx magnus Artaxerxes ab India vſque Æthiopiam centum vigintiſeptem prouinciarum ducibus ac principibus, qui noſtræ iuſſioni obediunt, ſalutem dicit.

2 Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam:

3 Et non ſolum ſubiectos regibus nituntur opprimere, ſed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos, qui dederunt, moliuntur inſidias.

4 Nec contenti ſunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis in ſe iura violare, ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam.

5 Et in tantum veſaniæ proruperunt, vt eos, qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubuertere,

6 Dum aures principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.

7 Quæ res & ex veteribus probatur hiſtorijs & ex his, quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam ſuggeſtionibus regum ſtudia deprauentur.

8 Vnde prouidendum eſt paci omnium prouinciarum.

9 Nec putare debetis ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam.

* Sup.3.1. 10 Et vt manifeſtius quod dicimus intelligatis, * Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienuſque à Perſarum ſanguine, & pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt:

11 Et tantam in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt regem ſecundus:

12 Qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt regno priuare nos niteretur & ſpiritu.

13 Nam Mardochæum, cuius fide & beneficijs viuimus, & conſortem regni noſtri Eſther cum omni gente ſua nouis quibuſdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem:

14 Hoc cogitans vt illis interfectis, inſidiaretur noſtræ ſolitudini, & regnum Perſarum transferret in Macedonas.

15 Nos autem à peſſimo mortalium Iudæos neci deſtinatos, in nulla penitus culpa reperimus, ſed e contrario iuſtis vtentes legibus,

16 Et filios altiſſimi & maximi, ſemperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus noſtris & nobis regnum eſt traditum, & vſque hodie cuſtoditur.

17 Vnde eas litteras, quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſciatis eſſe irritas.

18 Pro quo ſcelere ante portas huius vrbis, id eſt, Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, ſed Deo reddente ei quod meruit.

Hoc

## Transl. ex Septuagin.

### CAP. XVI.

1 *REx magnus Artaxerſes ab India vſque Æthiopiam centum viginti ſeptem prouincijs, regionum principibus, & ijs qui noſtra curant, valere.* Hæc Mo in manuſ. Rom. c.8. coniuncta his quæ ibidem 1 nobis notata ſunt num. 12.

2 *Multi plurima bene facientium bonitate frequentius honorati, maiora ſapuerunt.*

3 *Et non ſolum ſubiectos nobis quærunt malis afficere, & ſatietatem non valentes ferre, etiam in ſuos ipſorum benefactores aggrediuntur machinari:*

4 *Et gratitudinem non ſolum ex hominibus auferentes, ſed etiam inſolitorum bonorum pompis elati, illius omnia inſpicientis ſemper Dei inimicam malignis ſententiam exiſtimant ſe vitaturos.*

5 *Sæpe autem & multos eorum, qui in poteſtatibus ſunt conſtituti, qui perſuaſi ſunt ſuſcipere amicorum negotia blanditia participes ſanguinum innocentum eos reddens, circumdedit calamitatibus incurabilibus.*

6 *Fallaci malignitatis deceptione decipientibus imperantium ſimplicem probitatem.*

7 *Contemplari autem licet (non tam ex veteribus vt tradidimus hiſtorijs) exquirentes vos quæcumque ad pedes impie ſunt conſummata eorum, qui indigna dominatione premunt, peſtifera corruptela,*

8 *Et attendere ad ea, quæ poſt hæc; quomodo regnum tranquillum omnibus hominibus cum pace præbebimus*

9 *Vtentes mutationibus, & quæ ad conſpectum veniunt, dijudicantes ſemper cum æquiore occurſu.*

10 *Etenim Aman Amadathi Macedo re vera, alienus Perſarum ſanguine, & multum diſtans à noſtra benignitate, peregrinus à nobis ſuſceptus,*

11 *Conſequutus eſt, quam habemus erga omnem gentem, humanitatem, eo vſque, vt appellaretur noſter pater, & adoratus ab omnibus ſecundam regalis throni perſonam gereret.*

12 *Non ferens autem ſuperbiam ſtuduit principatu priuare nos, & ſpiritu,*

13 *Et noſtrum ſaluatorem, ac per omnia benefactorem Mardochæum, et inculpatam regni conſortem Eſther cum vniuerſa horum gente multiplicibus artificiorum deceptionibus petens ad perditionem.*

14 *Per hos enim modos putauit nullus nos deſolatos, Perſarum imperium ad Macedonas transferre.*

15 *Nos autem traditos à ter exitiali illo ad perditionem Iudæos inuenimus non eſſe maleficos, ſed iuſtiſſimis gubernari legibus,*

16 *Eſſe autem filios altiſſimi maximi viuentis Dei, qui direxit & nobis, & maioribus noſtris regnum in pulcherrima diſpoſitione.*

17 *Recte igitur facietis non vtentes miſſis ab Aman Amadathi litteris;*

18 *Eo quod ipſe, qui hæc molitus eſt, apud Suſarum portas crucifixus eſt cum tota familia, dignum ei, qui omnia tenet, Deo velociter reddente ei iudicium.*

Exem-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Præceſſerunt itaque munera ante eum, ipſe vero manſit nocte illa in caſtris.
22 Cumque mature ſurrexiſſet, tulit duas vxores ſuas, & totidem famulas cum vndecim filijs, & tranſiuit vadum Iaboc.
23 Traductiſque omnibus quæ ad ſe pertinebant.
24 Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.
25 Qui cum videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.
26 Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.
27 Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob.
28 At ille: Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis?
29 Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco,
30 Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.
31 Ortuſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel: ipſe vero claudicabat pede.
32 Quam ob cauſam non comedunt neruum filij Iſrael, quia emarcuit in femore Iacob, vſque in præſentem diem: eo quòd tetigerit neruum femoris eius, & obſtupuerit.

### CAP. XXXIII.

1 ELeuans autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros: diuiſitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum:
2 Et poſuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam vero, & filios eius in ſecundo loco: Rachel autem, & Ioſeph nouiſſimos.
3 Et ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius.
4 Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum: ſtringenſque collum eius, & oſculans fleuit.
5 Leuatiſq; oculis, vidit mulieres & paruulos earũ, & ait: Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Rñdit: Paruuli ſunt, quos donauit mihi Deus ſeruo tuo.
6 Et appropinquantes ancillæ & filij earum, incuruati ſunt.
7 Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cum ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel adorauerunt.
8 Dixitque Eſau: Quænam ſunt iſtæ turmæ quas obuiam habui? Reſpõdit: Vt inuenirem gratiam coram domino meo.
9 At ille ait: Habeo plurima, frater mi, ſint tua tibi.
10 Dixitque Iacob: Noli ita, obſecro: ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius,
11 Et ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente, ſuſcipiens.
12 Ait: Gradiamur ſimul, eroque ſocius itineris tui.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et tranſiuit munus ante eum: & ipſe pernoctauit nocte ipſa cum turma.*
22 *Et ſurrexit nocte ipſa, & accepit duas vxores ſuas, & duas ancillas ſuas, & vndecim liberos ſuos, & tranſiuit vadum Iabbeth.*
23 *Et accepit eos, & tranſire fecit eos torrentem, & tranſire fecit omnia, quæ erant ſibi.*
24 *Et remanſit Iahacob ſolum: & luctatus eſt vir cum eo donec aſcendit aurora.*
25 *Et vidit, quòd non præualeret ei, & tetigit neruum femoris eius, & mouit ſe neruus femoris Iahacob, luctante illo ſecum.*
26 *Et dixit: Dimitte me, quia aſcendit aurora. Et dixit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*
27 *Et dixit ad eum: Quod eſt nomen tuum? Et dixit: Iahacob.*
28 *Et dixit: Non Iahacob dicetur vltrà nomen tuum, ſed Iſrael: quia princepe fuiſti cum Deo, & cum hominibus præualebis.*
29 *Et interrogauit Iahacob, & dixit: Indica nunc nomen tuum. Et dixit: Vt quid interrogas de nomine meo? Et benedixit ei ibi.*
30 *Et vocauit Iahacob nomen loci Peniel: Quia vidi Deum facie ad faciem, & euaſit anima mea.*
31 *Et ortus eſt ei ſol, quando tranſiuit Penuel: & claudicabat ſuper femur ſuum.*
32 *Idcirco non comedunt filij Iſrael neruum contractionis, qui eſt in neruo femoris vſque ad diem hanc, quia tetigit neruum femoris Iahacob, neruum contractionis.*

### CAP. XXXIII.

1 *ET leuauit Iahacob oculos ſuos, & vidit, & ecce Heſau veniebat, & cum eo erant quadringenti viri: & diuiſit liberos cum Leah, & cum Rachel, & cum ambabus ancillis.*
2 *Et poſuit ancillas, & liberos earum prius, & Leah, & liberos eius poſteriores: & Rachel, & Ioſeph poſteriores.*
3 *Et ipſe tranſiuit ante eos, & incuruauit ſe ſuper terram ſeptem vicibus, donec appropinquaret ad fratrem ſuum.*
4 *Et cucurrit Heſau in occurſum eius, & complexus eſt eum: & collauit ſe ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, & fleuerunt.*
5 *Et leuauit oculos ſuos, & vidit vxores, & liberos, & dixit: Qui ſunt iſti? ſunt ne tui? Et dixit: Liberi ſunt, quos donauit Deus ſeruo tuo.*
6 *Et appropinquauerunt ancillæ ipſæ, & liberi earum, & incuruauerunt ſe.*
7 *Et appropinquauerunt, & Leah, & liberi eius, & incuruauerunt ſe: Et ſubinde appropinquauit Ioſeph, & Rachel, & incuruauerunt ſe.*
8 *Et dixit: Eſt ne tua omnis turma illa quam obuiam habui? Et dixit: Vt inuenirem gratiam in oculis domini mei.*
9 *Et dixit Heſau: Eſt mihi multũ frater mi, ſit tuum quod tuum eſt.*
10 *Et dixit Iahacob: Ne quæſo, ſi nunc inueni gratiam in oculis tuis, capias munus meum è manu mea: quia idcirco vidi faciem tuam, ac ſi viderem faciem Angeli: & complaceas mihi.*
11 *Cape quæſo benedictionem meam quæ allata eſt tibi: quia donauit mihi Deus, & quia ſunt mihi omnia. Et vim fecit ei, & accepit.*
12 *Et dixit: Proficiſcamur, & ambulemus, & ambulabo ante te.*





UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cun- 19
ctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus
ſuis.
Quibus debetis eſſe adminiculo, vt eos, qui ſe ad 20
necem eorum parauerant, poſſint interficere tertia-
decima die menſis duodecimi, qui vocatur Adar.
Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & lu- 21
ctus, eis vertit in gaudium.
Vnde & vos inter cęteros feſtos dies, hanc habetote 22
diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in po
ſterum cognoſcatur,
Omnes, qui fideliter Perſis obediunt, dignam pro fi- 23
de recipere mercedem: qui autem inſidiantur re-
gno eorum, perire pro ſcelere.
Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit 24
ſolemnitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pe-
reat, & ſic deleatur, vt non ſolum hominibus, ſed
etiam beſtijs inuia ſit in ſempiternum, pro exemplo
contemptus, & inobedientiæ.

## Transl. ex Septuag.

19 *Exemplar autem epiſtolæ huius edentes in omni loco
cum libertate permittatis Iudæos vti ſuis legiti-
mis.*
20 *Et adminiculo ſitis eis, vt illos, qui ſe in tempore tri-
bulationis inſurrexerant, vlciſcantur die tertiadeci-
ma duodecimi menſis Adar eadem die.*
21 *Hanc enim omnium dominator Deus pro perditione
electi generis fecit eis lætitiam.*
22 *Et vos igitur in inclytis veſtris feſtiuitatibus inſi-
gnem diem cum omni lætitia agite, vt & nunc, &
poſt hæc ſalus ſit nobis,*
23 *Et ijs, qui beneuoli ſunt Perſis, ijs autem, qui nobis
inſidiantur, memoriale perditionis.*
24 *Omnis autem ciuitas, vel prouincia omnino, quæ ſe-
cundum hæc non fecerit, haſta, & igni conſumetur
cum ira, non ſolum hominibus inuia, ſed etiam be-
ſtijs, & volatilibus in omne tempus odioſiſſima red-
detur.*

# FINIS LIBRI ESTHER.

UVA.BSCH

# FRAGMENTVM
## LIBRI EXODI
### Sumptum ex Tranſlatione Septuaginta Interpretum.

*In libro Exodi à capite 36. vſque ad 39. incluſiue, tanta eſt varietas huius tranſlationis ab editione vulgata, & contextu tranſlationis ex Hebræo non ſolum in numeris, & ordine, uerum etiã & in qualitate faciendorum operum ſpectantiũ ad conſtructionem Tabernaculi: ut non tantum in hac tranſlatione plurima eorum, quæ habentur, & numerantur, tam in uulgata editione, quam in tranſlatione ex Hebræo, & reliquis omnibus tranſlationibus deſiderentur; ſed multoties multa repetita appareant, & aliqua habeantur in hac tranſlatione, quæ deſunt à uulgata, & cæteris tranſlationibus; quam ob rem licet pro uiribus diſpoſitionem uulgatæ ſequutis curauerimus omnia ex hac tranſlatione petita ubi reſponderent uulgatæ apponere, & breuibus marginalis iſta adnotare; nihilominus, & ratione uarietatis maximæ, & anguſtia marginarum, id perficere non adeo quiuimus, quin aliquid ſupereſſet deſiderandum, ſaltem quoad ordinem, & diſpoſitionem huius tranſlationis: idcirco hæc capitula tibi monſtranda duximus in fine huius primi Tomi ad quem ſpectant, ut ipſemet ualeas conſpicere conſtructionem tabernaculi deſcriptam in codice Vaticano, qui Septuaginta duorum Interpretum nomine decoratur.*

## CAP. XXXVI.

ET fecit Beſeleel, & Eliab, & omnis ſapiens mente, cui data eſt ſapientia, & ſcientia in his ad ſciendum, ad faciendum omnia opera pertinentia ad ſancta, iuxta omnia, quæ præcepit Dominus. Et vocauit Moyſes Beſeleel, & Eliab, & omnes habentes ſapientiam, cui dedit Deus ſcientiam in corde, & omnes, qui ſponte vellent ire ad opera, vt conſummarent ea. Et acceperunt à Moyſe omnes demptiones, quas attulerunt filij Iſrael ad omnia opera ſancti, ad faciendum ea. Et ipſi recipiebant adhuc quæ offerebantur ab offerentibus mane. Et acceſſerunt omnes ſapientes, facientes opera ſancti, vnuſquiſque iuxta opus ſuũ, quod ipſi operabantur. Et dixit ad Moyſen, quia multum affert populus ſecundum opera, quæcumque præcepit Dominus facere. Et conſtituit Moyſes, & per præconem pronuntiauit in caſtris, dicens: Vir, & mulier non vltra operentur in primitias ſancti. Et prohibitus eſt populus vltra offerre: & opera erant eis ſufficientia ad fabricationem ad faciendum: & ſuperfuerunt. Et fecit omnis ſapiens in ijs, qui operabantur, ſtolas ſanctorum, quæ ſunt Aaron ſacerdoti; ſicut præcepit Dominus Moyſi. Et fecit ſuperhumerale ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta. Et ſectæ ſunt laminæ, auri capilli, vt contexerentur cum hyacintho, & purpura, & cum cocco neto, & byſſo torta: opus textile fecerunt illud: ſuperhumeralia continentia ex vtriſque partibus, opus textile adinuicem complicata ad ſeipſum. Ex eo fecerunt illud ſecundum ipſius facturam, ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto & byſſo torta; ſicut præcepit Dominus Moyſi. Et fecerunt vtroſque lapides ſmaragdi, conſtrictos, & concluſos auro. Sculptos, & excuſos excuſione ſigilli ex nominibus filiorum Iſrael. Et impoſuit eos ſuper humeros ſuperhumeralis, lapides memorialis filiorum Iſrael; ſicut præcepit Dominus Moyſi. Et fecerunt rationale, opus textile varietate, iuxta opus ſuperhumeralis, ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta. Quadrangulum duplex fecerunt rationale: ſpithami longitudo: & ſpithami latitudo duplex. Et contexta eſt in eo textura lapidaria quattuor ordinum: ordo lapidum, ſardius, & topazius, & ſmaragdus, ordo vnus: & ordo ſecundus, carbunculus, & ſaphirus, & iaſpis: & ordo tertius, ligurius, & Achates, & amethyſtus: & ordo quartus, chryſolithus, & beryllus, & onychinus, circundati auro, & colligati auro. Et lapides erant ex nominibus filiorum Iſrael duodecim, ex nominibus eorum exculpta in ſigillis, vnuſquiſque ex ſuo ipſius nomine in duodecim tribus. Et fecerunt ſuper rationale catenulas complicatas, opus complicationis ex auro puro. Et fecerũt duas aſpidiſcas aureas, & duos annulos aureos: & impoſuerunt duos annulos aureos ad vtraque principia rationalis: & impoſuerunt complicationes ex auro in annulos ſuper vtraſque partes rationalis, & in duas commiſſuras duas complicationes: & impoſuerunt in duas aſpidiſcas & impoſuerunt in duos humeros ſuperhumeralis ex aduerſo ſecundum faciem. Et fecerunt duos annulos aureos, & impoſuerunt ad duas alas ſuper ſummitatem rationalis, & ad ſummitatem dorſi ipſius ſuperhumeralis ab intus. Et fecerunt duos annulos aureos: & impoſuerunt ad vtroſque humeros ſuperhumeralis ab imo eius ſecundum faciem ad commiſſuram deſuper contexturæ ſuperhumeralis. Et conſtrinxit rationale ab annulis qui ſuper ipſum, ad annulos ſuperhumeralis continentes ex hyacintho complicatos ad contexturam ſuperhumeralis, vt non diſſluat rationale à ſuperhumerali: ſicut præcepit Dominus Moyſi. Et fecerunt ſubuculam ſub ſuperhumerali, opus textile totum hyacinthinum. Periſtomium autem ſubuculæ in medio pertextum complicatum, oram habens in circuitu, periſtomium indiſſolubile. Et fecerunt ſuper marginem ſubuculæ ab imo, quaſi florentis mali punici corymbos ex hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta. Et fecerunt tintinnabula aurea: & impoſuerunt tintinnabula ad marginem ſubuculę in circuitu inter mala punica; tintinnabulum aureum, & malum punicum ſuper marginem ſubuculæ in circuitu ad miniſtrandum; ſicut conſtituit Dominus Moyſi. Et fecerunt tunicas byſſinas, opus textile, Aaron, & filijs eius, & cydaras ex byſſo, & mittam ex byſſo, & fœminalia ex byſſo torta, & zonas eorum ex byſſo, & hyacintho & purpura, & cocco neto, opus variatoris; quemadmodum præcepit Dominus Moyſi. Et fecerunt laminam auream, ſeparationem ſanctitatis auri puri. Et ſcripſit ſuper eam litteras figuratas ſigillo, ſanctificationem Domino. Et impoſuerunt ſuper marginem hyacinthinum; vt ſupercaderet ſuper mitram deſuper; quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

## CAP. XXXVII.

ET fecerunt tabernaculo decem aulæa: octo & viginti cubitorum longitudo aulæi vnius; eadẽ erat omnibus: & quattuor cubitorum latitudo aulæi vnius. Et fecerunt velamen ex hyacintho,& purpura,& cocco neto & byſſo torta,& opus textile Cherubim. Et impoſuerunt illud ſuper quattuor columnas imputribiles inauratas in auro. Et capita earum aurea: & baſes earũ quattuor argenteæ. Et fecerunt velamen oſtij tabernaculi teſtimonij ex hyacintho,& purpura,& cocco neto,& byſſo torta,opus textile Cherubim. Et columnas eorum quinque; & circulos, & capita earum, & arcus earum inaurauerunt auro. Et baſes earum quinque æreæ. Et fecerunt atrium, qua ad Africum, tentoria atrij de byſſo torta centum per centum. Et columnæ eorum viginti,& baſes earum viginti. Et latus quod eſt ad Aquilonem,centum per centum. Et latus quod ad Auſtrum,centum per centum. Et columnæ eorum viginti,& baſes earum viginti. Et latus,quod eſt ad mare: aulæa quinquaginta cubitorum. Columnæ eorum decem,& baſes earum decem. Et latus quod eſt ad Orientem, quinquaginta cubitorum tentoria: Quindecim cubitorum,quod eſt à dorſo. Et columnæ eorum tres, & baſes earum tres. Et à dorſo ſecundo hinc & hinc ſecundum portam atrij,aulæa quindecim cubitorum. Columnæ eorum tres,& baſes earum tres. Omnia aulæa tabernaculi,ex byſſo torta. Et baſes columnarum eorum æreæ,& anſæ earum argenteæ: & capita earum inargentata argento,& columnæ inargentatæ argento, omnes columnæ atrij. Et velamen portæ atrij opus variatoris de hyacintho,& purpura,& cocco neto, & byſſo torta: viginti cubitorum longitudo, & altitudo,& latitudo quinque cubitorum, exæquatum tentorij atrij. Et columnæ eorum quattuor,& baſes earum quattuor æreæ, & anſæ earum argenteæ, & capita earũ inargentata argento. Et omnes pali atrij in circuitu ærei,& ipſi inargentati argento. Et hæc eſt conſtructio tabernaculi teſtimonij, ſicut præceptum fuerat Moyſi miniſterium eſſe Leuitarum per Ithamar filium Aaron ſacerdotis. Et Beſeleel filius Vrij de tribu Iuda fecit, ſicut præcepit Dominus Moyſi: Et Eliab filius Achiſamach de tribu Dan: qui architectonatus eſt textilia,& conſutilia,& diuerſi coloris texere de cocco,& byſſo.

## CAP. XXXVIII.

ET fecit Beſeleel arcam,& deaurauit eam auro puro intus,& extra: & fudit ei quattuor annulos aureos,duos ad latus vnum,& duos ad latus ſecundum,capaces vectibus ad portandum eam in eis. Et fecit propitiatorium deſuper arcæ ex auro puro,& duos Cherubim aureos,Cherub vnum ad ſummitatem propitiatorij vnam,& Cherub vnum ad ſummitatem propitiatorij ſecũdam,obumbrantes alis ſuis ſuper propitiatoriũ. Et fecit menſam ipſam propoſitam ex auro puro:& fudit ei quattuor annulos,duos ſuper latus vnum,& duos ſuper latus ſecundum, capaces vectibus ad portandum eam in eis. Et duos vectes arcæ & menſæ fecit,& deaurauit eos auro. Et fecit vaſa menſæ, catinos,& mortariola,& cyathos & libatoria, in quibus libabit in eis,aurea. Et fecit candelabrum,quod illuminat,aureum ſolidum ſtipite, & calamos, ex vtriſque partibus eius: e calamis eius germina extantia, tria ex hoc, & tria ex hoc,exæquata inuicem & lampades eorum,quæ ſunt ſuper ſummitates in modum nucis,ex eis, & enthemia ex eis; vt ſint lucernæ ſuper ea. Et enthemium,quod eſt ſuper ſummitatem lampadis ſuper verticem deſuper,ſolidum totum aureum. Et ſeptem lucernas ſuper illud aureas,& forcipes eius aureos,& emunctoria eorum aurea. Hic inargentauit columnas & fudit columnæ annulos aureos, & deaurauit vectes auro. Et deaurauit columnas velaminis auro; & fecit anſulas aureas. Hic fecit & circulos tabernaculi aureos, & circulos atrij & circulos ad extendendum velamen deſuper æreos. Hic fudit capita argentea tabernaculi, & capita ærea oſtij tabernaculi, & oſtium atrij. Et anſulas fecit columnis argenteas ſuper columnas. Hic inargentauit eas. Hic fecit palos tabernaculi & palos atrij æreos. Hic fecit altare æreum,ex thuribulis æreis,qui fuerunt viris illis qui mouerunt ſeditionem cum ſynagoga Core. Hic fecit omnia vaſa altaris,& focum eius,& baſim,& phialas,& fuſcinulas æreas. Hic fecit altari additamentum, opus reticulatum ab imo foci ſub ipſo vſque ad dimidium eius. Et impoſuit ei quattuor annulos è quattuor partibus additamenti altaris æreos,capaces vectibus ad portandum in eis altare. Hic fecit oleum vnctionis ſanctum,& compoſitionem incenſi,purum,opus vnguentarij. Hic fecit labrum æreum, & baſim eius æream ex ſpeculis earum,quæ ieiunauerunt apud portas tabernaculi teſtimonij,in qua die fixit illud. Et fecit labrum; vt lauent ex eo Moyſes,& Aarõ,& filij eius manus ſuas, & pedes,ingredientibus ipſis in tabernaculum teſtimonij, vel quando accedent ad altare ad miniſtrandum, lauabuntur ex eo; ſicut præcepit Dominus Moyſi.

## CAP. XXXIX.

OMne aurum,quod elaboratum eſt ad opera ſecundum omnem operationem ſanctorum, fuit, auri eius,quod primitiarum,nouem & viginti talenta,& ſeptingenti viginti ſicli iuxta ſiclum ſanctum: & argenti demptio à viſitatis viris ſynagogæ centum talenta, & mille ſeptingenti ſeptuagintaquinque ſicli: drachma vna capiti,dimidium ſicli,iuxta ſiclum ſanctum. Omnis tranſiens ad viſitationem à vigeſimo anno & ſupra, ad ſexaginta myriadas,& ter mille quingenti, & quinquaginta Et facta ſunt centum talenta argenti in conflationem centum capitellorum tabernaculi, & in capitella velaminis: centum capitella ad centum talenta,talentum capitello. Et mille illos ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos fecit in anſulas columnis: & inaurauit capitella earum, & ornauit eas. Et æs demptionis,ſeptuaginta talenta,& mille quingenti ſicli. Et fecerunt ex eo baſes oſtij tabernaculi teſtimonij, & baſes atrij in circuitu,& baſes portæ atrij, & palos tabernaculi,& palos atrij in circuitu,& additamentum æreũ altaris, & omnia vaſa altaris, & omnia inſtrumenta tabernaculi teſtimonij. Et fecerunt filij Iſrael,ſicut præcepit Dominus Moyſi: ita fecerunt. Reliquum vero aurum demptionis fecerunt vaſa ad miniſtrandum in eis coram Domino. Et reliquam hyacinthum,& purpuram, & coccum fecerunt ſtolas miniſtratorias Aarõ, ad miniſtrandum in eis in ſancto. Et attulerunt ſtolas ad Moyſem, & tabernaculum, & vaſa eius,baſes, & vectes eius,& columnas,& arca teſtamenti, & vectes eius, & altare,& omnia vaſa eius,& oleum vnctionis, & incẽſum compoſitionis,& candelabrum purum, & lucernas eius,lucernas incenſionis,& oleum luminis, & menſam propoſitionis,& omnia vaſa eius, & panes ipſos propoſitos,& ſtolas ſancti, quæ ſunt Aaron, & ſtolas filiorum eius ad ſacerdotium,& tentoria atrij,& columnas,& velamen oſtij tabernaculi & portæ atrij & omnia vaſa tabernaculi,& omnia inſtrumenta eius,& opercula pelles arietum rubricatas, & operimenta hyacinthina & ceterorum ſuper operimenta,& palos,& omnia inſtrumẽta, quæ ad opera tabernaculi teſtimonij. Quæcunque præcepit Dominus Moyſi, ſic fecerunt filij Iſrael omnem apparatum. Et vidit Moyſes omnia opera. Et fecerant ea, quemadmodum præceperat Dominus Moyſi: ſic fecerant ea. Et benedixit eos Moyſes.



UVA.BSCH

# FRAGMENTVM LIBRI TERTII REGVM

## Sumptum ex Tranſlatione Septuaginta Interpretum.

*Quoniam varietas huius Tranſlationis in cap. tertio, libri tertij Regum, tanta eſt ab editione vulgata, & a reliquis tranſlationibus, ut non ſolum nobis qui ſequuti ſumus ordinem vulgatæ editionis, neceſſe fuerit ex his transferre cap. 2. & cap. 4. & illis in locis apponere ubi noſtræ vulgatæ reſponderent; hac tranſpoſitione locorum breui adnotata marginula; uerum etiam nonnulla coacti ſumus dimittere, uel quod repetita viderentur uel quod locum ſibi reſpondentem in vulgata nequaquam agnoſcerent: ſed ne aliquid tibi deſiderandum relinqueremus de ordine, & diſpoſitione huius Tranſlationis ex Septuaginta, hoc fragmentum ex cap. 3. ſumptum; hic adiudicauimus collocandum in gratiam tui uſque ad id quod contextum noſtræ vulgatæ ſequitur.*

Et fuerunt Salomon ſeptuaginta mille portantes onus, & octuaginta millia lapicidarum in monte. Et fecit Salomon mare, & ſuſtentacula & labra magna, & columnas, & fontem atrij, & mare æneum. Et ædificauit arcem propugnaculum ſuper eam, abſcidit ciuitatem Dauid. Sic filia Pharao aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ei: tunc ædificauit arcem. Et Salomon offerebat tres in anno holocauſtoſes, & pacificas ſuper altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat coram Domino. Et conſummauit domum. Et hi ſunt principes, qui erant præpoſiti ſuper opera ipſius Salomon, ter mille & ſexcenti præſides populi facientium opera. Et ædificauit Aſſur, & Magdo, & Gazer, & Bethoron ſuperiorem, & Ballath. Verum, poſtquam ipſe ædificarat domum Domini, & murum Hieruſalem in circuitu; poſt hęc ædificauit ciuitates iſtas. Et dum adhuc Dauid viueret mandauit Salomoni, dicens: Ecce tecum Semei filius Gera filius ſeminis Iemeni de Chebron. Hic maledixit me maledictionem acerbam, in qua die egrediebar in caſtra. Et ipſe deſcendit in obuiam mihi ſuper Iordanem: & iuraui ei per Dominum, dicens: ſi occidetur in gladio. Et nunc non iuſtificabis eum: quoniam vir prudens tu: & cognoſces, quæ facies ei: & deduces canitiem eius in ſanguine ad infernum. Et vocauit rex Semei, & dixit ei: Ædifica tibi domum in Hieruſalem, & ſede ibi, & non egredieris inde vſquam. Et erit, in die exitus tui, & tranſieris torrentem Cedron; cognoſcens cognoſces, quia morte morieris: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum. Et adiurauit eum rex in die illa. Et dixit Semei ad regem: Bonum eſt verbum, quod locutus es domine mi rex. Sic faciet ſeruus tuus. Et ſedit Semei in Hieruſalem tres annos. Et factum eſt poſt tres annos, & aufugerunt duo ſerui Semei ad Anchus filium Maacha regem Geth. Et annunciatum eſt Semei, dicentes: Ecce ſerui tui in Geth. Et ſurrexit Semei, & inſtrauit aſinum ſuum, & iuit in Geth ad Anchus ad exquirendum ſeruos ſuos. Et iuit Semei, & duxit ſeruos ſuos e Geth. Et nunciatum eſt Salomon dicentes, quia iuit Semei de Hieruſalem in Geth, & reduxit ſeruos ſuos. Et miſit rex, & vocauit Semei, & dixit ad eum: Nonne adiuraui te per Dominum, & conteſtatus ſum tibi, dicens, in quacunque die exieris de Hieruſalem, & ieris in dextra, vel in ſiniſtra; cognoſcens cognoſces, quia morte morieris? Et quid, quod non cuſtodiſti iuramentum Domini, & mandatum, quod mandaui contra te? Et dixit rex ad Semei: Tu noſti omne malum tuum, quod nouit cor tuum, quæ feciſti Dauid patri meo: & retribuit Dominus malum tuum in caput tuum. Et rex Salomon benedictus: & thronus Dauid erit paratus coram Domino in ſeculum. Et mandauit rex Salomon Banaiæ filio Iodæ: & egreſſus eſt, & ſuſtulit illum. Et fuit rex Salomon prudens valde, & ſapiens. Et Iuda, & Iſrael multi valde, tanquam arena, quæ ſuper mare, in multitudine, comedentes, & bibentes, & gaudentes. Et Salomon erat princeps in omnibus regnis. Et erant offerentes dona, & ſeruiebant Salomon omnes dies vitæ eius. Et Salomon cepit aperire præfecturas Libani. Et ipſe ędificauit Thermę in deſerto. Et hoc prandium Salomon: triginta cori ſimilę, & ſexaginta cori farinæ ſubactę: decem vituli electi, & viginti boues paſcuales, & centum oues, pręter ceruos, & capreas, & aues electas paſcuales: quoniam erat princeps in omni trans flumen à Raphi vſque Gazam in omnibus regibus trans flumen. Et erat ei pax ex omnibus partibus eius in circuitu. Et habitabat Iuda & Iſrael confidenter, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, comedentes, & bibentes, & feſtiuitatem celebrantes à Dan, & vſque Berſabee omnibus diebus Salomon. Et hi erant principes Salomon: Azariu filius Sadoc ſacerdotis, & Orniu filius Nathan princeps pręfectorum (& occurrit ad domum ſuam) & Suba ſcriba, & Baſa filius Achithalam commonefaciens, & Abi filius Ioab princeps militiæ, & Achire filius Edrai ſuper opera, & Banęas filius Iodæ ſuper aulę pręfecturam, & ſuper plinthiam, & Cachur filius Nathan conſiliarius. Et erant Salomon quadraginta mille fœtę equę in currus, & duodecim millia equorum. Et fuit princeps in omnibus regibus à flumine, & vſque ad terram alienigenarum, & vſque ad fines Ægypti. Et Salomon filius Dauid regnauit ſuper Iſrael, & Iuda in Hieruſalem.

Veruntamen populus erat adolentes in excelſis, &c. *His ſequitur quæ habes ſuo loco cap. 3. à num. 2. & infra.*

*Poſt ea, quæ à nobis numero 24. adnotata ſunt in cap. 12. ponuntur multa in hac Tranſlatione ex Septuaginta, quæ abſunt à vulgata, ſicut etiam à cæteris alijs tranſlationibus, & affirmat Interpres huius tranſlationis Romanæ in aliquo Codice ex Vaticano ſignis quibuſdam notata haberi, quibus indicetur ea multis modis eſſe repetita, tranſpoſita, confuſa, & male cohærentia. & nobis neceſſe fuit illa in hunc locum reijcere, quia ſedem reſpondentem vulgatæ editioni nequiuimus illis aſſignare, vt autem omnia quæ ad hanc tranſlationem pertinent habeas illa in hunc locum tibi aſſignamus, quæ coniunguntur his quæ à nobis numero 24. ſignata fuerunt.*

## EX CAP. XII.

Et rex Salomon dormit cum patribus ſuis: & ſepelitur cum patribus ſuis in ciuitate Dauid. Et regnauit Roboam filius eius pro eo in Hieruſalem: cum filius eſſet ſex & decem annorum, cum regnum ipſe adiuit. Et duodecim annos regnauit in Hieruſalem. Et nomen matri eius Naanan filia Ana filij Naas regis filiorum Ammon. Et fecit malum in conſpectu Domini, & non iuit in via Dauid patris ſui. Et erat homo ex monte Ephrem ſeruus Salomoni: & nomen matris eius Sarirà, mulier fornicata: & dedit eum Salomon in principem ſcytalæ ſuper onera domus Ioſeph. Et ædificauit Salomoni ipſam Sarirà, quæ in monte Ephræm. Et fuerunt ei triginta currus equorum. Hic ædificauit arcem in oneribus domus Ephræm. Hic concluſit ciuitatem Dauid: & erat eleuans ſe ſuper regnum. Et quærebat Salomon interficere eum. Et timuit, & fugit ipſe ad Suſacim regem Ægypti: & fuit cum eo, donec mortuus eſt Salomon. Et audiuit Hieroboam in Ægypto, quia mortuus eſt Salomon: & locutus eſt in aures Suſacim regis Ægypti, dicens: Dimitte me, & abibo ego in terram meam. Et dixit ei Suſacim: Pete aliquam petitionem, & dabo tibi. Et Suſacim dedit ipſi Roboam Ano ſororem Thecemínæ ſeniorem vxoris ſuæ ei in vxorem. Hæc fuit magna in medio filiorum regis: & peperit ipſi Hieroboam Abia filium eius. Et dixit Hieroboam ad Suſacim: Omnino dimitte me, & abibo. Et exijt Hieroboam de Ægypto, & venit in terram Sarirà, quæ in monte Ephræm. Et congregatur illuc omne ſceptrum Ephræm. Et ædificauit ibi Hieroboam vallum. Et ægrotauit puer eius ægrotatione valida valde. Et iuit Hieroboam interrogare de puero: & dixit ad Ano vxorem ſuam: Surge, vade, interroga Deum de puero, ſi viuet de infirmitate hac. Et homo erat in Selom: & nomen ei Achia: & erat filius ſexaginta annorum: & verbum Domini cum eo. Et dixit Hieroboam ad vxorem ſuam: Surge, & ſume in manum tuam homini Dei panes, & collyridas filijs eius, & vuam, & vaſculum mellis. Et ſurrexit mulier, & ſumpſit in manum ſuam panes, & duas collyridas, & vuam, & vaſculum mellis ipſi Achia. Et homo ſenior: & oculi eius obtuſi erant ad videndum. Et ſurrexit de Sarirà, & vadit. Et factum eſt veniente ea in ciuitatem ad Achia Selonitem, & dixit Achia ad puerum ſuum: Exi nunc in occurſum Ano vxori Hieroboam, & dices ei: Intra, & noli ſtare: quoniam hæc dicit Dominus: Dura ego immitto ſuper te. Et intrauit Ano ad hominem Dei. Et dixit ei Achia: Vt quid attuliſti mihi panes, & vuam, & collyridas, & vaſculum mellis? Hæc dicit Dominus: Ecce tu abibis à me: & erit, ingrediente te ciuitatem, in Sarirà, & puellæ tuæ egredientur tibi in occurſum, & dicent tibi: paruulus eſt mortuus. Quoniam hæc dicit Dominus: Ecce ego exterminabo de Hieroboam mingentem ad parietem: & erunt mortui Hieroboam, in ciuitate comedent canes: & mortuum in agro comedent volatilia cœli: & paruulus plangetur, veh Domine, quia inuentum eſt in eo verbum bonum de Domino. Et abijt mulier, poſtquam audiuit. Et factum eſt, vt intrauit in Sarirà: & paruulus mortuus eſt. Et exijt vociferatio in occurſum. Et iuit Hieroboam in Sicima, quæ in monte Ephræm, & congregauit illuc tribus Iſrael. Et aſcendit illuc Roboam filius Salomon. Et verbum Domini factum eſt ad Samæam Enlami dicens: Sume tibi veſtimentum nouum, quod non intrauit in aquam: & ſcinde illud duodecim ſciſſuras: & dabis Hieroboam, & dices ei: Hæc dicit Dominus: Sume tibi decem ſciſſuras ad induendum te. Et ſumpſit Hieroboam. Et dixit Samæas: Hæc dicit Dominus ſuper decem tribus Iſrael. Et dixit populus ad Roboam filium Salomonis: Pater tuus aggrauauit iugum ſuum ſuper nos: & aggrauauit eſcas menſæ ſuæ. Et nunc alleuabis ſuper nos, & ſeruiemus tibi. Et dixit Roboam ad populum: Adhuc tribus diebus, & reſpondebo vobis verbum. Et dixit Roboam: Introducite mihi ſeniores, & conſultabo cum eis, quod reſpondeam verbum in die tertia. Et locutus eſt Roboam in aures eorum, ſicut miſit populus ad eum. Et dixerunt ſeniores populi: Sic locutus eſt ad te populus. Et diſſipauit Roboam conſilium eorum, & non placuit coram eo. Et miſit, & introduxit coalumnos ſuos, & locutus eſt eis: Hæc & hæc miſit populus ad me, dicens: Et dixerunt coalumni eius: Sic loqueris ad populum, dicens: Paruitas mea craſſior ſuper lumbum patris mei. Pater meus caſtigabat vos flagellis: ego autem opprimam vos in ſcorpionibus. Et placuit verbum coram Roboam. Et reſpondit populo, ſicut conſilium dederant ei coalumni eius ipſi pueri. Et dixit omnis populus tamquam vir vnus, vnuſquiſque proximo ſuo: & vociferati ſunt omnes, dicentes. Non pars nobis in Dauid, neque hæreditas in filio Ieſſæ. Vnuſquiſque ad tabernacula ſua Iſrael: quoniam homo hic non in principem, neque in Ducem. Et diſperſus eſt omnis populus è Sicimis: & abierunt vnuſquiſque ad tabernaculum ſuum. Et vim fecit Roboam, & abijt, & aſcendit ſuper currum ſuum, & intrauit in Hieruſalem. Et vadunt poſt eum omne ſceptrum Iuda, & omne ſceptrum Beniamin. Et factum eſt ineunte anno, & congregauit Roboam omnem virum Iuda, & Beniamin: & aſcendit ad bellandum aduerſus Hieroboam in Sicima. Et factum eſt verbum Domini ad Samæam hominem Dei, dicens: Dic ad Roboam regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & ad reſiduum populi, dicens: Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bellabitis aduerſus fratres veſtros filios Iſrael. Reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam: quoniam à me factum eſt verbum hoc. Et audiuerunt verbum Domini: & ſuſtinuerunt non ire, iuxta verbum Domini.

25 Et ædificauit Hieroboam Sicima, &c. *Quæ ſequuntur cap. 12.*



UVA.BSCH

*Hoc eſt aliud fragmentum ex cap. 16. ſumptum in quo, quia multa ſunt, quæ deſeruierunt nobis cap. 22. numero 47. 48. & 49. alia verò, quibus ſedem reſpondentem vulgata aſſignare nequiuimus, quia cap. illo 22. in hac eadem translatione repeterentur; idcirco fragmentum hoc, vt habetur in illa translatione hic reiecimus: quod quidem ſequitur ſtatim poſt ea, quæ numero 28. ibi notata fuere.*

## EX CAP. XVI.

In anno vndecimo anno Ambri regnat Ioſaphat filius Aſá, annorum triginta & quinque in regno ſuo: & viginti quinque annos regnauit in Hieruſalem. Et nomen matris eius Gazuba filia Seli. Et ambulauit in via Aſá patris ſui, & non declinauit ab ea, faciendo rectum in conſpectu Domini. Tantum excelſa non abſtulerunt. Sacrificabant in excelſis, & adolebant. Et quæ compoſuit Ioſaphat cum rege Iſrael, & omnis potentatus quem fecit, & quos impugnauit, nonne ecce hæc ſcripta in libro verborum dierum regum Iuda? Et reliqua complicationum, quas impoſuerant in diebus Aſá patris ſui, ſuſtulit de terra. Et rex non erat in Syria Naſib. Et rex Ioſaphat fecit nauem in Tharſis ad eundum in Sophir ad aurum: & non iuit, quoniam contrita eſt nauis in Gaſion Gaber. Tunc dixit rex Iſrael ad Ioſaphat: Mittam pueros meos, & puerulos meos in naui. Et noluit Ioſaphat. Et dormiuit Ioſaphat cum patribus ſuis: & ſepelitur cum patribus ſuis in ciuitate Dauid. Et regnauit Ioram filius eius pro eo.

19 In anno ſecundo Ioſaphat, &c. *Quæ ſequuntur in reſiduo capituli ſuo loco.*

*Oratio Manaſſæ, necnon Libri duo, qui ſub libri tertii & quarti Eſdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra ſcilicet ſeriem Canonicorum Librorum, quos ſancta Tridentina Synodus ſuſcepit, & pro Canonicis ſuſcipiendos decreuit, ſepoſiti ſunt, ne prorſus interirent, quippe qui à nonnullis ſanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis Latinis tam manuſcriptis, quam impreſſis reperiuntur.*

# ORATIO MANASSÆ REGIS IVDA, CVM CAPTVS TENERETVR IN BABYLONE.

DOMINE omnipotens Deus patrum noſtrorum, Abraham, & Iſaac & Iacob, & ſeminis eorum iuſti, qui feciſti cœlum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligaſti mare verbo præcepti tui, qui cõcluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pauent, & tremunt à vultu virtutis tuæ, quia importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ, & inſuſtentabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores: immenſa vero & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ: quoniam tu es Dominus, altiſſimus, benignus, longanimis, & multum miſericors, & pœnitens ſuper malitias hominum. Tu Domine, ſecundum multitudinem bonitatis tuæ promiſiſti pœnitentiam, & remiſſionem iis, qui peccauerunt tibi, & multitudine miſerationum tuarum decreuiſti pœnitentiam peccatoribus, in ſalutem; tu igitur Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham, & Iſaac, & Iacob, iis qui tibi non peccauerunt: ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccaui ſuper numerum arenæ maris: multiplicatæ ſunt iniquitates meæ Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum. incuruatus ſum multo vinculo ferreo, vt non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi: quia excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam, & mandata tua non cuſtodiui: ſtatui abominationes, & multiplicaui offenſiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccaui Domine, peccaui, & iniquitates meas agnoſco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis neque in æternum, iratus, reſerues mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus inquam, pœnitentium: & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.



UVA.BSCH

# LIBER ESDRÆ TERTIVS.

## CAPVT PRIMVM.

ET fecit Ioſias Paſcha in Iero- 1
ſolymis Domino,& immolauit
Phaſe quarta decima luna pri-
mi menſis: * ſtatuens ſacerdo- 2
tes per vices dierum ſtolis ami-
ctos in templo Domini. * & 3
dixit Leuitis ſacris ſeruis Iſrael,
vt ſanctificarent ſe Domino in
poſitione ſanctæ arcæ Domini, in domo, quam ædi-
ficauit Salomon filius Dauid rex. * Non erit vobis 4
tollere ſuper humeros eam. Et nunc deſeruite Do-
mino veſtro, & curam agite gentis illius Iſrael ex
parte ſecundum pagos & tribus veſtras, * ſecundũ 5
ſcripturam Dauid regis Iſrael, & ſecundum magni-
ficentiam Salomonis filij eius, omnes in templo, &
ſecundum particulam principatus paternam veſtrã
eorum, qui ſtant in conſpectu fratrum filiorum Iſ-
rael. * Immolate Paſcha, & ſacrificia parate fratri- 6
bus veſtris, & facite ſecundum præceptum Domini
quod datum eſt Moyſi. * Et donauit Ioſias in ple- 7
bem, quæ inuenta eſt, ouium, agnorum, & hœdorũ,
& caprarum triginta millia, vitulos tria millia. * hęc 8
de regalibus data ſunt ſecundum promiſſionem po
pulo: & ſacerdotibus in Paſcha, oues numero duo
millia, ac vituli centum * Et Iechonias,& Semeias 9
& Nathanael fratres,& Haſabias,& Oziel, & Cora-
ba in Phaſe, oues quinque millia, vitulos quingen-
tos. * Et hæc cum fierent eleganter, ſteterunt Sa- 10
cerdotes & Leuitæ habentes azyma per tribus. * Et 11
ſecundum partes principatus patrum in conſpectu
populi offerebant Domino, ſecundum ea quæ in li-
bro Moyſi ſcripta ſunt: * & aſſauerunt Phaſe igni 12
prout oportebat: & hoſtias coxerunt in æolis, &
in ollis cum beneuolentia: * & attulerunt omni- 13
bus qui erant ex plebe: & poſt hæc parauerunt ſibi
ſacerdotibus: * Sacerdotes enim offerebant adipes, 14
vſque dum finita eſſet hora: & Leuitæ parauerunt
ſibi, & fratribus ſuis, filijs Aaron. * Et ſacri canto- 15
res filij Aſaph erant per ordinem ſecundum præce-
ptum Dauid, & Aſaph, & Zacharias, & Ieddinus,
qui erat à rege. * Et oſtiarij per ſingulas ianuas, ita 16
vt non præuaricetur vnuſquiſque ſuã: fratres enim
illorum parauerunt illis. * Et conſummata ſunt 17
quæ pertinebant ad ſacrificium Domini. * In illa 18
die egerunt Phaſe, & offerebant hoſtias ſuper Do-
mini ſacrificium, ſecundum præceptum regis Ioſiæ.
* Et egerunt filij Iſrael, qui inuenti ſunt in tempo- 19
re illo, Phaſe: & diem feſtum azymorum per dies
ſeptem: * & non eſt celebratum Phaſe tale in Iſ- 20
rael, à temporibus Samuelis prophetæ: * & omnes 21
reges Iſrael non celebrauerunt tale Paſcha quale
egit Ioſias, & Sacerdotes, & Leuitæ, & Iudæi, & om-
nis Iſrael, qui inuenti ſunt in commemoratione Ie-
roſolymis. * Octauo decimo anno, regnante Ioſia 22
celebratum eſt Phaſe. * Et directa ſunt opera Io- 23
ſiæ in conſpectu Domini ſui in corde pleno me-
tuentis: * & quæ circa illum quidem conſcripta 24
ſunt, in priſtinis temporibus de eis, qui peccaue-
runt, quique irreligioſi fuerunt in Dominum præ
omni gente, & qui non quæſierunt verba Domini
ſuper Iſrael. * Et poſt omnem actum hunc Ioſiæ, 25
aſcendit Pharao rex Ægypti, veniens in Charcamis
ab itinere ſuper Euphratem, & exijt obuiam illi Io-
26 ſias. * Et miſit rex Ægypti ad Ioſiam, dicens: Quid
27 mihi & tibi eſt rex Iudæ? * Non ſum miſſus à Do-
mino vt pugnem contra te: ſuper Euphratem enim
28 bellum meum eſt, feſtinans deſcende. * Et non eſt
reuerſus Ioſias ſuper currum: ſed expugnare eum
conabatur, non attendens verbum prophetæ ex ore
29 Domini: * ſed conſtituit ad eum bellum in cam-
po Mageddo. Et deſcenderunt principes ad regem
30 Ioſiam. * Et dixit rex pueris ſuis, Amouete me à
prælio, infirmatus ſum enim valde. Et ſtatim amo-
31 uerunt eum pueri ipſius de acie. * Et aſcendit ſuper
currum ſecundarium ſuum: & perueniens Ieroſoly
mam, vita functus eſt, & ſepultus eſt in paterno ſe-
32 pulchro. * Et in tota Iudæa lugebant Ioſiam: &
qui præſidebant, cum vxoribus lamentabant eum
vſque in hunc diem. Et datum eſt hoc fieri ſem-
33 per in omne genus Iſrael. * Hæc autem præſcripta
ſunt in libro hiſtoriarum regum Iudæ; & ſingula
geſta actus Ioſiæ, & eius gloria & intellectus eius in
lege Domini: quæque geſta ſunt ab eo, & quæ non
34 ſcripta ſunt in libro regum Iſrael & Iudæ: * Et aſ-
ſumentes, qui erant ex gente Iechoniam filium Io-
ſiæ, conſtituerunt regem pro Ioſia patre ſuo, cũ eſ-
35 ſet annorum triginta trium. * Et regnauit ſuper Iſ-
rael menſibus tribus. Et amouit eum rex Ægypti, ne
36 regnaret in Ieroſolymis: * & mulctauit gentem ar-
37 genti talenta centum, & auri talentum vnum. * Et
conſtituit rex Ægypti Ioacim fratrem ipſius, regem
38 Iudæ, & Ieruſalem: * & alligauit magiſtratus Ioa-
cim, & Zaracelem fratrem ſuum, & apprehendens re
39 duxit in Ægyptum. * Annorũ erat Ioacim viginti-
quinque, cũ regnare cępiſſet in terra Iuda & Ieruſa-
40 lem: & fecit malum in conſpectu Dñi. * Poſt hunc
autẽ aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & al-
ligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniã:
41 * & ſacra vaſa Dñi accepit Nabuchodonoſor, & tu-
42 lit & conſecrauit in tẽplo ſuo in Babylonia. * Nam
de immunditia illius, & irreligioſitate ſcriptũ eſt in
43 libro temporũ regum. * Et regnauit Ioachim filius
eius pro eo. Cum autẽ cõſtitutus eſſet rex erat anno-
44 rum decẽ & octo. * Regnauit autẽ mẽſes tres, & dies
decem in Ieruſalẽ, & fecit malũ in conſpectu Dñi:
45 * & poſt annũ mittens Nabuchodonoſor, tranſmigra-
46 uit eum in Babyloniã ſimul cũ ſacris vaſis Dñi. * Et
cõſtituit Sedeciam regẽ Iuda, & Ieruſalem, cũ eſſet
annorũ viginti vnius: regnauit autẽ annis vndecim.
47 * Et fecit malum in conſpectu Dñi, & nõ eſt veritus
à verbis, quæ dicta ſunt ab Ieremia propheta ex ore
48 Domini: * & adiuratus à rege Nabuchodonoſor,
periurans diſceſſit: & indurata ceruice ſua, & corde
ſuo, tranſgreſſus eſt legitima Domini Dei Iſrael.
49 * Et duces populi Domini multa inique geſſerunt,
& impię egerunt ſuper omnes immunditias gen-
tium: & polluerunt templum Domini quod ſan-
50 ctum erat in Ieroſolymis. * Et miſit Deus patrum
ipſorum per angelum ſuum reuocare eos, propter
51 quod parceret illis, & tabernaculo ſuo. * Ipſi ve-
ro ſubſannabant in angelis ſuis: & qua die locutus
eſt Dominus, erant illudentes prophetis eius.
52 * Qui vſque ad iracundiam concitatus eſt ſuper gẽ-
tem ſuam propter irreligioſitatem ſuam, & pręcepit

## Vulgata Editio.

aſcendere reges Chaldæorum. * Hi occiderunt iu- 53
uenes eorum in gladio, in circuitu ſancti templi eo-
rum, & non pepercerunt iuueni, & ſeni, & virgini, &
adoleſcenti: * ſed omnes traditi ſunt in manus ip- 54
ſorum: & omnia ſacra vaſa Domini, & regales apothe-
cas reſumentes, intulerunt in Babyloniam, * & incen- 55
derunt domum Domini, & demolierunt muros Ieru-
ſalem: & turres eius incenderunt igne, * & conſum- 56
mauerunt omnia honorifica eius, & ad nihilum re-
degerunt & reliquos à gladio duxerunt in Babylo-
nem. * Et erant ſeruientes vſque dum regnarent 57
Perſæ in repletione verbi Domini in ore Ieremiæ:
* quouſque benigne ageret terra ſabbata ſua, omni 58
tempore deſertionis ſuæ ſabbatizauit in applicatio-
ne annorum ſeptuaginta ſeptem.

### CAP. II.

REgnante Cyro rege Perſarum in cõſummatio- 1
ne verbi Domini in ore Ieremiæ, * ſuſcitauit 2
Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & prædica-
uit in toto regno ſuo ſimul per ſcripturã, * dicens: 3
Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Me conſtituit re-
gem orbis terrarũ Dominus Iſrael, Dominus excel-
ſus, * & ſignificauit mihi ædificare domum ſibi in 4
Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. * Si quis eſt ex genere 5
veſtro, dominus ipſius aſcendat cum eo in Ieruſalẽ.
* Quotquot ergo circa loca habitant, adiuuent eos 6
qui ſunt in loco ipſo, in auro & argento, * in datio- 7
nibus cum equis & iumentis, cumque alijs quæ ſe-
cundum vota apponuntur in ædem Domini quæ eſt
in Ieruſalem. * Et ſtantes principes tribuum, pago- 8
rum, & Iudææ ex tribu Beniamin, & Sacerdotes &
Leuitæ, quos excitauit Dominus aſcendere & ædifi-
care Domum Domini quæ eſt in Ieruſalem, & qui
erant in circuitu eorum, * adiuuerunt in omni au- 9
ro & argento eius, & iumentis, & votis complutibus
multi quorum ſenſus excitatus eſt. * Et Cyrus rex 10
protulit vaſa ſacra Domini, quæ tranſtulit Nabucho
donoſor rex Babylonis ex Ieruſalem, & conſecrauit
ea idolo ſuo. * & proferens ea Cyrus rex Perſarum 11
tradidit Mithridato, qui erat ſuper theſauros ipſius.
* Per hunc autem tradita ſunt Salmanaſaro præſi- 12
di Iudææ. * Horum autem hic numerus. Libatoria 13
argentea duo millia quadringenta, athiſcæ argen-
teæ triginta: phialæ aureæ triginta, item argenteæ
duo millia quadringentæ, & alia vaſa mille. * om- 14
nia autem vaſa aurea & argentea, quinque millia
octingenta ſexaginta. * Et enumerata ſunt Salma- 15
naſaro ſimul cum his qui ex captiuitate Babyloniæ
venerant in Ieroſolymam. * In Artaxerxis autem 16
regis Perſarũ temporibus ſcripſerunt ei de his qui
habitabant in Iudæa & Ieruſalem, Balſamus, & Mi-
thridatus, & Sabellius, & Rathimus, Balthemus, Sa-
muelis Scriba, & reliqui habitantes in Samaria, &
cæteris locis ſubiectam epiſtolam regis Artaxerxi.
* DOMINE, pueri tui Rathimus ab accidenti- 17
bus & Sabellius ſcriba, & reliqui curiæ tuæ iudices
in Cœleſyria, & Phœnice. * Et nunc notum ſit do- 18
mino regi, quoniam Iudæi qui aſcenderunt à vobis
ad nos, venientes in Ieruſalem ciuitatem refugã &
peſſimam, ædificant ſumos eius, & ſtatuunt muros,
& templum ſuſcitant. * Quod ſi ciuitas iſta, & mu- 19
ri conſummati fuerint, non tantum tributa non ſu-
ſtinebunt pendere, ſed etiam regibus reſiſtent. * Et 20
quia id agitur circa templum, rectè haberi arbitrati
ſumus non deſpicere hoc ipſum: * ſed notum fa- 21
cere Domino regi, vt ſi videbitur, rex quæratur in li
bris patrum tuorum, * & inuenies in admonitioni- 22
bus ſcripta de his, & ſcies quoniam ciuitas illa fuit

23 refuga, & reges, & ciuitates concutiens, * & Iudæi
refugæ, & prælia committentes in ea ab æterno, ob
24 quam cauſam ciuitas illa deſerta eſt. * Nunc ergo
notum facimus, Domine rex, quoniam ſi ciuitas
hæc ædificata fuerit, & huius muri erecti fuerint,
deſcenſus tibi non erit in Cœleſyriam, & Phœnicẽ.
25 * Tunc ſcripſit rex Rathimo, qui ſcribebat acciden-
tia, & Rathemo, & Sabellio ſcribæ, & cæteris con-
ſtitutis, & habitantibus in Syria, & Phœnice, ea quæ
26 ſubiecta ſunt. * LEGI epiſtolam quam miſiſtis
mihi. Præcepi ergo inquiri & inuentum eſt, quo-
27 niam ciuitas illa eſt ab æuo regibus reſiſtens, * &
homines refugæ, & prælia in ea efficientes, & reges
fortiſſimi erant in Ieruſalem dominantes, & tributa
28 exigentes à Cœleſyria, & Phœnice. * Nunc ergo
præcepi prohibere homines illos ædificare ciuita-
29 tem, & prohibere ne quid vltra hæc fiant: * ſed nec
procedant in plurimum, ex quo ſunt malitiæ, ita vt
30 regibus moleſtia importetur. * Tunc recitatis his
quæ à rege Artaxerxe ſcripta fuerant, Rathimus, &
Sabellius ſcriba, & qui cum his conſtituti erant iun-
gentes feſtinanter venerunt in Ieruſalẽ cum equi-
31 tatu, & turba & agmine: * cœperuntque ædifican-
tes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in
Ieruſalem, vſque in ſecundo anno regni Darij regis
Perſarum.

### CAP. III.

1 REx Darius fecit cœnam magnam omnibus ver-
naculis ſuis, & omnibus magiſtratibus Mediæ
2 & Perſidis, * & omnibus purpuratis, & prætoribus,
& conſulibus, & præfectis ſub illo ab India vſque
3 Æthiopiam, centum viginti ſeptem prouincijs. * Et
cum manducaſſent, & bibiſſent, & ſatiati reuerterẽ-
tur, tunc Darius rex aſcendit in cubiculum ſuum, &
4 dormiuit, & expergefactus eſt. * Tunc illi tres iuue-
nes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus re-
5 gis, dixerunt alter alteri: * Dicamus vnuſquiſque
noſtrum ſermonem qui præcellat: & cuiuſcumque
apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi rex
6 Darius dona magna, * purpura cooperiri, & in auro
bibere, & ſuper aurum dormire, & currum aureo fre-
no, & cydarim byſſinam, & torquem circa collum:
7 * & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapien-
8 tiam ſuam, & cognatus Darij vocabitur. * Tunc ſcri
bentes ſinguli ſuum verbum ſignauerunt, & poſue-
9 runt ſubtus ceruical Darij regis, * & dixerunt: Cũ
ſurrexit rex, dabimus illi ſcripta noſtra: & quod-
cumque iudicauerit rex è tribus, & magiſtratus Per
ſidis, quoniam verbum eius ſapientius eſt, ipſi dabi-
10 tur victoria ſicut ſcriptum eſt. * Vnus ſcripſit, Forte
11 eſt vinum. * Alius ſcripſit, Fortior eſt rex. * Tertius
12 ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autem
13 vincit veritas. * Et cum ſurrexiſſet rex, acceperunt
14 ſcripta ſua, & dederunt illi, & legit. * Et mittens vo-
cauit omnes magiſtratus Perſarum, & Medos, & pur
15 puratos, & prætores, & præfectos: * & ſederunt in
16 concilio: & lecta ſunt ſcripta coram ipſis. * Et di-
xit: Vocate adoleſcentes, & ipſi indicabunt verba
17 ſua. Et vocati ſunt, & introierunt. * Et dixit illis: In-
dicate nobis de his quæ ſcripta ſunt. Et cœpit prior,
18 qui dixerat de fortitudine vini, * & dixit: Viri,
quàm præualet vinum omnibus hominibus qui bi-
19 bunt illud! ſeducit mentem. * Itemque regis & or
phani facit mentem vanam. Item ſerui ac liberi, pau
20 peris ac diuitis, * & omnem mentem conuertit in
ſecuritatem & iucunditatem, & meminit omnem
21 triſtitiam & debitum, * & omnia præcordia facit

honeſta

UVA.BSCH

honeſta,& non meminit regem, nec magiſtratum ,
& omnia per talenta loqui facit. * Et non memine- 22
runt,cum biberunt , amicitiam, nec fraternitatem :
ſed non multum poſt ſumunt gladios . * Et cum à 23
vino merſerint,& ſurrexerint,non meminerunt,quæ
geſſerunt. * O viri, num præcellit vinum ? quis ſic 24
cogitat facere? Et tacuit hoc dicto .

## CAP. IIII.

ET inchoauit loquens dicere, qui dixit de forti- 1
tudine regis. * O viri, num præcellunt homi- 2
nes, qui terram, & mare obtinent, & omnia quæ in
eis ſunt ? * Rex autem ſuper omnia præcellit,& do- 3
minatur eorum: & omne quodcumque dixerit illis,
faciunt. * Et ſi miſerit illos ad bellatores, vadunt,& 4
demoliuntur montes, & muros , & turres . * Iugu- 5
lantur,& iugulant,& regis verbum non prætereunt.
nam ſi vicerint , afferunt regi omnia quæcumque
prædati fuerint . * Similiter & alij omnes, & quot- 6
quot non militant,nec pugnant,ſed colunt terram :
rurſum cum ſeuerint metentes , afferunt tributa re-
gi : * & ipſe vnus ſolus ſi dixerit occidite, occidũt : 7
dixerit remittite , remittunt : * dixerit percutite , 8
percutiunt: dixerit exterminate,exterminant: dixe-
rit ædificate,ædificant: * dixerit excidite, excidunt : 9
dixerit plantate, plantant: * & omnis plebs , & vir- 10
tutes eum obaudiunt,& ſuper hoc ipſe recumbit, &
bibit,& dormit . * Hi autem cuſtodiunt in circuitu 11
eum, & non poſſunt ire ſinguli, & facere opera ſua ,
ſed in dicto obaudientes ſunt ei . * Viri , quomodo 12
non præcellit rex qui ſic diffamatur ? Et tacuit .
* Tertius qui dixerat de mulieribus, & veritate,hic 13
eſt Zorobabel,cœpit loqui * Viri non magnus rex , 14
& multi homines,nec vinum præcellit. Quis eſt er-
go qui dominatur eorum ? * Nonne mulieres ge- 15
nuerunt regem,& omnem populum,qui dominatur
mari, & terræ : * & ex illis nati ſunt , & ipſæ educa- 16
uerunt eos , qui plantauerunt vineas ex quibus vi-
num fit ? * Et ipſæ faciunt ſtolas omnium homi- 17
num,& ipſæ faciunt gloriam hominibus, & non poſ-
ſunt homines ſeparari à mulieribus. * Si congrega- 18
uerint aurum, & argentum, & omnem rem ſpecio-
ſam,& viderint mulierem vnam bono habitu,& bo-
na ſpecie , * omnia hæc relinquentes in eam inten- 19
dunt , & aperto ore conſpiciunt , & eam alliciunt
magis quàm aurum , & argentum , & omnem rem
pretioſam . * Homo patrem ſuum relinquit qui e- 20
nutrijt illum, & ſuam regionem , & ad mulierem ſe
coniungit . * Et cum muliere remittit animam : & 21
neque patrem meminit, neque matrem , neque re-
gionem. * Et hinc oportet vos ſcire : quoniam mu- 22
lieres dominantur veſtri. Nonne doletis ?* Et acci- 23
pit homo gladium ſuum , & vadit in viam facere
furta,& homicidia,& mare nauigare,& flumina. * & 24
leonem videt, & in tenebris ingreditur : & cum fur-
tum fecerit,& fraudes,& rapinas amabili ſuæ affert.
* Et iterum,diligit homo vxorem ſuam magis quàm 25
patrem,aut matrem. * Et multi dementes facti ſunt 26
propter vxores ſuas: & ſerui facti ſunt propter illas :
* & multi perierunt , & iugulati ſunt, & peccaue- 27
runt propter mulieres. * Et nunc credite mihi, quia 28
magnus eſt rex in poteſtate ſua : quoniam omnes
regiones verentur tangere eum. * Videbam tamen 29
Apemen filiam Bezacis mirifici concubinam re-
gis, ſedentem iuxta regem ad dexteram , * & aufe- 30
rentem diadema de capite eius , & imponentem ſi-
bi, & palmis cædebat regem de ſiniſtra manu . * Et 31
ſuper hæc aperto ore intuebatur eam : & ſi arriſerit
ei,ridet. nam ſi indignata ei fuerit,blanditur, donec

32 reconcilietur in gratiam. * O viri,cur non ſunt for-
tiores mulieres ? Magna eſt terra , & excelſum eſt
33 cœlum: quis ita agit? * Et tunc rex, & purpurati in-
tuebantur in alterutrum . Et inchoauit loqui de ve-
34 ritate. * O viri, nonne fortes ſunt mulieres? Magna
eſt terra, & excelſum eſt cœlum: & velox curſus ſo-
lis conuertit in gyro cœlum in locum ſuum in vna
35 die. * Nonne magnificus eſt qui hæc facit ,& veritas
36 magna,& fortior præ omnibus? * Omnis terra veri-
tatem inuocat,cœlum etiam ipſam benedicit,& om-
nia opera mouentur, & tremunt eam, & nõ eſt cum
37 ea quicquam iniquum. * Vinum iniquum, iniquus
rex,iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum ,
& iniqua illorum omnia opera,& non eſt in ipſis ve-
38 ritas, & in ſua iniquitate peribunt : * & veritas ma-
net , & inualeſcit in æternum, & viuit & obtinet in
39 ſecula ſeculorum . * Nec eſt apud eam accipere
perſonas, neque differentias: ſed quæ iuſta ſunt fa-
cit omnibus , iniuſtis, ac malignis , & omnes beni-
40 gnantur in operibus eius . * Et non eſt in iudicio
eius iniquum,ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas,
& maieſtas omnium æuorum. Benedictus Deus ve-
41 ritatis. * Et deſijt loquendo . Et omnes populi cla-
mauerunt, & dixerunt, Magna eſt veritas, & præua-
42 let. * Tunc rex ait illi, Pete,ſi quid vis amplius,quã
quæ ſcripta ſunt , & dabo tibi , ſecundum quod in-
uentus es ſapientior proximis, & proximus mihi ſe-
43 debis,& cognatus meus vocaberis. * Tunc ait regi ,
Memor eſto voti tui,quod vouiſti, ædificare Ieruſa-
44 lem,in die qua regnum accepiſti : * & omnia vaſa ,
quæ accepta ſunt ex Ieruſalem,remittere,quæ ſepa-
rauit Cyrus ,quando mactauit Babyloniam , & vo-
45 luit remittere ea ibi. * Et tu vouiſti ædificare tem-
plum,quod incenderunt Idumæi, quando extermi-
46 nata eſt Iudæa à Chaldæis. * Et nunc hoc eſt,quod
poſtulo Domine , & quod peto , hoc eſt maieſtas ,
quod à te poſtulo,vt facias votum, quod vouiſti re-
47 gi cœli ex ore tuo. * Tunc ſurgens Darius rex,oſcu-
latus eſt illum: & ſcripſit epiſtolas ad omnes diſpen-
ſatores, & præfectos , & purpuratos , vt deducerent
eum , & eos qui cum illo erant, omnes aſcendentes
48 ædificare Ieruſalem . * Et omnibus præfectis, qui e-
rant in Syria , & Phœnice , & Libano ſcripſit epiſto-
las , vt traherent ligna cedrina à Libano in Ieruſa-
49 lem , vt ædificarent cum eis ciuitatem . * Et ſcripſit
omnibus Iudæis , qui aſcendebant à regno in Iu-
dæam pro libertate,omnem potentem, & magiſtra-
tum , & præfectum non ſuperuenire ad ianuas ipſo-
50 rum, * & omnem regionem quam obtinuerant im-
munem eſſe eis,& Idumæi relinquant caſtella, quæ
51 obtinent Iudæorum , * & in ſtructuram templi da-
re per ſingulos annos talenta viginti , vſque dum
52 perædificaretur : * & ſuper ſacrarium holocauſto-
mata vſtulare quotidie, ſicut habent præceptum: a-
53 lia talenta decem offerre per ſingulos annos , * &
omnibus qui procedunt à Babylonia condere ciui-
tatem: vt eſſet libertas,tam ipſius, quàm filijs eorũ ,
54 & omnibus ſacerdotibus, qui præcedunt: * Scripſit
autem & quantitatem , & ſacram ſtolam iuſſit dari ,
55 in qua deſeruirent ; * & Leuitis ſcripſit dare præce-
pta , vſque in diem qua conſummabitur domus , &
56 Ieruſalem extruetur : * & omnibus cuſtodientibus
57 ciuitatem ſcripſit dari eis ſortes,& ſtipendia. * Et di-
miſit omnia vaſa quæcumque ſeparauerat Cyrus à
Babylonia,& omnia quæcumque dixit Cyrus,& ip-
58 ſe præcepit fieri, & mitti Ieruſalem . * Et cum pro-
ceſſiſſet ille adoleſcens, eleuans faciem in Ieruſalẽ ,
59 benedixit regem cœli, * & dixit,Abs te eſt victoria,
& abs te eſt ſapientia, & claritas. Et ego ſeruus tuus
60 ſum. * Benedictus es qui dediſti mihi ſapientiam,&

tibi

## Tranſl. ex Septuag.

21 Et præcedebant dona ad faciem eius: ipſe autem dormiuit nocte illa in caſtris.

22 Surgens autem nocte illa accepit duas vxores, & duas ancillas, & vndecim paruulos ſuos, & tranſiuit tranſitum ipſius Iaboc.

23 Et accepit eos, & tranſiuit torrentem, & traduxit omnia ſua.

24 Remanſit autem Iacob ſolus: & luctabatur homo cum eo vſque mane.

25 Vidit autem, quia non valet erga eum: & tetigit latitudinem femoris eius, & obtorpuit latitudo femoris Iacob, dum luctatur ipſe cum eo.

26 Et dixit ei: dimitte me, aſcendit enim diluculum. At ille dixit: Non te dimittam, niſi me benedixeris.

27 Dixit autem ei: Quod eſt nomen tuum? At ille dixit: Iacob.

28 Et dixit ei: Non vocabitur vltra nomen tuum Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum: quia inualuiſti cum Deo; & cum hominibus potens eris.

29 Iacob autem interrogauit. Et dixit; annuncia mihi nomen tuum. Et dixit: Vt quid hoc interrogas tu nomen meum? Et benedixit eum ibi.

30 Et vocauit Iacob nomen loci illius, ſpecies Dei: Vidi enim Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.

31 Ortus eſt autem ei ſol, quādo tranſiuit ſpecies Dei: ipſe autem claudicabat femore ſuo.

32 Propter hoc non manducarent filij Iſrael neruum, qui obtorpuit, qui eſt ſuper latitudinem femoris vſque in diem hanc: quia tetigit latitudinem femoris Iacob, neruum, qui obtorpuit.

### CAP. XXXIII.

1 Reſpiciens autem Iacob oculis ſuis vidit: & ecce Eſau frater eius veniens, & quadringenti viri cum eo. Et diuiſit Iacob pueros ſuper Liam, & ſuper Rachel, & duas ancillas:

2 Et poſuit duas ancillas, & filios earum in primis, & Liam, & pueros eius poſt: & Rachel, & Ioſeph vltimos.

3 Ipſe autem præceſſit ante eos: & adorauit ſuper terram ſepties, quoadusque appropinquaret fratri ſuo.

4 Et accurrit Eſau in occurſum eius: & amplexus eum procidit ſuper collum eius: & oſculatus eſt eum: & fleuerunt vtrique.

5 Et reſpiciens Eſau vidit mulieres, & paruulos; & & dixit: Quid? hi tibi ſunt? At ille dixit: paruuli, quos miſericorditer dedit Deus puero tuo.

6 Et appropinquauerunt ancillæ, & filij eorum, & adorauerunt.

7 Et acceſſit Lia & filij eius, & adorauerunt: Et poſt hæc acceſſit Rachel, & Ioſeph, & adorauerunt.

8 Et dixit: Quid? hæc tibi ſunt, omnia caſtra hæc, quibus occurri? At ille dixit. Vt inueniat puer tuus gratiam coram te domine.

9 Dixit autem Eſau: Sunt mihi multa frater: ſint tibi tua.

10 Dixit autem Iacob: ſi inueni gratiam coram te; accipe dona per meas manus: propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum ſi quis videat faciem Dei: & complacebis mihi:

11 Accipe benedictiones meas, quas attuli tibi, quoniam miſertus eſt mei Deus, & ſunt mihi omnia: Et coegit eum; & accepit,

12 Et dixit: Promouentes eamus in rectum.

Dixit

## Chald. Paraph. Tranſl.

21 *Et proceſſit munus ante faciem ſuam, & dormiuit nocte illa in caſtris.*

22 *Et ſurrexit ipſa nocte, & tulit duas vxores ſuas, & duas concubinas ſuas, & vndecim filios ſuos, & tranſiuit vadum Iaboch.*

23 *Et tulit eos, & traduxit eos per torrentem, & traduxit omnia ſua.*

24 *Et remanſit Iacob ſolus: & luctabatur vir cum eo, donec aſcendit aurora.*

25 *Et vidit quòd non potuiſſet cum eo: & tetigit in palmam femoris eius; & commota eſt palma femoris Iacob, cùm luctaretur cum eo.*

26 *Et ait: dimitte me: quia aſcendit aurora. Et dixit ei: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*

27 *Et dixit ei: Quod eſt nomen tuum? Et ait: Iacob.*

28 *Et dixit ei: Non dicetur vltrà Iacob nomen tuum: ſed Iſrael: quoniam princeps es tu coram Deo, & cum hominibus praualebis.*

29 *Et interrogauit eum Iacob, & ait: Indica, obſecro, nomen tuū. Et dixit: Ad quid quæris nomen meum? Et benedixit ei ibi.*

30 *Et vocauit Iacob nomen loci, Peniel: Quia vidi Angelum Dei facie ad faciem: & ſalua facta eſt anima mea.*

31 *Et ortus eſt ei ſol quando tranſiuit Phanuel: & ipſe claudicabat ſuper femur ſuum.*

32 *Propterea nō comedunt filij Iſrael neruum qui emarcuit, qui eſt iuxta palmam femoris, vſque in præſentem diem, eo quòd tetigit in palmam femoris Iacob, in neruo qui emarcuit.*

### *CAP. XXXIII.*

1 *Et leuauit Iacob oculos ſuos, & vidit: & ecce Eſau veniebat, & cum eo quadringenti viri: & diuiſit filios cum Lia, & cum Rachel, & cum duabus concubinis:*

2 *Et poſuit concubinas & filios earum in principio, Liamq́; & filios ſuos poſteriores: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos.*

3 *Et ipſe tranſiuit ante eos, & adorauit ſuper terram ſeptem vicibus, donec appropinquauit vſque ad fratrem ſuum.*

4 *Et cucurrit Eſau in occurſum eius: & amplexatus eſt eum, & ruit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum: & fleuerunt.*

5 *Et leuauit oculos ſuos, viditq́; mulieres & filios; & ait: Qui ſunt iſti tibi? Et ait: Filij ſunt quos donauit Deus ſeruo tuo.*

6 *Et acceſſerunt concubinæ & filij earum, & adorauerunt.*

7 *Et acceſſit etiam Lia & filij ſui, & adorauerunt: Et poſteà acceſſit Ioſeph & Rachel, & adorauerunt.*

8 *Et ait: Ad quid tibi hæc turma quam obuiam habui? Et ait: Vt inueniam gratiam in oculis domini mei.*

9 *Et dixit Eſau: Habeo multum, frater mi: proſit tibi quod tuum eſt.*

10 *Et dixit Iacob: Obſecro nunc, ſi inueni nunc gratiam in oculis tuis, vt ſuſcipias munus meum de manu mea: quia ſic vidi faciem tuam, quaſi viderim faciem principum: & placuiſti mihi.*

11 *Suſcipe, obſecro, munus meum quod oblatum eſt tibi: quoniam miſertus eſt mihi Deus, & quoniam habeo omnia: Et coegit eum, & ſuſcepit.*

12 *Et dixit: Proficiſcere & eamus, & ibo è regione tui.*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

tibi confitebor Domine Deus patrum noſtrorum .
* Et accepit epiſtolas , & profectus eſt in Babylo- 61
niam. Et venit, & nunciauit fratribus ſuis omnibus
qui fuerunt in Babylonia: * & benedixerunt Deum 62
patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem ,
& refrigerium , * vt aſcenderent , & ædificarent Ie- 63
ruſalem , & templum vbi nominatum eſt nomen
eius in ipſo , & exultauerunt cum muſicis, & lætitia
diebus ſeptem .

### CAP. V.

POſt hæc autem electi ſunt, vt aſcenderent prin- 1
cipes pagorum per domos, & tribus ſuas, & vxo-
res illorum, & filij, & filiæ eorum, & ſerui, & ancillæ
ipſorum , & pecora eorum . * Et Darius rex miſit 2
vna cum eis equites mille, donec deducerent eos in
Ieruſalem cum pace, & cum muſicis, & cum tympa-
nis , & tibijs . * & omnes fratres erant ludentes , & 3
fecit eos aſcendere ſimul cum eis. * Et hæc ſunt no- 4
mina virorum , qui aſcenderunt per pagos ſuos in
tribus, & in partem principatus ipſorum . * Sacer- 5
dotes : Filij Phinees , filij Aaron , Ieſus filius Ioſe-
dec , Ioacim filius Zorobabel filij Salathiel de do-
mo Dauid, ex progenie Phares, de tribu Iuda, * qui 6
locutus eſt ſub Dario rege Perſarum ſermones mi-
rificos in ſecundo anno regni ipſius menſe Niſan
primo. * Sunt autem hi , qui aſcenderunt ex Iudæa 7
de captiuitate tranſmigrationis, quos tranſmigrauit
Nabuchodonoſor rex Babyloniæ in Babylonem , &
reuerſus eſt in Ieruſalem . * Et requiſiuit partem 8
Iudææ vnuſquiſque in ciuitatem ſuam , qui vene-
runt cum Zorobabel, & Ieſu, Nehemias, Areores ,
Elimeo, Emmanio, Mardocheo, Beelſuro, & Mech-
pſatochor, Olioro. Emonia vnus de principibus eo-
rum. * Et numerus à gentilibus eorum, ex præpoſi- 9
tis eorum filij Phares , duo millia centum ſeptua-
gintaduo: * filij Ares tria millia centum quinqua- 10
gintaſeptem : * filij Phoroſ centum quadraginta 11
duo: in filijs Ieſu, & Ioabes, mille trecenti duo: * fi- 12
lij Demu, duo millia quadringenti ſeptuaginta : fi-
lij Choraba, ducentiquinque: filij Banica , centum
ſexagintaocto: * filij Bebech, quadringenti tres: fi- 13
lij Archad, quadringenti vigintiſeptem: * filij Chã, 14
trigintaſeptem: filij Zoroar, duo millia ſexagintaſe-
ptem: filij Adin, quadringenti ſexaginta vnus: * filij 15
Aderecthi, centum octo: filij Ciaſo, & Zelas, centum
ſeptem: filij Azoroc, quadringenti triginta nouem :
* filij Iedarbone , centum triginta duo: filij Ana- 16
niæ, centum triginta : filij Aſoni, nonaginta : * filij 17
Marſar, quadringenti viginti duo: filij Zabarus, no-
nagintaquinque : filij Sepolemon, centum viginti-
tres : * filij Nepopas , quinquagintaquinque: filij 18
Nechanatus, centum quinquagintaocto: filij Cebe-
thamus , centum trigintaduo : * filij Crearpatros, 19
qui Enocadies, & Modiæ, quadringenti vigintitres :
qui ex Gramas , & Gabea , centum viginti vnus :
* qui ex Beſſelon, & Ceagge, ſexagintaquinque: qui 20
ex Baſtaro, centum vigintiduo : * Qui ex Bechenobes, 21
bes, quinquagintaquinque : filij Labonni , trecenti
quinquagintaſeptem : * filij Sichem , trecenti ſep- 22
tuaginta: filij Suadon, & Chomus, trecenti ſeptua-
gintaocto: * filij Ericus, duo millia centum quadra- 23
gintaquinque: filij Anaas, trecenti ſeptuaginta. Sa-
cerdotes: * Filij Ieddus, filij Enther, filij Eliaſib, tre- 24
centi ſeptuagintaduo : filij Emerus , ducenti quin-
quagintaduo : * filij Phaſurij, trecenti quinquagin- 25
taſeptem: filij Caree, ducenti vigintiſeptem. * Le- 26
uitæ: Filij Ieſu in Caduhel, & Banus, & Serebias, &
Edias, ſeptuagintaquattuor . omnis numerus à duo-
decimo anno, triginta millia quadringenti ſexagin-
27 taduo, * filij, & filiæ, & vxores, omnis computatio ,
28 quadraginta millia ducenti quadragintaduo. * Filij
ſacerdotum, qui pſallebant in templo : filij Aſaph ,
29 centum vigintiocto. * Oſtiarij vero : filij Esmenni ,
filij Azer, filij Amnon, filij Accuba, Topa filij To-
30 bi, omnes centum triginta nouem. * Sacerdotes ſer-
uientes in templo: filij Sel, filij Gaſpha, filij Tobloch,
ch, filij Cariæ, filij Su, filij Heliu, filij Labana, filij
Armacha, filij Accub, filij Vtha, filij Ceſha, filij Ag-
gab, filij Obai, filij Anani, filij Canna, filij Geddu ,
31 * filij An, filij Radin, filij Deſanon, filij Nachoba, fi-
lij Caſeba, filij Gaze, filij Ozui, filij Sinone, filij At-
re, filij Haſten, filij Aſiana, filij Manei, filij Naſiſ-
ſim, filij Accuſu, filij Agiſta, filij Azui, filij Fanon, fi-
32 lij Phaſalon, * filij Meedda, filij Phuſa, filij Caree,
filij Barcus, filij Saree , filij Coeſi, filij Naſith , filij
33 Agiſti , filij Pedon , * Salomon filij eius , filij Aſo-
phot, filij Phaſida, filij Celi, filij Dedon, filij Gad-
34 dahel, filij Sephegi, * filij Aggia, filij Sachareth, fi-
lij Sabathen, filij Caroneth, filij Malſith, filij Amæ,
filij Saſus, filij Addus, filij Suba, filij Eura, filij Ra-
35 hotis, filij Phaſphat , filij Malmon. * Omnes ſacro
ſeruientes, & pueri Salomonis , quadringenti octo-
36 gintaduo . * Hi ſunt filij qui aſcenderunt à Thel-
mela, Telharſa: principes eorum, Carmellam, & Ca-
37 reth: * & non poterant edicere ciuitates ſuas , &
progenies ſuas, quemadmodum ſint ex Iſrael. Filij
38 Dalari, filij Tubal, filij Nechodaici , * ex ſacerdoti-
bus, qui fungebantur ſacerdotio: & non ſunt inuen-
ti filij Obia, filij Achiſos, filij Addin, qui accepit v-
39 xorem ex filiabus Phargeleu: * & vocati ſunt no-
mine eius, & horum quæſita eſt generis ſcriptura in
prædatura , & non eſt inuenta, & prohibiti ſunt ſa-
40 cerdotio fungi. * Et dixit illis Nehemias , & Aſtha-
ras, Ne participentur ſancta, donec exurgat Ponti-
41 fex doctus in oſtenſionem , & veritatem . * Omnis
autem Iſrael erat exceptis ſeruis, & ancillis, quadra-
42 ginta duo millia trecenti quadraginta . * Serui ho-
rum, & ancillæ, ſeptem millia trecenti triginta ſep-
tem . Cantores, & cantatrices , ducenti ſexaginta-
43 quinque. * Cameli, quadringenti trigintaquinque .
Equi ſeptem millia trigintaſex. Muli, ducenta mil-
lia quadragintaquinque. Subiugalia, quinque mil-
44 lia vigintiquinque . * Et de præpoſitis ipſis per pa-
gos , dum venirent in templum Dei , quod erat in
Ieruſalem , innouare , & ſuſcitare templum in loco
45 ſuo, ſecundum ſuam virtutem. * Et dari in templum
the aurum operum ſacrum anti minas duodecim
millia, & minas argenti quinque millia, & ſtolas ſa-
46 cerdotales centum. * Et habitauerunt Sacerdotes ,
& Leuitæ, & qui exierant de plebe in Ieruſalem, &
in regione, & ſacri cantores, & oſtiarij. & omnis Iſ-
47 rael in regionibus ſuis . * Inſtante autem ſeptimo
menſe , cumque eſſent filij Iſrael vnuſquiſque in
ſuis rebus , conuenerunt vnanimes in atrium, quod
48 erat ante ianuam Orientalem . * Et ſtantes Ieſus fi-
lius Ioſedech, & fratres eius ſacerdotes, & Zoroba-
bel filius Salathiel, & huius fratres, parauerunt alta-
49 re , * vt offerrent ſuper illud holocauſtomata , ſe-
cundum quæ in libro Moyſi hominis Dei ſcripta
50 ſunt. * Et conuenerunt ibi ex alijs nationibus terræ,
& erexerunt ſacrarium in loco ſuo omnes gentes
terræ, & offerebant hoſtias, & holocauſtomata Do-
51 mino matutina. * Et egerunt ſcenopegiam, & diem
ſolemnem, ſicut præceptum eſt in lege: & ſacrificia
52 quotidie, ſicut oportebat : * & poſt hæc oblationes
inſtitutas, & hoſtias ſabbatorum, & neomeniarum, &
53 dierum ſolemnium omnium ſanctificatorum . * Et
quotquot vouebant Domino à neomenia ſeptimi
menſis,

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

menſis, cœperunt hoſtias offerre Deo, & tem-
plum Domini nondum erat ædificatum. * Et dede- 54
runt pecuniam lapidariis, & fabris, & potum, &
pabula cum gaudio. * Et dederunt carra Sido- 55
niis, & Tyriis, vt tranſueherent illis de Libano
trabes cedrinas, & facerent rates in Ioppe portu,
ſecundum decretum quod ſcriptum erat eis à Cy-
ro rege Perſarum. * Et in ſecundo anno venien- 56
tes in templum Dei in Ieruſalem, menſe ſecundo
inchoauit Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius
Ioſedec, & fratres ipſorum, & ſacerdotes, & Leui-
tæ, & omnes qui venerant de captiuitate in Ieru-
ſalem: * & fundauerunt templum Dei nouilunio 57
ſecundi menſis ſecundi anni cum veniſſent in Iu-
dæam, & Ieruſalem. * Et ſtatuerunt Leuitas à vi- 58
ginti annis, ſuper opera Domini: & ſtetit Ieſus, &
filius eius, & fratres omnes Leuitæ conſpirantes, &
executores legis, facientes opera in domo Domi-
ni. * Et ſteterunt ſacerdotes habentes ſtolas cum 59
tubis: & Leuitæ filii Aſaph, habentes cymbala,
* collaudantes Dominum, & benedicentes ſecun- 60
dum Dauid regem Iſrael. * Et cantabant canti- 61
cum Domino, quoniam dulcedo eius, & honor
in ſæcula ſuper omnem Iſrael. * Et omnis popu- 62
lus tuba cecinerunt, & proclamauerunt voce ma-
gna, collaudantes Dominum in ſuſcitatione do-
mus Domini. * Et venerunt ex ſacerdotibus, & 63
Leuitis, & præſidentibus ſecundum pagos ſeniori-
bus, qui viderant priſtinam domum: * & ad hu- 64
ius ædificationem cum clamore, & planctu magno,
& multi cum tubis, & gaudio magno: * in tantum 65
vt populus non audiret tubas propter planctum po-
puli. Turba enim erat tubis canens magnificè, ita
vt longe audiretur. * Et audierunt inimici tribus 66
Iudæ, & Beniamin, & venerunt ſcire quæ eſſet
vox tubarum. * Et cognouerunt quoniam qui e- 67
rant ex captiuitate, ædificant templum Domino
Deo Iſrael. * Et accedentes ad Zorobabel, & Ie- 68
ſum, præpoſitos pagorum, dixerunt eis, Ædifica-
bimus vna vobiſcum: * Similiter enim audiuimus 69
Dominum veſtrum, & ipſi pariter incedimus à die-
bus Aſbazareth regis Aſſyriorum, qui tranſmigra-
uit nos huc. * Et dixit illis Zorobabel, & Ieſus, & 70
principes pagorum Iſrael, * Non eſt nobis, & vo- 71
bis ædificare domum Dei noſtri, nos enim ſoli æ-
dificabimus Domino Iſrael ſecundum ea, quę præ-
cepit nobis Cyrus rex Perſarum. * Gentes autem 72
terræ incumbentes his qui ſunt in Iudæa, & leuan-
tes opus ædificationis, & inſidias, & populos addu-
centes prohibebant eos ædificare, * & aggreſſuras 73
exercentes impedierunt, ne conſummaretur ædi-
ficium omni tempore vitæ Cyri regis, & protraxe-
runt ſtructuram per biennium vſque ad Darii re-
gnum.

### CAP. VI.

IN ſecundo autem anno regni Darii propheta- 1
uit Aggæus, & Zacharias filius Addin prophetæ
apud Iudæam, & Ieruſalem in nomine Dei Iſrael
ſuper eos. * Tunc ſtans Zorobabel filius Salathiel, 2
& Ieſus filius Ioſedec, inchoauerunt ædificare do-
mum Domini, quæ eſt in Ieruſalem: * cum adeſ- 3
ſent eis prophetæ Domini, & adiuuarent eos. In
ipſo tempore venit ad illos Siſennes ſubregulus Sy-
riæ, & Phœnicis, & Satrabuzanes, & ſodales e-
ius, * & dixerunt eis. Quo pręcipiente vobis do- 4
mum hanc ędificatis, & tectum iſtud, & alia om-
nia perficitis? & qui ſunt ſtructores, qui hęc ędifi-
5 cant? * Et habuerunt gratiam viſitatione facta ſu-
per eos, qui erant ex captiuitate à Domino ſenio-
6 res Iudæorum. * & non ſunt impediti ædificare,
donec ſignificaretur Dario de omnibus illis, & re-
7 ſponſum acciperetur. * Exemplum epiſtolæ, quam
miſerunt Dario. SISENNES ſubregulus Sy-
riæ, & Phœnicis, & Satrabuzanes, & ſodales eius
in Syria, & Phœnice præſides, regi Dario ſalu-
8 tem. * Omnia nota ſint Domino regi, quod cum
veniſſemus in regionem Iudææ, & introiſſemus in
Ieruſalem, inuenimus ædificantes domum Dei
9 magnam: * & templum ex lapidibus politis, & ma-
10 gnis, & pretioſis materiis in parietibus, * & opera
illa inſtanter fieri, & ſuffragare, & proſperare in
manibus eorum, & in omni gloria, quàm diligen-
11 tiſſime perfici. * Tunc interrogauimus ſeniores,
dicentes, Quo permittente vobis ædificatis domum
12 illam, & opera hæc fundatis? * Ideo autem inter-
rogauimus eos, vt notum faceremus tibi homines,
& præpoſitos, & nominum ſcripturam præpoſito-
13 rum pullulauimus illos. * At illi reſponderunt
nobis, dicentes, Nos ſumus ſerui Domini, qui fe-
14 cit cœlum, & terram; * & ædificabatur hæc do-
mus ante annos iſtos multos à rege Iſrael magno,
15 & fortiſſimo, & conſummata eſt. * Et quoniam
patres noſtri exacerbantes erant, & peccauerunt in
Deum Iſrael, tradidit eos in manus Nabuchodo-
16 noſor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum, * &
domum illam demolientes incenderunt, & popu-
17 lum captiuum duxerunt in Babylonem. * In pri-
mo anno regnante Cyro rege Babyloniæ, ſcripſit
18 Cyrus rex domum hanc ædificare, * & illa ſacra
vaſa aurea, & argentea, quæ extulerat Nabucho-
donoſor de domo, quæ eſt in Ieruſalem, & conſe-
crauerat ea in ſuo templo, rurſus protulit ea Cyrus
rex de templo, quod erat in Babylonia, & tradita
19 ſunt Zorobabel, & Salmanaſaro ſubregulo: * Et
præceptum eſt eis, vt offerrent hæc vaſa, & repo-
nerent in templo, quod erat in Ieruſalem, & ip-
20 ſum templum Dei ædificare in loco ſuo. * Tunc
Salmanaſarus ſubiecit fundamenta domus Domi-
ni, quæ eſt in Ieruſalem: & exinde vſque nunc
ædificatur, & non accepit conſummationem.
21 * Nunc ergo ſi iudicatur à te ô rex, perquiratur
in regalibus bibliothecis Cyri regis, quæ ſunt in
22 Babylonia: * & ſi inuentum fuerit conſilio Cyri
regis cœptam eſſe ſtructuram domus Domini, quæ
eſt in Ieruſalem, & iudicatur à Domino rege no-
23 ſtro, ſcribat de his nobis. * Tunc Darius rex
præcepit inquiri in bibliothecis: & inuentus eſt in
Ecbathanis oppido, quod eſt in media regione lo-
24 cus enim, in quo ſcripta erant iſta: * ANNO pri-
mo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum
Domini, quæ eſt in Ieruſalem ædificare, vbi in-
25 cendebant igni aſſiduo, * cuius altitudo ſit cubi-
torum decem, & latitudo cubitorum ſexaginta,
quadratum lapidibus politis tribus, & meniano li-
gneo eiuſdem regionis, & meniano vno nouo, &
26 impendia dari de domo Cyri regis: * & ſacra vaſa
domus Domini, tam aurea, quàm argentea, quæ
extulit Nabuchodonoſor in domum Domini, quæ
eſt in Ieruſalem, vbi erant poſita, vt ponantur il-
27 lic: * & præcepit curam agere Siſennem ſubregu-
lum Syriæ, & Phœnicis, & Satrabuzanem, & ſo-
dales eius, & qui ordinati erant in Syria, & Phœ-
nice præſides, vt abſtinerent ſe ab eodem loco.
28 * Et ego quoque præcepi in totum ædificare: &
proſpexi, vt adiuuent eos, qui ſunt ex captiuitate
Iudæorum, donec conſummetur templum ædis
29 Domini: * & à vexatione tributorum Cœleſyriæ,

& Phœ-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

& Phœnicis, diligenter quantitatem dari his homi-
nibus ad ſacrificium Domini, Zorobabel præfecto,
ad tauros, & arietes, & agnos, * ſimiliter autem, 30
& frumentum, & ſal, & vinum, & oleum inſtanter
per ſingulos annos, prout ſacerdotes qui ſunt in Ie-
ruſalem, dictauerunt conſumi quotidie ſine vlla
dilatione, * vt offerantur libationes ſummo Deo 31
pro rege, & pueris eius, & orent pro ipſorum vita:
* & denuncietur, vt quicumque tranſgreſſi fuerint 32
aliquid ex his quæ ſcripta ſunt, aut ſpreuerint, ac-
cipiatur lignum de ſuis proprijs, & ſuſpendantur,
& bona ipſorum regi aſcribantur. * Propterea & 33
Dominus, cuius nomen inuocatum eſt ibi, exter-
minet omnem regem, & gentem, qui manum
ſuam extenderit prohibere, aut male tractare do-
mum Domini illam, quæ eſt in Ieruſalem. * Ego 34
Darius rex decreui, quàm diligentiſſime ſecun-
dum hæc fieri.

### CAP. VII.

TVnc Siſennes ſubregulus Cœleſyriæ, & Phœ- 1
nicis, & Satrabuzanes, & ſodales obſecuti his,
quæ à Dario rege erant decreta, * inſiſtebant ſa- 2
cro ſanctis operibus diligentiſſime, cooperantes
cum ſenioribus Iudæorum principibus Syriæ. * & 3
proſperata ſunt ſacroſancta opera prophetantibus
Aggæo, & Zacharia prophetis. * Et conſumma- 4
uerunt omnia per præceptum Domini Dei Iſrael,
& ex conſilio Cyri, & Darij, & Artaxerxis regis
Perſarum. * Et conſummata eſt domus noſtra vſ- 5
que ad tertiam, & vigeſimam diem menſis Adar,
ſexto anno Darij regis. * Et fecerunt filij Iſrael, 6
& ſacerdotes, & Leuitæ, & cæteri qui erant ex ca-
ptiuitate, qui appoſiti ſunt ſecundum ea, quæ ſcri-
pta ſunt in libro Moyſi. * Et obtulerunt in dedi- 7
cationem templi Domini, tauros centum, arietes
ducentos, agnos quadringentos, * & hædus pro 8
peccatis vniuerſi Iſrael, duodecim, ſecundum nu-
merum tribuum Iſrael. * Et ſteterunt ſacerdotes, 9
& Leuitæ amicti ſtolis per tribus ſuper omnia ope-
ra Domini Dei Iſrael ſecundum librum Moyſi, &
oſtiarij per ſingulas ianuas. * Et egerunt filij Iſ- 10
rael cum his qui erant ex captiuitate, illud Phaſe
quartadecima luna menſis primi, quando ſanctifi-
cati ſunt ſacerdotes, & Leuitæ. * Omnes filij ca- 11
ptiuitatis non ſunt ſimul ſanctificati, quia Leuitæ
omnes ſimul ſanctificati ſunt. * Et immolauerunt 12
Phaſe vniuerſi filij captiuitatis, & fratribus ſuis ſa-
cerdotibus, & ſibimetipſis. * Et manducauerunt 13
filij Iſrael, qui erant ex captiuitate omnes qui re-
manſerant ab omnibus execrationibus gentium ter-
ræ quærentes Dominum. * & celebrauerunt diem 14
feſtum azymorum ſeptem diebus epulantes in con-
ſpectu Domini, * quoniam conuertit conſilium re- 15
gis Aſſyriorum in eos, confortare manus eorum ad
opera Domini Dei Iſrael.

### CAP. VIII.

ET poſt hunc regnante Artaxerxe Perſarum 1
rege, acceſſit Eſdras filius Azariæ, filij Hel-
ciæ, filij Salome, * filij Sadoc, filij Achitob, filij 2
Ameri, filij Azahel, filij Bocci, filij Abiſue, filij
Phinees, filij Eleazari, filij Aaron primi ſacerdo-
tis: * hic Eſdras aſcendit de Babylonia, cum eſſet 3
ſcriba, & ingenioſus in lege Moyſi, quæ data eſt à
Domino Deo Iſrael docere, & facere. * Et dedit 4
ei rex gloriam, quòd inueniſſet gratiam in omni
5 dignitate, & deſiderio in conſpectu eius. * Et a-
ſcenderunt ſimul cum ipſo ex filijs Iſrael, & ſacer-
dotibus, & Leuitis, & ſacris cantoribus templi, &
6 oſtiarijs, & ſeruis templi in Ieruſalem. * Anno
ſeptimo regnante Artaxerxe, in quinto menſe,
hic annus ſeptimus eſt regni, exeuntes de Baby-
7 lonia nouilunio quinti menſis, * venerunt Iero-
ſolymam iuxta præceptum illius ſecundum pro-
ſperitatem itineris à Domino ipſorum datam eis.
8 * In his enim Eſdras magnam diſciplinam obtine-
bat, ne prætermitteret quidquam eorum, quæ eſ-
ſent ex lege Domini, & præceptis, & docendo v-
niuerſum Iſrael omnem iuſtitiam, & iudicium.
9 * Accedentes autem, qui ſcribebant ſcripta Arta-
xerxis regis tradiderunt ſcriptum, quod obuene-
rat ab Artaxerxe rege ad Eſdram ſacerdotem, &
lectorem legis Domini, cuius exemplum ſube-
10 ctum eſt. * REX Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti, &
11 lectori legis Domini ſalutem. * Humanior ego
iudicans in beneficijs, præcepi eis, qui deſiderant
ex gente Iudæorum ſua ſponte, & ex ſacerdotibus,
& Leuitis, qui ſunt in regno meo, comitari tecum
12 in Ieruſalem. * Si qui ergo cupiunt ire tecum,
conueniant, & proficiſcantur ſicut placuit mihi, &
13 ſeptem amicis meis conſiliarijs, * vt viſitent ea,
quæ aguntur ſecundum Iudæam, & Ieruſalem,
14 obſeruantes ſicut habes in lege Domini, * & ferant
munera Domino Deo Iſrael, quæ voui ego & a-
mici Ieruſalem, & omne aurum, & argentum,
quod inuentum fuerit in regione Babyloniæ Do-
15 mino in Ieruſalem cum illo, * quod eſt donatum
pro ipſa gente in templum Domini eorum, quod
eſt in Ieruſalem: vt colligatur hoc aurum, & ar-
gentum ad tauros, & arietes, & agnos, & hœdos,
16 & quæ his ſunt congruentia, * vt offerant hoſtias
Domino ſuper altare Domini ipſorum, quod eſt
17 in Ieruſalem. * Et omnia quæcumque volueris
cum fratribus tuis facere auro, & argento, perfice
pro voluntate tua ſecundum præceptum Domini
18 Dei tui: * & ſacroſancta vaſa, quæ data ſunt tibi
ad opera domus Domini Dei tui, quæ eſt in Ieru-
19 ſalem: * & cætera quæcumque tibi ſubuenerint ad
opera templi Dei tui, dabis de regali gazophyla-
20 cio: * cum volueris cum fratribus tuis facere au-
ro, & argento, perfice ſecundum voluntatem
21 Domini. * Et ego quidem rex Artaxerxes præce-
pi cuſtodibus theſaurorum Syriæ, & Phœnicis, vt
quæcumque ſcripſerit Eſdras ſacerdos, & lector le-
gis Domini, diligenter detur ei vſque ad argenti
22 talenta centum, ſimiliter & auri: * & vſque ad
frumenti modios centum, & vini amphoras cen-
tum, & alia quæcumque abundant ſine taxatio-
23 ne. * Omnia ſecundum legem Dei fiant Deo al-
tiſſimo, ne forte exurgat ira in regno regis, & fi-
24 lij, & filiorum eius. * Vobis autem dicitur, vt
omnibus ſacerdotibus, & Leuitis, & ſacris canto-
ribus, & ſeruis templi, & ſcribis templi huius,
25 * nullum tributum, neque vlla alia indictio in-
getur, nec habeat quiſquam poteſtatem obijcere
26 eis quicquam. * Tu autem Eſdra ſecundum ſen-
tentiam Dei conſtitue iudices, & arbitros in tota
Syria, & Phœnice: & omnes qui legem Dei tui
27 non nouerunt, doce: * vt quotquot tranſgreſſi
fuerint legem, diligenter plectantur, ſiue morte,
ſiue cruciatu, ſiue etiam pecuniæ mulctatione,
28 vel abductione. * Et dixit Eſdras ſcriba: Benedi-
ctus Deus patrum noſtrorum, qui dedit hanc vo-
luntatem in cor regis, clarificare domum ſuam,
29 quæ eſt in Ieruſalem, * & me honorificauit in con-

ſpectu

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

ſpectu regis, & conſiliariorum, & amicorum, &
30 purpuratorum eius. * & ego conſtans animo factus
ſum ſecundum opitulationem Domini Dei mei, &
congregaui ex Iſrael viros, vt ſimul aſcenderent
31 mecum. * Et hi ſunt præpoſiti ſecundum ſuas pa-
trias, & principatus portionales eorum, qui me-
cum aſcenderunt de Babylonia in regno Artaxer-
32 xis. * Et ex filijs Phares, Gerſomus: ex filijs
Slemarith, Amenus: filiorum Dauid, Acchus fi-
33 lius Secciliæ: * ex filijs Phares, Zacharias, & cum
34 eo reuerſi ſunt viri centum quinquaginta: * ex fi-
lijs ductoris Moabilonis Zarai, & cum ipſo viri
35 ducenti quinquaginta: * ex filijs Zachues, Iecho-
nias Zecholei, & cum ipſo viri ducenti quinqua-
36 ginta: * ex filijs Sala, Maaſias Gotholiæ, & cum
37 ipſo viri ſeptuaginta: * ex filijs Saphatiæ, Zarias
38 Micheli, & cum ipſo viri octoginta: * ex filijs Iob,
Abdias Jeheli, & cum ipſo viri ducenti duode-
39 cim: * ex filijs Baniæ, Salimoth, filius Ioſaphiæ,
40 & cum ipſo viri centum ſexaginta: * ex filijs Beer,
Zacharias Bebei, & cum ipſo viri ducenti octo:
41 * ex filijs Ezead, Ioannes Ecceran, & cum ipſo
42 viri centum decem: * ex filijs Adonicam ipſis po-
ſtremis, & hæc ſunt nomina eorum, Eliphalam fi-
lius Gebel, & Semeias, & cum ipſo viri ſeptua-
43 ginta. * Et congregaui eos ad fluuium, qui dici-
tur Tobia, & metati ſuimus illic triduo, & reco-
44 gnoui eos. * Et ex filijs ſacerdotum, & Leuita-
45 rum non inueni illic. * Et miſi ad Eleazarum, &
Eccelon, & Maſman, & Maloban, & Enaathan, &
Samea, & Ioribum, Nathan, Ennagam, Zacha-
riam, & Moſolamum ipſos ductores, & peritos:
46 * & dixi eis, vt venirent ad Loddeum, qui erat a-
47 pud locum gazophylacij. * Et mandaui eis, vt di-
cerent Loddeo, & fratribus eius, & illis, qui erant
in gazophylacio, vt mitterent nobis eos qui ſacer-
dotio fungerentur in domo Domini Dei noſtri:
48 * & adduxerunt nobis ſecundum manum validam
Domini Dei noſtri viros peritos: ex filijs Moholi,
filij Leui, filij Iſrael, Sebebian, & filios, & fra-
49 tres, qui erant decem & octo: * Aſbiam, & A-
min ex filijs filiorum Chananæi, & filij eorum vi-
50 ri viginti. * Et ex his qui templo ſeruiebant, quos
dedit Dauid, & ipſi principes ad operationem Le-
uitis templo ſeruientium ducenti viginti. Om-
51 nia nomina ſignificata ſunt in ſcripturis. * Et vo-
ui illic ieiunium iuuenibus in conſpectu Dei, vt
quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiſ-
cum erant, & filijs, & pecoribus propter inſidias.
52 * Erubui enim petere à rege pedites, & equites
in comitatu, tutelæ gratia contra aduerſarios no-
53 ſtros. * Diximus enim regi, quoniam virtus Do-
mini erit cum eis, qui inquirunt eum in omni af-
54 fectu. * Et iterum deprecati ſumus Dominum
Deum noſtrum ſecundum hæc: quem & propi-
tium habuimus, & compotes facti ſumus Deo no-
55 ſtro. * Et ſeparaui ex plebis præpoſitis, & ſacer-
dotibus templi viros duodecim, & Sedebiam, &
Aſannam, & cum eis ex fratribus eorum viros de-
56 cem: * & appendi eis aurum, & argentum, & va-
ſa ſacerdotalia domus Dei noſtri, quæ donauerat
rex, & conſiliarij eius, & principes, & omnis Iſ-
57 rael. * Et cum appendiſſem, tradidi argenti ta-
lenta centum quinquaginta, & vaſa argentea ta-
58 lentorum centum, & auri talenta centum, * &
vaſorum aureorum ſepties viginti, & vaſa ærea de
bono æramento ſplendentia, duodecim, auri ſpe-
59 ciem reddentia. * & dixi eis: Et vos ſancti eſtis
Domino, & vaſa ſunt ſancta, & aurum, & argen-
tum votum eſt Domino Deo patrum noſtrorum.

60 * Vigilate, & cuſtodite, donec tradatis ex plebis
præpoſitis, & ſacerdotibus, & Leuitis, & princi-
pibus ciuitatum Iſrael in Ieruſalem, in paſtopho-
61 rio domus Dei noſtri. * Et hi qui ſuſceperunt
ſacerdotes, & Leuitæ aurum, & argentum, & va-
ſa, intulerunt in Ieruſalem in templum Domini.
62 * Et promouimus à fluuio Thia, die duodecima
menſis primi, vſquequo introiuimus in Ieruſa-
63 lem. * Et cum factus fuiſſet tertius dies, quarta
autem die ponderatum aurum, & argentum tra-
ditum eſt in domo Domini Dei noſtri, Marimoth
64 filio Iori ſacerdoti: * & cum ipſo erat Eleazar fi-
lius Phinees: & erant cum ipſis Ioſadus filius Ie-
ſu, & Medias, & Banni filius Leuitæ ad nume-
65 rum, & ad pondus vniuerſa. * Et ſcriptum eſt
66 pondus ipſorum eadem hora. * Qui autem vene-
runt ex captiuitate, obtulerunt ſacrificium Do-
mino Deo Iſrael, tauros duodecim pro omni Iſ-
67 rael, arietes octoginta ſex, * agnos ſeptuaginta-
duos, hircos pro peccato duodecim, & pro ſalu-
te vaccas duodecim, omnia in ſacrificium Domi-
68 ni. * Et relegerunt præcepta regis regalibus di-
ſpenſatoribus, & ſuis regulis Cœleſyriæ, & Phœ-
nicis: & honorificauerunt gentem, & templum
69 Domini. * Et conſummatis his, acceſſerunt ad
me præpoſiti, dicentes: Non ſegregauerunt genus
Iſrael, & Principes, & Sacerdotes, & Leuitæ,
70 * & alienigenæ gentes, & nationes terræ immun-
ditias ſuas à Chananæis, & Hethæis, & Phere-
zæis, & Iebuzæis, & Moabitis, & Ægyptijs, &
71 Idumæis. * coniuncti enim ſunt filiabus eorum,
& ipſi, & filij eorum, & miſtum eſt ſemen ſan-
ctum alienigenis gentibus terræ: & participes e-
rant præpoſiti, & magiſtratus iniquitatis eius ab
72 initio ipſius regni. * Et mox, vt audiui iſta, con-
ſcidi veſtimenta, & ſacram tunicam: & lacerans
capillos capitis, & barbam, ſedi dolens, & mœ-
73 ſtus. * Et conuenerunt quotquot tunc mouebant-
tur in verbo Domini Dei Iſrael, ad me lugentem
ſuper iniquitatem iſtam, & ſedebam triſtis vſque
74 ad ſacrificium veſpertinum. * Et conſurgens à ie-
iunio, conſciſſa habens veſtimenta, & ſacram tu-
nicam, ingeniculans, & extendens manus ad Do-
75 minum, * dicebam: Domine confuſus ſum, &
76 reueritus ſum ante faciem tuam. * Peccata enim
noſtra multiplicata ſunt ſuper capita noſtra, &
iniquitates noſtræ exaltatæ ſunt vſque ad cœlum.
77 * Quoniam à temporibus patrum noſtrorum ſu-
78 mus in magno peccato vſque ad diem hunc. * Et
propter peccata noſtra, & patrum noſtrorum ſu-
mus traditi cum fratribus noſtris, & cum ſacer-
dotibus noſtris, regibus terræ in gladium, & ca-
ptiuitatem, & deprædationem cum confuſione vſ-
79 que in hodiernum diem. * Et nunc quantum eſt
hoc quod contigit nobis miſericordia abs te Do-
mine Deus, & relinque nobis radicem, & no-
80 men in locum ſanctificationis tuæ, * detegere lu-
minare noſtrum in domo Domini Dei noſtri, da-
re nobis cibum in omni tempore ſeruitutis no-
81 ſtræ. * Et cum ſeruiremus, non ſumus derelicti à
Domino Deo noſtro: ſed conſtituit nos in gratia,
82 ponens nobis reges Perſarum dare cibum. * &
clarificare templum Domini Dei noſtri, & ædifi-
care deſerta Sion, dare nobis ſtabilitatem in Iu-
83 dæa, & Ieruſalem. * Et nunc quid dicimus Do-
mine habentes hæc? Tranſgreſſi enim ſumus præ-
cepta tua, quæ dediſti in manus puerorum tuo-
84 rum prophetarum, * dicens: Quoniam terra, in
quam introiſtis poſſidere hæreditatem eius, terra
polluta eſt coinquinationibus alienigenarum ter-



UVA.BSCH

ræ, & immunditiæ illorum repleuerunt eam to-
tam immunditia ſua. * Et nunc filias veſtras non 85
coniungetis filijs eorum, & filias eorum non acci-
pietis filijs veſtris, * & non inquiretis pacem ha- 86
bere cum illis omni tempore, vt inualeſcentes
manducetis optima terræ, & hæreditatem diſtri-
buatis filijs veſtris vſque in æuum. * Et quæ con- 87
tingunt nobis, omnia ſiunt propter opera noſtra
maligna, & magna peccata noſtra. * Et dediſti 88
nobis talem radicem, & rurſum reuerſi ſumus
tranſgredi legitima tua, vti commiſceremur im-
munditiæ alienigenarum gentium terræ huius.
* Nonne iraſceris nobis perdere nos, quoadúſque 89
non relinquatur radix, & nomen noſtrum? * Do- 90
mine Deus Iſrael, verax es. Derelicta eſt enim
radix vſque in hodiernum diem. * Ecce, nunc 91
ſumus in conſpectu tuo in iniquitatibus noſtris.
Non eſt enim adhuc ſtare ante te in his. * Et 92
cum adorando confiteretur Eſdras, flens, humi
proſtratus ante templum, congregati ſunt ante
eum ex Ieruſalem turma magna valdè, viri, &
mulieres, & iuuenes, & iuuenculæ. Fletus enim
erat magnus in ipſa multitudine. * Et cum cla- 93
maſſet, Iechonias Iecheli ex filijs Iſrael, dixit E-
ſdræ: Nos in Dominum peccauimus, quod collo-
cauimus nobis in matrimonium mulieres alienige-
nas ex gentibus terræ. * Et nunc es ſuper omnem 94
Iſrael. In his ergo ſit iuſiurandum à Domino ex-
pellere omnes vxores noſtras, quæ ex alienigenis
ſunt cum filijs earum. * Sicut tibi decretum eſt à 95
maioribus ſecundum legem Domini exurgens ex-
plica. * Ad te enim ſpectat negocium, & nos tecum 96
ſumus: viriliter fac. * Et exurgens Eſdras adiurauit 97
principes ſacerdotum, & Leuitas, & omnem Iſrael
facere ſecundum hæc, & iurauerunt.

## CAP. IX.

ET exurgens Eſdras ab ante atrium templi, abijt 1
in paſtophorium Ionathæ filij Naſabi, * & ho- 2
ſpitatus illic non guſtauit panem, nec aquam bi-
bit ſuper iniquitatem multitudinis. * Et facta 3
eſt prædicatio in omni Iudæa, & in Ieruſalem
omnibus, qui erant ex captiuitate in Ieruſalem
congregati, * vt quicumque non occurrerit bi- 4
duo, vel triduo dies ſecundum iudicium aſſiden-
tium ſeniorum, tollerentur facultates ſuæ, & ip-
ſe alienus iudicaretur à multitudine captiuitatis.
* Et congregati ſunt omnes, qui erant ex tribu 5
Iuda, & Beniamin in tribus diebus in Ieruſalem.
hic menſis eſt nonus, dies menſis viceſimus. * Et 6
ſedit omnis multitudo in area templi tremen-
tes, propter hyemem præſentem. * Et exurgens 7
Eſdras. dixit illis: Vos inique feciſtis collocan-
tes vobis in matrimonium vxores alienigenas, vt
adderetis ad peccata Iſrael. * Et nunc date con- 8
feſſionem, & magnificentiam Domino Deo pa-
trum noſtrorum. * & perficite voluntatem ip- 9
ſius, & diſcedite à gentibus terræ, & ab vxori-
bus alienigenis. * Et clamauit omnis multitudo, 10
& dixerunt voce magna: Sicut dixiſti, faciemus.
* Sed quoniam multitudo magna eſt, & tempus 11
hybernum, & non poſſumus in ſubdiali ſtare: &
hoc opus non eſt nobis vnius diei, neque bidui,
multum enim in his peccauimus: * ſtent præpoſi- 12
ti multitudinis, & omnes qui vobiſcum inhabi-
tant, & quotquot habent vxores apud ſe alienige-
nas, * & aſſiſtant accepto tempore ex omni loco 13
presbyteri, & iudices vſquequo ſoluant iram Do-
14 mini negotij huius. * Ionathas autem filius Ezie-
li, & Ozias Thecam ſuſceperunt ſecundum hæc:
& Boſoramus, & Leuis, & Sabbathæus ſimul co-
15 operati ſunt cum illis. * Et ſteterunt ſecundum
16 hæc omnia vniuerſi, qui erant ex captiuitate. * Et
elegit ſibi viros Eſdras ſacerdos principes magnos
de patribus eorum ſecundum nomina: & conſe-
derunt nouilunio menſis decimi examinare nego-
17 tium illud. * Et determinatum eſt de viris, qui
habebant vxores alienigenas, vſque ad neomeniam
18 primi menſis: * & inuenti ſunt ex ſacerdotibus
19 permiſti, qui habebant alienigenas vxores. * Ex
filijs Ieſu filij Ioſedec, & fratribus eius: Maſeas,
20 & Eliozerus, & Ioribus, & Ioadeus, * & iniece-
runt manus, vt expellerent vxores ſuas: & ad li-
tandum in exorationem, arietem pro ignorantia
21 ſua. * & ex filijs Semmeri: Maſeas, & Eſes, &
22 Ieelech, Azarias. * & ex filijs Foſere: Limoſias,
Hiſmaenis, & Nathanee, Iuſſio, Reddus, & Thal-
23 ſas. * & ex Leuitis: Iozabdus, & Semeis, & Col-
nis, & Calita, & Facteas, & Colnas, & Elionas.
24 * & ex ſacris cantoribus, Eliaſib, Zaccarus. * &
25 ex oſtiarijs: Salumus, & Tolbanes. * & ex Iſrael:
26 ex filijs Foro, Ozi, & Remias, & Geddias, &
Melchias, & Michelus, Eleazarus, & Iammebias,
27 & Bannas. * & ex filij Iolaman: Chamas, & Za-
charias, & Iezrelus, & Ioddius, & Erimoth, &
28 Helias. * & ex filijs Zathoim, Eliadas, & Liaſu-
mus, Zochias, & Larimoth, & Zabdis, & Tebe-
29 dias. * & ex filijs Zebes: Ioannes, & Amanias, &
30 Zabdias, & Emeus. * & ex filijs Banni: Olamus,
& Malochus, & Ieddeus, & Iaſub, & Azabus, &
31 Ierimoth. * & ex filijs Addin: Naathus, & Moo-
ſias, & Caleus, & Raanas, Maaſeas, Mathathias,
32 & Beſeel, & Bonnus, & Manaſſes. * & ex filijs
Nane: Noneas, & Aſeas, & Melchias, & Sa-
meas, & Simon, Beniamin, & Malchus, & Mar-
33 ras. * & ex filijs Aſom: Carianeus, Mathathias,
& Bannus, & Eliphalach, & Manaſſes, & Semei.
34 * & ex filijs Banni: Ieremias, & Moadias, & A-
bramus, & Iohel, & Baneas, & Pelias, & Ionas,
& Marimoth, & Eliaſib, & Mathaneus, & Elia-
ſis, & Orizas, & Dielus, & Semedius, & Zam-
35 bris, & Ioſephus. * & ex filijs Nobei: Idelus, &
Mathathias, & Sabadus, & Zecheda, Sedmi, &
36 Ieſſei, Baneas. * Omnes iſti coniunxerunt ſibi
vxores alienigenas, & dimiſerunt eas cum filijs.
37 * Et inhabitauerunt ſacerdotes, & Leuitæ: & qui
erant ex Iſrael in Ieruſalem, & in tota vna regio-
ne nouilunio menſis ſeptimi. Et erant filij Iſrael
38 in commorationibus ſuis. * Et congregata eſt om-
nis multitudo ſimul in aream, quæ eſt ab Oriente
39 portæ ſacræ: * & dixerunt Eſdræ pontifici, & le-
ctori, vt afferret legem Moyſi, quæ tradita eſt à
40 Domino Deo Iſrael. * Et attulit Eſdras pontifex
legem omni multitudini eorum à viro vſque ad
mulierem, & omnibus ſacerdotibus audire legem
41 nouilunio menſis ſeptimi. * Et legebat in area,
quæ eſt ante ſacram portam templi, à prima luce
vſque ad veſperam coram viris, & mulieribus. Et
42 dederunt omnes ſenſum ad legem. * Et ſtetit Eſ-
dras ſacerdos, & lector legis ſuper ligneum tribu-
43 nal, quod fabricatum erat. * Et ſteterunt ad eum
Mathathias & Samus, Ananias, Azarias, Vrias,
44 Ezechias, & Balſamus ad dexteram: * & ad ſini-
ſtram Faldeus, Miſael, Malachias, Abuſthas, Sa-
45 bus, Nabadias, & Zacharias. * Et aſſumpſit Eſ-
dras librum coram omni multitudine: præſidebat
46 enim in gloria in conſpectu omnium. * Et cum

abſol-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

abſoluiſſet legem, omnes erecti ſteterunt: & be-
nedixit Eſdras Dominum Deum altiſſimum, Deum
47 Sabaoth omnipotentem. * Et reſpodit omnis
populus, Amen. Et eleuatis ſurſum manibus pro-
48 cidentes in terram, adorauerunt Dominum. * Ie-
ſus, & Binaeus, & Sarebias, & Iaddinus, & Ac-
cubus, & Sabbathæus, & Calithes, & Azarias, &
49 Ioradus, & Ananias, & Philias Leuitæ. * qui do-
cebant legem Domini, & in multitudine legebant
legem Domini, & præferebant ſinguli eos, qui in-
50 telligebant lectionem. * Et dixit Atharathes Eſ-
dræ pontifici, & lectori, & Leuitis, qui docebant
51 multitudinem, * dicens. Dies hic ſanctus eſt Do-
mino. Et omnes flebant, cum audiſſent legem.
52 * Et dixit Eſdras, Digreſſi ergo manducate pin-
guiſſima quæque & bibite dulciſſima quæque &
53 mittite munera his, qui non habent. * Sanctus
enim eſt hic dies Domini, & nolite mœſti eſſe.
54 Dominus enim clarificabit vos. * Et Leuitæ de-
nunciabant in publico omnibus, dicentes, Dies
55 hic ſanctus eſt, nolite mœſti eſſe. * Et abierunt
omnes manducare, & bibere, & epulari, & dare
munera his, qui non habebant, vt epularentur. Ma-
gnificè enim ſunt exaltati verbis quibus edocti ſunt.
56 * & congregati ſunt vniuerſi in Ieruſalem celebra-
re lætitiam, ſecundum teſtamentum Domini Dei
Iſrael.

FINIS LIBRI TERTII ESDRÆ.

# LIBER ESDRÆ
## QVARTVS.

## CAPVT PRIMVM.

LIber Eſdræ prophetæ ſecundus, 1
filij Saræi, filij Azaræi, filij Hel-
ciæ, filij Sadaniæ, filij Sadoch, fi-
lij Achitob, * filij Achiæ, filij 2
Phinees, filij Heli, filij Ameriæ,
filij Aſiel, filij Marimoth, filij
Arna, filij Oziæ, filij Borith, fi-
lij Abiſei, filij Phinees, filij Eleazar, * filij Aaron 3
ex tribu Leui, qui fuit captiuus in regione Medo-
rum, in regno Artaxerxis regis Perſarum. * Et fa- 4
ctum eſt verbum Domini ad me, dicens, * Vade, & 5
nuncia populo meo facinora ipſorum, & filijs co-
rum iniquitates, quas in me admiſerunt, vt nunciēt
filijs filiorum: * quia peccata parentum ipſorum 6
in illis creuerunt. Obliti enim mei ſacrificauerunt
dijs alienis. * Nonne ego eduxi eos de terra Ægy- 7
pti de domo ſeruitutis? Ipſi autem irritauerunt me,
& conſilia mea ſpreuerunt. * Tu autem excute co- 8
mam capitis tui, & proijce omnia mala ſuper illos:
quoniam non obedierunt legi meæ. Populus au-
tem eſt indiſciplinatus. * Vſquequo eos ſuſtinebo, 9
quibus tanta beneficia contuli? * Reges multos 10
propter eos ſubuerti. Pharaonem cum pueris ſuis,
& omnem exercitum eius percuſſi. * Omnes gen- 11
tes à facie eorum perdidi, & in Oriente prouincia-
rum duarum populos Tyri, & Sidonis diſſipaui, &
omnes aduerſarios eorum interfeci. * Tu vero lo- 12
quere ad eos, dicens: Hæc dicit Dominus: * Nem- 13
pe ego vos per mare tranſmeaui, & plateas vobis
initio munitas exhibui. ducem vobis dedi Moyſen,
& Aaron ſacerdotem: * lucem vobis per colum- 14
nam ignis præſtiti, & magna mirabilia feci in vobis:
vos autem mei obliti eſtis, dicit Dominus. * Hæc 15
dicit Dominus omnipotens: Coturnix vobis in ſi-
gno fuit, caſtra vobis ad tutelam dedi, & illic mur-
muraſtis: * & non triumphaſtis in nomine meo de 16
perditione inimicorum veſtrorum, ſed adhuc nunc
vſque murmuraſtis. * Vbi ſunt beneficia, quæ præ- 17
ſtiti vobis? Nonne in deſerto cum eſuriretis, pro-
clamaſtis ad me, * dicentes, Vt quid nos in deſer- 18
tum illud adduxiſti interficere nos? melius nobis
fuerat ſeruire Ægyptijs, quam mori in deſerto hoc.
* Ego dolui gemitus veſtros, & dedi vobis manna 19
in eſcam Panem Angelorum manducaſtis. * Non- 10
ne cum ſitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ
in ſaturitate? propter æſtus folijs arborum vos te-
xi. * Diuiſi vobis terras pingues: Chananæos, & 21
Pherezæos, & Philiſthæos à facie veſtra proieci:
quid faciam vobis adhuc: dicit Dominus? * Hæc 22
dicit Dominus omnipotens. In deſerto cum eſſetis
in flumine Amorrhæo ſitientes, & blaſphemantes
nomen meum, * non ignem vobis pro blaſphemijs 23
dedi, ſed mittens lignum in aquam, dulce feci flu-
men. * Quid tibi faciam Iacob? Noluiſti obedire 24
Iuda. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis no-
men meum, vt cuſtodiant legitima mea. * Quoniam 25
me dereliquiſtis, & ego vos derelinquam. Peten-
tibus vobis à me miſericordiam, non miſerebor.
26 * Quando inuocabitis me, ego non exaudiam vos.
Maculaſtis enim manus veſtras ſanguine, & pedes
veſtri impigri ſunt ad committenda homicidia.
27 * Non quaſi me dereliquiſtis, ſed voſipſos, dicit Do-
28 minus. * Hæc dicit Dominus omnipotens, Nonne
ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt
29 nutrix paruulos ſuos, * vt eſſetis mihi in populum,
& ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego
30 vobis in patrem? * Ita vos collegi, vt gallina pullos
ſuos ſub alas ſuas. Modo autem quid faciam vobis?
31 Proijciam vos à facie mea. * Oblationem cum mi-
hi attuleritis, auertam faciem meam à vobis. Dies
enim feſtos veſtros, & neomenias, & circumciſiones
32 repudiaui. * Ego miſi pueros meos prophetas ad
vos, quos acceptos interfeciſtis, & laniaſtis corpora
eorum, quorum ſanguinem exquiram, dicit Domi-
33 nus. * Hæc dicit Dominus omnipotens, Domus ve-
ſtra deſerta eſt: Proijciam vos ſicut ventus ſtipu-
34 lam. * & filij procreationem non facient: quoniam
mandatum meum neglexerunt, & quod malum eſt
35 coram me fecerunt. * Tradam domos veſtras popu-
lo venienti, qui me non audientes credunt: quibus
36 ſigna non oſtendi, facient quæ præcepi. * Prophe-
tas non viderunt, & memorabuntur iniquitatum
37 eorum. * Teſtor populi venientis gratiam, cuius
paruuli exultant cum lætitia, me non videntes ocu-
38 lis carnalibus, ſed ſpiritu credentes, quæ dixi. * Et
nunc frater aſpice, quæ gloria: & vide populum ve-
39 nientem ab Oriente, * quibus dabo ducatum A-
braham, Iſaac, & Iacob, & Oſee, & Amos, & Mi-
40 chææ, & Ioel, & Abdiæ, & Ionæ, * & Nahum, &
Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ,
qui & Angelus Domini vocatus eſt.

## CAP. II.

1 HÆc dicit Dominus: Ego eduxi populum iſtũ
de ſeruitute, quibus mandata dedi per pueros
meos prophetas, quos audire noluerunt, ſed irrita
2 fecerunt mea conſilia. * Mater quæ eos generauit,
dicit illis, Ite filij, quia ego vidua ſum, & derelicta.
3 * Educaui vos cum lætitia, & amiſi vos cum luctu,
& triſtitia, quoniam peccaſtis coram Domino Deo
4 veſtro, & quod malum eſt coram eo, feciſtis. * Mo-
do autem quid faciam vobis? Ego vidua ſum, & de-
relicta: ite filij, & petite à Domino miſericordiam.
5 * Ego autem te pater teſtem inuoco ſuper matrem
filiorum, qui noluerunt teſtamentum meum ſerua-
6 re, * vt des eis confuſionem, & matrem eorum in
7 direptionem, ne generatio eorum fiat. * Diſpergan-
tur in gentes nomina eorum, deleantur à terra:
8 quoniam ſpreuerunt ſacramentum meum. * Væ ti-
bi Aſſur, qui abſcondis iniquos penes te. Gens ma-
la, memorare quid fecerim Sodomæ, & Gomor-
9 rhæ, * quorum terra iacet in piceis glebis, & agge-
ribus cinerum. ſic dabo eos, qui me non audierunt,



UVA.BSCH

Vulgata Editio.

10 dicit Dominus omnipotens. * Hæc dicit Domi-
nus ad Eſdram, Nuncia populo meo, quoniam
dabo eis regnum Ieruſalem, quod daturus eram
11 Iſrael. * Et ſumam mihi gloriam illorum, & dabo
eis tabernacula æterna, quæ præparaueram illis.
12 * Lignum vitæ erit illis in odore vnguenti, & non
13 laborabunt, neque fatigabuntur. * Ite, & accipie-
tis. Rogate vobis dies paucos, vt immoremur. Iam
14 paratum eſt vobis regnum: vigilate. * Teſtare cœ-
lum, & terram. Contriui enim malum, & creaui
15 bonum, quia viuo ego, dicit Dominus. * Mater
amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Si-
cut columba confirma pedes eorum: quoniam te
16 elegi, dicit Dominus. * Et reſuſcitabo mortuos de
locis ſuis, & de monumentis educam illos, quo-
17 niam cognoui nomen meum in Iſrael. * Noli time-
re mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Domi-
18 nus. * Mittam tibi adiutorium pueros meos Iſaiam,
& Ieremiam, ad quorum conſilium ſanctificaui, &
paraui tibi arbores duodecim grauatas varijs fru-
19 ctibus, * & totidem fontes fluentes lac, & mel: &
montes immenſos ſeptem, habentes roſam, & li-
20 lium, in quibus gaudio implebo filios tuos. * Vi-
duam iuſtifica, pupillo iudica, egenti da, orphanum
21 tuere, nudum veſti, * confractum, & debilem cura,
claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum
22 ad viſionem claritatis meæ admitte. * Senem, & iu-
23 uenem intra muros tuos ſerua: * mortuos vbi in-
ueneris, ſignans commenda ſepulchro, & dabo tibi
24 primam ſeſſionem in reſurrectione mea. * Pauſa, &
quieſce populus meus, quia veniet requies tua.
25 * Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eo-
26 rum. * Seruos, quos tibi dedi, nemo ex eis interiet:
27 eos ego enim requiram de numero tuo. * Noli fa-
tigari. Cum enim venerit dies preſſuræ, & anguſtiæ,
alij plorabunt: & triſtes erunt: tu autem hilaris, &
28 copioſa eris. * Zelabunt gentes, & nil aduerſus te
29 poterunt, dicit Dominus. * Manus meæ tegent te,
30 ne filij tui gehennam videant. * Iucundare mater
cum filijs tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus.
31 * Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego
eos educam de lateribus terræ, & miſericordiam
cum illis faciam: quoniam miſericors ſum, dicit
32 Dominus omnipotens. * Amplectere natos tuos vſ-
que dum venio, & præſtem illis miſericordiam:
quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non
33 deficiet. * Ego Eſdras præceptum accepi à Domino
in monte Oreb, vt irem ad Iſrael: ad quos cum ve-
nirem, reprobauerunt me, & reſpuerunt mandatum
34 Domini: * Ideoque vobis dico gentes, quæ auditis,
& intelligitis, Expectate paſtorem veſtrum, re-
quiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proxi-
35 mo eſt ille, qui in fine ſæculi adueniet. * Parati e-
ſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit
36 vobis per æternitatem temporis. * Fugite vmbram
ſæculi huius: accipite iucunditatem gloriæ veſtræ.
37 Ego teſtor palam ſaluatorem meum. * Commen-
datum donum accipite, & iucundamini, gratias a-
38 gentes ei qui vos ad cæleſtia regna vocauit. * Sur-
gite, & ſtate, & videte numerum ſignatorum in con-
39 uiuio Domini. * Qui ſe de vmbra ſæculi tranſtule-
runt, ſplendidas tunicas à Domino acceperunt.
40 * Recipe Sion numerum tuum, & conclude candi-
41 datos tuos, qui legem Domini compleuerunt. * Fi-
liorum tuorum, quos optabas, plenus eſt numerus.
Roga imperium Domini, vt ſanctificetur populus
42 tuus, qui vocatus eſt ab initio. * Ego Eſdras vidi in
monte Sion turbam magnam, quam numerare non
potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.
43 * Et in medio eorum erat iuuenis ſtatura celſus,
eminentior omnibus illis, & ſingulis eorum capiti-
bus imponebat coronas, & magis exaltabatur: Ego
44 autem miraculo tenebar. * Tunc interrogaui An-
45 gelum, & dixi: Qui ſunt hi, Domine? * Qui reſpon-
dens dixit mihi: Hi ſunt qui mortalem tunicam
depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & con-
feſſi ſunt nomen Dei: Modo coronantur, & accipi-
46 unt palmas. * Et dixi Angelo: Ille iuuenis, quis eſt,
qui eis coronas imponit, & palmas in manus tra-
47 dit? * Et reſpondens dixit mihi: Ipſe eſt filius Dei,
quem in ſæculo confeſſi ſunt: ego autem magnifi-
cari eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini
48 ſteterunt. * Tunc dixit mihi Angelus: Vade, an-
nuncia populo meo, qualia & quanta mirabilia Do-
mini Dei vidiſti.

## CAP. III.

1 ANno triceſimo ruinæ ciuitatis eram in Baby-
lone, & conturbatus ſum ſuper cubiculo meo
recumbens, & cogitationes meæ aſcendebant ſu-
2 per cor meum: * quoniam vidi deſertionem Sion,
& abundantiam eorum qui habitabant in Babylo-
3 ne. * & ventilatus eſt ſpiritus meus valde, & cœpi
4 loqui ad Altiſſimum verba timorata, * & dixi: O
Dominator Domine, tu dixiſti ab initio, quando
plantaſti terram, & hoc ſolus, & imperaſti populo,
5 * & dediſti Adam corpus mortuum: ſed & ipſum
figmentum manuum tuarum erat, & inſufflaſti in
eum ſpiritum vitæ, & factus eſt viuens coram te:
6 * & induxiſti eum in paradiſo, quem plantauerat
7 dextera tua, antequam terra aduentaret. * Et
huic mandaſti diligere viam tuam, & præteriuit
eam, & ſtatim inſtituiſti in eo mortem, & in na-
tionibus eius, & natæ ſunt gentes, & tribus, &
populi, & cognationes, quarum non eſt nume-
8 rus. * Et ambulauit vnaquæque gens in volunta-
te ſua, & mira agebant coram te, & ſpernebant
9 præcepta tua. * Iterum autem in tempore indu-
xiſti diluuium ſuper inhabitantes ſæculum, & per-
10 didiſti eos. * Et factum eſt in vnoquoque eorum,
11 ſicut Adæ mors, ſic his diluuium. * Dereliquiſti
autem vnum ex his Noe cum domo ſua, & ex eo
12 iuſti omnes. * Et factum eſt cum cœpiſſent multi-
plicari, qui habitabant ſuper terram, & multiplica-
uerunt filios, & populos, & gentes multas: & cœ-
perunt iterato impietatem facere plus quam prio-
13 res. * Et factum eſt cum iniquitatem facerent co-
ram te, elegiſti tibi virum ex his cui nomen erat
14 Abraham. * Et dilexiſti eum, & demonſtraſti ei ſo-
15 li voluntatem tuam: * & diſpoſuiſti ei teſtamentum
æternum, & dixiſti ei, vt non vnquam derelinque-
res ſemen eius. Et dediſti ei Iſaac, & Iſaac dediſti
16 Iacob, & Eſau. * Et ſegregaſti tibi Iacob, Eſau au-
tem ſeparaſti. Et factus eſt Iacob in multitudine
17 magna. * Et factum eſt cum educeres ſemen eius
18 ex Ægypto, adduxiſti ſuper montem Sina. * Et in-
clinaſti cœlos, & ſtatuiſti terram, & commouiſti or-
bem, & tremere feciſti abyſſos, & conturbaſti ſæcu-
19 lum, * & tranſijt gloria tua portas quatuor ignis,
& terræmotus, & ſpiritus, & gelu, vt dares ſemi-
ni Iacob legem, & generationi Iſrael diligentiam.
20 * Et non abſtuliſti ab eis cor malignum, vt face-
21 ret lex tua in eis fructum. * Cor enim malignum
baiulans primus Adam tranſgreſſus, & victus eſt,
22 ſed & omnes qui de eo nati ſunt. * Et facta eſt
permanens infirmitas, & lex cum corde populi, cum
malignitate radicis: & diſceſſit, quod bonum eſt, &
23 manſit malignum. * Et tranſierunt tempora, & fini-
ti ſunt anni: & ſuſcitaſti tibi ſeruum nomine Dauid,



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

* & dixiſti ei ædificare ciuitatem nominis tui,& of- 24
ferre tibi in eadem thus, & oblationes. * Et factum 25
eſt hoc annis multis, & deliquerunt qui habitabant
ciuitatem, * in omnibus facientes,ſicut fecit Adam, 26
& omnes generationes eius. vtebantur enim & ipſi
corde maligno. * Et tradidiſti ciuitatem tuam in 27
manibus inimicorum tuorum. * Numquid meliora 28
faciunt, qui habitant Babylonem? Et propter hoc
dominabitur Sion? * Factum eſt cum veniſſem huc, 29
& vidiſſem impietates,quarum non eſt numerus: &
delinquentes multos vidit anima mea hoc triceſi-
mo, anno, & exceſſit cor meum: * quoniam vidi 30
quomodo ſuſtines eos peccantes,& pepercisti impie
agentibus,& perdidiſti populum tuum,& conſerua-
ſti inimicos tuos, & non ſignificaſti. * Nihil memi- 31
ni quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid
meliora facit Babylon, quam Sion? * aut alia gens 32
cognouit te præter Iſrael? aut quæ tribus credide-
runt teſtamentis tuis,ſicut Iacob? * Quarum mer- 33
ces non comparuit, neque labor fructificauit. Per-
tranſiens enim pertranſiui in gentibus,& vidi abun-
dantes eas, & non memorantes mandatorum tuo-
rum. * Nunc ergo pondera in ſtatera noſtras iniqui- 34
tates,& eorum qui habitant in ſæculo: & non inue-
nietur nomen tuum, niſi in Iſrael. * Aut quando 35
non peccauerunt in conſpectu tuo,qui habitāt ter-
ram? aut quæ gens ſic obſeruauit mandata tua?
* Hos quidem per nomina inuenies ſeruaſſe man- 36
data tua,gentes autem non inuenies.

### CAP. IIII.

ET reſpondit ad me Angelus, qui miſſus eſt ad 1
me,cui nomen Vriel, * & dixit mihi, Excedens 2
exceſſit cor tuum in ſæculo hoc, & comprehende-
re cogitas viam Altiſſimi. * Et dixi: Ita Domine 3
meus. Et reſpondit mihi, & dixit: Tres vias miſſus
ſum oſtendere tibi, & tres ſimilitudines proponere
coram te. * de quibus mihi ſi renunciaueris vnam 4
ex his,& ego tibi demonſtrabo viam, quam deſide-
ras videre,& docebo te,vnde ſit cor malignum. * Et 5
dixi: Loquere Domine meus: Et dixit ad me: Va-
de pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi
ſlatum venti,aut reuoca mihi diem, quæ præterijt.
* Et reſpondi, & dixi: Quis natorum poterit facere, 6
vt me interroges de his? * Et dixit ad me: Si eſſem 7
interrogaui te, dicens: Quantæ habitationes ſunt
in corde maris, aut quantæ venæ ſunt in principio
abyſſi, aut quantæ venæ ſunt ſuper firmamentum,
aut qui ſunt exitus paradiſi: * diceres mihi fortaſ- 8
ſis, in abyſſum non deſcendi, neque in infernum
adhuc, neque in cœlum vmquam aſcendi. * nunc 9
autem non interrogaui te, niſi de igne, & vento, &
die, per quem tranſiſti, & à quibus ſeparari non po-
tes: & non reſpondiſti mihi de eis. * Et dixit mi- 10
hi: Tu quæ tua ſunt, tecum coadoleſcentia, non
potes cognoſcere: * & quomodo poterit vas tuum 11
capere Altiſſimi viam, & iam exterius corrupto ſæ-
culo intelligere corruptionem euidentem in facie
mea? * Et dixi illi: Melius erat nos non eſſe,quam 12
adhuc viuentes viuere in impietatibus, & pati,& nō
intelligere de qua re. * Et reſpondit ad me,& dixit: 13
Proficiſcens profectus ſum ad ſiluam lignorum cam
pi,& cogitauerunt cogitationem. * & dixerunt: Ve- 14
nite,& eamus,& faciamus ad mare bellum, vt rece-
dat coram nobis,& faciamus nobis alias ſiluas. * Et 15
ſimiliter fluctus maris, & ipſi cogitauerunt cogita-
tionem,& dixerunt: Venite aſcendentes,debellemus
ſiluas campi, vt & ibi conſummemus nobiſmetipſis

16 aliam regionem. * Et factus eſt cogitatus ſiluæ in
17 vanum, venit enim ignis,& conſumpſit eam. * Simi-
liter & cogitatus fluctuum maris, ſtetit enim arena,
18 & prohibuit eos. * Si enim eſſes iudex horum, quem
19 inciperes iuſtificare, aut quem condemnare? * Et
reſpondi, & dixi: Vtique vanam cogitationem co-
gitauerunt, terra enim data eſt ſiluæ, & mari locus
20 portare fluctus ſuos. * Et reſpondit ad me, & dixit:
Bene tu iudicaſti, & quare non iudicaſti tibimetip-
21 ſi? * Quemadmodum enim terra ſiluæ data eſt, &
mare fluctibus ſuis: ſic qui ſuper terram inhabitant,
quæ ſunt ſuper terram intelligere ſolummodo poſ-
ſunt: & qui ſuper cœlos,quæ ſuper altitudinem cœ-
22 lorum. * Et reſpondi, & dixi: Deprecor te Domine,
23 vt mihi detur ſenſus intelligendi. * non enim vo-
lui interrogare de ſuperioribus tuis,ſed de his, quæ
pertranſeunt per nos quotidie. propter quid Iſrael
datur in opprobrium gentibus,quem dilexiſti popu
lum datus eſt tribubus impijs, & lex patrum no-
ſtrorum in interitum deducta eſt, & diſpoſitiones
24 ſcriptæ nuſquam ſunt: * & pertranſiuimus de ſæcu-
lo,vt locuſtæ, & vita noſtra ſtupor, & pauor, & nec
25 digni ſumus miſericordiam conſequi. * Sed quid
faciet nomini ſuo,quod inuocatum eſt ſuper nos?
26 & de his interrogaui. * Et reſpondit ad me,& dixit:
Si fueris plurimum ſcrutatus,frequenter miraberis:
27 quoniam feſtinans feſtinat ſæculum pertranſire, * &
non capit portare, quæ in futuris temporibus iuſtis
repromiſſa ſunt: quoniam plenum iniuſtitia eſt ſæ-
28 culum hoc,& infirmitatibus. * De quibus autem in-
terrogas,dicam: ſeminatum enim eſt malum,& nec-
29 dum venit deſtructio ipſius. * Si ergo non inter-
ſum fuerit, quod ſeminatum eſt, & diſceſſerit locus
vbi ſeminatum eſt malum, non veniet vbi ſemina-
30 tum eſt bonum. * Quoniam gramen ſeminis mali
ſeminatum eſt in corde Adam ab initio: & quan-
tum impietatis generauit vſque nunc, & generat
31 vſque cum veniat area? * Æſtima autem apud te
gramen mali ſeminis, quantum fructum impietatis
32 generauit: * quando ſecatæ fuerint ſpicæ, quarum
non eſt numerus, quàm magnam aream incipient
33 facere? * Et reſpondi, & dixi: Quomodo, & quando
34 hæc? Quare modici & mali anni noſtri? * Et reſpon
dit ad me, & dixit mihi: Non feſtines tu ſuper Al-
tiſſimum. Tu enim feſtinas inaniter eſſe ſuper ip-
35 ſum. nam exceſſus tuus multus. * Nonne de his
interrogauerunt animæ iuſtorum in promptuarijs
ſuis, dicentes, Vſquequo ſpero ſic? & quando ve-
36 niet fructus areæ mercedis noſtræ? * Et reſpondit
ad ea Ieremiel Archangelus, & dixit: Quando im-
pletus fuerit numerus ſeminum in vobis, quoniam
37 in ſtatera ponderauit ſæculum, * & menſura men-
ſurauit tempora, & numero numerauit tempus, &
non commouit, nec excitauit vſquedum impleatur
38 prædicta menſura. * Et reſpōdi,& dixi: O Domina-
tor Domine, ſed & nos omnes pleni ſumus impie-
39 tate. * Et ne fortè propter nos non impleātur iuſto-
rum areæ,propter peccata inhabitantium ſuper ter-
40 ram. * Et reſpondit ad me,& dixit: Vade, & interro-
ga prægnantem,ſi quando impleuerit nouem mēſes
ſuos, adhuc poterit matrix eius retinere partum in
41 ſemetipſa? * Et dixi, Non poteſt Domine. Et dixit
ad me, In inferno promptuaria animarum matrici
42 aſſimilata ſunt. * Quemadmodum enim illa feſti-
nat, quæ parit effugere neceſſitatem partus: ſic &
43 hæc feſtinat reddere ea,quæ commēdata ſunt. * Ab
initio tibi demonſtrabitur de his, quæ concupiſcis
44 videre. * Et reſpondi,& dixi: Si inueni gratiam ante
45 oculos tuos,& ſi poſſibile eſt,& ſi idoneus ſum, * de-
monſtra mihi, ſi pluſquā præteritum ſit habet viue-

re, aut

UVA.BSCH

Vulgata Editio.

te, aut plura pertranſierunt ſuper quàm futurum
eſt. * Quid pertranſiuit, ſcio: quid autem futurum 46
ſit, ignoro. * Et dixit ad me: Sta ſuper dexteram 47
partem, & demonſtrabo tibi interpretationem ſi-
militudinis. * Et ſteti, & vidi: & ecce fornax ar- 48
dens tranſijt coram me. & factum eſt, cum tranſiret
flamma, vidi, & ecce ſuperauit fumus. * Poſt hæc 49
tranſijt coram me nubes plena aquæ, & immiſit
pluuiam impetu multam: & cum tranſijſſet impe-
tus pluuiæ, ſuperauerunt in ea guttæ. * Et dixit 50
ad me: Cogita tibi: ſicut creſcit pluuia amplius,
quàm guttæ, & ignis quàm fumus: ſic ſuperabun-
dauit, quæ tranſiuit menſura. Superauerunt au-
tem guttæ, & fumus: * & oraui, & dixi, Putas 51
viuo vſque in diebus illis? vel quid erit in diebus
illis? * Reſpondit ad me, & dixit, De ſignis, de 52
quibus me interrogas, ex parte poſſum tibi dice-
re: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi,
ſed neſcio.

## CAP. V.

DE ſignis autem: ecce dies venient, in quibus 1
apprehendentur, qui inhabitant terram in cen-
ſu multo: & abſcondetur veritatis via: & ſterilis erit
à fide regio: * & multiplicabitur iniuſtitia ſuper 2
hanc quam ipſe tu vides, & ſuper quam audiſti o-
lim: * & erit impoſito veſtigio, quam nunc vides 3
regnare regionem, & videbunt eam deſertam. * Si 4
autem tibi dederit Altiſſimus viuere, videbis poſt
tertiam tubam, & relucceſcet ſubito ſol noctu, & lu-
na ter in die, * & de ligno ſanguis ſtillabit, & lapis 5
dabit vocem ſuam, & populi commouebuntur: * & 6
regnabit, quem non ſperant, qui inhabitant ſuper
terram, & volatilia commigrationem facient: * & 7
mare Sodomiticum piſces rejciet, & dabit vocem
noctu, quam non nouerant multi. omnes autem au-
dient vocem eius, * & chaos fiet per loca multa, & 8
ignis frequenter remittetur, & beſtiæ agreſtes traſ-
migrabunt, & mulieres menſtruatæ parient mon-
ſtra, * & in dulcibus aquis ſalſæ inuenientur, & ami- 9
ci omnes ſemetipſos expugnabunt: & abſcondetur
tunc ſenſus, & intellectus ſeparabitur in promptua-
rium ſuum: * & quæretur à multis, & non inuenie- 10
tur: & multiplicabitur iniuſtitia, & incontinentia
ſuper terram. * Et interrogabit regio proximam 11
ſuam, & dicet, Numquid per te pertranſijt iuſtitia
iuſtum faciens? Et hoc negabit. * Et erit in illo tem- 12
pore, & ſperabunt homines, & non impetrabunt: la-
borabunt, & non dirigentur viæ eorum. * Hæc ſigna 13
dicere tibi permiſſum eſt mihi: & ſi oraueris iterum,
& ploraueris, ſicut & nunc, & ieiunaueris ſeptem
diebus, audies iterato horum maiora. * Et euigi- 14
laui, & corpus meum horruit valde: & anima mea
laborauit, vt deficeret: * & tenuit me qui venit 15
Angelus, qui loquebatur in me, & confortauit me,
& ſtatuit me ſuper pedes. * Et factum eſt in nocte 16
ſecunda, & venit ad me Salathiel dux populi, & dixit
mihi, Vbi eras? & quare vultus tuus triſtis? * An 17
neſcis, quoniam tibi creditus eſt Iſrael in regione
tranſmigrationis eorum? * Exurge ergo, & guſta pa- 18
nem, & non derelinquas nos, ſicut paſtor gregem
ſuum in manibus luporum malignorum. * Et dixi 19
ei, Vade à me, & non appropies ad me. Et audiuit,
vt dixi: & receſſit à me. * Et ego ieiunaui diebus ſe- 20
ptem vlulans, & plorans, ſicut mihi mandauit Vriel
Angelus. * Et factum eſt poſt dies ſeptem, & iterum 21
cogitationes cordis mei moleſtæ erant mihi valdè,
* & reſumpſit anima mea ſpiritum intellectus: & 22
iterum cœpi loqui coram Altiſſimo ſermones, * & 23

dixi, Dominator Domine ex omni ſilua terræ, &
24 omnibus arboribus eius, elegiſti vineam vnicam: * &
ex omni terra orbis, elegiſti tibi foueam vnam: & ex
omnibus floribus orbis, elegiſti tibi lilium vnum:
25 * & ex omnibus abyſſis maris, repleſti tibi riuum v-
num: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, ſancti-
26 ficaſti tibimetipſi Sion: * & ex omnibus creatis vola-
tilibus, nominaſti tibi columbam vnam, & ex omni-
bus plaſmatis pecoribus, prouidiſti tibi ouem vnam:
27 * & ex omnibus multiplicatis populis, acquiſiuiſti
tibi populum vnum: & ab omnibus probatam le-
28 gem donaſti huic, quem deſideraſti populo. * Et
nunc Domine, vt quid tradidiſti vnum pluribus? Et
præparaſti ſuper vnam radicem alias, & diſperdidiſti
29 vnicum tuum in multis: * & conculcauerunt eum,
qui contradicebant ſponſionibus tuis, quique tuis
30 teſtamentis non credebant. * Et ſi odiens odiſti po-
31 pulum tuum, tuis manibus debet caſtigari. * Et fa-
ctum eſt, cum locutus eſſem ſermones, & miſſus eſt
Angelus ad me, qui ante venerat ad me præterita
32 nocte, * & dixit mihi, Audi me, & inſtruam te: &
33 intende mihi, & adijciam coram te. * Et dixi, Lo-
quere Domine meus. Et dixit ad me, valdè tu in ex-
ceſſu mentis factus es pro Iſrael: an plus dilexiſti
34 eum, quàm qui eum fecit? * Et dixi ad eum, Non
Domine, ſed dolens locutus ſum. Torquent enim
me renes mei per omnem horam, quærentem ap-
prehendere ſemitam Altiſſimi, & inueſtigare par-
35 tem iudicij eius. * Et dixit ad me, Non potes. Et di-
xi, Quare Domine? Ad quid naſcebar, aut quare
non fiebat matrix matris meæ mihi ſepulchrum, vt
non viderem laborem Iacob, & defatigationem ge-
36 neris Iſrael? * Et dixit ad me, Numera mihi, quæ
necdum venerunt, & collige mihi diſperſas guttas,
37 & reuirida mihi aridos flores, * & aperi mihi clau-
ſa promptuaria, & produc mihi incluſos in eis fla-
tus; demonſtra mihi vocis imaginem: & tunc oſten-
38 dam tibi laborem quem rogas videre. * Et dixi, Do-
minator Domine, quis enim eſt, qui poteſt hæc ſci-
re, niſi qui cum hominibus habitationem non ha-
39 bet? * Ego autem inſipiens: & quomodo potero di-
40 cere de his, quibus me interrogaſti? * Et dixit ad
me, Quomodo non potes facere vnum de his, quæ
dicta ſunt: ſic non poteris inuenire iudicium meum,
41 aut in fine charitatem, quam populo promiſi. * Et
dixi, Sed ecce Domine tu prope es his, qui in fi-
ne ſunt: & quid facient, qui ante me fuerunt, aut
42 nos, aut hi qui poſt nos? * Et dixit ad me, Coro-
næ aſſimilabo iudicium meum. Sicut non nouiſ-
43 ſimorum tarditas, ſic nec priorum velocitas. * Et
reſpondi, & dixi, Nec poteras facere eos, qui facti
ſunt, & qui ſunt, & qui futuri ſunt, in vnum, vt ce-
44 lerius iudicium tuum oſtendas? * Et reſpondit ad
me, & dixit, Non poteſt feſtinare creatura ſuper
creatorem, nec ſuſtinere ſeculum eos, qui in eo
45 creandi ſunt, in vnum. * Et dixi, Quomodo dixi-
ſti ſeruo tuo, quoniam viuificans viuificaſti à te
creatam creaturam in vnum, & ſuſtinebat crea-
46 tura: poterit & nunc portare præſentes in vnum. * Et
dixit ad me, Interroga matricem mulieris, & dices
ad eam, Et ſi paris, quare per tempus? Roga er-
47 go eam, vt det decem in vnum. * Et dixi, Non
48 vtique poterit: ſed ſecundum tempus. * Et dixit
ad me, Et ego dedi matricem terræ his, qui ſemi-
49 nati ſunt ſuper eam per tempus: * Quemadmodum
enim infans non parit ea, quæ ſenum ſunt: ſic ego
50 diſpoſui à me creatum ſeculum. * Et interrogaui,
& dixi, Cum iam dederis mihi viam, loquar co-
ram te: nam mater noſtra, qua dixiſti mihi, adhuc
51 iuuenis eſt: iam ſenectuti appropinquat. * Et

## Vulgat. Editio.

13 Dixitque Iacob: Noſti domine mi, quòd paruulos
habeam teneros & oues,& boues fętas mecum:quas
ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur
vna die cuncti greges.
14 Præcedat dominus meus ante ſeruum ſuum:& ego
ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos
meos poſſe, donec veniam ad dominum meum in
Seir.
15 Rñdit Eſau:Oro te,vt de populo,q meců ẽ,ſaltẽ ſo-
cij remaneãt viæ tuæ Nõ eſt,inqt,neceſſe: hoc vno
tm̃ indigeo, vt inueniã gratiã i cõſpectu tuo dñe mi.
16 Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo vene-
rat in Seir.
17 Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo,& fi-
xis tentorijs appellauit nomen loci illius Socoth,
id eſt,tabernacula.
18 Tranſiuitque in Salem vrbem Sichimorum,quę eſt
in terra Chanaan, poſtquam reuerſus eſt de Meſo-
potamia Syriæ: & habitauit iuxta oppidum.
19 Emitque partem agri in qua fixerat taberna-
cula, à filijs Hemor patris Sichem centum
agnis.
20 Et erecto ibi altari, inuocauit ſuper illud fortiſſi-
mum Deum Iſrael.

### CAP. XXXIIII.

1 EGreſſa eſt autem Dina filia Liæ,vt videret mu-
lieres regionis illius.
2 Quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi,
princeps terræ illius,adamauit eam: & rapuit,& dor
miuit cum illa,vi opprimens virginem.
3 Et conglutinata eſt anima eius cum ea, triſtemque
deliniuit blanditijs.
4 Et pergens ad Hemor patrem ſuum: Accipe, in-
quit,mihi puellam hanc coniugem.
5 Quod cum audiſſet Iacob, abſentibus filijs, &
in paſtu pecorum occupatis; ſiluit donec redi-
rent.
6 Egreſſo autem Hemor patre Sichem,vt loqueretur
ad Iacob,
7 Ecce filij eius veniebant de agro: auditoque quod
acciderat,irati ſunt valde;eo quòd fœdam rem ope
ratus eſſet in Iſrael,& violata filia Iacob, rem illici-
tam perpetraſſet,
8 Locutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem filij
mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi vxo-
rem:
9 Et iungamus viciſſim connubia: filias veſtras tra-
dite nobis,& filias noſtras accipite.
10 Et habitate nobiſcum: terra in poteſtate ve-
ſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete
eam.
11 Sed & Sichem ad patrem, & ad fratres eius: Inue-
niam gratiam coram vobis: & quæcumque ſtatue-
ritis,dabo:
12 Augete dotem,& munera poſtulate,& libenter tri-
buam, quod petieritis: tantum date mihi puellam
hanc vxorem.
13 Reſponderunt filij Iacob Sichem, & patri
eius in dolo, ſæuientes ob ſtuprum ſo-
roris:
14 Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſoro-
rem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum
& nefarium eſt apud nos.
15 Sed in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſi-
miles noſtri, & circumcidatur in vobis omne ma-
ſculini ſexus;

Tunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et dixit ad eum: Dominus meus ſcit, quòd pueri
teneri ſunt, & pecudes, & boues fœtæ ſunt mihi:
& ſi pulſauero eas die vna, morientur omnes pecu-
des.*
14 *Tranſeat quæſo dominus meus ante ſeruum ſuum:
& ego ducam me pedetentim ad pedem gregis, qui
eſt ante me, & ad pedem puerorum, donec veniam
ad dominum meum in Sehir.*
15 *Et dixit Heſau: Stare faciam nunc tecum de popu-
lo,qui eſt mecum. Et dixit: vt quid hoc? inueniam
gratiam in oculis domini mei.*
16 *Et reuerſus eſt in die ipſa Heſau per viam ſuam in
Sehir.*
17 *Et Iahacob profectus eſt in Succoth: & ædificauit
ſibi domum, & gregi ſuo fecit tabernacula: idcirco
vocauit nomen loci Succoth.*
18 *Et venit Iahacob incolumis in ciuitatem Sechem,
quæ erat in terra Chenahan, quando venit ipſe de
Padan Aram: & manſit ante vrbem,*
19 *Et emit partem agri, in quo tetendit tabernaculum
ſuum, de manu filiorum Chamor patris Sechem,
centum agnis.*
20 *Et ſtatuit ibi altare, & vocauit illud: Deus, Deus
Iſrael.*

### CAP. XXXIIII.

1 *ET egreſſa eſt Dinah filia Leah,quam peperit ip-
ſi Iahacob,vt videret filias terræ.*
2 *Et vidit eam Sechem filius Chamor Chiuuæi prin-
cipis terræ,& tulit eam: & concubuit cum ea,& af-
flixit eam.*
3 *Et hæſit anima eius Dinah filiæ Iahacob, &
dilexit puellam, & locutus eſt ad cor puel-
læ.*
4 *Et dixit Sechem ad Chamor patrem ſuum, dicendo:
Cape mihi natam hanc in vxorem.*
5 *Et Iahacob audiuit, quòd violauit Dinah fi-
liam ſuam, & filij eius erant cum grege ſuo
in agro; & ſiluit Iahacob, donec venirent
ipſi.*
6 *Et egreſſus eſt Chamor pater Sechem, ad Iahacob,
vt loqueretur ſecum.*
7 *Et filij Iahacob venerunt de agro: quando audie-
runt ipſi,dolore affecti ſunt viri, & irati ſunt val-
dè; quia prauitatem fecit in Iſrael, vt coiret cum
filia Iahacob,& ſic non fit.*
8 *Et locutus eſt Chamor cum eis dicendo: Sechem fi-
lij mei hæſit anima cum filia veſtra: date quæſo eam
ei in vxorem,*
9 *Et connubia iungite nobiſcum: filias veſtras date no
bis,& filias noſtras,accipietis vobis.*
10 *Et nobiſcum habitabitis, & terra erit coram vobis:
habitate, & negotiamini in ea, & poſſeſſiones faci-
te in ea.*
11 *Et dixit Sechem ad patrem eius,& ad fratres eius:
Inueniam gratiam in oculis veſtris: & quod dixe-
ritis mihi dabo.*
12 *Augete mihi valdè dotem, & donum, & dabo quē-
admodum dixeritis mihi: & date mihi puellam in
vxorem.*
13 *Et reſponderunt filij Iahacob ad Sechem, & Cha-
mor,patrem eius in dolo, & locuti ſunt, quia viola-
uerat Dinah ſororem ſuam.*
14 *Et dixerunt ad eos: Non poſſumus facere hoc, vt de-
mus ſororem noſtram, viro cui eſt præputium, quia
abominatio eſt nobis,*
15 *Verumtamen in hoc complacebimus vobis, ſi fueri-
tis ſicut nos, vt circumcidatur in vobis omnes ma-
ſculus.*

*Et da-*

UVA.BSCH

reſpondit ad me,& dixit,Interroga eam, quæ parit,
52 & dicet tibi. *Dices enim ei, Quare quos peperiſti,
nunc non ſunt ſimiles his, qui ante te, ſed minores
53 ſtatura? *Et dicet tibi & ipſa, Alij ſunt qui in iuuẽ-
tute virtutis nati ſunt: & alij qui ſub tempore ſene-
54 ctutis,deficiente matrice ſunt nati. * Conſidera er-
go & tu quoniam minori ſtatura eſtis præ his qui
55 ante vos: *& qui poſt vos, minori quam vos, quaſi
iam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem iuuen-
tutis prætereuntes. Et dixi,Rogo Domine,ſi inueni
gratiam ante oculos tuos,demonſtra ſeruo tuo, per
quem viſites creaturam tuam.

## CAP. VI.

1 ET dixit ad me,Initio terreni orbis,& antequam
ſtarent exitus ſæculi,& antequam ſpirarent cõ-
2 uentiones ventorum,* & antequam ſonarent voces
tonitruum, & antequam ſplenderent nitores coru-
ſcationum, & antequam confirmarentur funda-
3 menta paradiſi, * & antequam viderentur decori
flores,& antequam confirmarentur motæ virtutes,
& antequam colligerentur innumerabiles militiæ
4 Angelorum, * & antequam extollerentur altitudi-
nes aeris, & antequam nominarentur menſuræ fir-
mamentorum, & antequam æſtuarent camini in
5 Sion, * & antequam inueſtigarentur præſentes an-
ni, & antequam abalienarentur eorum, qui nunc
peccant adinuentiones, & conſignati eſſent, qui fi-
6 dem theſaurizauerunt: * tunc cogitaui, & facta
ſunt per me ſolum, & non per alium: & finis per
7 me,& non per alium. *Et reſpondi,& dixi,Quæ erit
ſeparatio temporum? aut quando prioris finis, &
8 ſequentis initium? * Et dixit ad me, Ab Abraham
vſque ad Iſaac,quando nati ſunt ab eo Iacob, & E-
ſau,manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Eſau,
9 * finis enim huius ſæculi Eſau,& principium ſequẽ-
10 tis Iacob. * Hominis manus inter calcaneum, &
11 manum. Aliud noli quærere Eſdra. *Et reſpondi, &
dixi, O dominator Domine, ſi inueni gratiam ante
12 oculos tuos, * oro vt demonſtres ſeruo tuo finem
ſignorum tuorum, quorum partem mihi demon-
13 ſtraſti nocte præcedenti. * Et reſpondit, & dixit ad
me, Surge ſuper pedes tuos, & audi vocem pleniſſi-
14 mam ſonitus. * Et erit ſicut commotio, nec com-
15 mouebitur locus,in quo ſtes ſuper eum. *Ideo cum
loquitur,tu non expaueas,quoniam de fine verbum,
16 & fundamentum terræ intelligitur, * quoniam de
ipſis ſermo tremiſcit,& commouetur,ſcit enim quo-
17 niam finem eorum oportet commutari. *Et factum
eſt,cum audiſſem,ſurrexi ſuper pedes meos,& audi-
ui: & ecce vox loquens, & ſonus eius ſicut ſonus a-
18 quarum multarum, * & dixit,Ecce dies veniunt, &
erit quando appropinquare incipiam,vt viſitem ha-
19 bitantes in terra: * & quando inquirere incipiam
ab eis,qui iniuſte nocuerunt iniuſtitia ſua, & quan-
20 do ſuppleta fuerit humilitas Sion. * & cum ſuper-
ſignabitur ſæculum, quod incipient pertranſire,
hæc ſigna faciam, Libri aperientur ante faciem fir-
21 mamenti, & omnes videbunt ſimul, * & anniculi
infantes loquentur vocibus ſuis, & prægnantes im-
maturos parient infantes trium, & quattuor men-
22 ſium, & viuent, & ſuſcitabuntur. * Et ſubito ap-
parebunt ſeminata loca non ſeminata, & plena
23 promptuaria ſubito inuenientur vacua: * & tuba
canet cum ſono; quam cum omnes audierint, ſu-
24 bito expaueſcent. * Et erit in illo tempore, debel-
labunt amici amicos, vt inimici, & expaueſcet ter-

ra cum his: & venæ fontium ſtabunt, & non de-
25 current in horis tribus: * & erit, omnis qui dere-
lictus fuerit ex omnibus iſtis quibus prædixi tibi,
ipſe ſaluabitur, & videbit ſalutare meum, & fi-
26 nem ſæculi veſtri. * Et videbunt, qui recepti ſunt
homines, qui mortem non guſtauerunt à natiuita-
te ſua, & mutabitur cor inhabitantium, & con-
27 uertetur in ſenſum alium. * Delebitur enim ma-
28 lum, & extinguetur dolus. * Florebit autem fi-
des, & vincetur corruptela, & oſtendetur veritas,
29 quæ ſine fructu fuit diebus tantis. * Et factum eſt,
cum loqueretur mihi, & ecce paulatim intuebar
30 ſuper eum ante quem ſtabam, * & dixit ad me
hæc, Veni tibi oſtendere tempus venturæ noctis.
31 * Si ergo iterum rogaueris, & iterum ieiunaueris
ſeptem diebus, iterum tibi renunciabo horum ma-
32 iora per diem, quam audiui. * Audita eſt enim
vox tua apud Altiſſimum. Vidit enim fortis dire-
ctionem tuam, & prouidit pudicitiam, quam à iu-
33 uentute tua habuiſti: * & propter hoc miſit me de-
monſtrare tibi hæc omnia, & dicere tibi, Confide,
34 & noli timere, * & noli feſtinare cum prioribus
temporibus cogitare vana, vt non properes à no-
35 uiſſimis temporibus. * Et factum eſt poſt hæc, &
fleui iterum: & ſimiliter ieiunaui ſeptem diebus,
vt ſupplearem tres hebdomadas, quæ dicta ſunt mi-
36 hi. * Et factum eſt in octaua nocte, & cor meum
turbabatur iterato in me, & cœpi loqui coram
37 Altiſſimo. * Inflammabatur enim ſpiritus meus
38 valdè, & anima mea anxiabatur. * & dixi, o
Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ
in primo die dicens, Fiat cœlum, & terra: & tuum
39 verbum opus perfectum. * Et erat tunc ſpiritus,
& tenebræ circumferebantur, & ſilentium, ſonus
40 vocis hominis nondum erat abs te. * Tunc dixi-
ſti de theſauris tuis proferri lumen luminoſum,
41 quo appareret opus tuum. * Et die ſecundo crea-
ſti ſpiritum firmamenti, & imperaſti ei, vt diui-
deret, & diuiſionem faceret inter aquas, vt pars
quædam ſurſum recederet, pars vero deorſum
42 maneret. * Et tertia die imperaſti aquis congre-
gari in ſeptima parte terræ: ſex vero partes ſicca-
ſti, & conſeruaſti, vt ex his ſint coram te mini-
43 ſtrantia ſeminata à Deo, & culta. * Verbum e-
44 nim tuum proceſſit, & opus ſtatim fiebat. * Pro-
ceſſit enim ſubito fructus multitudinis immenſus,
& concupiſcentiæ guſtus multiformes, & flores
colore immutabili, & odores odoramenti inue-
45 ſtigabilis, & die tertia hæc facta ſunt. * Quar-
ta autem die imperaſti fieri ſolis ſplendorem, lu-
46 næ lumen, ſtellarum diſpoſitionem: * & impera-
ſti eis, vt deſeruirent futuro plaſmato homini.
47 * Quinto autem die dixiſti ſeptimæ parti, vbi e-
rat aqua congregata, vt procrearet animalia, &
48 volatilia, & piſces: & ita fiebat. * aqua muta, &
ſine anima, quæ Dei nutu iubebantur, animalia
faciebat, vt ex hoc mirabilia tua nationes enar-
49 rent. * Et tunc conſeruaſti duas animas: nomen
vni vocaſti Henoch, & nomen ſecundæ vocaſti
50 Leuiathan, * & ſeparaſti ea ab alterutro. Non e-
nim poterat ſeptima pars, vbi erat aqua congre-
51 gata, capere ea. * Et dediſti Henoch vnam par-
tem, quæ ſiccata eſt tertio die, vt habitet in ea vbi
52 ſunt montes mille. * Leuiathan autem dediſti ſe-
ptimam partem humidam, & ſeruaſti eam, vt fiat
53 in deuorationem quibus vis, & quando vis. * Sex-
to autem die imperaſti terræ, vt crearet coram
54 te iumenta, & beſtias, & reptilia: * & ſuper
his Adam, quem conſtituiſti ducem ſuper omni-
bus factis, quæ feciſti, & ex eo educimur nos omnes,

quem-

55 quemque elegiſti populum, * Hæc autem omnia di-
xi coram te Domine, quia propter nos creaſti ſæcu-
56 lum. * Reſiduas autem gentes ab Adam natas dixi-
ſti eas nil eſſe, & quoniam ſaliuæ aſſimilatæ ſunt, &
quaſi ſtillicidium de vaſe ſimilaſti abundantiam eo-
57 rum. * Et nunc Domine, ecce, iſtæ gentes, quæ in
nihilum deputatæ ſunt, cœperunt dominari noſtri,
58 & deuorare: * nos autem populus tuus quem vo-
caſti primogenitum vnigenitum æmulatorem tuũ,
59 traditi ſumus in manibus eorum: * & ſi propter
nos creatum eſt ſæculum, quare non hæreditatem
poſſidemus cum ſæculo? Vſquequo hæc?

## CAP. VII.

1 ET factum eſt, cum finiſſem loqui verba hæc,
miſſus eſt ad me Angelus qui miſſus fuerat ad
2 me primis noctibus, * & dixit ad me, Surge Eſdra,
3 & audi ſermones quos veni loqui ad te. * Et dixi,
Loquere Deus meus. Et dixit ad me, Mare poſi-
tum eſt in ſpatioſo loco, vt eſſet altum, & immen-
4 ſum: * erit autem ei introitus, in anguſto loco po-
5 ſitus, vt eſſet ſimilis fluminibus. * Quis enim volens
voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari
eius: ſi non tranſierit anguſtum in latitudinem
6 quomodo venire poterit? * Item aliud, Ciuitas eſt
ædificata, & poſita in loco campeſtri: eſt autem
7 plena omnium bonorum. * introitus eius angu-
ſtus, & in præcipiti poſitus, vt eſſet à dextris qui-
8 dem ignis, à ſiniſtris aqua alta: * ſemita autem eſt
vna ſola inter eos poſita, hoc eſt, inter ignem, & a-
quam, vt non capiat ſemita, niſi ſolummodo veſti-
9 gium hominis. * Si autem dabitur ciuitas homi-
ni in hæreditatem, ſi numquam antepoſitum peri-
culum pertranſierit, quomodo accipiet hæredita-
10 tem ſuam? * Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad
11 me: Sic eſt & Iſrael pars. * Propter eos enim feci
ſæculum, & quando tranſgreſſus eſt Adam conſti-
12 tutiones meas, iudicatum eſt, quod factum eſt. * Et
facti ſunt introitus huius ſæculi anguſti, & dolen-
tes, & laborioſi: pauci autem & mali, & periculo-
13 rum pleni: & labore magnopere fulti. * nam maio-
ris ſæculi introitus ſpatioſi, & ſecuri, & facientes im-
14 mortalitatis fructum. * Si ergo ingredientes non
fuerunt ingreſſi, qui viuunt, anguſta, & vana hæc:
15 non poterunt recipere, quæ ſunt repoſita. * Nunc er-
go quare tu conturbaris, cum ſis corruptibilis? &
16 quid moueris tu, cum ſis mortalis? * Et quare non
accepiſti in corde tuo, quod eſt futurum, ſed quod
17 in præſenti? * Reſpondi, & dixi, Dominator Domi-
ne, ecce diſpoſuiſti lege tua, quoniam iuſti hæredi-
18 tabunt hæc, impij autem peribunt. * Iuſti autem fe-
rent anguſta, ſperantes ſpatioſa. qui enim impie geſ-
ſerunt, & anguſta paſſi ſunt, & ſpatioſa non videbũt.
19 * Et dixit ad me, Non eſt iudex ſuper Deum, neque
20 intelligens ſuper Altiſſimum. * Pereunt enim mul-
ti præſentes, quia negligitur, quæ antepoſita eſt Dei
21 lex. * Mandans enim mandauit Deus venientibus,
quando venerunt, quid facientes viuerent, & quid
22 obſeruantes non punirentur. * Hi autem non ſunt
perſuaſi, & contradixerunt ei, & conſtituerunt ſibi
23 cogitamen vanitatis, * & propoſuerunt ſibi circum-
uentiones delictorum, & ſuperdixerunt Altiſſimo
24 non eſſe, & vias eius non cognouerunt, * & legem
eius ſpreuerunt, & ſponſiones eius abnegauerunt, &
in legitimis eius fidem non habuerunt, & opera
25 eius non perfecerunt. * propter hoc Eſdra vacua
26 vacuis, & plena plenis. * Ecce tempus veniet, & erit
quando venient ſigna, quæ prædixi tibi, & appare-
bit ſponſa, & appareſcens oſtendetur, quæ nunc ſub-
27 ducitur terra: * & omnis qui liberatus eſt de præ-
28 dictis malis, ipſe videbit mirabilia mea. * Reuelabi-
tur enim filius meus IESVS cum his qui cum
eo ſunt, & iucundabuntur, qui relicti ſunt in annis
29 quadringentis. * Et erit poſt annos hos, & morietur
filius meus CHRISTVS, & omnes qui ſpira-
30 mentum habent homines: * & conuertetur ſæcu-
lum in antiquum ſilentium diebus ſeptem, ſicut in
31 prioribus iudicijs, ita vt nemo derelinquatur. * Et
erit poſt dies ſeptem, & excitabitur, quod nondum
32 vigilat ſæculum, & morietur corruptum: * & terra
reddet, quæ in ea dormiunt, & puluis, qui in eo ſilẽ-
tio habitant, & promptuaria reddent, quæ eis com-
33 mendatæ ſunt animæ. * Et reuelabitur Altiſſimus
ſuper ſedem iudicij, & pertranſibunt miſeriæ, & lon-
34 ganimitas congregabitur. * Iudicium autem ſolum
35 remanebit, veritas ſtabit, & fides conualeſcet, * &
opus ſubſequetur, & merces oſtendetur, & iuſtitiæ
36 vigilabunt, & iniuſtitiæ non dominabuntur. * Et
dixi, Primus Abraham propter Sodomitas orauit,
& Moyſes pro patribus, qui in deſerto peccauerunt,
37 * & qui poſt eum pro Iſrael in diebus Achaz, & Sa-
38 muelis, * Dauid pro confractione, & Salomon pro
39 eis, qui venerunt in ſanctificationem. * Et Elias
pro his qui pluuiam acceperunt, & pro mortuo, vt
40 viueret, * & Ezechias pro populo in diebus Sen-
41 nacherib, & multi pro multis. * Si ergo modo
quando corruptibile increuit, & iniuſtitia multi-
plicata eſt, & orauerunt iuſti pro impijs: quare &
42 nunc ſic non erit? * Et reſpondit ad me, & dixit,
Præſens ſæculum non eſt finis, gloria in eo frequens
43 manet: propter hoc orauerunt pro inualidis. * Dies
enim iudicij erit finis temporis huius, & initium
temporis futuræ immortalitatis, in quo tranſiuit
44 corruptela: * ſoluta eſt intemperantia, abſciſſa eſt
incredulitas: creuit autem iuſtitia, orta eſt veritas.
45 * tunc enim nemo poterit ſaluare eum qui perijt,
46 neque demergere qui vicit. Et reſpondi, * & dixi,
Hic eſt ſermo meus primus, & nouiſſimus, quo-
niam melius erat non dare terram Adam, vel cum
47 iam dediſſet, coercere eum, vt non peccaret. * Quid
enim prodeſt hominibus in præſenti viuere in tri-
48 ſtitia, & mortuos ſperare punitionem? * O tu quid
feciſti Adam? Si enim tu peccaſti, non eſt factus
ſolius tuus caſus, ſed & noſter qui ex te aduenimus.
49 * Quid enim prodeſt nobis, ſi promiſſum eſt nobis
immortale tempus: nos autem mortalia opera egi-
50 mus? * Et quoniam prædicta eſt nobis perennis
51 ſpes, nos vero peſſimi vani facti ſumus. * Et quo-
niam repoſita ſunt nobis habitacula ſanitatis, & ſe-
52 curitatis: nos vero male conuerſati ſumus. * Et quo-
niam repoſita eſt gloria Altiſſimi protegere eos,
qui tarde conuerſati ſunt: nos autem peſſimis vijs
53 ambulauimus. * Et quoniam oſtendetur paradi-
ſus, cuius fructus incorruptus perſeuerat, in quo
54 eſt ſecuritas, & medela: * nos vero non ingredie-
55 mur. in ingratis enim locis conuerſati ſumus. * Et
quoniam ſuper ſtellas fulgebunt facies eorum, qui
abſtinentiam habuerunt: noſtræ autem facies ſu-
56 per tenebras nigræ. * non enim cogitauimus vi-
uentes quando iniquitatem faciebamus, quod in-
57 cipiemus poſt mortem pati. * Et reſpondit, & di-
xit, Hoc eſt cogitamentum certaminis, quod cer-
58 tabit, qui ſuper terram natus eſt homo, * vt ſi vi-
ctus fuerit, patiatur quod dixiſti: ſi autem vicerit,
59 recipiet quod dico: * quoniam hæc eſt vita, quam
Moyſes dixit cum viueret, ad populum, dicens, Eli-
60 ge tibi vitam, vt viuas. * Non crediderunt autem
ei, ſed nec poſt eum prophetis: ſed nec mihi, qui lo-
61 cutus ſum ad eos, * quoniam non eſſet triſtitia in
perditionem eorum, ſicut futurum eſt gaudium ſu-

## Vulgata Editio.

per eos,quibus perſuaſa eſt ſalus. * Et reſpondi, & 62
dixi, Scio Domine,quoniam vocatus eſt Altiſſimus
miſericors in eo, quod miſereatur his,qui nondum
in ſæculo aduenerunt, * & quod miſeretur illis 63
qui conuerſionem faciunt in lege eius: * & longa- 64
nimis eſt,quoniam longanimitatem præſtat his, qui
peccauerunt quaſi ſuis operibus: * & munificus 65
eſt, quoniam quidem donare vult pro exigentijs:
* & multæ miſericordiæ, quoniam multiplicat ma- 66
gis miſericordias his qui præſentes ſunt,& qui præ-
terierunt,& qui futuri ſunt. *Si enim non multipli- 67
cauerit miſericordias ſuas: non viuificabitur ſæcu-
lum cum his qui inhæreditabunt in eo. *Et donat: 68
quoniam ſi non donauerit de bonitate ſua, vt alle-
uentur hi qui iniquitatem fecerunt, de ſuis iniqui-
tatibus non poterit decies milleſima pars viuificari
hominum. *Et iudex ſi non ignouerit his qui cura- 69
ti ſunt verbo eius, & deleuerit multitudinem con-
tentionum: non fortaſſis derelinquerentur in innu-
merabili multitudine,niſi pauci valde.

### CAP. VIII.

ET reſpondit ad me, & dixit: Hoc ſæculum fe- 1
cit Altiſſimus propter multos,futurum autem
propter paucos. * Dicam autem coram te ſimilitu- 2
dinem Eſdra. Quomodo autem interrogabis ter-
ram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam
magis vnde fiat fictile, paruum autem puluerem
vnde aurum fit: ſic & actus præſentis ſæculi. *Mul- 3
ti quidem creati ſunt, pauci autem ſaluabuntur.
*Et reſpondi, & dixi: Abſorbe ergo anima ſenſum, 4
& deuora, quod ſapit. * conuenisti enim obaudire, 5
& prophetare volens. Nec enim tibi datum eſt ſpa-
tium,niſi ſolummodo viuere. * O Domine, ſi non 6
permittes ſeruo tuo,vt oremus coram te,& des no-
bis ſemen cordi, & ſenſui culturam, vnde fructus
fiat, vnde viuere poſſit omnis corruptus, qui porta-
bit locum hominis? * Solus enim es, & vna plaſma- 7
tio nos ſumus manuum tuarum, ſicut locutus es:
* & quomodo nunc in matrice plaſmatum eſt cor- 8
pus, & præſtas membra: conſeruatur in igne, & a-
qua tua creatio: & nouem menſibus patitur tua
plaſmatio tuam creaturam, quæ in ea creata eſt:
* ipſum autem quod ſeruat, & quod ſeruatur, vtra- 9
que ſeruabuntur: ſeruataque quandoque iterum
reddit matrix,quæ in ea creuerunt. * Imperaſti e- 10
nim ex ipſis membris, hoc eſt mammillis præbere
lac fructui mammillarum, * vt nutriatur id, quod 11
plaſmatum eſt vſque in tempus aliquod, & poſtea
diſponas eum tuæ miſericordiæ. * Enutriſti eum 12
tua iuſtitia, & erudiſti eum in lege tua, & corripui-
ſti eum tuo intellectu: * & mortificabis eum, vt 13
tuam creaturam: & viuificabis eum, vt opus tuum.
* Si ergo perdideris eum, qui tantis laboribus plaſ- 14
matus eſt: tuo iuſſu facile eſt ordinari, vt & id quod
fiebat ſeruaretur. *Et nunc Domine dicam,de om- 15
ni homine tu magis ſcis: de populo autem tuo, ob
quem doleo: * Et de hæreditate tua, propter quam 16
lugeo: & propter Iſrael,propter quem triſtis ſum:&
de Iacob,propter quem doleo: *ideo incipiam ora- 17
re coram te pro me, & pro eis: quoniam video lap-
ſus noſtros, qui inhabitamus terram. * Sed audiui 18
celeritatem iudicis,qui futurus eſt: *Ideo audi vo- 19
cem meam,& intellige ſermonem meum, & loquar
coram te. *Initium verborum Eſdræ priuſquam aſ- 20
ſumeretur: & dixi,Domine,qui inhabitas ſæculum,
cuius oculi eleuati in ſuperna, & aere: * & cuius 21
thronus ineſtimabilis,& gloria incomprehenſibilis:
cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore,*quo- 22
rum ſeruatio in vento,& igni cōuertitur: cuius ver-
23 bum verum, & dicta perſeuerantia: * cuius iuſſio
fortis,& diſpoſitio terribilis: cuius aſpectus areſacit
abyſſos, & indignatio tabeſcere facit montes, & ve-
24 ritas teſtificatur: * exaudi orationem ſerui tui, &
25 auribus percipe precationem figmenti tui. * Dum
26 enim viuo,loquar: & dum ſapio, reſpondebo: * nec
reſpicias populi tui delicta, ſed qui tibi in veritate
27 ſeruiunt. * Nec intendas impia gentium ſtudia,
ſed qui tua teſtimonia cum doloribus cuſtodie-
28 runt. *Nec cogites, qui in conſpectu tuo falſe con-
uerſati ſunt,ſed memorare, qui ex voluntate tua ti-
29 morem cognouerunt. * Neque volueris perdere,
qui pecudum mores habuerunt: ſed reſpicias eos,
30 qui legem tuam ſplendide docuerunt. * Nec indi-
gneris eis, qui beſtijs peiores iudicati ſunt: ſed dili-
gas eos,qui ſemper in tua iuſtitia confidunt, & glo-
31 ria. * Quoniam nos & patres noſtri talibus morbis
languemus: tu autem propter nos peccatores miſe-
32 ricors vocaberis. * Si enim deſideraueris, vt noſtri
miſerearis, tunc miſericors vocaberis, nobis autem
33 non habentibus opera iuſtitiæ. *Iuſti enim, quibus
ſunt opera multa repoſita,ex proprijs operibus reci-
34 pient mercedem. *Quid eſt enim homo,vt ei indi-
gneris: aut genus corruptibile, vt ita amarus ſis de
35 ipſo? * In veritate enim nemo de genitis eſt, qui
non impie geſſit, & de confitentibus, qui non deli-
36 quit. * In hoc enim annunciabitur iuſtitia tua, &
bonitas tua Domine, cum miſertus fueris eis, qui
37 non habent ſubſtantiam bonorum operum. * Et re-
ſpondit ad me, & dixit: Recte locutus es aliqua:
38 & iuxta ſermones tuos, ſic & fiet. * quoniam non
vere cogitabo ſuper plaſma eorum, qui peccaue-
runt ante mortem, ante iudicium, ante perditio-
39 nem: * ſed iucundabor ſuper iuſtorum figmentum,
& memorabor peregrinationis quoque, & ſaluatio-
40 nis, & mercedis receptionis. *Quomodo ergo lo-
41 cutus ſum, ſic & eſt. * Sicut enim agricola ſerit ſu-
per terram ſemina multa, & plantationes multitu-
dinis plantat,ſed non in tempore omnia, quæ ſemi-
nata ſunt, ſaluantur, ſed nec omnia, quæ plantata
ſunt, radicabunt: ſic & qui in ſæculo ſeminati ſunt,
42 non omnes ſaluabuntur. * Et reſpondi, & dixi: Si
43 inueni gratiam, loquar. * Quomodo ſemen agri-
colæ ſi non aſcenderit, aut non acceperit pluuiam
tuam in tempore, aut ſi corruptum fuerit multitu-
44 dine pluuiæ, * ſic perit: & ſimiliter homo,qui ma-
nibus tuis plaſmatus eſt, & tu ei imago nomina-
tus: quoniam ſimilatus es ei, propter quem omnia
45 plaſmaſti, & ſimilaſti ſemini agricolæ. * Non ira-
ſcaris ſuper nos, ſed parce populo tuo, & miſerere
hæreditati tuæ: Tu autem creaturæ tuæ miſereris.
46 *Et reſpondit ad me, & dixit: Quæ ſunt præſentia
47 præſentibus, & quæ futura futuris? * Multum enim
tibi reſtat, vt poſſis diligere meam creaturam ſu-
per me: tibi autem frequenter & ipſi proximani,
48 iniuſtis autem numquam. * Sed & in hoc mirabilis
49 es coram Altiſſimo, * quoniam humiliaſti te ſicut
decet te, & non iudicaſti te, vt inter iuſtos pluri-
50 mum glorificeris. * Propter quod miſeriæ multæ,
& miſerabiles efficientur eis,qui habitant ſæculum
in nouiſſimis: quia in multa ſuperbia ambulaue-
51 runt. * Tu autem pro te intellige, & de ſimilibus
52 tuis inquire gloriam. *Vobis enim apertus eſt para-
diſus, plantata eſt arbor vitæ, præparatum eſt futu-
rum tempus,præparata eſt abundantia, ædificata eſt
ciuitas, probata eſt requies, perfecta eſt bonitas, &
53 perfecta ſapientia. * Radix mali ſignata eſt à vobis:
infirmitas, & tinea à vobis abſconſa eſt: & in infer-
54 num fugit corruptio in obliuione. * Tranſierunt

dolores,

UVA.BSCH

Vulgata Editio.

dolores. & oſtenſus eſt in fine theſaurus immorta-
litatis. * Noli ergo adjicere inquirendo de multi- 55
tudine eorum qui pereunt. * Nam & ipſi accipien- 56
tes libertatem, ſpreuerunt Altiſſimum, & legem e-
ius contempſerunt, & vias eius dereliquerunt. * Ad- 57
huc autem iuſtos eius conculcauerunt, * & dixe- 58
runt in corde ſuo non eſſe Deum: & quidem ſcien-
tes quoniam moriuntur. * Sicut enim vos ſuſcipi- 59
ent, quæ prædicta ſunt: ſic eos ſitis, & cruciatus, quæ
præparata ſunt. non enim voluit hominem diſper-
di. * Sed & ipſi qui creati ſunt, coinquinauerunt 60
nomen eius, qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui
præparauit eis vitam. * Quapropter iudicium 61
meum modo appropinquat. * Quæ non omnibus 62
demonſtraui, niſi tibi, & tibi ſimilibus paucis. Et
reſpondi, & dixi: * Ecce nunc domine demonſtra- 63
ſti mihi multitudinem ſignorum, quæ incipies fa-
cere in nouiſſimis: ſed non demonſtraſti mihi quo
tempore.

## CAP. IX.

ET reſpondit ad me, & dixit, Metiens metire 1
tempus in ſemetipſo: & erit cum videris, quan-
do tranſierit pars quædam ſignorum, quæ prædicta
ſunt, * tunc intelliges quoniam ipſum eſt tempus 2
in quo incipiet Altiſſimus viſitare ſæculum, quod
ab eo factum eſt. * Et quando videbitur in ſæculo 3
motio locorum, & populorum turbatio, * tunc in- 4
telliges quoniam de his erat Altiſſimus locutus à
diebus qui fuerunt ante te ab initio. * Sicut enim 5
omne quod factum eſt in ſæculo initium habet, pa-
riter & conſummationem, & conſummatio eſt ma-
nifeſta: * ſic & Altiſſimi tempora initia habent ma- 6
nifeſta in prodigijs, & virtutibus, & conſummatio-
nes in actu, & in ſignis. * Et erit, omnis qui ſaluus 7
factus fuerit, & qui poterit effugere per opera ſua,
& per fidem in qua credidiſtis, * relinquetur de 8
prædictis periculis, & videbit ſalutare meum in ter-
ra mea, & in finibus meis, quoniam ſanctificaui me
à ſæculo. * Et tunc miſerebuntur qui nunc abuſi 9
ſunt vias meas: & in tormentis commorabuntur hi
qui eas proiecerunt in contemptu. * Qui enim non 10
cognouerunt me, viuentes beneficia conſecuti: * & 11
qui faſtidierunt legem meam, cum adhuc erant ha-
bentes libertatem, * & cum adhuc eſſet eis apertus 12
pœnitentiæ locus, non intellexerunt, ſed ſpreuerũt:
hos oportet poſt mortem in cruciamento cogno-
ſcere. * Tu ergo noli adhuc curioſus eſſe, quomodo 13
impij cruciabuntur: ſed inquire quomodo iuſti ſal-
uabuntur, & quorum ſæculum, & propter quos ſæ-
culum, & quando. * Et reſpondi, & dixi, * Olim lo- 14
cutus ſum, & nunc dico, & poſtea dicam: quoniam 15
plures ſunt qui pereunt, quàm qui ſaluabuntur:
* ſicut multiplicatur fluctus ſuper guttam. Et re- 16
ſpondit ad me, & dixit, * Qualis ager, talia & ſemi- 17
na: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis ope-
rator, talis & creatio: & qualis agricola, talis & cultu-
ra: quoniam tempus erat ſæculi. * Et nunc cum eſ- 18
ſem parans eis his qui nunc ſunt, antequam fieret
ſæculum in quo habitarent: & nemo mihi contra-
dixit. * tunc enim quiſque, & nunc creator in mun- 19
do hoc parato, & meſſe indeficienti, & lege inueſti-
gabili corrupti ſunt mores eorum. * Et conſideraui 20
ſæculum, & ecce erat periculum propter cogitatio-
nes, quæ in eo aduenerunt. * Et vidi, & peperci ei 21
valde: & ſeruaui mihi acinum de botro, & planta-
tionem de tribu multa. * Pereat ergo multitudo, 22
quæ ſine cauſa nata eſt, & ſeruetur acinus meus, &
plantatio mea: quia cum multo labore perfeci.
23 * Tu autem ſi adhuc intromiſeris ſeptem dies alios,
24 ſed non ieiunabis in eis: * Ibis in campum florum,
vbi domus non eſt ædificata: & manducabis ſolum-
modo de floribus campi, & carnem non guſtabis,
25 & vinum non bibes, ſed ſolummodo flores: * de-
precare Altiſſimum ſine intermiſſione, & veniam,
26 & loquar tecum. * Et profectus ſum, ſicut dixit mi-
hi in campum, qui vocatur Ardath, & ſedi ibi in
floribus. Et de herbis agri manducaui, & facta eſt
27 eſca earum mihi in ſaturitatem. * Et factum eſt poſt
dies ſeptem, & ego diſcumbebam ſupra fœnum, &
28 cor meum iterum turbabatur ſicut ante. * Et aper-
tum eſt os meum, & inchoaui dicere coram Altiſſi-
29 mo, & dixi, * O Domine, te nobis oſtendens oſten-
ſus es patribus noſtris in deſerto, quod non calca-
tur, & infructuoſo, quando erant exeuntes de Ægy-
30 pto: & dicens dixiſti, * Tu Iſrael audi me, & ſemen
31 Iacob intende ſermonibus meis. * Ecce enim ego
ſemino in vobis legem meam, & faciet in vobis fru-
32 ctum, & glorificabimini in eo per ſæculum. * Nam
patres noſtri accipientes legem, non ſeruauerunt, &
legitima mea non cuſtodierunt, & factus eſt fructus
legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus
33 erat. * Nam qui acceperunt, perierunt, non cuſto-
34 dientes, quod in eis ſeminatum fuerat. * Et ecce,
conſuetudo eſt, vt, cum acceperit terra ſemen, vel
nauem mare, vel vas aliquod eſcam, vel potum:
cum fuerit exterminatum id, in quo ſeminatum eſt,
35 vel in quod miſſum eſt: * ſimul id quod ſemina-
tum, vel miſſum eſt, vel quæ ſuſcepta ſunt, exter-
minantur, & ſuſcepta iam non manent apud nos: ſed
36 nobis ſic non factum eſt. * Nos quidem qui legem
accepimus peccantes periuimus, & cor noſtrum,
37 quod ſuſcepit eam: * nam lex non periit, ſed per-
38 manſit in ſuo labore. * Et cum loquerer hæc in
corde meo, reſpexi oculis meis, & vidi mulierem in
dextera parte, & ecce hæc lugebat, & plorabat cum
voce magna, & animo dolebat valde, & veſtimen-
39 ta eius diſciſſa, & cinis ſuper caput eius. * Et dimiſi
cogitatus, in quibus eram cogitans, & cõuerſus ſum
40 ad eam, & dixi ei, * Vt quid fles? & quid doles ani-
41 mo? Et dixit ad me. * Dimitte me domine meus, vt
defleam me, & adijciam dolorem: quoniam valdè
42 amaro ſum animo & humiliata ſum valde. * Et dixi
43 ei, Quid paſſa es? dic mihi. Et dixit ad me. * Steri-
lis fui ego famula tua, & non peperi, habens ma-
44 ritum annis triginta. * Ego enim per ſingulas horas,
& per ſingulos dies, & annos hos triginta deprecor
45 Altiſſimum nocte, ac die. * Et factum eſt, poſt tri-
ginta annos exaudiuit me Deus ancillam tuam, &
vidit humilitatem meam, & attendit tribulationi
meæ, & dedit mihi filium: & iucundata ſum ſuper
eum valde ego, & vir meus, & omnes ciues mei, &
46 honorificabamus valdè Fortem. * Et nutriui eum
47 cum labore multo. * Et factum eſt cum creuiſſet, &
veniſſet accipere vxorem, feci diem epuli.

## CAP. X.

1 ET factum eſt, cum introiſſet filius meus in tha-
2 lamo ſuo, cecidit, & mortuus eſt: * & euerti-
mus omnes lumina, & ſurrexerunt omnes ciues
mei ad conſolandum me, & quieui vſque in alium
3 diem vſque nocte. * Et factum eſt, cum omnes
quieuiſſent, vt me conſolarentur, vt quieſcerem: &
ſurrexi nocte, & fugi: & veni ſicut vides in hoc
4 campo: * & cogito iam non reuerti in ciuitatem, ſed
hic conſiſtere: & neque manducare, neque bibere,
ſed ſine intermiſſione lugere, & ieiunare vſq; dum
5 moriar. * Et dereliqui ſermones in quibus eram,

## Vulgata Editio.

& reſpondi cum iracundia ad eum, & dixi, * Stul- 6
ta ſuper omnes mulieres, non vides luctum noſtrũ,
& quæ nobis contingunt? * Quoniam Sion mater 7
noſtra omni triſtitia contriſtatur, & humilitate hu-
miliata eſt, & luget validiſſime. * Et nunc quoniam 8
omnes lugemus, & triſtes ſumus: quoniam omnes
contriſtati ſumus, tu autem contriſtaris in vno fi-
lio? * Interroga enim terram, & dicet tibi: quo- 9
niam hæc eſt, quæ debeat lugere caſum tantorum
ſuper eam germinantium. * Et ex ipſa ab initio 10
omnes nati, & alij venient: & ecce, pene omnes in
perditionem ambulant, & exterminium fit mul-
titudo eorum. * Et quis ergo debet lugere magis, 11
niſi hæc quæ tam magnam multitudinem perdi-
dit, quàm tu, quæ pro vno doles? Si autem dicis
mihi, * Quoniam non eſt planctus meus ſimilis 12
terræ: quoniam fructum ventris mei perdidi, quem
cum mœroribus peperi, & cum doloribus genui:
* terra autem ſecundum viam terræ, abijtque in ea 13
multitudo præſens, quo modo euenit: & ego tibi
dico, * ſicut tu cum labore peperiſti, ſic & terra 14
dat fructum ſuum homini ab initio ei, qui fecit eã.
* Nunc ergo retine apud temetipſam dolorem 15
tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt caſus. * Si 16
enim iuſtificaueris terminum Dei, & conſilium
ſuum recipies in tempore, & in talibus collaudabe-
ris; * ingredere ergo in ciuitatem ad virum tuum. 17
Et dixit ad me, * Non faciam, neque ingrediar ci- 18
uitatem, ſed hic moriar. * Et appoſui adhuc loqui 19
ad eam, & dixi, * Noli facere hunc ſermonem, ſed 20
conſenti perſuadenti. Quot enim caſus Sion? Con-
ſolare propter dolorem Ieruſalem. * Vides enim 21
quoniam ſanctificatio noſtra deſerta effecta eſt, &
altare noſtrum demolitum eſt, & templum noſtrum
deſtructum eſt, * & pſalterium noſtrum humilia- 22
tum eſt, & hymnus conticuit, & exultatio noſtra
diſſoluta eſt, & lumen candelabri noſtri extinctum
eſt, & arca teſtamenti noſtri direpta eſt, & ſancta
noſtra contaminata ſunt, & nomen quod inuoca-
tum eſt ſuper nos, pene prophanatum eſt: & liberi
noſtri contumeliam paſſi ſunt, & ſacerdotes noſtri
ſuccenſi ſunt, & Leuitæ noſtri in captiuitatem abie-
runt, & virgines noſtræ coinquinatæ ſunt, & mu-
lieres noſtræ vim paſſæ ſunt, & iuſti noſtri rapti
ſunt, & paruuli noſtri perditi ſunt, & iuuenes no-
ſtri ſeruierunt, & fortes noſtri inualidi facti ſunt:
* & quod omnium maius, ſignaculum Sion, quo- 23
niam reſignata eſt de gloria ſua. nam & tradita eſt
in manibus eorum, qui nos oderunt. * Tu ergo ex- 24
cute tuam triſtitiam multam, & depone abs te mul-
titudinem dolorum, vt tibi repropitietur Fortis, &
requiem faciet tibi Altiſſimus requietionem labo-
rum. * Et factum eſt, cum loquebar ad eam, facies 25
eius fulgebat ſubito & ſpecies, coruſcus fiebat viſus
eius, vt eſſem pauens valdè ad eam, & cogitarem
quid eſſet hoc. * Et ecce, ſubito emiſit ſonitum 26
vocis magnum timore plenum, vt commoueretur
terra à mulieris ſono. & vidi: * & ecce, amplius 27
mulier non comparebat mihi, ſed ciuitas ædificaba-
tur, & locus demonſtrabatur de fundamentis ma-
gnis: & timui, & clamaui voce magna, & dixi,
* Vbi eſt Vriel Angelus, qui à principio venit ad 28
me? quoniam ipſe me fecit venire in multitudine
in exceſſu mentis huius, & factus eſt finis meus in
corruptionem, & oratio mea in improperium. * Et 29
cum eſſem loquens ego hæc, ecce venit ad me, &
vidit me. * & ecce eram poſitus, vt mortuus, & in- 30
tellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram
meam, & confortauit me, & ſtatuit me ſuper pedes
meos, & dixit mihi, * Quid tibi eſt? & quare con- 31
turbatus eſt intellectus tuus, & ſenſus cordis tui? &
32 quare conturbaris? Et dixi, * Quoniam dereliqui-
ſti me, & ego quidem feci ſecundum ſermones
tuos, & exiui in campum: & ecce vidi, & video,
33 quod non poſſum enarrare. Et dixit ad me, * Sta vt
34 vir, & commouebo te. Et dixi, * Loquere Domine
meus tu in me, noli me derelinquere, vt non fruſtra
35 moriar: * quoniam vidi, quæ non ſciebam, & au-
36 dio, quæ non ſcio. * Aut numquid ſenſus meus fal-
37 litur, & anima mea ſomniat? * Nunc ergo deprecor
te, vt demonſtres ſeruo tuo de exceſſu hoc. Et re-
38 ſpondit ad me, & dixit, * Audi me, & doceam te, &
dicam tibi de quibus times: quoniam Altiſſimus
39 reuelauit tibi myſteria multa. * Vidit rectam viam
tuam, quoniam ſine intermiſſione contriſtabaris
40 pro populo tuo, & valde lugebas propter Sion. * Hic
ergo intellectus viſionis, quæ tibi apparuit ante pau-
41 lulum. * Quam vidiſti lugentem, inchoaſti conſo-
42 lari eam. * Nunc autem iam ſpeciem mulieris non
43 vides, ſed apparuit tibi ciuitas ædificari: * & quo-
niam enarrabat tibi de caſu filij ſui, hæc abſolutio
44 eſt. * Hæc mulier quam vidiſti, hæc eſt Sion: &
quoniam dixit tibi quam & nunc conſpicies, vt ci-
45 uitatem ædificatam. * Et quoniam dixit tibi, quia
ſterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni
ſcilicet triginta, quando non erat in ea adhuc ob-
46 latio oblata. * Et factum eſt poſt annos triginta, æ-
dificauit Salomon ciuitatem, & obtulit oblationes:
47 tunc fuit quando peperit ſterilis filium. * Et quod
tibi dixit, quoniam nutriuit eum cum labore, hoc
48 erat, habitatio in Ieruſalem. * Et quoniam dixit ti-
bi, quod filius meus veniens in ſuo thalamo mor-
tuus eſſet & contigiſſet ei caſus, hoc erat, quæ facta
49 eſt ruina Ieruſalem. * Et ecce, vidiſti ſimilitudinem
eius: & quoniam filium lugeret, inchoaſti conſola-
ri eam: & de his, quæ contigerunt, hæc erant tibi
50 aperienda. * Et nunc videt Altiſſimus, quoniam ex
animo contriſtatus es, & quoniam ex toto corde
pateris pro ea, oſtendit tibi claritatem gloriæ eius,
51 & pulchritudinem decoris eius. * Propterea enim
dixit tibi, vt maneres in campo vbi domus non eſt
52 ædificata. * Sciebam enim ego, quoniam Altiſſimus
53 incipiebat tibi oſtendere hæc: * propterea dixi tibi
vt venires in agrum vbi non eſt fundamentum ædi-
54 ficij. * Nec enim poterat opus ædificij hominis ſu-
ſtineri in loco, vbi incipiebatur Altiſſimi ciuitas o-
55 ſtendi. * Tu ergo noli timere, neque expaueſcat
cor tuum: ſed ingredere, & vide ſplendorem, &
magnitudinem ædificij, quantum capax eſt tibi vi-
56 ſus oculorum videre: * & poſt hæc audies quan-
57 tum capit auditus aurium tuarum audire. * Tu e-
nim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altiſ-
58 ſimum, ſicut & pauci. * Nocte autem, quæ in craſti-
59 num futura eſt, manebis hic: * & oſtendet tibi Al-
tiſſimus eas viſiones ſupremorum, quæ faciet Al-
tiſſimus his qui habitant ſuper terram à nouiſſimis
60 diebus. * Et dormiui illam noctem, & aliam, ſicut
dixerat mihi.

### CAP. XI.

1 ET vidi ſomnium, & ecce aſcendebat de mari
aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, &
2 capita tria. * Et vidi, & ecce expandebat alas ſuas in
omnem terram, & omnes venti cœli inſufflabant in
3 eam, & colligebantur. * Et vidi, & de pennis eius
naſcebantur contrariæ pennæ, & ipſæ fiebant in
4 pennaculis minutis, & modicis. * Nam capita eius
erant quieſcentia, & dimidium caput erat maius a-
liorum capitum, ſed ipſa quieſcebat cum eis.

Et vidi,

UVA.BSCH

Vulgata Editio.

* Et vidi,& ecce aquila volauit in pennis ſuis,& re- 5
gnauit ſuper terram,& ſuper eos qui habitant in ea.
* Et vidi,quoniam ſubiecta erant ei omnia ſub cæ- 6
lo,& nemo illi contradicebat, neque vnus de crea-
tura quæ eſt ſuper terram. * Et vidi, & ecce ſurre- 7
xit aquila ſuper vngues ſuos, & miſit vocem pennis
ſuis,dicens: * Nolite omnes ſimul vigilare, dormi- 8
re vnuſquiſque in loco ſuo, & per tempus vigilate.
* Capita autem in nouiſſimo ſeruentur. * Et vidi, 9
& ecce vox non exibat de capitibus eius,ſed de me- 10
dietate corporis eius. * Et numeraui contrarias 11
pennas eius,& ecce ipſæ erant octo. * Et vidi,& ec- 12
ce à dextera parte ſurrexit vna penna,& regnauit ſu-
per omnem terram. * Et factum eſt cum regnaret, 13
venit ei finis,& non apparuit locus eius: & ſequens
exurrexit,& regnabat: ipſa multum tenuit tempus.
* Et factum eſt cum regnaret,& veniebat finis eius, 14
vt non appareret ſicut prior. * Et ecce, vox emiſſa 15
eſt illi,dicens: * Audi tu quæ tanto tempore te- 16
nuiſti terram. hæc annuncio tibi antequam inci-
pias non apparere. * Nemo poſt te tenebit tempus 17
tuum,ſed nec dimidium eius. * Et leuauit ſe tertia, 18
& tenuit principatum ſicut & priores: & non appa-
ruit & ipſa. * Et ſic contingebat omnibus alijs ſin- 19
gulatim principatum gerere,& iterum nuſquam cõ-
parere. * Et vidi,& ecce in tempore ſequentes pen 20
næ erigebantur à dextera parte, vt tenerent & ipſæ
principatum: & ex his erant quæ tenebant, ſed ta-
men ſtatim non comparebant. * Nam & aliquæ ex 21
eis erigebantur, ſed non tenebant principatum.
* Et vidi poſt hæc,& ecce non comparuerunt duo- 22
decim pennæ & duo pennacula: * & nihil ſupere- 23
rat in corpore aquilæ,niſi duo capita quieſcentia &
ſex pennacula. * Et vidi, & ecce ſex pennaculis di- 24
uiſæ ſunt duæ, & manſerunt ſub capite quod eſt ad
dexteram partem. Nam quattuor manſerunt in lo-
co ſuo. * Et vidi, & ecce ſubalares cogitabant ſe 25
erigere & tenere principatus. * Et vidi, & ecce vna 26
erecta eſt, ſed ſtatim non comparuit. * Et ſecundæ 27
velocius quàm priores,non comparuerunt. * Et vi- 28
di, & ecce duæ quæ ſuperauerunt apud ſemetipſas
cogitabant & ipſæ regnare. * & in eo cum cogita- 29
rent, ecce vnum quieſcentium capitum quod erat
medium, euigilabat, hoc enim erat duorum capitũ
maius. * Et vidi quoniam complexa ſunt duo capi- 30
ta ſecum. * & ecce conuerſum eſt caput cum his 31
qui cum eo erant, & comedit duas ſubalares quæ
cogitabant regnare. * Hoc autem caput percon- 32
terruit omnem terram, & dominabatur in ea his
qui habitant terram,cum labore multo, & potenta-
tum tenuit orbis terrarum ſuper omnes alas quæ
fuerant. * Et vidi poſt hæc, & ecce medium caput 33
ſubito non comparuit, & hoc ſicut alæ. * Supera- 34
uerunt autem duo capita, quæ & ipſa ſimiliter re-
gnauerunt ſuper terram,& ſuper eos qui habitant in
ea. * Et vide,& ecce deuorauit caput à dextera par- 35
te illud quod à læua. * Et audiui vocem dicentem 36
mihi: Conſpice contra te,& conſidera quod vides.
* Et vidi, & ecce ſicut leo concitatus de ſilua ru- 37
giens: & vidi quoniam emittebat vocem hominis
ad aquilam. Et dixit,dicens: * Audi tu, & loquar 38
ad te, & dicet Altiſſimus tibi, * Nonne tu es qui 39
ſuperaſti de quattuor animalibus, quæ feceram re-
gnare in ſæculo meo,& vt per eos veniret finis tem-
porum eorum? * Et quartus veniens deuicit omnia 40
animalia quæ tranſierunt,& potentatu tenuit ſæcu-
lum cum tremore multo,& omnem orbem cum la-
bore peſſimo, & inhabitauit tot temporibus orbem
terrarum cum dolo. * Et iudicaſti terram non cum 41
veritate. * Tribulaſti enim manſuetos, & læſiſti 42
quieſcentes, & dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti ha-
bitationes eorum qui fructificabant, & humiliaſti
43 muros eorum qui te non nocuerunt. * Et aſcendit
contumelia tua vſque ad Altiſſimum, & ſuperbia
44 tua ad Fortem. * Et reſpexit Altiſſimus ſuperba
tempora,& ecce finita ſunt,& ſcelera eius completa
45 ſunt. * Propterea non appareas tu aquila,& alæ tuę
horribiles, & pennacula tua peſſima, & capita tua
maligna,& vngues tui peſſimi,& omne corpus tuum
46 vanum, * vt refrigeretur omnis terra, & reuerta-
tur liberata de tua vi, & ſperet iudicium & miſeri-
cordiam eius qui fecit eam.

## CAP. XII.

1 ET factum eſt,dum loqueretur leo verba hæc ad
2 aquilam: & vidi, * & ecce quod ſuperauerat
caput, & non comparuerunt quattuor alæ illæ quæ
ad eum tranſierunt, & erectæ ſunt vt regnarent: &
3 erat regnum eorum exile,& tumultu plenum. * Et
vidi, & ecce ipſa non apparebant, & omne corpus
aquilæ incendebatur,& expaueſcebat terra valde,&
ego à tumultu & exceſſu mentis,& à magno timo-
4 re vigilaui, & dixi ſpiritui meo, * Ecce tu præſtiti-
ſti mihi hoc in eo, quòd ſcrutaris vias Altiſſimi.
5 * Ecce adhuc fatigatus ſum animo, & ſpiritu meo
inualidus ſum valde, & nec modica eſt in me virtus
6 à multo timore, quam expaui nocte hac: * Nunc
ergo orabo Altiſſimum,vt me conſortet vſque in fi-
7 nem. * Et dixi, Dominator Domine,ſi inueni gra-
tiam ante oculos tuos, & ſi iuſtificatus ſum apud te
præ multis, & ſi certe aſcendit deprecatio mea ante
8 faciem tuam, * conforta me, & oſtende ſeruo tuo
mihi interpretationem & diſtinctionem viſus hor-
ribilis huius,vt pleniſſime conſoleris animam meã.
9 * Dignum enim me habuiſti oſtendere mihi tem-
10 porum nouiſſima. Et dixit ad me: * Hæc eſt in-
11 terpretatio viſionis huius. * Aquilam quam vidiſti
aſcendentem de mari, hoc eſt regnum quod viſum
12 eſt in viſione Danieli fratri tuo. * Sed non eſt illi
interpretatum quoniam ego nunc tibi interpretor.
13 * Ecce dies veniunt, & exurget regnum ſuper ter-
ram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ
14 fuerunt ante eum. * Regnabunt autem in ea reges
15 duodecim, vnus poſt vnum. * Nam ſecundus inci-
piet regnare, & ipſe tenebit amplius tempus præ
16 duodecim. * Hæc eſt interpretatio duodecim ala-
17 rum quas vidiſti. * Et quam audiſti vocem quæ lo
cuta eſt,non de capitibus eius exeuntem,ſed de me
18 dio corporis eius, * hæc eſt interpretatio,quoniam
poſt tempus regni illius naſcentur contentiones
non modicæ, & periclitabitur vt cadat: & non ca-
det tunc, ſed iterum conſtituetur in ſuum ini-
19 tium. * Et quoniam vidiſti ſubalares octo cohæ-
20 rentes alis eius, * hæc eſt interpretatio. exurgent
in ipſo octo reges, quorum erunt tempora leuia, &
21 anni citati, & duo quidem ex ipſis perient. * Ap-
propinquante autem tempore medio quattuor ſer-
uabuntur in tempore, cum incipiet appropinquare
tempus eius vt finiatur: duo vero in finem ſerua-
22 buntur. * Et quoniam vidiſti tria capita quieſcen-
23 tia, * hæc eſt interpretatio: in nouiſſimis eius ſu-
ſcitabit Altiſſimus tria regna, & reuocabit in ea
24 multa, & dominabuntur terram, * & qui habitant
in ea, cum labore multo ſuper omnes qui fuerunt
ante hos. propter hoc ipſi vocati ſunt capita aqui-
25 læ. * Iſti enim erunt qui recapitulabuntur impie-
26 tates eius,& qui perficient nouiſſima eius. * Et quo-

niam

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

niam vidiſti caput maius non apparens, hæc eſt in-
terpretatio eius. quoniam vnus ex eis ſuper lectum
ſuum morietur, & tamen cum tormentis. * Nam 27
duo qui perſeuerauerint, gladius eos comedet.
* Vnius enim gladius comedet qui cum eo: ſed ta- 28
men hic gladio in nouiſſimis cadet. * Et quoniam 29
vidiſti duas ſubalares traijcientes ſuper caput quod
eſt in dextera parte, * hæc eſt interpretatio. hi 30
ſunt quos conſeruauit Altiſſimus in finem ſuum,
hoc eſt regnum exile, & turbationis plenum. * Si- 31
cut vidiſti & leonem, quem vidiſti de ſilua euigilan-
tem, & rugientem, & loquentem ad aquilam, & ar-
guentem eam, & iniuſtitias ipſius per omnes ſermo-
nes eius ſicut audiſti: * hic eſt ventus quem ſerua- 32
uit Altiſſimus in finem ad eos, & impietates ipſo-
rum: & arguet illos, & incutiet coram ipſis diſcerp-
tiones eorum. * Statuet enim eos in iudicio viuos: 33
& erit, cum arguerit eos, tunc corripiet eos. * Nam 34
reſiduum populum meum liberabit cum miſeria,
qui ſaluati ſunt ſuper fines meos, & iucundabit eos
quoadusque veniet finis diei iudicij, de quo locutus
ſum tibi ab initio. * Hoc ſomnium quod vidiſti, & 35
hæ interpretationes. * Tu ergo ſolus dignus fuiſti 36
ſcire Altiſſimi ſecretum hoc. * Scribe ergo omnia 37
iſta in libro quæ vidiſti, & pone ea in loco abſcondi-
to: * & docebis ea ſapientes de populo tuo, quo- 38
rum corda ſcis poſſe capere, & ſeruare ſecreta hæc.
* Tu autem adhuc ſuſtine hic alios dies ſeptem, vt 39
tibi oſtendatur quidquid viſum fuerit Altiſſimo o-
ſtendere tibi. * Et profectus eſt à me. Et factum 40
eſt, cum audiſſet omnis populus quoniam pertran-
ſierunt ſeptem dies, & ego non fuiſſem reuerſus in
ciuitatem, & congregauit ſe omnis à minimo vſque
ad maximum: & venit ad me, & dixerunt mihi di-
centes: * Quid peccauimus tibi, & quid iniuſte egi- 41
mus in te, quoniam derelinquens nos ſediſti in loco
hoc? * Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus po- 42
pulis, ſicut botrus de vinea, & ſicut lucerna in loco
obſcuro, & ſicut portus & nauis ſaluata à tempeſta-
te. * Aut non ſufficiunt nobis mala quæ contin- 43
gunt? * Si ergo tu nos dereliqueris, quanto nobis 44
erat melius ſi eſſemus ſuccenſi & nos cum incendio
Sion? * Nec enim nos ſumus meliores eorum qui 45
ibi mortui ſunt. Et plorauerunt voce magna. Et
reſpondi ad eos, & dixi: * Confide Iſrael, & noli tri- 46
ſtari tu domus Iacob. * Eſt enim memoria veſtri 47
coram Altiſſimo, & Fortis non eſt oblitus veſtri in
tentatione. * Ego enim non dereliqui vos, neque 48
exceſſi à vobis: ſed veni in hunc locum vt depre-
carer pro deſolatione Sion, vt quærerem miſericor-
diam pro humilitate ſanctificationis veſtræ. * Et 49
nunc ite vnuſquiſque veſtrum in domum ſuam, &
ego veniam ad vos poſt dies iſtos. * Et profectus 50
eſt populus, ſicut dixi ei, in ciuitatem: * ego autem 51
ſedi in campo ſeptem diebus, ſicut mihi mandauit:
& manducabam de floribus ſolummodo agri, de
herbis facta eſt eſca mihi in diebus illis.

### CAP. XIII.

ET factum eſt poſt dies ſeptem, & ſomniaui ſom 1
nium nocte. * Et ecce de mari ventus exurge- 2
bat, vt conturbaret omnes fluctus eius. * Et vidi, & 3
ecce conualeſcebat ille homo cum millibus cœli:
& vbi vultum ſuum vertebat vt conſideraret, tre-
mebant omnia quæ ſub eo videbantur: * & vbi- 4
cumque exibat vox de ore eius, ardeſcebant omnes
qui audiebant voces eius ſicut quieſcet terra quan-
5 do ſenſerit ignem. * Et vidi poſt hæc, & ecce con-
gregabatur multitudo hominum, quorum non erat
numerus de quattuor ventis cœli, vt debellarent
6 hominem qui aſcenderat de mari. * Et vidi, & ec-
ce ſibimetipſi ſculpſerat montem magnum, & vola-
7 uit ſuper eum. * Ego autem quæſiui videre regio-
nem vel locum vnde ſculptus eſſet mons, & non po-
8 tui. * Et poſt hæc vidi, & ecce omnes qui congre-
gati ſunt ad eum, vt expugnarent eum, timebant val-
9 de, tamen audebant pugnare. * Et ecce, vt vidit im-
petum multitudinis venientis, non leuauit manum
ſuam, neque frameam tenebat, neque aliquod vas
10 bellicoſum niſi ſolummodo vt vidi, * quoniam
emiſit de ore ſuo ſicut flatum ignis, & de labijs eius
ſpiritus flammæ, & de lingua eius emittebat ſcintil-
las & tempeſtates, & commiſta ſunt omnia ſimul,
hic flatus ignis, & ſpiritus flammæ, & multitudo
11 tempeſtatis: * & concidit ſuper multitudinem in
impetu, quæ præparata erat pugnare, & ſuccendit
omnes, vt ſubito nihil videretur de innumerabili
multitudine niſi ſolummodo puluis, & fumi odor:
12 & vidi, & expaui. * Et poſthæc vidi ipſum homi-
nem deſcendentem de monte, & vocantem ad ſe
13 multitudinem aliam pacificam, * & accedebant ad
cum vultus hominum multorum quorumdam gau-
dentium, quorumdam triſtantium: aliqui vero al-
ligati, aliqui adducentes ex eis, qui offerebantur.
& ægrotaui à multitudine pauoris, & expergefactus
14 ſum & dixi: * Tu ab initio demonſtraſti ſeruo tuo
mirabilia hæc, & dignum me habuiſti vt ſuſciperes
15 deprecationem meam: * & nunc demonſtra mihi
16 adhuc interpretationem ſomnij huius. * Sicut
enim exiſtimo in ſenſu meo, væ qui derelicti fue-
runt in diebus illis: & multo plus væ his qui non
17 ſunt derelicti. * Qui enim non ſunt derelicti, tri-
18 ſtes erant. * Intelligo nunc quæ ſunt repoſita in no-
uiſſimis diebus, & occurrent eis, ſed & his qui dere-
19 licti ſunt. * Propter hoc venerunt enim in pericu-
la magna, & neceſſitates multas, ſicut oſtendunt
20 ſomnia hæc. * Attamen facilius eſt periclitantem
venire in hunc, quàm pertranſire, ſicut nubem à ſæ-
culo, & nunc videre quæ contingunt in nouiſſimo.
21 Et reſpondit ad me, & dixit: * Et viſionis interpre-
tationem dicam tibi: & de quibus locutus es ada-
22 periam tibi. * Quoniam de his dixiſti qui derelicti
23 ſunt: hæc eſt interpretatio. * Qui auferet pericu-
lum illo tempore, hic ſe cuſtodiuit. qui in periculo
inciderunt, hi ſunt qui habent opera & fidem ad
24 Fortiſſimum. * Scito ergo quoniam magis beatifi-
cati ſunt qui derelicti, ſuper eos qui mortui ſunt.
25 * Hæ interpretationes viſionis, quia vidiſti virum
26 aſcendentem de corde maris, * ipſe eſt quem con-
ſeruat Altiſſimus multis temporibus, qui per ſeme-
tipſum liberabit creaturam ſuam: & ipſe diſponet,
27 qui derelicti ſunt. * Et quoniam vidiſti de ore eius
28 exire, vt ſpiritum, & ignem, & tempeſtatem: * &
quoniam non tenebat frameam, neque vas bellico-
ſum: corrupit enim impetus eius multitudinem,
quæ venerat expugnare eum. Hæc eſt interpreta-
29 tio. * Ecce dies veniunt, quando incipiet Altiſſi-
30 mus liberare eos qui ſuper terram ſunt: * & veniet
in exceſſu mentis ſuper eos qui inhabitant terram.
31 * Et alij alios cogitabunt debellare: ciuitas ciui-
tatem, & locus locum, & gens aduerſus gentem, &
32 regnum aduerſus regnum. * Et erit, cum fient hęc,
& contingent ſigna quæ ante oſtendi tibi: & tunc
reuelabitur filius meus, quem vidiſti, vt virum aſcé-
33 dentem. * Et erit quando audierint omnes gentes
vocem eius: & derelinquet vnuſquiſque in regione
34 ſua bellum ſuum, quod habent ad alterutrum: * &



UVA.BSCH

colligetur in vnum multitudo innumerabilis, ſicut
volentes venire, & expugnare eum. * Ipſe autem 35
ſtabit ſuper cacumen montis Sion. * Sion autem 36
veniet, & oſtendetur omnibus parata & ædificata, ſi-
cut vidiſti montem ſculpi ſine manibus. * Ipſe au- 37
tem filius meus arguet quæ adinuenerunt Gentes,
impietates eorum has quæ tempeſtati appropinqua-
uerunt propter mala cogitamenta eorum, & crucia-
menta quibus incipient cruciari: * quæ aſſimilatæ 38
ſunt flammæ, & perdet eos ſine labore per legem
quæ igni aſſimilata eſt. * Et quoniam vidiſti eum 39
colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam,
* hæ ſunt decem tribus, quæ captiuæ factæ ſunt de 40
terra ſua in diebus Oſee regis, quem captiuum du-
xit Salmanaſar rex Aſſyriorum: & tranſtulit eos
trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam. * Ip- 41
ſi autem ſibi dederunt conſilium hoc vt dereliu-
querent multitudinem gentium, & proficiſcerentur
in vlteriorem regionem, vbi numquam inhabitauit
genus humanum: * vel ibi obſeruare legitima ſua, 42
quæ non fuerant ſeruantes in regione ſua. * Per 43
introitus autem anguſtos fluminis Euphratem in-
troierunt. * Fecit enim eis tunc Altiſſimus ſigna, 44
& ſtatuit venas fluminis vſquequo tranſirent. * Per 45
eam enim regionem erat via multa itineris, anni
vnius & dimidij: nam regio illa vocatur Arſareth.
* Tunc inhabitauerunt ibi vſque in nouiſſimo té- 46
pore: & nunc iterum cum cœperint venire, * ite- 47
rum Altiſſimus ſtatuet venas fluminis, vt poſſint
tranſire: propter hæc vidiſti multitudinem cum pa
ce. * Sed & qui derelicti ſunt de populo tuo, hi 48
ſunt qui inueniuntur intra terminum meum. * Fa- 49
ctum erit ergo, quando incipiet perdere multitudi-
nem earum, quæ collectæ ſunt gentes, proteget eos
qui ſuperauerunt populum: * & tunc oſtendet eis 50
multa plurima portenta. * Et dixi ego: Domina- 51
tor Domine, hoc mihi oſtende, propter quod vidi
virum aſcendentem de corde maris. Et dixit mi-
hi. * Sicut non potes hæc vel ſcrutari, vel ſcire 52
quæ ſunt in profundo maris: ſic non poterit quiſ-
que ſuper terram videre filium meum, vel eos qui
cum eo ſunt, niſi in tempore diei. * Hæc eſt inter- 53
pretatio ſomnij quod vidiſti, & propter quod illu-
minatus es hic ſolus. * Dereliquiſti enim tuam, & 54
circa meam vacaſti legem, & quæſiſti. * Vitam enim 55
tuam diſpoſuiſti in ſapientia, & ſenſum tuum voca-
ſti matrem: * & propter hoc oſtendi tibi merces 56
apud Altiſſimum. erit enim poſt alios tres dies, ad
te alia loquar, & exponam tibi grauia & mirabilia.
* Et profectus ſum, & tranſij in campum, multum 57
glorificans & laudans Altiſſimum de mirabilibus
quæ per tempus faciebat: * & quoniam gubernat 58
ipſum, & quæ ſunt in temporibus illata, & ſedi ibi
tribus diebus.

## CAP. XIIII.

ET factum eſt tertio die, & ego ſedebam ſub 1
quercu. * Et ecce, vox exiuit contra me de 2
rubo, & dixit: Eſdra Eſdra. Et dixi: Ecce ego Do-
mine. Et ſurrexi ſuper pedes meos. Et dixit ad
me: * Reuelans reuelatus ſum ſuper rubum, & lo- 3
cutus ſum Moyſi, quando populus meus ſeruiebat
in Ægypto, * & miſi eum, & eduxi populum meum 4
de Ægypto, & adduxi eum ſuper montem Sina, &
detinebam eum apud me diebus multis: * & enar- 5
raui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſe-
creta & finem: & præcepi ei, dicens: * Hæc in pa- 6
7 lam facies verba, & hæc abſcondes. * Et nunc tibi
8 dico: * Signa quæ demonſtraui, & ſomnia quæ vi-
diſti, & interpretationes quas tu vidiſti, in corde tuo
9 repone ea: * tu enim recipieris ab omnibus, con-
uerteris reſiduus cum conſilio meo & cum ſimili-
10 bus tuis, vſquequo finiantur tempora. * quoniam
ſæculum perdidit iuuentutem ſuam, & tempora ap
11 propinquant ſeneſcere. * Duodecim enim parti-
bus diuiſum eſt ſæculum, & tranſierunt eius decima
12 & dimidium decimæ partis: * ſuperſunt autem eius
13 poſt medium decimæ partis. * Nunc ergo diſpone
domum tuam, & corripe populum tuum, & conſola
14 re humiles eorum, & renuntia iam corruptelæ, * &
dimitte abs te mortales cogitationes, & proijce abs
te pondera humana, & exue te iam infirmam natu-
ram, & repone in vnam partem moleſtiſſima tibi co
gitamenta, & feſtina tranſmigrare à temporibus his:
15 * quæ enim vidiſti nunc contigiſſe mala, iterum ho
16 rum deteriora facient: * quantum enim inualidum
fiet ſæculum à ſenectute, tantum multiplicabuntur
17 ſuper inhabitantes mala. * Prolongauit enim ſe ma
gis veritas, & appropinquauit mendacium. Iam
18 enim feſtinat venire, quam vidiſti viſionem. * Et re-
19 ſpondi, & dixi coram te Domine. * Ecce enim ego
abibo, ſicut præcepiſti mihi, & corripiam præſentem
populum. Qui autem iterum nati fuerint, quis
20 commouebit? * Poſitum eſt ergo ſæculum in tene-
21 bris, & qui inhabitant in eo ſine lumine. * Quoniam
lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit quæ à te
22 facta ſunt, vel quæ incipient opera. * Si enim inue-
ni in te gratiam, immitte in me Spiritum ſanctum,
& ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab ini-
tio, quæ erant in lege tua ſcripta vt poſſint homines
inuenire ſemitam, & qui voluerint viuere in nouiſ-
23 ſimis, viuant. * Et reſpondit ad me, & dixit: Va-
dens congrega populum, & dices ad eos, vt non
24 quærant te diebus quadraginta. * Tu autem præ-
para tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Da
briam, Salemiam, Echanum, & Aſiel, quinque hos
25 qui parati ſunt ad ſcribendum velociter. * Et ve-
nies huc, & ego accendam in corde tuo lucernam
intellectus, quæ non extinguetur quoadusque fi-
26 niantur quæ incipies ſcribere. * Et tunc perfectis
quædam palam facies, quædam ſapientibus abſcon-
ſe trades. in craſtinum enim hac hora incipies ſcri-
27 bere. * Et profectus ſum, ſicut mihi præcepit, &
28 congregaui omnem populum, & dixi: * Audi Iſrael
29 verba hæc: * Peregrinati ſunt patres noſtri ab ini-
30 tio in Ægypto, & liberati ſunt inde: * & accepe-
runt legem vitæ, quam non cuſtodierunt, quam &
31 vos poſt eos tranſgreſſi eſtis: * & data eſt vobis ter-
ra in ſortem, & terra Sion, & patres veſtri, & vos ini-
quitatem feciſtis, & non ſeruaſtis vias quas præcepit
32 vobis Altiſſimus: * & iuſtus iudex cum ſit, abſtu-
33 lit à vobis in tempore quod donauerat. * Et nunc
vos hic eſtis, & fratres veſtri introrſum veſtrum ſunt.
34 * Si ergo imperaueritis ſenſui veſtro, & erudieritis
cor veſtrum, viui conſeruati eritis, & poſt mortem
35 miſericordiam conſequemini. * Iudicium enim
poſt mortem veniet, quando iterum reuiuiſcemus:
& tunc iuſtorum nomina parebunt, & impiorum fa
36 cta oſtendentur. * Ad me igitur nemo accedat
nunc, neque requirat me vſque dies quadraginta.
37 * Et accepi quinque viros ſicut mandauit mihi, &
38 profecti ſumus in campum, & manſimus ibi. * Et
factus ſum in craſtinum, & ecce vox vocauit me di-
cens: Eſdra aperi os tuum, & bibe quo te potaue-
39 ro. * Et aperui os meum, & ecce calix plenus por-
rigebatur mihi. Hoc erat plenum ſicut aqua: co-
40 lor autem eius vt ignis ſimilis. * Et accepi, & bibi:



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

& in eo cum bibiſſem, cor meum cruciabatur intel-
lectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia.
Nam ſpiritus meus conſeruabatur memoria. * Et 41
apertum eſt os meum, & non eſt clauſum amplius.
* Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcri 42
pſerunt quæ dicebantur exceſſiones noctis, quas nõ
ſciebant. * Nocte autem manducabant panem, ego 43
autem per diem loquebar, & per noctem non tace-
bam. * Scripti ſunt autem per quadraginta dies li- 44
bri ducenti quattuor. * Et factum eſt cum comple- 45
uiſſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus, di-
cens: Priora quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant
digni & indigni: * nouiſſimos autem ſeptuaginta 46
conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo
tuo. * In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ 47
fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic.

## CAP. XV.

ECce loquere in aures plebis meæ ſermones 1
prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit Do-
minus: * & fac vt in charta ſcribantur, quoniam fi- 2
deles & veri ſunt. * Ne timeas à cogitationibus ad- 3
uerſum te, nec turbent te incredulitates dicentium.
* Quoniam omnis incredulus in incredulitate ſua 4
morietur. * Ecce ego induco, dicit Dominus, ſu- 5
per orbem terrarum mala, gladium, & famem, &
mortem, & interitum: * propter quod ſuperpolluit 6
iniquitas omnem terram, & adimpleta ſunt opera
nociua illorum. * Propterea dicit Dominus: * Iam 7
non ſilebo de impietatibus eorum quæ irreligioſe 8
agunt, nec ſuſtinebo in his quæ inique exercent, ec-
ce ſanguis innoxius & iuſtus clamat ad me, & ani-
mæ iuſtorum clamant perſeueranter. * Vindicans 9
vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem
ſanguinem innoxium ex illis ad me. * Ecce popu- 10
lus meus quaſi grex ad occiſionem ducitur, iam non
patiar illum habitare in terra Ægypti: * ſed edu- 11
cam eum in manu potẽti & brachio excelſo, & per-
cutiam plaga ſicut prius, & corrumpam omnem ter
ram eius. * Lugebit Ægyptus, & fundamenta eius 12
plaga verberata, & caſtigatione quas inducet ei
Deus. * Lugebunt cultores operantes terram, quo- 13
niam deficient ſemina eorum ab vredine, & grandi-
ne, & à ſidere terribili. * Væ ſæculo, & qui habitant 14
in eo: * quia appropinquauit gladius, & contritio 15
eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam,
& romphæa in manibus eorum. * Erit enim in- 16
conſtabilitio hominibus, & alij alijs inualeſcentes
non curabunt regem ſuum, & principes vix geſto-
rum ſuorum in potentia ſua. * Concupiſcet enim 17
homo in ciuitatem ire, & non poterit. * Propter ſu- 18
perbiam enim eorum ciuitates turbabuntur, domus
exterentur, homines metuent. * Non miſerebitur 19
homo proximum ſuum ad irritum faciendum do-
mos eorum in gladium ad diripiendas ſubſtantias
eorum propter famem panis, & tribulationem mul-
tam. * Ecce ego conuoco, dicit Deus, omnes reges 20
terræ ad me verendum, qui ſunt ab Oriente, & ab
Auſtro, & ab Euro, & à Libano, ad conuertendos in
ſe, & reddere quæ dederunt illis: * ſicut faciunt vſ- 21
que hodie electis meis, ſic faciam & reddam in ſinu
eorum. Hæc dicit Dominus Deus. * Non parcet 22
dextera mea ſuper peccatores, nec ceſſabit rom-
phæa ſuper effundentes ſanguinem innoxium ſuper
terram. * Exijt ignis ab ira eius & deuorauit fun- 23
damenta terræ, & peccatores quaſi ſtramen incen-
ſum. * Væ eis qui peccant, & non obſeruant man- 24
25 data mea, dicit Dominus. * non parcam illis. Di-
ſcedite filij à poteſtate. Nolite contaminare ſan-
26 ctificationem meam, * quoniam nouit Dominus
omnes qui delinquunt in illum; propterea tradidit
27 eos in mortem & in occiſionem. * Iam enim vene-
runt ſuper orbem terrarum mala, & manebitis in il-
lis. non enim liberabit vos Deus, propter quod pec
28 caſtis in eum. * Ecce viſio horribilis, & facies il-
29 lius ab oriente. * Et exient nationes draconum A-
rabum in curribus multis, & ſicut flatus, eorum nu-
merus fertur ſuper terram, vt iam timeant & trepi-
30 dent omnes qui illos audient. * Carmonij inſanien-
tes in ira, & exient vt apri de ſilua, & aduenient in
virtute magna, & conſtabunt in pugnam cum illis,
31 & vaſtabunt portionem terræ Aſſyriorum. * Et poſt
hæc ſuperualeſcent dracones natiuitatis ſuæ memo-
res, & conuertent ſe conſpirantes in virtute magna
32 ad perſequendos eos. * Iſti turbabuntur & ſile-
bunt in virtute illorum, & conuertent pedes ſuos in
33 fugam, * & à territorio Aſſyriorum ſubſeſſor obſi-
debit eos, & conſumet vnum ex illis, & erit timor &
tremor in exercitu illorum, & contentio in reges ip
34 ſorum. * Ecce nubes ab Oriente, & Septentrione
vſque ad Meridianum, & facies earum horrida val-
35 de, plena iræ & procellæ, * & collident ſe inuicem,
& collident ſidus copioſum ſuper terram & ſidus il-
lorum, & erit ſanguis à gladio vſque ad ventrem,
36 * & fimus hominis vſque ad ſubſtramen cameli, &
37 erit timor & tremor multus ſuper terram, * & hor
rebunt qui videbunt iram illam, & tremor appre-
hendet illos: & poſt hæc mouebunt nimbi copioſi
38 * à meridiano & ſeptentrione, & portio alia ab occi-
39 dente: * & ſuperinualeſcent venti ab Oriente, &
recludent eam, & nubem quam ſuſcitauit in ira, &
ſidus ad faciendam exterritationem ad Orientalem
40 ventum & occidentem violabitur: * & exaltabun-
tur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & ſidus, vt ex-
terreant omnem terram, & inhabitantes eam, & in-
fundent ſuper omnem locum altum & eminentem
41 ſidus terribile, * ignem & grandinem, & rom-
phæas volantes, & aquas multas, vt etiam implean-
tur omnes campi, & omnes riui plenitudine aqua-
42 rum multarum. * & demolientur ciuitates, & mu-
ros, & montes, & colles, & ligna ſiluarum, & fœnum
43 pratorum, & frumenta eorum. * Et tranſibunt con-
44 ſtantes vſque ad Babylonem, & exterent eã: * con-
uenient ad ipſam, & circuibunt eam, & effundent
ſidus & omnem iram ſuper eam, & ſubibit puluis &
fumus vſque in cœlum, & omnes in circuitu luge-
45 bunt eam: * & qui ſub ea remanſerint, ſeruient his
46 qui exterruerunt. * Et tu Aſia concors in ſpem
47 Babylonis, & gloria perſonæ eius, * væ tibi miſera
propter quod aſſimilaſti ei, & ornaſti filias tuas in
fornicatione, ad placendum & gloriandum in ama-
toribus tuis, qui tecum cupierunt ſemper fornicari.
48 * Odibilem imitata es in omnibus operibus eius, &
in adinuentionibus eius: propterea dicit Deus,
49 * Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, &
famem, & gladium, & peſtem, ad deuaſtandas do-
mos tuas à violatione, & morte, & gloria virtutis
50 tuæ. * Sicut flos ſiccabitur, cum exurget ardor qui
51 emiſſus eſt ſuper te, * infirmaberis vt paupercula
plagata & caſtigata à mulieribus, vt non poſſint te
52 ſuſcipere potentes, & amatores. * Numquid ego ſic
53 zelabor te, dicit Dominus, * niſi occidiſſe electos
meos in omni tempore, exaltans percuſſionem ma-
nuum & dicens ſuper mortem eorum, cum inebria-
54 ta eſſes, * Exorna ſpeciem vultus tui? * Merces
55 fornicationis tuæ in ſinu tuo, propter hoc redditio-
56 nem accipies. * Sicut facies electis meis, dicit Do-



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

minus, ſic faciet tibi Deus, & tradet te in malum.
* Et nati tui fame interient: & tu rhomphæa cades 57
& ciuitates tuæ conterentur, & omnes tui in campo
gladio cadent. * Et qui ſunt in montibus, fame pe- 58
ribunt, & manducabunt carnes ſuas, & ſanguinem
bibent à fame panis & ſiti aquæ. * Infelix per ma- 59
ria venies, & rurſum accipies mala. * Et in tranſitu 60
allident ciuitatem occiſam, & exterent aliquam por
tionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ extermina-
bunt, rurſum reuertentes ad Babylonem ſubuerſam
* Et demolita eris illis pro ſtipula, & ipſi erunt tibi 61
ignis: * & deuorabunt te, & ciuitates tuas, terram 62
tuam & montes tuos, omnes ſiluas tuas & lignum
fructiferum igni comburent. * Filios tuos captiuos 63
ducent, & cenſum tuum in prædam habebunt, &
gloriam faciei tuæ exterminabunt.

### CAP. XVI.

VÆ tibi Babylon & Aſia, væ tibi Ægypte & Sy 1
ria. * Præcingite vos ſaccis & cilicijs, & plan- 2
gite filios veſtros, & dolete: quoniam appropinqua-
uit contritio veſtra. * Immiſſus eſt vobis gladius, 3
& quis eſt qui auertat illum? * Immiſſus eſt in vo- 4
bis ignis, & quis eſt qui extinguat illum? * Immiſ- 5
ſa ſunt vobis mala, & quis eſt qui repellat ea? * Nū- 6
quid repellet aliquis leonem eſurientem in ſilua, aut
extinguet ignem in ſtipula, quando cœperit ardere?
* Numquid repellet aliquis ſagittam à ſagittario 7
forti miſſam? * Dominus fortis immittit mala, & 8
quis eſt qui repellat ea? * Exijt ignis ex iracundia 9
eius, & quis eſt qui extinguat eum? * Coruſcabit, 10
& quis non timebit? Tonabit, & quis non pauebit?
* Dominus comminabitur, & quis non funditus cō- 11
teretur à facie ipſius? * Terra tremuit & funda- 12
menta eius, mare fluctuat de profundo, & fluctus
eius diſturbabuntur, & piſces eius à facie Domini, &
à gloria virtutis eius: * quoniam fortis dextera eius 13
quæ arcum tendit: ſagittæ eius acutæ quæ ab ipſo
mittuntur, non deficient, cum cœperint mitti in fi-
nes terræ. * Ecce mittuntur mala, & non reuer- 14
tentur donec veniant ſuper terram. * Ignis ſuccen- 15
ditur, & non extinguetur, donec conſumat funda-
menta terræ. * Quemadmodum non redit ſagitta 16
miſſa à valido ſagittario, ſic non reuertentur mala
quæ miſſa fuerint in terram. * Væ mihi, væ mihi: 17
quis me liberabit in illis diebus? * Initium dolo- 18
rum & multi gemitus, initium famis & multi interi-
tus, initium bellorum & formidabunt poteſtates, ini
tium malorum & trepidabunt omnes. * In his quid 19
faciam, cum venerint mala? * Ecce fames & plaga, 20
& tribulatio, & anguſtia miſſa ſunt flagella in e-
mendatione, * & in his omnibus ſe non conuertent 21
ab iniquitatibus ſuis, neque flagellorum memores
erunt ſemper. * Ecce, erit annonæ vilitas ſuper ter- 22
ram, ſicut putent ſibi eſſe directam pacem. & tunc
germinabunt mala ſuper terram, gladius, fames, &
magna confuſio. * A fame enim plurimi qui inha- 23
bitant terram interient, & gladius perdet ceteros
qui ſuperauerint à fame, * & mortui ſicut ſtercora 24
proijcientur, & non erit qui conſoletur eos. Dere-
linquetur enim terra deſerta, & ciuitates eius deij-
cientur. * Non derelinquetur qui colat terram, & 25
qui ſeminet eam. * Ligna dabunt fructus, & quis 26
vindemiabit illa? * Vua matura fiet, & quis calca- 27
bit illam? erit enim locis magna deſertio. * Cu- 28
piet enim homo hominem videre, vel vocem eius
audire. * Relinquentur enim de ciuitate decem, 29

30 & duo de agro qui abſconderint ſe in denſis nemo-
ribus, & ſciſſuris petrarum: * quemadmodum dere-
linquuntur in oliueto & ſingulis arboribus tres aut
31 quatuor oliuæ. * aut ſicut in vinea vindemiata ra-
cemi relinquuntur ab his qui diligenter vineam
32 ſcrutantur: * ſic relinquentur in diebus illis tres
aut quatuor abſcrutantibus domos eorum in rom-
33 phæa. * Et relinquetur terra deſerta, & agri eius
inueterabunt, & viæ eius, & omnes ſemitæ eius ger-
minabunt ſpinas, eo quod non tranſient homines
34 per eam. * Lugebunt virgines non habentes ſpon-
ſos, lugebunt mulieres non habentes viros, luge-
35 bunt filiæ earum non habentes adiutorium: * ſpon-
ſi earum in bello conſumentur, & viri earum in fa-
36 me exterentur. * Audite vero iſta, & cognoſcite ea
37 ſerui Domini. * Ecce verbum Domini, excipite il-
38 lud: ne dijs credatis de quibus dicit Dominus. * Ec
39 ce appropinquant mala, & non tardant. * Quemad-
modum prægnans cum parit in nono menſe filium
ſuum, appropinquante hora partus eius ante horas
duas vel tres, dolores circumeunt ventrem eius, &
prodeunte infante de ventre non tardabunt vno
40 puncto: * ſic non morabuntur mala ad prodeun-
dum ſuper terram, & ſæculum gemet, & dolores cir
41 cumtenebunt illud. * Audite verbum, plebs mea:
parate vos in pugnam, & in malis ſic eſtote, quaſi
42 aduenæ terræ. * Qui vendit, quaſi qui fugiat: &
43 qui emit, quaſi qui perditurus. * Qui mercatur,
quaſi qui fructum non capiat: & qui ædificat, quaſi
44 non habitaturus. * Qui ſeminat, quaſi qui non me
tet: ſic & qui vineam putat, quaſi non vindemiatu-
45 rus. * Qui nubunt, ſic quaſi filios non facturi: &
46 qui non nubunt, ſic quaſi vidui. * Propter quod
47 qui laborant, ſine cauſa laborant: * Fructus enim
illorum alienigenæ metent, & ſubſtantiam illorum
rapient, & domos euertent, & filios eorum captiua-
bunt, quia in captiuitate & fame generant natos
48 ſuos. * Et qui negotiantur in rapina, quantum diu
exornant ciuitates & domos ſuas, & poſſeſſiones &
49 perſonas ſuas, * tanto magis adzelabor eos ſuper
50 peccata ſua, dicit Dominus: * Quomodo zelatur
51 fornicaria mulierem idoneam & bonam valde, * ſic
zelabitur iuſtitia iniquitatem cum exornat ſe, & ac-
cuſat eam in facie, cum venerit qui defendat exqui-
52 rentem omne peccatum ſuper terram. * Propterea
53 nolite ſimilari ei, nec operibus eius: * quoniam ad-
huc puſillum, & tolletur iniquitas à terra, & iuſtitia
54 regnabit in vos. * Non dicat peccator ſe non pec-
caſſe: quoniam carbones ignis comburet ſuper ca-
put eius, qui dicit: Non peccaui coram Domino
55 Deo & gloria ipſius. * Ecce Dominus cognoſcet
omnia opera hominum, & adinuentiones illorum,
56 & cogitationes illorum, & corda illorum. * Dixit
enim: Fiat terra, & facta eſt: fiat cœlum, & factum
57 eſt. * Et in verbo illius ſtellæ fundatæ ſunt, & no-
58 uit numerum ſtellarum. * Qui ſcrutatur abyſſum,
& theſauros illarum: qui menſus eſt mare, & con-
59 ceptum eius. * Qui concluſit mare in medio aqua-
rum, & ſuſpendit terram ſuper aquas verbo ſuo.
60 * Qui extendit cœlum quaſi cameram, ſuper aquas
61 fundauit eum. * Qui poſuit in deſerto fontes aqua-
rum, & ſuper verticem montium lacus ad emitten-
dum flumina ab eminenti petra, vt potaret terram.
62 * Qui finxit hominem, & poſuit cor ſuum in medio
corporis, & miſit ei ſpiritum, vitam & intellectum,
63 * & ſpiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia,
& ſcrutinat omnia abſconſa in abſconſis terræ.
64 * Hic nouit adinuentionem veſtram, & quæ cogita-
tis in cordibus veſtris, peccantes & volentes occul-
65 tare peccata veſtra. * Propter quod Dominus ſcru-

tinando

## Transl. ex Septuag.

13 Dixit autem ei: Dominus meus ſcit, quod paruuli ſunt teneriores, & oues, & boues fœtantur ſuper me: ſi ergo vrgeam eas diem vnum, morientur omnia pecora.
14 Præcedat dominus meus ante puerum ſuũ: ego autẽ inualeſcã in via ſm tarditatem profectionis eius, quæ coram me, & iuxta pedem paruulorum, quoadusque veniam ad dominum meum in Seir.
15 Dixit autem Eſau: Relinquam tecum de populo, qui mecum eſt. At ille dixit: vt quid hoc? ſatis eſt, quod inueni gratiam coram te domine.
16 Reuertit autem Eſau in die illa ad viam ſuam in Seir:
17 Et Iacob diuertit in tabernacula: & fecit ſibi illic domos, & pecoribus ſuis fecit tabernacula: ideo vocauit nomen loci illius, tabernacula.
18 Et venit Iacob in Salem ciuitatem Secimorũ, quæ eſt in terra Chanaan, cum aduenit de Meſopotamia Syriæ: & applicuit ad faciem ciuitatis.
19 Et acquiſiuit partem agri in quo ſtatuit illic tabernaculum ſuum, ab Emmor patre Sychem, centum agnis.
20 Et ſtatuit ibi altare, & inuocauit Deum Iſrael.

### CAP. XXXIIII.

1 EXijt autem Dina filia Liæ, quam peperit ipſi Iacob, vt condiſceret filias hominũ regionis eius.
2 Et vidit eam Sychem, filius Emmor Euæus, princeps terræ, & accepit eam: & dormiuit cum ea, & humiliauit eam:
3 Et intendit animo Dinæ filiæ Iacob, & amauit virginem, & locutus eſt ſecundum ſenſum virginis ipſi:
4 Dixit Sychem ad Emmor patrem ſuum dicens: Sume mihi hanc puellam in vxorem.
5 Iacob autem audiuit, quia polluerat filius Emmor Dinam filiam ſuam: filij autem eius erant cum pecoribus eius in agro: Siluit autem Iacob, donec ipſi venirent.
6 Exijt autem Emmor pater Sychem ad Iacob loqui cum eo.
7 Filij autem Iacob venerunt ex agro: & cum audiſſent, compuncti ſunt viri, & triſte erat illis valde; quod turpe fecerat in Iſrael, quod dormiſſet cum filia Iacob, & non ſic erit.
8 Et locutus eſt Emmor eis, dicens: Sychem filius meus elegit animo filiam veſtram: date igitur eam ei vxorem,
9 Et connubia iungite nobiſcum: filias veſtras date nobis, & filias noſtras accipite filijs veſtris:
10 Et in nobis habitate: & terra ecce lata coram vobis: habitate & negociamini in ea, & acquirite in ea.
11 Dixit autem Sychem ad patrem eius, & ad fratres eius: Inueniam gratiam coram vobis: & quodcumque dixeritis, dabimus:
12 Multiplicate dotem valde; & dabo ſicut dixeritis mihi: & dabitis mihi puellam hanc in vxorem.
13 Reſponderunt autem filij Iacob ipſi Sychem & Emmor patri eius cum dolo, & locuti ſunt eis, quia polluerant Dinam ſororem ſuam:
14 Et dixerunt eis Symeon & Leui fratres Dinæ: Non poterimus facere verbũ hoc, dare ſororẽ noſtrã homini, qui habet præputiũ: eſt enim opprobriũ nobis.
15 Solum in hoc ſimiles erimus vobis, & habitabimus in vobis; ſi facti fueritis, ſicut nos etiam vos in hoc, quod circunciſum ſit omne veſtrum maſculinum:

## Chald. Paraph. Transl.

13 *Et dixit ei: Dominus meus ſcit, quoniam paruuli ſunt teneri, & oues, & boues lactantes apud me: & ſi fatigarent eas vno die; morientur omnes oues.*
14 *Tranſeat nunc dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ducam paulatim, iuxta greſſum familiæ, quæ eſt coram me, & ſecundum greſſum paruulorum, donec veniam ad dominum meum in Seir.*
15 *Et dixit Eſau: Dimittam nunc tecum de populo, qui mecum eſt. Et dixit: ad quid? inueniam gratiam in oculis domini mei.*
16 *Et reuerſus eſt Eſau in die illa per viam ſuam in Seir.*
17 *Et Iacob profectus eſt in Socchoth: & ædificauit ſibi domum, & pecoribus ſuis fecit vmbracula: propterea vocatum eſt nomen loci, Socchoth.*
18 *Et venit Iacob ſanus in ciuitatem Sichem, quæ eſt in terra Chanaan, quando veniebat de Meſopotamia Syriæ: & manſit è regione ciuitatis.*
19 *Emitque poſſeſſionem agri, in quo tetenderat tabernaculum ſuum, de filijs Hemor patris Sichem centum agnis.*
20 *Et erexit ibi altare, & ſacrificauit ſuper illud coram fortiſſimo Deo Iſrael.*

### *CAP. XXXIIII.*

1 *ET egreſſa eſt Dina filia Liæ, quam pepererat ex Iacob, vt videret filias terræ.*
2 *Et vidit eam Sichem filius Hemor Eucæi, princeps terræ, & tulit eam: dormiuitq́; cum ea, & oppreſſit eam.*
3 *Et complacuit anima ſua in Dina filia Iacob: & dilexit puellam, & locutus eſt conſolationes ad cor puellæ.*
4 *Et ait Sichem ad Hemor patrem ſuum, dicens: Accipe mihi puellam hanc in vxorem.*
5 *Et Iacob audiuit, quòd violata eſſet Dina filia ſua: & filij ſui erant cum pecoribus ſuis in agro: & ſiluit Iacob, donec venirent.*
6 *Egreſſuſque eſt Hemor pater Sichem ad Iacob, vt loqueretur cum eo.*
7 *Filij autem Iacob venerunt de agro: cumq́; audiſſent quod factũ fuerat, indignati ſunt viri, & irati ſunt valdè; quoniam ignominia facta eſſet in Iſrael, dormiendo cum filia Iacob, & ſic non debuerat fieri.*
8 *Et locutus eſt Hemor cum eis, dicens: anima Sichem filij mei complacuit filia veſtra: date, obſecro, eam ipſi in vxorem.*
9 *Et iungite connubia nobiſcum: filias veſtras dabitis nobis, & filias noſtras accipietis vobis.*
10 *Et nobiſcum habitabitis: terra autem eſt coram vobis: manete, & negociamini in ea, atque poſſidete eam.*
11 *Dixitque Sichem patri eius, & fratribus: Inueniam gratiam in oculis veſtris: & quicquid dixeritis mihi, dabo.*
12 *Multiplicate nimis ſuper me dotem, & munera, & dabo ſicut dixeritis mihi: & date mihi puellam in vxorem.*
13 *Et reſponderunt filij Iacob ad Sichem & ad Hemor, atque locuti ſunt ſapienter, eo quòd violata eſſet Dina ſoror eorum.*
14 *Dixeruntque eis: Non poſſumus facere rem hanc, vt demus ſororem noſtram viro habenti præputium, quoniam opprobrium eſt nobis.*
15 *Sed in hoc communiemus vobiſcum: ſi fueritis ſicut nos, vt circumcidatur ex vobis omnis maſculus.*

Vulgata Editio.

tinando feſtinauit omnia opera veſtra, & traducet
vos omnes, * & vos confuſi eritis cum proceſſerint 66
peccata veſtra coram hominibus, & iniquitates erūt
quæ accuſatores ſtabunt in die illo. * Quid facie- 67
tis? aut quomodo abſcondetis peccata veſtra co-
ram Deo & Angelis eius? * Ecce iudex Deus, ti- 68
mete eum. Deſinite à peccatis veſtris, & obliuiſca-
mini iniquitates veſtras iam agere eas in ſempiter-
no, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribula-
tione. * Ecce enim incenditur ardor ſuper vos tur- 69
bæ copioſæ, & rapient quoſdam ex vobis, & ciba-
bunt idolis occiſos: * & qui conſenſerint eis, erunt 70
illis in deriſum, & in improperium, & in conculca-
tionem. * erit enim locis locus, & in vicinas ciuita- 71
tes exurrectio multa ſuper timentes Dominum.
* Erunt quaſi inſani nemini parcentes, ad diripien- 72
dum & deuaſtandum adhuc timentes Dominum.
73 * quia deuaſtabunt & diripient ſubſtantias, & de
74 domibus ſuis eos eijcient. * Tunc parebit proba-
tio electorum meorum, vt aurum quod probatur ab
75 igne. * Audite dilecti mei, dicit Dominus: Ecce
adſunt dies tribulationis, & de his liberabo vos.
76 * Ne timeatis, nec hæſitetis, quoniam Deus dux
77 veſter eſt. * Et qui ſeruat mandata & præcepta mea,
dicit Dominus Deus ne præponderent vos peccata
78 veſtra, ne ſuperleuent ſe iniquitates veſtræ. * Væ
qui conſtringuntur à peccatis ſuis, & obteguntur ab
iniquitatibus ſuis, quemadmodum ager conſtringi-
tur à ſilua, & ſpinis tegitur ſemita eius per quam
non tranſit homo, & excluditur, & mittitur ad de-
uorationem ignis.

# F I N I S.

## ADNOTATIO PRO CORRIGENDIS.

*Amice Lector admonendum te duximus hac in parte poſtrema Primi Sacrorum Bibliorum Tomi, qua medium tenet locum totius operis, de mendis & erroribus qui contingere potuerunt. In ſecunda Parte, pag. 64. qua eſt Pſalmi 26. in verſu 4. vulgata editionis corriges locum illum,* vt videam voluntatem Domini *legendo* vt videam voluptatem Domini, *ſi quis verò alius occurrerit locus toto hoc in opere correctione indigens tuum erit, quam benigniſſimè & charitate maxima illo emendato nobis indulgere, qui pro viribus laborauimus, vt opus hoc omnibus numeris abſolutum in lucem prodiret, & in correctione illius pro viribus inſudauimus, nec contenti fuimus ſemel conſpexiſſe folium antequam cuderetur ni ſecundo, & iterum adhuc à nobis conſpiceretur antequam imprimendum traderetur: inſuper pro quocumque errato proueniente ex inuerſa littera, aut poſitione litteræ vnius loco alterius, ſolidum vnum pro mercede aſſignauimus cuicumque ex curſoribus qui errata huiuſmodi reperiſſet; at quoniam ſcimus fieri poſſe, vt multa aduenerint errata: ſiqua occurrerint tua benignitate corrigenda committuntur.*

UVA.BSCH



VENETIIS, M DC IX.

Ex Typographia Antonij Pinelli.

…bus Perilluſtris, ac Reuerendi D. Hieronymi de Gabriellis Ciuis Fanenſis.

UVA.BSCH

UVA.BSCH

UVA.BSCH

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Tunc dabimus, & accipiemus mutuo filias veſtras, ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, erimuſque vnus populus: | 16 | 16 | *Et dabimus filias noſtras vobis, & filias veſtras capiemus nobis: & habitabimus vobiſcum, & erimus in populum vnum.* |
| Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus. | 17 | 17 | *Et ſi non obedieritis nobis, vt circumcidamini; capiemus filiam noſtram, & recedemus.* |
| Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius: | 18 | 18 | *Et placuerunt verba eorum in oculis Chamor, & in oculis Sechem filij Chamor.* |
| Nec diſtulit adoleſcens quin ſtatim, quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde; & ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui. | 19 | 19 | *Et non tardauit puer, vt faceret rem: quia complacuerat ei filia Iahacob; & ipſe erat honorabilior omni domo patris ſui.* |
| Ingreſſique portam vrbis, locuti ſunt ad populum. | 20 | 20 | *Et venit Chamor, & Sechem filius eius ad portam ciuitatis ſuæ, & locuti ſunt ad viros ciuitatis ſuæ dicendo.* |
| Viri iſti pacifici ſunt: & volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores: & noſtras illis dabimus. | 21 | 21 | *Viri iſti pacifici ſunt nobiſcum: & habitabunt in terra, & negociabuntur in ea: & terra ecce lata eſt locis ante eos: filias eorum accipiemus nobis in vxores: & filias noſtras dabimus eis,* |
| Vnum eſt, quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis imitantes. | 22 | 22 | *Veruntamen in hoc complacebunt nobis viri, vt habitent nobiſcum, vt ſint populus vnus: Quando circumciſus erit in nobis omnis maſculus, quemadmodum ipſi ſunt circumciſi.* |
| Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra erunt: tantum in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul, vnum efficiemus populum. | 23 | 23 | *Greges eorum, & ſubſtantia eorum, & omnia iumenta eorum, nonne noſtra erunt? veruntamen complaceamus eis, & habitabunt nobiſcum.* |
| Aſſenſique ſunt omnes: circumciſis cunctis maribus. | 24 | 24 | *Et obedierunt Chamor, & Sechem filio eius, omnes egredientes per portam ciuitatis eius: & circumciderunt ſe omnis maſculus, omnes egredientes per portam ciuitatis eius.* |
| Et ecce, die tertio quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt: arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs; ingreſſi ſunt vrbem confidenter: * interfectiſque omnibus maſculis, (* Ioſ. 24. 6.) | 25 | 25 | *Et fuit, in die tertia, quando erant ipſi dolore affecti: acceperunt duo filij Iahacob, Simhon, & Leui fratres Dinah ſingulus gladium ſuum; & venerunt ad ciuitatem confidenter, & occiderunt omnem maſculum.* |
| Hemor & Sichem pariter necauerunt: tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam. | 26 | 26 | *Et Chamor, & Sechem filium eius occiderunt acie gladij: & tulerunt Dinah è domo Sechem,* |
| Quibus egreſſis, irruerunt ſuper occiſos ceteri filij Iacob: & depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri. | 27 | 27 | *Et egreſſi ſunt filij Iahacob venerunt ad occiſos: & prædati ſunt vrbem, quia violauerant ſororem ſuam.* |
| Oues eorum, & armenta, & aſinos, cunctaque vaſtantes quæ in domibus, & in agris erant, | 28 | 28 | *Pecudes eorum, & boues eorum, & aſinos eorum, quæ erant in vrbe, & quæ in agro, acceperunt.* |
| Paruulos quoque eorum: & vxores duxerunt captiuas. | 29 | 29 | *Et omnem ſubſtantiam eorum, & omnes paruulos eorum, & vxores eorum captiuas duxerunt: & prædati ſunt, & omnia quæ erant in domo.* |
| Quibus patratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui: Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis; & Pherezæis habitatoribus terræ huius: nos pauci ſumus: illi congregati percutient me: & delebor ego, & domus mea. | 30 | 30 | *Et dixit Iahacob ad Simhon, & ad Leui: Turbaſtis me, vt fœtere faceretis me habitatoribus terræ, Chenahanæo; & Perizæo: & ego paucus numero ſum, & congregabunt ſe aduerſum me, & percutient me: & diſperdar ego, & domus mea.* |
| Reſponderunt: Numquid, vt ſcorto abuti debuere ſorore noſtra? | 31 | 31 | *Et dixerunt: Numquid, vt meretricem faciet ſororem noſtram?* |
| **CAP. XXXV.** | | | ***CAP. XXXV.*** |
| INterea locutus eſt Deus ad Iacob: Surge, & aſcende Bethel; & habita ibi: facque altare Deo, qui * apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum: (* ſup. 28. 13.) | 1 | 1 | *ET dixit Deus ad Iahacob: Surge aſcende in Bethel: & mane ibi: & fac ibi altare Deo, qui viſus eſt tibi, dum fugeres à facie Heſau fratris tui.* |
| Iacob vero conuocata omni domo ſua, ait: Abijcite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. | 2 | 2 | *Et dixit Iahacob ad domum ſuam, & ad omnes, qui erant ſecum: Remouete deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & mundate vos, & mutate veſtimenta veſtra.* |
| Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo; qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei. | 3 | 3 | *Et ſurgamus, & aſcendamus in Bethel, & faciam ibi altare Deo; qui exaudiuit me in die anguſtiæ meæ, & fuit mecum in via, per quam ambulaui.* |
| Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: | 4 | 4 | *Et dederũt ipſi Iahacob omnes deos alienos, qui erãt in manu ſua, & inaures, quæ erant in auribus ſuis,* |

at ille

*& ab-*

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et dabimus filias noſtras vobis : & de filiabus veſtris accipiemus nobis vxores:& habitamimus apud vos, & erimus tamquam genus vnum. | 16 | 16 | *Et dabimus filias noſtras vobis, & filias veſtras accipiemus nobis: & habitabimus vobiſcum:erimuſque in vnum populum.* |
| Si autem non exaudieritis nos,vt circumcidamini; ſumentes filiam noſtram, abibimus. | 17 | 17 | *Et ſi non acquieueritis nobis, vt circumcidamini,tollemus filiam noſtram,& ibimus.* |
| Et placuerunt verba coram Emmor, & coram Sychem filio Emmor: | 18 | 18 | *Et placuerunt verba eorum in oculis Hemor, & in oculis Sichem filij Hemor.* |
| Et non tardauit adoleſcens ad faciendum verbum hoc: appoſitus enim erat filiæ Iacob; ipſe autem erat glorioſiſſimus omnium,qui in domo patris ſui. | 19 | 19 | *Et non diſtulit puer facere rem illam: quoniam complacuit ſibi in filia Iacob; & ipſe erat honorabilior omni domo patris ſui.* |
| Et venit Emmor, & Sychem filius eius ad portam ciuitatis ſuæ: & locuti ſunt ad viros ciuitatis ſuæ, dicentes: | 20 | 20 | *Et venit Hemor & Sichem filius eius ad portam ciuitatis eorum: & locuti ſunt cum viris ciuitatis eorum,dicentes:* |
| Viri iſti pacifici ſunt: nobiſcum habitent ſuper terram,& negocientur eam: terra autem ecce lata coram eis: filias eorum accipiemus nobis vxores: & filias noſtras dabimus eis. | 21 | 21 | *Viri iſti pacifici ſunt nobiſcum, & habitabunt in terra,& negociabuntur in ea: terra autem ecce ſpacioſa eſt & lata coram eis: filias eorum accipiemus nobis in vxores, & filias noſtras dabimus eis.* |
| In hoc ſolum ſimiles erunt nobis homines ad habitādum nobiſcum,vt ſit populus vnus,in hoc: Vt circuncidatur omne noſtrum maſculinum, ſicut & ipſi circuncisi ſunt. | 22 | 22 | *Sed in hoc conuenient nobiſcum viri, vt habitent nobiſcum, vt ſimus in populum vnum: Si circuncidetur in nobis omnis maſculus, ſicut ipſi circunciſi ſunt.* |
| Et pecora eorum, & quadrupedia, & ſubſtantia eorum nonne noſtra erunt? ſolum in hoc ſimiles ſimus eis,& habitabunt nobiſcum. | 23 | 23 | *Pecora eorum & armenta,et omnia iumenta eorum, nonne nobis erunt? veruntamen conueniamus cum eis,& habitent nobiſcum.* |
| Et exaudierunt Emmor,& Sychem filium eius omnes,qui negociabantur portam ciuitatis eorum: & circunciderunt carnem præputij ſui omne maſculum. | 24 | 24 | *Et obedierūt Hemor & Sichem filio eius omnes, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius: & circunciderunt omnes maſculos, omnes qui egrediebantur portam ciuitatis illius.* |
| Factum eſt autem in die tertia,quando erant in dolore: ſumpſerunt duo filij Iacob Symeon & Leui fratres Dinę quiſque gladium ſuum;& ingreſſi ſunt in ciuitatem, confidenter: & interfecerunt omne maſculinum; | 25 | 25 | *Et factum eſt in die tertio, quando præualuerunt dolores eorum ſuper eos:duo filij Iacob Simeon & Leui fratres Dinæ,tulerunt vnuſquiſque gladium ſuum: & ingreſſi ſunt ciuitatem quæ habitabat cōfidenter: & interfecerunt omne maſculum.* |
| Et Emmor & Sychem filium eius interfecerunt in ore gladij: & tulerunt Dinam de domo Sychem, Et exierunt. | 26 | 26 | *Hemor quoque & Sichem filium eius occiderunt in ore gladij: & tulerunt Dinam de domo Sichem,* |
| Filij autem Iacob ingreſſi ſunt ſuper corſos, & diripuerunt ciuitatem, in qua polluerant Dinam ſororem ſuam: | 27 | 27 | *Et egreſſi ſunt. Filij autem Iacob ingreſſi ſunt ad ſpolium interfectorum: & deprædati ſunt vrbem: eo quòd violauerunt ſororem ſuam:* |
| Et oues eorum, & boues eorum, & aſinos eorum, quæcumque erant in ciuitate,& quæcumque erant in agro, tulerunt, & omnia corpora eorum, & omnem ſupellectilem eorum: | 28 | 28 | *Oues eorum, & boues, & aſinos eorum, & omnia quæ erant in ciuitate, & in agro deprædati ſunt. Et omnem ſupellectilem eorum.* |
| Et vxores eorū captiuauerunt: & diripuerunt quæcumque erant in ciuitate: & quæcumque erant in domibus. | 29 | 29 | *Et omnes paruulos ſuos, & omnes mulieres eorum captiuauerunt: atque deprædati ſunt omnia quæ erant in domibus.* |
| Dixit autem Iacob ad Symeon & Leui: Odioſum me feciſtis, ita vt malus ſim omnibus habitantibus terram, & in Chananæis; & in Pherezæis: ego autem exiguus ſum in numero: & conuenientes ſuper me occident me: & atterar ego, & domus mea. | 30 | 30 | *Et dixit Iacob ad Simeonem & Leui: Conturbaſtis me, vt poneretis inimicitiam inter me & Chananæum, & Pherezæum habitatores terræ: ego autem habeo populum paucum: & congregabuntur contra me, & percutient me; & peribo ego,& viri domus mea.* |
| Illi autem dixerunt: Nunquid, tanquam meretrice vtentur ſorore noſtra? | 31 | 31 | *Et dixerunt: Nunquid ſicut cum meretrice fieri debuit cum ſorore noſtra?* |
| C A P. XXXV. | | | *C A P. XXXV.* |
| Dixit autem Deus ad Iacob: Surgens aſcende in locum Bethel: & habita ibi: & fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi, cum fugeres à facie Eſau fratris tui. | 1 | 1 | *Et dixit Deus ad Iacob: Surge, aſcende in Bethel, & habita ibi: & fac ibi altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas à facie Eſau fratris tui.* |
| Dixit autem Iacob domui ſuæ, & omnibus, qui cū illo erant: Tollite Deos alienos,qui vobiſcum ſunt, de medio veſtri, & mundamini, & mutate ſtolas veſtras: | 2 | 2 | *Et dixit Iacob viris domus ſuæ, & omnibus qui ſecum erant: Auferte idola populorum quæ ſunt in medio veſtri, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra.* |
| Et ſurgentes aſcendamus in Bethel, & faciamus ibi aram Deo; qui exaudiuit me in die tribulationis: qui fuit mecum,& ſaluauit me in via,qua iui. | 3 | 3 | *Et ſurgamus,& aſcēdamus ī Bethel,& faciā ibi altare Deo,ꝙ ſuſcepit orōnē meā ī die tribulōnis meæ, et fuit verbū eiꝰ ī adiutoriū meū ī via qua ābulaui.* |
| Et dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum,& inaures,quæ erant in auribus eorum. | 4 | 4 | *Et dederunt Iacob omnia idola populorum quæ erāt in manibus ſuis,et inaures quæ erāt in auribus ſuis.* |

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | at ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. | | | & abſcondit eos Iahacob ſubter quercum, quæ erat apud Sechem. |
| | Cumque profecti eſſent; terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. | 5 | 5 | Et profecti ſunt: & fuit terror Dei ſuper vrbes, quæ erant in circuitibus eorum, & non perſecuti ſunt filios Iahacob. |
| | Venit igitur Iacob Luzam, quæ eſt in terra Chanaan cognomento Bethel: ipſe & omnis populus cum eo. | 6 | 6 | Et venit Iahacob in Luz, quæ eſt in terra Chenahan, hæc eſt Bethel, ipſe, & omnis populus qui erat ſecum. |
| * Sup. 28. 18. | Ædificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci illius, Dominus Dei: ibi enim * apparuit ei Deus cum fugeret fratrem ſuum. | 7 | 7 | Et ædificauit ibi altare, & vocauit locum Elbethel: quia ibi viſus fuit ſibi Deus, dum fugeret à facie fratris ſui. |
| | Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercũ: vocatumque eſt nomen loci illius, Quercus fletus. | 8 | 8 | Et mortua eſt Deborah nutrix Ribkah & ſepulta eſt ſubter Bethel ſub quercu: & vocauit nomen eius Allon Bachuth. |
| | Apparuit autem iterum Deus Iacob poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, benedixitque ei, | 9 | 9 | Et viſus eſt Deus ipſi Iahacob adhuc, dum veniret ipſe de Padan Aram, & benedixit ei. |
| * Sup. 32. 28. | Dicens: * Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellauit eum Iſrael, | 10 | 10 | Et dixit ei Deus: Nomen tuum eſt Iahacob. Non vocabitur nomẽ tuum vltra Iahacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et vocauit nomen eius Iſrael. |
| | Dixitque ei: Ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. | 11 | 11 | Et dixit ei Deus: Ego ſum Deus omnipotens: creſce, & multiplicare: gens, & cœtus gentium erit ex te, & reges è lumbis tuis egredientur. |
| | Terramque quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi & ſemini tuo poſt te. | 12 | 12 | Et terram quam dedi Abraham & Iſchac tibi dabo, & ſemini tuo poſt te dabo terram. |
| | Et receſſit ab eo. | 13 | 13 | Et receſſit ab eo Deus è loco in quo locutus eſt ſecum. |
| | Ille vero erexit titulum lapideum in quo locutus fuerat ei Deus: libans ſuper eum libamina, & effundens oleum: | 14 | 14 | Et ſtatuit Iahacob titulum in loco in quo locutus eſt ſecum, titulum lapideum: & libauit ſuper illum libamen, & effudit ſuper illum oleum. |
| | Vocanſque nomen loci illius: Bethel. | 15 | 15 | Et vocauit Iahacob nomen loci, in quo locutus eſt ſecum Deus: Bethel. |
| | Egreſſus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel, | 16 | 16 | Et profecti ſunt de Bethel, & erat adhuc ferme miliare terræ ad veniendum in Ephrath. Et peperit Rachel, |
| | Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obſtetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. | 17 | 17 | Et difficultatem paſſa eſt, dum pareret. Et fuit, in difficultatem patiente, dum pareret: Dixit ei obſtetrix: Ne timeas, quia etiam iſte eſt tibi filius. |
| | Egrediente aũt aĩa præ dolore, & imminẽte iã morte, vocauit nomẽ filij ſui Benoni, i. filius doloris mei: pater vero appellauit eũ Beniamin, i. filius dextræ. | 18 | 18 | Et fuit, egrediente anima eius, dum moreretur, vocauit nomen eius Benoni: & pater eius vocauit eum Biniamin. |
| | Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem. | 19 | 19 | Et mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in via Ephrath, hæc eſt Bethlechem. |
| * Inf. 48. 7. | Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: * Hic eſt titulus monumenti Rachel, vſque in præſentem diem. | 20 | 20 | Et ſtatuit Iahacob titulum ſuper ſepulchrum eius: Hic eſt titulus ſepulchri Rachel vſque ad diem hanc. |
| | Egreſſus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis. | 21 | 21 | Et profectus eſt Iſrael, & tetendit tabernaculum ſuum trans turrim gregis. |
| * Inf. 49. 1. | * Cumque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui: quod illum minime latuit. Erant autem filij Iacob duodecim. | 22 | 22 | Et fuit, cum habitaret Iſrael in terra ipſa, perrexit Reuben, & concubuit cum Bilhah concubina patris ſui: & audiuit Iſrael. Et fuerunt filij Iahacob duodecim. |
| | Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas & Iſſachar, & Zabulon. | 23 | 23 | Filij Leah: primogenitus Iahacob Reuben, & Simhon, & Leui, & Iehudah, & Iſaſchar, & Zebulum. |
| | Filij Rachel: Ioſeph & Beniamin. | 24 | 24 | Filij Rachel, Ioſeph, & Biniamin. |
| | Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali. | 25 | 25 | Et filij Bilhah ancillæ Rachel, Dan, & Naphthali. |
| | Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aſer: Hi ſunt filij Iacob, qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ. | 26 | 26 | Et filij Zilpah ancillæ Leah, Ghad, & Aſer: Iſti ſunt filij Iahacob, qui nati ſunt ei in Padan Aram. |
| | Venit etiam ad Iſaac patrem ſuum in Mambre, Ciuitatem Arbee, hæc eſt Hebron: in qua peregrinatus eſt Abraham & Iſaac. | 27 | 27 | Et venit Iahacob ad Iſchac patrem ſuum in Mamre ciuitate Arbah hæc eſt Chebron, in qua habitauit Abraham, & Iſchac. |
| | Et completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum. | 28 | 28 | Et fuerunt dies Iſchac centum anni, & octoginta anni. |
| | Conſumptuſque ætate mortuus eſt: & appoſitus eſt populo ſuo ſenex & plenus dierum: Et ſepelierunt eum Eſau & Iacob filij ſui. | 29 | 29 | Et obijt Iſchac, & mortuus eſt, & collectus eſt ad populos ſuos ſenex, & ſatur dierum: Et ſepelierunt eum Heſau, & Iahacob filij eius. |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

Et abſcondit ea Iacob ſub terebintho, quæ in Secimis, & perdidit ea vſque in hodiernum diem.

5 Et profectus eſt Iſrael de Secimis: & factus eſt timor Dei ſuper ciuitates, quæ circa illos erant: & non ſunt perſecuti poſt filios Iſrael.

6 Venit autem Iacob in Luza, quæ eſt in terra Chanaan, quæ eſt Bæthel, ipſe, & omnis populus, qui erat cum eo:

7 Et ædificauit ibi Aram: & vocauit nomen loci Bæthel: illic enim apparuit ei Deus, cum ipſe fugeret à facie Eſau fratris ſui.

8 Mortua eſt autem Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt infra Bæthel ſub quercu: & vocauit Iacob nomen eius, quercus luctus.

9 Apparuit autem Deus ipſi Iacob adhuc in Luza: quando aduenit de Meſopotamia Syriæ: Et benedixit eum Deus:

10 Et dixit ei Deus: Nomen tuum iam non vocabitur Iacob: ſed Iſrael erit nomen tuum. Et vocauit nomen eius Iſrael.

11 Dixit autem ei Deus: Ego ſum Deus tuus: creſce, & multiplicare: gentes, & congregationes gentium erunt ex te: & reges de lumbo tuo egredientur:

12 Et terram, quam dedi Abraham, & Iſaac, tibi dedi eã: tibi erit, & ſemini tuo poſt te dabo terrã hanc.

13 Aſcendit autem Deus ab eo de loco, vbi locutus eſt cum eo.

14 Et ſtatuit Iacob titulum in loco, in quo locutus eſt cum eo Deus, titulum lapideum: & libauit ſuper eum libamen, & effudit ſuper eum oleum.

15 Et vocauit Iacob nomen loci, in quo locutus eſt cum eo illic Deus: Bæthel.

16 Profectus autem Iacob de Bæthel, fixit tabernaculum ſuum vltra turrim Gader: Et factum eſt, dum appropinquaret in Chabratha ad veniendum in Ephratha, peperit Rachel:

17 Et paſſa eſt difficultatem in ipſo partu: & factum eſt, cum ipſa dure pareret: Dixit ei obſtetrix: Confide: nam & hic tibi eſt filius.

18 Et factum eſt, cum dimitteret eam anima (ſiquidẽ moriebatur,) vocauit nomẽ eius filius doloris mei: pater vero vocauit nomen eius Beniamin.

19 Mortua eſt autem Rachel, & ſepulta eſt in via Hippodromi Ephratha: hæc eſt Bethleem.

20 Et ſtatuit Iacob titulum ſuper monumentum eius: Hic eſt titulus ſuper monumentum Rachel vſque in hanc diem.

21 *Hæc non habentur in tranſlatione Septuaginta Interpretum.*

22 Factum eſt autem, quando habitauit Iſrael in terra illa; iuit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui Iacob: Et audiuit Iſrael, & malum apparuit coram eo. Erant autem filij Iacob duodecim.

23 Filij Liæ: primogenitus Iacob Ruben, Symeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Zabulon.

24 Filij autem Rachel, Ioſeph & Beniamin.

25 Filij autem Balæ ancillæ Rachel, Dan, & Nephthalim.

26 Filij autem Zelphæ ancillæ Liæ, Gad, & Aſer: Hi ſunt filij Iacob, qui facti ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.

27 Venit autem Iacob ad Iſaac patrem ſuum in Mambre in ciuitatem campi: hæc eſt Chebron in terra Chanaan, vbi incoluit Abraham, & Iſaac.

28 Fuerunt autem dies Iſaac, quos vixit, anni centum octoginta.

29 Et deficiens Iſaac mortuus eſt, & appoſitus eſt ad genus ſuum ſenior, & plenus dierum: Et ſepelierunt eum Eſau, & Iacob filij eius.



## Chald. Paraph. Tranſl.

*Et abſcondit eas Iacob ſub quercu, quæ eſt iuxta Sichem.*

5 *Profectique ſunt: & fuit terror à facie Dei ſuper omnes populos qui erant in ciuitatibus per circuitũ eorum, & non ſunt ſecuti poſt filios Iacob.*

6 *Et venit Iacob in Luzam, quæ eſt in terra Chanaan: ipſa eſt Bethel, ipſe & omnis populus qui cum eo erat.*

7 *Et ædificauit ibi altare: & appellauit locum, Deus Bethel: quoniam ibi apparuit ei Angelus Dei, quando fugiebat à facie fratris ſui.*

8 *Et mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ſubtus Bethel in planicie vallis: Et vocauit nomen eius, Vallis planctus.*

9 *Et apparuit Deus iterum Iacob, quando veniebat de Meſopotamia Syriæ: Et benedixit ei.*

10 *Dixitque ei Deus: Non vocabitur vlteriũ nomen tuum Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et vocauit nomen eius, Iſrael.*

11 *Et dixit ei Deus: Ego Deus õipotẽs: creſce, & multiplicare: populus, & cõgregatio tribuũ erunt ex te, & reges qui dominabuntur populis, ex te egredientur.*

12 *Et dabo tibi terram, quam dedi Abrahã, & Iſaac, & filijs tuis poſt te dabo eam.*

13 *Et aſcendit ab eo gloria Domini in loco vbi locutus fuerat cum eo.*

14 *Et erexit Iacob titulum in loco vbi locutus fuerat cum eo, titulum lapideum: & libauit ſuper eum libamina, & effudit ſuper eum oleum.*

15 *Et vocauit Iacob nomen loci: Bethel; in quo locutus fuerat ei Deus.*

16 *Et profecti ſunt de Bethel, & cùm adhuc eſſet ſpatium terræ, vt ingrederetur Ephratam, parturiuit Rachel: & aggrauata eſt in partu ſuo.*

17 *Et factum eſt cùm aggrauaretur in partu ſuo: Ait ei obſtetrix: Ne timeas, quoniam hic quoque erit tibi filius.*

18 *Et factum eſt cùm egrederetur anima eius, & moreretur, vocauit nomen filij, Filium doloris mei: pater autem eius appellauit eum, Beniamin.*

19 *Et mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in via Ephratæ: ipſa eſt Bethleem.*

20 *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: ipſe eſt titulus ſepulturæ Rachel vſque in diem hanc.*

21 *Et profectus eſt Iſrael, & tetendit tabernaculum ſuum vltra turrim gregis.*

22 *Et factum eſt cùm moraretur Iſrael in terra illa, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui: & audiuit Iſrael. Fueruntque filij Iacob duodecim.*

23 *Filij Liæ: primogenitus Iacob, Ruben, Simeon, & Leui, & Iuda, & Iſachar, & Zabulon.*

24 *Filij Rachel, Ioſeph, & Beniamin.*

25 *Filij autem Balæ ancillæ Rachel, Dan, & Nephtali.*

26 *Et filij Zelphæ ancillæ Liæ, Gad, & Aſer: Iſti ſunt filij Iacob qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.*

27 *Venit autem Iacob ad Iſaac patrem ſuum in Mamre ciuitatem Arbee: ipſa eſt Hebron, in qua peregrinatus eſt Abraham, & Iſaac.*

28 *Et fuerunt dies Iſaac centum, & octoginta anni.*

29 *Et defecit, & mortuus eſt, & congregatus eſt ad populum ſuum, ſenex, & plenus dierum: Et ſepelierunt eum Eſau, & Iacob filij ſui.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XXXVI.

1 HÆ ſunt autem generationes Eſau: ipſe eſt Edom.

2 Eſau accepit vxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Heuæi:

3 Baſemath quoque filiam Iſmael ſororem Nabaioth.

4 * Peperit autem Ada, Eliphaz: Baſemath genuit Rahuel: (* 1. Par. 1. 37.)

5 Oolibama genuit Iehus, & Ihelon, & Core. Hi filij Eſau, qui nati ſunt ei in terra Chanaan.

6 Tulit autem Eſau vxores ſuas, & filios, & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abijt in alteram regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob.

7 * Diuites enim erant valdè, & ſimul habitare non poterant: nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. (* Sup. 13. 6.)

8 * Habitauitque Eſau in monte Seir, ipſe eſt Edom. (* Ioſ. 24. 4.)

9 Hæ autem ſunt generationes Eſau patris Edom in monte Seir,

10 Et hæc nomina filiorum eius: * Eliphaz filius Ada vxoris Eſau: Rahuel quoque filius Baſemath vxoris eius. (* 1. Par. 1. 34.)

11 Fueruntque Eliphaz filij: Theman, Omar, Sepho, & Gathan, & Cenez.

12 Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filij Eſau: quæ peperit ei Amalech. Hi ſunt filij Ada vxoris Eſau.

13 Filij autem Rahuel: Nahath, & Zara, Samma, & Meza. Hi filij Baſemath vxoris Eſau.

14 Iſti quoque erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Eſau, quos genuit ei; Iehus, & Ihelon, & Core.

15 Hi duces filiorum Eſau: Filij Eliphaz primogeniti Eſau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,

16 Dux Core, dux Gathan, dux Amalech. Hi filij Eliphaz in terra Edom: & hi filij Ada.

17 Hi quoque filij Rahuel filij Eſau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom: iſti filij Baſemath vxoris Eſau.

18 Hi autem filij Oolibama vxoris Eſau: dux Iehus, dux Ihelon, dux Core. Hi duces Oolibama filiæ Anæ vxoris Eſau.

19 Iſti ſunt filij Eſau, & hi duces eorum: ipſe eſt Edom.

20 * Iſti ſunt filij Seir Horrei, habitatores terræ: Lotan & Sobal, & Sebeon, & Ana, (* 1. Par. 1. 38.)

21 Et Diſon, & Eſer, & Diſan. Hi duces Horræi, filij Seir in terra Edom.

22 Facti ſunt autem filij Lotan: Hori & Hemam, erat autem ſoror Lotan, Thamna.

23 Et iſti filij Sobal: Aluan & Manahat, & Ebal, & Sepho, & Onam.

24 Et hi filij Sebeon: Aia, & Ana. Iſte eſt Ana qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui:

25 Habuitque filium Diſon, & filiam Oolibama.

26 Et iſti filij Diſon: Hamdan, & Eſeban, & Iethran, & Charan.

27 Hi quoque filij Eſer: Balaan, & Zauan, & Acan.

Ha-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXXVI.

1 *ET iſta ſunt generationes Heſau: hic eſt Edom.*

2 *Heſau accepit vxores ſuas è filiabus Chenahan: Hadah filiam Elon Chittai, & Aholibamah filiam Hanah filia Sibhon Chiuuai.*

3 *Et Boſmath filiam Iſmahel ſororem Nebaioth.*

4 *Et peperit Hadah ipſi Heſau Eliphaz: & Boſmath peperit Rehuel.*

5 *Et Aholibamah peperit Iehus, & Iahalam, & Corach. Iſti filij Heſau, q nati sũt ei in terra Chenahã.*

6 *Et accepit Heſau vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, & omnes animas domus ſuæ, & greges ſuos, & omnia iumenta ſua, & omnem ſubſtantiam ſuam, quam acquiſierat in terra Chenahan, & iuit ad aliam terram à facie Iahacob fratris ſui.*

7 *Erat enim ſubſtantia eorum multa, vt non quirent habitare pariter: & non poterat terra peregrinationum eorum ferre eos, propter greges eorum.*

8 *Et habitauit Heſau in monte Sehir, Heſau eſt Edom.*

9 *Et iſtæ ſunt generationes Heſau patris Edom in monte Sehir.*

10 *Iſta ſunt nomina filiorum Heſau: Eliphaz filius Hadah vxoris Heſau: Rehuel filius Boſmath vxoris Heſau.*

11 *Et fuerunt filij Eliphaz: Teman, Omar, Sepho, & Ghabatham, & Chenaz.*

12 *Et Timnah fuit concubina Eliphaz filio Heſau: & peperit ipſi Eliphaz Hamalech. Iſti filij Hadah vxoris Heſau.*

13 *Et iſti ſunt filij Rehuel, Nachath, & Zerach, Sammah, et Mizzah. Iſti sũt filij Boſmath vxoris Heſau.*

14 *Iſti fuerunt filij Aholibamah filia Hanah filia Sibhon vxoris Heſau: & peperit ipſi Heſau Iehus, & Iahalam, & Chorach.*

15 *Iſti duces filiorum Heſau: Filij Eliphaz primogeniti Heſau: dux Teman, dux Omar, dux Sepho, dux Chenaz.*

16 *Dux Corach, dux Chabathaim, dux Hamalech. Iſti ſunt duces Eliphaz in terra Edom: iſti ſunt filij Hadah.*

17 *Et iſti ſunt filij Rehuel filij Heſau, dux Nachath, dux Zerach, dux Sammah, dux Mizzah. Iſti ſunt duces Rehuel in terra Edom: iſti ſunt filij Boſmath vxoris Heſau.*

18 *Et iſti ſunt filij Aholibamah vxoris Heſau: dux Iehus, dux Iahalam, dux Corach. Iſti ſunt duces Aholibamah filia Hanah vxoris Heſau.*

19 *Iſti ſunt filij Heſau, & iſti duces eorum: ipſe eſt Edom.*

20 *Iſti ſunt filij Sehir Chorei, habitatores terræ, Lothan, & Sobal, & Sibon, & Hanah.*

21 *Et Diſon, & Eſer, & Diſan. Iſti Duces Choreorum filiorum Sehir in terra Edom.*

22 *Et fuerunt filij Lothan: Chori, & Hemam, & ſoror Lothan, Timnah.*

23 *Et iſti ſunt filij Sobal: Haluan, & Manachath, & Hebal, Sepho, & Onam.*

24 *Et iſti ſunt filij Sibhon: Aiah, & Hanah. Hic eſt Hanah, qui inuenit mulos in deſerto, cum paſceret aſinos Sibhon patris ſui.*

25 *Et iſti ſunt filij Hanah, Diſon, & Aholibamah filia Hanah.*

26 *Et iſti filij Diſon: Chemdan, & Eſban, & Ithran, & Cheran.*

27 *Iſti ſunt filij Eſer: Bishan, & Zahauan, & Hacan.*

Iſti

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XXXVI.

1 HÆ autem ſunt generationes Eſau : ipſe eſt Edom.

2 Eſau autem ſumpſit vxores ſibi de filiabus Chananæorum: Ada filiam Ælom Chettæi, & Olibema filiam Ana filij Sebegon Euæi,

3 Et Baſemath, filiam Iſmael, ſororem Nabæoth.

4 Peperit autem ei Ada Eliphas : & Baſemath peperit Raguel.

5 Et Olibema peperit Ieus, & Ieglom, & Core. Hi ſunt filij Eſau, qui nati ſunt ei in terra Chanaan.

6 Sumpſit autē Eſau vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, & oīa corpora domus ſuæ, & omnē ſubſtantiā ſuā, & omnia pecora, & omnia, quæcūque poſſedit, & omnia quæcūque acquiſiuit in terra Chanaā : & iuit Eſau de terra Chanaā à facie Iacob fratris ſui :

7 Erat enim ſubſtantia eorum multa ad habitandum ſimul : & non poterat terra incolatus eorum ferre eos, præ multitudine ſubſtantiæ eorum.

8 Habitauit autem Eſau in monte Seir, Eſau ipſe eſt Edom.

9 Hæ autem ſunt generationes Eſau patris Edom in monte Seir.

10 Et hæc ſunt nomina filiorum Eſau : Eliphas filius Ada vxoris Eſau : & Raguel filius Baſemath vxoris Eſau.

11 Facti ſunt autem Eliphas filij : Thæman, Omar, Sophar, Gothom, & Cenez.

12 Tamna autem erat concubina Eliphas filij Eſau & peperit ipſi Eliphas Amalec. Hi ſunt filij Ada vxoris Eſau.

13 Hi autem ſunt filij Raguel: Nachoth, Zare, Some, & Moze: Hi fuerunt filij Baſemath vxoris Eſau.

14 Hi autem ſunt filij Olibema filiæ Ana filij : Sebegon, vxoris Eſau : peperit autem ipſi Eſau Ieus, & Ieglom, & Core.

15 Hi ſunt principes filij Eſau : Filij Eliphaz primogeniti Eſau : princeps Thæman, princeps Omer, princeps Sophar, princeps Cenez.

16 Princeps Core, princeps Gothom, princeps Amalec : hi ſunt principes Eliphaz in terra Idumææ: hi ſunt filij Ada.

17 Et hi ſunt filij Raguel filij Eſau : princeps Nachoth, princeps Zare, princeps Some, princeps Moze. hi ſunt principes Raguel in terra Edom : hi ſunt filij Baſemath vxoris Eſau.

18 Hi vero filij Olibema vxoris Eſau : princeps Ieus, princeps Ieglom, princeps Core. Hi ſunt principes Olibemæ filij Ana, vxoris Eſau.

19 Iſti filij Eſau, & iſti principes eorum : Hi ſunt filij Edom.

20 Hi autem filij Seir Chorræi habitantis terram: Lotan, Sobal, Sebegon Ana,

21 Et Deſon, & Aſar, & Riſon. Hi principes ipſius Chorræi, filij Seir, in terra Edom.

22 Facti ſunt autem filij Lotan: Chorri, & Hæman: Soror autem Lotan Thamna.

23 Hi autem ſunt filij Sobal: Golam, & Manachath, & Getel & Sophar, & Omar.

24 Et hi filij Sebegon : Aie, & Ana. Hic eſt Ana, qui inuenit Iamin in deſerto, cum paſceret ſubiugales Sebegon patris ſui.

25 Hi autem ſunt filij Ana : Deſon, & Olibema filia Ana.

26 Hi autem filij Deſon: Amada, & Aſban, & Ithran, & Charran.

27 Hi autem filij Aſar: Balaam & Zucham, & Iuchā.

## Chal. Paraph. Tranſl.

### CAP. XXXVI.

1 *HÆ autem ſunt generationes Eſau : ipſe eſt Edom.*

2 *Eſau accepit vxores ſuas de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Ethæi, & Oolibama filiam Ana filiam Sebeon Euæi:*

3 *Et Baſemath filiam Iſmaelis ſororem Nabaioth.*

4 *Peperit autem Ada Eliphaz de Eſau : & Baſemath peperit Rahuel.*

5 *Et Oolibama peperit Iehus, & Hielom, & Chore. Hi filij Eſau, qui nati ſunt ei in terra Chanaan.*

6 *Tulit autem Eſau vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, & omnes animas domus ſuæ, & pecora ſua, & omnia iumenta ſua, & vniuerſam ſubſtantiam quam acquiſierat in terra Chanaan: & abijt in terram aliam, propter Iacob fratrem ſuum :*

7 *Quia erat ſubſtantia eorum multa, vt habitarent ſimul : & non poterat terra habitationis eorum ſuſtinere eos, propter pecora eorum.*

8 *Et habitauit Eſau in monte Seir, Eſau ipſe eſt Edom.*

9 *Et hæ ſunt generationes Eſau patris Idumæorum in monte Seir.*

10 *Hæc ſunt nomina filiorum Eſau: Eliphaz filius Ada vxoris Eſau : Rahuel filius Baſemath vxoris Eſau.*

11 *Fueruntque filij Eliphaz: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez.*

12 *Erat autem Thamna concubina Eliphaz filij Eſau: ex qua natus eſt Amalech. Hi ſunt filij Ada, vxoris Eſau.*

13 *Filij autem Rahuel: Naath, & Zara, & Samma, & Meza: Hi filij Baſemath, vxoris Eſau.*

14 *Et iſti filij Oolibama, filiæ Ana, filiæ Sebeon, vxoris Eſau; quæ peperit ei Iehus, & Hielon, & Chore.*

15 *Iſti ſunt duces filiorum Eſau, filij Eliphaz primogeniti Eſau : dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez :*

16 *Dux Chore, dux Gatham, dux Amalech. Hi duces Eliphaz in terra Edom: hi filij Ada.*

17 *Hi quoque filij Rahuel filij Eſau, dux Naath, dux Zara, dux Samma, dux Meza : hi duces Rahuel in terra Edom : iſti filij Baſemath vxoris Eſau.*

18 *Hi autem filij Oolibama vxoris Eſau : dux Iehus, dux Hielom, dux Chore. Hi duces Oolibama filiæ Ana, vxoris Eſau.*

19 *Iſti, ſunt filij Eſau : & hi duces eorum : ipſe eſt Edom.*

20 *Iſti ſunt filij Seir Horræi habitatores terræ : Lothan, & Sobal, & Sebeon, & Ana :*

21 *Et Diſon, & Eſer, & Diſan. Hi duces Horræi filij Seir in terra Edom.*

22 *Fueruntque filij Lothan: Horri, & Hemam: Soror autem Lothan, Thamna.*

23 *Et iſti filij Sobal, Aluan, & Maneeth, & Hebal, Sephi, & Onam.*

24 *Et hi filij Sebeon: Aja, & Ana. Iſte eſt Ana qui inuenit gigantes in ſolitudine, cùm paſceret aſinos Sabeon patris ſui.*

25 *Et hi filij Ana: Diſſon, & Oolibama filia Ana.*

26 *Hi autem filij Diſan: Amdan, & Eſeban, & Iethran, & Charan.*

27 *Iſti ſunt filij Eſer: Balau, & Zaauan, & Achan.*

Hi

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

28 Habuit autem filios Diſan: Hus, & Aran.
29 Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,
30 Dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan: iſti duces Horræorum, qui imperauerunt in terra Seir.
31 Reges autem qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent regem filij Iſrael, fuerunt hi:
32 Bala filius Beor, nomenque vrbis eius Denaba.
33 Mortuus eſt autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Boſra.
34 Cumque mortuus eſſet Iobab, regnauit pro eo Huſam de terra Themanorum.
35 Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in regione Moab: & nomen vrbis eius Auith.
36 Cumque mortuus eſſet Adad, regnauit pro eo Semla de Maſreca.
37 Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth.
38 Cumque & hic obijſſet, ſucceſſit in regnum Balanan filius Achobor.
39 Iſto quoque mortuo regnauit pro eo Adar, nomenque vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab.
40 Hæc ergo nomina ducum Eſau in cognationibus, & locis, & vocabulis ſuis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth,
41 Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,
42 Dux Cenez, dux Theman, dux Mabſar,
43 Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij ſui, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum.

### CAP. XXXVII.

1 HAbitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater ſuus peregrinatus eſt.
2 Et hæ ſunt generationes eius: Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris ſui: accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.
3 Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quòd in ſenectute genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitam.
4 Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.
5 Accidit quoque vt viſum omnium referret fratribus ſuis: quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit.
6 Dixitque ad eos: Audite ſomnium meum quod vidi:
7 Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.
8 Reſponderunt fratres eius: Numquid rex noſter eris? aut ſubijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum, inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit.
9 Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Iſti ſunt filij Diſon: Hus, & Aran.*
29 *Iſti ſunt duces Choræorum: dux Lothan, dux Sobal, dux Sibhon, dux Hanah.*
30 *Dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan: iſti ſunt duces Choræorum in ducibus eorum in terra Sehir.*
31 *Et iſti ſunt reges qui regnauerunt in terra Edom, antequam regnaret rex ſuper filios Iſrael.*
32 *Et regnauit in Edom, Belah filius Behor, & nomen ciuitatis eius Dinhabah.*
33 *Et mortuus eſt Belah, & regnauit pro eo Iobab filius Zerach de Boſrah.*
34 *Et mortuus eſt Iobab, & regnauit pro eo Chuſam è terra Auſtrali.*
35 *Et mortuus eſt Chuſam, & regnauit pro eo Hadad filius Bedad, qui percuſſit Midian in agro Moab: & nomen ciuitatis eius Hauith.*
36 *Et mortuus eſt Hadad, & regnauit pro eo Samlah de Mareſchah.*
37 *Et mortuus eſt Samlah, & regnauit pro eo Saul de Rechoboth fluminis.*
38 *Et mortuus eſt Saul, & regnauit pro eo Bahalchanan filius Hachbor.*
39 *Et mortuus eſt Bahalchanan filius Hachbor, & regnauit pro eo Hadar, & nomen ciuitatis eius Pau: & nomen vxoris eius Mehethabel filia Mathred filia Mezahab.*
40 *Et iſta ſunt nomina ducum, Heſau, per familias ſuas, per loca ſua, ſecundum nomina ſua: dux Thimnah, dux Halnah, dux Ietheth.*
41 *Dux Aholibamah, dux Alah, dux Pinon.*
42 *Dux Chenax, dux Theman, dux Mibſar,*
43 *Dux Magdiel, dux Hiram: iſti ſunt duces Edom, per habitationes ſuas, in terra hæreditatis eorum, ipſe eſt Heſau pater Edom.*

### CAP. XXXVII.

1 *ET habitauit Iahacob in terra habitationum patris ſui in terra Chenahan.*
2 *Iſtæ ſunt generationes Iahacob: Ioſeph filius ſeptem, & decem annorum paſcebat cum fratribus ſuis pecudes, & erat puer cum filijs Bilhah: & cum filijs Zilpah vxor patris ſui: & retulit Ioſeph famam eorum malam patri eorum.*
3 *Et Iſrael diligebat Ioſeph præ cunctis filijs ſuis, quia filius ſenectutis erat ſibi: & fecit ei tunicam polymitam.*
4 *Et viderunt fratres eius, quòd eum diligebat pater eorum præ cunctis fratribus eius, & odio habebant eum, & non poterant alloqui eum pacifice.*
5 *Et ſomniauit Ioſeph ſomnium, & nunciauit fratribus ſuis: & addiderunt amplius vt odio haberẽt eũ.*
6 *Et dixit ad eos: Audite quæſo ſomnium hoc, quod ſomniaui:*
7 *Et ecce ligabamus manipulos in medio agri: & ecce ſurrexit manipulus meus, & etiam ſtabat, & ecce circumdabant manipuli veſtri, & incuruabant ſe manipulo meo.*
8 *Et dixerunt ei fratres eius: Numquid regnando regnabis ſuper nos, aut dominando dominaberis nobis? Et addiderunt adhuc, vt odio haberent eum propter ſomnium eius, & propter verba eius.*
9 *Et ſomniauit adhuc ſomnium alterum, & narrauit illud fratribus ſuis, & dixit: Ecce ſomniaui ſomnium adhuc: & ecce ſol, & luna, & vndecim ſtellæ incuruabant ſe mihi.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

28 Hi autem filij Riſon: Hos, & Aran.
29 Hi autẽ ſunt principes Chorri: princeps Lotã, princeps Sobal, princeps Sebegon, princeps Ana,
30 Princeps Deſon, princeps Aſar, princeps Riſon: hi ſunt principes Chorri in principatibus eorum in terra Edom.
31 Et hi reges, qui regnauerunt in Edom, antequam regnaret rex in Iſrael.
32 Et regnauit in Edom Balac filius Beor, & nomen ciuitati eius Dennaba.
33 Mortuus eſt autem Balac, & regnauit pro eo Iobab filius Zara de Boſorra.
34 Mortuus eſt autem Iobab, & regnauit pro eo Aſom de terra Thæmanorum.
35 Mortuus eſt autẽ Aſom, & regnauit pro eo Adad, filius Barad, qui percuſſit Madiam in agro Moab: & nomen ciuitati eius Gettham.
36 Mortuus eſt autem Adad, & regnauit pro eo Samada de Maſſecca.
37 Mortuus eſt autẽ Samada, & regnauit pro eo Saul de Rooboth, quæ apud flumen.
38 Mortuus eſt autem Saul, & regnauit pro eo Ballenon filius Achobor.
39 Mortuus eſt autem Ballenon filius Achobor, & regnauit pro eo Arad, filius Barad, & nomen ciuitati eius Phogor: nomen autem vxori eius Meteбeel filia Matraith filij Mezoob.
40 Hæc nomina principum Eſau in tribubus eorum ſecundum locum eorum in regionibus eorum, & in gentibus eorum: princeps Thamna, princeps Gola, princeps Iether,
41 Princeps Holibemas, prĩceps Helas, prĩceps Phinõ,
42 Princeps Cenez, princeps Themã, princeps Mazar,
43 Princeps Magediel, princeps Zaphoin: hi ſunt principes Edom in ædificatis in terra poſſeſſionis eorum, hic eſt Eſau pater Edom.

### C A P. XXXVII.

1 Habitabat autem Iacob in terra, vbi incoluerat pater eius in terra Chanaan.
2 Hæ autem ſunt generationes Iacob: * Ioſeph autem decem, & ſeptem annorum erat paſcens oues patris ſui cum fratribus ſuis, cum eſſet iuuenis, cum filijs Balæ, & cum filijs Zelphæ, vxorum patris ſui: detulerunt autem Ioſeph crimine malo ad Iſrael patrem ipſorum.

* Hic ſemper caput in Romana Editione Septuaginta Interp.

3 Iacob autem diligebat Ioſeph præ omnibus filijs ſuis, quia filius ſenectutis erat ei: fecit autem ei tunicam variam.
4 Videntes autem fratres eius, quod eum pater amat præ omnibus filijs ſuis, oderant eum, & non poterant loqui ei quicquam pacificum.
5 Et cum ſomniaſſet Ioſeph ſomnium, nunciauit illud fratribus ſuis,
6 Et dixit eis: Audite ſomnium hoc, quod ſomniaui:
7 Exiſtimabam vos ligare manipulos in medio agro: & ſurrexit meus manipulus, & erexit ſe, conuerſi autem manipuli veſtri adorabant manipulum meum.
8 Dixerunt autem ei fratres eius: Numquid regnans regnabis ſuper nos? aut dominans dominaberis nobis? Et adiecerunt adhuc odio habere illum propter ſomnia eius, & propter verba eius.
9 Vidit autem ſomnium aliud, & narrauit illud patri ſuo, & fratribus ſuis, & dixit: Ecce ſomniaui ſomnium aliud: tamquam ſol, & luna, & vndecim ſtellæ adorabant me.

Et ob-

## Chald. Paraph. Tranſl.

28 *Hi ſunt filij Diſan: Hus, & Aran.*
29 *Illi ſunt duces Horræi: dux Lothan, dux Sobal: dux Sebeon, dux Ana,*
30 *Dux Dyſon, dux Eſer, dux Diſan: iſti duces Horræorum ſecundum principatus eorum in terra Seyr.*
31 *Et iſti ſunt reges qui regnauerunt in terra Edom, antequam regnaret rex in filijs Iſrael.*
32 *Regnauit autem in Edom Bale filius Beor, & nomen ciuitatis eius Denaba.*
33 *Mortuus eſt autem Bale, & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Boſra.*
34 *Mortuus eſt autem Iobab, & regnauit pro eo Huſam de terra Auſtrali.*
35 *Mortuuſque eſt Huſam, & regnauit pro eo Hadad filius Bedad, qui interfecit Madian in campeſtribus Moab: & nomen vrbis eius Auith.*
36 *Mortuuſque eſt Hadad, & regnauit pro eo Semla de Maſerecha.*
37 *Mortuuſque eſt Semla, & regnauit pro eo Saul de Rooboth, quæ eſt iuxta Euphratem.*
38 *Mortuuſque eſt Saul, & regnauit pro eo Baalanan filius Achobor.*
39 *Mortuuſque eſt Baalanan filius Achobor, & regnauit pro eo Adar, & nomen vrbis eius Phau: & nomen vxoris eius Mehetabel filia Mathreth, filia aurificis.*
40 *Et hæc ſunt nomina principum Eſau ſecundum cognationes eorum, per loca eorum, in nominibus ſuis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth:*
41 *Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon:*
42 *Dux Cenez, dux Theman, dux Mabſar:*
43 *Dux Maghihel, dux Hiran: hi duces Edom in habitationibus ſuis, in terra poſſeſſionis eorum, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum.*

### C A P. XXXVII.

1 *Habitauit autem Iacob in terra habitationis patris ſui in terra Chanaan.*
2 *Hæ ſunt generationes Iacob: Ioſeph filius erat decem, & ſeptem annorum, quando paſcebat oues cum fratribus ſuis, & ipſe nutriebatur cum filijs Bala, & cum filijs Zelpha vxorum patris ſui: & adduxit Ioſeph accuſationem eorum malam ad patrem ſuum.*
3 *Iſrael autem diligebat Ioſeph plusquam vniuerſos filios ſuos; quoniam filius ſapiens erat ei: fecitque ei tunicam polymitam.*
4 *Et viderunt fratres eius, quòd diligeret eum pater ſuus, plusquam omnes fratres eius, & oderunt eum, & nolebant loqui pacificè cum eo.*
5 *Et ſomniauit Ioſeph ſomnium, & narrauit fratribus ſuis, & addiderunt amplius odio habere eum.*
6 *Et ait eis: Audite, obſecro ſomnium hoc, quod ſomniaui:*
7 *Ecce ligabamus manipulos in medio agri: & ecce ſtabat manipulus meus, & etiam erigebatur, & ecce circumdabant eum manipuli veſtri, & adorabant manipulum meum.*
8 *Et dixerunt ei fratres ſui: Numquid regnare exiſtimas ſuper nos? aut dominari putas noſtri? Et addiderunt amplius odio habere eum propter ſomnia ſua, & propter verba eius.*
9 *Somniauitque iterum ſomnium atiud, & narrauit eum fratribus ſuis, & ait: Ecce ſomniaui iterum ſomnium, & ecce ſol, & luna, & vndecim ſtellæ adorabant me.*

Et nar-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſti? num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? | 10 | 10 | *Et narrauit patri ſuo, & fratribus ſuis, & increpauit eum pater eius, & dixit ei: Quid eſt hoc ſomniũ, quod ſomniaſti? nũquid veniẽdo veniemus ego, & mater tua, & fratres tui, vt incuruemus nos tibi ſuper terrã?* |
| Inuidebant ei igitur fratres ſui: pater vero rem tacitus conſiderabat. | 11 | 11 | *Et inuiderunt ei fratres eius, & pater eius obſeruabat rem.* |
| Cumque fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, | 12 | 12 | *Et perrexerunt fratres eius, vt paſcerent pecudes patris ſui in Sechem,* |
| Dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente, | 13 | 13 | *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Nonne fratres tui paſcunt in Sechem? Veni, & mittam te ad eos. Et dixit ei.* |
| Præſto ſum: ait ei: Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Miſſus de Valle Hebron, venit in Sichem: | 14 | 14 | *Ecce adſum: & dixit ei: Vade nunc, vide pacem fratrum tuorum, & pacem pecorum, & refer mihi rem. Et miſit eum ex Valle Chebron, & venit in Sechem.* |
| Inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. | 15 | 15 | *Et inuenit eum vir, & ecce errabat in agro, & interrogauit eum vir dicendo: quid quæris?* |
| At ille reſpondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi paſcant greges. | 16 | 16 | *Et dixit: Fratres meos quæro, nuncia obſecro mihi vbi ipſi paſcant.* |
| Dixitque ei vir: Receſſerunt de loco iſto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain. | 17 | 17 | *Et dixit vir: Profecti ſunt hinc: audiui enim dicentes: Eamus in Dothan. Et perrexit Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothan.* |
| Qui cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: | 18 | 18 | *Et viderunt eum à longinquo, & antequam appropinquaret ad eos machinati ſunt contra eum, vt interimerent eum.* |
| Et mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit: | 19 | 19 | *Et dicebat alter alteri: Ecce ſomniator ille venit.* |
| Venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem: dicemuſque: Fera peſſima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua. | 20 | 20 | *Et nunc venite, & occidamus illum, & proijciamus eum in vnam è ciſternis: & dicemus: Beſtia mala deuorauit eum: & videbimus: quid fuerint ſomnia eius.* |
| * Inf. 42. 22. — * Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: | 21 | 21 | *Et audiuit Reuben, & eripuit eum è manu eorum, & dixit:* |
| Non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem: ſed proijcite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manuſque veſtras ſeruate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo. | 22 | 22 | *Non percutiamus animam, & dixit ad eos Reuben: Ne effundatis ſanguinem: proijcite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in deſerto: & manum ne mittatis in eum: vt erueret eum è manu eorum, vt reuerti faceret eum ad patrem ſuum.* |
| Confeſtim igitur vt peruenit ad fratres ſuos, nudauerunt eum tunica talari & polymita: | 23 | 23 | *Et fuit, vt venit Ioſeph ad fratres ſuos, expoliauerunt Ioſeph tunica ſua tunica polymita, quæ erat ſuper eum:* |
| Miſeruntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam. | 24 | 24 | *Et tulerunt eum, & proiecerunt eum in ciſternam, & ciſterna erat vacua, non erat in ea aqua.* |
| Et ſedentes, vt comederent panem, viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in Ægyptum. | 25 | 25 | *Et ſederunt, vt comederẽt panẽ, & leuauerũt oculos ſuos, & viderunt, & ecce turba Iſmahelitarũ veniebat de Ghilhad, & cameli eorũ portabãt aromata, et reſinã, & ſtactẽ, ambulãtes, vt deferrẽt in Ægyptũ.* |
| Dixit ergo Iudas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? | 26 | 26 | *Et dixit Iehudah fratribus ſuis: Quæ vtilitas, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem eius?* |
| Melius eſt, vt venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus illius. | 27 | 27 | *Venite, & vendamus eum Iſmaelitis, & manus noſtra ne ſit in eum: quia frater noſter, caro noſtra eſt. Et paruerunt ei fratres eius.* |
| * Sap. 10. 13. — * Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum. | 28 | 28 | *Et tranſierunt viri Madianitæ mercatores, & extraxerunt, & aſcendere fecerunt Ioſeph è ciſterna, & vendiderunt Ioſeph Iſmaelitis viginti argenteis: & adduxerunt Ioſeph in Ægyptum.* |
| Reuerſuſque Ruben ad ciſternam, non inuenit puerum: | 29 | 29 | *Et reuerſus eſt Reuben ad ciſternam, & ecce non erat Ioſeph in ciſterna,* |
| Et ſciſſis veſtibus pergens ad fratres ſuos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo? | 30 | 30 | *Et ſcidit veſtimenta ſua, & reuerſus eſt ad fratres ſuos, & dixit: Puer non eſt, & ego quo: ego quo ibo?* |
| Tulerunt autem tunicam eius: & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt: | 31 | 31 | *Et tulerunt tunicam Ioſeph: & iugulauerunt hyrcum caprarum, & tinxerunt tunicam in ſanguine.* |
| Mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui ſit, an non. | 32 | 32 | *Et miſerunt tunicam polymitam, & deferre fecerũt ad patrem ſuum, & dixerunt: Hanc inuenimus: agnoſce nunc vtrum tunica filij tui ſit, an non.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

10 Et obiurgauit eum pater eius, & dixit ei: Quod eſt ſomnium hoc, quod ſomniaſti? nunquid venientes veniemus ego, & mater tua, & fratres tui adorare te ſuper terram?

11 Inuiderunt autem ei fratres eius: pater autem eius obſeruauit verbum.

12 Iuerunt autem fratres eius paſcere oues patris ſui in Sychem.

13 Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Nonne fratres tui paſcunt in Sychem? veni, mittam te ad eos. Dixit autem ei:

14 Ecce ego. Dixit autem ei Iſrael: Vadens vide, ſi valent fratres tui, & oues: & nuncia mihi. Et miſit eum de Valle Chebron, & venit in Sychem.

15 Et inuenit eum homo errantem in agro, interrogauit autem eum homo dicens: quid quæris?

16 At ille dixit: Fratres meos quæro, nuncia mihi vbi paſcant.

17 Dixit autem ei homo: Diſceſſerunt hinc: audiui enim eos dicentes: Eamus in Dothaim. Et iuit Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothaim.

18 Præuiderunt autem eum à longè, antequam ipſe appropinquaret ad eos, & malignabantur ad eum occidendum.

19 Dixit autem vnuſquiſque ad fratrem ſuum: Ecce ſomniator ille venit:

20 Nunc igitur venite occidamus eum, & proijciamus eum in vnam ciſternarum: & dicemus: Beſtia mala deuorauit eum: & videbimus, quid erunt ſomnia ipſius.

21 Audiens autem Ruben eripuit eum de manibus eorum, & dixit:

22 Non percutiamus eum in animam: Dixit autem eis Ruben: Non effundatis ſanguinem: inijcite eum in vnam ciſternarum harum, quæ in deſerto, manū autem non inferatis ei: Vt eriperet eum de manibus eorum, & redderet eum patri ſuo.

23 Factum eſt autem quando venit Ioſeph ad fratres ſuos, exuerunt Ioſeph tunica varia, quæ circa eum:

24 Et ſumentes eum proiecerunt in ciſternam, ciſterna autem vacua, non habebat aqua.

25 Sederunt autem manducare panem, & reſpicientes oculis viderūt, & ecce viatores Iſmaelitæ veniebāt de Galaad, & cameli eorū pleni erāt odoramētis, & reſina, & ſtacte: ibant autem deferre in Ægyptum.

26 Dixit autem Iudas ad fratres ſuos: Quid vtile, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & abſconderimus ſanguinem eius?

27 Venite, vendamus eum Iſmaelitis iſtis, manus autē noſtræ non ſint in eum: quoniam frater noſter, & caro noſtra eſt. Et audierunt fratres eius.

28 Et prætereibant homines Madianæi mercatores, & extraxerunt, & aſcendere fecerunt Ioſeph de ciſterna, & vendiderunt Ioſeph Iſmaelitis viginti aureis: & deduxerunt Ioſeph in Ægyptum.

29 Reuertit autem Ruben ad ciſternam, & non videt Ioſeph in ciſterna:

30 Et diſcidit veſtimenta ſua, & conuertit ſe ad fratres ſuos, & dixit: Puerulus non eſt, ego autem quo ibo adhuc?

31 Sumentes autem tunicam Ioſeph, iugularunt hœdum caprarum, & fœdarunt tunicam ſanguine,

32 Et miſerunt tunicam variam, & intulerunt patri ſuo, & dixerunt: Hanc inuenimus: agnoſce, ſi tunica filij tui eſt, an non.

Et agno-

## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Et narrauit patri ſuo, & fratribus ſuis, increpauitq; eum pater ſuus, & ait: Quid eſt ſomnium hoc, quod ſomniaſti? nunquid venientes veniemus ego, & mater tua, & fratres tui, vt adoremus te ſuper terram?*

11 *Inuideruntque ei fratres ſui: & pater eius conſeruabat verbum.*

12 *Et abierunt fratres eius ad paſcendas oues patris ſui in Sichem.*

13 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Ecce fratres tui paſcunt oues in Sichem? veni, & mittam te ad eos. Et dixit ei:*

14 *Ecce ego. Et ait ei: Vade, obſecro, nunc, vide pacem fratrum tuorum, & pacem ouium: & redde mihi reſponſum. Miſitque eum de Valle Hebron, & venit in Sichem.*

15 *Inuenitque eum vir, & aberrabat in agro, & interrogauit eum vir, dicens: quid quæris?*

16 *Et dixit: Fratres meos ego quæro, indica, obſecro, mihi vbi ipſi paſcant.*

17 *Et ait vir: Profecti ſunt hinc: quoniam audiui illos dicentes: Eamus in Dothan. Et abijt Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothan.*

18 *Et viderunt eum à longè, & antequam appropinquaret ad eos, cogitauerunt, contra illum, vt interficerent eum.*

19 *Dixitque vnuſquiſque ad fratrem ſuum: Ecce dominus ſomniorum iſte qui venit.*

20 *Et nunc venite, occidamus eum, & proijciamus eum in vnam ex ciſternis: & dicemus: Beſtia peſſima comedit eum: & videbimus quis erit finis ſomniorum ſuorum.*

21 *Audiuitque Ruben, & liberauit eum de manibus eorum, & ait:*

22 *Non interficiamus animam eius. Dixitque Ruben: Non effundatis ſanguinem: proijcite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, & manum non extendatis in eum: Vt liberaret eum de manibus eorum, vt reduceret eum patri ſuo.*

23 *Et factum eſt cùm veniſſet Ioſeph ad fratres ſuos, nudauerunt Ioſeph tunica ſua, tunica polymita, quæ erat ſuper eum.*

24 *Et tulerunt eum, & miſerunt eum in ciſternam, ciſterna autem erat vacua, in qua non erant aquæ.*

25 *Et recubuerunt ad comedendum panē, & leuauerūt oculos ſuos, & viderunt, & ecce turba Arabū veniebat de Galaad, & cameli eorū onerati aromatis, reſina, & ſtacte: ibant vt deſcenderent in Ægyptum.*

26 *Dixitque Iudas fratribus ſuis: Quid lucri erit nobis ſi occiderimus fratrem noſtrum, & cooperuerimus ſanguinem eius?*

27 *Venite, & vendamus eum Arabibus, & manus noſtra non ſit in eum: quoniam frater noſter, & caro noſtra eſt. Et obedierunt ei fratres ſui.*

28 *Et tranſierunt viri negociatores Madianitæ, & extraxerunt, & leuauerunt Ioſeph de ciſterna, & vendiderunt eum Arabibus viginti ſiclis argenti: & adduxerunt Ioſeph in Ægyptum.*

29 *Et reuerſus eſt Ruben ad ciſternam, & ecce Ioſeph non erat in ciſterna.*

30 *Et ſcidit veſtimenta ſua. Et reuerſus eſt ad fratres ſuos, & ait: Puer non comparet, & ego quò vadam?*

31 *Et tulerunt tunicam Ioſeph, & maſtauerunt hœdum caprarum, & tinxerunt tunicam in ſanguinem.*

32 *Et miſerunt tunicam polymitam, & attulerunt patri ſuo, atque dixerunt: Hanc inuenimus: cognoſce nunc ſi tunica filij tui eſt, an non.*

*Et co-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

33 Quam cum agnouiſſet pater, ait: Tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph.

34 Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.

35 Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perſeuerante in fletu,

36 Madianitæ vendiderunt Ioſeph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis magiſtro militum.

### CAP. XXXVIII.

1 EOdem tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad Virum Odollamitem, nomine Hiram.

* 1. Par. 2. — 2 * Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue: & accepta vxore, ingreſſus eſt ad eam.

3 Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her.

* Nu. 26. 19. — 4 * Rurſumque concepto fœtu, natum filium vocauit Onan.

5 Tertium quoque peperit: quem appellauit Sela: Quo nato, parere vltra ceſſauit.

6 Dedit autem Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar.

* Num. 6. 19. — 7 * Fuit quoque Her primogenitus Iudæ nequam in conſpectu Domini: & ab eo occiſus eſt.

8 Dixit ergo Iudas ad Onan filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo.

9 Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur.

10 Et idcirco percuſſit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.

11 Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus: timebat enim ne & ipſe moreretur, ſicut fratres eius. Quæ abijt, & habitauit in domo patris ſui.

12 Euolutis autem multis diebus, mortua eſt filia Sue vxor Iudæ: qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum, ipſe & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas.

13 Nunciatumque eſt Thamar quod ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas oues.

14 Quæ, depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum: & mutato habitu, ſedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eo quod creuiſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum.

15 Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur.

16 Ingrediensque ad eã, ait: Dimitte me, vt coeã tecũ: neſciebat enim quod nurus ſua eſſet. Qua reſpondente: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo?

17 Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rurſumq; illa dicente: Patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris.

18 Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Reſpondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit,

Et ſur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Et agnouit eam, & dixit: Tunica filij mei eſt, beſtia mala deuorauit eum: Rapiendo raptus eſt Ioſeph.*

34 *Et ſcidit Iahacob veſtimenta ſua, & poſuit ſaccum in lumbis ſuis, & luxit ſuper filio ſuo diebus multis.*

35 *Et ſurrexerunt omnes filij eius, & omnes filiæ eius, vt conſolarentur eum, & renuit conſolari, & dixit: Quia deſcendam ad filium meum lugens ad ſepulchrum. Et fleuit eum pater eius:*

36 *Et Midianitæ vendiderunt eum in Ægypto, Potiphar principi Pharhoh, principi Laniorum.*

### C A P. XXXVIII.

1 *ET fuit, in tempore ipſo, deſcendit Iehudah à fratribus ſuis, & declinauit ad virum hadulamitem, & nomen eius Chirah.*

2 *Et vidit ibi Iehudah filiam viri Chenahanæi, & nomẽ eius Suah, & accepit eã, & ingreſſus eſt ad eam.*

3 *Et concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her.*

4 *Et concepit adhuc, & peperit filium, & vocauit nomen eius Onam.*

5 *Et addidit adhuc, & peperit filium, & vocauit nomen eius Selah: & erat in Chezib, quando peperit ipſa eum.*

6 *Et accepit Iehudah uxorem ipſi Her primogenito ſuo, & nomen eius Thamar.*

7 *Et erat Her primogenitus Iehudah malus in oculis Domini: & interemit eum Dominus.*

8 *Et dixit Iehudah ad Onan: Ingredere ad uxorem fratris tui, & affinitatem contrahe cum ea, & ſuſcita ſemen fratri tuo.*

9 *Et cognouit Onan quòd non ei futurum eſſet ſemen, & erat quando ingrediebatur ad uxorem fratris ſui, corrumpebat ſe ſuper terram, vt non poneret ſemen fratri ſuo.*

10 *Et diſplicuit in oculis Domini, quod fecit, & mori fecit etiam eum.*

11 *Et dixit Iehudah ad Tamar nurum ſuam: Mane vidua in domo patris tui, donec creſcat Selah filius meus: Dixit enim, ne fortè moriatur etiam ipſe, ſicut & fratres eius, & perrexit Tamar: & manſit in domo patris ſui.*

12 *Et multiplicati ſunt dies, & mortua eſt Bathſuah uxor Iehudah: & conſolatus eſt ſe Iehudah, & aſcendit ad tonſores ouium ſuarum ipſe & Chirah amicus eius: Hadulamita in Timnath.*

13 *Et nunciatum fuit ipſi Tamar, dicendo: Ecce ſocer tuus aſcendit in Timnath ad tondendum oues ſuas.*

14 *Et remouit veſtes viduitatis ſuæ à ſe, & operuit ſe velamine, & celauit ſe, & manſit in oſtio Henaim, quod erat iuxta viam Timnath: viderat enim quòd creuerat Selah: & ipſa non fuerat data ei in uxorẽ.*

15 *Et vidit eam Iehudah, & putauit eam eſſe meretricem: operuerat enim faciem ſuam.*

16 *Et declinauit ad eam è via, & dixit: Affer quæſo, ingrediar ad te: Nõ enim nouerat, quòd nurus ſua eſſet. Et dixit: Quid dabis mihi, ſi ingrediaris ad me?*

17 *Et dixit: Ego mittam hœdum caprarum de pecudibus. Et dixit: Num dabis pignus, donec miſeris?*

18 *Et dixit: Quod pignus, vt dem tibi? Et dixit: Sigillum tuum: & Thuiiam tuam, & virgam tuam, quæ eſt in manu tua: & dedit ei, & ingreſſus eſt ad eam, & concepit ex eo.*

*Et ſur-*

## Tranſl. ex Septuag.

33 Et agnouit eam, & dixit: Tunica filij mei eſt, beſtia mala deuorauit eum, beſtia rapuit eum.

34 Diſcidit autem Iacob veſtimenta ſua, & poſuit ſaccum ſuper lumbum ſuum, & lugebat filium ſuum diebus multis.

35 Congregati ſunt autem omnes filij eius, & filiæ, & venerunt conſolari eum, & noluit conſolari, dicens: Quia deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Et fleuit eum pater eius.

36 Madianæi autem vendiderunt Ioſeph in Ægypto Petephræ ſpadoni Pharaonis archimagiro.

### CAP. XXXVIII.

1 Factum eſt autem in tempore illo, deſcēdit Iudas à fratribus ſuis, & peruenit vſque ad hominem quemdam Odollamitem, cui nomen Iras.

2 Et vidit illic Iudas filiam hominis Chananæi, cui nomen Saua: & accepit eam, & introiuit ad eam.

3 Et concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Er.

4 Et concipiens, peperit filium adhuc, & vocauit nomen eius Aynan.

5 Et adijciens peperit filium: & vocauit nomen eius Selom: Hæc autem erat in Chasbi, quando peperit eos.

6 Et accepit Iudas vxorem ipſi Er primogenito ſuo, cui nomen Thamar.

7 Factus eſt autem Er primogenitus Iudæ malus coram Domino: & occidit eum Dominus.

8 Dixit autem Iudas ad Aynan: Intra ad vxorem fratris tui, & duc eam vxorem, & ſuſcita ſemen fratri tuo.

9 Cognoſcens autem Aynan, quia ſibi non erit ſemen, factum eſt, quando intrabat ad vxorem fratris ſui, effundebat ſuper terram, ne daret ſemen fratri ſuo.

10 Malum autem apparuit coram Deo, quia fecit hoc, & mori fecit etiam hunc.

11 Dixit autem Iudas ad Thamar nurum ſuam: Sede vidua in domo patris tui, donec grandis fuerit Selom filius meus: dixit enim, ne forte moriatur & hic, ſicut & fratres eius. Abiens autem Thamar ſedit in domo patris ſui.

12 Multiplicati autem ſunt dies, & mortua eſt Saua vxor Iudæ: & conſolatus Iudas aſcendit ad eos, qui tondebant oues eius, ipſe & Iras paſtor eius Odollamites in Thamna.

13 Et nunciatum eſt Thamar nurui eius, dicentes: Ecce ſocer tuus aſcendit in Thamna tondere oues ſuas.

14 Et auferens veſtimenta viduitatis à ſe, induit theriſtrum: & adornauit ſe, & ſedit ad portas Ænan, quæ eſt in tranſitu Thamnæ: vidit enim, quia grandis factus eſt Selom: ipſe autē non dedit eā illi vxorem.

15 Et videns eam Iudas putauit eam meretricem eſſe: cooperuerat enim faciem ſuam, & non agnouit eam.

16 Declinauit autem ad eam viā, & dixit ei: Sinito me intrare ad te: nō enim agnouit, quia nurus ſua eſt. At illa dixit: Quid mihi dabis, ſi intraueris ad me?

17 Ille vero dixit: Ego tibi mittam hœdum caprarū, de ouibus meis. At illa dixit: Si dederis mihi arrhabonem donec tu mittas.

18 Ille vero dixit: Quem arrhabonem tibi dabo? At illa dixit: Annulum tuum, & paruum monile, & virgam, quæ in manu tua. Et dedit ei, & intrauit ad eam, & in vtero concepit ex eo:

## Chald. Paraph. Tranſl.

33 *Et cognouit eam, & ait: Tunica filij mei eſt, beſtia peſſima comedit eum, occiſione occiſus eſt Ioſeph.*

34 *Et ſcidit Iacob veſtimenta ſua, & poſuit ſaccum in lumbis ſuis, & luxit diebus multis ſuper filium ſuum.*

35 *Et ſurrexerunt omnes filij ſui, & omnes filiæ ſuæ, vt conſolarentur eum, & noluit accipere conſolationem, & ait: Quoniam deſcendam ſuper filium meum lugens in infernum. Et planxit eum pater eius.*

36 *Madianitæ autem vendiderunt eum in Ægypto Putiphari principi Pharaonis, magiſtro militum.*

### *CAP. XXXVIII.*

1 *Et factum eſt in illo tempore, & deſcendit Iudas à fratribus ſuis, & diuertit ad virum Odollamitem, cuius nomen erat Hyra.*

2 *Viditq; ibi Iudas filiam hominis mercatoris, cuius nomen erat Sue: & accepit eā, ingreſſuſq; eſt ad eā.*

3 *Et concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her.*

4 *Concepitque rurſus, & peperit filium, & vocauit nomen eius Onan.*

5 *Et addidit rurſus, & peperit filium: vocauitque nomen eius Sela: & erat in Chezib, quando peperit eum.*

6 *Et accepit Iudas vxorem Her primogenito ſuo, cuius nomen erat Thamar.*

7 *Erat autem Her primogenitus Iuda malus coram Domino: & occidit eum Dominus.*

8 *Dixitque Iudas ad Onan: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, & ſuſcita ſemen fratri tuo.*

9 *Cognouitque Onan, quoniam non nomine eius vocaretur ſemen, & quando ingrediebatur ad vxorem fratris ſui, corrumpebat viam ſuam ſuper terram, vt non ſuſcitaret ſemen fratri ſuo.*

10 *Diſplicuitque coram Domino, quod fecit, & interfecit etiam ipſum.*

11 *Dixitque Iudas Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus: dixit enim, ne forte moriatur etiam ipſe, ſicut fratres eius. Et abijt Thamar, & habitauit in domo patris ſui.*

12 *Poſt multos autem dies mortua eſt filia Sue vxor Iudæ: & conſolatus eſt Iudas, & aſcendit ad tonſores ouium ſuarum in Thamnath, ipſe & Hyra ſocius eius Odollamites.*

13 *Nunciatumque eſt Thamar, dicendo: Ecce ſocer tuus aſcendit in Thamnath, ad tondendas oues ſuas.*

14 *Et depoſuit veſtimēta viduitatis ſuæ à ſe, & operuit ſe pallio, & ornauit ſe, & ſedit in biuio itineris, quod eſt iuxta viam Thamnath: quoniam vidit quòd creuerat Sela, & ipſa non tradebatur ei in vxorem.*

15 *Et vidit eam Iudas, & putauit eam eſſe meretricem: quia operuerat faciem ſuam.*

16 *Et declinauit ad eam in viā, & ait: Permitte, obſecro, vt ingrediar ad te: nō enim ſciebat, quòd nurus ſua eſſet. Et ait: Quid dabis mihi, vt ingrediaris ad me?*

17 *Et dixit: Ego mittam hœdum caprarum de gregibus. Et ait: Si dederis mihi pignus, donec mittas.*

18 *Et dixit: Quod erit pignus, quod dabo tibi? Et dixit: Annulus tuus, & ſudarium tuum, & baculus tuus, qui eſt in manu tua. Et dedit ei: & ingreſſus eſt ad eam, & concepit ex eo.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

19 Et ſurgens abijt: depoſitoque habitu, quem ſumpſerat, induta eſt viduitatis veſtibus.
20 Miſit autem Iudas hædum per paſtorem ſuum Odollamitem: vt reciperet pignus, quod dederat mulieri: qui cum non inueniſſet eam,
21 Interrogauit homines loci illius: Vbi eſt mulier quæ ſedebat in biuio? Reſpondentibus cunctis: Non fuit in loco iſto meretrix.
22 Reuerſus eſt ad Iudam, & dixit ei: Non inueni eam: ſed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquam ſediſſe ibi ſcortum.
23 Ait Iudas: Habeat ſibi, certè mendacij arguere nos non poteſt, ego miſi hædum quem promiſeram, & tu non inueniſti eam.
24 Ecce autem poſt tres menſes nunciauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumeſcere. Dixitque Iudas: Producite eam, vt comburatur.
25 Quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens: De viro, cuius hæc ſunt, concepi: cognoſce cuius ſit annulus, & armilla, & baculus.
26 Qui agnitis muneribus, ait: Iuſtior me eſt: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen vltra non cognouit eam.
* Matt. 1. 3. 27 * Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens:
28 Iſte egredietur prior.
29 Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter: dixitque mulier: Quare diuiſa eſt propter te maceria? & ob hanc cauſam vocauit nomen eius Phares.
* 1. Par. 2. 4. 30 * Poſtea egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.

### CAP. XXXIX.

1 IGitur Ioſeph ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus vir Ægyptius de manu Iſmaelitarum, a quibus perductus erat.
2 Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſpere agens: habitauitque in domo domini ſui,
3 Qui optime nouerat Dominum eſſe cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.
4 Inuenitque Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei, a quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant:
5 Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph, & multiplicauit tam in ædibus quam in agris cunctam eius ſubſtantiam:
6 Nec quidquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur. Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu.
7 Poſt multos itaque dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait: Dormi mecum.
8 Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua:

Nec

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et ſurrexit, & abijt: & remouit velamen ſuum à ſe, & induit ſe veſtibus viduitatis ſuæ.*
20 *Et miſit Iehudah hædum caprarum per manũ amici ſui Hadullemitæ: vt caperet pignus è manu mulieris: & non inuenit eam.*
21 *Et interrogauit viros loci, dicendo: Vbi eſt meretrix illa in Henaim iuxta viam? Et dixerunt: Non fuit hic meretrix.*
22 *Et reuerſus eſt ad Iehudah, & dixit: Non inueni eam: & etiam viri loci dixerunt, non fuit hic meretrix.*
23 *Et dixit Iehudah: Capiat ſibi, ne fortè ſimus in contemptum, ecce miſi hædum hunc, & tu non inueniſti eam.*
24 *Et fuerunt circiter tres menſes, & nunciatum fuit ipſi Iehudah, dicendo: Fornicata eſt Tamar nurus tua, & etiam ecce eſt grauida de fornicationibus. Et dixit Iehudah: Educite eam, & comburatur.*
25 *Ipſa educebatur, & ipſa miſit ad ſocerum ſuum, dicendo: De viro, cuius hæc ſunt, ſum grauida, & dixit: agnoſce quæſo cuius ſunt ſigillum, & thenia, & virga iſta.*
26 *Et agnouit Iehudah, & dixit: Iuſtior me eſt: quia idcirco non dedi eam Selah filio meo. Et non addidit adhuc, vt cognoſceret eam.*
27 *Et fuit in tempore quo peperit ipſa, ecce gemini erãt in vtero eius: & fuit, ea pariente, dedit manum, & accepit obſtetrix, & ligauit ad manum eius coccinum, dicendo.*
28 *Iſte egredietur prius.*
29 *Et fuit, cum retraheret manum ſuam, ecce egreſſus eſt frater eius: & dixit: Cur diuiſiſti? ſuper te ſit diuiſio, & vocauit nomen eius Peres.*
30 *Et poſtea egreſſus eſt frater eius ad cuius manum erat coccinum: & vocauit nomen eius Zerach.*

### CAP. XXXIX.

1 *ET Ioſeph factus eſt deſcendere in Ægyptum, & emit eum Potiphar princeps Pharaonis, princeps Laniorum, vir Ægyptius è manu Iſmaelitarum, qui deſcendere fecerant eum illuc.*
2 *Et fuit Dominus cum Ioſeph, & fuit vir proſperans: & fuit in domo domini ſui Ægyptij.*
3 *Et vidit dominus eius, quòd Dominus eſſet cum eo, & omnia, quæ ipſe faciebat, Dominus proſperari faciebat in manu eius.*
4 *Et inuenit Ioſeph gratiam in oculis eius, & miniſtrabat ei, & præpoſuit eum domui ſuæ, & omnia quæ erant ei, dedit in manu eius.*
5 *Et fuit ex tunc, quo præpoſuit eum domui ſuæ, & omnibus quæ erant ei, benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph, & fuit benedictio Domini in omnibus, quæ erant ei, in domo, & in agro.*
6 *Et reliquit omnia, quæ erant ſibi, in manu Ioſeph; & non cognouit ſecum quicquam, niſi panem, quem ipſe comedebat. Et erat Ioſeph pulcher forma, & pulcher aſpectu.*
7 *Et fuit, poſt hæc leuauit vxor domini eius, oculos ſuos ſuper Ioſeph, & dixit: Concumbe mecum.*
8 *Et renuit, & dixit ad vxorem domini ſui: Ecce dominus meus non cognouit mecum, quid eſſet in domo, & omnia quæ erant ei, dedit in manu mea.*

*Non*

UVA:BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

19 Et ſurgens abijt: & abſtulit theriſtrum ſuum à ſe, & induit veſtimenta viduitatis ſuæ.

20 Miſit autem Iudas hœdum de capris in manu paſtoris ſui Odollamitæ: vt reciperet à muliere arrhabonem: & non inuenit eam.

21 Interrogauit autem viros, qui ex loco: Vbi eſt meretrix, quæ erat in Ænan ſuper viam? Et dixerunt: Non fuit hic meretrix.

22 Et reuerſus eſt ad Iudam, & dixit: Non inueni: & homines qui ex loco, dicunt non eſſe hic meretricem.

23 Dixit autem Iudas: Habeat ea, ſed ne fortè derideamur: ego quidem miſi hœdum hunc, tu autem non inueniſti.

24 Factum eſt autem poſt trimeſtre, nunciatum eſt Iudæ, dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua, & ecce in vtero habet de fornicatione. Dixit autem Iudas: Educite eam, & comburatur.

25 Ipſa autem, dum duceretur, miſit ad ſocerum ſuũ, dicens: Ex homine cuius hæc ſunt, ego in vtero habeo, & dixit: agnoſce cuius eſt annulus, & paruum monile, & virga hæc.

26 Agnouit autem Iudas, & dixit: Iuſtificata eſt Thamar, quam ego: eo quod non dedi eam Selom filio meo. Et non adiecit vltra cognoſcere eam.

27 Factum eſt autem, quando pariebat, & huic erant gemelli in vtero eius: factum eſt autem dum ipſa pareret, vnus prætulit manum, ſumens autem obſtetrix, ligauit ſuper manum eius coccinum, dicens

28 Hic egredietur prior.

29 Vt autem contraxit manum, & ſtatim egreſſus eſt frater eius: at illa dixit: Quid diuiſa eſt propter te maceria? & vocauit nomen eius Phares.

30 Et poſt hoc exijt frater eius, in quo erat ſuper manum eius coccinum: & vocauit nomen eius Zara.

### CAP. XXXIX.

1 IOſeph autem depoſitus eſt in Ægyptum, & acquiſiuit eum Petephres Eunuchus Pharaonis archimagirus vir Ægyptius de manibus Iſmaelitarum, qui deduxerant eum illuc.

2 Et fuit Dominus cum Ioſeph, & fuit vir proſperans: & factus eſt in domo apud dominum ſuum Ægyptium.

3 Intelligebat autem dominus eius, quia Dominus erat cum eo, & omnia, quæcumque faceret, Dominus proſperat in manibus eius.

4 Et inuenit Ioſeph gratiam coram Domino ſuo, & bene placuit ei, & conſtituit eum ſuper domum ſuam, & omnia, quæcumque ſibi erant, dedit per manum Ioſeph.

5 Factum eſt autem, poſtquam conſtituit ipſum ſuper domum ſuam, & ſuper omnia, quæcumque ſibi erant: & benedixit Dominus domum Ægyptij propter Ioſeph, & facta eſt benedictio Domini in omnibus, quæ erant ei in domo, & in agro eius.

6 Et commiſit omnia, quæcumque ſibi erãt, in manus Ioſeph; neque cognoſcebat quicquã eorũ, quæ circa ſe erant, præter panẽ, quem ipſe edebat. Et erat Ioſeph pulcher ſpecie, & decorus aſpectu valdè.

7 Et factum eſt poſt verba hæc, & iniecit vxor domini eius oculos ſuos in Ioſeph, & dixit: Dormi mecum.

8 Ille autem noluit, dixit autem vxori domini ſui: Si dominus meus nihil ſcit propter me in domo ſua,

## Chald. Paraph. Tranſl.

19 *Et ſurrexit, & abijt: & depoſuit pallium ſuum à ſe, & induit ſe veſtimento viduitatis ſuæ.*

20 *Et miſit Iudas hœdum de capris per manum amici ſui Odollamitæ: vt acciperet pignus de manu mulieris: & non inuenit eam.*

21 *Et interrogauit homines loci, dicens: Vbi eſt meretrix quæ erat in biuio itineris? Et dixerunt: Non eſt hic meretrix.*

22 *Et reuerſus eſt ad Iudam, & ait: Non inueni eam: viri quoque loci dixerunt: Non eſt hic meretrix.*

23 *Dixitque Iudas: Accipiat ſibi pignus, ne fortè ſimus in deriſum: ecce miſi hœdum hunc, & tu non inueniſti eam.*

24 *Et factum eſt poſt tres menſes, & nunciatum eſt Iudæ, dicendo: Fornicata eſt Thamar nurus tua, & ecce concepit ex fornicatione. Et dixit Iudas: Educite eam, & comburatur.*

25 *Ipſa educebatur, & ipſa miſit ad ſocerum ſuum, dicens: De viro cuius hæc ſunt, ego concepi, & ait: cognoſce, obſecro, cuius eſt anulus, & ſudarium, & baculus hic.*

26 *Et cognouit Iudas, & ait: Iuſtificata eſt, ex me ipſa concepit; eo quòd non tradidi eam Sela filio meo. Et vltra non cognouit eam.*

27 *Et factum eſt in tempore partus, & ecce gemelli in vtero eius erant: & factum eſt cùm pareret, protulit vnus manum, & accepit obſtetrix coccinum, & ligauit ſuper manum eius coccinum, dicens:*

28 *Hic egreſſus eſt prior.*

29 *Et factum eſt cùm reduceret manum ſuam, ecce egreſſus eſt frater eius, & ait: Quàm maxima fortitudo fuit in te, vt præualeres? & vocauit nomen eius, Phares.*

30 *Et poſt hæc egreſſus eſt frater eius, ſuper cuius manu erat coccinum: & vocauit nomen eius Zara.*

### CAP. XXXIX.

1 *IOſeph autem deductus eſt in Ægyptum, & emit eum Putiphar princeps Pharaonis, magiſter militum, vir Ægyptius, de manu Arabum, qui deduxerunt eum ibi.*

2 *Et factum eſt verbum Domini in auxilium Ioſeph, & fuit vir proſperè agens: eratque in domo domini ſui Ægyptij.*

3 *Et vidit Dominus eius, quòd erat verbum Domini in auxilium eius, & omnia quæ ipſe faciebat, Dominus dirigebat in manu ſua.*

4 *Et inuenit Ioſeph miſericordiam in oculis eius, & miniſtrabat ei, & conſtituit eum ſuper domum ſuam, & omnia quæ habebat, tradidit in manu eius.*

5 *Et factum eſt ab eo tempore quo conſtituit eum in domo ſua, & ſuper omnia quæ habebat: & benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph, & fuit benedictio Domini in omnibus quæ habebat in domo, & in agro.*

6 *Et reliquit omnia ſua in manu Ioſeph, & non nouerat cum eo quicquam, niſi panem quo veſcebatur. Eratque Ioſeph pulcher facie, & decorus aſpectu.*

7 *Et factum eſt poſt verba hæc, leuauit vxor domini ſui oculos ad Ioſeph, & dixit: Cuba mecum.*

8 *Et noluit, & ait vxori domini ſui: Ecce dominus meus non nouit mecum quicquam eorum quæ in domo ſua ſunt, & omnia ſua tradidit in manu mea.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es, quo modo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?
10 Huiuſcemodi verbis per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti: & ille recuſabat ſtuprum.
11 Accidit autem quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret:
12 Et illa, apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.
13 Cumque vidiſſet mulier veſtē in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam,
14 Vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, vt coiret mecum: cumque ego ſuccclamaſſem,
15 Et audiſſet vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.
16 In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum,
17 Et ait: Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus quem adduxiſti, vt illuderet mihi:
18 Cumque audiſſet me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.
19 His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus eſt valde:
Pſ. 104. 18. 20 * Traditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.
21 Fuit autem Dominus cum Ioſeph, & miſertus illius, dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris.
22 Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur: & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.
23 Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

### CAP. XL.

1 HIs ita geſtis, accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Ægypti, & piſtor domino ſuo.
2 Iratuſque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter piſtoribus)
3 Miſit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus, & Ioſeph.
4 At cuſtos carceris tradidit eos Ioſeph, qui & miniſtrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, & illi in cuſtodia tenebantur.
5 Videruntque ambo ſomnium nocte vna iuxta interpretationem congruam ſibi:
6 Ad quos cum introiſſet Ioſeph mane, & vidiſſet eos triſtes,

Sci-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Non eſt maior in domo hac me, & non prohibuit à me quicquam, niſi te, eo quòd tu ſis vxor eius, & quomodo faciam malum grande hoc, vt peccem contra Deum?*
10 *Et fuit, cum loqueretur ipſa ad Ioſeph dietim, & non pareret ei, vt concumberet ſecum: vt eſſet cum ea.*
11 *Et fuit, ſecundum diem hanc, ingreſſus eſt domum, vt faceret opus ſuum, & non erat quiſquam ex viris domus ibi in domo:*
12 *Et apprehendit eum per veſtimentum eius, dicendo: Concumbe mecum. Et reliquit veſtimentum ſuum in manu eius, & fugit, & egreſſus eſt foras.*
13 *Et fuit, cum vidiſſet ipſa, quòd reliquiſſet veſtimentum ſuum in manu ſua, fugit foras.*
14 *Vocauit viros domus ſuæ, & dixit ad eos, dicendo: Videte, adduxit nobis virum Hebræum, vt illuderet nos: ingreſſus eſt ad me, vt concumberet mecum: & clamaui voce magna.*
15 *Et fuit, cum audiſſet ipſe, quòd eleuaſſem vocem meam, & clamaſſem, reliquit veſtimentum ſuum apud me, & fugit, & egreſſus eſt foras.*
16 *Et retinuit veſtimentum eius apud ſe, donec veniret dominus eius ad domum ſuam.*
17 *Et locuta eſt ad eum ſecundum verba iſta, dicendo: Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, vt illuderet me.*
18 *Et fuit, cum eleuaſſem vocem meam, & clamaſſem, reliquit veſtimentum ſuum apud me, & fugit foras.*
19 *Et fuit, cum audiſſet dominus eius verba vxoris ſuæ, quæ locuta eſt ad eum dicendo, ſecundum hæc fecit mihi ſeruus tuus, iratus eſt furor eius:*
20 *Et accepit dominus Ioſeph eum, & poſuit eum in domo carceris, in loco in quo vincti regis vinciuntur, & fuit ibi in domo carceris.*
21 *Et fuit Dominus cum Ioſeph, & inclinauit ad eum miſericordiam, & dedit gratiam eius in oculis principis domus carceris.*
22 *Et dedit princeps domus carceris, in manu Ioſeph omnes vinctos, qui erant in domo carceris: & omnia quæ faciebant ibi, ipſe faciebat.*
23 *Neque princeps domus carceris videbat quicquam ex iis quæ erant in manu eius eo quòd Dominus erat cum eo: & quod ipſe faciebat dominus ſecundabat.*

### CAP. XL.

1 *ET fuit, poſt hæc peccauerunt pincerna regis Ægypti, & piſtor domino ſuo regi Ægypti.*
2 *Et iratus eſt Pharaoh contra ambos principes ſuos, contra principem pincernarum, & contra principem piſtorum.*
3 *Et poſuit illos in cuſtodia domus principis Laniorū in domo carceris, in loco in quo Ioſeph vinctus erat.*
4 *Et præpoſuit princeps Laniorum Ioſeph eis, & miniſtrabat eis, & fuerunt per annum in cuſtodia.*
5 *Et ſomniauerunt ſomnium ambo ipſi, ſingulus ſomnium ſuum nocte eadem: ſingulus ſecundum interpretationem ſomnij ſui: pincerna, & piſtor, qui fuerant regi Ægypti, qui erant vincti in domo carceris.*
6 *Et venit ad eos Ioſeph manè, & ecce erant dolore affecti.*

*Et in-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

9 Et omnia quæcunque habet dedit in manus meas, & nihil eſt in domo hac, quod ſupra me ſit, neque ſubtractum eſt à me quicquam præter te, eo quod tu vxor illius es: & quomodo faciam verbum hoc malum, & peccabo coram Deo?

10 Cum autem loqueretur ad Ioſeph diem ex die, & non obediebat ei: vt dormiret cum ea ad coeundum cum ea.

11 Facta eſt autem talis quædam dies, & introiuit Ioſeph in domum ad faciendum opera ſua, & nemo eorum qui in domo, erat intus.

12 Et attraxit eum veſtimentis dicens: Dormi mecũ. Et relinquens veſtimenta ſua in manibus eius fugit, & exiuit foras.

13 Et factum eſt, vt vidit, quia relinquens veſtimenta ſua in manibus eius fugit, & exiuit foras;

14 Et vocauit eos, qui erant in domo, & ait illis, dicẽs: Videte, introduxit nobis puerum Hebræum ad illudendum nobis: introiuit ad me dicens: dormi mecum: & clamaui voce magna.

15 Cum autem audiret ipſe, quia exaltaueram vocem meam, & clamaueram; relinquens veſtimenta ſua apud me fugit, & exiuit foras.

16 Et retinet veſtimenta apud ſeipſam, donec venit dominus in domum ſuam.

17 Et locuta eſt ei ſecundum verba hæc, dicens: Intrauit ad me puer ille Hebræus, quem introduxiſti ad nos, ad illudendum mihi, & dixit mihi: Dormiam tecum.

18 Vt autem audiuit, quia exaltaueram vocem meam, & clamaueram, relictis veſtimentis ſuis apud me, fugit & exijt foras.

19 Factum eſt autem, & audiuit dominus eius verba vxoris ſuæ, quæ locuta eſt ad eum dicens, ſic fecit mihi puer tuus; & indignatus eſt ira:

20 Et capiens dominus Ioſeph iniecit illum in cuſtodiam in locum in quo vincti regis detinentur ibi in cuſtodia.

21 Et fuit Dominus cum Ioſeph, & effudit miſericordiam ſuam, & dedit illi gratiam coram principe cuſtodiæ carceris:

22 Et dedit princeps cuſtodiæ carceris carcerem per manum Ioſeph, & omnes abductos, quicumque erant in carcere: & omnia quæcumque faciunt illic, ipſe erat faciens.

23 Non erat princeps cuſtodiæ carceris de carcere cognoſcens quicquam præter ipſum: omnia enim erant per manum Ioſeph; eo quod Dominus eſſet cum eo: & quæcumque ipſe faciebat, Dominus proſperabat in manibus eius.

### C A P. XL.

1 FActum eſt autem poſt verba hæc: peccauit princeps vinariorum regis Ægypti, & princeps piſtorum domino ſuo regi Ægypti.

2 Et iratus eſt Pharao ſuper duos Eunuchos ſuos, ſuper principem vinariorum, & ſuper principem piſtorum:

3 Et poſuit eos in cuſtodia in carcerem, in locum, in quem Ioſeph erat abductus illuc.

4 Et commendauit princeps carceris Ioſeph eos, & aſtitit eis: fuerunt autem dies in cuſtodia:

5 Et viderunt vtrique ſomnium in vna nocte: Viſio autem ſomnij principis vinariorum, & principis piſtorum, qui erant regi Ægypti, qui erant in carcere, fuit hæc.

6 Intrauit ad eos Ioſeph mané, & vidit eos, & erant perturbati.

## Chal. Paraph. Tranſl.

9 *Non eſt ipſe maior me in domo hac, neque prohibuit à me quicquam præter te, eo quòd tu vxor eius es: quomodo ergo faciam hoc magnum malum, & peccabo coram Deo?*

10 *Et factum eſt cùm loqueretur cum Ioſeph per ſingulos dies, non acquieuit ei, vt cubaret cum ea: vt eſſet cum ea.*

11 *Et factum eſt quadam die, & ingreſſus eſt in domũ, vt inueſtigaret ſcripturas rationis ſuæ, & nullus vir de hominibus domus erat ibi in domo.*

12 *Apprehenditque veſtimenta eius, dicens: Cuba mecum. Et reliquit veſtimenta ſua in manu eius, & fugit, & egreſſus eſt foras.*

13 *Et factum eſt cùm vidiſſet, quòd reliquiſſet veſtimenta eius in manu ſua, & quòd fugiſſet foras:*

14 *Vocauit viros domus ſuæ, & ait eis, dicens: Videte, adduxit nobis virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, vt cubaret mecum: & clamaui voce magna.*

15 *Et factum eſt cùm audiret, quòd eleuarem vocem meam, & clamarem; reliquit veſtimenta ſua apud me, & fugit, & egreſſus eſt foras.*

16 *Et retinuit veſtimentum eius apud ſe, donec veniret dominus eius in domum ſuam.*

17 *Et locuta eſt cum eo verba hæc: Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti nobis, vt illuderet mihi.*

18 *Et factum eſt cùm eleuarem vocem meam, & clamarem, reliquit veſtimenta ſua apud me, & fugit foras.*

19 *Et factum eſt cùm audiret dominus eius verba vxoris ſuæ, quæ locuta eſt ad eum, dicens: ſicut verba hæc fecit mihi ſeruus tuus; & iratus eſt furor eius.*

20 *Tulitque dominus Ioſeph eum, & tradidit eum in domum carceris vbi vincti regis erant, eratque ibi in domo carceris.*

21 *Et fuit verbum Domini in auxilium Ioſeph, & fecit cum eo miſericordiam, & dedit illi gratiam coram principe carceris.*

22 *Et tradidit princeps carceris in manu Ioſeph omnes vinctos qui erant in domo carceris: & omnia quæ fiebant ibi, ipſe faciebat.*

23 *Nullum delictum videbat princeps carceris in manu eius, eo quòd verbum Domini erat in auxilium eius: & quòd ipſe faciebat, Dominus dirigebat.*

### C A P. XL.

1 *ET factum eſt poſt verba hæc, peccauerunt pincerna regis Ægypti, & piſtor domino ſuo regi Ægypti.*

2 *Et iratus eſt Pharao contra duos principes ſuos, contra principem pincernarum, & contra principem piſtorum.*

3 *Et poſuit eos in cuſtodia in domo magiſtri militum, in domo vinctorum vbi Ioſeph erat vinctus.*

4 *Et poſuit princeps militum cum eis Ioſeph, & miniſtrabat eis: & fuerunt aliquibus diebus in cuſtodia.*

5 *Somniauerunt autem ſomnium ambo, vnuſquiſque ſomnium ſuum in nocte vna: ſinguli iuxta interpretationem ſomnij ſui, pincerna videlicet & piſtor regis Ægypti, qui vincti erant in domo carceris.*

6 *Venitque ad eos Ioſeph manè, & vidit eos, & ecce erant triſtes.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 Sciſcitatus eſt eos, dicens: Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?

8 Qui reſponderunt: Somnium vidimus, & non eſt qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioſeph: Numquid non Dei eſt interpretatio? referte mihi quid videritis.

9 Narrauit prior, præpoſitus pincernarum, ſomnium ſuum: Videbam coram me vitem,

10 In qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere:

11 Calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas & expreſſi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

12 Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij: Tres propagines, tres adhuc dies ſunt:

13 Poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum: dabiſque ei calicem iuxta officium tuum, ſicut ante facere conſueueras.

14 Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam: vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere:

15 Quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.

16 Videns piſtorum magiſter quod prudenter ſomnium diſſoluiſſet, ait: Et ego vidi ſomnium, Quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum:

17 Et in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aueſque comedere ex eo.

18 Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij. Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt:

19 Poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

20 Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis.

21 Reſtituitque alterum in locum ſuum, vt porrigeret ei poculum:

22 Alterum ſuſpendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.

23 Et tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.

### CAP. XLI.

1 POſt duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluuium,

2 De quo aſcendebant ſeptem boues, pulchræ & craſſæ nimis: & paſcebantur in locis paluſtribus.

3 Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque macie: & paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus:

4 Deuorauerūntque eas, quarum mira ſpecies, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,

5 Rurſum dormiuit, & vidit alterum ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque formoſæ.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et interrogauit principes Parhoh, qui erant ſecum in cuſtodia domus domini ſui, dicendo: Cur facies veſtra ſunt afflictæ hodie?*

8 *Et dixerunt ad eum: Somnium ſomniauimus, & qui interpretetur illud non eſt. Et dixit ad eos Ioſeph: Nonne Dei ſunt interpretationes? narrate quæſo mihi.*

9 *Et narrauit princeps pincernarum ſomnium ſuum Ioſeph, & dixit ei: Me ſomniante, ecce vitis erat coram me.*

10 *Et in vite erant tres rami, & erat tanquam floreus, aſcendit flos eius, maturauerunt botri eius vuas.*

11 *Et calix Parhoh erat in manu mea: & accipiebam vuas, & exprimebam eas in calicem Parhoh, & dabam calicem in manu Parhoh.*

12 *Et dixit ei Ioſeph: Hæc eſt interpretatio eius: Tres rami, tres dies ſunt.*

13 *In fine trium dierum eleuabit Parhoh caput tuum, & redire faciet te ad locum tuum: & dabis calicem Parhoh in manu eius ſecundum conſuetudinem primam quando eras pincerna eius.*

14 *Sed memento mei tecum, cum bene fuerit tibi, & fac quæſo mecum miſericordiam: & mentionem mei fac Parhoni, & educere fac me è domo hac.*

15 *Quia furto auferendo furto ablatus ſum è terra Hebræorum, & etiam hic non feci quicquam, vt ponerent me in carcere.*

16 *Et vidit princeps piſtorum, quòd benè interpretatus eſſet, & dixit ad Ioſeph: Etiam me ſomniante, Ecce tria caniſtra alba ſuper caput meum:*

17 *Et in caniſtro ſuperiori erat ex omnibus cibis Parhoh opere piſtorio, & aues comedebant eos è caniſtro, quod erat ſuper caput meum.*

18 *Et reſpondit Ioſeph, & dixit: Hæc eſt interpretatio eius. Tria caniſtra, tres dies ſunt.*

19 *In fine trium dierum auferet Parhoh caput tuum à te, & ſuſpendet te in ligno, & comedent aues carnem tuam deſuper te.*

20 *Et fuit, in die tertia, die qua natus fuerat Parhoh: fecit conuiuium omnibus ſeruis ſuis, & eleuauit caput principis pincernarum, & caput principis piſtorum in medio ſeruorum ſuorum.*

21 *Et redire fecit principem pincernarum, ad propinationem ſuam, & dedit calicem in manu Parhoh.*

22 *Et principem piſtorum ſuſpendit, quemadmodum interpretatus fuerat ei Ioſeph.*

23 *Et non eſt recordatus princeps pincernarum ipſius Ioſeph, & oblitus eſt eius.*

### CAP. XLI.

1 *ET fuit, in fine duorum annorum dierū, Parhoh ſomniauit. Et ecce ſtabat iuxta flumen.*

2 *Et ecce è flumine aſcendebant ſeptem vaccæ pulchræ aſpectu, & pingues carne: & paſcebant in carecto.*

3 *Et ecce ſeptem vaccæ aliæ aſcendebant poſt eas è flumine, turpes aſpectu, & tenues carne: & ſtabant iuxta vaccas, quæ erant iuxta ripam fluminis.*

4 *Et comederunt vaccæ turpes aſpectu, & tenues carne, ſeptem vaccas pulchras aſpectu, & pingues. Et expergefactus eſt Parhoh.*

5 *Et dormiuit, & ſomniauit ſecundo: Et ecce ſeptem ſpicæ aſcendebant in culmo vno pingues, & pulchræ.*

## Tranſl. ex Septuag.

7 Et interrogauit eunuchos Pharaonis, qui ſecum erant in cuſtodia apud dominum ſuum, dicens: Quid, quod facies veſtræ triſtes ſunt hodie?
8 At illi dixerunt ei: Somnium vidimus, & non eſt qui illud conijciat. Dixit autem eis Ioſeph: Nonne per Deum declaratio ipſorum eſt? narrate igitur mihi.
9 Et narrauit princeps vinatiorum ſomnium ſuum ipſi Ioſeph, & dixit: In ſomnio meo erat vitis in conſpectu meo:
10 In vite autem tres propagines, & ipſa florens flores producens germina, maturi botryones vuæ.
11 Et calix Pharaonis in manu mea: & ſumpſi vuam, & expreſſi eam in calicem, & dedi calicem in manum Pharaonis.
12 Et dixit ei Ioſeph: Hæc eſt interpretatio eius: Tres propagines, tres dies ſunt: adhuc triduum,
13 Et memorabitur Pharao principatum tuum, & reſtituet te in tuum pincernarum principatum: & dabis calicem Pharaonis in manu eius iuxta principatum tuum priorem, ſicut ſuiſti pincerna.
14 Sed memor eſto mei per temetipſum, cum bene fuerit tibi, & facies in me miſericordiam: & memor eris mei ad Pharaonem, & educes me de cuſtodia hac;
15 Quia furto furtiue ablatus ſum de terra Hebræorum, & hic nihil feci, ſed iniecerunt me in lacum hunc.
16 Et vidit princeps piſtorum, quia rectè interpretabatur, & dixit ad Ioſeph: Et ego vidi ſomnium,
Et videbar mihi tria caniſtra chondritorum portare in capite meo:
17 In caniſtro autem ſuperiore, de omnibus generibus, de quibus comedit Pharao opus piſtoris, & volatilia cœli comedebant ea de caniſtro, quod erat ſuper caput meum.
18 Reſpondens autem Ioſeph dixit ei: Hæc eſt interpretatio eius. Tria caniſtra tres dies ſunt:
19 Adhuc triduum: Et auferet Pharao caput tuum à te, & ſuſpendet te in ligno, & aues cœli manducabunt carnes tuas à te.
20 Factum eſt autem in die tertia, dies natiuitatis erat Pharaonis: & faciebat potum omnibus pueris ſuis, & recordatus eſt principatus pincernæ, & principatus piſtoris in medio puerorum ſuorum.
21 Et reſtituit principem pincernarum in principatū ſuum, & dedit calicem in manum Pharaonis.
22 Principem autem piſtorum ſuſpendit, ſicut interpretatus erat eis Ioſeph.
23 Et non eſt recordatus princeps pincernarum ipſius Ioſeph, ſed oblitus eſt eius.

### C A P. XLI.

1 ET factum eſt poſt biennium dierū, Pharao vidit ſomnium. Videbatur ſibi ſtare ſuper fluuiū:
2 Et ecce quaſi de flumine aſcendebant ſeptem boues pulchræ ſpecie, & electæ carnibus: & paſcebantur in Achi.
3 Aliæ autem ſeptem boues aſcendebant poſt has de flumine, turpes ſpecie, & graciles carnibus: & paſcebantur apud boues ad labium fluminis:
4 Et deuorarunt ſeptem boues turpes, & graciles carnibus ſeptem illas boues pulchras ſpecie, & electas carnibus. Et expergefactus eſt Pharao,
5 Et ſomniauit ſecundò: Et ecce ſeptem ſpicæ aſcendebant in propagine vna electæ, & pulchræ:



## Chald. Paraph. Tranſl.

7 *Et interrogauit principes Pharaonis, qui ſecum erant in cuſtodia in domo domini ſui, dicens: Quare facies veſtræ triſtes ſunt hodie?*
8 *Et dixerunt ei: Somnium ſomniauimus, & non eſt qui interpretetur illud. Dixitque eis Ioſeph: Vtique à facie Dei eſt interpretatio ſomnij? narrate, obſecro, mihi.*
9 *Narrauitque princeps pincernarum ſomnium ſuum Ioſeph, & dixit ei: In ſomnio meo ecce vitis erat coram me:*
10 *Et in vite erant tres palmites, & erat quaſi florēs, & producebat gemmas, & poſt flores maturabant vuæ in botris ſuis.*
11 *Et calix Pharaonis erat in manu mea: & tollebam vuas, & exprimebam eas in calice Pharaonis, & ponebam calicem in manum Pharaonis.*
12 *Dixitque ei Ioſeph: Hæc eſt interpretatio eius: Tres palmites, tres dies ſunt:*
13 *In fine trium dierum recordabitur tui Pharao, & reducet te ad miniſterium tuum: & pones calicem Pharaonis in manu eius, ſicut ante cōſueueras quando eras pincerna eius.*
14 *Sed memento mei, tecum, cum benè fuerit tibi, & facies, obſecro, mecum miſericordiam: & recordaberis mei apud Pharaonem, & educes me de hoc carcere.*
15 *Quoniam furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic quoque nihil feci, vt ponerent me in carcerem.*
16 *Et vidit princeps piſtorum, quòd rectè interpretatus eſſet, & dixit ad Ioſeph: Ego quoque videbam in ſomnio meo, Et ecce tria caniſtra plena pane principali erant ſuper caput meum:*
17 *Et in caniſtro ſuperiori erat de omni cibo Pharaonis, qui fit arte piſtoria, & aues comedebant ea, quæ erant in caniſtro ſuper capite meo.*
18 *Reſponditque Ioſeph, & ait: Hæc eſt interpretatio eius. Tria caniſtra, tres dies ſunt.*
19 *In fine trium dierum auferet Pharao caput tuum à te, & ſuſpendet te in patibulo, & comedent aues carnes tuas à te.*
20 *Et factum eſt in die tertio, die natiuitatis Pharaonis: fecit conuiuium omnibus ſeruis ſuis, & recordatus eſt capitis principis pincernarum, & capitis principis piſtorum in medio ſeruorum ſuorum.*
21 *Et reduxit principem pincernarum ad miniſterium ſuum, & poſuit calicem ſuper manum Pharaonis.*
22 *Et principem piſtorum ſuſpendit, ſicut interpretatus eſt eis Ioſeph.*
23 *Et non eſt recordatus princeps pincernarum Ioſeph, ſed oblitus eſt eius.*

### C A P. XLI.

1 *ET factum eſt poſt duos annos, & Pharao ſomniauit. Et ecce ſtabat ſuper flumen:*
2 *Et ecce de flumine aſcendebant ſeptem boues pulchræ viſu, & pingues carnibus: & paſcebantur in prato.*
3 *Et ecce ſeptem boues aliæ aſcendebant poſt eas de flumine, deformes aſpectu, & macilentæ carnibus: & ſtabant contra boues in ripa fluminis.*
4 *Comedebantque boues deformes viſu, & macilentæ carnibus, ſeptem alias boues pulchras viſu, & pingues. Et expergefactus eſt Pharao.*
5 *Et obdormiuit, & ſomniauit iterùm: Et ecce ſeptem ſpicæ pullulabant in culmo vno, pingues & optimæ:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur, | 6 | 6 | Et ecce ſeptem ſpicæ tenues, & areſactæ Euro oriebantur poſt eas. |
| Deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao poſt quietem, | 7 | 7 | Et deglutiuerunt ſpicæ tenues, ſeptem ſpicas pingues, & plenas. Et expergefactus eſt Pharoh & ecce ſomnium. |
| Et facto manè, pauore perterritus, miſit ad omnes coniectores Ægypti, cunctoſque ſapientes: & accerſitis narrauit ſomnium, nec erat qui interpretaretur. | 8 | 8 | Et fuit manè, conſternatus eſt ſpiritus eius, & miſit, & vocauit omnes magos Ægypti, & omnes ſapientes eius: & narrauit Parhoh eis ſomnium ſuum, & non erat qui interpretaretur ex eis ipſi Parhoh. |
| Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ait: Confiteor peccatum meum: | 9 | 9 | Et locutus eſt princeps Pincernarum ad Parhoh, dicendo: Peccatum meum ego memoro hodie. |
| Iratus rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem principis militum: | 10 | 10 | Parhoh iratus eſt contra ſeruos ſuos, & poſuit me in cuſtodiam domus principis Laniorum, me & principem piſtorum. |
| Vbi vna nocte vterque vidimus ſomnium præſagum futurorum. | 11 | 11 | Et ſomniauimus ſomnium nolle eadem ego, & ipſe: ſinguli ſecundum interpretationem ſomnij ſui ſomniauimus. |
| Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia, | 12 | 12 | Et ibi erat nobiſcum puer Hebræus ſeruus principis Laniorum; & narrauimus ei; & interpretatus eſt nobis ſomnia noſtra, ſingulis ſecundum ſomnium ſuum interpretatus eſt. |
| Audiuimus quidquid poſtea rei probauit euentus: ego enim redditus ſum officio meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce. | 13 | 13 | Et fuit, quemadmodum interpretatus eſt nobis ſic fuit: me redire fecit ad locum meum, & ipſum ſuſpendit. |
| Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt: ac veſte mutata, obtulerunt ei. | 14 | 14 | Et miſit Parhoh, & vocauit Ioſeph, & currere fecerunt eum è carcere, & totondit ſe: & mutauit veſtes ſuas, & venit ad Parhoh. |
| Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: quæ audiui te ſapientiſſime conijcere. | 15 | 15 | Et dixit Parhoh ad Ioſeph: Somnium ſomniaui, & qui interpretetur illud non eſt: & ego audiui de te dicere quòd audias ſomnium ad interpretandum illud. |
| Reſpondit Ioſeph: Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. | 16 | 16 | Et reſpondit Ioſeph ad Parhoh dicendo: Præter me Deus reſpondebit pacem Parhonis. |
| Narrauit ergo Pharao, quod viderat: Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, | 17 | 17 | Et locutus eſt Parhoh ad Ioſeph: Me ſomniante ecce ſtabam iuxta ripam fluminis. |
| Et ſeptem boues de amne conſcendere, pulchras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis vireta carpebant. | 18 | 18 | Et ecce è flumine aſcendebant ſeptem vaccæ pingues carne: & pulchræ forma, & paſcebant in carecto. |
| Et ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boues in tantum deformes, & macilentæ, vt numquam tales in terra Ægypti viderim: | 19 | 19 | Et ecce ſeptem vaccæ aliæ aſcendebant poſt eas tenues, turpes forma valdè, & tenues carne: non vidi ſimiles in tota terra Ægypti in turpitudine. |
| Quæ deuoratis, & conſumptis prioribus, | 20 | 20 | Et comederent vaccæ tenues, & turpes, ſeptem vaccas priores pingues. |
| Nullum ſaturitatis dedere veſtigium: ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Euigilans, rurſus ſopore depreſſus, | 21 | 21 | Et venerunt ad interiora earum, & non eſt cognitum, quòd veniſſent ad interiora earum: & aſpectus earum turpis quemadmodum in principio: Et expergefactus ſum. |
| Vidi ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque pulcherrimæ. | 22 | 22 | Et vidi dum ſomniarem: Et ecce ſeptem ſpicæ aſcendebant in culmo vno plenæ, & pulchræ. |
| Aliæ quoque ſeptem tenues & percuſſæ vredine, oriebantur e ſtipula: | 23 | 23 | Et ecce ſeptem ſpicæ paruæ, & tenues percuſſæ Euro germinabant poſt eas. |
| Quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus ſomnium, & nemo eſt qui ediſſerat. | 24 | 24 | Et deglutiuerunt ſpicæ tenues, ſeptem ſpicas pulchras. Et dixi ad magos, & non fuit qui indicaret mihi. |
| Reſpondit Ioſeph: Somnium regis vnum eſt: quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni. | 25 | 25 | Et dixit Ioſeph ad Parhoh: Somnium Parhoh idem eſt: quæ Deus facturus eſt indicauit Parhoni. |
| Septem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ: ſeptem vbertatis anni ſunt: eandemque vim ſomnij comprehendunt. | 26 | 26 | Septem vaccæ pulchræ, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ pulchræ, ſeptem anni ſunt: ſomnium idem eſt. |
| Septem quoque boues tenues, atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento vrente percuſſæ: ſeptem anni venturæ ſunt famis. | 27 | 27 | Et ſeptem vaccæ tenues, & turpes aſcendentes poſt eas, ſeptem anni ſunt, & ſeptem ſpicæ, tenues areſactæ Euro, erunt ſeptem anni famis. |
| Qui hoc ordine complebuntur: | 28 | 28 | Hoc eſt quod locutus ſum ad Parhoh: quod Deus facturus eſt, videre fecit Parhonem. |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

6 Et ecce ſeptem ſpicæ graciles, & à vento corruptæ pullulabant poſt eas:

7 Et ſeptem ſpicæ graciles, & à vento corruptæ deuorârunt ſeptem illas ſpicas electas & plenas. Experge factus eſt autem Pharao: & erat ſomnium.

8 Factum eſt autem mane: & turbata eſt anima eius: & mittés vocauit omnes interpretes Ægypti, & omnes ſapientes eius: & narrauit eis Pharao ſomnium ſuum: & non erat, qui illud interpretaretur Pharaoni.

9 Et locutus eſt princeps pincernarum ad Pharaoné, dicens: Peccatum meum recordor hodie.

10 Pharao iratus fuit pueris ſuis, & poſuit nos in cuſtodia, in domo Archimagiri: & me, & principem piſtorum.

11 Et vidimus ſomnium ambo in nocte vna ego; & ille, vnuſquiſque iuxta ſuum ſomnium vidimus.

12 Erat autem ibi nobiſcum adoleſcens puer Hebræus Archimagiri: & narrauimus ei. Et interpretatus eſt nobis.

13 Factum eſt autem, ſicut interpretatus eſt nobis, ita & euenit: vt ego quidem reſtituerer in principatum meum, ille vero ſuſpenderetur.

14 Mittens autem Pharao vocauit Ioſeph: & eduxerût eum de cuſtodia, & totonderunt eum, & mutauerunt ſtolam eius: & venit ad Pharaonem.

15 Dixit autem Pharao ad Ioſeph: Somnium vidi: & nô eſt qui illud interpretetetur: ego autem audiui de te dicentes, quia cum audieris ſomnia, interpretaris ea.

16 Reſpondens autem Ioſeph Pharaoni dixit: Sine Deo non reſpondebitur ſalutare Pharaoni.

17 Locutus eſt autem Pharao ipſi Ioſeph dicens: In ſomno meo videbar mihi ſtare apud labium fluminis.

18 Et quaſi de flumine aſcendebant ſeptem boues pulchræ ſpecie, & electæ carnibus, & paſcebantur in Achi.

19 Et ecce ſeptem boues aliæ aſcendebant, & poſt eas de flumine, malæ, & turpes ſpecie, & graciles carnibus, quales non vidi tales in tota terra Ægypti turpiores.

20 Et deuorarunt ſeptem boues turpes, & graciles ſeptem illas boues primas pulchras, & electas.

21 Et intrarunt in ventres earum: & non fuerunt manifeſtæ, quia intrarunt in ventres earum: & aſpectus earum turpes, quemadmodum & à principio. Experge factus autem dormiui,

22 Et vidi rurſus in ſomno meo. Et quaſi ſeptem ſpicæ aſcendebant in vno culmo plenæ, & pulchræ:

23 Aliæ autem ſepté ſpicæ graciles, & corruptæ à vento pullulabant inhærentes illis:

24 Et deuorauerunt ſeptem ſpicæ graciles, & corruptæ à vento ſeptem illas ſpicas pulchras, & plenas. Dixi itaque interpretibus: & non fuit, qui annunciaret mihi illud.

25 Et dixit Ioſeph Pharaoni: Somnium Pharaonis vnum eſt: quæcunque Deus facit, oſtendit Pharaoni.

26 Septem boues pulchræ, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ pulchræ, ſeptem anni ſunt: Somnium Pharaonis vnum eſt.

27 Et ſeptem boues graciles, aſcendentes poſt eas, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ graciles, & corruptæ à vento, ſeptem anni ſunt: erunt ſeptem anni famis.

28 Verbum autem, quod dixi Pharaoni: quæcunque Deus facit, oſtendit Pharaoni.

Ecce

## Chald. Paraph. Transl.

6 *Et ecce ſeptem ſpicæ concuſſæ & percuſſæ uredine oriebantur poſt eas.*

7 *Et deuorabant ſpicæ concuſſæ ſeptem ſpicas pingues & plenas. Et expergefactus eſt Pharao: & ecce ſomnium.*

8 *Et facto manè, conturbatus eſt ſpiritus eius: & miſit & vocauit omnes magiſtros Ægypti, & omnes ſapientes eius: & narrauit eis Pharao ſomnium ſuum; & non erat qui interpretaretur illud Pharaoni.*

9 *Et locutus eſt princeps pincernarum Pharaoni, dicens: Peccati mei ego recordor hodie.*

10 *Pharao iratus eſt côtra ſeruos ſuos, & poſuit me in cuſtodia domus principis militum: principem quoque piſtorum mecum poſuit.*

11 *Et ſomniauit ego & ille in vna nocte ſomnium; vnuſquiſque iuxta interpretationem ſomnij ſui ſomniauimus.*

12 *Eratque ibi nobiſcum puer Hebræus, ſeruus principis militum: & narrauimus ei ſomnia, & interpretatus eſt nobis: iuxta interpretationem vniuſcuiuſque ſomnij interpretatus eſt.*

13 *Et factum eſt ſicut interpretatus eſt nobis, ita fuit: me reduxit ad miniſterium meum, ipſum autem ſuſpendit.*

14 *Et miſit Pharao & vocauit Ioſeph, & fecerunt eum feſtinanter exire de carcere: & attonſus eſt, & mutauit veſtimenta ſua, & ingreſſus eſt ad Pharaonem.*

15 *Dixitque Pharao ad Ioſeph: Somnium ſomniaui, & non eſt qui interpretetur illud: & ego audiui de te, dicentes, quòd audis ſomnium, & interpretaris illud.*

16 *Reſpondit Ioſeph Pharaoni, dicens: Non ex ſapientia mea, ſed à facie Domini reſpôdebitur pax Pharaoni.*

17 *Locutuſque eſt Pharao cum Ioſeph dicens: In ſomnio meo ecce ego ſtabam ſuper ripam fluminis.*

18 *Et ecce de flumine aſcendebât ſeptem boues pulchræ & pingues carne, & formoſæ aſpectu: & paſcebantur in prato.*

19 *Et ecce ſeptem boues aliæ aſcendebant poſt eas, macilentæ nimis, & deformes aſpectu, & diminutæ carnibus, non vidi ſimiles eis tantùm deformes in vniuerſa terra Ægypti.*

20 *Et comedebant boues macilêtæ, & deformes aliæ ſeptem boues priores pingues.*

21 *Et ingrediebantur in uterum earum, & non cognoſcebatur quòd ingreſſæ fuiſſent in vterum earum: & aſpectus earum erat deformis ſicut prius. Et euigilaui.*

22 *Vidique in ſomnio meo. Et ecce ſeptem ſpicæ aſcendebant in calamo vno plenæ & bonæ:*

23 *Et ecce ſeptem ſpicæ aliæ inanes & tenues, & percuſſæ uredine oriebantur poſt eas.*

24 *Et deuorabant ſeptem ſpicæ inanes, ſeptem alias ſpicas pingues & bonas. Et dixi ſomnium coniectoribus, & nullus fuit qui indicaret mihi.*

25 *Dixitque Ioſeph Pharaoni: Somnium Pharaonis vnum eſt; quod facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni.*

26 *Septem boues bonæ, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ bonæ, ſeptem anni ſunt: ſomnium vnum eſt.*

27 *Septem autem boues macilentæ & deformes, quæ aſcendebant poſt eas, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ tenues & percuſſæ uredine, erunt ſeptem anni famis.*

28 *Ipſe eſt ſermo quem locutus ſum cû Pharaone: quod Deus facturus eſt, oſtendit Pharaoni.*

*Ecce*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

29 Ecce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in vniuerſa terra Aegypti.

30 Quos ſequentur ſeptem anni alij tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: conſumptura eſt enim fames omnem terram.

31 Et vbertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo.

32 Quod autem vidiſti ſecundo ad eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt, eo quòd fiat ſermo Dei, & velocius impleatur.

33 Nunc ergo prouideat rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum Terræ Aegypti.

34 Qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis.

35 Qui iam nunc futuri ſunt, congreget in horrea: & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſeruetürq. in vrbibus.

36 Et præparetur futuræ ſeptem annorum fami, quæ oppreſſura eſt Aegyptum, & non conſumetur terra inopia.

37 Placuit Pharaoni conſilium & cunctis miniſtris eius.

38 Locutusque eſt ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?

39 Dixit ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero?

*Pſa.104.21. 1.Macc.2.53. Act.7.1

40 * Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni ſolio te præcedam.

41 Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce, conſtitui te ſuper vniuerſam terram Aegypti.

42 Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius: veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit.

43 Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ Aegypti.

44 Dixit quoque rex ad Ioſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manū, aut pedem in omni terra Aegypti.

45 Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditque illi vxorem Aſeneth filiam Putiphare ſacerdotis Heliopoleos. Egreſſus eſt itaq; Ioſeph ad terrā Aegypti.

46 (Triginta autem annorum erat quando ſtetit in cōſpectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes regiones Aegypti.

47 Venitque fertilitas ſeptē annorum: & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Aegypti.

48 Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis vrbibus condita eſt.

49 Tantaque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

*Inf. 48. 10. 49. 5.

50 * Nati ſunt autem Ioſeph filij duo antequā veniret fames: quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare ſacerdotis Heliopoleos.

51 Vocauitq. nomen primogeniti Manaſſes, dicens: Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.

52 Nomen quoq; ſecūdi appellauit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

53 Igitur tranſactis ſeptem vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto.

Coepe-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Ecce ſeptem anni venient abundantia magna in omni terra Aegypti.*

30 *Et ſurgent ſeptem anni famis poſt eos: & erit in obliuione omnis abundantia in terra Aegypti: & cōſumet fames terram.*

31 *Et non cognoſcetur abundantia in terra, propter famem ipſam: quæ erit poſtea, quia grauis erit valde.*

32 *Et propterea iteratum eſt ſomnium ipſi Parhoh duabus vicibus: quia firma eſt res à Deo, & feſtinat De⁹ facere eam.*

33 *Et nunc prouideat Parhoh virum prudentem, & ſapientem, & ponat illum ſuper terram Aegypti.*

34 *Faciat Parhoh, & conſtituat præfectos ſuper terram: & quintum ſoluere iubeat terram Aegypti in ſeptē annis abundantiæ.*

35 *Et congregent omnem eſcam annorum bonorum venientium iſtorum: & congregent frumentum ſub manu Parhoh, cibum in vrbibus, & ſeruent.*

36 *Et erit cibus in depoſitum pro terra, pro ſeptem annis famis, qui erunt in terra Aegypti, & non ſuccidetur terra propter famem.*

37 *Et placuit res in oculis Parhoh, & in oculis ſeruorum eius.*

38 *Et dixit Parhoh ad ſeruos ſuos: Numquid inueniemus talem virum, in quo ſit ſpiritus Dei?*

39 *Et dixit Parhoh ad Ioſeph: Poſtquam cognoſcere fecit Deus te totum hoc, non eſt intelligens, & ſapiens ſicut tu.*

40 *Tu eris ſuper domum meam, & ad ſermonem tuum armabitur omnis populus meus: tantum ſolio maior ero te.*

41 *Et dixit Parhoh ad Ioſeph: Vide, poſui te ſuper omnem terram Aegypti.*

42 *Et remouit Parhoh annulum ſuum è manu ſua, & poſuit illum in manu Ioſeph: & induere fecit eum veſtibus byſſinis, & poſuit torquem auream in collo eius.*

43 *Et equitare fecit eum in curru ſecundo, *qui erat ſibi: & clamabant ante eum * Abrech: & conſtituit eum ſuper omnem terram Aegypti.* *Pater tener vel flecte genua.

44 *Et dixit Parhoh ad Ioſeph. Ego Parhoh, & præter te non leuabit quiſquam manum ſuam, & pedem ſuum in omni terra Aegypti.*

45 *Et vocauit Parhoh nomen Ioſeph * Saphnath Pahaneach: & dedit ei Aſnath filiam Pothipherah ſacerdotis On in vxorem. Et egreſſus eſt Ioſeph ſuper terram Aegypti.* * Vir cui abſcondita reuelata ſūt, vel abſconditorū expoſitor.

46 *Et Ioſeph trigenarius, quando ſtetit coram Parhoh rege Aegypti: & egreſſus eſt Ioſeph à facie Parhoh, & tranſiuit per omnem terram Aegypti.*

47 *Et congregauerunt habitatores terræ in ſeptem annis ſaturitatis frumenta in horrea. Et congregauit omnē cibū ſeptē annorū, qui fuerunt in terra Aegypti.*

48 *Et poſuit cibum in vrbibus, cibum agri ciuitatis, qui erat in circuitu eius, poſuit in medio eius.*

49 *Et congregauit Ioſeph frumentum, tanquam arenam maris multum valde, adeo, quòd ceſſauit numerari, quia non erat numerus.*

50 *Et ipſi Ioſeph nati ſunt duo filij antequam veniret annus famis, quos peperit ei Aſnath filia Potipherah ſacerdotis On.*

51 *Et vocauit Ioſeph nomē primogeniti Menaſſeh: Quia obliuiſci fecit me Deus omnis laboris mei: & omnis domus patris mei.*

52 *Et nomen ſecundi vocauit Ephraim: Quia fecit creſcere me Deus in terra afflictionis meæ.*

53 *Et finiti ſunt ſeptem anni ſaturitatis, qui fuit in terra Aegypti.*

Et in-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

29 Ecce ſeptem annos venit abundantia magna in tota terra Aegypti.

30 Venient autem ſeptem anni famis poſt hos: & obliuiſcentur vbertatis futuræ in tota Aegypto: & conſumet fames terram.

31 Et non agnoſcetur abundantia ſuper terram à fame, quæ futura eſt poſtea: valida enim erit nimium.

32 Quod autem iteratum eſt ſomnium Pharaoni bis: quia verum erit verbum, quod à Deo, & feſtinabit Deus ad faciendum illud.

33 Nunc ergo vide hominem prudentem, & intelligentem: & conſtitue eum ſuper terram Aegypti.

34 Et faciat Pharao, & conſtituat locorum principes ſuper terram, & deponant quintam partem fructuũ terræ Aegypti ſeptem annorum abundantiæ.

35 Et congregẽt omnes eſcas ſeptem annorũ venietiũ bonorũ horum: & congregetur triticum ſub manu Pharaonis: eſcæ in ciuitatibus cuſtodiantur.

36 Et erunt eſcæ cuſtoditæ ipſi terræ in ſeptem annos famis, qui erunt in terra Ægypti: & non atteretur terra in fame.

37 Placuit autem verbum coram Pharaone, & coram omnibus pueris eius.

38 Et dixit Pharao omnibus pueris ſuis: Nũquid inueniemus hominem talẽ qui habeat ſpiritũ Dei in ſe?

39 Dixit autem Pharao ad Ioſeph: Quandoquidem oſtendit Deus tibi omnia hæc, non eſt homo prudẽtior, & intelligentior te.

40 Tu eris ſuper domum meam, & ſuper os tuum obediet omnis populus meus: tantummodo thronum præcedam tui ego.

41 Dixit autem Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtituo te hodie ſuper omnem terram Aegypti.

42 Et detrahens Pharao annulum de manu ſua, circũpoſuit illũ ſuper manum Ioſeph, & induit eũ ſtola byſſina, & circumpoſuit torquem auream circa collum eius.

43 Et aſcendere eum fecit ſuper currum ſecundũ curruum ſuorum, & clamauit ante eum preco, & conſtituit eum ſuper totam terram Aegypti.

44 Dixit autem Pharao ad Ioſeph: Ego Pharao: Sine te non leuabit quiſquam manum ſuam ſuper omnem terram Aegypti.

45 Et vocauit Pharao nomen Ioſeph, Pſonthomphaneeh. Et dedit ei Aſeneth filiam Petephræ ſacerdotis Heliopoleos ei in vxorem.

46 Ioſeph autẽ erat annorum triginta, qñ ſtetit coram Pharaone rege Aegypti: exijt autẽ Ioſeph à facie Pharaonis, & peragrauit omnem terram Aegypti.

47 Et fecit terra in tribus annis abundantiæ manipulos: & congregauit omnes eſcas ſeptem annorum, in quibus fuit abundantia in terra Aegypti.

48 Et poſuit eſcas in ciuitatibus: eſcas agrorum ciuitatis, qui in circuitu eius, poſuit in ea.

49 Et congregauit Ioſeph frumentum, ſicut arenam maris, multum valde; donec non potuit numerari: non enim erat numerus.

50 Ioſeph autem nati ſunt duo filij, antequam veniret ſeptem anni famis, quos peperit ei Aſeneth filia Petephræ ſacerdotis Heliopoleos.

51 Vocauit autem Ioſeph nomen primogeniti, Manaſſe: Quia obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & omnium patris mei.

52 Nomen autem ſecundi vocauit Ephraim: Quia creſcere me fecit Deus in terra humilitatis meæ.

53 Præterierunt autem ſeptem anni abundantiæ, qui fuerunt in terra Aegypti.

Et cæ-

## Chald. Paraph. Transl.

29 *Ecce ſeptem anni ſaturitatis magna venient in vniuerſa terra Aegypti.*

30 *Et conſurgent poſt eos ſeptem anni famis, & obliuioni tradetur omnis ſaturitas in terra Aegypti: & conſumet fames populum terræ.*

31 *Et nõ cognoſcetur ſaturitas in terra Ægypti, propter famem illã, quæ erit poſteà: quoniã valdè grauis erit.*

32 *Et quia iteratum eſt ſomnium Pharaonis his duabus vicibus, indicat quoniam certus erit ſermo à facie Dei, & citò faciet eum Deus.*

33 *Et nunc prouideat Pharao virum prudentem, & & ſapientem: & conſtituat eum ſuper terram Ægypti.*

34 *Faciat hoc Pharao, & conſtituat præpoſitos ſuper terram, & muniant terram Ægypti in ſeptem annis ſaturitatis.*

35 *Et congregent omne frumentum annorum bonorum iſtorũ qui venturi ſunt, & cõdant frumẽtũ ſub poteſtate præpoſitorũ Pharaonis, ſeruẽtq́; frumẽtũ in vrbibus.*

36 *Et erit frumentum ſeruatum in terra pro ſeptem annis famis, qui futuri ſunt in terra Ægypti: & non conſumetur fame populus terra.*

37 *Et placuit ſermo in oculis Pharaonis, & in oculis ſeruorum ſuorum.*

38 *Dixitq́; Pharao ſeruis ſuis: Nũquid inueniemus talẽ virum, in quo ſpiritus prophetiæ à facie Dei eſt?*

39 *Dixitque Pharao ad Ioſeph: Poſtquam ſcire te fecit Deus omnia hæc; non eſt ſapiens, nec prudens ſimilis tui.*

40 *Tu eris præpoſitus ſuper domum meam: & ad verbũ tuum gubernabitur omnis populus meus: tantummodo hoc regio ſolio ero honorabilior te.*

41 *Dixitq́; Pharao ad Ioſeph: Vide quod conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.*

42 *Et abſtulit Pharao anulum ſuum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſeph: & induit eum veſtimentis byſſinis, & poſuit torquem auream ſuper collum eius.*

43 *Et aſcendere eum fecit in quadriga ſua ſecunda: & præconizare fecit coram eo, hic eſt pater regis, & cõſtituit eum ſuper omnem terram Ægypti.*

44 *Dixitq́; Pharao ad Ioſeph: Ego Pharao, & abſq; verbo tuo ñ leuabit vir manũ ſuã ad tendẽda arma, neq; pedẽ ſuũ ad aſcẽdẽdũ ſuper equũ ĩ vniuerſa terrã Ægypti.*

45 *Et vocauit Pharao nomen Ioſeph, Vir cui ſecreta reuelantur. Deditq́; ei Aſeneth filiam Putipharis principis On in vxorem. Egreſſuſque eſt Ioſeph dominans per vniuerſam terram Ægypti.*

46 *Ioſeph autẽ triginta annorũ ætatis erat, qñ ſtetit corã Pharaone rege Ægypti: et egreſſus ẽ Ioſeph à facie Pharaonis, et trãſiuit dñas ĩ vniuerſã terrã Ægypti.*

47 *Et congregauerunt habitatores terræ frumentum in horreis in ſeptem annis fertilitatis: & cõgregauit od frumẽtũ annorũ ſeptem quod fuit in terra Ægypti:*

48 *Et poſuit frumẽtum in vrbibus in vnaquaq; vrbe poſuit frumentum agri qui in circuitu eius erat.*

49 *Et congregauit Ioſeph frumentum quaſi arenã maris multum nimis: donec ceſſaret numerari, eo quod non habebat numerum.*

50 *Ioſeph autem nati ſunt duo filij, antequam veniret annus famis, quos peperit ei Aſeneth filia Putipharis principis On.*

51 *Vocauitq́; Ioſeph nomen primogeniti, Manaſſes: dicẽs, Quia obliuiſci me fecit Deus omnis laboris mei, & omnis domus patris mei.*

52 *Nomen autem ſecundi appellauit, Ephraim: dicens: Quia creſcere me fecit Dsᵒ ĩ terra ſubiectionis meæ.*

53 *Et completi ſunt ſeptem anni ſaturitatis, qui fuerat in terra Ægypti.*

*Et cæ-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

54 Cœperunt venire ſeptẽ anni inopiæ, quos prædixerat Ioſeph: & in vniuerſo orbe fames præualuit, in cunctа autem terra Ægypti panis erat.

55 Qua eſuriente, clamauit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille reſpondit: Ite ad Ioſeph: & quidquid ipſe vobis dixerit, facite.

56 Creſcebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitq. Ioſeph vniuerſa horrea, & vendebat Aegyptijs:nam & illos oppreſſerat fames.

57 Omneſque prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent.

### CAP. XLII.

1 AVdiens autem Iacob q; alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs ſuis: Quare negligitis?

2 Audiui quod triticum venundetur in Aegypto: deſcendite, & emite nobis neceſſaria, vt poſſimus viuere, & non conſumamur inopia.

3 Deſcendentes igitur fratres Ioſeph decem, vt emerent frumenta in Ægypto,

4 Beniamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali:

5 Ingreſſi ſunt terrã Aegypti cum alijs qui pergebãt ad emendum: erat autem fames in terra Chanaan.

6 Et Ioſeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adoraſſent eum fratres ſui.

7 Et agnouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Vnde veniſtis? Qui reſponderunt: De terra Chanaan, vt emamus victui neceſſaria.

8 Et tamen fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis.

9 Recordatuſque ſomniorum, quæ aliquando viderat: ait ad eos: Exploratores eſtis; vt videatis infirmiora terræ veniſtis.

10 Qui dixerunt: Non eſt ita domine, ſed ſerui tui venerunt vt emerent cibos.

11 Omnes filij vnius viri ſumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.

12 Quibus ille reſpondit: Aliter eſt: immunita terræ huius conſiderare veniſtis.

13 At illi: Duodecim, inquiunt, ſerui tui, fratres ſumus, filij viri vnius in Chanaan: minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper.

14 Hoc eſt, ait, quod locutus ſum: Exploratores eſtis.

15 Iam nunc experimentum veſtri capiam: per ſalutẽ Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus.

16 Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixiſtis vtrũ vera an falſa ſint: alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis.

17 Tradit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus.

18 Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo.

19 Si pacifici eſtis, frater veſter vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emiſtis, in domos veſtras,

*Inf. 43. 5 20 *Et fratrem veſtrum minimum ad me adducite, vt poſſim veſtros probare ſermones, & non moriamini: Fecerunt vt dixerat,

21 Et locuti ſunt ad inuicem: Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dũ deprecaretur nos, & nõ audiuimus: idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

54 *Et inceperunt ſeptem anni famis venire, quemadmodum dixit Ioſeph: & fuit fames in omnibus terris, & in omni terra Ægypti erat panis.*

55 *Et eſuriuit omnis terra Ægypti, & clamauit populus ad Parhoh pro pane. Et dixit Parhoh omnibus Ægyptijs: Ite ad Ioſeph: quod dixerit vobis, facietis.*

56 *Et fames erat ſuper omnem faciem terræ: & aperuit Ioſeph omnia in quibus erant, & vendidit Ægyptijs: & inualuit fames in terra Ægypti.*

57 *Et omnes habitatores terræ venerunt in Aegyptum, vt emerent à Ioſeph, quia inualuerat fames in omni terra.*

### *CAP. XLII.*

1 *ET vidit Iahacob, q eſſet alimentum in Ægypto: & dixit Iahacob filijs ſuis: Vt quid aſpicitis?*

2 *Et dixit: Ecce audiui quod eſt alimentum in Ægypto: deſcendite illuc, & emite nobis inde, & viuemus & non moriemur.*

3 *Et deſcenderunt fratres Ioſeph decem, vt emerent frumentum in Aegypto.*

4 *Et Biniamin fratrem Ioſeph non miſit Iahacob cum fratribus ſuis; quia dixit: Ne forte accidat ei mors.*

5 *Et venerunt filij Iſrael, vt emerent in medio venientium: erat enim fames in terra Chenahan.*

6 *Et Ioſeph erat dominus ſuper terram: ipſe vendere faciebat omni populo terræ: Et venerunt fratres Ioſeph: & incuruauerunt ſe ei in faciem ſuper terram.*

7 *Et vidit Ioſeph fratres ſuos, & agnouit eos, & alienum ſe oſtendit eis: & locutus eſt cum eis dura, & dixit ad eos: Vnde veniſtis? Et dixerunt: De terra Chenahan ad emendum cibum.*

8 *Et agnouit Ioſeph fratres ſuos, & ipſi non agnouerũt eum.*

9 *Et recordatus eſt Ioſeph ſomniorum, quæ ſomniauerat de eis, & dixit eis: Exploratores eſtis; ad videndũ exinanitionem terræ veniſtis.*

10 *Et dixerunt ad eum: Nequaquam domine mi, & ſerui tui venerunt ad emendum cibum.*

11 *Omnes nos filij eiuſdem viri ſumus: veraces ſumus: non ſunt ſerui tui exploratores.*

12 *Et dixit ad eos: Nequaquam; quia exinanitionem terræ veniſtis ad videndum.*

13 *Et dixerunt: Duodecim ſerui tui fratres ſumus filij viri eiuſdem in terra Chenahan: & ecce minor eſt cũ patre noſtro hodie, & vnus non eſt.*

14 *Et dixit ad eos Ioſeph: Hoc eſt quod locutus ſum ad vos dicendo: Exploratores eſtis.*

15 *In hoc probabimini per vitam Parhoh: ſi egreſſi fueritis hinc niſi cum venerit frater veſter minor huc.*

16 *Mittite ex vobis vnum, & accipiat fratrem veſtrũ, & vos vincti eritis, & probabuntur verba veſtra, an veritas ſit vobiſcum: & ſi nõ, per vitam Parhoh, quia exploratores eſtis.*

17 *Et congregauit eos in cuſtodiam tribus diebus.*

18 *Dixit ad eos Ioſeph die tertio: Hoc facite, & viuetis. Deum ego timeo.*

19 *Si veraces eſtis frater veſter vnus ligetur in domo cuſtodiæ veſtræ, & vos ite, adducite alimentum ad expellendum famem è domibus veſtris.*

20 *Et fratrem veſtrum minorem adducetis ad me, & verificabuntur verba veſtra, & non moriemini: Et fecerunt ita.*

21 *Et dicebat alter alteri: Vere delinquimus contra fratrem noſtrum, quia vidimus anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit ſuper nos anguſtia hæc.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

54 Et cœperunt venire ſeptem anni famis, ſicut dixit Ioſeph: & facta eſt fames in omni terra, in omni autem terra Ægypti erant panes.

55 Et eſuriuit oīs terra Ægypti: clamauit aūt populus ad Pharaonē ꝓ panibus. Dixit aūt Pharao oībus Ægyptijs: Ite ad Ioſeph: & q̄cq̄d dixerit vobis, facite.

56 Et fames erat ſuper faciem omnis terræ: aperuit autem Ioſeph omnia horrea, & vendebat omnibus Ægyptijs.

57 Et omnes regiones veniebant in Ægyptum, emere à Ioſeph: inualuerat enim fames in omni terra.

### CAP XLII.

1 VIdens autem Iacob, quia eſt venditio in Ægypto, dixit filijs: Quare ſegnes eſtis?

2 Ecce audiui, quia eſt frumentum in Ægypto: deſcendite illuc, & emite nobis puſillas eſcas, vt viuamus, & non moriamur.

3 Deſcenderunt autem decem fratres Ioſeph emere frumentum ex Ægypto.

4 Beniamin autem fratrem Ioſeph non miſit cum fratribus ſuis: dixit enim: Ne forte accidat ei languor.

5 Venerunt autem filij Iſrael ad emendum vna cum venientibus: erat enim fames in terra Chanaan.

6 Ioſeph autem erat princeps terræ: hic vendebat omni populo terræ. Venientes autem fratres Ioſeph adorauerunt eum in faciem in terram.

7 Venientes autem Ioſeph fratres ſuos agnouit, & alienum ſe fecit ab eis, locutus eſt eis dura: & dixit eis: Vnde veniſtis? At illi dixerunt: De terra Chanaan ad emendas eſcas.

8 Agnouit autem Ioſeph fratres ſuos: ipſi autem non agnouerunt eum.

9 Et commemoratus eſt Ioſeph ſomniorum ſuorum, quæ vidit ipſe: & dixit eis. Exploratores eſtis: ad conſideranda veſtigia regionis veniſtis.

10 At illi dixerunt: Non domine: pueri tui venimus ad emendas eſcas:

11 Omnes ſumus filij vnius hominis: pacifici ſumus: non ſunt pueri tui exploratores.

12 Dixit autem eis: Non; ſed veſtigia terræ veniſtis videre.

13 At illi dixerunt: Duodecim ſumus pueri tui fratres in terra Chanaan: & ecce iunior cum patre noſtro hodie: alter autem non eſt.

14 Dixit autem eis Ioſeph. Hoc eſt, quod dixi vobis dicens, Quia exploratores eſtis.

15 In hoc manifeſti eritis: per ſalutem Pharaonis non exibitis hinc, niſi frater veſter minor venerit huc.

16 Mittite ex vobis vnum, & ſumite fratrem veſtrum: & vos abducamini: quoaduſque manifeſta ſint verba veſtra ſi vera dicetis, an non: ſin autem non, per ſalutem Pharaonis profectò exploratores eſtis.

17 Et poſuit eos in cuſtodia tres dies.

18 Dixit autē eis die tertio: Hoc facite, & viuetis. Deū enim ego timeo.

19 Si pacifici eſtis, frater veſter detineatur vnus in cuſtodia: ipſi vero ite: & aſportate emptionem frumentationis veſtræ.

20 Et fratrem veſtrum iuniorem adducite ad me, & credentur verba veſtra: ſin autem non, moriemini. Fecerunt autem ſic.

21 Et dixit vnuſquiſq; ad fratrē ſuū: Certe in peccatis enim ſumus ꝓ fratre noſtro: quia deſpeximus tribulationē eius aix, q̄n orabat nos: & nō exaudiuimus eum. Et pp hoc ſuperuenit in nos tribulatio hæc.

Reſpon-

## Chald. Paraph Transl.

54 *Et cœperunt venire ſeptem anni famis, ſicut dixit Ioſeph: & fuit fames in vniuerſis terris: & in omni terra Ægypti erat panis.*

55 *Eſuriebat quoq; oīs terra Ægypti: & clamauit populus ad Pharaonē pro pane. Dixitq; Pharao oībus Ægyptijs: Ite ad Ioſeph: & ſicut dixerit vobis, facite.*

56 *Fames aūt erat ſuper faciem vniuerſæ terræ. & aperuit Ioſeph vniuerſa horrea in q̄b. erat frumentū, & vēdidit Ægyptijs, ꝓualebatq; fames i terra Ægypti.*

57 *Omneſque habitatores terræ veniebant in Ægyptum, vt emerent frumētum à Ioſeph: quoniam præualuerat fames in vniuerſa terra.*

### *C A P. XLII.*

1 *ET vidit Iacob quòd frumentum vendebatur in Ægypto: & dixit filijs ſuis: Quare negligitis?*

2 *Dixitque: Ecce audiui quòd frumentum venditur in Ægypto: deſcendite illuc, & emite nobis indè, & viuemus, & non moriemur.*

3 *Deſcenderuntq; fratres Ioſeph decem, vt emerent frumentum in Ægypto.*

4 *Beniamin autem fratrem Ioſeph non miſit Iacob cum fratribus ſuis, dixit enim: Ne fortè accidat ei mors.*

5 *Veneruntq; filij Iſrael, vt emerent frumentum cum alijs venientibus: q̄m fames erat in terra Chanaan.*

6 *Ioſeph autem ipſe erat qui præerat in terra: ipſe vendebat frumentum omni populo terræ: Veneruntq; fratres Ioſeph, & proni in terra adorauerunt eum.*

7 *Viditq; Ioſeph fratres ſuos, & cognouit eos, & cogitabat quòd loqueretur cum eis: & locutus eſt eis dura, dixitque eis: Vnde venitis? Et dixerunt: De terra Chanaan, ad emendum frumentum.*

8 *Cognouitque Ioſeph fratres ſuos: & ipſi non cognouerunt eum.*

9 *Recordatuſque eſt Ioſeph ſomniorum quæ ſomniauit eis: & ait illis: Exploratores eſtis vos, ad videndum infirmiora terræ veniſtis.*

10 *Et dixerunt ei: Nequaquam, domine: ſed ſerui tui venerunt ad emendum frumentum.*

11 *Omnes nos ſumus filij vnius viri: recti ſumus, non fuerunt ſerui tui exploratores.*

12 *Dixitque eis: Nequaquam, ſed infirmiora terræ veniſtis videre.*

13 *Dixeruntque: Duodecim fratres ſerui tui nos, filij vnius viri in terra Chanaan: & ecce minimus cum patre noſtro eſt hodie: & vnus non comparet.*

14 *Dixitque eis Ioſeph: Hoc eſt quod locutus ſum vobiſcum, dicens: Exploratores eſtis vos.*

15 *In hoc probabimini, per vitam Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus huc.*

16 *Mittite ex vobis vnum, & tollat fratrem veſtrum: vos autem eritis vincti, & probabuntur ſermones veſtri, vtrùm verum dicatis, & ſi non, per vitam Pharaonis, quòd exploratores eſtis vos.*

17 *Et poſuit eos in cuſtodia tribus diebus.*

18 *Et dixit eis Ioſeph in die tertio: Hoc facite, & viuetis: à facie Dei ego timeo.*

19 *Si recti eſtis vos, frater veſter vnus ſit vinctus in domo cuſtodiæ veſtræ, vos autem ite, & afferte frumentum, quod defecit in domo veſtra.*

20 *Et fratrem veſtrum minimum adducite ad me: & verificabuntur verba veſtra; & non moriemini: Et fecerunt ita.*

21 *Dixeruntq; vnuſquiſq; ad fratrem ſuū: Verè debitores ſumus in fratrem noſtrū, eo quòd vidimus anguſtiam animæ eius, quādo deprecabatur nos, & nō acquieuimus ei, ꝓpterea venit ſuper nos tribulatio hæc.*

Reſpon-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Sup. 37. 22.

22 * E quibus vnus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur.

23 Neſciebant autem quòd intelligeret Ioſeph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos.

24 Auertitque ſe parumper, & fleuit: & reuerſus locutus eſt ad eos.

25 Tollenſque Simeon, & ligans illis præſentibus, iuſſit miniſtris vt implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibarijs in viam: qui fecerunt ita.

26 At illi portantes frumenta in aſinis ſuis, profecti ſunt.

27 Apertoque vnus ſacco, vt daret iumento pabulum in diuerſorio, contemplatus pecuniam in ore ſacculi,

28 Dixit fratribus ſuis: Reddita eſt mihi pecunia, en habetur in ſacco. Et obſtupefacti, turbatique mutuo dixerunt: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?

29 Veneruntque ad Iacob patrem ſuum in terrã Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidiſſent ſibi, dicentes:

30 Locutus eſt nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores eſſe prouinciæ.

31 Cui reſpondimus: Pacifici ſumus, nec vllas molimur inſidias.

32 Duodecim fratres vno patre geniti ſumus: vnus nõ eſt ſuper, minimus cum patre noſtro eſt in terra Chanaan.

33 Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici ſitis: Fratrem veſtrum vnum dimittite apud me, & cibaria domibus veſtris neceſſaria ſumite, & abite.

34 Fratrẽq; veſtrum minimum adducite ad me, vt ſciã quod non ſitis exploratores: & iſtum, qui tenetur in vinculis, recipere poſſitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

35 His dictis, cum frumenta effunderent, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias: exterritiſque ſimul omnibus,

36 Dixit pater Iacob: Abſque liberis me eſſe feciſtis, Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis: in me hæc oĩa mala reciderũt.

37 Cui reſpondit Ruben: Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi reſtituam.

38 At ille: Non deſcendet, inquit, filius meus vobiſcũ: frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: ſi quid ei aduerſi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

### CAP. XLIII.

1 INterim fames oĩm terrã vehementer premebat.

2 Conſumptiſque cibis quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios ſuos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum eſcarum.

3 Reſpondit Iudas: Denunciauit nobis vir ille ſub atteſtatione iuriſiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.

4 Si ergo vis eum mittere nobiſcum, pergemus pariter, & ememus tibi neceſſaria:

* Sup. 42. 20.

5 * Sin autem non vis, non ibimus: vir enim, vt ſæpe diximus, denunciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo.

6 Dixit eis Iſrael: In meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei & alium habere vos fratrem.

At illi

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et reſpondit Reuben ad eos dicendo: Nonne dixi vobis dicendo: Ne peccetis in puerum, & non audiſtis? & etiam ſanguis eius ecce requiritur.*

23 *Et ipſi ignorabant, quòd audiret Ioſeph: quia interpres erat inter eos.*

24 *Et vertit ſe ab eis, & fleuit: & reuerſus eſt ad eos, & locutus eſt ad eos.*

25 *Et accepit ab eis Simhon, & ligauit eũ i oculis eorũ. & pcepit Ioſeph, & ipleuerũt vaſa eorũ frumento, & vt reſtituerent pecuniã eorũ vniuſcuiuſq; in ſacco ſuo, & darent eis eſcam pro via: & fecit eis ſic.*

26 *Et tulerunt alimentum ſuum ſuper aſinos ſuos, & abierunt inde.*

27 *Et aperuit vnus ſaccum ſuum: vt daret pabulum aſino ſuo, in hoſpitio, & vidit pecuniam ſuam, & ecce erat in ore ſacci ſui,*

28 *Et dixit ad fratres ſuos: Reddita eſt pecunia mea: & etiam ecce eſt in ſacco meo. Et egreſſus eſt cor eorum, & obſtupuerunt alter alteri dicendo: Quid hoc fecit Deus nobis?*

29 *Et venerunt ad Iahacob patrem ſuum in terrã Chenahan, & annunciauerunt ei omnia, quæ acciderant eis, dicendo.*

30 *Locutus eſt vir dominus terræ nobiſcum dura, & dedit nos tanquam exploratores terræ.*

31 *Et diximus ad eum: Veraces ſumus, non ſumus exploratores.*

32 *Duodecim ſumus fratres filij patris noſtri: vnus non eſt, & minor hodie eſt cum patre noſtro, in terra Chenahan.*

33 *Et dixit ad nos vir dominus terræ: In hoc cognoſcã, quòd veraces eſtis: Fratrem veſtrum vnum dimittite mecum, & frumentum ad expellendum famem domorum veſtrarum capite, & ite.*

34 *Et adducite fratrem veſtrum minimum ad me, & cognoſcam, quòd non eſtis exploratores, ſed veraces: fratrem veſtrum dabo vobis, & in terra negociabimini.*

35 *Et fuit, ipſis euacuantibus ſaccos ſuos, ecce vniuſcuiuſque ligatura pecuniæ ſuæ erat in ſacco ſuo: & viderunt ligaturas pecuniarum ſuarum, ipſi & pater eorum, & timuerunt.*

36 *Et dixit ad eos Iahacob pater eorum: Me orbaſtis, Ioſeph non eſt, et Simhon non eſt, & Biniamin capietis: aduerſum me fuerunt omnia hæc.*

37 *Et dixit Reuben ad patrem ſuum dicendo: Duos filios meos mori facias, niſi adduxero eum ad te: da eum in manu mea, & ego reducam eum ad te.*

38 *Et dixit: Non deſcendet filius meus vobiſcum: quia frater eius mortuus eſt, & ipſe tãtummodo remãſit: & accidet ei mors in via, per quã ibitis, & deſcẽdere facietis caniciẽ meã cum dolore ad ſepulchrum.*

### CAP. XLIII.

1 *ET famis grauis erat in terra.*

2 *Et fuit cum finiſſent edere alimentũ, quod attulerant ex Ægypto, dixit ad eos pater eorum: Reuertimini, emite nobis puſillum cibi.*

3 *Et dixit ad eum Iehudah dicendo: Conteſtando conteſtatus eſt nobis vir dicendo: Non videbitis faciem meam ſine fratre veſtro vobiſcum.*

4 *Si miſeris fratrem noſtrum nobiſcum, deſcendemus, & ememus tibi cibum.*

5 *Et ſi non miſeris, non deſcendemus: vir enim dixit nobis: Non videbitis faciem meam ſine fratre veſtro vobiſcum.*

6 *Et dixit Iſrael: Vt quid male feciſtis mihi, vt nunciaretis viro, an adhuc frater eſſet vobis.*

*Et di-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

22 Reſpondens autem Ruben dixit eis: Nōne locutus ſum vobis dicens: Ne noceatis puero, & nō exaudiſtis me? & ecce ſanguis eius exquiritur.

23 Ipſi autem ignorabant, quia audit Ioſeph: interpres enim inter illos erat.

24 Auertens autem ſe ab eis fleuit Ioſeph: & iterum acceſſit ad eos, & dixit illis:

25 Et tulit Symeon ab eis, & ligauit ipſum coram eis; mandauit autē Ioſeph impleri vaſa eorū frumento, & reddi argentum eorum, vnicuique in ſaccum ſuū, & dari eis cibaria in viam: & factum eſt illis ſic:

26 Et imponentes frumentum ſuper aſinos ſuos, abierunt inde.

27 Soluens autem vnus marſupium ſuum, vt daret pabula aſinis ſuis in loco, quo diuerterant, & vidit alligaturam argenti ſui; & erat ſuper os marſupij.

28 Et dixit fratribus ſuis: Redditum mihi eſt argentum: & ecce in marſupio meo. Et obſtupuit cor eorum, & turbati ſunt inuicem dicentes: Quid hoc fecit Deus nobis?

29 Venerunt autem ad Iacob patrem ſuum in terram Chanaan, & annunciauerunt ei omnia, quæ ipſis acciderant, dicentes:

30 Locutus eſt homo, qui eſt dñs terræ erga nos dura; & poſuit nos ī cuſtodia, tāq̃ qui exploraremus terrā.

31 Diximus autem ei: Pacifici ſumus, non ſumus exploratores:

32 Duodecim fratres ſumus filij patris noſtri: vnus nō eſt, puſillus autem cum patre noſtro hodie in terra Chanaan.

33 Dixit autem nobis homo dominus terræ: In hoc cognoſcam, quia pacifici eſtis: Fratrem vnum dimittite hic mecum, emptionem autem cibariorum domus veſtræ tollentes abite:

34 Et adducite ad me fratrem veſtrum minorem, & cognoſcam, quia non eſtis exploratores, ſed quia pacifici eſtis, & fratrem veſtrum reddam vobis: & in terra negotiabimini.

35 Factum eſt autem, dum ipſi euacuarent ſaccos ſuos: & erat vniuſcuiuſque alligatura argenti in ſacco eorum: & viderunt alligaturas argenti ſui, ipſi, & pater eorum, & timuerunt.

36 Dixit autē eis Iacob pater eorū: Me filijs orbaſtis, Ioſeph nō eſt, Symeon non eſt, & Beniamin tolletis? ſuper me facta ſunt hæc omnia.

37 Dixit autē Rubē patri ſuo, dicēs: Duos filios meos interfice, niſi adduxero eum ad te: da eum in manū meam, & ego reducam illum ad te.

38 At ille dixit: Non deſcendet filius meus vobiſcum: quia frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: & accidet ipſum languere in via qua ituri eſtis: & deducetis ſenectam meam cū triſtitia ad infernū.

### CAP. XLIII.

1 Fames autem inualuit ſuper terram.

2 Factum eſt autē: quando conſummauerant edere frumētū, quod attulerant ex Ægypto, & dixit eis pater eorū: Rurſus euntes emite nobis puſillas eſcas.

3 Ait autem ei Iudas dicens: Conteſtatione conteſtatus eſt nobis homo dominus terræ, dicens: Non videbitis faciem meam, niſi frater veſter iunior vobiſcum fuerit.

4 Si quidem igitur mittas fratrem noſtrum nobiſcū, deſcendemus, & emenius tibi eſcas?

5 Sin autē non mittas fratrē noſtrum nobiſcum, non ibimus: homo.n. ille dixit nobis dicēs: Nō videbitis faciē meā, niſi frater veſter iunior vobiſcum fuerit.

6 Dixit autē Iſrael: Quid maleſeciſtis mihi, annunciantes homini quia eſt vobis frater?



## Chald. Paraph. Tranſl.

22 *Reſpondit q́; eis Ruben: Nonne dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non acquieuiſtis? ſanguis quoque eius ecce exquiritur.*

23 *Ipſi autem non ſciebant, quid audiebat Ioſeph: quoniam interpres erat inter eos.*

24 *Et declinauit ab eis, et fleuit: & reuerſus eſt ad eos, locutus eſt cum eis:*

25 *Et tulit ex eis Symeon, & ligauit eum coram oculis eorū: & iuſſit Ioſeph vt implerent vaſa eorū frumento, & vt reducerēt pecuniā vniuſcuiuſq; in ſacculū ſuū, & vt daretur eis cibaria in viā: & fecit eis ita.*

26 *Et impoſuerunt frumenta ſua in aſinos ſuos: & abierunt inde.*

27 *Aperuitque vnus ſacculum ſuum, vt daret pabulū aſino ſuo in diuerſorio, & vidit pecuniam ſuā; & ecce erat in ore ſacculi ſui.*

28 *Et dixit fratribus: Reddita eſt pecunia mea, & ecce eſt in ſacculo meo. Et facti ſunt quaſi inſani & obſtupuerunt ad inuicem, dicentes: Quid eſt hoc quod fecit nobis Deus?*

29 *Et venerunt ad Iacob patrem ſuum in terra Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ acciderant eis, dicentes:*

30 *Locutus eſt vir dominus terræ nobiſcū dura, & putauit nos eſſe exploratores terræ.*

31 *Et diximus ei: Recti ſumus nos, non ſumus exploratores.*

32 *Duodecim fratres ſumus nos filij patris noſtri: vnus non comparet, & minimus hodie eſt cum patre noſtro in terra Chanaan.*

33 *Dixitq́; nobis vir dominus terræ: In hoc ſciam quòd recti eſtis vos: Vnum fratrem veſtrum dimittite apud me, & frumentum quod defecit in domo veſtra tollite, & abite.*

34 *Et adducite fratrem veſtrum minimum ad me, vt ſciam quòd non eſtis exploratores, ſed quòd recti eſtis vos, fratrem veſtrum dabo vobis: & in terra negociabimini.*

35 *Et factum eſt, ipſis effundentibus ſacculos ſuos, ecce argentum ligatum vniuſcuiuſque viri erat in ore ſacculi ſui: & viderunt argentum ligatum, ipſi & pater eorum: & timuerunt.*

36 *Dixitq́; eis Iacob pater eorum: Abſque liberis me feciſtis: Ioſeph nō ſupereſt, & Symeon nō eſt hic, & Beniamin auferetis: ſuper me fuerunt omnia hæc.*

37 *Aitq́; Ruben patri ſuo, dicens: Duos filios meos interficies, ſi non reduxero eum tibi: trade illum in manū meā, & ego reducam eum tibi.*

38 *Et ait: Non deſcendet filius meus vobiſcum: quoniam frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: & ſi acciderit ei mors in via in qua ambulatis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.*

### CAP. XLIII.

1 *Fames autem præualebat in terra.*

2 *Et factum eſt cum conſumaſſent frumentū, quod attulerant de Aegypto, ait illis pater eorum: Reuertimini, & emite nobis pauxillum frumenti.*

3 *Et ait ei Iudas, dicens: Conteſtans conteſtatus eſt nos vir, dicens: Non videatis faciem meam, niſi cum fuerit frater veſter vobiſcum.*

4 *Si tu mittis fratrem noſtrum nobiſcum deſcendemus, & emenius tibi frumentum:*

5 *Et ſi non mittis, non deſcendemus: quia vir dixit nobis: Non videatis faciem meam, niſi quando frater veſter fuerit vobiſcum.*

6 *Dixitq́; Iſrael: Quare maleſeciſtis mihi, vt nunciaretis viro, ſi adhuc erat vobis frater?*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 At illi reſponderunt: Interrogauit nos homo per ordinem noſtram progeniem: ſi pater viueret: ſi haberemus fratrem: & nos reſpondimus ei conſequenter iuxta id quod fuerat ſciſcitatus: numquid ſcire poteramus quòd dicturus eſſet: Adducite fratrem veſtrum vobiſcum?

8 Iudas quoque dixit patri ſuo: Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viuere: ne moriamur nos & paruuli noſtri.

* Infr. 44. 32.

9 *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illũ. niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.

10 Si non interceſſiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus.

11 Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis: ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalarum.

12 Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum: & illam, quam inueniſtis in ſacculis, reportate, ne forte errore factum ſit:

13 Sed & fratrem veſtrum tollite, & ite ad virum.

14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: & remittat vobiſcum fratrem veſtrum quem tenet, & hunc Beniamin: ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero.

15 Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin: deſcenderuntque in Aegyptum, & ſteterunt coram Ioſeph.

16 Quos cum ille vidiſſet, & Beniamin ſimul, præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conuiuium: quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.

17 Fecit ille quod ſibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.

18 Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis noſtris, introducti ſumus: vt deuoluat in nos calumniam, & violenter ſubijciat ſeruituti & nos, & aſinos noſtros.

19 Quamobrem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorem domus,

*Sup. 42. 3.

20 *Locuti ſunt: Oramus domine vt audias nos. Iam ante deſcendimus vt emeremus eſcas:

21 Quibus emptis, cum veniſſemus ad diuerſorium, aperuimus ſaccos noſtros, & inuenimus pecuniam in ore ſaccorum: quam nunc eodem pondere reportauimus.

22 Sed & aliud attulimus argentum, vt emamus quæ nobis neceſſaria ſunt: non eſt in noſtra conſcientia quis poſuerit eam in marſupijs noſtris.

23 At ille reſpõdit: Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris: nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon.

24 Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos, deditque pabulum aſinis eorum.

25 Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie: audierant enim quòd ibi comeſturi eſſent panem.

26 Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus ſuis: & adorauerunt proni in terram.

At ille.

## Transl. ex Heb Sanct. Pagn.

7 *Et dixerunt: Interrogando interrogauit vir de nobis, & cognatione noſtra, dicendo: numquid adhuc pater veſter viuit? numquid eſt vobis frater? & nunciauimus ei ſecundum verba iſta: numquid ſciendo ſciebamus, quòd diceret: Deſcendere faciatis fratrem veſtrum?*

8 *Et dixit Iehudah ad Iſrael patrem ſuum: Mitte puerum mecum, ſurgemus & pergemus, & viuemus & non moriemur, etiam nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.*

9 *Ego fideiubeo pro illo: de manu mea requiras eum. niſi adduxero eum ad te, & ſtatuero eum ante te pœna obnoxius ero tibi omnibus diebus.*

10 *Quia niſi tardauiſſemus, nunc reuerſi fuiſſemus iam bis.*

11 *Et dixit ad eos Iſrael pater eorum: Si ita nunc, hoc facite: tollite de optimis frugibus terræ in vaſis veſtris, & deſcendere facite ad virum munus, puſillum reſinæ, & puſillum mellis aromata, & ſtachthen, pineas, & amigdalas.*

12 *Et pecuniam duplicem capite in manibus veſtris: & pecuniam reductam in ore ſaccorum veſtrorum: reducetis in manu veſtra, ſi fortè error eſſet.*

13 *Et fratrem veſtrum capite, & ſurgite, reuertimini ad virum.*

14 *Et Deus omnipotens det vobis miſericordias ante virum, & dimittat vobis fratrem veſtrum alium, & Biniamin: & ego quemadmodum orbatus ſum, orbatus ſum.*

15 *Et ceperunt viri munus hoc, & duplicem pecuniam ceperunt in manu ſua, & Biniamin: & ſurrexerunt & deſcenderunt in Ægyptum, & ſteterunt coram Ioſeph.*

16 *Et vidit Ioſeph cum eis Biniamin, & dixit ei, qui erat ſuper domum ſuam: Adduc viros ad domum, & macta victimam & prepara: quia mecum comedent viri in meridie.*

17 *Et fecit vir quemadmodum dixit Ioſeph, & venire fecit vir homines ad domum Ioſeph,*

18 *Et timuerunt viri, quia adducti erant ad domum Ioſeph, & dixerunt: Propter pecuniam, quæ reddita eſt in ſaccis noſtris in principio, ſumus adducti: vt voluat ſe contra nos, & iniiciet ſe ſuper nos, & capiat nos in ſeruos, & aſinos noſtros.*

19 *Et acceſſerunt ad virum, qui erat ſuper domum Ioſeph: & locuti ſunt ad eum in oſtio domus.*

20 *Et dixerunt: Quæſumus domine mi: Deſcẽdendo deſcendimus in principio ad emendum eſcam:*

21 *Et fuit, cum veniſſemus ad hoſpitium, & aperuiſſemus ſaccos noſtros, ecce pecunia viniuſcuiuſque erat in ore ſacci ſui: pecuniam noſtram ſecundum pondus eius retulimus in manu noſtra.*

22 *Et pecuniam aliam deſcendere fecimus in manu noſtra ad emendum eſcam: non ſcimus quis poſuerit pecuniam noſtram in ſaccis noſtris.*

23 *Et dixit: Pax vobis, ne timeatis. Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſaurum in ſaccis veſtris: pecunia veſtra venit ad me: Et eduxit ad eos Simhon.*

24 *Et venire fecit vir homines ad domum Ioſeph, & dedit aquam, & lauerunt pedes ſuos, & dedit pabulum aſinis eorum,*

25 *Et parauerunt munus, donec veniret Ioſeph in meridie: audierunt enim quòd ibi comeſturi eſſent panem.*

26 *Et venit Ioſeph ad domum, & attulerunt ei munus, quod erat in manu eorum ad domum: & incuruauerunt ſe ei ſuper terram.*

*Et in-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

7 At illi dixerunt : Interrogans interrogauit nos homo, & generationem noſtram, dicens : ſi adhuc pater veſter viuit : & ſi eſt vobis frater : & annunciauimus ei iuxta interrogationem hanc : numquid ſciebamus, quia dicet nobis : Adducite fratrem veſtrum ?

8 Dixit autem Iudas ad Iſrael patrem ſuum : Mitte puerum mecum, & ſurgentes ibimus, vt viuamus, & non moriamur, & nos, & tu, & apparatus noſter :

9 Ego autem ſuſcipio ipſum : de manu mea require eũ. niſi adduxero eum ad te, & ſtatuero eum corã te, ero ille qui peccaui in te omnibus diebus.

10 Nam niſi tardaſſemus, iam vtique rediiſſemus bis.

11 Dixit autem eis Iſrael pater eorum : Si ita eſt, hoc facite : ſumite de fructibus terræ in vaſis veſtris, & deferte homini munera reſinæ, & mellis, & incenſum, & ſtacten, & terebinthum, & nuces :

12 Et argentum duplex ſumite in manibus veſtris : & argentum, quod rediit in marſupijs veſtris, reportate vobiſcum, (ne forte error ſit)

13 Et fratrem veſtrum ſumite, & ſurgentes deſcendite ad hominem.

14 Deus autem meus det vobis gratiam coram homine : & dimittat fratrem illum veſtrum vnum, & Beniamin : etenim ego, ſicut orbatus ſum, orbatus ſum.

15 Sumentes autem viri munera hæc, & argentum duplex, acceperunt in manibus ſuis etiam Beniamin :& ſurgentes deſcenderunt in Ægyptum:& ſteterunt coram Ioſeph.

16 Vidit autem Ioſeph eos, & Beniamin fratrem ſuum vterinum, & dixit ei, qui ſuper domum ipſius : Introduc homines in domum, & iugula victimas, & para : mecum enim manducabunt homines panes meridie.

17 Fecit autem homo, ſicut dixit Ioſeph, & introduxit homines in domum Ioſeph.

18 Videntes autem viri, quia introducti ſunt in domũ Ioſeph, dixerunt : Propter argẽtum, quod rediit in marſupijs noſtris in principio, nos introducimur : ad calumniandum nos, & imponendum nobis, vt accipiat nos in ſeruos, & aſinos noſtros.

19 Accedentes autem ad hominem, qui ſuper domũ Ioſeph, locuti ſunt ei in porta domus,

20 Dicentes : Oramus domine. Deſcendimus in principio ad emendas eſcas.

21 Factum eſt autem quando venimus ad diuertendum, & aperuimus marſupia noſtra, & hoc argentum vniuſcuiuſq. in marſupio ſuo: argentũ noſtrum in pondere reportauimus nunc in manibus noſtris:

22 Et argentum aliud attulimus nobiſcum ad emendas eſcas : neſcimus, quis iniecit argentum in marſupia noſtra.

23 Dixit autem eis: Propitius vobis, nolite timere : Deus veſter, & Deus patrum veſtrorum dedit vobis theſauros in marſupijs veſtris : & argentum veſtrum probum acceptum habeo. Et eduxit ad eos ipſum Symeon :

24 Et attulit aquam ad lauandos pedes eorum, & dedit pabula aſinis eorum.

25 Parauerunt autem munera, donec veniret Ioſeph meridie : audiuerant enim quia ibi pranſurus eſt.

26 Intrauit autem Ioſeph in domum, & attulerunt ei munera, quæ habebant in manibus ſuis in domum: & adorauerunt eum in faciem in terram.

## Chald. Paraph. Transl.

7 *Et dixerunt: Interrogans interrogauit nos vir pro generatione noſtra, dicens : Si adhuc pater veſter viuit : ſi eſt vobis alius frater : narrauimuſque ei iuxta ordinem verborum iſtorum : numquid ſcire poteramus quòd dicturus eſſet : Deducite fratrem veſtrum ?*

8 *Dixitque Iudas ad Iſrael patrem ſuum : Mitte puerum mecum, & ſurgamus & eamus, viuemus, & non moriemur, tam nos quàm tu, familiaque noſtra.*

9 *Ego in meam fidem ſuſcipio puerum : de manu mea exquires eum. ſi non reduxero eum tibi, & ſtatuero eum coram te, ero peccans tibi omnibus diebus.*

10 *Quoniam niſi moram feciſſemus in hoc, iam nunc reuerſi fuiſſemus duabus vicibus.*

11 *Dixitque Iſrael pater eorum : Si ſic neceſſe eſt, hoc facite : tollite de optimis terræ in vaſis veſtris, & deferte viro munera, paululum reſinæ, & modicum mellis, ſtoracis, & terebinthi, & amygdalarum.*

12 *Et argentum duplex tollite in manu veſtra: & argẽtum quod redditũ eſt in ore ſacculorum veſtrorũ, reducite in manu veſtra, fortè errore factum fuit.*

13 *Fratrem quoque veſtrum tollite, & ſurgite, reuertimini ad virum.*

14 *Et Deus omnipotens det vobis miſericordiam coram viro : vt ſoluat fratrem veſtrum alium, & Beniamin remittat vobiſcũ: & ego ſicut orbatus ſum, orbabor.*

15 *Et tulerunt viri munus hoc, & duplex argentum tulerunt in manibus ſuis : tulerunt quoque Beniamin, & ſurrexerunt & deſcenderunt in Ægyptum, & ſteterunt coram Ioſeph.*

16 *Et vidit Ioſeph cum eis Beniamin, & dixit illi qui erat præpoſitus ſuper domum ſuam : Introduc viros in domum, & occide victimas, & præpara : quia mecum comeſturi ſunt viri in prandio.*

17 *Fecitque vir ſicut dixerat Ioſeph, & introduxit viros in domum Ioſeph.*

18 *Et timuerunt viri, eò quòd introducti eſſent in domum Ioſeph, & dixerunt : Propter argentum quod prius reductum eſt in ſacculis noſtris, nos ſumus introducti: vt dominetur noſtri, & quærat occaſiones contra nos, & poſſideat nos in ſeruos, & aſinos noſtros.*

19 *Et acceſſerũt ad virũ, qui erat præpoſitus ſuper domum Ioſeph, & locuti ſunt cum eo in porta domus :*

20 *Et dixerũt: Rogamus domine vt audias nos. Deſcendentes deſcendimus prius ad emendum frumentum.*

21 *Et factum eſt quãdo venimus in domum diuerſorij, & aperuimus ſaccos noſtros, ecce argentum vniuſcuiuſq. erat in ore ſacci ſui: & inuenimus argentũ noſtrũ ſuo pondere, & reducimus illud in manu noſtra.*

22 *Aliud quoque argentum afferimus in manu noſtra, ad emendum frumentum : neſcimus, quis poſuit argentum noſtrum in ſaccis noſtris.*

23 *Dixitque eis : Pax vobis, nolite timere : & Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſaurum in ſaccis veſtris: argentum veſtrum venit ad me. Et eduxit ad eos Symeon :*

24 *Et introduxit vir homines in domum Ioſeph: & dedit aquam, & lauerunt pedes ſuos: & dedit pabulũ aſinis ſuis.*

25 *Et parauerunt munera antequam veniret Ioſeph ad prandium : quia audierant quòd ibi comeſturi erant panem.*

26 *Et ingreſſus eſt Ioſeph in domum, & obtulerunt ei munera quæ erant in manibus eorum in domo, & adorauerunt eum proni in terram.*

## Vulgat. Editio.

27 At ille, clementer reſalutatis eis, interrogauit eos, dicens: Saluus ne eſt pater veſter ſenex,de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit?

28 Qui reſponderunt: Soſpes eſt ſeruus tuus pater noſter, adhuc viuit. Et incuruati, adorauerunt eum.

29 Attollens autem Ioſeph oculos, vidit Beniamin fratrem ſuum vterinum, & ait: Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rurſum: Deus, inquit, miſereatur tui, fili mi.

30 Feſtinauitque, quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo,& erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum fleuit.

31 Rurſumque lota facie egreſſus, continuit ſe, & ait: Ponite panes.

32 Quibus appoſitis, ſeorſum Ioſeph,& ſeorſum fratribus, Ægyptijs quoque qui veſcebantur ſimul, ſeorſum(illicitum eſt enim Ægyptijs comedere cũ Hebræis, & profanũ putant huiuſcemodi conuiuium)

33 Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita ſua,& minimus iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis,

34 Sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberuntque & inebriati ſunt cum eo.

### CAP. XLIIII.

1 PRæcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuę, dicens: Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere: & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci.

2 Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore ſacci iunioris. Factumque eſt ita.

3 Et orto mane, dimiſſi ſunt cum aſinis ſuis.

4 Iamque vrbem exierant,& proceſſerant paululum: tunc Ioſeph accerſito diſpenſatore domus: Surge, inquit, & perſequere viros: & apprehenſis dicito: Quare reddidiſtis malum pro bono?

5 Scyphus,quem furati eſtis,ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſſimam rem feciſtis.

6 Fecit ille vt iuſſerat. Et apprehenſis per ordinem locutus eſt.

7 Qui reſponderunt: Quare ſic loquitur dominus noſter, vt ſerui tui tantum flagitij commiſerint?

8 Pecuniam, quam inuenimus in ſummitate ſaccorum,reportauimus ad te de terra Chanaan:& quomodo conſequens eſt vt furati ſimus de domo domini tui aurum vel argentum?

9 Apud quemcumque fuerit inuentũ ſeruorum tuorum quod quæris,moriatur,& nos erimus ſerui domini noſtri.

10 Qui dixit eis: Fiat iuxta veſtram ſententiam:apud quemcumq; fuerit inuentum, ipſe ſit ſeruus meus, vos autem eritis innoxij.

11 Itaque feſtinato deponentes in terram ſaccos, aperuerunt ſinguli.

12 Quos ſcrutatus, incipiens à maiore vſque ad minimum, inuenit ſcyphum in ſacco Beniamin.

13 At illi, ſciſſis veſtibus, oneratiſque rurſum aſinis, reuerſi ſunt in oppidum.

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et interrogauit eos de ſanitate, & dixit: Num ſanus eſt pater veſter ſenex quem dixeratis? Numquid adhuc viuit?*

28 *Et dixerunt: Sanitas eſt ſeruo tuo patri noſtro: adhuc viuit. Et procidérunt, & incuruauerunt ſe.*

29 *Et leuauit oculos ſuos, & vidit Biniamin fratrem ſuum, filium matris ſuæ, et dixit: Num iſte eſt frater veſter minor, quem dixeratis ad me? Et dixit: Deus miſereatur tui fili mi.*

30 *Et feſtinauit Ioſeph, quia incaluerant miſerationes eius ſuper fratrem ſuum, & quæſiuit, vt fleret: & ingreſſus eſt cubiculum, & fleuit ibi.*

31 *Et lauit faciem ſuam, & egreſſus eſt, & vim fecit ſibi, & dixit: Ponite panem.*

32 *Et poſuerũt ei ſeorſum, & eis ſeorſum, & Ægyptijs, qui comedebant ſecum ſeorſum: non enim poterant Ægyptij comedere cum Hebræis panem: quia abominatio erat Ægyptijs.*

33 *Et ſederunt ante eum, primogenitus ſecundum primogenituram ſuam, & paruus iuxta paruitatẽ ſuã. Et admirati ſunt viri vnuſquiſq; ad proximũ ſuũ.*

34 *Et accepit partes à facie ſua: & multiplicauit partem Biniamin pluſquam partes omnium eorum, quinque partes. Et biberunt, & inebriauerunt ſe cum eo.*

### CAP XLIIII.

1 *ET præcepit ei qui erat ſuper domum ſuam, dicẽdo: Imple ſaccos virorum eſca, quantum potuerint ferre: & pone pecuniam vniuſcuiuſque in ore ſacci ſui.*

2 *Et ſcyphum meum, ſcyphum argenteum pone in ore ſacci iunioris, & pecuniam alimẽti eius: Et fecit ſecundum verbum Ioſeph, quod locutus fuerat.*

3 *Mane illuxit, & viri dimiſſi ſunt, ipſi & aſini eorum.*

4 *Ipſi egreſſi erant ex vrbe, non elõgauerant ſe, & Ioſeph dixit ei, qui erat ſuper domum ſuam: Surge, perſequere viros, & apprehende eos, & dices ad eos: Vt quid reddidiſtis malum pro bono?*

5 *Nonne hic eſt in quo bibit dominus meus? & ipſe tentando tentat in eo: male feciſtis, quod feciſtis.*

6 *Et apprehendit eos, & locutus eſt ad eos verba iſta.*

7 *Et dixerunt ad eum: Vt quid loquitur dominus meus ſecundum verba iſta? abſit à ſeruis tuis, vt faciant ſecundum verbum hoc.*

8 *Ecce pecunia, quam inuenimus in ore ſaccorum noſtrorum retulimus ad te è terra Chenahan: & quomodo furati ſumus è domo domini tui argentum, vel aurum?*

9 *Is cum quo inuentus fuerit è ſeruis tuis, moriatur, & etiam nos erimus domino tuo ſerui.*

10 *Et dixit: Etiam nunc ſecundum verba veſtra, ita ſit: is cum quo inuentus fuerit, erit mihi ſeruus, & vos eritis innocentes.*

11 *Et feſtinauerunt, & deſcendere fecerunt vnuſquiſq; ſaccum ſuum ſuper terram, & aperuerunt ſinguli ſaccum ſuum.*

12 *Et ſcrutatus eſt, à maiore incepit, & in minore finiuit: & inuentus eſt ſcyphus in ſacco Biniamin.*

13 *Et ſciderunt veſtimenta ſua, & onerauit vnuſquiſque aſinum ſuum, & reuerſi ſunt in ciuitatem.*

Pri- *Et ve-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

27 Interrogauit autem eos, quomodo habetis? & dixit eis: Si valet pater veſter ſenex, quem dixiſtis? Adhuc viuit?

28 At illi dixerunt: Saluus eſt puer tuus pater noſter, adhuc viuit: & dixit: Benedictus homo ille Deo: Et procumbentes adorauerunt eum:

29 Reſpiciens autem oculis ſuis Ioſeph vidit Beniamin fratrem ſuum vterinum, & dixit: Hic eſt frater veſter iunior, quem dixiſtis ad me adducere? Et dixit: Deus miſereatur tui fili.

30 Turbatus eſt autem Ioſeph: conuoluebantur enim inteſtina eius ſuper fratrem ſuum, & quærebat flere: ingreſſus autem in cubiculum, fleuit illic.

31 Et cum lauiſſet faciem, egreſſus continuit ſe, & dixit: Apponite panes.

32 Et appoſuerunt ei ſoli, & eis per ſeipſos, & Ægyptijs, qui ſimul veſcebantur cum eo, per ſeipſos: nõ enim poterant Ægyptij comedere cum hebræis panes: abominatio enim eſt Ægyptijs.

33 Sederunt autem coram eo, primogenitus ſecundũ iura ætatis ſuæ, & minor ſecũdũ iuuentutẽ ſuã. Obſtupuerunt autẽ homines, vnuſquiſq; ad fratrẽ ſuũ.

34 Sumpſerunt autem partes ab eo ad ſeipſos: magnificata eſt autẽ pars Beniamin præ partibus omnium, quintuplicíter ad eas, quæ illorum. Et biberunt, & inebriati ſunt cum eo.

### C A P. XLIIII.

1 ET mandauit Ioſeph ei qui erat ſuper domum ipſius: Implete marſupia hominum eſcis, quantacunque poſſint tollere: & inijcite vniuſcuiuſque argentum ſuper os marſupij.

2 Et Condy meum argẽteum inijcite in marſupium iunioris, & pretium frumenti eius: Factum eſt autem iuxta verbum Ioſeph, ſicut dixit.

3 Mane illuxit, & homines dimiſſi ſunt, ipſi & aſini eorum.

4 Egreſſis autem ipſis ciuitatem, non aberant longe: & Ioſeph dixit ei, qui ſuper domum ſuam: Surgens inſequere poſt homines: & cõprehẽdes eos, & dices eis: Quid quod reddidiſtis mala pro bonis?

5 Vt quid furati eſtis Condy meum argenteum? nõne hoc eſt, in quo bibit dominus meus? ipſe autem augurio auguratur in eo: mala conſumaſtis, quæ feciſtis.

6 Inueniens autem eos dixit eis ſecundum verba hæc.

7 At illi dixerunt ei: Vt quid loquitur dominus ſecũdum verba hæc? abſit à pueris tuis facere ſecundum verbum hoc.

8 Si argentum quidem, quod inuenimus in marſupijs noſtris, reportauimus ad te de terra Chanaan: quomodo vtique furaremur de domo domini tui argentum, vel aurum?

9 Apud quemcumque puerorum tuorum inueneris Condy, moriatur, & nos autem erimus pueri domino noſtro.

10 At ille dixit: Et nunc, ſicut dicitis, ita erit: apud quemcumque inuentum fuerit Condy, erit meus puer, vos autem eritis mundi.

11 Et feſtinauerunt, & depoſuerunt vnuſquiſque marſupium ſuum in terram, & aperuerunt vnuſquiſque marſupium ſuum.

12 Scrutatus eſt autem à ſeniore incipiens, quoaduſque venit ad iuniorem: & inuenit Condy in marſupio Beniamin.

13 Et diſciderunt veſtimenta ſua, & impoſuerunt vnuſquiſque marſupium ſuum ſuper aſinum ſuum, & redierunt in ciuitatem.

## Chal. Paraph. Tranſl.

27 *Et ſalutauit eos, & ait: Numquid eſt pax patri veſtro ſeni, quem dixiſtis? Numquid adhuc viuit?*

28 *Et dixerunt: Pax eſt ſeruo tuo patri noſtro, adhuc viuit. Et incuruati ſunt, & adorauerunt.*

29 *Et leuauit oculos ſuos, & vidit Beniamin fratrem ſuum, filium matris ſuæ, & ait: Eſt hic frater veſter minimus, quem dixiſtis mihi? Et ait: Deus miſereatur tui fili mi.*

30 *Et feſtinauit Ioſeph, & ingreſſus eſt in cænaculum cubiculi ſui, & volebat flere: & fleuit ibi: quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratrem ſuum.*

31 *Et lauit faciem ſuam, & egreſſus eſt, & confortatus eſt, & dixit: Ponite panem.*

32 *Et poſuerunt ei ſeorſum, & illis ſeorſum, & Ægyptijs qui comedebant cum eo ſeorſum: non enim poterant Ægyptij comedere cum Hebræis panem: quoniam pecus quod Ægyptij colunt, Hebræi comedunt.*

33 *Et diſcubuerunt coram eo, maior iuxta maioritatẽ ſuam, & minor iuxta minoritatem ſuam. Et admirati ſunt viri adinuicem.*

34 *Et data ſunt eis portiones à facie eius: & maior fuit portio Beniamin quintuplíciter portionibus omnium. Et biberunt, & inebriati ſunt cum eo.*

### C A P. XLIIII.

1 *PRæcepit autem diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos virorum frumento, quantum poſſunt portare: & pone argentum vniuſcuiuſque in ore ſacci ſui.*

2 *Calicem autem meum argenteum pones in ore ſacci minoris, & argentum emptionis ſuæ. Fecitq; iuxta verbum Ioſeph, quod locutus fuerat.*

3 *Ortoque manè, viri dimiſſi ſunt, ipſi & aſini ſui.*

4 *Illi egreſſi ſunt de ciuitate, non longè abierunt: & Ioſeph dixit diſpenſatori domus ſuæ: Surge, ſequere poſt viros, & apprehendes eos, & dices eis: Quare reddidiſtis malum pro bono?*

5 *Nonne hic calix erat quo bibebat dominus meus? & ipſe quærens quæſiuit eum: malam rem feciſtis.*

6 *Apprehenditque eos, & locutus eſt cum eis verba hæc.*

7 *Et dixerunt ei: Quare loquitur dominus noſter talia verba? abſit à ſeruis tuis facere hanc rem.*

8 *Ecce argentum quod inuenimus in ore ſaccorum noſtrorum retulimus ad te de terra Chanaan: quomodo ergo furati eſſemus de domo domini tui vaſa argentea, aut vaſa aurea?*

9 *Apud quemcumque de ſeruis tuis fuerit inuentus ſcyphus, moriatur, nos quoque erimus ſerui domino noſtro.*

10 *Et dixit: Etiam nunc iuxta ſermones veſtros ita eſt: apud quemcumque fuerit inuentus, erit mihi ſeruus, vos autem eritis innoxij.*

11 *Et feſtinauerunt, & depoſuerunt vnuſquiſque ſaccum ſuum in terra, & aperuit vnuſquiſque ſaccum ſuum.*

12 *Et ſcrutatus eſt: in maiore incepit, & in minore perfecit: & inuentus eſt ſcyphus in ſacco Beniamin.*

13 *Et ſciderunt veſtimenta ſua: & onerauerunt vnuſquiſque aſinum ſuum, & reuerſi ſunt in ciuitatem.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

14 Primuſque Iudas cum fratribus ingreſſus eſt ad Ioſeph (necdum enim de loco abierat) omneſq; ante eum pariter in terram corruerunt.

15 Quibus ille ait: Cur ſic agere voluiſtis? an ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?

16 Cui Iudas: Quid reſpondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum: en omnes ſerui ſumus domini mei, & nos, & apud quem inuentus eſt ſcyphus.

17 Reſpondit Ioſeph: Abſit à me vt ſic agam: qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſeruus meus: vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.

18 Accedens autem propiùs Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur ſeruus tuus verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo: tu es enim poſt Pharaonem

19 Dominus meus. * Interrogaſti prius ſeruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem?

*Sup.42. 13.

20 Et nos reſpondimus tibi domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus, qui in ſenectute illius natus eſt: cuius vterinus frater mortuus eſt: & ipſum ſolũ habet mater ſua, pater vero tenere diligit eũ.

21 Dixiſtique ſeruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos ſuper illum.

22 Suggeſſimus domino meo: Non poteſt puer relinquere patrem ſuum: ſi enim illum dimiſerit, morietur.

23 * Et dixiſti ſeruis tuis: Niſi venerit frater veſter minimus vobiſcum, non videbitis amplius faciem meam.

*Sup.43. 3.& 5.

24 Cum ergo aſcendiſſemus ad famulum tuum patrem noſtrum, narrauimus ei omnia quæ locutus eſt dominus meus.

25 Et dixit pater noſter: Reuertimini, & emite nobis parum tritici.

26 Cui diximus: Ire non poſſumus: ſi frater noſter minimus deſcenderit nobiſcum, proficiſcemur ſimul: alioquin illo abſente, non audemus videre faciem viri.

27 Ad quæ ille reſpondit: * Vos ſcitis, quòd duos genuerit mihi vxor mea.

*Sup.37. 32.33.

28 Egreſſus eſt vnus, & dixiſtis: Beſtia deuorauit eum: & hucuſque non comparet.

29 Si tuleritis, & iſtum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.

30 Igitur ſi intrauero ad ſeruum tuum patrem noſtrum, & puer defuerit, (cum anima illius ex huius anima pendeat)

31 Videritque eum non eſſe nobiſcum, morietur: & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.

32 Ego propriè ſeruus tuus ſim qui in meã hunc recepi fidem, & ſpopondi dicens: * Niſi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.

*Sup.43. 9.

33 Manebo itaq; ſeruus tuus pro puero in miniſterio domini mei, & puer aſcendat cum fratribus ſuis.

34 Non enim poſſum redire ad patrem meum, abſente puero: ne calamitatis, quæ oppreſſura eſt patrem meum, teſtis aſſiſtam.

### CAP. XLV.

1 NOn ſe poterat vltra cohibere Ioſeph multis coram aſtantibus: vnde præcepit vt egrederẽtur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ.

Ele-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 Et venerunt Iehudah, & fratres eius ad domum Ioſeph, & erat adhuc ipſe ibi, & ceciderunt coram eo ſuper terram.

15 Et dixit ad eos Ioſeph: Quod opus eſt hoc quod feciſtis? nonne noſtis, quòd tentando tentat vir qui eſt ſicut ego?

16 Et dixit Iehudah: Quid dicemus domino meo? quid loquemur, & in quo iuſtificabimus nos? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum ſuorum: ecce ſumus ſerui domini mei, etiam nos, etiam ille in cuius manu inuentus eſt ſcyphus.

17 Et dixit: Abſit à me vt faciam hoc: vir in cuius manu inuentus eſt ſcyphus, ipſe erit mihi ſeruus: & vos aſcendite in pace ad patrem veſtrum.

18 Et acceſſit ad eum Iehudah, & dixit: Quæſo domine mi, loquatur quæſo ſeruus tuus verbum in auribus domini mei, & ne iraſcatur furor tuus in ſeruum tuum: quia ſicut tu, ſic Parhoh.

19 Dominus meus. Interrogauit ſeruos ſuos, dicendo: Numquid eſt vobis pater, vel frater?

20 Et diximus domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & puer ſenectutum paruus: & frater eius mortuus eſt: & remanſit ipſe tantum matri ſuæ, & pater eius diligit eum.

21 Et dixiſti ſeruis tuis: Deſcendere facite eum ad me, & ponam oculum meum ſuper eum.

22 Et diximus domino meo: Non poteſt puer relinquere patrem ſuum: & ſi reliquerit patrem ſuum, morietur.

23 Et dixiſti ſeruis tuis: Niſi deſcendat frater veſter minor vobiſcum, non addatis, vt videatis faciem meam.

24 Et fuit, quando aſcendimus ad ſeruum tuum patrem meum, & narrauimus ei verba domini mei.

25 Dixit pater noſter: Reuertimini, emite nobis puſillum eſcæ.

26 Et diximus: Non poſſumus deſcendere: ſi fuerit frater noſter minor nobiſcum, deſcendemus: quia non poſſumus videre faciem viri fratre noſtro minimo non exiſtente nobiſcum.

27 Et dixit ſeruus tuus pater meus nobis: Vos noſtis, quòd duos peperit mihi vxor mea.

28 Et egreſſus eſt vnus à me, & dixi: Profectò rapiendo raptus eſt: & non vidi eum hactenus.

29 Et capietis etiam hunc à facie mea, & acciderit ei mors, & deſcendere facietis caniciem meam in malo ad ſepulchrum.

30 Et nunc cum venero ad ſeruum tuum, patrem meũ, & puer non fuerit nobiſcum, & anima eius ligata eſt cum anima ipſius:

31 Et erit, cum viderit ipſe, quòd non ſit puer, morietur. & deſcendere facient ſerui tui caniciem ſerui tui, patris noſtri cum dolore ad ſepulchrum.

32 Seruus enim tuus fideiuſſit pro puero patri meo, dicendo: Si non reduxero eum ad te obnoxius ero peccato patri meo omnibus diebus.

33 Et nunc maneat quæſo ſeruus tuus pro puero ſeruus domino meo, & puer aſcendat cum fratribus ſuis.

34 Quomodo enim aſcendam ad patrem meum, puero non exiſtente mecum? ne fortè videam malum, quod inueniet patrem meum.

### CAP. XLV.

1 ET non potuit Ioſeph vim facere ſibi, ad omnes, qui aſtabant iuxta eum, clamauit: educite omnem virum à me, & non ſtetit quiſquam ſecum, vt oſtenderet ſe Ioſeph fratribus ſuis.

Et de-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

14 Intrauit autem Iudas, & fratres eius ad Ioſeph, cũ ipſe adhuc ibi eſſet, & prociderunt coram eo in terram.

15 Dixit autem eis Ioſeph: Quid rem hanc feciſtis? neſciebatis, quia augurio augurabitur homo, qualis ego?

16 Dixit autem Iudas: Quid contradicemus domino, vel quid loquemur, aut quid iuſtificabimur? Deꝰ autem inuenit iniuſtitiam puerorum tuorum: ecce ſumus famuli domino noſtro, & nos, & apud quem eſt inuentum Condy.

17 Dixit autem Ioſeph: Abſit à me facere verbum hoc: homo apud quem eſt inuentum Condy, ipſe erit meus puer: vos autem aſcendite cum ſalute ad patrem veſtrum.

18 Accedens autem ad eum Iudas, dixit: Oro domine, loquatur puer tuus verbum coram te, & non iraſcaris puero tuo: quia tu es poſt Pharaonem.

19 Domine tu interrogaſti pueros tuos, dicens: Si habetis patrem, aut fratrem?

20 Et diximus domino: Eſt nobis pater ſenior, & puer ſenectutis iunior ei: & frater eius mortuus eſt: ipſe autem ſolus remanſit matri ſuæ, pater autem eũ dilexit.

21 Dixiſti autem pueris tuis: Deducite eum ad me, & curam geram illius.

22 Et diximus domino: Non poterit paruulus relinquere patrem ſuum: ſin autem reliquerit patrem, morietur.

23 Tu autem dixiſti pueris tuis: Niſi deſcenderit frater veſter iunior vobiſcum, non adijcietis videre faciem meam.

24 Factum eſt autem, quando aſcendimus ad puerum tuum patrem noſtrum, annunciauimus ei verba domini noſtri.

25 Dixit autem pater noſter: Ite ruſſus, & emite nobis puſillas eſcas.

26 Nos autem diximus: Non poterimus deſcendere: ſed ſiquidem frater noſter iunior deſcẽdit nobiſcũ, deſcendemus: non enim poterimus videre faciẽ hominis, niſi frater noſter iunior nobiſcum ſit.

27 Dixit autem puer tuus pater noſter ad nos: Vos ſcitis, quia duos peperit mihi vxor,

28 Et exiuit vnus à me, & dixiſtis: Quia à beſtia deuoratus fuit: & non vidi eum vſque nunc.

29 Si igitur tuleritis, & hunc à facie mea, & acciderit ei languor in via: & deducetis meam ſenectam cũ triſtitia ad infernum.

30 Nunc igitur, ſi ingrediar ad puerum tuum, patrem autem noſtrum, & paruulus non fuerit nobiſcum: anima autem eius dependet ex anima huius:

31 Et erit cum ipſe viderit paruulum non eſſe nobiſcũ morietur: & deducent pueri tui, ſenectã pueri tui, patris autem noſtri cum triſtitia ad infernum.

32 Puer enim tuus à patre ſuſcepit paruulum, dicens: Niſi adduxero eum ad te, & ſtatuero eum corã te, ero ille qui peccaui in patrem omnibus diebus.

33 Nunc igitur manebo apud te puer pro paruulo, famulus domini, puer autẽ aſcendat cũ fratribus ſuis.

34 Quomodo enim aſcendam ad patrem: cum paruulus non ſit nobiſcum? vt non videam mala, quæ inuenient patrem meum.

### CAP. XLV.

1 ET non potuit Ioſeph ſe continere omnibus aſtantibus ei, ſed dixit: emittite omnes à me, & nemo aſtitit ipſi Ioſeph, quando notum ſe faciebat fratribus ſuis.



## Chald. Paraph. Transl.

14 *Et ingreſſus eſt Iudas & fratres eius in domum Ioſeph, & ipſe adhuc erat ibi, & corruerunt coram eo in terram.*

15 *Dixitque eis Ioſeph: Quid eſt hoc quod feciſtis? neſciebatis quod inueſtigans inueſtigaret vir ſicut ego?*

16 *Dixitque Iudas: Quid dicemus domino meo, quid loquemur, aut quo iuſtificabimur? à facie enim Dei inuentum eſt peccatum ſeruorum tuorum: ecce ſumus ſerui domino meo, tam nos, quàm ille, in cuius manu inuentus eſt ſcyphus.*

17 *Et ait: Abſit à me hoc facere: vir in cuius manu inuentus eſt ſcyphus, erit mihi ſeruus: vos autem aſcendite in pace ad patrem veſtrum.*

18 *Et acceſſit ad eum Iudas, & ait: Obſecro, domine mi, vt loquatur nunc ſeruus tuus verbum coram domino meo, & non iraſcatur furor tuus ſuper ſeruum tuum: quoniam talis es tu: ſicut Pharao.*

19 *Dominus meus interrogauit ſeruos ſuos, dicens: Nũ habetis patrem, aut fratrem?*

20 *Et diximus domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & filius ſenectutis paruulus: frater autem eius mortuus eſt: & remanſit ſolus ipſe matri ſuæ, & pater eius dilexit eum.*

21 *Et dixiſti ſeruis tuis: Deducite eum ad me, & ponã oculum meum ſuper eum.*

22 *Diximuſque domino meo: Non poteſt puer relinquere patrem ſuum: ſi autem reliquerit patrem ſuum, morietur.*

23 *Et dixiſti ſeruis tuis: Non videatis vltra faciem meam, ſi non deſcenderit frater veſter minimus vobiſcum.*

24 *Et factum eſt cùm aſcendimus ad ſeruum tuum patrem noſtrum, narrauimus ei verba domini mei.*

25 *Dixitq; pater noſter: Reuertimini, emite nobis modicum frumenti.*

26 *Et diximus: Non poſſumus deſcendere: ſi ierit frater noſter minimus nobiſcum deſcendemus: quoniam non poſſumus videre faciem viri ſi frater noſter minimus non ierit nobiſcum.*

27 *Dixitq; nobis pater noſter ſeruus tuus: Vos ſcitis quia duos peperit mihi vxor mea:*

28 *Egreſſusq; eſt vnus à me, & dixi: Occiſione occiſus eſt, & non vidi eum vſque in præſens.*

29 *Et ſi tuleritis hunc à facie mea, & acciderit ei mors, deducetis caniciem meam cum afflictione ad inferos.*

30 *Et nunc cùm venero ad ſeruum tuum patrem meũ, & puer non redierit nobiſcum: & anima eius eſt ei dilecta, quaſi anima ſua.*

31 *Cumque viderit quòd puer non eſt nobiſcum, morietur: & deducent ſerui tui caniciem patris noſtri ſerui tui cum mœrore ad inferos.*

32 *Seruus enim tuus ſpopondit pro puero apud patrem meum, dicens: Si non reduxero eum tibi, eroq; peccati reus in patrem meum omnibus diebus.*

33 *Et nũc maneat, obſecro, ſeruus tuus pro puero in ſeruitute dñi mei, & puer aſcendat cũ fratribus ſuis.*

34 *Quomodo potero aſcendere ad patrem meum, puero non exiſtente mecum? ne videam malum quod inueniet patrem meum.*

### CAP. XLV.

1 *ET non poterat Ioſeph ſuſtinere omnes exiſtentes apud eum: & clamauit: educite omnes homines à me: & nullus ſtetit cum eo, quando agnitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Eleuauitque vocem cum fletu: quam audierunt
Aegyptij, omniſque domus Pharaonis.
3 Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Ioſeph: adhuc pa-
ter meus viuit? Non poterant reſpondere fratres
nimio terrore perterriti.
4 Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me.
* Act.7.13 Et cum acceſſiſſent prope,* ego ſum, ait, Ioſeph fra
ter veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.
5 Nolite pauere, neque vobis durum eſſe videatur q
* Infr.50. vendidiſtis me in his regionibus:* pro ſalute enim
veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.
6 Biennium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra:
& adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari po
terit, nec meti.
7 Præmiſitq; me Deus, vt reſeruemini ſuper terram:
& eſcas ad viuendum habere poſſitis.
8 Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſ-
ſus ſum: qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, &
dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in
omni terra Aegypti.
9 Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dice-
tis ei: Hæc mandat filius tuus Ioſeph; Deus fe-
cit me dominum vniuerſæ terræ Aegypti: deſcen-
de ad me, ne moreris.
10 Et habitabis in terra Geſſen: eriſque iuxta me tu,
& filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & ar-
menta tua, & vniuerſa quæ poſſides.
11 Ibique te paſcam (adhuc enim quinque anni reſi-
dui ſunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & om-
nia quæ poſſides.
12 En oculi veſtri, & oculi fratris mei Beniamin vi-
dent, quòd os meum loquatur ad vos.
13 Nunciate patri meo vniuerſam gloriam meam, &
cuncta quæ vidiſtis in Aegypto: feſtinate, & addu-
cite eum ad me.
14 Cumque amplexatus recidiſſet in collum Benia-
min fratris ſui, fleuit: illo quoque ſimiliter flente
ſuper collum eius.
15 Oſculatuſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, &
plorauit ſuper ſingulos: poſt quæ auſi ſunt loqui
ad eum.
16 Auditumque eſt, & celebri ſermone vulgatum in
aula regis: Venerunt fratres Ioſeph: & gauiſus eſt
Pharao, atque omnis familia eius.
17 Dixitque ad Ioſeph vt imperaret fratribus ſuis di-
cens: Onerantes iumenta, ite in terram Cha-
naan,
18 Et tollite inde patrem veſtrum & cognationem, &
venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægy-
pti, vt comedatis medullam terræ.
19 Præcipe etiam vt tollant plauſtra de terra Aegy-
pti, ad ſubuectionem paruulorum ſuorum ac con-
iugum: & dicito: Tollite patrem veſtrum, & pro-
perate quantocius venientes.
20 Nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtra:
quia omnes opes Aegypti, veſtræ erunt.
21 Feceruntque filij Iſrael vt eis mandatum fuerat:
Quibus dedit Ioſeph plauſtra, ſecundum Pharao-
nis imperium: & cibaria in itinere.
22 Singulis quoque proferri iuſſit binas ſtolas: Benia-
min vero dedit trecentos argenteos, cum quinque
ſtolis optimis.
23 Tantumdem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo,
addens & aſinos decem, qui ſubueherent ex omni-
bus diuitijs Aegypti: & totidem aſinas, triticum in
itinere, paneſque portantes.
24 Dimiſit ergo fratres ſuos, & proficiſcentibus ait: Ne
iraſcamini in via.
25 Qui aſcendentes ex Aegypto, venerunt in terram
Chanaan ad patrem ſuum Iacob.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et dedit vocem ſuam in fletu: & audierunt Æ-
gyptij, & audiuit domus Parhoh.*
3 *Et dixit Ioſeph fratribus ſuis: Ego ſum Ioſeph: num
adhuc viuit pater meus? Et non potuerunt fratres
eius reſpondere ei: quia territi erant à facie eius.*
4 *Et dixit Ioſeph fratribus ſuis: Accedite quaſo ad
me. Et acceſſerunt, & dixit: ego ſum Ioſeph frater
veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.*
5 *Nunc ne dolore afficiamini, & ne ſit ira in oculis ve-
ſtris, quòd vendideritis me huc: quia propter vitam,
miſit me Deus ante vos.*
6 *Iam enim duo anni fuerunt famis in medio ter-
ra: & adhuc quinque anni ſunt, in quibus nõ erit
aratio & meſſis.*
7 *Et miſit me Deus ante vos, vt ponã vobis reliquias
in terra: & vt viuificem vos euaſione magna.*
8 *Et nunc non vos miſiſtis me huc, ſed Deus, & po-
ſuit me in patrem ipſi Parhoh, & in dominum om-
ni domui eius, & dominatorem in omni terra Æ-
gypti.*
9 *Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, &
dicite ei: Sic dixit filius tuus Ioſeph, poſuit me
Deus in dominum omni Ægypto: deſcende ad me,
ne ſtes.*
10 *Et habitabis in terra Ghoſen: & eris propinquus mi
hi tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, & pecudes
tua, & boues tui, & omnia qua ſunt tibi.*
11 *Et alam te ibi, quia adhuc quinque anni famis ſunt,
ne forte paupertate conſiciaris tu, & domus tua, &
omne quod eſt tibi.*
12 *Et ecce oculi veſtri vident, & oculi fratris mei
Biniamin, quòd os meum loquitur ad vos.*
13 *Et nunciate patri meo omnem gloriam meam in Æ-
gypto, & omnia qua vidiſtis: & feſtinate, & deſcen-
dere facite patrem meum huc.*
14 *Et iactauit ſe ſuper collum Biniamin fratris
ſui, & fleuit: & Biniamin fleuit ſuper collum
eius.*
15 *Et oſculatus eſt omnes fratres ſuos, & fleuit
ſuper eos: & poſtea locuti ſunt fratres eius
cum eo.*
16 *Et vox audita eſt in domo Parhoh, dicendo: Vene-
runt fratres Ioſeph: & placuit in oculis Parhoh, &
in oculis ſeruorum eius.*
17 *Et dixit Parhoh ad Ioſeph: dic fratribus tuis: Hoc
facite, onerate iumenta veſtra, & ite, ingredimini
terram Chenahan.*
18 *Et capite patrem veſtrum, & familias veſtras, &
venite ad me: & dabo vobis bonum terra Ægypti,
& comedite pinguedinem terra.*
19 *Et tu iuſſus es: hoc facite, capite vobis de ter-
ra Ægypti currus pro paruulis veſtris, & pro vxo-
ribus veſtris: Et accipite patrem veſtrum, & ve-
nite.*
20 *Et oculus veſter non parcat ſuppellectilibus veſtris:
quia bonum omnis terra Ægypti, veſtrum erit.*
21 *Et fecerunt ſic filij Iſrael: Et dedit eis Ioſeph cur-
rus iuxta ſermonem Parhoh: & dedit eis eſcam pro
itinere.*
22 *Omnibus ipſis dedit vnicuique mutatorias veſtes:
& ipſi Biniamin dedit trecentos argenteos, & quin-
que mutatorias veſtes.*
23 *Et patri ſuo miſit ſicut hoc, decem aſinos fe-
rentes de bono Ægypti: & decem aſinos feren-
tes frumentum, & panem, & eſcam patri ſuo pro
itinere.*
24 *Et dimiſit fratres ſuos, & abierunt, & dixit ad eos:
Ne iraſcamini in via.*
25 *Et aſcenderunt ex Ægypto, & venerunt ad terram
Chenahan ad Iahacob patrem ſuum.*

*Et nun-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

2 Et dimiſit vocem cum fletu: audierunt autem omnes Aegyptij: & auditum eſt in domo Pharaonis.

3 Dixit autem Ioſeph ad fratres ſuos: Ego ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? Et non potuerunt fratres reſpondere ei: turbati enim erant.

4 Dixit autem Ioſeph ad fratres ſuos: Accedite ad me. Et acceſſerunt, & dixit: ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Aegyptum.

5 Nunc igitur nolite mœſti eſſe: neque durum vobis videatur, quod vendidiſtis me huc: ad vitam enim miſit me Deus ante vos:

6 Hunc enim ſecundum annum famis eſt ſuper terram: & adhuc reliqui quinque anni, in quibus nõ eſt aratio, neque meſſis.

7 Miſit enim me Deus ante vos remanere vobis reliquias ſup terrã: & enutrire veſtras reliqas magnas.

8 Nunc igitur non vos miſiſtis me huc, ſed Deus: & fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum vniuerſæ domus eius, & principem omnis terræ Aegypti:

9 Feſtinantes igitur aſcendite ad patrem meum, & dicite ei: Hæc dicit filius tuus Ioſeph: fecit me Deus dominum vniuerſæ terræ Aegypti: deſcende ergo ad me, & ne ſteteris.

10 Et habitabis in terra Geſem Arabiæ: & eris prope me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & boues tui, & quæcumque tibi ſunt:

11 Et enutriam te illic: adhuc enim quinque annis fames: vt non deficias tu, & filij tui, & omnis ſubſtantia tua.

12 Ecce oculi veſtri aſpiciunt, & oculi Beniamin fratris mei; quia os meum eſt, quod loquitur ad vos.

13 Annunciate igitur patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, & quæcumque videtis: & properantes deducite patrem meum huc.

14 Et procidens ſuper collum Beniamin fratris ſui, fleuit ſuper eo: & Beniamin fleuit ſuper collo illius.

15 Et oſculatus omnes fratres ſuos, fleuit ſuper eis: & poſt hæc locuti ſunt fratres eius ad eum.

16 Et diuulgata eſt vox in domo Pharaonis, dicentes: Venerunt fratres Ioſeph: gauiſus eſt autem Pharao, & familia eius.

17 Dixit autem Pharao ad Ioſeph: dic fratribus tuis: Hoc facite: onerate vehicula veſtra, & abite in terram Chanaan,

18 Et aſſumentes patrem veſtrum, & ſubſtantiam veſtram venite ad me: & dabo vobis de omnibus bonis Aegypti, & comedetis medullam terræ.

19 Tu autem præcipe hæc, ſumere ipſis de terra Aegypti plauſtra paruulis veſtris, & vxoribus veſtris: Et aſſumentes patrem veſtrum, aduenite.

20 Et non parcatis oculis de vaſis veſtris: omnia enim bona Aegypti vobis erunt.

21 Fecerunt autem ſic filij Iſrael: Dedit autem Ioſeph eis plauſtra, ſecundum ea, quæ dicta fuerant à Pharaone rege: & dedit illis cibaria in viam:

22 Et omnibus dedit binas ſtolas: ipſi autem Beniamin dedit trecentos aureos, & quinque eximias ſtolas.

23 Et patri ſuo miſit iuxta eadem, & decem aſinos ferentes de omnibus bonis Ægypti: & decem mulas ferentes panes patri ſuo in viam.

24 Dimiſit autem fratres ſuos, & ierunt, & dixit eis: Ne iraſcamini in via.

25 Et aſcenderunt de Ægypto, & venerunt in terram Chanaan ad Iacob patrem ſuum.

Et nun-

## Chald. Paraph. Tranſl.

2 *Et leuauit vocem ſuam cum fletu: & audierunt Ægyptij, audiuitq́ domus Pharaonis.*

3 *Dixitq́ Ioſeph fratribus ſuis: Ego ſum Ioſeph: nũquid adhuc pater meus viuit? Et nõ poterãt fratres eius reſpondere ei verbũ: qm turbati erant coram eo.*

4 *Dixitque Ioſeph fratribus ſuis: Accedite nunc ad me. Et acceſſerunt, & ait: ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.*

5 *Et nunc nolite contriſtari: neque diſpliceat in oculis veſtris, q̃ vendidiſtis me huc: quoniam in ſuſtentationem miſit me Dominus ante vos.*

6 *Quoniam duo anni famis ſunt tranſacti in medio terræ: & adhuc quinque anni remanent, in quibus non erit ſeminatio, nec meſſis.*

7 *Et miſit me Deus ante vos, vt poneret vobis reliqua in terra: & vt ſuſtentaret vos liberatione magna.*

8 *Et nunc non vos miſiſtis me huc; ſed à Deo miſſus ſum: & poſuit me in patrem Pharaonis, & in dominum omnibus viris domus ſuæ, & dominatorem in vniuerſa terra Ægypti.*

9 *Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc dicit filius tuus Ioſeph: poſuit me Deus in dominum omnibus Ægyptijs: deſcende ad me, ne moreris.*

10 *Habitabiſq́ in terra Geſen: & eris iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, & oues tuæ, & boues tui, & vniuerſa quæ habes.*

11 *Et nutriam te ibi: quoniam adhuc quinq́ anni reſtant famis: ne fortè penuriam patiaris tu, & viri domus tuæ, & vniuerſa quæ habes.*

12 *Et ecce oculi veſtri vident, & oculi fratris mei Beniamin, quòd veſtra lingua ego loquor vobiſcum.*

13 *Et nunciabitis patri meo vniuerſam gloriam meã, quam habeo in Ægypto, & omnia quæ vidiſtis: feſtinabitiſq́, & deducetis patrem meum huc.*

14 *Et ruit ſuper ceruicem Beniamin fratris ſui, & fleuit: Beniamin quoque fleuit ſuper ceruicem eius.*

15 *Et oſculatus eſt omnes fratres ſuos, & fleuit ſuper eos: & poſtea locuti ſunt fratres eius cum eo.*

16 *Et rumor auditus eſt in domo Pharaonis, dicendo: Venerunt fratres Ioſeph: & placuit in oculis Pharaonis, & in oculis ſeruorum eius.*

17 *Dixitq́ Pharao ad Ioſeph: dic fratribus tuis: Hoc facite: onerate iumenta veſtra, & ite, & afferte in terram Chanaan.*

18 *Et tollite patrem veſtrum, & homines domus veſtræ, & venite ad me: & dabo vobis optimam terrã Ægypti, & comedetis bona terræ.*

19 *Tu autem præcipe eis, hoc facite: tollite vobis de terra Ægypti currus familiæ veſtræ, & vxoribus veſtris: Et tollite patrem veſtrum, & venite.*

20 *Et oculus veſter non parcat ſupellectili veſtræ: quoniam optima totius terræ Ægypti veſtra erunt.*

21 *Feceruntque ita filij Iſrael: Et dedit eis Ioſeph plauſtra, ſecundum præceptum Pharaonis: & dedit eis cibaria in viam.*

22 *Vnicuique omnium dedit ſtolas, vt induerentur: Beniamin quoque dedit trecentos ſiclos argenteos, & quinque ſtolas indumenti.*

23 *Patri quoque ſuo ſimiliter miſit decem aſinos oneratos bonis Ægypti: & decem aſinas portantes frumentum, & panes, & cibaria patri ſuo in viam.*

24 *Et miſit fratres ſuos, & abierunt, & dixit eis: Non contendatis in via.*

25 *Et aſcenderunt de Ægypto, & venerunt in terram Chanaan ad Iacob patrem ſuum.*

 *Et nar-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

26 Et nunciauerunt ei, dicentes: Ioſeph filius tuus vi-
uit: & ipſe dominatur in omni terra Ægypti. Quo
audito Iacob, quaſi de graui ſomno euigilans, ta-
men non credebat eis.
27 Illi è contra referebant omnem ordinem rei. Cum-
que vidiſſet plauſtra, & vniuerſa quæ miſerat, re-
uixit ſpiritus eius,
28 Et ait: Sufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius
meus viuit: vadam, & videbo illum antequam
moriar.

### CAP. XLVI.

1 PRofectuſque Iſrael cum omnibus quę habebat,
venit ad Puteum iuramenti: & mactatis ibi vi-
ctimis Deo patris ſui Iſaac.
2 Audiuit eum per viſionem noctis vocantem ſe, &
dicentem ſibi: Iacob, Iacob. Cui reſpondit: Ecce
adſum.
3 Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui:
noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem
magnam faciam te ibi.
4 Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam
te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas
ſuper oculos tuos.
* Act. 7. 15. 5 Surrexit autem Iacob à Puteo * iuramenti:
tuleruntque eum filij cum paruulis & vxoribus
ſuis in plauſtris quæ miſerat Pharao ad portandum
ſenem,
6 Et omnia quæ poſſederat in terra Chanaan:
* Ioſu. 24. 4. Pſal. 104. 23. Iſa. 52. 4. * veniteque in Aegyptum cum omni ſemine
ſuo,
7 Filij eius, & nepotes: filiæ, & cuncta ſimul proge-
nies.

8 Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſrael, qui in-
Exo. 1. 16. 15. Nu. 26. 5. 1. Par. 5. 1. & 3. gressi ſunt in Aegyptũ, ipſe cum liberis ſuis. * Pri-
mogenitus Ruben.
9 Filij Ruben: Henoch & Phallu, & Heſron, &
Exo. 6. 15. Charmi.
1. Par. 4. 24. 10 Filij Simeon: Iamuel & Iamin, & Ahod, & Iachin,
1. Par. 6. 1. & Sohar, & Saul filius Chananitidis.
1. Par. 2. 3. 4. 11. 11 Filij Leui: Gerſon, & Caath, & Merari.
1. Par. 7. 1. 12 Filij Iuda: Her & Onan, & Sela, & Pha-
res, & Zara: mortui ſunt autem Her, & Onan
in terra Chanaan. Natique ſunt filij Phares: Heſ-
ron, & Hamul.
13 Filij Iſſachar: Thola, & Phua, & Iob, &
Semron.
14 Filij Zabulon: Sared, & Elon, & Iahelel.
15 Hi filij Liæ quos genuit in Meſopotamia Syriæ cũ
Dina filia ſua. Omnes animæ filiorum eius & filia-
rum, triginta tres.
16 Filij Gad: Sephion & Haggi, & Suni, & Eſebon, &
Heri, & Arodi, & Areli.
* 1. Par. 7. 30. 17 * Filij Aſer, Iamne, & Ieſua, & Ieſſui, & Beria, Sa-
ra quoque ſoror eorum. Filij Beria: Heber, & Mel-
chiel.
18 Hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ,
& hos genuit Iacob ſedecim animas.
19 Filij Rachel vxoris Iacob: Ioſeph, & Benia-
min.
* Sup. 41. 51. 1. Par. 7. 6. 1. 8. 20 * Natique ſunt Ioſeph filij in terra Ægypti,
quos genuit ei Aſeneth filia Putiphare ſa-
cerdotis Heliopoleos: Manaſſes, & Ephra-
im.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et nunciauerunt ei dicendo: adhuc Ioſeph vi-
uit, & ipſe dominatur in omni terra Aegy-
pti. Et debilitatum eſt cor eius, quia non cre-
debat eis.*
27 *Et locuti ſunt ad eum omnia verba Ioſeph, quæ
locutus fuerat ad eos. Et vidit currus quos miſit
Ioſeph, vt ferrent eum, & reuixit ſpiritus Iahacob
patris eorum.*
28 *Et dixit Iſrael: Sufficit adhuc Ioſeph filius meus
viuit: ibo, & videbo eum antequam moriar.*

### CAP. XLVI.

1 *ET profectus eſt Iſrael, & omnia quæ erant ei, &
venit in Beerſebah: & ſacrificauit ſacrificia
Deo patris ſui Iſchac.*
2 *Et dixit Deus ad Iſrael in viſionibus noctis:
& dixit: Iahacob, Iahacob. Et dixit: Ecce ad-
ſum.*
3 *Et dixit: Ego ſum Deus, Deus patris tui: ne timeas
deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam
ponam te ibi.*
4 *Ego deſcendam tecum in Ægyptum, & ego aſcende
re faciam te, etiam aſcendendo: Et Ioſeph ponet ma-
num ſuam ſuper oculos tuos.*
5 *Et ſurrexit Iahacob de Beerſebah: & eleuauerunt
filij Iſrael Iahacob patrem ſuum, & paruulos
ſuos, & vxores ſuas ſuper currus, quos miſit Parhoh
ad ferendum eum.*
6 *Et ceperunt greges ſuos, & ſubſtantiam ſuam, quam
acquiſierãt in terra Chenahan: & venerunt in Ægy
ptum: Iahacob, & omne ſemen ſuum ſecum.*
7 *Filij eius, & filij filiorum eius cum eo: filiæ eius,
& filiæ filiorum eius, & omne ſemen ſuum adduxit
ſecum in Aegyptum.*
8 *Et hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt
in Ægyptum, Iahacob, & filij eius. Primogenitus Ia-
hacob Reuben.*
9 *Et filij Reuben: Chanoch, & Pallu, & Cheſron, &
Charmi.*
10 *Et filij Simhon: Iemuel, & Iamin, & Ohad, & Ia-
chin, & Sochar, & Saul filius Chenahanitidis.*
11 *Et filij Leui: Gherſon, & Chehath, & Merari.*
12 *Et filij Iehudah: Her, & Onan, & Selah, & Peres,
& Zerach: & mortuus eſt Her, & Onan in terra
Chenahan: Et fuerunt filij Peres Cheſron, &
Chamul.*
13 *Et filij Iſaſchar: Tolah, & Punah, & Iob, &
Simron.*
14 *Et filij Zebulun, Sered, & Elon, & Iachleel.*
15 *Iſti ſunt filij Leah, quos peperit ipſi Iahacob in Pa-
dan Aram, & Dinah filiam eius. Omnes animæ filio
rum eius, & filiarum eius fuerunt triginta & tres.*
16 *Et filij Ghad Siphion, & Chagghi, Suni, & Eſbon,
Heri, & Arodi, & Areli.*
17 *Et filij Aſer: Imnah, & Iſuah, & Iſui, & Berihah,
& Serach ſoror eorum. Et filij Berihah: Cheber, &
Malchiel.*
18 *Iſti ſunt filij Zilpah, quam dedit Laban Leah filiæ
ſuæ. & peperit iſtos ipſi Iahacob, ſexdecim animas.*
19 *Filij Rachel vxoris Iahacob: Ioſeph, & Binia-
min.*
20 *Et nati ſunt ipſi Ioſeph in terra Ægypti,
quos peperit ei Aſnath filia Potiphe-
rah principis On: Menaſſeh, & Ephra-
im.*

Filij

*Et filij*

## Tranſl. ex Septuag.

26 Et nunciauerunt ei, dicentes: quia filius tuus Ioſeph viuit, & ipſe eſt princeps vniuerſæ terræ Ægypti. Et obſtupuit mente Iacob, non enim credidit eis.

27 Locuti ſunt autem ei omnia, quæ dicta fuerant à Ioſeph, quæcunque dixit eis. Videns autem plauſtra, quæ miſerat Ioſeph, vt aſſumerent eum, reuixit ſpiritus Iacob patris eorum,

28 Dixit autem Iſrael: Magnum mihi eſt ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: profectus videbo eum, priuſquam moriar.

### C A P. XLVI.

1 PRomouens autem Iſrael ipſe, & omnia quæ eius, venit ad puteum iuramenti: immolauitque hoſtiam Deo patris ſui Iſaac.

2 Dixit autem Deus ad Iſrael in viſione noctis, dicens: Iacob, Iacob. At ille dixit: Quid eſt?

3 Ille vero dixit ei: Ego ſum Deus patrum tuorum: noli timere deſcendere in Aegyptum, in gentem enim magnam faciam te ibi.

4 Et ego deſcendam tecum in Aegyptum & ego aſcendere te faciam in finem: Et Ioſeph imponet manus ſuas ſuper oculos tuos.

5 Surrexit autem Iacob à Puteo iuramenti: & aſſumpſerunt filij Iſrael patrem ſuum, & apparatum, & vxores ſuas ſuper plauſtra, quæ miſerat Ioſeph ad tollendum eum.

6 Et aſſumentes ſubſtantiã ſuam, & oẽm poſſeſſionẽ, quam poſſederãt in terra Chanaan: ingreſſi ſunt in Aegyptum: Iacob, & omne ſemen eius cum eo,

7 Filij, & filij filiorum eius cum eo: filiæ, & filiæ filiarum eius, & omne ſemen ſuum duxit in Aegyptum.

8 Hæc autem nomina filiorum Iſrael, qui intrauerũt in Aegyptum ſimul cum Iacob patre ſuo: Iacob, & filij eius. Primogenitus Iacob Ruben:

9 Filij autem Ruben: Enoch, & Phallos, Aſron, & Charmi.

10 Filij autem Symeon: Iemuel, & Iamin, & Aod, & Achin, & Saar, & Saul filius Chananitidis.

11 Filij autem Leui: Gerſon, Caath, & Merari.

12 Filij autem Iuda: Er, & Aynan, & Selom, & Phares, & Zara: mortuus eſt autem Er & Aynan in terra Chanaan. Nati ſunt autem filij Phares: Eſron, & Iemuel.

13 Filij autem Iſſachar: Thola, & Phua, & Aſum, & Sambran.

14 Filij autem Zabulon: Sered, & Allon, & Achoel.

15 Hi ſunt filij Liæ, quos peperit ipſi Iacob in Meſopotamia Syriæ, & Dinam filiã eius. Omnes animę, filij, & filiæ, triginta tres.

16 Filij autẽ Gad: Sephon, & Angis, & Sannis, & Thaſoban, & Aedis, & Aroedis, & Araelis.

17 Filij autem Aſer: Iemna, Ieſſua, & Ieul, & Baria, & Sara ſoror eorum. Filij autem Baria: Chobor, & Melchijl.

18 Hi ſunt filij Zelphæ, quã dedit Laban Lię filiæ ſuæ. quæ peperit iſtos ipſi Iacob, ſexdecim animas.

19 Filij autem Rachel vxoris Iacob: Ioſeph, & Beniamin.

20 Nati ſunt autem filij Ioſeph, in terra Ægypti quos peperit ei Aſeneth, filia Petephræ ſacerdotis Heliopoleos: Manaſſe, & Ephraim. Facti ſunt autem filij Manaſſe, quos peperit ei concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad: Filij autem Ephræm fratris Manaſſe, Sutalaam, & Taam: Filij autem Sutalaam, Edom.



## Chal Paraph. Tranſl.

26 *Et narrauerunt ei, dicentes: adhuc Ioſeph viuit, & quòd dominatur in vniuerſa terra Ægypti. Et erant verba hæc vacillantia in corde ſuo, quoniam non credebat eis.*

27 *Et locuti ſunt cum eo omnia verba Ioſeph, quæ locutus fuerat cum eis. Et vidit plauſtra, quæ miſerat Ioſeph, vt portarent eum, & requieuit Spiritus Sanctus ſuper Iacob patrem ſuum.*

28 *Dixitque Iſrael: Magnum gaudium eſt mihi, Ioſeph filio meo adhuc viuente: vadam, & videbo eum antequam moriar.*

### C A P. XLVI.

1 *PRofectuſque eſt Iſrael, & omnia ſua, & venit in Berſabee: & immolauit ibi victimas Deo patris ſui Iſaac.*

2 *Atque Deus ad Iſrael in viſione noctis, dicens: Iacob, Iacob. Et dixit: Ecce ego!*

3 *Et dixit: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: ne timeas deſcendere in Ægyptum; quoniam in gentem magnam ponam te ibi.*

4 *Ego deſcendam tecum in Ægyptum, ego quoque inde aſcendere te faciam: Et Ioſeph ponet manum ſuã ſuper oculos tuos.*

5 *Et ſurrexit Iacob de Berſabee: & tulerunt filij Iſrael Iacob patrem ſuum, & familiam eorum, & vxores eorum, in plauſtris, quæ miſit Pharao vt portarent eum.*

6 *Adduxerunt quoque pecora eorum, & ſubſtantiam quam acquiſierunt in terra Chanaan: & venerunt Iacob & omnes filij ſui cum eo in Aegyptum:*

7 *Tam filij ſui, quàm filij filiorum ſuorum cum eo: filias quoque ſuas, & filias filiorum ſuorum, & omnẽ progeniem ſuam, adduxit ſecum in Aegyptum.*

8 *Et hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Aegyptum, Iacob & filij eius. Primogenitus Iacob, Ruben.*

9 *Filij autem Ruben: Enoch, & Phallu, & Eſron, & Charmi.*

10 *Et filij Symeon: Iamuel, & Iamin, & Abod, & Iachin, & Sacher, & Saul filius Chananitidis.*

11 *Filij autem Leui: Gerſon, & Caath, & Merari.*

12 *Filij autem Iuda: Her, & Onan, & Sela, & Phares, & Zara: mortuique ſunt Her, & Onan in terra Chanaan. Filij autem Phares fuerunt Eſron, & Amul.*

13 *Et filij Iſachar: Thola, & Phua, & Iob, & Semeron.*

14 *Filij autem Zabulon: Sared, & Helon, & Ialeel.*

15 *Iſti ſunt filij Lia, quos peperit de Iacob in Meſopotamia Syria, & Dina filia ſua. Omnes animæ filiorum, & filiarum eius, triginta & tres.*

16 *Filij autem Gad: Sephion, & Aggi, Suni quoque & Eſebon, Heri, & Arodi, & Areli.*

17 *Filij autem Aſer: Iemna, & Ieſua, & Ieſui, & Beria, Sara quoque ſoror eorum. Filij quoque Beria: Heber, & Melchiel.*

18 *Hi ſunt filij Zelpha, quam dedit Laban Lia filiæ ſuæ. & peperit de Iacob iſtas ſexdecim animas.*

19 *Filij Rachel vxoris Iacob: Ioſeph & Beniamin.*

20 *De Ioſeph quoque nati ſunt in terra Ægypti, Manaſſes, & Ephraim, quos peperit ei Aſeneth filia Putipharis principis On.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Filij Beniamin: Bela,& Bechor, & Aſbel, & Gera, & Naaman,& Echi,& Ros, & Maphim, & Ophim, & Ared.
22 Hi filij Rachel,quos genuit Iacob : omnes animæ, quatuordecim.
23 Filij Dan: Huſim.
24 Filij Nephthali : Iaſiel, & Guni, & Ieſer, & Sallem.
25 Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ ſuæ: & hos genuit Iacob : omnes animæ, ſeptem.
26 Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius, ſexaginta ſex.
27 Filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.

* Deuter. 10.22.

28 Miſit autem Iudam ante ſe ad Ioſeph, vt nunciaret ei, & occurreret in Geſſen.
29 Quo cum perueniſſet, iuncto Ioſeph curru ſuo, aſcendit obuiam patri ſuo ad eundem locum : videnſque eum,irruit ſuper collum eius, & inter amplexus fleuit.
30 Dixitque pater ad Ioſeph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.
31 At ille locutus eſt ad fratres ſuos,& ad omnem domum patris ſui: Aſcendam,& nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei,& domus patris mei, qui erant in terra Chanaan,venerunt ad me:
32 Et ſunt viri paſtores ouium,curamque habent alendorum gregum : pecora ſua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt adduxerunt ſecum.
33 Cumque vocauerit vos, & dixerit : Quod eſt opus veſtrum?
34 Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus ſerui tui, ab infantia noſtra vſque in præſens, & nos, & patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſſitis in terra Geſſen: quia deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium.

### CAP XLVII.

1 INgreſſus ergo Ioſeph nunciauit Pharaoni, dicens : Pater meus,& fratres, oues eorum, & armenta, & cuncta quæ poſſident, venerunt de terra Chanaan: & ecce conſiſtunt in terra Geſſen.
2 Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram rege :
3 Quos ille interrogauit : Quid habetis operis? Reſponderunt: Paſtores ouium ſumus ſerui tui,& nos, & patres noſtri.
4 Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum ingraueſcente fame in terra Chanaan : petimuſque vt eſſe nos iubeas ſeruos tuos in terra Geſſen.
5 Dixit itaque rex ad Ioſeph : Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te.
6 Terra Ægypti in conſpectu tuo eſt : in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen. Quod ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.
7 Poſt hæc introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo : qui benedicens illi,

Et in-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et filij Biniamin fuerunt: Belah,& Becher,& Aſbel,Gherah,& Nahaman,Echi,& Ros,Muppim, & Chuppim,& Ard.*
22 *Iſti ſunt filij Rachel, qui nati ſunt ipſi Iahacob: omnes animæ quatuordecim.*
23 *Et filij Dan: Chuſim.*
24 *Et filij Naphthali: Iachſeel, & Ghuni, & Ieſer, & Sillem.*
25 *Iſti ſunt filij Bilhah, quam dedit Laban Rachel filiæ ſuæ: & peperit illos ipſi Iahacob: omnes animæ ſeptem.*
26 *Omnes animæ, quæ venerunt cum Iahacob in Ægyptum, quæ egreſſæ ſunt de femore eius præter vxores filij Iahacob, omnes animæ fuerunt ſexaginta, & ſex.*
27 *Et filij Ioſeph, qui nati ſunt ei in Ægypto, animæ duæ. Omnes animæ domus Iahacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuerunt ſeptuaginta.*
28 *Et Iehudah miſit ante ſe ad Ioſeph ad præparãdum ante ſe Ghoſen,& venerunt in terram Ghoſen.*
29 *Et ligauit Ioſeph currum ſuum, & aſcendit in occurſum Iſrael patris ſui in Ghoſen: & conſpectus eſt ei: & iactauit ſe ad collum eius, & fleuit ſuper collum eius adhùc.*
30 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Moriar hac vice, poſtquam vidi faciem tuam, adhùc enim tu viuis.*
31 *Et dixit Ioſeph fratribus ſuis, & domui patris ſui: Aſcendam, & nunciabo Parhoh, & dicam ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chenahan,venerunt ad me.*
32 *Et viri paſtores pecudum ſunt, quia viri gregarij ſunt: & pecudes eorum, & boues eorum, & omnia, quæ erant eis attulerunt.*
33 *Et erit,cum vocauerit vos Parhoh,& dixerit: Quod eſt opus veſtrum?*
34 *Dicetis: Viri gregarij fuerunt ſerui tui à pueritia noſtra, & vſque nunc, etiam nos, etiam patres noſtri. Vt habitetis in terra Ghoſen: quia abominatio Ægyptiorum eſt omnis paſtor pecudum.*

### CAP. XLVII.

1 *ET venit Ioſeph,& nunciauit Parhoh,& dixit: Pater meus,& fratres mei,& pecudes eorum,& boues eorum, & omnia quæ erant eis venerunt e terra Chenahan: & ecce ſunt in terra Ghoſen.*
2 *Et de extremis fratribus ſuis cepit quinque viros, & pertingere fecit eos ante Parhoh.*
3 *Et dixit Parhoh ad fratres eius: Quæ ſunt opera veſtra? Et dixerunt ad Parhoh: Paſtores pecudum ſunt ſerui tui, etiam nos,etiam patres noſtri.*
4 *Et dixerunt ad Parhoh: Vt peregrinaremur in terra venimus: quia non eſt paſcuũ pecudibus,quæ ſunt ſeruis tuis,grauis enim fames eſt in terra Chenahã: & nunc habitent quæſo ſerui tui in terra Ghoſen.*
5 *Et dixit Parhoh ad Ioſeph, dicendo: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te.*
6 *Terra Ægypti coram te eſt: in optima terra habitare fac patrem tuum, & fratres tuos: habitent in terra Ghoſen. Et ſi cognoueris, & ſint inter eos viri robuſti, pones eos principes pecudum ſuper his, quæ ſunt mihi.*
7 *Et adduxit Ioſeph Iahacob patrem ſuum, & ſtatuit eum coram Parhoh: & ſalutauit Iahacob ipſum Parhoh.*

Et di-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

21 Filij autem Beniamin: Bala, & Bochor, & Aſbel: Facti ſunt autẽ filij Balæ: Gera, & Noeman, & Anchis, & Rhos, & Mamphim: Gera aũt genuit Arad.

22 Hi ſunt filij Rachel, quos peperit ipſi Iacob: omnes animæ decem octo.

23 Filij autem Dan: Aſom.

24 Et filij Nephthali: Aſiel, & Goni, & Iſſaar, & Sollem.

25 Hi ſunt filij Balæ, quam dedit Laban Rachel filiæ ſuæ: quæ peperit iſtos ipſi Iacob: omnes animæ ſeptem.

26 Omnes autem animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, qui exierunt de femoribus eius abſque mulieribus filiorum Iacob, omnes animæ ſexaginta ſex.

27 Filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in Ægypto, animæ nouem. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, animæ ſeptuaginta quinque.

28 Iudam autem miſit ante ſe ad Ioſeph, vt occurreret ei ad vrbem Heroum in terram Rameſſe.

29 Iungens autem Ioſeph currus ſuos, aſcendit in occurſum Iſrael patri ſuo ad Heroum ciuitatem: & conſpectus ei, procidit ſuper collum eius, & fleuit fletu vberi.

30 Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Moriar ex nunc, quia vidi faciem tuam, adhuc enim tu viuis.

31 Dixit autem Ioſeph ad fratres ſuos: Aſcendens annunciabo Pharaoni, & dicam ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me.

32 Viri autem ſunt paſtores, viri enim pecorum nutritores erant: & pecora, & boues, & omnia ſua adduxerunt.

33 Itaque ſi vocauerit vos Pharao, & dixerit vobis: Quod nam opus veſtrum eſt?

34 Dicetis: Viri pecorum nutritores ſumus pueri tui, à puero vſque nunc, & nos, & patres noſtri. Vt habitetis in terra Geſem Arabiæ: abominatio enim eſt Aegyptijs omnis paſtor ouium.

### C A P. XLVII.

1 VEniens autem Ioſeph nunciauit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres mei, & pecora, & boues eorum, & omnia quæ eorum, venerunt de terra Chanaan: & ecce ſunt in terra Geſem.

2 De fratribus autem ſuis aſſumpſit quinque viros, & ſtatuit eos coram Pharaone.

3 Et dixit Pharao *fratribus* Ioſeph: Quod nam eſt opus veſtrum? At illi dixerunt Pharaoni: Paſtores ouium pueri tui, & nos, & patres noſtri.

4 Dixerunt autem Pharaoni: Incolere in terra venimus: non enim eſt paſtus pecoribus puerorum tuorum: inualuit enim fames in terra Chanaan: nũc igitur habitabimus in terra Geſem.

5 * Et dixit Pharao ad Ioſeph, dicẽs: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te.

6 Ecce terra Ægypti ante te eſt: in terra optima colloca patrẽ tuũ, & fratres tuos: * dixit autẽ Pharao ad Ioſeph: habitent in terra Geſem. Si autẽ noſti quia ſunt inter eos viri potẽtes, cõſtitue eos principes pecorũ meorũ. Venerũt autẽ in Ægyptum ad Ioſeph Iacob, & filij eius, & audiuit Pharao Rex Ægypti.*

7 Introduxit autem Ioſeph Iacob patrem ſuum, & ſtatuit eum coram Pharaone. Et benedixit Iacob Pharaonem.

*Quæ intra aſteriſcos clauduntur in Biblia Septuag. Romanis non habentur hoc loco.

## Chald. Paraph. Tranſl.

21 *Filij autem Beniamin: Bale, & Becher, & Aſbel, & Gera, & Nahaman, & Achi, & Ros, Mupim quoque & Hupim, & Arde.*

22 *Hi ſunt filij Rachel, qui nati ſunt Iacob: omnes anima quatuordecim.*

23 *Et filij Dan: Huſim.*

24 *Filij autem Neptali: Iaſiel, & Gumi: & Geſſer, & Silem.*

25 *Illi ſunt filij Bala, quam dedit Laban Rachel filia ſua: & hos peperit ex Iacob: omnes anima ſeptem.*

26 *Cunctaque anima, qua ingreſſa ſunt cum Iacob in Ægyptum, egredientes à femore ſuo, præter vxores filiorum Iacob, omnes anima ſexaginta & ſex.*

27 *Et filij Ioſeph, qui nati ſunt in Ægypto anima dua. Omnes anima domus Iacob, qua ingreſſa ſunt in Ægyptum, fuerunt ſeptuaginta.*

28 *Et miſit ante ſe Iudam in Ægyptum ad Ioſeph in Geſſen, vt ppararet ante ſe, & venit in terrã Geſſen.*

29 *Et iunxit Ioſeph currum ſuum, & aſcendit in occurſum Iſrael patris ſui in Geſſen: & cum vidiſſet eum, ruit ſuper collum eius, & inſuper fleuit ſuper collum eius.*

30 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Quamuis nunc morerer, iam conſolatus eſſem, poſtquam vidi faciem tuam, quoniam adhuc tu viuis.*

31 *Et dixit Ioſeph fratribus ſuis, & domui patris ſui: Aſcendam & nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erat in terra Chanaan, venerunt ad me:*

32 *Et ſunt viri paſtores ouium, quia poſſeſſores gregum fuerunt: oues quoque ſuas, & boues, & omnia ſua adduxerunt.*

33 *Cumque vocauerit vos Pharao, & dixerit: Quod eſt opus veſtrum?*

34 *Dicetis: Viri poſſeſſores gregum fuerunt ſerui tui ab adoleſcentia noſtra vſque nunc, tam nos, quàm patres noſtri. Vt habitetis in terra Geſen: quoniam abominantur Ægyptij omnes paſtores ouium.*

### C A P. XLVII.

1 *ET venit Ioſeph, & nunciauit Pharaoni, & ait: Pater meus, & fratres mei, & oues eorum, & omnia qua habent, venerunt de terra Chanaan: & ipſi ſtant in terra Geſen.*

2 *Extremos quoque fratrum ſuorum tulit quinque viros, & conſtituit eos coram Pharaone.*

3 *Dixitque Pharao fratribus eius: Quod eſt opus veſtrum? Et dixerunt Pharaoni: Paſtores ouium ſumus ſerui tui, tam nos, quàm patres noſtri.*

4 *Dixeruntq; Pharaoni: Ad habitandum in terra venimus: quoniam non eſt paſtus ouibus ſeruorum tuorum: quia valida fames in terra Chanaan: & nunc quæſumus vt habitent ſerui tui in terra Geſen.*

5 *Et ait Pharao ad Ioſeph, dicens: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.*

6 *Terra Ægypti coram te eſt: in meliori loco terra colloca patrem tuum, & fratres tuos, & habitent in terra Geſen. & ſi cognoſcis eſſe inter eos viros fortes, conſtitue eos principes pecorum meorum.*

7 *Et adduxit Ioſeph Iacob patrem ſuum, & ſtatuit eum coram Pharaone. & benedixit Iacob Pharaoni.*

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? | 8 | 8 | *Et dixit Parhoh ad Iahacob: Quot ſunt dies annorum vita tua?* |
| Reſpondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt. | 9 | 9 | *Et dixit Iahacob ad Parhoh: Dies annorum peregrinationum mearum, ſunt triginta, & centum anni, parui, & mali fuerunt dies annorum vita mea, & non attigerunt dies annorum vita patrum meorum in diebus peregrinationum ſuarum.* |
| Et benedicto rege, egreſſus eſt foras. | 10 | 10 | *Et ſalutauit Iahacob ipſum Parhoh, & egreſſus eſt à facie Parhoh.* |
| Ioſeph vero patri ſuo, & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto in optimo terræ loco, Rameſſes, vt præceperat Pharao. | 11 | 11 | *Et habitare fecit Ioſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, & dedit eis poſſeſſionem in terra Ægypti in optima terra, in terra Rahameſes, quemadmodum præcepit Parhoh.* |
| Et alebat eos, omnemque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis. | 12 | 12 | *Et aluit Ioſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, & om̃em domũ patris ſui pane, ac ſi adhuc eſſent paruuli.* |
| In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maxime Ægypti, & Chanaan. | 13 | 13 | *Et panis non erat in omni terra: grauis enim fames erat valdè, & laborauit terra Ægypti, & terra Chenahan propter famem.* |
| E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis. | 14 | 14 | *Et collegit Ioſeph omnem pecuniam, qua inuenta eſt in terra Ægypti, & in terra Chenahan pro alimento quod ipſi emebant, & intulit Ioſeph pecuniam in domum Parhoh.* |
| Cumque defeciſſet emptoribus pretium, venit cuncta Aegyptus ad Ioſeph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? | 15 | 15 | *Et conſumpta eſt pecunia è terra Aegypti, & è terra Chenahan, & venit omnis Aegyptus ad Ioſeph, dicendo: Da nobis panem: & vt quid moriemur coram te, defecit enim pecunia?* |
| Quibus ille reſpondit: Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi pretium non habetis. | 16 | 16 | *Et dixit Ioſeph: Date pecudes veſtras, & dabo vobis pro pecudibus veſtris, ſi defecit pecunia.* |
| Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & aſinis: ſuſtentauitque eos illo anno pro commutatione pecorum. | 17 | 17 | *Et attulerunt pecudes ſuas ad Ioſeph, & dedit eis Ioſeph panem pro equis, & pro grege pecudum, & pro armento boum, & pro aſinis: & ſuſtentauit eos pane pro omnibus gregibus illorum anno ipſo.* |
| Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum noſtrum quod deficiente pecunia, pecora ſimul defecerunt: nec clàm te eſt, quod abſque corporibus, & terra nihil habeamus. | 18 | 18 | *Et finitus eſt annus ipſe, & venerunt ad eum anno ſecundo, & dixerunt ei: Non abſcondemus à domino meo, quòd ſi finita eſt pecunia, & grex iumentorum domino meo: non remanſit coram domino meo præterquam corpus noſtrum, & terra noſtra.* |
| Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra noſtra tui erimus: eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore, redigatur terra in ſolitudinem. | 19 | 19 | *Vt quid moriemur in oculis tuis? etiam nos, etiam terram noſtram: eme nos, & terram noſtram, pro pane, & viuemus nos, & terra noſtra, ſerui Parhoh, & da ſemen, & viuemus, & non moriemur, & terra non deſolabitur.* |
| Emit igitur Ioſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, | 20 | 20 | *Et emit Ioſeph omnem terram Aegypti pro Parhoh: vendiderunt enim Aegyptij vnuſquiſque agrum ſuum, quia inualuerat ſuper eos fames. Et fuit terra Parhoh.* |
| Et cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Aegypti vſque ad extremos fines eius, | 21 | 21 | *Et populum tranſire fecit ad vrbes ab extremitate termini Aegypti vſque ad extremitatem eius.* |
| Præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. | 22 | 22 | *Tantummodo terram ſacerdotum, non emit, quia pars ſacerdotibus erat à Parhoh, & comedebant partem ſuam, quam dedit eis Parhoh, idcirco non vendiderunt terram ſuam.* |
| Dixit ergo Ioſeph ad populos: En vt cernitis, & vos & terram veſtram Pharao poſſidet: accipite ſemina, & ſerite agros, | 23 | 23 | *Et dixit Ioſeph ad populum: Ecce emi vos hodie, & terram veſtram ipſi Parhoh: ecce vobis ſemen, & ſeretis terram.* |
| Vt fruges habere poſſitis. Quintam partem regi dabitis: quattuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familijs & liberis veſtris. | 24 | 24 | *Et erit è frugibus dabitis quintum ipſi Parhoh, & quatuor partes erunt vobis pro ſemine agri, & pro cibo veſtro, & eorum, qui ſunt in domibus veſtris, & ad comedendum pro paruulis veſtris.* |
| Qui riſerunt: Salus noſtra in manu tua eſt reſpiciat nos tantum dñs noſter, & læti ſeruiemus regi. | 25 | 25 | *Et dixerunt: Viuificaſti nos: inueniamus gratiam in oculis domini mei, & erimus ſerui Parhoh.* |
| Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in regem, abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. | 26 | 26 | *Et poſuit ipſum Ioſeph in ius vſque ad diem hanc ſuper terram Ægypti ipſi Parhoh pro quinto, duntaxat terra ſacerdotum tantum non fuit Parhoh.* |
| Habitauit ergo Iſrael in Ægypto, id eſt, in terra Geſſen, & poſſedit eam, auctuſque eſt, & multiplicatus nimis. | 27 | 27 | *Et habitauit Iſrael in terra Ægypti, in terra Gheſen, & poſſeſſiones fecerunt in ea, & creuerunt, & multiplicati ſunt valdè.* |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

8 Dixit autem Pharao ipſi Iacob: Quot anni dierum vitæ tuæ?

9 Et dixit Iacob Pharaoni: Dies annorum vitæ meæ, quos incolo, centum triginta anni, puſilli, & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ: non peruenerunt ad dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt.

10 Et benedicens Iacob Pharaonem, exiuit ab eo.

11 Et habitare fecit Ioſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, & dedit eis poſſeſſionem in terra Ægypti, in terra optima, in terra Rameſſe, ſicut præcepit Pharao.

12 Et triticũ metiebatur Ioſeph patri ſuo, & fratribus, & omni domui patris ſui, triticum ſecundũ corpus.

13 Triticum autem non erat in omni terra, inualuerat enim fames valdè defecit autem terra Ægypti, & terra Chanaan à fame.

14 Congregauit autem Ioſeph omne argentum, quod eſt inuentum in terra Aegypti, & in terra Chanaan ex tritico, quod emebant, & metiebatur eis, & intulit Ioſeph omne argentum in domum Pharaonis.

15 Et defecit omne argentum de terra Aegypti, & de terra Chanaan: venerunt autem oẽs Aegyptij ad Ioſeph, dicentes: Da nobis panes: & vt quid morimur coram te, defecit enim argentum noſtrum?

16 Dixit autem eis Ioſeph: Afferte pecora veſtra, & dabo vobis panes pro pecoribus veſtris, ſi defecit argentum veſtrum.

17 Adduxerunt autem pecora ſua ad Ioſeph, & dedit eis Ioſeph panes pro equis, & pro ouibus, & pro bobus, & pro aſinis: & enutriuit eos in panibus pro omnibus pecoribus eorum in anno illo.

18 Exijt autem annus ille, & venerunt ad eum in anno ſecundo, & dixerunt ei: Nunquid forte deleamur à domino noſtro, ſiquidem defecit argentum noſtrum, & ſubſtantia, & pecora ad te dominum: & non remanſit nobis coram domino noſtro, niſi proprium corpus, & terra noſtra.

19 Vt igitur non moriamur coram te: & terra deſoletur, acquire nos, & terram noſtram pro panibus, & erimus nos & terra noſtra pueri Pharaoni: da ſemen, vt ſeminemus, & viuamus, & non moriamur, & terra non deſolabitur.

20 Et acquiſiuit Ioſeph omnem terram Aegyptiorum Pharaoni, vendiderunt enim Aegyptij terram ſuam Pharaoni, ſuperauit enim eos fames. Et facta eſt terra Pharaoni.

21 Et populum ſubiecit ei in pueros, ab extremis finibus Aegypti vſque ad extremos,

22 Præter terrã ſacerdotũ tantũ, nõ poſſedit iſtam Ioſeph: in datione enim dedit donũ ſacerdotibus Pharao, & comedebant dationem, quam dedit eis Pharao, propter hoc non vendiderunt terram ſuam.

23 Dixit autem Ioſeph omnibus Aegyptijs: Ecce acquiſiui vos, & terram veſtram hodie Pharaoni: ſumite vobis ſemen, & ſeminate terram:

24 Et erunt genimina eius. Et dabitis quintam partem Pharaoni: quattuor autem partes erunt vobis ipſis in ſemen terræ, & in eſcam vobis, & omnibus, qui in domibus veſtris.

25 Et dixerunt: Saluaſti nos: inuenimus gratiam corã domino noſtro, & erimus pueri Pharaoni.

26 Et poſuit illis Ioſeph in præceptum vſque in hodiernum diem in terra Aegypti, vt præſtent quintas Pharaoni, præter terram ſacerdotum tantum, non erat Pharaoni.

27 Habitauit autem Iſrael in terra Aegypti ſuper terram Geſem, & habuerunt hæreditates in ea: & creuerunt, & multiplicati ſunt valdè.

Super-

## Chald. Paraph. Transl.

8 *Dixitque Pharao ad Iacob: Quot ſunt anni vitæ tuæ?*

9 *Et dixit Iacob ad Pharaonem: Anni vitæ peregrinationis meæ, centum & triginta anni ſunt, pauci, & mali: & non attigerunt vſque ad dies vitæ patrum meorum in diebus peregrinationis ſuæ.*

10 *Benedixitque Iacob Pharaoni, & egreſſus eſt à facie Pharaonis.*

11 *Et collocauit Ioſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, & dedit eis poſſeſſionem in terra Aegypti in meliori loco terræ, in terra Rameſſes, ſicut præceperat Pharao.*

12 *Et alebat Ioſeph pr̃em ſuũ, & fratres ſuos, et oẽm domũ pr̃is ſui filiõs panẽ iuxta familiã vniuſcuiuſque.*

13 *Neque erat panis in vniuerſa terra: quoniam præualuerat fames nimis, & deficiebat populus terræ Ægypti, & populus terræ Chanaan propter famem.*

14 *Et congregauit Ioſeph argentum, quod inuentum eſt in terra Ægypti, & in terra Chanaan pro frumento, quod ipſi emebant, & intulit Ioſeph argentum in domum Pharaonis.*

15 *Conſumatumque eſt argentum de terra Aegypti, & de terra Chanaan, & venerunt omnes Aegyptij ad Ioſeph, dicentes: Da nobis panem: cur moriemur coram te, cùm conſumatum ſit argentum?*

16 *Dixitque Ioſeph: Afferte pecora veſtra, & dabo vobis frumẽtum pro pecoribus veſtris, ſi argentum conſumatum eſt.*

17 *Adduxeruntque pecora ſua ad Ioſeph, & dedit eis Ioſeph panem pro equis, & pro pecoribus ouium, & pro bobus, & aſinis: & alebat eos pane ipſo anno pro vniuerſis pecoribus ſuis.*

18 *Et completus eſt annus ille, & venerunt ad eum in ſecundo anno, atque dixerunt ei: Non celamus quicquam domino noſtro, cùm defecit argentum: pecora quoque adduximus ad dominum noſtrum, & nihil remanet coram domino noſtro, niſi corpora noſtra, & terra noſtra.*

19 *Quare moriemur coram te, tam nos, quàm terra noſtra? eme nos: & terram noſtram pro pane, & erimus nos, & terra noſtra ſeruientes Pharaoni: & præbe ſemina, & viuemus, & non moriemur, & terra non deſolabitur.*

20 *Emitque Ioſeph omnem terram Aegypti Pharaoni, quoniam vendiderunt vnuſquiſque Aegyptiorum agrum ſuum, quia præualebat ſuper eos fames. Et fuit terra Pharaoni.*

21 *Populum autem tranſtulit de ciuitate in ciuitatem, à finibus termini Aegypti, vſque ad extremum eius.*

22 *Sed terram ſacerdotum non emit: quoniam portio dabatur ſacerdotibus à Pharaone, & comedebãt portionem ſuam, quam dabat eis Pharao: propterea non vendiderunt terras ſuas.*

23 *Dixitque Ioſeph populo: Ecce emi vos hodie & terram veſtram Pharaoni: ecce do vobis ſementem, & ſeminabitis terram.*

24 *Et erit cùm produxerit fructus. Dabitis quintã partem Pharaoni: quattuor autem partes erũt vobis in ſementem agrorum, & vt comedatis vos, & homines domus veſtræ, & in cibum familiæ veſtræ.*

25 *Et dixerunt: Viuificaſti nos: inuenimus gratiam in oculis domini noſtri, & erimus ſerui Pharaoni.*

26 *Et poſuit illud Ioſeph in ſtatutum vſque in præſentem diem ſuper terram Aegypti, quod darent quintam partem Pharaoni, ſola enim terra ſacerdotum non fuit Pharaonis.*

27 *Habitauitque Iſraël in terra Aegypti, in terra Geſſen, & poſſederunt eam: & multiplicati ſunt, & creuerunt nimis.*

*Vixit-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

28 Et vixit in ea decem & ſeptem annis: factique ſunt
omnes dies vitæ illius centum quadraginta ſeptem
annorum.
29 Cumque appropinquare cerneret diem mortis
ſuæ, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum:
[* Sup. 24. 2.] Si inueni gratiam in conſpectu tuo, * pone ma-
num tuam ſub femore meo: & facies mihi miſe-
ricordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in
Aegypto:
30 Sed dormiā cū patribus meis, & auferas me de ter-
ra hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum.
Cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam quod iuſſiſti.
31 Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adora-
uit Iſrael Deum, conuerſus ad lectuli caput.

### CAP. XLVIII.

1 HIs ita tranſactis nunciatum eſt Ioſeph, quod
ægrotaret pater ſuus: qui, aſſumptis duobus
filijs Manaſſe, & Ephraim, ire perrexit.
2 Dictumque eſt ſeni: Ecce filius tuus Ioſeph
venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectu-
lo.
3 [* Sup. 28. 13.] Et ingreſſo ad ſe ait: Deus omnipotens * appa-
ruit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan: Be-
nedixitque mihi,
4 Et ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam
te in turbas populorum: daboque tibi terram
hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem ſempi-
ternam.
5 [* Sup. 41. 50.] Duo ergo filij tui, qui * nati ſunt tibi in terra Ae-
gypti antequam huc venirem ad te, mei erunt:
[* Ioſ. 13. 7. 29.] * Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon re-
putabuntur mihi.
6 Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt,
& nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſio-
nibus ſuis.
7 Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamia,
[* Sup. 35. 19.] * mortua eſt Rachel in terra Chanaan in ipſo iti-
nere, eratque vernum tempus: & ingrediebar E-
phratam, & ſepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ
alio nomine appellatur Bethlehem.
8 Videns autem filios eius dixit ad eum: Qui ſunt
iſti?
9 Reſpondit: Filij mei ſunt, quos donauit mihi Deus
in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedi-
cam illis.
10 Oculi enim Iſrael caligabant præ nimia ſenectute,
& clare videre non poterat. Applicitoſq; ad ſe, deo-
ſculatus, & circumplexus eos,
11 Dixit ad filium ſuum: Non ſum fraudatus aſpe-
ctu tuo: inſuper oſtendit mihi Deus ſemen
tuum.
12 Cumque tuliſſet eos Ioſeph de gremio patris, ado-
rauit pronus in terram.
13 Et poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt, ad
ſiniſtram Iſrael: Manaſſen vero in ſiniſtra ſua, ad
dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad
eum.
14 Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper
caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem
ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commu-
tans manus.
15 [* Heb. 11. 21.] * Benedixitque Iacob filijs Ioſeph, & ait: Deus, in
cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abra-
ham, & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia
mea vſque in præſentem diem.
16 [* Sup. 31. 29. 32. 2. Matt. 18. 10.] * Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat
pueris iſtis: & inuocetur ſuper eos nomen meum,
nomina quoque patrum meorum Abrahā, & Iſaac,
& creſcant in multitudinem ſuper terram.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et vixit Iahacob in terra Aegypti, ſeptemdecim
annos: & fuerunt dies Iahacob anni vitæ eius ſe-
ptem anni, & quadraginta, & centum anni.*
29 *Et appropinquauerunt dies Iſrael, vt moreretur, &
vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ei: Si quæſo
inueni gratiam in oculis tuis, pone quæſo manum
tuam ſub femore meo, & facies mecum miſeri-
cordiam, & veritatem, ne quæſo ſepelias me in
Aegypto.*
30 *Et dormiam cum patribus meis, & tolles me ex Ae-
gypto, & ſepelies me in ſepulchro eorum. Et dixit:
Ego faciam ſecundum verbum tuum.*
31 *Et dixit: Iura mihi. Et iurauit ei, & incuruauit ſe
Iſrael ad caput lecti.*

### CAP. XLVIII.

1 *ET fuit, poſt hæc dixit quiſpiam ad Ioſeph, ec-
ce pater tuus ægrotat: & accepit duos filios ſuos
ſecum Menaſſeh, & Ephraim,*
2 *Et nunciauit ipſi Iahacob nuncius, & dixit: Ecce
filius tuus Ioſeph venit ad te. Et vim fecit ſibi Iſ-
rael, & ſedit ſuper lectum.*
3 *Et dixit Iahacob ad Ioſeph: Deus omnipotens vi-
ſus eſt mihi in Luz in terra Chenahan: Et benedi-
xit mihi.*
4 *Et dixit ad me: Ecce ego creſcere facio te, & multi-
plicari faciam te, & dabo te in cœtum populorum:
& dabo terram hanc ſemini tuo poſt te in hæredita-
tem perpetuam.*
5 *Et nunc duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Ae-
gypti, antequam venirem ad te in Aegyptum, mei
ſunt Ephraim, & Menaſſeh, ſicut Reuben, & Simhon
erunt mei.*
6 *Et liberi tui quos generabis poſt eos, tui erunt, ſe-
cundum nomen fratrum ſuorum vocabuntur in hæ-
reditate ſua.*
7 *Et me veniente Padan, mortua eſt mihi Rachel
in terra Chenahan, quum adhuc eſſet miliare
terræ ad veniendum in Ephrath: ipſa eſt Bethle-
chem.*
8 *Et vidit Iſrael filios Ioſeph, & dixit: Cuius ſunt
iſti?*
9 *Et dixit Ioſeph patri ſuo: Filij ſunt, quos dedit mi-
hi Deus hic, & dixit. Duc eos quæſo ad me, & bene-
dicam eis.*
10 *Et oculi Iſrael graues erant propter ſenectutem. Non
poterat videre, & accedere fecit eos ad illum, & oſcu
latus eſt eos, & amplexatus eſt eos.*
11 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Videre faciem tuam non
putabam: & ecce videre fecit me Deus etiam ſe-
men tuum.*
12 *Et eduxit Ioſeph eos à genibus eius, & incuruauit
ſe in faciem ſuam ſuper terram.*
13 *Et tulit Ioſeph ambos ipſos, Ephraim in dexte-
ram ſuam à ſiniſtra Iſrael: & Menaſſeh in ſi-
niſtram ſuam à dextra Iſrael, & accedere fecit ad
eum.*
14 *Et extendit Iſrael dexteram ſuam, & poſuit ſuper
caput Ephraim qui erat minor: & ſiniſtram ſuam
ſuper caput Menaſſeh, intelligere fecit manus ſuas,
quod Menaſſeh foret primogenitus.*
15 *Et benedixit ipſi Ioſeph, & dixit: Deus in cuius cō-
ſpectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Iſ-
chac, Deus qui paſcit me à tempore præcedenti vſ-
que ad diem hanc.*
16 *Angelus, qui redemit me ab omni malo, benedicat
pueris: & vocetur in eis nomen meum, & nomen pa-
trum meorum, & Iſchac, & inſtar piſcium ſint in
multitudinem in medio terræ.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

28 Supervixit autem Iacob in terra Aegypti decē & ſeptem annos, & fuerunt dies Iacob annorum vitæ eius centum quadraginta ſeptem anni.

29 Appropinquauerunt autem dies Iſrael, vt moreretur, & vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ei: Si inueni gratiam coram te, ſuppone manum tuam ſub femore meo: & facies in me miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto:

30 Sed dormiam cum patribus meis, & tolles me de Ægypto, & ſepelies me in ſepulchro eorum. Ille verò dixit: Ego faciam iuxta verbum tuum.

31 Dixit autem: Iura mihi. Et iurauit ei, & adorauit Iſrael ſuper ſummitatem virgæ eius.

### CAP. XLVIII.

1 FActum eſt autem poſt verba hæc, & nunciatum eſt Ioſeph, quia pater tuus turbatur: & aſſumēs duos filios ſuos, Manaſſe, & Ephraim, venit ad Iacob.

2 Nunciatum eſt autem Iacob, dicentes: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Et confortatus Iſrael ſedit ſuper lectum.

3 Et dixit Iacob ad Ioſeph: Deus meus apparuit mihi in Luza in terra Chanaan: Et benedixit me,

4 Et dixit mihi: Ecce ego augebo te, & multiplicabo te, & faciam te in congregationes gentium: & dabo tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem æternam.

5 Nunc igitur duo filij tui, qui facti ſunt tibi in terra Ægypto, priuſquam venirem ad te in Ægyptum, mihi ſunt: Ephræm, & Manaſſe: tanquam Ruben, & Symeon erunt mihi.

6 Nati autem, quoſcumque genueris poſtea, erunt in nomine fratrum ſuorum, vocabuntur in ſortibus illorum.

7 Ego autem, quando veni de Meſopotamia Syriæ, mortua eſt Rachel mater tua in terra Chanaan, appropinquante me ad hyppodromum Chabratha terræ ad veniendum in Ephratha: & defodi eam in via hyppodromi: hæc eſt Bethleem.

8 Videns autem Iſrael filios Ioſeph, dixit: Qui tibi hi?

9 Dixit autem Ioſeph patri ſuo: Filij mei ſunt, quos dedit mihi Deus hic. Et dixit Iacob: Adduc mihi eos, vt benedicam eos.

10 Oculi autem Iſrael, grauati erant præ ſenectute, & non poterat aſpicere. Et appropinquauit eos ad eū, & oſculatus eſt eos, & complexus eſt eos.

11 Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Ecce facie tua non ſum priuatus: & ecce oſtendit mihi Deus etiam ſemen tuum.

12 Et eduxit eos Ioſeph à genibus eius, & adorauerunt in faciem ſuper terram.

13 Sumens autem Ioſeph duos filios ſuos, Ephræm quidem in dextera, à ſiniſtris autem Iſrael: Manaſſen autem à ſiniſtris, a dextris autem Iſrael, appropinquauit eos ei.

14 Extendens autem Iſrael manum dexteram, impoſuit ſuper caput Ephræm (hic autem erat iunior) & ſiniſtram ſuper caput Manaſſe, commutans manus:

15 Et benedixit eos, & dixit: Deus cui placuerunt patres mei in conſpectu eius, Abraham, & Iſaac, Deus qui nutrit me à iuuentute vſque in diem hanc,

16 Angelus, qui eruit me ex omnibus malis, benedicat paruulos hos: & inuocabitur in eis nomen meū, & nomen patrum meorum Abraham, & Iſaac, & multiplicentur in multitudinem multam ſuper terram.

Videns

## Chald. Paraph. Tranſl.

28 *Vixitque Iacob in terra Ægypti decem & ſeptem annis: & fuerunt dies annorum vitæ Iacob, centum & quadraginta & ſeptem anni.*

29 *Et appropinquauerunt dies Iſrael, vt moreretur, & vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ei: Si inueni nunc gratiam in oculis tuis, pone, obſecro, manum tuam ſub femore meo: & facies mecum miſericordiam, & veritatem, ne ſepelias me, obſecro, in Ægypto.*

30 *Et dormiam cum patribus meis, & auferes me de Ægypto, & ſepelies me in ſepulchris eorum. Et dixit: Ego faciam ſecundum verbum tuum.*

31 *Et dixit: Iura mihi. Et iurauit ei, & adorauit Iſrael ſuper caput lectuli.*

### CAP. XLVIII.

1 *ET factum eſt poſt verba hæc, & dictum eſt ad Ioſeph, ecce pater tuus iacet infirmus: & tulit duos filios ſecum, Manaſſen, & Ephraim.*

2 *Et nunciatum eſt Iacob, atque dictum eſt ei: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Et confortatus eſt Iſrael, & ſedit in lectulo.*

3 *Et dixit Iacob ad Ioſeph: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza in terra Chanaan: Et benedixit mihi:*

4 *Et dixit ad me: Ecce ego multiplicabo te, & creſcere te faciam, & ponam te in congregationem tribuum: & dabo terram hanc, & filijs tuis poſt te in poſſeſſionem æternam.*

5 *Et nunc duo filij tui Ephraim: & Manaſſes, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam venirem ad te in Ægyptum, mei erunt: ſicut Ruben, & Symeon erunt coram me.*

6 *Et filij quos genueris poſt eos, tui erunt, in nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.*

7 *Et cùm ego veniſſem de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan in via, cùm adhuc eſſet ſpatium terræ: vt ingrederer in Ephratam, & ſepeliui eam in via Ephratæ; quæ eſt Bethleem.*

8 *Et vidit Iſrael filios Ioſeph, & dixit: Qui ſunt iſti?*

9 *Et dixit Ioſeph ad patrem ſuum: Filij mei ſunt, quos dedit mihi Deus hic. Et ait: Applica, obſecro, eos ad me, vt benedicam eis.*

10 *Oculi autem Iſrael grauati erant præ ſenectute, & non poterat videre. Et applicauit eos ad eum, & oſculatus eſt eos, & amplexatus eſt eos.*

11 *Dixitque Iſrael ad Ioſeph: Nunquam putaui videre faciem tuam: & ecce oſtendit mihi Deus etiam filios tuos.*

12 *Et eduxit eos Ioſeph à facie eius, & adorauit pronus in terram.*

13 *Et tulit Ioſeph ambos, Ephraim in dextera ſua ad ſiniſtram Iſrael: & Manaſſen in ſiniſtra eius ad dexteram Iſrael, & applicauit eos ad eum.*

14 *Et tetendit Iſrael dexteram ſuam, & poſuit eam ſuper caput Ephraim, qui erat iunior: & ſiniſtram ſuam ſuper caput Manaſſe, docuit manus ſuas, quāuis Manaſſes erat primogenitus.*

15 *Et benedixit Ioſeph, & ait: Deus in cuius conſpectu ſeruierunt patres mei Abraham, & Iſaac, Deus qui pauit me à natiuitate mea vſque in diem hanc:*

16 *Angelus, qui eruit me ab omni malo, benedicat pueris: & inuocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahā, & Iſaac, & quaſi piſces maris multiplicentur inter filios hominum ſuper terrā.*

*Et vi-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Videns autem Ioſeph, quod poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehenſam manum patris leuare conatus eſt de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe.
18 Dixitque ad patrem: Non ita conuenit pater: quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.
19 Qui renuens, ait: Scio fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater eius minor, maior erit illo: & ſemen illius creſcet in gentes.
20 Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Iſrael, atque dicetur: Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe. Conſtituitque Ephraim ante Manaſſen.
21 Et ait ad Ioſeph filium ſuum: En ego morior, & erit Deus vobiſcum, reducetque vos ad terram patrum veſtrorum.
22 Do tibi * partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu * Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

* Ioſ. 13. 7. 16. 1.
* Ioſ. 24. 1.

### CAP. XLIX.

Deut. 33.

1 VOcauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis.
2 Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſrael patrem veſtrum:
3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio.
4 Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: * quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.

* Sup. 35. 22. 1. Par. 5. 1.

5 Simeon, & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia.
6 In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: * quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.

* Sup. 34. 25.

7 Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: * diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.

* Ioſ. 19. 1. 21.

8 Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.
9 * Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?

* 1. Par. 5. 2.

10 * NON AVFERETVR ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.

* Ioan. 1. 45. Matt. 2. 6.

11 Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.
12 Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.
13 Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.

Iſſa-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et vidit Ioſeph, quòd poneret pater ſuus manum dexteram ſuam ſuper caput Ephraim, & diſplicuit in oculis eius: & ſuſtentauit manum patris ſui, vt remoueret eam à capite Ephraim ſuper caput Menaſſeh.*
18 *Et dixit Ioſeph patri ſuo: Non ſic pater mi: quia ille eſt primogenitus, pone manum tuam ſuper caput eius.*
19 *Et renuit pater eius, & dixit: Noui fili mi, noui: etiã ipſe erit in populum, & etiam ipſe creſcet: & profectò frater eius minor creſcet magis, quam ipſe: & ſemen eius erit plenitudo gentium.*
20 *Et benedixit eis in die ipſa, dicendo: In te benedicet Iſrael, dicendo: Ponat te Deus ſicut Ephraim, & Menaſſeh. Et poſuit Ephraim ante Menaſſeh.*
21 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph: Ecce ego morior, & erit Deus vobiſcum, & redire faciet vos ad terram patrum veſtrorum.*
22 *Et ego dedi tibi partem vnam ſuper fratres tuos, quam cepi è manu Emorræi gladio meo, & arcu meo.*

### CAP. XLIX.

1 *ET vocauit Iahacob filios ſuos, & dixit: Congregate vos, & nunciabo vobis quod euenturum eſt vobis in nouiſſimis diebus.*
2 *Congregate vos, & audite filij Iahacob, & audite Iſrael patrem veſtrum.*
3 *Reuben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium roboris mei: excellentia, dignitas, & excellentia fortis.*
4 *Leuis ſicut aqua, non habebis excellentiam: quia aſcendiſti cubile patris tui, tunc polluiſti, ſtratum meum excisum fuit.*
5 *Simhon, & Leui fratres: arma iniquitatis, in habitationibus ſuis.*
6 *In ſecretum eorum non veniat anima mea, in cœtu eorum non vniatur gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & voluntate ſua eradicauerunt murum.*
7 *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & ira eorum, quia indurata eſt: diuidam eos in Iahacob, & diſpergam eos in Iſrael.*
8 *Iehudah es tu; laudabunt te fratres tui: manus tua erit in ceruice inimicorum tuorum, incuruabunt ſe tibi filij patris tui.*
9 *Vt catulus leonis Iehudah: è præda fili mi aſcendiſti: incuruauit ſe, cubauit ſicut leo, ſicut leo eſt, quis ſuſcitabit eum?*
10 *NON RECEDET virga ex Iehudah, & legiſlator de interpedes eius, donec veniat Meſſias, & ei erit aggregatio populorum.*
11 *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad vitem optimam fili mi aſinam ſuam. Lauit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine vuarum operimentum ſuum.*
12 *Rubicundior oculis vino, & candidior dentibus lacte.*
13 *Zebulum in portu marium habitabit, & erit in portu nauium, & terminus eius vſque ad Sidon.*

*Iſa-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Videns autem Ioſeph, quia impoſuit pater ſuus manum dexteram ſuam ſuper caput Ephræm, graue ei viſum eſt: & apprehendit Ioſeph manum patris ſui, auferendo eam à capite Ephræm ſuper caput Manaſſe.

18 Dixit autem Ioſeph patri ſuo: Non ita pater: hic enim eſt primitiuus, impone dexteram tuam ſuper caput eius.

19 Et noluit, ſed dixit: Scio fili, ſcio: & hic erit in populum, & hic exaltabitur: ſed frater eius iunior maior ipſo erit: & ſemen eius erit in multitudinem gentium.

20 Et benedixit eos in die illa, dicens: In vobis benedicetur Iſrael, dicentes: Faciat te Deus ſicut Ephræm, & ſicut Manaſſe. Et poſuit Ephræm ante Manaſſe.

21 Dixit autem Iſrael ad Ioſeph: Ecce ego morior, & erit Deus vobiſcum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum.

22 Ego autem do tibi Sicimam præcipuam ſuper fratres tuos, quam cepi de manu Amorrhæorum in gladio meo, & arcu.

### CAP. XLIX.

1 Vocauit autem Iacob filios ſuos, & dixit eis: Congregamini, vt annunciem vobis, quid occurret vobis in extremis diebus:

2 Congregamini, & audite me filij Iacob, audite Iſrael, audite patrem veſtrum.

3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium filiorum meorum: durus ad ferendum, & durus peruicax:

4 Feciſti contumeliam, ſicut aqua, non efferueſcas: aſcendiſti enim ſuper cubile patris tui, tunc violaſti ſtratum quo aſcendiſti.

5 Symeon, & Leui fratres conſummauerunt iniquitatem propoſiti ſui.

6 In conſilium eorum non veniat anima mea, & in congregatione eorum non contendat viſcera mea: quia in furore ſuo interfecerunt homines, & in cupiditate ſua ſubneruauerunt taurum.

7 Maledictus furor eorum, quia peruicax: & ira eorum, quia indurata eſt: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.

8 Iuda, te laudent fratres tui: manus tuæ ſuper dorſum inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.

9 Catulus leonis Iuda: ex germine fili mi aſcendiſti: recumbens dormiſti vt leo, & quaſi catulus leonis, quis ſuſcitabit eum?

10 NON DEFICIET princeps ex Iuda, & dux de femoribus tuis, donec veniant, quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio gentium:

11 Alligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum.

12 Gratifici oculi eius ſuper vinum, & candidi dentes eius, quam lac.

13 Zabulon iuxta mare habitabit, & ipſe ſecus acceſſum nauium, & pertendet vſque ad Sidonem.

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et vidit Ioſeph, quòd poſuit pater ſuus dexteram ſuam ſuper caput Ephraim, & diſplicuit in oculis ſuis: & ſuſtulit manum patris ſui, vt amoueret eam de capite Ephraim, vt poneret eam ſuper caput Manaſſe.*

18 *Et ait Ioſeph patri ſuo: Non ita decet, pater mi: hic enim eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.*

19 *Et noluit pater ſuus, & ait: Scio, fili mi, ſcio: ipſe quippe erit in populum, & etiam ipſe multiplicabitur: ſed frater eius iunior multiplicabitur magis quàm ille: & filij ſui erunt dominantes in populis.*

20 *Et benedixit eis in die illa, dicens: In te benedicetur Iſrael, dicens: Ponat te Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſen. Et poſuit Ephraim ante Manaſſen.*

21 *Dixitque Iſrael ad Ioſeph: Ecce ego morior, & erit verbum Domini in adiutorium veſtrum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum.*

22 *Ego autem do tibi partem vnam præcipuam ſuper fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea.*

### CAP. XLIX.

1 *Et vocauit Iacob filios ſuos, & ait: Congregamini, & nunciabo vobis quæ vobis euenient in fine dierum.*

2 *Congregamini, & audite filij Iacob, & ſuſcipite doctrinam ab Iſrael patre veſtro.*

3 *Ruben primogenitus meus es tu, robur meũ, & principium fortitudinis meæ: tu accepturus eras partes tres, primogenituram ſcilicet, & ſacerdotiũ, & regnũ.*

4 *Sed quia ſecutus es voluntatem tuã, ſicut aqua effuſa, non proficies: neque accipies portionem ſuperexcreſcentem: quoniam aſcẽdiſti cubile patris tui, tũc, fili mi, violaſti, quando aſcendiſti ſtratum meum.*

5 *Symeon, & Leui fratres: viri fortiſſimi in terra peregrinationis ſuæ fecerunt fortitudinem.*

6 *In ſecreto eorum non fuit anima mea, & in congregatione eorum non conuenit gloria mea: quoniam in furore ſuo occiderunt occiſionem, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum inimicorum.*

7 *Maledictus ſit furor eorum, quoniam fortis: & ira eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.*

8 *Iuda laudabo te, & nõ es cõfuſus, te laudabunt fratres tui: manus tua præualebit cõtra inimicos tuos, diſpergentur hoſtes tui, conuertentur retrorſum in cõſpectu tuo, & prænient ſalutãtes te filij patris tui.*

9 *Dominium erit ei in principio; ſed in fine magnificabitur regnum domus Iuda: quoniam de iudicio mortis, fili mi, animam tuam abſtuliſti: requieſcet, & habitabit in fortitudine quaſi leo & quaſi leæna, neque erit regnum quod commoueat eum.*

10 *NON AVFERETVR habens principatum à domo Iuda, neque ſcriba à filijs filiorum eius, donec veniat Meſſias cuius eſt regnum, & ei obedient populi.*

11 *Habitabit Iſrael in circuitu ciuitatis ſuæ, populi ædificabunt templum eius, eruntque iuſti in circuitu eius, & factores legis in doctrina eius. Purpura optima erit veſtimentum illius, operimentum eius erit ſericum tinctum coccino varijſque coloribus.*

12 *Montes eius rubicundiores erunt in vineis ſuis, diſtillabunt colles eius vinum: dealbabuntur campi eius frumento, & gregibus ouium.*

13 *Zabulon iuxta portũ maris habitabit, & ipſe ſubijciet prouincias nauibus, & bona maris comedet, & terminus eius erit pertingens vſque ad Sydonem.*

| Vulgat. Editio. | | | TransLex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. | 14 | 14 | *Iſaſchar vt aſinus fortis, cubans inter duos terminos.* |
| Vidit requiem, quòd eſſet bona: & terram, quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens. | 15 | 15 | *Et vidit requiem, quòd eſſet bona: & terram, quòd eſſet pulchra: & inclinauit humerum ſuum ad portandum, & fuit tributo ſeruiens.* |
| Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael: | 16 | 16 | *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut vna è tribubus Iſrael.* |
| Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. | 17 | 17 | *Erit Dan, vt ſerpens iuxta viam, vt ceraſtes iuxta ſemitam, mordens calcaneos equi, & cecidit currus eius retrorſum.* |
| SALVTARE tuum expectabo Domine. | 18 | 18 | *SALVTEM tuam expectaui Domine.* |
| Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum. | 19 | 19 | *Ghad, exercitum ſuccidet: & ipſe ſuccidet calcaneum.* |
| Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus | 20 | 20 | *Aſer erit pinguis panis eius, & ipſe dabit delicias regis.* |
| Nephthali, ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinibus. | 21 | 21 | *Naphthali, vt ceruа dimiſſa, dans eloquia pulchritudinis.* |
| *1.Par.5.1. * Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum. | 22 | 22 | *Vt ramus creſcens Ioſeph, vt ramus creſcens iuxta fontem: filiæ incedebant ſuper murum.* |
| Sed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuideruntque illi habentes iacula. | 23 | 23 | *Et amaricauerunt eum, & iaculauerunt eum, & odio habuerunt eum ſagittarij.* |
| Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. | 24 | 24 | *Et habitauit in forti arcus eius, & roborauerunt ſe brachia manuum eius à manibus potentis Iahacob: inde paſcens lapides Iſrael.* |
| Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum, & vuluæ. | 25 | 25 | *A Deo patris tui, & adiuuabit te, & ab omnipotente, & benedicet tibi benedictionibus cœli ſurſum, benedictionibus abyſſi cubantis deorſum, benedictionibus vberum, & vuluæ.* |
| Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius: donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. | 26 | 26 | *Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus genitorum meorum: vſque ad terminum collium perpetuorum erunt: ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi fratrum eius.* |
| Beniamin lupus rapax: manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. | 27 | 27 | *Biniamin vt lupus rapiet: manè comedet prædam, & veſperi diuidet ſpolia.* |
| Omnes hi in tribubus Iſrael duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis, benedictionibus proprijs. | 28 | 28 | *Omnes iſtæ tribus Iſrael duodecim: & hoc eſt quod locutus eſt eis pater eorum, & benedixit eis, vnicuique ſecundum benedictionem ſuam, benedixit eis.* |
| Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron Hethæi, | 29 | 29 | *Et pcepit eis, & dixit ad eos: Ego cõgregor ad populũ meũ: ſepelite me cũ patribus meis ĩ ſpelũca, q̃ ẽ in agro Hephrõ Chittæi in ſpelũca, q̃ eſt in agro duplici,* |
| *Sup.23. Contra Mambre in terra Chanaan, * quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri. | 30 | 30 | *Quæ eſt ante Mamre, in terra Chenahan, quam emit Abraham cum agro ab Hephron Chittæo in poſſeſſionem ſepulchri.* |
| Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge ſua: ibi & Lia condita iacet. | 31 | 31 | *Ibi ſepelierunt Abraham, & Sarah vxorem eius: ibi ſepelierunt Iſchac, & Ribcah vxorem eius: & ibi ſepeliui Leah, emptio agri, & ſpelunca quæ eſt in eo, fuit à filijs Cheth.* |

Fini- Et fini-

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Iſſacar bonum deſiderauit, requieſcens inter medios cleros: | 14 | 14 | Iſachar diues in ſubſtantia, & poſſeſſio eius erit inter terminos. |
| Et videns requiem, quia bona eſt: & terram, quia pinguis: ſuppoſuit humerum ſuum ad laborandum, & factus eſt vir agricola. | 15 | 15 | Et vidit partem ſuam, quòd erat bona: & terram quia fructifera: & ſubijciet prouincias populorum, & diſperdet habitatores earum, & qui relicti fuerint in eis, erunt ei ſeruientes, & tributarij. |
| Dan iudicabit populum ſuum, tanquam & vna tribus in Iſrael. | 16 | 16 | De domo Dan eligetur, & conſurget vir; in diebus eius liberabitur populus ſuus, & in annis eius requieſcent ſimul tribus Iſrael. |
| Et fiat Dan ſerpens in via, ſedens in ſemita, mordens calcaneum equi, & cadet eques retrorſum | 17 | 17 | Erit vir qui eligetur, & conſurget de domo Dan, cuius timor irruet ſuper populos, & percutiet fortiter Philiſtæos, quaſi coluber: aſpis inſidiabitur iuxta ſemitam, interficiet robuſtos in caſtris Philiſtinorum equites cum peditibus: eneruabit equos, & quadrigas, & deijciet aſcenſores eorum retrorſum. |
| SALVTEM expectant Domini. | 18 | 18 | SALVTARE tuum expecto Domine, dixit pater noſter Iacob: Non expecto ſalutare Gedeon filij Ioas, quæ eſt ſalus temporalis: neque ſalutare Samſon filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria: ſed expecto redemptionem Chriſti filij Dauid, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſrael; cuius redemptionem deſiderat anima mea. |
| Gad, tentatio tentabit eum: & ipſe tentabit eum ſecus pedes. | 19 | 19 | Caſtra armatorum de domo Gad tranſibunt Iordanem ad prælium coram fratribus ſuis, & cum multa ſubſtantia reuertentur in terram ſuam. |
| Aſer, pinguis eius panis: & ipſe dabit delicias principibus. | 20 | 20 | Terra Aſer optima erit: & ipſa nutrietur delitijs regum. |
| Nephtali, virgultum reſolutum, dans in germine pulchritudinem. | 21 | 21 | Neptali, in terra optima cadet ſors eius, & poſſeſſio eius erit faciens fructus: laudabunt, & benedicent ſuper eos. |
| Filius auctus Ioſeph, filius auctus meus zelatus: filius meus adoleſcentior ad me reuertere. | 22 | 22 | Filius accreſcens Ioſeph, filius qui benedicetur quaſi vitis quæ plantata eſt iuxta fontem aquarum: duæ tribus egredientur de filijs ſuis, ſuſcipientque partem, & hæreditatem ſuam. |
| In quem conſilia conferentes, maledicebant, & intendebant in eum domini ſagittationum. | 23 | 23 | Et coanguſtiauerunt eum, & vlti ſunt in eum: & exaſperauerunt eum viri fortiſſimi, viri diſſenſionū. |
| Et contrita ſunt cum potentia arcus eorum, & diſſoluti ſunt nerui brachiorum manus eorum per manum potentis Iacob: inde qui confortauit Iſrael à Deo patris tui: | 24 | 24 | Et completa eſt in eis prophetia, eo quòd obſeruauit legem in occulto, propoſuitq́; conſtantem ſpem ſuam: tunc poſitum eſt aurum optimum ſuper brachia eius, corroborauit, & confirmauit regnum eius, quod fuit ei datum à facie Dei fortiſſimi Iacob: cuius verbo gubernantur patres, & filij tribuum Iſrael. |
| Et adiuuit te Deus meus, & benedixit te benedictione cœli deſuper, & benedictione terræ habentis omnia, propter benedictionem vberum, & vuluæ, | 25 | 25 | Verbum Dei patris tui erit in adiutorium tuum, & omnipotens benedicat tibi benedictionibus roris, qui deſcendit de cœlo deſuper, benedictionibus quæ aſcendunt de profundis terræ deorſum, benedictionibus patris tui, & matris tuæ. |
| Benedictionem patris tui, & matris tuæ, præualuit ſuper benedictiones montium ſtabilium: & in benedictionibus collium æternorum: erunt ſuper caput Ioſeph, & ſuper caput fratrum, quorum dux fuit. | 26 | 26 | Benedictiones patris tui addentur ſuper benedictiones quibus benedixerunt me patres mei, quas optauerunt principes, qui à ſæculo fuerunt: erunt omnes illæ benedictiones ſuper caput Ioſeph, & ſuper virum qui ſegregatus fuit à fratribus ſuis. |
| Beniamin lupus rapax: mane comedet adhuc, & ad veſperam dat eſcam. | 27 | 27 | In terra Beniamin habitabit templi maieſtas, & in poſſeſſione eius ædificabitur ſanctuarium: mane & veſperè offerent ſacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino diuident reſiduum portionum ſuarum, de reliquijs quæ ſanctificata ſunt. |
| Omnes hi filij Iacob duodecim: & locutus eſt eis pater eorum, & benedixit eos, vnumquemque ſecundum benedictionem eius, benedixit eos. | 28 | 28 | Omnes hi tribus Iſrael duodecim: & hoc eſt quod locutus eſt cum eis pater eorū, & benedixit eis, iuxta benedictionem vniuſcuiuſque benedixit eis. |
| Et dixit eis: Ego apponor ad populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca, quæ eſt in agro Ephron Chettæi, in ſpelunca duplici, | 29 | 29 | Et præcepit eis, & dixit eis: Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca quæ eſt in agro Ephron Ethæi, in ſpelunca duplici, |
| Quæ eſt contra Mambre in terra Chanaan, quam acquiſiuit Abraham ſpeluncam ab Ephron Chettæo in poſſeſſionem monumenti. | 30 | 30 | Quæ eſt in agro qui eſt cōtra faciem Mambre in terra Chanaan, quem agrum emit Abraham ab Ephron Ethæo in poſſeſſionem ſepulchri. |
| Ibi ſepelierunt Abraham, & Saram vxorem eius: ibi ſepelierunt Iſaac, & Rebeccam vxorem eius: ibi ſepelierunt Liam, in acquiſitione agri, & ſpeluncæ quæ eſt in eo, à filijs Chet. | 31 | 31 | Ibi ſepelierunt Abraham, & Saram vxorem eius: ibi ſepelierunt Iſaac, & Rebeccam vxorem eius: ibique ſepeliui Liam, emptio agri, & ſpelunca quæ in eo eſt à filijs Heth. |

Et ceſſa-

I i Et ceſſa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

32 Finiuiſque mandatis quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum & obijt: appoſituſque eſt ad populum ſuum.

### CAP. L.

1 QVod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris flens, & deoſculans eum.

2 Præcepitq; ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus conditent patrem.

3 Quibus iuſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos erat cadauerum conditorum. fleuitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.

4 Et expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis:

5 Eo quod pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in ſepulchro meo * quod fodi mihi in terra Chanaan, ſepelies me. Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar.

*Sup. 47. 29.*

6 Dixitque ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.

7 Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti:

8 Domus Ioſeph cum fratribus ſuis, abſque paruulis, & gregibus, atque armentis quæ dereliquerant in terra Geſſen.

9 Habuit quoque in comitatu currus, & equites: & facta eſt turba non modica.

10 Veneruntque ad Aream Atad, quæ ſita eſt trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleuerunt ſeptem dies.

11 Quod cum vidiſſent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus eſt iſte Ægyptijs. Et idcirco vocatum eſt nomen loci illius, Planctus Aegypti.

12 Fecerunt ergo filij Iacob ſicut præceperat eis:

13 Et portantes eum in terram Chanaan, * ſepelierũt eum in ſpelunca duplici, * quam emerat Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.

** Act. 7. 16.*
** Sup. 23. 16.*

14 Reuerſuſque eſt Ioſeph in Aegyptum cum fratribus ſuis, & omni comitatu, ſepulto patre.

15 Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuo colloquentes: Ne forte memor ſit iniuriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus,

16 Mandauerunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur,

17 Vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioſeph.

18 Veneruntque ad eum fratres ſui: & proni adorantes in terram dixerunt: Serui tui ſumus.

19 Quibus ille reſpondit: Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?

20 * Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, ſicut in præſentiarũ cernitis, & ſaluos faceret multos populos.

** Sup. 45. 5.*

21 Nolite timere: ego * paſcam vos, & paruulos veſtros. conſolatuſque eſt eos, & blande, ac leniter eſt locutus.

** Sup. 45. 11.*

Et ha-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Et finiuit Iahacob præcipere filijs ſuis, & collegit pedes ſuos in lecto, & obijt: & aggregatus eſt ad populos ſuos.*

### CAP. L.

1 *ET inclinauit ſe Ioſeph ſuper faciem patris ſui, & fleuit ſuper eum, & oſculatus eſt eum.*

2 *Et præcepit Ioſeph ſeruis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem ſuum.*

3 *Et aromatibus condiuerunt medici ipſum Iſrael, & completi ſunt ei quadraginta dies: ſic enim complentur dies cõditionis aromatum. & fleuerunt eum Ægyptij ſeptuaginta diebus.*

4 *Et tranſierunt dies luctus eius, & locutus eſt Ioſeph ad domum Pharaoh, dicendo: Si quæſo inueni gratiam in oculis veſtris, loquimini quæſo in auribus Pharaoh, dicendo.*

5 *Pater meus iurare fecit me, dicendo: Ecce ego morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chenahan, ſepelies me. Et nunc aſcendam obſecro, & ſepeliam patrem meum, & reuertar.*

6 *Et dixit Pharaoh: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, quemadmodum iurare fecit te.*

7 *Et aſcendit Ioſeph, ut ſepeliret patrem ſuum, & aſcenderunt cum eo omnes ſerui Pharaoh ſeniores domus eius, & omnes ſeniores terræ Ægypti.*

8 *Et omnis domus Ioſeph, & fratres eius, & domus patris eius, tãtummodo paruulos ſuos, & pecudes ſuas, & boues ſuas reliquerunt in terra Goſen.*

9 *Et aſcenderunt cum eo, etiam currus, etiam equites: & fuit turma grauis valdè.*

10 *Et venerunt vſque ad Aream Athad, quæ eſt trans Iarden: & planxerunt ibi planctu magno, & graui valdè, & fecit patri ſuo luctum ſeptem diebus.*

11 *Et viderunt habitatores terræ Chenahanæi luctum in Area Athad, & dixerunt: Luctus grauis eſt iſte Ægyptijs. Idcircò vocauit nomen eius Abel Miſraim * qui eſt trans Iarden.*

** Idest luctus Aegyptiorũ.*

12 *Et fecerũt filij eius ei ſic, quẽadmodũ præceperat eis.*

13 *Et tulerunt eum filij eius in terram Chenahan, & ſepelierunt eum in ſpelunca agri duplici, quam emit Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri, ab Hephron Chitæo ante Mamre.*

14 *Et reuerſus eſt Ioſeph in Aegyptum ipſe, & fratres eius, & omnes qui aſcenderunt cum eo, ut ſepelirent patrem eius, poſtquam ſepeliuit patrem ſuum.*

15 *Et viderunt fratres Ioſeph, quòd mortuus eſſet pater eorum, & dixerunt: Fortaſſe odio habebit nos Ioſeph, & reddendo reddet nobis omne malum, quod retribuimus ei,*

16 *Et præceperunt Ioſeph, dicendo: Pater tuus præcepit antequam moreretur,*

17 *Dicendo: Sic dicetis Ioſeph: Obſecro parce nunc præuaricationi fratrum tuorum, & peccato eorum, quia malum retribuerunt tibi, & nunc parce quæſo præuaricationi ſeruorum Dei patris tui. Et fleuit Ioſeph, dum loquerentur ſibi.*

18 *Et perrexerunt etiam fratres eius: & inclinauerunt ſe coram eo, & dixerunt: Ecce ſumus tibi ſerui.*

19 *Et dixit ad eos Ioſeph: Ne timeatis: numquid enim loco Dei ſum?*

20 *Et vos cogitaſtis aduerſum me malum: Deus cogitauit illud in bonum, ut faceret ſecundum diẽ hanc, ut viuificaret populum multum.*

21 *Et nunc ne timeatis: ego alam vos, & paruulos veſtros. & conſolatus eſt eos, & locutus eſt ad cor eorum.*

*Et ha-*

UVA.BSCH

### Transl. ex Septuag.

32 Et ceſſauit Iacob præcipiens filijs ſuis, & ſuſtollens pedes ſuos ſuper lectum, defecit: & appoſitus eſt ad populum ſuum.

#### CAP. L.

1 ET procidens Ioſeph ſuper faciem patris ſui, fleuit eum, & oſculatus eſt eum.

2 Et præcepit Ioſeph ſeruis ſuis ſepultoribus, vt ſepelirent patrem eius.

3 Et ſepelierunt ſepultores ipſum Iſrael, & impleuerunt eius quadraginta dies: ſic enim enumerantur dies ſepulturæ. & luxit eum Aegyptus ſeptuaginta dies.

4 Poſtquam vero præterierunt dies luctus, locutus eſt Ioſeph ad potentes Pharaonis, dicens: Si inueni gratiam coram vobis, loquimini pro me in aures Pharaonis, dicentes:

5 Pater meus adiurauit me, dicens: In monumento quod mihi effodi in terra Chanaan, ibi me ſepelies. Nunc igitur aſcendēs ſepeliam patrem meum, & reuertar.

6 Et dixit Pharao Ioſeph: Aſcende, ſepeli patrem tuum, ſicut adiurauit te.

7 Et aſcendit Ioſeph ad ſepeliendum patrem ſuum: & ſimul aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, & ſeniores domus eius, & omnes ſeniores terræ Aegypti,

8 Et omnis domus Ioſeph, & fratres eius, & omnis domus paterna eius, & cognatio eius, & oues, & boues reliquerunt in terra Geſem.

9 Et ſimul aſcenderunt cum eo, & currus, & equites: & facta ſunt caſtra magna valde.

10 Et aduenerunt ad Aream Arad, quæ eſt trans Iordanem: & planxerunt eum planctum magnum, & validum vehementer, & fecit luctum patri ſuo ſeptem dies.

11 Et viderunt habitatores terræ Chanaan luctum illum in Area Arad, & dixerunt: Luctus magnus hic eſt Aegyptijs. Propter hoc vocauit nomen eius: Luctus Aegypti qui eſt trans Iordanem.

12 Et fecerunt ei ſic filij eius,

13 Et retulerunt eum filij eius in terra Chanaan, & ſepelierunt eum in ſpelunca duplici, quam acquiſiuit Abraham ſpeluncam in poſſeſſione monumenti ab Ephron Chettæo è regione Mambre.

14 Et reuertit Ioſeph in Aegyptum, ipſe & fratres eius, & qui ſimul aſcenderant ad ſepeliendum patrem eius.

15 Videntes autem fratres Ioſeph, quia mortuus eſt pater eorum, dixerunt: Ne forte memor iniuriæ ſit nobis Ioſeph, & redditione reddat nobis omnia mala, quæ oſtendimus in eum.

16 Et accedentes ad Ioſeph, dixerunt: Pater tuus adiurauit, priuſquam ipſe moreretur,

17 Dicens ſic dicite Ioſeph: Dimitte eis iniuſtitiam, & peccatum eorum, quoniam mala tibi oſtenderunt: & nunc accipe iniquitatem ſeruorum Dei patris tui. Et fleuit Ioſeph loquentibus illis ad eum:

18 Et venientes ad eum dixerunt: Nos autem ſumus tibi famuli.

19 Et dixit eis Ioſeph: Ne timeatis: Dei enim ſum ego.

20 Vos cogitaſtis contra me in mala: Deus autem cogitauit de me in bona, vt fieret vtique, ſicut eſt hodie, & nutriretur populus multus.

21 Et dixit eis Ioſeph: Ne timeatis: ego enutriam vos, & domos veſtras, & conſolatus eſt eos, & locutus eſt ad cor eorum.

Et ha-

### Chal. Paraph. Transl.

32 *Et ceſſauit Iacob præcipere filijs ſuis, & collegit pedes ſuos in lectulum, & defecit: congregatuſque eſt ad populum ſuum.*

#### CAP. L.

1 *ET ruit Ioſeph ſuper faciem patris ſui, & fleuit ſuper eum, & oſculatus eſt eum.*

2 *Et præcepit Ioſeph ſeruis ſuis medicis, vt condirent patrem ſuum, & condierunt medici Iſraelem.*

3 *Et expletis quadraginta diebus: quibus complebantur dies conditorum, fleuerunt eum Ægyptij ſeptuaginta diebus.*

4 *Et tranſierunt dies planctus eius, & locutus eſt Ioſeph cum domo Pharaonis, dicens: Si inueni gratiam in oculis veſtris, loquimini, obſecro, coram Pharaone, dicentes:*

5 *Quod pater meus adiurauit me dicens: Ecce morior, in ſepulchro meo quod præparaui mihi in terra Chanaan, ibi ſepelies me. Et nunc aſcendam, obſecro, & ſepeliam patrem meum, & reuertar.*

6 *Dixitque Pharao: Aſcende, ſepeli patrem tuum, ſicut adiurauit te.*

7 *Aſcenditque Ioſeph, vt ſepeliret patrem ſuum, & aſcenderunt cum eo omnes ſerui Pharaonis, ſeniores domus ſuæ, & omnes ſenes terræ Ægypti.*

8 *Omniſque domus Ioſeph, & fratres ſui, & domus patris ſui exceptis paruulis, oues quoque eorum, & boues dereliquerunt in terra Geſſen.*

9 *Aſcenderuntque cum eo currus, & equites: eratque turba magna nimis.*

10 *Et venerunt vſque ad Aream Arad, quæ eſt vltra Iordanem: & planxerunt ibi planctum magnum, atque nimis vehementem, & fecit patri ſuo luctum ſeptem diebus:*

11 *Et vidit habitator terræ Chanaan luctum, qui fiebat in loco Areæ Arad, & dixerunt: Luctus vehemens eſt iſte Ægyptijs. Et idcirco vocatum eſt nomen eius: Luctus Ægypti, qui eſt trans Iordanem.*

12 *Feceruntque filij eius, ſicut præceperat eis.*

13 *Portaueruntque eum filij ſui in terram Chanaan, & ſepelierunt eum in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro, qui eſt contra faciem Mamre, quem agrū emit Abraham in poſſeſſionem ſepulchri à filijs Heth.*

14 *Reuerſuſque eſt Ioſeph in Ægyptum, ipſe & fratres eius, & omnes qui aſcenderunt cum eo, vt ſepelirent patrem eius, poſtquam ſepeliuit patrem ſuum.*

15 *Videruntque fratres Ioſeph, quòd mortuus eſſet pater eorum, & dixerunt: Fortè obſeruabit nobis Ioſeph inimicitiam, & reddet nobis omne malum quod tribuimus ei.*

16 *Mandaueruntque ad Ioſeph, dicentes: Pater tuus præcepit ante mortem ſuam,*

17 *Dicens: ſic dicetis ad Ioſeph: Obſecro, vt dimittas delicta fratrum tuorum, & peccata, quia malum retribuerunt tibi, & nunc dimitte, obſecro, delicta ſeruorum Dei patris tui. Et fleuit Ioſeph cùm loquerentur cum eo.*

18 *Ierunt quoque fratres ſui, & ceciderunt coram eo, atque dixerunt: Ecce nos ſumus ſerui tui.*

19 *Dixitque eis Ioſeph: Ne timeatis: quoniam ego timeo à facie Dei:*

20 *Vos autem cogitaſtis contra me malum: ſed coram Deo reputatum eſt in bonum, vt faceret ſicut in die hac, vt ſuſtentaret populum multum.*

21 *Et nunc nolite timere: ego paſcam vos, & familiam veſtram, & conſolatus eſt eos, & locutus eſt conſolationem ad cor eorum.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

22 Et habitauit in Aegypto cum omni domo patris
ſui: vixitque centum decem annis. Et vidit E-
phraim filios vſque ad tertiam generationem. * Fi-
lij quoque Machir filij Manaſſe nati ſunt in geni-
bus Ioſeph.

* Nu. 32. 39.

23 Quibus tranſactis, * locutus eſt fratribus ſuis: Poſt
mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos
faciet de terra iſta, ad terram, quam iurauit Abra-
ham, Iſaac, & Iacob.

* Heb. 11. 22.

24 Cumque adiuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſi-
tabit vos: * aſportate oſſa mea vobiſcum de loco
iſto:

* Exo. 13. 19. Ioſu. 24. 32.

25 Mortuus eſt, expletis centum decem vitæ ſuæ an-
nis. Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo
in Aegypto.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et habitauit Ioſeph in Ægypto, ipſe & domus pa-
tris eius: & vixit Ioſeph centum, & decem annos.
Et vidit Ioſeph ipſi Ephraim filios tertiæ generatio-
nis. Etiam filij Machir filij Menaſſeh nati ſunt ſu-
per genua Ioſeph.*

23 *Et dixit Ioſeph fratribus ſuis: Ego morior, & Deus
viſitando viſitabit vos, & aſcendere faciet vos è ter-
ra hac, ad terram quam iurauit Abraham, Iſchac,
& Iahacob.*

24 *Et iurare fecit Ioſeph filios Iſrael, dicendo: Viſitan-
do viſitabit Deus vos: aſcendere facietis oſſa mea
hinc.*

25 *Et mortuus eſt Ioſeph filius centum, & decem anno-
rum. Et aromatibus condierunt eum, & poſitus eſt
in arca in Ægypto.*

# FINIS LIBRI GENESEOS.



UVA.BSCH

### Tranſl. ex Septuag.

22 Et habitauit Ioſeph in Ægypto ipſe & fratres eius, & tota omnino domus patris eius: & vixit Ioſeph annos centum decem. Et vidit Ioſeph Ephraem filios vſque ad tertiam generationem. Et filij Machir filij Manaſſe nati ſunt ſuper femora Ioſeph.
23 Et ait Ioſeph fratribus ſuis, dicens: Ego morior: viſitatione autem viſitabit vos Deus, & reducet vos de terra hac in terram, quam iurauit Deus patribus noſtris, Abraham, Iſaac, & Iacob.
24 Et adiurauit Ioſeph filios Iſrael, dicens: In viſitatione, qua viſitabit vos Deus: & ſimul efferetis oſſa mea hinc vobiſcum.
25 Et mortuus eſt Ioſeph annorum centum decem. Et ſepelierunt eum, & poſuerunt in vrna in arca in Ægypto.

### Chald. Paraph. Tranſl.

22 *Et habitauit Ioſeph in Ægypto, ipſe & domus patris ſui: & vixit Ioſeph centum & decem annis. Et vidit Ioſeph de Ephraim filios tertios. Filij quoque Machir filij Manaſſe nati ſunt, quos nutriuit Ioſeph.*
23 *Dixitque Ioſeph fratribus ſuis: Ego morior: & Deus recordans recordabitur veſtri, & leuabit vos de terra hac, in terram quam iurauit Abrahæ, et Iſaac, & Iacob.*
24 *Et adiurauit Ioſeph filios Iſrael, dicens: Memoria memor erit veſtri Deus: & leuabitis oſſa mea hinc.*
25 *Mortuuſque eſt Ioſeph cùm eſſet ætatis centum & decem annorum. Et condierunt eum aromatibus, & poſuerunt eum in arca in Ægypto.*

## FINIS LIBRI GENESEOS.



UVA.BSCH

# LIBRI EXODI.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

Gen. 46. 8. 1 HÆc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui in-
greſſi ſunt in Ægyptum cum Iacob: ſin-
guli cum domibus ſuis introierunt.
2 Ruben, Simeon, Leui, Iudas,
3 Iſſachar, Zabulon, & Beniamin,
4 Dan, & Nephthali, Gad, & Aſer.
5 Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt
de femore Iacob, ſeptuaginta: Ioſeph autem in
Ægypto erat.
6 Quo mortuo, & vniuerſis fratribus eius, omniſque
cognatione illa,
*Act. 7. 17. 7 * Filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes mul-
tiplicati ſunt: ac roborati nimis, impleuerunt ter-
ram.
8 Surrexit interea rex nouus ſuper Ægyptum, qui
ignorabat Ioſeph:
9 Et ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum
Iſrael multus, & fortior nobis eſt.
10 Venite, ſapienter opprimamus eum; ne forte mul-
tiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, ad-
datur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egre-
diatur de terra.
11 Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, vt affli-
gerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes
tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Rameſ-
ſes.
12 Quantoque opprimebant eos, tanto magis multi-
plicabantur, & creſcebant:
13 Oderantque filios Iſrael Ægyptij, & affligebant il-
ludentes eis:
14 Atque ad amaritudinem perducebant vitam eo-
rum operibus duris luti, & lateris, omnique fa-
mulatu, quo in terræ operibus premeban-
tur.
15 Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræo-
rum: quarum vna vocabatur Sephora, altera
Phua,
16 Præcipiens eis: Quando obſtetricabitis Hebræas,
& partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, in-
terficite eum: ſi fœmina, reſeruate.
17 Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fece-
runt iuxta præceptum regis Ægypti, ſed conſerua-
bant mares.
18 Quibus ad ſe accerſitis, rex ait: Quidnam eſt hoc
quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis?
19 Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut
Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi ha-
bent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas pa-
riunt.
20 Bene ergo fecit Deus obſtetricibus: & creuit po-
pulus, confortatuſque eſt nimis.
21 Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis
domos.
22 Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens:
Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen
proijcite: quidquid fœminini, reſeruate.

### CAP. II.

*Infr. 6. 20. 1 EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui: * &
accepit vxorem ſtirpis ſuæ.



# LIBRI VEELLESEMOTH.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET hæc nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi
ſunt in Ægyptum cum Iahacob: ſinguli cum
familia ſua, ingreſſi ſunt.*
2 *Reuben, Simhon, Leui, & Iehudah.*
3 *Iſaſchar, Zebulun, & Biniamin.*
4 *Dan, & Naphtali, Ghad, & Aſer,*
5 *Et fuerunt omnes animæ eorum qui egreſſi ſunt è
femore Iahacob, ſeptuaginta animæ: & Ioſeph erat
in Ægypto.*
6 *Et mortuus eſt Ioſeph, & omnes fratres eius, & om-
nis generatio eius.*
7 *Et filij Iſrael creuerunt, & nati ſunt in multitudi-
ne, & multiplicati ſunt: & roborati ſunt validiſſi-
mè, & repleta eſt terra ex eis.*
8 *Et ſurrexit rex nouus ſuper Ægyptum, qui non co-
gnouit Ioſeph.*
9 *Et dixit ad populum ſuum: Ecce populus filiorum
Iſrael multus, & fortior nobis eſt.*
10 *Aſſer, ſapientes ſimus propter eum; ne fortè mul-
tiplicetur: & ſi cum euenerit bellum, addatur etiam
ipſe inimicis noſtris, & pugnet contra nos, & aſcen-
dat è terra.*
11 *Et poſuerunt ſuper eum principes tributorum,
vt affligerent eos oneribus ſuis: & ædificauit vr-
bes theſaurorum Parhoni, Pithom, & Rahame-
ſes.*
12 *Et quatenus affligebant eum, eatenus multiplicaba-
tur, & creſcebat:*
13 *Et anguſtijs afficiebantur propter filios Iſrael: & ſer-
uire fecerunt Ægyptij filios Iſrael durè.*
14 *Et amaritudinibus affecerunt vitam eorum ope-
re duro in luto, & in lateribus, & in omni opere,
in agro cum omni opere eorum, quibus operati ſunt
durè.*
15 *Et dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum: qua-
rum nomina erant vnius quidem Siphrah alterius
verò Puhah.*
16 *Et dixit: Quum obſtetricaueritis Hebræas, & vide-
ritis ſuper ſellas: ſi filius eſt, interficite eum: & ſi fi-
lia eſt viuat.*
17 *Et timuerunt obſtetrices Deum, & non fecerunt,
quemadmodum locutus eſt ad eas Rex Ægypti, ſed
viuificauerunt pueros,*
18 *Et vocauit Rex Ægypti obſtetrices, & dixit ad eas:
Cur feciſtis rem hanc, & viuificaſtis pueros?*
19 *Et dixerunt obſtetrices ad Parhoh: Quia non ſicut
mulieres Ægyptiæ, Hebrææ ſunt: quia obſtetrices
ſunt ipſæ, antequam veniat ad eas obſtetrix pepe-
rerunt.*
20 *Et benefecit Deus obſtetricibus: & creuit populus,
& roborati ſunt valdè.*
21 *Et fuit, quia timuerunt obſtetrices Deum, fecit eis
domos.*
22 *Et præcepit Parhoh, dicendo: Omnem filium, qui naſce-
tur in flumen proiicietis: & omnem filiam viuifi-
cabitis.*

### CAP. II.

1 *ET abijt vir de domo Leui: & tulit filiam
Leui.*



UVA.BSCH

# LIBRI EXODI.

## Transl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 HÆc ſunt nomina filiorũ Iſrael, qui ingreſſi ſũt in Ægyptũ vna cũ Iacob patre ſuo: vnuſquiſq; cum vniuerſa domo ſua intrauerunt.
2 Ruben, Symeon, Leui, Iudas,
3 Iſſachar, Zabulon, Beniamin,
4 Dan, & Nepthali, Gad, & Aſer.
5 Ioſeph autem erat in Ægypto: erant autem omnes animæ de Iacob, ſeptuagintaquinque.
6 Mortuus eſt autem Ioſeph, & omnes fratres eius, & omnis generatio illa.
7 Filij autem Iſrael creuerunt, & multiplicati ſunt, & effuſi facti ſunt: & inualeſcebant valde, multiplicabat autem illos terra.
8 Surrexit autem rex alius in Ægypto, qui neſciebat Ioſeph:
9 Et dixit genti ſuæ: Ecce genus filiorum Iſrael, grandis multitudo eſt, & valet ſuper nos.
10 Venite itaque, circumſcribamus illos, ne forte increſcant: & cum acciderit nobis bellum, adijcientur & iſti ad aduerſarios: & expugnantes nos exibũt de terra.
11 Et præfecit eis præfectos operum, vt affligerent eos in operibus: & ædificauerunt ciuitates munitas Pharaoni, Pitho, & Rameſſe, & On, quæ eſt Heliopolis.
12 Quanto autem eos humiliabant: tanto plures fiebant, & inualeſcebant valde valde.
13 Et abhorrebant Ægyptij a filijs Iſrael: & opprimebant Aegyptij filios Iſrael violentia:
14 Et amarã faciebant eorum vitam in operibus duris, luto, & opere lateritio, & omnibus operibus, quæ in campis, ſecundum omnia opera, quibus ſeruiliter premebant eos cum violentia.
15 Et dixit rex Ægyptiorum obſtetricibus Hebræorum: quarum vni nomen erat Sephora, & nomen ſecundæ Phua.
16 Et ait: Cum obſtricabitis Hebræas, & prope partũ erunt, ſiquidem maſculus fuerit, occidite eum, ſin autem fęmina, reſeruate eam.
17 Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt, ſicut præceperat illis rex Ægypti: & viuificabant maſculos.
18 Vocauit autem rex Aegypti obſtetrices, & dixit eis: Quid, quod feciſtis rẽ hanc, & viuificaſtis maſculos?
19 Dixerunt autem obſtetrices Pharaoni: Non ſicut mulieres Ægypti, ſunt Hebrææ: pariunt enim, priuſquam ingrediantur ad eas obſtetrices, & pepererunt.
20 Benefaciebat autem Deus obſtetricibus: & creſcebat populus, & inualeſcebat valde.
21 Quoniam autem timebant obſtetrices Deum, fecerunt ſibi domos.
22 Præcepit autem Pharao omni populo ſuo, dicens: Omne maſculinũ, quodcũque natũ fuerit Hebræis, in flumẽ proijcite: & oẽ fęmininũ viuificate illud.

### CAP. II.

1 ERat autem quidam de tribu Leui, qui ſumpſit de filiabus Leui.



# LIBRI EXODI.

## Chald. Paraph. Transl.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Iacob: ſinguli cum viris domus ſuæ introierunt.*
2 *Ruben, Symeon, Leui, & Iudas,*
3 *Iſachar, Zabulon, & Beniamin,*
4 *Dan, & Nephtali, Gad & Aſer.*
5 *Eratq; omnes animæ egredientium de femore Iacob, ſeptuaginta animæ, cum Ioſeph qui erat in Ægypto.*
6 *Mortuusq; eſt Ioſeph & omnes fratres eius, & omnis generatio illa.*
7 *Filij autem Iſrael creuerunt, & nati ſunt in multitudinem: & roborati ſunt vehementer nimis, & impleta eſt terra ex eis.*
8 *Et ſurrexit rex nouus in Ægypto, qui non confirmabat decreta Ioſeph.*
9 *Et ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis.*
10 *Venite, ſapienter agamus contra eos, ne fortè multiplicentur, & quando acciderit nobis bellum, addantur quoque ipſi inimicis noſtris, & inient contra nos bellum, & aſcendent de terra.*
11 *Et conſtituerunt ſuper eos principes malefacientes, vt affligerent eos in operibus ſuis: ædificaueruntque vrbes theſaurorum Pharaoni, Phitom & Rameſes.*
12 *Et quanto affligebant eos, tanto multiplicabantur, & tanto roborabantur:*
13 *Et tribulatio erat Ægyptijs propter filios Iſrael. Et ſeruire fecerunt Ægyptij filios Iſrael durè:*
14 *Et ad amaritudinem perduxerunt vitam eorum in ſeruitute dura, in luto, & in lateribus, & in omni ſeruitute in agro, in omnibus operibus ſuis, quibus eos grauiter ſeruire fecerunt.*
15 *Dixitque rex Aegypti obſtetricibus Iudæorum, nomen vnius Sephora, & nomen alterius Phua.*
16 *Et ait: Quando obſtetricabitis Iudæas, videbitis in partu: ſi filius fuerit, interficietis eum, & ſi filia fuerit, reſeruabitis eam.*
17 *Timueruntque obſtetrices à facie Dei, & non fecerunt ſicut locutus fuerat eis rex Ægypti, ſed conſeruabant filios.*
18 *Vocauitq; rex Ægypti obſtetrices, & ait: Cur feciſtis hanc rem, & reſeruatis filios?*
19 *Et dixerunt obſtetrices ad Pharaonem: Quia non ſunt ſicut mulieres Ægyptiæ, mulieres Iudææ; quia ipſæ ſapientes ſunt, & antequam veniat ad eas obſtetrix, pariunt.*
20 *Et benefecit Deus obſtetricibus: & creuit populus, confortatique ſunt nimis.*
21 *Et factũ eſt cum obſtetrices timuiſſent à facie Dei, fecit eis domos.*
22 *Et præcepit Pharao omni populo ſuo, dicens: Omnis filium qui natus fuerit ex Iudæis, in flumen proijcite eum, & omnem filiam reſeruabitis.*

### CAP. II.

1 *ET abijt vir de domo Leui, & accepit filiam Leui.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Heb. 11. 23.

2 Quæ concepit, & * peperit filium: & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus.
3 Cumque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis,
4 Stante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei.

* Act. 7. 21. Heb. 11. 23.

5 * Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidiſſet fiſcellã in papyrione, miſit vnam e famulabus ſuis: & allatam.
6 Aperiens, cernenſque in ea paruulum vagientem, miſerta eius, ait: De infantibus Hebræorum eſt hic.
7 Cui ſoror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum?
8 Reſpondit: vade. Perrexit puella & vocauit matrem ſuam.
9 Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutriuit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis.
10 Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.

* Heb. 11. 24.

11 In diebus illis poſtquam creuerat Moyſes, * egreſſus eſt ad fratres ſuos: viditque afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis.
12 Cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.
13 Et egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum?
14 Qui reſpondit: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum eſt verbum iſtud?
15 Audiuitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſen: qui fugiens de conſpectu eius, moratus eſt in terra Madian, & ſedit iuxta puteum.
16 Erant autem ſacerdoti Madian, ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.
17 Superuenere paſtores, & eiecerunt eas: ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis, adaquauit oues earum.
18 Quę cum reuertiſſent ad Raguel patrem ſuum, dixit ad eas: Cur velocius veniſtis ſolito?
19 Reſponderunt: Vir Aegyptius liberauit nos de manu paſtorum: inſuper & hauſit aquam nobiſcum, potumque dedit ouibus.
20 At ille: Vbi eſt? inquit, Quare dimiſiſtis hominem? vocate eum vt comedat panem.

* Inf. 18. 3. 1. Par. 23. 15.

21 Iurauit ergo Moyſes quòd habitaret cum eo. * Accepitque Sephoram filiam eius vxorem.
22 Quæ peperit ei filium, quem vocauit Gerſam, dicens: Aduena ſui in terra aliena. Alterum verò peperit, quẽ vocauit Eliezer dicens: Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.
23 Poſt multum verò temporis mortuus eſt rex Ægypti: & ingemiſcentes filij Iſrael, propter opera vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.

Et audi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et concepit mulier, & peperit filium, & vidit eum, quod pulcher eſſet, & abſcondit eum tribus menſibus.*
3 *Et non potuit vltra abſcondere eum, & accepit ſibi arcam ex iunco, & bituminauit eam bitumine, & pice: & poſuit in ea puerum, & poſuit in iunceto iuxta ripam fluminis.*
4 *Et ſtetit ſoror eius, à longinquo, vt ſciret quid fieret ei.*
5 *Et deſcendit filia Parhoh, vt lauaret ſe ad flumen: & puellæ eius ibant iuxta locum fluminis, & vidit arcam in medio iunceti, & miſit ancillam ſuam, & accepit eam.*
6 *Et aperuit, & vidit ipſum puerum, & ecce puer flebat, & miſerta eſt ſuper eum, & dixit: De pueris Hebræorum eſt iſte.*
7 *Et dixit ſoror eius ad filiam Parhoh: Numquid vadam, & vocabo tibi mulierẽ lactantem ex Hebræis, & lactabit tibi puerum?*
8 *Et dixit ei filia Parhoh: vade. Et perrexit puella, & vocauit matrem pueri.*
9 *Et dixit ei filia Parhoh: Duc puerum iſtum, & nutri eum mihi, & ego dabo tibi mercedem tuam: Et accepit mulier puerum, & nutriuit eum: & creuit puer, & adduxit eum ad filiam Parhoh.*
10 *Et fuit ei in filium, & vocauit nomen eius Moſeh, & dixit: Quia ex aquis traxi eum.*
11 *Et fuit, in diebus ipſis creuit Moſeh, & egreſſus eſt ad fratres ſuos, & vidit onera eorum, & vidit virum Ægyptium percutiẽtem virum Hebræum è fratribus ſuis.*
12 *Et reſpexit huc, & illuc, & vidit quod non eſſet quiſquam, & percuſſit Ægiptium, & abſcondit eum in arena.*
13 *Et egreſſus eſt die ſecunda, & ecce duo viri Hebræi litigabant, & dixit ad impium: Vt quid percutis proximum tuum?*
14 *Et dixit: Quis poſuit te virum principem, & iudicem ſuper nos? numquid occidere me tu cogitas, ſicut occidiſti Ægyptium? Et timuit Moſeh, & dixit: Vere ſcita eſt res.*
15 *Et audiuit Parhoh, rem hanc, & quæſiuit occidere Moſeh: & fugit Moſeh à facie Parhoh, & habitauit in terra Midian, & ſedit iuxta puteum.*
16 *Et ſacerdoti Midian erant ſeptem filiæ, & venerunt & hauſerunt: & impleuerunt canales, vt potum darent pecudibus patris ſui.*
17 *Et venerunt paſtores, & expulerunt eas: & ſurrexit Moſeh, & ſeruauit eas, & potum dedit pecudibus earum.*
18 *Et venerunt ad Rehuel patrem ſuum, & dixit: Cur feſtinaſtis venire hodie?*
19 *Et dixerunt: Vir Ægyptius eruit nos è manu paſtorum: & etiam hauriendo hauſit nobis, & potum dedit pecudibus.*
20 *Et dixit ad filias ſuas: Et vbi eſt? Vt quid dimiſiſtis virum? vocate eum, & comedat panem.*
21 *Et voluit Moſeh habitare cum viro: Et dedit Sipporah filiam ſuam ipſi Moſeh,*
22 *Et peperit filium, & vocauit nomen eius Gherſom, quia dixit: Peregrinus fui in terra aliena.*
23 *Et fuit poſt dies multos hos, mortuus eſt rex Ægypti: & ſuſpirauerunt filij Iſrael propter opus, & clamauerunt: & aſcendit clamor eorum ad Deum propter opus.*

*Et au-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

Et i vtero accepit,& peperit maſculũ: vidẽtes autẽ 2
cũ elegantem,occultauerunt eum tribus menſibus.
Quoniam autem non poterant vlterius ipſum ab- 3
ſcondere, ſumpſit ei mater eius thibin, & liniuit
eam bitumine cum pice: & iniecit infantem in eã,
& poſuit eam in palude ſecus flumen.
Et obſeruabat ſoror eius de longe, vt videret quid 4
accideret ei.
Deſcendit autem filia Pharaonis ad lauandum ſe 5
ad flumen: & ancillæ eius gradiebantur ſecus flu-
men. Et videns thibin in palude, mittens ancil-
lam accepit eam.
Aperiens autem vidit infantem flentem in thibin, 6
& miſerta eſt eius filia Pharaonis, & dixit: De in-
fantibus Hebræorum hic eſt.
Et dixit ſoror eius filiæ Pharaonis: Vis, vt vocem 7
tibi mulierem,quæ nutriat, ex Hebræis,& lactabit
tibi infantem?
Illa autem dixit filia Pharaonis: vade. Profecta au- 8
tem puella vocauit matrem infantis.
Dixit autẽ ad eã filia Pharaonis: Cõſerua mihi hũc 9
īfantẽ,& lacta mihi illũ: ego aũt dabo tibi mercedẽ.
Sũpſit autẽ mulier infantem,& lactauit eum: adul-
to autẽ puero,introduxit illum ad filiã Pharaonis.
Et factus eſt ei in filium, cognominauit autem no- 10
men eius Moyſen dicens: De aqua eum aſſum-
pſi.
Factũ eſt autẽ in diebus illis multis, cũ grãdis eſſet 11
factus Moyſes,exijt ad fratres ſuos filios Iſrael: cõſi
derãs aũt laborẽ eorũ,vidit hoīem Ægyptiũ verbe-
rãtẽ quẽdam Hebræũ de fratribus ſuis filijs Iſrael.
Circumſpiciens autem huc, & illuc, neminem vi- 12
dit: & percutiens Aegyptium abſcondit eum in
arena.
Exiens autem die ſecundo videt duos viros He- 13
bræos rixantes: & dixit ei, qui faciebat iniuriam:
Quare tu verberas proximum?
At ille dixit: Quis te cõſtituit principẽ & iudicẽ ſu- 14
per nos? numquid tu vis me occidere,quemadmo-
dũ occidiſti heri Aegyptiũ? Timuit autẽ Moyſes,&
dixit: Si ſic,manifeſtum factum eſt verbum hoc.
Audiuit autem Pharao verbum iſtud, & quærebat 15
occidere Moyſen: receſſit autem Moyſes à facie
Pharaonis, & habitauit in terra Madian: veniens
autem in terram Madian ſedit ſuper puteum.
Sacerdoti autem Madian erant ſeptem filiæ pa- 16
ſcentes oues patris ſui Iothor: aduenientes autem
hauriebant, donec impleuerant canales ad potan-
das oues patris ſui Iothor.
Aduenientes autem paſtores expellebant eas: exur- 17
gens autem Moyſes liberauit eas, & hauſit eis, &
potauit oues earum.
Aduenerunt autem ad Raguel patrem ſuum, 18
at ille dixit eis: Cur feſtinaſtis aduenire hodie?
Illæ vero dixerunt: Homo Ægyptius liberauit nos 19
à paſtoribus, & hauſit nobis, & potauit oues no-
ſtras.
At ille dixit filiabus ſuis: Et vbi eſt? Et vt qd reliqui- 20
ſtis hominẽ? vocate igitur illum, vt comedat panẽ.
Habitauit autẽ Moyſes apud hominem: Et tradidit 21
Sephoram filiam ſuam Moyſi vxorem.
In vtero autem concipiens mulier peperit fi- 22
lium: & cognominauit Moyſes nomen eius Ger-
ſam, dicens: Quia incola ego ſum in terra a-
liena.
Poſt multos autem dies illos mortuus eſt rex Ae- 23
gypti: & ingemuerunt filij Iſrael ab operibus, &
exclamauerunt: & aſcẽdit clamor eorum ad Deum
ab operibus.

Et exam-

## Chald. Paraph. Transl.

2 *Et concepit mulier,& peperit filium: & vidit eum*
*quòd eſſet bonum,& abſcondit eum tribus menſibus.*
3 *Et non potuit vltra abſcondere eũ,& accepit ei arcã*
*ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: poſuit-*
*que in ea infantem, & poſuit eam in carecto, quod*
*erat in ripa fluminis.*
4 *Et ſtetit ſoror eius procul, vt ſciret quid fieret*
*de eo.*
5 *Et deſcendit filia Pharaonis vt lauaretur in flumi-*
*ne: & puellæ eius gradiebantur iuxta ripam flumi-*
*nis. Et vidit arcam in medio carecti, & extendit*
*brachium ſuum,& tulit eam:*
6 *Et aperuit eam, & vidit puerum, & ecce puer plo-*
*rabat, & miſertus eſt eius, & ait: De filijs Iu-*
*dæorum eſt iſte.*
7 *Dixitque ſoror eius ad filiam Pharaonis: Numquid*
*ibo, & vocabo tibi mulierem nutricem de Iudæis,&*
*lactabit tibi puerum?*
8 *Et dixit ei filia Pharaonis: Vade. Et abijt puella,*
*& vocauit matrem eiuſdem pueri.*
9 *Et dixit ei filia Pharaonis: Tolle puerum hunc, &*
*lacta eum mihi: & ego dabo mercedem tuam. Et*
*ſuſcepit mulier puerum, & lactauit eum. Et cre-*
*uit puer, & tradidit eum filiæ Pharaonis:*
10 *Et fuit ei in filium, & vocauit nomen eius Moyſen,*
*dicens: Quoniam de aquis extraxi eum.*
11 *Et factum eſt in diebus illis, & creuit Moyſes, &*
*egreſſus eſt cum fratribus ſuis: & vidit ſeruitutem*
*eorum, viditq́ue virum Ægyptium percutientem vi-*
*rum Iudæum de fratribus ſuis:*
12 *Et aſpexit huc & illuc, & vidit quòd nullus vir*
*aderat: & percuſſit Aegyptium, & abſcondit eum*
*in arena.*
13 *Et egreſſus eſt in die altera, & ecce duo viri Iudæi*
*rixabantur, & ait impio: Cur tu percutis proxi-*
*mum tuum?*
14 *Et dixit: Quis te poſuit virum principem & iudi-*
*cem ſuper nos? numquid vt occidas me, tu dicis*
*hoc,ſicut occidiſti Ægyptium? Et timuit Moyſes,*
*& ait: Verè notum factum eſt verbum.*
15 *Et audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat*
*occidere Moyſen: & fugit Moyſes à facie Pharao-*
*nis, & habitauit in terra Madian, & ſedebat iu-*
*xta puteum.*
16 *Principis autem Madian erant ſeptem filiæ, & ve-*
*niebant, & hauriebant: & implebant canales, vt*
*adaquarent oues patris ſui.*
17 *Veniebantq́ue paſtores, & eijciebant eas: & ſurrexit*
*Moyſes, & liberauit eas: & adaquauit oues ea-*
*rum.*
18 *Et venerunt ad Raguel patrem ſuum, qui ait: Quid*
*eſt hoc quòd velocius ſolito hodie veniſtis?*
19 *Et dixerunt: Vir Aegyptius liberauit nos de manu*
*paſtorum: & inſuper hauriens hauſit nobis,& ada-*
*quauit oues.*
20 *Et dixit filiabus ſuis: Et vbi eſt ille? Quare ergo*
*reliquiſtis virum? vocate eum, vt comedat panem.*
21 *Et voluit Moyſes habitare cum illo: Et dedit Sepho-*
*ram filiam ſuam Moyſi.*
22 *Et peperit filium: & vocauit nomen eius Ger-*
*ſom, quia dixit: Aduena fui in terra aliena.*
23 *Et factũ eſt poſt multos dies,& mortuus eſt rex Æ-*
*gypti: & ingemuerunt filij Iſrael propter durã ſer-*
*uitutẽ, quæ erat ſuper eos: & clamauerunt: & aſcẽ-*
*dit clamor eorum coram Deo, propter ſeruitutem.*

*Et au-*

## Vulgat. Editio.

24 Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Iacob.
25 Et reſpexit Dominus filios Iſrael, & cognouit eos.

### CAP III.

1 MOyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb.
* Act.7.30. 2 * Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & nō combureretur.
3 Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionē hanc magnam, quare non comburatur rubus.
4 Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad vidēdum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum.
5 At ille: Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.
* Mat.22.32. Marc.12.26. 6 Et ait: * Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciē ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum.
Luc.20.37 7 Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus:
8 Et ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi.
9 Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur.
10 Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael de Aegypto.
11 Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto?
12 Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum, quod miſerim te: Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.
13 Ait Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen eius? quid dicam eis?
14 Dixit Deus ad Moyſen: EGO SVM QVI SVM. Ait: Sic dices filijs Iſrael: QVI EST, miſit me ad vos.
15 Dixitque iterum Deus ad Moyſen: Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.
16 Vade, & congrega ſeniores Iſrael, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto:
17 Et dixi: Vt educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte, & melle.

Et au-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Et audiuit Deus clamorem eorum, & recordatus eſt pacti ſui cum Abraham, Iſchac, & Iahacob.*
25 *Et vidit Deus filios Iſrael, & cognouit Deus.*

### CAP. III.

1 *ET Moſeh paſcebat pecora Ithro ſoceri ſui ſacerdotis Midian: & duxit pecora poſt deſertum, & venit ad montem Dei in Choreb.*
2 *Et conſpectus eſt Angelus Domini ei, in flamma ignis è medio rubi: & vidit, & ecce rubus ardebat in igne, & rubus non conſumebatur.*
3 *Et dixit Moſeh: Declinabo nunc, & videbo viſionem magnam hanc, cur non ardeat rubus.*
4 *Et vidit Dominus, quod declinaret ad videndum, & vocauit eum Deus è medio rubi, & dixit: Moſeh, Moſeh. Et dixit: Ecce adſum.*
5 *Et dixit: Ne appropinques huc: ſolue calceamenta tua è pedibus tuis: quia locus ſuper quo tu ſtas, terra ſancta eſt.*
6 *Et dixit: Ego Deus patris tui, Deus Abrahā, Deus Iſchac, & Deus Iahacob. Et abſcondit Moſeh faciem ſuam: quia timuit aſpicere in Deum.*
7 *Et dixit Dominus: Videndo vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Aegypto, & clamorem eorum audiui propter exactores eius:*
8 *Quia noui dolores eius, & deſcendi, vt liberarem eum è manu Aegypti, & aſcendere faciam eum è terra ipſa ad terram bonam, & latam, ad terram fluentem lacte, & melle, ad locum Chenahanai, & Chittai, & Emorrai, & Perizai, & Chiuuai, & Iebuſai.*
9 *Et nunc ecce clamor filiorum Iſrael venit ad me: & etiam vidi oppreſſionem qua Aegyptij opprimunt eos.*
10 *Et nunc veni, & mittam te ad Parhoh, & educes populum meum filios Iſrael ex Aegypto.*
11 *Et dixit Moſeh ad Deum: Quis ſum, quod vadam ad Parhoh, & quod educam filios Iſrael ex Aegypto?*
12 *Et dixit: Quia ero tecum: & hoc tibi ſignum, quod ego miſerim te: Quum eduxeris populum ex Aegypto, coletis Deum ſuper montem iſtum.*
13 *Et dixit Moſeh ad Deum: Ecce ego ibo ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Et dicent mihi: Quod eſt nomen eius? quid dicam eis?*
14 *Et dixit Deus ad Moſeh: ERO QVI ERO. Et dixit: Sic dices filijs Iſrael: ERO miſit me ad vos.*
15 *Et dixit adhuc Deus ad Moſeh: Sic dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſchac, & Deus Iahacob miſit me ad vos: hoc nomen meum in ſeculum, & hæc mentio mei in generationē, & generationem.*
16 *Vade, & congrega ſenes Iſrael, & dices eis: Dominus Deus patrum veſtrorum conſpectus eſt mihi, Deus Abraham, Iſchac, & Iahacob, dicendo: Viſitando viſitaui vos, & quod factum fuit vobis in Aegypto.*
17 *Et dixi: Aſcendere faciam vos ex afflictione Aegypti ad terram Chenahanai, & Chitthai, & Emorrai, & Perizai, & Chiuuai, & Iebuſai, ad terram fluentem lacte, & melle.*

Et che-

## Transl. ex Septuag.

24 Et exaudiuit Deus gemitum eorum, & recordatus eſt Deus teſtamenti ſui ad Abraham, & Iſaac, & Iacob.

25 Et reſpexit Deus filios Iſrael: & innotuit illis.

### CAP. III.

1 ET Moyſes erat paſcens oues Iothor ſoceri ſuo ſacerdotis Madian: & duxit oues in deſertum, & venit in montem Choreb.

2 Apparuit autem ei Angelus Domini in igne flammæ ex rubo: & videt quia rubus vritur igni, rubus autem non exurebatur.

3 Dixit autem Moyſes: Accedens videbo viſionem hanc magnam, quia non exuritur rubus.

4 Vt autem vidit Dominus, quia pergit videre, vocauit eum Dominus de rubo, dicens: Moyſes, Moyſes. At ille dixit: Quid eſt?

5 Ille vero dixit: Ne appropinques huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo tu ſtas, terra ſancta eſt.

6 Et dixit: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahã, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Auertit autẽ Moyſes faciem ſuam: verebatur enim aſpicere coram Deo.

7 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto: & clamorem eorum audiui de exactoribus operum.

8 Noui enim dolorem eorum, & deſcendi ad eximendo eos de manu Ægyptiorum, & educendos eos de terra illa, & inducendos eos in terram bonã & multam, in terram fluentem lac & mel, in locum Chananæorũ, & Chettæorũ, & Amorrhæorũ, & Pherezæorũ, & Gergeſæorũ, & Euæorũ, & Iebuſæorum.

9 Et nunc ecce clamor filiorum Iſrael venit ad me: & ego vidi tribulationem, qua Aegyptij tribulant eos.

10 Et nunc veni mittam te ad Pharaonem regem Ægypti, & educes populum meum, filios Iſrael de terra Ægypti.

11 Et dixit Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, quia ibo ad Pharaonem regẽ Ægypti, & quia educam filios Iſrael de terra Ægypti?

12 Dixit autem Deus Moyſi, dicens: Quia ero tecum: & hoc tibi ſignum, quia ego te emittam: Cum eduxeris tu populum meum de Ægypto, & coletis Deum in monte iſto.

13 Et dixit Moyſes ad Deum: Ecce ego exibo ad filios Iſrael, & dicam ad eos: Deus patrum noſtrorum miſit me ad vos. Interrogabunt me: Quod ei nomen? Quid dicam ad eos?

14 Et dixit Deus ad Moyſen, dicens: EGO SVM QVI SVM. Et dixit: Sic dices filijs Iſrael: QVI EST, miſit me ad vos.

15 Et dixit Deus iterum ad Moyſen: Sic dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum noſtrorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc meum eſt nomen æternum, & memoriale generationum generationibus.

16 Veniens igitur congrega ſenatum filiorum Iſrael, & dices ad eos: Dominus Deus patrum noſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitatione viſitaui vos, & quęcunque contigerunt vobis in Aegypto.

17 Et dixit: Aſcendere vos faciam ex afflictione Ægyptiorum in terram Chananæorum, & Chettæorum, & Amorrhæorum, & Pherezæorum, & Gergeſæorum, & Euæorum, & Iebuſæorum, in terram fluentem lac & mel.

Et

## Chald. Paraph. Transl.

24 *Et auditus eſt coram Deo clamor eorum: & recordatus eſt Deus pacti ſui quod pepigit cum Abrahã, & cum Iſaac, & cum Iacob.*

25 *Et nota fuit corã Domino ſubiectio filiorum Iſrael, & dixit in verbo ſuo, vt liberaret eos.*

### C A P. III.

1 *MOyſes autem paſcebat oues Iethro principis Madian ſoceri ſui: & minauit oues ad locum optimi paſtus in deſerto: & venit in montem Oreb: vbi reuelata eſt gloria Dei.*

2 *Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi: & vidit, ecce rubus ardebat igni, & rubus non conſumebatur.*

3 *Et dixit Moyſes: Declinabo nunc, & videbo viſionẽ hanc magnam, quare non comburatur rubus.*

4 *Et reuelatum eſt coram Domino quòd declinaret ad videndum; & vocauit eum Deus de medio ignis, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui dixit: Ecce ego.*

5 *Et dixit ei: Non appropinques huc: ſolue calceamẽtum tuum de pedibus tuis: quoniam locus ſuper quem tu ſtas, terra ſancta eſt.*

6 *Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Et inclinauit Moyſes vultũ ſuũ, quoniã timuit intueri verſus gloriã Dei.*

7 *Et dixit Dominus: Reuelata eſt coram me ſubiectio populi mei, qui eſt in Ægypto: & clamor eorum auditus eſt in conſpectu meo, propter exactores eorum.*

8 *Quoniam reuelati ſunt coram me dolores eorum, & apparui, vt liberarem eos de manu Ægyptiorum, & vt aſcendere faciam eos de terra hac, ad terram bonam & ſpacioſam, ad terram fluentem lacte & melle, ad locum Chananæi, & Ethæi, & Amorræi, & Pherezæi, & Euæi, & Iebuſæi.*

9 *Et nunc clamor filiorum Iſrael venit coram me: manifeſta eſt etiam coram me tribulatio qua Ægyptij tribulant eos.*

10 *Et nunc veni, & mittam te ad Pharaonem, & educ populum meum filios Iſrael de Ægypto.*

11 *Et dixit Moyſes coram Deo: Quis ego ſum, vt vadam ad Pharaonem, & vt educam filios Iſrael de Ægypto?*

12 *Et dixit ei: Quia erit verbum meum in adiutoriũ tuum: & hoc tibi ſignum, quòd ego mitto te: Cum eduxeris populum de Ægypto, ſeruietis coram Domino ſuper montem hunc.*

13 *Et dixit Moyſes coram Deo: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Et dicent mihi: Quod eſt nomen eius? Quid dicam eis?*

14 *Et dixit Deus ad Moyſen: ERO QVI ERO. Et dixit: Sic dices filijs Iſrael: QVI ERO, miſit me ad vos.*

15 *Dixitq; iterum Deus ad Moyſen: Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc eſt nomen meum in æternum, & hoc eſt memoriale meum in omni generatione & generationem.*

16 *Vade, & congrega ſeniores Iſrael, & dices eis: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Recordans recordatus ſum veſtri, & omnium quæ facta ſunt vobis in Ægypto.*

17 *Et dixi: Aſcendere faciam vos de ſubiectione Ægyptiorum, ad terram Chananæi, & Ethæi, & Amorræi, & Euæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.*

*Et obe-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Et audient vocem tuam:ingredieriſque tu, & ſeniores Iſrael ad regem Ægypti, & dices ad eũ: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos:ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro.

19 Sed ego ſcio quòd non dimittet vos,rex Ægypti,vt eatis niſi per manum validam.

20 Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hæc dimittet vos.

21 Daboque gratiam populo huic coram Ægyptijs: * & cum egrediemini,non exibitis vacui:

*Infr.11.2 & 12.35.

22 Sed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua, vaſa argentea & aurea, ac veſtes: poneriſque eas ſuper filios & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.

### CAP. IIII.

1 RESpondens Moyſes, ait: Non credent mihi,neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

2 Dixit ergo ad eum: Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit: Virga.

3 Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit,& verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.

4 Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit,& tenuit,verſaq; eſt in virgam.

5 Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum ſuorum, Deus Abraham,Deus Iſaac, & Deus Iacob.

6 Dixitque Dominus rurſum: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum,protulit leproſam inſtar niuis.

7 Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.

8 Si non crediderint,inquit,tibi,neque audierint ſermonem ſigni prioris,credent verbo ſigni ſequentis.

9 Quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam: ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluuio,vertetur in ſanguinem.

10 Ait Moyſes: Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ ſum.

11 Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum,videntem & cæcum? nonne ego?

*Matt.10.19.

12 Perge igitur, * & ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris.

13 At ille: Obſecro,inquit,Domine,mitte quem miſſurus es.

14 Iratus Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus leuites, ſcio quod eloquens ſit: ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde.

*Infr.7.2.

15 Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo,& in ore illius, * & oſtendam vobis quid agere debeatis.

16 Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.

17 Virgam quoq; hanc ſume in manu tua,in qua facturus es ſigna.

18 Abijt Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum,dixitq; ei: Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum,vt videam ſi adhuc viuant. Cui ait Iethro: Vade in pace.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et obedient voci tuæ: & ibis tu, & ſenes Iſrael ad regem Ægypti, & dicetis ad eum: Dominus Deus Hebræorum occurrit nobis: & nunc ibimus,nunc viã trium dierum in deſertum, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro.*

19 *Et ego noui quòd non permittet vos rex Ægypti, vt pergatis niſi in manu forti.*

20 *Et mittam manum meam, & percutiam Ægyptum cum omnibus mirabilibus meis, quæ faciam in medio eius: & poſtea dimittet vos.*

21 *Et dabo gratiam populo huic in oculis Ægyptiorum: & erit quando pergetis,non pergetis vacui.*

22 *Sed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita domus ſuæ vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes: ponetis ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptios.*

### CAP. IIII.

1 *ET reſpondit Moſeh, & dixit: Et ecce non credent mihi,neque parebunt voci meæ,quia dicent: Nõ eſt conſpectus tibi Dominus.*

2 *Et dixit ad eum Dominus: Quid eſt in manu tua? Et dixit: Virga.*

3 *Et dixit: Proijce eã in terrã. Et proiecit eã in terrã, & verſa eſt in ſerpentẽ, & fugit Moſeh à facie eius.*

4 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Extẽde manum tuam, & apprehende caudam eius. Et extendit manũ ſuã, & apprehẽdit eã,et verſa eſt in virgã in manu eius.*

5 *Vt credant, quod conſpectus eſt tibi Dominus Deus patrum eorum, Deus Abraham, Deus Iſchac, & Deus Iahacob.*

6 *Et dixit Dominus ei adhuc: Introduc manum tuã in ſinũ tuũ. Et introduxit manũ ſuã in ſinũ ſuũ, & eduxit eã: & ecce manus eius erat leproſa,ſicut nix.*

7 *Et dixit: Reduc manum tuam in ſinum tuum. Et reduxit manũ ſuam ad ſinum ſuum, & eduxit eam è ſinu ſuo, & ecce reuerſa erat,ſicut caro eius.*

8 *Et erit,ſi non crediderint tibi, & non obedierint voci ſigni prioris,credent voci ſigni alterius.*

9 *Et erit,ſi non crediderint duobus ſignis iſtis, & non obedierint voci tuæ,capies ex aqua fluminis, & fundes ſuper aridam: & erũt aquæ quas capies è flumine,vertentur in ſanguinem in arida.*

10 *Et dixit Moſeh ad Dominum: Obſecro Domine, nõ vir verborum ſum etiam ab heri,etiam à nudiuſtertius: etiam ex tunc,quo locutus es ad ſeruum tuum, quia grauis ore, & grauis lingua ſum.*

11 *Et dixit Dominus ad eum: Quis poſuit os homini, vel quis poſuit ſurdum, vel mutum, vel videntem, vel cæcum? nonne ego Dominus?*

12 *Et nũc vade, & ego ero cum ore tuo: & docebo quod loqueris.*

13 *Et dixit: Obſecro Domine, mitte quæſo per manum illius quem miſſurus es.*

14 *Et iratus eſt furor Domini in Moſeh, & dixit: Nõne Aharon fratrem tuum leuitam noui,quòd loquẽdo loquetur ipſe? & etiam,ecce ipſe egreditur in occurſum tui, & videbit te, & lætabitur corde ſuo.*

15 *Et loqueris ad eum, & pones verba in ore eius: & ego ero cum ore tuo, & cum ore eius, & docebo vos quæ facturi eſtis.*

16 *Et loquetur ipſe pro te ad populum, & erit ipſe, erit tibi pro ore: & tu eris ei pro Deo.*

17 *Et virgam hanc capies in manu tua, in qua facies ſigna.*

18 *Et perrexit Moſeh, & reuerſus eſt ad Iether ſocerũ ſuum, & dixit ei: Vadam nunc & reuertar ad fratres meos, qui ſunt in Ægypto, & videbo, an adhuc viuant. Et dixit Ithrò ad Moſeh: Vade in pace.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

18 Et exaudient vocem tuam: & ingredieris tu & ſenatus Iſrael ad Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus igitur viam trium dierum in deſertum, vt ſacrificemus Deo noſtro.

19 Ego autem noui, quia non permittet vos Pharao rex Ægypti ire, niſi cum manu valida.

20 Et extendens manum percutiam Ægyptios in omnibus mirabilibus meis, quæ faciam in eis: & poſt hæc dimittet vos.

21 Et dabo gratiam populo huic coram Ægyptijs: & cum egrediemini, non exibitis vacui.

22 Sed poſcet mulier à vicina, & contubernali ſua, vaſa argentea, & aurea, & veſtem: & imponetis ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & ſpoliate Ægyptios.

### CAP. IIII.

1 REſpōdit āt Moyſes, & dixit: Si nō crediderint mihi, neq; exaudierint vocē meā (dicēt enim: Quia non apparuit tibi Deus,) quid dicam ad eos?

2 Dixit autem ei Dominus: Quid hoc eſt, quod in manu tua? At ille dixit: Virga.

3 Et dixit: Proijce illam in terram. Et proiecit eam in terram, & facta eſt ſerpens, & fugit Moyſes ab eo.

4 Et dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum, & apprehende caudam. Extendens igitur manum apprehendit caudam, & facta eſt virga in manu eius:

5 Vt credant tibi, quia apparuit tibi Deus patrum eorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.

6 Dixit autem ei Dominus iterum: Infer manū tuam in ſinum tuum. Et intulit manum ſuam in ſinum ſuum, & facta eſt manus eius, tanquam nix.

7 Et dixit iterū: Infer manū tuā in ſinū tuū. Et intulit manum ſuam in ſinum ſuum, & eduxit eam ex ſinu ſuo, & rurſus reſtituta eſt in colorem carnis ſuæ.

8 Sin autem non crediderint tibi, neque exaudiēt vocem ſigni primi, credent tibi voce ſigni ſecundi.

9 Et erit, ſi non crediderint tibi duobus his ſignis, neque exaudierint vocem tuam: ſumes de aqua fluminis, & effundes in aridum, & erit aqua, quam ſumpſeris de flumine, ſanguis ſuper aridum.

10 Dixit autem Moyſes ad Dominum: Precor Domine, non ſum idoneus ante heſternam, neq; ante nudiuſtertianam diem: neque ex quo cœpiſti loqui famulo tuo, gracili voce, & tardæ linguæ ego ſum.

11 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Quis dedit os homini? & quis fecit mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum? nonne ego Deus?

12 Et nunc vade, & ego aperiam os tuum: & inſtruam te, quod locuturus es.

13 Et dixit Moyſes: Precor Domine, elige alium qui poſſit, quem mittes.

14 Et iratus iracundia Dominus in Moyſen, dixit: Nōne ecce Aaron frater tuus Leuites, ſcio quia loquēs loquetur ipſe tibi: & ecce ipſe egredietur in occurſum tibi & videns te lætabitur in ſeipſo:

15 Et dices ad eum, & dabis verba mea in os eius: & ego aperiam os tuum, & os eius, & inſtruam vos, quæ facietis.

16 Et ipſe loquetur tibi ad populum, & ipſe erit os tuum: tu autem illi eris in ijs, quæ ad Deum.

17 Et virgam iſtam verſam in ſerpentem ſumes in manum tuam, in qua facies in ea ſigna.

18 Iuit autem Moyſes, & rediji ad Iothor ſocerum ſuum, & ait: Vadam, & reuertar ad fratres meos, qui ſunt in Ægypto, & videbo ſi adhuc viuant. Et dixit Iothor Moyſi: Vade ſanus.

Dixit

## Chald. Paraph. Tranſl.

18 Et obedient tibi: & venies tu, & ſeniores Iſrael ad regem Ægypti, dicetiſque ei: Dominus Deus Iudæorum inuocatus eſt ſuper nos: & nunc eamus, obſecro, itinere trium dierum per deſertum, vt immolemus Domino Deo noſtro.

19 Et in conſpectu meo manifeſtum eſt, quòd nō dimittet vos rex Ægypti, vt eatis, niſi ꝑ timorem fortem.

20 Mittamq; ſtatim plagam fortitudinis meæ, & percutiam Ægyptios in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: & poſt hæc mittet vos.

21 Et dabo populum hunc in gratiam in oculis Ægyptiorum: & quando ieritis, non ibitis vacui:

22 Sed poſtulabit mulier à vicina ſua, & à propinqua domus ſuæ vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes: ponetiſque ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & vacuos relinquetis Ægyptios.

### CAP. IIII.

1 REſponditque Moyſes, & ait: Ecce non credent mihi, nec obedient mihi, quia dicent: Non apparuit tibi Dominus.

2 Dixitque ei Dominus: Quid eſt hoc quod tenes in manu tua? Et ait: Virga.

3 Et dixit ei: Proijce eā in terrā. Et proiecit eā in terrā, & verſa eſt in colubrū, et fugit Moyſes à facie eius.

4 Et dixit Dominus ad Moyſen: Extende manū tuā, & apprehende caudam eius. Et extendit manū ſuā, & tenuit eum, verſaq; eſt in virgam in manu eius.

5 Vt credant, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum ſuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.

6 Dixitq; rurſum Dominus ei: Mitte nunc manū tuā in ſinum tuum. Et miſit manum ſuam in ſinū ſuū, & eduxit eā, & ecce manus eius erat alba ſicut nix.

7 Et dixit: Reduc manum tuam in ſinum tuum. Et reduxit manū ſuam in ſinum ſuum, & eduxit eam de ſinu ſuo, & ecce reuerſa eſt ſicut caro eius.

8 Et erit ſi non crediderint tibi, neque obedierint voci ſigni prioris, credent voci ſigni poſterioris.

9 Et erit ſi non crediderint etiam duobus ſignis, neque obedierint tibi: tolles de aquis quæ ſunt in flumine, & effundes in aridam, & aquæ quas tuleris de flumine, vertentur in ſanguinem in arida.

10 Dixitq; Moyſes coram Domino: Obſecro Domine, non ſum vir eloquens etiā ab heri, & nudiuſtertius: & ex tempore quo locutus fuiſti cū ſeruo tuo: quoniā grauis loquela, & linguæ profundæ ego ſum.

11 Dixitque Dominus ad eum: Quis poſuit os homini? aut quis poſuit mutum, aut ſurdum, aut vidētem, aut cæcum? nonne ego Dominus?

12 Et nunc vade, & verbum meum erit in ore tuo: & docebo te quid loquaris.

13 Et ait: Obſecro, Domine, mitte nunc per manum illius, qui dignus eſt vt mittatur.

14 Iratuſque eſt furor Domini in Moyſen, & ait: Ecce Aaron frater tuus Leuita, notū eſt coram me ꝙ ipſe loquens loquetur: & ecce ipſe quoque egredietur in occurſum tuū, & videbit te, & lætabit in corde ſuo.

15 Et loqueris cum eo, & pones ſermones in ore ſuo: & verbum meum erit cum ore tuo, & cum ore eius, & docebo vos quid acturi eſtis.

16 Loqueturq; ipſe pro te cum populo, & ipſe erit interpres tuus: & tu eris ei in principem.

17 Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.

18 Abijtq; Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, & dixit ei: Vadam nunc & reuertar ad fratres meos, qui ſunt in Ægypto, & videbo ſi adhuc ipſi viuant. Dixitq; Iethro ad Moyſen: Vade in pace.

Dixitq;

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Dixit ergo Dominus ad Moyſen in Madian: Vade, 19
& reuertere in Aegyptum: Mortui ſunt enim om-
nes qui quærebant animam tuam.
Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & 20
impoſuit eos ſuper aſinum, reuerſuſq; eſt in Ægy-
ptum, portans virgam Dei in manu ſua.
Dixitque ei Dominus reuertenti in Ægyptum: Vi- 21
de vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua, facias
coram Pharaone: ego indurabo cor eius, & non
dimittet populum.
Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius 22
meus primogenitus Iſrael.
Dixi tibi: Dimitte filium meum vt ſeruiat mihi; 23
& noluiſti dimittere eum: ecce ego interficiam fi-
lium tuum primogenitum.
Cumque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei 24
Dominus, & volebat occidere eum.
Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circū- 25
cidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, &
ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es.
Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſangui- 26
num ob circumciſionem.
Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occur- 27
ſum Moyſi in deſertum. Qui perrexit obuiam ei in
Montem Dei, & oſculatus eſt eum.
Narrauitque Moyſes Aaron omnia verba Domi- 28
ni quibus miſerat eum, & ſigna quæ mandauerat.
Veneruntque ſimul, & congregauerunt cunctos ſe- 29
niores filiorum Iſrael.
Locutuſq; eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Do- 30
minus ad Moyſen: & fecit ſigna coram populo,
Et credidit populus. Audieruntque quòd viſitaſſet 31
Dominus filios Iſrael, & quòd reſpexiſſet afflictio-
nem illorum: & proni adorauerunt.

### CAP. V.

POſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixe- 1
runt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Iſ-
rael: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in
deſerto.
At ille reſpondit: Quis eſt Dominus, vt audiam vo- 2
cem eius, & dimittam Iſrael? neſcio Dominum, &
Iſrael non dimittam.
Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt ea- 3
mus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrifi-
cemus Domino Deo noſtro: ne forte accidat no-
bis peſtis, aut gladius.
Ait ad eos rex Ægypti: Quare Moyſes, & Aaron 4
ſolicitatis populum ab operibus ſuis? ite ad onera
veſtra.
Dixitque Pharao: Multus eſt populus terræ: videtis 5
quòd turba ſuccreuerit: quanto magis ſi dederitis
eis requiem ab operibus?
Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exa- 6
ctoribus populi, dicens:
Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conſi- 7
ciendos lateres, ſicut prius: ſed ipſi vadant, & colli-
gant ſtipulas.
Et menſuram laterum, quam prius faciebant, impo- 8
netis ſuper eos, nec minuetis quidquam: vacant
enim, & idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, &
ſacrificemus Deo noſtro.
Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non ac- 9
quieſcant verbis mendacibus.
Igitur egreſſi præfecti operum & exactores, ad po- 10
pulum dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis
paleas:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et dixit Dominus ad Moſeh in Midian: Vade, re-*
*uertere in Ægyptum, quia mortui ſunt omnes viri*
*qui quærebant animam tuam.*
20 *Et tulit Moſeh vxorem ſuam, & filios ſuos, & e-*
*quitare fecit eos ſuper aſinum, & reuerſus eſt in*
*terram Ægypti, & tulit Moſeh virgam Dei in ma-*
*nu ſua.*
21 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Cùm perexeris vt re-*
*uertaris in Ægyptum, vide vt omnia portenta, quæ*
*poſui in manu tua, facias coram Parhoh: & ego in-*
*durabo cor eius, & non dimittet populum.*
22 *Et dices ad Parhoh: Sic dixit Dominus: Filius*
*meus, primogenitus meus Iſrael.*
23 *Et dixi tibi: Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi;*
*& renuiſti dimittere illum: ecce ego occido filium*
*tuum, primogenitum tuum.*
24 *Et fuit in via, in diuerſorio occurrit ei Dominus, &*
*quæſiuit interficere eum.*
25 *Et tulit Siporah petram, & circumcidit præputium*
*filij ſui, & tangere fecit pedes eius, & dixit: Quia*
*ſponſus ſanguinum es mihi.*
26 *Et receſſit ab eo: tunc dixit: Sponſus ſanguinum,*
*propter circumciſionem.*
27 *Et dixit Dominus ad Aharon: Vade in occurſum*
*Moſeh in deſertum. Et perrexit, & occurrit ei in*
*Monte Dei, & oſculatus eſt eum.*
28 *Et nunciauit Moſeh ipſi Aharon omnia verba Do-*
*mini, qui miſit eum, & omnia ſigna quæ præcepit ei.*
29 *Et perrexit Moſeh, & Aharon, & congregauerunt*
*omnes ſenes Iſrael.*
30 *Et locutus eſt Aharon omnia verba, quæ locutus eſt*
*Dominus ad Moſeh: & fecit ſigna in oculis populi.*
31 *Et credidit populus. Et audierunt, quod viſita-*
*uit Dominus filios Iſrael, & quod vidit affli-*
*ctionem eorum: & incuruauerunt ſe, & adora-*
*uerunt.*

### CAP. V.

1 *ET poſtea venerunt Moſeh, & Aharon, & dixe-*
*runt ad Parhoh: Sic dixit Dominus Deus Iſ-*
*rael: Dimitte populum meum, vt feſta celebrent*
*mihi in deſerto.*
2 *Et dixit Parhoh: Quis eſt Dominus, vt paream vo-*
*ci eius, vt dimittam Iſrael? non noui Dominum, &*
*etiam Iſrael non dimittam.*
3 *Et dixerunt: Deus Hebræorum occurrit nobis: ibi-*
*mus nunc viam trium dierum in deſertum, vt ſa-*
*crificemus Domino Deo noſtro, ne forte occurrat no-*
*bis cum peſtilentia, vel gladio.*
4 *Et dixit ad eos rex Ægypti: Vt quid Moſeh, & Aha-*
*ron ceſſare facitis populum ab operibus ſuis? ite ad*
*onera veſtra.*
5 *Et dixit Parhoh: Ecce multus nunc populus terræ,*
*& ceſſare feciſtis eos ab oneribus ſuis.*
6 *Et præcepit Parhoh in die illa exactoribus populi: &*
*præfectis eius dicendo.*
7 *Non addetis, vt detis paleam populo ad laterifican-*
*dum lateres ſicut heri, & nudiuſtertius: ipſi pergēt,*
*& colligent ſibi paleam.*
8 *Et ſummam laterum, quam ipſi faciebant, heri, &*
*nudiuſtertius, ponetis ſuper eos, non diminuetis ex*
*ea: quia otioſi ſunt, idcirco ipſi clamant dicendo:*
*Ibimus ſacrificabimus Deo noſtro.*
9 *Aggrauetur opus ſuper viros, & faciant in eo: & ne*
*confidant in verbis mendacij.*
10 *Et egreſſi ſunt exactores populi, & præfecti eius, &*
*dixerunt ad populum, dicendo: Sic dixit Parhoh: Nō*
*do vobis paleam.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

19 Poſt dies aũt multos illos mortuus eſt rex Ægypti: Dixit aũt Dñs ad Moyſẽ i Madiã: Vade, pge in Ægyptũ: Defuncti ſunt enim oẽs, qui q̃rebant aĩam tuã.

20 Aſſumens autem Moyſes vxorem, & paruulos, impoſuit eos ſuper ſubiugalia, & rediit in Aegyptum, ſumpſit autem Moyſes virgam, quam à Deo in manu ſua.

21 Dixit autẽ Dñs ad Moyſen: Eunte te & reuertente in Ægyptũ: Vide, omnia portenta, quæ dedi in manibus tuis, facies ea coram Pharaone: ego autem indurabo cor illius, & non dimittet populum.

22 Tu autem dices Pharaoni: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael.

23 Dixi autem tibi: Dimitte populum meum, vt mihi ſeruiat; ſiquidem igitur nolis dimittere eos: vide igitur, ego interficiam filium tuum primogenitum.

24 Et factũ eſt in via, in diuerſorio obuiauit ei Angelus Domini, & quærebat eum occidere.

25 Et aſſumpto Sephora calculo, circumcidit præputiũ filij ſui, & procidit ad pedes eius, & dixit: Stetit ſanguis circumciſionis infantis mei:

26 Et receſſit ab eo: propterea quod dixit: Stetit ſanguis circumciſionis infantis mei.

27 Dixit autem Dominus ad Aaron: Perge in occurſum Moyſi in deſertũ. Et perrexit, & occurrit ei in monte Dei, & oſculati ſunt ſe inuicem.

28 Et annũciauit Moyſes ipſi Aarõ oẽs ſermones Dñi, quos miſit, & omnia verba, quæ mandauit ei.

29 Iuit autem Moyſes, & Aaron, & cõgregauerunt ſeniores filiorum Iſrael.

30 Et locutus eſt Aaron omnia verba iſta, quæ locutus eſt Deus ad Moyſen: & fecit ſigna coram populo.

31 Et credidit populus. Et gauiſus eſt, quia viſitauit Deus filios Iſrael, & quia vidit eorum tribulationem: inclinatus autem populus adorauit.

### CAP. V.

1 ET poſt hæc ingreſſus eſt Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum, vt mihi feſta celebrent in deſerto.

2 Et dixit Pharao: Quis eſt, cuius exaudiam vocem eius, vt dimittam filios Iſrael? non noui Dominũ, & Iſrael non dimitto.

3 Et dicunt ei: Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus igitur viam trium dierum in deſertum, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro: ne forte occurrat nobis mors, aut cædes.

4 Et dixit eis rex Ægypti: Vt quid Moyſes, & Aaron peruertitis populum ab operibus? abite vnuſquiſque veſtrum ad opera ſua.

5 Et dixit Pharao: Ecce nunc valde multiplicatur populus: non igitur ceſſationem illis demus ab operibus.

6 Præcepit autem Pharao exactoribus operum populi, & ſcribis dicens:

7 Non vlterius adiicietis dare paleam populo ad lateriſicium, ſicut heri, & nudiuſtertius: ſed ipſi vadant, & colligant ſibi paleas:

8 Et ſummam lateriſicij, quod ipſi faciunt, per ſingulos dies impones eis, nihil demes: vacant enim, propter hoc clamauerunt dicentes: Surgamus, & ſacrificemus Deo noſtro:

9 Aggrauentur opera hominum horum, & curent hæc: & non ponant curam in ſermonibus vanis.

10 Vrgebant autem eos exactores operum, & ſcribæ, & dicebant ad populum, dicentes: Hæc dicit Pharao: Non vltra do vobis paleas:

## Chald. Paraph. Transl.

19 *Dixitq́ Dominus ad Moyſen in Madian: Vade reuertere in Ægyptum: Quia mortui ſunt omnes viri qui quærebant interficere te.*

20 *Et tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, & reuerſus eſt in terram Ægypti, & tulit Moyſes virgam, qua miracula fierent à facie Dei in manu ſua.*

21 *Dixitq́ Dominus ad Moyſen: Cùm ieris vt reuertaris in Ægyptum: Vide omnia portenta quæ poſui in manu tua, & facies ea coram Pharaone: & ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.*

22 *Et dices ad Pharaonem: Hæc dicit Dominus: Filius meus, primogenitus meus Iſrael.*

23 *Dixiq́ tibi: Dimitte filium meum, vt ſeruiat corã me in deſerto, & ſi noles dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum tuum.*

24 *Et factum eſt cùm eſſet in via in diuerſorio, occurrit ei Angelus Domini, & quærebat interficere eum.*

25 *Tulitq́ Sephora petram, & circumcidit præputium filij ſui, & obtulit coram eo, & ait: Propter ſanguinem circumciſionis huius detur mihi ſponſus meus.*

26 *Et cũ dimiſiſſet eũ: tũc dixit: Niſi ꝑ ſãguinẽ circũciſionis huius, cõdẽnatus erat ad mortẽ ſpõſus meus.*

27 *Dixitq́ Dominus ad Aaron: Vade in occurſum Moyſi in deſertum. Et abijt, & occurrit ei in monte vbi reuelata fuerat gloria Dei, & oſculatus eſt eum.*

28 *Narrauitq́ Moyſes Aaron omnia verba Domini, pro quibus miſit eum, & omnia ſigna quæ mãdauerat ei.*

29 *Et abijt Moyſes, & Aaron, & congregauerunt omnes ſeniores filiorum Iſrael:*

30 *Et locutus eſt Aaron omnia verba quæ locutus fuerat Dominus ad Moyſen: & fecit ſigna corã populo.*

31 *Et credidit populus. Et audiuerunt quòd recordatus fuiſſet Dominus filiorum Iſrael, & quòd nota eſſet coram eo afflictio eorum: & incuruati ſunt, & adorauerunt.*

### CAP. V.

1 *ET poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerũt ad Pharaonem: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum, vt ſacrificent coram me in deſerto.*

2 *Et dixit Pharao: Nomẽ Dñi nõ eſt reuelatũ mihi, vt obediã verbo eius, & vt dimittam Iſrael: nõ eſt reuelatũ mihi nomẽ Domini, Iſrael quoq; nõ dimittã.*

3 *Dixeruntq́: Deus Iudæorũ inuocatus eſt ſuper nos, eamus nunc viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus coram Domino Deo noſtro: ne fortè accidat nobis mors, aut occiſio.*

4 *Dixitq́ eis rex Ægypti: Vt quid Moyſes & Aaron ceſſare facitis populum ab operibus ſuis? ite ad ſeruitutem veſtram.*

5 *Dixitq́ Pharao: Ecce nunc multus eſt populus terræ: & ceſſare facitis eos ab operibus ſuis.*

6 *Et præcepit Pharao in die illo præfectis populi, & exactoribus eius, dicens:*

7 *Nolite dare vltra paleas populo, vt cõficiant lateres ſicut heri & nudiuſtertius: ipſi vadant & colligant ſibi paleas.*

8 *Et numerum laterum quem ipſi faciebant heri, & nudiuſtertius imponetis ſuper eos, nec minuetis ab eo, quoniam ocioſi ſunt: propterea clamant, dicentes: Eamus, & ſacrificemus coram Deo noſtro.*

9 *Aggrauetur opus ſuper viros, & occupentur in eo: & non occupentur in verbis ocioſis.*

10 *Et egreſſi ſunt præfecti populi & exactores eius, & dixerunt populo: Hæc dicit Pharao: Non ego dabo vobis paleas.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | TransLex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ite, & colligite ſicubi inuenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere veſtro. | 11 | 11 | Vos ite, capite vobis paleam, vbi repereritis; quia non diminuo de opere veſtro aliquid. |
| Diſperſuſque eſt populus per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas. | 12 | 12 | Et diſperſus eſt populus in omnem terram Ægypti, vt colligeret quiſquilias pro palea. |
| Præfecti quoque operum inſtabant, dicentes: Cõplete opus veſtrum quotidie, vt prius facere ſolebatis quando dabantur vobis paleæ. | 13 | 13 | Et exactores vrgebant dicendo: Perficite opera veſtra de die in diem, quemadmodum, dum erat palea. |
| Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis menſuram laterum ſicut prius, nec heri, nec hodie? | 14 | 14 | Et caſi ſunt præfecti filiorum Iſrael, quos poſuerunt ſuper eos exactores Pharhoh, dicendo: Cur non perfeciſtis præceptum veſtrum, vt laterificaretis ſicut heri, & nudiuſtertius, etiam heri, etiam hodie? |
| Veneruntque præpoſiti filiorum Iſrael, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra ſeruos tuos? | 15 | 15 | Et venerunt præfecti filiorum Iſrael, & clamauerunt ad Pharhoh, dicendo: Vt quid facis ſic ſeruis tuis? |
| Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & iniuſte agitur contra populum tuum. | 16 | 16 | Palea non datur ſeruis tuis, & lateres dicunt nobis, facite: & ecce ſerui tui caduntur, & punitur populus tuus. |
| Qui ait: Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus, & ſacrificemus Domino. | 17 | 17 | Et dixit: Vacatis vacatis, idcirco dicitis: Ibimus, ſacrificabimus Domino. |
| Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum. | 18 | 18 | Et nunc ite, facite: & palea non dabitur vobis, & ſummam laterum dabitis. |
| Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malo, eo quòd diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per ſingulos dies. | 19 | 19 | Et viderunt præfecti filiorũ Iſrael ſeipſos eſſe in malo dicendo: Non diminuetis de lateribus veſtris de die in diem. |
| Occurreruntque Moyſi, & Aaron, qui ſtabant ex aduerſo, egredientibus à Pharaone: | 20 | 20 | Et occurrerunt ipſi Moſeh, & Aharon ſtantes in occurſum eorum, quando egrediebantur à Pharhoh. |
| Et dixerunt ad eos: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladium, vt occideret nos. | 21 | 21 | Et dixerunt ad eos: Videat Dominus ſuper vos, & iudicet, quia fœtere feciſtis odorem noſtrũ in oculis Pharhoh, & in oculis ſeruorum eius, vt daretis gladiũ in manu eorum ad occidendum nos. |
| Reuerſuſq; eſt Moyſes ad Dñm, & ait: Domine, cur afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me? | 22 | 22 | Et reuerſus eſt Moſeh ad Dominũ, & dixit: Vt quid male feciſti populo huic? & vt quid miſiſti me? |
| Ex eo enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberaſti eos. | 23 | 23 | Et ex eo tẽpore, quo ingreſſus ſum ad Pharhoh, vt loquerer in nomine tuo, malefecit populo huic: & eruendo non eruiſti populum tuum. |

## CAP. VI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| DIxitque Dominus ad Moyſen: Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta eijciet illos de terra ſua. | 1 | 1 | ET dixit Dominus ad Moſeh: Nunc videbis quæ facturus ſum Pharhoh, quia in manu forti dimittet eos, & in manu forti expellet eos è terra ſua. |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus, | 2 | 2 | Et locutus eſt Deus ad Moſeh, & dixit ad eum: Ego Dominus. |
| Qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum ADONAI non indicaui eis. | 3 | 3 | Et conſpectus ſum ipſi Abraham, Iſchac, & Iahacob in Deo omnipotente: & in nomine meo ADONAI, non ſum cognitus eis. |
| Pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerũt aduenæ. | 4 | 4 | Et etiam ſtatui pactum meũ cũ eis, vt darem eis terram Chenahan, terram peregrinationum eorum, in qua peregrinati ſunt. |
| Ego audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Aegyptij oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei. | 5 | 5 | Et etiam ego audiui clamorem filiorum Iſrael, quos Ægyptij ſeruire faciunt: & recordatus ſum pacti mei. |
| Ideo dic filijs Iſrael: Ego Dominus qui educam vos de ergaſtulo Aegyptiorum, & eruam de ſeruitute: ac redimam in brachio excelſo, & iudicijs magnis. | 6 | 6 | Idcirco dic filijs Iſrael: Ego Dominus, & educam vos ex oneribus Ægypti, & eruam vos à ſeruitute eorum: & redimam vos brachio extenſo, & iudicijs magnis. |
| Et aſſumã vos mihi in populum, & ero veſter Deus: & ſcietis quòd ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim vos de ergaſtulo Aegyptiorum: | 7 | 7 | Et accipiam vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: & ſcietis, quia ego Dominus Deus veſter, qui educo vos ex oneribus Ægypti. |
| Et induxerim in terram, ſuper quam leuaui manũ meam vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob: daboque illam vobis poſſidendam, ego Dominus. | 8 | 8 | Et introducam vos in terram, ad quam leuaui manũ meã, vt darẽ eã Abrahã, Iſchac, & Iahacob, & dabo eã vobis in hæreditatem, ego Dominus. |
| Narrauit ergo Moyſes omnia filijs Iſrael: qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus, & operis duriſſimum. | 9 | 9 | Et locutus eſt Moſeh ſic ad filios Iſrael: & non audierunt Moſeh propter anguſtiam ſpiritus, & ſeruitutem duram. |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 10 | 10 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh dicendo. |
| Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Aegypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. | 11 | 11 | Ingredere, loquere ad Pharhoh regem Ægypti, vt dimittat filios Iſrael è terra ſua. |

Reſpon- Et lo-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

11 Vos ipſi euntes colligite vobis ipſis paleas, vndecũque inueneritis, non enim demetur de ſumma veſtra quicquam.

12 Et diſperſus eſt populus in tota terra Aegypto ad colligendum ſtipulam in paleas.

13 Exactores autem operum vrgebant eos, dicentes: Perficite opera aſſignata quotidie, quemadmodum & quando palea dabatur vobis.

14 Et flagellati ſunt ſcribæ de genere filiorum Iſrael, qui impoſiti fuerant ſuper ipſos à præfectis Pharaonis, dicẽtes: Cur nõ pfeciſtis ſũmas veſtras lateriſicij etiã hodie, quemadmodum heri, & nudiuſtertius?

15 Ingreſſi autem ſcribæ filiorum Iſrael clamauerunt ad Pharaonem, dicentes: Vt quid tu ſic facis famulis tuis?

16 Palea non datur famulis tuis, & laterem nobis dicunt facere: & ecce pueri tui flagellati ſunt, facies igitur iniuriam populo tuo.

17 Et dixit eis: Vacatis, ocioſi eſtis, propterea dicitis: Eamus ſacrificemus Deo noſtro.

18 Nunc autẽ euntes operamini: palea enim non dabitur vobis, & ſummam lateriſicij reddetis.

19 Videbant autem ſcribæ filiorum Iſrael ſeſe in malis, dicentes: Non omittetis de lateriſicio quod aſſignatum eſt in die.

20 Occurrerunt autẽ Moyſi, & Aaron, venientibus in occurſum eis, cum ipſi egrederentur à Pharaone:

21 Et dixerunt eis: Videat Deus vos & iudicet, quoniam execrabilem feciſtis odorem noſtrum palam Pharaone, & palam ſeruis eius, dando gladium in manus eius ad occidendum nos.

22 Reuertit autẽ Moyſes ad Dñm, & dixit: Precor Dñe, quare afflixiſti populũ hunc? & , vt quid me miſiſti?

23 Et ex quo iui ad Pharaonem loqui in tuo nomine, afflixit populum hunc: & non liberaſti populum tuum.

### CAP. VI.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Iam videbis, quæ faciam Pharaoni: in manu enim valida dimittet eos: & in brachio excelſo eijciet eos de terra ſua.

2 Locutus eſt autem Deus ad Moyſen, & dixit ad eũ: Ego Dominus:

3 Et apparui ad Abraham, & Iſaac, & Iacob, Deus exiſtens eorum: & nomẽ meum DOMINVS non indicaui eis.

4 Et ſtatui teſtamentum meum ad illos, ita vt darem illis terram Chananæorum, terram, quam incoluerunt, in qua, & incoluerunt in ea.

5 Et ego exaudiui gemitum filiorum Iſrael, quem Aegyptij in ſeruitutem redigunt eos: & recordatus ſum teſtamenti veſtri.

6 Vade: dic filijs Iſrael, dicẽs: Ego Dominus, & educam vos de dominatione Aegyptiorum, & eruam vos de ſeruitute, & redimam vos in brachio excelſo, & iudicio magno:

7 Et ſumam mihi ipſi vos populũ mihi, & ero veſter Deus: & cognoſcetis, quia ego Dominus Deus veſter, educens vos de dominatione Aegyptiorum:

8 Et inducam vos in terram, in quam extendi manũ meam ad dandum eam Abraham, & Iſaac, & Iacob: & dabo eam vobis in ſorte, ego Dominus.

9 Et locutus eſt Moyſes ſic ad filios Iſrael: & nõ exaudierunt Moyſen à defectione animi, & ab operibus duris.

10 Dixit autem Dominus ad Moyſen, dicens:

11 Ingredere, loquere Pharaoni regi Aegypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.

## Chald. Paraph. Tranſl.

11 *Vos ite, & tollite vobis paleas de loco in quo inueneritis, quoniam non minuetur quicquam de operibus veſtris.*

12 *Et diſperſus eſt populus in omnem terram Aegypti, ad colligendas ſtipulas & paleas.*

13 *Præfecti autem inſtabant, dicentes: Implete opus veſtrum per ſingulos dies, ſicut faciebatis quando dabantur vobis paleæ.*

14 *Percuſſiq; ſunt præpoſiti filiorũ Iſrael quos conſtituerant ſuper eos præfecti Pharaonis, dicentes: Quare non compleſtis numerum veſtrum, vt conficeretis lateres, ſicut nudiuſtertius, nec heri, nec hodie?*

15 *Et venerunt præfecti filiorum Iſrael, & clamauerunt coram Pharaone, dicentes: Quare ſic facis ſeruis tuis?*

16 *Palea non dantur ſeruis tuis, & dicunt nobis: facite lateres: & ecce ſerui tui percutiuntur, & peccat ſuper eos populus tuus.*

17 *Et ait: Ocioſi eſtis, ocioſi, idcircò vos dicitis: Eamus, & ſacrificemus coram Domino:*

18 *Et nunc ite, & operamini: & paleæ non dabuntur vobis, & ſummam laterum reddetis.*

19 *Videbantq; ſe præfecti filiorum Iſrael in malum, eo quòd diceretur eis: Non minuetis quicquam de lateribus veſtris per ſingulos dies.*

20 *Occurreruntq; Moyſi, & Aaron, qui ſtabant in conſpectu eorum cùm egrederentur à Pharaone.*

21 *Dixeruntq; eis: Appareat Dñs ſuper vos, & vindictam ſumat, eo q fœtere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis, & in oculis ſeruorũ eius, vt daretis gladium in manibus ſuis, vt occiderent nos.*

22 *Et reuerſus eſt Moyſes coram Domino, & ait: Dñe, quare malefeciſti huic populo? vt quid miſiſti me?*

23 *Et ex eo tempore quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, malefecit populo huic: & liberans non liberaſti populum tuum.*

### CAP. VI.

1 *DIxitq; Dominus ad Moyſen: Nũc videbis quid facturus ſum Pharaoni: quoniam per manum fortem dimittet eos, & per manum validam eiiciet eos de terra ſua.*

2 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & dixit ei: Ego Dominus.*

3 *Reuelatuſque ſui Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotenti: & nomen meum ADONAI non indicaui eis.*

4 *Et etiam ſtatui pactum meum cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum in quâ peregrinati ſunt.*

5 *Et in conſpectu meo auditus eſt clamor filiorum Iſrael, eo quòd Aegyptij ſeruire faciunt eos: & recordatus ſum pacti mei.*

6 *Ideò dic filijs Iſrael: Ego Dñs, & educã vos de medio tribulationum ſeruitutis Aegyptiorũ, & liberabo vos de ſeruitute eorum, & redimam vos in brachio excelſo, & iudicijs magnis.*

7 *Et applicabo vos coram me in populũ, & ero vobis in Deũ: & ſcietis, quia ego Dñs Deus veſter, qui eduxi vos de medio tribulationis ſeruitutis Aegyptiorum.*

8 *Et inducam vos in terram pro qua iuraui in verbũ meum, vt darem eã Abrahæ, Iſaac, & Iacob: & dabo eam vobis in hereditatem, ego Dominus.*

9 *Locutuſq; eſt Moyſes filijs Iſrael: & non acquieuerunt Moyſi propter anguſtiam ſpiritus, & durã ſeruitutem quæ erat ſuper eos.*

10 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

11 *Ingredere, loquere cum Pharaone rege Aegypti, vt mittat filios Iſrael de terra ſua.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Reſpondit Moyſes coram Domino: Ecce filij Iſrael non audiunt me: & quomodo audiet Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labijs?

13 Locutuſque eſt Dñs ad Moyſen & Aaron, & dedit mandatũ ad filios Iſrael, & ad Pharaonem regem Aegypti vt educerent filios Iſrael de terra Ægypti.

*Gen. 46. 9. Num. 26. 5. 1. Par. 5. 1.

14 *Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas. Filij Ruben primogeniti Iſraelis: Henoch & Phallu, Heſron, & Charmi.

*1. Par. 4. 24.

15 Hæ cognationes Ruben. *Filij Simeon: Iamuel & Iamin, & Ahod & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon.

16 Et hæc nomina filiorũ Leui per cognationes ſuas: Gerſon & Caath, & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta ſeptem.

*1. Par. 6. 1. 13. 6.

17 *Filij Gerſon: Lobni & Semei, per cognationes ſuas.

*Num. 3. 17. Num. 26. 57. 1. Par. 6. 2. 13. 12.

18 *Filij Caath: Amram, & Iſaar, & Hebron, & Oziel. Anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres.

19 Filij Merari: Moholi & Muſi. Hæ cognationes Leui per familias ſuas.

20 Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem ſuam: quæ peperit ei Aaron & Moyſen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta ſeptem.

21 Filij quoque Iſaar: Core, & Nepheg, & Zechri.

22 Filij quoque Oziel: Miſael, & Eliſapham & Sethri.

23 Accepit autem Aaron vxorem Eliſabeth filiã Aminadab, ſororem Nahaſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

24 Filij quoque Core: Aſer, & Elcana, & Abiaſaph. Hæ ſunt cognationes Coritarum.

25 At vero Eleazar filius Aarõ accepit vxorẽ de filiabus Phutiel: q̃ peperit ei Phinees. Hi ſunt principes familiarum Leuiticarum per cognationes ſuas.

26 Iſte eſt Aarõ & Moyſes, qbus pcepit Dñs vt educerent filios Iſrael de terra Ægypti per turmas ſuas.

27 Hi ſunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, vt educant filios Iſrael de Aegypto: iſte eſt Moyſes, & Aaron,

28 In die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen in terra Aegypti.

29 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Aegypti, omnia quæ ego loquor tibi.

30 Et ait Moyſes coram Domino: En incircumciſus labijs ſum, quo modo audiet me Pharao?

### CAP. VII.

1 Dixitq́; Dñs ad Moyſen: Ecce cõſtitui te Deum Pharaonis: & Aarõ fr tuus erit propheta tuus.

*Sup. 4. 15.

2 *Tu loqueris ei omnia quæ mãdabo tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.

3 Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra Aegypti,

4 Et non audiet vos: immittamque manum meam ſuper Aegyptum, & educam exercitum & populum meum filios Iſrael de terra Aegypti per iudicia maxima.

5 Et ſcient Aegyptij, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Aegyptum, & eduxerim filios Iſrael de medio eorum.

6 Fecit itaq; Moyſes, & Aaron ſicut præceperat Dominus: ita egerunt.

7 Erat autem Moyſes, octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem.

8 Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron:

Cum

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et locutus eſt Moſeh coram Domino dicendo: Ecce filij Iſrael non audierunt me, & quomodo audiet me Parhoh, & ego ſum incircumciſus labijs?*

13 *Et locutus eſt dominus ad Moſeh, & Aharon, & præcepit eis ad filios Iſrael, & ad Parhoh regem Ægypti, vt educerent filios Iſrael è terra Ægypti.*

14 *Iſta ſunt capita domus patrum eorum: Filij Reuben primogeniti Iſrael, Chanoch, & Pallu, Cheſron, & Charmi.*

15 *Iſta familia Reuben: Et filij Simhon Iemuel, & Iamin, & Ohad, & Iachin, & Sochar, & Saul filius Chenahanitæ. Iſta familia Simhon.*

16 *Et hæc nomina filiorum Leui ſecundum generationes eorum. Gherſon, & Cheath, & Merari. Et anni vitæ Leui fuerunt ſeptem, & triginta, & centum anni.*

17 *Filij Gherſon, Libini, & Simhi ſecundum familias ſuas.*

18 *Et filij Chehath: Hamram, & Iſchar, & Chebron, & Huzziel. Et anni vitæ Chehath fuerunt tres, & triginta, & centum anni.*

19 *Et filij Merari: Machali, & Muſi. Iſta familia Leui ſecundum generationes eorum.*

20 *Et accepit Hamram Iochebed amitam ſuam ſibi in vxorem: & peperit ei Aharon & Moſeh. Et anni vitæ Hamram fuerunt ſeptem & triginta, & centum anni.*

21 *Et filij Iſhar: Corach, & Nepheg, & Zichri.*

22 *Et filij Huzziel: Miſael, & Eliſaphan, & Sithri.*

23 *Et accepit Aharon Eliſebah filiam Hamminadab, ſororem Nachſon ſibi in vxorem, & peperit ei Nadab & Abihu, & Elhazar, & Ithamar.*

24 *Et filij Corach: Aſſir, & Elcanah, & Abiaſaph. Iſta familia Chorchitæ.*

25 *Et Elhazar filius Aharon accepit ſibi è filiabus Putiel ſibi in vxorem, & peperit ei Pinchas. Iſta ſunt capita patrum Leuitarum ſecundum familias ſuas.*

26 *Hic eſt Aharon, & Moſeh, quibus dixit Dñs, educite filios Iſrael è terra Ægypti ſecundũ exercitus ſuos.*

27 *Iſti loquuntur ad Parhoh regem Ægypti, vt educãt filios Iſrael ex Aegypto hic Moſeh, & Aharon.*

28 *Et fuit in die ipſa, locutus eſt Dominus ad Moſeh in terra Aegypti.*

29 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh dicendo: Ego Dominus: loquere ad Parhoh regem Aegypti omnia, quæ ego loquor ad te.*

30 *Dixitq́; Moſeh coram Domino: Ecce ego incircũciſus labijs, & quomodo obediet mihi Parhoh?*

### CAP. VII.

1 *Dixitq́; Dñs ad Moſeh: Vide, dedi te pro Deo ipſi Parhoh: & Aharõ frater tuus erit ꝓpheta tuus.*

2 *Tu loqueris omnia quæ præcipiam tibi: & Aharon frater tuus loquetur ad Parhoh, vt dimittat filios Iſrael è terra ſua.*

3 *Et ego indurabo cor Parhoh, & multiplicabo ſigna mea, & portenta mea in terra Aegypti.*

4 *Et non audiet vos Parhoh: & dabo manum meam in Aegypto, & educam exercitus meos, populum meum, filios Iſrael è terra Ægypti iudicijs magnis.*

5 *Et ſcient Aegyptij quod ego ſum Dominus, cum extendero manum meam ſuper Aegyptum, & eduxero filios Iſrael è medio eorum.*

6 *Et fecit Moſeh, & Aharon, quemadmodum præcepit Dominus eis: ſic fecerunt.*

7 *Et Moſeh erat octogenarius, & Aharon trium, & octoginta annorum, quando locuti ſunt ad Parhoh.*

8 *Dixitq́; Dominus ad Moſeh, & ad Aharon dicendo.*

*Sile-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

12 Locutus eſt autem Moyſes coram Domino, dicẽs: Ecce filij Iſrael non exaudierunt me, & quomodo exaudiet me Pharao? ego autẽ ſine ſermone ſum.

13 Dixit autem Dominus ad Moyſen, & Aarõ, & præcepit eis ad Pharaonem regem Aegypti, vt dimittat filios Iſrael de terra Ægypti.

14 Et hi ſunt principes domorum familiarum eorum: Filij Ruben primogeniti Iſrael, Enoch, & Phallus, Aſron, & Charmi.

15 Hæc eſt cognatio Ruben. Et filij Symeon, Iemuel, & Iamin, & Aod, & Iachin, & Saar, & Saul, qui ex Phæniſſa. Hæ ſunt familiæ filiorum Symeon.

16 Et hæc ſunt nomina filiorum Leui ſecundum cognationes eorum: Gedſon, Caath, & Merari. Et anni vitæ Leui, centum triginta ſeptem.

17 Et hi filij Gedſon, Lobeni, & Semei, domus familiæ eorum.

18 Et filij Caath, Ambram, & Iſſaar, Chebron, & Oziel. Et anni vitæ Caath, centum triginta tres anni.

19 Et filij Merari: Mooli, & Homuſi. Hæ domus familiarum Leui ſecundum cognationes eorum.

20 Et accepit Ambram ipſam Iochabed filiam fratris patris ſui ſibi in vxorẽ: Et genuit ei Aaron & Moyſem, & Mariam ſororem eorum: Anni autem vitæ Ambram, centum triginta duo anni.

21 Et filij Iſſaar, Chore, & Naphec, & Zechri.

22 Et filij Oziel Miſael, & Eliſaphan, & Segri.

23 Accepit autem Aaron Eliſabeth filiam Aminadab ſororem Naaſſon ſibi vxorem: Et peperit ei Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar.

24 Filij autem Core Aſir: & Elcana, & Abiaſar. Hæ generationes Core.

25 Et Eleazar filius Aaron accepit de filiabus Phutiel ſibi vxorem: & peperit ei Phinees. Hæc principia familiæ Leuitarũ ſecundum generationes eorum.

26 Hic Aaron, & Moyſes, quibus dixit eis Deus, vt educant filios Iſrael de terra Ægypti cũ virtute eorũ.

27 Hi ſunt differentes cum Pharaone rege Ægypti & eduxerunt filios Iſrael de terra Ægypti ipſe Aarõ, & Moyſes.

28 Qua die locutus eſt Dominus Moyſi in terra Ægypto.

29 Et locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti, quæcunque ego dico ad te,

30 Et dixit Moyſes coram Domino: Ecce ego gracili voce ſum, & quomodo exaudiet me Pharao?

### CAP. VII.

1 Et ait Dñs ad Moyſen dicẽs: Ecce dedi te Deũ Pharaoni: & Aarõ frater tuus erit tuus ꝓpheta.

2 Tu autem loqueris ei omnia, quæcunque mando tibi: Aaron autem frater tuus loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.

3 Ego autem indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea, & portenta in terra Aegypto:

4 Et non exaudiet vos Pharao: & inijciam manum meam in Aegyptum, & educam cum virtute mea populum meum filios Iſrael de terra Ægypti cum vindicta magna.

5 Et cognoſcent omnes Ægyptij, quia ego ſum Dominus, extendens manum meam in Aegyptum, & educam filios Iſrael de medio eorum.

6 Fecit autem Moyſes, & Aaron, ſicut præcepit illis Dominus: ita fecerunt.

7 Moyſes autẽ erat annorum octuaginta, Aaron autem frater eius annorum octuaginta trium, quando locutus eſt ad Pharaonem.

8 Et ait Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

## Chald. Paraph. Tranſl.

12 *Et locutus eſt Moyſes coram Domino, dicẽs: Ecce filij Iſrael non acquieuerunt mihi: quomodo ergo acquieſcet mihi Pharao? & ego ſum grauis loquela.*

13 *Locutuſq́; eſt Dominus cũ Moyſe, & cum Aaron, & dedit eis mãdatũ ad filios Iſrael, & ad Pharaonẽ regẽ Ægypti, vt educerẽ filios Iſrael de terra Ægypti.*

14 *Iſti ſunt principes domus patrum ſuorum: Filij Ruben primogeniti Iſrael, Enoch, & Phallu, Eſron, & Charmi.*

15 *Hæ cognationes Ruben. Filij autem Symeon, Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Saher, & Saul filius Chananitidis. Hæ cognationes Symeon.*

16 *Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes ſuas: Gerſon, & Caath, & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta ſeptem.*

17 *Filij autem Gerſon: Lobni, & Semei, per cognationes ſuas.*

18 *Filij autem Caath: Amram, & Iſaar, & Zebron, & Hebron, & Oziel. Anni autem vitæ Caath, centum & triginta & tres anni.*

19 *Filij autem Merari: Mooli, & Muſi. Hæ ſunt cognationes Leui per familias ſuas.*

20 *Et accepit Amram Iochebed filiam ſororis patris ſui ſibi in vxorem: & peperit ei Aaron & Moyſen. Anni autem vitæ Amram, fuerunt centum & triginta & ſeptem anni.*

21 *Filij autem Iſaar: Core, & Napheg, & Zechri.*

22 *Et filij Oziel: Miſael, & Heliſaphan, & Sethri.*

23 *Accepitq́; Aaron ſibi Heliſabea filiam Aminadab, ſororem Naaſon, in vxorem, & peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.*

24 *Filij quoque Chore: Aſer, & Elchana, & Abiaſaph. Hæ ſunt generationes Chore.*

25 *Eleazar autem filius Aaron accepit ſibi de filiabus Phuthiel vxorem: & peperit ei Phinees. Hi ſunt principes patrum Leuitarum per cognationes ſuas.*

26 *Ipſe eſt Aaron, & Moyſes, quibus dixit Dñs, educite filios Iſrael de terra Aegypti, per turmas ſuas.*

27 *Ipſi ſunt, qui locuti ſunt cum Pharaone rege Ægypti, vt educerent filios Iſrael de Ægypto: ipſe eſt Moyſes & Aaron.*

28 *Et factum eſt in die qua locutus eſt Dominus cum Moyſe in terra Aegypti.*

29 *Locutuſq́; eſt Dominus cum Moyſe, dicens: Ego Dominus: loquere cum Pharaone rege Aegypti omnia, quæ ego loquor tibi.*

30 *Et ait Moyſes coram Domino: Ecce ego ſum grauis loquela, & quomodo acquieſcet mihi Pharao?*

### CAP. VII.

1 *Dixitq́; Dñs ad Moyſẽ: Vide ꝙ cõſtitui te pricipẽ Pharaoni: & Aarõ frater tuus erit interps tu⁹.*

2 *Tu loqueris omnia quæ mando tibi: & Aaron frater tuus loquetur cum Pharaone, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.*

3 *Et ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea & portenta mea in terra Aegypti.*

4 *Et non acquieſcet vobis Pharao: & ponam plagam fortitudinis meæ ſuper Aegyptum, & educam exercitum meum, populum meum filios Iſrael de terra Aegypti per iudicia magna.*

5 *Et ſcient Aegyptij quia ego Dominus, cùm leuauero plagam fortitudinis meæ ſuper Aegyptum, & eduxero filios Iſrael de medio eorum.*

6 *Fecitq́; Moyſes & Aaron ſicut præceperat eis Dominus: ita fecerunt.*

7 *Moyſes autem erat ætatis octoginta annorũ, & Aaron octoginta & trium annorum erat, quando locuti ſunt cum Pharaone.*

8 *Et ait Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Cùm dixerit vobis Pharao, Oſtendite ſigna: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.

10 Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus: tulitque Aarō virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.

*2. Tim. 3. 8.* 11 Vocauit autem Pharao ſapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Aegyptiacas & arcana quædam ſimiliter.

12 Proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.

13 Induratumque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut præceperat Dominus.

14 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum.

15 Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas: & ſtabis in occurſū eius ſuper ripā fluminis: & virgā, quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tua.

16 Dicesque ad eū: Dñs Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populū meū vt ſacrificet mihi in deſerto: & vſque ad præſens audire noluiſti.

17 Hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies quòd ſim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.

18 Piſces quoque, qui ſunt in fluuio, morientur, & cōputreſcent aquæ, & affligentur Aegyptij bibentes aquam fluminis.

19 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem: & ſit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vaſis quàm in ſaxeis.

*Inf. 17. 5. Pſa. 77. 49.* 20 Feceruntque Moyſes & Aarō ſicut præceperat Dominus: *& eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſeruis eius: quæ verſa eſt in ſanguinem.

21 Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt: computruitq; fluuius, & nō poterāt Aegyptij bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in tota terra Ægypti.

*Sap. 17. 7.* 22 * Feceruntque ſimiliter malefici Aegyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis, nec audiuit eos, ſicut præceperat Dominus.

23 Auertitque ſe, & ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice.

24 Foderunt autem omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.

25 Impletique ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluuium.

### CAP. VIII.

1 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonē, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum: vt ſacrificet mihi.

2 Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

3 Et ebulliet fluuius ranas: quæ aſcēdent, & ingredientur domum tuam, & cubiculū lectuli tui, & ſuper ſtratū tuū, & in domos ſeruorū tuorū, & in populum tuū, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum:

4 Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes ſeruos tuos intrabunt ranæ.

5 Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam ſuper fluuios ac ſuper riuos & paludes, & educ ranas ſuper terram Aegypti.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Si locutus fuerit ad vos Parhoh dicendo: Date vobis portentum, dices ad Aharon: Tolle virgam tuam, & proijce coram Parhoh, & vertetur in draconem.*

10 *Et venit Moſcheh, & Aharon ad Parhoh, & fecerunt ſic, quemadmodum præcepit Dominus: & proiecit Aharon virgam ſuam coram Parhoh, & coram ſeruis eius, & verſa eſt in draconem.*

11 *Et vocauit etiam Parhoh ſapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipſi magi Aegypti incantationibus ſuis ſic.*

12 *Et proiecerunt vnuſquiſque virgam ſuam, & verſæ ſunt in ſerpentes: & deglutiuit virga Aharon virgas eorum.*

13 *Et roborauit ſe cor Parhoh, & non paruit eis quemadmodum locutus eſt Dominus.*

14 *Dixitq́; Dominus ad Moſcheh: Aggrauatum eſt cor Parhoh, renuit dimittere populum.*

15 *Vade ad Parhoh mane, & ecce egreditur ad aquas: & ſtabis in occurſum eius iuxta ripam fluminis: & virgā quæ verſa fuit in ſerpentē, tolles in manu tua.*

16 *Et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te dicendo: Dimitte populum meum, vt ſeruiant mihi in deſerto, & ecce non audiſti hactenus.*

17 *Sic dixit Dominus: In hoc ſcies, quòd ego ſum Dominus: ecce percutio virga, quæ eſt in manu mea, aquas quæ ſunt in flumine, & vertētur in ſanguinē.*

18 *Et piſces, qui ſunt in flumine, morientur, & ſœtebit flumen, & laborabunt Ægyptij, vt bibant aquas è flumine.*

19 *Dixitq́; Dominus ad Moſcheh: Dic ad Aharon: Tolle virgam tuam, & extende manus tuas ſuper aquas Aegypti, ſuper flumina eorum, ſuper riuos eorum, & ſuper paludes eorum, & ſuper omnem congregationem aquarum eorum, & efficientur ſanguis, & erit ſanguis in omni terra Ægypti, & in lignis, & lapidibus.*

20 *Et fecerunt ſic Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit Dominus: Et eleuauit virgam & percuſſit aquas, quæ erant in flumine in oculis Parhoh, & in oculis ſeruorum eius, & verſæ ſunt omnes aquæ, quæ erant in flumine, in ſanguinem.*

21 *Et piſces, qui erant in flumine mortui ſunt: & fœtuit flumen, & non potuerunt Aegyptij bibere aquā è flumine, & fuit ſanguis in omni terra Aegypti.*

22 *Et fecerunt ſic magi Aegypti incantationibus ſuis: & roborauit ſe cor Parhoh, & non audiuit eos, quēadmodum locutus eſt Dominus.*

23 *Et reſpexit Parhoh, & venit ad domum ſuam, & nō poſuit cor ſuum etiam ad hoc.*

24 *Et foderunt omnes Aegyptij per circuitus fluminis, aquas vt biberent: quia non poterant bibere ex aquis fluminis.*

25 *Et completi ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus flumen.*

### CAP. VIII.

1 *Dixitq́; Dominus ad Moſcheh: Ingredere ad Parhoh, & dices ad eum: Sic dixit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi.*

2 *Et ſi renueris dimittere, ecce percutio omnē terminum tuum ranis.*

3 *Et producet flumen ranas: & aſcendent, & venient in domum tuam, & in cubiculum lecti tui, & ſuper lectum tuū, & in domum ſeruorū tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, in paſtas tuas.*

4 *Et in te, in populum tuum, & in omnes ſeruos tuos aſcendent ranæ.*

5 *Dixitq́; Dñs ad Moſcheh: Dic ad Aharon: Extēde manū tuā cū virga tua ſup flumina, ſup riuos, & ſup paludes: & aſcēdere fac ranas ſup terram Ægypti.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

9 Et ſi loquetur ad vos Pharao, dicens: Date nobis ſignum vel portentum: & dices Aaron fratri tuo: Sume virgam, & proijce in terram palam Pharaone, & palam ſeruis eius, & erit draco.

10 Ingreſſus eſt autem Moyſes, & Aaron coram Pharaone, & ſeruis eius, & fecerunt ſic, quemadmodũ præceperat eis Dñs. & proiecit Aaron virgam corã Pharaone, & coram ſeruis eius, & facta eſt draco.

11 Conuocauit autem Pharao ſophiſtas Ægypti, & veneficos: & fecerunt etiam incantatores Ægyptiorum veneficijs ſuis ſimiliter:

12 Et proiecerunt vnuſquiſque virgam ſuam, & factæ ſunt dracones: & abſorbuit virga Aaron virgas illorum.

13 Et inualuit cor Pharaonis, & non exaudiuit eos, ſicut præcepit eis Dominus.

14 Dixit autẽ Dominus ad Moyſen: Aggrauatum eſt cor Pharaonis, vt non dimittat populum.

15 Vade ad Pharaonem mane, ecce ipſe exit ad aquã: & eris obuians ei ad labium fluminis: & virgam verſam in ſerpentem ſumes in manu tua:

16 Et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt mihi ſeruiat in deſerto: & ecce non exaudiſti hucuſq;.

17 Hæc autem dicit Dñs Deus: In hoc cognoſces, quia ego Dñs: ecce ego pcutio virga, quæ in manu mea, ſuper aquã, q̃ in flumine, & trãſmutabit in ſãguinẽ:

18 Et piſces, qui in flumine morientur, & efferueſcet flumen: & non poterunt Ægyptij bibere aquam de flumine.

19 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Dic Aaron fratri tuo: ſume virgam tuã in manu tua, & extende manum tuã ſuper aquas Ægypti, & ſuper flumina eorũ, & ſuper riuos eorũ, & ſuper paludes eorũ, & ſuper omnem collectam aquã eorum, & erit ſanguis: & factus eſt ſanguis in omni terra Aegypti, & in lignis & in lapidibus.

20 Et fecerunt ſic Moyſes & Aaron, ſicut mandauit eis Dominus: & eleuans virga ſua percuſſit aquã, quæ in flumine coram Pharaone, & coram ſeruis eius: & transmutata eſt omnis aqua, quæ in flumine, in ſanguinem:

21 Et piſces, qui in flumine, mortui ſunt: & efferbuit flumen, & non potuerunt Ægyptij bibere aquam de flumine, & fuit ſanguis in omni terra Ægypti.

22 Fecerunt autem ſimiliter & incantatores Aegyptiorum veneficijs ſuis; & induratũ eſt cor Pharaonis, & non exaudiuit eos, ſicut dixit Dominus.

23 Reuerſus autem Pharao intrauit in domum ſuam, & non appoſuit mentem ſuam neque ſuper hoc.

24 Foderunt autem omnes Aegyptij in circuitu fluminis, vt biberent aquam, & non poterunt bibere aquam de flumine.

25 Et impleti ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus flumen.

### CAP. VIII.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eũ: Hæc dicit Dñs: Dimitte populum meum, vt ſeruiant mihi.

2 Sin autem nolis tu dimittere, ecce ego ferio omnes fines tuos ranis.

3 Et eructabit flumen ranas: & aſcendentes intrabũt in domos tuas, & in promptuaria cubiculorũ tuorũ, & ſuper lectos tuos, & in domos ſeruorũ tuorum, & populi tui, & in conſperſis tuis, & in clibanis tuis:

4 Et ſuper te, & ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum aſcendent ranæ.

5 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Dic Aaron fratri tuo: Extende manu virgam tuam ſuper flumina, & ſuper riuos, & ſuper paludes, & adduc ranas.

Et ex-

## Chald. Paraph. Transl.

9 *Cùm locutus fuerit vobiſcum Pharao, dicens: Date ſignum: & dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce coram Pharaone, & vertetur in colubrum.*

10 *Et ingreſſus eſt Moyſes, & Aarõ ad Pharaonem, & fecerunt ſicut eis præceperat Dominus. & proiecit Aaron virgam ſuam coram Pharaone, & coram ſeruis ſuis, & verſa eſt in colubrum.*

11 *Vocauit quoque Pharao ſapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipſi malefici Ægyptiorum per incantationes ſuas ſimiliter.*

12 *Proieceruntq; vnuſquiſque virgam ſuam, & verſæ ſunt in colubros: & deuorauit virga Aaron virgas eorum.*

13 *Et induratum eſt cor Pharaonis, & non acquieuit eis ſicut locutus fuerat Dominus.*

14 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, noluit dimittere populum.*

15 *Vade ad Pharaonẽ mane, ecce egredietur ad aquas: & ſtabis obuiam ei ſuper ripam fluminis: & virgam quæ verſa eſt in colubrum, tolles in manu tua:*

16 *Dicesq; ei: Dominus Deus Iudæorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt ſeruiant corã me in deſerto, & ecce non acquieuiſti hucuſque.*

17 *Hæc dicit Dominus: In hoc ſcies q̀ ego Dominus: ecce ego percutio virga quæ eſt in manu mea ſup aquas quæ ſunt in flumine, & vertentur in ſanguinem.*

18 *Et piſces qui ſunt in flumine morientur, & computreſcet fluuius: & laborabunt Ægyptij, vt bibant aquas de flumine.*

19 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: tolle virgam tuam, & leua manum tuam ſuper aquas Ægypti, ſuper fluuios eorum, & ſuper riuos eorũ, & per paludes eorum, & ſuper omnem locum congregationis aquarũ eorum, vt vertantur in ſanguinem, & ſit ſanguis in vniuerſa terra Ægypti, in vaſis quoque ligneis, & in vaſis lapideis.*

20 *Feceruntq; ita Moyſes & Aaron, ſicut præceperat Dominus: & leuauit virgam, & percuſſit aquas, quæ erant in flumine ante oculos Pharaonis, & ante oculos ſeruorum eius, & verſæ ſunt omnes aquæ quæ erant in flumine, in ſanguinem.*

21 *Piſces quoque, qui erant in flumine mortui ſunt: & putruit flumen, & nõ poterant Ægyptij bibere aquã de flumine, & fuit ſãguis in vniuerſa terra Ægypti.*

22 *Feceruntq; ſimiliter malefici Ægyptiorum per incãtationes ſuas, & induratum eſt cor Pharaonis, & nõ acquieuit eis, ſicut locutus fuerat Dominus.*

23 *Auerſitq; ſe Pharao, & ingreſſus eſt in domum ſuã, & non poſuit cor ſuum etiam ad hoc.*

24 *Foderuntq; omnes Aegyptij per circuitum fluminis, vt biberent aquas, quia nõ poterant bibere ex aquis quæ erant in flumine.*

25 *Impletiq; ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluuium.*

### CAP. VIII.

1 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ei: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſeruiant coram me.*

2 *Et ſi nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnem terminum tuum ranis.*

3 *Et producet fluuius ranas: & aſcẽdent & ingredientur in domũ tuã, & in cubiculũ domus ſtrati tui, & ſuper lectulũ tuũ, & in domũ ſeruorũ tuorũ, & in populũ tuum, & in furnos tuos, & in panaria tua.*

4 *In te quoque, & in populum tuum, & in omnes ſeruos tuos aſcendent ranæ.*

5 *Dixitq; Dñs ad Moyſen: Dic ad Aarõ: Leua manũ tuã cũ virga tua ſuper fluuios, & ſup riuulos, & ſuper paludes, & aſcẽdere fac ranas ſup terrã Ægypti.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Et extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, &
aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.
*Sap.17.7. 7 * Fecerunt autem, & malefici per incantationes
ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram
Ægypti.
8 Vocauit autem Pharao Moyſen & Aaron, & dixit
eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à
populo meo: & dimittam populum, vt ſacrificet
Domino.
9 Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mi-
hi quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro
populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua,
& à ſeruis tuis, & à populo tuo: & tantum in flu-
mine remaneant.
10 Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, ver-
bum tuum faciam: vt ſcias quoniam non eſt ſicut
Dominus Deus noſter.
11 Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis
tuis, & à populo tuo: & tantum in flumine rema-
nebunt.
12 Egreſſique ſunt Moyſes, & Aaron à Pharaone: &
clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ra-
narum quam condixerat Pharaoni.
13 Fecitque Dominus iuxta verbum Moyſi: & mor-
tuæ ſunt de domibus, & de villis, & de agris.
14 Congregaueruntque eas in immenſos aggeres, &
computruit terra.
15 Videns autem Pharao quòd data eſſet requies, in-
grauauit cor ſuum, & non audiuit eos, ſicut præ-
ceperat Dominus.
16 Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere ad Aa-
ron: Extende virgam tuam, & percute puluerem
terræ: & ſint ſciniphes in vniuerſa terra Aegy-
pti.
17 Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgã
tenens: percuſſitq. puluerẽ terræ, & facti ſunt ſcini-
phes in hominibus, & in iumentis: oĩs puluis terræ
verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti.
18 Feceruntque ſimiliter malefici incãtationibus ſuis,
vt educerent ſciniphes, & non potuerunt: erantque
ſciniphes tam in hominibus quam in iumentis.
19 Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei
eſt hic. Induratumq. eſt cor Pharaonis, & non au-
diuit eos ſicut præceperat Dominus.
20 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Conſurge di-
luculo, & ſta coram Pharaone: egredietur enim ad
aquas: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Di-
mitte populum meum vt ſacrificet mihi.
21 Quod ſi non dimiſeris eum, ecce ego immittam
in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in
domos tuas omne genus muſcarum, & implebun-
tur domus Ægyptiorum muſcis diuerſi generis, &
vniuerſa terra in qua fuerint.
22 Faciamque mirabilem in die illa terram Geſſen,
in qua populus meus eſt, vt non ſint ibi mu-
ſcæ: & ſcias quoniam ego Dominus in medio
terræ.
23 Ponamque diuiſionem inter populum meum, &
populum tuum: cras erit ſignum iſtud.
*Sap.16.9. 24 Fecitque Dominus ita. * Et venit muſca grauiſſi-
ma in domos Pharaonis, & ſeruorũ eius, & in om-
nem terram Ægypti: corruptaque eſt terra ab hu-
iuſcemodi muſcis.
25 Vocauitque Pharao Moyſen & Aaron, & ait eis: Ite
& ſacrificate Deo veſtro in terra hac.
26 Et ait Moyſes: Non poteſt ita fieri: abominatio-
nes enim Ægyptiorũ immolabimus Domino Deo
noſtro? quod ſi mactauerimus ea quæ colunt Ægy-
ptij coram eis, lapidibus nos obruent.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Æ-
gypti, & aſcendit rana, & operuit terram Ægypti.*
7 *Et fecerunt ſic magi incantationibus ſuis: & a-
ſcendere fecerunt ranas ſuper terram Aegypti.*
8 *Et vocauit Parhoh Moſeh & Aharon, & dixit:
Orate ad Dominum, vt remoueat ranas à me, &
à populo meo: & dimittam populum, & ſacrifica-
bunt Domino.*
9 *Dixitq; Moſeh ad Parhoh: Gloriare ſuper me, &
dic quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, &
pro populo tuo, vt exterminare faciam ranas à te,
& à domibus tuis, dumtaxat in flumine rema-
nebunt.*
10 *Et dixit: Cras. Et dixit: Iuxta verbum tuum:
vt ſcias, quòd non eſt ſic Dominus Deus no-
ſter.*
11 *Et recedent ranæ à te, & à domibus tuis & à ſeruis
tuis, & à populo tuo: dumtaxat in flumine rema-
nebunt.*
12 *Et egreſſus eſt Moſeh, & Aharon à Parhoh: & cla-
mauit Moſeh ad Dominum propter ranas, quas po-
ſuit Parhoni.*
13 *Et fecit Dominus iuxta verbum Moſeh: & mortuæ
ſunt ranæ è domibus, è villis, & ex agris.*
14 *Et congregauerunt eas aceruatim, & fetuit ter-
ra.*
15 *Et vidit Parhoh quòd eſſet reſpiratio, & aggrauauit
cor ſuum, & non audiuit eos, quemadmodum locu-
tus eſt Dominus.*
16 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Dic ad Aharon:
Extende virgam tuam, & percute puluerem ter-
ræ: & conuertetur in pediculos in omni terra Æ-
gypti.*
17 *Et fecerunt ſic. Et extendit Aharon manum ſuam
virga ſua: & percuſſit puluerem terræ, & fuerunt
pediculi in hominibus, & iumentis: oĩs puluis terræ
verſus eſt in pediculos, in omni terra Ægypti.*
18 *Et fecerunt ſic magi incantationibus ſuis, vt educe-
rent pediculos, & non potuerunt: & fuit pediculus
in hominibus, & iumentis.*
19 *Et dixerunt magi ad Parhoh: Digitus Dei eſt. Et
roborauit ſe cor Parhoh, & non audiuit eos, quemad-
modum locutus eſt Dominus.*
20 *Dixitq; Dominus ad Moſeh: Surge mane, & ſta co-
ram Parhoh: & ecce egreditur ad aquas, & dices
ad eum: Sic dixit Dominus: Dimitte populum meũ,
vt ſeruiat mihi.*
21 *Quia niſi dimiſeris populum meum, ecce ego mitto
in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in
domos tuas omne ferarum genus, & replebuntur
domus Ægyptiorum omne ferarum genere, & etiam
terra ſuper quam ſunt.*
22 *Et ſeparabo in die ipſam terram Goſen in qua
populus meus manet, vt non ſit ibi omne fera-
rum genus: vt ſcias quòd ego ſum Dominus in me-
dio terræ.*
23 *Et ponam redemptionem inter populum meum, &
populum tuum: cras erit ſignum hoc.*
24 *Et fecit Dominus ſic. Et venit omne ferarum ge-
nus graue ad domum Parhoh & ad domum ſeruorũ
eius, & in omni terra Ægypti corrumpebatur terra
propter omne ferarum genus.*
25 *Et vocauit Parhoh Moſeh & Aharon, & dixit: Ite,
ſacrificate Deo veſtro in terra.*
26 *Et dixit Moſeh: Non eſt rectum, vt faciamus
ſic: nũm abominationem Ægypti, ſacrificabimus
Domino Deo noſtro? ſi ſacrificauerimus abomina-
tionem Ægypti in oculis eorum, nonne lapidabunt
nos?*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

6 Et extēdit Aaron manū ſup aquas Ægypti, & adduxit ranas, & educta eſt rana, & operuit terrā Ægypti.

7 Fecerunt autem ſimiliter & incantatores Ægyptiorum veneficijs ſuis, & adduxerunt ranas ſuper terram Ægypti.

8 Et vocauit Pharao Moyſen, & Aaron, & dixit: Orate pro me ad Dominum, & auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam ipſos, & ſacrificabunt Domino.

9 Dixit autem Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi, quando orem pro te, & pro ſeruis tuis, & populo tuo, vt deleat ranas à te, & à populo tuo: & de domibus veſtris, tantum in flumine remanebunt.

10 At ille dixit: In craſtinum. Dixit igitur: Sicut dixiſti: vt ſcias, quia non eſt alius præter Dominum:

11 Et auferentur ranæ à te, & à domibus veſtris, & à villis, & à ſeruis tuis, & à populo tuo: tantum in flumine remanebunt.

12 Egreſſus eſt autem Moyſes, & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyſes ad Dominum pro finitione ranarum, ſicut Pharao.

13 Fecit autem Dominus, ſicut dixit Moyſes & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris:

14 Et colligebant illas aceruos, aceruos, & putruit terra.

15 Videns autem Pharao, quoniam facta eſt refrigeratio, ingrauatum eſt cor eius, & non exaudiuit eos, ſicut locutus eſt Dominus.

16 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Extende manu virgam tuam, & percute puluerem terræ: & erunt ſcyniphes, & in hominibus, & in quadrupedibus & in omni terra Ægypti.

17 Extendit igitur Aaron manu virgam: & percuſſit puluerem terræ, & facti ſunt ſcyniphes in hominibus, & in quadrupedibus: & in omni puluere terræ facti ſunt ſcyniphes.

18 Fecerunt autem ſimiliter, & incantatores veneficijs ſuis, vt educerent ſcyniphes, & non potuerunt: & facti ſunt ſcyniphes, & in hoibus, & in quadrupedibus.

19 Dixerunt igitur incantatores Pharaoni: Digitus Dei eſt hic. Et induratum eſt cor Pharaonis, & non exaudiuit eos, ſicut locutus eſt Dominus.

20 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Surge mane in diluculo, & ſta coram Pharaone: & ecce ipſe egredietur ad aquā: & dices ad eū: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meū, vt mihi ſeruiāt in deſerto.

21 Sin autem nolis dimittere populum meum, ecce ego mitto in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuū, & in domos veſtras cynomyiam, & implebuntur domus Aegyptiorum cynomyia, & in terram ſuper quam ſunt ſuper eam:

22 Et glorioſam faciam in die illa terram Geſem, ſuper quam populus meus ineſt ſuper eam, ſuper quā non erit ibi cynomyia: vt ſcias, quia ego ſum Dominus Deus omnis terræ:

23 Et dabo interſtitium inter populum meum, & populum tuum: in craſtina autē erit hoc ſuper terrā.

24 Fecit autem Dominus ſic. Et aduenit cynomyia, multitudo in domos Pharaonis, & in domos ſeruorum eius, & in omnem terram Aegypti, & deſtructa eſt terra à cynomyia.

25 Vocauit autem Pharao Moyſen, & Aaron, dicens: Venientes immolate Domino Deo veſtro in terra.

26 Et dixit Moyſes: Non poteſt fieri ſic, abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? ſi enim immolauerimus abominationes Aegyptiorum palam ipſis, lapidabimur.



## Chal. Paraph. Tranſl.

6 *Et leuauit Aaron manum ſuam ſuper aquas Ægypti, & aſcēderunt ranæ, & operuerūt terrā Ægypti.*

7 *Et fecerunt ſimiliter malefici per incantationes ſuas, & aſcendere fecerunt ranas ſuper terram Ægypti.*

8 *Vocauit autem Pharao Moyſen, & Aaron, & ait: Orate coram Domino, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, & immolabunt coram Domino.*

9 *Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Pete tibi portentum, & conſtitue tibi tempus quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt conſumantur ranæ à te, & à domo tua, tantummodo in flumine remanebunt.*

10 *Dixitque: Cras. Et ait: Iuxta verbum tuum: vt ſcias, quia nullus eſt ſicut Dominus Deus noſter.*

11 *Et auferentur ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo: tantùm in flumine remanebunt.*

12 *Egreſſuſque eſt Moyſes, & Aaron à Pharaone: & orauit Moyſes coram Domino ſuper negocium ranarum quod impoſuerat Pharaoni.*

13 *Fecitq; Dominus iuxta verbum Moyſi: & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de atrijs, & de agris.*

14 *Et congregauerunt eas in aggeres, aggeres, & computruerunt ſuper terram.*

15 *Viditque Pharao, quòd erat requies, & aggrauauit cor ſuum, & non acquieuit eis, ſicut locutus fuerat Dominus.*

16 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Leua virgam tuam, & percute puluerem terræ: & erit in cinIphes in vniuerſa terra Ægypti.*

17 *Feceruntque ita, & leuauit Aaron manum ſuā cum virga ſua: & percuſſit puluerem terræ, & fuerunt cinIphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in cinIphes i vniuerſa terra Ægypti.*

18 *Feceruntq; ſimiliter malefici per incantationes ſuas, vt educerent cinIphes, & non potuerunt: erantq; cinIphes in hominibus, & in iumentis.*

19 *Dixeruntque malefici ad Pharaonem: Plaga à facie Dei eſt. Et induratum eſt cor Pharaonis, & non acquieuit eis, ſicut locutus fuerat Dominus.*

20 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Surge diluculo, & ſta coram Pharaone: ecce egredietur ad aquas: & dices ei: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſeruiant coram me.*

21 *Quod ſi non tu dimiſeris populum meum, ecce ego mittam in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas mixtionem beſtiarum, & implebuntur domus Ægyptiorum mixtione, vniuerſa quoque terra in qua ipſi fuerint.*

22 *Diuidamque in die illa terram Geſſen, in qua populus meus habitat, vt non ſit ibi mixtio: vt ſcias quoniam ego Dominus dominator in medio terræ.*

23 *Ponamque redemptionem populo meo, & ſuper populum tuum inducam plagam: cras erit hoc ſignum.*

24 *Fecitque Dominus ita: & venit mixtio grauiſſima in domum Pharaonis, & in domum ſeruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque eſt terra propter mixtionem.*

25 *Vocauitque Pharao Moyſen, & Aaron, & ait: Ite ſacrificate coram Deo veſtro in terra.*

26 *Dixitque Moyſes: Non decet ita fieri, quoniam animal quod Ægyptij colunt, nos immolabimus, vt ſacrificemus coram Domino Deo noſtro? quod ſi immolauerimus animal quod ipſi colunt ipſis videntibus, nonne lapidabunt nos?*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem: & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, * ſicut præcepit nobis. [*Sup.3.d] | 27 | 27 | *Viam trium dierum ibimus in deſertum: & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, quemadmodum dixit nobis.* |
| Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me. | 28 | 28 | *Dixitque Parhoh: Ego dimittam vos, & ſacrificabitis Domino Deo veſtro in deſerto: verũtamen elongando non elongabitis vos eundo, orate pro me.* |
| Et ait Moyſes: Egreſſus à te, orabo Dominum: & recedet muſca à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius cras: verumtamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum ſacrificare Domino. | 29 | 29 | *Dixitque Moſeh: Ecce ego egredior à populo tuo, & orabo ad Dominum: & recedet omne ferarum genus à Parhoh, & à ſeruis eius, & à populo eius cras: verumtamen ne addat Parhoh, vt mentiatur vt non dimittat populum, vt ſacrificet Domino.* |
| Egreſſuſque Moyſes à Pharaone, orauit Dominum. | 30 | 30 | *Et egreſſus eſt Moſeh à Parhoh, & orauit ad Dominum.* |
| Qui fecit iuxta verbum illius: & abſtulit muſcas à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius: non ſuperfuit ne vna quidem. | 31 | 31 | *Et fecit Dominus iuxta verbum Moſeh: & receſſit omne ferarum genus à Parhoh, & à ſeruis eius, & à populo eius: non remanſit vnum.* |
| Et ingrauatum eſt cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum. | 32 | 32 | *Et aggrauauit Parhoh cor ſuum, etiam vice hac, & non dimiſit populum.* |
| **CAP. IX.** | | | ***CAP. IX.*** |
| DIxit autem Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. | 1 | 1 | *DIxitque Dominus ad Moſeh: Ingredere ad Parhoh, & loquere ad eum: Sic dixit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſeruiat mihi.* |
| Quod ſi adhuc renuis, & retines eos: | 2 | 2 | *Quia ſi renueris dimittere, & adhuc retinueris eos.* |
| Ecce manus mea erit ſuper agros tuos: & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis. | 3 | 3 | *Ecce manus Domini eſt in pecudibus tuis: quæ ſunt in agro, in equis, in aſinis, in camelis, in bobus, & in ouibus, peſtis grauis valdè.* |
| Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Aegyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Iſrael. | 4 | 4 | *Et diuidet Dominus inter pecudes Iſrael, & inter pecudes Ægypti, & non morietur ex omnibus, quæ ſunt filijs Iſrael quicquam.* |
| Conſtituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra. | 5 | 5 | *Et poſuit Dominus tempus, dicendo: Cras faciet Dominus rem hanc in terra.* |
| Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque ſunt omnia animantia Aegyptiorũ: de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino perijt. | 6 | 6 | *Et fecit Dominus rem hanc in craſtino: & mortuũ eſt omne pecus Ægypti: & de pecoribus filiorum Iſrael, non eſt mortuum vnum.* |
| Et miſit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſrael. Ingrauatũque eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum. | 7 | 7 | *Et miſit Parhoh: & ecce non erat mortuum è pecoribus filiorum Iſrael vſque ad vnum. Et aggrauauit ſe cor Parhoh, & non dimiſit populum.* |
| Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone. | 8 | 8 | *Dixitque Dominus ad Moſeh, & Aharon: Tollite vobis plenas volas veſtras, è cinere fornacis, & ſpargat eum Moſeh in cœlum in oculis Parhoh.* |
| Sitque puluis ſuper omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Aegypti. | 9 | 9 | *Et vertetur in puluerem ſuper omnem terram Ægypti: & erit ſuper homines, & ſuper animalia in vlcus germinans inflationes in omni terra Ægypti.* |
| Tuleruntque cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cœlum: factaque ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iumentis: | 10 | 10 | *Et tulerunt cinerem è fornace, & ſteterunt coram Parhoh, & ſparſit eum Moſeh in cœlum: & fuit vlcus inflationum germinans in hominibus, & in animalibus, & iumentis.* |
| Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti: | 11 | 11 | *Et non potuerunt magi ſtare coram Moſeh propter vlcus, quia fuit vlcus in magis, & in omnibus Ægyptijs.* |
| Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen. | 12 | 12 | *Et roborauit Dominus cor Parhoh, & non obediuit eis, quemadmodum locutus eſt Dominus ad Moſeh.* |
| Dixitque Dominus ad Moyſen. Manè conſurge, & ſta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. | 13 | 13 | *Et dixit Dominus ad Moſeh. Surge manè, & ſta coram Parhoh, & dic ad eum: Sic dixit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſeruiat mihi.* |
| Quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum: & ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum: vt ſcias quod non ſit ſimilis mei in omni terra. | 14 | 14 | *Quia vice hac ego mitto omnes plagas meas in cor tuum: & in ſeruos tuos, & in populum tuum: vt ſcias quia non eſt ſicut ego ſum in omni terra.* |
| Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribiſque de terra. | 15 | 15 | *Quia nunc miſi manum meam, & percuſſi te, & populum tuum, & ſucciſus es è terra.* |

Idcir- *Et pro-*

UVA.BSCH

## TranſLex Septuag.

27 Viam trium dierum ibimus in deſertum: & ſacrificabimus Deo noſtro, ſicut dixit Dominus nobis.

28 Et dixit Pharao: Ego mitto vos, & ſacrificate Deo veſtro in deſerto: ſed non longe protendetis ire, orate igitur pro me ad Dominum.

29 Dixit autem Moyſes: Ego autem exibo à te, & orabo ad Deum: & abibit cynomyia, & à ſeruis tuis, & à populo tuo cras: ne adiiceris vltra Pharao decipere, non dimittendo populum ſacrificare Domino.

30 Exiuit autem Moyſes à Pharaone, & orauit ad Deum.

31 Fecit autem Dominus, ſicut dixit Moyſes: & abſtulit cynomyiam à Pharaone, & à ſeruis eius, & à populo eius: & non remanſit vlla.

32 Et ingrauauit Pharao cor ſuum etiam in tempore hoc, & noluit dimittere populum.

### C A P. IX.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt mihi ſeruiant.

2 Siquidem igitur non vis dimittere populum meũ, ſed adhuc retines eum;

3 Ecce manus Domini inerit in pecoribus tuis, quæ in campis: & in equis, & in ſubiugalibus, & camelis, & bobus, & ouibus meis, magna valde.

4 Et mirabiliter diſtinguam ego in tempore illo inter pecora Aegyptiorum, & inter pecora filiorum Iſrael, non morietur, de omnibus, quæ ſunt filiorum Iſrael, verbum.

5 Et dedit Deus terminum, dicens: Cras faciet Dominus verbum hoc ſuper terram.

6 Et fecit Dominus verbum hoc in craſtino: & mortua ſunt omnia pecora Aegyptiorum: de pecoribus autem filiorum Iſrael non eſt mortuum vllum.

7 Videns autem Pharao: quia non eſt mortuum de omnibus pecoribus filiorum Iſrael vllum. Ingrauatum eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum.

8 Dixit autem Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: Sumite vobis plenas manus fauillæ de fornace, & aſpergat Moyſes in cœlum coram Pharaone, & coram ſeruis eius:

9 Et fiat puluis ſuper omnem terram Aegypti: & erunt ſuper homines, & ſuper quadrupedia, vlcera, veſicæ efferueſcentes, & in hominibus, & in quadrupedibus, & in omni terra Aegypti.

10 Et ſumpſit fauillam de fornace coram Pharaone, & aſperſit eam Moyſes in cœlum: & facta ſunt vlcera, veſicæ efferueſcentes, & in hominibus, & in quadrupedibus.

11 Et non potuerunt venefici ſtare coram Moyſe propter vlcera, facta enim ſunt vlcera in veneficis, & in omni terra Aegypti.

12 Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & non exaudiuit eos, ſicut conſtituit Dominus.

13 Dixit autem Dominus ad Moyſen. Surge diluculo mane, & ſta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſeruiant mihi.

14 Nunc enim in hoc tempore ego mitto omnes impetus meos in cor tuum: & ſeruorum tuorum, & populi tui: vt ſcias, quia non eſt ſicut ego, alius in omni terra.

15 Nunc autem mittens manum percutiam te, & populum tuum morti tradam, & extereris de terra.

Et pro-

## Chald. Paraph. Tranſl.

27 *Viam trium dierum ibimus in ſolitudinem: & ſacrificabimus coram Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis.*

28 *Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, vt ſacrificetis coram Domino Deo veſtro in deſerto: veruntamen longius non recedatis, orate etiam pro me.*

29 *Et ait Moyſes: Ecce ego egrediar à te, & orabo corã Domino: & auferet mixtionem à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo ſuo cras: veruntamen non addat Pharao vltrà mentiri, vt non dimittat populum ad ſacrificandum coram Domino.*

30 *Egreſſuſque eſt Moyſes à Pharaone, & orauit coram Domino.*

31 *Et fecit Dominus iuxta verbum Moyſi: & abſtulit mixtionem à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo ſuo: nec vna quidem remanſit.*

32 *Et ingrauauit Pharao cor ſuum etiam hac vice, & non dimiſit populum.*

### C A P. IX.

1 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ei: Hæc dicit Dominus Deus Iudæorum: Dimitte populum meum, vt ſeruiant coram me.*

2 *Quod ſi nolueris dimittere eos, & adhuc tu retines eos:*

3 *Ecce plaga à facie Domini erit in pecoribus tuis quæ ſunt in agro: in equis, in aſinis, in camelis, in bobus, & in ouibus, peſtis grandis nimis.*

4 *Et diuidet Dominus inter pecora Iſrael, & inter pecora Aegyptiorum, & nihil morietur ex omnibus quæ poſſident filij Iſrael.*

5 *Poſuitque Dominus terminum, dicens: Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra.*

6 *Fecitque Dominus verbum hoc ſequenti die: & mortuum eſt omne animal Aegyptiorum: & de animalibus filiorum Iſrael, nec vnum mortuum eſt.*

7 *Miſitque Pharao: & ecce de animalibus filiorum Iſrael, nec vnum quidem mortuum erat. Et ingrauatum eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum.*

8 *Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Tollite vobis plenos pugillos veſtros fauillæ fornacis, & ſpargat illam Moyſes verſus cœlum ante oculos Pharaonis.*

9 *Et erit in puluerem tenuiſſimum ſuper omnem terram Aegypti: & erit in hominibus, & in iumentis, & pecoribus ſcabies germinans veſicas in vniuerſa terra Aegypti.*

10 *Et tulerunt fauillam fornacis, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illam Moyſes verſus cœlum: & fuit ſcabies, & veſica multa in hominibus, & in pecoribus.*

11 *Et non poterant malefici ſtare coram Moyſe propter ſcabiem: quia erat ſcabies in maleficis, & in omnibus Aegyptijs.*

12 *Et ingrauauit Dominus cor Pharaonis, et nõ acquieuit eis, ſicut locutus fuerat Dominus cum Moyſe.*

13 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Conſurge manè, & ſta coram Pharaone, diceſque ei: Hæc dicit Dominus Deus Iudæorum: Dimitte populum meum, vt ſeruiant coram me.*

14 *Quia in hac vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum: & in ſeruos tuos, & in populum tuum: vt ſcias quoniam non eſt ſimilis mei dominator in vniuerſa terra.*

15 *Quoniam nunc propè eſt coram me, vt mittam plagam fortitudinis meæ, & percutiam te, & populum tuum peſte, conſumaberiſque de terra.*

*Verum-*

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ro. 9. 17. * Idcircò autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. | 16 | 16 | *Et profectò propter hoc ſtare feci te, vt videre faciam te potentiam meam, & vt narrare faciam nomen meum in vniuerſa terra.* |
| Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum? | 17 | 17 | *Adhuc tu eleuas te in populum meum: vt non dimittas eos?* |
| En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata eſt, vſque in præſens tempus: | 18 | 18 | *Ecce ego pluo in tempore craſtino grandinem grandem valdè, qualis non fuit ſicut ipſa in Ægypto à die qua fundata eſt, vſque ad hoc tempus:* |
| Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur. | 19 | 19 | *Et nunc mitte, congrega pecus tuum, & omnia quæ ſunt tibi in agro: omnis homo, & animal qui inuentus fuerit in agro, & non congregatus fuerit in domum, deſcendet ſuper eos grando, & morientur.* |
| Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos: | 20 | 20 | *Qui timuit verbum Domini è ſeruis Parhoh fugere fecit ſeruos ſuos, & pecus ſuum ad domos.* |
| Qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos ſuos, & iumenta in agris: | 21 | 21 | *Et qui non poſuit cor ſuum ad verbum Domini, dereliquit ſeruos ſuos, & pecus ſuum in agro.* |
| Et dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum tuã in cœlum, vt fiat grando in vniuerſa terra Ægypti ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti. | 22 | 22 | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Extende manum tuã ad cælum, & erit grando in omni terra Ægypti ſuper hominem, & ſuper animal, & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti.* |
| Sap. 16. 16. & 19. 19. * Extenditque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. | 23 | 23 | *Et extendit Moſeh virgam ſuam ad cælum, & Dominus dedit tonitruum, & grandinem, & ambulauit ignis ſuper terram, & pluit Dominus grandinem ſuper terram Ægypti.* |
| Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti ex quo gens illa condita eſt. | 24 | 24 | *Et fuit grando, & ignis comprehenſus in medio grandinis: grauis valdè, qualis non fuit ſicut ipſa in omni terra Ægypti, ex eo tempore quo fuit in gentem.* |
| Et percuſſit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vſque ad iumentum: cunctamque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit. | 25 | 25 | *Et percuſſit grando in omni terra Ægypti, omnia quæ erant in agro, ab homine vſque ad animal: & omnem herbam agri percuſſit grando, & omnem arborem agri confregit.* |
| Tantum in terra Geſſen, vbi erant filij Iſrael, grando non cecidit. | 26 | 26 | *Tantum in terra Goſen in qua erant filij Iſrael, non fuit grando.* |
| Miſitque Pharao, & vocauit Moyſen, & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iuſtus: ego & populus meus, impij. | 27 | 27 | *Miſitque Parhoh, & vocauit Moſeh, & Aharon, & dixit ad eos: Peccaui vice hac: Dominus iuſtus: & ego & populus meus impij.* |
| Orate Dominum, vt deſinant tonitrua Dei, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis. | 28 | 28 | *Orate ad Dominum, & ſufficiet quod non ſint tonitrua Dei, & grando: & dimittam vos, & amplius non manebitis.* |
| Ait Moyſes. Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit, vt ſcias, quia Domini eſt terra: | 29 | 29 | *Et dixit ad eum Moſeh. Quum egreſſus fuero ex vrbe extendam palmas meas, tonitrua ceſſabunt, & grando non erit vltra, vt ſcias, quod Domini eſt terra:* |
| Noui autem quod & tu, & ſerui tui necdum timeatis Dominum Deum. | 30 | 30 | *Et te, & ſeruos tuos noui quod adhuc non timeatis à facie Domini Dei.* |
| Linum ergo, & hordeum læſum eſt, eo quod hordeum eſſet virens, & linum iam folliculos germinaret. | 31 | 31 | *Et linum, & hordeum percuſſum eſt, quia hordeum viridè erat: & linum in calamo.* |
| Triticum autem, & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant. | 32 | 32 | *Et triticum, & zea non ſunt percuſſa, quia ſerotina erant.* |
| Egreſſuſque Moyſes à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum: & ceſſauerunt tonitrua, & grando, nec vltra ſtillauit pluuia ſuper terram. | 33 | 33 | *Et egreſſus eſt Moſeh à Parhoh è ciuitate, & extendit palmas ſuas ad Dominum: & ceſſauerunt tonitrua, & grando, & pluuia non eſt fuſa ſuper terram.* |
| Videns autem Pharao, quod ceſſaſſet pluuia, & grando & tonitrua, auxit peccatum: | 34 | 34 | *Et vidit Parhoh, quod ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, & addidit vt peccaret, & aggrauauit cor ſuum ipſe, & ſerui eius.* |
| Et ingrauatum eſt cor eius, & ſeruorum illius, & induratum nimis: nec dimiſit filios Iſrael, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi. | 35 | 35 | *Et roboratum eſt cor Parhoh, & non dimiſit filios Iſrael: quemadmodum locutus eſt Dominus per manum Moſeh.* |
| CAP. X. | | | *CAP. X.* |
| ET dixit Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induraui cor eius, & ſeruorum illius: vt faciam ſigna mea hæc in eo, | 1 | 1 | *DIxitque Dominus ad Moſeh: Ingredere ad Parhoh: quia ego aggrauare feci cor eius, & cor ſeruorum eius: vt ponam ſigna mea hæc in medio eius.* |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

16 Et propter hoc conſeruatus es, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.

17 Adhuc igitur tu inſultas populo meo: vt non dimittas eos?

18 Ecce ego pluo hac hora craſtina grandinem multam valde, quæ talis non fuit in Ægypto, ex quo die condita eſt vſque in diem hunc.

19 Nunc igitur feſtina congregare pecora tua, & quæcumque tibi ſunt in campo: omnes enim homines, & pecora, quæcumque inuenta fuerint in campis, & non introierint in domum, ceciderit autem grando ſuper ea, morientur.

20 Qui timebat verbum Domini ſeruorum Pharaonis, congregauit pecora ſua in domos:

21 Qui autem non intendit mente in verbum Domini, dimiſit pecora in campis.

22 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manũ tuam in cœlum, & erit grando in omnem terram Aegypti, & in homines, & pecora, & in omnem herbam, quæ ſuper terram:

23 Extendit autem Moyſes manum in cœlum, & Dominus dedit voces, & grandinem, & diſcurrit ignis ſuper terram: & pluit Dominus grandinem ſuper omnem terram Aegypti.

24 Erat autem grando, & ignis flagrans in grandine: grando autem multa valde, quæ talis non fuit in Aegypto, ex quo die facta eſt ſuper eam gens.

25 Percuſſit autem grando in omni terra Aegypti ab homine vſque ad pecus: & omnem herbam, quæ in campo, percuſſit grãdo, & omnia ligna quę in campis, contriuit grando.

26 Tantum in terra Geſem, vbi erant filij, Iſrael non eſt facta grando.

27 Mittens autem Pharao vocauit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccaui nunc: Dominus iuſtus: ego autem & populus meus impij.

28 Orate igitur pro me ad Dominum, & deſinant fieri voces Dei, & grando: & ignis, & dimittam vos, & non vltra adijcietis manere.

29 Dixit autem ei Moyſes: Cum egreſſus fuero de ciuitate, expandam manus meas ad Dominum, & voces deſinent, & grando, & pluuia non erit vltra, vt cognoſcas, quia Domini eſt terra:

30 Et tu, & ſerui tui, ſcio, quod nondum timuiſtis Dominum.

31 Linum autem, & hordeum percuſſum eſt, hordeum enim ad vigorem venerat: linum vero ſemen faciebat.

32 Frumentum autem, & far non ſunt percuſſa, erant enim ſerotina.

33 Exiuit autem Moyſes à Pharaone extra ciuitatem, & extendit manus ad Dominum: & voces ceſſauerunt, & grando, & pluuia non ſtillauit vltra ſuper terram.

34 Videns autem Pharao, quia ceſſauit pluuia, & grando, & voces, appoſuit ad peccandum, & ingrauauit cor ſuum, & ſeruorum ſuorum.

35 Et induratum eſt cor Pharaonis: & non dimiſit filios Iſrael, ſicut locutus erat Dominus Moyſi.

### CAP X.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen, dicens: Intra ad Pharaonem: ego enim indurauí cor eius, & ſeruorum eius: vt deinde ſuperueniant ſigna hæc ſuper eos:

Vt nar-

## Chald. Paraph. Transl.

16 *Veruntamen propter hoc ſuſtinui te, vt oſtenderem tibi fortitudinem meam, & vt narrent potentiam nominis mei, in vniuerſa terra.*

17 *Adhuc tu ſubiectum retines populum meum: vt non dimittas eos?*

18 *Ecce ego deſcendere faciam cras, hac ipſa hora, grandinem fortem nimis, cui ſimilis non fuit in Aegypto, à die qua fundata eſt, vſque nunc.*

19 *Nunc autem mitte, congrega pecora tua, quæ ſunt in agro: omnes enim homines, & iumenta, quæ inuenta fuerint in agro, & non fuerint congregata in domum, deſcenderitque ſuper ea grando, morientur.*

20 *Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, congregauit ſeruos ſuos, & pecora ſua in domos.*

21 *Et qui non appoſuit cor ſuum verbo Domini, dimiſit ſeruos ſuos, & pecora ſua in agro.*

22 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Leua manum tuam verſus cœlum, vt ſit grando in vniuerſa terra Aegypti, ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra Aegypti.*

23 *Eleuauitque Moyſes virgam ſuam verſus cœlum, & Dominus dedit voces, & grandinem, & diſcurrebat ignis ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper terram Aegypti.*

24 *Fuitque grando, & ignis diſcurrens in medio grandinis nimis validus: cuius ſimilis non fuit in vniuerſa terra Aegypti, à tempore quo fuit in ea populus.*

25 *Et percuſſit grando in omni terra Aegypti omnia quæ erant in agro, ab homine vſque ad iumentum: & omnem herbam agri percuſſit grando, omneſque arbores agri confregit.*

26 *Tamen in terra Geſſen, vbi erant filij Iſrael, non fuit grando.*

27 *Miſitque Pharao, & vocauit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccaui hac vice: Dominus iuſtus: & ego & populus meus impij.*

28 *Orate coram Domino, vt ſit à facie eius refrigerium multum, & non ſint ſuper nos tonitrua maledictionis huiuſcemodi à facie Domini, neque grando: & dimittam vos, nec vltrà retinebo vos.*

29 *Dixitque ei Moyſes: Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam manus meas in oratione coram Domino, tonitrua ceſſabunt, & grando non erit amplius, vt ſcias, quia Domini eſt terra:*

30 *Noui enim quòd tu, & ſerui tui adhùc non humiliamini à facie Domini Dei.*

31 *Linum autem, & hordeum percuſſa ſunt, eo quòd hordeum erat virens: & linum iam folliculos germinarat.*

32 *Triticum autem, & far non ſunt percuſſa, quia ſerotina erant.*

33 *Egreſſuſque eſt Moyſes à Pharaone ex vrbe, & extendit manum ſuam in oratione coram Domino: & ceſſauerunt tonitrua, & grando, & pluuia quæ deſcendebat, non peruenit ad terram.*

34 *Viditque Pharao, quòd ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, & auxit peccatum, et ingrauauit cor ſuum ipſe, & ſerui eius.*

35 *Ingrauatumque eſt cor Pharaonis: & non dimiſit filios Iſrael, ſicut locutus fuerat Dominus per manum Moyſi.*

### CAP. X.

1 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem: quia ego ingrauaui cor eius, & cor ſeruorum ſuorum: vt ponerem ſigna mea hæc in medio eorum.*

Et vt

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & ſigna mea fecerim in eis: & ſciatis, quia ego Dominus.

3 Introierunt ergo Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vſquequo non vis ſubijci mihi? dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi.

* Sap. 16. 19.

4 * Sin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos:

5 Quæ operiat ſuperficiem terræ, ne quidquam eius appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandini. corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris.

6 Et implebunt domos tuas, & ſeruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & aui, ex quo orti ſunt ſuper terram, vſque in præſentem diem. Auertitque ſe, & egreſſus eſt à Pharaone.

7 Dixerunt autem ſerui Pharaonis ad eum: vſquequo patiemur hoc ſcandalum: dimitte homines, vt ſacrificent Domino Deo ſuo. nonne vides quod perierit Ægyptus?

8 Reuocaueruntque Moyſen, & Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis: Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro: quinam ſunt qui ituri ſunt?

9 Ait Moyſes: Cum paruulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filijs, & filiabus, cum ouibus, & armentis: eſt enim ſollemnitas Domini Dei noſtri.

10 Et reſpondit Pharao: Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos veſtros. cui dubium eſt, quod peſſime cogitetis?

11 Non fiet ita: ſed ite tantum viri, & ſacrificate Domino: hoc enim & ipſi petiſtis. Statimq; eiecti ſunt de conſpectu Pharaonis.

12 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manũ tuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam, vt aſcendat ſuper eam, & deuoret omnem herbam quæ reſidua fuerit grandini.

13 Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti: & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa, & nocte: & mane facto, ventus vrens leuauit locuſtas.

14 Quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti: & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſtea futuræ ſunt.

15 Operueruntque vniuerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat: nihilque omnino virens relictum eſt in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.

16 Quam ob rem feſtinus Pharao vocauit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos.

17 Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam.

18 Egreſſuſque Moyſes de conſpectu Pharaonis, orauit Dominum.

19 Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit in Mare rubrum: non remanſit ne vna quidem in cunctis finibus Aegypti.

20 Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et vt narres in auribus filij tui, & filij filij tui, quæ feci in Ægypto, & ſigna mea quæ poſui in eis: & ſciatis, quòd ego Dominus.*

3 *Et egreſſus eſt Moſeh, & Aharon à Parhoh, & dixerunt ad eum: Sic dixit Dominus Deus Hebræorum: Vſquequo renuiſti humiliari coram me? dimitte populum meum, vt ſeruiant mihi.*

4 *Quia ſi renueris dimittere populum meum: ecce ego adduco cras locuſtam in terminum tuum:*

5 *Et operiet ſuperficiem terræ, & non poterit videre terram, & comedet reſiduum, quod euaſit, quod remanet vobis à grandine. & comedet omnem arborem germinantem vobis de agro.*

6 *Et replebuntur domus tuæ, & domus omnium ſeruorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum: quas non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum à die qua fuerunt ſuper terram vſque ad diem hanc. Et reſpexit, & egreſſus eſt à Parhoh.*

7 *Et dixerunt ſerui Parhoh ad eum: vſquequo erit iſte nobis in laqueum: dimitte viros, vt ſeruiant Domino Deo ſuo. num adhuc ignoras, quòd periit Ægyptus?*

8 *Et reductus eſt Moſeh, & Aharon ad Parhoh: & dixit ad eos: Ite, ſeruite Domino Deo veſtro: cum quibus nam ituri eſtis?*

9 *Et dixit Moſeh: Cum paruulis noſtris, & cum ſenibus noſtris ibimus, cum filijs noſtris, & cum filiabus noſtris, cum pecudibus noſtris, & cum bobus noſtris ibimus: quia ſolemnitas Domini eſt nobis.*

10 *Et dixit ad eos: Sit ita Dominus vobiſcum, ſicut dimittam vos, & paruulos veſtros. videte, quia malũ contra faciem veſtram?*

11 *Non ſic: ite nunc viri, & ſeruite Domino: quia hocmet vos quæritis. Et expulit eos à facie Parhoh.*

12 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Extende manum tuã ſuper terram Ægypti in locuſta, & aſcendat ſuper terram Ægypti, & comedat omnem herbam terræ omnia quæ reliquit grando.*

13 *Et extendit Moſeh virgam ſuam ſuper terram Ægypti: & Dominus duxit ventum Orientalem in terram, tota die ipſa, & tota nocte: manè fuit, & ventus Orientalis eleuauit locuſtas.*

14 *Et aſcenderunt locuſtæ ſuper totam terram Ægypti: & requieuerunt in omni termino Ægypti graues valdè, ante ipſas non fuerunt tales locuſtæ, nec poſt hac futuræ ſunt.*

15 *Et operuerunt ſuperficiem omnis terræ, & obſcurata eſt terra. Et comederunt omnem herbam terræ, & omnem fructum arboris, quem reliquerat grando: & non remanſit quicquam viride in arboribus, & in herbis agri in tota terra Ægypti.*

16 *Et feſtinauit Parhoh, vt vocaret Moſeh, & Aharon, & dixit: Peccaui Domino Deo veſtro, & vobis.*

17 *Et nunc remitte quæſo peccatum meum, veruntamen vice hac, & orate ad Dominum Deũ veſtrum, & remoueat à me tantum mortem hanc.*

18 *Et egreſſus eſt à Parhoh, & orauit ad Dominum.*

19 *Et vertit Dominus ventum Occidentalem fortem valdè, & leuauit locuſtas, & fixit eas in mare Suph: non remanſit locuſta vna in omni termino Ægypti.*

20 *Et roborauit Dominus cor Parhoh, & non dimiſit filios Iſrael.*

Dixit

*Dixitque*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

2 Vt narretis in auribus filiorum veſtrorum, & filijs filiorum veſtrorum, quæcumque illuſi Ægyptijs, & ſigna mea, quæ feci in eis: & cognoſcetis, quia ego Dominus.

3 Intrauit autem Moyſes, & Aaron coram Pharaone, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Quouſque non vis reuereri me? dimitte populum meum, vt ſeruiant mihi.

4 Sin autem nolis tu dimittere populum meum: ecce ego induco hac hora craſtino die locuſtam multam in omnes fines tuos:

5 Et operiet aſpectu terræ, & non poteris videre terram, & comedet omne, quod ſuperſtes eſt de terra, quod remáſit, quod reliquit vobis grando. & comedet omne lignum, quod naſcitur vobis ſuper terrã:

6 Et implebuntur domus tuæ, & domus ſeruorũ tuorum, & omnes domus in terra Ægyptiorum: quæ nunquam viderunt patres tui, neque proaui eorũ, ex quo die fuerunt ſuper terram vſque in hunc diem. Et declinans Moyſes exiuit a Pharaone.

7 Et dicunt ſerui Pharaonis ad eum: quouſque erit hoc nobis ſcandalum: dimitte homines, vt ſeruiant Deo ſuo. nunquid ſcire vis, quia perijt Ægyptus?

8 Et reduxerunt Moyſen, & Aaron ad Pharaonem: & dixit eis: Ite, & ſeruite Domino Deo veſtro: qui autem, & qui ſunt euntes?

9 Et ait Moyſes: Cum adoleſcentibus, & ſenioribus ibimus, cum filijs, & filiabus, & ouibus, & bobus noſtris: eſt enim ſolemnitas Domini.

10 Et dixit ad eos: Sit ſic Dominus vobiſcum, ſicut dimitto vos, nunquid & ſuppellectilem veſtram. videte quia malignitas propoſita eſt vobis.

11 Non ſic: ſed eant viri, & ſeruiant Deo: hoc enim ipſi requiritis. Eiecerunt autem eos a facie Pharaonis.

12 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manũ ſuper terram Ægypti, & aſcendat locuſta ſuper terram, & comedet omnem herbam terræ, & omnem fructum lignorum, quem reliquit grando.

13 Et eleuauit Moyſes virgam in cœlum: & Dominus induxit ventum Auſtrum ſuper terram tota die illa, & tota nocte: factum eſt mane, & ventus Auſter aſſumpſit locuſtam.

14 Et induxit eam ſuper omnem terram Ægypti: & requieuit ſuper omnes fines Aegypti multa valde, ante eam non fuit talis locuſta, & poſt hac non erit ſic.

15 Et operuit aſpectum terræ, & corrupta eſt terra. Et comedit omnem herbam terræ, & omnem fructum lignorum, qui relictus fuerat à grandine: non eſt relictum viride nihil in lignis, & in omni herba campi in omni terra Aegypti.

16 Feſtinauit autem Pharao vocare Moyſen, & Aarõ, dicens: Peccaui ante Dominum Deum veſtrum, & in vos.

17 Suſcipite igitur peccatum meum etiam nunc, & orate ad Dominum Deum veſtrum, & auferat à me mortem hanc.

18 Exiuit autem Moyſes à Pharaone, & orauit ad Dominum.

19 Et tranſtulit Dominus ventum à mari violentum, & aſſumpſit locuſtam, & proiecit eam in rubrum Mare: & non eſt relicta locuſta vna in omni terra Aegypti.

20 Et indurauit Dominus cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſrael.

Dixit

## Chald. Paraph. Tranſl.

2 *Et vt narres coram filio tuo, & coram filio filij tui, miracula quæ feci in Ægypto, & ſigna mea quæ poſui in ea: & ſciatis, quia ego Dominus.*

3 *Ingreſſuſque eſt Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Iudæorum: Vſquequo non vis humiliari coram me? dimitte populum meum, vt ſeruiant coram me.*

4 *Quod ſi non vis dimittere populum meum: ecce ego adducam cras locuſtam in terminos tuos:*

5 *Et cooperiet terram, ita vt ſolis radij non poſſent ad eam penetrare, & conſumet reliqua quæ reſeruata, & relicta fuerant vobis à grandine. & comedet omnes arbores quæ germinant vobis in agro.*

6 *Implebunturq; domos tuas, & domos omnium ſeruorũ tuorum, & domos omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, à die quo fuerunt ſuper terram vſque in diem hanc. Auertitque ſe, & egreſſus eſt à Pharaone.*

7 *Dixeruntque ſerui Pharaonis ad eum: vſquequo erit hoc nobis in ſcandalum: dimitte viros, vt ſeruiãt coram Domino Deo ſuo. nunquid adhuc neſcis, quòd perierit Ægyptus?*

8 *Reductique ſunt Moyſes, & Aaron ad Pharaonem: & dixit eis: Ite, ſeruite coram Domino Deo veſtro: qui ituri ſunt?*

9 *Dixitq; Moyſes: Cum paruulis noſtris, & cũ ſenioribus noſtris ibimus, cum filijs noſtris, & cum filiabus noſtris, cum ouibus noſtris, & cum bobus noſtris ibimus: quia ſolemnitas eſt nobis coram Domino.*

10 *Dixitque eis: Sic ſit verbum Domini in adiutorium veſtrum, ſicut dimittam vos, & familiam veſtram. videte quomodo malum, quod vos putatis facere, contra faciem veſtram ſtat.*

11 *Non ſic: ſed ite nunc viri, & ſeruite coram Domino Deo veſtro: quoniam hoc ipſum vos petiſtis. Eiecitque eos à conſpectu Pharaonis.*

12 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Leua manum tuam ſuper terram Ægypti, vt veniat locuſta, & aſcendat ſuper terram Ægypti, & comedat omnem herbam terræ, omnia quæ reliquit grando.*

13 *Et leuauit Moyſes virgam ſuam ſuper terram Ægypti: & Dominus induxit ventum Orientalem in terram tota die illa, & tota nocte: factoque manè, ventus Orientalis leuauit locuſtam.*

14 *Aſcenditque locuſta ſuper vniuerſam terram Ægypti: & manſit in vniuerſo termino Ægypti nimis valida, qualis antea non fuerat ſimilis ei, nec poſteà erit talis.*

15 *Cooperuitque terram, ita vt radij ſolis non poſſent ad eam peruenire. Et obſcurata eſt terra, & deuorauit omnem herbam terræ, & omnes fructus arboris quos reliquit grando: nihilque viride remanſit in arboribus, & in herba agri in vniuerſa terra Ægypti.*

16 *Feſtinauitque Pharao, & vocauit Moyſen, & Aaron, & ait: Peccaui coram Domino Deo veſtro, & vobis.*

17 *Et nunc dimitte, obſecro, peccatum meum tantummodo hac vice, & orate coram Domino Deo veſtro, vt auferat à me ſolummodo mortem iſtam.*

18 *Egreſſuſque eſt à Pharaone, & orauit coram Domino.*

19 *Et conuertit Dominus ventum Occidentalem nimis validum, & tulit locuſtam, & proiecit eam in Mare rubrum: nec vna quidem locuſta remanſit in vniuerſo termino Ægypti.*

20 *Et indurauit Dominus cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſrael.*

Dixitque

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manũ tuam in cœlum: & ſint tenebræ ſuper terram Aegypti tam denſæ, vt palpari queant:

22 Extenditque Moyſes manum in cœlum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus.

*Sap. 17. 2. *Sap. 18. 1.

23 * Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat: * vbicumque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.

24 Vocauitque Pharao Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Ite, ſacrificate Domino: oues tantum veſtræ, & armenta remaneant, paruuli veſtri eant vobiſcum.

25 Ait Moyſes: Hoſtias quoque & holocauſta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo noſtro:

26 Cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis vngula: quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri: præſertim cum ignoremus quid debeat immolari donec ad ipſum locum perueniamus.

27 Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.

28 Dixitque Pharao ad Moyſen: Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi morieris.

29 Reſpondit Moyſes: Ita fiet vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.

### CAP. XI.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Aegyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet.

* Cap. 3. 22. Inf. 12. 35.

2 * Dices ergo omni plebi, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea.

* Eccl. 45. 1.

3 Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Aegyptijs. * Fuitque Moyſes vir magnus valde in terra Aegypti coram ſeruis Pharaonis, & omni populo.

4 Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Aegyptum:

5 Et morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ quæ eſt ad molam, & omnia primogenita iumentorum.

6 Eritque clamor magnus in vniuerſa terra Aegypti, qualis nec ante fuit, nec poſtea futurus eſt.

7 Apud omnes autem filios Iſrael non mutiet canis ab homine vſque ad pecus: vt ſciatis quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios, & Iſrael.

8 Deſcendentque omnes ſerui tui iſti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus, qui ſubiectus eſt tibi: poſt hæc egrediemur.

9 Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Non audiet vos Pharao, vt multa ſigna fiant in terra Aegypti.

10 Moyſes autem, & Aaron fecerunt omnia oſtenta quæ ſcripta ſunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael de terra ſua.

### CAP. XII.

1 DIxit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Aegypti:

Men-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Extende manum tuam ad cœlum: & erunt tenebræ ſuper terram Ægypti, & palpabit tenebras.*

22 *Et extendit Moſeh manum ſuam ad cœlum: & fuerunt tenebræ caliginoſæ in tota terra Ægypti tribus diebus.*

23 *Non videbat alter alterum, neque ſurrexit quiſquã è loco ſuo tribus diebus: ſed omnibus filijs Iſrael, fuit lux in habitaculis eorum.*

24 *Et vocauit Parhoh Moſeh, & dixit: Ite, ſeruite Domino: tantum pecudes veſtræ, & boues veſtri manebunt, & paruuli veſtri ibunt vobiſcum.*

25 *Dixitque Moſeh: Etiam tu dabis in manu noſtra ſacrificia, & holocauſta quæ faciemus Domino Deo noſtro.*

26 *Et etiam pecudes noſtræ ibunt nobiſcum: non remanebit vngula: quia ex eo accipiemus ad ſeruiendum Domino Deo noſtro: & nos neſcimus quibus ſeruituri ſumus Domino, donec veniamus illuc.*

27 *Et roborauit Dominus cor Parhoh, & noluit dimittere eos.*

28 *Et dixit ei Parhoh: Recede à me, caue tibi ne amplius videas faciem meam: quia in die qua videbis faciem meam morieris.*

29 *Et dixit Moſeh: Rectum locutus es, non videbo vltra faciem tuam.*

### CAP. XI.

1 *DIxitque Dominus ad Moſeh: Adhuc plagam vnam adducam ſuper Parhoh, & ſuper Aegyptum, poſtea dimittet vos hinc, cum dimiſerit, expellendo expellet vos hinc.*

2 *Loquere nunc in auribus populi, & petant vnuſquiſque à proximo ſuo, & vnaquæque à proxima ſua, vaſa argentea, & vaſa aurea.*

3 *Et dabit Dominus gratiam populo in oculis Aegyptiorum. Etiam vir Moſeh magnus erat valdè in terra Aegypti in oculis ſeruorum Parhoh, & in oculis populi.*

4 *Dixitque Moſeh: Sic dixit Dominus: Cum media fuerit nox, ego egredior in medio Aegypti.*

5 *Et morietur omne primogenitum in terra Aegypti à primogenito Parhoh, qui ſedet ſuper ſolium eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt molas, & omne primogenitum animalium.*

6 *Et erit clamor magnus in omni terra Aegypti, qualis non fuit, nec futurus eſt.*

7 *Et apud omnes filios Iſrael non mouebit canis linguam ſuam à viro vſque ad animal: vt ſciatis quod diuiſerit Dominus inter Aegyptum, & Iſrael.*

8 *Et deſcendent omnes ſerui tui iſti ad me, & incuruabunt ſe mihi, dicendo: Egredere tu, & omnis populus, qui eſt in pedibus tuis: & poſtea egrediar.*

9 *Et egreſſus eſt à Parhoh in ira furoris. Dixitque Dominus ad Moſeh: Non audiet vos Parhoh, vt multiplicem portenta mea in terra Aegypti.*

10 *Et Moſeh, & Aharon fecerunt omnia portenta iſta coram Parhoh. Et roborauit Dominus cor Parhoh, & non dimiſit filios Iſrael è terra ſua.*

### CAP. XII.

1 *DIxitque Dominus ad Moſeh, & Aharon in terra Aegypti, dicendo.*

Men-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

21 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manũ tuam in cœlum: & fiant tenebræ ſuper terram Ægypti, tenebræ palpabiles.

22 Extendit autem Moyſes manum in cœlum: & factæ ſunt tenebræ, caligo, turbo, ſuper omnem terram Ægypti tres dies:

23 Et nemo vidit fratrem ſuum tribus diebus, & nemo ſurrexit de cubili ſuo tribus diebus: omnibus autẽ filijs Iſrael lux erat in omnibus, in quibus erant.

24 Et vocauit Pharao Moyſen, & Aaron, dicens: Ite, ſeruite Domino Deo veſtro: tantum oues, & boues relinquite, & apparatus veſter eat vobiſcum.

25 Et dixit Moyſes: Sed & tu dabis nobis holocauſta, & hoſtias, quas faciemus Domino Deo noſtro:

26 Et pecora noſtra ibunt nobiſcum: & non relinquemus vngulam: de ipſis enim ſumemus ad ſeruiendum Domino Deo noſtro: nos autem neſcimus, quid ſeruituri ſumus Domino Deo noſtro, donec nos venerimus illuc.

27 Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.

28 Et ait Pharao: Diſcede à me, attende tibi vltra apponere videre faciem meam: qua autem die apparueris mihi, morieris:

29 Dicit autem Moyſes: Dixiſti, non apparebo tibi vltra in faciem.

### CAP. XI.

1 Dixit autẽ Dñs ad Moyſen: Adhuc vnam plagã ego inducã ſuper Pharaonẽ, & ſuper Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos hinc, cum autem dimiſerit vos omnino, eijciet vos eiectione.

2 Loquere ergo ſecretò in aures populi, & petat vnuſquiſque à proximo vaſa argentea, & aurea, & veſtem.

3 Dominus autem dedit gratiam populo ſuo coram Ægyptijs, & mutuo dederunt illis. Et homo Moyſes magnus factus eſt valde coram Ægyptijs, & coram Pharaone, & coram ſeruis eius.

4 Et dixit Moyſes: Hæc dicit Dominus: Circa medias noctes ego ingredior in medium Ægypti:

5 Et morietur omne primogenitum in terra Ægypto, à primogenito Pharaonis, qui ſedet ſuper thronum, & vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt apud molam, & vſque ad primogenitum omnis pecoris.

6 Et erit clamor magnus per omnem terram Ægypti, qualis non fuit, & talis non vltra apponetur.

7 Et in omnibus filijs Iſrael non mutiet canis lingua ſua ab homine vſque ad pecus: vt ſcias quantũ mirabiliter diſtinguet inter Aegyptios, & Iſrael.

8 Et deſcendent omnes pueri tui hi ad me, & adorabunt me, dicentes: Exi tu, & omnis populus tuus, quem tu ducis: & poſt hæc exibo.

9 Exiuit autem Moyſes à Pharaone cum ira. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Non exaudiet vos Pharao, vt multiplicans multiplicem ſigna mea, & portenta in terra Aegypto.

10 Moyſes autem, & Aaron fecerunt omnia ſigna, & portenta hæc in terra Aegypto coram Pharaone. Indurauit autem Dñs cor Pharaonis, & non exaudiuit, vt dimitteret filios Iſrael de terra Aegypti.

### CAP. XII.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Aegypti dicens:

## Chald. Paraph. Transl.

21 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Leua manum tuam verſus cœlum: vt ſint tenebræ ſuper terram Ægypti, etiam poſtquam receſſerit obſcuritas noctis.*

22 *Et leuauit Moyſes manum ſuam verſus cœlum: & fuerunt tenebræ obſcuræ in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus.*

23 *Nullus vir vidit fratrem ſuum, neque ſurrexerunt ſinguli de locis ſuis tribus diebus: omnibus autem filijs Iſrael erat lux in habitationibus ſuis.*

24 *Vocauitque Pharao Moyſen, & ait: Ite, ſeruite corã Domino: oues tantùm veſtras, & boues relinquite, familia quoque veſtra eat vobiſcum.*

25 *Et ait Moyſes: Tu quoque dabis in manibus noſtris hoſtias ſanctas, & holocauſta, vt faciamus coram Domino Deo noſtro.*

26 *Pecora quoque noſtra pergent nobiſcum: non dimittemus quicquam: quoniam ex eis debemus accipere, vt ſeruiamus coram Domino Deo noſtro: nos autem neſcimus in quo ſeruituri ſimus coram Domino Deo noſtro, donec veniamus illuc.*

27 *Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.*

28 *Dixitque ei Pharao: Recede à me, caue tibi ne vltrà videas faciem meam: quoniam in die in quo videris faciem meam, morieris.*

29 *Dixitque Moyſes: Rectè locutus es, non addam vltrà videre faciem tuam.*

### CAP. XI.

1 *Et dixit Dominus ad Moyſen: Adhuc plagam vnam inducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, poſteà dimittet vos hinc, cumq; dimiſerit, omninò proijciet vos hinc.*

2 *Loquere nunc coram populo, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier ab amica ſua vaſa argentea, & vaſa aurea.*

3 *Deditque Dominus gratiam populo in oculis Ægyptiorum. Vir quoque Moyſes erat magnus valdè in terra Ægypti, in oculis ſeruorum Pharaonis, & in oculis populi.*

4 *Et ait Moyſes: Hæc dicit Dominus: Media nocte ego apparebo in medio Ægypti:*

5 *Et morietur omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui futurus eſt vt ſedeat ſuper ſolium regni eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt in domo molarum, & omne primogenitum iumentorum.*

6 *Et erit clamor magnus in vniuerſa terra Ægypti, qualis nunquam fuit, & ſimilis ei non erit vltrà.*

7 *Nullumq; filiorum Iſrael lædet canis latrans lingua ſua ab homine vſque ad iumentum: vt ſciatis quòd diuiſerit Dominus inter Ægyptios, & inter Iſrael.*

8 *Deſcendentque omnes ſerui tui iſti ad me, & rogabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus, qui tecum eſt, & poſt hæc egrediar:*

9 *Et egreſſus eſt à facie Pharaonis cum ira furoris. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Non acquieſcet vobis Pharao, vt multiplicem portenta mea in terra Ægypti.*

10 *Moyſes autem, & Aaron fecerunt omnia portenta hæc coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſrael de terra ſua.*

### CAP. XII.

1 *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægypti, dicens:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni.

3 Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas.

4 Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui iunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.

5 Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis, & hœdum.

6 Et ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diẽ menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.

7 Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrũque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

8 Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.

9 Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni: caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis.

10 Nec remanebit quidquam ex eo vſque mane: ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis.

11 Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter: eſt enim Phaſe (ideſt tranſitus) Domini.

12 Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſque ad pecus: & in cunctis Dijs Ægypti faciam iudicia, ego Dominus.

13 Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero terram Ægypti.

14 Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum ſollemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.

15 Septem diebus azyma comedetis: in die primo nõ erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, à primo die vſque ad diem ſeptimum.

16 Dies prima erit ſancta, atque ſollemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent.

17 Et obſeruabitis azyma: in eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.

* Leui. 23. 5.

18 * Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam: comedetis azyma; vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam.

19 Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael, tam de aduenis quam de indigenis terræ.

20 Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma.

21 Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe.

Hebr. 11. 28.

22 Faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrũque poſtem: nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque manè.

Tran-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Menſis iſte vobis caput menſium: primus erit in menſibus anni.*

3 *Loquimini ad omnem cœtum Iſrael, dicendo: In decima menſis huius accipiet ſibi vnuſquiſq; agnum per familiam patrum, agnum per familiam.*

4 *Et ſi minor fuerit familia, quam eſſus agni, accipiet, & vicinum ſuum, qui propinquus eſt domui ſuæ, ſecundum numerum animarum vnumquemque ſecundum edere eius numerabitis ſuper agnum.*

5 *Agnus perfectus, maſculus, anniculus erit vobis: ex ouibus, & è capris accipietis.*

6 *Et erit vobis ad cuſtodiam, vſque ad quartamdecimam diem menſis huius: & immolabunt eum omnis cœtus ſynagogæ Iſrael inter duas veſperas.*

7 *Et tollent è ſanguine, & ponent in ambobus poſtibus, & in ſuperliminari, in domibus, in quibus comedent eum.*

8 *Et comedent carnem nocte ipſa, aſſam igni, & infermentata, cum amaritudinibus comedent eum.*

9 *Ne comedatis ex eo crudum, & coquendo coctum aqua, ſed aſſum igni: caput eius cum cruribus eius, & cum interioribus eius.*

10 *Et non relinquetis ex eo vſque manè: & quod relictum fuerit ex eo vſque manè, igne comburetis.*

11 *Et ſic comedetis eum: Renes veſtri accincti, calciamenta veſtra in pedibus veſtris: & baculus veſter in manu veſtra: Peſach eſt Domino.*

12 *Et tranſibo per terram in Aegypto in nocte iſta, & percutiam omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vſque ad animal: & in cunctis Dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus.*

13 *Et erit ſanguis vobis in ſignum in domibus, in quibus vos eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo ſuper vos: & non erit in vobis plaga ad diſperdẽdum, quando percutiam terram Aegypti.*

14 *Et erit dies iſte vobis ad memoriam: & celebrabitis eum feſtum Domino in generationibus veſtris, ſtatuto perpetuo celebrabitis eum.*

15 *Septem diebus infermẽtata comedetis: verumtamẽ die prima ceſſare facietis fermẽtũ è domibus veſtris: quia omnis qui comederit fermẽtatũ, excidetur anima ipſa ex Iſrael à die primo, vſque ad diẽ ſeptimũ.*

16 *Et in die primo vocatio ſancta, et dies ſeptima vocatio ſancta erit vobis: omne opus non fiet in eis, verumtamen quod comedetur ex omni anima illud tantummodo fiet vobis.*

17 *Et cuſtodietis infermentata: quia in corpore diei huius eduxi exercitus veſtros è terra Aegypti, & cuſtodietis diem hunc in generationibus veſtris ſtatuto perpetuo.*

18 *In primo, quartadecima die menſis, in veſpera comedetis infermentata; vſque ad diem vnum, & vigeſimum menſis in veſpera.*

19 *Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: quia omnis qui comederit fermẽtatum, exterminabitur anima ipſa è cœtu Iſrael, tam peregrini quam indigena terra.*

20 *Omne fermentatum non comedetis: in omnibus habitaculis veſtris comedetis infermentata.*

21 *Et vocauit Moſeh omnes ſeniores Iſrael, & dixit ad eos: Trahite, & accipite vobis pecora ſecundum familias veſtras, & immolate Peſach.*

22 *Et accipietis faſciculum hyſſopi, & tingetis in ſanguinem, qui eſt in vaſe, & pertingere facietis ad ſuperliminare, & ad ambos poſtes, de ſanguine, qui eſt in vaſe: & vos non egrediemini vnuſquiſque ex oſtio domus ſuæ vſque manè.*

*Et tran-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

2 Menſis hic vobis principium menſium: primus eſt vobis in menſibus anni.

3 Loquere ad oẽm ſynagogã filiorũ Iſrael, dicẽs: Decima menſis huius ſumat vnuſquiſque pecus per domos patriarum, vnuſquiſque pecus per domum.

4 Si autem pauci fuerint in domo, vt non ſint idonei ad pecus, aſſumet ſecum vicinum proximum ſuum, ſecundum numerum animarum vnuſquiſque, quod ſufficiat ſibi, connumerabitur ad pecus.

5 Pecus perfectum, maſculum, anniculum erit vobis: ab agnis, & hœdis accipietis:

6 Et erit vobis conſeruatum vſque ad quartam, & decimam menſis huius: & occident illud omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſrael ad veſperam.

7 Et ſument de ſanguine, & ponent ſuper duos poſtes, & ſuper limen in domibus, in quibus manducabunt illa in eis.

8 Et manducabunt carnes nocte hac aſſatas igni, & azyma ſuper picrides comedent.

9 Non comedetis de eis crudum, neque coctum in aqua, ſed aſſata igni: caput cum pedibus, & interaneis.

10 Non remanebit de eo vſque mane: & os non conteretis ab eo, quæ autem ſuperauerint ab eo vſque mane, in igne concremabitis.

11 Sic autem comedetis eum: Renes veſtri accincti, & calceamenta in pedibus veſtris, & baculi in manibus veſtris, & comedetis eum cum feſtinatione: Paſcha eſt Domino.

12 Et tranſibo in terra Aegypto in nocte hac, & percutiam omne primogenitum in terra Aegypto ab homine vſque ad pecus: & in omnibus Dijs Aegyptiorum faciam vindictam, ego Dominus.

13 Et erit ſanguis vobis in ſigno in domibus, in quibus vos eritis illic: & videbo ſanguinem, & protegam vos: & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutio in terra Aegypto.

14 Et erit dies vobis hic memoriale: & celebrabitis eum feſtum Domino in omnes generationes veſtras, legitimum æternum celebrabitis eum.

15 Septem dies azyma comedetis: à die autem primo remouebitis fermentũ de domibus veſtris: quicũq; autem comederit fermentum, diſperdetur anima illa de Iſrael, à die prima vſque ad diem ſeptimam.

16 Et dies prima vocabitur ſancta, & dies ſeptima vocata ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis in eis, tantum quæ fient omni animæ, illud ſolum fiet vobis.

17 Et ſeruabitis mandatum hoc: in die enim hac educam virtutem veſtram de terra Aegypti, & facietis diem hunc in progenies veſtras legitimum æternum.

18 Incipientes quarta, & decima die mẽſis primi, à veſpera comedetis azyma; vſque ad diem vnam, & vigeſimam menſis, vſque ad veſperam.

19 Septem dies fermentum non inuenietur in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, diſperdetur anima illa de ſynagoga Iſrael, & in aduenis, & indigenis terræ.

20 Omne fermentatum non comedetis: in omni autem habitaculo veſtro comedetis azyma.

21 Vocauit autẽ Moyſes oẽm ſenatũ filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Abeũtes ſumite vobis ipſis pecus ſecũdum cognationes veſtras, & ſacrificate Paſcha:

22 Sumetis autem faſciculum hyſſopi, & tingentes de ſanguine, qui eſt iuxta oſtium, tangetis limen, & ſuper ambos poſtes de ſanguine, qui eſt iuxta oſtium: vos autem non exibitis vnuſquiſque oſtium domus ſuæ vſque mane.



## Chald. Paraph. Transl.

2 *Menſis ille erit vobis principium menſium: primus erit vobis in menſibus anni.*

3 *Loquimini cum omni cœtu filiorum Iſrael, dicentes: In decima die menſis huius tollat vnuſquiſque ſibi agnum pro domo paterna, agnum pro domo.*

4 *Si autem pauci numero fuerint, vt non poſſint ſufficere ad veſcendum agnum, tollat ipſe & vicinus eius qui propinquus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum, ſinguli iuxta quod poſſint ſufficere ad veſcẽdum, numerabimini ad veſcendum agnum.*

5 *Agnus immaculatus, maſculus, anniculus erit vobis: de agnis, & de filijs caprarum accipietis.*

6 *Et erit vobis in cuſtodiam vſque ad quartamdecimam diem menſis huius: immolabuntque eum omnis eccleſia filiorum Iſrael ad veſperam.*

7 *Et ſument de ſanguine, & ponent ſuper duos poſtes, & in ſuperliminare ſuper domibus, in quibus comedent illum.*

8 *Et comedent carnem in nocte illa aſſam igni, & azymum panem cum amaris herbis comedent illum.*

9 *Non comedetis ex eo crudum, neque coctum aquæ, ſed aſſum igni: caput eius cum cruribus, & inteſtinis eius comedetis.*

10 *Et non relinquetis ex eo vſque manè: & quod reſiduum fuerit vſque manè, igne comburetis.*

11 *Sic enim comedetis illum: Lumbi veſtri ſint accincti, calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi veſtri ſint in manibus veſtris, & comedetis eum feſtinanter: eſt enim Phaſe coram Domino.*

12 *Et apparebo in terra Aegypti in nocte illa, interficiamque omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vſque ad pecus: & in cunctis idolis Aegyptiorum faciam iudicia, ego Dominus.*

13 *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in domibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & miſerebor veſtri: & non erit in vobis mors diſperdens, cum interfecero in terra Aegypti.*

14 *Et erit hic dies vobis in memoriam: & celebrabitis eum ſolennem coram Domino in generationibus veſtris, fœdere ſempiterno celebrabitis eum.*

15 *Septem diebus azyma comedetis: in die autem primo auferetis fermentum de domibus veſtris: omnis enim qui comederit fermentatum, peribit homo ille de Iſrael, à die primo, vſque in diem ſeptimum.*

16 *In die autem primo ſolemnitas ſancta erit vobis, in die quoq; ſeptimo ſolemnitas ſancta erit vobis: nullum opus fiet in eis, ſed id quod pertinet ad veſcendum omni animæ, illud ſolummodo fiet vobis.*

17 *Et obſeruabitis azyma: quia in hac eadem die eduxi exercitus veſtros de terra Aegypti, obſeruabitiſque diem hanc in generationibus veſtris fœdere ſempiterno.*

18 *In menſe Niſan, in quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma; vſque ad diem viceſimam primam menſis ad veſperam.*

19 *Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: quia omnis qui comederit fermentatũ, peribit homo ille de cœtu Iſrael, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ.*

20 *Nihil fermentatum comedetis: in cunctis habitationibus veſtris comedetis azyma.*

21 *Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores Iſrael, & dixit ad eos: Capite, & tollite vobis de filijs ouium per familias veſtras, & immolate Phaſe.*

22 *Tolletiſque manipulum hyſſopi, & tingetis in ſanguine, qui eſt in vaſe, & aſpergetis ſuperliminare, & duos poſtes de ſanguine qui eſt in vaſe: nullusque veſtrum egrediatur ab oſtio domus ſuæ vſque manè.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Tranſibit enim Dominus percutiens Aegyptios: Cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.

24 Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filijs tuis vſque in æternum.

25 Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis ceremonias iſtas.

26 Et cum dixerint vobis filij veſtri: Quæ eſt iſta religio?

27 Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans. Incuruatuſque populus adorauit.

28 Et egreſſi filij Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron.

29 Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat,* vſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.

* Sup. 11. 5 & 13. 15

30 Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaque Aegyptus: & ortus eſt clamor magnus in Aegypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus.

31 Vocatiſque Pharao, Moyſe, & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filij Iſrael: ite, immolate Domino, ſicut dicitis.

32 Oues veſtras, & armenta aſſumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.

33 Vrgebantque Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.

34 Tulit igitur populus conſperſam farinam, antequā fermentaretur: & ligans in pallijs, poſuit ſuper humeros ſuos.

35 Feceruntque filij Iſrael * ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Aegyptijs vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam.

* Sup. 11. 2.

36 Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Aegyptios.

37 Profectique ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Socoth, ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſque paruulis.

38 Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis.

39 Coxeruntque farinam, quam dudum de Aegypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogētibus exire Aegyptijs, & nullam facere ſinentibus moram: nec pulmenti quidquā occurrerat præparare.

40 Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

41 Quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Aegypti.

42 Nox iſta eſt obſeruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Aegypti: hanc obſeruare debent omnes filij Iſrael in generationibus ſuis.

43 Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron: Hæc eſt religio Phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo.

44 Omnis autem ſeruus emptitius circumcidetur, & ſic comedet.

Adue-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et tranſibit Dominus ad percutiendum Aegyptū: Et videbit ſanguinem in ſuperliminari, & in ambobus poſtibus, & tranſiliet Dominus ſuper oſtium, & non permittet vaſtatorem, vt veniat ad domos veſtras ad percutiendum.*

24 *Et cuſtodietis rem iſtam pro ſtatuto tibi, & filijs tuis vſque in ſæculum.*

25 *Et erit, cum ingreſſi fueritis terram, quam dabit Dominus vobis, quemadmodum locutus eſt, cuſtodietis opus hoc.*

26 *Et erit, cum dixerint vobis filij veſtri: Quid opus hoc vobis?*

27 *Dicetis: Sacrificium Peſach eſt Domino, qui tranſijt ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto, quando percuſſit Aegyptum, & domus noſtras eruit. Et incuruauit ſe populus, & humiliauerunt ſe.*

28 *Et abierunt, & fecerunt filij Iſrael, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh, & Aharon, ſic fecerunt.*

29 *Et fuit, in media nocte Dominus percuſſit omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Parhoh, qui ſedebat ſuper ſolium ſuum, vſque ad primogenitum captiui, qui erat in domo carceris, & omne primogenitum animalis.*

30 *Et ſurrexit Parhoh nocte ipſa, & omnes ſerui eius, & omnis Aegyptus: & fuit clamor magnus in Aegypto: quia non erat domus in qua non eſſet mortuus.*

31 *Et vocauit Moſeh, & Aharon noctu, & dixit: Surgite, egredimini è medio populi mei, etiam vos, etiam filij Iſrael: & ite, ſeruite Domino ſecundum quod locuti eſtis.*

32 *Etiam pecora veſtra, etiā boues veſtros accipite, quēadmodū locuti eſtis: & ite, & benedicite etiā mihi.*

33 *Et vim fecit Aegyptus populo feſtinando dimittere eos è terra, quia dixerunt: Omnes ſumus mortui.*

34 *Et tulit populus paſtam ſuam, antequam fermentaretur paſtas ſuas ligatas in veſtimentis ſuis ſuper humerum ſuum.*

35 *Et filij Iſrael fecerunt iuxta verbum Moſeh: & poſtulauerunt ab Aegyptijs vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes.*

36 *Et Dominus dedit gratiam populo in oculis Aegyptiorum, & commodauerunt eis: & ſpoliauerunt Aegyptios.*

37 *Et profecti ſunt filij Iſrael de Rhameſſes in Succoth fermè ſexcenta millia peditum virorum, tantum præter paruulos.*

38 *Et etiam mixtio multa aſcendit cum eis, & pecudes, & boues, animal graue valde.*

39 *Et coxerunt paſtam, quam eduxerunt ex Aegypto: placentulas infermentatas: quia non fermentauerat, quia expulſi fuerunt ex Aegypto, & non potuerant demorari: & etiam eſcam non fecerant ſibi ipſis.*

40 *Et habitatio filiorum Iſrael qua habitauerunt in Aegypto fuit per triginta annos, & quadringentos annos.*

41 *Et fuit, in fine triginta annorum, & quadringentorum annorum fuit, in corpore diei huius, egreſſi ſunt omnes exercitus Domini è terra Aegypti.*

42 *Nox obſeruabilis eſt Domino, vt educat eos è terra Aegypti: ipſa nox eſt Domino cuſtodia omnibus filijs Iſrael per generationes ſuas.*

43 *Dixitque Dominus ad Moſeh, & Aharon: Hoc ſtatutum Peſach: Omnis filius alienigena non comedet ex eo.*

44 *Et omnem ſeruum viri emptum argento circumcides, & tunc comedet ex eo.*

*Adue-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

23 Et præteribit Dominus ad percutiendos Ægyptios: & videbit ſanguinem ſuper limen, & ſuper ambos poſtes, & præteribit Dominus oſtium, & non ſinet diſperdentem ingredi in domos veſtras ad percutiendum.

24 Et cuſtodietis verbum hoc legitimum, tibi ipſi, & filijs tuis vſque in ſeculum.

25 Cum autem ingreſſi fueritis in terram, quam dederit Dominus vobis, ſicut locutus eſt, cuſtodite ſeruitutem hanc.

26 Et erit cum dicent ad vos filij veſtri: Quæ eſt ſeruitus iſta?

27 Et dicetis eis: Immolatio Paſcha hoc Domino, ſicut protexit domos filiorũ Iſrael in Ægypto, quando percuſſit Ægyptios, domos autem noſtras eruit. Et procumbens populus adorauit.

28 Et abeuntes fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi, & Aaron; ſic fecerunt.

29 Factum eſt autem mediante nocte, & Dominus percuſſit omne primogenitum in terra Ægypto à primogenito Pharaonis ſedente ſuper thronum, vſque ad primogenitum captiuæ, quæ in fouea, & vſque ad primogenitum omnis pecoris.

30 Et ſurgens Pharao nocte, & ſerui eius, & omnes Ægyptij; & factus eſt clamor magnus in omni terra Aegypto: non enim erat domus, in qua non erat in ea mortuus.

31 Et vocauit Pharao, Moyſen, & Aaron nocte, & dixit illis: Surgite, & exite de populo meo, & vos, & filij veſtri, & ſeruite Domino Deo veſtro: ite, & ſeruite Domino Deo veſtro, ſicut dicitis:

32 Et oues, & boues veſtros aſſumentes pergite, benedicite etiam & me.

33 Et cogebant Aegyptij populum, feſtinatione eijciendo eos de terra, dicebant enim: Quia omnes nos morimur.

34 Aſſumpſit autem populus farinam ſuam, antequam fermentaretur: conſperſiones ſuas ligatas in veſtibus ſuis ſuper humeros.

35 Filij autem Iſrael fecerunt, ſicut conſtituit illis Moyſes: & petierunt ab Aegyptijs vaſa argentea, & aurea, & veſtem.

36 Et dedit Dominus gratiam populo ſuo coram Aegyptijs, & commodauerunt eis: & prædati ſunt Aegyptios.

37 Promouentes autem filij Iſrael de Rameſſe in Socchoth, in ſexcenta millia peditum viri, præter apparatum.

38 Et commiſſus multus aſcendit cum eis, & oues, & boues, & pecora multa valdè.

39 Et coxerunt farinam, quam extulerant de Aegypto, ſubcineritia azyma: non enim fuerat fermentata, eiecerunt enim eos Aegyptij, & non potuerunt commorari: neque cibum fecerunt ſibiipſis in viam.

40 Habitatio autem filiorum Iſrael, quam habitauerunt in terra Aegypto, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.

41 Et factum eſt poſt quadringentos triginta annos, exijt omnis virtus Domini de terra Aegypti nocte.

42 Cuſtodia eſt Domino ad educendum eos de terra Aegypti: illa nox hæc, cuſtodia Domino, vt omnibus filijs Iſrael ſit in progenies eorum.

43 Dixit autem Dominus ad Moyſen, & Aaron: Hæc eſt lex ipſius Paſchæ: Omnis alienigena non comedet de eo:

44 Et omnem famulum, vel argento emptum, circumcides eum, & tunc comedet de eo.

## Chald. Paraph. Tranſl.

23 *Et reuelabitur Dominus, vt percutiat Ægyptios: videbitque ſanguinem in ſuperliminare, & ſuper duo limina, & miſerebitur Dominus ſuper oſtium, & non ſinet vaſtatorem ingredi domos veſtras ad percutiendum.*

24 *Et obſeruabitis verbum iſtud in pactum tibi, & filijs tuis vſque in æternum.*

25 *Eritque quando introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, ſicut locutus eſt, obſeruabitis cultum hunc.*

26 *Et erit cùm dixerint vobis filij veſtri: Quid eſt cultus hic vobis?*

27 *Et dicetis: Sacrificiũ pro miſericordia eſt corã Dño, eo q miſertus eſt ſuper domos filiorũ Iſrael in Ægypto, quando percuſſit Ægyptios, & domos noſtras liberauit. Incuruauitque ſe populus, & adorauerunt.*

28 *Ieruntq; filij Iſrael, & fecerũt ſicut præceperat Dominus Moyſi, & Aaron, ita fecerunt.*

29 *Factumq; eſt in noctis medio, & Dominus occidit omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui ſeſſurus erat ſuper ſolium regni eius, vſque ad primogenitum captiuâ, quæ erat in domo vinctorum, & omne primogenitum iumentorum.*

30 *Surrexitq; Pharao in nocte, ipſe & omnes ſerui eius, & omnes Ægyptij: & fuit clamor magnus in Aegypto: quia nulla domus erat in qua non eſſet aliquis mortuus.*

31 *Vocauitque Moyſen, & Aaron nocte, & ait: Surgite, egredimini de medio populi mei, tam vos, quàm filij Iſrael: & ite ſeruite coram Domino, ſicut dicebatis.*

32 *Oues quoque veſtras, & boues aſſumite, ſicut loquebamini, & ite orate etiam pro me.*

33 *Præualeſcebantque Aegyptij ſuper populum, vt citò mitterent eos de terra, quia dixerunt: Omnes nos mortui ſumus.*

34 *Tulitque populus maſſam ſuam antequam fermentaretur: ſicut erat in panarijs ſuis, ligatam in pallijs ſuis ſuper humeros ſuos impoſitam.*

35 *Filij autem Iſrael fecerunt iuxta verbum Moyſi: & petierunt ab Aegyptijs vaſa aurea, & vaſa argentea, & veſtes.*

36 *Dominus autem dedit populo gratiam in oculis Aegyptiorum, & commodauerunt eis: & vacuos reliquerunt Aegyptios.*

37 *Profectique ſunt filij Iſrael de Rameſſes in Socchoth, quaſi ſexcenta millia peditum, præter familiam.*

38 *Extranei quoque multi aſcenderunt cum eis, & oues, & boues, & pecora multa nimis.*

39 *Et coxerunt maſſam, quam eduxerant de Aegypto, feceruntque placentas azymas: quia non erat fermentatum, eo quòd eiecti fuerant de Aegypto, & non poterant immorari: viaticum quoque non parauerunt ſibi.*

40 *Habitatio autem filiorum Iſrael qua habitauerunt in Aegypto, fuit quadringentorum, & triginta annorum.*

41 *Et factum eſt poſt quadringentos, & triginta annos, in hac eadem die, egreſſi ſunt omnes exercitus Domini de terra Aegypti.*

42 *Nox obſeruabilis eſt coram Domino, vt educeret eos de terra Aegypti: hæc eſt nox illa coram Domino, obſeruanda filijs Iſrael in generationibus ſuis.*

43 *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron: Hic eſt ritus Phaſe: Omnis filius Iſrael qui fuerit apoſtata, non comedat ex eo.*

44 *Omnis autem ſeruus alicuius emptus argento, ſi circumciderit eum, tunc comedet ex eo.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

45 Aduena,& mercenarius non edent ex eo.
*No.9.12. 46 * In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, * nec os illius confringetis.
*Ioã.19.36.
47 Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud.
48 Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam,& facere Phaſe Domini,circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit: eritque ſicut indigena terræ: ſi quis autem circumciſus non fuerit,non veſcetur ex eo.
49 Eadem lex erit indigenæ, & colono qui peregrinatur apud vos.
50 Feceruntq; omnes filij Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi,& Aaron.
51 Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per turmas ſuas.

### CAP. XIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
*Infr.34.19. Nu.8.16. Luc.2.23. Leu.27.26. 2 * Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de hominibus, quam de iumentis: mea ſunt enim omnia.
3 Et ait Moyſes ad populum: Mementote diei huius in qua egreſſi eſtis de Ægypto,& de domo ſeruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto: vt non comedatis fermentatum panem.
4 Hodie egredimini menſe nouarum frugum.
5 Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi,& Hethæi,& Amorrhæi, & Heuæi, & Iebuſæi,quam iurauit patribus tuis,vt daret tibi, terram fluentem lacte, & melle, celebrabis hunc morem ſacrorum menſe iſto.

6 Septem diebus veſceris azymis: & in die ſeptimo erit ſollemnitas Domini.
7 Azyma comedetis ſeptem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.
8 Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt quod fecit mihi Dominus quando egreſſus ſum de Ægypto.
9 Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos: & vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo,in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.
10 Cuſtodies huiuſcemodi cultum ſtatuto tempore à diebus in dies.
11 Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, ſicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam:
*Inf.22.29. & 34.19. Ez.44.30. 12 * Separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino.
13 Primogenitum aſini mutabis oue: quod ſi non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis,pretio redimes.
14 Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt hoc? reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.
15 Nam cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito hominis vſque ad primogenitum iumentorum: idcircò immolo Domino omne quod aperit vuluam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.
16 Erit igitur quaſi ſignum in manu tua, quaſi appenſum quid, ob recordationé, inter oculos tuos: eo quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

45 Aduena,& mercenarius non comedet ex eo.
46 In domo vna comedet, non educes è domo de carne extra,& os non confringetis in eo.
47 Omnis cœtus Iſrael faciet eum.
48 Et ſi peregrinatus fuerit tecum peregrinus, & fecerit Peſach Domino,circumcidetur ſibi omnis maſculus, & tunc accedet ad faciendum illud: & erit ſicut indigena terræ: & omnis qui habuerit præputium non comedet ex eo.
49 Lex vna erit indigenæ, & peregrino, qui peregrinatur in medio veſtri.
50 Et fecerunt omnes filij Iſrael, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh,& Aharon,ſic fecerunt.
51 Et fuit, in corpore diei huius eduxit Dominus filios Iſrael è terra Aegypti per exercitus ſuos.

### CAP. XIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moſeh,dicendo.
2 Sanctifica mihi omne primogenitum, quicquid primum aperit vuluam in filijs Iſrael,tam in homine quam in iumento: meum eſt.
3 Dixitque Moſeh ad populum: Memento diei huius, quo egreſſi eſtis ex Aegypto è domo ſeruorum, quia in fortitudine manus eduxit Dominus vos hinc: & non comedetur fermentatum.
4 Hodie egredimini in menſe Iulij.
5 Et erit,cum introduxerit te in terram Chenahanæi, Chittæi, & Emorræi, & Chiuuæi, & Iebuſæi, ſuper quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte,& melle, ſeruies ſeruitutem hanc in menſe iſto.

6 Septem diebus comedes infermentata: & die ſeptimo ſolemnitas erit Domino.
7 Infermentata comedent, ſeptem diebus: non conſpicietur tibi fermentatum,& non conſpicietur tibi fermentum in omni termino tuo.
8 Et nunciabis filio tuo in die ipſo, dicendo: Propter hoc fecit Dominus mihi cum exirem de Aegypto.
9 Et erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, & in memoriam inter oculos tuos: vt ſit lex Domini in ore tuo, quia in manu forti eduxit te Dominus ex Aegypto.
10 Et cuſtodies ſtatutum hoc in tempore ſuo quotannis.
11 Et erit cum introduxerit te Dominus in terrã Chenahanæi, quemadmodum iurauit tibi, & patribus tuis,& dederit eam tibi.
12 Tranſire facies quicquid primum aperit vuluam Domino: & quicquid primum aperit vuluam, & emittit animal: quod erit tibi maſculum, erit Domino.
13 Et omne primogenitum aſini redimes hœdo: & ſi non redemeris ceruicem franges ei. Et omne primogenitum hominis in filijs tuis redimes.
14 Et erit cum interrogauerit te filius tuus cras, dicendo: Quid eſt hoc? dices ad eum: In fortitudine manus eduxit nos Dominus ex Aegypto è domo ſeruorum.
15 Et fuit cum induraſſet ſe Parhoh,vt dimitteret nos, occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti à primogenito hominis vſque ad primogenitũ animalis: idcircò ego ſacrifico Domino quicquid primo aperit vuluam maſculos,& omne primogenitum filiorum meorum redimam.
16 Et erit in ſignum in manu tua, & in memoriam inter oculos tuos: quia in fortitudine eduxit nos Dominus ex Aegypto.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

45 Aduena, vel mercenarius non comedet de eo.

46 In domo vna manducabitur, & nõ efferetis de domo de carnibus foras, & os non contereris de eo.

47 Omnis ſynagoga filiorum Iſrael faciet id.

48 Si quis autem aduenerit ad vos proſelytus ad faciendum Paſcha Domino, circumcides omne eius maſculinum, & tunc accedet ad faciendum id: & erit tanquam & indigena terræ: omnis incircumciſus non comedet de eo.

49 Lex vna erit indigenæ, & aduenienti proſelyto in vobis.

50 Et fecerunt filij Iſrael, ſicut mandauit Dominus Moyſi, & Aaron ad eos, ſic fecerunt.

51 Et factum eſt in die illa, eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti cum virtute eorum.

### CAP XIII.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Sanctifica mihi omne primitiuum primogenitum adaperiens omnem vuluam in filijs Iſrael, ab homine ad pecus: mihi erit.

3 Dixit autem Dominus ad populum: Memoramini diei huius, in qua exiuiſtis de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, in manu enim valida eduxit vos Dominus hinc: & non manducabitur fermentum.

4 Hodie enim vos egredimini in menſe nouorum.

5 Et erit cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, & Chettæorũ, & Amorrhæorum, & Euæorum, & Iebuſæorum, & Gergeſæorum, & Pherezæorum, quam iurauit patribus tuis dare tibi fluentem lacte, & melle, & facies ſeruitutem hanc in menſe hoc.

6 Sex dies comedetis azyma: die autem ſeptimo ſolemnitas Domini.

7 Azyma comedetis ſeptem dies: non apparebit tibi fermentatum, neque erit tibi fermentum in omnibus finibus tuis.

8 Et annunciabis filio tuo in die illa, dicens: Propter hoc fecit Dominus Deus mihi, cum egrediebar de Ægypto.

9 Et erit tibi ſignum ſuper manum tuam, & memoriale ante oculos tuos: vt ſit lex Domini in ore tuo, in manu enim valida eduxit te Dominus Deus de Ægypto.

10 Et ſeruate legem hanc ſecundum tempora ſtatuta à diebus in dies.

11 Et erit cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, quemadmodum iurauit patribus tuis, & dabit tibi eam:

12 Et ſeparabis omne adaperiens vuluam, maſculina Domino, omne adaperiens vuluam de armentis, vel in pecoribus tuis: quæcumque tibi nata fuerint, maſculina ſanctificabis Domino.

13 Omne adaperiens vuluam aſini mutabis oue: ſin autem non mutaberis, redimes illud. Omne primogenitum hominis filiorum tuorum redimes.

14 Sin autem interrogauerit te filius tuus, dicens: Quid hoc? & dices ei: Quoniam in manu valida eduxit Dominus nos de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.

15 Quando autem indurauit ſe Pharao ad dimittendum nos, interfecit omne primogenitum in terra Aegypto, à primogenitis hominum vſq; ad primogenita pecorum: propter hoc ego immolo omne adaperiens vuluam, maſculina Domino, & omne primogenitum filiorum meorum redimam.

16 Et erit in ſignum ſuper manum tuam, & immobile ante oculos tuos: in manu enim valida eduxit te Dominus de Aegypto.

## Chald. Paraph. Tranſl.

45 *Aduena, & mercenarius non comedent ex eo.*

46 *In ſocietate vna comedetis, non efferetis de carnibus eius ex domo foras, & os non confringetis in eo.*

47 *Omnis cœtus Iſrael faciet illud.*

48 *Et quando tranſierit ad veſtram religionem aliquis proſelytus, & fecerit Phaſe coram Domino, circumcidetur omnis maſculus eius, & tunc accedet, vt faciat illud: & erit ſicut indigena terræ: & omnis prophanus non comedet ex eo.*

49 *Lex vna erit indigenæ, & proſelyto qui morabitur vobiſcum.*

50 *Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi, & Aaron, ita fecerunt.*

51 *Et factum eſt in ipſa die, eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per turmas ſuas.*

### CAP. XIII.

1 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit omnem vuluam in filijs Iſrael in hominibus, & in iumentis: meum eſt.*

3 *Dixitq; Moyſes ad populum: Mementote diei huius, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, de domo ſeruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto: & non comedetur fermentatum.*

4 *Hodie vos egredimini in menſe nouarum frugum.*

5 *Et erit quando introduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Ethæi, & Amorræi, & Euæi, & Iebuſæi, pro qua iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte, & melle, celebrabis cultum iſtum in menſe iſto.*

6 *Septem diebus comedes azyma: & in die ſeptima erit ſolemnitas coram Domino.*

7 *Azymum comedetur ſeptem diebus: & non apparebit tibi fermentatum, neque apparebit tibi fermentum in omni termino tuo.*

8 *Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Propter hoc fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto.*

9 *Et erit tibi in ſignum in manu tua, & in memoriale inter oculos tuos: vt ſit lex Domini in ore tuo, quia in manu forti eduxit te Dominus de Ægypto.*

10 *Et cuſtodies pactum hoc in tempore ſuo à tempore in tempus.*

11 *Et erit cùm introduxerit te Dominus in terram Chananæi, ſicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit eam tibi:*

12 *Tranſire facies omne quod aperit vuluam coram Domino, & omnes maſculos qui aperiunt vuluam in animalibus: quos habueris, ſanctificabis coram Domino.*

13 *Et omne primogenitum aſini redimes agno: & ſi non redemeris, mactabis eum. Omnemque primogenitum in filijs tuis redimes.*

14 *Et erit cùm interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt hoc? dices ei: In manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto de domo ſeruitutis.*

15 *Et factum eſt cùm induratus eſſet Pharao, & nollet dimittere nos, interfecit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis, vſque ad primogenitum animalis: idcircò ego ſacrifico omne maſculum quod aperit vuluam, & omnem primogenitum filiorum meorum redimam.*

16 *Eritque in ſignum in manu tua, & in appenſum quoddam inter oculos tuos: quoniam in manu forti eduxit nos Dominus de Aegypto.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Igitur cum emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſthijm, quæ vicina eſt: reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum.

18 Sed circunduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta Mare rubrum: & armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti.

19 Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum: eo quòd adiuraſſet filios Iſrael, dicens: * Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.

* Gen. 50. 25.

20 Profectique de Socoth caſtrametati ſunt in Etham in extremis finibus ſolitudinis.

21 * Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux eſſet itineris vtroque tempore.

* Nu. 14. 14. 1. Cor. 10. 1. Neh. 9. 19.

22 Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

### CAP. XIIII.

1 Locutus eſt autẽ Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere filijs Iſrael: Reuerſi caſtrametentur è regione Phihahiroth quæ eſt inter Magdalum, & mare contra Beelſephon: in conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare.

3 Dicturuſque eſt Pharao ſuper filijs Iſrael: Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum.

4 Et indurabo cor eius, ac perſequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: ſcientque Aegyptij, quia ego ſum Dominus. Feceruntque ita.

5 Et nunciatum eſt regi Aegyptiorum, quòd fugiſſet populus: immutatumque eſt cor Pharaonis, & ſeruorũ eius ſuper populo, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Iſrael, ne ſeruiret nobis?

6 Iunxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum.

7 Tulitque ſexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit: & duces totius exercitus.

8 Indurauitque Dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & perſecutus eſt filios Iſrael: at illi egreſſi erant in manu excelſa.

9 * Cumque perſequerentur Aegyptij veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris ſuper mare: omnis equitatus, & currus Pharaonis, & vniuerſus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelſephon.

* 1. Mac. 4. 9. Ioſ. 24. 6.

10 Cumque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos, viderunt Aegyptios poſt ſe: & timuerunt valde: clamaueruntque ad Dominum,

11 Et dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Aegypto?

12 Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptijs? multo enim melius erat ſeruire eis, quam mori in ſolitudine.

13 Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum.

14 Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

15 Dixitque Dominus ad Moyſen: Quid clamas ad me? Loquere filijs Iſrael, vt proficiſcantur.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et fuit, cum dimiſiſſet Parhoh populum, non duxit eos Deus per viam terræ Peliſtim, quia propinqua erat: quia dixit Deus, ne fortè pœniteat populum, cum viderint prælium, & reuertantur in Aegyptum.*

18 *Et circunduxit Deus populum per viam deſerti maris Suph: & accincti, aſcenderunt filij Iſrael è terra Aegypti.*

19 *Et tulit Moſeh oſſa Ioſeph ſecum: quia adiurando adiurauerat filios Iſrael, dicendo: Viſitando viſitabit Deus vos, & aſcendere facietis oſſa mea hinc vobiſcum.*

20 *Et profecti ſunt è Succhoth, & caſtrametati ſunt in Etham in fine deſerti.*

21 *Et Dominus ibat ante eos per diem in columna nubis, vt duceret eos per viam, & noctem in columna ignis: vt lumen faceret eis, vt ambularent die, & nocte.*

22 *Non recedere faciebat columnam nubis in die, neque columnam ignis in nocte ante populum.*

### CAP. XIIII.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo.*
2 *Loquere ad filios Iſrael: & reuertantur, & caſtrametentur ante Pihachiroth inter Migdol, & inter mare ante Bahal Sephon: contra ipſum caſtrametabimini iuxta mare.*

3 *Dicetque Parhoh ſuper filijs Iſrael: Confuſi ſunt ipſi in terram, clauſit ſuper eos deſertum.*

4 *Et fortificabo cor Parhoh, & ſequetur poſt eos: & glorificabor in Parhoh, & in omni exercitu eius: & ſcient Aegyptij, quia ego Dominus: Et fecerunt ſic.*

5 *Et nunciatum eſt regi Aegypti, quod fugeret populus: & reuerſum eſt cor Parhoh, & ſeruorum eius ad populum, & dixerunt: Quid hoc facimus, quia dimiſimus Iſrael, ne ſeruiret nobis!*

6 *Et iunxit currum ſuum, & populum ſuum tulit ſecum.*

7 *Et tulit ſexcentos currus electos, & omnem currum Aegypti: & duces ſuper vniuerſos ipſos.*

8 *Et roborauit Dominus cor Parhoh regis Aegypti, & perſecutus eſt filios Iſrael: & filij Iſrael egrediebantur in manu excelſa.*

9 *Et perſecuti ſunt Aegyptij eos, & comprehenderunt eos caſtrametantes iuxta mare: omnes equi, currus Parhoh, & equites eius, & exercitus eius iuxta Pihachiroth ante Bahal Sephon.*

10 *Et Parhoh accedere fecit, & eleuauerunt filij Iſrael oculos ſuos, & ecce Aegyptij proficiſcebantur poſt eos: & timuerunt valdè: & clamauerunt filij Iſrael ad Dominum.*

11 *Et dixerunt ad Moſeh: Numquid non erant ſepulchra in Aegypto, tuliſti nos ad moriendum in deſerto: quid hoc feciſti nobis, vt educeres nos ex Aegypto!*

12 *Nonne hoc eſt quod loquebamur ad te in Aegypto, dicendo: Ceſſa à nobis, & ſeruiemus Aegyptijs: quia melius erat nobis ſeruire Aegyptijs, quam mori in deſerto.*

13 *Dixitque Moſeh ad populum: Ne timeatis: ſtate, & videte ſalutem Domini, quam faciet vobis hodie: Nam quos vidiſtis Aegyptios hodie, non eritis viſuri vltra vſque in ſæculum.*

14 *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

15 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Quid clamas ad me? Loquere ad filios Iſrael, & proficiſcantur.*





UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Cum autem emiſit Pharao populum, non deduxit eos Deus per viam terræ Philiſtijm, quia prope erat: dixit enim Deus: ne quando pœniteat populum, cum viderit prælium, & reuertatur in Ægyptum.

18 Et circumduxit Deus populum via, quæ ad deſertum, ad rubrum mare. Quinta autem progenie aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti.

19 Et ſumpſit Moyſes oſſa Ioſeph ſecum: iuſiurando enim adiurarat filios Iſrael dicens: Viſitatione viſitabit vos Dominus, & ſimul efferetis oſſa mea hinc vobiſcum.

20 Promouêtes autem filij Iſrael de Socchoth, caſtrametati ſunt in Othon iuxta deſertum.

21 Deus autem præibat eos, die quidem in columna nubis oſtendere illis viam; noctu autem in columna ignis.

22 Non defecit autem columna nubis die, & columna ignis noctu coram omni populo.

### CAP. XIIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens:

2 Loquere filijs Iſrael: Et reuerſi caſtrametentur e regione ſuburbij inter Magdolum, & mare contra Beelſephon: coram ipſis caſtrametaberis ſuper mare.

3 Et dicet Pharao populo ſuo: Filij Iſrael errāt hi in terra, concluſit enim eos deſertum.

4 Ego autem indurabo cor Pharaonis: & perſequetur poſt eos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: & cognoſcent omnes Ægyptij, quia ego ſum Dominus. Et fecerunt ſic.

5 Et nunciatum eſt regi Ægyptiorum, quia fugit populus: & conuerſum eſt cor Pharaonis, & famulorum eius in populum & dixerunt: Quid hoc fecimus, vt emitteremus filios Iſrael, ne ſeruirent nobis?

6 Iunxit igitur Pharao currus ſuos: & omnem populum ſuum ſimul eduxit ſecum:

7 Et ſumens ſexcentos currus electos, & omnem equitatum Ægyptiorum, & triſtatas ſuper omnes.

8 Et indurauit Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & ſeruorum eius & perſecutus eſt poſt filios Iſrael: filij aũt Iſrael egrediebantur in manu excelſa.

9 Et perſecuti ſunt Ægyptij poſt eos, & inuenerunt eos caſtrametatos iuxta mare: & omnis equitatus & currus Pharaonis, & equites, & exercitus eius e regione ſuburbij contra Beelſephon.

10 Et Pharao acceſſit; & reſpicientes filij Iſrael oculis vident: & Ægyptij caſtrametati ſunt poſt eos: & timuerunt valde: clamauerunt autem filij Iſrael ad Dominum,

11 Et dixerunt ad Moyſen: Eo quod non eſſent ſepulchra in Ægypto; eduxiſti nos, vt morti traderes in deſerto: quid hoc feciſti nobis, educens de Ægypto?

12 Nonne hoc erat verbum, quod locuti ſumus ad te in Ægypto, dicentes: Dimitte nos, & ſeruiamus Ægyptijs? melius enim eſt nos ſeruire Ægyptijs, quam mori in deſerto hoc.

13 Dixit autem Moyſes ad populum: Fidite: ſtate, & videte ſalutem quæ eſt à Domino, quam faciet vobis hodie: ſicut enim vidiſtis Ægyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus.

14 Dominus pugnabit pro vobis: & vos tacebitis.

15 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Quid clamas ad me? Loquere filijs Iſrael, & diſiungant.

Et tu

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et factum eſt cum emiſiſſet Pharao populum, non duxit eos Deus per viam terræ Philiſtinorum, quia propinqua erat: quia dixit Deus, ne fortè formidet populus cum viderint prælium, & reuertantur in Ægyptum.*

18 *Et circumduxit Deus populum per viam deſerti maris rubri: & armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti.*

19 *Tulit autem Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quòd iuramento adiuraſſet filios Iſrael, dicens: Recordans recordabitur veſtri Deus: & efferetis oſſa mea vobiſcum hinc.*

20 *Profectique ſunt de Socoth, & caſtrametati ſunt in Ethan, quod eſt in latere deſerti.*

21 *Dominus autem præcedebat eos per diem in columna nubis, vt pararet eis locum manſionis in via: & in nocte in columna ignis, vt illuminaret eis: vt ambularent die ac nocte.*

22 *Nunquam deficiebat columna nubis per diem, neq; columna ignis per noctem coram populo.*

### CAP. XIIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filiis Iſrael: Vt reuertantur & caſtrametentur coram Phiahiroth inter Magdalum & mare coram Beelſephon: è regione eorum caſtrametabuntur ſuper mare.*

3 *Dicetque Pharao ſuper filijs Iſrael: Coartati ſunt in terra: concluſit eos deſertum.*

4 *Et indurabo cor Pharaonis, & perſequetur eos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ſuo: & ſcient Ægyptij, quia ego Dominus. Feceruntque ita.*

5 *Et nunciatum eſt regi Ægypti quòd abiiſſet populus: & conuerſum eſt cor Pharaonis, et ſeruorum eius in populum, & dixerunt: Quid eſt hoc quod fecimus vt dimitteremus Iſrael, ne ſeruiret nobis?*

6 *Iunxitque currum ſuum, & populum ſuum tulit ſecum.*

7 *Tulitque ſexcentos currus electos, & omnes currus Ægyptiorum, & fortiſſimos viros conſtituit ſuper omnes.*

8 *Indurauitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & ſecutus eſt poſt filios Iſrael: filij autem Iſrael egrediebantur capite diſcooperto.*

9 *Et ſecuti ſunt Ægyptij poſt eos, & comprehenderũt eos caſtrametantes ſuper mare: omneſque equi curruum Pharaonis & equites eius & exercitus eius erant ſuper Phiahiroth coram Beelſephon.*

10 *Pharao autem appropinquauit: & leuauerunt filij Iſrael oculos ſuos, & ecce Ægyptij mouebantur poſt eos: & timuerunt valdè: clamaueruntque filij Iſrael coram Domino.*

11 *Et dixerunt ad Moyſen: Numquid quia non erant ſepulchra in Ægypto, tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine? Quid eſt hoc quod feciſti nobis, vt educeres nos de Ægypto?*

12 *Nonne hic eſt ſermo quem loquebamur tecum in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Ægyptijs: quia melius eſt nobis vt ſeruiamus Aegyptijs, quàm vt moriamur in ſolitudine?*

13 *Dixitque Moyſes ad populum: Ne timeatis: ſtate, & videte redemptionem Domini, quam faciet vobis hodie: quia ſicut Aegyptios vidiſtis hodie, non videbitis eos vltrà vſque in ſempiternum.*

14 *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

15 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Suſcepi orationem tuam: loquere filijs Iſrael, vt proficiſcantur.*

Tu

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare & diuide illud: vt gradiantur filij Iſrael in medio mari per ſiccum.

17 Ego autem indurabo cor Aegyptiorum, vt perſequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius.

18 Et ſcient Aegyptij, quia ego ſum Dominus cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus eius.

19 Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abijt poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum

20 Stetit inter caſtra Aegyptiorum, & caſtra Iſrael: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita vt ad ſe muicem toto noctis tempore accedere non valerent.

21 Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum: diuiſaque eſt aqua.

*Pſ.77.13. & 104.36. Pſ.113.13. Hebr. 11.29.*

22 * Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum, & læua.

23 Perſequenteſque Aegyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.

*Sap.18.11.*

24 Iamque aduenerat vigilia matutina, * & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorũ:

25 Et ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

26 Et ait Dominus ad Moyſen: Extende manum tuã ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios ſuper currus, & equites eorum.

27 Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum: fugientibuſque Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.

28 Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec vnus quidem ſuperfuit ex eis.

29 Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris, & à ſiniſtris:

30 Liberauitque Dominus in die illa Iſrael de manu Aegyptiorum.

31 Et viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus cõtra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.

### CAP. XV.

1 TVnc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem deiecit in mare.

*Sap.10.21. Iſa.12.2. Pſ.117.14.*

2 * Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

3 Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

4 Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 Et tu erige virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & ſcinde illud: & ingredientur filij Iſrael in medium maris per aridam.

17 Et ego ecce, ego roboro cor Ægyptiorum, & ingredientur poſt eos: & glorificabor in Parhoh, & in omni exercitu eius, in curribus eius, & in equitibus eius.

18 Et ſcient Ægyptij, quòd ego Dominus, cum glorificatus fuero in Parhoh, in curribus eius, & in equitibus eius.

19 Et profectus eſt Angelus Dei, qui ibat ante caſtra Iſrael, & iuit poſt eos: & profecta eſt columna nubis ante eos, & ſtetit poſt eos.

20 Et venit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael: & fuit nubes, & tenebra, & illuminauit noctem, & non appropinquauit alter alteri tota noctes.

21 Et extendit Moſeh manum ſuam ſuper mare, & abire fecit Dominus mare ſpiritu orientali vehementi tota nocte, & poſuit mare in ſiccum: & ſciſſa ſunt aqua.

22 Et egreſſi ſunt filij Iſrael per medium maris, per aridam: & aqua eis erant murus à dextera eorum, & à ſiniſtra eorum.

23 Et ſecuti ſunt Ægyptij eos omnes, equi Parhoh, currus eius, & equites eius, in medium maris.

24 Et fuit, in vigilia matutina reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, in columna ignis, & nubis, & contriuit caſtra Ægyptiorum.

25 Et remouit rotam curruum eius, & duxit eos in grauitatem. Et dixerunt Ægyptij: Fugiamus à facie Iſrael: quia Dominus pugnat pro eis contra Ægyptios.

26 Dixitque Dominus ad Moſeh: Extende manum tuã ſuper mare, & reuertentur aqua ſuper Aegyptios, ſuper currus eius, & ſuper equites eius.

27 Et extendit Moſeh manum ſuam ſuper mare, & reuerſum eſt mare reſpiciente manè ad fortitudinem ſuam: & Aegyptij fugiebant in occurſum eius, & excuſſit Dominus Aegyptios in medium maris.

28 Et reuerſa ſunt aqua, & operuerunt currus, & equites omnis exercitus Parhoh, qui venerant poſt eos in mare: non remanſit ex eis, vel vnus.

29 Et filij Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio mari, & aqua eis erant murus à dextera eorum, & à ſiniſtra eorum.

30 Et ſeruauit Dominus in die ipſa Iſrael è manu Aegyptiorum.

31 Et vidit Iſrael Aegyptios mortuos iuxta littus maris, & vidit Iſrael manum magnam quam fecit Dominus in Aegyptios: & timuerunt populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moſeh ſeruo eius.

### CAP. XV.

1 TVnc cecinerunt Moſeh, & filij Iſrael canticum hoc Domino, & dixerunt dicendo: Cantabo Domino: quia magnificando magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem eius proiecit in mare.

2 Et fortitudo mea, & laus Dominus, & fuit mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & tabernaculum faciam ei: Deus patris mei, & exaltabo eum.

3 Dominus vir bellator, Dominus nomen eius.

4 Currus Parhoh, & exercitum eius proiecit in mare: & electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari Suph.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

16 Et tu eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & ſcinde illud: & ingrediantur filij Iſrael in medium maris per ſiccum.

17 Et ecce ego indurabo cor Pharaonis, & Ægyptiorum omnium, & ingredientur poſt eos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus eius.

18 Et cognoſcent omnes Ægyptij, quia ego ſum Dominus; dum ego glorificor in Pharaone, & in curribus, & in equitibus eius.

19 Promouit autē Angelus Dei, qui præibat caſtra filiorum Iſrael, & iuit à tergo: promouit autem & columna nubis à facie eorum, & ſtetit à tergo eorum:

20 Et intrauit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael, & ſtetit: & factæ ſunt tenebræ & caligo, & venit nox, & non commiſcuerunt ſe inuicem totam noctem.

21 Extendit autem Moyſes manum ſuper mare: & ſubduxit Dominus mare in vento Auſtro violento totam noctem, & fecit mare ſiccum: & ſciſſa eſt aqua:

22 Et ingreſſi ſunt filij Iſrael in medium maris per ſiccum: & aqua eius murus à dextris, & murus à ſiniſtris.

23 Et perſecuti ſunt Ægyptij, & ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, & currus, & aſcenſores in medium maris.

24 Factum eſt autem in vigilia matutina, & inſpexit Dñs ſuper caſtra Aegyptiorum in columna ignis, & nubis, & conturbauit caſtra Aegyptiorum:

25 Et colligauit axes curruum eorum, & egit eos cum violentia. Et dixerunt Aegyptij: Fugiamus à facie Iſrael: Dominus enim oppugnat pro eis Aegyptios.

26 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam ſuper mare: & reſtituatur aqua, & cooperiat Aegyptios, & ſuper currus, & aſcenſores.

27 Extendit autem Moyſes manum ſuper mare, & redijt aqua diem verſus, ſuper locum: Aegyptij autem fugerunt ſub aquam, & excuſſit Dominus Aegyptios medium maris.

28 Et reuerſa aqua operuit currus, & aſcenſores, & omnem virtutem Pharaonis, eos qui ingrediebantur poſt ipſos in mare: & non remanſit de eis ne vnus quidem.

29 Filij autem Iſrael iuerunt per ſiccum in medio maris; aqua autem ipſis erat murus à dextris, & murus à ſiniſtris.

30 Et eruit Dominus Iſrael in die illa de manu Aegyptiorum.

31 Et vidit Iſrael Aegyptios mortuos iuxta labiū maris, vidit autem Iſrael manum magnam, quæ fecit Dominus Aegyptijs: timuit autem populus Dominum, & crediderunt Deo, & Moyſi ſeruo eius.

### C A P. XV.

1 TVnc cantauit Moyſes, & filij Iſrael canticum hoc Deo, & dixerunt dicentes: * Cantemus Domino: glorioſe enim glorificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare.

* Hic incipit caput in Romana editione Septuag. interp.

2 Adiutor, & protector factus eſt mihi in ſalutem. Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

3 Dominus conterens bella: Dominus nomen illi.

4 Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare electos aſcenſores triſtatas: ſubmerſit ſunt in mari rubro:

## Chald. Paraph. Tranſl.

16 *Tu autem tolle virgam tuam, & leua manum tuā ſuper mare, & diuide illud: & ingredientur filij Iſrael in medium maris per ſiccum.*

17 *Ego autem indurabo cor Aegyptiorum, & ingredietur poſt eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, in curribus eius, & in equitibus illius.*

18 *Et ſcient Aegyptij quia ego Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, in curribus ſuis, & in equitibus ſuis.*

19 *Et receſſit Angelus Domini qui gradiebatur coram caſtris Iſrael, & abijt poſt eos, & receſſit columna nubis à facie eorum, & ſtetit poſt tergum eorum.*

20 *Et ingreſſa eſt inter caſtra Aegyptiorum, & inter caſtra Iſrael: & erat nubes & obſcuritas Aegyptijs, Iſraeli autem erat lux tota nocte, & non acceſſerunt ad ſe inuicem tota nocte.*

21 *Et leuauit Moyſes manum ſuam ſuper mare, & Dominus abſtulit mare vento Orientali vehementi tota nocte, & poſuit mare in ſiccum: & diuiſa ſunt aquæ.*

22 *Ingreſſique ſunt filij Iſrael in medium maris per ſiccum, & aquæ erant eis muri à dextris & à ſiniſtris eorum.*

23 *Et perſecuti ſunt Aegyptij, & ingreſſi ſunt poſt eos omnes equi Pharaonis, currus eius, & equites eius per medium maris.*

24 *Factumq; eſt in cuſtodia matutina, & reſpexit Dominus caſtra Aegyptiorum in columna ignis, & nubis, & conturbauit caſtra Aegyptiorum.*

25 *Et abſtulit rotas curruum eorum, & ducebant eos grauiter. Dixeruntq; Aegyptij: Fugiamus à facie Iſrael, quia hæc eſt potentia Domini, quæ pugnabat pro eis in Aegypto.*

26 *Et dixit Dominus ad Moyſen: Leua manum tuam ſuper mare, & reuertentur aquæ ſuper Aegyptios, & ſuper currus eorum, & ſuper equites eorum.*

27 *Et leuauit Moyſes manum ſuam ſuper mare, & reuerſum eſt mare in tempore matutino ad vigorem ſuum: Aegyptij autem fugiebant in occurſum eius, & ſuffocauit Dominus Aegyptios in medio maris.*

28 *Et reuerſæ ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites, & omnes exercitus Pharaonis, qui ingreſſi fuerant poſt eos in mare: non remanſit in eis vſque ad vnum.*

29 *Filij autem Iſrael ambulabāt per ſiccum in medio maris, & aquæ erant eis muri à dextris, & à ſiniſtris eorum.*

30 *Liberauitq; Dñs ī die illo Iſrael ē manu Ægyptiorū, et viderūt Iſraelitæ Aegyptios mortuos ī littore maris.*

31 *Viditq; Iſrael potentiam manus magnæ quam fecit Dominus in Aegyptios: & timuit populus à facie Domini, & crediderunt in verbum Domini, & prophetia Moyſi ſerui eius.*

### C A P. XV.

1 *TVnc cecinit Moyſes & filij Iſrael carmē hoc corā Dño, & dixerūt: Cātemus & laudemus corā Dño, qa magnificatus eſt ſup magnificos: et magnificētia illius eſt, equū & aſcēſorē eius piecit ī mare.*

2 *Fortitudo mea & cāticum meum Dominus terribilis: dixit in verbo ſuo, & fuit mihi in redēptorē: hic eſt Deus meus, & ædificabo ei ſanctuarium: Deus patrum meorum, & ſeruiam coram eo.*

3 *Dominus eſt victor bellorum: Dominus nomen eius.*

4 *Currus Pharaonis & exercitus eius proiecit in mare, & electi fortes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

6 Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum.

7 Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos: miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.

8 Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.

9 Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

10 Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

11 Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

12 Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.

13 Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum.

14 Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm.

15 Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

16 Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.

17 Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: ſanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.

18 Dominus regnabit in æternum & vltra.

19 Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius.

20 Sumpſit ergo Maria propheteſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris,

21 Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.

22 Tulit autem Moyſes Iſrael de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur: ambulaueruntq; tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam.

23 Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo ꝙ eſſent amaræ: vnde & congruũ loco nomẽ impoſuit, vocans illũ Mara, id eſt, amaritudinẽ.

24 Et murmurauit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus?

Iudit. 5. 15 Eccl. 38. 5. 25 At ille clamauit ad Dominum: qui oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt: Ibi conſtituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum,

26 Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem poſui in Aegypto, non inducam ſuper te: ego enim Dominus ſanator tuus.

*Nu. 33. 9. 27 * Venerunt autem in Elim filij Iſrael, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt iuxta aquas.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Gurgites operuerunt eos, deſcenderunt in profunda tamquam lapis.*

6 *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine confregit inimicum.*

7 *Et in multitudine magnificentiæ tuæ, diruiſti inimicos tuos: miſiſti iram tuam, deuorauit eos ſicut ſtipulam.*

8 *Et per ſpiritum furoris tui concermata ſunt aquæ, ſteterũt ſicuti aceruus fluenta, congulati ſunt gurgites in corde maris,*

9 *Dixit inimicus perſequar, comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur ex eis anima mea: euaginabo gladium meum, paupertate conficiet eos manus mea.*

10 *Flauiſti ſpiritu tuo, operuit eos mare, abſorpti ſunt tamquam plumbum in aquis vehementibus.*

11 *Quis ſicut tu in diis Domine, quis ſicut tu, magnificus in ſanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia.*

12 *Extendiſti dexteram tuam: deglutiuit eos terra.*

13 *Duxiſti in miſericordia tua populũ hunc quem redemiſti, duxiſti in fortitudine tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ.*

14 *Audierunt populi, irati ſunt, dolor apprehendit habitatores paleſtinæ.*

15 *Tunc territi ſunt principes Edom, robuſtos Moab apprehendit tremor: defluxerunt omnes habitatores Chenahan.*

16 *Cecidit ſuper eos terror, & pauor in magnitudine brachij tui: tacuerunt tamquam lapis, donec tranſiret populus tuus Domine, donec tranſiret populus iſte, quem poſſediſti.*

17 *Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, loco habitationis tuæ, quem operatus es Domine: ſanctuarium Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

18 *Dominus regnabit in ſæculum, & in perpetuum.*

19 *Quia ingreſſi ſunt equi Pharhoh cum curribus ſuis, & equitibus ſuis in mare: & redire fecit Dominus ſuper eos aquas maris: & filij Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio maris.*

20 *Et tulit Miriam propheteſſa ſoror Aharon tympanũ in manu ſua: & egreſſæ ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris.*

21 *Et cantauit eis Miriam: Cantate Domino, quoniam magnificando magnificatus eſt equos, & aſcenſores eius proiecit in mare.*

22 *Et proficiſci fecit Moſeh Iſrael à mari Suph, & egreſſi ſunt ad deſertum Sur: & perrexerunt tribus diebus per deſertum, & non repererunt aquas.*

23 *Et venerunt ad Marah, & non potuerunt bibere aquas è Marah, quia amaræ erant: idcirco vocauit nomen eius Marah.*

24 *Et murmurauerunt populus contra Moſeh dicendo: Quid bibemus?*

25 *Et clamauit ad Dominum: & docuit eum Dominus lignum, & proiecit in aquas, & dulcuerunt aquæ. Ibi poſuit ei ſtatutum, & iudicium, & ibi tentauit eum.*

26 *Et dixit: Si obediendo obedieris voci Domini Dei tui, & rectum in oculis eius feceris, & obtemperaueris præceptis eius, & cuſtodieris omnia ſtatuta eius, omnem infirmitatem, quam poſui in Aegypto, non ponam ſuper te: quia ego Dominus ſanans te.*

27 *Et venerunt in Elim, & ibi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt ibi iuxta aquas.*

*CAP.*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

5 Ponto operuit eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

6 Dextera tua Domine glorificata eſt in fortitudine: dextera tuę manus Domine confregit inimicos.

7 Et multitudine gloriæ tuæ contriuiſti aduerſarios: miſiſti iram tuam, deuorauit eos ſicut ſtipula:

8 Et per ſpiritum indignationis tuæ diuiſa eſt aqua: compactæ ſunt, tamquam murus aquæ, compactæ ſunt vndæ in medio maris.

9 Dixit inimicus, perſequens comprehendam, diuidam ſpolia, implebo animam meam: interficiam gladio meo, dominabitur manus mea.

10 Miſiſti ſpiritum tuum, cooperuit eos mare: demerſi ſunt quaſi plumbum in aqua vehementi.

11 Quis ſimilis tibi in dijs Domine? quis ſimilis tibi? glorificatus in ſanctis, mirabilis in maieſtatibus, faciens prodigia.

12 Extendiſti manum tuam, deuorauit eos terra.

13 Deduxiſti iuſtitia tua populum hunc, quem redemiſti, aduocaſti fortitudine tua ad diuerſorium ſanctum tuum.

14 Audierunt gentes, & iratæ ſunt: dolores apprehenderunt habitatores Philiſtijm.

15 Tunc feſtinauerunt Duces Edom, & principes Moabitarum, apprehendit illos tremor: tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan.

16 Irruat ſuper eos tremor, & timor, magnitudine brachij tui: fiant tamquam lapis, donec tranſeat populus tuus Domine, donec tranſeat populus tuus hic, quem poſſediſti.

17 Introducens, planta eos in montem hæreditatis tuæ, in paratum habitaculum tuum, quod perfeciſti Domine: ſanctuarium Domine, quod parauerunt manus tuæ.

18 Dominus regnans in ſæculũ, & in ſeculum & vltra.

19 Quoniam ingreſſus eſt equitatus Pharaonis cum curribus & aſcenſoribus in mare: & induxit ſuper eos Dominus aquam maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per aridam in medio maris.

20 Sumens autẽ Maria propheteſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: & egreſſæ ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris.

21 Principium autem dedit illis Maria dicens: Cantemus Domino, glorioſe enim glorificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare.

22 Suſtulit autem Moyſes filios Iſrael à mari rubro, & eduxit eos in deſertum Sur: & ibant tres dies in deſerto, & non inueniebant aquam, vt biberent.

23 Venerunt autem in Merra, & non poterant bibere de Merra, amara enim erat: propter hoc cognominauit nomen loci illius amaritudo.

24 Et murmurabat populus aduerſus Moyſen, dicentes: Quid bibemus?

25 Clamauit autem Moyſes ad Dominum: & oſtendit ei Dominus lignum, & iniecit illud in aquam, & dulcis facta eſt aqua. Ibi poſuit ei iuſtificationes & iudicia, & ibi eum tentauit.

26 Et dixit: Si auditu audieris vocem Domini Dei tui, & quæ placent coram illo feceris, & auribus perceperis mandata eius, & cuſtodieris omnes iuſtificationes eius, omnem infirmitatem, quam intuli Ægyptijs, non inducam ſuper te: ego enim ſum Dominus Deus tuus ſanans te.

27 Et venerunt in Elim, & erant ibi duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta arbores palmarum: caſtrametati autem ſunt ibi iuxta aquas.



## Chald. Paraph. Tranſl.

5 *Abyſſi cooperuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

6 *Dextera tua Domine fortiſſima eſt in virtute: dextera tua Domine confregit inimicum.*

7 *Et in multitudine fortitudinis tuæ confregiſti eos qui conſurrexerunt contra populum tuum: miſiſti iram tuam, & conſumpſit eos ſicut ignis ſtipulam.*

8 *Et in verbo oris tui ſapienter congregatæ ſunt aquæ: ſteterunt fluentes ſicut murus, coagulatæ ſunt abyſſi in corde maris.*

9 *Dicebat enim inimicus: Perſequar, comprehendam, diuidam ſpolia, ſaturabitur ex eis anima mea: euaginabo gladium meum, conſumet eos manus mea.*

10 *Dixiſti in verbo tuo, & cooperuit eos mare: ſubmerſi ſunt ſicut plumbum in aquis validis.*

11 *Non eſt abſque te, quoniam tu es Deus Dominus: nullus eſt præter te Deus fortis in ſanctitate: terribilis, laudabilis, faciens mirabilia.*

12 *Leuaſti dexteram tuam, deuorauit eos terra.*

13 *Deduxiſti in bonitate tua populum tuum hunc quem redemiſti, portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ.*

14 *Audierunt populi, commoti ſunt, terror apprehendit omnes qui habitant in Paleſtina.*

15 *Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſti Moab, apprehendit eos tremor: contriti ſunt omnes qui habitabant in Chanaan.*

16 *Irruat ſuper eos terror & timor, in multitudine fortitudinis tuæ: taceant ſicut lapis, donec tranſeat populus tuus, Domine, donec tranſeat populus hic quem redemiſti.*

17 *Introduces eos, & collocabis eos in monte hæreditatis tuæ, locum domus maieſtatis tuæ præparaſti, Domine: ſanctuarium Domini præparauerunt manus tuæ.*

18 *Regnum Domini in ſæculum, & in ſæcula ſæculorũ.*

19 *Quando ingreſſus eſt equitatus Pharaonis cum curribus ſuis & equitibus ſuis in mare: reduxit Dominus ſuper eos aquas maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio maris.*

20 *Et tulit Maria propheteſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: & egreſſæ ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris.*

21 *Et reſpondebat eis Maria: Cantate & laudate corã Dño, qui magnificatus eſt ſup magnificos, & magnificẽtia eius eſt: equũ & aſcẽſorẽ eius proiecit ĩ mare.*

22 *Tulit autem Moyſes Iſrael de mari rubro, & egreſſi ſunt per deſertum Agra: & ambulauerunt tribus diebus per deſertum, & non inuenerunt aquas.*

23 *Et venerunt in Mara, & nõ potuerunt bibere aquas de Mara, eo quod amaræ eſſent: propterea vocauit nomen eiuſdem loci, Mara.*

24 *Et conqueſtus eſt populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus?*

25 *Et orauit coram Domino: & oſtendit ei Dominus lignum, & proiecit in aquam, & dulces factæ ſunt aquæ. Ibi conſtituit ei pactum, & iudicium, & ibi tentauit eum.*

26 *Et ait: Si obediens obedieris verbo Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & audieris præcepta eius, & cuſtodieris omnia pacta eius, omnes languores quos poſui in Ægypto, non ponam eos ſuper te: quia ego Dominus medicus tuus.*

27 *Veneruntque in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt ibi iuxta aquas.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XVI.

* Sup. 17. 1.

1 PRofectique ſunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Iſrael in deſertum Sin, quod eſt in ter Elim, & Sinai: quintodecimo die menſis ſecundi, poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti.

2 Et murmurauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen, & Aaron in ſolitudine.

3 Dixeruntque filij Iſrael ad eos: Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?

4 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce, ego pluã vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.

5 Die autem ſexto parent quod inferant: & ſit duplum, quàm colligere ſolebant per ſingulos dies.

6 Dixeruntque Moyſes, & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:

7 Et mane videbitis gloriam Domini: audiuit enim murmur veſtrum contra Dominum: nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos?

8 Et ait Moyſes: Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate: eo quod audierit murmurationes veſtras quibus murmurati eſtis contra eum, nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.

9 Dixit quoque Moyſes ad Aaron: Dic vniuerſæ cõgregationi filiorum Iſrael: Accedite coram Domino: audiuit enim murmur veſtrum.

10 Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube.

11 Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens:

* Eccl. 45. 4.

12 * Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcietiſque quòd ego ſum Dominus Deus veſter.

13 Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum.

* Num. 11. 7. Pſ. 77. 24. Sap. 16. 20. Ioan. 6. 31.

14 Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, * apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.

15 Quod cum vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicẽ: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: * Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.

* 1. Cor. 10. 3.

16 Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: Gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum quæ habitant in tabernaculo ſic tolletis.

17 Feceruntque ita filij Iſrael: & collegerunt, alius plus, alius minus.

* 2. Cor. 8. 15.

18 Et menſi ſunt ad menſuram Gomor: * nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.

19 Dixitque Moyſes ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane.

20 Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit: & iratus eſt contra eos Moyſes.

Colli-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XVI.

1 *ET profecti ſunt ex Elim, & venerunt omnis cœtus filiorum Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Elim, & Sinai: quintadecima die menſis ſecundi, qua egreſſi ſunt è terra Ægypti.*

2 *Et murmurauerunt omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moſeh, & contra Aharon in deſerto.*

3 *Et dixerunt ad eos filij Iſrael: Vtinam mortui eſſemus per manum Domini, in terra Aegypti, quando ſedebamus iuxta ollam carnis, quando comedebamus panem ad ſaturitatem: quia eduxiſtis nos ad deſertum hunc ad interimendum omnem cœtum hunc fame?*

4 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Ecce ego pluo vobis panem è cœlo: & egredietur populus, & colliget de die in diem ſuus: vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.*

5 *Et erit, in die ſexta, parabunt quod afferent: & erit duplum illius quod colligent de die in diem.*

6 *Dixitque Moſeh, & Aharon ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxit vos è terra Aegypti:*

7 *Et manè videbitis gloriam Domini: cum audierit murmurationes veſtras contra Dominum: & nos quid ſumus, quia murmuratis contra nos?*

8 *Dixitque Moſeh: Cum dederit vobis Dominus veſpere carnem ad edendum, & panem manè ad ſaturandum: cum audierit Dominus murmurationes veſtras quibus vos murmuratis contra eum, & nos quid ſumus? non contra nos ſunt murmurationes veſtræ, ſed contra Dominum.*

9 *Dixitque Moſeh ad Aharon: Dic ad omnem cœtum filiorum Iſrael: Accedite ad conſpectum Domini: quia audiuit murmurationes veſtras.*

10 *Et fuit, cum loqueretur Aharon ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad deſertum: & ecce gloria Domini conſpecta eſt in nube.*

11 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

12 *Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos, dicendo: Inter veſperas comedetis carnem, & manè ſaturabimini pane: & ſcietis quòd ſum Dominus Deus veſter.*

13 *Et fuit, in veſpera aſcenderunt coturnices, & operuerunt caſtra: & manè deſcendit ros circum caſtra, & exciſa eſt deſcenſio roris.*

14 *Et ecce erat in ſuperficie deſerti minutum rotundum, minutum ſicut pruina ſuper terram.*

15 *Et viderunt filij Iſrael, & dixerunt alter alteri: Man eſt? quia ignorabant quid eſſet. Et dixit Moſeh ad eos: Hic eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.*

16 *Hoc eſt, quod præcepit Dominus: Colligite ex eo ſinguli quantum ad veſcendum ſufficiat: Homer iuxta ſummam numeri animarum veſtrarum, ſingulis pro ijs qui ſunt in tabernaculo ſuo, accipietis.*

17 *Et fecerunt ſic filij Iſrael: & collegerunt quidam plus, & quidam minus.*

18 *Et menſi ſunt Homer: & non plus habuit qui plus collegit: neque minus habuit qui minus collegit: ſed ſinguli quantum ad veſcendum ſufficiebat, collegerunt.*

19 *Dixitque Moſeh ad eos: Quiſquam non relinquat ex eo vſque manè.*

20 *Et non audierunt Moſeh, & reliquerunt viri ex eo vſque manè, & vermiculatus eſt vermes, & fœtuit: & iratus eſt contra eos Moſeh.*

*Et col-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP XVI.

1 PRomouerunt autem de Elim, & venerunt omnis ſynagoga filiorum Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Elim, & Sina: quinta aũt & decima die mẽſe ſecũdo, cũ ipſi exiuiſſent de terra Ægypti.

2 Murmurauit omnis ſynagoga filiorum Iſrael aduerſus Moyſen, & Aaron.

3 Et dixerunt ad eos filij Iſrael: Vtinam mortui eſſemus percuſſi à Domino in terra Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & manducabamus panes ad ſatietatem: quoniam eduxiſtis nos in deſertum hoc ad interimendum omnem ſynagogam hanc in fame.

4 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce ego pluo vobis panes de cœlo: & exibit populus, & colligent quod diei, in die: vt tentem eos, ſi ambulabunt in lege mea, an non.

5 Et erit in die ſexto, & parabunt, quodcumque intulerint: & erit duplũ, q̃ collegerint per diẽ in die.

6 Et dixit Moyſes & Aaron ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael: Veſpere cognoſcetis, quia Dominus eduxit vos de terra Ægypti:

7 Et mane videbitis gloriam Domini: in exaudiendo murmurationem veſtram aduerſus Deum: nos autem quid ſumus, quia obmurmuratis contra nos?

8 Et dixit Moyſes: in dando vobis Dominus veſpere carnes ad comedendum, & panes mane ad ſatietatem: propterea quod exaudiuit Dominus murmurationem veſtram, quam vos obmurmuratis aduerſus nos: nos autem quid ſumus? non enim aduerſus nos eſt murmur veſtrum, ſed aduerſus Deũ.

9 Dixit autem Moyſes ad Aaron: Dic omni ſynagogæ filiorum Iſrael: Accedite ante Deum: exaudiuit enim murmur veſtrum.

10 Dum autem loquebatur Aaron omni ſynagogæ filiorum Iſrael, & conuerterunt ſe ad deſertum: & gloria Domini apparuit in nube.

11 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

12 Exaudiui murmur filiorum Iſrael, loquere ad eos, dicens: Ad veſperam edetis carnes, & mane replebimini panibus: & cognoſcetis, quia ego Dominus Deus veſter.

13 Facta eſt autem veſpera, & aſcendit ortygometra, & cooperuit caſtra. factum eſt mane conquieſcente rore in circuitu caſtrorum:

14 Et ecce ſuper faciem deſerti minutum tamquam coriandrum album, tamquam gelu ſuper terram.

15 Videntes autem id filij Iſrael, dixerunt alter alteri: Quid eſt hoc? Neſciebant enim quid erat. Dixit autem Moyſes eis: Iſte eſt panis, quem dedit Dominus vobis ad edendum:

16 Hoc eſt verbum, quod conſtituit Dominus: Colligite de eo vnuſquiſque in eos, qui ad ſe pertinent, Gomor ſecundum caput, ſecundum numerum animarum veſtrarum, vnuſquiſque cum veſtris contubernalibus colligite.

17 Fecerunt autem ſic filij Iſrael: & collegerunt hic quidem multum, ille vero minus.

18 Et cum menſi eſſent Gomor: non ſuperfuit ei, qui multum: & non defuit ei, qui minus: vnuſquiſque in eos, qui ad ſe pertinebant, apud ſeipſum collegerunt.

19 Dixit autem Moyſes ad eos: Nemo relinquat de eo in mane.

20 Et non exaudierunt Moyſen, ſed reliquerunt quidam de eo in mane, & ebulliuit vermes, & computruit: & indignatus eſt aduerſus eos Moyſes.

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

### *C A P. XVI.*

*1 PRofectiq; ſunt de Elim, & venit omnis cœtus filiorum Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Elim & inter Sinai: quintadecima die menſis ſecundi, poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti.*

*2 Murmurauitq; omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen, & contra Aaron in ſolitudine.*

*3 Et dixerunt eis filij Iſrael: Vtinam mortui eſſemus per verbum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnis, quando comedebamus panem & ſaturabamur: quare eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem populum hunc fame?*

*4 Dixitq; Dominus ad Moyſen: Ecce ego deſcendere faciam vobis panem de cœlo: & egredietur populus, & colliget per ſingulos dies: vt tentem eum, vtrum ambulent in lege mea, an non.*

*5 Et erit in die ſexto, & præparabunt quæ attulerint: & erit duplũ ad illud q̃ collegerint per ſingulos dies.*

*6 Dixitque Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſperè ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:*

*7 Et manè videbitis gloriam Domini: eo quòd auditũ ſit murmur veſtrum coram Domino: nos enim quid ſumus, quia murmuraſtis contra nos?*

*8 Dixitq; Moyſes: cum dederit vobis Dominus veſperè carnem ad comedendum, & manè panem in ſaturitatem: cum auditum ſit coram Domino murmur veſtrum, quod vos murmuraſtis cõtra eum, nos enim quid ſumus? non eſt contra nos murmur veſtrum, ſed contra verbum Domini.*

*9 Dixitq; Moyſes ad Aaron: Dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael: Accedite coram Domino: quia auditum eſt coram eo murmur veſtrum.*

*10 Et factum eſt, cum loqueretur Aaron ad omnem cõgregationem filiorum Iſrael, & reſpexerunt ad ſolitudinẽ: & ecce gloria Domini reuelata erat in nube.*

*11 Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*

*12 Auditum eſt coram me murmur filiorum Iſrael, loquere cum eis, dicens: Veſperè comedetis carnem, & manè ſaturabimini pane: & ſcietis quia ego Dominus Deus veſter.*

*13 Factumque eſt veſperè: & aſcendit coturnix, & operuit caſtra: & manè ros deſcendit per circuitum caſtrorum, & ſublatus eſt ros qui deſcenderat.*

*14 Et ecce ſuper faciem deſerti minutum quaſi decorticatum, minutum aceruatum, quaſi pruina ſuper terram.*

*15 Et viderunt filij Iſrael, & dixerũt vnuſquiſque fratri ſuo: Quid eſt hoc? neſciebant enim quid eſſet. Dixitque eis Moyſes: Hic eſt panis quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.*

*16 Hoc eſt verbum quod præcepit Dominus: Colligite ex eo vnuſquiſque quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum, vnuſquiſque pro his qui habitant in tabernaculo ſuo tollat.*

*17 Feceruntq; ita filij Iſrael: & collegerunt quidã plus & quidam minus.*

*18 Et menſi ſunt ad menſuram gomor: & nihil ſuperfuit ei qui plus collegit: nec defuit ei qui minus collegerat: vnuſquiſque iuxta id quod poterat comedere, collegerunt.*

*19 Dixitq; eis Moyſes: Nullus relinquat ex eo vſque manè.*

*20 Et non acquieuerunt Moyſi, & dimiſerunt quidam viri ex eo vſque manè, & ſcaturiuit vermibus, & computruit: & iratus eſt contra eos Moyſes.*

Cal-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum; cumque incaluiſſet ſol, liqueſiebat.

22 In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos homines: venerunt autẽ oẽs principes multitudinis & narrauerũt Moyſi.

23 Qui ait eis: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Requies ſabbati ſãctificata eſt Domino cras: quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite vſque in mane.

24 Feceruntque ita vt præceperat Moyſes, & non cõputruit, neque vermis inuentus eſt in eo.

25 Dixitque Moyſes: Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt Domini: non inuenietur hodie in agro.

26 Sex diebus colligite: in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non inuenietur.

27 Venitque ſeptima dies & egreſſi de populo vt colligerent non inuenerunt.

28 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Vſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam?

29 Videte quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices; maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.

30 Et ſabbatizauit populus die ſeptimo.

31 Appellauitque domus Iſrael nomen eius Man: quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi ſimilæ cum melle.

32 Dixit autem Moyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes: vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti.

33 Dixitque Moyſes ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere gomor: & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras,

34 Sicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum.

* Neh. 9. 15. Iudith 5. 15.

35 * Filij autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, vſquequo tangerent fines terræ Chanaan.

36 Gomor autem decima pars eſt Ephi.

### CAP. XVII.

1 IGitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin per manſiones ſuas, iuxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo.

* Nu. 20. 4.

2 * Qui iurgatus contra Moyſen, ait: Da nobis aquã, vt bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum?

3 Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſen, dicẽs: Cur feciſti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos noſtros, ac iumenta ſiti?

4 Clamauit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.

* Ex. 14. 20. Pſ. 77. 15. 1. Cor. 10. 4.

5 Et ait Dominus ad Moyſen: Antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam qua * percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade.

6 En ego ſtabo ibi coram te, ſupra petram Horeb: percutieſq. petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecit Moyſes ita coram ſenioribus Iſrael:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*21 Et collegerunt illud ſingulo mane vnuſquiſque quãtum ſufficiebat ſibi ad veſcendum: & incaluit ſol, & liquefactum eſt.*

*22 Et fuit, die ſexta collegerunt panem duplicem, duo homer pro ſingulo: & venerunt omnes principes cõgregationis, & nunciauerunt ipſi Moſeh.*

*23 Et dixit ad eos: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Requies ſabbati ſancti Domino cras: quod cocturi eſtis coquite, & quod lixaturi eſtis lixate: & quicquid ſupereſt dimittite vobis in cuſtodiam vſque mane.*

*24 Et dimiſerunt illud vſque mane, quemadmodũ præcepit Moſeh: & non fœtuit, nec vermis fuit in eo.*

*25 Dixitque Moſeh: Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt hodie Domino: hodie non inuenietis illud in agro.*

*26 Sex diebus colligetis illud, & die ſeptimo eſt ſabbatum: non erit in eo.*

*27 Et fuit, die ſeptimo egreſſi ſunt è populo ad colligẽdum, & non inuenerunt.*

*28 Dixitq; Dominus ad Moſeh: Vſquequo renuiſtis cuſtodire præcepta mea, & leges meas?*

*29 Videte quòd Dominus dedit vobis ſabbatum, idcirco ipſe dat vobis die ſexto cibum duorum dierum, manete vnuſquiſq; in loco ſuo: ne egrediatur quiſque è loco ſuo in die ſeptimo.*

*30 Et ceſſauerunt populus die ſeptimo.*

*31 Et vocauerunt domus Iſrael nomen eius Man: & erat tamquam ſemen coriandri album, & guſtus eius tamquam paſta cum melle.*

*32 Dixitque Moſeh: Hoc eſt: quod præcepit Dominus, Imple homer ex eo ad cuſtodiam in generationibus veſtris: vt videat cibum quem comedere feci vos in deſerto, quando eduxi vos è terra Ægypto.*

*33 Dixitque Moſeh ad Aharon: Tolle phialam vnam, & pone ibi plenum homer Man: & repone illud coram Domino ad cuſtodiam in generationibus veſtris.*

*34 Quemadmodum præcepit Dominus Moſeh: Repoſuit illud Aharon coram teſtimonio ad cuſtodiam.*

*35 Et filij Iſrael comederunt Man quadraginta annos, donec veniſſent ad terram habitatam: Man comederunt, donec veniſſent ad extremum terræ Chenahan.*

*36 Et Homer decimum Ephah eſt.*

### CAP. XVII.

*1 ET profecti ſunt omnis cœtus filiorum Iſrael è deſerto Sin per profectiones ſuas ad ſermonem Domini, & caſtrametati ſunt in Rephidim & non erant aquæ, vt biberet populus.*

*2 Et iurgatus eſt populus cum Moſeh, et dixerũt: Date nobis aquas, & bibemus. Dixitq; eis Moſeh: Quid iurgamini mecum? cur tentatis Dominum?*

*3 Et ſitiuit ibi populus pro aquis: & murmurauit populus contra Moſeh, & dixit: Vt quid aſcendere feciſti me ex Ægypto, vt interficeres me, filioſq; meos, & pecora mea ſiti?*

*4 Et clamauit Moſeh dicendo ad Dominum: Quid faciam populo huic? adhuc modicum, & lapidabit me.*

*5 Dixitque Dominus ad Moſeh: Tranſi coram populo & tolle tecum è ſenioribus Iſrael, & virgam tuam qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tuã, & ibis.*

*6 Ecce ego ſto coram te ibi ſuper petram in Choreb, & percuties petram, & egredientur ex ea aquæ, et bibet populus. Et fecit ſic Moſeh in oculis ſeniorũ Iſrael:*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

21 Et collegerũt illud mane mane, vnuſquiſque quod pertinebat ad ſe: quando autem incaleſcebat ſol; liquefiebat.

22 Factum eſt autem die ſexto, collegerunt neceſſaria dupla, duo gomor vni: ingreſſi ſunt autem omnes principes ſynagogæ, & nunciauerunt Moyſi.

23 Dixit autem Moyſes ad eos: Nonne hoc eſt verbũ, quod locutus eſt Dominus? Sabbata requies ſancta Domino cras: quæcumque coxeritis, coquite, & quæcumque elixaueritis, elixate: & omne quod ſuperfuerit, relinquite illud in apotheca in mane.

24 Et reliquerunt de eo vſque mane, ſicut cõſtituit eis Moyſes, & nõ cõputruit, neq; vermis factus ẽ in eo.

25 Dixit autem Moyſes: Comedite hodie, ſunt enim ſabbata hodie Domino: non inuenietur in campo.

26 Sex diebus colligetis: die autem ſeptimo ſabbata, quia non erit in eo.

27 Factum eſt autem in die ſeptimo: exierunt quidam de populo ad colligendum, & non inuenerunt.

28 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Quouſque non vultis exaudire mandata mea, & legem meam?

29 Videte. Dominus enim dedit vobis ſabbata diem hunc, propter hoc ipſe dedit vobis die ſexto panes duorum dierum; ſedete vnuſquiſque in domibus veſtris, nemo egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.

30 Et ſabbatizauit populus die ſeptimo.

31 Et cognominauerunt illud filij Iſrael nomen eius Man: erat autem tamquam ſemen coriandri albũ, guſtus autem eius tamquam laganum cum melle.

32 Dixit autem Moyſes: Hoc eſt verbum, quod conſtituit Dominus: Implete gomor de Man in apothecam in progenies veſtras: vt videant panem, quẽ comedebatis vos in deſerto, quando eduxit vos Dominus de terra Ægypti.

33 Et dixit Moyſes ad Aaron: Accipe vas aureum vnum, & iniice in illud, plenum gomor Man: & repones illud ante Deum, vt ſeruetur in progenies veſtras;

34 Quemadmodum præcepit Dominus Moyſi. Et repoſuit Aaron ante teſtimonium ad reſeruandum.

35 Filij autem Iſrael ederunt Man annis quadraginta, quoadvſque venerunt in terram quæ inhabitatur: Man ederunt, quoadvſque aduenerunt in partem Phœnicis.

36 Gomor autem erat decima trium menſurarum.

### C A P. XVII.

1 ET promouit omnis ſynagoga filiorum Iſrael è deſerto Sin ſecundum caſtra ſua per verbum Domini, & caſtrametati ſunt in Raphidim; non erat autem aqua populo ad bibendum.

2 Et maledicebat populus ad Moyſen, dicentes: Da nobis aquam, vt bibamus. Et dixit eis Moyſes: Quid maledicitis mihi, & quid tentatis Dominum?

3 Sitiuit autem ibi populus propter aquam, & obmurmurauit ibi populus erga Moyſen, dicentes: Vt quid hoc? aſcendere nos feciſti de Ægypto, ad occidendum nos, & filios noſtros, & pecora ſiti?

4 Clamauit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabunt me.

5 Et dixit Dominus ad Moyſen: Antecede populum iſtum, ſume autem tibi de ſenioribus populi: & virgam in qua percuſſiſti flumen, ſume in manu tua, & ibis.

6 Ipſe ego ſto ibi priuſquam tu, ſuper petrã in Choreb: & percuties petrã, & ex ea exibit aqua, & bibet populus. Fecit autem Moyſes ſic coram filijs Iſrael:

## Chald. Paraph. Transl.

21 *Colligebant illud manè, ſinguli quãtum ſufficere poterat ad veſcendum: & quod remanebat ex eo ſuper faciem agri, cum incaluiſſet ſol, liqueſiebat.*

22 *Et factum eſt in die ſexto, collegerunt panem duplicem, duo gomor vnicuique: & venerunt omnes principes congregationis, & narrauerunt Moyſi.*

23 *Et ait eis: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Requies ſabbati ſanctificati eſt coram Domino cras: quòd cocturi eſtis, coquite, & quod condituri eſtis, condite: & quod reliquum fuerit, reponite vobis in cuſtodiam vſque manè.*

24 *Et repoſuerũt illud vſque in manè, ſicut præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis fuit in eo.*

25 *Dixitque Moyſes: Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt hodie coram Domino: hodie non inuenietis illud in agro.*

26 *Sex diebus colligetis illud: & in die ſeptimo ſabbatum eſt, non erit in eo.*

27 *Et factum eſt in die ſeptimo: egreſſi ſunt de populo, vt colligerent, & non inuenerunt.*

28 *Dixitq. Dominus ad Moyſen: Vſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, & leges meas?*

29 *Videte quòd Dominus dederit vobis ſabbatum, proptereà dat vobis in die ſexto panem duorum dierũ; ſedete vnuſquiſque in loco ſuo, nullus egrediatur de loco ſuo in die ſeptimo.*

30 *Quieuitque populus in die ſeptimo.*

31 *Appellauitq; domus Iſrael nomen eius Manna: & erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi lagana frixa cum melle.*

32 *Dixitque Moyſes: Hic eſt ſermo quem præcepit Dominus: Plenum gomor ex eo ſeruate in generationes veſtras: vt videant panem quem comedere feci vos in deſerto, quando eduxi vos de terra Ægypti.*

33 *Dixitque Moyſes ad Aaron: Tolle laguunculam vnam, & mitte ibi Manna plenum gomor: & repone illam coram Domino, vt ſeruetur in generationes veſtras.*

34 *Sicut præcepit Dominus Moyſi. Ita repoſuit illud Aaron coram teſtamento in cuſtodiam.*

35 *Filij autem Iſrael comederunt Manna quadraginta annis, donec venerunt in terram habitabilem: Manna comederunt, donec venirent ad confinia terræ Chanaan.*

36 *Gomor autem erat decima pars trium ſatorum.*

### C A P. XVII.

1 *ET profecta eſt omnis congregatio filiorum Iſrael à deſerto Sin, per manſiones ſuas iuxta verbum Domini, & caſtrametati ſunt in Raphidim: & non erant aquæ vt populus biberet.*

2 *Et obiurgatus eſt populus cõtra Moyſẽ, atq; dixerũt: Date nobis aquas vt bibamus. Dixitq; eis Moyſes: Quid iurgamini contra me? quid tentatis corã Dño?*

3 *Sitiuitq; ibi populus propter aquarum penuriam, & murmurauit populus contra Moyſen, & ait: Cur feciſti nos aſcendere de Ægypto, vt interficeres me, & filios meos, & pecora mea ſiti?*

4 *Orauitque Moyſes coram Domino, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabunt me.*

5 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Tranſi coram populo, & tolle tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam tuam qua percuſſiſti fluuium tolle in manu tua, & vade.*

6 *Ecce ego ſtabo ante te ibi, iuxta petram in Oreb: & percuties petram, & exibunt ex ea aquæ, vt bibat populus. Fecitque Moyſes ita coram ſenioribus Iſrael.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 Et vocauit nomen loci illius: Tentatio, propter Iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Eſt ne Dominus in nobis, an non?

* Iudith 4.12. Sup. 17.14. Deut. 25.17

8 * Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim.

9 Dixitque Moyſes ad Ioſue: Elige viros: & egreſſus, pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.

10 Fecit Ioſue vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalec: Moyſes autem & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis.

11 Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.

12 Manus autem Moyſi erant graues: ſumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum eſt vt manus illius non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis.

13 Fugauitque Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladij.

14 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Ioſue: delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo.

15 Ædificauitque Moyſes altare: & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens:

16 Quia manus ſolij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.

### CAP. XVIII.

1 CVmque audiſſet Iethro ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, oīa quæ fecerat Deus Moyſi & Iſraeli populo ſuo, & quòd eduxiſſet Dñs Iſrael de Ægypto:

2 Tulit Sephoram vxorem Moyſi quam remiſerat:

* Sup. 2. 22.

3 Et duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gerſam, dicente patre: * Aduena fui in terra aliena.

4 Alter vero Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis:

5 Venit ergo Iethro cognatus Moyſi, & filij eius, & vxor eius ad Moyſen in deſertum, vbi erat caſtrametatus iuxta montem Dei.

6 Et mandauit Moyſi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij tui cum ea.

7 Qui egreſſus in occurſum cognati ſui, adorauit, & oſculatus eſt eum: ſalutaueruntque ſe mutuo verbis pacificis. Cumque intraſſet tabernaculum,

8 Narrauit Moyſes cognato ſuo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptijs propter Iſrael: vniuerſumque laborem, qui accidiſſet eis in itinere & quòd liberauerat eos Dominus.

9 Lætatuſque eſt Iethro ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Iſraeli, eo quòd eruiſſet eum de manu Ægyptiorum,

10 Et ait: Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægyptiorū, & de manu Pharaonis, qui eruit populum ſuum de manu Ægypti.

11 Nunc cognoui, quia magnus Dominus ſuper omnes deos: eo quòd * ſuperbe egerint contra illos.

* Sup. 14. 10. 16. 11. 7. 18. & 11. 8.

12 Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo: veneruntque Aaron & omnes ſeniores Iſrael, vt comederent panem cum eo coram Deo.

Alte-

## Trans. Ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Vocauitq́ nomen loci Maſſah, & Meribah, * propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum dicendo: Num eſt Dominus in medio noſtri, an non?*

* Heb. tentatio, & iurgium.

8 *Et venit Hamalec, & pugnauit cum Iſrael in Rephidim.*

9 *Dixitque Moſeh ad Iehoſuah: Elige nobis viros: & egredere pugna cum Hamalec: cras ſtabo ſuper verticem collis, & virga Dei erit in manu mea.*

10 *Fecitq́ Iehoſuah quemadmodū dixit ei Moſeh, pugnando cum Hamalec: & Moſeh, & Aharon, & Chur aſcenderunt in verticem collis.*

11 *Et fuit, quando eleuabat Moſeh manum ſuam præualebat Iſrael, & quando demittebat manum ſuā præualebat Hamalec.*

12 *Et manus Moſeh graues erant: & tulerunt lapidem & poſuerunt ſubter eum, & ſedit ſuper eum, & Aharon, & Chur ſuſtinuerunt manibus ſuis hinc vnus, & inde alter. Et fuit manus eius firma, donec occubuit ſol.*

13 *Et contriuit Iehoſuah Hamalec, & populum eius in ore gladij.*

14 *Dixitq́ Dominus ad Moſeh: Scribe hoc memoriale in libro, & pone in auribus Iehoſuah: quia delendo delebo mentionem Hamalec de ſub cælo.*

15 *Et ædificauit Moſeh altare, & vocauit nomen eius Adonai niſſi * & dixit,*

* Heb. Dominus [illegible]

16 *Quia manus ſuper thronum Domini, bellum Domini cum Hamalec à generatione in generationem.*

### CAP. XVIII.

1 *ET audiuit Ithro ſacerdos Midiā ſocer Moſeh omnia quæ fecit Deus Moſeh, & Iſrael populo eius quod eduxit Dominus Iſrael ex Ægypto:*

2 *Et tulit Ithro ſocer Moſeh Sipporah vxorem Moſeh poſt dimiſſionem eius:*

3 *Et duos filios eius, nomē vnius Gherſom, quia dixit: peregrinus ſum in terra aliena.*

4 *Et nomen alterius Elihezer, quia Deus patris mei auxilio mihi fuit, & eruit me à gladio Parhoh.*

5 *Et venerunt Ithro ſocer Moſeh, & filij eius, & vxor eius ad Moſeh in deſertum, in quo caſtrametabatur ad montem Dei.*

6 *Et dixit ad Moſeh: Ego ſocer tuus Ithro venio ad te, & vxor tua, & duo filij eius ſunt cum ea.*

7 *Et egreſſus eſt Moſeh in occurſum ſoceri ſui, & incuruauit ſe, & oſculatus eſt eum: & ſalutauit alter alterum pacifice, & venerunt ad tabernaculum.*

8 *Et narrauit Moſeh ſocero ſuo omnia quæ fecit Dominus Parhoni, & Ægyptijs propter Iſrael: omnem laborem qui repperit eos in via, & eripuit eos Dominus.*

9 *Et lætatus eſt Ithro ſuper omne bonum, quod fecit Dominus Iſraeli, quem eripuit è manu Ægyptiorum.*

10 *Dixitque Ithro: Benedictus Dominus qui eruit vos è manu Ægyptiorum, & è manu Parhoh, qui eruit populum è manu Ægyptiorum.*

11 *Nunc cognoui quòd magnus eſt Dominus præ omnibus dijs: eo quod ſuperbè egerunt contra eos.*

12 *Et obtulit Ithro ſocer Moſeh holocauſtū, & ſacrificia Deo: & venit Aharon, & oēs ſeniores Iſrael ad comedendum panem cum ſocero Moſeh coram Deo.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

7 Et cognominauit nomen loci illius: Tentatio, & Maledicentia: propter maledictum filiorum Iſrael, & eo quod tentabant Dominum dicentes: Si eſt Dominus in nobis, an non.
8 Venit autem Amalec, & oppugnabat Iſrael in Raphidim.
9 Dixit autem Moyſes ad Ieſum: Elige tibi viros potentes: & exiens congredere cum Amalec cras: & ecce ego ſto ſuper cacumen collis, & virga Dei in manu mea.
10 Et fecit Ieſus, ſicut dixit ei Moyſes: & exiens congreſſus eſt cum Amalec: & Moyſes, & Aaron, & Or aſcenderunt in cacumen collis.
11 Et factum eſt, cum leuabat Moyſes manus, inualeſcebat Iſrael: vbi autem ſubmiſerat manus, inualeſcebat Amalec.
12 Sed manus Moyſi erant graues: & accipientes lapidem ſuppoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum: & Aaron, & Or ſuſtentabant manus eius, hinc vnus. Et factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles vſque in occaſum ſolis.
13 Et fugauit Ieſus Amalec, & omnem populum eius in cæde gladij.
14 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Deſcribe hoc ad memoriam in libro, & da in aures Ieſu: quoniã deletione delebo memoriam Amalec de ſub cœlo.
15 Et ædificauit Moyſes altare Domino: & cognominauit nomen eius, Dominus refugium meum:
16 Quoniam in manu occulta pugnat Dominus contra Amalec, à generationibus in generationes.

### CAP. XVIII.

1 AVdiuit aũt Iothor ſacerdos Madian ſocer Moyſis omnia, quæcumque fecit Dominus Iſrael populo ſuo, eduxit enim Domin' Iſrael de Ægypto.
2 Sumpſerat autem Iothor ſocer Moyſis Sephoram vxorem Moyſis poſt dimiſſionem eius,
3 Et duos filios eius: nomen vni eorum Gerſam, dicens: Incola fui in terra aliena.
4 Et nomen ſecundi Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.
5 Et egreſſus eſt Iothor ſocer Moyſis, & filij, & vxor ad Moyſen in deſertum, vbi caſtrametatus erat ſuper montem Dei.
6 Nunciatum eſt autem Moyſi, dicentes: Ecce ſocer tuus aduenit ad te, & vxor, & duo filij tui cum eo.
7 Exiuit autem Moyſes obuiam ſocero, & adorauit eum, & oſculatus eſt eum: ſalutaueruntque ſe mutuo. Et introduxit eos in tabernaculum:
8 Et narrauit Moyſes ſocero omnia, quæcumque fecit Dominus Pharaoni, & omnibus Ægyptijs propter Iſrael, & omnem laborem, qui acciderat eis in via, & quod eripuit eos Dominus de manu Pharaonis, & de manu Ægyptiorum.
9 Obſtupuit autem Iothor in omnibus bonis, quæ fecerat eis Dominus, quia eripuerat eos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis.
10 Et dixit Iothor: Benedictus Dominus, quia eripuit eos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis.
11 Nunc cognoui, quia magnus Dominus præter omnes deos: propter hoc, quod inſectati ſunt eos.
12 Et ſumpſit Iothor ſocer Moyſis holocauſtomata, & ſacrificia Deo: venit aũt Aarõ, & oẽs ſeniores Iſrael manducare panẽ ſimul cũ ſocero Moyſis corã Deo.

## Chald. Paraph. Tranſl.

7 *Vocauitq; nomen loci: Tentatio, & Iurgium: eo quòd obiurgati ſunt filij Iſrael, & quia tentauerunt coram Domino, dicentes: Vtrum maieſtas Domini in medio noſtrum habitet, an non?*
8 *Venit autem Amalech, & iniit prælium contra Iſrael in Raphidim.*
9 *Dixitq; Moyſes ad Ioſue: Elige nobis viros, & egredere, pugna contra Amalech cras: ego ſtabo in vertice collis, & virga qua facta ſunt miracula à facie Dei, erit in manu mea.*
10 *Fecitque Ioſue ſicut dixerat ei Moyſes, vt pugnaret contra Amalech: Moyſes autem, Aaron, & Hur, aſcenderunt ad verticem collis.*
11 *Et factum eſt cũ eleuaret Moyſes manus ſuas, præualebant viri domus Iſrael: & cum demittebat manus ſuas, præualebant viri domus Amalech.*
12 *Manus autem Moyſi erant graues, & tulerunt lapidem, & poſuerunt ſub eo, ſeditq; ſuper eum: Aaron autem, & Hur ſuſtentabant manus eius, hinc vnus, & inde alter. Fueruntq; manus Moyſi extenta in oratione vſque ad occaſum ſolis.*
13 *Et contriuit Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij.*
14 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Scribe hoc memoriale in libro, & pone coram Ioſue: quoniam delens delebo memoriam Amalech ſub cœlo.*
15 *Ædificauitq; Moyſes altare: & immolauit ſuper eo coram Deo, qui fecit ſibi miracula.*
16 *Et ait: Cum iuramento dictum eſt hoc à facie terribilis, cuius maieſtas eſt ſuper ſolium gloriæ, vt committatur prælium à facie Domini contra viros domus Amalech, vt cõſumat eos à generationib' ſæculi.*

### CAP. XVIII.

1 *ET audiuit Iethro princeps Madian ſocer Moyſis omnia quæ fecerat Dominus Moyſi, & Iſrael populo ſuo, & quod eduxiſſet Dñs Iſrael de Ægypto.*
2 *Tulitq; Iethro ſocer Moyſi Sephoram vxorem Moyſi, poſtquam remiſerat eam:*
3 *Et duos filios eius, quorum nomen vnius erat Gerſon, quia dixit: Aduena fui in terra aliena.*
4 *Et nomen alterius Eliezer: quia verbum Dei patris mei fuit in adiutorium meum, & eruit me de gladio Pharaonis.*
5 *Venitq; Iethro ſocer Moyſi, & filij eius, & vxor eius ad Moyſen in deſertum, in quo ipſe manebat, in montem ſuper quem reuelata eſt gloria Domini.*
6 *Dixitq; ad Moyſen: Ego ſocer tuus Iethro venio ad te, & vxor tua, & duo filij ſui cum ea.*
7 *Egreſſuſque eſt Moyſes in occurſum ſoceri ſui, & adorauit. Et oſculatus eſt eum, & ſalutauerunt ſe mutuò pacificè, & venerunt in tabernaculum.*
8 *Et narrauit Moyſes ſocero ſuo omnia quæ fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptijs propter Iſrael, omnem tribulationem quæ inuenit eos in via, & quomodo liberaſſet eos Dominus.*
9 *Lætatuſque eſt Iethro ſuper omnibus bonis quæ fecerat Dominus Iſraeli, quòd eruiſſet eos de manu Ægyptiorum.*
10 *Et ait Iethro: Benedictus Dñs, qui liberauit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis, qui liberauit populũ de medio anguſtiæ dominij Ægyptiorũ.*
11 *Nunc cognoui quoniã magnus Dominus, neque enim eſt Deus præter eum: quia eadem re qua cogitauerũt Ægyptij iudicare Iſrael, in ipſa iudicati ſunt.*
12 *Obtulitq; Iethro ſocer Moyſi holocauſta & ſacrificia ſanctificata corã Dño: & venit Aarõ, et oẽs ſeniores Iſrael, vt comederẽt panẽ cũ ſocero Moyſi corã Deo.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Altera autem die ſedit Moyſes vt iudicaret populum: qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam. | 13 | 13 | *Et fuit, in craſtino ſedit Moſeh ad iudicandum populum: & ſtetit populus iuxta Moſeh à mane vſque ad veſperam.* |
| | Quod cum vidiſſet cognatus eius, omnia ſcilicet quæ agebat in populo, ait: Quid eſt hoc quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam? | 14 | 14 | *Et vidit ſocer Moſeh omnia quæ faciebat populo, & dixit: Quid eſt hoc quod facis populo? Cur ſedes ſolus tu, & omnis populus ſtat iuxta te à mane vſque ad veſperam?* |
| | Cui reſpondit Moyſes: Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. | 15 | 15 | *Dixitq́; Moſeh ſocero ſuo: Quia venit ad me populus ad quærendum Deum.* |
| | Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges eius. | 16 | 16 | *Cum fuerit eis lis, veniunt ad me, & iudico inter vtrumque, & notifico ſtatuta Dei: & leges eius.* |
| | At ille: Non bonam, inquit, rem facis: | 17 | 17 | *Dixitque ſocer Moſeh ad eum: Non eſt bonum quod tu facis.* |
| * Deut. 1, 12 | Stulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte qui tecum eſt: vltra vires tuas eſt negotium, * ſolus illud non poteris ſuſtinere. | 18 | 18 | *Cadendo cades, & tu, etiam populus iſte, qui eſt tecum: quia ſupra vires tuas eſt res, non poteris facere eam ſolus.* |
| | Sed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum: Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: | 19 | 19 | *Nunc audi vocem meam, conſulam tibi, & erit Deus tecum: Eſto tu populo coram Deo, & refer eius lites ad Deum.* |
| | Oſtendaſque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. | 20 | 20 | *Et monebis eos ſtatuta, & leges, & notificabis eis viam per quam ambulent, & opus quod faciant.* |
| | Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos | 21 | 21 | *Et tu conſidera ex omni populo viros fortes, timentes Deum, viros veridicos, odientes auaritiam, & pones ſuper eos tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos.* |
| | Qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent: leuiuſque ſit tibi, partito in alios onere. | 22 | 22 | *Et iudicabunt populum omni tempore: & erit, omnem rem magnam referent ad te, & omnem rem paruam iudicabunt ipſi: & ad alleuiandum te, ferent tecum.* |
| | Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca ſua cum pace. | 23 | 23 | *Si hoc feceris, & quæ præcepit tibi Deus poteris ſtare, & etiam omnis populus iſte ad locum ſuum ibit pacifice.* |
| | Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. | 24 | 24 | *Et paruit Moſeh voci ſoceri ſui, & fecit omnia quæ dixit.* |
| | Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. | 25 | 25 | *Et elegit Moſeh viros fortes ex omni Iſrael, & poſuit eos capita ſuper populum tribunos, centuriones, quinquagenarios, ac decanos.* |
| | Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. | 26 | 26 | *Et iudicabant populum omni tempore: ardua referebant ad Moſeh, & parua iudicabant ipſi.* |
| | Dimiſitque cognatum ſuum: qui reuerſus abijt in terram ſuam. | 27 | 27 | *Et dimiſit Moſeh ſocerum ſuum: & abijt ſibi ad terram ſuam.* |
| | **CAP. XIX.** | | | ***CAP. XIX.*** |
| Nu. 33. 15. | MEnſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai. | 1 | 1 | *IN menſe tertio quo egreſſi ſunt filij Iſrael è terra Ægypti, in die iſta venerunt in deſertum Sinai.* |
| | Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vſque in deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eodem loco, ibique Iſrael fixit tentoria è regione montis. | 2 | 2 | *Et profecti ſunt de Rephidim, & venerunt in deſertum Sinai, & caſtrametati ſunt in deſerto, & caſtrametatus eſt ibi Iſrael contra montem.* |
| * Act. 7. 38 | * Moyſes autem aſcendit ad Deum, vocauitq. eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Iſrael: | 3 | 3 | *Et Moſeh aſcendit ad Deum: & vocauit eum Dominus è monte dicendo: Sic dices domui Iahacob, & annunciabis filijs Iſrael:* |
| | Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. | 4 | 4 | *Vos vidiſtis, quæ feci Ægyptijs, & tuli vos ſuper alas aquilarum, & adduxi vos ad me.* |
| *, Deu. 19. 2. | * Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: * mea eſt enim omnis terra. | 5 | 5 | *Et nunc ſi obaudiendo obaudieritis voci meæ, & cuſtodieritis pactum meũ, eritis mihi theſaurus dilectus præ omnibus populis: quia mea eſt omnis terra.* |
| * Pſ. 23. 1. * 1. Pet. 2. 9. | * Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hęc ſunt verba quę loqueris ad filios Iſrael. | 6 | 6 | *Et vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael.* |
| | Venit Moyſes: & conuocatis maioribus natu populi expoſuit omnes ſermones quos mandauerat Dñs. | 7 | 7 | *Et venit Moſeh, & vocauit ſeniores populi, et poſuit coram eis omnia verba iſta, quæ præcepit ei Dñs.* |
| | Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus. Cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum, | 8 | 8 | *Et reſponderunt omnis populus pariter, & dixerunt: Omne quod locutus eſt Dominus faciemus. Et retulit Moſeh verba populi ad Dominum.* |

Ait *Dixit-*

## Tranſl. ex Septuag.

13 Et factum eſt, poſt craſtinum conſedit Moyſes ad iudicandum populum: adſtabat autem omnis populus Moyſi à mane vſque ad veſperam.
14 Et videns Iothor omnia, quæcumque facit populo, ait: Quid hoc, quod tu facis populo? Quare tu ſedes ſolus; omnis autem populus adſtat tibi à mane vſque ad veſperam?
15 Et dixit Moyſes ſocero: Quia venit ad me populus inquirere iudicium à Deo.
16 Nam cum eis contigerit altercatio, & venerint ad me, iudico vnumquemque, & moneo eos præcepta Dei, & legem eius.
17 Dixit autem ſocer Moyſis ad eum: Non recte tu facis verbum hoc.
18 Corruptione corrumperis intolerabili, & tu, & omnis populus hic, qui eſt tecum: graue tibi verbum hoc, non poteris facere tu ſolus.
19 Nunc itaque audi me, & conſilium dabo tibi, & erit Deus tecum: Eſto tu populo in ijs, quæ ad Deum, & referes verba eorum ad Deum:
20 Et teſtaberis illis præcepta Dei, & legem eius, & demonſtrabis illis vias, in quibus ambulabunt in eis & opera quæ facient.
21 Et tu prouide tibi ex omni populo viros potentes, Deum colentes, viros iuſtos, odio habentes ſuperbiam, & conſtitues ſuper eos, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decuriones:
22 Et iudicabunt populum omni tempore: verbum autem graue referent ad te, quæ autem ex negocijs breuia fuerint, iudicabunt ipſi, & alleuiabunt à te, & ſuſcipient onus vna tecum.
23 Si verbum hoc feceris, corroborabit te Deus, & poteris conſiſtere: & omnis populus hic ad locum ſuum cum pace veniet.
24 Audiuit autem Moyſes vocem ſoceri, & fecit quæcumque dixit ei.
25 Et ſelegit Moyſes viros potentes ex omni Iſrael, & fecit eos ſuper eos tribunos, & centuriones & quinquagenarios, & decuriones.
26 Et iudicabant populum omni tempore: omne autem verbum graue referebant ad Moyſen, omne autem verbum leue iudicabant ipſi.
27 Dimiſit autem Moyſes ſocerum ſuum: & abijt in terram ſuam.

### C A P. XIX.

1 MEnſe autem tertio exitus filiorum Iſrael de terra Ægypti, hac die venerunt in deſertum Sina,
2 Et promouerunt ex Raphidim, & venerunt in deſertum Sina, & caſtrametatus eſt ibi Iſrael contra montem.
3 Et Moyſes aſcendit in montem Dei. & vocauit eũ Deus de monte, dicens: Hæc dices domui Iacob, & nunciabis filijs Iſraël:
4 Vos ipſi vidiſtis, quæ feci Ægyptijs, & aſſumpſi vos tamquam ſuper alas aquilarum, & adduxi vos ad meipſum.
5 Et nunc ſi auditione audieritis vocem meã, & cuſtodieritis teſtamentũ meũ, eritis mihi populus peculiaris ex oĩbus gentibus. mea eſt enim oĩs terra.
6 Vos autem eritis mihi regale ſacerdotium, & gens ſancta. Hæc verba dices filijs Iſrael.
7 Venit aũt Moyſes, & vocauit ſeniores populi, & expoſuit eis oĩa verba hæc, quæ conſtituit eis Dñs.
8 Reſpondit autem omnis populus vnanimiter, & dixerunt: omnia quæcũque dixit Deus, faciemus, & audiemus. Retulit aũt Moyſes verba hæc ad Deũ.

## Chald. Paraph. Tranſl.

13 Factumq́; eſt ſequenti die, & ſedit Moyſes vt iudicaret populum: ſtetitq́; populus apud Moyſen à manè vſque ad veſperam.
14 Viditq́; ſocer Moyſis oĩa quæ ipſe faciebat in populo, & ait: Quid eſt verbum hoc quod tu facis in populo? Cur tu ſolus ſedes, & omnis populus ſtat apud te à manè vſque ad veſperam?
15 Et ait Moyſes ſocero ſuo: Venit enim ad me populus vt quærat doctrinam à facie Domini.
16 Cumque eſt eis iudicium, veniunt ad me, & iudico inter virum & proximum ſuum: & doceo eos præcepta Dei & legem eius.
17 Dixitque ſocer Moyſi ei: Non rectam rem tu facis:
18 Fatigatione fatigaberis tam tu, quàm populus hic qui tecum eſt: quia grauis tibi eſt res iſta, non poteris facere eam tu ſolus.
19 Nunc acquieſce mihi, & dabo tibi conſilium, & erit verbum Domini in adiutorium tui: Eſto tu populo quærens doctrinam à facie Dei, & tu referes verba eorum in conſpectum Domini.
20 Et admonebis eos præceptis & legibus, & oſtendes eis viam per quam ambulent, & opera quæ facturi ſunt.
21 Tu autem videbis ex omni populo viros virtutis, timentes Deum, viros veraces, qui oderint accipere pecuniam, & conſtitue ſuper eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos:
22 Vt iudicent populum in omni tempore: & omne negotium quod fuerit magnum, referent ad te: omne autem negotium paruum ipſi iudicabunt, et alleuiabunt à te onus, & ſupportabunt tecum.
23 Si verbum hoc feceris, & præceperit tibi Dominus, poteris ſtare: omnis quoque populus hic ibunt ad locum ſuum in pace.
24 Acquieuitque Moyſes verbo ſoceri ſui, & fecit omnia quæ dixit.
25 Elegitq́; Moyſes viros virtutis ex omni Iſrael, & conſtituit eos principes ſuper populum, tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos.
26 Et iudicabant populum omni tempore: negotium quod erat graue, referebant ad Moyſen, & omne negotium quod erat paruum, iudicabant ipſi.
27 Dimiſitq́; Moyſes ſocerum ſuum: & abijt in terram ſuam.

### C A P. XIX.

1 MEnſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai.
2 Profectiq́; ſunt de Raphidim, & venerunt in deſertum Sinai, & caſtrametati ſunt in deſerto, caſtrametatusq́; eſt ibi Iſrael è regione montis.
3 Moyſes autem aſcendit in conſpectum verbi Dei. Vocauitq́; eum Dominus de monte, dicens: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Iſrael:
4 Vos vidiſtis quæ fecerim Ægyptijs, & portaui vos quaſi ſuper alas aquilæ, & applicaui vos ad ſeruitutem meam.
5 Et nunc ſi obedieritis verba mea, & cuſtodieritis pactum meum, eritis coram me dilecti præ omnibus populis. quoniam mea eſt omnis terra.
6 Vos ãt eritis corã me reges, & ſacerdotes, & populus ſanctus. Hæc ſunt verba quæ loqueris cũ filijs Iſrael.
7 Venitq́; Moyſes, & vocauit ſeniores populi, & expoſuit corã eis oĩa verba hæc, quæ præceperat ei Dñs.
8 Reſponditq́; omnis populus ſimul, atque dixerunt: omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus. Et retulit Moyſes verba populi coram Domino.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Ait ei Dominus: Iam veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nunciauit ergo Moyſes verba populi ad Dominum.

10 Qui dixit ei: Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, lauentque veſtimenta ſua.

11 Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai.

12 Conſtitueſque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne aſcendatis in montem, * nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur.

* Heb. 12. 18

13 Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet: cum cœperit clangere buccina, tunc aſcendant in montem.

14 Deſcenditq. Moyſes de monte ad populum, & ſanctificauit eum. Cumque lauiſſent veſtimenta ſua,

15 Ait ad eos: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.

16 Iamq. aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura & nubes denſiſſima operire mōtē, clāgorq. buccinæ vehemētius perſtrepebat: & timuit pp̄ls q erat ī caſtris.

17 Cumque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis.

18 * Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.

* Deu. 4. 11

19 Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur: Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei.

20 Deſcenditq; Dominus ſuper montem Sinai in ipſo mōtis vertice, & vocauit Moyſen in cacumen eius. Quo cum aſcendiſſet,

21 Dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare populum: ne forte velit tranſcendere terminos ad videndū Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.

22 Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.

23 Dixitque Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: tu enim teſtificatus es, & iuſſiſti, dicens: Pone terminos circa montem, & ſanctifica illum.

24 Cui ait Dominus: Vade, deſcende: aſcendeſque tu, & Aaron tecum: ſacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominū, ne forte interficiat illos.

25 Deſcenditq; Moyſes ad populū, & oīa narrauit eis.

### CAP. XX.

1 Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos:

2 Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.

3 Non habebis deos alienos coram me.

4 * Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.

* Deu. 5. 8. Pſal. 96. 7. Leui. 26. 1. Deu. 4. 15. Ioſ. 24. 14.

5 Non adorabis ea neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Ecce ego venio ad te in denſitate nubis, vt audiat populus, dum loquor tecum, & etiam tibi credant in ſæculum. Et annunciauit Moſeh verba populi Domino.*

10 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Vade ad populum, & ſanctifica eos hodie, & cras, & lauabunt veſtimenta ſua.*

11 *Et erunt parati ad diem tertium, quia die tertia deſcendet Dominus in oculis omnis populi ſuper montem Sinai.*

12 *Et pones terminum populo per circuitum, dicendo: Cauete vt non aſcendatis in montem, & ne tangatis terminum eius: omnis qui tetigerit montem moriendo morietur.*

13 *Non tanget eum manus, ſed lapidando lapidabitur, vel iaculando iaculabitur: tam animal, quam vir non viuet: cum prolixum ſonitum dederit buccina, tunc aſcendent in montem.*

14 *Et deſcendit Moſeh è monte ad populum, & ſanctificauit populum, & lauerunt veſtimenta ſua.*

15 *Et dixit ad populum: Eſtote parati ad tres dies, ne appropinquetis vxori.*

16 *Et fuit, die tertia cum eſſet mane, fuerunt voces, & fulgura, & nubes grauis ſuper montem, & ſonitus buccinæ fortis valde: & expauit omnis populus qui erat in caſtris.*

17 *Et eduxit Moſeh populum in occurſum Dei è caſtris, & ſteterunt in inferiori parte montis.*

18 *Et mons Sinai fumabat totus, eo quod deſcendebat ſuper eū Dominus in igne, & aſcendit fumus eius, ſicut fumus fornacis, & commotus eſt omnis mons valde.*

19 *Et fuit, ſonitu buccinæ eunte, & forti exiſtente valde: Moſeh loquebatur, & Deus reſpondebat ei in voce.*

20 *Et deſcendit Dominus ſuper montē Sinai ſuper verticem montis, & vocauit Dominus Moſeh ad verticem mōtis, & aſcendit Moſeh.*

21 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Deſcende conteſtare populum, ne forte deſtruant terminū vt aſcendant ad Dominum, vt videant, & corruant ex eis multi.*

22 *Et etiam ſacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificabunt ſe, ne forte in eis diuiſionem faciat Dominus.*

23 *Dixitque Moſeh ad Dominum: Non poterit populus aſcendere ad montem Sinai: quia tu conteſtatus es nos dicendo: Termina montem, & ſanctifica eum.*

24 *Dixitque ad eum Dominus: Vade, deſcende, & aſcende tu, & Aharon tecum, & ſacerdotes, & populus, ne diruant terminum, vt aſcendant ad Dominum, ne forte diuiſionem faciat in eis.*

25 *Deſcenditq; Moſeh ad populum, & dixit ad eos.*

### CAP. XX.

1 *Et locutus eſt Deus omnia verba iſta dicendo.*

2 *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, è domo ſeruorum.*

3 *Non erunt tibi dij alij coram me.*

4 *Non facies tibi ſculptile, & omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo ſurſum, & quæ in terra deorſum, & quæ in aquis ſubter terram.*

5 *Non incuruabis te eis, & non coles ea: quia ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, ſuper tertios, & ſuper quartos odientibus me.*





UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

9 Dixit autem Dominus ad Moyſen : Ecce ego aduenio ad te in columna nubis, vt audiat populus loquentem me ad te, & tibi credant in ſæculum. Nũciauit autem Moyſes verba populi ad Dominum.

10 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Deſcendens teſtare populo, & purifica illos hodie, & cras, & lauent veſtimenta,

11 Et ſint parati in diem tertiam : tertia enim die deſcendet Dominus in montem Sina coram omni populo :

12 Et terminabis populum in circuitu dicens : Attendite vobis ipſis, ne aſcendatis in montem, neque tangatis quid illius : omnis, qui tetigerit montem, morte peribit :

13 Non tanget eum manus, in lapidibus enim lapidabitur, vel iaculo confodietur: ſiue pecus, ſiue homo, non viuet. cum voces, & tubæ & nubes diſceſſerint à monte, illi aſcendent in montem.

14 Deſcendit autem Moyſes de monte ad populum, & ſanctificauit eos, & lauerunt veſtimenta.

15 Et dixit populo : Eſtote parati, tres dies ne acceſſeritis ad vxorem.

16 Factum eſt autem die tertia, cum eſſet diluculum verſus: & factæ ſunt voces, & fulgura, & nubes caliginoſa ſuper montem Sina: vox tubæ ſonabat magnũ : & conſternatus eſt oīs populus, qui in caſtris.

17 Et eduxit Moyſes populum in occurſum Dei e caſtris, & aſtiterunt ſub monte.

18 Mons Sina fumabat totus, eo quod deſcenderat ſuper eum Deus in igne : & aſcendebat fumus, tanquam fumus fornacis : & obſtupuit omnis populus valde.

19 Factæ ſunt autem voces tubæ procedentes fortiores valde. Moyſes loquebatur, Deus autem reſpondebat ei voce.

20 Deſcendit autem Dominus ſuper montem Sina ſuper cacumen montis, & vocauit Dominus Moyſen in cacumen montis. Et aſcendit Moyſes.

21 Et ait Deus ad Moyſen, dicens: Deſcendens teſtare populo: ne forte appropinquent ad Deum ad ſpectandum, & cadant ex eis multitudo.

22 Et Sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne forte interimat de eis Dominus.

23 Et dixit Moyſes ad Deum : Non poterit populus aſcendere ad montem Sina : tu enim teſtatus es nobis, dicens: Termina montem, & ſanctifica eum.

24 Dixit autem ei Dominus: Vade, deſcende: & aſcende tu, & Aaron tecum : ſacerdotes autem, & populus ne vim faciant aſcendere ad Deum, ne forte perdat de eis Dominus.

25 Deſcendit autem Moyſes ad populum, & dixit eis.

### C A P. XX.

1 ET locutus eſt Dominus omnia verba hæc, dicens :

2 Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.

3 Non erunt tibi Dij alij præter me.

4 Non facies tibi ipſi idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem, eorum quæcunque ſunt in cœlo ſurſum, & quæcunque in terra deorſum, & quæcunque ſunt in aquis ſubtus terram.

5 Non adorabis illa, neque coles illa : ego enim ſum Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, reddens peccata patrum in filios vſque in tertiam, & quartam progeniem ijs, qui oderunt me :

Et fa-

## Chald. Paraph. Tranſl.

9 *Dixitq́; Dominus ad Moyſẽ: Ecce ego apparebo tibi in caligine nubis, vt audiat populus cum loquar tecum, tibi quoque credant in perpetuum. Nunciauitq́; Moyſes verba populi coram Domino.*

10 *Dixitque Dominus ad Moyſen : Vade ad populum, & praparabis eos hodie & cras, lauentque veſtimenta ſua :*

11 *Et ſint parati in diem tertium: quoniam in die tertio reuelabit Dominus in oculis omnis populi ſuper montem Sinai.*

12 *Conſtituesq́; terminos populo per circuitum, dicens : Cauete vobis ne aſcendatis in montem, neque accedatis ad finem eius: omnis qui acceſſerit ad montem, occiſione occidetur.*

13 *Non tangat eum manus, quoniam lapidatione lapidabitur, aut iaculis confodietur ſiue iumentum ſiue homo, non viuet. quando tuba ſubtracta fuerit, ipſi habebunt facultatem aſcendendi in montem.*

14 *Deſcenditq́; Moyſes de monte ad populum, & praparauit eos, & lauerunt veſtimenta ſua :*

15 *Et ait ad populum : Eſtote parati in diem tertium, non appropinquetis vxoribus.*

16 *Et factum eſt in die tertio cum eſſet manè : & fuerunt voces & fulgura, & nubes grauis ſuper montem, & vox tuba fortis nimis : & commotus eſt omnis populus qui erat in caſtris.*

17 *Eduxitq́; Moyſes populum de caſtris in occurſum verbi Dei, & ſteterunt ad radices montis.*

18 *Mons autem Sinai fumabat totus, eo quòd reuelatus erat Dominus ſuper eum in igne, & aſcendit fumus eius quaſi fumus fornacis : & contremuit omnis mons valdè.*

19 *Vox autem tuba ibat, & conualeſcebat nimis: Moyſes loquebatur, & à facie Dei reſpondebatur ei voce.*

20 *Et reuelatus eſt Dominus ſuper montem Sinai in vertice montis, & vocauit Dominus Moyſen ad verticem montis. Et aſcendit Moyſes.*

21 *Dixitq́; Dominus ad Moyſen : Deſcende, conteſtare populum, ne forte tranſgrediantur vt videant Dominum, & cadat ex eis multitudo.*

22 *Sacerdotes quoque qui accedunt ad miniſtrandum coram Domino, ſanctificentur, ne forte iraſcatur cõtra eos Dominus.*

23 *Dixitque Moyſes coram Domino : Non poterit populus aſcendere in montem Sinai, quoniam tu conteſtatus es nos, dicens : Pone terminum circa montem, & ſanctifica eum.*

24 *Dixitq́; ei Dominus : Vade deſcende: aſcendesq́; tu, & Aaron tecum : ſacerdotes autem & populus non tranſgrediantur vt aſcendant in conſpectum domini, ne forte iraſcatur contra eos.*

25 *Deſcenditque Moyſes ad populum, & narrauit eis.*

### C A P. XX.

1 *LOcutuſque eſt Deus cunctos ſermones hos, dicens :*

2 *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruitutis.*

3 *Non erit tibi Deus alius præter me.*

4 *Non facies tibi imaginem neque omnem ſimilitudinem eorum quæ in cælo ſunt deſuper, neque eorum quæ in terra ſunt deorſum, neque eorũ quæ in aquis ſunt ſub terra.*

5 *Non adorabis ea, neque ſeruies eis: quoniam ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes, viſitans peccata patrum ſuper filios tranſgreſſores in tertiam, et in quartam generationem, his qui oderunt me, quando filij ſequuntur peccata patrum :*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me,& cuſtodiunt præcepta mea.

* Deut. 5. 11. Leu. 19. 12. Matt. 5. 37

7 * Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.

* Ezec. 20. 12. Deut. 5. 12. Inf. 31. 14.

8 * Memento vt diem ſabbati ſanctifices.

9 Sex diebus operaberis,& facies omnia opera tua.

10 Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo,tu, & filius tuus,& filia tua,ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas.

* Gen. 2. 2.

11 * Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terrã, & mare,& omnia quæ in eis ſunt,& requieuit in die ſeptimo,idcirco benedixit Dominus diei ſabbati,& ſanctificauit eum.

* Deut. 5. 16. Mat. 15. 4. Eph. 6. 2. * Matt. 5. 21.

12 * Honora patrem tuum & matrem tuam,vt ſis longæuus ſuper terram,quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

13 * Non occides.

14 Non mœchaberis.

15 Non furtum facies.

16 Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

* Ro. 7. 7. 13. 9.

17 * Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

18 Cunctus autem populus videbat voces & lampades & ſonitum buccinę,montemque fumantem:& perterriti ac pauore concuſſi,ſteterunt procul,

19 Dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.

20 Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere,vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis,& non peccaretis.

Heb. 12. 18. Deu. 18. 16.

21 Stetitque populus de longe. Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus.

22 Dixit præterea Dominus ad Moyſen: Hæc dices filijs Iſrael: Vos vidiſtis quod de cœlo locutus ſim vobis.

23 Non facietis deos argenteos,nec deos aureos facietis vobis.

* Inf. 27. 8. 38. 7.

24 * Altare de terra facietis mihi,& offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra, oues veſtras & boues in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi.

* Deu. 27. 5. Ioſ. 8. 31.

25 * Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo,polluetur.

26 Non aſcendes per gradus ad altare meum,ne reueletur turpitudo tua.

### CAP. XXI.

1 HÆc ſunt iudicia quæ propones eis.

Deu. 15. 12. Ier. 34. 14.

2 Si emeris ſeruum Hebræorum,ſex annis ſeruiet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.

3 Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat: ſi habens vxorem, & vxor egredietur ſimul.

4 Sin autem dominus dederit illi vxoré, & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini ſui,ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo.

5 Quod ſi dixerit ſeruus: Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber:

Offe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et faciens miſericordiam in mille diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.*

7 *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum,quia non innocentem Dominus iudicabit eum qui aſſumpſerit nomen eius in vanum.*

8 *Recordare diei ſabbati, vt ſanctifices illum.*

9 *Sex diebus operaberis,& facies omne opus tuum.*

10 *Et die ſeptimo ſabbatum eſt Domino Deo tuo: non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus,& ancilla tua,& animal tuum,& peregrinus tuus,qui eſt intra portas tuas.*

11 *Quia ſex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ ſunt in eis, & requieuit die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbati,& ſanctificauit eum.*

12 *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt prolongentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.*

13 *Non occides.*

14 *Non committes adulterium.*

15 *Non furaberis.*

16 *Non teſtificaberis in proximum tuum teſtimonium mendax.*

17 *Non concupiſces domum proximi tui, non concupiſces vxorem proximi tui, neque ſeruum eius, neque ancillam eius,neque bouem eius,neque aſinum eius, neque omne quod eſt proximo tuo.*

18 *Et omnis populus videbat voces,& lampades,& ſonitum buccinæ,& montem fumantem: & vidit populus, & mouebant ſe, & ſteterunt procul.*

19 *Et dixerunt ad Moſeh: Loquere tu nobiſcum,& audiemus:& ne loquatur nobiſcum Deus, ne forte moriamur.*

20 *Dixitq́ue Moſeh ad populum: Ne timeatis, quia vt tentaret vos venit Deus, & vt eſſet timor eius coram vobis,vt non peccetis.*

21 *Et ſtetit populus procul. Et Moſeh appropinquauit ad caliginem in qua erat Deus.*

22 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Sic dices ad filios Iſrael: Vos vidiſtis quod è cœlo locutus ſum vobiſcum.*

23 *Non facietis mecum deos argenteos, & deos aureos non facietis vobis.*

24 *Altare terreum facies mihi, & immolabis ſuper illud holocauſta tua, & pacifica tua, pecudes tuas, & boues tuos in omni loco quo memorare faciam nomen meum: veniam ad te, & benedicam tibi.*

25 *Et ſi altare lapideum feceris mihi,non ædificabis eos exciſos: ſi malleum eleuaueris ſuper illud, pollues illud.*

26 *Et non aſcendes per gradus ad altare meum,vt non detegatur turpitudo tua ſuper illud.*

### CAP. XXI.

1 *ET hæc ſunt iudicia quæ pones coram eis.*

2 *Si emeris ſeruum Hebræum,ſex annis ſeruiet,& in ſeptimo egredietur liber gratis.*

3 *Si cum corpore ſuo ingreſſus fuerit, cum corpore ſuo egredietur. Si maritus mulieris erat, egredietur vxor eius ſecum.*

4 *Si dominus eius dederit ei vxorem, & pepererit ei filios,vel filias, vxor, & filij eius,erit domino eius, & ipſe egredietur cum corpore ſuo.*

5 *Et ſi dicendo dixerit ſeruus: Dilexi dominum meum, vxorem meam, & filios meos, non egrediar liber.*

*Aſcen-*

## Tranſl. ex Septuag.

6 Et faciens miſericordiam in millia ijs, qui diligunt me, & qui ſeruant præcepta mea.
7 Non aſſumes nomen Domini tui in vano, nõ enim mundabit Dominus Deus tuus aſſumentem nomen eius in vano.
8 Memento diem ſabbatorum ſanctificare eam.
9 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua:
10 Die autem ſeptimo, ſabbata Domino Deo tuo: non facies in eo vllum opus tu, & filius tuus, & filia tua, puer tuus, & ancilla tua, bos tuus, & ſubiugale tuũ, & omne pecus tuum, & proſelytus, qui incolit in te.
11 In diebus enim ſex fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis, & requieuit die ſeptima, propter hoc benedixit Dominus diem ſeptimam, & ſanctificauit eam.
12 Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt bene tibi ſit, & vt longæuus ſis ſuper terram bonam, quam Dominus Deus tuus dat tibi.
13 * Non occides. *
14 Non mœchaberis.
15 Non furaberis. *
16 Non falſo teſtaberis contra proximum tuum teſtimonium falſum.
17 Non concupiſces vxorem proximi tui: non concupiſces domum proximi tui: neque agrum eius, neque puerum eius, neque ancillam eius, neq; bouem eius, neque ſubiugale eius, neque vllum pecus eius, neque quæcumque proximi tui ſunt.

* Quæ ſupra duobus aſteriſcis clauduntur hic habētur in Romana Editione Septuaginterp.

18 Et omnis populus videbat vocem, & lampades, & vocem tubæ, & montem fumantem: territi autem omnis populus ſteterunt à longè.
19 Et dixerunt ad Moyſen: Loquere tu nobis, & non loquatur ad nos Deus: ne moriamur.
20 Et dicit eis Moyſes: Fidite, propterea enim venit Deus tentare vos, vt ſit timor eius in vobis, vt ne peccetis.
21 Stetit autem populus à longe. Moyſes autem intrauit in caliginem, vbi erat Deus.
22 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Iſrael: Vos vidiſtis, quia de cœlo locutus ſum ad vos.
23 Non facietis vobiſipſis Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobiſipſis.
24 Altare de terra facietis mihi, & immolabitis ſuper illud holocauſtomata veſtra, & ſalutaria veſtra, & oues, & vitulos veſtros in omni loco, vbicumque annominauero nomen meum illic: & veniam ad te, & benedicam te.
25 Sin autem de lapidibus altare facies mihi, non ædificabis eos ſectos: cultrum enim tuum inieciſti ſuper eos, & inquinati ſunt.
26 Non aſcendes in gradibus ad altare meum, ne reueles turpitudinem tuam ſuper illud.

### CAP. XXI.

1 ET hæc ſũt iuſtificationes, quas appones corã illis.
2 Si acquiſieris ſeruum Hebræum, ſex annos ſeruiet tibi: ſeptimo autem anno abibit liber gratis.
3 Si ipſe ſolus intrauerit, & ſolus exibit: ſin autem vxor intrauerit ſimul cum eo, exibit, & vxor eius.
4 Et vero, ſi dominus dederit ei vxorem, & pepererit ei filios, vel filias: vxor & paruuli erunt domino eius, ipſe autem ſolus exibit.
5 Sin autem reſpondens ſeruus dixerit: Dilexi dominum meum, & vxorem, & paruulos, non abeo liber:

Addu-

## Chald. Paraph. Tranſl.

6 *Et faciens miſericordiam in mille generationes, diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.*
7 *Non iurabis in nomine Dei tui fruſtrà, quia non iuſtificabit Dominus illum, qui iurauerit in nomine ſuo in vanum.*
8 *Memento diei ſabbati, vt ſanctifices eum.*
9 *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua:*
10 *Die autem ſeptimo ſabbatum eſt coram Domino Deo tuo: nõ facies in eo omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, & iumẽtum tuum, & peregrinus qui eſt in vrbe tua.*
11 *Quia ſex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, idcircò benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificauit eum.*
12 *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt prolongentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*
13 *Non occides animam:*
14 *Non mœchaberis:*
15 *Non furaberis:*
16 *Non teſtificaberis contra proximum tuum falſum teſtimonium.*
17 *Non concupiſces domum proximi tui: non concupiſces vxorem proximi tui, neque ſeruum eius, neque ancillam eius, neque bouem, neque aſinum eius, neq; omnia quæ ſunt proximi tui.*
18 *Omniſq; populus videbat voces, & lampades, & vocem tubæ, & montem fumantem: viditq; populus, & contremuerunt, & ſteterunt procul.*
19 *Dixeruntque ad Moyſen: Loquere tu nobiſcum, & obediemus: & non loquatur nobiſcum verbum à facie Domini, ne fortè moriamur.*
20 *Dixitq; Moyſes ad populum: Ne timeatis, quia vt probaret vos Dominus, reuelata eſt gloria Dei, & vt ſit timor eius ſuper faciem veſtram, vt non peccetis.*
21 *Stetitq; populus à longè. Et Moyſes acceſſit verſus caliginem, vbi erat gloria Dei.*
22 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Hæc dices filijs Iſrael: Vos vidiſtis, quòd de cœlo locutus ſim vobiſcum.*
23 *Non facietis coram me Deos argenteos, neque Deos aureos facietis vobis.*
24 *Altare de terra facies coram me, & immolabis ſuper eo holocauſta tua, & ſacrificia ſanctificata tua de ouibus tuis, & de bobus in omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam: ibi mittam benedictionem meam, & benedicam tibi.*
25 *Si autem altare ex lapidibus feceris coram me, non ædificabis ſectos lapides: ne fortè leues gladium tuum ſuper illo, & profanes eum.*
26 *Et non aſcendes per gradus ſuper altare meum, vt non reueletur turpitudo tua ſuper eo.*

### *CAP. XXI.*

1 ET *hæc ſunt iudicia, quæ propones coram eis.*
2 *Quando emeris ſeruum filium Iſrael, ſex annis ſeruiet: & in anno ſeptimo egredietur liber gratis.*
3 *Si ſolus intrauerit, ſolus egredietur: ſi maritus vxoris eſt, egredietur vxor eius cum eo.*
4 *Si dominus eius dederit ei vxorem, & pepererit ei filios, aut filias: vxor & filij eius erunt domini ſui, & ipſe egredietur ſolus.*
5 *Si autem dicens dixerit ſeruus: Diligo dominum meum, vxorem meam, & liberos meos, non egrediar liber.*

*Appli-*

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Offeret eum dominus dijs, & applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula: & erit ei ſeruus in ſeculum: | 6 | 6 | *Aſcendere faciet eum dominus ſuus ad iudices, & accedere faciet eum ad oſtium, vel ad poſtem, & perforabit dominus eius, aurem eius ſubula: & ſeruiet ei in ſaculum.* |
| | Si quis vendiderit filiam ſuam, in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt. | 7 | 7 | *Et ſi vendiderit vir filiam ſuam in ancillam, non egredietur quemadmodum egrediuntur ſerui.* |
| | Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpreuerit eam. | 8 | 8 | *Si diſplicuerit in oculis domini ſui, quia non deſponſauit eam, redimere faciet eam: populo alieno, non erit poteſtas vendendi eam, cum ſpreuerit eam.* |
| | Sin autem filio ſuo deſponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. | 9 | 9 | *Et ſi filio ſuo deſponderit eam, ſecundum morem filiarum faciet ei.* |
| | Quòd ſi alterã ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & veſtiméta, & pretiũ pudicitiæ non negabit. | 10 | 10 | *Si alteram acceperit ſibi, alimentum eius, operimentum eius, & tempus eius non diminuet.* |
| | Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia. | 11 | 11 | *Et ſi tria hæc non fecerit ei, egredietur gratis abſque argento.* |
| * Leu. 24. 17. Deu. 19. 2. | * Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. | 12 | 12 | *Qui percuſſerit virum, & mortuus fuerit, moriendo morietur.* |
| | Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus eius: conſtituam tibi locum in quem fugere debeat. | 13 | 13 | *Et ſi non inſidiatus eſt ei, ſed Deus fuit cauſa, vt veniret ad manum eius: ponam tibi locum ad quem fugiet.* |
| | Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo euelles eum, vt moriatur. | 14 | 14 | *Sin vero voluntariè egerit contra proximum ſuum occidendo eum dolo: ab altari meo, tolles eum, vt moriatur.* |
| | Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur. | 15 | 15 | *Et qui percuſſerit patrem ſuum, & matrem ſuam, moriendo morietur.* |
| | Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. | 16 | 16 | *Et qui furatus fuerit virum, & vendiderit eum, & inuentus fuerit in manu eius, moriendo morietur.* |
| Leu. 20. 9. Pro. 20. 20. Mat. 15. 4. Mar. 7. 10. | Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur. | 17 | 17 | *Et qui maledixerit patri ſuo, & matri ſuæ, moriendo morietur.* |
| | Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo: | 18 | 18 | *Et ſi rixati fuerint viri, & percuſſerit vir proximũ ſuum lapide, vel pugno, & non fuerit mortuus, ſed ceciderit in lectum.* |
| | Si ſurrexerit, & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit qui percuſſerit, ita tamen vt operas eius & impenſas in medicos reſtituat. | 19 | 19 | *Si ſurrexerit, & ambulauerit foras ſuper baculo ſuo, innocens erit qui percuſſit, tantum damnum ceſſationis eius dabit, & medendo mederi faciet.* |
| | Qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. | 20 | 20 | *Et ſi percuſſerit quiſpiam ſeruum ſuum, vel ancillam ſuam virga, & mortuus fuerit ſub manu eius, vindicando vindicabitur.* |
| | Sin autem vno die, vel duobus ſuperuixerit, non ſubiacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt. | 21 | 21 | *Verumtamen ſi per diem, vel per duos dies ſteterit, non vindicabitur, quia argentum eius eſt.* |
| | Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit: ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. | 22 | 22 | *Et ſi rixati fuerint viri, & percuſſerint mulierẽ prægnantem, & egreſſi fuerint nati eius: & non fuerit mors: puniendo punietur, quemadmodũ impoſuerit ei maritus mulieris, & dabit, vt ſtatuerint iudices.* |
| | Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima, | 23 | 23 | *Et ſi mors fuerit, dabis animam pro anima.* |
| * Matt. 5. 38. Leu. 24. 20. Deut. 19. 21. | * Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, | 24 | 24 | *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* |
| | Aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. | 25 | 25 | *Aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* |
| | Si percuſſerit quiſpiam oculum ſerui ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit, | 26 | 26 | *Et ſi percuſſerit quiſpiam oculum ſerui ſui, vel oculum ancillæ ſuæ, & corruperit eum, liberum dimittet eum pro oculo eius.* |
| | Dentem quoque ſi excuſſerit ſeruo, vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos. | 27 | 27 | *Et ſi dentem ſerui ſui, vel dentem ancillæ ſuæ excuſſerit, liberum dimittet eum pro dente eius.* |
| | Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. | 28 | 28 | *Et ſi cornupetierit bos virum, vel mulierem, & mortuus fuerit, lapidando lapidabitur bos: & non comedetur de carne eius, & dominus bouis erit innocens.* |
| | Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt dominum eius, nec recluſerit eum, occideritque virum, aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. | 29 | 29 | *Et ſi bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtatio facta fuerit domino eius, & non cuſtodierit eum, & occiderit virum, vel mulierem: bos lapidabitur, & etiam dominus eius morietur.* |
| | Quòd ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quidquid fuerit poſtulatus. | 30 | 30 | *Si redemptio impoſita fuerit ei, dabit redemptionem animæ ſuæ iuxta omne quod impoſitum fuerit ei.* |
| | Filium quoque & filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit. | 31 | 31 | *Si filium cornupetierit, vel filiam cornupetierit, ſecundum iudicium hoc fiet ei.* |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

6 Adducet eum dominus eius ad tribunal Dei, & tunc adducet eum ad oſtium, & ad poſtẽ, & perforabit dominus eius aurem ſubula: & ſeruiet ei in ſæculum.

7 Si quis autem vendiderit filiam ſuam famulam, nõ abibit, ita vt recedunt ancillæ.

8 Si non placuerit domino ſuo, quam adnominauit ſibi, redimet eam: genti autem exteræ non eſt dominus, vendere illam, quoniam ſpreuit in ea.

9 Quod ſi filio adnominauerit eam, ſecundum iuſtificationem filiarum faciet ei.

10 Quod ſi aliam acceperit ſibi, quæ opus ſunt, & veſtem, & conuerſationem eius non fraudabit.

11 Sin autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis ſine argento.

12 Quod ſi quis percuſſerit aliquem, & mortuus fuerit, morte moriatur:

13 Qui autem nolens, ſed Deus tradidit in manus eius: dabo tibi locum, quo fugiat illuc, qui interfecit.

14 Si quis autem inſidiatus fuerit proximo, ad occidendum eum dolo, & confugerit: ab altari meo capies eum, vt tradatur morti.

15 Qui verberat patrem ſuum, vel matrem ſuam, morte moriatur. *

16 Quicumque furatus fuerit quempiam filiorum Iſraeӡl, & opprimens eum vendiderit, & inuentus fuerit in eo, morte pereat.

Quæ infra aſteriſcis clauduntur hic habentur in Romana Editione Septuag. Interp.

17 * Qui maledicit patrem ſuum, vel matrem ſuam, peribit morte. *

18 Sin autem iurgati fuerint duo viri, & percuſſerint proximum lapide, vel pugno, & non fuerit mortuus, decubuerit autem in cubili.

19 Si exurgens homo ambulauerit foras ſuper virgam, inſons erit, qui percuſſit, tantum ceſſationem ſoluet, & medicationes.

20 Si quis autem percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam ſuam in virga, & mortuus fuerit ſub manibus eius, pœna punietur.

21 Sin autem ſuperuixerit diem vnum, vel duos, non punietur, argentum enim eius eſt.

22 Sin autem rixentur duo viri, & percuſſerint mulierem in vtero habentem, & exierit infans eius non formatus: multa multabitur, prout indixerit vir mulieris, dabit cum poſtulatione.

23 Si autem formatus fuerit, dabit animam pro anima.

24 Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,

25 Combuſtionem pro combuſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.

26 Si quis vero percuſſerit oculum famuli ſui, vel famulæ ſuæ, & excæcauerit, liberos dimittet eos pro oculo ipſorum.

27 Sin autẽ dentẽ famuli, vel dentem famulæ ſuæ exciderit, liberos dimittet eos pro dente ipſorum.

28 Sin autem cornu percuſſerit taurus virum, aut mulierem, & interierit, lapidibus lapidabitur taurus: & non manducabuntur carnes eius, dominus autem tauri innocens erit.

29 Si autem taurus cornupeta fuerit ante heſternam, & nudiuſtertianam, & conteſtati fuerint domino eius, & non clauſerit eum, occiderit autem virum, vel mulierem: taurus lapidabitur, & dominus eius ſimul morietur.

30 Sin autem precia redemptionis indicta fuerint ei, dabit precia redemptionis animæ ſuæ, quæcumque indixerint ei.

31 Sin autem filium, vel filiam cornu percuſſerit, ſecundum iuſtificationem hanc facient ei.



## Chald. Paraph. Transl.

6 *Applicabitque eum dominus eius coram iudicibus, & applicabit eum ad oſtium, aut ad poſtem, & perforabit dominus eius aurem eius ſubula: & erit ei ſeruus ſeruiens ei in ſæculum.*

7 *Si autem vir vendiderit filiam ſuam in ancillam, non egredietur ſicut egrediuntur ſerui.*

8 *Si diſplicuerit in oculis domini ſui, quam ſibi deſponderat, liberam faciet eam: non habebit facultatem, vt vendat eam viro alij, cum dominatus fuerit eius.*

9 *Si autem filio ſuo deſponderit eam, iuxta conſuetudinem filiarum Iſrael faciet ei.*

10 *Si alteram acceperit ſibi, nutrimentum eius, veſtimentumq́; & concubitum eius non prohibebit.*

11 *Et ſi tria hæc non fecerit ei, egredietur gratis abſque argento.*

12 *Qui percuſſerit virum, & mortuus fuerit, occiſione occidatur.*

13 *Qui autem non eſt inſidiatus, ſed à facie Dei traditus eſt manui eius: conſtituam tibi locum, ad quem fugiat.*

14 *Et quando impiè egerit vir contra proximum ſuum, vt interficiat eum per inſidias: de conſpectu altaris mei tolles eum, vt interficiatur.*

15 *Qui autem percuſſerit patrem ſuum, aut matrem ſuam, morte moriatur.*

16 *Qui furatus fuerit animam de filijs Iſrael, & vendiderit eam, inuentaque fuerit in manu eius, morte moriatur.*

17 *Qui autem maledixerit patri ſuo, vel matri ſuæ, morte moriatur.*

18 *Et quando rixati fuerint viri, & percuſſerit vir proximum ſuum lapide, aut pugno, & non fuerit mortuus, ſed ceciderit in lectulo, & fuerit otioſus.*

19 *Si ſurrexerit, & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, erit innocens percuſſor, ſed reſtituet id quod fuit otioſus ab opere, & mercedem medici ſoluet.*

20 *Et quando percuſſerit vir ſeruum ſuum, aut ancillam ſuam virga, & mortuus fuerit ſub manu eius, iudicio iudicabitur.*

21 *Sed ſi die vno, aut duobus diebus ſuperuixerit, non iudicabitur, quoniam argentum ſuum eſt.*

22 *Et quũ rixati fuerint viri, & percuſſerint mulierẽ prægnantem, & egreſſus fuerit fœtus eius, & non fuerit mors: cõdẽnatione cõdẽnabitur, ſicut poſuerit ſuper eum maritus mulieris, & dabit per ſentẽtiã iudicũ.*

23 *Si autem mortua fuerit, reddet animam pro anima.*

24 *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

25 *Aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.*

26 *Et quando percuſſerit vir oculum ſerui ſui, aut oculum ancillæ ſuæ, & corruperit eum, liberum dimittet eum pro oculo eius.*

27 *Et ſi dentem ſerui ſui, aut ancillæ ſuæ cadere fecerit, liberum dimittet eum pro dente eius.*

28 *Et quando bos viri cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortuus fuerit, lapidatione lapidabitur bos: & non comedetur caro eius, dominus autem bouis erit innocens.*

29 *Si autem bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt dominum eius, & non ſeruauerit eum, & interfecerit virum, aut mulierem: bos lapidabitur, dominus quoque eius interficietur.*

30 *Si pecuniam impoſuerint ſuper eum, dabit redemptionem animæ ſuæ, iuxta omnia quæ impoſuerint ſuper eum.*

31 *Si autẽ filium Iſrael cornu percuſſerit bos, aut filiam Iſrael cornu percuſſerit, iuxta iudicium hoc fiet ei.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

32 Si ſeruum, ancillamque inuaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur.

33 Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam,

34 Reddet dominus ciſternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit.

35 Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit: vendent bouem viuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter ſe diſpertient.

36 Sin autem ſciebat, quòd bos cornupeta eſſet ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum dominus ſuus: reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

### CAP XXII.

1 SI quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno boue reſtituet, * & quattuor oues pro vna oue.

*2. Reg. 12. 6.

2 Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis.

3 Quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur.

4 Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt, viuens, ſiue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis: duplum reſtituet.

5 Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet.

6 Si egreſſus ignis inuenerit ſpinas, & comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit.

7 Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat, furto ablata fuerint: ſi inuenitur fur, duplum reddet:

8 Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi ſui,

9 Ad perpetrandam fraudem, tam in boue, quàm in aſino, & oue, ac veſtimento, & quidquid damnum inferre poteſt: ad deos vtriuſque cauſa perueniet: & ſi illi iudicauerint, duplum reſtituet proximo ſuo.

10 Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nullúſque hoc viderit:

11 Iuſiurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui: * ſuſcipietque dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.

*Gen. 31. 39.

12 Quòd ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino.

13 Si comeſtum à beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet.

14 Qui à proximo ſuo quidquam horum mutuo poſtulauerit, & debilitatum, aut mortuum fuerit domino non præſente reddere compelletur.

15 Quod ſi impræſentiarum dñs fuerit, non reſtituet, maxime ſi cõductũ venerat pro mercede operis ſui.

16 * Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem.

*Deut. 22. 28.

Si pa-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Si ſeruum cornupetierit bos, vel ancillam, argenti triginta ſiclos dabit domino eius, & bos lapidabitur.*

33 *Et ſi aperuerit quiſpiam ciſternam, vel ſi foderit quiſpiam ciſternam, & non cooperuerit eam, & ceciderit illuc bos, vel aſinus.*

34 *Dominus ciſternæ reddet argentum, & reſtituet domino eius: & quod mortuum eſt, erit ſibi.*

35 *Et ſi percuſſerit bos cuiuſpiam, bouem proximi ſui, & mortuus fuerit: vendent bouem viuum, & dimidiabunt argentum eius, & etiam mortuum dimidiabunt.*

36 *Vel notum eſt, quòd bos cornupeta erat ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodierit eum dominus eius: reddendo reddet bouem pro boue, & mortuus erit ſibi.*

### CAP. XXII.

1 *SI furatus fuerit quiſpiã bouem, vel pecus, & iugulauerit eum, vel vendiderit eũ: quinque boues reddet pro boue, & quattuor pecudes pro pecude.*

2 *Si cum perfoſſorio inuentus fuerit fur, & percuſſus fuerit, & mortuus fuerit: non erit percuſſor morti obnoxius.*

3 *Si ortus fuerit ſol ſuper eum, erit morti obnoxius, reddendo reddet. Si non eſt ei, vendetur propter furtum ſuum.*

4 *Si non veniendo inuentum fuerit in manu eius furtum à boue vſque ad aſinum, vſque ad ouem: viuos duos reddet.*

5 *Si paſci fecerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum: & paſtum fuerit in agro alterius: bonitatem agri ſui, & bonitatem vineæ ſuæ reddet.*

6 *Si egreſſus fuerit ignis, & inuenerit ſpinas, & conſumptus fuerit aceruus, vel ſeges, vel ager, reddendo reddet ſuccendens ſuccenſionem.*

7 *Si dederit quiſpiam proximo ſuo argentum, vel vaſa ad cuſtodiendum, & furto ablatum fuerit è domo ipſius: ſi inuentus fuerit fur, reddet duplum.*

8 *Si non inuentus fuerit fur, accedet dominus domus ad iudices, ſi non miſit manum ſuam in ſubſtãtiam proximi ſui.*

9 *Super omni re præuaricationis, ſuper boue, ſuper aſino, ſuper oue, ſuper veſtimento, ſuper omni re amiſſa: cum dixerit quiſpiam hoc eſſe, ad iudices veniet cauſa amborum, is quem condemnauerint iudices, reddet duplum proximo ſuo.*

10 *Si dederit quis proximo ſuo aſinum, vel bouem, vel ouem, & omne animal ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit, vel confractum, vel prædatum nemine vidente:*

11 *Iuramentum Domini erit inter vtrumque, ſi non miſit manum ſuam in ſubſtantiam proximi ſui: & ſuſcipiet dominus eius, & non reddet.*

12 *Et ſi furto ablatum fuerit ab eo, reddet domino eius.*

13 *Si rapiendo raptum fuerit, adducet teſtem, rapinam non reddet.*

14 *Et ſi accommodatum acceperit quiſpiam à proximo ſuo, & confractum fuerit, vel mortuum fuerit, domino eius non exiſtente ſecum, reddendo reddet.*

15 *Si dominus eius fuerit cum eo, non reddet, ſi mercenarius eſt, venit propter mercedem ſuam.*

16 *Et ſi ſeduxerit quiſpiam virginem, quæ non eſt deſponſata, & coierit cum ea: dotando dotabit eam ſibi in vxorem.*

*Si re-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

32 Sin autem ſeruum cornu percuſſerit taurus, vel ancillam, argenti triginta didracma dabit domino eorum, & taurus lapidabitur.

33 Si quis autem aperuerit lacum, aut exciderit lacũ, & non operuerit eum, & ceciderit illuc vitulus, aut aſinus;

34 Dominus laci reddet, argentum dabit domino eorum: quod autem mortuum eſt ipſi erit.

35 Sin autem cornu percuſſerit alicuius taurus, taurum proximi, & mortuus fuerit: vendent taurum viuum, & partientur argentum eius, & taurum qui, mortuus fuerit, diſpertient.

36 Sin autẽ notus fuerit taurus, quia cornupeta eſt ante heſternam, & ante nudiuſtertianam diem, & conteſtati fuerint domino eius, & non clauſerit eum: reddet taurum pro tauro, mortuus autẽ ipſius erit.

### C A P. XXII.

1 SI quis autem furatus fuerit vitulum, vel ouem, & iugulauerit, vel vendiderit: quinque vitulos reddet pro vitulo, & quattuor oues pro oue.

2 Sin autem in ipſa perfoſſione inuentus fuerit fur, & percuſſus mortuus fuerit: non eſt illi cædes.

3 Si autem oriatur ſol ſuper eum, reus eſt, viciſſim morietur. Quod ſi non fuerit illi ſubſtantia, vendatur pro furto.

4 Si autem deprehenſum fuerit, & inuentum fuerit in manu eius furtum ab aſino, vſque ad bouem viuentia dupla reddet ea.

5 Si autem depauerit quis agrum, vel vineã, & admiſerit pecus ſuũ depaſcere agrũ aliũ: reddet de agro ſuo iuxta fructũ eius: ſi autem omnem agrum depauerit, optima agri ſui, & optima vineę ſuę reddet.

6 Si autem egreſſus ignis inuenerit ſpinas, & combuſſerit areas, vel ſpicas, vel campum, reddet ille, qui ignem accendit.

7 Si quis autem dederit proximo argentum, aut vaſa ad cuſtodiendum, & furto ablata fuerint de domo hominis: ſi inuentus fuerit is qui furatus eſt, reddet duplum.

8 Si aũt inuẽtus non fuerit is qui furatus eſt, accedet dñs domus coram Deo, & iurabit omnino ſe non eſſe malignatum in toto depoſito proximi ſui,

9 Secundum omnem dictam iniuſtitiam, & de vitulo, & ſubiugali, & oue, & veſtimento, & omni iactura accuſata: quidquid igitur illud ſit, coram deo veniet iudicium vtrorumque: & qui deprehenſus fuerit per deum, reddet duplum proximo.

10 Si quis autem dederit proximo ſubiugale, vel vitulum, vel ouem, vel quodcumque pecus ad cuſtodiendum, & contritum fuerit, vel mortuum, vel captiuum factum fuerit, & nemo nouerit;

11 Iuramentum Dei erit inter vtroſque, omnino ſe non eſſe malignatum de toto depoſito proximi: & ſic admittet dominus eius, & non reddet.

12 Sin autem furto ablatum fuerit ab eo, reddet domino.

13 Si autem à beſtia captum fuerit, ducet illud ad oſtium, & non reddet.

14 Si quis vero petierit à proximo, & contritum, vel mortuum fuerit, vel captiuum factum fuerit, dominus autem non fuerit cum eo, reddet.

15 Si autẽ dominus fuerit cum eo, non reddet, ſi autẽ mercenarius fuerit, erit ei pro mercede eius.

16 Si quis autem deceperit virginem non deſponſatam, & dormierit cum ea: dote dotabit eam ſibi vxorem.

Si au-

## Chald. Paraph. Transl.

32 *Si autem ſeruum, aut ancillam cornu percuſſerit bos, triginta ſiclos argenti dabit domino ſuo, bos autem lapidabitur.*

33 *Et quando aliquis aperuerit ciſternam, aut quando aliquis vir foderit ciſternam, & non operuerit eam, cecideritque ibi bos, aut aſinus:*

34 *Dominus ciſternæ ſoluet argentum, quod reddet domino eius: & quod mortuum eſt ipſius erit.*

35 *Quando autem percuſſerit bos viri bouem proximi ſui, & mortuus fuerit: vendant bouem viuum, & diuidant pecuniam eius, pecuniam quoque mortui diuident.*

36 *Si autem notum fuerit, quòd bos cornupeta eſt ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum, dominus eius: ſoluet bouem pro boue, mortuus autem ipſius erit.*

### C A P. XXII.

1 *QVando furatus fuerit vir bouem, aut agnũ, & occiderit eum, aut vendiderit: ſoluet quinque boues pro boue, & quatuor oues pro agno.*

2 *Si autem ſuffodiens domum inuentus fuerit latro, & percuſſus fuerit, & mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis.*

3 *Si oculus teſtium fuerit ſuper eum, ſanguinis reus erit percuſſor, ſoluens ſoluet fur. Et ſi non habuerit, vendetur pro furto ſuo.*

4 *Si autem inuentum fuerit in manu eius, quod furto ſublatum fuerat, à boue vſque ad aſinum, & vſque ad agnum, ſi fuerint viui, duplum reſtituet.*

5 *Quando paſtum fecerit vir agrum, aut vineam, & dimiſerit iumentum ſuum, & paſcetur in agro alieno: quod melius eſt in agro ſuo, aut quod optimum eſt in vinea ſua reſtituet.*

6 *Quando egreſſus fuerit ignis, & inuenerit ſpinas, & ſuccenderit aceruos, aut ſegetẽ, aut agrũ integrum, reddet qui ſuccenderit ignẽ id quod ſuccenſum eſt.*

7 *Quando dederit vir proximo ſuo argentum, aut vaſa in cuſtodiam, & furto ſublata fuerint de domo viri: ſi inuentus fuerit fur, reſtituet duplum:*

8 *Si autem fur non fuerit inuentus, accedet dominus domus in conſpectu iudicum, ſi non extendit manum ſuam in illud quod tradidit illi proximus ſuus.*

9 *Super omnem rem delicti, ſuper bouem, ſuper aſinũ, ſuper agnum ſuper veſtimentum, ſuper omnem rem perditã, qui dixerit, ꝙ hæc eſt, in conſpectu iudicum veniat cauſa amborum: & quicumque condemnatus fuerit à iudicibus, reddet duplum proximo ſuo.*

10 *Quando dederit vir proximo ſuo aſinum, aut bouem, aut agnum, & omne iumentum in cuſtodiam, et mortuus fuerit, aut confractus, aut ductus in prædam, nullo vidente:*

11 *Iuramẽtum Domini erit inter ambos, quòd non extendit manum ſuam in illud quod tradidit ei proximus ſuus: & ſuſcipiet dominus ab eo iuramentum, & nihil reſtituet.*

12 *Si furto ſublatum fuerit ab eo, reſtituet domino ſuo.*

13 *Si dilaceratum fuerit, afferat quod dilaceratum eſt in teſtimonium, & non reſtituet.*

14 *Et quando mutuo acceperit vir à proximo ſuo, & confractum fuerit, ſiue mortuum, domino ſuo non exiſtente cum eo, reſtituens reddet.*

15 *Si dominus eius fuerit cum eo, non reſtituet, ſi conductum fuerit, computetur pro mercede eius.*

16 *Et quando ſeduxerit vir virginem quæ non eſt deſponſata, & concubuerit cum ea: deſponſabit eam ſibi in vxorem.*

Quod

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt.

18 Maleficos non patieris viuere.

19 Qui coierit cum iumento, morte moriatur.

20 * Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli. (* Leu. 19. 4)

21 Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti.

22 Viduæ, & pupillo non nocebitis. (Zach. 7. 10)

23 Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum:

24 Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.

25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes.

26 Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei.

27 Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: ſi clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum.

28 Dijs non detrahes, & * principi populi tui non maledices. (* Act. 23. 5)

29 Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere: * primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. (* Inf. 13. 2. & 34. 19. Num. 3. 13. & 18. 15. Inf. 34. 19.)

30 De bobus quoque, & ouibus ſimiliter facies: ſeptem diebus ſit cum matre ſua, die octaua reddes illum mihi.

31 Viri ſancti eritis mihi: carnem, quæ à beſtijs fuerit prægustata, non comedetis, ſed proijcietis canibus.

### CAP. XXIII.

1 Non ſuſcipies vocẽ mẽdacij: nec iunges manũ tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium.

2 Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero devies.

3 Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.

4 * Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. (* Deut. 22. 1.)

5 Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.

6 Non declinabis in iudicium pauperis.

7 Mendacium fugies. Inſontem, & iuſtum non occides: quia auerſor impium.

8 * Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. (* Deut. 16. 19. Eccl. 20. 31.)

9 Peregrino moleſtus non eris. ſcitis enim aduenarum animas: quia & ipſi * peregrini fuiſtis in terra Ægypti. (* Deut. 10. 19. Leui. 19. 33. Gen. 46. 5.)

10 Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius.

11 Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri: ita facies in vinea, & oliueto tuo.

12 Sex diebus operaberis: ſeptimo die ceſſabis, vt requieſcat bos, & aſinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Si renuendo renuerit pater eius dare eam ſibi, argentum appendet iuxta dotem virginum.*

18 *Maleficam non ſines viuere.*

19 *Omnis coiens cum animali, moriendo morietur.*

20 *Immolans dijs occidetur, præter quam Domino ſoli.*

21 *Et peregrino non inferes vim: & non opprimes eum, quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti.*

22 *Omnem viduam, & pupillum non affligetis.*

23 *Si affligendo afflixeris eum, quia ſi clamãdo clamauerit ad me, audiendo audiam clamorem eius.*

24 *Iraſcetur furor meus, & occidam vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.*

25 *Si pecuniam mutuaueris populo meo pauperi, qui eſt tecum: non eris ei ſicut vſurarius, non ponetis ſuper eum vſuram.*

26 *Si in pignus recipiendo in pignus receperis veſtimentum proximi tui, cũ occubuerit ſol reſtitues illud ei.*

27 *Quia eſt operimentum eius, tantum illud veſtimentum eſt pelli ſuæ, in quo dormiat: & erit ſi clamauerit ad me, exaudiam, quia miſericors ſum.*

28 *Iudicibus non maledices, & principi in populo tuo non maledices.*

29 *Primitias ſementis tuæ cum fuerint maturæ, & primitias vini tui inſtar lachrymæ deſcendentis à torculari non tardabis: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.*

30 *Sic facies boui tuo, pecori tuo: ſeptem diebus erit cum matre ſua, & die octauo dabis eum mihi.*

31 *Et viri ſancti eritis mihi: & carnem in agro raptam, non comedetis, cani proijcietis eam.*

### CAP. XXIII.

1 *Non ſuſcipies auditionem mendacem: ne ponas manum tuam cum impio, vt ſis teſtis mendax.*

2 *Non eris poſt multos ad mala: & non reſpondebis in cauſa, vt declines poſt multos ad declinandum.*

3 *Et pauperem non honorabis in cauſa ſua.*

4 *Si occurreris boui inimicantis tibi, vel aſino eius erranti, reducendo reduces eum illi.*

5 *Si videris aſinum odio habentis te cubantem ſub onere ſuo, & deſines auxiliari ei, auxiliando auxiliaberis ſecum.*

6 *Non declinabis iudicium mendici tui in cauſa eius.*

7 *A verbo mendacij elongabis te. Et innocentem, & iuſtum ne occidas: quia non iuſtificabo impium.*

8 *Et munus non accipies, quia munus excæcat videntes, & peruertit verba iuſtorum.*

9 *Et peregrinum non anguſtijs afficies. & vos noſtis animam peregrini: quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti.*

10 *Et ſex annis ſeres terram tuam, & congregabis prouentum eius.*

11 *Et ſeptimo relinques eam, & dimittes eam, & comedent mendici populi tui: & reſiduum eorum comedet beſtia agri: ſic facies vineæ tuæ, & oliueto tuo.*

12 *Sex diebus facies opera tua: & die ſeptimo requieſces, vt requieſcat bos tuus, & aſinus tuus: & requieſcat anima, filius ancillæ tuæ, & peregrini.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

17 Si autem renuens renuerit, & noluerit pater eius dare eam ipſi vxorem, argentum ſoluet patri pro eo, quanta eſt dos virginum.

18 Veneficos non ſinetis incolumes.

19 Omnem dormientem cum pecore morte interficite eos.

20 Sacrificans dijs, morte eradicabitur, niſi Domino ſoli.

21 Et aduenam non vexabitis, neque tribulabitis eum: fuiſtis enim aduenæ in terra Ægypto.

22 Omnem viduam, & pupillam non vexabitis.

23 Si autẽ vexatione vexaueritis eos, & vociferati clamauerint ad me, auditione exaudiam vocem eorũ:

24 Et iraſcar furore, & perimam vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & paruuli veſtri pupilli.

25 Si autem argentum mutuum dederis fratri proximo apud te: non eris eum vrgens, non impones ei vſuram.

26 Si autem pignus in pignus acceperis veſtimentum proximi, ante ſolis occaſum reddes ei.

27 Eſt enim hoc operimentum eius, ſolum hoc veſtimentum turpitudinis eius, in quo dormiet: ſi igitur clamauerit ad me, exaudiam eum, miſericors enim ſum.

28 Deos non maledices, & principem populi tui non maledices.

29 Primitias areæ, & torcularis tui non differes: primogenita filiorum tuorum dabis mihi.

30 Sic facies vitulum tuum, & ouem tuam, & ſubiugale tuum: ſeptem diebus erit ſub matre, octauo autem die reddes mihi illud.

31 Et viri ſancti eritis mihi: & carnem à beſtia captam non manducabitis, cani proijcite illam.

### C A P. XXIII.

1 NOn ſuſcipies auditionem vanam: non conſenties cum iniuſto, vt ſis teſtis iniuſtus.

2 Non eris cum pluribus in malitia: non apponeris cum multitudine declinare cum pluribus, vt excludas iudicium.

3 Et pauperis non miſereberis in iudicio.

4 Si autem obuiaueris boui inimici tui, aut ſubiugali eius errantibus, reducens reddes ei.

5 Si autem videris ſubiugale inimici tui, prolapſum ſub onere ſuo, non præteribis illud, ſed ſubleuabis illud cum eo.

6 Non peruertes iudicium pauperis in iudicio eius.

7 Ab omni verbo iniuſto recedes. Innocentem, & iuſtum non occides: & non iuſtificabis impium propter munera.

8 Et munera non accipies, munera enim excæcant oculos videntium, & peruertunt verba iuſta.

9 Et aduenam non tribulabitis, vos enim noſtis animam aduenæ: ipſi enim aduenæ fuiſtis in terra Ægypto.

10 Sex annis ſeminabis terram tuam, & colliges fructus eius.

11 Septimo autem remiſſionem facies, & requiem dabis illi, & edent pauperes gentis tuæ: quæ autem ſuperabunt, edent terræ beſtiæ: ſic facies vineam tuã, & oliuetum tuum.

12 Sex diebus facies opera tua: die autem ſeptimo requies, vt requieſcat bos tuus, & ſubiugale tuum: & vt refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.

Omnia

## Chald. Paraph. Transl.

17 *Quod ſi noluerit pater eius tradere ei illam, argentum in pondere reddet iuxta dotem virginum.*

18 *Malefica non viuat.*

19 *Omnis qui concubuerit cum iumento, morte moriatur.*

20 *Qui immolauerit idolis populorum, occidatur, præter nomini Domini ſolius.*

21 *Aduenam autem non decipietis, neque affligetis: quoniam aduenæ fuiſtis in terra Ægypti.*

22 *Nullam viduam, neque pupillum affligetis.*

23 *Quod ſi affligens afflixeris eum, & clamans clamauerit coram me, ſuſcipiens ſuſcipiã clamorem eius:*

24 *Et indignabitur furor meus, interficiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.*

25 *Si argentum commodaueris populo meo pauperi, qui habitat tecum: non eris ei quaſi fœnerator, nec imponetis ſuper eum vſuram.*

26 *Si pro pignore acceperis coopertorium proximi tui, ante ſolis occaſum reddes illud ei.*

27 *Quoniam ipſum eſt coopertorium eius, & ipſum eſt indumentum cutis eius, in quo cubabit: eritq; quando clamauerit coram me, ſuſcipiam clamorem eius, quia miſericors ego ſum.*

28 *Iudices non vilipendes, & principi in populo tuo non maledices.*

29 *Primitias frumenti tui, & vini non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum reſeruabis coram me.*

30 *Sic facies de bobus tuis, & de ouibus: ſeptem diebus erit cum matre ſua, & in die octauo ſeparabis eum coram me.*

31 *Et viri ſancti eritis coram me: & carnem dilaceratam à beſtia agri, non comedetis, canibus proijcietis eam.*

### C A P. XXIII.

1 *NOn ſuſcipies vocem mendacij: nec pones manum tuam cum iniquo, vt ſis ei teſtis falſus.*

2 *Non ſequeris multos ad malefaciendum: neque deſinas docere quod tibi videtur in iudicio: iuxta ſententiam plurimorum perfice iudicium.*

3 *Et pauperis non miſereaeris in iudicio.*

4 *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino errantibus, reducens reduces eos illi.*

5 *Quando videris aſinum odientis te iacentem ſub onere ſuo, & deſieris adiuuare eum: dimittens dimittes odium quod erat in corde tuo contra eum, & ſubleuabis cum eo.*

6 *Non declinabis iudicium pauperis tui in cauſa eius.*

7 *A verbis otioſis procul eris. Et eum qui fuerit iuſtificatus, & exierit iuſtus à iudicio, non occides: quia non iuſtificabo impium.*

8 *Et munera non accipies, quia munus excæcat oculos ſapientum, & peruertit verba iuſtorum.*

9 *Et aduenam non anguſtiabitis. vos enim ſcitis animam peregrini: quia aduenæ fuiſtis in terra Ægypti.*

10 *Et ſex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fructum eius.*

11 *Septimo autem anno dimittes eam, & relinques eam, & comedent pauperes populi tui: & quod illi reliquerint, comedet beſtia agri: ſic facies vineæ tuæ, & olineto tuo.*

12 *Sex diebus facies opera tua: in die autem ſeptimo requieſces, vt quieſcat bos tuus, & aſinus tuus: & quieſcat filius ancillæ tuæ, & peregrinus.*

*Et in*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Omnia quæ dixi vobis, cuſtodite. Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro.

14 Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.

*Exo.13.3. Exo.34.18. Deu.16.16. *Eccl.35.6.

15 Sollemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus comedes azyma, * ſicut præcepi tibi, tempore menſis nouorum, quando egreſſus es de Ægypto: * non apparebis in conſpectu meo vacuus.

16 Et ſollemnitatem meſſis primitiuorum operis tui, quæcumque ſeminaueris in agro. Sollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.

17 Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo.

18 Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps ſollemnitatis meæ vſque mane.

Deu.14.21. Exo.34.26.

19 Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

Deu.7.21.

20 Ecce ego mittam Angelum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui.

21 Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo.

22 Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

*Exo.33.2. Ioſ.24.11. Deu.7.22.

23 * Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Iebuſæum, quos ego conteram.

24 Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum.

25 Seruietiſque Domino Deo veſtro, vt benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.

26 Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo.

27 Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam:

Deu.7.8.

28 Emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæū, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.

29 Non eijciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ.

30 Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram.

31 Ponam autem terminos tuos à Mari rubro vſque ad Mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium: tradam in manibus veſtris habitatores terræ, & eijciam eos de conſpectu veſtro.

Deu.7.2. Exo.34.15.

32 Non inibis cum eis fœdus, nec cum dijs eorum.

33 Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſi ſeruieris dijs eorum: quod tibi certè erit in ſcandalum.

### CAP. XXIIII.

1 Moyſi quoque dixit: Aſcende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis procul.

2 Soluſque Moyſes aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus aſcendet cum eo.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et in omnibus quæ dixi vobis cauti eritis. Et nomen deorum aliorum non memorabitis, non audietur in ore tuo.*

14 *Tribus vicibus feſtum ages mihi in anno.*

15 *Sollemnitatem infermentatorum cuſtodies. Septem diebus comedes infermentata, quemadmodum præcepi tibi, tempore menſis Iulij, quia in eo egreſſus es ex Ægypto: & non conſpicientur coram me vacui.*

16 *Et ſollemnitatem meſſis primitiuorum operum tuorum, quæ ſeminaueris in agro. Et ſollemnitatem collectionis, quando egreditur annus, & quando collegeris opera tua ex agro.*

17 *Tribus vicibus in anno conſpicietur omnis maſculus tuus coram dominatore Domino.*

18 *Non immolabis ſuper fermentato ſanguinem victimæ meæ, & non pernoctabit adeps ſollemnitatis meæ, vſque manè.*

19 *Principium primitiarum terræ tuæ adduces in domum Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.*

20 *Ecce ego mitto Angelum coram te, vt cuſtodiat te in via, & introducat te in locum quem paraui.*

21 *Caue à facie eius, & audi vocem eius, ne exacerbes eum: quia non parcet præuaricationi veſtræ, quia nomen meum in medio eius.*

22 *Quia ſi audiendo audieris vocem eius, et feceris omnia quæ loquor, odio habebo, odio habentes te, & anguſtijs afficiam, anguſtijs afficientes te.*

23 *Quia ibit Angelus meus ante te, & introducet te ad Emorræum, & Chitthæum, & Perizæum, & Chenahanæum, & Chiuæum, & Iebuſæum, & ſuccidam eum.*

24 *Non incuruabis te dijs eorum, & non coles eos: & nō facies ſecundum opera eorum, ſed diruendo deſtrues eos, & confringendo confringes ſtatuas eorum.*

25 *Et coletis Dominum Deum veſtrum, & benedicet pani tuo, & aquis tuis, & remouebo infirmitatem è medio tui.*

26 *Nō erit abortiens, & ſterilis in terra tua: numerum dierum tuorum complebo.*

27 *Et terrorem meum mittam ante te, & perdam omnem populum ad quem ingredieris: & dabo omnes inimicos tuos tibi ceruicem vertentes.*

28 *Et mittam crabronem ante te, & expellet Chiuæū, & Chenahanæum, & Chitthæum à facie tua.*

29 *Non eijciā eū à facie tua anno vno: ne fortè ſit terra deſolata, & multiplicetur contra te beſtia agri.*

30 *Paulatim, paulatim eijciam eum à facie tua, donec creſcas, & hæreditate accipias terram.*

31 *Et ponam terminum tuum à Mari Suph, vſque ad Mare Peliſtim, & à deſerto vſque ad flumen: quia dabo in manu veſtra habitatores terræ, & eijciam eos à facie tua.*

32 *Non percuties cum eis, & dijs eorum fœdus.*

33 *Non habitabunt in terra tua, ne forte peccare faciant te mihi, quando colueris deos eorum: quia erit tibi in laqueum.*

### CAP. XXIIII.

1 *Et ad Moſeh dixit: Aſcende ad Dominum tu, & Aharon, Nadab, & Abihu, & ſeptuaginta è ſenioribus Iſrael, & incuruabitis vos procul.*

2 *Et accedet Moſeh tantum ad Dominum, & ipſi non appropinquabunt: & populus non aſcendet cum eo.*





UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

13 Omnia, quæcumque dixi ad vos, cuſtodite. Et nomen Deorum aliorum non rememorabitis, neque audietur de ore veſtro.

14 Tribus temporibus anni feſtum agite mihi.

15 Feſtum azymorum ſeruate facere. Septem diebus edetis azyma, ſicut præcepi tibi, ad tempus menſis nouorum; in ipſo enim egreſſus es de Ægypto: non apparebis in conſpectu meo vacuus.

16 Et feſtum meſſis primitiuorum facies operum tuorum, quæcumque ſeminaueris in agro tuo. Et feſtū conſummationis in exitu anni in collectione operum tuorum, quæ de agro tuo.

17 Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo.

18 Quando enim eiecero gentes à facie tua, & dilatauero fines tuos, non immolabis ſuper fermentum ſanguinem thymiamatis mei, neque dormiet adeps ſollemnitatis meæ vſque mane.

19 Primitias primitiuorum terræ tuæ inferes in domum Domini Dei tui. Non coques agnum in lacte matris ſuæ.

20 Et ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, vt ſeruet te in via, vt inducat te in terram, quam paraui tibi.

21 Attende tibi, & exaudi eum, & non ſis incredulus ei: non enim verebitur te, nomen enim meum eſt in eo. *

22 Si auditione audieritis vocem meā, & feceritis omnia quæcumque dixero vobis, inimicus ero inimicis tuis, & aduerſabor aduerſarijs tuis.

23 Ibit enim Angelus meus, ducens te, & introducet te ad Amorrhæum, & Chettæum, & Pherezæum, & Chananæum, & Gergeſæum, & Euæum, & Iebuſæum, & atteram eos.

24 Non adorabis deos eorum, neque ſeruies eis: non facies ſecundum opera eorum, ſed deſtructione deſtrues, & conterens conteres ſtatuas eorum.

25 Et ſeruies Domino Deo tuo, & benedicam panem tuum, & vinum tuum, & aquam tuam, & auertam infirmitatem à vobis.

26 Non erit, qui nō generet, neq; ſterilis ſuper terram tuam: numerum dierum tuorum replens replebo:

27 Et timorem mittam, qui te antecedat, & amentes faciam omnes gentes, ad quos tu intrabis ad eos: & dabo omnes aduerſarios tuos fugitiuos.

28 Et mittam veſpas ante te, & eijcies Amorrhæos, & Euæos, & Chananæos, & Chettæos à te.

29 Non eijciam eos in anno vno: vt ne fiat terra deſerta, & multæ fiant ſuper te beſtiæ terræ.

30 Paulatim eijciam eos à te, quoadusque auctus fueris, & hæreditaueris terram.

31 Et ponam fines tuos à Mari rubro vſque ad Mare ipſius Philiſtijm, & à deſerto vſque ad magnū flumen Euphratem: & tradam in manus tuas eos, qui inſident in terra, & eijciam eos à te.

32 Non diſpones illis, & dijs eorum pactum:

33 Et non conſident in terra tua, ne peccare te faciant ad me: nam ſi ſeruieris dijs eorum, hi erunt tibi offendiculum.

### C A P. XXIIII.

1 ET Moyſi dixit: Aſcende ad Dominum tu, & Aaron, & Nadab, & Abiud, & ſeptuaginta ſeniorum Iſrael, & adorabunt à longè Dominum:

2 Et accedet Moyſes ſolus ad Deum, ipſi autem non accedent: populus autem non aſcendet ſimul cum eis.

## Chald. Paraph. Transl.

13 *Et in omnibus quæ dixi vobis, eſtote admoniti. Et nominis idolorum populorum, non recordabimini, neque audietur in ore veſtro.*

14 *Tribus vicibus in anno celebrabitis feſta coram me.*

15 *Sollemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi in tempore menſis nouarum frugum, quoniam in eo egreſſus es de Ægypto: & non appareas in conſpectu meo vacuus.*

16 *Sollemnitatem quoque meſſis primitiuorum operū tui, quæ ſeminaſti in agro. Et ſollemnitatem congregationis in exitu anni, quando congregaueris opera tua de agro.*

17 *Tribus vicibus in anno apparebunt omnes maſculi tui coram dominatore ſæculi Domino.*

18 *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ, neque manebunt extra altare adipes ſacrificij ſollemnitatis vſque manè.*

19 *Principium primitiarum terræ tuæ afferes in ſanctuarium Domini Dei tui. Non comedes carnem cum lacte.*

20 *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, vt cuſtodiat te in via, & introducat te in locum quem præparaui.*

21 *Obſerua te à facie eius, & acquieſce verbo eius, ne ſis rebellis in conſpectu eius: quia non dimittet peccata veſtra, quoniā in nomine meo eſt verbum eius.*

22 *Quod ſi ſuſcipiens ſuſceperis verbum eius, & feceris omnia quæ locutus fuero, odio habebo inimicos tuos, & tribulabo tribulantes te:*

23 *Quia ibit Angelus meus ante faciem tuam, & introducet te ad Amorrhæos, & Ethæos, & Pherezæos, & Chananæos, & Euæos, & Iebuſæos, & diſperdam eos.*

24 *Non adorabis idola eorum, neque coles ea: neque facies ſecundum opera eorum, ſed deſtruens deſtrues eos, & confringens confringes ſtatuas eorum.*

25 *Seruietiſque coram Domino Deo veſtro, & benedicet cibum tuum, & potum tuum, & auferam infirmitates peſſimas de medio tui.*

26 *Non erit orbata, & ſterilis in terra tua: numerum dierum tuorum perficiam.*

27 *Terrorem meum mittam ante te, & conteram omnem populum ad quem tu ingredieris, vt pugnes contra eum: & ponam omnes inimicos tuos coram te terga vertentes.*

28 *Mittamq́; veſpam ante faciem tuam, & eijciet Euæos, Chananæos, & Ethæos à facie tua.*

29 *Non eijciam eos à facie tua in anno vno: ne terra ſit deſerta, & multiplicentur contra te beſtiæ agri.*

30 *Paulatim eijciam eos à facie tua, donec augearis, & poſſideas terram.*

31 *Ponamque terminum tuum à Mari rubro, vſque ad Mare Philiſtinorum, & à deſerto vſque ad Euphratem: quoniam tradam in manibus veſtris habitatores terræ, & eijciam eos à facie tua.*

32 *Non inibis cum eis pactum, nec cum idolis ſuis.*

33 *Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant coram me, neque ſeruias idolis eorum: quia in ſcandalum erunt tibi.*

### C A P. XXIIII.

1 *MOyſi autem dixit: Aſcende in conſpectū Domini tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael, & adorabitis à longè.*

2 *Et accedet Moyſes ſolus coram Domino, & illi non accedant: & populus non aſcendat cum eo.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Venit ergo Moyſes, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; reſponditque omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus. | 3 | 3 | Et venit Moſeh, & narrauit populo omnia verba Domini, & omnia iudicia; & reſpondit omnis populus voce vna, & dixerunt: Omnia verba, quæ locutus eſt Dominus faciemus. |
| | Scripſit autē Moyſes vniuerſos ſermones Domini: & manè cōſurgens ędificauit altare ad radices Mōtis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael. | 4 | 4 | Et ſcripſit Moſeh omnia verba Domini: & ſurrexit manè, & ædificauit altare ſub Monte, & duodecim titulos ſecundum duodecim tribus Iſrael. |
| | Miſitque iuuenes de filijs Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos. | 5 | 5 | Et miſit pueros filiorum Iſrael, & immolauerunt holocauſta, & ſacrificauerunt ſacrificia pacifica Domino, vitulos. |
| | Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. | 6 | 6 | Et tulit Moſeh dimidium ſanguinis, & poſuit in crateribus: & dimidium ſanguinis ſparſit ſuper altare. |
| | Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes: | 7 | 7 | Et tulit librum fœderis, & legit in auribus populi: & dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus & audiemus. |
| | Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. | 8 | 8 | Et tulit Moſeh ſanguinem, & ſparſit ſuper populum, & dixit: Ecce ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper omnibus verbis his. |
| Heb. 9. 20. | Aſcenderuntque Moyſes, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael: | 9 | 9 | Et aſcendit Moſeh, & Aharon, Nadab, & Abihu, & ſeptuaginta è ſenioribus Iſrael: |
| | Et viderunt Deum Iſrael: & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. | 10 | 10 | Et viderunt Deum Iſrael: & ſub pedibus eius erat ſicut opus lapidis ſapphirini, & ſicut aſpectus cœli in munditia. |
| | Nec ſuper eos, qui procul receſſerant de filijs Iſrael, miſit manum ſuam, videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt. | 11 | 11 | Et ad principes filiorum Iſrael, non miſit manum ſuam, & viderunt Deum, & comederunt, & biberunt. |
| | Dixit autem Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in Montem, & eſto ibi: daboq; tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi: vt doceas eos. | 12 | 12 | Dixitque Dominus ad Moſeh: Aſcende ad me in Montem, & eſto ibi: & dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & mandata, quæ ſcripſi ad docendum eos. |
| | Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius: aſcendenſque Moyſes in Montem Dei, | 13 | 13 | Et ſurrexit Moſeh, & Iehoſuah miniſter eius: & aſcendit Moſeh in Montem Dei. |
| | Senioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. | 14 | 14 | Et ad ſeniores dixit: Manete hic, donec reuertamur ad vos. Et ecce Aharon, & Chur ſunt vobiſcum: quiſquis habuerit cauſam, accedat ad eos. |
| | Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes Montem, | 15 | 15 | Et aſcendit Moſeh in Montem, & operuit nubes Montem. |
| | Et habitauit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocauit eum de medio caliginis. | 16 | 16 | Et habitauit gloria Domini ſuper montem Sinai, & operuit eum nubes ſex diebus: & vocauit Moſeh die ſeptimo è medio nubis. |
| | Erat autē ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem Montis in conſpectu filiorū Iſrael. | 17 | 17 | Et aſpectus gloriæ Domini erat tanquā ignis ardens in vertice Montis, in oculis filiorum Iſrael. |
| | Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in Montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. | 18 | 18 | Et ingreſſus eſt Moſeh in medium nubis, & aſcendit in Montem: & fuit Moſeh in Monte quadraginta dies, & quadraginta noctes. |
| | **CAP. XXV.** | | | **CAP. XXV.** |
| | LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 1 | 1 | ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo: |
| *Inf. 35. 5. | Loquere filijs Iſrael, vt tollant mihi primitias ab * omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas. | 2 | 2 | Loquere ad filios Iſrael, & accipiant mihi oblationem, ab omni viro, cuius cor ſponte offeret eam, capietis oblationem meam. |
| | Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, | 3 | 3 | Et iſta eſt oblatio, quam capietis ab eis: Aurum, & argentum, & æs, |
| | Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctū, & byſſum, pilos caprarum, | 4 | 4 | Et hyacinthum, & purpuram, coccum bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum. |
| | Et pelles arietum rubricatas, pelleſque ianthinas, & ligna ſetim: | 5 | 5 | Et pelles arietum rubricatas, & pelles taxorum, & ligna ſittim: |
| | Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris: | 6 | 6 | Oleum pro luminari: aromata pro oleo vnctionis, & pro thymiamate aromatum. |
| | Lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale. | 7 | 7 | Lapides onychinos, & lapides plenitudinum pro ephod, & pro pectorali. |
| | Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: | 8 | 8 | Et facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: |
| *Heb. 8. 5. | * Iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum eius: ſicque facietis illud: | 9 | 9 | Secundum omnia quæ ego videre facio te, ſimilitudinem habitaculi, & ſimilitudinem omnium vaſorum eius: & ſic facietis. |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Introiuit autem Moyſes, & narrauit populo omnia verba Dei, & iuſtificationes; reſpondit autem omnis populus voce vna, dicentes: Omnia verba, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & audiemus.

4 Et ſcripſit Moyſes omnia verba Domini: ſurgens autem Moyſes mane, ædificauit altare ſub Monte, & duodecim lapides in duodecim tribus Iſrael.

5 Et miſit adoleſcentes filiorum Iſrael, & obtulerunt holocauſtomata, & immolauerunt hoſtiam ſalutaris Deo vitulos.

6 Sumens autem Moyſes dimidium ſanguinis infudit in crateras: dimidium autem ſanguinis effudit ad altare.

7 Et accipiens librum teſtamenti recitauit in aures populi: & dixerunt: Omnia quæcumque locutus eſt Dominus, faciemus, & audiemus.

8 Sumens autem Moyſes ſanguinem, reſperſit populum, & dixit: Ecce ſanguis teſtamenti, quod diſpoſuit Dominus ad vos, de omnibus verbis his.

9 Et aſcendit Moyſes, & Aaron, & Nadab & Abiud, & ſeptuaginta ſeniorum Iſrael:

10 Et viderunt locum, vbi ſteterat Deus Iſrael: & quæ ſub pedibus eius, ſicut opus lateris ſapphiri, & ſicut ſpecies firmamenti cœli ipſa puritate.

11 Et de electis Iſrael, non diſſonuit, nec vnus, & apparuerunt in loco Dei, & manducauerunt, & biberunt.

12 Et dixit Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in Montem, & ſta ibi: & dabo tibi tabulas lapideas, legem, & mandata, quæ ſcripſi ad docendos eos:

13 Et ſurgens Moyſes, & Ieſus, qui aſtabat ei: aſcenderunt in Montem Dei,

14 Et ſenioribus dixerunt: Quieſcite hic, donec reuertamur ad vos. Et ecce Aaron, & Or vobiſcum: ſi cui acciderit iudicium, adeat ad eos.

15 Et aſcendit Moyſes, & Ieſus in Montem, & operuit nubes Montem,

16 Et deſcendit gloria Dei ſuper montem Sina, & operuit eum nubes ſex dies: & vocauit Dominus Moyſen die ſeptimo de medio nubis.

17 Species autem gloriæ Domini, tanquam ignis ardens ſuper cacumen Montis coram filijs Iſrael.

18 Et intrauit Moyſes in medium nubis, & aſcendit in Montem: & fuit ibi in Monte quadraginta dies, & quadraginta noctes.

### C A P. XXV.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Dic filijs Iſrael, & accipite primitias ab omnibus, quibuſcumque viſum fuerit cordi, & accipietis primitias meas.

3 Et hæc eſt primitia, quam accipietis ab eis: Aurum, & argentum, & æs,

4 Et hyacinthum, & purpuram, & coccum duplex, & byſſum tortam, & pilos caprinos,

5 Et pelles arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas, & ligna imputribilia, *

6

7 Et lapides Sardij, & lapides in ſculpturam ad ſuperhumerale, & poderem.

8 Et facies mihi ſanctuarium, & apparebo in vobis.

9 Et facies mihi ſecundum omnia, quæcumque tibi oſtendo in Monte, exemplum tabernaculi, & exemplum omnium vaſorum eius ſic facies.



## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Veniique Moyſes, & narrauit populo omnia verba Domini, & omnia iudicia; & reſponderunt omnis populus ſimul, atque dixerunt: Omnia verba, quæ locutus eſt Dominus, faciemus.*

4 *Scripſitq; Moyſes omnia verba Domini: & ſurrexit mane, & ædificauit altare in humiliori loco Montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael.*

5 *Miſitque primogenitos filiorum Iſrael, & obtulerũt holocauſta, immolaueruntque victimas ſanctificatas coram Domino boues.*

6 *Tulitque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & poſuit in crateras: & dimidiam partem ſanguinis aſperſit ſuper altare.*

7 *Aſſumpſitque librum fœderis, & legit coram populo: & dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & obediemus.*

8 *Tulitque Moyſes ſanguinem, & aſperſit ſuper altare, vt propitiaretur pro populo, & dixit: Ecce ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper omnia verba hæc.*

9 *Aſcenditq; Moyſes, & Aaron, & Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael:*

10 *Et viderunt gloriam Dei Iſrael: & ſub throno gloriæ eius quaſi opus lapidis precioſi, & quaſi aſpectus cœli cùm ſerenum eſt.*

11 *Principibus autem filiorum Iſrael nullum incommodum fuit, & viderunt gloriam Dei, & gauiſi ſunt in ſacrificijs ſuis, quæ accepta fuerunt, quaſi comediſſent, & bibiſſent.*

12 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Aſcende in conſpectu meo in Montẽ, & eſto ibi: & dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & mandata, quæ ſcripſi vt doceas eos.*

13 *Surrexitque Moyſes, & Ioſue miniſter eius: & aſcendit Moyſes in Montem in quo reuelata fuerat gloria Domini.*

14 *Senioribus autem dixit: Expectate nos hic, donec reuertamur ad vos. Et ecce Aaron, & Hur vobiſcum: quicumque habuerit iudicium, accedat coram eis.*

15 *Aſcenditque Moyſes in Montem, & cooperuit nubes Montem:*

16 *Et habitauit gloria Domini ſuper montẽ Sinai, cooperuitque eum nubes ſex diebus: & vocauit Moyſen in die ſeptimo de medio nubis.*

17 *Et viſio gloriæ Domini erat ſicut viſio ignis ardentis in vertice Montis in oculis filiorum Iſrael.*

18 *Et ingreſſus eſt Moyſes in medio nubis, aſcenditque in Montem: & fuit Moyſes in Monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

### C A P. XXV.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, vt ſeparent coram me ſeparationem primitiarum, ab omni viro, qui voluerit ex corde ſuo, accipietis ſeparationem meam.*

3 *Hæc eſt autem ſeparatio, quam tolletis ab eis: Aurum, & argentum, & æs,*

4 *Et hyacinthum, & purpuram, & coccinum, & byſſum, & pilos caprarum:*

5 *Et pelles arietum rubricatas, pelleſque taxorum, & ligna ſetim:*

6 *Oleum ad luminaria: aromata in oleum vnctionis, & incenſum aromatum:*

7 *Lapides onychinos, & lapides, vt impleant cælaturas ephod, & rationalis.*

8 *Et faciant coram me ſanctuarium, & habitare faciam maieſtatem meam in medio eorum.*

9 *Iuxta omnia quæ ego oſtendo tibi ſimilitudinem tabernaculi, & ſimilitudinem omnium vaſorum eius: ſic facietis.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Arcam de lignis ſetim compingite, cuius longitudo habeat duos, & ſemis cubitos: latitudo, cubitum, & dimidium: altitudo, cubitum ſimiliter, ac ſemiſſem. | 10 | 10 | Et facient arcam è lignis ſittim, duo cubiti, & dimidium erit longitudo eius: & cubitus, & dimidium latitudo eius: & cubitus, & dimidium altitudo eius. |
| Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus, & foris: faciesque ſupra, coronam auream per circuitum: | 11 | 11 | Et operies eam auro mundo intrinſecus, & extrinſecus operies eam: & facies ſuper eam coronam auream in circuitu. |
| Et quattuor circulos aureos, quos pones per quattuor arcæ angulos: duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero. | 12 | 12 | Et fundes ei quattuor annulos aureos, & pones in quattuor angulis eius: & duos annulos in latere eius vno, & duos annulos in latere eius ſecundo. |
| Facies quoque vectes de lignis ſetim, & operies eos auro. | 13 | 13 | Et facies vectes ex lignis ſittim, & cooperies eos auro. |
| Inducesque per circulos, qui ſunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis. | 14 | 14 | Et induces vectes in annulos in lateribus arcæ ad portandum arcam cum eis. |
| Qui ſemp erũt ĩ circulis, nec vnq̃ extrahẽt ab eis. | 15 | 15 | In annulis arcæ erũt vectes, nõ remouebũtur ab ea. |
| Ponesq; in arca teſtificationem, quam dabo tibi. | 16 | 16 | Et pones in arca teſtimonium, quod dabo tibi. |
| Facies, & propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius: & cubitum, ac ſemiſſem latitudo. | 17 | 17 | Et facies propitiatorium ex auro mundo: duorum cubitorum, & dimidij erit longitudo eius: & cubiti, & dimidij latitudo eius. |
| Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. | 18 | 18 | Et facies duos Cherubim aureos, ex auro ductili facies eos, à duabus extremitatibus propitiatorij. |
| Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero. | 19 | 19 | Et fac Cherub vnum ab extremo hinc, & Cherub alterum ab extremo inde à propitiatorio facietis Cherubim, à duabus extremitatibus eius. |
| Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca, | 20 | 20 | Et Cherubim expandent alas ſupernè tegentes alis ſuis propitiatorium, & facies eorum erit altera ad alteram ad propitiatorium erunt facies Cherubim, & pones propitiatorium ſuper arcam ſupernè, |
| In qua pones teſtimonium, quod dabo tibi. | 21 | 21 | Et in arca pones teſtimonium, quod dabo tibi. |
| Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Iſrael. | 22 | 22 | Et conueniam tecum ibi, & loquar tecum è propitiatorio, quod eſt inter duos Cherubim ſuper arcam teſtimonij, omnia quæ præcipiam tibi ad filios Iſrael. |
| Facies, & menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum, ac ſemiſſem. | 23 | 23 | Et facies menſam è lignis ſittim, duorum cubitorum erit longitudo eius, & cubitus latitudo eius, & cubitus, & dimidium altitudo eius. |
| Et inaurabis eam auro puriſſimo: faciesque illi labium aureum per circuitum, | 24 | 24 | Et teges eam auro mundo: & facies ei coronam auream in circuitu. |
| Et ipſi labio coronam interraſilem altam quattuor digitis: & ſuper illam, alteram coronam aureolam. | 25 | 25 | Et facies ei clauſuram quattuor digitorum in circuitu: & facies coronam auream clauſuræ eius in circuitu. |
| Quattuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quattuor angulis eiuſdem menſæ per ſingulos pedes. | 26 | 26 | Et facies ei quattuor annulos aureos, & pones annulos in quattuor angulis, qui ſunt in quattuor pedibus eius. |
| Subter coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. | 27 | 27 | Contra clauſuram erunt annuli intra vectes ad portandum menſam. |
| Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & circũdabis auro ad ſubuehendam menſam. | 28 | 28 | Et facies vectes è lignis ſittim, & operies eos auro, & feret cum illis menſa. |
| Parabis, & acetabula, ac phialas, & thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo. | 29 | 29 | Et facies ſcutulas eius, & cochlearia eius, & medios calamos, & cyathos eius, quibus libabitur ex auro mundo facies. |
| Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. | 30 | 30 | Et pones ſuper menſam panem facierum coram me iugiter. |
| Facies, & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & calamos, ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia. | 31 | 31 | Et facies candelabrum ex auro mundo, ductile fiet candelabrum, haſtile eius, & calamus eius, & ſphærula eius, & flores eius ex ipſo erunt. |
| Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. | 32 | 32 | Et ſex calami egredientur è lateribus eius, tres calami candelabri ex latere vno, & tres calami candelabri ex latere altero. |
| Tres ſcyphi quaſi ĩ nucis modũ p calamos ſingulos, ſphærulaq; ſimul, & liliũ: & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis ĩ calamo altero, ſphærulaq; ſimul, & liliũ. hoc erit opꝰ ſex calamorũ, q̃ pducẽdi ſũt de haſtili. | 33 | 33 | Tres calices amygdalati in calamo vno ſphærula, & flos: & tres calices amygdalati in calamo altero, ſphærula, & flos. ſic ſex calamis egredientibus è candelabro. |
| In ipſo autem candelabro erunt quattuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos, & lilia. | 34 | 34 | Et in candelabro erunt quattuor calices amygdalati, ſphærulæ eius, & flores eius. |
| Sphærulæ ſub duobus calamis per tria loca, qui ſimul ſex ſunt procedentes de haſtili vno. | 35 | 35 | Et ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, ſic ſex calamis egredientibus è candelabro. |



UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Et facies arcam teſtimonij ex lignis imputribilibus: duorum cubitorum & dimidij longitudo: & cubiti, ac dimidij latitudo: & cubiti, ac dimidij altitudo. | 10 | 10 | *Facientque arcam de lignis ſetim: duorum cubitorum, & dimidij erit longitudo eius: & cubiti: & dimidij latitudo eius: & cubiti & dimidij altitudo eius.* |
| Et inaurabis illam auro puro, intrinſecus, & extrinſecus inaurabis eam: & facies ei cymacia aurea tortilia in circuitu. | 11 | 11 | *Cooperieſque eam auro mundiſſimo intus, & foris: faciesque ſuper eam circulum aureum per circuitum.* |
| Et fabricabis illi quattuor annulos aureos, & impones ſuper quattuor latera: duos annulos in latere vno, & duos annulos in latere ſecundo. | 12 | 12 | *Et effundes ei quattuor annulos aureos, & pones ſuper quattuor angulos eius: duoque annuli in latere vno, & duo annuli in latere altero.* |
| Facies autem geſtatoria, ligna imputribilia, & inaurabis ea auro. | 13 | 13 | *Facieſque vectes ex lignis ſetim, & operies eos auro.* |
| Et introduces geſtatoria in annulos, qui ſunt in lateribus arcæ, ad portandum arcam in eis. | 14 | 14 | *Induceſque vectes per annulos in lateribus arcæ, vt portetur arca in eis.* |
| In annulis arcæ erunt geſtatoria immobilia. | 15 | 15 | *In annulis arcæ erunt vectes, non auferantur ab ea.* |
| Et iniicies in arcam teſtimonia, quæ dedero tibi. | 16 | 16 | *Poneſq; in arca teſtamentum, quod dabo tibi.* |
| Et facies propitiatorium, opertorium auri puri: duorum cubitorum, & dimidij longitudo: & cubiti, ac dimidij latitudo. | 17 | 17 | *Facieſque propitiatorium ex auro puriſſimo: duos cubitos, & dimidium habebit longitudo eius: & cubitum, & dimidium latitudo eius.* |
| Et facies duos Cherubim aureos tornatiles, & impones eos ex vtriſque lateribus propitiatorij. | 18 | 18 | *Facieſque duos Cherubim de auro ductili, facies eos ex duobus lateribus propitiatorij:* |
| Fiant, Cherub vnus è latere hoc, & Cherub vnus è latere ſecundo propitiatorij. Et facies duos Cherubim ſuper duo latera, | 19 | 19 | *Facieſque vnum Cherub ex latere eius hinc, & Cherub vnum ex latere eius inde ex propitiatorio facietis Cherubim ſuper duo latera eius.* |
| Erunt Cherubim extendentes alas deſuper, obumbrantes in alis ſuis ſuper propitiatorium, & facies eorum ad ſe inuicem, in propitiatorium erunt vultus ipſorum Cherubim: & impones propitiatorium ſuper arcam deſuper: | 20 | 20 | *Eruntque Cherubim expandentes alas ſuas ſurſum obumbrantes alis ſuis ſuper propitiatorium, & facies vniuſcuiuſque è regione alterius, contra propitiatorium erunt facies Cherubim: poneſq; propitiatorium ſuper arcam deſuper:* |
| Et in arcam iniicies teſtimonia, quæ dedero tibi. | 21 | 21 | *Et in arca pones teſtimonium, quod dabo tibi.* |
| Et innoteſcam tibi inde, & loquar tibi de ſurſum propitiatorij inter duos Cherubim exiſtentes ſuper arcam teſtimonij, & ſecundum omnia, quæcumque mandauero tibi ad filios Iſrael. | 22 | 22 | *Et ſtatuam ibi verbum meum tibi, & loquar tecum deſuper propitiatorio de medio duorum Cherubim, qui ſunt ſuper arcam teſtimonij, omnia quæ mandabo tibi ad filios Iſrael.* |
| Et facies menſam auream auri puri, duorum cubitorum longitudo: & cubiti latitudo: & cubiti, ac dimidij altitudo. | 23 | 23 | *Facieſque menſam de lignis ſetim, duos cubitos habebit lõgitudo eius: & cubitum vnum latitudo eius: & cubitum, & dimidium altitudo eius.* |
| Et facies ei tortilia cymacia aurea in circuitu. | 24 | 24 | *Cooperieſque eam auro mundiſſimo: & facies ei circulum aureum per circuitum,* |
| Et facies ei coronam palmi in circuitu: & facies tortile cymacium coronæ in circuitu. | 25 | 25 | *Facieſque ei coronam interraſilem altam pugillo per circuitum: & facies circulum aureum ipſi coronæ interraſili per circuitum.* |
| Et facies quattuor annulos aureos, & impones quattuor annulos in quattuor partes pedum illius ſub corona. | 26 | 26 | *Facieſque ei quattuor annulos aureos, & pones eos ſuper quattuor angulos, qui ſunt ad quattuor pedes eius.* |
| Et erunt annuli in thecas ipſis geſtatorijs, ad portandum in eis menſam. | 27 | 27 | *Contra coronam interraſilem erunt annuli, vt mittantur per eos vectes, vt portetur menſa.* |
| Et facies geſtatoria de lignis imputribilibus, & inaurabis ea auro puro, & portabitur in eis menſa. | 28 | 28 | *Facieſque vectes ex lignis ſetim, & cooperies eos auro, & portabunt cum eis menſam.* |
| Et facies catinos eius, & thuribula, & libatoria, & cyathos, in quibus libabis in eis, ex auro puro facies ea. | 29 | 29 | *Facieſque acetabula eius, & phialas eius, & thuribula eius, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo facies ea.* |
| Et impones ſuper menſam panes præſentes coram me ſemper. | 30 | 30 | *Et pones ſuper menſam panem propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* |
| Et facies candelabrum ex auro puro, tornatile facies candelabrum, haſtile eius, & calami ſui, & crateres, & ſphærulæ, & lilia ex ipſo exiſtent. | 31 | 31 | *Facieſq; candelabrum de auro mundiſſimo, ductile facies candelabrũ, haſtile eius, & calamus eius, ſcyphiq; eius, ſphærulæ eius, & lilia eius ex ipſo erunt.* |
| Sex autem calami exeuntes è lateribus, tres calami candelabri è latere vno eius, & tres calami candelabri è latere ſecundo: | 32 | 32 | *Et ſex calami egredientur de lateribus eius, tres calami ex vno latere candelabri, & tres calami ex ſecundo latere candelabri.* |
| Et tres crateres reddentes formam nucum: in vno calamo ſphærula, & lilium. ſic ſex calamis exeuntibus è candelabro. | 33 | 33 | *Tres ſcyphi figurati in calamo vno, ſphærula, & lilium: & tres ſcyphi figurati in calamo vno, ſphærula, & lilium. ſic facies in ſex calamis, qui egrediuntur de candelabro.* |
| Et in candelabro quattuor crateres reddentes formam nucum, in vno calamo ſphærulæ, & lilia eius. | 34 | 34 | *Et in candelabro erunt quattuor ſcyphi figurati, ſphærula eius, & lilia eius.* |
| Sphærula ſub duobus calamis ex eo, & ſphærula ſub quattuor calamis ex eo: ſic ſex calamis exeuntibus è candelabro, & in candelabro quattuor crateres formati in modum nucum: | 35 | 35 | *Sphærulaque ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius: ſic facies ſex calamos, qui egrediuntur de candelabro.* |

## Vulgat. Editio.

36 Et ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erunt, vniuerſa ductilia de auro puriſſimo.

37 Facies, & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, vt luceant ex aduerſo.

38 Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo.

39 Omne pondus candelabri cum vniuerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi.

40 * Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in Monte monſtratum eſt.

* Heb. 8. 5. Act. 7. 44.

### CAP. XXVI.

1 Tabernaculum vero ita facies: Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.

2 Longitudo cortinæ vnius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quattuor cubitorum erit. Vnius menſuræ fient vniuerſa tentoria.

3 Quinque cortinæ ſibi iungentur mutuo, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt.

4 Anſulas hyacinthinas in lateribus, ac ſummitatibus facies cortinarum, vt poſſint inuicem copulari.

5 Quinquagenas anſulas cortina habebit in vtraque parte, ita inſertas, vt anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit aptari.

6 Facies, & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela iungenda ſunt, vt vnum tabernaculum fiat.

7 Facies, & ſaga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi.

8 Longitudo ſagi vnius habebit triginta cubitos: & latitudo, quattuor: æqua erit menſura ſagorum omnium.

9 E quibus quinque iunges ſeorſum, & ſex ſibi mutuo copulabis, ita vt ſextum ſagum in fronte tecti duplices.

10 Facies, & quinquaginta anſas in ora ſagi vnius, vt coniungi cum altero queat: & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, vt cum altero copuletur.

11 Facies, & quinquaginta fibulas æneas, quibus iungantur anſæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat.

12 Quod autem ſuperfuerit in ſagis, quæ parantur tecto, id eſt vnum ſagum quod amplius eſt, ex medietate eius operies poſteriora tabernaculi.

13 Et cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus eſt in ſagorum longitudine, vtrumque latus tabernaculi protegens.

14 Facies, & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de ianthinis pellibus.

15 Facies, & tabulas ſtantes tabernaculi de lignis ſetim.

16 Quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine ſingulos, ac ſemiſſem.

17 In lateribus tabulæ, duæ incaſtraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

18 Quarum viginti erunt in latere Meridiano, quod vergit ad Auſtrum.

19 Quibus quadraginta baſes argenteas fundes, vt binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubijciantur.

In

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 *Sphærula eorum, & calami eorum ex ipſo erunt totum ipſum ductile vnum, ex auro mundo.*

37 *Et facies lucernas eius ſeptem, & accendere fac lucernas eius, & lucere fac contra faciem eius.*

38 *Et forcipes ipſius, & receptacula eius ex auro mundo.*

39 *Et talento auri mundi faciet illud, & omnia vaſa iſta.*

40 *Et vide, & fac ſecundum ſimilitudinem eorũ, quam tu factus es videre in Monte.*

### CAP. XXVI.

1 *Et tabernaculum facies: E decem cortinis è byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & vermiculo cocco, Cherubim opere phrygionico facies.*

2 *Longitudo cortinæ vnius erit octo, & viginti cubitorum: & latitudo quattuor cubitorũ cortinæ vnius. Menſura vna erit omnibus cortinis.*

3 *Quinque cortinæ erunt coniunctæ altera ad alteram, & quinque cortinæ coniunctæ altera ad alteram.*

4 *Et facies laqueolos hyacinthinos ſuper oram cortinæ vnius ab extremo in coniunctione, & ſic facies in ora cortinæ extremæ in coniunctione ſecunda.*

5 *Quinquaginta laqueolos facies in cortina vna, & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ, quæ eſt in coniunctione ſecunda, oppoſiti erunt laqueoli alter ad alterum.*

6 *Et facies quinquaginta vncinos aureos, & coniunges cortinas alteram ad alteram cum vncinis, & erit tabernaculum vnum.*

7 *Et facies cortinas è pilis caprarum tecto ſuper tabernaculum, vndecim cortinas facies.*

8 *Longitudo cortinæ vnius triginta cubitorum: & latitudo quattuor cubitorum cortinæ vnius: menſura vna erit vndecim cortinis.*

9 *Et coniunges quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum, & duplicabis cortinam ſextam contra faciem tecti.*

10 *Et facies quinquaginta laqueolos in ora cortinæ vnius extremæ in coniunctione: & quinquaginta laqueolos in ora cortinæ coniunctionis ſecundæ.*

11 *Et facies vncinos æreos quinquaginta, & induces vncinos in laqueolos, & coniunges tectum, & erit vnum.*

12 *Et ſuperfluitas, quæ ſuperfluit in cortinis tecti, dimidium cortinæ, quæ ſuperfluit ſuperfluet in poſterioribus tabernaculi.*

13 *Et cubitus hinc, & cubitus inde in ſuperfluente in longitudine cortinarum tecti, erit ſuperfluum in lateribus tabernaculi hinc, & inde ad tegendum illud.*

14 *Et facies operimentum tecto è pellibus arietum rutilantibus: & operimentum è pellibus taxorum ſupernè.*

15 *Et facies tabulas tabernaculo è lignis ſittim ſtantes.*

16 *Decem cubitorum longitudo tabulæ, & cubiti, & dimidij cubiti, latitudo tabulæ vnius.*

17 *Duæ incaſtraturæ erunt tabulæ vni, diſpoſitæ altera ad alteram: ſic facies omnibus tabulis tabernaculi.*

18 *Et facies tabulas tabernaculo, viginti tabulas ad latus Meridianum ad Auſtrum.*

19 *Et quadraginta baſes argenteas facies ſubter viginti tabulas, duas baſes ſubter tabulam vnam, duabus incaſtraturis eius, & duas baſes ſubter tabulam alteram duabus incaſtraturis eius.*

*Et la-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

36 Sphærulæ, & calami in ipſo exiſtant, totum tornatile ex vno auro puro.
37 Et facies lucernas eius ſeptem, & impones lucernas, & lucebunt ab vna facie.
38 Et emunctorium eius, & ſuppoſitoria eius ex auro puro facies.
39 Omnia vaſa hæc talentum auri puri.
40 Vide, facies iuxta typum oſtenſum tibi in Monte.

### C A P. XXVI.

1 ET tabernaculum facies: Decem aulæa de byſſo torta, & hyacintho, & purpura, & cocco torto, Cherubim opere textoris facies ea.
2 Longitudo aulæi vnius, octo & viginti cubitorum: & latitudo quattuor cubitorum aulæum vnum erit. Menſura eadem erit omnibus aulæis.
3 Quinque autem aulæa erunt ad inuicem coniuncta alterum ex altero, & quinque aulæa erunt cohærentia alterum alteri.
4 Et facies illis anſas hyacinthinas ſuper labiũ aulæi vnius ex vna parte in commiſſurã, & ſic facies ſuper labium aulæi exterioris ad commiſſuram ſecũdam.
5 Quinquaginta anſas facies aulæo vni, & quinquaginta anſas facies ex parte aulæi ad commiſſuram ſecundi, faciem contra faciem concurrentes ad inuicem ad vnamquamque.
6 Et facies circulos quinquaginta aureos, & coniunges aulæum alterum ad alterum circulis, & erit tabernaculum vnum.
7 Et facies vela capillacea tegmen ſuper tabernaculum, vndecim vela facies ea.
8 Longitudo veli vnius, triginta cubitorum: & quattuor cubitorum latitudo veli vnius: eadem menſura erit vndecim velis.
9 Et coniunges quinque vela in ſe, & ſex vela in ſe, & duplicabis velum ſextum ſecundum faciem tabernaculi.
10 Et facies anſas quinquaginta ſuper labium veli vnius, quod eſt intermedium ſecundum commiſſuram: & quinquaginta anſas facies ſuper labium veli, quod coniunctum eſt ad ſecundum.
11 Et facies circulos æreos quinquaginta, & coniunges circulos ex anſis, & coniunges vela, & erit vnum.
12 Et ſuppones quod ſuperauerit in velis tabernaculi, dimidiũ veli reſiduum ſubteges in eo, quod abundat de velis tabernaculi, ſubteges poſt tabernaculum,
13 Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod ſuperat de velis, de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens ſuper latera tabernaculi hinc, atque hinc, vt operiat.
14 Et facies operimentum tabernaculo pelles arietum rubricatas: & coopercula pelles hyacinthinas deſuper.
15 Et facies columnas tabernaculi ex lignis imputribilibus:
16 Decem cubitorum facies columnam vnam, & cubiti vnius, ac dimidij latitudinem columnæ vnius:
17 Duos anconiſcos columnæ vni, contracadentes vnum alteri: ſic facies omnibus columnis tabernaculi.*
18 Et latus ſecundum, quod contra Auſtrum viginti columnas,
19 Et quadraginta baſes earum argenteas, duas baſes columnæ vni in ambas partes eius, & duas baſes columnæ vni in ambas partes eius.*

*Quæ infra aſteriſ. claudũtur in Romana Editione hic habentur.



## Chald. Paraph. Tranſl.

36 *Sphærulæ earum, & calami ex ipſo erunt omnia ductilia ex auro mundiſſimo.*
37 *Facieſque ſeptem lucernas eius, & incendes lucernas, vt luceant contra faciem eius.*
38 *Et forcipes eius, & thuribula eius ex auro mundiſſimo.*
39 *Ex talento auri mundiſſimi facies illud, & omnia vaſa hæc.*
40 *Inſpiceque, & fac iuxta ſimilitudinem eorum, quæ monſtrata ſunt tibi in Monte.*

### C A P. XXVI.

1 *TAbernaculum verò facies: Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & cocco, figuras Cherubim facies, opere artificis facies eas.*
2 *Longitudo cortinæ vnius erit viginti & octo cubitorum: & latitudo eiuſdem cortinæ quattuor cubitorum. Menſura vna erit omnium cortinarum.*
3 *Quinque cortinæ erunt coniunctæ vna cum alia, & quinque cortinæ erunt coniunctæ vna cum alia.*
4 *Facieſq; anſulas ex hyacintho ſuper ora cortinæ vnius in latere quo iungenda eſt, & ſimiliter facies in ora ſecundæ cortinæ in loco quo iungenda eſt.*
5 *Quinquaginta anſulas facies in cortina vna, & quinquaginta anſulas facies in latere cortinæ ſecundæ, in loco quo iungenda eſt, reſpicientibus ſe mutuò anſulis, ita vt anſula ſit è regione alterius.*
6 *Facieſque quinquaginta fibulas ex auro, & coniunges vnamquamque cortinam cum altera fibulis, & erit tabernaculum vnum.*
7 *Facieſq; cortinas de pilis caprarum, vt extendantur ſuper tabernaculum, vndecim cortinas facies.*
8 *Longitudo cortinæ vnius habebit triginta cubitos: & latitudo eiuſdem cortinæ habebit quattuor cubitos: menſura vna erit vndecim cortinis.*
9 *Et iunges quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum, & duplicabis cortinam ſextam, quæ eſt ſuper faciem tabernaculi.*
10 *Et facies quinquaginta anſulas in ora cortinæ vnius in latere quo iungenda eſt: & quinquaginta anſas in ora cortinæ ſecundæ, in loco quo iungenda eſt.*
11 *Facieſque quinquaginta fibulas ex ære, & induces fibulas in anſulis, & coniunges tabernaculum vt ſit vnum.*
12 *Et quod ſupereſt ex cortinis tabernaculi, dimidium ſcilicet cortinæ quæ ſupereſt, extendes ſuper poſteriora tabernaculi.*
13 *Et cubitus hinc, & cubitus indè, qui ſupereſt in longitudine cortinarum tabernaculi, extendatur ſuper latera tabernaculi hinc, & inde, vt cooperiat illud.*
14 *Facieſque coopertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: & aliud coopertorium de pellibus taxonum deſuper.*
15 *Facieſque tabulas ſtantes tabernaculo de lignis ſetim.*
16 *Decem cubitos habebit longitudo tabulæ, & cubitũ, & dimidium latitudo tabulæ vnius.*
17 *Duos cardines habebit vnaquæque tabula, & duabus incaſtraturis erunt coniunctæ vna cum alia: ſic facies in omnibus tabulis tabernaculi.*
18 *Facieſque viginti tabulas tabernaculo ad latus Meridianum:*
19 *Et quadraginta baſes argenteas facies ſub viginti tabulis, duæ baſes erunt ſub tabula vna in duobus cardinibus eius, & duæ baſes ſub tabula alia in duobus cardinibus eius.*

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| In latere quoque ſecundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, | 20 | 20 | *Et lateri tabernaculi ſecundo ad plagam Aquilonis, viginti tabulas.* |
| Quadraginta habentes baſes argenteas, binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur. | 21 | 21 | *Et quadraginta baſes earum argenteas, duas baſes ſubter tabulam vnam, & duas baſes ſubter tabulam alteram.* |
| Ad Occidentalem vero plagam tabernaculi facies ſex tabulas, | 22 | 22 | *Et ad latera tabernaculi ad Occidentem facies ſex tabulas.* |
| Et rurſum alias duas, quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi. | 23 | 23 | *Et duas tabulas facies in angulis tabernaculi in lateribus.* |
| Eruntque coniunctæ à deorſum vſq; ſurſum, & vna oēs cōpago retinebit. Duabus quoq; tabulis, quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur. | 24 | 24 | *Et erunt geminatæ infernè, & pariter erunt geminatæ ſuper caput eius ad anulum vnum. Sic erit ambabus ipſis, in duobus angulis erunt.* |
| Et erunt ſimul tabulæ octo, baſes earum argenteæ ſexdecim, duabus baſibus per vnam tabulam ſupputatis. | 25 | 25 | *Et erunt octo tabulæ, & baſes earum argenteæ, ſexdecim baſes, duæ baſes ſubter tabulam vnam, & duæ baſes ſubter tabulam alteram.* |
| Facies & vectes de lignis ſetim quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, | 26 | 26 | *Et facies vectes è lignis ſittim quinque tabulis lateris tabernaculi vnius,* |
| Et quinque alios in altero, & eiuſdem numeri ad Occidentalem plagam: | 27 | 27 | *Et quinque vectes tabulis lateris tabernaculi ſecundi, & quinque vectes tabulis lateris tabernaculi ad latera ad Occidentem.* |
| Qui mittentur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum. | 28 | 28 | *Et vectis medius in medio tabularum erit trāſiens ab extremo ad extremum.* |
| Ipſas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis anulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. | 29 | 29 | *Et tabulas teges auro, & anulos earum facies ex auro loca vectibus: & cooperies vectes auro.* |
| Et eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in * Monte monſtratum eſt. | 30 | 30 | *Et ſurgere facies tabernaculum ſecundum diſpoſitionem eius, quam factus es videre in Monte.* |
| Facies, & velum de hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum: | 31 | 31 | *Et facies velum ex hyacintho, & purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta, opere phrygionico facies illud cum figuris Cherubim.* |
| Quod appendes ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, ſed baſes argenteas. | 32 | 32 | *Et pones illud ſuper quattuor columnis ſittim obductis auro, & vncini earum aurei ſuper quattuor baſes argenteas.* |
| Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam teſtimonij. Quo & Sanctuarium, & Sanctuarij ſanctuaria diuidentur. | 33 | 33 | *Et pones velum ſubter vncinos, & introduces illuc intra velum arcam teſtimonij. Et diuidet velum vobis inter ſanctitatem, & inter ſanctitatem ſanctitatum.* |
| Pones, & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in Sancto ſanctorum: | 34 | 34 | *Et pones propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſanctitate ſanctitatum.* |
| Menſamque extra velum: & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi Meridiano: menſa enim ſtabit in parte Aquilonis. | 35 | 35 | *Et pones menſam extra velum: & candelabrum contra menſam in latere tabernaculi ad Auſtrum: & menſam pones in latere Aquilonis.* |
| Facies, & tētorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarij. | 36 | 36 | *Et facies aulæum ad oſtium tabernaculi ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & byſſo retorta opere acu pictoris.* |
| Et quinque columnas deaurabis lignorum ſetim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & baſes æneæ. | 37 | 37 | *Et facies aulæo quinque columnas ſittinas, & cooperies eas auro: & vncini earum aurei, & fundes eis quinque baſes æreas.* |
| **CAP XXVII.** | | | **CAP. XXVII.** |
| FAcies, & altare de lignis ſetim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos in altitudine. | 1 | 1 | *ET facies altare è lignis ſittim quinque cubitorum erit longitudo, & quinque cubitorum latitudo, quadrum erit altare, & trium cubitorum altitudo eius.* |
| Cornua autem per quattuor angulos ex ipſo erūt: & operies illud ære. | 2 | 2 | *Et facies cornua eius in quattuor angulis eius, ex ipſo erunt cornua eius: & cooperies illud ære.* |
| Facieſque in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula. Omnia vaſa ex ære fabricabis. | 3 | 3 | *Et facies lebetes eius ad remouendum cinerē eius, & ſcopas eius, & crateras eius, & fuſcinulas eius, & receptacula eius. Omnia vaſa eius facies ex ære.* |
| Craticulamque in modum retis æneam: per cuius quattuor angulos erunt quattuor annuli ænei: | 4 | 4 | *Et facies ei cribrum opere reticulato æreum: & facies in reti quattuor annulos in quattuor extremitatibus eius:* |
| Quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula vſque ad altaris medium. | 5 | 5 | *Et pones illud ſubter ambitum altaris infernè: & erit rete vſque ad medium altaris.* |
| Facies, & vectes altaris de lignis ſetim duos, quos operies laminis æneis, | 6 | 6 | *Et facies vectes altari, vectes è lignis ſittim, & cooperies eos ære.* |
| Et induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. | 7 | 7 | *Et inducētur vectes eius in annulos, & erunt vectes in duobus lateribus altaris ad ferendum illud.* |

Margin: * ſup.14.10. (beside verse 30–31); Inf.38.6. (beside Cap. XXVII, 1)

Non — Cum

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 *Et facies columnas tabernaculo, viginti columnas ab latere quod reſpicit ad Aquilonem.

21 Et quadraginta baſes argenteas facies viginti columnis, baſes duas colũnę vni in ambas partes eius & baſes duas columnæ vni in ambas partes.*

22 Et retro tabernaculum ſecundum partem, quæ eſt contra mare facies ſex columnas.

23 Et duas columnas facies in angulis tabernaculi à poſterioribus,

24 Et erunt æquales deorſum verſus, in ſe conuenientes erunt, æquales de capitibus in commiſſuram vnam. Sic facies vtriſque angulis binis ęquales ſint.

25 Et erunt octo columnæ, & baſes earum argenteæ ſexdecim, duæ baſes columnæ vni in ambas partes eius, & duæ baſes columnæ vni.

26 Et facies ſeras de lignis imputribilibus quinque vni columnæ ex vna parte tabernaculi,

27 Et quinque ſeras columnæ vni lateri tabernaculi ſecundo, & quinque ſeras columnæ poſteriori lateri tabernaculi, quod eſt ad mare.

28 Et ſera media inter medias columnas pertranſeat ab vno latere in alterum latus.

29 Et columnas inaurabis auro, & annulos facies aureos, in quos induces ſeras: & inaurabis ſeras auro.

30 Et eriges tabernaculum ſecundum ſpeciem, quæ tibi monſtrata eſt in Monte.

31 Et facies velamen de hyacintho, & purpura, & cocco torto, & byſſo neta, opus textile facies illud Cherubim.

32 Et ſuperimpones illud ſuper quatuor columnas imputribiles inauratas auro, & capita earum aurea, & baſes earum quatuor argenteæ.

33 Et pones velamen ſuper columnas, & induces illuc intra velamen arcam teſtimonij. Et diuidet vobis velamen inter medium ſanctum, & inter medium ſanctum ſanctorum.

34 Et cooperies velamine arcam teſtimonij in ſancto ſanctorum.

35 Et impones menſam extra velamen: & candelabrũ contra menſam in parte tabernaculi, quæ reſpicit ad Auſtrum, & menſam pones in parte tabernaculi, quæ reſpicit ad Aquilonem.

36 Et facies adductorium oſtio tabernaculi de hyacintho, & purpura, & cocco torto, & byſſo torta, opus variatoris.

37 Et facies velamini quinque columnas, & inaurabis illas auro: & capita earum aurea, & conflabis eis quinque baſes æreas.

### CAP. XXVII.

1 ET facies altare ex lignis imputribilibus, quinque cubitorum longitudo, & quinque cubitorum latitudo, quadrangulum erit altare, & quinque cubitorum altitudo eius:

2 Et facies cornua in quatuor angulos, ex ipſo erunt cornua: & teges illa ære.

3 Et facies coronam altari, & operculũ eius, & phialas eius, & fuſcinulas eius, & focum eius, & omnia vaſa eius facies ænea.

4 Et facies ei craticulam opere reticulato æneam: & facies craticulæ quatuor annulos æneos ad quatuor latera:

5 Et ſuppones eos ſub craticula altaris ab imo: erit autem craticula vſque ad medium altaris.

6 Et facies altari geſtatoria ex lignis imputribilibus, & inærabis ea æramento.

7 Et introduces geſtatoria in annulos, & ſint geſtatoria ſecundum latera altaris in portando illud.

Con-

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Et in latere ſecundo tabernaculi ad plagam Aquilonarem erunt viginti tabulæ.*

21 *Et quadraginta baſes argenteæ, duæ baſes ſub vna tabula, & duæ baſes ſub alia tabula.*

22 *Et ad poſteriorem partem Occidentalem tabernaculi facies ſex tabulas.*

23 *Et duas tabulas facies ad angulos tabernaculi in extremitate eius.*

24 *Et erunt coniunctæ ab inferiori parte, ſimulq́; erunt coniunctæ in capite ſuo in annulo vno. Sic erit ambobus, hoc eſt duobus angulis.*

25 *Eruntque octo tabulæ, & baſes earum ſexdecim argenteæ, duæ baſes ſub vna tabula, & duæ baſes ſub alia tabula.*

26 *Et facies quinque vectes de lignis ſetim, ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi,*

27 *Et quinq; alios vectes ad cõtinẽdas tabulas lateris ſecũdi tabernaculi, & quinque vectes ad cõtinẽdas tabulas poſterioris partis tabernaculi ad Occidentẽ.*

28 *Et vectis medius qui mittetur per medias tabulas, tranſibit à ſummo vſque ad ſummum.*

29 *Tabulas autem cooperies auro, & anulos earum facies aureos, vt ſint loca vectibus: vectes quoque cooperies auro.*

30 *Et eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in Monte monſtratum eſt.*

31 *Faciesque velum de hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo retorta, opere artificis facies illud figuris Cherubim.*

32 *Et pones illud ſuper quatuor columnas de lignis ſetim coopertas auro: capita earum aurea, ſuper quatuor baſes argenteas.*

33 *Et pones velum ſub fibulis, & introduces ibi vltra velum arcam teſtimonij: Vt diuidat velum vobis inter ſanctum, & inter ſanctum ſanctorum.*

34 *Ponesq́; propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſancto ſanctorum.*

35 *Ponesque menſam extra velum: & candelabrum è regione menſæ in latere Meridionali tabernaculi: & menſam pones in latere Aquilonari.*

36 *Faciesque velum in oſtio tabernaculi ex hyacintho & purpura, & coccino, & byſſo retorta opere polymitarij.*

37 *Et facies velo quinque columnas de lignis ſetim, & cooperies eas auro: capita earum erunt ex auro, & fundes eis quinque baſes æneas.*

### CAP. XXVII.

1 *FAcieſque altare de lignis ſetim, quinque cubitos habebit longitudo eius, & quinque cubitos latitudo, quadratum erit altare & tres cubitos habebit altitudo eius.*

2 *Facies q́; cornua eius ſuper angulos eius, ex ipſo erunt cornua eius: & operies illud ære.*

3 *Et facies lebetes vt colligatur cinis, & batilia eius, & acetabula, & fuſcinulas, & thuribula eius. Omnia vaſa eius facies ex ære.*

4 *Et facies ei craticulam opere retis ex ære: & facies ſuper rete quatuor anulos ex ære ſuper quatuor lateribus eius:*

5 *Et pones eam ſub circulo altaris deorſum: & erit rete vſque ad dimidium altaris.*

6 *Et facies vectes altaris de lignis ſetim, & cooperies eos ære.*

7 *Et inducentur vectes per annulos, & erunt vectes in duobus lateribus altaris quando portabunt illud:*

Con-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Sup.10.24 8 * Non ſolidum, ſed inane & cauum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in Monte monſtratum eſt.

9 Facies, & atrium tabernaculi, in cuius Auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de byſſo retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine.

10 Et columnas viginti cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cœlaturis ſuis habebunt argentea.

11 Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri, & capita earum cum cœlaturis ſuis argentea.

12 In latitudine vero atrij, quod reſpicit ad Occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, baſeſque totidem.

13 In ea quoque atrij latitudine, quæ reſpicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14 In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur, columnæque tres, & baſes totidem:

15 Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & baſes totidem.

16 In introitu vero atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoq. bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarij: columnas habebit quattuor, cum baſibus totidem.

17 Omnes columnæ atrij per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis.

18 In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de byſſo retorta, & habebit baſes æneas.

19 Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus & ceremonias, tam paxillos eius, quam atrij, ex ære facies.

20 Præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper

21 In tabernaculo teſtimonij, extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vſque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum a filijs Iſrael.

### CAP. XXVIII.

1 APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.

2 Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.

3 Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.

4 Hæc autem erunt veſtimẽta quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, & cidarim, & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filijs eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.

5 Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum

6 Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito.

7 Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Cum vacuo inter tabulas facies illud, quemadmodum videre fecit te in Monte, ſic facient.*

9 *Et facies atrium tabernaculi ad angulum Auſtralem ad meridiem cortina erunt atrio è byſſo retorta: centum cubitorum erit longitudo anguli vnius.*

10 *Et columnæ eius viginti, & baſes earum viginti æreæ, & vncini columnarum, & fila eas cingentia argentea.*

11 *Et ſic ad latus Aquilonare in longitudine erunt cortinæ centum, & columnæ eius viginti, & baſes earum viginti æreæ, & vncini columnarum, & fila eas cingentia argentea.*

12 *Et latitudo atrij ad latus Occidentale, cortinæ quinquaginta cubitorum, columnæ earum decem, & baſes earum decem.*

13 *Et latitudo atrij ad latus Orientale ad Orientem quinquaginta cubitorum.*

14 *Et quindecim cubitorum erunt cortinæ lateri vni, columnæ earum tres, & baſes earum tres.*

15 *Et lateri ſecundo quindecim cortinæ columnæ earum tres, & baſes earum tres.*

16 *Et porta atrij erit aulæum viginti cubitorum ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & byſſo retorta, opere phrygionico: columnæ earum quatuor, & baſes earum quatuor.*

17 *Omnes columnæ atrij in circuitu cinctæ erunt argento, & vncini earum argentei, & baſes earum æreæ.*

18 *Longitudo atrij centum cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta, & altitudo quinque cubitorum, ex byſſo retorta, & baſes earum æreæ.*

19 *Omnia vaſa tabernaculi cum omni miniſterio eius, & omnes claui eius, & omnes claui atrij ex ære.*

20 *Et tu præcipies filijs Iſrael, & afferent ad te oleum oleæ purum, contuſum pro luminari ad accendendum lucernam ſemper.*

21 *In tabernaculo eccleſiæ, extra velum quod eſt ſuper teſtimonium. Diſponet eam Aharon, & filij eius à veſpera vſque mane coram Domino. Statutum perpetuum generationibus eorum à filijs Iſrael.*

### CAP. XXVIII.

1 *ET tu appropinquare fac ad te Aharon fratrem tuum, & filios eius ſecum è medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungãtur mihi Aharon, Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar filij Aharon.*

2 *Et facies veſtes ſanctas Aharon fratri tuo, ad gloriam, & decorem.*

3 *Et tu loqueris ad omnes ſapiẽtes corde, quos repleui ſpiritu ſapientiæ, & facient veſtes Aharon, ad ſanctificandum eum, vt ſacerdotio fungatur mihi.*

4 *Et hæ ſunt veſtes quas facient: Pectorale, & ſuperhumerale, & pallium & tunicam opere phrygionico oculis contextam, cidarim, & baltheum. Et facient veſtes ſanctas Aharon fratri tuo, & filijs eius vt ſacerdotio fungantur mihi.*

5 *Et ipſi accipient aurum, & hyacinthum, & purpuram, & coccum bis tinctum, & byſſum.*

6 *Et facient ſuperhumerale ex auro hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere phrygionico.*

7 *Duæ oræ iunctæ erunt ei ad duas extremitates eius, & coniunctæ erunt.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

8 Concauum tabulatum facies illud, ſecundum id, quod tibi demonſtratum eſt in Monte, ſic facies illud.

9 Et facies atrium tabernaculo in latere, quod reſpicit ad Africum; tentoria atrij ex byſſo torta: longitudo centum cubitorum vni lateri.

10 Et columnæ eorum viginti, & baſes earum æreæ viginti: & circuli earum, & arcus argentei.

11 Sic lateri, quod ad Subſolanũ, tentoria centum cubitorum longitudo, & columnæ eorum viginti, & baſes earum æreæ viginti: & circuli, & arcus colũnarum, & baſes earum inargentatæ argento.

12 Et latitudo atrij, quæ ad mare, tentoria quinquaginta cubitorum, columnæ eorum decem, & baſes earum decem.

13 Et latitudo atrij, quod ad Auſtrum, tentoria quinquaginta cubitorum, columnæ eorum decem, & baſes earum decem.

14 Et quindecim cubitorum altitudo tentoriorum lateri vni: columnæ eorum tres, & baſes earum tres.

15 Et latus ſecundum, quindecim cubitorũ tentoriorum altitudo: columnæ eorũ tres, & baſes earũ tres.

16 Et portæ atrij tegimen, viginti cubitorum altitudo ex hyacintho, & purpura, & cocco torto, & byſſo torta, varietate acu picti: columnæ eorum quatuor, & baſes earum quatuor.

17 Omnes columnæ atrij in circuitu inargentatæ argento, & capita earum argentea, & baſes earum æreæ.

18 Longitudo autem atrij centum per centum, & latitudo quinquaginta ad quinquaginta: & altitudo quinque cubitorum ex byſſo torta, & baſes eorum æreæ.

19 Et omnis ſupellex, & omnia inſtrumenta, & paxilli atrij ſint ærei.

20 Et tu præcipe filijs Iſrael, & ſumant ſibi oleum ex oliuis defecatum purum contuſum ad lumen accendendum: vt ardeat lucerna ſemper

21 In tabernaculo teſtimonij, extra velamen, quod eſt ſuper teſtamentum. Accendet illud Aaron, & filij eius à veſpera vſque ad mane ante Dominum. Legitimum ſempiternum in progenies veſtras à filijs Iſrael.

### C A P. XXVIII.

1 ET tu adduc ad te, & Aaron fratrem tuum, & filios eius, & de filijs Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi Aaron, & Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar filij Aaron.

2 Et facies ſtolam ſanctam Aaron fratri tuo ad honorem & gloriam.

3 Et tu loquere omnibus ſapiẽtibus mẽte, quos repleui ſpiritu ſapientiæ & ſenſus, & faciẽt ſtolã ſanctã Aaron ad ſanctũ, in qua ſacerdotio fungetur mihi.

4 Et hæ ſunt ſtolæ, quas facient: Pectorale & ſuperhumerale, & talarem & tunicam coſymbotam, & cidarim & zonam. Et facient ſtolas ſanctas Aaron, & filijs eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.

5 Et ipſi ſument aurum, & hyacinthum, & purpuram, & coccum & byſſum:

6 Et facient ſuperhumerale de byſſo torta, opus textum variatoris:

7 Duo ſuperhumeralia erunt ei continentia alterum alterum, in duabus partibus annexa.



## Chald. Paraph. Tranſl.

8 *Concauum ex tabulis facies illud, ſicut oſtenſum eſt tibi in Monte, ſic facient.*

9 *Facieſque atrium tabernaculi in cuius Auſtrali plaga erunt cortina de byſſo retorta: centum cubitorum longitudinis in plaga vna.*

10 *Et columnæ eius viginti, & baſes earum viginti ex ære: capita columnarum & cælatura earum erunt de argento.*

11 *Et ſimiliter in latere Aquilonis erunt cortinæ longitudinis centum cubitorum, & baſes earum viginti ex ære: capita columnarum & cælatura earum erunt de argento.*

12 *Et in latitudine atrij ad latus Occidentale erunt cortinæ longitudinis quinquaginta cubitorum, columnæ earum decem, & baſes earum decem.*

13 *Et latitudo atrij ad latus Orientale erit quinquaginta cubitorum:*

14 *Et cortinæ quindecim cubitorum erunt in vno latere: columnæ earum tres, & baſes earum tres.*

15 *Et in ſecundo latere cortinæ quindecim cubitorum erunt: columnæ earum tres, & baſes earum tres.*

16 *Et in oſtio atrij erit tentorium viginti cubitorum ex hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo retorta opere polymitario: columnæ eius quatuor, & baſes eius quatuor.*

17 *Omnes columnæ atrij per circuitum cælatæ erunt argento, capita earum erunt argentea, & baſes earum erunt ex ære.*

18 *Longitudo autem atrij erit centum cubitorum, & latitudo quinquaginta: & altitudo cortinarum quinque cubitorum, ex byſſo retorta, & baſes earum ex ære.*

19 *Omnia vaſa tabernaculi in omne miniſterium eius, & oẽs paxilli eius: & oẽs paxilli atrij erũt ex ære.*

20 *Tu autem præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum mundiſſimum de oliuis contuſis, vt luceat: vt incendantur lucernæ ſemper:*

21 *In tabernaculo fœderis, extra velum quod eſt ante teſtamentum. Ordinabit eas Aaron à veſperè vſque ad manè coram Domino. Ritu perpetuo in generationibus ſuis à filijs Iſrael.*

### C A P. XXVIII.

1 *TV autem applica ad te Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo de medio filiorum Iſrael, vt miniſtrent coram me, Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar filij Aaron.*

2 *Facieſq; veſtes ſanctas Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.*

3 *Et tu loquere cum omnibus ſapientibus corde, quos impleui ſpiritu ſapientiæ, vt faciant veſtes Aaron, vt ſanctificetur ad miniſtrandum coram me.*

4 *Et hæ ſunt veſtes quas facient: Rationale, & ſuperhumerale, pallium & tunicas ſtrictas, cidarim, & balteũ. Facientque veſtes ſanctas Aaron & filijs eius, vt miniſtrent coram me.*

5 *Et illi accipient aurum, & hyacinthum, & purpuram, & coccinum, & byſſum.*

6 *Et facient ſuperhumerale ex auro, & argento, & purpura, & coccino, & byſſo retorta opera artificis.*

7 *Duo humeruli coniuncti erunt ei, in duobus lateribus eius coniungentur.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ipſa quoque textura & cuncta operis varietas erit ex auro & hyacintho,& purpura,coccoque bis tincto,& byſſo retorta. | 8 | 8 | *Et baltheus ſuperhumeralis eius qui eſt ſuper illud ſicut opus ipſius,ex ipſo erit ex auro, hyacintho, & purpura,& cocco bis tincto,& byſſo retorta.* |
| Sumeſque duos lapides onychinos,& ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: | 9 | 9 | *Et accipies duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael.* |
| Sex nomina in lapide vno,& ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. | 10 | 10 | *Sex ex nominibus eorũ in lapide vno,& nomina ſex reſidua in lapide altero,ſecũdũ generationes eorum.* |
| Opere ſculptoris, & cœlatura gemmarij, ſculpes eos nominibus filiorum Iſrael,incluſos auro atque circundatos: | 11 | 11 | *Opere lapicidæ ſculpturis ſigilli ſculpes ambos lapides cum nominibus filiorum Iſrael circundatos palis aureis.* |
| Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis, memoriale filijs Iſrael. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum, ob recordationem. | 12 | 12 | *Et pones ambos lapides in oris ſuperhumeralis,lapides memoriæ filijs Iſrael. Et portabit Aharon nomina eorum coram Domino in duobus humeris ſuis ad memoriam.* |
| Facies & vncinos ex auro, | 13 | 13 | *Et facies palas aureas.* |
| Et duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi inuicem cohærentes,quas inſeres vncinis. | 14 | 14 | *Et duas cathenas ex auro mundo in fine termini pectoralis,& facies eas opere plectili, & pones cathenas plectiles in palis.* |
| Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis,ex auro,hyacintho & purpura,coccoque bis tincto,& byſſo retorta. | 15 | 15 | *Et facies pectorale iudicij,ope phrygionico ſicut opꝰ ſuphumeralis facies illud,ex auro,& hyacito,& purpura,& cocco bis tincto,& byſſo retorta facies illud.* |
| Quadrangulum erit & duplex:menſuram palmi habebit,tam in longitudine,quam in latitudine. | 16 | 16 | *Quadrangulare erit duplicatum:palmus erit longitudo eius,& palmus latitudo eius.* |
| Ponéſque in eo quatuor ordines lapidum. In primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus. | 17 | 17 | *Et implebis in eo plenitudinem lapidis,quattuor ordinibus lapidis. Ordo ſardius,topazius, & ſmaragdus ordo vnus.* |
| In ſecundo carbunculus, & ſapphirus, & iaſpis. | 18 | 18 | *Et ordo ſecundus carbunculus, ſapphirus, & iaſpis.* |
| In tertio ligurius, achates, & amethyſtus. | 19 | 19 | *Et ordo tertius ligurius, achates, & amethyſtus.* |
| In quarto chryſolytus, onychinus, & beryllus:incluſi auro erunt per ordines ſuos. | 20 | 20 | *Et ordo quartus, tharſis, onychinus, & beryllus: conſtricti auro erunt in plenitudinibus ſuis.* |
| Habebuntq; nomina filiorum Iſrael:duodecim nominibus cœlabuntur,ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. | 21 | 21 | *Et lapides erũt cum nominibus filiorum Iſrael duodecim, ſecundum nomina ipſorum ſculpturis ſigilli ſinguli cum nomine ſuo,erunt duodecim tribubus.* |
| Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo: | 22 | 22 | *Et facies in pectorali catenas termini opere plectili ex auro mundo.* |
| Et duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis ſummitate: | 23 | 23 | *Et facies in pectorali duos annulos aureos,& pones ambos annulos in duabus extremitatibus pectoralis.* |
| Catenaſq; aureas iunges annulis, qui ſunt in marginibus eius: | 24 | 24 | *Et pones duos funiculos aureos in duobus annulis in extremitatibus pectoralis.* |
| Et ipſarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. | 25 | 25 | *Et duas extremitates duorum funiculorum pones in duabus palis, & pones in oris ſuperhumeralis contra faciem eius.* |
| Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis in oris, quæ e regione ſunt ſuperhumeralis,& poſteriora eius aſpiciunt. | 26 | 26 | *Et facies duos annulos aureos, & pones eos in duabus extremitatibus pectoralis in ora eius in latere ſuperhumeralis intrinſecus.* |
| Nec non & alios duos annulos aureos,qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris,vt aptari poſſit cum ſuperhumerali: | 27 | 27 | *Et facies duos annulos aureos, & pones eos in duobus lateribus ſuperhumeralis inferne è regione faciei eius contra coniunctionem eius ſupra baltheum ſuperhumeralis:* |
| Et ſtringatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina: vt maneat iunctura fabrefacta,& a ſe inuicem rationale,& ſuperhumerale nequeant ſeparari. | 28 | 28 | *Et iungent pectorale ab annulis eius ad annulos ſuperhumeralis filo hyacinthino:vt ſit ſuper baltheum ſuperhumeralis,& non ſeparetur pectorale à ſuperhumerali.* |
| Portabitque Aaron nomina filiorũ Iſrael in rationali iudicij ſuper pectus ſuum,quando ingredietur Sanctuarium,memoriale coram Dño in æternum. | 29 | 29 | *Et capiet Aharon nomina filiorum Iſrael,in pectorali iudicij ſuper cor ſuum quando ingredietur in ſanctuarium in memoriam coram Domino iugiter.* |
| Pones autem in rationali iudicij Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper. | 30 | 30 | *Et pones in pectorali iudicij Vrim, & Thummim, & erunt ſuper cor Aharon, quando ingredietur coram Domino: & accipiet Aharon iudicium filiorum Iſrael ſuper cor ſuum coram Domino ſemper.* |
| Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, | 31 | 31 | *Et facies pallium ſuperhumeralis totum hyacinthinum.* |
| In cuius medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus,ne facile rumpatur. | 32 | 32 | *Et erit os capitij eius in medio eius:ora erit ori eius in circuitu opere texentis, ſicut os loricæ erit ei, ne frangatur.* |

Deor- Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

8 Et textura ſuperhumeralium,quæ eſt in eo, ſecundum factionem ex eo,erit ex auro puro, & hyacintho,& purpura,& cocco neto,& byſſo torta.
9 Et ſumes duos lapides,lapides ſmaragdi, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael:
10 Sex nomina in lapide vno,& ſex nomina reliqua in lapide ſecundo,ſecundum generationes eorum.
11 Opus lapidariæ artis: ſculpturam ſigilli ſculpes ambos lapides in nominibus filiorum Iſrael:
12 Et pones ambos lapides ſuper humeros ſuperhumeralis,lapides memorialis ſunt filij Iſrael.Et portabit Aaron nomina filiorum Iſrael ante Dominũ ſuper duos humeros ſuos,memoriale pro eis.
13 Et facies aſpidiſcas ex auro puro:
14 Et facies duas catenulas ex auro puro admiſſas in floribus,opus plicaturæ, & impones catenulas plicatas ſuper aſpidiſcas ſecundum parotidas earum ex anterioribus.
15 Et facies rationale iudiciorum opus variatoris:iuxta modum ſuperhumeralis facies illud ex auro, & hyacintho,& purpura,& cocco torto,& byſſo torta.
16 Facies ipſum quadrangulum,erit duplex: ſpithami longitudo eius, & ſpithami latitudo.
17 Et attexes in eo texturam lapidarem quadriordinem. Ordo lapidum eorum, ſardius, topazius, & ſmaragdus ordo vnus:
18 Et ordo ſecundus, carbunculus, & ſaphirus, & iaſpis:
19 Et ordo tertius ligurius, achates, amethyſtus:
20 Et ordo quartus, chryſolitus, & beryllius, & onychinus: circumtecta auro, colligata in auro ſint ſecundum ordinem eorum.
21 Et lapides ſint ex nominibus filiorum Iſrael duodecim ſecundũ nomina eorum,ſculpturę ſigillorũ: vnuſquiſque iuxta nomẽ ſint in duodecim tribus.
22 Et facies ſuper rationale fimbrias complectentes, opus catenatum ex auro puro.
23 * Et duas aſpidiſcas impones ſuper vtroſque humeros ſuperhumeralis ad faciem.
24 Et pones ſuper rationale iudicij fimbrias.
25 Catenata ſuper vtraque latera rationalis impones.*
26
27
28
29 () Et ſumet Aaron nomina filiorum Iſrael ſuper rationale iudicij ſuper pectus, introeunti in ſanctum, memoriale coram Deo.
30 Et impones ſuper rationale iudicij, Demonſtrationem & Veritatem:& erit ſuper pectus Aaron,quãdo ingredietur in ſanctum ante Dominum: & afferet Aaron indicia filiorum Iſrael ſuper pectus ante Dominum ſemper.
31 Et facies ſubuculam talarem totam hyacinthinam:
32 Et erit periſtomium ex ea medium, oram habens in circuitu periſtomij,opus textoris, commiſſuram contextam ex ipſo, vt ne rumpatur.

Quæ debebant eſſe reſpondere numero vigeſimo ſexto vigeſimo ſeptimo & vigeſimo octauo nõ habentur in tranſlatione ex Septuaginta Interpretibus Romæ edita. () Quæ ſequuntur clauſa duob⁹ ſemicirculis hic ſunt in Biblia Septuaginta Romanæ editionis, ſed valde diuerſo ordine cum primo ponatur quę numero vigeſimo quarto ſignantur, deinde quæ numero vigeſimo quinto ſignata ſunt, & denique, quæ numero vigeſimo tertio indicantur.

## Chald. Paraph. Tranſl.

8 *Et balteus ornatus eius qui eſt ſuper illud, ſicut opus eius ex ipſo erit,ex auro,hyacintho, & purpura, & coccino & byſſo retorta.*
9 *Tollesq; duos lapides onychinos, & ſculpes ſuper eos nomina filiorum Iſrael:*
10 *Sex nomina ſuper lapide vno, & reliqua ſex nomina ſup lapide ſecũdo,iuxta ordinẽ natiuitatis eorũ.*
11 *Ope artificis lapidis pcioſi ſcriptura diſtincta, ſicut ſculptura q̃ fit in annulis,ſculpes duos lapides ꝑ noĩa filiorũ Iſrael;circũdatos & incluſos auro facies eos.*
12 *Ponesque duos lapides ſuper humerales ſuperhumeralis, lapides memoriales filijs Iſrael. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper duos humeros eius ob recordationem.*
13 *Facieſque uncinos ex auro;*
14 *Et duas catenulas auri mundiſſimi ſibi inuicem coharentes facias eas opere fimbriarum, & pones catenulas fimbriatas ſuper uncinos.*
15 *Faciesq; rationale iudicij opere artificis: iuxta opus ſuperhumeralis facies illud, ex auro, hyacintho, & purpura, & coccino,& byſſo recurta facies illud.*
16 *Quadratũ erit & duplicatũ:mẽſurã palmi hẽbit i lõgitudinẽ ei⁹,& mẽſurã palmi hẽbit i latitudinẽ ei⁹.*
17 *Et implebis in eo impletionem lapidis precioſi,quatuor ordines lapidum precioſorum. In primo ordine erit ſardius,topazius,& ſmaragdus.*
18 *Et in ſecundo ordine, carbunculus, ſaphirus,& iaſpis.*
19 *In tertio ordine, ligurius, achates, & amethyſtus.*
20 *In quarto autem ordine,chryſolithus, onychinus & beryllus: incluſi auro erunt in caelaturis ſuis.*
21 *Lapides autẽ erunt duodecim iuxta nomina filiorũ Iſrael,ſculpti ſcriptura diſtincta ſicut ſculptura annuli:ſinguli lapides ꝑ noĩa ſingulorũ erũtq; duodecĩ trib⁹*
22 *Faciesq; in rationali catenulas ſibi inuicem cohærentes opere fimbriarum ex auro mundiſſimo.*
23 *Et facies ſuper rationale duos annulos ex auro,et pones duos annulos in duobus lateribus rationalis.*
24 *Et pones duas fimbrias aureas in duobus annulis in lateribus rationalis:*
25 *Et duas fimbrias quæ ſunt in duobus lateribus eius pones ſuper duos uncinos,& pones in humeralis ſuperhumeralis contra faciem eius.*
26 *Et facies duos annulos aureos, & pones eos in duobus lateribus rationalis quæ ſunt in ore eius,quæ eſt è regione ſuperhumeralis intrinſecus.*
27 *Facieſque duos annulos aureos,& pones eos in duobus humeralis ſuperhumeralis inferius contra faciem ſuam è regione iunctura eius ſuper balteum ſuperhumeralis.*
28 *Et coniungent rationale ex annulis ſuis ad annulos ſuperhumeralis vitta hyacinthina,vt ſit ſuper balteum ſuperhumeralis,& non auferatur rationale à ſuperhumerali.*
29 *Et portabit Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicij ſuper cor ſuum, cum ingreſſus fuerit in ſanctuarium in memoriam coram Domino ſemper.*
30 *Poneſque in rationale iudicij Vrim & Thommim, & erunt ſuper cor Aaron cum ingreſſus fuerit coram Domino: portabitque Aaron iudicium filiorum Iſrael ſuper cor ſuum coram Domino ſemper.*
31 *Facieſque pallium ſuperhumeralis totum hyacinthum.*
32 *Et erit capitium eius duplicatum intrinſecus, ora erit capitio eius per gyrum opere textoris,ſicut in lorica erit ei, vt non rumpatur.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Deorſum vero, ad pedes eiuſdem tunicæ, per circuitum, quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. | 33 | 33 | *Et facies in fimbrijs eius mala punica ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto in fimbrijs eius in circuitu, & tintinnabula aurea in medio eorum in circuitu.* |
| | Ita vt tintinnabulum ſit aureum & malum punicum: ruſumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum. | 34 | 34 | *Tintinnabulum aureum, & malum punicum tintinnabulum aureum, & malum punicum in fimbrijs pallij in circuitu.* |
| * eccl. 45. 11 | Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. | 35 | 35 | *Et erit ipſi Aharon ad miniſtrandum, & audietur ſonus eius, quando ingredietur in ſanctuarium coram Domino, & quando egreſſus fuerit, & non morietur.* |
| | Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. | 36 | 36 | *Et facies laminam ex auro mundo: & ſculpes in ea ſculpturis ſigilli. Sanctitas Domino.* |
| | Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, | 37 | 37 | *Et pones eam in filo hyacinthino, & erit ſuper mitram,* |
| | Imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificauerunt filij Iſrael, in cunctis muneribus & donarijs ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ſit eis Dominus. | 38 | 38 | *E regione mitræ erit. Et erit ſupra frontem Aharon, & tollet Aharon iniquitatem ſanctificationũ, quas ſanctificabunt filij Iſrael in omnibus donis ſanctificationum eorum. Et erit ſupra frontem eius iugiter ad beneplacitum eis coram Domino.* |
| | Stringeſque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarij. | 39 | 39 | *Et ſtringes tunicam byſſinam, & facies mitram byſſinam, & cingulum facies opere phrygionico.* |
| | Porro filijs Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem: | 40 | 40 | *Et filijs Aharon facies tunicas, & facies eis cingulos, & pileos facies eis ad gloriam, & decorem.* |
| | Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios eius cum eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, vt ſacerdotio fungantur mihi | 41 | 41 | *Et induere facies illa Aharon fratrem tuum, & filios eius ſecum, & vnges illos, & conſecrabis manum eorum, & ſanctificabis eos, & ſacerdotio fungentur mihi.* |
| | Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad femora: | 42 | 42 | *Et fac eis fœminalia linea ad operiendum carnem turpitudinis; à lumbis, vſque ad fœmora erunt.* |
| | Et vtentur eis Aaron & filij eius quando ingrediẽtur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquant ad altare vt miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum. | 43 | 43 | *Et erunt ſuper Aharon, & ſuper filios eius, quando ingredientur in tabernaculum eccleſiæ, vel cum appropinquauerint ad altare, vt miniſtrent in ſanctificatione, & non ferent iniquitatẽ, & morientur. Statutum perpetuum erit ei, & ſemini eius poſt eum.* |
| | **CAP. XXIX.** | | | ***CAP. XXIX.*** |
| Leu. 9. 2. | SEd & hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos: | 1 | 1 | *ET hoc eſt quod facies eis ad ſanctificandum eos vt ſacerdotio fungantur mihi. Tolle iuuencum vnum filium bouis, & arietes duos immaculatos.* |
| | Paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila triticea cuncta facies. | 2 | 2 | *Et panes infermentatos, & placentas infermentatas mixtas oleo, & lagana infermentata vncta oleo: ex ſimila triticea facies ea.* |
| | Et poſita in caniſtro offeres, vitulum autem & duos arietes. | 3 | 3 | *Et pones ea in caniſtro vno, & offeres ea in caniſtro, & iuuencum, & duos arietes.* |
| | Et Aaron, ac filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij. Cumque laueris patrem cum filijs ſuis aqua, | 4 | 4 | *Et Aharon, & filios eius appropinquare facies ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & lauabis eos in aquas* |
| | Indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea & tunica, & ſuperhumerali & rationali, quod conſtringes balteo. | 5 | 5 | *Et accipies veſtes, & induere facies Aharon tunicã & pallium ſuperhumeralis, ac ſuperhumerale, & pectorale, & cinges eum baltheo ſuperhumeralis.* |
| | Et pones tiaram in capite eius, & laminam ſanctam ſuper tiaram, | 6 | 6 | *Et pones mitram ſuper caput eius, & pones diadema ſanctitatis ſuper mitram.* |
| | Et oleum vnctionis fundes ſuper caput eius: atque hoc ritu conſecrabitur. | 7 | 7 | *Et accipies oleum vnctionis, & fundes ſuper caput eius, & vnges eum.* |
| | Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingeſque balteo, | 8 | 8 | *E filios eius appropinquare facies, & induere facies eos tunicas, & cinges eos baltheo.* |
| | Aaron ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras: eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua. Poſtquam initiaueris manus eorum, | 9 | 9 | *Aharon, & filios eius, & vincies eis pileos: & erit eis ſacerdotium in ſtatutum perpetuum. Et conſecrabis manum Aharon, & manum filiorum eius.* |
| * Leu. 1. 3. | * Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij. Imponentque Aaron, & filii eius manus ſuper caput illius, | 10 | 10 | *Et offerre facies iuuencum coram tabernaculo eccleſiæ. Et iungent Aharon, & filij eius manus ſuas ſuper caput iuuenci.* |
| | Et mactabis eum in conſpectu Domini, iuxta oſtiũ tabernaculi teſtimonij. | 11 | 11 | *Et mactabis iuuencum coram Domino ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.* |

Sum-      *Et*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

33 Et facies ſub margine tunicæ deorſum, quaſi florentis mali punici mala punica ex hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta ſub margine tunicæ in circuitu.

34 Et eadem ſpecie mala punica aurea, & tintinnabula intermedium eorum in circuitu: iuxta malum punicum aureum tintinnabulum, & floridum ſuper margineos ſubuculæ in circuitu.

35 Et erit Aaron, dum ſacerdotio fungitur, audibilis vox eius intranti in Sanctum in conſpectu Domini, & exeunti, vt non moriatur.

36 Et facies laminam auream puram: & formabis in ea, formatione ſigilli Sanctificationem Domini.

37 Et impones eã ſuper hyacinthum tortam, & erit ſuper mitram: ſecundum aſpectum mitræ erit.

38 Et erit ſupra frontem Aaron. Et auferet Aaron peccata ſanctorum, quæcumque ſanctificabunt filij Iſrael omnis muneris ſanctorum eorum. Et erit ſuper frontem Aaron ſemper, acceptum illis in conſpectu Domini.

39 Et nodi tunicarum ex byſſo, & facies Cidarim byſſinam, & Zonam facies, opus variatoris.

40 Et filijs Aaron facies tunicas, & zonas, & cidaras facies eis ad honorem & gloriam.

41 Et indues illa Aaron fratrem tuum, & filios eius cũ eo. Et vnges eos, & implebis manus eorum, & ſanctificabis eos, vt ſacerdotio fungantur mihi.

42 Et facies eis fœmoralia linea, tegere turpitudinem corporis eorum, à lumbo vſque ad fœmora erit.

43 Et habebit Aaron illa, & filij eius, quãdo ingrediẽtur in tabernaculum teſtimonij, vel quando accedent miniſtrare ad altare ſancti, & non adducent ad ſe peccatum, ne moriantur. Legitimum ſempiternum ei, & ſemini eius poſt ipſum.

### CAP. XXIX.

1 ET hæc ſunt, quæ facies eis: ſanctificabis eos, vt ipſi ſacerdotio fungantur mihi. Sumes autem vitulum de bobus vnum, & arietes immaculatos duos,

2 Et panes azymos conſperſos in oleo, & lagana azyma vncta in oleo: ſimilam ex tritico facies ea.

3 Et impones ea in caniſtrum vnum, & offeres ea in caniſtro, & vitulum, & duos arietes.

4 Et Aaron, & filios eius adduces ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & lauabis eos in aqua.

5 Et ſumens ſtolas, indues Aaron fratrem tuum, & tunicam talarem, & ſuperhumerale, & rationale, & adnectes ei rationale ad ſuperhumerale:

6 Et impones mitram ſuper caput eius, & impones laminam ſanctificationem ſuper mitram.

7 Et ſumes de oleo vnctionis, & effundes illud ſuper caput eius, & vnges eum.

8 Et filios eius adduces, & indues eos tunicas, & cinges eos zonis,

9 Et circumdabis eis cidaras, & erit illis ſacerdotium mihi in ſempiternum. Et conſummabis Aaron manus eius & manus filiorum eius.

10 Et adduces vitulum ad portas tabernaculi teſtimonij, & ſuperimponent Aaron & filij eius manus ſuas ſuper caput vituli in conſpectu Domini apud portas tabernaculi teſtimonij.

11 Et iugulabis vitulum in conſpectu Domini apud portas tabernaculi teſtimonij.

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

33 *Facieſque in inferiori parte per circuitum malegranata ex hyacintho, & purpura, & coccino, & tintinabula aurea in medio eorum per circuitum.*

34 *Tintinabulum aureum & malumgranatum, tintinabulum aureum & malumgranatum in inferiori parte pallij per circuitum.*

35 *Eritque ſuper Aaron quando miniſtrauerit, & audietur ſonitus eius quando ingredietur in Sanctuarium coram Domino, & quando egreſſus fuerit, & non morietur.*

36 *Facieſq; laminam ex auro mundiſſimo: & ſculpes ſuper ea ſcriptura diſtincta, Sanctum Domino.*

37 *Poneſq; eam ſuper vittam hyacinthinam, & erit ſuper tiaram, è regione tiaræ erit.*

38 *Eritq; ſuper frontem Aaron imminens oculis. Et portabit Aaron iniquitates eorum, quæ ſanctificauerint filij Iſrael in cunctis muneribus ſanctificationum eorum. Eritq; ſemper ſuper frontem eius imminens oculis, in beneplacitum eis coram Domino.*

39 *Stringeſq; tunicam byſſo, & facies tiaram de byſſo, & balteum facies opere polymitarij.*

40 *Et filijs Aaron facies tunicas, & facies eis balteos, & mitras facies eis in honorem & decorem.*

41 *Indueſque ea Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo. Et vnges eos, & offeres oblationes eorum, ſanctificabiſque illos vt miniſtrent coram me.*

42 *Et facies eis fœmoralia ex byſſo, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à lumbis vſque ad fœmora erunt.*

43 *Eruntque ſuper Aaron & ſuper filios eius quando ingredientur in tabernaculum fœderis, aut quando accedent ad altare vt miniſtrent in ſanctuario, & non ſuſcipient peccatum, ne moriantur. Legitimum ſempiternum erit ei, & filijs eius poſt eum.*

### CAP. XXIX.

1 *ET hoc eſt verbum quod facies eis, vt ſanctifices eos ad miniſtrandum coram me. Tolle vitulum vnum de armento, & arietes duos immaculatos.*

2 *Panemque azymum & placentas azymas conſperſas oleo, & lagana azyma lita oleo: de ſimila tritici facies ea.*

3 *Poneſq; ea in caniſtro vno, & offeres ea in caniſtro, & vitulum, & duos arietes.*

4 *Et Aaron quoque & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi fœderis, & lauabis eos aquis.*

5 *Et tolles veſtimenta, indueſq; Aaron tunica & pallio ſuperhumeralis, & ſuperhumerali & rationali, & ornabis eum balteo ſuperhumeralis.*

6 *Et pones tiaram ſuper caput eius, & pones coronam ſanctam ſuper tiaram.*

7 *Tolleſq; oleum vnctionis, & fundes ſuper caput eius & vnges eum.*

8 *Filios quoque eius applicabis, & indues eos tunicis.*

9 *Et cinges balteis Aaron & filios eius, & ornabis eos mitris, & erit eis ſacerdotium in pactum perpetuũ. Et offeres oblationẽ Aaron & oblationẽ filiorũ eius.*

10 *Offereſque vitulum coram tabernaculo fœderis, & imponent Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput vituli.*

11 *Immolabiſq; vitulum coram Domino in oſtio tabernaculi fœderis.*

*Et*

UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Sumptumque de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris digito tuo: reliquum autem ſanguinem fundes iuxta baſim eius. | 12 | 12 | *Et capies è ſanguine iuuenci, & pones in cornibus altaris digito tuo: & omnem ſanguinem fundes ad fundamentum altaris.* |
| *Leu. 3. | * Sumes & adipem totum qui operit inteſtina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui ſuper eos eſt, & offeres incenſum ſuper altare: | 13 | 13 | *Et capies omnem adipem operientem inteſtinum, & fibram cum hepate, & duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & ſuffire facies in altari.* |
| | Carnes vero vituli, & corium, & fimum combures foris extra caſtra: eo quod pro peccato ſit. | 14 | 14 | *Et carnem iuuenci, & pellem eius, & fimum eius combures igni extra caſtra: ſacrificium pro peccato eſt.* |
| | Vnum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponent Aaron & filij eius manus. | 15 | 15 | *Et arietem vnum capies, & iungent Aharon, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.* |
| | Quem cum mactaueris, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare. | 16 | 16 | *Et mactabis arietem, & capies ſanguinem eius, & aſperges ſuper altare in circuitu.* |
| | Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta; lotaque inteſtina eius ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius. | 17 | 17 | *Et arietem concides in fruſta eius, & lauabis inteſtinum eius, & crura eius, & pones ſuper fruſta eius & ſuper caput eius.* |
| | Et offeres totum arietem in incenſum ſuper altare: oblatio eſt Domino, odor ſuauiſſimus victimæ Domini. | 18 | 18 | *Et ſuffire facies totum arietem ſuper altare: holocauſtum eſt Domino in odorem quietis, oblatio Domino eſt.* |
| | Tolles quoque arietem alterum, ſuper cuius caput Aaron & filij eius ponent manus. | 19 | 19 | *Et capies arietem ſecundum, & coniungent Aharon, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.* |
| | Quem cum immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & ſuper pollices manus eorum ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. | 20 | 20 | *Et mactabis arietem, & capies de ſanguine eius, & pones ſuper fibram auris Aharon, & ſuper fibram auris filiorum eius dextera, & ſuper pollicem manus eorum dextera, & ſuper pollicem pedis eorum dexteri, & aſperges ſanguinem ſuper altare in circuitu.* |
| | Cumque tuleris de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo vnctionis, aſperges Aaron & veſtes eius, filios & veſtimenta eorum. Conſecratiſque ipſis & veſtibus, | 21 | 21 | *Et capies de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo vnctionis, & aſperges ſuper Aharon, & ſuper veſtes eius, & ſuper filios eius, & ſuper veſtes filiorum eius ſecum. Et ſanctificabuntur ipſe, & veſtes eius, & filij eius, & veſtes filiorum eius ſecum.* |
| | Tolles adipem de ariete, & caudam & aruinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumq; dextrum, eo quod ſit aries conſecrationis: | 22 | 22 | *Et tolles ab ariete adipem, & caudam, & adipem operientem inteſtinum, & fibram iecoris, & duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & armum dextrum quia aries conſecrationum eſt.* |
| | Tortamque panis vnius, cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini. | 23 | 23 | *Et tortam panis vnam, & placentam panis ex oleo vnam, & laganum vnum è caniſtro infermentatorum qui eſt coram Domino.* |
| | Poneſque omnia ſuper manus Aaron & filiorum eius, & ſanctificabis eos eleuans coram Domino. | 24 | 24 | *Et pones omnia ſuper volas Aharon, & ſuper volas filiorum eius, & eleuabis ea eleuationem coram Domino.* |
| | Suſcipieſq; vniuerſa de manibus eorum, & incendes ſuper altare in holocauſtum, odorem ſuauiſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio eius eſt. | 25 | 25 | *Et capies ea è manu eorum, & ſuffire facies ſuper altare, ſuper holocauſtum in odorem quietis coram Domino: Oblatio eſt Domino.* |
| | Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſq; illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem tuam. | 26 | 26 | *Et capies pectus arietis conſecrationum quod eſt ipſi Aharon, & eleuabis illud eleuationem coram Domino, & erit tibi in partem.* |
| | Sanctificabiſque & pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, | 27 | 27 | *Et ſanctificabis pectus eleuationis, & armum eleuationis qui eleuatus eſt.* |
| | Quo initiatus eſt Aaron & filij eius, cedentque in partem Aaron & filiorum eius iure perpetuo a filijs Iſrael: quia primitiua ſunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. | 28 | 28 | *Et qui eleuatus eſt ab ariete conſecrationum: & erit ipſi Aaron, & filijs eius in ſtatutum perpetuum à filijs Iſrael, quia eleuatio eſt, & eleuatio erit à filijs Iſrael: de ſacrificijs pacificorum ſuorum eleuatio eorum Domino.* |
| | Veſtem autem ſanctam, qua vtetur Aaron, habebũt filij eius poſt eum, vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum. | 29 | 29 | *Et veſtes ſanctas quæ ſunt ipſi Aharon erunt filijs eius poſt eum ad vngendum cum eis, & ad conſecrandum cum eis manum eorum.* |
| | Septem diebus vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filijs eius, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonij vt miniſtret in Sanctuario. | 30 | 30 | *Septem diebus induet eas ſacerdos loco ipſius de filijs eius, qui veniet ad tabernaculum eccleſiæ ad miniſtrandum in ſanctificatione.* |
| | Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto: | 31 | 31 | *Et arietem conſecrationum capias, & coques carnem eius in loco ſancto.* |
| *Leu. 8. 31. 24. 9. Mat. 12. 4. | Quibus veſcetur Aaron & filij eius. * Panes quoque, qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent. | 32 | 32 | *Et comedent Aharon, & filij eius carnem arietis. Et panem qui eſt in caniſtro ad oſtium tabernaculi eccleſiæ: & comedent ea.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

12 Et ſumes de ſanguine vituli, & pones ſuper cornua altaris digito tuo: reliquum autem omnem ſanguinem effundes ad baſim altaris.
13 Et ſumes omnem adipem, qui ſuper ventrẽ, & pennam iecoris, & duos renes, & adipem, qui ſuper eos, & impones ſuper altare:
14 Carnes autem vituli, & pellem, & fimum combures igni extra caſtra: peccati enim eſt.
15 Et arietem ſumes vnum, & ſuperimponent Aaron & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.
16 Et iugulabis eum, & ſumens ſanguinem effundes ad altare in circuitu.
17 Et arietem diſſecabis per membra, & lauabis inteſtina, & pedes aqua, & impones ſuper ſegmẽta cum capite.
18 Et offeres totum arietem ſuper altare, holocauſtoma Domino in odorem ſuauitatis: thymiama Domino eſt.
19 Et ſumes arietem ſecundum, & ſuperimponet Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.
20 Et iugulabis eum, & ſumes de ſanguine eius, & impones ſuper pennam auris Aaron dexteræ, & ſuper ſummitatem dexteræ manus, & ſuper ſummitatem pedis dextri, & ſuper pennas aurium filiorum eius dextrarum, & ſuper ſummitatem manuum eorum dextrarum, & ſuper ſummitates pedum eorum dextrorum: * ſanguinem vero arietis effundes ad altare in circuitu. *
21 Et ſumes de ſanguine, qui ab altari, & de oleo vnctionis, & aſperges ſuper Aaron, & ſuper ſtolam eius, & ſuper filios eius, & ſuper ſtolas filiorum eius cum eo. Et ſanctificabitur ipſe & ſtola eius, & filij eius, & ſtolæ filiorum eius cum eo. *

* Quæ ſupra duab. ſtellulis clauduntur, hic in Biblia ex Septuag. Romana.

22 Et ſumes de ariete adipem eius, & adipem tegentẽ ventrem, & pennam iecoris, & duos renes, & adipem qui in ipſis, & brachium dextrum: eſt enim conſummatio hæc.
23 Et panem vnum ex oleo, & laganum vnum de caniſtro azymorum propoſitorum in conſpectu Domini.
24 Et impones omnia ſuper manus Aaron, & ſuper manus filiorum eius, & ſeparabis illa, ſeparationem coram Domino.
25 Et ſumes ea de manibus eorum, & offeres ea ſuper altare holocauſtoſis in odorem ſuauitatis coram Domino: Oblatio eſt Domino.
26 Et ſumes pectuſculum de ariete conſummationis, quod eſt Aaron, & ſeparabis illud, ſeparationem coram Domino, & erit tibi in portione.
27 Et ſanctificabis pectuſculum ſeparationem, & brachium demptionis, quod ſeparatum eſt.
28 Et quod demptum eſt de ariete conſummationis ab Aaron, & a filijs eius: & erit Aaron, & filijs eius legitimum æternum á filijs Iſrael, eſt enim ſeparatio hoc: & demptio erit á filijs Iſrael de ſacrificijs ſalutarium filiorum Iſrael, demptio Domino.
29 Et ſtola ſancti, quæ eſt Aaron, erit filijs eius poſt eum, vngere eos in ipſis, & conſummare manus eorum.
30 Septem diebus induet ea ſacerdos, qui pro eo de filijs eius, qui intrabit in tabernaculum teſtimonij deſeruire in Sanctis.
31 Et arietem conſummationis ſumes, & coques carnes in loco ſancto.
32 Et edent Aaron, & filij eius carnes arietis. Et panes qui in caniſtro, apud portas tabernaculi teſtimonij: edent ea,

## Chald. Paraph. Tranſl.

12 *Et tolles de ſanguine vituli, & pones ſuper cornua altaris digito tuo, & totum ſanguinem effundes ad fundamentum altaris.*
13 *Tollesq; omnem adipem, qui operit inteſtina & reticulũ quod eſt ſupra iecur, & duos renes, & adipem, qui eſt ſuper eos, & incendes ſuper altare:*
14 *Et carnem vituli, & pellem eius, & fimum eius combures igni extra caſtra: expiatio enim eſt.*
15 *Et arietem vnum tolles, & imponent Aaron & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.*
16 *Et immolabis arietem, & tolles ſanguinem eius, & aſperges ſuper altare per circuitum.*
17 *Et arietem diuides per membra eius, & lauabis inteſtina eius, & genua eius, & pones ſuper membra eius, & ſuper caput eius.*
18 *Et incendes totum arietem ſuper altare, holocauſtũ eſt coram Domino, vt ſuſcipiatur cum beneplacito: oblatio eſt coram Domino.*
19 *Tollesque arietem ſecundum, & imponent Aaron & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.*
20 *Et immolabis arietem, tollesque de ſanguine eius, & pones in ſuperiori parte auris Aaron, & in ſuperiori parte auris dexteræ filiorum eius, & ſuper pollicem dexteræ manus eorum, & ſuper pollicem pedis dexteri eorum, aſpergesque ſanguinem ſuper altare per circuitum.*
21 *Et tolles de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo vnctionis, & aſperges ſuper Aaron & ſuper veſtes eius, & ſuper filios eius, & ſuper veſtes filiorum eius cum eo, & ſanctificabitur ipſe & veſtes eius, & filij eius, & veſtes filiorum eius cum eo.*
22 *Tollesq; de ariete adipem & caudam, & adipem qui operit inteſtina, & reticulũ iecoris, & duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & armum dexterum: quoniam aries oblationum eſt.*
23 *Et tortam panis vnam, & placentam panis oleati vnam, & laganum vnum de caniſtro azymorum, quod eſt coram Domino.*
24 *Ponesq; omnia ſuper manus Aaron, & ſuper manus filiorum eius, & eleuabis omnia eleuatione coram Domino.*
25 *Et tolles ea de manibus eorum, & incendes in altari ſuper holocauſtum, vt ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino: oblatio eſt coram Domino.*
26 *Sumesq; pectus de ariete oblationis Aaron, & eleuabis eum eleuatione coram Domino, & erit tibi in portionem.*
27 *Sanctificabisq; pectus eleuationis, & armum ſeparationis, quod eleuatum eſt.*
28 *Et ſeparatum de ariete oblationis Aaron & filiorũ eius: eritq; Aaron & filijs eius in ſtatutum æternum à filijs Iſrael, quia ſeparatio eſt, & ſeparatio erit à filijs Iſrael de victimis ſanctificationum ſuarum, ſeparatio eorum coram Domino.*
29 *Veſtimenta autem ſancta, quæ ſunt Aaron, erunt filiis eius poſt eum, vt vngantur in eis, & offerantur in eis oblationes eorum.*
30 *Septem diebus induetur eis ſacerdos, qui vngendus eſt pro eo de filijs eius, qui intrabit in tabernaculum fœderis, vt miniſtret in ſanctuario.*
31 *Arietem autem oblationum tolles, & coques carnem eius in loco ſancto.*
32 *Et comedent Aaron, & filij eius carnem arietis. Et panem qui eſt in caniſtro in oſtio tabernaculi fœderis.*

## Vulgat. Editio.

33 Vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt.

34 Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſiue de panibus vſque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt.

35 Omnia quæ præcepi tibi, facies ſuper Aaron & filijs eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum:

36 Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſq; altare cũ immolaueris expiationis hoſtiam, & vnges illud in ſanctificationẽ.

37 Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum: omnis, qui tetigerit illud, ſanctificabitur.

* Nu.28.6

38 Hoc eſt quod facies in altari: * Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter,

39 Vnum agnum mane, & alterum veſpere:

40 Decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin: & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno vno.

41 Alterum vero agnum offeres ad veſperam, iuxta ritum matutinæ oblationis: & iuxta ea quæ diximus, in odorem ſuauitatis:

42 Sacrificium eſt Domino, oblatione perpetua in generationes veſtras, ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, vbi conſtituam vt loquar ad te.

43 Ibique præcipiam filijs Iſrael, & ſanctificabitur altare in gloria mea.

44 Sanctificabo & tabernaculum teſtimonij cum altari, & Aaron cum filijs ſuis, vt ſacerdotio fungantur mihi.

45 Et habitabo in medio filiorum Iſrael, eroque eis Deus.

46 Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt manerem inter illos: ego Dominus Deus ipſorum.

### CAP. XXX.

1 Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim,

2 Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent.

3 Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulã eius, quam parietes per circuitum, & cornua. Facieſque ei coronam aureolam per gyrum,

4 Et duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur.

5 Ipſos quoque vectes facies de lignis Setim, & inaurabis.

6 Poneſque altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonij coram propitiatorio quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi.

7 Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue fragrans, mane: Qñ cõponet lucernas, incendet illud:

8 Et quando collocabit eas ad veſperam, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras.

9 Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina.

10 Et deprecabitur Aarõ ſuper cornua eius ſemel per annum, in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. Sanctum ſanctorum erit Domino,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 In quibus propitiatus eſt ad conſecrandum manum eorum, ad ſanctificandum eos. Et alienigena non comedet, quia ſanctificatio ſunt.

34 Et ſi ſuperfuerit de carne conſecrationum, & de pane vſque mane, combures ſuperfluum igni: non comedetur, quia ſanctitas eſt.

35 Et facies Aharon, & filijs eius ſic: ſecundum omnia quæ præcepi tibi. Septem diebus conſecrabis manum eorum.

36 Et iuuencum pro peccato facies in die ſuper propitiationibus. Et mundabis altare in propitiatione tua ſuper ipſum, & vnges illud ad ſanctificandum illud.

37 Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis illud & erit altare Sanctitas Sanctitatum: quicquid tetigerit altare ſanctificabitur.

38 Et hoc eſt quod facies ſuper altare: Agnos anniculos duos in die.

39 Agnum vnum facies mane, & agnum alterum facies inter veſperas:

40 Et decimum ſimilæ mixtæ oleo contuſo, quartum hin: & libamen, quartum hin vini, agno vni.

41 Et agnum ſecundum facies inter veſperas, ſicut ſacrificium matutinum: & ſecundum libamen eius facies ei in odorem quietis oblationem Domino:

42 Holocauſtum iuge in generationes veſtras ad oſtium tabernaculi eccleſiæ coram Domino in quo conueniam vobiſcum illic, vt loquar ad te ibi.

43 Et conueniam ibi cum filijs Iſrael, & ſanctificabitur in gloria mea.

44 Et ſanctificabo tabernaculum eccleſiæ, & altare, & Aharon, & filios eius ſanctificabo, vt ſacerdotio fungantur mihi.

45 Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & ero eis in Deum.

46 Et ſcient quod ſum Dominus Deus eorum, qui eduxi eos è terra Ægypti, vt habitarem in medio eorum: ego Dominus Deus eorum.

### CAP. XXX.

1 Et facies altare ſuffimenti ſuffitus. Ex lignis ſittim facies illud.

2 Cubitus longitudo eius. Ex ipſo cornua eius.

3 Et teges illud auro mundo, tectum eius, & parietes eius per circuitum & cornua eius. Et facies ei coronam auream per circuitum.

4 Et duos annulos aureos facies ei infra coronã ipſius in duobus angulis eius, in duobus lateribus eius, & erit intra vectes ad portandum ipſum cum eis.

5 Et facies vectes ex lignis Sittim, & teges eos auro.

6 Et pones illud ante velum, quod eſt ſuper arcam teſtimonij, & ante propitiatorium quod eſt ſuper teſtimonium in quo conueniam tecum.

7 Et ſuffire faciet ſup illud Aharõ ſuffimẽtũ aromatũ ſingulo mane. Qñ aptabit lucernas ſuffire faciet illud

8 Et quando incendet Aharon lucernas inter veſperas ſuffire faciet illud ſuffimentum.

9 Non offeretis ſuper illud ſuffimentum alienum, & holocauſtum, & ſacrificium, & libamen non libabitis ſuper illud.

10 Et expiabit Aharon ſuper cornua eius ſemel in anno, de ſanguine pro peccato expiationum, ſemel in anno expiabit ſuper illud in generationibus veſtris. Sanctitas Sanctitatum eſt Domino.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

33 In quibus ſanctificati ſunt in eis ad conſummandũ manus eorum, ad ſanctificandum eos. Et alienigena non edet eis; ſunt enim ſancta.

34 Sin autem remanſerit de carnibus ſacrificij cõſummationis, & panibus vſque mane, cõbures reliquias igni: non comedentur, ſanctificatio enim eſt.

35 Et facies Aaron, & filijs eius ſic, ſecundum omnia, quæcumque mandaui tibi. Septem diebus conſummabis manus eorum:

36 Et vitulum peccati facies die purificationis. Et purificabis altare in ſanctificando te in eo, & vnges illud, ad ſanctificandum ipſum.

37 Septem diebus purificabis altare, & ſanctificabis illud, & erit altare Sanctum Sancti: omnis tangens altare, ſanctificabitur.

38 Et hæc ſunt, quæ facies ſuper altare: Agnos anniculos immaculatos duos, die ſuper altare perpetuo, oblationem continuationis:

39 Agnum vnum facies mane, & agnum ſecundum facies veſperi:

40 Et decimam partem ſimilæ conſperſæ in oleo contuſo quarta parte ipſius hin, & libamen quartam partem hin vini, agno vni:

41 Et agnum ſecundum facies veſpertinum iuxta ſacrificium matutinũ, & libamen eius, facies in odorem ſuauitatis.

42 Oblationem Dño ſacrificium cõtinuationis in progenies veſtras ad portas tabernaculi teſtimonij corã Dño in quibus innoteſcam tibi inde, vt loquar tibi.

43 Et præcipiam illic filijs Iſrael, & ſanctificabor in gloria mea:

44 Et ſanctificabo tabernaculum teſtimonij, & altare, & Aarõ, & filios eius ſanctificabo, vt ſacerdotio fungantur mihi.

45 Et inuocabor in filijs Iſrael, & ero eorum Deus:

46 Et cognoſcent, quia ego ſum Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt inuocer in eis, & ſim eorum Deus.

### CAP. XXX.

1 ET facies altare incenſi ex lignis imputribilibus:

2 Et facies illud cubiti longitudinem, & cubiti latitudinem: quadrangulum erit & duorum cubitorum altitudo. Ex ipſo erunt cornua eius.

3 Et inaurabis auro puro craticulam eius, & parietes eius in circuitu, & cornua eius. Et facies ei tortilem coronam auream in circuitu:

4 Et duos annulos aureos puros facies ſub tortili corona eius in duo latera facies in duobus lateribus: & erunt arcus amitibus, ita vt tollatur illud in eis.

5 Et facies amites de lignis imputribilibus, & inaurabis eos auro.

6 Et pones illud contra velum, quod eſt ſuper arcam teſtimoniorum, in quibus innoteſcam tibi inde.

7 Et incendet ſuper illud Aaron incenſum compoſitum ſubtile mane.

8 Et cum accendet Aaron lucernas ſero, incendet ſuper illud incenſum continuationis ſemper in conſpectu Domini in progenies eorum.

9 Et non offeres ſuper illud incenſum aliud: oblationem, ſacrificium, & libamen non libabis ſuper illud.

10 Et depropitiabit ſuper illud Aaron ſuper cornua eius ſemel in anno: de ſanguine purificationis purificabit illud in progenies eorum. Sanctum Sanctorum eſt Domino.

## Chald. Paraph. Tranſl.

33 *Et comedent ea quibus placabiles erunt, vt offerantur oblationes eorum, vt ſanctificentur. Alienus autem non veſcetur eis; quoniam ſanctificata ſunt.*

34 *Et ſi remanſerit de carne oblationum, & de pane vſque manè, comburetur quod remanſerit igni: non comedetur, quia ſanctificatum eſt.*

35 *Facieſque Aaron & filijs eius, iuxta omnia quæ præcepi tibi. Septem diebus offeres oblationes eorum:*

36 *Vitulum autem quod eſt pro peccato, facies quotidie pro expiationibus. Et mundabis altare cum expiaueris ſuper illud, & vnges illud vt ſanctificetur.*

37 *Septem diebus expiabis ſuper altare, & ſanctificabis illud, & erit altare Sanctum Sanctorum: omnis qui tetigerit altare, ſanctificabitur.*

38 *Et hoc eſt quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter:*

39 *Agnum vnum facies manè, & agnum ſecundum facies in veſpere:*

40 *Et decimam partẽ ſimilæ conſperſæ oleo contuſo quod habeat quartam partem hin, & vinum pro libamine quartam partem hin, in agnum vnum.*

41 *Et alterum agnum facies ad veſperam, ſicut ſacrificium matutinum, & ſicut libamen eius facies ei, vt oblatio ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino.*

42 *Holocauſtum iuge in generationibus veſtris in oſtio tabernaculi fœderis coram Domino, vbi conſtituam verbum meum vobis, vt loquar ibi tecum.*

43 *Et conſtituam verbum meum ibi filijs Iſrael, & ſanctificabor in gloria mea.*

44 *Sanctificaboque tabernaculum fœderis, & altare. Aaron quoque & filios eius ſanctificabo, vt miniſtrent coram me.*

45 *Et habitare faciam maieſtatem meam in medio filiorum Iſrael, & ero eis in Deum.*

46 *Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt maneret maieſtas mea inter illos: ego Dominus Deus eorum.*

### CAP. XXX.

1 *ET facies altare ad adolendum ſuper illo incenſum aromatum, de lignis ſetim facies illud.*

2 *Longitudo eius erit vnius cubiti, & latitudo eius vnius cubiti: quadrangulum erit, & duos cubitos habebit in altitudine. Ex ipſo erunt cornua eius.*

3 *Cooperieſq; illud auro mundiſſimo, tectum eius & parietes per circuitum, & cornua eius. Facieſq; ei circulum aureum per gyrum:*

4 *Et duos annulos aureos facies ei ſub circulo eius in duobus angulis eius, & in duobus lateribus eius: eruntq; loca vectibus, vt portetur in eis.*

5 *Facieſq; vectes de lignis ſetim, & cooperies eos auro.*

6 *Poneſq; illud ante velum, quod eſt iuxta arcam teſtimonij coram propitiatorio quod eſt ſuper teſtamentum, vbi conſtituam verbum meum tibi.*

7 *Et adolebit ſuper eo Aaron incenſum thymiamatũ manè manè. Quũ cõponet lucernas, incẽdet illud.*

8 *Et quando accenderit Aaron lucernas ad veſperũ, incendet ſuper illud incẽſum thymiamatum iugiter coram Domino in generationibus veſtris.*

9 *Non incendetis ſuper eo incenſum aromatum exterorum: neque holocauſtum, neque munus, neque libamen libabitis ſuper eo.*

10 *Et propitiabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel in anno de ſanguine ſacrificij q̃ fit pro expiatione peccati. ſemel in anno propitiabitur ſuper eo in generationibus veſtris. Sanctum Sanctorum eſt corã Dño.*



UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 11 | *11* | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| * Num.1.2. * Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. | 12 | *12* | *Quando capies ſummam filiorum Iſrael ſecundum numerum eorum, dabunt vnuſquiſque redemptionem animæ ſuæ Domino cum numeraueris eos, & non erit in eis plaga, cum numeraueris eos.* |
| * Leuit.27.25. Num.3.47. Ezec.45.12. Hoc autem dabit: omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram Templi. * Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino. | 13 | *13* | *Et hoc dabunt: omnis tranſiens ad numeros, dimidium ſecli ſecundum ſeclum Sanctitatis. Viginti obolorum eſt ſeclus. Dimidium ſecli oblatio Domino.* |
| Qui habetur in numero, à viginti annis & ſupra, dabit pretium. | 14 | *14* | *Omnis tranſiens ad numeros à viginti annis, & ſupra, dabit oblationem Domino.* |
| Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. | 15 | *15* | *Diues non augebit, & pauper non diminuet de dimidio ſecli, cum dederit oblationem Domino ad propitiandum ſuper animabus veſtris.* |
| Suſceptamque pecuniam, quæ collata eſt a filijs Iſrael trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum. | 16 | *16* | *Et capies argentum expiationum, à filijs Iſrael, & dabis illud pro opere tabernaculi eccleſiæ, & erit filijs Iſrael ad memoriam coram Domino ad propitiandum ſuper animabus veſtris.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 17 | *17* | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lauandū: poneſque illud inter tabernaculum teſtimonij & altare. Et miſſa aqua, | 18 | *18* | *Et facies concham æneam, & baſim eius æneam ad lauandum: & pones illam inter tabernaculum eccleſiæ, & altare. Et pones ibi aquam.* |
| Lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus ſuas, ac pedes, | 19 | *19* | *Et lauabunt Aharon, & filij eius ex ea manus ſuas, & pedes ſuos:* |
| Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij: & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, | 20 | *20* | *Quando ingredientur in tabernaculum eccleſiæ lauabunt ſe aqua, & non morientur: vel quando appropinquauerint ad altare, vt miniſtrent, vt ſuffire faciant oblationem Domino.* |
| Ne forte moriantur. Legitimum ſempiternum erit ipſi, & ſemini eius per ſucceſſiones. | 21 | *21* | *Et lauabunt manus ſuas, & pedes ſuos, & non morientur. Et erit ſtatutum perpetuum ei, & ſemini eius in generationibus eorum.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, | 22 | *22* | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh,* |
| Dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, | 23 | *23* | *Dicendo: Et tu accipe tibi aromata primum, myrrhæ liberè fluentis quingentos ſeclos, & cinnamomi aromatici, dimidium ipſius quinquaginta, & ducentos, & calami aromatici, quinquaginta, & ducentos.* |
| Caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarij, olei de oliuetis menſuram hin: | 24 | *24* | *Et caſiæ quingentos ſeclos ſecundùm pondus Sanctificationis, & olei oliuæ hin.* |
| Facieſque vnctionis oleum ſanctum, vnguentum compoſitum opere vnguentarij, | 25 | *25* | *Et facies ipſum oleum vnctionis, ſanctificationis vnguentum, vnguenti opere vnguentarij. Oleum vnctionis ſanctificationis erit.* |
| Et vnges ex eo tabernaculum teſtimonij, & arcam teſtamenti, | 26 | *26* | *Et vnges eo tabernaculum eccleſiæ, & arcam teſtimonij,* |
| Menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & vtenſilia eius, altaria thymiamatis, | 27 | *27* | *Et menſam, & omnia vaſa ipſius, & candelabrum, & omnia vaſa ipſius, & altare ſuffimenti.* |
| Et holocauſti, & vniuerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. | 28 | *28* | *Et altare holocauſti, & omnia vaſa ipſius, & concham, & baſim eius.* |
| Sanctificabiſq; omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea ſanctificabitur. | 29 | *29* | *Et ſanctificabis ea, & erunt Sanctificatio Sanctificationum: quicquid tetigerit ea ſanctificabitur.* |
| Aaron & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. | 30 | *30* | *Et Aharon, & filios eius vnges, & ſanctificabis eos, vt ſacerdotio fungantur mihi.* |
| Filijs quoque Iſrael dices: Hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. | 31 | *31* | *Et ad filios Iſrael loqueris dicendo: Oleum vnctionis ſanctitatis erit hoc mihi in generationibus veſtris.* |
| Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. | 32 | *32* | *Super carnem hominis non vngetur, & ſecundum ſummam eius non facietis ſicut illud: ſanctificatio eſt, ſanctificatio erit vobis.* |
| Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. | 33 | *33* | *Quiſquis confecerit vnguentum ſimile, & qui poſuerit ex eo ſuper extraneum, ſuccidetur è populis ſuis.* |
| Dixitq; Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia: | 34 | *34* | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Accipe tibi aromata ſtacten, & onycham, & chalbanum aromaticum, & thus mundum: æquales ponderis erit:* |
| Facieſq; thymiama cōpoſitū opere vnguētarij mixtū diligenter, & purū, & ſanctificatione digniſſimū. | 35 | *35* | *Et facies ipſum ſuffimentum aromaticum opere aromatarij mixtum mundum. Sanctificatio eſt.* |
| Cumq; in tenuiſſimū puluerē vniuerſa contuderis, pones ex eo corā tabernaculo teſtimonij, I quo loco apparebo tibi. Sctū Sanctorū erit vobis thymiama. | 36 | *36* | *Et contundes ex eo comminuendo, & pones ex eo coram teſtimonio in tabernaculo eccleſiæ, in quo conueniam tecū ibi. Sanctificatio Sanctificationū erit vobis.* |

Ta- Et

UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

11 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
12 Si acceperis computationem filiorum Iſrael in viſitatione eorum,& dabunt vnuſquiſque redemptiones animæ ſuæ Domino, & non erit in eis ruina in viſitatione eorum.
13 Et hoc eſt quod dabunt, quicumque tranſibunt ad viſitationem: dimidium didrachmatis, quod eſt iuxta didrachma Sanctum. Viginti oboli ipſum didrachma. Dimidium autem didrachmatis oblatio Domino.
14 Omnis qui tranſit ad viſitationem à vigeſimo anno & ſupra,dabunt oblationem Domino.
15 Diues non adijciet, & pauper non minuet à dimidio didrachmatis in dando oblationem Domino ad depropiciandum pro animabus veſtris.
16 Et accipies argentum oblationis à filijs Iſrael, & dabis illud ad opus tabernaculi teſtimonij: & erit filijs Iſrael memoriale coram Domino,ad depropiciandum pro animabus veſtris.
17 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
18 Fac labrum æneum, & baſim ei æneam ad lauandum,& pones illud inter tabernaculum teſtimonij, & inter altare. Et effundes in illud aquam.
19 Et lauabit Aaron & filij eius ex eo manus,& pedes aqua:
10 Cum ingredientur in tabernaculum teſtimonij,lauabunt aqua, & non morientur, cum accedent ad altare miniſtrare, & offerre holocauſta Domino: lauabunt manus,& pedes aqua; cum ingredientur in tabernaculum teſtimonij: lauabunt aqua,
21 Vt non moriantur. Et erit eis legitimum tempiternum,ei, & generationibus eius poſt eum.

22 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
23 Et tu ſume ſuauitates,florem myrrhæ electæ,quingentos ſiclos, & cinamomi benecolentis dimidium illius,ducentos quinquaginta, & calami benecolentis, ducentos quinquaginta,
24 Et iridis quingētos ſiclos ipſius Sanct̃i, & oleum ex oliuis hin
25 Et facies ipſum oleum, chriſma ſanctum, vnguentum vnguentarium arte vnguentarij. Oleum chriſma ſanctum erit.
26 Et vnges ex eo tabernaculum teſtimonij, & arcam tabernaculi teſtimonij,
27 Et omnia vaſa eius, & candelabrum, & omnia vaſa eius,& altare incenſi,
28 Et altare holocauſtomatum, & omnia eius vaſa, & menſam,& omnia vaſa eius,& labrum.
29 Et ſanctificabis ea, & erunt Sancta Sanctorum:omnis tangens ea,ſanctificabitur.
30 Et Aaron,& filios eius vnges,& ſanctificabis eos ad ſacerdotio fungendo mihi.
31 Et filijs Iſrael loqueris dicens: Oleum, linitio vnctionis, ſanctum erit hoc vobis in progenies veſtras.
32 Super carnem hominis non linietur, & ſecundum compoſitionem hanc non facietis vobis ipſis ſimiliter: ſanctum eſt, & ſanctificatio erit vobis.
33 Quicumque fecerit ſimiliter, & quicumque dederit de eo alienigenæ, exterminabitur de populo ſuo.
34 Et dixit Dominus ad Moyſen: Sume tibi ſuauitates, ſtacten,onychen,galbanum boni odoris,& thus per lucidum; æquale æquali erit.
35 Et facient in eo incenſum vnguentarium,opus vnguentarij mixtum,purum opus ſanctum.
36 Et concides de illis minutim,& pones contra teſtimonia in tabernaculo teſtimonij,vnde innoteſcam tibi inde. Sanctum ſanctorum erit vobis incenſum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

11 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*
12 *Quando ſusceperis ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum eorum, dabunt ſinguli redemptionem animæ ſuæ coram Domino,quando numerabis eos,& non erit in eis mors,cum recenſueris eos.*
13 *Hoc dabunt omnes, qui tranſibunt ad numerum: dimidium ſicli iuxta ſiclum. Sanctuarij. Viginti obolos habet ſiclus. Dimidium ſicli ſeparabitur coram Domino.*
14 *Omnis qui tranſierit ad numerum à viginti annis, & ſupra,dabit ſeparationem coram Domino.*
15 *Qui diues eſt,non addet,& pauper non minuet à dimidio ſicli, vt det ſeparationem Domini ad placandum pro animabus veſtris.*
16 *Tolleſq; argentum propitiationum à filijs Iſrael, & trades illud in miniſterium tabernaculi fœderis:vt ſit filijs Iſrael in memoriale coram Domino, vt propitietur pro animabus veſtris.*
17 *Locutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*
18 *Facieſq; luterem ex ære,& baſim eius ex ære ad lauandum, & pones eum inter tabernaculum fœderis & altare.Et pones ibi aquas.*
19 *Et ſanctificabunt Aaron & filij eius ex eo manus ſuas & pedes ſuos:*
20 *Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum fœderis, ſanctificabuntur aquis, & non morientur, aut quando accedent ad altare ad miniſtrandum,vt incendatur oblatio coram Domino. Sanctificabuntq; pedes ſuos & manus ſuas.*
21 *Et non morientur. Et erit pactum legitimum ipſi & filijs eius per generationes ſuas.*

22 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*
23 *Tu autem ſume tibi aromata prima myrrha mūdiſſima quingentos ſiclos,& cinamomi aromatici dimidium,id eſt ducentos & quinquaginta ſiclos, & calami aromatici ducentos & quinquaginta ſiclos:*
24 *Et caſia quingentos ſiclos in ſiclis Sanctuarij, & oleum oliuarum menſuram hin plenam.*
25 *Facieſque illud oleum vnctionis ſancta, aromatizans opere aromatarij. Oleum vnctionis ſancta erit.*
26 *Et vnges ex eo tabernaculum fœderis,& arcam teſtamenti,*
27 *Et menſam & omnia vaſa eius,& candelabrum & vaſa eius,& altare incenſi aromatum,*
28 *Et altare holocauſti & omnia vaſa eius,& luterem & baſim eius.*
29 *Sanctificabiſq; ea,& erunt Sanctum Sanctorum:omnis qui tetigerit ea,ſanctificabitur.*
30 *Aaron quoque,& filios eius vnges, & ſanctificabis eos,vt miniſtrent coram me.*
31 *Et cum filijs Iſrael loqueris,dicens: Oleum vnctionis ſancta erit hoc coram me in generationes veſtras.*
32 *Super carnem hominis non vngetur,& iuxta ſimilitudinem eius nō facietis aliud ſicut illud: Sanctum eſt,ſanctumque erit vobis.*
33 *Vir qui tale compoſuerit,& qui dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.*
34 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Tolle tibi aromata, ſtacten,& onycham, & galbanum aromatizans, & thus mundiſſimum,æqualis ponderis erunt.*
35 *Facieſq; thymiama aromatum aromatizans opere aromatarij mixtum mūdiſſimum in ſanctificationē.*
36 *Et contundes ex eo & comminues,& pones ex eo coram teſtimonio in tabernaculo fœderis,vbi conſtituā verbum meum tibi: Sanctum ſanctorum erit vobis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros: quia ſanctum eſt Domino.

38 Homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.

### CAP. XXXI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens.

2 Ecce, vocaui ex nomine Beſeleel filium Vri filij Hur de tribu Iuda,

3 Et impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere;

4 Ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære,

5 Marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum.

6 Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam: vt faciant cuncta quæ præcepi tibi,

7 Tabernaculum fœderis, & arcam teſtimonij, & propitiatorium, quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi,

8 Menſamque & vaſa eius, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis, & altaria thymiamatis,

9 Et holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſua:

10 Veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filijs eius, vt fungantur officio ſuo in ſacris.

11 Oleum vnctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi facient.

12 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

13 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: * Videte vt ſabbatum meum cuſtodiatis; quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris, vt ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.

*Sup.20.8. Eze.20.12.

14 Cuſtodite ſabbatum meum; ſanctum eſt enim vobis, qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui.

15 Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies ſancta Domino; omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.

16 Cuſtodiant filij Iſrael Sabbatum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum

17 Inter me & filios Iſrael, ſignumque perpetuum: * ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſauit.

*Gē.1.31.

18 Deditque Dominus Moyſi, completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai, * duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.

* Deut.9.10.

### CAP. XXXII.

1 VIdens autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes congregatus aduerſus Aaron, dixit: * Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.

*Act.7.40.

2 Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Et ſuffimentum quod facies ſecundum ſupputationem eius non facietis vobis: ſanctificatio erit tibi Domino.*

38 *Quiſquis fecerit ſicut ipſum ad odorandum illud, excidetur è populis ſuis.*

### CAP. XXXI.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh dicendo.*

2 *Vide vocaui per nomen Beſalel filium Vri filij Chur è tribu Iehudah.*

3 *Et repleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, ſcientia, & omni opere;*

4 *Ad cogitandum cogitationes, ad faciendum ex auro, & argento, & ære.*

5 *Et in fabrefactione lapidis ad implendum, & in fabrefactione ligni ad faciendum in omni opere.*

6 *Et ego ecce dedi ſecum Aholiab filium Achiſamach è tribu Dan: Et in corde omnis ſapientis corde dedi ſapientiam: & facient omnia quæ præcepi tibi.*

7 *Tabernaculum eccleſiæ, & arcam teſtimonij, & propitiatorium quod eſt ſuper eam, & omnia vaſa tabernaculi*

8 *Et menſam, & omnia vaſa eius, & candelabrum mundum, & omnia vaſa eius, & altare ſuffimenti.*

9 *Et altare holocauſti, & omnia vaſa eius, & concham, & baſim eius:*

10 *Et veſtes miniſteriales, & veſtes ſanctas Aharon ſacerdoti, & veſtes filiorū eius, vt ſacerdotio fungantū.*

11 *Et oleum vnctionis, & ſuffimentū aromaticū Sanctificationis: ſecundū omnia quæ præcepi tibi facient.*

12 *Et dixit Dominus ad Moſeh, dicendo:*

13 *Et tu loquere ad filios Iſrael, dicendo: Veruntamen ſabbata mea cuſtodietis; quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris, vt ſciatis quod ſum Dominus ſanctificans vos.*

14 *Et cuſtodietis ſabbatum: quia ſanctificatio eſt vobis, polluens illud moriendo morietur: quia omnis faciens in eo opus excidetur anima ipſa à medio populorum ſuorum.*

15 *Sex diebus fiet opus: & die ſeptimo ſabbatum ceſſationis eſt, ſanctificatio Domino. Omnis faciens opus in die ſabbati, moriendo morietur.*

16 *Et cuſtodient filij Iſrael ſabbatum, vt præparent ſabbatum in generationibus ſuis. Pactum perpetuum.*

17 *Inter me, & filios Iſrael ſignum eſt perpetuum: quia ſex diebus fecit Dominus cælos, & terram, & die ſeptimo ceſſauit, & requieuit.*

18 * *Et dedit ipſi Moſeh, quādo compleuit loqui ſecum in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.*

* Hinc incipit ca. 32 in biblia [illegible]

### CAP. XXXII.

1 *ET vidit populus quod tardaret Moſeh deſcendere è monte, & congregatus eſt populus contra Aharon, & dixerunt ad eum: Surge fac nobis Deos, qui præcedant nos: quia huic Moſeh viro, qui aſcendere fecit nos è terra Ægypti, neſcimus qd acciderit.*

2 *Et dixit ad eos Aharon: Separate inaures aureas, quæ ſunt in auribus mulierum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, et adducite ad me.*

## Trans. Lex Septuag.

Secundum compoſitionem hanc non facietis vobis 37
ipſis : ſanctificatio erit vobis Domino.

Quicunque fecerit ſimiliter, vt olfaciat in eo, peri- 38
bit de populo ſuo.

### C A P. XXXI.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen di- 1
cens :
Ecce reuocaui ex nomine Beſeleel filium Vrij qui 2
Or, de tribu Iuda :
Et impleui eum ſpiritu diuino ſapientiæ, & intelle- 3
ctus, & ſcientiæ in omni opere,
Excogitare, & architectonari, operari aurum, & 4
argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram,
& coccum netum,
Et lapidaria, & ad opera fabrilia lignorum, ad ope- 5
randum ſecundum omnia opera.

Et ego dedi illum, & Eliab filium Achiſamach 6
de tribu Dan. Et omni intelligenti corde de-
di intellectum : & elaborabunt omnia, quæ-
cumque præcepi tibi,
Tabernaculum teſtimonij, & arcam teſtamenti, 7
& propitiatorium, quod ſuper eam, & apparatum
tabernaculi,
Et altaria, & menſam, & omnia vaſa eius, & cande- 8
labrum purum, & omnia vaſa eius, & labrum, & ba- &
ſim eius, 9

Quæ hic habes ſub numero 8. reſpondẽt numero 8. & 9. noſtræ Vulgatæ editionis.

Et ſtolas miniſtratorias Aaron, & ſtolas filiorũ eius 10
ad ſacerdotium fungendum mihi,
Et oleum vnctionis, & incenſum compoſitionis San 11
cti, ſecundũ oĩa, quæcumque mandaui tibi, facient.
Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens : 12
Et tu præcipe filijs Iſrael, dicens : Videte, & ſabba- 13
ta mea cuſtodite : ſignum eſt apud me, & in vobis in
progenies veſtras : vt cognoſcatis quia ego Domi-
nus ſanctificans vos.

Et cuſtodite ſabbata : quia ſanctum hoc eſt Domi- 14
no vobis : polluens illud nece necabitur : omnis
qui faciet in eo opus, exterminabitur anima illa de
medio populi ſui.
Sex diebus facies opera : die autem ſeptimo ſabba- 15
ta, requies ſancta Domino. Omnis qui faciet opus
die ſeptimo, morti tradetur.
Et cuſtodient filij Iſrael ſabbata, facere ea in pro- 16
genies ſuas. Teſtamentum æternum

In me & filijs Iſrael, ſignum eſt in me æternum. 17
Quia ſex diebus fecit Dominus cœlum, & terram,
& die ſeptimo requieuit, & ceſſauit.

Et dedit Moyſi ſtatim vt ceſſauit loqui ad eum in 18
monte Sina duas tabulas teſtimonij, tabulas lapi-
deas ſcriptas digito Dei.

### C A P. XXXII.

ET videns populus, quia tardauit Moyſes deſcē- 1
dere de monte, conuenit populus in Aaron, &
dicunt ei : Surge & fac nobis deos, qui præcedent
nos : Moyſes enim hic homo, qui eduxit nos de ter-
ra Ægypti, non ſcimus, quid factum ſit ei.
Et dicit eis Aaron : Demite in aures aureas, quæ in 2
auribus vxorum veſtrarum, & filiarum, & afferte ad
me.

## Chald. Paraph. Transl.

37 *Et thymiamam aromatum quod facies, non fa-*
*cietis vobis ſimile ei : ſanctum erit tibi co-*
*ram Domino.*
38 *Quicumque fecerit tale ad odorandum in eo, exter-*
*minabitur de populo ſuo.*

### *C A P. XXXI.*

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, di-*
*cens :*
2 *Vide quòd vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri,*
*filij Hur, de tribu Iuda :*
3 *Et impleui eum ſpiritu à facie Dei in ſapientia, in*
*intellectu, & in ſcientia, & in omni opere,*
4 *Ad docendum artifices, vt faciant in auro, & in ar-*
*gento, & in ære,*

5 *Et in arte lapidis precioſi ad implendum cœla-*
*turas, & in arte fabri lignarij, vt faciant in*
*omni opere.*
6 *Ego autem ecce dedi cum eo Ooliab filium A-*
*chiſamech de tribu Dan. Et in corde omnium*
*ſapientum corde dedi ſapientiam : vt faciant*
*omnia quæ præcepi tibi.*
7 *Tabernaculum fœderis, & arcam pro teſtimonio, &*
*propitiatorium quod eſt ſuper eam, & omnia va-*
*ſa tabernaculi :*
8 *Et menſam & vaſa eius, & candelabrum mundiſ-*
*ſimum, & omnia vaſa eius, & altare incenſi aro-*
*matum :*
9 *Et altare holocauſti & omnia vaſa eius, & luterem*
*& baſim eius :*
10 *Et veſtes miniſterij, & veſtes ſanctas Aaron ſacer-*
*dotis, & veſtes filiorum eius, vt miniſtrent.*
11 *Et oleum vnctionis & thymiama aromatum in San*
*ctuario, iuxta omnia quæ præcepi tibi facient.*
12 *Atque Dominus ad Moyſen, dicens.*
13 *Et tu loquere cum filijs Iſrael, dicens : Verumta-*
*men dies ſabbatorum meorum cuſtodite : quoniam*
*ſignum eſt inter verbum meum & vos in genera-*
*tiones veſtras : vt ſciatis quia ego Dominus qui ſan*
*ctifico vos.*
14 *Cuſtodietiſque ſabbatum : ſanctum eſt enim vobis,*
*qui prophanauerit illud, morte moriatur : quoniam*
*omnis qui fecerit in eo opus, exterminabitur homo*
*ille de medio populi ſui.*
15 *Sex diebus fiet opus : in die autem ſeptimo ſabbatum*
*eſt requies ſancta coram Domino. Quicunque fece-*
*rit opus in die ſabbati, morte moriatur.*
16 *Cuſtodiantque filij Iſrael ſabbatum, vt celebrent*
*ſabbatum in generationibus ſuis. Pactum æter-*
*num eſt.*
17 *Inter verbum meum, & inter filios filij Iſrael, ſi-*
*gnum eſt in æternum. Quoniam in ſex diebus fe-*
*cit Dominus cœlum & terram, & in die ſeptimo*
*quieuit & requieuit.*
18 *Deditque Moyſi cum conſumaſſet loqui cum eo in*
*monte Sinai duas tabulas teſtimonij, tabulas la-*
*pideas ſcriptas digito Dei.*

### *C A P. XXXII.*

1 *VIditq; populus, quòd moram faceret Moyſes vt*
*deſcenderet de monte, & congregatus eſt popu-*
*lus ad Aaron, & dixerunt ei : Surge, fac nobis deos*
*qui gradiantur ante nos : Moyſi enim huic viro, qui*
*eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus qđ acciderit.*
2 *Dixitq; eis Aaron : Tollite inaures aureas quæ ſunt*
*in auribus vxorum veſtrarum, filiorum & filiarum*
*veſtrarum, & afferte ad me.*




UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. | 3 | 3 | *Et ſeparauerunt ſe omnis populus ab in auribus aureis quæ erant in auribus ſuis, & adduxerūt ad Aharō.* |
| * Pſ. 105. 19 | * Quas cum ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem; dixeruntque: Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. | 4 | 4 | *Et tulit è manu eorum, & formauit illud ſtilo, & fecit ex illo vitulum fuſile, & dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui aſcendere fecerunt te è terra Ægypti.* |
| | Quod cum vidiſſet Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras ſollemnitas Domini eſt. | 5 | 5 | *Et vidit Aharon, & ædificauit altare coram eo, & clamauit Aharon, & dixit: Sollemnitas eſt Domino cras.* |
| * 1. Cor. 10. 7. | Surgenteſque mane, & obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & * ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. | 6 | 6 | *Et ſurrexerunt in craſtino, & obtulerunt holocauſta & appropinquare fecerunt pacifica. Et ſedit populus vt mãducaret, & biberet, & ſurrexerūt vt luderēt.* |
| * Deu. 9. 12 | Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: * Vade, deſcende: peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti. | 7 | 7 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh: Vade, deſcende, quia viam ſuam corrupit populus tuus, quem aſcendere feciſti è terra Ægypti.* |
| * 3. Reg. 12. 28 | Receſſerunt cito de via, quam oſtendiſti eis: feceruntq; ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: * Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. | 8 | 8 | *Receſſerunt cito ex via, quam præcepiſti eis: fecerunt ſibi vitulum fuſilem, & incuruauerunt ſe ei, & immolauerunt ei, & dixerunt: Iſti dij tui Iſrael, qui aſcendere fecerunt te è terra Ægypti.* |
| | Rurſumque ait Dominus ad Moyſen: Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit: | 9 | 9 | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Vidi populum hunc, & ecce populus duræ ceruicis eſt.* |
| * Deu. 9. 14 | Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. | 10 | 10 | *Et nunc dimitte mihi, & excandeſcet furor meus in eos, & conſumam eos, & faciam te in gentem magnam.* |
| * De. 9. 26. Pſ. 105. 23. Nu. 14. 13. | Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens: * Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti, in fortitudine magna & in manu robuſta? | 11 | 11 | *Et orauit Moſeh faciem Domini Dei ſui, & dixit: Vt quid Domine iraſcitur furor tuus in populum tuum, quem eduxiſti è terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu forti?* |
| | Ne quæſo dicant Ægyptij: Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret e terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. | 12 | 12 | *Vt quid dicent Ægyptij dicendo: Malitioſe eduxit eos, vt occideret eos in montibus, & vt conſumeret eos à ſuperficie terræ? reuertere ab ira furoris tui, & pœniteat te ſuper malitia populi tui.* |
| * Gen. 12. 7. & 15. 7. & 48. 16 | Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens: * Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. | 13 | 13 | *Recordare Abrahā, Iſchac, & Iſrael ſeruorū tuorū, quibus iuraſti per teipſum, & locutus es ad eos: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, & omnem terram hanc quam dixiſti, dabo ſemini veſtro, & hæreditate accipient in ſæculum.* |
| | Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum | 14 | 14 | *Et pœnituit Dominum ſuper malum quod locutus eſt vt faceret populo ſuo.* |
| | Et reuerſus eſt Moyſes de Monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, | 15 | 15 | *Et aſpexit, & deſcendit Moſeh è Monte, & duæ tabulæ teſtimonij erant in manu eius, tabulæ ſcriptæ à duobus lateribus earum, hinc & inde erant ſcriptæ.* |
| | Et factas opere Dei: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis. | 16 | 16 | *Et tabulæ opus Dei erant, & ſcriptura, ſcriptura Dei erat ſculpta ſuper tabulis.* |
| | Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferãtis dixit ad Moyſen: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. | 17 | 17 | *Et audiuit Iehoſuah vocem populi dum clamaret, & dixit ad Moſeh: Vox belli in caſtris.* |
| | Qui reſpondit: Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, ſed vocem cantantium ego audio. | 18 | 18 | *Et dixit: Non eſt clamor victorum, neque eorum, qui victi ſunt: ſed vocem cantantium audio.* |
| | Cumque appropinquaſſet ad caſtra vidit vitulum, & choros: iratuſque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem Montis: | 19 | 19 | *Et fuit, quando appropinquauit ad caſtra, vidit vitulum & choros. Et iratus eſt furor Moſeh, & proiecit è manibus ſuis tabulas, & fregit eas ſub Monte.* |
| | Arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquã, & dedit ex eo potum filijs Iſrael. | 20 | 20 | *Et tulit vitulum quem fecerant, & combuſſit igni, & moliuit, donec in puluerem redegit, & ſparſit in ſuperficiem aquarum, & bibere fecit filios Iſrael.* |
| | Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum? | 21 | 21 | *Et dixit Moſeh ad Aharon: Quid fecit tibi populus iſte, quia adduxiſti ſuper eum peccatum grande?* |
| | Cui ille reſpõdit: Ne indignetur dñs meus: tu enim noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum: | 22 | 22 | *Et dixit Aharon: Ne iraſcatur furor domini mei: tu noſti populum quod ad malum pronus eſt.* |
| | Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moyſi, qui nos eduxit de terra Ægypti, neſcimus quid acciderit. | 23 | 23 | *Et dixerunt mihi: Fac nobis deos qui præcedant nos quia huic Moſeh viro, qui aſcendere fecit nos è terra Ægypti, neſcimus quid euenerit.* |
| | Quibus ego dixi: Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus. | 24 | 24 | *Et dixi eis: Cui eſt aurum? ſeparate vos ab inauribus aureis, quæ ſunt in auribus veſtris: Et dederūt mihi, & proieci illud in ignē, & egreſſus eſt vitulus iſte.* |
| | Videns ergo Moyſes populum quod eſſet nudatus, (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiã ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) | 25 | 25 | *Et vidit Moſeh populum quod diſcoopertus eſſet, quia diſcooperuerat eum Aharon ad infamiam inter hoſtes eorum.* |

Et | *Et*

## Tranſl. ex Septuag.

3 Et abſtulerunt omnis populus inaures aureas, quæ in auribus earum, & attulerunt ad Aaron.

4 Et accepit de manibus eorum, & formauit illas, & formauit eas in ſtylo, & fecit eas vitulum conflatilem, & dixit: Hi dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

5 Et videns Aaron ædificauit altare in conſpectu eius, & præconis voce clamauit Aaron, dicens: Feſtiuitas Domini cras.

6 Et ſurgens mane die craſtino, aſcendere fecit holocauſtomata, & obtulit ſacrificium ſalutaris, & ſedit populus edere, & bibere, & ſurrexerunt ludere.

7 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Vade celeriter, deſcende hinc: iniquitatem enim fecit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti.

8 Tranſgreſſi ſunt citò de via, quam mandaſti eis: fecerunt ſibi vitulum, & adorauerunt eum, & ſacrificauerunt ei, & dixerunt: Hi dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

9

10 Et nunc ſine me, & indignatus ira in eos atteram eos, & faciam te in gentem magnam.

11 Et orauit Moyſes coram Domino Deo, & dixit: Vt quid Domine indignaris ira in populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna & in brachio tuo excelſo?

12 Ne quando dicant Ægyptij, dicentes: Cum malignitate eduxit eos ad occidendum in montibus, & delendos eos de terra: ceſſa ab ira furoris tui, & propitius eſto ſuper malitia populi tui:

13 Recordatus Abraham, & Iſaac, & Iacob famulorum tuorum, quibus iuraſti per te ipſum, & locutus es ad eos dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum, ſicut aſtra cœli multitudine: & omnem terram hanc, quã dixiſti dare eis, & obtinebunt eam in ſæculum.

14 Et propitiatus eſt Dominus ad ſeruandum populum ſuum.

15 Et conuerſus Moyſes deſcendit de Monte, & duæ tabulæ teſtimonij in manibus eius, tabulæ lapideæ inſcriptæ ex vtriſque partibus earum, hinc, & hinc erant ſcriptæ.

16 Et tabulæ opus Dei erant: & ſcriptura, ſcriptura Dei, ſculpta in tabulis.

17 Et audiens Ieſus vocem populi clamantium, ait ad Moyſen: Vox belli in caſtris.

18 Et ait: Non eſt vox præcinentium ſecundum fortitudinem, neque vox præcinentium fugam: ſed vocem præcinentium vinum ego audio.

19 Et ſtatim vt appropinquauit caſtris, videt vitulum, & choros: & iratus furore Moyſes proiecit de manibus ſuis ambas tabulas, & contriuit eas ſub Monte.

20 Et ſumens vitulum quem fecerant, combuſſit eum in igni, & contriuit eum minutim, & ſparſit eũ ſuo aqua, & potauit ea filios Iſrael.

21 Et dixit Moyſes ad Aaron: Quid fecit tibi populus hic, quia induxiſti ſuper eos peccatum magnum?

22 Et dixit Aaron ad Moyſen: Ne iraſcaris domine: tu enim noſti impetum populi huius.

23 Dicunt enim mihi: Fac nobis deos, qui præcedant nos, etenim Moyſes, homo iſte, qui eduxit nos de Ægypto, neſcimus, quid factum ſit ei.

24 Et dixi eis: Si cui ſunt aurea? Auferte, & dederunt mihi: & proieci in ignem, & exijt vitulus hic.

25 Et cum vidiſſet populum Moyſes, quia diſſipatus eſt, diſſipauit enim eos Aaron gaudium aduerſarijs eorum,



## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Tuleruntq; omnis populus inaures aureas, quæ erãt in auribus ſuis, & detulerunt ad Aaron.*

4 *Et tulit de manibus eorum, & formauit illud circino, & fecit vitulum conflatilem, & dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui aſcendere te fecerunt de terra Ægypti.*

5 *Viditque Aaron, & ædificauit altare coram eo, clamauitque & ait: Sollemnitas coram Domino erit cras.*

6 *Et ſurrexerunt manè ſequenti die, & immolauerũt holocauſta, & obtulerunt hoſtias, ſeditq; populus, vt manducaret, & biberet, & ſurrexerunt ad ludendũ.*

7 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen: Vade, deſcende: quia corruptus eſt populus tuus, quem aſcendere feciſti de terra Ægypti.*

8 *Receſſerunt citò à via, quam præcepiſti eis: fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt eum, & ſacrificauerunt ei, atque dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te aſcendere fecerunt de terra Ægypti.*

9 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Notum eſt coram me, quòd populus iſte ſit duræ ceruicis.*

10 *Et nunc dimitte deprecationem tuam à facie mea, & iraſcetur furor meus contra eos, & conſumã eos, faciamque te in gentem magnam.*

11 *Et orauit Moyſes coram Domino Deo ſuo, & ait: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu valida?*

12 *Quare loquẽtur Ægyptij, dicẽtes: Cũ malignitate eduxit eos, vt interficeret eos in mõtibus, & vt cõſumeret eos de ſuperficie terræ: reuertere ab ira furoris tui, et cõuertere à malo q cogitaſti facere populo tuo.*

13 *Memor eſto Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorũ tuorum, quibus iuraſti in verbum tuum, & cum quibus locutus es, dicens: Multiplicabo filios veſtros ſicut ſtellas cœli: & vniuerſam terram hanc, quam dixi, dabo filijs veſtris, & poſſidebunt eam in æternum.*

14 *Reuerſuſque eſt Dominus à malo, quod cogitauit facere populo ſuo.*

15 *Reſpexitque Moyſes, & deſcendit de Monte, & duas tabulas teſtimonij portabat in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, hinc & inde erant ſcriptæ.*

16 *Tabulæ autem erant opere Dei factæ: & ſcriptura erat ſcripta à facie Dei ſculpta ſuper tabulas.*

17 *Audiuitq; Ioſue vocem populi quando vociferabantur, & dixit ad Moyſen: Vox pugnæ audiũ in caſtris.*

18 *Et ait: Non eſt vox fortium præualentium in pugna, neque vox imbecillium, qui ſuperantur: ſed vocem ludentium ego audio.*

19 *Et factum eſt cum appropinquaſſet ad caſtra, & vidiſſet vitulum, & choros: iratus eſt furor Moyſi, & proiecit de manibus ſuis tabulas, & confregit eas in humilioribus locis Montis.*

20 *Arripuitq; vitulum quem fecerant, & cõbuſſit igne, & contriuit donec fuit comminutum, et exparſit ſuper faciem aquæ, & dedit bibere filijs Iſrael.*

21 *Dixitq; Moyſes ad Aaron: Quid fecit tibi hic populus, quia induxiſti ſuper eum peccatum?*

22 *Et ait Aaron: Ne iraſcatur furor domini mei: tu noſti populum, quòd pronus ſit ad malum.*

23 *Dixeruntque mihi: Fac nobis deos, qui ambulẽt ante nos: quoniam huic viro Moyſi, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti, neſcimus quid acciderit.*

24 *Dixique eis: Quis habet aurum? Tollite, & adducite mihi: & proieci illud in ignem, & egreſſus eſt vitulus iſte.*

25 *Viditque Moyſes populum, quòd otioſus eſſet, otioſum enim fecerat eum Aaron, vt contaminaret eos nomine peſſimo in generationes ſuas*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

26 Et ſtans in porta caſtrorum, ait: Si quis eſt Domini, iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui:

27 Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.

28 Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.

29 Et ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.

30 Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quo modo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro.

31 Reuerſuſque ad Dominum, ait: Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

32 Aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.

33 Cui reſpondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo:

34 Tu autem vade, & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi: Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis viſitabo, & hoc peccatum eorum.

35 Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

### CAP XXXIII.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Vade, aſcende de loco iſto tu, & populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: * Semini tuo dabo eam:

* Gen. 12. 7. Sup. 13. 16. Ioſ. 24. 13. Deut. 7. 22.

2 Et mittam præcurſorem tui Angelum, vt eijciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebuſæum,

3 Et intres in terram fluentem lacte, & melle. Non enim aſcendam tecum, * quia populus duræ ceruicis es: ne forte diſperdam te in via.

* Sup. 32. 9. Deut. 9. 13.

4 Audienſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.

5 Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere filijs Iſrael: Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui, delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.

6 Depoſuerunt ergo filij Iſrael ornatum ſuum a monte Horeb.

7 Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul, vocauitque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra caſtra.

8 Cumque egrederetur Moyſes ad tabernaculum, ſurgebat vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebantque tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium.

9 Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe,

Cer-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et ſtetit Moſeh in porta caſtrorum, & dixit: Quis eſt Domini, ad me veniat. Et congregati ſunt ad eũ omnes filij Leui:*

27 *Et dixit eis: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Ponite vnuſquiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum: tranſite, & reuertimini de porta ad portam in caſtris, & occidite vnuſquiſque fratrem veſtrum, & vnuſquiſque proximum veſtrum, & vnuſquiſque propinquum veſtrum.*

28 *Et fecerunt filij Leui ſecundum verbum Moſeh, & ceciderunt è populo in die illa fermè tria millia virorum.*

29 *Et dixit Moſeh: Conſecraſtis manum veſtram hodie Domino, quia vnuſquiſque veſtrum conſecrauit manum ſuam in filium ſuum, & in fratrẽ ſuũ, ad dandum ſuper vos hodie benedictionem.*

30 *Et fuit, in craſtino, dixit Moſeh ad populum: Vos peccaſtis peccatum grande: & nunc aſcendam ad Dominum, ſi fortè expiem [illegible] pro peccato veſtro.*

31 *Et reuerſus eſt Moſeh ad Dominum, & dixit: Obſecro peccauit populus iſte peccatum grande, & fecerunt ſibi deos aureos: & nunc ſi remiſeris peccatum eorum,*

32 *Et ſi non, dele me nunc.*

33 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Quiſquis peccauerit mihi, delebo eum è libro meo.*

34 *Et nunc vade, duc populum ad locum quem locutus ſum tibi: ecce Angelus meus præcedet te. Et in die qua viſitabo, viſitabo ſuper eos peccatum eorum.*

35 *Et percuſſit Dominus populum, eo quod fecerunt vitulum, quod fecit Aharon.*

### CAP. XXXIII.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh: Vade, aſcende hinc tu, & populus quem aſcendere feciſti è terra Ægypti ad terram pro qua iuraui Abraham, Iſchac, & Iaacob, dicendo: Semini tuo dabo eam:*

2 *Et mittam ante te Angelum, & eijciam Chenahanæum, & Emorræum, & Chitthæum, & Perizæum, Chiuuæum, & Iebuſæum.*

3 *Ad terram fluentem lacte, & melle. Quia non aſcendam in medium tui, nam populus duræ ceruicis es: ne fortè conſumam te in via.*

4 *Et audiuit populus verbũ malũ hoc, & luxerunt: & nõ poſuerũt vnuſquiſque ornamẽtũ ſuum ſuper ſe.*

5 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Dic ad filios Iſrael: Vos populus duræ ceruicis, momento vno aſcendam in medium tui, & conſumam te. Et nunc deſcendere fac ornatum tuum à te, & ſciam quid faciam tibi.*

6 *Et ſpoliauerunt ſe filij Iſrael ornamentis ſuis à monte Choreb.*

7 *Et Moſeh accepit tabernaculum, & extendit ſibi extra caſtra procul à caſtris, & vocauit illud Ohel mohed * extra caſtra.*

* [illegible]

8 *Et erat, quando egrediebatur Moſeh ad tabernaculum, ſurgebant omnis populus, & ſtabant vnuſquiſque ad oſtium tabernaculi ſui, & aſpiciebant poſt Moſeh, donec ingrederetur tabernaculum.*

9 *Et erat, quando ingrediebatur Moſeh in tabernaculum, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium tabernaculi, & loquebatur cum Moſeh.*

*Et vt-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

26 Stetit autem Moyſes ſuper portam caſtrorum, & dixit: Quis ad Dominum, veniat ad me. Conuenerunt igitur ad eum omnes filij Leui:

27 Et dicit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ponite vnuſquiſque gladium ſuum ſuper femur: & pertranſite, & redite à porta ad portam per ipſa caſtra, & interficite vnuſquiſque fratrem ſuum, & vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque intimum ſuum.

28 Et fecerunt filij Leui, prout locutus eſt eis Moyſes, & ceciderunt de populo in die illa ad ter mille viros.

29 Et dixit eis Moyſes: Impleuiſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, vel in fratre ſuo, vt detur ſuper vos benedictio.

30 Et factum eſt poſt craſtinum, dixit Moyſes ad populum: Vos peccaſtis peccatum magnum: & nunc aſcendam ad Deum, vt depropitiem pro peccato veſtro.

31 Reuertit autem Moyſes ad Dominum, & dixit: Precor Domine, peccauit populus iſte peccatũ magnum, & fecerunt ſibi deos aureos: & nunc, ſiquidẽ remittis eis peccatum eorum, remitte:

32 Sin autem, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.

33 Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis peccauit coram me, delebo eum de libro meo.

34 Nunc autem vade, deſcende, & deduc populum iſtũ in locum, quem dixi tibi: ecce Angelus meus præcedet ante faciem tuam. Qua autem die viſitabo, inducam in eos peccatum eorum.

35 Et percuſſit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron.

### CAP. XXXIII.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Procede, aſcende hinc tu, & populus tuus, quos eduxiſti de terra Aegypti, in terram, quam iuraui Abraham, & Iſaac, & Iacob, dicens: Semini veſtro dabo eam.

2 Et ſimul mittam Angelũ meũ ante faciem tuam, & eijciet Amorrhæũ, & Chettæum, & Pherezæum, & Gergeſæũ, & Euæum, & Iebuſæum, & Chananæum:

3 Et introducam te in terram fluentem lac, & mel. Non enim ſimul aſcẽdam tecum, quia populus duræ ceruicis es: vt non deleam te in via.

4 Et audiens populus verbum malum hoc: luxit in lugubribus.

5 Et dixit Dominus filijs Iſrael: Vos populus duræ ceruicis, videte ne plagam aliam inducam ego ſuper vos, & deleam vos. Nunc igitur deponite ſtolas gloriarum veſtrarum, & cultum, & oſtendam tibi, quæ faciam tibi.

6 Et depoſuerunt filij Iſrael cultum ſuum, & ornatũ ſtolæ à monte Choreb.

7 Et ſumens Moyſes tabernaculum ſuum, fixit extra caſtra longè à caſtris, & vocatum eſt tabernaculum teſtimonij. Et factum eſt, omnis qui quærebat Dominum, egrediebatur ad tabernaculum, quod extra caſtra.

8 Quando autem ingrediebatur Moyſes in tabernaculum extra caſtra, ſtabat omnis populus conſiderantes vnuſquiſque apud ianuas tabernaculi ſui, & aſpiciebant abeuntem Moyſen, quoad ille intraret in tabernaculum.

9 Vt autem intrauerat Moyſes in tabernaculum, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium tabernaculi, & loquebatur Moyſi:

Et vi-

## Chald. Paraph. Transl.

26 *Stetitque Moyſes in porta caſtrorum, & ait: Qui timent Dominum, veniant ad me. Congregatiq; ſunt ad eum omnes filij Leui:*

27 *Et ait eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ponat vnuſquiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum: & pertranſite, & redite de porta vſque ad portam in caſtris, & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, & vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque conſanguineum ſuum.*

28 *Et fecerunt filij Leui iuxta verbum Moyſi, cecideruntque ex populo quaſi tria millia virorum.*

29 *Et dixit Moyſes: Obtuliſtis oblationem veſtram hodie coram Domino, vnuſquiſque in filio ſuo, & fratre ſuo, vt detur hodie ſuper vos benedictio.*

30 *Et factum eſt in die ſequenti, & dixit Moyſes populo: Vos peccaſtis peccatum grande: & nunc aſcendam coram Domino, ſi forte placabo pro peccato veſtro.*

31 *Reuerſuſque eſt Moyſes in conſpectum Domini, & ait: Obſecro, peccauit populus iſte peccatum grande, feceruntque ſibi deos ex auro: & nunc ſi dimittis peccata eorum:*

32 *Si autem non, dele me nunc de libro tuo quem ſcripſiſti.*

33 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Qui peccauerit coram me, delebo eum de libro meo.*

34 *Nunc autem vade, duc populum in locum quem locutus ſum tibi: ecce Angelus meus ibit ante te. Et in die viſitationis meæ viſitabo ſuper eos peccata eorum.*

35 *Et percuſſit Dominus populum, eo quòd coluerant vitulum, quem fecerat Aaron.*

### CAP. XXXIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe: Vade deſcende hinc tu, & populus quem aſcendere feciſti de terra Ægypti in terram quam iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Filijs tuis dabo eam terram fluentem lacte, & melle.*

2 *Mittamque Angelum ante te, & eijciã Chananæos, & Amorrhæos, & Ethæos, & Pherezæos, & Euæos, & Iebuſæos.*

3 *Non enim aſcendere faciam maieſtatem meam in medio tui, quia populus duræ ceruicis tu es: ne fortè diſperdam te in via.*

4 *Audiuitq; populus ſermonẽ hûc peſſimum: & luxerunt, & nullus poſuit ornatum cultus ſui ſuper ſe.*

5 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic filijs Iſrael: Vos eſtis populus duræ ceruicis, ſi vna hora abſtulero maieſtatem meam à te, diſperdam te. Et nunc aufer ornatum cultus tui à te, notum eſt enim coram me, quod facturus ſum tibi.*

6 *Et depoſuerunt filij Iſrael ornatum cultus ſui de monte Oreb.*

7 *Moyſes autem tulit tabernaculum, & tetendit illud extra caſtra procul à caſtris, & vocauit illud tabernaculum domus doctrinæ. Et omnis qui quærebat doctrinam à facie Domini egrediebatur ad tabernaculum domus doctrinæ, quod erat extra caſtra.*

8 *Et cùm egrediebatur Moyſes ad tabernaculum, ſurgebat omnis populus, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio tabernaculi ſui, & reſpiciebant poſt Moyſen, donec ingrederetur in tabernaculum.*

9 *Et cùm ingrederetur tabernaculum, deſcendebat columna nubis, & ſtabat in oſtio tabernaculi, & loquebatur cum Moyſe:*

*Vide-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Cernentibus vniuerſis, quod columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi. Stabantque ipſi, & adorabãt per fores tabernaculorum ſuorum.

11 Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Cumq; ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius Nun, puer, nõ recedebat de tabernaculo.

12 Dixit autem Moyſes ad Dominum: Præcipis, vt educam populum iſtum, & non indicas mihi quem miſſurus es mecum, præſertim cum dixeris: Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.

13 Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: reſpice populum tuum gentem hanc.

14 Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.

15 Et ait Moyſes: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.

16 In quo enim ſcire poterimus ego, & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram?

17 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Et verbũ iſtud, quod locutus es, faciam: inueniſti enim gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine.

18 Qui ait: Oſtende mihi gloriam tuam.

*Ro.9.15. 19 Reſpondit: Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & * miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.

20 Ruſſumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.

21 Et iterum: Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram.

22 Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam:

23 Tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

### CAP. XXXIIII.

Deu.10.1. 1 AC deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.

2 Eſto paratus manè, vt aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabiſque mecum ſuper verticem Montis.

3 Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum Montem: boues quoque & oues non paſcantur è contra.

4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus, portans ſecum tabulas.

5 Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo, inuocans nomen Domini.

6 Quo tranſeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax,

*Pſ.141.2. 7 Qui * cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt. * Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.

*Ier.32.18 Deut.5.9.

Eſti-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et videbat omnis populus columnã nubis ſtãtem ad oſtium tabernaculi. Et ſurgebat omnis populus, & incuruabat ſe vnuſquiſque ad oſtiũ tabernaculi ſui.*

11 *Et loquebatur Dominus ad Moſeh facie ad faciem, quemadmodum loquitur vir ad proximum ſuum. Et reuertebatur ad caſtra, Iehoſuah filius Nũ, puer, non recedebat è medio tabernaculi.*

12 *Et dixit Moſeh ad Dominum: Vide, tu dicis ad me, aſcendere fac populum hunc, & tu non ſcire feciſti me, quem miſſurus es, & tu dixiſti: Noui te nomine, & etiam inueniſti gratiam in oculis meis.*

13 *Et nunc ſi quæſo inueni gratiam in oculis tuis, ſcire fac me nunc viam tuam, & ſciam te, vt inueniam gratiam in oculis tuis: & vide, quia populus tuus eſt gens hæc.*

14 *Et dixit: Facies mea ibit, & requieſcere faciam te.*

15 *Et dixit ad eum: Niſi facies tua ambulauerit, ne aſcendere facias nos hinc.*

16 *Et in quo cognoſcetur hic, quòd inueni gratiam in oculis tuis ego & populus tuus, nonne cum ambulaueris nobiſcum, & diuiſi erimus ego, & populus tuus ab omni populo, qui eſt ſuper faciem terræ?*

17 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Etiam verbum hoc, quod locutus es faciam: quia inueniſti gratiam in oculis meis, & noui te nomine.*

18 *Et dixit: Fac videre me quæſo gloriam tuam.*

19 *Et dixit: Ego tranſire faciam omne bonum meum ſuper faciem tuam, & inuocabo nomen Domini coram te: & miſerebor cui miſerebor, & miſerebor cui miſerebor.*

20 *Et dixit: Non poteris videre faciem meam: quia non videbit me homo, & viuet.*

21 *Et dixit Dominus: Ecce locus mecum, & ſtabis ſupra petram.*

22 *Et erit, cum tranſierit gloria mea, ponam te in foramine, & operiam vola mea te, donec tranſeam.*

23 *Et remouebo volam meam, & videbis poſteriora mea: & facies mea non videbitur.*

### CAP. XXXIIII.

1 *ET dixit Dominus ad Moſeh: Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores, & ſcribam ſuper tabulas verba, quæ fuerunt ſuper tabulas priores, quas fregiſti.*

2 *Et eſto paratus manè, & aſcendes manè in montem Sinai, & ſtabis mihi ibi ſuper verticem Montis.*

3 *Et vir non aſcendet tecum, & etiam vir ne videatur in toto Monte. & pecus, & bos ne paſcant è regione Montis huius.*

4 *Et dolauit duas tabulas lapideas, ſicut priores: & ſurrexit Moſeh manè, & aſcendit ad montem Sinai, quemadmodum præcepit ei, & accepit in manu ſua duas tabulas lapideas.*

5 *Et deſcendit Dominus in nube, & ſtetit cum eo ibi, & inuocauit nomen Domini.*

6 *Et tranſiuit Dominus ante eum, & clamauit: Domine Domine Deus, miſericors, & clemens, tardus ad iram, & multus miſericordia, & veritate.*

7 *Seruans miſericordiam millibus: ferens iniquitatem, & præuaricationem, & peccatum, & innocentem indicando, non innocentem iudicabit. Viſitans iniquitates patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum ſuper tertios, & ſuper quartos.*

Et ſe-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

10 Et videbat omnis populus columnam nubis ſtantẽ ſuper oſtium tabernaculi. Et ſtantes omnis populus, adorabant vnuſquiſque ab oſtio tabernaculi ſui.

11 Et loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciẽ, velut ſi quis loquatur ad ſuum ipſius amicum. Et reuertebatur ad caſtra, miniſter autem Ieſus filius Naue, iuuenis, non egrediebatur de tabernaculo.

12 Et dixit Moyſes ad Dominum: Ecce tu mihi dicis, deduc populum hunc, tu autem non demonſtraſti mihi, quem ſimul mittas mecum, tu autem dixiſti mihi: Scio te præ omnibus, & gratiam habes apud me.

13 Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum manifeſte, vt videam te, vt ſim inueniens gratiam ante te: & vt ſciam, quia populus tuus gens magna hæc.

14 Et ait: Ipſe antecedam te, & requiem dabo tibi.

15 Et ait ad eum: Si non tu ipſe ſimul veneris, ne me educas hinc.

16 Et quomodo notum erit vere, quia inueni gratiam apud te, & ego, & populus tuus, niſi ſimul incedente te nobiſcum, & glorificabor, & ego, & populus tuus præter omnes gentes, quæcumque ſuper terram ſunt?

17 Et dixit Dominus ad Moyſen: Et hoc tibi verbũ, quod dixiſti, faciam: inueniſti enim gratiam in conſpectu meo, & ſcio te præ omnibus.

18 Et ait: Oſtende mihi teipſum.

19 Et dixit: Ego tranſibo prior te gloria mea, & vocabo nomine meo, Dominus ante te: & miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtitero.

20 Et dixit: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit homo faciem meam, & viuet.

21 Et dixit Dominus: Ecce locus penes me, ſtabis ſupra petram.

22 Statim vero, vt tranſiet gloria mea, & ponam te in cauerna petræ, & tegam manu mea ſuper te, donec tranſeam:

23 Et auferam manum meam, & tunc videbis poſteriora mea: facies autem mea non videbitur tibi.

### C A P. XXXIIII.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Excide tibi duas tabulas lapideas, ſicut & primæ, & aſcẽde ad me in Montem, & ſcribam ſuper tabulas verba, quæ erant in tabulis primis, quas contriuiſti.

2 Et eſto paratus in mane, & aſcendes in montem Sina, & ſtabis mihi illic ſuper ſummitatem Montis:

3 Et nemo aſcendat tecum, neque compareat in omni Monte: & oues, & boues, non paſcant prope Mõtem illum.

4 Et excidit duas tabulas lapideas, ſicut & primæ: & mane ſurgens Moyſes aſcendit in montem Sina, ſicut præcepit ei Dominus, & ſumpſit Moyſes duas tabulas lapideas.

5 Et deſcendit Dominus in nube, & adſtitit ei illic, & vocauit nomine Domini.

6 Et tranſijt Dominus ante faciem eius, & vocauit: Dñs Deus miſericors & miſerator, longanimis, & multæ miſericordiæ, & verax & iuſtitiam ſeruans,

7 Et miſericordiam in millia, auferens iniquitates, & iniuſtitias, & peccata: & reum non purificabit. Inducens iniquitates patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum in tertiam, & quartam progeniem.



## Chald. Paraph. Tranſl.

10 Videbatq; omnis populus columnam nubis ſtantem in oſtio tabernaculi. Surgebatq; omnis populus, & adorabant vnuſquiſque in oſtio tabernaculi ſui.

11 Loquebaturque Dominus cum Moyſe verbũ ad verbum, ſicut loquitur vir cum proximo ſuo. Et reuertebatur in caſtra, miniſterque eius Ioſue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo.

12 Dixitque Moyſes coram Domino: Vide quod tu dicis mihi, aſcendere fac populum iſtum, & tu non indicaſti mihi quem miſſurus ſis mecum, tu enim dixiſti: Vocaui te ex nomine, & etiam inueniſti gratiam coram me.

13 Et nunc ſi inueni obſecro gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi viam bonitatis tuæ, vt cognoſcam miſericordiam tuam, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo: notumque eſt coram te, quod populus iſte eſt populus tuus.

14 Et ait: Maieſtas mea ibit, & requiem dabo tibi.

15 Et dixit coram eo: Si non perrexerit maieſtas tua nobiſcum, ne aſcendere facias nos hinc.

16 In quo enim ſcietur hic, quod inuenimus gratiam coram te, ego, & populus tuus, niſi cùm ambulauerit maieſtas tua nobiſcum, vt fiant nobis miracula, & diuidamur ego, & populus tuus ab omni populo, qui eſt ſuper faciem terræ?

17 Dixitque Dominus ad Moyſen: Verbum quoque iſtud, quod locutus es, faciam: quia inueniſti gratiã coram me, & vocaui te ex nomine.

18 Et ait: Oſtende mihi obſecro gloriam tuam.

19 Et dixit: Ego tranſire faciam omnem gloriam meã ſuper faciem tuam, & vocabo in nomine Domini coram te: & miſerebor cui miſerebor, & clemens ero, cui clemens ero.

20 Et dixit: Non poteris videre faciem gloriæ meæ: non enim videbit me homo, & viuet.

21 Dixitque Dominus: Ecce locus eſt paratus in conſpectu meo, & ſtabis ſupra petram.

22 Eritque cùm tranſierit gloria mea, ponam te in cauerna petræ, & protegam te verbo meo, donec tranſeam:

23 Et auferam verbum gloriæ meæ, & videbis id quod eſt poſt me: & quæ ſunt coram me non apparebunt.

### C A P. XXXIIII.

1 DIxitque Dominus ad Moyſen: Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores, & ſcribam ſuper tabulas verba, quæ erant ſuper tabulas priores, quas confregiſti.

2 Et eſto paratus manè, & aſcendes manè in montem Synai, ſtabiſq; coram me ibi ſuper verticem Montis.

3 Nulluſque vir aſcendat tecum, neque videatur vir per totum Montem: oues quoque & boues non paſcantur è regione Montis illius.

4 Dolauitque duas tabulas lapideas, ſicut priores: & ſurrexit Moyſes manè, & aſcendit in montem Synai, ſicut præceperat ei Dominus, & tulit in manu eius duas tabulas lapideas.

5 Et reuelatus eſt Dominus in nube, & ſtetit cum eo ibi, & inuocauit in nomine Domini.

6 Et trãſire fecit Dñs maieſtatẽ ſuã ſuper faciẽ eius, & inuocauit: Domine Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multa faciens bona, & veritatẽ.

7 Cuſtodiens bonitatem in mille generationes, dimittens iniquitatem, & ſcelera, & peccata: parcens eis, qui conuertuntur ad legem tuam, & non iuſtificans eos, qui non conuertuntur. Viſitans peccata patrum in filios, & in filios filiorum ſceleratorum in generationem tertiam, & in generationem quartam.



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Feſtinuſque Moyſes, curuatus eſt pronus in terram, & adorans. | 8 | 8 | Et feſtinauit Moſeh, & incuruauit ſe ſuper terram, & humiliauit ſe. |
| | Ait: Si inueni gratiam in conſpectu tuo Domine; obſecro, vt gradiaris nobiſcum (populus enim duræ ceruicis eſt) & auferas iniquitates noſtras, atque peccata, noſque poſſideas. | 9 | 9 | Et dixit: Si quæſo inueni gratiam in oculis tuis Domine, vadat nunc Dominus per medium noſtri, quia populus duræ ceruicis eſt, & parces iniquitatibus noſtris, & peccatis noſtris, & hæreditabis nos. |
| Deu. 5. 2. Iere. 32. 4. | Reſpondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, ſigna faciam, quæ numquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iſte, in cuius es medio, opus Domini terribile, quod facturus ſum. | 10 | 10 | Et dixit: Ecce ferio fœdus coram omni populo tuo, faciam mirabilia, quæ non creata ſunt in omni terra, & in omnibus gentibus: & videbit omnis populus in cuius medio es, omne opus Domini, quia mirabile eſt, quod ego facio tecum. |
| | Obſerua cuncta, quæ hodie mando tibi: ego ipſe eijciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Heuæum, & Iebuſæum. | 11 | 11 | Serua apud te, quod ego præcipio tibi hodie: ecce ego eijcio à facie tua Emorræum, & Chenahanæum, & Chittæum, & Perizæum, & Chiuuæum, & Iebuſæum. |
| | Caue ne vmquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam: | 12 | 12 | Caue tibi ne fortè ferias fœdus cum habitatore terræ ad quam ingrederis, ne fortè ſint in laqueum in medio tui: |
| | Sed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide: | 13 | 13 | Sed aras eorum diruetis, & ſtatuas eorum confringetis, & lucos eorum ſuccidetis. |
| | Noli adorare Deum alienum: Dominus zelotes nomen eius, Deus eſt æmulator. | 14 | 14 | Quia non incuruabis te Deo altero: Nam Dominus zelotes nomen eius, Dominus zelotes eſt. |
| Deut. 7. 2. | Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum dijs ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam, vt comedas de immolatis. | 15 | 15 | Ne fortè ferias fœdus cum habitatore terræ: & fornicentur poſt deos eorum, & ſacrificent dijs eorum, & vocet te, & comedas de ſacrificio eius. |
| * 3. Reg. 11. 2. | * Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne, poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in deos ſuos. | 16 | 16 | Et accipias de filiabus eius filijs tuis: & fornicentur filiæ eius poſt deos ipſarum, & fornicari faciant filios tuos poſt deos earum. |
| | Deos conflatiles, non facies tibi. | 17 | 17 | Deos conflatiles, non facies tibi. |
| | Sollemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus veſceris azymis, ſicut præcepi tibi, in tempore menſis nouorum: menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto. | 18 | 18 | Sollemnitatem infermentatorum cuſtodies. Septem diebus comedas infermentata, quemadmodum præcepi tibi, tempore menſis Iulij: quia in menſe Iulij egreſſus es è terra Ægypti. |
| * Sup. 13. 2. 22. 29. | * Omne, quod aperit vuluam generis maſculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ouibus, meum erit. | 19 | 19 | Omne primogenitum meum eſt. Et omne pecus tuũ, quod maſculum parit, primogenitum bouis, & pecudis. |
| | Primogenitum aſini redimes oue: ſin autem, nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conſpectu meo vacuus. | 20 | 20 | Et primogenitum aſini redimes oue: & ſi non redemeris, ceruicem truncabis illi. Et omne primogenitum filiorum tuorum redimes: & non conſpicientur coram me vacui. |
| | Sex diebus operaberis, die ſeptimo ceſſabis arare, & metere. | 21 | 21 | Sex diebus operaberis, & die ſeptimo ceſſabis, in aratione, & in meſſe ceſſabis. |
| * Sup. 23. 15. Deu. 16. 16. Leui. 23. 6. Sup. 23. 16. | * Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum meſſis tuæ triticeæ & ſollemnitaté, quando redeunte anni tempore cũcta conduntur. | 22 | 22 | Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi, primitiarum meſſis triticeæ, & feſtum collectionis in reuolutione anni. |
| | Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinũ tuũ in conſpectu omnipotentis Dñi Dei Iſrael. | 23 | 23 | Tribus vicibus in anno conſpicietur omnis maſculus tuus coram Dominatore Iſrael. |
| | Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno. | 24 | 24 | Quia eijciam gentes à facie tua, & dilatabo terminum tuum, & non concupiſcet vir terram tuam, quando aſcendes, vt conſpiciaris coram Domino Deo tuo tribus vicibus in anno. |
| * Sup. 23. 18. 19. | * Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ: neque reſidebit manè de victima ſollemnitatis Phaſe. | 25 | 25 | Non immolabis ſuper fermentatum ſanguinem victimæ meæ: & non pernoctabit vſque manè ſacrificium ſollemnitatis Peſach. |
| * Deut. 14. 21. | Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. * Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. | 26 | 26 | Principium primitiarum terræ tuæ adduces in domum Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris. |
| * Sup. 24. 8. | Dixitque Dominus ad Moyſen: Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Iſrael * pepigi fœdus. | 27 | 27 | Et dixit Dominus ad Moſeh: Scribe tibi verba hæc, quia cauſa verborum iſtorum pepigi fœdus tecum, & cum Iſrael. |
| * Deu. 4. 13. Deu. 9. 15. | Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis * verba fœderis decem. | 28 | 28 | Et fuit ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non edit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis, decem verba. |
| | Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. | 29 | 29 | Et fuit, cũ deſcenderet Moſeh è monte Sinai, & duæ tabulæ teſtimonij eſſent in manu Moſeh, cũ deſcenderet è monte Moſeh, non cognouit, quod reſplenduiſſet cutis faciei eius, cum loqueretur cum eo. |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

Et feſtinans Moyſes procumbens in terram ado- 8
rauit,
Et dixit: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, ſimul 9
ambulet Dominus meus nobiſcum, populus enim
duræ ceruicis eſt, & auferes tu peccata noſtra, &
iniquitates noſtras,& erimus tibi.
Et dixit Dominus ad Moyſen: Ecce ego pono tibi 10
teſtamentum coram omni populo tuo,faciã glorio-
ſa,quæ facta ſunt in omni terra,& omni natione: &
videbit omnis populus,in quibus es tu,opera Domi-
ni,quia mirabilia ſunt,quæ ego faciam tibi.
Attende tu omnia,quæcumque ego mandem tibi: 11
ecce ego eijcio ante faciem veſtram Amorræum,&
Chananæum,& Pherezæum,& Chettæum, & Ger-
geſæum,& Iebuſæum.
Attende tibi,nequando ponas teſtamentum ijs, qui 12
ſedent ſuper terram, in quam ingredieris in eam,
ne tibi fiat offendiculum in vobis.
Aras eorum deſtruetis,& ſtatuas eorum conteretis, 13
& lucos eorum excidetis, & ſculptilia Deorum co-
rum comburetis in igne.
Non enim adorabitis Deos alios: Dominus enim 14
Deus zelans nomen, Deus zelator eſt.
Ne fortè ponas teſtamentum ijs, qui ſedent ſuper 15
terram: & fornicentur poſt Deos eorum, & im-
molent dijs eorum, & vocent te, & comedas de
eis,
Et accipias de filiabus eorum filijs tuis: & de filia- 16
bus tuis des filijs corũ: & fornicentur filiæ tuæ poſt
deos corũ,& fornicentur filij tui poſt deos eorum.
Et deos fuſiles ne feceris tibi. 17
Et ſollemnitatem azymorum ſeruabis. Septem die- 18
bus comedes azyma, ſicut mandaui tibi, in tempo-
re,in menſe nouorum:nam in menſe nouorum exi-
ſti de Ægypto.
Omne adaperiens vuluam, mihi maſculina, omne 19
primitiuum vituli,& primitiuum ouis:
Et primitiuum ſubiugalis redimes oue: ſi autem 20
non redemeris illud,precium dabis. Omne primo-
genitum filiorum tuorum redimes: non apparebis
in conſpectu meo inanis.
Sex diebus operaberis, ſeptimo autem requieſces, 21
ſationi,& meſſi requies.
Et ſollemnitatem hebdomadarum facies mihi, 22
principium meſſionis tritici, & ſollemnitatem col-
lectionis,mediante anno.
Tribus temporibus anni apparebit omne maſculi- 23
num tuum in conſpectu Domini Dei Iſrael.
Cum enim eiecero gentes ante faciem tuã, & dila- 24
tauero fines tuos, non concupiſcet quiſquam terrã
tuam, cum aſcendes videri in conſpectu Domini
Dei tui per tria tempora anni.
Non mactabis ſuper fermentum ſanguinem incen- 25
ſorum meorum: & non dormient in mane ſacri-
ficia ſollemnitatis Paſchæ.
Primitias terræ tuæ pones in domo Domini Dei 26
tui. Non coques agnum in lacte matris ſuæ.
Et dixit, Dominus ad Moyſen: Scribe tibi verba 27
hæc,nam ſuper ſermonibus his poſui tibi teſtamen-
tum,& ipſi Iſrael.
Et fuit ibi Moyſes ante Dominum quadraginta 28
diebus, & quadraginta noctibus: panem non man-
ducauit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis
verba hæc teſtamenti,iſtos decem ſermones.
Vt autem deſcendebat Moyſes de Monte, & duæ ta- 29
bulæ in manibus Moyſi,deſcendente autem ipſo de
Monte, Moyſes non ſciebat, quia glorificatus eſt a-
ſpectus cutis faciei ſuæ,in loquendo eum ſibi.

Et vi-

## Chald. Paraph. Transl.

8 *Feſtinauitque Moyſes, & incuruatus eſt ſuper ter-
ram,& adorauit.*
9 *Et ait: Si inueni nunc gratiam in conſpectu tuo,eat
obſecro maieſtas Domini inter nos, quia populus du-
ra ceruicis eſt, & dimittes delicta noſtra, & pecca-
ta,& poſſidebis nos.*
10 *Et ait: Ecce ego inibo pactum, coram omni populo
tuo,faciam mirabilia,quæ nunquam fuerunt creata
in vniuerſa terra, & in omnibus populis: videbitque
omnis populus, in cuius medio tu es, opus Domini,
quia terribile eſt,quod ego facio tecum.*
11 *Obſerua tibi omnia quæ ego præcipio tibi hodie: ec-
ce ego eijciam à facie tua Amorræos, & Chana-
næos, & Ethæos, & Phereſæos, & Eueos, & Iebu-
ſæos.*
12 *Caue tibi ne fortè ineas pactum cum habitatoribus
terræ ad quam tu ingrederis, ne fortè ſit in ſcanda-
lum in medio tui.*
13 *Sed aras eorum deſtruetis,& ſtatuas eorum confrin-
getis,& lucos eorum ſuccidetis.*
14 *Non enim adorabis idola populorum: Quia Domi-
nus Zelotes nomen eius, Deus zelotes eſt.*
15 *Ne fortè ineas pactum cum habitatoribus terræ:
& errabunt poſt idola ſua, & ſacrificabunt ido-
lis ſuis, & vocabunt te, vt comedas de ſacrificijs
eorum.*
16 *Et tollas de filiabus ſuis filijs tuis: & errabunt filiæ
ſuæ poſt idola ſua, & errare facient filios tuos poſt
idola ſua.*
17 *Deos conflatiles non facies tibi.*
18 *Sollemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus
comedes azyma, ſicut præcepi tibi, in tempore men-
ſis nouarum frugum: quoniam in menſe nouarum
frugum egreſſus es de Ægypto.*
19 *Omne,quod aperit vuluam meum eſt. Et omnes ma-
ſculos primogenitos in pecoribus tuis ſanctificabis,
primogenitum bouis,& agni.*
20 *Primogenitum autem aſini redimes pro agno: & ſi
non redemeris,truncabis caput illius. Et omne pri-
mogenitum filiorum tuorum redimes,& non appare-
bunt coram me vacui.*
21 *Sex diebus operaberis, in die autem ſeptimo requie-
ſces,in ſeminationis tempore,& meſſis quieſces.*
22 *Sollemnitatem quoque hebdomadarum facies tibi in
primitijs meſſis tritici, & ſollemnitatem, quando e-
grediente anno fructus congregantur.*
23 *Tribus temporibus in anno apparebit oẽs maſculus
tuus coram dominatore ſæculi Domino Deo Iſrael.*
24 *Eijciam enim populos à facie tua, & dilatabo ter-
minum tuum, neque concupiſcet homo terram tuam
cùm aſcenderis, vt appareas coram Domino Deo tuo
tribus temporibus in anno.*
25 *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem Phaſe
mei: neque manebunt extra altare adipes victimæ
ſollemnitatis vſque manè.*
26 *Primitias terræ tuæ offeres in domum ſanctuarij
Domini Dei tui. Non comedes carnem cum la-
cte.*
27 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Scribe tibi verba
hæc, quia per ſermonem horum verborum pepigi te-
cum fœdus,& cum Iſrael.*
28 *Fuitque ibi cum Domino quadraginta diebus, &
quadraginta noctibus: panem non comedit, & a-
quam non bibit,& ſcripſit ſuper tabulis decem ver-
ba fœderis.*
29 *Et factũ eſt cũ deſcẽdiſſet Moyſes de mõte Sinai,duæ
tabulæ teſtimonij erãt in manibus Moyſi cũ deſcen-
diſſet de Mõte,Moyſes autẽ neſciebat, quod multiplicatus
eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui cũ loqueretur cum eo.*

*Vi-*

## Vulgat. Editio.

30 Videntes autem Aaron, & filij Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt prope accedere.

31 Vocatique ab eo, reuerſi ſunt, tam Aaron, quàm principes ſynagogæ. Et poſtquam locutus eſt ad eos,

32 Venerunt ad eum etiam omnes filij Iſrael: quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai.

* 2. Cor. 3. 13. 33 Impletiſque ſermonibus, * poſuit velamen ſuper faciem ſuam.

34 Quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia, quæ ſibi fuerant imperata.

35 Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.

### CAP. XXXV.

1 IGitur congregata omnis turba filiorum Iſrael, dixit ad eos: Hæc ſunt quæ iuſſit Dominus fieri.

2 Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur.

3 Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati.

4 Et ait Moyſes ad omnem cateruam filiorum Iſrael: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus, dicens:

* Sup. 25. 2. 5 Separate apud vos primitias Domino. * Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino: aurum, & argentum, & æs,

6 Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctũ, & byſſum, pilos caprarum,

7 Pelleſque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna ſetim,

8 Et oleum ad luminaria concinnanda, & vt conficiatur vnguentum, & thymiama ſuauiſſimum,

9 Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum ſuperhumeralis, & rationalis.

10 Quiſquis veſtrum ſapiens eſt, veniat, & faciat, quod Dominus imperauit.

11 Tabernaculum ſcilicet, & tectum eius, atque operimentum, annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos, & baſes:

12 Arcam, & vectes, propitiatorium, & velum, quod ante illud oppanditur:

13 Menſam cum vectibus, & vaſis, & propoſitionis panibus:

14 Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda, vaſa illius, & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:

15 Altare thymiamatis, & vectes, & oleum vnctionis, & thymiama ex aromatibus: Tentorium ad oſtium tabernaculi:

16 Altare holocauſti, & craticulam eius æneam cum vectibus, & vaſis ſuis: labrum, & baſim eius:

17 Cortinas atrij cum columnis, & baſibus, tentorium in foribus veſtibuli,

18 Paxillos tabernaculi, & atrij cum funiculis ſuis:

19 Veſtimenta, quorum vſus eſt in miniſterio ſanctuarij, veſtes Aaron pontificis, ac filiorum eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.

20 Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi,

Obtu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

30 *Et vidit Aharon, & omnes filij Iſrael Moſeh, & ecce reſplenduit cutis faciei eius, & timuerunt appropinquare ei.*

31 *Et vocauit eos Moſeh, & reuerſi ſunt ad eos Aharon, & omnes principes in ſynagoga. Et locutus eſt Moſeh ad eos.*

32 *Et poſt hoc appropinquauerunt omnes filij Iſrael: & præcepit eis omnia quæ locutus eſt Dominus ſecum in monte Sinai.*

33 *Et conſummauit Moſeh loqui cum eis, & poſuit ſuper faciem ſuam velamen.*

34 *Et quando veniebat Moſeh ante Dominum ad loquendum cum eo, remouebat velamen, donec egrederetur, & egreſſus eſt, & locutus eſt ad filios Iſrael, quod præceptum erat.*

35 *Et viderunt filij Iſrael faciem Moſeh, quod reſplenduiſſet cutis faciei Moſeh, & reduxit Moſeh velamen ſuper faciem ſuam, donec veniret ad loquendum cum eo.*

### CAP. XXXV.

1 *ET congregauit Moſeh omnem ſynagogam filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ præcepit Dominus, vt faciatis.*

2 *Sex diebus facies opus: & in die ſeptima erit vobis ſanctificatio, ſabbatum ceſſationis Domino: omnis qui fecerit in eo opus, morietur.*

3 *Non accendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris in die ſabbati.*

4 *Et dixit Moſeh ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael, dicendo: Hoc eſt verbum, quod præcepit Dominus, dicendo:*

5 *Accipite à vobis oblationem Domino. Omnis cuius eſt ſpontaneum cor, afferet eam oblationem Domini: aurum, argentum, & æs.*

6 *Et hyacinthum, & purpuram, & coccum bis tinctum, & byſſum, & caprarum pilos,*

7 *Et pelles arietum rubricatas, & pelles taxorum, & ligna ſittim.*

8 *Et oleum pro luminari, & aromata pro oleo vnctionis, & ſuffimentum aromaticum,*

9 *Et lapides onychinos, & lapides plenitudinum pro ſuperhumerali, & pro pectorali.*

10 *Et omnis ſapiens corde in vobis, venient, & facient omnia quæ præcepit Dominus.*

11 *Tabernaculum, tentorium eius, & operimentũ eius, & circulos eius, & tabulas eius, vectes eius, columnas eius, & baſes eius:*

12 *Arcam, & vectes eius, & propitiatorium, & velum tentorij:*

13 *Menſam, & vectes ipſius, & omnia vaſa eius, & panem facierum:*

14 *Et candelabrum luminaris, & vaſa eius, & lucernas eius, & oleum luminaris:*

15 *Et altare ſuffimenti, & vectes eius, & oleum vnctionis, & ſuffimentum aromaticum: Et aulæum oſtij pro oſtio tabernaculi:*

16 *Altare holocauſti, & cribrũ æneũ, quod erat ei, et vectes eius, & omnia vaſa eius: & concam, & baſim eius:*

17 *Cortinas atrij, & columnas eius, & baſes eius, & aulæum portæ atrij,*

18 *Paxillos tabernaculi, & paxillos atrij, & funiculorum eorum:*

19 *Veſtes miniſterij ad miniſtrandum in ſanctificatione, & veſtes ſanctificationis Aharon ſacerdotis, & veſtes filiorum eius ad miniſtrandum.*

20 *Et egreſſi ſunt omnis ſynagoga filiorum Iſrael à facie Moſeh.*

*Et ve-*

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Et vidit Aaron, & omnes ſeniores Iſrael Moyſen, & erat glorificatus aſpectus cutis faciei eius, & timuerunt appropinquare ei. | 30 | 30 | *Viditque Aaron, & omnes filij Iſrael Moyſen, & ecce multiplicatus erat ſplendor gloriæ vultus eius, timueruntque accedere ad eum.* |
| Et vocauit eos Moyſes, & conuerſi ſunt ad eum Aaron, & omnes principes ſynagogæ. Et locutus eſt eis Moyſes. | 31 | 31 | *Et vocauit eos Moyſes, & reuerſi ſunt ad eum Aaron, & omnes principes congregationis. Et locutus eſt Moyſes cum eis.* |
| Et poſt hæc acceſſerunt ad eum omnes filij Iſrael: & mandauit eis omnia, quæcumque mandauerat Dominus ad eum in monte Sina. | 32 | 32 | *Et poſtea acceſſerunt omnes filij Iſrael: & præcepit eis omnia, quæ locutus eſt Dominus cum eo in monte Sinai.* |
| Et poſtquam ceſſauit loqui ad eos, impoſuit ſuper faciem ſuam velamen. | 33 | 33 | *Cumque conſummaſſet Moyſes loqui cum eis, poſuit ſuper faciem ſuam velamen.* |
| Quando autem ingrediebatur Moyſes ante Dominum, vt loqueretur ei, demebat velamen, quoadusque egrederetur, & egreſſus loquebatur omnibus filijs Iſrael, quæcumque mandauerat ei Dominus. | 34 | 34 | *Et cùm ingrediebatur Moyſes in conſpectũ Domini, vt loqueretur cum eo, auferebat velamen, donec exiret, & egrediebatur, & loquebatur cum filijs Iſrael, quod præceptum erat.* |
| Et videbant filij Iſrael faciem Moyſis, quia glorificata eſt, & circumponebat Moyſes velamen ſuper faciem ſuam, quoadusque ingrederetur colloqui cum eo. | 35 | 35 | *Videbantq; filij Iſrael aſpectum vultus Moyſi, quia multus erat ſplendor gloriæ vultus Moyſi, & reducebat Moyſes velamen ſuper faciem ſuam, donec ingrederetur ad loquendum cum eo.* |
| CAP. XXXV. | | | *CAP. XXXV.* |
| ET congregauit Moyſes omnem ſynagogam filiorum Iſrael, & dixit: Hæc verba, quæ dixit Dominus facere ea. | 1 | 1 | *COngregauitque Moyſes omnem cœtum filiorum Iſrael, & ait eis: Hæc ſunt verba, quæ præcepit Dominus, vt faciatis ea.* |
| Sex diebus facies opera: die autẽ ſeptimo requies, ſancta ſabbata, requies Domino, omnis faciens opus in eo moriatur. | 2 | 2 | *Sex diebus fiet opus: in die autem ſeptimo erit vobis requies ſabbati ſancti coram Domino: omnis qui fecerit in eo opus, occidetur.* |
| Non accendetis ignem in omni habitaculo veſtro in die ſabbatorum, ego Dominus. | 3 | 3 | *Non ſuccendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris in die ſabbati.* |
| Et ait Moyſes ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael, dicens: Hoc eſt verbum, quod præcepit Dominus, dicens: | 4 | 4 | *Et ait Moyſes ad omnem congregationem filiorum Iſrael, dicens: Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, dicens:* |
| Sumite à vobis ipſis demptionem Domino. Omnis ſuſcipiens corde feret primitias Domino: aurum, argentum, æs, | 5 | 5 | *Tollite ex vobis primitias coram Domino. Omnis qui fuerit voluntarius ex corde ſuo, afferat primitias coram Domino: aurum, & argentum, & æs.* |
| Hyacinthum, purpuram, coccum duplex netum, & byſſum tortam, & pilos caprinos, | 6 | 6 | *Et hyacinthum, & purpuram, & coccinum, & byſſum, & pilos caprarum.* |
| Et pelles arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas, & ligna imputribilia, | 7 | 7 | *Et pelles arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas, & ligna ſetim.* |
| * Et incenſum, & oleum vnctionis. | 8 | 8 | *Et oleum ad luminaria, aromata in vnguentum vnctionis, & in thymiama aromatum.* |
| Et lapides ſardij, & lapides in ſculpturam ad ſuperhumerale, & tunicam talarem. | 9 | 9 | *Et lapides onychinos, & lapides, vt impleant cælaturas, quæ ſunt in ſuperhumerali, & in rationali.* |
| Et omnis ſapiens corde in vobis veniens operetur omnia, quæcumque præcepit Dominus, | 10 | 10 | *Omneſq; ſapientes corde, qui ſunt in vobis veniant, & faciant omnia, quæ præcepit Dominus.* |
| Tabernaculum, & propugnacula, & operimenta, & circulos, & vectes, & columnas, | 11 | 11 | *Tabernaculum, & tentorium eius, & operimentum eius, fibulas eius, & tabulas eius, & vectes eius, columnas eius, & baſes eius.* |
| Et arcam teſtimonij, & geſtatoria eius, & propitiatorium eius, & velum, * | 12 | 12 | *Arcam, & vectes eius, & propitiatorium, & velum, quod extenditur.* |
| Et menſam, & omnia vaſa eius, | 13 | 13 | *Menſam, & vectes eius, & omnia vaſa eius, & panem propoſitionis.* |
| Et candelabrum luminis, & omnia vaſa eius, | 14 | 14 | *Et candelabrum illuminationis, & vaſa eius, & lucernas eius, & oleum ad illuminandum.* |
| Et altare, & omnia vaſa eius, * & oleum cryſmatis, & incenſum compoſitionis. * | 15 | 15 | *Altareque incenſi aromatum, & vectes eius, & oleum vnctionis, & thymiama aromatum. Et tentorium oſtij ad portam tabernaculi.* |
| | 16 | 16 | *Altare holocauſti, & rete æneum eius, & vectes eius, & omnia vaſa eius: labrum, & baſim eius.* |
| Et tentoria atrij, & columnas eius, & lapides ſmaragdi. | 17 | 17 | *Cortinas atrij columnaſque eius, & baſes eius, & tentorium portæ atrij.* |
| | 18 | 18 | *Paxillos tabernaculi, & paxillos atrij, & funiculos eius.* |
| Et ſtolas ſanctas Aaron ſacerdotis, & ſtolas, in quibus miniſtrabunt in eis, & tunicas filijs Aaron ſacerdotij. * | 19 | 19 | *Veſtes miniſterij, vt miniſtrent in ſanctuario, veſteſque ſanctas Aaron ſacerdotis, & veſtes filiorum eius, vt miniſtrent.* |
| Et exiuit omnis ſynagoga filiorum Iſrael à Moyſe. | 20 | 20 | *Egreſſaque eſt omnis congregatio filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi.* |

* In Bibl. Septuag. Romanæ editionis hæc habentur infra poſt numerum decimum ſeptimum.

* Quæ infra habentur numero 17. hic habentur in Romana Biblia Septuag. Interp.
* quæ hic duobus aſteriſcis clauduntur in Bibl. Septuaginta Interp. Romanæ editionis habentur infra poſt numerum 19. concluſum aſteriſco.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Obtulerunt mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi teſtimonij. Quidquid ad cultum, & veſtes ſanctas neceſſarium erat,

22 Viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, & inaures, annulos, & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt.

23 Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas,

24 Argenti, æriſque metalla obtulerunt Domino, lignaque ſetim in varios vſus.

25 Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byſſum:

26 Et pilos caprarum, ſponte propria cuncta tribuentes.

27 Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale,

28 Aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum, ac thymiama odoris ſuauiſſimi componendum.

29 Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſi. Cuncti filij Iſrael voluntaria Domino dedicauerunt.

*Sup. 31. 2. 30 Dixitque Moyſes ad filios Iſrael: *Ecce, vocauit Dominus ex nomine Beſeleel filium Vri filij Hur de tribu Iuda.

31 Impleuitque eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina

32 Ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære,

33 Sculpendiſq, lapidibus, & opere carpentario: quidquid fabre adinueniri poteſt,

34 Dedit in corde eius: Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan:

35 Ambos erudiuit ſapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texāt omnia, ac noua quæque reperiant.

### CAP. XXXVI.

Sup. 16. 1. 1 FEcit ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam, & intellectum, vt ſcirent fabre operari, quæ in vſus Sanctuarij neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus.

1. Par. 15. 19. 2 Cumque vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus ſapientiam, & qui ſponte ſua obtulerant ſe ad faciendum opus,

3 Tradidit eis vniuerſa donaria filiorum Iſrael. Qui cum inſtarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.

4 Vnde artifices venire compulſi,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et venerunt omnis vir, qui eleuauit cor ſuum, & omnis cuius ſpontaneus erat ſpiritus ſecum, attulerunt oblationem Domini ad opus tabernaculi eccleſiæ. Et ad omne opus eius, & ad veſtes ſanctas.*

22 *Et venerunt viri cum mulieribus, omnis ſpontaneus corde, attulerunt fibulam, & inaurem, & annulum, & dextrale: omne vas aureum.*

23 *Et omnis vir, qui eleuauit eleuationem auri Domino, omnis vir cum quo inuentum eſt hyacinthum, & purpura, & coccum bis tinctum, & byſſum, & caprarum pili, & pelles arietum rubricatæ, & pelles taxorum, adduxerunt.*

24 *Omnis eleuans eleuationem argenti, & æris, attulerunt oblationem Domini, omnis cum quo inuenta ſunt ligna ſittim ad omne opus miniſterij attulerunt.*

25 *Omnis mulier ſapiens corde, manibus ſuis neuerunt & attulerunt netum, hyacinthum, & purpuram, & coccum bis tinctum, & byſſum.*

26 *Et omnes mulieres quarum cor eleuauit eas in ſapientia neuerunt caprarum pilos.*

27 *Et principes attulerunt lapides onychinos, & lapides plenitudinum pro ſuperhumerali, & pectorali.*

28 *Et aroma, & oleum pro luminari, & pro oleo vnctionis, & pro thymiamate aromatico.*

29 *Omnis vir, & mulier quorum ſpontaneum erat cor ſecum, ad afferendum ad omne opus, quod præcepit Dominus, vt faceret per manum Moſeh. Attulerunt filij Iſrael ſpontaneum Domino.*

30 *Et dixit Moſeh ad Iſrael: Videte, vocauit Dominus nomine Beſalel filium Vri, filij Chur è tribu Iehudah.*

31 *Et repleuit eum ſpiritus Dei ſapientia, intelligentia, & ſcientia, & omni opere.*

32 *Et ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro, & in argento, & ære,*

33 *Et in fabricatione lapidis ad complendum: & in fabricatione ligni ad faciendum in omni opere cogitationis.*

34 *Et ad docendum dedit in corde ipſius: & Aholiab filium Achiſamach è tribu Dan:*

35 *Et repleuit eos ſapientia cordis, ad faciendum omne opus fabrile, & phrygionicum, & acupictorium in hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & byſſo, & textorio, facientes omne opus, & cogitantes cogitationes.*

### CAP. XXXVI.

1 *ET fecit Beſalel, & Aholiab, & omnis vir ſapiens corde, quibus dedit Dominus ſapientiam, & intelligentiam ad ſciendum, ad faciendum omne opus miniſterij Sanctificationis, ſecundum omnia, quæ præcepit Dominus.*

2 *Et vocauit Moſeh Beſalel, & Aholiab, & omnem virum ſapientem corde cui dedit Dominus ſapientiam in corde omnem quem leuauit cor ad appropinquandum ad opus ad faciendum illud.*

3 *Et tulerunt à conſpectu Moſeh omnem oblationem, quam attulerunt filij Iſrael, ad opus miniſterij Sanctificationis, ad faciendum illud. Et ipſi attulerunt ad eum adhuc ſpontaneum ſingulo mane.*

4 *Et venerunt omnes ſapientes, facientes omne opus Sanctificationis ſingulus ab opere ſuo, quod faciebant.*

## Tranſl. ex Septuag.

21 Et attulerunt vnuſquiſque, quorum ferebat cor eorum, & quibus viſum eſt animæ eorum, demptionē. Et obtulerunt demptionem Domino ad omnia opera tabernaculi teſtimonij, & ad omnia miniſteria eius, & ad omnes ſtolas ſancti.

22 Et attulerunt viri ab vxoribus, omnis, cui viſum eſt menti, attulerunt ſigilla, & inaures, & annulos, & torques, & dextralia: omne vas aureum:

23 Et omnes quicumque attulerunt demptiones auri Domino, & apud quem inuenta eſt byſſus, & pelles hyacinthinas, & pelles arietum rubricatas attulerunt.

24 Et omnis demens demptionem, attulerunt argentum, & æs, demptiones Domino, & apud quos inuenta ſunt ligna imputribilia, & ad omnia opera fabricationis attulerunt.

25 Et omnis mulier ſapiens mente, manibus nere, attulerunt neta, hyacinthum, & purpuram, & coccū, & byſſum.

26 Et omnes mulieres, quibus viſum eſt menti earum, in ſapientia nerent pilos caprinos.

27 Et principes attulerunt lapides ſmaragdi, & lapides plenitudinis ad ſuperhumerale, & rationale:

28 Et compoſitiones, & ad oleum vnctionis, & compoſitionem incenſi.

29 Et omnis vir, & mulier, quorum ferebat mens eorū, vt intrantes facerent omnia opera, quæcumq; præcepit Dominus facere ea per Moyſen. Attulerunt filij Iſrael demptionem Domino.

30 Et dixit Moyſes filijs Iſrael: Ecce reuocauit Deus ex nomine Beſeleel filium Vrij, qui Or, de tribu Iuda:

31 Et impleuit eum ſpiritu Diuino ſapientiæ, & intellectus, & ſcientiæ.

32 Omnium ad fabricandum ſecundum omnia opera architectonicæ, ad faciendum aurum, & argentum, & æs:

33 Et operandum lapides, & operandum ligna, & faciendum in omni opere ſapientiæ.

34 Et proficere dedit in mente, & ei: & Eliab filio Achiſamach de tribu Dan.

35 Et impleuit eos ſapientia, intellectu, mente, vt omnia ſcirent facere opera Sancti textilia, & varia, texere cocco, & byſſo, facere omne opus architectonicum varietatis.

### C A P. XXXVI.

1 ET fecit Beſeleel, & Eliab, & omnis ſapiens mente, cui data eſt ſapientia, & ſcientia in his ad ſciendum, ad faciendum, omnia opera pertinentia ad Sancta, iuxta omnia, quæ præcepit Dominus.

2 Et vocauit Moyſes Beſeleel, & Eliab, & omnes habentes ſapientiam, cui dedit Deus ſcientiam in corde, & omnes, qui ſponte vellent ire ad opera, vt cōſummarent ea.

3 Et acceperunt à Moyſe omnes demptiones, quas attulerunt filij Iſrael ad omnia opera Sancti, ad faciendum ea. Et ipſi recipiebant adhuc, quæ offerebantur ab offerentibus mane,

4 Et acceſſerunt omnes ſapientes, facientes opera Sancti, vnuſquiſque iuxta opus ſuum, quod ipſi operabantur.

## Chald. Paraph. Tranſl.

21 *Et venerunt omnes viri, qui ex corde ſuo ſe obtulerunt, & omnis, qui habuit ſpiritum perfectum obtulit primitias coram Domino in opus tabernaculi fœderis, & ad omnem cultum eius, & ad veſtes ſanctas.*

22 *Obtuleruntque viri cum mulieribus, omnes ex corde voluntario obtulerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia: & omne vas aureum:*

23 *Et omnis vir, qui ſeparauit primitias auri coram Domino, omniſque apud quem inuentus eſt hyacinthus, & purpura, & coccinum, & byſſus retorta, & pili caprarum, & pelles arietum rubricata, & pelles hyacinthina, obtulerunt.*

24 *Omnis, qui ſeparauit primitias argenti, & æris, obtulerunt primitias coram Domino, & omnis apud quem inuenta ſunt ligna ſetim ad omne opus miniſterij obtulerunt.*

25 *Omniſque mulier ſapiens corde manibus ſuis nebat, & adducebant hyacinthum, & purpuram, & coccinum, & byſſum, quæ neuerant.*

26 *Et omnes mulieres quæ volebant cum ſapientia cordis earum, nebant pilos caprarum.*

27 *Principes autem obtulerunt lapides onychinos, & lapides ad implendas cælaturas, quæ erant in ſuperhumerali, & in rationali:*

28 *Et aromata, & oleum ad luminaria, & ad oleum vnctionis, & ad thymiama aromatum.*

29 *Omnis vir, & mulier, qui voluerunt ex corde ſuo, vt offerrent ad omne opus, quod præceperat Dominus fieri per manum Moyſi. Obtulerunt filij Iſrael voluntariè coram Domino.*

30 *Dixitque Moyſes filijs Iſrael: Videte, quod vocauit Dominus ex nomine Beſeleel filium Vri filij Hur de tribu Iuda.*

31 *Et impleuit eum ſpiritu à facie Domini, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere.*

32 *Et vt diſcat artes, vt faciat in auro, & argento, & ære:*

33 *Et in arte gemmaria, vt gemmis cælaturas impleat: & in opere fabri lignarij, vt faciat in omni opere artificis.*

34 *Et vt doceat dedit in corde eius ipſe: & Ooliab filius Achiſamech de tribu Dan.*

35 *Impleuit eos ſapientia cordis, vt faciant in omni opere carpentarij, & artificis, & polymitarij in hyacintho, & purpura in coccino, & in byſſo, & in omni opere textoris, & doceant artifices.*

### C A P. XXXVI.

1 *FEcitque Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens corde, quibus dedit Dominus ſapientiam, & intelligentiam, vt facerent omne opus miniſterij Sanctuarij iuxta omnia, quæ præcepit Dominus.*

2 *Vocauitque Moyſes Beſeleel, & Ooliab, & omnem virum ſapientem corde, in cuius corde dedit Dominus ſapientiam, & omnem qui ſponte ſe obtulit ad faciendum opus.*

3 *Et tulerunt de conſpectu Moyſi omnes primitias quas obtulerant filij Iſrael ad opus miniſterij Sanctuarij, vt facerent illud. Ipſi quoque offerebant ei munera voluntaria mane, mane.*

4 *Veneruntque omnes ſapientes, qui faciebant omne opus Sanctuarij vnuſquiſque ab opere ſuo, quod ipſi faciebant.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Dixerunt Moyſi: Plus offert populus, quàm neceſſarium eſt,

6 Iuſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis,

7 Eo quòd oblata ſufficerent, & ſuperabundarent.

8 Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita:

9 Quarum vna habebat in longitudine vigintiocto cubitos, & in latitudine quattuor: vna menſura erat omnium cortinarum.

10 Coniunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque ſibi inuicem copulauit.

11 Fecit, & anſas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius ſimiliter,

12 Vt contra ſe inuicem venirent anſæ, & mutuo iungerentur.

13 Vnde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum anſas, & fieret vnum tabernaculum.

14 Fecit, & ſaga vndecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi:

15 Vnum ſagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quattuor: vnius menſuræ erant omnia ſaga:

16 Quorum quinque iunxit ſeorſum, & ſex alia ſeparatim.

17 Fecitque anſas quinquaginta in ora ſagi vnius, & quinquaginta in ora ſagi alterius, vt ſibi inuicem iungerentur.

18 Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus ſagis fieret.

19 Fecit, & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque deſuper velamentum de pellibus ianthinis.

20 Fecit, & tabulas tabernaculi de lignis ſetim ſtantes.

21 Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius: & vnum, ac ſemis cubitum latitudo retinebat.

22 Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, vt altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23 E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Auſtrum,

24 Cum quadraginta baſibus argenteis. Duæ baſes ſub vna tabula ponebantur ex vtraque parte angulorum, vbi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur.

25 Ad plagam quoque tabernaculi, quæ reſpicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas,

26 Cum quadraginta baſibus argenteis, duas baſes per ſingulas tabulas.

27 Contra Occidentem verò, id eſt, ad eam partem tabernaculi, quæ mare reſpicit, fecit ſex tabulas,

28 Et duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retro:

29 Quæ iunctæ erant à deorſum vſque ſurſum, & in vnam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos:

30 Vt octo eſſent ſimul tabulæ, & haberent baſes argenteas ſexdecim, binas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et dixerunt ad Moſeh, dicendo: Multiplicant populus offerendo vltra ſufficientiam miniſterij, ad opus, quod præcepit Dominus, vt facerent.*

6 *Et præcepit Moſeh, & tranſire fecerunt vocem in caſtris, dicendo: Vir, & mulier, ne faciant vltra opus ad oblationem Sanctificationis. Et prohibitus eſt populus, ne offerret.*

7 *Et ſubſtantia erat ſufficiens ad omne opus, ad faciendum illud, & ſuperabundandum.*

8 *Et fecerunt omnis ſapiens corde cum facientibus opus, tabernaculum, decem cortinas è byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & cocco, vermiculo, Cherubim opere phrygionis fecit eas.*

9 *Longitudo cortinæ vnius octo, & viginti cubitorum, & latitudo quattuor cubitorum cortinæ vnius: menſura vna erat omnibus cortinis.*

10 *Et coniunxit quinque cortinas alteram ad alteram, & quinque cortinas coniunxit alteram ad alteram.*

11 *Et fecit laqueolos hyacinthinos in ora cortinæ vnius, à latere in coniunctione, ſic fecit in ora cortinæ extremæ in coniunctione ſecunda.*

12 *Quinquaginta laqueolos fecit in cortina vna, & quinquaginta laqueolos fecit in extremo cortinæ, quæ eſt in coniunctione ſecunda, oppoſiti laqueoli alter ad alterum.*

13 *Et fecit quinquaginta vncinos aureos, & coniunxit cortinas alteram ad alteram cum vncinis, & fuit tabernaculum vnum.*

14 *Et fecit cortinas è caprarum pilis tecto ſuper tabernaculum, vndecim cortinas fecit.*

15 *Longitudo cortinæ vnius triginta cubitorum, & quattuor cubitorum latitudo cortinæ vnius: menſura vna erat vndecim cortinis:*

16 *Et coniunxit quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum.*

17 *Et fecit laqueolos quinquaginta in ora cortinæ extremæ in coniunctione, & quinquaginta laqueolos fecit in ora cortinæ in coniunctione ſecunda.*

18 *Et fecit vncinos æreos quinquaginta ad coniungendum tectum, vt eſſet vnum.*

19 *Et fecit operimentum tecto è pellibus arietum rubricatis: & operimentum è pellibus taxorum ſupernè.*

20 *Et fecit tabulas tabernaculo è lignis ſittim ſtantes.*

21 *Decem cubitorum longitudo tabulæ, & cubiti, & dimidij cubiti latitudo tabulæ vnius.*

22 *Duæ incaſtraturæ erant tabulæ vni commiſſæ altera ad alteram. Sic fecit omnibus tabulis tabernaculi.*

23 *Et fecit tabulas tabernaculo, viginti tabulas ad latus Auſtri ad meridiem.*

24 *Et quadraginta baſes argenteas fecit ſub viginti tabulis. Duas baſes ſub tabula vna pro duabus incaſtraturis eius, & duas baſes ſub tabula altera, pro duabus incaſtraturis eius.*

25 *Et in latere tabernaculi ſecundo in latere Aquilonaris fecit viginti tabulas.*

26 *Et quadraginta baſes earum argenteas, duas baſes ſub tabula vna, & duas baſes ſub tabula altera.*

27 *Et in lateribus tabernaculi ad Occidentem fecit ſex tabulas.*

28 *Et duas tabulas fecit in angulis tabernaculi in lateribus.*

29 *Et fuerunt geminatæ infernè, & pariter fuerunt geminatæ ad caput eius, ad annulum vnum. Sic fecit ambabus ipſis in duobus angulis.*

30 *Et fuerunt octo tabulæ, & baſes earum argenteæ ſexdecim baſes, binæ ſub qualibet tabula.*

*Et fe-*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

5 Et dixit ad Moyſen : Quia multum affert populus ſecundum opera, quæcunque præcepit Dominus facere.

6 Et conſtituit Moyſes, & per præconem pronunciauit in caſtris, dicens : Vir, & mulier non vltra operentur in primitias Sancti : Et prohibitus eſt populus vltra offerre.

7 Et opera erant eis ſufficientia ad fabricationem ad faciendam, & ſuperfuerunt.

8 * Et fecerunt tabernaculo decem aulæa.

9 Octo, & viginti cubitorum longitudo aulæi vnius eadem erat omnibus : & quattuor cubitorum latitudo aulæi vnius.*

10

11

12

13 Hic fecit, & circulos tabernaculi aureos, & circulos atrij.

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

* Hæc ab his, quæ infra ſequuntur à numero 15. vſq; ad finem capi. 1 a ex cap. 37. Biblia Septuag. Interp. Romanæ editionis.

* Quæ infra ponuntur à numero 15. vſque ad numerum 38. in Biblia Septuag. Interp. Romanæ editionis habentur connexa textui, quæ notantur aſteriſcis.

Quæ debent correſpondere his textibus in quibus agitur de conſtructione Tabernaculi, licet habeantur in Regia, & Complutenſi, non tamen in Tranſl. ex Septuag. Romana, quam nos hic ponimus.

## Chald. Paraph. Transl.

5 *Et locuti ſunt ad Moyſen, dicentes: Plus offert populus, quàm neceſſarium eſt ad opus miniſterij, quod præcepit Dominus, vt facerent illud.*

6 *Præcepitque Moyſes, & tranſire fecerunt præconem per caſtra, dicentem: Vir, & mulier non faciant vltra opus ad primitias Sanctuarij: Ceſſauitque populus à muneribus offerendis.*

7 *Et quod factum erat ſufficiebat ad omne opus, quod faciendum erat, & ſuperabundabat.*

8 *Feceruntque omnes ſapientes corde de his, qui faciebant opus tabernaculi, decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & coccino cum figuris Cherubim, opere artificis fecit eas.*

9 *Longitudo vnius cortinæ viginti, & octo cubitorum erat, & latitudo quattuor cubitorum: menſura vna erat omnium cortinarum.*

10 *Coniunxitque quinque cortinas vnam cum alia, & quinque cortinas alias coniunxit vnam cum alia.*

11 *Fecitque anſas ex hyacintho in ora cortinæ vnius in latere quo iungenda erat, & ſic fecit in ora cortinæ alterius in latere quo iungenda erat.*

12 *Quinquaginta anſas fecit in cortina vna, & quinquaginta anſas fecit in latere cortinæ alterius quo iungenda erat: Erant enim anſæ vna è regione alterius.*

13 *Fecitque quinquaginta fibulas aureas, & coniunxit cortinas vnam cum alia fibulis, & factum eſt tabernaculum vnum.*

14 *Fecitque cortinas de pilis caprarum ad extendendum ſuper tabernaculum, vndecim cortinas fecit.*

15 *Longitudo cortinæ vnius triginta cubitorum erat, & quattuor cubitorum erat latitudo vnius cortinæ: vnius menſura erant vndecim cortinæ.*

16 *Et coniunxit quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum.*

17 *Fecitque anſas quinquaginta in ora cortinæ in latere quo iungenda erat, & quinquaginta anſas fecit in ora cortinæ alterius in loco quo iungenda erat.*

18 *Fecitque fibulas æneas quinquaginta, vt coniungeretur tabernaculum, vt eſſet vnum.*

19 *Et fecit coopertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: coopertoriumque aliud de pellibus hyacinthinis deſuper.*

20 *Fecitque tabulas tabernaculi de lignis ſetim ſtantes.*

21 *Decem cubitorum erat longitudo tabulæ, & cubiti, & dimidij erat latitudo tabulæ vnius.*

22 *Duos cardines fecit in vnaquaque tabula, & duabus incaſtraturis erant coniuncta, vna cum alia. Sic fecit in omnibus tabulis tabernaculi.*

23 *Et fecit tabulas tabernaculi viginti ad latus Meridianum.*

24 *Et quadraginta baſes argenteas fecit ſub viginti tabulis. Duæ baſes ſub tabula vna in duobus cardinibus eius, & duæ baſes ſub tabula alia in duobus cardinibus eius.*

25 *Et in latere ſecundo tabernaculi ad plagam Septentrionalem fecit viginti tabulas.*

26 *Et quadraginta baſes de argento, duæ baſes erãt ſub tabula vna, & duæ baſes ſub alia tabula.*

27 *Et in poſteriori parte Occidentali tabernaculi fecit ſex tabulas.*

28 *Et duas tabulas fecit in angulis tabernaculi extremis.*

29 *Et erant coniuncta ab inferiori parte, ſimulque erant coniuncta in capite ſuo in annulo vno. Sic fecit in duobus angulis.*

30 *Fueruntque octo tabulæ, & baſes earum argenteæ ſexdecim baſes erant, binæ baſes ſub vnaquaque tabula.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

31 Fecit, & vectes de lignis ſetim, quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi,
32 Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad Occidentalem plagam tabernaculi contra mare.
33 Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vſque ad angulum perueniret.
34 Ipſa autẽ tabulata deaurauit, fuſis baſibus, earũ argẽteis. Et circulos eorũ fecit aureos, p quos vectes induci poſſent: quos, & ipſos laminis aureis operuit.
35 Fecit, & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario, varium, atque diſtinctum:
36 Et quatuor columnas de lignis ſetim, quas cum capitibus deaurauit, fuſis baſibus earum argenteis.
37 Fecit, & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byſſoque retorta, opere plumarij:
38 Et columnas quinque cum capitibus ſuis, quas operuit auro, baſeſque earum fudit æneas.

### CAP. XXXVII.

1 Fecit autem Beſeleel, & arcam de lignis ſetim, habentem duos ſemis cubitos in longitudine, & cubitum, ac ſemiſſem in latitudine, altitudo quoque vnius cubiti fuit, & dimidij: veſtiuitque eam auro puriſſimo intus, ac foris.
2 Et fecit illi coronam auream per gyrum,
3 Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius: duos annulos in latere vno, & duos in altero.
4 Vectes quoq; fecit de lignis ſeti, quos veſtiuit auro,
5 Et quos miſit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.
6 Fecit, & propitiatorium, id eſt, oraculum, de auro mundiſſimo, duorum cubitorum, & dimidij in longitudine, & cubiti, ac ſemis in latitudine.
7 Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex vtraque parte propitiatorij:
8 Cherub vnũ in ſummitate vnius partis, & Cherub alterum in ſummitate partis alterius: duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus propitiatorij,
9 Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuo, & illud reſpicientes.
10 Fecit, & menſam de lignis ſetim in lõgitudine duorum cubitorum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum, ac ſemiſſem,
11 Circumdeditque eam auro mundiſſimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,
12 Ipſique labio coronam auream interraſilem quatuor digitorum, & ſuper eandem, alteram coronam auream.
13 Fudit, & quatuor circulos aureos, quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ.
14 Contra coronam: miſitque in eos vectes, vt poſſit menſa portari.
15 Ipſos quoque vectes fecit de lignis ſetim, & circũdedit eos auro.
16 Et vaſa ad diuerſos vſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina.
17 Fecit, & candelabrum ductile de auro mundiſſimo. De cuius vecte calami, ſcyphi, ſphærulæque, ac lilia procedebant:

Sex

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

31 *Et fecit vectes è lignis ſittim quinque pro tabulis lateris tabernaculi vnius.*
32 *Et quinque vectes pro tabulis lateris tabernaculi alterius: & quinque vectes pro tabulis lateris tabernaculi in lateribus ad Occidentem.*
33 *Et fecit vectem medium ad tranſeundum per medium tabularum, ab extremo ad extremum.*
34 *Et tabulas texit auro, & annulos earum fecit ex auro loca vectibus, & texit vectes auro.*
35 *Et fecit velum ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere acupictorio fecit ea cum Cherubim.*
36 *Et fecit ei quattuor columnas ſittim, & texit eas auro, vncini earum aurei, & fudit eis quattuor baſes argenteas.*
37 *Et fecit aulæum ad oſtium tabernaculi ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere phrygionis:*
38 *Et columnas eius quinque, & vncinos earum, & texit capita earum, & fila eas cingentia ex auro, & baſes earum quinque area.*

### CAP. XXXVII.

1 *Et fecit Beſeleel arcam è lignis ſittim, duorum cubitorum, & dimidij longitudo eius, & cubiti, & dimidij latitudo eius, & cubiti, & dimidij altitudo eius: & texit eam auro mundo intrinſecus, & extrinſecus.*
2 *Et fecit ei coronam auream in circuitu.*
3 *Et fudit illi quattuor annulos aureos, in quattuor angulis eius: & duos annulos in latere ipſius vno, & duos annulos in latere ipſius altero.*
4 *Et fecit vectes è lignis ſittim, & texit eos auro.*
5 *Et introduxit vectes in annulos in lateribus arcæ ad portandum arcam.*
6 *Et fecit propitiatorium ex auro mundo, duorum cubitorum, & dimidij longitudo eius, & cubiti, & dimidij latitudo eius.*
7 *Et fecit duos Cherubim ex auro, ductiles fecit eos à duabus extremitatibus propitiatorij:*
8 *Cherub vnum ab extremo hinc, & Cherub vnum ab extremo inde à propitiatorio: fecit Cherubim à duabus extremitatibus eius,*
9 *Et Cherubim extendebant alas ſupernè, tegentes alis ſuis propitiatorium, & facies eorum ſingula ad alteram, ad propitiatorium erant facies Cherubim.*
10 *Et fecit menſam è lignis ſittim, duorum cubitorum longitudo eius, & cubiti latitudo eius, & cubiti, & dimidij altitudo eius.*
11 *Et texit eam auro mundo, & fecit ei coronam auream in circuitu.*
12 *Et fecit ei clauſuram palmi in circuitu, & fecit coronam auream clauſuræ ipſius in circuitu.*
13 *Et fudit ei quattuor annulos aureos, & poſuit annulos in quattuor angulis, qui erant in quattuor pedibus eius.*
14 *Contra clauſuram erant anguli locus vectibus ad portandum menſam.*
15 *Et fecit vectes è lignis ſittim, & texit eos auro ad portandum menſam.*
16 *Et fecit vaſa, quæ erant ſuper menſam, ſcutulas eius, & cochlearia eius, & cyathos eius, & medios calamos, quibus operiebatur ex auro mundo.*
17 *Et fecit candelabrum ex auro puro, ductile fecit cãdelabrum. Haſtile eius, & calamus, ſcyphi eius, ſphærula eius, & flores eius ex ipſo fuerunt:*

*Et ſex*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

31 •

32

33

34 Et deaurauit columnas velaminis auro, & fecit anſulas aureas, & fudit columnæ annulos aureos, & deaurauit vectes auro.

35 Et fecerunt velamen ex hyacintho, & purpura, & cocconeto, & byſſo torta, opus textile Cherubim.

36 Et impoſuerunt illud ſuper quattuor columnas imputribiles inauratas in auro, & capita earum aurea, & baſes earum quattuor argenteæ.

37 Et fecerunt velamen oſtij tabernaculi teſtimonij ex hyacintho, & purpura, & cocconeto, & byſſo torta, opus textile Cherubim.

38 Et columnas earum quinque, & circulos, & capita earum, & arcus earum inaurauerunt auro, & baſes earum quinque æreæ.

### C A P. XXXVII.

1 ET fecit Beſeleel arcam: & deaurauit eam auro puro intus, & extra.

2

3 Et fudit ei quattuor annulos aureos duos ad latus vnum, & duos ad latus ſecundum capaces vectibus ad portandum eam in eis.

4

5

6 Et fecit propitiatorium deſuper arcæ ex auro puro.

7 Et duos Cherubim aureos.

8 Cherub vnum ad ſummitatem propitiatorij vnam, & Cherub vnum ad ſummitatem propitiatorij ſecundam.

9 Obumbrantes alis ſuis ſuper propitiatorium.

10 Et fecit menſam ipſam propoſitam ex auro puro. *

11

12

13 * Et fudit ei quattuor annulos duos ſuper latus vnum, & duos ſuper latus ſecundum capaces vectibus ad portandum eam in eis.

14 Et duos vectes arcæ, & menſæ fecit.

15 Et deaurauit eos auro, *

16 Et fecit vaſa menſæ catinos, & mortariola, & cyathos, & libatoria, in quibus libabit in eis, aurea.

17 Et fecit candelabrum, quod illuminat aureum ſolidum ſtipite, & calamos ex vtriſque partibus eius: e calamis eius germina extantia.

Hæc omnia quæ ponuntur in hoc capitulo a numero primo vſque ad numerum 15. in Biblia Septuag. Interp. Romanis habentur cap. 38.

* Quæ infra habentur a numero 13. vſque ad numerum 15. clauſa aſteriſcis in Biblia Septuag. Interp. Romanæ Editionis habentur hoc ſupra ex cap. 38. Quæ hic habentur a num. 13. vſque ad numerum 16. excluſiue correſpondent vulgatæ editioni, & in [illegible] dicuntur ibidē, & etiam in his [illegible] ſupra numero 4. & 5. [illegible] de arca, & menſa, tum de annulis, de vectib. & deauratione ſecundum Septuag. Interp.

## Chald. Paraph. Tranſl.

31 Et fecit quinque vectes de lignis ſetim ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi.

32 Et quinque vectes fecit ad continendas tabulas alterius lateris tabernaculi: & quinque vectes fecit ad continendas tabulas partis poſterioris tabernaculi ad Occidentem.

33 Et fecit vectem medium, vt mitteretur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum.

34 Tabulaſque cooperuit auro, & annulos earum fecit ex auro, vt eſſent loca vectibus, vectes quoque cooperuit auro.

35 Fecitque velum de hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo retorta, opere artificis fecit illud cum figuris Cherubim.

36 Et fecit ei quattuor columnas de lignis ſetim, & cooperuit eas auro, & capita earum erant ex auro, & effudit ei quattuor baſes de argento.

37 Fecitque tentorium in oſtio tabernaculi de hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo retorta, opere polymitarij.

38 Et columnas eius quinque cum capitibus ſuis, & cooperuit capita earum, & calaturas earum auro, baſeſque earum fecit quinque ex ære.

### C A P. XXXVII.

1 ET fecit Beſeleel arcam de lignis ſetim, duorum cubitorum, & dimidij erat longitudo eius, & latitudo eius cubiti, & dimidij, & altitudo cubiti, & dimidij: & cooperuit eam auro mundiſſimo intus, & foris.

2 Fecitque illi circulum aureum per circuitum.

3 Et effudit ei quattuor annulos aureos ſuper quattuor angulos eius: duo annuli in latere vno, & duo annuli in latere altero.

4 Et fecit vectes de lignis ſetim, et cooperuit eos auro.

5 Et induxit vectes per annulos, qui erant in lateribus arcæ.

6 Fecitque propitiatorium ex auro mundiſſimo, duorum cubitorum, & dimidij erat longitudo eius, & latitudo cubiti, & dimidij.

7 Fecitq; duos Cherubim, de auro ductili fecit eos ex duobus lateribus propitiatorij.

8 Cherub vnum in latere vno hinc, & Cherub alterũ in latere altero illinc: ex propitiatorio fecit Cherubim ex duobus lateribus eius.

9 Et erant Cherubim extendentes alas ſuas ſurſum, tegentes alis ſuis ſuper propitiatorium, & facies vniuſcuiuſque eorum erat è regione alterius, contra propitiatorium erant facies Cherubim.

10 Fecitque menſam de lignis ſetim, duorum cubitorum longitudo eius, & cubiti vnius latitudo eius, & cubiti, & dimidij altitudo eius.

11 Et operuit eam auro mundiſſimo, fecitque ei circulum aureum per gyrum.

12 Et fecit ei coronam interraſilem altam pugillo per circuitum, & fecit circulum aureum ipſi coronæ interraſilis per gyrum.

13 Et fudit ei quattuor annulos aureos, & poſuit annulos ſuper quattuor angulos eius, qui erant ad quattuor pedes eius.

14 Contra coronam interraſilem fuerunt annuli: vt per eos mitterentur vectes, vt portaretur menſa.

15 Fecitque vectes de lignis ſetim, & operuit eos auro, vt in eis portaretur menſa.

16 Et fecit vaſa quæ erant ſuper menſa, acetabula eius, & phialas, & thuribula, & cyathos, in quibus offerenda erant libamina, de auro mundiſſimo fecit ea.

17 Fecitque candelabrum de auro mundiſſimo, ductile fecit illud, haſtile, & calamum eius, ſcyphi eius, ſphærula, & lilia eius ex ipſo erant.

## Vulgat. Editio.

18 Sex in vtroque latere, tres calami ex parte vna, & tres ex altera:

19 Tres ſcyphi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulæque ſimul & lilia: & tres ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulæque ſimul, & lilia. Æquum erat opus ſex calamorum, qui procedebant de ſtipite candelabri.

20 In ipſo autem vecte erant quattuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæq; per ſingulos ſimul, & lilia:

21 Et ſphærulæ ſub duobus calamis per loca tria, qui ſimul ſex fiunt calami procedentes de vecte vno.

22 Et ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erant, vniuerſa ductilia ex auro puriſſimo.

23 Fecit & lucernas ſeptem cum emunctorijs ſuis, & vaſa, vbi ea quæ emuncta ſunt, extinguantur, de auro mundiſſimo.

24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis.

25 Fecit & altare thymiamatis de lignis ſetim, per quadrum ſingulos habẽs cubitos, & in altitudine duos: è cuius angulis procedebant cornua.

26 Veſtiuitque illud auro puriſſimo cum craticula, ac parietibus, & cornibus.

27 Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & poſſit altare portari.

28 Ipſos autem vectes fecit de lignis ſetim, & operuit laminis aureis.

29 Compoſuit, & oleum ad ſanctificationis vnguentum, & thymiama de aromatibus mundiſſimis opere pigmentarij.

### CAP. XXXVIII.

2.Par.1.5. 1 Fecit, & altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine:

2 Cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis.

3 Et in vſus eius parauit ex ære vaſa diuerſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, vncinos, & ignium receptacula.

4 Craticulamque eius in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam,

5 Fuſis quattuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum:

6 Quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis:

*Sup.27.8 7 * Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipſum autem altare non erat ſolidum, ſed cauum ex tabulis, & intus vacuum.

8 Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.

9 Fecit, & atrium, in cuius Auſtrali plaga erant tentoria de byſſo retorta, cubitorum centum,

10 Columnæ æneæ, & viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

11 Æquè ad Septentrionalem plagam tentoria, columnæ, baſeſque, & capita columnarum eiuſdem menſuræ, & operis, ac metalli, erant.

12 In ea vero plaga, quæ ad Occidentem reſpicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et ſex calami egrediebantur è lateribus eius, tres calami candelabri ex latere ipſius vno, & tres calami candelabri ex latere eius altero:*

19 *Tres ſcyphi amygdalati in calamo vno, ſphærula, & flos: & tres ſcyphi amygdalati in calamo altero, ſphærula, & flos. Sic ſex calamis egredientibus è candelabro.*

20 *Et in candelabro quattuor ſcyphi amygdalati, ſphærula eius, & flores eius:*

21 *Et ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, ſex calamis egredientibus ex ipſo.*

22 *Et ſphærula eorum, & calami eorum ex ipſo fuerũt, totum erat ductile, vnum ex auro puro.*

23 *Et fecit lucernas eius ſeptem, & forcipes eius, & receptacula ipſius ex auro puro.*

24 *Talento auri puri fecit eas, & omnia vaſa eius.*

25 *Et fecit altare ſuffimenti è lignis ſittim, cubitus longitudo eius, & cubitus latitudo eius, quadrũ, & duo cubiti altitudo eius: ex ipſo fuerunt cornua eius.*

26 *Et texit illud auro puro, tectum eius, & parietes eius in circuitu, & cornua eius.*

27 *Et fecit ei coronam auream in circuitu, & duos annulos aureos fecit ei infra coronam ipſius in duobus angulis eius, in duobus lateribus eius, locus vectibus ad portandum illud cum eis.*

28 *Et fecit vectes è lignis ſittim, & texit eos auro.*

29 *Et fecit oleum vnctionis, ſanctificationem, & ſuffimentum aromaticum purum opere vnguentarij.*

### *CAP. XXXVIII.*

1 *Et fecit altare holocauſti è lignis ſittim, quinque cubitorum altitudo ipſius, & quinque cubitorum latitudo ipſius:*

2 *Et fecit cornua eius in quattuor angulis eius, ex ipſo erant cornua eius, & texit illud ære.*

3 *Et fecit omnia vaſa altaris, lebetes, & ſcopas, & crateras, & fuſcinulas, & receptacula, omnia vaſa eius fecit ærea.*

4 *Et fecit altari cribrum opere reticulato æneum ſubter ambitum eius infernè vſque ad medium eius.*

5 *Et fudit quattuor annulos in quattuor extremitatibus cribro æneo locus vectibus:*

6 *Et fecit vectes à lignis ſittim, & texit eos ære.*

7 *Et introduxit vectes in annulos in lateribus altaris ad portandum ipſum cum eis. Cum vacuo inter tabulas fecit illud.*

8 *Et fecit concham æneam, & baſim eius æneam ex ſpeculis conuenientium, quæ conueniebant ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.*

9 *Et fecit atrium ad plagam Auſtri ad meridiẽ, tentoria atrij ex byſſo retorta centum cubitorum.*

10 *Columnæ eorum viginti, & baſes eorum viginti ex ære, vncinos columnarum, & fila eas cingentia ex argento.*

11 *Et ad plagam Aquilonis centum cubitorum columnæ eorum viginti, & baſes eorum viginti ex ære, vncini columnarum, & fila eas cingentia ex argento.*

12 *Et ad plagam Occidentis tentoria quinquaginta cubitorum columnæ eorum decem, & baſes eorum decem vncini columnarum, & fila eas cingentia ex argento.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

18 Tria ex hoc, & tria ex hoc exæquata inuicem.

Quæ numero 19. comprehenduntur reſpondent his aliis quę in ceteris tranſlationibus comprehenduntur numero 20. 21. & 22.

19 Et lampades eorum quæ ſunt ſuper ſummitates in modum nucis ex eis, & enthemia ex eis, vt ſint lucernæ ſuper ea, & enthemium ſeptimum quod eſt ſuper ſummitatem lampadis ſuper verticem de ſuper totum aureum.

20

21

22

Quæ debebant huic reſpondere his numeris ponuntur quidem in tranſlatione ex Septuaginta quæ hic in Regia, ſed nobis deſumpta videntur ex cap. 30. in principio, ea adit hic non ponimus, quia non ſunt in Tranſlatione Septuaginta Romæ edita.

23 Et ſeptem lucernas ſuper illud aureas, & forcipes eius aureos & emunctoria eorum aurea.

24

25

26

27

Hæc habentur cap. 38. circa medium.

28 Et deaurauit vectes auro.

* Hæc in Bibl. Sept. Interp. Romæ edita habentur c. 38. circa finem.

29 * Hic fecit oleum vnctionis Sanctum, & compoſitionem incenſi, purum opus vnguentarij.

### CAP. XXXVIII.

Quæ hic ponuntur a nu. 1. vſque ad 6. & quæ habentur nu. 8. in Bibl. Sept. Interp. Rom. edita habentur cap. 37. parum poſt medium.

1 & 2 Hic fecit altare æreum ex thuribulis æreis qui fuerunt viris illis qui mouerunt ſeditionem cum ſinagoga Core.

3 Hic fecit omnia vaſa altaris, & focum eius, & baſim, & phialas, & fuſcinulas æreas.

4 Hic fecit altari additamentum opus reticulatum ab imo foci ſub ipſo, vſque ad dimidium eius.

5 Et impoſuit ei quattuor annulos e quattuor partibus additamenti altaris, æreos capaces vectibus ad portandum in eis altare.

6

7

Redemptio hæc in margine inferiori ponuntur in aliis tranſlationibus non habentur Biblia ad Septuag. Rom. edita habentur hic.

8 Hic fecit labrum æreum & baſim eius æream ex ſpeculis earum quę ieiunauerunt apud portas tabernaculi in qua die fixit illud.*

* Et fecit labrum, vt lauarent ex eo Moyſes & Aaron & filij eius manus ſuas, & pedes ingredientibus ipſis in tabernaculum teſtimonij, vel quando accederent ad altare adminiſtrandum lauabantur ex eo ſicut præcepit Dominus Moyſi.

9 Et fecerunt atrium, qua ad Africum, tentoria atrij de byſſo torta centum per centum.

10 Et columnæ eorum viginti, & baſes earum viginti. & anſulas fecit columnis argenteas ſuper columnas. Hic inargentauit eas.

11 Et latus quod eſt ad Aquilonem, centum per centum. Et latus quod ad auſtrum, centum per centum. Et columnæ eorum viginti, & baſes earum viginti.

12 Et latus quod eſt ad mare tabula quinquaginta cubitorum. Columnæ eorum decem, & baſes earum decem.

## Chald. Paraph. Tranſl.

18 *Et ſex calami egrediebantur de lateribus eius, tres calami ex latere vno candelabri, & tres calami ex latere altero.*

19 *Tres ſcyphi figurati erant in calamo vno, ſphærula, & lilium, & tres ſcyphi figurati in calamo alio, ſphærula & lilium. Sic fecit in ſex calamis qui egrediebantur de candelabro.*

20 *Et in candelabro erant quattuor ſcyphi figurati, ſphærulæ eius & lilia.*

21 *Sphærulaq́ ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius: ſic fecit i ſex calamis q egrediebãtur ex eo.*

22 *Sphærulæ eius & calami eius ex ipſo erant, omnia ſimul ductilia ex auro mundiſſimo.*

23 *Fecitque ſeptem lucernas eius, & forcipes eius, & thuribula eius ex auro mundiſſimo.*

24 *Et talento auri mundiſſimi fecit illud & omnia vaſa eius.*

25 *Fecitq́ altare incenſi aromatum de lignis ſetim, longitudo eius erat cubiti vnius, et latitudo eius cubiti vnius, quadrangulum erat, & duorum cubitorum erat altitudo eius, ex ipſo fuerunt cornua eius.*

26 *Operuitque illud auro mundiſſimo, tectum eius, & parietes eius per gyrum & cornua eius,*

27 *Et fecit circulum aureum per circuitum, & duos annulos aureos fecit ei ſubter circulum eius in duobus angulis eius ſuper duo latera eius, ut per eos inducerentur vectes, ut portaretur in eis.*

28 *Fecitque vectes de lignis ſetim, & operuit eos auro.*

29 *Et fecit oleum Sanctæ vnctionis & thymiama aromatum mundiſſimum opere aromatarij.*

### *CAP. XXXVIII.*

1 *Fecitq́ altare holocauſti ẽ lignis ſeti, quinq́ cubitorũ erat lõgitudo ei⁹, & quinq́ cubitorũ latitudo ei⁹, quadrãgulũ erat, & triũ cubitorũ altitudo ei⁹*

2 *Fecitq́ cornua eius ſuper quattuor angulos eius, ex ipſo erant cornua eius, & cooperuit illud ære.*

3 *Et fecit omnia vaſa altaris, lebetes, & batilla, & acetabula, & fuſcinulas, & thuribula, omnia vaſa eius fecit ex ære.*

4 *Fecitq́ ei craticulam opere retis ex ære ſub circulo eius deorſum vſque ad dimidium eius.*

5 *Et fudit ei quattuor annulos in quattuor angulis craticulæ æneæ, vt per eos inducerentur vectes.*

6 *Fecitque vectes de lignis ſetim, & operuit eos ære.*

7 *Et induxit vectes per annulos in lateribus altaris, vt portaretur cum eis, concauum ex tabulis fecit illud.*

8 *Et fecit labrum ex ære & baſim eius ex ære de ſpeculis mulierum qui veniebant vt orarent in oſtio tabernaculi fœderis.*

9 *Fecitq́ atrium, in cuius auſtrali plaga erant cortinæ de byſſo retorta centum cubitorum.*

10 *Columnæ earum erant viginti, & baſes earum viginti ex ære, capita columnarum & cælatura earum erant ex argento.*

11 *Et in plaga Septentrionali erant cortinæ centum cubitorum, columnæ earum viginti, & baſes earum viginti ex ære, capita columnarum & cælatura erant de argento*

12 *Et in plaga Occidentali fuerunt cortinæ quinquaginta cubitorum, columnæ earum decem, & baſes earum decem, capita columnarum & cælatura earum ex argento.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Porro contra orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria: | 13 | 13 | *Et ad plagam orientis ad ortum quinquaginta cubitorum.* |
| E quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum baſibus ſuis vnum tenebat latus. | 14 | 14 | *Tentoria quindecim cubitorum in latere: columnæ eorum tres, & baſes eorum tres.* |
| Et in parte altera (quia inter vtraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & baſes totidem. | 15 | 15 | *Et ad latus ſecundum hinc & inde: ad portam atrij tentoria: quindecim cubitorum, columnæ eorum tres, & baſes eorum tres.* |
| Cuncta atrij tentoria byſſus retorta texuerat. | 16 | 16 | *Omnia tentoria atrij in circuitu, ex byſſo retorta.* |
| Baſes columnarum fuere æneæ, capita autem earum cunctis cœlaturis ſuis argentea: ſed & ipſas columnas atrij veſtiuit argento. | 17 | 17 | *Et baſes columnarum ex ære, vncini columnarum & fila eas cingentia ex argento, & tecta fuerunt capita earum argento, & ipſæ cinctæ argento, omnes columnæ atrij.* |
| Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat iuxta menſuram, quam cuncta atrij tentoria habebant. | 18 | 18 | *Et aulæum ad portam atrij opere phrygionis ex hyacintho, & purpura & cocco vermiculi, & byſſo retorta: & viginti cubitorum erat longitudo & altitudo eius, ſicut latitudo quinque cubitorum contra tentoria atrij.* |
| Columnæ autem in ingreſſu fuere quattuor cum baſibus æneis, capitaque earum & cœlaturæ argenteæ. | 19 | 19 | *Et columnæ eorum quattuor, & baſes earum quattuor ex ære, vncini earum ex argento: & tecta ſunt capita earum, & fila eas cingentia argento.* |
| Paxillos quoque tabernaculi & atrij per gyrum fecit æneos. | 20 | 20 | *Et omnes claui tabernaculi, & atrij in circuitu erãt ex ære.* |
| Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonij, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi in ceremonijs Leuitarum per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis: | 21 | 21 | *Iſti ſunt numeri tabernaculi, tabernaculi teſtimonij, qui numerati ſunt ad iuſſum Moſeh, & miniſterium Leuitarum per manum Ithamar filij Aharon ſacerdotis.* |
| Quæ Beſeleel filius Vri filij Hur de tribu Iuda, Domino per Moyſen iubente compleuerat, | 22 | 22 | *Et Beſalel filius Vri filij Chur è tribu Iehudah fecit omnia quæ præcepit Dominus Moſeh.* |
| Iuncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamech de tribu Dan: qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo, & byſſo. | 23 | 23 | *Et cum eo Aholiab filius Achiſamach è tribu Dan fabricator, & opifex & Phrygio in hyacintho & purpura & cocco vermiculi, & byſſo.* |
| Omne aurum quod expenſum eſt in opere Sanctuarij, & quod oblatum eſt in donarijs, viginti nouem talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta ſiclorum ad menſuram Sanctuarij. | 24 | 24 | *Omne aurum factum ad opus in omni opere ſanctificationis, fuit aurum oblationis nouem & viginti talentorum, & ſeptingentorum, & triginta ſiclorũ, ſecundum ſiclum ſanctificationis.* *Et argentum numeratorum ſynagogæ centum talenta, & mille, & ſeptingenti, & quinque & ſeptuaginta ſicli, ſecundum ſiclum ſanctificationis.* |
| Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum à viginti annis & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, armatorum. | 25 | 25 | *Semiſſis capiti dimidium ſicli. Secundum ſiclũ ſanctificationis omni tranſeunti ad computa à filio viginti annorum, & ſupra, ſexcentis milibus, & tribus milibus, & quingentis, & quinquaginta.* |
| Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ ſunt baſes Sanctuarij, & introitus vbi velum pendet. | 26 | 26 | *Et fuerunt centum talenta argenti ad fundendum baſes ſanctificationis, & baſes veli.* |
| Centum baſes factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis. | 27 | 27 | *Centum baſes, centum talentis, talentum pro baſi.* |
| De mille autem ſeptingentis, & ſeptuaginta quinque fecit capita columnarum, quas & ipſas veſtiuit argento. | 28 | 28 | *Et ex mille, & ſeptingentis, & quinque, & ſeptuaginta fecit vncinos columnis, & texit capita ipſarum, & cinxit eas.* |
| Aeris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta, duo millia, & quadringenti ſupra ſicli, | 29 | 29 | *Et æs oblationis ſeptuaginta talenta, & duo milia & quadringenti ſicli.* |
| Ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi teſtimonij, & altare æneum cum craticula ſua, omniaque vaſa quæ ad vſum eius pertinent, | 30 | 30 | *Et fecit ex eis baſes oſtij tabernaculi eccleſiæ, & altare æreum, & cribrum æreum quod erat ei, & omnia vaſa altaris* |
| Et baſes atrij tam in circuitu quam in ingreſſu eius, & paxilli tabernaculi atque atrij, per gyrum. | 31 | 31 | *Et baſes atrij in circuitu, & baſes portæ atrij, & omnes palos tabernaculi, & omnes palos atrij in circuitu.* |



UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et latus quod eſt ad Orientem, quinquaginta cubitorum tentoria: | 13 | 13 | *Et in plaga Orientali erat ſpacium quinquaginta cubitorum.* |
| Quindecim cubitorum, quod eſt à dorſo; & columnæ eorum tres, & baſes earum tres. | 14 | 14 | *Quindecim cubitorum cortinæ erant in vno latere, columnæ earum tres, & baſes earum tres.* |
| Et à dorſo ſecundo hinc, & hinc ſecundum portam atrij, aulæa quindecim cubitorum; columnæ eorum tres, & baſes earum tres. | 15 | 15 | *Et in latere ſecundo oſtij atrij hinc, & inde manu cortinæ quindecim cubitorum, columnæ earum tres, & baſes earum tres.* |
| Omnia aulæa tabernaculi, ex byſſo torta. | 16 | 16 | *Omnes cortinæ atrij per circuitum erant de byſſo retorta.* |
| Et baſes columnarum eorum æreæ, & anſæ earum argenteæ, & capita earum inargentata argento; & columnæ inargentatæ argento, omnes columnæ atrij. | 17 | 17 | *Et baſes columnarum erant ex ære, capita columnarum & cælatura earum fuerunt de argento, & cooperuit argento capita earum: illæ quoque omnes columnæ atrij cælatæ erant argento.* |
| * Et velamen portæ atrij opus variatoris de hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta: viginti cubitorum longitudo, & altitudo, & latitudo quinque cubitorum, exæquatum tentorij atrij. | 18 | 18 | *Et tentorium oſtij atrij fecit opere polymitarij ex hyacintho & purpura, & coccino, & byſſo retorta: viginti cubitorum erat longitudo eius, & altitudo eius ſicut latitudo eius, quinque cubitorum erat, iuxta altitudinem cortinarum atrij.* |
| Et columnæ eorum quatuor, & baſes earum quatuor æreæ, & anſæ earum argenteæ, & capita earum inargentata argento. | 19 | 19 | *Et columnæ eius quattuor & baſes earum quattuor ex ære, uncini earum erant ex argento, & operuit capita earum & cælaturas earum argento.* |
| * Et omnes pali atrij in circuitu ærei, & ipſi inargentati argento. | 20 | 20 | *Omneſque paxilli tabernaculi & atrij per circuitum erant ex ære.* |
| Et hæc eſt conſtructio tabernaculi teſtimonij, ſicut præceptum fuerat Moyſi miniſterium eſſe Leuitarum per Ithamar filium Aaron ſacerdotis. | 21 | 21 | *Hæ ſunt numerationes tabernaculi teſtimonij, quæ connumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi per miniſterium Leuitarum per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis.* |
| Et Beſeleel filius Vrij de tribu Iuda fecit, ſicut præcepit Dominus Moyſi: | 22 | 22 | *Beſeleel enim filius Vri filij Hur de tribu Iuda fecit omnia quæ præcepit Dominus ad Moyſen.* |
| Et Eliab filius Achiſamach de tribu Dan, qui architectonatus eſt textilia, & conſutilia, & diuerſi coloris texere de cocco, & byſſo. | 23 | 23 | *Et cum eo Ooliab filius Achiſameth de tribu Dan faber lignarius & artifex, & polymitarius in hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo.* |
| * Omne aurum, quod elaboratum eſt ad opera ſecundum omnem operationem ſanctorum fuit auri eius quod primitiarum nouem, & viginti talenta, & ſeptingenti viginti ſicli iuxta ſiclum Sanctum, & argenti demptio à viſitatis viris ſynagogæ vnum talenta, & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli: drachma vna capiti, dimidium ſicli iuxta ſiclum Sanctum. | 24 | 24 | *Omne aurũ quod factũ eſt in omni opere ſanctuarij & quod oblatũ eſt, fuit viginti & nouem taletorum, & ſeptingentorũ, & triginta ſiclorum in pondere ſanctuarij. Argentũ autẽ numeratorũ cõgregationis fuit centum talentorum, & mille, & ſeptingentorum, & ſeptuaginta, & quinque ſiclorum pondere ſanctuarij. Vnum pondus oblatum eſt per ſingula capita, quod eſt dimidium ſicli in pondere ſanctuarij.* |
| Omnis tráſiens ad viſitationem à vigeſimo anno, & ſupra ad ſexaginta myriadas, & ter mille quingenti & quinquaginta. | 25 | 25 | *Quod oblatum eſt ab omnibus, qui tranſierunt ad numeros à viginti annis, & ſupra de ſexcentis, & tribus millibus, & quingentis & quinquaginta.* |
| Et facta ſunt centum talenta argenti in conflationem centum capitellorum tabernaculi, & in capitella velaminis. | 26 | 26 | *Fueruntque centum talenta argenti ex quo conflata ſunt baſes ſanctuarij, & baſes tentorij,* |
| Centum capitella ad centum talenta, talentum capitello. | 27 | 27 | *Centum talenta pro centum baſibus, talentum pro baſe.* |
| Et mille illos ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos fecit in anſulas columnis, & inaurauit capitella earum, & ornauit eã | 28 | 28 | *De mille autem & ſeptingentis & ſeptuaginta, & quinque ſiclis fecit uncinos columnarum & operuit capita earum, & fecit cælaturas earum.* |
| Et æs demptionis ſeptuaginta talenta, & mille quingenti ſicli. | 29 | 29 | *Æs quoque oblationis fuit ſeptuaginta talentorum, & duo milia & quadringentorum ſiclorum.* |
| Et fecerunt ex eo baſes oſtij tabernaculi teſtimonij * & additamentum æreum altaris, & omnia vaſa altaris & omnia inſtrumẽta tabernaculi teſtimonij. * | 30 | 30 | *Ex quo fecit baſes oſtij tabernaculi fœderis, & altare æneum, & craticulam eius æneam, & omnia vaſa altaris.* |
| Et baſes atrij in circuitu, & baſes portæ atrij, & palos tabernaculi, & palos atrij in circuitu. * | 31 | 31 | *Et baſes atrij per circuitum, & baſes oſtij atrij, & omnes paxillos tabernaculi, & omnes paxillos atrij per circuitum.* |

Hæc verba quæ infra notantur aſteriſcis eadem ſunt cum illis quæ habet numero 20. & [illegible] Bib. Sept. Romana habet c. 39. * Hic omiſit palos tabernaculi & palos atrij æneos.

* Quæ hic ponuntur vſque ad finem capitis ſunt ex principio c. 39. B. M. Sept. ſunt. Roma edita ad medium vſque.

* Reliquum vero auri depoſitum fecerit ad miniſtrandum in eo coram Domino. Hæc verba huius textus [illegible] & in Bib. Septuag. Romana habentur cap. 39.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XXXIX.

Supr. 28. 6.

1 DE hyacintho vero & purpura, vermiculo ac byſſo fecit veſtes, quibus indueretur Aaron quando miniſtrabat in ſanctis, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

2 Fecit igitur ſuperhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta,

3 Opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & extenuauit in fila, vt poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine,

4 Duaſque oras ſibi inuicem copulatas in vtroque latere ſummitatum,

5 Et balteum ex eiſdem coloribus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

6 Parauit & duos lapides onychinos, aſtrictos & incluſos auro, & ſculptos arte gemmaria, nominibus filiorum Iſrael:

7 Poſuitque eos in lateribus ſuperhumeralis in monimentum filiorum Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

8 Fecit & rationale opere polymito iuxta opus ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta:

9 Quadrangulum duplex, menſuræ palmi.

10 Et poſuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo verſu erat ſardius, topazius, ſmaragdus.

11 In ſecundo, carbunculus, ſapphirus, & iaſpis.

12 In tertio, ligurius, achates, & amethyſtus.

13 In quarto, chryſolithus, onychinus, & beryllus, circumdati & incluſi auro per ordines ſuos.

14 Ipſique lapides duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim tribus Iſrael, ſinguli per nomina ſingulorum.

15 Fecerunt in rationali, & catenulas ſibi inuicem cohærentes, de auro puriſſimo:

16 Et duos vncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos poſuerunt in vtroque latere rationalis,

17 E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerunt vncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant.

18 Hæc & ante & retro ita conueniebant ſibi, vt ſuperhumerale & rationale mutuo necterentur.

19 Stricta ad balteum & annulis fortius copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & à ſe inuicem mouerentur, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXXIX.

1 *ET ex hyacintho, & purpura, & cocco vermiculi fecerunt veſtes miniſterij ad miniſtrandum in ſanctificatione, & fecit veſtes ſanctas quæ erant Aharon, quemadmodum præcepit Dominus Moſch.*

2 *Et fecit ſuperhumerale ex auro, hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.*

3 *Et extēderūt brachteas aureas, et abſcidit fila ad faciēdū in medio hyacīthi, & ī medio purpuræ, & ī medio vermiculi cocci, & ī medio byſſi opē phrygionico.*

4 *Oras fecerunt copulantes ſe in duabus extremitatibus.*

5 *Et baltheus cīguli eius ꝙ erat ſup illud, ex ipſo erat ſcdm op⁹ ei⁹ ex auro, hyacīto, & purpura, et vermiculo cocci, et byſſo retorta, quēadmodū pcepit Dñs Moſeh.*

6 *Et fecerunt lapides onychinos, circundatos palis aureis, cælatos cælaturis ſigilli cum nominibus filiorum Iſrael.*

7 *Et poſuit eos in oris ſuperhumeralis, lapides in memoriam filij Iſrael, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh:*

8 *Et fecit pectorale opere phrygionico: ſicut opus ſuperhumeralis ex auro hyacinto, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.*

9 *Quadrum fuit duplicatum fecerunt pectorale: palmus longitudo eius, & palmus latitudo eius, duplicatum.*

10 *Et repleuerunt in eo quattuor ordines lapidis. Ordo ſardius topazius, & ſmaragdus ordo vnus.*

11 *Et ordo ſecundus, carbunculus, ſapphirus, & iaſpis.*

12 *Et ordo tertius, ligurius achates, & amethiſtus.*

13 *Et ordo quartus, tharſis, onichynus & beryllus, circundati palis aureis in plenitudinibus ſuis.*

14 *Et lapides cum nominibus filiorum Iſrael erant duodecim cum nominibus eorum ſculpturis ſigilli, vnuſquiſque cum nomine ſuo ſecundum duodecim tribus.*

15 *Et fecerunt ſuper pectorale catenas terminationis opere plectili ex auro puro:*

16 *Et fecerunt duas occellaturas ex auro, & duos annulos aureos, & poſuerunt duos annulos in duabus extremitatibus pectoralis.*

17 *Et duas extremitates duarum funium poſuerunt in duabus occellaturis, & poſuerunt eas in oris ſuperhumeralis contra faciem eius.*

18 *Et fecerunt duos annulos aureos, & poſuerunt in duabus extremitatibus pectoralis in ora eius in latere ſuperhumeralis intrinſecus.*

19 *Et fecerunt duos annulos ex auro, & poſuerunt eos in duabus oris ſuperhumeralis inferne contra faciē eius contra coniunctionem eius ſupra baltheum. Et coniunxerūt pectorale ab annulis ipſius ad annulos ſuperhumeralis filo hyacinthino, vt eſſet ſuper baltheum ſuperhumeralis, & nō ſepararetur pectorale à ſuperhumerali quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### C A P. XXXIX.

* Quæ hic in principio huius capitis habentur aſteriſco clauſa, in Bib. Septuag. Romanis, habentur cap. 39. circa medium. Nos illa hic in principio capitis poſuimus, quia hic ſpectare videbantur, vt ex Regia apparet, & ex verbis quæ ſequuntur, quidam vſque ad numerum 11. ſumpta ſunt ex cap. 36. Bibliæ Sept. Romæ editę.

1 *ET reliquam hyacinthum, & purpurã, & coccum fecerunt ſtolas miniſtratorias Aaron ad miniſtrandum in eis in Sancto. * Et fecit omnis ſapiens in ijs qui operabantur ſtolas Sanctorum, quæ ſunt Aaron Sacerdoti ſicut præcepit Dominus Moyſi.

2 Et fecit ſuperhumerale ex auro, & hyacintho, & purpura & cocco neto, & byſſo torta.

3 Et ſectæ ſunt laminæ auri capilli, vt contexerentur cum hyacintho, & purpura, & cum cocco neto, & byſſo torta: opus textile fecerunt illud:

4 Superhumeralia continentia ex vtriſque partibus,

5 Opus textile adinuicem complicata ad ſeipſum. Ex eo fecerunt illud ſecundum ipſius facturam, ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

6 Et fecerunt vtroſque lapides ſmaragdi, conſtrictos, & concluſos auro: ſculptos, & excuſos excuſione ſigilli ex nominibus filiorum Iſrael.

7 Et impoſuit eos ſuper humeros ſuperhumeralis, lapides memorialis filiorum Iſrael, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

8 Et fecerunt rationale, opus textile varietate, iuxta opus ſuperhumeralis, ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta.

9 Quadrangulum duplex fecerunt rationale: ſpithami longitudo, & ſpithami latitudo duplex.

10 Et contexta eſt in eo textura lapidaria quattuor ordinum. Ordo lapidum, ſardius, & topazius, & ſmaragdus, ordo vnus:

11 Et ordo ſecundus, carbunculus, & ſaphirus, & iaſpis:

12 Et ordo tertius, ligurius, & achates, & amethyſtus:

13 Et ordo quartus, chryſolithus, & beryllus, & onichinus, circumdati auro, & colligati auro.

14 Et lapides erant ex nominibus filiorum Iſrael duodecim, ex nominibus eorum exculpta in ſigillis vnuſquiſque ex ſuo ipſius nomine in duodecim tribus.

15 Et fecerunt ſuper rationale catenulas complicatas opus complicationis ex auro puro.

16 Et fecerunt duas aſpidiſcas aureas, & duos annulos aureos: & impoſuerunt duos annulos aureos ad vtraque principia rationalis:

17 Et impoſuerunt complicationes ex auro in annulos ſuper vtraſque partes rationalis, & in duas commiſſuras duas complicationes, & impoſuerunt in duas aſpidiſcas & impoſuerunt in duos humeros ſuperhumeralis ex aduerſo ſecundum faciem.

18 Et fecerunt duos annulos aureos, & impoſuerunt ad duas alas ſuper ſummitatem rationalis, & ad ſummitatem dorſi ipſius ſuperhumeralis ab intus.

19 Et fecerunt duos annulos aureos, & impoſuerunt ad vtroſque humeros ſuperhumeralis ab imo eius ſecundum faciem ad commiſſuram deſuper contexturæ ſuperhumeralis. Et conſtrinxit rationale ab annulis qui ſuper ipſum, ad annulos ſuperhumeralis continẽtes ex hyacintho complicatos ad contexturam ſuperhumeralis, vt non diffluat rationale à ſuperhumerali: ſicut præcepit Dominus Moyſi.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### C A P. XXXIX.

1 *DE hyacintho autem & purpura & coccino, fecerunt veſtes miniſterij ad miniſtrandum in ſanctuario, feceruntque veſtes ſanctas Aaron, ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

2 *Fecitq; ſuperhumerale ex auro & hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo retorta.*

3 *Extenderuntq; bracteas aureas, & inciderunt fila, vt facerent in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & in medio coccini, & in medio byſſi opere artificis.*

4 *Humerulos fecerunt ei coniunctos, in duobus lateribus eius iungebantur.*

5 *Et baltheus ornamenti ſui qui erat iuxta illud ex ipſo erat iuxta opus eius ex auro, hyacintho, & purpura, & byſſo retorta, ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

6 *Feceruntq; duos lapides onychinos incluſos in cælaturis aureis ſcriptos diſtinctè quaſi ſculptura annuli per nomina filiorum Iſrael.*

7 *Et poſuit eos in humerulis ſuperhumeralis in lapides memoriales filijs Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

8 *Fecitque rationale opere artificis iuxta opus ſuperhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, & coccino & byſſo retorta.*

9 *Quadratum erat, duplicatum fecerunt rationale, palmi vnius erat longitudo eius, & latitudo eius palmi vnius, duplicatum erat.*

10 *Et impleuerunt in eo quattuor ordines lapidis pretioſi. In primo ordine erat ſardius, topazius, & carbunculus.*

11 *Et in ſecundo ordine ſmaragdus, ſaphirus, & iaſpis.*

12 *In tertio autem ordine ligurius, achates, & amethyſtus.*

13 *In quarto aũt ordine chryſolithus, & onychinus, & beryllus, īcluſi ſtrictiq; auro fuerũt ĩ īpletionib. ſuis.*

14 *Ipſi autem lapides duodecim erant iuxta nomina filiorum Iſrael, ſcripti ſcriptura diſtinctà quaſi ſculptura annuli ſinguli lapides per nomina ſingulorum per duodecim tribus.*

15 *Feceruntq; in rationali catenulas ſibi inuicem cohærentes opere fimbriæ ex auro mundiſſimo.*

16 *Et fecerunt duos vncinos aureos, & duos annulos aureos, & poſuerunt duos annulos in duobus lateribus rationalis.*

17 *Poſueruntque duas fimbrias aureas in duobus annulis qui erant in lateribus rationalis. Et duas fimbrias quæ erant in duobus lateribus eius poſuerunt in duobus vncinis, poſueruntq; eas in humerulis ſuperhumeralis contra faciem eius.*

18 *Feceruntque duos annulos aureos, & poſuerunt eos in duobus lateribus rationalis qui erant in ora eius quæ eſt è regione ſuperhumeralis intrinſecus.*

19 *Feceruntq; duos annulos ex auro, & poſuerunt eos in duobus humerulis ſuperhumeralis inferius cõtra faciem eius è regione iuncturæ eius, ſupra baltheum ſuperhumeralis. Et coniunxerunt rationale ex annulis ſuis ad annulos ſuperhumeralis vitta hyacinthina, vt eſſet ſuper baltheum ſuperhumeralis, vt non recederet rationale à ſuperhumerali, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totam
hyacinthinam,
21 Et capitium in ſuperiori parte contra medium,
oramque per gyrum capitij textilem:
22 Deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacin-
tho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta:
23 Et tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt
inter malogranata in extrema parte tunicæ per gy-
rum:
24 Tintinnabulum autem aureum, & malum punicũ,
quibus ornatus incedebat Pontifex quando miniſte-
rio fungebatur, ſicut præceperat Dominus Moyſi.
25 Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron
& filijs eius:
26 Et mitras cum coronulis ſuis ex byſſo:
27 Fœminalia quoque linea, byſſina:
28 Cingulum vero de byſſo retorta, hyacintho, purpu-
ra, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, ſicut præ-
ceperat Dominus Moyſi.
29 Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro
puriſſimo, ſcripſeruntque in ea opere gemmario,
Sanctum Domini:
30 Et ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina,
ſicut præceperat Dominus Moyſi.
31 Perfectum eſt igitur omne opus tabernaculi & te-
cti teſtimonij: feceruntque filij Iſrael cuncta quæ
præceperat Dominus Moyſi.
32 Et obtulerunt tabernaculum & tectum & vniuer-
ſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas
ac baſes,
33 Opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud
operimentum de ianthinis pellibus,
34 Velum: arcam, vectes, propitiatorium,
35 Menſam cum vaſis ſuis & propoſitionis panibus:
36 Candelabrum, lucernas, & vtenſilia earum cum
oleo:
37 Altare aureum, & vnguentum, & thymiama ex aro-
matibus:
38 Et tentorium in introitu tabernaculi:
39 Altare æneum, retiaculum, vectes, & vaſa eius om-
nia: labrum cum baſi ſua: tentoria atrij, & colum-
nas cum baſibus ſuis:
40 Tentorium in introitu atrij, funiculoſque illius &
paxillos. Nihil ex vaſis defuit, quæ in miniſterium
tabernaculi, & in tectum fœderis iuſſa ſunt fieri.
41 Veſtes quoque, quibus ſacerdotes vtuntur in San-
ctuario, Aaron ſcilicet & filij eius,
42 Obtulerunt filij Iſrael, ſicut præceperat Domi-
nus.
43 Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, be-
nedixit eis.

### CAP. XL.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Menſe primo, prima die menſis, eriges taberna-
culum teſtimonij,
3 Et pones in eo arcam, dimitteſque ante illam ve-
lum:
4 Et illata menſa, pones ſuper eam quæ rite præcepta
ſunt. Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis,
5 Et altare aureum in quo adoletur incenſum, co-
ram arca teſtimonij. Tentorium in introitu ta-
bernaculi pones,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Et fecit pallium ſuperhumeralis opere textoris to-
tum hyacinthinum.*
21 *Et os tunicæ in medio eius, ſicut os loricæ, labrum ori
eius in circuitu ne ſcinderetur.*
22 *Et fecerunt in fimbrijs pallij malogranata ex hya-
cinto, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo re-
torta.*
23 *Et fecerunt tintinabula ex auro puro, & poſuerunt
tintinabula in medio malogranatorum in fimbrijs
pallij in circuitu in medio malogranatorum.*
24 *Tintinabulum, & malogranatum, tintinabulum, &
malogranatum in fimbriis pallij in circuitu, admini
ſtrãdum quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*
25 *Et fecerunt tunicas ex byſſo opere textorio Aharon,
& filijs eius.*
26 *Et mitram ex byſſo, & pileos galerorum ex byſſo:*
27 *Et fœminalia linea ex byſſo retorta.*
28 *Et balteum ex byſſo retorta, & hyacintho, & purpu
ra, & vermiculo cocci opere phrygionis, quemadmo-
dum præcepit Dominus Moſeh.*
29 *Et fecerunt laminam coronæ ſanctificationis ex au-
ro mundo, & ſcripſerunt in ea ſcripturam cælatu-
rarum annuli: Sanctificatio Domino.*
30 *Et poſuerũt ſuper eã filũ hyacinthinũ ad dandũ ſu-
per tiarã ſuperne, quẽadmodũ præcepit Dñs Moſeh.*
31 *Et conſummauit omne opus tabernaculi eccleſiæ: &
fecerunt filij Iſrael, ſecundum omnia quæ præcepit
Dominus Moſeh, ſic fecerunt.*
32 *Et attulerunt tabernaculum ad Moſeh, tabernacu-
lum, & omnia vaſa eius, circulos eius, tabulas eius,
vectes eius, & columnas eius & baſes eius.*
33 *Et opertorium pellium arietum rubricatarum, & o-
pertorium pellium taxorum,*
34 *Et velum tentorij: & arcam teſtimonij, & vectes
eius, & propitiatorium,*
35 *Et omnia vaſa eius, & panem facierum.*
36 *Et candelabrum mundum, lucernas eius, lucernas
ordinis, & omnia vaſa eius, & oleum luminaris:*
37 *Et altare aureum, & oleum vnctionis, & ſuffimen-
tum aromaticum:*
38 *Et aulæum pro oſtio tabernaculi:*
39 *Altare æreum, & cribrum æreum quod erat illi, &
vectes eius, & omnia vaſa eius: & concham, & ba-
ſim eius. Tẽtoria atrij, & colũnas eius, & baſes eius,*
40 *Et aulæum pro porta atrij, & funes eius, & pali
eius. Et omnia vaſa miniſterij tabernaculi in taber-
naculo eccleſiæ.*
41 *Veſtes miniſterij ad miniſtrandum in Sanctificatio-
ne: veſtes ſanctas Aharon ſacerdoti, & veſtes filio-
rum eius ad miniſtrandum.*
42 *Secundum omnia quæ præcepit Dominus Moſeh, ſic
fecerunt filij Iſrael, omne opus.*
43 *Et vidit Moſeh omne opus, & ecce fecerunt illud,
quemadmodum præcepit Dominus, ſic fecerunt, &
benedixit eis Moſeh.*

### *CAP. XL.*

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *In die menſis primi, in vna menſis, erigere fa-
cies tabernaculum, tabernaculum eccleſiæ.*
3 *Et pones ibi arcam teſtimonij, & teges arcam:*
4 *Et introduces mẽſam, & ordinabis ordinationẽ eius.
Et introduces cãdelabrũ, & accendes lucernas eius.*
5 *Et pones altare aureum ad ſuffimentum coram arca
teſtimonij. Et pones aulæum ad oſtium tabernacu-
li.*



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

10 Et fecerunt ſubuculam ſub ſuperhumerali, opus texile totum hyacinthinum.
21 Periſtomium autem ſubuculæ in medio per textū complicatum, oram habens in circuitu, periſtomium indiſſolubile.
22 Et fecerunt ſuper marginem ſubuculæ ab imo, quaſi florentis mali punici corymbos ex hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta.
23 Et fecerunt tintinabula aurea, & impoſuerunt tintinabula ad marginem ſubuculæ in circuitu inter mala punica;
24 Tintinabulum aureum, & malum punicum ſuper marginem ſubuculæ in circuitu ad miniſtrandum, ſicut conſtituit Dominus Moyſi.
25 Et fecerunt tunicas byſſinas, opus textile, Aaron, & filijs eius,
26 Et cydaras ex byſſo, & mitram ex byſſo,
27 Et fœminalia ex byſſo torta.
28 Et zonas eorum ex byſſo, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, opus variatoris, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.
29 Et fecerunt laminam auream, ſeparationem ſanctitatis auri, puri, & ſcripſit ſuper eam litteras figuratas ſigillo, Sanctificationem Domino.
30 Et ipoſuerūt ſup marginē hyacithinū, vt ſupcaderet ſup mitra deſuper, quēadmodū p̄cepit Dñs Moyſi.
31 * Quæcūque p̄cepit Dominus Moyſi ſic fecerunt filij Iſrael omnem apparatum: & fecerūt filij Iſrael ſicut præcepit Dominus Moyſi ita fecerunt.
32 Et attulerunt ſtolas ad Moyſen, & Tabernaculum, & vaſa eius, baſes, & vectes eius, & columnas, & arcam teſtamenti, & vectes eius.
33 Et opercula pelles arietum rubricatas, & operimenta hyacinthina, & cæterorum ſuperoperimenta.
34
35 Et mēſā ꝓpoſitionis & oīa vaſa ei⁹, & panes ipſos ꝓ (poſitos.
36 Et candelabrum purum, & lucernas eius, lucernas incenſionis, & oleum luminis
37 Et altare, & omnia vaſa eius, & oleum vnctionis, & incenſum compoſitionis.
38
39
40 Et tentoria atrij, & columnas, & velamen oſtij tabernaculi, & porte atrij & omnia vaſa Tabernaculi, & omnia inſtrumenta eius. Et palos & omnia inſtrumenta quæ ad opera tabernaculi teſtimonij.
41 Et ſtolas Sancti quæ ſunt Aaron, & ſtolas filiorum eius ad Sacerdotium.
42 Et fecerant ea quemadmodum præceperat Dominus Moyſi ſic fecerant ea.
43 Et vidit Moyſes omnia opera. Et benedixit eos Moyſes.

Hæc deſi-pa ſunt partim circa mediū, & partim circa fin. c. 39. Bibl. Sept. interp. Romanæ edit.

Omnia q̃ addita ſunt a ver. 33. vſque ad finem cap. hic in Bib. ſept. Interp. Romana cap. iſto 39. ſed mirum eſt quam diuerſo ordine a nſa vulgata hæc eadē dicuntur; nos autem diſpoſitionem vulgatæ ſequuti illa ordinauimus vt cōſpicis.

### C A P. XL.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens:
2 In die vna menſis primi, in neomenia ſtatues tabernaculum teſtimonij:
3 Et pones arcam teſtimonij, & teges arcam velamine:
4 Et inferes mēſam, & propones propoſitionem eius. Et inferes candelabrum, & impones lucernas eius.
5 Et pones altare aureum, ad incenſandum coram arca. Et impones operimentum velaminis ſuper oſtium tabernaculi teſtimonij.



## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Feceruntq́ pallium ſuperhumeralis opere textoris totum hyacinthinum.*
21 *Et os pallij in medio eius, ſicut os loricæ: ora erat per circuitum oris eius, vt non rumperetur.*
22 *Feceruntq́ in inferiori parte pallij malogranata ex hyacintho, & purpura, & coccino retorto.*
23 *Fecerūtq́ tintinabula de auro mundiſſimo, & poſuerūt tintinabula in medio malorū granatorū in inferi parte pallij p̄ circuitū i medio malorū granatorū.*
24 *Tintinabulū, & malumgranatum, tintinabulum & malum granatum, in inferiori parte pallij, per circuitum, ad miniſtrandum, ſicut præceperat Dñs Moyſi.*
25 *Feceruntq́ tunicam ex byſſo opere textoris Aaron & filijs eius.*
26 *Et tiaram ex byſſo & pileos in decorem ex byſſo.*
27 *Et fœmoralia ex byſſo retorta.*
28 *Baltheum quoque ex byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & coccino, opere polymitarij, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*
29 *Et fecerunt laminam coronam ſanctitatis ex auro mundiſſima, & ſcripſerunt ſuper eam ſcriptura diſtincta, Sanctum Domino.*
30 *Et poſuerunt in ea vittā hyacinthinā, vt poneretur ſuper mitram, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*
31 *Perfectumq́ eſt omne opus tabernaculi fœderis, feceruntq́ filij Iſrael iuxta omnia quæ præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt.*
32 *Adduxeruntq́ tabernaculum ad Moyſen & omnia vaſa eiuſdem tabernaculi, fibulas eius, tabulas eius, vectes eius, & columnas eius, & baſes eius.*
33 *Et opertorium de pellibus arietum rubricatis, & opertorium de pellibus hyacinthinis,*
34 *Velum quoque quod extenditur: Arcam teſtimonij, & vectes eius, & propitiatorium.*
35 *Menſam & omnia vaſa eius, et panem propoſitionis.*
36 *Candelabrum mundiſſimum, & lucernas quæ ordinantur & omnia vaſa eius, & oleū ad illuminandū.*
37 *Altare aureum & oleum vnctionis, thymiama aromatum.*
38 *Tentoriumq́ quod erat in oſtio tabernaculi.*
39 *Altare æneum, & retiaculum eius æneum, vectes eius & omnia vaſa eius: labrum & baſim eius.*
40 *Cortinas atrij cum columnis ſuis & cum baſibus ſuis. velum quoque ad oſtium atrij, funiculos eius, & paxillos eius. Et omnia vaſa miniſterij tabernaculi fœderis.*
41 *Veſtes quoque miniſterij ad miniſtrandum in Sanctuario, veſtes ſanctas Aaron ſacerdotis & veſtes filiorum eius vt miniſtrent.*
42 *Iuxta omnia quæ præcepit Dominus Moyſi, ita fecerunt filij Iſrael omne opus.*
43 *Viditque Moyſes omne opus, & ecce fecerant illud, ſicut præceperat Dominus ita fecerunt, benedixitq́ eis Moyſes.*

### C A P. XL.

1 *LOcutusq́ eſt Dominus cum Moyſe dicens.*
2 *In menſe primo, prima die menſis eriges tabernaculum fœderis.*
3 *Et pones ibi arcam teſtimonij, & cooperies ſuper arcam velamine.*
4 *Et inferes menſam, & ordinabis ordinem eius. Et inferes candelabrum, & incendes lucernas eius.*
5 *Ponesque altare aureum, in quo adoletur thymiama aromatum coram arca teſtimonij. Ponesque velum in oſtio tabernaculi.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio· | | | Tranſl·ex Heb·Sanct·Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et ante illud altare holocauſti : | 6 | 6 | *Et pones altare holocauſti coram oſtio tabernaculi, tabernaculi eccleſiæ .* |
| Labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua . | 7 | 7 | *Et pones concham inter tabernaculum eccleſiæ , & inter altare, & pones ibi aquam .* |
| Circundabis atrium tentorijs, & ingreſſum eius. | 8 | 8 | *Et pones atrium in circuitu, & pones aulæum ad portam atrij .* |
| Et aſſumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vaſis ſuis, vt ſanctificentur : | 9 | 9 | *Et accipies oleum vnctionis , & vnges tabernaculum, & omnia quæ ſunt in eo, & ſanctificabis illud, & omnia vaſa eius, & erit ſanctificatio .* |
| Altare holocauſti & omnia vaſa eius : | 10 | 10 | *Et vnges altare holocauſti & omnia vaſa eius , & ſanctificabis altare, & erit altare ſanctificatio ſanctificationum .* |
| Labrum cum baſi ſua : omnia vnctionis oleo conſecrabis, vt ſint Sancta Sanctorum . | 11 | 11 | *Et vnges concham, & baſim eius, & ſanctificabis illam .* |
| Applicabiſque Aaron, & filios eius ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos aqua | 12 | 12 | *Et appropinquare facies Aharon , & filios eius ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & lauabis eos aqua .* |
| Indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat . | 13 | 13 | *Et induere facies Aharon veſtes ſanctificationis , & vnges eum, & ſanctificabis eum , & miniſtrabit mihi . Et filios eius appropinquare facies , & induere facies eos tunicis . Et vnges eos quemadmodum vnxiſti patrem eorum , & miniſtrabunt mihi , & erit ,vt ſit eis vnctio eorum in ſacerdotium perpetuum in generationes eorum .* |
| Fecitque Moyſes omnia quæ præceperat Dominus . | 14 | 14 | *Et fecit Moſeh . Secundum omnia quæ præcepit Dominus ei, ſic fecit .* |
| Igitur menſe primo anni ſecundi , prima die menſis collocatum eſt tabernaculum . | 15 | 15 | *Et fuit in menſe primo, in anno ſecundo, in vno menſis, erectum eſt tabernaculum .* |
| * Nu. 7. 7. — * Erexitque Moyſes illud , & poſuit tabulas ac baſes & vectes, ſtatuitque columnas , | 16 | 16 | *Et erexit Moſeh tabernaculum, & poſuit baſes eius, & ponere fecit tabulas eius, & poſuit vectes eius, & erigi fecit columnas eius .* |
| Et expandit tectum ſuper tabernaculum , impoſito deſuper operimento, ſicut Dominus imperauerat . | 17 | 17 | *Et extendit tentorium ſuper tabernaculum , & poſuit operimentum tecti ſuper illud ſuperne, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis infrà vectibus, & oraculum deſuper . | 18 | 18 | *Et tulit , & poſuit teſtimonium in arca , & poſuit vectes ſuper arcam , & poſuit propitiatorium ſuper arcam ſuperne .* |
| Cumque intuliſſet arcam in tabernaculum , appendit ante eam velum vt expleret Domini iuſſionem . | 19 | 19 | *Et introduxit arcam in tabernaculum, & poſuit velum tentorij, & texit arcam teſtimonij, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Poſuit & menſam in tabernaculo teſtimonij ad plagam Septentrionalem extra velum , | 20 | 20 | *Et poſuit menſam in tabernaculo eccleſiæ ad latus tabernaculi ad Aquilonem extra velum .* |
| Ordinatis coram propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi . | 21 | 21 | *Et ordinauit ſuper eam ordinationem panis coram Domino , quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Poſuit & candelabrum in tabernaculo teſtimonij e regione menſæ in parte Auſtrali , | 22 | 22 | *Et poni fecit candelabrum in tabernaculo eccleſiæ contra menſam in latere tabernaculi ad Meridiem .* |
| Locatis per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini . | 23 | 23 | *Et accendit lucernas coram Domino , quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Poſuit & altare aureum ſub tecto teſtimonij contra velum , | 24 | 24 | *Et poſuit altare aureum in tabernaculo eccleſiæ coram velo .* |
| Et adoleuit ſuper eo incenſum aromatum , ſicut iuſſerat Dominus Moyſi . | 25 | 25 | *Et ſuffire fecit ſuper illo ſuffimentum aromaticum , quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Poſuit & tentorium in introitu tabernaculi teſtimonij , | 26 | 26 | *Et poſuit aulæum ad oſtium tabernaculi .* |
| Et altare holocauſti in veſtibulo teſtimonij , offerens in eo holocauſtum , & ſacrificia , vt Dominus imperauerat . | 27 | 27 | *Et altare holocauſti poſuit ad oſtium tabernaculi , tabernaculi eccleſiæ : & obtulit ſuper illo holocauſtum, & ſacrificium , quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Labrum quoque ſtatuit inter tabernaculum teſtimonij & altare implens illud aqua . | 28 | 28 | *Et poſuit concham inter tabernaculum eccleſiæ , & altare, & poſuit ibi aquam ad lauandum .* |
| Lauaueruntque Moyſes & Aaron , ac filij eius manus ſuas & pedes , | 29 | 29 | *Et lauabunt ex ea Moſeh, Aharon, & filij eius manus ſuas, & pedes ſuos .* |
| Cum ingrederentur tectum fœderis , & accederent ad altare , ſicut præceperat Dominus Moyſi . | 30 | 30 | *Quando ingredientur in tabernaculum eccleſiæ , & quando appropinquabunt ad altare lauabunt, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris , ducto in introitu eius tentorio . Poſtquam omnia perfecta ſunt , | 31 | 31 | *Et erexit atrium in circuitu tabernaculi , & altaris, & poſuit aulæum ad portam atrij, & conſummauit Moſeh opus .* |

Ope- *Et*

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et altare holocauſtomatum pones apud ianuas tabernaculi teſtimonij. | 6 | 6 | *Et pones altare holocauſti ante oſtium tabernaculi fœderis,* |
| | 7 | 7 | *Et pones labrum inter tabernaculum fœderis & altare, & pones ibi aquam.* |
| Et circumpones tabernaculum, & omnia eius ſanctificabis in circuitu. | 8 | 8 | *Ponesq; atrium per circuitum, & pones tentorium oſtij atrij.* |
| Et ſumes oleum vnctionis, & vnges tabernaculum, & omnia, quæ in eo, & ſanctificabis illud, & omnia vaſa eius, & erunt ſancta. | 9 | 9 | *Tollesq; oleum vnctionis, & vnges tabernaculum & omnia quæ in eo ſunt, & ſanctificabis illud & omnia vaſa eius, & erit ſanctum.* |
| Et vnges altare holocauſtomatum, & omnia vaſa eius. Et ſanctificabis altare, & erit altare Sanctum Sanctorum. | 10 | 10 | *Et vnges altare holocauſti & omnia vaſa eius, ſanctificabisq; altare, & erit altare Sanctum Sanctorum.* |
| | 11 | 11 | *Et vnges labrum & baſim eius, & ſanctificabis illud.* |
| Et adduces Aaron, & filios eius ad ianuas tabernaculi teſtimonij, & lauabis eos aqua. | 12 | 12 | *Applicabisq; Aaron & filios eius ad oſtium tabernaculi fœderis, & lauabis eos aquis.* |
| Et indues Aaron ſtolas ſanctas, & vnges eum, & ſanctificabis eum, & ſacerdotio fungetur mihi. Et filios eius adduces, & indues eos tunicas. Et linies eos, quemadmodum liniuiſti patrem eorum, & ſacerdotio fungentur mihi, & erit, vt ſit ipſis chriſma ſacerdotij in ſęculum in progenies eorum. | 13 | 13 | *Et indues Aaron veſtibus ſanctis, & vnges eum, ſanctificabisque illum vt miniſtret coram me. Filios quoque eius applicabis & indues eos tunicis. Et vnges eos ſicut vnxiſti patrem eorum, & miniſtrabunt coram me, & vt ſit eis vnctio ſua in ſacerdotium ſempiternum in generationibus ſuis.* |
| Et fecit Moyſes omnia, quæ præcepit ei Dominus, ita fecit. | 14 | 14 | *Fecitq; Moyſes iuxta omnia quæ præceperat ei Dominus, ita fecit.* |
| Et factum eſt in menſe primo, anno ſecundo, egredientibus ipſis de Ægypto in neomenia, conſtitutum eſt tabernaculum. | 15 | 15 | *Factumq; eſt in menſe primo in anno ſecundo prima die menſis, erectum eſt tabernaculum.* |
| Et ſtatuit Moyſes tabernaculum, & impoſuit capitella, & iniecit vectes, & ſtatuit columnas, | 16 | 16 | *Erexitq; Moyſes tabernaculum, & poſuit baſes eius, & impoſuit tabulas eius, & poſuit vectes eius, & erexit columnas eius:* |
| Et extendit aulæa ſuper tabernaculum, & impoſuit cooperimentum tabernaculi ſuper illud deſuper, ſicut præcepit Dominus Moyſi. | 17 | 17 | *Et expandit tentorium ſuper tabernaculum, & poſuit coopertorium tabernaculi ſuper illud deſuper, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| Et ſumens teſtimonia iniecit in arcam, & ſuppoſuit vectes ſub arca: | 18 | 18 | *Tulitq; & poſuit teſtimonium in arca, & poſuit in arca vectes, & poſuit propitiatorium ſuper arcam deſuper.* |
| Et intulit arcam in tabernaculum. Et impoſuit cooperimentum velaminis, & texit arcam teſtimonij, quemadmodum præceperat Dominus Moyſi. | 19 | 19 | *Et intulit arcam in tabernaculum, & poſuit velum extenſum, vt protegeret ſuper arcam teſtimonij ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| Et impoſuit menſam in tabernaculo, quæ ad Aquilonem, extra velamen tabernaculi. | 20 | 20 | *Poſuitq; menſam in tabernaculo fœderis in latere tabernaculi ad Aquilonem extra velum.* |
| Et appoſuit in ea panes propoſitionis ante Dominum, quemadmodum præceperat Dominus Moyſi. | 21 | 21 | *Et ordinauit ſuper ea ordines panum coram Domino, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| Et poſuit candelabrum in tabernaculo teſtimonij ad latus tabernaculi, quod ad Auſtrum. | 22 | 22 | *Poſuitq; candelabrum in tabernaculo fœderis è regione menſæ, in latere Auſtrali tabernaculi.* |
| Et impoſuit lucernas eius ante Dominum, quemadmodum præceperat Dominus Moyſi. | 23 | 23 | *Et incendit lucernas coram Domino, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| Et poſuit altare aureum in tabernaculo teſtimonij è regione velaminis: | 24 | 24 | *Et poſuit altare aureum in tabernaculo fœderis coram velo.* |
| Et ſuper illud incenſauit incenſum compoſitionis, quemadmodum præceperat Dominus Moyſi. | 25 | 25 | *Et adoleuit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| | 26 | 26 | *Et poſuit tentorium in oſtio tabernaculi.* |
| Et altare holocauſtorum poſuit apud ianuas tabernaculi. | 27 | 27 | *Et altare holocauſti poſuit in oſtio tabernaculi fœderis, & obtulit ſuper eo holocauſtum & munus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| | 28 | 28 | *Poſuitq; labrum inter tabernaculum fœderis, & inter altare, & poſuit ibi aquam ad lauandum.* |
| | 29 | 29 | *Laueruntq; ex eo Moyſes & Aaron, & filij eius manus ſuas & pedes ſuos, cum ingrederentur tabernaculum fœderis.* |
| | 30 | 30 | *Et cum accederent ad altare lauabantur, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* |
| Et ſtatuit atrium in circuitu tabernaculi, & altaris. Et conſummauit Moyſes omnia opera. | 31 | 31 | *Erexitque atrium per circuitum tabernaculi & altaris, & poſuit velum in oſtio atrij. Et perfecit Moyſes omne opus.* |

Quę ſupra c. 38. nu. 4. ad marginem poſita ſunt, videntur correſpõdere his quę hic ponuntur. 28. 29. & 30. ſi ita recte legantur iuxta Sept. Interp. Romanę edi. ad fin. c. 38. vbi illa habentur ſermo eſt de operib. fabricatis ab ipſo Beſeleel: hic autem de ſituatione eorundem operũ per manum ipſius Moyſis prout iuſſerat illi Dominus.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Num. 9. 15. 3. Reg. 8. 10.

32 * Operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & glo-
ria Domini impleuit illud.
33 Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube
operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante,
quia cuncta nubes operuerat.
34 Si quando nubes tabernaculum deſerebat, profici-
ſcebantur filij Iſrael per turmas ſuas:
35 Si pendebat deſuper, manebant in eodem lo-
co.
36 Nubes quippe Domini incubabat per diem taber-
naculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis
Iſrael per cunctas manſiones ſuas.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Et operuit nubes tabernaculum eccleſiæ, & gloria
Domini impleuit tabernaculum.*
33 *Et non potuit Moſeh ingredi tabernaculum eccleſiæ,
quia manſit ſuper illud nubes, & gloria Domini re-
pleuit tabernaculum.*
34 *Et quando recedebat nubes à tabernaculo, pro-
ficiſcebantur filij Iſrael in cunctis profectioni-
bus ſuis.*
35 *Et ſi non recedebat nubes, non proficiſcebantur vſ-
que ad diem qua recedebat.*
36 *Quia nubes Domini erat ſuper tabernaculum in die
& ignis erat in nocte in eo, in oculis omnis domus
Iſrael in cunctis profectionibus eorum.*

# FINIS LIBRI EXODI.

## Tranſl. ex Septuag.

32 Et operuit nubes tabernaculum teſtimonij : & gloria Domini impletum eſt tabernaculum.
33 Et non potuit Moyſes ingredi in tabernaculum teſtimonij, quia obumbrabat ſuper ipſum nubes, & gloria Domini impletum erat tabernaculum.
34 Quando autem aſcendebat nubes à tabernaculo; diſiungebant filij Iſrael cum ſarcinis ſuis.
35 Si autem non aſcendebat nubes; non diſiungebant vſque ad diem, qua aſcendebat nubes.
36 Nubes enim erat ſuper tabernaculum die, & ignis erat ſuper ipſum nocte coram omni Iſrael in omnibus diſiunctionibus eorum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

32 *Et operuit nubes tabernaculum fœderis, & gloria Domini impleuit tabernaculum.*
33 *Et non poterat Moyſes ingredi tabernaculum fœderis, eo quòd manebat ſuper illud nubes, & gloria Domini impleuerat tabernaculum.*
34 *Et cum eleuabatur nubes deſuper tabernaculum, proficiſcebantur filij Iſrael per omnes manſiones ſuas.*
35 *Et ſi non eleuabatur nubes; non proficiſcebantur vſque in diem qua eleuabatur.*
36 *Nubes enim Domini erat ſuper tabernaculum per diem, & ignis erat in eo per noctem in oculis omnis domus Iſrael in omnibus manſionibus ſuis.*

FINIS LIBRI EXODI.



UVA.BSCH

# LIBRI LEVITICI.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

VOcauit autem Moyſen, & locutus eſt ei 1
Dominus de tabernaculo teſtimonij, di-
cens:
Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Homo, qui 2
obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus,
id eſt de bobus & ouibus offerens victimas,
* Si holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de armen- 3
to: maſculum immaculatum offeret ad oſtium ta-
bernaculi teſtimonij, ad placandum ſibi Domi-
num:
(* Leu. 15. 10)
Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, & accepta- 4
bilis erit, atque in expiationem eius proficiens.
Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent 5
filij Aaron ſacerdotes ſanguinem eius, fundentes
per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium taber-
naculi.
Detractaque pelle hoſtiæ, artus in fruſta conci- 6
dent,
Et ſubijcient in altari ignem, ſtrue lignorum ante 7
compoſita:
Et membra quæ ſunt cæſa, deſuper ordinantes; ca- 8
put videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori,

Inteſtinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea ſa- 9
cerdos ſuper altare in holocauſtum & ſuauem odo-
rem Domino.
Quod ſi de pecoribus oblatio eſt, de ouibus ſiue de 10
capris holocauſtum, maſculum abſque macula of-
feret:
Immolabitque ad latus altaris, quod reſpicit ad A- 11
quilonem, coram Domino: ſanguinem vero illius
fundent ſuper altare filij Aaron per circuitum:

Diuidentque membra, caput, & omnia quæ adhæ- 12
rent iecori: & ponent ſuper ligna, quibus ſubij-
ciendus eſt ignis:
Inteſtina vero & pedes lauabunt aqua. Et oblata om 13
nia adolebit ſacerdos ſuper altare in holocauſtum
& odorem ſuauiſſimum Domino.
Si autem de auibus, holocauſti oblatio fuerit Do- 14
mino, de turturibus, aut pullis columbæ,

Offeret eam ſacerdos ad altare: & retorto ad col- 15
lum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet
ſanguinem ſuper crepidinem altaris:
Veſiculam vero gutturis, & plumas proijciet prope 16
altare ad Orientalem plagam, in loco in quo cineres
effundi ſolent:
Confringetque aſcellas eius, & non ſecabit, neque 17
ferro diuidet eã, & adolebit ſuper altare, lignis igne
ſuppoſito. Holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi
odoris Domino.

### CAP. II.

ANima cum obtulerit oblationem ſacrificij Do 1
mino: ſimila erit eius oblatio; fundetque ſu-
per eam oleum, & thus,



# LIBRI VAICRA.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET vocauit Moſeh, & locutus eſt Domi-
nus ad eum e tabernaculo eccleſia, di-
cendo:*
2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Homo cum
obtulerit ex vobis oblationẽ Domino de animalibus
de bobus, & de pecudibus offeretis oblationẽ veſtrã.*
3 *Si holocauſtum eſt oblatio eius, de bobus maſculum
immaculatum offeret ad oſtiũ tabernaculi eccleſiæ,
offeret eum ſecundum voluntatem ſuam in conſpe-
ctu Domini.*
4 *Et coniunget manum ſuam ſuper caput holocauſti,
& placebit ei ad expiandum ipſum.*
5 *Et mactabit filium bouis in conſpectu Domini, &
offerent filij Aharon ſacerdotes ſanguinem, & ſpar-
gent ſanguinem ſuper altare in circuitu quod eſt
ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.*
6 *Et excoriabit holocauſtum, & concidet illud in fru-
ſta eius.*
7 *Et ponent filij Aharon ſacerdotes ignem ſuper alta-
re, & ordinabunt ligna ſuper ignem.*
8 *Et ordinabunt filij Aharon ſacerdotes fruſta, caput,
& reticulum ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem, qui
eſt ſuper altare.*
9 *Et inteſtinum eius, & crura eius lauabit aqua: &
ſuffire faciet ſacerdos omnia ſuper altare: holocau-
ſtum eſt, oblatio in odorem quietis Domino.*
10 *Et ſi de pecoribus eſt oblatio eius de ouibus, vel de
capris in holocauſtum maſculum immaculatum of-
feret.*
11 *Et mactabit eum ad latus altaris ad Aquilonem in
conſpectu Domini: & ſpargent filij Aharon ſacerdo-
tes ſanguinem eius ſuper altare in circuitu:*

12 *Et concidet eum in fruſta ipſius, & caput eius, &
reticulum eius: & ordinabit ſacerdos ea ſuper ligna
quæ ſunt ſuper ignem, qui eſt ſuper altare.*
13 *Et inteſtinum, & crura lauabit aqua. Et offeret ſa-
cerdos omnia, & ſuffire faciet ſuper altare: holocau-
ſtum eſt oblatio in odorem quietis Domino.*
14 *Et ſi de auibus eſt holocauſtum, oblatio ipſius Domi-
no, offeret de turturibus vel de filijs columbæ obla-
tionem ſuam.*
15 *Et offeret eam ſacerdos ſuper altare: & vngue ſeca-
bit caput ipſius, & ſuffire faciet ſuper altare & ex-
primetur ſanguis eius ſuper parietem altaris.*
16 *Et remouebitur veſiculam eius cum pluma ipſius,
& proijciet eam apud altare ad Orientem in locum
cineris:*
17 *Et findet eam cum alis ipſius, & non diuidet, & ſuf-
fire faciet eam ſacerdos ſuper altare ſuper ligna,
quæ ſunt ſuper ignem. Holocauſtum eſt oblatio in
odorem quietis Domino.*

### CAP. II.

1 *ET anima cum obtulerit oblationem, ſacrificium
Domino: ſimila erit oblatio eius, & fundet
ſuper eam oleum, & ponet ſuper eam thus,*



UVA.BSCH

# LIBRI LEVITICI.

## Tranſl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 ET reuocauit Moyſen, & locutus eſt Dominus ei ex tabernaculo teſtimonij, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Homo ex vobis, ſi afferat munera Domino; de pecoribus, & de bobus & de ouibus offeretis munera veſtra.

3 Si holocauſtoma, munus eius de bobus, maſculum immaculatum adducet ad oſtium tabernaculi teſtimonij, offeret illud acceptabile ante Dominum.

4 Et imponet manum ſuper caput holocauſti, acceptabile ei, ad depropitiandum pro ipſo.

5 Et iugulabunt vitulum ante Dominum, & offerent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem, & effundent ſanguinem ad altare in circuitu, quod eſt ſuper ianuas tabernaculi teſtimonij.

6 Et decoriates holocauſtoma, membratim diuident illud per membra:

7 Et imponent filij Aaron ſacerdotes ignem ſuper altare, & conſtipabunt ligna ſuper ignem:

8 Et conſtipabunt filij Aaron ſacerdotes membra diuiſa & caput & adipem ſuper ligna, quæ ſuper ignẽ, quæ ſunt ſuper altare.

9 Interanea vero, & pedes lauabunt aqua: & imponent ſacerdotes omnia ſuper altare; holocauſtum eſt, ſacrificium, odor ſuauitatis Domino.

10 Si autem de ouibus munus eius Domino, & de agnis, & de hœdis in holocauſtomata, maſculum immaculatum adducet illud.

11 Et imponet manum ſuper caput eius: & iugulabunt illud à latere altaris ad Aquilonem ante Dominum: & effundent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem eius ſuper altare in circuitu.

12 Et diuident illud per membra, & caput, & adipem: & conſtipabunt ſacerdotes ea ſuper ligna, quæ ſuper ignem, quæ ſuper altare.

13 Et inteſtina, & pedes lauabunt aqua. Et offeret ſacerdos omnia, & imponet ſuper altare: holocauſtum eſt, ſacrificium, odor ſuauitatis Domino.

14 Si autem de volatilibus holocauſtum offert munus ſuum Domino, & offeret de turturibus, vel de columbis munus ſuum.

15 Et offeret illud ſacerdos ad altare; & retorquebit caput, & imponet ſacerdos ſuper altare, & exitillabit ſanguinem ad baſim altaris:

16 Et auferet veſiculam gutturis cum plumis, & proijciet eam apud altare ad Orientem in locum cineris.

17 Et effringet eam ab alis, & non diuidet: & imponet eam ſacerdos ſuper altare, ſuper ligna, quæ ſuper ignem. Holocauſtum eſt, ſacrificium, odor ſuauitatis Domino.

### CAP. II.

1 SI vero anima offerat munus, ſacrificium Domino; ſimila erit munus eius, & effundet oleum ſuper illud, & imponet thus ſuper illud: ſacrificium eſt.



# LIBRI LEVITICI.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAPVT PRIMVM.

1 *VOcauit autem Moyſen, & locutus eſt Dominus cum eo de tabernaculo fœderis, dicens:*

2 *Loquere cũ filijs Iſrael, & dices eis: Homo qui obtulerit ex vobis oblationẽ coram Domino, de pecoribus de bobus & de ouibus offeretis oblationes veſtras.*

3 *Si holocauſtum fuerit eius oblatio de bobus, maſculum integrum offerat, ad oſtium tabernaculi fœderis offerat illum, vt ſit ei placabile coram Domino.*

4 *Imponetq́ manum ſuam ſuper caput holocauſti, & acceptabile erit ei ad propitiandum pro eo.*

5 *Immolabitq́ vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem, & aſpergent ſanguinem ſuper altare per circuitum quod eſt in oſtio tabernaculi fœderis.*

6 *Et detrahet pellem holocauſti, & diuidet illud per membra eius:*

7 *Et ponent filij Aaron ſacerdotes ignem ſuper altare, & ordinabunt ligna ſuper ignem:*

8 *Ordinabuntq́ filij Aaron ſacerdotes membra, caput, & adipem ſuper ligna, quæ ſunt ſuper ignem qui eſt ſuper altare.*

9 *Interiora autem eius, & pedes eius lauabit aqua: & incendet ſacerdos omnia ſuper altari: holocauſti oblatio eſt, quæ ſuſcipitur cum beneplacito coram Dño.*

10 *Si autem de filijs ouium fuerit oblatio eius, de arietibus, aut de filijs caprarum in holocauſtum, maſculum integrum offeret.*

11 *Immolabitq́ eum ad latus Aquilonis altaris coram Domino: & ſpargent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem illius ſuper altare per circuitum.*

12 *Diuidetq́ illum per membra eius, caput eius & adipem eius: & ordinabit ſacerdos membra ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem qui eſt ſuper altare.*

13 *Inteſtina autem, & pedes lauabit aqua. Et offeret ſacerdos omnia, & adolebit in altari: holocauſti oblatio eſt quæ ſuſcipitur cum beneplacito coram Domino.*

14 *Si autem de auibus fuerit holocauſtum oblationis eius coram Domino, offeret de turturibus, aut de filijs columbæ oblationem ſuam.*

15 *Offeretq́ eũ ſacerdos ad altare: & retorquebit ad collum caput eius, & adolebit in altare, & decurrere faciet ſanguinem eius ſuper parietem altaris.*

16 *Et auferet veſiculam gutturis cum fimo ſuo, & proijciet illam ad latus altaris ad Orientalem plagam in locum in quo effundunt cinerem.*

17 *Confringetq́ illud per alas ſuas, non diuidat: & adolebit eum ſacerdos in altari ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem. Holocauſtum eſt oblatio quæ ſuſcipitur cum beneplacito coram Domino.*

### *CAP. II.*

1 *HOmo autem cum obtulerit oblationem muneris coram Domino, ſimila erit eius oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet ſuper eam thus.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes: quorum vnus tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino. | 2 | 2 | *Et afferet eã ad filios Aharon Sacerdotes, & accipiet inde plenum pugillum ſuum de ſimila eius, & de oleo ipſius ſuper omne thus ipſius, & ſuffire faciet Sacerdos odorem eius ſuper altare. Oblatio eſt in odorem quietis Domino.* |
| * Lec. 7. 34. * Quod autem reliquum fuerit de ſacrificio, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. | 3 | 3 | *Et quod ſupereſt de ſacrificio, Aharon erit, & filijs ipſius, Sanctificatio Sanctificationum eſt de oblationibus Domini.* |
| Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila, panes ſcilicet abſque fermento, conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita. | 4 | 4 | *Et ſi obtuleris oblationem, ſacrificium coctum in clibano: è ſimila placenta infermentata erunt mixta oleo, & lagana infermentata vncta oleo.* |
| Si oblatio tua fuerit de ſartagine: ſimilæ conſperſæ oleo & abſque fermento, | 5 | 5 | *Et ſi ſacrificium de ſartagine oblatio tua: ſimila cõſperſa oleo infermentata erit.* |
| Diuides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum. | 6 | 6 | *Concides eam in fruſta, & fundes ſuper eam oleum. Sacrificium eſt.* |
| Sin autem de craticula fuerit ſacrificium, æque ſimila oleo conſpergetur: | 7 | 7 | *Et ſi ſacrificium craticulæ oblatio tua: ſimila conſperſa oleo fiet.* |
| Quam offerens Domino, trades manibus ſacerdotis. | 8 | 8 | *Et afferes ſacrificium quod fiet ex ijs Domino, & offeres illud Sacerdoti, & offeret illud ſuper altare.* |
| Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino, | 9 | 9 | *Et eleuare faciet de ſacrificio odorem eius, & ſuffire faciet ſuper altare: oblatio eſt in odorem quietis Domino.* |
| Quidquid autem reliquum eſt, erit Aaron, & filiorum eius, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. | 10 | 10 | *Et quod ſupereſt de ſacrificio, Aharon erit & filijs eius. Sanctificatio Sanctificationum eſt de oblationibus Domini.* |
| Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet: nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino. | 11 | 11 | *Omne ſacrificium quod offeretis Domino non fiet fermentatum: quia de omni fermento, & de omni melle non ſuffire facietis oblationem Domino.* |
| Primitias tantum eorum offeretis ac munera: ſuper altare vero non imponentur in odorem ſuauitatis. | 12 | 12 | *In oblationem primitiarum offeretis ea Domino: & ſuper altare non aſcendent in odorem quietis.* |
| Mar. 9. 58. Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal. | 13 | 13 | *Et omnem oblationem ſacrificij tui ſale ſalies, & non ceſſare facies ſal fœderis Dei tui à ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal.* |
| Si aũt obtuleris munus primarũ frugũ tuarum Dño de ſpicis adhuc virẽtibus, torrebis igni, & cõfringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Dño: | 14 | 14 | *Et ſi obtuleris ſacrificium primitiarum Domino, ſpicam cum culmo toſtam igni, triticũ contuſum ſpicæ viridis plenæ offeres ſacrificium primitiarum tuarũ.* |
| Fundes ſupra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini eſt. | 15 | 15 | *Et pones ſuper eam oleum, & pones ſuper eam thus. Sacrificium eſt.* |
| De qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus. | 16 | 16 | *Et ſuffire faciet Sacerdos odorem eius de frumento contuſo, & de oleo eius ſuper omne thus ipſius. Oblatio eſt Domino.* |
| **CAP. III.** | | | ***CAP. III.*** |
| QVòd ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſiue fœminam, immaculata offeret coram Domino. | 1 | 1 | *ET ſi ſacrificium pacificorum ſit oblatio eius, ſi de bobus ipſe offert, tam maſculum, quam fœminam immaculatum offeret eum in conſpectu Domini.* |
| Ponetque manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonij, fundentque filij Aaron Sacerdotes, ſanguinem per altaris circuitum. | 2 | 2 | *Et coniunget manum ſuam ſuper caput oblationis ſuæ, & immolabit eum ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & fundent filij Aharon Sacerdotes ſanguinem ſuper altare in circuitu.* |
| * Leu. 4. 19. Et offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino, * adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus: | 3 | 3 | *Et offeret de ſacrificio pacificorum oblationem Domino, adipem operientem inteſtinum, & omnem adipem qui eſt ſuper inteſtinum.* |
| Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis. | 4 | 4 | *Et duos renes, & adipem qui eſt ſuper ipſis, qui eſt ſuper ilijs, & fibram cum epate, cum renibus remouebit.* |
| Adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum, lignis igne ſuppoſito: in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. | 5 | 5 | *Et ſuffire facient illum filij Aharon ſuper altare ſuper holocauſtum, quod eſt ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem: oblatio eſt in odorem quietis Domino.* |
| Si vero de ouibus fuerit eius oblatio & pacificorum hoſtia, ſiue maſculum obtulerit, ſiue fœminam, immaculata erunt. | 6 | 6 | *Et ſi de pecudibus eſt oblatio eius in ſacrificium pacificorum Domino, maſculum vel fœminam, immaculatum offeret eum.* |
| Si agnum obtulerit coram Domino, | 7 | 7 | *Si agnum ipſe offert oblationem ſuam, offeret ipſum in conſpectu Domini.* |

Po- Et

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

2 Et afferet ad filios Aaron ſacerdotes, & faciens de ea plenum pugillum de ſimila cum oleo, & omne thus eius, & imponet ſacerdos in memoriale eius ſuper altare, ſacrificium, odor ſuauitatis Domino.

3 Et reliquum de ſacrificio, eſt Aaron, & filijs eius, Sanctum Sanctorum de ſacrificijs Domini.

4 Si autem offerat ſacrificium coctum ex clibano, munus Domino, ex ſimila panes azymos conſperſos in oleo, & lagana azyma peruncta in oleo.

5 Si autem ſacrificium de ſartagine munus tuum, ſimila conſperſa in oleo azyma, eſt.

6 Et communues ea in fruſta, & effundes ſuper ea oleum, ſacrificium eſt Domino.

7 Si autem ſacrificium de craticula munus tuum, ſimila in oleo fiet:

8 Et offeret ſacrificium, quodcumque fecerit de his Domino, & afferet ad ſacerdotem.

9 Et accedens ad altare, auferet ſacerdos de ſacrificio memoriale eius, & imponet ſacerdos ſuper altare holocauſtum, odor ſuauitatis Domino.

10 Quod autem remanſit de ſacrificio: Aaron, & filijs eius, Sancta Sanctorum de holocauſtis Domini:

11 Omne ſacrificium, quodcumque offeratis Domino non facietis fermentatum: omne enim fermentum, & omne mel non offeretis de eo ad offerendum Domino munus.

12 De primitijs offeretis ea Domino: ſuper altare autem non importabuntur in odorem ſuauitatis Domino.

13 Et omne munus ſacrificij veſtri ſale ſalietur, non omittetis ſales teſtamenti Domini à ſacrificijs veſtris. Super omne munus veſtrum offeretis Domino Deo veſtro ſales.

14 Si autem offeras ſacrificium primarum frugum, nouas torte factas ſpicas vigentes, comminutas Domino: & offeres ſacrificium primarum frugum,

15 Et effundes oleum ſuper illud, & impones thus ſuper illud, ſacrificium eſt.

16 Et offeret ſacerdos memoriale eius, de farribus cum oleo, & omne thus eius, hoſtia eſt Domino.

### CAP. III.

1 Si autem ſacrificium ſalutaris munus eius Domino, ſiquidem ex bobus illud adduxerit, ſiue maſculinum ſiue fœmininum, immaculatum adducet illud ante Dominum

2 Et imponet manum ſuper caput muneris, & iugulabit illud ante Dominum apud ianuas tabernaculi teſtimonij, & effundent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem ſuper altare holocauſtomatum in circuitu.

3 Et offerent de ſacrificio ſalutaris oblationem Domino, adipem qui cooperit ventrem, & omnem adipem, qui ſuper ventrem.

4 Et duos renes, & adipem qui ſuper ipſos, qui ſuper femora, & pennam, quæ ſuper iecur, cum renibus auferet.

5 Et offerent ea filij Aaron ſacerdotes ſuper altare ſuper holocauſtomata ſuper ligna, quę ſuper ignem ſuper altare: hoſtia, odor ſuauitatis Domino.

6 Si autem de ouibus munus eius, ſacrificium ſalutaris Domino, maſculinum ſiue fœmininum, immaculatum offeret illud.

7 Si agnum adduxerit munus ſuum, adducet illud ante Dominum:



## Chald. Paraph. Transl.

2 *Et afferet eam ad filios Aaron ſacerdotis, & tollet inde ſacerdos plenum pugillum ſuum de ſimila eius & de oleo eius cum toto thure eius, & adolebit memoriale eius in altari, oblatio eſt quæ ſuſcipitur cum beneplacito coram Domino.*

3 *Quod autem reliquum fuerit de munere, erit Aaron & filiis eius, Sanctum Sanctorum eſt de oblationibus Domini.*

4 *Et quando obtuleris oblationem muneris cocti in clibano de ſimila, placentas azymas conſperſas oleo, & lagana azyma quæ uncta ſint oleo.*

5 *Si autem ſacrificiũ de ſartagine fuerit oblatio tua, ſimila conſperſa oleo azyma, erit.*

6 *Diuides eam minutatim, & effundes ſuper eam oleum, munus eſt.*

7 *Si autem ſacrificium de craticula fuerit oblatio tua, ex ſimila cum oleo fiat:*

8 *Et afferes ſacrificium quod fit ex his coram Domino & offeres illud ad ſacerdotem:*

9 *Offeretq; illud ad altare, & ſeparabit ſacerdos de ſacrificio memoriale eius, & adolebit in altari, oblatio eſt quæ ſuſcipitur cum beneplacito coram Domino.*

10 *Quod autem reliquum fuerit de ſacrificio: erit Aaron, & filiis eius, Sanctum Sanctorum erit de oblationibus Domini:*

11 *Omne munus quod offertur coram Domino non fiet fermentatum: quoniam omne fermentum & omne mel non adolebitis ex eo oblationem coram Domino.*

12 *In oblationem primitiarum offeretis ea coram Domino: & in altare non incendantur, vt ſuſcipiantur cum beneplacito.*

13 *Omnem enim oblationem ſacrificij tui ſale ſalies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. Super omnem oblationem tuam offeres ſal.*

14 *Si autem obtuleris munus primitiarum coram Domino, de ſpicis virentibus torrefactis igne cõfractis, ac teneris offeres munus primitiarum tuarum.*

15 *Et pones ſuper illud oleum, ponesq; ſuper illud thus, munus eſt.*

16 *Et adolebit ſacerdos memoriale eius de granis eius confractis & de oleo eius cum toto thure eius, oblatio eſt coram Domino.*

### CAP. III.

1 *Et ſi hoſtia ſanctificationum fuerit oblatio eius, ſi de bobus ipſe obtulerit ſiue maſculum, ſiue fœminam, integrum offeret coram Domino.*

2 *Imponetque manum ſuam ſuper caput oblationis ſuæ, & immolabit eam in oſtio tabernaculi fœderis, & aſpergent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem per circuitum altaris.*

3 *Et offeret de hoſtia ſanctificationum oblationem coram Domino adipem, qui operit inteſtina & totum adipem qui eſt ſuper inteſtina.*

4 *Et duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & qui eſt ſuper illa, & reticulum quod eſt ſuper iecur cum renibus auferet illud.*

5 *Adolebuntq; ea filij Aaron ſuper altare in holocauſtum quod eſt ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem: oblatio eſt quæ ſuſcipitur cum beneplacito corã Dño.*

6 *Si autem de ouibus fuerit oblatio eius in hoſtiam ſanctificationum coram Domino, maſculum aut fœminam integrum offeret.*

7 *Si agnum ipſe obtulerit in oblationem ſuam, offeret eum coram Domino.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Ponet manum ſuam ſuper caput victimæ ſuæ: quæ immolabitur in veſtibulo tabernaculi teſtimonij: fundentque filij Aaron ſanguinem eius per circuitum altaris.

9 Et offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino: adipem & caudam totam:

10 Cum renibus, & pinguedinem quę operit ventrem, atque vniuerſa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe qui eſt iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis,

11 Et adolebit ea ſacerdos ſuper altare in pabulum ignis & oblationis Domini.

12 Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino:

13 Ponet manum ſuam ſuper caput eius, immolabitque eam in introitu tabernaculi teſtimonij: & fundent filij Aaron ſanguinem eius per altaris circuitum.

14 Tollentque ex ea in paſtum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuerſa vitalia:

15 Duos renunculos cum reticulo, quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis:

16 Adolebitque ea ſuper altare ſacerdos in alimoniam ignis, & ſuauiſſimi odoris. Omnis adeps, Domini erit:

17 Iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis.

### CAP. IIII.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael: Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit:

3 Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino:

4 Et adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, ponetq; manum ſuper caput eius, & immolabit eum Domino.

5 Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illum in tabernaculum teſtimonij.

6 Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties coram Domino contra velum Sanctuarij.

7 Ponetque de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij: omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti in introitu tabernaculi.

8 Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quàm omnia quæ intrinſecus ſunt:

9 Duos renunculos & reticulum quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis,

10 Sicut aufertur de vitulo hoſtiæ pacificorum: adolebit ea ſuper altare holocauſti.

11 Pellem vero & omnes carnes cum capite & pedibus & inteſtinis & fimo,



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et coniunget manum ſuam ſuper caput oblationis ſuæ: & mactabit eam in conſpectu tabernaculi eccleſiæ: & ſpargent filij Aharon ſanguinem eius ſuper altare in circuitu.*

9 *Et offeret de ſacrificio pacificorum oblationem Domino: adipem eius, caudam integram:*

10 *Contra ſpinam dorſi remouebit eam, & adipem operientem inteſtinum, & omnem adipem qui eſt ſuper inteſtinum, & duos rhenes, & adipem qui eſt ſuper eis, qui eſt ſuper ilia, & fibram cum hepate cum rhenibus remouebit.*

11 *Et ſuffire faciet eum ſacerdos ſuper altare, cibus oblationis eſt Domino.*

12 *Et ſi capra eſt oblatio eius, offeret eam in conſpectu Domini:*

13 *Et coniunget manum ſuam ſuper caput eius, & mactabit eam coram tabernaculo eccleſiæ: & ſpargēt filij Aharon ſanguinem eius ſuper altare in circuitu.*

14 *Et offeret ex ea oblationem ſuam, oblationem Domino adipem operientem inteſtinum, & omnem adipem qui eſt ſuper inteſtinum:*

15 *Et duos rhenes, & adipem qui eſt ſuper eis, qui eſt ſuper ilia, & fibram cum hepate, cum rhenibus remouebit:*

16 *Et ſuffire faciet ea ſacerdos ſuper altare, panis. Oblatio eſt in odorem quietis. Omnis adeps Domino eſt:*

17 *Statutum perpetuum in generationibus veſtris in cunctis habitaculis veſtris: omnem adipem, & omnem ſanguinem non comedetis.*

### CAP. IIII.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Anima cum peccauerit per errorē ex omnibus præceptis Domini, quæ non ſunt fienda, fecerit vnum ex his.*

3 *Si Sacerdos vnctus peccauerit ſecundum delictum populi, offeret pro peccato ſuo quod peccauit iuuencum filium bouis immaculatum Domino pro peccato.*

4 *Et afferet iuuencum ad oſtium tabernaculi eccleſiæ in cōſpectu Domini, & coniunget manum ſuam ſuper caput iuuenci, & immolabit iuuencum in conſpectu Domini.*

5 *Et accipiet ſacerdos vnctus de ſanguine iuuenci, & afferet eum ad tabernaculum eccleſiæ.*

6 *Et tinget ſacerdos digitum ſuum in ſanguine, & aſperget de ſanguine ſeptem vicibus coram Domino, ante velum Sanctificationis.*

7 *Et ponet ſacerdos de ſanguine ſuper cornua altaris ſuffimenti aromatici coram Domino quod eſt in tabernaculo eccleſiæ: & totum ſanguinem iuuenci effundet ad fundamentum altaris holocauſti, quod eſt ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.*

8 *Et totum adipem iuuenci pro peccato tollet ab eo: adipem operientem inteſtinum, & totum adipem qui eſt ſuper inteſtinum.*

9 *Et duos rhenes, & adipem, qui eſt ſuper eis, qui eſt ſuper ilia, & fibram cum hepate, cum rhenibus remouebit.*

10 *Quemadmodum tollitur à boue ſacrificij pacificorum, & adolebit ea ſacerdos ſuper altare holocauſti.*

11 *Et pellē iuuenci, & totā carnē eius, cū capite eius, et cum cruribus eius, & inteſtino ipſius, & fimo ipſius.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

8 Et imponet manum ſuper caput muneris ſui:& ingulabit illud apud ianuas tabernaculi teſtimonij: & profundent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem ſuper altare in circuitu.

9 Et offeret de ſacrificio ſalutaris hoſtiam Domino adipem,& lumbum immaculatum:

10 Cum ilibus auferet illum, & omnem adipem, qui cooperit ventrem, & omnem adipem, qui ſuper ventrem,& vtroſque renes,& adipem, qui ſuper ipſos,eum,qui ſuper femora,& pennam,quæ ſuper iecur,cum renibus auferens,

11 Offeret ſacerdos ſuper altare, odor ſuauitatis, hoſtiam Domino.

12 Si autem de capris munus eius, & adducet ante Dominum:

13 Et imponet manus ſuper caput eius,& iugulabunt illud ante Dominum apud ianuas tabernaculi teſtimonij: & effundent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem ſuper altare in circuitu.

14 Et offeret de eo hoſtiam Domino adipem,qui cooperit ventrem, & omnem adipem, qui ſuper ventrem:

15 Et vtroſque renes, & omnem adipem, qui ſuper eos,qui ſuper femora,& pennam iecoris cum renibus auferet:

16 Et offeret ſacerdos ſuper altare: hoſtia,odor ſuauitatis Domino.Omnis adeps Domino:

17 Legitimum in ſæculum in progenies veſtras in omni habitatione veſtra: omnem adipem, & omnem ſanguinem non comedetis.

### C A P. IIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:

2 Loquere ad filios Iſrael, dicens: Anima ſi peccauerit ante Dominum, non ſponte de omnibus præceptis Domini,quæ non oportet facere, & fecerit vnum aliquid de eis:

3 Si quidem Princeps ſacerdotum,qui vnctus eſt,peccauerit,vt populus peccaret, & adducet pro peccato ſuo,quod peccauit, vitulum e bobus immaculatum Domino pro peccato.

4 Et adducet vitulum apud oſtium tabernaculi teſtimonij ante Dominum, & imponet manum ſuam ſuper caput vituli ante Dominum, & iugulabit vitulum coram Domino.

5 Et ſumens ſacerdos, qui vnctus, qui conſummatus manus,de ſanguine vituli,& inferet illum in tabernaculum teſtimonij.

6 Et intinget ſacerdos digitum in ſanguine, & aſperget de ſanguine ſepties ante Dominum contra velum Sanctum.

7 Et imponet ſacerdos de ſanguine vituli ſuper cornua altaris incenſi compoſitionis, quod eſt ante Dominum, quod eſt in tabernaculo teſtimonij: & omnem ſanguinem vituli effundet ad baſim altaris holocauſtomatum, quod eſt apud ianuas tabernaculi teſtimonij.

8 Et omnem adipem vituli, qui peccati, auferet ab eo: adipem operientem inteſtina, & omnem adipem qui ſuper inteſtina.

9 Et duos renes,& adipem,qui ſuper ipſos, qui eſt ſuper femora,& pennam, quæ ſuper iecur, cum renibus auferet ipſum,

10 Quemadmodum auſertur à vitulo ſacrificij ſalutaris, & offeret ſacerdos ſuper altare holocauſti,

11 Et pellem vituli, & omnem eius carnem cum ſanguine,& extremitatibus,& ventre,& fimo.

## Chald. Paraph. Transl.

8 *Et imponet manum ſuam ſuper caput oblationis ſuæ: & immolabit eam ante tabernaculum fœderis: & aſpergent filij Aaron ſanguinem eius per circuitum altaris.*

9 *Offeretq; de hoſtia ſanctificationum oblationem coram Domino: adipem eius,caudam integram:*

10 *Contra dorſum auferet eam, & totum adipem, qui eſt ſuper inteſtina, & duos renes,& adipem,qui eſt ſuper eos, qui eſt iuxta ilia, & reticulum, quod eſt ſuper iecur cum renunculis auferet illud.*

11 *Et adolebit ea ſacerdos in altari, pabulum oblationis eſt coram Domino.*

12 *Si autem de capris fuerit oblatio eius,offeret eam coram Domino:*

13 *Et imponet manum ſuam ſuper caput eius, immolabitque eam ante tabernaculum fœderis: & aſpergent filij Aaron ſanguinem eius per circuitum altaris.*

14 *Offeretque ex eo oblationem eius coram Domino, adipem,qui operit inteſtina,& totum adipem, qui eſt ſuper inteſtina:*

15 *Et duos renes, & adipem, qui eſt ſuper eos, qui eſt iuxta ilia,& reticulum,quod eſt ſuper iecur cum renunculis auferet illud:*

16 *Adolebitque ea ſacerdos in altari: pabulum oblationis eſt, vt ſuſcipiatur cum beneplacito. Omnis adeps coram Domino offeretur:*

17 *Pacto ſempiterno in generationibus veſtris in cunctis habitationibus veſtris: omnem adipem, & omnem ſanguinem non comedetis.*

### C A P. IIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens: Homo, qui peccauerit per ignorantiam de vniuerſis mandatis Domini, quæ non decent fieri, & fecerit vnum ex eis:*

3 *Si Sacerdos magnus peccauerit pro delicto populi, offeret pro peccato ſuo,quod peccauit, vitulum integrum coram Domino pro peccato.*

4 *Et adducet vitulum ad oſtium tabernaculi fœderis in conſpectu Domini, & imponet manum eius ſuper caput vituli, & immolabit vitulum coram Domino.*

5 *Et tollet ſacerdos magnus de ſanguine vituli, & inferet eum in tabernaculum fœderis.*

6 *Et tinget ſacerdos digitum ſuum in ſanguine, & aſperget de ſanguine ſeptiès coram Domino contra velum Sanctuarij.*

7 *Ponetque ſacerdos de ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis aromatum coram Domino, quod eſt in tabernaculo fœderis: omnem autem ſanguinem vituli fundet in fundamento altaris holocauſti, quod eſt in oſtio tabernaculi fœderis.*

8 *Et totum adipem bouis, qui offertur pro peccato ſeparabit ab eo:adipem, qui operit inteſtina, & omnẽ adipem,qui eſt ſuper inteſtina.*

9 *Et duos renes,& adipem,qui eſt ſuper eos,& qui eſt ſuper ilia,& reticulum,quod eſt ſuper iecur cum renibus auferat illud.*

10 *Sicut ſeparatum eſt de vitulo hoſtia ſanctificationum: & adolebit ea ſacerdos ſuper altare holocauſti.*

11 *Et pellem vituli, & omnem carnem eius cum capite,& cum pedibus,& cum inteſtinis,& fimo eius.*

Et Effe-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum, vbi cineres effundi ſolent: incendetque ea ſuper lignorum ſtruem, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur. | 12 | 12 | *Et educet totum iuuencum extra caſtra ad locum mundum, ad effuſionem cineris: & comburet eum ſuper lignis igni, ſuper effuſionem cineris comburetur.* |
| Quod ſi omnis turba Iſrael ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt, | 13 | 13 | *Et ſi omnis ſynagoga Iſrael errauerunt, & latuerit res ab oculis congregationis, & fecerint vnum ex omnibus præceptis Domini, quæ non ſunt fienda, & deliquerint.* |
| Et poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum, adducetque eum ad oſtium tabernaculi. | 14 | 14 | *Et ſcitum fuerit peccatum ſuper quo peccauerunt, offeret congregatio, iuuencum filium bouis pro peccato, & adducent ante tabernaculum eccleſiæ.* |
| Et ponent ſeniores populi manus ſuper caput eius coram Domino. Immolatoque vitulo in conſpectu Domini, | 15 | 15 | *Et coniungent ſeniores ſynagogæ manus ſuas ſuper caput iuuenci coram Domino. Et immolabit iuuencum coram Domino.* |
| Inferet ſacerdos, qui vnctus eſt, de ſanguine eius in tabernaculum teſtimonij, | 16 | 16 | *Et afferet ſacerdos vnctus, de ſanguine iuuenci ad tabernaculum eccleſiæ.* |
| Tincto digito aſpergens ſepties contra velum. | 17 | 17 | *Et tinget ſacerdos digitum ſuum de ſanguine, & aſperget ſeptem vicibus coram Domino ante velum.* |
| Ponetque de eodem ſanguine in cornibus altaris, quod eſt coram Domino in tabernaculo teſtimonij: reliquum autem ſanguinem fundet iuxta baſim altaris holocauſtorum, quod eſt in oſtio tabernaculi teſtimonij. | 18 | 18 | *Et de ſanguine ponet ſuper cornua altaris, quod eſt coram Domino, quod eſt in tabernaculo eccleſiæ, & totum ſanguinem effundet ad fundamentum altaris holocauſti, quod eſt ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.* |
| Omnemque eius adipem tollet, & adolebit ſuper altare: | 19 | 19 | *Et totum adipem tollet ab eo, & ſuffire faciet ſuper altare:* |
| Sic faciēs, & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogante pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus. | 20 | 20 | *Et faciet iuuenco, quemadmodum fecit iuuenco pro peccato, ſic faciet ei: & expiabit eos, & dimittetur eis.* |
| Ipſum autem vitulum efferet extra caſtra, atque comburet ſicut, & priorem vitulum: quia eſt pro peccato multitudinis. | 21 | 21 | *Et educet iuuencum extra caſtra, & comburet eum quemadmodum combuſſit iuuencum primum: oblatio pro peccato congregationis eſt.* |
| Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur: | 22 | 22 | *Si Princeps peccauerit, & fecerit vnum ex præceptis Domini Dei ſui, quæ non ſunt fienda, per errorem, & deliquerit:* |
| Et poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino, hircum de capris immaculatum. | 23 | 23 | *Vel notificatum fuerit ei peccatum ſuum, in quo peccauit, afferet oblationem ſuam hircum caprarum maſculum immaculatum.* |
| Ponetque manum ſuam ſuper caput eius: cumque immolauerit eum in loco, vbi ſolet mactari holocauſtum coram Domino, quia pro peccato eſt, | 24 | 24 | *Et coniunget manum ſuper caput hirci: & immolabit eum in loco quo immolabit holocauſtum coram Domino, oblatio pro peccato eſt.* |
| Tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocauſti, & reliquum fundens ad baſim eius. | 25 | 25 | *Et accipiet ſacerdos de ſanguine oblationis pro peccato digito ſuo, & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & ſanguinem eius effundet ad fundamentum altaris holocauſti.* |
| Adipem vero adolebit ſupra, ſicut in victimis pacificorum fieri ſolet: rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. | 26 | 26 | *Et totum adipem eius ſuffire faciet ſuper altare, ſicut adipem ſacrificij pacificorum: & expiabit eum ſacerdos à peccato eius, & dimittetur ei.* |
| Quod ſi peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, | 27 | 27 | *Et ſi anima vna peccauerit per errorem de populo terræ, dum facit vnum ex præceptis Domini, quæ non ſunt fienda, & deliquerit:* |
| Et cognouerit peccatum ſuum, offeret capram immaculatam. | 28 | 28 | *Vel notificatum fuerit ei peccatum ſuum, quod peccauit, afferet oblationem ſuam hircam caprarū immaculatā fœminam pro peccato ſuo, quod peccauit.* |
| Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, quæ pro peccato eſt, & immolabit eam in loco holocauſti. | 29 | 29 | *Et coniunget manum ſuam ſuper caput oblationis pro peccato, & immolabit oblationem pro peccato in loco holocauſti.* |
| Tolletque ſacerdos de ſanguine in digito ſuo: & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. | 30 | 30 | *Et accipiet ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo: & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & totum ſanguinem eius effudet ad fundamentum altaris.* |
| Omnem autem adipem auferens, ſicut auferri ſolet de victimis pacificorum, adolebit ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei. | 31 | 31 | *Et totum adipem eius remouebit, quemadmodum remotus eſt adeps à ſacrificio pacificorum, & ſuffire faciet ſacerdos, ſuper altare in odorem quietis Domino: & expiabit eum ſacerdos, & dimittetur ei.* |
| Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato ouem, ſcilicet immaculatam; | 32 | 32 | *Et ſi pecus attulerit oblationem ſuam pro peccato, fœminam immaculatam afferet;* |
| Ponet manum ſuper caput eius, & immolabit eam in loco, vbi ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ. | 33 | 33 | *Et coniunget manum ſuam ſuper caput oblationis pro peccato, & immolabit eam pro peccato in loco quo immolabit holocauſtum.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

12 Et efferent totum vitulum extra caſtra in locum mundum, vbi effundunt cinerem: & comburent eum ſuper ligna in igne, ſuper effuſione cineris cremabitur.

13 Si autem omnis ſynagoga Iſrael ignorauerit, non ſponte, & latuerit verbum ab oculis ſynagogæ, & fecerint vnum de omnibus mandatis Domini, quod non fiet, & deliquerint,

14 Et innotuerit eis peccatum, quod peccauerunt in eo, & adducet ſynagoga vitulum ex bobus immaculatum pro peccato, & adducet eum apud ianuas tabernaculi teſtimonij.

15 Et imponent ſeniores ſynagogæ manus ſuas ſuper caput vituli ante Dominum. Et iugulabunt vitulum ante Dominum.

16 Et inferet ſacerdos, qui vnctus, de ſanguine vituli in tabernaculum teſtimonij:

17 Et tinget ſacerdos digitum de ſanguine vituli, & aſperget ſepties ante Dominum ad faciem velaminis ſancti.

18 Et de ſanguine imponet ſacerdos ſuper cornua altaris incenſorum compoſitionis, quod eſt corã Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij: & omnẽ ſanguinem effundet ad baſim altaris holocauſtorum, quod eſt apud oſtium tabernaculi teſtimonij.

19 Et omnem adipem auferet ab eo, & offeret ſuper altare:

20 Et faciet vitulum, quemadmodum fecerat vitulum, qui peccati, ſic fiet: & depropitiabit pro eis ſacerdos, & dimittetur eis peccatum.

21 Et efferent vitulum totum extra caſtra, & comburent vitulum, quemadmodum combuſſerunt vitulum priorem: peccatum ſynagogæ eſt.

22 Si autem Princeps peccauerit, & fecerit vnum de omnibus mandatis Domini, quod non fiet, non ſpõte, & peccauerit, & deliquerit,

23 Et innotuerit ei peccatum, quod peccauit in eo; & offeret munus ſuum hircum ex capris maſculum immaculatum.

24 Et imponet manum ſuper caput hirci: & iugulabunt illum in loco, vbi iugulant holocauſtomata coram Domino, peccatum eſt.

25 Et imponet ſacerdos de ſanguine, qui peccati, digito ſuper cornua altaris holocauſtomatum, & omnem ſanguinem eius effundet ad baſim altaris holocauſtomatum.

26 Et omnem adipem eius offeret ſuper altare, ſicut adipem ſacrificij ſalutaris: & depropitiabit pro eo ſacerdos de peccato eius, & dimittetur ei.

27 Si autem anima vna peccauerit non ſponte de populo terræ, in faciendo vnum de mandatis Domini, quod non fiet, & deliquerit,

28 Et innotuerit ei peccatum, quod peccauit in eo, & feret capellam ex capris, fœminam immaculatam feret pro peccato, quod peccauit.

29 Et imponet manum ſuper caput peccati ſui, & iugulabunt capellam, quæ peccati, in loco, vbi iugulant holocauſtomata.

30 Et ſumet ſacerdos de ſanguine eius digito: & imponet ſuper cornua altaris holocauſtomatũ, & omnẽ ſanguinem eius effundet apud baſim altaris:

31 Et omnem adipem auferet, quemadmodum aufertur adeps à ſacrificio ſalutaris, & offeret ſacerdos ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino: & depropitiabit pro eo ſacerdos, & dimittetur ei.

32 Si autem ouem obtulerit munus ſuum pro peccato, fœminam immaculatam offeret illud:

33 Et imponet manum ſuper caput eius, quæ peccati, & iugulabunt eam in loco, vbi iugulant holocauſtomata.



## Chald. Paraph. Tranſl.

12 *Efferetque omnem vitulum extra caſtra in locum mundum, in locum, vbi cinis funditur: incendetque eum igne ſuper ligna, in locum vbi cinis funditur, comburetur.*

13 *Si autem omnis congregatio Iſrael ignorauerit, & occultum fuerit verbum ab oculis eccleſiæ, & fecerint contra vnum de omnibus preceptis Domini, quod non decet fieri, & peccauerint.*

14 *Et poſtea notum fuerit peccatum in quo peccauerunt, offeret eccleſia vitulum de bobus pro peccato, & adducent eum coram tabernaculo fœderis.*

15 *Imponentque ſeniores congregationis manus ſuas ſuper caput vituli coram Domino. Et immolabit vitulum coram Domino.*

16 *Et inferet ſacerdos magnus de ſanguine vituli in tabernaculum fœderis:*

17 *Et tinget ſacerdos digitum ſuum in ſanguine, & aſperget ſepties coram Domino contra velum.*

18 *Et de ſanguine ponet ſuper cornua altaris, quod eſt in tabernaculo fœderis coram Domino: & totum ſanguinem fundet in fundamento altaris holocauſti, quod eſt in oſtio tabernaculi fœderis.*

19 *Et totum adipem ſeparabit ex eo, & adolebit in altari.*

20 *Facietque de hoc vitulo, ſicut fecit de vitulo pro peccato, ita faciet ei: & propitiabit pro eis ſacerdos, & dimittetur eis.*

21 *Educetque vitulum extra caſtra, & comburet eum, ſicut combuſſit vitulum priorem: quia pro peccato congregationis eſt.*

22 *Quando Princeps peccauerit per ignorantiam, & fecerit cõtra vnum de omnibus preceptis Domini Dei ſui, quod non decet fieri, & deliquerit.*

23 *Si notum fuerit ei peccatum ſuum in quo peccauit; afferet oblationem ſuam hircum de capris maſculum integrum.*

24 *Imponetque manum ſuam ſuper caput hirci: & immolabit eum in loco vbi immolatur holocauſtum coram Domino, pro peccato enim eſt.*

25 *Tolletque ſacerdos de ſanguine hoſtiæ pro peccato digito ſuo, & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & ſanguinem eius effundet ad fundamentum altaris holocauſti.*

26 *Et totum adipem eius adolebit in altari, ſicut adipem hoſtiæ ſanctificationum: & propitiabit pro eo ſacerdos ſuper peccato eius, & dimittetur ei.*

27 *Si autem vir vnus de populo terræ peccauerit per ignorantiam, vt faciat cõtra vnum de preceptis Domini, quod non decet fieri, & deliquerit.*

28 *Si notum fuerit ei peccatum ſuum in quo peccauit, adducet oblationem ſuam capram fœminam integram pro peccato ſuo, quod peccauit.*

29 *Imponetque manum ſuam ſuper caput hoſtiæ, quæ eſt pro peccato, & immolabit eam in loco holocauſti.*

30 *Tolletque ſacerdos de ſanguine eius in digito ſuo: & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & totum ſanguinem fundet ad fundamentum altaris:*

31 *Et omnem adipem eius auferet ſicut aufertur adeps de hoſtia ſanctificationum, adolebitq; ſacerdos in altare, vt ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino: & propitiabit pro eo ſacerdos, & dimittetur ei.*

32 *Et ſi de ouibus adduxerit in oblationem pro peccato, fœminam integram offerat:*

33 *Imponetque manum ſuam ſuper caput victimæ pro peccato, & immolabit eam pro expiatione in loco vbi immolatur holocauſtum.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

34 Sumetque ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo, & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius.

35 Omnem quoque adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis: cremabit ſuper altare in incenſum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

### CAP. V.

1 SI peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit, quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.

2 Anima, quę tetigerit aliquid immundum, ſiue quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ ſuę, rea eſt, & deliquit:

3 Et ſi tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem, qua pollui ſolet, oblitaque cognouerit poſtea, ſubiacebit delicto.

4 Anima, quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt vel male quid faceret, vel bene, & idipſum iuramento, & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum:

5 Agat pœnitentiam pro peccato:

6 Et offerat de gregibus agnam, ſiue capram, orabitque pro ea ſacerdos, & pro peccato eius:

*Inf. 12. 8. Luc. 2. 24.

7 Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat *duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum:

8 Dabitque eos ſacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur.

9 Et aſperget de ſanguine eius parietem altaris: quidquid autem reliquũ fuerit, faciet diſtillare ad fundamentum eius, quia pro peccato eſt.

10 Alterum vero adolebit in holocauſtum, vt fieri ſolet: rogabitq; pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

11 Quòd ſi non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam. non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.

12 Tradetque eam ſacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit ſuper altare in monimentum eius, qui obtulerit:

13 Rogans pro illo, & expians, reliquam vero partem ipſe habebit in munere.

14 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

15 Anima ſi præuaricans ceremonias, per errorem in his, quæ Domino ſunt ſanctificata, peccauerit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, iuxta pondus Sanctuarij:

16 Ipſumque quod intulit damni reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens ſacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Et accipiet ſacerdos de ſanguine oblationis pro peccato digito ſuo, & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & totum ſanguinem eius effundet ad fundamentum altaris.*

35 *Et totum adipem eius remouebit, quemadmodum remotus eſt adeps agni à ſacrificio pacificorum: & adolebit ſacerdos ea ſuper altare in oblationem Domini: & expiabit eum ſacerdos à peccato ſuo, quod peccauit, & dimittetur ei.*

### CAP. V.

1 *ET homo cum peccauerit, & audierit vocem iuramenti, & eſt teſtis, vel vidit, vel ſciuit: ſi non annunciauerit, accipiet pœnam iniquitatis ſuæ.*

2 *Vel homo, qui tetigerit omne immundum, vel cadauer feræ immundæ, vel cadauer animalis immundi, vel cadauer reptilis immundi: & latuerit eum, & ipſe immundus, & deliquit:*

3 *Vel ſi tetigerit immunditiam hominis ex omni immunditia eius in qua polluitur, & latuerit eum, & ipſe ſciuit, deliquit.*

4 *Vel homo ſi iurauerit, vt proferat labijs, malefacere, vel benefacere ſecundum omne, quod proferet homo in iuramento, & latuerit eum, & ipſe ſciuit, deliquit in vno ex iſtis:*

5 *Et erit, cum deliquerit in vno ex iſtis, & confeſſus fuerit id ſuper quo peccauit:*

6 *Adducet oblationem delicti ſui Domino pro peccato ſuo, quod peccauit, fœminam è pecoribus agnam, vel hircam caprarum pro peccato, & expiabit eum ſacerdos à peccato eius:*

7 *Et ſi non attigerit manus eius ſufficiens pecus, adducet oblationem pro delicto ſuo, quod peccauit, duos turtures, vel duos filios columbæ Domino vnum pro peccato, & alterum pro holocauſto:*

8 *Et adducet eos ad ſacerdotem: & offeret eum, qui eſt pro peccato primum, & truncabit caput ipſius contra ceruicem eius, & non diuidet.*

9 *Et aſperget de ſanguine oblationis pro peccato ſuper parietẽ altaris: & quod ſupereſt de ſanguine fundet ad fundamentum altaris, oblatio pro peccato eſt.*

10 *Et alterum dum faciet holocauſtum iuxta morem: & expiabit eum ſacerdos à peccato ipſius, quod peccauit, & dimittetur ei.*

11 *Et ſi non attigerit manus eius duos turtures, vel duos filios columbæ, adducet oblationem ſuam pro quo peccauit, decimum ephah ſimilæ pro peccato. non ponet ſuper eam oleum, & non ponet ſuper eam thus, quia oblatio pro peccato eſt.*

12 *Et adducet eam ad ſacerdotem: & accipiet ſacerdos ex ea plenum pugillum ſuum odorem eius, et ſuffire faciet ſuper altare ſuper oblationes Domini, oblatio pro peccato eſt:*

13 *Et propitiari faciet ei ſacerdos ſuper peccato ipſius, quod peccauit, ex vno de iſtis, & dimittetur ei, & erit ſacerdoti, ſicut ſacrificium.*

14 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

15 *Anima ſi præuaricata fuerit præuaricationem, & peccauerit per errorem de ſanctificationibus Domini, adducet oblationem pro delicto ſuo Domino arietem immaculatum de pecudibus ſecundum æſtimationem tuam argentum ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctificationis pro delicto:*

16 *Et quod peccauit de ſanctificatione reddet, & quintum ipſius addet ei, & dabit illud ſacerdoti, & ſacerdos expiabit eum in ariete oblationis delicti, & dimittetur ei.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

34 Et ſumens ſacerdos de ſanguine eius, quæ peccati, digito, imponet ſuper cornua altaris holocauſtionis, & omnem eius ſanguinem effundet apud baſim altaris holocauſtionis.

35 Et omnem eius adipem auferet, quemadmodũ auffertur adeps ouis de ſacrificio ſalutaris; & imponet eum ſacerdos ſuper altare ſuper holocauſtoma Domini: & depropitiabit pro eo ſacerdos de peccato, quod peccauit, & dimittetur ei.

### C A P. V.

1 SI autem anima peccauerit, & audierit vocẽ iurationis, & ipſe teſtis, vel vidit, vel conſcius fuit: ſi non annunciauerit, accipiet peccatum.

2 Anima illa quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum, aut à beſtia captum immundum, aut morticina abominationum immundarum: aut morticina pecorum immundorum:

3 Aut tetigerit de immunditia hominis, ab omni immunditia eius, quamcumque tangens inquinans fuerit, & latuit eum, poſt hoc autem cognouerit, etiam deliquerit.

4 Anima iniqua diſtinguẽs labijs malefacere, aut benefacere, ſecundũ omnia quæcũque diſtinxerit homo cũ iureiurando, & latuerit eum ante oculos, & id cognouerit, & peccauerit vnum quiddam ex his:

5 Et confitebitur peccatum, pro quibus peccauit aduerſus ipſum:

6 Et offeret pro ijs, quæ deliquit Domino, pro peccato, quod peccauit, fœminam ab ouibus agnam, aut capellam de capris pro peccato, & exorabit pro eo ſacerdos pro peccato, & remittetur illi peccatum:

7 Si autem non valet manus eius, quod ſatis eſt in ouem, offeret pro peccato ſuo, quod peccauit, duos turtures aut duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, & vnum pro holocauſtomate:

8 Et afferet ea ad ſacerdotem: & adducet ſacerdos, quod pro peccato, prius, & retorquebit ſacerdos caput eius à vertebra, & non diuidet.

9 Et aſperget de ſanguine eius, quod pro peccato, ſuper parietem altaris: reliquum autem ſanguinis deſtillabit ad baſim altaris, peccatum enim eſt.

10 Et ſecundum faciet holocauſtoma, ſicut decet: & exorabit ſacerdos pro eius peccato, quod peccauit, & dimittetur ei.

11 Si autem non inueniat manus eius par turturum, vel duos pullos columbarum, & feret munus ſuum pro quo peccauit decimam partem ephi ſimilæ pro peccato. non effundet oleum ſuper illud, neque ſuper illud imponet thus, quia pro peccato eſt.

12 Et afferet illud ad ſacerdotem: & faciens ſacerdos de ea plenum pugillum memoriale eius, imponet ſuper altare holocauſtomatum Domino, peccatum eſt:

13 Et exorabit pro eo ſacerdos pro peccato eius, quod peccauit de vno horum, & dimittetur ei, reliquum autem erit ſacerdoti, vt ſacrificium ſimilæ.

14 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

15 Anima quæcumque latuerit eum obliuio & peccauerit, non ſponte à ſanctis Domini, & afferet delicti ſui Domino arietem immaculatum de ouibus, pretio argenti ſiclorum, ſiclo Sanctorum, pro quo deliquit:

16 Et quod peccauit à ſanctis, reddet illud, & quintas adijciet ſuper illud, & dabit eas ſacerdoti, & ſacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, & dimittetur ei.

## Chald. Paraph. Tranſl.

34 *Tolletque ſacerdos de ſanguine victimæ, quæ fit pro peccato in digito ſuo, & ponet ſuper cornua altaris holocauſti, & omnem ſanguinem fundet ad fundamentum altaris.*

35 *Et totum adipem eius auferet, ſicut ablatus eſt adeps arietis hoſtiæ ſanctificationum; adolebitque ea ſacerdos in altari ſuper oblationes Domini: & propitiabit pro eo ſacerdos pro peccato ſuo, quod peccauit, & dimittetur ei.*

### C A P. V.

1 *ET ſi homo peccauerit, & audierit vocem adiurantis, & ipſe fuerit teſtis, aut vidit, aut conſcius eſt: ſi non indicauerit, portabit iniquitatẽ ſuã.*

2 *Aut homo, qui tetigerit in omnem rem immundam, aut in cadauer beſtiæ immũdæ, aut in cadauer iumẽti immundi, aut in cadauer reptilis immundi: & fuerit celatũ ab eo, & poſtea ipſe ſciuit, quod peccauit:*

3 *Aut cum tetigerit immunditiam hominis iuxta omnem immunditiam eius qua immundus fit, & fuerit celatum ab eo, & poſtea ipſe ſciuerit, quod peccauit.*

4 *Aut homo, qui iurauerit proferens labijs ſuis, vt male faciat, aut benè, iuxta omnia, quæ profert homo cum iuramento, & occultatum fuerit, & poſtea ipſe ſciuerit, quod peccauit in vno ex his:*

5 *Confitebitur peccatum in quo peccauit:*

6 *Et afferet pro peccato ſuo in conſpectu Domini pro peccato ſuo quo peccauit, fœminam de ouibus, aut capram de capris, & propitiabit pro eo ſacerdos, & pro peccato ſuo:*

7 *Si autem non ſuffecerit manus eius, vt poſſit offerre agnam, adducat pro delicto ſuo quo peccauit, duos turtures, aut duos filios columbæ coram Domino, vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum:*

8 *Afferatque eos ad ſacerdotem: & offerat primum illum, qui eſt pro peccato, & retorquebit caput eius contra dorſum eius, & non diuidat.*

9 *Et aſperget de ſanguine hoſtiæ pro peccato ſuper parietẽ altaris: & decurrere faciet, quod reliquum eſt de ſanguine ad fundamẽtũ altaris, pro peccato enim eſt.*

10 *Et alterum faciet holocauſtum, ſicut decet: & propitiabit pro eo ſacerdos pro peccato ſuo quo peccauit, & dimittetur ei.*

11 *Et ſi non ſuffecerit manus eius ad duos turtures, aut ad duos filios columbæ, offerat oblationem ſuam pro peccato ſuo quo peccauit, decimam partem trium ſatorum ſimilæ pro peccato. non ponet ſuper eam oleum, neque dabit ſuper eam thus, quia pro peccato eſt.*

12 *Traditque eam ſacerdoti: & tollet ex ea ſacerdos plenum pugillum ſuum in monumentum eius, & adolebit in altari ſuper oblationes Domini, pro peccato enim eſt:*

13 *Propitiabitque pro eo ſacerdos pro peccato ſuo quo peccauit in vno ex his, & dimittetur ei, & erit ſacerdoti, ſicut munus.*

14 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

15 *Homo, qui præuaricatus fuerit præuaricationem, & peccauerit per ignorantiam in his, quæ ſanctificata ſunt Domino, afferat pro peccato ſuo coram Domino arietẽ integrum de ouibus æſtimationis duorum ſiclorum argenti in ſiclo Sanctuarij pro delicto:*

16 *Et id quod peccauit in ſancto reſtituet, & quintam partem addet ſuper illud, & dabit illud ſacerdoti, & ſacerdos propitiabit pro eo in ariete, qui offertur pro delicto, dimitteturque ei.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Anima ſi peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam:

18 Offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, iuxta menſuram, æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit: & dimittetur ei:

19 Quia per errorem deliquit in Dominum.

### CAP. VI.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Anima, quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit proximo ſuo depoſitum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit:

Nu. 5. a.

3 Siue rem perditam inuenerit, & inficians inſuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines:

4 Conuicta delicti, reddet

5 Omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra; & quintam inſuper partem domino cui damnum intulerat.

6 Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum ſacerdoti, iuxta æſtimationem, menſuramque delicti:

7 Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis, quæ faciendo peccauit.

8 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

9 Præcipe Aaron, & filijs eius: Hæc eſt lex holocauſti: Cremabitur in altari tota nocte vſque mane: ignis ex eodem altari erit.

10 Veſtietur tunica ſacerdos, & feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exuſſit, & ponens iuxta altare:

11 Spoliabitur prioribus veſtimentis, indutuſque alijs efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſſimo vſque ad fauillam conſumi faciet.

12 Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.

13 Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.

14 Hæc eſt lex ſacrificij, & libamentorum, quæ offerēt filij Aaron coram Domino, & coram altari.

15 Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus, quod ſuper ſimilam poſitum eſt: adolebitque illud in altari in monimentum odoris ſuauiſſimi Domino:

16 Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filijs ſuis, abſque fermento: & comedet in loco Sancto Atrij tabernaculi.

17 Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incenſum. Sanctum ſanctorum erit, ſicut pro peccato, atque delicto.

18 Mares tantum ſtirpis Aaron comedent illud. Legitimum, ac ſempiternum erit in generationibus veſtris de ſacrificijs Domini. Omnis, qui tetigerit illa, ſanctificabitur.

19 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

Hæc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*17 Et ſi homo peccauerit, & fecerit vnum ex omnibus præceptis, quæ non ſunt fienda, & non cognouerit, & deliquerit, & portauerit pœnam iniquitatis ſuæ:*

*18 Adducet arietem immaculatum de pecudibus ſecundum æſtimationem tuam, pro delicto ad ſacerdotem: & expiabit eum ſacerdos ab errore ſuo quem ignorauit, & ipſe neſciuit: & dimittetur ei:*

*19 Delictum eſt, delinquendo deliquit Domino.*

### CAP. VI.

*1 ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

*2 Anima ſi peccauerit, & præuaricata fuerit præuaricationem in Dominum, & negauerit proximo ſuo depoſitum, vel pecuniam poſitam in eius manu negociationis gratia, vel raptum, vel vi extorſit aliquid à proximo ſuo:*

*3 Vel inuenit amiſſum, & negauerit illud, & iurauerit falſum ſuper vno ex omnibus, quæ fecerit homo peccando in ipſis:*

*4 Et erit, ſi peccauerit, & deliquerit, reddet raptum, quod rapuit, vel vi extortum, quod vi extorſit, vel depoſitum, quod depoſitum eſt apud eum, vel amiſſum, quod inuenit.*

*5 Vel de omni ſuper quo iurauit falſum, et reddet illud cū ſorte eius; & quintum ipſius addet ſuper illud ei cuius erat, ei dabit illud die oblationis ꝑ delicto ſuo.*

*6 Et oblationem pro delicto ſuo adducet Domino arietem immaculatum è pecudibus (ſecundum æſtimationem tuam) pro delicto ad ſacerdotem:*

*7 Et expiabit eum ſacerdos coram Domino, & dimittetur ei ſuper vnumquodque ex omnibus, quæ faciet delinquendo in eo.*

*8 Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

*9 Præcipe Aharon, & filijs eius, dicendo: Hæc eſt lex holocauſti: Eſt holocauſtum propter vſtionem eius ſuper altare tota nocte vſque mane: & ignis in altari ardebit.*

*10 Et induet ſe ſacerdos veſte ſua linea, & fœminalibus lineis induet ſe ſuper carnem ſuam: & tollet cinerem: quia conſumet ignis holocauſtum ſuper altare & ponet illum apud altare:*

*11 Et exuet ſe veſtes ſuas, & induet ſe veſtibus alijs, & educet cinerem extra caſtra ad locum mundum.*

*12 Et ignis in altari ardebit non extinguetur. & ardere faciet in eo ſacerdos ligna ſingulo manè, & ordinabit ſuper illud holocauſtum, & ſuffire faciet adipes pacificorum.*

*13 Ignis ſemper ardebit in altari, non extinguetur.*

*14 Et iſta eſt lex oblationis, offerent ipſam filij Aharon coram Domino, coram altari.*

*15 Et tollet ab ea pugillo ſuo de ſimila oblationis, & de oleo eius & totum thus, quod eſt ſuper oblationem: & ſuffire faciet ſuper altare in odorem quietis odorem ipſius Domino:*

*16 Et quod ſupereſt ex ea comedent Aharon, & filij eius: infermentata comedentur in loco Sancto, in Atrio tabernaculi eccleſiæ comedent ea.*

*17 Non coquetur fermentatum, partem eorum dedi ex oblationibus meis, Sanctificatio ſanctificationū eſt, ſicut oblatio pro peccato, & ſicut oblatio pro delicto.*

*18 Omnis maſculus in filijs Aharon comedet ea. Statutum perpetuum eſt in generationibus veſtris de oblationibus Domini. Omnis, qui tetigerit ea ſanctificabitur.*

*19 Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

*Iſta*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et anima quæcumque peccauerit, & fecerit vnum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, & non agnouerit, & deliquerit, & acceperit peccatum:
18 Et afferet arietem immaculatum de ouibus precio argenti in delictum ad ſacerdotem: & exorabit pro eo ſacerdos, propter eius ignorantiam, quam ignorauit, & ipſe non ſciuit: & remittetur illi:
19 Deliquit enim delicto ante Dominum.

### CAP. VI.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Anima quæcumque peccauerit, & deſpiciens deſpexerit mandata Domini, & mentitus fuerit, quæ ſunt ad proximum in depoſito, aut de ſocietate, aut de rapina, aut iniuriam fecerit aliquam proximo:
3 Aut inuenit perditionem, & mentitus fuerit de ea, & iurauerit iniuſte de vno ab omnibus, quęcumque fecerit homo, ita vt peccet in his:
4 Et erit cum peccauerit, & deliquerit, & reddat rapinam, quam rapuit, aut nocumētum, quod nocuit, aut depoſitum, quod depoſitum eſt apud eum, aut perditionem, quam inuenit:
5 Ab omni re, pro qua iurauit de ea iniuſte, & reſtituet ipſum caput; & quintas adijciet ſuper illud, cuius eſt, ipſi reddet, qua die conuictus fuerit.
6 Et delicti ſui offeret Domino arietem de ouibus ſine macula precio, in quod deliquit:
7 Et exorabit pro eo ſacerdos ante Dominum, & remittetur illi de vno ab omnibus, quæ fecit, & deliquit in eo.
8 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
9 Præcipe Aaron, & filijs eius, dicens: Iſta lex holocauſti: Iſta holocauſtoſis ſuper incenſionem eius, ſuper altare totam noctem vſque in mane: & ignis altaris ardebit ſuper illud, non extinguetur.
10 Et induet ſacerdos tunicam lineam, & feminale lineum induet circa corpus ſuum: & auferet catacarpoſim, quam conſumpſerit ignis, illam holocauſtoſim ab altari, & apponet illud iuxta altare:
11 Et exuet ſtolam ſuam, & induet ſtolam aliam, & abijciet catacarpoſim extra caſtra in locum mundum.
12 Et ignis ſuper altare ardebit ab eo, & nō extinguetur, & exuret ſuper illud ſacerdos ligna mane, mane, & ſtipabit ſuper illud holocauſtoſim, & ſuperponet ſuper illud adipem ſalutaris.
13 Et ignis ſemper ardebit ſuper altare, non extinguetur.
14 Iſta lex ſacrificij, quod adducent illud filij Iſrael ante Dominum coram altari.
15 Et ab eo auferet pugillo de ſimila ſacrificij cum oleo eius, & cum omni thure eius, quæ ſunt ſuper ſacrificium: & offeret ſuper altare hoſtiam, odorem ſuauitatis, memoriale eius Domino:
16 Reſiduum autem eius manducabit Aaron, & filij eius: azyma comedetur in loco Sancto, in Atrio tabernaculi teſtimonij manducabunt eam.
17 Non coquetur fermentata, partem hanc dedi eis ab hoſtijs Domini. Sancta ſanctorum ſunt, ſicut quod peccati, & ſicut quod delicti.
18 Omne maſculinum ſacerdotum comedent eam. Legitimum æternum in progenies veſtras ab hoſtijs Domini. Omnis, qui tetigerit eas, ſanctificabitur.
19 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:



## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Homo autem, qui peccauerit, & fecerit contra vnum ex omnibus præceptis Domini, quod non decet fieri, & per ignorantiam peccauerit, ſuſcipiet iniquitatem ſuam:*
18 *Et afferet maſculum integrum de ouibus, iuxta æſtimationem delicti ad ſacerdotem: & propitiabit pro eo ſacerdos pro errore ſuo quo errauit, & ipſe ignorauit: dimitteturque ei:*
19 *Pro delicto enim eſt, & pro peccato ſuo quo ipſe peccauit, pro delicto offerat coram Domino.*

### *CAP. VI.*

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Homo, qui peccauerit, & præuaricatus fuerit coram Domino, & mentitus fuerit contra proximum ſuum in depoſito, aut commercio manus, aut in rapina, aut vim fecerit proximo ſuo:*
3 *Aut inuenit rem perditam, & negauit eam, & iurauit falſo ſuper vnum ex omnibus, quæ facit homo, vt peccet in eis:*
4 *Eritque quando peccauerit, & deliquerit, reſtituat rapinam, quam rapuit, aut violentiam, quam intulit, aut depoſitum, quod commendatum fuit apud eum, aut rem perditam, quam inuenit.*
5 *Aut quicquid ex omnibus quibus falſo iurauit, reddetque illud integrū; & quintam partē addet ſuper illud, illi cui pertinet, dabit illud in die delicti ſui.*
6 *Pro delicto autem ſuo afferat coram Domino arietem integrum de ouibus, iuxta æſtimationem delicti, tradatque eum ſacerdoti:*
7 *Et propitiabit pro eo ſacerdos coram Domino, & dimittetur ei pro vnoquoque ex omnibus quæ faciendo peccauit in eo.*
8 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
9 *Præcipe Aaron, & filijs eius, dicens: Hæc eſt lex holocauſti: Quod holocauſtum cremabatur in altari tota nocte vſque manè: & ignis altaris erit incenſus in eo.*
10 *Veſtieturque ſacerdos veſtimentis de byſſo, & femoralibus de byſſo veſtietur ſuper carnem ſuam: & ſeparabit cinerem quem exuſſit ignis holocauſti ſuper altare, & ponet eum in latere altaris:*
11 *Spoliabiturque veſtimentis ſuis, & veſtietur alijs veſtibus, educetque cinerem extra caſtra in loco mundiſſimo.*
12 *Ignis autem erit incenſus in eodem altari nunquam extinguetur, & incendet in eo ſacerdos ligna manè, manè, & ordinabit ſuper eo holocauſtum, adolebitq́ ſuper eo adipes hoſtiæ ſanctificationum.*
13 *Ignis ſemper erit ardens ſuper altare, numquam extinguetur.*
14 *Et hæc eſt lex muneris, quod offerent filij Aaron in conſpectu Domini coram altari.*
15 *Separabitq́ ex eo pugillo ſuo de ſimila muneris, & de oleo eius, & totum thus, quod eſt ſuper munus: & adolebit illud in altari, vt memoriale eius ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino:*
16 *Quod autem reliquum fuerit ex eo, comedent Aaron, & filij eius: azymum comedetur in loco Sancto, in Atrio tabernaculi fœderis comedent illud.*
17 *Non coquetur fermentatum, partem enim eorum dedi eis de oblationibus meis. Sanctum ſanctorum erit, ſicut hoſtia, quæ fit pro peccato, & pro delicto.*
18 *Omnis maſculus de filijs Aaron comedet illud. Legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris de oblationibus Domini. Omnis, qui tetigerit illud, ſanctificabitur.*
19 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis ſuæ. Decimam partem ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno, medium eius mane, & medium eius veſpere: | 20 | 20 | *Iſta eſt oblatio Aharon, & filiorum eius, quam offerent Domino in die qua vngetur ipſemet. Decimum ephah ſimilæ, ſacrificium iuge, dimidium eius manè, & dimidium eius veſperi:* |
| Quæ in ſartagine oleo conſperſa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino | 21 | 21 | *In ſartagine in oleo fiet, friſtam adduces eam, coctas oblationes fruſtorum. Offeres in odorem quietis Domino.* |
| Sacerdos, qui iure patri ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari. | 22 | 22 | *Et ſacerdos vnctus pro eo è filijs eius faciet eam ſtatutum perpetuum Domino, tota ſuffietur.* |
| Omne enim ſacrificium ſacerdotum igne cõſumetur, nec quiſquam comedet ex eo. | 23 | 23 | *Et omnis oblatio ſacerdotis holocauſtum erit, non comedetur.* |
| Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: | 24 | 24 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Loquere Aaron, & filijs eius: Iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocauſtum, immolabitur coram Domino. Sanctum ſanctorum eſt. | 25 | 25 | *Loquere ad Aharon, & ad filios eius, dicendo: Iſta eſt lex oblationis pro peccato: In loco quo immolabitur holocauſtum immolabitur oblatio pro peccato coram Domino. Sanctificatio ſanctificationum eſt.* |
| Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco ſancto, in Atrio tabernaculi. | 26 | 26 | *Sacerdos expians illud, comedet illud, in loco ſancto comedetur, in Atrio tabernaculi eccleſiæ.* |
| Quidquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lauabitur in loco ſancto. | 27 | 27 | *Omnis, qui tetigerit carnem eius, ſanctificabitur. Et ſi aſperſum fuerit è ſanguine eius ſuper veſtem, illud ſuper quod aſperſum fuerit lauabis in loco ſancto.* |
| Vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur. Quod ſi vas æneum fuerit: defricabitur, & lauabitur aqua. | 28 | 28 | *Et vas teſteum in quo coquetur confringetur. Et ſi in vaſe æneo cocta fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua.* |
| Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus eius, quia Sanctum ſanctorum eſt. | 29 | 29 | *Omnis maſculus inter ſacerdotes comedet illud, Sanctificatio ſanctificationum eſt.* |
| Hoſtia enim quę cęditur ꝓ peccato, *cuius ſanguis infertur in tabernaculũ teſtimonij ad expiãdum in Sanctuario, non comedetur, ſed comburetur igni. [*Heb. 13. 15. Sup. 4. 5.] | 30 | 30 | *Et omnis oblatio pro peccato adducetur de ſanguine eius ad tabernaculum eccleſiæ, ad expiandum in Sanctificatione, non comedetur, igni comburetur.* |
| **CAP. VII.** | | | ***CAP. VII.*** |
| HÆc quoque lex hoſtię pro delicto, Sancta ſanctorum eſt: | 1 | 1 | *ET iſta eſt lex oblationis pro delicto, Sanctificatio ſanctificationum eſt:* |
| Idcirco vbi immolabitur holocauſtum, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis eius per gyrum altaris fundetur. | 2 | 2 | *In loco quo immolabunt holocauſtum, oblationem pro delicto: & ſanguinem eius ſparget ſuper altare in circuitu.* |
| Offerent ex ea caudam, & adipem, qui operit vitalia: | 3 | 3 | *Et totum adipem eius offeret ex eo, caudam, & adipem operientem inteſtinum:* |
| Duos renunculos, & pinguedinem, quæ iuxta ilia eſt, reticulumque iecoris cum renunculis. | 4 | 4 | *Et duos renes, & adipem, qui eſt in eis, qui eſt in ilijs, & fibram cum hepate cum renibus remouebit.* |
| Et adolebit ea ſacerdos ſuper altare: incenſum eſt Domino pro delicto. | 5 | 5 | *Et ſuffire faciet ſacerdos ſuper altare: oblationem Domino, oblatio pro delicto eſt.* |
| Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia Sãctũ ſanctorum eſt. | 6 | 6 | *Omnis maſculus inter ſacerdotes comedet illud, in loco ſancto comedeĩ, Sãctificatio ſanctificationũ eſt.* |
| Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto: vtriuſque hoſtiæ lex vna erit: ad ſacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. | 7 | 7 | *Sicut oblatio pro peccato, ſic oblatio pro delicto: lex vna eſt eis: ſacerdotis, qui expiabit illum erit.* |
| Sacerdos, qui offert holocauſti victimam, habebit pellem eius. | 8 | 8 | *Et ſacerdos offerens holocauſtum viri, pellis holocauſti, quod obtulit ſacerdoti eius erit.* |
| Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis à quo offertur: | 9 | 9 | *Et omne ſacrificium, quod coquetur in clibano, & omne factum in lebete, & in ſartagine ſacerdotis offerentis ipſum erit:* |
| Siue oleo conſperſa, ſiue arida fuerint, cunctis filijs Aaron menſura æqua per ſingulos diuidetur. | 10 | 10 | *Et omne ſacrificium mixtum in oleo, & aridum omnibus filijs Aharon erit, ſingulus, vt alter erit.* |
| Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum, quæ offertur Domino. | 11 | 11 | *Et hæc eſt lex ſacrificij pacificorum, quod offeret Domino.* |
| Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerẽt panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque ſimilam, & collyridas olei admixtione conſperſas: | 12 | 12 | *Si pro gratiarum actione obtulerit illud, offeret pro ſacrificio gratiarum actionis placentas infermentatas mixtas oleo, & lagana infermentata vncta oleo, & ſimilam frictam, placentas mixtas oleo:* |
| Panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: | 13 | 13 | *Cum placẽtis panis fermẽtati offeret oblationẽ ſuã pro ſacrificio gratiarũ actionis pacificorum ſuorum:* |

Ex Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 Iſtud donum Aaron, & filiorum eius, quod offerent Domino, in die, quacumque vnxeris eum. Decimam partem ephi ſimilaginis in ſacrificium ſemper, dimidium eius mane, & dimidium eius veſperi:

21 Super ſartaginem in oleo fiet, conſperſam afferet eam, circumuolutam, ſacrificium de fragmentis, ſacrificium in odorem ſuauitatis Domino.

22 Sacerdos vnctus, qui pro eo ex filijs eius, faciet eam, lex æterna, omne conſummabitur.

23 Et omne ſacrificium ſacerdotis holocauſtum erit, & non edetur.

24 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

25 Loquere ad Aaron, & filios eius, dicens: Hæc lex peccati: In loco, vbi iugulant holocauſtoma, iugulabunt, quæ pro peccato ante Dominum. Sancta ſanctorum ſunt.

26 Sacerdos, qui offert illud, manducabit illud, in loco ſancto comedetur, in Atrio tabernaculi teſtimonij.

27 Omnis tangens carnes eius, ſanctificabitur. Et cuicumque aſperſum fuerit de ſanguine eius ſuper veſtimentum, quicumque aſperſus fuerit ſuper illud, lauabitur in loco ſancto.

28 Et vas teſtaceum, in quocumque fuerit coctum in eo, conteretur. Si autem in vaſe æreo coctum fuerit, defricabit illud, & diluet aqua.

29 Omnis maſculus in ſacerdotibus comedet ea, Sancta ſanctorum ſunt Domino.

30 Et omnia, quæ pro peccato ſunt, quorũcũque illatũ fuerit à ſanguine eorũ in tabernaculũ teſtimonij exorari in Sancto, non edetur, in igni cremabitur.

### C A P. VII.

1 ET iſta eſt lex arietis, qui pro delicto, Sancta ſanctorum ſunt:

2 In loco, in quo iugulant holocauſtum, iugulabunt arietem delicti ante Dominum: & ſanguinem effundet ad baſim altaris in circuitu.

3 Et omnem adipem eius offeret ex eo, & lumbum, & omnem adipem operientem inteſtina, & omnem adipem, qui ſuper inteſtina:

4 Et duos renes, & adipem, qui ſuper eos, qui ſuper femora, & pennam, quæ ſuper iecur, cum renibus auferet ea.

5 Et offeret ea ſacerdos ſuper altare: hoſtiam Domino, pro delicto eſt.

6 Omnis maſculus ex ſacerdotibus comedet ea, in loco ſancto comedent ea, Sancta ſanctorum ſunt.

7 Quomodo quod pro peccato, ita & quod delicti: lex vna eſt eorum: ſacerdos quicumque exorabit in eo, ipſi erit.

8 Et ſacerdos adducens holocauſtoma hominis, pellis holocauſti, quod ipſe offert, ipſi erit.

9 Et omne ſacrificium quodcumque fiet in clibano, & omne quodcumque fiet ſuper craticulam, vel ſuper ſartaginem ſacerdotis offerentis illud, ipſi erit:

10 Et omne ſacrificium refectum in oleo, & non refectum omnibus filijs Aaron erit cuique æquale.

11 * Hæc eſt lex ſacrificij ſalutaris, quod offerent Domino.

12 Si quidem pro laudatione offerat illud, & offeret ſuper ſacrificium laudationis panes ex ſimila factos in oleo, & lagana azyma vncta in oleo, & ſimilam conſperſam in oleo:

13 Super panes fermentatos offeret munera ſua ſuper ſacrificio laudationis ſalutaris:

* Hic incipit caput 7. Biblia Septuag. Interp. Romanæ editionis.

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerent coram Domino in die vnctionis ſuæ. Decimam partem trium ſatorum ſimilæ in munere perpetuo, dimidiam partem eius manè, & dimidiam partem eius veſperi:*

21 *In ſartagine cum oleo fiet tenera, offerat eam coctã, atque in fruſta conciſa offeratur, vt ſuſcipiatur munus cum beneplacito coram Domino.*

22 *Sacerdos autem de filijs ſuis, qui vngendus eſt pro eo faciet illud, legitimum ſempiternum erit coram Domino, totum cremabitur.*

23 *Omneque munus ſacerdotis totum cremabitur, non comedatur.*

24 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

25 *Loquere cum Aaron, & cum filijs eius, dicens: Hæc eſt lex ſacrificij pro peccato: In loco vbi immolatur holocauſtum, immolabitur hoſtia pro peccato coram Domino. Sanctum ſanctorum eſt.*

26 *Sacerdos, qui propitiat in ſanguine eius, comedet eam, in loco ſancto comedetur, in Atrio tabernaculi fœderis.*

27 *Omnis, qui tetigerit carnem eius ſanctificabitur. Et qui aſperſerit de ſanguine eius ſuper veſtimenta ſua, illud, quod fuerit aſperſum, lauabitur in loco ſancto.*

28 *Vas autem fictile in quo cocta eſt, confringetur. Si autem in vaſe æneo fuerit cocta, defricabitur, & lauabitur aqua.*

29 *Omnis maſculus de ſacerdotibus comedet illam, Sanctum ſanctorum eſt.*

30 *Omnis autem hoſtia pro peccato, cuius ſanguis infertur in tabernaculum fœderis ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, ſed igni comburetur.*

### C A P. VII.

1 *ET hæc eſt lex hoſtiæ pro delicto, Sanctum ſanctorum eſt:*

2 *In loco vbi immolant holocauſtum, immolabunt hoſtiam pro delicto: ſanguinem autem eius ſparget per circuitum altaris.*

3 *Et totum adipem eius offeret ex eo, caudam, & adipem, qui operit inteſtina:*

4 *Et duos renes, & adipem, qui eſt ſuper eos, qui eſt iuxta ilia, & reticulum, quod eſt ſuper iecur cum renibus auferat eum.*

5 *Et adolebit ea ſacerdos in altari: in oblationem coram Domino, pro delicto enim eſt.*

6 *Omnis maſculus ex ſacerdotibus comedet eam, in loco ſancto comedetur, Sanctum ſanctorum eſt.*

7 *Sicut hoſtia, quæ offertur pro peccato, ſic erit hoſtia, quæ offertur pro delicto: lex vna erit eis: ſacerdos, qui propitiat cum ea, eius erit.*

8 *Sacerdos autem, qui offert holocauſtum viri, pellis holocauſti erit eius, qui offert illud.*

9 *Et omne munus, quod coquitur in clibano, & omne, quod fit in craticula, & in ſartagine, ad ſacerdotem, qui offert illud pertinebit:*

10 *Et omne munus conſperſum oleo, & quod non eſt conſperſum, omnibus filijs Aaron erit, æqualiter diuidatur inter fratres.*

11 *Et hæc eſt lex hoſtiæ ſanctificationum, quæ offertur coram Domino.*

12 *Si pro gratiarum actione obtulerit eam, offeret pro hoſtia gratiarum actionis placentas azymas conſperſas oleo, & lagana azyma vncta oleo, & collyridas ſimilæ conſperſas oleo:*

13 *Cũ placẽtis panis fermentati offeret oblationẽ ſuam pro hoſtia gratiarum actionis ſanctificationum eius:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | TransLex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ex quibus vnus pro primitijs offeretur Domino,& erit ſacerdotis,qui fundet hoſtiæ ſanguinem. | 14 | 14 | *Et offeret ex eo vnum ex omni oblatione, eleuationem Domino, ſacerdotis ſpargentis ſanguinem pacificorum erit.* |
| Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam vſque mane. | 15 | 15 | *Et caro ſacrificij gratiarum actionis pacificorum eius, in die oblationis eius comedetur, non dimittet ex eo vſque manè.* |
| Si voto, vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die: ſed & ſi quid in craſtinũ remanſerit,veſci licitum eſt: | 16 | 16 | *Et ſi votum, vel ſpontaneum eſt ſacrificium oblationis eius: in die qua obtulerit ſacrificiũ ſuũ comedetur,& in craſtino,& quod ſupereſt ex eo comedetur:* |
| Quidquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſumet. | 17 | 17 | *Et quod ſupereſt de carne ſacrificij in die tertia,igni comburetur.* |
| Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit,irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali ſe edulio contaminauerit,præuaricationis rea erit. | 18 | 18 | *Et ſi comedendo comeſtum fuerit de carne ſacrificij pacificorum eius in die tertia, non placebit offerens illud, neque reputabitur illi, prophanum erit: & anima comedens ex eo pœnam ſuam portabit.* |
| Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni: qui fuerit mundus, veſcetur ex ea. | 19 | 19 | *Et caro, quæ tetigerit omne immundum, non comedetur, igni comburetur: & carnem, omnis mundus comedet.* |
| Anima polluta, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. | 20 | 20 | *Et anima,quæ comederit carnem de ſacrificio pacificorum,quod eſt Domino, & immunditia eius eſt ſuper ipſum excidetur anima ipſa è populis ſuis.* |
| Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, ſiue omnis rei, quæ polluere poteſt, & comederit de huiuſcemodi carnibus, interibit de populis ſuis. | 21 | 21 | *Et anima ſi tetigerit omne immundum,tam de immunditia hominis, quàm animalis immundi, vel omnis reptilis immundi, & comederet de carne ſacrificij pacificorum,quod eſt Domino, excidetur anima ipſa è populis ſuis.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens: | 22 | 22 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh,dicendo:* |
| Loquere filijs Iſrael: Adipem ouis, & bouis, & capræ non comedetis. | 23 | 23 | *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Omnem adipem bouis,& agni,& capræ non comedetis.* |
| Adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à beſtia captum eſt, habebitis in varios vſus. | 24 | 24 | *Et adeps cadaueris, & adeps rapti, fiet in omne opus,ſed comedendo non comedetis illum.* |
| Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini,comederit,peribit de populo ſuo. | 25 | 25 | *Nam omnis, qui comederit adipem animalis ex quo offeret oblationem ignitam Domino, excidetur anima, quæ comederit è populis ſuis.* |
| Sanguinem quoque omnis animalis, non ſumetis in cibo,tam de auibus,quam de pecoribus. | 26 | 26 | *Et omnem ſanguinem non comedetis in cunctis habitationibus veſtris, tam de auibus,quàm de animalibus.* |
| Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis. | 27 | 27 | *Omnis anima,quæ comederit omnem ſanguinem, excidetur anima ipſa è populis ſuis.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens: | 28 | 28 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh,dicendo:* |
| Loquere filijs Iſrael, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul, & ſacrificium, id eſt,libamenta eius. | 29 | 29 | *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Offerens ſacrificium pacificorum ſuorum Domino, adducet oblationem ſuam Domino de ſacrificio pacificorum ſuorum.* |
| Tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum: cumque ambo oblata Domino conſecrauerit, tradet ſacerdoti: | 30 | 30 | *Manus eius adducet oblationem Domini adipem cum pectuſculo adducet: & pectuſculum ad eleuandum ipſum eleuationem coram Domino:* |
| Qui adolebit adipem ſuper altare,pectuſculum autem erit Aaron,& filiorum eius. | 31 | 31 | *Et ſuffire faciet ſacerdos adipem, ſuper altare, & erit pectus Aharon,& filijs eius.* |
| Armus quoque dexter de pacificorum hoſtijs cedet in primitias ſacerdotis. | 32 | 32 | *Et armum dextrum dabitis eleuationem ſacerdoti è ſacrificijs pacificorum veſtrorum.* |
| Qui obtulerit ſanguinem, & adipem, filiorum Aaron, ipſe habebit, & armum dextrum in portione ſua. | 33 | 33 | *Offerentis ſanguinem pacificorum, & adipem è filijs Aharon erit armus dexter in partem.* |
| Pectuſculum enim eleuationis, & armum ſeparationis tuli à filijs Iſrael de hoſtijs eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti,& filijs eius lege perpetua, ab omni populo Iſrael. | 34 | 34 | *Quia pectus eleuationis, & armum eleuationis tuli à filijs Iſrael è ſacrificijs pacificorum veſtrorum, & dedi ea Aharon ſacerdoti, & filijs eius in ſtatutum perpetuum à filijs Iſrael.* |
| Hæc eſt vnctio Aaron, & filiorum eius in ceremonijs Domini,die qua obtulit eos Moyſes, vt ſacerdotio fungerentur: | 35 | 35 | *Hæc eſt vnctio Aharon, & vnctio filiorum eius de oblationibus Domini, in die qua appropinquare fecit eos ad miniſtrandum Domino:* |
| Et quæ præcepit eis dari Dominus à filijs Iſrael religione perpetua in generationibus ſuis. | 36 | 36 | *Quæ præcepit Dominus, vt darent eis, in die qua vnxit eos à filijs Iſrael, ſtatutum perpetuum in generationibus veſtris.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Et offeret vnum de omnibus muneribus ſuis, demptionem Domino; ſacerdoti, qui effundit ſanguinẽ ſalutaris, ipſi erit, & carnes ſacrificij laudationis ſalutaris ipſi erunt.

15 Et in qua die donum offertur, manducabitur, non derelinquent ex eo vſque in manè.

16 Quod ſi votum fuerit, aut voluntarium ſacrificauerit munus ſuum; quacumque die obtulerit ſacrificium ſuum, edetur: & craſtina die:

17 Et quod ſuperfuerit de carnibus ſacrificij vſque in diem tertium, in igne cremabitur.

18 Si autem manducans manducauerit ex carnibus die tertia, non erit acceptum ei, qui offert illud, non reputabitur ei, inquinatio eſt: anima autem, ſi qua manducauerit ex eo, peccatum accipiet.

19 Et carnes, quæcumque tetigerint omne immundũ, non manducabuntur, in igni cremabuntur: omnis mundus manducabit carnes.

20 Anima autem, quæcumque manducauerit de carnibus ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia eius ſuper ipſum, peribit anima illa de populo ſuo.

21 Et anima, quæcumque tetigerit omnem rem immundam, vel ab immunditia hominis, vel quadrupedum immundorum, vel omnis abominationis immundæ, & manducauerit ex carnibus ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini, peribit anima illa de populo ſuo.

22 Et loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

23 Loquere filijs Iſrael, dicens: Omnem adipem bouũ, & ouium, & caprarum non edetis.

24 Et adeps morticinorum, & à fera captorum fiet in omne opus, & in eſca non edetur.

25 Omnis, qui adipem edit, adipem ex pecoribus, ex quibus offeret de eis hoſtiam Domino, peribit anima illa de populo ſuo.

26 Omnem ſanguinem non edetis in omni habitatione veſtra, & à pecoribus, & à volatilibus.

27 Omnis anima, quæcumque manducauerit ſanguinem, peribit anima illa de populo ſuo.

28 Et loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

29 Et filijs Iſrael loqueris, dicens: Qui offert ſacrificium ſalutaris, afferet munus ſuum Domino, & de ſacrificio ſalutaris.

30 Manus eius offerent hoſtiam Domino, adipem, qui ſuper pectuſculum, & pennam iecoris: offeret ea, ita vt imponatur donum ante Dominum:

31 Et offeret ſacerdos adipem ſuper altare, & erit pectuſculum Aaron, & filijs eius.

32 Et brachium dextrum dabitis demptionem ſacerdoti de ſacrificijs ſalutaris veſtri.

33 Qui offert ſanguinem ſalutaris, & adipem ex filijs Aaron, ipſi erit brachium dextrum in parte.

34 Pectuſculum enim impoſitionis, & brachium demptionis accepi à filijs Iſrael de ſacrificijs ſalutaris veſtri, & dedi ea Aaron ſacerdoti, & filijs eius, legitimum æternum à filijs Iſrael.

35 Hæc vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius ab hoſtijs Domini, in qua die applicuit eos ſacerdotio fungi Domino:

36 Sicut præcepit Dominus dare illis, qua die vnxit illos, à filijs Iſrael, legitimum æternum in progenies eorum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

14 *Offeretque ex ea vnum ex omni oblatione ſeparatum coram Domino; & illius ſacerdotis erit, qui aſperſit ſanguinem hoſtiæ ſanctificationum.*

15 *Caro autem hoſtiæ gratiarum actionis ſanctificationum eius, eadem die qua offertur comedetur, non remanebit ex ea quicquam vſque manè.*

16 *Si autem voto, vel ſponte obtulerit hoſtiam, eadem die qua offertur hoſtia comedetur: & in die quoque craſtina ſi quid remanſerit ex ea comedetur:*

17 *Et quod remanſerit de carne hoſtiæ in diem tertiam, igni comburetur.*

18 *Si autem comeſtum fuerit quicquam de carne hoſtiæ ſanctificationum in die tertia, non erit in beneplacito, neque exiſtimabitur ei, qui offeret eam, abominabile erit: & homo, qui comederit ex ea, peccatum ſuſcipiet.*

19 *Caro autem ſanctificata, quæ tetigerit omne immundum, non comedetur, ſed igni comburetur: & quicumque fuerit mundus ad comedendum carnẽ ſanctificatam, comedat carnem ſanctificatam.*

20 *Homo autem, qui comederit carnem hoſtiæ ſanctificationum, quæ eſt coram Domino, & immunditia eius fuerit in eo, exterminabitur homo ille de populo ſuo.*

21 *Et homo, qui tetigerit omne immundum, ſiue immunditiam hominis, aut iumentum immundum, aut omnem abominationem immundam, & comederit de carne hoſtiæ ſanctificationum, quæ eſt coram Domino, exterminabitur homo ille de populo ſuo.*

22 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

23 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens: Omnem adipem bouis, & agni, & capræ non comedetis.*

24 *Adeps autem cadaueris morticini, & adeps animalis confracti à beſtia fiet in omne opus, & nequaquam comedetis eum.*

25 *Quia omnis, qui comederit adipem pecoris, ex quo offertur oblatio coram Domino, exterminabitur homo, qui comederit de populo ſuo.*

26 *Et omnem ſanguinem non comedetis in omnibus habitationibus veſtris, tam de auibus, quàm de pecoribus.*

27 *Omnis homo, qui comederit omnem ſanguinem, exterminabitur homo ille de populo ſuo.*

28 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

29 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens: Qui offert victimam ſanctificationum eius coram Domino, afferat oblationem ſuam coram Domino de hoſtia ſanctificationum eius.*

30 *Manus eius afferant oblationes Domini, adipem cum pectuſculo afferat, vt eleuetur pectuſculum eleuatione coram Domino:*

31 *Et adolebit ſacerdos adipem in altari, eritq; pectuſculum Aaron, & filijs eius.*

32 *Armum quoque dexterum dabitis pro primitijs ſacerdoti de hoſtia ſanctificationum veſtrarum.*

33 *Qui obtulerit ſanguinem hoſtiæ ſanctificationum, & adipem de filijs Aaron, ipſius erit armus dexter in portionem ſuam.*

34 *Quia pectuſculum eleuationis, & armum ſeparationis tuli à filijs Iſrael de hoſtia pacificorum ſuorum, & dedi ea Aaron ſacerdoti, & filijs eius pacto ſempiterno à filijs Iſrael.*

35 *Hæc eſt vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius de oblationibus Domini, in die qua obtulerunt eos, vt miniſtrarent coram Domino:*

36 *Quæ præcepit Dominus dari eis à filijs Iſrael, in die qua vnxerunt eos, fœdere ſempiterno in generationibus ſuis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Iſta eſt lex holocauſti, & ſacrificij pro peccato, at-
que delicto, & pro conſecratione, & pacificorum
victimis:
38 Quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai,
quando mandauit filijs Iſrael, vt offerrent oblatio-
nes ſuas Domino in deſerto Sinai.

### CAP. VIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Tolle Aaron cum filijs ſuis, veſtes eorum, &
vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes,
caniſtrum cum azymis:
3 Et congregabis omnem cœtum ad oſtium taber-
naculi.
4 Fecit Moyſes, vt Dominus imperauerat. Congrega-
taque omni turba ante fores tabernaculi:
5 Ait: Iſte eſt ſermo, quem iuſſit Dominus fie-
ri.
6 Statimque obtulit Aaron, & filios eius. Cumque la-
uiſſet eos:
7 Veſtiuit pontificem ſubucula linea, accingens eum
balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſu-
per humerale impoſuit:
8 Quod aſtringens cingulo aptauit rationali, in quo
erat Doctrina, & Veritas.
9 Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra
frontem, poſuit laminam auream conſecratam in
ſanctificatione, ſicut præceperat ei Dominus.
10 Tulit, & vnctionis oleum quo liniuit tabernaculum
cum omni ſupellectili ſua.
11 Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vici-
bus, vnxit illud, & omnia vaſa eius, labrumque cum
baſi ſua ſanctificauit oleo.
* Eccl. 45. 12.
12 * Quod fundens ſuper caput Aaron, vnxit eum, &
conſecrauit:
13 Filios quoque eius oblatos veſtiuit tunicis lineis,
& cinxit balteis, impoſuitque mitras, vt iuſſerat
Dominus.
14 Obtulit, & vitulum pro peccato, cumque ſu-
per caput eius poſuiſſet Aaron, & filij eius manus
ſuas:
15 Immolauit eum: hauriens ſanguinem, & tincto di-
gito, tetigit cornua altaris per gyrum: quo expiato
& ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad funda-
menta eius.
16 Adipem vero, qui erat ſuper vitalia, & reticulum
iecoris, duoſque renunculos, cum aruinulis ſuis a-
doleuit ſuper altare:
17 Vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cre-
mans extra caſtra, ſicut præceperat Domi-
nus.
18 Obtulit, & arietem in holocauſtum: ſuper cu-
ius caput cum impoſuiſſent Aaron, & filij eius ma-
nus ſuas:
19 Immolauit eum, & fudit ſanguinem eius per cir-
cuitum altaris:
20 Ipſumque arietem in fruſta concidens, caput eius,
& artus, & adipem adoleuit igni:
21 Lotis prius inteſtinis, & pedibus. Totumque ſimul
arietem incendit ſuper altare, eo quod eſſet holo-
cauſtum ſuauiſſimi odoris Domino, ſicut præcepe-
rat ei.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Hæc eſt lex holocauſto, ſacrificio, & oblationi pro pec-
cato, & oblationi pro delicto, & conſecrationibus, &
ſacrificio pacificorum:*
38 *Quam præcepit Dominus Moſeh in monte Sinai, in
die qua præcepit filijs Iſrael, vt offerrent oblationes
ſuas Domino in deſerto Sinai.*

### CAP. VIII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *Tolle Aharon, & filios eius ſecum, & veſtes, &
oleum vnctionis, & iuuencum oblationis pro pecca-
to, & duos arietes, & caniſtrum infermentatorum:*
3 *Et omnem congregationem congrega ad oſtium ta-
bernaculi eccleſiæ.*
4 *Et fecit Moſeh, quemadmodum præcepit Dominus
ei. Et congregata eſt congregatio ad oſtium taberna-
culi eccleſiæ:*
5 *Et dixit Moſeh ad congregationem: Hoc eſt verbũ,
quod præcepit Dominus, vt faceretis.*
6 *Et appropinquare fecit Moſeh Aharon, & filios eius.
Et lauit eos aqua:*
7 *Et poſuit ſuper eum tunicam, & cinxit illum bal-
teo, & induit eum pallio, & poſuit ſuper eum ſuper-
humerale:*
8 *Et cinxit eum cingulo ſuperhumeralis, & cinxit
eum cum illo, & poſuit ſuper eum pectorale, & po-
ſuit in pectorali Vrim, & Thummim.*
9 *Et poſuit mitram ſuper caput eius: & poſuit
ſuper mitram contra faciem eius laminam au-
ream, coronam ſanctam, quemadmodum præcepit
Dominus Moſeh.*
10 *Et tulit Moſeh oleum vnctionis, & vnxit taber-
naculum, & omnia, quæ erant in illo, & ſanctifica-
uit ea.*
11 *Et aſperſit ex illo ſuper altare ſeptem vicibus, &
vnxit altare, & omnia vaſa eius, & concham, & ba-
ſim eius ad ſanctificandum ea.*
12 *Et fudit ex oleo vnctionis ſuper caput Aharon, &
vnxit eum ad ſanctificandum eum:*
13 *Et appropinquare fecit Moſeh filios Aharon, & in-
duere fecit eos tunicas, & cinxit eos balteo, & vinx-
it eis pileos, quẽadmodũ præcepit Dominus Moſeh.*
14 *Et appropinquare fecit iuuencum oblationis pro pec-
cato, & coniunxit Aharon, & filij eius manus ſuas
ſuper caput iuuenci oblationis pro peccato:*
15 *Et mactauit: & tulit Moſeh ſanguinem, & poſuit
ſuper cornua altaris in circuitu digito ſuo: & ex-
piauit altare, & ſanguinem fudit ad fundamen-
tum altaris, & ſanctificauit illud ad expiandum
illud.*
16 *Et tulit totum adipem, qui erat ſuper inteſtinum,
& fibram iecoris, & duos renes, & adipem eorum, &
ſuffire fecit Moſeh ſuper altare:*
17 *Et iuuencum, & pellem eius, & carnem eius, & fi-
mum eius combuſſit igni extra caſtra, quemadmo-
dum præcepit Dominus Moſeh.*
18 *Et appropinquare fecit arietem holocauſti, & con-
iunxerunt Aharon, & filij eius manus ſuas ſuper
caput arietis:*
19 *Et mactauit, & ſparſit Moſeh ſanguinem ſuper al-
tare in circuitu:*
20 *Et arietem concidit in fruſta ipſius, & ſuffire fecit
Moſeh caput, & artus, & reticulum:*
21 *Et inteſtinum, & crura lauit aqua. Et ſuffire fecit
Moſeh totum arietem ſuper altare holocauſtum in
odorem quietis, oblatio eſt Domino, quemadmodum
præcepit Dominus Moſeh.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

37 Hæc lex eſt holocauſtorum, & ſacrificij, & pro peccato, & delicto, & conſummatione, & ſacrificio ſalutaris:

38 Sicut mandauit Dominus Moyſi in monte Sina, qua die præcepit filijs Iſrael offerre munera ſua ante Dominum in deſerto Sina.

### CAP. VIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Sume Aaron, & filios eius, & ſtolas eius, & oleũ vnctionis, & vitulum, qui pro peccato, & duos arietes, & caniſtrum azymorum:

3 Et omnem ſynagogam conuoca ad oſtium tabernaculi teſtimonij.

4 Et fecit Moyſes, ſicut præcepit ei Dominus. Et conuocauit ſynagogam ad oſtium tabernaculi teſtimonij:

5 Et dixit Moyſes ſynagogæ: Hoc eſt verbum, quod mandauit Dominus facere.

6 Et applicuit Moyſes Aaron, & filios eius. Et lauit eos aqua:

7 Et veſtiuit eum tunica, & cinxit eum zona, & induit eum ſubuculam, & impoſuit ſuper eum ſuperhumerale:

8 Et præcinxit illum ſecundum facturam ſuperhumeralis, & conſtrinxit eum in ipſo, & impoſuit ſuper eum rationale, & impoſuit ſuper rationale Manifeſtationem, & Veritatem.

9 Et impoſuit mitram ſuper caput eius: & impoſuit ſuper mitram ſecundum faciem eius laminam auream illam ſanctificatam ſanctam, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

10 Et ſumpſit Moyſes de oleo vnctionis, * & vnxit tabernaculum, & omnia vaſa eius, & ſanctificauit illud. *

11 Et aſperſit de eo ſuper altare ſepties, & vnxit altare, & ſanctificauit illud, & omnia eius, & labrum, & baſim eius, & ſanctificauit ea. *

* Quæ ſupra numero 10. clauduntur aſteriſcis hic habentur in Biblia Septuag. Interp. Romæ edita.

12 Et effudit Moyſes de oleo vnctionis ſuper caput Aaron, & vnxit eum, & ſanctificauit eum:

13 Et applicuit Moyſes filios Aaron, & induit eos tunicas, & cinxit eos zonis, & circumpoſuit eis cidaras, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

14 Et adduxit Moyſes vitulum, qui pro peccato, & impoſuit Aaron, & filij eius manum ſuper caput vituli, qui pro peccato:

15 Et iugulauit eum: & ſumpſit Moyſes de ſanguine, & impoſuit ſuper cornua altaris in circuitu digito: & mundauit altare, & ſanguinem effudit ad baſim altaris, & ſanctificauit illud ad exorandum ſuper illud.

16 Et ſumpſit Moyſes omnem adipem, qui ſuper inteſtina, & pennam, quæ ſuper iecur, & vtroſque renes, & adipem, qui ſuper eos, & obtulit Moyſes ſuper altare:

17 Et vitulum, & pellem eius, & carnes eius, & fimum eius combuſſit ea igni extra caſtra, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

18 Et adduxit Moyſes arietem, qui in holocauſtum: & impoſuit Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis:

19 Et iugulauit Moyſes arietem, & effudit Moyſes ſanguinem ſuper altare in circuitu.

20 Et arietem in fruſta concidit membratim, & obtulit Moyſes caput, & membra, & adipem:

21 Et ventrem, & pedes lauit aqua. Et obtulit Moyſes totum arietem ſuper altare, holocauſtoma eſt in odorem ſuauitatis, hoſtia eſt Domino, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

## Chald. Paraph. Tranſl.

37 *Hæc eſt lex holocauſti, & muneris, & ſacrificij pro peccato, & pro delicto, & oblationum, & hoſtiæ ſanctificationum:*

38 *Quam præcepit Dominus Moyſi in monte Sinai, in die qua mandauit filijs Iſrael, vt offerrent oblationes ſuas coram Domino in deſerto Sinai.*

### CAP. VIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Applica Aaron, & filios eius cum eo, & veſtes, & oleum vnctionis, & vitulum pro peccato, & duos arietes, & caniſtrum azymorum:*

3 *Omnemque cœtum congrega ad oſtium tabernaculi fœderis.*

4 *Fecitque Moyſes, ſicut præceperat ei Dominus. Et congregatus eſt cœtus ad oſtium tabernaculi fœderis:*

5 *Dixitque Moyſes congregationi: Iſte eſt ſermo quem iuſſit Dominus fieri.*

6 *Applicauitque Moyſes Aaron, & filios eius. Et lauit eos aqua:*

7 *Et poſuit ſuper eum tunicam, & accinxit eum balteo, & induit eum pallio, & poſuit ſuper eum ſuperhumerale:*

8 *Et accinxit eum balteo ſuperhumeralis, ornauitque eum in eo, & poſuit ſuper eum rationale, & poſuit in rationale Vrim, & Thumim.*

9 *Et poſuit cidarim ſuper caput eius: & ſuper cidarim contra faciem eius poſuit laminam auream coronam ſanctitatis, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

10 *Tulitque Moyſes oleum vnctionis, & vnxit tabernaculum, & omnia, quæ in eo erant, & ſanctificauit ea.*

11 *Aſperſitque ex eo ſuper altari ſepties, & vnxit altare, & omnia vaſa eius, & labrum, & baſim eius, vt ſanctificaret ea.*

12 *Effuditque de oleo vnctionis ſuper caput Aaron, & vnxit eum, vt ſanctificaret eum:*

13 *Applicauitque Moyſes filios Aaron, & veſtiuit eos tunicis, & cinxit eos balteis, & ornauit eos mitris, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

14 *Et obtulit vitulum pro peccato, & impoſuit Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput vituli, qui offerebatur pro peccato:*

15 *Immolauit eum: & tulit Moyſes ſanguinem, & poſuit ſuper cornua altaris per circuitum digito ſuo, & mundauit altare: reliquum autem ſanguinem fudit ad fundamentum altaris, & ſanctificauit illud, vt expiaret illud.*

16 *Tulitque omnem adipem, qui erat ſuper inteſtina, & reticulum iecoris, & duos renes, & adipem eorum, & adoleuit Moyſes in altari:*

17 *Vitulum autem, & pellem eius, & carnem eius, & fimum eius, combuſſit igni extra caſtra, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

18 *Et obtulit arietem holocauſti: & impoſuerunt Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis:*

19 *Immolauitque eum, & aſperſit Moyſes ſanguinem eius per circuitum altaris.*

20 *Arietem quoque diuiſit per membra eius, & adoleuit Moyſes caput, & membra, & adipem:*

21 *Et inteſtina, & genua lauit aqua. Adoleuitq; Moyſes totum arietem in altari, holocauſtum eſt, vt ſuſcipiatur cum beneplacito, oblatio eſt coram Domino, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

22 Obtulit, & arietem ſecundum in conſecratione ſacerdotum: poſueruntque ſuper caput eius Aaron, & filij eius manus ſuas.

23 Quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, ſimiliter, & pedis.

24 Obtulit, & filios Aaron: cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus, ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum:

25 Adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem, quæ operit inteſtina, reticulūq; iecoris, & duos renes cum adipibus ſuis, & armo dextro ſeparauit.

26 Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino, panem abſque fermento, & collyridam conſperſam oleo, laganumque poſuit ſuper adipes, & armum dextrum:

27 Tradens ſimul omnia Aaron, & filijs eius. Qui poſtquam leuauerunt ea coram Domino:

28 Rurſum ſuſcepta de manibus eorum, adoleuit ſuper altare holocauſti, eo quod conſecrationis eſſet oblatio, in odorem ſuauitatis, ſacrificij Domino.

29 Tulitque pectuſculum eleuans illud coram Domino, de ariete conſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus:

30 Aſſumenſque vnguentum, & ſanguinem, qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta eius, & ſuper filios illius, ac veſtes eorum.

31 Cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro, ſicut præcepit mihi Dominus, dicens: * Aaron, & filij eius comedent eos:

* Exo. 29. 32. Inf. 24. 9.

32 Quidquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis abſumet.

33 De oſtio quoque tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, vſque ad diem quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ. Septem enim diebus finitur conſecratio:

34 Sicut & impræſentiarum factum eſt, vt ritus ſacrificij compleretur.

35 Die, ac nocte manebitis in tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini: ſic enim mihi præceptum eſt.

36 Feceruntque Aaron, & filij eius cuncta, quæ locutus eſt Dominus per manum Moyſi.

### CAP. IX.

1 FActo autem octauo die, vocauit Moyſes Aaron, & filios eius, ac maiores natu Iſrael, dixitque ad Aaron:

2 Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, vtrumque immaculatum, & offer illos coram Domino.

3 Et ad filios Iſrael loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos, & ſine macula in holocauſtum:

Bo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et appropinquare fecit arietem ſecundum, arietem conſecrationum: & coniunxerunt Aharon, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.*

23 *Et mactauit, & tulit Moſeh de ſanguine eius, & poſuit ſuper fibram auris Aharon dexteræ, & ſuper pollicem manus eius dexteræ, & ſuper pollicem pedis eius dexteri.*

24 *Et appropinquare fecit filios Aharon: & poſuit Moſeh de ſanguine ſuper fimbram auris eorum dextræ, & ſuper pollicem pedis eorum dextri, & ſparſit Moſeh ſanguinem ſuper altare in circuitu.*

25 *Et tulit adipem, & caudam, & totum adipem, qui eſt ſuper inteſtinum, & fibram iecoris, & duos renes, & adipem eorum, & armum dextrum.*

26 *Et de caniſtro infermentatorum, quæ erant coram Domino, tulit tortam infermentatam vnam, & tortam panis oleati vnam & laganum vnum, & poſuit ſuper adipes, & ſuper armum dextrum:*

27 *Et poſuit omnia ſuper volas Aharon, & ſuper volas manuum filiorum eius. Et eleuauit ea eleuatione coram Domino:*

28 *Et tulit Moſeh ea ex volis eorum, & ſuffire fecit ſuper altare ſuper holocauſtum, conſecrationes ſunt in odorem quietis, oblatio eſt Domino.*

29 *Et tulit Moſeh pectus, & eleuauit illud eleuatione coram Domino ex ariete conſecrationum ipſi Moſeh fuit in partem, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*

30 *Et tulit Moſeh ex oleo vnctionis, & ſanguinem, qui erat ſuper altare, & aſperſit ſuper Aharon, & ſuper veſtes eius, & ſuper filios eius, & ſuper veſtes, filiorum eius ſecum.*

31 *Et ſanctificauit Aharon, & veſtes eius, & filios eius, & veſtes filiorum eius ſecum, & dixit Moſeh ad Aharon, & ad filios eius: Coquite carnem ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & ibi comedetis eam, & panem, qui eſt in caniſtro conſecrationum, quemadmodum præcepit, dicendo: Aharon, & filij eius comedent eam:*

32 *Et quod ſupereſt de carne, & de pane igni comburetis.*

33 *Et ex oſtio tabernaculi eccleſiæ, non egrediemini ſeptem diebus vſque ad diem quo completi fuerint dies conſecrationum veſtrarum. Quia ſeptem diebus conſecrabitis manum veſtram:*

34 *Quemadmodum fecit in die hac, præcepit Dominus, vt faceretis ad expiandum vos.*

35 *Et ad oſtium tabernaculi eccleſiæ manebitis die, & nocte ſeptem diebus, & cuſtodietis cuſtodiam Domini, & non moriemini: quia ſic iuſſus ſum.*

36 *Et fecit Aharon, & filij eius omnia verba, quæ præcepit Dominus per manum Moſeh.*

### CAP. IX.

1 *ET fuit, in die octaua vocauit Moſeh Aharon, & filios eius, & ſeniores Iſrael, & dixit ad Aharon:*

2 *Tolle tibi vitulum filium bouis pro peccato, & arietem in holocauſtum, immaculatos, & offer coram Domino.*

3 *Et ad filios Iſrael loqueris, dicendo: Tollite hircum caprarum pro peccato, & vitulum, & agnum anniculos immaculatos in holocauſtum:*

Et

## Tranſl·ex Septuag.

22 Et adduxit Moyſes arietem, arietem illum ſecundum conſummationis: & impoſuit Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.

23 Et iugulauit eum, & ſumpſit Moyſes de ſanguine eius, & impoſuit ſuper pennam auris dextræ Aaron, & ſuper ſummitatem manus dextræ, & ſuper ſummitatem pedis dextri.

24 Et applicuit Moyſes filios Aaron: & impoſuit Moyſes de ſanguine ſuper pennas aurium dexterarum, & ſuper ſummitatem manuum eorum dexterarum, & ſuper ſummitates pedum eorum dexterorum, & effudit Moyſes ſanguinem ſuper altare in circuitu:

25 Et ſumpſit adipem, & lumbum, & adipem, qui ſuper ventrem, & pennam iecoris, & ambos renes, & adipem, qui ſuper eos, & brachium dextrum.

26 Et de caniſtro conſummationis, quod eſt ante Dominum, ſumpſit panem vnum azymum, & panem ex oleo vnum, & laganum vnum, & impoſuit ſuper adipem, & brachium dextrum:

27 Et impoſuit omnia ſuper manus Aaron, & ſuper manus filiorum eius. Et obtulit ea demptionem ante Dominum:

28 Et ſumpſit Moyſes ex manibus eorum, & obtulit ea Moyſes ſuper altare, ſuper holocauſtoma conſummationis, quod eſt odor ſuauitatis, hoſtia eſt Domino.

29 Et ſumens Moyſes pectuſculum, abſtulit illud impoſitionem ante Dominum de ariete conſummationis, & factum eſt Moyſi in parte, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

30 Et ſumpſit Moyſes de oleo vnctionis, & de ſanguine, qui ſuper altare, & aſperſit ſuper Aaron, & ſtolas eius, & filios eius, & ſtolas filiorum eius cum eo.

31 Et ſanctificauit Aaron, & ſtolas eius, & filios eius, & ſtolas filiorum eius cum eo, & dixit Moyſes ad Aaron, & filios eius: Coquite carnes in Atrio tabernaculi teſtimonij in loco ſancto, & ibi comedetis eas, & panes, qui in caniſtro conſummationis, quemadmodum præceptum eſt mihi, dicens: Aaron, & filij eius comedent ea:

32 Et reſiduum carnium, & panum in igni comburite.

33 Et ex oſtio tabernaculi teſtimonij, non egrediemini ſeptem dies, donec dies impleatur, dies conſummationis veſtræ. Septem enim diebus conſummabit manus veſtras:

34 Sicut fecit in die hac, qua præcepit Dominus ad faciendum ad depropitiandum pro vobis.

35 Et ad oſtium tabernaculi teſtimonij ſedebitis ſeptem dies, die, ac nocte, cuſtodietis cuſtodias Domini, vt non moriamini: ita enim mandauit mihi Dominus Deus.

36 Et fecit Aaron, & filij eius, omnia verba, quæ præcepit Dominus Moyſi.

### C A P. IX.

1 ET factum eſt die octauo, vocauit Moyſes Aaron, & filios eius, & ſeniores Iſrael, & dixit Moyſes ad Aaron:

2 Sume tibi vitulum ex bobus pro peccato, & arietem in holocauſtum, ſine macula, & offer ea ante Dominum.

3 Et ſenioribus Iſrael loquere, dicens: Accipite hircum ex capris vnum pro peccato, & vitulum, & agnum anniculum in holocarpoſim, ſine macula:

## Chald·Paraph·Tranſl.

22 *Obtulitque arietem ſecundum oblationum: & impoſuerunt Aaron, & filij eius manus ſuas ſuper caput arietis.*

23 *Immolauitque eum, & tulit Moyſes de ſanguine eius, & poſuit ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri.*

24 *Obtulitque filios Aaron: & poſuit Moyſes de ſanguine ſuper extremum auriculæ eorum dextræ, & ſuper pollicem manus eorum dextræ, & ſuper pollicem pedis eorum dextri, aſperſitque Moyſes ſanguinem per circuitum altaris:*

25 *Tulitque adipem, & caudam, & totum adipem, qui eſt ſuper inteſtina, & reticulum iecoris, & duos renes, & adipem eorum, & armum dextrum.*

26 *De caniſtro quoque azymorum, quod erat coram Domino tulit placentam azymam vnam, & collyridam panis oleati vnam, & laganum vnum, & poſuit ſuper adipes, & ſuper armum dextrum:*

27 *Poſuitque omnia in manibus Aaron, & in manibus filiorum eius. Et eleuauit eas eleuatione coram Domino:*

28 *Tulitque ea Moyſes de manibus eorum, & adoleuit in altari ſuper holocauſtum, oblationes enim ſunt, vt ſuſcipiantur cum beneplacito, oblatio eſt coram Domino.*

29 *Tulitque Moyſes pectuſculum, & eleuauit illud eleuatione coram Domino de ariete oblationum, fuitque in portionem Moyſi, ſicut præceperat ei Dominus:*

30 *Et tulit Moyſes de oleo vnctionis, & de ſanguine, qui erat ſuper altare, & aſperſit ſuper Aaron, & ſuper veſtimenta eius, & ſuper filios eius, & ſuper veſtes filiorum eius cum eo.*

31 *Sanctificauitque Aaron, & veſtimenta eius, & filios eius, & veſtes filiorum eius cum eo, dixitque Moyſes ad Aaron, & ad filios eius: Coquite carnem in oſtio tabernaculi fœderis, & ibi comedetis eam, & panem, qui eſt in caniſtro oblationum, ſicut præcepi, dicens: Aaron, & filij eius comedent eam:*

32 *Quod autem reliquum fuerit de carne, & pane igni comburetis.*

33 *Et de oſtio tabernaculi fœderis non exibitis ſeptem diebus, vſquequo compleantur dies oblationis veſtræ. Quia ſeptem diebus offeretur oblatio veſtra:*

34 *Sicut factum eſt hodie, præcepit Dominus fieri ad propitiandum pro vobis.*

35 *Et in oſtio tabernaculi fœderis manebitis die, ac nocte ſeptem diebus, & cuſtodietis cuſtodiam verbi Domini, & non moriemini: ſic enim præceptum eſt mihi.*

36 *Fecitque Aaron, & filij eius iuxta omnia verba, quæ præcepit Dominus per manum Moyſi.*

### *C A P. IX.*

1 *ET factum eſt in die octauo, vocauit Moyſes Aaron, & filios eius, & ſeniores Iſrael, dixitque ad Aaron:*

2 *Tolle tibi vitulum de bobus pro peccato, & arietem in holocauſtum integros, & offer coram Domino.*

3 *Et cum filijs Iſrael loqueris, dicens: Tollite hircum de capris pro peccato, & vitulum, & agnum anniculos integros in holocauſtum:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Bouem, & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino, in ſacrificio ſingulorum ſimilam conſperſam oleo offerentes, hodie enim Dominus apparebit vobis.

5 Tulerunt ergo cuncta, quæ iuſſerat Moyſes ad oſtium tabernaculi: vbi cum omnis multitudo aſtaret:

6 Ait Moyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria eius.

7 Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocauſtum, & deprecare pro te, & pro populo: cumque mactaueris hoſtia populi, ora pro eo, ſicut præcepit Dominus.

8 Statimque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro peccato ſuo:

9 Cuius ſanguinem obtulerunt ei filij ſui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit reſiduum ad baſim eius.

10 Adipemque & renunculos, ac reticulum iecoris, quæ ſunt pro peccato, adoleuit ſuper altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi:

11 Carnes vero & pellem eius extra caſtra combuſſit igni.

12 Immolauit, & holocauſti victimam: obtuleruntque ei filij ſui ſanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum.

13 Ipſam etiam hoſtiam in fruſta conciſam, cum capite, & membris ſingulis obtulerunt, quæ omnia ſuper altare cremauit igni:

14 Lotis aqua prius inteſtinis, & pedibus.

15 Et pro peccato populi offerens, mactauit hircum: expiatoque altari:

16 Fecit holocauſtum:

17 Addens in ſacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea ſuper altare, abſque ceremonijs holocauſti matutini.

18 Immolauit, & bouem, atque arietem. hoſtias pacificas populi: obtuleruntque ei filij ſui ſanguinem, quem fudit ſuper altare in circuitum.

19 Adipem autem bouis, & caudam arietis, renunculoſque cum adipibus ſuis, & reticulum iecoris

20 Poſuerunt ſuper pectora. cumque cremati eſſent adipes ſuper altare:

21 Pectora eorum, & armos dextros ſeparauit Aaron, eleuans coram Domino, ſicut præceperat Moyſes.

22 Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hoſtijs pro peccato, & holocauſtis, & pacificis, deſcendit.

23 Ingreſſi autem Moyſes, & Aaron in tabernaculũ teſtimonij. & deinceps egreſſi benedixerunt populo. * Apparuitq; gloria Domini omni multitudini:

*2.Mac.2.11.

24 Et ecce egreſſus ignis à Domino, deuorauit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare. Quod cum vidiſſent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies ſuas.

### CAP. X.

1 ARreptiſque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, * poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.

* Num.3.4.26.26. 1.Par.24.1

Egreſ-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et bouem, & arietem pro pacificis: ad ſacrificandum coram Domino, & ſacrificium conſperſum oleo, quia hodie Dominus conſpectus eſt vobis.*

5 *Et tulerunt, quæ præcepit Moſeh coram tabernaculo eccleſiæ: & appropinquauerunt omnis cœtus, & ſteterunt coram Domino:*

6 *Et dixit Moſeh: Hoc verbum, quod præcepit Dominus: facietis, & conſpicietur vobis gloria Domini.*

7 *Et dixit Moſeh ad Aharon: Appropinqua ad altare, & fac oblationem pro peccato tuo: & holocauſtũ tuum, & expiationem fac pro te, & pro populo: & fac oblationem populi, & expiationem fac pro eis, quemadmodum præcepit Dominus.*

8 *Et acceſſit Aharon ad altare, & mactauit vitulum oblationis pro peccato, quod erat ei:*

9 *Et obtulerunt filij Aharon ſanguinem ei: & tinxit digitum ſuum in ſanguinem, & poſuit ſuper cornua altaris, & ſanguinem fudit ad fundamentum altaris.*

10 *Et adipem, & renes, & fibram hepatis de oblatione pro peccato ſuffire fecit ſuper altare, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh:*

11 *Et carnem, & pellem combuſſit igni extra caſtra.*

12 *Et mactauit holocauſtum: & parauerunt filij Aharon ei ſanguinem, & ſparſit eum ſuper altare in circuitu.*

13 *Et holocauſtum parauerunt ei in fruſta eius, & caput, & ſuffire fecit ſuper altare:*

14 *Et lauit inteſtinum, & crura, & ſuffire fecit ſuper holocauſtum ſuper altare.*

15 *Et obtulit oblationem populi, & tulit hircum oblationis pro peccato, quod erat populo, & mactauit eum: & mundauit ipſum ſicut primum:*

16 *Et obtulit holocauſtum, & fecit illud iuxta morem:*

17 *Et obtulit ſacrificium, & impleuit volam ſuam ex ipſo ſuffire fecit ſuper altare præter holocauſtum matutinum.*

18 *Et mactauit bouem, & arietem, ſacrificium pacificorum, qui erat populo: & parauerunt filij Aharõ ſanguinem ei, & ſparſit eum ſuper altare in circuitu.*

19 *Et adipes bouis, & arietis, caudam, & quod operit, & renes, & fibram hepatis.*

20 *Et poſuerunt adipes ſuper pectora, & ſuffire fecit adipes ſuper altare:*

21 *Et pectora, & armum dextrum eleuauit Aharon eleuationem coram Domino, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*

22 *Et eleuauit Aharon manum ſuam ad populum, & benedixit eis. Et deſcendit à faciendo oblationem pro peccato, & holocauſtum, & pacifica.*

23 *Et venit Moſeh, & Aharon ad tabernaculum eccleſiæ, & egreſſi ſunt, & benedixerunt populo. Et conſpecta eſt gloria Domini omni populo:*

24 *Et egreſſus eſt ignis à facie Domini, & conſumpſit ſuper altare holocauſtum, & adipes. Et vidit omnis populus, & laudauerunt, & ceciderunt ſuper facies ſuas.*

### CAP. X.

1 *ET tulerunt filij Aharon, Nadab, & Abihu, vnuſquiſque acerram ſuam, & poſuerunt in ea ignem, & poſuerunt in ea ſuffimentum, & obtulerunt coram Domino ignem alienum: quod non præcepit eis.*

*Et*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

4 Et vitulum, & arietem in ſacrificium ſalutaris, ante Dominum, & ſimilam conſperſam in oleo, quoniam hodie Dominus videbitur in vobis.

5 Et ſumpſerunt, ſicut mandauit Dominus, ante tabernaculum teſtimonij: & acceſſit omnis ſynagoga, & ſteterunt ante Dominum.

6 Et dixit Moyſes: Hoc eſt verbum, quod dixit Dominus: facite, & videbitur in vobis gloria Domini.

7 Et dixit Moyſes ad Aaron: Accede ad altare, & fac, quod pro peccato tuo: & holocauſtum tuum, & exora pro te, & pro domo tua: & fac munera populi, & exora pro eis; ſicut mandauit Dominus Moyſi.

8 Et acceſſit Aaron ad altare, & iugulauit vitulum illum pro peccato ſuo.

9 Et attulerunt filij Aaron ſanguinem ad eum, & tinxit digitum in ſanguine, & impoſuit ſuper cornua altaris, & ſanguinem effudit ad baſim altaris:

10 Et adipem & renes, & pennam iecoris, eius, qui pro peccato, obtulit ſuper altare, quemadmodum mandauit Dominus Moyſi.

11 Et carnes, & pellem combuſſit ea igni extra caſtra.

12 Et iugulauit holocauſtoma, & attulerunt filij Aaron ſanguinem ad eum, & effudit ſuper altare in circuitu.

13 Et holocauſtoma obtulerunt illud ſecundum membra: ea, & caput impoſuit ſuper altare.

14 Et lauit ventrem, & pedes aqua, & impoſuit ſuper holocauſtoma ſuper altare.

15 Et obtulit munus populi, & ſumpſit hircum pro peccato populi: & iugulauit eum, & mundauit eum, ſicut & primum.

16 Et obtulit holocauſtoma, & fecit illud, ſicut decet.

17 Et obtulit ſacrificium, & impleuit manus de eo, & impoſuit ſuper altare abſque holocauſto matutino.

18 Et iugulauit vitulum, & arietem ſacrificij ſalutaris, eius, qui populi: & attulerunt filij Aaron ſanguinem ad eum, & effudit ad altare in circuitu.

19 Et adipem, qui de vitulo, & ariete, lumbum, & adipē qui operit ſuper ventrem & ambos renes, & adipem qui ſuper eos, & pennam quæ ſuper iecur:

20 Et impoſuit adipes ſuper pectuſcula, & obtulit adipes ſuper altare.

21 Et pectuſculum, & brachium dextrum abſtulit Aaron demptionem ante Dominum, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

22 Et extollens Aaron manus ſuper populum, benedixit eos. Et deſcendit, cum feciſſet illud pro peccato, & ipſum holocauſtoma, & illa ſalutaris.

23 Et intrauit Moyſes, & Aaron in tabernaculum teſtimonij; & exeuntes benedixerunt omnem populū. Et apparuit gloria Domini omni populo.

24 Et exijt ignis à Domino, & deuorauit, quæ ſuper altare, & holocauſtomata, & adipes. Et vidit omnis populus & mente exceſſit, & ceciderunt in faciem.

### CAP. X.

1 ET ſumentes duo filij Aaron, Nadab, & Abiud, vnuſquiſque thuribulum ſuum impoſuerunt ſuper illud ignem, & iniecerunt ſuper illud incenſum & obtulerunt ante Dominum ignem alienum, quem non præceperat Dominus eis.



## Chald. Paraph. Transl.

4 *Et bouem & arietem pro hoſtia ſanctificationum ad ſacrificandum coram Domino, & munus ſimila conſperſa oleo, quoniam hodie reuelabitur vobis gloria Domini.*

5 *Obtuleruntq; ea quæ iuſſerat Moyſes ante tabernaculum fœderis: acceſſitque omnis congregatio, & ſtetit coram Domino.*

6 *Et ait Moyſes: Hoc verbum quod præcepit Dominus: facite, & reuelabitur vobis gloria Domini.*

7 *Dixitque Moyſes ad Aaron: Accede ad altare, & fac ſacrificium tuum pro peccato: & holocauſtum tuum, & propitia pro te & pro populo: & fac oblationem populi, & propitia pro eis ſicut præcepit Dominus.*

8 *Acceſſitq; Aaron ad altare, & immolauit vitulum pro peccato ſuo.*

9 *Obtuleruntque filij Aaron ei ſanguinem, & tinxit digitum ſuum in ſanguine, & poſuit ſuper cornua altaris, & reliquum ſanguinem fudit ad fundamentum altaris.*

10 *Adipem autem & renes & reticulum iecoris de ſacrificio pro peccato adoleuit in altari, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

11 *Carnem autem & pellem combuſſit igni extra caſtra.*

12 *Immolauitq; holocauſtum, & applicauerunt filij Aaron ei ſanguinem, & aſperſit eum per circuitum altaris.*

13 *Holocauſtum autem applicauerunt ei per membra eius diuiſum, & caput, & adoleuit ſuper altare.*

14 *Lauauitq; inteſtina & pedes, & adoleuit in altari ſuper holocauſtum.*

15 *Et obtulit oblationem populi, & tulit hircum pro peccato populi, & immolauit eum, & expiauit in ſanguine eius, ſicut antè fecerat.*

16 *Et obtulit holocauſtum, & fecit illud ſicut decebat.*

17 *Obtulitque munus, & impleuit manum ſuam ex eo, & adoleuit ſuper altare, abſque holocauſto matutino.*

18 *Immolauitq; bouem & arietem hoſtiæ ſanctificationum populi: & applicauerunt filij Aaron ſanguinē, & aſperſit eum per altaris circuitum.*

19 *Adipes quoque de boue & ariete, caudam & quod operit inteſtina & renes & reticulum iecoris.*

20 *Et poſuerunt adipes ſuper pectora, adoleuitq; adipes in altari.*

21 *Pectora autem, & femur dextrum eleuauit Aaron eleuationem coram Domino, ſicut præceperat Moyſes.*

22 *Leuauitq; Aaron manus ſuas ad populum, & benedixit eis. Et deſcendit poſtquam fecerat hoſtiam pro peccato & holocauſtum, & victimā ſanctificationū.*

23 *Et ingreſſus eſt Moyſes & Aaron in tabernaculum fœderis, & egreſſi ſunt & benedixerunt populo. Et reuelata eſt gloria Domini omni populo.*

26 *Egreſſuſque eſt ignis à facie Domini, & conſumpſit holocauſtum & adipes qui erant ſuper altare. Viditque omnis populus & laudauerunt, et ceciderunt ſuper facies ſuas.*

### CAP. X.

1 *TVleruntque filij Aaron Nadab & Abiu vnuſquiſque thuribulum ſuum, & dederunt in eis ignem, & poſuerunt ſuper eum incenſum aromatum, & obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod non præceperat eis.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Egreſſuſque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino. | 2 | 2 | *Et egreſſus eſt ignis à facie Domini, & conſumpſit eos, & mortui ſunt coram Domino.* |
| Dixitque Moyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. | 3 | 3 | *Et dixit Moſeh ad Aharon. Hoc eſt quod locutus eſt Dominus dicendo: In propinquis meis ſanctificabor, & coram omni populo glorificabor. Et ſiluit Aharon.* |
| Vocatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſapham filijs Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres veſtros de conſpectu Sanctuarij, & aſportate extra caſtra. | 4 | 4 | *Et vocauit Moſeh Miſael, & Elſaphan filios Huzziel patrui Aharon, & dixit ad eos. Appropinquate, portate fratres veſtros è conſpectu Sanctificationis extra caſtra.* |
| Confeſtimque pergentes, tulerunt eos ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum. | 5 | 5 | *Et appropinquauerunt, & portauerunt eos cum tunicis ſuis extra caſtra, quemadmodum locutus eſt Moſeh.* |
| Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius: Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini, & ſuper omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium quod Dominus ſuſcitauit: | 6 | 6 | *Et dixit Moſeh ad Aharon, & ad Elhazar, & ad Ithamar filios eius: Capita veſtra ne nudetis, & veſtimenta veſtra, ne ſcindatis, & non moriemini, & ſuper omnem ſynagogam non iraſcetur. Et fratres veſtri omnis domus Iſrael, flebunt combuſtionem, quam combuſſit Dominus:* |
| Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe ſanctæ vnctionis eſt ſuper vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moyſi. | 7 | 7 | *Et ex oſtio tabernaculi eccleſiæ non egrediemini, ne forte moriamini: quia oleum vnctionis Domini eſt ſuper vos. Et fecerunt iuxta verbum Moſeh.* |
| Dixit quoque Dominus ad Aaron: | 8 | 8 | *Et locutus eſt Dominus ad Aharon, dicendo:* |
| Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. | 9 | 9 | *Vinum, & ſechar non bibes tu, & filij tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum eccleſiæ, & non moriemini: ſtatutum perpetuum eſt in generationes veſtras.* |
| Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum: | 10 | 10 | *Et ad diſtinguendum inter ſanctum, & prophanum & inter immundum & mundum.* |
| Doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi. | 11 | 11 | *Et ad docendum filios Iſrael omnia ſtatuta, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moſeh.* |
| Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius, qui erant reſidui: Tollite ſacrificium, quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſque fermento iuxta altare, quia Sanctum Sanctorum eſt. | 12 | 12 | *Et locutus eſt Moſeh ad Aharon, & ad Elhazar, & ad Ithamar filios eius, qui relicti fuerant: Tollite ſacrificium relictum ex oblationibus Domini, & comedite illud cum infermentatis iuxta altare, quia Sanctificatio Sanctificationum eſt.* |
| Comedetis autem in loco ſancto: quod datum eſt tibi & filijs tuis de oblationibus Domini, ſicut præceptum eſt mihi. | 13 | 13 | *Et comedetis illud in loco ſancto, quia ſtatutum tibi, & ſtatutum filijs tuis eſt de oblationibus Domini, quia ſic iuſſus ſum.* |
| Pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim ac liberis tuis repoſita ſunt de hoſtijs ſalutaribus filiorum Iſrael: | 14 | 14 | *Et pectus eleuationis, & armum, exaltationis comedetis in loco mundo tu, & filij tui, et filiæ tuæ tecum: quia in ſtatutum tibi, & in ſtatutum filijs tuis data ſunt de ſacrificijs pacificorum filiorum Iſrael.* |
| Eo quòd armum & pectus, & adipes qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, ſicut præcepit Dominus. | 15 | 15 | *Armum exaltationis, & pectus eleuationis ſuper oblationis adipem adducent ad eleuandum eleuationem coram Domino, & erit tibi & filijs tuis tecum in ſtatutum perpetuum, quemadmodum præcepit Dominus.* |
| *1.Mac.2. 11. * Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyſes, exuſtum reperit: iratuſque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanſerant, ait: | 16 | 16 | *Et hircum oblationis pro peccato quærendo quæſiuit Moſeh, & ecce combuſtus erat: & iratus eſt contra Elhazar, & contra Ithamar filios Aharon relictos, dicendo:* |
| Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, quæ Sancta Sanctorum eſt, & data vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini, | 17 | 17 | *Cur non comediſtis oblationem pro peccato in loco ſancto, quia Sanctificatio Sanctificationum eſt, & ipſam dedit vobis ad portandum iniquitatem congregationis ad expiandum eos coram Domino?* |
| Præſertim cum de ſanguine illius non ſit illatum intra ſancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, ſicut præceptum eſt mihi? | 18 | 18 | *Ecce non eſt illatus ſanguis eius in ſanctitatem intrinſecus: comedendo comedetis illam in Sanctificatione, quemadmodum præcepi.* |
| Reſpondit Aaron: Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram Domino: mihi autem accidit quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremonijs mente lugubri? | 19 | 19 | *Et locutus eſt Aharon ad Moſeh: Ecce hodie obtulerunt oblationem pro peccato eorum, & holocauſtum eorum: & euenerunt mihi ſicut hæc, & comedam oblationem pro peccato hodie? nunquid placebit in oculis Domini?* |
| Quod cum audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem. | 20 | 20 | *Et audiuit Moſeh, & placuit in oculis eius.* |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

2 Et exijt ignis à Domino, & deuorauit eos, & mortui ſunt ante Dominum.

3 Et dixit Moyſes ad Aaron: Hoc eſt quod dixit Dominus, dicens: In ijs, qui mihi appropinquant ſanctificabor, & in omni ſynagoga glorificabor. Et cõpunctus eſt Aaron.

4 Et vocauit Moyſes Miſadae, & Eliſaphan, filios Oziel, filios fratris patris Aaron, & dixit eis: Accedite, & tollite fratres veſtros à facie Sanctorum extra caſtra.

5 Et acceſſerunt, & ſuſtulerunt eos in tunicis ſuis extra caſtra, quemadmodum dixit Moyſes.

6 Et dixit Moyſes ad Aaron, & Eleazar, & Ithamar, filios eius reliquos: Caput veſtrum cidara non denudabitis, & veſtimenta veſtra non diſcindetis, vt non moriamini, & ſuper omnem ſynagogam erit indignatio. Fratres autem veſtri, omnis domus Iſraël, plorabunt incendium, quo incenſi ſunt a Dño.

7 Et ab oſtio tabernaculi teſtimonij non egrediemini, vt non moriamini: oleum enim vnctionis, quod eſt a Domino, ſuper vos eſt. Et fecerunt iuxta verbum Moyſi.

8 Et locutus eſt Dominus ad Aaron, dicens:

9 Vinum, & ſiceram non bibetis, tu, & filij tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum teſtimonij, aut cũ accedetis ad altare, & non moriemini. Legitimum æternum in progenies veſtras:

10 Diſtinguere inter medium ſanctorum, & contaminatorum, & inter medium immundorum, & mundorum,

11 Et inſtruere filios Iſrael omnia legitima, quæ locutus eſt Dominus ad eos, per manum Moyſi.

12 Et dixit Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar & Ithamar filios Aaron reliquos: Sumite ſacrificium reſiduum ab hoſtijs Domini, & comedetis azyma iuxta altare, Sancta Sanctorum ſunt.

13 Et comedetis illud in loco ſancto: legitimum enim tibi eſt, & legitimum filijs tuis hoc ab hoſtijs Domini: ſic enim mandatum eſt mihi.

14 Et pectuſculum ſegregationis, & brachium demptionis manducabitis in loco ſancto, tu, & filij tui, & domus tua tecum: legitimum enim tibi, & legitimum filijs tuis de ſacrificijs ſalutaris filiorum Iſrael.

15 Brachium demptionis, & pectuſculum ſegregationis ſuper hoſtias adipum offerent ad ſegregandum ſegregationem ante Dominum; & erit tibi, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum legitimum æternum, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

16 Et caprum, qui pro peccato, quærens quæſiuit Moyſes, ille vero incenſus fuerat: & indignatus eſt Moyſes in Eleazar, & Ithamar, filios Aaron, dicens:

17 Quare non comediſtis illud, quod fuit pro peccato, in loco ſancto? Quoniam enim Sancta Sanctorum ſunt, hoc dedit vobis edere, vt auferatis peccatum ſynagogæ, & exoretis pro eis ante Dominum.

18 Non enim illatum eſt de ſanguine eius ante faciẽ intus, edetis illud in loco Sancto, quomodo mihi conſtituit Dominus.

19 Et locutus eſt Aaron ad Moyſen, dicens: Si hodie obtulerunt, quæ pro peccato illorum ſunt, & holocauſta ſua ante Dominum, & contigerunt mihi talia, & comedam quæ pro peccato hodie: nunquid placitum erit Deo?

20 Et audiuit Moyſes, & placuit ei.

## Chald. Paraph. Transl.

2 Egreſſusq; eſt ignis à facie Domini, & deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.

3 Dixitq; Moyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, dicens: In his qui appropinquant mihi ſanctificabor, & in conſpectu omnis populi glorificabor. Et tacuit Aaron.

4 Vocauitque Moyſes Miſael & Eliſaphan filios Oziel patrui Aaron, & ait ad eos: Accedite & tollite fratres veſtros de conſpectu Sanctuarij, & aſportate extra caſtra.

5 Acceſſeruntque & aſportauerunt eos cum tunicis ſuis extra caſtra, ſicut locutus fuerat Moyſes.

6 Dixitq; Moyſes ad Aaron & ad Eleazar & Ithamar filios eius: Nolite nutrire comam capitis veſtri, nec ſcindatis veſtimẽta veſtra vt non moriamini, & ſuper omnem cœtum ſit indignatio. Et fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangent incendium quod ſuccendit Dominus.

7 Et de oſtio tabernaculi fœderis non egrediamini, ne forte moriamini: quoniam oleum vnctionis ſancta Domini eſt ſuper vos. Feceruntque iuxta verbum Moyſi.

8 Locutusq; eſt Dominus cum Aaron, dicens:

9 Vinum & quicquid inebriare poteſt, non bibas tu & filij tui tecum, quando ingredimini in tabernaculũ fœderis, vt non moriamini. Præceptum ſempiternum erit in generationes veſtras.

10 Et ad diuidendum inter ſanctum, & prophanum, & inter pollutum & mundum.

11 Et vt doceatis filios Iſrael omnia legitima, quæ locutus eſt eis Dominus per manum Moyſi.

12 Locutusq; eſt Moyſes cum Aaron & cum Eleazar, & cum Ithamar filijs eius qui reſidui fuerant: Tollite munus quod remanſit de oblationibus Domini, & comedite illud azymum in latere altaris, quia Sanctum Sanctorum eſt.

13 Comedetisq; illud in loco ſancto, quia portio tua & portio filiorum tuorum eſt de oblationibus Domini: ſic enim mihi præceptum eſt.

14 Pectuſculum quoque eleuationis, & femur quod ſeparatum eſt, edetis in loco mundo tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum, quoniam portio tua & portio filiorum tuorum eſt, quæ data ſunt de hoſtia ſanctificationum filiorum Iſrael.

15 Femur quod ſeparatum eſt, & pectus eleuationis cum oblationibus adipum offerent, vt eleuentur eleuatione coram Domino, eritque tibi & filijs tuis tecum in pactum ſempiternum, ſicut præcepit Dominus.

16 Hircum autem qui oblatus fuerat pro peccato requirens requiſiuit Moyſes: & ecce exuſtus erat: & iratus eſt contra Eleazar, & contra Ithamar filios Aaron qui remanſerant, dicens:

17 Quare non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto? Sanctum enim Sanctorum eſt, & eam tradidit vobis ad parcendum ſuper peccata congregationis, ad propitiandum pro eis coram Domino.

18 Ecce non eſt illatum de ſanguine illius in domum Sanctuarij intrinſecus, & ideo debueratis eam comedere in Sanctuario, ſicut præceptum eſt mihi.

19 Locutusq; eſt Aaron cum Moyſe: Ecce hodie obtulerunt hoſtias pro peccatis ſuis, & holocauſta ſua coram Domino, & acciderunt mihi tales tribulationes & ſi comediſſem hodie hoſtiam pro peccato: nunquid rectum eſſet coram Domino?

20 Audiuitq; Moyſes, & placuit in oculis eius.

CAP.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio

### CAP. XI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron,
dicens:
*Deu.14. 2 Dicite filijs Iſrael: * Hæc ſunt animalia quæ co-
medere debetis de cunctis animantibus terræ:
3 Omne quod habet diuiſam vngulam,& ruminat in
pecoribus,comedetis.
4 Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngu-
lam, ſed non diuidet eam, ſicut camelus & cętera,
non comedetis illud, & inter immunda reputabi-
tis.
5 Chœrogryllus qui ruminat, vngulamque non diui-
dit,immundus eſt.
6 Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed vngulam
non diuidit.
*2.Mac.6. 18. 7 Et * ſus: qui cum vngulam diuidat, non rumi-
nat.
8 Horum carnibus non veſcemini,nec cadauera con-
tingetis,quia immunda ſunt vobis.
9 Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum
eſt. Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam
in mari, quam in fluminibus & ſtagnis, comede-
tis.
10 Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet
eorum quæ in aquis mouentur & viuunt,abomina-
bile vobis,
11 Execrandumque erit, carnes eorum non comede-
tis,& morticina vitabitis.
12 Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in
aquis,polluta erunt.
13 Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis, &
vitanda ſunt vobis: Aquilam,& gryphum,& haliæ-
tum,
14 Et miluum ac vulturem iuxta genus ſuum,
15 Et omne coruini generis in ſimilitudinem ſuam,
16 Struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem
iuxta genus ſuum:
17 Bubonem,& mergulum,& ibin,
18 Et cygnum,& onocrotalum,& porphyrionem,
19 Herodionem & charadrion iuxta genus ſuum,vpu-
pam quoque,& veſpertilionem.
20 Omne de volucribus quod graditur ſuper quattuor
pedes,abominabile erit vobis.
21 Quidquid autem ambulat quidem ſuper quattuor
pedes,ſed habet longiora retro crura, per quæ ſalit
ſuper terram,
22 Comedere debetis,vt eſt bruchus in genere ſuo, &
attacus atque ophiomachus,ac locuſta,ſingula iux-
ta genus ſuum.
23 Quidquid autem ex volucribus quattuor tantum
habet pedes,execrabile erit vobis:
24 Et quicumque morticina eorum tetigerit, pollue-
tur,& erit immundus vſque ad veſperum:
25 Et ſi neceſſe fuerit vt portet quippiam horum mor-
tuum,lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſ-
que ad occaſum ſolis.
26 Omne animal quod habet quidem vngulam, ſed
non diuidit eam, nec ruminat,immundum erit: &
qui tetigerit illud,contaminabitur.

Quod

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XI.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, & ad Aha-*
*ron, dicendo ad eos:*
2 *Loquimini ad filios Iſrael, dicendo: Hæc eſt beſtia*
*quam comedetis ex omni animali, quod eſt ſuper*
*terram:*
3 *Omne diuidens vngulam, & findens fiſſuram vngu-*
*larum ſuperius, ruminans inter animalia, illud co-*
*medetis.*
4 *Veruntamen hoc non comedetis ex his quæ ſuperius*
*ruminant, & ex his quæ diuidunt vngulam, Came-*
*lus, quia ſuperius ruminat, & vngulam non diuidit,*
*immundus eſt vobis.*
5 *Et cuniculus, quia ſuperius ruminat, & vngulam*
*non diuidit immundus eſt vobis.*
6 *Et lepus quia ſuperius ruminat, & vngulam non di-*
*uidit, immundus eſt vobis.*
7 *Et ſus, quia diuidit vngulam, & findit fiſſuram*
*vngulæ, & ſuperius non ruminat, immundus eſt*
*vobis.*
8 *De carne eorum non comedetis, & cadauer eorum*
*non tangetis, immunda ſunt vobis.*
9 *Hoc comedetis ex omnibus quæ ſunt in aquis. Om-*
*nia quibus ſunt pinnæ, & ſquamæ in aquis, in mari-*
*bus, & in fluminibus, ipſa comedetis.*
10 *Et omnia quibus non ſunt pinnæ & ſquamæ, in ma-*
*ribus, & in fluminibus, tam de omni reptili aquatili,*
*quam de omni anima viuente quæ eſt in aquis, abo-*
*minatio ſunt vobis.*
11 *Et abominatio erunt vobis: de carne eorum non co-*
*medetis, & cadauer eorum abominabimini.*
12 *Omne cui non eſt pinna, & ſquama, in aquis, abomi-*
*natio eſt vobis.*
13 *Et iſta abominabimini ex volatilibus non comeden-*
*tur: abominatio ſunt aquila, & griphus, & ha-*
*liæetus.*
14 *Et vultur, & miluus ſecundum ſpeciem ſuam.*
15 *Omnis coruus ſecundum ſpeciem ſuam.*
16 *Et filia ſtruthionis, & noctua, & larus, & accipiter*
*ſecundum ſpeciem ſuam.*
17 *Et nycticorax, & mergulus, & ibis.*
18 *Et porphyrio & pelicanus, & cygnus.*
19 *Et Ciconia, charadrius ſecundum ſpeciem ſuam, &*
*vpupa, & veſpertilio.*
20 *Omne reptile volucris ambulans ſuper quattuor pe-*
*des abominatio eſt vobis.*
21 *Veruntamen hoc comedetis ex omni reptili volucris*
*quod ambulat ſuper quattuor pedes, cui ſunt crura*
*ſuper pedes eius ad ſaltandum cum eis ſuper terrã.*
22 *Iſta, ex eis comedetis: locuſtam ſecundum ſpe-*
*ciem ſuam, & attacum ſecundum ſpeciem ſuam,*
*& ophiomacum ſecundum ſpeciem ſuam, &*
*bruchum ſecundum ſpeciem ſuam.*
23 *Et omne reptile volucris, cui ſunt quattuor pedes,*
*abominatio eſt vobis: & his polluetis vos.*
24 *Omnis qui tetigerit cadauer eorum, immundus erit,*
*vſque ad veſperam.*
25 *Et omnis qui portat de cadauere eorum lauabit ve-*
*ſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſpe-*
*ram,*
26 *Omne animal quod diuidit vngulam, & fiſſuram*
*non findit, & ſuperius non ruminat immunda ſunt*
*vobis: omnis qui tetigerit ea, immundus erit.*

*Et*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### C A P. XI.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Loquimini filijs Iſrael, dicentes: Hæc ſunt pecora, quæ comedetis de omnibus pecoribus, quæ ſuper terram.

3 Omne pecus, quod vngulam diuidit, & fiſſuras findit duarum vngularum, & reducit ruminationem in pecoribus, hæc manducabitis.

4 Tantum ab his non manducabitis ab ijs, quæ reducunt ruminationem, & ab ijs, quæ diuidunt vngulas, & findunt fiſſuras vnguium, camelum, quoniam reducit ruminationem, hic; vngulam autem non diuidit, immundum hoc vobis:

5 *Et chirogryllum, quoniam nõ reducit ruminationẽ hoc, & vngulã nõ diuidit, immũdũ hoc vobis:*

6 Et leporem: quia reducit ruminationem hoc, & vngulam non diuidit, immundum hoc vobis: *

7 Et ſuem, quoniam hoc diuidit vngulam, & findit fiſſuras vngulæ, & hoc non reducit ruminationem: immundum hoc vobis.

8 De carnibus eorum non comedetis, & morticina eorum non tangetis: immunda hæc vobis.

9 Et hæc ſunt, quæ comedetis ex omnibus, quæ in aqua. Omnia, quibuſcunque ſunt eis alæ, & ſquamæ in aquis, & in maribus, & in torrentibus, hæc comedetis.

10 Et omnia, quibuſcumque non ſunt eis alæ, neque ſquamæ in aqua, vel in maribus, & in torrentibus, de omnibus, quæ eructant aquæ, & de omni anima viuente in aqua, abominatio eſt,

11 Et abominationes erunt vobis: de carnibus eorum non comedetis, & morticina eorum abominabimini:

12 Et omnia, quibuſcumque non ſunt eis alæ, neque ſquamæ ex ijs, q̃ in aqua, hoc abominatio eſt vobis.

13 Et hæc ſunt, quæ abominabimini de volatilibus, & non comedentur, abominatio eſt, aquilam, & gryphum, & haliætum,

14 Et vulturem, & miluum, & ſimilia ei.

15 * Et omnem coruum, & ſimilia ei, *

16 Et ſtruthionem, & noctuam, & larum, & ſimilia ei, * & accipitrem, & ſimilia ei,

17 Et nycticoracem, & mergulum, & ibin,

18 Et porphyrionem, & pelicanem, & cygnum,

19 Et herodionem, & charadrion, & ſimilia ei, & vpupam, & veſpertilionem,

20 Et omnia reptilia volatilium, quæ gradiuntur ſuper quattuor, abominationes erunt vobis.

21 Sed iſta comedetis de reptilibus volatilium, quæ gradiuntur ſuper quattuor, quæ habent crura deſuper pedes ſuos, ad ſaltandum in ipſis ſuper terram.

22 Et hæc comedetis de eis. Bruchum, & ſimilia ei, & attacum, & ſimilia ei, & ophimacum, & ſimilia ei, & locuſtam, & ſimilia ei.

23 Omne reptile de volatilibus, quibus ſunt quattuor pedes, abominationes ſunt vobis: & in his polluemini.

24 Omnis qui tangit morticina eorum, immundus erit vſque ad veſperam.

25 Et omnis qui tollit morticina eorum, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam.

26 Et in omnibus pecoribus, quod eſt diuidens vngulam, & findit fiſſuras vngularum, & non ruminat ruminationem, immunda erunt vobis: omnis, qui tangit morticina eorũ, immũdus erit vſque ad veſperã.

Quæ ſupra duobus aſteriſcis clauduntur hic, deſunt in Bibl. ſept. impreſſ. Romæ edita.

*Quæ ſupra numero 15. duobus aſteriſcis clauduntur hic, deſunt in Bibl. ſept. impreſſ. Romæ edita.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### C A P. XI.

1 LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe & cum Aaron, dicens eis:

2 Loquimini cum filijs Iſrael dicentes: Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animalibus quæ ſunt ſuper terram.

3 Omne quod diuidit plantam in duas vngulas & ruminat in animalibus, illud comedetis.

4 Veruntamen hæc non comedetis de ruminantibus & de diuidentibus vngulam, camelum qui ruminat & vngulam non diuidit, immundus erit vobis.

5 Chirogryllus quoque qui ruminat, & vngulam non diuidit, immundus erit vobis.

6 Et lepus qui ruminat & vngulam non diuidit, immundus erit vobis.

7 Et ſus qui diuidit vngulam, & in duas vngulas plantam diuidit, ſed ipſe non ruminat, immundus erit vobis.

8 De carnibus eorum non comedetis; & cadauera eorum non tangetis: immunda erunt vobis.

9 Hæc autem comedetis de omnibus quæ ſunt in aquis, omnia quæ habent pennulas, & ſquamas in aquis, in mari, & in torrentibus ea comedetis.

10 Et quod non habet pennulas & ſquamas in mari, & in torrentibus, de omni reptili aquarum, & omni anima viuenti eorum quæ ſunt in aquis, abominabile erit vobis.

11 De carnibus eorum non comedetis, & cadauera eorum vitabitis.

12 Omne quod non habet pennulas et ſquamas in aquis abominabile erit vobis.

13 Hæc quoque vitabitis de auibus, non comedentur, quia vitanda ſunt: aquilam & gryphem, & haliætum.

14 Et miluum ac vulturem iuxta genus ſuum.

15 Et omnem coruum in genere ſuo.

16 Et filiam ſtruthionis, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus ſuum,

17 Bubonem & mergulum, & ibin,

18 Et cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem.

19 Et herodionem, & caradrion iuxta genus ſuum, & vpupam, & veſpertilionem.

20 Omne reptile de volucribus quod graditur ſuper quattuor pedes, abominabile erit vobis.

21 Veruntamen hæc comedetis de omnibus reptilibus auium gradientium ſuper quattuor pedes, quicquid habet genua deſuper pedes eius p q̃ ſalit ſuper terrã.

22 Hæc ſunt quæ ex eis comedetis, locuſtam iuxta genus ſuum, & attacum atque ophimacum in genere ſuo, & bruchum in genere ſuo.

23 Omne autem reptile auium quod habet quatuor pedes, abominabile erit vobis: propter hæc quoque immundi eritis.

24 Omnis qui tetigerit morticinia eorum, erit immundus vſque ad veſperam.

25 Et qui portauerit de morticinijs eorum, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus vſque ad veſperam.

26 Omne animal quod diuidit vngulam, & plantam non diuidit, nec ruminat, immundum eſt vobis: omnis qui tetigerit morticinia eorum, erit immundus.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Quod ambulat ſuper manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur vſque ad veſperum:

28 Et qui portauerit huiuſcemodi cadauera, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperũ: quia omnia hæc immunda ſunt vobis.

29 Hęc quoque inter polluta reputabuntur de his, quę mouentur in terra: muſtela & mus & crocodilus, ſingula iuxta genus ſuum:

30 Mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.

31 Omnia hæc immunda ſunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit vſque ad veſperum:

32 Et ſuper quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur: tam vas ligneum & veſtimentum, quam pelles & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aqua, & polluta erunt vſque ad veſperum & ſic poſtea mundabuntur.

33 Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt.

34 Omnis cibus, quem comedetis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua, immundus erit, & omne liquens quod bibitur de vniuerſo vaſe, immundum erit.

35 Et quidquid de morticinis huiuſcemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit: ſiue clibani, ſiue chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt.

36 Fontes vero & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit: qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37 Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam.

38 Si autem quiſpiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39 Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vſque ad veſperum:

40 Et qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit: lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum:

41 Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum.

42 Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur, non comedetis: quia abominabile eſt.

43 Nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi ſitis.

44 Ego enim ſum Dominus Deus veſter: * ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni reptili quod mouetur ſuper terram.

* 1.Pet.1. 15.

45 Ego enim ſum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt eſſem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.

46 Iſta eſt lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aqua, & reptat in terra.

47 Vt differentias noueritis mundi, & immundi, & ſciatis quid comedere, & quid reſpuere debeatis.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*27 Et omne ambulans ſuper volas ſuas inter omnes feras, quæ ambulant ſuper quatuor, immunda ſunt vobis: omnis qui tetigerit cadauer eorum, immundus erit vſque ad veſperam:*

*28 Et qui portauerit cadauer eorum, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam, immunda erunt vobis.*

*29 Et hoc vobis immundum inter reptilia quæ reptant ſuper terram, muſtella, & mus, & crocodilus ſecundum ſpeciem ſuam:*

*30 Et mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.*

*31 Iſta immunda ſunt vobis inter omnia reptilia. Omnis qui tetigerit ea, dum mortua ſunt, immundus erit vſque ad veſperam.*

*32 Et omne ſuper quod ceciderit ex eis, dum mortua fuerint, immundum erit: tam vas ligneum quam veſtis, aut pellis, aut ſaccus: omne vas in quo fiet opus, in aquam ducetur, & immundum erit vſque ad veſperam, & mundabitur.*

*33 Et omne vas teſtaceum, ſuper quod ceciderit ex eis ad medium eius, omne quod eſt in medio eius, immundum erit, & ipſum confringetis.*

*34 Omnis cibus qui comeditur ſuper quem venerit aqua, immundus erit, & omnis potus qui bibitur in omni vaſe, immundus erit.*

*35 Et omne ſuper quod ceciderit de cadaueribus eorum, immundum erit: clibanus, & chytropodes diruentur, immunda ſunt, & immunda erunt vobis.*

*36 Veruntamen fons & ciſterna congregationis aquarum erit mundus: & qui tetigerit cadauer eorum, immundus erit.*

*37 Et ſi ceciderit de cadauere eorum ſuper omne ſemen ſatum, quod ſeritur, mundum eſt.*

*38 Et ſi poſita fuerit aqua ſuper ſemen, & ceciderit de cadauere eorum ſuper illud, immundum eſt vobis.*

*39 Et ſi mortuum fuerit aliquod animal quod eſt vobis ad cibum, tangens cadauer eius, immundus erit vſque ad veſperam.*

*40 Et comedens de cadauere eius, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam: Et ferens cadauer eius, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

*41 Et omne reptile reptans ſuper terram, abominatio eſt, non comedetur.*

*42 Omne ambulans ſuper pectus, & omne ambulans ſuper quatuor vſque ad omne multiplex pedes inter omne reptile, quod reptat ſuper terram, non comedetis: abominatio ſunt.*

*43 Ne abominetis animas veſtras in omni reptili quod reptat, & non polluetis vos in eis, nec coinquinabitis vos in eis.*

*44 Quia ego Dominus Deus veſter, & ſanctificabitis vos, & eritis ſancti, quia ſanctus ſum. Et non polluetis animas veſtras in omni reptili quod reptat ſuper terram.*

*45 Quia ego Dominus qui aſcendere facio vos à terra Ægypti, vt ſim vobis in Deum. Et eritis ſancti, quia ſanctus ſum.*

*46 Hæc eſt lex animalis, & volucris in omni anima viuente, quæ reptat in aquis, & in omni anima quæ reptat ſuper terram.*

*47 Et ad diſtinguendum, inter immundum & mundum, & inter beſtiam, quæ comeditur, & beſtiam quæ non comeditur.*

CAP.

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

27 Et omnis gradiens ſuper manus in omnibus beſtijs, quæ gradiuntur ſuper manus, immunda ſunt vobis: omnis, qui tangit morticina eorum, immundus erit vſque ad veſperam.

28 Et qui tollit morticina eorum, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam: immunda hæc ſunt vobis.

29 Et hæc vobis immunda ex reptilibus, quæ ſuper terram: muſtela, & mus, & crocodilus terreſtris,

30 Mygale, & chamæleon, & chalabotes, & lacerta, & talpa.

31 Hæc immunda vobis ex omnibus reptilibus quæ ſuper terram. Omnis tangens ea mortua immundus erit vſque ad veſperam.

32 Et omne in quod inciderit de eis ſuper illud, de mortuis ipſis, immundum erit de omni vaſe ligneo, vel veſte, vel pelle, vel ſacco: omne vas in quo factum fuerit opus in eo in aqua mergetur, & immũdum erit vſque ad veſperam, & mundum erit.

33 Et omne vas teſtaceum, in quod ceciderit ex eis intus, quæcumque fuerint intus, immunda erunt, & illud conteretur.

34 Et omnis cibus, qui manducatur, in quemcumque venerit ſuper illum aqua, immundus erit, & omne potabile, quod bibitur in omni vaſe, immundũ erit.

35 Et omne in quod inciderit de morticinis eorum in illud, immundum erit: clibani & chytropodes deſtruentur: immunda hæc ſunt, & immunda hæc vobis erunt.

36 Tantum de fontibus aquarum, & lacu, & congregatione aquarum erit mundum: qui autem tangit morticina eorum, mundus erit.

37 Si autem inciderit de morticinis eorum ſuper omne ſemen ſeminabile, q̃d ſeminabitur mundum eſt.

38 Si autem effuſa fuerit aqua ſuper omne ſemen, & inciderit de morticinis eorum ſuper illud, immundum eſt vobis.

39 Si autem mortuum fuerit de pecoribus, quod eſt vobis comedere illud, qui tangit morticina eorum immundus erit vſque ad veſperam:

40 Et qui manducat de morticinis eorum, lauabit veſtes, & immundus erit vſque ad veſperam, & qui tollit de morticinis eorum, lauabit veſtes, & lauabitur aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

41 Et omne reptile quod repit ſuper terram, abominatio erit hoc vobis, non manducabitur.

42 Et omnis gradiens ſuper ventrem, & omnis gradiens ſuper quattuor ſemper, quod multiplicat pedibus, in omnibus reptilibus repentibus ſuper terram, non comedetis illud, quoniam abominatio vobis eſt.

43 Et non faciatis abominabiles animas veſtras in omnibus reptilibus repentibus ſuper terram, & nõ polluemini in his, & non immundi eritis in eis:

44 Quoniam ego ſum Dominus Deus veſter: & ſanctificabimini, & ſancti eritis, q̃n ſanctus ſum ego Dominus Deus veſter: & non polluetis animas veſtras in omnibus reptilibus, quæ mouentur ſuper terrã:

45 Quoniam ego ſum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypto, vt eſſem Deus veſter. Et eritis ſancti, quia ſanctus ego Dominus.

46 Hæc eſt lex de pecoribus, & volatilibus, & omni anima, quæ mouetur in aqua, & omni anima repente ſuper terram,

47 Ad diſtinguendum inter immunda, & munda, & inter viuificantia quæ manducantur, & inter viuificantia quæ non manducantur.



## Chald. Paraph. Transl.

27 *Et omne q̃d ambulat ſuper manus ſuas ex omnibus animãtibus quæ gradiuntur ſuper quatuor pedes, immundum erit vobis: omnis qui tetigerit cadauera eorum, erit immundus vſque ad veſperam.*

28 *Et qui portauerit cadauera eorum, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus vſque ad veſperam: immunda enim erunt vobis.*

29 *Hæc quoque erunt vobis polluta in reptilibus quæ reptant ſuper terram: muſtela, & mus, & crocodylus iuxta genus ſuum.*

30 *Et mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.*

31 *Hæc immunda ſunt vobis ex omnibus reptilibus. Omnis qui tetigerit morticinia eorum, erit immundus vſque ad veſperam.*

32 *Et omnis ſuper quem ceciderit de morticinis eorum erit immundus: vas autem ligneum, & veſtis, aut pellis, aut ſaccus: omne vas in quo fit opus immittetur in aquis, & erit immundum vſque ad veſperam & poſtea erit mundum.*

33 *Omne autem vas fictile in quo aliquid horum intro ceciderit, omnia quæ ſunt in eo polluta erunt, illud autem frangetis.*

34 *Et omnis cibus qui comeditur ſuper quo effuſa fuerit aqua & aliquid horum tetigerit, immundus erit, & omnis potus qui bibitur in oĩ vaſe erit immũdus.*

35 *Et omnia ſuper quæ de his morticinijs aliquid ceciderit, erunt immunda: clibanus & chytropodes frangentur, immunda ſunt, & immunda erunt vobis.*

36 *Veruntamen fons & ciſterna vbi aquæ congregantur erunt munda: qui autem tetigerit morticinia eorum, erit immundus.*

37 *Et ſi ceciderit de morticinijs eorum ſuper omnem ſementem ſeminatam quæ ſeminatur, munda erit.*

38 *Et ſi effuſa fuerit aqua ſuper ſementem, & ceciderit de morticinijs eorum ſuper eam, immunda erit vobis.*

39 *Et quando mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui tetigerit cadauer eius, erit immundus vſque ad veſperam.*

40 *Et qui comederit de eius cadauere, lauabit veſtimẽta ſua, & erit immundus vſque ad veſperam, & qui portauerit cadauer eius, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus vſque ad veſperam.*

41 *Et omne reptile quod reptat ſuper terram, abominabile eſt, non comedatur.*

42 *Omne quod graditur ſuper ventrem ſuum, & omne quod graditur ſuper quattuor pedes, omne quoque quod habet multos pedes ex omni reptili quod reptat ſuper terram, non comedentur, quia abominabilia ſunt.*

43 *Non contaminabitis animas veſtras in omni reptili quod reptat, nec polluamini in eis, ne ſitis immundi in eis.*

44 *Quoniam ego Dominus Deus veſter: ſanctificamini & eritis ſancti, quia ego ſanctus ſum. Et non polluatis animas veſtras in omni reptili quod reptat ſuper terram.*

45 *Quia ego Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, vt ſim vobis in Deum. Eritiſque ſancti, quia ego ſanctus ſum.*

46 *Iſta eſt lex animantium, & volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aquis, & omnis animantis quod reptat ſuper terram.*

47 *Ad diuidendum inter immundum & mundum, & inter animal quod comeditur, & inter animal quod non comeditur.*



UVA.BSCH

## Vulgat.Editio.

### CAP. XII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
*Leu.8.12 Io.7.12.
2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: * Mulier, ſi
ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda
erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis men-
ſtruæ.
*Luc.2.21
3 * Et die octauo circuncidetur infantulus:
4 Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſangui-
ne purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget,
nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur
dies purificationis ſuæ.
5 Sin autem fœminam pepererit, immunda erit dua-
bus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menſtrui, &
ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purifica-
tionis ſuæ.
6 Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro
filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in ho-
locauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro
peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet
ſacerdoti
7 Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, &
ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Iſta eſt
lex parientis maſculum, aut fœminam.
8 Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit
*Sup.5.11 Luc.2.24.
offerre agnum, ſumet * duos turtures, vel duos
pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & al-
terum pro peccato. orabitque pro ea ſacerdos, &
ſic mundabitur.

### CAP. XIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron,
dicens:
2 Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuerſus
color, ſiue puſtula, aut quaſi lucens quippiam, id eſt,
plaga lepræ; adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel
ad vnum quemlibet filiorum eius.
3 Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album
mutatos colorem ipſamque ſpeciem lepræ humilio
rem cute, & carne reliqua, plaga lepræ eſt, & ad ar-
bitrium eius ſeparabitur.
4 Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humi-
lior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet
eum ſacerdos ſeptem diebus,
5 Et conſiderabit die ſeptimo: & ſiquidem lepra vl-
tra non creuerit, nec tranſierit in cute priores ter-
minos, rurſum recludet eum ſeptem diebus
alijs.
6 Et die ſeptimo contemplabitur: ſi obſcurior fuerit
lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia
ſcabies eſt: lauabitque homo veſtimenta ſua, &
mundus erit.
7 Quòd ſi poſtquam à ſacerdote viſus eſt, & redditus
munditiæ, iterum lepra creuerit; adducetur ad
eum,
8 Et immunditiæ condemnabitur.
9 Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſa-
cerdotem,
10 Et videbit eum. Cumque color albus in cute fue-
rit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque
caro viua apparuerit.
11 Lepra vetuſtiſſima iudicabitur, atque inolita cuti.
Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non reclu-
det, quia perſpicuæ immunditiæ eſt.



## Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

### CAP. XII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicen-
do:*
2 *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Mulier ſi ſeminiſi-
cauerit, & pepererit maſculum, immunda erit ſe-
ptem diebus. Secundum dies ſeparationis menſtrui
ſui immunda erit.*
3 *Et die octauo circuncidetur caro præputij eius:*
4 *Et triginta diebus, & tribus diebus manebit in ſan-
guine purificationis. Omnem ſanctificationem non
tanget, & ad Sanctuarium non veniet, donec com-
pleantur dies purificationis eius.*
5 *Et ſi fœminam pepererit, immunda erit duabus heb
domadibus ſecundum ſeparationem eius, & ſexa-
ginta diebus, & ſex diebus manebit in ſanguine pu-
rificationis.*
6 *Et cum impleti fuerint dies purificationis eius pro
filio, vel pro filia adducet agnum anniculum in holo
cauſtum & filium columbæ, vel turturem pro pecca-
to, ad portam tabernaculi eccleſiæ ad ſacerdo-
tem.*
7 *Et offeret ipſum coram Domino, & expiabit eam, &
mundabitur à vena ſanguinis ſui. Hæc eſt lex pa-
rientis maſculum, vel fœminam.*
8 *Et ſi non potuerit offerre agnum accipiet duos turtu
res, vel duos filios columbæ, vnum ad holocauſtum,
& alterum ad oblationem pro peccato, & expiabit
eam ſacerdos, & mundabitur.*

### CAP. XIII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, & ad Aha-
ron, dicendo:*
2 *Homo quum fuerit in cute carnis eius tumor, vel ſca
bies, vel macula alba, & fuerit in cute carnis eius
ſecundum plagam lepræ, adducetur ad Aharon ſa-
cerdotem, vel ad vnum è filijs eius ſacerdotibus.*
3 *Et videbit ſacerdos plagam in cute carnis: et ſi pilus
in plaga verſus eſt in albedinem, & aſpectus plagæ
profundior eſt cute carnis eius, plaga lepræ eſt. Et vi
debit eam ſacerdos, & contaminatam iudicabit eã.*
4 *Et ſi macula alba eſt in cute carnis eius, & profun-
dior nõ eſt aſpectus cute, & pilus eius non eſt verſus
in alborem, claudere faciet ſacerdos plagam ſep-
tem diebus.*
5 *Et videbit eam ſacerdos die ſeptima, & ſi plaga ſte-
tit in oculis eius, nec creuit plaga in cute, claudere
faciet eam ſacerdos ſeptem diebus ſecundo.*
6 *Et videbit ſacerdos ea die ſeptima ſecundo: & ſi ſub-
nigra eſt plaga, nec creuit plaga in cute, mundam iu
dicabit eam ſacerdos, ſcabies eſt: & lauabit veſti-
menta ſua, & mundus erit.*
7 *Et ſi creſcendo creuerit ſcabies in cute poſtquam vi
ſa eſt à ſacerdote ad mundationem eius, videbitur
ſecundo à ſacerdote.*
8 *Et videbit ſacerdos, & ſi creuit ſcabies in cute, im-
mundam iudicabit eam ſacerdos, lepra eſt.*
9 *Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacer-
dotem.*
10 *Et videbit ſacerdos. Et ſi tumor albus in cute, & ip-
ſe verſus eſt in pilum album, & pinguedo carnis vi-
uæ eſt in tumore.*
11 *Lepra inueterata eſt in cute carnis eius. Immundam
iudicabit eam ſacerdos, nec claudere faciet eam,
quia immunda eſt.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### C A P. XII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Mulier, quæcumque conceperit ſemen, & pepererit maſculum, & immunda erit ſeptem dies, ſecundum dies ſeceſſionis purgationis eius immunda erit.

3 Et in die octauo circuncidet carnem præputij eius.

4 Et triginta tres dies ſedebit in ſanguine ſuo immũdo. Omnem quod ſanctum eſt, non continget, & in Sãctuarium non intrabit, donec impleti fuerint dies purificationis eius.

5 Si autem fœminam pepererit, & immunda erit bis ſeptem dies ſecundum purgationem eius; & ſexaginta dies, & ſex ſedebit in ſanguine ſuo immundo.

6 Et cum impleti fuerint dies purificationis eius pro filio, aut pro filia, offeret agnum anniculum ſine macula in holocauſtum, & pullum columbæ, aut turturem pro peccato ad oſtium tabernaculi teſtimonij ad ſacerdotem:

7 Et offeret eum ante Dominum, & exorabit pro ea ſacerdos, & purificabit eam à fonte ſanguinis eius. Hæc eſt lex parientis maſculum, vel fœminam.

8 Si autem non inuenerit manus eius quod ſatis eſt in agnum, & accipiet duos turtures, aut duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & vnum pro peccato: & exorabit pro ea ſacerdos, & mundabitur.

### C A P. XIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Homini ſi cui facta fuerit in cute corporis eius cicatrix ſigni lucida, & factus fuerit in cute carnis eius tactus lepræ; ducetur ad Aaron ſacerdotem, vel vnum filiorum eius ſacerdotum:

3 Et videbit ſacerdos tactum in cute carnis eius, & pilus in tactu mutatus fuerit albus, & aſpectus ipſius tactus, humilis à cute carnis; tactus lepræ eſt, & videbit ſacerdos, & inquinabit eum.

4 Si autem & lucidus albus eſt in cute carnis eius, & humilis non fuerit aſpectus eius à cute, & pilus eius non mutauit pilum album, ipſe autem eſt obſcurus, & ſegregabit ſacerdos tactum ſeptem diebus.

5 Et videbit ſacerdos tactum die ſeptimo: & ecce tactus manet coram ipſo, non eſt commutatus tactus in cute, & ſegregabit illum ſacerdos ſeptem diebus ſecundo,

6 Et videbit illum ſacerdos die ſeptimo ſecundo: & ecce obſcurus tactus, non eſt conuerſus: & purgabit eum ſacerdos, ſignificatio enim eſt: & lauans veſtimenta ſua mundus erit.

7 Si autẽ conuerſa, mutata fuerit ſignificatio in cute, poſtea quam vidit illum ſacerdos, vt purgaret eum: & videbitur denuo à ſacerdote,

8 Et videbit eũ ſacerdos, & ecce commutata eſt ſignificatio in cute, & inquinabit eum ſacerdos: lepra eſt.

9 Et tactus lepræ ſi factus fuerit in homine, & veniet ad ſacerdotem:

10 Et videbit ſacerdos. Et ecce cicatrix alba in cute, & hæc mutauit pilum album, & à ſano carnis viuæ in cicatrice:

11 Lepra veteraſcens eſt in cute carnis eius. Et inquinabit eum ſacerdos, & ſegregabit eum, quia immundus eſt.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### C A P. XII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens: Mulier quando conceperit, & pepererit maſculum, erit immunda ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtrui eius erit immunda.*

3 *Et in die octauo circuncidetur caro præputij eius.*

4 *Et triginta & tribus diebus manebit in ſanguine purificationis. Omne ſanctum non tanget, & in Sanctuarium non ingredietur, donec compleantur dies purificationis eius.*

5 *Si autem fœminam pepererit, erit immunda quatuordecim diebus iuxta ritum ſeparationis menſtrui; & ſexaginta & ſex diebus manebit in ſanguine purificationis.*

6 *Et cum completi fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſiue pro filia, afferet agnum anniculum in holocauſtum, & filium columbæ, aut turturem pro peccato ad oſtium tabernaculi fœderis ad ſacerdotem.*

7 *Offeretq́ illum coram Domino, & propitiabit pro ea & mundabitur ab immunditia ſanguinis ſui. Hæc eſt lex parientis maſculum, aut fœminam.*

8 *Si autem non inuenerit manus eius precium quod poſſit ſufficere ad emendum agnum, ſumet duos turtures, aut duos filios columbæ, vnum in holocauſtum & vnum pro peccato: & propitiabit pro ea ſacerdos, & munda erit.*

### C A P. XIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe & Aaron, dicens:*

2 *Homo in cuius cute carnis fuerit diuerſus color, aut puſtula, aut lucens aliquid, & fuerit in cute carnis eius in plagam lepræ, adducetur ad Aaron ſacerdotem, aut ad vnum de filijs ſuis ſacerdotibus.*

3 *Et videbit ſacerdos plagam in cute carnis, & ſi capillus plagæ verſus eſt in albedinem, & aſpectus plagæ profundior eſt cute carnis eius; plaga lepræ eſt, videbitq́ eam ſacerdos, & immundum indicabit eum.*

4 *Si autem macula alba eſt in cute carnis eius, & aſpectus eius non eſt profundior cute, & capillus non eſt verſus in album, recludet ſacerdos eum qui habet plagam ſeptem diebus.*

5 *Videbitque eum ſacerdos in die ſeptimo: & ſi plaga ſtetit ſicut erat, & non creuit plaga in cute, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus alijs.*

6 *Videbitq́ eum ſacerdos iterum in die ſeptimo: & ſi obſcura fuerit plaga, & non creuit plaga in cute, mundum indicabit eum ſacerdos, puſtula enim eſt: & lauabit veſtimenta ſua, & mundabitur.*

7 *Si autem rurſus creuerit puſtula in cute, poſtquam viſa eſt à ſacerdote, vt mundaret eum, oſtendetur iterum ſacerdoti.*

8 *Et videbit ſacerdos: & ſi creuit puſtula in cute, immundum indicabit eum ſacerdos: lepra enim eſt.*

9 *Plaga lepræ ſi fuerit in homine: adducetur ad ſacerdotem.*

10 *Et videbit ſacerdos. Et ſi macula alba eſt in cute, & capillus eius verſus eſt in albedinem, & ſignum viuæ carnis fuerit in macula;*

11 *Lepra vetuſtiſſima eſt in cute carnis ſuæ. Et contaminabit eum ſacerdos, non recludet eum, quia immundus eſt.*

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit, | 12 | 12 | *Et ſi germinando germinauerit lepra in cute, & operuerit lepra omnem cutem plaga, à capite eius vſque ad pedes eius ſecundum omnem aſpectum oculorum ſacerdotis.* |
| Conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima iudicabit: eo quod omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit. | 13 | 13 | *Videbit ſacerdos, & ſi operuit lepra omnem carnem eius: mundam iudicabit plagam: tota verſa eſt in candorem, munda eſt.* |
| Quando vero caro viuens in eo apparuerit, | 14 | 14 | *Et in die qua conſpecta fuerit in ea caro viua: immunda erit.* |
| Tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur: caro enim viua ſi lepra aſpergitur, immunda eſt. | 15 | 15 | *Et videbit ſacerdos carnem viuam, & immundam iudicabit eam: caro viua immunda eſt, lepra eſt.* |
| Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, | 16 | 16 | *Vel ſi reuerſa fuerit caro viua, & conuerſa in candorem, veniet ad ſacerdotem.* |
| Conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet. | 17 | 17 | *Videbitque eam ſacerdos, & ſi verſa eſt plaga in candorem, mundam iudicabat ſacerdos plagam: munda eſt.* |
| Caro autem & cutis in qua vlcus natum eſt, & ſanatum, | 18 | 18 | *Et cum fuerit in cute carnis vlcus & ſanatum fuerit,* |
| Et in loco vlceris cicatrix alba apparuerit, ſiue ſubruſa: adducetur homo ad ſacerdotem: | 19 | 19 | *Et fuerit in loco vlceris tumor albus, vel macula alba ſubruſa: conſpicietur ſacerdoti.* |
| Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in vulcere. | 20 | 20 | *Et videbit ſacerdos, & ſi aſpectus eius humilior eſt cute, & pilus eius verſus eſt in candorem, immundum iudicabit illud ſacerdos: plaga lepra eſt in vlcere geminata.* |
| Quòd ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſuboſcura, & vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus. | 21 | 21 | *Et ſi viderit illam ſacerdos: & non fuerit in ea pilus albus, nec humilior cute, ſed fuerit ſubobſcura, recludere faciat illam ſacerdos ſeptem diebus.* |
| Et ſi quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ. | 22 | 22 | *Et ſi creſcendo creuerit in cute, immundam indicabis ſacerdos illam: plaga eſt.* |
| Sin autem ſteterit in loco ſuo, vlceris eſt cicatrix, & homo mundus erit. | 23 | 23 | *Et ſi loco eius ſteterit macula alba, nec creuerit, combuſtio vlceris eſt, mundam iudicabit illam ſacerdos.* |
| Caro autem & cutis, quam ignis exuſſerit, & ſanata; albam ſiue ruſam habuerit cicatricem, | 24 | 24 | *Vel cum fuerit in cute carnis eius combuſtio ignis, & fuerit pinguedo combuſtionis macula alba, ſubruſa, vel alba.* |
| Conſiderabit eam ſacerdos: & ecce verſa eſt in alborem, & locus eius reliqua cute eſt humilior: contaminabit eum: quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt. | 25 | 25 | *Videbit eam ſacerdos: & ſi verſus eſt pilus albus in maculam albam, & aſpectus eius eſt profundior cute, lepra eſt in aduſtione geminata: & immundam iudicabit eam ſacerdos plaga lepra eſt.* |
| Quod ſi pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipſa lepræ ſpecies fuerit ſuboſcura, recludet eum ſeptem diebus, | 26 | 26 | *Et ſi viderit eam ſacerdos, & non fuerit in macula alba pilus albus, nec humilior eſt cute, & eſt ſubobſcura, recludere faciet eam ſacerdos ſeptem diebus.* |
| Et die ſeptimo contemplabitur: ſi creuerit in cute lepra, contaminabit eum. | 27 | 27 | *Et videbit eam ſacerdos die ſeptimo: ſi creſcendo creuerit in cute immundam iudicabit ſacerdos eam: plaga lepra eſt.* |
| Sin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus: plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſturæ. | 28 | 28 | *Et ſi in loco eius ſteterit macula alba, nec creuerit in cute, & fuerit ſubobſcura: tumor combuſtionis eſt, mundam iudicabit eam ſacerdos, quia ardor combuſtionis eſt.* |
| Vir, ſiue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra: videbit eos ſacerdos. | 29 | 29 | *Vir autem ſiue mulier cum fuerit in eo plaga in capite, vel in barba: videbit ſacerdos plagam,* |
| Et ſiquidem humilior fuerit locus carnem reliqua, & capillus flauus, ſolitoque ſubtilior, contaminabit eos: quia lepra capitis ac barbæ eſt. | 30 | 30 | *Et ſi aſpectus eius eſt profundior cute, pilus flauus ſubtilis, immundam iudicabit eam ſacerdos: macula nigra capitis, vel barba eſt.* |
| Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum ſeptem diebus, | 31 | 31 | *Et ſi videbit ſacerdos plagam macula nigra, & aſpectus eius non eſt profundior cute, & pilus niger non eſt in ea, recludere faciet ſacerdos plagam macula nigra ſeptem diebus.* |
| Et die ſeptimo intuebitur. Si non creuerit macula, & capillus ſui coloris eſt, & locus plagæ carni reliquæ æqualis: | 32 | 32 | *Et videbit ſacerdos plagam die ſeptima. Et ſi non creuit macula nigra nec fuit in ea pilus flauus, & aſpectus macula nigra non eſt profundior cute.* |
| Radetur homo abſque loco maculæ, & includetur ſeptem diebus alijs. | 33 | 33 | *Radetur, ſed maculam nigram non radet, recludere faciet ſacerdos maculam nigrã ſeptẽ diebus ſecũdo.* |



UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Si autem floreſcens effloruerit lepra in cute, & operuerit lepra omnem cutem tactus à capite vſque ad pedes, ſecundum totum aſpectum ſacerdotis: | 12 | 12 | *Et ſi creſcens creuerit lepra in cute, & operuerit lepra omnem cutem plaga à capite eius vſque ad pedes eius, omnia quæ oculi ſacerdotis poſſunt videre:* |
| Et videbit ſacerdos, & ecce operuit lepra omnem cutem carnis: & mundabit eum ſacerdos in tactu: quoniam omnem mutauit album, mundum eſt. | 13 | 13 | *Videbit ſacerdos, & ſi operuit lepra omnem carnem eius, mundam indicabit plagam: tota enim verſa eſt in albedinem, & ideo mundus eſt homo.* |
| Et quacumque die viſa fuerit in eo caro viua: inquinabitur. | 14 | 14 | *In die autem quo apparuerit in eo caro viua: erit immundus.* |
| Et videbit ſacerdos carnem ſanam: & inquinabit eum: caro ſana, quoniam immundus eſt: lepra eſt. | 15 | 15 | *Videbitque ſacerdos carnem viuam, & contaminabit eam: caro enim viua lepreſa immunda eſt.* |
| Si autem reſtituta fuerit caro ſana, & conuerſus fuerit albus, & veniet ad ſacerdotem: | 16 | 16 | *Si enim caro viua verſa fuerit in albedinem, adducetur ad ſacerdotem,* |
| Et videbit ſacerdos, & ecce conuerſus eſt tactus in album, & purgabit ſacerdos tactum: mundus eſt. | 17 | 17 | *Videbitque eam ſacerdos: & ſi verſa eſt plaga in albedinem, mundam indicabit plagam ſacerdos: mundus enim eſt.* |
| Et caro, ſi facta fuerit in cute eius vlcus, & ſanatum fuerit, | 18 | 18 | *Homo autem in cuius cute fuerit ſcabies, & ſanata eſt,* |
| Et facta fuerit in loco vlceris cicatrix alba, vel lucida albeſcens, vel rubeſcens: & videbitur à ſacerdote: | 19 | 19 | *Et in loco vlceris fuerit macula alba, aut macula ſubruffa, videbitur à ſacerdote.* |
| Et videbit ſacerdos: & ecce aſpectus humilior cute, & pilus eius conuerſus eſt in album, & inquinabit eum ſacerdos: quoniam lepra eſt, in vlcere effloruit. | 20 | 20 | *Videbitque ſacerdos: & ſi aſpectus eius humilior eſt cute, & capilli eius verſi ſunt in albedinem, contaminabit eum ſacerdos: quia plaga lepræ eſt creſcens in vlcere.* |
| Si autem viderit ſacerdos: & ecce nõ eſt in eo pilus albus, & humilis non fuerit à cute carnis, & ipſe fuerit obſcurus, & ſegregabit eum ſacerdos ſeptẽ dies. | 21 | 21 | *Si autem viderit eam ſacerdos: & ſi non eſt in ea capillus albus, neque eſt humilior cute, & ipſa eſt obſcura, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.* |
| Si autem diffuſione diffundatur in cute, & inquinabit eum ſacerdos: tactus lepræ eſt, in vlcere effloruit. | 22 | 22 | *Si autem rurſus creuerit in cute, contaminabit eum ſacerdos: quia plaga lepra eſt.* |
| Si autem in loco manſerit luciditas, & non diffundatur: cicatrix vlceris eſt, & mundabit eum ſacerdos. | 23 | 23 | *Et ſi in loco ſuo ſteterit macula, nec creuit: cicatrix vlceris eſt, & mundabit eum ſacerdos.* |
| Et caro, ſi facta fuerit in cute eius combuſtio ignis, & factum fuerit in cute eius, quod ſanatum eſt ex combuſtione, clarum, lucidum, album, ſubrubeſcens vel exalbidum: | 24 | 24 | *Homo autem in cuius cute fuerit exuſtio ignis, & fuerit cicatrix combuſtionis macula alba ſubruffa, aut totaliter alba.* |
| Et videbit eum ſacerdos: & ecce conuerſus eſt pilus albus in ſplendidum, & aſpectus eius humilis à cute; lepra eſt, in combuſtione effloruit: & inquinabit eum ſacerdos: tactus lepræ eſt. | 25 | 25 | *Videbit eam ſacerdos: & ſi pilus eiuſdem maculæ verſus eſt in albedinem, & aſpectus eius profundior eſt cute, lepra eſt creſcens in combuſtione: & contaminabit eum ſacerdos: quia plaga lepra eſt.* |
| Si autem viderit ſacerdos, & ecce non eſt in ſplendido pilus albus, & humile non fuerit à cute, ipſum autem obſcurum, & ſegregabit eum ſacerdos ſeptem dies. | 26 | 26 | *Si autem viderit eam ſacerdos, & non eſt pilus albus in macula illa, neque eſt humilior cute, & eſt ſubobſcura, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus:* |
| Et videbit eum ſacerdos die ſeptimo: ſi autem diffuſione diffundatur in cute: & inquinabit eum ſacerdos, tactus lepræ eſt, in vlcere effloruit. | 27 | 27 | *Et videbit eum ſacerdos in die ſeptimo: ſi creſcens creuerit in cute: contaminabit eum ſacerdos, quia plaga lepra eſt.* |
| Si autem in loco manſerit ſplendidum, neque fuerit diffuſum in cute, ipſe autem obſcurus fuerit: cicatrix combuſtionis eſt, & mundabit eum ſacerdos: character enim combuſtionis eſt. | 28 | 28 | *Si autem in loco ſuo ſtetit macula, nec creuit in cute, & ipſa eſt obſcura: macula combuſtionis eſt, & mundabit eum ſacerdos, quia cicatrix combuſtionis eſt.* |
| Et viro, & mulieri ſi factus fuerit in eis tactus lepræ in capite, vel in barba: & videbit ſacerdos tactũ: | 29 | 29 | *Vir autem ſiue mulier in cuius capite, aut barba fuerit plaga: videbit ſacerdos plagam:* |
| Et ecce aſpectus eius depreſſior cute, in ipſo autem pilus flaueſcens ſubtilis, & inquinabit eum ſacerdos: vulnus eſt: lepra capitis, vel lepra barbæ eſt. | 30 | 30 | *Et ſi aſpectus eius fuerit profundior cute, & in ipſa fuerit capillus flauus tenuiſſimus, contaminabit eum ſacerdos: quia lepra capitis, ſiue barba eſt.* |
| Et ſi viderit ſacerdos tactum vulneris, & ecce non eſt aſpectus depreſſior cute, & pilus flaueſcens non eſt in eo: & ſegregabit ſacerdos tactum vulneris ſeptem dies. | 31 | 31 | *Et ſi viderit ſacerdos plagam lepra, & aſpectus eius non eſt profundior cute, & capillus niger nõ eſt in eo: recludet ſacerdos plagam lepra ſeptem diebus.* |
| Et videbit ſacerdos tactum die ſeptimo. Et ecce nõ eſt diffuſum vulnus, & pilus flaueſcens non eſt in eo & aſpectus vulneris non eſt depreſſus à cute: | 32 | 32 | *Et videbit ſacerdos plagam in die ſeptimo. Et ſi non creuit lepra, nec eſt in ea capillus flauus, & aſpectus lepra non eſt profundior cute:* |
| Et radetur cutis, vulnus autem non radetur: & ſegregabit ſacerdos vulnus ſeptem dies ſecundo: | 33 | 33 | *Tondebit in circuitu lepra, & lepram ipſam non tondebit: & recludet ſacerdos lepram ſeptẽ diebus alijs.* |

| Vulgat.Editio. | | | Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Si die ſeptimo viſa fuerit ſteriſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotiſque veſtibus ſuis mundus erit. | 34 | 34 | *Et videbit ſacerdos maculam nigram die ſeptima, & ſi non creuit macula nigra in cute, nec aſpectus eius eſt profundior cute, mundam iudicabit eam ſacerdos: & lauabit veſtimenta ſua, & mundus erit.* |
| Sin autem poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute, | 35 | 35 | *Si autem creſcendo creuerit macula nigra in cute, poſtquam mundam iudicauit eam.* |
| Non quæret amplius vtrum capillus in flauum colorem ſit immutatus: quia aperte immundus eſt. | 36 | 36 | *Videbit eam ſacerdos, & ſi creuit macula nigra in cute, non quæret ſacerdos pilum flauum: immundus eſt.* |
| Porro ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronunciet mundum. | 37 | 37 | *Si autem in oculis eius ſteterit macula nigra, & pilus niger ortus fuerit in ea ſanata eſt macula nigra, munda eſt, & mundam iudicabit eam ſacerdos.* |
| Vir, ſiue mulier, in cuius cute candor apparuerit, | 38 | 38 | *Vir autem ſiue mulier cum fuerint in cute carnis eorum macula, macula alba.* |
| Intuebitur eos ſacerdos ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi: & hominem mundũ. | 39 | 39 | *Videbit ſacerdos, & ſi in cute carnis eorum macula alba, ſubobſcura alba, macula alba eſt, floruit in cute: mundus eſt.* |
| Vir, de cuius capite capilli fluunt, caluus & mundus eſt: | 40 | 40 | *Vir autem cum decapillatum fuerit caput eius, caluus eſt, mundus eſt.* |
| Et ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter, & mundus eſt. | 41 | 41 | *Et ſi à cincinno faciei eius decapillatum fuerit caput eius, recaluaſter eſt, mundus eſt.* |
| Sin autem in caluitio, ſiue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus, | 42 | 42 | *Si autem fuerit in caluicie, vel in recaluatione plaga alba rufa, lepra oriens eſt in caluicie eius, vel in recaluatione eius.* |
| Et hoc ſacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta eſt in caluitie. | 43 | 43 | *Et videbit eam ſacerdos, & ſi tumor plaga albus, rufus in caluicio eius, vel recaluatione eius quaſi aſpectus lepra cutis carnis.* |
| Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, | 44 | 44 | *Vir leproſus eſt, immundus eſt immundum iudicando, immundum iudicabit eum ſacerdos: in capite eius eſt plaga eius.* |
| Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum: contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. | 45 | 45 | *Leproſus autem in quo fuerit plaga, veſtimenta eius erunt ſciſſa, & caput eius erit nudum, & labrum operiet: & immundum, immundum ſe appellabit.* |
| Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra. | 46 | 46 | *Omnibus diebus quibus fuerit plaga in eo, immundus erit, immundus erit: ſolus habitabit, extra caſtra erit habitatio eius.* |
| Veſtis lanea ſiue linea, quæ lepram habuerit | 47 | 47 | *Veſtis autem cum fuerit in ea plaga lepra in veſte lanea, vel veſte linea,* |
| In ſtamine atque ſubtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum eſt, | 48 | 48 | *Vel in ſtamine, vel in ſubtegmine ex lino, vel ex lana, vel in pelle, vel in omni opere pelliceo.* |
| Si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, oſtendeturque ſacerdoti. | 49 | 49 | *Et fuerit plaga viridis, vel rufa in veſte, vel in pelle, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in omni inſtrumento pelliceo plaga lepra fuerit, conſpicietur ſacerdoti.* |
| Qui conſideratam recludet ſeptem diebus: | 50 | 50 | *Videbitque ſacerdos plagam, & recludere faciet plagam ſeptem diebus,* |
| Et die ſeptimo rurſus aſpiciens: ſi deprehenderit creuiſſe, lepra perſeuerans eſt: pollutum iudicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inuenta: | 51 | 51 | *Videbit autem plagam die ſeptimo: ſi creuit plaga in veſte, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in pelle in omni quod fit ex pelle pro opere: lepra pungens eſt, plaga immunda eſt.* |
| Et idcirco comburetur flammis. | 52 | 52 | *Comburetque veſtem, vel ſtamen, vel ſubtegmen ex lana, vel lino, & omne inſtrumentum pelliceum in quo fuerit plaga: quia lepra pungens eſt: igni comburetur.* |
| Quod ſi eam viderit non creuiſſe, | 53 | 53 | *Si autem viderit ſacerdos, & ecce non creuit plaga in veſte, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in omni inſtrumento pelliceo:* |
| Præcipiet, & lauabunt id, in quo lepra eſt, recludetque illud ſeptem diebus alijs. | 54 | 54 | *Præcipiet ſacerdos, & lauabunt illud in quo eſt plaga, & claudere faciet eam ſeptem diebus ſecundo.* |



UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Et videbit ſacerdos vulnus die ſeptimo, & ecce non eſt diffuſum vulnus, poſtquam ille raſus eſt, & aſpectus vulneris non eſt depreſſus à cute, & mundabit eum ſacerdos: & lauans veſtes mundus erit. | 34 | 34 | *Et videbit ſacerdos lepram in die ſeptimo, & ſi non creuit lepra in cute, & aſpectus eius non eſt profundior cute, mundum iudicabit eum ſacerdos, & lauabit veſtimenta ſua, & mundabitur.* |
| Si autem diffuſione diffuſum fuerit vulnus in cute, poſtquam ille mundatus fuit, & videbit ſacerdos, & ecce diffuſum eſt vulnus in cute, | 35 | 35 | *Si autem rurſus creuerit lepra in cute poſt emundationem ſuam: Videbit eum ſacerdos, & ſi creuit lepra in cute.* |
| Non conſiderabit ſacerdos de pilo flauo: quoniam immundus eſt. | 36 | 36 | *Non curabit ſacerdos de capillo flauo, quia immundus eſt.* |
| Si autem coram manſerit in loco vulnus, & pilus niger repullulet in eo, ſanatum eſt vulnus, mundus eſt, & mundabit eum ſacerdos. | 37 | 37 | *Si autem lepra ſtetit ſicut antea erat, & capillus niger ortus eſt in ea, ſanata eſt lepra, mundus eſt, & mundum iudicabit eum ſacerdos.* |
| Et viro, vel mulieri ſi facti fuerint in cute carnis eius ſplendores ſplendentes albeſcentes: | 38 | 38 | *Vir autem ſiue mulier in quorum cute carnis fuerint macula alba:* |
| Et videbit ſacerdos: & ecce in cute carnis eius ſplendores ſplendentes albeſcentes, impetigo eſt, efflorescit in cute carnis eius: mundus eſt. | 39 | 39 | *Videbit ſacerdos: & ſi in cute carnis eorum ſunt macula ſubobſcura alba, macula coloris candidi eſt creſcens in cute: mundusque eſt.* |
| Si autem alicui effluxerint pili è capite, caluus eſt. | 40 | 40 | *Vir autem cuius capilli capitis fluunt, caluus, & mundus eſt.* |
| Si autem ſecundum faciem glabrum fuerit caput eius, recaluus eſt, mundus eſt. | 41 | 41 | *Si autem contra faciem ſuam fluerint capilli capitis eius, recaluaſter eſt, mundusque eſt.* |
| Si autem factus fuerit in caluitie eius, vel in recaluitie eius tactus albus, vel rubeſcens, lepra eſt in caluitie eius, vel in recaluitie eius. | 42 | 42 | *Et ſi fuerit in caluitio, aut in recaluatione plaga alba ſubruffa, lepra eſt creſcens in caluitio eius, aut in recaluatione eius.* |
| Et videbit eum ſacerdos: & ecce aſpectus eius factus eſt albus, vel rubeſcens in caluitie eius, vel in recaluitie eius, ſicut ſpecies lepræ in cute carnis eius, | 43 | 43 | *Videbitque eum ſacerdos: & ſi macula plaga alba fuerit, & ſubruffa in caluitio eius aut in recaluatione eius ſicut aſpectus lepra cutis carnis:* |
| Homo leproſus eſt, inquinatione inquinabit eum ſacerdos: in capite eius tactus eius. | 44 | 44 | *Vir leproſus eſt, immundus eſt: contaminans contaminabit eum ſacerdos, in capite eius eſt plaga eius.* |
| Et leproſus, in quo eſt tactus, veſtimenta eius diſſuta ſint, & caput eius reuelatum, & circa os eius contegatur: & immundus vocabitur: | 45 | 45 | *Leproſus autem in quo fuerit plaga, veſtimenta eius erunt ſciſſa, & caput eius erit nudum, & os eius inuoluetur panno ſicut lugens: & non contaminemini neque immundi ſitis, clamabit.* |
| Omnibus diebus, quibuſcumque fuerit ſuper eum tactus, immundus cum ſit, immundus erit, ſeparatus ſedebit, extra caſtra erit conuerſatio eius. | 46 | 46 | *Cunctis diebus quibus habuerit plagam, erit immundus, immundus enim eſt, ſolus habitabit, extra caſtra erit habitatio eius.* |
| Et veſtimento ſi factus fuerit tactus in eo lepræ; aut in veſtimento laneo, aut in veſtimento ſtupeo, | 47 | 47 | *Et veſtis in qua fuerit plaga lepra in veſte lanea, aut in veſte linea.* |
| Aut in ſtamine, aut in ſubtegmine, aut in lineis, aut in laneis, vel in pelle, vel in omni operaria pelle, | 48 | 48 | *Aut in ſtamine, vel in ſubtegmine de lino, aut de lana, aut in pelle, vel in quocunque quod factum eſt ex pelle.* |
| Et factus fuerit tactus vireſcens, vel rubeſcens in pelle, vel in veſtimento, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in omni vaſe operario pellis: tactus lepræ eſt, & oſtendet ſacerdoti. | 49 | 49 | *Si fuerit plaga pallida, aut ruffa, in veſte aut in pelle, vel in ſtamine, aut in ſubtegmine, aut in quacumque veſte pellicea: plaga lepra eſt, oſtendeturque ſacerdoti.* |
| Et videbit ſacerdos tactum, & ſegregabit ſacerdos tactum ſeptem dies, | 50 | 50 | *Et videbit ſacerdos plagam, & recludet eam ſeptem diebus.* |
| Et videbit ſacerdos tactum in die ſeptimo; ſi autem diffuſus fuerit tactus in veſtimento, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in pelle, ſecundum omnia, quæcumque factæ fuerint pelles in operatione: lepra permanens eſt ipſe tactus: immundus eſt: | 51 | 51 | *Videbitque plagam in die ſeptimo: & ſi creuit in veſte, vel in ſtamine, aut in pelle aut in quocumque quod ex pelle fit: lepra corrodentis eſt plaga: immundus erit.* |
| Comburet veſtimenta, vel ſtamen, vel ſubtegmen in laneis, vel in lineis, aut in omni vaſe pelliceo, in quocumque fuerit in eo tactus: quoniam lepra permanens eſt, in igni comburetur. | 52 | 52 | *Et comburet veſtem, aut ſtamen, aut ſubtegmen laneum, aut lineum, aut quamcumque veſtem pelliceam in quibus fuerit plaga: quia lepra corrodens eſt, igne comburetur.* |
| Si autem viderit ſacerdos, & non diffundatur tactus in veſtimento, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in omni vaſe pelliceo; | 53 | 53 | *Et ſi viderit ſacerdos, quòd non creuit plaga in veſtimento, aut in ſtamine, vel ſubtegmine, aut in omni veſte pellicea:* |
| Et præcipiet ſacerdos, & lauabit, in quocumque fuerit in eo tactus: & ſegregabit ſacerdos tactum ſeptem dies ſecundo. | 54 | 54 | *Iubebit ſacerdos, & lauabunt illud in quo fuerit plaga, & recludet illud ſeptem diebus alijs.* |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

55 Et cum viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram, immundum iudicabit,& igne comburet eo quòd infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti vel per totum,lepra.

56 Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ, poſtquam veſtis eſt lota,abrumpet eum,& à ſolido diuidet.

57 Quòd ſi vltra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga, debet igne comburi.

58 Si ceſſauerit lauabit aqua ea, quæ pura ſunt, ſecundo,& munda erunt.

59 Iſta eſt lex lepræ veſtimenti lanei,& linei, ſtaminis, atque ſubtegminis, omniſque ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

### CAP. XIIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Hic eſt ritus leproſi. Quando mundandus eſt, * adducetur ad ſacerdotem:
3 Qui egreſſus de caſtris, cum inuenerit lepram eſſe mundatam:
4 Præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe,quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum,vermiculumque,& hyſſopum.
5 Et vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes:
6 Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati,

7 Quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties,vt iure purgetur: & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.
8 Cumque lauerit homo veſtimenta ſua,radet omnes pilos corporis,& lauabitur aqua: Purificatuſque ingredietur caſtra, ita duntaxat vt maneat extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus.
9 Et die ſeptimo radet capillos capitis,barbamque,& ſupercilia, ac totius corporis pilos, & lotis rurſum veſtibus,& corpore,

10 Die octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam abſque macula,& tres decimas ſimilæ in ſacrificium,quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.
11 Cumque ſacerdos purificans hominem, ſtatuerit eum, & hæc omnia coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij,
12 Tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique ſextarium, & oblatis ante Dominum omnibus,

13 Immolabit agnum, vbi ſolet immolari hoſtia pro peccato,& holocauſtum,id eſt,in loco ſancto: ſicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad ſacerdotem pertinet hoſtia: Sancta Sanctorum eſt.
14 Aſſumenſque ſacerdos de ſanguine hoſtiæ,quæ immolata eſt pro delicto,ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis:
15 Et de olei ſextario mittet in manum ſuam ſiniſtram,

* Mat. 8. 4. Mar. 1. 40. Luc. 5. 12.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

55 Et videbit ſacerdos poſtquam lota eſt plaga, & ſi non mutauit plaga colorem ſuum, nec plaga creuit immunda eſt: igni combures eam: in ſeſſa eſt in caluitio ſuo,vel in recaluatione ſua.

56 Et ſi viderit ſacerdos, quòd ſubobſcura ſit plaga poſtquam lota eſt,franget eam de veſte,vel de pelle, vel de ſtamine,vel de ſubtegmine.

57 Si autem conſpicietur amplius in veſte,vel in ſtamine,vel in ſubtegmine, vel in omni inſtrumento pelliceo, florens eſt, igni combures eam cum illo in quo eſt plaga.
58 Veſtem autem vel ſtamen, vel ſubtegmen, vel omne inſtrumentum pelliceum lauabis, & recedet ab eis plaga,lauabitur autem ſecundo,& mundum erit.
59 Iſta eſt lex plagæ lepræ,veſtimenti lanei,vel linei,vel ſtaminis,vel ſubtegminis,vel omnis inſtrumenti pellicei ad iudicandum mundum illud,vel ad iudicandum illud immundum.

### CAP. XIIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:
2 Iſta erit lex leproſi. In die qua mundandus eſt,adducetur ad ſacerdotem:
3 Et egredietur ſacerdos extra caſtra,& videbit ſacerdos,& ſi ſanata fuerit plaga lepræ à leproſo:
4 Præcipiet ſacerdos, & accipiet pro mundando duos paſſeres viuos mundos, & lignum cedrinum,& coccum bis tinctum,& hyſſopum.
5 Et præcipiet ſacerdos, & immolabit paſſerem vnum in vaſe fictili ſuper aquam viuentem.
6 Paſſerem viuum tollet,& lignum cedrinum,& coccum bis tinctum,& hyſſopum,& tinget ea,& paſſerem viuum in ſanguine paſſeris immolati ſuper aquam viuentem.
7 Et aſperget ſuper mundandum à lepra ſeptem vicibus,& mundabit eum, & dimittet paſſerem viuum ſuper faciem agri.
8 Lauabit mundandus veſtimenta ſua, & radet omnem pilum ſuum, lauabitque ſe aqua, & purificabit ſe: Et poſtea ingredietur caſtra, & habitabit extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus.
9 Et erit,die ſeptimo radet omnem pilum ſuum, caput ſuum,& barbam ſuam, & ſupercilia oculorum ſuorum, & omnem pilum ſuum radet, lauabitque veſtimenta ſua, & lauabit carnem ſuam, & purificabit ſe.
10 Die autem octauo tollet duos agnos immaculatos, & agnam vnam anniculam immaculatam, & tres decimas ſimilæ oblationem mixtam oleo, & ſextarium vnum olei.
11 Statuet autem ſacerdos qui mundat virum mundandum,& ea coram Domino ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.
12 Tolletque ſacerdos agnum vnum,& offeret eum pro delicto, & ſextarium olei, & eleuabit ea eleuatione coram Domino.
13 Immolabitque agnum in loco in quo immolabit oblationem pro peccato, & holocauſtum in loco ſancto: quia ſicut oblatio pro peccato oblatio pro delicto eſt ſacerdotis: Sanctitas Sanctitatum eſt.
14 Aſſumet autem ſacerdos de ſanguine oblationis pro delicto, & ponet ſacerdos ſuper cartilaginem auris mundandi dextræ,& ſuper pollicem manus eius dextræ,& ſuper pollicem pedis eius dextri.
15 Aſſumetque ſacerdos de ſextario oleum,& fundet ſuper volam ſacerdotis ſiniſtram.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

55 Et aſpiciet ſacerdos, poſtquam lotum fuerit ipſum in tactu, & ecce non commutauit tactus aſpectum, & tactus non diffunditur, immundum eſt: in igni comburetur: fixit ſe in veſtimento, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine.

56 Et ſi viderit ſacerdos, & fuerit obſcurus tactus, poſtquam ipſum lotum fuerit, diſrumpet illud à veſtimento, vel à ſtamine, vel à ſubtegmine, vel à pelle.

57 Si autem apparuerit adhuc in veſtimento, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in omni vaſe pelliceo; lepra efflorescens eſt, in igni comburetur id, in quo eſt tactus.

58 Et veſtimentum, vel ſtamen, vel ſubtegmen, vel omne vas pelliceum, quod lauabitur, & abſcedet ab eo tactus, & lauabitur ſecundo & erit mundum.

59 Hæc eſt lex tactus lepræ veſtimenti lanei, vel ſtuppei, vel ſtaminis, vel ſubtegminis, vel omnis vaſis pellicei, vt illud mundetur, vel illud inquinetur.

### CAP. XIIII.

1 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Hæc eſt lex leproſi. Quacumque die mundatus fuerit, & adducetur ad ſacerdotem:

3 Et exibit ſacerdos extra caſtra, & aſpiciet ſacerdos: & ecce ſanatur tactus lepræ à leproſo.

4 Et præcipiet ſacerdos, & ſument ei, qui mundatus eſt, duas auiculas viuentes mundas, & lignum cedrinum, & coccum tortum, & hyſſopum.

5 Et præcipiet ſacerdos, & iugulabunt auiculam vnam in vaſe teſtaceo ſuper aquam viuentem.

6 Et auiculam viuentem ſumet illam, & lignum cedrinum, & coccum tortum & hyſſopum, & tinget ea, & auiculam viuentem in ſanguine auiculæ iugulatæ ſuper aquam viuentem:

7 Et aſperget ſuper mundatum à lepra ſepties: & mundus erit: & emittet auiculam viuentem in campum:

8 Et lauabit mundatus veſtimenta ſua, & radetur omnem pilum ſuum, & lauabitur in aqua, & mundus erit. Et poſthæc ingredietur in caſtra, & manebit extra domum ſuam ſeptem dies.

9 Et erit die ſeptimo, radetur omnem pilum ſuum, caput ſuum, & barbam, & ſupercilia, & omnem pilum ſuum radetur, & lauabit veſtimenta, & lauabitur corpus eius aqua, & mundus erit.

10 Et die octauo ſumet duos agnos ſine macula anniculos, & ouem ſine macula anniculam, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium conſperſæ in oleo, & cotylam olei vnam.

11 Et ſiſtet ſacerdos mundans, hominem qui mundatur, & hæc ante Dominum ad oſtium tabernaculi teſtimonij.

12 Et ſumet ſacerdos agnum vnum, & offeret eum qui delicti, & cotylam olei, & ſeparabit ea ſeparationem ante Dominum.

13 Et iugulabunt agnum in loco, in quo iugulant holocauſtomata, & ea, quæ pro peccato, in loco ſancto: eſt enim illud pro peccato, ſicut illud delicti, eſt ſacerdoti: Sancta Sanctorum ſunt.

14 Et ſumet ſacerdos de ſanguine eius, qui delicti, & imponet ſacerdos ſuper pennam auris dextræ eius qui mundatur, & ſuper ſummitatem manus dextræ & ſuper ſummitatem pedis dextri.

15 Et ſumens ſacerdos de cotyla olei, effundet ſuper manum ſacerdotis ſiniſtram:

## Chald. Paraph. Tranſl.

55 *Videbitq́; ſacerdos, poſtquam lauerunt locum plagæ: & ſi non eſt mutata plaga ab eo quod erat, neque creuit plaga, immundum erit, igni combures illud, corroſio enim eſt in vetuſtate ſua, vel in nouitate ſua.*

56 *Et ſi viderit ſacerdos, quòd plaga eſt ſubobſcura poſtquam lauerunt eam, abrumpet eam à veſtimento, aut de pelle, aut de ſtamine, aut de ſubtegmine.*

57 *Et ſi vltra apparuerit in veſtimento, aut in ſtamine, vel in ſubtegmine, aut in quacunque veſte pellicea multiplicata eſt, igni combures illud in quo eſt plaga.*

58 *Veſtis autem aut ſtamen, aut ſubtegmen, aut omnis veſtis pellicea, quæ lota fuerit, & receſſerit ab eis plaga, lauabitur ſecundo, & ſic mundabitur.*

59 *Hæc eſt lex plagæ lepræ veſtis laneæ, aut lineæ, aut ſtaminis, vel ſubtegminis aut omnis ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.*

### CAP. XIIII.

1 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*

2 *Hæc eſt lex leproſi, in die emundationis ſuæ adducetur ad ſacerdotem.*

3 *Et egredietur ſacerdos extra caſtra, & videbit ſacerdos: & ſi ſanata fuerit lepra leproſi:*

4 *Præcipiet ſacerdos, vt tollant ei qui mundandus eſt duos paſſeres viuos mundos, & lignum cedri, & coccinum, & hyſſopum.*

5 *Præcipietq́; ſacerdos, vt immolent paſſerem vnum in vaſe fictili ſuper aquas fontis.*

6 *Paſſerem autem viuum tollet, & lignum cedrinum, & coccinum, & hyſſopum, & tinget ea, & paſſerem viuum in ſanguine paſſeris immolati ſuper aquas fontis.*

7 *Et aſperget ſepties ſuper illum qui mundandus eſt à lepra, & mundabit eum, & dimittet paſſerem viuum ſuper faciem agri.*

8 *Lauabitq́; ille qui mundandus eſt veſtimenta ſua, & tondebit omnes pilos ſuos, & lauabitur aqua, & ſic mundabitur. Et poſtea ingredietur in caſtra, & manebit extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus.*

9 *Eritque in die ſeptimo tondebit omnes capillos capitis ſui, & barba ſua, & palpebras oculorum eius, omneſque pilos ſuos tondebit, & lauabit veſtimenta ſua, lauabitque carnem ſuam aquis, & ſic mundabitur.*

10 *In die autem octauo ſumet duos agnos integros, & agnam vnam anniculam integram, & tres decimas ſimilæ in munus, quæ conſperſa ſit oleo, & ſextarium vnum olei.*

11 *Et ſtatuet ſacerdos qui emundat virum, qui mundandus eſt, & ea coram Domino in oſtio tabernaculi fœderis.*

12 *Et tollet ſacerdos agnum vnum, & offeret illum pro delicto, & olei ſextarium, & eleuabit ea eleuatione coram Domino.*

13 *Immolabitq́; agnum in loco in quo immolatur hoſtia pro peccato, & holocauſtum in loco ſancto: quia ſicut pro peccato ita eſt pro delicto: ad ſacerdotem pertinet. Sanctum Sanctorum eſt.*

14 *Tolletq́; ſacerdos de ſanguine hoſtiæ pro delicto, & ponet ſacerdos ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & ſuper pollicem manus eius dextræ & ſuper pollicem pedis eius dextri.*

15 *Tolletq́; ſacerdos de ſextario olei, & fundet ſuper manum ſacerdotis ſiniſtram.*

| Vulgat.Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Tingetque digitum dextrum in eo, & aſperget coram Domino ſepties. | 16 | 16 | Ac tinget ſacerdos digitum ſuum dextrum in oleo, quod eſt ſuper volam ſuam ſiniſtram, & ſparget de oleo digito ſuo ſeptem vicibus coram Domino. |
| Quod autem reliquum eſt olei in læua manu, fundet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mũdatur, & ſuper pollices manus ac pedis dextri, & ſuper ſanguinem qui effuſus eſt pro delicto, | 17 | 17 | De reſiduo vero olei quod eſt ſuper volam eius ponet ſacerdos ſuper cartilaginem auris mundãdi dextræ, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri, ſuper ſanguine oblationis pro delicto. |
| Et ſuper caput eius. | 18 | 18 | Quod autem ſupereſt de oleo, quod eſt ſuper volam ſacerdotis, ponet ſuper caput mundandi. |
| Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet ſacrificium pro peccato: tunc immolabit holocauſtum, | 19 | 19 | Expiabitq; eum ſacerdos coram Domino, facietque ſacerdos oblationem pro peccato, expiabitq; mundandum ab immunditia ſua: & poſtea immolabit holocauſtum. |
| Et ponet illud in altari cum libamentis ſuis, & homo rite mundabitur. | 20 | 20 | Et offeret ſacerdos holocauſtum, & ſacrificium in altari, & expiabit eum ſacerdos, & mundus erit. |
| Quod ſi pauper eſt, & non poteſt manus eius inuenire quæ dicta ſunt, pro delicto aſſumet agnũ ad oblationẽ, vt roget pro eo ſacerdos, decimamq; partẽ ſimilæ conſperſæ oleo in ſacrificiũ, & olei ſextariũ, | 21 | 21 | Si autem pauper fuerit, & nõ fuerit manus eius apprehendens, accipiet agnum vnum pro delicto pro eleuatione ad expiandum eum, & decimum ſimilæ vnũ permixtum oleo pro ſacrificio, ſextariumque olei: |
| Sup.5.11. 12.8. Luc.2.24. * Duoſque turtures, ſiue duos pullos columbæ, quorum vnus ſit pro peccato, & alter in holocauſtum: | 22 | 22 | Et duos turtures, vel duos filios colũbæ, quos apprehendet manus eius, eritque vnus pro peccato, & alter pro holocauſto. |
| Offeretque ea die octauo purificationis ſuæ ſacerdoti, ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino. | 23 | 23 | Adducetque ea die octauo purificationis ſuæ ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi eccleſiæ coram Domino. |
| Qui ſuſcipiens agnum pro delicto, & ſextarium olei, leuabit ſimul: | 24 | 24 | Suſcipiet autem ſacerdos agnum oblationis pro delicto, & ſextarium olei, & eleuabit ea ſacerdos eleuationem coram Domino. |
| Immolatoque agno; de ſanguine eius ponet ſuper extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & ſuper pollices manus eius ac pedis dextri: | 25 | 25 | Iugulabitque agnum oblationis pro delicto, ac tollet ſacerdos de ſanguine oblationis pro delicto, ponetque ſuper cartilaginem auris mundandi dextræ, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri: |
| Olei vero partem mittet in manum ſuam ſiniſtram, | 26 | 26 | Et de oleo fundet ſacerdos ſuper volam ſacerdotis ſiniſtram. |
| In quo tingens digitum dextræ manus aſperget ſepties coram Domino; | 27 | 27 | Spargetque ſacerdos digito ſuo dextro de oleo quod eſt ſuper volam ſuam ſiniſtram ſeptem vicibus coram Domino. |
| Tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri in loco ſanguinis qui effuſus eſt pro delicto: | 28 | 28 | Ponet autem ſacerdos de oleo quod eſt ſuper volam ſuam ſuper cartilaginem auris mundandi dextræ, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri ſuper loco ſanguinis oblationis pro delicto: |
| Reliquam autem partem olei, quæ eſt in ſiniſtra manu, mittet ſuper caput purificati, vt placet pro eo Dominum: | 29 | 29 | Reſiduum vero olei, quod eſt ſuper volam ſacerdotis, ponet ſuper caput mundandi ad expiandum eum coram Domino: |
| Et turturem ſiue pullum columbæ offeret, | 30 | 30 | Faciet autem vnum de turturibus, vel de filijs colũbæ, quemadmodum apprehenderit manus eius. |
| Vnum pro delicto, & alterum in holocauſtum cum libamentis ſuis. | 31 | 31 | Quod apprehendet manus eius vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum in ſacrificio. Expiabitque ſacerdos mundandum coram Domino. |
| Hoc eſt ſacrificium leproſi, qui habere non poteſt omnia in emundationem ſui. | 32 | 32 | Iſta eſt lex eius in quo fuerit plaga lepræ, cuius non apprehendet manus ad mundationem ſuam. |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: | 33 | 33 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, & ad Aharon, dicendo: |
| Cum ingreſſi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, ſi fuerit plaga lepræ in ædibus. | 34 | 34 | Cum ingreſſi fueritis terram Chenahan, quam ego do vobis in poſſeſſionem, & dedero plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ. |
| Ibit cuius eſt domus, nuncians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea. | 35 | 35 | Veniet ille cuius eſt domus, & nunciabit ſacerdoti, dicendo: Tamquam plaga conſpicitur mihi in domo. |
| At ille præcipiet vt efferant vniuerſa de domo, priuſquam ingrediatur eam & videat vtrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia quæ in domo ſunt. Intrabitque poſtea vt conſideret lepram domus: | 36 | 36 | Præcipietque ſacerdos, & expurgabunt domum antequam ingrediatur ſacerdos ad videndum plagam, & non polluatur omne quod eſt in domo. Poſtea autem ingredietur ſacerdos ad videndum domum. |
| Et cum viderit in parietibus illius quaſi valliculas pallore ſiue rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua: | 37 | 37 | Et videbit plagam, & ſi in plaga quæ eſt in parietibus domus fuerint nigredines, flauedines, vel rubedines, & aſpectus earum fuerit humilior pariete: |

Egre-

Egre-

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et tinget digitum dextrum de oleo, quod eſt ſuper manum ſuam ſiniſtram, & ſparget digito ſepties ante Dominum. | 16 | 16 | *Et tinget ſacerdos digitum manus ſuæ dextræ in oleo, qui eſt in manu eius ſiniſtra, & aſperget de oleo digito ſuo ſepties coram Domino.* |
| Reſiduum autem oleum, quod eſt in manu, imponet ſacerdos ſuper pennam auris dextræ eius, qui mundatur, & ſuper ſummitatem manus dextræ, & ſuper ſummitatem pedis dextri, & ſuper locum ſanguinis eius, qui delicti: | 17 | 17 | *Et de reliquo oleo, quod eſt in manu eius ponet ſacerdos ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri, ſuper ſanguinem hoſtiæ, quæ offertur pro delicto:* |
| Reſiduum autem oleum, quod in manu ſacerdotis, imponet ſacerdos ſuper caput eius, qui mũdatus eſt. | 18 | 18 | *Et quod reliquum eſt de oleo, quod eſt ſuper manum ſacerdotis, ponet ſuper caput eius, qui mundatur.* |
| Et exorabit pro eo ſacerdos ante Dominum, & faciet ſacerdos illud, quod pro peccato, & exorabit ſacerdos pro eo, qui mundatur à peccato eius: & poſt hoc iugulabit ſacerdos holocauſtum, & offeret ſacerdos holocauſtum: | 19 | 19 | *Et propitiabit pro eo ſacerdos coram Domino, facietque ſacerdos hoſtiam pro peccato, & propitiabit pro eo, qui mundatur ab immunditia ſua: & poſtea immolabit holocauſtum, & adolebit ſacerdos holocauſtum:* |
| Et ſacrificium ſuper altare ante Dominum, & exorabit pro eo ſacerdos & mundabitur. | 20 | 20 | *Et munus in altari, & propitiabit pro eo ſacerdos, & ſic mundabitur.* |
| Si autem paupertate laboret, & manus eius non inueniat, ſumet agnum vnum, in quod deliquit in déptionem, vt exoret pro eo, & decimam ſimilæ conſperſæ in oleo in ſacrificium, & cotylam olei vnam: | 21 | 21 | *Et ſi pauper eſt, & manus eius non ſufficit, tollet agnum vnum pro delicto, vt eleuetur ad propitiandũ pro eo, & decimam vnam ſimilæ conſperſæ oleo pro munere, & ſextarium olei:* |
| Et duas turtures, vel duos pullos colũbarum, quæcumque inuenit manus eius, & erit vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum: | 22 | 22 | *Et duos turtures, aut duos filios columbæ, quos inuenerit manus eius, & erit vnus pro peccato, & vnus in holocauſtum:* |
| Et afferet ea die octauo, vt ipſe mundetur, ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi teſtimonij ante Dominum. | 23 | 23 | *Et adducet eos in die octauo emundationis ſuæ ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi fœderis coram Domino.* |
| Et ſumens ſacerdos agnum delicti, & cotylam olei, imponet ea impoſitionem ante Dominum: | 24 | 24 | *Et tollet ſacerdos agnum, qui offertur pro delicto, & ſextarium olei, & eleuabit ea ſacerdos eleuatione coram Domino:* |
| Et iugulabit agnum, qui delicti, & ſumet ſacerdos de ſanguine, qui delicti, & imponet ſuper pennam auris dextræ eius, qui mundatur, & ſuper ſummitatem manus dextræ, & ſuper ſummitatem pedis dextri: | 25 | 25 | *Immolabitque agnum pro delicto, & tollet ſacerdos de ſanguine hoſtiæ pro delicto, & ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri:* |
| Et de oleo effundet ſacerdos in manum ſacerdotis ſiniſtram: | 26 | 26 | *Et de oleo fundet ſacerdos ſuper manum ſiniſtram ſuam:* |
| Et aſperget ſacerdos digito dextro de oleo, qui in manu eius, ſiniſtra, ſepties ante Dominum: | 27 | 27 | *Et aſperget ſacerdos digito ſuo manus dextræ de oleo, quod eſt in manu ſiniſtra eius ſepties coram Domino:* |
| Et imponet ſacerdos de oleo, qui in manu eius ſuper pennam auris dextræ eius, qui mundatur, & ſuper ſummitatem manus eius dextræ, & ſuper ſummitatem pedis eius dextri, in locum ſanguinis, eius qui delicti: | 28 | 28 | *Ponetque ſacerdos de oleo, quod eſt in manu eius, ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & ſuper pollicem manus eius dextræ, & ſuper pollicem pedis eius dextri, in loco ſanguinis, qui effuſus eſt pro delicto:* |
| Reſiduum autem de oleo, quod eſt in manu ſacerdotis, imponet ſuper caput mundati, & exorabit pro eo ſacerdos ante Dominum: | 29 | 29 | *Quod autem reliquũ eſt de oleo, quod eſt ſuper manum ſacerdotis ponet ſuper caput eius, qui mundatur, ad propitiandum pro eo coram Domino:* |
| Et faciet vnam de turturibus, vel de pullis columbarum, ſicut inuenit eius manus: | 30 | 30 | *Facietque vnam de turturibus, aut de filijs columbæ quem inuenerit manus eius:* |
| Vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum ſimul cum ſacrificio, & exorabit ſacerdos pro eo, qui mundatur ante Dominum. | 31 | 31 | *Vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum ſuper munus, propitiabitque ſacerdos pro eo, qui mundatur coram Domino.* |
| Hæc lex eius, in quo eſt tactus lepræ, & non inuenit manu ad mundationem ſuam. | 32 | 32 | *Hæc eſt lex eius in quo eſt plaga lepræ cuius manus non inuenit ad mundationem ſuam.* |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: | 33 | 33 | *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & Aaron, dicens:* |
| Cum ingreſſi fueritis in terram Chananæorum, quam ego do vobis in poſſeſſionẽ, & dabo tactum lepræ in domibus terræ poſſeſſæ vobis: | 34 | 34 | *Quando ingreſſi fueritis terram Chanaam, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, & dedero plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ:* |
| Et veniet cuius eſt ipſius domus, & annunciabit ſacerdoti, dicẽs: Quaſi tactus viſus eſt mihi in domo. | 35 | 35 | *Veniet ille cuius eſt domus, & nuntiabit ſacerdoti, dicens: Quaſi plaga viſa eſt mihi in domo.* |
| Et præcipiet ſacerdos vaſis vacuare domum, priuſquam ingreſſus ſacerdos videat tactum, & non ſiant immunda, quæcumque fuerint in domo. Et poſt hæc ingredietur ſacerdos ad cognoſcendam domum: | 36 | 36 | *Præcipietque ſacerdos, vt efferantur omnia, quæ ſunt in domo, antequam ingrediatur ſacerdos ad videndam plagam, vt non contaminentur omnia, quæ in domo ſunt. Et poſtea intrabit ſacerdos ad videndam domum:* |
| Et aſpiciet tactum, & ecce tactus in parietibus domus, cauitates viridantes, vel rubeſcẽtes, & aſpectus earum humilior parietibus: | 37 | 37 | *Videbitque plagam, & ſiquidem plaga fuerit in parietibus domus, quaſi vallículæ pallidæ, aut ſubruſæ, & aſpectus earum fuerit humilior pariete:* |



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus. | 38 | 38 | Egredietur ſacerdos è domo ad oſtium domus, & claudere faciet domum ſeptem diebus. |
| Reuerſuſque die ſeptimo, conſiderabit eam: ſi inuenerit creuiſſe lepram: | 39 | 39 | Reuertetur que ſacerdos die ſeptimo, & videbit: & ſi creuit plaga in parietibus domus: |
| Iubebit erui lapides, in quibus lepra eſt, & proijci eos extra ciuitatem in locum immundum: | 40 | 40 | Præcipiet ſacerdos, & eruent lapides, in quibus eſt plaga, & proycient eos extra ciuitatem in locum immundum: |
| Domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum, & ſpargi puluerem raſuræ extra vrbem in locum immundum: | 41 | 41 | Domum autem radere iubebit intrinſecus per circuitum, & fundent puluerem quem abraſerunt extra ciuitatem in locum immundum: |
| Lapideſque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. | 42 | 42 | Et tollent lapides alios, & adducent pro lapidibus illis, & puluerem alium tollet, & complanabit domũ. |
| Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & puluis eraſus, & alia terra lita: | 43 | 43 | Si autem reuerſa fuerit plaga, & floruerit in domo, poſtquam eruit lapides, & poſtquam abradere fecit domum, & poſtquam complanare fecit: |
| Ingreſſus ſacerdos viderit reuerſam lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeuerans, & immunda domus: | 44 | 44 | Ingredietur ſacerdos, & videbit, & ſi creuit plaga in domo, lepra dolore afficiens eſt in domo, immunda eſt: |
| Quam ſtatim deſtruent, & lapides eius, ac ligna, atque vniuerſum puluerem proijcient extra oppidũ in locum immundum. | 45 | 45 | Deſtruetque domum, lapides eius, & ligna eius, atque vniuerſum puluerem domus, & educet extra ciuitatem in locum immundum. |
| Qui intrauerit domum quando clauſa eſt, immundus erit vſque ad veſperum: | 46 | 46 | Qui aũt ingreſſus fuerit domũ oĩbus dieb⁹, q̃bus claudere iuſſit eam, immundus erit vſque ad veſperam: |
| Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit veſtimenta ſua. | 47 | 47 | Qui autem dormierit in domo, lauabit veſtimenta ſua, & qui comederit in domo lauabit veſtimenta ſua. |
| Quod ſi introiens ſacerdos viderit lepram non creuiſſe in domo, poſtquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita ſanitate: | 48 | 48 | Si autem ingrediendo ingreſſus fuerit ſacerdos, & viderit, quòd non creuit plaga in domo, poſtquã complanare fecit domum, mundam iudicabit ſacerdos domum, quia ſanata eſt plaga: |
| Et in purificationem eius ſumet duos paſſeres, lignumque cedrinum, & vermiculum, atque hyſſopum: | 49 | 49 | Tolletque ad purificandam domum duos paſſeres, & lignum cedrinum, & coccum bis tinctum, & hyſſopum: |
| Et immolato vno paſſere in vaſe fictili ſuper aquas viuas: | 50 | 50 | Immolabitque paſſerem vnum in vaſe fictili ſuper aquam viuentem: |
| Tollet lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccum, & paſſerem viuum, tinget omnia in ſanguine paſſeris immolati, atque in aquis viuentibus, & aſperget domum ſepties: | 51 | 51 | Tollet autem lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccum bis tinctum, & paſſerem viuum, & tinget ea in ſanguine paſſeris immolati, & in aqua viuente, aſpergetque domum ſeptem vicibus: |
| Purificabitque eam, tam in ſanguine paſſeris, quam in aquis viuentibus, & in paſſere viuo, lignoque cedrino, & hyſſopo, atque vermiculo. | 52 | 52 | Purificabitque domum in ſanguine paſſeris, & in aqua viuente, & in paſſere viuo, lignoque cedrino, & hyſſopo, & cocco bis tincto. |
| Cumque dimiſerit paſſerem auolare in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur. | 53 | 53 | Dimittet autem paſſerem viuum extra ciuitatẽ ſuper faciem agri, expiabitque domũ, & munda erit. |
| Iſta eſt lex omnis lepræ, & percuſſuræ: | 54 | 54 | Iſta eſt lex omni plagæ lepræ, & maculæ albæ: |
| Veſtium, & domorum: | 55 | 55 | Et lepræ veſtis, & domus: |
| Cicatricis, & erumpentiũ papularum, lucentis maculæ, & in varias ſpecies, coloribus immutatis: | 56 | 56 | Et tumoris, & ſcabies, & candenti maculæ: |
| Vt poſſit ſciri quo tempore mundum quid, vel immundum ſit. | 57 | 57 | Ad docendum per diem, quod immundum eſt, & per diem, quod mundum eſt, iſta eſt lex lepræ. |
| CAP. XV. | | | CAP. XV. |
| LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: | 1 | 1 | LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, & ad Aharon, dicendo: |
| Loquimini filijs Iſrael, & dicite eis: Vir, qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit. | 2 | 2 | Loquimini ad filios Iſrael, & dicite eis: Vir, vir cum fuerit fluens de menta eius fluxum ſuum, immundus eſt. |
| Et tunc iudicabitur huic vitio ſubiacere, cum per ſingula momenta adhæſerit carni eius, atque concreuerit fœdus humor. | 3 | 3 | Et hæc erit immunditia eius, in fluxu eius fluit mẽta eius fluxum ſuum, vel coagulauit mentam eius à fluxu ſuo, immunditia eius eſt. |
| Omne ſtratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbicumque ſederit. | 4 | 4 | Omne ſtratum in quo dormierit qui fluit, immundum erit, & omne inſtrumentum ſuper quo ſederit, immundum erit. |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

38 Et egreſſus ſacerdos e domo ad oſtium domus, & ſegregabit ſacerdos domum ſeptem dies.

39 Et redibit ſacerdos die ſeptimo, & aſpiciet domũ: & ecce diffuſus eſt tactus in parietibus domus:

40 Et præcipiet ſacerdos, & eruent lapides, in quibus eſt tactus, & eijcient eos extra ciuitatem in locum immundum:

41 Et domum radent ab intus in circuitu, & effundẽt puluerem raſum extra ciuitatem in locum immundum:

42 Et ſument alios lapides raſos, & ponent pro lapidibus, & puluerem alium ſument, & linient domum.

43 Si autem redierit rurſum tactus, & repullularit in domo, poſtquam eruti fuerunt lapides, & poſtquam domus fuerit raſa, & poſtquam linita:

44 Et ingredietur ſacerdos, & aſpiciet, ſi diffuſus eſt tactus in domo, lepra permanens eſt in domo, immunda eſt:

45 Et deſtruent domum, & ligna eius, & lapides eius, & omnem puluerem efferent extra ciuitatem in locum immundum.

46 Et qui ingreditur in domũ omnibus diebus, quibus ſegregata eſt, immundus erit vſque ad veſperam:

47 Et qui dormit in domo, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam, & qui manducat in domo, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam.

48 Si autem accedens intrauerit ſacerdos, & viderit, & ecce diffuſione diffuſus non eſt tactus in domo, poſtquam linita fuit domus, & mundabit ſacerdos domum, quia ſanatus eſt tactus:

49 Et ſumet ad purificandam domum, duas auiculas viuentes mundas, & lignum cedrinum, & coccum tortum, & hyſſopum:

50 Et iugulabit auiculam vnam in vaſe teſtaceo ſuper aquam viuentem:

51 Et ſumet lignum cedrinum, & coccum tortum, & hyſſopum, & auiculam viuentem, & tinget ea in ſanguine auiculæ iugulatæ ſuper, & aſperget in eis ſuper domum ſepties:

52 Et purificabit domum in ſanguine auiculæ, & in aqua viuente, & in auicula viuente, & in ligno cedrino, & in hyſſopo, & in cocco torto.

53 Et emittet auiculam viuentem extra ciuitatem in campum, & exorabit pro domo, & munda erit.

54 Hæc eſt lex ſecundum omnem tactum lepræ, & vlceris:

55 Et lepræ veſtimenti, & domus:

56 Et cicatricis, & ſignificationis, & ſplendentis:

57 Et declarandi qua die immundum, & qua die mundabitur, hæc eſt lex lepræ.

### C A P. XV.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices eis: Viro, viro, cuicumque fuerit fluor ex corpore eius, fluor eius immundus eſt.

3 Et hæc eſt lex immunditiæ eius, fluens genituram e corpore ſuo ex fluore, quo conſtitit corpus eius, per fluorem hæc immunditia eius in eo, omnes dies fluxionis corporis eius, qua conſtitit corpus eius, per fluxionem, immunditia eius eſt.

4 Omnis lectus, ſuper quem dormierit ſuper eum, qui fluorem ſeminis patitur, immundus eſt, & omne vas, ſuper quod ſederit ſuper illud, qui fluorem ſeminis patitur, immundum erit.



## Chald. Paraph. Transl.

38 *Egredietur ſacerdos de domo ad oſtium domus, & claudet domum ſeptem diebus.*

39 *Reuertetur que ſacerdos in die ſeptimo: & ſi viderit creuiſſe plagam in parietibus domus:*

40 *Iubebit ſacerdos, & eruent lapides, in quibus fuerit plaga, & proijcient eos extra caſtra in locum immundum:*

41 *Domum autem radent intrinſecus per circuitum, & proijcient puluerem quem raſerunt extra ciuitatem in locum immundum:*

42 *Tollẽtq; alios lapides, & inducẽt eos in locũ lapidũ priorũ, & alius puluis ſumatur, vt liniatur domus.*

43 *Et ſi reuerſa fuerit plaga, & creuerit in domo, poſtquam eruerunt lapides, & poſtquam raſerunt domum, & poſtquam linita eſt:*

44 *Ingredietur ſacerdos, & ſi viderit creuiſſe plagam in domo, lepra corroſiua eſt in domo, immunda erit:*

45 *Et diruent domum, lapides eius, & ligna eius, & omnem puluerem domus educent extra ciuitatem in locum immundum.*

46 *Et quicunque intrauerit domũ omnibus diebus, quibus clauſa eſt, erit immundus vſque ad veſperam:*

47 *Et qui dormierit in domo, lauabit veſtimenta ſua, & qui comederit in domo, lauabit veſtimenta ſua.*

48 *Et ſi intrоiens intrauerit ſacerdos, & viderit, & ecce non creuit plaga in domo, poſtquam linita fuerit domus, mundabit ſacerdos domum, quia ſanata eſt plaga:*

49 *Tollantque in emundatione domus duo paſſeres, & lignum cedrinum, & coccinum, & hyſſopum:*

50 *Immolabitque paſſerem vnum in vaſe fictili ſuper aquas fontis:*

51 *Et tollet lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccinum, & paſſerem viuum, & tinget ea in ſanguine paſſeris immolati, & in aquis fontis, & aſperget domum ſepties:*

52 *Purificabitque domum in ſanguine paſſeris, & in aquis fontis, & in paſſere viuo, & in ligno cedrino, & in hyſſopo, & in coccino.*

53 *Et dimittet paſſerem viuum extra vrbem ſuper faciem agri, & expiabit domum, & mundabitur.*

54 *Iſta eſt lex omnis plagæ lepræ, & lepræ capitis:*

55 *Et veſtis, & domus:*

56 *Et maculæ diuerſi coloris, & puſtulæ, & lucentis maculæ:*

57 *Et ad docendum qua die contaminanda eſt, & qua die mundanda eſt, iſta eſt lex lepræ.*

### C A P. XV.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & Aaron, dicens:*

2 *Loquimini cum filijs Iſrael, & dicetis eis: Vir, vir quando fluxerit de carne eius fluxus ſeminis, immundus erit.*

3 *Et hæc erit immunditia eius in fluxu ſuo, quando liquens humor fluit de carne eius, aut quando denſus adhæret carni eius, immunditia eius eſt.*

4 *Omne ſtratum, in quo cubuerit, qui fluxum ſeminis patitur, erit immundum, & omne vas in quo ſederit, erit immundum.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

6 Si ſederit vbi ille ſederat, & ipſe lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

7 Qui tetigerit carnem eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

8 Si ſaliuam huiuſcemodi homo iecerit ſuper eum, qui mundus eſt, lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

9 Sagma, ſuper quo ſederit, immundum erit:

10 Et quidquid ſub eo fuerit, qui fluxum ſeminis patitur, pollutum erit vſque ad veſperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

11 Omnis, quem tetigerit, qui talis eſt, non lotis ante manibus, lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

12 Vas fictile, quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua.

13 Si ſanatus fuerit, qui huiuſcemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lotis veſtibus, & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus.

14 Die autem octauo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conſpectum Domini ad oſtium tabernaculi teſtimonij, dabitque eos ſacerdoti.

15 Qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum: rogabitque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu ſeminis ſui.

16 Vir de quo egreditur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum: & immundus erit vſque ad veſperum.

17 Veſtem, & pellem, quam habuerit, lauabit aqua: & immunda erit vſque ad veſperum.

18 Mulier, cum qua coierit, lauabitur aqua: & immunda erit vſque ad veſperum.

19 Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur.

20 Omnis, qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperum:

21 Et in quo dormierit, vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ, polluetur.

22 Qui tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

23 Omne vas, ſuper quo illa ſederit, quiſquis attigerit, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, pollutus erit vſque ad veſperum.

24 Si coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum, in quo dormierit, polluetur.

25 Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit quaſi ſit in tempore menſtruo.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Quicunque autem tetigerit lectum eius lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

6 *Et qui ſederit ſuper inſtrumentum ſuper quo ſedit fluens, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

7 *Qui vero tetigerit carnem fluentis, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

8 *Et ſi ſpuerit fluens ſuper mundum, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

9 *Et omne ſagma ſuper quo equitauerit fluens, immūdum erit:*

10 *Et omnis, qui tetigerit omne, quod fuerit ſubter eū, immundus erit vſque ad veſperam. Qui vero portauerit ea, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

11 *Omnis autem, quem tetigerit fluens, & manus ſuas non lauit aqua, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

12 *Vas autem fictile, quod tetigerit fluens confringetur: & omne vas ligneum lauabitur aqua.*

13 *Si autem mundatus fuerit fluens à fluxu ſuo, numerabit ſibi ſeptem dies ad mundationem ſuam, lauabitque veſtimenta ſua, & lauabit carnem ſuam aqua viua, & mundus erit.*

14 *Die vero octauo ſumet ſibi duos turtures, vel duos filios columbæ, & veniet coram Domino ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, dabitque eos ſacerdoti.*

15 *Et faciet eos ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum: & expiabit eum ſacerdos coram Domino à fluxu eius.*

16 *Vir autem cum egreſſa fuerit ex eo effuſio ſeminis, lauabit aqua omnem carnem ſuam: & immundus erit vſque ad veſperam.*

17 *Omnis autem veſtis, & omnis pellis ſuper quam fuerit effuſio ſeminis, lauabitur aqua: & immunda erit vſque ad veſperam.*

18 *Mulier autem cum qua dormierit vir patiens effuſionem ſeminis, lauabunt ſe aqua. & immundi erunt vſque ad veſperam.*

19 *Mulier autem cum fuerit fluens ſanguine, erit fluxus eius in carne eius, ſeptem diebus, erit in menſtruo ſuo.*

20 *Omnis autem, qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperam:*

21 *Et omne ſuper quo dormierit in menſtruo ſuo, immundum erit, & omne ſuper quo ſederit, immundum erit.*

22 *Omnis autem, qui tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

23 *Omnis vero qui tetigerit omne inſtrumentum ſuper quo ſederit, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam, & qui ſtratum ipſum, vel inſtrumentum ſuper quod ſedebat, tetigerit, immundus erit vſque ad veſperam.*

24 *Et ſi coeundo coierit, vir cum ea, & fuerit menſtruū eius in eo, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum ſuper quod dormierit, immundum erit.*

25 *Et mulier cum fluxerit fluxum ſanguinis ſui diebus multis præter tempus menſtrui ſui, vel cum fluxerit in menſtruo ſuo omnes dies fluxus immunditiæ ſuæ, ſecundum dies menſtrui ſui erunt, immunda eſt.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

5 Et homo quicumque tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua : & lauabitur aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

6 Et qui ſedet ſuper vas, ſuper quod ſederit, qui fluorem ſeminis patitur, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

7 Et qui tangit carnem eius, qui fluorem ſeminis patitur, lauabit veſtimenta: & lauabitur aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

8 Si autem ſpuerit is, qui fluorem ſeminis patitur, ſuper mundum, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

9 Et omne ſtramen aſini, in quodcumque aſcenderit ſuper illud, qui fluorem ſeminis patitur, immundū erit vſque in veſperam:

10 Et omnis tangens, quæcumque fuerint ſub eo, immundus erit vſque in veſperam. Et qui tollit ea, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aqua, & immundus erit vſque in veſperam.

11 Et quæcumque tetigerit, qui fluorem ſeminis patitur, & manus non lauit aqua, lauabit veſtimenta: & lauabit corpus aqua, & immundus erit vſque in veſperam.

12 Et vas teſtaceum, quodcumque tetigerit, qui fluorem ſeminis patitur, conteretur: & vas ligneum lauabitur aqua, & mundum erit.

13 Si autem mundatus fuerit is, qui fluorem ſeminis patitur, à fluxu ſuo, & enumerabit ſibi ſeptem dies ad purificationem ſuam, & lauabit veſtimenta ſua, & lauabit corpus aqua, & mundus erit.

14 Et die octauo ſumet ſibi duos turtures, vel duos pullos columbarum, & feret ea ante Dominum ad ianuas tabernaculi teſtimonij, & dabit ea ſacerdoti.

15 Et faciet ea ſacerdos, vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum: & exorabit pro eo ſacerdos ante Dominum à fluxu eius.

16 Et homo, cuicumque exierit ex eo concubitus ſeminis, & lauabit aqua omne corpus ſuum: & immundus erit vſque in veſperam.

17 Et omnis veſtis, & omnis pellis, ſuper quam fuerit ſuper eam concubitus ſeminis, & lauabitur aqua: & immunda erit vſque in veſperam.

18 Et mulier, ſi cubuerit vir cum ea concubitum ſeminis, & lauabuntur aqua: & immundi erunt vſque in veſperam.

19 Et mulier quæcumque fuerit fluens ſanguine, & erit fluxus eius in corpore eius, ſeptem dies erit in purgatione ſua.

20 Omnis tangens eam erit immundus vſque in veſperam:

21 Et omne ſuper quodcūque cubuerit ſuper illud in purgatione ſua, immundū erit, & omne, ſuper quodcumque ſederit ſuper illud, immundum erit.

22 Et omnis quicumque tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua: & lauabit corpus ſuum aqua, & immundus erit vſque in veſperam.

23 Et omnis tangens omne vas, in quo ſederit ſuper illud, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aqua, & immundus erit vſque in veſperam. Si autē dum ea in lecto eſt, vel in vaſe, in quo ſederit ſuper illud tangente eo illam, immundus erit vſque in veſperam.

24 Si autem cubitu cubuerit quis cum ea, & facta fuerit immunditia eius ſuper ipſum: immundus erit ſeptem dies.

25 Et mulier, ſi fluat fluxu ſanguinis plures dies, non in tempore purgationis ſuæ, ſi etiam fluat poſt purgationem ſuam, omnes dies fluoris immunditiæ eius, ſicut dies purgationis eius, erit immunda.

Et

## Chald. Paraph. Transl.

5 *Et vir, qui tetigerit ſtratum eius, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

6 *Et quicumque ſederit ſuper vas ſuper quo ſederit ille qui fluxum patitur, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immūdus vſque ad veſperā.*

7 *Et qui tetigerit carnem illius, qui fluxum patitur, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

8 *Et quando ſpuerit ille, qui fluxum patitur ſuper eū, qui mundus eſt, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

9 *Et omnis equitatura ſuper quam equitauerit ille, qui fluxum patitur, erit immunda:*

10 *Et omnis, qui tetigerit omne, quod ſub eo fuerit, erit immundus vſque ad veſperam. Et qui portauerit illud, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

11 *Et omnis quem tetigerit ille, qui fluxum patitur, & manus ſuas non abluerat aquis, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

12 *Vas autem fictile, quod tetigerit ille, qui patitur fluxum, confringetur: & omne vas ligneum abluetur aquis.*

13 *Et quando ille, qui fluxum patitur, mundatus fuerit à fluxu ſuo, numerabuntur ei ſeptem dies ab emundatione ſua, & lauabit veſtimenta ſua, lauabitque carnem ſuam aquis fontis & ſic mundabitur.*

14 *In die autem octauo ſumet ſibi duos turtures, aut duos filios columbæ, & adducet in conſpectu Domini ad oſtium tabernaculi fœderis, dabitque eos ſacerdoti.*

15 *Et faciet ſacerdos vnum ex eis pro peccato, & vnum in holocauſtum: & propitiabit pro eo ſacerdos corā Domino à fluxu ſuo.*

16 *Vir autem de quo egreditur ſemen coitus, lauabit aquis omnem carnem ſuam: & erit immundus vſque ad veſperam.*

17 *Omnis autem veſtis, & omnis pellis ſuper qua fuerit ſemen coitus, lauabitur aquis: & erit immunda vſque ad veſperam.*

18 *Mulier autem cum qua vir cubuerit coitu ſeminis, vterque lauabitur aquis: & erunt immundi vſque ad veſperam.*

19 *Mulier autē, quæ patitur fluxum ſanguinis in carne ſua, ſeptem diebus erit quaſi menſtruata.*

20 *Et omnis, qui tetigerit eam erit immundus vſque ad veſperam:*

21 *Et omnis, qui cubuerit cum ea in menſtruo ſuo erit immundus, & omne ſuper quod ſederit erit immundum.*

22 *Et omnis, qui tetigerit ſtratum eius, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

23 *Et omnis, qui tetigerit omne vas ſuper quod ſederit, lauabit veſtimenta ſua: & lauabitur aquis, & erit immundus vſque ad veſperam. Et ſi cubuerit ille in ſtrato, vel in vaſe in quo ipſa ſedit, cùm tetigerit illud immundus erit vſque ad veſperam.*

24 *Et ſi cubans cubuerit vir cum ea, & menſtruum eius fuerit in ea, erit immundus ſeptem diebus: & omne ſtratum ſuper quod cubuerit erit immundum.*

25 *Et mulier cuius ſanguis fluxerit diebus multis præter tempus menſtrui ſui, vel quando fluxerit poſt menſtruum ſuum, cunctis diebus quibus fluxerit immunditia eius, ſicut in diebus menſtrui ſui erit immunda.*

Omne

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Omne ſtratum, in quo dormierit: & vas in quo ſederit, pollutum erit.

27 Quicumque tetigerit ea, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum.

28 Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſauerit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ:

29 Et die octauo offeret pro ſe ſacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad oſtium tabernaculi teſtimonij:

30 Qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocauſtum, rogabitque pro ea coram Domitto, & pro fluxu immunditiæ eius.

31 Docebitis ergo filios Iſrael, vt caueant immunditiam, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum, quod eſt inter eos.

32 Iſta eſt lex eius, qui patitur fluxum feminis, & qui polluitur coitu:

33 Et quæ menſtruis temporibus ſeparatur, vel quæ iugi fluit ſanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.

### C A P. XVI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, * poſt mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt:

* Sup. 10. 12.

2 Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, * ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum corã propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum)

* Exo. 30. 10. Heb. 9. 7.

3 Niſi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum.

4 Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim veſtimenta ſunt ſancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

5 Suſcipietque ab vniuerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocauſtum.

6 Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro ſe, & pro domo ſua:

7 Duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij:

8 Mittenſque ſuper vtrumque ſortem, vnam Domino, & alteram capro emiſſario:

9 Cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato:

10 Cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem.

11 His rite celebratis, offeret vitulum, & rogans pro ſe, & pro domo ſua, immolabit eum:

12 Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta:

13 Vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur.

14 Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad Orientem.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Omne ſtratum, in quo dormierit omnibus diebus fluxus ſui, ſicut ſtratum menſtrui ſui erit ei: & omne inſtrumentum ſuper quo ſederit, immundum erit ſecundum immunditiam menſtrui ſui.*

27 *Omnis autem, qui tetigerit ea, immundus erit, lauabitque veſtimenta ſua: & lauabit ſe aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

28 *Si autem mundata fuerit à fluxu ſuo, numerabit ſibi ſeptem dies, & poſtea mundabitur:*

29 *Die autem octauo tollet ſibi duos turtures, vel duos filios columbæ, & adducet eos ad ſacerdotem ad oſtium tabernaculi eccleſiæ:*

30 *Et faciet ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum, & expiabit eam ſacerdos coram Domino à fluxu immunditiæ eius.*

31 *Et ſeparabitis filios Iſrael ab immunditijs ſuis, & non morientur in immunditijs ſuis, dum contaminauerint tabernaculum meum, quod eſt in medio eorum.*

32 *Iſta eſt lex fluentis, & eius ex quo egreditur effuſio ſeminis, vt ſit immundus in illa:*

33 *Et eius, qui patitur in menſtruo ſuo, & fluentis fluxum ſuum in maſculo, & in fœmina, & viri, qui dormierit cum immunda.*

### C A P. XVI.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, poſtquam mortui ſunt duo filij Aharon, dum offerrent corã Domino, & mortui ſunt:*

2 *Dixitque Dominus ad Moſeh: Loquere ad Aharon fratrem tuum, & non ingrediatur omni tempore Sãctuarium intra velum coram propitiatorio, quod eſt ſupra arcam, & non moriatur, in nube enim conſpiciar ſuper propitiatorium.*

3 *Cũ hoc ingredietur Aharon Sanctuariũ cũ vitulo filio bouis pro peccato, & ariete pro holocauſto.*

4 *Tunica linea ſanctitatis induet ſe, & fœminalia linea erunt ſuper carnem eius, & balteo lineo: accinget ſe, & mitra linea amiciet ſe: veſtes ſanctitatis ſunt, lauabitque aqua carnem ſuam: & induet ſe eis.*

5 *A cœtu autem filiorum Iſrael ſuſcipiet duos hircos caprarum pro peccato, & arietem vnum in holocauſtum.*

6 *Offeretq; Aharon vitulum pro peccato, quod eſt ſibi, & expiationem faciet pro ſe, & pro domo ſua:*

7 *Tollet autem duos hircos, & ſtare faciet eos coram Domino ad oſtium tabernaculi eccleſiæ:*

8 *Et ponet Aharon ſuper ambos hircos ſortes, ſortem vnam Domino, & ſortem vnam pro capro emiſſario:*

9 *Et offeret Aharon hircum ſuper quem aſcẽderit ſors pro Domino, & faciet eum pro peccato:*

10 *Hircum vero ſuper quem aſcenderit ſors pro capro emiſſario, ſtatuet viuum coram Domino, ad expiandum illum ad mittendum eum pro capro emiſſario in deſertum.*

11 *Offeret autem Aharon vitulum pro peccato, quod eſt ſibi, & expiationem faciet pro ſe, & pro domo ſua, immolabitque vitulum pro peccato, quod eſt ſibi:*

12 *Aſſumet autem plenum thuribulum prunis ignis de altari è conſpectu Domini, & plenam volam ſuam ſuffimento aromatico tenuiſſimo, & adducet intra velum:*

13 *Ponetque ſuffimentum ſuper ignem coram Domino, operietque nubes ſuffimenti propitiatorium, quod eſt ſupra teſtimonium & non morietur.*

14 *Tolletq; de ſanguine vituli, & aſperget digito ſuo cõtra faciem propitiatorij ad Oriẽtẽ, & corã propitiatorio aſperget ſeptem vicibus de ſanguine digito ſuo.*

Im-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

26 Et omnis lectus, ſuper quem cubuerit ſuper illũ omnes dies fluoris, ſecundum lectum purgationis erit ei: & omne vas, ſuper quod ſederit ſuper illud, immundũ erit ſecundum immunditiam purgationis.

27 Omnis tangens eam immundus erit, & lauabit veſtimenta: & lauabit corpus aqua, & immundus erit vſque in veſperam.

28 Si autem mundata fuerit à fluore, & enumerabit ſibi ſeptem dies, & poſt hæc mundabitur:

29 Et die octauo ſumet hæc duos turtures, vel duos pullos columbarum, & feret ea ad ſacerdotem ad oſtium tabernaculi teſtimonij:

30 Et faciet ſacerdos vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum, & exorabit pro ea ſacerdos ante Dominum à fluore immunditiæ eius.

31 Et abſtinentes facietis filios Iſrael ab immunditijs ſuis, & non morientur propter immunditiam ſuã, in eo, quod ipſi inquinent tabernaculum meum, quod in eis.

32 Hæc eſt lex eius, q patitur fluorem ſeminis, & ſi cui exeat ex eo cõcubitus ſeminis, vt inquinetur in eo:

33 Et ei quæ patiĩ fluorẽ ſanguinis in purgatione ſua & q patiĩ fluxũ ſeminis, in fluxu ſuo, maſculo, vel fœminæ, & viro, quicũque dormierit cum meſtruata.

### C A P. XVI.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, poſtquam defuncti erãt duo filij Aaron, dũ ipſi offerrent ignem alienum ante Dominum, & defuncti ſunt:

2 Et dixit Dominus ad Moyſen: Loquere ad Aaron fratrem tuum, & non intret omni hora in Sanctum interius velamine ad faciem propitiatorij, quod eſt ſuper arcam teſtimonij, & non morietur, in nube enim videbor ſuper propitiatorium.

3 Sic intrabit Aaron in Sanctum: In vitulo ex bobus pro peccato, & arietem in holocauſtum.

4 Et tunicam lineam ſanctificatam induet, & femorale lineum erit ſuper corpus eius: & zona linea cingetur, & cidarim lineam circumponet: veſtimenta ſancta ſunt: & lauabit aqua omne corpus ſuum, & induet ea.

5 Et à ſynagoga filiorum Iſrael accipiet duos hircos ex capris pro peccato, & arietem vnum in holocauſtum.

6 Et offeret Aaron vitulum, qui pro peccato ſuo, & exorabit pro ſe, & domo ſua:

7 Et ſumet duos illos hircos, & ſtatuet eos ante Dominum apud oſtium tabernaculi teſtimonij:

8 Et imponet Aaron ſuper duos hircos ſortes, ſortẽ vnam Domino, & ſortem vnam emiſſario:

9 Et adducet Aaron hircum, ſuper quem ſuperuenit ſuper eum ſors Domino, & offeret pro peccato:

10 Et hircum ſuper quem ſuperuenit ſuper eum ſors emiſſarij, ſtatuet eum viuentem ante Dominum, ad exorandum ſuper eum, vt emittat eum in emiſſionem, & dimittet eum in deſertum.

11 Et adducet Aaron vitulum, qui pro peccato ſuo, & exorabit pro ſeipſo, & domo, & iugulabit vitulum pro peccato ſuo:

12 Et ſumet thuribulum plenum carbonum ignis de altari, quod eſt coram Domino, & implebit manus incenſo compoſitionis ſubtilis, & inferet intra velum:

13 Et imponet incenſum ſuper ignem ante Dominũ, & operiet vapor incenſi propitiatorium, quod eſt ſuper teſtimonia, & non morietur.

14 Et ſumet de ſanguine vituli, & aſperget digito ſuper propitiatorium ad Orientem, ad faciem propitiatorij aſperget ſepties de ſanguine, digito.

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

26 *Omne ſtratum, in quo cubuerit omnibus diebus fluxus ſui, quaſi ſtratum menſtrui ſui erit: & omne vas in quo ſederit immundum erit quaſi immunditia menſtrui ſui.*

27 *Et omnis, qui tetigerit illud erit immundus, & lauabit veſtimenta ſua: lauabiturque aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

28 *Si autem mundata fuerit à fluxu ſuo, numerabit ſibi ſeptem dies, & poſtea mundabitur:*

29 *In die autem octauo tollet ſibi duos turtures, aut duos filios columbæ, & adducet eos ad ſacerdotem ad oſtium tabernaculi fœderis:*

30 *Facietque ſacerdos vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum, & propitiabit pro ea ſacerdos coram Domino à fluxu immunditia ſua.*

31 *Et ſeparabitis filios Iſrael ab immunditijs ſuis, vt non moriantur in immunditijs ſuis, cùm polluerint tabernaculum meum, quod eſt inter eos.*

32 *Iſta eſt lex eius, qui patitur fluxum ſeminis, & à quo egreditur ſemen coitus, vt polluatur in eo:*

33 *Et eius, quæ eſt polluta menſtruo, & illius à quo fluxus fluit, tam maſculi, quàm fœminæ, & viri, qui cubuerit cum immunda.*

### C A P. XVI.

1 *LOcutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, poſtquã mortui ſunt duo filij Aaron, quando obtulerũt ignẽ alienum coram Domino, & mortui ſunt:*

2 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere cum Aaron fratre tuo, vt non ingrediatur omni tempore ad Sanctuarium intra velum coram propitiatorio, quod eſt ſuper arcam, vt non moriatur, quoniam in nube ego apparebo ſuper propitiatorium.*

3 *Cũ hoc ingredietur Aaron in Sanctuariũ: Cũ vitulo de bobus pro peccato, & ariete in holocauſtum.*

4 *Tunica linea ſancta veſtietur, & fœminalia linea erunt ſuper carnem eius: & balteo lineo accingetur, & cidarim lineam ponet in capite ſuo: veſtimenta ſancta ſunt: & lauabit aquis carnem ſuam, & ſic veſtietur eis.*

5 *Et tollet à congregatione filiorum Iſrael duos hircos caprarum pro peccato, & arietem vnum in holocauſtum.*

6 *Offeretq; Aaron vitulũ ſuũ, quod eſt pro peccato, & propitiabit pro ſe, & pro hominibus domus ſuæ:*

7 *Tolletque duos hircos, & ſtare faciet eos coram Domino in oſtio tabernaculi fœderis:*

8 *Et mittet Aaron ſuper duos hircos ſortes, ſortem vnam nomini Domini, & ſortem vnam Azazel:*

9 *Offeretque Aaron hircum cuius ſors exierit in nomine Domini, & faciet eum pro peccato:*

10 *Hircum autem cuius ſors exierit Azazel, ſtatuet viuum coram Domino, vt propitiet in eo, & vt mittat eum ad Azazel in deſertum.*

11 *Et offeret Aaron vitulum pro peccato ſuo, & propitiabit pro ſe, & pro hominibus domus ſuæ, immolabitque vitulum pro peccato ſuo:*

12 *Et tollet thuribulum plenum prunis ignis deſuper altare de conſpectu Domini, & plenum pugillum ſuum thymiamatis aromatum minutarum, & ingredietur intra velum:*

13 *Et ponet thymiama aromatum ſuper ignem coram Domino, & cooperiet nebula incenſi propitiatorium, quod eſt ſupra teſtimonium, vt non moriatur.*

14 *Tolletq; de ſanguine vituli, & aſperget digito ſuo ſuper faciem propitiatorij ad Orientem, & coram propitiatorio aſperget ſepties de ſanguine, digito ſuo.*

Im-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Cumque mactauerit hircum pro peccato populi,
inferet ſanguinem eius intra velum, ſicut præcep-
tum eſt de ſanguine vituli, vt aſpergat è regione
oraculi:
16 Et expiet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Iſ-
rael, & à præuaricationibus eorum, cunctiſque pec-
catis. Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo teſtimo-
nij, quod fixum eſt inter eos in medio ſordium ha-
bitationis eorum.
*Luc.1.10 17 *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando pon-
tifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro ſe, & pro
domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſrael, donec egre-
diatur.
18 Cum autem exierit ad altare, quod coram Domi-
no eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli,
atque hirci fundat ſuper cornua eius per gy-
rum:
19 Aſpergenſque digito ſepties, expiet, & ſanctificet il-
lud ab immunditijs filiorum Iſrael.
20 Poſtquam emundauerit Sanctuarium, & taberna-
culum, & altare, tunc offerat hircum viuentem:
21 Et poſita vtraque manu ſuper caput eius, confitea-
tur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa
delicta, atque peccata eorum: quæ imprecans capi-
ti eius, emittet illum per hominem paratum, in de-
ſertum.
22 Cumque portauerit hircus omnes iniquitates eo-
rum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in de-
ſerto:
23 Reuertetur Aaron in tabernaculum teſtimonij, &
depoſitis veſtibus, quibus prius indutus erat cum
intraret Sanctuarium, relictiſque ibi:
24 Lauabit carnem ſuam in loco ſancto, indueturque
veſtibus ſuis. Et poſtquam egreſſus obtulerit holo-
cauſtum ſuum, ac plebis, rogabit, tam pro ſe, quàm
pro populo:
25 Et adipem, qui oblatus eſt pro peccatis, adolebit ſu-
per altare.
26 Ille vero, qui dimiſerit caprum emiſſarium, lauabit
veſtimenta ſua, & corpus aqua, & ſic ingredietur in
caſtra.
27 Vitulum autem, & hircum, qui pro peccato fuerant
immolati, & quorum ſanguis illatus eſt in Sanctua-
rium, vt expiatio compleretur, aſportabunt foras
*Heb.13.11. caſtra, * & comburent igni, tam pelles, quàm car-
nes eorum, ac fimum:
28 Et quicumque combuſſerit ea, lauabit veſtimenta
ſua, & carnem aqua, & ſic ingredietur in caſtra.
*Inf.23.27. 29 Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum: *Men-
ſe ſeptimo, decima die menſis affligetis animas veſ-
tras, nullumque opus facietis, ſiue indigena, ſiue ad-
uena, qui peregrinatur inter vos.
30 In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab
omnibus peccatis veſtris: coram Domino munda-
bimini.
31 Sabbatum enim requietionis eſt, & affligetis ani-
mas veſtras religione perpetua.
32 Expiabit autem ſacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius
manus initiatæ ſunt, vt ſacerdotio fungatur pro pa-
tre ſuo: indueturque ſtola linea, & veſtibus ſan-
ctis:
33 Et expiabit Sanctuarium, & tabernaculum teſtimo-
nij, atque altare, ſacerdotes quoque & vniuerſum
populum.

Erit-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Immolabitque hircum pro peccato, quod eſt populo,
& adducet ſanguinem eius intra velum, & faciet
ſanguinem eius ſecundum, quod fecit ſanguini vi-
tuli, & aſperget illum ſuper propitiatorium, & co-
ram propitiatorio:*
16 *Et expiabit Sanctuarium ab immunditijs filiorum
Iſrael, & à præuaricationibus eorum, cunctiſque pec-
catis eorum. Sic faciet tabernaculo eccleſiæ, quod
moratur cum eis in medio immunditiarum eo-
rum.*
17 *Omnis autem homo non erit in tabernaculo eccleſiæ,
dum ingreditur ipſe ad expiandum Sanctuarium,
donec egrediatur ipſe, & expiabit pro ſe, & pro domo
ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſrael.*
18 *Exibitque ad altare, quod eſt coram Domino, & ex-
piabit pro ſe, tollet autem de ſanguine vituli, & de
ſanguine hirci, & ponet ſuper cornua altaris per cir-
cuitum:*
19 *Et aſperget ſuper illud de ſanguine digito ſuo, ſep-
tem vicibus, & mundabit illud ſanctificabitque ab
immunditijs filiorum Iſrael.*
20 *Complebit autem expiare Sanctuarium, tabernacu-
lumque eccleſiæ, & altare, & offeret hircum vi-
uum:*
21 *Ponetque Aharon ambas manus ſuas ſuper caput
hirci viui, & confitebitur ſuper illud omnes iniqui-
tates filiorum Iſrael, & omnes præuaricationes eorũ
cum omnibus peccatis eorum: & ponet eas ſuper ca-
put hirci, & mittet per manum viri, qui diu conſue-
uit ire in deſertum.*
22 *Et portabit hircus ſuper ſe omnes iniquitates eo-
rum in terram inhabitabilem, & dimittet hircum
in deſerto:*
23 *Veniet autem Aharon in tabernaculum eccleſiæ, &
exuet ſe veſtibus lineis, quibus induerat ſe, dum in-
grederetur Sanctuarium, & ponet eas ibi:*
24 *Lauabitque carnem ſuam aqua in loco ſancto, & in-
duet ſe veſtibus ſuis. Egredietur autem, & faciet ho-
locauſtum ſuum, & holocauſtum populi, & expiabit
pro ſe, & pro populo:*
25 *Adipem vero pro peccato ſuffire faciet ſuper alta-
re.*
26 *Qui vero dimiſit hircum pro capro emiſſario, laua-
bit veſtimenta ſua, & lauabit carnem ſuam aqua,
& poſtea ingredietur caſtra.*
27 *Vitulum autem pro peccato, & hircum pro peccato,
qui delatus eſt cum ſanguine eorum ad expiandum
in Sanctuario, educet extra caſtra, & comburet igni
pellem eorum, & carnes eorum, & fimum eo-
rum:*
28 *Et qui combuſſerit ea, lauabit veſtimenta ſua, &
lauabit carnem ſuam aqua, & poſtea ingredietur
caſtra.*
29 *Eritque vobis in ſtatutum perpetuum: Menſe ſepti-
mo, decima menſis affligetis animas veſtras, & omne
opus non facietis indigena, & peregrinus, qui peregri-
natur in medio veſtri.*
30 *In hac enim die expiabit vos ad mundandum vos
ab omnibus peccatis veſtris: coram Domino munda-
bimini.*
31 *Sabbatum enim requiei eſt vobis, & affligetis ani-
mas veſtras ſtatuto perpetuo.*
32 *Et expiabit ſacerdos quem vnget, vngens, & cu-
ius conſecrabit manum ad miniſtrandum pro pa-
tre ſuo: induetque ſe veſtibus lineis, veſtibus ſan-
ctitatis:*
33 *Et expiabit Sanctuarium ſanctitatis, & tabernacu-
lum eccleſiæ, & altaris expiabit, & ſacerdotes, &
cunctum populum expiabit.*

Erit-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

15 Et iugulabit hircũ, qui pro peccato, eũ qui pro populo ante Dominum, & inferet de ſanguine eius intra velũ, & faciet ſanguinem eius, quemadmodũ fecit ſanguinem vituli, & aſperget ſanguinem eius ſuper propitiatorium, ſecundum faciem propitiatorij:

16 Et exorabit Sanctum ab immunditijs filiorum Iſrael, & ab iniuſtitijs eorum pro omnibus peccatis eorum. Et ſic faciet tabernaculo teſtimonij, quod creatum eſt in eis in medio immunditiæ eorum.

17 Et omnis homo non erit in tabernaculo teſtimonij, ingrediente eo ad exorandum in Sancto, donec exierit, & exorabit pro ſeipſo, & domo ſua, & pro omni ſynagoga filiorum Iſrael.

18 Et egredietur ad altare, quod eſt ante Dominum, & exorabit ſuper illud, & ſumet de ſanguine vituli, & de ſanguine hirci, & imponet ſuper cornua altaris in circuitu:

19 Et aſperget ſuper illud de ſanguine ſepties digito, & mundabit illud, & ſanctificabit illud ab immunditijs filiorum Iſrael.

20 Et perficiet exorans Sanctum, & tabernaculum teſtimonij, & altare, & pro ſacerdotibus mundabit, & adducet hircum illum viuentem:

21 Et imponet Aaron manus ſuas ſuper caput hirci viuentis, & confitebitur ſuper eo omnes iniquitates filiorum Iſrael, & omnes iniuſtitias eorum: & imponet eas ſuper caput hirci viuentis, & emittet in manu hominis parati in eremum.

22 Et tollet hircus ſuper ſeipſum iniuſtitias eorum in terram inuiam, & emittet hircum in eremum.

23 Et egredietur Aaron in tabernaculum teſtimonij, & exuet ſtolam lineam, quam induerat, ingrediente eo in Sanctum, & deponet eam ibi:

24 Et lauabit corpus ſuum aqua in loco ſancto, & induet ſtolam ſuam. Et exiens faciet holocauſtũ ſuũ, & holocarpoma populi, & exorabit pro ſe, & pro domo ſua, & pro populo, ſicut pro ſacerdotibus:

25 Et adipem, qui pro peccatis, offeret ſuper altare.

26 Et qui emittit hircum ſegregatum in dimiſſionem, lauabit veſtimenta, & lauabit corpus ſuum aqua, & poſt hæc ingredietur in caſtra.

27 Et vitulum, qui pro peccato, & hircum, qui pro peccato, quorum ſanguis illatus eſt ad exorandum in Sancto, efferent ea extra caſtra, & comburent ea in igni, & pelles eorum, & carnes eorum, & fimum eorum:

28 Qui autem combuſſerit ea, lauabit veſtimenta, & lauabit corpus ſuum aqua, & poſt hæc ingredietur in caſtra.

29 Et erit hoc vobis legitimum ſempiternum: In menſe ſeptimo, in decima menſis, humiliabitis animas veſtras, & omne opus non facietis indigena, & proſelytus, qui appoſitus eſt in vobis.

30 In hac enim die exorabit pro vobis ad mundandum vos ab omnibus peccatis veſtris ante Dominum: & mundabimini.

31 Sabbata ſabbatorum, requies hæc erit vobis, & humiliabitis animas veſtras legitimum ſempiternum.

32 Exorabit ſacerdos, quem vnxerint eum, & quem conſummauerint manus eius ad fungendum ſacerdotio poſt patrem eius: & induet ſtolam lineam, ſtolam ſanctam:

33 Et exorabit Sanctum ſancti, & tabernaculum teſtimonij, & altare exorabit, & pro ſacerdotibus, & pro omni ſynagoga exorabit.

## Chald. Paraph. Tranſl.

15 *Immolabitque hircum, quod eſt pro peccato populi, & inferet ſanguinem eius intra velum, & faciet de ſanguine eius, ſicut fecit de ſanguine vituli, & aſperget eum ſuper propitiatorium, & coram propitiatorio:*

16 *Et expiabit ſuper Sanctuarium ab immunditijs filiorum Iſrael, & à præuaricationibus eorum cunctiſque peccatis eorum. Et ſic faciet tabernaculo fœderis, quod collocatur cum eis in medio contaminationum eorum.*

17 *Nulluſque vir ſit in tabernaculo fœderis, quando ingreditur, vt propitiet in Sanctuario, donec egrediatur, & propitiabit pro ſe, & pro hominibus domus ſuæ, & pro omni eccleſia Iſrael.*

18 *Egredieturque ad altare, quod eſt coram Domino, & expiabit illud, & tollet de ſanguine vituli, & de ſanguine hirci, & ponet ſuper cornua altaris per circuitum:*

19 *Et aſperget ſuper eum ſepties de ſanguine cum digito ſuo, & mundabit illud, & ſanctificabit illud ab immunditijs filiorum Iſrael.*

20 *Et poſtquam ceſſauerit expiare ſuper Sanctuarium, & ſuper tabernaculum fœderis, & ſuper altare, offeret hircum viuum:*

21 *Ponetque Aaron ambas manus ſuas ſuper caput hirci viui, & confitebitur ſuper eum omnes iniquitates filiorum Iſrael, & omnes præuaricationes eorum, omniaque peccata eorum: & dabit ea ſuper caput hirci, & mittet eum per manum viri parati, vt eat in ſolitudinem.*

22 *Portabitque hircus ſuper ſe omnes iniquitates eorum ad terram inhabitabilem, & dimittet hircum per ſolitudinem:*

23 *Et ingredietur Aaron tabernaculum fœderis, & exuet veſtimenta linea, quibus veſtitus fuerat, quando ingreſſus eſt in Sanctuarium, & reponet ea ibi:*

24 *Lauabitque carnem ſuam aquis in loco ſancto, veſtieturque veſtibus ſuis. Et egredietur, & faciet holocauſtum ſuum, & holocauſtum populi, & propitiabit pro ſe, & pro populo:*

25 *Adipem autem ſacrificij pro peccato adolebit ſuper altare.*

26 *Et qui duxerit hircum Azazel, lauabit veſtimenta ſua, & lauabit carnem ſuam aquis, & poſtea ingredietur in caſtra.*

27 *Vitulum autem pro peccato, & hircum, qui offertur pro peccato, quorum ſanguis illatus eſt ad expiandum in Sanctuario, efferent extra caſtra, & comburent igni pelles eorum, & carnes, & fimum eorum:*

28 *Et qui combuſſerit, ea lauabit veſtimenta ſua, lauabitque carnem ſuam aquis, & poſtea ingredietur in caſtra.*

29 *Eritque vobis in legitimum ſempiternum: In menſe ſeptimo, in decima die menſis affligetis animas veſtras, nullumque opus facietis, tam indigena, quã aduena qui peregrinantur inter vos.*

30 *Quia in hac die expiatio erit veſtri, vt mundemini ab omnibus peccatis veſtris: coram Domino mundabimini.*

31 *Sabbatum requietionis erit vobis, affligetiſque animas veſtras, legitimum ſempiternum erit.*

32 *Propitiabitque ſacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius oblatio oblata eſt, vt miniſtret pro patre ſuo: induetúrque veſtibus lineis veſtibus ſanctis:*

33 *Et expiabit ſuper Sanctuarium ſanctitatis, & ſuper tabernaculum federis, & ſuper altare quoque expiabit, & ſuper omnem populum eccleſiæ expiabit.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum, vt ore- 34
tus pro filijs Iſrael, & pro cunctis peccatis eorum ſe-
mel in anno. Fecit igitur, ſicut præceperat Domi-
nus Moyſi.

### CAP. XVII.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 1
Loquere Aaron, & filijs eius, & cunctis filijs Iſ- 2
rael, dicens ad eos: Iſte eſt ſermo, quem mandauit
Dominus dicens:
Homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bo- 3
uem, aut ouem, ſiue capram in caſtris, vel extra ca-
ſtra:
Et non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblatio- 4
nem Domino: ſanguinis reus erit: quaſi ſi ſan-
guinem fuderit, ſic peribit de medio populi
ſui.
Ideo ſacerdoti offerre debent filij Iſrael hoſtias 5
ſuas, quas occident in agro, vt ſanctificentur Domi-
no ante oſtium tabernaculi teſtimonij, & immolēt
eas hoſtias pacificas Domino.
Funderque ſacerdos ſanguinem ſuper altare Do- 6
mini ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & adolebit
adipem in odorem ſuauitatis Domino:
Et nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas dæ- 7
monibus, cum quibus fornicati ſunt. Legitimum
ſempiternum erit illis, & poſteris eorum.
Et ad ipſos dices: Homo de domo Iſrael, & de ad- 8
uenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit ho-
locauſtum, ſiue victimam:
Et ad oſtium tabernaculi teſtimonij, non addu- 9
xerit eam, vt offeratur Domino, interibit de po-
pulo ſuo.
Homo quilibet de domo Iſrael, & de aduenis, qui 10
peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem:
obfirmabo faciem meam contra animam illius, &
diſperdam eam de populo ſuo:
Quia anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi il- 11
lum vobis, vt ſuper altare in eo expietis pro anima-
bus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.
Idcirco dixi filijs Iſrael: Omnis anima ex vobis, 12
non comedet ſanguinem, nec ex aduenis, qui pere-
grinantur apud vos.
Homo quicumque de filijs Iſrael, & de aduenis, qui 13
peregrinantur apud vos ſi venatione, atque aucupio
ceperit feram, vel auem, quibus veſci licitum eſt:
fundat ſanguinem eius, & operiat illum terra.
* Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt: vnde 14
dixi filijs Iſrael: Sanguinem vniuerſæ carnis, non
comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: &
quicumque comederit illum, interibit.
Anima, quæ comederit morticinum, vel captum à 15
beſtia, tam de indigenis, quã de aduenis, lauabit veſ-
timenta ſua, & ſemetipſum aqua, & cõtaminatus e-
rit vſque ad veſperum: & hoc ordine mundus fiet.
Quod ſi non lauerit veſtimenta ſua, & corpus por- 16
tabit iniquitatem ſuam.

* Gen. 9. 4. Sup. 7. 26.

### CAP. XVIII.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 1
Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos. Ego Do- 2
minus Deus veſter.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Eritque hoc vobis in ſtatutum perpetuum ad ex-
piandum filios Iſrael ab omnibus peccatis ſuis ſe-
mel in anno. Feciique ſecundum, quod præcepit Do-
minus Moſeh.*

### *CAP. XVII.*

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *Loquere ad Aharon, & ad filios eius, & ad om-
nes filios Iſrael, diceſque ad eos: Iſtud eſt verbum,
quod præcepit Dominus, dicendo:*
3 *Quicumque è domo Iſrael mactauerit bouem, vel
agnum, vel caprã in caſtris, vel qui mactauerit ex-
tra caſtra:*
4 *Et ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, non adduxerit
eum ad offerendum oblationem Domino, coram ta-
bernaculo Domini: ſanguis reputabitur viro ipſi: ip-
ſe ſanguinem fudit, & excidetur vir è medio po-
puli ſui.*
5 *Vt adducant filij Iſrael ſacrificia ſua, quæ ſacrifi-
cant coram agro, & adducant ea Domino ad oſtium
tabernaculi eccleſiæ ad ſacerdotem, & ſacrificent ſa-
crificia pacificorum Domino ea.*
6 *Spargetque ſacerdos ſanguinem ſuper altare Domi-
ni, ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & ſuffire faciet a-
dipem in odorem quietis Domino:*
7 *Et non ſacrificabunt adhuc ſacrificia ſua dæmoni-
bus poſt quos fornicantur. Statutum perpetuum erit
hoc in generationibus eorum.*
8 *Et ad ipſos dices: Quicumque è domo Iſrael, & è
peregrinis, qui peregrinantur in medio veſtri obtule-
rit holocauſtum, vel ſacrificium:*
9 *Et ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, non adduxerit il-
lud ad faciendum illud Domino, excidetur vir ipſe
è populo ſuo.*
10 *Et quicumque è domo Iſrael, & è peregrinis, qui pe-
regrinantur in medio eorum comederit omnem ſan-
guinem: ponam faciem meam in animam comeden-
tem ſanguinem, & excidam eam è medio populi
ſui:*
11 *Quia anima carnis in ſanguine eſt: ego autem dedi
eum vobis ſuper altare ad expiandum animas veſ-
tras, quia ſanguis ipſe animam expiabit.*
12 *Idcirco dixi filijs Iſrael: Omnis anima ex vobis, non
comedet ſanguinem, & qui peregrinando peregrina-
tur in medio veſtri, non comedet ſanguinem.*
13 *Et quicumque è filijs Iſrael, & è peregrinis, qui pe-
regrinantur in medio veſtri, venatus fuerit venatio-
ne beſtiam, vel auem, quæ comeditur: effundet ſan-
guinem eius, & operiet illum puluere.*
14 *Quia anima omnis carnis ſãguis eius in anima eius
eſt: dixique filijs Iſrael: Sanguinem omnis carnis,
nõ comedetis, quia anima omnis carnis ſanguis eius
eſt: omnis, qui comederit illum excidetur.*
15 *Omnis autem anima, quæ comederit cadauer, & rap-
tum laniatum, tam de indigenis, quam de peregrinis
lauabit veſtimenta ſua, & lauabit ſe aqua, & im-
mundus erit vſque ad veſperam: & mundus erit.*
16 *Et ſi non lauerit ſe, & carnem ſuam non lauerit,
portabit pœnam iniquitatis ſuæ.*

### *CAP. XVIII.*

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos. Ego Do-
minus Deus veſter.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

34 Et erit hoc vobis legitimum ſempiternum ad exorandum pro filijs Iſrael ab omnibus peccatis eorum. Semel in anno fiet, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

### CAP. XVII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnes filios Iſrael, & dices ad eos: Hoc eſt verbum, quod mandauit Dominus, dicens:
3 Homo, homo filiorum Iſrael, vel proſelytorum, qui appoſiti ſunt in vobis, quicumque iugulauerit vitulum, aut ouem, aut capram in caſtris, & quicumque iugulauerit extra caſtra:
4 Et ad oſtium tabernaculi teſtimonij, non attulerit, vt faciat illud in holocauſtum, vel ſalutare Domino, acceptum in odorem ſuauitatis: & quicumque iugulauerit extra, & ad oſtium tabernaculi teſtimonij, non attulerit illud, vt offerat munus Domino ante tabernaculum Domini: & imputabitur homini illi ſanguis: ſanguinem effudit, diſperdetur anima illa ex populo ſuo.
5 Vt offerant filij Iſrael ſacrificia ſua, quæcumque ipſi iugulauerint in campis, & ferent Domino ad oſtia tabernaculi teſtimonij ad ſacerdotem, & ſacrificabunt ſacrificium ſalutaris Domino ea.
6 Et effundet ſacerdos ſanguinem ſuper altare in circuitu ante Dominum apud ianuas tabernaculi teſtimonij, & offeret adipem in odoré ſuauitatis Dño:
7 Et non ſacrificabunt amplius ſacrificia ſua vanis, quibus exfornicãtur poſt eos Legitimum ſempiternum erit vobis in progenies veſtras.
8 Et dices ad eos: Homo, homo filiorum Iſrael, vel de filijs proſelytorum, qui appoſiti ſunt in vobis, quicũque fecerit holocauſtum, vel ſacrificium:
9 Et ad oſtium tabernaculi teſtimonij, non attulerit, vt faciat illud Domino, diſperdetur homo ille de populo ſuo.
10 Et homo, homo filiorum Iſrael, aut de proſelytis, qui appoſiti ſunt in vobis, quicumque ederit omnem ſanguinem: & ſtatuam faciem meam ſuper animam, quæ manducat ſanguinem, & perdam illam de populo ſuo:
11 Anima enim omnis carnis, ſanguis eius eſt: & ego dedi illud vobis ad altare ad exorandũ pro animabus veſtris, ſanguis enim eius pro anima exorabit.
12 Propterea dixi filijs Iſrael: Omnis anima ex vobis, non edet ſanguinem, & proſelytus, qui appoſitus eſt in vobis, non edet ſanguinem.
13 Et homo, homo filiorum Iſrael, vel proſelytorũ, qui appoſiti ſunt in vobis, quicumque venatus fuerit venationem, beſtiam, vel volatile, quod comedet: & effundet ſanguinem, & operiet eum terra.
14 Anima enim omnis carnis ſanguis eius eſt: & dixi filijs Iſrael: Sanguinem omnis carnis, non manducabitis, quoniam anima omnis carnis ſanguis eius eſt: omnis qui comedit illum, exterminabitur.
15 Et omnis anima, quæcumque comedet morticinũ, vel à fera captum in indigenis, vel in proſelytis, lauabit veſtimenta ſua, & lauabitur aqua, & immundus erit vſque in veſperam: & mundus erit.
16 Si autem non abſterſerit veſtimenta, & corpus non lauerit aqua, & accipiet iniquitatem ſuam.

### CAP. XVIII.

1 ET ait Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos. Ego Dominus Deus veſter.

## Chald. Paraph. Tranſl.

34 *Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum ad propitiandum pro filijs Iſrael ab omnibus peccatis eorum ſemel in anno. Fecitque ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

### CAP. XVII.

1 *LOcutuſque Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Loquere cum Aaron, & cum filijs eius, & cum omnibus filijs Iſrael, & dices eis: Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, dicens:*
3 *Vir, vir de domo Iſrael, qui occiderit bouem, aut agnum, ſiue capram in caſtris, aut qui occiderit extra caſtra:*
4 *Et ad oſtium tabernaculi fœderis, non adduxerit illud, vt offeratur in oblationem coram Domino, coram tabernaculo Domini: ſanguis reputabitur illi viro: ſanguinem fudit, & peribit homo ille de medio populi ſui.*
5 *Vt afferant filij Iſrael ſacrificia ſua, quæ ſacrificant ſuper faciem agri: afferantque ea Domino ad oſtium tabernaculi fœderis ad ſacerdotem, & immolent hoſtias ſanctas coram Domino.*
6 *Aſpergetque ſacerdos ſanguinem ſuper altare Domini in oſtio tabernaculi fœderis, & adolebit adipem, vt ſuſcipiatur voluntariè coram Domino:*
7 *Et non ſacrificabunt vltra ſacrificia ſua dæmonibus poſt quos ipſi errant. Legitimum ſempiternum erit hoc illis in generationibus ſuis.*
8 *Et ad ipſos dices: Vir, vir de domo Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, qui obtulerit holocauſtum ſiue victimam ſanctificatam:*
9 *Et ad oſtium tabernaculi fœderis, non adduxerit eam, vt faciat eam coram Domino, exterminabitur homo ille de medio populi ſui.*
10 *Et vir, vir de domo Iſrael, & de peregrinis, qui peregrinantur inter eos, qui comederit omnem ſanguinem: ponam furorem meum in homine, qui comederit ſanguinem, & diſperdam eum de medio populi ſui:*
11 *Quoniam anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi eum vobis ad expiandum ſuper altare pro animabus veſtris, quia ſanguis pro anima expiat.*
12 *Idcirco dixi filijs Iſrael: Omnis homo ex vobis, non comedet ſanguinem, & peregrini, qui peregrinantur inter vos, non comedent ſanguinem.*
13 *Et vir, vir de filijs Iſrael, & de peregrinis, qui peregrinantur inter eos, qui venatus fuerit venationem beſtiæ, aut auis, quibus veſci licitum eſt: fundet ſanguinem eius, & operiet eum terra.*
14 *Anima enim omnis carnis in ſanguine eius eſt: & ego dixi filijs Iſrael: Sanguinem omnis carnis, non comedetis, quoniam anima omnis carnis in ſanguine eius eſt: omnis, qui comederit eum peribit.*
15 *Et omnis, qui comederit morticinium, vel confractũ à beſtia de indigenis, vel aduenis, lauabit veſtimenta ſua, & lauabitur aqua, & erit immundus vſque ad veſperam: & erit mundus.*
16 *Si autem non lauauerit veſtimenta, neque carnem ſuam lauauerit, ſuſcipiet iniquitatem ſuam.*

### CAP. XVIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos. Ego ſum Dominus Deus veſter.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

3 Iuxta conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.

4 Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus veſter.

*Rom. 10. 5. Ezec. 20. 11. Gal. 3. 12.

5 * Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus.

6 Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui, non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Dominus.

7 Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ, non diſcooperies: mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.

8 Turpitudinem vxoris patris tui, non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt.

9 Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non reuelabis.

10 Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non reuelabis: quia turpitudo tua eſt.

11 Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non reuelabis.

12 Turpitudinem ſororis patris tui, non diſcooperies: quia caro eſt patris tui.

13 Turpitudinem ſororis matris tuæ, non reuelabis, eo quod caro ſit matris tuæ.

14 Turpitudinem patrui tui, nõ reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur.

15 Turpitudinem nurus tuæ, non reuelabis: quia vxor filij tui eſt, nec diſcooperies ignominiam eius.

16 Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt.

17 Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filij eius, & filium filiæ illius non ſumes, vt reueles ignominiam eius: quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt.

18 Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius, non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.

19 Ad mulierem, quæ patitur menſtrua, non accedes, nec reuelabis fœditatem eius.

20 Cum vxore proximi tui, non coibis, nec ſeminis commixtione maculaberis.

*Inf. 20. 2.

21 * De ſemine tuo, non dabis, vt conſecretur idolo Moloch, nec polluet nomen Dei tui. Ego Dominus.

22 Cum maſculo, non commiſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt.

*Inf. 20. 16.

23 Cum omni pecore, non coibis, nec maculaberis cum eo. * Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſcebitur ei: quia ſcelus eſt.

24 Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes, quas ego eijciam ante conſpectum veſtrum:

25 Et quibus polluta eſt terra: cuius ego ſcelera viſitabo, vt euomat habitatores ſuos.

26 Cuſtodite legitima mea, atque iudicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis, tam indigena, quam colonus, qui peregrinantur apud vos.

27 Omnes enim execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Secundum opus terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis. & ſecundum, opus terræ Chenahan ad quã ego adduco vos, non facietis, & in ſtatutis eorum, nõ ambulabitis.*

4 *Iudicia mea facietis, & ſtatuta mea ſeruabitis, vt ambuletis in eis. Ego Dominus Deus veſter.*

5 *Cuſtodite autem ſtatuta mea, & iudicia mea, quæ faciet homo, & viuet in eis. Ego Dominus.*

6 *Nullus ad propinquam carnis ſuæ accedet ad reuelandum turpitudinem. Ego Dominus.*

7 *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ, non reuelabis: mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.*

8 *Turpitudinem vxoris patris tui, non reuelabis: turpitudo patris tui eſt.*

9 *Turpitudinem ſororis tuæ filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, quæ genita eſt domi, vel genita eſt foris, non reuelabis turpitudinem earum.*

10 *Turpitudinem filiæ filij tui, vel filiæ filiæ tuæ, non reuelabis turpitudinem earum: quia turpitudo tua ſunt.*

11 *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quæ genita eſt à patre tuo, ſoror tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.*

12 *Turpitudinem ſororis patris tui, non reuelabis: propinqua patris tui eſt.*

13 *Turpitudinem ſororis matris tuæ, non reuelabis, quia propinqua matris tuæ eſt.*

14 *Turpitudinem fratris patris tui, non reuelabis, ad vxorem eius, non accedes, vxor fratris patris tui eſt.*

15 *Turpitudinem nurus tuæ, non reuelabis: vxor filij tui eſt, non reuelabis turpitudinem eius.*

16 *Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis: turpitudo fratris tui eſt.*

17 *Turpitudinem vxoris, & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ eius, non accipies ad reuelandum turpitudinem eius: caro tua ſunt, ſcelus eſt.*

18 *Vxorem cum ſorore ſua, non accipies, ad laceſſendum, ad reuelandum turpitudinem eius ſuper eam ipſa viuente.*

19 *Ad mulierem autem in menſtrua immunditiæ ſuæ, non accedes ad reuelandum turpitudinem eius.*

20 *Vxori proximi tui, non dabis concubitum tuum in ſemine ad polluendum eam.*

21 *Et à ſemine tuo, non dabis ad faciendum tranſire ad Molech, & non pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.*

22 *Cum maſculo autem, non coibis coitu muliebri, abominatio eſt.*

23 *Et cum omni iumento, non dabis coitum tuum, vt polluas te cum eo. Et mulier, non ſtabit ante iumentum in coitu: turpitudo eſt.*

24 *Ne polluamini in omnibus his, in his enim omnibus polluerunt ſe gentes, quas ego emitto à facie veſtra:*

25 *Et polluit ſe terra: & viſitabo iniquitatem eius ſuper eam, & euomet terra habitatores eius.*

26 *Cuſtodite autem vos ſtatuta mea, & iudicia mea, & non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis, indigena, & peregrinus, qui peregrinatur in medio veſtri.*

27 *Omnes enim abominationes iſtas fecerunt homines terræ ante vos, & polluit ſe terra.*

## Tranſl. ex Septuag.

3 Secundum inſtituta Ægypti, in qua habitaſtis in ea, non facietis: & ſecundum inſtituta terræ Chanaan, in quam ego induco vos illuc, non facietis, & in legitimis eorum non ambulabitis.

4 Iudicia mea facietis, & præcepta mea cuſtodietis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus veſter.

5 Et cuſtodietis omnia præcepta mea, & omnia iudicia mea, & facietis ea, quæ ſi fecerit ea homo, viuet in eis. Ego Dominus Deus veſter.

6 Homo, homo ad omnia domeſtica carnis ſuæ, non ingredietur ad reuelandam turpitudinem Ego Dominus.

7 Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non reuelabis: mater enim tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.

8 Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis: turpitudo patris tui eſt.

9 Turpitudinem ſororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi nata eſt, vel quæ foris nata eſt, non reuelabis turpitudinem earum.

10 Turpitudinem filiæ filij tui, vel filiæ filiæ tuæ, non reuelabis turpitudinem earum: quoniam turpitudo tua eſt.

11 Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, non reuelabis, ex eodem patre ſoror tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.

12 Turpitudinem ſororis patris tui, non reuelabis: domeſtica enim patris tui eſt.*

13

*Quæ deberet correſpondere numero 13. non habentur in Biblijs Septuag. Romæ editis & licet habeantur in Regia addita videntur, vt correſponderet vulgatæ.

14 *Turpitudinem fratris patris tui, nõ reuelabis, & ad vxorem eius, non introibis, cognata enim tua eſt.

15 Turpitudinem nurus tuæ, non reuelabis: vxor enim filij tui eſt, non reuelabis turpitudinem eius.

16 Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis: turpitudo fratris tui eſt.

17 Turpitudinem vxoris, & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ eius, non accipies ad reuelandum turpitudinem earum: domeſticæ enim tuæ ſunt, impium factum eſt.

18 Vxorem ſuper ſororem eius, non accipies pellicem ad reuelandam turpitudinem eius ſuper eam, adhuc viuente ea.

19 Et ad mulierem in ſegregatione immunditiæ eius, non accedes reuelare turpitudinem eius.

20 Et ad vxorem proximi tui, non dabis concubitum ſeminis tui, inquinari ad eam.

21 Et à ſemine tuo, non dabis ſeruire Principi, & non prophanabis nomen Sanctum. Ego Dominus.

22 Et cum maſculo, non cubabis concubitum muliebrem, abominatio enim eſt.

23 Et ad omne quadrupes, non dabis concubitum tuum in ſeminationem, vt inquineris ad illud. Et mulier non ſtabit ad omne quadrupes, vt inſcendatur: ſceleſtum enim eſt.

24 Ne inquinemini in omnibus his, in omnibus enim his inquinatæ ſunt gentes, quas ego emitto à facie veſtra:

25 Et inquinata eſt terra: & retribui iniuſtitiam ipſis propter eam, & exhorruit terra eos, qui inſident ſuper eam.

26 Et cuſtodietis omnia legitima mea, & omnia præcepta mea, & non facietis de omnibus abominationibus his, indigena, & additus proſelytus in vobis.

27 Omnes enim abominationes has fecerunt homines terræ, qui erant ante vos, & inquinata eſt terra.



## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Iuxta opera populi terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis: & iuxta opera populi terræ Chanaan ad quam vos introducturus ſum, non facietis, neque in legitimis eorum ambuletis.*

4 *Iudicia enim mea facietis, & pacta mea ſeruabitis, vt ambuletis in eis. Ego Dominus Deus veſter.*

5 *Cuſtodietiſque pacta mea, & iudicia mea, quæ faciens homo viuet in eis vita ſempiterna. Ego Dominus.*

6 *Vir, vir ad omnem proximam carnis ſuæ, non accedet, vt reuelet turpitudinem. Ego Dominus.*

7 *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ, non diſcooperies: mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.*

8 *Turpitudinem vxoris patris tui, non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt.*

9 *Turpitudinem ſororis tuæ filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, quæ genita eſt à patre tuo ex alia vxore, aut à matre tua ex alio viro, non diſcooperies turpitudinem earum.*

10 *Turpitudinem filiæ filij tui, aut filiæ filiæ tuæ, non reuelabis turpitudinem earum: quia turpitudo tua eſt.*

11 *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quæ genita eſt à patre tuo, non reuelabis, quia ſoror tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.*

12 *Turpitudinem ſororis patris tui, non diſcooperies: conſanguinea enim patris tui eſt.*

13 *Turpitudinem ſororis matris tuæ, non reuelabis, quia conſanguinea matris tuæ eſt.*

14 *Turpitudinem patrui tui, non reuelabis, ad vxorem eius, non accedes, vxor enim patrui tui eſt.*

15 *Turpitudinem nurus tuæ, non reuelabis: vxor enim filij tui eſt, non diſcooperies turpitudinem eius.*

16 *Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt.*

17 *Turpitudinem mulieris, & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filij eius, aut filiam filiæ eius, non accipies, vt reueles turpitudinem eius: conſanguineæ enim ſunt, conſilium peccatorum eſt.*

18 *Et vxorem cum ſorore ſua, non accipies, vt ſit ei in tribulationem, nec diſcooperies turpitudinem illius, illa viuente.*

19 *Et ad mulierem in menſtruo immunditiæ ſuæ, non accedes, ne reueles turpitudinem eius.*

20 *Et cum vxore proximi tui, non cubabis, vt ſeminis commixtione contamineris in ea.*

21 *Et de ſemine tuo, non dabis, vt transferatur ad Moloch, & non violabis nomen Domini Dei tui. Ego Dominus.*

22 *Et cum maſculo, non coibis coitu muliebri, abominatio enim eſt.*

23 *Et cum omni iumento, non coibis, vt contamineris cum eo. Neque mulier ſtabit coram iumento, vt ſuccumbat ei: ſcelus enim eſt.*

24 *Ne polluamini in omnibus his, quia in omnibus his contaminati ſunt populi, quos ego eijciam ante conſpectum veſtrum:*

25 *Et contaminata eſt terra: & viſitaui ſcelus eius ſuper eam, & euomuit terra habitatores ſuos.*

26 *Vos autem cuſtodietis legitima mea, & iudicia mea, & non facietis ex omnibus abominationibus iſtis, nec indigenæ, nec peregrini, qui peregrinantur inter vos.*

27 *Omnes enim abominationes iſtas fecerunt viri terræ, qui fuerunt ante vos, & polluta eſt terra.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

28 Cauete ergo ne & vos ſimiliter euomat, cum pa-
ria feceritis, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante
vos.
29 Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his
quippiam, peribit de medio populi ſui.

30 Cuſtodite mandata mea. Nolite facere, quæ fece-
runt hi, qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in
eis. Ego Dominus Deus veſter.

### CAP. XIX.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere ad omnem cœtum filiorum Iſrael, &
* 1. Pet. 1. Sup. 11. 44. dices ad eos: * Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum,
Dominus Deus veſter.
3 Vnuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam ti-
meat. Sabbata mea cuſtodite. Ego Dominus Deus
veſter.
4 Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles facia-
tis vobis. Ego Dominus Deus veſter.
5 Si immolaueritis hoſtiam pacificorum Domino, vt
ſit placabilis:
6 Eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die
altero: quidquid autem reſiduum fuerit in diem
tertium, igne comburetis.
7 Si quis poſt biduum comederit ex ea, profanus erit,
& impietatis reus:
8 Portabitque iniquitatem ſuam, quia Sanctum Do-
mini polluit, & peribit anima illa de populo
ſuo.
9 * Iuſt. 23. 22. * Cumque meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tonde-
bis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ: nec rema-
nentes ſpicas colliges.
10 Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia
congregabis, ſed pauperibus, & peregrinis carpen-
da dimittes. Ego Dominus Deus veſter.

11 Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet
vnuſquiſque proximum ſuum.
12 * Exo. 20. 7. * Non periurabis in nomine meo, nec pollues no-
men Dei tui. Ego Dominus.

13 * Eccl. 10. * Non facies calumniam proximo tuo, nec vi op-
* Deu. 24. 14. primes eum. * Non morabitur opus mercenarij tui
Tob. 4. 15. apud te vſque manè.
14 Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offen
diculum: ſed timebis Dominum Deum tuum.
Quia ego ſum Dominus.
15 Non facies, quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis.
* Deut. 1. 17. & 16. 19. * Non conſideres perſonam pauperis nec honores
vultum potentis. Iuſtè iudica proximo tuo.
16 Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Nõ ſta-
bis contra ſanguinem proximi tui. Ego Dominus.
17 * 1. Ioan. 2. 11. & 3. 15. Eccl. 19. 13. * Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publi-
cè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.

18 * Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ci-
* Luc. 17. * Matt. 5. 43. 22. 40. Rom. 13. 9 uium tuorum. * Diliges amicum tuum, ſicut teip-
ſum. Ego Dominus.
19 Leges meas cuſtodite. Iumentum tuum non facies
coire cum alterius generis animantibus. Agrum
tuum non ſeres diuerſo ſemine. Veſte, quæ ex duo-
bus texta eſt, non indueris.
20 Homo ſi dormierit cum muliere coitu ſeminis,
quæ ſit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non
redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo,
& non morientur, quia non fuit libera.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et non euomat terra vos, dum contaminaueritis
eam ſecundum quod euomuit gentem, quæ fuit an-
te vos.*
29 *Omnis enim, qui fecerit, ex omnibus abominationi-
bus iſtis excidetur anima facientes è medio populi
ſui.*
30 *Cuſtodite autem cuſtodiam meam. Vt non faciatis
è ſtatutis abominationum, quæ facta ſunt ante vos,
& non polluatis vos in eis. Ego Dominus Deus veſ-
ter.*

### CAP. XIX.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *Loquere ad omnem cœtum filiorum Iſrael, &
dices ad eos: Sancti eritis, quia ſanctus ſum Domi-
nus Deus veſter.*
3 *Vnuſquiſque matrem ſuam, & patrem ſuum ti-
meat. Et ſabbata mea ſeruabitis. Ego Dominus
Deus veſter.*
4 *Ne vertatis vos ad idola, & deos fuſiles, non facietis
vobis. Ego Dominus Deus veſter.*
5 *Et ſi ſacrificaueritis ſacrificium pacificorum Domi-
no, ſecundum beneplacitum veſtrum ſacrificabitis:*
6 *In die quo ſacrificaueritis comedetur in craſtino:
quod autem ſupereſt vſque ad diem tertium, igni
comburetur.*
7 *Et ſi comedendo comeſtum fuerit in die tertio, pro-
phanatum eſt, non placebit:*
8 *Qui vero comederit illud pœnam iniquitatis ſuæ
portabit, quia Sanctitatem Domini polluit, & exci-
detur anima ipſa è populo ſuo.*
9 *Cum autem meſſueris meſſē terræ tuæ, non finies an-
gulum agri tui in metendo: & ſpicas remanentes
meſſis tuæ non colliges.*
10 *Et vineæ tuæ non colliges racemos, & baccas vineæ
tuæ non colliges, pauperi, & peregrino relinques eas.
Ego Dominus Deus veſter.*

11 *Non furabimini, & non negabitis. Et non mentiemi-
ni vnuſquiſque proximo ſuo.*
12 *Et non iurabitis in nomine meo mendaciter, & ne
polluas nomen Dei tui. Ego Dominus.*

13 *Non vim inferes proximo tuo, & non prædaberis.
Non morabitur opus mercenarij apud te vſque ma-
nè.*
14 *Non maledices ſurdo, & coram cæco, non pones of-
fendiculum: ſed timebis à Deo tuo. Ego Domi-
nus.*
15 *Non facies iniquitatem in iudicio. Non ſuſcipies fa-
ciem pauperis, & non honorabis faciem magni. In
iuſtitia iudicabis proximum tuum.*
16 *Non ibis fraudulenter in populo tuo Non ſtabis con-
tra ſanguinem proximi tui. Ego Dominus.*
17 *Ne odio habeas fratrem tuum in corde ſuo, corripien-
do corripies proximum tuum, & ne ſuſcipias ſuper
illo peccatum.*
18 *Non vleiſceris te, & non ſeruabis odium cum filijs
populi tui. Sed diliges proximum tuum, ſicut teip-
ſum. Ego Dominus.*
19 *Statuta mea cuſtodietis. Iumentum tuum non fa-
cies coire mixtim. Agrum tuum, non feres mixtim.
Et veſtes mixtim etherogenea, non aſcendet ſuper
te.*
20 *Vir autem cum dormierit cum muliere coitu ſemi-
nis, & fuerit ancilla deſponſata viro, & redimendo
non fuerit redempta, & manumiſſio non eſt data ei:
vapulabitur, non morientur, quia non eſt libertate
donata.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

28 Et vt non exhorreſcat vos terra, dum vos illam inquinatis; quemadmodum exhorruit gentes, quæ ante vos.

29 Quoniam omnis, quicumque fecerit de omnibus abominationibus his, exterminabuntur animæ, quæ faciunt, de populo ſuo.

30 Et cuſtodietis præcepta mea. Vt non faciatis de omnibus legitimis abominatis, quæ facta ſunt ante vos, & non inquinabimini in eis. Quoniam ego Dominus Deus veſter.

### CAP. XIX.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere ſynagogæ filiorum Iſrael, & dices ad eos: Eſtote ſancti, quia ſanctus ego Dominus Deus veſter.

3 Vnuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. Et ſabbata mea cuſtodietis. Ego Dominus Deus veſter.

4 Non ſequimini idola, & deos fuſiles non facietis vobis. Ego Dominus Deus veſter.

5 Et, ſi ſacrificetis ſacrificium ſalutaris Domino, acceptum veſtrum ſacrificabitis:

6 Qua vtique die ſacrificabitis, comedetur, & craſtina: & ſi reſiduum fuerit vſque in diem tertiam, in igni comburetur.

7 Si autem manducatione manducatum fuerit die tertia, inſacrificabile eſt, non acceptabitur:

8 Qui autem mãducat illud, peccatum accipiet, quoniam ſancta Domini prophanauit, & diſperdentur animæ, quæ comederint, de populo ſuo.

9 Et permetentibus vobis meſſem terræ veſtræ, non perficietis meſſem veſtram agri tui per metere: & quæ de meſſione tua deciderint, non colliges.

10 Et vineam tuam non reuindemiabis, neque grana vineæ tuæ colliges, mendico, & proſelyto derelinques ea. Ego ſum Dominus Deus veſter.

11 Non furtum facietis. Non mentiemini, neque calũniam faciet vnuſquiſque proximo ſuo.

12 Non iurabitis nomine meo ſuper iniuſto, & non prophanabitis nomen ſanctum Dei veſtri. Ego ſum Dominus Deus veſter.

13 Non nocebis proximo, & non rapies. Non dormiet merces mercenarij tui vſque mane.

14 Non maledices ſurdum, & ante cæcum non appones ſcandalum: & timebis Dominum Deum tuum. Ego ſum Dominus Deus veſter.

15 Non facietis iniuſtum in iudicio. Non ſumes faciẽ mendici, neque admiraberis faciem potentis. In iuſtitia iudicabis proximum tuum.

16 Non ambulabis dolo in gente tua. Non inſtabis in ſanguinem proximi tui. Ego ſum D*ñ*s Deus veſter.

17 Non odio habebis fratrem tuum animo tuo, arguendo argues proximum tuum, & non accipies propter illum peccatum.

18 Et non vindicabitur manus tua, & non iraſceris filijs populi tui. Et diliges proximum, ſicut teipſum. Ego ſum Dominus.

19 Legem meam cuſtodietis. Pecora tua non dabis in admiſſuram animali diuerſi generis. Et vineam tuã non ſeminabis differentem. Et veſtimẽtum ex duobus textum adulteratum, non iniicies tibi ipſi.

20 Et ſi quis cubuerit cum muliere cubitum ſeminis, & hæc fuerit famula reſeruata homini, & hæc redemptionibus redempta non eſt, libertas ei data non eſt: animaduerſio erit eis, non morientur, quia in libertatem vindicata non eſt.

## Chald. Paraph. Tranſl.

28 *Et non euomat vos terra cùm contaminaueritis eam; ſicut euomuit populos, qui fuerunt ante vos.*

29 *Quia omnis, qui fecerit ex omnibus abominationibus iſtis, exterminabuntur animæ, quæ fecerint talia de medio populi ſui.*

30 *Cuſtodietiſque cuſtodiam verbi mei. Vt non faciatis de moribus abominabilibus, qui facti ſunt ante vos, & polluamini in eis. Ego Dominus Deus veſter.*

### CAP. XIX.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum omni cœtu filiorum Iſrael, & dices eis: Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.*

3 *Vnuſquiſque matrem ſuam, & patrem ſuum timebit. Et dies ſabbatorum meorum cuſtodietis. Ego Dominus Deus veſter.*

4 *Nolite reſpicere ad idola, neque deos conflatiles facietis vobis. Ego Dominus Deus veſter.*

5 *Et ſi immolaueritis hoſtiam ſanctificatam coram Domino, voluntariè immolabitis eam:*

6 *In die qua immolabitur comedetur, & ſequenti die: quod autem reliquum fuerit vſque in diẽ tertium, igni comburetur.*

7 *Et ſi comeſtum fuerit in die tertio, abominatio erit, non erit placabile:*

8 *Et qui comederit ex eo ſuſcipiet iniquitatem ſuam, quoniam ſanctum Domini prophanabit, & exterminabitur homo ille de populo ſuo.*

9 *Cumque meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non conſumabis metere angulum agri tui: neque recolliges remanentes ſpicas meſſis tuæ.*

10 *Neque in vinea tua colliges racemos poſt vindemiã remanentes, neque grana decidentia vineæ tuæ congregabis, ſed pauperibus, & peregrinis dimittes ea. Ego Dominus Deus veſter.*

11 *Non facietis furtum. Et non negabitis, neque mẽtiemini vnuſquiſque contra proximum ſuum.*

12 *Nec iurabitis in nomine meo falsè, neque prophanabis nomen Domini Dei tui. Ego Dominus.*

13 *Non facies calumniam proximo tuo, neq; vi aliquid ſuorum accipies. Non manebit merces mercenarij apud te vſque manè.*

14 *Non maledicas ei, qui non audit, & coram non vidente non panas offendiculum: & timebis Dominum Deum tuum. Ego Dominus.*

15 *Non facietis falſitatem in iudicio. Neque accipies faciem pauperis, nec honorabis faciem principis. In veritate iudicabis proximum tuum.*

16 *Non eris criminator in populo tuo. Neque ſtabis contra ſanguinem proximi tui. Ego Dominus.*

17 *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, arguens argues proximum tuum, & non ſuſcipies pro eo peccatum.*

18 *Non quæras vltionem, neque obſeruabis inimicitias filijs populi tui. Dilígeſque proximum tuum, ſicut teipſum. Ego Dominus.*

19 *Pacta mea ſeruabitis. Iumenta tua nõ facias coire cũ alterius generis animãtibus. Agrũ tuũ non ſeres cõmixtione ſeminũ. Et veſtimentũ quod ex commixtione lanæ, & lini cõtextum eſt, nõ aſcẽdat ſuper te.*

20 *Et ſi vir cubuerit cum muliere coitu ſeminis, & ipſa eſt ancilla deſponſata viro, & redemptione, non eſt redempta argento, neque libellus libertatis datus eſt ei: vapulabit ipſa, non morietur, quia non eſt redempta.*

## Vulgat. Editio.

21 Pro delicto autem ſuo offeret Domino ad oſtium
tabernaculi teſtimonij arietem :
22 Orabitque pro eo ſacerdos,& pro peccato eius co-
ram Domino : & repropitiabitur ei, dimittetur que
peccatum .
23 Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in
ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum : po-
ma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec e-
detis ex eis .
24 Quarto autem anno omnis fructus eorum ſancti-
ficabitur laudabilis Domino .
25 Quinto autem anno comedetis fructus,congregan-
tes poma, quæ proferunt. Ego Dominus Deus veſ-
ter .
26 Non comedetis cum ſanguine. Non augurabimini:
nec obſeruabitis ſomnia .
27 Neque in rotundum attondebitis comam : nec ra-
detis barbam .
28 Et ſuper mortuo,non incidetis carnem veſtram,ne-
que figuras aliquas,aut ſtigmata facietis vobis. Ego
Dominus .
29 Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra ,
& impleatur piaculo .
30 Sabbata mea cuſtodite, & Sanctuarium meum me-
tuite.Ego Dominus .
31 Non declinetis ad magos , nec ab ariolis aliquid
ſciſcitemini, vt polluamini per eos . Ego Dominus
Deus veſter .
32 Coram cano capite conſurge , & honora perſonam
ſenis : & time Dominum Deum tuum . Ego ſum
Dominus.
* Exo.22. 21.
33 * Si habitauerit aduena in terra veſtra , & moratus
fuerit inter vos,non exprobretis ei :
34 Sed ſit inter vos quaſi indigena; & diligetis eum
quaſi voſmetipſos : fuiſtis enim & vos aduenæ in
terra Ægypti.Ego Dominus Deus veſter .
35 Nolite facere iniquum aliquid in iudicio , in regu-
la,in pondere,in menſura .
36 Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius ,
æquuſque ſextarius. Ego Dominus Deus veſter,qui
eduxi vos de terra Ægypti .
37 Cuſtodite omnia præcepta mea , & vniuerſa iudi-
cia,& facite ea.Ego Dominus .

### CAP. XX.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens :
2 Hæc loqueris filijs Iſrael : Homo de filijs Iſ-
* Sup. 18. 21.
rael , & de aduenis, qui habitant in Iſrael, * ſi quis
dederit de ſemine ſuo idolo Moloch,morte moria-
tur: populus terræ lapidabit eum .
3 Et ego ponam faciem meam contra illum , ſucci-
damque eum de medio populi ſui;eo quod dederit
de ſemine ſuo Moloch,& contaminauerit Sanctua-
rium meum,ac polluerit nomen ſanctum meum .
4 Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi paruipē-
dens imperium meum,dimiſerit hominē,qui dedit
de ſemine ſuo Moloch,nec voluerit eum occidere :
5 Ponam faciem meam ſuper hominem illum, & ſu-
per cognationem eius : ſuccidamque & ipſum , &
omnes, qui conſenſerunt ei,vt fornicaretur cū Mo-
loch,de medio populi ſui .
6 Anima , quæ declinauerit ad magos , & ariolos , &
fornicata fuerit cum eis; ponam faciem meam con-
tra eam , & interficiam illam de medio populi
ſui .

San-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Adducet autem oblationem pro delicto ſuo Domino*
*ad oſtium tabernaculi eccleſia arietem pro delicto :*
22 *Et expiabit ipſum ſacerdos per arietem pro delicto*
*coram Domino peccatum eius,quod peccauit:& pro-*
*pitiabitur ei ſuper peccato ſuo,quod peccauit .*
23 *Et quum ingreſſi fueritis terram , & plantaueritis*
*omnem arborem ferentem fructum, auferetis præpu-*
*tia eius: & fructum eius,tribus annis erit vobis præ-*
*putij amputatio,non comedetur eius fructus .*
24 *Quarto autem anno erit omnis fructus eius ſan-*
*ctus,laudabilis Domino .*
25 *Anno vero quinto comedetis fructum eius, vt adde-*
*re faciatis vobis fructum eius . Ego Dominus Deus*
*veſter .*
26 *Non comedetis cum ſanguine. Non augurabimini:&*
*non obſeruabitis tempora .*
27 *Non in circuitu attondebitis angulum capitis veſ-*
*tri: & non diſſipabis angulum barbæ tuæ .*
28 *Inciſionem autem pro anima, non dabitis in carne*
*veſtra, & ſcripturam notæ non ponetis in vobis. Ego*
*Dominus .*
29 *Ne polluas filiam tuam , vt facias eam fornica-*
*ri , & non fornicetur terra , & impleatur terra*
*ſcelere .*
30 *Sabbata mea cuſtodite, & Sanctuarium meum me-*
*tuite .Ego Dominus .*
31 *Ne vertatis vos ad pytones , & ab aruſpicibus ne*
*ſciſcitemini, vt polluatis vos per eos . Ego Dominus*
*Deus veſter .*
32 *Ante caniciem conſurge, & honora faciem ſenis : &*
*time à Deo tuo.Ego Dominus .*
33 *Si autem peregrinatus fuerit peregrinus in terra*
*veſtra,non vim inferetis ei :*
34 *Tanquam indigena ex vobis , erit vobis peregrinus ,*
*qui peregrinatur vobiſcum , & diligite eum , ſicut*
*voſipſos : quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti .*
*Ego Dominus veſter .*
35 *Non facietis iniquitatem in iudicio,in menſura ma-*
*gna,in pondere,in menſura parua .*
36 *Statera iuſta,pondera iuſta,modius iuſtus,& hin li-*
*quidorum menſura iuſta erit vobis . Ego Dominus*
*Deus veſter,qui eduxi vos à terra Ægypti .*
37 *Cuſtodite autem omnia ſtatuta mea, & omnia iudi-*
*cia mea,& facite ea.Ego Dominus .*

### CAP. XX.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh,dicendo :*
2 *Et ad filios Iſrael,dices: Quicumque è filijs Iſ-*
*rael,& è peregrinis, qui peregrinantur in Iſrael,de-*
*derit de ſemine ſuo ipſi Molech,moriendo morietur :*
*populus terræ lapidet eum lapide .*
3 *Ego autem ponam faciem meam in virum ipſum,&*
*ſuccidere faciam eum è medio populi ſui;quia de ſe-*
*mine ſuo dedit ipſi Molech,vt contāminaret Sāctua-*
*rium meum,& pollueret nomen ſanctitatis meæ .*
4 *Et ſi abſcondendo abſconderit populus terræ oculos*
*ſuos à viro illo dante de ſemine ſuo ipſi Molech , vt*
*non interficiat eum :*
5 *Ponam ego faciem meam in virum illum , & in fa-*
*miliam eius:& ſuccidere faciam eum,& omnes for-*
*nicantes poſt ipſum , ad fornicandum poſt Molech, è*
*medio populi ſui .*
6 *Anima autem , quæ ſe verterit ad pytones, & aruſ-*
*pices ad fornicandum poſt eos; ponam faciem meam*
*in animam ipſam, & ſuccidere faciam eam è medio*
*populi ſui .*

San-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

21 Et adducet delicti ſui Domino apud oſtium taber-
naculi teſtimonij arietem delicti.
22 Et exorabit pro eo ſacerdos in ariete delicti ante
Dominum pro peccato, quod peccauit: & remitte-
tur ei peccatum, quod peccauit.
23 Quando autem ingreſſi fueritis in terram, quam
Dominus Deus veſter dat vobis, & plãtaueritis om
ne lignũ manducabile, & circummũdabitis immun
ditiam eius: fructus eius tres annos erit vobis im-
mundus, non comedetur.
24 Et anno quarto erit omnis fructus eius ſanctus, lau-
dabilis Domino.
25 In anno autem quinto comedetis fructum, adie-
ctio eſt vobis genimina eius. Ego ſum Dominus
Deus veſter.
26 Non edetis ſuper montes. Et non augurabimini: ne-
que auſpicabimini.
27 Non facietis ſiſoem ex coma capitis veſtri: neque
corrumpetis aſpectum barbæ veſtræ.
28 Et inciſiones non facietis ſuper animam in corpore
veſtro, & litteras impreſſas non facietis in vobis.
Ego ſum Dominus Deus veſter.
29 Non prophanabis filiam tuam proſtituendo eam, &
non fornicabitur terra, & terra implebitur iniqui-
tate.
30 Sabbata mea, cuſtodietis, & à Sanctis meis timebi-
tis. Ego ſum Dominus.
31 Non ſequimini ventriloquos, & incantatoribus non
adhærebitis, vt inquinemini in eis. Ego ſum Do-
minus Deus veſter.
32 A facie cani exurges, & honorabis faciem ſenioris:
& timebis Deum tuum. Ego ſum Dominus Deus
veſter.
33 Si quis autem aduenerit vobis aduena in terra ve-
ſtra, non affligetis eum:
34 Tamquam indigena erit in vobis proſelytus acce-
dens ad vos, & diliges eum ſicut teipſum: quoniam
proſelyti fuiſtis in terra Ægypto. Ego ſum Domi-
nus Deus veſter.
35 Non facietis iniuſtum in iudicio, in menſuris, & in
ponderibus, & in ſtateris.
36 Stateræ iuſtæ, & pondera iuſta, & congius iuſtus
erit in vobis. Ego ſum Dominus Deus veſter, qui
eduxi vos de terra Ægypti:
37 Et cuſtodietis omnem legem meam, & omnia præ-
cepta mea, & facietis ea. Ego ſum Dominus Deus
veſter.

### CAP. XX.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Et filijs Iſrael loqueris: Si quis de filijs Iſrael,
vel de ijs qui facti ſunt proſelyti, quicumque dede-
rit de ſemine ſuo Principi, morte moriatur: gens
quæ ſuper terram, lapidabunt eum in lapidibus.
3 Et ego ſtatuam faciem meam ſuper hominem il-
lum, & perdam eum de populo eius; quia de ſe-
mine ſuo dedit Principi, vt inquinaret Sancta mea,
& prophanaret nomen ſanctificatorum mihi.
4 Si autem deſpectione deſpexerint indigenæ terræ
oculis ſuis ab homine illo, dum ille daret de ſemi-
ne ſuo Principi, vt non occidant ipſum;
5 Et ſtatuam faciem meam ſuper hominem illum, &
cognationem eius: & perdam eum, & omnes con-
ſentientes ei, vt fornicaretur ipſe in Principes de po
pulo ſuo.
6 Et anima quæcumque ſecuta fuerit ventriloquos,
aut incantatores, vt fornicetur poſt eos; ſtatuam fa-
ciem meam ſuper animam illam, & perdam eam
de populo eius.



## Chald. Paraph. Tranſl.

21 *Adducetq; pro delicto ſuo coram Domino ad oſtium
tabernaculi fœderis arietem pro delicto.*
22 *Propitiabitq; pro eo ſacerdos in ariete qui offertur pro
delicto coram Domino pro peccato ſuo, quo peccauit:
& dimittetur ei peccatum eius, quo peccauit.*
23 *Et quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis
omnem arborem pomiferam: fructus eius erit vobis
prohibitus, tribus annis non comedatur.*
24 *Anno autem quarto erit omnis fructus eius ſanctifi
catus laudantibus coram Domino.*
25 *In anno autem quinto comedetis fructum eius, vt
addatur vobis fructus eius. Ego Dominus Deus ve-
ſter.*
26 *Non comedetis ſuper ſanguinem: Nõ augurabimini:
neque obſeruabitis horas.*
27 *Neque in rotundum attondebitis comam capitis ve
ſtri: neque lædes comam barbæ tuæ.*
28 *Et læſionem ſuper mortuum non dabitis in carne ve
ſtra, & ſtigmata ſculpta non facietis in vobis. Ego
Dominus.*
29 *Non prophanabis filiam tuam, vt facias eam forni-
cari, & non fornicabitur terra, ne impleatur terra
ſcelere.*
30 *Dies autem ſabbatorum meorum obſeruabitis, & do
mum Sanctuarij mei metuite. Ego Dominus.*
31 *Nolite declinare ad magos, & ariolos nolite ſciſci-
tari, vt polluamini in eis. Ego Dominus Deus ve-
ſter.*
32 *Coram eo qui eſt doctus in lege conſurges, & hono-
rabis faciem ſenis, & timebis Deum tuum. Ego Do-
minus.*
33 *Si peregrinatus fuerit vobiſcum peregrinus in terra
veſtra, non decipiatis eum.*
34 *Sicut indigena ex vobis erit vobis peregrinus, qui pe
regrinabitur apud vos, & diliges eum ſicut teipſum:
quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti. Ego Domi-
nus Deus veſter.*
35 *Non facietis falſitatem in iudicio, in regula, in pon-
dere, in menſura.*
36 *Statera recta, pondera recta, menſuram recta, & mo
dius rectus erunt vobis. Ego Dominus Deus veſter,
qui eduxi vos de terra Ægypti.*
37 *Cuſtodietiſque omnia legitima mea, & omnia iudi-
cia mea, & facietis ea. Ego Dominus.*

### CAP. XX.

1 *LOcutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Ad filios autem Iſrael, dices: Vir vir de filijs Iſ-
rael, & de aduenis qui peregrinantur in Iſrael, qui
dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, occiſione occide-
tur: populus domus Iſrael lapidabit eum lapidibus.*
3 *Ego quoque ponam iram meam in viro illo, & diſper
dam illum de medio populi ſui; quoniam de ſemine
ſuo dedit Moloch, vt contaminaret Sanctuarium
meum, & vt violaret nomen ſanctum meum.*
4 *Si autem auertens auerterint populus domus Iſrael
oculos ſuos à viro illo, cum dederit de ſemine ſuo Mo
loch, vt non interficiant eum:*
5 *Ponam ego furorem meum contra illum virum, &
contra fautores eius: & diſperdam eum de medio po
puli ſui, & omnes qui errant poſt eum, vt errarent
poſt Moloch.*
6 *Homo autem qui declinauerit ad magos, & ariolos,
vt erret poſt eos; dabo furorem meum in homine illo,
& diſperdam eum de medio populi ſui.*

| | Vulgat.Editio. | | | TransLex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| * 1.Pet.1. 15. | * Sanctificamini & eſtote ſancti: quia ego ſum Dominus Deus veſter. | 7 | 7 | *Sanctificate autem vos, & eſtote ſancti: quia ego Dominus Deus veſter.* |
| | Cuſtodite præcepta mea, & facite ea: Ego Dominus qui ſanctifico vos. | 8 | 8 | *Et cuſtodite ſtatuta mea, & facite ea. Ego ſum Dominus ſanctificans vos.* |
| * Exo.21. 16 Matt.15.4 Mar.7.10. | * Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, ſanguis eius ſit ſuper eum. | 9 | 9 | *Quia quicumque maledixerit patri ſuo, & matri ſuæ, moriendo morietur: patri ſuo, & matri ſuæ maledixit, ſanguis eius in eum erit.* |
| * Io.8.5. Deu.22.22 | * Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui: morte moriantur, & mœchus & adultera. | 10 | 10 | *Vir autem qui adulterium commiſit cum vxore viri, qui adulterium commiſit cum vxore proximi ſui: moriendo morietur adulter, & adultera.* |
| | Qui dormierit cũ nouerca ſua, & reuelauerit ignominiam patris ſui: morte moriantur ambo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. | 11 | 11 | *Vir autem qui concubuerit cum vxore patris ſui, turpitudinem patris ſui reuelauit: moriendo morientur ambo: ſanguis eorum in eos.* |
| | Si quis dormierit cum nuru ſua: vterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt: ſanguis eorum ſit ſuper eos. | 12 | 12 | *Vir autem qui coierit cum nuru ſua: moriendo morientur ambo. confuſionem fecerunt: ſanguis eorum in eos.* |
| | Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas: morte moriantur: ſit ſanguis eorum ſuper eos. | 13 | 13 | *Vir autem qui coierit cum maſculo coitu mulieris, abominationem fecerunt ambo: moriendo morientur: ſanguis eorum in eos.* |
| | Qui ſupra vxorem filiam, duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt: viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. | 14 | 14 | *Vir autem qui acceperit mulierem, & matrem eius, ſcelus eſt: igni comburent eum, & eas, & non erit ſcelus in medio veſtri.* |
| | Qui cum iumento & pecore coierit: morte moriatur, pecus quoque occidite. | 15 | 15 | *Vir vero, qui dederit coitum ſuum in iumento: moriendo morietur, & iumentum occidetis.* |
| * Sup.18. 23. | * Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet iumento: ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. | 16 | 16 | *Et mulier quæ acceſſerit ad omne animal ad coeundum cum eo, occides mulierem, & iumentum: moriendo morientur: ſanguis eorum in eos.* |
| | Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, illaque conſpexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati ſunt: occidentur in conſpectu populi ſui, eo quod turpitudinem ſuam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem ſuam. | 17 | 17 | *Vir autem qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, & ipſa viderit turpitudinem eius: obprobrium eſt: & ſuccidentur in oculis filiorum populi ſui, turpitudinem ſororis ſuæ reuelauit, pœnam iniquitatis ſuæ portabit.* |
| | Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui: interficientur ambo de medio populi ſui. | 18 | 18 | *Vir autẽ, qui cum muliere coierit patiente fluxum, & reuelauerit turpitudinem eius, venam eius diſcooperuerit: & ipſa reuelauerit venam ſanguinis ſui: ſuccidentur ambo è medio populi ſui.* |
| | Turpitudinem materteræ, & amitæ tuæ non diſcooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis ſuæ nudauit: portabunt ambo iniquitatem ſuam. | 19 | 19 | *Turpitudinem ſororis matris tuæ, & ſororis patris tui non diſcooperies: quia carnem ſuam nudauit, pœnam iniquitatis ſuæ portabunt.* |
| | Qui coierit cum vxore patrui, vel auunculi ſui, & reuelauerit ignominiam cognationis ſuæ: portabunt ambo peccatum ſuum, abſque liberis morientur. | 20 | 20 | *Vir autem qui dormierit cum vxore fratris patris ſui, turpitudinem fratris patris ſui reuelauit: pœnam ſuam portabunt, orbati morientur.* |
| | Qui duxerit vxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui reuelauit: abſque liberis erunt. | 21 | 21 | *Et vir qui acceperit vxorem fratris ſui, fœditas eſt, turpitudinem fratris ſui reuelauit: orbati erunt.* |
| | Cuſtodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra, quam intraturi eſtis, & habitaturi. | 22 | 22 | *Cuſtodite autem omnia ſtatuta mea, & omnia iudicia mea, & facite ea, & non euomet vos terra, ad quam ego facio intrare vos, ad habitandum in ea.* |
| | Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos: Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus ſum eas. | 23 | 23 | *Et ne ambuletis in ſtatutis gentis, quam ego emitto à facie veſtra: Omnia enim iſta fecerunt, & deteſtatus ſum eas.* |
| | Vobis autem loquor: Poſſidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparaui vos à ceteris populis. | 24 | 24 | *Et dixi vobis: Poſſidete terram eorum, & ego dabo eam vobis ad poſſidendum eam, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparare feci vos à populis.* |
| | Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda: ne polluatis animas veſtras in pecore, & auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta. | 25 | 25 | *Et facite ſeparare inter iumentum mundum, & immundum, & inter auem immundam, & mundam: & non abominemini animas veſtras in iumentis, & in volatilibus, & in omni quod reptat in terra, quod ſeparaui vobis veluti immundum.* |
| * 1.Pet.1. 15. | * Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei. | 26 | 26 | *Eritis autem ſancti mihi, quia ſanctus ego Dominus & ſeparaui vos a populis, vt eſſetis mei.* |
| * Deu.18. 10. 1.Reg.28. 7. | * Vir, ſiue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus: morte moriantur: lapidibus obruent eos: ſanguis eorum ſit ſuper illos. | 27 | 27 | *Vir autem, ſiue mulier cum fuerit in eis python, vel haruſpicium: moriendo morietur: lapide lapidabunt eos: ſanguis eorum in eos.* |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

7 Et eritis ſancti: quia ſanctus ego Dominus Deus veſter.

8 Et cuſtodietis præcepta mea, & facietis ea. Ego Dominus qui ſanctifico vos.

9 Homo, homo, quicumque maledixerit patrem ſuũ, vel matrem ſuam: morte moriatur: patrem ſuum, vel matrem ſuam maledixit: reus erit.

10 Homo quicumque adulterauerit vxorem viri, aut quicumque adulterauerit vxorem proximi: morte moriantur quæ adulterat, & qui adulteratur.

11 Et ſi quis dormierit cum vxore patris ſuis, turpitudinem patris ſui reuelauit: morte moriantur: vtrique rei ſunt.

12 Et ſi quis dormierit cum nuru ſua: morte moriantur vtrique: impie enim egerunt: rei ſunt.

13 Et quicumque cubuerit cum maſculo cubitum mulieris, abominationem fecerunt vtrique: morte moriantur: rei ſunt.

14 Quicumque acceperit mulierem, & matrem eius, iniquitas eſt: in igni comburent eum & eas: & non erit iniquitas in vobis.

15 Et quicumque dederit concubitum ſuum in quadrupede: morte moriatur: & quadrupedem occidetis.

16 Et mulier quæcumque acceſſerit ad omne pecus, aſcendi ab eo: interficietis mulierem, & pecus: morte moriantur: rei ſunt.

17 Quicumque acceperit ſororem ſuam ex patre ſuo, aut ex matre ſua, & viderit turpitudinem eius, & ipſa viderit turpitudinem illius: improperium eſt: exterminabuntur in conſpectu filiorum generis eorum: turpitudinem ſororis ſuæ reuelauit, peccatum accipient.

18 Et vir quicumque dormierit cum muliere mẽſtruata, & reuelauerit turpitudinem eius: fontem eius reuelauit, & ipſa reuelauit fluxum ſanguinis ſui: exterminabuntur vtrique de progenie ipſorum.

19 Et turpitudinem ſororis patris tui, & ſororis matris tuæ non reuelabis, conſanguinitatem enim reuelauit: peccatum reportabunt.

20 Quicumque dormierit cum cognata ſua: turpitudinem cognationis ſuæ reuelauit: ſine filijs morientur.

21 Quicumque acceperit vxorem fratris ſui: immunditia eſt, turpitudinem fratris ſui reuelauit: ſine filijs morientur.

22 Et cuſtodite omnia præcepta mea, & iudicia mea: & facietis ea: & non exhorreſcet vos terra, in quam ego introduco vos illuc ad habitandum ſuper eam.

23 Et nõ ambulate in legitimis gentiũ, quos expello a vobis: quoniam hæc omnia fecerunt, & abominatus ſum eos.

24 Et dixi vobis: Vos hæreditabitis terram eorum, & ego dabo vobis eam in poſſeſſionẽ, terram fluentem lac & mel. Ego Dominus Deus veſter, qui diſtinxi vos ab omnibus gentibus.

25 Et ſegregabitis voſmetipſos inter medium pecorũ mundorum, & inter medium pecorum immundorum, & inter medium volucrum mundarum & immundarum: & non execrabiles facietis animas veſtras in pecoribus, & in volucribus, & in omnibus reptilibus terræ quæ ego ſegregaui vobis ĩ imũditiã.

26 Et eritis mihi ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter, qui ſegregaui vos ex omnibus gentibus, vt ſitis mihi.

27 Et vir aut mulier, quicumque eorum fuerit ventriloquus, aut incantator: morte moriantur ambo: lapidibus lapidabitis eos: rei ſunt.

CAP.

## Chald. Paraph. Transl.

7 *Et ſanctificabimini, & eritis ſancti: quia ego Dominus Deus veſter.*

8 *Cuſtodietiſq; legitima mea, & facietis ea. Ego Dominus qui ſanctifico vos.*

9 *Vir enim qui maledixerit patri ſuo, & matri ſuæ: occiſione occidatur: patri enim ſuo & matri ſuæ maledixit: reus eſt mortis.*

10 *Et vir qui fornicatus fuerit cum vxore viri, & qui mœchatus fuerit cum vxore proximi ſui: interfectione interficientur adulter, & adultera.*

11 *Et vir qui coierit cum vxore patris ſui, turpitudinem patris ſui reuelauit: occiſione occidentur ambo: rei ſunt mortis.*

12 *Vir autem qui concubuerit cum nuru ſua: occiſione occidentur ambo: ſcelus operati ſunt: rei ſunt mortis.*

13 *Et vir qui concubuerit cum maſculo coitu muliebri, abominationem fecerunt ambo: occiſione occidentur: rei ſunt mortis.*

14 *Et vir qui acceperit vxorem cum matre ſua, ſcelus eſt: igni comburent eum: & illas: & non erit ſcelus inter vos.*

15 *Vir autem qui coierit cum iumento, occiſione occidatur, iumentum quoque occidite.*

16 *Et mulier quæ acceſſerit ad omne iumentum, vt ſuccubat ei: occides mulierem, iumentum quoque occiſione occidatur: rei occiſionis ſunt.*

17 *Et vir qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, aut filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, illa quoque conſpexerit turpitudinem illius: ignominia eſt: & exterminabuntur coram oculis filiorum populi ſui; turpitudinem ſororis ſuæ diſcooperuit, iniquitatem ſuam ſuſcipiet.*

18 *Vir autem qui coierit cum muliere immunda, & diſcooperuit turpitudinem eius: ignominiam eius reuelauit, ipſa quoque diſcooperuit immũditiã ſanguinis ſui: & exterminabuntur ambo de medio populi ſui.*

19 *Turpitudinem ſororis matris tuæ, & ſororis patris tui non diſcooperies, quoniam cognatam ſuam diſcooperuit: peccatum ſuum ſuſcipient.*

20 *Vir autem qui coierit cum vxore patrui ſui, turpitudinem patris ſui diſcooperuit: iniquitatem ſuam ſuſcipient, abſque liberis morientur.*

21 *Vir autem qui acceperit vxorem fratris ſui, quaſi menſtruata eſt, turpitudinem fratris ſui diſcooperuit: abſque filijs erunt.*

22 *Cuſtodietiſq; omnia legitima mea, & omnia iudicia mea, & facietis ea: vt non eijciat vos terra ad quam ego introduco vos, vt habitetis in ea.*

23 *Et non ambuletis in legitimis populorum, quos ego tranſmigrare faciam ante vos: quia omnia hæc fecerunt, & abominatum eſt eos verbum meum.*

24 *Vobis autem, dixi: Vos poſſidebitis terram eorum, & ego dabo eam vobis, vt poſſideatis eam, terram fluentem lacte, & melle. Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparaui vos de populis.*

25 *Et ſeparabitis inter animale mundum, & immundum, & inter auem immundam, & mundam: & non contaminabitis animas veſtras in animalibus, & in auibus, & in omni quod reptat in terra, quæ ſeparaui, vt eſſent vobis immunda.*

26 *Eritiſq; coram me ſancti, quia ſanctus ego Dominus: & ſeparaui vos de populis, vt ſeruiatis coram me.*

27 *Vir autem aut mulier in quibus fuerint phytones, vel diuinationes: occiſione occidentur: lapidibus obruent eos: rei mortis ſunt.*

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XXI.

1 DIxit quoque Dominus ad Moyſen: Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum,

2 Niſi tantum in conſanguineis, ac propinquis, id eſt, ſuper patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque.

3 Et ſorore virgine quæ non eſt nupta viro:

4 Sed nec in principe populi ſui contaminabitur.

* Sup. 19. 7. Eze. 44. 20.

5 * Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.

6 Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius; incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.

* Sup. 19. 19.

7 * Scortum & vile proſtibulum non ducent vxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito: quia conſecrati ſunt Deo ſuo,

8 Et panes propoſitionis offerunt: ſint ergo ſancti, quia & ego ſanctus ſum, Dominus, qui ſanctifico eos.

9 Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen patris ſui: flammis exuretur.

10 Pontifex, id eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitusq; eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet:

11 Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino; ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur.

12 Nec egredietur de ſanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum ſanctæ vnctionis Dei ſui ſuper eum eſt. Ego Dominus.

* Eze. 44. 22.

13 * Virginem ducet vxorem:

14 Viduam autem, & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet, ſed puellam de populo ſuo:

15 Ne commiſceat ſtirpé generis ſui vulgo gentis ſuæ: Quia ego Dominus qui ſanctifico eum.

16 Locutusque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

17 Loquere ad Aaron: Homo de ſemine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo,

18 Nec accedet ad miniſterium eius: ſi cęcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo vel grandi, vel torto naſo,

19 Si fracto pede, ſi manu,

20 Si gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus:

21 Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo:

22 Veſcetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario,

23 Ita dumtaxat, vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui ſanctifico eos.

Locu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXI.

1 *ET dixit Dominus ad Moſeh: Dic ad ſacerdotes filios Aharon, & dices ad eos: Super animam non contaminabit ſe in populis ſuis.*

2 *Sed ſuper carne ſua, propinquo ſibi, ſuper matre ſua, & ſuper patre ſuo, & ſuper filio ſuo, & ſuper filia ſua, & ſuper fratre ſuo.*

3 *Et ſuper ſorore ſua virgine, quæ eſt propinqua ei, cui non eſt vir, ſuper ea contaminabit ſe.*

4 *Non contaminabit ſe ſuper domino in populis ſuis ad polluendum ſe.*

5 *Non decaluabunt caluitium in capite ſuo, & finem barbæ ſuæ non radent, & in carne ſua non incident inciſionem.*

6 *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen Dei ſui, quia oblationes Domini, panem Dei ſui offerunt & erunt ſancti.*

7 *Mulierem meretricem, & prophanam non capient, & mulierem repulſam à viro ſuo nõ accipient: quia ſanctus eſt Deo ſuo.*

8 *Et ſanctificabis eum, quia panem Dei tui offert: ſanctus erit tibi, quia ſanctus ego Dominus ſanctificans vos.*

9 *Filia autem viri ſacerdotis cum cœperit fornicari, patrem ſuum contaminat: igni comburetur.*

10 *Sacerdos autem maior fratribus ſuis ſuper cuius caput fuſum eſt oleum vnctionis, & conſecrauit manum ſuam ad induendum veſtes, caput ſuum non diſcooperiet, & veſtes ſuas non ſcindet.*

11 *Et ad omnes animas mortui non ingredietur; ſuper patre ſuo, & matre ſua non contaminabit ſe.*

12 *Et de Sanctuario non egredietur, & non polluet Sanctuarium Dei ſui, quia diadema olei vnctionis Dei ſui eſt ſuper eum. Ego Dominus.*

13 *Ipſe autem mulierem in virginitate eius accipiet.*

14 *Viduam, & repudiatam, & prophanam meretricem non accipiet: ſed virginem è populo ſuo accipiet mulierem.*

15 *Et non cõtaminabit ſemen ſuum in populo ſuo: Quia ego Dominus ſanctificans eum.*

16 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

17 *Loquere ad Aharon, dicendo: Vir de ſemine tuo in generationibus ſuis, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem Dei ſui.*

18 *Quia omnis vir in quo fuerit macula, non accedet: vir cęcus, vel claudus, vel ſimus naſum, vel monſtroſus.*

19 *Vel vir in quo fuerit fractio pedis, vel fractio manus.*

20 *Vel gibbus, vel lippus, vel maculoſus in oculo ſuo, vel in quo fuerit ſcabies, vel impetigo, vel compreſſo teſticulo:*

21 *Omnis vir in quo eſt macula è ſemine Aharon ſacerdotis, non accedet ad offerendum hoſtias Domini: is in quo eſt macula, panem Dei ſui non accedet ad offerendum.*

22 *Panem Dei ſui de ſanctificationibus ſanctificationum, & de Sanctis comedet.*

23 *Verumtamen velum non ingredietur, & ad altare non accedet, quia macula eſt in eo, et non polluet Sanctuarium meum. Quia ego Dominus ſanctificans eos.*

*Locu-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XXI.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen, dicens: Dic ſacerdotibus filijs Aaron, & dices ad eos: In animabus non inquinabuntur in gente eorum,
2 Niſi in propinquo, qui proximus eſt eis: ſuper patrem, & matrem, & filios, & filias, ſuper fratrem,
3 Et ſuper ſororem virginem, quæ propinqua eſt ei, quæ tradita non eſt viro; ſuper his inquinabitur.
4 Non inquinabitur ſubito in populo ſuo ad prophanationem ſuam.
5 Et caluitium non rademini caput ſuper mortuum, & aſpectum barbæ non radent, & ſuper carnes ſuas non ſecabunt ſectiones.
6 Sancti erunt Deo ſuo, & non prophanabunt nomen Dei ſui: ſacrificia enim Domini, munera Dei ſui ipſi offerunt, & erunt ſancti.
7 Mulierem meretricem, & prophanam nõ accipient, & mulierem eiectam à viro ſuo: quoniam ſanctus eſt Domino Deo ſuo.
8 Et ſanctificabis eum, munera Domini Dei veſtri iſte offert: ſanctus erit, quoniam ſanctus ego Dominus, qui ſanctifico eos.
9 Et filia hominis ſacerdotis ſi prophanata fuerit ad fornicandum, nomen patris ſui illa prophanat: ſuper ignem comburetur.
10 Et ſacerdos magnus ex fratribus ſuis, cui fuſum eſt ſuper caput ex oleo Chriſto, & qui conſummatus eſt ad induenda veſtimenta, caput non nudabit cidari, & veſtimenta non ſcindet,
11 Et ad omnem animam mortuam non introibit; ſuper patrem ſuum, & ſuper matrem ſuam non inquinabitur:
12 Et de Sanctis non exibit, & non prophanabit Sanctificatum Dei ſui, quoniam ſanctum oleum Chriſtum Dei ſuper ipſum. Ego Dominus.
13 Hic vxorem virginem de genere ſuo accipiet:
14 Viduam autem, & eiectam, & prophanatam, & meretricem, has non accipiet: ſed virginem ex populo ſuo, accipiet vxorem:
15 Et non prophanabit ſemen ſuum in populo ſuo. Ego Dominus, qui ſanctifico eum.
16 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
17 Dic ad Aaron: Homo de genere tuo in progenies veſtras, cuicumque fuerit in eo macula, non ingredietur ad offerendum munera Dei ſui.
18 Omnis homo, cui eſt in eo macula non ingredietur: homo cęcus, vel claudus, vel naſo mutilato, vel auribus ſectis,
19 Vel homo, cuicumque fuerit in eo confractio manus, vel confractio pedis,
20 Vel gibboſus, vel ephelus, vel maculoſus oculos vel homo cui fuerit in eo ſcabies agreſtis, vel impetigo vel vnicus teſticulus,
21 Omnis homo, cui eſt in eo macula ex ſemine Aarõ ſacerdotis, non appropinquabit ad offerendũ ſacrificia Deo ſuo: quia macula eſt ĩ eo, munera Dei nõ ingredietur offerre munera Dei Sancta Sanctorum.
22 Et de Sanctis comedet.
23 Tantummodo ad velamen non ingredietur, & ad altare non appropinquabit, quoniam maculam habet. & non prophanabit Sanctum Dei ſui. Quoniam ego ſum Dominus, qui ſanctifico eos.

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAP. XXI.

1 DIxitque Dominus ad Moyſen: Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, dicesque eis: Nullus contaminetur ſuper mortuum in populo ſuo.
2 *Niſi pro conſanguineis ſuis qui propinqui ſunt ei: pro matre ſua, & pro patre ſuo, & pro filio ſuo, & pro filia ſua, & pro fratre ſuo.*
3 *Et pro ſorore ſua virgine quæ propinqua eſt ei, quæ non eſt nupta viro, pro his contaminabitur.*
4 *Non contaminetur princeps in populo ſuo, vt non prophanet ſe.*
5 *Non depilabunt capita ſua, & comam barbæ ſuæ non tondebunt, & in carne ſua non incidant inciſionem.*
6 *Sancti erunt in conſpectu Dei ſui, & non violabunt nomen Dei ſui: quia oblationes Domini Dei ſui ipſi offerunt, eruntque ſancti.*
7 *Mulierem meretricem & violatam non accipient in vxorem, & mulierem quæ repulſa eſt à viro ſuo non accipient: quoniam ſanctus eſt coram Deo ſuo.*
8 *Sanctificabisque eum, quia oblationem Dei tui ipſe offert: ſanctus erit tibi, quia ſanctus ſum ego Dominus qui ſanctifico vos.*
9 *Filia autem viri ſacerdotis, quæ violata fuerit fornicatione, ſanctificationem patris ſui ipſa violauit: igni comburetur.*
10 *Sacerdos autem maximus, qui vnctus eſt de fratribus ſuis, ſuper cuius caput effuſum eſt oleum vnctionis, & cuius oblatio oblata eſt, vt induatur veſtimentis, in capite ſuo non nutriat comam, & veſtimenta ſua non ſcindat,*
11 *Et ſuper omnem animam mortui non ingrediatur; pro patre ſuo, & pro matre ſua non contaminetur.*
12 *Et de Sanctuario non egrediatur, neque prophanet Sanctuarium Dei ſui, quia corona olei vnctionis Dei ſui eſt ſuper eum. Ego Dominus.*
13 *Ipſe autem vxorem virginem accipiet:*
14 *Viduam autem & repudiatam, & prophanatam meretricem nõ accipiet: niſi virginem de populo ſuo accipiet vxorem.*
15 *Et non prophanabit ſemen ſuum in populo ſuo: Quia ego Dominus ſanctifico eum.*
16 *Locutuſque eſt Dominus cum Myoſe, dicens:*
17 *Loquere cum Aaron, dicens: Vir de filijs tuis in generationibus ſuis in quo fuerit macula, non accedet, vt offerat oblationem Dei ſui.*
18 *Omnis enim vir in quo fuerit macula, non accedet: vir cæcus, aut claudus, aut diminutus, aut ſuperfluus.*
19 *Aut vir in quo fuerit fractura pedis, aut fractura manus.*
20 *Aut gibbus, aut lippus aut albuginem habens in oculo, aut ſcabiem habens, vel impetiginem, aut habens contritos teſticulos.*
21 *Omnis vir de ſemine Aaron ſacerdotis in quo eſt macula, non accedat, vt offerat oblationes Domini: macula enim eſt in eo, non accedat, vt offerat oblationem Dei ſui.*
22 *De ſanctificatis autem quæ offeruntur Deo ſuo veſcetur de Sanctis Sanctorum.*
23 *Verumtamen intra velum non ingrediatur neque ad altare accedat, quia macula eſt in eo, nec violet Sanctuaria mea. Quia ego Dominus ſanctifico eos.*

La-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 Locutus eſt ergo Moyſes ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnem Iſrael cuncta quæ fuerant ſibi imperata.

### CAP. XXII.

1 LOcutus quoque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere ad Aaron & ad filios eius, vt caueant ab his quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael, & non contaminent nomen ſanctificatorum mihi, quæ ipſi offerunt. Ego Dominus.

3 Dic ad eos, & ad poſteros eorum: Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Ego ſum Dominus.

4 Homo de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis: non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt mihi donec ſanetur. Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus,

5 Et qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus eſt ſordidus,

6 Immundus erit vſque ad veſperum, & non veſcetur his quæ ſanctificata ſunt: ſed cum lauerit carnem ſuam aqua,

7 Et occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis, quia cibus illius eſt.

* Sup. 17. 15. Eze. 44, 1. Deu. 14. 21

8 * Morticinum & captum à beſtia non comedent, nec polluentur in eis. Ego ſum Dominus.

9 Cuſtodiant præcepta mea: vt non ſubiaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud. Ego Dominus qui ſanctifico eos.

10 Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis: inquilinus ſacerdotis, & mercenarius non veſcentur ex eis.

11 Quem autem ſacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis.

12 Si filia ſacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit: de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitijs non veſcetur.

13 Sin autem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reuerſa fuerit ad domum patris ſui: ſicut puella conſueuerat, aletur cibis patris ſui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet poteſtatem.

14 Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit ſacerdoti in Sanctuarium.

15 Nec contaminabunt ſanctificata filiorum Iſrael, quæ offerunt Domino:

16 Ne forte ſuſtineant iniquitatem delicti ſui, cum ſanctificata comederint. Ego Dominus qui ſanctifico eos.

17 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

18 Loquere ad Aaron & filios eius & ad omnes filios Iſrael, diceſque ad eos. Homo de domo Iſrael, & de aduenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem ſuam, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens: quidquid illud obtulerit in holocauſtum Domini,

19 Vt offeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & ex capris:

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Locutus eſt autem Moſeh ad Aharon, & ad filios eius, ad omnes filios Iſrael.*

### CAP. XXII.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad Aharon, & ad filios eius: & ſeparent ſe à ſanctificationibus filiorum Iſrael, & non polluant nomen ſanctitatis meæ in his quæ ipſi ſanctificant mihi. Ego Dominus.*

3 *Dic ad eos: In generationibus veſtris, omnis vir qui acceſſerit ex omni ſemine veſtro ad ſanctificationes quas ſanctificauerint filij Iſrael Domino & immunditia eius eſt ſuper eum, excidetur anima ipſius à facie mea. Ego Dominus.*

4 *Quicunque è ſemine Aharon fuerit leproſus, vel fluens: de ſanctificationibus non comedet, donec mundet ſe. Qui autem tetigerit omne immundum animæ vel vir ex quo egreditur effuſio ſeminis,*

5 *Vel vir qui tetigerit omne reptile per quod immundus erit, vel hominem per quem mundus erit, ſecundum omnem immunditiam eius.*

6 *Anima quæ tetigerit illud, immunda erit vſque ad veſperam: non comedet de ſanctificationibus niſi lauerit carnem ſuam aqua,*

7 *Et occumbet ſol, & mundabit ſe, & poſtea comedet ſanctificationibus, quia panis eius eſt.*

8 *Cadauer, & raptum non comedet, vt polluat ſe in eo. Ego Dominus.*

9 *Cuſtodiant cuſtodiam meam: & non portent ſuper ſe peccatum, & moriantur in eo, cum polluerint illam. Ego Dominus ſanctificans eos.*

10 *Omnis autem alienigena non comedet ſanctificationem: inquilinus ſacerdotis, & mercennarius non comedet ſanctificationem.*

11 *Homo quem ſacerdos acquiſiuit acquiſitione argenti ſui, ipſe comedet ex ea & vernaculi eius, ipſi comedent de cibo eius.*

12 *Filia autem ſacerdotis cum fuerit viro alieno, ipſa de oblationibus ſanctificationum non comedet.*

13 *Filia vero ſacerdotis cum fuerit vidua, & repudiata, & ſemen non fuerit ei, & reuerſa fuerit ad domum patris ſui: ſicut puella eius de cibo patris ſui comedent. Omnis autem alienigena non comedet ex eo.*

14 *Vir autem cum comederit ſanctificationem per errorem, addet quintam eius ſuper ea, & dabit ſacerdoti Sanctificationem.*

15 *Et non contaminabunt ſanctificationem filiorum Iſrael quam eleuabunt Domino.*

16 *Et portare facient ſeipſos iniquitatem delicti, dum comederint ſanctificationes eorum. Ego enim Dominus ſanctificans eos.*

17 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

18 *Loquere ad Aharon, & ad filios eius, & ad omnes filios Iſrael, & dices ad eos. Quicunque è domo Iſrael, & à peregrinis in Iſrael obtulerit oblationem ſuam pro omnibus votis ſuis, & pro omnibus ſpontaneis ſuis, quæ obtulerunt Domino in holocauſtum.*

19 *Ad voluntatem veſtram immaculatum maſculum ex bobus, ex agnis, & ex capris.*

Si Om-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

24 Et locutus eſt Moyſes ad Aaron, & filios eius, & ad omnes filios Iſrael.

### C A P. XXII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Dic Aaron, & filijs eius, & attendant à ſanctis filiorum Iſrael, & non prophanabunt nomen ſanctum meum, quæcumque ipſi ſanctificant mihi. Ego Dominus.

3 Dices illis: In progenies veſtras omnis homo, quicumque acceſſerit ab omni ſemine veſtro ad ſancta, quæcumque ſanctificauerint filij Iſrael Domino, & fuerit immunditia eius in illo: exterminabitur anima illa à me. Ego Dominus Deus veſter.

4 Et homo ex ſemine Aaron ſacerdotis, & hic laborat lepra, vel patitur fluorem ſeminis: de ſanctis non comedet, donec mundatus fuerit. Et quicumque tetigerit omnem immunditiam animæ, vel homo cuicumque exierit ex eo cubitus ſeminis,

5 Vel quicumque tetigerit omne reptile immundum quod inquinabit eum, vel ſuper hominem, in quo inquinabit ipſum ſecundum omnem immunditiam eius:

6 Anima quæcumque tetigerit ea, immunda erit vſque ad veſperam: non edet de ſanctis, niſi lauerit corpus ſuum aqua.

7 Et occiderit ſol, & mundus erit, & tunc edet de ſanctis, quoniam panis eius eſt.

8 Morticinum, & à fera captum non comedet ad inquinandum ſe in ijs. Ego Dominus.

9 Et cuſtodient cuſtodias meas, vt non accipiant propter eas peccatum, & moriantur propter eas: ſi prophanauerint eas. Ego Dominus Deus, qui ſanctifico eos.

10 Et omnis alienigena non comedet ſancta: inquilinus ſacerdotis, vel mercenarius non comedet ſancta.

11 Si autem ſacerdos poſſederit animam emptam argento, hic edet de panibus eius: & vernaculi eius, & hi edent de panibus eius.

12 Et filia hominis ſacerdotis, ſi fuerit viro alienigenæ; hæc de primitijs ſancti non edet.

13 Et filia Sacerdotis ſi facta fuerit vidua, vel eiecta, ſemen autem non fuerit ei, redibit in domum paternam: ſecundum iuuentutem ſuam de panibus patris ſui comedet. Et omnis alienigena non comedet de eis.

14 Et homo, quicumque comederit ſancta per ignorationem, & adijciet quintas illius ſuper illud, & dabit ſacerdoti Sanctum.

15 Et non prophanabunt ſancta filiorum Iſrael, quæ ipſi ſegregant Domino,

16 Et inducent ſuper ſeipſos iniquitatem delicti, dum ipſi comedunt ſancta eorum. Quia ego Dominus, qui ſanctifico eos.

17 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

18 Loquere ad Aaron, & filijs eius, & omni ſynagogæ Iſrael: & dices ad eos. Homo, homo de filijs Iſrael, vel de proſelytis, qui adiecti ſunt ad eos in Iſrael, quicumque obtulerit munera ſua ſecundum confeſſionem ſuam, vel ſecundum omnem electionem ipſorum, quæcumque obtulerint Domino in holocauſtoma:

19 Accepta vobis ſine macula, maſculina, ex armentis bouum, vel ex ouibus, vel ex capris.

Om-

## Chald. Paraph. Tranſl.

24 *Locutuſque eſt Moyſes cum Aaron, & cum filijs eius, & cum omnibus filijs Iſrael.*

### C A P. XXII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum Aaron & cum filijs eius, vt ſeparentur ab his quæ ſanctificata ſunt à filijs Iſrael, quæ ipſi ſanctificant in conſpectu meo, & non violabunt nomen ſanctum meum. Ego Dominus.*

3 *Dic eis: Omnis vir de omni ſemine veſtro in generationibus veſtris, qui tetigerit ea, quæ ſanctificata ſunt coram Domino à filijs Iſrael, & immunditia eius eſt in eo, peribit homo ille à conſpectu meo. Ego Dominus.*

4 *Vir vir de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis: non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt, donec mundetur. Et qui tetigerit omne immundum animæ, aut vir ex quo egreditur ſemen coitus,*

5 *Aut vir qui tetigerit omne reptile quo immundus ſit, aut hominem quo immundus ſit iuxta omnem immunditiam eius.*

6 *Homo qui tetigerit eum, erit immundus vſque ad veſperam: & non comedet de ſanctificatis, niſi lauerit carnem ſuam aquis.*

7 *Et cum occubuerit ſol & mundatus fuerit, comedet de his quæ ſanctificata ſunt, quoniam cibus illius eſt.*

8 *Morticinium autē, & quod confractum eſt à beſtia, non comedet, ne immundus fiat in eo. Ego Dominus.*

9 *Cuſtodientque cuſtodiam verbi mei, vt non ſuſcipiant pro eo peccatum, & moriantur in eo quando prophanauerint illud. Ego Dominus qui ſanctifico eos.*

10 *Omnis autem extraneus non comedet id quod ſanctificatum eſt: inquilinus ſacerdotis, & mercenarius eius non comedet illud quod ſanctificatum eſt.*

11 *Sacerdos autem ſi emerit animam precio pecuniæ ſuæ, ipſa comedet ex eo: vernaculi autem domus eius ipſi veſcentur pane ſuo.*

12 *Filia autem ſacerdotis ſi fuerit nupta viro alieno, ipſa non comedet de his quæ ſanctificata & ſeparata ſunt.*

13 *Et filia ſacerdotis ſi fuerit vidua vel repudiata, & filius non fuerit ei, & reuerſa fuerit in domum patris ſui: ſicut erat in pueritia ſua, de pane patris ſui comedet. Omnis autem extraneus non comedet ex eo.*

14 *Vir autem qui comederit id quod ſanctificatum eſt per ignorantiam, addet quintam partem ſuper illud, quod ſanctificatum eſt, & dabit ſacerdoti.*

15 *Et non violabunt ea quæ ſanctificata ſunt à filijs Iſrael, quæ ſeparata ſunt coram Domino.*

16 *Et ſuſcipient ſuper ea iniquitates, & peccata cum comederint ea, & cum contaminauerint ea quæ ſanctificata ſunt. Quia ego Dominus ſanctifico eos.*

17 *Locutuſq́; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

18 *Loquere cum Aaron & cum filijs eius, & cum omnibus filijs Iſrael, & dices eis. Vir vir de domo Iſrael, & de peregrinis qui habitant in Iſrael, qui obtulerit oblationem ſuam omnibus votis ſuis & omnibus oblationibus ſpontaneis ſuis quæ obtulerint coram Domino in holocauſtum:*

19 *Vt placabile ſit pro vobis, maſculus integer erit ex bobus, aut ex agnis vel capris.*

Om-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

* Deut. 15. 10. Eccl. 35. 8.

21 * Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens, tam de bobus quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo.

22 Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini.

23 Bouem, & ouem, aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex eis ſolui non poteſt.

24 Omne animal, quod vel contritis vel tuſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino, & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis.

25 De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta & maculata ſunt omnia: non ſuſcipietis ea.

26 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

27 Bos, ouis, & capra cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino.

28 Siue illa bos, ſiue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus ſuis.

29 Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino: vt poſſit eſſe placabilis,

30 Eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus.

31 Cuſtodite mandata mea, & facite ea. Ego Dominus.

32 Ne polluatis nomen meum ſanctum, vt ſanctificer in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus qui ſanctifico vos,

33 Et eduxi de terra Ægypti, vt eſſem vobis in Deum. Ego Dominus.

### CAP XXIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis ſanctas.

3 Sex diebus facietis opus: dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſanctus; omne opus non facietis in eo: ſabbatum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris.

4 Hæ ſunt ergo feriæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis temporibus ſuis.

* Exo. 12. 18. Num. 28. 16.

5 * Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt:

6 Et quintadecima die menſis huius, ſollemnitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis,

7 Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque: omne opus ſeruile non facietis in eo:

8 Sed offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus: dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior, nullumque ſeruile opus facietis in eo.

9 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

10 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem:

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Omne in quo fuerit macula non offeretis, quia non ad beneplacitum erit vobis.*

21 *Vir autem cum obtulerit ſacrificium pacificorum Domino, ad commutandum votum, vel ad voluntariè offerendum, ex bobus, vel ex ouibus, immaculatum erit ad placitum: omnis macula non erit in eo.*

22 *Cæcum, vel fractum, vel conciſum labijs, vel verrucatum, vel ſcabioſum, vel impetigino ſum: non offeretis Domino, & oblationem non dabitis ex his ſuper altare Domino.*

23 *Et bouem & pecus habens membra nimis magna, & habens membra nimis parua voluntariè facies eum, pro voto autem non placebit.*

24 *Concuſſum, & contuſum, ruptum, exciſum, non offeretis Domino, & in terra veſtra non facietis.*

25 *De manu autem alienigenæ non offeretis panem Dei veſtri ex omnibus iſtis: quia corruptio eorum eſt in eis, macula eſt in eis: non placeant vobis.*

26 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

27 *Bos, vel agnus, vel capra cum generatus fuerit, & fuerit ſeptem diebus ſub matre ſua: à die octauo, & deinceps placebit in oblationem oblationis Domino.*

28 *Bouem autem, vel pecus ipſum, & filium eius non immolabitis die vna.*

29 *Si vero ſacrificaueritis ſacrificium gratiarum actionis Domino, ſecundum voluntatem veſtram ſacrificabitis.*

30 *Die ipſa comedetur: non relinquetis ex eo vſque mane. Ego Dominus.*

31 *Cuſtodite autem mandata mea, & facite ea. Ego Dominus.*

32 *Et non polluatis nomen ſanctitatis meæ, & ſanctificabo me in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus ſanctificans vos.*

33 *Qui educo vos è terra Ægypti, vt ſim vobis in Deũ. Ego Dominus.*

### CAP. XXIII.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Solemnitates Domini, quas vocabitis conuocationes ſanctas. Iſtæ ſunt ſolemnitates meæ.*

3 *Sex diebus facies opus: die autem ſeptima ſabbatum requies eſt, conuocatio ſancta: omne opus non facietis: ſabbatum eſt Domino in cunctis habitationibus veſtris.*

4 *Iſtæ ſunt ſolemnitates Domini, conuocationes ſanctæ, quas celebrabitis tempore ſuo.*

5 *Menſe primo, quartadecima měſis inter veſperas Peſach eſt Domino.*

6 *Et quintadecima die menſis huius ſolemnitas eſt infermentatorum Domino. Septem diebus infermentata comedetis.*

7 *Die primo, conuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis.*

8 *Et offeretis oblationem Domino ſeptem diebus: die ſeptimo erit conuocatio ſancta, omne opus ſeruile non facietis.*

9 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

10 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem eius, adducetis homer primitiarũ meſſis veſtræ ad ſacerdotem.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 Omnia, quæcumque habuerint maculam in ſe, non adducent Domino: propterea quod non acceptum erit vobis,

21 Et homo, quicumque obtulerit ſacrificium ſalutaris diſtinguens votum, vel ſecundum electionem, vel in feſtiuitatibus veſtris ex armento boum, vel ex ouibus, ſine macula erit ad placitum: omnis macula non erit in eo.

22 Cæcum, vel confractum, vel ſectum lingua, vel formiculoſa, vel ſcabioſa, vel habentia impetigines: nō adducent hæc Domino, & in hoſtiam non dabitis de eis ſuper altare Domino.

23 Et vitulum, aut ouem ſectam auribus, vel mutilatam cauda, iugulata facies ea tibi ipſi, in votum autem tuum non accipietur.

24 Cui ſunt teſticuli contriti, & cui contuſi, & exſecti, & auulſi, non offeres ea Domino, & ſuper terram veſtram non facietis:

25 Et de manu alienigenæ non offeretis munera Dei veſtri ex omnibus his: quoniam vitia ſunt in eis, macula in eis: non accipientur hæc vobis.

26 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

27 Vitulum, aut ouem, aut capram, cum natum fuerit, & erit ſeptem diebus ſub matre: die octauo, & vltra accipietur in munera, hoſtiam Domino.

28 Et vitulam, & ouem ipſam, & filios non iugulabis in die vno.

29 Si autem ſacrificaueris ſacrificium votum gratiarum actionis Domino: ad placitum vobis ſacrificabitis illud:

30 Illo ipſo die comedetur, non relinqueris de carnibus in mane. Ego ſum Dominus.

31 Et cuſtodietis mandata mea, & facietis ea.

32 Et non prophanabitis nomen ſancti, & ſanctificabor in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus, qui ſanctifico vos,

33 Qui eduxi vos de terra Ægypti, vt ſim veſter Deus. Ego Dominus.

### C A P. XXIII.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Solemnia Domini, quę vocabitis ea vocata ſancta. Iſta ſunt ſollemnia mea.

3 Sex diebus facies opera: ſeptimo autem die ſabbata, requies vocata ſancta Domino; omne opus non facies: ſabbata ſunt Domino in omni habitatione veſtra.

4 Hæ ſunt ſollemnitates Domino vocatæ ſanctæ, quas vocabitis eas in temporibus earum.

5 In primo menſe in quartadecima die menſis inter medium veſperarum, Paſcha Domino.

6 Et in quintadecima die menſis huius ſollemnitas azymorum Domino. Septem diebus azyma comedetis.

7 Et dies prima vocata ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis.

8 Et adducetis holocauſtomata Domino ſeptē dies: & dies ſeptima vocata ſancta erit vobis, omne opus ſeruile non facietis.

9 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

10 Dic filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum intraueritis in terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem eius, & feretis manipulum primitiam meſſis veſtræ ad ſacerdotem.

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Omne in quo fuerit macula, non offeretis, quia non erit pro vobis placabile.*

21 *Vir autem, qui obtulerit victimam ſanctificationum coram Domino vota ſoluens, aut ſponte offerens de bobus, aut de ouibus, integrum erit, vt ſit placabile: omnis macula non erit in eo.*

22 *Si cæcum fuerit, aut confractum, aut ſuccisum, aut papulas habens, aut ſcabiem, aut impetiginem: non offeretis ea coram Domino, neque oblationem ponetis ex eis ſuper altare coram Domino.*

23 *Bos & agnum ſi fuerit ſuperfluus, vel diminutus, voluntariè facies eum, & pro voto non erit placabilis.*

24 *Animal autem quod habet contritos, vel tuſos, aut ſectos teſticulos, non offeretis illud coram Domino, neque in terra veſtra hoc facietis.*

25 *Et de manu filij populorum non offeretis oblationem Deo veſtro ex omnibus his: quia corruptio eorum in eis eſt, macula eſt in eis: non erit placabile vobis.*

26 *Locutusq́; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

27 *Bos aut agnus, aut capra cum nati fuerint, ſeptem diebus erunt cum matre ſua: à die autem octauo, & deinceps erunt acceptabiles, vt offerantur in oblationem coram Domino.*

28 *Bouem, aut ouem non immolabitis vna die cum filio ſuo.*

29 *Cum autē immolaueritis hoſtiam gratiarum actionis coram Domino, vt ſit pro vobis placabilis, immolabitis eam.*

30 *Eadem die comedatur, non relinquatis ex ea vſque mane. Ego Dominus.*

31 *Cuſtodietiſque præcepta mea, & facietis ea. Ego Dominus.*

32 *Et non violabitis nomen ſanctum meum, & ſanctificabor in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus qui ſanctifico vos.*

33 *Qui eduxi vos de terra Ægypti, vt ſim vobis in Deū. Ego Dominus.*

### C A P. XXIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Sollemnitates Domini quas vocabitis inuocatione ſancta. Hæc ſunt ſollemnitates meæ.*

3 *Sex diebus facies opus: die autem ſeptimo ſabbatum requies eſt vocatione ſancta; omne opus non facietis in eo: ſabbatum eſt coram Domino in cunctis habitationibus veſtris.*

4 *Hæ ſunt ſollemnitates Domini, quas vocabitis vocatione ſancta in temporibus ſuis.*

5 *Menſe primo quartadecima menſis ad veſperam Phaſe coram Domino eſt.*

6 *Quintadecima die menſis huius ſollemnitas azymorum eſt coram Domino. Septem diebus azyma comedetis.*

7 *In die primo erit vobis vocatio ſancta: omne opus ſeruile non facietis.*

8 *Et offeretis oblationem coram Domino ſeptem diebus: in die ſeptimo vocatio ſancta erit vobis, omne opus ſeruile non facietis.*

9 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens.*

10 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis meſſem eius, afferetis manipulum primitiarum meſſis veſtræ ad ſacerdotem.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Qui eleuabit faſciculum coram Domino, vt acceptabile ſit pro vobis, altero die Sabbati, & ſanctificabit illum. | 11 | 11 | *Et eleuabit homer coram Domino ſecundum voluntatem veſtram, in craſtino ſabbati, eleuabit illud ſacerdos.* |
| | Atque in eodem die quo manipulus conſecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocauſtum Domini. | 12 | 12 | *Facietiſque in die qua eleuabitis homer, agnum immaculatum, anniculum, in holocauſtum Domino.* |
| | Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini, odoremque ſuauiſſimum: liba quoque vini, quarta pars hin. | 13 | 13 | *Et oblationem eius duas decimas ſimilæ permixtæ oleo, oblationem Domino in odorem quietis: & libabit ipſe vini quartum hin.* |
| | Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete, vſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro. Præceptum eſt ſempiternum in generationibus, cunctiſque habitaculis veſtris. | 14 | 14 | *Et panem, & frixum, & ſpicam tritam non comedetis vſque ad eandemmet diem hanc, donec adducatis oblationem Dei veſtri. Statutum perpetuum erit in generationibus veſtris in cunctis habitaculis veſtris.* |
| * Deu. 16. 9. | * Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, | 15 | 15 | *Numerabitis autem vobis à craſtino ſabbati à die qua adduxiſtis homer eleuationis ſeptem hebdomadas plenas.* |
| | Vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino | 16 | 16 | *Vſque ad craſtinum hebdomadæ ſeptimæ numerabitis quinquaginta dies, & offeretis ſacrificium nouum Domino.* |
| | Ex omnibus habitaculis veſtris, panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. | 17 | 17 | *Ex omnibus habitaculis veſtris adducetis panes eleuationis: duo è duabus decimis ſimilæ erunt, cum fermento coquentur primitiæ Domino.* |
| | Offeretiſque cum panibus ſeptem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armẽto vnum, & arietes duos, & erunt in holocauſtum cum libamentis ſuis, in odorem ſuauiſſimum Domino. | 18 | 18 | *Offeretiſque cum pane ſeptem agnos immaculatos anniculos, & vitulus filius bouis vnus, & arietes duo erunt holocauſtum Domino, & ſacrificium eorum & libamina eorum, oblatio erunt in odorem quietis Domino.* |
| | Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum. | 19 | 19 | *Facietiſque hircum caprarum, vnum pro peccato, & duos agnos anniculos in ſacrificium pacificorum.* |
| | Cumque eleuauerit eos ſacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vſum eius. | 20 | 20 | *Et eleuabit ſacerdos eos cum pane primitiarum eleuationem coram Domino cum duobus agnis: ſanctitas erunt Domino, ſacerdotis erunt.* |
| | Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum: omne opus ſeruile non facietis in eo. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus veſtris. | 21 | 21 | *Et celebrabitis eundem diem hunc: conuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis. Statutum perpetuum erit in cunctis habitaculis veſtris, in generationibus veſtris.* |
| * Sup. 19. 9. | * Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam vſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego ſum Dominus Deus veſter. | 22 | 22 | *Et cum meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non finietis angulum agri veſtri, dum meſſueritis: & ſpicas remanentes meſſis tuæ non colliges, pauperi & peregrino relinquetis eas. Ego Dominus Deus veſter.* |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 23 | 23 | *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| * Nu. 29. 7 | * Loquere filijs Iſrael: Menſe ſeptimo, prima die menſis, erit vobis ſabbatum, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum: | 24 | 24 | *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Menſe ſeptimo, vna menſis erit vobis ſabbatum memoriale iubilatio: conuocatio ſancta.* |
| | Omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino. | 25 | 25 | *Omne opus ſeruile non facietis, & offeretis oblationem Domino.* |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 26 | 26 | *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Sup. 16. 29. * Num. 29. 7 | Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetiſq; animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtũ Dño. | 27 | 27 | *Veruntamen in decimo mẽſis ſeptimi huius, dies expiationum erit: conuocatio ſancta erit vobis, affligetiſq; animas veſtras, & offeretis oblationem Dño.* |
| | Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. | 28 | 28 | *Et omne opus non facietis ipſomet die iſto: quia dies expiationum eſt, ad expiandum vos coram Domino Deo veſtro.* |
| | Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis: | 29 | 29 | *Omnis enim anima quæ non fuerit afflicta ipſomet die iſto, excidetur è populis ſuis.* |
| | Et quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo ſuo. | 30 | 30 | *Omnis autẽ anima quæ fecerit omne opus eodemmet die iſto, pdere faciã aiam ipſam è medio populi ſui.* |
| | Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris. | 31 | 31 | *Omne opus non facietis: ſtatutum perpetuum erit in generationibus veſtris, in cunctis habitationibus veſtris.* |
| | Sabbatum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono menſis: A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. | 32 | 32 | *Sabbatum quietis eſt vobis, & affligetis animas veſtras: in nona menſis in veſpera: A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra.* |

Et          Locu-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

11 Et offeret manipulum coram Domino, acceptum vobis: craſtina die à prima offeret illum ſacerdos.

12 Et facietis in die, in quacumque attuleritis manipulum, ouem ſine macula anniculam in holocauſtoma Domino:

13 Et ſacrificium ipſius, duas decimas ſimilæ reſectæ in oleo, ſacrificium Domino, odor ſuauitatis Domino: & libamen eius, quartam partem *hin* vini.

14 Et panem, & fricta chidra noua non comedetis vſque in hunc ipſum diem, quoadusque obtuleritis vos munera Deo veſtro. Legitimum ſempiternum in progenies veſtras in omni habitatione veſtra.

15 Et numerabitis vobis à die craſtino ſabbatorum, à die, quo obtuleritis manipulum ſuperpoſitionis, ſeptem ſeptimanas integras:

16 Vſque ad craſtinum vltimæ ſeptimanæ numerabitis quinquaginta dies, & offeretis ſacrificium nouum Domino.

17 De habitatione veſtra offeretis panes, ſuper poſitionem, duos panes ex duabus decimis ſimilæ erunt: fermentati coquentur de primis frugibus Domino.

18 Et adducetis cum panibus ſeptem agnos ſine macula anniculos, & vitulum vnum ex armento boum, & arietes duos ſine macula, & erunt holocauſtoma Domino, & ſacrificia eorum, & libamina eorum, ſacrificium odor ſuauitatis Domino.

19 Et facient hircum ex capris vnum pro peccato, & duos agnos anniculos in ſacrificium ſalutaris cum panibus primæ frugis.

20 Et imponet ea ſacerdos cum panibus primæ frugis ſuperpoſitionem ante Dominum cum duobus agnis, ſancta erunt Domino: ſacerdoti offerenti illa, ei erunt.

21 Et vocabitis hanc diem vocatam, ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis in ea. Legitimum ſempiternum in progenies veſtras in omni habitatione veſtra.

22 Et cum meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non conſummabitis reſiduum meſſis agri tui, dum tu metis: & quæ decidunt de meſſe tua, non colliges, mendico, & proſelyto relinques ea. Ego Dominus Deus veſter.

23 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

24 Loquere filijs Iſrael, dicens: Menſis ſeptimi vna menſis erit vobis requies, memoriale tubarum, vocata ſancta erit vobis.

25 Omne opus ſeruile non facietis, & adducetis holocauſtoma Domino.

26 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

27 Et decima menſis ſeptimi huius, dies propitiationis, vocata ſancta erit vobis: & humiliabitis animas veſtras, & adducetis holocauſtoma Domino.

28 Omne opus non facietis in hac ipſa die: eſt enim dies propitiationis hæc vobis, ad propitiandum pro vobis, ante Dominum Deum veſtrum.

29 Omnis anima, quæcumque non humiliabitur in hac ipſa die exterminabitur de populo ſuo.

30 Et omnis anima, quæcumque faciet opus in hac ipſa die, peribit anima illa de populo ſuo.

31 Omne opus non facietis. legitimum ſempiternum in progenies veſtras in omnibus habitationibus veſtris.

32 Sabbata ſabbatorum erunt vobis, & humiliabitis animas veſtras, à nona menſis: A veſpera vſque ad veſperam ſabbatizabitis ſabbata veſtra.

## Chald. Paraph. Transl.

11 *Et eleuabit ſacerdos manipulum coram Domino, vt acceptabile ſit pro vobis: poſt diem feſtiuitatis eleuabit eum ſacerdos.*

12 *Facietiſque in die quo eleuatur manipulus, agnum integrum anniculum in holocauſtum coram Domino.*

13 *Munus autem eius erit dua decima ſimilæ conſperſa oleo in oblationem coram Domino, vt ſuſcipiatur cum beneplacito: & libamentum eius quarta pars hin vini.*

14 *Panem autem, & grana torrefacta, & polentam non comedetis vſque ad diem hanc, donec offeratis oblationem Dei veſtri. Legitimum ſempiternum erit generationibus veſtris in cunctis habitationibus veſtris.*

15 *Et numerabitis vobis ab altero die feſtiuitatis à die in quo offeretis manipulum eleuationis ſeptem hebdomadas integras:*

16 *Vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ numerabitis quinquaginta dies, & offeretis munus nouum coram Domino.*

17 *De habitationibus veſtris afferetis panem eleuationis, duæ placentæ ex duabus decimis ſimilæ erunt: fermentatæ coquentur in primitias coram Domino.*

18 *Offeretiſq; cum pane ſeptem agnos integros anniculos, & vitulum de bobus vnum, & arietes duo erunt in holocauſtum coram Domino, & munera eorum, & libamenta eorum, vt ſuſcipiatur oblatio voluntariè coram Domino.*

19 *Facietiſque hircum vnum de capris pro peccato, & duos agnos anniculos in hoſtiam ſanctificationum.*

20 *Et eleuabit eos ſacerdos cum pane primitiarum eleuatione coram Domino cum duobus agnis, ſanctificata erunt coram Domino: & ſacerdoti pertinebunt.*

21 *Et vocabitis hunc eundem diem vocatione ſancta, ſanctus erit vobis: omne opus ſeruile nõ facietis. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitationibus veſtris & generationibus veſtris.*

22 *Et quando meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non cõſumabis metere angulum agri tui cum meſſueris: neque colliges decidentes ſpicas meſſis tuæ, ſed pauperi, & peregrino dimittes eas. Ego Dominus Deus veſter.*

23 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

24 *Loquere cum filys Iſrael, dicens: In menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis requies, memoriale clangoris, & vocatio ſancta.*

25 *Omne opus ſeruile non facietis, & offeretis oblationem coram Domino.*

26 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

27 *Verumtamen in decima die menſis huius ſeptimi dies expiationũ erit, vocatio ſãcta erit vobis: & affligetis animas veſtras, & offeretis oblationẽ corã Dño.*

28 *Et omne opus non facietis in hac eadem die: quia dies expiationum eſt ad propitiandum pro vobis coram Domino Deo veſtro.*

29 *Omnis enim homo qui non afflixerit ſe in hac eadẽ die, exterminabitur de populo ſuo.*

30 *Et omnis homo qui fecerit omne opus in hac eadem die, diſperdam hominem illum de medio populi ſui.*

31 *Nullum opus facietis in eo: legitimum ſempiternum erit generationibus veſtris in cunctis habitationibus veſtris.*

32 *Sabbatum requietionis erit vobis, & affligetis animas veſtras in die nono menſis ad veſperam: A veſpera vſque ad veſperam requieſcetis in requie veſtra.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

33 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
34 Loquere filijs Iſrael: A quintodecimo die menſis
huius ſeptimi, erunt feriæ tabernaculorum ſeptem
diebus Domino.
35 Dies primus vocabitur celeberrimus atque ſanctiſ-
ſimus: omne opus ſeruile non facietis in eo.
Ioh. 7. 37. 36 Et ſepté diebus offeretis holocauſta Domino: dies
quoque octauus erit celeberrimus, atq; ſanctiſſimus
& offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus
atque collectæ. Omne opus ſeruile nõ facietis in eo.
37 Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas
atque ſanctiſſimas, offeretiſque in eis oblationes
Domino, holocauſta & libamenta iuxta ritum vni-
uſcuiuſque diei:
38 Exceptis ſabbatis Domini, doniſque veſtris, & quæ
offeretis ex voto, vel quæ ſponte tribuetis Domi-
no.
39 A quintodecimo ergo die menſis ſeptimi, quando
congregaueritis omnes fructus terræ veſtræ, celebra
bitis ferias Domini ſeptem diebus: die primo & die
octauo erit ſabbatum, adeſt requies.
40 Sumetiſq; vobis die primo fructus arboris pulcher-
rimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſa-
rum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini
coram Domino Deo veſtro.
41 Celebrabitiſque ſollemnitatem eius ſeptem diebus
per annum: legitimum ſempiternum erit in gene-
rationibus veſtris: menſe ſeptimo feſta celebra-
bitis,
42 Et habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus: omnis,
qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis:
43 Vt diſcant poſteri veſtri quod in tabernaculis habi
tare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de ter-
ra Ægypti. Ego Dominus Deus veſter.
44 Locutuſque eſt Moyſes ſuper ſollemnitatibus Do-
mini ad filios Iſrael.

### CAP. XXIIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens:
2 Præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum de oliuis
puriſſimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas
iugiter,
3 Extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis: po-
netque eas Aaron à veſpere, vſque ad mane coram
Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus
veſtris.
4 Super candelabrum mundiſſimum ponentur ſem-
per in conſpectu Domini.
5 Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duode-
cim panes: qui ſinguli habebunt duas decimas:
6 Quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſi-
mam coram Domino ſtatues:
7 Et pones ſuper eos thus lucidiſſimum, vt ſit panis in
monimentum oblationis Domini.
8 Per ſingula ſabbata mutabuntur coram Domino ſu
ſcepti à filijs Iſrael fœdere ſempiterno:
9 Eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos
in loco ſancto: quia Sanctum Sanctorum eſt de ſa-
crificijs Domini iure perpetuo.
10 Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraelitidis,
quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſ-
rael, iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraelita.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*
34 *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Quintadecima die
menſis ſeptimi huius, ſollemnitas tabernaculorum
erit ſeptem diebus Domino.*
35 *Die primo erit conuocatio ſancta: omne opus ſerui-
le non facietis.*
36 *Septem diebus offeretis oblationem Domino: die
octauo erit vobis conuocatio ſancta & offeretis ob-
lationem Domino: conuocatio ſancta eſt. cœtus eſt.
Omne opus ſeruile non facietis.*
37 *Iſta ſunt feſtiuitates Domini, quas vocabitis conuo-
cationes ſanctas, ad offerendum oblationem Domino
holocauſtum, & ſacrificium, hoſtiam, & libamina de
die in diem.*
38 *Præter ſabbata Domini, & præter dona veſtra, &
præter omnia vota veſtra, & præter omnia ſpontanea
veſtra quæ tribuetis Domino.*
39 *Verumtamen quintadecima die menſis ſeptimi,
quando congregaueritis fructum terræ, celebrabitis
celebritatem Domini ſeptem diebus.*
40 *Sumetiſque vobis die primo fructum ligni decoris,
frondes palmarum, & ramos ligni denſarum fron-
dium, & ſalices torrentis, & lætabimini coram Do-
mino veſtro ſeptem diebus.*
41 *Celebrabitis ipſam celebritatem Domino ſeptem
diebus per annum: ſtatutum perpetuum erit in ge-
nerationibus veſtris: menſe ſeptimo celebrabitis
eam.*
42 *In tabernaculis habitabitis ſeptem diebus: omnis
indigena in Iſrael habitabunt in tabernaculis.*
43 *Vt ſciant generationes veſtræ, quod in tabernaculis
habitare feci filios Iſrael quando eduxi eos è terra
Ægypti. Ego Dominus Deus veſter.*
44 *Et locutus eſt Moſeh de ſollemnitatibus Domini ad
filios Iſrael.*

### CAP. XXIIII.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicen-
do:*
2 *Præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum oliuæ pu-
rum, contritum pro luminari ad accendendum lucer
nam ſemper,*
3 *Extra velum teſtimonij in tabernaculo eccleſiæ di-
ſponet eam Aharon à veſpera vſque mane coram Do
mino ſemper: ſtatutum perpetuum erit in genera-
tionibus veſtris.*
4 *Super candelabrum mundum diſponet lucernas co-
ram Domino ſemper.*
5 *Accipieſque ſimilam, & coques ex ea duodecim pla-
centas: duarum decimarum erit placenta vna.*
6 *Et pones eas duobus ordinibus: ſex ordines ſuper
menſam mundam coram Domino.*
7 *Et pones per ordinem thus mundum, & erit ſuper
panem in monimentum oblationis Domino.*
8 *Per ſingula ſabbata ordinabit eum coram Domino
ſemper à filijs Iſrael fœdere ſempiterno.*
9 *Et erit Aharon, & filiorum eius, & comedent eum
in loco ſanctitatis, quia Sanctitas Sanctitatum eſt
ei de oblationibus Domini ſtatuto perpetuo.*
10 *Egreſſus eſt autẽ filius mulieris Iſraelitidis, qui erat
filius viri Ægypti in medio filiorum Iſrael, & iur-
gati ſunt in caſtris filius Iſraelitidis, & vir Iſrae-
lita.*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

33 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens :
34 Loquere filijs Iſrael, dicens : Quintadecima menſis
ſeptimi huius, ſolennitas tabernaculorum ſeptem
dies Domino.
35 Et dies prima vocata ſancta : omne opus ſeruile
non facietis.
36 Septem diebus adducetis holocauſtomata Domi-
no : & dies octaua vocata ſancta erit vobis : & ad-
ducetis holocauſtomata Domino : exodium eſt.
Omne opus ſeruile non facietis.
37 Hæ ſolennitates Domino : quas vocabitis vocatas
ſanctas, ad offerendum hoſtias Domino, holocau-
ſtomata, & ſacrificia eorum, & libamina eorum,
quod ſecundum diem, in diem,
38 Præter ſabbata Domini, & præter munera veſtra, &
præter omnia vota veſtra, & præter ſpontanea ve-
ſtra, quæcumque dederitis Domino.
39 Et quintadecima die menſis ſeptimi huius, cum
conſummaueritis genimina terræ, feſtum celebra-
bitis Domino ſeptem dies : die primo requies, &
die octauo requies.
40 Et ſumetis die primo, fructum ligni ſpecioſum, &
ſpatulas palmarum, & ramos ligni denſos, & ſali-
ces, & agni ramos de torrente ad lætandum ante
Dominum Deum veſtrum
41 Septem diebus anni : legitimum ſempiternum in
progenies veſtras : in menſe ſeptimo ſolennitatem
iſtam celebrabitis :
42 In tabernaculis habitabitis ſeptem dies : Omnis
indigena in Iſrael, habitabit in tabernaculis :
43 Vt ſciant progenies veſtræ, quod in tabernaculis ha
bitare feci filios Iſrael, cum educerem eos de terra
Ægypti. Ego Dominus Deus veſter.
44 Et locutus eſt Moyſes ſolennitates Domini filijs
Iſrael.

### CAP. XXIIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens :
2 Præcipe filijs Iſrael, & ſumant tibi oleum de oliuis
mundum expreſſum ad lumen, vt ardeat lucerna
ſemper
3 Extra velum in tabernaculo teſtimonij : & accen-
dent illud filij Aaron, & filij eius à veſpera vſque in
mane coram Domino indeſinenter: legitimum ſem
piternum in progenies veſtras.
4 Super candelabrum mundum accendetis lucernas
ante Dominum vſque in mane.
5 Et ſumetis ſimilaginem, & facietis eam duodecim
panes : de duabus decimis erit vnus panis :
6 Et imponetis eos duas poſitiones : ſex panes vnam
poſitionem ſuper menſam mundam ante Domi-
num :
7 Et imponetis ſuper poſitionem thus mundum, &
ſal : & erunt in panes ad rememorationem propo-
ſita Domino.
8 Die ſabbatorum apponentur ante Dominum ſem-
per coram filijs Iſrael, teſtamentum ſempiter-
num.
9 Et erunt Aaron, & filijs eius : & edent ea in loco ſan
cto : ſunt enim Sancta Sanctorum : hoc erit eo-
rum, de ijs, quæ offeruntur Domino, legitimũ ſem-
piternum.
10 Et exijt filius mulieris Iſraelitidis : & hic erat filius
Ægyptij inter filios Iſrael : & rixati ſunt in caſtris
is, qui erat ex Iſraelitide, & homo Iſraelita.

## Chald. Paraph. Transl.

33 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens :*
34 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens : In quintadecima*
*die menſis ſeptimi huius feſtiuitas vmbraculorum*
*erit ſeptem diebus coram Domino.*
35 *In die primo vocatio ſancta erit : omne opus ſeruile*
*non facietis.*
36 *Septem diebus offeretis oblationes coram Domino: in*
*die octaua vocatio ſancta erit vobis & offeretis ob-*
*lationem coram Domino : collecti eritis. Omne opus*
*ſeruile non facietis.*
37 *Hæ ſunt ſolennitates Domini, quas vocabitis voca-*
*tione ſancta, vt offeratur oblatio coram Domino ho-*
*locauſtum, & munus, & hoſtia ſanctificationum, &*
*libamenta iuxta ritum vniuſcuiuſque diei :*
38 *Exceptis ſabbatis Domini, & exceptis donis veſtris,*
*& exceptis omnibus votis veſtris, & exceptis his*
*quæ ſponte offeretis coram Domino.*
39 *Veruntamen in quintadecima die menſis ſeptimi,*
*quando congregaueritis fructus terræ, ſolennizabitis*
*ſolennitatem coram Domino ſeptem diebus : in die*
*primo erit requies, & in die octauo erit requies.*
40 *Sumetiſque vobis in die primo fructum arboris ci-*
*trei, & ſpatulas palmarum, & myrtum, & ſalices*
*torrentis, & lætabimini coram Domino Deo veſtro*
*ſeptem diebus.*
41 *Et ſolennizabitis hanc ſolennitatem coram Domino*
*ſeptem diebus per annum : legitimum ſempiter-*
*num erit generationibus veſtris: in menſe ſeptimo ce*
*lebrabitis eam.*
42 *In vmbraculis habitabitis ſeptem diebus: omnes in-*
*digenæ in Iſrael habitabunt in vmbraculis :*
43 *Vt ſciant generationes veſtræ, quia in vmbraculo nu*
*bis mea habitare feci filios Iſrael, quando eduxi eos*
*de terra Ægypti. Ego Dominus Deus veſter.*
44 *Locutuſq; eſt Moyſes ordinem ſolennitatum Domi-*
*ni, & edocuit eas filios Iſrael.*

### CAP. XXIIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, di-*
*cens :*
2 *Præcipe filijs Iſrael, vt tollant tibi oleum de oliuis*
*contuſis puriſſimum, vt luceat, vt incendantur lucer*
*næ iugiter*
3 *Extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis ordi-*
*nabit eas Aaron à veſpere vſque mane coram Domi*
*no iugiter: legitimum ſempiternum erit in generatio-*
*nibus veſtris.*
4 *Super candelabrum mundiſſimum diſponet lucernas*
*coram Domino ſemper.*
5 *Tolleſque ſimilam, & coques ex ea duodecim*
*placentas : ex duabus decimis erit vnaquæque*
*placenta.*
6 *Poneſque eas duobus ordinibus : ſex in ordine*
*vno ſuper menſam mundiſſimam coram Domi-*
*no :*
7 *Et pones ſuper ordinem panis thus puriſſimum, &*
*erit in monimentum panis oblationis coram Do-*
*mino.*
8 *Per ſingula ſabbata ordinabit eum coram Domino*
*iugiter à filijs Iſrael pacto ſempiterno.*
9 *Eritque Aaron & filijs eius, vt comedant eum in lo*
*co ſancto : quia Sanctum Sanctorum eſt ei de obla-*
*tionibus Domini pacto ſempiterno.*
10 *Egreſſuſque eſt filius mulieris Iſraelitidis: ipſe au-*
*tem erat filius viri Ægyptij in medio filiorum Iſ-*
*rael: & rixati ſunt in caſtris filius mulieris Iſraeli-*
*tidis, & vir Iſraelita.*





UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Cumque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen. (Vocabatur autem mater eius Salumith, filia Dabri de tribu Dan.)

12 Miſeruntque eum in carcerem, donec noſſent quid iuberet Dominus.

13 Qui locutus eſt ad Moyſen, dicens:

14 Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus.

15 Et ad filios Iſrael loqueris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum:

16 Et qui blaſphemauerit nomen Domini: morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

17 * Qui percuſſerit, & occiderit hominem moriatur.

*Exo. 21. 12.

18 Qui percuſſerit animal, reddet vicarium, id eſt animam pro anima.

19 Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei:

20 * Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur.

*Matt. 5. 38. Exo. 21. 24. Deu. 19. 21.

21 Qui percuſſerit iumentum, reddet aliud. Qui percuſſerit hominem, punietur.

22 Æquum iudicium ſit inter vos, ſiue peregrinus, ſiue ciuis peccauerit: Quia ego ſum Dñs Deus veſter.

23 Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael: & eduxerunt eum, qui blaſphemauerat, extra caſtra, ac lapidibus oppreſſerunt. Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi.

### CAP. XXV.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Quando ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, * ſabbatizes ſabbatum Domino.

*Exo. 23. 10.

3 Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus eius:

4 Septimo autem anno ſabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis.

5 Quæ ſponte gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam: annus enim requietionis terræ eſt:

6 Sed erunt vobis in cibum, tibi & ſeruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinantur apud te:

7 Iumentis tuis & pecoribus omnia quæ naſcuntur, præbebunt cibum.

8 Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem quæ ſimul faciunt annos quadraginta nouem:

9 Et clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra.

10 Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim iubileus. Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque redibit ad familiam priſtinam:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et maledixit filius mulieris Iſraelitidis nomini, & deſpexit: & adduxerunt eum ad Moſeh: Nomen autem matris eius erat Selomith filia Dibri de tribu Dan.*

12 *Et poſuerunt eum in cuſtodiam, vt exponerent eis iuxta ſermonem Domini.*

13 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

14 *Educ maledicum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapident eum omnis cœtus.*

15 *Ad filios autem Iſrael loqueris, dicendo: Quicunque maledixerit Deo ſuo, portabit pœnam peccati ſui.*

16 *Blaſphemans nomen Domini: moriendo morietur: lapidando lapidabunt eum omnis cœtus, ſicut peregrinus ſic & indigena: Cum blaſphemauerit nomen morietur.*

17 *Vir autem cum percuſſerit omnem animam hominis: moriendo morietur.*

18 *Qui vero percuſſerit animam iumenti, reſtituet eã: animam pro anima.*

19 *Vir autem qui dederit maculam in proximum ſuũ: ſecundum quod fecit, ſic fiat ei.*

20 *Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente: ſecundum quod dedit maculam in hominem, ſic dabitur in eum.*

21 *Qui percuſſerit iumentum reddet illud: Et qui percuſſerit hominem morietur.*

22 *Iudicium vnum erit vobis, ſicut peregrinus ſic & indigena erit: Quia ego Dominus Deus veſter.*

23 *Locutus eſt autem Moſeh ad filios Iſrael: & eduxerunt maledicum extra caſtra, & lapidauerunt eum lapidibus. Et filij Iſrael fecerunt ſecundum quod præcepit Dominus Moſeh.*

### CAP. XXV.

1 *Locutus eſt autem Dominus ad Moſeh in monte Sinai, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego do vobis, ſabbatizabit terra ſabbatum Domino.*

3 *Sex annis ſeminabis agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus eius.*

4 *Anno autem ſeptimo, ſabbatum requiei erit terra, ſabbatum Domino: agrum tuum non ſeres, & vineam tuam non putabis.*

5 *Caduca grana meſſis tua non metes, & vuas à quibus ſeparare faciebas alios, non vindemiabis: annus requiei erit terra.*

6 *Et erit ſabbatum terra vobis ad veſcendum, tibi, & ſeruo tuo, & ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & aduenæ tuo, qui peregrinatur tecum.*

7 *Et iumento tuo, beſtia quæ eſt in terra tua, erit omnis fructus eius ad veſcendum.*

8 *Numerabis autem ſeptem hebdomadas annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus, & erunt tibi dies ſeptem hebdomadarum annorum quadraginta nouem anni:*

9 *Et tranſire facies tubam iubilationis menſe ſeptimo, decima menſis in die expiationum: tranſire facietis tubam per vniuerſam terram veſtram.*

10 *Et ſanctificabis annum quinquageſimum & vocabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus eius: iobel erit vobis. Et reuertemini vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque ad familiam ſuam reuertemini.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

11 Et cum nominaſſet filius mulieris Iſraelitidis, nomen, maledixit: & adduxerunt eum ad Moyſen. Et nomen matris erat Salomith filia Dabri de tribu Dan.

12 Et depoſuerunt eum in cuſtodiam, vt iudicaretur de illo per præceptum Domini.

13 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

14 Eijce illum, qui maledixit, extra caſtra, & imponent omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius: & lapidabunt eum omnis ſynagoga.

15 Et filijs Iſrael loquere, & dices ad eos: Homo, quicumque maledixerit Deum, peccatum accipiet:

16 Nominans autem nomen Domini, morte moriatur: lapidibus lapidet eum omnis ſynagoga Iſrael: ſiue proſelytus, ſiue indigena, cum ipſe nominat nomen Domini, moriatur.

17 Et homo quicumque percuſſerit animam hominis, & mortuus fuerit: morte moriatur.

18 Et quicumque percuſſerit pecus, & mortuum fuerit: reddat animam pro anima.

19 Et ſi quis dederit maculam proximo: ſicut fecit ei, ita viciſſim fiet ipſi:

20 Contritionem pro contritione, oculum pro oculo, dentem pro dente: quemadmodum vtique dederit maculam homini, ita dabitur ei.

21 • Quicúque percuſſerit hominem, & mortuus fuerit: morte moriatur.

22 Iuſtificatio vna erit proſelyto, & indigenæ: quoniam ego ſum Dominus Deus veſter.

23 Et locutus eſt Moyſes filijs Iſrael: & eduxerunt eum, qui maledixit extra caſtra: & lapidauerunt illum in lapidibus. Et filij Iſrael fecerunt, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

### C A P. XXV.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sina, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum introieritis in terram, quam ego do vobis: & requieſcet terra, quam ego do vobis ſabbata Domino

3 Sex annis ſeminabis agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, & congregabis fructum eius.

4 Anno autem ſeptimo ſabbata, requies erit terræ; Sabbata Domino: agrum tuum non ſeminabis, & vineam tuam non putabis:

5 Et quæ ab ſe ſurgunt de agro tuo, non metes, & vuam ſanctificationis tuæ non vindemiabis: annus requietis erit terræ.

6 Et erunt ſabbata terræ eſcæ tibi, & puero tuo, & ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & inquilino, qui applicatus eſt ad te:

7 Et pecoribus tuis, & beſtijs, quæ ſunt in terra tua, erit omnis fructus eius in eſcam.

8 Et enumerabis tibi ipſi ſeptem requietes annorum, ſeptem annos ſepties: & erunt tibi ſeptem ſeptimanæ annorum, nouem, & quadraginta anni.

9 Annunciabitis tubæ voce in omni terra veſtra in menſe ſeptimo, decima menſis: die propitiationis annunciabitis tuba in omni terra veſtra.

10 Et ſanctificabitis annum, quinquageſimum annum: & acclamabitis remiſſionem ſuper terram omnibus inhabitantibus eam. Annus remiſſionis, ſignificatio hæc erit vobis: & redibit vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam: & vnuſquiſque in familiam ſuam redibit.

## Chald. Paraph. Tranſl.

11 *Et explanauit filius mulieris Iſraelitidis Nomē, & blaſphemauit: & adduxerunt eum ad Moyſen. Nomen autem matris eius erat Selomith filia Dabri de tribu Dan.*

12 *Ligaueruntq́ eum in carcere, donec exponeretur eis per ſententiam verbi Domini.*

13 *Locutuſq́ eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

14 *Educ blaſphemum extra caſtra, & imponant omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapidabunt eum omnis congregatio.*

15 *Et cum filijs Iſrael loqueris, dicens: Vir vir qui blaſphemauerit coram Deo ſuo, ſuſcipiet iniquitatem ſuam.*

16 *Et qui explanauerit nomen Domini, occiſione occidetur: lapidatione lapidabunt eum omnis congregatio; tam aduena quàm indigena cum explanauerit Nomen, interficiatur.*

17 *Vir autem qui occiderit omnem animam hominis: occiſione occidatur.*

18 *Et qui occiderit animam animalis: ſoluet eam, animam pro anima.*

19 *Vir autem qui poſuerit maculam in proximo: ſicut fecit, ſic fiet ei:*

20 *Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente: qualem maculam poſuerit in homine, talis fiet in eo.*

21 *Et qui occiderit animal, reſtituet illud: & qui occiderit hominem, occidatur.*

22 *Iudicium vnum erit vobis, tam peregrino quàm indigenæ: quia ego Dominus Deus veſter.*

23 *Locutuſq́ eſt Moyſes cum filijs Iſrael: & eduxerunt eum qui blaſphemauerat extra caſtra, & lapidauerunt eum lapidibus. Filij autem Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

### *C A P. XXV.*

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe in monte Sinai, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Quando ingreſſi fueritis in terram quam ego dabo vobis: dimittetur terra quieſcere coram Domino.*

3 *Sex annis ſeminabis agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, & colliges fructus eius:*

4 *Anno autem ſeptimo requies remiſſionis erit terræ, remiſſio erit coram Domino: agrum tuum non ſeres, & vineam tuam non putabis.*

5 *Quæ ſpontè naſcuntur meſſis tuæ non metes, & vuas quas tibi reliquiſti non vindemiabis: annus enim remiſſionis erit terræ.*

6 *Eritq́ remiſſio terræ vobis in cibum tibi, & ſeruo tuo, & ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & inquilino tuo qui habitant tecum:*

7 *Iumentis quoque tuis, et beſtijs quæ ſunt in terra tua erit omnis fructus eius in cibum.*

8 *Numerabiſque tibi ſeptem hebdomadas annorum, ſepties ſeptem annos: eruntque tibi dies ſeptem hebdomadarum annorum quadraginta & nouem anni.*

9 *Et tranſire facies clangorem buccinæ per vniuerſam terram tuam in menſe ſeptimo in decima die menſis in die expiationum.*

10 *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum: & vocabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus eius. Iubileus erit vobis: & reuertetur vnuſquiſque homo ad hæreditatem ſuam, & vnuſquiſque reuertetur ad familiam ſuam.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Quia iubileus eſt & quinquageſimus annus. Non ſeretis, neque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis, | 11 | 11 | *Iobel è annus quinquageſimus erit vobis. Non ſeretis & non metetis cadiua grana eius, & non vindemiabitis vuas à quibus ſeparare faciebatis alios.* |
| Ob ſanctificationem iubilei, ſed ſtatim oblata comedetis. | 12 | 12 | *Quia iobel eſt, ſanctitas erit vobis: agri comedetis fructum.* |
| Anno iubilei redient omnes ad poſſeſſiones ſuas. | 13 | 13 | *In anno iobel iſto reuertemini vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contriſtes fratrem tuum, | 14 | 14 | *Si autem vendideris venale proximo tuo, vel emeris è manu proximi tui ne decipiatis vnuſquiſque fratrem ſuum.* |
| Sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo: & iuxta ſupputationem frugum vendet tibi. | 15 | 15 | *Secundum numerum annorum poſt iobel emes à proximo tuo, ſecundum numerum annorum fructuum vendent tibi.* |
| Quanto plures anni remanſerint poſt iubileum, tanto creſcet & pretium: & quanto minus temporis numerauerit, tanto minoris & emptio conſtabit; tempus enim frugum vendet tibi. | 16 | 16 | *Secundum numerum annorum creſcet venditio eius & ſecundum diminutionem annorum minuetur venditio eius: numerum enim fructuum vendit tibi.* |
| Nolite affligere contribules veſtros, ſed timeat vnuſquiſque Deum ſuum, quia ego Dominus Deus veſter. | 17 | 17 | *Ne decipiatis vnuſquiſque proximum ſuum: ſed timeas à Deo tuo, quia ego Dominus Deus veſter.* |
| Facite præcepta mea, & iudicia cuſtodite, & implete ea, vt habitare poſſitis in terra abſque vllo pauore, | 18 | 18 | *Facite autem ſtatuta mea, & iudicia mea ſeruate, & facite ea, & habitabitis ſuper terram confidenter.* |
| Et gignat vobis humus fructus ſuos, quibus veſcamini vſque ad ſaturitatē, nullius impetū formidantes. | 19 | 19 | *Dabitque terra fructum ſuum, & comedetis ad ſaturitatem, & habitabitis confidenter ſuper eam.* |
| Quod ſi dixeritis: Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras? | 20 | 20 | *Si autem dixeritis quid comedemus anno ſeptimo, en non ſeremus, neque colligemus fructus noſtros.* |
| Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: | 21 | 21 | *Præcipiam benedictioni meæ pro vobis anno ſexto, & faciet fructum pro tribus annis.* |
| Seretiſque anno octauo, & comedetis veteres fruges vſque ad nonum annum: donec noua naſcantur, edetis vetera. | 22 | 22 | *Seretiſque anno octauo, & comedetis fructum veterem vſque ad annum nonum: donec veniat fructus eius, comedetis vetus.* |
| Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis. | 23 | 23 | *Terra autem non vendetur abſolute: quia mea eſt terra: vos enim peregrini, & aduenæ eſtis apud me.* |
| Vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur. | 24 | 24 | *In omni autem terra poſſeſſionis veſtræ, redemptionem dabitis pro terra.* |
| Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus eius, poteſt redimere quod ille vendiderat. | 25 | 25 | *Si attenuatus fuerit frater tuus & vendiderit aliquid de poſſeſſione ſua, & venerit qui redimat illud, propinquus ſibi redimet venale fratris ſui.* |
| Sin autem non habuerit proximum, & ipſe pretium ad redimendum potuerit inuenire: | 26 | 26 | *Et ſi non fuerit viro redemptor, ſed agglutinauit manus eius, & inuenit fere quod ſufficit ad eius redemptionem.* |
| Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: & quod reliquum eſt, reddet emptori, ſicque recipiet poſſeſſionem ſuam. | 27 | 27 | *Computabit annos venditionis eius, & reſtituet excreſcens viro qui vendidit ſibi, & redibit ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Quod ſi non inuenerit manus eius vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vſque ad annū iubileum. In ipſo enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum. | 28 | 28 | *Si vero non inuenerit manus eius quod ſufficit ad reſtituendum ei, erit venditio eius in manu ementis illam vſque ad annum iobel. Et egredietur in iobel, & reuertetur ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. | 29 | 29 | *Vir autem ſi vendiderit domū habitationis ciuitatis muratæ erit redemptio eius donec compleatur annus venditionis eius, per annum redemptio eius.* |
| Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri eius in perpetuum & redimi non poterit, etiam in iubileo. | 30 | 30 | *Si vero non fuerit redempta impleto ſibi anno perfecto, conſurget domus quæ eſt in ciuitate, cui eſt murus abſolute ementi illam in generationes eius: non egredietur in iobel.* |
| Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum iure vendetur: ſi ante redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad dominum. | 31 | 31 | *Domus autem villarum quibus non eſt murus in circuitu, ſecundum agrum terræ æſtimabitur, redemptio erit ei, & in iobel egredietur.* |
| Ædes Leuitarum, quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi: | 32 | 32 | *Ciuitatum autem leuitarum domorum vrbium poſſeſſionis eorum, redemptio æterna erit Leuitis.* |
| Si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael. | 33 | 33 | *Et qui redemit à Leuitis, egredietur venditio domus & ciuitas poſſeſſionis eius in iobel, quia domus vrbium Leuitarum eſt, poſſeſſio eorum in medio filiorum Iſrael.* |

Sub- *Ager*

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Remiſſionis ſignificatio hæc, annus quinquageſimus, annus erit vobis. Non ſeminabitis, neque metetis, quæ ab ſe ſurgunt ex ea, neque vindemiabitis ſanctificata eius: | 11 | 11 | *Iubileus eſt, annus quinquageſimus erit vobis. Non ſeminabitis, neque metetis, quæ ſponte naſcuntur in terra, neque putabitis reliquias eius:* |
| Quoniam remiſſionis ſignificatio eſt, ſanctum erit vobis, de campis comedetis fructus eius. | 12 | 12 | *Quia iubileus eſt, ſanctus erit vobis, de agro comedetis fructus eius.* |
| In anno remiſſionis ſignificationis ipſius redibit rurſus in poſſeſſionem ſuam. | 13 | 13 | *In anno iubilei huius reuertemini vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Si autem vendideris venditionem proximo tuo, ſi autem & emeris à proximo tuo, non affligat homo proximum: | 14 | 14 | *Et quando vendideris venditionem proximo tuo, aut quando emeris de manu proximi tui, non decipiat vir fratrem ſuum:* |
| Secundum numerum annorum poſt ſignificationem emes à proximo, ſecundum numerum annorum fructuum vendet tibi. | 15 | 15 | *Iuxta numerum annorum poſt iubileum emes à proximo tuo, iuxta numerum annorum frugum vendet tibi.* |
| Secundum, quod plus annorum, multiplicabit emptionem: & ſecundum quod minus annorum, minuet emptionem ſuam: quoniam numerum fructuum ſuorum, ſic vendet tibi. | 16 | 16 | *Secundum multitudinem annorum multiplicabis emptionem: & ſecundum paucitatem annorum minues emptionem: quia numerum frugum vendit tibi.* |
| Non affliges homo proximum, & timebis Dominum Deum tuum. Ego ſum Dominus Deus veſter. | 17 | 17 | *Et non decipiet vir proximum ſuum, timebiſque Deum tuum. Quia ego Dominus Deus veſter.* |
| Et facietis omnes iuſtificationes meas, & omnia iudicia mea, & cuſtodietis, & facietis ea, & habitabitis ſuper terram fidentes: | 18 | 18 | *Et facietis legitima mea, & iudicia mea cuſtodietis, facietiſque ea, & habitabitis confidenter in terra:* |
| Et dabit terra prouentus ſuos, & comedetis ad ſaturitatem, & habitabitis fidentes ſuper eam. | 19 | 19 | *Dabitque terra fructum ſuum, & comedetis in ſaturitatem, & habitabitis confidenter in ea.* |
| Si autem dicatis: Quid comedemus in anno iſto ſeptimo, niſi ſeminauerimus, neque collegerimus fructus noſtros? | 20 | 20 | *Et ſi dixeritis: Quid manducabimus in anno ſeptimo, ecce non ſeminabimus, nec colligemus fructus noſtros?* |
| Et mitto benedictionem meam vobis in anno ſexto, & faciet fructus ſuos in tres annos: | 21 | 21 | *Mandabo benedictionem meam vobis in anno ſexto, & faciet fructus pro tribus annis:* |
| Et ſeminabitis anno octauo, & comedetis de fructibus veteres vſque ad annum nonum: quoadusque venerit fructus eius, comedetis veteres veterum. | 22 | 22 | *Seretiſque anno octauo, & comedetis de fructu veteri vſque ad annum nonum: donec veniant fructus eius edetis vetera.* |
| Et terra non venundabitur in confirmationem: mea eſt enim terra: propter quod proſelyti, & incolæ vos eſtis ante me. | 23 | 23 | *Terra autem non vendetur in perpetuum: quia mea eſt terra: aduenæ enim & coloni eſtis vos coram me.* |
| Et per omnem terram poſſeſſionis veſtræ, redemptionem dabitis terræ. | 24 | 24 | *Et in omni terra poſſeſſionis veſtræ dabitis redemptionem terræ.* |
| Si autem inopia laboret frater tuus, qui tecum, & vendiderit de poſſeſſione ſua, & venerit propinquus, qui prope eſt ei, & redimet venditionem fratris ſui. | 25 | 25 | *Quando pauper factus fuerit frater tuus, & vendiderit de poſſeſſione ſua, veniet redẽptor eius, qui propinquus eſt ei, & redimet, quod frater ſuus vẽdidit.* |
| Si cui autem non fuerit propinquus, & abundauerit manu, & inuentum ipſi fuerit, quod ſatis ſit, redemptio eius: | 26 | 26 | *Vir autem cui non fuerit redemptor, & attigerit manus eius, & inuenerit quantum ſufficit ad redemptionem eius:* |
| Et computabit annos venditionis eius, & reddet, quod ſupereſt, homini, cui venditum erat illud ei: & redibit in poſſeſſionem ſuam. | 27 | 27 | *Computabit annos venditionis, & reddet, quod amplius fuerit viro cui vendidit: & reuertetur ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Si autem non abundauerit eius manus, quod ſatis eſt vt reddat ei, & erit venditio ei, qui emit ea, vſq; ad ſextum annum remiſſionis. Et egredietur in remiſſione, & redibit in poſſeſſionem ſuam. | 28 | 28 | *Et ſi non inuenerit manus eius quantum ſufficit, vt reddat ei, erit illud, quod vendidit in manu emptoris eius vſque ad annum iubilei. Et egredietur in iubileo, & reuertetur ad poſſeſſionem ſuam.* |
| Si quis autem vendiderit domum habitabilem in ciuitate murata, & erit redemptio eius, donec compleatur annus dierum, erit redemptio eius. | 29 | 29 | *Vir autem, qui vẽdiderit domum habitationis intra vrbis murum, erit redẽptio eius, donec impleatur annus venditionis, tanto tempore erit redemptio eius.* |
| Si autem non fuerit redempta, dum impletus fuerit eius annus totus, confirmabitur domus, quæ eſt in ciuitate habente murum, ſtabiliter ei, qui emit eã, in progenies eius, & non egredietur in remiſſione. | 30 | 30 | *Et ſi non fuerit redempta, donec compleatur annus integer, erit domus, quæ eſt in vrbe murata illius, qui emit eam in perpetuum in generationibus ſuis, non egredietur in iubileo.* |
| Domus autem, quæ in vicis, in quibus, non eſt in eis murus in circuitu, ad agrum terræ computabuntur, redemptibiles ſemper erunt, & in remiſſione egredientur. | 31 | 31 | *Ædes autem vicis, quod non habet murum per circuitum, ſicut ager terræ exiſtimabuntur, redemptio erit eis, & in iubileo egredientur.* |
| Et ciuitates Leuitarum, domus ciuitatum poſſeſſionis eorum, redemptibiles ſemper erunt Leuitis: | 32 | 32 | *Et vrbes Leuitarum, & domus vrbium poſſeſſionum ſuarum in æternum poſſunt redimi, redemptio enim ſempiterna erit Leuitis:* |
| Et quicunque redemerit à Leuitis, & egredietur venditio ipſorum domorum ciuitatis poſſeſſionis eorũ in remiſſione, quoniam domus ciuitatum Leuitarum, poſſeſſio eorum in medio filiorum Iſrael. | 33 | 33 | *Et qui de Leuitis redemerit, egredietur venditio domus, & vrbis poſſeſſionis eius in iubileo, quia domus vrbium Leuitarum ſunt poſſeſſio eorum in medio filiorum Iſrael.* |





UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

34 Suburbana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.
35 Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi aduenam, & peregrinum, & vixerit tecum:
36 Ne accipias vſuras ab eo, nec amplius, quam dediſti. Time Deū tuū, vt viuere poſſit frater tuus apud te.
37 Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges.
38 Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chanaan, & eſſem veſter Deus.
39 Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus: non eum opprimes ſeruitute famulorum:
40 Sed quaſi mercenarius, & colonus erit: vſque ad annum iubileum operabitur apud te:
41 Et poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum.
42 Mei enim ſerui ſunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti. Non veneant conditione ſeruorum:
43 Ne affligas eum per potentiam, ſed metuito Deum tuum.
44 Seruus, & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt.
45 Et de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos:
46 Et hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum. Fratres autem veſtros filios Iſrael, ne opprimatis per potentiam.
47 Si inualuerit apud vos manus aduenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut cuiquam de ſtirpe eius:
48 Poſt venditionem poteſt redimi. Qui voluerit ex fratribus ſuis redimet eum:
49 Et patruus, & patruelis, & conſanguineus, & affinis. Sin autem & ipſe potuerit, redimet ſe:
50 Supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis ſuæ vſque ad annum iubileum: & pecunia, qua vẽditus fuerat, iuxta annorum numerum, & rationem mercenarij ſupputata.
51 Si plures fuerint anni, qui remanent vſque ad iubileum, ſecundum hos reddet, & pretium.
52 Si pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori, quod reliquum eſt annorum:
53 Quibus ante ſeruiuit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conſpectu tuo.
54 Quod ſi per hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis ſuis.
55 Mei enim ſunt ſerui, filij Iſrael, quos eduxi de terra Ægypti.

### CAP. XXVI.

1 EGo Dominus Deus veſter: * Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter.
2 Cuſtodite ſabbata mea, & pauete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus.

* Exo. 20. 4. Deut. 5. 8. Pſal. 96. 7.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Ager autem ſuburbij ciuitatum eorum non vendetur, quia poſſeſſio perpetua eſt eis.*
35 *Si autem attenuatus fuerit frater tuus, & declinauerit manus eius tecum, tenebis eum, vt peregrinum, & aduenam, & viuet tecum:*
36 *Ne accipias vſuram ab eo, & incrementum. Sed timebis à Deo tuo, viuetque frater tuus tecum.*
37 *Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & ad incrementum non dabis eſcam tuam.*
38 *Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos à terra Ægypti, vt darem vobis terram Chenahan, vt eſſem vobis in Deum.*
39 *Si vero depauperatus fuerit frater tuus tecum, & vendiderit ſe tibi: non facies famulari famulatu ſeruili:*
40 *Tanquam mercenarius, tanquam aduena erit tecū: vſque ad annum iobel ſeruiet tibi:*
41 *Egredietur autem à te ipſe, & liberi eius ſecum, & reuertetur ad familiam ſuam, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum reuertetur.*
42 *Quia ſerui mei ſunt, quos eduxi è terra Ægypti. Non vendentur venditione ſeruili:*
43 *Non dominaberis ei durè, ſed timebis à Deo tuo.*
44 *Seruum autem tuum, & ancillam tuam, qui erunt tibi à gentibus, quæ ſunt in circuitu veſtro, emetis.*
45 *Et inſuper de filijs aduenarum, qui peregrinantur vobiſcum emetis, & è familia eorum, quæ eſt vobiſcum, quos genuerunt in terra veſtra, eruntque vobis in poſſeſſionem:*
46 *Et hæredes eritis ipſorummet pro filijs veſtris poſt vos, ad hæreditandum poſſeſſionem, in perpetuum in eis operabimini. In fratres autem veſtros filios Iſrael, quiſque fratri ſuo, non dominabitur durè.*
47 *Si autem adepta fuerit manus peregrini, & aduenæ, qui eſt tecum, & depauperatus fuerit frater tuus ſecum, ſeque vendiderit peregrino, aduenæ, qui eſt tecum, vel ſtirpi familiæ peregrini:*
48 *Poſtquam vendiderit ſe, redemptio erit ei. Vnus è fratribus eius redimet eum:*
49 *Siue patruus eius, ſiue filius patrui eius, redimet eū, ſiue propinquus carnis ſuæ è familia eius, redimet eum. Aut ſi adepta fuerit manus eius redimat ſe:*
50 *Et computabit cum eo, qui emit eum ab anno quo ſe vendidit ei, vſque ad annum iobel: eritque pecunia venditionis eius, ſecundum numerum annorum, ſecundum dies mercenarij, erit ſecum.*
51 *Si adhuc multum fuerit in annis, ſecundū eos reſtituet redemptionem ſuam de argento emptionis ſuæ.*
52 *Si vero parum remanſerit in annis vſque ad annū iobel, computabit ei, ſecundum annos eius, reſtituet redemptionem ſuam:*
53 *Tanquam mercenarius, annus in anno erit ſecum: non dominabitur ei durè in oculis tuis.*
54 *Si vero non ſe redemerit in his, egredietur in anno iobel, ipſe & filij eius ſecum.*
55 *Quia mei ſunt filij Iſrael ſerui, ſerui mei ſunt quos eduxi è terra Ægypti.*

### CAP. XXVI.

1 *EGo Dominus Deus veſter: * Non facietis vobis idola, & ſculptile, & ſtatuam, non erigetis vobis, lapidem depictum non ponetis in terra veſtra, vt incuruetis vos ei. Ego enim Dominus Deus veſter.*
2 *Sabbata mea cuſtodite, & Sanctuarium meum timete. Ego Dominus.*

* Hæc verba, quæ in principio huius capitis aſſeruntur, apud Sanctum Pagninū habentur continuata in fine ſuperioris capitis.

## Tranſl. ex Septuag.

34 Et agri ſegregati ciuitatibus eorum non vendentur, quoniam poſſeſſio æterna hoc eorum eſt.

35 Si auté paupertate laboret frater tuus, qui tecũ eſt, & non valeat manibus apud te, ſuſcipe eum tanquã proſelytum, & incolam, & viuet frater tuus tecum:

36 Non accipies ab eo vſuram, neque ſuper multiplicationem. Et timebis Deum tuum. Ego Dominus.

37 Argentum tuum non dabis ei pro vſura, & pro excreſcentia non dabis ei eſcas tuas.

38 Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypto ad dandum vobis terram Chanaan, vt ſim Deus veſter.

39 Si autem humiliatus fuerit frater tuus apud te, & venditus fuerit tibi, non ſeruiet tibi ſeruitutem famuli:

40 Tanquam mercenarius, vel incola erit tibi: vſque ad annum remiſsionis operabitur apud te:

41 Et egredietur remiſſione, & filij eius cum eo, & redibit ad progeniem ſuam, ad poſſeſſionem paternam recurret.

42 Propterea quod famuli mei ſunt illi, quos eduxi de terra Ægypto: non vendetur in vẽditione famuli:

43 Non diſtendes eum in labore, & timebis Dominum Deum tuum.

44 Et puer, & ancilla quicumque fuerint tibi ex gentibus, quicumque in circuitu tuo ſunt, ex eis emetis ſeruum, & ſeruam.

45 Et ex filijs incolarum, qui ſunt in vobis, & ex cognatis eorum, quicumque facti fuerint in terra veſtra, ſint vobis in poſſeſſione:

46 Et diſtribuetis eos filijs veſtris poſt vos, & erunt vobis poſſeſſi in æternum. Ex fratribus autem veſtris filijs Iſrael, vnuſquiſque fratrem ſuum, non diſtendet eum in laboribus.

47 Si autem inuenerit manus proſelyti, vel incolæ, qui apud te, & ad inopiam redactus frater tuus venditus fuerit proſelyto, vel incolæ qui apud te, vel ex ſtirpe proſelyto:

48 Poſtquam venditus ei fuerit, redemptio erit eius. Vnus fratrum eius redimet eum:

49 Frater pr̃is eius, vel filius fr̃is pr̃is redimet eũ, vel ex propinquis carniũ eius de tribu eius redimet eum. Si auté abundans factus manibus redimat ſeipſum:

50 Et computabit cum eo, qui emit eum, ab anno quo vendidit ſeipſum ei, vſque ad annum remiſſionis: & erit argentum venditionis eius, tanquam mercenarij, annum ex anno erit cum eo.

51 Si cui autem plus annorum fuerit, ad hæc reddet redemptionem ſuam de argento venditionis ſuæ.

52 Si autem parum reſtet de annis ad annum remiſſionis, & computabit ei ſecundum annos eius: & reddet redemptionem ſuam:

53 Tanquam mercenarius.

54 Si autem non redimatur per hæc, egredietur in anno remiſsionis ipſe, & filij eius cum eo.

55 Quia mihi filij Iſrael famuli ſunt, pueri mei hi ſũt, quos eduxi de terra Ægypti.

### CAP. XXVI.

1 EGo Dominus Deus veſter: Non facietis vobiſipſis manufacta, neque ſculptilia, neque titulum erigetis vobis, neque lapidem ſignum ponetis in terra veſtra ad adorandum illum. Ego ſum Dominus Deus veſter.

2 Sabbata mea cuſtodietis, & à Sãctis meis timebitis. Ego ſum Dominus.



## Chald. Paraph. Tranſl.

34 *Ager autem ſpacij vrbium ſuarum non vendetur, quia poſſeſſio ſempiterna eſt eis.*

35 *Et quando pauper factus fuerit frater tuus, & declinauerit manus eius ad te, ſuſcipies eum quaſi aduenam, & inquilinum, & viuet tecum:*

36 *Non accipies ab eo vſuram, neque fœnus. Et timebis Deum tuum, & viuet frater tuus tecum:*

37 *Argentum tuum non dabis ei ad vſuram, & pro fœnore non dabis cibum tuum.*

38 *Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chanaan, vt eſſem vobis in Deum.*

39 *Si autem pauper factus fuerit frater tuus tecum, & vendiderit ſe tibi, non ſeruias tibi ſeruitute famulorum:*

40 *Quaſi mercenarius, & quaſi colonus erit tecum: vſque ad annum iubilei ſeruiet tibi:*

41 *Egredieturque à te ipſe, & filij eius cum eo, & reuertetur ad cognationem ſuam, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum reuertetur.*

42 *Quia ſerui mei ſunt, quos eduxi de terra Ægypti: non vendantur venditione ſeruorum:*

43 *Non ſeruiat tibi ſeruitute dura, & timebis Deum tuum.*

44 *Seruus autem tuus, & ancilla tua ſint tibi de filijs populorum, qui ſunt in circuitu veſtro, ex eis poſſidebitis ſeruos, & ancillas.*

45 *De filijs quoque incolarum incircumciſorum, qui habitant vobiſcum, ex eis poſſidebitis, & de cognationibus ſuis, quæ ſunt vobiſcum, quæ nata ſunt in terra veſtra, eruntque vobis in poſſeſſionem:*

46 *Et dimittetis eos in poſſeſſionẽ filijs veſtris poſt vos, vt poſſideãt eos in æternum, & ſeruiant eis. Fratres autem veſtri filij Iſrael, non ſeruiant ſeruitute dura, neque vir dominetur fratris ſui grauiter.*

47 *Et quando inualuerit manus incircumciſi incolæ, qui habitat apud te, & pauper factus fuerit frater tuus apud illum, & vendiderit ſe incircumciſo incolæ, qui eſt apud te, aut cuiquam de cognatione peregrini:*

48 *Poſtquam venditus fuerit, redemptio erit ei. Vnus de fratribus ſuis redimet eum:*

49 *Aut patruus eius, aut filius patrui ſui, aut conſanguineus carnis ſuæ de cognatione ſua redimet eum. Aut ſi valuerit manus eius, redimet ſe:*

50 *Et computabit cum emptore ſuo ab anno quo vendidit ſe ei, vſque ad annum iubilei: & erit argentum venditionis ſuæ, iuxta numerum annorum, iuxta dies mercenarij erit cum eo.*

51 *Si plures fuerint anni, iuxta eos reddet redemptionem ſuam de argento emptionis ſuæ.*

52 *Et ſi pauci anni remanſerint vſque ad annum iubilei, computabitur ei, iuxta annos eius reddet redemptionem ſuam:*

53 *Sic mercenarius ſingulorum annorum erit apud eũ: non ſeruiet ei violenter ante oculos tuos.*

54 *Si autem per hæc non fuerit redemptus, egredietur in anno iubilei ipſe, & filij eius cum eo.*

55 *Quia ſerui mei ſunt filij Iſrael, quos eduxi de terra Ægypti.*

### CAP. XXVI.

1 *EGo Dominus Deus veſter: Non facietis vobis idola, nec imaginem, & ſtatuam non erigetis vobis, & lapidem adorationis, non facietis in terra veſtra, vt adoretis ſuper eum. Quia ego Dominus Deus veſter.*

2 *Dies ſabbatorum meorum cuſtodite, & domum Sanctuarij mei metuite. Ego Dominus.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| * Deut. 28. 1. | * Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis: & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis: | 3 | Si in decretis meis ambulaueritis, & præcepta mea ſeruaueritis: & feceritis ea, dabo pluuiam veſtram tempore ſuo: |
| | Et terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. | 4 | Et dabit terra fructum ſuum, & arbor agri dabit fructum ſuum. |
| | Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pauore habitabitis in terra veſtra. | 5 | Apprehendetque vos tritura cum vindemia, & vindemia apprehendet ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & habitabitis confidenter in terra veſtra. |
| | Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit, qui exterreat: auferam malas beſtias: & gladius non tranſibit terminos veſtros. | 6 | Daboque pacem in terra: dormietis autem, & non erit exterrens: & ceſſare faciam beſtiam malam è terra: & gladius non tranſibit per terram veſtram. |
| | Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. | 7 | Et perſequemini inimicos veſtros, & cadent coram vobis gladio. |
| | Perſequentur quinque de veſtris centum alienos; & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro. | 8 | Perſequentur ex vobis quinque, centum; & centum ex vobis decem millia perſequentur: & cadent inimici veſtri coram vobis gladio. |
| | Reſpiciam vos, & creſcere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum. | 9 | Et vertam me ad vos, & creſcere faciam vos: & multiplicare faciam vos, & ſtatuam pactum meum vobiſcum. |
| | Comedetis vetuſtiſsima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis. | 10 | Et comedetis vetus, quod veteraſcit, & vetus propter nouum educetis. |
| | Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & nō abijciet vos anima mea. | 11 | Et ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abominabitur anima mea vos. |
| * 1. Cor. 10. 16. | * Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus. | 12 | Ambulabo autem in medio veſtri, eroque vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum. |
| | Ego Dominus Deus veſter: qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne ſeruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum veſtrarum, vt incederetis erecti. | 13 | Ego Dominus Deus veſter: qui eduxi vos è terra Ægypti, ne eſſetis eis ſerui, & confregi virgas iugi veſtri, & incedere feci vos firmiter. |
| * Deut. 28. 15. Thren. 2. 7. Mal. 2. 12. | * Quòd ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: | 14 | Si autem non audieritis mihi, neque feceritis omnia præcepta iſta: |
| | Si ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt non faciatis ea, quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum: | 15 | Si decreta mea reprobaueritis, & iudicia mea abominata fuerit anima veſtra; vt non faciatis omnia præcepta mea ad irritandum pactum meum: |
| | Ego quoque hæc faciam vobis: Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur. | 16 | Etiam ego faciam hoc vobis: Viſitare faciam ſuper vos terrorem, tumorem, & febrem conſumentes oculos, & dolore afficientes animam. Seretiſque fruſtra ſemen veſtrum, comedentque illud inimici veſtri. |
| | Ponam faciem meam contra vos, & corruetis corā hoſtibus veſtris, & ſubijciemini his, qui oderūt vos: fugietis, nemine perſequente. | 17 | Dabo autem iram meam in vos, & corruetis coram inimicis veſtris, & dominabuntur vobis odio habentes vos: fugietiſque, & non erit perſequens vos. |
| | Sin autem, nec ſic obedieritis mihi, addā correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra: | 18 | Si autem adhuc in his non audieritis mihi, addam vt corrigam vos ſepties ſuper peccatis veſtris: |
| | Et conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ. Daboque vobis cœlum deſuper, ſicut ferrum, & terram æneam. | 19 | Conteramque ſuperbiam fortitudinis veſtræ. At dabo cælum veſtrum, ſicut ferrum, & terram veſtram ſicut æs. |
| | Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. | 20 | Et conſumetur fruſtra virtus veſtra, & non dabit terra veſtra fructum ſuum, & arbor terræ non dabit fructum ſuum. |
| | Si ambulaueritis ex aduerſo mihi, nec volueritis audire me, addam plagas veſtras in ſeptuplum propter peccata veſtra: | 21 | Si autem ambulaueritis mecum ex aduerſo, & nolueritis audire mihi, addam ſuper vos plagam ſepties ſecundum peccata veſtra: |
| | Immittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ. | 22 | Mittamque in vos beſtiam agri, & orbari faciet vos, & diſperdet iumentum veſtrum, ac minuet vos, & deſolabuntur viæ veſtræ. |
| | Quòd ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi: | 23 | Et ſi in his non fueritis erudíti mihi, ſed ambulaueritis mecum ex aduerſo: |
| | Ego quoque contra vos aduerſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra. | 24 | Ambulabo etiam ego vobiſcum ex aduerſo, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra. |
| | Inducamque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei. Cumque confugeritis in vrbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini in manibus hoſtium: | 25 | Et inducam ſuper vos gladium vltorem vltionis. Et congregabimini ad vrbes veſtras, mittamque peſtilentiam in medio veſtri, ac trademini in manu inimici. |

Poſt-      Dum

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Si in præceptis meis ambulaueritis, & mãdata mea cuſtodieritis: & feceritis ea, & dabo pluuiam vobis in tempore ſuo:

4 Et terra dabit genimina ſua, & ligna camporum reddent fructum ſuum.

5 Et comprehendet vobis trituratio vindemia, & vindemia comprehendet ſationem: & manducabitis panem veſtrum ad ſaturitatem, & habitabitis cum ſecuritate ſuper terram veſtram, & bellum non pertranſibit per terram veſtram.

6 Et dabo pacem in terra veſtra: & dormietis, & non erit, qui vos exterreat: & exterminabo beſtias malas de terra veſtra.

7 Et perſequemini inimicos veſtros, & cadent in conſpectu veſtro cæde.

8 Et perſequentur ex vobis quinque centum, & centum ex vobis perſequentur decem millia: & cadent inimici veſtri in conſpectu veſtro gladio.

9 Et reſpiciam ſuper vos, & augebo vos: & multiplicabo vos, & ſtatuam teſtamentum meum vobiſcum.

10 Et manducabitis vetera, & vetera veterum, & eijcietis vetera à conſpectu nouorum.

11 Et ponam tabernaculum meum in vobis, & non abominabitur anima mea vos.

12 Et inambulabo inter vos, & ero Deus veſter, & vos eritis mihi populus.

13 Ego ſum Dominus Deus veſter: qui eduxi vos de terra Aegypti, cum eſſetis ſerui, & contriui vinculũ iugi veſtri, & duxi vos cum fiducia.

14 Si autem non obedieritis mihi, neque feceritis præcepta mea hæc:

15 Sed increduli fueritis illis, & iudicia mea exhorruerit anima veſtra, vt non faciatis omnia mãdata mea, vt diſſipetis teſtamentum meum:

16 Et ego faciam ſic vobis: Et obfirmabo ſuper vos egeſtatem, & ſcabiem, & morbum regium conſumentem oculos veſtros, & animam veſtram liquefacientem. Et ſeminabitis fruſtra ſemina veſtra, & comedent aduerſarij veſtri.

17 Et obfirmabo faciem meam in vos, & cadetis ante inimicos veſtros, & perſequentur vos, qui oderunt vos: & fugietis nemine perſequente vos.

18 Et ſi vſque adhuc non obedieritis mihi, & apponã caſtigare vos ſepties in peccatis veſtris:

19 Et conteram contumeliam ſuperbiæ veſtræ. Et ponam cœlum vobis ferreum, & terram veſtram, tanquam æneam.

20 Et erit fruſtra fortitudo veſtra, & non dabit terra veſtra ſemen ſuum, & lignum agri veſtri non dabit fructum ſuum.

21 Et ſi poſt hæc ambulaueritis obliqui, & nolueritis obedire mihi, adijciam vobis plagas ſeptem ſecundum peccata veſtra:

22 Et mitto in vos beſtias agreſtes terræ, & comedent vos, & conſument pecora veſtra, & paucos faciam vos, & deſertæ fient viæ veſtræ.

23 Et in his ſi non eritis caſtigati, ſed ambulaueritis erga me obliqui:

24 Ambulabo, & ego vobiſcum furore obliquo, & percutiam vos, & ego ſepties pro peccatis veſtris.

25 Et inducam ſuper vos gladium vindicantem vindictam teſtamenti. Et confugietis in ciuitates veſtras, & emittam mortem in vos, & trademini in manus inimicorum:

In

## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Si in legitimis meis ambulaueritis, & præcepta mea cuſtodieritis: & feceritis ea, dabo pluuiam veſtram in temporibus ſuis:*

4 *Et dabit terra fructum ſuum, & arbor agri dabit poma ſua.*

5 *Et apprehendet vobis tritura vindemiam, & vindemia apprehendet pullulationem ſementis: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & habitabitis confidenter in terra veſtra.*

6 *Daboque pacem in terra: & manebitis, & non erit qui commoueat vos: & ceſſare faciam beſtiam malam de terra: & occidentes gladio non tranſibunt per terram veſtram.*

7 *Et perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis in gladio.*

8 *Perſequenturque quinque ex vobis centum, & centum ex vobis fugabunt decem millia: & cadent inimici veſtri coram vobis in gladio.*

9 *Et aſpiciam vos in verbo meo, vt benefaciam vobis, & creſcere vos faciam: & multiplicabo vos, & ſtatuam pactum meum vobiſcum.*

10 *Comedetiſque vetera veterum, & vetera propter noua efferetis.*

11 *Daboque tabernaculum meum inter vos, & non abijciet vos verbum meum.*

12 *Et habitare faciam maieſtatem meam inter vos, & ero vobis in Deum, & vos eritis coram me in populum.*

13 *Ego Dominus Deus veſter: qui eduxi vos de terra Aegypti, ne ſeruiretis eis, & confregi iugum populorũ ex vobis, & duxi vos in libertate.*

14 *Si autem non obedieritis verbo meo, nec feceritis omnia præcepta hæc:*

15 *Et ſi legitima mea ſpreueritis, & iudicia mea abominata fuerit anima veſtra, vt non faciatis omnia præcepta mea, vt immutetis pactum meum:*

16 *Ego quoque hæc faciam vobis. Viſitaboque vos in conturbatione, egeſtate, & ardore, obſcurantibus oculos, & exſpirare facientibus animam. Seminabitiſque in vanum ſemen veſtrum, & comedent illud inimici veſtri.*

17 *Ponamque iram meam contra vos, & contereminì coram inimicis veſtris, & dominabuntur veſtri, qui oderunt vos: & fugietis nemine perſequente vos.*

18 *Et ſi in his non obedieritis verbo meo, addam corripere vos ſepties ſuper peccata veſtra:*

19 *Et conteram gloriam fortitudinis veſtræ. Daboque cælos, qui ſunt ſuper vos fortes, ſicut ferrum, vt non deferant pluuiam, & terram, quæ eſt ſubter vos fortem, ſicut æs, ne faciet fructus.*

20 *Conſumeturque in caſſum fortitudo veſtra, & non dabit terra germen ſuum, neque arbor terræ dabit fructum ſuum.*

21 *Et ſi ambulaueritis coram me in duritia, & nolueritis obedire verbo meo, addam inducere ſuper uos percuſſionem ſeptuplum iuxta peccata ueſtra:*

22 *Immittamque in uos beſtias agri, & abſque liberis facient uos, & conſumabunt pecora ueſtra, & diminuent uos, & deſerta erunt uiæ ueſtræ.*

23 *Et ſi in his non fueritis correpti uerbo meo, & ambulaueritis coram me in duritia:*

24 *Ambulabo ego durè uobiſcum, & ego quoque percutiam uos ſepties propter peccata ueſtra.*

25 *Et inducam ſuper uos occiſores gladio, & ulciſcentur in uos ultionem pro eo quòd tranſgreſſi fuiſtis uerba legis. Et congregabimini in urbibus ueſtris, & immittam peſtilentiam in medio ueſtri, & trademini in manu hoſtis:*

Cùm

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

26 Poſtquam confregero baculum panis veſtri: ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non ſaturabimini.

27 Sin autem, nec per hæc audieritis me, ſed ambulaueritis contra me:

28 Et ego incedam aduerſus vos in furore contrario, & corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra:

29 Ita vt comedatis carnes filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum.

30 Deſtruam excelſa veſtra, & ſimulachra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea:

31 In tantum, vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam Sanctuaria veſtra, nec recipiam vltra odorem ſuauiſſimum.

32 Diſperdamque terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint.

33 Vos autem diſpergam in Gentes, & euaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ.

34 Tunc placebunt terræ ſabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ: quando feceritis.

35 In terra hoſtili, ſabbatizabit, & requieſcet in ſabbatis ſolitudinis ſuæ, eo quod non requieuerit in ſabbatis veſtris, quando habitabitis in ea.

36 Et qui de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium: cadent, nullo perſequente:

37 Et corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere.

38 Peribitis inter Gentes, & hoſtilis vos terra conſumet.

39 Quod ſi, & de ijs aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur:

40 Donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum, quibus præuaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi.

41 Ambulabo igitur, & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus ſuis.

42 Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & Iſaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero:

43 Quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit ſibi in ſabbatis ſuis, patiens ſolitudinem propter illos. Ipſi vero rogabunt pro peccatis ſuis, eo quod abiecerint iudicia mea, & leges meas deſpexerint.

44 Et tamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos, neque ſic deſpexi, vt conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus Deus eorum:

45 Et recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conſpectu Gentium, vt eſſem Deus eorum. Ego Dominus. Hæc ſunt iudicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter ſe, & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Dum confregero vobis baculum panis: coquent decem mulieres panem veſtrum in clibano vno, reddentque panem veſtrum in pondere: & comedetis, & non ſaturabimini.*

27 *Si vero in hoc non audieritis mihi, ſed ambulaueritis mecum ex aduerſo:*

28 *Incedam vobiſcum in furore ex aduerſo, & corripiam vos etiam ego ſepties propter peccata veſtra:*

29 *Comedetiſque carnem filiorum veſtrorum, & carnem filiarum veſtrarum comedetis.*

30 *Diſſipabo autem excelſa veſtra, & diſperdam imagines veſtras. Et ponam cadauera veſtra ſuper cadauera idolorum veſtrorum, & abominabitur anima mea vos:*

31 *Daboque ciuitates veſtras in deſolationem, & deſolabo Sanctuaria veſtra, & non odorabo odorem quietis veſtra.*

32 *Et deſolare faciam ego terram, obſtupeſcentque ſuper eam inimici veſtri, qui habitant in ea.*

33 *Et vos diſperdam in Gentes, & euaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſolata, & ciuitates veſtra erunt in deſtructionem.*

34 *Tunc perficiet terra ſabbata ſua cunctis diebus: quibus deſolata fuerit.*

35 *Et eritis in terra inimicorum veſtrorum, tunc requieſcet terra, & perficiet ſabbata ſua, omnibus diebus, quibus deſolata fuerit requieſcet, quibus non requieuit in ſabbatis veſtris, dum habitaſtis in ea.*

36 *Et qui remanſerint ex vobis, inducam teneritudinẽ in cor eorum in terris inimicorum eorum, & perſequetur eos ſonus folij impulſi, & fugient fugã gladij: & cadent, & non erit, qui perſequatur:*

37 *Corruent autem vnuſquiſque in fratrem ſuum, tanquam à facie gladij, & perſequens non erit, & non erit vobis erectio coram inimicis veſtris.*

38 *Et peribitis in Gentibus, & conſumet vos terra inimicorum veſtrorum.*

39 *Et qui remanſerint ex vobis diſſoluentur propter iniquitatem ſuam, in terris inimicorum ſuorum, & etiam propter iniquitates patrum ſuorum ſecum, liqueſcent:*

40 *Confitebunturque iniquitates ſuas, & iniquitates patrum ſuorum ſecundum præuaricationem, qua præuaricati ſunt in me, & etiam qua ambulauerunt mecum ex aduerſo.*

41 *Etiam ego ambulabo vobiſcum ex aduerſo, & inducam eos in terram inimicorum eorum, vel tunc humiliabit ſe cor eorum incircumciſum: & tunc rogabunt pro iniquitate ſua.*

42 *Et recordabor pacti mei cum Iahacob, & etiam pacti mei cum Iſchac, & inſuper pacti mei cum Abraham recordabor. Et terra memor ero:*

43 *Et terra relinquetur ab eis, & perficiet ſabbata ſua, quando deſolata fuerit ab eis. Et ipſi rogabunt pro iniquitate ſua, eo quòd, & eo quòd iudicia mea reprobauerunt, & decreta mea abominata eſt anima eorum.*

44 *Etiam cum eſſent in terra inimicorum ſuorum, non reprobaui eos, & non abominatus ſum eos, vt conſumerem eos, vt irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim Dominus Deus eorum:*

45 *Et recordabor eis pacti primorum, quos eduxi è terra Ægypti in oculis Gentium, vt eſſem eis in Deum. Ego Dominus. Hæc ſunt decreta, & iudicia & leges, quæ dedit Dominus inter ſe, & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moſeh.*

CAP.

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

26 In tribulando vos penuria panum : & coquent decem mulieres panes veſtros in clibano vno, & reddent panes veſtros in pondere : & comedetis, & non ſaturabimini.

27 Si autem in his, non obedieritis mihi, & ambulaueritis erga me obliqui :

28 Et ipſe ambulabo vobiſcum in furore obliquo, & caſtigabo ego vos ſepties ſecundum peccata veſtra :

29 Et comedetis carnes filiorum veſtrorum, & carnes filiarum veſtrarum comedetis.

30 Et deſolabo titulos veſtros, & diſperdam lignea manufacta veſtra. Et ponam cadauera veſtra ſuper cadauera idolorum veſtrorum, & exhorreſcet anima mea vos :

31 Et ponam vrbes veſtras deſertas, & deſolabo Sancta veſtra, & non olfaciam odorem ſacrificiorum veſtrorum.

32 Et deſolabo ego terram veſtram, & mirabuntur ſuper eam inimici veſtri, inhabitantes in ea.

33 Et diſpergam vos in Gentes, & conſumet vos perambulans gladius, & erit terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ erunt deſertæ.

34 Tunc bene ſentiet terra ſabbata ſua omnes dies deſolationis ſuæ: & vos eritis.

35 In terra inimicorum veſtrorum, tunc ſabbatizabit terra, & bene ſentiet terra ſabbata ſua, omnes dies deſolationis ſuæ ſabbatizabit, quæ non ſabbatizauit in ſabbatis veſtris, quando inhabitabatis eam.

36 Et eis, qui reſidui fuerint ex vobis ſuperducam ſeruitutem in cor eorum in terra inimicorũ ſuorum, & perſequetur eos vox folij volantis, & fugiẽt, ſicut fugientes de bello: & cadent nemine perſequente :

37 Et deſpiciet frater fratrem, ſicut in bello nemine incurrente, & non poteritis reſiſtere inimicis veſtris.

38 Et peribitis inter Gentes, & comedet vos terra inimicorum veſtrorum.

39 Et qui reſidui fuerint ex vobis, corrumpentur propter peccata ſua, & propter peccata patrum ſuorũ, in terra inimicorum ſuorum tabeſcent :

40 Et cõfitebuntur peccata ſua, & peccata patrum ſuorum, quoniam præuaricati ſunt, & deſpexerunt me, & quoniam ambulauerunt coram me obliqui.

41 Et ego ambulaui cum eis in furore obliquo, & perdam eos in terra inimicorum eorum, tunc confundetur cor eorum incircuncisum : & tunc bene ſentient peccata ſua.

42 Et recordabor teſtamenti Iacob, & teſtamẽti Iſaac, & teſtamenti Abraham recordabor. Et terræ recordabor :

43 Et terra derelinquetur ab eis, tunc accipiet terra ſabbata ſua, cum ipſa deſolata fuerit propter eos. Et ipſi accipient iniquitates ſuas pro eo quod iudicia mea deſpexerunt, & præcepta mea exhorruerunt animo ſuo.

44 Veruntamen neque cum eſſent in terra inimicorũ ſuorum, deſpexi eos, neque exhorrui eos, vt delerem illos diſſipando teſtamentum meum, quod erga illos. Ego enim ſum Dominus Deus eorum :

45 Et recordabor teſtamenti eorum prioris, cum eduxi eos de terra Ægypti, de domo ſeruitutis coram Gentibus, vt ſim eorum Deus. Ego ſum Dominus. Hæc ſunt iudicia mea, & præcepta mea, & lex, quã dedit Dominus inter ſe, & inter filios Iſrael in mõte Sina in manu Moyſis.



## Chald. Paraph. Tranſl.

26 *Cùm confregero vobis ſuſtentationem cibi: & coquẽt decem mulieres panem veſtrum in vno clibano, & reducent panem veſtrum in pondere : & comedetis, & non ſaturabimini.*

27 *Et ſi in hoc non obedieritis verbo meo, & ambulaueritis coram me in duritia :*

28 *Ambulabo vobiſcum in ira furoris, corripiamque ego quoque vos ſepties propter peccata veſtra :*

29 *Et comedetis carnem filiorum veſtrorum, & carnem filiarum veſtrarum comedetis.*

30 *Et deſtruam excelſa veſtra, & ſuccidam ſimulachra veſtra. Et dabo cadauera veſtra ſuper cadauera idolorum veſtrorum, & abominabitur vos verbum meum :*

31 *Et dabo ciuitates veſtras in ſolitudinem, & deſerta faciam Sanctuaria veſtra, & non ſuſcipiam voluntariè oblationem congregationis veſtræ.*

32 *Et deſertam ego faciam terram, & deſerti erunt ſuper ea inimici veſtri, qui habitant in ea.*

33 *Vos autem diſpergam inter Populos, & immittã poſt vos occiſores gladio, & erit terra veſtra, & ciuitates veſtræ erunt in ſolitudinem.*

34 *Tunc complacebunt terræ requietiones eius cunctis diebus : quibus fuerit deſerta.*

35 *Et vos in terra inimicorum veſtrorum, tunc dimittetur terra quieſcere, & complacebit ei requietiones ſua, cunctis diebus quibus fuerit deſerta dimittetur quieſcere, eo quòd non dimittebatur in annis requietionis veſtræ, quando habitabatis in ea.*

36 *Et qui de vobis remanſerint, inducam pauorem in cordibus eorum in terra hoſtium ſuorum, & perſequetur eos ſonitus folij decidentis, & fugient, ſicut fugiunt à facie occiſorum gladio :*

37 *Et corruent vnuſquiſque in fratrem ſuum, quaſi fugientes à facie occiſorum gladio, nemine perſequente, & non erit vobis reſiſtentia ante inimicos veſtros.*

38 *Et peribitis inter Populos, & conſumet vos terra inimicorum veſtrorum.*

39 *Et qui reliqui fuerint ex vobis, tabeſcent iniquitatibus ſuis in terra inimicorum veſtrorum, propter peccata quoque peſſima patrum ſuorum, quæ apprehenderunt manibus ſuis tabeſcent :*

40 *Et confitebuntur peccata ſua, & peccata patrum ſuorum propter præuaricationem qua præuaricati ſunt in verbum meum, & quòd ambulauerunt coram me in duritia.*

41 *Ego quoque incedam cum eis in duritia, & inducam eos in terram inimicorum ſuorum, aut tunc conteretur inſipiens cor eorum : & tunc placabunt pro iniquitatibus ſuis.*

42 *Recordaborque fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & pacti mei, quod pepigi cum Iſaac, & etiam pacti mei, quod pepigi cum Abraam, ego recordabor. Terra quoque ego recordabor :*

43 *Et terra relicta erit ab eis, & cõplacebit ſibi requietionibus ſuis cũ deſerta fuerit ab illis. Illi quoq; placabunt pro iniquitatibus ſuis, maledictiones pro benedictionibus inducã ſuper eos, eo quòd abiecerint legitima mea, & iudicia mea abominata ſit aĩa eorum.*

44 *Attamen etiam cùm eſſent in terra inimicorum ſuorum, non reliqui eos, neque abieci, vt conſumerem eos, vt immutarem pactum meum cum eis. Quia ego Dominus Deus eorum :*

45 *Et recordabor eis pacti priorum quos eduxi de terra Ægypti ante oculos Populorum, vt eſſem eis in Deũ. Ego Dominus. Hæc ſunt pacta, & iudicia, & leges, quæ dedit Dominus inter verbum eius, & inter filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XXVII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Homo, qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium.

3 Si fuerit maſculus à vigeſimo anno vſque ad ſexageſimum annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarij:

4 Si mulier, triginta.

5 A quinto autem anno vſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos: fœmina decem.

6 Ab vno menſe vſque ad annum quintum, pro maſculo dabuntur quinque ſicli: pro fœmina, tres.

7 Sexagenarius, & vltra maſculus dabit quindecim ſiclos: fœmina decem.

8 Si pauper fuerit, & æſtimationem reddere non valebit, ſtabit coram ſacerdote: & quantum ille æſtimauerit, & viderit eum poſſe reddere, tantum dabit.

9 Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit:

10 Et mutari non poterit, id eſt, nec melius malo, nec peius bono, quòd ſi mutauerit: & ipſum quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino.

11 Animal immundum, quod immolari Domino non poteſt, ſi quis vouerit, adducetur ante ſacerdotem.

12 Qui iudicans vtrum bonum, an malum ſit, ſtatuet pretium.

13 Quod ſi dare voluerit is, qui offert, addet ſupra æſtimationem quintam partem.

14 Homo ſi vouerit domum ſuam, & ſanctificauerit Domino, conſiderabit eam ſacerdos vtrum bona, an mala ſit, & iuxta pretium, quod ab eo fuerit conſtitutum, venundabitur:

15 Sin autem ille, qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum.

16 Quod ſi agrum poſſeſſionis ſuæ vouerit, & conſecrauerit Domino: iuxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium. Si triginta modijs hordei ſeritur terra, quinquaginta ſiclis venundetur argenti.

17 Si ſtatim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valere poteſt, tanto æſtimabitur.

18 Sin autem poſt aliquantum temporis: ſupputabit ſacerdos pecuniam, iuxta annorum, qui reliqui ſunt, numerum vſque ad iubileum, & detrahetur ex pretio.

19 Quod ſi voluerit redimere agrum ille, qui vouerat; addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum.

20 Sin autẽ noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venũdatus, vltra eũ, q vouerat redimere nõ poterit:

21 Quia cum iubilei venerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotum.

22 Si ager emptus eſt, & non de poſſeſſione maiorum ſanctificatus fuerit Domino:

23 Supputabit ſacerdos, iuxta annorum numerum vſque ad iubileum, pretium: & dabit ille, qui vouerat eum, Domino.

In

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXVII.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir ſi permutare voluerit votum, ſecundum æſtimationem animarum Domino.*

3 *Erit æſtimatio maſculi à filio viginti annorum, vſq; ad filium ſexaginta annorũ: erit æſtimatio quinquaginta ſicli argentei, ſecundum ſiclum Sanctuarij:*

4 *Et ſi fœmina fuerit, erit æſtimatio triginta ſicli.*

5 *Si à filio quinque annorum vſque ad filium viginti annorum erit æſtimatio maſculi viginti ſicli: fœminæ vero decem ſicli.*

6 *Et ſi à filio menſis, vſque ad filium quinque annorũ, erit æſtimatio maſculi quinque ſicli argentei: fœminæ vero æſtimatio, tres ſicli argentei.*

7 *Et ſi à filio ſexaginta annorum, & ſupra, ſi maſculus, æſtimatio quindecim ſicli: fœminæ decem ſicli.*

8 *Et ſi pauperior eſt æſtimatione, ſtare faciet eum coram ſacerdote. & æſtimabit eum ſacerdos, ſecundũ quod apprehendit manus voventis, æſtimabit eum ſacerdos.*

9 *Et ſi animal fuerit de quo offerunt oblationem Domino, omne de quo dederit Domino, erit ſanctitas:*

10 *Non permutabit illud, & non commutabit illud, bonum pro malo, vel malum pro bono: & ſi commutando commutauerit iumentum cum iumento, & illud, & commutatio eius erit ſanctitas.*

11 *Et ſi fuerit omne animal immundum, de quo non offerunt oblationem Domino, ſtatuet animal coram ſacerdote.*

12 *Et æſtimabit ſacerdos illud, tam bonum, quàm malum, ſecundum æſtimationem ſacerdotis ſic erit.*

13 *Si vero redimendo redemerit illud, addet quintam eius partem, ſecundum æſtimationem.*

14 *Vir autem cum ſanctificauerit domum ſuam ſanctitatem Domino, æſtimabit eam ſacerdos, tam bonam, quàm malam, ſecundum quòd æſtimauerit eã ſacerdos, ſic confirmabitur:*

15 *Si autem ſanctificans redemerit domum ſuam addet quintam partem pecuniæ ſecundum æſtimationẽ ſuper eum, & erit ſibi.*

16 *Si vero quippiam de agro poſſeſſionis ſuæ ſanctificauerit vir Domino: erit æſtimatio ſecundum ſementem eius. Sementis cori hordeorum quinquaginta ſicli argentei.*

17 *Si ab anno iobel ſanctificauerit agrum ſuum, ſecundum æſtimationem confirmabitur.*

18 *Si vero poſt iobel ſanctificauerit agrum ſuum: ſupputabit ei ſacerdos pecuniam, ſecundum annos, qui remanent vſque ad annum iobel, & diminuet de æſtimatione.*

19 *Et ſi redimendo redemerit agrum, qui ſanctificauit eum, addet quintam partem pecuniæ, ſecundum æſtimationem ſuper eum, & confirmabitur ei.*

20 *Si autem non redemerit agrum, & ſi vendiderit agrum viro alteri, non redimetur amplius:*

21 *Sed erit ager, poſtquam exierit in iobel, ſanctitas Domino, ſicut ager anathematis ſacerdoti erit poſſeſſio eius.*

22 *Si vero agrum emptionis ſuæ, qui non eſt de agro poſſeſſionis ſuæ, ſanctificauerit Domino:*

23 *Supputabit ei ſacerdos numerum æſtimationis vſque ad annum iobel: dabitque æſtimationem in die ipſa, ſanctitatem Domino.*

*In*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XXVII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices eis: Quicumque vouerit votum, tanquam pretium animæ ſuæ Domino.

3 Erit pretium maſculi, à viginti annis vſque ad ſexaginta annos, erit eius pretium quinquaginta didrachma argenti pondere ipſo Sancto:

4 Fœminæ autem erit æſtimatio triginta didrachma.

5 Si autem à quinque annis vſque ad viginti annos, erit pretium maſculi viginti didrachma; fœminæ autem decem didrachma.

6 Ab vno autem menſe vſque ad quinque annos, erit pretium maſculi quinque didrachma: fœminæ autem tria didrachma argenti.

7 Si autem à ſexaginta annis, & ſupra, ſiquidē maſculus fuerit, erit pretium eius quindecim didrachma argenti: ſi autem fœmina, decem didrachma.

8 Si autem humilis fuerit pretio, ſtabit ante ſacerdotem, & æſtimabit eum ſacerdos: ſicut valet manus eius, qui vouit, æſtimabit eum ſacerdos.

9 Si autem de pecoribus, quæ offeruntur de eis munus Domino quicumque dederit de eis Domino, erit ſanctum:

10 Non permutabit illud bonum malo, neque malum bono, ſi autem permutans permutauerit illud: ipſum, & permutatio erunt ſancta.

11 Si autem omne pecus immundum, de quibus non offertur de eis munus Domino, ſtatuet pecus ante ſacerdotem.

12 Et æſtimabit illud ſacerdos inter bonum, & inter malum, & prout æſtimauerit illud ſacerdos, ſic ſtatuetur.

13 Si autem redimens redemerit illud, adijciet quintas ad pretium eius.

14 Et homo, quicumque ſanctificauerit domum ſuam ſanctam Domino, & æſtimabit eam ſacerdos inter bonam, & malam, quomodocumque æſtimauerit eam ſacerdos, ſic conſtabit:

15 Si autem, qui ſanctificauit eam, redimat domum ſuam, adijciet ſuper illud quintas argenti pretij, & erit ei.

16 Si autem de agro poſſeſſionis ſuæ ſanctificauerit homo Domino: & erit pretium ſecundum ſementem eius. Pro coro hordei quinquaginta didrachma argenti.

17 Si autem ab anno remiſſionis ſanctificauerit agrum ſuum, ſecundum pretium eius ſtatuetur.

18 Si autem vltimo poſt remiſſionem ſanctificauerit agrum ſuum: computabit ei ſacerdos argentum ad annos, qui reſtant vſque ad annum remiſſionis, & ſubducetur ab æſtimatione illius.

19 Si autem redimat agrum is, qui ſanctificauit eum; adijciet quintas argenti ad pretium eius, & erit ipſi.

20 Si autem non redimat agrum, & vendat agrum homini alteri, non vltra redimet eum:

21 Sed erit ager poſtquam exierit remiſſio, ſanctus Domino, tanquam terra, quæ ſegregata eſt ſacerdoti erit, poſſeſſio eius.

22 Si autem de agro quem acquiſiuit, qui non eſt de agro poſſeſſionis ſuæ, ſanctificauerit Domino:

23 Supputabit erga eum ſacerdos finem pretij ex anno remiſſionis: & reddet pretium in die illa ſanctum Domino.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAP. XXVII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Vir, qui vouerit votum in æſtimatione animarum coram Domino.*

3 *Si fuerit æſtimatio à viginti annis vſque ad ſexaginta annos, erit pretium eius quinquaginta ſicli argenti in ſiclo Sanctuarij:*

4 *Et ſi fœmina fuerit, erit pretium eius triginta ſicli.*

5 *Et ab ætate quinque annorum vſque ad viginti annos, erit pretium maſculi viginti ſicli: & fœminæ decem ſicli.*

6 *Et ſi fuerit ab ætate menſis vſque ad ætatem quinque annorum, erit pretium maſculi quinque ſicli: & fœminæ tres ſicli argenti.*

7 *Si fuerit ab ætate ſexaginta annorum, & deinceps, erit pretium maſculi quindecim ſicli: & fœminæ decem ſicli.*

8 *Et ſi fuerit pauper, & non poteſt reddere æſtimationem ſuam, ſtabit coram ſacerdote, & æſtimabit eum ſacerdos: quantum valuerit manus voventis, æſtimabit eum ſacerdos.*

9 *Animal autem, quod offerri poteſt in oblatione coram Domino, ſi quis obtulerit illud coram Domino, erit ſanctum:*

10 *Non immutabit eum, neque permutabit bonum pro malo, aut malum pro bono, & ſi permutans permutauerit animal pro animali: ipſum & illud pro quo mutatum eſt erit ſanctum.*

11 *Et ſi omne animal immundum fuerit, quod offerri non poteſt coram Domino, ſtatuet animal coram ſacerdote.*

12 *Et appretiabit eum ſacerdos, ſiue ſit bonum, ſiue malum, iuxta æſtimationem ſacerdotis ita erit.*

13 *Et ſi redimens redemerit illud, addet quintam partem ſuper æſtimationem eius.*

14 *Vir autem, qui ſanctificauerit domum ſuam ſanctificatione coram Domino, æſtimabit eam ſacerdos, ſiue ſit mala, ſiue bona, iuxta æſtimationem ſacerdotis ſic ſtatuetur:*

15 *Et ſi ille, qui ſanctificauit redemerit domum ſuam, addet quintam partem ſuper æſtimationem eius, & habebit eam.*

16 *Et ſi de agro poſſeſſionis ſuæ ſanctificauerit vir coram Domino: erit pretium eius, iuxta menſuram ſementis eius. Si coro hordei ſeminatur, æſtimabitur quinquaginta ſiclis argenti.*

17 *Si ab anno iubilei conſecrauerit agrum ſuum, iuxta æſtimationem eius ſtabit.*

18 *Et ſi poſt iubileum conſecrauerit agrum ſuum: ſupputabit ei ſacerdos argentum, iuxta numerum annorum, qui reliqui ſunt vſque ad annum iubilei, & diminuetur ex pretio eius.*

19 *Si autem redimens redemerit agrum ille, qui conſecrauit illum; addet quintam partem argenti ſuper æſtimationem eius, & habebit eum.*

20 *Et ſi non redemerit agrum, & vendiderit agrum viro alteri, non redimetur amplius:*

21 *Et cùm egreſſus fuerit ager in iubileo, erit conſecratus coram Domino, ſicut ager anathematis in poſſeſſionem ſacerdotis erit.*

22 *Et ſi agrum aliquis conſecrauerit coram Domino, quem emerat, qui non eſt de agro poſſeſſionis ſuæ:*

23 *Æſtimabit ſacerdos ſummam pretij eius vſque ad annum iubilei: & dabit pretium eius in die illa, ſanctum erit coram Domino.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 In iubileo aũt reuertetur ad prioré Dñm, qui vendiderat eum, & habuerat in ſorte poſſeſſionis ſuæ.

25 Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarij ponderabitur. * Siclus viginti obolos habet.

26 Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo ſanctificare poterit, & vouere: ſiue bos, ſiue ouis fuerit, Domini ſunt.

27 Quod ſi immundum eſt animal, redimet, qui obtulit iuxta æſtimationem tuam, & addet quintam partem pretij. Si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque à te fuerit æſtimatum.

28 *Omne, quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.

29 Et omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.

30 Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur.

31 Si quis autem voluerit redimere decimas ſuas, addet quintam partem eorum.

32 Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.

33 Non eligetur, nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutauerit: & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur.

34 Hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſraël in monte Sinai.

* Exo. 30. 13. Num. 3. 47. Ezec. 45. 12.

* Iof. 6. 17. 25.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *In anno iobel reuertetur ager ad eum, qui emit eum à ſe, ei cui eſt poſſeſſio terræ.*

25 *Omnis autem æſtimatio erit, ſecundum ſiclum Sanctuarij. Viginti obolorum eſt Sechel.*

26 *Verumtamen primogenitum oblatum Domino inter animalia, non ſanctificabit vir illud: ſiue bos, ſiue ouis, Domini eſt.*

27 *Si vero fuerit ex animalibus immundis, redimet ſecundum æſtimationem, & addet quintam partem eius ſuper eam. Et ſi non redimatur, vendatur ſecundum æſtimationem.*

28 *Verumtamen omnis conſecratio, quam conſecrabit vir Domino, ex omnibus, quæ ſunt ſibi, ab homine, & animali, & ab agro poſſeſſionis eius, non vendetur, & non redimetur. Omnis conſecratio ſanctitas ſanctitatum erit Domino.*

29 *Omnis conſecratio, quæ conſecrabitur ab homine, non redimendo, moriendo morietur.*

30 *Omnis autem decima terræ de ſemine terræ, de fructu ligni, Domini eſt, ſanctitas Domino.*

31 *Si vero redimendo redemerit de decima ſua, quintam eius partem addet ſuper eam.*

32 *Et omnes decimæ boum, & ouium, omnium, quæ tranſeunt ſub virga, decimum erit ſanctitas Domino.*

33 *Non quæret vtrum bonum, an malum, & non permutabit illud. Et ſi commutando commutauerit, erit illud, & commutatio eius erit ſanctificatio, non redimetur.*

34 *Iſta ſunt præcepta, quæ præcepit Dominus Moſch ad filios Iſrael in monte Sinai.*

FINIS LIBRI LEVITICI.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

24 Et in anno remiſſionis reddetur ager homini, à quo acquiſiuit eum, cuius erat poſſeſſio terræ.
25 Et omne pretium erit ponderibus Sanctis. Viginti oboli erit didrachma.
26 Et omne primogenitum, quodcumque natū fuerit in pecoribus tuis, erit Domino, & nemo ſanctificabit: illud ſiue vitulum, ſiue ouem, Domino erit.
27 Si autem quadrupedum immundorum, permutabit iuxta pretium eius, & adijciet quintas ad illud, & erit ipſi. Si autem non redimat, vendetur ſecundum æſtimationem eius.
28 Omnis autem conſecratio, quæcumque conſecrauerit homo Domino de omnibus, quæ ipſi ſunt, ab homine vſque ad pecus, & de agro poſſeſſionis ſuæ, non vendetur, neque redimetur. Omnis conſecratio, Sanctum Sanctorum erit Domino.
29 Et omnis conſecratio, quæ conſecrata fuerit ab hominibus, non redimetur, ſed morte morietur.
30 Omnis decima de ſemine terræ, & fructu ligneo, Domino eſt, ſanctum Domino.
31 Si autem redimat redemptione homo decimam ſuam, quintam adijciet ad illud, & erit ipſi.
32 Et omnis decima boum, & ouium, & quodcumque venerit in numerum ſub virga, decimum quodque erit ſanctum Domino.
33 Non permutabis bonum malo, neque malum bono. Si autem permutans permutaueris illud: & permutatio eius erit ſancta, non redimetur.
34 Hæc ſunt mandata, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sina.

## Chald. Paraph. Tranſl.

24 *In anno autem iubilei reuertetur ager ei, à quo emit eum, cuius eſt poſſeſſio terræ.*
25 *Omnis autem æſtimatio erit in ſiclis Sanctuarij. Viginti obolos habet ſiclus.*
26 *Veruntamen primogenitum, quod ad Dominum pertinet in pecoribus, nemo ſanctificabit illud: ſiue bos fuerit, ſiue agnus, Domini enim eſt.*
27 *Et ſi de animalibus immundis eſt, redimetur, iuxta æſtimationem eius, & addet quintam partem ſuper illud. Et ſi non fuerit redemptum, vendetur iuxta æſtimationem ſuam.*
28 *Veruntamen omne anathema, quod anathematizauerit vir coram Domino, de omnibus, quæ ad eum pertinent, ab homine, & iumento, & ab agro poſſeſſionis ſuæ, non vendetur, nec redimetur. Omne anathema Sanctum Sanctorum eſt coram Domino.*
29 *Omne anathema, quod anathematizatum eſt ab homine, non redimetur, ſed occiſione occidetur.*
30 *Et omnes decimæ terræ de ſemine terræ, & de fructu arboris Domini ſunt, ſancta ſunt coram Domino.*
31 *Et ſi redimens redemerit vir de decimis ſuis, addet quintam partem ſuper eas.*
32 *Omniſque decimatio boum, & ouium, omne decimum, quod tranſierit ſub virga, erit ſanctificatum coram Domino.*
33 *Non requirat inter bonum, & malum, neque commutet illud. Si autem commutauerit illud: illud, & id pro quo commutatum eſt, erit ſanctificatum, non redimetur;*
34 *Hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai.*

# FINIS LIBRI LEVITICI.

# LIBRI NVMERORVM.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Ægypto, dicens:

2 *Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſrael per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quidquid ſexus eſt maſculini

* Exo. 30. 12.

3 A vigeſimo anno, & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſrael, & numerabitis eos per turmas ſuas, tu & Aaron.

4 Eruntque vobiſcum principes tribuum, ac domorum in cognationibus ſuis:

5 Quorum iſta ſunt nomina: De Ruben, Eliſur filius Sedeur.

6 De Simeon, Salamiel filius Suriſaddai.

7 De Iuda, Nahaſſon filius Aminadab.

8 De Iſſachar, Nathanael filius Suar.

9 De Zabulon, Eliab filius Helon.

10 Filiorum autem Ioſeph, de Ephraim, Eliſama filius Ammiud. De Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur.

11 De Beniamin, Abidan filius Gedeonis.

12 De Dan, Ahiezer filius Ammiſaddai.

13 De Aſer, Phegiel filius Ochran.

14 De Gad, Eliaſaph filius Duel.

15 De Nephthali, Ahira filius Enan.

16 Hi nobiliſſimi principes multitudinis per tribus, & cognationes ſuas, & capita exercitus Iſrael:

17 Quos tulerunt Moyſes, & Aaron cum omni vulgi multitudine:

18 Et congregauerunt primo die menſis ſecundi, recenſentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra:

19 Sicut præceperat Dominus Moyſi. Numeratique ſunt in deſerto Sinai.

20 De Ruben primogenito Iſraelis per generationes, & familias, ac domos ſuas, & nomina capitum ſingulorum, omne quod ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno, & ſupra, procedentium ad bellum:

21 Quadraginta ſex millia quingenti.

22 De filijs Simeon per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſita ſunt per nomina, & capita ſingulorum: omne quod ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno, & ſupra, procedentium ad bellum:

23 Quinquaginta nouem millia trecenti.

24 De filijs Gad per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſita ſunt per nomina ſingulorum à viginti annis, & ſupra, omnes, qui ad bella procederent:

25 Quadraginta quinque millia ſexcenti quinquaginta.



# LIBRI VAIEDABBER.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh in deſerto Sinai, in tabernaculo eccleſiæ, in vna menſis ſecundi, anno ſecundo, quo egreſſi ſunt à terra Ægypti, dicendo:*

2 *Capite ſummam omnis cœtus filiorum Iſrael per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum, omnem maſculum per capita eorum:*

3 *A filio viginti annorum, & ſupra, omnem egredientem ad pugnam in Iſrael numerabitis eos per exercitus ſuos, tu, & Aharon.*

4 *Et vobiſcum erunt ſinguli viri per tribum, vir caput domus patrum ſuorum erit:*

5 *Et hæc ſunt nomina virorum, qui ſtabunt vobiſcum. De Reuben, Eliſur filius Sedeur.*

6 *De Simhon, Selumiel filius Suriſaddai.*

7 *De Iehudah, Nachſon filius Hamminadab.*

8 *De Iſſachar, Nethanel filius Suhar.*

9 *De Zebulun, Eliab filius Chelon.*

10 *De filijs Ioſeph, de Ephraim Eliſamah filius Hammiud. De Menaſſeh, Gamliel filius Pedaſur.*

11 *De Biniamin, Abidan filius Ghidhoni.*

12 *De Dan, Achihezer filius Hammiſaddai.*

13 *De Aſer, Paghiel filius Hochran.*

14 *De Ghad, Eliaſaph filius Dehuel.*

15 *De Naphthali, Achirah filius Henan.*

16 *Iſti ſunt maiores ſynagogæ, principes tribuum patrum eorum, capita millium Iſrael erant:*

17 *Et accepit Moſeh, & Aharon viros iſtos, qui numerati ſunt per nomina:*

18 *Et omnem ſynagogam congregare fecerunt in vna menſis ſecundi, & oſtenderunt natiuitatem ſuam per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, per capita ſua:*

19 *Quemadmodum præcepit Dominus ipſi Moſeh. Et numerauit eos in deſerto Sinai.*

20 *Et fuerunt filij Reuben primogeniti Iſrael per generationes ſuas, per familias ſuas per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum, per capita ſua, omnis maſculus à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

21 *Numeri eorum de tribu Reuben, ſex & quadraginta millia, & quingenti.*

22 *De filijs Simhon per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, per numeros eius, ſecundum numerum nominum, per capita ſua, omnis maſculus à viginti annis, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

23 *Numeri eorum de tribu Simhon, nouem, & quinquaginta millia, & trecenti:*

24 *De filijs Ghad per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

25 *Numeri eorum de tribu Ghad quinque & quadraginta millia, & ſexcenti quinquaginta.*



UVA.BSCH

# LIBRI NVMERORVM.

## Tranſl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sina, in tabernaculo teſtimonij in vna menſis ſecundi, anno ſecundo, egreſſis ipſis de terra Ægypti, dicens:

2 Sumite principium omnis ſynagogæ Iſrael, ſecundum cognationes, ſecundum domos patriarum eorum, ſecundum numerum ex nomine eorum, ſecundum caput eorum, omnis maſculus

3 A viginti annis, & ſupra, omnis egrediens in virtute Iſrael, recognoſcite eos cum virtute eorum, tu, & Aaron recognoſcite eos.

4 Et vobiſcum erunt vnuſquiſque ſecundum tribum vniuſcuiuſque principum, ſecundum domos patriarum erunt:

5 Et hæc ſunt nomina virorum, qui quidem aſſiſtent vobiſcum: Ex ijs, qui Ruben, Eliſur filius Sediur.

6 Ex ijs, qui Symeon, Salamiel filius Suriſadæ.

7 Ex ijs, qui Iuda, Naaſſon filius Aminadab.

8 Ex ijs, qui Iſſachar, Nathanael filius Sogar.

9 Ex ijs, qui Zabulon, Eliab filius Chælon.

10 Ex filijs Ioſeph, qui Ephræm, Eliſama filius Emiud. Ex ijs, qui Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſur.

11 Ex ijs, qui Beniamin, Abidan filius Gadeoni.

12 Ex ijs, qui Dan, Achiezer filius Amiſadai.

13 Ex ijs, qui Aſer, Phagaiel filius Echran.

14 Ex ijs, qui Gad, Eliſaph filius Raguel.

15 Ex ijs, qui Nephthali, Achire filius Ænan.

16 Hi euocati ſynagogæ, principes tribuum ſecundum familias eorum Chiliarchi Iſrael ſunt:

17 Et ſumpſit Moyſes, & Aaron viros hos euocatos ex nomine:

18 Et omnem ſynagogam congregauerunt in vna menſis anni ſecundi, & recenſuerunt, ſecundum progenies eorum, ſecundum familias eorum, ſecundũ numerum nominum eorum à viginti annis, & ſupra, omne maſculinum ſecundum caput eorum:

19 Quemadmodum præcepit Dominus Moyſi. Et recogniti ſunt in deſerto ipſius Sina.

20 Et fuerunt filij Ruben primogeniti Iſrael, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis egrediens in virtute:

21 Recognitio eorum de tribu Ruben, ſex & quadraginta millia, & quingenti.

22 Filijs Symeon, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

23 Recognitio eorum de tribu Symeon nouẽ, & quinquaginta millia, & trecenti.

24 Filijs Gad, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

25 Recognitio eorum de tribu Gad quinque & quadraginta millia, & ſexcenti, & quinquaginta.

Filijs

# LIBRI NVMERORVM.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAPVT PRIMVM.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe in deſerto Sinai in tabernaculo fœderis in prima die menſis ſecundi, in anno ſecundo egreſſionis eorum de terra Ægypti, dicens:*

2 *Suſcipe ſummam omnis cœtus filiorum Iſrael per cognationes ſuas, & per domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, omnium maſculini ſexus per capita eorum:*

3 *A viginti annis, & ſupra, omnium egredientium ad exercitum in Iſrael, numerabitis eos per turmas ſuas, tu & Aaron.*

4 *Et vobiſcum erunt vnus vir de vno quoque tribu, qui princeps ſit domus patrum ſuorum:*

5 *Et hæc ſunt nomina virorum, qui ſtabunt vobiſcum: De Ruben, Eliſur, filius Sedeur.*

6 *De Symeon, Selumiel, filius Suriſaddai.*

7 *De Iuda, Naaſon, filius Aminadab.*

8 *De Iſachar, Nathanael filius Suar.*

9 *De Zabulon, Eliab, filius Helon.*

10 *Filiorum autem Ioſeph, de Ephraim, Eliſama filius Amihud. De Manaſſe, Gamaliel, filius Phadaſur.*

11 *De Beniamin, Abidan filius Gedeonis.*

12 *De Dan, Ahiezer filius Amiſaddai.*

13 *De Aſer, Phegiel filius Ochran.*

14 *De Gad, Eliaſaph, filius Dehuel.*

15 *De Neptali, Aira filius Enan.*

16 *Hi ſunt nuncupati congregationis principes tribuum patrum ſuorum, capita ſunt millium Iſrael:*

17 *Tulitque Moyſes, & Aaron viros iſtos, quorum nomina expoſita ſunt:*

18 *Et omnem cœtum congregauerunt in prima die menſis ſecundi, & numerati ſunt per genealogias, & familias ſuas, ac domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum à viginti annis, & ſupra, per capita eorum:*

19 *Sicut præcepit Dominus Moyſi. Numerauitque eos in deſerto Sinai.*

20 *Fueruntque filij Ruben per generationes ſuas, & familias ſuas, per domos patrum ſuorum, per numerum nominum eorum, per capita eorum, omnes maſculi à viginti annis, & ſupra, omnes egredientes ad exercitum:*

21 *Numeratique ſunt de tribu Ruben quadraginta, & ſex millia, & quingenti.*

22 *De filijs Symeon per generationes ſuas, & familias ſuas, & per domos patrum ſuorum recenſiti ſunt, iuxta numerum eorum, per capita eorum, omnes maſculi à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

23 *Recenſitique ſunt de tribu Symeon, quinquaginta, & nouem millia, & trecenti.*

24 *De filijs Gad per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

25 *Numeratique ſunt de tribu Gad, quadraginta quinque millia, & ſexcenti, & quinquaginta.*


De

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

26 De filijs Iuda per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

27 Recenſiti ſunt ſeptuaginta quattuor millia ſexcenti.

28 De filijs Iſſachar, per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui ad bella procederent:

29 Recenſiti ſunt quinquaginta quattuor millia quadringenti.

30 De filijs Zabulon per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

31 Quinquaginta ſeptem millia quadringenti.

32 De filijs Ioſeph, filiorum Ephraim per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

33 Quadraginta millia quingenti.

34 Porro filiorum Manaſſe per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à viginti annis, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

35 Triginta duo millia ducenti.

36 De filijs Beniamin per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

37 Triginta quinque millia quadringenti.

38 De filijs Dan per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

39 Sexaginta duo millia ſeptingenti.

40 De filijs Aſer per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

41 Quadraginta millia, & mille quingenti.

42 De filijs Nephthali per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à vigeſimo anno, & ſupra, omnes, qui poterant ad bella procedere:

43 Quinquaginta tria millia quadringenti.

44 Hi ſunt, quos numerauerunt Moyſes, & Aaron, & duodecim principes Iſrael, ſingulos per domos cognationum ſuarum.

45 Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael per domos, & familias ſuas à vigeſimo anno, & ſupra, qui poterant ad bella procedere:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*16 De filijs Iehudah per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*27 Numeri eorum de tribu Iehudah, quattuor, & ſeptuaginta millia, & ſexcenti.*

*28 De tribu Iſaſchar per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*29 Numeri eorum de tribu Iſaſchar quattuor, & quinquaginta millia, & quadringenti.*

*30 De tribu Zebulun per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*31 Numeri eorum de tribu Zebulun ſeptem, & quinquaginta millia, & quadringenti.*

*32 De filijs Ioſeph, de filijs Ephraim per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*33 Numeri eorum de tribu Ephraim quadraginta millia, & quingenti.*

*34 De tribu Menaſſeh per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*35 Numeri eorum de tribu Menaſſeh duo, & triginta millia, & ducenti.*

*36 De filijs Biniamin per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*37 Numeri eorum de tribu Biniamin, quinque & triginta millia, & quadringenti.*

*38 De filijs Dan per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*39 Numeri eorum de tribu Dan, duo, & ſexaginta millia, & ſeptingenti.*

*40 De filijs Aſer per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*41 Numeri eorum de tribu Aſer, vnus, & quadraginta millia, & quingenti.*

*42 De filijs Naptali per generationes ſuas, per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, ſecundum numerum nominum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:*

*43 Numeri eorum de tribu Naptali tria, & quinquaginta millia, & quadringenti.*

*44 Iſti ſunt numeri quos numerauit Moſeh, & Aharon, & principes Iſrael, duodecim viri, vir vnus per domum patrum ſuorum fuerunt.*

*45 Et fuerunt omnes numeri filiorum Iſrael per domū patrum ſuorum à filio viginti annorum, & ſupra, omnis egrediens ad pugnam in Iſrael:*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

26 Filijs Iuda ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

27 Recognitio eorum de tribu Iuda quattuor, & ſeptuaginta millia, & ſexcenti.

28 Filijs Iſſachar, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecũdum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

29 Recognitio eorum de tribu Iſſachar quattuor, & quinquaginta millia, & quadringenti.

30 Filijs Zabulon, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorũ, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

31 Recognitio eorum de tribu Zabulon ſepté, & quinquaginta millia, & quadringenti.

32 Filijs Ioſeph, filijs Ephræm, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarũ eorum, ſecundum numerũ nominum eorum, ſecundum caput eorũ, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, oĩs procedens in virtute:

33 Recognitio eorum de tribu Ephræm quadraginta millia, & quingenti.

34 Filijs Manaſſe, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorũ, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

35 Recognitio eorum de tribu Manaſſe duo, & viginti millia, & ducenti.

36 Filijs Beniamin, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

37 Recognitio eorum de tribu Beniamin, quinque & triginta millia, & quadringenti.*

*Quæ ſupra numero 24. & 25. aſteriſco clauduntur in Biblia Septuag. Interp. Romæ edita, habentur hic loco notato aſteriſco.

38 Filijs Dan, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorũ, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

39 Recognitio eorum de tribu Dan duo, & ſexaginta millia, & ſeptingenti.

40 Filijs Aſer, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

41 Recognitio eorum, de tribu Aſer vnum, & quadraginta millia, & quingenti.

42 Filijs Nephthali, ſecundum propinquitates eorum, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum numerum nominum eorum, ſecundum caput eorum, omnia maſculina à viginti annis, & ſupra, omnis procedens in virtute:

43 Recognitio eorum, de tribu Nephthali tria, & quinquaginta millia, & quadringenti.

44 Hæc eſt recognitio, quam recognouerunt Moyſes, & Aaron, & principes Iſrael, duodecim viri, vir vnus ſecundum tribum vnam, ſecundum tribum domorum ipſius familiæ fuerant.

45 Et fuit omnis recognitio filiorum Iſrael cum virtute eorum à viginti annis, & ſupra, omnis procedens ad ſtandum in acie in Iſrael:

## Chald. Paraph. Tranſl.

26 *De filijs Iuda per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

27 *Recenſitique ſunt de tribu Iuda, ſeptuaginta quattuor millia, & ſexcenti.*

28 *De filijs Iſachar per generationes ſuas, & familias ſuas, & domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

29 *Numeratique ſunt de tribu Iſachar quinquaginta quattuor millia, & quadringenti.*

30 *De filijs Zabulon per generationes ſuas, & per familias ſuas, & domos patrum ſuorum, per numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

31 *Numerati ſunt de tribu Zabulon, quinquaginta ſeptem millia, & quadringenti.*

32 *De filijs Ioſeph, de filijs Ephraim per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

33 *Numerati ſunt de tribu Ephraim quadraginta millia, & quingenti.*

34 *De filijs Manaſſe per generationes ſuas, & familias ſuas, & domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

35 *Numerati ſunt de tribu Manaſſe triginta duo millia, & ducenti.*

36 *De filijs Beniamin per generationes ſuas, & familias ſuas, & domos patrum ſuorum, & numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum.*

37 *Recenſiti ſunt de tribu Beniamin, triginta quinque millia, & quadringenti.*

38 *De filijs Dan per generationes ſuas, & familias ſuas, & domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

39 *Recenſiti ſunt de tribu Dan, ſexaginta duo millia, & ſeptingenti.*

40 *De filijs Aſer per generationes ſuas, & familias ſuas, & domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

41 *Numerati ſunt de tribu Aſer, quadraginta millia, & mille, & quingenti.*

42 *Filij Neptali per generationes ſuas, per familias ſuas, & domos patrum ſuorum, iuxta numerum nominum eorum à viginti annis, & ſupra, omnes egredientes in exercitum:*

43 *Numerati ſunt de tribu Neptali, quinquaginta tria millia, & quadringenti.*

44 *Hi ſunt numerati quos numerauit Moyſes, & Aaron, & duodecim principes Iſrael, ſinguli per domos patrum ſuorum.*

45 *Fueruntq́; omnes, qui numerati ſunt de filijs Iſrael per domos patrum ſuorum, à viceſimo anno, & ſupra, omnes egredientes in exercitum in Iſrael:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

46 Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.

47 Leuitæ autem in tribu familiarum ſuarum, nō ſunt numerati cum eis.

48 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

49 Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummā eorum cum filijs Iſrael:

50 Sed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuncta vaſa eius, & quidquid ad ceremonias pertinet. Ipſi portabunt tabernaculum, & omnia vtenſilia eius: & erunt in miniſterio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.

51 Cum proficiſcendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum: cum caſtrametandum, erigent. Quiſquis externorum acceſſerit, occidetur.

52 Metabuntur autem caſtra filij Iſrael vnuſquiſque per turmas, & cuneos, atque exercitum ſuum.

53 Porro Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria: ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael, & excubabunt in cuſtodijs tabernaculi teſtimonij.

54 Fecerunt ergo filij Iſrael, iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Moyſi.

### CAP. II.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Singuli per turmas, ſigna, atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur filij Iſrael, per gyrum tabernaculi fœderis.

3 Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus ſui: eritque princeps filiorum eius Nahaſſon filius Aminadab.

4 Et omnis de ſtirpe eius ſumma pugnantium, ſeptuaginta quattuor millia ſexcenti.

5 Iuxta eum caſtrametati ſunt de tribu Iſſachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar.

6 Et omnis numerus pugnatorum eius quinquaginta quattuor millia quadringenti.

7 In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon.

8 Omnis de ſtirpe eius exercitus pugnatorum, quinquaginta ſeptem millia quadringenti.

9 Vniuerſi, qui in caſtris Iudæ enumerati ſunt, fuerūt centum octoginta ſex millia quadringenti: & per turmas ſuas primi egredientur.

10 In caſtris filiorum Ruben ad Meridianam plagam erit princeps Eliſur filius Sedeur:

11 Et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta ſex millia quingenti.

12 Iuxta eum caſtrametati ſunt de tribu Simeon, quorum princeps fuit Salamiel filius Suriſaddai.

13 Et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quinquaginta nouem millia trecenti.

14 In tribu Gad princeps fuit Eliaſaph filius Duel.

15 Et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta quinque millia ſexcenti quinquaginta.

16 Omnes, qui recenſiti ſunt in caſtris Ruben, centum quinquaginta millia, & mille quadringenti quinquaginta per turmas ſuas: in ſecundo loco proficiſcentur.

Le-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

46 *Fuerunt omnes numeri ſexcenta millia, & tria millia, & quingenti, & quinquaginta.*

47 *Leuitæ per tribum patrum ſuorum non fuerunt numerati in medio eorum.*

48 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

49 *Veruntamen tribum Leui non numerabis, & ſummā eorum non capies in medio filiorum Iſrael:*

50 *Et tu præfice Leuitas ſuper tabernaculum teſtimonij, & ſuper omnia vaſa eius, & ſuper omnia, quæ ſunt ei. Ipſi portabunt tabernaculum, & omnia vaſa eius: & ipſi miniſtrabunt ei, & in circuitu tabernaculi manebunt.*

51 *Et quando proficiſcetur, tabernaculum deſcendere facient illud Leuitæ: & quando manebit tabernaculum ſtare facient illud Leuitæ. Et extraneus, qui appropinquauerit, morietur.*

52 *Et caſtrametabuntur filij Iſrael vnuſquiſque iuxta caſtra ſua, & vnuſquiſque iuxta vexillum ſuum per exercitus ſuos.*

53 *Et Leuitæ caſtrametabuntur in circuitu tabernaculi teſtimonij: & non erit ira ſuper cœtum filiorum Iſrael, & cuſtodient Leuitæ cuſtodiam tabernaculi teſtimonij.*

54 *Et fecerunt filij Iſrael, ſecundum omnia, quæ præcepit Dominus Moſeh, ſic fecerunt.*

### CAP. II.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, & Aharon, dicendo:*

2 *Vnuſquiſque iuxta vexillum ſuum, in ſignis domus patrum ſuorum caſtrametabuntur filij Iſrael è regione, circum tabernaculum eccleſiæ caſtrametabuntur.*

3 *Et caſtrametabuntur ad Orientem, ad ortum erit vexillum caſtrorū Iehudah per exercitus ſuos: & princeps filijs Iehudah erat Nachſon filius Hāminadab.*

4 *Et exercitus eius, & numeri eorum quattuor, & ſeptuaginta millia, & ſexcenti.*

5 *Et caſtrametabuntur, iuxta eū tribus Iſaſchar, & princeps filijs Iſaſchar erat Nethanel filius Suhar.*

6 *Et exercitus eius, & numeri eius quattuor, & quinquaginta millia, & quadringenti.*

7 *Tribus Zebulum, & princeps filijs Zebulum Eliab filius Chelon.*

8 *Et exercitus eius, & numeri eius ſeptem, & quinquaginta millia, & quadringenti.*

9 *Omnes numeri caſtrorum Iehudah centum millia, & octoginta millia, & ſex millia, & quadringenti: per exercitus ſuos prius proficiſcentur.*

10 *Vexillum caſtrorum Reuben erit ad Meridiem per exercitus ſuos, & princeps filiorum Reuben erat Eliſur filius Sedeur:*

11 *Et exercitus eius, & numeri eius, ſex & quadraginta millia, & quingenti.*

12 *Et caſtrametabuntur iuxta eum tribus Simhon, & princeps filiorum Simhon Selumiel filius Suriſaddai.*

13 *Et exercitus eius, & numeri eorum, nouem, & quinquaginta millia, & trecenti.*

14 *Et tribus Ghad, & princeps filiorum Ghad, Eliaſaph filius Rehuel.*

15 *Et exercitus eius, & numeri eorum quinque, & quadraginta millia, & ſexcenti, & quinquaginta.*

16 *Omnes numeri caſtrorum Reuben centum millia, & vnus, & quinquaginta millia, & quadringenti, & quinquaginta per exercitus ſuos: & ſecundi proficiſcentur.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

46 Sexcenta millia, & ter mille, & quingenti: & quinquaginta.
47 Leuitæ autem de tribu familiæ eorum non fuerunt cogniti in filijs Iſrael.
48 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
49 Vide tribum Leui ne ſimul recognoſcas, & numerum eorum ne ſumas in medio filiorum Iſrael.
50 Et tu conſtitue Leuitas ſuper tabernaculum teſtimonij, & ſuper omnia vaſa eius, & ſuper omnia, quæcumque ſunt in eo. Leuabunt ipſi tabernaculum, & omnia vaſa eius, & ipſi miniſtrabunt in eo, & in circuitu tabernaculi caſtrametabuntur.
51 Et in promouendo tabernaculum deponent ipſum, Leuitæ: & in collocando tabernaculum, erigent. Et alienigena, qui acceſſerit moriatur.
52 Et caſtrametabuntur filij Iſrael vir in ſuo ipſius ordine, & vir ſecundum ſuum ipſius principatum cum virtute ipſorum.
53 Leuitæ autem caſtrametentur aduerſi in circuitu tabernaculi teſtimonij: & non erit peccatum in filijs Iſrael, & cuſtodient Leuitæ ipſi cuſtodiam tabernaculi teſtimonij.
54 Et fecerunt filij Iſrael ſecundum omnia, quæ mandauit Dominus Moyſi, & Aaron, ita fecerunt.

### C A P. II.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:
2 Homo contiguus ſecundum ordinem ſuum, ſecundum ſigna, ſecundum domos familiarum ſuarum, caſtrametentur filij Iſrael ex aduerſo, in circuitu tabernaculi teſtimonij caſtrametabuntur filij Iſrael.
3 Et caſtrametantes primi ad Orientem ordo caſtrorum Iuda cum virtute eorum: & princeps filiorum Iuda, Naaſſon filius Aminadab.
4 Virtus eius, ij, qui recogniti, quattuor, & ſeptuaginta millia & ſexcenti.
5 Et caſtrametātes iuxta de tribu Iſſachar, & princeps filiorum Iſſachar Nathanael filius Sogar.
6 Virtus eius, ij, qui recogniti, quattuor, & quinquaginta millia, & quadringenti
7 Et caſtrametantes iuxta de tribu Zabulon, & princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Chelon:
8 Virtus eius, ij, qui recogniti, ſeptem, quinquaginta millia, & quadringenti:
9 Omnes recogniti de caſtris Iuda, centum octuaginta millia, & ſex mille, & quadringenti; cum virtute ſua primi promouebunt.
10 Ordines caſtrorum Rubem ad Africum virtus eorum, & princeps filiorum Rubem Eliſus Sedur:
11 Virtus eorum, ij, qui recogniti, ſex & quadraginta millia, & quingenti.
12 Et caſtrametantes iuxta eum de tribu Symeon, & princeps filiorum Symeon, Salamiel filius Suriſadæ.
13 Virtus eius, ij, qui recogniti, nouem & quinquaginta millia, & trecenti.
14 Et caſtrametantes iuxta eum tribus Gad, & princeps filiorum Gad, Heliſaph filius Raguel:
15 Virtus eius, ij, qui recogniti, quinque & quadraginta millia, & ſexcenti, & quinquaginta.
16 Omnes recogniti de caſtris Rubem, centum quinquaginta vnum millia, & quadringenti, & quinquaginta: cum virtute ſua ſecundi promouebunt.

## Chald. Paraph. Tranſl.

46 *Fuerũt omnes qui numerati ſunt ſexcenta tria millia, & quingenti & quinquaginta.*
47 *Leuitæ autem in tribu patrum ſuorum non ſunt numerati inter eos.*
48 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
49 *Verumtamen tribum Leui non numerabis, & ſummam eorum non ſuſcipies in medio filiorum Iſrael.*
50 *Tu autem conſtitue Leuitas ſuper tabernaculum teſtimonij, & ſuper omnia vaſa eius, & ſuper omnia quæ ad illud pertinent. Ipſi portabunt tabernaculum, & omnia vaſa eius, & ipſi miniſtrabunt in eo, & per gyrum tabernaculi metabuntur.*
51 *Et cum proficiſcetur tabernaculum, deponent illud Leuitæ: & quando collocabitur tabernaculum, erigent illud Leuitæ. Extraneus autem qui acceſſerit, interficiatur.*
52 *Caſtrametabuntur autem filij Iſrael vnuſquiſque per manſionem ſuam, & vnuſquiſque iuxta vexillum ſuum per turmas eorum.*
53 *Leuitæ autem metabuntur per gyrum tabernaculi teſtimonij: & non erit indignatio ſuper congregationem filiorum Iſrael: & cuſtodient Leuitæ cuſtodiam tabernaculi teſtimonij.*
54 *Feceruntq; filij Iſrael iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt.*

### C A P. II.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & Aaron, dicens:*
2 *Singuli iuxta vexillum ſuum, per ſigna, & per domos patrum ſuorum caſtrametabuntur filij Iſrael, per gyrum contra tabernaculum fœderis caſtrametabuntur.*
3 *Vexillum caſtrorum Iuda erit ad Orientem per exercitus ſuos: & princeps filiorum Iuda, Naaſon, filius Aminadab.*
4 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo fuerunt ſeptuaginta quatuor millia & ſexcenti.*
5 *Et qui caſtrametatur iuxta eũ, erat tribus Iſachar, & princeps filiorum Iſachar, Nathanael, filius Suar.*
6 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo fuerunt quinquaginta quatuor milia & quadringenti.*
7 *De tribu filiorum Zabulon princeps fuit, Eliab, filius Helon:*
8 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, fuerunt quinquaginta ſeptem milia, & quadringenti.*
9 *Omnes qui numerati ſunt de caſtris Iuda, fuerunt centum, & octoginta ſex milia, & quadringenti: per turmas ſuas primo proficiſcantur.*
10 *Vexillum caſtrorum Ruben erit ad Meridiem per turmas ſuas, & princeps filiorum Ruben Eliſur filius Sedeur.*
11 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, quadraginta ſex milia & quingenti.*
12 *Et qui caſtrametantur iuxta eum, ſunt viri tribus Symeon, & princeps filiorum Symeon Salamiel filius Suriſaddai:*
13 *Et exercitus eius & qui numerati ſunt ex eo, fuerunt quinquaginta nouem milia & trecenti.*
14 *Et in tribu filiorum Gad princeps fuit Eliaſaph filius Dehuel.*
15 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, fuerunt quadraginta quinque milia & ſexcenti & quinquaginta.*
16 *Omnes qui recenſiti ſunt in caſtris Ruben, fuerunt centum quinquaginta milia, & mille, & quadringenti & quinquaginta per turmas ſuas: ſecundo proficiſcantur.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Leuabitur autem tabernaculum teſtimonij per officia Leuitarum & turmas eorum: quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines ſuos proficiſcentur. | 17 | 17 | *Et proficiſcetur tabernaculum eccleſiæ, caſtra leuitarum in medio caſtrorum: quemadmodum caſtrametabuntur, ſic proficiſcentur. Vnuſquiſque in loco ſuo, in vexillis ſuis.* |
| Ad Occidentalem plagam erunt caſtra filiorum Ephraim: quorum princeps fuit Eliſama filius Ammiud. | 18 | 18 | *Vexillum caſtrorum Ephraim per exercitus ſuos erit ad Occidentem: & princeps filiorum Ephraim erat Eliſamah filius Hammiud.* |
| Cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta millia quingenti. | 19 | 19 | *Et exercitus eius, et numeri eorum quadraginta millia, & quingenti.* |
| Et cum eis tribus filiorum Manaſſe: quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadaſſur. | 20 | 20 | *Et iuxta eum erit tribus Menaſſeh: & princeps filiorum Menaſſeh erat Gamaliel filius Pedaſur.* |
| Cunctuſque exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, triginta duo millia ducenti. | 21 | 21 | *Et exercitus eius, & numeri eorum duo, & triginta millia, & ducenti.* |
| In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis. | 22 | 22 | *Et tribus Biniamin: & princeps filiorum Biniamin erat Abidan filius Ghidhoni.* |
| Et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui recenſiti ſunt, triginta quinque millia quadringenti. | 23 | 23 | *Et exercitus eius, & numeri eorum, quinque, & triginta milia, & quadringenti.* |
| Omnes qui numerati ſunt in caſtris Ephraim, centum octo millia centum per turmas ſuas: tertij proficiſcentur. | 24 | 24 | *Omnes numeri caſtrorum Ephraim centum milia, & octo milia, & centum, per exercitus ſuos: & tertij proficiſcentur.* |
| Ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filij Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammiſaddai. | 25 | 25 | *Vexillum caſtrorum Dan erit ad Aquilonē per exercitus ſuos: & princeps filiorum Dan Achihezer filius Hammiſaddai.* |
| Cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, ſexaginta duo millia ſeptingenti. | 26 | 26 | *Et exercitus eius, & numeri eorum duo, & ſexaginta millia & ſeptingenti.* |
| Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aſer: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. | 27 | 27 | *Et caſtrametabuntur iuxta eum tribus Aſer: & princeps filiorum Aſer erat Paghiel filius Hochran.* |
| Cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta millia & mille quingenti. | 28 | 28 | *Et exercitus eius, & numeri eorum vnus, & quadraginta millia & quingenti.* |
| De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. | 29 | 29 | *Et tribus Naphthali: & princeps filiorum Naphthali Achirah filius Henan.* |
| Cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquaginta tria millia quadringenti. | 30 | 30 | *Et exercitus eius, & numeri eorum, tria & quinquaginta millia, & quadringenti.* |
| Omnes, qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia ſexcenti: & nouiſſimi proficiſcentur. | 31 | 31 | *Omnes numeri caſtrorum Dan, centum millia & ſeptem, & quinquaginta millia, & ſexcenti: poſterius proficiſcentur per vexilla ſua.* |
| Hic numerus filiorum Iſrael, per domos cognationum ſuarum & turmas diuiſi exercitus, ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta. | 32 | 32 | *Iſti ſunt numeri filiorum Iſrael per domum patrum ſuorum, omnes numeri caſtrorum per exercitus ſuos, ſexcenta millia, & tria millia, & quingenti & quinquaginta.* |
| Leuitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſrael: ſic enim præceperat Dominus Moyſi. | 33 | 33 | *Et Leuitæ non fuerunt numerati in medio filiorum Iſrael, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.* |
| Feceruntque filij Iſrael iuxta omnia quæ mandauerat Dominus. Caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti per familias ac domos patrum ſuorum. | 34 | 34 | *Et fecerunt filij Iſrael, ſecundum omnia quæ præcepit Dominus Moſeh. Sic caſtrametati ſunt per vexilla ſua, & ſic profecti ſunt vnuſquiſque per familias ſuas, per domum patrum ſuorum.* |
| **CAP. III.** | | | ***CAP. III.*** |
| HÆ ſunt generationes Aaron & Moyſi in die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai. | 1 | 1 | *ET iſtæ ſunt generationes Aharon & Moſeh, in die qua locutus eſt Dominus ad Moſeh in monte Sinai.* |
| *Exo. 6. 23.* * Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. | 2 | 2 | *Et hæc ſunt nomina filiorum Aharon: primogenitus Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar.* |
| Hæc nomina filiorum Aaron ſacerdotum qui vncti ſunt, & quorum repletæ & conſecratæ manus vt ſacerdotio fungerentur. | 3 | 3 | *Iſta ſunt nomina filiorum Aharon ſacerdotum, qui vncti ſunt, quorum conſecrauit manum, vt ſacerdotio fungerentur.* |
| *Leu. 10. 1. 1. Par. 24. 1.* * Mortui ſunt enim Nadab & Abiu cum offerrent ignem alienum in conſpectu Domini in deſerto Sinai, abſque liberis: functique ſunt ſacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre ſuo. | 4 | 4 | *Et mortuus eſt Nadab, & Abihu coram Domino, quando obtulerunt ignem extraneum coram Domino in deſerto Sinai: & filij non fuerunt eis, & ſacerdotio functus eſt Elhazar, & Ithamar coram Aharon patre eorum.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 5 | 5 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Applica tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis vt miniſtrent ei, & excubent, | 6 | 6 | *Appropinquare fac tribum Leui, & ſtare facies eam coram Aharon ſacerdote, & miniſtrabunt ei.* |
| Et obſeruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonij, | 7 | 7 | *Et cuſtodiet cuſtodiam eius & cuſtodiam omnis cœtus coram tabernaculo eccleſiæ, vt ſeruiant ſeruitutem tabernaculi.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et leuabitur tabernaculum teſtimonij, & caſtra Leuitarum medium caſtrorum: & ſicut caſtrametabuntur, ita & promouebunt. Vnuſquiſque iuxta, ſecundum principatus.

18 Ordo caſtrorum Ephræm apud Mare cum virtute eorum: & princeps filiorum Ephræm, Eliſama filius Emiud:

19 Virtus eorum, ij qui recogniti, quadraginta millia, & quingenti.

20 Et caſtrametantes iuxta de tribu Manaſſe: & princeps filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur:

21 Virtus eius, ij qui recogniti, duo & triginta millia, & ducenti.

22 Et caſtrametantes iuxta de tribu Beniamin: & princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeoni:

23 Virtus eius, ij qui recogniti, quinque & triginta millia, & quadringenti.

24 Omnes qui recogniti de caſtris Ephræm, centum millia, & octo mille, & centum: cum virtute ſua tertij promouebant.

25 Ordo caſtrorum Dan ad Aquilonem cum virtute eorum: & princeps filiorum Dan, Achiezer filius Amiſadæ.

26 Virtus eius, ij qui recogniti, duo & ſexaginta millia & ſeptingenti.

27 Et caſtrametantes iuxta eum tribus Aſer: & princeps filiorum Aſer, Phageel filius Echram:

28 Virtus eius, ij qui recogniti, vnum & quadraginta millia, & quingenti.

29 Et caſtrametantes iuxta, de tribu Nephtali: & princeps filiorum Nephtali, Achire filius Ænan:

30 Virtus eius, ij qui recogniti, tria & quinquaginta millia & quadringenti.

31 Omnes recogniti, de caſtris Dan, centum & quinquaginta ſeptem millia & ſexcenti. Vltimi promouebunt ſecundum ordinem ſuum.

32 Hæc eſt recognitio filiorum Iſrael ſecundum domos familiarum eorum: omnis recognitio caſtrorum cum virtutibus eorum ſexcenta millia, & ter mille quingenti quinquaginta.

33 Leuitæ autem non fuerunt ſimul recogniti in eis: ſicut mandauit Dominus Moyſi.

34 Et fecerunt filij Iſrael omnia, quæcumque præcepit Dominus Moyſi. Sic caſtrametati ſunt ſecundum ordinem ſuum, & ſic promouerunt vnuſquiſque iuxta, ſecundum populos ſuos, ſecundum domos familiarum ſuarum.

### C A P. III.

1 ET hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi: in qua die locutus eſt Dominus Moyſi in monte Sina:

2 Et hæc ſunt nomina filiorum Aaron: primogenitus Nadab, & Abiud, Eleazar, & Ithamar.

3 Hæc ſunt nomina filiorum Aaron ſacerdotes, qui vncti ſunt, quorum conſummauerunt manus corũ ſacerdotio fungi.

4 Et mortuus eſt Nadab, & Abiud, ante Dominum offerentibus ipſis ignem alienum ante Dominum in deſerto Sina: & filij non fuerunt eis, & ſacerdotio functus eſt Eleazar & Ithamar, cum Aaron patre ſuo.

5 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

6 Accipe tribum Leui, & conſtitues eos in conſpectu Aaron ſacerdotis, & miniſtrabunt ei:

7 Et cuſtodient cuſtodias eius, & cuſtodias filiorum Iſrael ante tabernaculũ teſtimonij ad operandum opera tabernaculi:



## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et proficiſcatur tabernaculum fœderis, & caſtra Leuitarum in medio caſtrorum: quomodo caſtrametentur, ita proficiſcantur. Singuli in loco ſuo per vexilla ſua.*

18 *Vexillum caſtrorum Ephraim per exercitum ſuum erit ad Occidentem: & princeps filiorum Ephraim Eliſama filius Amiud:*

19 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, quadraginta millia & quingenti.*

20 *Et iuxta eum tribus Manaſſe: & princeps filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur:*

21 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, triginta duo millia & ducenti.*

22 *In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis:*

23 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, triginta quinque millia & quadringenti.*

24 *Omnes qui numerati ſunt in caſtris Ephraim, fuerunt centum octoginta millia & centum: per turmas ſuas, tertiò proficiſcantur.*

25 *Vexillum caſtrorum Dan erit ad Aquilonem per turmas ſuas, & princeps filiorum Dan, Ahiazer filius Ammiſaddai.*

26 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, fuerunt ſexaginta duo millia & ſeptingenti.*

27 *Et qui caſtrametantur iuxta eum tribus Aſer: & princeps filiorum Aſer, Phegiel filius Ochran:*

28 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, quadraginta millia, & mille & quingenti.*

29 *Et iuxta eum tribus Nephtali: & princeps filiorum Nephtali Haira filius Enan:*

30 *Et exercitus eius, & qui numerati ſunt ex eo, quinquaginta tria millia & quadringenti.*

31 *Omnes qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia & ſexcenti: nouiſſimè proficiſcantur.*

32 *Hi ſunt qui numerati ſunt de filijs Iſrael per domos patrum ſuorum: omnes qui numerati ſunt in caſtris per exercitum ſuum, ſexcenta tria millia & quingenti & quinquaginta.*

33 *Leuitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſrael: ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

34 *Feceruntque filij Iſrael iuxta omnia quæ præcepit Dominus Moyſi. Ita caſtrametabantur per vexilla ſua, & ita proficiſcebantur ſinguli per familias ſuas & per domum patrum ſuorum.*

### C A P. III.

1 E*T hæ ſunt generationes Aaron & Moyſi, in die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai.*

2 *Et hæc ſunt nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Nadab, & Abiu, Eleazar & Ithamar.*

3 *Hæ nomina filiorum Aaron ſacerdotum, qui vncti ſunt, & quorum oblatio oblata eſt, vt miniſtrarent.*

4 *Mortuuſque eſt Nadab & Abiu coram Domino, quando obtulerunt ignem alienum coram Domino in deſerto Sinai: & filij non fuerunt eis, & miniſtrauit Eleazar, & Ithamar in conſpectu patris ſui.*

5 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

6 *Applica tribum Leui, & ſtatue eum coram Aaron ſacerdote, & miniſtrabunt ei:*

7 *Et cuſtodient cuſtodiam eius, & cuſtodiam omnis congregationis ante tabernaculum fœderis, vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Et cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius. | 8 | 8 | *Et cuſtodient omnia vaſa tabernaculi eccleſiæ, & cuſtodiam filiorum Iſrael, vt ſeruiant ſeruitutem tabernaculi.* |
| | Dabiſque dono Leuitas Aaron & filijs eius, quibus traditi ſunt à filijs Iſrael. | 9 | 9 | *Et dabis Leuitas Aharon, & filijs eius dati, dati erunt ei à filijs Iſrael:* |
| | Aaron autem & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Externus, qui adminiſtrandum acceſſerit, morietur. | 10 | 10 | *Et Aharon, & filios eius præſicies, & cuſtodient ſacerdotium eorum. Et extraneus, qui appropinquauerit, morietur.* |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: | 11 | 11 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| | Ego tuli Leuitas à filijs Iſrael pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Iſrael, eruntque Leuitæ mei. | 12 | 12 | *Et ego ecce accepi leuitas è medio filiorum Iſrael, pro omni primogenito quod aperit vuluam à filijs Iſrael, & erunt mei Leuitæ.* |
| *Exo.13.2 Infr.8.16. | * Meum eſt enim omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti: ſanctificaui mihi quidquid primum naſcitur in Iſrael ab homine vſque ad pecus, mei ſunt. Ego Dominus. | 13 | 13 | *Quia meum eſt omne primogenitum, à die qua percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui mihi omne primogenitum in Iſrael ab homine vſque ad animal mea erunt. Ego Dominus.* |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai, dicens. | 14 | 14 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh in deſerto Sinai, dicendo:* |
| | Numera filios Leui per domos patrum ſuorum & familias: omnem maſculum ab vno menſe, & ſupra. | 15 | 15 | *Numera filios Leui per domos patrum ſuorum, per familias ſuas: omnem maſculum à filio menſis, & ſupra numerabis.* |
| | Numerauit Moyſes, vt præceperat Dominus, | 16 | 16 | *Et numerauit eos Moſeh iuxta ſermonem Domini, quemadmodum præcepit.* |
| *Exo.6.16 | * Et inuenti ſunt filij Leui per nomina ſua, Gerſon & Caath & Merari. | 17 | 17 | *Et fuerunt iſti filij Leui per nomina ſua, Gherſon, & Chehath, & Merari.* |
| | Filij Gerſon: Lebni & Semei. | 18 | 18 | *Et hæc ſunt nomina filiorum Gherſon per familias ſuas Libni, & Simhi.* |
| | Filij Caath: Amram & Ieſaar, Hebron & Oziel. | 19 | 19 | *Et filij Chehath per familias ſuas Hamram, & Iſhar, Chebron, & Huzziel.* |
| | Filij Merari: Moholi & Muſi. | 20 | 20 | *Et filij Merari per familias ſuas, Machali, & Muſi. Iſtæ ſunt familiæ Leui per domum patrum ſuorum.* |
| | De Gerſon fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica: | 21 | 21 | *Ipſius Gherſon, familia libnitica, & familia ſimhitica. Iſtæ ſunt familiæ Gherſonitica.* |
| | Quarum numeratus eſt populus ſexus maſculini ab vno menſe, & ſupra: ſeptem millia quingenti. | 22 | 22 | *Numeri eorum ſecundum numerum omnis maſculi à filio menſis, & ſupra: numeri eorum ſeptem millia, & quingenti.* |
| | Hi poſt tabernaculum metabuntur ad Occidentem | 23 | 23 | *Familia Gherſonitica poſt tabernaculum caſtrametabuntur ad Occidentem.* |
| | Sub principe Eliaſaph filio Lael. | 24 | 24 | *Et princeps domus patris Gherſonitarum erit Eliaſaph filius Lael.* |
| | Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, | 25 | 25 | *Et cuſtodia filiorum Gherſon in tabernaculo eccleſiæ:* |
| | Ipſum tabernaculum & operimentum eius, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrij: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrij tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia vtenſilia eius. | 26 | 26 | *Erit tabernaculum, & tentorium, operimentum eius & aulæum ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & cortina atrij, & aulæum ad oſtium atrij quod erat iuxta tabernaculum, & iuxta altare per circuitum, & funes eius ad omne opus eius.* |
| | Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Ieſaaritas & Hebronitas & Ozielitas. Hæ ſunt familiæ Caathitarum recenſitæ per nomina ſua: | 27 | 27 | *Et ipſius Chehath familia Hamramiticha, & familia Iſharitica, & familia Chebronitica, & familia huzzielitica. Iſtæ ſunt familiæ Chehatitica.* |
| | Omnes generis maſculini ab vno menſe & ſupra, octo millia ſexcenti habebunt excubias Sanctuarij, | 28 | 28 | *Secundum numerum omnis maſculi à filio menſis, & ſupra fuerunt octo millia & ſexcẽti cuſtodientes cuſtodiam Sanctitatis.* |
| | Et caſtrametabuntur ad Meridianam plagam. | 29 | 29 | *Familiæ filiorum Chehath caſtrametabuntur iuxta latus tabernaculi ad Meridiem.* |
| | Princepſque eorum erit Eliſaphan filius Oziel: | 30 | 30 | *Et princeps domus patris familiarum Chehatitarũ erit Eliſaphan filius Huzziel.* |
| | Et cuſtodient arcam, menſamque & candelabrum, altaria & vaſa Sanctuarij, in quibus miniſtratur, & velum, cunctamque huiuſcemodi ſupellectilem. | 31 | 31 | *Et cuſtodia eorum erit arca, & menſa, & candelabrum, & altaria, & vaſa Sãctitatis in quibus miniſtrabunt, & aulæum, & omne opus eius.* |
| | Princeps autem principum Leuitarum Eleazar filius Aaron ſacerdotis, erit ſuper excubitores cuſtodiæ Sanctuarij. | 32 | 32 | *Et princeps principum Leuitarum erit Elhazar filius Aharon ſacerdotis ſunctio cuſtodientium cuſtodiam ſanctitatis.* |

At   *Ipſius*

| Transl. ex Septuag. | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|
| 8 Et cuſtodient omnia vaſa tabernaculi teſtimonij, & cuſtodias filiorum Iſrael ſecundum omnia opera tabernaculi. | 8 Et cuſtodiant omnia vaſa tabernaculi fœderis & cuſtodiam filiorum Iſrael, & vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi fœderis. |
| 9 Et dabis Leuitas Aaron, & filijs eius ſacerdotibus. Dati munus hi mihi ſunt ex omnibus filijs Iſrael: | 9 Dabiſque Leuitas Aaron & filiis eius, qui dati traditique ſunt à filijs Iſrael. |
| 10 Et Aaron, & filios eius conſtitues ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuſtodient ſacerdotium ſuum, & omnia quę ad altare, & intra velum. Et alienigena qui tetigerit, morietur. | 10 Aaron autem & filios eius conſtitues, vt cuſtodiant ſacerdotium ſuum. Alienus autem qui acceſſerit, occidetur. |
| 11 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 11 Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens: |
| 12 Et ecce ego aſſumpſi Leuitas de medio filiorum Iſrael pro omni primogenito adaperiente vuluam a filijs Iſrael: redemptiones eorum erunt, & erunt mihi Leuitæ. | 12 Ego autem ecce applicaui Leuitas ad me de medio filiorum Iſrael pro omni primogenito qui aperit vuluam de filijs Iſrael: miniſtrabuntque Leuitæ in conſpectu meo. |
| 13 Mihi enim omne primogenitum: in qua die percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui mihi omne primogenitum in Iſrael, ab homine vſque ad pecus mihi erunt. Ego Dominus. | 13 Meum eſt enim omne primogenitum: in die quo occidi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui coram me omne primogenitum in Iſrael, ab homine vſque ad pecus mei ſunt. Ego Dominus. |
| 14 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sina, dicens: | 14 Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe in deſerto Sinai, dicens: |
| 15 Recognoſce filios Leui, ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum populos eorum: omne maſculinum ab vno menſe & ſupra recognoſcite eos. | 15 Numera filios Leui per domos patrum ſuorum, & per familias ſuas: omnes maſculos ab vno menſe & ſupra numerabis eos. |
| 16 Et recognouerunt eos Moyſes & Aaron per vocem Domini: quemadmodum præcepit eis Dominus. | 16 Numerauitque eos Moyſes iuxta verbum Domini, ſicut mandatum fuerat ei. |
| 17 Et fuerunt hi filij Leui ex nominibus eorum Gedſon, Caath & Merari. | 17 Fuerunt autem hi filij Leui per nomina ſua, Gerſon, & Caath, & Merari. |
| 18 Et hæc ſunt nomina filiorum Gedſon ſecundum populos eorum, Lobeni & Semei. | 18 Et hæc ſunt nomina filiorum Gerſon per familias ſuas, Lobni & Semei. |
| 19 Et filij Caath ſecundum populos eorum, Amram, & Iſaar, Chebron, & Oziel. | 19 Et filij Caath per familias ſuas, Amram, & Iſaar, & Hebron, & Oziel. |
| 20 Et filij Merari ſecundum populos eorum, Mooli, & Muſi. Hi ſunt populi Leuitarum ſecundum domos familiarum eorum: | 20 Filij autem Merari per familias ſuas, Mooli & Muſi. Hæ ſunt familiæ Leuitarum per domos patrum ſuorum. |
| 21 Ipſi Gedſon populus ipſius Lobeni, & populus ipſius Semei. Hi populi Gedſon: | 21 De Gerſon fuit familia Lobni, & familia Semei. Hæ ſunt familiæ Gerſon. |
| 22 Recognitio eorum ſecundum numerum omnis maſculini ab vno menſe, & ſupra: recognitio eorum ſeptem mille, & quingenti. | 22 Numeratique ſunt ex eis iuxta numerum omnium maſculorum ab vno menſe & ſupra: fuitque numerus eorum ſeptem millia, & quingenti. |
| 23 Et filij Gedſon poſt tabernaculum caſtrametabuntur ad Mare. | 23 Familiæ Gerſon caſtrametabuntur poſt tabernaculum ad Occidentem. |
| 24 Et princeps domus familiæ populi ipſius Gedſon, Heliſaph filius Dael. | 24 Et princeps domus patrum Gerſonitarum Eliaſaph filius Lael. |
| 25 Et cuſtodia filiorum Gedſon in tabernaculo teſtimonij, | 25 Sub cuſtodia autem filiorum Gerſon in tabernaculo fœderis: |
| 26 Ipſum tabernaculum & operimentum, & cooperimentum oſtij tabernaculi teſtimonij, & tentoria atrij, & velamen portæ atrij, quod eſt ſuper tabernaculum, & reliqua omnium operum eius. | 26 Erat tabernaculum & operimentum quo tegitur, tentoriumque quod eſt in oſtio tabernaculi fœderis: & cortinæ atrij: & tentorium quod eſt in oſtio atrij, quod circuit altare & tabernaculum, & funiculi eius ad omnem cultum eius. |
| 27 Ipſi Caath populus, qui Amram, vnus: & populus, qui Iſaar, vnus: & populus qui Chebron, vnus: & populus, qui Oziel, vnus. Hi ſunt populi ipſius Caath, ſecundum numerum. | 27 De Caath autem fuit familia Amram, & familia Iſaar, & familia Hebron, & familia Oziel. Hæ ſunt familiæ Caath. |
| 28 Omne maſculinum ab vno menſe, & ſupra, octo mille & ſexcenti cuſtodientes cuſtodias Sanctorum. | 28 Iuxta numerum omnium maſculorum ab vno menſe & ſupra, octo millia & ſexcenti cuſtodientium cuſtodiam Sanctuarij. |
| 29 Populi filiorum Caath caſtrametabuntur à latere tabernaculi ad Africum. | 29 Familiæ filiorum Caath caſtrametabuntur ad Meridianum latus tabernaculi. |
| 30 Et princeps domus familiarum populorum ipſius Caath Heliſaphan filius Oziel. | 30 Et princeps domus patrum familiarum Caath, Eliſaphan filius Oziel. |
| 31 Et cuſtodia eorum arca, & menſa, & candelabrum, & altaria, & vaſa Sancti, quibus miniſtrabunt in ipſis, & cooperimentum, & omnia opera eorum. | 31 Eruntque ſub cuſtodia eorum arca, & menſa, & candelabrum, & altaria, & vaſa quibus miniſtratur in Sanctuario & tentorium, & omne quod ad eius cultum pertinet. |
| 32 Et princeps ſuper principes Leuitarum, Eleazar filius Aaron ſacerdotis, conſtitutus cuſtodire cuſtodias Sanctorum. | 32 Propoſitus autem qui conſtitutus eſt ſuper principes Leuitarum, Eleazar filius Aaron ſacerdotis, & ſub manu eius erunt conſtituti illi qui cuſtodiunt cuſtodiam Sanctuarij. |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

33 At vero de Merari erunt populi Moholitæ & Maſitæ recenſiti per nomina ſua:
34 Omnes generis maſculini ab vno menſe & ſupra, ſex millia ducenti.
35 Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga Septentrionali caſtrametabuntur.
36 Erunt ſub cuſtodia eorum tabulæ tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac baſes earum, & omnia quæ ad cultum huiuſcemodi pertinent:
37 Columnæque atrij per circuitum cum baſibus ſuis, & paxilli cum funibus.
38 Caſtrametabũtur ante tabernaculum fœderis, id eſt ad Orientalem plagam, Moyſes & Aaron cum filijs ſuis, habentes cuſtodiam Sanctuarij in medio filiorum Iſrael; quiſquis alienus acceſſerit, morietur.
39 Omnes Leuitæ, quos numerauerunt Moyſes & Aaron iuxta præceptum Domini per familias ſuas in genere maſculino à menſe vno & ſupra, fuerunt viginti duo millia,
40 Et ait Dominus ad Moyſen: Numera primogenitos ſexus maſculini de filijs Iſrael ab vno menſe & ſupra, & habebis ſummam eorum.
41 Tolleſque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Iſrael: Ego ſum Dominus: Et pecora eorum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael.
42 Recenſuit Moyſes, ſicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Iſrael.
43 Et fuerunt maſculi per nomina ſua, à menſe vno & ſupra, viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres.
44 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
45 Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei. Ego ſum Dominus.
46 In pretio autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Iſrael.
47 Accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sanctuarij. * Siclus habet viginti obolos.
* Exo. 30. 13. Leu. 27. 25. Eze. 45. 12.
48 Dabiſque pecuniam Aaron, & filijs eius pretium eorum qui ſupra ſunt.
49 Tulit igitur Moyſes pecuniam eorum, qui fuerant amplius, & quos redemerant à Leuitis
50 Pro primogenitis filiorum Iſrael, mille trecentorũ ſexagintaquinque ſiclorum iuxta pondus Sanctuarij,
51 Et dedit eam Aaron & filijs eius iuxta verbum, quod præceperat ſibi Dominus.

### C A P. IIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:
2 * Tolle ſummam filiorum Caath de medio Leuitarum per domos & familias ſuas,
* 1. Par. 15. 15
3 A trigeſimo anno ſupra, vſque ad quinquageſimum annum, omnium qui ingrediuntur vt ſtent & miniſtrent in tabernaculo fœderis.
4 Hic eſt cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, & Sanctum Sanctorum



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Ipſius Merari familia Machalitica, & familia Muſitica. Iſtæ ſunt familiæ Merari.*
34 *Et numeri eorum ſecundum numerum omnis maſculi à filio menſis, & ſupra: ſex millia, & ducenti.*
35 *Et princeps domus patris familiarum Merari erit Suriel filius Abichail: iuxta latus tabernaculi caſtrametabuntur ad Aquilonem.*
36 *Et functio cuſtodiæ filiorum Merari tabulæ tabernaculi, & vectes eius, & columnæ eius, & baſes eius & omnia vaſa eius, & omne opus eius.*
37 *Et columnæ atrij per circuitum, & baſes earum, & claui earum, & funes earum.*
38 *Et caſtrametabuntur ante tabernaculum, ad Orientem, ante tabernaculum eccleſiæ ad Orientem Moſeh, & Aharon, & filij eius cuſtodientes cuſtodiam Sanctuarij, ad cuſtodiam filiorum Iſrael: & extraneus, qui appropinquauerit, morietur.*
39 *Omnes numeri Leuitarum, quos numerauit Moſeh, & Aharon iuxta ſermonem Domini per familias eorum: omnis maſculus à filio menſis, & ſupra, duo & viginti millia.*
40 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Numera omne primogenitum maſculum filiorum Iſrael à filio menſis, & ſupra, & cape numerum nominum eorum.*
41 *Et capies Leuitas mihi: Ego Dominus: Pro omni primogenito in filijs Iſrael: & iumentum Leuitarum pro omni primogenito in iumentis filiorum Iſrael.*
42 *Et numerauit Moſeh, quemadmodum præcepit Dominus ei omne primogenitum in filijs Iſrael.*
43 *Et fuit omnis primogenitus maſculus ſecundum numerum nominum à filio menſis, & ſupra, ſecundum numerum eorum: duo, & viginti millia, tres, & ſeptuaginta, & ducenti.*
44 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
45 *Cape Leuitas pro omni primogenito in filijs Iſrael, & iumẽtum Leuitarum pro iumento eorũ, & erunt mei Leuitæ. Ego Dominus.*
46 *Et redemptiones trium, & ſeptuaginta, & ducentorum, qui ſuperſunt Leuitis à primogenito filiorum Iſrael.*
47 *Capies quinque, quinque ſiclos per caput ſecundum ſiclum Sanctuarij capies. Viginti obolorum eſt Sichel.*
48 *Et dabis pecuniam Aharon, & filijs eius redemptiones, eorum qui ſuperſunt ex eis.*
49 *Et accepit Moſeh pecuniam redemptionum, ex his qui ſuperfuerant ad redemptiones Leuitarum.*
50 *A primogenito filiorum Iſrael accepit pecuniam, quinque & ſexaginta, & trecentos & mille, ſecundum ſiclum ſanctitatis.*
51 *Et dedit Moſeh pecuniam redemptionum Aharon, & filijs eius iuxta ſermonem Domini, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*

### C A P. IIII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, & Aharon, dicendo:*
2 *Cape ſummam filiorum Chehath è medio filiorum Leui per familias ſuas, per domum patrum ſuorum.*
3 *A filio triginta annorum, & ſupra vſque ad filium quinquaginta annorum, omnem venientem ad pugnam, vt faciant opus in tabernaculo eccleſiæ.*
4 *Hoc eſt opus filiorum Chehath in tabernaculo eccleſiæ Sanctitatis Sanctitatum.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

33 Ipſi Merari populus, qui Mooli, & populus, qui Muſi. Hi ſunt populi ipſius Merari.

34 Recognitio eorum ſecundum numerum, omne maſculinum ab vno menſe, & ſupra, ſex mille, & quinquaginta.

35 Et princeps domus familiarum populi Merari Suriel filius Abichæl: à latere tabernaculi caſtrametabuntur ad Aquilonem.

36 Recognitio cuſtodiæ filiorum Merari, capita tabernaculi, & vectes eius, & columnas eius & baſes eius, & omnia vaſa eorum, & opera eorum,

37 Et columnas atrij in circuitu, & baſes earum, & paxillos, & funes earum.

38 Caſtrametantes ad faciem tabernaculi teſtimonij ab Oriente, Moyſes, & Aaron, & filij eius, cuſtodientes cuſtodias Sancti ad cuſtodias filiorum Iſrael: & alienigena, qui tetigerit, morietur.

39 Omnis recognitio Leuitarum, quos recognouit Moyſes, & Aaron per vocem Domini ſecundum populos eorum: omne maſculinum ab vno menſe, & ſupra, duo & viginti millia.

40 Et dixit Dominus ad Moyſen, dicens: Recognoſce omne primogenitum maſculinum filiorum Iſrael ab vno menſe, & ſupra, & accipite numerum ex nomine.

41 Et ſumes Leuitas mihi: Ego Dominus: Pro omnibus primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro omnibus primogenitis in pecoribus filiorum Iſrael.

42 Et recognouit Moyſes, quemadmodum mandauit Dominus omne primogenitum in filijs Iſrael.

43 Et fuerunt omnia primogenita maſculina ſecundum numerum ex nomine ab vno menſe & ſupra ex recognitione eorum: duo & viginti millia & tres & ſeptuaginta & ducenti.

44 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

45 Sume Leuitas pro omnibus primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum: & erunt mihi Leuitæ. Ego Dominus.

46 Et redemptiones trium, & ſeptuaginta, & ducentorum, qui ſuperant ad Leuitas ex primogenitis filiorum Iſrael.

47 Et accipies quinque ſiclos ſecundum caput, iuxta didrachmum Sanctum accipies, viginti obolos ipſius ſicli.

48 Et dabis argentum Aaron, & filijs eius: redemptiones ſuperantium in eis.

49 Et accepit Moyſes argentum, redemptiones ſuperantium ad redemptionem Leuitarum

50 A primogenitis filiorum Iſrael accepit argentum mille trecentos ſexaginta quinque ſiclos iuxta ſiclum Sanctum.

51 Et dedit Moyſes redemptiones eorum qui ſuperabant, Aaron, & filijs eius, per vocẽ Domini: quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

### C A P. IIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Sume caput filiorum Caath de medio filiorum Leui, ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum earum

3 A viginti, & quinque annis, & ſupra vſque ad quinquaginta annos: omnis ingrediens miniſtrare, facere omnia opera in tabernaculo teſtimonij.

4 Et hæc ſunt opera filiorum Caath in tabernaculo teſtimonij Sanctum Sanctorum.

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

33 *De Merari fuit familia Mooli, & familia Muſi: Hæ ſunt familiæ Merari.*

34 *Omneſque maſculi qui numerati ſunt ex eo ab vno menſe, & ſuprà, ſex millia ducenti.*

35 *Et princeps domus patris familiarum Merari, Suriel filius Abihail, caſtrametabunturque ad latus Aquilonare tabernaculi.*

36 *Hæc aũt tradita ſũt ĩ cuſtodiã filiorũ Merari, tabulæ tabernaculi, & vectes eius, & columnæ eius, & baſes eius, & oĩa vaſa eius, & oĩa q̃ ad cultũ eius ptinẽt:*

37 *Et columnæ atrij per circuitum, & baſes earum, & paxilli, & funes earum.*

38 *Et qui caſtrametabuntur ante tabernaculum ad Orientalem plagam ante tabernaculum fœderis erunt Moyſes, & Aaron & filij ſui cuſtodientes cuſtodiam Sanctuarij in cuſtodiam filiorum Iſrael: extraneus autem qui acceſſerit, occidetur.*

39 *Omnes qui numerati ſunt de Leuitis, quos numerauit Moyſes, & Aaron iuxta verbum Domini, per familias ſuas: omnes maſculi ab vno menſe, & ſupra, fuerunt viginti duo millia.*

40 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Numera omnes primogenitos maſculos de filijs Iſrael ab vno menſe, & ſupra, & ſuſcipe ſummam nominum eorum.*

41 *Et applicabis Leuitas in conſpectu meo: Ego Dominus: Pro omni primogenito filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael.*

42 *Numerauitq; Moyſes omnes primogenitos filiorum Iſrael, ſicut præceperat ei Dominus.*

43 *Fueruntq; omnes maſculi primogeniti iuxta numerum nominum eorum qui numerati ſunt ab vno menſe, & ſupra: viginti duo millia & ducẽti & ſeptuaginta & tres.*

44 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

45 *Applica Leuitas pro omni primogenito filiorũ Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum: & miniſtrabunt Leuitæ coram me. Ego Dominus.*

46 *Et à ducentis, & ſeptuaginta, & tribus, qui excedunt numerum Leuitarum, qui redimendi ſunt de primogenitis filiorum Iſrael:*

74 *Tolles quinque ſiclos per ſingula capita in ſiclis Sanctuarij, viginti obolos habens ſiclus.*

48 *Dabiſq; argentum eorum qui redimendi ſunt qui excedunt Leuitas Aaron & filius eius.*

49 *Tuliſq; Moyſes argentum eorum qui fuerunt amplius, quos redemerat à Leuitis.*

50 *Pro primogenitis filiorum Iſrael tulit argenti mille & trecentos & ſexaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij.*

51 *Deditque Moyſes argentum redemptorum Aaron & filijs eius iuxta verbum Domini, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

### C A P. IIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, et cum Aaron, dicens:*

2 *Suſcipe ſummam filiorum Caath de medio filiorum Leui per familias ſuas, per domos patrum ſuorum,*

3 *A triginta annis & ſuprà, & vſque ad quinquaginta annos, omnium qui veniunt, vt per turmas miniſtrent miniſterium in tabernaculo fœderis.*

4 *Hic eſt cultus filiorum Caath in tabernaculo fœderis, Sanctum Sanctorum.*

In-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Ingredientur Aaron & filij eius, quando mouenda ſunt caſtra & deponent velum quod pendet ante fores, inuoluentque eo arcam teſtimonij, | 5 | 5 | *Et venient Aharon, & filij eius, quando proficiſcentur caſtra, & deſcendere facient velum tentorij, & operient illo arcam teſtimonij.* |
| Et operient rurſum velamine ianthinarum pellium extendentque deſuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. | 6 | 6 | *Et ponent ſuper eam operimentum pellis taxea, & expandent pannum totum hyacinthinum deſuper, & ponent vectes eius.* |
| Menſam quoque propoſitionis inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula & mortariola, cyathos & crateras ad liba fundenda: panes ſemper in ea erunt: | 7 | 7 | *Et ſuper menſam panum facierum, & expandent pannum hyacinthinum, & ponent ſuper eam ſcutellas, & coclearia, & cyatos, & medios calamos operimenti: & panis iugis ſuper eam erit.* |
| Extendentque deſuper pallium coccineum, quod rurſum operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes. | 8 | 8 | *Et expandent ſuper eam pannum vermiculatum coccineum, & operient eam operculo pellis taxea, & ponent vectes eius.* |
| Sument & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus ſuis & emunctorijs & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt: | 9 | 9 | *Et capient pannum hyacinthinum, & operient candelabrũ luminaris, & lucernas eius, & forcipes eius, & arulas eius, & omnia vaſa olei eius quibus miniſtrant ei.* |
| Et ſuper omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, & inducent vectes. | 10 | 10 | *Et ponent illud, & omnia vaſa eius in operſorio pellis taxea, & ponent ſuper vectem.* |
| Necnon & altare aureum inuoluent hyacinthino veſtimento & extendent deſuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. | 11 | 11 | *Et ſuper altare aureum expandent pannum hyacinthinum, & operient illud operimento pellis taxea, & ponent vectes eius.* |
| Omnia vaſa, quibus miniſtratur in Sanctuario, inuoluent hyacinthino pallio, & extendent deſuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. | 12 | 12 | *Et capient omnia vaſa miniſterij quibus miniſtrabunt in ſanctitate, & ponent in panno hyacinthino, & operient ea operimento pellis taxea, & ponent ſuper vectem.* |
| Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo veſtimento, | 13 | 13 | *Et remouebunt cinerem altaris, & expandent ſuper illud pannum purpureum.* |
| Ponentque cum eo omnia vaſa, quibus in miniſterio eius vtuntur, id eſt, ignium receptacula, fuſcinulas ac tridentes, vncinos & batilla. Cuncta vaſa altaris operient ſimul velamine ianthinarum pellium & inducent vectes. | 14 | 14 | *Et ponent ſuper illud omnia vaſa eius, quibus miniſtrant arulas, & fuſcinulas, & ſcopas, & crateras, omnia vaſa altaris. Et expandent ſuper illud operimentum pellis taxea, & ponent vectes eius.* |
| Cumque inuoluerint Aaron & filij eius Sanctuarium & omnia vaſa eius in commotione caſtrorum, tunc intrabunt filij Caath vt portent inuoluta: & non tangent vaſa Sanctuarij, ne moriantur. Iſta ſunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: | 15 | 15 | *Et conſummabunt Aharon, & filij eius, vt operiant ſanctitatem, & omnia vaſa Sãctitatis, quando proficiſcentur caſtra, & poſtea venient filij Chehath, vt portent, & non tangent Sanctitatem, & morientur. Iſta ſunt onera filiorum Chehath in tabernaculo eccleſiæ.* |
| Super quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compoſitionis incenſum, & ſacrificium, quod ſemper offertur, & oleum vnctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vaſorum, quæ in Sanctuario ſunt. | 16 | 16 | *Et functio Elhazar filij Aharon ſacerdotis eſt oleũ luminaris, & ſuffimentum aromaticum, & oblatio iugis, & oleum vnctionis functio omnis tabernaculi, & omnium quæ ſunt in eo in Sanctitate, & in vaſis eius.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: | 17 | 17 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, & Aharon, dicendo:* |
| Nolite perdere populum Caath de medio Leuitarum: | 18 | 18 | *Ne excidatis tribum familiarum Chehatitarum è medio Leuitarum.* |
| Sed hoc facite eis, vt viuant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron & filij eius intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & diuident quid portare quis debeat. | 19 | 19 | *Et hoc facite eis, & viuent, & non morientur, quãdo appropinquabunt ad Sanctitatem Sanctitatum. Aharon, & filij eius, venient, & ponent eos ſingulos ſuper opus ſuum, & ſuper onus ſuum.* |
| Alij nulla curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario priuſquam inuoluantur, alioquin morientur. | 20 | 20 | *Et non ingredientur, vt videant, quando operient Sãctitatem, & morientur.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 21 | 21 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Tolle ſummam etiam filiorum Gerſon per domos ac familias & cognationes ſuas, | 22 | 22 | *Cape ſummam filiorum Gherſon, & ipſos per domũ patrum ſuorum, per familias ſuas.* |
| A triginta annis & ſupra, vſque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & miniſtrant in tabernaculo fœderis. | 23 | 23 | *A filio triginta annorum, & ſupra, vſque ad filium quinquaginta annorum numerabis eos, omnem ingredientem ad pugnandum pugnam, vt faciant opus in tabernaculo eccleſiæ.* |

Hoc

*Hoc*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

5 Et ingredietur Aaron, & filij eius, cum promouebunt caſtra: & deponent velum obumbrans, & cooperient in eo arcam teſtimonij:

6 Et ſuper illud imponent cooperimentum, pellem hyacinthinam: & inijcient ſuper eam veſtimentum totum hyacinthinum deſuper, & traijcient geſtatoria.

7 Et ſuper menſam propoſitam inijcient ſuper eam veſtimentum totum purpureum, & patellas, & cochlearia, & cyathos, & libatoria, in quibus libat, & panes, qui ſemper ſuper eam erunt.

8 Et inijcient ſuper eam veſtimentum coccineum, & operient eam operimento pelliceo hyacinthino, & traijcient per eam geſtatoria.

9 Et ſument veſtimentum hyacinthinum, & operient candelabrum, quod lucet, & lucernas eius, & forcipes eius, & receptacula eius, & omnia vaſa olei, quibus miniſtrant in eis.

10 Et inijcient illud & omnia vaſa eius in operimentum pelliceum hyacinthinum, & imponent illud ſuper geſtatoria.

11 Et ſuper altare aureum adoperient veſtimentum hyacinthinum, & operient illud operimento pelliceo hyacinthino, & traijcient geſtatoria eius.

12 Et ſument omnia vaſa miniſtratoria, quibus miniſtrant in ipſis in Sanctis, & inijcient in veſtimentum hyacinthinum, & operient ea operimento pelliceo hyacinthino, & imponet ſuper geſtatoria.

13 Et opertorium imponet ſuper altare, & adoperient ſuper illud, veſtem totam purpuream.

14 Et imponent ſuper illud omnia vaſa, quibus miniſtrant ſuper illud in eis, & ignium receptacula, & fuſcinulas, & phialas, & opertorium, & omnia vaſa altaris: & inijcient ſuper illud operimentum pelliceum hyacinthinum: & traijcient geſtatoria eius: & ſument veſtimentum purpureum, & cooperient labrum, & baſim eius: & inijcient illud in operimentum pelliceum hyacinthinum: & imponent ſuper geſtatoria.

15 Et conſummabunt Aaron, & filij eius operientes Sãcta, & omnia vaſa Sancta in promouendo caſtra: & poſt hæc introibunt filij Chaath, ad leuandum: & non tangent Sancta, vt non moriantur. Hæc leuabunt filij Chaath in tabernaculo teſtimonij.

16 Viſitator Eleazar filius Aaron ſacerdotis: oleum luminis, & incenſum compoſitionis, & ſacrificium quotidianum, & oleum vnctionis, ſuper intendentia totius tabernaculi, & quæcumq; ſunt in eo in Sancto, in omnibus operibus.

17 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

18 Ne exterminetis de tribu populum Chaath, de medio Leuitarum.

19 Hoc facite eis & viuent, & non morientur, accedentibus ipſis ad Sancta Sanctorum. Aaron, & filij eius accedant, & collocabunt eos vnumquemque ſecundum geſtationem ſuam,

20 Et non ingrediantur videre confeſtim Sãcta, & morientur.

21 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

22 Accipe principium filiorum Gedſon, & hos ſecundum domos familiarum eorum, ſecundum populos eorum:

23 A quinque & viginti annis, & ſupra vſque ad quinquaginta annos recognoſce eos: omnis ingrediens miniſtrare, facere opera eius in tabernaculo teſtimonij.

## Chald. Paraph. Tranſl.

5 *Ingredientur Aaron & filij eius quando mouenda ſunt caſtra, & deponent velum quod pendet, & cooperient eo arcam teſtimonij:*

6 *Et ponent ſuper illud velamen ex pellibus hyacinthinis, & expandent deſuper pallium totum hyacinthinum, & ponent vectes eius.*

7 *Et ſuper menſam panis propoſitionis expandent pallium hyacinthinum, & ponent ſuper eam thuribula, & mortariola, & cyathos, & crateras libamentorum & panes erunt ſuper ea ſemper.*

8 *Et expandent ſuper eam pallium coccineum, & cooperient eam coopertorio de pellibus hyacinthinis, & ponent vectes eius.*

9 *Tollentq; pallium hyacinthinum, & cooperient candelabrum luminaris, & lucernas eius, & forcipes eius, & thuribula eius, & omnia vaſa miniſterij eius quibus vtuntur in miniſterio eius.*

10 *Et ponent ſuper illud, & ſuper omnia vaſa eius coopertorium de pellibus hyacinthinis, & ponent ſuper vectem.*

11 *Et ſuper altare aureum extendent pallium hyacinthinum, & cooperient illud operimento de pellibus hyacinthinis, & ponent vectes eius.*

12 *Et tollent omnia vaſa miniſterij eius, quibus miniſtrant in Sanctuario, & ponent ea in pallio hyacinthino: & cooperient illud coopertorio pellium hyacinthinarum, & ponent ſuper vectem.*

13 *Colligentq; cinerem de altari, & expandent ſuper illud pallium purpureum:*

14 *Et ponent ſuper illud omnia vaſa eius quibus miniſtrant ſuper illud, thuribula & fuſcinulas & batilla, & phialas, omniaque vaſa altaris: & extendent ſuper ea opertorium hyacinthinarum pellium, & ponent vectes eius.*

15 *Et conſumabit Aaron & filij eius cooperire Sanctuarium & omnia vaſa Sanctuarij, quando mouenda ſunt caſtra: & poſteà ingredientur filij Caath, vt portent ea, & non tangant Sãcta, vt non moriantur. Hæc ſunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis.*

16 *Et quæ tradita ſunt Eleazar filio Aaron ſacerdotis, hæc ſunt: oleum ad luminaria, & incenſum aromatum, & iuge ſacrificium, & oleum vnctionis, & ad curam eius pertinet totum tabernaculum, & omnia quæ ſunt in Sanctuario & vaſa eius.*

17 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe & cum Aaron, dicens:*

18 *Nolite conſumere tribum cognationum Caath de medio Leuitarum.*

19 *Et hoc facite eis, vt viuant, & non moriantur quando accedent ad Sancta Sanctorum. Aaron & filij eius intrabunt, & conſtituent eos vnumquemque ſuper miniſterium ſuum, & ſuper onus ſuum.*

20 *Et non ingrediantur ad videndum quando operiuntur vaſa Sanctuarij, vt non moriantur.*

21 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

22 *Accipe quoque ſummam filiorum Gerſon per domos patrum ſuorum, per cognationes ſuas*

23 *A triginta annis, & ſuprà, vſque ad quinquaginta annos numerabis eos: omnes qui veniunt ad miniſtrandum per turmas ſuas in miniſterio tabernaculi fœderis.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Hoc eſt officium familiæ Gerſonitarum. | 24 | 24 | *Hoc opus familiarum Gherſonitarum ad faciendum, & ad onus.* |
| Vt portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & ſuper omnia velamen ianthinum tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, | 25 | 25 | *Et portabunt cortinas tabernaculi, & tabernaculū eccleſiæ, operimentum eius & operimentum taxeum quod eſt ſuper illud deſuper, & aulæum ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.* |
| Cortinas atrij, & velum in introitu quod eſt ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vaſa miniſterij, | 26 | 26 | *Et cortinas atrij & tentorium oſtij portæ atrij, quod eſt ſuper tabernaculum, & ſuper altare per circuitum, & funes eorum, & omnia vaſa operis eius: & omne quod fiet eis facient.* |
| Iubente Aaron & filijs eius, portabunt filij Gerſon: & ſcient ſinguli cui debeant oneri mancipari. | 27 | 27 | *Iuxta ſermonem Aharon, & filiorum eius erit omne opus filiorum Gherſonitarum, in omni onere eorum, & in omni opere eorum: & imponetis eis in cuſtodia omne onus eorum.* |
| Hic eſt cultus familiæ Gerſonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque ſub manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. | 28 | 28 | *Hoc opus familiarum filiorum Gherſonitarum in tabernaculo eccleſiæ, & cuſtodia eorum per manum Ithamar filij Aharon ſacerdotis.* |
| Filios quoque Merari per familias, & domos patrum ſuorum recenſebis | 29 | 29 | *Filios Merari per familias ſuas, per domum patrum ſuorum numerabis.* |
| A triginta annis & ſupra, vſque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium miniſterij ſui & cultum fœderis teſtimonij. | 30 | 30 | *A filio triginta annorū, et ſupra, vſque ad filiū quinquaginta annorum, numerabis eos omnem ingredientem pugnam, vt faciant opus tabernaculi eccleſiæ.* |
| Hæc ſunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi & vectes eius, columnas ac baſes earum, | 31 | 31 | *Hæc eſt cuſtodia oneris eorum in omni opere eorum in tabernaculo eccleſiæ: tabulæ tabernaculi, & vectes eius, & columnæ eius, & baſes eius.* |
| Columnas quoque atrij per circuitum cum baſibus & paxillis & funibus ſuis. Omnia vaſa & ſupellectilem ad numerum accipient, ſicque portabunt. | 32 | 32 | *Et columnæ atrij per circuitum, & baſes earum, & claui earum, & funes earum. Cum omnibus vaſis earum, & omni opere earum; & per nomina numerabitis vaſa cuſtodiæ oneris eorum.* |
| Hoc eſt officium familiæ Meraritarum & miniſterium in tabernaculo fœderis: eruntque ſub manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. | 33 | 33 | *Hoc opus familiarum filiorum Merari, in omni opere eorum, in tabernaculo eccleſiæ, per manum Ithamar filij Aharon ſacerdotis.* |
| Recenſuerunt igitur Moyſes & Aaron & principes ſynagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum ſuorum | 34 | 34 | *Et numerauit Moſeh & Aharon, & principes congregationis filios Chehatitarum per familias ſuas, & per domum patrum ſuorum.* |
| A triginta annis & ſupra, vſque ad annū quinquageſimum, omnes qui ingrediuntur ad miniſterium tabernaculi fœderis: | 35 | 35 | *A filio triginta annorum, & ſupra, vſque ad filium quinquaginta annorum, omnem ingredientem pugnam, ad opus in tabernaculo eccleſiæ.* |
| Et inuenti ſunt duo millia ſeptingenti quinquaginta. | 36 | 36 | *Et fuerunt numeri eorum per familias ſuas duo millia ſeptingenti & quinquaginta.* |
| Hic eſt numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numerauit Moyſes & Aaron iuxta ſermonem Domini per manum Moyſi. | 37 | 37 | *Iſti ſunt numeri familiarum Chehatitarum, omnis operantis in tabernaculo eccleſiæ, quos numerauit Moſeh & Aharon iuxta imperium Domini per manum Moſeh.* |
| Numerati ſunt & filij Gerſon per cognationes & domos patrum ſuorum, | 38 | 38 | *Et numeri filiorum Gherſon per familias ſuas, & per domum patrum ſuorum.* |
| A triginta annis & ſupra, vſque ad quinquageſimū annum, omnes qui ingrediuntur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis: | 39 | 39 | *A filio triginta annorum, & ſupra, vſque ad filium quinquaginta annorum, omnis ingrediens pugnam, ad opus in tabernaculo eccleſiæ.* |
| Et inuenti ſunt duo millia ſexcenti triginta. | 40 | 40 | *Et fuerunt numeri eorum per familias ſuas, per domum patrum ſuorum duo millia & ſexcenti & triginta.* |
| Hic eſt populus Gerſonitarum, quos numerauerunt Moyſes & Aaron iuxta verbum Domini. | 41 | 41 | *Iſti ſunt numeri familiarum filiorum Gherſon, omnis ſeruientis in tabernaculo eccleſiæ quos numerauit Moſeh, & Aharon iuxta ſermonem Domini.* |
| Numerati ſunt & filij Merari per cognationes & domos patrum ſuorum | 42 | 42 | *Et numeri familiarum filiorum Merari per familias ſuas, per domum patrum ſuorum.* |
| A triginta annis & ſupra, vſque ad annum quinquageſimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: | 43 | 43 | *A filio triginta annorum, & ſupra, vſque ad filium quinquaginta annorum, omnis ingrediens pugnam ad opus in tabernaculo eccleſiæ.* |
| Et inuenti ſunt tria millia ducenti. | 44 | 44 | *Et fuerunt numeri eorum per familias eorum tria millia & ducenti.* |



UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Hoc eſt miniſterium populi Gedſon, miniſtrare, & leuare. | 24 | 24 | *Hoc eſt miniſterium cognationum Gerſon, vt miniſtrent & portent.* |
| Et leuabit pelles tabernaculi, & tabernaculum teſtimonij, & operimentum eius, & cooperimentum hyacinthinum, quod eſt ſuper ipſum deſuper, & operimentum oſtij tabernaculi teſtimonij, | 25 | 25 | *Portabuntque cortinas tabernaculi, & tentorium tabernaculi fœderis, et opertorium hyacinthinum quod eſt ſuper illud, & tentorium oſtij tabernaculi fœderis,* |
| Et tentoria atrij, quæcunque ſuper tabernaculum teſtimonij, & quæ ſuperant, & omnia vaſa miniſtratoria, quæcunque miniſtrant in eis, facient. | 26 | 26 | *Et cortinas atrij, & tentorium quod eſt in introitu oſtij atrij quod eſt ſuper tabernaculum & ſuper altare per circuitũ, & funiculos eorũ, & omnia vaſa miniſterij eorũ, & oia quæ eis tradita ſũt vt miniſtrẽt.* |
| Iuxta os Aaron, & filiorum eius erit miniſterium filiorum Gedſon, ſecundum omnia miniſteria eorum, & ſecundum omnia opera eorum, & recognoſces eos ex nomine, omnia, quæ leuanda ſunt ab eis. | 27 | 27 | *Iuxta verbum Aaron & filiorum eius erit omne miniſterium filiorum Gerſon per omnia onera ſua, & per omnia miniſteria ſua, & conſtituetis ſuper eos in cuſtodia omnia onera eorum.* |
| Hoc eſt miniſterium filiorum Gedſon in tabernaculo teſtimonij, & cuſtodia eorum in manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. | 28 | 28 | *Hoc eſt miniſterium cognationum filiorum Gerſon in tabernaculo fœderis, quorum cuſtodia erit in manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis.* |
| Filij Merari ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum recognoſcite eos: | 29 | 29 | *Filios Merari per familias ſuas, & per domos patrum ſuorum numerabis,* |
| A quinque & viginti annis, & ſupra vſque ad quinquaginta annos recognoſcite eos: omnis ingrediens miniſtrare opera tabernaculi teſtimonij. | 30 | 30 | *A triginta annis & ſuprà, vſque ad quinquaginta annos numerabis eos, omnes qui veniunt per turmas vt miniſtrent miniſterium tabernaculi fœderis.* |
| Et hæ ſunt obſeruationes eorum, quæ leuantur ab eis ſecundum omnia opera eorum in tabernaculo teſtimonij: capitella tabernaculi, & vectes & columnas eius, & baſes eius, & cooperimentum, & baſes eorum, & columnæ eorum, & cooperimentum oſtij tabernaculi, | 31 | 31 | *Et hæc eſt cuſtodia oneris eorum iuxta omne miniſterium ſuum in tabernaculo fœderis: tabula tabernaculi, & vectes, & columnæ eius, & baſes eius:* |
| Et columnas atrij in circuitu, & baſes earum, & columnas veli portæ atrij, & baſes earum, & paxillos earum, & funes earum, & omnia vaſa earum, & omnia miniſteria earum: ex nomine recognoſcite eos, & omnia vaſa cuſtodiæ eorum, quæ leuantur ab eis | 32 | 32 | *Et columnæ atrij per circuitum, & baſes earum, & paxilli, & funiculi earum, omniaque vaſa earum omnis miniſterij ſui, & per nomina conſtituetis vaſa cuſtodiæ oneris eorum.* |
| Hoc eſt miniſterium populi filiorum Merari in omnibus operibus eorum in tabernaculo teſtimonij in manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. | 33 | 33 | *Hoc eſt miniſteriũ cognationis filiorum Merari iuxta omne miniſterium eorum in tabernaculo fœderis per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis.* |
| Et recognouit Moyſes & Aaron, & principes Iſrael, filios Chaath ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum | 34 | 34 | *Numerauitque Moyſes, & Aaron, & principes cõgregationis filios Caath per familias ſuas, & domos patrum ſuorum.* |
| A quinque & viginti annis, & ſupra vſque ad quinquaginta annos: omnis ingrediens miniſtrare, & facere in tabernaculo teſtimonij. | 35 | 35 | *A triginta annis & ſuprà, vſque ad quinquaginta annos omnes qui veniunt per turmas ad miniſtrandum in tabernaculo fœderis.* |
| Et fuit recognitio eorum ſecundum populos eorum bis mille ſeptingenti quinquaginta. | 36 | 36 | *Fueruntque qui numerati ſunt ex eis per familias ſuas, duo millia ſeptingenti & quinque.* |
| Hæc eſt recognitio populi Chaath: omnis qui miniſtrat in tabernaculo teſtimonij: ſicut recognouit Moyſes, & Aaron, per vocem Domini in manu Moyſis. | 37 | 37 | *Hi ſunt qui numerati ſunt de cognatione Caath omnes qui miniſtrabant in tabernaculo fœderis, quos numerauit Moyſes, & Aaron, iuxta verbum Domini per manum Moyſi.* |
| Et recogniti ſunt filij Gedſon ſecundum populos eorum ſecundum domos familiarum eorum | 38 | 38 | *Numeratiq; ſunt filij Gerſon per cognationes ſuas, & per domos patrum ſuorum.* |
| A quinque & viginti annis, & ſupra vſque ad quinquaginta annos, omnis ingrediens miniſtrare & facere opera in tabernaculo teſtimonij. | 39 | 39 | *A triginta annis, & ſuprà vſque ad quinquaginta annos, omnes qui veniunt per turmas ad miniſtrandum in tabernaculo fœderis.* |
| Et fuit recognitio eorum ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum bis mille ſexcenti triginta. | 40 | 40 | *Fueruntque qui numerati ſunt ex eis per familias ſuas & domos patrum ſuorum, duo millia ſexcenti & triginta.* |
| Hæc eſt recognitio populi filiorum Gedſon: omnis miniſtrans in tabernaculo teſtimonij: quos recognouit Moyſes, & Aaron, per vocem Domini in manu Moyſis. | 41 | 41 | *Hi ſunt qui numerati ſunt de familijs filiorum Gerſon, omnes miniſtrantes in tabernaculo fœderis, quos numerauit Moyſes, & Aaron, iuxta verbum Domini.* |
| Recogniti autem ſunt, & populus filiorum Merari ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum | 42 | 42 | *Et qui numerati ſunt de familijs filiorum Merari per familias ſuas, & per domos patrum ſuorum,* |
| A quinque, & viginti annis, & ſupra, vſque ad quinquaginta annos, omnis ingrediens miniſtrare ad opere tabernaculi teſtimonij. | 43 | 43 | *A triginta annis, & ſuprà, vſque ad quinquaginta annos, omnes qui veniunt per turmas ad miniſtrandum in tabernaculo fœderis.* |
| Et fuit recognitio eorum ſecundum populos eorum, ſecundum domos familiarum eorum ter mille, & ducenti. | 44 | 44 | *Fueruntq; qui numerati ſunt ex eis per familias ſuas, tria millia & ducenti.* |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

45 Hic eſt numerus filiorum Merari, quos recenſuerunt Moyſes & Aaron iuxta imperium Domini per manum Moyſi.

46 Omnes qui recenſiti ſunt de Leuitis, & quos recenſeri fecit ad nomẽ Moyſes & Aaron, & principes Iſrael per cognationes & domos patrum ſuorum

47 A triginta annis & ſupra, vſque ad annum quinquageſimum, ingredientes ad miniſterium tabernaculi, & onera portanda,

48 Fuerunt ſimul octo millia quingenti octoginta.

49 Iuxta verbum Domini recenſuit eos Moyſes, vnumquemque iuxta officium & onera ſua, ſicut præceperat ei Dominus.

### C A P. V.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Præcipe filijs Iſrael, vt eijciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſque eſt ſuper mortuo:

3 Tam maſculum quam fœminam eijcite de caſtris, ne contaminent ea cum habitauerim vobiſcum.

4 Feceruntque ita filij Iſrael, & eiecerunt eos extra caſtra, ſicut locutus erat Dominus Moyſi.

5 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

6 Loquere ad filios Iſrael: Vir, ſiue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,

7 Confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamque partem deſuper ei, in quem peccauerint.

8 Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino & erit ſacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt ſit placabilis hoſtia:

9 Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Iſrael, ad ſacerdotem pertinent:

10 Et quidquid in Sanctuarium offertur a ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit.

11 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

12 Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir, cuius vxor errauerit, maritumque contemnens

13 Dormierit cũ altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, ſed latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt, quia non eſt inuenta in ſtupro:

14 Si ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpicione appetitur,

15 Adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ hordeaceæ: non fundet ſuper eam oleum, nec imponet thus: quia ſacrificium zelotypiæ eſt, & oblatio inueſtigans adulterium.

16 Offeret igitur eam ſacerdos, & ſtatuet coram Domino.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

45 *Illi ſunt numeri familiarum filiorum Merari, quos numerauit Moſeh, & Aharon iuxta ſermonem Domini per manum Moſeh.*

46 *Omnes numeri quos numerauit Moſeh, & Aharon, & principes Iſrael, Leuitas per familias ſuas, & per domum patrum ſuorum.*

47 *A filio triginta annorum, & ſupra vſque ad filium quinquaginta annorum, omnis ingrediens ad faciendum opus operis, & opus oneris in tabernaculo eccleſiæ.*

48 *Et fuerunt numeri eorum octo millia, & quingenti, & octoginta.*

49 *Iuxta ſermonem Domini numerauit eos per manum Moſeh ſingulos ſecundum opus ſuum, & ſecundum onus ſuum, & numerus eorum, quos præceperat Dominus Moſeh.*

### C A P. V.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Præcipe filijs Iſrael, & emittant è caſtris omnem leproſum, & omnem patientem fluxum, & omnem immundum ſuper animam.*

3 *A maſculo vſque ad fœminam emittetis, extra caſtra emittetis eos, & non polluent caſtra eorum, in medio quorum ego habito.*

4 *Et fecerunt ſic filij Iſrael: & emiſerunt eos extra caſtra: quemadmodum locutus eſt Dominus ad Moſeh, ſic fecerunt filij Iſrael.*

5 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

6 *Loquere ad filios Iſrael: Vir ſiue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis hominis, vt præuaricentur præuaricationem in Dominum, & deliquerit anima ipſa.*

7 *Confitebuntur ſe ſuper peccato ſuo, quod fecerunt, & reſtituet delictum ſuum cum ſorte eius, & quintam eius partem addet ſuper illam, & dabit ei contra quem deliquit.*

8 *Et ſi non fuerit viro redimens, vt reſtituat delictum ei, delictum reſtituitur Domino, ſacerdotis erit, præter arietem expiationum ſuper quo expiabit.*

9 *Et omnis oblatio omnium ſanctitatum filiorum Iſrael, quam offerent ſacerdoti, eius erit.*

10 *Et vniuſcuiuſque ſanctitates eius, ipſi erunt, vir quod dederit ſacerdoti, ipſi erit.*

11 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

12 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos. Cum diuerterit vxor cuiuſpiam, & præuaricata fuerit contra eum præuaricationem.*

13 *Et coierit quiſpiam cum ea coitu ſeminis, & abſconditum fuerit ab oculis viri ſui, & latuerit, & ipſa polluta fuerit, & teſtis non fuerit contra eam, & ipſa non fuerit deprehenſa.*

14 *Et tranſierit ſuper eum ſpiritus zelotypiæ, & zelatus fuerit vxorem ſuam, & ipſa polluta fuerit, vel tranſierit ſuper eum ſpiritus zelotypiæ, & zelatus fuerit vxorem ſuam, & ipſa non fuerit polluta.*

15 *Venire faciet vir vxorem ſuam ad ſacerdotem, & afferet oblationem eius cum ea decimum ephah farinæ hordeaceæ. Non effundet ſuper eam oleum, & non ponet ſuper eam thus, quia oblatio zelotypiarum eſt, oblatio memoriæ memorantis iniquitatem.*

16 *Et offeret eam ſacerdos, & ſtare faciet eam coram Domino.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

45 Hæc eſt recognitio populi filiorum Merari, quos recognouit Moyſes, & Aaron, per vocem Domini in manu Moyſi.

46 Omnes recogniti, quos recognouit Moyſes, & Aaron, & principes Iſrael Leuitas ſecundum populos, & ſecundum domos familiarum eorum,

47 A quinque, & viginti annis, & ſupra, vſque ad quinquaginta annos: omnis ingrediens ad opus operum, & opera quæ leuantur in tabernaculo teſtimonij.

48 Et fuerunt qui recogniti ſunt, octo mille quingenti octuaginta.

49 Per vocem Domini recognouit eos in manu Moyſi, virum ad virum ſuper opera eorum, & ſuper illa, quæ ipſi leuant, & recogniti ſunt, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi.

### C A P. V.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Præcipe filijs Iſrael, & emittant è caſtris omnem leproſum, & omnem, qui patitur fluorem ſanguinis, & omnem immundum ſuper anima:

3 A maſculino vſque ad fœmininum, emittite extra caſtra, & non inquinabunt caſtra ipſorum, in quibus ego verſor in eis.

4 Et fecerunt ſic filij Iſrael, & emiſerunt eos extra caſtra, ſicut locutus eſt Dominus Moyſi, ſic fecerunt filij Iſrael.

5 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

6 Loquere filijs Iſrael, dicens: Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, & deſpiciens deſpexerit, & deliquerit anima illa:

7 Annunciabit peccatum, quod fecit, & reddet delictum: caput, & quintas eius adijciet ſuper illud: & reddet, cui deliquit ei.

8 Si autem non fuerit homini proximus, ita vt reddat illi delictum ad ipſum: delictum, quod redditur Domino, ſacerdoti erit, excepto ariete propitiationis: per quem depropitiabit in illo pro eo.

9 Et omnes primitiæ ſecundum omnia, quæ ſanctificantur in filijs Iſrael, quæcumque offerant Domino, ſacerdoti ipſi erunt:

10 Et cuiuſque ſanctificata ipſius erunt: & vir, qui dederit ſacerdoti, ei erit.

11 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

12 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Viri, viri ſi præuaricata fuerit vxor eius, & deſpiciens deſpexerit eum,

13 Et cubuerit quis cum ea concubitum ſeminis, & latuerit ab oculis viri ſui, & abſconderit, ipſa autem ſit inquinata, & teſtis non ſit cum ea, & ipſa non ſit deprehenſa,

14 Et ſuperuenerit ei ſpiritus zelandi, & zelet vxorem ſuam, ipſa autem inquinata eſt, vel ſuperuenerit ei ſpiritus zelandi, & zelet vxorem ſuam, ipſa autem non ſit inquinata:

15 Et adducet homo vxorem ſuam ad ſacerdotem, & offeret munus pro ea, decimam oephi farinam hordeaceam: non effundet ſuper ipſam oleum, neque imponet ſuper eam thus: eſt enim ſacrificium zelotypiæ, ſacrificium memorialis, rememorans peccatum.

16 Et adducet eam ſacerdos, & ſtatuet eam ante Dominum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

45 *Hi ſunt qui numerati ſunt de familijs filiorum Merari, quos numerauit Moyſes, & Aaron iuxta verbum Domini per manum Moyſi.*

46 *Omnes Leuitæ numerati ſunt quos numerauit Moyſes, & Aaron, & principes Iſrael per familias, & per domos patrum ſuorum,*

47 *A triginta annis, & ſuprà vſque ad quinquaginta annos, omnes qui ingrediuntur ad miniſtrandum miniſterium cultus, & miniſterium oneris in tabernaculo fœderis.*

48 *Fuerunt qui numerati ſunt ex eis octo millia & quingenti & octoginta iuxta verbum Domini.*

49 *Conſtituitque eos per manum Moyſi vnumquemque ſuper miniſterium ſuum, & ſuper onus ſuum, & numerati ſunt ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

### *C A P. V.*

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Præcipe filijs Iſrael, vt eijciant de caſtris omnem leproſum, & omnem qui patitur fluxum ſeminis, & omnem qui pollutus eſt pollutione animæ:*

3 *A maſculo vſque ad fœminam eijcietis, extra caſtra eijcietis eos, vt non contaminent caſtra eorum, quia maieſtas mea habitat inter eos.*

4 *Feceruntque ita filij Iſrael, & eiecerunt eos extra caſtra, ſicut locutus fuerat Dominus cum Moyſe, ita fecerunt filij Iſrael.*

5 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

6 *Loquere cum filijs Iſrael: Vir aut mulier cum fecerint ex omnibus peccatis hominis, vt præuaricentur præuaricationem coram Domino, & deliquerit homo ille:*

7 *Confitebuntur peccata ſua quæ fecerunt, & reddent ipſum caput quo peccauerunt, & quintam partem addent ſuper illud, & dabitur ei cui peccauerunt.*

8 *Et ſi non vixerit homo ille, neque habuerit propinquum cui reddatur illud in quo peccauerunt: illud quod redditur pro peccato coram Domino, ad ſacerdotem pertinet, excepto ariete expiationum qui offertur vt expiet ſuper eum.*

9 *Et omnes primitiæ omnium ſanctificatorum filiorum Iſrael quæ offerunt ſacerdoti, ipſius erunt.*

10 *Et decima ſanctificata vniuſcuiuſque, ipſius erunt: & vir qui dederit ſacerdoti, ipſius erit.*

11 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

12 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Vir cuius vxor errauerit, & præuaricata fuerit in eum præuaricationem:*

13 *Et concubuerit vir cum ea coitu ſeminis, & occultum atque abſconditum fuerit ab oculis viri ſui, & ipſa eſt contaminata, & nullus teſtis eſt contra eam, neque ipſa eſt deprehenſa.*

14 *Aut ſpiritus zelotypiæ tranſierit ſuper eum, & zelauerit vxorem ſuam, & ipſa polluta fuerit, vel ſpiritus zelotypiæ tranſierit ſuper eum, & zelauerit vxorem ſuam, & ipſa non fuerit contaminata:*

15 *Adducet vir vxorem ſuam ad ſacerdotem, & adducet cum ea oblationem ſuam decimam partem trium ſatorum farinæ hordeaceæ: non effundet ſuper eam oleum, nec ponet ſuper eam thus: quia munus zelotypiæ eſt, munus recordationis commemorans peccata.*

16 *Offeretque eam ſacerdos, & ſtatuet eam coram Domino.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Aſſumetque aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam.

18 Cumque ſteterit mulier in conſpectu Domini, diſcooperiet caput eius, & ponet ſuper manus illius ſacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipſe autem tenebit aquas amariſſimas, in quibus cũ execratione maledicta congeſſit.

19 Adiurabitque eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & ſi non polluta es deſerto mariti thoro, non tibi nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ, in quas maledicta congeſſi.

20 Sin autem declinaſti à viro tuo, atque polluta es, & concubuiſti cum altero viro:

21 His maledictionibus ſubiacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo ſuo: putreſcere faciat ſęmur tuum, & tumens vterus tuus diſrumpatur.

22 Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumeſcente putreſcat ſęmur. Et reſpondebit mulier, Amen, amen.

23 Scribetque ſacerdos in libello iſta maledicta, & delebit ea aquis amariſſimis, in quas maledicta cõgeſſit,

24 Et dabit ei bibere. Quas cum exhauſerit,

25 Tollet ſacerdos de manu eius ſacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponetque illud ſuper altare: ita dumtaxat vt prius,

26 Pugillum ſacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat ſuper altare: & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas.

27 Quas cum biberit; ſi polluta eſt, & contempto viro adulterij rea, pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet ſęmur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo.

28 Quod ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.

29 Iſta eſt lex zelotypiæ. Si declinauerit mulier à viro ſuo, & ſi polluta fuerit,

30 Mariruſque zelotypiæ ſpiritu concitatus adduxerit eam in conſpectu Domini, & fecerit ei ſacerdos iuxta omnia quæ ſcripta ſunt:

31 Maritus abſque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem ſuam.

### CAP. VI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir, ſiue mulier, cum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare:

3 A vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetũ ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes ſiccaſque non comedent

4 Cunctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur: quidquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa vſque ad acinum non comedent.

5 Omni tempore ſeparationis ſuæ * nouacula non tranſibit per caput eius, vſque ad completum diem, quo Domino conſecratur. Sanctus erit, creſcente cæſarie capitis eius.

* Iud.13.5.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et capiet ſacerdos aquam ſanctam in vaſe teſtaceo, & de puluere qui erit in pauimento tabernaculi, capiet ſacerdos, & ponet in aquam.*

18 *Et ſtare faciet ſacerdos mulierem coram Domino, & diſcooperiet caput mulieris, & ponet ſuper manus eius oblationem memoriæ, quæ oblatio zelotypiarum eſt: & in manu ſacerdotis erit aqua amara deficere faciens.*

19 *Et adiurabit eam ſacerdos, & dicet ad mulierem: Si non coiuit vir tecum, & ſi non declinaſti ad immunditiam ſub viro tuo, munda eſto ab aqua amara deficere faciente hac.*

20 *Et ſi declinaſti ſub viro tuo, & polluta es, & dedit vir in te coitum ſuum præter virum tuum.*

21 *Et adiurabit eam ſacerdos adiuratione maledictionis, & dicet ſacerdos ad mulierem: Det Dominus te in maledictionem, & adiurationem in medio populi tui, cum dederit Dominus fœmur tuum cadens, & vterum tuum crepantem.*

22 *Et veniat aqua deficere faciens hæc in interiora tua, vt crepare faciat vterum & cadere faciat fœmur: & dicet mulier: Amen, amen.*

23 *Et ſcribet maledictiones has ſacerdos in libro, & delebit cum aqua amara,*

24 *Et potum dabit mulieri aquam amaram deficere facientem, & ingredietur in eam aqua deficere faciens amara.*

25 *Et capiet ſacerdos è manu mulieris oblationem zelotypiarum, & eleuabit oblationem coram Domino, & offeret eam ſuper altare.*

26 *Et capiet pugillum ſacerdos de oblatione eam memoria eius, & ſuffire faciet ſuper altare, & poſtea potum dabit mulieri aquam.*

27 *Et potum dabit aquam: & erit, ſi polluta fuerit, & præuaricata fuerit præuaricationem in virum ſuum, ingredietur in eam aqua deficere faciens amara, & crepabit vterus eius, & cadet fœmur eius, & erit mulier in maledictionem in medio populi ſui.*

28 *Et ſi non fuit polluta mulier, ſed munda eſt, innocens erit, & ſeminabitur ſemine.*

29 *Hæc eſt lex zelotypiarum cum diuerterit mulier ſub viro ſuo, & polluta fuerit.*

30 *Vel ſi ſuper virũ tranſierit ſpiritus zelotypiæ, & zelatus fuerit vxorẽ ſuã, & ſtare fecerit mulierẽ coram Dño: & fecerit ei ſacerdos ſecũdum omnẽ legẽ hanc.*

31 *Et innocens erit vir ab iniquitate, & mulier ipſa portabit pœnam iniquitatis ſuæ.*

### CAP. VI.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir vel mulier cum ſeparauerit ſe vouendo votum Nazaræi, vt ſeparet ſe Domino.*

3 *A vino, & ſicéra ſeparabit ſe. Acetum vini, & acetum ſicéræ non bibet, & omne madefactum vuis, non bibet, & vuas recentes, & ſiccas non comedet.*

4 *Omnibus diebus nazaræatus ſui: ab omni quod fit è vite vini, ab acinis vſque ad corticem non comedet.*

5 *Omnibus diebus voti nazaræatus ſui, nouacula non tranſibit ſuper caput eius, donec compleantur dies quibus nazaræum ſe fecit Domino. Sanctus erit, creſcere faciat comam capilli capitis ſui.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et ſumet ſacerdos aquam mundam viuentem in vaſe teſtaceo, & de terra quæ eſt ſuper pauimentum tabernaculi teſtimonij, & ſumens ſacerdos injiciet in aquam.

18 Et ſtatuet ſacerdos mulierem ante Dominum, & reuelabit caput mulieris, & dabit ſuper manus eius ſacrificium memorialis, ſacrificium zelotypiæ: in manu autem ſacerdotis erit aqua argutionis, quæ maledicitur, huius.

19 Et adiurabit eam ſacerdos: & dicet mulieri: Si non concubuit quis tecum, ſi non præuaricata es, vt inquinareris ſub viro tuo: innocens eſto ab aqua argutionis, quæ maledicitur, huius.

20 Si autem præuaricata es, cum ſub viro ſis, vel inquinata es, & dedit quis concubitum ſuum in te præter virum tuum:

21 Et adiurabit ſacerdos mulierem in iuramentis maledictionis huius: & dicet ſacerdos mulieri: Det te Dominus in maledictum & execramentum in medio populi tui, in dando Dominus femur tuum collapſum, & ventrem tuum diruptum.

22 Et ingredietur aqua quæ maledicitur hæc in ventrem tuum, ad dirumpendum vterum, & faciendum cadere femur tuum; & dicet mulier: Fiat, fiat.

23 Et ſcribet ſacerdos maledicta hæc in libro, & delebit in aqua argutionis, quæ maledicitur:

24 Et potabit mulierem de aqua argutionis, quæ maledicitur: & intrabit in eam aqua, quæ maledicitur, argutionis.

25 Et ſumet ſacerdos de manu mulieris ſacrificium zelotypiæ, & imponet ſacrificium ante Dominum, & offeret illud ad altare:

26 Et tollet pugillo ſacerdos de ſacrificio memoriale eius, & offeret illud ſuper altare: & poſt hæc potabit mulierem de aqua.

27 Et erit, ſi fuerit inquinata, & latendo latuerit virum ſuum: & intrabit in eam aqua maledicta redargutionis: & inflabitur ventre, & decidet femur eius: & erit mulier in maledictum populo ſuo.

28 Si autem non fuerit inquinata mulier, & munda fuerit: & innocens erit, & ſeminare faciet ſemen.

29 Hæc eſt lex zelotypiæ, cuicumque præuaricata fuerit mulier, quæ ſub viro eſt, & inquinata fuerit,

30 Aut homo, cui ſuperuenerit ſuper eum ſpiritus zelandi, & zelauerit vxorem ſuam. Et ſtatuet vxorem ſuam ante Dominum:

31 Et faciet ei ſacerdos omnem legem hanc: & innocens erit homo à peccato: & mulier illa accipiet peccatum ſuum.

### C A P. VI.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Vir aut mulier, quicumque magne vouerit votum, purificandi puritatem Domino:

3 A vino, & ſicera temperabit. Et acetum ex vino, & acetum ex ſicera non bibet: & quæcumque conficiuntur ex vua, non bibet: & vuam recenté & vuam paſſam non comedet.

4 Omnibus diebus voti ſui: ab omnibus quæcumque fiunt ex vite, vinum à corticibus vuæ, vſque ad acinum non comedet.

5 Omnibus diebus purificationis nouacula non ſuperueniet ſuper caput eius, donec impleantur dies, quoſcumque vouit Domino: Sanctus erit, nutriens comam capillum capitis.

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et tollet ſacerdos aquas lutereis in vaſe fictili, & de puluere qui eſt in fundamento tabernaculi tollet ſacerdos, & mittet eum in aquas.*

18 *Et ſtatuet ſacerdos mulierem coram Domino, & diſcooperiet caput mulieris, & ponet in manibus eius munus recordationis, munus zelotypiæ eſt: & in manu ſacerdotis erunt aquæ amaræ maledictæ.*

19 *Adiurabitque eam ſacerdos, & dicet mulieri: Si non concubuit vir tecum, & ſi non declinaſti, vt contaminata eſſes, excepto viro tuo: eris innoxia ab aquis iſtis amariſſimis maledictis.*

20 *Et ſi tu declinaſti à viro tuo, & polluta es, & concubuit vir tecum, excepto viro tuo:*

21 *Adiurabitque ſacerdos mulierem iuramento maledictionis, & dicet ſacerdos mulieri: Dabit te Dominus in maledictionem & iuramentum in medio populi tui, cum dederit Dominus femur tuum putridum & viſcera tua tumentia.*

22 *Ingredienturque aquæ iſtæ maledictæ in vterum tuum, & tumere facient viſcera, & computreſcere femur. Et dicet mulier: Amen, amen.*

23 *Scribetque ſacerdos maledictiones has in libello, & delebit eas in aquis amariſſimis.*

24 *Et dabit bibere mulieri aquas amariſſimas & maledictas: ingredienturque in eam aquæ maledictæ in maledictionem.*

25 *Tolletque ſacerdos de manu mulieris ſacrificiũ zelotypiæ, & eleuabit munus coram Domino, & offeret illud in altari.*

26 *Et tollet ſacerdos de munere plenum pugillum, & adolebit in altari: & poſteà dabit bibere mulieri aquas.*

27 *Et cum propinauerit ei aquas, ſi illa polluta eſt, & præuaricans præuaricationem contra maritum ſuũ, ingredientur in eam aquæ maledictæ in maledictionem: & tumeſcent viſcera eius, & computreſcet femur eius: & erit mulier in maledictionem in medio populi ſui.*

28 *Si autem mulier non eſt polluta, ſed munda eſt: egredietur innoxia, & concipiet conceptionem.*

29 *Iſta eſt lex zelotypiæ, quando declinauerit mulier à viro ſuo, & contaminata fuerit:*

30 *Aut viri ſuper quem tranſierit ſpiritus zelotypiæ & zelauerit vxorem ſuam: ſtatuetque vxorem coram Domino.*

31 *Facietque ei ſacerdos iuxta omnem legem hanc: & erit vir innocens à peccatis, & mulier illa recipiet iniquitatem ſuam.*

### C A P. V I.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices eis: Vir ſiue mulier cum fecerint votum nazaræi, vt ſeparetur coram Domino:*

3 *A vino nouo & veteri ſeparetur. Acetum ex vino nouo, & acetum ex vino veteri non bibat: & quicquid de vuis exprimitur non bibat: vuas quoque virides & ſiccas non comedet.*

4 *Cunctis diebus quibus fuerit nazaræus: de omnibus quæ fiunt de vite vini, à granulis vſque ad folliculos, non comedat.*

5 *Cunctis diebus quibus ex voto fuerit nazaræus, nouacula non tranſibit ſuper caput eius, vſque ad complementum dierum quibus fuerit nazaræus coram Domino: Sanctus erit, creſcere dimittet cæſariem capillorum capitis ſui.*





UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuũ non ingredietur , | 6 | 6 | Omnibus diebus quibus ſe nazaræum facit Domino ad animam mortui non veniet . |
| | Nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris ſororiſq; funere contaminabitur , quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius . | 7 | 7 | Super patre ſuo, & ſuper matre ſua, ſuper fratre ſuo, & ſuper ſorore ſua, non polluet ſe cũ mortui fuerint, quia nazaræatus Dei ſui eſt ſuper caput eius . |
| | Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino . | 8 | 8 | Omnibus diebus nazaræatus ſui ſanctus erit Domino . |
| | Sin autem mortuus fuerit ſubito quiſpiam coram eo, polluetur caput conſecrationis eius : quod radet illico in eadem die purgationis ſuæ, & rurſum ſeptima . | 9 | 9 | Et ſi mortuus fuerit mortuus iuxta eum fortuito : mox, & polluerit caput nazaræatus ſui : radet caput ſuum in die purificationis ſuæ, die ſeptima radet illud . |
| | In octaua autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ ſacerdoti in introitu fœderis teſtimonij . | 10 | 10 | Et die octaua afferet duos turtures , vel duos filios columbæ ad ſacerdotem , ad oſtium tabernaculi eccleſiæ . |
| | Facietque ſacerdos vnum pro peccato , & alterum in holocauſtum, & deprecabitur pro eo, quia peccauit ſuper mortuo: ſanctificabitque caput eius in die illo : | 11 | 11 | Et faciet ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum , & expiationem faciet ſuper eum de eo quod peccauit ſuper animam: & ſanctificabit caput ſuum die illa . |
| | Et conſecrabit Domino dies ſeparationis illius , offerens agnum anniculum pro peccato : ita tamen , vt dies priores irriti fiant , quoniam polluta eſt ſanctificatio eius. | 12 | 12 | Et ſeparabit Domino dies nazaræatus ſui, & afferet agnum anniculum pro delicto: & dies primi cadent quoniam pollutus fuit nazaræatus eius . |
| | Iſta eſt lex conſecrationis . Cum dies, quos ex voto decreuerat, complebuntur: adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis , | 13 | 13 | Et hæc eſt lex nazaræi . In die qua completi fuerint dies nazaræatus eius: adducet ſeipſum ad oſtium tabernaculi eccleſiæ . |
| | Et offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocauſtum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hoſtiam pacificam , | 14 | 14 | Et offerre faciet oblationem ſuam Domino , agnum anniculum perfectum vnum in holocauſtum, & agnam vnam anniculam , perfectam pro peccato , & arietem vnum perfectum pro pacificis . |
| | Caniſtrum quoque panum azymorum, qui conſperſi ſint oleo , & lagana abſque fermento vncta oleo , ac libamina ſingulorum : | 15 | 15 | Et caniſtrũ infermentatorum ſimilæ, placentas mixtas oleo , & lagana infermentatorum uncta oleo , & oblationem eorum, & libamina eorum . |
| | Quæ offeret ſacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quam in holocauſtum | 16 | 16 | Et offeret ſacerdos coram Domino, & faciet hoſtiam pro peccato illius, & holocauſtum illius . |
| | Arietem vero immolabit hoſtiam pacificam Domino, offerens ſimul caniſtrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur . | 17 | 17 | Et arietem faciet ſacrificium pacificorum Domino in caniſtro infermentatorum : & faciet ſacerdos oblationem eius, & libamen eius . |
| * Act. 21. 24. | * Tunc radetur nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ : tolletque capillos eius, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum . | 18 | 18 | Et radet nazaræus ad oſtium tabernaculi eccleſiæ caput nazaræatus ſui: & capiet cæſariem capitis nazaræatus ſui, & ponet ſuper ignem qui eſt ſubter ſacrificium pacificorum . |
| | Et armum coctum arietis, tortamque abſque fermẽto vnam de caniſtro, & laganum azymum vnum; & tradet in manus nazaræi, poſtquam raſum fuerit caput eius . | 19 | 19 | Et capiet ſacerdos brachium coctum ab ariete, & placentam infermentatam vnam è caniſtro , & laganum infermentatum vnum , & ponet ſuper volas nazaræi, poſtquam raſus fuerit nazaræatus eius . |
| | Suſceptaque rurſum ab eo , eleuabit in conſpectu Domini : & ſanctificata ſacerdotis erunt, ſicut pectuſculum, quod ſeparari iuſſum eſt, & femur : poſt hæc poteſt bibere nazaræus vinum . | 20 | 20 | Et eleuabit ea ſacerdos eleuationẽ coram Domino : ſanctitas eſt ſacerdotis , tam pectus eleuationis , quam armus eleuationis : & poſtea bibat nazaræus vinum . |
| | Iſta eſt lex nazaræi, cum vouerit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ , exceptis his, quæ inuenerit manus eius: iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionẽ ſanctificationis ſuæ . | 21 | 21 | Hæc eſt lex nazaræi qui vouerit oblationẽ ſuam Domino pro nazaræatu ſuo, præter id quod attinget manus eius ſecundum votum ſuum, quod vouerit ſic faciet ſecundum legem nazaræatus ſui . |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens : | 22 | 22 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo : |
| Eccl. 36. 19 | Loquere Aaron & filijs eius ; Sic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis : | 23 | 23 | Loquere ad Aharon, & ad filios eius, dicendo: Sic benedicetis filiis Iſrael, dicendo eis : |
| | Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te . | 24 | 24 | Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te . |
| | Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui . | 25 | 25 | Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui . |
| | Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem . | 26 | 26 | Eleuet Dominus faciem ſuam ad te, & ponat tibi pacem . |
| | Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrael: & ego benedicam eis . | 27 | 27 | Et ponant nomen meum ſuper filios Iſrael : & ego benedicam eis . |
| | **CAP. VII.** | | | **CAP. VII.** |
| * Exo. 40. 16. | FActum * eſt autem in die qua compleuit Moyſes tabernaculum , & erexit illud : vnxitque & ſanctificauit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter & omnia vaſa eius . | 1 | 1 | ET fuit , in die qua finiuit Moſeh erigere tabernaculum, vnxit illud , & ſanctificauit illud, & omnia vaſa eius: & altare , & omnia vaſa eius , & vnxit ea & ſanctificauit ea . |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

6 Omnibus diebus voti Domino, ſuper omnem animam mortuam non ingredietur:

7 Super patrem,& matrē,& ſuper fratrē,& ſuper ſororem, non inquinabitur in eis, cum illi mortui fuerint, quoniam votū Dei eius in eo ſuper caput eius.

8 Omnibus diebus voti ſui ſanctus erit Domino.

9 Si quis autem mortuus fuerit ſuper eum repentè, ſtatim inquinabitur caput voti eius: & radetur caput ſuum, qua die mundabitur, die ſeptimo radetur.

10 Et die octauo feret duos turtures, vel duos pullos columbarum ad ſacerdotem ad ianuas tabernaculi teſtimonij.

11 Et faciet ſacerdos vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum, & deprecabitur pro eo ſacerdos, de quibus peccauit pro anima: & ſanctificabit caput ſuum in die illa:

12 Qua ſanctificatus eſt Domino, dies voti, & adducet agnum anniculum in delictum: & priores dies innumerati erunt, quoniam inquinatum fuit caput voti eius.

13 Et hæc eſt lex eius, qui vouit. Quacumque die impleuerit dies voti ſui: offeret ipſe ad ianuas tabernaculi teſtimonij:

14 Et offeret munus ſuum Domino agnum anniculum ſine vitio vnum in holocauſtoma, & agnam anniculam vnam ſine vitio in peccatum, & arietem vnum ſine vitio in ſalutare:

15 Et caniſtrum azymorum ſimilæ panes refectos in oleo, & lagana azyma vncta in oleo, & ſacrificium eorum, & libamen eorum:

16 Et offeret ſacerdos ante Dominum, & faciet quod pro peccato eius, & holocauſtum eius.

17 Et arietem faciet ſacrificium ſalutaris Domino ſuper caniſtro azymorum, & faciet ſacerdos ſacrificium eius, & libamen eius.

18 Et radetur, qui vouit, ad ianuas tabernaculi teſtimonij caput voti ſui: & imponet capillos ſuper ignem, qui eſt ſub ſacrificio ſalutaris.

19 Et ſumet ſacerdos brachium coctum de ariete, & panem vnum azymum de caniſtro, & laganum azymum vnum; & imponet ſuper manus eius, qui vouit, poſtquam ipſe raſus fuerit votum ſuum.

20 Et offeret ea ſacerdos impoſitionem ante Dominum: ſanctum erit ſacerdoti ſuper pectuſculum impoſitionis, & ſuper brachium demptionis: & poſt hæc bibet, qui vouit, vinum.

21 Hæc eſt lex eius, qui vouit, quicumq; vouerit munus ſuum Domino pro voto, abſque ijs, quæ inuenerit manus eius, ſecundum potentiam voti ſui, quod vtique vouerit, iuxta legem puritatis [ſuæ].

22 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

23 Loquere Aaron, & filijs eius, dicens: Sic benedicetis filios Iſrael, dicentes eis:

24 Benedicat te Dominus, & cuſtodiat te.

25 Illuminet Dominus faciem tuam ſuper te, & miſereatur tui.

26 Eleuet Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem.

27 Et imponent nomen meum ſuper filios Iſrael: & ego Dominus benedicam eos.

### C A P. VII.

1 ET factum [eſt] qua die conſummauit Moyſes, vt erigeret tabernaculum, & vnxit illud: & ſanctificauit illud, & omnia vaſa eius, & altare, & omnia v[...] eius, & vnxit ea, & ſanctificauit ea.

## Chald. Paraph. Transl.

6 *Cunctis diebus, quibus fuerit Nazaræus coram Domino, ſuper animam mortui non ingredietur:*

7 *Neque contaminabitur pro patre, vel pro matre ſua, aut pro fratre, vel ſorore ſua ſi mortui fuerint, quia corona Dei ſui eſt ſuper caput eius.*

8 *Cunctis diebus, quibus fuerit Nazaræus, ſanctus erit coram Domino.*

9 *Et ſi quiſpiam mortuus fuerit coram eo ſubito ipſo ignorante, polluetur caput conſecrationis eius: & tondebit caput ſuum in die emundationis ſuæ, in die ſeptima tondebit illud.*

10 *In die autem octaua adducet duos turtures, vel duos filios columbæ ad ſacerdotem ad oſtium tabernaculi fœderis.*

11 *Facietque ſacerdos vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum, & propitiabit pro eo, qui peccauit ſuper mortuo: & ſanctificabit caput eius in die illa:*

12 *Et conſecrabit coram Domino dies ſeparationis illius, & adducet agnum anniculum pro delicto: & dies priores ſiant irriti, eo quòd polluta eſt ſanctificatio eius.*

13 *Iſta eſt lex nazaræi. In die quo expleti fuerint dies ſanctificationis eius: adduceturque ad oſtium tabernaculi fœderis:*

14 *Et offeret oblationem ſuam coram Domino agnum vnum anniculum integrum in holocauſtum, & agnā vnam integram pro peccato, & arietem vnum integrum in hoſtiam ſanctificationum:*

15 *Et caniſtrum azymorum, & placentas ex ſimila conſperſas oleo, & lagana azyma vncta oleo, & munera ſua, & libamina ſua:*

16 *Et offeret ea ſacerdos coram Domino, & faciet ſacrificium pro peccato, & holocauſtum eius.*

17 *Et offeret arietem hoſtia ſanctificationum coram Domino cum caniſtro azymorum, offeretque ſacerdos munus, & libamentum eius.*

18 *Et tondebit in oſtio tabernaculi fœderis caput conſecrationis ſuæ: & tollet capillos capitis conſecrationis ſuæ, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſub lebete, in quo coquuntur carnes hoſtiæ ſanctificationum.*

19 *Tolletq́ ſacerdos brachium coctum arietis, & placentam azymam vnam de caniſtro, & laganum azymū vnum, & ponet ſuper manus Nazaræi, poſtquam totondit caput conſecrationis ſuæ.*

20 *Eleuabitque ea ſacerdos eleuatione coram Domino: & quod ſanctificatum eſt, erit ſacerdotis cum pectuſculo eleuationis, & cum femore, quod ſeparatum eſt: & poſtea bibet nazaræus vinum.*

21 *Iſta eſt lex nazaræi, qui vouerit oblationem ſuā coram Domino ſuper cōſecratione ſua, exceptis his, quæ inuenerit manus eius, iuxta votum ſuum, quod vouit, ita faciet, iuxta legem conſecrationis ſuæ.*

22 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

23 *Loquere cum Aaron, & cum filijs eius, dicens: Sic benedicetis filijs Iſrael, dicetiſque eis:*

24 *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te.*

25 *Oſtendat Dominus maieſtatem ſuam tibi, & miſereatur tui.*

26 *Auferat Dominus iram ſuam à te, & ponat tibi pacem.*

27 *Ponentque benedictionem nominis mei ſuper filios Iſrael: & ego benedicam eis.*

### C A P. VII.

1 *FActumq́ eſt in die qua compleuit Moyſes erigere tabernaculum, vnxit illud: & ſanctificauit illud, & omnia vaſa eius, altare quoque & omnia vaſa eius, & vnxit ea, & ſanctificauit ea.*

## Vulgat. Editio.

2 Obtulerunt principes Iſrael, & capita familiarum, qui erant per ſingulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant:

3 Munera coram Domino ſex plauſtra tecta cũ duodecim bobus. Vnum plauſtrum obtulere duo duces, & vnum bouem ſinguli, obtuleruntque ea in conſpectu tabernaculi.

4 Ait autem Dominus ad Moyſen:

5 Suſcipe ab eis, vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi, & trades ea Leuitis, iuxta ordinem miniſterij ſui.

6 Itaque cum ſuſcepiſſet Moyſes plauſtra, & boues, tradidit eos Leuitis.

7 Duo plauſtra, & quatuor boues dedit filijs Gerſon, iuxta id quod habebant neceſſarium.

8 Quatuor alia plauſtra, & octo boues dedit filijs Merari, ſecundum officia, & cultum ſuum, ſub manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis.

9 Filijs autem Caath, non dedit plauſtra, & boues: quia in Sanctuario ſeruiunt, & onera proprijs portant humeris.

10 Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua vnctum eſt, oblationem ſuam ante altare.

11 Dixitque Dominus ad Moyſen: Singuli duces per ſingulos dies offerant munera in dedicationem altaris.

12 Primo die obtulit oblationem ſuam Nahaſſon filius Aminadab de tribu Iuda:

13 Fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum, phiala argentea habens ſeptuaginta ſiclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

14 Mortariolum ex decem ſiclis aureis plenum incenſo:

15 Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

16 Hircumque pro peccato:

17 Et in ſacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinque hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Nahaſſon filij Aminadab.

18 Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Iſſachar:

19 Acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

20 Mortariolum aureum habens decem ſiclos plenum incenſo:

21 Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

22 Hircumque pro peccato:

23 Et in ſacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanael filij Suar.

24 Tertio die princeps filiorum Zabulon Eliab filius Helon:

25 Obtulit acetabulum argenteum appendens cẽtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

26 Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:

27 Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

28 Hircumque pro peccato:

29 Et in ſacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliab filij Helon.

Die

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et obtulerunt principes Iſrael capita domus patrũ ſuorum ipſi principes tribuum, ipſi qui ſteterunt ſuper numeros:*

3 *Et attulerunt oblationem ſuam coram Domino, ſex plauſtra operta, & duodecim boues. Plauſtrũ à duobus principibus, & bouem à ſingulo, & obtulerunt ea coram tabernaculo.*

4 *Et dixit Dominus ad Moſeh, dicendo:*

5 *Cape ab eis, & erunt ad faciendum opus tabernaculi eccleſiæ, & dabis ea Leuitis, vnicuique ſecundum opus ſuum.*

6 *Et accepit Moſeh plauſtra, & boues, & dedit ea Leuitis.*

7 *Duo plauſtra, & quatuor boues dedit filijs Gherſon ſecundum opus eorum.*

8 *Et quatuor plauſtra, & octo boues dedit filijs Merari, ſecundum opus eorum, per manum Ithamar filij Aharon ſacerdotis.*

9 *Et filijs Chehath non dedit: quia opus Sanctitatis erat ſuper eos, humero ferebant.*

10 *Et obtulerunt principes pro dedicatione altaris in die qua vnctum fuit, & obtulerunt principes oblationem ſuam coram altari.*

11 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Princeps vnus per diem, princeps vnus per diem offeret oblationem ſuã ad dedicationem altaris.*

12 *Et obtulit in die prima oblationem ſuam Nachſon filius Hamminadab è tribu Iehudah:*

13 *Et oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum põdus eius, phiala vna argentea ſeptuaginta ſiclorum ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:*

14 *Cochleare vnum decem aureorum plenum ſuffitu:*

15 *Iuuencus vnus filius bouis aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:*

16 *Hircus caprarum vnus pro peccato:*

17 *Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Nachſon filij Hamminadab.*

18 *Die ſecunda obtulit Nethanel filius Suhar princeps Iſaſchar:*

19 *Obtulit oblationem ſuam ſcutellam argenteam vnã, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambas ipſas plenas ſimila permixta oleo in oblationem:*

20 *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:*

21 *Iuuencum vnum filium bouis, arietem vnũ, agnum vnum anniculum in holocauſtum:*

22 *Hircum caprarum vnum pro peccato:*

23 *Et pro ſacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Nethanel filij Suhar.*

24 *Die tertia princeps filiorum Zebulun, Eliab filius Chelon:*

25 *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:*

26 *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:*

27 *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:*

28 *Hircus caprarum vnus pro peccato:*

29 *Et pro ſacrificio pacificorũ boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni quinque anniculi. Hæc eſt oblatio Eliab filij Chelon.*

*Die*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

2 Et obtulerunt principes Iſrael, duodecim principes domorum familiarum ſuarum, hi ſunt principes tribuum hi aſſiſtentes ſuper recognitione:

3 Et tulerunt munus ſuum ante Dominum ſex vehicula lampenica, & duodecim boues. Vehiculum à duobus principibus, & vitulum ab vno quoque, & adduxerunt ante tabernaculum.

4 Et ait Dominus ad Moyſen, dicens:

5 Accipe ab eis, & erunt ad opera miniſtratoria tabernaculi teſtimonij, & dabis ea Leuitis, vnicuique ſecundum miniſterium eius.

6 Et ſumens Moyſes vehicula, & boues, dedit ea Leuitis.

7 Et duo vehicula, & quattuor boues dedit filijs Gedſon, ſecundum miniſteria eorum.

8 Et quattuor vehicula, & octo boues dedit filijs Merari, ſecundum miniſteria eorum, per Ithamar filiú Aaron ſacerdotis.

9 Et filijs Caath non dedit: quoniam miniſteria ipſias Sancti habent, ſuper humeros leuabunt.

10 Et obtulerunt principes in dedicationem, altaris in die qua vnxit illud, & obtulerunt principes munera ſua è regione altaris.

11 Et dixit Dominus ad Moyſen: Princeps vnus quotidie, princeps quotidie offerent dona ſua in dedicationem altaris.

12 Et fuit offerens in die prima donum ſuum Naaſſon filius Aminadab, princeps tribus Iuda:

13 Et obtulit donum ſuum patellam argenteã vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnã argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ reſectæ in oleo ad ſacrificium:

14 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:

15 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:

16 Et hircum ex capris vnum pro peccato:

17 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Naaſſon filij Aminadab.

18 Die ſecunda obtulit Nathanael filius Sogar, princeps tribus Iſſachar:

19 Et obtulit donum ſuum patellam argenteã vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ reſectæ in oleo in ſacrificium:

20 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:

21 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:

22 Et hircum ex capris vnum pro peccato:

23 Et in ſacrificiũ ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Nathanael filij Sogar.

24 Die tertia princeps filiorum Zabulon, Heliab filius Chælon:

25 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraq; plena ſimilæ reſectæ in oleo in ſacrificium:

26 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:

27 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:

28 Et hircum ex capris vnum pro peccato:

29 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Heliab filij Chælon.

Die

## Chald. Paraph. Tranſl.

2 *Obtuleruntque principes Iſrael capita domus patrum ſuorum, ipſi ſunt principes tribuum, qui ſteterunt ſuper eos, qui numerati ſunt:*

3 *Obtuleruntque oblationes ſuas coram Domino, ſex plauſtra tecta, & duodecim boues. Vnum plauſtrum pro duobus principibus, & bouem pro vno, obtuleruntque coram tabernaculo.*

4 *Et dixit Dominus ad Moyſen, dicens:*

5 *Suſcipe ab eis, vt ſint ad miniſtrandum miniſteriũ tabernaculi fœderis, & trades ea Leuitis, iuxta id quod vnicuique opus eſt ad miniſterium ſuum.*

6 *Tulitque Moyſes plauſtra, & boues, & tradidit Leuitis.*

7 *Duo plauſtra, & quattuor boues dedit filijs Gerſon, iuxta neceſſitatem miniſterij ſui.*

8 *Et quattuor plauſtra, & octo boues dedit filijs Merari, iuxta neceſſitatem miniſterij ſui, per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis.*

9 *Filijs autem Caath nihil dedit: quia miniſterium Sanctuarij erat ſuper eos, & humeris portabant.*

10 *Obtuleruntque principes in dedicationem altaris in die quo vnxerunt illud, obtuleruntque principes oblationes ſuas ante altare.*

11 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Singuli principes per ſingulos dies offerant oblationes ſuas in dedicationem altaris.*

12 *Qui autem obtulit primo die oblationem ſuam, fuit Naaſon filius Aminadab de tribu Iuda:*

13 *Et oblatio eius fuit acetabulum argenteum vnum, centum, & triginta ſiclos appendebat, phiala vna argentea appendens ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sãctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere:*

14 *Mortariolum vnum aureum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum:*

15 *Vitulus vnus de bobus, aries vnus, agnus anniculus vnus in holocauſtum:*

16 *Hircus de capris vnus pro peccato:*

17 *Et in ſacrificio ſanctificationum obtulit boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Naaſon filij Aminadab.*

18 *In die ſecundo obtulit Nathanael filius Suar princeps Iſachar:*

19 *Obtulitque oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum, centum, & triginta ſiclos appendebat, phialam vnam argenteam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere:*

20 *Mortariolum vnum aureum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum:*

21 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum:*

22 *Hircum de capris vnum pro peccato:*

23 *Et in victimam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Nathanael filij Suar.*

24 *In die tertio princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon:*

25 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteũ vnũ appendens centũ, & triginta ſiclos, phialam vnã argenteam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila cõſperſa oleo pro munere:*

26 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum:*

27 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:*

28 *Hircum vnum de capris pro peccato:*

29 *Et in hoſtiam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliab filij Helon.*

In

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Die quarto princeps filiorum Ruben, Eliſur filius Sedeur: | 30 | 30 | *Die quarta princeps filiorum Reuben Eliſar filius Sedeur:* |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens cêtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 31 | 31 | *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:* |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 32 | 32 | *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:* |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 33 | 33 | *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:* |
| Hircumque pro peccato: | 34 | 34 | *Hircus caprarum vnus pro peccato:* |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque agnos anniculos quinque. Hęc fuit oblatio Eliſur filij Sedeur. | 35 | 35 | *Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Eliſur filij Sedeur.* |
| Die quinto princeps filiorum Simeon Salamiel filius Suriſaddai: | 36 | 36 | *Die quinta princeps filiorum Simhon Selumiel filius Suriſaddai:* |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 37 | 37 | *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:* |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 38 | 38 | *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:* |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 39 | 39 | *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:* |
| Hircumque pro peccato: | 40 | 40 | *Hircus caprarum vnus pro peccato:* |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel filij Suriſaddai. | 41 | 41 | *Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Selumiel filij Suriſaddai.* |
| Die ſexto princeps filiorum Gad, Eliaſaph filius Duel: | 42 | 42 | *Die ſexta princeps filiorum Ghad, Eliaſaph filius Dehuel:* |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens cêtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 43 | 43 | *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:* |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 44 | 44 | *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:* |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 45 | 45 | *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:* |
| Hircumque pro peccato: | 46 | 46 | *Hircus caprarum vnus pro peccato:* |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hęc fuit oblatio Eliaſaph filij Duel. | 47 | 47 | *Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Eliaſaph filij Dehuel.* |
| Die ſeptimo princeps filiorum Ephraim, Eliſama filius Ammiud: | 48 | 48 | *Die ſeptima princeps filiorum Ephraim Eliſamah filius Hammihud:* |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 49 | 49 | *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:* |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 50 | 50 | *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:* |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculũ in holocauſtum: | 51 | 51 | *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:* |
| Hircumque pro peccato: | 52 | 52 | *Hircus caprarum vnus pro peccato:* |
| Et in hoſtias pacificorum, boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliſama filij Ammiud. | 53 | 53 | *Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Eliſamah filij Hammihud.* |
| Die octauo princeps filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur: | 54 | 54 | *Die octaua princeps filiorum Menaſſeh Gamliel filius Padahſur:* |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens cêtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 55 | 55 | *Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, ambo ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem:* |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: | 56 | 56 | *Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu:* |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 57 | 57 | *Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum:* |

Hic- *Hir-*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

30 Die quarta princeps filiorum Ruben Heliſur filius Sedíur :

31 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium :

32 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi :

33 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :

34 Et hircum ex capris vnum pro peccato :

35 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Heliſur filij Sedíur.

36 Die quinta princeps filiorum Symeon Salamiel filius Sariſadæ :

37 Donum ſuum, patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ refectæ in oleo in ſacrificium :

38 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi :

39 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :

40 Et hircum ex capris vnum pro peccato :

41 Et in ſacrificiũ ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Salamiel filij Sariſadæ.

42 Die ſexta princeps filiorum Gad, Eliſaph filius Raguel:

43 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctam, vtraq; plena ſimilæ refectæ in oleo in ſacrificium :

44 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi :

45 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :

46 Et hircum ex capris vnum pro peccato :

47 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Eliſaph filij Raguel.

48 Die ſeptima princeps filiorum Ephræm, Eliſama filius Emiud :

49 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium :

50 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi :

51 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :

52 Et hircum ex capris vnum pro peccato :

53 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Eliſama filij Emiud.

54 Die octaua princeps filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur :

55 Donum ſuum, patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctam, vtraq; plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium :

56 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi :

57 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

30 *In die quarto princeps filiorum Ruben, Eliſur filius Sedeur :*

31 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum appendens centum, & triginta ſiclos, phialam argenteam vnam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere :*

32 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum :*

33 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum :*

34 *Hircum de capris vnum pro peccato :*

35 *Et in hoſtiam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliſur filij Sedeur.*

36 *In die quinto princeps filiorum Symeon, Selumiel filius Suriſaddai :*

37 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum appendens centum, & triginta ſiclos, phialam vnam argenteam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere :*

38 *Mortariolum vnum aureum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum :*

39 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum :*

40 *Hircum de capris vnum pro peccato :*

41 *Et in ſacrificio ſanctificationum obtulit boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque Hæc eſt oblatio Selumiel filij Suriſaddai.*

42 *In die ſexto princeps filiorum Gad, Eliaſaph filius Deuel :*

43 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum, centum, & triginta ſiclos appendebat, phialam vnam auream appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere :*

44 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum :*

45 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :*

46 *Hircum vnum de capris pro peccato :*

47 *Et in victimam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliaſaph filij Deuel.*

48 *In die ſeptimo princeps filiorum Ephraim Eliſama filius Amiud :*

49 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum appendens centum, & triginta ſiclos, phialam vnam auream appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere :*

50 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri plenum incenſo aromatum :*

51 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum :*

52 *Hircum vnum de capris pro peccato :*

53 *Et in hoſtiam ſanctificationum, boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliſama filij Amiud.*

54 *In die octauo princeps filiorum Manaſſe Gamaliel filius Phadaſur :*

55 *Obtulit oblationẽ ſuã acetabulum argenteũ vnũ appendens centũ, & triginta ſiclos, phialã argenteam vnam appendentẽ ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa in oleo p munere:*

56 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri plenum incenſo aromatum :*

57 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum :*

Hir-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Hircumque pro peccato: | 58 | 58 | Hircus caprarum vnus pro peccato: |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadaſſur. | 59 | 59 | Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Ghamliel filij Pedahſur. |
| Die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeonis: | 60 | 60 | Die nona princeps filiorum Biniamin Abidan filius Ghidhoni: |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens cẽtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 61 | 61 | Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, amba ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem: |
| Et mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 62 | 62 | Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu: |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 63 | 63 | Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum: |
| Hircumque pro peccato: | 64 | 64 | Hircus caprarum vnus pro peccato: |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis. | 65 | 65 | Et pro ſacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Abidan filij Ghidhoni. |
| Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammiſaddai: | 66 | 66 | Die decima princeps filiorum Dan Achiezer filius Hammiſaddai: |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens cẽtum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 67 | 67 | Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis, amba ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem: |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: | 68 | 68 | Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu: |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 69 | 69 | Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum: |
| Hircumque pro peccato: | 70 | 70 | Hircus caprarum vnus pro peccato: |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filij Ammiſaddai. | 71 | 71 | Et pro ſacrificio pacificorũ boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Achiezer filij Hammiſaddai. |
| Die vndecimo princeps filiorum Aſer, Phegiel filius Ochran: | 72 | 72 | Die vndecima princeps filiorum Aſer Paghiel filius Hochran: |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: | 73 | 73 | Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum põdus eius, phiala vna argentea ſeptuaginta ſiclorum ſecundum ſiclum Sanctitatis, amba ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem: |
| Mortariolum appendens decem ſiclos aureos plenum incenſo: | 74 | 74 | Cochleare vnum decem aureorum plenum ſuffitu: |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 75 | 75 | Iuuencus vnus filius bouis aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum: |
| Hircumque pro peccato: | 76 | 76 | Hircus caprarum vnus pro peccato: |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hęc fuit oblatio Phegiel filij Ochran. | 77 | 77 | Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Paghiel filij Hochran. |
| Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan: | 78 | 78 | Die duodecima princeps filiorum Naphthali Achirah filius Henan: |
| Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum ſimila oleo conſperſa in ſacrificium: | 79 | 79 | Oblatio eius fuit ſcutella argentea vna, triginta, & centum pondus eius, phiala vna argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum Sanctitatis amba ipſa plena ſimila permixta oleo in oblationem: |
| Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: | 80 | 80 | Cochleare vnum decem aureorum, plenum ſuffitu: |
| Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: | 81 | 81 | Iuuencus vnus filius bouis, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum: |
| Hircumque pro peccato: | 82 | 82 | Hircus caprarum vnus pro peccato: |
| Et in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filij Enan. | 83 | 83 | Et pro ſacrificio pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc eſt oblatio Achirah filij Henan. |
| Hæc in dedicatione altaris oblata ſunt à principibus Iſrael, in die qua conſecratum eſt. Acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim: | 84 | 84 | Hæc eſt dedicatio altaris, in die qua vnctum fuit à principibus Iſrael. Scutellæ argenteæ duodecim: phialæ argenteæ duodecim: cochlearia aurea duodecim: |
| Ita vt centum triginta ſiclos argenti haberet vnum acetabulum, & ſeptuaginta ſiclos haberet vna phiala: id eſt, in commune vaſorum omnium ex argẽto ſicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarij. | 85 | 85 | Triginta, & centum, ſcutella vna argentea, & ſeptuaginta, phiala vna: omne argentum vaſorum duo millia, & quadringenti ſicli, ſecundum ſiclum Sanctitatis. |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

58 Et hircum ex capris vnum pro peccato:
59 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Gamaliel filij Phadaſſur.
60 Die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gadeoni:
61 Donum ſuum, patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium:
62 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:
63 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:
64 Et hircum ex capris vnum pro peccato:
65 Et in ſacrificiũ ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Abidan filij Gadeoni.
66 Die decima princeps filiorum Dan, Achiezer filius Amiſadæ:
67 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraq; plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium:
68 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:
69 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:
70 Et hircum ex capris vnum pro peccato:
71 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Achiezer filij Amiſadæ.
72 Die vndecima princeps filiorum Aſer, Phageel filius Echran:
73 Donum ſuum patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraque plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium:
74 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:
75 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:
76 Et hircum ex capris vnum pro peccato:
77 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Phageel filij Echran.
78 Die duodecima princeps filiorum Nephthali, Achire filius Ænan:
79 Munus ſuum, patellam argenteam vnam, triginta, & centum pondus eius, phialam vnam argenteam ſeptuaginta ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum, vtraq; plena ſimilæ refectæ in oleo ad ſacrificium:
80 Mortariolum vnum decem aureorum plenum incenſi:
81 Vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:
82 Et hircum ex capris vnum pro peccato:
83 Et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinque. Hoc eſt donum Achire filij Ænan.
84 Hæc eſt dedicatio altaris qua die vnxit illud, à principibus filiorum Iſrael. Patellæ argenteæ duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim:
85 Triginta, & centum ſiclorum patella vna, & ſeptuaginta ſiclorum phiala vna: omne argentum vaſorum bis mille, & quadringenti ſicli, ſicli in ſiclo Sancto.

Mor-

## Chald. Paraph. Tranſl.

58 *Hircum de capris vnum pro peccato:*
59 *Et in hoſtiam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Gamaliel filij Phadaſur.*
60 *In die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeonis:*
61 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum appendens centum, & triginta ſiclos, phialam vnam argenteam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere:*
62 *Mortariolum vnum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo aromatum:*
63 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum:*
64 *Hircum de capris vnum pro peccato:*
65 *Et in ſacrificio ſanctificationum obtulit boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Abidan filij Gedeonis.*
66 *In die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Amiſaddai:*
67 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum, centum, & triginta ſiclos appendebat, phialã vnã argẽteã appẽdentẽ ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sãctuarij, ambo plena ſimila cõſperſa oleo ꝑ munere:*
68 *Mortariolum vnum aureũ appendens decem ſiclos plenum incenſo aromatum:*
69 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:*
70 *Hircum vnum de capris pro peccato:*
71 *Et in victimam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Ahiezer filij Amiſaddai.*
72 *In die vndecimo princeps filiorum Aſer, Phegiel filius Ochran:*
73 *Obtulit oblationẽ ſuam acetabulũ argenteũ vnũ appendens centũ, & triginta ſiclos, phialã vnã argẽteã appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere:*
74 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri plenum incenſo aromatum:*
75 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtum:*
76 *Hircum vnum de capris pro peccato:*
77 *Et in hoſtiam ſanctificationum, boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Phegiel filij Ochran.*
78 *In die duodecimo princeps filiorum Neptalim, Ahira filius Enan:*
79 *Obtulit oblationem ſuam acetabulum argenteum vnum appendens centum, & triginta ſiclos, phialam argenteam vnam appendentem ſeptuaginta ſiclos in ſiclis Sanctuarij, ambo plena ſimila conſperſa oleo pro munere:*
80 *Mortariolum vnum appendens decem ſiclos auri, plenum incenſo aromatum:*
81 *Vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum anniculum vnum in holocauſtum:*
82 *Hircum de capris vnum pro peccato:*
83 *Et in hoſtiam ſanctificationum boues duos, arietes quinque, hædos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Ahira filij Enan.*
84 *Iſta eſt dedicatio altaris in die qua vnxerunt illud, à principibus Iſrael. Oblata ſunt acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim:*
85 *Centum, & triginta ſiclos argenti appendebat acetabulum vnum, & ſeptuaginta appendebat phiala vna: omne argentum vaſorum, duo millia, & quadringenti ſicli in ſiclis Sanctuarij.*

Mor-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Mortariola aurea duodecim plena incenſo denos ſiclos appendentia pondere Sanctuarij: id eſt, ſimul auri ſicli centum viginti : | 86 | 86 | *Cochlearia aurea duodecim, plena ſuffitu, decem decem cochlearia, ſecundum pondus Sanctitatis: omne aurum cochleariorum viginti, & centum :* |
| Boues de armento in holocauſtum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato . | 87 | 87 | *Omnis bouis in holocauſtum duodecim iuuenci, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & oblatio eorum: & hirci caprarum duodecim pro peccato .* |
| In hoſtias pacificorum, boues viginti quattuor, arietes ſexaginta, hirci ſexaginta, agni anniculi ſexaginta . Hæc oblata ſunt in dedicatione altaris, quando vnctum eſt . | 88 | 88 | *Et omnes boues ſacrificij pacificorum viginti, & quattuor iuuenci, arietes ſexaginta, hirci ſexaginta, agni anniculi ſexaginta . Hæc eſt dedicatio altaris, poſtquam unctum fuit .* |
| Cumque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis, vt conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei . | 89 | 89 | *Et quando ingrediebatur Moſeh in tabernaculum eccleſiæ, vt loqueretur ſecum audiebat vocem loquentis ad ſe è propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim, & loquebatur ei .* |
| CAP. VIII. | | | *CAP. VIII.* |
| LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens : | 1 | 1 | *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo :* |
| Loquere Aaron, & dices ad eum : Cum poſueris ſeptem lucernas, candelabrum in auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe, vt lucernæ contra boream è regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis, contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt . | 2 | 2 | *Loquere ad Aharon, & dices ad eum : Quando accendere facies lucernas contra faciem candelabri, lucere facient ſeptem lucernas .* |
| Fecitque Aaron, & impoſuit lucernas ſuper candelabrum, vt præceperat Dominus Moyſi . | 3 | 3 | *Et fecit ſic Aharon, contra faciem candelabri accendere fecit lucernas eius, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh .* |
| Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius ſtipes, quàm cuncta, quæ ex vtroque calamorum latere naſcebantur : iuxta exemplum, quod oſtendit Dominus Moyſi, ita operatus eſt candelabrum . | 4 | 4 | *Et hoc eſt opus candelabri, ductile aureum vſque ad pedes eius, vſque ad florem eius ductile erit : ſecundum aſpectum, quem videre fecit Dominus ipſum Moſeh, ſic fecit candelabrum .* |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens : | 5 | 5 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo :* |
| Tolle Leuitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos : | 6 | 6 | *Cape Leuitas è medio filiorum Iſrael, & purificabis eos :* |
| Iuxta hunc ritum : Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque lauerint veſtimenta ſua, & mundati fuerint : | 7 | 7 | *Et ſic facies eis ad purificandum eos: Sparge ſuper eos aquam purificationis, & tranſire faciant nouaculam ſuper omnem carnem ſuam . Et lauent veſtimenta ſua, & purificabunt ſe :* |
| Tollent bouem de armentis, & libamentum eius ſimilam oleo conſperſam: bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato : | 8 | 8 | *Et capient iuuencum filium bouis, & oblationẽ eius ſimilam permixtam oleo : & iuuencum alterum filium bouis, capietis pro peccato :* |
| Et applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorum Iſrael . | 9 | 9 | *Et appropinquare facies Leuitas coram tabernaculo eccleſiæ, & congregare facies omnem cœtum filiorum Iſrael .* |
| Cumque Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Iſrael manus ſuas ſuper eos . | 10 | 10 | *Et appropinquare facies Leuitas coram Domino, & coniungent filij Iſrael manus ſuas ſuper Leuitas.* |
| Et offeret Aaron Leuitas, munus in conſpectu Domini à filijs Iſrael, vt ſeruiant in miniſterio eius . | 11 | 11 | *Et eleuare faciet Aharon Leuitas eleuationem coram Domino à filijs Iſrael, & erunt ad faciendum opus Domini .* |
| Leuitæ quoque ponent manus ſuas ſuper capita boum, e quibus vnum facies pro peccato, & alterũ in holocauſtum Domini, vt depreceris pro eis . | 12 | 12 | *Et Leuitæ coniungent manus ſuas ſuper caput iuuencorum, & fac vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum Domino ad expiandum Leuitas .* |
| Statueſque Leuitas in conſpectu Aaron, & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino : | 13 | 13 | *Et ſtare facies Leuitas coram Aharon, & coram filijs eius, & eleuare facies eos eleuationem Domino :* |
| Ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael, vt ſint mei . | 14 | 14 | *Et diuidere facies Leuitas è medio filiorum Iſrael, & erunt mei Leuitæ .* |
| Et poſtea ingredientur tabernaculum fœderis, vt ſeruiant mihi. Sicque purificabis, & conſecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati ſunt mihi à filijs Iſrael . | 15 | 15 | *Et poſtea venient Leuitæ ad operandum in tabernaculo eccleſiæ. Et purificabis eos, & eleuare facies eos eleuationem: quia dati dati ſunt mihi è medio filiorum Iſrael .* |
| *Sup. 3. 13. Exo. 13. 2. Luc. 2. 23.* * Pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Iſrael, accepi eos . | 16 | 16 | *Pro aperiente omnem vuluam, pro primogenito omnium filiorum Iſrael, accepi eos mihi .* |
| Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus, quàm ex iumentis. Ex die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui eos mihi : | 17 | 17 | *Quia meus eſt omnis primogenitus in filijs Iſrael, tam hominis, quàm iumenti. In die qua percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui eos mihi :* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

86 Mortariola aurea duodecim plena incenſi: omne aurum mortariolorum, viginti, & centum aurei:

87 Omnes boues, quæ in holocauſtoſim, vituli duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & ſacrificia eorum, & libamina eorum: & hirci ex capris duodecim pro peccato.

88 Omnes boues in ſacrificium ſalutaris, vitulæ viginti quattuor, arietes ſexaginta, hirci ſexaginta anniculi, agnæ ſexaginta anniculæ immaculatæ. Hæc eſt dedicatio altaris, poſtquam impleuit manus ſuas, & poſtquam vnxit eum.

89 In ingrediendo Moyſes in tabernaculum teſtimonij ad loquendum ei, & audiebat vocem Domini loquentis ad ſe deſuper propitiatorio, quod eſt ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim, & loquebatur ad eum.

### C A P. VIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere ad Aaron, & dices ad eum: Cum impoſueris lucernas, à parte ſecundum faciem candelabri lucebunt ſeptem lucernæ.

3 Et fecit ſic Aaron, ab vna parte ſecundum faciem candelabri accendit lucernas eius, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

4 Et hæc eſt ſtructura candelabri, ſolidum aureum, ſtipes eius, & lilia eius, ſolidum totum, ſecundum ſpeciem, quam oſtendit Dominus Moyſi, ſic fecit candelabrum.

5 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

6 Sume Leuitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos:

7 Et ſic facies eis purificationem eorum: Aſperges eos aqua purificationis, & ſuperueniet nouacula ſuper omne corpus eorum. Et lauabunt veſtimenta ſua, & mundi erunt:

8 Et ſument vitulum vnum ex bobus, & huius ſacrificium ſimilam reſectam in oleo: & vitulum anniculum, ex bobus ſume pro peccato:

9 Et adduces Leuitas ante tabernaculum teſtimonij, & congregabis omnem ſynagogam filiorum Iſrael.

10 Et adduces Leuitas ante Dominum, & imponent filij Iſrael manus ſuas ſuper Leuitas.

11 Et ſegregabit Aaron Leuitas, munus ante Dominum à filijs Iſrael, & erunt, vt operentur opera Domini.

12 Leuitæ autem imponent manus ſuper capita vitulorum, & facies vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum Domino ad exorandum pro eis.

13 Et ſtatues Leuitas ante Dominum, & ante Aaron, & ante filios eius, & donabis illos donum ante Dominum:

14 Et diſtingues Leuitas de medio filiorum Iſrael, & erunt mihi.

15 Et poſt hæc ingredientur Leuitæ ad operandū opera tabernaculi teſtimonij. Et mundabis eos, & donabis eos ante Dominum: quoniam donum, donati hi mihi ſunt de medio filiorum Iſrael.

16 Pro adaperientibus omnem vuluam primogenitis omnibus ſumpſi eos mihi.

17 Quoniam mihi omne primogenitum in filijs Iſrael ab hominibus vſque ad pecus. Qua die percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui eos mihi:

## Chald. Paraph. Tranſl.

86 *Mortariola aurea duodecim plena incenſo aromatum, vnumquodque mortariolum appendebat decē ſiclos auri in ſiclis Sanctuarij: omne aurum mortariolorum fuit centum, & viginti ſicli:*

87 *Omnes boues in holocauſtum fuerunt duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & munera eorum: & hirci caprarum duodecim pro peccato.*

88 *Omneſque boues in hoſtiam ſanctificationum viginti, & quattuor boues fuerunt, arietes ſexaginta, hœdi ſexaginta, agni anniculi ſexaginta. Hæc eſt dedicatio altaris, poſtquam vnxerunt illud.*

89 *Cumque ingrederetur Moyſes in tabernaculum fœderis ad loquendum cum eo, audiebat vocē loquentis ſecum deſuper propitiatorio, quod eſt ſuper arcam teſtimonij, loquebaturque cum eo de medio duorum Cherubim.*

### C A P. VIII.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Loquere cum Aaron, & dices ad eum: Cùm accenderis lucernas, contra faciem candelabri lucebunt ſeptem lucernæ.*

3 *Fecitque ita Aaron, contra faciem candelabri accendit lucernas, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

4 *Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili ab haſtili eius vſque ad lilium eius erat ductile: iuxta viſionem, quam oſtendit Dominus Moyſi, ita fecit candelabrum.*

5 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

6 *Applica Leuitas de medio filiorum Iſrael, & mundabis eos:*

7 *Et ita facies eis, vt mundentur: Aſperge ſuper eos aquam luſtrationis, & tranſire facient nouaculam ſuper omnem carnem ſuam. Et lauabunt veſtimenta ſua, & mundi erunt:*

8 *Tollentque vitulum de bobus, & munus eius erit ſimila conſperſa oleo: bouem autem ſecundum tolles de bobus pro peccato:*

9 *Applicabiſque Leuitas coram tabernaculo fœderis, & congregabis omnem cœtum filiorum Iſrael.*

10 *Et applicabis Leuitas coram Domino, & imponent filij Iſrael manus ſuas ſuper Leuitas.*

11 *Eleuabitque Aaron Leuitas eleuatione coram Domino à filijs Iſrael, & erunt miniſtrantes miniſterium Domini.*

12 *Leuitæ autem imponent manus ſuas ſuper caput boum, & fac vnum pro peccato, & vnum in holocauſtum coram Domino ad propitiandum ſuper Leuitas.*

13 *Statueſque Leuitas in conſpectu Aaron, & in conſpectu filiorum eius, & eleuabis eos eleuatione in conſpectu Domini:*

14 *Et ſeparabis Leuitas de medio filiorum Iſrael, vt ſint miniſtrantes Leuitæ coram me.*

15 *Et poſtea ingredientur Leuitæ, vt miniſtrent in tabernaculo fœderis. Et unges eos, & eleuabis eos eleuatione: quoniam ſeparatione ſeparati ſunt mihi de medio filiorum Iſrael.*

16 *Pro omni primogenito aperiente omnem vuluam de filijs Iſrael, applicaui eos ad cultum meum.*

17 *Quia meum eſt omne primogenitum in filijs Iſrael, in hominibus, & in iumentis. In die quo interfeci omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui eos coram me:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Et tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum
Iſrael:
19 Tradidique eos dono Aaron, & filijs eius de medio
populi, vt ſeruiant mihi pro Iſrael in tabernaculo
fœderis, & orent pro eis ne ſit in populo plaga, ſi au-
ſi fuerint accedere ad Sanctuarium.
20 Feceruntque Moyſes, & Aaron, & omnis multitu-
do filiorum Iſrael ſuper Leuitis, quæ præceperat
Dominus Moyſi:
21 Purificatique ſunt, & lauerunt veſtimenta ſua. Ele-
uauitque eos Aaron in conſpectu Domini, & ora-
uit pro eis:
22 Vt purificati ingrederentur ad officia ſua in taber-
naculum fœderis coram Aaron, & filijs eius. Sicut
præceperat Dominus Moyſi de Leuitis, ita factum
eſt.
23 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
24 Hæc eſt lex Leuitarum: A viginti quinque annis, &
ſupra, ingredientur, vt miniſtrent in tabernaculo fœ-
deris.
25 Cumque quinquageſimum annum ætatis impleue-
rint, ſeruire ceſſabunt:
26 Eruntq; miniſtri fratrũ ſuorũ in tabernaculo fœde-
ris, vt cuſtodiãt, quæ ſibi fuerint cõmẽdata, opera aũt
ipſa nõ faciãt. Sic diſpones Leuitis in cuſtodijs ſuis.

### CAP. IX.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Si-
nai anno ſecundo, poſtquam egreſſi ſunt de ter
ra Ægypti, menſe primo, dicens:
2 * Faciant filij Iſrael Phaſe in tempore ſuo:
3 Quartadecima die menſis huius ad veſperam, iuxta
omnes ceremonias, & iuſtificationes eius.
4 Præcepitque Moyſes filijs Iſrael, vt facerent Pha-
ſe.
5 Qui fecerunt tempore ſuo: quartadecima die mẽ-
ſis ad veſperam in monte Sinai. Iuxta omnia, quæ
mandauerat Dominus Moyſi, fecerunt filij Iſrael.
6 Ecce autem quidam immundi ſuper anima homi-
nis, qui non poterant facere Phaſe in die illo, acce-
dentes ad Moyſen, & Aaron:
7 Dixerunt eis: Immundi ſumus ſuper anima homi-
nis: quare fraudamur, vt non valeamus oblationem
offerre Domino in tempore ſuo inter filios Iſ-
rael?
8 Quibus reſpondit Moyſes: State, vt conſulam quid
præcipiat Dominus de vobis.
9 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
10 Loquere filijs Iſrael: Homo, qui fuerit immundus
ſuper anima, ſiue in via procul in gente veſtra, fa-
ciat Phaſe Domino.
11 In menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſ-
peram: cum azymis, & lactucis agreſtibus come-
dent illud:
12 Non relinquẽt ex eo quippiã vſq; manè, * & os eius
non confringent, omnem ritum Phaſe obſeruabũt.
13 Si quis autem, & mundus eſt, & in itinere non fuit,
& tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa
de populis ſuis, quia ſacrificium Domino, non ob-
tulit tempore ſuo: peccatum ſuum ipſe porta-
bit.
14 Peregrinus quoque, & aduena ſi fuerint apud vos,
facient Phaſe Domino iuxta ceremonias, & iuſtifi-
cationes eius. Præceptum idem erit apud vos, tam
aduenæ, quàm indigenæ.

* Exo. 12. 2.
* Exo. 12. 46. Ioã. 19. 37.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et cepi Leuitas pro omni primogenito in filijs Iſ-
rael:*
19 *Et dedi Leuitas datos Aharon, & filijs eius è medio
filiorum Iſrael, vt faciant opus filiorum Iſrael in ta-
bernaculo eccleſiæ, & ad expiandum filios Iſrael, &
non erit in filijs Iſrael plaga, cum acceſſerint filij Iſ-
rael ad Sanctitatem.*
20 *Et fecit Moſeh, & Aharon, & omnis congregatio fi-
liorum Iſrael Leuitis, ſecundum omnia, quæ præcepit
Dominus Moſeh Leuitis ſic fecerunt eis filij Iſrael:*
21 *Et purificauerunt ſe Leuitæ, & lauerunt veſtimenta
ſua. Et eleuare fecit Aharon eos eleuationem coram
Domino, & expiauit eos Aharon:*
22 *Vt purificaret eos, & poſtea venerunt Leuitæ ad fa-
ciendum opus ſuum in tabernaculo eccleſiæ corã Aha-
ron, & coram filijs eius. Quemadmodum præcepit
Dominus Moſeh ſuper Leuitis ſic fecerunt eis.*
23 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
24 *Hoc eſt, quod eſt pro Leuitis: A filio quinque, & vi-
ginti annorum, & ſupra ingredientur ad militandum
militiam in opere tabernaculi eccleſiæ.*
25 *Et à filio quinquaginta annorum, reuertetur à mili-
tia operis, & non operabitur vltra:*
26 *Et miniſtrabit cum fratribus ſuis in tabernaculo ec-
cleſiæ ad cuſtodiendum cuſtodiam, & opus non faciet.
Sic facies Leuitis in cuſtodijs eorum.*

### CAP. IX.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh in deſerto Si-
nai anno ſecundo, quo egreſſi ſunt è terra Ægyp-
ti menſe primo, dicendo:*
2 *Et facient filij Iſrael Peſach in tempore ſuo:*
3 *Quartadecima die in menſe iſto inter veſperas, fa-
cietis illud in tempore ſuo, ſecundum omnia ſtatuta
eius, & ſecundum omnes normas eius facietis illud.*
4 *Et locutus eſt Moſeh ad filios Iſrael, vt facerent Pe-
ſach.*
5 *Et fecerunt Peſach in primo: quartadecima die mẽ-
ſis inter veſperas in deſerto Sinai. Secundum omnia,
quæ præcepit Dominus Moſeh ſic fecerũt filij Iſrael.*
6 *Et erant homines, qui erant immundi ſuper animam
hominis, & non potuerunt facere Peſach in die ipſa,
& appropinquauerunt coram Moſeh, & coram Aha-
ron in die ipſa:*
7 *Et dixerunt homines ipſi ad eum: Nos immundi ſu-
mus ſuper animam hominis: vt quid prohibemur, vt
non offeramus oblationem Domino in tempore ſuo in
medio filiorum Iſrael?*
8 *Et dixit ad eos Moſeh: State, & audiam quid præci-
piat Dominus pro vobis.*
9 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
10 *Loquere ad filios Iſrael, dicendo: Quicunque fuerit
immundus ſuper animam, vel in via longinqua ex
vobis, vel ex generationibus veſtris faciet Peſach
Domino.*
11 *Menſe ſecundo, quartadecima die inter veſperas fa-
cient illud: cum infermentatis, & amaritudinibus
comedent illud:*
12 *Nõ remanere facient ex eo vſq; manè, & os nõ cõfrin-
gent in eo, ſecundũ omne ſtatutũ Peſach facient illud.*
13 *Et vir, qui eſt mundus, & in via non fuerit, & ceſ-
ſauerit, vt faciat Peſach, excidetur anima ipſa è po-
pulis ſuis, quia oblationem Domini, non obtulit in
tempore ſuo: pœnam peccati ſui portabit vir ip-
ſe.*
14 *Et ſi peregrinatus fuerit vobiſcum peregrinus, & fe-
cerit Peſach Domino, ſecundum ſtatutum Peſach, &
ſecundum normam eius ſic faciet. Statutum vnum
erit vobis, & peregrino, & ciui terræ.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

18 Et ſumpſi Leuitas pro omni primogenito in filijs
Iſrael:
19 Et donaui Leuitas donum, donatos Aaron, & filijs
eius de medio filiorum Iſrael ad operandum ope-
ra filiorum Iſrael in tabernaculo teſtimonij, & pro-
pitiandum pro filijs Iſrael, & non erit in filijs Iſrael
accedens ad Sancta.
20 Et fecit Moyſes & Aaron, & omnis ſynagoga filiorũ
Iſrael Leuitis, ſecundum, quæ præcepit Dominus
Moyſi de Leuitis, ita fecerunt eis filij Iſrael:
21 Et purificati ſunt Leuitæ, & lauerunt veſtimenta.
Et donauit eos Aaron donum ante Dominum, &
exorauit pro eis Aaron:
22 Ad purificandos eos, & poſt hæc intrarunt Leuitæ
ad miniſtrandum miniſterium ſuum in tabernacu-
lo teſtimonij ante Aaron, & ante filios eius. Sicut
præcepit Dominus Moyſi de Leuitis, ſic fecerũt eis.
23 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
24 Hoc eſt, quod de Leuitis: A quinto, & vigeſimo an-
no, & ſupra introibunt operari in tabernaculo teſti-
monij.
25 Et à quinquagenario recedet à miniſtratione, &
non operabitur vltra:
26 Et miniſtrabit frater eius, in tabernaculo teſtimonij
cuſtodire cuſtodias, opera autem non operabitur.
Sic facies Leuitis in cuſtodijs eorum.

### CAP. IX.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto
Sina in anno ſecundo egreſſis ipſis de terra Æ-
gypti in menſe primo, dicens:
2 Dic & faciant filij Iſrael Paſcha, iuxta tempus eius:
3 Quarta, & decima die menſis primi ad veſperam, fa-
cies illud ſecundum tempora, ſecundum legẽ eius,
& ſecundum conſtitutionem eius facies illud.
4 Et locutus eſt Moyſes filijs Iſrael, vt facerent Paſ-
cha.
5 Incipiente quarta, & decima die menſis in deſerto
Sina. Sicut præcepit Dominus Moyſi, ita fecerunt
filij Iſrael.
6 Et aſtuerunt viri, qui erant immundi ſuper animã
hominis, & non poterant facere Paſcha in die illa,
& acceſſerunt ante Moyſen, & Aaron in die illa:
7 Et dixerunt viri illi ad eum: Nos immundi ſuper
animam hominis: nunquid igitur fraudandi erimus
offerre donum Domino, iuxta tempus ſuum in me-
dio filiorum Iſrael?
8 Et dixit ad eos Moyſes: State iſtic, & audiam quid
præcipiet Dominus de vobis.
9 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
10 Loquere filijs Iſrael, dicens: Homo, homo, quicum-
que fuerit immundus ſuper animam hominis, vel
in via longe à vobis, vel in generationibus veſtris, &
faciet Paſcha Domino.
11 In menſe ſecundo in quarta, & decima die, ad veſ-
peram facient illud: ſuper azyma, & picridas come-
dent illud:
12 Non relinquent de eo in mane, & os non confrin-
gent de eo, ſm legem ipſius Paſcha facient illud.
13 Et homo quicumque mundus fuerit, & in via lon-
ge non eſt, & defuerit facere Paſcha, exterminabi-
tur anima illa de populo ſuo, quia donum Domino
non obtulit, iuxta tempus eius: peccatum ſuum ac-
cipiet homo ille.
14 Si autem acceſſerit ad vos proſelytus in terra veſ-
tra, & fecerit Paſcha Domino, ſecundum legem ip-
ſius Paſcha, & ſm conſtitutionem eius faciet illud.
Lex vna erit vobis, & proſelyto, & indigenæ terræ.

## Chald. Paraph. Tranſl.

18 *Applicauitque Leuitas pro omni primogenito filio-
rum Iſrael:*
19 *Dedique Leuitas datos dono Aaron, & filijs eius de
medio filiorum Iſrael, vt ſeruiant pro filijs Iſrael in
tabernaculo fœderis ad propitiandum pro filijs Iſ-
rael, vt non ſit in filijs Iſrael mors, cùm acceſſerint
ad Sanctuarium.*
20 *Fecitq; Moyſes, & Aaron, & omnis congregatio filio-
rũ Iſrael ſuper Leuitis, iuxta omnia, quæ præceperat
Dominus Moyſi de Leuitis, ita fecerũt eis filij Iſrael:*
21 *Et mundati ſunt Leuitæ, & lauauerunt veſtimenta
ſua. Et eleuauit eos Aaron eleuatione coram Domi-
no, & expiauit eos Aaron, vt emundarentur:*
22 *Et poſtea ingreſſi ſunt Leuitæ ad miniſtrandum mi-
niſterium ſuum in tabernaculo fœderis coram Aa-
ron, & coram filijs eius. Sicut præceperat Dominus
Moyſi ſuper Leuitas, ita fecerunt eis.*
23 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
24 *Iſta eſt lex Leuitarum: A viginti quinque annis,
& ſupra ingredientur, vt per turmas ſuas ſeruiant
in tabernaculo fœderis.*
25 *Et à quinquaginta annis reuertentur ab exercitu
miniſtrantium, & non ſeruient amplius:*
26 *Miniſtrabuntque cum fratribus ſuis in tabernaculo
fœderis, vt cuſtodiant cuſtodiam, & ſeruitute non
ſeruiant. Ita facies Leuitis in cuſtodijs ſuis.*

### CAP. IX.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe in deſerto
Sinai in anno ſecundo egreſſionis eorum de terra
Ægypti in menſe primo, dicens:*
2 *Faciant filij Iſrael Phaſe in tempore ſuo:*
3 *In quartadecima die menſis huius ad veſperam fa-
cietis illud in tempore ſuo, iuxta omnem ritũ ſuum,
& iuxta omnia, quæ ei pertinent facietis illud.*
4 *Locutuſque eſt Moyſes cum filijs Iſrael, vt facerent
Phaſe.*
5 *Feceruntq; Phaſe in menſe Niſan: in quartadecima
die menſis ad veſperã in deſerto Sinai. Iuxta omnia,
q̃ præceperat Dominus Moyſi, ita fecerũt filij Iſrael.*
6 *Fueruntque quidam viri, qui erant immundi pro
immunditia animæ hominis, & non potuerunt facere
Phaſe in die illo, acceſſeruntque in conſpectũ Moy-
ſi, & in conſpectum Aaron in die illo:*
7 *Atque dixerunt ei viri illi: Nos ſumus immundi pol-
lutione animæ hominis: quare prohibemur, vt non
offeramus oblationem Domini in tempore ſuo in me-
dio filiorum Iſrael?*
8 *Dixitque eis Moyſes: Expectate donec audiam quid
præcipiat Dominus ſuper re veſtra.*
9 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
10 *Loquere cum filijs Iſrael, dicens: Vir, vir ex vobis,
aut de generationibus veſtris, qui fuerit immundus
pollutione animæ hominis, aut in via longinqua, fa-
ciet Phaſe coram Domino.*
11 *In menſe ſecundo, in quartadecima die menſis ad
veſperam facient illud: cum azymis, & herbis ama-
ris comedent illud:*
12 *Non relinquent ex eo vſque manè, & os non confrin-
gent in eo, iuxta omnem ritum Phaſe facient illud.*
13 *Vir autem, qui fuerit mundus, & in itinere non fue-
rit, & deſierit facere Phaſe, exterminabitur homo
ille de populo ſuo, quia oblationem Domini, non ob-
tulit in tempore ſuo: peccatum ſuum ſuſcipiet vir
ille.*
14 *Et quando peregrinatus fuerit apud vos peregrinus,
& fecerit Phaſe coram Domino, iuxta ritum Phaſe,
& ſicut ei pertinet, ita faciet. Præceptum vnum erit
vobis, & peregrinis, atque indigenis terræ.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Exo. 40. 34.

15 *Igitur die qua erectum eſt tabernaculum, operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis vſque mane.

16 Sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis.

17 Cumque ablata fuiſſet nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiſcebantur filij Iſrael: & in loco vbi ſtetiſſet nubes, ibi caſtrametabantur.

* 1. Cor. 10. 1.

18 Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. * Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper tabernaculum, manebant in eodem loco:

19 Et ſi eueniſſet, vt multo tempore maneret ſuper illud, erant filij Iſrael in excubijs Domini, & nõ proficiſcebantur.

20 Quot diebus fuiſſet nubes ſuper tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant.

21 Si fuiſſet nubes à veſpere vſq; mane, & ſtatim diluculo tabernaculũ reliquiſſet, pficiſcebãtur: & ſi poſt diem, & noctem receſſiſſet, diſſipabant tentoria.

22 Si vero biduo, aut vno menſe, vel longiori tempore fuiſſet ſuper tabernaculum, manebant filij Iſrael in eodem loco, & non proficiſcebantur: ſtatim autem, vt receſſiſſet, mouebant caſtra.

23 Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur: erantque in excubijs Domini, iuxta imperium eius per manum Moyſi.

### CAP. X.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem, quando mouenda ſunt caſtra.

3 Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis.

4 Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael.

5 Si aũt prolixior, atq; cõciſus clãgor increpuerit, mouebunt caſtra primi, qui ſunt ad Orientalẽ plagam.

6 In ſecundo autem ſonitu, & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria, qui habitant ad Meridiem. Et iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profectionem.

7 Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſe vlulabunt.

8 Filij aũt Aarõ ſacerdotes clãgẽt tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris.

9 Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant aduerſum vos, clangetis vlulãtibus tubis, & erit recordatio veſtri corã Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorũ.

10 Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & Calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri. Ego Dominus Deus veſter.

11 Anno ſecundo, menſe ſecundo, vigeſima die menſis eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis:

12 Profectique ſunt filij Iſrael per turmas ſuas de deſerto Sinai, & recubuit nubes in ſolitudine Pharan.

13 Moueruntque caſtra primi, iuxta imperium Domini in manu Moyſi.

* Sup. 1. 7.

14 * Filij Iuda per turmas ſuas: quorum princeps erat Nahaſſon filius Aminadab.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et in die qua erexit tabernaculũ, operuit nubes tabernaculũ ſuper tectũ teſtimonij. Et in veſpera erat ſuper tabernaculũ, ſicut aſpectus ignis vſque manè.*

16 *Sic erat ſemper: nubes operiebat illud, & aſpectus ignis nocte.*

17 *Et quando diſcedebat nubes à tabernaculo, poſtea proficiſcebantur filij Iſrael: & in loco in quo manebat nubes, ibi caſtrametabantur filij Iſrael.*

18 *Iuxta ſermonem Domini proficiſcebantur filij Iſrael, & iuxta ſermonem Domini caſtrametabantur. Omnibus diebus quibus habitabat nubes ſuper tabernaculum, caſtrametabantur:*

19 *Et quando prolongare faciebat nubem ſuper tabernaculum diebus multis, cuſtodiebant filij Iſrael cuſtodiam Domini, & non proficiſcebantur.*

20 *Et erat quando erat nubes diebus numeri ſuper tabernaculum. Ad ſermonem Domini caſtrametabantur, & ad ſermonem Domini proficiſcebantur.*

21 *Et erat quando erat nubes à veſpera vſq; manè diſcedebat nubes manè, & proficiſcebantur: vel die, & nocte, quando diſcedebat nubes proficiſcebantur.*

22 *Vel duobus diebus, vel menſe, vel anno, quando prolõgare faciebat nubem ſuper tabernaculũ, vt maneret ſuper illud, caſtrametabantur filij Iſrael, & nõ proficiſcebantur, & quando diſcedebat proficiſcebantur.*

23 *Iuxta ſermonem Domini caſtrametabantur & iuxta ſermonem Domini proficiſcebantur: cuſtodiam Domini ſeruabant, iuxta ſermonem Domini per manum Moſeh.*

### CAP. X.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles facies eas, & erunt tibi ad conuocationem cœtus, & ad proficiſcendum caſtra.*

3 *Et clangent eis, & conuenient ad te omnis cœtus ad oſtium tabernaculi eccleſiæ.*

4 *Et ſi vna clanxerint conuenient ad te principes capita millium Iſrael.*

5 *Et clangetis taratantara, & proficiſcentur caſtra caſtrametantium ad Orientem.*

6 *Et clangetis taratantara ſecundo, & proficiſcentur caſtra caſtrametantium ad Meridiem. Taratantara clangent in profectionibus ſuis.*

7 *Et quando congregare facietis congregationem, clãgetis, & non taratantarizabitis.*

8 *Et filij Aaron ſacerdotes clãgent tubis: & erũt vobis in ſtatutum perpetuum generationibus veſtris.*

9 *Et quando veneritis ad bellum in terra veſtra contra hoſtem obſidentem vos taratantarizabitis tubis, & memorabimini coram Domino Deo veſtro, & ſalui eritis ab inimicis veſtris.*

10 *Et in die lætitiæ veſtræ, & in ſolemnitatibus veſtris, & in capitibus menſis veſtri clangetis tubis, ſuper holocauſtis veſtris, & ſuper ſacrificijs pacificorũ veſtrorum & erunt vobis in memoriam coram Deo veſtro. Ego Dominus Deus veſter.*

11 *Et fuit anno ſecundo, in menſe ſecundo, in vigeſima, in menſe diſceſſit nubes à tabernaculo teſtimonij:*

12 *Et profecti ſunt filij Iſrael per profectiones ſuas è deſerto Sinai, & manſit nubes in deſerto Paran.*

13 *Et profecti ſunt primum, iuxta ſermonem Domini per manum Moſeh.*

14 *Et profectum eſt vexillum caſtrorum filiorum Iehudah primum: & ſuper exercitum eius erat Nachſon filius Hamminadab.*





UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

15 Et die qua ſtatutum eſt tabernaculũ,texit nubes tabernaculũ,domũ teſtimonij. Et veſpere erat ſuper tabernaculum velut ſpecies ignis vſque mane.

16 Ita fiebat ſemper: nubes tegebat illud die,& ſpecies ignis nocte.

17 Et cum aſcendiſſet nubes à tabernaculo, & poſtea promouebant filij Iſrael: & in loco vbicumque ſteterat nubes,ibi caſtra collocabant filij Iſrael.

18 Per præceptum Domini caſtra collocabunt filij Iſrael,& per præceptum Domini promouebunt. Omnes dies, in quibus obumbrat nubes ſuper tabernaculum,in caſtris erunt filij Iſrael:

19 Et quando protraxerit nubes ſuper tabernaculum dies plures,& cuſtodient filij Iſrael cuſtodiam Dei, & non promouebunt.

20 Et erit cum texerit nubes dies numero ſuper tabernaculum. Per vocem Domini in caſtris erunt,& per præceptum Domini promouebunt.

21 Et erit, cum fuerit nubes à veſpera vſque ad mane, & aſcenderit nubes mane, & promouebunt die, vel nocte.

22 Menſe diei, abundante nube obumbrante ſuper illud, in caſtris erunt filij Iſrael, non promouebunt.

23 Quoniam per præceptum Domini promouebunt: cuſtodiam Domini cuſtodierunt, per præceptum Domini in manu Moyſi.

### CAP. X.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles facies eas,& erunt tibi ad reuocandam ſynagogam,& promouenda caſtra.

3 Et clangens in illis, & congregabitur omnis ſynagoga ad oſtium tabernaculi teſtimonij.

4 Si autem in vna clangent, accedent ad te omnes principes Duces Iſrael.

5 Et clangetis ſignificationem,& promouebunt caſtra applicantia ad Orientem.

6 Et clangetis ſignificationem ſecundam, & promouebunt caſtra applicantia ad Africum: Et clangetis ſignificationem tertiam, & promouebunt caſtra applicantia iuxta Mare. Et clangetis ſignificationem quartam, & promouebunt caſtra applicantia ad Aquilonẽ:ſignificatione clãgent in promotione eorũ.

7 Et quando congregabitis ſynagogam, clangetis, & non ſignificatione.

8 Et filij Aaron ſacerdotes clangent tubis: & erit vobis legitimum ſempiternum in progenies veſtras.

9 Si autem exibitis in bellum in terra veſtra erga aduerſarios, qui ſteterunt contra vos, & ſignificabitis tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino, & ſaluabimini de inimicis veſtris.

10 Et in diebus lætitiæ veſtræ,& in ſolemnitatibus veſtris, & in Neomenijs veſtris clangetis tubis ſuper holocauſtomata, & ſuper ſacrificia ſalutarium veſtrorum, & erit vobis rememoratio coram Deo veſtro.Ego Dominus Deus veſter.

11 Et factum eſt in anno ſecundo, in menſe ſecundo, vigeſima menſis aſcendit nubes à tabernaculo teſtimonij:

12 Et promouerunt filij Iſrael cum vaſis ſuis, in deſerto Sina,& ſtetit nubes in deſerto Pharan.

13 Et promouerunt primi per vocem Domini in manu Moyſi.

14 Et promouerunt ordo caſtrorum filiorũ Iuda primi cum virtute ſua, & ſuper virtutem eorum Naaſſon filius Aminadab.

## Chald. Paraph. Tranſl.

15 *In die autem qua erectum eſt tabernaculum, cooperuit nubes tabernaculum teſtimonij. Et in veſperè erat ſuper tabernaculũ quaſi viſio ignis vſq; manè.*

16 *Sic erat iugiter, nubes operiebat illud, & viſio ignis per noctem.*

17 *Et cùm eleuata fuiſſet nubes deſuper tabernaculũ, poſtea proficiſcebantur filij Iſrael: & in loco vbi manebat nubes,ibi manebant filij Iſrael.*

18 *Per verbum Domini proficiſcebantur filij Iſrael, & per verbum Domini caſtrametabantur. Cunctis diebus quibus manebat nubes ſuper tabernaculum,manebant illi:*

19 *Et quando longo tẽpore manebat nubes ſuper tabernaculũ,& diebus multis,cuſtodiebant filij Iſrael cuſtodiam verbi Domini,& non proficiſcebantur.*

20 *Et ſi erat nubes ſuper tabernaculum diebus paucis. Iuxta verbum Domini manebant, & iuxta verbum Domini proficiſcebantur.*

21 *Et aliquando erat nubes à veſperè vſque manè, & eleuabatur nubes manè,& proficiſcebantur: aut poſt diem,& noctẽ eleuabatur nubes,& proficiſcebantur.*

22 *Aut duobus diebus,vel vno menſe,aut longiori tempore, tanto tempore, quanto manebat nubes ſuper tabernaculum,manebant filij Iſrael, & non proficiſcebantur.*

23 *Et quando eleuabatur, proficiſcebantur, iuxta verbum Domini manebant, & iuxta verbum Domini proficiſcebantur: cuſtodiam verbi Domini cuſtodiebant,iuxta verbum Domini per manum Moyſi.*

### CAP. X.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*

2 *Fac tibi duas tubas, de argento ductiles facies eas,& erunt tibi ad conuocandam congregationem, & ad mouenda caſtra.*

3 *Et clangent cum eis, & conueniet ad te omnis congregatio ad oſtium tabernaculi fœderis.*

4 *Et ſi cum vna clangerint, conuenient ad te principes capita millium Iſrael.*

5 *Clangetiſque vlulatione,& mouebunt caſtra illi,qui ſunt ad Orientalem plagam.*

6 *Clangetiſque iterum vlulatione, & mouebunt caſtra illi, qui habitant ad Auſtralem plagam: vlulatione clangent in profectione ſua.*

7 *Et quando congreganda eſt eccleſia,clangetis,& non vlulabitis.*

8 *Filij autẽ Aaron ſacerdotes clãgẽt tubis: & erit vobis in legitimũ ſempiternũ in generationib' veſtris.*

9 *Et quando ingreſſi fueritis ad prœliandum in terra veſtra contra hoſtes,qui tribulant vos, clangetis tubis,vt veniat recordatio veſtri in bonum coram Domino Deo veſtro,vt eruamini de inimicis veſtris.*

10 *Et in die lætitiæ veſtræ,& in ſolemnitatibus veſtris, & in Kalendis veſtris clangetis tubis ſuper holocauſtis veſtris,& ſuper hoſtijs ſanctificationum veſtrarum, & erunt vobis in recordationem coram Deo veſtro.Ego Dominus Deus veſter.*

11 *Et factum eſt in anno ſecundo, in menſe ſecundo in viceſima die menſis eleuata eſt nubes deſuper tabernaculum teſtimonij:*

12 *Profectique ſunt filij Iſrael per manſiones ſuas à deſerto Sinai,& manſit nubes in deſerto Pharan.*

13 *Profectique ſunt primo, iuxta verbum Domini per manum Moyſi.*

14 *Diſceſſitque primo vexillum caſtrorum filiorum Iuda per turmas ſuas, & ſuper exercitum eius erat princeps Naaſſon filius Aminadab.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | In tribu filiorum Iſſachar fuit princeps Nathanael filius Suar. | 15 | 15 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Iſaſchar, erat Nethanel filius Suhar.* |
| | In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. | 16 | 16 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Zebulun, erat Eliab filius Chelon.* |
| | Depoſitumque eſt tabernaculum, quod portantes egreſſi ſunt filij Gerſon, & Merari. | 17 | 17 | *Et depoſitum eſt tabernaculum, & profecti ſunt filij Gherſon, & filij Merari portantes tabernaculum.* |
| | Profectiq; ſunt, & filij Ruben, per turmas, & ordinẽ ſuum: quorum princeps erat Heliſur filius Sedeur. | 18 | 18 | *Et profectũ eſt vexillũ caſtrorũ Reuben per exercitus ſuos: et ſuper exercitũ eius erat Eliſur filius Sedeur.* |
| | In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Suriſaddai. | 19 | 19 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Simhon erat Selumiel filius Suriſaddai.* |
| | Porro in tribu Gad erat princeps Eliaſaph filius Duel. | 20 | 20 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Ghad erat Eliaſaph filius Dehuel.* |
| | Profectique ſunt, & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. | 21 | 21 | *Et profecti ſunt Chohatitæ portantes Sanctuarium. Et ſtare fecerunt tabernaculum, donec venirent ipſi.* |
| | Mouerunt caſtra, & filij Ephraim per turmas ſuas, in quorum exercitu princeps erat Eliſama filius Ammiud. | 22 | 22 | *Et profectum eſt vexillum caſtrorum filiorum Ephraim per exercitus ſuos, & ſuper exercitum eius erat Eliſamah filius Hammihud.* |
| | In tribu autem filiorum Manaſſe princeps fuit Gamaliel filius Phadaſſur. | 23 | 23 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Menaſſeh erat Ghamliel filius Pedaſur.* |
| | Et in tribu Beniamin erat dux Abidan filius Gedeonis. | 24 | 24 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Biniamin, erat Abidan filius Ghidhoni.* |
| | Nouiſſimi caſtrorum omnium profecti ſunt filij Dan per turmas ſuas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammiſaddai. | 25 | 25 | *Et profectum eſt vexillum caſtrorum filiorum Dan congregans omnia caſtra per exercitus ſuos, & ſuper exercitum eius erat Achihezer filius Hammiſaddai.* |
| | In tribu autem filiorum Aſer erat princeps Phegiel filius Ochran. | 26 | 26 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Aſer erat Paghiel filius Hochran.* |
| | Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. | 27 | 27 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Naphthali, erat Achirah filius Henan.* |
| | Hæc ſunt caſtra, & profectiones filiorum Iſrael per turmas ſuas, quando egrediebantur. | 28 | 28 | *Iſta ſunt profectiones filiorum Iſrael per exercitus ſuos, & profecti ſunt.* |
| | Dixitque Moyſes Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato ſuo: Proficiſcimur ad locum, quem Dominus daturus eſt nobis: veni nobiſcum, vt benefaciamus tibi: quia Dominus bona promiſit Iſraeli. | 29 | 29 | *Et dixit Moſeh ad Chobab filium Rehuel Midianitem ſocerum Moſeh: Proficiſcimur nos ad locum de quo dixit Dominus, eum dabo vobis: veni nobiſcum, & benefaciemus tibi: quia Dominus locutus eſt bonum ſuper Iſrael.* |
| | Cui ille reſpondit: Non vadam tecum, ſed reuertar in terram meam, in qua natus ſum. | 30 | 30 | *Et dixit ad eum: Non veniam, ſed ad terram meã, & ad cognationem meam pergam.* |
| | Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter. | 31 | 31 | *Et dixit: Ne quaſo derelinquas nos: quia idcirco noſti, quòd dum maneremus in deſerto fuiſti nobis pro oculis.* |
| | Cũque nobiſcũ veneris, quidquid optimũ fuerit ex opibus, quas nobis traditurus eſt Dñs, dabimus tibi. | 32 | 32 | *Et erit, ſi veneris nobiſcum erit bonum hoc, quòd benefaciet Dominus nobiſcum, & benefaciemus tibi.* |
| | Profecti ſunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens caſtrorum locum. | 33 | 33 | *Et profecti ſunt è Monte Domini via trium dierum, & arca fœderis Domini proficiſcebatur ante eos via trium dierum, ad explorandum eis requiem.* |
| | Nubes quoque Domini ſuper eos erat per diẽ cum incederent. | 34 | 34 | *Et nubes Domini erat ſuper eos in die, dum proficiſcerentur è caſtris.* |
| * Pſ.67.2. | Cumque eleuaretur arca, dicebat Moyſes: * Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt, à facie tua. | 35 | 35 | *Et erat, quando proficiſcebatur arca dicebat Moſeh: Surge Domine, & diſpergantur inimici tui, & fugiant odio habentes te à facie tua.* |
| | Cum autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael. | 36 | 36 | *Et quando requieſcebat, dicebat: Reuertere Domine ad decem millia millium Iſrael.* |
| | CAP. XI. | | | *CAP. XI.* |
| * Pſ.77.19. * Pſ.77.21. | INterea ortum eſt * murmur populi, quaſi dolẽtiũ pro labore, contra Dominum. Quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt. Et * accenſus in eos ignis Domini, deuorauit extremam caſtrorum partem. | 1 | 1 | *ET fuit, populus cum dolerent diſplicuit in auribus Domini. Et audiuit Dominus, & iratus eſt furor eius. Et accendit ſe in eis ignis Domini, & cõſumpſit in extremitate caſtrorum.* |
| | Cumque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt ignis. | 2 | 2 | *Et clamauit populus ad Moſeh, & orauit Moſeh ad Dominum, & abſorptus eſt ignis:* |
| | Vocauitque nomen loci illius, Incenſio: eo quòd incenſus fuiſſet contra eos ignis Domini. | 3 | 3 | *Et vocauit nomen loci ipſius, Thabherah: quia accendit ſe in eis ignis Domini.* |
| * 1.Co.10. 6. | Vulgus quippe promiſcuũ, quod aſcẽderat cũ eis, flagrauit deſiderio, ſedẽs, & flens, iũctis ſibi pariter filijs Iſrael, & ait: * Quis dabit nobis ad veſcendũ carnes? | 4 | 4 | *Et collectio, quæ erat in medio eius, cõcupinerũt concupiſcentiã, & reuerſi ſunt, & fleuerũt etiã filij Iſrael, & dixerũt: Quis comedere faciet nos carnem?* |
| | Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia. | 5 | 5 | *Recordamur piſcium quos comedebamus in Aegypto gratis: cucumerorum, & peponum, & porrorum, & ceparum, & alliorum.* |

Am- Et

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Iſſachar, Nathanael filius Sogar. | 15 | 15 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Iſachar fuit Nathanael filius Suar.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Zabulon, Eliab filius Chelon. | 16 | 16 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Zabulon, fuit Eliab filius Helon.* |
| Et deponent tabernaculum, & promouebunt filij Gedſon & filij Merari, qui ſūt leuātes tabernaculū. | 17 | 17 | *Depoſitumq́ eſt tabernaculum, & profecti ſunt filij Gerſon, & filij Merari portantes tabernaculum.* |
| Et promouerunt ordo caſtrorum Ruben cū virtute ſua: & ſuper virtutem eorum Eliſur filius Sediur. | 18 | 18 | *Diſceſſit vexillū caſtrorū Ruben per turmas ſuas: & ſup exercitū eius erat princeps Eliſur filius Sedeur.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Symeon, Salamiel filius Suriſadæ. | 19 | 19 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Symeon fuit princeps Selumiel filius Suriſaddai.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Gad Heliſaph filius Raguel. | 20 | 20 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Gad fuit Eliaſaph filius Duel.* |
| Et promouebunt filij Caath, leuantes Sancta. Et ſtare facient tabernaculum, quoaduſque acceſſerint. | 21 | 21 | *Profectique ſunt filij Caath portantes Sanctuarium. Et erigebatur tabernaculum, donec venirent.* |
| Et promouebunt ordo caſtrorum Ephræm cum virtute ſua, & ſuper virtutem eorum Eliſama, filius Semiud. | 22 | 22 | *Profectumque eſt vexillum caſtrorum filiorum Ephraim per turmas ſuas, & ſuper exercitum eius fuit princeps Eliſama filius Amiud.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur. | 23 | 23 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſur.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Beniamin, Abidan filius Gadeoni. | 24 | 24 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Beniamin fuit Abidan filius Gedeonis.* |
| Et promouebunt ordo caſtrorum filiorum Dan, vltimi omnium caſtrorum cum virtute ſua, & ſuper virtutem eorum Achiezer filius Amiſadai. | 25 | 25 | *Profectumq́ eſt vexillum caſtrorum filiorū Dan per turmas ſuas, recolligens omnia caſtra, & ſuper exercitum eius fuit princeps Abiezer, filius Amiſaddai.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Aſer, Phageel filius Echran. | 26 | 26 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Aſer fuit Phagiel filius Ochran.* |
| Et ſuper virtutem tribus filiorum Nephthali, Achire filius Aenan. | 27 | 27 | *Et ſuper exercitum tribus filiorum Neptalim fuit Ahira filius Enan.* |
| Hæ ſunt acies filiorum Iſrael, & promouerunt cum virtute ſua. | 28 | 28 | *Hæ ſunt profectiones filiorum Iſrael, profectiq́; ſunt per turmas ſuas.* |
| Et dixit Moyſes ipſi Obab filio Raguel Madianiti ſocero Moyſi: Promouemus nos in locum, quem dixit Dominus, hunc dabo vobis: veni nobiſcum, & bene tibi faciemus: quoniam Dominus locutus eſt bona de Iſrael. | 29 | 29 | *Dixitq́ Moyſes ad Obab filium Raguel Madianitæ ſocerum Moyſi: Proficiſcimur nos ad locum, de quo dixit Dominus, quòd daret eum nobis: veni nobiſcum, & benefaciemus tibi: quia Dominus locutus eſt, vt adduceret bona ſuper Iſrael* |
| Et dixit ad eum: Non ibo, ſed ad terram meam, & ad progeniem meam. | 30 | 30 | *Dixitque ei: Non vadam, ſed ad terram meam, & ad cognationem meam ibo.* |
| Et dixit: Ne derelinquas nos: quoniam fuiſti nobiſcum in deſerto, & eris in nobis presbyter. | 31 | 31 | *Et ait: Ne, obſecro, derelinquas nos: tu enim noſti quomodo caſtrametati ſumus in deſerto, & magnalia, quæ facta ſunt nobis vidiſti oculis tuis.* |
| Et erit, ſi iueris nobiſcum, & erūt bona illa, quæcūque benefaciet nobis Dñs, & bene tibi faciemus. | 32 | 32 | *Eritq́, ſi veneris nobiſcum, benefaciemus tibi de bono illo quo Dominus benefaciet nobis.* |
| Et promouerunt à Monte Domini viam trium dierum, & arca teſtamenti Domini præcedebat prior eis viam trium dierum ad explorandum eis requietem. | 33 | 33 | *Profectique ſunt de Monte in quo reuelata eſt gloria Domini itinere trium dierum, & arca fœderis Domini præcedebat eos itinere trium dierum, vt præpararet eis locum manſionis.* |
| * Et nubes fuit obumbrans ſuper eos die, dum promouerent ipſi è caſtris. * | 34 | 34 | *Et nubes gloriæ Domini obumbrabat ſuper eos per diem, quando proficiſcebantur de caſtris.* |
| Et factum eſt in promouendo arcam, & dixit Moyſes: Exurge Domine, & diſſipentur inimici tui, fugiant omnes, qui odio habent te. | 35 | 35 | *Et factum eſt cùm leuaretur arca, dicebat Moyſes: Reuelare, Domine, vt diſpergantur hoſtes tui, & fugiant inimici tui à facie tua.* |
| Et in requiete dixit: Reuertere Domine, millia, decem millia in Iſrael. | 36 | 36 | *Et cū reſideret, dicebat: Reuertere, Domine, habita cum gloria tua in medio multitudinis milliū Iſrael.* |

*Quæ hic habentur numa. 34. notata aſteriſco in Biblia Septuag. Interp. habētur in fine huius capituli.

## CAP. XI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ET erat populus murmurans mala ante Dominum. Et audiuit Dominus, & indignatus eſt ira. Et accenſus eſt in eis ignis à Domino, & deuorauit partem quandam caſtrorum. | 1 | 1 | *ERatq́ populus quaſi murmurantes mala coram Domino. Et auditū eſt coram Domino, & iratus eſt furor eius. Et accenſus eſt in eis ignis à facie Domini, & deuorauit extremam partem caſtrorum.* |
| Et clamauit populus ad Moyſen, & orauit Moyſes ad Dominum, & ceſſauit ignis. | 2 | 2 | *Clamauitque populus ad Moyſen, & orauit Moyſes coram Domino, & abſorptus eſt ignis.* |
| Et vocatum eſt nomen loci illius, Incendium: quia accenſus eſt in eis à Domino. | 3 | 3 | *Appellauitque nomen loci illius, Incenſio: eo quòd accenſus fuiſſet in eos ignis à facie Domini.* |
| Et promiſcuus, qui erat in eis, concupiuit concupiſcentiam, & ſedentes flebant, & filij Iſrael, & dicebant: Quis nos cibabit carnibus? | 4 | 4 | *Et promiſcui, qui erant inter eos petierunt petitionē, & reuerſi ſunt filij Iſrael, & plorauerunt, atque dixerunt: Quis dabit nobis carnes ad veſcendum?* |
| Recordati ſumus piſcium, quos edebamus in Aegypto gratis: & cucumerum, & peponum, & porrorū, & ceparum, & alliorum. | 5 | 5 | *Memores ſumus piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: & cucumerum, & peponum, & porrorum, & ceparum, & alliorum.* |

| | Vulgat. Editio. | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| 6 | Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. | 6 | *Et nunc anima noſtra arida eſt, non quicquam præter Man oculi noſtri vident.* |
| 7 | * Erat autem Man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij. (* Exo. 16. 14. Sap. 16. 20. Pſal. 77. 24. Ioan. 6. 31.) | 7 | *Et Man, ſicut ſemen coriandri erat, & color eius, ſicut color bedolach.* |
| 8 | Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati. | 8 | *Diffundebant ſe populus, & colligebant, & molebant in molis, vel conterebant in mortario, & coquebant in cacabo, & faciebant ex eo placentas ſub cineritias, & erat ſapor eius, ſicut ſapor recentis olei.* |
| 9 | Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter, & Man. | 9 | *Et quando deſcendebat ros ſuper caſtra nocte deſcendebat Man ſuper eum.* |
| 10 | Audiuit ergo Moyſes flentem populum per familias, ſingulos per oſtia tentorij ſui. Iratuſque eſt furor Domini valde: ſed & Moyſi intoleranda res viſa eſt. | 10 | *Et audiuit Moſeh populum flentem per familias ſuas ſingulum ad oſtium tabernaculi ſui. Et iratus eſt furor Domini valde: & in oculis Moſeh diſplicuit.* |
| 11 | Et ait ad Dominum: Cur afflixiſti ſeruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? | 11 | *Et dixit Moſeh ad Dominum: Vt quid malefeciſti ſeruo tuo? & vt quid non inueni gratiam in oculis tuis? vt poneres onus omnis populi huius ſuper me?* |
| 12 | Numquid ego concepi omnem hanc multitudinē, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraſti patribus eorum? | 12 | *Numquid ego concepi omnem populum hunc, num ego genui eum, quia dicis ad me: Porta eum in ſinu tuo, quemadmodum portat nutrix infantem ad terram ſuper quam iuraſti patribus eius?* |
| 13 | Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus. | 13 | *Vnde eſt mihi caro, vt dem vniuerſo populo huic? flent enim aduerſum me, dicendo: Da nobis carnem, vt comedamus.* |
| 14 | Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populū, quia grauis eſt mihi. | 14 | *Non poſſum ego ſolus ferre vniuerſum populū hunc, quia ſupra vires meas eſt.* |
| 15 | Sin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. | 15 | *Et ſi ita tu facis mihi, occide me quaſo occidendo, ſi inueni gratiam in oculis tuis, & non videbo malum meum.* |
| 16 | Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum: | 16 | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Congrega mihi ſeptuaginta viros è ſenioribus Iſrael, quos noſti, quod ſunt ſeniores populi, & principes eius: & duces eos ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & ſtabunt ibi tecum:* |
| 17 | Vt deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. | 17 | *Et deſcendam, & loquar tecum ibi: & ſeparabo de ſpiritu, qui eſt ſuper te, & ponam ſuper eos, & portabunt tecum onus populi, & non portabis tu ſolus.* |
| 18 | Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes, ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis eſcas carnium? bene nobis erat in Aegypto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: | 18 | *Et ad populum dices: Sanctificate vos in craſtinum: & comedetis carnem, fleuiſtis enim in auribus Domini, dicendo: Quis comedere faciet nos carnem? quia melius erat nobis in Ægypto. Et dabit Dominus vobis carnem, & comedetis:* |
| 19 | Non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti: | 19 | *Non die vna comedetis, neque duobus diebus, neque quinq; diebus, neq; decē diebus, neq; viginti diebus:* |
| 20 | Sed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam, eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt, & fleueritis coram eo, dicentes: Quare egreſſi ſumus ex Aegypto? | 20 | *Vſque ad menſem dierum, donec egrediatur è naribus veſtris, & ſit vobis in diſperſione, eo quòd contempſiſtis Dominum, qui eſt in medio veſtri, & fleuiſtis coram eo, dicendo: Vt quid iam egreſſi ſumus ex Ægypto?* |
| 21 | Et ait Moyſes: Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? | 21 | *Et dixit Moſeh: Sexcēta millia peditum populi ſunt in cuius medio ego ſum, & tu dixiſti: Carnem dabo eis, & comedent menſem dierum?* |
| 22 | * Numquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient? (* Ioan. 6. 9.) | 22 | *Numquid pecudes, & boues iugulabuntur eis, & ſufficient eis? an omnes piſces maris congregabuntur ad eos, & ſufficient eis?* |
| 23 | Cui reſpondit Dominus: * Numquid manus Domini inualida eſt? Iam nunc videbis vtrum meus ſermo opere compleatur. (* Iſa. 59. 1.) | 23 | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Numquid manus Domini abbreuiata eſt? Nunc videbis vtrum eueniat tibi verbum meum, an non.* |
| 24 | Venit igitur Moyſes, & narrauit populo verba Domini, congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos ſtare fecit circa tabernaculum. | 24 | *Et egreſſus eſt Moſeh, & locutus eſt ad populum verba Domini, & congregauit ſeptuaginta viros è ſenioribus populi, & ſtare fecit eos in circuitu tabernaculi.* |
| 25 | Deſcenditque Dominus per nubem & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieuiſſet in eis Spiritus, prophetauerunt, nec vltra ceſſauerunt. | 25 | *Et deſcendit Dominus in nube, & locutus eſt ad eum, & ſeparauit de ſpiritu, qui erat ſuper eum, & poſuit ſuper ſeptuaginta viros ſeniores. Et fuit, cum requieſceret ſuper eos Spiritus, prophetauerunt, & non addiderunt.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

6 Nunc autem anima noſtra arida; nihil præter in Manna, oculi noſtri.

7 Manna autem quaſi ſemen coriandri eſt, & ſpecies eius, ſpecies chryſtalli.

8 Et perambulabat populus, & colligebant, & molebant illud in mola, & conterebant in mortario, & coquebant illud in olla, & faciebant illud ſubcinericia: & erat ſuauitas eius, tanquam quod guſtatur, laganum ex oleo.

9 Et quando deſcendebat ros ſuper caſtra nocte: deſcendebat Manna ſuper ea.

10 Et audiuit Moyſes plorantes illos ſecundum populos ſuos, vnumquemque ad oſtium ſuum. Et indignatus eſt ira Dominus valde: & coram Moyſe fuit malum.

11 Et dixit Moyſes ad Dominum: Vt quid affixiſti ſeruum tuum, & quare non inueni gratiam coram te, imponendo impetum populi huius ſuper me?

12 Numquid ego in vtero concepi omnem populum hunc? aut ego peperi eos? quoniam dicis mihi, accipe illum in ſinum tuum, quaſi tollat nutrix lactentem, in terram quam iuraſti patribus eorum?

13 Vnde mihi carnes ad dandum omni populo huic? quoniam plorant ſuper me, dicentes: da nobis carnes, vt edamus.

14 Non potero ego ſolus ferre populum hunc, quia grauius eſt mihi verbum hoc.

15 Si autem ſic tu facis mihi, occide me interemptione, ſi inueni miſericordiam apud te, vt non videam afflictionem meam.

16 Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu ipſe noſti, quod hi ſunt ſeniores populi, & ſcribæ eorum, & adduces eos ad tabernaculum teſtimonij, & ſtabunt illic tecum.

17 Et deſcendam, & loquar ibi tecum, & auferam de ſpiritu, qui eſt in te, & ſuperponam ſuper eos, & ſuſtinebunt tecum impetum populi: & non portabis eos tu ſolus.

18 Et populo dices: Purificamini in craſtinum, & comedetis carnes: quoniam ploraſtis ante Dominum, dicentes, quis nos cibabit carnibus? quia bonum eſt nobis in Ægypto: & dabit vobis Dominus carnes ad edendum, & edetis carnes:

19 Nõ diem vnum edetis, neque duos, neque quinque dies, neque decem dies, neque viginti dies:

20 Vſque ad menſem dierum edetis, donec exeat e naribus veſtris, & erit vobis in choleram, quoniam increduli fuiſtis Domino, qui eſt in vobis: & ploraſtis ante eum, dicentes: vt quid nobis exire de Ægypto?

21 Et dixit Moyſes: Sexcenta millia peditum populus, in quibus ſum in eis, & tu dixiſti, carnes dabo eis comedere, & comedent menſem dierum.

22 Numquid oues, & boues occidentur illis, & ſufficient illis? Aut omne edulium maris congregabitur eis, & ſufficiet eis?

23 Et dixit Dominus ad Moyſen: Numquid manus Domini non ſufficiet? Iam cognoſces, ſi ſuper comprehendet te verbum meum, an non.

24 Et egreſſus eſt Moyſes, & locutus eſt ad populum verba Domini: & congregauit ſeptuaginta viros de ſenioribus populi, & ſtatuit eos in circuitu tabernaculi.

25 Et deſcendit Dominus in nube, & locutus eſt ad eum, & abſtulit de ſpiritu, qui ſuper ipſum, & ſuperpoſuit ſuper ſeptuaginta viros ſeniores. Vt autem requieuit ſpiritus ſuper eos, prophetarunt, & non vltra adiecerunt.

## Chald. Paraph. Tranſl.

6 *Nunc autẽ anima noſtra eſt deſiderans; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.*

7 *Erat autem Man quaſi ſemen coriandri, & color eius quaſi color bdelij.*

8 *Diſpergebatur populus, & colligebant illud, & qui volebat, frangebat mola, & qui volebat, terebat in mortario, & coquebant illud in olla, & faciebant ex eo placentas, & erat ſapor eius quaſi ſapor panis oleati.*

9 *Cumque deſcenderet ros nocte ſuper caſtra, deſcendebat Man ſuper eum.*

10 *Audiuitque Moyſes populum flentem per familias ſuas ſingulos in oſtio tabernaculi ſui. Iratuſque eſt furor Domini valdè, & in oculis Moyſi diſplicuit.*

11 *Dixitque Moyſes coram Domino: Quare malefeciſti ſeruo tuo, & cur non inueni miſericordiam in conſpectu tuo, vt poneres onus omnis populi huius ſuper me?*

12 *Numquid pater ego ſum vniuerſi populi huius, aut filij mei ſunt illi, vt dicas mihi: Porta eum in fortitudine tua ſicut portat nutrix lactentem, ſuper terram de qua iuraſti patribus ſuis?*

13 *Vnde habeo carnem vt dem vniuerſo populo huic? quia flent contra me, dicentes: Da nobis carnem vt manducemus.*

14 *Non poſſum ego ſolus ſuſtinere omnem populũ hunc, quia grauior me eſt.*

15 *Et ſi ita tu facies mihi, interfice me, obſecro, ſi inueni miſericordiam in oculis tuis, & non videbo malum meum.*

16 *Dixitque Dominus Moyſi: Congrega coram me ſeptuaginta viros de ſenioribus filiorum Iſrael quos tu noſti quod ſint ſenes populi & præfecti eius: & duces eos ad tabernaculum fœderis, & ſtabunt ibi tecum.*

17 *Et reuelabor, & loquar tecum ibi: & augebo de ſpiritu qui eſt ſuper te, & ponam ſuper eos, & ſuſtinebunt tecum onus populi, & non ſuſtinebis tu ſolus.*

18 *Populo quoque dices: Præparamini in craſtinum, & comedetis carnem, quia ploraſtis coram Domino, dicentes: Quis dabit nobis carnem ad manducandũ? benè enim erat nobis in Ægypto. Dabitq; Dominus vobis carnem, & comedetis.*

19 *Non vno die, nec duobus diebus, nec quinque diebus, nec decem diebus, nec viginti diebus.*

20 *Sed vſque ad menſem dierum: donec in faſtidium eam habeatis, & ſit vobis in ſcandalum: eo quòd in faſtidium fuit vobis verbum Domini, cuius maieſtas habitat inter vos, & ploraſtis coram eo, dicentes: Vt quid egreſſi ſumus de Ægypto?*

21 *Et ait Moyſes: Sexcenta millia virorum ſunt populi huius inter quos ego habito, & tu dixiſti: dabo eis carnem, vt comedant menſe dierum.*

22 *Numquid ſi oues & boues occidantur eis, ſufficient eis? aut ſi omnes piſces maris congregentur eis, numquid ſufficient eis?*

23 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Numquid verbum Domini impeditur? nunc videbis vtrum accidat tibi verbum meum, an non.*

24 *Egreſſuſque eſt Moyſes, & locutus eſt cum populo verba Domini. Et congregauit ſeptuaginta viros de ſenioribus populi: & ſtatuit eos per circuitum tabernaculi.*

25 *Reuelatuſq; eſt Dominus in nube, & locutus eſt cũ eo: & auxit de ſpiritu qui erat in eo, & dedit ſuper ſeptuaginta viros ſeniores: factumq; eſt cum requieuiſſet in eis ſpiritus prophetiæ, prophetauerunt, & nequaquam ceſſauerunt.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, ſuper quos requieuit Spiritus: nam & ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. | 26 | 26 | *Et remanſerunt duo viri in caſtris, nomen vnius Eldad, & nomen alterius Medad, & requieuit ſuper eos ſpiritus, & erant inter ſcriptos, & non egreſſi erant ad tabernaculum.* |
| Cumque prophetarent in caſtris, cucurrit puer, & nunciauit Moyſi, dicens: Eldad & Medad prophetant in caſtris. | 27 | 27 | *Et prophetabant in caſtris, & cucurrit puer, & nunciauit Moſeh, & dixit: Eldad & Medad prophetant in caſtris.* |
| Statim Ioſue filius Nun, miniſter Moyſi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyſes prohibe eos. | 28 | 28 | *Et reſpondit Iehoſuah filius Nun miniſter Moſeh ex iuuenibus eius, & dixit: Domine mi Moſeh, prohibe eos.* |
| At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum? | 29 | 29 | *Et dixit eis Moſeh: Vt quid æmularis tu propter me? & quis det omnem populū Domini prophetas quod det Dominus Spiritum ſuum ſuper eos?* |
| Reuerſuſque eſt Moyſes, & maiores natu Iſrael in caſtra. | 30 | 30 | *Et collegit ſe Moſeh ad caſtra: ipſe & ſeniores Iſrael.* |
| *Pſal. 77. 26.* * Ventus autem egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & dimiſit in caſtra itinere quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram. | 31 | 31 | *Et ventus profectus eſt à Domino, & eduxit coturnices à mare, & dimiſit ſuper caſtra, quantum eſt iter diei huc, & quantum eſt iter diei illuc per circuitum caſtrorum, & fere duobus cubitis erant ſuper faciem terræ.* |
| Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem coros: & ſiccauerunt eas per gyrum caſtrorum. | 32 | 32 | *Et ſurrexit populus tota die ipſa, & tota nocte, & tota die ſequenti, & collegerunt coturnices, qui parum fecit collegit decem cumulos; & expanderunt ſibi expandendo per circuitus caſtrorum.* |
| *Pſal. 77. 30.* * Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis. | 33 | 33 | *Caro adhuc erat inter dentes eorum, antequam digeſta eſſet, & furor Domini iratus eſt in populum, & percuſſit Dominus populum percuſſione magna valde.* |
| Vocatuſque eſt ille locus, Sepulchra concupiſcentiæ: ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat. Egreſſi autem de Sepulchris concupiſcentiæ, venerunt in Haſeroth, & manſerunt ibi. | 34 | 34 | *Et vocauit nomē loci ipſius Chibroth Hattahauah* quia ibi ſepelierunt populum concupiſcentem. De Chibroth Hattahauah profecti ſunt populus in Chaſeroth, & fuerunt in Chaſeroth.* ** Id eſt, ſepulchra concupiſcentiæ.* |
| CAP. XII. | | | *CAP. XII.* |
| LOcutaque eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter vxorem eius Æthiopiſſam, | 1 | 1 | *ET locuta eſt Miriam, & Aharon contra Moſeh propter vxorem Æthyopiſſam, quam ceperat: vxorem enim Æthyopiſſam acceperat.* |
| Et dixerunt: Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter eſt locutus? Quod cum audiſſet Dominus, | 2 | 2 | *Et dixerunt: Numquid dumtaxat certe cum Moſeh locutus eſt Dominus? Numquid non etiam nobiſcum locutus eſt? Et audiuit Dominus.* |
| (Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra) | 3 | 3 | *Et vir Moſeh erat manſuetus valde præ omnibus hominibus, qui erant ſuper faciem terræ.* |
| Statim locutus eſt ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuiſſent egreſſi, | 4 | 4 | *Et dixit Dominus ad Moſeh, & Aharon, & Miriā. Egredimini tres vos ad tabernaculum eccleſiæ, & egreſſi ſunt tres ipſi.* |
| Deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cum iſſent, | 5 | 5 | *Et deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit ad oſtium tabernaculi, & vocauit Aharon, & Miriam, & egreſſi ſunt ambo.* |
| Dixit ad eos: Audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. | 6 | 6 | *Et dixit: Audite nunc verba mea: Si fuerit propheta veſter ego Dominus in viſione ei oſtendam me, in ſomnio loquar cum eo.* |
| *Heb. 3. 2.* At non talis ſeruus meus Moyſes, * qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: | 7 | 7 | *Non ſic ſeruus meus Moſeh, in omni domo mea fidelis eſt.* |
| *Ex. 33. 11.* * Ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? | 8 | 8 | *Ore ad os loquar cum eo, & in viſione & non per ænigmata, & per figuram Dominum aſpiciet. Et cur non timuiſtis loqui contra ſeruum meum Moſeh.* |
| Iratuſque contra eos, abijt: | 9 | 9 | *Et iratus eſt furor Domini contra eos, & abijt.* |
| Nubes quoque receſſit quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix. Cumque reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra, | 10 | 10 | *Et nubes receſſit à tabernaculo: & ecce Miriam erat leproſa ſicut nix. Et reſpexit Aharon Miriam, & ecce erat leproſa.* |
| Ait ad Moyſen: Obſecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod ſtulte commiſimus, | 11 | 11 | *Et dixit Aharon ad Moſeh: Quaſo Domine mi, ne nunc ponas ſuper nos peccatum, quia ſtulte egimus, & quia peccauimus.* |
| Ne fiat hæc quaſi mortua, & vt abortiuum quod proijcitur de vulua matris ſuæ: ecce iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra. | 12 | 12 | *Ne quaſo ſit ſicut mortuus, qui dum egreditur ex vtero matris ſuæ, conſumitur dimidium carnis eius.* |

Cla-   *Et*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

26 Et remanſerunt duo viri in caſtris, nomen vni Heldad, & nomen ſecundo Modad: & requieuit ſuper eos ſpiritus: & hi erant ex deſcriptis, & non venerant ad tabernaculum:

27 Et prophetarunt in caſtris, & accurrens adoleſcens annunciauit Moyſi, & dixit dicens: Heldad, & Modad prophetant in caſtris.

28 Et reſpondens Ieſus Naue, qui aſtabat Moyſi electus ille, dixit: Domine Moyſes prohibe eos.

29 Et dixit Moyſes ei: Numquid æmularis me? & quis det omnem populum Domini prophetas, cum dederit Dominus Spiritum ſuum ſuper eos?

30 Et abijt Moyſes in caſtra, ipſe & ſeniores Iſrael.

31 Et ſpiritus exijt à Domino, & tranſtulit coturnicem à mari, & iniecit ſuper caſtra, viam diei hinc, & viam diei hinc, in circuitu caſtrorum, quaſi bicubitum à terra.

32 Et exurgens populus totam diem, & totam noctem, & totam diem craſtinam, & congregauit coturnicem, qui parum, congregauit decem coros, & refrigerauerunt ſibi refrigeria in circuitu caſtrorum.

33 Carnes adhuc erant in dentibus eorum, antequam deficerent, & Dominus indignatus eſt in populum, & percuſſit Dominus plagam magnam valde.

34 Et vocatum eſt nomen loci illius, ſepulchra concupiſcentiæ, quia illic ſepelierunt populum concupitorem. A ſepulchris concupiſcentiæ promouit populus in Aſeroth.

### C A P. XII.

1 ET locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſen propter vxorem Æthiopiſſam, quam ſumpſit Moyſes, quoniam vxorem Æthiopiſſam ſumpſit.

2 Et dixerunt: Numquid ſoli Moyſi locutus eſt Dominus? Nonne & nobis locutus eſt? Et audiuit Dominus.

3 Et homo Moyſes manſuetus valde præter omnes homines, qui eſſent ſuper terram.

4 Et dixit Dominus ſtatim ad Moyſen, & Aaron, & Mariam: Exite vos tres ad tabernaculum teſtimonij.

5 Et exierunt ipſi tres ad tabernaculum teſtimonij: & deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit ſuper oſtium tabernaculi teſtimonij, & vocati ſunt Aaron, & Maria, & exierunt ambo.

6 Et dixit ad eos: Audite verba mea: Si fuerit propheta ex vobis Domino, in viſione ei agnoſcar, & in ſomno loquar ei.

7 Non ſic famulus meus Moyſes, in tota domo mea fidelis eſt.

8 Os ad os loquar ei, in ſpecie, & non per ænigmata, & gloriam Domini vidit. Et quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?

9 Et ira furoris Domini ſuper eos, & abijt.

10 Et nubes diſceſſit à tabernaculo: & ecce Maria leproſa, ſicut nix. Et reſpexit Aaron ſuper Mariam, & ecce leproſa.

11 Et ait Aaron ad Moyſen: Precor Domine, ne impoſueris Domine peccatum, quoniam ignorauimus.

12 Ne fiat tamquam æquale morti, vt abortus eiectus de vulua matris: & comedit dimidium carnium eius.

## Chald. Paraph. Tranſl.

26 *Remanſerant autem duo viri in caſtris nomen vnius Eldad, & nomen ſecundi Medad, & requieuit ſuper eos ſpiritus prophetiæ: & ipſi erant deſcripti, & non exierant ad tabernaculum.*

27 *Et prophetabant in caſtris: cucurrit autem puer, & narrauit Moyſi, & ait: Eldad & Medad prophetant in caſtris.*

28 *Reſponditq; Ioſue filius Nun, miniſter Moyſi à pueritia ſua, & ait: Domine mi Moyſes, mitte eos in carcerem.*

29 *Dixitq; ei Moyſes: Nũquid æmularis vt æmulationẽ meam? vellẽ q̃ omnis populus Dñi prophetarent, & q̃ daret Dominus ſpiritum prophetiæ ſuæ ſuper eos.*

30 *Collectuſque eſt Moyſes in caſtra, ipſe & ſeniores Iſrael.*

31 *Ventus autem egreſſus eſt à facie Domini, & volare fecit coturnices de mari, & proiecit eas iuxta caſtra itinere vnius diei hinc, & itinere vnius diei illinc per circuitum caſtrorum, & quaſi altitudine duorum cubitorum ſuper faciem terræ.*

32 *Surrexitq; populus toto die illo & tota nocte ac toto die ſequenti, & collegerunt coturnices, qui minus collegit, congregauit decem aceruos, & extenderunt eas per gyrum caſtrorum.*

33 *Adhuc erat caro in dentibus eorum antequam deficeret, & furor Domini iratus eſt contra populum, & occidit Dominus in populo occiſione magna valde.*

34 *Vocauitq; nomen loci illius, ſepulchra deſiderantium quia ibi ſepelierunt populum qui deſiderauit. De ſepulchris deſiderantium profectus eſt populus in Aſeroth, & manſerunt in Aſeroth.*

### *C A P. XII.*

1 *LOcutaq; eſt Maria, & Aaron contra Moyſen, propter vxorem pulchram quam acceperat: quoniam vxorem pulchram quam accepit repulit.*

2 *Dixeruntq;: Numquid cum ſolo Moyſe locutus eſt Dominus? nonne etiam nobiſcum locutus eſt? & auditum eſt coram Domino.*

3 *Vir autem Moyſes erat mitis valde præ omnibus hominibus, qui erant ſuper faciem terræ.*

4 *Dixitq; Dominus repente ad Moyſen & Aaron & Mariam: Egredimini vos tres ad tabernaculum fœderis: & egreſſi ſunt illi tres.*

5 *Et reuelatus eſt Dominus in columna nubis, & ſtetit in oſtio tabernaculi: & vocauit Aaron & Mariam: & egreſſi ſunt ambo.*

6 *Et ait: Audite nunc ſermones meos: Si fuerint in vobis prophetæ, ego Dominus in viſionibus apparebo eis, per ſomnia loquar eis.*

7 *Non eſt ita ſeruus meus Moyſes, in omni populo meo fidelis eſt.*

8 *Verbo ad verbũ loquor cũ eo, per viſionẽ, & non per ænigmata, & ſimilitudinẽ gloriæ Dñi cõtẽplatur: Et quare nõ timuiſtis loqui contra ſeruũ meũ Moyſen?*

9 *Iratuſq; eſt furor Domini contra eos, & abijt.*

10 *Nubes autem eleuata eſt deſuper tabernaculum: & ecce Maria erat alba quaſi nix. Reſpexitque Aaron Mariam, & ecce erat leproſa.*

11 *Dixitq; Aaron ad Moyſen: Obſecro, Domine mi, ne imponas nunc nobis peccatum, quia inſipienter & inique egimus.*

12 *Ne, obſecro, ſeparetur hæc à nobis, quia ſoror noſtra eſt: ora, obſecro, ſuper carnem mortuam hanc quæ eſt in ea, vt ſanetur.*

## Vulgat. Edicio.

13 Clamauitque Moyſes ad Dominum, dicens: Deus, obſecro ſana eam.
14 Cui reſpondit Dominus: Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur.
15 Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.

### CAP. XIII.

1 PRofectuſque eſt populus de Haſeroth fixis tentorijs in deſerto Pharan.
2 Ibique locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
3 Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum filijs Iſrael: ſingulos de ſingulis tribubus, ex principibus.
4 Fecit Moyſes quod Dominus imperauerat: de deſerto Pharan mittens principes viros, quorum iſta ſunt nomina.
5 De tribu Ruben, Sammua filium Zechur.
6 De tribu, Simeon Saphat filium Huri.
7 De tribu Iuda, Caleb filium Iephone.
8 De tribu Iſſachar, Igal filium Ioſeph.
9 De tribu Ephraim, Oſee filium Nun.
10 De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu.
11 De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi.
12 De tribu Ioſeph, ſceptri Manaſſe, Gaddi filium Suſi.
13 De tribu Dan, Amiel filium Gemalli.
14 De tribu Aſer, Sthur, filium Michael.
15 De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapſi.
16 De tribu Gad, Guel filium Machi.
17 Hæc ſunt nomina virorum, quos miſit Moyſes ad conſiderandam Terram: vocauitque Oſee filium Nun, Ioſue.
18 Miſit ergo eos Moyſes ad conſiderandam Terram Chanaan, & dixit ad eos: Aſcendite per Meridianam plagam. Cumque veneritis ad Montes.
19 Conſiderate Terram, qualis ſit: & populum qui habitator eſt eius, vtrum fortis ſit, an infirmus: ſi pauci numero an plures:
20 Ipſa terra, bona, an mala: vrbes quales, muratæ an abſque muris:
21 Humus, pinguis, an ſterilis, nemoroſa an abſque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando iam præcoquæ vuæ veſci poſſunt.
22 Cumque aſcendiſſent, explorauerunt terram à deſerto Sin, vſque Rohob intrantibus Emath.
23 Aſcenderuntque ad Meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achiman, & Siſai, & Tholmai filij Enac: nam Hebron ſeptem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita eſt.
24 * Pergenteſque vſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt:

* Deut. 1. 24.

25 Qui appellatus eſt Nehéleſcol, ideſt Torrens botri, eo quod botrum portaſſent inde filij Iſrael.
26 Reuerſique exploratores terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuita,
27 Venerunt ad Moyſen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum Pharan, quod eſt in Cades. Locutique eis & omni multitudini oſtenderunt fructus terræ:

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et clamauit Moſeh ad Dominum, dicendo: Deus quaſo, ſana nunc eam.*
14 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Et ſi pater eius ſpuendo ſpuiſſet in faciem eius, nonne erubuiſſet ſeptem diebus? Excludatur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea congregabitur.*
15 *Et excluſa eſt Miriam extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt profectus, donec congregaretur Miriam.*

### CAP. XIII.

1 *ET poſtea profecti ſunt populus è Chaſeroth, & caſtrametati ſunt in deſerto Paran.* *

* Hæc q̃ in principio huius capitis aſteris clauduntur in Tralat. Sanc. Pag. ex hebræo Me connexa ſuperiori cap.

2 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
3 *Mitte viros, & explorent terram Chenahan, quam ego do filijs Iſrael: ſingulos viros de tribu patrum ſuorum mittetis, omnem principem, qui eſt inter eos.*
4 *Et miſit eos Moſeh è deſerto Paran iuxta ſermonem Domini: & vniuerſi ipſi viri, principes filiorum Iſrael erant: & hæc ſunt nomina eorum.*
5 *De tribu Reuben Sammuah filius Zacchur.*
6 *De tribu Simhon Saphath filius Chori.*
7 *De tribu Iehudah, Chaleb filius Iephunneh.*
8 *De tribu Iſaſchar, Ighal filius Ioſeph.*
9 *De tribu Ephraim, Hoſeah filius Nun.*
10 *De tribu Biniamin, Polthi filius Raphu.*
11 *De tribu Zebulun, Gaddiel filius Sodi.*
12 *De tribu Ioſeph, de tribu Menaſſeh, Ghaddi filius Suſi.*
13 *De tribu Dan, Hammiel filius Ghemalli.*
14 *De tribu Aſer, Sethur filius Michael.*
15 *De tribu Naphthali, Nachbi filius Vophſi.*
16 *De tribu Ghad, Gheuel filius Machi.*
17 *Iſta ſunt nomina virorum quos miſit Moſeh ad explorandum terram: & appellauit Moſeh Hoſeah filium Nun, Iehoſuah.*
18 *Et miſit eos Moſeh ad explorandum terram Chenahan, & dixit ad eos: Aſcendite hac per Meridiem, & aſcendetis ad montem.*
19 *Et videbitis terram qualis ſit: & populum qui habitat in ea, vtrum fortis ſit, an debilis, vtrum paucus ſit, an multus.*
20 *Et qualis ſit terra, in qua ipſe habitat, vtrum bona ſit an mala: & quales vrbes in quibus habitat, vtrũ in caſtris, an in munitionibus ſint.*
21 *Et qualis terra, vtrum pinguis ſit, an macra, vtrum ſit in ea arbor, an non. Et roborate vos, & capite è fructu terra. Et dies erant, dies primitiuarum vuarum.*
22 *Et aſcenderunt & explorauerunt terram à deſerto Sin vſque ad Rechob ingrediendo Chamath.*
23 *Et aſcenderunt per Meridiem, et venerunt vſque ad Chebron: & ibi erat Achiman Seſai, & Talmai liberi Hanach: & Chebron ſeptem annis ædificata fuit ante Sohan Ægypti.*
24 *Et venerunt vſque ad vallem Eſchol, & exciderunt ibi ramum, & botrum vuarum vnum, & portauerũt illum vecte cum duobus. Et de malogranatis & de ficubus.*
25 *Locum ipſum vocauit Nachal Eſchol, ideſt Vallis botri, propter botrum quem abſciderunt inde filij Iſrael.*
26 *Et reuerſi ſunt ab explorando terram in fine quadraginta dierum.*
27 *Et abierunt, & venerunt ad Moſeh, & Aharon, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum Paran in Cades, & retulerunt eis rem, & omni cœtui, & oſtenderunt eis fructum terræ.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

13 Et clamauit Moyſes ad Dominum, dicens: Deus
precor te, ſana eam.
14 Et dixit Dominus ad Moyſen: Si pater eius ex-
puens expuiſſet in faciem eius, non confundetur ſe-
ptem dies? Segregetur ſeptem diebus extra caſtra,
& poſt hæc ingredietur.
15 Et ſegregata eſt Maria extra caſtra ſeptem diebus,
& populus non promouit, quoadusque mundata eſt
Maria.

### CAP. XIII.

1 ET poſt hæc promouit populus ex Aſeroth, &
caſtrametati ſunt in deſerto Pharan:
2 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
3 Mitte tibi viros, & conſiderent terram Chananæo-
rum, quam ego do filijs Iſrael in poſſeſſionem: vi-
rum vnum per tribum, ſecundum populos familia-
rum eorum mittes eos, omnem ducem ex eis
4 Et emiſit eos Moyſes e deſerto Pharan per vocem
Domini: omnes viri duces filiorum Iſrael hi: &
hæc nomina eorum:
5 De tribu Ruben, Samuel filius Zachur.
6 De tribu Symeon, Saphat filius Sori.
7 De tribu Iuda Chaleb filius Iephonne.
8 De tribu Iſſachar, Ilaal filius Ioſeph.
9 De tribu Ephræm Auſe filius Naue.
10 De tribu Beniamin Phalti filius Raphu.
11 De tribu Zabulon, Gudiel filius Sudi.
12
13 De tribu Dan, Amiel filius Gamali.
14 De tribu Aſer, Sathur filius Michael.
15 De tribu Nephthali, Nabi filius Sabi.
16 De tribu Gad, Gudiel filius Macchi.
17 Hæc nomina virorum, quos miſit Moyſes ad conſi-
derandam terram: & cognominauit Moyſes Auſe
filium Naue, Ieſum.
18 Et miſit eos Moyſes ad explorandam terram Cha-
naan, & dixit ad eos: Aſcendite iſta eremo, & aſcen-
detis in montem.
19 Et videbitis terram quæ ſit, & populum, qui inſidet
ſuper eam, ſi fortis eſt, an infirmus, ſi pauci ſunt, an
multi:
20 Et quæ terra, in qua iſti inſident ſuper eam, verum
bona eſt, an mala, & quæ ciuitates, in quibus illi ha
bitant in eis, ſi in muratis, vel in non muratis:
21 Et quæ terra, verum pinguis, an macra, ſi ſunt in ea
arbores, an non. Et conſtanter agentes, ſumetis de
fructibus terræ. Et dies erant dies veris, præcurſo-
res vuæ.
22 Et aſcendentes cõſiderauerunt terram à deſerto Sin
vſque Roob, intrantibus Æmath.
23 Et aſcenderunt ſecundum deſertum, & abierunt
vſque Chebron: & ibi Achiman, & Seſſi, & Thela-
mi, progenies Enach: & Chebron ſeptem annis
ædificata eſt ante Tani Ægypti.
24 Et venerunt vſque ad vallem botri, & conſideraue-
runt eam, & absciderunt inde palmitem, & botrum
vuæ vnum ſuper eum, & tulerunt illud ſuper geſta-
toria. Et de malis punicis, & de ficubus.
25 Et locum illum cognominauerunt, Vallis bo-
tri, propter botrum, quem absciderunt inde fi-
lij Iſrael.
26 Et reuerterunt inde, cum conſideraſſent terram,
poſt quadraginta dies.
27 Et profecti venerunt ad Moyſen, & Aaron, & ad om
nem ſynagogam filiorum Iſrael in deſertum Pha-
ran Cades: & reſponderunt eis verbum, & omni ſy
nagogæ, & oſtenderunt fructum terræ:

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

13 *Orauitq; Moyſes coram Domino, dicens: Deus, obſe-
cro, ſana eam nunc.*
14 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Et ſi pater eius in-
crepans increpaſſet eam, nonne erubeſceret ſeptem
diebus? Recludatur ſeptem diebus extra caſtra, &
poſteà reuocabitur.*
15 *Recluſaq; eſt Maria extra caſtra ſeptem diebus, po-
pulus autem non eſt profectus, donec reuocata eſt
Maria.*

### CAP. XIII.

1 *ET poſt hæc profectus eſt populus de Aſeroth, &
caſtrametati ſunt in deſerto Pharan.*
2 *Locutusq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
3 *Mitte tibi viros vt explorent terram Chanaan, quã
ego dabo filijs Iſrael: ſingulos viros de vnoquoque
tribu patrum ſuorum mittetis omnem principem,
qui in eis eſt.*
4 *Miſitq; eos Moyſes à deſerto Pharan iuxta verbum
Domini: omnes hi viri capita filiorum Iſrael erant:
& hæc ſunt nomina eorum:*
5 *De tribu Ruben, Samua filius Zachur.*
6 *De tribu Symeon, Saphat filius Hori.*
7 *De tribu Iuda, Chaleb filius Iephone.*
8 *De tribu Iſachar, Igal filius Ioſeph.*
9 *De tribu Ephraim, Oſee filius Nun.*
10 *De tribu Beniamin, Phalti filius Raphu.*
11 *De tribu Zabulon, Gaddiel filius Sodi.*
12 *De tribu Ioſeph de tribu Manaſſe, Gaddi filius
Suſi.*
13 *De tribu Dan, Amiel filius Gemali.*
14 *De tribu Aſer, Sethur filius Michael.*
15 *De tribu Neptali, Naabi filius Vapſi.*
16 *De tribu Gad, Geuel filius Macha.*
17 *Hæc ſunt nomina virorum quos miſit Moyſes ad ex-
plorandam terram: vocauitque Moyſes Oſee filium
Nun, Ieſue.*
18 *Et miſit eos Moyſes ad explorandam terram Cha-
naan, & dixit ad eos: Aſcendite hac per Meridiem
& aſcendetis ad montem.*
19 *Et videbitis terram qualis eſt, & populum qui ha-
bitat in ea, vtrum fortis ſit an infirmus, vtrum pau
ci ſint an multi:*
20 *Et qualis ſit terra in qua habitat, vtrum bona ſit an
mala, & quales vrbes in quibus habitat, ſi ſunt abſ-
que muris an muratæ.*
21 *Et qualis eſt terra, ſi eſt abundans an ſterilis, & ſi
ſunt in ea arbores: an non. Et confortabimini, & tol-
letis de fructibus terræ. Dies autem erant quando
prima vuæ mатureſcunt.*
22 *Aſcenderuntq;, & explorauerunt terram à deſerto
Sin vſque Roob ad introitum Emath.*
23 *Aſcenderuntq; ad Meridiem, & venerunt vſque ad
Hebron: & ibi erant Haiman, Seſai, & Tolmai filij
gigantum: & Hebron ſeptem annis antequam Tha-
nes Ægypti condita eſt.*
24 *Et venerunt vſque ad torrentem botri, & abſcide-
runt inde palmitem, & botrum vnum vuarum, &
portauerunt eum duo viri in vecte. De malis quo-
que granatis, & de ficis.*
25 *Appellatuſque eſt locus ille, Torrens botri, propter
botrum quem abſciderunt inde filij Iſrael.*
26 *Reuerſique ſunt ab exploratione terræ poſt quadra-
ginta dies.*
27 *Et abierunt, & venerunt ad Moyſen, & ad Aaron,
& ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum
Pharan in Cades: & retulerunt eis verba, & omni
cœtui, & oſtenderunt eis fructum terræ.*

Et

## Vulgat. Editio.

28 Et narrauerunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ re vera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt:

29 Sed cultores fortiſſimos habet, & vrbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30 Amalech habitat in Meridie, Hethęus, & Iebuſęus, & Amorrhæus in montanis: Chananæus vero moratur iuxta Mare & circa fluenta Iordanis.

31 Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen, ait: Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32 Alij vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.

33 Detraxeruntque terræ, quam inſpexerant, apud filios Iſrael, dicentes: Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos: populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.

34 Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.

### CAP. XIIII.

1 IGitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa,

2 Et murmurati ſunt contra Moyſen, & Aaron cuncti filij Iſrael, dicentes:

3 Vtinam mortui eſſemus in Ægypto: & in hac vaſta ſolitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum?

4 Dixeruntque alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.

5 Quo audito Moyſes & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Iſrael.

6 * At vero Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipſi luſtrauerant terram, ſciderunt veſtimenta ſua,

* Eccl. 46. 9. Machab. 2. 55-56.

7 Et ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt: terra, quam circuiuimus, valde bona eſt.

8 Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem.

9 Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem ita eos poſſumus deuorare: receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere.

10 Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis cunctis filijs Iſrael.

11 Et dixit Dominus ad Moyſen: Vſquequo detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis?

12 Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam: te autem faciam principem ſuper gentem magnam, & fortiorem quam hæc eſt.

13 Et ait Moyſes ad Dominum: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxiſti populum iſtum.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et narrauerunt ei, & dixerunt: Venimus ad terram ad quam miſiſti nos, & etiam fluens lacte, & melle eſt, & hic fructus eius.*

29 *Niſi quod fortis eſt populus, qui habitat in terra, & vrbes munita magna valde ſunt. Et etiam liberos Hanach vidimus ibi.*

30 *Hamalech habitat in terra Meridiana, & Chittæus & Iebuſæus & Emorræus habitat in monte, & Chenahanæus habitat iuxta Mare, & iuxta ripam Iarden.*

31 *Et tacere fecit Chaleb populum contra Moſeh, & dixit: Aſcendendo aſcendamus, & hæreditate accipiemus eam, quia præualendo præualebimus ei.*

32 *Et viri qui aſcenderunt cum eo dixerunt: Non poterimus aſcendere ad populum, quia fortior eſt nobis.*

33 *Et protulerunt infamiam terræ, quam explorauerunt filijs Iſrael, dicendo: Terra per quam tranſiuimus ad explorandum eam, terra conſumens habitatores ſuos eſt, & omnis populus quem vidimus in medio eius, viri magnarum menſurarum ſunt.*

34 *Et ibi vidimus gigantes filios Hanach de gigantibus: & fuimus in oculis noſtris ſicut locuſta, & ſic eramus in oculis eorum.*

### CAP. XIIII.

1 *ET eleuauit omnis cœtus, & dederunt vocem ſuam, & fleuerunt populus nocte ipſa.*

2 *Et murmurauerunt aduerſum Moſeh, & aduerſum Aharon omnes filij Iſrael, & dixerunt ad eos omnis cœtus.*

3 *Vtinam mortui eſſemus in terra Ægypti: vel in deſerto hoc, vtinam mortui eſſemus, & vt quid Dominus venire facit nos ad terram hanc, vt caderemus gladio? vxores noſtræ, paruuli noſtri eſſent in prædam. Numquid non bonum erat nobis, vt reuerteremur in Ægyptum?*

4 *Et dixerunt vnuſquiſque ad fratrem ſuum: Ponamus caput, & reuertamur in Ægyptum.*

5 *Et procecit ſe Moſeh, & Aharon ſuper facies ſuas coram cœtu congregationis filiorum Iſrael.*

6 *Et Iehoſuah filius Nun, & Chaleb filius Iephunneh de explorantibus terram, ſciderunt veſtimenta ſua.*

7 *Et dixerunt ad omnem congregationem filiorum Iſrael, dicendo: terra per quam tranſiuimus ad explorandum eam, bona terra eſt valde valde.*

8 *Si complacuerit in nobis Dominus, & venire faciet nos ad terram hanc, & tradet eam nobis, terram quæ eſt fluens lacte & melle.*

9 *Veruntamen contra Dominum ne ſitis rebelles: & vos ne timeatis populum terræ, quia veluti panis noſter ſunt: receſſit protectio eorum ab eis: & Dominus eſt nobiſcum, ne timeatis eos.*

10 *Et dixerunt omnis congregatio, vt lapidarent eos lapidibus: & gloria Domini apparuit in tabernaculo eccleſiæ omnibus filijs Iſrael.*

11 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Vſquequo irritabunt me populus iſte? Et vſquequo non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci in medio eius?*

12 *Percutiam eum peſte, & expellam eum: & faciam te in gentem magnam, & robuſtiorem eo.*

13 *Et dixit Moſeh ad Dominum: Et audient Ægyptij quod aſcendere feciſti in fortitudine tua populum iſtum è medio eius.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

28 Et narrauerunt ei, & dixerunt: Venimus in terram, in quam miſiſti nos, terram fluentem lac & mel, & hic fructus eius:

29 Niſi quod audax eſt gens, quæ habitat ſuper eam, & ciuitates munitæ muratæ, magnæ valde. Et progeniem Enach vidimus ibi.

30 Et Amalec habitat in terra, quæ ad Auſtrum, & Chetthæus & Euæus & Iebuſæus & Amorrhæus habitat in montana: & Chananæus habitat iuxta Mare, & iuxta Iordanem flumen.

31 Et tacere fecit Chaleb populum erga Moyſen, & dixit ei: Nequaquam, ſed aſcendentes aſcendemus, & hæreditabimus eam, quoniam valentes valebimus erga eos.

32 Et homines, qui ſimul aſcenderant cum eo, dixerunt: Non aſcendemus, quoniam non poterimus aſcendere ad gentem, quia fortior eſt nobis magis:

33 Et protulerunt pauorem terræ, quam explorauerunt eam, ad filios Iſrael, dicentes: Terram, quam tranſiuimus eam explorare, terra comedens eos, qui habitant ſuper eos, eſt: & omnis populus, quem vidimus in ea, viri prælongi.

34 Et ibi vidimus gigantes, & eramus in conſpectu eorum, ſicut locuſtæ, ſed & ſic eramus coram illis.

### C A P. XIIII.

1 ET reſumens omnis ſynagoga edidit vocem, & fleuit populus totam noctem illam.

2 Et murmurauerunt in Moyſen & Aaron omnes filij Iſrael, & dixerunt ad eos omnis ſynagoga:

3 Vtinam mortui eſſemus in terra Ægypto, vel in deſerto hoc, ſi mortui eſſemus, & vt quid Dominus introducit nos in terram hanc ad cadendum in bello? vxores noſtræ, & paruuli erunt in direptionem. Nunc igitur melius eſt reuerti in Ægyptum.

4 Et dixerunt alter alteri: Demus ducem, & reuertamur in Ægyptum.

5 Et cecidit Moyſes & Aaron in faciem ante omnem ſynagogam filiorum Iſrael:

6 Ieſus autem filius Naue, & Chaleb filius Iephonne de ijs, qui explorauerant terram, diſciderunt veſtimenta ſua:

7 Et dixerunt ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael, dicentes: terra, quam explorauimus eam, bona eſt valde valde.

8 Si eligit nos Dominus, introducet nos in terram hanc, & dabit eam nobis, terra, quæ quidem eſt fluens lac & mel.

9 Sed à Domino nolite fieri apoſtatæ: vos autem ne timueritis populum terræ, quoniam cibus nobis ſunt: abſceſſit enim tempus ab eis: Dominus autem in nobis, nolite timere eos.

10 Et ait omnis ſynagoga lapidare eos in lapidibus: & gloria Domini apparuit in nube ſuper tabernaculum teſtimonij omnibus filijs Iſrael.

11 Et dixit Dominus ad Moyſen: Quouſque irritat me populus iſte? & quouſque non credent mihi in omnibus ſignis quæ feci in eis?

12 Percutiam eos morte, & perdam eos, & faciam te & domum patris tui in gentem magnam, & multo magis quam hæc.

13 Et dixit Moyſes ad Dominum: Et audiet Ægyptus, quod eduxiſti fortitudine tua populum hunc ex eis.



## Chald. Paraph. Tranſl.

28 *Et narrauerunt eis atque dixerunt: Venimus in terram ad quam miſiſtis nos, & fluit lacte & melle, & hic eſt fructus eius.*

29 *Sed populus qui habitat in ea fortis eſt, & ciuitates muratæ, & grandes valde. Filios quoque gigantum vidimus ibi.*

30 *Amalech habitat in terra Auſtrali: & Ethæus & Iebuſæus, & Amorræus habitant in monte: & Chananæus habitat iuxta Mare, & iuxta ripam Iordanis.*

31 *Et ſilere fecit Caleb populum propter Moyſen, & ait: Aſcendentes aſcendemus & poſſidebimus eam, quoniam poterimus obtinere eam.*

32 *Viri autem qui aſcenderunt cum eo, dixerunt: Non poterimus aſcendere ad populum, quia fortior nobis eſt.*

33 *Et detraxerunt terræ quam explorauerant apud filios Iſrael, dicentes: Terra per quam tranſiuimus, vt exploraremus eam, terra occidens habitatores ſuos eſt: & in omni populo quem vidimus in ea, erant viri magnæ ſtaturæ.*

34 *Ibiq; vidimus gigantes filios Enac de gigantibus, & videbamur apud noſmetipſos quaſi locuſtæ, & ſic fuimus in oculis eorum.*

### C A P. XIIII.

1 *ELeuauitq; omnis cœtus vocem ſuam, & fleuit omnis populus in nocte illa:*

2 *Et murmurati ſunt contra Moyſen & contra Aaron omnes filij Iſrael, & dixerunt eis omnis congregatio:*

3 *Vtinam mortui eſſemus in terra Ægypti, aut in deſerto hoc vtinam mortui eſſemus, quare ergo inducit nos Dominus in terram hanc, vt cadamus gladio & vxores noſtræ & paruuli noſtri erunt in prædam? nonne melius eſt nobis, vt reuertamur in Ægyptum?*

4 *Dixitq; vnuſquiſque ad fratrem ſuum: Conſtituamus principem, & reuertamur in Ægyptum.*

5 *Et cecidit Moyſes & Aaron ſuper faciem ſuam coram omni cœtu congregationis filiorum Iſrael.*

6 *Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone de exploratoribus terræ ſciderunt veſtimenta ſua:*

7 *Et dixerunt ad omnem congregationem filiorũ Iſrael dicentes: terra per quam tranſiuimus vt exploraremus eam, bona terra eſt valde nimis.*

8 *Si voluntas Domini fuerit nobiſcum, introducet nos in terram hanc, & tradet nobis terram quæ fluit lacte & melle.*

9 *Verumtamen nolite eſſe rebelles contra verbum Domini: neque vos timeatis populum terræ, quia in manu noſtra traditi ſunt: receſſit ab eis fortitudo eorum: & verbum Domini eſt in adiutorium noſtrum, nolite metuere eos.*

10 *Dixerunt omnis congregatio, vt lapidarent eos lapidibus: & gloria Domini reuelata eſt in tabernaculo fœderis omnibus filijs Iſrael.*

11 *Dixitq; Dominus ad Moyſen: Vſquequo prouocabit me ad iracundiam populus iſte? & vſquequo non credent verbo meo in omnibus ſignis quæ feci inter eos?*

12 *Feriam eos peſtilentia, & conſumam eos: & faciam te in populum magnum & fortiorem eis.*

13 *Dixitque Moyſes coram Domino: Audient Ægyptij de quorum medio aſcendere feciſti populum iſtum in virtute tua:*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| *Exo.13.21 | Et habitatores terræ huius, qui audierunt quòd tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, * & nubes tua protegat illos,& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: | 14 | 14 | Et dicent ſuper habitatorem terræ huius: audierunt quod tu es Domine in medio populi iſtius, quod oculo ad oculum conſpiceris Domine, & nubes tua ſtat ſuper eos, & in columna nubis ambulas ante eos in die, & in columna ignis in nocte. |
| | Quòd occideris tantam multitudinem quaſi vnum hominem,& dicant: | 15 | 15 | Et mori feceris populum iſtum tanquam virum vnum, & audient gentes quæ audierunt auditum tuum, dicendo: |
| *Ex.32.28 | Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: * ideirco occidit eos in ſolitudine. | 16 | 16 | Quia non poteſt Dominus introducere populum iſtum in terram ſuper quam iurauit eis, occidit eos in deſerto. |
| | Magnificetur ergo fortitudo Domini ſicut iuraſti, dicens: | 17 | 17 | Et nunc magnificetur obſecro fortitudo Domini: quemadmodum locutus eſt, dicendo: |
| *Pſ.102.8 Exo.34.6. | * Dominus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam,& quartam generationem. | 18 | 18 | Dominus tardus ad iram, & multus miſericordia, portans iniquitatem, & præuaricationem, & mundando non mundum iudicabit, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, ſuper tertios, & ſuper quartos. |
| | Dimitte, obſecro, peccatum populi huius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto vſque ad locum iſtum. | 19 | 19 | Parce obſecro iniquitati populi iſtius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, & quemadmodum pepercisti populo iſti ab Ægypto vſque huc. |
| | Dixitque Dominus: Dimiſi iuxta verbum tuum. | 20 | 20 | Et dixit Dominus: Peperci ſecundum verbum tuum. |
| | Viuo ego: & implebitur gloria Domini vniuerſa terra. | 21 | 21 | Et profecto viuo ego: & implebit gloria Domini omnem terram. |
| | Attamen omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto,& in ſolitudine,& tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ. | 22 | 22 | Quia omnes viri qui viderunt gloriam meam, & ſigna mea quæ feci in Ægypto, & in deſerto, & tentauerunt me iam decem vicibus, & non paruerunt voci meæ. |
| *Deut.35 | * Non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. | 23 | 23 | Si viderint terram ſuper quam iuraui patribus eorum: & omnes irritantes me, non videbunt eam. |
| *Ioſ.14.6 | * Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit: & ſemen eius poſſidebit eam. | 24 | 24 | Et ſeruum meum Chaleb pro eo quod fuit ſpiritus alter cum eo, & perfecit vt iret poſt me, introducam eum in terram ad quam venit: & ſemen eius hæreditate accipiet eam. |
| | Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras mouete caſtra, & reuertimini in ſolitudinem per viam Maris rubri. | 25 | 25 | Et Hamalecitha, & Chenahanæus habitat in valle. Cras vertite vos, & proficiſcimini vobis in deſertum per viam maris Suph. |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: | 26 | 26 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh & ad Aharon, dicendo: |
| | Vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? querelas filiorum Iſrael audiui, | 27 | 27 | Vſquequo congregationem malam iſtam quæ murmurat aduerſum me, murmurationes filiorum Iſrael qui murmurant aduerſum me, audiam? |
| | Dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. | 28 | 28 | Dic ad eos: Viuo ego, dixit Dominus: Si non quemadmodum locuti eſtis in auribus meis, ſic fecero vobis. |
| *Pſ.105.26. Deu.1.41. | * In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me. | 29 | 29 | In deſerto iſto cadent cadauera veſtra, & omnes numeri veſtri ſecundum omnem numerum veſtrum à filio viginti annorum, & ſupra, qui murmuraſtis aduerſum me. |
| | Non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone,& Ioſue filium Nun. | 30 | 30 | Si vos ingreſſi fueritis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare facerem vos in ea, niſi Chaleb filium Iephunneh, & Iehoſuah filium Nun. |
| | Paruulos autẽ veſtros, de quibus dixiſtis quod pręda hoſtibus forent, introducam: vt videant terram, quæ vobis diſplicuit. | 31 | 31 | Et paruulos veſtros de quibus dixiſtis, in prædam erunt, introducam eos: & ſcient terram, quam deſpexiſtis. |
| | Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine. | 32 | 32 | Et cadauera veſtra cadent in deſerto iſto. |
| | Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadauera patrum in deſerto, | 33 | 33 | Et filij veſtri erunt paſcentes in deſerto quadraginta annos, & portabunt fornicationes veſtras, donec conſumentur cadauera veſtra in deſerto. |
| *Eze.4.6. Pſ.94.10. | Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: annus pro die imputabitur. * Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras: & ſcietis vltionem meam: | 34 | 34 | Secundum numerum dierum quibus exploraſtis terram quadraginta diebus. Diem pro anno, diem pro anno portabitis pœnam iniquitatum veſtrarũ quadraginta annis: & cognoſcetis vltionem meam. |

Quo- Ego

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

14 Sed & omnes qui habitant ſuper terram hanc, audierunt, quia tu es Dominus in populo hoc, qui quidem oculis ad oculos aſpiciaris Domine, & nubes tua ſtat ſuper eos, & in columna nubis tu incedis prior eis die, & in columna ignis nocte.

15 Et conteres populum hunc, tamquam hominem vnum: & dicent gentes, quæcumque audierunt nomen tuum, dicentes:

16 Eo, quod non poſſet Dominus introducere populum hunc in terram, quam iurauerat eis, proſtrauit eos in deſerto.

17 Et nunc exaltetur fortitudo tua Domine, quemadmodum dixiſti, dicens:

18 Dominus longanimis, & multum miſericors, & verax, auferens iniquitates, & iniuſtitias, & peccata: & mundatione non mundabit reum, reddens peccata patrum ſuper filios vſque ad tertiam, & quartam progeniem.

19 Dimitte peccatum populo huic ſecundum magnam miſericordiam tuam: ſicut propitius fuiſti eis ab Ægypto vſque nunc.

20 Et dixit Dominus ad Moyſen: Propitius eis ſum iuxta verbum tuum.

21 Sed viuo ego: & viuens nomen meum, & implebit gloria Domini omnem terram;

22 Quia omnes viri videntes gloriam meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in deſerto, & tentauerunt me iam decies, & non exaudierunt vocem meam:

23 Profecto non videbunt terram, quam iuraui patribus eorum, ſed filij eorum, qui ſunt mecum hic quicumque non nouerunt bonum, neque malum, omnis iunior inexpertus, his dabo terram: Omnes autem irritantes me, non videbunt eam.

24 Puer autem meus Chaleb, quoniam ſpiritus alius in eo, & obſecutus eſt mihi, inducam eum in terram, in quam intrauit illuc, & ſemen eius hæreditabit eam.

25 Amalec autem, & Chananæus habitant in conualle. Cras reuertimini, & promouete vos in deſertum, viam mare rubrum.

26 Et ait Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens:

27 Quouſque ſynagogam malam hanc? quæ ipſi murmurant contra me, murmurationem filiorum Iſrael, quam murmurauerunt de vobis, audiui

28 Dic eis: Viuo ego, dicit Dominus: ſi non, quemadmodum locuti eſtis in aures meas, ſic faciam vobis.

29 In eremo hac cadent cadauera veſtra, & omnis recognitio veſtra, & qui ex vobis enumerati ſunt à vigeſimo anno, & ſupra, quicumque murmurauerunt ſuper me:

30 Si vos ingrediemini in terram, ſuper quam extendi manum meam ad collocandum vos ſuper eam, ſed Chaleb filius Iephone, & Ieſus filius Naue,

31 Et paruuli, quos dixiſtis in direptionem futuros, inducam eos in ipſam terram, & hæreditate poſſidebunt terram, quam vos abſceſſiſtis ab ea.

32 Et cadauera veſtra cadent in deſerto hoc.

33 Filij autem veſtri erunt vagi in deſerto quadraginta annos, & reportabunt fornicationem veſtram, quoaduſque conſumpta fuerint cadauera veſtra in deſerto,

34 Iuxta numerum dierum, quibuſcumque conſideraſtis terram quadraginta diebus, diem anno, accipietis peccata veſtra quadraginta annos, & cognoſcetis furorem iræ meæ.

## Chald. Paraph. Transl.

14 Et dicent habitantibus in terra hac qui audierunt, quòd tu Domine cum maieſtate tua habitas in medio populi huius, qui oculis ſuis vidit maieſtatem gloriæ tuæ Domine, & nubes tua obumbrat ſuper eos, & in columna nubis tu præcedis eos per diem, & in columna ignis per noctem.

15 Et ſi occideris populum hunc quaſi virum vnum, dicent populi qui audierunt famam fortitudinis tuæ dicens:

16 Eo quod non erat poteſtas coram Domino ad introducendum populum hunc in terram pro qua iurauit eis, ideo occidit eos in deſerto.

17 Nunc autem magnificetur, obſecro, fortitudo coram te, Domine, ſicut locutus es, dicens:

18 Dominus patiens & multum benefaciens, dimittens iniquitates & ſcelus, parcens eis qui conuertuntur ad legem eius, & eos qui non conuertuntur iuſtificat: viſitans peccata patrum in filios rebelles in generationem tertiam & in quartam.

19 Dimitte, obſecro, peccata populi huius, ſecundum multitudinem bonitatis tuæ: & ſicut dimiſiſti populo huic ab Ægypto & vſque nunc.

20 Dixitque Dominus: Dimiſi iuxta verbum tuum.

21 Verumtamen viuo ego, & implebitur gloria Domini omnis terra:

22 Quia omnes viri, qui viderunt gloriam meam, & ſigna mea quæ feci in Ægypto, & in deſerto, & tentauerunt coram me iam decem vicibus, & non obedierunt verbo meo:

23 Si videbunt terram pro qua iuraui patribus ſuis, & omnes qui irritauerunt coram me, non videbunt eam.

24 Seruum autem meum Caleb, eo quod fuit cum eo alius ſpiritus, & perfectè ſecutus eſt timorem meum, introducam in terram ad quam ingreſſus eſt, & filij ſui poſſidebunt eam.

25 Amalechites autem & Chananæus habitant in valle. Cras reuertimini & mouete caſtra in ſolitudinem per viam maris rubri.

26 Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe & cum Aaron, dicens:

27 Vſquequo congregatio hæc peſſima murmurabunt contra me? murmuratio filiorum Iſrael, quam ipſi murmurant contra me, audita eſt coram me.

28 Dic eis: Viuo ego, dicit Dominus: quòd ſicut locuti eſtis coram me, ſic faciam vobis.

29 In ſolitudine hac cadent cadauera veſtra, & omnes qui numerati ſunt ex vobis, iuxta omnem numerationem veſtram à viginti annis, & ſuprà, quia murmuraſtis contra me.

30 Si vos intrabitis in terram pro qua iuraui in verbo meo, vt habitare facerem vos in ea, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun.

31 Paruulos autem veſtros de quibus dixiſtis, quod eſſent in prædam, introducam, & cognoſcent terram quæ diſplicuit vobis.

32 Cadauera autem veſtra cadent in deſerto hoc:

33 Et filij veſtri morabuntur in ſolitudine quadraginta annis, & ſuſcipient iniquitates veſtras, donec conſumantur cadauera veſtra in deſerto.

34 Iuxta numerum dierum quibus exploraſtis terram quadraginta diebus, dies pro anno, dies pro anno ſupputabitur, & recipietis iniquitates veſtras quadraginta annis, & ſcietis quod murmuraſtis contra me.



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit aduerſum me: in ſolitudine hac deficiet, & morietur. | 35 | 35 | Ego Dominus locutus ſum: ſi non hoc fecero omni congregationi malæ iſti, quæ conuenerunt aduerſum me: in deſerto iſto conſumentur, & ibi morientur. |
| * Iudith 8. 24. 1. Cor. 10. 10. Heb. 3. 17. Iudæ 1. 5. | * Igitur omnes viri, quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, & qui reuerſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod eſſet mala, | 36 | 36 | Et viri quos miſit Moſeh ad explorandum terram, & reuerſi ſunt, & murmurare fecerunt aduerſum eum, omnem congregationem illam, educendo famam malam ſuper terram. |
| | Mortui ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini. | 37 | 37 | Morientur viri educentes famam terræ malam percuſſione coram Domino. |
| | Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad conſiderandam terram. | 38 | 38 | Et Iehoſuah filius Nun, & Chaleb filius Iephunneh vixerunt ex viris ipſis, qui perrexerant ad explorandum terram. |
| | Locutuſque eſt Moyſes vniuerſa verba hæc ad omnes filios Iſrael, & luxit populus nimis. | 39 | 39 | Et locutus eſt Moſeh verba iſta ad omnes filios Iſrael, & luxerunt populus valde. |
| | Et ecce mane primo ſurgentes aſcenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt: quia peccauimus. | 40 | 40 | Et ſurrexerunt mane, & aſcenderunt ad verticem montis, dicendo: Ecce nos, & aſcendemus ad locum quem dixit Dominus, quia peccauimus. |
| | Quibus Moyſes: Cur, inquit tranſgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? | 41 | 41 | Et dixit Moſeh: Vt quid tranſgredimini ſermonem Domini? & ipſe non proſperabitur. |
| * Deut. 1. 42. | * Nolite aſcendere: Non enim eſt Dominus vobiſcum, ne corruatis coram inimicis veſtris. | 42 | 42 | Ne aſcendatis. Quia non eſt Dominus in medio veſtri, ne percutiamini coram inimicis veſtris. |
| | Amalecites, & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquieſcere Domino, nec erit Dominus vobiſcum. | 43 | 43 | Quia Hamalechita, & Chenahanæus eſt ibi ante vos, & cadetis gladio: idcirco enim reuerſi eſtis, ne iretis poſt Dominum, & non erit Dominus vobiſcum. |
| | At illi contenebrati aſcenderunt in verticem montis. Arca autem teſtamenti Domini, & Moyſes non receſſerunt de caſtris. | 44 | 44 | Et vim fecerunt, vt aſcenderent ad verticem montis. Et arca fœderis Domini, & Moſeh non receſſerunt è medio caſtrorum. |
| | Deſcenditque Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens, perſecutus eſt eos vſque Horma. | 45 | 45 | Et deſcendit Hamalechita, & Chenahanæus habitans in monte ipſo, & percuſſerunt eos, & contriuerunt eos vſque ad Chormah. |
| | CAP. XV. | | | CAP. XV. |
| | LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 1 | 1 | ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo: |
| | Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, | 2 | 2 | Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram habitationum veſtrarum, quam ego do vobis. |
| | Et feceritis oblationem Domino in holocauſtum, aut victimam, vota ſoluentes, vel ſponte offerentes munera, aut in ſollemnitatibus veſtris adolentes odorem ſuauitatis Domino, de bobus ſiue de ouibus: | 3 | 3 | Et feceritis ſacrificium Domino holocauſtum, vel ſacrificium, vt permutetis votum, vel in oblatione ſpontanea, vel in ſollemnitatibus veſtris, vt faciatis odorem quietis Domino de bobus, vel de pecudibus: |
| | Offeret quicumque immolauerit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin: | 4 | 4 | Offeret offerens oblationem ſuam Domino ſacrificium ſimilæ decimum permixtum cum quarto hin olei. |
| | Et vinum ad liba fundenda eiuſdem menſuræ dabit in holocauſtum ſiue in victimam. Per agnos ſingulos, | 5 | 5 | Et vini pro libamine quartum hin facies ſuper holocauſtum, vel ſuper ſacrificium pro agno vno. |
| | Et arietes erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis hin: | 6 | 6 | Vel pro ariete facies ſacrificium ſimilæ duarum decimarum permixtum oleo tertium hin. |
| | Et vinum ad libamentum tertiæ partis eiuſdem menſuræ offeret in odorem ſuauitatis Domino. | 7 | 7 | Et vini pro libamine tertium hin offeres in odorem quietis Domino. |
| | Quando vero de bobus feceris holocauſtum, aut hoſtiam, vt impleas votum, vel pacificas victimas, | 8 | 8 | Et ſi feceris filium bouis holocauſtum, vel ſacrificium ad permutandum votum, vel pacifica Domino. |
| | Dabis per ſingulos boues ſimilæ tres decimas conſperſæ oleo, quod habeat medium menſuræ hin: | 9 | 9 | Offeret ſuper filium bouis oblationem ſimilam trium decimarum permixtam oleo, & dimidium hin. |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

35 Ego Dominus locutus ſum, ſi non ſic fecero ſynagogæ malæ huic, quæ conſurrexit ſuper me: in deſerto hoc abſumentur, & illic morientur.

36 Et homines quos miſerat Moyſes ad explorandam terram, & cum aduenissent, murmurauerunt contra eam ad ſynagogam, proferendo verba mala de terra,

37 Et mortui ſunt homines, qui oblocuti ſunt mala contra terram in plaga ante Dominum.

38 Et Ieſus filius Naue, & Chaleb filius Iephonne vixerunt ex hominibus illis, qui iuerunt explorare terram.

39 Et locutus eſt Moyſes omnia verba hæc ad omnes filios Iſrael: & luxit populus valde.

40 Et ſurgentes mane aſcenderunt in cacumen montis, dicentes: Ecce iam nos aſcendemus in locum, quem dixit Dominus: quoniam peccauimus.

41 Et dixit Moyſes: Vt quid vos tranſgredimini verbum Domini? non proſpera erunt vobis.

42 Nolite aſcendere: non enim eſt Dominus vobiſcum, & cadetis ante faciem inimicorum veſtrorum:

43 Quoniam Amalec, & Chananæus illic aduerſus vos: & cadetis gladio, eo quod auerſi eſtis, increduli Domino, & non erit Dominus in vobis.

44 Et vim facientes aſcenderunt ſuper cacumen montis. Arca autem teſtamenti Domini, & Moyſes non ſe mouerunt de caſtris.

45 Et aſcendit Amalec, & Chananæus, qui inſidebat in monte illo, & fugauerunt eos, & conciderunt eos vſque Herman: & reuerſi ſunt in caſtra.

### CAP. XV.

1 ET ait Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis in terram habitationis veſtræ, quam ego do vobis;

3 Et facies holocauſtomata Domino oblationem, vel ſacrificium ad magnificandum votum, aut ſecundum voluntatem, aut in ſollemnitatibus veſtris ad faciendum odorem ſuauitatis Domino, ſiue de bobus, ſiue de pecoribus:

4 Et offeret offerens munus ſuum Domino, ſacrificium ſimilæ decimam ipſius hin, refectæ in oleo in quarta hin:

5 Et vinum in libamen, quartam hin facietis ſuper holocauſtoſim, vel ſuper ſacrificium: agno vni facies tantum, oblationem, odorem ſuauitatis Domino.

6 Et arieti, cum feceritis eum in holocauſtoma, vel in ſacrificium, facies ſacrificium, ſimilæ duas decimas refectæ in oleo tertiam hin:

7 Et vinum in libamen tertiam hin offeretis in odorem ſuauitatis Domino.

8 Si autem feceritis de bobus in holocauſtoſim, vel in ſacrificium ad magnificandum votum, vel in ſalutare Domino:

9 Et offeret ſuper vitulum, ſacrificium, ſimilæ tres decimas refectæ in oleo dimidium hin,

## Chald. Paraph. Tranſl.

35 *Ego Dominus decreui in verbo meo, ſi non hoc faciam omni congregationi peſſima, quia conuenerunt contra me: in ſolitudine hac conſumentur, & ibi morientur.*

36 *Viri autem quos miſit Moyſes ad explorandam terram, reuerſi ſunt, & fecerunt murmurare contra eum omnem congregationem, vt detraherent terra.*

37 *Et mortui ſunt viri qui detraxerunt terra peſte coram Domino.*

38 *Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex viris qui abierunt ad explorandam terram.*

39 *Locutuſque eſt Moyſes verba hæc cum omnibus filijs Iſrael: & luxit populus valdè.*

40 *Surrexeruntque manè, & aſcenderunt ad verticem montis, dicentes: Ecce nos aſcendimus ad locum, de quo dixit Dominus: quia peccauimus.*

41 *Dixitque Moyſes: Quare vos tranſgredimini decretum verbi Domini? & hoc non proderit.*

42 *Non aſcendatis, quia non eſt maieſtas Domini inter vos: ne conteramini coram inimicis veſtris.*

43 *Amalechites autem, & Chananæus ibi ſunt ante vos: & corruetis gladio, eo quòd reuerſi eſtis à cultu Domini: & non erit verbum Domini in adiutorium veſtrum.*

44 *Et impiè egerunt, vt aſcenderent in verticem montis. Arca autem pacti Domini, & Moyſes non receſſerunt de medio caſtrorum.*

45 *Deſcenditque Amalechites, & Chananæus qui habitabat in monte illo, & percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt eos vſque Horma.*

### CAP. XV.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis in terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis.*

3 *Et feceritis oblationem corā Domino holocauſtum, aut beſtiam ſanctificatam pro ſolutione voti aut ſpontè, aut quod fit in ſollemnitatibus veſtris, vt ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino de bobus, aut de ouibus:*

4 *Offeret qui obtulerit oblationem ſuam coram Domino pro munere decimam ſimilæ conſperſæ quarta parte hin olei:*

5 *Et vinum pro libamento quartam partem hin offerent in holocauſtum, aut victimam ſanctificationum, per agnos ſingulos.*

6 *Aut per ſingulos arietes facies munus, duas decimas ſimilæ conſperſæ tertia parte hin olei:*

7 *Et vinum pro libamento tertiam partem hin offeres, vt ſuſcipiatur cum beneplacito coram Domino.*

8 *Et quando feceris vitulum in holocauſtum, aut in beſtiam ſanctificatam pro ſolutione voti, aut victimam ſanctificationum coram Domino.*

9 *Offeret ſuper vitulum munus, tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo dimidiæ partis hin:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et vinum ad liba fundenda eiuſdem menſuræ in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. | 10 | 10 | *Et vinum offeres pro libamine dimidium hin in ſacrificium odoris quietis Domino.* |
| Sic facies per ſingulos boues & arietes & agnos & hœdos. | 11 | 11 | *Sic fiet boui vno, vel arieti vno, vel pecudi; tam de ouibus, quam de capris, ſecundum numerum quem facietis, ſic facietis vni ſecundum numerum eorum.* |
| Tam indigenæ, quam peregrini | 12 | 12 | *Omnis ciuis faciet ſic, & iſta dum obtulerit ſacrificium odoris quietis Domino, & ſi peregrinatus fuerit vobiſcum peregrinus, vel qui eſt in medio veſtri per generationes veſtras, & fecerit ſacrificium odoris quietis Domino,* |
| Eodem ritu offerent ſacrificia. | 13 | 13 | *Quemadmodum facietis ſic faciet.* |
| Vnum præceptum erit atque iudicium tam vobis quam aduenis terræ. | 14 | 14 | *O congregatio, ſtatutum vnum eſt vobis, & peregrino qui peregrinatur: ſtatutum perpetuum per generationes veſtras; ſicut vos, ſic & peregrinus erit coram Domino: Lex vna, & norma vna erit vobis, & peregrino qui peregrinatur vobiſcum.* |
| Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 15 | 15 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: | 16 | 16 | *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos:* |
| Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, | 17 | 17 | *Cum ingreſſi fueritis terram ad quam ego ingredi facio vos.* |
| Et comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino | 18 | 18 | *Erit cum comederitis de pane terræ, eleuabitis eleuationem Domino.* |
| De cibis veſtris. Sicut de areis primitias ſeparatis, | 19 | 19 | *Principium paſtarum veſtrarum, placentam eleuabitis eleuationem. Secundum eleuationem areæ, ſic eleuabitis eam.* |
| Ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino. | 20 | 20 | *De primitijs paſtarum veſtrarum dabitis Domino, eleuationem per generationes veſtras.* |
| Quòd ſi per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen, | 21 | 21 | *Et ſi erraueritis, & non feceritis omnia præcepta iſta quæ locutus eſt Dominus ad Moſeh:* |
| Et mandauit per eum ad vos, à die qua cœpit iubere, & vltra, | 22 | 22 | *Omnia quæ præcepit Dominus vobis per manum Moſeh à die qua præcepit vobis, & vltra per generationes veſtras.* |
| Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, & ſacrificium eius ac liba, vt ceremoniæ poſtulant, hircumque pro peccato: | 23 | 23 | *Erit ſi ab oculis congregationis factum fuerit per errorem: facient omnis congregatio iuuencum filium bouis vnum in holocauſtum in odorem quietis Domino, & oblationem eius, & libamen eius, ſecundum normam, & hircum caprarum vnum pro peccato.* |
| Et rogabit ſacerdos pro omni multitudine filiorum Iſrael: & dimittetur eis, quoniam non ſponte peccauerunt, nihilominus offerentes incenſum Domino pro ſe & pro peccato, atque errore ſuo: | 24 | 24 | *Et expiabit ſacerdos omnem congregationem filiorum Iſrael, & parcetur eis, quia error eſt: & ipſi afferent oblationem ſuam, ſacrificium Domino, & oblationem pro peccato ſuo coram Domino ſuper errore ſuo.* |
| Et dimittetur vniuerſæ plebi filiorum Iſrael, & aduenis, qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa eſt omnis populi per ignorantiam. | 25 | 25 | *Et parcetur vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael, & peregrino, qui peregrinatur in medio eorum, quia vniuerſo populo per errorem.* |
| Quòd ſi anima vna neſciens peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo: | 26 | 26 | *Et ſi anima vna peccauerit per errorem, offeret capram anniculam pro peccato.* |
| Et deprecabitur pro ea ſacerdos, quòd inſcia peccauerit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. | 27 | 27 | *Et expiabit ſacerdos animam errantem, cum peccauerit per errorem coram Domino: & expiabit eam, & remittetur ei.* |
| Tam indigenis quam aduenis vna lex erit omnium qui peccauerint ignorantes. | 28 | 28 | *Ciui inter filios Iſrael, & peregrino qui peregrinatur inter eos, lex vna erit vobis facienti per errorem.* |
| Anima vero, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, (quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit) peribit de populo ſuo: | 29 | 29 | *Et anima quæ fecerit in manu excelſa, tam ciuis quam peregrinus, Dominum probris afficit, excidetur anima ipſa è medio populi ſui.* |
| Verbum enim Domini contempſit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem ſuam. | 30 | 30 | *Quia verbum Domini ſpreuit, & mandatum eius irritauit, excidendo excidetur anima ipſa pœna iniquitatis eius ſuper eam.* |
| Factum eſt autem, cum eſſent filij Iſrael in ſolitudine, & inueniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbati. | 31 | 31 | *Et fuerunt filij Iſrael in deſerto, & inuenerunt virum colligentem ligna in die Sabbati.* |



UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Et vinum in libamen, dimidium hin, oblationem, odorem ſuauitatis Domino. | 10 | 10 | Et vinum offeres pro libamento dimidiam partem hin, oblatio eſt quæ ſuſcipitur voluntarie coram Domino. |
| Sic facies vitulo vni, aut arieti vni, aut agno vni ex ouibus, vel ex capris: iuxta numerum eorum, quæ feceritis, ſic facietis vni iuxta numerum eorum. | 11 | 11 | Sic facies per ſingulos boues, & per ſingulos arietes, & per ſingulos agnos, in agnis aut in capris, iuxta numerum quem facietis, ſic facietis vnicuique iuxta numerum eorum: |
| Omnis indigena faciet ſic iſta, offerendo oblationes in odorem ſuauitatis Domino: ſi autem proſelytus in vobis aduenerit in terra veſtra, vel quicumque factus fuerit in vobis in generationibus veſtris, & faciet oblationem, odorem ſuauitatis Domino: | 12 | 12 | Sic faciet omnis indigena quando obtulerit ex his oblationem quæ ſuſcipitur voluntariè coram Domino: & quando peregrinatus fuerit apud vos peregrinus, aut qui fuerit inter vos per generationes veſtras, & fecerit oblationem quæ ſuſcipitur voluntariè coram Domino: |
| Quemadmodum facietis vos, ſic faciet. | 13 | 13 | Sicut feceritis, ita faciet. |
| Synagoga Domino: lex vna erit vobis, & proſelytis, qui appoſiti ſunt in vobis: lex æterna in progenies veſtras, ſicut vos: etiam proſelytus erit coram Domino: lex vna erit, & iuſtificatio vna vobis, & proſelyto appoſito in vobis, | 14 | 14 | Vna congregatio, & vnus ritus erit vobis, & peregrinis qui peregrinantur, ſtatuto ſempiterno in generationibus veſtris: ſicut vos, ita erit peregrinus coram Domino: lex vna, & iudicium vnum erit vobis, & aduenis qui peregrinantur apud vos: |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 15 | 15 | Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens: |
| Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: | 16 | 16 | Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: |
| In ingrediendo vos in terram, in quam ego induco vos illuc, | 17 | 17 | Cum ingreſſi fueritis in terram in quam ego induco vos. |
| Et erit, quando comedetis vos de panibus terræ: demetis demptionem, ſegregationem Domino, primitias conſperſionis veſtræ: | 18 | 18 | Et comederitis de pane terræ, ſeparabitis ſeparationem coram Domino. |
| Panem ſegregabitis, demptionem ipſum: ſicut demptionem ab area, | 19 | 19 | In primitias ciborum veſtrorum ſeparabitis placentam: ſicut ſeparant ſeparationem de area ſic ſeparabitis eam. |
| Sic demite ipſum primitias conſperſionis veſtræ, & dabitis Domino demptionem in progenies veſtras. | 20 | 20 | De primitijs ciborum veſtrorum dabitis ſeparationem coram Domino in generationibus veſtris: |
| Quando autem peccaueritis, & non feceritis omnia mandata hæc, quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen, | 21 | 21 | Et quando ignoraueritis, & non feceritis omnia præcepta hæc, quæ locutus eſt Dominus cum Moyſe: |
| Sicut præcepit Dominus ad vos in manu Moyſi, à die, qua præcepit Dominus ad vos, & vltra in progenies veſtras: | 22 | 22 | Omnia quæ mandauit Dominus ad vos per manum Moyſi, à die qua præcepit Dominus, & deinceps per generationes veſtras. |
| Et erit, ſi ab oculis ſynagogæ factum fuerit aliquid non ſponte, & faciet omnis ſynagoga vitulum vnum ex bobus immaculatum in holocauſtoma in odorem ſuauitatis Domino, & ſacrificium huius, & libamen eius iuxta conſtitutionem, & hircum ex capris vnum pro peccato. | 23 | 23 | Eritq; ſi ab oculis congregationis aliquid latuerit, & per ignorantiam factum fuerit, offeret omnis congregatio vitulum de bobus vnum in holocauſtum, vt ſuſcipiatur voluntariè coram Domino, & munus eius & libamentum eius ſicut decet, & hircum de capris vnum pro peccato. |
| Et exorabit ſacerdos pro omni ſynagoga filiorum Iſrael, & remittetur eis: quoniam non ſpontaneum eſt, & ipſi obtulerunt munus ſuum, oblationem Domino pro peccato ſuo ante Dominum pro non ſpontaneis ſuis. | 24 | 24 | Et propitiabit ſacerdos pro omni congregatione filiorum Iſrael, & dimittetur eis, quia ignorantia eſt, & ipſi obtulerunt oblationem ſuam coram Domino, & ſacrificium pro peccato ſuo coram Domino pro ignorantia ſua. |
| Et dimittetur per omnem ſynagogam filiorum Iſrael, & omni proſelyto appoſito ad vos: quoniam omni populo non ſpontaneum. | 25 | 25 | Dimittet urq; omni congregationi filiorum Iſrael, & aduenis qui peregrinantur inter eos, quia ignorantia eſt omnis populi. |
| Quod ſi anima vna peccauit non ſponte, offeret capram vnam anniculam pro peccato. | 26 | 26 | Et ſi vir vnus peccauerit per ignorantiam, offeret capram anniculam pro peccato: |
| Et exorabit ſacerdos pro anima, quæ non ſponte egit, & peccauit non ſponte Dominum, exorare pro eo. | 27 | 27 | Et propitiabit ſacerdos pro homine qui ignorauerit, quando peccauerit per ignorantiam coram Domino, & dimittetur ei. |
| Indigenæ in filijs Iſrael, & proſelyto appoſito in vobis, lex vna erit eis, quicumque fecerit non ſponte. | 28 | 28 | Lex vna erit indigenæ in filijs Iſrael, & aduenis qui peregrinantur inter eos, omni qui fecerit per ignorantiam. |
| Et anima, quæcumque fecerit in manu ſuperbiæ de indigenis, vel de proſelytis: Deum hic exacerbabit: exterminabitur anima illa de populo ſuo: | 29 | 29 | Vir autem qui fecerit aliquid per ſuperbiam de indigenis & peregrinis: Dominum ipſe irritat, & peribit homo ille de medio populi ſui: |
| Quoniam verbum Domini contempſit, & mandata eius diſperdidit: extritione exteretur anima illa, peccatum eius in ea. | 30 | 30 | Quia verbum Domini contempſit, & præcepta eius fecit irrita: conſumatione conſumabitur homo ille: iniquitas eius in eo erit. |
| Et erant filij Iſrael in deſerto, & inuenerunt hominem colligentem ligna die Sabbatorum: | 31 | 31 | Erantq; filij Iſrael in ſolitudine, & inuenerunt virum colligentem ligna in die Sabbati. |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

32 Obtulerunt eum Moyſi & Aaron & vniuerſæ multitudini.

33 Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent.

34 Dixitque Dominus ad Moyſen: Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.

35 Cumque eduxiſſent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus.

36 Dixit quoque Dominus ad Moyſen:

37 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos * vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas:

* Deut. 22. 12. Matt. 23. 5.

38 Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias, fornicantes,

39 Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo.

40 Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt eſſem Deus veſter.

### CAP. XVI.

1 ECce autem Core filius Iſaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filijs Ruben,

2 Surrexerunt contra Moyſen, alijque filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur.

3 * Cumque ſtetiſſent aduerſum Moyſen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur eleuamini ſuper populum Domini?

* Eccl. 45. 22. Iude 1. 11. 1. Cor. 10. 10.

4 Quod cum audiſſet Moyſes, cecidit pronus in faciē:

5 Locutuſque ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.

6 Hoc igitur facite: Tollat vnuſquiſque thuribula ſua, tu Core, & omne concilium tuum:

7 Et hauſto cras igne, ponite deſuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipſe erit ſanctus: multum erigimini filij Leui.

8 Dixitque rurſum ad Core: Audite filij Leui:

9 Num parum vobis eſt quod ſeparauit vos Deus Iſrael ab omni populo, & iūxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi, & miniſtraretis ei?

10 Idcirco ad ſe fecit accedere te, & oēs fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam ſacerdotium vendicetis,

11 Et omnis globus tuus ſtet contra Dominum? quid eſt enim Aaron vt murmuretis contra eum?

12 Miſit ergo Moyſes vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui reſponderunt: Non venimus.

13 Numquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri?

14 Reuera induxiſti nos in terram, quę fluit riuis lactis & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones agrorum & vinearum: an & oculos noſtros vis eruere? non venimus.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Et accedere fecerunt eum qui inuenerunt eum colligentem ligna ad Moſeh & Aharon, & vniuerſam congregationem.*

33 *Et poſuerunt eum in cuſtodia, quia non erat expoſitum quid ſiendum eſſet ei.*

34 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Moriendo morietur vir, lapidabit eum lapidibus omnis congregatio extra caſtra.*

35 *Et eduxerunt eum omnis congregatio extra caſtra, & lapidauerunt eum lapidibus, & mortuus eſt, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*

36 *Et dixit Dominus ad Moſeh, dicendo:*

37 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Et facient ſibi fimbriam in angulis veſtimentorum ſuorum per generationes ſuas, & ponent in fimbria anguli filum hyacinthinum.*

38 *Et erit vobis in fimbriam, & videbitis eam, & recordabimini omnium præceptorum Domini, & facietis ea, & non explorabit cor veſtrum, & oculos veſtros, poſt quos fornicamini.*

39 *Vt recordemini, & faciatis omnia præcepta mea, & ſitis ſancti Deo veſtro.*

40 *Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos è terra Ægypti, vt eſſem vobis in Deum. Ego Dominus Deus veſter.*

### CAP. XVI.

1 *ET tulit ſeipſum ad partem Corach filius Iſhar filij Chehath filij Leui, & Dathan & Abiron filij Eliab, & On filius Peleth filij Reuben*

2 *Et ſurrexerunt contra Moſeh, & viri è filijs Iſrael quinquaginta & ducenti principes congregationis, maiores concilij viri nominati.*

3 *Et congregauerunt ſe aduerſum Moſeh & Aharon, & dixerunt ad eos: Sat eſt vobis quod omnis congregatio vniuerſi ipſi ſancti ſunt, & in medio eorum eſt Dominus, & cur eleuatis vos ſuper congregationem Domini?*

4 *Et audiuit Moſeh, & proiecit ſe ſuper faciem ſuā.*

5 *Et locutus eſt ad Corach, & ad omnem congregationem eius, dicendo: Mane notum faciet Dominus eum qui eſt ſuus, & ſanctum appropinquare faciet ſibi, & quem elegerit, appropinquare faciet ſibi.*

6 *Hoc facite: Capite acerras Corach, & omnis congregatio eius.*

7 *Et ponite in eis ignem, & ponite in eis ſuffitum coram Domino cras: et erit vir quem elegerit Dominus ipſe ſanctus: ſufficit vobis filij Leui.*

8 *Et dixit Moſeh ad Corach: Audite quæſo filij Leui.*

9 *Numquid parum vobis eſt quod ſeparare fecit Deus Iſrael vos à congregatione Iſrael, vt appropinquare faceret vos ſibi, vt faceretis opus tabernaculi Dñi, & ſtaretis coram congregatione, vt miniſtraretis ei.*

10 *Et appropinquare fecit te, & omnes fratres tuos filios Leui tecum, vt quæratis etiam ſacerdotium?*

11 *Idcirco tu, & omnis congregatio tua, qua congregata eſt contra Dominum: & Aharon quid eſt, quia murmuraſtis aduerſum eum.*

12 *Et miſit Moſeh ad vocandum Dathan & Abiron filios Eliab, & dixerunt: Non aſcendemus.*

13 *Nūquid parū eſt, quod aſcendere feciſti nos è terra fluente lacte & melle, vt mori faceres nos in deſerto, quia principē facis te ſuper nos principatū gerēdo?*

14 *Etiam non ad terram fluentem lacte & melle venire feciſti nos, neque dediſti nobis hæreditatem agri, & vineæ: numquid oculos virorum illorum effodies? non aſcendemus.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

32 Et adduxerunt eum illi, qui inuenerunt colligentē ligna die Sabbatorum, ad Moyſen, & Aaron, & ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael:
33 Et depoſuerunt eum in cuſtodia; non enim decreuerant, quid facturi eſſent eum.
34 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Morte moriatur homo: lapidate eum lapidibus, omnis ſynagoga.
35 Et eduxerunt eum omnis ſynagoga extra caſtra, & lapidauit eum omnis ſynagoga extra caſtra, ſicut pręcepit Dominus Moyſi.
36 Et ait Dominus ad Moyſen, dicens:
37 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Et faciant ſibi fimbrias ſuper alas veſtimentorum ſuorum in progenies ſuas, & imponetis ſuper fimbrias alarum vittam hyacinthinam.
38 Et erit vobis in fimbrijs, & aſpicietis eas: & recordabimini omnium mandatorum Domini, & facietis ea, & nō peruertemini poſt cogitationes veſtras, & oculos in quibus vos fornicamini poſt eos:
39 Vt recordemini, & faciatis omnia mandata mea: & eritis ſancti Deo veſtro.
40 Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt ſim veſter Deus. Ego Dominus Deus veſter.

### C A P. XVI.

1 ET locutus eſt Core filius Iſaar filij Caath filij Leui, & Dathan & Abiron, filij Heliab, & Ayn filius Phaleth filij Ruben.
2 Et inſurrexerunt contra Moyſen; & viri de filijs Iſrael quinquaginta & ducenti Duces ſynagogæ, ſenatores conſilij, & viri nominati.
3 Coiuerunt ſuper Moyſen & Aaron, & dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis ſynagoga, omnes ſancti, & in ipſis Dominus, & quare conſurgitis ſuper ſynagogam Domini?
4 Et audiens Moyſes cecidit in faciem.
5 Et locutus eſt ad Core, & ad omnem illius ſynagogam, dicens: Conſiderauit, & nouit Deus eos, qui ipſius ſunt, & ſanctos: & adduxit ad ſe, & quos elegit ſibi, adduxit ad ſe.
6 Hoc facite: Sumite vobis ipſis thuribula, Core, & omnis ſynagoga eius,
7 Et imponite ſuper ea ignem ante Dominum cras, & erit ille vir quem elegit Dominus, hic ſanctus: Sufficiat vobis filij Leui.
8 Et dixit Moyſes ad Core: Exaudite me filij Leui:
9 Numquid puſillum eſt hoc vobis, quod diſtinxit Deus Iſrael vos de ſynagoga Iſrael, & adduxit vos ad ſe miniſtrare miniſteria tabernaculi Domini, & aſſiſtere ante tabernaculum ad miniſtrandum eis?
10 Et adduxit te, & omnes fratres tuos filios Leui tecum: & quæritis etiam ſacerdotio fungi?
11 Sic tu, & omnis ſynagoga tua congregata erga Deum? Et Aaron quis eſt, quia obmurmuratis contra eum?
12 Et miſit Moyſes vocare Dathan, & Abiron filios Heliab, & dixerunt: Non aſcendimus.
13 Numquid puſillum hoc, quoniam eduxiſti nos in terram fluentem lac & mel, interficere nos in eremo, quoniam præes nobis? princeps es:
14 Et tu in terram fluentem lac & mel induxiſti nos, & dediſti nobis ſortem agri, & vineas, oculos hominum illorum vtque abſcidiſti, non aſcendimus.

## Chald. Paraph. Tranſl.

32 Et adduxerunt eum qui inuenerant eum colligentem ligna, ad Moyſen & Aaron, & ad omnem congregationem.
33 Et ligauerunt eum in carcere, quia non erat decretum quid fieret de eo.
34 Dixitque Dominus ad Moyſen: Occiſione occidatur vir ille: omnis congregatio lapident eum lapidibus extra caſtra.
35 Et eduxerunt eum omnis congregatio extra caſtra, & lapidauerunt eum lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus Moyſi.
36 Dixitq; Dominus ad Moyſen, dicens:
37 Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias in angulis veſtimentorum ſuorum per generationes ſuas, & ponent in fimbrijs quæ ſunt in angulis filum hyacinthinum.
38 Eruntq; vobis fimbriæ, vt videatis eas, & recordemini omnium mandatorum Domini, & faciatis ea: & non fornicemini poſt cogitationem cordis veſtri, & poſt viſionem oculorum veſtrorum, poſt quæ vos erratis ſequentes ea.
39 Vt recordemini & faciatis omnia præcepta mea, & ſitis ſancti coram Deo veſtro.
40 Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt eſſem vobis in Deum. Ego Dominus Deus veſter.

### C A P. XVI.

1 ET diuiſus eſt Chore filius Iſaar filij Caath filij Leui, & Dathan & Abiran filij Eliab, & On filius Pheleth filij Ruben:
2 Et ſurrexerunt in conſpectu Moyſi; & viri ex filijs Iſrael ducenti & quinquaginta principes congregationis, qui in tempore concilij per nōia vocabantur.
3 Et congregati ſunt aduerſus Moyſen & aduerſus Aaron, & dixerunt eis: Sufficiat vobis quòd vniuerſi viri congregationis, omnes ſunt ſancti, & inter eos habitat maieſtas Domini, & cur vos eleuamini ſuper eccleſiam Domini?
4 Et audiuit Moyſes, & cecidit in faciem ſuam,
5 Locutuſque eſt cum Chore, & cum omni congregatione eius, dicens: Manè notum faciet Dominus quis eſt qui ad ſe pertineat, & quis ſanctus ſit, vt accedat in conſpectu eius, & quemcumque elegerit, applicabit ad miniſterium ſuum.
6 Hoc facite: Tollite vobis thuribula Chore, & omnis congregatio eius:
7 Et ponite in eis ignē, & mittite in eis incenſum aromatum coram Domino cras, & vir quem eliget Dominus, ipſe erit ſanctus: ſufficit vobis filij Leui.
8 Dixitq; Moyſes ad Chore: Audite nunc, filij Leui:
9 Nūquid parū vobis eſt ꝙ ſeparauit vos Deus Iſrael ab omni congregatione Iſrael, vt applicaret vos in cōſpectu ſuo, vt ſeruiretis ī miniſterio tabernaculi Dn̄i et vt ſtaretis corā cōgregatione ad miniſtrādū ꝓ eis:
10 Et applicauit te & omnes fratres tuos filios Leui tecum, & quæritis vos ſacerdotium magnum?
11 Propterea tu & omnis congregatio tua conueniſtis contra Dominum: quid eſt enim Aaron quia murmuraſtis contra eum?
12 Miſitq; Moyſes, vt vocarent Dathan, & Abiran filios Eliab: & dixerunt: Non aſcendemus.
13 Numquid parum eſt, quod aſcendere nos feciſti de terra fluente lacte & melle, vt occideres nos in ſolitudine, niſi quod etiam eleueris contra nos?
14 Vtique neque in terram fluentem lacte, & melle induxiſti nos, nec dediſti nobis poſſeſſionem agrorum, & vinearum: ſi oculos virorum illorum excęcaueris, non aſcendemus.



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Iratuſque Moyſes valde, ait ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia eorum: tu ſcis quod ne aſellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. | 15 | 15 | *Et iratus eſt Moſeh valde, & dixit ad Dominum: Ne reſpicias ad oblationem eorum: non aſinum vnum ab eis accepi, neque malefeci vni ex eis.* |
| Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua ſtate ſeorſum coram Domino, & Aaron die craſtino ſeparatum. | 16 | 16 | *Et dixit Moſeh ad Corach: Tu, & omnis congregatio tua eſtote coram Domino, tu & ipſi, & Aharon cras.* |
| Tollite ſinguli thuribula veſtra, & ponite ſuper ea incenſum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum ſuum. | 17 | 17 | *Et capite vnuſquiſque acerram ſuam, & ponetis in eis ſuffitum, & appropinquare facietis coram Domino vnuſquiſque acerram ſuam, quinquaginta, & ducentas acerras: & tu, & Aharon vnuſquiſque acerram ſuam,* |
| Quod cum feciſſent, ſtantibus Moyſe & Aaron, | 18 | 18 | *Et ponite in eis ignem, & ponite in eis ſuffitum, & ſtent ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & Moſeh, & Aharon.* |
| Et coacervaſſent aduerſum eos omnem multitudinem ad oſtium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. | 19 | 19 | *Et congregare fecit aduerſus eos Corach vniuerſam congregationem ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & conſpecta eſt gloria Domini vniuerſæ congregationi.* |
| Locutuſque Dominus ad Moyſen & Aaron, ait: | 20 | 20 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh & Aharon, dicendo:* |
| Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente diſperdam. | 21 | 21 | *Separate vos è medio congregationis iſtius, & conſumam eos in momento.* |
| Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet? | 22 | 22 | *Et proiecerunt ſe ſuper facies ſuas, & dixerunt: Deus Deus ſpirituum omnis carnis vir vnus peccauit, & contra vniuerſam congregationem iraſceris?* |
| Et ait Dominus ad Moyſen: | 23 | 23 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Præcipe vniuerſo populo vt ſeparetur à tabernaculis Core, & Dathan & Abiron. | 24 | 24 | *Loquere ad congregationem, dicendo: Tollite è circuitu tabernaculi Corach, Dathan & Abiron.* |
| Surrexitque Moyſes, & abijt ad Dathan & Abiron: & ſequentibus eum ſenioribus Iſrael, | 25 | 25 | *Et ſurrexit Moſeh, & perrexit ad Dathan & Abiron: & perrexerunt poſt eum ſeniores Iſrael.* |
| Dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. | 26 | 26 | *Et locutus eſt ad congregationem dicendo: Recedite quæſo à tabernaculis virorum impiorum iſtorum, & ne attingatis omnia quæ ſunt eis, ne forte pereatis in omnibus peccatis eorum.* |
| Cumque receſſiſſent à tentorijs eorum per circuitum: Dathan & Abiron egreſſi ſtabant in introitu papilionum ſuorum cum vxoribus & liberis, omnique frequentia. | 27 | 27 | *Et diſceſſerunt à tabernaculo Corach, Dathan & Abiron è circuitu, & Dathan & Abiron egreſſi ſunt ſtantes ad oſtium tabernaculorum ſuorum, & vxores eorum, & filij eorum, & paruuli eorum.* |
| Et ait Moyſes: In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: | 28 | 28 | *Et dixit Moſeh: In hoc ſcietis quod Dominus miſit me, vt faciam omnia opera hæc, quod non de corde meo.* |
| Si conſueta hominum morte interierint: & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus: | 29 | 29 | *Si vt moriuntur omnes homines morientur iſti: & viſitatione omnium hominum viſitabitur ſuper eos, non Dominus miſit me:* |
| Sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum, ſcietis quod blaſphemauerint Dominum. | 30 | 30 | *Et ſi creationem creauerit Dominus, & aperuerit terra os ſuum, & deglutinerit eos, & omnia quæ ſunt eis, & deſcenderint viuentes in infernum, ſcietis quod contempſerunt viri iſti Dominum.* |
| * Pſal. 105. 17. & Deu. 11. 6. * Confeſtim igitur vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: | 31 | 31 | *Et fuit cum conſummaſſet loqui omnia verba iſta, rupit ſe terra quæ erat ſub eis.* |
| Et aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. | 32 | 32 | *Et aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos: & domos eorum, & omnes homines qui erat Corach, & omnem ſubſtantiam.* |
| Deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. | 33 | 33 | *Et deſcenderunt ipſi, & omnes qui erant cum eis viuentes in infernum, & operuit eos terra, & perierunt è medio congregationis.* |
| At vero omnis Iſrael, qui ſtabat per gyrum, fugit ad clamorem percuntium, dicens: Ne forte & nos terra degluttiat. | 34 | 34 | *Et omnis Iſrael qui erant in circuitu eorum, fugerunt à voce eorum, dixerunt enim: Ne forte degluttiat nos terra.* |
| Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. | 35 | 35 | *Et ignis egreſſus eſt à Domino, & conſumpſit quinquaginta & ducentos viros offerentes ſuffitum.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 36 | 36 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Præcipe Eleazaro filio Aaron ſacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc illucque diſpergat: quoniam ſanctificata ſunt | 37 | 37 | *Dic ad Eleazar filium Aharon ſacerdotem, vt tollat acerras è combuſtione, & ignem diſpergat vltra, quia ſanctificata ſunt.* |

In *Acer-*

## Tranſl. ex Septuag.

15 Et grauiter tulit Moyſes valde, & dixit ad Dominum: Ne attendas ad ſacrificium eorum: non deſiderium vllius eorum ſumpſi, neque afflixi quemquam eorum.

16 Et dixit Moyſes ad Core: Sanctifica ſynagogam tuam, & ſitis parati ante Dominum tu, & Aaron, & ipſi cras.

17 Et ſumite vnuſquiſque thuribulum ſuum, & imponetis ſuper ea incenſum, & adducetis vnuſquiſque ante Dominum thuribulum ſuum, quinquaginta, & ducenta thuribula: & tu, & Aaron, vnuſquiſque thuribulum ſuum.

18 Et ſumpſit vnuſquiſque thuribulum ſuum, & impoſuerunt ſuper ea ignem, & iniecerunt in ea incenſum, & ſteterunt apud ianuas tabernaculi teſtimonij Moyſes, & Aaron:

19 Et coacer uauit aduerſus eos Core vniuerſam ſuam ſynagogam apud oſtium tabernaculi teſtimonij, & apparuit gloria Domini vniuerſæ ſynagogæ.

20 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

21 Abſcedite de medio ſynagogæ iſtius, & conſumam eos confeſtim.

22 Et ceciderunt in faciem ſuam, & dixerunt: Deus, Deus ſpirituum, & vniuerſæ carnis, ſi homo vnus peccauit, ſuper omnem ſynagogam ira Domini?

23 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

24 Loquere ſynagogæ, dicens: Secedite in circuitu à ſynagoga Core.

25 Et ſurrexit Moyſes, & iuit ad Dathan, & Abiron: & iuerunt ſimul cum eo omnes ſeniores Iſrael:

26 Et locutus eſt ad ſynagogam, dicens: Separamini à tabernaculis hominum durorum iſtorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in omni peccato eorum.

27 Et receſſerunt à tabernaculo Core in circuitu; & Dathan, & Abiron egreſſi ſunt, & ſteterunt ad ianuas tabernaculorum ſuorum, & vxores eorum, & filij eorum, & apparatus eorum.

28 Et dixit Moyſes: In hoc cognoſcetis, quia Dominus miſit me facere omnia opera hæc, quia non à meipſo:

29 Si ſecundum mortem omnium hominum morientur hi: ſi & ſecundum viſitationem omnium hominum, viſitatio erit eorum, non Dominus miſit me:

30 Sed in viſione oſtendet Dominus, & aperiens terra os ſuum abſorbebit eos, & domos eorum, & tabernacula eorum, & omnia quæcumque ſunt eis, & deſcendent viuentes in infernum, & cognoſcetis, quia exacerbauerunt homines iſti Dominum.

31 Vt autem ceſſauit loquens omnia verba hæc, diſrupta eſt terra de ſub eis:

32 Et aperta eſt terra, & deglutiuit eos, & domos eorum, & omnes homines, qui erant cum Core, & pecora eorum.

33 Et deſcenderunt ipſi, & quæcumque ſunt eorum, viuentia in infernum, & operuit eos terra, & perierunt de medio ſynagogæ.

34 Et omnis Iſrael, qui in circuitu eorum, fugerunt à voce eorum, quia dicentes: Ne forte abſorbeat nos terra.

35 Et ignis exijt à Domino, & deuorauit quinquaginta illos, & ducentos viros, qui offerebant incenſum.

36 Et dixit Dominus ad Moyſen:

37 Et ad Eleazarum filium Aaron ſacerdotem, tollite thuribula ærea de medio exuſtorum, & ignem alienum hunc ſemina ibi: quia ſanctificauerunt thuribula.

Pec-

## Chald. Paraph. Tranſl.

15 *Iratuſque eſt Moyſes valdè, & ait coram Domino: Non recipias voluntariè oblationem eorum: nullius enim ex eis aſinum tuli, neque cuiquam ex eis malefeci.*

16 *Dixitque Moyſes ad Chore: Tu, & omnis congregatio tua eſtote parati coram Domino, tu, & illi, & Aaron cras.*

17 *Et tollat vnuſquiſque thuribulum ſuum, & ponite ſuper ea incenſum aromatum, & offerte coram Domino ſinguli thuribulum ſuum ducenta, & quinquaginta thuribula: tu quoque & Aaron vnuſquiſque teneat thuribulum ſuum.*

18 *Tuleruntque ſinguli thuribulum ſuum, & poſuerunt ſuper ea ignem, & poſuerunt in eis incenſum aromatum, & ſteterunt in oſtio tabernaculi fœderis, Moyſes quoque & Aaron:*

19 *Et congregauit contra eos Chore omnem congregationem ad oſtium tabernaculi fœderis, & reuelata eſt gloria Domini omni cœtui.*

20 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & cum Aaron, dicens:*

21 *Separamini de medio congregationis huius, vt diſperdam eos ſubitò.*

22 *Et ceciderunt in faciem ſuã, & dixerũt: Deus, Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, numquid ſi vnus vir peccauerit, ſuper omnem congregationẽ erit indignatio?*

23 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

24 *Recedite à circuitu tabernaculi Chore, Dathan, & Abiram.*

25 *Surrexitque Moyſes, & abijt ad Dathan, & Abirã: & abierunt poſt eum ſeniores Iſrael:*

26 *Locutuſque eſt cum congregatione, dicens: Recedite nunc à tabernaculis virorum peccatorum iſtorum, & non tangatis omnia, quæ eorum ſunt, ne percutiamini in omnibus peccatis eorum.*

27 *Et aſcenderant à tabernaculo Chore, & Dathã, & Abiram per circuitum; Dathan autẽ, & Abiram egreſſi ſtabant in oſtio tabernaculorũ ſuorum, vxores quoque eorum, & filij eorum, & familia eorum.*

28 *Dixitque Moyſes: In hoc ſcietis, quia Dominus miſit me, vt facerem omnia opera hæc, & non ex voluntate mea:*

29 *Si morte omnium hominum iſti mortui fuerint: & viſitatione omnium hominum viſitabitur ſuper eos, non miſit me Dominus:*

30 *Et ſi rem nouam fecerit Dominus, & aperuerit terra os ſuum, & deglutierit eos, & omnia ſua, & deſcenderint viui in infernum, ſcietis, quòd ad iracundiam prouocauerunt viri iſti Dominum.*

31 *Et factum eſt cùm ceſſaſſet loqui omnia verba hæc, dirupta eſt terra, quæ erat ſub eis:*

32 *Et aperuit terra os ſuum, & deuorauit eos, & viros domus ſuæ, & omnes viros Chore, & vniuerſam ſubſtantiam.*

33 *Et deſcenderunt illi viui in infernum, & omnia ſua, & operuit ſuper eos terra, & perierunt de medio eccleſiæ.*

34 *Omnis autem Iſrael, qui ſtabat in circuitu eorum, fugerunt à clamore eorum, quia dixerunt: Ne fortè deglutiat nos terra.*

35 *Ignis autem egreſſus eſt à facie Domini, & combuſſit ducentos, & quinquaginta viros, qui offerebant incenſum aromatum.*

36 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

37 *Dic Eleazaro filio Aaron ſacerdoti, vt ſeparet thuribula de medio combuſtorum, & ignem diſpergat huc, & illuc: quia ſanctificata ſunt.*

Thu-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

38 In mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum ſit in eis incenſum Domino, & ſanctificata ſint, vt cernant ea pro ſigno, & monumento filij Iſrael.

39 Tulit ergo Eleazar ſacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium deuorauit, & produxit ea in laminas, affigens altari:

40 Vt haberent poſtea filij Iſrael, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur, ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius, loquente Domino ad Moyſen.

41 Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.

42 Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret:

43 Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.

44 Dixitque Dominus ad Moyſen:

45 Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra:

46 Dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populũ, vt roges pro eis: * iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit.

* Sap. 18. 21.

47 Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama:

48 Et ſtans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.

49 Fuerunt autem, qui percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum, & ſeptingenti, abſque his, qui perierant in ſeditione Core.

50 Reuerſuſque eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis, poſtquam quieuit interitus.

### CAP. XVII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere ad filios Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuper ſcribes virgæ ſuæ.

3 Nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas ſeorſum familias continebit:

4 Ponéſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi loquar ad te.

5 Quem ex his elegero, germinabit virga eius: & cohibebo à me querimonias filiorum Iſrael, quibus contra vos murmurant.

6 Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael: & dederunt ei omnes principes virgas per ſingulas tribus: fueruntque virgæ duodecim abſque virga Aaron.

7 Quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij:

8 Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.

9 Protulit ergo Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael, videruntque, & receperunt ſinguli virgas ſuas.

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

38 *Acerras peccatorum iſtorum, in animabus eorum, & faciant ex eis extenſas laminas in opertorium pro altari, quia obtulerunt eas coram Domino, & ſanctificata ſunt, & erunt in ſignum filijs Iſrael.*

39 *Et tulit Elhazar ſacerdos acerras æreas, quibus obtulerant combuſti, & extendit eas in operimentum pro altari:*

40 *Memoriale filijs Iſrael, vt non offerat vir alienus, qui non de ſemine Aharon eſt, vt ſuffire faciat ſuffitum coram Domino, & non ſit ſicut Corach, & ſicut congregatio eius, quemadmodum locutus eſt Dominus per manum Moſeh ei.*

41 *Et murmurauerunt omnis congregatio filiorũ Iſrael in craſtino contra Moſeh, & contra Aharon, dicendo: Vos mori feciſtis populum Domini.*

42 *Et fuit, cum congregaret ſe congregatio contra Moſeh, & contra Aharon: & reſpexiſſent ad tabernaculum eccleſiæ.*

43 *Ecce operuit illud nubes, & conſpecta eſt gloria Domini: & venit Moſeh, & Aharon coram tabernaculo eccleſiæ.*

44 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

45 *Tollite vos è medio cõgregationis huius, & cõſumam eos fermè in momẽto. Et ceciderũt ſe ſup faciẽ ſuã:*

46 *Et dixit Moſeh ad Aharon: Cape acerram, & pone in ea ignem ſuper altare, & pone ſuffitum, & pergens cito ad congregationem, expia eam: egreſſus eſt enim furor à facie Domini, incepit percuſſio.*

47 *Et accepit Aharon, quemadmodum locutus eſt Moſeh, & cucurrit ad medium congregationis, & ecce inceperat percuſſio in populo, & poſuit ſuffitum, & expiauit populum:*

48 *Et ſtetit inter mortuos, & inter viuentes, & reſtricta eſt percuſſio.*

49 *Et fuerunt mortui percuſſione, quatuordecim millia, & ſeptingenti præter mortuos propter Corach.*

50 *Et reuerſus eſt Aharon ad Moſeh ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & percuſſio reſtricta eſt.*

### CAP. XVII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Loquere ad filios Iſrael, & cape ab eis ſingulas virgas per domum patris ab omnibus principibus eorum per domum patrum eorum duodecim virgas. Vniuſcuiuſque nomen ſcribes ſuper virgam eius.*

3 *Et nomen Aharon ſcribes ſuper virgam Leui, quia tribus vna eſt per caput domus patrum eorum:*

4 *Et dimittes eas in tabernaculo eccleſiæ coram teſtimonio, vbi conueniam vobiſcum.*

5 *Et erit vir quem elegero, virga eius florebit: & quieſcere faciam à me murmurationes filiorum Iſrael, quibus murmurant aduerſum vos.*

6 *Et locutus eſt Moſeh ad filios Iſrael: & dederunt ei ſinguli principes virgam vnam per domum patrum ſuorum, duodecim virgas: & virga Aharon erat in medio virgarum eorum.*

7 *Et poſuit Moſeh virgas coram Domino in tabernaculo teſtimonij:*

8 *Et fuit, in craſtino venit Moſeh ad tabernaculum teſtimonij, & ecce floruerat virga Aharon è domo Leui: & protulerat florem, & floruerat flos, & reddiderat amygdalas.*

9 *Et eduxit Moſeh omnes virgas à facie Domini ad omnes filios Iſrael, & viderunt, & acceperunt vnuſquiſque virgam ſuam.*

## Tranſl. ex Septuag.

38 Peccatorum iſtorum in animabus ſuis: & fac eas laminas ductiles circumpoſitionem altari, quoniam oblata ſunt ante Dominum, & ſanctificata ſunt, & facta ſunt in ſignum filijs Iſrael.

39 Et ſumpſit Eleazar filius Aaron ſacerdotis thuribula ærea, quæcumque obtulerant ij, qui ſunt exuſti, & addiderunt ea circumpoſitionem altari:

40 Memoriale filijs Iſrael, vt non accedat vllus alienigena, qui non eſt de ſemine Aaron, imponere incenſum ante Dominum, & non erit, ſicut Core, & conſpiratio eius, ſicut locutus eſt Dominus in manu Moyſi.

41 Et murmurauerunt filij Iſrael poſtridie contra Moyſen, & Aaron, dicentes: Vos occidiſtis populum Domini.

42 Et factum eſt, cum irrueret ſynagoga ſuper Moyſen, & Aaron: & cum impetu iuerunt ad tabernaculum teſtimonij.

43 Illud vero obtexit nubes, & apparuit gloria Domini, & intrauit Moyſes, & Aaron ad faciem tabernaculi teſtimonij.

44 Et locutus eſt Dñs ad Moyſen, & Aaron, dicens:

45 Diſcedite de medio ſynagogæ iſtius, & conſumam eos confeſtim. Et ceciderunt in faciem ſuam:

46 Et ait Moyſes ad Aaron: Sume thuribulum, & impone ſuper illud ignẽ ab altari, & inijce ſup illud incẽſum, & effer velociter in caſtra, & exora ꝑ eis: exijt enim ira à facie Dñi, cœpit vulnerare populũ.

47 Et ſumpſit Aaron, ſicut locutus eſt ei Moyſes, & cucurrit ad ſynagogam, & iam inceperat vulneratio in populo, & iniecit incenſum, & exorauit pro populo:

48 Et ſtetit inter medium mortuorum, & viuorum, & ceſſauit plaga.

49 Et fuerunt mortui in plaga quattuor, & decem millia, & ſeptingenti præter eos, qui mortui erant propter Core.

50 Et reuerſus eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi teſtimonij & ceſſauit plaga.

### C A P. XVII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Loquere filijs Iſrael, & accipe ab eis virgam, virgam ſecundum domos familiarum, ab omnibus principibus eorum, ſecundum domos familiarum eorum duodecim virgas, & vniuſcuiuſque nomen eius ſcribe in virga.

3 Et nomen Aaron ſcribe in virga Leui, eſt enim virga vna, ſecundum tribum domus familiarum ſuarum dabunt:

4 Et pones eas in tabernaculo teſtimonij, è regione teſtimonij, in quibus agnoſcar tibi illic.

5 Et erit, homo, quem elegero eum, virga eius germinabit: & auferam à me murmurationem filiorum Iſrael, quæ ipſi murmurant ſuper vos.

6 Et locutus eſt Moyſes filijs Iſrael: & dederunt ei omnes principes eorum virgam, principi vni virgam, ſecundum principem, ſecundum domos familiarum eorum duodecim virgas: & virga Aaron inter virgas eorum.

7 Et depoſuit Moyſes virgas ante Dominum in tabernaculo teſtimonij:

8 Et factum eſt poſtridie, & intrauit Moyſes, & Aaron in tabernaculum teſtimonij, & ecce germinauit virga Aaron in domum Leui: & protulit germen, & effloruit flores, & germinauit nuces.

9 Et protulit Moyſes omnes virgas a facie Domini ad omnes filios Iſrael, & viderunt, & ſumpſerunt vnuſquiſque virgam ſuam.

## Chald. Paraph. Tranſl.

38 *Thuribula peccatorum horum: qui peccauerunt in animabus ſuis: & faciant ea laminas ductiles, quibus cooperiatur altare, quia obtulerunt ea corã Domino, & ſãctificata ſũt, & ſint in ſignũ filijs Iſrael.*

39 *Tulitque Eleazar ſacerdos thuribula aurea, quæ obtulerant, qui combuſti fuerant, & produxerunt ea in coopertorium altaris:*

40 *In memoriam filijs Iſrael, vt non accedat vir extraneus, qui non eſt de ſemine Aaron ad adolendum incenſum aromatum coram Domino, vt non ſit, ſicut Chore, & ſicut congregatio eius ſicut locutus eſt Dominus per manum Moyſi.*

41 *Murmurauerunt autem omnis congregatio filiorum Iſrael ſequenti die contra Aaron, dicentes: Vos effeciſtis, vt moreretur populus Domini.*

42 *Et factum eſt cùm congregaretur cœtus cõtra Moyſen, & contra Aaron: reſpexerunt ad tabernaculum fœderis:*

43 *Et ecce operuit illud nubes, & reuelata eſt gloria Domini, & venit Moyſes, & Aaron ante tabernaculum fœderis.*

44 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe dicens:*

45 *Separamini de medio congregationis huius, & conſumabo eos nunc. Et ceciderunt ſuper facies ſuas:*

46 *Dixitque Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulũ, & pone in eo ignem ab altari, & pone incenſum aromatum, & fer citò ad congregationem, & ora pro eis: quia egreſſa eſt ira à facie Domini, incepit peſtis.*

47 *Tulitque Aaron, ſicut locutus fuerat Moyſes, & cucurrit ad medium congregationis, & ecce cœperat peſtis in populo, & poſuit incenſum aromatum, & orauit pro populo:*

48 *Et ſtetit inter mortuos, & inter viuos, & ceſſauit peſtis.*

49 *Fuerunt autem, qui mortui ſunt in peſte, quattuordecim millia, & ſeptingenti, abſque his, qui mortui ſunt in ſchiſmate Chore.*

50 *Reuerſuſque eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis, & peſtis ceſſauerat.*

### *C A P. XVII.*

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

2 *Loquere cum filijs Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per domos patrum ab omnibus principibus eorum duodecim virgas per domos patrum ſuorum, & nomen vniuſcuiuſque ſcribes ſuper virgam eius.*

3 *Nomen autem Aaron ſcribes ſuper virgam Leui, quia virga vna erit princip̃i domus patrum ſuorum:*

4 *Reponeſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi conſtituam verbum meum vobis.*

5 *Et virum quem elegero, virga eius germinabit: & ceſſare faciam à me querimonias filiorum Iſrael, quibus ipſi murmurant contra vos.*

6 *Locutuſque eſt Moyſes cum filijs Iſrael, & dederunt ei omnes principes eorum ſingulas virgas per ſingulos principes per domos patrum ſuorum, duodecim virgas: & virga Aaron erat in medio virgarum eorum.*

7 *Et repoſuit Moyſes virgas coram Domino in tabernaculo teſtimonij:*

8 *Et factum eſt in ſequenti die ingreſſus eſt Moyſes in tabernaculum teſtimonij, & ecce germinauit virga Aaron in domo Leui: & produxit ramos, & eruperant flores, & formata ſunt amygdala.*

9 *Et protulit Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael, & cognouerunt, & acceperunt ſinguli virgas ſuas.*





UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Dixitque Dominus ad Moyſen: Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, * vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, & quieſcant querelæ eorum à me, ne moriantur.

* Heb. 9.4.

11 Feciтque Moyſes, ſicut præceperat Dominus.

12 Dixerunt autem filij Iſrael ad Moyſen: Ecce conſumpti ſumus, omnes perijmus.

13 Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num vſque ad internecionem cuncti delendi ſumus?

### CAP. XVIII.

1 Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatẽ Sanctuarij: & tu, & filij tui, ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotij veſtri.

2 Sed & fratres tuos de tribu Leui, & ſceptrum patris tui ſume tecum, præſtoque ſint, & miniſtrent tibi: tu autem, & filij tui miniſtrabitis in tabernaculo teſtimonij.

3 Excubabuntque Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, vt ad vaſa Sanctuarij, & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis ſimul.

4 Sint autem tecum, & excubent in cuſtodijs tabernaculi, & in omnibus ceremonijs eius. Alienigena non miſcebitur vobis.

5 Excubate in cuſtodia Sanctuarij, & in miniſterio altaris: ne oriatur indignatio ſuper filios Iſrael.

6 Ego dedi vobis fratres veſtros Leuitas de medio filiorum Iſrael, & tradidi donum Domino, vt ſeruiãt in miniſterijs tabernaculi eius.

7 Tu autem, & filij tui cuſtodite ſacerdotium veſtrũ: & omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per ſacerdotes adminiſtrabuntur, ſi quis externus acceſſerit, occidetur.

8 Locutuſque eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ ſanctificantur à filijs Iſrael, tradidi tibi, & filijs tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna.

9 Hæc ergo accipies de his, quæ ſanctificantur, & oblata ſunt Domino. Omnis oblatio, & ſacrificium, & quidquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.

10 In Sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia conſecratum eſt tibi.

11 Primitias autem, quas vouerint, & obtulerint filij Iſrael, tibi dedi, & filijs tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo. Qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis.

12 Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino tibi dedi.

13 Vniuerſa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vſus tuos: Qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis.

14 Omne quod ex voto reddiderint filij Iſrael: tuũ erit.

15 Quidquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, ſiue ex hominibus, ſiue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dumtaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum eſt, redimi facias:

16 Cuius redemptio erit poſt vnum menſem ſiclis argenti quinque, pondere Sanctuarij. * Siclus viginti obolos habet.

* Sup. 3.47. Exo. 30.13. Leu. 27.25. Eze. 45.12.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*10 Et dixit Dominus ad Moſeh: Redue virgam Aharon coram teſtimonio ad cuſtodiam, in ſignum filijs rebellibus, & finire faciet murmurationes eorum à me, & non morientur.*

*11 Et fecit Moſeh, quemadmodum præcepit Dominus ei, ſic fecit.*

*12 Et dixerunt filij Iſrael ad Moſeh, dicendo: Ecce morimur, perimus, omnes nos perimus.*

*13 Omnis, qui acceſſerit accedendo ad tabernaculum Domini, moritur. Numquid conſumendi ſumus, vt moriamur?*

### CAP. XVIII.

*1 Et dixit Dominus ad Aharon: Tu & filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatẽ Sanctuarij: & tu, & filij tui tecum portabitis iniquitatem ſacerdotij veſtri.*

*2 Et etiam fratres tuos tribum Leui, tribum patris tui, appropinquare fac tecum, & copulent ſe tibi, & miniſtrent tibi: & tu, & filij tui tecum coram tabernaculo teſtimonij.*

*3 Et cuſtodient cuſtodiam tuam, & cuſtodiam omnis tabernaculi: ſed ad vaſa Sanctitatis, & ad altare non appropinquabunt, vt non moriantur, tam ipſi, quam vos.*

*4 Et adhærebunt tibi, & cuſtodient cuſtodiam tabernaculi eccleſiæ in omni opere tabernaculi. Et extraneus non appropinquabit vobis.*

*5 Et cuſtodietis cuſtodiam Sanctitatis, & cuſtodiã altaris: & non erit amplius ira ſuper filios Iſrael.*

*6 Et ego ecce tuli fratres veſtros Leuitas è medio filiorum Iſrael, vobis donum dati Domino, vt faciant opus tabernaculi eccleſiæ.*

*7 Et tu, & filij tui tecum cuſtodietis ſacerdotium veſtrum: ad omnem rem tabernaculi & intra velum, & facietis opus doni dabo ſacerdotium veſtrum, & extraneus appropinquando morietur.*

*8 Et locutus eſt Dominus ad Aharon: Et ego ecce ego dedi tibi cuſtodiam oblationum mearum. Omnes ſanctificationes filiorum Iſrael, tibi dedi eas ad vngendum, & filijs tuis in ſtatutum perpetuum.*

*9 Hoc erit tibi de ſanctificatione ſanctificationum, de igne omnis oblatio eorum, omne munus eorum. Omnis oblatio pro peccato eorum, & omnis oblatio pro delicto eorum, quæ reddent mihi Sanctificatio Sanctificationum tibi eſt, & filijs tuis.*

*10 In Sanctificatione Sanctificationũ comedet eam: omnis maſculus comedet eam, ſanctificatio erit tibi.*

*11 Et hæc tibi oblationes doni eorum, omnem eleuationem filiorum Iſrael, tibi dedi, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum in ſtatutum perpetuum. Omnis mundus in domo tua comedet eam.*

*12 Omnem pinguedinem olei, & omnem pinguedinem vini, & frumenti, primitias eorum, quas dabunt Domino tibi dedi.*

*13 Primitiæ omnium, quæ erunt in terra eorum quas afferent Domino, tibi erunt. Omnis mundus in domo tua, comedet eas.*

*14 Quæcumque conſecratio in Iſrael: tibi erit.*

*15 Quicquid aperit vuluam omnis carnis, quod offerent Domino, tam de hominibus, quam de animalibus tibi erit: ſed redimendo redimes primogenitum hominis, & primogenitum animalis immundi redimes:*

*16 Et redemptiones eius à filio menſis redimes, ſecundũ æſtimationem, pecunia quinque ſiclis, ſecundum ſiclum Sanctitatis. Viginti obolorum eſt ſechel.*

## Tranſl. ex Septuag.

10 Et dixit Dominus ad Moyſen: Depone virgam Aaron in conſpectu teſtimoniorum in conſeruationé, ſignum filijs inobedientium, & ceſſet murmuratio eorum à me, & non moriantur.

11 Et fecit Moyſes, & Aaron, ſicut præcepit Dominus Moyſi, ita fecerunt.

12 Et dixerunt filij Iſrael ad Moyſen, dicentes: Ecce abſumpti ſumus, perijmus, conſumpti ſumus.

13 Omnis tangens tabernaculum Domini moritur. Vſque in finem moriemur?

### CAP. XVIII.

1 ET ait Dominus ad Aaron, dicens: Tu, & filij tui & domus patris tui accipietis peccata Sanctorum: & tu, & filij tui accipietis peccata ſacerdotij veſtri.

2 Et fratres tuos tribum Leui domum patris tui aſſume ad te, & adiungantur tibi, & miniſtrent tibi: & tu, & filij tui tecum coram tabernaculo teſtimonij.

3 Et cuſtodient cuſtodias tuas, & cuſtodias tabernaculi: tantummodo ad vaſa Sancta, & ad altare non accedent, & non morientur, & hi, & vos.

4 Et addentur ad te, & cuſtodient cuſtodias tabernaculi teſtimonij, ſecundum omnia miniſteria tabernaculi. Et alienigena non accedet ad te.

5 Et cuſtodietis cuſtodias Sanctorum, & cuſtodias altaris: & non erit furor in filios Iſrael.

6 Et ego accepi fratres veſtros Leuitas de medio filiorum Iſrael, dationem datam Domino, ad miniſtranda miniſteria tabernaculi teſtimonij.

7 Et tu, & filij tui tecum conſeruabitis ſacerdotium veſtrum: ad omnem modum altaris, & quod eſt intra velum, & miniſtrabitis miniſteria, dationem ſacerdotij veſtri: & alienigena accedens morietur.

8 Et locutus eſt Dominus ad Aaron: Et ecce ego dedi vobis conſeruationem primitiarum. De omnibus, quæ ſanctificata ſunt mihi à filijs Iſrael, tibi dedi ea in honorem, & filijs tuis poſt te, legitimum ſempiternum.

9 Et hoc ſit vobis de ſanctificatis ſanctis oblationibus, de omnibus muneribus eorum. Et de omnibus ſacrificijs eorum, & de omni delicto eorum, & de omnibus peccatis eorum, quæcumque reddunt mihi de omnibus Sanctis, tibi erunt, & filijs tuis.

10 In Sancto Sanctorum comedetis ea: omne maſculinum comedet ea, tu, & filij tui, ſancta erunt tibi.

11 Et hoc erit vobis de primitijs dationum eorum, de omnibus impoſitionibus filiorum Iſrael, tibi dedi ea, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum, legitimũ ſempiternum. Omnis mundus in domo tua edet ea.

12 Omnis primitia olei, & omnis primitia vini, tritici, primitia eorum, quæcumque dederint Domino, tibi dedi ea.

13 Primogenita omnia, quæcumque in terra eorum, quæcumque attulerint Domino, tibi erunt. Omnis mundus in domo tua edet ea.

14 Omne conſecratum in filijs Iſrael: tibi erit.

15 Et omne adaperiens vuluam de omni carne, quæcumque offerunt Domino ab homine vſq; ad pecu, tibi erit: ſed redemptionibus redimentur primogenita hominum, & primogenita pecorum immundorum redimes:

16 Et redemptio eius, ab vno menſe æſtimatio quinque ſiclorum, iuxta ſiclum Sanctum. Viginti oboli ſunt.

Ve-

## Chald. Paraph. Tranſl.

10 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Refer virgam Aaron coram teſtimonio in cuſtodiam, & in ſignum populo rebelli, vt ceſſet murmuratio eorum à facie mea, & non moriantur.*

11 *Fecitque Moyſes, ſicut præceperat ei Dominus, ita fecit.*

12 *Dixerũt aũt filij Iſrael ad Moyſen, dicẽtes: Ecce ex nobis iterfecti sũt gladio, et ecce aliquos ex nobis deglutiuit terra, & ecce aliq ex nobis mortui sũt peſte.*

13 *Omnis, qui accedit ad tabernaculum Domini moritur. Num morte conſumendi ſumus?*

### CAP. XVIII.

1 *DIxitque Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum propitiabitis ſuper delicta Sanctuarij: & tu, & filij tui tecum expiabitis ſuper peccata ſacerdotij veſtri.*

2 *Fratres quoque tuos de tribu Leui patris tui applica ad te, vt adhæreant tibi, & miniſtrent tibi: & tu, & filij tui tecum eritis coram tabernaculo teſtimonij.*

3 *Et cuſtodient cuſtodiam tuam, & cuſtodiam totius tabernaculi: ſed ad vaſa Sanctuarij, & ad altare non accedant, vt non moriantur, tam illi, quam vos.*

4 *Et adhærebunt tibi, & cuſtodient cuſtodiam tabernaculi fœderis, iuxta omne miniſterium tabernaculi. Et alienus non accedat ad vos.*

5 *Cuſtodietiſq; cuſtodiam Sanctuarij, & cuſtodiã altaris: vt non ſit vltra indignatio ſuper filios Iſrael.*

6 *Et ecce ego applicaui fratres veſtros Leuitas de medio filiorũ Iſrael, & dedi eos dono vobis corã Domino, vt miniſtrent miniſterium tabernaculi fœderis.*

7 *Tu autem, & filij tui tecum cuſtodietis ſacerdotiũ veſtrum: iuxta omnem ritum altaris, & intra velũ miniſtrabitis, miniſterium doni dabo ſacerdotium veſtrum: & extraneus, qui acceſſerit, occidetur.*

8 *Locutuſque eſt Dominus cum Aaron: Ecce ego dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ ſanctificata ſunt à filijs Iſrael, tibi tradidi ea pro vnctione, & filijs tuis in pactum ſempiternum.*

9 *Hoc erit tibi de Sancto Sanctorum, quod remanet de omnibus, quæ oblata ſunt in igne, iuxta omnia munera eorum. Et iuxta omnia, quæ pro peccato offeruntur, & pro delicto eorum reddent coram me, Sãctum Sanctorum erit tibi, & filijs tuis.*

10 *In Sancto Sanctorum comedetis illud: omnis maſculus comedet illud, ſanctum erit tibi.*

11 *Et hæ primitiæ munerum eorum, iuxta omnia, quæ obtulerint filij Iſrael, tibi tradidi ea, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum fœdere ſempiterno. Omnis, qui mundus fuerit in domo tua, comedet ea.*

12 *Omne optimum olei, & omne optimum vini, & frumenti, & primitias eorum quas dabunt filij Iſrael coram Domino, tibi dedi eas.*

13 *Primitiæ omnium, quæ in terra ſua naſcuntur, quas offerunt coram Domino, tuæ erunt. Omnis, qui mundus fuerit in domo tua, veſcetur eis.*

14 *Omne anathema in Iſrael: tuum erit.*

15 *Omne, quod aperit vuluam omnis carnis, quam offerunt coram Domino, de homine, & iumento, & de pecoribus, tuum erit: ſed rediment redimes primogenitum hominis, primogenitum quoque animalis immundi redimes:*

16 *Et redemptio eius erit ab ætate vnius menſis, redimeſque pretio quinque ſiclorum argenti in ſiclis Sanctuarij. Viginti obolos habens ſiclus.*

Sed

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Primogenitum autem bouis, & ouis, & capræ non facies redimi, quia ſanctificata ſunt Domino. Sanguinem tantum eorum fundes ſuper altare, & adipes adolebis in ſuauiſſimum odorem Domino. | 17 | 17 | *Sed primogenitum bouis, vel primogenitum ouis, vel primogenitum capræ non redimes, ſanctificatio ſunt. Sanguinem eorum ſparges iuxta altare, & adipem eorum ſuffire facies, ſacrificium in odorem quietis Domino.* |
| Carnes vero in vſum tuum cedent, ſicut pectuſculum conſecratum, & armus dexter, tua erunt. | 18 | 18 | *Et caro eorum erit tibi, ſicut pectus eleuationis, & ſicut armus dexter tibi erit.* |
| Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedi, & filijs, ac filiabus tuis iure perpetuo. Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino, tibi, ac filijs tuis. | 19 | 19 | *Omnes eleuationes Sanctificationum, quas eleuare facient filij Iſrael Domino, dedi tibi, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum, in ſtatutum perpetuum. Pactum ſalis ſæculi eſt coram Domino tibi, & ſemini tuo tecum.* |
| Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. | 20 | 20 | *Et dixit Dominus ad Aharon: De terra eorum non hæreditate accipies, & pars non erit tibi in medio eorum: ego pars tua, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* |
| Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis: | 21 | 21 | *Et filijs Leui, ecce dedi omnem decimam in Iſrael in hæreditatem pro opere eorum, quod ipſi operantur, opus tabernaculi eccleſiæ:* |
| Vt non accedant vltra filij Iſrael ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum: | 22 | 22 | *Et nõ appropinquabũt amplius filij Iſrael ad tabernaculũ eccleſiæ, vt ferãt pœnã peccati, vt moriãtur:* |
| Solis filijs Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi, legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris. * Nihil aliud poſſidebunt: (* Deu. 18. 1.) | 23 | 23 | *Et faciet Leuita ipſe opus tabernaculi eccleſiæ, & ipſi portabunt iniquitatem eorum, ſtatuto perpetuo per generationes veſtras. Et in medio filiorum Iſrael nõ hæreditate accipient hæreditatem:* |
| Decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui. | 24 | 24 | *Decimam enim filiorum Iſrael, quam eleuabũt Domino eleuationem, dedi Leuitis in hæreditatem, idcirco dixi eis: In medio filiorum Iſrael, nõ hæreditate accipient hæreditatem.* |
| Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 25 | 25 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Præcipe Leuitis, atque denuncia: Cum acceperitis à filijs Iſrael decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt, decimam partem decimæ: | 26 | 26 | *Et ad Leuitas loqueris, & dices ad eos: Cum acceperitis à filijs Iſrael decimam, quam dedi vobis in hæreditatem veſtram, eleuabitis ex ea eleuationem Domini, decimam è decima:* |
| Vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum, tam de areis, quàm de torcularibus: | 27 | 27 | *Et reputabitur vobis eleuatio veſtra, ſicut frumentum de area, & ſicut plenitudo de torculari:* |
| Et vniuerſis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron ſacerdoti. | 28 | 28 | *Sic eleuabitis etiam vos eleuationem Domini de omnibus decimis veſtris, quas capietis à filijs Iſrael, & dabitis ex ea eleuationem Domini Aharon ſacerdoti.* |
| Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini ſeparabitis, optima, & electa erunt. | 29 | 29 | *Ex omnibus donis veſtris eleuabitis eleuationem Domini, de omni adipe eius ſanctificationem eius de eo.* |
| Diceſque ad eos: Si præclara, & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quaſi de area, & torculari dederitis primitias: | 30 | 30 | *Et dices ad eos: Quando eleuabitis pinguedinem eius ex eo, reputabitur Leuitis ſicut fructus areæ, & ſicut fructus torcularis:* |
| Et comedetis eas in omnibus locis veſtris, tam vos, quam familiæ veſtræ: quia pretium eſt pro miniſterio, quo ſeruitis in tabernaculo teſtimonij. | 31 | 31 | *Et comedetis illum in omni loco vos, & domus veſtra: quia merces eſt vobis pro omni opere veſtro in tabernaculo eccleſiæ.* |
| Et non peccabitis ſuper hoc, egregia vobis, & pinguia reſeruantes, ne polluatis oblationes filiorum Iſrael, & moriamini. | 32 | 32 | *Et non portabitis ſuper illo peccatum, quando eleuabitis vos pinguedinem eius ex eo, & ſanctificationes filiorum Iſrael, non polluetis, & non moriemini.* |
| **CAP. XIX.** | | | ***CAP. XIX.*** |
| LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: | 1 | 1 | *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, & Aharon, dicendo:* |
| Iſta eſt religio victimæ, quam conſtituit Dominus. Præcipe filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum: | 2 | 2 | *Hoc eſt ſtatutum legis, quod præcepit Dominus, dicendo: Loquere ad filios Iſrael, & afferant ad te vaccam rufam perfectam, in qua non ſit macula, ſuper quam non fuit iugum:* |
| Tradetiſque eam Eleazaro ſacerdoti: * qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium: (* Heb. 13. 11.) | 3 | 3 | *Et dabitis eam Elhazar ſacerdoti: & educet eam extra caſtra, & mactabit eam ante eum:* |
| Et tingens digitum in ſanguine eius, aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus: | 4 | 4 | *Et capiet Elhazar ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo, & ſparget contra faciem tabernaculi eccleſiæ de ſanguine eius ſeptem vicibus:* |
| Combureque eam cunctis videntibus, tam pelle, & carnibus eius, quam ſanguine, & fimo flammæ tradens. | 5 | 5 | *Et comburet vaccam in oculis eius, pellem eius, & carnem eius, & ſanguinem eius cum fimo eius comburet.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Veruntamen primogenita vitulorum, & primogenita ouium, & primogenita caprarum non redimes, ſancta ſunt. Et ſanguinem eorum effundes ad altare, & adipem offeres oblationem in odorem ſuauitatis Domino.

18 Et carnes erunt tibi, ſicut etiam pectuſculum impoſitionis, & ad brachium dextrum, tibi erit.

19 Omnis demptio Sanctorum, quæcumque dempſerint filij Iſrael Domino, dedi tibi, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum, legitimum ſempiternum. Teſtamentum ſalis ſempiterni eſt ante Dominum, tibi, & ſemini tuo poſt te.

20 Et locutus eſt Dominus ad Aaron: In terra eorum non hæreditabis, & pars non erit tibi in eis: quoniam ego pars tua, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.

21 Et filijs Leui, ecce dedi omnem decimam in Iſrael in ſorte pro miniſterijs eorum, quæcumque ipſi miniſtrant, miniſterium in tabernaculo teſtimonij:

22 Et non accedent vltra filij Iſrael in tabernaculũ teſtimonij ad accipiendum peccatum mortiferum:

23 Et miniſtrabit Leuita ipſe miniſterium tabernaculi teſtimonij & ipſi accipient peccata eorum, legitimũ ſempiternum in progenies eorum. Et in medio filiorum Iſrael non hæreditabunt hæreditatem:

24 Quoniam decimas filiorum Iſrael, quæcumque ſegregauerint Domino, demptionem dedi Leuitis in ſorte, propterea dixi eis: In medio filiorum Iſrael non hæreditabunt ſortem.

25 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

26 Et Leuitis loqueris, & dices ad eos: Si acceperitis à filijs Iſrael decimam, quam dedi vobis ab eis in ſorte, & demetis vos de ea demptionem Domino, decimam de decima:

27 Et computabuntur vobis demptiones veſtræ, ſicut triticum de area, & demptio à torculari:

28 Sic demetis eos, & vos ab omnibus demptionibus Domini ab omnibus decimis veſtris, quaſcumque acceperitis à filijs Iſrael, & dabitis de eis demptionem Domino Aaron ſacerdoti.

29 Ab omnibus datis veſtris demetis demptionẽ Domino, vel de omnibus primitijs, quód ſanctificatum eſt, de eo.

30 Et dices ad eos: Cum dempſeritis primitiam de eo, & computabitur Leuitis, tanquam genimen ab area, & tanquam genimen à torculari:

31 Et comedetis illud in omni loco, vos, & domus veſtræ: quoniam merces hæc vobis eſt pro miniſterijs veſtris in tabernaculo teſtimonij.

32 Et propter hoc non accipietis peccatum, eo quod dempſeritis primitiam ab eo, & ſancta filiorũ Iſrael, non prophanabitis, vt non moriamini.

### CAP. XIX.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens:

2 Hæc eſt diſtinctio legis, quæcũque conſtituit Dñs, dicens: Loquere filijs Iſrael, & accipiant ad te iuuencam ruffam ſine vitio, quæ non habet in ſe vitium, & cui non eſt ſuperpoſitum ſuper eã iugum:

3 Et dabis eam ad Eleazarum ſacerdotem: & eijcient eam extra caſtra in locum mundum, & occident eam in conſpectu eius:

4 Et accipiet Eleazar de ſanguine eius, & aſperget contra faciem tabernaculi teſtimonij de ſanguine eius ſepties:

5 Et cremabunt eam in conſpectu eius, & pellis, & carnes eius, & ſanguis eius cum ſtercore eius comburetur.

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Sed primogenitum bouis, & agni, aut primogenitum capræ non redimes, ſancta ſunt. Sanguinem eorum aſperges ſuper altare, & adipes eorum adolebis, vt oblatio ſuſcipiatur voluntariè coram Domino.*

18 *Carnes autem eorum erunt tibi, ſicut pectuſculum eleuationis, & ſicut armus dexter, tua erunt.*

19 *Omnes primitias Sanctificatas, quas offerunt filij Iſrael coram Domino, tibi dedi, & filijs tuis, & filiabus tuis tecum pacto ſempiterno. Pactum æternum ſalis eſt coram Domino tibi, & filijs tuis tecum.*

20 *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum non poſſidebis, neque pars erit tibi inter eos, dona quæ dedi tibi: illa ſunt pars tua, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.*

21 *Filijs autem Leui, ecce dedi omnem decimam in Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio ſuo quo ipſi miniſtrant miniſterium tabernaculi fœderis:*

22 *Et non accedant vltra filij Iſrael ad tabernaculum fœderis, ne ſuſcipiant peccatum ad mortem:*

23 *Miniſtrabuntque ipſi Leuitæ miniſterium tabernaculi fœderis, & ipſi ſuſcipient peccata eorum pacto ſempiterno in generationibus veſtris. Et in medio filiorum Iſrael non poſſidebunt hæreditatem:*

24 *Quia decimas filiorum Iſrael, quas ſeparant coram Domino, dedi Leuitis in poſſeſſionem. ideo dixi eis: In medio filiorum Iſrael, non poſſidebunt poſſeſſionem.*

25 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

26 *Loquere quoque cum Leuitis, & dices eis: Cùm acceperitis à filijs Iſrael decimas, quas ex eis dedi vobis in poſſeſſionem veſtram, ſeparabitis ex eis ſeparationem coram Domino decimam partem decimæ:*

27 *Et reputabitur vobis ſeparatio veſtra quaſi frumentum de area, & quaſi vinum de torculari:*

28 *Sic ſeparabitis, & vos ſeparationem coram Domino ex omnibus decimis veſtris quas accipitis à filijs Iſrael, & dabitis ex eis primitias coram Domino Aaron ſacerdoti.*

29 *Ex omnibus, quæ vobis dantur, ſeparabitis omnem ſeparationem coram Domino, ex omni, quod optimũ fuerit, & ſanctificatum ex eo.*

30 *Dicesque eis: Quando ſeparaueritis optimum eius ex eo, reputabitur Leuitis quaſi fructus areæ, & quaſi fructus torcularis:*

31 *Comedetiſque illud in omni loco vos, & viri domus veſtræ: quia pretium eſt vobis pro miniſterio veſtro in tabernaculo fœderis.*

32 *Et non recipietis ſuper illud peccatum, cùm ſeparaueritis optimũ eius ex eo, & ea, quæ ſanctificata sũt à filijs Iſrael, non prophanabitis, & non moriemini.*

### CAP. XIX.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, & cum Aaron, dicens:*

2 *Hoc eſt decretum legis, quod præcepit Dominus, dicens: Loquere cum filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam ruffam integram, in qua nulla ſit macula, ſuper quam non poſitum eſt iugum:*

3 *Et dabitis eam Eleazar ſacerdoti: & adducet eam extra caſtra, & immolabit eam in conſpectu ſuo:*

4 *Et tollet Eleazar ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo & aſperget contra faciem tabernaculi fœderis de ſanguine eius ſepties:*

5 *Et comburet vaccam ante oculos ſuos, tam pellem, quam carnem eius, ſanguinem quoque eius cum fimo eius comburet.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum, coccumque bis tinctum ſacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.

7 Et tunc demum lotis veſtibus, & corpore ſuo, ingredietur in caſtra, commaculatuſque erit vſque ad veſperum.

8 Sed & ille, qui combuſſerit eam, lauabit veſtimenta ſua, & corpus, & immundus erit vſque ad veſperum.

9 Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, vt ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: quia pro peccato vacca combuſta eſt.

10 Cumque lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, veſtimenta ſua, immundus erit vſque ad veſperum. Habebunt hoc filij Iſrael, & aduenæ, qui habitant inter eos, ſanctum iure perpetuo.

11 Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus:

12 Aſpergetur ex hac aqua die tertio, & ſeptimo, & ſic mundabitur. Si die tertio aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari.

13 Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus hac commiſtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael: quia aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum.

14 Iſta eſt lex hominis, qui moritur in tabernaculo: Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuerſa vaſa, quæ ibi ſunt, polluta erunt ſeptem diebus.

15 Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit.

16 Si quis in agro tetigerit cadauer occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſiue os illius, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.

17 Tollentque de cineribus combuſtionis, atque peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas.

18 In quibus cum homo mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines huiuſcemodi contagione pollutos:

19 Atque hoc modo mundus luſtrabit immundum tertio, & ſeptimo die. Expiatuſque die ſeptimo, lauabit, & ſe, & veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum.

20 Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio eccleſiæ: quia Sanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus.

21 Erit hoc præceptum legitimum ſempiternum. Ipſe quoque qui aſpergit aquas, lauabit veſtimenta ſua: Omnis, qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vſque ad veſperum,

22 Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vſque ad veſperum.

### CAP. XX.

1 VEneruntque filij Iſrael, & omnis multitudo in deſertum Sin, menſe primo: & manſit populus in Cades. Mortuaque eſt ibi Maria, & ſepulta in eodem loco.

2 Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen, & Aaron:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et capiet ſacerdos lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccum vermiculi, & proijciet in medium combuſtionis vaccæ.*

7 *Et lauabit veſtes ſuas ſacerdos, & lauabit carnem ſuam aqua, & poſtea veniet ad caſtra, & immundus erit ſacerdos vſque ad veſperam.*

8 *Et comburens ea lauabit veſtimenta ſua aqua, & lauabit carnem ſuam aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.*

9 *Et colliget vir mundus cinerem vaccæ, & ponet extra caſtra in loco mundo, & erit congregationi filiorum Iſrael: ad cuſtodiam in aquam ſeparationis oblationis pro peccato erit.*

10 *Et lauabit colligens cinerem vaccæ veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam. Et erit filijs Iſrael, & peregrino, qui peregrinatur in medio veſtri, in ſtatutum perpetuum.*

11 *Tangens mortuum omnis anima hominis, immundus erit ſeptem diebus:*

12 *Ipſe purificabit ſe in eo, die tertia, & die ſeptima mundus erit. Et ſi non purificauerit ſe die tertia, die ſeptima non erit mundus.*

13 *Omnis tangens mortuum anima hominis, qui mortuus fuerit, & non purificatus fuerit, tabernaculum Domini polluit, & excidetur anima illa ex Iſrael: quia aqua ſeparationis non eſt aſperſa ſuper eum, immundus erit, donec immunditia eius fuerit in eo.*

14 *Hæc eſt lex homo cum mortuus fuerit in tabernaculo: Omnis ingrediens tabernaculum, & omnis, qui eſt in tabernaculo, immundus erit ſeptem diebus.*

15 *Et omne vas apertum ſuper quo non eſt operculum affixum immundum eſt.*

16 *Et omnis, qui tetigerit ſuper faciem agri mortuum gladio, vel mortuum, vel os hominis, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.*

17 *Et capient pro immundo de puluere combuſtionis oblationis pro peccato, & ponent ſuper eum aquam viuam in vaſe.*

18 *Et capiet hyſſopum, & intinget in aquam vir mundus & ſparget ſuper tabernaculum, & ſuper omnia vaſa, & ſuper animas, quæ fuerunt ibi, & ſuper eum, qui tetigit os, vel occiſum, vel mortuum, vel ſepulchrum:*

19 *Et aſperget mundus ſuper immundum die tertia, & die ſeptima. Et mundabit eum die ſeptima, & lauabit veſtimenta ſua, & lauabit ſe aqua, & mũdus erit in veſpera.*

20 *Et vir, qui immundus fuerit, & non purificauerit ſe, excidetur anima ipſa è medio congregationis: quia Sanctuarium Domini polluit, aqua ſeparationis non eſt aſperſa ſuper eum, immundus eſt.*

21 *Et erit eis in ſtatutum perpetuum. Et ſpargens aquam ſeparationis, lauabit veſtimenta ſua, & tangens aquam ſeparationis, immundus erit vſque ad veſperam.*

22 *Et omne, quod tetigerit immundus, immundum erit: & anima, quæ tetigerit ipſum immunda erit vſque ad veſperam.*

### CAP. XX.

1 *ET venerunt filij Iſrael, omnis congregatio in deſerto Sin menſe primo: & manſit populus in Cades. Et mortua eſt ibi Miriam, & ſepulta eſt ibi.*

2 *Et non erat aqua congregationi, & congregati ſunt contra Moſeh, & contra Aharon:*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

6 Et accipiet ſacerdos lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccinum, & immittet in medium combuſtionis iuuencæ.

7 Et lauabit veſtimenta ſua ſacerdos, & lauabit corpus ſuum aqua, & poſtea introibit in caſtra, & immundus erit ſacerdos vſque ad veſperam.

8 Et qui comburit eam, lauabit veſtimenta ſua, & lauabit corpus ſuum, & immundus erit vſque ad veſperam.

9 Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ, & reponet extra caſtra in locum mundum, & erit ſynagogæ filiorum Iſrael in conſeruationem: aqua aſperſionis purificatio eſt.

10 Et qui congregat cinerem iuuencæ, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperam. Et erit filijs Iſrael, & proſelytis, qui apponuntur, legitimum æternum.

11 Qui tetigerit mortuum de omni anima hominis, immundus erit ſeptem diebus:

12 Hic purificabitur die tertio, & die ſeptimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio, & die ſeptimo, non erit mundus.

13 Omnis, qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, ſi mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit, exterminabitur anima illa ex Iſrael: quoniam aqua aſperſionis non circumaſperſa eſt ſuper eum, immundus eſt, adhuc immunditia eius in eo eſt.

14 Et hæc eſt lex, homo ſi mortuus fuerit in domo: Omnis ingrediens in domum, & quæcumque ſunt in domo, immunda erunt ſeptem diebus.

15 Et omne vas apertum, quæcumque non habent alligaturam alligatam ſuper eo, immunda ſunt.

16 Et omnis, qui tetigerit ſuper faciem campi vulneratum, aut mortuum, aut os hominis, aut monumentum, ſeptem diebus immundus erit.

17 Et ſument immundo de cinere eius, quæ combuſta eſt purificationis, & effundent ſuper eam aquam viuentem in vaſe.

18 Et ſumet hyſſopum, & tinget in aqua vir mundus, & circumaſperget ſuper domum, & ſuper vaſa, & ſuper animas, quæcumque fuerint ibi, & ſuper eum, qui tetigit os hominis, aut cæſum, aut mortuum, aut monumentum:

19 Et circumaſperget mundus ſuper immundum in die tertio, & in die ſeptimo. Et purificabitur die ſeptimo, & lauabit veſtimenta ſua, & lauabit aqua, & immundus erit vſque ad veſperam.

20 Et homo, quicumque inquinatus fuerit, & non fuerit purificatus, exterminabitur anima illa de medio ſynagogæ: quoniam Sancta Domini inquinauit, quoniam aqua aſperſionis non circumaſperſa eſt ſuper eum, immundus eſt.

21 Et erit vobis legitimum ſempiternum. Et qui circumaſpergit aquam aſperſionis, lauabit veſtimenta ſua: Et qui tetigerit aquam aſperſionis, immundus erit vſque ad veſperam.

22 Et omne quodcumque tetigerit illud immundus, immundum erit: & anima, quæ tetigerit, immunda erit vſque ad veſperam.

### CAP. XX.

1 ET venerunt filij Iſrael, omnis ſynagoga in deſertum Sin in menſe primo: & permanſit populus in Cades. Et mortua eſt ibi Maria, & ſepulta eſt ibi.

2 Et non erat aqua ipſi ſynagogæ, & congregati ſunt ſuper Moyſen, & Aaron:

## Chald. Paraph. Tranſl.

6 *Et tollet ſacerdos lignum cedri, & hyſſopum, & coccinum, & mittet in medio combuſtionis vaccæ.*

7 *Lauabitque ſacerdos veſtimenta ſua, & lauabit carnem ſuam aquis, & poſtea ingredietur in caſtra, & erit ſacerdos pollutus vſque ad veſperam.*

8 *Et qui combuſſerit eam, lauabit veſtimenta ſua aquis, & lauabit carnem ſuam aquis, & erit immundus vſque ad veſperam.*

9 *Colliget autem vir mundus cinerem vaccæ, & reponet extra caſtra in loco mundo, & erit cœtui filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: pro peccato enim eſt.*

10 *Et qui collegerit cinerem vaccæ, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus vſque ad veſperam. Et erit filijs Iſrael, & peregrinis, qui peregrinantur inter eos, in ritum perpetuum.*

11 *Qui tetigerit morticinium vniuerſæ animæ hominis, erit immundus ſeptem diebus:*

12 *Et in die tertio aſpergetur ex hac aqua, & in die ſeptimo mundabitur. Et ſi non fuerit aſperſus in die tertio, in ſeptimo non mundabitur.*

13 *Omnis, qui tetigerit morticinium animæ hominis, qui mortuus fuerit, & non fuerit aſperſus, tabernaculum Domini polluit, & exterminabitur homo ille de Iſrael: quia aqua aſperſionis non fuit aſperſus, immundus eſt, adhuc immunditia eius in eo eſt.*

14 *Iſta eſt lex hominis, qui mortuus fuerit in tabernaculo: Omnis, qui ingreditur in tabernaculum, & omne quod eſt in tabernaculo, erit immundum ſeptem diebus.*

15 *Et omne vas fictile apertum, quod non habet operculũ luteũ per circuitum eius deſuper, immũdum erit.*

16 *Et omnis, qui tetigerit ſuper faciem agri occiſum hominem gladio, aut mortuum, ſiue os hominis, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.*

17 *Tollentque pro immundo de cinere combuſtionis hoſtiæ pro peccato, & mittet ſuper eum aquas fontis in vaſe.*

18 *Et tollet hyſſopum, & tinget eum in aquis homo mundus, & aſperget ſuper tabernaculum, & ſuper omnia vaſa, & ſuper animas, quæ erunt ibi, & ſuper omnem, qui tetigerit os, aut occiſum, ſiue mortuum, aut ſepulchrum:*

19 *Aſpergetque homo mundus ſuper immundum in die tertio, & in die ſeptimo. Et mundabit eum in die ſeptimo, & lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lauabitur aqua, & mundabitur in veſpere.*

20 *Et vir, qui fuerit immundus, & non fuerit aſperſus, exterminabitur homo ille de medio eccleſiæ: quia Sanctuarium Domini polluit, aqua aſperſionis non fuit aſperſa ſuper eum, immundus erit.*

21 *Et erit eis in legitimum ſempiternum. Et qui aſperſerit aquam aſperſionis, lauabit veſtimenta ſua: Et qui tetigerit aquam aſperſionis, erit immundus vſque ad veſperam.*

22 *Et omne, quod tetigerit immundus, erit immũdum: & homo, qui tetigerit illud, erit immundus vſque ad veſperam.*

### CAP. XX.

1 *VEneruntque filij Iſrael, omniſque congregatio in deſertum Sin menſe primo: & habitauit populus in Cades. Et mortua eſt ibi Maria, & ſepulta eſt ibi.*

2 *Et non erant aquæ congregationi, & congregati ſunt contra Moyſen, & contra Aaron:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

3 Et verſi in ſeditionem, dixerunt: Vtinam perijſſe-
mus inter fratres noſtros coram Domino.

* Exo. 17. 3.

4 * Cur eduxiſtis eccleſiam Domini in ſolitudinem,
vt nos,& noſtra iumenta moriamur?
5 Quare nos feciſtis aſcendere de Aegypto, & addu-
xiſtis in locum iſtum peſſimum,qui ſeri non poteſt
qui nec ficum gignit,nec vineas, nec malogranata,
inſuper,& aquam non habet ad bibendum?
6 Ingreſſuſque Moyſes, & Aaron, dimiſſa multitu-
dine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in
terram, clamaueruntque ad Dominum, atque di-
xerunt: Domine Deus audi clamorem huius po-
puli, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vi-
uæ,vt ſatiati,ceſſet murmuratio eorum. Et apparuit
gloria Domini ſuper eos.
7 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
8 Tolle virgam, & congrega populum, tu, & Aaron
frater tuus,& loquimini ad petram coram eis,& illa
dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra,bi-
bet omnis multitudo,& iumenta eius.

* Exo. 17. 1.6. Sap. 11.4.

9 * Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpe-
ctu Domini,ſicut præceperat ei:
10 Congregata multitudine ante petram, dixitque eis:

* Pſ. 77.15. 1. Cor. 10.4.

Audite rebelles, & increduli: * Num de petra hac
vobis aquam poterimus eijcere?
11 Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens vir-
ga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt
populus biberet,& iumenta.

* Deut. 1. 37.

12 Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron: * Quia
non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram fi-
lijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram,
quam dabo eis.
13 Hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij
Iſrael contra Dominum,& ſanctificatus eſt in eis.
14 Miſit interea nuncios Moyſes de Cades ad regem
Edom,qui dicerent:Hæc mandat frater tuus Iſrael:
Noſti omnem laborem,qui apprehendit nos:
15 Quomodo deſcenderint patres noſtri in Aegyptū,
& habitauerimus ibi multo tempore, afflixeruntque
nos Aegyptij,& patres noſtros:
16 Et quomodo clamauerimus ad Dominum,& exau
dierit nos, miſeritque Angelum, qui eduxerit nos
de Ægypto. Ecce in vrbe Cades,quæ eſt in extre-
mis finibus tuis poſiti:
17 Obſecramus, vt nobis tranſire liceat per terram
tuam. Non ibimus per agros,nec per vineas,non bi-
bemus aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via pu-
blica,nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes,
donec tranſeamus terminos tuos.
18 Cui reſpondit Edom: Non tranſibis per me, alio-
quin armatus occurram tibi.
19 Dixeruntque filij Iſrael: Per tritam gradiemur viā:
& ſi biberimus aquas tuas nos, & pecora noſtra,da-
bimus, quod iuſtum eſt: nulla erit in pretio diffi-
cultas,tantum velociter tranſeamus.
20 At ille reſpondit: Non tranſibis. Statimque egreſ-
ſus eſt obuius, cum infinita multitudine, & manu
forti:
21 Nec voluit acquieſcere deprecāti, vt cōcederet trā-
ſitū per fines ſuos: quā ob rē diuertit ab eo Iſrael.
22 Cumque caſtra mouiſſent de Cades, venerunt in
montem Hor:
23 Qui eſt in finibus terræ Edom, vbi locutus eſt Do-
minus ad Moyſen:
24 Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos: non enim
intrabit terram, quam dedi filijs Iſrael, eo quod
incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictio-
nis.

Tol-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Et iurgatus eſt populus cum Moſeh,& dixerunt, di-
cendo: Et vtinam obiuiſſemus, quando obierunt fra-
tres noſtri coram Domino.*
4 *Et vt quid venire feciſtis congregationē Dñi in de-
ſertū iſtud,vt moriamur ibi nos & iumēta noſtra?*
5 *Et vt quid aſcendere feciſtis nos ex Aegypto, vt ve-
nire faceretis nos ad locum malum iſtum. nō locum
ſementis,& ficus, & vitis, & malogranati, & aqua
non eſt ad bibendum?*
6 *Et venit Moſeh, & Aharon à facie congregationis
ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & proiecerunt ſe ſu-
per faciem ſuam. Et conſpecta eſt gloria Domini
eis.*
7 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh,dicendo:*
8 *Accipe virgam,& cōgregare fac cœtum tu,& Aha-
ron frater tuus,& loquimini ad petram in oculis eo-
rum,& dabit aquam ſuā. Et educes ei aquam è pe-
tra,& potum dabis cœtui,& iumentis eorum.*
9 *Et accepit Moſeh virgam de conſpectu Domini,
quemadmodum præcepit ei:*
10 *Et congregare fecerunt Moſeh, & Aharon congrega-
tionem ante petram, & dixit eis: Audite nūc rebel-
les: Nunquid de petra hac educemus vobis aquā?*
11 *Et eleuauit Moſeh manum ſuam,& percuſſit petrā
virga ſua duabus vicibus, & egreſſæ ſunt aquæ mul-
tæ,& bibit congregatio,& iumenta eorum.*
12 *Et dixit Dominus ad Moſeh, & ad Aharon: Pro eo,
quòd non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me in
oculis filiorum Iſrael, idcirco non introducetis con-
gregationem iſtam in terram,quam dedi eis.*
13 *Illæ ſunt aquæ iurgij, in quibus iurgati ſunt filij Iſ-
rael cum Domino,& ſanctificauit ſe in eis.*
14 *Et miſit Moſeh nuncios è Cades ad regem Edom:
Sic dixit frater tuus Iſrael: Tu noſti omnem labo-
rem,qui inuenit nos:*
15 *Et deſcenderunt patres noſtri in Aegyptum, & mā-
ſimus in Aegypto diebus multis, & malefecerunt no
bis Aegyptij,& patribus noſtris:*
16 *Et clamauimus ad Dominum, & audiuit vocem
noſtram,& miſit Angelum,& eduxit nos ex Aegyp-
to. Et ecce ſumus in Cades ciuitate in extremo ter-
mini tui:*
17 *Tranſeamus obſecro per terram tuam. Non tranſibi-
mus per agrum, & per vineam, neque bibemus a-
quam putei, via regia ambulabimus,non declinabi-
mus ad dexteram, & ad ſiniſtram, donec tranſea-
mus terminum tuum.*
18 *Et dixit ad eum Edom: Non tranſibis per me, ne
fortè cum gladio egrediar in occurſum tui.*
19 *Et dixerunt ad eum filij Iſrael: Per viam aſcende-
mus: & ſi aquas tuas biberimus ego, & pecudes
meæ, dabo pretium earum: tātum nunquid erit de-
trimenti erit,pedibus meis tranſibo.*
20 *Et dixit: Non tranſibis. Et egreſſus eſt Edom in
occurſum eius cum populo multo, & in manu
forti:*
21 *Et renuit Edom permittere Iſraeli, vt tranſiret per
terminum ſuum,& declinauit Iſrael ab eo.*
22 *Et profecti ſunt è Cades, & venerunt filij Iſrael,
omnis congregatio in Hor montem:*
23 *Et dixit Dominus ad Moſeh,& Aharon,in Hor mō-
te,iuxta terminum terræ Edom:*
24 *Dicendo: Congregabitur Aharon ad populos ſuos:
non enim ingredietur terram, quam dedi filijs Iſ-
rael, eo quòd rebelles fueritis ori meo ad aquas iur-
gij.*

Ac-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Et maledixit populus erga Moyſen, dicentes: Vtinam mortui eſſemus in perditione fratrum noſtrorum ante Dominum.

4 Et vt quid eduxiſtis ſynagogam Domini in deſertum hoc, ad occidendos nos, & pecora noſtra:

5 Et quare hoc, eduxiſtis nos de Ægypto, vt adueniremus in locum malum hunc, vbi non ſeminatur, neque ficus, neque vites, neque mala punica, neque aqua eſt ad bibendum?

6 Et venit Moyſes, & Aaron à facie ſynagogæ ſuper oſtium tabernaculi teſtimonij, & ceciderunt in faciem. Et apparuit gloria Domini ad eos.

7 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

8 Sume virgam tuam, & conuoca ſynagogã tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & dabit aquas ſuas. Et proferetis vobis aquam de petra, & potabitis ſynagogam, & pecora eorum.

9 Et ſumpſit Moyſes virgam, quæ ante Dominum, ſicut præcepit Dominus:

10 Et euocauit Moyſes, & Aaron ſynagogam ante petram, & dixit ad eos: Audite me increduli: Numquid ex petra hac educemus vobis aquam?

11 Et extollens Moyſes manum ſuam percuſſit petram virga bis, & exijt aqua multa, & bibit ſynagoga, & pecora eorum.

12 Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Quia non credidiſtis ſanctificare me in conſpectu filiorum Iſrael, propterea non inducetis vos ſynagogam hanc in terram, quam dedi eis.

13 Hæc aqua contradictionis, quia maledixerunt filij Iſrael ante Dominum, & ſanctificatus eſt in ipſis.

14 Et miſit Moyſes nuncios è Cades ad regem Edom, dicens: Hæc ait frater tuus Iſrael: Tu noſti omnem laborem, qui inuenit nos:

15 Et deſcenderunt patres noſtri in Ægyptum, & incolæ fuimus in Ægypto dies plures, & afflixerunt nos Aegyptij, & patres noſtros:

16 Et exclamauimus ad Dominum, & exaudiuit Dominus vocem noſtram, & mittens Angelum eduxit nos de Aegypto. Et nunc ſumus in Cades ciuitate à parte finium tuorum:

17 Tranſibimus per terram tuam. Non pertranſibimus per agros, neque per vineas, neque bibemus aquam de lacu tuo, via regia ibimus, non declinabimus in dextera, neque in ſiniſtra, quoadusque prætereamus fines tuos.

18 Et dixit ad eum Edom: Non pertranſibis per me: ſi autem non, in bello egrediar in occurſum tibi.

19 Et dicunt ei filij Iſrael: Iuxta montem tranſibimus: ſi autem de aqua tua biberimus, & ego, & pecora mea, dabo pretium tibi: ſed res nulla eſt, iuxta montem tranſibimus.

20 At ille dixit: Non pertranſibis per me. Et exijt Edom obuiam ei in turba graui, & in manu forti.

21 Et non voluit Edom dare ipſi Iſrael tranſire per fines ſuos: & declinauit Iſrael ab eo.

22 Et promouerunt è Cades, & aduenerunt filij Iſrael, omnis ſynagoga in Or montem:

23 Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron in Or monte ſuper fines terræ Edom:

24 Dicens: Apponatur Aaron ad populum ſuum: & non introibitis in terram, quam dedi filijs Iſrael, quoniam exacerbaſtis me ſuper aquam maledictionis.

## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Et obiurgatus eſt populus contra Moyſen, & dixerunt: Vtinam mortui eſſemus, quando mortui ſunt fratres noſtri coram Domino.*

4 *Cur adduxiſtis eccleſiam Domini in ſolitudinem hanc, vt moriamur hic nos, & iumenta noſtra?*

5 *Et quare nos feciſtis aſcendere de Aegypto, vt duceretis in locum hunc peſſimum, vbi non eſt locus aptus ad ſeminandum, vbi non ſunt ficus, & vites, & malogranata, & aqua non eſt ad bibendum?*

6 *Ingreſſique ſunt Moyſes, & Aaron oſtium tabernaculi fœderis à facie eccleſiæ, & corruerunt ſuper facies ſuas. Et reuelata eſt eis gloria Domini.*

7 *Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*

8 *Tolle virgam, & congrega cœtum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram ante oculos eorum, & dabit aquas ſuas. Et educes eis aquam de petra, & potabis eos aqua, & adaquabis iumenta eorum.*

9 *Tulitque Moyſes virgam à facie Domini, ſicut præceperat ei:*

10 *Congregaueruntque Moyſes, & Aaron eccleſiam ante petram, dixitque eis: Audite nunc rebelles: Numquid de petra hac educemus vobis aquam?*

11 *Eleuauitque Moyſes manum ſuam, & percuſſit bis petram virga ſua, & egreſſæ ſunt aquæ multæ, & bibit cœtus, & iumenta eorum.*

12 *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron: Quia nõ credidiſtis verbo meo, vt ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſrael, ideo nõ introducetis congregationem hanc in terram, quam dedi eis.*

13 *Hæ ſunt aquæ iurgij, quia iurgati ſunt filij Iſrael coram Domino, & ſanctificatus eſt in eis.*

14 *Miſitque Moyſes nuncios de Cades ad regem Idumeæ: Hæc dicit frater tuus Iſrael: Tu cognouiſti omnem tribulationem, quæ inuenit nos:*

15 *Deſcenderuntque patres noſtri in Aegyptum, & habitauimus in Aegypto diebus multis, & afflixerunt nos Aegyptij, & patres noſtros:*

16 *Et orauimus coram Domino, & ſuſcepit orationem noſtram, & miſit Angelum, & eduxit nos de Aegypto. Et ecce nos ſumus in vrbe Cades, quæ eſt in latere termini tui:*

17 *Tranſeamus nunc per terram tuam. Non tranſibimus per agrum, & vineam, neque bibemus aquam ciſternæ, per viam regiam ambulabimus, non declinabimus ad dexteram, neque ad ſiniſtram, donec tranſeamus terminum tuum.*

18 *Dixitque eis Edom: Non pertranſibis terminum meum, ne fortè cum occidentibus gladio egrediar in occurſum tuum.*

19 *Dixeruntque ei filij Iſrael: Per viam tritam aſcendemus: & ſi aquas tuas biberimus ego, & iumenta mea, dabo pretium earum: nihilque mali erit, tantum tranſibo pedibus meis.*

20 *Et ait: Non pertranſibis. Egreſſuſque eſt Edom in occurſum eius cum exercitu multo, & manu forti:*

21 *Et noluit Edom dimittere Iſrael tranſire per terminum ſuum, & diuertit ab eo Iſrael.*

22 *Profectique ſunt de Cades, & venit omnis congregatio filiorum Iſrael in montem Hor:*

23 *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron in monte Hor, iuxta terminum terræ Edom:*

24 *Dicens: Colligatur Aaron ad populum ſuum: quia non ingredietur terram, quam dedi filijs Iſrael, eo quòd rebellaſtis in verbum meum ad aquas iurgij.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Ioſ. 33. 38. Deu. 32. 50.

25 * Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor.
26 Cumque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi.
27 Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus: & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine.
28 Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius.
29 Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro.
30 Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas.

### CAP. XXI.

1 QVod cum audiſſet Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, veniſſe, ſcilicet Iſrael per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor exiſtens, duxit ex eo prædam.
2 At Iſrael voto ſe Domino obligans, ait: Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.
3 Exaudiuitque Dñs preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius: & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt, anathema.
4 Profecti ſunt autem, & de monte Hor, per viã, quæ ducit ad Mare rubrum, vt circumirent terrã Edom. Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris:
5 Locutuſque contra Deum, & Moyſen, ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.

* Sap. 16. 5. 1. Cor. 10. 9. Iudith. 8. 25.

6 * Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum:
7 Venerunt ad Moyſen atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitque Moyſes pro populo:
8 Et locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.
9 Fecit ergo Moyſes SERPENTEM ÆNEVM, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.
10 Profectique filij Iſrael caſtrametati ſunt in Oboth.
11 Vnde egreſſi fixere tentoria in Ieabarim, in ſolitudine, quæ reſpicit Moab contra Orientalem plagam.
12 Et inde mouentes, venerunt ad torrentem Zared.
13 Quem relinquentes caſtrametati ſunt contra Arnon, quæ eſt in deſerto, & prominet in finibus Amorrhæi: * ſiquidem Arnon terminus eſt Moab, diuidens Moabitas, & Amorrhæos.

* Iud. 11. 18.

14 Vnde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.
15 Scopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.
16 Ex eo loco apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen: Congrega populum, & dabo ei aquam.

Tunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Accipe Aharon, & Elhazar filium eius, & aſcendere fac eos in Hor montem.*
26 *Et expoliari fac Aharon veſtes ſuas, & induere fac eas Elhazar filium eius: & Aharon congregabitur, & morietur ibi.*
27 *Et fecit Moſeh, quemadmodum præcepit Dominus: & aſcenderunt in Hor montem, in oculis omnis congregationis.*
28 *Et expoliare fecit Moſeh Aharon veſtes ſuas, & induere fecit eas Elhazar filium eius.*
29 *Et mortuus eſt Aharon ibi in vertice montis, & deſcendit Moſeh, & Elhazar de monte.*
30 *Et viderunt omnis congregatio, quòd obiiſſet Aharon, & fleuerunt Aharon triginta diebus omnis domus Iſrael.*

### CAP. XXI.

1 *ET audiuit Chenahanæus rex Harad habitans in Meridie, quòd veniſſet Iſrael per viam exploratorum, & pugnauit cum Iſrael, & prædatus eſt ex eo prædam.*
2 *Et vouit Iſrael votum Domino, & dixit: Si tradendo tradideris populum iſtum in manu mea, perdam vrbes eorum.*
3 *Et audiuit Dominus vocem Iſrael, & dedit Chenahanæum, & perdidit eos, & vrbes eorum: & vocauit nomen loci Chormah.*
4 *Et profecti ſunt de Hor monte per viam Maris Suph, vt circuirent terram Edom. Et anguſtijs affecit ſe anima populi in via:*
5 *Et locutus eſt populus contra Deum, & contra Moſeh: Vt quid aſcendere feciſti nos ex Ægypto, vt moreremur in deſerto? Non eſt enim panis, & non eſt aqua: & anima noſtra anguſtijs affecit ſe propter panem leuiſſimum.*
6 *Et miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, & momorderunt populum, & mortuus eſt populus multus ex Iſrael.*
7 *Et venit populus ad Moſeh, & dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & contra te: ora ad Dominum, & recedere fac à nobis ſerpentes. Et orauit Moſeh pro populo:*
8 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum ſuper perticam: & erit omnis, qui morſus fuerit videbit eum, & viuet.*
9 *Et fecit Moſeh SERPENTEM ÆNEVM, & poſuit eum ſuper perticam: & fuit, quando mordebat ſerpens virum, aſpiciebat ad ſerpentem æneũ, & viuebat.*
10 *Et profecti ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in Oboth.*
11 *Et profecti ſunt ex Oboth, & caſtrametati ſunt in cumulis Habarim in deſerto, quod eſt contra faciem Moab ab ortu ſolis.*
12 *Inde profecti ſunt, & caſtrametati ſunt in valle Zered.*
13 *Inde profecti ſunt, & caſtrametati ſunt trans Arnon, quod eſt in deſerto, egrediens à termino Emorræi: Arnon enim eſt terminus Moab, inter Moab, & inter Emorræum.*
14 *Idcirco dicitur in libro bellorum Domini: Quod dedit in Mari Suph, & valles Arnon.*
15 *Et effuſio torrentium, qui declinauit ſe ad habitandum Har, & innititur termino Moab.*
16 *Et inde in Beer, quod eſt puteus, eſt Beer quem dixit Dominus ad Moſeh: Congrega populum, & dabo eis aquam.*

*Tunc*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

25 Sume Aaron, & Eleazarum filium eius, & fac eos aſcendere in Or montem coram omni ſynagoga.

26 Et exue Aaron ſtolā eius, & indue Eleazarum, filiū eius: & Aaron appoſitus moriatur ibi.

27 Et fecit Moyſes, ſicut conſtituit Dominus ei: & aſcendere eum fecit in Or montem coram omni ſynagoga.

28 Et exuit Aaron veſtimentis eius, & induit ea Eleazarum filium eius.

29 Et mortuus eſt Aaron ſuper cacumen montis, & deſcendit Moyſes, & Eleazar de monte.

30 Et vidit omnis ſynagoga, quia dimiſſus eſt Aaron, & fleuerunt Aaron triginta dies, omnis domus Iſrael.

### C A P. XXI.

1 ET audiuit Chananæus rex Arad, qui habitabat ad deſertum, quia venit Iſrael viam Atharin, & bellauit aduerſus Iſrael, & prædatus eſt ex eis captiuitatem.

2 Et vouit Iſrael votum Domino, & dixit: Si mihi tradideris populum iſtum ſubiectum, anathemabo illum, & ciuitates eius.

3 Et exaudiuit Dñs vocem Iſrael, & tradidit Chananæū ſubiectum eius, & anathemauit eum, & ciuitates eius: & vocatū eſt nomen loci illius, anathema.

4 Et promouentes ex Or monte viam ad Mare rubrum, circumierunt terram Edom. Et animum abiecit populus in via:

5 Et detrahebat populus ad Deum, & aduerſus Moyſen, dicentes: Vt quid hoc eduxiſti nos de Ægypto, ad occidendum in deſerto? Quoniam non eſt panis, neque aqua: anima autem noſtra exhorruit in pane inani hoc.

6 Et miſit Dominus in populum ſerpentes mortem afferentes, & mordebant populum, & mortuus eſt populus multus de filiis Iſrael:

7 Et adueniens populus ad Moyſen, dicebant: Quia peccauimus, quia male locuti ſumus contra Dominum, & contra te: ora ergo ad Deum, & auferat à nobis ſerpentem. Et orauit Moyſes ad Dominum pro populo:

8 Et dixit Dominus ad Moyſen: Fac tibi ſerpentem, & pone eum ſuper ſignum: & erit, ſi momorderit ſerpens hominem, omnis, qui morſus fuerit, aſpiciens eum viuet.

9 Et fecit Moyſes SERPENTEM ÆNEVM, & ſtatuit eum ſuper ſignum: & factum eſt, quando momordit ſerpens hominem, & aſpexit in ſerpentem æneum, & viuebat.

10 Et promouerunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in Oboth.

11 Et eleuantes ex Oboth, & caſtra collocauerunt in Achalgai trans in eremo, quæ eſt ad faciem Moab ad Ortum ſolis.

12 Et inde promouerunt, & caſtrametati ſunt in conualle Zared.

13 Et inde promouentes caſtrametati ſunt trans Arnon in eremo, quod extat à limitibus Amorrhæorum: eſt enim Arnon limes Moab inter Moab, & inter Amorrhæum.

14 Propterea dicitur in libro, bellum Domini ipſam Zoob inflammauit, & torrentes Arnon.

15 Et torrentes conſtituit inhabitare Er, & adiacet finibus Moab.

16 Et inde puteus, hic eſt puteus, quem dixit Dominus ad Moyſen: Congrega populum, & dabo eis aquam bibere.



## Chald. Paraph. Tranſl.

25 *Tolle Aaron, & Eleazarum filium eius, & aſcendere fac eos in montem Hor.*

26 *Et exues Aaron veſtimenta eius, & indues ea Eleazarum filium eius: Aaron autem colligatur, & moriatur ibi.*

27 *Fecitque Moyſes, ſicut præceperat Dominus: & aſcenderunt in montem Hor ante oculos omnis congregationis.*

28 *Et exuit Moyſes Aaron veſtimenta eius, & induit ea Eleazarum filium eius.*

29 *Et mortuus eſt ibi Aaron in vertice montis, & deſcendit Moyſes, & Eleazarus de monte.*

30 *Viditque omnis cœtus, quòd mortuus eſſet Aaron, & fleuerunt ſuper Aaron triginta diebus omnis domus Iſrael.*

### C A P. XXI.

1 *ET audiuit Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, quòd veniebat Iſrael per viā exploratorum, & iniuit bellum contra Iſrael, & captiuauit ex eis captiuitatem.*

2 *Vouitque Iſrael coram Domino votum, & ait: Si tradens tradideris populum iſtum in manu mea, deſtruam vrbes eius.*

3 *Et ſuſcepit Dominus orationem Iſraelis, & tradidit Chananæum in manu eorum, & deſtruxit eos, & vrbes eorum: & appellauit nomen loci, Herma.*

4 *Profectique ſunt de monte Hor per viam Maris rubri, vt circuirent terram Edom. Et fatigata eſt anima populi in via:*

5 *Et murmurauit populus coram Domino, & obiurgati ſunt cum Moyſe, dicentes: Quare aſcendere nos feciſti de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? Non enim eſt panis, neque aqua: & anima noſtra fatigata eſt cum manna iſto cibo leuiſſimo.*

6 *Et miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, & momorderunt populum, & mortuus eſt populus plurimus de Iſrael:*

7 *Venitque populus ad Moyſen, & dixerunt: Peccauimus, quia murmurauimus coram Domino, & obiurgati ſumus tecum: ora coram Domino, vt auferat à nobis ſerpentes. Et orauit Moyſes pro populo:*

8 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum pro ſigno: & omnis, qui morſus fuerit, & aſpexerit eum, viuet.*

9 *Et fecit Moyſes* SERPENTEM ÆNEVM, *& poſuit eum pro ſigno: & quando mordebat ſerpens virum, aſpiciebat ſerpentem æneum, & viuebat.*

10 *Profectique ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in Oboth.*

11 *Et profecti ſunt de Oboth, & caſtrametati ſunt, iuxta vadum tranſeuntium in deſertum, quod eſt contra Moab ad Orientem ſolis.*

12 *Inde mouerunt caſtra, & caſtrametati ſunt in torrente Zared.*

13 *Inde profecti ſunt, & caſtrametati ſunt trans torrentem Arnon, qui eſt in deſerto, qui egreditur à termino Amorræi: quia Arnon terminus eſt Moab inter Moab & inter Amorræum.*

14 *Propterea dicitur in libro bellorū, quæ fecit Dominus in Mari rubro, & magnalia in torrentibus Arnon.*

15 *Effuſioq; torrentium, qui ducuntur contra Har, coniungitur termino Moab.*

16 *Et inde datus eſt eis puteus, ipſe eſt puteus de quo dixit Dominus Moyſi: Congrega populum, & dabo eis aquam.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendat puteus. Concinebant:
18 Puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis. De ſolitudine, Matthana.
19 De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel, in Bamoth.
20 De Bamoth, vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga, quod reſpicit contra deſertum.
21 * Miſit autem Iſrael nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: (* Deut. 2. 26. Iud. 11. 19.)
22 Obſecro, vt tranſire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos.
23 Qui concedere noluit, vt tranſiret Iſrael per fines ſuos: quin potius exercitu congregato, egreſſus eſt obuiam in deſertum, & venit in Iaſa, pugnauitque contra eum.
24 * A quo percuſſus eſt in ore gladij, & poſſeſſa eſt terra eius ab Arnon vſque Ieboc, & filios Ammon: quia forti præſidio tenebantur termini Ammonitarum. (* Amos 2. 9. Pſ. 134. 10.)
25 Tulit ergo Iſrael omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Heſebon, ſcilicet, & viculis eius.
26 Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab: & tulit omnem terrã, quæ ditionis illius fuerat, vſque Arnon.
27 Idcirco dicitur in Prouerbio: Venite in Heſebon, ædificetur, & conſtruatur ciuitas Sehon:
28 Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum Arnon.
29 * Væ tibi Moab, periſti popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem regi Amorrhæorum Sehon. (* Iudic. 11. 24. 3. Reg. 11. 7.)
30 Iugum ipſorum diſperijt ab Heſebon vſque Dibon, laſſi peruenerunt in Nophe, & vſque Medaba.
31 Habitauit itaque Iſrael in terra Amorrhæi.
32 Miſitque Moyſes, qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & poſſederunt habitatores.
33 * Verteruntque ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & occurrit eis Og rex Baſan cum omni populo ſuo, pugnaturus in Edrai. (* Deut. 3. 1. 29. 7.)
34 Dixitque Dominus ad Moyſen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: facieſque illi, ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Heſebon.
35 Percuſſerunt igitur, & hunc cum filijs ſuis, vniuerſumque populum eius vſque ad internecionem, & poſſederunt terram illius.

### CAP. XXII.

1 PRofectique caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho ſita eſt.
2 * Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Iſrael Amorrhæo: (* Ioſ. 24. 9.)
3 Et quòd pertimuiſſent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non poſſent:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Tunc cecinit Iſrael carmen hoc: Aſcende Beer. Canite ei:*
18 *Puteum Beer foderunt principes, foderunt eum liberales populi cum legiſlatore, in ſuſtentaculis ſuis. Et de deſerto in Mathanah.*
19 *Et è Mathanah in Nachaliel: & de Nachaliel, in Bamoth.*
20 *Et de Bamoth in vallem, quæ eſt in agro Moab in vertice collis, & reſpicit contra faciem Ieſimon.*
21 *Et miſit Iſrael nuncios ad Sichon regem Emorræi, dicendo:*
22 *Tranſibo per terram tuam: non declinabimus in agrum, & in vineam, non bibemus aquas putei, via regia pergemus, donec tranſeamus terminum tuum.*
23 *Et non permiſit Sichon Iſrael, vt tranſiret per terminum ſuum: & congregauit Sichon omnem populum ſuum, & egreſſus eſt in occurſum Iſrael in deſertum, & venit in Iahas, & pugnauit cum Iſrael.*
24 *Et percuſſit eum Iſrael in ore gladij, & hæreditate accepit terram eius ab Arnon vſque ad Iabboch, vſque ad filios Hammon: quia fortis erat terminus filiorum Hammon.*
25 *Et accepit Iſrael omnes ciuitates iſtas, & habitauit Iſrael in omnibus vrbibus Emorræi, in Cheſbon, & in omnibus villis eius.*
26 *Cheſbon enim ciuitas Sichon regis Emorræi erat, & ipſe pugnauerat cum rege Moab prius: & acceperat omnem terram eius è manu eius, vſque ad Arnon.*
27 *Idcirco dicunt parabolantes: Venite in Cheſbon, ædificetur & præparetur ciuitas Sichon:*
28 *Quia ignis egreſſus eſt è Cheſbon, flamma è ciuitate Sichon conſumpſit Har Moab, dominos Bamoth Arnon.*
29 *Væ tibi Moab, periſti popule Chemos. Dedit filios eius euaſores, & filias eius in captiuitatem regi Emorræi Sichon.*
30 *Et regnum eorum perijt, Cheſbon vſque ad Dibon, & deſolare fecimus vſque ad Nophach, quæ eſt vſque ad Medba.*
31 *Et habitauit Iſrael in terra Emorræi.*
32 *Et miſit Moſcheh ad explorandum Iahazer: & ceperunt villas eius, & expulit Emorræum, qui erat ibi.*
33 *Et verterunt ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & egreſſus eſt Og rex Baſan in occurſum eorum ipſe, & omnis populus eius ad bellum in Edrehi.*
34 *Et dixit Dominus ad Moſch: Ne timeas eum, quia in manu tua dedi eum, & omnem populum eius, & terram eius: & facies ei, quemadmodum feciſti Sichon regi Emorræi, qui habitabat in Cheſbon.*
35 *Et percuſſerunt eum, & filios eius, & omnem populum eius, adeo quòd non remanſit ei ſuperſtes, & hæreditate acceperunt terram eius.*

### CAP. XXII.

1 * *ET profecti ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab trans Iarden Iericho:* * (*Quæ habentur his numeris in Biblia Sanctis Pagnini [illegible])
2 *Et vidit Balac filius Sippor omnia, quæ fecit Iſrael Emorræo:*
3 *Et timuit Moab à facie populi valdè, quia multus erat, & anguſtia affectus eſt Moab propter filios Iſrael:*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

25 Sume Aaron, & Eleazarum filium eius, & fac eos aſcendere in Or montem coram omni ſynagoga.
26 Et exue Aaron ſtola eius, & indue Eleazarum, filiũ eius: & Aaron appoſitus moriatur ibi.
27 Et fecit Moyſes, ſicut conſtituit Dominus ei: & aſcendere eum fecit in Or montem coram omni ſynagoga.
28 Et exuit Aaron veſtimentis eius, & induit ea Eleazarum filium eius.
29 Et mortuus eſt Aaron ſuper cacumen montis, & deſcendit Moyſes, & Eleazar de monte.
30 Et vidit omnis ſynagoga, quia dimiſſus eſt Aaron, & fleuerunt Aaron triginta dies, omnis domus Iſrael.

### C A P. XXI.

1 ET audiuit Chananæus rex Arad, qui habitabat ad deſertum, quia venit Iſrael viam Atharin, & bellauit aduerſus Iſrael, & prædatus eſt ex eis captiuitatem.
2 Et vouit Iſrael votum Domino, & dixit: Si mihi tradideris populum iſtum ſubiectum, anathemabo illum, & ciuitates eius.
3 Et exaudiuit Dñs vocem Iſrael, & tradidit Chananæũ ſubiectum eius, & anathemauit eum, & ciuitates eius: & vocatũ eſt nomen loci illius, anathema.
4 Et promouentes ex Or monte viam ad Mare rubrum, circumierunt terram Edom. Et animum abiecit populus in via:
5 Et detrahebat populus ad Deum, & aduerſus Moyſen, dicentes: Vt quid hoc eduxiſti nos de Ægypto, ad occidendum in deſerto? Quoniam non eſt panis, neque aqua: anima autem noſtra exhorruit in pane inani hoc.
6 Et miſit Dominus in populum ſerpentes mortem afferentes, & mordebant populum, & mortuus eſt populus multus de filijs Iſrael:
7 Et aduenie̅s populus ad Moyſen, dicebant: Quia peccauimus, quia malè locuti ſumus contra Dominum, & contra te: ora ergo ad Deum, & auferat à nobis ſerpentem. Et orauit Moyſes ad Dominum pro populo:
8 Et dixit Dominus ad Moyſen: Fac tibi ſerpentem, & pone eum ſuper ſignum: & erit, ſi momorderit ſerpens hominem, omnis, qui morſus fuerit, aſpiciens eum viuet.
9 Et fecit Moyſes SERPENTEM ÆNEVM, & ſtatuit eum ſuper ſignum: & factum eſt, quando momordit ſerpens hominem, & aſpexit in ſerpentem æneum, & viuebat.
10 Et promouerunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in Oboth.
11 Et eleuantes ex Oboth, & caſtra collocauerunt in Achalgai trans in eremo, quæ eſt ad faciem Moab ad Ortum ſolis.
12 Et inde promouerunt, & caſtrametati ſunt in conualle Zared.
13 Et inde promouentes caſtrametati ſunt trans Arnon in eremo, quod extat à limitibus Amorrhæorum: eſt enim Arnon limes Moab inter Moab, & inter Amorrhæum.
14 Propterea dicitur in libro, bellum Domini ipſam Zoob inflammauit, & torrentes Arnon.
15 Et torrentes conſtituit inhabitare Er, & adiacet finibus Moab.
16 Et inde puteus, hic eſt puteus, quem dixit Dominus ad Moyſen: Congrega populum, & dabo eis aquam bibere.

## Chald. Paraph. Tranſl.

25 Tolle Aaron, & Eleazarum filium eius, & aſcendere fac eos in montem Hor.
26 Et exues Aaron veſtimenta eius, & indues ea Eleazarum filium eius: Aaron autem colligatur, & moriatur ibi.
27 Fecitque Moyſes, ſicut præceperat Dominus: & aſcenderunt in montem Hor ante oculos omnis congregationis.
28 Et exuit Moyſes Aaron veſtimenta eius, & induit ea Eleazarum filium eius.
29 Et mortuus eſt ibi Aaron in vertice montis, & deſcendit Moyſes & Eleazarus de monte.
30 Viditque omnis cœtus, quòd mortuus eſſet Aaron, & fleuerunt ſuper Aaron triginta diebus omnis domus Iſrael.

### C A P. XXI.

1 ET audiuit Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, quòd veniebat Iſrael per viã exploratorum, & iniuit bellum contra Iſrael, & captiuauit ex eis captiuitatem.
2 Vouitque Iſrael coram Domino votum, & ait: Si tradens tradideris populum iſtum in manu mea, deſtruam vrbes eius.
3 Et ſuſcepit Dominus orationem Iſraelis, & tradidit Chananæum in manu eorum, & deſtruxit eos, & vrbes eorum: & appellauit nomen loci, Horma.
4 Profectique ſunt de monte Hor per viam Maris rubri, vt circuirent terram Edom. Et fatigata eſt anima populi in via:
5 Et murmurauit populus coram Domino, & obiurgati ſunt cum Moyſe, dicentes: Quare aſcendere nos feciſti de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? Non enim eſt panis, neque aqua: & anima noſtra fatigata eſt cum manna iſto cibo leuiſſimo.
6 Et miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, & momorderunt populum, & mortuus eſt populus plurimus de Iſrael:
7 Venitque populus ad Moyſen, & dixerunt: Peccauimus, quia murmurauimus coram Domino, & obiurgati ſumus tecum: ora coram Domino, vt auferat à nobis ſerpentes. Et orauit Moyſes pro populo:
8 Dixitque Dominus ad Moyſen: Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum pro ſigno: & omnis, qui morſus fuerit, & aſpexerit eum, viuet.
9 Et fecit Moyſes SERPENTEM ÆNEVM, & poſuit eum pro ſigno: & quando mordebat ſerpens virum, aſpiciebat ſerpentem æneum, & viuebat.
10 Profectique ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in Oboth.
11 Et profecti ſunt de Oboth, & caſtrametati ſunt, iuxta vadum tranſeuntium in deſertum, quod eſt contra Moab ad Orientem ſolis.
12 Inde mouerunt caſtra, & caſtrametati ſunt in torrente Zared.
13 Inde profecti ſunt, & caſtrametati ſunt trans torrentem Arnon, qui eſt in deſerto, qui egreditur à termino Amorræi: quia Arnon terminus eſt Moab inter Moab, & inter Amorræum.
14 Propterea dicitur in libro bellorũ, quæ fecit Dominus in Mari rubro & magnalia in torrentibus Arnon.
15 Effuſioq́; torrentium, qui ducuntur contra Har, coniungitur termino Moab.
16 Et inde datus eſt eis puteus, ipſe eſt puteus de quo dixit Dominus Moyſi: Congrega populum, & dabo eis aquam.



UVA.BSCH

| | Vulgat. Edicio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. | |
|---|---|---|---|---|---|
| | Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendat puteus. Concinebant: | 17 | 17 | *Tunc cecinit Iſrael carmen hoc: Aſcende Beer. Canite ei:* | |
| | Puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis. De ſolitudine Matthana. | 18 | 18 | *Puteum Beer foderunt principes, foderunt eum liberales populi cum legiſlatore, in ſuſtentaculis ſuis. Et de deſerto in Mathanah.* | |
| | De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel, in Bamoth. | 19 | 19 | *Et à Mathanah in Nachaliel: & de Nachaliel, in Bameth.* | |
| | De Bamoth, vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga, quod reſpicit contra deſertum. | 20 | 20 | *Et de Bamoth in vallem, quæ eſt in agro Moab in vertice collis, & reſpicit contra faciem Ieſimon.* | |
| * Deut. 2. 26. Iud. 11. 20. | * Miſit autem Iſrael nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: | 21 | 21 | *Et miſit Iſrael nuncios ad Sichon regem Emorræi, dicendo:* | |
| | Obſecro, vt tranſire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos. | 22 | 22 | *Tranſibo per terram tuam: non declinabimus in agrum, & in vineam, non bibemus aquas putei, via regia pergemus, donec tranſeamus terminum tuum.* | |
| | Qui concedere noluit, vt tranſiret Iſrael per fines ſuos: quin potius exercitu congregato, egreſſus eſt obuiam in deſertum, & venit in Iaſa, pugnauitque contra eum. | 23 | 23 | *Et non permiſit Sichon Iſrael, vt tranſiret per terminum ſuum: & congregauit Sichon omnem populum ſuum, & egreſſus eſt in occurſum Iſrael in deſertum, & venit in Iahas, & pugnauit cum Iſrael.* | |
| * Amos 2. 9. Pſ. 134. 10. | * A quo percuſſus eſt in ore gladij, & poſſeſſa eſt terra eius ab Arnon vſque Ieboc, & filios Ammon: quia forti præſidio tenebantur termini Ammonitarum. | 24 | 24 | *Et percuſſit eum Iſrael in ore gladij, & hæreditate accepit terram eius ab Arnon vſque ad Iabboch, vſque ad filios Hammon: quia fortis erat terminus filiorum Hammon.* | |
| | Tulit ergo Iſrael omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Heſebon, ſcilicet, & viculis eius. | 25 | 25 | *Et accepit Iſrael omnes ciuitates iſtas, & habitauit Iſrael in omnibus vrbibus Emorræi, in Cheſbon, & in omnibus villis eius.* | |
| | Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab: & tulit omnem terrã, quæ ditionis illius fuerat, vſque Arnon. | 26 | 26 | *Cheſbon enim ciuitas Sichon regis Emorræi erat, & ipſe pugnauerat cum rege Moab prius: & acceperat omnem terram eius è manu eius, vſque ad Arnon.* | |
| | Idcirco dicitur in Prouerbio: Venite in Heſebon, ædificetur, & conſtruatur ciuitas Sehon: | 27 | 27 | *Idcirco dicunt parabolantes: Venite in Cheſbon, ædificetur, & præparetur ciuitas Sichon:* | |
| | Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum Arnon. | 28 | 28 | *Quia ignis egreſſus eſt è Cheſbon, flamma è ciuitate Sichon conſumpſit Har Moab, dominos Bamoth Arnon.* | |
| * Iudic. 11. 24. 3. Reg. 11. 7. | * Væ tibi Moab, periſti popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem regi Amorrhæorum Sehon. | 29 | 29 | *Væ tibi Moab, periſti popule Chemos. Dedit filios eius euaſores, & filias eius in captiuitatem regi Emorræi Sichon.* | |
| | Iugum ipſorum diſperijt ab Heſebon vſque Dibon, laſſi peruenerunt in Nophe, & vſque Medaba. | 30 | 30 | *Et regnum eorum perijt, Cheſbon vſque ad Dibon, & deſolare fecimus vſque ad Nophach, quæ eſt vſque ad Medba.* | |
| | Habitauit itaque Iſrael in terra Amorrhæi. | 31 | 31 | *Et habitauit Iſrael in terra Emorræi.* | |
| | Miſitque Moyſes, qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & poſſederunt habitatores. | 32 | 32 | *Et miſit Moſeh ad explorandum Iahazer: & ceperunt villas eius, & expulit Emorræum, qui erat ibi.* | |
| * Deut. 3. 1. 29. 7. | * Verteruntque ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & occurrit eis Og rex Baſan cum omni populo ſuo, pugnaturus in Edrai. | 33 | 33 | *Et verterunt ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & egreſſus eſt Ogh rex Baſan in occurſum eorum ipſe, & omnis populus eius ad bellum in Edrehi.* | |
| | Dixitque Dominus ad Moyſen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: facieſque illi, ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Heſebon. | 34 | 34 | *Et dixit Dominus ad Moſeh: Ne timeas eum, quia in manu tua dedi eum, & omnem populum eius, & terram eius: & facies ei, quemadmodum feciſti Sichon regi Emorræi, qui habitabat in Cheſbon.* | |
| | Percuſſerunt igitur, & hunc cum filijs ſuis, vniuerſumque populum eius vſque ad internecionem, & poſſederunt terram illius. | 35 | 35 | *Et percuſſerunt eum, & filios eius, & omnem populum eius, adeo quòd non remanſit ei ſuperſtes, & hæreditate acceperunt terram eius.* | |
| | **CAP. XXII.** | | | **CAP. XXII.** | |
| | PRofectique caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho ſita eſt. | 1 | 1 | * *ET profecti ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab trans Iarden Iericho:** | * [illegible] |
| * Ioſ. 24. 9. | * Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Iſrael Amorrhæo: | 2 | 2 | *Et vidit Balac filius Sippor omnia, quæ fecit Iſrael Emorræo:* | |
| | Et quòd pertimuiſſent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non poſſent: | 3 | 3 | *Et timuit Moab à facie populi valdè, quia multus erat, & anguſtia affectus eſt Moab propter filios Iſrael:* | |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

26 Et appoſuit Angelus Dei, & abiens ſubſtitit in loco anguſto, in quo non ſuit declinare in dexteram neque ſiniſtram.

27 Et cum vidiſſet aſina Angelum Dei, concidit ſub Balaam: & iratus eſt Balaam, & percutiebat aſinam virga.

28 Et aperuit Deus os aſinæ, & ait ad Balaam: Quid feci tibi, quia percuſſiſti me tertio hoc?

29 Et ait Balaam aſinæ: Quia illuſiſti mihi, & ſi habuiſſem gladium in manu: iam transfixiſſem te.

30 Et ait aſina ad Balaam: Nonne ego ſum aſina tua, ſuper quam inſcendiſti à iuuentute tua vſque ad hodiernam diem? numquid deſpectione deſpiciens feci ſic tibi? At ille dixit: Non.

31 Reuelauit autem Deus oculos Balaam, & videt Angelum Domini reſiſtentem in via, & gladium euaginatum in manu eius, & procumbens adorauit facie ſua.

32 Et dixit ei Angelus Dei: Cur percuſſiſti aſinam tuam tertio hoc? Et ecce ego exij in dilationem tuam, quia non eſt vrbana via tua ante me.

33 Et cum vidiſſet me aſina, declinauit à me tertio hoc: & niſi declinaſſet, nunc ſane te quidem interfeciſſem, illam vero incolumem conſeruaſſem.

34 Et dixit Balaam Angelo Domini: Peccaui, non enim ſciebam, quia tu mihi reſiſtebas in via in occurſum. Et nunc ſi tibi non ſatisfaciet, reuertar.

35 Et dixit Angelus Dei ad Balaam: Vade ſimul cum hominibus, tantummodo verbum, quodcumque dixero ad te, hoc obſeruabis loqui: & iuit Balaam cum principibus Balac.

36 Et audiens Balac quia venit Balaam, exijt in occurſum ei in ciuitatem Moab quæ eſt ſuper fines Arnon, quæ eſt à parte finium.

37 Et dixit Balac ad Balaam: Nonne miſi ad te vocare te? Quare non veniebas ad me? vere non potero honorare te.

38 Et ait Balaam ad Balac: Ecce venio ad te nunc: potens ero loqui quippiam? verbum, quodcumque iniecerit Deus in os meum: hoc loquar.

39 Et profectus eſt Balaam cum Balac, & venerunt in ciuitates platearum.

40 Et ſacrificauit Balac oues, & vitulos, & miſit ad Balaam & ad principes, qui cum eo.

41 Et factum eſt mane: & aſſumens Balac ipſum Balaam, aſcendere cum fecit ad ſtatuam Baal: & inde oſtendit ei partem quandam populi.

### CAP. XXIII.

1 ET dixit Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para mihi hic ſeptem vitulos, & ſeptem arietes.

2 Et fecit Balac, quemadmodum dixit ei Balaam, & obtulit vitulum, & arietem ſuper aram.

3 Et dixit Balaam ad Balac: Aſſiſte ſuper ſacrificium tuum, & ibo, ſi apparebit mihi Deus in occurſu, & verbum quodcumque mihi oſtenderit, annunciabo tibi. Et aſtitit Balac ſuper ſacrificium ſuum.

4 Et Balaam iuit interrogare Deum: & iuit recta: & apparuit Deus ipſi Balaam, & dixit ad eum Balaam: ſeptem aras paraui, & aſcendere feci vitulum, & arietem ſuper aram.

5 Et immiſit Deus verbum in os Balaam, & dixit: Reuerſus ad Balac, ſic loqueris.

## Chald. Paraph. Transl.

26 *Et addidit Angelus Domini tranſire, & ſtetit in loco anguſto, vbi non erat via, vt declinaret ad dexteram neque ad ſiniſtram.*

27 *Viditque aſina Angelum Domini, & concidit ſub Balaam: & iratus eſt furor Balaam, & percuſſit aſinam baculo.*

28 *Et aperuit Dominus os aſinæ, & dixit ad Balaam: Quid feci tibi quia percuſſiſti me iam tribus vicibus?*

29 *Et ait Balaam ad aſinam: Quia illuſiſti mihi: vtinam eſſet gladius in manu mea, quia nunc occidiſſem te.*

30 *Dixitq́ aſina ad Balaam: Nonne ego ſum aſina tua ſuper quam ſediſti ex quo eſſe cœpiſti vſque in diem hanc? numquid conſuetudine conſueui ſic facere tibi? Et ait: Non.*

31 *Aperuitq́ Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum Domini ſtantem in via: & gladius eius euaginatus erat in manu ſua, & incuruatus eſt, & adorauit in faciem ſuam.*

32 *Dixitq́ ei Angelus Domini: Cur percuſſiſti aſinam tuam iam tertia vice? ecce ego egreſſus ſum, vt aduerſarer tibi, quia notum eſt coram me, quòd tu volebas ire per viam contra me.*

33 *Viditq́ me aſina, & declinauit à facie mea iam tertia vice: & niſi declinaſſet à facie mea, nunc enim te quoque occidiſſem, & eam reſeruaſſem.*

34 *Dixitq́ Balaam ad Angelum Domini: Peccaui, quia neſciebam quod tu ſtares in occurſum meum in via; nunc autem ſi diſplicet coram te, reuertar.*

35 *Et ait Angelus Domini ad Balaam: Vade cum viris, ſed verbum quod locutus fuero tecum, illud loquaris: & abijt Balaam cum principibus Balac.*

36 *Et audiuit Balac, quòd veniebat Balaam, & egreſſus eſt in occurſum eius in vrbe Moab, quæ eſt iuxta terminum Arnon, quæ eſt in latere termini.*

37 *Dixitq́ Balac ad Balaam: Nonne mittens miſi ad te, vt vocarem te? cur non veniſti ad me? numquid verè dicebas, quod non poteram honorare te?*

38 *Dixitq́ Balaam ad Balac: Ecce nunc venio ad te: numquid poſſum loqui aliquid? verbum enim quod Dominus poſuerit in ore meo, illud loquar.*

39 *Abijtq́ Balaam cum Balac, & venerunt in vrbem prouinciæ eius.*

40 *Et occidit Balac oues & boues, & miſit ad Balaam, & ad principes qui erant cum eo.*

41 *Et facto manè, tulit Balac Balaam, & duxit eum in excelſa Dei ſui, & vidit indè extremam partem populi.*

### CAP. XXIII.

1 *DIxitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para mihi hic ſeptem boues & ſeptem arietes.*

2 *Et fecit Balac ſicut locutus fuerat Balaam, & obtulerunt Balac & Balaam bouem, & arietem ſuper vnamquamque aram.*

3 *Dixitque Balaam ad Balac: Sta iuxta holocauſtum tuum, & ibo ſi fortè occurrat ſermo à facie Domini in occurſum meum, & verbum quod indicauerit mihi, nunciabo tibi.*

4 *Abijt ſoluſque: Et occurrit verbum à facie Domini ad Balaam, & dixit ei: Septem aras diſpoſui, & obtuli bouem, & arietem ſuper aram.*

5 *Poſuitque Dominus verbum in ore Balaam, & ait: Reuertere ad Balac, & ſic loqueris.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Reuerſus inuenit ſtantem Balac iuxta holocauſtum ſuum, & omnes principes Moabitarum:

7 Aſſumptaque parabola ſua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Iacob: propera, & deteſtare Iſrael.

8 Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur?

9 De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus cōſiderabo illum. Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur.

10 Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.

11 Dixitque Balac ad Balaam: Quid eſt hoc quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu e contrario benedicis eis.

12 Cui ille reſpondit: Num aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus?

13 Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito ei.

14 Cumque duxiſſet eum in locum ſublimem, ſuper verticem montis Phaſga, ædificauit Balaam ſeptem aras, & impoſitis ſupra vitulo, atque ariete,

15 Dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocauſtum tuum, donec ego obuius pergam.

16 Cui cum Dominus occurriſſet, poſuiſſetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris.

17 Reuerſus inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus eſt Dominus?

18 At ille aſſumpta parabola ſua, ait: Sta Balac, & auſculta, audi fili Sephor:

19 Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?

20 Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.

21 Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrũ in Iſrael. Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ regis in illo.

*Inf. 24. 8

22 * Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.

23 Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. Temporibus ſuis dicetur Iacob, & Iſraeli; quid operatus ſit Deus.

24 Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat.

25 Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.

26 Et ille ait: Nonne dixi tibi quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

27 Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: ſi forte placeat Deo, vt inde maledicas eis.

28 Cumque duxiſſet eum ſuper verticem montis Phogor, qui reſpicit ſolitudinem,

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et reuerſus eſt ad eum: Et ecce ſtabat iuxta holocauſtum ſuum, ipſe & omnes principes Moab.*

7 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moab, de montibus Orientis: Veni, maledic propter me Iahacob, & veni deteſtare Iſrael.*

8 *Cur maledicam cui non maledixit Deus? Et cur deteſtabor, quem non deteſtatus eſt Dominus?*

9 *Quia de vertice petrarum videbo eum, & de collibus intuebor illum. Ecce populus confidenter habitabit, & in gentibus non reputabitur.*

10 *Quis numerabit puluerem Iahacob, & numerabit quartam partem Iſrael? Moriatur anima mea morte iuſtorum, & ſit nouiſſimum meum ſicut ipſe.*

11 *Et dixit Balac ad Bilham: Quid feciſti mihi? Vt malediceres inimicis meis accepi te, & ecce benedixiſti benedicendo.*

12 *Et reſpondit, & dixit: Numquid non quod poſuerit Dominus in ore meo illud cuſtodiam, vt loquar?*

13 *Et dixit ad eum Balac: Veni obſecro mecum ad locum alium, vnde videas eum, ſed extremum eius videas, & totum ipſum non videas, & maledic ei propter me inde.*

14 *Et duxit eum in agrum ſpeculatorum, in verticem Piſghah, & ædificauit ſeptem altaria, & obtulit iuuencum, & arietem in altari.*

15 *Et dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocauſtum tuũ, & ego occurram hic.*

16 *Et occurrit Dominus ipſi Bilham, & poſuit verbum in ore eius, & dixit: Reuertere ad Balac, & ſic loqueris.*

17 *Et venit ad eum, & ecce ſtabat iuxta holocauſtum ſuum, & principes Moab cum illo. Et dixit ei Balac: Quid locutus eſt Dominus?*

18 *Et aſſumpſit parabolam ſuam: & dixit: Surge Balac & audi, auſculta verba mea filij Sippor.*

19 *Non eſt vir Deus, vt mentiatur: & filius hominis, vt pœniteat eum, ipſe dixit, & non faciet? Et locutus eſt, & non ſtabiliet illud?*

20 *Ecce, vt benedicerem, accepi, & benedixit benedictione, & non retraham eam.*

21 *Non aſpexit iniquitatem in Iahacob, & non vidit præuaricationem in Iſrael: Dominus Deus eius eſt ſecum, & amicitia regis eſt ſecum.*

22 *Dominus eduxit eos ex Ægypto, ſicut fortitudo vnicornis eſt ei:*

23 *Quia non eſt augurium in Iahacob, & non eſt diuinatio in Iſrael. Sicut in tempore iſto dicetur ipſi Iahacob, & Iſraeli: quid operatus eſt Deus?*

24 *Ecce populus ſicut leo magnus ſurget, & ſicut leo eleuabit ſe: non cubabit, donec comederit prædam, & ſanguinem occiſorum biberit.*

25 *Et dixit Balac ad Bilham: Etiam maledicendo non maledicas ei, etiam benedicendo non benedicas ei.*

26 *Et reſpondit Bilham, & dixit ad Balac: Nonne locutus ſum ad te dicendo, omne quod loquetur Dominus illud faciam?*

27 *Et dixit Balac ad Bilham: Veni obſecro ducam te ad locum alium, ſi forte placeat in oculis Dei, vt maledicas ei propter me inde.*

28 *Et duxit Balac Bilham in verticem Pehor, quod reſpicit contra faciem Ieſimon.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

26 Et appoſuit Angelus Dei,& abiens ſubſtitit in loco anguſto, in quo non fuit declinare in dexteram neque ſiniſtram.

27 Et cum vidiſſet aſina Angelum Dei, concidit ſub Balaam: & iratus eſt Balaam,& percutiebat aſinam virga.

28 Et aperuit Deus os aſinæ, & ait ad Balaam: Quid feci tibi,quia percuſſiſti me tertio hoc?

29 Et ait Balaam aſinæ: Quia illuſiſti mihi, & ſi habuiſſem gladium in manu: iam transfixiſſem te.

30 Et ait aſina ad Balaam: Nonne ego ſum aſina tua, ſuper quam inſcendiſti à iuuentute tua vſque ad hodiernam diem? numquid deſpectione deſpiciens feci ſic tibi? At ille dixit: Non.

31 Reuelauit autem Deus oculos Balaam,& videt Angelum Domini reſiſtentem in via, & gladium euaginatum in manu eius, & procumbens adorauit facie ſua.

32 Et dixit ei Angelus Dei: Cur percuſſiſti aſinam tuam tertio hoc? Et ecce ego exij in dilationem tuam,quia non eſt vrbana via tua ante me.

33 Et cum vidiſſet me aſina, declinauit à me tertio hoc: & niſi declinaſſet, nunc ſane te quidem interfeciſſem,illam vero incolumem conſeruaſſem.

34 Et dixit Balaam Angelo Domini: Peccaui, non enim ſciebam, quia tu mihi reſiſtebas in via in occurſum. Et nunc ſi tibi non ſatisfaciet, reuertar.

35 Et dixit Angelus Dei ad Balaam: Vade ſimul cum hominibus,tantummodo verbum,quodcumque dixero ad te, hoc obſeruabis loqui: & iuit Balaam cum principibus Balac.

36 Et audiens Balac quia venit Balaam, exijt in occurſum ei in ciuitatem Moab quæ eſt ſuper fines Arnon,quæ eſt à parte finium.

37 Et dixit Balac ad Balaam: Nonne miſi ad te vocare te? Quare non veniebas ad me? vere non potero honorare te.

38 Et ait Balaam ad Balac: Ecce venio ad te nunc: potens ero loqui quippiam? verbum,quodcumque iniecerit Deus in os meum: hoc loquar.

39 Et profectus eſt Balaam cum Balac, & venerunt in ciuitates platearum.

40 Et ſacrificauit Balac oues,& vitulos, & miſit ad Balaam & ad principes,qui cum eo.

41 Et factum eſt mane: & aſſumens Balac ipſum Balaam,aſcendere eum fecit ad ſtatuam Baal: & inde oſtendit ei partem quandam populi.

### CAP. XXIII.

1 ET dixit Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras,& para mihi hic ſeptem vitulos, & ſeptem arietes.

2 Et fecit Balac, quemadmodum dixit ei Balaam, & obtulit vitulum,& arietem ſuper aram.

3 Et dixit Balaam ad Balac? Aſſiſte ſuper ſacrificium tuum, & ibo, ſi apparebit mihi Deus in occurſu, & verbum quodcumque mihi oſtenderit,annunciabo tibi. Et aſſitit Balac ſuper ſacrificium ſuum.

4 Et Balaam iuit interrogare Deum: & iuit recta: & apparuit Deus ipſi Balaam,& dixit ad eum Balaam: ſeptem aras paraui, & aſcendere feci vitulum, & arietem ſuper aram.

5 Et immiſit Deus verbum in os Balaam,& dixit: Reuertere ad Balac,ſic loqueris.

## Chald. Paraph. Tranſl.

26 *Et addidit Angelus Domini tranſire, & ſtetit in loco anguſto,vbi non erat via,vt declinaret ad dexteram neque ad ſiniſtram.*

27 *Viditque aſina Angelum Domini, & concidit ſub Balaam: & iratus eſt furor Balaam, & percuſſit aſinam baculo.*

28 *Et aperuit Dominus os aſinæ, & dixit ad Balaam: Quid feci tibi quia percuſſiſti me iam tribus vicibus?*

29 *Et ait Balaam ad aſinam: Quia illuſiſti mihi: vtinam eſſet gladius in manu mea, quia nunc occidiſſem te.*

30 *Dixitq; aſina ad Balaam: Nonne ego ſum aſina tua ſuper quam ſediſti ex quo eſſe cœpiſti vſque in diem hanc? numquid conſuetudine conſueui ſic facere tibi? Et ait: Non.*

31 *Aperuitq; Dominus oculos Balaam,& vidit Angelum Domini ſtantem in via: & gladius eius euaginatus erat in manu ſua, & incuruatus eſt, & adorauit in faciem ſuam.*

32 *Dixitq; ei Angelus Domini: Cur percuſſiſti aſinam tuam iam tertia vice? ecce ego egreſſus ſum, vt aduerſarer tibi,quia notum eſt coram me, quòd tu volebas ire per viam contra me.*

33 *Viditq; me aſina,& declinauit à facie mea iam tertia vice: & niſi declinaſſet à facie mea, nunc enim te quoque occidiſſem,& eam reſeruaſſem.*

34 *Dixitq; Balaam ad Angelum Domini: Peccaui, quia neſciebam quod tu ſtares in occurſum meum in via; nunc autem ſi diſplicet coram te, reuertar.*

35 *Et ait Angelus Domini ad Balaam: Vade cum viris, ſed verbum quod locutus fuero tecum, illud loquaris: & abijt Balaam cum principibus Balac.*

36 *Et audiuit Balac, quòd veniebat Balaam, & egreſſus eſt in occurſum eius in vrbe Moab, quæ eſt iuxta terminum Arnon, quæ eſt in latere termini.*

37 *Dixitq; Balac ad Balaam: Nonne mittens miſi ad te,vt vocarem te? cur non veniſti ad me? numquid verè dicebas,quod non poteram honorare te?*

38 *Dixitq; Balaam ad Balac: Ecce nunc venio ad te: numquid poſſum loqui aliquid? verbum enim quod Dominus poſuerit in ore meo,illud loquar.*

39 *Abijtq; Balaam cum Balac, & venerunt in vrbem prouinciæ eius.*

40 *Et occidit Balac oues & boues,& miſit ad Balaam, & ad principes qui erant cum eo.*

41 *Et facto manè, tulit Balac Balaam, & duxit eum in excelſa Dei ſui, & vidit indè extremam partem populi.*

### CAP. XXIII.

1 *DIxitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para mihi hic ſeptem boues & ſeptem arietes.*

2 *Et fecit Balac ſicut locutus fuerat Balaam,& obtulerunt Balac & Balaam bouem, & arietem ſuper vnamquamque aram.*

3 *Dixitque Balaam ad Balac: Sta iuxta holocauſtum tuum, & ibo ſi fortè occurrat ſermo à facie Domini in occurſum meum,& verbum quod indicauerit mihi,nunciabo tibi.*

4 *Abijt ſoluſque: Et occurrit verbum à facie Domini ad Balaam, & dixit ei: Septem aras diſpoſui, & obtuli bouem, & arietem ſuper aram.*

5 *Poſuitque Dominus verbum in ore Balaam,& ait: Reuertere ad Balac,& ſic loqueris.*

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Reuerſus inuenit ſtantem Balac iuxta holocauſtum ſuum, & omnes principes Moabitarum: | 6 | 6 | *Et reuerſus eſt ad eum: Et ecce ſtabat iuxta holocauſtum ſuum, ipſe & omnes principes Moab.* |
| Aſſumptaque parabola ſua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Iacob: propera, & deteſtare Iſrael. | 7 | 7 | *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moab, de montibus Orientis: Veni, maledic propter me Iahacob, & veni deteſtare Iſrael.* |
| Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? | 8 | 8 | *Cur maledicam cui non maledixit Deus? Et cur deteſtabor, quem non deteſtatus eſt Dominus?* |
| De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus cõſiderabo illum. Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur. | 9 | 9 | *Quia de vertice petrarum videbo eum, & de collibus intuebor illum. Ecce populus confidenter habitabit, & in gentibus non reputabitur.* |
| Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. | 10 | 10 | *Quis numerabit puluerem Iahacob, & numerabit quartam partem Iſrael? Moriatur anima mea morte iuſtorum, & ſit nouiſſimum meum ſicut ipſa.* |
| Dixitque Balac ad Balaam: Quid eſt hoc quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu e contrario benedicis eis. | 11 | 11 | *Et dixit Balac ad Bilham: Quid feciſti mihi? Vt malediceres inimicis meis accepi te, & ecce benedixiſti benedicendo.* |
| Cui ille reſpondit: Num aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus? | 12 | 12 | *Et reſpondit, & dixit: Numquid non quod poſuerit Dominus in ore meo illud cuſtodiam, vt loquar?* |
| Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito ei. | 13 | 13 | *Et dixit ad eum Balac: Veni obſecro mecum ad locum alium, vnde videas eum, ſed extremum eius videas, & totum ipſum non videas, & maledic ei propter me inde.* |
| Cumque duxiſſet eum in locum ſublimem, ſuper verticem montis Phaſga, ædificauit Balaam ſeptem aras, & impoſitis ſupra vitulo, atque ariete, | 14 | 14 | *Et duxit eum in agrum ſpeculatorum, in verticem Piſghah, & ædificauit ſeptem altaria, & obtulit iuuencum, & arietem in altari.* |
| Dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocauſtum tuum, donec ego obuius pergam. | 15 | 15 | *Et dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocauſtum tuũ, & ego occurram hic.* |
| Cui cum Dominus occurriſſet, poſuiſſetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris. | 16 | 16 | *Et occurrit Dominus ipſi Bilham, & poſuit verbum in ore eius, & dixit: Reuertere ad Balac, & ſic loqueris.* |
| Reuerſus inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus eſt Dominus? | 17 | 17 | *Et venit ad eum, & ecce ſtabat iuxta holocauſtum ſuum, & principes Moab cum illo. Et dixit ei Balac: Quid locutus eſt Dominus?* |
| At ille aſſumpta parabola ſua, ait: Sta Balac, & auſculta, audi fili Sephor: | 18 | 18 | *Et aſſumpſit parabolam ſuam: & dixit: Surge Balac & audi, auſculta verba mea fili Sippor.* |
| Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? | 19 | 19 | *Non eſt vir Deus, vt mentiatur: & filius hominis, vt pœniteat eum, ipſe dixit, & non faciet? Et locutus eſt, & non ſtabiliet illud?* |
| Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. | 20 | 20 | *Ecce, vt benedicerem, accepi, & benedixit benedictione, & non retraham eam.* |
| Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrũ in Iſrael. Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ regis in illo. | 21 | 21 | *Non aſpexit iniquitatem in Iahacob, & non vidit præuaricationem in Iſrael: Dominus Deus eius eſt ſecum, & amicitia regis eſt ſecum.* |
| *Inf. 24. 8 — * Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. | 22 | 22 | *Dominus eduxit eos ex Ægypto, ſicut fortitudo vnicornis eſt ei:* |
| Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. Temporibus ſuis dicetur Iacob, & Iſraeli; quid operatus ſit Deus. | 23 | 23 | *Quia non eſt augurium in Iahacob, & non eſt diuinatio in Iſrael. Sicut in tempore ipſo dicetur ipſi Iahacob, & Iſraeli: quid operatus eſt Deus?* |
| Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat. | 24 | 24 | *Ecce populus ſicut leo magnus ſurget, & ſicut leo eleuabit ſe: non cubabit, donec comederit prædam, & ſanguinem occiſorum biberit.* |
| Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. | 25 | 25 | *Et dixit Balac ad Bilham: Etiam maledicendo non maledicas ei, etiam benedicendo non benedicas ei.* |
| Et ille ait: Nonne dixi tibi quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? | 26 | 26 | *Et reſpondit Bilham, & dixit ad Balac: Nonne locutus ſum ad te dicendo, omne quod loquetur Dominus illud faciam?* |
| Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: ſi forte placeat Deo, vt inde maledicas eis. | 27 | 27 | *Et dixit Balac ad Bilham: Veni obſecro ducam te ad locum alium, ſi forte placeat in oculis Dei, vt maledicas ei propter me inde.* |
| Cumque duxiſſet eum ſuper verticem montis Phogor, qui reſpicit ſolitudinem, | 28 | 28 | *Et duxit Balac Bilham in verticem Pehor, quod reſpicit contra faciem Ieſimon.* |

## Transl. ex Septuag.

6 Et reuerſus eſt ad eum : & ecce ille ſtabat ſuper ho
locauſtomata ſua, & omnes principes Moab cum
eo : & factus eſt ſpiritus Domini ſuper illum.
7 Et aſſumens parabolam ſuam dixit : Ex Meſopota-
mia accerſiuit me Balac rex Moab, ex montibus ab
Oriente, dicens: Veni, maledic mihi Iacob, & veni,
ſuper maledic mihi Iſrael.
8 Quid maledicam, quem non maledicit Dominus ?
Vel quid ſupermaledicam, quem non ſupermaledi
cit Deus ?
9 Quoniam de vertice montium intuebor eum, & à
collibus intelligam eum. Ecce populus ſolus habi-
tabit, & in gentibus non reputabitur.
10 Quis inueſtigabit ſemen Iacob ? & quis dinumera-
bit populos Iſrael ? Moriatur anima mea inter ani-
mas iuſtorum, & fiat ſemen meum, vt ſemen iſto-
rum.

11 Et dixit Balac ad Balaam : Quid feciſti mihi ? Ad
maledictionem inimicorum meorum vocaui te, &
ecce benedixiſti benedictionem ?
12 Et dixit Balaam ad Balac : Nonne quæcumque mi
ſerit Deus in os meum, hoc obſeruabo loqui ?
13 Et dixit ad eum Balac : Veni adhuc mecum in lo-
cum alium, de quo non videbis eum inde, ſed par-
tem quandam eius, omnes autem non videbis, & ma
ledic mihi eum inde.
14 Et aſſumpſit eum in agri ſpeculam in verticem ex-
ciſi, & ædificauit ibi ſeptem aras, & impoſuit vitu-
lum, & arietem ſuper aram.
15 Et dixit Balaam ad Balac : Aſſiſte ſuper ſacrificium
tuum, ego autem ibo interrogare Deum.
16 Et occurrit Deus ipſi Balaam & immiſit verbum
in os eius, & dixit : Reuertere ad Balac, & hæc lo-
queris.
17 Et reuerſus eſt ad eum: & ecce ille ſtabat ſuper ho-
locauſtoſim ſuam, & omnes principes Moab cũ eo.
Et dixit ei Balac : Quid locutus eſt Dominus ?
18 Et aſſumens parabolam ſuam dixit : Exurge Balac,
& audi, auribus percipe teſtis filius Sephor.
19 Non quaſi homo, Deus ſuſpenditur, neque quaſi fi-
lius hominis, minas patitur : ipſe cum dixerit, non-
ne faciet ? Loquetur, & non permanebit ?

20 Ecce ad benedicendum aſſumptus ſum, benedicam,
& non auertam.
21 Non erit labor in Iſrael, neque videbitur dolor in
Iſrael: Dominus Deus eius cum eo, præclara prin-
cipum in eo.

22 Deus, qui eduxit eum de Ægypto, ſicut gloria vni-
cornis ei.
23 Non eſt enim auguratio in Iacob, neque diuina-
tio in Iſrael. In tempore dicetur ipſi Iacob, & Iſ-
rael, quid perficiet Deus.
24 Ecce populus ſicut catulus leonis, exurget, & ſicut
leo, exultabit : non dormiet donec comedat præ-
dam, & ſanguinem cæſorum bibat.
25 Et dixit Balac ad Balaam : Neque maledictionibus
maledicas mihi eum, neque benedicens benedicas
eum.
26 Et reſpondens Balaam dixit ad Balac : Nonne lo-
cutus ſum tibi, dicens : Verbum quodcumque locu
tus fuerit Dominus, hoc faciam ?
27 Et ait Balac ad Balaam : Veni, aſſumam te in lo-
cum alium : ſi placebit Deo, & maledic mihi eum
inde.
28 Et aſſumpſit Balac ipſum Balaam in verticem Pho
ghor, quod extenditur in deſertum.

## Chald. Paraph. Transl.

6 *Reuerſuſque eſt ad eum, & ecce ille ſtabat iuxta ho*
*locauſtum ſuum, & omnes principes Moab.*
7 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & ait : De Aram du*
*xit me Balac rex Moab, de montibus Orientis : Ve-*
*ni, inquit, maledic pro me Iacob, & veni proijce à*
*me Iſraelem.*
8 *Quid maledicam, cui non maledixit Deus? Et quid*
*proijciam, quem non proiecit Dominus.*
9 *A vertice enim montium intueor eum, & de collibus*
*cõſidero eum. Ecce populus ſolus poſſidebit ſæculum,*
*& in gentibus non exiſtimabunt conſumptionem.*
10 *Quis poterit numerare paruulos domus Iacob, de*
*quibus dictum eſt quòd multiplicabuntur ſicut pul-*
*uis terræ, aut vnum ex quatuor caſtris Iſrael?*
*Moriatur anima mea morte rectorum eius, & ſit*
*finis meus ſicut illorum.*
11 *Dixitq́, Balac ad Balaam : Quid hoc feciſti mihi?*
*Vt maledice res inimicis meis duxi te, & ecce bene-*
*dictione benedixiſti eis.*
12 *Et reſpondit, & ait : Vtique quod poſuerit Dominus*
*in ore meo, illud obſeruabo vt loquar.*
13 *Dixitq́, ei Balac : Veni, obſecro, nunc mecum in al-*
*terum locum, vnde eum videre poteris : tantummo-*
*do extremam partem eius videbis, & totum non vi-*
*debis, & maledic inde ei pro me.*
14 *Et adduxit eum in agrum ſpeculæ in verticem col-*
*lis, & ædificauit ſeptem aras, & obtulit bouem, &*
*arietem ſuper vnamquamque aram.*
15 *Dixitq́, ad Balac : Sta hic iuxta holocauſtum tuũ :*
*ego autem accedam illuc vſque.*
16 *Et occurrit verbum à facie Domini ipſi Balaam, &*
*poſuit ſermonem in ore eius, & ait : Reuertere ad Ba*
*lac, & ſic loqueris,*
17 *Et venit ad eum: & ecce ipſe ſtabat iuxta holocau-*
*ſtum ſuum, & principes Moab cum eo, & dixit ei Ba*
*lac : Quid locutus eſt Dominus?*
18 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & ait : Surge Balac,*
*& audi, auſculta verbum meum fili Sephor :*
19 *Num ſicut verba filiorum hominum eſt ſermo Dei?*
*filij hominum dicunt & mentiuntur, nec iuxta ope-*
*ra filiorum carnis, qui decernunt facere, & inito*
*conſilio mutantur ab eo : quod ipſe dixit, nonne fa-*
*ciet? omne enim verbum eius confirmabitur.*
20 *Ecce benedictiones accepi ad benedicendum Iſrael,*
*& non prohibebo benedictionem meam ab eis.*
21 *Intueor quoniam non ſunt ſeruientes idolis in domo*
*Iacob neque operantes falſitatem in Iſrael. verbum*
*Domini Dei ſui eſt in adiutorium eorum, & maie-*
*ſtas regis ſui eſt inter eos.*
22 *Deus qui eduxit eos de Ægypto, ipſe fortitudo & cel*
*ſitudo ſua eſt.*
23 *Non enim placent auguria in domo Iacob, neque di-*
*uinationes volunt multitudo domus Iſrael. In tem-*
*pore dicetur Iacob, & Iſraeli quid operatus ſit Deus.*
24 *Ecce populus vt leæna habitabit, & ſicut leo exalta*
*bitur: non habitabit in terra ſua, donec occidat occi-*
*ſionem, & ſubſtantias populorum hæreditabit.*
25 *Dixitque Balac ad Balaam : Neque maledicas ei,*
*neque benedicas.*
26 *Reſpondit q́, Balaam, & dixit ad Balac : Nonne locu*
*tus fui tecum, dicens : Quodcumque loquetur Do-*
*minus, illud faciam?*
27 *Dixitq́, Balac ad Balaam : Veni, nunc ducam te in*
*alterum locum: ſi fortè erit volũtas coram Domino,*
*vt maledicas ei inde pro me.*
28 *Et duxit Balac Balaam in verticem collis Phegor,*
*qui reſpicit contra faciem Beth-ieſimon.*

## Vulgat. Editio.

29 Dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdemque numeri arietes.

30 Fecit Balac vt Balaam dixerat: impoſuitque vitulos & arietes per ſingulas aras.

### CAP. XXIIII.

1 Cumque vidiſſet Balaam, quod placeret Domino vt benediceret Iſraeli, nequaquam abijt: vt ante perrexerat, vt augurium quæreret, ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum,

2 Et eleuans oculos, vidit Iſrael in tentorijs commorantem per tribus ſuas: & irruente in ſe ſpiritu Dei,

3 Aſſumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus:

4 Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius:

5 Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael?

6 Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.

7 Fluet aqua de ſitula eius, & ſemẽ illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius.

8 Deus eduxit illum de Ægypto, * cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Deuorabunt gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis.

* Sup. 23. 22.

9 Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna, quam ſuſcitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

10 Iratuſque Balac contra Balaam, comploſis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus e contrario tertio benedixiſti:

11 Reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magnifice honorare te, ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito.

12 Reſpondit Balaam ad Balac: Nonne nuncijs tuis, quos miſiſti ad me, dixi:

13 * Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: ſed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?

* Sup. 22. 18.

14 Verumtamen pergens ad populum meum, dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

15 Sumpta igitur parabola, rurſum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus:

16 Dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.

17 Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope. * ORIETVR STELLA ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth.

* Matth. 2. 2.

18 Et erit Idumæa poſſeſſio eius: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis: Iſrael vero fortiter aget.

19 De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis,

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et dixit Bilham ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem altaria, & præparare fac mihi hic ſeptem iuuencos, & ſeptem arietes.*

30 *Et fecit Balac, quemadmodum dixit Bilham, & obtulit iuuencum, & arietem in altari.*

### CAP. XXIIII.

1 *Et vidit Bilham, quod bonum eſſet in oculis Domini, vt benediceret Iſraeli, & non pergeret, ſicut ſemel, & iterum in occurſum auguriorum, & poſuit ad deſertum faciem ſuam.*

2 *Et eleuauit Bilham oculos ſuos, & vidit Iſrael habitantem per tribus ſuas, & fuit per eum ſpiritus Dei.*

3 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: Dixit Bilham filius Behor, & dixit vir apertum habens oculum.*

4 *Dixit audiens eloquia Dei: Qui viſionem omnipotentis vidit, cadens, & diſcoopertos habens oculos.*

5 *Quam pulchra ſunt tabernacula tua Iahacob, habitacula tua Iſrael.*

6 *Sicut torrentes extenſa ſunt, ſicut horti iuxta flumen, ſicut tabernacula quæ plantauit Dominus, ſicut cedri iuxta aquas.*

7 *Fluet aqua è ſitula eius, & ſemen eius in aquis multis. Et exaltabitur magis quam Aghagh, rex eius, & eleuabitur regnum eius.*

8 *Deus eduxit eum ex Ægypto, ſicut fortitudo vnicornis eſt ei. Conſumet gentes hoſtes eius, & oſſa eorum exoſſabit, & ſagittas eius conteret.*

9 *Incuruauit ſe, accubuit vt leo, vt leo maior. Quis ſuſcitabit eum? benedicentes tibi benedicti, & maledicentes tibi maledicti erunt.*

10 *Et iratus eſt furor Balac contra Bilham, & percuſſit manus ſuas, & dixit Balac ad Bilham: Vt malediceres inimicis meis vocaui te. Et ecce benedixiſti benedicendo iam tribus vicibus.*

11 *Et nunc fuge tibi ad locum tuum. Dixi, honorando honorabo te, & ecce priuauit te Dominus gloria.*

12 *Et dixit Bilham ad Balac: Nonne etiam nuncijs tuis, quos miſiſti ad me, locutus ſum, dicendo:*

13 *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argento, & auro, non potero tranſgredi ſermonem Domini, vt faciam bonum, vel malum è corde meo: quod loquetur Dominus illud loquar.*

14 *Et nunc ecce ego vado ad populum meum: veni, conſulam tibi, quod facturus eſt populus iſte populo tuo in nouiſſimis diebus.*

15 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: Dixit Bilham filius Behor, & dixit vir apertum habens oculum.*

16 *Dixit audiens eloquia Dei, & ſciens ſcientiam altiſſimi, viſionem Omnipotentis videbit, cadens, & diſcoopertos habens oculos.*

17 *Videbo eum, & non nunc: intuebor eum, & non prope. INCESSIT STELLA ex Iahacob, & ſurget virga ex Iſrael: & tranſfiget terminos Moab, & deſtruet omnes filios Seth.*

18 *Et erit Edom hæreditas: & erit hæreditas Sehir inimicis eius: & Iſrael facit diuitias.*

19 *Et dominabitur de Iahacob, & perdere faciet ſuperſtitem de ciuitate.*

*Et*

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

29 Et ait Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para mihi hic ſeptem vitulos, & ſeptem arietes.
30 Et fecit Balac ſicut dixit ei Balaam, & obtulit vitulum, & arietem ſuper aram.

### CAP. XXIIII.

1 ET videns Balaam, quia bonum eſt in conſpectu Domini benedicere Iſrael, non iuit ſicut conſuetum ei erat, in occurſum auſpicijs, & conuertit faciem ſuam in deſertum.
2 Et eleuans Balaam oculos ſuos videt Iſrael caſtrametatum per tribus: & factus eſt ſuper eum ſpiritus Dei:
3 Et aſſumens parabolam ſuam, dixit: Dicit Balaam filius Beor, dicit homo vere videns,
4 Dicit audiens eloquia ipſius fortis, qui quidem viſionem Dei vidit in ſomno, reuelati oculi eius.
5 Quam bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Iſrael.
6 Sicut nemora vmbrantia, & ſicut paradiſi ſuper flumen, & ſicut tabernacula, quæ fixit Dominus, & ſicut cedri iuxta aquas.
7 Exibit homo de ſemine eius, & dominabitur gentibus multis: & exaltabitur Gog regnum, & creſcet regnum eius.
8 Deus deduxit eum ex Ægypto, ſicut gloria vnicornis ei: comedet gentes inimicorum ſuorum, & craſſitudines eorum enedullabit, & iaculis ſuis ſagittabit inimicum.
9 Recumbens requieuit vt leo, & vt catulus leonis: quis excitabit eum? Qui benedicunt te, benedicti ſunt, & qui maledicunt te, maledicti ſunt.
10 Et iratus eſt Balac ſuper Balaam, & plauſum dedit manibus ſuis, & dixit Balac ad Balaam: Maledicere inimicum meum vocaui te, & ecce benedicens benedixiſti iam tertio.
11 Nunc ergo fuge in locum tuum. Dixi, honorabo te, & nunc fraudauit te Dominus honore.
12 Et dixit Balaam ad Balac: Nonne, & nuncijs tuis, quos miſiſti ad me, locutus ſum, dicens:
13 Si mihi dederit Balac plenam domum ſuam argento, & auro, non potero tranſgredi verbum Domini, facere illud bonum, aut malum apud meipſum, quæcumque dixerit Deus, hæc dicam?
14 Et ecce nunc recurro in locum meum: veni, conſilium dabo tibi, quid faciet populus hic populum tuum in nouiſſimo dierum.
15 Et aſſumens parabolam ſuam, dixit: Dicit Balaam filius Beor, dicit homo vere videns,
16 Audiens eloquia Dei, ſciens ſciẽtiam ab Altiſſimo, & viſionem Dei videns in ſomno, reuelati oculi eius:
17 Oſtendam ei & non modo: beatifico, & non appropinquat. ORIETVR STELLA ex Iacob, exurget homo ex Iſrael, & percutiet duces Moab & prædabitur omnes filios Seth.
18 Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Eſau inimicus eius: & Iſrael fecit in fortitudine:
19 Et exurget ex Iacob, & perdet eum, qui ſaluatur de ciuitate.



## Chald. Paraph. Tranſl.

29 *Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para mihi hic ſeptem boues, & ſeptem arietes.*
30 *Et fecit Balac ſicut dixerat Balaam, & obtulit bouem, & arietem ſuper vnaquaque ara.*

### CAP. XXIIII.

1 *VIditq; Balaam quòd placeret coram Domino, vt benediceret Iſraeli, & non abijt ſicut antea, vt auguria quæreret, ſed poſuit faciem ſuam ad vitulum quem fecerant filij Iſrael in deſerto.*
2 *Et leuauit Balaam oculos, & vidit Iſrael commorantem per tribus ſuas, & quieuit ſuper eum ſpiritus prophetiæ à facie Domini.*
3 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & ait: Dicit Balaam filius Beor, & dicit vir qui pulchrè videt.*
4 *Dicit qui audit verbum à facie Dei, qui viſionem à facie omnipotentis videt: cadens, & reuelatur ei.*
5 *Quàm bona eſt terra tua Iacob, & domus habitationis tuæ Iſrael!*
6 *Sicut torrentes defluentes, ſicut hortus irriguus qui eſt iuxta Euphratem, ſicut aromata quæ plantauit Dominus, ſicut cedri quæ plantati ſunt iuxta aquas.*
7 *Creſcet rex qui vngetur de filijs ſuis, & dominabitur populorum multorum, & roborabitur magis quã Agag rex eius, & eleuabitur regnum illius.*
8 *Deus qui eduxit eos de Ægypto, fortitudo & altitudo eius ſunt, deuorabit domus Iſrael ſuperbias populorum inimicorum ſuorum, & præda regum eorum delectabuntur, & terram eorum poſſidebunt.*
9 *Requieſcet, habitabitque in fortitudine quaſi leo, & & quaſi leæna, & non erit regnum quod commoueat eum: benedicentes tibi erunt benedicti, & maledicentes tibi erunt maledicti.*
10 *Iratuſque eſt furor Balac contra Balaam, & complosis manibus ſuis, dixit Balac ad Balaam: Vt malediceres inimicis meis duxi te, & ecce benedictione benedixiſti eis iam tertiò.*
11 *Nunc autem vade in locum tuum: decreueram enim honorare te, & ecce priuauit te Dominus honore.*
12 *Dixitq; Balaam ad Balac: Nonne etiam nuncijs quos miſiſti ad me locutus ſum, dicens:*
13 *Si dederit mihi Balac domum ſuam plenam argento, & auro, non eſt mihi facultas tranſgrediendi decretum verbi Domini, vt faciam bonum, aut malum ex voluntate mea: quodcumque locutus fuerit Dominus, illud loquar.*
14 *Et nunc ecce ego vado ad populum meum: veni, conſulam tibi quid facies, & indicabo tibi quid faciet populus hic populo tuo in fine dierum.*
15 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & ait: Dicit Balaam filius Beor, & dicit vir qui pulchrè videt.*
16 *Dicit ille qui audit verbum à facie Dei, & ſciens ſcientiam à conſpectu Excelſi, qui videt viſionem à facie Omnipotentis, qui cadit, & reuelatur ei.*
17 *Video eum, & non modo: intueor eum, ſed nõ eſt prope. CVM CONSVRGET REX de domo Iacob, & vngetur Chriſtus de domo Iſrael, & occidet principes Moab, et dominabitur omnium filiorũ hominum.*
18 *Et erit Idumæa hæreditas, & erit Seir hæreditas inimicis ſuis: Iſrael autem proſperabitur in ſubſtãtia.*
19 *Et deſcendet vnus de domo Iacob, & perdet eum, qui euaſerit de ciuitate populorum.*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Cumque vidiſſet Amalec, aſſumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur. | 20 | 20 | Et vidit Hamalech, & aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: Principium Gentium Hamalech, & nouiſſimum eius in ſæculum perijt. |
| | Vidit quoque Cinæum: & aſſumpta parabola, ait: Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum: ſed ſi in petra poſueris nidum tuum, | 21 | 21 | Et vidit Chenæum, & aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: Robuſtum eſt habitaculum tuum, & pone in petra nidum tuum. |
| | Et fueris electus de ſtirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Aſſur enim capiet te. | 22 | 22 | Quia ſi fuerit ad remouendum Cain, donec Aſſur prædetur te. |
| | Aſſumptaque parabola iterum locutus eſt: Heu, quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? | 23 | 23 | Et aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit: Væ, quis viuet poſtquam deſolauerit eum Deus? |
| * Dan. 11. 18. | * Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. | 24 | 24 | Et naues de littore Chittim, & affligent Aſſur, & affligent Heber, & etiam ipſe in ſæculum perijt. |
| | Surrexitq; Balaam, & reuerſus eſt in locum ſuum: Balac quoque via, qua venerat, rediit. | 25 | 25 | Et ſurrexit Bilham, & abijt, & reuerſus eſt ad locum ſuum, & etiam Balac iuit in viam ſuam. |
| | CAP. XXV. | | | CAP. XXV. |
| | MOrabatur autem eo tempore Iſrael in Settim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, | 1 | 1 | ET manſit Iſrael in Sitthim, & cœpit populus fornicari cum filiabus Moab. |
| | Quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adorauerunt deos earum. | 2 | 2 | Et vocauerunt populum ad ſacrificia Deorum ſuorum, & comedit populus, & incuruauit ſe dijs earum. |
| * Ioſ. 22. 17. | * Initiatuſque eſt Iſrael Beelphegor: & iratus Dominus, | 3 | 3 | Et coniunxit ſe Iſrael ipſi Bahalpehor: & iratus eſt furor Domini contra Iſrael. |
| * Deu. 4. 3. | Ait ad Moyſen: * Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael. | 4 | 4 | Et dixit Dominus ad Moſeh: Cape omnes principes populi, & fac quod ipſi ſuſpendere faciant eos Domino, coram ſole, & auertetur ira furoris Domini ab Iſrael. |
| * Ex. 32. 27 | Dixitque Moyſes ad Iudices Iſrael: * Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor. | 5 | 5 | Et dixit Moſeh ad iudices Iſrael: Occidite vnuſquiſque viros ſuos, qui coniunxerunt ſe ipſi Bahalpehor. |
| | Et ecce vnus de filijs Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi. | 6 | 6 | Et ecce vir de filijs Iſrael venit, & appropinquare fecit ad fratres ſuos Midianitidē in oculis Moſeh, et in oculis omnis congregationis filiorum Iſrael, & ipſi flebant ad oſtium tabernaculi eccleſiæ. |
| * 1. Mac. 2. 26 Pſ. 105. 30. 1. Cor. 10. 8 | * Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, | 7 | 7 | Et vidit Pinechas filius Elhazar filij Aharon ſacerdotis, & ſurrexit è medio congregationis, & accepit lanceam in manu ſua. |
| | Ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus. Ceſſauitque plaga à filijs Iſrael: | 8 | 8 | Et ingreſſus eſt poſt virum Iſrael in tabernaculum, & transfixit ambos ipſos virum Iſrael, & mulierem ipſam in ventrem eius. Et reſtrinxit ſe plaga à filijs Iſrael. |
| | Et occiſi ſunt vigintiquatuor millia hominum. | 9 | 9 | Et fuerunt mortui in plaga quatuor & viginti millia. |
| | Dixitque Dominus ad Moyſen: | 10 | 10 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo: |
| | Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis auertit iram meam à filijs Iſrael: quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. | 11 | 11 | Pinechas filius Elhazar filij Aharō ſacerdotis auerti fecit furorem meum à filijs Iſrael: cum zelatus eſt ipſe zelum meum in medio eorum, & non conſumpſi filios Iſrael in zelo meo. |
| * Eccl. 45. 28. 1. Ma. 2. 54 | Idcirco loquere ad eum: * Ecce do ei pacem fœderis mei, | 12 | 12 | Idcirco dic: Ecce ego do ei pactum meum pacem. |
| | Et erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. | 13 | 13 | Et erit ei & ſemini eius poſt eum, pactum ſacerdotij perpetui, pro eo quod zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit filios Iſrael. |
| | Erat autem nomen viri Iſraelitæ, qui occiſus eſt cū Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis. | 14 | 14 | Et nomen viri Iſrael percuſſi, qui percuſſus eſt cum Midianitide erat Zimri filius Salu, princeps domus patris Simhon. |
| | Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta eſt, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobiliſſimi Madianitarum. | 15 | 15 | Et nomen mulieris occiſæ Midianitidis Chozbi filia Sur principis gentium, domus patris in Midian erat. |
| Inf. 31. 2. | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 16 | 16 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo: |
| | Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos: | 17 | 17 | Anguſtijs affice Midianitas, & percutietis eos. |
| | Quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos, & decepere inſidijs per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian ſororem ſuam quę percuſſa eſt in die plagæ pro ſacrilegio Phogor. | 18 | 18 | Quia anguſtijs afficiunt ipſi vos fraudibus ſuis, quibus fraudem fecerunt vobis per Pehor, & per Chozbi filiam principis Midian ſororem eorum: & percuſſa eſt in die plaga propter Pehor. |

CAP. CAP.

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 Et videns Amalec,& aſſumens parabulam ſuam dixit: Initium gentium Amalec,& ſemen eorum peribit.

21 Et videns Cenæum, & aſſumens parabolam ſuam, dixit: Fortis habitatio tua, & ſi poſueris in petra nidum tuum,

22 Et ſi fuerit ipſi Beor nidus aſtutiæ: Aſſyrij captiuum te ducent.

23 Et videns Og, & aſſumens parabolam ſuam dixit: Heu Heu,quis viuet: cum poſuerit hæc Deus?

24 Et exibunt de manu Citiæorum,& affligent Aſſur, & affligent hebræos,& ipſi pariter peribunt.

25 Et exurgens Balaam abijt reuerſus in locum ſuum: Et Balac abijt ad ſeipſum.

### CAP. XXV.

1 ET manſit Iſrael in Settin,& pollutus eſt populus,vt fornicaretur in filiabus Moab.

2 Et vocauerunt eos ad ſacrificia idolorum ſuorum: & manducauit populus de ſacrificijs eorum, & adorauit idola eorum,

3 Et conſecratus eſt Iſrael ipſi Beelphegor: & iratus eſt furore Dominus in Iſrael.

4 Et dixit Dominus Moyſi: Accipe omnes principes populi, & oſtenta eos Domino contra Solem, & auertetur ira furoris Domini ab Iſrael.

5 Et dixit Moyſes tribubus Iſrael: Occidite vnuſquiſque proximum ſuum, qui conſecratus eſt ipſi Beelphegor.

6 Et ecce homo de filijs Iſrael veniens adduxit fratrem ſuum ad Madianitidem in conſpectu Moyſi,& in conſpectu omnis ſynagogæ filiorum Iſrael: ipſi autem flebant ad oſtium tabernaculi teſtimonij

7 Et videns Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis,exurrexit de medio ſynagogæ,& capiens ſyromaſten in manu,

8 Ingreſſus eſt poſt hominem Iſraelitam in caminum & transfodit vtroſque, hominem Iſraelitam & mulierem per vuluam eius, & ceſſauit plaga à filijs Iſrael.

9 Et fuerunt mortui in plaga,quattuor & viginti millia.

10 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:

11 Phinees filius Eleazari ſacerdotis ſedauit furorem meum à filijs Iſrael: dum ego zelarem zelum in eos, & non conſumpſi filios Iſrael in zelo meo.

12 Sic dicito: Ecce ego do ei teſtamentum pacis:

13 Et erit ei & ſemini eius poſt eum teſtamentum ſacerdotij ſempiternum pro eo, quod zelauit Deo ſuo,& depropitiauit pro filijs Iſrael.

14 Nomen autem hominis Iſraelitæ illius percuſſi,qui percuſſus eſt cum Madianitide, Zambri filius Salmon,princeps domus familiæ filiorum Symeon.

15 Et nomen mulieri Madianitidi illi percuſſæ,Chasbi filia Sur principis gentis Ommoth domus familiæ eſt Madian:

16 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens:

17 Loquere filijs Iſrael,dicens: Hoſtes ſitis Madianitis & percutite eos:

18 Quoniam hoſtes ipſi ſunt vobis in dolo, quæcumque decipiunt vos per Phogor, & per Cazbi filiam principis Madian ſororem eorum, quæ percuſſa eſt in die plagæ propter Phogor.

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Et vidit Amalech,& aſſumpſit parabolam ſuam,& ait: Principium bellorum Iſrael fuit Amalech, & & extrema eius in æternum perdentur.*

21 *Et vidit Salamaum, & aſſumpſit parabolam ſuam, & ait: Robuſta eſt domus habitationis tuæ,poneque in ciuitate fortiſſima habitaculum tuum.*

22 *Si enim fuerit Salamaus in conſummationem, Aſſyrius captiuabit te.*

23 *Et aſſumpſit parabolam ſuam, & ait: Væ peccatoribus qui vixerint quando faciet Deus hæc.*

24 *Et naues venient à Romanis,& affligent Aſſyriam, & ſubijcient trans flumen Euphratem: & illi quoque in æternum peribunt.*

25 *Surrexitq; Balaam,& abijt,& reuerſus eſt in locum ſuum: Balac quoque abijt in viam ſuam.*

### *CAP. XXV.*

1 *MOrabatur autem Iſrael in Settim,& cœpit populus fornicari cum filiabus Moab.*

2 *Et vocauerunt populum ad ſacrificia idolorum ſuorum, & comedit populus, & adorauerunt idola eorum.*

3 *Coniunctuſq; eſt Iſrael cultoribus Beelphegor,& iratus eſt furor Domini contra Iſrael.*

4 *Et dixit Dominus: Tolle omnes principes populi,& iudica & occide illum qui reus fuerit morte coram Domino contra Solem,vt auertatur ira furoris Domini ab Iſrael.*

5 *Dixitq; Moyſes iudicibus Iſrael: Occidat vnuſquiſque viros ſuos qui coniuncti ſunt cultoribus Beelphegor.*

6 *Et ecce vir de filijs Iſrael venit, & attulit ad fratres ſuos Madianitidē ante oculos Moyſi,& ante oculos omnis congregationis filiorum Iſrael, & illi flebant in oſtio tabernaculi fœderis.*

7 *Et vidit Phinees filius Eleazar filij Aaron ſacerdotis,& ſurrexit de medio congregationis,& tulit lanceam in manu ſua:*

8 *Et venit poſt virum Iſraelitam in lupanar, & perfodit ambos,virum ſcilicet Iſraelitam & mulierem per ventrem ſuum, & ceſſauit peſtis à filijs Iſrael.*

9 *Fueruntq; qui mortui ſunt in peſte,viginti & quattuor millia.*

10 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*

11 *Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis auertit iram meam à filijs Iſrael, cum zelauerit zelum meum in medio eorum, vt non conſumerem filios Iſrael zelo meo.*

12 *Idcirco dic ei: Ecce ego ſtatuo illi pacem fœderis mei.*

13 *Eritq; ei, & filijs eius poſt eum pactum ſacerdotij ſempiternum,eo quòd zelatus eſt coram Deo ſuo, & placauit pro filijs Iſrael.*

14 *Nomen autem viri Iſraelitæ occiſi, qui occiſus eſt cū Madianitide erat Zamri filius Salu principis domus paternæ de tribu Symeonis.*

15 *Et nomen mulieris Madianitidis quæ occiſa eſt, erat Cozbi filia Sur,qui erat princeps nationis domus paternæ in Madian.*

16 *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe,dicens:*

17 *Affligite Madianitas,& occidite eos.*

18 *Quia ipſi afflixerunt vos inſidijs ſuis, quibus inſidiati ſunt contra vos per idolum Phogor,& per Cozbi filiam principis Madian ſororem ſuam, quæ occiſa eſt in die peſtis propter Phogor.*

## Vulgat. Editio.

### C A P. XXVI.

1 POſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit Dominus ad Moyſen, & Eleazarum filium Aaron ſacerdotem:

*Sup. 1. 3. 3.

2 * Numerate omnem ſummam filiorum Iſrael à viginti annis & ſupra, per domos & cognationes ſuas cunctos, qui poſſunt ad bella procedere.

3 Locuti ſunt itaque Moyſes, & Eleazar ſacerdos in campeſtribus Moab ſuper Iordanem contra Iericho, ad eos, qui erant

4 A viginti annis, & ſupra, ſicut Dominus imperauerat, quorum iſte eſt numerus:

*Gen. 46. 9. Exo. 6. 14. 1. Par. 5. 3.

5 Ruben primogenitus Iſrael. * huius filius, Henoch, à quo familia Henochitarum: & Phallu, à quo familia Phalluitarum:

6 Et Heſron, à quo familia Heſronitarum: & Charmi, à quo familia Charmitarum.

7 Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Ruben: quarum numerus inuentus eſt quadraginta tria millia, & ſeptingenti triginta.

8 Filius Phallu, Eliab.

*Sup. 16. 1.

9 Huius filij, Namuel, & Dathan, & Abiron: iſti ſunt Dathan, & Abiron principes populi, * qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando aduerſus Dominum rebellauerunt:

10 Et aperiens terra os ſuum deuorauit Core, morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factũ eſt grande miraculum:

11 Vt, Core pereunte, filij illius non perirent.

12 Filij Simeon per cognationes ſuas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Iamin, ab hoc familia Iaminitarum: Iachin, ab hoc familia Iachinitarum:

13 Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum.

14 Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti.

15 Filij Gad per cognationes ſuas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum:

16 Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:

17 Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum.

18 Iſtæ ſunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti.

Gen. 38. 3.

19 * Filij Iuda, Her, & Onan, qui ambo mortui ſunt in terra Chanaan.

20 Fueruntque filij Iuda, per cognationes ſuas: Sela, à quo familia Selaitarum: Phares, à quo familia Phareſitarum: Zare, à quo familia Zareitarum.

21 Porro filij Phares: Heſron, à quo familia Heſronitarum: & Hamul, à quo familia Hamulitarum.

22 Iſtæ ſunt familiæ Iuda, quarum omnis numerus fuit ſeptuaginta ſex millia quingenti.

23 Filij Iſſachar, per cognationes ſuas: Thola, à quo familia Tholaitarũ: Phua, à quo familia Phuaitarũ:

24 Iaſub, à quo familia Iaſubitarum: Semran, à quo familia Semranitarum.

25 Hæ ſunt cognationes Iſſachar, quarum numerus fuit ſexaginta quattuor millia trecenti.

26 Filij Zabulon per cognationes ſuas: Sared, à quo familia Sareditarum: Elon, à quo familia Elonitarum: Ialel, à quo familia Ialelitarum.

27 Hæ ſunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit ſexaginta millia quingenti.

28 Filij Ioſeph, per cognationes ſuas, Manaſſe, & Ephraim.

De

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### C A P. XXVI.

1 *ET fuit, poſt plagam dixit Dominus ad Moſeh, & Elhazar filium Aharon ſacerdotis dicendo:*

2 *Tollite ſummam omnis congregationis filiorum Iſrael à filio viginti annorum, & ſupra per domum patrum ſuorum, omnis egredientis ad pugnam in Iſrael.*

3 *Et locutus eſt Moſeh, & Elhazar ſacerdos cum eis in campeſtribus Moab iuxta Iarden Iericho, dicendo.*

4 *A filio viginti annorum, & ſupra, quemadmodum præcepit Dominus, & filij Iſrael, qui egreſſi ſunt è terra Aegypti.*

5 *Reuben primogenitus Iſrael: filij Reuben, Chanoch, familia Chanochitarum: de Pallu, familia Palluitarum.*

6 *De Cheſron, familia Cheſronitarum: de Charmi, familia Charmitarum.*

7 *Iſtæ ſunt familiæ Reubenitarum: & fuerunt numeri eorum tria, & quadraginta millia, & ſeptingenti, & triginta.*

8 *Et fili Pallu, Eliab.*

9 *Et filij Eliab Nemuel, & Dathan, & Abiron: ipſi ſunt Dathan, & Abiron maiores ſynagogæ, qui diuiſerũt ſe cõtra Moſeh, & cõtra Aharõ in cõgregatione Corach, quando diuiſerunt ſe ipſi cõtra Dominũ.*

10 *Et aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos, & Corach, dum moreretur cõgregatio, qñ cõſumpſit ignis quinquaginta, & ducẽtos viros. Et fuerũt in ſignũ.*

11 *Et filij Corach, non ſunt mortui.*

12 *Filij Simhon per familias ſuas: de Nemuel, familia Nemuelitarum: de Iamin familia Iaminitarum, & Iachin, familia Iachinitarum.*

13 *De Zerach, familia Zarchitarum: de Saul, familia Saulitarum.*

14 *Iſtæ ſunt familiæ Simhonitarum duo, & viginti millia, & ducenti.*

15 *Filij Ghad per familias ſuas: de Sephon, familia Sephonitarum: de Chaggi, familia Chaggitarum: de Suni, familia Sunitarum.*

16 *De Ozni, familia Oznitarum: de Heri familia Heritarum.*

17 *De Arod, familia Aroditarum: de Areli, familia Arelitarum.*

18 *Iſtæ ſunt familiæ filiorum Ghad, per numeros ſuos, quadraginta millia, & quingenti.*

19 *Filij Iehudah, Her, & Onan, & mortuus eſt Her, & Onan in terra Chenahan.*

20 *Et fuerunt filij Iehudah, per familias ſuas: de Selah, familia Selahitarum: de Peres, familia Parſitarum: de Zerach, familia Zarchitarum.*

21 *Fuerunt filij Peres: de Cheſron, familia Cheſronitarum: de Chamul, familia Chamulitarum.*

22 *Iſtæ ſunt familiæ Iehudah per numeros ſuos ſex, & ſeptuaginta millia, & quingenti.*

23 *Filij Iſaſchar, per familias ſuas: de Tolah familia Tolahitarum: de Puuah, familia Punitarum.*

24 *De Iaſub, familia Iaſubitarum: de Simron, familia Simronitarum.*

25 *Iſtæ ſunt familiæ Iſaſchar, per numeros ſuos, quattuor, & ſexaginta millia, & trecenti.*

26 *Filij Zebulun, per familias ſuas: de Sered, familia Sarditarum: de Elon, familia Elonitarum: de Iachleel familia Iachleelitarum.*

27 *Iſtæ ſunt familiæ Zebulenitarum, per numeros ſuos, ſexaginta millia, & quingenti.*

28 *Filij Ioſeph, per familias ſuas Menaſſeh, & Ephraim.*

Filij

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### C A P. XXVI.

1 ET factum eſt poſt plagam, & locutus eſt Dominus ad Moyſem, & Eleazarum ſacerdotem, dicens:
2 Accipe principium totius ſynagogæ filiorum Iſrael à viginti annis, & ſupra ſecundum domos familiarum eorum: omnis qui procedit ad ſtandum in acie in Iſrael.
3 Et locutus eſt Moyſes & Eleazar ſacerdos in Araboth Moab ſuper Iordanem contra Hierico, dicens:
4 A viginti annis & ſupra: quemadmodum conſtituit Dominus Moyſi. Et filij Iſrael, qui exierunt ex Ægypto.
5 Ruben primogenitus Iſrael: filij autem Ruben, Enoch, & populus ipſius Enoch: ipſi Phallu, populus Phallui:
6 Ipſi Aſron, populus Aſroni: ipſi Charmi, populus Charmi.
7 Hi ſunt populi Ruben: & fuit recognitio eorum, tria & quadraginta millia, & ſeptingenti, & triginta.
8 Et filij Phallud, Heliab:
9 Et filij Heliab, Namuel. & Dathan, & Abiron: hi nominati ſynagogæ: hi ſunt, qui coniurarunt ſuper Moyſen, & Aaron in ſynagoga Core in coniuratione Domini:
10 Et aperiens terra os ſuum, deglutiuit eos: & Core in morte ſynagogæ eius, quando deuorauit ignis quinquaginta & ducentos: & facti ſunt in ſignum.
11 Filij autem Core non ſunt mortui.
12 Et filij Symeon, populus filiorum Symeon: ipſi Namuel, populus qui Namueli: ipſi Iamin, populus qui Iamini: ipſi Iachin, populus Iachini.
13 Ipſi Zare, populus qui Zarai: ipſi Saul populus qui Sauli.
14 Hi ſunt populi Symeon ex recognitione eorũ duo, & viginti millia, & ducenti.
15 Filij Gad ſecundum populos eorum: ipſi Saphon populus qui Saphoni: ipſi Angi populus qui Angi: ipſi Sani populus qui Sani.
16 Ipſi Azeni populus qui Azeni: ipſi Addi populus qui Addi:
17 Ipſi Aroadi populus qui Aroadi: ipſi Ariel populus qui Arieli.
18 Hi populi filiorum Gad ex recognitione eorum quattuor & quadraginta millia, & quingenti.
19 Filij autem Iuda, Er, & Aynan: & mortui ſunt Er, & Aynan, in terra Chanaan.
20 Et fuerunt filij Iuda ſecundum populos eorum: ipſi Selom populus qui Selomi: ipſi Phares, populus, qui Pharesi: ipſi Zara, populus qui Zarai.
21 Et fuerunt filij Phares: ipſi Aſron, populus, qui Aſroni: ipſi Iamun, populus qui Iamuni.
22 Hi ſunt populi Iuda, ſecundum recognitionem eorum, ſex & ſeptuaginta millia, & quingenti.
23 Et filij Iſſachar ſecundum populos eorum: ipſi Thola, populus, qui Tholai: ipſi Phua, populus q Phuai.
24 Ipſi Iaſub populus qui Laſubi: ipſi Samram populus qui Samrami.
25 Hi populi Iſſachar ex recognitione eorum, quatuor & ſexaginta millia, & quadringenti.
26 Filij Zabulon ſecundum populos eorum: ipſi Sared, populus qui Saredi: ipſi Allon, populus qui Alloni: ipſi Allel, populus qui Alleli.
27 Hi populi Zabulon ex recognitione eorum ſexaginta millia, & quingenti. *
28 Filij Ioſeph ſecundum populos eorum Manaſſe, & Ephrem.

* Variat ordo Bibl. Sep. inter. Romanæ a noſtra vulgata [illegible] 25. 26. 27 [illegible] noſtræ vulgatæ cor reſponde[illegible] in Bib. Sep. Rom. [illegible] textus [illegible] poſt num 27.

Filij

## Chald. Paraph. Tranſl.

### C A P. XXVI.

1 *ET factum eſt poſt peſtem, dixit Dominus ad Moyſen, & ad Eleazarum filium Aaron ſacerdotis, dicens:*
2 *Accipe ſummam omnis cœtus filiorum Iſrael, à viginti annis, & ſupra per domos patrum ſuorum omnium egredientium in exercitum in Iſrael.*
3 *Locutuſque eſt Moyſes & Eleazarus ſacerdos, decreueruntque numerare eos in campeſtribus Moab iuxta Iordanem Hiericho.*
4 *A viginti annis & ſupra, ſicut Dominus præceperat Moyſi & filijs Iſrael, qui egreſſi ſunt de terra Ægypti.*
5 *Ruben primogenitus Iſrael, filij Ruben: de Enoc fuit familia Enochitarum, de Phalu familia Phaluitarum:*
6 *De Eſron familia Eſronitarum: de Charmi familia Charmitarum.*
7 *Hæ ſunt familiæ Ruben, & fuit numerus earum quadraginta tria millia, & ſeptingenti, & triginta.*
8 *Filij autem Phalu, Eliab:*
9 *Et filij Eliab Nemuel, & Datan, & Abirã: ipſi ſunt Datan & Abirã qui vocabãtur ad cõſiliũ, qui cõgregati ſunt contra Moyſen & cõtra Aarõ in cõgregatione Chore: qũ congregati ſunt contra Dominum.*
10 *Et aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos, & Chore in morte congregationis, quando cõbuſſit ignis ducentos & quinquaginta viros, et facti ſunt in ſignũ.*
11 *Filij autem Chore non ſunt mortui.*
12 *Filij Symeon per familias ſuas: de Namuel fuit familia Namuelitarum: de Iamin familia Iaminitarum: de Iachin familia Iachinitarum:*
13 *De Zare familia Zareitarum: de Saul familia Saulitarum.*
14 *Hæ ſunt familiæ Symeon, quarum numerus fuit viginti duo millia & ducenti.*
15 *Filij Gad per cognationes ſuas: de Sephon familia Sephonitarum: de Aggi familia Aggitarum: de Suni familia Sunitarum:*
16 *De Ozni familia Oznitarum: de Heri familia Heritarum:*
17 *De Arod familia Aroditarum: de Areli familia Arelitarum.*
18 *Hæ ſunt familiæ filiorum Gad: quarum numerus fuit quadraginta millia & quingenti.*
19 *Filij Iuda Her & Onan, & mortui ſunt Her & Onan in terra Chanaan.*
20 *Fueruntq; filij Iuda per cognationes ſuas: de Sela familia Selaitarum: de Phares familia Pharesitarum: de Zare familia Zareitarum.*
21 *Fueruntq; filij Phares: de Eſron familia Eſronitarum: de Amul familia Amulitarum.*
22 *Hæ ſunt familiæ Iuda, quarum numerus fuit ſeptuaginta, & ſex millia, & quingenti.*
23 *Filij Iſachar per familias ſuas: de Thola familia Tholaitarum: de Phua familia Phuaitarum.*
24 *De Iaſub familia Iaſubitarum: de Semron familia Semronitarum*
25 *Hæ ſunt familiæ Iſachar, quarum numerus fuit ſexaginta quatuor millia & treſcenti,*
26 *Filij Zabulon per cognationes ſuas: de Sared familia Sareditarum: de Elon, familia Elonitarum: de Ialeel familia Ialeelitarum.*
27 *Hæ ſunt cognationes Zabulon quarum numerus fuit ſexaginta millia & quingenti.*
28 *Filij Ioſeph per cognationes ſuas Manaſſe & Ephraim.*

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| * Ioſ.17.1 | De Manaſſe ortus eſt Machir, à quo familia Machiritarum. * Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum. | 29 | 29 | *Filij Menaſſeh: de Machir familia Machiritarum, & Machir genuit Ghilhad: de Ghilhad familia Ghilhaditarum.* |
| | Galaad habuit filios: Iezer, à quo familia Iezeritarum: & Helec, à quo familia Helecitarum: | 30 | 30 | *Iſti filij Ghilhad: de Ihezer familia Ihezritharum: de Chelech familia Chelchitarum:* |
| | Et Aſriel, à quo familia Aſrielitarum: & Sechem, à quo familia Sechemitarum: | 31 | 31 | *De Aſriel familia Aſrielitarum: de Sechem familia Sichmitarum:* |
| * Infr.27.1. | Et Semida, à quo familia Semidaitarum: * & Hepher, à quo familia Hepheritarum. | 32 | 32 | *Et de Semidah familia Semidahitarum: de Chepher familia Chephritarum.* |
| * Ioſ.17.2. | Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, ſed tantum filias, quarum iſta ſunt nomina: * Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Therſa. | 33 | 33 | *Et Selaphchad filio Chepher non fuerunt filij, ſed filiæ: & nomen filiarum Selaphchad Machlah, & Noah, Choglah, Milchah, & Thirſah.* |
| | Hæ ſunt familiæ Manaſſe, & numerus earum, quinquaginta duo millia ſeptingenti. | 34 | 34 | *Iſtæ ſunt familiæ Menaſſeh, & numeri earum duo, & quinquaginta millia, & ſeptingenti.* |
| | Filij autem Ephraim per cognationes ſuas fuerũt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarũ, Becher, à quo familia Becheritarũ: Thehen, à quo familia Thehenitarũ. | 35 | 35 | *Iſti ſunt filij Ephraim per familias ſuas: de Suthelach familia Suthalchitarum: de Becher familia Bachritarum: de Tachan familia Tachnitarum.* |
| | Porro filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarum. | 36 | 36 | *Et iſti ſunt filij Suthelach: de Heran familia Heranitarum.* |
| | Hæ ſunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti. | 37 | 37 | *Iſtæ ſunt familiæ filiorum Ephraim per numeros ſuos, duo, & triginta millia, & quingenti.* |
| | Iſti ſunt filij Ioſeph per familias ſuas. Filij Beniamin in cognationibus ſuis: Bela, à quo familia Belaitarum: Aſbel, à quo familia Aſbelitarum: Ahiram, à quo familia Ahiramitarum: | 38 | 38 | *Iſti ſunt filij Ioſeph per familias ſuas. Filij Biniamin per familias ſuas: de Belah familia Balhitarum: de Aſbel familia Aſbelitarum: de Achiram familia Achiramitarum.* |
| | Supham, à quo familia Suphamitarum: Hupham, à quo familia Huphamitarum. | 39 | 39 | *De Sephupham familia Suphamitarum: de Chupham familia Chuphamitarum.* |
| | Filij Bela: Hered, & Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum. | 40 | 40 | *Et fuerunt filij Belah Arde, & Nahaman familia Arditarum: de Nahaman familia Nahamanitarum.* |
| | Hi ſunt filij Beniamin per cognationes ſuas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia ſexcenti. | 41 | 41 | *Iſti ſunt filij Biniamin per familias ſuas, & numeri eorum quinque & quadraginta millia, & ſexcenti.* |
| | Filij Dan per cognationes ſuas: Suham, à quo familia Suhamitarum. Hæ ſunt cognationes Dan per familias ſuas. | 42 | 42 | *Iſti ſunt filij Dan per familias ſuas: de Sucham familia Suchamitarum. Iſtæ ſunt familiæ Dan per familias ſuas.* |
| | Omnes fuere Suamitæ, quorum numerus erat ſexaginta quattuor millia quadringenti. | 43 | 43 | *Omnes familiæ Suchamitarum per numeros ſuos quattuor, & ſexaginta millia, & quadringenti.* |
| | Filij Aſer per cognationes ſuas: Iemna, à quo familia Iemnaitarum: Ieſſui, à quo familia Ieſſuitarum: Brie, à quo familia Brieitarum. | 44 | 44 | *Filij Aſer per familias ſuas: de Imnah familia Imnahitarum: de Iſui familia Iſuitarum: de Berihah familia Berihitarum.* |
| | Filij Brie: Heber, à quo familia Heberitarum: & Melchiel, à quo familia Melchielitarum. | 45 | 45 | *De filijs Berihah de Cheber familia Chebritarum: de Malchiel familia Malchielitarum.* |
| | Nomen autem filiæ Aſer, fuit Sara. | 46 | 46 | *Et nomen filiæ Aſer erat Serach.* |
| | Hæ cognationes filiorum Aſer, & numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti. | 47 | 47 | *Iſtæ ſunt familiæ filiorum Aſer per numeros ſuos, tria & quinquaginta millia, & quadringenti.* |
| | Filij Nephthali per cognationes ſuas: Ieſiel, à quo familia Ieſielitarum: Guni, à quo familia Gunitarum: | 48 | 48 | *Filij Naphthali per familias ſuas: de Iachſeel familia Iachſeelitarum: de Ghuni familia Ghunitarum.* |
| | Ieſer, à quo familia Ieſeritarum: Sellem, à quo familia Sellemitarum. | 49 | 49 | *De Ieſer familia Iſritarum: de Sillem familia Sillemitarum.* |
| | Hę ſũt cognatiões filiorũ Nephthali p familias ſuas quorũ numerus quadragĩta quinq; millia quadrigẽti. | 50 | 50 | *Iſtæ ſũt familiæ Naphthali p familias ſuas, & numeri eorũ quinq; & quadragĩta millia, & quadringẽti.* |
| | Iſta eſt ſumma filiorum Iſrael, qui recenſiti ſunt, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta. | 51 | 51 | *Iſti ſunt numeri filiorum Iſrael, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti, & triginta.* |
| | Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 52 | 52 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| | Iſtis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas. | 53 | 53 | *Iſtis diuidetur terra per hæreditatem ſecundum numerum nominum.* |
| | Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: ſingulis, ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio: | 54 | 54 | *Multo multiplicabis hæreditatem eius, & pauco diminues hæreditatem eius: vnicuique ſecundum numeros eius dabitur hæreditas eius:* |
| | Ita duntaxat vt ſors terram tribubus diuidat, & familijs. | 55 | 55 | *Veruntamen per ſortem diuidetur terra, per nomina tribuum patrum ſuorum hæreditatem accipient.* |
| | Quidquid ſorte contigerit, hoc vel plures accipient, vel pauciores. | 56 | 56 | *Secundum ſortes diuidetur hæreditas eius inter magnum, & paruum.* |
| * Exo.6.17 | * Hic quoq; eſt numerus filiorũ Leui p familias ſuas: Gerſon, à quo familia Gerſonitarũ: Caath, à quo familia Caathitarũ: Merari, à quo familia Meraritarũ. | 57 | 57 | *Et iſti ſunt numeri Leuitarum per familias ſuas: de Gherſon familia Gherſunitarum: de Cheath familia Chehatitarũ: de Merari familia Meraritarũ.* |

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Filij Manaſſe: ipſi Machir populus, qui Machiri. Et Machir genuit Galaad: ipſi Galaad populus qui Galaadi. | 29 | 29 | *Filij Manaſſe: de Machir familia Machiritarum: & Machir genuit Galaad: de Galaad familia Galaaditarum.* |
| Et hi filij Galaad: ipſi Achiezer populus, qui Achiezeri: ipſi Cheleg populus qui Chelegi. | 30 | 30 | *Iſti ſunt filij Galaad: de Iezer familia Iezeritarũ: de Elech familia Elechitarum.* |
| Ipſi Eſriel populus qui Eſrieli: ipſi Sychem populus qui Sichemi. | 31 | 31 | *De Aſriel familia Aſrielitarum: de Sechem familia Sechemitarum.* |
| Ipſi Symaer populus qui Symaeri: & ipſi Opher populus qui Opheri. | 32 | 32 | *De Semida familia Semidaitarum: de Epher familia Epheritarum.* |
| Et ipſi Salpaad filio Opher non fuerunt ei filij, ſed filiæ: & hæc nomina filiarum Salpaad, Maala, & Nua, & Egla, & Malcha, & Therſa. | 33 | 33 | *Salphaad autem filius Epher non habuit filios, ſed filias: & nomen filiarum Salphaad, Maala & Noa, Egla, Melcha & Therſa.* |
| Hi populi Manaſſe, ex recognitione eorum duo, & quinquaginta millia, & ſeptingenti. | 34 | 34 | *Hæ ſunt familiæ Manaſſe, & fuit numerus earum quinquaginta duo millia & ſeptingenti.* |
| Et hi filij Ephrem: ipſi Suthala, populus, qui Suthalan: ipſi Tanach, populus, qui Tanachi. | 35 | 35 | *Iſti ſunt filij Ephraim per familias ſuas: de Sutala familia Sutalaitarum: de Becher familia Becheritarum: de Theen familia Theenitarum.* |
| Hi filij Suthala: ipſi Eden, populus, qui Edeni. | 36 | 36 | *Iſti ſunt autem filij Sutala: de Heran familia Heranitarum.* |
| Hi filij Ephræm, ex recognitione eorum, duo & triginta millia, & quingenti: Hi populi filiorum Ioſeph ſecundum populos eorum. | 37 | 37 | *Hæ ſunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti: Iſti ſunt filij Ioſeph per familias ſuas.* |
| Filij Beniamin ſecundum populos eorum: ipſi Bale, populus, qui Bali: ipſi Aſyber, populus, qui Aſyberi: ipſi Iachiran, populus, qui Iachirani: | 38 | 38 | *Filij Beniamin per cognationes ſuas: de Bale familia Baleitarum: de Aſbel familia Aſbelitarum: de Achiram familia Achiramitarum.* |
| Ipſi Sophan, populus, qui Sophani. | 39 | 39 | *De Sephupham familia Sephuphamitarum: de Hupham familia Huphamitarum.* |
| Et fuerunt filij Bale, Adar, & Noeman: ipſi Adar, populus, qui Adari: & ipſi Noeman, populus, qui Noemani. | 40 | 40 | *Fueruntque filij Bale, Arde & Naaman: de Arde familia Ardeitarum: de Naaman familia Naamanitarum.* |
| Hi filij Beniamin ſecundum populos eorum ex recognitione eorum quinque & triginta millia, & quingenti. | 41 | 41 | *Hi ſunt filij Beniamin per cognationes ſuas, quarum numerus fuit quadraginta quinque millia, & ſexcenti.* |
| Et filij Dan ſecundum populos eorum: ipſi Same, populus, qui Samei: hi populi Dan ſecundum populos eorum. | 42 | 42 | *Iſti ſunt filij Dan per cognationes ſuas: de Subam familia Subamitarum: hæ ſunt familiæ Dan per cognationes ſuas.* |
| Omnes populi Samei ſecundum recognitionem eorum, quattuor, & ſexaginta millia, & quadringẽti. | 43 | 43 | *Omnes qui numerati ſunt de familia Subam fuerunt ſexaginta quattuor millia & quadrigenti.* |
| * Filij Aſer ſecundũ populos eorum: ipſi Iamin populus qui Iamini: ipſi Ieſu populus qui Ieſui: ipſi Baria populus qui Bariai. | 44 | 44 | *Filij Aſer per cognationes ſuas: de Iemna familia Iemnaitarum: de Ieſui familia Ieſuitarum: de Beria familia Bereitarum.* |
| Ipſi Chober populus qui Choberi: ipſi Melchiel populus qui Melchieli. | 45 | 45 | *Filiorum Berie: de Heber familia Heberitarum: de Malchiel familia Malchielitarum.* |
| Et nomen filiæ Aſer, Sarà. | 46 | 46 | *Nomen autem filiæ Aſer fuit Sara.* |
| Hi populi Aſer ex recognitione eorum tria, & quadraginta millia, & quadringenti. * | 47 | 47 | *Hæ ſunt familiæ filiorum Aſer, quarũ numerus fuit quinquaginta tria millia & quadringenti.* |
| Filij Nephthali ſecundum populos eorum: ipſi Aſiel, populus, qui Aſieli: ipſi Gayni, populus, qui Gayni. | 48 | 48 | *Filij Neptali per cognationes ſuas: de Iaſiel familia Iaſielitarum: de Guni familia Gunitarum.* |
| Ipſi Ieſer, populus, qui Ieſeri: ipſi Sellem, populus, qui Sellemi. | 49 | 49 | *De Iaſer familia Iaſeritarum: de Silem familia Silemitarum.* |
| Hi populi Nephthali, ex recognitione eorum, quadraginta millia, & trecenti. | 50 | 50 | *Iſta sũt cognationes Neptali ꝑ familias ſuas, & numerꝰ earũ fuit quadragita quiq; milia et quadrigẽti* |
| Hæc eſt recognitio filiorum Iſrael: ſexcenta millia, & mille, & ſeptingenti, & triginta. | 51 | 51 | *Hi ſunt filij Iſrael qui numerati ſunt ſexcenta millia, & mille, & ſeptingenti, & triginta.* |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 52 | 52 | *Locutusq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:* |
| His diuidetur terra ad hæreditandum ex numero nominum, | 53 | 53 | *Iſtis diuides terram in poſſeſſionem iuxta numerum nominum eorum.* |
| Ijs, qui plures ſunt, multiplicabis hæreditatem, & ijs, qui pauciores, minues hæreditatem eorum: vnicuique, ſicut recogniti ſunt, dabitur hæreditas eorum. | 54 | 54 | *Pluribus maiorem poſſeſſionem dabis, & paucioribus minorem poſſeſſionem dabis: vnicuique iuxta numerus ſuos dabitur poſſeſſio eius.* |
| Per ſortes diſtribuetur terra nominibus: ſecundum tribus familiarum ſuarum hæreditabunt. | 55 | 55 | *Verumtamen per ſortem diuidetur terra, per nomina tribuum patrum ſuorum poſſidebitur.* |
| Ex ſorte diſtribues hæreditatem eorum inter multos, & paucos. | 56 | 56 | *Per ſortem diuidetur poſſeſſio eorum ſiue plures, ſiue pauci ſint.* |
| Et filij Leui ſecundum populos eorum: ipſi Gedſon, populus, qui Gedſoni: ipſi Caath, populus, qui Caathi: ipſi Merari populus, qui Merari. | 57 | 57 | *Et iſti ſunt filij Leui per familias ſuas: de Gerſon familia Gerſonitarum: de Caath familia Caathitarum: de Merari familia Meraritarum.* |

* Quæ hic ponũtur nu. 44. 45. 46. & 47. in Bib. Sept. Ind. Romæ editionis hæc coniuncta textui ſuperiori notato aſteriſco poſt num. 18.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

58 Hæ ſunt familiæ Leui: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Muſi, familia Core. At vero Caath genuit Amram:

59 Qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto: hæc genuit Amram viro ſuo filios, Aaron, & Moyſen, & Mariam ſororem eorum:

60 De Aaron orti ſunt Nadab & Abiu, & Eleazar, & Ithamar:

61 * Quorum Nadab & Abiu mortui ſunt, cum obtuliſſent ignem alienum coram Domino.

* Sup.3.4. Leu. 10.1. 1.Par.24.2

62 Fueruntque omnes, qui numerati ſunt, viginti tria millia generis maſculini ab vno menſe & ſupra, quia non ſunt recenſiti inter filios Iſrael, nec eis cum ceteris data poſſeſſio eſt.

63 Hic eſt numerus filiorum Iſrael, qui deſcripti ſunt à Moyſe & Eleazaro ſacerdote, in campeſtribus Moab ſupra Iordanem contra Iericho.

64 * Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati ſunt à Moyſe & Aaron in deſerto Sinai.

* 1.Cor.10 5.

65 * Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine. Nulluſque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.

* Sup.14. 23.24.

### C A P. XXVII.

1 ACceſſerunt * autem filiæ Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manaſſe, qui fuit filius Ioſeph: quarum ſunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Therſa.

* Sup.26. 33. Inf.36.1. Ioſ.17.3.

2 Steteruntque coram Moyſe & Eleazaro ſacerdote, & cunctis principibus populi ad oſtium tabernaculi fœderis, atque dixerunt:

3 Pater noſter mortuus eſt in deſerto, nec fuit in ſeditione, quæ * concitata eſt contra Dominum ſub Core, ſed in peccato ſuo mortuus eſt: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? Date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri.

* Sup.16.1

4 Retulitque Moyſes cauſam earum ad iudicium Domini.

5 Qui dixit ad eum:

6 Iuſtam rem poſtulant filiæ Salphaad: da eis poſſeſſionem inter cognatos patris ſui, & ei in hæreditatem ſuccedant.

7 Ad filios autem Iſrael loqueris hæc:

8 Homo cum mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas.

9 Si filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos.

10 Quod ſi & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius.

11 Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi ſunt: Eritque hoc filijs Iſrael ſanctum lege perpetua, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

12 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: * Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filijs Iſrael.

* Deu.32. 51. Sup.20.12

13 Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron:

14 Quia offendiſtis me in deſerto Sin in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram eis ſuper aquas: hæ ſunt aquæ contradictionis in Cades deſerti Sin.

15 Cui reſpondit Moyſes:



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

58 *Iſtæ ſunt familiæ Leuitarũ: Familia Libniticarũ, familia Chebronitarũ, familia Machlitarũ, familia Muſitarũ, familia Corchitarũ. Et Chehath genuit Hãrã.*

59 *Et nomen vxoris Hamram Iochebed filia Leui, quã peperit ipſi Leui in Ægypto: & peperit ipſi Hamram Aharon, & Moſeh, & Miriam ſororem eorum.*

60 *Et natus eſt ipſi Aharon Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar.*

61 *Et mortuus eſt Nadab, & Abihu, dum offerrent ignem alienum coram Domino.*

62 *Et fuerunt numerati eorum tria & viginti millia, omnis maſculus à filio menſis & ſupra, quia non ſunt numerati in medio filiorum Iſrael: non enim fuit data eis hæreditas in medio filiorum Iſrael.*

63 *Iſti ſunt numeri Moſeh, & Elhazar ſacerdotis, qui numerauerunt filios Iſrael in campeſtribus Moab, iuxta Iarden Iercho.*

64 *Et inter iſtos non fuit quiſquam de numeris Moſeh, & Aharon, qui numerauerunt filios Iſrael in deſerto Sinai.*

65 *Dixit enim Dominus eis: moriendo morientur in deſerto. Et non ſuperſtes fuit ex eis quiſquam, niſi Chaleb filius Iephunneh, & Iehoſuah filius Nun.*

### C A P. XXVII.

1 *ET appropinquauerunt filiæ Selophchad, filij Chepher, filij Ghilhad, filij Machir, filij Menaſſeh de familijs Menaſſeh filij Ioſeph: & hæc noĩa filiarum eius Machlah, Nohah, Ghoglah, et Milchah, et Tirſah.*

2 *Et ſteterunt coram Moſeh, & coram Elhazar ſacerdote, & coram principibus, & omni congregatione ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, dicendo:*

3 *Pater noſter mortuus eſt in deſerto, & ipſe non fuit in medio congregationis, qui conuenerunt aduerſus Dominum in congregatione Corach, quia in peccato ſuo mortuus eſt: & filij non fuerunt ei. Vt quid diminuetur nomen patris noſtri de medio familiæ eius quia non eſt ei filius? Da nobis hæreditatem in medio fratrum patris noſtri.*

4 *Et accedere fecit Moſeh iudicium earum coram Domino.*

5 *Et dixit Dominus ad Moſeh, dicendo:*

6 *Rectum filiæ Selophchad loquuntur: dando dabis eis poſſeſſionem hæreditatis in medio fratrũ patris earũ, & tranſire facies hæreditatem patris earum ad eas.*

7 *Et ad filios Iſrael loqueris, dicendo:*

8 *Vir cum mortuus fuerit, & filius non fuerit ei, tranſire facietis hæreditatem eius ad filiam eius.*

9 *Et ſi non fuerit ei filia, dabitis hæreditatem eius fratribus eius.*

10 *Et ſi non fuerint ei fratres dabitis hæreditatem eius fratribus patris eius:*

11 *Et ſi non fuerint fratres patri eius, dabitis hæreditatem eius propinquo eius, qui eſt propinquus ei, de familia eius, & hæreditate accipiet eam. Et erit filijs Iſrael in ſtatutum iudicij, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*

12 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Aſcende in montem Habarim iſtum, & vide terram quam dedi filijs Iſrael.*

13 *Et videbis eã, & cõgregaberis ad populos tuos, et tu, quemadmodum congregatus eſt Aharon frater tuus.*

14 *Quemadmodum rebelles fuiſtis ori meo in deſerto Sin in iurgio congregationis, vt ſanctificare faceretis me, in aquis in oculis eorum: iſtæ ſunt aquæ iurgij Cades deſerti Sin.*

15 *Et locutus eſt Moſeh ad Dominum, dicendo:*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

58 Hi populi filiorum Leui, populus, qui Lobeni, populus, qui Chebroni, populus, qui Core, & populus, qui Muſi. Et Caath genuit Amram.

59 Nomen autem vxoris eius, Iochabed filia Leui, quæ genuit iſtos ipſi Leui in Ægypto, & genuit ipſi Amram Aaron, & Moyſen, & Mariam ſororem eorum.

60 Et nati ſunt ipſi Aaron, Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar.

61 Et mortuus eſt Nadab, & Abiud in offerendo eos ignem alienum ante Dominum in deſerto Sina.

62 Et fuerunt ex recognitione eorum tria, & viginti millia, omne maſculinum ab vno menſe, & ſupra: non enim recogniti ſunt in medio filiorum Iſrael, quia non datur eis ſors in medio filiorum Iſrael.

63 Et hæc eſt recognitio Moyſi, & Eleazari ſacerdotis, qui recognouerunt filios Iſrael in Araboth Moab ſuper Iordanem contra Iericho.

64 Et in his non fuit homo ex ijs, qui recogniti fuerant ſub Moyſe, & Aaron, quos recognouerunt filios Iſrael in deſerto Sina:

65 Quoniam dixit Dominus eis: morte morientur in deſerto. Et non remanſit ex eis vllus, niſi Chaleb filius Iephonne, & Ieſus filius Naue.

### C A P. XXVII.

1 ET accedentes filiæ Salpaad filij Opher, filij Galaad, filij Machir, populi Manaſſe de filijs Ioſeph: & hæc nomina earum, Maala, & Nua, & Egla, & Melcha, & Therſa:

2 Et ſtantes ante Moyſen, & ante Eleazarum ſacerdotem, & ante principes, & ante omnem ſynagogam ad oſtium tabernaculi teſtimonij, dicunt:

3 Pater noſter mortuus eſt in deſerto, & ipſe non fuit in medio ſynagogæ coniurantis contra Dominum in ſynagoga Core, quoniam propter peccatum ſuum mortuus eſt: & filij non fuerunt ei. Ne deleatur nomen patris noſtri de medio populi ſui, quoniam non eſt ei filius. Date nobis poſſeſſionem in medio fratrum patris noſtri.

4 Et retulit Moyſes iudicium earum ante Dominum.

5 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

6 Rectè filiæ Salpaad locutæ ſunt: datum dabis eis poſſeſſionem hæreditatis in medio fratrum patris earum, & appones ſortem patris earum eis.

7 Et filijs Iſrael loqueris, dicens:

8 Homo ſi mortuus fuerit, & filius non fuerit ei: apponetis hæreditatem eius filiæ eius.

9 Si autem non fuerit ei filia, dabitis hæreditatem fratri eius.

10 Si autem non fuerint ei fratres, dabitis hæreditatem fratri patri eius.

11 Si autem non fuerint fratres patris eius, dabitis hæreditatem domeſtico, qui propinquior ſit ei de tribu eius, ad hæreditandum ea, quæ illius. Et erit hoc filijs Iſrael iuſtificatio iudicij, ſicut conſtituit Dominus Moyſi.

12 Et dixit Dominus ad Moyſen: Aſcende in montem iſtum, qui trans Iordanem, hic eſt mons Naban, & vide terram Chanaan, quam ego do filijs Iſrael in poſſeſſionem.

13 Et videbis eam, & appONETIS ad populum tuum & tu: ſicut appoſitus eſt Aarõ frater tuus in Or mõte.

14 Propterea quod tranſgreſſi eſtis verbum meum in deſerto Sin, cũ reſiſteret ſynagoga ſanctificare me non ſanctificaſtis me ſuper aqua ante eos: hæc eſt aqua contradictionis in Cades in deſerto Sin.

15 Et dixit Moyſes ad Dominum:

## Chald. Paraph. Transl.

58 *Iſtæ ſunt familiæ Leui, familia Lobni, familia Ebrõ, familia Mooli, familia Muſi, familia Chore. Caath autem genuit Amram.*

59 *Et nomen vxoris Amram Iocabed filia Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto, & peperit ex Amram Aaron, & Moyſen, & Mariam ſororem eorum.*

60 *De Aaron autem nati ſunt Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.*

61 *Mortuuſque eſt Nadab, & Abiu, cum obtuliſſent ignem alienum coram Domino.*

62 *Et fuit numerus eorum viginti trium millia omnium maſculorum ab vno menſe, & ſupra, quia non fuerunt numerati in medio filiorum Iſrael, neque enim data eſt eis poſſeſſio in medio filiorum Iſrael.*

63 *Hi ſunt quos numerauerunt Moyſes, & Eleazar ſacerdos, quando numerauerunt filios Iſrael in campeſtribus Moab iuxta Iordanem Hiericho.*

64 *Et in his non fuit vir eorum, qui numerati ſunt à Moyſe, & Aaron ſacerdote, qui numerauerunt filios Iſrael in deſerto Synai.*

65 *Dixerat enim Dominus, quod morte morerentur in ſolitudine, & nullus vir remaneret ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.*

### C A P. XXVII.

1 *ACceſſerunt autem filiæ Salphaad filij Epher, filij Galaad, filij Machir, filij Manaſſe de cognationibus Manaſſe filij Ioſeph: & hæc ſunt nõia filiarũ eius: Maala, Noa, & Egla, & Melcha, & Therſa.*

2 *Et ſteterunt coram Moyſe, & Eleazaro ſacerdote, & coram principibus, & omni cœtu in oſtio tabernaculi fœderis, dicentes:*

3 *Pater noſter mortuus eſt in deſerto, & ipſe non fuit in medio congregationis eorum, qui conuenerunt cõtra Dominum in congregatione Chore, quia in peccato ſuo mortuus eſt: & non fuerunt ei filij. Cur tollitur nomen patris noſtri de medio cognationis ſuæ, quia non habet filium? Da nobis poſſeſſionem inter fratres patris noſtri.*

4 *Retulitque Moyſes cauſam earum coram Domino.*

5 *Et ait Dominus ad Moyſen, dicens:*

6 *Rectè loquuntur filiæ Salphaad: da eis poſſeſſionem hæreditatis inter fratres patris earum, & transferes ad eas hæreditatem patris earum.*

7 *Et cum filijs Iſrael loqueris, dicens:*

8 *Si mortuus fuerit vir, & filius ei non fuerit, transferetis poſſeſſionem eius ad filiam ſuam.*

9 *Et ſi non fuerit ei filia, dabitis poſſeſſionem eius fratribus ſuis.*

10 *Et ſi non habuerit fratres: dabitis poſſeſſionem eius fratribus patris ſui.*

11 *Si autem pater eius non habuerit fratres: dabitis poſſeſſionem eius conſanguineo qui propinquior eſt ei de cognatione ſua, & hæreditabit eam. Et erit filiis Iſrael in decretum iudicij, ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

12 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Aſcende in montem iſtum Abarim, & vide terram quam dedi filijs Iſrael:*

13 *Videbiſque eam, & colligeris quoque tu ad populum tuum, ſicut collectus eſt Aaron frater tuus:*

14 *Quia præuaricati eſtis in verbum meum in deſerto Sin in contradictione congregationis, nec ſanctificaſtis me in aquis ante oculos eorum: hæ ſunt aquæ contradictionis in Cades deſerti Sin.*

15 *Locutuſque eſt Moyſes coram Domino, dicens:*

## Vulgata Editio.

16 Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem,qui ſit ſuper multitudinem hanc:

17 Et poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore.

18 Dixitque Dominus ad eum: * Tolle Ioſue filium Nun virum in quo eſt Spiritus,& pone manum tuã ſuper eum.

* Deut. 3. 23.

19 Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote,& omni multitudine:

20 Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ,vt audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſrael.

21 Pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & cetera multitudo,

22 Fecit Moyſes vt præceperat Dominus. Cumque tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Eleazaro ſacerdote & omni frequentia populi.

23 Et impoſitis capiti eius manibus, cuncta replicauit quæ mandauerat Dominus.

### CAP. XXVIII.

1 Dixit quoque Dominus ad Moſen:

2 Præcipe filijs Iſrael,& dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora ſua.

3 Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtũ ſempiternum:

4 Vnum offeretis mane, & alterum ad veſperum:

5 Decimam partem ephi ſimilæ, quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo,& habeat quartam partem hin.

6 Holocauſtum iuge eſt,quod obtuliſtis in monte Sinai in odorem ſuauiſſimum incenſi Domini.

7 Et libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingulos in Sanctuario Domini.

8 Alterumque agnum ſimiliter offeretis ad veſperam iuxta omnem ritum ſacrificij matutini, & libamentorum eius,oblationem ſuauiſſimi odoris Domino.

9 * Die autem ſabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio,& liba

* Mat. 12. 5.

10 Quæ rite funduntur per ſingula ſabbata in holocauſtum ſempiternum.

11 In calendis autem offeretis holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos,

12 Et tres decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio per ſingulos vitulos: & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ per ſingulos arietes:

13 Et decimam decimæ ſimilæ ex oleo in ſacrificio per agnos ſingulos, holocauſtum ſuauiſſimi odoris atque incenſi eſt Domino.

14 Libamenta autem vini, quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas, iſta erunt: Media pars hin per ſingulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum: hoc erit holocauſtum per omnes, menſes, qui ſibi anno vertente ſuccedunt.

15 Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocauſtum ſempiternum cum libamentis ſuis.

16 * Menſe autem primo, quartadecima die menſis Phaſe Domini erit,

* Ex. 12. 18. Leu. 23. 5.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Præficiat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, virum ſuper congregationem.*

17 *Qui egrediatur ante eos, & qui ingrediatur ante eos & qui educat eos, & qui introducat eos, & non ſit congregatio Domini, ſicut pecudes, quibus non eſt paſtor.*

18 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Cape tibi Iehoſuah filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & coniunges manum tuam ſuper eum.*

19 *Et ſtare facies eum coram Elhazar ſacerdote, & coram omni congregatione,*

20 *Et præcipies ei in oculis eorum, & pones de gloria tua ſuper eum, vt audiant omnis congregatio filiorum Iſrael.*

21 *Et coram Elhazar ſacerdote ſtabit, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Domino. Iuxta ſermonẽ eius egredientur, & iuxta ſermonẽ ingredientur ipſe & omnes filij Iſrael cum eo, & omnis congregatio.*

22 *Et fecit Moſeh: quemadmodum præcepit Dominus ei: & accepit Iehoſuah, & ſtare fecit eum coram Elhazar ſacerdote, & coram omni congregatione.*

23 *Et coniunxit manus ſuas ſuper eum, & præcepit ei, quẽadmodũ locutus eſt Dominus per manũ Moſeh.*

### CAP. XXVIII.

1 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Præcipe filijs Iſrael, & dic ad eos: Oblationem meam, panem meum, ſacrificia mea in odorem quietis meæ cuſtodietis, vt offeratis mihi in tempore ſuo.*

3 *Et dices ad eos: Hoc eſt ſacrificium quod offeretis Domino: Agnos anniculos immaculatos duos per diem holocauſtum iuge.*

4 *Agnum vnum facies mane, & agnum alterum facies inter veſperas.*

5 *Et decimam partem Ephah ſimilæ in oblationem, permixta oleo contuſo, quartum hin.*

6 *Holocauſtum iuge, quod factum eſt in monte Sinai, in odorem quietis, ſacrificium Domino.*

7 *Et libamen eius quartum Hin per agnum vnum in Sanctitate libare fac libamen ſechar Domino.*

8 *Et agnum alterum facies inter veſperas, ſicut oblationem matutinam, & ſicut libamen eius facies ſacrificium, in odorem quietis Domino.*

9 *Et in die ſabbati duos agnos anniculos immaculatos & duas decimas partes ſimilæ in ſacrificium permixtæ oleo & libamen eius.*

10 *Holocauſtum ſabbati in ſabbato eius ſuper holocauſtum iuge, & oblationem eius.*

11 *Et in capitibus mẽſium veſtrorum offeretis holocauſtum Domino, iuuencos filios bouis duos, & arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos.*

12 *Et tres decimas ſimilæ in ſacrificium permixtæ oleo per iuuencum vnum, & duas decimas partes ſimilæ in ſacrificium permixtæ oleo per arietem alterum.*

13 *Et ſingulam decimam partem ſimilæ in ſacrificium permixtæ oleo per agnum vnum: holocauſtum in odorem quietis ſacrificium Domino.*

14 *Et libamina eorum: dimidium hin erit per iuuencum, & tertium hin per arietem, & quartum hin per agnum, vini: hoc eſt holocauſtum menſis in menſe eius per menſes anni.*

15 *Et hircus caprarum vnus pro peccato, Domino ſuper holocauſtum iuge fiet, & libamen eius.*

16 *Et in menſe primo quartadecima die menſis Peſach eſt Domino.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

16 Prouideat Dominus Deus ſpirituum, & omnis carnis, hominem ſuper ſynagogam hanc:
17 Qui egrediatur ante faciem eorum, & qui ingrediatur ante faciem eorum, & qui educat eos, & qui inducat eos: & non erit ſynagoga Domini, ſicut oues, quibus non eſt paſtor.
18 Et locutus eſt Dñs ad Moyſen, dicens: Accipe ad te ipſum Ieſum filium Naue, hominem, qui habet Spiritum in ſeipſo, & impones manus tuas ſuper eum.
19 Et ſtatues eum in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & mandabis ei in conſpectu omnis ſynagogæ:
20 Et mandabis de eo coram eis, & dabis de gloria tua ſuper eum, vt exaudiant eum filij Iſrael.
21 Et in conſpectu Eleazari ſacerdotis ſtatuetur, & interrogabunt eum iudicium Manifeſtorum ante Domini. In ore eius exibunt, & in ore eius introibunt, ipſe, & filij Iſrael pariter, & omnis ſynagoga.
22 Et fecit Moyſes, ſicut præcepit ei Dominus. Et aſſumens Ieſum ſtatuit eum in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & in conſpectu omnis ſynagogæ.
23 Et impoſuit manus ſuas ſuper eum, & commendauit eum, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

### CAP. XXVIII.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos, dicens: Munera mea, data mea, oblationes meas in odorẽ ſuauitatis obſeruabitis offerre mihi in ſolemnitatibus meis:
3 Et dices ad eos: Hæ ſunt oblationes, quas adducetis Domino: Agnos anniculos ſine macula duos die in holocauſtoſim iugiter:
4 Agnum vnum facies manè, & agnum ſecundum facies ad veſperam:
5 Et facies decimam Oephi ſimilaginem in ſacrificium refectam in oleo in quarta In.
6 Holocauſtoma continuationis, facta in monte Sina in odorem ſuauitatis Domino.
7 Et libamen eius, quartam In agno vni, in Sancto libabis libamen ſicera Domino.
8 Et agnum ſecundum, facies ad veſperam, iuxta ſacrificium eius, & iuxta libamen eius facietis in odorem ſuauitatis Domino.
9 Et die ſabbatorum offeretis duos agnos anniculos ſine macula, & duas decimas ſimilaginis refectæ in oleo in ſacrificium, & libamen:
10 Holocauſtoma ſabbatorum in ſabbatis ſuper holocauſtoſim iugem, & libamen eius.
11 Et in Neomenijs offeretis holocauſtoma Domino vitulos ex bobus duos, & arietem vnum, agnos anniculos ſeptem ſine macula:
12 Tres decimas ſimilaginis refectæ in oleo vitulo vni: & duas decimas ſimilaginis refectæ in oleo arieti vni:
13 Decimam, decimam ſimilaginis conſperſæ in oleo agno vni ſacrificium, odorem ſuauitatis, oblationem Domino.
14 Libamen eorum: dimidium In erit vitulo vni, & tertia In erit arieti vni, & quarta In erit agno vni, vini: hoc eſt holocauſtoma menſem ex menſe in menſes anni.
15 Et hircum è capris vnum pro peccato Domino, ſuper holocauſtoſim iugem fiet, & libamen eius.
16 Et in menſe primo quarta, & decima die menſis Paſcha Domino:

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

16 *Conſtituat Dominus Deus ſpirituum, omnis carnis virum ſuper cœtum:*
17 *Qui egrediatur ante eos, & qui ingrediatur ante eos, & qui educat eos, & qui inducat eos: vt non ſit cœtus Domini, ſicut oues, quibus non eſt paſtor.*
18 *Dixitque Dominus ad Moyſen: Tolle Ioſue filium Nun virum in quo eſt Spiritus prophetiæ, & impones manum tuam ſuper eum.*
19 *Et ſtatues eum coram Eleazaro ſacerdote, & coram omni cœtu, & præcipies ei ante oculos eorum:*
20 *Dabiſque de ſplendore tuo ſuper eo, vt obediant ei omnis congregatio filiorum Iſrael.*
21 *Et coram Eleazaro ſacerdote ſtabit, vt conſulat pro eo in iudicio Illuminationis corã Domino. Ad verbũ eius egredientur, & ad verbum eius ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & omnis cœtus.*
22 *Fecitque Moyſes, ſicut ei præceperat Dominus. Et tulit Ioſue, & ſtatuit eum coram Eleazaro ſacerdote, & coram omni cœtu.*
23 *Et impoſuit manus ſuas ſuper eum, & præcepit ei, ſicut locutus fuerat Dominus per manum Moyſi.*

### CAP. XXVIII.

1 *LOcutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos: Oblationem meam, panemque ſtatutum in oblationes meas, vt ſuſcipiatur voluntariè obſeruabitis, vt offeratis coram me in tempore ſuo:*
3 *Dicesque ad eos: Hæc eſt oblatio, quam offeretis coram Domino: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum:*
4 *Agnum vnum offeres manè, & agnum alterum offeres ad veſperam:*
5 *Et decimam partem trium ſatorum ſimilæ pro munere, quæ conſperſa ſit oleo contuſo, habens quartam partem hin.*
6 *Holocauſtũ iuge eſt, quod factũ eſt in monte Sinai, vt oblatio ſuſcipiatur voluntariè coram Domino.*
7 *Et libamen eius erit quarta pars hin per agnos ſingulos, in Sanctuario libabitur libamine vini veteris coram Domino.*
8 *Et alterum agnum offeres ad veſperam, iuxta munus matutinum, & iuxta libamen eius facies oblationem, quæ ſuſcipitur voluntariè coram Domino.*
9 *In die autem ſabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ conſperſæ oleo pro munere, & libamen eius:*
10 *Holocauſtum eſt, quod fit per ſingula ſabbata præter iuge holocauſtum, & libamen eius.*
11 *Et in principijs mẽſium veſtrorum offeretis holocauſtum coram Domino, vitulos de bobus duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem:*
12 *Et tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo pro munere per ſingulos vitulos: & duas decimas ſimilæ conſperſæ oleo pro munere per arietem:*
13 *Et ſingulas decimas ſimilæ conſperſæ oleo per ſingulos agnos, holocauſtum eſt, vt oblatio ſuſcipiatur voluntariè coram Domino.*
14 *Et libamen eorum erit: dimidia pars hin vini per ſingulos vitulos, & tertia pars hin per arietem, & quarta pars hin per ſingulos agnos: hoc eſt holocauſtum exordij menſis in Neomenia eius, ſic erit per omnes Kalendas menſium anni.*
15 *Et hircus de capris vnus pro peccato offeretur coram Domino, præter iuge holocauſtum, & libamen eius.*
16 *Et in menſe primo quartadecima die menſis Phaſe erit coram Domino:*

*Et*

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et quintadecima die ſollemnitas: ſeptem diebus veſcentur azymis. | 17 | 17 | Et in quintadecima die menſis illius ſollemnitas: ſeptem diebus infermentata comedentur. |
| Quarum dies prima venerabilis, & ſancta erit: omne opus ſeruile, non facietis in ea. | 18 | 18 | In die prima conuocatio ſancta: omne opus ſeruitutis non facietis. |
| Offeretiſque incenſum holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem: | 19 | 19 | Et offeretis ſacrificium holocauſti Domino, iuuencos filios bouis duos, & arietem vnum, & ſeptem agnos anniculos, immaculati erunt vobis: |
| Et ſacrificia ſingulorum ex ſimila, quæ conſperſa ſit oleo, tres decimas per ſingulos vitulos, & duas decimas per arietem: | 20 | 20 | Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo tres decimas partes per iuuencum, & duas decimas partes per arietem facietis: |
| Et decimam decimæ per agnos ſingulos, id eſt, per ſeptem agnos. | 21 | 21 | Singulam decimam partem facies per agnum ſingulum, ſeptem agnis. |
| Et hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis: | 22 | 22 | Et hircum pro peccato vnum ad expiandum vos: |
| Præter holocauſtum matutinum, quod ſemper offeretis. | 23 | 23 | Præter holocauſtum matutinum, quod eſt in holocauſtum iuge facietis illa. |
| Ita facietis per ſingulos dies ſeptem dierum in fomitem ignis, & in odorem ſuauiſſimum Domino, qui ſurget de holocauſto, & de libationibus ſingulorum. | 24 | 24 | Sicut iſta facietis per diem, ſeptem diebus, panis ſacrificij in odorem quietis Domino ſuper holocauſtum iuge fiet, & libamen eius. |
| Dies quoque ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit vobis: omne opus ſeruile, non facietis in eo. | 25 | 25 | Et die ſeptima conuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruitutis non facietis. |
| Dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis, & ſancta erit: omne opus ſeruile non facietis in ea. | 26 | 16 | Et in die primitiarum, quando offeretis oblationem nouam Domino, in hebdomadibus veſtris, conuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruitutis non facietis. |
| Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos ſeptem: | 27 | 27 | Et offeretis holocauſtum in odorem quietis Domino, iuuencos filios bouis duos, arietem vnum, ſeptem agnos anniculos: |
| Atque in ſacrificijs eorum ſimilę oleo cōſperſę, tres decimas per ſingulos vitulos per arietes, duas: | 28 | 28 | Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo, tres decimas per iuuencum ſingulum, duas decimas per arietem ſingulum: |
| Per agnos decimam decimæ, qui ſimul ſunt agni ſeptem, hircum quoque. | 29 | 29 | Singulum decimum per agnum ſingulum, ſeptem agnis, hircum caprarum vnum. |
| Qui mactatur pro expiatione: præter holocauſtum ſempiternum & liba eius. | 30 | 30 | Ad expiandum vos: præter holocauſtum iuge, & oblationem eius facietis. |
| Immaculata offeretis omnia cum libationibus ſuis. | 31 | 31 | Immaculati erunt vobis, & libamina eorum. |

## CAP. XXIX.

*C A P. XXIX.*

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| MEnſis etiam ſeptimi prima dies venerabilis, & ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis in ea, quia dies clangoris eſt, & tubarum. | 1 | 1 | ET in menſe ſeptimo in vna menſis conuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruitutis non facietis, dies taratantara* erit vobis. |
| Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulum de armento vnum, arietem vnū, & agnos anniculos immaculatos ſeptem: | 2 | 2 | Et facietis holocauſtum in odorem quietis Domino, iuuencum filium bouis vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos: |
| Et in ſacrificijs eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem: | 3 | 3 | Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo, tres decimas per iuuencum, duas decimas per arietem: |
| Vnam decimam per agnum, qui ſimul ſunt agni ſeptem: | 4 | 4 | Et decimum vnum per agnum ſingulum ſeptem agnis: |
| Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi: | 5 | 5 | Et hircum caprarum vnum pro peccato, ad expiandum vos: |
| Præter holocauſtum Calendarum cum ſacrificijs ſuis, & holocauſtum ſempiternum cum libationibus ſuis: eiuſdem ceremonijs offeretis in odorem ſuauiſſimum incenſum Domino. | 6 | 6 | Præter holocauſtum menſis, & oblationem eius, & holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamina eius, ſecundum normam eorum, in odorem quietis, ſacrificium Domino. |
| * Decima quoque dies menſis huius ſeptimi erit vobis ſancta, atque venerabilis, & affligetis animas veſtras: omne opus ſeruile non facietis in ea. | 7 | 7 | Et in decima menſis ſeptimi huius conuocatio ſancta erit vobis, & affligetis animas veſtras: omne opus non facietis. |
| Offeretiſque holocauſtum Domino in odorem ſuauiſſimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem: | 8 | 8 | Et offeretis holocauſtum Domino in odorem quietis, iuuencum filium bouis vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, immaculati erunt vobis: |
| Et in ſacrificijs eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem: | 9 | 9 | Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo, tres decimas per iuuencum, duas decimas per arietem vnum: |
| Decimam decimæ per agnos ſingulos, qui ſunt ſimul agni ſeptem: | 10 | 10 | Singulum decimum per agnum ſingulum, ſeptem agnis: |

* Leu. 16. 30. & 23. 24.

* Vel iubilationis.

Et — Hir-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et quinta, & decima die menſis huius ſollemnitas: ſeptem diebus azyma edetis.

18 Et dies prima celebris ſancta erit vobis omne opus ſeruile non facietis.

19 Et offeretis holocauſtomata, oblationem Domino, vitulos ex bobus duos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, ſine macula erunt vobis:

20 Et ſacrificium eorum ſimilago conſperſa in oleo, tres decimæ vitulo vni, & duæ decimæ arieti vni:

21 Decimam, decimam facies agno vni, ſeptem iſtis agnis.

22 Et hircum ex capris vnum pro peccato ad depropitiandum pro vobis:

23 Præter holocauſtoſim iugem matutinam, quod eſt holocauſtoma continuationis.

24 Hæc ſecundum hæc facietis die in ſeptem dies, munus, oblationem in odorem ſuauitatis Domino, ſuper holocauſtoma iuge, facies libamen eius.

25 Et dies ſeptima vocata ſancta erit vobis omne opus ſeruile non facietis in ea.

26 Et die nouorum, quando offeretis ſacrificium nouum Domino hebdomadum, celebris ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis.

27 Et adducetis holocauſtomata in odorem ſuauitatis Domino, vitulos ex bobus duos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, ſine macula:

28 Sacrificium eorum ſimilago refecta in oleo, tres decimas vitulo vni, & duas decimas arieti vni:

29 Decimam, decimam agno vni, ſeptem iſtis agnis, & hircum ex capris vnum.

30 Pro peccato ad depropitiãdũ pro vobis: præter holocauſtoma iuge, & ſacrificium eorum facietis mihi.

31 Sine macula erunt vobis, & libamina eorum.

### CAP. XXIX.

1 ET menſe ſeptimo vna menſis, celebris ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis, dies ſignificationis erit vobis.

2 Et facietis holocauſtomata in odorem ſuauitatis Domino, vitulum vnum ex bobus, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem ſine macula:

3 Sacrificium eorum ſimilago refecta in oleo, tres decimas vitulo vni, & duas decimas arieti vni:

4 Decimam, decimam agno vni, ſeptem iſtis agnis:

5 Et hircum ex capris vnum pro peccato, ad depropitiandum pro vobis:

6 Præter holocauſtomata Neomeniæ, & ſacrificia eorum, & libamina eorum, & holocauſtoma iuge, & ſacrificia eorum, & libamina eorum, iuxta ritum eorum in odorem ſuauitatis Domino.

7 Et decima menſis huius, celebris ſancta erit vobis, & affligetis animas veſtras: & omne opus non facietis.

8 Et offeretis holocauſtomata in odorem ſuauitatis Domino, oblationes Domino, vitulum ex bobus vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, ſine macula erunt vobis:

9 Sacrificium eorum ſimilago conſperſa in oleo, tres decimas vitulo vni, & duas decimas arieti vni:

10 Decimam, decimam agno vni, in ſeptem iſtos agnos:

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et in quintadecima die mẽſis huius ſollemnitas eſt: ſeptem diebus azymum comedetur.*

18 *In die prima erit inuocatio ſancta: omne opus ſeruile non facietis.*

19 *Offeretiſque oblationem holocauſti coram Domino vitulos de bobus duos, & arietem vnum, & ſeptem agnos anniculos, immaculati erunt vobis:*

20 *Et in manus eorum tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo per ſingulos vitulos, & duas decimas per arietem offeretis:*

21 *Singulas decimas offeretis per ſingulos agnos, ſimiliter erit per ſeptem agnos.*

22 *Et hircum pro peccato vnum ad propitiandum pro vobis:*

23 *Præter holocauſtum matutinum, quod eſt holocauſtum iuge facietis hæc.*

24 *Sicut hæc facietis per ſingulos dies ſeptem diebus, panis oblationis eſt, qui ſuſcipitur voluntariè coram Domino, præter holocauſtum iuge, & libamen eius fiet.*

25 *Et in die ſeptimo inuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis.*

26 *In die autem primitiuorum, quando offeretis munus nouum coram Domino in expletione hebdomadarum veſtrarum, inuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis.*

27 *Et offeretis holocauſtum, vt ſuſcipiatur voluntariè coram Domino, vitulos de bobus duos, & arietem vnum, & ſeptem agnos anniculos:*

28 *Et pro munere eorum tres decimas ſimilæ per ſingulos vitulos, & duas decimas per ſingulos arietes:*

29 *Et ſingulas decimas per ſingulos agnos, ſic fiet per ſeptem agnos.*

30 *Hircum de capris vnum, ad propitiandum pro vobis: præter holocauſtum iuge, & munus eius offeretis.*

31 *Immaculati erunt vobis, & libamina eorum.*

### CAP. XXIX.

1 *ET in menſe ſeptimo in prima die menſis inuocatio ſancta erit vobis: omne opus ſeruile non facietis, dies clangoris erit vobis.*

2 *Facietiſque holocauſtum, vt ſuſcipiatur voluntariè coram Domino, vitulum de bobus vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem:*

3 *Et in munere eorum ſimilæ conſperſæ oleo, tres decimas per vitulum vnum, duas decimas per arietem:*

4 *Et ſingulas decimas per ſingulos agnos, ſic facietis per ſeptem agnos:*

5 *Et hircum de capris vnum pro peccato ad propitiandum pro vobis:*

6 *Præter holocauſtum Kalendarum, & munus eius, & holocauſtum iuge, & munus eius, & libamina eorum ſicut eis conuenit, vt oblatio ſuſcipiatur voluntariè coram Domino.*

7 *Et in decima die menſis huius ſeptimi inuocatio ſancta erit vobis, affligetiſque animas veſtras: omne opus ſeruile non facietis.*

8 *Et offeretis holocauſtum coram Domino, vt ſuſcipiatur voluntariè, vitulum de bobus vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, immaculati erunt vobis:*

9 *Et in munere eorum tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo per vitulum vnum, duas decimas per arietem vnum:*

10 *Et ſingulas decimas per ſingulos agnos, ſic fiet per ſeptem agnos:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et hircum pro peccato, abſque his, quæ offerri pro delicto ſolent in expiationem, & holocauſtum ſempiternum, cum ſacrificio, & libaminibus eorum. | 11 | 11 | Hircum caprarum vnum pro peccato, præter oblationem pro peccato expiationum, & holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamina eius. |
| Quintadecima vero die menſis ſeptimi, quæ vobis ſancta erit, atque venerabilis, omne opus ſeruile nõ facietis in ea, ſed celebrabitis ſollemnitatem Domino ſeptem diebus. | 12 | 12 | Et in quintadecima die menſis ſeptimi conuocatio ſancta erit vobis, omne opus ſeruitutis non facietis, & celebrabitis celebritatem Domino ſeptem diebus. |
| Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 13 | 13 | Et offeretis holocauſtum ſacrificium in odorem quietis Domino, iuuencos filios bouis tredecim, arietes duos, agnos anniculos filios anni quatuordecim, immaculati erunt: |
| Et in libamentis eorum ſimilæ oleo conſperſæ, tres decimas per vitulos ſingulos, qui ſunt ſimul vituli tredecim: & duas decimas arieti vno, id eſt, ſimul arietibus duobus: | 14 | 14 | Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo, tres decimas per iuuencum ſingulum, tredecim iuuencis: duas decimas per arietem ſingulum, duobus arietibus: |
| Et decimam decimæ agnis ſingulis, qui ſunt ſimul agni quattuordecim: | 15 | 15 | Et ſingulum decimum per agnum ſingulum, quatuordecim agnis: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, & ſacrificio, & libamine eius. | 16 | 16 | Et hircum caprarum vnum pro peccato, præter holocauſtum iuge, oblationem eius, & libamen eius. |
| In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 17 | 17 | Et in die ſecunda, iuuencos anniculos duodecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 18 | 18 | Et oblationem eorum, & libamina eorum per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, ſecundum normam: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque, & libamine eius. | 19 | 19 | Et hircum caprarum vnum pro peccato, præter holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamina eorum. |
| Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 20 | 20 | Et in die tertia iuuencos vndecim, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 21 | 21 | Et oblationem eorum, & libamina eorum per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque, & libamine eius. | 22 | 22 | Et hircum pro peccato vnum, præter holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamen eius. |
| Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 23 | 23 | Et die quarta iuuencos decem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 24 | 24 | Oblationem eorum, & libamina eorum per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine. | 25 | 25 | Et hircum caprarum vnum pro peccato, præter holocauſtum iuge, oblationem eius, & libamen eius. |
| Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 26 | 26 | Et die quinta iuuencos nouem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 27 | 27 | Et oblationem eorum, & libamina eorum, per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine. | 28 | 28 | Et hircum pro peccato vnum, præter holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamen eius. |
| Die ſexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 29 | 29 | Et in die ſexta iuuencos octo, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 30 | 30 | Et oblationem eorum, & libamina eorum, per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine. | 31 | 31 | Et hircum pro peccato vnum, præter holocauſtum iuge, oblationem eius, & libamina eius. |
| Die ſeptimo offeretis vitulos ſeptẽ, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: | 32 | 32 | Et die ſeptima iuuencos ſeptem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos: |
| Sacrificiaque, & libamina ſingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: | 33 | 33 | Et oblationem eorum, & libamina eorum per iuuencos, per arietes, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam eorum: |
| Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine. | 34 | 34 | Et hircum pro peccato vnum, præter holocauſtum iuge, oblationem eius, & libamen eius. |
| Die octauo, qui eſt celeberrimus, omne opus ſeruile non facietis. | 35 | 35 | In die octaua collectio erit vobis, omne opus ſeruitutis non facietis. |
| Offerentes holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem: | 36 | 36 | Et offeretis holocauſtum ſacrificium odoris quietis Domino iuuencum vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos: |

## Tranſl. ex Septuag.

11 Et hircum ex capris vnum pro peccato ad depropitiandum pro vobis, præter illud, quod pro peccato depropitiationis, & holocauſtoſis iugis, ſacrificium eius, & libamen eius, iuxta ritum in odorem ſuauitatis, oblatio Domino.

12 Et quintadecima die menſis ſeptimi, celebris ſancta erit vobis, omne opus ſeruile non facietis, & celebrate eam, ſollemnitatem Domino ſeptem diebus.

13 Et adducite holocauſtomata, oblationem in odorẽ ſuauitatis Domino, die prima vitulos ex bobus tres, & decem, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim, ſine macula erunt:

14 Sacrificia eorum ſimilago conſperſa in oleo, tres decimas vitulo vni, tredecim iſtis vitulis: & duas decimas arieti vni, in duos iſtos arietes:

15 Decimam, decimam agno vni in quattuordecim iſtos agnos:

16 Et hircũ ex capris vnũ pro peccato præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorum, & libamina eorum.

17 Et die ſecunda vitulos duodecim, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim, ſine macula:

18 Sacrificium eorum, & libamen eorum vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

19 Et hircum ex capris vnum pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorum, & libamina eorum.

20 Die tertia vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim, ſine macula:

21 Sacrificium eorum, & libamen eorum vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

22 Et hircum ex capris vnũ pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorũ, & libamina eorum.

23 Die quarta vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim ſine macula:

24 Sacrificia eorum, & libamina eorum vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

25 Et hircũ ex capris vnum pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorũ, & libamina eorũ.

26 Die quinta vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim ſine macula:

27 Sacrificia eorum, & libamina eorum vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

28 Et hircũ ex capris vnum pro peccato, præter holocauſtoſim iugẽ, ſacrificia eorum, & libamina eorũ.

29 Die ſexta vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim ſine macula:

30 Sacrificia eorum, & libamina eorum vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

31 Et hircũ ex capris vnum pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorũ, & libamina eorum.

32 Die ſeptima vitulos ſeptem, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim ſine macula:

33 Sacrificia eorum, & libamina eorum, vitulis, & arietibus, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

34 Et hircũ ex capris vnum pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorũ, & libamina eorum.

35 Et die octaua Exodium erit vobis, omne opus ſeruile non facietis in ea.

36 Et adducetis holocauſtomata in odorem ſuauitatis, oblationem Domino, vitulum vnum, arietem vnũ, agnos anniculos ſeptem ſine macula:

Sa-

## Chald. Paraph. Tranſl.

11 *Hircum de capris vnum pro peccato abſque ſacrificio, quod offertur pro peccato in expiationibus, & holocauſtum ſempiternum, & munus eius, & libamina eorum.*

12 *Et in quintadecima die menſis ſeptimi inuocatio ſancta erit vobis, omne opus ſeruile non facietis, & celebrabitis ſollemnitatem coram Domino ſeptem diebus.*

13 *Et offeretis holocauſtum oblationis, quod ſuſcipitur voluntariè coram Domino, vitulos de bobus tredecim, arietes duos, agnos anniculos quattuordecim, immaculati erunt:*

14 *Et in munere eorum, tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo per vnumquemque vitulum tredecim vitulorum: duas decimas per vnumquemque arietem duorum arietum:*

15 *Et ſingulas decimas per vnumquemque agnũ quattuordecim agnorum:*

16 *Et hircum de capris vnum pro peccato, præter holocauſtum iuge, & munus eius, & libamen eius.*

17 *Et in die ſecundo offeretis vitulos de bobus duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:*

18 *Et munera eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos, ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

19 *Et hircum de capris vnum pro peccato, præter holocauſtum ſempiternum, & munus eius, & libamina eorum.*

20 *Et i die tertio offeretis vitulos de bob⁹ vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:*

21 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos, ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

22 *Et hircum pro peccato vnum, abſque iugi holocauſto, & munere eius & libamine eius.*

23 *In die autem quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:*

24 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

25 *Et hircum de capris vnum pro peccato, abſque iugi holocauſto, & munere eius, & libamine eius.*

26 *Et in die quinto offeretis vitulos nouẽ, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:*

27 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos, ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

28 *Et hircum vnum pro peccato, abſque iugi holocauſto, & munere eius, & libamine eius.*

29 *Et in die ſexto vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:*

30 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos, ſicut decet iuxta numerum eorum:*

31 *Et hircum vnum pro peccato, abſque iugi holocauſto, & munere eius, & libamine eius.*

32 *Et in die ſeptimo vitulos ſeptem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:*

33 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulos, & per arietes, & per agnos, ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

34 *Et hircum vnum pro peccato, abſque iugi holocauſto, & munere eius, & libamine eius.*

35 *In die octauo collecta erunt vobis, omne opus ſeruile non facietis.*

36 *Et offeretis holocauſtum in oblationem, quæ ſuſcipitur voluntariè coram Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem:*

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Sacrificiaque, & libamina ſingulorũ per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis:

38 Et hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine.

39 Hæc offeretis Domino in ſollemnitatibus veſtris: præter vota, & oblationes ſpontaneas in holocauſto, in ſacrificio, in libamine, & in hoſtijs pacificis.

### CAP. XXX.

1 Narrauitque Moyſes filijs Iſrael omnia, quæ ei Dominus imperarat:

2 Et locutus eſt ad principes tribuum filiorum Iſrael: Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus:

3 Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe cõſtrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit implebit.

4 Mulier ſi quippiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari: ſi cognouerit pater votum, quod pollicita eſt, & iuramentum quo obligauit animam ſuam, & tacuerit, voti rea erit.

5 Quidquid pollicita eſt, & iurauit, opere complebit.

6 Sin autem ſtatim, vt audierit, contradixerit pater: & vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater.

7 Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & ſemel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento:

8 Quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit reddetque quodcumque promiſerat.

9 Sin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obſtrinxerat animam ſuam: propitius erit ei Dominus.

10 Vidua, & repudiata, quidquid vouerint, reddent.

11 Vxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit, & iuramento:

12 Si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit ſpõſioni, reddet quodcumque promiſerat.

13 Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit.

14 Si vouerit, & iuramento ſe conſtrinxerit, vt per ieiuniũ, vel cæterarũ rerum abſtinentiã affligat animã ſuam, in arbitrio viri erit, vt faciat, ſiue non faciat.

15 Quod ſi audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam: quidquid vouerat, atque promiſerat, reddet: quia ſtatim, vt audiuit, tacuit.

16 Sin autem contradixerit poſtquam reſciuit, portabit ipſe iniquitatem eius.

17 Hæ ſunt leges, quas conſtituit Dominus Moyſi inter virum, & vxorem, inter patrem, & filiam, quæ in puellari adhuc ætate eſt, vel quæ manet in parentis domo.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Oblationem eorum, & libamina eorum per iuuencum, per arietem, & per agnos, ſecundum numerum eorum, iuxta normam:*

38 *Hircum pro peccato vnum, præter holocauſtum iuge, & oblationem eius, & libamen eius.*

39 *Iſta facietis Domino in ſollemnitatibus veſtris: præter vota veſtra, & ſpontanea veſtra in holocauſtis veſtris, & oblationibus veſtris, & libaminibus veſtris, & pacificis veſtris.*

### CAP. XXX.

1 * *Et dixit Moſeh ad filios Iſrael, ſecundum omnia, quæ præcepit Dominus Moſeh.**

2 *Et locutus eſt Moſeh ad capita tribuum filiorum Iſrael, dicendo: Hoc eſt, quod præcepit Dominus:*

3 *Vir cum vouerit votum Domino, vel iurauerit iuramento, ligando ligamen ſuper animam ſuam: non polluet verbum ſuum, ſecundum omne, quod egreſſum eſt ex ore ſuo faciet.*

4 *Et mulier cum vouerit votum Domino, & ligauerit ſe ligamine in domo patris ſui, in pueritia ſua: & audierit pater eius votum eius, & ligamen eius, quo ligauit ſe ſuper animam ſuam, & tacuerit ei pater eius, firma erunt omnia vota ſua.*

5 *Et omne ligamen, quo ligauit ſe ſuper animã ſuam, ſtabile erit.*

6 *Si irritauerit pater eius illud in die quo audiuit omnia vota eius, & ligamina eius, quibus ligauit ſe ſuper animam ſuam, non erit ſtabile, & Dominus parcet ei, quia irritauit pater eius illud.*

7 *Et ſi fuerit maritata, & vota eius ſuper eam, vel quod protulit labijs ſuis, quibus ligauit ſe ſuper animam ſuam:*

8 *Et audiuerit vir eius, in die qua audiuit, & tacuerit ei, ſtabilia erunt vota ſua, & ligamina ſua, quibus ligauit ſe ſuper animam ſuam, ſtabilia erunt.*

9 *Et ſi in die qua audiuit vir eius, irritauerit illud, & irritauerit votum eius, quod eſt ſuper eam, & quod protulit labijs ſuis, quibus ligauit ſe ſuper animam ſuam: Dominus parcet ei.*

10 *Et votum viduæ, & repudiatæ, omne quo ligauit ſe ſuper animam ſuam, ſtabile erit ſuper eam.*

11 *Et ſi in domo viri ſui vouerat, vel ligauerat ſe ligamine ſuper animam ſuam cum iuramento:*

12 *Et audierat vir eius, & tacuerat ei, non irritauerat illud: ſtabilia erunt omnia vota ſua, & omne ligamen quo ligauit ſe ſuper animam ſuam ſtabile erit.*

13 *Et ſi irritando irritauerat ea vir eius, in die qua audiuerat omne, quod protulerat labijs ſuis in votis eius, & in ligamine animæ ſuæ, non erit ſtabile: vir eius irritauit ea, & Dominus parcet ei.*

14 *Omne votum, & omne iuramentum ligaminis, vt affligat animam, vir eius ſtabiliet illud, & vir eius irritabit illud.*

15 *Et ſi tacendo tacuerit ei vir eius de die in diem: ſtabiliet omnia vota ſua, vel omnia ligamina ſua, quæ ſunt ſuper ſe, ſtabiliet ea: quia tacuit ei, in die qua audiuit.*

16 *Et ſi irritãdo irritauerat ea, poſtquam audiuit, luet pœnas iniquitatis ſuæ.*

17 *Iſta ſunt ſtatuta, quæ præcepit Dominus Moſeh inter virum, & vxorem eius, inter patrem, & filiam eius in pueritia eius in domo patris eius.*

* Hæc quæ numero 1. notantur in Bibl. [illegible] Pag. habentur [illegible] ſuperioris capituli.

## Tranſl. ex Septuag.

37 Sacrificia eorum, & libamina eorum, vitulo, & arieti, & agnis, iuxta numerum eorum, iuxta ritum eorum:

38 Et hircũ ex capris vnum, pro peccato, præter holocauſtoſim iugem, ſacrificia eorũ, & libamina eorum.

39 Hæc facietis Domino in ſollemnitatibus veſtris: exceptis votis veſtris, & ſpontanea veſtra, & holocauſtomata veſtra, & ſacrificia veſtra, & libamina veſtra, & ſalutaria veſtra.

### C A P. XXX.

1 ET locutus eſt Moyſes filijs Iſrael, ſecundũ omnia, quæcumque mandauit Dominus Moyſi:

2 Et locutus eſt Moyſes ad principes tribuum filiorum Iſrael, dicens: Hoc eſt verbum, quod præcepit Dominus:

3 Homo, homo, quicumque vouerit votum Domino, aut iurauerit iuramentum, aut definierit definitione de anima ſua: non prophanabit verbum ſuum, omnia, quæcumque exierint de ore eius faciet.

4 Si autem vouerit mulier votum Domino, aut definierit definitionem in domo patris ſui, in iuuentute ſua: & audierit pater eius vota eius, & definitiones eius, quas definiuit aduerſus animã ſuam, & tacuerit pater eius, & ſtabunt omnia vota eius.

5 Et omnes definitiones, quas definiuit aduerſus animam ſuam, manebunt ei.

6 Si autem abnuens abnuerit pater eius, quacumque die audierit omnia vota eius, & definitiones quas definiuit aduerſus animam ſuam, nõ ſtabunt, & Dominus emundabit eam, quia abnuit pater eius.

7 Si autem facta fuerit viro, & vota eius ſuper eam, ſecundum diſtinctionem labiorum eius, quas definiuit aduerſus animam ſuam:

8 Et audierit vir eius, & tacuerit ei, quacũque die audierit, & ita ſtabunt omnia vota eius, & definitiones eius, quas definiuit aduerſus animam ſuam, ſtabunt.

9 Si autem abnuens abnuerit vir eius, quacumque die audierit, omnia vota eius, & definitiones eius, quas definiuit aduerſus animam ſuam: non manebunt, quoniam vir abnuit ab ea, & Dominus mundabit eam.

10 Et votum viduæ, expulſæque, quæcumque vouerit aduerſus animam ſuam, manebunt ei.

11 Si autem in domo viri eius votum eius, aut definitio aduerſus animam eius cum iure iurando:

12 Et audierit vir eius, & tacuerit ei, & non abnuerit ei, & ſtabunt omnia vota eius, & omnes definitiones eius, quas definiuit aduerſus animam ſuam, ſtabunt aduerſus eam.

13 Si autem circumauferens circumauferat vir eius, quæcumque die audierit, omnia quæcumque exierint ex labijs eius, ſecundũ vota, & ſecundũ definitiones, quæ aduerſus animam eius, non manebunt ei: vir eius circumabſtulit, & Dñs mundabit eam.

14 Omne votum, & omne iuſiurandum vinculi affligere animam, vir eius ſtatuet ei, & vir eius circumauferet.

15 Si autem tacens tacuerit ei, diem ex die: & ſtatuet ei omnia vota eius, & definitiones, quæ ſuper ipſam, ſtatuet ei: quoniam tacuit ei, die qua audiuit.

16 Si autem circumauferens circumauferat poſt diem, quam audiuit, & accipiet peccatum ſuum.

17 Hæ ſunt iuſtificationes, quaſcumque mandauit Dominus Moyſi inter virum, & vxorem eius, & inter patrem, & filiam in iuuentute in domo patris.



## Chald. Paraph. Tranſl.

37 *Et munus eorum, & libamina eorum per vitulum, & per arietem, & per agnum, ſicut decet, iuxta numerum eorum:*

38 *Et hircum pro peccato vnum, abſque iugi holocauſto, & munere eius & libamine eius.*

39 *Hæc offeretis coram Domino in ſollemnitatibus veſtris: præter vota veſtra, & oblationes ſpontaneas veſtras in holocauſtis veſtris, & in muneribus veſtris, & in libaminibus veſtris, & in hoſtijs ſanctificatis veſtris.*

### C A P. XXX.

1 *ET dixit Moyſes filijs Iſrael, iuxta omnia, quæ præcepit Dominus Moyſi:*

2 *Locutuſque eſt Moyſes cum principibus tribuum filiorum Iſrael, dicens: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus:*

3 *Si vir vouerit votum coram Domino, aut iurauerit iuramentum, vt conſtringat vinculo animã ſuam: non faciet irritum verbum ſuum, ſed iuxta omnia, quæ egreſſa ſunt ab ore eius faciet.*

4 *Mulier autem ſi vouerit votum coram Domino, & conſtrinxerit ſe vinculo in domo patris ſui, in pueritia ſua: & pater eius audierit votum eius, & vinculum eius, quo obligauit animam ſuam, & tacuerit pater eius, confirmata erunt omnia vota eius.*

5 *Et omnia vincula, quibus obligauit animam ſuam, firma erunt.*

6 *Si autẽ contradixerit ei pater eius in die qua audierit omnia vota eius, & vincula eius, quibus obligauit animã ſuã non erunt confirmata, & à facie Domini dimittetur ei, eo ꝙ pater eius contradixerit ei.*

7 *Et ſi fuerit nupta viro, & votum vouerit, aut protulerit labijs ſuis, quo obligauit animam ſuam:*

8 *Et audierit maritus eius, & in die quo audierit tacuerit, confirmata erunt vota eius, & vincula eius, quibus obligauit animam ſuam.*

9 *Et ſi in die quo audierit maritus eius, contradixerit ei, irrita faciet vota eius, quæ habet, & verbum labiorum eius, quo obligauit animam ſuam: & à facie Domini dimittetur ei.*

10 *Omne autem votum viduæ, & repudiatæ, quo obligauit animam ſuam, firmum erit.*

11 *Et ſi in domo mariti ſui promiſit, aut obligauit animam ſuam vinculo iuramenti:*

12 *Et audiuit vir eius, & tacuit, neque contradixit ei, confirmata erunt omnia vota eius, & omnia vincula, quibus obligauit animam ſuam firma erunt.*

13 *Si autem maritus eius irrita fecerit ea in die quo audierit, omnia, quæ protulit labijs ſuis in votis ſuis, & in obligatione animæ ſuæ, non erunt firma: maritus enim eius irrita fecit ea, & à facie Domini dimittetur ei.*

14 *Omne votum, & omne iuramentum vinculi ad affligendam animam, maritus eius confirmabit ea, & maritus eius irrita fecit ea.*

15 *Si autem tacens tacuerit maritus eius de die in diem: confirmabit omnia vota eius, aut omnia vincula, quibus ſe obligauit, confirmabit ea: quia tacuit in die qua audiuit.*

16 *Si autem irrita fecit ea, poſtquam audierat, recipiet ille iniquitatem eius.*

17 *Iſta ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi inter virum, & vxorem eius, & inter patrem, & filiam ſuam in pueritia eius in domo patris ſui.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XXXI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.
3 Statimque Moyſes: * Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere de Madianitis. [* Sup. 25. 17.]
4 Mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſrael, qui mittantur ad bellum.
5 Dederuntque millenos de ſingulis tribubus, id eſt, duodecim millia expeditorum ad pugnam:
6 Quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.
7 Cumque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt:
8 * Et reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. [* Ioſ. 13. 21.]
9 Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos, omniaque pecora, & cunctam ſupellectilem: quidquid habere potuerant depopulati ſunt:
10 Tam vrbes, quàm viculos, & caſtella flamma conſumpſit.
11 Et tulerunt prædam, & vniuerſa, quæ ceperãt, tam ex hominibus, quàm ex iumentis:
12 Et adduxerunt ad Moyſen & Eleazarum ſacerdotẽ, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael, reliqua autem vtenſilia portauerunt ad caſtra in campeſtribus Moab, iuxta Iordanem contra Iericho.
13 Egreſſi ſunt autem Moyſes, & Eleazar ſacerdos, & omnes principes ſynagogæ in occurſum eorum extra caſtra.
14 Iratuſque Moyſes principibus exercitus, tribunis, & Centurionibus, qui venerant de bello:
15 Ait: Cur fœminas reſeruaſtis?
16 * Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phogor, vnde & percuſſus eſt populus? [* Sup. 25. 17.]
17 * Ergo cunctos interficite quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis: & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: [* Iud. 21. 12.]
18 Puellas autem & omnes fœminas virgines reſeruate vobis:
19 Et manete extra caſtra ſeptem diebus. Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio, & ſeptimo.
20 Et de omni præda, ſiue veſtimentum fuerit, ſiue vas, & aliquid in vtenſilia præparatum, de caprarũ pellibus, & pilis, & ligno expiabitur.
21 Eleazar quoque ſacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, ſic locutus eſt: Hoc eſt præceptum legis, * quod mandauit Dominus Moyſi: [* Leu. 6. 28 & 15. 12. & 25. 12.]
22 Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum:
23 Et omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem, non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur:
24 Et lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXXI.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*
2 *Vlciſcere vltionem filiorum Iſrael de Midianitis, poſtea congregaberis ad populos tuos.*
3 *Et locutus eſt Moſeh ad populum, dicendo: Accingãt ſe ex vobis viri ad pugnam, & ſint contra Midian, vt dent vltionem Domini in Midian.*
4 *Mille de ſingulis tribubus, de omnibus tribubus Iſrael mittetis ad pugnam.*
5 *Et traditi ſunt ex millibus Iſrael mille per tribum, duodecim millia accincti ad pugnam:*
6 *Et miſit eos Moſeh mille de tribu ad pugnam, eos, & Pinechas filium Elhazar ſacerdotis ad pugnam, & vaſa ſanctitatis, & tuba taratantara erant in manu eius.*
7 *Et pugnauerunt contra Midian, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh, & occiderunt omnem maſculum:*
8 *Et reges Midian occiderunt cum occiſis eorum, Eui, & Rechem, & Sur, & Chur, & Rebah, quinque reges Midian: & Bilham filium Behor occiderunt gladio.*
9 *Et duxerunt captiuas filij Iſrael vxores Midian, & paruulos eorum, & iumenta eorum, & omnes pecudes eorum: & omnem ſubſtantiam eorum prædati ſunt:*
10 *Et omnes vrbes eorum cum habitationibus ſuis, & omnes ædes eorum combuſſerunt igni.*
11 *Et tulerunt omnia ſpolia, & omnem prædam, tam de hominibus, quàm de iumentis:*
12 *Et adduxerunt ad Moſeh, & Elhazar ſacerdotem, & congregationem filiorum Iſrael, captiuitatem, & prædam, & ſpolia ad caſtra ad campeſtria Moab, quæ erant, iuxta Iarden Ierecho.*
13 *Et egreſſi ſunt Moſeh, & Elhazar ſacerdos, & omnes principes congregationis in occurſum eorum extra caſtra.*
14 *Et iratus eſt Moſeh contra præfectos exercitus tribunos, & Centuriones, qui veniebant de pugna belli:*
15 *Et dixit ad eos Moſeh: Nonne reſeruaſtis omnem fœminam?*
16 *Nonne ipſæ fuerunt filijs Iſrael propter verbum Bilham, vt darent præuaricationem in Dominum in re Pehor, & fuit plaga in congregatione Domini?*
17 *Et nunc occidite omnem maſculum in paruulis: & omnem mulierem cognoſcentem virum ad concubitum maſculi, occidite:*
18 *Et omnes paruulas inter mulieres, quæ non cognouerunt concubitum maſculi, reſeruate vobis:*
19 *Et vos manete extra caſtra ſeptem diebus. Omnis, qui occidit animam, & omnis, qui tetigit occiſum, purificabitis vos in die tertia, & in die ſeptima vos.*
20 *Et prædam veſtram, & omne veſtimentum, & omnẽ ſupellectilem pelliceã, & omne opus è pilis caprarũ, & omne inſtrumentum ligneum, purificabitis.*
21 *Et dixit Elhazar ſacerdos ad viros pugnæ, qui iuerant ad bellum: Hoc eſt ſtatutum legis, quod præcepit Dominus Moſeh:*
22 *Verumtamen aurum, & argentum, æs, & ferrum, & ſtannum, & plumbum:*
23 *Omne, quod ingreditur ignem, tranſire facietis per ignem, & mundabitur. Verumtamen aqua expiationis purificabitur, & omne, quod non ingreditur ignẽ, tranſire facietis per aquam:*
24 *Et lauabitis veſtimenta veſtra in die ſeptima, & mundi eritis, & poſtea intrabitis caſtra.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XXXI.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2 Vlciſcere vltionem filiorum Iſrael de Madianitis, & poſtremo apponeris ad populum tuum.
3 Et locutus eſt Moyſes ad populum, dicens: Armate ex vobis viros, & militate coram Dño ſuper Madiã, ad reddendam vindictam à Domino ipſi Madian.
4 Mille ex tribu, mille ex tribu, ex omnibus tribubus filiorum Iſrael, mittite ad militandum.
5 Et enumerarunt ex millibus Iſrael, mille ex tribu, duodecim millia, armati ad militiam:
6 Et miſit eos Moyſes mille ex tribu, mille ex tribu, cum virtute eorum, & Phinees filium Eleazari filij Aaron ſacerdotis, & vaſa ſancta, & tubæ ſignificationum in manibus eorum.
7 Et militauerunt ſuper Madian, ſicut præcepit Dominus Moyſi, & occiderunt omne maſculinum:
8 Et reges Madian interfecerunt ſimul cum cæſis eorũ, & Euin, & Rhocon & Sur, & Vr, & Raboc, quinque reges Madian: & Balaam filium Beor interfecerunt in gladio cum cæſis eorum.
9 Et prædati ſunt mulieres Madian, & ſupellectilem eorum, & pecora eorum, & omnia, quæ poſſederant: & virtutem eorum deprædati ſunt:
10 Et omnes ciuitates eorum, quæ in habitationibus eorum, & villas eorum ſuccenderunt in igni.
11 Et tulerunt omnem prædam eorum, & omnia ſpolia eorum ab homine vſque ad pecus:
12 Et adduxerunt ad Moyſen, & ad Eleazarum ſacerdotem, & ad omnes filios Iſrael captiuitatẽ, & ſpolia, & prædam in caſtra in Araboth Moab, quæ eſt ſuper Iordanem contra Hiericho.
13 Et egreſſus eſt Moyſes, & Eleazar, & omnes principes ſynagogæ in occurſum eis extra caſtra.
14 Et iratus eſt Moyſes in viſitatores virtutis, Chiliarchos & Centuriones, qui veniebant ex acie belli:
15 Et dixit eis Moyſes: Vt quid viuificaſtis omne fœmininum?
16 Hæ enim fuerunt filijs Iſrael, ſecundum verbum Balaam, vt recedere facerent, & deſpicere verbum Domini propter Phogor, & facta eſt plaga in ſynagoga Domini?
17 Et nunc interficite omne maſculinum in omni multitudine: omnem mulierem, quæ nouit concubitum maſculi, interficite:
18 Et omnem multitudinem mulierum, quæ non nouit concubitum maſculi, viuificate eas:
19 Et vos caſtrametamini extra caſtra ſeptem diebus. Omnis, qui interfecerit, & tetigerit vulneratum, purificabitur die tertia, & die ſeptima, vos, & captiuitas veſtra.
20 Et omne indumentum, & omne vas pelliceum, & omnem facturam ex caprina, & omne vas ligneum purificabitis.
21 Et dixit Eleazar ſacerdos ad viros virtutis, qui veniebant ab acie belli: Hæc eſt legis iuſtificatio, quã præcepit Dominus Moyſi:
22 Præter aurum & argentum, & æs, & ferrũ, & plumbum, & ſtagnum:
23 Omnis res, quæ pertranſibit in igni, & mundabitur, ſed & aqua purificationis purificabitur. Et omnia, quæcunque non tranſeunt per ignem, tranſibunt per aquam:
24 Et lauabitis veſtimenta die ſeptima, & mundabimini, & poſt hæc ingrediemini in caſtra.

## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAP. XXXI.

1 *LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:*
2 *Vlciſcere filios Iſrael de Madianitis, & poſtea colligeris ad populum tuum.*
3 *Locutuſq; eſt Moyſes cum populo, dicens: Armate ex vobis viros in exercitum, vt ſint contra Madian, vt vlciſcantur populum Domini de Madianitis.*
4 *Mille de ſingulis tribubus per omnes tribus Iſrael, mittetis in exercitum.*
5 *Et electi ſunt de millibus Iſrael, mille de vno quoq; tribu, duodecim millia armatorum ad exercitum:*
6 *Et miſit eos Moyſes in exercitum mille de vnoquoque tribu, & Phinees filium Eleazari ſacerdotis, & vaſa ſancta, & tubas clangoris in manu eius.*
7 *Duxeruntque exercitum contra Madian, ſicut præceperat Dominus Moyſi, & occiderunt omnem maſculum:*
8 *Reges quoque Madian occiderunt ſuper interfectos eorum, Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebee, quinque reges Madian: Balaam quoque filium Beor occiderunt gladio.*
9 *Et captiuauerunt filij Iſrael mulieres Madianitarum, & paruulos eorum, & omnia iumenta eorum, & omnia pecora eorum: cunctamque ſupellectilem eorum deprædati ſunt:*
10 *Et omnes vrbes eorum in habitationibus ſuis, & omne templum adorationis eorum ſuccenderunt igni.*
11 *Ceperuntque omne ſpolium, & omnem prædam ex hominibus, & iumentis:*
12 *Et adduxerunt ad Moyſen, & ad Eleazarum ſacerdotem, & ad cœtum filiorum Iſrael, captiuitatem, & prædam, & ſpolium in caſtra in campeſtribus Moab, iuxta Iordanem Hiericho.*
13 *Egreſſique ſunt Moyſes, & Eleazar ſacerdos, & omnes principes congregationis in occurſum eorum extra caſtra.*
14 *Et iratus eſt Moyſes contra duces exercitus, tribunos, & Centuriones, qui venerant de militia belli:*
15 *Dixitque eis Moyſes: Numquid reſeruaſtis omnem fœminam?*
16 *Ecce ipſæ fuerunt filijs Iſrael in conſilio Balaam, vt præuaricarentur præuaricationem coram Domino ſuper Phegor, & fuit peſtis in congregatione Domini?*
17 *Nunc autem occidite omnem maſculum in paruulis: & omnem mulierem, quæ cognouit virum coitu maſculi occidite:*
18 *Et omnes paruulas mulieres, quæ non cognouerunt coitum maſculi, reſeruate vobis:*
19 *Vos autem manete extra caſtra ſeptem diebus. Omnis, qui occidit animam & qui tetigit occiſum, aſpergatur die tertio & in die ſeptimo, vos & ea, quæ cepiſtis aſperſi eritis.*
20 *Et omne veſtimentum, & omne vas pelliceum, & omne, quod fit ex pilis caprarum, & omne vas ligneum aſperſa erunt.*
21 *Dixitque Eleazar ſacerdos ad viros exercitus, qui venerant de bello: Hoc eſt decretum legis, quod præcepit Dominus Moyſi:*
22 *Aurum autem, & argentum, & æs, & ferrum, & ſtannum, & plumbum:*
23 *Et quicquid poteſt tranſire per ignem, transferetis per ignem, & mundabitur. Verumtamen aqua aſperſionis aſpergetur, & omne, quod non poteſt intrare in ignem, transferetis per aquam:*
24 *Et lauabitis veſtimenta veſtra in die ſeptimo, & mundabimini & poſtea intrabitis in caſtra.*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Dixit quoque Dominus ad Moyſen: | 25 | 25 | *Et dixit Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine vſque ad pecus, tu, & Eleazar ſacerdos, & principes vulgi. | 26 | 26 | *Cape ſummam prædæ captiuitatis, tam de hominibus, quam de iumentis tu, & Elhazar ſacerdos, & capita patrum congregationis.* |
| Diuideſque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem. | 27 | 27 | *Et dimidiabis prædam inter bellatores, qui egreſſi ſunt ad pugnam, & inter omnem congregationem.* |
| Et ſeparabis partem Domino ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus, & aſinis, & ouibus. | 28 | 28 | *Et ſeparari facies cenſum Domino à viris bellatoribus, qui egreſſi ſunt ad pugnam, vnam animam è quingentis ex hominibus, & è bobus, & ex aſinis, & è pecudibus:* |
| Et dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. | 29 | 29 | *E dimidio eorum capietis, & dabitis Elhazar ſacerdoti oblationem Domini.* |
| Ex media quoque parte filiorum Iſrael accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ouium, cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodijs tabernaculi Domini. | 30 | 30 | *Et è dimidio filiorum Iſrael capies vnam portionem è quinquaginta, ex hominibus, è bobus, ex aſinis, & è pecudibus, ex omni iumento, & dabis eos Leuitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Domini.* |
| Feceruntque Moyſes, & Eleazar, ſicut præceperat Dominus. | 31 | 31 | *Et fecit Moſeh, & Elhazar ſacerdos, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.* |
| Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ouium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia: | 32 | 32 | *Et fuit præda, reſiduum prædæ, quam prædati ſunt populus bellator, pecudes ſexcenta millia, & ſeptuaginta millia, & quinque millia:* |
| Boum ſeptuaginta duo millia: | 33 | 33 | *Et boues duo, & ſeptuaginta millia:* |
| Aſinorum ſexaginta millia, & mille: | 34 | 34 | *Et aſini vnus, & ſexaginta millia:* |
| Animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia. | 35 | 35 | *Et animæ hominum è mulieribus, quæ non cognouerunt coitum maſculi, omnes animæ duæ, & triginta millia.* |
| Dataque eſt media pars his, qui in prælio fuerant, ouium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ: | 36 | 36 | *Et fuit dimidium portionis eorum, qui egreſſi ſunt ad pugnam, numerus pecudum trecenta millia, & triginta millia, & ſeptem millia, & quingenta:* |
| E quibus in partem Domini ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuaginta quinque. | 37 | 37 | *Et fuit, cenſus pro Domino è pecudibus ſexcenta, & ſeptuaginta.* |
| Et de bobus triginta ſex millibus, boues ſeptuaginta, & duo: | 38 | 38 | *Et boues ſex, & triginta millia, & cenſus eorum Domino duo, & ſeptuaginta:* |
| De aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexaginta vnus: | 39 | 39 | *Et aſini triginta millia, & quingenti, & cenſus eorum Domino vnus, & ſexaginta:* |
| De animabus hominum ſexdecim millibus, ceſſerũt in partem Domini triginta duæ animæ. | 40 | 40 | *Et animæ hominum ſexdecim millia, & cenſus eorũ Domino duæ, & triginta animæ.* |
| Tradiditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti, ſicut fuerat ei imperatum: | 41 | 41 | *Et dedit Moſeh cenſum oblationis Domini Elhazar ſacerdoti, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh:* |
| Ex media parte filiorum Iſrael, quam ſeparauerat his, qui in prælio fuerant. | 42 | 42 | *Et è dimidio filiorum Iſrael, quod dimidiauit Moſeh à viris, qui pugnauerant.* |
| De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id eſt, de ouibus trecentis triginta ſeptem millibus quingentis: | 43 | 43 | *Fuit dimidium congregationis è pecudibus, trecenta millia, & triginta millia, ſeptem millia, & quingenta:* |
| Et de bobus triginta ſex millibus: | 44 | 44 | *Et boues ſex, & triginta millia:* |
| Et de aſinis triginta millibus quingentis: | 45 | 45 | *Et aſini triginta millia, & quingenti:* |
| Et de hominibus ſexdecim millibus: | 46 | 46 | *Et animæ hominum ſexdecim millia:* |
| Tulit Moyſes quinquageſimum caput, & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, ſicut præceperat Dominus. | 47 | 47 | *Et tulit Moſeh è dimidio filiorum Iſrael portionem vnam è quinquaginta ex hominibus, & ex iumentis, & dedit eam Leuitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Domini, quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.* |
| Cumque acceſſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & Tribuni, Centurioneſque, dixerunt: | 48 | 48 | *Et acceſſerunt ad Moſeh præfecti, qui erant in millibus pugnæ Tribuni, & Centuriones, & dixerunt ad Moſeh:* |
| Nos ſerui tui recenſuimus numerũ pugnatorũ, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidẽ defuit. | 49 | 49 | *Serui tui tulerunt ſummam virorum bellatorũ, qui erant in manu noſtra: & non defuit ex eis quiſquã.* |
| Ob hanc cauſam offerimus in donarijs Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum. | 50 | 50 | *Et offerimus oblationem Domini vnuſquiſque, quod inuenit vas aureum, armillam, & ornamentum manus, annulum, inaurem, & formam vuluæ, ad expiãdum animas noſtras coram Domino.* |
| Sæceperuntque Moyſes, & Eleazar ſacerdos omne aurum in diuerſis ſpeciebus: | 51 | 51 | *Et tulit Moſeh, & Elhazar ſacerdos aurum ab eis, omne vas operis:* |
| Pondo ſexdecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos à Tribunis, & Centurionibus. | 52 | 52 | *Et fuit omne aurum oblationis, quod obtulerunt Domino ſexdecim millia ſeptingenti, & quinquaginta ſicli Tribunis, & Centurionibus.* |



UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 25 | 25 | Dixitque Dominus ad Moyſen, dicens: |
| Accipe caput ſpoliorum captiuitatis ab homine vſque ad pecus, tu, & Eleazar ſacerdos, & principes familiarum ſynagogæ. | 26 | 26 | Tolle ſummam prædæ captiuitatis ab homine vſque ad pecus, tu, & Eleazar ſacerdos, & principes patrum congregationis. |
| Et diuidetis ſpolia inter bellatores, qui proceſſerunt in aciem, & inter omnem ſynagogam. | 27 | 27 | Et diuides prædam inter viros bellatores, qui egreſſi ſunt in exercitum, & inter omnem congregationem. |
| Et demetis tributum Domino ab hominibus bellatoribus, qui proceſſerunt in aciem, vnam animam de quingentis ex hominibus, & ex pecoribus, & ex bobus, & ex ouibus, & ex aſinis, & de dimidio eorum ſumetis: | 28 | 28 | Et ſeparabis partem coram Domino à viris bellatoribus, qui egreſſi ſunt ad exercitum, vnam animam de quingentis, de hominibus, & de bobus, & de aſinis, & de ouibus, de medietate eorum tolletis: |
| Et dabis Eleazaro ſacerdoti primitias Domini. | 29 | 29 | Et dabis Eleazaro ſacerdoti primitias coram Domino. |
| Et de dimidio, quod filiorum Iſrael, ſumes vnum de quinquaginta, ex hominibus, & ex bobus, & ex ouibus, & ex aſinis, & ex omnibus pecoribus, & dabis ea Leuitis cuſtodientibus cuſtodias in tabernaculo Domini. | 30 | 30 | Et de media parte filiorum Iſrael tolles vnum de quinquaginta ex hominibus, & ex bobus, & aſinis, & ex ouibus, & ex omni iumento, & dabis ea Leuitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Domini. |
| Et fecit Moyſes, & Eleazar ſacerdos, ſicut præcepit Dominus Moyſi. | 31 | 31 | Fecitque Moyſes, & Eleazar ſacerdos, ſicut præceperat Dominus Moyſi. |
| Et fuit abundantia prædæ, quam prædati ſunt viri bellatores, ex ouibus, ſexcenta millia, & ſeptuaginta, & quinque millia: | 32 | 32 | Fuitque præda, & reliqua ſpolia, quæ populus, qui egreſſi ſunt in prælium, expoliauerant, ouium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia: |
| Et boues, duo, & ſeptuaginta millia: | 33 | 33 | Et boum ſeptuaginta quinque millia: |
| Et aſini, vnum, & ſexaginta millia: | 34 | 34 | Et aſinorum ſexaginta quinque millia: |
| Et animæ hominum ex mulieribus, quæ non nouerunt concubitum viri, omnes animæ duo, & triginta millia. | 35 | 35 | Et animæ hominum ex mulieribus, quæ non cognouerant concubitum maſculi, omnes animæ triginta duo millia: |
| Et fuit dimidium pars eorum, qui proceſſerunt in prælium, ex numero ouium trecenta, & triginta millia, & ſeptem millia, & quingentæ: | 36 | 36 | Fuit autem numerus dimidiæ partis virorum, qui egreſſi ſunt in exercitum, ouium trecenta, & triginta ſeptem millia, & quingenta: |
| Et fuit tributum Domino ex ouibus, ſexcentæ ſeptuaginta quinque. | 37 | 37 | Et fuit pars, quæ aſſumpta eſt coram Domino ex ouibus ſexcenta, & ſeptuaginta, & quinque. |
| Et boues, ſex & triginta millia, & tributum Domino, duo & ſeptuaginta: | 38 | 38 | Et boues fuerunt triginta ſex millia, & pars, quæ aſſumpta eſt coram Domino ſeptuaginta duo: |
| Et aſini, triginta millia, & quingenti, & tributum Domino, vnus & ſexaginta: | 39 | 39 | Et aſini triginta millia, & quingenti, & pars, quæ ex eis aſſumpta eſt coram Domino fuit ſexaginta vnus: |
| Et animæ hominum ſex, & decem millia, & tributũ eorum Domino, duæ & triginta animæ. | 40 | 40 | Et animæ hominum ſexdecim millia, & pars, quæ aſſumpta eſt coram Domino, fuit triginta duæ animæ. |
| Et dedit Moyſes tributum Domino, demptionem Dei, Eleazaro ſacerdoti, ſicut præcepit Dominus Moyſi: | 41 | 41 | Deditque Moyſes partem, quæ ſeparata eſt coram Domino Eleazaro ſacerdoti, ſicut præceperat Dominus Moyſi: |
| De dimidio filiorum Iſrael, quos diſtinxit Moyſes à viris bellatoribus. | 42 | 42 | Et de media parte filiorum Iſrael, diuiſit Moyſes à viris, qui egreſſi ſunt in exercitum. |
| Et fuit dimidium à ſynagoga, ex ouibus trecenta, & triginta millia, & ſeptem millia, & quingentæ: | 43 | 43 | Fuitque dimidia pars congregationis de ouibus trecenta, & triginta, & quingenta: |
| Et boues ſex, & triginta millia: | 44 | 44 | Et boues triginta ſex millia: |
| Aſini triginta millia, & quingenti: | 45 | 45 | Et aſini triginta millia, & quingenti: |
| Et animæ hominum ſex & decem millia: | 46 | 46 | Et animæ hominum ſexdecim millia: |
| Et ſumpſit Moyſes ex dimidio, quod filiorum Iſrael vnum ex quinquaginta ex hominibus, & ex pecoribus, & dedit ea Leuitis cuſtodientibus cuſtodias tabernaculi Domini, quemadmodum præcepit Dominus Moyſi: | 47 | 47 | Et tulit Moyſes de media parte filiorum Iſrael vnum de quinquaginta, quod aſſumptum eſt de hominibus, & pecoribus, & dedit ea Leuitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Domini, ſicut præceperat Dominus Moyſi. |
| Et acceſſerunt ad Moyſen omnes, qui conſtituti erant ſuper millia virtutis, Chiliarchi, & Centuriones, & dixerunt ad Moyſen: | 48 | 48 | Acceſſeruntque ad Moyſen illi, qui conſtituti erant ſuper millia exercitus, tribuni, & Centuriones, & dixerunt ad Moyſen: |
| Pueri tui acceperunt caput virorum bellatorum, qui apud nos: & non diſſonuit ex eis vllus. | 49 | 49 | Serui tui ſuſceperunt numerum virorum pugnatorũ, qui erant nobiſcum: & non defuit vir ex nobis. |
| Et obtulimus munus Domino, vir, quod inuenit vas aureum, & torquem, & viriolam, & annulum, & dextrale, & catenulam ad deprop itiandum pro nobis ante Dominum. | 50 | 50 | Offerimuſque oblationem Domini, quicumque inuenit vas aureum, periſcelides, & armillas, annulos, dextralia, ac murenulas ad propitiandum coram Domino pro animabus noſtris. |
| Et accepit Moyſes, & Eleazar ſacerdos aurum ab eis, omne vas factum: | 51 | 51 | Tulitque Moyſes, & Eleazar ſacerdos aurum ex eis omne vas fabrefactum: |
| Et fuit omne aurum, demptio quam dempſerunt Domino, ſexdecim millia, & ſeptingenti, & quinquaginta ſicli à Chiliarchis, & Centurionibus. | 52 | 52 | Fuitq; omne aurum ſeparationis, quod ſeparauerunt coram Domino, ſexdecim millia, ſeptingenti, & quinquaginta ſicli ex tribunis, & Centurionibus. |

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Vnuſquiſque enim, quod in præda rapuerat, ſuum erat. | 53 | 53 | *Viri bellatores prædati fuerant vnuſquiſque ſibi.* |
| Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij, in monimentum filiorum Iſrael coram Domino. | 54 | 54 | *Et accepit Moſeh, & Elhazar ſacerdos aurum à tribunis, & Centurionibus, & introduxerunt illud in tabernaculum eccleſiæ, in memoriam filijs Iſrael coram Domino.* |
| **CAP. XXXII.** | | | ***CAP. XXXII.*** |
| FIlij autem Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita ſubſtantia. Cumque vidiſſent Iazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras: | 1 | 1 | *ET pecudes multæ erant filijs Reuben, filijs Ghad multæ valdè. Et viderunt terram Iahazer, & terram Ghilhad, & ecce locus, erat locus pecuarius:* |
| Venerunt ad Moyſen, & ad Eleazarum ſacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt: | 2 | 2 | *Et venerunt filij Ghad & filij Reuben, & dixerunt ad Moſeh, & Elhazar ſacerdotem, & ad principes congregationis, dicendo:* |
| Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Heſebon, & Eleale, & Saban & Nebo, & Beon: | 3 | 3 | *Hathároth, & Dibon, & Iahazer, & Nimrah, & Chesbon, & Elhaleh & Sebam, & Nebo, & Behon:* |
| Terra, quam percuſſit Dominus in conſpectu filiorũ Iſrael, regio vberrima eſt ad paſtum animalium: & nos ſerui tui habemus iumenta plurima: | 4 | 4 | *Terra, quam percuſſit Dominus ante congregationem Iſrael, terra pecuaria eſt: & ſeruis tuis ſunt pecudes:* |
| Precamurque: Si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, nec facias nos tranſire Iordanem. | 5 | 5 | *Et dixerunt: Si inuenimus gratiam in oculis tuis detur terra hæc ſeruis tuis in poſſeſſionem, ne tranſire facias nos Iarden.* |
| Quibus reſpondit Moyſes: Numquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hic ſedebitis? | 6 | 6 | *Et dixit Moſeh ad filios Ghad, & ad filios Reuben: Fratres veſtri ingredientur bellũ, et vos manebitis hic?* |
| Cur ſubuertitis mentes filiorum Iſrael, ne tranſire audeant in locum, quem eis daturus eſt Dominus? | 7 | 7 | *Et vt quid remouetis cor filiorum Iſrael, ne tranſeant ad terram, quam dedit eis Dominus?* |
| Nonne ita egerunt patres veſtri, quando miſi de Cades Barne ad explorandam terram? | 8 | 8 | *Sic fecerunt patres veſtri, quando miſi eos de Cades Barneah, vt viderent terram?* |
| *Cum veniſſent vſque ad vallem Botri, luſtrata omni regione, ſubuerterunt cor filiorum Iſrael, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. | 9 | 9 | *Et aſcenderunt vſque ad vallem Eſchol, & viderũt terram, & remouerunt cor filiorum Iſrael, ne ingrederentur terram, quam dedit eis Dominus.* |
| Qui iratus iurauit, dicens: | 10 | 10 | *Et iratus eſt furor Domini in die illa, & iurauit, dicendo:* |
| Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis, & ſupra, terram, quam ſub iuramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac, & Iacob, & noluerunt ſequi me: | 11 | 11 | *Si viderint homines, qui aſcenderunt ex Ægypto à filio viginti annorum, & ſupra, terram ſuper quam iuraui Abraham, Iſchac & Iahacob, quia non compleuerunt, vt irent poſt me:* |
| Præter Caleb filium Iephone Cenezæum, & Ioſue filium Nun: iſti impleuerunt voluntatem meam. | 12 | 12 | *Præter Chaleb filium Iephunneh Chenizæi, & Iehoſuah filium Nun: quia compleuerunt ire poſt Dominum.* |
| Iratuſque Dominus aduerſum Iſrael, circumduxit eum per deſertum quadraginta annis, donec conſumeretur vniuerſa generatio, quæ fecerat malum in conſpectu eius. | 13 | 13 | *Et iratus eſt furor Domini in Iſrael, & vagari fecit eos in deſerto quadraginta annis, donec conſumeretur omnis generatio, quæ fecerat malum in oculis Domini.* |
| Et ecce, inquit, vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Iſrael. | 14 | 14 | *Et ecce ſurrexiſtis pro patribus veſtris multiplicatio hominum peccatorum, vt apponeretis adhuc ſuper iram furoris Domini contra Iſrael.* |
| Quod ſi nolueritis ſequi eum, in ſolitudine populum derelinquet, & vos cauſa eritis necis omnium. | 15 | 15 | *Si auerſi fueritis, vt non eatis poſt eum, addet adhuc, vt dimittat eum in deſerto, & perdetis omnem populum hunc.* |
| At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ouium fabricabimus, & ſtabula iumentorum, paruulis quoque noſtris vrbes munitas: | 16 | 16 | *Et acceſſerunt ad eum, & dixerunt: Caulas pecudum ædificabimus pecudibus noſtris hic, & vrbes paruulis noſtris:* |
| Nos autẽ ipſi armati, & accincti pergemus ad prælia ante filios Iſrael, donec introducamus eos ad loca ſua. Paruuli noſtri, & quicquid habere poſſumus, erũt in vrbibus muratis, propter habitatorum inſidias. | 17 | 17 | *Et nos accincti erimus armis feſtinantes ante filios Iſrael, donec introducamus eos ad locum eorum. Et manebunt paruuli noſtri in vrbibus munitis, propter habitatores terræ.* |
| Non reuertemur in domos noſtras, vſque dum poſſideant filij Iſrael hæreditatem ſuam: | 18 | 18 | *Non reuertemur ad domos noſtras donec capiant hæreditatem filij Iſrael, ſingulus in hæreditate ſua:* |
| Nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus noſtram poſſeſſionem in Orientali eius plaga. | 19 | 19 | *Quia non hæreditatem accipiemus cum eis trans Iarden, & vltra, quia venit hæreditas noſtra nobis trans Iarden, ad Orientem.* |
| Quibus Moyſes, ait: * Si facitis, quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: | 20 | 20 | *Et dixit ad eos Moſeh: Si feceritis hoc, ſi accinxeritis vos armis ante Dominum ad bellum:* |
| Et omnis vir bellator armatus Iordanem tranſeat, donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos: | 21 | 21 | *Et tranſierit ex vobis omnis accinctus armis Iardẽ ante Dominum, donec expellat omnes inimicos ſuos à facie ſua:* |

* Sup. 13. 24.
* Ioſ. 1. 13.

Et    Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

53 Et viri bellatores prædati ſunt, vnuſquiſque ſibi.

54 Et accepit Moyſes, & Eleazar aurum à Chiliarchis, & à Centurionibus, & intulit ea in tabernaculum teſtimonij, memoriale filiorum Iſrael coram Domino.

### CAP. XXXII.

1 ET pecora multitudo erat filijs Ruben, & filijs Gad, multitudo valde. Et viderunt regionem Iazer, & regionem Galaad, & erat locus ille locus pecoribus:

2 Et accedentes filij Ruben, & filij Gad, dixerunt ad Moyſen, & ad Eleazarum ſacerdotem, & ad principes ſynagogæ, dicentes:

3 Atharoth, & Dæbon, & Iazer, & Namra, & Eſebon, & Eleale, & Sebama & Nabay, & Bæan:

4 Terram, quam tradidit Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, terra pecorum nutrix eſt: & pueris tuis ſunt pecora:

5 Et dicebant: Si inuenimus gratiam in conſpectu tuo, detur terra iſta famulis tuis in poſſeſſionem, & ne traducas nos Iordanem.

6 Et dixit Moyſes filijs Gad, & filijs Ruben: Fratres veſtri eunt in bellum, & vos ſedebitis hic?

7 Et vt quid peruertitis mentes filiorum Iſrael, vt non tranſeant in terram, quam Dominus dat eis?

8 Nonne ſic fecerunt patres veſtri, quando miſi eos è Cades Barne ad conſiderandam terram?

9 Et aſcenderunt vallem Botri, & conſiderauerunt terram, & auerterunt cor filiorum Iſrael, vt non introirent in terram, quam dedit Dominus eis.

10 Et iratus eſt furore Dominus in die illa, & iurauit, dicens:

11 Si videbunt homines hi, qui aſcenderunt ex Ægypto, à viginti annis, & ſupra, qui cognoſcunt bonũ, & malum, terram, quam iuraui ipſi Abraham, & Iſaac, & Iacob, non enim ſecuti ſunt poſt me:

12 Præter Chaleb filius Iephonne, ille ſegregatus, & Ieſus filius Naue: quoniam ſimul ſecuti ſunt poſt me.

13 Et iratus eſt furore Dominus aduerſus Iſrael, & circumagitauit eos in deſerto quadraginta annos, donec conſumpta eſt omnis generatio, facientes maligna in conſpectu Domini.

14 Ecce ſurrexiſtis pro patribus veſtris, contritio hominum peccatorum, ad adijciendum adhuc ad furorem iræ Domini ſuper Iſrael.

15 Quoniam auertetis vos ab eo, adijciendo adhuc derelinquere eum in deſerto, & inique facietis in totam ſynagogam hanc.

16 Et acceſſerunt ei, & dixerunt: Caulas ouium ædificabimus hic pecoribus noſtris, & ciuitates impedimentis noſtris:

17 Et nos armati in prima acie priores filijs Iſrael, quoaduſque adduxerimus eos in ſuum ipſorum locum. Et habitabunt impedimenta noſtra in ciuitatibus muratis propter eos, qui inhabitant terram.

18 Non reuertemur ad domos noſtras, quoaduſque diſtributi fuerint filij Iſrael, vnuſquiſque in hæreditatem ſuam:

19 Et non vltra hæreditabimus in eis à regione trans Iordanem, & ſupra, quia obtinemus ſortes noſtras in tranſitu Iordanis in Oriente.

20 Et dixit ad eos Moyſes: Si feceritis, iuxta verbũ hoc, ſi arma ſumpſeritis ante Dominum in prælium:

21 Et tranſibit ex vobis omnis armatus Iordanem ante Dominum, quoaduſque contritus fuerit hoſtis eius à facie eius:

## Chald. Paraph. Tranſl.

53 *Viri autem exercitus deprædati ſunt ſinguli ſibimet.*

54 *Tulitque Moyſes, & Eleazar ſacerdos aurum de tribunis, & Centurionibus, & intulerunt illud in tabernaculum fœderis in monumentum filiorum Iſrael coram Domino.*

### CAP. XXXII.

1 *PEcora autem multa erant filijs Ruben, & filijs Gad plurima nimis. Videruntque terram Iazer, & terram Galaad, & ecce locus erat aptus pecoribus:*

2 *Veneruntque filij Gad, & filij Ruben, & dixerunt ad Moyſen, & ad Eleazarum ſacerdotem, & ad principes cœtus, dicentes:*

3 *Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, & Eſebon, & Eleale, & Sebam, & Nabo, & Beon:*

4 *Terra cuius habitatores percuſſit Dominus in conſpectu congregationis Iſrael, terra apta eſt pecoribus: & ſeruis tuis ſunt pecora:*

5 *Dixeruntque: Si inuenimus gratiam in oculis tuis detur terra hæc ſeruis tuis, ne facias nos tranſire Iordanem.*

6 *Dixitque Moyſes filijs Gad, & filijs Ruben: Nũquid fratres veſtri ibũt ad pugnam, & vos ſedebitis hic?*

7 *Quare ergo ſubuertitis cor filiorum Iſrael, vt non tranſeant in terram quam dedit eis Dominus?*

8 *Sic fecerunt patres veſtri, quando miſi eos de Cades Barne ad contemplandam terram?*

9 *Et aſcenderunt vſque ad torrentẽ Botri, & viderunt terrã, & ſubuerterunt cor filiorum Iſrael, vt non ingrederentur in terram, quam dedit eis Dominus.*

10 *Et iratus eſt furor Domini in die illa, & iurauit, dicens:*

11 *Si viderint viri, qui aſcenderunt de Aegypto à viginti annis, & ſupra, terram pro qua iuraui, vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob, quia non fuerũt perfecti in timore meo:*

12 *Præter Caleb filium Iephone Cenezæum, & Ioſue filium Nun: quia perfecti fuerunt in timore Domini.*

13 *Et iratus eſt furor Domini contra Iſrael, & morari fecit eos in deſerto quadraginta annis, donec conſumeretur vniuerſa generatio, quæ fecerat malum coram Domino.*

14 *Et ecce ſurrexiſtis pro patribus veſtris diſcipuli virorum peccatorum, vt augeatis rurſus furorem Domini contra Iſrael.*

15 *Si enim reuerſi fueritis à timore eius, addet iterum relinquere eos in ſolitudine, & damnum inferetis omni populo huic.*

16 *Acceſſeruntque ad eum, & dixerunt: Caulas ouium ædificabimus hic pecoribus noſtris, & vrbes familiæ noſtræ:*

17 *Nos autem armabimur expediti ante fratres noſtros, donec introducamus eos in locum ſuum. Et habitabunt paruuli noſtri in ciuitatibus munitis, propter habitatores terræ.*

18 *Non enim reuertemur in domos noſtras, donec ſinguli filiorum Iſrael poſſideant hæreditatem ſuam:*

19 *Non enim poſſidebimus cum eis trans Iordanem, & vltra, quia ſuſcepimus hæreditatem noſtram citra Iordanem ad Orientem.*

20 *Dixitq; eis Moyſes: Si feceritis verbum hoc, & ſi armati iteritis ante populum Domini ad pugnam:*

21 *Et tranſierit omnis armatus ex vobis Iordanem ante populum Domini, donec eijciat inimicos ſuos à conſpectu eius:*



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et ſubijciatur ei omnis terra : tunc eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Iſrael, & obtinebitis regiones, quas vultis coram Domino. | 22 | 22 | *Et ſubijciatur terra coram Domino : poſt hac reuertemini, & eritis innocentes à Domino, & ab Iſrael, & erit terra hæc vobis in poſſeſſionem coram Domino.* |
| Sin autem, quod dicitis, non feceritis, nulli dubium eſt quin peccetis in Deum: & ſcitote, quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos. | 23 | 23 | *Et ſi non feceritis ita, ecce peccaſtis Domino: & ſcitote, quòd peccatum veſtrum inueniet vos.* |
| Ædificate ergo vrbes paruulis veſtris, & caulas, & ſtabula ouibus, ac iumentis: & quod polliciti eſtis implete. | 24 | 24 | *Aedificate vobis ciuitates paruulis veſtris, & caulas pecudibus veſtris: & quod egreditur ex ore veſtro faciatis.* |
| * Ioſ. 4. 12. * Dixeruntque filij Gad, & Ruben ad Moyſen: Serui tui ſumus, faciemus, quod iubet Dominus noſter. | 25 | 25 | *Et dixerunt filij Ghad, & filij Reuben ad Moſeh, dicendo: Serui tui facient, quemadmodum Dominus meus præcipit.* |
| Paruulos noſtros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad: | 26 | 26 | *Paruuli noſtri, vxores noſtræ, greges noſtri, & omnia iumenta noſtra erunt ibi in vrbibus Ghilhad:* |
| Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, ſicut tu Domine loqueris. | 27 | 27 | *Et ſerui tui tranſibunt omnes accincti armis ad pugnam coram Domino ad bellum, quemadmodũ Dominus meus loquitur.* |
| Præcepit ergo Moyſes Eleazaro ſacerdoti, & Ioſue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Iſrael, & dixit ad eos: | 28 | 28 | *Et præcepit ſuper eis Moſeh Elhazar ſacerdoti, & Iehoſuah filio Nun, & principibus patrum tribuum filiorum Iſrael, & dixit Moſeh ad eos:* |
| * Ioſ. 13. 8. & 22. 4. Deu. 3. 12. * Si tranſierint filij Gad, & filij Ruben vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra ſubiecta: date eis Galaad in poſſeſſionem. | 29 | 29 | *Si tranſierint filij Ghad, & filij Reuben vobiſcum Iarden, & omnes accincti armis ad bellum ante Dominum, & ſubiecta fuerit terra coram vobis: dabitis eis terram Ghilhad in poſſeſſionem.* |
| Sin autem noluerint tranſire armati vobiſcum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. | 30 | 30 | *Et ſi non tranſierint accincti armis vobiſcum, poſſeſſionem habebunt in medio veſtri in terra Chenahan.* |
| Responderuntque filij Gad, & filij Ruben: Sicut locutus eſt Dominus ſeruis ſuis, ita faciemus: | 31 | 31 | *Et reſponderunt filij Ghad, & filij Reuben, dicendo: Quod locutus eſt Dominus ad ſeruos ſuos, ſic faciemus:* |
| Ipſi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, & poſſeſſionem iam ſuſcepiſſe nos confitemur trans Iordanem. | 32 | 32 | *Nos tranſibimus accincti armis coram Domino in terram Chenahan, & vobiſcum erit poſſeſſio hæreditatis noſtræ trans Iarden.* |
| * Ioſ. 22. 4. * Dedit itaque Moyſes filijs Gad, & Ruben, & dimidiæ tribui Manaſſe filij Ioſeph regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Baſan, & terram eorum cum vrbibus ſuis per circuitum. | 33 | 33 | *Et dedit Moſeh filijs Ghad, & filijs Reuben, & dimidiæ tribui Menaſſeh filij Ioſeph regnum Sichon regis Emorræi, & regnum Hogh regis Baſan, terram cum vrbibus ſuis, cum terminis, vrbes terræ per circuitum.* |
| Igitur extruxerunt filij Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer: | 34 | 34 | *Et ædificauerunt filij Ghad, Dibon, & Hatharoth, & Haroher:* |
| Et Etroth, & Sophan, & Iazer, & Iegbaa: | 35 | 35 | *Et Hathroth, Sophan, & Iahazer, & Ieghbehah:* |
| Et Bethnemra, & Betharan, vrbes munitas, & caulas pecoribus ſuis. | 36 | 36 | *Et Bethnimrah, & Bethharan vrbes munitas, & caulas pecuarias.* |
| Filij vero Ruben ædificauerunt Heſebon, & Eleale, & Cariathaim: | 37 | 37 | *Et filij Reuben ædificauerunt Cheſbon, & Elhaleh, & Chiriathaim:* |
| Et Nabo, & Baalmeon verſis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula vrbibus, quas extruxerant. | 38 | 38 | *Et Nebo, & Bahalmehon verſis nominibus, & Sibmah: & vocauerunt nominibus nomina vrbiũ quas ædificauerunt.* |
| * Gen. 50. 22. * Porro filij Machir, filij Manaſſe perrexerunt in Galaad, & vaſtauerunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius. | 39 | 39 | *Et perrexerunt filij Machir, filij Menaſſeh in Ghilhad, & ceperunt eam, & expulerunt Emorræum, qui erat in ea.* |
| Dedit ergo Moyſes terram Galaad Machir filio Manaſſe, qui habitauit in ea. | 40 | 40 | *Et dedit Moſeh Ghilhad Machir filio Menaſſeh, & habitauit in ea.* |
| Iair autem filius Manaſſe abijt, & occupauit vicos eius, quos appellauit Hauoth Iair, id eſt, Villas Iair. | 41 | 41 | *Et Iair filius Menaſſeh perrexit, & accepit villas eorum, & vocauit eas Chauoth Iair.* |
| Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cũ viculis ſuis: vocauitque eam ex nomine ſuo Nobe. | 42 | 42 | *Et Nobach perrexit, & capit Chenath, & villas eius, & vocauit eam Nobach ſecundum nomen ſuum.* |
| **CAP. XXXIII.** | | | ***CAP. XXXIII.*** |
| HÆ ſunt manſiones filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de Ægypto per turmas ſuas in manu Moyſi & Aaron. | 1 | 1 | *Iſta ſunt profectiones filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt è terra Aegypti per exercitus ſuos, per manum Moſeh, & Aharon.* |
| Quas deſcripſit Moyſes, iuxta caſtrorum loca, quæ Domini iuſſione mutabant. | 2 | 2 | *Et ſcripſit Moſeh exitus eorum per profectiones eorum, iuxta ſermonem Domini, & iſta ſunt profectiones eorum.* |

## Tranſl. ex Septuag.

22 Et ſubiecta fuerit terra ante Dominum: & poſt hæc reuertimini, & eritis innocentes ante Dominum, & ab Iſrael, & erit terra hæc vobis in poſſeſſionem ante Dominum.
23 Si autem non feceritis ita, peccabitis ante Dominum: & cognoſcetis peccatum veſtrum, quando vos comprehenderint mala.
24 Et ædificabitis vobiſmetipſis ciuitates impedimentis veſtris, & caulas pecoribus veſtris: & quod procedit ex ore veſtro, facietis.
25 Et dixerunt filij Ruben, & filij Gad ad Moyſen, dicentes: Pueri tui facient, ſecundum, quæ Dominus noſter mandat.
26 Impedimenta noſtra, & vxores noſtræ, & omnia pecora noſtra erunt in ciuitatibus Galaad:
27 Pueri autem tui tranſibunt omnes armati, & ordinati ante Dominum in prælium, quemadmodum Dominus ait.
28 Et commendauit eis Moyſes Eleazarum ſacerdotē, & Ieſum filium Naue, & principes familiarum tribuum Iſrael, & dixit ad eos Moyſes:
29 Si tranſierint filij Ruben, & filij Gad vobiſcum Iordanem, omnis armatus in prælium ante Dominum, & ſubieceritis terram ante vos: & dabitis eis terram Galaad in poſſeſſionem.
30 Si autem non tranſierint armati vobiſcum in prælium ante Dominum, & traducetis impedimenta eorum, & vxores eorum, & pecora eorum priora vobis in terram Chanaan, & cohæreditabunt in vobis in terra Chanaan.
31 Et reſponderunt filij Ruben, & filij Gad, dicentes: Quæcumque Dominus dicit ſeruis, ſic faciemus nos:
32 Tranſibimus armati ante Dominum in terrā Chanaan, & dabitis poſſeſſionem nobis trans Iordanem.
33 Et dedit eis Moyſes filijs Gad, & filijs Ruben, & dimidiæ tribui Manaſſe filiorum Ioſeph, regnum Seon regis Amorrhæorum, & regnum Og regis Baſan & ciuitates cum finibus eius, & ciuitates terræ in circuitu.
34 Et ædificarunt filij Gad, Dæbon, & Ataroth, & Aroer:
35 Et Sophar, & Iazer.
36 Et exaltauerunt eas, & Namram, & Bætharan ciuitates munitas, & caulas ouium.
37 Et filij Ruben ædificauerunt Eſebon, & Elealem, & Cariathaim:
38 Et Beelmeon circumdatas, & Sebama: & cognominauerunt, ſecundum nomina ſua nomina ciuitatum quas ædificauerunt.
39 Et iuit filius Machir filij Manaſſe Galaal, & cæpit eam, & perdidit Amorrhæum habitantem in ea.
40 Et dedit Moyſes Galaad ipſi Machir filio Manaſſe, & habitauit ibi.
41 Et Iair filius Manaſſe iuit, & cæpit caulas eorum, & cognominauit ea, caulas Iair.
42 Et Nabay iuit, & cæpit Caath, & pagos eius: & cognominauit eos Naboth ex nomine ſuo.

### C A P. XXXIII.

1 ET hæ ſunt manſiones filijs Iſrael, ex quo exierunt de terra Ægypti cum virtute ſua in manu Moyſi, & Aaron.
2 Et ſcripſit Moyſes promotiones eorum, & manſiones eorum per verbum Domini, & hæ ſunt manſiones itineris eorum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

22 *Et ſubijciatur terra coram populo Domini: poſtea reuertemini, & eritis innoxij in conſpectu Domini, & apud Iſrael, eritque terra hæc vobis in poſſeſſionē coram Domino.*
23 *Si autem non feceritis ſic, ecce peccaſtis coram Domino: & ſcitote peccatum veſtrum, quod inueniet vos.*
24 *Ædificate vobis vrbes paruulis veſtris, & caulas ouibus veſtris: & facietis, iuxta id quod egreſſum eſt de ore veſtro.*
25 *Dixeruntq́; filij Gad, & filij Ruben ad Moyſen, dicentes: Serui tui facient, ſicut Dominus noſter iubet.*
26 *Paruuli noſtri, & vxores noſtræ, & pecora noſtra, & omnia iumenta noſtra erunt ibi in vrbibus Galaad:*
27 *Et omnes ſerui tui tranſibunt armati in exercitum ante populum Domini ad bellum, ſicut loquitur Dominus noſter.*
28 *Præcepitq́; de eis Moyſes Eleazaro ſacerdoti, & Ioſue filio Nun, & principibus patrum tribuum filiorum Iſrael, & dixit Moyſes ad eos:*
29 *Si tranſierint filij Gad, & filij Ruben vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum coram populo Domini, ſubiectaque fuerit terra in conſpectu veſtro: dabitis eis terram Galaad in poſſeſſionem.*
30 *Et ſi non trāſierint armati vobiſcum, ſuſcipient poſſeſſionem inter vos in terra Chanaan.*
31 *Reſponderuntque filij Gad, & filij Ruben, dicentes: Sicut locutus eſt Dominus ſeruis tuis, ita faciemus:*
32 *Nos tranſibimus armati ante populum Domini in terram Chanaan, & nobiſcum manet poſſeſſio noſtra trans Iordanem.*
33 *Deditque eis Moyſes, filijs videlicet Gad, & filijs Ruben, & dimidiæ tribui Manaſſe filij Ioſeph regnum Seon regis Amorræi, & regnum Og regis Baſan, terram cum vrbibus ſuis per terminos vrbium terræ per circuitum.*
34 *Ædificaueruntque filij Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer:*
35 *Et Ataroth, Sophan, & Iazer, & Iagbeha:*
36 *Et Bethnamra, & Bethharan vrbes munitas, & caulas ouium.*
37 *Filij autem Ruben ædificauerunt Eſebon, & Eleale, & Cariathaim:*
38 *Et Nebo, & Baalmeon verſis nominibus, & Sabama: & vocauerunt nominibus vrbes quas ædificauerant.*
39 *Et abierunt filij Machir, filij Manaſſe in Galaad, & ſubiecerunt eam, & eiecerunt Amorræum, qui ibi erat.*
40 *Deditque Moyſes Galaad, Machir filio Manaſſe, & habitauit in ea.*
41 *Iair quoque filius Manaſſe abijt, & ſubiecit vicos eius, & vocauit eos Vicos Iair.*
42 *Nobe autem abijt, & ſubiecit Chanath, & vicos eius: & vocauit eam ex nomine ſuo Nobe.*

### C A P. XXXIII.

1 *HÆ ſunt manſiones filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de terra Aegypti per turmas ſuas in manu Moyſi, & Aaron.*
2 *Deſcripſitque Moyſes exitus eorum per profectiones eorum, iuxta verbum Domini, & hæ ſunt profectiones eorum, iuxta exitus eorum.*



UVA.BSCH

| | Vulgat.Editio. | | | Tranſl.ex Heb Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Profecti igitur de Rameſſe menſe primo, quintadecima die menſis primi, altera die Phaſe filij Iſrael in manu exceiſa videntibus cunctis Ægyptijs: | 3 | 3 | *Et profecti ſunt è Rahameſes in menſe primo, quintadecima die menſis primi, in craſtino Peſach egreſſi ſunt filij Iſrael in manu excelſa, in oculis omnium Ægyptiorum:* |
| | Et ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus (nam & in dijs eorum exercuerat vltionem) | 4 | 4 | *Et Ægyptij ſepeliebant quos percuſſerat Dominus ex eis, omnem primogenitum, & in dijs eorum fecit Dominus iudicia.* |
| | Caſtrametati ſunt in Soccoth. | 5 | 5 | *Et profecti ſunt filij Iſrael è Rahameſes, & caſtrametati ſunt in Succoth.* |
| | Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis. | 6 | 6 | *Et profecti ſunt de Succoth, & caſtrametati ſunt in Etham, quæ eſt in extremo deſerti.* |
| * Exo.14.1 | * Inde egreſſi venerunt contra Phihahiroth, quæ reſpicit Beelſephon, & caſtrametati ſunt ante Magdalum. | 7 | 7 | *Et profecti ſunt de Etham, & manſit, iuxta Pihachiroth, quæ eſt ante Bahal ſephon, & caſtrametati ſunt ante Migdel.* |
| | Profectique de Phihahiroth, tranſierunt per medium mare in ſolitudinem: & ambulantes tribus diebus per deſertum Etham, caſtrametati ſunt in Mara. | 8 | 8 | *Et profecti ſunt de Penehachiroth, & tranſierunt per medium Maris in deſertum: & ambulauerunt viam trium dierum per deſertum Etham, & caſtrametati ſunt in Marah.* |
| * Exod.15. 27. | * Profectique de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta: ibique caſtrametati ſunt. | 9 | 9 | *Et profecti ſunt de Marah, & venerunt in Elim, & in Elim erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt ibi.* |
| | Sed & inde egreſſi, fixerunt tentoria ſuper Mare rubrum. | 10 | 10 | *Et profecti ſunt ex Elim & caſtrametati ſunt, iuxta Mare Suph.* |
| | Profectique de Mari rubro, caſtrametati ſunt in deſerto Sin. | 11 | 11 | *Et profecti ſunt è Mari Suph, & caſtrametati ſunt in deſerto Sin.* |
| | Vnde egreſſi, venerunt in Daphca. | 12 | 12 | *Et profecti ſunt è deſerto Sin, & caſtrametati ſunt in Dophcah.* |
| | Profectique de Daphca, caſtrametati ſunt in Alus. | 13 | 13 | *Et profecti ſunt è Dophcah, & caſtrametati ſunt in Alus.* |
| * Exo.17.1 | Egreſſique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, * vbi populo defuit aqua ad bibendum. | 14 | 14 | *Et profecti ſunt ex Alus, & caſtrametati ſunt in Rephidim, & non erat ibi aqua populo ad bibendum.* |
| | Profectique de Raphidim, caſtrametati ſunt in deſerto Sinai. | 15 | 15 | *Et profecti ſunt è Rephidim, & caſtrametati ſunt in deſerto Sinai.* |
| * Exo.19.1 | Sed & de ſolitudine * Sinai egreſſi, venerunt ad ſepulchra concupiſcentiæ. | 16 | 16 | *Et profecti ſunt è deſerto Sinai, & caſtrametati ſũt in Chibroth Hatthaauah.* |
| * Sup.11. 35. | * Profectique de ſepulchris concupiſcentiæ, caſtrametati ſunt in Haſeroth. | 17 | 17 | *Et profecti ſũt è Chibroth Hatthaauah, & caſtrametati ſunt in Chaſeroth.* |
| * Sup.13.1 | * Et de Haſeroth venerunt in Rethma. | 18 | 18 | *Et profecti ſunt è Chaſeroth, & caſtrametati ſunt in Rithmah.* |
| | Profectique de Rethma, caſtrametati ſunt in Remmomphares. | 19 | 19 | *Et profecti ſunt è Rithmah, & caſtrametati ſunt in Rimmomperes.* |
| | Vnde egreſſi venerunt in Lebna. | 20 | 20 | *Et profecti ſunt è Rimmomperes, & caſtrametati ſunt in Libnah.* |
| | De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa. | 21 | 21 | *Et profecti ſunt è Libnah, & caſtrametati ſunt in Riſſah.* |
| | Egreſſique de Reſſa, venerunt in Ceelatha. | 22 | 22 | *Et profecti ſunt è Riſſah, & caſtrametati ſunt in Chehelath.* |
| | Vnde profecti caſtrametati ſunt in monte Sepher. | 23 | 23 | *Et profecti ſunt è Chehelath, & caſtrametati ſunt in monte Sepher.* |
| | Egreſſi de monte Sepher, venerunt in Arada. | 24 | 24 | *Et profecti ſunt è monte Sepher, & caſtrametati ſũt in Cheradah.* |
| | Inde proficiſcentes, caſtrametati ſunt in Maceloth. | 25 | 25 | *Et profecti ſunt è Cheradah, & caſtrametati ſunt in Macheloth.* |
| | Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath. | 26 | 26 | *Et profecti ſunt è Macheloth, & caſtrametati ſunt in Tachath.* |
| | De Thahath, caſtrametati ſunt in Thare. | 27 | 27 | *Et profecti ſunt è Tachath, & caſtrametati ſunt in Tarach.* |
| | Vnde egreſſi, fixere tentoria in Methca. | 28 | 28 | *Et profecti ſunt è Tarach, & caſtrametati ſunt in Mithcah.* |
| | Et de Methca, caſtrametati ſunt in Heſmona. | 29 | 29 | *Et profecti ſunt è Mithcah, & caſtrametati ſunt in Chaſmonah.* |
| | Profectique de Heſmona, venerunt in Moſeroth. | 30 | 30 | *Et profecti ſunt è Chaſmonah, & caſtrametati ſũt in Moſeroth.* |
| | Et de Moſeroth, caſtrametati ſunt in Beneiaacan. | 31 | 31 | *Et profecti ſunt è Moſeroth, & caſtrametati ſunt in Beneiahacan.* |
| Deut.10.6. | Profectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad. | 32 | 32 | *Et profecti ſunt è Beneiahacan, & caſtrametati ſũt in monte Ghidghad.* |
| | Vnde profecti, caſtrametati ſunt in Ietebatha. | 33 | 33 | *Et profecti ſunt è Ghidghad, & caſtrametati ſunt in Iothbathah.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Promouerunt de Rameſſe menſe primo, quintadecima die menſis primi, poſtridie ipſius Paſcha exierunt filij Iſrael in manu excelſa coram omnibus Ægyptijs :

4 Et Ægyptij ſepeliebant mortuos ex ipſis, oẽs quos percuſſerat Dominus omne primogenitum in terra Ægypto, & in Dijs eorum fecerat vltionem Dñs

5 Et promouentes filij Iſrael de Rameſſe, caſtrametati ſunt in Socchoth.

6 Et promouentes de Socchoth caſtrametati ſunt in Buthan, quæ eſt pars quædam deſerti.

7 Et promouerunt de Buthan & caſtrametati ſunt ad os Iroth, quod eſt contra Beelſephon, & caſtrametati ſunt e regione Magdoli.

8 Et promouerunt contra Iroth, & tranſierunt medium maris in deſertum, & iuerunt viam trium dierum per deſertum ipſi & caſtrametati ſunt in amaritudinibus.

9 Et promouerunt de amaritudinibus, & venerunt in Ælim: & in Ælim duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta arbores palmarum, & caſtrametati ſunt ibi apud aquam.

10 Et promouerunt de Ælim, & caſtrametati ſunt ſuper mare rubrum.

11 Et promouerunt à Mari rubro, & caſtrametati ſunt in deſerto Sin.

12 Et promouerunt e deſerto Sin, & caſtrametati ſunt in Raphaca.

13 Et promouerunt de Raphaca, & caſtrametati ſunt in Ælus.

14 Et promouerunt ex Ælus, & caſtrametati ſunt in Raphidin, & non erat ibi aqua populo bibere.

15 Et promouerunt de Raphidin, & caſtrametati ſunt in deſerto Sina.

16 Et promouerũt e deſerto Sina, & caſtrametati ſunt in monumentis concupiſcentiæ.

17 Et promouerunt de monumentis concupiſcentiæ, & caſtrametati ſunt in Aſeroth.

18 Et promouerunt de Aſeroth, & caſtrametati ſunt in Rathama.

19 Et promouerunt de Rathama, & caſtrametati ſunt in Remmon Phares.

20 Et promouerunt de Remmon Phares, & caſtrametati ſunt in Lebona.

21 Et promouerunt de Lebona, & caſtrametati ſunt in Reſſan.

22 Et promouerunt de Reſſan, & caſtrametati ſunt in Macellath.

23 Et promouerunt de Macellath, & caſtrametati ſunt in Saphar.

24 Et promouerunt de Saphar, & caſtrametati ſunt in Caradath.

25 Et promouerunt de Caradath, & caſtrametati ſunt Maceloth.

26 Et promouerunt de Maceloth, & caſtrametati ſunt in Cathaath.

27 Et promouerunt de Cataath, & caſtrametati ſunt in Tarath.

28 Et promouerunt de Tarath, & caſtrametati ſunt in Mathecca.

29 Et promouerunt de Mathecca, & caſtrametati ſunt in Selmona.

30 Et promouerunt de Selmona, & caſtrametati ſunt in Maſuruth.

31 Et promouerunt de Maſuruth, & caſtrametati ſunt in Banæa.

32 Et promouerunt de Banæa, & caſtrametati ſunt in monte Gadgad.

33 Et promouerunt de monte Gadgad, & caſtrametati ſunt in Eebatha.

## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Profectique ſunt de Rameſes in menſe primo quintadecima die menſis primi, altera die Phaſe, egreſſi ſunt filij Iſrael palma ante oculos omnium Ægyptiorum.*

4 *Ægyptij autem ſepeliebant omnes primogenitos quos occiderat Dominus in eis, & in idolis eorum fecit Dominus iudicia.*

5 *Profectiq; ſunt filij Iſrael de Rameſes, & caſtrametati ſunt in Socoth.*

6 *Et profecti ſunt de Socoth, & caſtrametati ſunt in Etham, quæ eſt in latere deſerti.*

7 *Et profecti ſunt de Etham, & reuerſi ſunt contra Phiahiroth, quæ eſt ante Beelſephon, & caſtrametati ſunt ante Magdalum.*

8 *Et profecti ſunt de conſpectu Hiroth, & tranſierunt per medium Maris in deſertum, & abierunt itinere trium dierum per ſolitudinem, & caſtrametati ſunt in Mara.*

9 *Et profecti ſunt de Mara, & venerunt in Elim, & in Elim erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & manſerunt ibi.*

10 *Et profecti ſunt de Elim, & caſtrametati ſunt iuxta Mare rubrum.*

11 *Et profecti ſunt de Mari rubro, et caſtrametati ſunt in deſerto Sin.*

12 *Et profecti ſunt de deſerto Sin, & caſtrametati ſunt in Dephca.*

13 *Profectiq; ſunt de Dephca, & caſtrametati ſunt in Alus.*

14 *Et profecti ſunt de Alus, & caſtrametati ſunt in Raphidim, & non erant ibi aqua, vt biberet populus.*

15 *Profectiq; ſunt de Raphidim, & caſtrametati ſunt in deſerto Sinai.*

16 *Profectiq; ſunt de deſerto Sinai, & caſtrametati ſunt in ſepulchris concupiſcentium.*

17 *Et profecti ſunt de ſepulchris concupiſcentium, & caſtrametati ſunt in Aſeroth.*

18 *Et profecti ſunt de Aſeroth, & caſtrametati ſunt in Rethma.*

19 *Et profecti ſunt de Rethma, & caſtrametati ſunt in Remonphares.*

20 *Profectiq; ſunt de Remonphares, & caſtrametati ſunt in Lebna.*

21 *Et profecti ſunt de Lebna, & caſtrametati ſunt in Reſa.*

22 *Et profecti ſunt de Reſa, & caſtrametati ſunt in Cehalata.*

23 *Profectiq; ſunt de Cehalata, & caſtrametati ſunt in monte Sapher.*

24 *Et profecti ſunt de monte Sapher, & caſtrametati ſunt in Harada.*

25 *Profectiq; ſunt de Harada, & caſtrametati ſunt in Maceloth.*

26 *Et profecti ſunt de Maceloth, & caſtrametati ſunt in Taath.*

27 *Profectiq; ſunt de Taath, & caſtrametati ſunt in Thare.*

28 *Profectiq; ſunt de Thare, & caſtrametati ſunt in Metcha.*

29 *Et profecti ſunt de Metcha, & caſtrametati ſunt in Aſemona.*

30 *Et profecti ſunt de Aſemona, & caſtrametati ſunt in Moſeroth.*

31 *Profectiq; ſunt de Moſeroth, & caſtrametati ſunt in Beneiacan.*

32 *Profectiq; ſunt de Beneiacan, & caſtrametati ſunt in monte Gadgad.*

33 *Profectiq; ſunt de monte Gadgad, & caſtrametati ſunt in Ietbatha.*

## Vulgat. Editio.

34 Et de Ietebatha venerunt in Hebrona.

35 Egreſſique de Hebrona, caſtrametati ſunt in Aſiongaber.

36 * Inde profecti, venerunt in deſertum Sin, hæc eſt Cades. (*Sup.20.1)

37 Egreſſique de Cades, caſtrametati ſunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom.

38 * Aſcenditque Aaron ſacerdos in montem Hor iubente Domino: & ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto, menſe quinto, prima die menſis, (* Sup.20. 2.15. Deu.32.50.)

39 Cum eſſet annorum centum viginti trium.

40 Audiuitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, in terram Chanaan veniſſe filios Iſrael.

41 Et profecti de monte Hor, caſtrametati ſunt in Salmona.

42 Vnde egreſſi, venerunt in Phunon.

43 Profectique de Phunon, caſtrametati ſunt in Oboth.

44 Et de Oboth, venerunt in Ieabarim, quæ eſt in finibus Moabitarum.

45 Profectique de Ieabarim, fixere tentoria in Dibongad.

46 Vnde egreſſi, caſtrametati ſunt in Helmondeblathaim.

47 Egreſſique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

48 Profectique de montibus Abarim, tranſierunt ad campeſtria Moab, ſupra Iordanem contra Iericho.

49 Ibique caſtrametati ſunt de Bethſimoth vſque ad Abelſatim in planioribus locis Moabitarum,

50 Vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen:

51 Præcipe filijs Iſrael, & dic ad eos: Quando tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan,

52 Diſperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate, (Deute.7.5. Iud.2.2.)

53 Mundantes terram, & habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in poſſeſſionem,

54 Quam diuidetis vobis ſorte. Pluribus dabitis latiorem, & paucis anguſtiorem. Singulis vt ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus & familias poſſeſſio diuidetur.

55 Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ:

56 Et quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.

### CAP. XXXIIII.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2 Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram Chanaan, & in poſſeſſionem vobis ſorte ceciderit, his finibus terminabitur.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Et profecti ſunt è Iotbbathah, & caſtrametati ſunt in Habronah.*

35 *Et profecti ſunt ex Habronah, & caſtrametati ſunt in Heſionghaber.*

36 *Et profecti ſunt ex Heſionghaber, & caſtrametati ſunt in deſerto Sin, quod eſt Cades.*

37 *Et profecti ſunt è Cades, & caſtrametati ſunt in Hor monte, in extremo terræ Edom.*

38 *Et aſcendit Aharon ſacerdos in Hor montem iuxta ſermonem Domini, & mortuus eſt ibi anno quadrageſimo quo egreſſi ſunt filij Iſrael è terra Ægypti, menſe quinto in vna menſis.*

39 *Et Aharon erat filius trium, & viginti, & centum annorum, quando mortuus eſt in Hor monte.*

40 *Et audiuit Chenahanæus rex Harad qui habitabat in Meridie, in terra Chenahan, quando venerunt filij Iſrael.*

41 *Et profecti ſunt de Hor monte, & caſtrametati ſunt in Salmonah.*

42 *Et profecti ſunt è Salmonah, & caſtrametati ſunt in Punon.*

43 *Et profecti ſunt è Punon, & caſtrametati ſunt in Oboth.*

44 *Et profecti ſunt ex Oboth, & caſtrametati ſunt in Hiiehabarim in termino Moab.*

45 *Et profecti ſunt ex Hijm, & caſtrametati ſunt in Dibonghad.*

46 *Et profecti ſunt è Dibonghad, & caſtrametati ſunt in Halmon diblathaimah.*

47 *Et profecti ſunt ex Halmon diblathaimah, & caſtrametati ſunt in montibus Habarim ante Nebo.*

48 *Et profecti ſunt è montibus Habarim, & caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab iuxta Iarden Ierecho.*

49 *Et caſtrametati ſunt iuxta Iarden à Bethieſimoth, vſque ad Abelſittim in campeſtribus Moab.*

50 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh in campeſtribus Moab, iuxta Iarden Ierecho, dicendo:*

51 *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum tranſieritis Iarden ad terram Chenahan.*

52 *Expellite omnes habitatores terræ à facie veſtra, & perdite omnes titulos eorum, & imagines ſtatuarum eorum perdetis, & omnia excelſa eorum diſperdetis.*

53 *Et expelletis terræ habitatores, & habitabitis in ea. Vobis enim dedi terram, vt hæreditate accipiatis eam.*

54 *Et hæreditatem capietis terræ per ſortem, per familias veſtras. Multo multiplicabitis hæreditatem eius, & pauco diminuetis hæreditatem eius. Vbi egredietur ei ſors, ei erit. Per tribus patrum veſtrorum, hæreditatem capietis.*

55 *Et ſi non expuleritis habitatores terræ à facie veſtra, erunt qui remanſerint ex eis in cultros in oculis veſtris, & in ſpinas in lateribus veſtris, & anguſtijs afficient vos ſuper terram, in qua vos habitabitis.*

56 *Et erit, quemadmodum cogitaui facere eis, faciam vobis.*

### CAP. XXXIIII.

1 *ET locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:*

2 *Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos: Cum intraueritis terram Chenahan: iſta eſt terra, quæ cadet vobis in hæreditatem, terra Chenahan per terminos ſuos.*

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et promouerunt de Etebatha, & caſtrametati ſunt in Ebrona. | 34 | 34 | Et profecti ſunt de Ietbatha, & caſtrametati ſunt in Ebrona. |
| Et promouerunt de Ebrona, & caſtrametati ſunt in Geſion Gaber. | 35 | 35 | Et profecti ſunt de Ebrona, & Caſtrametati ſunt in Aſiongaber. |
| Et promouerunt de Geſion Gaber, & caſtrametati ſunt in deſerto Sin: & promouerunt e deſerto Sin, & caſtrametati ſunt in deſerto Pharan: hæc eſt Cades. | 36 | 36 | Et profecti ſunt de Aſiongaber, & caſtrametati ſunt in deſertum Sin: hæc eſt Cades. |
| Et promouerunt e Cades, & caſtrametati ſunt in Or monte prope terram Edom. | 37 | 37 | Et profecti ſunt de Cades, & caſtrametati ſunt in monte Hor in finibus terræ Edom. |
| Et aſcendit Aaron ſacerdos per præceptum Domini, & mortuus eſt ibi in quadrageſimo anno exitus filiorum Iſrael de terra Ægypti menſe quinto, vna menſis. | 38 | 38 | Aſcenditq; Aaron ſacerdos in montem Hor, iuxta verbum Domini, & mortuus eſt ibi in anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti in menſe quinto in prima die menſis. |
| Et Aaron erat trium, & viginti, & centum annorum, quando mortuus eſt in Or monte. | 39 | 39 | Aaron autem centum viginti trium annorum ætatis erat, quando mortuus eſt in monte Hor. |
| Et audiens Chananæus rex Arad: & hic habitabat in terra Chanaan, quando ingrediebantur filij Iſrael. | 40 | 40 | Et audiuit Chananæus rex Arad, & ipſe habitabat ad Meridiem in terra Chanaan quando veniebant filij Iſrael. |
| Et promouerunt de Or monte, & caſtrametati ſunt in Selmona. | 41 | 41 | Profectiq; ſunt de monte Hor, & caſtrametati ſunt in Salmona. |
| Et promouerunt de Selmona, & caſtrametati ſunt in Phino. | 42 | 42 | Et profecti ſunt de Salmona, & caſtrametati ſunt in Phunon. |
| Et promouerunt e Phino, & caſtrametati ſunt in Oboth. | 43 | 43 | Et profecti ſunt de Phunon, & caſtrametati ſunt in Oboth. |
| Et promouerunt de Oboth, & caſtrametati ſunt in Gai in vlteriore ſuper fines Moab. | 44 | 44 | Et profecti ſunt de Oboth, & caſtrametati ſunt iuxta vada tranſeuntium in termino Moab. |
| Et promouerunt de Gai, & caſtrametati ſunt in Dæbon Gad. | 45 | 45 | Profectiq; ſunt de Hyim, & caſtrametati ſunt in Dibon-gad. |
| Et promouerunt e Dæbon Gad, & caſtrametati ſunt in Gelmon Deblathæm. | 46 | 46 | Profectiq; ſunt de Dibon-gad, & caſtrametati ſunt in Elmon Deblathaim. |
| Et promouerunt e Gelmon Deblathæm, & caſtrametati ſunt ſuper montes Abarim contra Naboy. | 47 | 47 | Et profecti ſunt de Elmon Deblathaim, & caſtrametati ſunt in monte Abarim contra Nabo. |
| Et promouerunt e montibus Abarim, & caſtrametati ſunt ad Occaſum Moab ſuper Iordanem contra Hierico. | 48 | 48 | Profectique ſunt de monte Abarim, & caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab iuxta Iordanem Hiericho. |
| Et caſtrametati ſunt apud Iordanem inter Aeſimoth vſque Belſa, quæ ad Occaſum Moab | 49 | 49 | Caſtrametatiq; ſunt iuxta Iordanem de Beth-ieſimoth vſque ad conuallẽ Settim in cãpeſtribus Moab. |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen ſuper Occaſum Moab apud Iordanem contra Hiericho, dicens: | 50 | 50 | Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe in campeſtribus Moab iuxta Iordanem Hiericho, dicens: |
| Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Vos tranſitis Iordanem in terram Chanaan: | 51 | 51 | Loquere cum filijs Iſrael, & dices ad eos: Quando tranſieritis Iordanem ad terram Chanaan: |
| Et perdetis omnes habitantes in terra ante faciem veſtram, & auferetis ſpeculas eorum, & omnia idola, fuſilia eorum perdetis ea, & omnes ſtatuas eorum auferetis. | 52 | 52 | Eycietis habitatores terræ à conſpectu veſtro, & diſperdetis omne templum adorationis eorum, & omnes ſtatuas conflatiles eorum diſperdetis, & omnia excelſa eorum vaſtabitis. |
| Et perdetis omnes inhabitantes terram, & inhabitabitis in ea. Vobis enim dedi terram eorum in ſortem. | 53 | 53 | Et poſſidebitis terram, & habitabitis in ea. Quia vobis dedi terram vt poſſideatis eam. |
| Et hæreditabitis terram eorum in ſorte per tribus veſtras. Ijs, qui ſunt plures, multiplicabitis poſſeſſionem eorum, & ijs, qui pauciores, minuetis poſſeſſionem eorum. Ad quodcumque exierit nomen eius: ibi illius erit. Per tribus familiarum veſtrarum hæreditabitis. | 54 | 54 | Poſſidebitiſque terram ſorte per cognationes veſtras. Pluribus augebitis poſſeſſionem ſuam, & paucioribus diminuetis poſſeſſionem ſuam. Vnicuique vbi ſors ei exierit, ibi dabitur poſſeſſio eius. Per tribus patrum veſtrorum poſſidebitis. |
| Si autem non perdideritis habitantes ſuper terram à facie veſtra, & erunt, quoſcumque reliqueritis ex eis, aculei in oculis veſtris, & iacula in coſtis veſtris, & aduerſabuntur vobis ſuper terram, in qua vos habitabitis. | 55 | 55 | Si autem non eieceritis habitatores terræ à conſpectu veſtro, qui remanſerint ex eis, erunt in turmas aſſumentes arma contra vos, & in caſtra circumdantia vos, & anguſtiabunt vos in terra in qua vos habitabitis. |
| Et erit, ſicut decreueram facere illos, faciam vos. | 56 | 56 | Et erit ſicut cogitaui facere illis, ſic vobis faciam. |

| C A P. XXXIIII. | | | C A P. XXXIIII. |
|---|---|---|---|
| ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 1 | 1 | LOcutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens: |
| Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos: Vos ingredimini in terram Chanaan, hæc erit vobis in hæreditatem, terra Chanaan cum finibus eius. | 2 | 2 | Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos, quando ingreſſi fueritis in terram Chanaan: Hæc eſt terra quæ ſorte cadet vobis in poſſeſſionem terræ Chanaan per terminos eius. |

Et Erit-

UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| * Ioſ. 15. 1 | * Pars Meridiana incipiet à ſolitudine Sin, quæ eſt iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem Mare ſalſiſſimum. | 3 | 3 | *Erit vobis terminus Meridiei à deſerto Sin vſq; ad terminos Edom: & erit vobis terminus Meridiei, ab extremo Maris ſalis ad Orientem.* |
| | Qui circuibunt Auſtralem plagam per aſcenſum Scorpionis, ita vt tranſeant in Senna, & perueniant à Meridie vſque ad Cadesbarne, vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent vſque ad Aſemona. | 4 | 4 | *Et circuibit vobis terminus ad Meridiem, ad aſcenſum Scorpionum, & tranſibit ad Sin: & erunt exitus eius à Meridie in Cades Barneah, & egredietur ad villam Addar, & tranſibit ad Haſmon.* |
| | Ibitque per gyrum terminus ab Aſemona vſque ad Torrentem Aegypti, & Maris magni littore finietur. | 5 | 5 | *Et circuibit terminus ab Haſmon vſque ad flumen Ægypti, & erunt egreſſus eius ad Occidentem.* |
| | Plaga autem Occidentalis à Mari magno incipiet, & ipſo fine claudetur. | 6 | 6 | *Et terminus Occidentalis erit vobis Mare magnum & terminus: iſte erit vobis terminus Occidentalis.* |
| | Porro ad Septentrionalem plagam à Mari magno termini incipient, peruenientes vſque ad montem altiſſimum, | 7 | 7 | *Et iſte erit vobis terminus Aquilonaris à Mari magno deſcribetis vobis Hor montem.* |
| | A quo venient in Emath vſque ad terminos Sedada: | 8 | 8 | *Ab Hor monte deſcribetis vſque ad introitum Chamath, & erunt exitus termini ad Sedad.* |
| | Ibuntque confinia vſque ad Zephrona, & villam Enan: hi erunt termini in parte Aquilonis. | 9 | 9 | *Et egredietur terminus ad Ziphron, & erunt exitus eius ad villam Henan: iſte erit vobis terminus Aquilonaris.* |
| | Inde metabuntur fines contra Orientalem plagam de villa Enan vſque ad Sephama, | 10 | 10 | *Et deſcribere facietis vobis terminum ad Orientem à villa Henan vſque ad Sepham.* |
| | Et de Sephama deſcendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde peruenient contra Orientem ad Mare Cenereth, | 11 | 11 | *Et deſcendet terminus à Sepham vſque ad Riblah ab Oriente fontis, & deſcendet terminus, & perueniet ad latus Maris Chinereth ad Orientem.* |
| | Et tendent vſque ad Iordanem, & ad vltimum ſalſiſſimo claudentur Mari: hanc habebitis terram per fines ſuos in circuitu. | 12 | 12 | *Et deſcendet terminus ad Iarden, & erunt exitus eius Mare ſalis: iſta erit vobis terra per terminos ſuos in circuitu.* |
| | Præcepitque Moyſes filijs Iſrael, dicens: Hæc erit terra, quam poſſidebitis ſorte, & quam iuſſit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. | 13 | 13 | *Et præcepit Moſeh filijs Iſrael: Hæc eſt terra in qua hæreditatem capietis per ſortem, quam præcepit Dominus, vt darem nouem tribubus, & dimidiæ tribui.* |
| | Tribus enim filiorum Ruben per familias ſuas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manaſſe, | 14 | 14 | *Quia acceperunt tribus filiorum Reubenitarum per domum patrum ſuorum, & tribus filiorum Gaditarum per domum patrum ſuorum, & dimidia tribus Menaſſeh acceperunt hæreditatem ſuam.* |
| | Ideſt, duæ ſemis tribus, acceperunt partem ſuam trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam. | 15 | 15 | *Duæ tribus, & media tribus acceperunt hæreditatem ſuam trans Iarden Ierecho ad Orientem ad ortum.* |
| | Et ait Dominus ad Moyſen. | 16 | 16 | *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh, dicendo:* |
| * Ioſ. 14. 1 | * Hæc ſunt nomina virorum, qui terram vobis diuident, Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, | 17 | 17 | *Iſta ſunt nomina virorum qui diuident vobis terram: Elhazar ſacerdos, & Iehoſuah filius Nun.* |
| | Et ſinguli principes de tribubus ſingulis, | 18 | 18 | *Et principem vnum de qualibet tribu capietis ad diuidendum terram.* |
| | Quorum iſta ſunt vocabula: De tribu Iuda, Caleb filius Iephone. | 19 | 19 | *Et iſta ſunt nomina virorum: De tribu Iehudah Chaleb filius Iephunneh.* |
| | De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. | 20 | 20 | *Et de tribu filiorum Simhon Semuel filius Hammihud.* |
| | De tribu Beniamin, Elidad filius Chaſelon. | 21 | 21 | *Et de tribu Biniamim Elidad filius Chiſlon.* |
| | De tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli. | 22 | 22 | *Et de tribu filiorum Dan princeps Bucchi filius Iogli.* |
| | Filiorum Ioſeph de tribu Manaſſe, Hanniel filius Ephod. | 23 | 23 | *De filijs Ioſeph de tribus filiorum Menaſſeh princeps Channiel filius Ephod.* |
| | De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan. | 24 | 24 | *Et de tribu filiorum Ephraim princeps Chemuel filius Siphtan.* |
| | De tribu Zabulon, Eliſaphan filius Pharnach. | 25 | 25 | *Et de tribu filiorum Zebulun princeps Eliſaphan filius Parnah.* |
| | De tribu Iſſachar, dux Phaltiel filius Ozan. | 26 | 26 | *Et de tribu filiorum Iſaſchar princeps Paltihel filius Hazzan.* |
| | De tribu Aſer, Ahiud filius Salomi. | 27 | 27 | *Et de tribu filiorum Aſer princeps Achihud filius Selomi.* |
| | De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. | 28 | 28 | *Et de tribu filiorum Naphthali princeps Pedahel filius Hammihud.* |
| | Hi ſunt, quibus præcepit Dominus vt diuiderent filijs Iſrael terram Chanaan. | 29 | 29 | *Iſti ſunt quibus præcepit Dominus, vt diuiderent hæreditatem filijs Iſrael in terra Chanahan.* |

CAP. | CAP.

UVA.BSCH

| Transl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Transl. |
|---|---|---|---|
| Et erit vobis latus, quod ad Africum, à deſerto Sin vſque ad contiguum Edom: & erunt vobis fines ad Africum à parte Maris ſalſi ab Oriente. | 3 | 3 | *Eritq; vobis plaga Auſtralis à deſerto Sin iuxta Edom, & erit vobis terminus Auſtralis à finibus Maris ſalis ad Orientem.* |
| Et circundabunt vos fines ab Africo ad aſcenſum Acrabin, & pertranſibunt Ennach, & erit tranſitus eius ad Africum Cades, ipſius Barne, & exibit in villam Arad, & tranſibit Aſemona. | 4 | 4 | *Et circuibit vos terminus ab Auſtro per aſcenſum Scorpionum, & tranſibit in Sin, & erunt exitus eius ab Auſtro in Cades-Barne, & egredietur in Aſaradar, & pertranſibit in Semon.* |
| Et circundabunt fines ab Aſemona Torrentem Ægypti, & erit exitus eius Mare. | 5 | 5 | *Et circuibit terminus ab Aſemon ad Torrentem Ægypti, & erunt exitus eius ad Mare Occidentis.* |
| Et fines Maris erunt vobis, Mare magnum terminabit: hoc erit vobis fines Maris. | 6 | 6 | *Terminus autẽ Occidentalis erit vobis Mare magnũ & terminus eius: hic erit vobis termin⁹ Occidẽtalis.* |
| Et hoc erit vobis fines ad Aquilonem, à Mari magno dimetiemini vobis ipſis apud montem, montem: | 7 | 7 | *Hic autem erit vobis terminus Septentrionalis, à Mari magno contra montem Hor.* |
| Et à monte montem dimetiemini vobis ipſis, ingredientibus in Emath: & erit exitus eius fines Saradac. | 8 | 8 | *Et à monte Hor vſque ad introitum Hemath, & erunt exitus termini in Sedada.* |
| Et egredientur fines Dephrona, & erit exitus eius Arſenain: hoc erit vobis fines ab Aquilone. | 9 | 9 | *Et egredietur terminus in Zephron, & erunt exitus eius vſque ad Aſarenan: iſte erit vobis terminus Aquilonis.* |
| Et dimetiemini vobis ipſis fines Orientis ab Arſenain Sephamar: | 10 | 10 | *Deſcribetiſque vobis terminum Orientalem ab Aſarenan in Sephan.* |
| Et deſcendent fines à Sephamar Bela ab Oriente ad fontes, & deſcendent fines Bela ſuper dorſum Maris Chenereth ab Oriente: | 11 | 11 | *Et deſcendet terminus à Sephan in Rebla ab Oriente fontis, & deſcendet terminus, & pertinget ad littus Maris Geneſar ad Orientem.* |
| Et deſcendent fines ad Iordanem, & erit exitus Mare ſalſum: hæc erit vobis terra, & fines eius in circuitu. | 12 | 12 | *Et deſcendet terminus ad Iordanem, & erunt exitus eius in Mare ſalis: hæc erit vobis terra per terminos eius in circuitu.* |
| Et mandauit Moyſes filijs Iſrael, dicens: Hæc eſt terra, quam hæreditabitis eam cum ſorte, quemadmodum præcepit Dominus dare eam nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe: | 13 | 13 | *Præcepitque Moyſes filijs Iſrael, dicens: Hæc erit terra quam poſſidebitis ſorte, quam iuſſit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui.* |
| Quoniam accepit tribus filiorum Ruben, & tribus filiorum Gad ſecundum domos familiarum eorum, & dimidia tribus Manaſſe receperunt ſortes ſuas: | 14 | 14 | *Tribus enim filiorum Ruben, & tribus filiorum Gad & dimidia tribus Manaſſe, ſuſceperunt poſſeſſionem ſuam iuxta cognationes ſuas per domos patrum ſuorum.* |
| Duæ tribus, & dimidium tribus acceperunt ſortes ſuas trans Iordanem contra Hiericho ab Auſtro ad Orientem. | 15 | 15 | *Duæ tribus, & dimidia acceperunt hæreditatem ſuam trans Iordanem ad Orientalem plagam.* |
| Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: | 16 | 16 | *Locutuſq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens:* |
| Hæc ſunt nomina virorum, qui in hæreditatem ſortientur vobis terram: Eleazar ſacerdos, & Ieſus filius Naue. | 17 | 17 | *Hæc ſunt nomina virorum qui diuident vobis poſſeſſiones terræ, Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun.* |
| Et principem vnum de tribu aſſumetis ad ſortiendum vobis terram. | 18 | 18 | *Et principem vnum de vnaquaque tribu tolletis ad diuidendas poſſeſſiones terræ.* |
| Et hæc ſunt nomina virorum: De tribu Iuda, Chaleb filius Iephonne: | 19 | 19 | *Et hæc ſunt nomina virorum: De tribu Iuda, Caleb filius Iephone.* |
| De tribu Symeon, Salamiel filius Semiud: | 20 | 20 | *De tribu filiorum Simeon, Samuel filius Amiud.* |
| De tribu Beniamin, Eldad filius Chaſlon: | 21 | 21 | *De tribu Beniamin, Elidad filius Caſelon.* |
| De tribu Dan, princeps Bacchir filius Egli: | 22 | 22 | *De tribu filiorum Dan, princeps Bocci filius Iogli.* |
| De filijs Ioſeph de tribu filiorum Manaſſe, princeps Aniel filius Suphi: | 23 | 23 | *Filiorum Ioſeph de tribu filiorum Manaſſe princeps, Hanniel filius Ephod.* |
| De tribu filiorum Ephræm princeps Camuel filius Sabathan: | 24 | 24 | *De tribu filiorum Ephraim princeps, Camuel filius Septan.* |
| De tribu Zabulon princeps Eliſaphan filius Pharnach: | 25 | 25 | *De tribu filiorum Zabulon princeps, Eliſaphan filius Parnach.* |
| De tribu filiorum Iſſachar princeps Phaltiel filius Oza: | 26 | 26 | *Et de tribu filiorum Iſachar princeps, Paltiel filius Azan.* |
| De tribu filiorum Aſer princeps Achir filius Selomi: | 27 | 27 | *Et de tribu filiorum Aſer princeps, Ahiud filius Selomi.* |
| De tribu Nephthali, princeps Phadael filius Lamiud. | 28 | 28 | *Et de tribu filiorum Neptali princeps, Phadael filius Amiud.* |
| His mandauit Dominus diſtribuere filijs Iſrael in terra Chanaan. | 29 | 29 | *Iſti ſunt quibus præcepit Dominus, vt diuiderent poſſeſſiones filijs Iſrael in terra Chanaan.* |



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | CAP. XXXV. | | | CAP. XXXV. |
| | HÆc quoque locutus eſt Dominus ad Moyſen in campeſtribus Moab ſupra Iordanem, contra Iericho: | 1 | 1 | ET locutus eſt Dominus ad Moſeh in campeſtribus Moab iuxta Iarden Ierecho dicendo. |
| * Ioſ.21.2. | * Præcipe filijs Iſrael vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis. | 2 | 2 | Præcipe filijs Iſrael, vt dent Leuitis de hæreditate poſſeſſionis ſuæ. |
| | Vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum: vt ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac iumentis: | 3 | 3 | Vrbes ad habitandum, & ſuburbana vrbium per circuitum earum dabitis Leuitis, & erunt vrbes eis ad habitandum, & ſuburbana earũ erunt iumẽtis eorum, & ſubſtantiæ eorum, & omni beſtiæ eorum. |
| | Quæ à muris ciuitatum forinſecus, per circuitum, mille paſſuum ſpatio tendentur. | 4 | 4 | Et ſuburbana vrbium, quæ dabitis Leuitis à pariete vrbis, & forinſecus mille cubiti erunt per circuitum. |
| | Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia, ad mare quoque, quod reſpicit ad Occidentem, eadem mẽſura erit, & Septentrionalis plaga æquali termino finietur: eruntque vrbes in medio, & foris ſuburbana. | 5 | 5 | Et metiemini extra vrbem plagam Orientalem duo millia cubitorum, & plagam Meridianam duo millia cubitorum, & plagam Occidentalem duo millia cubitorum, & plagam Aquilonarẽ duo millia cubitorum, & ciuitas erit in medio, hæc erit eis ſuburbana vrbium. |
| * Ioſ.20.2. Deu.4.41. | * De ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata, vt fugiat ad ea qui fuderit ſanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida, | 6 | 6 | Et ex vrbibus quas dabitis Leuitis erunt ſex vrbes euaſionis quas dabitis, vt fugiat illuc homicida: & præter illas dabitis quadraginta, & duas vrbes. |
| | Id eſt ſimul quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis. | 7 | 7 | Omnes vrbes quas dabitis Leuitis quadraginta, & octo vrbes ipſas, & ſuburbana earum. |
| | Ipſæque vrbes, quæ dabuntur de poſſeſſionibus filiorum Iſrael, ab his, qui plus habent, plures auferentur, & qui minus, pauciores: ſinguli iuxta menſuram hæreditatis ſuæ dabunt oppida Leuitis. | 8 | 8 | Et vrbes quas dabitis de poſſeſſione filiorum Iſrael à multo multiplicabitis, & à pauco diminuetis: vnuſquiſque ſecundum hæreditatem ſuam, quam hæreditate accipient, dabit ex vrbibus ſuis Leuitis. |
| | Ait Dominus ad Moyſen: | 9 | 9 | Et locutus eſt Dominus ad Moſeh dicendo. |
| * Deut.19.2. Ioſ.20.2. | Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: * Quando tranſgreſſi fueritis Iordanem in terram Chanaan, | 10 | 10 | Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cum tranſieritis Iarden ad terram Chenahan. |
| | Decernite quæ vrbes eſſe debeant in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderint: | 11 | 11 | Conſtituetis vobis ciuitates: ciuitates euaſionis erunt vobis, & fugiet illuc homicida qui percuſſerit animam per errorem. |
| | In quibus cum fuerit profugus, cognatus occiſi nõ poterit eum occidere, donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicetur. | 12 | 12 | Et erunt vobis ciuitates ad euaſionem à principio, & non morietur homicida, donec ſteterit ante congregationem ad iudicium. |
| | De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorũ ſubſidia ſeparantur. | 13 | 13 | Et ex vrbibus quas dabitis, ſex vrbes euaſionis erunt vobis. |
| | Tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, | 14 | 14 | Tres vrbes dabitis trans Iarden, & tres vrbes dabitis in terra Chenahan: vrbes euaſionis erunt. |
| | Tam filijs Iſrael quàm aduenis atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens ſanguinem fuderit. | 15 | 15 | Filijs Iſrael, & peregrino, & incolæ in medio eorum erunt ſex vrbes iſtæ ad euaſionem, vt fugiat illuc omnis qui percuſſerit animam per errorem. |
| | Si quis ferro percuſſerit, & mortuus fuerit qui percuſſus eſt: reus erit homicidij, & ipſe morietur. | 16 | 16 | Et ſi inſtrumento ferreo percuſſerit eum, & mortuus fuerit, homicida eſt, moriendo morietur homicida. |
| | Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit: ſimiliter punietur. | 17 | 17 | Et ſi lapide manus quo moriatur percuſſerit eum, & mortuus fuerit: homicida eſt, moriendo morietur homicida. |
| * Deut.19.11. Ioſ.20.3. | Si ligno percuſſus interierit: percuſſoris ſanguine vindicabitur. | 18 | 18 | Vel inſtrumento ligneo manus quo moriatur percuſſerit eum, & moriatur: homicida eſt, moriendo morietur homicida. |
| | Propinquus occiſi homicidam interficiet ſtatim vt apprehenderit eum, interficiet. | 19 | 19 | Propinquus ſanguinis ipſe interficiet homicidam, quum obuiauerit ipſe ſibi, ipſe interficiet eum. |
| | Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per inſidias: | 20 | 20 | Et ſi per odium impulerit eum, vel proiecerit ſuper eum per inſidias, & mortuus fuerit. |
| | Aut cum eſſet inimicus manu percuſſerit, & ille mortuus fuerit: percuſſor, homicidij reus erit: cognatus occiſi ſtatim vt inuenerit eum, iugulabit. | 21 | 21 | Vel per inimicitiam percuſſerit eum manu ſua, & mortuus fuerit: moriendo morietur percutiens, homicida eſt: propinquus interficiet homicidam, cum occurrerit ipſe ſibi. |
| | Quod ſi fortuitu, & abſque odio. | 22 | 22 | Et ſi caſu abſque inimicitijs impulerit eum, vel proiecerit ſuper eum omne inſtrumentum abſque inſidijs. |
| | Et inimicitijs quidquam horum fecerit. | 23 | 23 | Vel omni lapide quo moriatur, cum non viderit, & ceciderit ſuper eum, & mortuus fuerit, & ipſe non erat inimicus ei, neque quærebat malum eius. |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### C A P. XXXV.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſem ſuper occaſum Moab apud Iordanem contra Hiericho, dicens:
2 Præcipe filijs Iſrael, & dabunt Leuitis de ſortibus poſſeſſionis ipſorum ciuitates habitare: & ſuburbia ciuitatum in circuitu earum dabunt Leuitis.
3 Et erunt ciuitates eis ad habitandum, & ſegregationes earum erunt pecoribus eorum: & omnibus quadrupedibus eorum:
4 Et pertinentia ad ciuitates, quæ dabitis Leuitis, à muro ciuitatis, & extra bis mille cubitos in circuitu.
5 Et metieris extra ciuitatem latus, quod eſt ad Oriétem bis mille cubitos, & latus, quod eſt ad Africum, bis mille cubitos, & latus, quod eſt ad Mare, bis mille cubitos, & latus, quod eſt ad Aquilonem, bis mille cubitos, & ciuitas medium huius erit vobis & confinia ciuitatum.
6 Et ciuitates dabitis Leuitis, ſex ipſas ciuitates refugiorum: quas dabitis fugere illò homicidam, & ad has, quadraginta, & duas ciuitates.
7 Omnes ciuitates dabitis Leuitis, quadraginta & octo ciuitates, has, & ſuburbia earum.
8 Et ciuitates, quas dabitis de poſſeſſione filiorum Iſrael, ab ijs, qui multa, multa, & à minoribus minora: vnuſquiſque ſecundum hæreditate ſuá, quam hæreditabunt, dabunt de ciuitatibus, ipſis Leuitis.
9 Et locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens:
10 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Vos tranſitis Iordanem in terram Chanaan:
11 Et diſtinguetis vobis ipſis ciuitates, refugia erunt vobis, fugere illo homicidam: omnis, qui percuſſit animam non ſponte.
12 Et erût ciuitates vobis refugia à vindicante ſanguinem: & non morietur is, qui occidit, quoadúſque ſtet in conſpectu ſynagogæ in iudicium.
13 Et ciuitates, quas dabitis, ſex ipſas ciuitates, refugia erunt vobis.
14 Tres ciuitates dabitis trans Iordanem, & tres ciuitates dabitis in terra Chanaan.
15 Refugium erit filijs Iſrael, & proſelyto, & incolæ, qui in vobis erunt ciuitates iſtæ in refugium ad fugiendum illuc, omni percutienti animam nó ſpóte.
16 Si autem in vaſe ferri percuſſerit eum, & mortuus fuerit: homicida eſt, morte moriatur homicida:
17 Si autem in lapide ex manu, in quo morietur in eo, percuſſerit eum, & mortuus fuerit: homicida eſt, morte moriatur homicida.
18 Si autem in vaſe ligneo ex manu, ex quo morietur in eo, percuſſerit eum, & mortuus fuerit: homicida eſt, morte moriatur homicida.
19 Qui vindicat ſanguinem, ipſe interficiet homicidá: cum occurrerit ei, ille interficiet eum.
20 Si auté propter inimicitiá impulerit, & proiecerit in eú quodcúque vas ex inſidijs, & mortuus fuerit.
21 Vel propter odium percuſſit eum manu, & mortuus fuerit: morte moriatur is, qui percuſſit: homicida eſt, morte moriatur homicida: qui vindicat ſanguinem, interficiet homicidam, cum occurrerit ei.
22 Si autem repente non propter inimicitiam impulerit eum, vel proiecerit in eum quodcumque vas non ex inſidijs.
23 Vel omni lapide, in quo morietur in eo, non ſciens, & inciderit ſuper eum, & mortuus fuerit, ipſe auté non inimicus eius erat, nec quærens malefacere ei.



## Chald. Paraph. Tranſl.

### C A P. XXXV.

1 LOcutuſque eſt Dominus cum Moyſe in campeſtribus Moab ſupra Iordanem Hiericho, dicens:
2 Præcipe filijs Iſrael, vt dent Leuitis de hæreditate poſſeſſionú ſuarú vrbes ad habitádú, & ſuburbana vrbiú, quæ ſunt per circuitum earú dabitis Leuitis.
3 Eruntque vrbes eis ad habitádum, & ſuburbana earum erunt iumentis ſuis, & pecoribus ſuis, & omnibus animalibus ſuis.
4 Et ſuburbana vrbium, quæ dabitis Leuitis à muro ciuitatis, & forinſecus, erunt mille cubitorum per circuitum.
5 Et metiemini extra vrbem, ad plagam Orientalem duo millia cubitorum, & ad plagam Auſtralem duo millia cubitorú, & ad plagam Occidétalem duo millia cubitorum, & ad plagam Septentrionalem duo millia cubitorum, & vrbs erit ſita in medio, hæc erût vobis ſuburbana vrbium.
6 Et de vrbibus quas dabitis Leuitis, ſex erunt vrbes refugij, quas dabitis vt fugiat illuc homicida, & exceptis his dabitis alias quadraginta duas vrbes.
7 Omnes vrbes quas dabitis Leuitis erunt quadraginta, & octo cum ſuburbanis earum.
8 Vrbes aút quas dabitis de poſſeſſione filiorú Iſrael, ab his qui plures habét, plures auferetis, & ab his q mínus hát, pauciores auferetis: vnuſquiſq; iuxta hǽreditaté ſuá q̃ poſſidebunt, dabunt de vrbibus ſuis Leuitis.
9 Locutuſque eſt Dominus cum Moyſe, dicens:
10 Loquere cú filijs Iſrael, & dices ad eos: Quando vos tranſgreſſi fueritis Iordanem in terram Chanaan.
11 Conſtituetis vobis vrbes, vrbes refugij erunt vobis, vt fugiat illuc homicida qui occiderit animam per ignorantiam.
12 Eruntque vobis vrbes in refugium propter conſanguineum occiſi, vt non moriatur homicida, donec ſtet in conſpectu cœtus in iudicio.
13 Et de vrbibus quas dabitis, ſex vrbes refugij erunt vobis.
14 Tres vrbes dabitis trans Iordané, & tres vrbes dabitis in terra Chanaan, vrbes refugij erunt.
15 Filijs Iſrael, & peregrinis, & aduenis, qui sût inter eos: eruntque ſex vrbes iſtæ in refugium, vt fugiat illuc omnis qui occiderit animam per ignorantiam.
16 Si autem ferro percuſſit eum, & occidit eum: homicida eſt, occiſione occidetur occiſor.
17 Et ſi lapide q manu tollitur pcuſſit eú, & occidit eú, & ipſe lapis ſufficiés eſt, vt moriatur, qui eo pcuſſus fuerit: homicida eſt pcuſſor, occiſione occidet occiſor.
18 Si autem lignum quod manu tollitur, eſt ſufficiens, vt moriatur qui eo percuſſus fuerit, qui occidit eo: homicida eſt, occiſione occidetur occiſor.
19 Propinquus occiſi occidat homicidam, quando condemnatus fuerit in iudicio, ipſe interficiet eum.
20 Et ſi per odiú impulerit eú aut per inſidias iaculatus fuerit quippiam in eum & occiderit eum.
21 Aut per inimicitias percuſſerit eú manu ſua, & occiderit eum: occiſione occidetur percuſſor, homicida eſt, conſanguineus occidet homicidam, quando condemnatus fuerit.
22 Et ſi fortuitu & abſque odio percuſſit eum, aut proiecit in eum omne telum abſque inſidijs:
23 Aut percuſſit eú oí lapide q ſufficiés eſt ad occidédú in eo, & proiecit in eú, pcuſſore, nó vidéte, & occidit eú, & ille nó erat inimicus eius nec q̃rebat malú illi



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem & propinquum ſanguinis quæſtio ventilata: | 24 | 24 | *Iudicabunt congregationes inter percutientem, & propinquum ſanguinis ſecundum iudicia iſta.* |
| Liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per ſententiam in vrbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur. | 25 | 25 | *Et eruent congregatio homicidam è manu propinqui ſanguinis, & redire facient eum congregatio ad ciuitatem euaſionis ſuæ, ad quam fugit, & manebit in ea, donec moriatur ſacerdos magnus, quem vnxit oleo ſanctitatis.* |
| Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, | 26 | 26 | *Et ſi egrediendo egreſſus fuerit homicida terminum vrbis euaſionis ſuæ ad quam fugerit.* |
| Fuerit inuentus, & percuſſus ab eo, qui vltor eſt ſanguinis: abſque noxa erit qui eum occiderit. | 27 | 27 | *Et inuenerit eum propinquus ſanguinis extra terminum vrbis euaſionis ſuæ, & occiderit propinquus ſanguinis homicidam, non erit obnoxius morti.* |
| Debuerat enim profugus vſque ad mortem Pontificis in vrbe reſidere: poſtquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terram ſuam. | 28 | 28 | *In ciuitate enim euaſionis ſuæ manebit, donec moriatur ſacerdos magnus: & poſtquam mortuus fuerit ſacerdos magnus reuertetur homicida ad terram poſſeſſionis ſuæ.* |
| Hæc ſempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus veſtris. | 29 | 29 | *Et erunt iſta vobis in ſtatutum iudicij per generationes veſtras, in omnibus habitationibus veſtris.* |
| Homicida ſub teſtibus punietur: ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur. | 30 | 30 | *Omnis qui percuſſerit animam ſecundum teſtes occidet homicidam: & teſtis vnus non teſtificabitur in animam, vt moriatur.* |
| Non accipietis pretium ab eo, qui reus eſt ſanguinis, ſtatim & ipſe morietur. | 31 | 31 | *Et non accipietis precium pro anima homicidæ, qui eſt impius, vt moriatur: ſed moriendo morietur.* |
| Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterunt: | 32 | 32 | *Et non accipiatis precium ad fugiendum ad ciuitatem euaſionis ſuæ, vt reuertatur ad habitandum in terra donec moriatur ſacerdos.* |
| Ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit. | 33 | 33 | *Et non polluetis terram in qua eſtis, quia ſanguis iſte polluet terram, & terra non erit expiatio propter ſanguinem qui effuſus eſt in ea, niſi per ſanguinem illius qui effudit illum.* |
| Atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio, me commorante vobiſcum. Ego enim ſum Dominus qui habito inter filios Iſrael. | 34 | 34 | *Et non polluetis terram in qua habitatis, in cuius medio ego habito. Ego enim Dominus habito in medio filiorum Iſrael.* |
| CAP. XXXVI. | | | CAP. XXXVI. |
| *Sup. 17. 1 Acceſſerunt * autem & principes familiarum Galaad filij Machir, filij Manaſſe de ſtirpe filiorum Ioſeph: locutique ſunt Moyſi coram principibus Iſrael, atque dixerunt: | 1 | 1 | *Et acceſſerunt principes patrum è familia filiorum Gilhad filij Machir filij Menaſſeh è familijs filiorum Ioſeph: & locuti ſunt coram Moſeh, & coram principibus capitibus patrum filiorum Iſrael, & dixerunt:* |
| Tibi Domino noſtro præcepit Dominus vt terram ſorte divideres filijs Iſrael, & vt filiabus Salphaad fratris noſtri dares poſſeſſionem debitam patri: | 2 | 2 | *Domino meo præcepit Dominus, vt daret terram in hæreditatem per ſortem filijs Iſrael: & Domino meo præceptum eſt per Dominum, vt daret hæreditatem Selophehad fratris noſtri filiabus eius.* |
| Quas ſi alterius tribus homines vxores acceperint, ſequetur poſſeſſio ſua, & tranſlata ad aliam tribum de noſtra hæreditate minuetur. | 3 | 3 | *Et erunt alicui de filijs tribuum filiorum Iſrael in vxores, & diminuetur hæreditas earum de hæreditate patrum noſtrorum, & addetur hæreditati tribus, quibus erunt, & de ſorte hæreditatis noſtræ diminuetur.* |
| Atque ita fiet, vt cum iubileus, id eſt, quinquageſimus annus remiſſionis aduenerit confundatur ſortium diſtributio, & aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat. | 4 | 4 | *Et cum fuerit Iobel filijs Iſrael, addetur hæreditas earum hæreditati tribus quibus erunt, & de hæreditate tribus patrum noſtrorum diminuetur hæreditas earum.* |
| Reſpondit Moyſes filijs Iſrael, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Ioſeph locuta eſt. | 5 | 5 | *Et præcepit Moſeh filijs Iſrael iuxta ſermonem Domini, dicendo: Rectum tribus filiorum Ioſeph loquuntur.* |
| * Iob. 7. 12. Et hæc lex ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt: * Nubant quibus volunt, tantum vt ſuæ tribus hominibus: | 6 | 6 | *Hoc eſt quod præcepit Dominus filiabus Selophehad, dicendo: Vt placebit in oculis earum erunt in vxores, veruntamen familiæ tribus patrum ſuorum erunt in vxores.* |
| Ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua: | 7 | 7 | *Et non vertetur hæreditas filiorum Iſrael de tribu ad tribum. Vnuſquiſque hæreditati tribus patrum ſuorum adhærebunt filij Iſrael.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

24 Et iudicabit ſynagoga inter eum, qui percuſſit, & inter eum, qui vindicat ſanguinem, ſecundum iudicia hæc.

25 Et eximet ſynagoga homicidam à vindicante ſanguinem, & reſtituent eum ſynagoga in ciuitatem refugij eius, quo confugit: & habitabit ibi, quoadusque mortuus fuerit ſacerdos magnus: quem vnxerunt eum oleo ſancto.

26 Si autem exitus exeat homicida fines ciuitatis, in quam confugit illuc,

27 Et inuenerit eum is, qui vindicat ſanguinem, extra fines ciuitatis refugij eius, & vindicans ſanguinem occiderit homicidam, non erit reus.

28 Nam in ciuitate refugij habitet, quoaduſque mortuus fuerit ſacerdos magnus: & poſtquam mortuus fuerit ſacerdos magnus, reuertetur homicida in terram poſſeſſionis ſuæ.

29 Et erunt hæc vobis in iuſtificationem iudicij in progenies veſtras in omnibus habitationibus veſtris.

30 Omnis, qui percuſſerit animam, per teſtes occides homicidam, & teſtis vnus nõ teſtabitur in animam, vt moriatur.

31 Et non accipietis redemptiones pro anima ab homicida, qui reus eſt moriendi: morte enim morietur.

32 Non accipietis redemptiones ad ſugiendum in ciuitatem refugiorum, vt rurſus inhabitet in terra, quoaduſque mortuus fuerit ſacerdos magnus:

33 Et non contaminetis terram, in qua vos habitatis: ſanguis enim hic contaminat terram, & non expiabitur terra à ſanguine effuſo ſuper eam:

34 Et non polluetis terram, ſuper quam habitatis ſuper eam, ſuper quam ego commoror in vobis. Ego enim ſum Dominus commorans in medio filiorum Iſrael.

### CAP. XXXVI.

1 ET acceſſerunt principes tribus filiorum Galaad filij Machir filij Manaſſe de tribu filiorum Ioſeph: & locuti ſunt coram Moyſe, & coram Eleazaro ſacerdote, & coram principibus domorum familiarum filiorum Iſrael, & dixerunt:

2 Domino noſtro mandauit Dominus aſſignare terram hæreditatis in ſorte filijs Iſrael, & domino præcepit Dominus dare hæreditatem Salpaad fratris noſtri filiabus eius.

3 Et erant vni tribuum filiorum Iſrael vxores, & auferetur ſors earum de poſſeſſione patrum noſtrorum, & addetur ad hæreditatem tribus, quibus factę fuerint vxores, & de ſorte hæreditatis noſtræ auferetur.

4 Si autem fuerit remiſſio filiorum Iſrael, & addetur hæreditas earum ſuper hæreditatem tribus, quibus factæ fuerint vxores: & ab hæreditate tribus familiæ noſtræ auferetur hæreditas earum.

5 Et mandauit Moyſes filijs Iſrael per præceptum Domini, dicens: Sic tribus filiorum Ioſeph dicunt:

6 Hoc eſt verbum quod conſtituit Dominus filiabus Salpaad, dicens: cuius placuerit coram eis, ſint vxores: tantummodo e populo patris ſui ſint vxores,

7 Et non circumuertetur hæreditas filijs Iſrael à tribu in tribum: quoniam vnuſquiſque in hæreditate tribus familiæ ſuæ coniungentur filij Iſrael.

## Chald. Paraph. Tranſl.

24 *Iudicabit cœtus inter percuſſorem, & inter propinquum ſanguinis iuxta iudicia hæc.*

25 *Et liberabit cœtus occiſorem de manu conſanguinei occiſi, & reducent illum in vrbem refugij ſui ad quam fugerat, & habitabit in ea donec moriatur ſacerdos magnus qui vnctus eſt oleo ſancto.*

26 *Si autem egrediens egreſſus fuerit homicida termino vrbis refugij ſui ad quam fugerat:*

27 *Et inuenerit eum propinquus ſanguinis extra terminum vrbis refugij ſui, & occiderit conſanguineus occiſi homicidam, non erit reus ſanguinis.*

28 *In vrbe enim refugij ſui manebit donec moriatur ſacerdos magnus, & poſtquam mortuus fuerit ſacerdos magnus, reuertetur occiſor in terram poſſeſſionis ſuæ.*

29 *Et erunt hæc vobis in decretum iudicij in generationibus veſtris, in cunctis habitationibus veſtris.*

30 *Omnis qui occiderit animam, per teſtes occidatur homicida, & vnus teſtis non teſtificabitur in morte hominis.*

31 *Et non accipietis pecuniam pro homine homicida, qui eſt reus occiſionis, ſed occiſione occidetur.*

32 *Neque accipiatis pecuniam ab eo qui fugit in vrbem refugij, vt reuertatur, & habitet in terra, donec moriatur ſacerdos.*

33 *Neque contaminetis terram in qua vos habitatis: quia ſanguis contaminat terram, & terra non expiabitur à ſanguine innocente, qui effuſus eſt in ea niſi per ſanguinem eius qui effudit eum.*

34 *Et non polluatis terram in qua vos habitatis, quia maieſtas mea manet in medio eius. Quia ego Dominus, & maieſtas mea habitat in medio filiorum Iſrael.*

### CAP. XXXVI.

1 *ACceſſerunt autem principes patrum familiarum Galaad filij Machir filij Manaſſe de cognatione filiorum Ioſeph: & locuti ſunt coram Moyſe, & coram ducibus, & principibus patrum filiorum Iſrael, atque dixerunt:*

2 *Dominus meus præcepit vt daretur terra per ſortem in poſſeſſionem filijs Iſrael, & domino meo mandatum eſt per verbum Domini, vt daretur poſſeſſio Salphaad fratris noſtri filiabus eius.*

3 *Eruntque vxores alicui de filijs tribuum filiorum Iſrael, & minuetur poſſeſſio earum à poſſeſſione patrum noſtrorum, & addetur ad poſſeſſionem tribus cui fuerint vxores, & de ſorte hæreditatis noſtræ minuetur.*

4 *Et cum fuerit iubileus filijs Iſrael, addetur poſſeſſio earum ad poſſeſſionem tribus cui fuerint vxores, & de poſſeſſione tribus patrum noſtrorum minuetur poſſeſſio earum.*

5 *Præcepitque Moyſes filijs Iſrael iuxta verbum Domini, dicens: Rectè tribus filiorum Ioſeph loquitur.*

6 *Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus ſuper filiabus Salphaad, dicens: Quibus placuerit in oculis ſuis ſint vxores, veruntamen hominibus cognationis tribus patris ſui ſint vxores.*

7 *Et non transferatur hæreditas filiorum Iſrael de tribu in tribum, ſed ſinguli poſſeſſioni tribus patrum ſuorum adhærebunt filij Iſrael.*



UVA.BSCH

| Vulgat.Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient: vt hæreditas permaneat in familijs, | 8 | 8 | *Et omnis filia hæreditate accipiens hæreditatem de tribubus filiorum Iſrael, alicui de familia tribus patris ſui erit in vxorem, vt hæreditate accipiant filij Iſrael vnuſquiſque hæreditatem patrum eius.* |
| Nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, | 9 | 9 | *Et non vertatur hæreditas de tribu ad tribum aliā: quia vnuſquiſque hæreditati ſuæ adhærebunt tribus filiorum Iſrael.* |
| Vt à Domino ſeparatæ ſunt. Feceruntque filiæ Salphaad vt fuerat imperatum: | 10 | 10 | *Quemadmodum præcepit Dominus Moſeh, ſic fecerunt filiæ Selophchad.* |
| Et nupſerunt Maala, & Therſa, & Hegla, & Melcha, & Noa filijs patrui ſui | 11 | 11 | *Et fuerūt Machalah, Tirſah, & Goglah, et Milchah & Nohah filiæ Selophchad filijs patrū eorū i vxores.* |
| De familia Manaſſe, qui fuit filius Ioſeph: & poſſeſſio, quæ illis fuerat attributa, manſit in tribu & familia patris earum. | 12 | 12 | *His qui erant de familia filiorum Menaſſeh filij Ioſeph fuerunt in vxores, & fuit hæreditas earum tribui familiæ patris earum.* |
| Hęc ſunt mandata atque iudicia, quę mandauit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael, in campeſtribus Moab ſuper Iordanem contra Iericho. | 13 | 13 | *Iſta ſunt præcepta, & iudicia quæ præcepit Dominus per manum Moſeh filijs Iſrael in campeſtribus Moab, iuxta Iarden Iericho.* |

## FINIS LIBRI NVMERORVM.

## Tranſl. ex Septuag.

8 Et omnis filia vendicans hæreditatem ex tribubus filiorum Iſrael, vni eorum, qui de populo patris ſui, erunt vxores, vt vendicent filij Iſrael vnuſquiſque hæreditatem paternam ſuam.

9 Et nõ circumuertetur ſors a tribu in tribum aliam: ſed vnuſquiſque in hæreditate ſua coniungentur filij Iſrael.

10 Quemadmodum præcepit Dominus Moyſi: ſic fecerunt filiabus Salpaad.

11 Et fuerunt Therſa & Egla, & Melcha, & Nua, & Maala filiæ Salpaad, conſobrinis ſuis

12 De populo Manaſſe filiorum Ioſeph factæ fuerunt vxores: & facta eſt hæreditas earum ad tribum populi patris earum.

13 Hæc ſunt mandata, & iuſtificationes, & iudicia, quæ mandauit Dominus in manu Moyſi ſuper Occaſum Moab ſuper Iordanem contra Hierico.

## Chald. Paraph. Tranſl.

8 *Et omnis filia hæres poſſeſſionis de tribu filiorum Iſrael vni de familia tribus patris ſui ſit in vxorem, vt hæreditent filij Iſrael ſinguli poſſeſſionem patrum ſuorum.*

9 *Et non transferatur poſſeſſio de vna tribu in aliam tribum: ſed vnuſquiſque tribuum filiorum Iſrael adhæreat poſſeſſioni ſuæ.*

10 *Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filiæ Salphaad.*

11 *Et fuerunt in vxores Maala, & Therſa, & Egla, & Melcha, & Nua filiæ Salphaad filijs patrui ſui.*

12 *In cognatione filiorum Manaſſe filij Ioſeph fuerunt in vxores, & fuit poſſeſſio earum in tribu familiæ patris earum.*

13 *Hæc ſunt præcepta & iudicia quæ mandauit Dominus per Moyſen filijs Iſrael in campeſtribus Moab iuxta Iordanem Hiericho.*

## FINIS LIBRI NVMERORVM.



UVA.BSCH

# LIBRI DEVTERONOMII.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 HÆC ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Iordanem in ſolitudine campeſtri, contra Mare rubrum, inter Pharan & Thophel & Laban & Haſeroth, vbi auri eſt plurimum:

2 Vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vſque ad Cadesbarne.
3 Quadrageſimo anno, vndecimo menſe, prima die menſis: locutus eſt Moyſes ad filios Iſrael omnia quæ præceperat illi Dominus vt diceret eis:

* Num.21.24. 4 * Poſtquam percuſſit Schon regem Amorrhæorum qui habitabat in Heſebon: & Og regem Baſan, qui manſit in Aſtaroth, & in Edrai,
5 Trans Iordanem in terra Moab: cœpitque Moyſes explanare legem, & dicere:
6 Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte manſiſtis.
7 Reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cetera quæ ei proxima ſunt campeſtria atque montana & humiliora loca contra Meridiem, & iuxta littus Maris, terram Chananæorum, & Libani vſque ad flumen magnum Euphraten.

8 En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & poſſidete eam, ſuper qua iurauit Dominus patribus veſtris Abraham, Iſaac, & Iacob, vt daret illam eis, & ſemini eorum poſt eos.
9 Dixique vobis illo in tempore:
10 Non poſſum ſolus ſuſtinere vos: quia Dominus
Exo.18.18. Deus veſter multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli, plurimi.
11 (Dominus Deus patrum veſtrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis ſicut locutus eſt)
12 Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac iurgia.
13 Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris, vt ponam eos vobis principes.
14 Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res eſt, quam vis facere,
15 Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos ſingula.
*Ioh.7.24. 16 Præcepique eis, dicens: Audite illos, & * quod iuſtum eſt iudicate: ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus.
* Infr.16.19. Leu.19.15. Pro.24.23. Eccli.42.1. Iac.2.1. 17 * Nulla erit diſtantia perſonarum; ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Quod ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.
18 Præcepique omnia quæ facere deberetis.

19 Profecti autem de Horeb, tranſiuimus per eremum terribilē & maximam, quam vidiſtis, per viam montis Amorrhæi, ſicut præceperat Dominus Deus noſter nobis. Cumque veniſſemus in Cadesbarne,

# LIBRI ELLE HADDEBARIM.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ISTA ſunt verba quæ locutus eſt Moſeh ad omnem Iſrael trans Iarden in deſerto, in planicie è regione Suph, inter Paran, & inter Tophel, & Laban, & Chaſeroth, & Dizahab.*

2 *Itinere vndecim dierum à Choreb, itinere montis Sehir vſque ad Cadesbarneah.*
3 *Et fuit in quadrageſimo anno in vndecimo menſe, in vna menſis: locutus eſt Moſeh ad filios Iſrael, ſecundum omnia quæ præcepit Dominus ei ad eos.*

4 *Poſtquā percutere fecit Sichon regem Emorræorum, qui habitabat in Cheſbon, & Hogh regem Baſan, qui habitabat in Haſtaroth in Edrehi:*
5 *Trans Iarden in terra Moab: incepit Moſeh explanare legem hanc dicendo:*
6 *Dominus Deus noſter locutus eſt nobis in Choreb, dicendo: Sat vobis eſt habitaſſe in monte iſto.*
7 *Vertite vos & proficiſcimini vobis, & ite ad montem Emorræum, & ad omnia vicina eius, in ſolitudine, in monte, & planicie, & Meridie, & in littore maris, terra Chenahanæi, & lebanon vſque ad flumen magnum flumen Perath.*

8 *Vide, dedi coram vobis terram: ingredimini, & poſſidete terram ſuper quam iurauit Dominus patribus veſtris Abraham, Iſchac, & Iahacob, vt daret eis, & ſemini eorum poſt eos.*
9 *Et dixi vobis in tempore illo, dicendo:*
10 *Non poſſum ſolus ferre vos: Dominus Deus veſter multiplicauit vos, & ecce eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli in multitudine.*
11 *Dominus Deus patrum veſtrorum addat ſuper vos, ſicut eſtis mille vicibus: & benedicat vobis, quemadmodum locutus eſt vobis.*
12 *Quomodo feram ſolus laborem veſtrum, & onus veſtrum, & lites veſtras?*
13 *Date ex vobis viros ſapientes, & intelligentes, & peritos è tribubus veſtris, & ponam eos principes veſtros.*
14 *Et reſpondiſtis mihi, atque dixiſtis: Bonum eſt quod locutus es, vt faceres.*
15 *Et tuli principes tribuum veſtrarum, viros ſapientes, & peritos, & poſui eos principes ſuper vos, tribunos, & centuriones & quinquagenarios, & decuriones, & præfectos, de tribubus veſtris.*
16 *Et præcepi iudicibus veſtris in tempore illo, dicendo: Audite inter fratres veſtros, & iudicate quod iuſtū eſt inter virū, & fratrē eius, & inter peregrinū eius.*
17 *Non agnoſcetis faciem in iudicio; ſicut paruum, ſic & magnum audietis: non timebis à facie viri, quia iudicium Dei eſt. Quod veſtras ſuperat vires, referetis ad me, & audiam illud.*

18 *Et præcepi vobis in tempore illo omnia quæ facere debebatis.*
19 *Et profecti ſumus è Choreb, et perambulauimus om̄ ſolitudinem magnā & terribilē hanc quam vidiſtis per viam mōtis Emoræi, quemadmodū præcepit Dñs Deus nr̄ nobis, & venimus vſque ad Cades barneah.*



UVA.BSCH

# LIBRI DEVTERONOMII.

## Transl. ex Septuag.

### CAPVT PRIMVM.

1 HÆC ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes
omni Iſrael trans Iordanem in deſerto ad
Occidentem prope rubrum Mare, inter
Phatan, Tophol, & Lobon, & Aulon, & auri fodi-
nas.

2 Vndecim dierum ex Choreb via ſuper montem
Seir vſque Cades Barne:
3 Et factum eſt in quadrageſimo anno, in vndecimo
menſe vna menſis: locutus eſt Moyſes ad omnes fi-
lios Iſrael iuxta omnia quæcumque mandauit Do-
minus ei ad eos:
4 Poſtquam percuſſit Seon regem Amorræorum ha-
bitantem in Eſebon, & Og regem Baſan habitan-
tem in Aſtaroth, & in Edraim
5 Trans Iordanem in terra Moab: cœpit Moyſes de-
clarare legem hanc, dicens:
6 Dominus Deus noſter locutus eſt nobis è Cho-
reb, dicens: Sufficiat vobis habitare in monte hoc.
7 Reuertimini, & promouete vos, & ingredimini in
montem Amorræorum, & ad omnes accolas Araba
in monte & campo, & ad Africum, & maritimam
terram Chananæorum, & Antilibanum vſque ad flu-
men magnum, flumen Euphratem.

8 Videte, tradidit in conſpectu veſtro terram: in-
greſſi hæreditate terram, quam iurauit patribus ve-
ſtris Abraham, Iſaac, & Iacob, dare eis, & ſemini eo-
rum poſt eos.
9 Et dixi ad vos in tempore illo, dicens:
10 Non potero ſolus portare vos: Dominus Deus ve-
ſter multiplicauit vos, & ecce eſtis hodie, velut ſy-
dera cœli multitudine.
11 Dominus Deus patrum veſtrorum adijciat vobis ſi-
cut eſtis, millies, & benedicat vos ſicut locutus eſt
vobis.
12 Quomodo potero ſolus portare moleſtiam veſtram
& pondus veſtrum, & contradictiones veſtras.
13 Date vobiſipſis viros ſapientes, & ſcientes & intelli-
gentes in tribubus veſtris, & conſtituam ſuper vos
duces veſtros.
14 Et reſpondiſtis mihi, & dixiſtis: Bonum eſt verbum,
quod locutus es facere.
15 Et aſſumpſi ex vobis viros ſapientes, & ſcientes, &
intelligentes, & conſtitui eos præeſſe ſuper vos, chi-
liarchos, & centuriones, & quinquagenarios, & de-
canos, & magiſtros iudicibus veſtris.
16 Et mandaui iudicibus veſtris in tempore illo, di-
cens: Audite inter fratres veſtros, & iudicate iuſte
inter virum, & inter fratrem, & inter proſelytũ eius.
17 Non agnoſces faciem in iudicio: iuxta eum qui
paruus, & iuxta eum qui magnus iudicabis: non ve-
reberis faciem hominis, quoniam iudicium Dei eſt.
Et verbum quod durum fuerit à vobis, affeꝛetis il-
lud ad me, & audiam illud.
18 Et mandaui vobis in tempore illo omnia verba quę
facietis.
19 Et promouentes e Choreb iuimus omne illud de-
ſertum magnum, & terribile, quod vidiſtis, viam mõ-
tis Amorræi, ſicut mandauit Dominus Deus no-
ſter nobis, & venimus vſque Cades Barne:

Et

# LIBRI DEVTERONOMII.

## Chald. Paraph. Transl.

### CAPVT PRIMVM.

1 *HÆC ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes
cum omni Iſrael trans Iordanem: corri-
puit eos eo quod peccauerunt in deſerto, &
quia irritauerunt Deum in cãpeſtribus contra Ma-
re rubrum, & in Pharan vbi murmurati ſunt aduer
ſus Manna, & in Aſeroth vbi irritauerunt Deum ſu
per carnes, & in eo quod fecerant vitulum aureum.*
2 *Iter vndecim dierum eſt de Oreb per viam montis
Seir vſque ad Cades-barne.*
*Et factum eſt in quadrageſimo anno in vndecimo*
3 *menſe, primo die menſis: locutus eſt Moyſes cum fi-
lijs Iſrael iuxta omnia quæ præceperat Dominus, vt
diceret eis.*
4 *Poſtquam percuſſit Seon regem Amorræorum qui ha
bitabat in Eſebon, & Og regem Baſan qui habita-
bat in Aſtharot in Edrai;*
5 *Trans Iordanem in terra Moab: cœpit Moyſes expla-
nare doctrinam legis huius, dicens:*
6 *Dominus Deus noſter locutus eſt nobiſcum in Oreb,
dicens: Sufficit vobis quòd manſiſtis in hoc monte.*
7 *Reuertimini & mouete caſtra veſtra & ingredimi-
ni in montem Amorræi, & in cũcta vicinia eius, quæ
ſunt in campeſtribus, & in monte, & in humiliori-
bus locis & in Auſtro, & in portubus Maris in ter-
ram Chananæorum, & Libani vſque ad fluuium ma
gnum qui eſt fluuius Euphrates.*
8 *Videte, quod tradidi terram in conſpectu veſtro: in-
gredimini & poſſidete terram ſuper quam iurauit
Dominus patribus veſtris Abraham, Iſaac, & Ia-
cob, vt daret eam illis, & filijs eorum poſt eos.*
9 *Et dixi vobis in tempore illo, dicens:*
10 *Non poſſum ego ſolus ſuſtinere vos: Dominus Deus
veſter multiplicauit vos, & ecce vos eſtis hodie ſi-
cut ſtellæ cœli in multitudine.*
11 *Dominus Deus patrum veſtrorum addat ſuper vos
millies ſuper id quod nunc eſtis, & benedicat vobis
ſicut locutus eſt vobis.*
12 *Quomodo ſuſtinebo ego ſolus laborem veſtrum, & ne
gotia veſtra & iurgia veſtra?*
13 *Date ex vobis viros ſapientes, & prudentes, & ſcien-
tes in tribubus veſtris, & conſtituam eos principes
ſuper vos.*
14 *Et reſpondiſtis mihi atque dixiſtis: Rectum eſt ver-
bum quod locutus es, vt faciamus.*
15 *Et tuli principes tribuum veſtrarum viros ſapientes
& ſcientes, & conſtitui eos principes ſuper vos tri-
bunos & centuriones, & quinquagenarios, & decu-
riones, & præfectos in tribubus veſtris.*
16 *Et præcepi iudicibus veſtris in tempore illo, dicens:
Audite inter fratres veſtros, & iudicate rectè inter
virum, & inter fratrem ſuum, & inter peregrinum.*
17 *Non accipiatis perſonam in iudicio: verba parui au-
dietis ſicut verba magni: ne timeatis à facie ho-
minis, quoniam iudicium Dei eſt. Et rem quæ fue-
rit vobis difficilis, referetis ad me, & audiam
illam.*
18 *Præcepiq; vobis in tempore illo omnia verba quæ fa-
cere deberetis.*
19 *Et profecti ſumus de Oreb, & ambulauimus per om-
ne deſertum illud magnũ, & terribile quod vidiſtis
per viam montis Amorræi, ſicut præcepit Dominus
Deus noſter, & venimus vſque ad Cades-barne.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Dixi vobis : Veniſtis ad montem Amorrhæi, quem
Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.
21 Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi :
aſcende & poſſide eam, ſicut locutus eſt Dominus
Deus noſter patribus tuis : noli timere, nec quid-
quam paueas.
*Nu. 13. 4.
22 * Et acceſſiſtis ad me omnes, atque dixiſtis : Mitta-
mus viros qui conſiderent terram : & renuncient
per quod iter debeamus aſcendere, & ad quas per-
gere ciuitates.
23 Cumque mihi ſermo placuiſſet, miſi ex vobis duo-
decim viros, ſingulos de tribubus ſuis.
24 Qui cum perrexiſſent, & aſcendiſſent in montana,
venerunt vſque ad Vallem botri : & conſiderata
terra,
25 Sumentes de fructibus eius, vt oſtenderent vberta-
tem, attulerunt ad nos, atque dixerunt : Bona eſt
terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt no-
bis.
26 Et noluiſtis aſcendere, ſed increduli ad ſermonem
Domini Dei noſtri
27 Murmuraſtis in tabernaculis veſtris, atque dixiſtis :
Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra
Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque
deleret.
28 Quo aſcendemus? nuncij terruerunt cor noſtrum,
dicentes : Maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura
procerior : vrbes magnæ, & ad cælum vſque muni-
tæ, filios Enacim vidimus ibi.
29 Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis
eos :
30 Dominus Deus, qui ductor eſt veſter, pro vobis ip-
ſe pugnabit, ſicut fecit in Ægypto cunctis videnti-
bus.
31 Et in ſolitudine (ipſe vidiſti) portauit te Dominus
Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum filium
ſuum, in omni via, per quam ambulaſtis, donec ve-
niretis ad locum iſtum.
32 Et nec ſic quidem credidiſtis Domino Deo ve-
ſtro,
*Ex. 13. 21. Nu. 14. 14.
33 * Qui præceſſit vos in via, & metatus eſt locum, in
quo tentoria figere deberetis, nocte oſtendens vo-
bis iter per ignem, & die per columna nubis.
34 Cumque audiſſet Dominus vocem ſermonum ve-
ſtrorum, iratus iurauit & ait :
*Nu. 14. 22. Pſ. 94. 12.
35 * Non videbit quiſpiam de hominibus generationis
huius peſſimæ terram bonam, quam ſub iuramento
pollicitus ſum patribus veſtris :
36 Præter Caleb filium Iephone : ipſe enim videbit
eam, & ipſi dabo terram, quam calcauit, & filijs eius,
quia ſecutus eſt Dominum.
37 Nec miranda indignatio in populũ, cũ mihi quoq;
iratus Dñs pp vos dixerit : Nec tu ingredieris illuc :
38 Sed Ioſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit
pro te : hunc exhortare & robora, & ipſe ſorte ter-
ram diuidet Iſrael.
39 Paruuli veſtri, de quibus dixiſtis quod captiui du-
cerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant
diſtantiam, ipſi ingredientur : & ipſis dabo terram,
& poſſidebunt eam.
40 Vos autem reuertimini, & abite in ſolitudinem per
viam Maris rubri.
*Nu. 14. 40.
41 * Et reſpondiſtis mihi : Peccauimus Domino : a-
ſcendemus & pugnabimus, ſicut præcepit Domi-
nus Deus noſter. Cumque inſtructi armis perge-
retis in montem,

Ait

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Et dixi vobis : Veniſtis vſque ad montem Emorræi,*
*quem Dominus Deus noſter dat nobis.*
21 *Vide, dedit Dominus Deus tuus coram te terram :*
*aſcende, poſſide, quemadmodum locutus eſt Dominus*
*Deus patrum tuorum tibi : ne timeas, & ne conſter-*
*neris.*
22 *Et acceſſiſtis ad me omnes vos, & dixiſtis : Mitta-*
*mus viros ante nos, & explorent nobis terram, & re-*
*ferant nobis rem, viam per quam aſcendamus, & vr-*
*bes ad quas veniamus.*
23 *Et placuit in oculis meis res, & tuli ex vobis duo-*
*decim viros, virum vnum per tribum.*
24 *Et verterunt ſe, & aſcenderunt in montem, & ve-*
*nerunt vſque ad vallem Eſchol, & explorauerunt*
*eam.*
25 *Et tulerunt in manu ſua è fructu terræ, & attule-*
*runt nobis, & retulerunt nobis rem, & dixerunt : Bo-*
*na eſt terra quam Dominus Deus noſter dat no-*
*bis.*
26 *Et noluiſtis aſcendere, & irritaſtis os Domini Dei*
*veſtri.*
27 *Et murmuraſtis in tabernaculis veſtris, & dixiſtis :*
*Quia odio habet Dominus nos eduxit nos è terra*
*Ægypti, vt traderet nos in manu Emorræi, vt perde-*
*re faceret nos.*
28 *Quo nos aſcendimus? Fratres noſtri diſſoluerunt*
*cor noſtrum, dicendo : Populus magnus, & celſior no-*
*bis eſt : vrbes magnæ, & munitæ in cælum, & etiam*
*filios Hanakim vidimus ibi.*
29 *Et dixi vobis : Ne paueatis, ne timeatis ab eis.*
30 *Dominus Deus veſter præcedit vos : ipſe pugnabit*
*pro vobis, iuxta omnia quæ fecit vobiſcum in Ægy-*
*pto in oculis veſtris.*
31 *Et in deſerto quem vidiſti, quia portauit te Domi-*
*nus Deus tuus, quemadmodum portat vir filium*
*ſuum per totam viam per quam ambulaſtis, donec*
*veniretis vſque ad locum iſtum.*
32 *Et in hoc non credidiſtis Domino Deo veſtro.*
33 *Qui præcedebat vos in via ad explorandum vobis lo-*
*cum per caſtris veſtris, per ignem, per noctem, vt vi-*
*deretis viam per quam ambularetis, & per nubem*
*in die.*
34 *Et audiuit Dominus vocem verborum veſtrorum,*
*& iratus eſt, & iurauit, dicendo :*
35 *Si viderit vir ex viris iſtis generationis malæ iſtius*
*terram bonam ſuper quam iuraui, vt darem patri-*
*bus veſtris.*
36 *Præter Chaleb filium Iephunneh : ipſe videbit eam,*
*& ei dabo terram, per quam calcauit, & filijs eius,*
*eo quod perfecit, vt iret poſt Dominum.*
37 *Etiam contra me iratus eſt Dominus propter vos di-*
*cendo : Etiam tu non ingredieris illuc.*
38 *Iehoſuah filius Nun, qui ſtat coram te, ipſe ingredie-*
*tur illuc, ipſum robora quia ipſe hæreditate faciet*
*eam Iſrael.*
39 *Et paruuli veſtri de quibus dixiſtis, in prædam erũt,*
*& filij veſtri qui non cognouerunt hodie bonum, &*
*malum, ipſi intrabunt illuc, & eis dabo eam, & ipſi*
*hæreditate accipient eam.*
40 *Et vos vertite vobis, & proficiſcimini in deſertum,*
*per viam Maris Suph.*
41 *Et reſpondiſtis, & dixiſtis ad me : Peccauimus Do-*
*mino : nos aſcendemus, & pugnabimus iuxta omnia*
*quæ præcepit nobis Dominus Deus noſter, & accin-*
*xiſtis vos vnuſquiſque arma bellica ſua, & voluiſtis*
*aſcendere in montem.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 Et dixi ad vos: Veniſtis vſque ad montem Amorræi, quem Dominus Deus noſter dat vobis.

21 Videte, tradidit nobis Dominus Deus veſter ante faciem veſtram terrã, aſcendentes hęreditate, quemadmodum dixit Dominus Deus patrum veſtrorum vobis: nolite terreri, neque conſternari.

22 Et acceſſiſtis ad me omnes, & dixiſtis: Mittamus viros priores nobis, & explorent nobis terram, & renuncient nobis reſponſionem, viam, per quam aſcendemus in ea, & ciuitates, in quas ingrediemur in eas.

23 Et placuit coram me verbum, & ſumpſi ex vobis duodecim viros, virum vnum per tribum.

24 Et conuerſi aſcenderunt in montem, & venerunt in vallem botri, & ſpeculati ſunt eam:

25 Et ſumpſerunt in manibus ſuis de fructu terræ, & attulerunt ad nos, & dicebant: Bona eſt terra, quam Dominus Deus noſter dat nobis.

26 Et noluiſtis aſcendere, ſed imcreduli fuiſtis verbo Domini Dei noſtri,

27 Et obmurmuraſtis in tabernaculis veſtris, & dixiſtis: Eo quod Dominus odit nos, eduxit nos de terra Ægypti, ad tradendum nos in manus Amorræorum, ad exterminandos nos:

28 Quo nos aſcendimus? fratres autem veſtri auerterunt cor veſtrum, dicentes: Gens magna, & multa, & potentior nobis, & ciuitates magnæ, & muratæ vſque ad cœlum, ſed & filios gigantum illic vidimus.

29 Et dixi ad vos: Ne paueatis, neque timeatis ab eis.

30 Dominus Deus veſter, qui præcedit ante faciem veſtram, ipſe ſimul debellabit eos vobiſcum, ſecundum omnia, quæcumque fecit vobis in terra Ægypto,

31 Et in deſerto hoc, quod vidiſtis viam montis Amorræi: quoniam geſtabit te, ſicuti ſi quis homo geſtet filium ſuum, per omnem viam, in qua iuiſtis, donec veniſtis ad locum hunc.

32 Et in verbo hoc non credidiſtis Domino Deo noſtro,

33 Qui procedit prior vobis in via ad eligendum vobis locum, deducens vos in igni nocte, oſtendens vobis viam, per quam ambulatis ſuper eam, & in nube die.

34 Et audiuit Dominus vocem ſermonum veſtrorum, & exacerbatus iurauit,

35 Si videbit aliquis virorum iſtorum terram bonam hanc, quam iuraui patribus eorum,

36 Præter Caleb filius Ieſonne: hic videbit eam, & huic dabo terram, in quam aſcendit, & filijs eius: quoniam ipſe adhæſit iis quæ ad Dominum.

37 Et mihi iratus eſt Dominus propter vos, dicens: Neque tu introibis illuc.

38 Ieſus filius Naue, qui aſſiſtit tibi, hic introibit illuc, ipſum conforta: quoniam ipſe in hæreditatem ſortietur eam ipſi Iſrael.

39 Et omnis paruulus iunior, quicumque non nouit hodie bonum: vel malum: hi introibunt illuc, & his dabo eam, & ipſi hæreditabunt eam.

40 Et vos conuerſi caſtra mouiſtis in deſertum, viam quæ ſuper rubrum Mare.

41 Et reſpondiſtis, & dixiſtis: Peccauimus ante Dominum Deum noſtrum: nos aſcendentes bellabimus iuxta omnia, quæcumque mandauit Dominus Deus noſter nobis. Et ſumentes vnuſquiſque vaſa ſua bellica, & congregati aſcendiſtis in montem.

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Et dixi vobis: Veniſtis vſque ad montem Amorrai quem Dominus Deus noſter dabit nobis.*

21 *Vide quòd tradidit Dominus Deus tuus terram in conſpectu tuo: aſcende & poſſide eam, ſicut locutus eſt tibi Dominus Deus patrum tuorum, ne timeas neque formides.*

22 *Et acceſſiſtis ad me omnes vos, & dixiſtis: Mittamus viros ante nos, & explorent nobis terram, & referant ad nos verbum per quam viam aſcendere debemus & ad quas vrbes veniemus.*

23 *Et placuit ſermo in oculis meis & tuli ex vobis duodecim viros, virum vnum de vnaquaque tribu.*

24 *Et perrexerunt & aſcenderunt in montem, & venerunt vſque ad torrentem Botri, & explorauerunt terram illam.*

25 *Et tulerunt in manibus ſuis de fructu terræ, & attulerunt ad nos, & retulerunt nobis verbum, & dixerunt: Bona eſt terra quam Dominus Deus noſter dabit nobis.*

26 *Et noluiſtis aſcendere, & rebellaſtis contra verbum Domini Dei veſtri.*

27 *Et murmuraſtis in tabernaculis veſtris atque dixiſtis: Quia odio habuit nos Dominus, eduxit nos de terra Ægypti vt traderet nos in manu Amorræi, vt conſumeret nos.*

28 *Quò nos aſcendimus? fratres noſtri confregerunt cor noſtrum, dicentes: Populus multus eſt & fortior nobis, & ciuitates magnæ & munitæ vſque ad cœlum, filios quoque gigantum vidimus ibi.*

29 *Et dixi vobis: Ne formidetis, neque timeatis eos.*

30 *Verbum Domini Dei veſtri qui ductor eſt coram vobis, pugnabit pro vobis, iuxta omnia quæ fecit vobiſcum in Ægypto in oculis veſtris.*

31 *Et in ſolitudine, quia vidiſti quòd portauit te Dominus Deus tuus ſicut portat vir filium ſuum in omni via per quam ambulaſtis donec veniretis ad locum iſtum.*

32 *Et in verbo hoc non vos credidiſtis in verbo Domini Dei veſtri.*

33 *Qui ductor fuit coram vobis in via, vt præpararet vobis locum domus manſionis in quo maneretis, in columna ignis per noctem, vt oſtenderet vobis viam per quam ambulaſtis, & in columna nubis per diẽ.*

34 *Et audita eſt coram Domino vox ſermonum veſtrorum, & iratus eſt, & iurauit, dicens:*

35 *Si viderit vir de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam pro qua iuraui, vt darem eam patribus veſtris,*

36 *Præter Caleb filium Ieſbone, qui videbit eam, & ipſi dabo terram, quam calcauit, & filijs eius pro eo quod perfectus fuit in timore Domini.*

37 *Contra me quoque fuit ira à facie Domini propter vos, dicens: Tu quoque non ingredieris illuc.*

38 *Ioſue filius Nun, qui ſtat coram te, ipſe ingredietur illuc, ipſum robora, quia ipſe hæreditare faciet terram Iſrael.*

39 *Et familia veſtra, de qua dixiſtis, in prædam erit, & filij veſtri qui neſciunt hodie bonum & malum, ipſi ingredientur illuc, & illis dabo eam, & ipſi hæreditabunt eam.*

40 *Vos autem reuertimini, & proficiſcimini in deſertum per viam Maris rubri.*

41 *Et reſpondiſtis & dixiſtis vos mihi: Peccauimus coram Domino: nos aſcendemus & pugnabimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Dominus Deus noſter, & accinxiſtis vos vnuſquiſque armis bellicis, & cœpiſtis aſcendere in montem.*



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

* Nu. 14. 42.

42 Ait mihi Dominus: Dic ad eos: * Nolite aſcendere, neque pugnetis: non enim ſum vobiſcum: ne cadatis coram inimicis veſtris.
43 Locutus ſum, & non audiſtis: ſed aduerſantes imperio Domini, & tumentes ſuperbia aſcendiſtis in montem.
44 Itaque egreſſus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiã veniens perſecutus eſt vos, ſicut ſolẽt apes perſequi: & cecidit de Seir vſque Horma.
45 Cumque reuerſi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci veſtræ voluit acquieſcere.
46 Sediſtis ergo in Cadesbarne multo tempore.

### CAP. II.

1 PRofectique inde venimus in ſolitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, ſicut mihi dixerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore.
2 Dixitque Dominus ad me:
3 Sufficit vobis circuire montem iſtum: ite contra Aquilonem:
4 Et populo præcipe, dicens: Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos.
5 Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium, quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir.
6 Cibos emetis ab eis pecunia & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis:
7 Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnã, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.
8 Cumque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitabant in Seir, per viam campeſtrem de Elath, & de Aſiongaber, venimus ad iter, quod ducit in deſertum Moab.
9 Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduerſus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filijs Loth tradidi Ar in poſſeſſionem.
10 Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tã excelſus vt de Enacim ſtirpe,
11 Quaſi gigantes crederentur, & eſſent ſimiles filiorũ Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.
12 In Seir autem prius habitauerunt Horrhæi: quibus expulſis atque deletis habitauerunt filij Eſau, ſicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis ſuæ, quam dedit illi Dominus.
13 Surgentes ergo vt tranſiremus Torrentem Zared, venimus ad eum.
14 Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut iurauerat Dominus:
15 Cuius manus fuit aduerſum eos, vt interirent de caſtrorum medio.
16 Poſtquam autem vniuerſi ceciderunt pugnatores,
17 Locutus eſt Dominus ad me, dicens:
18 Tu tranſibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

42 *Et dixit Dominus ad me: Dic eis, ut aſcendatis & ne pugnetis: quia non ſum in medio veſtri, vt non percutiamini coram inimicis veſtris.*
43 *Et locutus ſum ad vos, & non audiſtis, & irritaſtis os Domini, & temerarie egiſtis, & aſcendiſtis in montem.*
44 *Et egreſſus eſt Emorræus qui habitabat in mõte ipſo in occurſũ veſtrũ, & perſecuti ſunt vos quẽadmodũ faciũt apes: et cõtriuerũt vos à Sehir vſq; ad Chorma.*
45 *Et reuerſi eſtis, & fleuiſtis coram Domino, & non audiuit Dominus vocem veſtram, & non auſcultauit vos.*
46 *Et manſiſtis in Cades diebus multis ſecundum dies quibus manſiſtis.*

### CAP. II.

1 *ET vertimus nos, & profecti ſumus in deſertum per viam Maris Suph, quemadmodum locutus eſt Dominus ad me: & circuiuimus montem Sehir diebus multis.*
2 *Et dixit Dominus ad me, dicendo:*
3 *Sufficit vobis circuiſſe montem iſtum: vertite vos ad Aquilonem:*
4 *Et populo præcipe, dicendo: Vos tranſitis per terminum fratrum veſtrorum, filiorum Heſau, qui habitant in Sehir, & timebunt à vobis,*
5 *Et cauebitis vobis valde, ne irritetis vos contra eos: quia non dabo vobis de terra eorum vſque ad calcationem plantæ pedis, quia in hæreditatem ipſi Heſau dedi montem Sehir.*
6 *Cibum emetis ab eis argento, & comedetis: & etiam aquam emetis ab eis argento & bibetis.*
7 *Quia Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum, nouit ambulare tuum per deſertum magnum iſtum, iam quadraginta annis, Dominus Deus tuus fuit tecum, non caruiſti aliquo.*
8 *Et tranſiuimus à fratribus noſtris filiis Heſau, qui habitabant in Sehir à via ſolitudinis ab Elath, & ab Heſiongaber, & vertimus nos, & tranſiuimus per viam deſerti Moab.*
9 *Et dixit Dominus ad me: Ne oppugnes Moab, & ne irrites te cum eis in bello: quia non dabo tibi de terra eius hæreditatem, filijs enim Loth dedi Har hæreditatem.*
10 *Emim antea habitabant in ea, populus magnus, & multus, & excelſus, ſicut Hanachim.*
11 *Gygantes reputabantur etiam ipſi, ſicut Hanachim. Et Moabitæ vocabant eos Emim.*
12 *Et in Sehir habitauerunt Chorim antea: & filij Heſau expulerunt eos, & perdiderunt eos à facie ſua & habitauerunt loco ipſorum, quemadmodum fecit Iſrael in terra hæreditatis ſuæ quam dedit Dñs eis.*
13 *Nunc ſurgite, & tranſite vobis torrentem Zered, & tranſiuimus torrentem Zered.*
14 *Et dies quibus ambulauimus de Cades Barneah, donec tranſiremus torrentem Zered, fuerunt triginta & octo anni: donec conſumeretur omnis generatio virorum bellatorum de medio caſtrorum, quemadmodum iurauit Dominus eis.*
15 *Et etiam manus Domini fuit contra eos ad perdendum eos è medio caſtrorum, donec conſumeret eos.*
16 *Et fuit, quando conſumpti fuerunt omnes viri bellatores, vt morerentur è medio populi.*
17 *Locutus eſt Dominus ad me, dicendo:*
18 *Tu tranſis hodie terminum Moab, Har.*

* Quæ hic numero 1. notantur in Transl. Sanctis Pagnini et Hebræo habentur coniuncta textui ſuperiori capituli.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

42 Et dixit Dominus ad me: Dic eis: Non aſcendetis, neque bellabitis: non enim ſum vobiſcũ: & non conteramini in conſpectu inimicorum veſtrorum.
43 Et locutus ſum vobis, & non exaudiſtis me, & trãſgreſſi eſtis verbum Domini, & vim facientes aſcendiſtis in montem.
44 Et exijt Amorrhæus habitans in monte illo in occurſum vobis, & perſecutus eſt vos, ſicut facerent apes: & vulnerabant vos à Seir vſque Herma.
45 Et ſedentes flebatis ante Dominum Deum noſtrũ, & non exaudiuit Dominus vocem veſtram, neque attendit vobis.
46 Et ſediſtis in Cades diebus multis, quot vtique diebus ſediſtis.

### CAP. II.

1 ET conuerſi promouimus in deſertum, viam Mare rubrum, quemadmodum locutus eſt Dominus ad me: & circuiuimus montem Seir diebus multis.
2 Et dixit Dominus ad me:
3 Sufficiat vobis circuire montem hunc: conuertimini igitur ad Aquilonem:
4 Et populo præcipe, dicens: Vos tranſitis per fines fratrum veſtrorum filiorum Eſau habitantium in Seir, & timebunt vos.
5 Et verebuntur vos valdè, ne conſeratis cum eis prælium: non enim dabo vobis de terra eorum, neque veſtigium pedis, quoniam in ſorte dedi filijs Eſau montem Seir.
6 Argento eſcas emite ab eis, & comedetis: & aquam menſura accipietis ab eis, & bibetis.
7 Dominus enim Deus noſter benedixit te in omni opere manuum tuarum: agnoſce, quomodo tranſiſti deſertum illud magnum, & terribile, ecce quadraginta annos Dominus Deus tecum, non indiguiſti verbo.
8 Et præteriuimus fratres noſtros filios Eſau habitantes in Seir apud viam, quæ Araba ab Ælon, & à Geſion Gaber, & conuerſi pertranſiuimus viam deſertum Moab.
9 Et dixit Dominus ad me: Non oppugnetis Moabitas, & non conſeratis cum eis prælium: non enim dabo de terra eorum vobis in ſorte, filijs enim Lot dedi Aroer ad hæreditandum.
10 Omnes priores inſederunt ſuper eam, gens magna, & multa, & fortes, ſicut Enacim:
11 Raphaim reputabuntur, & hi, ſicut & Enacim. Et Moabitæ cognominant eos Ommin.
12 Et in Seir inſidebat Chorræus antea: & filij Eſau perdiderunt eos, & attriuerunt eos à facie ſua, & inhabitarunt pro eis, quemadmodum fecit Iſrael terram hæreditatis ſuæ, quam dedit Dominus eis.
13 Nunc igitur exurgite, & promouete vos, & tranſite vallem Zaret.
14 Et dies, quibus pertranſiuimus à Cades Barne, vſque quo tranſiuimus vallem Zaret, triginta & octo anni: quoadusque decidit omnis progenies virorum bellatorum morientes è caſtris, ſicut iurauit Dominus Deus eis:
15 Et manus Domini fuit ſuper eos ad conſumendos eos de medio caſtrorum, quoadusque deciderunt.
16 Et factum eſt, poſtquam deciderunt omnes viri bellatores morientes de medio populi:
17 Et locutus eſt Dominus ad me, dicens:
18 Tu tranſibis hodie fines Moab ipſam Aroer:

Et

## Chald. Paraph. Tranſl.

42 *Et dixit Dominus ad me: Dic eis: Ne aſcẽdatis, nec pugnetis: quoniam maieſtas mea, non habitat inter vos: ne conteramini coram inimicis veſtris.*
43 *Locutuſque ſum vobiſcum, & non obediſtis, ſed rebellaſtis in verbum Domini, & impiè egiſtis, & aſcendiſtis in montem.*
44 *Et egreſſus eſt Amorræus, qui habitabat in monte illo, & perſecutus eſt vos, ſicut perſequuntur apes: & percuſſerunt vos in Seir vſque ad Hormam.*
45 *Et conuerſi eſtis, & plorastis coram Domino, & non ſuſcepit Dominus orationem veſtram, neque auſcultauit verba veſtra.*
46 *Et habitaſtis in Cades diebus multis, ſicut dies, quibus habitaſtis.*

### CAP. II.

1 *ET perreximus, & profecti ſumus in deſertum per viam Maris rubri, ſicut locutus eſt Dominus mecum: & circuiuimus montem Seir diebus multis.*
2 *Et ait Dominus ad me, dicens:*
3 *Sufficit vobis circuire montem iſtum: declinate vos ad Aquilonem:*
4 *Et populo præcipe, dicens: Vos tranſitis per terminũ fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos.*
5 *Cauete nimis, ne pugnetis cum eis, quoniam non dabo vobis de terra eorum, quantum poteſt calcare planta pedis, quoniam in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir.*
6 *Frumentum emetis ab eis argento, & comedetis: & etiam aquam emetis ab eis argento, & bibetis.*
7 *Dominus enim Deus tuus benedixit tibi in omnibus operibus manuum tuarum: ſufficienter tribuit tibi neceſſaria cum ambulares per deſertum magnũ hoc iſtis quadraginta annis, verbum Domini Dei tui fuit tecum, nec quicquam tibi defuit.*
8 *Et tranſiuimus à fratribus noſtris filijs Eſau, qui habitant in Seir à via campeſtri ab Elath, & ab Eſion-Gaber, & perreximus, & tranſiuimus per viam deſerti Moab.*
9 *Et dixit Dominus ad me: Ne obſideas Moabitas, neque contendas facere cum eis bellum: quoniam non dabo tibi de terra eorum hæreditatem, quia filijs Loth dedi Ar in poſſeſſionem.*
10 *Terribiles à principio habitauerunt in ea, populus magnus, & multus, & fortis, ſicut Gigantes:*
11 *Reputantur etiam ipſi, ſicut Gigantes. Et Moabitæ vocabant eos terribiles.*
12 *Et in Seir habitauerunt Horræi à principio: & filij Eſau eiecerunt eos, & exterminauerunt à conſpectu ſuo, & habitauerunt in loco eorũ, ſicut fecit Iſrael in terra hæreditatis ſuæ, quam dedit eis Dominus.*
13 *Nunc ſurgite, tranſite torrentem Zared, & tranſiuimus torrentem Zared.*
14 *Dies autem, quibus ambulauimus de Cades-barne donec tranſiremus torrentem Zared, triginta & octo anni fuerunt: donec conſumeretur omnis generatio virorum bellatorum de medio caſtrorum, ſicut iurauit eis Dominus:*
15 *Et etiam plaga à facie Domini fuit in eis, ut interirent de medio caſtrorum, donec conſumerentur.*
16 *Et factum eſt, poſtquam conſumpti ſunt omnes viri bellatores, & mortui ſunt de medio populi:*
17 *Locutuſque eſt Dominus ad me, dicens:*
18 *Tu tranſibis hodie terminum Moab vrbem Ar:*

*Et*

## Vulgat. Editio.

19 Et accedens in vicina filiorum Ammon caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Loth dedi eam in poſſeſſionem.

20 Terra Gigantum reputata eſt: & in ipſa olim habitauerunt Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim:

21 Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, ſicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum: & fecit illos habitare pro eis:

22 Sicut fecerat filijs Eſau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam poſſident vſque in præſens.

23 Heuæos quoque, qui habitabant in Haſerim vſque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egreſſi de Cappadocia deleuerunt eos & habitauerunt pro illis.

24 Surgite, & tranſite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Heſebon Amorrhæum, & terram eius incipe poſſidere, & committe aduerſus eum prælium.

25 Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinẽ tuam in populos, qui habitant ſub omni cęlo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.

* Nu. 21. 21. 26 * Miſi ergo nuncios de ſolitudine Cademoth ad Sehon regem Heſebon verbis pacificis, dicens:

27 Tranſibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

28 Alimenta pretio vende nobis, vt veſcamur: aquam pecunia tribue, & ſic bibemus. Tantum eſt, vt nobis concedas tranſitum:

29 Sicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordanem, & tranſeamus ad terram, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.

30 Noluitque Sehon rex Heſebon dare nobis tranſitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus ſpiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, ſicut nunc vides.

* Amos 2. 9. 31 Dixitque Dominus ad me: * Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram eius, incipe poſſidere eam.

32 Egreſſuſque eſt Sehon obuiam nobis cum omni populo ſuo ad prælium in Iaſa.

33 Et tradidit eum Dominus Deus noſter nobis: percuſſimuſque eum cum filijs ſuis, & omni populo ſuo.

34 Cunctaſque vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & paruulis, non reliquimus in eis quidquam.

35 Abſque iumentis, quæ in partem venere prædantium: & ſpolijs vrbium, quas cepimus.

36 Ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, oppido, quod in valle ſitum eſt, vſque Galaad. Non fuit vicus, & ciuitas, quæ noſtras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noſter nobis.

37 Abſque terra filiorum Ammon, ad quam non acceſſimus: & cunctis, quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus montanis, vniuerſiſque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noſter.

### CAP. III.

* Inf. 29. 7 Nu. 21. 33. 1 Itaque conuerſi aſcendimus per iter Baſan: * egreſſuſque eſt Og rex Baſan in occurſum nobis cum populo ſuo ad bellandum in Edrai.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et accedes è regione filiorum Hammon, ne obſideas eos, & ne litiges cum eis: quia non dabo de terra filiorum Hammon, tibi poſſeſſionem, quia filijs Loth dedi eam poſſeſſionem.*

20 *Terra Gigantum reputabatur etiam ipſa: Gigantes habitauerunt in ea antea, & Hammonitæ vocabant eos Zammezammim:*

21 *Populus magnus, & multus, & excelſus, ſicut Hanachim, & perdidit eos Dominus à facie eorum, & expulerunt eos: & habitarunt loco ipſorum:*

22 *Quemadmodum fecit filijs Heſau, qui habitabant in Sehir, qui diſperdidit Chorræos à facie eorum, & expulerunt eos, & habitauerunt loco ipſorum vſque ad diem iſtam.*

23 *Et Hauuim, qui habitabant in Chaſerim vſq; Hazzah Caphthorim: qui egreſſi ſunt de Caphthor perdiderunt eos & habitauerunt loco ipſorum.*

24 *Surgite proficiſcimini, & tranſite torrentem Arnon: vide, dedi in manu tua Sichon regem Chesbon Emorræum, & terram eius, incipe, poſſide, & litiga cum eo in bello.*

25 *Die iſta incipiam dare pauorem tuum, & timorem tuum ſuper faciem populorum ſub omni cœlo: qui audient auditum tuum, & pauebunt, & timebunt à facie tua.*

26 *Et miſi nuncios è deſerto Chedemoth ad Sichon regẽ Chesbon verbis pacificis, dicendo:*

27 *Tranſibo per terram tuam per viam, per viam pergam, non declinabo ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

28 *Cibum argento vendes mihi, & comedam: & aquam argento dabis mihi, & bibam. Tãtum tranſibo pedibus meis:*

29 *Quemadmodum fecerunt mihi filij Heſau, qui habitant in Sehir, & Moabitæ, qui habitant in Har: donec tranſeam Iarden ad terram, quam Dominus Deus noſter dat nobis.*

30 *Et noluit Sichon rex Chesbon, vt tranſiremus per eum: quia indurare fecit Dominus Deus tuus ſpiritum eius, & roborauit cor eius, vt daret eum in manu tua, ſecundum diem iſtam.*

31 *Et dixit Dominus ad me: Vide incepi dare coram te Sichon, & terram eius incipe poſſide, vt poſſideas terram eius.*

32 *Et egreſſus eſt Sichon in occurſum noſtrum ipſe, & omnis populus eius ad bellum in Iahas.*

33 *Et dedit eum Dominus Deus noſter ante nos: & percuſſimus eum, & filios eius, & omnem populum eius.*

34 *Et cepimus omnes vrbes eius in tempore eius, & deſtruximus omnem vrbem, viros, & mulieres, & paruulos, non reliquimus ſuperſtitem.*

35 *Sed iumenta prædati ſumus nobis, & ſpolia vrbium quas cepimus.*

36 *Ab Haroher, quæ eſt, iuxta ripam torrentis Arnon, & ciuitatem, quæ eſt in torrente vſque ad Gilhad. Non fuit ciuitas, quæ effugerit à nobis, omnes tradidit Dominus Deus noſter coram nobis.*

37 *Sed ad terram filiorum Hammon, non acceſſiſti, omnem locum torrentis Iabboch, & ciuitates montanas, & omnia, quæ præcepit Dominus Deus noſter.*

### CAP. III.

1 *Et vertimus nos, & aſcẽdimus per viã Basã: & egreſſus eſt Hog rex Baſan in occurſum noſtrũ ipſe, & omnis populus eius ad bellum in Edrehi.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

19 Et accedetis prope filios Amman, non oppugnare eos, neque congrediamini cum eis in bellum: non enim dabo tibi de terra filiorum Amman in ſorte, quoniam filijs Lot dedi eam in ſorte.

20 Terra Raphain reputabitur: nam & ſuper eam habitabant Raphain antea, & Ammanitæ cognominant eos Zochommin:

21 Gens magna, & multa, & potentior vobis, ſicut & Enacim, & perdidit eos Dominus ante faciem eorum: & hæreditarunt, & habitarunt pro eis vſque in diem hanc:

22 Sicut fecerunt filij Eſau habitantibus in Seir, quemadmodum attriuerunt Chorræum à facie ſua, & hæreditarunt eos, & habitarunt pro eis vſque in diem hanc.

23 Et Euæi, qui habitabant in Aſedoth vſque Gazam, & Cappadoces: qui exierunt è Cappadocia, attriuerunt eos, & habitarunt pro eis.

24 Nunc ergo ſurgite, & promouete, & trãſite vos vallem Arnon: ecce tradidi in manus tuas Seon regẽ Eſebon Amorrhæum, & terram eius, incipe hæreditare, conſere cum eo prælium in die hac.

25 Incipe dare tremorem tuum, & timorem tuum ſuper faciem omnium gentium, quæ ſub cœlo: qui audientes nomen tuum turbabuntur, & dolores habebunt à facie tua.

26 Et miſi legatos è deſerto Cedamoth ad Seon regẽ Eſebon verbis pacificis, dicens:

27 Trãſibo per terram tuam in via ibo, non declinabo in dextram, neque in ſiniſtram:

28 Eſcas argento tribues mihi, & comedam: & aquam argento tribues mihi, & bibam. Tantum tranſibo pedibus:

29 Sicut fecerunt mihi filij Eſau habitantes in Seir, & Moabitæ habitantes in Aroer: quoadusque tranſeo Iordanem in terram, quam Dominus Deus noſter dat nobis.

30 Et noluit Seon rex Eſebon tranſire nos per ipſum: quoniam indurauerat Dominus Deus noſter ſpiritum eius, & confortauit cor eius, vt traderetur in manus tuas, ſicut in die hac.

31 Et dixit Dominus ad me: Ecce cœpi tradere ante faciem tuam Seon regem Eſebon Amorrhæum, & terram eius, & incipe hæreditare terram eius.

32 Et exijt Seon rex Eſebon in occurſum nobis, ipſe, & omnis populus eius in prælium in Iaſſa.

33 Et tradidit eum Dominus Deus noſter ante faciẽ noſtram: & percuſſimus eum, & filios eius, & omnem populum eius.

34 Et obtinuimus omnes ciuitates eius in tẽpore illo, & diſperdidimus omnem ciuitatem, deinde, & vxores eorum, & filios eorum, non reliquimus viuum.

35 Tantum pecora prædati ſumus: & ſpolia ciuitatum cæpimus.

36 Ab Aroer, quæ eſt apud labium torrentis Arnon, & ciuitatem, quæ erat in valle, & vſque ad montem Galaad. Non fuit ciuitas, quæ effugeret nos: omnes tradidit Dominus Deus noſter in manus noſtras.

37 Tantum prope filios Amman, non acceſſimus: omnia pertinentia ad torrentem Iaboc, & ciuitates, quæ in montana, ſicut mandauit Dominus Deus noſter nobis.

### C A P. III.

1 ET conuerſi aſcendimus viam, quæ in Baſan: & exijt Og rex Baſan in occurſum nobis, ipſe, & omnis populus eius in prælium in Edraim.

## Chald. Paraph. Tranſl.

19 *Et accedes contra filios Ammon, ne obſideas eos, neque contendas facere cum eis bellum: quoniam non dabo tibi de terra eorum hæreditatem, quia filijs Loth dedi eam in hæreditatem.*

20 *Terra Gigantum reputatur etiam ipſa: Gigantes habitauerunt in ea à principio, & Ammonitæ vocabant eos Hozbanin:*

21 *Populus magnus, & multus, & fortis, ſicut Gigantes, & diſperdidit eos Dominus à facie eorum: & eiecerunt eos, & habitauerunt in locis eorum:*

22 *Sicut fecit filijs Eſau, qui habitabant in Seir, quia diſperdidit Horræos à facie eorum, & eiecit eos, & habitauerunt in locis eorum vſque in diem hanc.*

23 *Et Euæos, qui habitabant in villis vſque Gazã Cappadoces: qui egreſſi ſunt de Cappadocia exterminauerunt eos, & habitauerunt in locis eorum.*

24 *Surgite, mouete caſtra, & tranſite torrentem Arnon: vide, quòd tradidi in manu tua Seon regem Eſebon Amorræum, & terram eius, incipe eijcere eum, & cõtende, vt facias bellum aduerſus eum.*

25 *Hodie incipiam dare terrorem tuum, & timorem tuũ ſuper faciem populorum, qui ſunt ſub omni cœlo: qui audient famam tuam, & contremiſcent, & conterentur à facie tua.*

26 *Et miſi nuncios de ſolitudine Cedemoth ad Seon regem Eſebon verbis pacificis, dicens:*

27 *Tranſibo per terram tuam, per viam publicam ibo: non declinabimus ad dexteram, nec ad ſiniſtram.*

28 *Frumentum argento vendes mihi, vt comedam: & aquam argento dabis mihi, vt bibam. Tantummodo tranſibo pedibus meis:*

29 *Sicut fecerunt mihi filij Eſau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui habitant in ciuitate Ar: donec tranſeam Iordanem ad terram, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.*

30 *Et noluit Seon rex Eſebon dimittere nos tranſire per terminum ſuum: quia indurauit Dominus Deus tuus ſpiritum eius, & roborauit cor eius, vt traderet eum in manus tuas, ſicut in die hac.*

31 *Et dixit Dominus ad me: Vide, quòd incepi tradere in conſpectu tuo Seon, & terram eius, incipe eijcere eum, vt poſſideas terram eius.*

32 *Et egreſſus eſt Seon in occurſum noſtrum, ipſe, & omnis populus eius, vt pugnaret in Iahas.*

33 *Et tradidit eum Dominus Deus noſter in conſpectu noſtro: & percuſſimus eum, & filios eius, & omnem populum eius.*

34 *Et ſubiecimus omnes ciuitates eius in tempore illo, & deſtruximus omnes vrbes, & viros, ac mulieres, & paruulos, non reliquimus reliquias.*

35 *Tantummodo iumenta deprædati ſumus nobis: & ſpolia ciuitatum quas ſubiecimus.*

36 *Ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & ciuitatem, quæ eſt in torrente, & vſque ad Galaad. Nulla fuit ciuitas, quæ fortior nobis eſſet: ſed omnes tradidit Dominus Deus noſter in conſpectu noſtro.*

37 *Tantummodo ad terram filiorum Ammon, non acceſſiſti: & ad omnem ripam torrentis Iaboc, & ad vrbes montis, & ad omnia loca, quæ præcepit Dominus Deus noſter.*

### C A P. III.

1 *ET perreximus, & aſcẽdimus per viã Baſan: & egreſſus eſt Og rex Baſan in occurſũ noſtrũ, ipſe & omnis populus eius, vt cõmitteret bellũ in Edrai.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus eſt cum omni populo, ac terra ſua: facieſque ei * ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon.

* Num. 21. 21.

3 *Tradidit ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og regem Baſan, & vniuerſum populum eius: percuſſimuſque eos vſque ad internecionem:

* Num. 21. 33.

4 Vaſtantes cunctas ciuitates illius vno tempore, non fuit oppidum, quod nos effugeret: ſexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Baſan.

5 Cunctæ vrbes erant munitæ muris altiſſimis, portiſque & vectibus, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.

6 Et deleuimus eos, ſicut feceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem ciuitatem, viroſque, ac mulieres, & paruulos:

7 Iumenta autem, & ſpolia vrbium diripuimus.

8 Tulimuſque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanē: à torrente Arnon vſque ad montem Hermon:

9 Quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir:

10 Omnes ciuitates, quæ ſitæ ſunt in planitie, & vniuerſam terram Galaad, & Baſan vſque ad Selcha, & Edrai ciuitates regni Og in Baſan.

11 Solus quippe Og rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum. Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quattuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus.

12 Terramque poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, vſque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius * dedi Ruben, & Gad.

* Num. 32. 29.

13 Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui Manaſſe, omnem regionem Argob: cunctaque Baſan vocatur terra Gigantum.

14 Iair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob, vſque ad terminos Geſſuri, & Machati. Vocauitque ex nomine ſuo Baſan, Hauoth Iair, id eſt, Villas Iair, vſque in præſentem diem.

15 Machir quoque dedi Galaad.

16 Et tribubus Ruben, & Gad dedi de terra Galaad, vſque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium vſque ad torrentem Ieboc, qui eſt terminus filiorum Ammon:

17 Et planitiem ſolitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth vſq; ad mare deſerti, quod eſt ſalſiſſimū, ad radices montis Phaſga contra Orientem.

18 Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus veſter dat vobis terram hanc in hæreditatem, expediti præcedite fratres veſtros filios Iſrael omnes viri robuſti:

19 Abſque vxoribus, & paruulis, atque iumentis. Noui enim quod plura habeatis pecora, & in vrbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis:

20 Donec requiem tribuat Dominus fratribus veſtris, ſicut vobis tribuit: & poſſideant ipſi etiam terram, quam daturus eſt eis trans Iordanem: tunc reuertetur vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, quam dedi vobis.

21 *Ioſue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus veſter duobus his regibus: ſic faciet omnibus regnis, ad quæ tranſiturus es.

* Num. 27. 18.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et dixit Dominus ad me: Ne timeas eum: in manu enim tua tradam eum, & omnem populum eius, & terram eius: & facies ei, quemadmodum feciſti Sichon regi Emorræi, qui habitat in Cheſbon.*

3 *Et dedit Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Hegh regem Baſan, & omnem populum eius: & percuſſimus eum, adeo vt non remanſerit ei ſuperſtes:*

4 *Et cepimus omnes vrbes eius in tempore ipſo, non fuit ciuitas, quam non ceperimus ab eis: ſexaginta vrbes omnem regionem Argob regni Hegh in Baſan.*

5 *Omnes iſtæ vrbes munitæ erant muro alto, portis, & vectibus, præter vrbes, non muratas, multas valdè.*

6 *Et deſolauimus eas, quemadmodum fecimus Sichon regi Cheſbon deſolando omnem vrbem, viros, mulieres, & paruulos:*

7 *Et omnia iumenta, & ſpolia vrbium prædati ſumus nobis.*

8 *Et cepimus in tempore ipſo terram è manu duorum regum Emorræi, qui erant trans Iarden: à torrente Arnon vſque ad montem Chermon:*

9 *Sidonij vocant Chermon Sirion, & Emorræi vocant eum Senir:*

10 *Omnes vrbes planitiei, & omnis Ghilhad, & omnis Baſan vſque ad Salchah, & Edrehi, vrbes regni Hegh in Baſan.*

11 *Quia tantummodo Hegh rex Baſan remanſerat ex reliquis Gigantibus. Ecce lectus eius, lectus ferreus, nonne eſt in Rabbath filiorum Hammon, nouem cubitorum longitudo eius, & quattuor cubitorum latitudo eius, ſecundum cubitum viri.*

12 *Et terram iſtam poſſedimus in tempore ipſo ab Haroher, quæ eſt, iuxta torrentem Arnon, & dimidium montem Ghilhad: & vrbes eius dedi Reubenitis, & Gaditis.*

13 *Et reſiduum Ghilhad, & omnem Baſan regni Hegh dedi dimidiæ tribui Menaſſeh, omnem regionem Argobi omnem Baſan, quæ vocabatur terra Gigantum.*

14 *Iaeir filius Menaſſeh cepit omnem regionem Argob, vſque ad terminum Gheſuri, & Mahachathi. Et vocauit eas, ſecundum nomen ſuū Baſan, Chauoth Iahir, vſque ad diem iſtam.*

15 *Et ipſi Machir dedi Ghilhad.*

16 *Et Reubenitis, & Ghaditis dedi à Ghilhad, vſque ad torrentem Arnon medium torrentis, & terminum vſque ad Iabboch torrentem, terminum filiorum Hammon:*

17 *Et planitiem, & Iarden, & terminum à Chinnereth vſque ad mare planitiei, mare ſalis, ſub effuſionibus aquarum collis ad Orientem.*

18 *Et præcepi vobis in tempore ipſo, dicendo: Dominus Deus veſter dedit vobis terram iſtam, vt poſſideatis eam, accincti armis tranſibitis ante fratres veſtros filios Iſrael, omnes filij robuſti:*

19 *Tantummodo vxores veſtræ, & paruuli veſtri, & pecudes veſtræ. (Noui quòd pecudes multæ ſunt vobis) manebunt in vrbibus veſtris quas dedi vobis:*

20 *Donec requiem dederit Dominus fratribus veſtris, ſicut vobis: & poſſideant etiam ipſi terram, quam Dominus Deus veſter dat eis trans Iarden: & reuertemini vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam, quam dedi vobis.*

21 *Et Iehoſuah præcepi in tempore ipſo, dicendo: Oculi tui vident omnia, quæ fecit Dominus Deus veſter duobus regibus iſtis: ſic faciet Dominus omnibus regnis, ad quæ tu tranſis.*





UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

2 Et ait Dominus ad me: Ne timeas eum: quoniam in manus tuas tradidi eum, & omnem populũ eius, & omnem terram eius: & facies ei, ſicut feciſti Seon regi Amorrhæorum, qui habitabat in Eſebon.

3 Et tradidit eum Dominus Deus noſter in manus noſtras, & Og regem Baſan, & omnem populum eius: & percuſſimus eum, vsquequo, vt non relinqueretur ipſius ſemen:

4 Et obtinuimus omnes ciuitates eius in tempore illo, non fuit ciuitas, quam non cepèrimus ab eis: ſexaginta ciuitates, omnia adiacentia Argob regis Og de Baſan.

5 Omnes ciuitates munitæ, mœnia excelſa, portæ, & vectes, præter ciuitates Pherezæas multas valde.

6 Exterminauimus, ſicut feceramus Seon regem Eſebon, & exterminauimus omnem ciuitatem, deinde & vxores, & paruulos:

7 Et omnia pecora, & ſpolia ciuitatum prædati ſumus nobiſipſis.

8 Et cepimus in tempore illo terrã de manibus duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon, & vſque Æermon:

9 Phœnices cognominant ipſum Æermon, Sanior, & Amorrhæus cognominauit illud, Sanir:

10 Omnes ciuitates Miſor, & omnis Galaad, & omnis Baſan vſque Elcha, & Edraim, ciuitates regni Og in Baſan.

11 Quia tantum Og rex Baſan reliquus factus eſt à Raphain. Ecce lectus eius, lectus ferreus, ecce hic eſt in arce filiorum Amman, nouem cubitorum longitudo eius, & quattuor cubitorum latitudo eius in cubito viri.

12 Et terram illam hæreditauimus in tempore illo ab Aroer, quæ eſt iuxta labium torrentis Arnon, & dimidium montis Galaad: & ciuitates eius dedi Ruben, & Gad.

13 Et reliquum Galaad, & omnem Baſan regnum Og dedi dimidiæ tribui Manaſſes, & omnem regionem Argob: omnem Baſan illam, terra Raphain reputabitur.

14 Et Iair filius Manaſſe cepit omnem regionem Argob vſque ad fines Gargaſi, & Machati. Cognominauit eas in nomine ſuo, ipſam Baſan, Thauoth Iair vſque in diem hanc.

15 Et Machir dedi Galaad.

16 Et Ruben, & Gad dedi ſub Galaad vſque ad torrentem Arnon, medium torrentis terminum, & vſque Iaboc, & torrens terminus filiis Amman:

17 Et Araba, & Iordanis terminus Machanareth, & vſque ad mare Araba, mare ſalſum ſub Aſedoth Phaſga Orientis.

18 Et mandaui vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis terram hanc in ſorte, armati præcedite ante faciem fratrum veſtrorum filiorum Iſrael, omnis potens:

19 Tantum vxores veſtræ, & filij veſtri, & pecora veſtra. (Noui, quia multa pecora vobis) habitent in ciuitatibus veſtris, quas dedi vobis:

20 Quoadusque quieſcere faciat Dominus Deus veſter fratres veſtros, ſicut & vos: & hæreditauerint, & hi terram, quam Dominus Deus noſter dat eis in vlteriore Iordanis: & reuertemini vnuſquiſque in hæreditatem ſuam, quam dedi vobis.

21 Et Ieſu mandaui in tempore illo, dicens: Oculi veſtri viderunt omnia, quæcumque fecit Dominus Deus noſter duobus regibus iſtis: ſic faciet Dominus Deus noſter omnia regna, in quæ tu tranſis illuc.



## Chald. Paraph. Transl.

*2 Et dixit Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua tradidi eum, & omnem populum eius, & terram eius: & facies ei, ſicut feciſti Seon regi Amorræorum, qui habitabat in Eſebon.*

*3 Et dedit Dominus Deus noſter in manu noſtra etiam Og regem Baſan, & omnem populum eius: & percuſſimus eum, donec nullus ex eis relictus eſſet:*

*4 Et ſubiecimus omnes vrbes eius in tempore illo, non fuit ciuitas, quam non acceperimus ab eis: ſexaginta vrbes omnia loca prouinciæ Argob regni Og in Baſan.*

*5 Omnes iſtæ vrbes munitæ, & muratæ, quæ habebant foras, & vectes præter villas abſque muris multas nimis.*

*6 Et deſtruximus eas, ſicut fecimus Seon regi Eſebon, diſperdentes omnium ciuitatum viros, & mulieres, & paruulos:*

*7 Et omnia iumenta, & ſpolia vrbium diripuimus nobis.*

*8 Et tulimus in tempore illo terram de manu duorum regum Amorræorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon, vſque ad montem Hermon:*

*9 Sidonij vocabant Hermon Sarion, & Amorræi appellabant eum montem niuis:*

*10 Omnes vrbes, quæ ſunt in planitie, & omnem Galaad, & omnem Baſan vſque ad Selca, & Edrai vrbes regni Og in Baſan.*

*11 Quoniam ſolus Og rex Baſan remanſit de reliquijs Gigantum. Ecce lectus eius lectus eſt ferreus, qui vtique eſt in Rabbath filiorum Amon, nouem cubitos habens longitudinis, & quattuor cubitos latitudinis in cubito eiuſdem regis.*

*12 Et terram hanc poſſedimus in tempore illo ab Aroer, quæ eſt iuxta torrentem Arnon vſque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi tribui Ruben, & tribui Gad.*

*13 Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og dedi dimidiæ tribui Manaſſe omnem regionem prouinciæ Argob: omnis illa prouincia Baſan vocabatur terra Gigantum.*

*14 Iair filius Manaſſe tulit omnem prouinciam regionis Argob vſque ad terminum Geſuri, & Machati. Et vocauit ex nomine ſuo Baſan oppida Iair vſque in diem hanc.*

*15 Machir quoque dedi Galaad.*

*16 Et tribui Ruben, & tribui Gad dedi à Galaad vſque ad torrentem Arnon medium torrentis, & terminum eius vſque ad torrentem Iaboc, qui eſt terminus filiorum Ammon:*

*17 Et planitiem, & Iordanem, & terminum eius à Geneſar vſque ad mare planitiei, quod eſt mare ſalis ſub declinio collis ad Orientem.*

*18 Et præcepi vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis terram hanc in hæreditatẽ, accincti tranſibitis coram fratribus veſtris filijs Iſrael omnes fortes exercitus:*

*19 Tantummodo vxores veſtræ, & familia veſtra, & iumenta veſtra. Noui enim, quòd iumenta multa ſint vobis, habitent in vrbibus veſtris quas dedi vobis:*

*20 Donec requiem tribuat Dominus fratribus veſtris, ſicut vobis: & poſſideant etiam ipſi terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis vltra Iordanem: & reuertemini vnuſquiſque ad hæreditatem ſuam, quam dedi vobis.*

*21 Et Ioſue præcepi in tempore illo, dicens: Oculi tui vident omnia, quæ fecit Dominus Deus veſter duobus his regibus: ſic faciet Dominus omnibus regnis, ad quæ tu tranſis.*

## Vulgat. Editio.

22 Ne timeas eos: Dominus enim Deus veſter pugnabit pro vobis.
23 Præcatuſque ſum Dominũ in tempore illo, dicens:
24 Domine Deus tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortiſſimam, neque enim eſt alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui poſſit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.
25 Tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem iſtum egregium, & Libanum.
26 Iratuſque eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.
27 Aſcende cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrumque
* Inf. 31.a & 34.4 & Orientem, & aſpice: * nec enim tranſibis Iordanem iſtum.
28 Præcipe Ioſue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & diuidet eis terram, quam viſurus es.
29 Manſimuſque in valle contra fanum Phogor.

### CAP. IIII.

1 ET nunc Iſrael audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te: vt faciens ea, viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis.
2 Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.
3 * Oculi veſtri viderunt omnia, quæ fecit Dominus
* Nu. 25.4 contra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio veſtri.
4 Vos autem, qui adhæretis Domino Deo veſtro, viuitis vniuerſi vſque in præſentem diem.
5 Scitis quòd docuerim vos præcepta, atque iuſtitias, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri eſtis:
6 Et obſeruabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna.
7 Nec eſt alia natio, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.
8 Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?
9 Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſolicite. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ
* Exo. 19. 18. tuæ. * Docebis ea filios, ac nepotes tuos:
10 A die in quo ſtetiſti coram Domino Deo tuo in Horeb quando Dominus locutus eſt mihi, dicens: Congrega ad me populum, vt audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore quo viuunt in terra, doceantque filios ſuos.
11 Et acceſſiſtis ad radices montis, qui ardebat vſque ad cœlum: erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo.
12 Locutuſque eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Ne timeatis eos: Quia Dominus Deus veſter, ipſe pugnat pro vobis.*
23 *Et oraui ad Dominum in tempore ipſo, dicendo:*
24 *Domine Deus tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam validam, quis enim eſt Deus in cœlo, & in terra, qui faciat, ſecundum opera tua, & ſecundum fortitudines tuas.*
25 *Tranſeam quæſo, & videam terram bonam, quæ eſt trans Iarden, montem bonum iſtum, & Lebanon.*
26 *Et iratus eſt Dominus contra me, propter vos, & non exaudiuit me, & dixit Dominus ad me: Sufficit tibi, ne addas, vt loquaris ad me amplius de re iſta.*
27 *Aſcende verticem collis Piſgbah, & leua oculos tuos ad Occidentem, & Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & vide oculis tuis, quia non tranſibis Iarden iſtum.*
28 *Et præcipe Iehoſuah, & conforta eum, & robora eum: ipſe enim tranſibit ante populum iſtum, & ipſe hæreditare faciet eos terram, quam videbis.*
29 *Et manſimus in valle, è regione Bethpehor.*

### CAP. IIII.

1 *ET nunc Iſrael audi ſtatuta, & iudicia, quæ ego doceo vos: vt faciatis, vt viuatis, & ingrediamini, & poſſideatis terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dat vobis.*
2 *Non addetis ſuper verbum, quod ego præcipio vobis, & non diminuetis ex eo: vt cuſtodiatis præcepta Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.*
3 *Oculi veſtri vident, quæ fecit Dominus in Bahalpehor, omnem enim virum, qui ſurrexit poſt Bahalpehor, perdidit Dominus Deus tuus è medio tui.*
4 *Et vos adhærentes Domino Deo veſtro, viuitis omnes vos hodie.*
5 *Vide, docui vos ſtatuta, & iudicia, quemadmodum præcepit mihi Dominus Deus meus: vt faciatis ſic in medio terræ, ad quam vos ingredimini, vt poſſideatis eam:*
6 *Et cuſtodite, & facite. Quia ipſa eſt ſapientia veſtra, & intelligentia veſtra in oculis populorum, qui audient omnia ſtatuta iſta, & dicent: Tantum populus ſapiens, & intelligens, gens magna iſta.*
7 *Quæ enim eſt gens magna, cui ſint Dij propinqui, ſicut Dominus Deus noſter in cunctis quibus inuocauerimus eum.*
8 *Et quæ eſt gens magna, cui ſint ſtatuta, & iudicia iuſta, ſicut omnis lex iſta, quam ego do coram vobis hodie?*
9 *Sed caue tibi, & cuſtodi animam tuam valdè. Ne fortè obliuiſcaris eorum, quæ viderunt oculi tui, & ne fortè recedant à corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Et ſcire fac ea filios tuos, & filios filiorum tuorum:*
10 *In die qua ſtetiſti coram Domino Deo tuo in Choreb, quando dixit Dominus ad me: Congrega mihi populum, & audire faciam eos verba mea, quæ diſcent, vt timeant me omnibus diebus, quibus viuunt ſuper terram, & filios ſuos docebunt.*
11 *Et acceſſiſtis, & ſtetiſtis ſub monte, & mons ardebat igni vſque ad medium cœli: & tenebræ nubis, & caligo.*
12 *Et locutus eſt Dominus ad vos è medio ignis. Vocem verborum vos audiebatis, & imaginem non videbatis præter vocem.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

22 Ne timueritis ab eis: Quoniam Dominus Deus noſter ipſe pugnabit pro vobis.

23 Et oraui Dominum in tempore illo, dicens:

24 Domine Deus tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo fortitudinem tuam, & virtutem tuam, & manum validã, & brachium excelſum, quis enim eſt Deus in cœlo, vel ſuper terram, qui faciet ſecundum, quæ feciſti tu, & ſecundum fortitudinem tuam.

25 Tranſiens igitur videbo terram bonam hanc, quæ eſt trans Iordanem, montem iſtum bonum, & Antilibanum.

26 Et deſpexit Dominus me propter vos, & non exaudiuit me, & dixit Dominus ad me: Sufficiat tibi, non adijcias vltra loqui ſermonem iſtum.

27 Aſcende in cacumen excîſi, & reſpiciens oculis tuis ad mare, & Aquilonem, & Africum, & Orientem, & vide oculis tuis, quoniam non tranſibis Iordanem hunc.

28 Et præcipe Ieſu, & conforta eum, & cohortare eum: quoniam hic tranſibit ante faciem populi huius, & hic in hæreditatem ſortietur eis omnem terram, quam vidiſti.

29 Et ſedimus in valle prope domum Phogor.

### C A P. IIII.

1 ET nunc Iſrael audi iuſtificationes, & iudicia, quæcũque ego doceo vos hodie facere: vt viuatis, & multiplicemini, & ingreſſi hæreditetis terrã, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dat vobis.

2 Non adijcietis ad verbum, quod ego mãdo vobis, & non auferetis ab eo, cuſtodite mãdata Domini Dei noſtri, quæcumque ego mando vobis hodie.

3 Oculi veſtri viderunt omnia, quæcumque fecit Dominus Deus noſter ipſi Beelphegor, quoniã omnis homo, quicumque iuit poſt Beelphegor, extriuit eũ Dominus Deus veſter ex vobis.

4 Vos autem, qui appoſiti eſtis Domino Deo veſtro, viuitis omnes in die hodierna.

5 Ecce oſtendi vobis iuſtificationes, & iudicia, ſicut mandauit mihi Dominus: ad faciendum ſic in terra, in quam vos ingredimini illuc hæreditare eam:

6 Et cuſtodietis, & facietis. Quoniam hæc eſt ſapiẽtia veſtra, & intellectus coram omnibus gentibus, quicumque audient omnes iuſtificationes meas, & dicent: Ecce populus ſapiens, & ſciẽs, gẽs magna hæc.

7 Quoniam, quæ eſt gens magna, cui eſt ei Deus appropians illis, ſicut Dominus Deus noſter in omnibus, quibuſcumque eum inuocauerimus.

8 Et quæ eſt gens magna, cui ſunt ei iuſtificationes, & iudicia iuſta, ſecundum omnem legem hanc, quam ego do coram vobis hodie?

9 Attende tibi ipſi, & cuſtodi animam tuam valde. Ne obliuiſcaris omnium verborum, quæ viderunt oculi tui, & non recedant à corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Et condocebis filios tuos, & filios filiorum tuorum:

10 Diem, qua ſtetiſtis coram Domino Deo noſtro in Choreb, die Eccleſiæ, quia dixit Dominus ad me: Conuoca ad me populum, & audiant verba mea, vt diſcant timere me omnibus diebus, quibus ipſi viuunt ſuper terram, & filios ſuos docebunt.

11 Et acceſſiſtis, & ſtetiſtis ſub monte, & mons flagrabat igni, vſque ad cœlum: tenebræ, caligo, procella.

12 Et locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum, quam vos audiſtis, & ſimilitudinem non vidiſtis, ſed vocem.

## Chald. Paraph. Tranſl.

22 *Ne timeatis eos: Quoniam verbum Domini Dei veſtri pugnabit pro vobis.*

23 *Et oraui coram Domino in tempore illo, dicens:*

24 *Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam fortiſſimam, quoniam tu es Deus, & maieſtas tua eſt in cœlis deſuper, & dominaris in terra deorſum, & non eſt, qui faciat, iuxta opera tua, & iuxta potentiam tuam.*

25 *Tranſeam obſecro, & videam terram bonam, quæ eſt vltra Iordanem, & montem iſtum bonum, & domũ Sanctuarij.*

26 *Et fuit ira à facie Domini contra me propter vos, & non exaudiuit me, & dixit Dominus ad me: Sufficit tibi, ne addas vltra loqui coram me de hac re.*

27 *Aſcende ad verticem collis, & leua oculos tuos ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum, & ad Orientem, & vide oculis tuis, quoniam non tranſibis Iordanem iſtum.*

28 *Præcipe autem Ioſue, & conforta eum, & corrobora eum: quoniam ipſe tranſibit coram populo iſto, & ipſe poſſidere eos faciet terram, quam videbis.*

29 *Et habitauimus in valle contra Beth-phegor.*

### C A P. IIII.

1 *ET nunc Iſrael audite præcepta, & iudicia, quæ ego doceo vos ad faciendum: vt viuatis, & ingrediamini, & poſſideatis terrã, quã Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis.*

2 *Non addetis ad verba, quæ ego præcipio vobis, nec auferetis ex eis: vt cuſtodiatis præcepta Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.*

3 *Oculi veſtri viderunt, quod fecit Dominus contra cultores Beel-phegor, quoniam omnem virum, qui ambulauit poſt cultores Beel-phegor diſperdidit Dominus Deus tuus de medio tui.*

4 *Vos autem, qui adhæſiſtis timori Domini Dei veſtri, permanetis vniuerſi hodie.*

5 *Videte, quòd docui vos præcepta, & iudicia, ſicut præcepit mihi Dominus Deus meus: vt ſic faciatis in medio terræ, ad quam vos ingredimini, vt poſſideatis eam:*

6 *Et ſeruabitis, & facietis ea. Quoniam hæc eſt ſapiẽtia veſtra, & intellectus in oculis populorum, qui audierint omnia præcepta hæc, & dicent: Certè ſapiẽs, & intelligens eſt populus hic magnus.*

7 *Quis eſt enim populus magnus, qui habeat Deũ appropinquantem ſibi, vt ſuſcipiat orationem eius in tempore tribulationis ſuæ, ſicut Deus noſter in omni tempore quo nos oramus coram eo.*

8 *Et quis eſt populus magnus, qui habeat ſtatuta, & iudicia vera, ſicut vniuerſa lex iſta, quam ego pono coram vobis hodie?*

9 *Veruntamen cuſtodi temetipſum, & cuſtodi animã tuã nimis. Ne fortè obliuiſcaris verborum, quæ viderũt oculi tui, & ne fortè recedant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Et docebis ea filios tuos, & filios filiorum tuorum:*

10 *Die quo ſtetiſti corã Domino Deo tuo in Oreb, quando dixit mihi Dominus: Congrega populum in conſpectu meo, & audire faciam eos verba mea, vt diſcant timere me omnibus diebus, quibus ipſi permanent ſuper terram & filios ſuos doceant.*

11 *Et acceſſiſtis, & ſtetiſtis in humiliori loco montis, & mons ardebat igni vſque ad cœlum: & erant tenebræ, & nubes, & caligo.*

12 *Et locutus eſt Dominus vobiſcum de medio ignis. Vocem verborum vos audiebatis, & formam non videbatis niſi vocem.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Et oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit, vt
faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus ta-
bulis lapideis.
14 Mihique mandauit in illo tempore, vt docerem vos
ceremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in ter-
ra, quam poſſeſſuri eſtis.

15 Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras. Non vidiſ-
tis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt
vobis Dominus in Horeb de medio ignis:
16 Ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitu-
dinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ:

17 Similitudinem omnium iumentorum, quæ ſunt ſu-
per terram, vel auium ſub cœlo volantium:

18 Atque reptilium, quæ mouentur in terra, ſiue piſ-
cium, qui ſub terra morantur in aquis:

19 Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, &
Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus ado-
res ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in
miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.
20 Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace fer-
rea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium, ſi-
cut eſt in præſenti die.
*Sup. 1. 37. 21 *Iratuſque eſt Dominus contra me propter ſermo-
nes veſtros, & iurauit, vt non tranſirem Iordanem,
nec ingrederer terram optimam, quam daturus eſt
vobis.
22 Ecce morior in hac humo, non tranſibo Iordanem:
vos tranſibitis, & poſſidebitis terram egregiam.

23 Caue ne quando obliuiſcaris pacti Domini Dei
tui, quod pepigit tecum: & facias tibi ſculptam ſi-
militudinem eorum, quæ fieri Dominus prohi-
buit:

*Heb. 12. 29. 24 * Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt,
Deus æmulator.
25 Si genueritis filios, ac nepotes, & morati fueritis in
terra, deceptique feceritis vobis aliquam ſimilitudi-
nem, patrantes malum coram Domino Deo veſtro,
vt eum ad iracundiam prouocetis:

26 Teſtes inuoco hodie cœlum, & terram, cito peritu-
ros vos eſſe de terra, quam tranſito Iordane poſſeſ-
ſuri eſtis, non habitabitis in ea longo tempore, ſed
delebit vos Dominus:

27 Atque diſperget in omnes gentes, & remanebitis
pauci in nationibus, ad quas vos ducturus eſt Do-
minus.
28 Ibique ſeruietis dijs, qui hominum manu fabricati
ſunt, ligno, & lapidi, qui non vident, nec audiunt,
nec comedunt, nec odorantur.
29 Cumque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, in-
uenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota
tribulatione animæ tuæ.
30 Poſtquam te inuenerint omnia, quæ prædicta ſunt,
nouiſſimo tempore reuerteris ad Dominum Deum
tuum, & audies vocem eius.
31 Quia Deus miſericors Dominus Deus tuus eſt: nõ
dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiſcetur
pacti, in quo iurauit patribus tuis.
32 Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te
ex die quo creauit Deus hominem ſuper terram, à
ſummo cœlo vſque ad ſummum eius, ſi facta eſt ali-
quando huiuſcemodi res, aut vnquam cognitum
eſt:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et nunciauit vobis pactum ſuum, quod præcepit vo-
bis, vt faceretis, decem verba, & ſcripſit ea in duabus
tabulis lapideis.*
14 *Et mihi præcepit Dominus in tempore ipſo, vt doce-
rem vos ſtatuta, & iudicia, vt faceretis ea in terra,
ad quam tranſitis, vt poſſideatis eam.*

15 *Et cauete valdè animabus veſtris. Quia non vidiſtis
omnem imaginem in die qua locutus eſt Dominus
ad vos in Choreb è medio ignis:*
16 *Ne forte corrumpamini, & faciatis vobis ſculptile,
ſimilitudinem omnis imaginis, ſimilitudinem maſ-
culi, vel fœminæ:*
17 *Similitudinem omnis iumenti, quod eſt in terra, ſi-
militudinem omnis auis alatæ, quæ volat in cœ-
lo:*
18 *Similitudinem omnis repentis in terra ſimilitudinem
omnis piſcis, qui eſt in aqua ſub terra:*

19 *Et ne fortè eleues oculos tuos ad cœlum, & videas
Solem, & Lunam, & ſtellas, omnem militiam cœli, &
erres, & incurues te eis, & colas eas, quas diuiſit Do-
minus Deus tuus omnibus populis ſub omni cœlo.*
20 *Et vos cepit Dominus, & eduxit vos è fornace fer-
rea, ex Ægypto, vt eſſetis ei in populum hæreditatis
in die iſta.*
21 *Et Dominus iratus eſt contra me propter verba veſ-
tra, & iurauit, quòd non tranſirem Iarden, & non
ingrederer terram bonam, quã Dominus Deus tuus
dat tibi in hæreditatem.*
22 *Ego enim morior in terra iſta, non tranſeo Iarden:
& vos tranſitis, & poſſidebitis terram bonam iſ-
tam.*
23 *Cauete vobis, ne fortè obliuiſcamini pacti Domini
Dei veſtri quod pepigit vobiſcum: & faciatis vobis
ſculptile, imaginem omnium, quæ præcepit tibi Do-
minus Deus tuus.*

24 *Dominus enim Deus tuus, ignis conſumẽs eſt, Deus
zelator.*
25 *Si genueris filios, & filios filiorum, & habitaueritis
in terra, & corruperitis vos, & feceritis ſculptile,
imaginem omnium, & feceritis malum in oculis Do-
mini Dei veſtri irritando eum:*

26 *Conteſtari feci contra vos hodie, cœlum, & terram,
quòd pereundo peribitis cito è terra, propter quam
tranſitis Iarden, vt poſſideatis eam, non prolongabi-
tis dies ſuper eam, quia diſperdendo diſperdemi-
ni:*
27 *Et diſperget Dominus vos in populos, & remanebi-
tis homines pauci numero, in gentibus ad quas du-
cet Dominus vos.*
28 *Et ſeruietis ibi dijs, operi manuum hominum, ligno,
& lapidi, quæ non vident, neque audient, nec come-
dunt, neque odorantur.*
29 *Et quæres inde Dominum Deum tuum: & inue-
nies ſi quæſieris eum toto corde tuo, & tota anima
tua.*
30 *Cũ fuerit anguſtia tibi, & inuenerint te omnia iſta
in nouiſſimis diebus, & reuerſus fueris ad Dominũ
Deum tuum, & parueris voci eius.*
31 *Quia Deus miſericors Dominus Deus tuus: non de-
relinquet te, & non diſperdet te, & non obliuiſcetur
pacti patrum tuorum quibus iurauit.*
32 *Interroga enim nunc de diebus primis, qui fuerunt
ante te, à die qua creauit Deus hominem ſuper ter-
ram, & ab extremo cœlorum vſque ad extremum
cœlorum, an factum ſit, ſicut res magna iſta, an au-
ditum ſit ſicut ipſa.*

Vt Nun-

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

13 Et annunciauit vobis teſtamentum ſuum, quod mãdauit vobis facere decem verba, & ſcripſit illa ſuper duas tabulas petrinas.
14 Et mihi mandauit Dominus in tempore illo docere vos iuſtificationes, & iudicia, ad faciendum vos ea ſuper terram, in quam vos ingredimini illò, hæreditare eam.
15 Et cuſtodietis valde animas veſtras. Quoniam non vidiſtis ſimilitudinem in die, qua locutus eſt Dominus ad vos in Choreb, in monte de medio ignis:
16 Ne feceritis iniquitatem, & non faciatis vobis ipſis ſculptilem ſimilitudinem, omnem imaginem, ſimilitudinem maſculini, vel fœminini:
17 Similitudinem omnis pecoris eorum, quæ ſunt ſuper terram, ſimilitudinem omnis auis alatæ, quæ volat ſub cœlo:
18 Similitudinem omnis reptilis, quod repit ſuper terram, ſimilitudinem omnis piſcis, quæcunque ſunt in aquis ſub terra:
19 Et ne ſuſpiciens in cœlum, & videns Solem, & Lunam, & ſtellas, & omnem ornatum cœli, errans adores ea, & ſeruias illis, quæ diſtribuit Dominus Deus tuus ea omnibus gentibus, quæ ſunt ſub cœlo.
20 Vos autem aſſumpſit Deus, & eduxit vos de terra Ægypti, de fornace ferrea ex Ægypto, vt ſitis ei populus hæreditarius, ſicut in die hac.
21 Et Dominus Deus indignatus eſt mihi pro ijs, quæ dicebantur à vobis, & iurauit, quod non tranſeam Iordanem hunc, & quod non ingrediar in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte.
22 Ego enim morior in terra hac, & non tranſeo Iordanem hunc: vos autem tranſitis, & hæreditabitis terram bonam illam.
23 Attendite vobis, ne obliuiſcamini teſtamentum Domini Dei noſtri, quod diſpoſuit ad vos, & faciatis iniquitatem: & faciatis vobiſmetipſis ſculptilem ſimilitudinem omnium, quæ præcepit tibi Dominus Deus tuus:
24 Quoniam Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt Deus zelotes.
25 Si autem genueris filios, & filios filiorum tuorum, & moram feceritis ſuper terram, & iniquitatem feceritis, & feceritis ſculptilem ſimilitudinem cuiuſlibet, & feceritis malignum coram Domino Deo veſtro ad exacerbandum eum:
26 Conteſtor vobis hodie cœlum, & terram, quia perditione perdemini de terra, in quam vos tranſitis Iordanem illuc ad hæreditandum, non multos dies morabimini ſuper eam, ſed attritione atteremini:
27 Et diſperget Dominus vos in omnibus gentibus, & relinquemini pauci numero in omnibus gentibus, ad quos introducet Dominus vos illuc.
28 Et ſeruietis ibi dijs alijs, operibus manuum hominum, lignis, & lapidibus, qui non videbunt, neque audient, neque comedent, neque olfacient.
29 Et quæretis ibi Dominum Deum veſtrum, & inuenietis eum: quando exquiretis eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua in tribulatione tua.
30 Et inuenient te omnes ſermones hi in extremo dierum, & conuerteris ad Dominum Deum tuum, & exaudies vocem eius.
31 Quoniã Deus miſericors Dñs Deus tuus non derelinquet te, neque exteret te, non obliuiſcetur teſtamentum patrũ tuorũ, quod iurauit eis Dominus.
32 Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die qua creauit Dominus hominem ſuper terram, & ad ſummum cœli vſque ad ſummum cœli, ſi factum eſt, ſecundum verbum magnum hoc, ſi auditum eſt tale quid:

## Chald. Paraph. Transl.

13 *Et annunciauit vobis pactum ſuum, quod præcepit vobis, vt faceretis decem verba, & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis.*
14 *Et mihi præcepit Dominus in tempore illo, vt docerem vos præcepta, & iudicia, vt faceretis ea in terra ad quam vos tranſitis, vt poſſideatis eam.*
15 *Cuſtodite valdè animas veſtras. Quia nullam ſimilitudinem vidiſtis in die qua locutus eſt Dominus vobiſcum in Oreb de medio ignis:*
16 *Ne fortè corrumpamini, & faciatis vobis imaginem, aut ſimilitudinem omnis figuræ, ſimilitudinem maſculi, aut fœminæ:*
17 *Similitudinem omnis iumenti, quod eſt in terra, ſimilitudinem omnis auis pennatæ, quæ volat per aerem firmamenti cœli:*
18 *Similitudinem omnis reptilis, quod eſt in terra, ſimilitudinem omnium piſcium qui ſunt in aqua ſub terra:*
19 *Et ne fortè eleues oculos tuos ad cœlũ, & videas Solẽ, & Lunã, & ſtellas, & omnẽ militiam cœli, & decipiaris, & adores ea, & colas ea, quæ præparauit Dominus Deus tuus omnibus populis ſub omni cœlo.*
20 *Vos autem applicauit Dominus ad timorem ſuum, & eduxit vos de fornace ferrea de Ægypto, vt ſitis ei in populum hæreditarium, ſicut in die hac.*
21 *Et à facie Domini fuit ira contra me propter verba veſtra, & iurauit, vt non tranſirem Iordanem, neque intrarem in terram bonam, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi in poſſeſſionem.*
22 *Ego enim morior in terra hac, non enim tranſibo Iordanem: & vos tranſibitis, & poſſidebitis terram bonam illam.*
23 *Cauete vobis, ne fortè obliuiſcamini pacti Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum: & faciatis vobis ſimulachrum, vel ſimilitudinem omnium, de quibus præcepit Dominus Deus tuus:*
24 *Quoniam verbum Domini Dei tui ignis conſumens eſt, Deus zelotes.*
25 *Quando genueris filios, & filios filiorum, & ſenueritis in terra, & corrupti fueritis, & feceritis aliquã imaginem, aut ſimilitudinem, & feceritis, quod malum eſt in conſpectu Domini Dei tui, vt ad iracundiam prouocetis eum:*
26 *Teſtes adhibeo contra vos hodie cœlum, & terram, quia perditione peribitis citò deſuper terram, propter quam vos tranſibitis Iordanem, vt poſſideatis eã, non longo tempore habitabitis in ea, ſed exterminatione exterminabimini:*
27 *Et diſperget vos Dominus inter populos, & remanebitis populus numeratus in populis ad quos migrare vos fecit Dominus.*
28 *Et ſeruietis ibi populis ſeruiẽtibus idolis, quæ ſunt opus manuũ hominũ lignea, aut lapidea, quæ non vidẽt, neque audiũt, neque comedũt, neque odorantur.*
29 *Et quæres inde timorem Domini Dei tui, & inuenies: ſi quæſieris eum toto corde tuo, & tota anima tua.*
30 *Cùm tribulatus fueris, & euenerint tibi omnia verba hæc in fine dierum, & conuerteris ad timorẽ Domini Dei tui, & obedies verbo eius.*
31 *Quoniam Deus miſericors eſt Dominus Deus tuus: non relinquet te, nec diſſipabit te, neque obliuiſcetur pacti patrum tuorum, quod iurauit eis.*
32 *Interroga enim nunc de diebus antiquis, qui fuerunt ante te à die quo creauit Dominus hominem ſuper terram, à ſummo cœli vſque ad ſummum cœli, ſi fuit res magna, ſicut iſta, aut ſi audita eſt ſimilis eius.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

33 Vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vixiſti:
34 Si fecit Deus, vt ingrederetur, & tolleret ſibi Gentem de medio nationum, per tentationes, ſigna, atque portenta, per pugnam, & robuſtam manum, extentumque brachium, & horribiles viſiones, iuxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus Deus veſter in Ægypto, videntibus oculis tuis:
35 Vt ſcires, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum.
36 De cœlo te fecit audire vocem ſuam, vt doceret te, & in terra oſtendit tibi ignem ſuum maximum, & audiſti verba illius de medio ignis:
37 Quia dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorũ poſt eos. * Eduxitque te præcedens in virtute ſua magna ex Ægypto:
* Exo. 13. 21.
38 Vt deleret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, daretque tibi terram earum in poſſeſſionem, ſicut cernis in præſenti die.
39 Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipſe ſit Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, & non ſit alius.
40 Cuſtodi præcepta eius, atque mãdata, quæ ego præcipio tibi: vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.
41 * Tunc ſeparauit Moyſes tres ciuitates trans Iordanem ad Orientalem plagam:
* Nu. 35. 6.
42 Vt confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximũ ſuum, nec ſibi fuerit inimicus ante vnum, & alterum diem, & ad harum aliquam vrbium poſſit euadere:
43 * Boſor in ſolitudine, quæ ſita eſt in terra campeſtri de tribu Rubẽ: & Ramoth in Galaad, quæ eſt in tribu Gad: & Golã in Baſan, quæ eſt in tribu Manaſſe.
* Ioſ. 20. 8.
44 Iſta eſt lex, quam propoſuit Moyſes coram filijs Iſrael:
45 Et hæc teſtimonia, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ locutus eſt ad filios Iſrael, quando egreſſi ſunt de Aegypto:
46 Trans Iordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitauit in Heſebon, quem percuſſit Moyſes. Filij quoque Iſrael egreſſi ex Aegypto.
47 Poſſederunt terram eius, & terram Og regis Baſan, duorum regum Amorrhæorum, qui erãt trans Iordanem ad Solis ortum:
48 Ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnõ, vſque ad montem Sion, qui eſt & Hermon:
49 Omnem planitiem trans Iordanem ad Orientalem plagam, vſque ad mare ſolitudinis, & vſque ad radices montis Phaſga.

### CAP. V.

1 VOcauitque Moyſes omnem Iſraelem, & dixit ad eum: Audi Iſrael ceremonias, atque iudicia, quæ ego loquor in auribus veſtris hodie, diſcite ea & opere complete.
2 Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb.
3 Non cum patribus noſtris inijt pactum, ſed nobiſcum, qui in præſentiarum ſumus, & viuimus.
4 Facie ad faciem locutus eſt nobis in monte de medio ignis.
5 Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius: timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem, & ait:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Nunquid audiuit populus vocem Dei loquentis è medio ignis, quemadmodum audiſti tu, & vixit:*
34 *Nunquid tentauit Deus, vt veniret ad capiendum ſibi Gentem è medio gentis in tẽtationibus, in ſignis, & in portentis, & in bello, & in manu valida, & in brachio extento, & in terroribus magnis, ſecundum omnia, quæ fecit vobis Dominus Deus veſter in Aegypto in oculis tuis:*
35 *Datum eſt tibi, vt videres, vt ſcires, quòd Dominus eſt Deus, Deus non eſt amplius præter eum.*
36 *E cælis audire fecit te vocem ſuam, vt erudiret te, & ſuper terram videre fecit te ignem ſuum magnũ, & verba eius audiſti è medio ignis:*
37 *Et quia dilexit patres tuos, elegit ſemen eius poſt eos. Et eduxit te ante ſe potentia ſua magna ex Aegypto:*
38 *Vt expelleret gentes magnas, & robuſtiores te à facie tua: vt introduceret te, vt daret tibi terram earum in hæreditatem, ſecundum diem hanc.*
39 *Et ſcito hodie, & reddi ad cor tuum, quia Dominus eſt Deus in cælo deſuper, & ſuper terram deorſum, non eſt amplius.*
40 *Et cuſtodis ſtatuta eius, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie: vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te, & vt prolongare facias dies ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi omnibus diebus.*
41 *Tunc ſeparauit Moſeh tres vrbes trans Iarden ad ortum Solis:*
42 *Vt fugeret illuc homicida, qui occiderit proximum ſuum ignoranter, qui non odio habebat eum ab heri, & nudiuſtertius, & fugeret ad vnam ex vrbibus iſtis, & viueret:*
43 *Beſer in deſerto, in terra planitiei de Reubenitis: & Ramoth in Ghilhad de Ghaditis: & Gholan in Baſan de Menaſſitis.*
44 *Et iſta eſt lex, quam poſuit Moſeh coram filijs Iſrael:*
45 *Iſta ſunt teſtimonia, & ſtatuta & iudicia, quæ locutus eſt Moſeh ad filios Iſrael, quando egreſſi ſunt ex Aegypto:*
46 *Trans Iarden in valle è regione Bethpehor, in terra Sihhon regis Emorræorum, qui habitabat in Cheſhbo, quem percuſſit Moſeh. Et filij Iſrael, quando egreſſi ſunt ex Aegypto.*
47 *Et poſſederunt terram eius, & terram Hogh regis Baſan duorum regum Emorræorum, qui erant trans Iarden ad ortum Solis:*
48 *Ab Haroher, quæ eſt, iuxta ripam torrentis Arnon, vſque ad montem Sion, qui eſt Chermon:*
49 *Et omnem ſolitudinem trans Iarden ad Orientem, vſque ad mare ſolitudinis ſub effuſionibus aquarum collis Piſghah.*

### CAP. V.

1 *ET vocauit Moſeh omnem Iſrael, & dixit ad eos: Audi Iſrael ſtatuta, & iudicia, quæ ego loquor in auribus veſtris hodie, & docete ea, & cuſtodite, vt faciatis ea.*
2 *Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum pactum in Choreb.*
3 *Non cum patribus noſtris pepigit Dominus pactum iſtud, ſed nobiſcum, qui ſumus hic hodie omnes viuentes.*
4 *Facie ad faciem locutus eſt Dominus vobiſcum in monte è medio ignis.*
5 *Ego ſto inter Dominum, & vos in tempore hoc, vt annunciem vobis verbum Domini, quia timuiſtis à facie ignis, & non aſcendiſtis in montem, dicendo:*



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

33 Si audiuit gens vocẽ Domini Dei viuentis, loquentis e medio ignis, quemadmodũ audiſti tu, & vixiſti:

34 Si tentauit Deus ingreſſus accipere ſibi Gentem de media gente in tentatione, & in ſignis, & in prodigijs, & in bello, & in manu valida, & in brachio excelſo, & in viſionibus magnis, ſecundum omnia, quæcumque fecit Dominus Deus noſter in Ægypto coram te vidente:

35 Vt ſcires tu quia Dominus Deus tuus hic Deus eſt, & non eſt amplius præter eum.

36 De cœlo audita facta eſt vox eius ad erudiendum te, & ſuper terram oſtendit tibi ignem ſuum magnum, & verba eius audiſti de medio ignis:

37 Eo quod ipſe dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorum poſt eos, vos. Et eduxit te ipſe in fortitudine ſua magna ex Ægypto:

38 Exterminare gentes magnas, & fortiores te ante faciem tuam: introducere, dare tibi terram eorum ad hæreditandum, ſicut habes hodie.

39 Et cognoſces hodie, & conuerteris mente, quia Dominus Deus tuus, hic Deus in cœlo ſupra, & ſuper terram deorſum, & non eſt amplius præter eum.

40 Et cuſtodite mandata eius, & iuſtificationes eius, quaſcũque ego mando vobis hodie: vt bene tibi ſit, & filijs tuis poſt te, vt longæui ſitis ſuper terrã, quã Dominus Deus tuus dat tibi omnibus diebus.

41 Tunc ſeparauit Moyſes tres ciuitates trans Iordanem ab ortu Solis:

42 Ad fugiendum illuc homicidam, quicumque interfecerit proximum non ſciens, & hic non odio habens eum ante heſternam, & nudiuſtertianam, & confugiet in vnam ciuitatum harum, & viuet:

43 Boſor in deſerto in terra campeſtri Ruben: & Ramoth in Galaath Gaddi: & Gaulon in Baſan Manaſſe.

44 Hæc eſt lex, quam propoſuit Moyſes coram filijs Iſrael:

45 Hæc ſunt teſtimonia, & iuſtificationes, & iudicia, quæcumque locutus eſt Moyſes filijs Iſrael, egreſſis ipſis de terra Ægypti:

46 Trans Iordanem in valle prope domum Phogor in terra Seon regis Amorrhæorum, qui habitabat in Eſebon, quem percuſſit Moyſes. Et filij Iſrael, egreſſis ipſis de terra Ægypti.

47 Et hæreditauerunt terram eius, & terram Og regis Baſan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem ad ortum Solis:

48 Ab Aroer, quæ eſt ſuper labium torrentis Arnon, & ſuper montem ipſius Seon, qui eſt Aermon:

49 Omnem Araba trans Iordanem ad ortum Solis ſub Aſedoth exciſam.

### C A P. V.

1 ET vocauit Moyſes omnem Iſrael, & dixit ad eos: Audi Iſrael iuſtificationes, & iudicia, quæcumque ego loquor in auribus veſtris in die hac, & diſcetis ea, & cuſtodietis facere ea.

2 Dominus Deus veſter diſpoſuit ad vos teſtamẽtum in Choreb.

3 Non patribus veſtris diſpoſuit Dominus teſtamentum hoc, ſed ad vos, vos hic omnes viuentes hodie.

4 Facie ad faciem locutus eſt Dominus ad vos in mõte de medio ignis.

5 Et ego ſtabam inter Dominum, & vos in tempore illo annunciare vobis verba Domini, quoniam timuiſtis à facie ignis, & non aſcendiſtis in montem, dicens:

## Chald. Paraph. Transl.

33 *Si audiuit populus vocem verbi Dei loquentem de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vixerit:*

34 *Aut viderit miracula, quæ fecit Dominus, vt reuelaretur, & redimeret ſibi populum de medio populi, per miracula, per ſigna, & portenta, & in bello, & in manu forti, & in brachio excelſo, & in viſionibus magnis, iuxta omnia, quæ fecit vobis Dominus Deus veſter in Ægypto ante oculos tuos:*

35 *Tibi oſtenſum eſt, vt ſcias, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, non eſt alius præter eum.*

36 *De cœlis audire te fecit vocem verbi ſui, vt doceret te, & ſuper terra oſtendit tibi ignem ſuum magnũ, & verba eius audiſti de medio ignis:*

37 *Et pro eo, quòd dilexit patres tuos, & elegit filios eorum poſt eos. Eduxit te in verbo ſuo, & in virtute ſua magna de Ægypto:*

38 *Vt eijceret populos magnos, & fortiores te à facie tua: vt introduceret te, vt daret tibi terram eorum in poſſeſſionem, ſicut in die hac.*

39 *Et ſcies hodie, & conuerteris in corde tuo, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, cuius maieſtas eſt in cælo, ſurſum, & in terra deorſum, & non eſt alius.*

40 *Et cuſtodies pacta eius, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie: vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te, & vt prolongentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi omnibus diebus.*

41 *Tunc ſeparauit Moyſes tres ciuitates trans Iordanem ad Orientem Solis:*

42 *Vt fugeret illuc homicida, qui occiderit proximum ſuum ignoranter, & ipſe non oderat illum ab heri & nudiuſtertius, vt fugiat ad vnam de ciuitatibus his, & viuat:*

43 *Boſor in ſolitudine in terra campeſtri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad de tribu Gad: & Golan in Baſan de tribu Manaſſe.*

44 *Et iſta eſt lex, quam propoſuit Moyſes coram filijs Iſrael:*

45 *Hæc ſunt teſtimonia, & præcepta, & iudicia, quæ locutus eſt Moyſes cum filijs Iſrael, quando egreſſi ſunt de Aegypto:*

46 *Trans Iordanem in valle contra Bethphogor in terra Seon regis Amorrhæorum, qui habitabat in Eſebon, quem occidit Moyſes. Et filij Iſrael cùm egrederentur de terra Aegypti.*

47 *Et poſſederunt terram eius, & terram Og regis Baſan duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem ad Orientem Solis:*

48 *Ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & vſque ad montem Seon, qui eſt Hermon:*

49 *Et omnem planitiem, quæ eſt trans Iordanem ad Orientem, & vſque ad mare, quod eſt in planitie, & vſque ad radices collis.*

### C A P. V.

1 *ET vocauit Moyſes omnem Iſraelem, & dixit eis: Audi Iſrael pacta, & iudicia, quæ ego loquor coram vobis hodie, & diſcatis ea, & obſeruabitis, vt faciatis ea.*

2 *Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum pactum in Oreb.*

3 *Non cum patribus noſtris pepigit Dominus pactum iſtud, ſed nobiſcum, qui ſumus hic hodie omnes nos viui.*

4 *Verbum verbo locutus eſt Dominus vobiſcum in monte de medio ignis.*

5 *Ego ſtabam inter verbum Domini, & vos in tempore illo, vt nunciarem vobis verbum Domini, timuiſtis enim à facie ignis, & non aſcendiſtis in montem, & ait:*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| * Exo. 20. 2. Leu. 26. 1. Pſal. 80. 8. | * Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruitutis. | 6 | 6 | Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti è domo ſeruorum. |
| * Ex. 20. 3. Pſal. 80. 7. | * Non habebis deos alienos in conſpectu meo. | 7 | 7 | Non erunt tibi dij alij coram me. |
| * Leu. 26. 1. Pſal. 96. 7. Exo. 20. 4. | * Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in cœlo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra. | 8 | 8 | Non facies tibi ſculptile omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo ſurſum, & quæ in terra deorſum, & quæ in aquis ſubter terram. |
| * Exo. 34. 14. | * Non adorabis ea, & non coles. Ego enim ſum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me: | 9 | 9 | Non incuruabis te eis, & non coles eos. Ego enim Dominus Deus tuus: Deus zelotes viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, & ſuper tertios, & ſuper quartos odio habentes me: |
| | Et faciens miſericordiam in multa millia diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea. | 10 | 10 | Et faciens miſericordiam millibus, diligentibus me, & ſeruantibus præcepta mea. |
| * Exo. 20. 7. Leu. 19. 12. Matt. 5. 33. | * Non vſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit. | 11 | 11 | Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: non enim innocentem iudicabit, qui acceperit nomen eius in vanum. |
| | Obſerua diem Sabbati, vt ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. | 12 | 12 | Obſerua diem Sabbati, vt ſanctifices eum, quemadmodum præcepit Dominus Deus tuus. |
| | Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. | 13 | 13 | Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. |
| * Exo. 20. 10. Gen. 2. 2. Heb. 4. 4. | * Septimus dies Sabbati eſt, id eſt, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſeruus, & ancilla, & bos, & aſinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus, qui eſt intra portas tuas: vt requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu. | 14 | 14 | Et die ſeptima Sabbatum eſt Domini Dei tui. Non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & bos tuus, & aſinus tuus, & omne iumentum tuum, & peregrinus tuus, qui eſt intra portas tuas: vt requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut tu. |
| | Memento, quòd & ipſe ſeruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, vt obſeruares diem Sabbati: | 15 | 15 | Et memento, quòd ſeruus fuiſti in terra Ægypti, & eduxit te Dominus Deus tuus inde in manu valida, & in brachio extento. Idcirco præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt faceres diem Sabbati: |
| * Ex. 20. 12. Eccli. 3. 9. Matt. 15. 4. Mar. 7. 10. Eph. 6. 2. | * Honora patrem tuum, & matrem, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. | 16 | 16 | Honora patrem tuum, & matrem tuam, quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt prolongentur dies tui, & vt bene ſit tibi ſuper terram, quam Dominus Deus tuus, dat tibi. |
| | Non occides. | 17 | 17 | Non facies homicidium. |
| | Neque mœchaberis. | 18 | 18 | Et non adulterabis. |
| | Furtumque non facies. | 19 | 19 | Nec furaberis. |
| | Nec loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. | 20 | 20 | Neque teſtificaberis in proximum tuum teſtimoniũ falſum: |
| * Mat. 5. 28. Rom. 7. 7. | * Non concupiſces vxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, & vniuerſa, quæ illius ſunt. | 21 | 21 | Et non concupiſces vxorem proximi tui: nec concupiſces domum proximi tui, agrum eius, & ſeruum eius, & ancillam eius, bouem eius, & aſinum eius, & omnia, quæ ſunt proximo tuo. |
| | Hæc verba locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens amplius: & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. | 22 | 22 | Verba iſta locutus eſt Dominus ad omnem congregationem veſtram in monte è medio ignis, nubis, & caliginis, voce magna, & non addidit: & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis, & dedit eas mihi. |
| | Vos autem poſtquam audiſtis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidiſtis, acceſſiſtis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixiſtis: | 23 | 23 | Et fuit, quando audiſtis vocem è medio tenebrarũ, & montis ardentis igne, acceſſiſtis ad me, omnia capita tribuum veſtrarum, & ſeniorum veſtrorum, & dixiſtis: |
| | Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem, & magnitudinem ſuam, vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. | 24 | 24 | Ecce videre fecit nos Dominus Deus noſter gloriam ſuam, & magnitudinem ſuam, & vocem eius audiuimus è medio ignis, die iſta vidimus, quod locutus eſt Deus cum homine, & vixit. |
| | Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei noſtri, moriemur. | 25 | 25 | Et nunc vt quid moriemur, conſumet enim nos ignis magnus iſte? Si addiderimus, vt audiamus vocem Domini Dei noſtri, amplius moriemur. |
| | Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus, & poſſit viuere? | 26 | 26 | Quæ eſt enim omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, loquentis è medio ignis, ſicut nos, & viuat? |
| | Tu magis accede: & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noſter tibi: loqueriſque ad nos, & nos audientes faciemus ea. | 27 | 27 | Accede tu: & audi omnia, quæ dicturus eſt Dominus Deus noſter: & tu loqueris ad nos omnia, quæ loquetur Dominus Deus noſter ad te, & audiemus, & faciemus. |

Quod | Et

## Tranſl. ex Septuag.

6 Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, è domo ſeruitutis.
7 Non erunt tibi dij alij ante faciem meam.
8 Non facies tibi idolum, neque cuiuſquam ſimilitudinem, quæcumque in cœlo ſurſum, & quæcumque in terra deorſum, & quæcumque in aquis ſubtus terram.
9 Non adorabis ea, neque ſeruies eis. Quia ego ſum Dominus Deus tuus: Deus zelotes, reddens peccata patrum in filios in tertiam, & quartam progeniem, ijs, qui oderunt me:
10 Et faciens miſericordiam in millia, ijs qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.
11 Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vano: non enim mundabit Dominus Deus tuus aſſumentem nomen eius in vano.
12 Cuſtodi diem Sabbatorum ſanctificare eam, quemadmodum mandauit tibi Dominus Deus tuus.
13 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.
14 Die autem ſeptima Sabbata Domino Deo tuo. Non facies in ea omne opus, tu, & filius tuus, & filia tua, puer tuus, & ancilla tua, bos tuus, & ſubiugale tuum, & omne pecus tuum, & aduena, qui incolit in te: vt requieſcat puer tuus, & ancilla tua, & ſubiugale tuum, quemadmodum, & tu.
15 Et memento, quia famulus fuiſti in terra Ægypto, & eduxit te Dominus Deus tuus inde in manu valida, & brachio excelſo. Propter hoc conſtituit tibi Dominus Deus tuus, vt obſerues diem Sabbatorum, & ſanctifices eam:
16 Honora patrem tuum, & matrem tuam, quemadmodum mandauit tibi Dominus Deus tuus, vt bene tibi ſit, & vt longæuus ſis ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.
17 Non occides.
18 Non mœchaberis.
19 Non furaberis.
20 Non falſo teſtaberis contra proximum tuum teſtimonium falſum.
21 Non concupiſces vxorem proximi tui: non concupiſces domum proximi tui, neque agrum eius, neque puerum eius, neque ancillam eius, neque bouem eius, neque ſubiugale eius, neque omne pecus eius, neque omnia, quæcumque proximo tuo ſunt.
22 Hæc verba locutus eſt Dominus ad omnem ſynagogam veſtram in monte de medio ignis, tenebræ, caligo, procella, vox magna, & non adiecit: & ſcripſit ea ſuper duas tabulas lapideas, & dedit mihi.
23 Et factum eſt, vt audiſtis vocem è medio ignis, & mons ardebat igni, & acceſſiſtis ad me omnes duces tribuum veſtrarum, & ſeniores veſtri, & dixiſtis:
24 Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter gloriam ſuam, & vocem eius audiuimus è medio ignis, in die hac cognouimus, quia loquetur Deus ad hominem, & viuet.
25 Et nunc ne moriamur, nam conſumet nos ignis hic magnus? Si adiecerimus nos audire vocem Domini Dei noſtri adhuc, & moriemur.
26 Quæ enim caro, quæ audierit vocem Dei viuentis, loquentis è medio ignis, ſicut nos, & viuet?
27 Accede tu: & audi omnia, quæcumque dixerit Dominus Deus noſter: & tu loqueris ad nos omnia, quæcumque loquetur Dominus Deus noſter ad te, & audiemus, & faciemus.

## Chald. Paraph. Tranſl.

6 *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruitutis.*
7 *Non ſit tibi alius deus præter me.*
8 *Non facies tibi imaginem nec omnem ſimilitudinem eorum, quæ in cœlis ſurſum, & quæ in terra ſunt deorſum, & quæ in aquis ſunt ſub terra.*
9 *Non adorabis ea, neque coles ea. Quoniam ego Dominus Deus tuus: Deus zelotes, viſitans peccata patrum ſuper filios rebelles in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me, quando filij ſequuntur peccata patrum ſuorum:*
10 *Et faciens miſericordiam in mille generationibus diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.*
11 *Non iurabis per nomen Domini Dei tui fruſtra: quia non iuſtificabit Dominus illum, qui iurauerit per nomen eius in vanum.*
12 *Obſerua diem Sabbati, vt ſanctifices illum ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.*
13 *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.*
14 *Septimus autem dies Sabbatum eſt coram Domino. Non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & bos tuus, & aſinus tuus & omne iumentum tuum, & peregrinus tuus, qui eſt in vrbibus tuis: vt quieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut tu.*
15 *Et recordaberis, quòd ſeruus fuiſti in terra Aegypti, & eduxit te Dominus Deus tuus inde in manu forti, & in brachio excelſo. Propterea præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt ſerues diem Sabbati:*
16 *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt prolongentur dies tui, & vt bene ſit tibi ſuper terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*
17 *Non occides animam.*
18 *Non adulterabis.*
19 *Neque furaberis.*
20 *Neque teſtificaberis contra proximum tuum teſtimonium falſum.*
21 *Neque concupiſces vxorem proximi tui: nec deſideres domum proximi tui, neque agrum eius, neque ſeruum eius, neque ancillam eius, nec bouem eius, nec aſinum eius, neque omnia, quæ ſunt proximi tui.*
22 *Hæc verba locutus eſt Dominus cum omni eccleſia veſtra in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis voce magna, & non ceſſauit: & ſcripſit ea ſuper duas tabulas lapideas, & dedit eas mihi.*
23 *Et factum eſt cùm audiſſetis vocem de medio tenebrarum, & montem ardentem igne, acceſſiſtis ad me omnes principes tribuum veſtrarum, & ſenes veſtri, & dixiſtis:*
24 *Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter gloriam ſuam, & magnitudinem ſuam, vocemque verbi eius audiuimus de medio ignis, hodie vidimus, quòd loquitur Dominus cum homine, & viuit.*
25 *Et nunc cur moriemur, quia deuorabit nos ignis magnus iſte? Si addiderimus nos vltra audire vocem verbi Domini Dei noſtri, moriemur.*
26 *Quoniam quid eſt omnis caro, vt audiat vocem verbi Dei viui loquentis de medio ignis ſicut nos, & viuere poſſit?*
27 *Accede tu: & ſuſcipe omnia, quæ dixerit Dominus Deus noſter: & tu loqueris nobis omnia, quæ locutus fuerit Dominus Deus noſter tecum, & obediemus, & faciemus.*

## Vulgat. Editio.

28 Quod cum audiſſet Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti ſunt tibi: bene omnia ſunt locuti.

29 Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis, & filijs eorum in ſempiternum?

30 Vade, & dic eis: Reuertimini in tentoria veſtra.

31 Tu vero hic ſta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant ea in terra, quam dabo illis in poſſeſſionem.

32 Cuſtodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram:

33 Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis vt viuatis, & bene ſit vobis, & protelentur dies in terra poſſeſſionis veſtræ.

### CAP. VI.

1 HÆc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam tranſgredimini poſſidendam:

2 Vt timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filijs, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui.

3 Audi Iſrael, & obſerua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi, & multipliceris amplius, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem.

4 Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.

5 * Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & ex tota fortitudine tua.

* Matt. 22. 37. Mar. 12. 30. Luc. 10. 27. Infr. 11. 13.

6 Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7 Et narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens.

8 Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos:

9 Scribeſque ea in limine, & oſtijs domus tuæ.

10 Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis Abrahã, Iſaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas, & optimas, quas non ædificaſti:

11 Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxiſti, ciſternas, quas non fodiſti, vineta, & oliueta, quæ non plantaſti:

12 Et comederis, & ſaturatus fueris:

13 Caue diligenter ne obliuiſcaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. * Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.

* Mat. 4. 7. Luc. 4. 12. Inf. 10. 20.

14 Non ibitis poſt deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt:

15 Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: nequando iraſcatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de ſuperficie terræ.

16 Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis.

Cu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et audiuit Dominus vocem verborum veſtrorum, quando loquebamini ad me, & dixit ad me: Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti ſunt ad te: bona fuerunt omnia, quæ locuti ſunt.*

29 *Quis det, vt ſit cor eorum hoc eis, vt timeant me, & vt cuſtodiant omnia præcepta mea omnibus diebus, vt bene ſit eis, & filijs eorum in ſæculum?*

30 *Vade dic ad eos: Reuertimini ad tabernacula veſtra.*

31 *Et tu hic ſta mecum, & loquar ad te omne præceptum, & ſtatuta, & iudicia: quæ docebis eos, & faciant in terra, quam ego do eis, vt poſſideant eam.*

32 *Et cuſtodite, vt faciatis quemadmodum præcepit Dominus Deus veſter vobis: non declinatis ad dexteram, & ad ſiniſtram:*

33 *Per omnem viam, quam præcepit Dominus Deus veſter vobis, ambuletis, vt viuatis, & bonum ſit vobis, & prolongetis dies in terra, quam poſſidebitis.*

### CAP. VI.

1 *ET hæc ſunt præcepta, ſtatuta, & iudicia, quæ præcepit Dominus Deus veſter, vt docerem vos, vt faciatis in terra, ad quam vos tranſitis, vt poſſideatis eam:*

2 *Vt timeas Dominum Deum tuum, vt cuſtodias omnia ſtatuta eius, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, tu, & filius tuus, & filius filij tui omnibus diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui.*

3 *Et audi Iſrael, & cuſtodi, vt facias, vt bene ſit tibi, & vt multiplicemini valdè, quemadmodum locutus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi, in terra fluente lacte, & melle.*

4 *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.*

5 *Et diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua: & tota fortitudine tua.*

6 *Et erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo:*

7 *Et repetes ea filijs tuis, & loqueris cum eis, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per viã, & quando accumbes, & quando ſurges.*

8 *Et ligabis ea in ſignum in manu tua, & erunt, vt frontalia inter oculos tuos:*

9 *Et ſcribes ea in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.*

10 *Et erit, cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ſuper quam iurauit patribus tuis Abrahã, Iſchac, & Iahacob: vt daret tibi vrbes magnas, & bonas quas non ædificaſti:*

11 *Et domos plenas omni bono, quas non impleuiſti, & ciſternas effoſas, quas non effodiſti, vineas, & oliueta, quæ non plantaſti:*

12 *Et comedes, & ſaturaberis:*

13 *Caue tibi, ne obliuiſcaris Domini, qui eduxit te è terra Aegypti è domo ſeruorum. Dominum Deum tuum timebis, & ipſum coles, & per nomen eius iurabis.*

14 *Non ambulabitis poſt deos alios è dijs populorum, qui ſunt in circuitu eorum:*

15 *Deus enim zelotes, Dominus Deus tuus in medio tui eſt: ne fortè iraſcatur furor Domini Dei tui in te, & diſperdere faciat te à facie terræ.*

16 *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum, quemadmodum tentaſtis in loco tentationis.*

Cu-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

28 Et audiuit Dominus vocem ſermonum veſtrorum, quos loquebamini ad me, & ait Dominus ad me: Audiui vocem ſermonum populi huius, quæcumque locuti ſunt ad te: recte omnia, quæcunque locuti ſunt.

29 Quis dabit eſſe ſic cor eorum in eis, vt timeant me, & cuſtodiant mandata mea omnibus diebus, vt bene ſit eis, & filijs eorum per ſæculum?

30 Vade, dic eis: Reuertimini vos in domos veſtras.

31 Tu autem hic ſta mecum, & loquar ad te mandata, & iuſtificationes, & iudicia: quæ docebis eos, & faciant ſic in terra, quam ego do eis in ſorte.

32 Et cuſtodietis facere, quemadmodum mandauit tibi Dominus Deus tuus: non declinabis in dexterã, neque in ſiniſtram:

33 Secundum omnem viam, quam mandauit tibi Dominus Deus tuus ambulare in ea, vt requieſcere faciat te, & bene tibi ſit, & longæui ſitis ſuper terram, quam hæreditabitis.

### C A P. VI.

1 ET hæc ſunt mandata, & iuſtificationes, & iudicia, quæcumque mandauit Dominus Deus noſter docere vos facere ſic in terra, in quam vos ingredimini illuc hæreditare eam:

2 Vt timeatis Dominum Deum veſtrum, cuſtodietis omnes iuſtificationes eius, & mandata eius, quæ ego mando tibi hodie, tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum omnibus diebus vitæ tuæ, vt longæui ſitis.

3 Et audi Iſrael, & obſerua facere, vt bene tibi ſit, & vt multiplicemini valde, ſicut locutus eſt Dominus Deus patrum tuorum dare tibi terram fluentẽ lac, & mel, & hæ ſunt iuſtificationes, & iudicia, quæcũque mandauit Dominus filijs Iſrael in deſerto, egreſſis ipſis de terra Ægypti.

4 Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.

5 Et diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.

6 Et erunt verba hæc, quæcumque mando tibi hodie, in corde tuo, & in anima tua:

7 Et præſcribes ea filijs tuis, & loqueris in eis ſedens in domo, & ambulans in via, & dormiens, & exurgens.

8 Et alligabis ea in ſignum ſuper manum tuam, & erit immobile ante oculos tuos:

9 Et ſcribetis ea ſuper limina domorum veſtrarum, & portarum veſtrarum.

10 Et erit, cum induxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam iurauit patribus tuis Abraham, & Iſaac, & Iacob: dare tibi ciuitates magnas, & bonas, quas non ædificaſti:

11 Domos plenas omnium bonorum, quas non impleuiſti, ciſternas effoſſas, quas non effodiſti, vineta, & oliueta, quæ non plantaſti:

12 Et cum manducaueris, & ſaturatus fueris:

13 Attende tibi, ne obliuiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypto, è domo ſeruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſeruies, & ad illum adhærebis, & in nomine eius iurabis.

14 Non ambulate poſt deos alios ex Dijs Gentium, quæ circa vos:

15 Quoniam Deus zelotes, Dominus Deus tuus in te: ne iratus furore Dominus Deus tuus tibi, exterminet te à facie terræ.

16 Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentauiſtis in tentatione.

## Chald. Paraph. Tranſl.

28 *Et audita eſt coram Domino vox ſermonum veſtrorum cùm loqueremini mecum, & dixit Dominus ad me: Audita eſt coram me vox ſermonum populi huius, quæ locuti ſunt tecum: recta ſunt omnia, quæ locuti ſunt.*

29 *Vtinam eſſet tale cor eis, vt timerent me, & cuſtodirent omnia præcepta mea omnibus diebus, vt bene eſſet eis, & filijs eorum in ſempiternum!*

30 *Vade dic eis: Reuertimini in tabernacula veſtra.*

31 *Tu autem ſta hic in conſpectu meo, & loquar tecum omnia præcepta, & pacta, & iudicia: quæ docebis eos, vt faciant in terra, quam ego dabo eis in poſſeſſionem.*

32 *Et cuſtodietis, & facietis ea, ſicut præcepit vobis Dominus Deus veſter: non declinabitis ad dexteram, neque ad ſiniſtram:*

33 *In omni via, quam Dominus Deus veſter præcepit vobis, ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis, & prolongentur dies veſtri in terra, quam poſſidebitis.*

### C A P. VI.

1 *HOc eſt autem præceptum, & pacta, & iudicia, quæ præcepit Dominus Deus veſter, vt docerem vos, vt faciatis ea in terra ad quam tranſitis, vt poſſideatis eam:*

2 *Vt timeas Dominum Deum tuum, vt cuſtodias omnia mandata eius, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, tu & filij tui, & filij filiorum tuorum omnibus diebus vitæ tuæ, & vt prolongentur dies tui.*

3 *Et obedies Iſrael, & cuſtodies, & facies ea, vt bene ſit tibi, & vt multiplicemini nimis, ſicut locutus eſt Dominus Deus patrum tuorum, vt daret tibi terram lacte, & melle manantem.*

4 *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.*

5 *Et diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota ſubſtantia tua.*

6 *Et erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo:*

7 *Et narrabis ea filijs tuis, & loqueris ea cùm ſederis in domo tua, & cùm ambulaueris in via, & cùm cubueris, & cùm ſurrexeris.*

8 *Et ligabis ea in ſignum ſuper manum tuam, & erũt quaſi appendix quædam inter oculos tuos:*

9 *Et ſcribes ea in liminibus, & affiges ea poſtibus domus tuæ, & oſtijs tuis.*

10 *Et erit cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob: vt daret tibi ciuitates magnas, & bonas quas non ædificaſti:*

11 *Et domos plenas omnibus bonis quas non repleuiſti, & ciſternas exciſas quas non excidiſti, vineta, & oliueta, quæ non plantaſti:*

12 *Et comederis, & ſaturatus fueris:*

13 *Caue tibi, ne obliuiſcaris timoris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti de domo ſeruitutis. Dominũ Deum tuum timebis, & in conſpectu eius ſeruies, & per nomen illius iurabis.*

14 *Non ambuletis poſt idola populorum, de idolis, quæ ſunt in circuitu veſtro:*

15 *Q̃m Deus æmulator eſt Dñs Deus tuus, cuius maieſtas habitat ĩ medio tui: ne fortè iraſcatur furor Dñi Dei tui cõtra te, & diſperdat te de ſuperficie terræ.*

16 *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum, ſicut tentaſtis in loco tentationis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia, & ceremonias, quas præcepit tibi :

18 Et fac quod placitum eſt, & bonum in conſpectu Domini, vt bene ſit tibi : & ingreſſus poſſideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis :

19 Vt deleret omnes inimicos tuos coram te, ſicut locutus eſt.

20 Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens : Quid ſibi volunt teſtimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dñs Deus noſter nobis?

21 Dices ei : Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti :

22 Fecitque ſigna, atque prodigia magna, & peſſima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conſpectu noſtro :

23 Et eduxit nos inde, vt introductis daret terram, ſuper qua iurauit patribus noſtris.

24 Præcepitque nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum noſtrum, vt bene ſit nobis cunctis diebus vitæ noſtræ, ſicut eſt hodie.

25 Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus, & fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo noſtro, ſicut mandauit nobis.

### CAP. VII.

1 CVm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit Gentes multas coram te, * Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæũ, & Heuæum, & Iebuſæum, ſeptem gentes multo maioris numeri, quam tu es, & robuſtiores te :

Exo.23.23. & 33.2.

2 Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vſque ad internecionem. * Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum :

* Exo. 23.32. & 34.15.16.

3 Neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo :

4 Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat diis alienis, iraſceturque furor Domini, & delebit te cito.

5 Quin potius hæc facietis eis : * Aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite.

* Inf. 12.3. 14.1.16.21. Exo.23.24.

6 * Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram.

* Inf. 14.2. & 26.17.

7 Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores :

8 Sed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodiuit iuramentum, quod iurauit patribus veſtris : eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo ſeruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9 Et ſcies, quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis, & fidelis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus ſe, & his, qui cuſtodiunt præcepta eius in mille generationes :

10 Et reddens odientibus ſe ſtatim, ita vt diſperdat eos, & vltra non differat, protinus eis reſtituens, quod merentur.

11 Cuſtodi ergo præcepta, & ceremonias, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie, vt facias.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Cuſtodiendo cuſtodietis præcepta Domini Dei veſtri, & teſtimonia eius, & ſtatuta eius, quæ præcepit tibi :*

18 *Et facias rectum, & bonum in oculis Domini, vt bene ſit tibi : & ingrediaris, & poſſideas terram bonam, ſuper quam iurauit Dominus patribus tuis :*

19 *Vt propulſet omnes inimicos tuos à facie tua, quemadmodum locutus eſt Dominus.*

20 *Si interrogauerit te filius tuus cras, dicendo : Quæ ſunt teſtimonia, & ſtatuta, & iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noſter vobis ?*

21 *Dices filio tuo : Serui fuimus Parhoh in Ægypto, & eduxit nos Dominus ex Ægypto in manu forti :*

22 *Et dedit Dominus ſigna, & portenta magna, & mala in Ægypto in Parhoh, & omnem domum eius in oculis noſtris :*

23 *Et nos eduxit inde, vt introduceret nos, vt daret nobis terram, ſuper quam iurauit patribus noſtris.*

24 *Et præcepit nobis Dominus, vt faciamus omnia ſtatuta iſta, vt timeamus Dominum Deum noſtrum in bonum nobis omnibus diebus, vt viuamus, ſecũdum diem hanc.*

25 *Et iuſtitia erit nobis, ſi cuſtodierimus, vt faciamus omne præceptum iſtud coram Domino Deo noſtro, quemadmodum præcepit nobis.*

### CAP. VII.

1 *CVm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eã, & abſtulerit gentes multas à facie tua, Chitæum, & Ghirghaſæum, & Emorræum, & Chenahanæum, & Perizæum, & Chiuuæum, & Iebuſæum, ſeptem gentes multas, & robuſtiores te :*

2 *Et tradiderit eas Dominus Deus tuus coram te, & percuſſeris eas, perdendo perdes eas. Non panges cum eis pactum, & non miſereberis earum :*

3 *Et non coniunges te affinitate cum eis. Filiam tuam non dabis filio eius, & filiam eius non capies filio tuo :*

4 *Recedere enim faciet filium tuum ne eat poſt me, & colent deos alienos, & iraſcetur furor Domini contra te, & diſperdere faciet te cito.*

5 *Sed ſic facietis eis : Altaria earum deſtruetis, & ſtatuas earum confringetis, & lucos earum ſuccidetis, & ſculptilia earum comburetis igni.*

6 *Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, præ omnibus populis, qui ſunt ſuper faciem terræ.*

7 *Non propter multitudinem veſtram, præ omnibus populis complacuit Dominus in vobis, & elegit vos, quia eſtis pauciores omnibus populis :*

8 *Sed quia diligit Dominus vos, & cuſtodit iuramentum, ſuper quo iurauit patribus veſtris : eduxit Dominus vos in manu forti, & redemit vos è domo ſeruorum, è manu Parhoh regis Ægypti.*

9 *Et ſcias, quòd Dominus Deus tuus eſt Deus, Deus fidelis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus eum, & cuſtodientibus mandata eius, mille generationibus :*

10 *Et reddens odio habentibus eum contra faciem eius, vt perdere faciat eum, non tardabit odio habenti eum, in faciem eius reddet ei.*

11 *Et cuſtodi mandatum, & ſtatuta, & iudicia, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias ea.*

## Tranſl. ex Septuag.

17 Cuſtodiens cuſtodies mandata Domini Dei tui, teſtimonia, & iuſtificationes, quaſcunque mandauit tibi.

18 Et facies quod acceptum, & bonum eſt ante Dominum Deum tuum, vt bene tibi ſit: & intres, & hæredites terram illam bonam, quam iurauit Dominus patribus veſtris,

19 Expellere omnes inimicos tuos à facie tua: ſicut locutus eſt Dominus.

20 Et erit, cum interrogabit te filius tuus cras, dicens: Quid ſunt teſtimonia, & iuſtificationes, & iudicia, quæcumque mandauit Dñs Deus noſter nobis?

21 Et dices filio tuo: Famuli eramus Pharaoni in terra Ægypto, & eduxit nos Dominus inde in manu valida, & brachio excelſo.

22 Et dedit Dominus ſigna & prodigia magna, & mala in Ægypto in Pharaone, & in domo eius coram nobis:

23 Et nos eduxit inde, vt daret nobis terram hanc, quã iurauit dare patribus noſtris.

24 Et mandauit nobis Dominus facere omnes iuſtificationes has. Timete Dominum Deum noſtrum, vt bene vobis ſit omnibus diebus, vt viuamus, ſicut & hodie.

25 Et miſericordia erit nobis, ſi obſeruauerimus facere omnia mandata hæc ante Dominum Deum noſtrum, ſicut mandauit nobis.

### CAP. VII.

1 SI autem induxerit te Dominus Deus tuus in terram, in quam ingredieris illuc hæreditare eã & ſuſtulerit gentes magnas à facie tua, Chettæum, & Gergeſæum, & Amorræum, & Chananæum, & Pherezæum, & Euæum, & Iebuſæum, ſeptem gentes multas, & fortiores vobis.

2 Et tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas, & percuties eos, deletione delebis eos. Non diſpones ad eos teſtamentum, neque miſerebimini eorum,

3 Neque contrahetis affinitatem cum eis. Filiam tuã non dabis filio eius, & filiam eius non ſumes filio tuo.

4 Recedere enim faciet filium tuum à me, & ſeruiet dijs alijs, & iraſcetur furore Dominus in vos, & exterminabit te cito.

5 Sed ſic facietis eis: Aras eorum deſtruetis, & ſtatuas eorum conteretis, & lucos eorum excidetis, & ſculptilia deorum eorum comburetis igni:

6 Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo, & te prælegit Dominus Deus tuus eſſe ſibi populum peculiarem præter omnes gentes, quæcumque ſuper faciem terræ.

7 Non quia multi eſtis præ omnibus gentibus, præſumpſit Dominus vos, & elegit Dominus vos: vos enim eſtis paucisſimi præ omnibus gentibus.

8 Sed propterea quod diligit vos Deus, & ſeruans iuramentum, quod iurauit patribus veſtris, eduxit vos Dominus in manu potẽti, & redemit te Dominus e domo ſeruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9 Et noueris, quia Dominus Deus tuus, hic Deus: Deus fidelis, ſeruans teſtamentum, & miſericordiã ijs, qui diligunt eum, & ijs, qui cuſtodiunt mandata eius, in mille progenies,

10 Et reddens ijs, qui oderunt, ad faciem, ad exterminandum eos, & non tardabit ijs, qui odio habent, ad faciem reddet eis.

11 Et cuſtodies mandata, & iuſtificationes, & iudicia hæc, quæcumque mando hodie tibi facere.

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Obſeruatione obſeruabitis præcepta Domini Dei veſtri, & teſtimonia eius, & pacta eius, quæ præcepit tibi.*

18 *Et facies quod bonum & quod rectum eſt coram Domino, vt bene ſit tibi: vt ingrediaris, & poſſideas terram bonam, de qua iurauit Dominus patribus tuis.*

19 *Vt conterat omnes inimicos tuos à facie tua: ſicut locutus eſt Dominus.*

20 *Quando interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quæ ſunt teſtimonia, & mandata, & iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noſter vobis?*

21 *Dices filio tuo: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti.*

22 *Et poſuit Dominus ſigna, & prodigia magna, & peſſima in Ægypto, in Pharaonem, & in omnes homines domus eius ante oculos noſtros.*

23 *Nos autem eduxit inde, vt introduceret nos, & vt daret nobis terram de qua iurauit patribus noſtris.*

24 *Et præcepit nobis, vt faciamus omnia præcepta hæc, vt timeamus Dominum Deum noſtrum, vt bene ſit nobis omnibus diebus, vt viuificet nos ſicut in die hac:*

25 *Et præmium erit nobis ſi cuſtodierimus, vt faciamus omnia præcepta hæc coram Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis.*

### CAP. VII.

1 *CVm autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eam, & eiecerit populos multos à facie tua, Ethæos, & Gergeſæos, & Amorræos, & Chananæos, & Pherezæos, & Euæos, & Iebuſæos, ſeptem populos magnos, & fortiores te.*

2 *Et tradiderit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, percuties eos, & cõſummatione cõſummes eos. Non inibis cum eis pactum, nec miſereberis eorum.*

3 *Neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, & filiam eius, non accipies filio tuo.*

4 *Quoniam aberrare facient filium tuũ à timore meo, & ſeruient idolis populorum, & iraſcetur furor Domini contra vos, & diſperdet te cito.*

5 *Sed hæc facietis eis: Aras eorum confringetis, & ſtatuas eorum conteretis, & lucos eorum ſuccidetis, & imagines idolorum eorum comburetis igni.*

6 *Quoniam populus ſanctus es coram Domino Deo tuo & te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei in populum electum magis quam omnes populi qui ſunt ſuper faciem terræ.*

7 *Non quia multi eſtis vos magis quam omnes populi, complacuit in vobis Domino, & elegit vos, cum vos ſitis pauciores omnibus populis.*

8 *Sed quia dilexit vos Dominus, & quia cuſtodiuit iuramentum quod iurauit patribus veſtris, eduxit vos in manu forti, & redemit te de domo ſeruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.*

9 *Et ſcies quia Dominus Deus tuus ipſe eſt Deus, Deus fidelis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta eius in mille generationes.*

10 *Et retribuens inimicis ſuis bona quæ ipſi faciunt coram eo in vita ſua, vt perdat eos, & non differt facere bonum inimicis ſuis pro bonis quæ faciunt coram eo, ſed in vita eorum retribuit eis.*

11 *Et cuſtodies præcepta, & mandata, & iudicia, quæ ego præcipio tibi hodie vt facias ea.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Si poſtquam audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & miſericordiam quam iurauit patribus tuis:
13 Et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum ſuper terram, pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi.
14 Benedictus eris inter omnes populos. * Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis.
* Exo. 23. d
15 Auferet Dominus à te omnem languorem: & infirmitates Ægypti peſſimas, quas nouiſti, non inferet tibi; ſed cunctis hoſtibus tuis.

16 Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec ſeruies dijs eorum, ne ſint in ruinam tui.

17 Si dixeris in corde tuo: Plures ſunt gentes iſtæ quã ego, quomodo potero delere eas?
18 Noli metuere; ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptijs,

19 Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & ſigna atque portenta, manumque robuſtam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus: ſic faciet cunctis populis, quos metuis.

Exo. 23. b. 28. Ioſ. 24. 12.
20 Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque diſperdat qui te fugerint, & latere potuerint.
21 Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis:
22 Ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ.
23 Dabitque eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.
24 Tradetque reges eorum in manus tuas, & diſperdes nomina eorum ſub cœlo: nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras eos.
* 2. Mac. 12. 40
25 * Sculptilia eorum igne combures: non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt Domini Dei tui.
26 Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.

### CAP. VIII.

1 OMne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter vt facias: vt poſſitis viuere, & multiplicemini, ingreſſique poſſideatis terrã, pro qua iurauit Dominus patribus veſtris.
2 Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius, an non.
3 Afflixit te penuria, & dedit cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt oſtenderet tibi quod non * in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.
* Matt. 4. 4. Luc. 4. 4.

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et erit merces, ſi audieris iudicia iſta, & cuſtodieris, & feceris ea, & cuſtodiet Dominus Deus tuus tibi pactum, & miſericordiam, vt iurauit patribus tuis.*
13 *Et diliget te, & benedicet tibi, & multiplicare faciet te, & benedicet fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, & vino tuo, & oleo tuo, primogenito boũ tuorũ, & gregibus pecudũ tuarũ ſuper terrã, ſuper quã iurauit patribus tuis, vt daret tibi.*
14 *Benedictus eris præ omnibus populis. Non erit in te ſterilis aliquis, & ſterilis aliqua, & in iumentis tuis.*
15 *Et remouebit à te Dominus omnem infirmitatem, & omnes ægritudines Ægypti malas, quas noſti, non ponet eas in te; ſed ponet eas in omnibus odio habentibus te.*

16 *Et conſumes omnes populos quos Dominus Deus tuus dat tibi. Non parcet oculus tuus eis, & non coles deos eorum, quia laqueus ſunt tibi.*

17 *Si dixeris in corde tuo: Plures ſunt gentes iſtæ quam ego, quomodo potero expellere eas?*
18 *Ne timeas ab eis; recordando recorderis quæ fecit Dominus Deus tuus Pharhoh, & omnibus Ægyptijs.*
19 *Tentationum magnarum quas viderunt oculi tui, & ſignorum, & portentorum, & manus validæ & brachij extenti, quo educere fecit te Dominus Deus tuus: ſic faciet Dominus Deus tuus omnibus populis à quorum conſpectu times.*
20 *Et etiam crabronem mittet Dominus Deus tuus contra eos, donec pereant qui remanſerint, & qui abſconderint ſe à facie tua.*
21 *Ne paueas à facie eorum, quia Dominus Deus tuus eſt in medio tui, Deus magnus, & terribilis.*
22 *Et expellet Dominus Deus tuus gentes iſtas à facie tua paulatim paulatim. Non poteris conſumere eas cito, ne forte multiplicetur contra te beſtia agri.*
23 *Et tradet eas Dominus Deus tuus coram te, & conteres eas contritione magna, donec perdantur ipſæ.*
24 *Et tradet reges earum in manu tua, & perdes nomen earum ſub cœlo: non ſtabit quiſquam coram te, donec perdas eas.*
25 *Sculptilia deorum earum combures igni: non concupiſces argentum, & aurum quæ ſunt in eis, vt capias tibi, ne forte illaqueeris in illo: abominatio enim Domini Dei tui eſt.*
26 *Et non introduces abominationem in domum tuam, vt ſis anathema ſicut illud. Deteſtando deteſtaberis illud, & abominando abominaberis illud, quia anathema eſt.*

### CAP. VIII.

1 *OMne præceptum, quod ego præcipio vobis hodie cuſtodietis, vt faciatis, vt viuatis, & multiplicemini, & ingrediamini, & poſſideatis terram, ſuper quam iurauit Dominus patribus veſtris.*
2 *Et memento omnis viæ per quam ambulare fecit te Dominus Deus tuus, iam quadraginta annis in deſerto, vt affligeret te, vt tentaret te, vt ſciret quæ ſunt in corde tuo, vtrum cuſtodires præcepta eius, an non.*
3 *Et afflixit te, & eſurire fecit te, & comedere fecit te Man, quod nõ cognouiſti, nec cognouerũt pr̃es tui, vt cognoſcere faceret te, quod nõ in pane ſolo viuit homo, ſed in omni quod egreditur ex ore Dñi, viuet homo.*

Ve-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

12 Et erit cum audieritis iuſtificationes has, & cuſtodieritis, & feceritis ea, & conſeruabit Dominus Deus tibi teſtamentum,& miſericordiam,quam iurauit patribus veſtris:

13 Et diliget te:& benedicet te,& multiplicabit te: & benedicet fœtus ventris tui, & fructum terræ tuæ, frumentum tuum, & vinum tuum,& oleum tuum, arméta boũ tuorũ, & greges ouiũ tuarũ ſuper terrã, quam iurauit Dominus patribus tuis dare tibi.

14 Benedictus eris præ omnibus gentibus: non erit in vobis infœcundus, neque infœcunda, & in pecoribus tuis.

15 Et circumauferet Dominus Deus tuus à te omnẽ languorem, & omnes morbos Aegypti malignos, quos vidiſti, & quæcumque noſti, non imponet ſuper te, & imponet ea ſuper omnes odio habentes te.

16 Et comedes omnia ſpolia gentium: quas Dominus Deus tuus dat tibi. Non parcet oculus tuus in eis, & non ſeruies Dijs eorum, quoniam offendiculum hoc eſt tibi.

17 Si autem dicas in mente tua:Quia multa gens hęc, quam ego,quomodo potero exterminare eos.

18 Ne timueritis eos: recordatione recordare, quæcumque fecit Dominus tuus Pharaoni, & omnibus Aegyptijs:

19 Tentationes magnas,quas viderunt oculi tui,ſigna, & prodigia magna illa,manum validam, & brachiũ excelſum, vt eduxit te Dominus Deus tuus:ſic faciet Dominus Deus veſter omnibus gentibus,quos tu timueris à facie eorum.

20 Et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos: quoadusque deleantur reſidui, & qui ſe abſconderunt à te.

21 Non vulneraberis à facie eorum, quoniam Dominus Deus in te,Deus magnus & potens.

22 Et conſumet Dominus Deus tuus gentes has à facie tua paulatim paulatim. Non poteris conſumere eas cito,vt non fiat terra deſerta, & multiplicentur ſuper te beſtiæ agreſtes.

23 Et tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas, & perdes eos perditione magna, quoadusque exterminaueritis eos.

24 Et tradet reges eorum in manus veſtras, & diſperdetis nomen eorum de loco illo: non reſiſtet vllus ad faciem tuam, quoadusque exterminaueris eos.

25 Sculptilia Deorum eorum comburetis igni: non concupiſces argentum, neque aurum ab eis ſumes tibi, ne cadas propter illud: quoniam abominatio eſt Domino Deo tuo.

26 Et non inferes abominationem in domum tuam, & eris anathema,ſicut iſtud. Deteſtatione deteſtaberis, & abominatione abominaberis, quoniam anathema eſt.

### CAP, VIII.

1 OMnia mandata, quæ ego mando vobis hodie, cuſtodietis facere, vt viuatis,& multiplicemini,& intretis, & hæreditetis terram, quam iurauit Dominus Deus veſter patribus veſtris.

2 Et recordaberis omnem viam, qua duxit te Dominus Deus tuus in deſerto,vt affligeret te, & tentaret te, & cognita fierent, quæ in corde tuo ſunt, ſi obſeruabis mandata eius, an non.

3 Et afflixit te,& eſurire te fecit,& cibauit te Manna: quod nõ nouerant patres tui:vt indicaret tibi, quia non in pane ſolo viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit per os Dei,viuet homo.



## Chald. Paraph. Tranſl.

12 Et ſi ſuſceperitis iudicia hæc, & cuſtodieritis,& feceritis ea,cuſtodiet Dominus Deus tuus tibi pactũ. & miſericordiam quam iurauit patribus tuis.

13 Et diliget te,& benedicet tibi, & multiplicabit te, & benedicet filijs ventris tui, & fructus terræ tuæ, & frumento tuo, & vino, & oleo tuo & vaccis armenti tui,& gregibus ouium tuarum ſuper terram de qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi.

14 Benedictus eris magis,quàm omnes populi,non erit in te ſterilis maſculus nec fœmina,neque in iumentis tuis.

15 Et auferet Dominus à te cunctas infirmitates, & omnes plagas Aegypti peſſimas quas nouiſti, & non ponet eas in te, ſed dabit eas in omnibus inimicis tuis.

16 Et cõſumes omnes populos quos Dominus Deus tuus tradet tibi. Non parcet eis oculus tuus, neque ſeruies idolis eorum, quia in ſcandalum erunt tibi.

17 Si dixeris in corde tuo,plures ſunt populi iſti quàm ego, quomodo potero eijcere eos?

18 Ne timeas eos: recordans recordaberis, quæ fecit Dominus Deus tuus Pharaoni, & omnibus Aegyptijs.

19 Mirabilia grandia,quæ viderunt oculi tui,& ſigna & portenta, & manum fortem, & brachium excelſum, quo eduxit te Dominus Deus tuus: ſic faciet Dominus Deus tuus cũctis populis,à facie quorum tu metuis.

20 Inſuper & veſpã mittet Dominus Deus tuus in eos donec pereant qui remãſerint,& qui abſcõditi fuerint à facie tua.

21 Ne formides à facie eorũ,quĩ maieſtas Dñi Dei tui, habitat ĩ medio tui,q ẽ Deus magnus et terribilis.

22 Et eijciet Dominus Deus tuus populos iſtos à facie tua paulatim:non poteris conſumere eos citò,ne forte multiplicentur contra te beſtiæ agri.

23 Et tradet eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, & conturbabit eos conturbatione magna donec conſumantur.

24 Et tradet reges eorum in manu tua, & perdes nomen eorum ſub cælo: non ſtabit vir coram te donec conſumas illos.

25 Simulacra idolorum eorum comburetis igni: non concupiſces aurum, & argentum quod eſt ſuper ea, nec aſſumes tibi,ne fortè offendas in eis:quia abominatio eſt coram Domino Deo tuo.

26 Ne inferas quod abominabile eſt in domum tuam, ne ſis anathema ſicut illud eſt: Sed deteſtatione deteſtaberis illud, & abominatione abominaueris illud, quia anathema eſt.

### CAP. VIII.

1 OMne mandatum quod ego præcipio tibi hodie cuſtodietis ad faciendum,vt viuatis, & multiplicemini, & ingrediamini,& poſſideatis terram pro qua iurauit Dominus patribus veſtris.

2 Et recordaberis cuncti itineris quò duxit te Dominus Deus tuus iſtis quadraginta annis in deſerto, vt affligeret te, & vt tentaret te, & vt ſciretur quod erat in corde tuo, vtrum cuſtodires præcepta eius an non.

3 Et afflixit te,& eſurire te fecit,& comedere te fecit Mãna,quod neſciebas,& neſciebãt patres tui:vt oſtenderet tibi, quia non in pane ſolo viuit homo, ſed in omni quod egreditur à verbo Domini viuit homo.

## Vulgat. Editio.

4 Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.

5 Vt recogites in corde tuo, quia ſicut erudit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus erudiuit te,

6 Vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum.

7 Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumque & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi:

8 Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta naſcuntur: terram olei ac mellis.

9 Vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur:

10 Vt cum comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.

11 Obſerua, & caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie:

12 Ne poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis,

13 Habuerisque armenta boum & ouium greges, argenti & auri, cunctarumque rerum copiam,

14 Eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis:

15 Et ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, * in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac dipſas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra duriſſima,

* Nu. 20. 9. 11. 6. Exo. 16. 10. & 17. 6.

16 Et cibauit te Manna in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui. Et poſtquam afflixit ac probauit, ad extremum miſertus eſt tui,

17 Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt.

18 Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauit patribus tuis, ſicut præſens indicat dies.

19 Sin autem oblitus Domini Dei tui, ſecutus fueris deos alienos, coluerisque illos & adoraueris: ecce nunc prædico tibi quod omnino diſpereas.

20 Sicut Gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, ſi inobedientes fueritis voci Domini Dei veſtri.

### CAP. IX.

1 Audi Iſrael: Tu tranſgredieris hodie Iordanem, vt poſſideas nationes maximas & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cœlum vſque muratas,

2 Populum magnum atque ſublimem, filios Enacim, quos ipſe vidiſti, & audiſti, quibus nullus poteſt ex aduerſo reſiſtere.

3 Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis deuorans atque conſumens, qui conterat eos & deleat atque diſperdat ante faciem tuam velociter, ſicut locutus eſt tibi.

4 Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas illæ deletæ ſint nationes.

Ne-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Veſtimentum tuum non inueterauit ſuper te, & pes tuus non tumuit iam quadraginta annis.*

5 *Et ſcito corde tuo, quod quemadmodum erudit vir filium ſuum, ſic Dominus Deus tuus erudit te.*

6 *Et cuſtodi præcepta Domini Dei tui, vt ambules per vias eius, & timeas eum.*

7 *Dominus enim Deus tuus introducit te in terram bonam, terram torrentium, aquarum, fontium, & voraginum egredientium per valles, & per montes,*

8 *Terram frumēti, & hordei, & vitis, & ficus, & malogranati, terram oliuæ olei, & mellis.*

9 *Terram in qua non cum paupertate comedes panem: non carebis aliquo in ea: terram ex cuius lapidibus eſt ferrum, & ex montibus eius excides æs.*

10 *Et comedes, & ſaturaberis, et benedices Domino Deo tuo propter terram bonam quam dedit tibi.*

11 *Caue tibi, ne obliuiſcaris Domini Dei tui, vt non ſerues præcepta eius, & iudicia eius, et ſtatuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie.*

12 *Ne forte comedas, & ſatureris, & domos pulchras ædifices & habites.*

13 *Et boues tui, & pecudes tuæ multiplicentur, & argentum & aurum multiplicetur tibi, & omne quod eſt tibi, multiplicetur.*

14 *Et eleuetur cor tuum, & obliuiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te è terra Ægypti, è domo ſeruorum.*

15 *Qui ambulare fecit te per deſertum magnum, & terribile, ſerpentis adurentis, & ſcorpionis, & ſitis, in quo non erat aqua, & eduxit tibi aquam è petra ſilicis.*

16 *Qui comedere fecit te Man in deſerto, quod non nouerunt patres tui: vt affligeret te, & tentaret te, vt benefaceret tibi in nouiſſimo tuo.*

17 *Et dixeris in corde tuo, potentia mea, & robur manus meæ fecit mihi ſubſtantiam hanc.*

18 *Memento Domini Dei tui, quia ipſe dat tibi potentiam, vt facias ſubſtātiam, vt ſtatuas pactum eius, ſuper quo iurauit patribus tuis ſecundum diem hanc.*

19 *Et erit, ſi obliuiſcendo oblitus fueris Domini Dei tui, & ambulaueris poſt deos alienos, & colueris eos, & incuruaueris te eis: teſtificor vobis hodie quod pereundo peribitis.*

20 *Sicut gentes quas Dominus perdit à facie veſtra, ſic peribitis, eo quod non parueritis voci Domini Dei veſtri.*

### CAP. IX.

1 *Audi Iſrael: Tranſis hodie Iarden, vt ingrediaris ad poſſidendum gentes magnas, & robuſtiores te, vrbes magnas, & munitas vſque ad cœlum.*

2 *Populum magnum, & excelſum, filios Hanakim, quos noſti, & audiſti: quis ſtabit coram filijs Hanach?*

3 *Et ſcito hodie quod Dominus Deus tuus ipſe tranſit ante te: ignis conſumens eſt, perdet eos, & ipſe humiliabit eos ante te, & expelles eos, & perdes eos cito, quemadmodum locutus eſt Dominus ad te.*

4 *Ne dicas in corde tuo, cum propulſauerit Dominus Deus tuus eos à facie tua, dicendo: Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt poſſiderem terram iſtam, & propter impietatem gentiū iſtarū, Dominus expellit eas à facie tua.*

Non

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

4 Veſtes tuæ non inueterauerunt à te, & ſoleæ tuæ
non ſunt extritæ à te, pedes tui non occalluerunt,
ecce quadraginta anni.
5 Et cognoſces corde tuo, quia ſicut ſi quis homo eru
diat filium ſuũ, ita Dominus Deus tuus erudiet te.
6 Et cuſtodies mandata Domini Dei tui, ambulare in
vijs eius, & timere eum.
7 Dominus enim Deus tuus inducet te in terram
bonam, & multam, vbi torrentes aquarum, & fon-
tes abyſſorum procedentes per campos, & per
montes,
8 Terra tritici, & hordei, vites, ficus, mala punica, ter-
oliuæ, olei, & mellis:
9 Terra, ſuper quam non cum inopia comedes panem
tuum, & non egebis ſuper eam quoquam, terra, cu-
ius lapides ferrum, & de montibus eius effodies
æs.
10 Et comedes, & ſaturaberis, & benedices Dominum
Deum tuum ſuper terram bonam, quam dedit tibi.
11 Attende tibi, ne obliuiſcaris Domini Dei tui, ad nõ
cuſtodiendum mandata eius, & iudicia, & iuſtifica-
tiones eius, quaſcunque ego præcipio tibi hodie:
12 Ne, cum comederis, & ſaturatus fueris, & domos
bonas ædificaueris, & habitaueris in eis,
13 Et bobus tuis, & ouibus tuis multiplicatis tibi, ar-
gento, & auro multiplicato tibi,
14 Exalteris corde, & obliuiſcaris Domini Dei tui,
qui eduxit te de terra Ægypti, e domo ſeruitu-
tis:
15 Qui duxit te per deſertum illud magnum, & horri-
bile, vbi ſerpens mordens, & ſcorpio, & dipſas, vbi
non erat aqua, qui eduxit tibi de petra duriſſima
fontem aquæ:
16 Qui cibauit te in deſerto Manna, quod non noue-
ras, neque nouerant patres tui, vt affligeret te & tẽ-
taret te, & bene tibi faceret i nouiſſimis diebus tuis.
17 Ne dixeris in corde tuo, fortitudo mea, & robur ma
nus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc.
18 Et recordaberis Domini Dei tui, quia ipſe tibi dat
fortitudinem ad faciẽdam virtutem, & vt firmet te-
ſtamentum ſuum, quod iurauit Dominus patribus
tuis vſque hodie.
19 Et erit, ſi obliuione oblitus fueris Domini Dei tui,
& ambulaueris poſt Deos alios, & ſeruieris eis, &
adoraueris eos: teſtor vobis hodie cœlum, & ter-
ram quia perditione perdemini:
20 Sicut & reliquæ gentes, quaſcumque Dominus
Deus perdit ante faciem veſtram, ſic perdemini, pro
eo, quod non audiſtis vocem Domini Dei veſtri.

### CAP. IX.

1 AVdi Iſrael: Tu tranſis hodie Iordanem, vt in-
tres ad hæreditandum gentes magnas, & for-
tiores magis, quam vos, ciuitates magnas, & muratas
vſque in cœlum.
2 Populum magnum, & multum, & procerum, filios
Enac, quos tu noſti, & tu audiſti: quis reſiſtet con-
tra faciem filiorum Enac?
3 Et cognoſces hodie, quia Dominus Deus tuus, hic
præcedet ante faciem tuam: ignis conſumens eſt:
hic exterminabit eos, & hic auertet eos à facie tua,
& perdet eos velociter, ſicut dixit tibi Dominus.
4 Ne dicas in corde tuo, cum conſumpſerit Dominus
Deus tuus gentes iſtas ante faciem tuam, dicens:
Propter iuſtitiam meam induxit me Dominus hæ-
reditare terram bonam iſtam.

## Chald. Paraph. Tranſl.

4 *Veſtimentum tuum non inueterauit in te, & cal-
ceamenta tua non ſunt attrita iſtis quadraginta
annis.*
5 *Et ſcies in corde tuo quia ſicut erudit vir filium
ſuum, ſic Dominus Deus tuus erudit te.*
6 *Et cuſtodies præcepta Domini Dei tui, vt ambules
in vijs quæ rectæ ſunt coram eo, & vt timeas eum.*
7 *Quoniam Dominus Deus tuus introducet te in ter-
ram bonam, terram fluentem torrentibus aquarum,
& fontibus manantibus ex abyſſis, & egredientibus
in campis, & in montibus.*
8 *Terram tritici, & hordei, & vitium, & ficuum, &
malogranatorum, terram cuius oliuæ producunt o-
leum, & ipſa fluit melle.*
9 *Terram vbi abſque penuria comedes panem, & ni-
hil deficit in ea, terram cuius lapides ferrum ſunt,
& de montibus eius ſuccides æs.*
10 *Et comedes, & ſaturaberis, & benedices Domino
Deo tuo pro terra bona quam dedit tibi.*
11 *Caue tibi ne obliuiſcaris timoris Domini Dei tui, vt
non cuſtodias præcepta eius & iudicia eius, & pacta
eius, quæ ego præcipio tibi hodie.*
12 *Ne fortè cum comederis, et ſatiatus fueris, & domos
pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis:*
13 *Et boues tui, & oues tuæ multiplicati fuerint, & ar-
gentum, & aurum multiplicatum fuerit tibi, & om
nia tua multiplicata fuerint:*
14 *Induretur cor tuum, & obliuiſcaris timoris Domini
Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti de domo ſer-
uitutis.*
15 *Qui duxit te per deſertum magnum, & terribile, lo-
cum ſerpentium vrentium, & ſcorpionum, & locum
ſitis, vbi non eſt aqua, qui eduxit tibi aquam de pe-
tra duriſſima.*
16 *Qui cibauit te Manna in deſerto quod neſcierunt pa
tres tui, vt affligeret te, & vt tentaret te, vt benefa-
ceret tibi in nouiſſimis tuis.*
17 *Et ſi dixeris in corde tuo, fortitudo mea, & robur ma
nus meæ poſſidere me fecerunt ſubſtantias iſtas:*
18 *Recordaberis Domini Dei tui, quoniam ipſe dedit ti-
bi fortitudinem vt acquireres ſubſtantiam, & vt fir
maret pactum ſuum quod iurauit patribus tuis ſi-
cut in die hac.*
19 *Et erit ſi obliuione oblitus fueris Domini Dei tui,
& ambulaueris poſt idola populorum, & ſeruieris
eis, & adoraueris ea: conteſtor vobis hodie quoniam
perditione peribitis.*
20 *Sicut populi quos Dominus tranſtulit à facie veſtra
ſic peribitis, pro eo quod non obediſtis verbo Domini
Dei veſtri.*

### CAP. XI.

1 *AVdi Iſrael: Tu tranſis hodie Iordanem, vt in-
grediaris, & eijcias populos fortiores te, & poſ-
ſideas ciuitates magnas, & muratas vſque ad cœ-
lum.*
2 *Populum magnum, & fortem, filios Gigantum: tu
enim noſti, & audiſti quod nullus poteſt reſiſtere fi-
lijs Gigantum.*
3 *Et ſcies hodie quia verbum Domini Dei tui quod
tranſit coram te, ignis conſumens eſt, ipſe conſumet
eos, & ipſe conteret eos coram te, & eijcies eos, & per
des eos citò, ſicut locutus eſt tibi Dominus.*
4 *Ne dicas in corde tuo, cum contriuerit Dominus
Deus tuus eos à facie tua dicens: Propter iuſtitiam
meam introduxit me Dominus, vt poſſiderem ter-
ram hanc, ſed propter peccata populorum iſtorum
eijciet eos Dominus à facie tua.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt poſſideas terras earum: ſed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ ſunt: & vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob.

6 Scito ergo quod non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cũ duriſſimæ ceruicis ſis populus.

7 Memento, & ne obliuiſcaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in ſolitudine. Ex eo die, quo egreſſus es ex Ægypto vſque ad locum iſtum, ſemper aduerſum Dominum contendiſti.

* Ex.17.6. Nu.11.18. 14.15.

8 * Nam & in Horeb prouocaſti eum, & iratus delere te voluit.

9 Quando aſcendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiſcum Dominus; & perſeueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens.

10 Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei, & continentes omnia verba quæ vobis locutus eſt in monte de medio ignis, quando concio populi congregata eſt.

11 Cumque tranſiſſent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,

* Exo.32.7.

12 Dixitque mihi: * Surge, & deſcende hinc cito: quia populus tuus, quem eduxiſti de Ægypto, deſeruerunt velociter viam, quam demonſtraſti eis, feceruntque ſibi conflatile.

13 Rurſumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit:

14 Dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de ſub cælo, & conſtituam te ſuper Gentem, quæ hac maior, & fortior ſit.

15 Cumque de monte ardente deſcenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu,

16 Vidiſſemque vos peccaſſe Domino Deo veſtro, & feciſſe vobis vitulum conflatilem, ac deſeruiſſe velociter viam eius, quam vobis oſtenderat:

17 Proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conſpectu veſtro.

18 Et procidi ante Dominum ſicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata veſtra quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis:

19 Timui enim indignationem & iram illius, qua aduerſum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.

20 Aduerſum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum.

21 Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta comminuens, omninoque in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte deſcendit.

* Num.11. 1.16.& 11.4.

22 * In incendio quoque & in tentatione, & in Sepulchris concupiſcentiæ prouocaſtis Dominum:

23 Et quando miſit vos de Cadesbarne, dicens: Aſcendite, & poſſidete terram, quam dedi vobis, & contempſiſtis imperium Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei, neque vocem eius audire voluiſtis:

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Non propter iuſtitiam tuam, & rectitudinem cordis tui tu ingrederis ad poſſidendum terram earum: ſed propter impietatem gẽtium iſtarum Dominus Deus tuus expellit eas à facie tua, & vt confirmet verbum, ſuper quo iurauit Dominus patribus tuis, Abraham, Iiſchac, & Iahacob.*

6 *Et ſcito quod non propter iuſtitiam tuam Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam iſtam, vt poſſideas eam, quia populus durus ceruice es.*

7 *Memento, ne obliuiſcaris, quod iraſci feciſti Dominum Deum tuum in deſerto. A die qua egreſſus es à terra Ægypti, donec ingreſſi eſtis in locum iſtum, rebelles fuiſtis Domino.*

8 *Et in Choreb iraſci feciſtis Dominum, & iratus eſt Dominus contra vos, vt perderet vos.*

9 *Quando aſcendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit Dominus vobiſcum, & manſi in monte quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedi, & aquam non bibi.*

10 *Et dedit Dominus mihi duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei, & ſuper eis ſecundum omnia verba, quæ locutus eſt Dominus nobiſcum in monte è medio ignis, in die congregationis.*

11 *Et fuit in fine quadraginta dierum, & quadraginta noctium, dedit Dominus mihi duas tabulas lapideas, tabulas pacti.*

12 *Et dixit Dominus ad me: Surge, deſcende cito hinc, quia corrupit ſeipſum populus tuus, quem eduxiſti ex Ægypto, receſſerunt cito de via, quam præcepi eis, fecerunt ſibi conflatile.*

13 *Et dixit Dominus ad me, dicendo: Vidi populum iſtum, & ecce populus durus ceruice eſt.*

14 *Dimitte me, & perdam eos, & delebo nomen eorum ſub cælo, & faciam te in gentem robuſtam, & maiorem eâ.*

15 *Et verti me, & deſcendi è monte, & mons ardebat igni, & duæ tabulæ pacti erant in duabus manibus meis.*

16 *Et vidi, ecce peccaueratis Domino Deo veſtro, feceratis vobis vitulum conflatilem, receſſeratis cito de via quam præcepit Dominus vobis.*

17 *Et apprehendi duas tabulas, & proieci eas è duabus manibus meis, & confregi eas in oculis veſtris.*

18 *Et proieci me coram Domino ſicut prius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedi, & aquam non bibi propter omne peccatum veſtrum, quod peccaueratis faciendo malum in oculis Domini, irritando eum.*

19 *Timui enim propter furorem, & iram qua iratus erat Dominus contra vos, vt perderet vos. Exaudiuit Dominus me etiam vice ipſa.*

20 *Et in Aharon iratus eſt Dominus valde, vt perderet eum, & oraui etiam pro Aharon in tempore ipſo.*

21 *Et peccatum veſtrum quod feceratis, vitulum accepi, & combuſſi illum igni, & contriui illum conterendo bene, donec eſſet comminutus in puluerem, & proieci puluerem eius in torrentem, qui deſcendit è monte.*

22 *Et in incendio, & in tentatione, & in ſepulchris concupiſcentiæ iraſci feciſtis Dominum.*

23 *Et quando miſit Dominus vos de Cadesbarneah, dicendo: Aſcendite, & poſſidete terram, quam dedi vobis, irritaſtis os Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei, & non obediuiſtis voci eius.*

Re-

## Tranſl. ex Septuag.

5 Non propter iuſtitiam tuam, neque propter ſanctitatem cordis tui tu intrabis hæreditare terram, ſed propter impietatem gentium iſtarum Dominus exterminabit eos à facie tua, & vt firmet teſtamentum quod iurauit Dominus patribus noſtris, Abraham, & Iſaac, & Iacob.

6 Et ſcies hodie, quia non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam iſtam hæreditare, quoniam populus dura ceruice es.

7 Memor eſto, ne obliuiſcaris, quanta exacerbaſti Dominum Deum tuum, ex qua die exiſtis de Ægypto & veniſtis in locum hunc, increduli perſeueratis, quæ ad Dominum.

8 Et in Choreb exacerbaſtis Dominum, & indignatus eſt Dominus in vos, ad exterminandum vos,

9 Aſcendente me in montem accipere tabulas lapideas, tabulas teſtamenti, quas diſpoſuit Dominus ad vos: & perſtiti in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non manducaui, & aquam non bibi.

10 Et dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas in digito Dei: & in eis ſcripta erant omnia verba, quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte, die eccleſiæ.

11 Et factum eſt per quadraginta dies, & quadraginta noctes dedit Dominus mihi duas tabulas lapideas, tabulas teſtamenti.

12 Et dixit Dominus ad me: Surge, deſcende velociter hinc, quia iniquitatem fecit populus tuus, quos eduxiſti de terra Ægypti, tranſgreſſi ſunt cito de via, quam mandaſti eis, & fecerunt ſibi fuſile.

13 Et ait Dominus ad me, dicens: Locutus ſum ad te ſemel, & bis, dicens: Vidi populum hunc, & ecce populus dura ceruice eſt.

14 Et nunc dimitte me exterminare eos, & delebo nomen eorum de ſub cœlo, & faciam te in gentem magnam, & fortem, & multam magis quam hanc.

15 Et reuertens deſcendi de monte, & mons ardebat igni vſque ad cœlum, & duæ tabulæ teſtimoniorum in ambabus manibus meis.

16 Et videns quia peccaueratis ante Dominum Deum veſtrum, & feceratis vobiſipſis fuſile, & tranſgreſſi eratis de via, quam mandauerat Dominus vobis facere:

17 Et ſumens ambas tabulas proieci eas ex ambabus manibus meis & contriui coram vobis.

18 Et oraui ante Dominum ſecundo, ſicut & antea, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non manducaui, & aquam non bibi pro omnibus peccatis veſtris, quæ peccaſtis, faciendo malum ante Dominum Deum, ad exacerbandum eum.

19 Et timidus ſum propter furorem, & iram, quia exacerbatus erat Dominus in vos ad exterminandos vos. Et exaudiuit Dominus me etiam in tempore illo.

20 Et ſuper Aaron indignatus eſt ad exterminandum eum, & oraui & pro Aaron in tempore illo.

21 Et peccatum veſtrum, quod feceratis, vitulum cepi eum, & combuſſi eum in igni, & confregi eum molens valde, donec factum eſt minutum, & fuit ſicut puluis, & proieci puluerem in torrentem deſcendentem de monte.

22 Et in incendio, & in tentatione, & in monumentis concupiſcentiæ exacerbantes fuiſtis Dominum.

23 Et quando emiſit vos Dominus de Cades Barne, dicens: Surgite & hæreditate terram, quam do vobis, & increduli fuiſtis verbo Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei, & non exaudiſtis vocem eius:

In-

## Chald. Paraph. Tranſl.

5 *Non propter iuſtitiam tuam neque propter rectitudinem cordis tui: tu ingredieris ad poſſidendam terram eorum, ſed propter peccata populorum iſtorum Dominus Deus tuus eijciet eos à facie tua, & vt confirmet verbum quod iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob.*

6 *Et ſcies quoniam non propter iuſtitiam tuam Dominus Deus tuus dabit tibi terram bonam hāc vt poſſideas eam, quia tu es populus duræ ceruicis.*

7 *Memento ne obliuiſcaris quomodo ad iracundiam prouocaſti Dominum Deum tuum in deſerto, à die quo egreſſus es de terra Ægypti donec veniſtis vſque ad locum iſtum rebelles fuiſtis coram Domino.*

8 *Et in Oreb prouocaſtis ad iracundiam Dominum, & fuit ira à facie Domini cōtra vos, vt cōſumeret vos.*

9 *Quando aſcendi in montem vt acciperem duas tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit Dominus vobiſcum: & manſi in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedi, & aquam non bibi.*

10 *Et dedit Dominus mihi duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei: & ſuper eas iuxta omnia verba quæ locutus eſt Dominus vobiſcum de medio ignis in die congregationis.*

11 *Et factum eſt poſt quadraginta dies, & quadraginta noctes dedit Dominus mihi duas tabulas lapideas, tabulas fœderis.*

12 *Et dixit Dominus ad me: Surge, deſcende citò hinc, quia corruptus eſt populus tuus quem eduxiſti de Ægypto, receſſerunt citò de via quam præcepiſti eis, fecerunt ſibi conflatile.*

13 *Et ait Dominus ad me, dicens: Notus eſt coram me populus hic, & ecce populus duræ ceruicis eſt.*

14 *Dimitte deprecationē tuam à conſpectu meo vt cōſumam eos, & delebo nomen eorum de ſub cœlis, & faciam te in populum fortiorem & maiorem his.*

15 *Et diuerti, & deſcendi de monte, & mons ardebat igni, & duæ tabulæ fœderis erant in duabus manibus meis.*

16 *Et vidi, & ecce peccaſtis coram Domino Deo veſtro, feciſtis vobis vitulum conflatilem, declinaſtis citò à via quam præcepit Dominus vobis.*

17 *Et apprehendi duas tabulas, & proieci eas de duabus manibus meis, & cōfregi eas ante oculos veſtros*

18 *Et proſtratus ſum coram Domino ſicut prius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panē non comedi, & aquam non bibi, propter omnia peccata veſtra in quibus peccaſtis faciendo quod malum eſt coram Domino ad irritandum eum.*

19 *Timui enim propter iram & indignationem qua iratus erat Dominus contra vos vt conſumeret vos. Et ſuſcepit Dominus orationem meam etiam in tempore illo.*

20 *Contra Aaron quoque fuit ira à facie Domini vt diſperderet eum, & oraui etiam pro Aaron in illo tempore.*

21 *Et peccatum veſtrum quod feciſtis, id eſt, vitulum tuli & combuſſi eum igni, & comminui eum in pilo vehementer, donec fuit comminutum in puluerem, & proieci puluerem eius in torrentem qui deſcendit de monte.*

22 *In incendio quoque, & in tētatione, & in ſepulchris concupiſcentium irritaſtis Dominum.*

23 *Et quando miſit vos Dominus de Cades-barne, dicens: Aſcendite & poſſidete terram quam dedi vobis, rebelles fuiſtis verbo Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei neque obediſtis verbo eius.*

Re-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Sed ſemper fuiſtis rebelles à die qua noſſe vos cœpi. | 24 | 24 | *Rebelles fuiſtis Domino à die qua cognoui vos.* |
| Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum ſuppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus: | 25 | 25 | *Et proſtraui me corã Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quibus proſtraui me quia dixerat Dominus, vt perderet vos.* |
| Et orans dixi: Domine Deus, ne diſperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemiſti in magnitudine tua, quos eduxiſti de Ægypto in manu forti. | 26 | 26 | *Et oraui ad Dominum, & dixi: Domine Deus, ne diſperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemiſti in magnitudine tua, quem eduxiſti ex Ægypto in manu valida.* |
| Recordare ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac, & Iacob: ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum: | 27 | 27 | *Memento ſeruorum tuorum Abrahã, Iſchac & Iahacob, ne reſpicias ad duritiem populi huius, ad impietatem eius, & ad peccatum eius.* |
| Ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxiſti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus eſt eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in ſolitudine. | 28 | 28 | *Ne forte dicant incolæ terræ, vnde eduxiſti nos: Quia non potuit Dominus introducere eos in terrã, quam locutus eſt eis, & quia odio habet ipſe eos, eduxit eos, vt mori faceret eos in deſerto.* |
| Qui ſunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxiſti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento. | 29 | 29 | *Et ipſi ſunt populus tuus, & hæreditas tua, quem eduxiſti in fortitudine tua magna & in brachio tuo extento.* |
| **CAP. X.** | | | ***CAP. X.*** |
| [* Ex. 34. 1.] IN * tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: facieſque arcam ligneam, | 1 | 1 | *IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas ſicut priores, & aſcende ad me in montem, & fac tibi arcam ligneam.* |
| Et ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti, poneſque eas in arca. | 2 | 2 | *Et ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in tabulis prioribus, quas fregiſti, & pones eas in arca.* |
| Feci igitur arcam de lignis ſetim. Cumque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem, habens eas in manibus. | 3 | 3 | *Et feci arcam è lignis ſittim & dolaui duas tabulas lapideas ſicut priores, & aſcendi in montem, & duæ tabulæ erant in manu mea.* |
| Scripſitque in tabulis iuxta id, quod prius ſcripſerat, verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus eſt: & dedit eas mihi. | 4 | 4 | *Et ſcripſit in tabulis, ſecundum ſcripturam priorem, decem verba quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte è medio ignis in die congregationis, & dedit eas Dominus mihi.* |
| Reuerſuſque de monte, deſcendi, & poſui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucuſque ibi ſunt, ſicut mihi præcepit Dominus. | 5 | 5 | *Et verti me, & deſcendi è monte, & poſui tabulas in arca, quam feceram & fuerunt ibi, quemadmodum præcepit mihi Dominus.* |
| [* Nu. 33. 31.] [* Nu. 20. 28.] * Filij autem Iſrael mouerunt caſtra ex Beroth filiorum Iacan in Moſera, vbi * Aaron mortuus ac ſepultus eſt, pro quo, ſacerdotio functus eſt Eleazar filius eius. | 6 | 6 | *Et filij Iſrael profecti ſunt de Beeroth filiorum Iahchan in Moſerah. Ibi mortuus eſt Aharon, & ſepultus eſt ibi & functus eſt ſacerdotio Elhazar filius eius pro eo.* |
| Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, caſtrametati ſunt in Ietebatha, in terra aquarum atque torrentium. | 7 | 7 | *Inde profecti ſunt in Ghudghodah, & de Ghudghodah in Iothbath in terram torrentium aquarum.* |
| Eo tempore ſeparauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret in nomine illius vſque in præſentem diem. | 8 | 8 | *In tempore illo ſeparare fecit Dominus tribum Leui, vt portaret arcam pacti Domini, vt ſtaret coram Domino ad miniſtrãdum ei, & ad benedicendum in nomine eius vſque ad diem hanc.* |
| Quam ob rem non habuit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt, ſicut promiſit ei Dominus Deus tuus. | 9 | 9 | *Idcirco nõ fuit ipſi Leui pars, & hæreditas cum fratribus ſuis: Dominus eſt hæreditas eius, quemadmodum locutus eſt Dominus Deus tuus ei.* |
| Ego autem ſteti in monte, ſicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudiuitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. | 10 | 10 | *Et ego ſteti in monte ſecundum dies priores quadraginta dies, & quadraginta noctes: & exaudiuit Dominus me etiam vice ipſa, noluit Dominus perdere te.* |
| Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, vt ingrediatur, & poſſideat terram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis. | 11 | 11 | *Et dixit Dominus ad me: Surge, vade per profectionem ante populum, & ingrediantur, et poſſidebũt terram, ſuper quã iuraui patribus eorũ, vt darem eis.* |
| Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua. | 12 | 12 | *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum? vt ambules per omnes vias eius, & diligas eum, & colas Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua?* |
| Cuſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias eius quas ego hodie præcipio tibi, vt bene ſit tibi? | 13 | 13 | *Vt cuſtodias præcepta Domini, & ſtatuta eius quæ ego præcipio tibi hodie, vt bene ſit tibi.* |



UVA.BSCH.

## Transl. ex Septuag.

24 Increduli faiſtis, quæ ad Dominum, ex ea die, qua cognitus eſt vobis.

25 Et oraui ante Dominum quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quibus oraui: Dixit enim Dominus exterminare vos.

26 Et oraui ad Deum, & dixi: Domine rex Deorum, ne extermines populum tuum, & partem tuam, quam redemiſti, quos eduxiſti de terra Aegypti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida, & in brachio tuo excelſo.

27 Recordare Abraam, & Iſaac & Iacob ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per teipſum: ne reſpicias ſuper duriciem populi huius, & impietates, & ſuper peccata eorum:

28 Ne dicant inhabitantes terram, vnde eduxiſti nos inde, dicentes: Eo quod non potuerit Dominus inducere eos in terram, quam dixit eis, & quod odio haberet eos, eduxit eos in deſerto interficere eos.

29 Et hi populus tuus, & ſors tua, quos eduxiſti de terra Aegypti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida, & in brachio tuo excelſo.

### C A P. X.

1 IN illo tempore dixit Dominus ad me: Excide tibi duas tabulas lapideas, quemadmodum priores, & aſcende ad me in montem: & facies tibi arcam ligneam,

2 Et ſcribes in tabulis verba, quæ erant in tabulis prioribus, quas contriuiſti, & immittes eas in arcam.

3 Et feci arcam ex lignis imputribilibus, & excidi tabulas lapideas, ſicut priores, & aſcendi in montem, & duæ tabulæ in manibus meis.

4 Et ſcripſit in tabulis ſecundum ſcripturam priorem decem verba: quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte è medio ignis: & dedit eas Dominus mihi.

5 Et reuertens deſcendi de monte, & miſi tabulas in arcam, quam feci, & fuerunt ibi, ſicut mandauit mihi Dominus.

6 Et filij Iſrael promouerunt è Beroth filiorum Iacim in Miſadai: ibi mortuus eſt Aaron, & ſepultus eſt ibi, & ſacerdotio functus eſt Eleazar filius eius pro eo.

7 Inde promouerunt in Gadgad, & de Gadgad in Etebata, terra torrentes aquarum.

8 In illo tempore diſtinxit Dominus tribum Leui portare arcam teſtamenti Domini, aſſiſtere coram Domino, miniſtrare & orare in nomine eius vſque in hanc diem:

9 Propter hoc non eſt Leuitis pars, & ſors in fratribus ſuis: Dominus ipſe pars eius eſt, ſicut dixit ei.

10 Et ego ſteti in monte quadraginta dies, & quadraginta noctes, & exaudiuit Dominus me etiam in tempore illo, & noluit Dominus exterminare vos.

11 Et dixit Dominus ad me: Vade, promoue ante populum hunc, & ingrediantur & hæreditent terram, quam iuraui patribus eorum dare eis.

12 Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus petit à te, niſi timere Dominum Deum tuum, & ambulare in omnibus vijs eius, & diligere eum, & ſeruire Domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua:

13 Cuſtodire mandata Dñi Dei tui, & iuſtificationes eius, quaſcũq; ego pcipio tibi hodie, vt bene tibi ſit.

## Chald. Paraph. Transl.

24 *Rebelles fuiſtis coram Domino à die quo cognoui vos.*

25 *Et proſtratus ſum coram Domino quadraginta diebus & quadraginta noctibus quibus proſtratus ſum, quoniam dixerat Dominus vt conſumeret vos.*

26 *Et oraui coram Domino, & dixi: Domine Deus, ne diſſipes populum tuum & hæreditatem tuam quam redemiſti in fortitudine tua, quem eduxiſti de Ægypto in manu forti.*

27 *Recordare ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac, & Iacob, ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem eorum & peccata eorum.*

28 *Ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxiſti nos: eo quòd non erat poteſtas coram Domino, vt introduceret eos in terram, quam locutus eſt eis, & quia oderat illos, eduxit eos vt occideret eos in deſerto.*

29 *Et ipſi ſunt populus tuus & hæreditas tua quos eduxiſti in virtute tua magna, & in brachio tuo excelſo.*

### C A P. X.

1 *IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas ſicut priores, & aſcende ad me in montem, & facies tibi arcam ligneam.*

2 *Et ſcribam ſuper tabulas verba quæ erant ſuper tabulas priores quas confregiſti, & pones eas in arca.*

3 *Et feci arcam de lignis ſetim, & dolaui duas tabulas lapideas ſicut priores, & aſcendi in montem, & duas tabulas lapideas habebam in manu mea.*

4 *Et ſcripſit in tabulis iuxta ſcripturam priorem decem verba quæ locutus eſt Dominus vobiſcum in monte de medio ignis in die congregationis, & dedit eas Dominus mihi.*

5 *Et reuerſus ſum & deſcendi de monte, & poſui tabulas in arca quam feci, & fuerunt ibi, ſicut præcepit mihi Dominus.*

6 *Et filij Iſrael profecti ſunt de Beroth filiorum Iachan in Moſera, vbi mortuus eſt Aaron & ſepultus eſt ibi, & miniſtrauit Eleazar filius eius pro eo.*

7 *Inde profecti ſunt in Gadgad, & de Gadgad in Iatabatha, in terram in qua fluunt torrentes aquarum.*

8 *In tempore illo ſeparauit Dominus tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & vt ſtaret coram Domino vt miniſtraret ei, & vt benediceret in nomine eius vſque in diem hanc.*

9 *Propterea non habuit Leui partem, & hæreditatem cum fratribus ſuis, quia dona quæ dedit ei Dominus, ipſa ſunt hæreditas eius ſicut locutus eſt ei Dominus Deus tuus.*

10 *Et ego ſteti in monte ſicut diebus prioribus, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & ſuſcepit Dominus orationem meam etiam hac vice, & noluit Dominus diſperdere te.*

11 *Et dixit Dominus ad me: Surge, vade vt proficiſcaris coram populo, vt ingrediantur & poſſideant terram quam iuraui patribus ſuis vt traderem eis.*

12 *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus quærit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & vt ambules in omnibus vijs quæ rectæ ſunt coram eo, & vt diligas eum, vt ſeruias coram Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

13 *Et vt cuſtodias præcepta Domini, & mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, vt bene ſit tibi.*

## Vulgat. Editio.

14 En Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra & omnia, quæ in ea ſunt:
15 Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus & amauit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt vos de cunctis Gentibus ſicut hodie comprobatur.
16 Circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius:
17 Quia Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui * perſonam non accipit, nec munera.
18 Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum.
19 Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Ægypti.
20 * Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſeruies: ipſi adhærebis, iurabiſque in nomine illius.
21 Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui.
22 * In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cæli.

* Act. 10. 34. 2. Par. 19. 7. Iob 34. 19. Sap. 6. 8. Eccl. 35. 15. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6.
* Sap. 6. 11. Mat. 4. 10. Luc. 4. 8.
* Gen. 46. 27. Exod. 1. 5.

### CAP. XI.

1 AMa itaque Dominum Deum tuum, & obſerua præcepta eius & ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore.
2 Cognoſcite hodie quæ ignorant filij veſtri, qui non viderunt diſciplinam Domini Dei veſtri, magnalia eius & robuſtam manum, extentumque brachium,
3 Signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, & vniuerſæ terræ eius,
4 Omnique exercitui Aegyptiorum, & equis ac curribus: quomodo operuerint eos aquæ Maris rubri, cum vos perſequerentur, & deleuerit eos Dominus vſque in præſentem diem:
5 Vobiſque quæ fecerit in ſolitudine donec veniretis ad hunc locum:
6 * Et Dathan atque Abiron filijs Eliab, qui fuit filius Ruben: quos * aperto ore ſuo terra abſorbuit cum domibus & tabernaculis, & vniuerſa ſubſtantia eorum quam habebant in medio Iſrael.
7 Oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit,
8 Vt cuſtodiatis vniuerſa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & poſſitis introire, & poſſidere terram, ad quam ingredimini,
9 Multoque in ea viuatis tempore: quam ſub iuramento pollicitus eſt Dominus patribus veſtris, & ſemini eorum, lacte & melle manantem.
10 Terra enim, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ:
11 Sed montuoſa eſt & campeſtris, de cælo expectans pluuias.
12 Quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt a principio anni vſque ad finem eius.
13 * Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde veſtro, & in tota animi veſtra:

* Num. 16. 1. * Num. 26. 32.
* Supra 10. 12.



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Ecce Domini Dei tui ſunt cæli, & cæli cælorum, terra, & omnia quæ ſunt in ea.*
15 *Tantummodo in patribus tuis complacuit Dominus vt diligeret eos, & elegit ſemen eorum poſt eos, vos ex omnibus populis ſecundum diem hunc.*
16 *Et circumcidite præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius.*
17 *Dominus enim Deus veſter eſt Deus deorum, & Dominus dominorum, Deus magnus potens, & terribilis, qui non accipit perſonam, & non accipit munus.*
18 *Faciens iudicium pupillo, & viduæ, & diligens peregrinum, dando ei panem, & veſtimentum.*
19 *Et diligite peregrinum, quia peregrini fuiſtis in terra Ægypti.*
20 *Dominum Deum tuum timebis, ipſum coles, & ei adhærebis, & per nomen eius iurabis.*
21 *Ipſe eſt laus tua, & ipſe Deus tuus qui fecit tecum magna, & terribilia iſta, quæ viderunt oculi tui.*
22 *Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & nunc poſuit te Dominus Deus tuus ſicut ſtellas cæli in multitudinem.*

### CAP. XI.

1 *ET dilige Dominum Deum tuum, & cuſtodi cuſtodiam eius, & ſtatuta eius, & iudicia eius, & præcepta eius omnibus diebus.*
2 *Et ſcitote hodie, quia non cum filijs veſtris, qui non cognouerunt, & qui non viderunt eruditionem Domini Dei veſtri, magnitudinem eius & manum eius validam, & brachium eius extentum.*
3 *Et ſigna eius, & opera eius quæ fecit in medio Ægypti, Pharaoni regi Ægypti, & omni terræ eius.*
4 *Et quæ fecit exercitui Ægyptiorum, equis eius, & curribus eius, qui inundare fecit aquas Maris ſuph ſuper facies eorum dum inſequerentur vos, & perdidit eos Dominus vſque ad diem hunc.*
5 *Et quæ fecit vobis in deſerto, donec veniretis vſque ad locum iſtum.*
6 *Et quæ fecit Dathan, & Abiram filijs Eliab filij Reuben: quia aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos, & domos eorum, & tabernacula eorum, & omnem ſubſtantiam quæ erat in pedibus eorum in medio omnis Iſrael.*
7 *Quia oculi veſtri vident omne opus Domini magnum quod fecit.*
8 *Et cuſtodite omne præceptum quod præcipio vobis hodie, vt roboremini, & ingrediamini, & poſſideatis terram, ad quam vos tranſitis, vt poſſideatis eam.*
9 *Et vt elongare faciatis dies ſuper terram: ſuper quam iurauit Dominus patribus veſtris, vt daret eis, & ſemini eorum, terram fluentem lacte, & melle.*
10 *Terra enim ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eã, non ſicut terra Ægypti eſt, ex qua egreſſi eſtis, in qua ſeminas ſemen tuum, & irrigas pede tuo, vt hortum holeris.*
11 *Et terra ad quam vos tranſitis, vt poſſideatis eam terra montium & vallium eſt, ad pluuiam cæli bibens aquam.*
12 *In terra quam Dominus Deus tuus quærit, ſemper ſunt oculi Domini Dei tui à principio anni vſque ad vltimum anni.*
13 *Et erit, ſi obediendo obedieritis præceptis meis, quæ ego præcipio vobis hodie, vt diligatis Dominum Deũ veſtrum, & colatis eum toto corde veſtro, & tota anima veſtra.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Ecce Domini Dei tui cœlum,& cœlum cœli,& terra,& omnia,quæcumque ſunt in ea.

15 Tantummodo patres veſtros præelegit ad diligendos eos,& elegit ſemen eorum poſt eos,vos præ omnibus gentibus ſecundum diem hanc.

16 Et circumcidetenim duritiem cordis veſtri,& ceruicem veſtram non indurabitis.

17 Dominus enim Deus veſter, hic Deus deorum, & Dominus Dominorum,Deus magnus, & fortis, & terribilis,qui non admiratur perſonam, neque accipiet munus:

18 Faciens iudicium proſelyto, & pupillo, & viduæ, & diligit proſelytum,dando ei panem, & veſtimentū.

19 Et diligetis proſelytum,proſelyti enim fuiſtis in terra Ægypto.

20 Dominum Deum tuum timebis, & ei ſeruies, & ad eum adhærebis,& in nomine eius iurabis.

21 Hic gloriatio tua, & hic Deus tuus, qui fecit in te magna,& glorioſa iſta quæ viderunt oculi tui.

22 In ſeptuaginta animabus,deſcenderunt patres tui in Ægyptum, nunc autem fecit te Dominus Deus tuus,ſicut aſtra cœli multitudine.

### CAP. XI.

1 ET diliges Dominum Deum tuum,& cuſtodies cuſtodias eius,& iuſtificationes eius, & mandata eius,& iudicia eius omnibus diebus.

2 Et cognoſcetis hodie, quia non filij veſtri, qui non nouerunt,neque viderunt diſciplinam Domini Dei tui, & magnalia eius, & manum potentem, & brachium excelſum,

3 Et ſigna eius, & prodigia eius, quæcumque fecit in medio Ægypti Pharaoni regi Ægypti,& omni terræ eius,

4 Et quæ fecit virtutem Ægyptiorum, & currus eorum,& equitatum eorum,& virtutem eorum, quomodo inundauit aqua Maris rubri ſuper faciem eorum, perſequentibus ipſis à tergo nos, & perdidit eos Dominus vſque in hodiernum diem:

5 Et quæcumque fecit nobis in deſerto, donec venimus in locum hunc:

6 Et quæcumque fecit Dathan, & Abiron filijs Eliab filij Ruben, quos aperiens terra os ſuum deglutiuit eos,& domos eorum,& tabernacula eorum, & omnem eorum ſubſtantiam,quæ cum eis in medio totius Iſrael:

7 Quia oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna,quæcumque fecit in vobis hodie.

8 Et cuſtodietis omnia mandata eius, quæcumque ego præcipio tibi hodie, vt viuatis,& multiplicemini,& ingreſſi hæreditetis terram,in quam vos tranſitis Iordanem,illuc hæreditare eam:

9 Vt longæui ſitis ſuper terram, quam Dominus iurauit patribus veſtris dare eis, & ſemini eorum poſt eos,terram fluentem lac & mel.

10 Eſt enim terra, in quam ingredimini vos illuc hæreditare eam,non ſicut terra Ægypti eſt, vnde egredimini inde,quando ſeminabunt ſemen,& irrigabunt pedibus ſuis,tamquam hortum olerum.

11 Terra autem, in quam ingrederis illuc hæreditare eam, terra montana, & campeſtris, ex pluuia cœli bibit aquam terra,

12 Quam Dominus Deus tuus viſitat eam ſemper, oculi Domini Dei tui ſuper eam à principio anni, & vſque ad conſummationem anni.

13 Si autem auditu audieritis omnia mandata, quæ ego mando tibi hodie, diligere Dominum Deum tuum,& ſeruire ei ex toto corde tuo,& ex tota anima tua:

## Chald. Paraph. Tranſl.

14 *Ecce Domini Dei tui ſunt cœli & cœli cœlorum, terra & omnia quæ in ea ſunt.*

15 *Attamen patres tuos elegit Dominus, vt diligeret eos, & elegit filios eorum poſt eos, id eſt, vos de cunctis populis ſicut in die hac.*

16 *Et auferetis inſipientiam cordis veſtri, & ceruicem veſtram non indurabitis amplius.*

17 *Quoniam Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus deorum,& Dominus regum,Deus magnus,fortis & terribilis, in cuius conſpectu non eſt acceptio perſonarum,nec recipit munera.*

18 *Facit iudicium pupillo & viduæ,& miſeretur peregrini vt det ei victum & veſtitum.*

19 *Et diligetis peregrinum, quoniam habitatores fuiſtis in terra Ægypti.*

20 *Dominum Deum tuum timebis,& coram eo ſeruies & timori eius adhærebis,& in nomine eius iurabis.*

21 *Ipſe eſt laus tua,& ipſe eſt Deus tuus, qui fecit tecū magnalia,& terribilia hæc quæ viderūt oculi tui.*

22 *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & nunc poſuit te Dominus Deus tuus ſicut ſtellas cœli in multitudinem.*

### CAP. XI.

1 *DIliges itaque Dominum Deum tuum, & cuſtodies cuſtodiam verbi eius, & pacta eius, & iudicia eius,& præcepta eius omnibus diebus.*

2 *Et ſcietis hodie quia non cognouerunt filij veſtri, neque viderunt doctrinam Domini Dei veſtri,& magnitudinem eius, & manum eius fortem, & brachium eius excelſum.*

3 *Et ſigna eius,& opera eius quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi Ægypti & vniuerſæ terræ eius.*

4 *Et quod fecit exercitui Ægyptiorum,& equis eorum & curribus eorum, qui inundare fecit aquas Maris rubri ſuper faciem eorum cum perſequerentur vos, & perdidit eos Dominus vſque in diem hanc.*

5 *Et quod fecit vobis in deſerto donec veniretis vſque ad locum hunc.*

6 *Et quod fecit Dathan, & Abiram filijs Eliab filij Ruben, quando aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos,& homines domus eorum,& tabernacula eorum & vniuerſam ſubſtantiam quæ erat cum eis in medio totius Iſrael.*

7 *Quoniam oculi veſtri vident omnia opera Domini magna,quæ fecit.*

8 *Et cuſtodietis omnia præcepta quæ ego præcipio vobis hodie, vt confortemini,& ingrediamini,& poſſideatis terram,ad quam vos ingredimini vt poſſideatis eam.*

9 *Et vt prolongentur dies veſtri ſuper terram,pro qua iurauit Dominus patribus veſtris, vt traderet eis terram lacte,& melle manantem.*

10 *Quoniam terra ad quam tu ingredieris,vt poſſideas eam,non eſt ſicut terra Ægypti vnde egreſſi eſtis, in qua ſeminabas ſemen tuum, & irrigabas illam pede tuo ſicut hortum oleris.*

11 *Terra autem ad quam vos tranſitis vt poſſideatis eam,terra montium eſt & camporum, de pluuia cœli bibetis aquam.*

12 *Terra quam Dominus Deus tuus requirit eam ſemper, oculi Domini Dei tui ſunt in ea à principio anni vſque ad finem anni.*

13 *Et erit ſi obedientes obedieritis præceptis meis, quæ ego præcipio vobis hodie,vt diligatis Dominum Deū veſtrum, & vt ſeruiatis coram eo in toto corde veſtro,& in tota anima veſtra:*

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, | 14 | 14 | *Dabo pluuiam terræ veſtræ in tempore ſuo, temporaneam, & ſerotinam, & colliges frumentum tuum, & vinum tuum, & oleum tuum.* |
| Fœnumque ex agris ad paſcenda iumenta, & vt ipſi comedatis ac ſaturemini. | 15 | 15 | *Et dabo herbam in agro tuo pro iumentis tuis, & comedes, & ſaturaberis.* |
| Cauete ne forte decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino, ſeruiatiſque dijs alienis, & adoretis eos: | 16 | 16 | *Cauete vobis, ne forte ſeducatur cor veſtrum, & recedatis, & colatis deos alienos, & incuruetis vos eis.* |
| Iratuſque Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, pereatiſque velociter de terra optima, quam Dominus daturus eſt vobis. | 17 | 17 | *Et iraſcatur furor Domini in vos, & reſtringat cœlos, & non ſit pluuia, & terra non det fructum ſuum, & pereatis citò è terra bona quam Dominus dat vobis.* |
| Sup. 6.6. * Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. | 18 | 18 | *Et ponite verba mea iſta in corde veſtro, & animo veſtro, & ligate ea in ſignum in manu veſtra, & ſint vt frontalia inter oculos veſtros.* |
| Docete filios veſtros vt illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, atque ſurrexeris. | 19 | 19 | *Et docete ea filios veſtros, vt loquantur de eis, quando ſedebis in domo tua, et quando ambulabis per viã & quando accumbes, & quando ſurges.* |
| Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ: | 20 | 20 | *Et ſcribes ea in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.* |
| Vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis quamdiu cœlum imminet terræ. | 21 | 21 | *Vt multiplicentur dies veſtri, & dies filiorum veſtrorum ſuper terram, ſuper quam iurauit Dominus patribus veſtris, vt daret eis ſicut dies cœli ſuper terram.* |
| Si enim cuſtodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, adhærentes ei, | 22 | 22 | *Si enim cuſtodiendo cuſtodieritis omne præceptum iſtud, quod ego præcipio vobis, vt faciatis illud, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, vt ambuletis in omnibus vijs eius, & adhæreatis ei.* |
| Diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis ſunt. | 23 | 23 | *Expellet Dominus omnes gẽtes iſtas à facie veſtra, & poſſidebitis gentes magnas, & fortiores vobis.* |
| Ioſ. 1.4. * Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit: à deſerto, & à Libano, à flumine magno Eufrate vſque ad Mare Occidentale erunt termini veſtri. | 24 | 24 | *Omnis locus quem calcauerit planta pedis veſtri veſter erit: à deſerto, & Lebanon à flumine fluminis Perath vſque ad Mare nouiſſimum, erit terminus veſter.* |
| Nullus ſtabit contra vos: terrorem veſtrum & formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram quam calcaturi eſtis, ſicut locutus eſt vobis. | 25 | 25 | *Non ſtabit quiſquam coram vobis: pauorem veſtrum & timorem veſtrum dabit Dominus Deus veſter ſuper faciem vniuerſæ terræ, quam calcabitis, quemadmodum locutus eſt vobis.* |
| En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem, & maledictionem: | 26 | 26 | *Vide ego do coram vobis hodie benedictionem & maledictionem.* |
| Benedictionem, ſi obedieritis mãdatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: | 27 | 27 | *Benedictionem, ſi obedieritis præceptis Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis hodie.* |
| Maledictionem, ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via, quam ego nunc oſtendo vobis, & ambulaueritis poſt deos alienos, quos ignoratis. | 28 | 28 | *Et maledictionem, ſi non obedieritis præceptis Domini Dei veſtri, & receſſeritis de via quam ego præcipio vobis hodie, vt ambuletis poſt deos alios, quos non nouiſtis.* |
| Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionem ſuper montem Hebal: | 29 | 29 | *Et erit, cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eam, dabis benedictionem ſuper montem Gherizim, & maledictionem ſuper montem Hebal.* |
| Qui ſunt trans Iordanem poſt viam, quæ vergit ad ſolis occubitum in terra Chananæi, qui habitat in campeſtribus contra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem tendentem, & intrantem procul. | 30 | 30 | *Nunquid non ſunt trans Iarden poſt viam, in qua occumbit ſol in terra Chenahanæi, qui habitat in planitie è regione Gilgal, apud Elonem Moreh?* |
| Vos enim tranſibitis Iordanem, vt poſſideatis terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis, vt habeatis & poſſideatis illam. | 31 | 31 | *Vos enim tranſitis Iarden, vt ingrediamini ad poſſidendum terram, quã Dominus Deus veſter dat vobis, & poſſidebitis eam, & habitabitis in ea.* |
| Videte ergo vt impleatis ceremonias atque iudicia, quæ ego hodie ponam in conſpectu veſtro. | 32 | 32 | *Et cuſtodite, vt faciatis omnia ſtatuta, & iudicia quæ ego do coram vobis hodie.* |
| **CAP. XII.** | | | ***CAP. XII.*** |
| HÆc ſunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrũ tuorum daturus eſt tibi, vt poſſideas eam cunctis diebus, quibus ſuper humum gradieris. | 1 | 1 | *ISta ſunt ſtatuta, & iudicia quæ cuſtodietis, vt faciatis in terra quam dedit Dominus Deus patrũ veſtrorum vobis, vt poſſideatis eam omnibus diebus, quibus viuitis ſuper terram.* |



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Et dabit pluuiam terræ tuæ tempore ſuo, matuti-
nam & ſerotinam: & inferes frumentum tuum, &
vinum tuum & oleum tuum:
15 Et dabit pabula in agris tuis pecoribus tuis, & cum
comederis & ſatiatus fueris:
16 Attende tibi ipſi, ne dilatetur cor tuum, & præuari-
cemini, & ſeruiatis dijs alijs, & adoretis eos,

17 Et animatus ira Dominus in vos, & claudat cœlum,
& non erit pluuia, & terra non dabit fructum ſuum,
& peribitis velociter de terra bona, quam Dominus
dedit vobis.
18 Et mittetis verba hæc in cor veſtrum, & in animam
veſtram, & alligabitis ea in ſignum ſuper manum
veſtram, & erit immobile ante oculos veſtros:

19 Et docebitis ea filios veſtros, loqui in eis, ſedente te
in domo, & eunte te in via, & dormiente te, & exur
gente te.
20 Et ſcribetis ea ſuper liminia domorum veſtrarum,
& portarum:
21 Vt longæui ſitis, & dies filiorum veſtrorum ſuper
terram, quam iurauit Dominus patribus veſtris da-
re eis, ſicut dies cœli ſuper terram.

22 Et erit ſi auditu audieritis omnia mandata hæc,
quæ ego mando tibi hodie facere, diligere Domi-
num Deum noſtrum, & ambulare in omnibus vijs
eius, & adhærere ei:
23 Et eijciet Dominus omnes gentes has à facie ve-
ſtra, & hæreditabitis gentes magnas, & fortes magis
quam vos.
24 Omnem locum quemcumque calcauerit veſti-
gium pedum veſtrorum, vobis erit: à deſerto, & An
tilibano, & à flumine magno, flumine Euphrate, &
vſque ad Mare, quod ad Occidentem, erunt fines
veſtri.
25 Non reſiſtet vllus ad faciem veſtram, & timorem ve
ſtrum, & tremorem veſtrum imponet Dominus
Deus veſter ſuper faciem vniuerſæ terræ, ſuper
quam aſcenderis ſuper eam: quemadmodum locu-
tus eſt ad vos.
26 Ecce ego do coram vobis hodie benedictionem, &
maledictionem:
27 Benedictionem, ſi audieritis mandata Domini Dei
veſtri, quæcumque ego mando vobis hodie,
28 Et maledictionem, ſi non audieritis mandata Domi-
ni Dei noſtri, quæcumque ego mando vobis hodie,
& erraueritis à via, quam mandaui vobis, euntes ſer-
uire dijs alijs, quos non nouiſtis.
29 Et erit, cum induxerit te Dominus Deus tuus in
terram, in quam tranſis illuc hæreditare eam, & da-
bis benedictionem ſuper montem Garizin, & male
dictionem ſuper montem Gæbal.
30 Nonne ecce hi trans Iordanem poſt viam Occaſus
Solis in terra Chanaan, qui habitat ſuper Occaſum
iuxta Golgol prope quercum excelſam?

31 Vos enim tranſitis Iordanem, intrantes hæreditare
terram, quam Dominus Deus noſter dat vobis in
ſorte omnibus diebus, & habitabitis in ea.
32 Et obſeruabitis facere omnia præcepta eius, & iudi
cia hæc, quæcumque ego do coram vobis hodie.

### C A P. XII.

1 ET hæc ſunt præcepta, & iudicia, quæ obſerua-
bitis facere in terra, quam Dominus Deus pa-
trum veſtrorum dat vobis in ſorte omnibus diebus,
quibus vos viuetis ſuper terram.

Per-

## Chald. Paraph. Tranſl.

14 *Dabo pluuiam terra veſtra in tempore ſuo tempora-
neam & ſerotinam, & colliges frumentum tuum, &
vinum tuum & oleum tuum.*
15 *Et dabo fœnum in agro tuo iumentis tuis, & come-
des & ſaturaberis.*
16 *Cauete vobis, ne fortè decipiatur cor veſtrum, &
declinetis, & ſeruiatis idolis populorum, & adore-
tis ea.*
17 *Et iraſcatur furor Domini contra vos, & claudat
cœlos, & non ſit pluuia, & terra non det germen
ſuum, & pereatis citò de terra bona, quam Domi-
nus dabit vobis.*
18 *Et ponetis verba mea hæc in cordibus veſtris, & in
animis veſtris, & ligabitis ea in ſignum ſuper ma-
num veſtram, & erunt quaſi appendix inter oculos
veſtros.*
19 *Et docebitis ea filios veſtros, vt loquamini in eis cũ
ſederis in domo tua, & cum ambulaueris in via, &
accubueris, & ſurrexeris.*
20 *Et ſcribes ea ſuper postes, & affiges ea in liminibus
domus tuæ, & in portis tuis.*
21 *Vt multiplicentur dies veſtri, & dies filiorum ve-
ſtrorum ſuper terra quam iurauit Dominus patri-
bus veſtris, vt traderet eis, ſicut ſunt dies cœli ſuper
terram.*
22 *Quoniã ſi cuſtodientes cuſtodieritis omnia præcepta
hæc quæ ego præcipio vobis, vt faciatis ea, vt diliga-
tis Dñm Deum veſtrum, et vt ambuletis in vijs quæ
recta ſunt coram eo, vt adhæreatis timori eius:*
23 *Eijciet Dominus omnes populos iſtos à facie veſtra,
& poſſidebitis populos multos fortiores vobis.*

24 *Omnis locus in quo calcauerit planta pedis veſtri,
veſter erit, à deſerto & Libano à flumine Euphrate,
& vſque ad Mare Occidentale erit terminus ve-
ſter.*

25 *Non ſtabit vir in conſpectu veſtro: timorem ve-
ſtrum dabit Dominus Deus veſter ſuper faciem vni
uerſæ terræ quam calcabitis ſicut locutus eſt vo-
bis.*

26 *En ego pono ante vos hodie benedictiones, & male-
dictiones.*
27 *Benedictiones, ſi obedieritis præceptis Domini Dei
veſtri quæ ego præcipio vobis hodie.*
28 *Maledictiones autem, ſi non obedieritis præceptis Do
mini Dei veſtri, & declinaueritis à via quam ego
præcipio vobis hodie, & ambulaueritis poſt idola po-
pulorum quæ non cognouiſtis.*
29 *Et erit quando introduxerit te Dominus Deus tuus
in terram ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eam,
pones benedicentes ſuper montem Garizim, & male-
dicentes ſuper montem Ebal.*
30 *Qui montes ſunt trans Iordanem poſt viam quæ ver-
git ad Occaſum Solis in terra Chananæi qui habi-
tat in campeſtribus contra Galgalam in latere pla-
nitiei More.*
31 *Vos enim tranſitis Iordanem, vt poſſideatis terram
quam Dominus Deus veſter dabit vobis, & poſſide-
bitis eam & habitabitis in ea.*
32 *Et cuſtodietis vt faciatis omnia mandata & iudi-
cia, quæ ego pono in conſpectu veſtro hodie.*

### C A P. XII.

1 *HÆc ſunt mandata, & iudicia quæ cuſtodietis,
vt faciatis ea in terra quam dedit tibi Domi-
nus Deus patrum tuorum, vt poſſideas eam omnibus
diebus quibus vos permanetis ſuper terram.*

Gg 3 Per-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum.

*Sup. 7.5. 1. Mac. 12. 40.

3 * Diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: diſperdite nomina eorum de locis illis.

4 Non facietis ita Domino Deo veſtro:

5 Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis:

6 Et offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas & primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium.

7 Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miſeritis manum vos & domus veſtræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus veſter.

8 Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur.

9 Neque enim vſque in præſens tempus veniſtis ad requiem & poſſeſſionem, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.

10 Tranſibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis, vt requieſcatis à cunctis hoſtibus per circuitum: & abſque vllo timore habitetis

11 In loco, quem elegerit Dominus Deus veſter, vt ſit nomen eius in eo: illuc omnia, quæ præcipio, conferetis holocauſta, & hoſtias, ac decimas, & primitias manuum veſtrarum: & quidquid præcipuum eſt in muneribus, quæ vouebitis Domino.

12 Ibi epulabimini coram Domino Deo veſtro, vos & filij ac filiæ veſtræ, famuli & famulæ atque Leuites, qui in vrbibus veſtris commoratur: neque enim habet aliam partem & poſſeſſionem inter vos.

13 Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris:

14 Sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcumque præcipio tibi.

15 Si āt comedere volueris, & te eſus carniū dilectauerit occide, & comede iuxta bñdictionē Dñi Dei tui, quā dedit tibi ī vrbibus tuis: ſiue immūdū fuerit, hoc ē, maculatū & debile: ſiue mūdū, hoc ē, integrū & ſine macula, quod offerri licet, ſicut capreā & ceruū, comedes.

16 Abſque eſu dumtaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes.

17 Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & ſponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum:

18 Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus & filia tua, & ſeruus & famula, atque Leuites, qui manet in vrbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.

19 Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo verſaris in terra.

*Gen. 28.14. *Inf. 19.8. Exo. 34.24.

20 * Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, * ſicut locutus eſt tibi, & volueris veſci carnibus, quas deſiderat anima tua:

Lo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Perdendo perdetis omnia loca in quibus ſeruierunt gentes, quas vos poſſidetis, dijs ſuis, ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub omni ligno viridi.*

3 *Et diruetis aras earum, & confringetis ſtatuas earum, & lucos earum comburetis igni, & ſculptilia deorum earum concidetis, & perdetis nomen earum è loco ipſo.*

4 *Non facietis ſic Domino Deo veſtro.*

5 *Sed locum, quem elegerit Dominus Deus veſter ex omnibus tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, vt habitet ipſe, quæretis, & venietis illuc.*

6 *Et afferetis illuc holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, & decimas veſtras, & oblationem manus veſtræ & vota veſtra, & ſpontanea veſtra, & primogenita boum veſtrorum, & pecudum veſtrarum.*

7 *Et comedetis ibi coram Domino Deo veſtro, & lætabimini in omnibus in quibus mittetis manus veſtras vos, & domus veſtra, in quibus benedixit tibi Dominus Deus tuus.*

8 *Non facietis ſecundū omnia quæ nos facimus hic hodie, vnuſquiſque omne quod rectum eſt in oculis ſuis.*

9 *Non enim veniſtis vſque ad hoc tempus ad requiem, & hæreditatem quam Dominus Deus tuus dat tibi.*

10 *Et tranſibitis Iarden, & habitabitis in terra quam Dominus Deus veſter hæreditate accipere facit vos, & requiem dabit vobis ab omnibus inimicis veſtris in circuitu, & habitabitis confidenter.*

11 *Et erit, ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter, vt habitare faciat nomen ſuum ibi, afferetis omnia quæ ego præcipio vobis, holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, decimas veſtras, & oblationes manus veſtræ, & omnia electa vota veſtra, quæ vouebitis Domino.*

12 *Et lætabimini coram Domino Deo veſtro vos, & filij veſtri, & filiæ veſtræ, & ſerui veſtri, & ancillæ veſtræ, & Leuita qui eſt intra portas veſtras, quia non eſt ei pars, & hæreditas vobiſcum.*

13 *Caue tibi, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videbis.*

14 *Sed in loco quem elegerit Dominus, in vna tribuum veſtrarum, offeres holocauſta tua, & ibi facies omnia, quæ ego præcipio tibi.*

15 *Tantummodo in omni deſiderio animæ tuæ mactabis, & comedes carnem ſecundum benedictionem Domini Dei tui, quam dederit tibi intra omnes portas tuas, immundam, & mundam comedes ſicut capream, & ceruum.*

16 *Sed ſanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum ſicut aquam.*

17 *Non poteris comedere intra portas tuas decimam frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum, & pecudum tuarum, & omnia vota tua quæ voueris, & ſpontanea tua, & oblationem manus tuæ.*

18 *Sed coram Domino Deo tuo comedes eam, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuita qui eſt intra portas tuas, & lætaberis coram Domino Deo tuo in omnibus in quibus mittes manum tuam.*

19 *Caue tibi ne forte derelinquas Leuitam omnibus diebus tuis ſuper terram tuam.*

20 *Cū dilatare fecerit Dominus Deus tuus terminum tuū, quēadmodū locutus eſt tibi, & dixeris: Comedā carnē, quia concupiſcit anima tua comedere carnem ſecundū omne deſiderium aīæ tuæ comedes carnem.*

Cum

## Tranſl. ex Septuag.

2 Perditione perdetis omnia loca in quibus ſeruierunt illic dijs ſuis, quæ vos hæreditabitis ea, ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub arbore frondoſa.

3 Et deſtruetis aras eorum, & conteretis ſtatuas eorum, & lucos eorum excidetis, & ſculptilia deorum eorum comburetis igni, & diſperdetis nomen eorum de loco illo.

4 Non facietis ſic Domino Deo veſtro.

5 Sed in locum, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus in vna ciuitatum veſtrarum, vt adnominetur nomen eius ibi, & inuocetur, & exquiretis, & venietis illuc.

6 Et feretis illuc holocauſtomata veſtra, & ſacrificia veſtra, & primitias veſtras, & vota veſtra, & ſpontanea veſtra, & cõfeſſiones veſtras, primogenita boum veſtrorum, & ouium veſtrarum.

7 Et comedetis ibi ante Dominum Deum veſtrum, & lætabimini, in omnibus quæcumque miſeritis manum vos, & domus veſtræ, ſicut benedixit te Dominus Deus tuus.

8 Non facietis omnia, quæ nos facimus hic hodie, vnuſquiſque quod placitum eſt in conſpectu ſuo:

9 Non enim veniſtis hucuſque in requiem, & in hæreditatem, quam Dominus Deus noſter dat nobis.

10 Et tranſibitis Iordanem, & habitabitis ſuper terram quam Dominus Deus noſter diſtribuet vobis in hæreditatem, & quieſcere vos faciet ab omnibus inimicis veſtris in circuitu, & habitabitis cum ſecuritate.

11 Et erit locus quemcũque elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi, illuc feretis omnia, quæcumque ego mando vobis, holocauſtomata veſtra, & ſacrificia veſtra, & decimas veſtras, & primitias manuum veſtrarum, & omne electum munerũ veſtrorum, quæcumque voueritis Dño Deo veſtro.

12 Et lætabimini ante Dominum Deum veſtrum vos, & filij veſtri, & filiæ veſtræ, & pueri veſtri, & ancillæ veſtræ, & Leuita qui eſt ſuper portas veſtras: quoniam non eſt ei pars, neque ſors vobiſcum:

13 Attende tibi ipſi, ne offeras holocauſtomata tua in omni loco, quocumque aſpexeris:

14 Sed ad locum quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, in vna tribuum tuarum, illuc offeretis holocauſtomata veſtra & ibi facies omnia, quæcumque ego mando tibi hodie.

15 Sed in omni cupiditate tua mactabis, & comedes carnes ſecundum benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in omni ciuitate: immundus in te, & mundus pariter comedet illud, ſicut capream, aut ceruum.

16 Tantummodo ſanguinem non comedetis, in terram effundetis illum, ſicut aquam.

17 Non poteris manducare in ciuitatibus tuis decimationem frumenti tui, & vini tui, & olei tui, primogenita boum tuorum, & ouium tuarum, & omnia vota, quæcumque voueritis, & confeſſiones veſtras & primitias manuum tuarum.

18 Sed ante Dominum Deum tuum comedes illud in loco, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus illum, tu, & filius tuus, & filia tua, puer tuus, & ancilla tua, & proſelytus, qui in ciuitatibus veſtris: & lætaberis ante Dominum Deum tuum in omnibus, quocumque miſeris manum tuam.

19 Attende tibi ipſi, ne derelinquas Leuitam omni tẽpore, quocumque vixeris ſuper terram.

20 Si autẽ dilatauerit Dominus Deus tuus fines tuos, ſicut locutus eſt tibi, & dices: Manducabo carnes, ſi concupierit anima tua ad manducandum carnes, in omni cupiditate animæ tuæ manducabis carnes.

## Chald. Paraph. Tranſl.

*2 Perditione diſperdetis omnia loca in quibus ſeruierunt populi quos vos poſſeſſuri eſtis idolis ſuis ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub omni ligno frondoſo.*

*3 Et confringetis aras eorum, & conteretis ſtatuas eorum, & lucos eorum comburetis igni, & imagines idolorum ſuorum ſuccidite, & diſperdetis nomina eorum de loco illo.*

*4 Non facietis ita coram Domino Deo veſtro.*

*5 Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, vt collocet ibi maieſtatem ſuam venietis, & domum maieſtatis eius requiretis.*

*6 Et offeretis ibi holocauſta veſtra, et victimas ſanctificatas veſtras, & decimas veſtras, & primitias manuũ veſtrarũ, & vota veſtra, & quæ ſpõte donatis, et primogenita boum veſtrorum & ouium veſtrarum.*

*7 Et comedetis ibi coram Domino Deo veſtro, & lætabimini in cunctis ad quæ miſeritis manum veſtram vos & homines domus veſtræ, quia benedixit tibi Dominus Deus tuus.*

*8 Non facietis ſicut omnia quæ nos facimus hic hodie ſinguli quod rectum videtur in oculis ſuis.*

*9 Quia non veniſtis adhuc ad locum quietis & ad poſſeſſionem quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.*

*10 Et tranſibitis Iordanem, & habitabitis in terra quã Dominus Deus veſter poſſidere faciet vos, & requiẽ dabit vobis ab omnibus inimicis veſtris per circuitum, & habitabitis confidenter.*

*11 Et erit locus quem elegerit Dominus Deus veſter, vt collocet maieſtatem ſuam ibi, illuc offeretis omnia quæ ego præcipio vobis, holocauſta veſtra, et victimas ſanctificatas veſtras, decimas veſtras, & primitias manuum veſtrarum, & omnia optima votorum veſtrorum quæ voueritis coram Domino.*

*12 Et lætabimini coram Domino Deo veſtro, vos & filij veſtri, & filiæ veſtræ, & ſerui veſtri, & ancillæ veſtræ, & Leuita qui eſt in vrbibus veſtris, quia non habet partem, & hæreditatem vobiſcum.*

*13 Caue tibi ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris.*

*14 Sed in loco quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum, ibi offeres holocauſta tua, & ibi facies omnia quæ ego præcipio tibi.*

*15 Attamen in omni deſiderio animæ tuæ occides & comedes carnes, iuxta benedictionem Domini Dei tui quam dedit tibi in omnibus vrbibus tuis, mundus & immundus comedet illam ſicut carnem capreæ, & cerui.*

*16 Attamen ſanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum ſicut aquam.*

*17 Non erit tibi licitum vt comedas in vrbibus tuis decimas frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum, & ouium tuarum, & omnia vota tua, quæ voueris, & quæ ſponte obtuleris, & primitias manuum tuarum.*

*18 Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuita qui eſt in vrbibus tuis, & lætaberis coram Domino Deo tuo in omnibus ad quæ miſeris manum tuam.*

*19 Caue tibi ne relinquas Leuitam omnibus diebus tuis in terra tua.*

*20 Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminũ tuum ſicut locutus eſt tibi, & dixeris: Comedam carnem, quando deſiderauerit anima tua comedere carnem, in omni deſiderio animæ tuæ comedes carnẽ.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Locum autem, quem elegerit Dominus Deus tuus vt ſit nomen eius ibi, ſi procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, ſicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet.

22 Sicut comeditur caprea & ceruus, ita veſceris eis: & mundus, & immundus in commune veſcentur.

23 Hoc ſolum caue, ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus:

24 Sed ſuper terram fundes quaſi aquam.

25 Vt bene ſit tibi & filijs tuis poſt te, cum feceris, quod placet in conſpectu Domini.

26 Quæ autem ſanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus:

27 Et offeres oblationes tuas carnem & ſanguinem ſuper altare Domini Dei tui: ſanguinem hoſtiarum fundes in altari: carnibus autem ipſe veſceris.

28 Obſerua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi & filijs tuis poſt te in ſempiternum, cùm feceris quod bonum eſt & placitum in conſpectu Domini Dei tui.

29 * Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaueris in terra earum:

* Inf. 19. 1.

30 Caue ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos, & ita ego colam.

31 Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt dijs ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.

32 Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

### CAP. XIII.

1 SI ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum,

2 Et euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis:

3 Non audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra.

4 Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius: ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis.

5 Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur: quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo ſeruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

6 Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, ſiue vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus, & ſeruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui,



## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Cum elongauerit à te locum quem elegerit Dominus Deus tuus, vt ponat nomen ſuum ibi, mactabis de bobus tuis, & de pecudibus tuis, quas dederit Dominus tibi, quemadmodum præcepi tibi, & comedes intra portas tuas ſecundum omne deſiderium animæ tuæ.*

22 *Sed quemadmodum comeditur caprea, & ceruus, ſic comedes eam, immundam, & mundam pariter comedes eam.*

23 *Sed robora te, vt non comedas ſanguinem, quia ſanguis eſt anima, & non comedes animam cum carne: non comedas eum,*

24 *Super terram effundes eum ſicut aquam.*

25 *Non comedes eum, vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te, cum feceris quod rectum eſt in oculis Domini.*

26 *Sed ſanctificata tua, quæ erunt tibi, & vota tua feres, & venies ad locum quem elegerit Dominus.*

27 *Et facies holocauſta tua, carnem, & ſanguinem ſuper altare Domini Dei tui, & ſanguis ſacrificiorum tuorum effundetur ſuper altare Domini Dei tui, & carnem comedes.*

28 *Cuſtodi, & audi omnia verba iſta, quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te vſque in ſæculum, cum feceris bonum, & rectum in oculis Domini Dei tui.*

29 *Cum exciderit Dominus Deus tuus gentes ad quas tu ingrederis, vt poſſideas eas, à facie tua, & poſſederis eas, & habitaueris in terra earum.*

30 *Caue tibi ne illaqueeris poſt eas, poſtquam perierint à facie tua, ne forte quæras deos earum, dicendo: Quomodo coluerunt gentes iſtæ deos ſuos, faciam ſic etiam ego.*

31 *Non facies ſic Domino Deo tuo: nam omnem abominationem Domini, quam odio habuit, fecerunt dijs ſuis, quia etiam filios ſuos, & filias ſuas combuſſerunt igni dijs ſuis.*

32 *Omne quod ego præcipio vobis, cuſtodietis, vt faciatis: non addetis ſuper illud, & non diminuetis ex eo.*

### CAP. XIII.

1 *SI ſurrexerit in medio tui propheta, vel ſomnians ſomnium, & dederit tibi ſignum, vel portentum.*

2 *Et venerit ſignum, & portentum, quod locutus eſt tibi, dicendo: Eamus poſt Deos alienos, quos non noſti, & colamus eos.*

3 *Non obedies verbis prophetæ illius, vel ſomnianti ſomnium illud, quia tentat Dominus Deus veſter vos, vt ſciat an diligatis Dominum Deum veſtrum toto corde veſtro, & tota anima veſtra.*

4 *Poſt Dominum Deum veſtrum ambulabitis, & ipſum timebitis, & præcepta eius cuſtodietis, & voci eius obedietis, & eum coletis, & ei adhærebitis.*

5 *Et propheta ipſe, vel ſomnians ſomnium illud, morietur, quia locutus eſt ſermonem declinare facientem contra Dominum Deum veſtrum, qui eduxit te è terra Ægypti, & redemit te è domo ſeruorum, vt propelleret te de via quam præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt ambulares per eam: & auferes malum è medio tui.*

6 *Si incitauerit te frater tuus, filius matris tuæ, vel filius tuus, vel filia tua, vel vxor ſinus tui, vel amicus tuus, qui eſt ſicut anima tua, clam dicendo: Eamus & colamus deos alios, quos non noſti tu & patres tui.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

21 Si autem longè à te abfuerit locus, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, vt ibi inuocetur nomen eius ibi, & mactabis de bobus tuis, & de ouibus tuis, quæcumque dederit Deus tibi, quemadmodũ mandaui tibi, & manducabis in ciuitatibus tuis, ſecundum cupiditatem animæ tuæ.
22 Sicut comeditur caprea, & ceruus, ſic comedes illud: immundus in te, & mundus pariter comedet.
23 Attende valde, ne comedas ſanguinem, quia ſanguis eius anima: non manducabitur anima cũ carnibus, non comedes eus:
24 In terram effundetis illum, ſicut aquam:
25 Non comedes illum, vt bene tibi ſit, & filijs tuis poſt te, ſi feceris, quod bonum, & acceptum ante Dominum Deum tuum.
26 Tantummodo ſancta tua, ſi fuerint tibi, & vota tua ſumens venies in locum, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen ſuum ibi:
27 Et facies holocauſtomata tua, carnes offeres ſuper altare Domini Dei tui: ſanguinem autem ſacrificiorum tuorum effundes ad baſim altaris Domini Dei tui: carnes autem comedes.
28 Obſerua, & audi, & facies omnia verba, quæ ego mando tibi, vt bene tibi ſit, & filijs tuis per ſæculũ, ſi feceris, quod placitum, & bonum ante Dominum Deum tuum.
29 Si autem exterminauerit Dominus Deus tuus gentes, ad quos ingrederis illuc ad hæreditandum terram eorum, à facie tua, & hæreditaueris eam, & habitaueris in terra eorum:
30 Attende tibi ipſi, ne exquiras ſequi eos, poſtquam ipſi exterminati fuerint à facie tua, dicens: Quomodo faciunt gentes hæ dijs ſuis, faciam & ego.
31 Non facies ita Deo tuo. Abominationes enim Domini, quas odio habuit, fecerunt in dijs ſuis, quoniam filios ſuos, & filias ſuas comburunt in igni dijs ſuis.
32 Omne verbum, quod ego mando vobis hodie, hoc obſeruabis facere: non adijcies ad illud, neque auferes ab eo.

### CAP. XIII.

1 SI autem ſurrexerit in te propheta, ſeu ſomnians ſomnium, & dederit tibi ſignum, vel prodigium:
2 Et venerit ſignum, ſiue prodigium, quod locutus eſt ad te, dicens: Eamus, & ſeruiamus dijs alijs, quos neſciſtis:
3 Non audietis verba prophetæ illius, vel ſomniantis ſomnium illud: quoniam tentat Dominus tuus vos, ſcire, an diligatis Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra.
4 Poſt Dominum Deum veſtrum ambulabitis, & hunc timebitis, & vocem eius audietis: & ei apponemini.
5 Et propheta ille, vel ſomnium ſomnians ille moriatur: locutus eſt enim, vt faceret te errare à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, qui redemit te de domo ſeruitutis: vt expelleret te de via, quam mandauit tibi Dominus Deus tuus ambulare in ea: & delebis malum ex vobis ipſis.
6 Si autem hortatus te fuerit frater tuus ex patre tuo, vel ex matre tua, vel filius tuus, vel filia vel vxor tua quæ in ſinu tuo, vel amicus æqualis animæ tuæ, clanculum, dicens: Eamus, & ſeruiamus dijs alijs, quos non noſti tu, & patres tui:

## Chald. Paraph. Tranſl.

21 *Si procul fuerit à te locus quem elegerit Dominus Deus tuus, vt collocet ibi maieſtatem ſuam, occides de bobus tuis, & de ouibus tuis, quas dedit tibi Dominus, ſicut præcepit tibi, & comedes in vrbibus tuis in omni deſiderio animæ tuæ.*
22 *Sicut enim comeditur caro capreæ, & cerui, ſic comedes illa: mundus, & immundus ſimul comedent.*
23 *Attamen confortare, vt non comedas ſanguinẽ, quia ſanguis eſt anima: & non comedes animam cum carne, non comedes illum:*
24 *Sed ſuper terram fundes illum ſicut aquam:*
25 *Non comedes illum, vt benè ſit tibi, & filijs tuis poſt te, ſi feceris, quod rectum eſt coram Domino.*
26 *Veruntamen decimas ſanctificatas quas habueris, & vota tua tolles, & venies ad locum quem elegerit Dominus:*
27 *Et facies holocauſta tua, quorum caro, & ſanguis offeretur ſuper altare Dominũ Dei tui: ſanguis autem hoſtia ſanctificatæ tuæ effundetur ſuper altare Domini Dei tui: & carnem comedes.*
28 *Cuſtodi, & ſuſcipe omnia verba hæc, quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te vſque in ſæculum, cum feceris, quod rectum eſt, & quod placitum eſt coram Domino Deo tuo.*
29 *Cùm diſperdiderit Dominus Deus tuus populos ad quos tu ingrederis, vt eijcias eos à facie tua, & eieceris eos, & habitaueris in terra eorum:*
30 *Caue tibi ne offendas poſt eos, poſtquam diſperierint à facie tua, & ne requiras idola eorum, dicens: Quomodo ſeruierunt populi iſti idolis ſuis, ita & ego faciam.*
31 *Non ita facies corã Domino Deo tuo. Quoniã omne, quod abominabile eſt corã Domino, & quod odit Dominus, faciunt idolis ſuis, quoniam etiam filios ſuos, & filias ſuas comburunt igni propter idola ſua.*
32 *Omne præceptum, quod ego præcipio vobis obſeruabitis, vt faciatis: neque addetis ad illud, neque ex eo minuetis.*

### CAP. XIII.

1 *QVando ſurrexerit in medio tui propheta, aut ſomnians ſomnium, & dederit tibi ſignum, aut portentum:*
2 *Et euenerit ſignum, & portentum, quod locutus eſt ad te, dicens: Eamus poſt idola populorum, quæ ignoras, & ſeruiamus eis:*
3 *Non acquieſcas verbis prophetæ illius, aut ſõnio ſomniatoris illius: quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt cognoſcatur ſi diligitis Dominum Deum veſtrum in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra.*
4 *Poſt timorẽ Domini Dei veſtri ambulabitis, & ipsũ timebitis, & mandata eius ſeruabitis, & verbo eius obedietis: & ei ſeruietis, & timori eius adhærebitis.*
5 *Propheta autem ille, aut ſomniator ſomnij illius occidatur: quia locutus eſt præuaricationem contra Dominum Deum veſtrum, qui eduxit vos de terra Ægypti, & qui redemit te de domo ſeruitutis: vt errare te faceret à via, quam præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt ambulares in ea: & auferes eum, qui operatur malum de medio tui.*
6 *Si perſuaſerit tibi frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor fœderis tui, aut ſocius tuus qui eſt ſicut anima tua, in occulto, dicens: Eamus, & ſeruiamus idolis populorum, quæ ignoras tu, & patres tui:*

## Vulgat. Editio.

7 Conſtatum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul ſunt, ab initio vſque ad finem terræ:

8 Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum:

* Inf. 17.7 9 Sed ſtatim interficies, * ſic primum manus tua ſuper eum, & poſtea omnis populus mittat manum.

10 Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abſtrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti de domo ſeruitutis:

11 Vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei ſimile.

12 Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dñs Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13 Egreſſi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis ſuæ, atque dixerunt: Eamus, & ſeruiamus dijs alienis quos ignoratis:

14 Quære ſolicite, & diligenter, rei veritate perſpecta, ſi inueneris certum eſſe, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam:

15 Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia, quæ in illa ſunt, vſque ad pecora.

16 Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus, non ædificabitur amplius:

17 Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: vt auertatur Dominus ab ira furoris ſui, & miſereatur tui, multiplicetque te, ſicut iurauit patribus tuis:

18 Quando audieris vocem Domini Dei tui, cuſtodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias, quod placitum eſt in conſpectu Domini Dei tui.

### CAP. XIIII.

1 Filij eſtote Domini Dei veſtri: non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo.

* Sup. 7.6. Inf. 16.18. 2 * Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo: & te elegit, vt ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ ſunt ſuper terram.

* Leu. 11.4 3 * Ne comedatis, quæ immunda ſunt.

4 Hoc eſt animal, quod comedere debetis, bouem, & ouem, & capram:

5 Ceruum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

6 Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis.

7 De his autem, quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, & non diuidūt vngulam, immunda erunt vobis.

8 Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit, carnibus eorum non veſcemini, & cadauera non tangetis.

9 Hæc comedetis ex omnibus, quæ morātur in aquis:
Quæ habent pinnulas, & ſquamas, comedite:

10 Quæ abſque pinnulis, & ſquamis ſunt, ne comedatis, quia immunda ſunt.

11 Omnes aues mundas comedite.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 De dijs populorum, qui ſunt in circuitibus veſtris propinquum tibi, vel longinquum à te, ab extremitate terræ vſque ad extremum terræ:

8 Non acquieſces ei, neque obedies ei, nec parcet oculus tuus ei, neque indulgebis, & non operies eum:

9 Sed occidendo occides eum, manus tua erit in eo primo, vt mori facias eum, & manus omnis populi poſtea.

10 Et lapidabis eum lapidibus, & morietur: quia quæſiuit expellere te à Domino Deo tuo, qui eduxit te à terra Ægypti è domo ſeruorum:

11 Et omnis Iſrael audient, & timebunt, & non addent, vt faciant ſecundum rem malam iſtā in medio tui.

12 Si audieris in vna vrbium tuarum, quam Dominus Deus tuus dat tibi, vt habites ibi, dicendo:

13 Egreſſi ſunt homines filij impij è medio tui, & expulerunt habitatores vrbis eorum, dicendo: Eamus, & colamus deos alios, quos non noſtis:

14 Quæres, & inueſtigabis, & interrogabis diligenter, & ſi veritas eſt, rectum eſt verbum, facta eſt abominatio iſta in medio tui:

15 Percutiendo percuties habitatores ciuitatis illius acie gladij perdendo eam, & omnia, quæ in ea ſunt, & iumenta eius acie gladij.

16 Et omne ſpolium eius congregabis ad medium plateæ eius, & combures igni ciuitatem, & omne ſpolium eius, totum Domino Deo tuo erit, & erit tumulus perpetuus, non ædificabitur amplius:

17 Et non adhærebit manui tuæ quicquam de anathemate: vt auertatur Dominus ab ira furoris ſui, & det tibi miſericordias, & miſereatur tui, & multiplicet te, quemadmodum iurauit patribus tuis:

18 Cum obedieris voci Domini Dei tui, vt cuſtodias omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias rectum in oculis Domini Dei tui.

### CAP. XIIII.

1 Filij eſtis Domini Dei veſtri: non lacerabitis vos, neque ponetis caluitium inter oculos veſtros ſuper mortuum.

2 Populus enim ſanctus es Domino Deo tuo: & te elegit Dominus, vt ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis, qui ſunt ſuper faciem terræ.

3 Non comedes omnem abominationem.

4 Hoc eſt animal, quod comedetis, bouem, pecus ouium, & pecus caprarum:

5 Ceruū, & capream, & bubalū, & hircū ſylueſtrem, & pygargum, & orygem, & capram rupicolam.

6 Et omne animal findens vngulam, & findens ſiſſuram duarum vngularum ruminationem ſubducens inter animalia illud comedetis.

7 Verumtamen hoc non comedetis ex ſubducentibus ruminationem, & ex findentibus vngulam diuiſam, camelum, & leporem, & chœrogyllum: quia ſubducunt ruminationem, & vngulam non diuidunt, immunda ſunt vobis.

8 Et porcus, quia findit vngulam, & non ruminat, immundus eſt vobis, de carne eorum non comedetis, & cadauer eorum non contingetis.

9 Hoc comedetis ex omnibus, quæ ſunt in aqua: Omne cui eſt pinnula, & ſquama comedetis:

10 Et omne cui non eſt pinnula, & ſquama non comedetis, immundum eſt vobis.

11 Omnem auem mundam comedetis.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

7 Ex dijs gentium, quæ in circuitu veſtro, quæ pro-
pinquæ ſunt tibi, vel quæ procul abſunt à te ab ex-
tremo terræ, vſque ad extremum terræ:
8 Non conſenties ei, neque exaudies eum, neque par-
cet oculus tuus ſuper eum, non deſiderabis ſuper
eum, neque teges eum:
9 Annuncians annunciabis de eo, & manus tuæ erũt
ſuper eum in primis ad occidendum illum, & ma-
nus populi totius in poſtremo.
10 Et lapidabunt eum in lapidibus, & morietur: quo-
niam quæſiuit auertere te à Domino Deo ſuo, qui
eduxit te de terra Ægypti, de terra ſeruitutis:
11 Et omnis Iſrael audiens timebit, & non adijciet fa-
cere vltra iuxta verbum malum iſtud in vobis.
12 Si autẽ audieris in vna ciuitatũ tuarum, quas Domi
nus Deus tuus dat tibi habitare te illic, dicentes:
13 Exierunt viri iniqui ex vobis, & auerterunt omnes
habitantes terram eorum, dicentes: Eamus, & ſer-
uiamus dijs alijs, quos non noſtis:
14 Et examinabis, & interrogabis, & inueſtigabis val-
de, & ecce verus manifeſto ſermo, facta eſt abomi-
natio hæc in vobis:
15 Interficiens interficies omnes habitantes in terra il-
la in cæde gladij, anathemate anathemabitis eam,
& omnia, quæ in ea.
16 Et omnia ſpolia eius congregabis in plateas eius,
& incendes ciuitatem in igni, & omnia ſpolia
eius penitus ante Dominum Deum tuum, &
erit inhabitabilis in ſæculum, non reædificabitur
vltra:
17 Et non adhærebit quicquam de anathemate in ma
nu tua: vt auertatur Dominus à furore iræ ſuæ, &
det tibi miſericordiam, & miſereatur tui, & multi-
plicet te, quemadmodum iurauit patribus tuis:
18 Si audieris vocem Domini Dei tui, cuſtodiendo
mandata eius, quæcumque ego mando tibi hodie,
faciendo quod bonum, & placitum ante Dominum
Deum tuum.

### C A P. XIIII.

1 Filij eſtote Domini Dei veſtri: non imponetis
caluitium inter medium oculorum veſtrorum
ſuper mortuum.
2 Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo: &
te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis populus ei pe-
culiaris ex omnibus gentibus, quæ ſuper faciem
terræ.
3 Non comedetis omnem abominationem.
4 Hæc ſunt pecora, quæ comedetis, vitulum ex bo-
bus, & agnum ex ouibus, & hœdum ex capris:
5 Ceruum, & capream, & pygargum, orygem, camelo-
pardum.
6 Omne pecus diffiſſam habens vngulam, & findens
fiſſuram duarum vngularum, & reducens rumina-
tionem in pecoribus, hæc comedetis.
7 Et hæc non comedetis ex reducentibus ruminatio-
nem, & ex diffindentibus vngulam, & diuidentibus
vngues, camelum & leporem, & chirogryllum: quia
reducunt ruminationem, & vngulam non diffindũt,
immunda hæc vobis ſunt.
8 Et ſuem, quoniam diffindit vngulam hoc, & diuidit
vngues vngulæ, & ruminationem hoc non ruminat,
immundum hoc vobis, de carnibus eorum non co-
medetis, morticina eorum non tangetis.
9 Et hæc edetis de omnibus, quæ in aqua: Omnia,
quibus ſunt in eis pennulæ, & ſquamæ, comedetis:
10 Et omnia, quibus non ſunt eis pennulæ, & ſquamæ,
non comedetis, immunda vobis ſunt.
11 Omnem auem mundam comedetis.



## Chald. Paraph. Tranſl.

7 *De idolis populorum, qui ſunt in circuitu veſtro, qui
propinqui ſunt tibi, aut qui longè ſunt à te à fini-
bus terræ, & vſque ad finem terræ:*
8 *Non acquieſcas ei, neque obedias ei, neque parcat
ei oculus tuus, nec miſerearis eius, neque occultes
eum:*
9 *Sed occidens occides eum, manus tua ſit in eum in
principio, vt occidas eum, & manus totius populi
poſtea.*
10 *Et lapidabis eum lapidibus, vt moriatur: quoniam
voluit abſtrahere te à timore Domini Dei tui, qui e-
duxit te de terra Ægypti de domo ſeruitutis:*
11 *Et omnis Iſrael audient, & timebunt, & non addẽt
facere iuxta ſermonem hunc peſſimũ in medio tui.*
12 *Si audieris in vna urbium tuarum quas Dominus
Deus tuus dabit tibi, vt habites ibi, dicentes:*
13 *Egreſſi ſunt viri filij impietatis de medio tui, & ſe-
duxerunt habitatores vrbis ſuæ, dicentes: Eamus, &
ſeruiamus idolis populorum, quæ ignoratis:*
14 *Quæres, & inueſtigabis, & interrogabis diligenter,
& ſi verum, & certum eſt verbum, & facta eſt abo-
minatio hæc in medio tui:*
15 *Percutiens percuties habitatores vrbis illius, in ore
gladij diſperdes eam, & omnia, quæ in ea ſunt, & iu-
menta eius in ore gladij.*
16 *Et omnia ſpolia eius congregabis in medio plateæ
eius, & combures igni ciuitatem, & omnia ſpo-
lia eius omnino coram Domino Deo tuo, & erit
tumulus deſtructionis, & non ædificabitur vl-
tra:*
17 *Et non adhærebit manui tuæ quicquam de anathe-
mate: vt reuertatur Dominus ab ira furoris ſui, &
det tibi miſericordiam, & miſereatur tui, & multi-
plicet te ſicut iurauit patribus tuis:*
18 *Si obedieris verbo Domini Dei tui, vt cuſtodias
omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie,
vt facias, quod rectum eſt coram Domino Deo
tuo.*

### C A P. XIIII.

1 *Filij eſtis vos Domini Dei veſtri: non vos inci-
datis, neque faciatis caluitium inter oculos ve-
ſtros ſuper mortuũ.*
2 *Quoniam populus ſanctus es tu coram Domino Deo
tuo: & te elegit Dominus, vt ſis ei in populum di-
lectum præ omnibus populis, qui ſunt ſuper faciem
terræ.*
3 *Non comedes omne, quod abominabile eſt.*
4 *Hoc eſt animal, quod comedetis, boues, & agnos ouiũ,
& hœdos caprarum:*
5 *Ceruum, & capream, bubalum, & tragelaphum, &
pygargum, & orygem & camelopardalum.*
6 *Omne animal, quod vngulam habet fiſſam, & in
duas partes findit vngulam, & ruminat, in animali-
bus illud comedetis.*
7 *Verumtamen hoc non comedetis de his, quæ ruminãt
& de his, quæ fiſſam habent vngulam in duas par-
tes diuiſam, camelum, & leporem, & cuniculum: qui
ruminant, & vngula eorum non eſt diuiſa, immun-
da erunt vobis.*
8 *Et ſus, qui habet vngulam diuiſam, & non rumi-
nat, immundus erit vobis, de carnibus eorum non co-
medetis, & cadauera eorum non tangetis.*
9 *Hæc autẽ comedetis de omnibus, quæ ſunt in aquis:
Omne quod habet pennulas, & ſquamas comedetis:*
10 *Et omne, quod non habet pennulas, & ſquamas, non
comedetis, immundum erit vobis.*
11 *Omnem auem mundam comedetis.*

## Vulgat. Editio.

12 Immundas ne comedatis; aquilam, ſcilicet, & gryphem, & halæetum:
13 Ixion, & vulturem, ac miluum, iuxta genus ſuum:
14 Et omne coruini generis:
15 Et ſtruthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem, iuxta genus ſuum:
16 Herodium, ac cygnum, & ibin:
17 Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem:
18 Onocrotalum, & charadrium, ſingula in genere ſuo: vpupam quoque & veſpertilionem.
19 Et omne, quod reptat, & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.
20 Omne, quod mundum eſt, comedite.
21 Quidquid autem morticinum eſt, ne veſcamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas eſt, da vt comedat, aut vende ei: quia tu populus ſanctus Domini Dei tui es. * Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

* Exo. 23. 19. 34. 26.

22 Decimam partem ſeparabis de cũctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos:
23 Et comedes in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus tuis: vt diſcas timere Dominum Deum tuum omni tempore.
24 Cum autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare:
25 Vendes omnia, & in pretium rediges, portabiſque manu tua, & proficiſceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus:
26 Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, ſiue ex armentis, ſiue ex ouibus, vinum quoque & ſiceram, & omne, quod deſiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua:
27 Et Leuites, qui intra portas tuas eſt, caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in poſſeſſione tua.
28 Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas.
29 Venietque Leuites qui aliam non habet partẽ, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.

### CAP. XV.

1 SEptimo anno facies remiſſionem:
2 Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia annus remiſſionis eſt Domini.
3 A peregrino, & aduena exiges: ciuem, & propinquum repetendi non habebis poteſtatem.
4 Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem.
5 Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris vniuerſa, quæ iuſſit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, vt pollicitus eſt.
6 Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et hæc ſunt ex quibus non comedetis; aquilam, & gryphum, & halyætum:*
13 *Et ixon & vulturem, & miluũ, ſecundũ ſpeciẽ ſuã:*
14 *Et omnem coruum, ſecundum ſpeciem ſuam:*
15 *Et filiam ſtruthionis, & noctuam, & larum & accipitrem, ſecundum ſpeciem ſuam:*
16 *Et herodium, & ibin, & cygnum:*
17 *Et pelicanum, & porphyrionem & mergulum:*
18 *Ciconiam, & caradryon, ſecundum ſpeciem ſuam: & vpupam, & veſpertilionem.*
19 *Et omne reptile volatile immundum eſt vobis, non comedetur.*
20 *Omnem autem mundam comedetis.*
21 *Non comedetis omne cadauer. Peregrino, qui eſt intra portas tuas dabis illud, & comedet illud, vel vende alienigenæ: populus enim ſanctus es Domino Deo tuo. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.*
22 *Decimam dando, decimam dabis omnis fructus ſeminis tui, qui egreditur ex agro annuatim:*
23 *Et comedes coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit, vt habitare faciat nomen ſuum ibi, decimam frumenti tui, vini tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum, & pecudum tuarum: vt diſcas timere Dominum Deum tuum omnibus diebus.*
24 *Et ſi creuerit præ te via, quòd non poſſis ferre eum, quia diſtat à te locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt ponat nomen ſuum ibi, cum benedixerit tibi Dominus Deus tuus:*
25 *Dabis in pecunia, & ligabis pecuniam in manu tua, & ibis ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:*
26 *Et dabis pecuniam, ſecundum omnia, quæ deſiderat anima tua de bobus, & de pecudibus, & de vino, & de Sechar, & de omnibus, quæ poſtulauerit à te anima tua: & comedes ibi coram Domino Deo tuo, & lætaberis tu, & domus tua:*
27 *Et Leuitam, qui eſt intra portas tuas, non dereliinques, quia non eſt ei pars, & hæreditas tecum.*
28 *In fine trium annorum proferes omnem decimam fructus tui in anno ipſo: & repones intra portas tuas.*
29 *Et veniet Leuita, quia non eſt ei pars, & hæreditas tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui ſunt intra portas tuas, & comedent, & ſaturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manus tuæ, quod feceris.*

### CAP. XV.

1 *IN fine ſeptem annorum facies remiſſionem:*
2 *Et hæc eſt res remiſſionis, vt remittat omnis, qui habet mutuum manuum ſuam. Qui mutuauerit proximo ſuo, non exiget à proximo ſuo, & fratre ſuo, quia vocauit remiſſionem Domino.*
3 *Ab alienigena exiges: & quod fuerit tuum fratri tuo remittet manus tua.*
4 *Et quòd non erit in te mendicus: quia benedicendo benedicet tibi Dominus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, vt poſſideas eã.*
5 *Duntaxat ſi obediendo obedieris voci Domini Dei tui, vt cuſtodias, vt facias omne præceptum iſtud, quod ego præcipio tibi hodie, quia Dominus Deus tuus benedixit tibi, quemadmodum locutus eſt tibi.*
6 *Et mutuabis gentibus multis, & tu non capies mutuum. Et dominaberis gentibus multis, & tibi non dominabuntur.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

12 Et hæc non edetis ex eis; aquilam, & gryphem, &
haliæetum:
13 Et vulturem, & miluum, & ſimilia ei:
14
15 Et ſtruthion, & noctuam, & larum:

16 Et herodium, & cycnum, & ibin, & mergulum, &
accipitrem, & ſimilia ei, & vpupam, & nycticoracē,
& pelecanem, & charadrium, & ſimilia ei, & por-
phyrionem, & noctuam.
19 Omnia repetilia volatilium immunda ſunt vobis, nō
comedetis de eis.
20 Omne volatile mundum comedetis.
21 Omne morticinum non comedetis. Incolæ, qui in
ciuitatibus tuis, dabitur, & comedet, aut vendes a-
lieno: quoniam populus ſanctus es Domino Deo
tuo. Non coques agnum in lacte matris eius.

22 Decimam decimabis geniminis ſeminis tui, geni-
men agri tui annum per annum:
23 Et comedes illud in loco, quemcumque elegerit
Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi,
feretis decimationes frumenti tui, & vini tui, & olei
tui, primogenita boum tuorum, & ouium tuarū: vt
diſcas timere Dominum Deū tuū omnibus diebus.
24 Si autem longè fuerit via à te, & non potueris offer-
re ea, quia longè à te locus, quemcumque elegerit
Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi,
quia benedicet te Dominus Deus tuus:
25 Et vendes ea argento, & ſumes argentum in mani-
bus tuis, & ibis ad locum, quemcumque elegerit
Dominus Deus tuus illum:
26 Et dabis argentum in omni, quodcumque concu-
pierit anima tua, in bobus, aut in ouibus, aut in vi-
no, aut in ſicera, aut in omni, quodcumque concu-
pierit anima tua: & comedes ibi ante Dominum
Deum tuum, & lætaberis tu, & domus tua:
27 Et Leuita, qui eſt in ciuitatibus tuis, quia non eſt ei
pars, neque ſors tecum.

28 Poſt tres annos produces omnem decimam fru-
ctuum tuorum: in anno illo pones illud in ciuitati-
bus tuis.
29 Et veniet Leuita, quia non eſt ei pars, nec ſors te-
cum, & aduena, & pupillus, & vidua, quæ in ciuita-
tibus tuis, & manducabunt, & ſaturabuntur: vt be-
nedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operi-
bus, quæcumque feceris.

Nomina harum auium, & eorundem ordo in ipſa enumeratione in hac Bibl. Septuag. Interp. Rom. aliter eſt variata, atque differt a nominibus & enumeratione vulgatæ editionis, vt nequiuerimus iuxta ordinem illius, illos diſtinguere.

### C A P. XV.

1 PEr ſeptem annos facies remiſſionem:
2 Et ſic conſtitutio remiſſionis. Remittes omne
debitum proprium, quod debet tibi proximus, & à
fratre tuo non repetes, inuocata enim eſt remiſſio
Domino Deo tuo.
3 Ab alieno repetes, quæcumque fuerint tibi ab eo:
fratri autem tuo remiſſionem facies debiti tui.
4 Quia non erit in te egenus: quia benedicens bene-
dicet te Dominus Deus tuus in terra, quam Domi-
nus Deus tuus dat tibi in ſorte, vt hæredites eam.
5 Si autem auditu exaudieritis vocem Domini Dei
veſtri cuſtodiendo, & faciendo omnia mandata hæc,
quæcumque ego mando tibi hodie, quoniam Do-
minus Deus tuus benedixit te, quemadmodum lo-
cutus eſt tibi.
6 Et fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum
non accipies. Et principaberis gentium multarum,
tui autem non principabuntur.

## Chald. Paraph. Tranſl.

*12 Et hæc non comedetis ex eis, aquilam, & gryphum,
& haliæetum:*
*13 Et ixon, & vulturem, & miluum in genere ſuo:*
*14 Et omnem coruum, iuxta genus ſuum:*
*15 Et ſtruthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem
iuxta genus ſuum:*
*16 Herodium, & cygnum, & ibin:*
*17 Et mergulum, & porphyrionem, & nycticoracem:*
*18 Et onocrotalum, & charadrium, iuxta genus ſuum:
& vpupam, & veſpertilionem.*
*19 Et omne reptile auium immundum erit vobis, & nō
comedetur.*
*20 Omnem volucrem mundam comedetis.*
*21 Non comedetis omne morticinium. Peregrino, qui eſt
intra portas tuas dabis illud, & comedat illud, aut
vendes extraneo: quia populus ſanctus es tu co-
ram Domino Deo tuo. Non comedetis carnem
cum lacte.*

*22 Decimans decimabis omnes fructus terræ tuæ, quos
profert ager per ſingulos annos:*
*23 Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quē ele-
gerit, vt collocet ibi maieſtatem ſuā, illuc afferes de-
cimas frumenti tui, & vini tui, & olei tui, et primo-
genita boum tuorum, & ouium tuarum: vt diſcas ti-
mere coram Domino Deo tuo omnibus diebus.*
*24 Et quando longior fuerit via, & non poteris portare
illa, quoniam longè eſt à te locus quem elegit Domi-
nus Deus tuus, vt collocet ibi maieſtatem ſuam, quo-
niam benedicet tibi Dominus Deus tuus:*
*25 Vendes ea argento, & ligabis argentum in manu
tua, & ibis ad locum quem elegerit Dominus Deus
tuus:*
*26 Et dabis argentum pro omnibus, quæ voluerit anima
tua, pro bobus, & ouibus, & pro vino nouo, & veteri,
& pro omnibus, quæ petierit anima tua: & comedes
ibi coram Domino Deo tuo, & lætaberis tu, & viri
domus tuæ:*
*27 Et Leuita, qui eſt in vrbibus tuis, ne dimittas eum,
quoniam non habet partem, & hæreditatem te-
cum.*
*28 In fine trium annorum educes omnes decimas fru-
gum tuarum in anno illo: & recondes in vrbibus
tuis.*
*29 Et veniet Leuites, qui non habet partem, & hære-
ditatem tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua,
qui ſunt in vrbibus tuis & comedent, & ſaturabū-
tur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni-
bus operibus manuum tuarum, quæ facies.*

### C A P. XV.

*1 IN anno vltimo ſeptē annorū facies remiſſionem:*
*2 Et hoc eſt verbum remiſſionis, vt remittat vnuſ-
quiſque creditor. Cui debetur aliquid à proximo
ſuo, non repetat à fratre ſuo, quia vocauit remiſſio-
nem coram Domino.*
*3 A filijs populorum repetes: & ſi quid fuerit tibi cum
fratre tuo, remittes manum tuam.*
*4 Attamen non erit in te egenus: quoniā benedictione
benedicet tibi Dominus in terra, quā Dominus Deus
tuus dabit tibi in poſſeſſionem, vt poſſideas eam.*
*5 Veruntamen ſi obediens obedieris verbo Domini Dei
tui, vt cuſtodias, & facias omnia præcepta hæc, quæ
ego præcipio tibi hodie, quoniam Dominus Deus tuus
benedicet tibi, ſicut locutus eſt tibi.*

*6 Et mutuabis populis multis, & tu non accipies mu-
tuum. Et dominaberis populorum multorum, tui au-
tem non dominabuntur.*


Si

## Vulgat. Editio.

7 Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum:

* Matt. 5. 42. Luc. 6. 34.

8 Sed aperies eam pauperi, * & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris.

9 Caue ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & auertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod poſtulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.

10 Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in eius neceſſitatibus ſubleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris.

* Matt. 26. 11.

11 * Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra.

* Exo. 21. 2. Iere. 34. 14.

12 * Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum:

13 Et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris:

14 Sed dabis viaticum de gregibus & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

15 Memento, quód & ipſe ſeruieris in terra Ægypti, & liberauerit te Dominus Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi.

16 Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quód diligat te, & domum tuam, & bene ſibi apud te eſſe ſentiat:

17 Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & ſeruiet tibi vſque in æternum, ancillæ quoque ſimiliter facies.

18 Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiſeris eos liberos: quoniam iuxta mercedem mercenarij per ſex annos ſeruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quæ agis.

19 De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ouibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium.

20 In conſpectu Domini Dei tui comedes ea per annos ſingulos in loco, quem elegerit Dominus, tu & domus tua.

* Leui. 22. 20. Eccl. 35. 14.

21 * Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.

22 Sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus, quàm immundus ſimiliter veſcentur eis quaſi caprea, & ceruo.

23 Hoc ſolum obſeruabis, vt ſanguinem eorum nõ comedas, ſed effundes in terram quaſi aqua.

### CAP. XVI.

1 OBſerua menſem nouarum frugum, & verni primum tẽporis, vt facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in illo menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2 Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Si fuerit in te mendicus quiſpiam è fratribus tuis intra vnam è portis tuis in terra tua, quã Dominus Deus tuus dat tibi non indurabis cor tuum, & non contrahes manum tuam à fratre tuo mendico:*

8 *Sed aperiendo aperies manum tuam ei, & mutuando mutuabis ei quantum ſufficit defectui eius, quod defecerit ei.*

9 *Caue tibi ne fortè ſit quidpiam cum corde tuo, cum impietate, dicendo: Appropinquauit annus ſeptimus, annus remiſſionis, & malignus ſit oculus tuus contra fratrem tuum mendicum, & non des ei: & clamabit contra te ad Dominum, & erit in te peccatum.*

10 *Dando dabis ei: & non malignabit cor tuum cum dederis ei: quia huius rei gratia benedicet tibi Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, & in omnibus in quibus mittes manum tuam.*

11 *Quia non ceſſabit mendicus de medio terræ: idcirco præcipio tibi, dicendo, aperiendo aperies manum tuam fratri tuo, pauperi tuo, & mendico tuo in terra tua.*

12 *Si vendiderit ſe tibi frater tuus Hebræus, vel Hebræa, & ſeruiuerit tibi ſex annis, anno ſeptimo dimittes eum liberum à te:*

13 *Et ſi dimiſeris eum liberum à te, non dimittes eum vacuum:*

14 *Onerando onerabis eum, de pecudibus tuis, & de frumento areæ tuæ, & de vino torcularis tui, in quibus benedixerit tibi Dominus Deus tuus, dabis ei.*

15 *Et recordaberis, quòd ſeruus fuiſti in terra Ægypti, & redemit te Dominus Deus tuus, idcirco ego præcipio tibi hoc hodie:*

16 *Et erit, ſi dixerit tibi: Non egrediar à te: quia dilexit te, & domum tuam, quia bonum eſt ei, vt ſit tecum:*

17 *Capies ſubulam, & pones in aure eius, & in ianua, & erit tibi ſeruus in ſæculum, & etiam ancillæ tuæ facies ſic.*

18 *Non ſit durum in oculis tuis, cum dimiſeris eum liberum à te: quia duplex eſt merces mercenarij, ſeruiuit tibi ſex annis: & benedicet tibi Dominus tuus in omnibus, quæ feceris.*

19 *Omne primogenitum, quod naſcetur è bobus tuis, & è pecudibus tuis, maſculum ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis tui, & non tondebis primogenitum pecudum tuarum.*

20 *Coram Domino Deo tuo comedes eum annuatim, in loco quem elegerit Dominus, tu & familia tua.*

21 *Et ſi fuerit in eo macula, claudus, vel cæcus, omnis macula mala, non ſacrificabis eum Domino Deo tuo.*

22 *Intra portas tuas comedes eum, immundum: & mũdum pariter ſicut capream, & ſicut ceruum.*

23 *Tantummodo ſanguinem eius, non comedes, ſuper terram fundes eum, ſicut aquam.*

### CAP. XVI.

1 *OBſerua menſem Iulij, & fac Peſach Domino Deo tuo: quia in menſe Iulij eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto nocte.*

2 *Et ſacrificabis Peſach Domino Deo tuo de pecudibus, & bobus in loco, quem elegerit Dominus, vt habitare faciat nomen ſuum ibi.*

Non

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

7 Si autem fuerit in te egenus ex fratribus tuis in vna ciuitatum tuarum in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi: non indurabis cor tuum, neque conſtringes manum tuam à fratre tuo egente:
8 Aperiens aperies manus tuas ei, & fœnus fœnerabis ei, quantum poſcit, ſecundum quod egebit.
9 Attende tibiipſi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas, dicens: Appropiat annus ſeptimus, annus remiſſionis; & malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, & non dabis ei: & exclamabit aduerſus te ad Dominum, & erit in te peccatum magnum.
10 Dans dabis ei: & fœnus fœnerabis ei, quantum poſtulat, ſecundum quod egebit, & non contriſtaberis corde tuo, dante te ei: quoniam propter verbum hoc benedicet te Dominus Deus tuus in omnibus operibus, & in omnibus, quocunque miſeris manum tuam.
11 Non enim deerit egenus à terra tua: propter hoc ego tibi mando facere verbum hoc, dicens: aperiens aperies manus tuas fratri tuo pauperi, & poſtulanti, qui ſuper terram tuam.
12 Si autẽ venundatus fuerit tibi frater tuus Hebræus, aut Hebræa, ſeruiet tibi ſex annis, & ſeptimo dimittes eum liberum à te:
13 Quando autem dimittis eum liberum à te, non dimittes eum vacuum:
14 Viaticum ſuppeditabis ei ex ouibus tuis, & ex frumento tuo, & ex vino tuo, prout benedixit te Dominus Deus tuus, dabis ei.
15 Et recordaberis, quia famulus fuiſti in terra Ægypti, & redemit te Dominus Deus tuus inde, propter hoc ego tibi mando facere verbum hoc.
16 Si autem dicat ad te: Non exibo à te: quoniam dilexit te, & domum tuam, quoniam bene eſt ei apud te:
17 Et perforabis auriculam eius ad ianuam, & erit tibi famulus in ſeculum, & ancillam tuam ſimiliter facies.
18 Non erit durum coram te, cum ipſi dimittuntur liberi à te: quoniam annuam mercedem mercenarij ſeruiuit tibi ſex annos: & benedicet te Dominus Deus tuus in omnibus, quæcumque feceris.
19 Omne primogenitum, quod natum fuerit in bobus tuis, & ouibus tuis, maſculina ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito vitulo tuo, neque tondebis primogenita ouium tuarum.
20 Ante Dominum comedes illud, annum ex anno in loco, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, tu & domus tua.
21 Si autem fuerit in eo vitium, claudum, aut cæcum, vitium malum, non ſacrificabis illud Domino Deo tuo.
22 In ciuitatibus tuis comedes illud: qui immundus in te, & mundus ſimiliter comedet, vt capream, vel ceruum.
23 Tantummodo ſanguinem nõ comedetis, in terram effundes eum, ſicut aquam.

### CAP. XVI.

1 OBſerua menſem nouorum, & facies Paſcha Domino Deo tuo: quoniam in menſe nouorum exiſti de Ægypto nocte.
2 Et immolabis Paſcha Domino Deo tuo, oues, & boues, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi.



## Chald. Paraph. Tranſl.

7 *Si vnus de fratribus tuis fuerit egenus in vna vrbium tuarum in terra tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: non indurabis cor tuum, neque contrahes manum tuam à fratre tuo egeno:*
8 *Sed aperiens aperies ei manum tuam, & mutuans mutuabis ei, iuxta id quo indiget.*
9 *Caue tibi ne ſit verbum impietatis in corde tuo, dicens: Appropinquat annus ſeptimus annus remiſſionis; & oculus tuus ſit nequam contra fratrem tuum egenum, & non dederis ei: & clamet contra te coram Domino, & ſit in te peccatum.*
10 *Tribuens tribues ei: & non diſplicebit cordi tuo cùm dederis ei: quia propter verbum hoc benedicet tibi Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, & in cunctis ad quæ miſeris manum tuam.*
11 *Non enim deerit egenus in medio terræ: ideo ego præcipio tibi hodie, dicens: Aperiens aperies manum tuam fratribus tuis pauperibus tuis, & egenis tuis in terra tua.*
12 *Si venditus fuerit tibi frater tuus filius Iſrael, aut filia Iſrael ſeruiet tibi ſex annis, & in anno ſeptimo dimittes eum liberum à te:*
13 *Et quando dimiſeris eum liberum à te, non dimittes eum vacuum:*
14 *Sed ſeparans ſeparabis ei de ouibus tuis, & de area tua, & de torculari tuo, & dabis ei de his, quibus Dominus benedixerit tibi.*
15 *Et recordaberis, quòd ſeruus fuiſti in terra Ægypti, & redemit te Dominus Deus tuus, ideo ego præcipio tibi verbum hoc hodie.*
16 *Et ſi dixerit tibi: Non egrediar à te: eo quòd diligit te, & homines domus tuæ, quia bene eſt ei apud te:*
17 *Tolles ſubulam, & perforabis aurem eius in ianua, & erit tibi ſeruus miniſtrans in ſeculum, ancillæ quoque tuæ facies ſimiliter.*
18 *Non ſit graue in oculis tuis, cùm dimiſeris eum liberum à te: quoniam duplici mercede mercenarij ſeruiuit tibi ſex annis: & benedicet tibi Dominus Deus tuus in omnibus, quæ feceris.*
19 *Omne primogenitum, quod natum fuerit maſculum in bobus tuis, & in ouibus tuis ſanctificabis coram Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito boum tuorum, nec tondebis primogenitum ouium tuarum.*
20 *Coram Domino Deo tuo comedes illud per ſingulos annos in loco, quem elegerit Dominus, tu & homines domus tuæ.*
21 *Et ſi fuerit in eo macula, ſi claudum fuerit, aut cæcum, aut ſi fuerit in eo aliquid mali, non immolabis illud coram Domino Deo tuo.*
22 *In vrbibus tuis comedes illud: mundus, & immundus ſimul ſicut carnem capreæ, & cerui.*
23 *Attamen ſanguinem eius non comedes, ſed ſuper terram effundes illum ſicut aquam.*

### CAP. XVI.

1 *OBſerua menſem nouarum frugum, & facies Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in menſe nouarum frugum eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.*
2 *Et immolabis Phaſe coram Domino Deo tuo de ouibus, & vitulimam ſanctificatam de bobus, in loco quē elegerit Dominus, vt collocet ibi maieſtatem ſuam.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

3 Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes abſque fermento, afflictionis panē, quoniam in pauore egreſſus es de Ægypto: vt memineris diei egreſſionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

4 Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus, & non remanebit de carnibus eius, quod immolatum eſt veſpere in die primo vſque mane.

5 Non poteris immolare Phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi:

6 Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto.

7 Et coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque conſurgens vades in tabernacula tua.

8 Sex diebus comedes azyma: & in die ſeptima, quia collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus.

9 Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in ſegetem miſeris.

10 Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres, iuxta benedictionem Domini Dei tui:

11 Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuites, qui eſt intra portas tuas, aduena, ac pupillus, & vidua, qui morantur vobiſcum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi:

12 Et recordaberis, quoniam ſeruus fueris in Ægypto: cuſtodieſque, ac facies, quæ præcepta ſunt.

13 Sollemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas:

14 Et epulaberis in feſtiuitate tua, tu, filius tuus, & filia, ſeruus tuus, & ancilla, Leuites quoque & aduena, pupillus, ac vidua, qui intra portas tuas ſunt.

15 Septem diebus Domino Deo tuo feſta celebrabis in loco, quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, eriſque in lætitia.

16 Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit: in ſollemnitate azymorum, in ſollemnitate hebdomadarum, & in ſollemnitate tabernaculorum. * Non apparebit ante Dominum vacuus:

* Exo.23. 14.34.20. Eccl.35.6.

17 Sed offeret vnuſquiſque ſecundum, quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei.

18 Iudices, & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas: vt iudicent populum iuſto iudicio:

19 Nec in alteram partem declinent. * Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.

* Sup.1.17 Leu.19.15 Exo.23.8. Eccl.20.31

20 Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris: vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

21 Non plantabis lucum, & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui.

22 Nec facies tibi, neque conſtitues ſtatuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Non comedes cum eo fermentatum: Septem diebus comedes cum eo infermentata, panem paupertatis, quia feſtinanter egreſſus es è terra Ægypti: vt memineris diei quo egreſſus es è terra Aegypti omnibus diebus vitæ tuæ.*

4 *Et non conſpicietur in te fermentatum in omni termino tuo ſeptem diebus, & non pernoctabit de carne, quam ſacrificabis in veſpera, die primo, vſque mane.*

5 *Non poteris ſacrificare Peſach intra vnam è portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi:*

6 *Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitare faciat nomen ſuum ibi: ſacrificabis Peſach in veſpera, occumbente Sole, tempore quo egreſſus es ex Aegypto.*

7 *Et aſſabis, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, & vertes te manè, & ibis in tabernacula tua.*

8 *Sex diebus comedes infermentata: & die ſeptima erit collectio Domino Deo tuo, non facies opus.*

9 *Septem hebdomadas numerabis tibi, quum inceperit falx eſſe in ſegete incipies numerare ſeptem hebdomadas.*

10 *Et facies ſollemnitatem hebdomadarum Domino Deo tuo, quantum potuerit ſpontanea manus tua erit, quod dabis, quemadmodum benedixerit tibi Dominus Deus tuus:*

11 *Et lætaberis coram Domino Deo tuo, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, qui eſt intra portas tuas, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui ſunt in medio tui: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitare faciat nomen ſuum ibi:*

12 *Et recordaberis, quòd ſeruus fuiſti in Aegypto: & cuſtodies, & facies ſtatuta hæc.*

13 *Sollemnitatem tabernaculorum facies tibi ſeptem diebus, dum collegeris tu de area tua, & de torculari tuo:*

14 *Et lætaberis i ſolēnitate tua, tu, & fili⁹ tuus, et filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuitea, & peregrinus, & pupillus, & vidua q ſūt intra portas tuas.*

15 *Septem diebus ſollemnitatem celebrabis Domino Deo tuo, in loco quem elegerit Dominus: quia benedicet tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, & eris etiam lætus.*

16 *Tribus vicibus in anno conſpicietur omnis maſculus tuus coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit: in ſollemnitate infermentatorum, & in ſollemnitate hebdomadarum, & in ſollemnitate tabernaculorum. Et non conſpicietur coram Domino vacuus:*

17 *Vnuſquiſque ſecundum donum manus ſuæ, ſecundum benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi.*

18 **Iudices, & præfectos pones tibi in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi in tribubus tuis: & iudicabunt populum ſecundum iudicium iuſtum:*

* [illegible] ex Heb. Sanct. Pagnini.

19 *Non peruertes iudicium. Non agnoſces perſonam, & non capies munus, quia munus excæcat oculos ſapientum, & deſtruit verba iuſtorum.*

20 *Iuſtitiam, iuſtitiam ſequeris: vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.*

21 *Non plantabis tibi lucum, omnem arborem apud altare Domini Dei tui, quod facies tibi.*

22 *Et non eriges tibi ſtatuam: quam odio habet Dominus Deus tuus.*

*CAP.*

UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

3 Non comedes fermentum ſuper illud: Septem diebus comedes ſuper illud azyma, panem afflictionis, quoniam in feſtinatione exiſtis de Ægypto: vt recordemini diem exitus veſtri de terra Ægypti omnibus diebus vitæ veſtræ.

4 Non apparebit tibi fermentum in omnibus finibus tuis ſeptem dies, & non dormiet de carnibus, de quibus immolaueris veſperi die primo, vſque in manè.

5 Non poteris immolare Paſcha in vlla ciuitatum tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi:

6 Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi: immolabis Paſcha veſperi ad occaſum Solis, in tempore quo exiſti de Ægypto.

7 Et coques, & aſſabis, & comedes in loco, quem elegerit Dominus tuus eum, & conuertes te manè, & venies ad domos tuas.

8 Sex diebus comedes azyma: & die ſeptima exodiũ, ſollemnitas Domino Deo tuo, non facies in ea omne opus præter ea, quæ fient animæ.

9 Septem ſeptimanas dinumerabis tibi ipſi, inchoante te falcem in meſſem, incipies numerare ſeptem ſeptimanas.

10 Et facies diem feſtum ſeptimanarum Domino Deo tuo, prout valet manus tua, quæcumque dederit Dominus Deus tuus:

11 Et epulaberis ante Dominum Deum tuum, tu, & filius tuus, & filia tua, & puer tuus, & ancilla, & Leuita, & proſelytus, & pupillus, & vidua, quæ eſt in vobis: in loco, quem elegerit Dominus tuus eum, vt inuocetur nomen ipſius ibi:

12 Et recordaberis, quia famulus fuiſti in terra Ægypto: & cuſtodies, & facies mandata hæc.

13 Sollemnitatem tabernaculorum facies tibi ſeptem diebus, cum tu collegeris ex area tua, & ex torculari tuo:

14 Et lætaberis in ſollẽnitate tua, tu, & filius tuus, & filia tua, puer tuus & ancilla tua, & Leuita & proſelytus, & pupillus, & vidua, quæ in ciuitatibus tuis.

15 Septem diebus feſtiuitatem celebrabis Domino Deo tuo in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus ſibi: ſi autem benedixerit te Dominus Deus tuus in omnibus fructibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, & eris lætans.

16 Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum ante Dominum Deum tuum in loco, quem elegerit eum Dominus: in ſollemnitate azymorum, & in ſollemnitate ſeptimanarum, & in ſollemnitate ſcenopegiæ. Non apparebis coram Domino Deo tuo vacuus:

17 Vnuſquiſque ſecundum facultatem manuum veſtrarum, ſecundum benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi.

18 Iudices, & magiſtros facies tibi in ciuitatibus tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi, ſecundum tribus: & iudicabunt populum iudicium iuſtum:

19 Non declinabunt iudicium. Neque agnoſcent perſonam, neque accipient donum: dona enim excæcant oculos ſapientum, & auferunt verba iuſtorum.

20 Iuſtè quod iuſtum eſt, perſequaris: vt viuatis, & ingreſſi hæreditetis terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

21 Non plantabis tibiipſi lucum, omne lignum apud altare Domini Dei tui.

22 Non facies tibi, non ſtatues tibi ſtatuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

## Chald. Paraph. Transl.

3 *Non comedes cum eo fermentatum: Septem diebus comedes cum eo azymum, panem afflictionis, quoniam feſtinanter egreſſus es de terra Ægypti: vt recorderis diei exitus tui de terra Ægypti, omnibus diebus vitæ tuæ.*

4 *Et non apparebit tibi fermentatum in omni termino tuo ſeptem diebus, neque remanebit de carne, quam immolaueris veſperi in die primo, vſque manè.*

5 *Non habebis poteſtatem immolandi Phaſe in vna vrbium tuarum, quam Dominus Deus tuus dabit tibi:*

6 *Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitare faciat maieſtatem ſuam in eo: ibi immolabis Phaſe veſpere ad occaſum Solis in tempore quo egreſſus es de Ægypto.*

7 *Et coques illud, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, & manè conſurgens ibis in tabernacula tua.*

8 *Sex diebus comedes azymum: & in die ſeptimo, quia collecta eſt coram Domino Deo tuo, nullum opus facies in ea.*

9 *Septem hebdomadas numerabis tibi, à principio quo falce metitur manipulus eleuationis, incipies numerare ſeptem hebdomadas.*

10 *Et celebrabis feſtum hebdomadarum coram Domino Deo tuo, iuxta oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam dederis, ſicut benedixerit tibi Dominus Deus tuus:*

11 *Et lætaberis coram Domino Deo tuo, tu & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, qui eſt in vrbibus tuis, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui ſunt in medio tui: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt collocet ibi maieſtatem ſuam:*

12 *Et recordaberis, quòd ſeruus fuiſti in Aegypto: & cuſtodies, & facies mandata hæc.*

13 *Feſtum tabernaculorum facies tibi ſeptem diebus, quando collegeris de area tua, & de torculari tuo:*

14 *Et lætaberis in ſollẽnitate tua, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, & peregrinus, & pupillus, & vidua, q̃ ſũt ĩ vrbib' tuis.*

15 *Septem diebus celebrabis feſta coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit Dominus: quoniam benedicet tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omnibus operibus manus tuæ, & eris vtique lætus.*

16 *Tribus vicibus in anno apparebunt omnes maſculi tui coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit: in ſollemnitate azymorum, & in ſollemnitate hebdomadarum, & in ſollemnitate tabernaculorum. Et non apparebunt vacui coram Domino:*

17 *Sed vnuſquiſque ſecundùm donationem manus ſuæ, iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dabit tibi.*

18 *Iudices, & præfectos conſtitues tibi in omnibus ciuitatibus tuis, quas Dominus Deus tuus dabit tibi per tribus tuas: & iudicabunt populum iudicio recto:*

19 *Non peruertas iudicium. Non accipies perſonam, nec recipies munera: quoniam munera excæcant oculos ſapientum, & deprauant verba recta.*

20 *Quod iuſtum eſt, & verum ſequeris: vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

21 *Non plantabis tibi lucum, & omnem arborem in latere altaris Domini Dei tui.*

22 *Quod facies tibi, & non eriges tibi ſtatuam: quam odit Dominus Deus tuus.*

## Vulgat. Editio.

### CAP. XVII.

1 NOn immolabis Domino Deo tuo ouem, & bouem, in quo eſt macula, aut quippiam vitij: quia abominatio eſt Domino Deo tuo.

2 Cum reperti fuerint apud te, intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius:

3 Vt vadant, & ſeruiant dijs alienis, & adorent eos, Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi:

4 Et hoc tibi fuerit nunciatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael:

5 Educes virum, ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.

6 * In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra ſe dicente teſtimonium.

*Inf. 19. 15. Mat. 18. 16. 2. Co. 13. 1. Sup. 15. 5.*

7 Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui.

8 Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

9 * Veniéſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.

*1. Par. 19. 10.*

10 Et facies, quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te:

11 Iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

12 Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael:

13 Cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.

14 Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes:

15 Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.

16 Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſubleuatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis, vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini.

17 Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti, & auri immenſa pondera.

18 Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus:

Et

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XVII.

1 *NOn ſacrificabis Domino Deo tuo bouem, & pecus, in quo fuerit macula, omnem rem malam: quia abominatio Domini Dei tui eſt.*

2 *Si inuentus fuerit in medio tui, intra vnam è portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi, vir, vel mulier, qui fecerit malum in oculis Domini Dei tui, tranſgrediendo pactum eius:*

3 *Et perrexerit, & coluerit deos alios, & incuruauerit ſe eis, & Soli, vel Lunæ, vel omni militiæ cœli, quod non præcepi:*

4 *Et nunciatum fuerit tibi, & audieris, & quæſieris diligenter, & ecce eſt veritas, rectum eſt verbum, facta eſt abominatio iſta in Iſrael:*

5 *Educes virum ipſum, vel mulierem ipſam, qui fecerunt malum hoc ad portas tuas, virum, vel mulierẽ, & lapidabis eos lapidibus, & morientur.*

6 *In ore duorum teſtium, vel trium teſtium, morietur moriendus. Non morietur in ore teſtis vnius.*

7 *Manus teſtium erit contra eum prius, ad interimendum eum, & manus omnis populi poſtea, & auferes malum è medio tui.*

8 *Si latuerit tibi aliquid in iudicio inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſam, & cauſam, & inter plagam, & plagam: res cauſarum in portis tuis: ſurges, & aſcendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.*

9 *Et venies ad ſacerdotes Leuitas, & ad iudicem, qui erit in diebus ipſis: & quæres, & indicabunt tibi rem iudicij.*

10 *Et facies, ſecundum ſermonem verbi, quod annunciabunt tibi è loco ipſo, quem elegerit Dominus, & cuſtodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te.*

11 *Iuxta ſermonem legis quem docebunt te, & ſecundum iudicium, quod dicent tibi facies. Non declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi ad dexteram, & ad ſiniſtram.*

12 *Et vir, qui fecerit per ſuperbiam, vt non obediat ſacerdoti, qui ſtat ad miniſtrandum ibi coram Domino Deo tuo, vel iudici, morietur vir ipſe, & auferes malum ex Iſrael:*

13 *Et omnis populus audient, & timebunt, & non ſuperbè agent amplius.*

14 *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & poſſederis eam & habitaueris in ea, & dixeris: Ponam ſuper me regem, ſecundum omnes gentes, quæ ſunt in circuitibus meis:*

15 *Ponendo pones ſuper te regem, quem elegerit Dominus Deus tuus è medio fratrum tuorum, pones ſuper te regem. Non poteris ponere ſuper te virum alienigenam, qui non frater tuus eſt.*

16 *Sed non multiplicabit ſibi equos, neque reducet populum in Ægyptum, vt multiplicet equos, & Dominus dixit vobis: Non addetis, vt reuertamini per viam iſtam amplius.*

17 *Et non multiplicabit ſibi vxores, & non declinabit cor eius, & argentum, & aurum non multiplicabit ſibi valdè.*

18 *Et erit, quando ſedet ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi iteratam legem hanc in libro coram ſacerdotibus Leuitis:*

*Et*

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XVII.

1 NOn immolabis Domino Deo tuo vitulum, vel ouem, in quo eſt in ipſo vitium, omne verbum malum: quoniam abominatio Domino Deo tuo eſt.
2 Si autem inuentus fuerit in vna ciuitatum tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi vir, aut mulier, qui faciet malum ante Dominum Deum tuum, tranſgrediendo teſtamentum eius:
3 Et euntes ſeruierint dijs alijs, & adorauerint eos, Solem, & Lunam, vel quodcumq; eorum, quæ ſunt ex ornatu cœli, quæ non præcepit tibi:
4 Et annunciatum fuerit tibi, & exquiſieris valdè, & ecce verè factum eſt verbum, facta eſt abominatio hæc in Iſrael:
5 Et educes hominem illum, aut mulierem illam, & lapidabitis eos in lapidibus, & morientur.
6 In duobus teſtibus, vel in tribus teſtibus morietur. Qui moritur, non morietur in vno teſte.
7 Et manus teſtium erit ſuper eum in primis ad interficiendum eum, & manus populi in nouiſſimis: & auferes malum ex vobis ipſis.
8 Si autem impoſſibile fuerit à te verbum inter ſanguinem à ſanguine, & inter iudicium à iudicio, & inter tactum à tactu, & inter controuerſiam, à controuerſia: verba iudicij in ciuitatibus veſtris: & ſurgens aſcendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, illuc.
9 Et venies ad ſacerdotes Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis: & exquirentes annunciabunt tibi iudicium.
10 Et facies, ſecundum rem, quamcumque annunciauerint tibi de loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, & obſeruabis facere omnia, quæcumque ſancita fuerint tibi.
11 Secundum legem, & ſecundum iudicium quodcumque dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo, quod annunciauerint tibi, ad dextram, neque ad ſiniſtram.
12 Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non obediat ſacerdoti aſſiſtenti miniſtrare in nomine Domini Dei tui, vel iudici, quicumque fuerit in diebus illis, & morietur homo ille, & auferet malum ex Iſrael:
13 Et omnis populus audiens timebit, & impiè non aget vltra.
14 Si autem intraueris in terram, quã Dominus Deus tuus dat tibi, & hæreditaueris eam, & habitaueris in ea, & dixeris: Conſtituam ſuper me principem, ſicut & cæteræ gentes, quæ circa me ſunt:
15 Conſtituendo conſtitues ſuper te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus ipſum, ex fratribus tuis conſtitues ſuper te principem. Non poteris conſtituere ſuper te hominem alienum, quia non eſt frater tuus.
16 Quare non multiplicabit ſibi equum, neque reducet populum in Ægyptum, vt non multiplicet ſibi equum, Dominus autem dixit: Non adijcietis reuerti via hac vltra.
17 Et non multiplicabit ſibi vxores, vt non diſcedat cor eius, & argentum, & aurum non multiplicabit ſibi valdè.
18 Et cum ſederit ſuper principatum ſuum, & ſcribet ſibi Deuteronomium hoc in libro à ſacerdotibus Leuitis:



## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAP. XVII.

*1 NOn immolabis coram Domino Deo tuo bouem, & agnum in quo eſt macula, aut quippiam mali: quia abominatio eſt coram Domino Deo tuo.*
*2 Si inuentus fuerit in medio tui in vna vrbium tuarum, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui fecerint, quod malum eſt coram Domino Deo tuo, vt tranſgrediantur pactum eius:*
*3 Et abierint, & ſeruierint idolis populorum, & adorauerint ea, aut Solem, & Lunam, aut omnem militiam cæli, quod non præcepi:*
*4 Et nunciatum fuerit tibi, & audieris, inquires diligenter, & ſi verum, & certum eſt verbum hoc, & facta eſt abominatio hæc in Iſrael:*
*5 Educes virũ illum, aut mulierem illam, qui fecerunt abominationem hanc in vrbe tua, & lapidabis eos lapidibus, virum ſcilicet, aut mulierem, & morientur.*
*6 Per dictum duorum teſtium aut trium teſtium occidatur, qui reus eſt occiſionis. Non occidatur per dictum vnius teſtis.*
*7 Manus teſtium erit in eo primò, vt interficiant eum, & manus totius populi poſteà: & auferes facientem, quod malum eſt de medio tui.*
*8 Si difficile fuerit tibi verbum iudicij inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſam, & cauſam, & inter plagam lepræ, & plagam lepræ: & fuerint verba iudicum diſcordantia in ciuitatibus tuis: conſurges, & aſcendes in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus:*
*9 Et venies ad ſacerdotes Leuitas, & ad iudices, qui fuerint in diebus illis: & quæres ab eis, & nunciabunt tibi verbum iudicij.*
*10 Et facies, ſecundùm præceptum, & verbum, quod nunciauerint tibi de loco illo, quem elegerit Dominus, & cuſtodies, vt facias, iuxta omnia, quæ docuerint te.*
*11 Iuxta præceptum legis, quod docuerint, & ſecundum iudicium, quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo, quod indicauerint tibi ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*
*12 Vir autem, qui malignè egerit, vt non obediat ſacerdotibus, qui ſtant ibi, vt miniſtrent coram Domino Deo tuo, aut iudici, occidetur vir ille, & auferes facientem malum de Iſrael:*
*13 Et omnis populus audient, & timebunt, & non aget impiè deinceps.*
*14 Quando ingreſſus fueris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, & habitaueris in ea, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut omnes populi, qui ſunt in circuitu meo:*
*15 Conſtitue ſuper te regem, quem elegerit Dominus Deus tuus, de medio fratrum tuorum conſtitues ſuper te regem. Non erit tibi licitum, vt conſtituas ſuper te virum extraneum, qui non ſit frater tuus.*
*16 Verumtamen non multiplicet ſibi equos, vt non reducat populum in Ægyptum ad multiplicandos ſibi equos, & Dominus dixit vobis: Non reuertamini per viam iſtam amplius.*
*17 Et non multiplicet ſibi vxores, vt non decipiatur cor eius, & argentum, & aurum, non multiplicet ſibi nimis.*
*18 Et cùm ſederit in ſolio regni ſui, ſcribat ſibi exemplum legis huius in libro per ſacerdotes, & Leuitas:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

19 Et habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.
20 Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael.

### CAP. XVIII.

*Sup. 10. 9. Nu. 18. 20. 1. Cor. 9. 13.*

1 NOn * habebunt ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent:
2 Et nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut locutus eſt illis.
3 Hoc erit iudicium ſacerdotum à populo, & ab his, qui offerunt victimas: ſiue bouem, ſiue ouem immolauerint, dabunt ſacerdoti armum, ac ventriculum:

*Nu. 18. 12.*

4 * Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonſione.
5 Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt ſtet, & miniſtret nomini Domini ipſe, & filij eius in ſempiternum.
6 Si exierit Leuites ex vna vrbium tuarum ex omni Iſrael in qua habitat, & voluerit venire, deſiderans locum quem elegerit Dominus:
7 Miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres eius Leuitæ, qui ſtabunt eo tempore coram Domino.
8 Partem ciborum eamdem accipiet, quam & cæteri: excepto eo, quod in vrbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur.
9 Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium.

*Leu. 20. 27.*

10 * Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus:

*1. Reg. 28. 7.*

11 Nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, * aut quærat à mortuis veritatem.
12 Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo:
13 Perfectus eris, & abſq; macula cum Dño Deo tuo.
14 Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures, & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.

*Io. 1. 45. Act. 3. 22.*

15 * PROPHETAM de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies:

*Exo. 20. 21.*

16 Vt petiſti à Domino Deo tuo * in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius, non videbo, ne moriar:
17 Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti.

*Io. 1. 45.*

18 * Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.
19 Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.

P.o-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et erit cum eo, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, vt cuſtodiat omnia verba legis iſtius, & ſtatuta iſta, vt faciat ea.*
20 *Vt non eleuet cor ſuum ſupra fratres ſuos, neque declinet à præcepto, ad dexteram, & ad ſiniſtram, vt prolonget dies ſuper regnum ſuum ipſe, & filij eius in medio Iſrael.*

### CAP. XVIII.

1 *NOn erit ſacerdotibus Leuitis, omni tribui Leui pars, & hæreditas cum Iſrael, oblationes Domini, & hæreditatem eius comedent:*
2 *Et hæreditas non erit ei in medio fratrum ſuorum: Dominus eſt hæreditas eius, quemadmodum locutus eſt ei.*
3 *Et hoc erit iudicium ſacerdotum à populo, à ſacrificantibus ſacrificium: ſiue bouem, ſiue pecus, dabit ſacerdoti brachium, & maxillas, & ſtomachum:*
4 *Primitias frumenti tui, vini tui, & olei tui, & primitias velleris ouium tuarum dabis ei.*
5 *Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus è cunctis tribubus tuis, vt ſtet ad miniſtrandum nomini Domini, ipſe, & filij eius omnibus diebus.*
6 *Et ſi venerit Leuita ex aliqua è portis tuis ex omni Iſrael, vbi ipſe peregrinatur, & venerit toto deſiderio animæ ſuæ ad locum, quem elegerit Dominus:*
7 *Miniſtrabit nomini Domini Dei ſui, vt omnes fratres eius Leuitæ, qui manent ibi coram Domino.*
8 *Partem, vt partem comedent: præter venditiones ſuas factas patribus.*
9 *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non diſces vt facias ſecundum abominationes gentium ipſarum.*
10 *Non inuenietur in te, qui tranſire faciat filiũ ſuum, & filiam ſuam per ignem diuinans diuinationes ariolus, & augur, & maleficus:*
11 *Et incantans incantationem, & interrogans pytonẽ, & magus, & quærens à mortuis.*
12 *Abominatio enim Domini eſt omnis, qui facit hæc, & propter abominationes iſtas Dominus Deus tuus eijcit eos à facie tua:*
13 *Perfectus eris cum Domino Deo tuo.*
14 *Gentes enim iſtæ quas poſſides ab ariolis, & diuinis audiunt: ſed tu non ſic, dedit tibi Dominus Deus tuus.*
15 *PROPHETAM è medio tui è fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ei obedietis:*
16 *Secundum omnia, quæ poſtulaſti à Domino Deo tuo in Choreb, in die congregationis, dicendo: Non addam, vt audiam vocem Domini Dei mei, & ignem magnum iſtum non videbo amplius, & non moriar:*
17 *Et dixit Dominus ad me: Bona ſunt, quæ locuti ſunt.*
18 *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum eorum ſimilem tibi: & ponam verba mea in ore eius, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero ei.*
19 *Et erit, vir qui non obedierit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.*

Ve-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

19 Et erit ſecum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire omnia mandata, & iuſtificationes has facere.

20 Vt non exaltetur cor eius à fratribus ſuis, vt non tranſgrediatur à mandatis in dextram, aut ad ſiniſtram vt longæuus ſit ſuper principatum ſuum, ipſe, & filij eius in filijs Iſrael.

### CAP. XVIII.

1 NOn erit ſacerdotibus Leuitis toti tribui Leui pars, neque ſors cum Iſrael, oblationes Domini ſors eorum, comedent eas:

2 Sors autem non erit eis in fratribus ipſorum: Dominus ipſe pars eius, ſicut dixit ei.

3 Et hoc eſt iudicium ſacerdotum, quæ à populo, ab immolantibus immolationes: ſiue vitulum, ſiue ouem, & dabis brachium ſacerdoti, & maxillas, & ventriculum:

4 Et primitias frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primitiam lanarum ouium tuarum dabis ei.

5 Quoniam ipſum elegit Dominus ex omnibus tribubus tuis aſſiſtere ante Dominum Deum tuum, miniſtrare, & benedicere in nomine eius, ipſe, & filij eius in filijs Iſrael.

6 Si autem ſuperuenerit Leuita ex vna ciuitatum ex omnibus filijs Iſrael vbi ipſe incolit, ſecũdum quod cupit anima eius, ad locum, quem elegerit:

7 Miniſtrabit nomini Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres eius Leuitæ, qui aſtant ibi coram Domino.

8 Partem partitam edet præter venditionem: quæ eſt ſecundum familiam.

9 Si autem intraueris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non diſces facere, ſecundum abominationes gentium illarum.

10 Non inuenietur in te, qui luſtret filium ſuum, vel filiam ſuam in igni: vaticinans vaticinium, vel diuinationes obſeruans, & augurans, veneficus incantans incantationem:

11 Ventriloquus, & portentorum inſpector, interrogans mortuos.

12 Eſt enim abominatio Domino Deo tuo omnis, qui facit hæc, nam propter abominationes has Dominus exterminabit eos à facie tua:

13 Perfectus eris coram Domino Deo tuo.

14 Gentes enim hæ, quos tu hæreditas eos, hi diuinationes, & vaticinia audient: & tibi non ſic dedit Dominus Deus tuus.

15 PROPHETAM ex fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audietis:

16 Secundum omnia, quæ petijſti à Domino Deo tuo in Choreb in die conuocationis, dicentes: Non adijciemus audire vocem Domini Dei tui, & ignem hunc magnum non aſpiciemus vltra, neque moriamur:

17 Et ait Dominus ad me: Rectè omnia, quæ locuti ſunt ad te.

18 Prophetam ſuſcitabo eis ex fratribus eorum, ſicut te: & dabo verba in ore eius, & loquetur eis, ſecundum quod mandabo ei.

19 Et homo, qui non audierit quæcumque locutus fuerit propheta ille in nomine meo: ego vindictam ſumam de eo.

## Chald. Paraph. Tranſl.

19 *Et erit cum eo, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere coram Domino Deo ſuo, vt cuſtodiat omnia verba legis huius, & mandata hæc, vt faciat ea.*

20 *Vt non eleuetur cor eius ſuper fratres ſuos, nec declinet à præcepto Domini ad dexteram, nec ad ſiniſtram, vt longo tempore ſit in regno ſuo ipſe, & filij eius in medio Iſrael.*

### CAP. XVIII.

1 *NOn erit ſacerdotibus, & Leuitis, & omni tribui Leui pars, & hæreditas cum Iſrael, oblationes Domini, & hæreditatem eius comedent:*

2 *Et hæreditas non erit ei in medio fratrum ſuorum: munera, quæ dedit ei Dominus, ſunt hæreditas eius, ſicut locutus eſt ei.*

3 *Et hoc eſt, quod pertinet ſacerdotibus à populo ab immolantibus victimam: ſiue bouem, ſiue agnum, dabunt ſacerdoti brachium, & maxillam, & ventriculum:*

4 *Primitias frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primitias vellerum ouium tuarum dabis ei.*

5 *Quoniam illum elegit Dominus Deus tuus ex omnibus tribubus tuis, vt ipſi, & filij eius ſtent, & miniſtrent in nomine Domini omnibus diebus.*

6 *Si autem venerit Leuita ex vna vrbium tuarum ex omni Iſrael in qua habitat, & venerit cum omni deſiderio animæ ſuæ ad locum quẽ elegerit Dominus:*

7 *Miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres eius Leuitæ, qui miniſtrant ibi coram Domino.*

8 *Partem ciborum comedet, ſicut & cæteri: præter id quod per vices ſabbati ei venerit, ſicut patres conſtituerunt.*

9 *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non diſcas facere, iuxta abominationes populorum illorum.*

10 *Non inueniatur in te transferens filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem: aut qui diuinet diuinationes, aut qui obſeruet horas, & auguria, nec maleficus:*

11 *Neque incantator, neque qui conſulat phytonem, & ariolum, neque qui requirat aliquid à mortuis.*

12 *Quoniam deteſtabilis eſt coram Domino omnis, qui facit hæc, & propter abominationes iſtas Dominus Deus tuus eijciet illos à facie tua:*

13 *Perfectus eris in timore Domini Dei tui.*

14 *Quoniam populi iſti quos tu poſſidebis, augures, & diuinos audiunt: te autem non ſic inſtituit Dominus Deus tuus.*

15 *PROPHETAM de medio tui de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: illi obedietis:*

16 *Iuxta omnia, quæ petiſti à facie Domini Dei tui in Oreb in die congregationis, dicens: Non addam audire vocem verbi Domini Dei mei, & ignem magnum hunc non videbo amplius, ne moriar:*

17 *Et ait Dominus mihi: Rectè locuti ſunt.*

18 *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſicut tu es: & dabo verba prophetiæ meæ in ore eius, & loquetur cum eis omnia, quæ præcepero illi.*

19 *Et ſi aliquis vir non obedierit verbis meis, quæ locutus fuerit in nomine meo: verbum meum exquiret ab eo.*

## Vulgat. Editio.

20 Propheta autem, qui arrogantia deprauatus volue-
rit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi,
vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, in-
terficietur.
21 Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: Quo mo-
do poſſum intelligere verbum, quod Dominus non
eſt locutus?
22 Hoc habebis ſignũ: Quod in nomine Domini pro-
pheta ille prædixerit, & non euenerit: hoc Domi-
nus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui
propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

### CAP. XIX.

1 CVm diſperdiderit Dominus Deus tuus gen-
tes, quarum tibi traditurus eſt terram, & poſſe-
deris eam, habitaueriſque in vrbibus eius, & in ædi-
bus:
2 * Tres ciuitates ſeparabis tibi in medio terræ, quam
Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem:
3 Sternens diligenter viam, & in tres æqualiter par-
tes totam terræ tuæ prouinciam diuides: vt habeat
e vicino, qui propter homicidium profugus eſt, quo
poſſit euadere.
4 Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita ſeruan-
da eſt: Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, &
qui heri, & nudiuſtertius nullum contra eũ odium
habuiſſe comprobatur:
5 Sed abijſſe cum eo ſimpliciter in ſyluam ad ligna
cædenda, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit
manu, ferrumque lapſum de manubrio amicũ eius
percuſſerit, & occiderit: hic ad vnam ſupradictarum
vrbium confugiet, & viuet:
6 Ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis,
dolore ſtimulatus, perſequatur, & apprehendat eum
ſi longior via fuerit, & percutiat animam eius, qui
non eſt reus mortis: quia nullum contra eum, qui
occiſus eſt, odium prius habuiſſe monſtratur.
7 Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter
ſe ſpatij diuidas.
8 * Cum autem dilatauerit Dominus Deus termi-
nos tuos, ſicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi
cunctam terram, quam eis pollicitus eſt:
9 (Si tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris, quæ
hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum
tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) ad-
des tibi tres alias ciuitates, & ſupradictarum trium
vrbium numerum duplicabis:
10 Vt non effundatur ſanguis innoxius in medio ter-
ræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi poſſiden-
dam, ne ſis ſanguinis reus.
11 * Si quis autem odio habens proximum ſuum, inſi-
diatus fuerit vitæ eius, ſurgenſque percuſſerit illũ,
& mortuus fuerit, fugeritque ad vnam de ſupradi-
ctis vrbibus:
12 Mittent ſeniores ciuitatis illius, & arripient eum de
loco effugij, tradentque in manu proximi, cuius
ſanguis effuſus eſt, & morietur.
13 Non miſereberis eius, & auferes innoxium ſangui-
nem de Iſrael, vt bene ſit tibi.
14 Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui,
quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Do-
minus Deus tuus dabit tibi in terra, quam accepe-
ris poſſidendam.
15 * Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quidquid
illud peccati, & facinoris fuerit: ſed in ore duorum,
aut trium teſtium ſtabit omne verbum.

* Nu. 35. 10. Ioſ. 20. 2.
* Gen. 18. 14. Sup. 12. 20. Exo. 34. 24
* Nu. 35. 20.
* Sup. 17. 6. Mat. 18. 16. 2. Cor. 13. 1. Sup. 13. 9.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Veruntamen propheta, qui ſuperbè egerit, vt loqua-
tur verbum in nomine meo, quod non præcepi ei, vt
loqueretur, & qui loquetur in nomine deorum alio-
rum, morietur propheta ipſe.*
21 *Et ſi dixeris in corde tuo: Quomodo ſciemus ver-
bum, quod non locutus eſt Dominus?*
22 *Quod loquetur propheta in nomine Domini, & non
erit verbum, & non veniet: eſt verbum quod non lo-
cutus eſt Dominus, per ſuperbiam locutus eſt ipſum,
propheta: non timebis ab eo.*

### CAP. XIX.

1 *CVm excidere fecerit Dominus Deus tuus gen-
tes, quarum Dominus Deus tuus dat tibi ter-
ram, & poſſederis eas, & habitaueris in vrbibus ea-
rum, & in domibus earum:*
2 *Tres vrbes ſeparabis tibi in medio terræ tuæ, quam
Dominus Deus tuus dat tibi, vt poſſideas eam:*
3 *Parabis tibi viam, & in tres partes diuides termi-
num terræ tuæ, quam hæreditare faciet te Dominus
Deus tuus: & erit, vt fugiat illuc omnis homici-
da.*
4 *Et hæc eſt res homicidæ, qui fugiet illuc, & viuet:
Qui percuſſerit proximum ſuum ignoranter, & ipſe
non odio habebat eum ab heri, & nudiuſtertius:*
5 *Et qui abierit cum proximo ſuo in ſyluam ad cædẽ-
dum ligna, & impulerit manus eius in ſecurim ca-
dendo lignum, & receſſerit ferrum è ligno, & inue-
nerit proximum ſuum, & moriatur: ipſe fugiet ad
vnam ex vrbibus iſtis, & viuet:*
6 *Ne fortè inſequatur propinquus ſanguinis homici-
dam, cum calefecerit ſe cor eius, & apprehendat eũ,
ſi multa fuerit via, & percutiat animam, & ei non
eſt iudicium mortis: quia non odio habebat eum ab
heri, & nudiuſtertius.*
7 *Idcirco præcipio tibi, dicendo, tres ciuitates ſeparabis
tibi.*
8 *Et ſi dilatare fecerit Dominus Deus tuus terminũ
tuum, quemadmodum iurauit patribus tuis, & de-
derit tibi omnem terram, quam locutus eſt, vt daret
patribus tuis:*
9 *Si cuſtodieris omne præceptum iſtud, vt facias il-
lud, quod præcipio tibi hodie, vt diligas Dominum
Deum tuum, & ambules in vijs eius omnibus die-
bus, addes tibi adhuc tres ciuitates ſuper tres
iſtas:*
10 *Et non effundetur ſanguis innocens in medio terræ
tuæ, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæredi-
tatem, & ſint ſuper te ſanguines.*
11 *Et ſi fuerit quiſpiam odio habens proximum ſuum,
& inſidiatus fuerit ei, & ſurrexerit contra eum, &
percuſſerit animam, & mortuus fuerit, & fugerit ad
vnam è ciuitatibus iſtis:*
12 *Mittent ſeniores ciuitatis illius, & capient eum in-
de, & dabunt eum in manu propinqui ſanguinis, &
morietur:*
13 *Non parcet oculus tuus ei, & auferes ſanguinem in-
nocentem ex Iſrael, & bene erit tibi.*
14 *Non apprehendes terminum proximi tui, quem ter-
minauerunt primi in hæreditate tua, quam hæredi-
tate accipies in terra, quam Dominus Deus tuus
dat tibi, vt poſſideas eam.*
15 *Non ſtabit teſtis vnus contra virum in omni iniqui-
tate, & in omni peccato, in omni peccato, quod pecca-
uerit: in ore duorum teſtium, vel in ore trium te-
ſtium ſtabit verbum.*


S i

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

20 Veruntamen propheta, qui impiè egerit, loquendo in nomine meo verbum, quod non præcepi loqui, & qui locutus fuerit in nomine deorum aliorum, morietur propheta ille.

21 Si autem dixeris in corde tuo: Quomodo cognoſcemus verbum, quod non eſt locutus Dominus?

22 Quæcumque locutus fuerit propheta ille nomine Domini; & factum non fuerit, & non euenerit: hoc eſt verbum, quod locutus non eſt Dominus, in impietate locutus eſt propheta ille, nõ timebitis ab eo.

### C A P. XIX.

1 SI autem deleuerit Dominus Deus tuus gentes, quarum Deus dat tibi terram, & poſſederitis eos, & habitaueritis in ciuitatibus eorum, & in domibus eorum:

2 Tres ciuitates ſecernes tibi in medio terræ tuæ, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

3 Conſecta tibi viam, & trifariam partieris fines terræ tuæ, quam diſtribuit tibi Dominus Deus tuus: & erit ibi refugium omni homicidæ.

4 Hæc autem erit conſtitutio homicidæ, qui fugerit illuc, & viuet: Quicumque percuſſerit proximum ſuum non ſciens, & hic non odio habens eum ante heſternam, & nudiuſtertianam:

5 Et quicumque intrauerit cum proximo in ſyluam ad colligenda ligna, & impulerit manus eius ſecurim cædentis lignum, & elapſum ferrum de ligno incurrerit in proximum, & mortuus fuerit: hic cõfugiet in vnam ciuitatum harum, & viuet:

6 Ne perſequens redemptor ſanguinis poſt homicidam, quoniam incaluit corde, & aſſequatur eum, ſi longior ſit via, & percutiet eius animam, & huic nõ eſt iudicium mortis: quoniam non habebat eũ odio ante heſternam, neque ante nudiuſtertianam.

7 Propter hoc ego tibi mando verbum hoc, dicens: tres ciuitates ſecernes tibi.

8 Si autem dilatauerit Dominus Deus tuus fines tuos, quemadmodum iurauit patribus tuis, & dederit tibi Dominus omnem terram, quam dixit dare patribus tuis:

9 Si audieris facere omnia mandata hæc, quæ ego mando tibi hodie, diligere Dominum Deum tuũ, ambulare in omnibus vijs eius omnes dies, adijcies tibi adhuc tres ciuitates ad tres has:

10 Et non effundetur ſanguis innoxius in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte, & non erit in te ſanguinis reus.

11 Si autem fuerit in te homo odio habens proximũ, & inſidiatus fuerit ei, & inſurrexerit in eum, & percuſſerit eius animam, & mortuus fuerit, & fugerit in vnam ciuitatum harum:

12 Et mittent ſeniores ciuitatis eius, & tollent eum inde, & tradent eum in manus vindicantium ſanguinem, & morietur.

13 Non parcet oculus tuus ſuper eum, & purgabis ſanguinem innoxium ex Iſrael, & bene tibi erit.

14 Non dimouebis fines proximi, quos ſtatuerunt patres tui in hæreditate, quam hæreditaueritis in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte.

15 Non ſtabit teſtis vnus ad teſtificandum contra hominem, ſecundum omnem iniuſtitiam, & ſecũdum omne delictum, & ſecundum omne peccatum, quod peccauerit: ſuper os duorum teſtium, & ſuper os trium teſtium ſtabit omne verbum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

20 *Propheta autem, qui impiè egerit, vt loquatur verbum in nomine meo, quod non præcepi ei, vt loqueretur, & qui locutus fuerit in nomine idolorum populorum, occidatur propheta ille.*

21 *Et ſi dixeris in corde tuo: Quomodo ſciemus verbum, quod non locutus eſt Dominus?*

22 *Propheta, qui locutus fuerit verbum in nomine Domini, & non euenerit, neque firmatum fuerit: hoc eſt verbum, quod Dominus non eſt locutus, ſed impiè locutus eſt illud propheta, non timeatis eum.*

### C A P. XIX.

1 *CVm autem diſperdiderit Dominus Deus tuus gentes quarum terram dabit tibi, & poſſederis eam, & habitaueris in vrbibus earum, & in domibus earum:*

2 *Tres ciuitates ſeparabis tibi in medio terra tua, quã Dominus Deus tuus dabit tibi, vt poſſideas eam:*

3 *Et ſternes tibi viam, & in tres partes diuides terminum terra tua, quam Dominus Deus tuus poſſidere te faciet: & erunt, vt fugiat illuc homicida.*

4 *Et hæc erit lex homicidæ, qui fugiet illuc, vt viuat: Qui occiderit proximum ſuum neſciens, & ipſe non erat inimicus eius heri, & nudiuſtertius:*

5 *Et qui ingreſſus fuerit cum proximo ſuo in ſyluam, vt ſuccidat ligna, & ferrum fugerit manũ eius ſuccidendo ligna, & elapſum fuerit ferrum de manubrio, & inuenerit proximum eius, & mortuus fuerit: ille fugiat ad vnam vrbium iſtarum, & viuet:*

6 *Ne fortè perſequatur propinquus ſanguinis homicidam, cum incaluerit cor eius, & apprehendat eum, ſi longa fuerit via, & occidat animam eius, qui non eſt reus iudicij mortis: quoniam non oderat illum ab heri, & nudiuſtertius.*

7 *Ideo ego præcipio tibi, dicens: tres ciuitates ſeparabis tibi.*

8 *Et quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminum tuum, ſicut iurauit patribus tuis & dederit tibi omnem terram, quam locutus eſt, vt daret patribus tuis:*

9 *Si cuſtodieris omnia præcepta hæc, vt facias, quæ ego præcipio tibi hodie, vt diligas Dominum Deum tuũ, & vt ambules in vijs, quæ recta ſunt coram eo omnibus diebus, addes tibi alias tres ciuitates præter tres illas:*

10 *Et non effundetur ſanguis innocens in medio terra tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem, ne ſit in te reatus iudicij mortis.*

11 *Et quando vir oderit proximum ſuum, & inſidiatus fuerit ei, & ſurrexerit contra eum, & occiderit animam eius, & mortuus fuerit, & fugerit ad vnam de ciuitatibus iſtis:*

12 *Mittent ſeniores ciuitatis illius, & tollent eum inde, & tradent eum in manus propinqui ſanguinis, vt moriatur.*

13 *Non parcat ei oculus tuus, & auferes effundentem ſanguinem innocentem de Iſrael, vt benè ſit tibi.*

14 *Non transferas terminum proximi tui, quem conſtituerunt priores in poſſeſſione tua, quam poſſidebis in terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, vt poſſideas eam.*

15 *Non ſtabit teſtis vnus contra virum in omnibus iniquitatibus, & in omnibus delictis, & in omni peccato, quod peccauerit: ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit verbum.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis:

17 Stabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis.

* Deu. 5. 61.

18 * Cumque diligentiſſime perſcrutantes, inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium:

19 Reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui:

20 Vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.

* Exo. 21. 31. 24. Leu. 24. 19. Matt. 5. 19.

21 Non miſereberis eius, * ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

### CAP. XX.

1 SI exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quam tu habeas aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Ægypti.

2 Appropinquante autem iam prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum:

3 Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos:

4 Quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.

* 1. Mach. 3. 56.

5 Duces quoque per ſingulas turmas audiente exercitu proclamabunt: * Quis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.

6 Quis eſt homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domũ ſuã: ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.

7 Quis eſt homo, qui deſpondit vxoré, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.

* Iudic. 7. 1.

8 His dictis addent reliqua, & loquentur ad populũ: * Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt.

9 Cumque ſiluerint Duces exercitus, & finem loquendi fecerint, vnuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.

10 Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem.

11 Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.

12 Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabes eam.

13 Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij:

14 Abſque mulieribus, & infantibus, iumentis, & cæteris, quæ in ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Si ſteterit teſtis mendacij contra virum ad teſtificandum contra eum declinationem:*

17 *Stabunt ambo homines, quibus eſt lis coram Domino, coram ſacerdotibus, & iudicibus, qui erunt in diebus ipſis.*

18 *Et inquirent iudices diligenter, & ſi teſtis, mendax teſtis fuit, mendacium teſtificatus eſt contra fratrem ſuum:*

19 *Facietis ei, quemadmodum cogitauit facere fratri ſuo, & auferes malum è medio tui:*

20 *Et qui remanſerint, audient, & timebunt, & non addent, vt faciant amplius, ſecundum malum hoc in medio tui.*

21 *Et non parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

### CAP. XX.

1 *CVm egreſſus fueris ad bellum contra inimicos tuos, & videris equos, & currus, populum maiorem te, ne timeas ab eis: Dominus enim Deus tuus eſt tecum, qui aſcendere fecit te de terra Aegypti.*

2 *Erit, cum appropinquaueritis ad bellum; accedet ſacerdos, & loquetur ad populum:*

3 *Et dicet ad eos: Audi Iſrael, eſtis propinqui hodie bello contra inimicos veſtros, ne molleſcat cor veſtrũ, ne timeatis, & ne paueatis, & ne formidetis à facie eorum:*

4 *Quia Dominus Deus veſter ambulat vobiſcum, vt pugnet pro vobis cum inimicis veſtris, vt ſeruet vos.*

5 *Et loquentur Præfecti ad populum, dicendo: Quis eſt vir, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur ad domum ſuam, ne fortè moriatur in prælio, & vir alius dedicet eam.*

6 *Et quis eſt vir, qui plantauit vineam, & non prophanauit eam? vadat, & reuertatur ad domum ſuam: ne fortè moriatur in prælio, & vir alius prophanet eam.*

7 *Et quis eſt vir, qui deſponſauit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur ad domum ſuam, ne fortè moriatur in prælio, & vir alius accipiat eam.*

8 *Et addent Præfecti, vt loquantur ad populum, & dicent: Quis eſt vir timidus, & tener corde? vadat, & reuertatur ad domum ſuam, & non diſſoluat cor fratrum ſuorum, ſicut cor ſuum.*

9 *Et erit, cum compleuerint Præfecti loqui ad populum, conſtituent principes exercitus in capite populi.*

10 *Cum appropinquaueris ad ciuitatem, vt pugnes contra eam clamabis ad eam pro pace.*

11 *Et erit, ſi pacem reſponderet tibi, & aperuerit tibi, erit omnis populus repertus in ea, erunt tibi tributarij, & ſeruient tibi.*

12 *Et ſi non pacem fecerit tecum, ſed fecerit tecum prælium, obſidebis eam.*

13 *Et dabit eam Dominus Deus tuus in poteſtate tua, & percuties omnem maſculum eius acie gladij:*

14 *Sed mulieres, & paruulos, & animalia, & omne, quod erit in vrbe. Et omnia ſpolia eius prædaberis tibi, & comedes ſpolia inimicorum tuorum, quæ dederit Dominus Deus tuus tibi.*

Sic Sic

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

16 Si autem inſteterit teſtis iniuſtus contra hominem, accuſans eius impietatem :

17 Et ſtabunt ambo homines, quibus eſt eis controuerſia, ante Dominum, & ante Sacerdotes, & ante iudices, quicumque fuerint in diebus illis :

18 Et iudices exquirent diligenter, & ecce teſtis iniuſtus teſtatus eſt iniuſta, inſtitit contra fratrem ſuum :

19 Et facietis ei quemadmodum malignatus eſt facere contra fratrem ſuum : & auferes malignum ex vobis ipſis :

10 Et reliqui audientes timebunt, & non adijcient vltra facere iuxta verbum hoc malignum in vobis.

11 Non parcet oculus tuus ſuper eum, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

### CAP. XX.

1 SI autem exieris in bellum ſuper hoſtes tuos, & videris equum, & aſcenſorem & populum maiorem te : ne timueris ab eis, quoniam Dominus Deus tuus tecum, qui aſcendere te fecit de terra Ægypti.

2 Et erit quando appropinquabis prælio; & accedens ſacerdos loquetur populo;

3 Et dicet ad eos: Audi Iſrael: Vos itis hodie in prælium contra inimicos veſtros : non diſſoluatur cor veſtrum, neque timeatis, neque frangamini, neque declinetis à facie eorum :

4 Quoniam Dominus Deus veſter, eſt qui procedit vobiſcum ad ſimul debellandos vobiſcum inimicos veſtros, ad ſaluandos vos.

5 Et loquentur Scribæ ad populum, dicentes: Quis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne moriatur in bello, & homo alius dedicabit eam.

6 Et quis eſt homo, qui plantauit vineam, & non eſt epulatus ex ea? vadat, & reuertatur in domum ſuam : ne moriatur in bello, & homo alius epulabitur ex ea.

7 Et quis eſt homo, qui ſponſauit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam : ne moriatur in bello, & homo alius accipiet eam.

8 Et adijcient Scribæ loqui ad populum, & dicent: Quis eſt homo timens & meticuloſus corde? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat cor fratris ſui, ſicut ſuum.

9 Et erit cum ceſſauerint Scribæ loquentes ad populum, & conſtituent principes exercitus, duces populi.

10 Si autem acceſſeris ad ciuitatem ad debellandum illos, & euocabis eos cum pace.

11 Si quidem pacifica reſponderint tibi, & aperuerint tibi, erit omnis populus, qui inuenti fuerint in ea erunt tibi tributarij, & obedientes tibi.

12 Si autem non obedierint tibi, & fecerint aduerſus te bellum, obſidebis eam :

13 Donec tradiderit tibi eam Dominus Deus tuus in manus tuas, & percuties omne maſculinum eius in corde gladij.

14 Abſque mulieribus & apparatu, & pecora, & omnia quæcumque fuerint in ciuitate, & omnia impedimenta prædaberis tibiipſi, & comedes omnem prædam inimicorum tuorum: quos Dominus Deus tuus dat tibi.

Sic

## Chald. Paraph. Tranſl.

16 Si ſteterit teſtis falſus contra virum, vt teſtificetur contra eum præuaricationem :

17 Stabunt duo viri quorum eſt cauſa coram Domino, & coram ſacerdotibus, & iudicibus qui fuerint in diebus illis :

18 Et requirent iudices diligenter, & ſi teſtis falſus fuerit, & teſtimonium falſum teſtificatus eſt contra fratrem ſuum :

19 Facietis ei ſicut cogitauit facere fratri ſuo: & auferes facientem quod malum eſt de medio tui.

20 Et qui reliqui fuerint audient, & timebunt, & non addent vt faciant vltrà iuxta verbum hoc peſſimũ in medio tui.

21 Non parcat ei oculus tuus, ſed dabis animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

### CAP. XX.

1 SI exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equos & quadrigas, & populum multum magis quam tu es, ne timeas eos, quoniam verbum Domini Dei tui eſt in auxilium tuum, qui eduxit te de terra Ægypti.

2 Et cum appropinquaueritis ad pugnam, accedet ſacerdos & loquetur ad populum,

3 Et dicet ei: Audi, Iſrael: Vos acceditis hodie ad pugnam contra inimicos veſtros: ne commoueatur cor veſtrum, neque timeatis, neque conturbemini, nec terreamini à facie eorum:

4 Quoniã Dominus Deus veſter ipſe Dux erit coram vobis, vt pugnet pro vobis cum inimicis veſtris, vt eruat vos.

5 Et loquentur Duces ad populum, dicentes: Quis eſt vir qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne fortè occidatur in bello, & vir alius dedicet illam.

6 Et quis eſt vir qui plantauit vineam, & non fecit eam eſſe communem? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne occidatur in bello, & vir alius faciat eam eſſe communem.

7 Et quis eſt vir qui deſpondit vxorem, & non accepit eam? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne fortè occidatur in bello, & vir alius accipiat eam.

8 Et addent Duces loqui ad populum, & dicent: Quis eſt vir qui timidus eſt & formidoloſus corde? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne formidare faciat cor fratrum ſuorum ſicut cor eius.

9 Et cum conſumauerint Duces loqui ad populum, conſtituent principes exercitus in capite populi.

10 Cum acceſſeris ad expugnandam vrbem, vocabis eam verbis pacificis.

11 Et ſi pacificè reſponderit tibi, & aperuerit tibi, omnis populus qui inuentus fuerit in ea, erunt tibi tributarij, & ſeruient tibi.

12 Et ſi non fecerit pacem tecum, & fecerit bellum aduerſum te, obſidebis eam.

13 Et tradet eam Dominus Deus tuus in manu tua, & percuties omnes maſculos eius in ore gladij.

14 Verumtamen mulieres & paruulos, & iumenta, & omnia quæ fuerint in ciuitate, & omnia ſpolia eius diripies tibi, & comedes ſpolia inimicorum tuorum, quæ dedit tibi Dominus Deus tuus.

Sic

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde ſunt, & non ſunt de his vrbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es.

16 De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere:

17 Sed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum, & Iebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:

18 Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis: & peccetis in Dominum Deum veſtrum.

19 Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis vt expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem: quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.

20 Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in ceteros apta vſus, ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat.

### CAP. XXI.

1 QVando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, hominis cadauer occiſi, & ignorabitur cædis reus,

2 Egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum:

3 Et quam viciniorem ceteris eſſe perſpexerint; ſeniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram ſcidit vomere,

4 Et ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam, quæ numquam arata eſt, nec ſementem recepit: & cædent in ea ceruices vitulæ:

5 Accedentque ſacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt miniſtrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum eſt, iudicetur.

6 Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus ſuas ſuper vitulam, quæ in valle percuſſa eſt,

7 Et dicent: Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt.

8 Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti Domine, & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael. Et auferetur ab eis reatus ſanguinis:

9 Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fuſus eſt, cum feceris quod præcepit Dominus.

10 Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus, in manu tua, captiuoſque duxeris,

11 Et videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem,

12 Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues,

13 Et deponet veſtem, in qua capta eſt: ſedenſque in domo tua, flebit patrem & matrem ſuam vno menſe: & poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Sic facies omnibus vrbibus longinquis à te valde, quæ non de ciuitatibus gentium iſtarum ſunt.*

16 *Sed de ciuitatibus populorum iſtorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, non viuificabis omnem animam,*

17 *Sed perdendo perdes eos, Chittæum, Emorræum, Chenahanæum, & Perizæum, Chiuuæum, & Iebuſæum, quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus.*

18 *Vt non doceant vos facere ſecundum abominationes eorum, quas fecerunt dijs ſuis, & peccetis Domino Deo veſtro.*

19 *Si obſederis ciuitatem diebus multis pugnando aduerſus eam, vt capias eam, non diſperdes arbores eius, impellendo contra eas ſecurim, quia ex illius fructibus comedes, & ipſas non ſuccides: eſt enim vt homo, arbor agri, vt veniat à facie tua in obſidionem?*

20 *Sed arborem quam noſti non eſſe fructiferam, diſperdes, & ſuccides: & ædificabis munitionem aduerſus ciuitatem, quæ facit tecum prælium, donec domineris ei.*

### CAP. XXI.

1 *SI inuentus fuerit occiſus in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, vt poſſideas eam, iacens in agro, nec ſcitum fuerit, quis percuſſerit eum.*

2 *Egredientur ſeniores tui, & iudices tui, & metientur ciuitates, quæ ſunt in circuitibus occiſi.*

3 *Et erit, ciuitatis propinquæ occiſo; capient ſeniores ciuitatis ipſius vitulam bouis, cum qua non eſt agricolatum, quæ non traxit iugum.*

4 *Et deſcendere facient ſeniores ciuitatis ipſius vitulam ad vallem aſperam, cum qua non eſt agricolatum, neque ſatum, & frangent ceruicem ibi vitulæ in valle.*

5 *Et accedent ſacerdotes filij Leui, quia eos elegit Dominus Deus tuus ad miniſtrandum ſibi, & ad benedicendum in nomine Domini, & iuxta ſermonem eorum erit omnis lis, & omnis plaga.*

6 *Et omnes ſeniores ciuitatis ipſius quæ propinqua eſt occiſo, lauabunt manus ſuas ſuper vitulam fractam habens ceruicem in valle.*

7 *Et loquentur, & dicent: Manus noſtra non effuderũt ſanguinem iſtum, & oculi noſtri non viderunt.*

8 *Expia populum tuum Iſrael quem redemiſti Domine, & ne des ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael. Et remouebitur ab eis ſanguis,*

9 *Et tu auferes ſanguinem innocentem è medio tui, quia facies, quod rectum eſt in oculis Domini.*

10 *Si egreſſus fueris ad bellum contra inimicos tuos, & dederit eos Dominus Deus tuus in manu tua, & captiuum duxeris captiuitatem eius.*

11 *Et videris in captiuitate mulierem pulchram forma, & complacueris in ea, & ceperis tibi in vxorem.*

12 *Introduces eam in medium domus tuæ, & radet caput ſuum, & aptabit vngues ſuos.*

13 *Et remouebit veſtimentum captiuitatis ſuæ à ſe, & manebit in domo tua, & flebit patrem ſuum, & matrem ſuam per menſem dierum, & poſtea ingredieris ad eam, & eris maritus eius, & erit tibi in vxorem.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

15 Sic facies omnes ciuitates, quæ longe abſunt à te valde, non de ciuitatibus gentium harum, quas Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare terra eorum.

16 Non viuificabitis omne ſpirans:

17 Sed anathemate anathemabitis eos, Chettæum, & Amorræum, & Chananæum, & Pherezæum, & Euæum, & Iebuſæum, & Gergeſæum, quemadmodum mandauit tibi Dominus Deus tuus:

18 Vt non doceant vos facere omnes abominationes ſuas, quaſcumque fecerunt dijs ſuis: & peccabitis ante Dominum Deum veſtrum.

19 Si autem obſederis circa ciuitatem vnam diebus pluribus oppugnando eam ad capiendam eam, non exterminabis arbores eius, mittendo in eas ferrum, ſed de ea comedes, ipſam autem non excides: nunquid lignum quod in agro, homo eſt, vt ingrediatur à facie tua in vallum?

20 Sed lignum quod noſti, quia non fert fructum eſui aptum, hoc diſperdes, & excides, & ædificabis vallum ſuper ciuitatem, quæ facit aduerſus te bellum, quoadusque tradita fuerit.

### CAP. XXI.

1 SI autem inuentus fuerit occiſus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi ad hæreditandum, iacens in campo, & non nouerunt percuſſorem:

2 Exibunt ſeniores tui, & iudices tui, & dimetientur ad ciuitates, quæ in circuitu occiſi:

3 Et erit ciuitas propinqua occiſo; & ſument ſeniores ciuitatis illius vitulam ex bobus, quæ operata non eſt, & quæ non traxit iugum:

4 Et deſcendere facient ſeniores ciuitatis illius vitulam in vallem aſperam, quæ non eſt culta, neque ſeminatur, & cædent ceruicem vitulæ in valle.

5 Et accedent ſacerdotes Leuitæ, quoniam eos elegit Dominus Deus adſtare ei, & benedicere in nomine ipſius, & ſuper os eorum erit omnis controuerſia, & omnis tactus.

6 Et omnes ſeniores ciuitatis illius, qui proximi ſunt occiſo, lauabunt manus ſuper caput vitulæ exceruicatæ in valle:

7 Et reſpondentes, dicent: Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, & oculi noſtri non viderunt.

8 Propitius ſit populo tuo Iſrael, quos redemiſti Domine, vt non ſit ſanguis innocens in populo tuo Iſrael: & expiabitur eis ſanguis.

9 Tu autem auferes ſanguinem innocentem ex vobis ipſis, ſi feceris quod bonum, & placitum coram Domino Deo tuo.

10 Si autem exieris in prælium ſuper inimicos tuos & tradiderit tibi Dominus Deus tuus, in manus tuas, & prædatus fueris prædam eorum,

11 Et videris in præda mulierem pulchram ſpecie, & concupiueris eam, & acceperis eam tibi vxorem,

12 Et induxeris eam intus in domum tuam, & rades caput eius, & circumcides vngues eius,

13 Et circumauferes veſtimenta captiuitatis ab ea, & ſedebit in domo tua & lugebit patrem, & matrem menſe dies, & poſt hæc ingredieris ad eam, & cohabitabis ei, & erit vxor tua.



## Chald. Paraph. Tranſl.

15 *Sic facies cunctis ciuitatibus quæ longè ſunt à te, quæ non ſunt de ciuitatibus populorum iſtorum:*

16 *Sed in ciuitatibus populorum iſtorum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem, nullam animam permittes viuere:*

17 *Sed deſtrues eos, Ethæos ſcilicet, & Amorræos, & Chananæos, & Pherezæos, & Euæos, & Iebuſæos, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:*

18 *Vt non doceant vos facere iuxta omnes abominationes ſuas quas faciebant idolis ſuis, & peccetis coram Domino Deo veſtro.*

19 *Quando obſederis ciuitatem diebus multis vt expugnes eam, & vt ſubijcias eam, non diſſipabis arbores eius, neque leuabis ſuper eas ferrum, ex illis enim comedes, & eas non ſuccides: quoniam non eſt ſicut homo arbor agri, vt veniat contra te in obſidionem.*

20 *Attamen arbor quam ſcis quod non eſt arbor ex qua veſci potes, ipſam diſſipabis & ſuccides, & ædificabis machinas contra ciuitatem quæ dimicat contra te, donec ſubijcias eam.*

### CAP. XXI.

1 *QVando inuentus fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi vt poſſideas eam, homo occiſus, proiectus in agro, & ignoratur quis occidit eum:*

2 *Egredientur ſenes tui & iudices tui, & metientur à loco cadaueris vſque ad ciuitates quæ ſunt in circuitu occiſi.*

3 *Et erit ciuitas quæ propinquior eſt occiſo, tollent ſenes ciuitatis illius vitulam boum, quâ nullus operatus eſt, nec traxit iugum.*

4 *Et deferent ſenes ciuitatis illius vitulam ad vallem deſertam, quæ non eſt culta nec ſeminata, & cædent ibi ceruicem vitulæ in torrente.*

5 *Et accedent ſacerdotes filij Leui (quoniam ipſos elegit Dominus Deus tuus, vt miniſtrent ei, & vt benedicant in nomine Domini) & iuxta verbum eorum erit omne iudicium, & omnis plaga lepræ:*

6 *Et omnes ſenes ciuitatis illius, quæ propinquior eſt interfecto, lauabunt manus ſuas ſuper vitulam quæ percuſſa eſt in valle:*

7 *Et reſpondebunt, & dicent: Manus noſtra non effudit ſanguinem hunc, neque oculi noſtri viderunt.*

8 *Sacerdotes dicent: Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine, & ne des peccatum ſanguinis innocentis in medio populi tui Iſrael, & dimittetur eis reatus ſanguinis.*

9 *Tu autem auferes effundentem ſanguinem innocentem de medio tui, cum feceris, quod rectum eſt coram Domino.*

10 *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, & captiuaueris captiuitatem eorum:*

11 *Et videris in captiuitate mulierem pulchram, & adamaueris eam, & acceperis eam tibi in vxorem:*

12 *Introduces eam in domum tuam, & tondebit caput ſuum, & creſcere dimittet vngues ſuos:*

13 *Et auferet à ſe veſtimentum captiuitatis ſuæ, & habitabit in domo tua, & planget patrem ſuum, & matrem ſuam menſe dierum: & poſtea ingredieris ad eã, & eris maritus eius, & ipſa erit tibi in vxorẽ.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

14 Si autem poſtea non ſederit animo tuo, dimittes
eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec op-
primere per potentiam: quia humiliaſti eam.
15 Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & al-
teram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit
filius odioſæ primogenitus,
16 Volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere:
non poterit filium dilectæ facere primogenitum, &
præferre filio odioſæ,
17 * Sed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, da-
bitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte
eſt enim principium liberorum eius, & huic deben-
tur primogenita.
18 Si genuerit homo filium contumacem & proter-
uum, qui non audiat patris aut matris imperium, &
coercitus obedire contempſerit:
19 Apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis
illius, & ad portam iudicij,
20 Dicentque ad eos: Filius noſter iſte proteruus &
contumax eſt, monita noſtra audire contemnit,
commeſſationibus vacat, & luxuriæ atque con-
uiuijs:
21 Lapidibus eum obruet populus ciuitatis: & morie-
tur, vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuer-
ſus Iſrael audiens pertimeſcat.
22 Quando peccauerit homo quod morte plecten-
dum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in
patibulo:
23 Non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in ea-
dem die ſepelietur, quia * maledictus à Deo eſt
qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis
terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit
tibi in poſſeſſionem.

* 1.Par.4.1

* Gal.3.13

### CAP. XXII.

* Exo.23.4.

1 NOn * videbis bouem fratris tui, aut ouem er-
rantem, & præteribis: ſed reduces fratri
tuo,
2 Etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti
eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quã-
diu quærat ea frater tuus, & recipiat.
3 Similiter facies de aſino, & veſtimento, & de omni
re fratris tui, quæ perierit: ſi inueneris eam, ne ne-
gligas quaſi alienam.
4 Si videris aſinum fratris tui aut bouem cecidiſſe in
via, non deſpicies, ſed ſubleuabis cum eo.
5 Non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur ve-
ſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt qui
facit hæc.
6 Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum
auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper in-
cubantem: non tenebis eam cum filijs,
7 Sed abire patieris, captos tenens filios: vt bene ſit
tibi, & longo viuas tempore.
8 Cum ædificaueris domũ nouam, facies murum te-
cti per circuitum: ne effundatur ſanguis in domo
tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.
9 Non ſeres vineam tuam altero ſemine: ne & ſe-
mentis quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pa-
riter ſanctificentur.
10 Non arabis in boue ſimul & aſino.
11 Non indueris veſtimento, quod ex lana linoque
contextum eſt.

Fu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et erit ſi non complacueris in ea, dimittes eam ani-
ma ſua, & vendendo non vendes eam pecunia, neque
negociaberis de ea: eo quod humiliaſti eam.*
15 *Si fuerint viro duæ vxores, vna dilecta, & altera
exoſa, & pepererit ei filios dilecta, & exoſa, & fue-
rit filius primogenitus exoſæ.*
16 *Erit in die qua hæredes conſtituet filios ſuos bono-
rum ſuorum, non poterit primogenitum conſtitue-
re filium dilectæ, ante filium exoſæ primogeni-
tum.*
17 *Sed primogenitum filium exoſæ agnoſcet vt det ei
partes duas ex omni quod inuentum fuerit ei: ipſe
enim eſt principium fortitudinis eius; eius eſt ius
primogenituræ.*
18 *Si fuerit viro filius declinans, & rebellis, non obe-
diens voci patris ſui, & voci matris ſuæ, caſtigabunt
eum, & ſi non paruerit eis:*
19 *Capient eum pater eius, & mater eius, & educent
eum ad ſeniores ciuitatis eius, & ad portam loci
eius.*
20 *Et dicent ad ſeniores ciuitatis eius: Filius noſter
iſte declinans, & rebellis eſt: non eſt obediens voci
noſtræ, epulo, & potator eſt.*
21 *Lapidabunt eum omnes homines ciuitatis eius lapi-
dibus, & morietur, & auferes malum è medio tui,
& omnis Iſrael audient, & timebunt.*
22 *Et ſi fuerit in viro peccatum iudicij mortis, inter-
ficietur, & ſuſpendes eum in ligno.*
23 *Non pernoctabit cadauer eius in ligno, ſed ſepelien-
do ſepelies eum in die ipſa, quia ob maledictionem
Dei ſuſpenſus eſt, & non contaminabis terram
tuam, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæ-
reditatem.*

### *CAP. XXII.*

1 *NOn videbis bouem fratris tui, vel pecus eius
aberrantes, & abſcondes te ab eis: reducendo
reduces eos ad fratrem tuum.*
2 *Et ſi non fuerit propinquus frater tuus tibi, & non
noueris eum, colliges ipſum intra domum tuam, &
erit tecum donec requirat frater tuus ipſum, & re-
ſtitues ipſum ei.*
3 *Et ſic facies aſino eius, & ſic facies veſtimento
eius, & ſic facies omni amiſſæ rei fratris tui, quæ
perierit ab eo, & inueniſti illam, non poteris occul-
tare.*
4 *Non videbis aſinum fratris tui, vel bouem eius,
cadentes in via, & abſcondes te ab eis, erigendo
eriges ſecum:*
5 *Non erunt inſtrumenta virilia ſuper mulierem, &
non induetur veſtimentum muliebre quia abomina-
tio Domini Dei tui eſt, omnis faciens hæc.*
6 *Si occurrerit nidus auis coram te in via, in omni
arbore, vel ſuper terram pulli vel oua, & mater cu-
bat ſuper pullos, vel ſuper oua, non capies matrem
cum filijs.*
7 *Dimittendo dimittes matrem, & filios capies tibi:
vt bene ſit tibi, & prolongare facias dies.*
8 *Si ædificaueris domum nouam, facies murum per cir
cuitum tecto tuo, & non pones ſanguinem in domo
tua ſi ceciderit cadens ex eo.*
9 *Non ſeres vineam tuam diuerſis generibus rerum,
ne forte ſanctificetur plenitudo ſeminis quod ſemi-
ſti, & fructus vineæ.*
10 *Non arabis cum boue, & aſino pariter.*
11 *Non indues te panno mixto ex lana, & lino pari-
ter.*

*Fu-*

## Transl. ex Septuag.

14 Et erit, ſi nolueris eam, dimittes eam liberam, & venditione non vendetur argento, non contemnes eam: propterea quod humiliaſti eam.

15 Si autem fuerint homini duæ vxores, vna earum dilecta, & vna earum odioſa, & pepererint ei dilecta, & odioſa, & fuerit filius primogenitus ipſius odioſæ,

16 Et erit, quacumque die diſtribuat filijs ſuis ſubſtantiam ſuam: non poterit primatum dare filio dilectæ, deſpiciens filium odioſæ primogenitum:

17 Sed primogenitum ipſum filium odioſæ agnoſcet, dando ei dupla de omnibus, quæcumque inuenta fuerint ei: quoniam hic eſt initium filiorum eius; & huic conueniunt iura primogenituræ.

18 Si cui autem fuerit filius incredulus, & proteruus, non obediens voci patris, & voci matris, & corripiant eum, & non exaudiat eos:

19 Et aſſumentes illum ſimul pater eius, & mater eius, & educent ad ſeniores ciuitatis ſuæ, & ad portam loci,

10 Et dicent viris ciuitatis ſuæ: Filius noſter hic contumaciter ſe gerit, & proteruit, non obedit voci noſtræ, conciliationibus vacans, vino inebriatur.

21 Et lapidabunt eum viri ciuitatis eius in lapidibus, & morietur: & auferes malum ex vobis ipſis, & reliqui audientes timebunt.

22 Si autem fuerit in aliquo peccatum, iudicium mortis, & mortuus fuerit, & ſuſpenderitis eum ſuper lignum:

23 Non dormiet corpus eius ſuper lignum, ſed ſepultura ſepelietis illud in die illa, quoniam maledictus à Deo omnis, qui pendet in ligno: & non inquinabitis terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſortem.

### CAP. XXII.

1 NE videns vitulum fratris tui, vel ouem eius errantia in via, deſpicias ea: reductione reduces ea fratri tuo, & reddes ei.

2 Si autem non appropinquat frater tuus ad te, neque cognoſcis eum, conduces ipſum intus in domum tuam, & erit tecum, quoadusque quæſierit ea frater tuus, & reddes ei.

3 Sic facies aſinum eius, & ſic facies veſtimentum eius, & ſic facies per omnem perditionem fratris tui: Quæcumque amiſſa fuerint ab eo, & inueneris, non poteris deſpicere.

4 Non videbis aſinum fratris tui, vel vitulum eius iacentes in via, ne deſpexeris eos, ſubleuans ſubleuabis cum eo.

5 Non erunt vaſa viri ſuper mulierem, neque induetur vir ſtolam muliebrem: quoniam abominatio Domino Deo tuo, & omnis faciens hæc.

6 Si autem occurreris nido auium ante faciem tuam, in via, vel in omni arbore, vel ſuper terram pullis, aut ouis, & mater incubet ſuper pullos, vel ſuper oua, non capies matrem cum filijs:

7 Dimittendo dimittes matrem, filios autem tolles tibi, vt bene tibi ſit, & longæuus ſis.

8 Si ædificaueris domum nouam, & facies coronam ſolario tuo, & non facies homicidium in domo tua, ſi cadat qui ceciderit ab eo.

9 Non ſeminabis vineam tuam variam, vt non ſanctificetur genimen, & ſemen, quodcumque ſeminaueris cum genimine vineæ tuæ.

10 Non arabis in vitulo, & aſino in idipſum.

11 Non indueris adulteratum, lanas, & linum in eodem

Fu-

## Chald. Paraph. Transl.

14 *Et ſi poſteà nolueris eam, dimittes eam, vt liberè eat quocumque voluerit, & non vendes eam argento, neque opprimes eam: eo quòd humiliaſti eam.*

15 *Si fuerint viro duæ vxores, vna dilecta, & altera odioſa, & pepererint ei filios dilecta & odioſa, & fuerit filius odioſæ primogenitus:*

16 *Et euenerit dies in quo hæreditatem diuiſurus eſt filijs ſuis earum rerum, quæ habuerit: non habebit poteſtatem, vt filium dilectæ faciat primogenitum, viuente filio odioſæ primogenito.*

17 *Sed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, vt det ei duplicem portionem in omnibus, quæ inuenta fuerint apud eum: quoniam ipſe eſt principium fortitudinis eius; & ei pertinet primogenitura.*

18 *Si fuerit viro filius præuaricator, & rebellis, & non obedierit verbo patris ſui, & verbo matris ſuæ, & corripuerint eum, & non obedierit eis:*

19 *Apprehendent eum pater eius & mater eius, & educent illum in conſpectum ſeniorum ciuitatis ſuæ, & ad portam domus iudicij loci ſui.*

20 *Et dicent ſenioribus ciuitatis illius: Filius noſter hic præuaricator eſt & rebellis, non obedit verbis noſtris, edax eſt carnium, & potator vini.*

21 *Et lapidabunt eum omnes homines ciuitatis illius, vt moriatur, & auferes facientem, quod malum eſt de medio tui: & omnis Iſrael audient, & timebunt.*

22 *Quando autem fuerit in viro peccatum iudicij occiſionis, & occiſus fuerit, & ſuſpenderis eum in patibulo:*

23 *Non manebit cadauer eius in patibulo, ſed ſepelies eum in die illa, quia pro eo quod peccauit coram Domino, ſuſpenſus eſt, & non contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem.*

### CAP. XXII.

1 *NOn videbis bouem fratris tui, aut agnum eius errantes, & auertes oculos ab eis: ſed reducens reduces eos fratri tuo.*

2 *Et ſi non eſt propè frater tuus, nec cognoſcis eum, introduces eum in domum tuam, & erit apud te, donec quærat eum frater tuus, & reddes eum illi.*

3 *Similiter facies de aſino eius, & ſic facies de veſtimento eius, & ſic facies de omni re quam perdiderit frater tuus, & inueneris eam, non eſt tibi licitum celare eam.*

4 *Non videas aſinum fratris tui, aut bouem eius cadentes in via, & auertas oculos ab eis, ſed ſubleuans ſubleuabis cum eo.*

5 *Non erit ornamentum viri ſuper mulierem, neque ornabitur vir ornamentis mulieris: quia abominabilis eſt coram Domino Deo tuo omnis qui facit hæc.*

6 *Si occurreris nido auis ante te in via in omni arbore, aut ſuper terram cum pullis, aut ouis, & mater incubat ſuper pullos, aut ſuper oua, non accipies matrem cum filijs.*

7 *Sed dimittens dimittes matrem, & filios tolles tibi, vt bene ſit tibi, & prolongentur dies tui.*

8 *Si ædificaueris domum nouam, facies murum tecti tui, & non pones reatum occiſionis in domo tua, ſi ceciderit aliquis cadens ex eo.*

9 *Non ſeminabis vineam tuam mixtis ſeminibus, ne fortè polluatur, quod producitur ex ſemente quam ſeminaſti, & fructus vineæ.*

10 *Non arabis cum boue & aſino ſimul.*

11 *Non indueris veſtimento quod ex lana & lino confectum ſit.*

Fu-

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| *Num. 15. 38: * Funiculos in fimbrijs facies per quattuor angulos pallij tui, quo operieris. | 12 | 12 | Funiculos facies tibi in quattuor angulis operimenti tui quo operies te. |
| Si duxerit vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, | 13 | 13 | Si acceperit vir uxorem, & ingreſſus fuerit ad eam, & odio habuerit eam. |
| Quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen peſſimum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inueni virginem: | 14 | 14 | Et impoſuerit ei occaſiones verborum, & eduxerit aduerſus eam nomen malum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & acceſſi ad eam, & non inueni in eam virginitatem. |
| Tollent eam pater & mater eius, & ferent ſecum ſigna virginitatis eius ad ſeniores vrbis qui in porta ſunt: | 15 | 15 | Capiet pater puellæ, & mater eius, & educent virginitatem puellæ ad ſeniores ciuitatis ad portam. |
| Et dicet pater: Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit, | 16 | 16 | Et dicet pater puellæ ad ſeniores: Filiam meam dedi viro huic in uxorem, & odio habet eam. |
| Imponit ei nomen peſſimum, vt dicat: Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ. expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis: | 17 | 17 | Et ecce impoſuit occaſiones verborum, dicendo: Non inueni in filia tua virginitatem: & iſta eſt virginitas filiæ meæ, & expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis. |
| Apprehendentque ſenes vrbis illius virum, & verberabunt illum, | 18 | 18 | Et capient ſeniores ciuitatis ipſius virum, & flagellabunt eum, |
| Condemnantes inſuper centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellæ: quoniam diffamauit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael: habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ. | 19 | 19 | Et mulctabunt eum centum argenteis, & dabunt patri puellæ: quoniam eduxit nomen malum contra virginem Iſrael: & ei erit in uxorem, non poterit dimittere eam omnibus diebus ſuis. |
| Quod ſi verum eſt quod obijcit, & non eſt in puella inuenta virginitas: | 20 | 20 | Et ſi verum fuerit verbum hoc, non inuenta eſt virginitas in puella. |
| Eijcient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui, & auferes malum de medio tui. | 21 | 21 | Educent puellam ad oſtium patris ſuis, & lapidabunt eam homines ciuitatis eius lapidibus, & morietur: quia fecit prauitatem in Iſrael, fornicando in domo patris ſui, & auferes malum è medio tui. |
| *Leu. 20. 11.: * Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id eſt, adulter & adultera: & auferes malum de Iſrael. | 22 | 22 | Si inuentus fuerit vir coiens cum muliere maritata marito, morientur etiam ambo ipſi: vir coiens cum muliere, & mulier: & auferes malum ex Iſrael. |
| Si puellam virginem deſponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, | 23 | 23 | Si fuerit puella virgo deſponſata viro, & inuenerit eam vir in ciuitate, & coierit cum ea. |
| Educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cum eſſet in ciuitate: vir, quia humiliauit vxorem proximi ſui, & auferes malum de medio tui. | 24 | 24 | Educetis ambos ad portam ciuitatis eius, & lapidabitis eos lapidibus & morientur: puellam quidem eo quod non clamauit in ciuitate: & virum, eo quod humiliauit uxorem proximi ſui, & auferes malum è medio tui. |
| Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ deſponſata eſt, & apprehendens concubuerit cum ea: ipſe morietur ſolus: | 25 | 25 | Et ſi in agro inuenerit vir puellam deſponſatam, & apprehenderit eam vir, & coierit cum ea: morietur vir, qui coiuit cum ea tantum. |
| Puella nihil patietur, nec eſt rea mortis: quoniam ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum & occidit animam eius, ita & puella perpeſſa eſt. | 26 | 26 | Et puellæ non facies quicquam, non eſt puellæ peccatum mortis: nam quemadmodum inſurgit vir contra proximum ſuum, & occidit animam, ſic eſt res iſta. |
| Sola erat in agro: clamauit, & nullus affuit qui liberaret eam. | 27 | 27 | In agro enim inuenit eam, clamauit puella deſponſata, & non fuit ſeruator ei. |
| Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: | 28 | 28 | Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non eſt deſponſata, & apprehenderit eam, & coierit cum ea, & inuenti fuerint. |
| *Exo. 22. 17: * Dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ. | 29 | 29 | Dabit vir coiens cum ea patri puellæ quinquaginta argenteos, & ei erit vir in uxorem, eo quod humiliauit eam: non poterit dimittere eam omnibus diebus ſuis. |
| Non accipiet homo vxorem patris ſui, nec reuelabit operimentum eius. | 30 | 30 | Non capiet quiſpiam uxorem patris ſui, & non diſcooperiet oram patris ſui. |
| **C A P. XXIII.** | | | **C A P. XXIII.** |
| NOn intrabit eunuchus attritis vel amputatis teſticulis & abſciſſo veretro, eccleſiam Domini. | 1 | 1 | NOn ingredietur fractus attritione, & abſciſus teſticulos in eccleſiam Domini. |
| Non ingredietur mamzer hoc eſt, de ſcorto natus, in eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem. | 2 | 2 | Non ingredietur ſpurius eccleſiam Domini: etiam generatione decima, non ingredietur eccleſiam Domini. |

Am- Non

## Transl. ex Septuag.

12 Funiculos facies tibi ſuper quattuor angulos indumentorũ tuorum, quæcumque indutus fueris in eis.

13 Si quis autem acceperit vxorem, & habitauerit cũ ea, & oderit eam,

14 Et imponat ei occaſionis verba, & detulerit ei nomen malignum, & dixerit: Mulierem hanc accepi, & accedens ad eam non inueni eius virginalia:

15 Et accipiens pater puellæ, & mater, producent virginalia puellæ ad ſeniores ad portam:

16 Et dicet pater puellæ ſenioribus: Filiam meam hanc dedi homini huic vxorem, & odio habens eã:

17 Nunc ipſe imponit ei occaſionis verba, dicens: Non inueni filiæ tuæ virginalia: & ecce virginalia filiæ meæ; & replicabunt pallium coram ſenioribus ciuitatis.

18 Et accipient ſenes ciuitatis illius hominem illum, & caſtigabunt eum,

19 Et damnificabunt eum centum ſiclis, & dabunt patri adoleſcentulæ: quia protulit nomen malum ſuper virginem Iſraelitem: & ipſius erit vxor, non poterit dimittere eam omni tempore.

20 Si autem in veritate factum ſit verbum hoc, & non inueniantur virginalia puellæ:

21 Et producent adoleſcentulam ad ianuam domus patris ſui, & lapidabunt eam in lapidibus, & morietur: quoniam fecit impudentiam in filijs Iſrael, proſtituere domum patris ſui, & auferes malignum ex vobis ipſis.

22 Si autem inuentus fuerit homo dormiens cum muliere habitante cum viro, occidetis vtroſque: virum dormientem cum muliere, & mulierem: & auferes malum ex Iſrael.

23 Si autem fuerit puella virgo ſponſata viro, & inueniens eam homo in ciuitate dormierit cum ea:

24 Educetis vtroſque ad portam ciuitatis eorum, & lapidabuntur in lapidibus, & morientur: adoleſcentulam, quia non clamauit in ciuitate: & hominem, quia humiliauit vxorem proximi, & auferes malignum ex vobis ipſis.

25 Si autem in campo inuenerit homo puellam ſponſatam, & vim faciens dormierit cum ea: occidetis dormientem cum ea ſolum:

26 Et adoleſcentulæ non erit peccatum mortis: ſicut, ſi quis inſurrexerit homo in proximum, & occiderit eius animam, ſic res hæc:

27 Quoniam in campo inuenit eam, clamauit adoleſcentula ſponſata, & non fuit qui auxiliaretur ei.

28 Si autem inuenerit aliquis puellam virginem, quæ ſponſata non eſt, & vim faciens dormierit cum ea, & inuentus fuerit:

29 Dabit homo, qui dormiuit cum ea, patri puellæ quinquaginta didrachmata argenti, & ipſius erit vxor, quia humiliauit eam, non poterit dimittere eam per omne tempus.

30 Non accipiet homo vxorem patris ſui, & non reuelabit operimentum patris ſui.

### CAP. XXIII.

1 NOn ingredietur attritus, neque abſciſus in eccleſiam Domini.

2 Non ingredietur de ſcorto in eccleſiam Domini.

## Chald. Paraph. Transl.

12 Funiculos facies tibi ſuper quattuor angulos veſtimenti tui quo operiris.

13 Si acceperit vir vxorem, & ingreſſus fuerit ad eam, & odio habuerit eam:

14 Et impoſuerit ei occaſiones verborum, & protulerit de ea nomen peſſimum, & dixerit: Mulierem iſtam accepi, & acceſſi ad eam, & non inueni eam virginem:

15 Tollet pater puellæ, & mater eius, & educent ſigna virginitatis puellæ coram ſenioribus ciuitatis in porta domus iudicij illius loci.

16 Et dicet pater puellæ ſenioribus: Filiam meam dedi huic viro in vxorem, & odit eam.

17 Et ecce ipſe poſuit occaſiones verborum, dicens: Non inueni virginitatem filiæ tuæ: & hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ, & expandent ſindonem coram ſenioribus ciuitatis.

18 Et tollent ſeniores ciuitatis illius virum, & verberabunt illum.

19 Et mulctabunt eum centum ſiclis argenti, & dabunt patri puellæ: quia produxit nomen peſſimum ſuper filiam Iſrael: & erit ei in vxorem, non habebit poteſtatem dimittendi eam omnibus diebus vitæ ſuæ.

20 Et ſi verum eſt verbum hoc, & non eſt inuenta virginitas in puella.

21 Educent puellam ad portam domus iudicij patris ſui, & lapidabunt eam homines ciuitatis illius lapidibus, vt moriatur: quia fecit ignominiam in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui, & auferes facientem quod malum eſt de medio tui.

22 Si inuentus fuerit vir qui dormierit cum vxore alterius, morientur ambo: id eſt vir qui dormiuit cum muliere, & mulier: & auferes facientem quod malum eſt ab Iſrael.

23 Si fuerit puella virgo deſponſata viro, & inuenerit eam vir in ciuitate, & concubuerit cum ea:

24 Educetis vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidabitis eos lapidibus, & morientur: puella, quia non clamauit in ciuitate: & vir, eo quòd humiliauit vxorem proximi ſui, & auferes facientem quod malum eſt de medio tui.

25 Et ſi in agro inuenerit vir puellam deſponſatam, & apprehenderit eam, & concubuerit cum ea, moriatur ſolus vir qui concubuerit cum ea.

26 Puellæ autem nihil mali facies, non eſt puellæ reatus iudicij mortis: quoniam ſicut conſurgit vir contra proximum ſuum, & occidit animam eius, ſic eſt verbum hoc.

27 Quoniam in agro inuenit eam: clamauit puella quæ erat deſpõſata, & nullus affuit qui liberaret eã.

28 Quando inuenerit vir puellam virginem quæ non eſt deſponſata, & apprehenderit eam, & concubuerit cum ea, & fuerint deprehenſi:

29 Dabit vir qui concubuerit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & ei erit in vxorem, eo quod humiliauit eam: non habebit poteſtatem, vt dimittat eam omnibus diebus vitæ ſuæ.

30 Non accipiet homo vxorem patris ſui, neque reuelabit operimentum patris ſui.

### CAP. XXIII.

1 NOn erit mundus qui abſciſus eſt, vel attritus teſticulis, vt ingrediatur eccleſiam Domini.

2 Non erit mundus mamzer, vt ingrediatur in eccleſiam Domini: etiam vſque ad decimam generationem filij eius non erunt mundi, vt ingrediantur in eccleſiam Domini.



UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| * Neh.13.1. Num.22.5 * Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt eccleſiam Domini, in æternum: | 3 | 3 | *Non ingredietur Hammonita, & Moabita eccleſiam Domini: etiam generatione decima non ingredietur eccleſiam Domini vſque in ſæculum.* |
| Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egreſſi eſtis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi: | 4 | 4 | *Eo quod non præuenerunt vos cum aqua, & pane in via, quando egreſſi eſtis ex Ægypto: & quia mercede conduxit aduerſum te Bilham filium Behor de Pethor è Meſopotamia Syria, vt malediceret tibi.* |
| Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam eo quod diligeret te. | 5 | 5 | *Et noluit Dominus Deus tuus audire Bilham, & conuertit Dominus Deus tuus tibi maledictionem in benedictionem, quia dilexit te Dominus Deus tuus.* |
| Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum. | 6 | 6 | *Non quæres pacem eorum, & bonum eorum omnibus diebus tuis in ſæculum.* |
| Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt: nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. | 7 | 7 | *Non abominaberis Edomeum, quia frater tuus eſt: non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuiſti in terra eius.* |
| Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in eccleſiam Domini. | 8 | 8 | *Filij qui naſcentur eis generatione tertia ingredientur eccleſiam Domini.* |
| Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala. | 9 | 9 | *Si egreſſa fuerint caſtra contra inimicos tuos, caue ab omni re mala.* |
| Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, | 10 | 10 | *Si fuerit in te vir qui non fuerit mundus, accidente noctis, egredietur extra caſtra,* |
| Et non reuertetur, priuſquam ad veſperam lauetur aqua: & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra: | 11 | 11 | *Non ingredietur caſtra, & erit cum declinauerit veſpera, lauabit ſe aqua, & cum occubuerit ſol ingredietur caſtra.* |
| Habebis locum extra caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ, | 12 | 12 | *Et locus erit tibi extra caſtra, & egredieris illuc.* |
| Gerens paxillum in balteo, cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies | 13 | 13 | *Et paxillus erit tibi ſuper arma tua: & erit, quando ſedes extra, fodies eo, & reuerteris, & aperies egeſta tua.* |
| Quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. | 14 | 14 | *Dominus enim Deus tuus ambulat per medium caſtrorum tuorum, vt eruat te, & det inimicos tuos coram te, & erunt caſtra tua ſancta: & non videat in te turpitudinem aliquam, & auertatur à te.* |
| Non trades ſeruum Domino ſuo, qui ad te confugerit. | 15 | 15 | *Non trades ſeruum Domino eius, qui confugit ad te à Domino ſuo.* |
| Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requieſcet: ne contriſtes eum. | 16 | 16 | *Tecum manebit in medio tui, in loco quem elegerit intra vnam è portis tuis, ſicut placuerit ei: non vim inferes ei.* |
| Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filijs Iſrael. | 17 | 17 | *Non erit meretrix è filiabus Iſrael, & non erit ſcortator è filijs Iſrael.* |
| Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt quod voueris: quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum. | 18 | 18 | *Non introduces mercedem meretricis, & precium canis in domum Domini Dei tui pro omni voto, quia abominatio Domini Dei tui vtrumque eſt.* |
| Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem: | 19 | 19 | *Non fœnerabis fratri tuo, vſura pecunia, vſura cibi, vſura omnis rei, quam fœnerabit.* |
| Sed alieno. Fratri autem tuo abſque vſura id, quo indiget, commodabis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris poſſidendam. | 20 | 20 | *Extraneo fœnerabis: & fratri tuo non fœnerabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus in quibus mittes manus tuas ſuper terram, ad quam ingrederis, vt poſſideas eam.* |
| Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. | 21 | 21 | *Si voueris votum Domino Deo tuo non tardabis reddere illud, quia requirendo requiret illud Dominus Deus tuus à te, & erit in te peccatum.* |
| Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. | 22 | 22 | *Et ſi deſieris vouere, non erit in te peccatum.* |
| Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo & propria voluntate & ore tuo locutus es. | 23 | 23 | *Quod egreditur è labijs tuis cuſtodies, & facies, quemadmodum vouiſti Domino Deo tuo ſpontaneum, quod locutus es ore tuo.* |
| Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum. | 24 | 24 | *Si ingreſſus fueris vineam proximi tui, comede vuas ſecundum animam tuam ſatiando te, & in vaſe tuo non pones.* |
| Si intraueris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres: falce autem non metes. | 25 | 25 | *Si ingreſſus fueris ſegetem proximi tui, decerpe ſpicas manu tua, & falcem non eleuabis in ſegetem proximi tui.* |

CAP. CAP.

UVA.BSCH

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Non intrabit Ammanites, & Moabites in eccleſiam Domini, & vſque ad decimam generationem non intrabit in eccleſiam Domini, & vſque in æternum; | 3 | 3 | *Non erit mundus Ammonita & Moabita, vt ingrediatur in eccleſiam Domini, etiam decima generatio eorum non erit munda, vt ingrediatur in eccleſiam Domini vſque in ſæculum:* |
| Eo quod non occurrerint vobis cum panibus & aqua in via, cum exiretis de Ægypto, & quia conduxerunt aduerſum te Balaam filium Beor de Meſopotamia, vt malediceret te. | 4 | 4 | *Eo quod non occurrerunt vobis cum pane & aqua in via quando egreſſi eſtis de Ægypto, & quia mercede conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Pethor Syriæ, quæ eſt iuxta Euphratem, vt malediceret tibi.* |
| Et tranſtulit Dominus Deus tuus maledictiones in benedictionem: quoniam dilexit te Dominus Deus tuus. | 5 | 5 | *Et noluit Dominus Deus tuus acquieſcere Balaam & vertit Dominus Deus tuus tibi maledictiones in benedictionem: quoniam dilexit te Dominus Deus tuus.* |
| Non alloqueris pacifica eis, & vtilia eis, omnes dies tuos in ſæculum. | 6 | 6 | *Non quæras pacem eorum, & bonum eorum omnibus diebus vitæ tuæ vſque in æternum.* |
| Non abominaberis Idumæum, quoniam frater tuus eſt: non abominaberis Ægyptium, quoniam incola fuiſti in terra illius. | 7 | 7 | *Non abominaberis Idumæum, quoniam frater tuus eſt: non abominaberis Ægyptium, quoniam aduena fuiſti in terra eius.* |
| Filij ſi fuerint eis, progenie tertia intrabunt in eccleſiam Domini. | 8 | 8 | *Filij qui nati fuerint ex eis in tertia generatione erunt mundi, vt ingrediantur in eccleſiam Domini.* |
| Si autem exieris caſtrametari ſuper inimicos tuos, & cauebis ab omni verbo malo. | 9 | 9 | *Si egreſſus fueris in caſtris contra inimicos tuos, obſeruabis te ab omni re mala.* |
| Si fuerit in te homo, qui non erit mundus à fluore ſuo noćte, & exibit extra caſtra: | 10 | 10 | *Si fuerit ĩ te vir, q nõ fuerit mũd⁹ pollutione nocturna, egredietur extra caſtra, & nõ ĩgredietur ĩ caſtra:* |
| Et non intrabit in caſtra: & erit, ad veſperam lauabit corpus ſuum aqua, & cum occiderit Sol, intrabit in caſtra. | 11 | 11 | *Et in tempore veſpertino lauabitur aquis, & quando occubuerit ſol, ingredietur ad caſtra.* |
| Et locus erit tibi extra caſtra, & egredietur illuc foras. | 12 | 12 | *Et locus erit paratus tibi extra caſtra, & egredieris illuc foras.* |
| Et paxillus erit tibi ſuper zonam tuam, & erit quando ſedebis foras, & fodies in eo, & obducens operies turpitudinem tuam: | 13 | 13 | *Et paxillus erit tibi ſuper arma tua, & cum ſederis foris, fodies cum eo, & reuerteris, & operies quæ à te egeſta ſunt.* |
| Quoniam Dominus Deus tuus inambulat in caſtris tuis, vt eruat te, & tradat inimicum tuum ante faciem tuam: & erunt caſtra tua ſanćta, & non apparebit in te turpitudo rei, & recedat à te. | 14 | 14 | *Quoniam maieſtas Domini Dei tui ambulat in medio caſtrorum tuorum, vt liberet te, & vt tradat inimicos tuos in manu tua: & erunt caſtra tua ſanćta, & non appareat in te aliquid fœditatis, vt non auertatur verbum eius benefaciens tibi.* |
| Non trades puerum domino ſuo, qui appoſitus eſt tibi à domino ſuo. | 15 | 15 | *Non trades ſeruum gentium Domino ſuo, qui confugerit ad te à Domino ſuo.* |
| Tecum habitabit, in vobis habitabit, vbicumque placuerit ei: non tribulabis eum. | 16 | 16 | *Tecum habitabit in medio tui in loco quem elegerit in vna vrbium tuarum vbi bene ſit ei: ne decipias illum.* |
| Non erit meretrix à filiabus Iſrael, & non erit fornicans in filijs Iſrael: non erit ferens teletas de filiabus Iſrael, & non erit initiatus de filijs Iſrael. | 17 | 17 | *Non erit mulier de filiabus Iſrael vxor viro ſeruo, neque accipiet vir de filijs Iſrael vxorem ancillam.* |
| Non offeres mercedem meretricis, neque commutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum: quoniam abominatio Domino Deo tuo eſt & vtrumque. | 18 | 18 | *Non afferes mercedem meretricis, & precium canis in domum Domini Dei tui pro omni voto: quia vtrumque abominabile eſt coram Domino Deo tuo.* |
| Non fœnerabis fratri tuo vſuram argenti, & vſuram ciborum, & vſuram cuiuslibet rei quamcumque dederis mutuam. | 19 | 19 | *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam neque frumentum, neque quicquam fœnerabis ad vſuram.* |
| Alieno fœnerabis, fratri autem tuo non fœnerabis, vt benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis ſuper terram, in quam ingrederis illuc hæreditare eam. | 20 | 20 | *Filio autem alienigenæ fœnerabis, & à fratre tuo non accipies vſuram, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus ad quæ miſeris manum tuam in terra ad quam ingrederis poſſidendum.* |
| Si autem voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quoniam inquirens inquiret Dominus Deus tuus à te, & erit in te peccatum. | 21 | 21 | *Quando voueris votum coram Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quoniam requirens requiret illud Dominus Deus tuus à te, & erit in te peccatum.* |
| Si autem nolueris: non eſt in te peccatum. | 22 | 22 | *Et ſi deſieris vouere, non erit in te peccatum.* |
| Quæ egrediuntur per labia tua, obſeruabis & facies, quemadmodum vouiſti Domino Deo tuo, donum, quod locutus es ore tuo. | 23 | 23 | *Quod egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies ſicut vouiſti coram Domino Deo tuo, & quod ſponte locutus es ore tuo.* |
| Si autem intraueris in vineam proximi tui, comedes vuam, quantum anima tua ſaturetur, in vas autem non inijcies. | 24 | 24 | *Si mercede conductus fueris in vineam proximi tui, comedere poteris vuas iuxta voluntatem tuam vſque ad ſaturitatem, & in vaſe tuo non repones eas.* |
| Si autem intraueris in ſegetem proximi tui, & colliges in manibus tuis ſpicas, & falcem non immittes in ſegetem proximi tui. | 25 | 25 | *Si conductus fueris in meſſem proximi tui, franges ſpicas plenas manu tua, & falcem non leuabis ſuper ſegetem proximi tui.* |

Quæ hic numerantur 24. & 25. in Bibl. Septuag. Interp. Romæ editis principiũ dant capitulo 24. ſed ordine diuerſo nõ poſita ſunt quæ in 24. incidunt deinde quæ in 24. non ſunt.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### C A P. XXIIII.

* Matt. 5. 31. 19. 7. Marc. 10. 4.

1 SI * acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.
2 Cumque egreſſa alterum maritum duxerit,
3 Et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit:
4 Non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino: ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi poſſidendam.
5 Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpa domi ſuæ, vt vno anno lætetur cum vxore ſua.
6 Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam: quia animam ſuam oppoſuit tibi.
7 Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filijs Iſraël, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.
8 Obſerua diligenter ne incurras plagam lepræ, ſed facies quæcumque docuerint te ſacerdotes Leuitici generis: iuxta id, quod præcepi eis, & imple ſollicite.
* Num. 12. 10.
9 * Mementote quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via cum egrederemini de Ægypto.
10 Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas:
11 Sed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.
12 Sin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus,
13 Sed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum: vt dormiens in veſtimento ſuo, benedicat tibi, & habeas iuſtitiam coram Domino Deo tuo.
* Leu. 19. 13. Tob. 4. 15.
14 * Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt.
15 Sed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.
* 4. Reg. 14. 6. 2. Par. 25. 4. Eze. 18. 20.
16 * Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.
17 Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentum.
18 Memento quod ſeruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde: idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem.
19 Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris vt tollas illum: ſed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.
20 Si fruges collegeris oliuarum, quidquid remanſerit in arboribus, non reuerteris vt colligas: ſed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ.

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### C A P. XXIIII.

1 *SI acceperit vir vxorem, & coierit cum ea, erit ſi non inuenerit gratiam in oculis eius, quia inuenit in ea turpitudinem aliquam, ſcribet ei libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam è domo ſua.*
2 *Egredietur è domo eius, & perget, & erit viro altero.*
3 *Et ſi odio habuerit eam vir alter, ſcribet ei libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam è domo ſua, vel ſi mortuus fuerit vir alter qui acceperat eam ſibi in vxorem.*
4 *Non poterit maritus eius primus, qui dimiſerat eam iterum capere eam, vt ſit ſibi in vxorem, poſtquam polluta eſt: quia abominatio eſt coram Domino, & non pollues terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem.*
5 *Si acceperit vir vxorem nouam, non egredietur ad bellum, & non tranſibit ſuper eum quicquam oneris militaris immunis erit in domo ſua anno vno, & lætificabit vxorem ſuam quam accepit.*
6 *Non capiet pro pignore molam & catillum, quia animam ipſe accipit pro pignore.*
7 *Si inuentus fuerit vir furans animam à fratribus ſuis è filijs Iſraël, & negociatus fuerit de eo, & vendiderit eum morietur fur ipſe, & auferes malum è medio tui.*
8 *Caue tibi à plaga lepræ, vt cuſtodias valde, & facias ſecundum omnia quæ docebunt vos ſacerdotes Leuitæ: quemadmodum præcepi eis cuſtodietis, vt faciatis.*
9 *Memento quæ fecit Dominus Deus tuus ipſi Mariam in via, quando egreſſi eſtis ex Ægypto.*
10 *Si mutuaueris proximo tuo mutuum aliquod, non ingredieris domum eius ad capiendum pignus eius.*
11 *Foris ſtabis, & vir cui mutuaſti, educet ad te pignus foras.*
12 *Et ſi vir pauper fuerit, non dormies cum pignore eius.*
13 *Reddendo reddes ei pignus cum occubuerit ſol, & dormiet in veſtimento ſuo, & benedicet tibi, & tibi erit iuſtitia coram Domino Deo tuo.*
14 *Non vim inferes mercenario pauperi, & egeno tam de fratribus tuis quam de peregrinis tuis, qui ſunt in terra tua, intra portas tuas.*
15 *In die eius dabis mercedem eius: non occumbet ſuper eam ſol, quia pauper eſt, & cum ea ſuſtentat animam ſuam, & non clamet contra te ad Dominum, & ſit in te peccatum.*
16 *Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus: vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.*
17 *Non peruertes iudicium peregrini, pupilli, & non capies in pignus veſtimentum viduæ.*
18 *Et recordare quod ſeruus fuiſti in Ægypto, & redemit te Dominus Deus tuus inde: idcirco præcipio tibi, vt facias hoc.*
19 *Si meſſueritis meſſem tuam in agro tuo, & oblitus fueris manipuli in agro, non reuerteris, vt capias illum, peregrino, pupillo, & viduæ erit, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.*
20 *Si excuſſeris oliuas tuas non decies, quæ ſunt poſt te, peregrino, pupillo & viduæ erit.*


Si

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

### CAP. XXIIII.

1 SI quis autem acceperit vxorem, & habitauerit cum ea, & erit, ſi non inuenerit gratiam coram eo, quia inuenit in ea rem turpem, & ſcribet ei libellum repudij, & dabit in manus eius, & dimittet eam e domo ſua,

2 Et abiens fuerit viro alteri,

3 Et oderit eam vir nouiſſimus, & ſcripſerit ei libellum repudij, & dabit in manus eius, & dimittet eam e domo ſua, & mortuus fuerit vir nouiſſimus, qui accepit eam ſibi vxorem:

4 Non poterit vir prior, qui dimiſit eam reuerſus, accipere eam ſibi vxorem, poſtquam illa contaminata eſt: quoniam abominatio eſt ante Dominum Deũ tuum, & non inquinabitis terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte.

5 Si quis autem acceperit vxorem nuper, non exibit ad bellum, neque iniungetur ei res vlla: immunis erit in domo ſua, annum vnum lætificabit vxorem ſuam, quam accepit.

6 Non pignorabis molam, neque ſuperiorem lapidem molæ, quia animam ille pignorat.

7 Si autem deprehendatur homo furans animam ex fratribus ſuis filijs Iſrael, & opprimens eum vendiderit: morietur fur ille, & auferes malignum ex vobis ipſis.

8 Attende tibi in tactu lepræ: obſerua valde facere ſecundum omnem legem, quam annunciauerint vobis ſacerdotes Leuitæ: quemadmodum mandaui vobis, obſeruate facere

9 Memento, quæcumque fecit Dominus Deus tuus Mariæ, egredientibus vobis ex Ægypto.

10 Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque, non intrabis in domum eius pignorare pignus eius:

11 Foris ſtabis, & homo apud quem debitum tuum eſt in eo, proferet tibi pignus foras.

12 Si autem homo eget: non dormies in pignore eius:

13 Redditione reddes ei pignus ſuum ad occaſum ſolis: & dormiet in veſtimento ſuo, & benedicet te, & tibi erit miſericordia coram Domino Deo tuo.

14 Non fraudabis mercedem pauperis, & egeni ex fratribus tuis, vel ex aduenis, qui ſunt in ciuitatibus tuis:

15 Eadem die reddes mercedem eius, non occidet ſol ſuper eam: quia pauper eſt, & in ea habet ſpem, & clamabit contra te ante Dominum, & erit in te peccatum.

16 Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus, vnuſquiſque in peccato ſuo morietur.

17 Non declinabis iudicium aduenæ, & orphani, & viduæ, non pignorabis veſtem viduæ

18 Et memento, quia famulus fuiſti in terra Ægypto, & redemit te Dominus Deus tuus inde: propterea ego tibi mando facere verbum hoc.

19 Si autem meſſueris meſſem in agro tuo, & oblitus fueris manipulus in agro tuo, non redibis accipere illum: aduenæ, & pupillo, & viduæ erit, vt benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus manuum tuarum.

20 Si autem oliuas colligas, non redibis repetere quæ poſt te, aduenæ, & pupillo, & viduæ erunt: & memento, quia famulus fuiſti in terra Ægypto. Propterea ego mando tibi facere verbum hoc.



## Chald. Paraph. Tranſl.

### CAP. XXIIII.

1 *SI acceperit vir vxorem, & concubuerit cum ea, & non inuenerit gratiam in oculis eius, quoniam inuenit in ea aliquid fœditatis, ſcribet ei libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo ſua.*

2 *Et egrediatur de domo eius, & recedat, & ſit vxor viro alteri.*

3 *Et ſi oderit eam vir alter, & ſcripſerit ei libellum repudij & dederit in manu eius, & dimiſerit eam de domo ſua, aut ſi mortuus fuerit vir poſterior, qui accepit eam in vxorem:*

4 *Non eſt licitum marito priori, qui dimiſit eam, vt iterum accipiat eam vt ſit ei in vxorem poſtquam coinquinata eſt: quoniam abominatio eſt coram Domino Deo tuo, & non facias peccare terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem.*

5 *Quando acceperit homo nouam vxorem, non egrediatur ad bellum, neque quicquam iniungetur ei: ſed immunis erit in domo ſua anno vno, & lætabitur cum vxore ſua quam accepit.*

6 *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam, quia cum eis ſit eſca omni animæ.*

7 *Si inuentus fuerit vir furans animam de fratribus ſuis de filijs Iſrael, & ſicut mercator vendiderit eã: occidetur fur ille, & auferes facientem quod malum eſt de medio tui.*

8 *Obſerua diligenter ne incurras plagam lepræ, vt custodias valde, & vt facias iuxta omnia quæ docuerint vos ſacerdotes & Leuitæ: ſicut præcepi eis, cuſtodiatis vt faciatis.*

9 *Memento quid fecerit Dominus Deus tuus Mariæ in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto.*

10 *Quando mutuaueris aliquid proximo tuo: non ingrediaris in domum eius, vt accipias pignus eius:*

11 *Sed foris ſtabis, & vir qui eſt debitor tibi, proferet ad te pignus foras.*

12 *Et ſi vir pauper eſt, non dormias in pignore eius:*

13 *Sed reddes ei pignus cum occubuerit ſol: vt dormiat in veſtimento ſuo, vt benedicat tibi, & tibi erit iuſtitiam coram Domino Deo tuo.*

14 *Non retinebis violenter mercedem pauperis, & egeni de fratribus tuis, aut de aduenis qui ſunt in terra tua in ciuitatibus tuis:*

15 *Sed in eodem die dabis mercedem eius ante occaſum ſolis: quoniam pauper eſt, & pro eo ponit animam ſuam, vt non clamet aduerſum te coram Domino, & ſit in te peccatum.*

16 *Non moriantur patres pro filijs, neque filij moriantur pro patribus: ſed ſinguli pro peccato ſuo moriantur.*

17 *Non declinabis iudicium aduenæ & pupilli, neque tolles pro pignore veſtimentum viduæ.*

18 *Et recordaberis quod ſeruus fuiſti in Ægypto, & redemit te inde Dominus Deus tuus: ideo ego præcipio tibi vt facias hanc rem.*

19 *Quando meſſueris meſſem tuam in agro tuo, & oblitus fueris manipuli in agro, non reuerteris, vt tollas illum: ſed peregrino, & pupillo, & viduæ erit, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus operibus manus tuæ.*

20 *Quando excuſſeris oliuas tuas, non reuertaris ad colligendum quod poſt te reliqueris, ſed peregrino, & pupillo, & viduæ erit.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſus aduenæ, pupilli, ac viduæ.

22 Memento quod & tu ſeruieris in Ægypto, & idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem.

### CAP. XXV.

1 SI fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint iudices: quẽ iuſtũ eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmã dabunt: quem impiũ, condemnabunt impietatis.

2 Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis: proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus:

3 Ita duntaxat, * vt quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

4 * Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.

5 * Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.

6 Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.

7 Sin autẽ noluerit accipere vxorẽ fratris ſui, q̃ ei lege debet, perget mulier ad portã ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetq; * Nõ vult fr̃ viri mei ſuſcitare nomẽ fr̃is ſui in Iſrael: nec me ĩ cõiugẽ ſumere.

8 Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit: Nolo eam vxorem accipere:

9 Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.

10 Et vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus diſcalceati.

11 Si habuerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, voleníque vxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum, & apprehenderit verenda eius:

12 Abſcides manum illius, nec flecteris ſuper eam vlla miſericordia.

13 Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus:

14 Nec erit in domo tua modius maior & minor.

15 Pondus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: vt multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

16 Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc & auerſatur omnem iniuſtitiam.

17 * Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto:

18 Quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit: quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum.

19 Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus eſt: delebis nomen eius ſub cœlo. Caue ne obliuiſcaris.

### CAP. XXVI.

1 CVmque intraueris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt poſſidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea:

*2. Cor. 11. 24.
* 1. Cor. 9. 9. 1. Timo. 5. 18.
* Matt. 22. 24. Mar. 12. 19. Luc. 20. 28.
* Ruth 4. 5.
* Exo. 17. 8.

Tol-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges racemos poſt te: peregrino, pupillo, & viduæ erit.*

22 *Et memento quòd ſeruus fuiſti in terra Ægypti, idcirco præcipio tibi vt facias hoc.*

### CAP. XXV.

1 *SI fuerit lis inter homines, & acceſſerint ad iudicium: iudicabunt eos, & iuſtitiam facient iuſto, & condemnabunt impium.*

2 *Et erit, ſi fuerit cædendus impius, proſternere faciet eum iudex, & cædere faciet eum coram ſe ſecundum impietatem eius in numero.*

3 *Quadragenis eius verberibus cædere faciet eum: non addet: ne forte ſi addat cædendo eum ſuper hæc, verbera multa, vileſcat frater tuus in oculis tuis.*

4 *Non obturabis os bouis eo triturante.*

5 *Si manſerint fratres pariter, & mortuus fuerit vnus ex eis, & filius non fuerit ei, non erit vxor mortui extra viro extraneo: cognatus eius ingredietur ad eam, & capiet eam ſibi in vxorem, & affinitatem contrahet cum ea.*

6 *Et erit, primogenitus quem pariet, ſtabit nomini fratris ſui defuncti, & non delebitur nomen eius ex Iſrael.*

7 *Et ſi noluerit vir accipere cognatam ſuam, aſcendet cognata eius ad portam ad ſeniores & dicet: Renuit cognatus meus ſuſcitare fratri ſuo nomen in Iſrael, non vult affinitatem contrahere mecum.*

8 *Vocabunt eum ſeniores ciuitatis, & loquentur ad eum: & ſtabit, & dicet: Nolui accipere eam.*

9 *Et accedet cognata eius ad eum in oculis ſeniorum, & ſoluet calciamentum eius è pede eius, & ſpuet in faciem eius, & loquetur, & dicet: Sic fiet viro, qui non ædificauerit domum fratris ſui.*

10 *Et vocabitur nomen eius in Iſrael, Domus ſoluti calciamentum.*

11 *Si rixati fuerint homines pariter, vir, & frater eius, & acceſſerit vxor vnius, vt eruat virum ſuum è manu percutientis eum, & miſerit manum ſuam & apprehenderit verenda eius.*

12 *Abſcides manum illius, non parcet oculus tuus.*

13 *Non erit tibi in loculo tuo pondus, & pondus, maius & minus.*

14 *Non erit tibi in domo tua modius, & modius, maior & minor.*

15 *Pondus perfectum, & iuſtum erit tibi: modius perfectus, & iuſtus erit tibi, vt prolongent dies tuos ſuper terram quam Dominus Deus tuus dat tibi.*

16 *Quia abominatio Domini Dei tui eſt omnis qui facit hæc, omnis faciens iniquitatem.*

17 *Memento quæ fecerit tibi Hamalec in via, quando egrediebamini ex Ægypto.*

18 *Qui occurrit tibi in via, & caudam abſcidit in te omnium debilium qui erant poſt te: & eras laſſus, & fatigatus, & non timuit Deum.*

19 *Et erit cum dederit requiẽ Dominus Deus tuus tibi ab omnibus inimicis tuis vndique, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, vt poſſideas eam, delebis mentionem Hamalec ſub cœlo. Ne obliuiſcaris.*

### CAP. XXVI.

1 *ET erit cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, & poſſederis eam, & habitaueris in ea.*

Ca-

UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

11 Si autem vindemies vineam tuam, non reuindemiabis eam ab ijs,quæ poſt te : aduenæ, & pupillo, & viduæ erunt.
12 Et memento,quia famulus fuiſti in terra Ægypto : propter hoc ego tibi mando facere verbum hoc.

### C A P. XXV.

1 SI autem fuerit altercatio inter homines, & acceſſerint ad iudiciũ,& iudicauerint,& iuſtificauerint iuſtum,& reprehenderint impium :
2 Et erit, ſi dignus fuerit plagis, qui impie agit, conſtitues eum in conſpectu iudicum, & flagellabunt eum ante ſe ſecundum impietatem eius :
3 Et numero quadraginta flagellabunt eum, non apponet : ſi autem appoſuerint flagellare ſuper has, plagas plures,deturpabitur frater tuus coram te.
4 Non obturabis bouem triturantem.
5 Si autem habitauerint fratres in vnum, & mortuus fuerit vnus ex eis, ſemen autem non fuerit ei : non erit vxor defuncti foras viro non appropianti : frater viri eius intrabit ad eam,& accipiet eam ſibi vxorem,& cohabitabit ei.
6 Et erit infans,quicumque natus fuerit,conſtituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen eius ex Iſrael.
7 Si autem noluerit homo accipere vxorem fratris ſui, & aſcendet mulier in porta ad ſenatum, & dicet : Non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael, noluit frater viri mei.
8 Et vocabunt eum ſeniores ciuitatis eius, & dicent ei: Et ſtans dixerit: Nolo accipere eam :
9 Et accedens vxor fratris eius ante ſeniores,& ſoluet calceamentum eius vnum de pede eius, & ſpuet in faciem eius, & reſpondens dicet : Sic facient homini,qui nõ ædificauit domum fratris ſui in Iſrael.
10 Et vocabitur nomen eius in Iſrael, domus diſcalceati calceamentum.
11 Si autem rixati fuerint homines pariter,homo cum fratre ſuo, & acceſſerit vxor vnius eorum ad eruendum virum ſuum de manu verberantis eum, & extendens manum apprehenderit teſtes eius :
12 Abſcindes manum : non parcet oculus tuus ſuper eam.
13 Non erit in marſupio tuo pondus, & pondus, magnum,aut paruum.
14 Non erit in domo tua menſura,& menſura,magna, vel parua.
15 Pondus verax, & iuſtum erit tibi, & menſura verax & iuſta erit tibi:vt longæuus ſis ſuper terram:quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte :
16 Quoniam abominatio Domino Deo tuo omnis faciens hæc,omnis faciens iniuſtum.
17 Recordare quæcumque fecit tibi Amalec in via, exeunte de terra Ægypti :
18 Quomodo reſtitit tibi in via,& percuſſit caudam agminis tui,defeſſos poſt te: tu autem eſuriebas,& laborabas, & non timuit Deum.
19 Et erit, poſtquam quieſcere fecerit te Dominus Deus tuus ab omnibus inimicis tuis,qui in circuitu tuo in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare : delebis nomen Amalec de ſub cœlo. Et non obliuiſcaris.

### C A P. XXVI.

1 ET erit, ſi intraueris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare, & hæreditaueris eam,& habitaueris in ea :

## Chald. Paraph. Tranſl.

11 *Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos quos poſt te reliqueris,ſed peregrino, & pupillo,& vidua erunt.*
12 *Et recordaberis quòd ſeruus fuiſti in terra Ægypti: idcircò ego præcipio tibi vt facias rem hanc.*

### C A P. XXV.

1 *SI fuerit cauſa inter viros, veneritque ad iudicium : iudicabunt eos iudices,& iuſtificabunt iuſtum,& condemnabunt impium.*
2 *Si autem impius dignus fuerit verberibus, proſternet eum iudex,& in conſpectu ſuo verberabit eum : iuxta menſuram delicti erit modus plagarum, vſque ad numerum.*
3 *Quadragenarium flagellabit eum, & non amplius: ne forte addat verberare eũ ſuper has plaga magna, & ignominiâ patiatur frater tuus ante oculos tuos.*
4 *Non claudes os boui trituranti.*
5 *Si habitauerint fratres in vnum, & mortuus fuerit vnus ex eis,& filius non eſt ei, non nubet vxor mortui foras viro alieno: frater defuncti ingredietur ad eam, & accipiet eam ſibi in vxorem,pro fratre ſuo :*
6 *Et primogenitus quem genuerit, ſuſcitabit nomen fratris eius defuncti, & non delebitur nomen eius de Iſrael.*
7 *Et ſi noluerit vir accipere vxorem fratris ſui,aſcendet illa ad portam domus iudicij ante ſeniores,& dicet : Renuit frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael,non vult me in coniugem accipere.*
8 *Et vocabunt eum ſeniores ciuitatis,& loquentur cũ eo: Et ſi renuerit,& dixerit : Nolo accipere eam :*
9 *Accedet vxor fratris eius ad eum coram ſenioribus, & ſoluet calciamentum eius de pede eius, & ſpuet in faciem eius, & reſpondebit & dicet : Sic fiet viro qui non ædificat domum fratris ſui.*
10 *Et vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus diſcalciati.*
11 *Si rixati fuerint viri adinuicem,vir & frater eius, & acceſſerit vxor vnius, vt eruat maritum ſuum de manu illius qui percutiet eum,& extenderit manum ſuam,& apprehenderit verenda eius :*
12 *Abſcindes manum illius, & non parcat oculus tuus.*
13 *Non ſit tibi in ſacculo tuo pondus, maius & minus:*
14 *Non erit tibi in domo tua modius,& modius, maior & minor.*
15 *Pondera perfecta & recta erunt tibi,modij perfecti, & veri erunt tibi: vt prolongentur dies tui ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi :*
16 *Quia abominatio eſt Domini Dei tui omnis qui facit hæc,omnis qui facit iniquitatem.*
17 *Memento quod fecerit tibi Amalech in via,cum egrederemini de Ægypto :*
18 *Quomodo occurrerit tibi in via,& occiderit in te omnes qui remanſerant poſt tergum tuum : & tu eras laſſus & fatigatus,& non timeras gloriam Dei.*
19 *Cumque requiem dederit tibi Dominus Deus tuus ab omnibus inimicis tuis in circuitu,in terra quam Dominus Deus tuus dabit tibi in hæreditatem, vt poſſideas eam: delebis memoriam Amalech ſub cœlo. Ne obliuiſcaris.*

### C A P. XXVI.

1 *CVm autem intraueris in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi in hæreditatem, & poſſederis eam,& habitaueris in ea :*



UVA.BSCH

| | Vulgat.Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: | 2 | 2 | Capies de primitijs omnis fructus terræ, quem afferes è terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & pones in caniſtro, & perges ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitare faciat nomen ſuum ibi. |
| | Accedeſque ad ſacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis. | 3 | 3 | Et venies ad ſacerdotem qui erit in diebus ipſis, & dices ad eum: Annunciaui hodie Domino Deo tuo, quia ingreſſus ſum terram ſuper quam iurauit Dominus patribus noſtris, vt daret nobis. |
| | Suſcipienſque ſacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui: | 4 | 4 | Et capiet ſacerdos caniſtrum, & ponet illud coram altari Domini Dei tui. |
| | Et loqueris in conſpectu Domini Dei tui: Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero: creuitque in gentem magnam ac robuſtam & infinitæ multitudinis. | 5 | 5 | Et loqueris, & dices coram Domino Deo tuo: Syrus peribat pater meus, & deſcendit in Ægyptum, & peregrinatus eſt ibi cum viris paucis, & fuit ibi in gentem magnam robuſtam, & multam. |
| | Afflixeruntque nos Ægyptij, & perſecuti ſunt imponentes onera grauiſſima: | 6 | 6 | Et male fecerunt nobis Ægyptij, & affixerunt nos, & poſuerunt ſuper nos ſeruitutem duram. |
| | Et clamauimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum: qui exaudiuit nos, & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem, atque anguſtiam: | 7 | 7 | Et clamauimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum, & exaudiuit Dominus vocem noſtram, & vidit afflictionem noſtram, & laborem noſtrum, & oppreſſionem noſtram. |
| | Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento: in ingenti pauore, in ſignis atque portentis: | 8 | 8 | Et eduxit nos Dominus ex Ægypto cum potentia forti, & brachio extento, & terrore magno, & ſignis, & portentis. |
| | Et introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. | 9 | 9 | Et venire fecit nos ad locum iſtum, & dedit nobis terram iſtam, terram fluentem lacte, & melle. |
| | Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conſpectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo. | 10 | 10 | Et nunc ecce attuli primitias fructus terræ, quam dediſti mihi Domine, & pone eas coram Domino Deo tuo, & incuruabis te coram Domino Deo tuo. |
| | Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Leuites & aduena qui tecum eſt. | 11 | 11 | Et lætaberis in omni bono, quod dederit tibi Dominus Deus tuus & domui tuæ, tu, & Leuita, & peregrinus qui eſt in medio tui. |
| | Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & ſaturentur: | 12 | 12 | Cum compleueris decimam dare omnis decimæ fructus tui anno tertio anni decimæ, dabis Leuitæ, peregrino, pupillo, & viduæ, & comedent intra portas tuas, & ſaturabuntur. |
| * Sup.14. 29. | Loquerisque in conſpectu Domini Dei tui: Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo mea, & * dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut iuſſiſti mihi: non præteriui mandata tua, nec ſum oblitus imperij tui. | 13 | 13 | Et dices coram Domino Deo tuo: Abſtuli ſanctitatem è domo, & etiam dedi illam Leuitæ, & peregrino, & pupillo, & viduæ, ſecundum præceptum tuum, quod præcepiſti mihi: non tranſgreſſus ſum de præceptis tuis, & non oblitus ſum. |
| | Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparaui ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia ſicut præcepiſti mihi. | 14 | 14 | Non comedi in triſtitia mea ex ea, & non abſtuli ex ea cum immundo, & non dedi ex ea pro defuncto. Obediui voci Domini Dei mei, feci ſecundum omnia quæ præcepiſti mihi. |
| * Iſa.63.15 Baruc 2. 16. | * Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſrael, & Terræ, quam dediſti nobis, ſicut iuraſti patribus noſtris, terræ lacte, & melle mananti. | 15 | 15 | Reſpice de habitaculo ſanctitatis tuæ è cælo, & benedic populo tuo Iſrael, & Terræ quam dediſti nobis, quemadmodum iuraſti patribus noſtris, terræ fluentis lacte, & melle. |
| | Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc atque iudicia: & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. | 16 | 16 | Die hac Dominus Deus tuus præcipit tibi, vt facias ſtatuta iſta, & iudicia: & fac ea toto corde tuo, & tota anima tua. |
| * Sup.7.6. | Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias eius imperio. | 17 | 17 | Dominum exaltaſti hodie, vt ſit tibi in Deum, & ambules in vijs eius, & cuſtodia ſtatuta eius, & præcepta eius, & iudicia eius, & obedias voci eius. |
| | Et Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: | 18 | 18 | Et Dominus exaltauit te hodie, vt ſis ei in populum peculiarem, quemadmodum locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta eius. |



UVA.BSCH

## Transl. ex Septuag.

2 Et ſumes de primitiis fructuum terræ tuæ, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & mittes in cartallum, & ibis in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen ſuum ibi:

3 Et venies ad ſacerdotem, qui erit in diebus illis, & dices ad eum: Annuncio hodie Domino Deo meo, quia intraui in terram, quam iurauit Dominus patribus noſtris dare nobis.

4 Et ſumet ſacerdos cartallum de manibus tuis, & ponet illum ante altare Domini Dei tui.

5 Et reſpondens dicet ante Dominum Deum tuum: Syriam reiecit pater meus, & deſcendit in Ægyptum, & incoluit ibi in numero breui: & factus eſt ibi in gentem magnam, & multitudinem copioſam:

6 Et afflixerunt nos Ægyptij, & humiliauerunt nos, & impoſuerunt nobis opera dura.

7 Et exclamauimus ad Dominum Deum noſtrum: & exaudiuit Dominus vocem noſtram, & vidit humiliationem noſtram, & laborem noſtrum, & tribulationem noſtram.

8 Et eduxit nos Dominus de Ægypto ipſe in fortitudine ſua magna, & in manu valida, & in brachio excelſo, & in viſionibus magnis, & in ſignis & in prodigijs,

9 Et induxit nos in locum hunc: & dedit nobis terram hanc, terram fluentem lac & mel.

10 Et nunc ecce attuli primitiam genimínum terræ, quam dediſti mihi hodie terram fluentem lac, & mel. Et dimittes illud ante Dominum Deum tuum, & adorabis ante Dominum Deum tuum.

11 Et lætaberis in omnibus bonis, quæ dedit tibi Dominus Deus tuus, & domus tua, & Leuita, & aduena, qui eſt in te.

12 Si autem conſummaueris decimare decimam geniminum tuorum in anno tertio: ſecundam decimam dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ, & comedent in ciuitatibus tuis, & lætabuntur.

13 Et dices ante Dominum Deum tuum: Abſtuli ſancta e domo mea, & dedi ea Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ ſecundum omnia mandata, quæ mandaſti mihi: non ſum tranſgreſſus mandatum tuum, neque oblitus ſum:

14 Et non comedi in luctu meo de eis, non obtuli de eis in immundum: non dedi ex eis mortuo. Obediui voci Domini Dei noſtri, feci ſicut mandaſti mihi.

15 Reſpice de domo ſancta tua, de cælo, & benedic populum tuum Iſrael, & Terram, quam dediſti eis, ſicut iuraueras patribus noſtris dare nobis terram fluentem lac & mel

16 In die hac Dominus Deus tuus mandauit tibi facere omnes iuſtificationes, & iudicia: & obſeruabitis, & facietis omnia ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra.

17 Deum elegiſti hodie eſſe Deum tuum, & ambulare in omnibus vijs eius, & obſeruare iuſtificationes, & iudicia, & obedire voci eius.

18 Et Dominus elegit te hodie eſſe te ſibi populum peculiarem, ſicut dixit, vt cuſtodias mandata eius,

## Chald. Paraph. Transl.

2 *Tolles de primitiis omnis fructus terræ tuæ, quas afferas de terra tua quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & pones in cartallo, & perges ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitare faciat ibi maieſtatem ſuam.*

3 *Et venies ad ſacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ei: Annuncio hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram quam iurauit Dominus dare patribus noſtris.*

4 *Et tollet ſacerdos cartallum de manu tua, & reponet illum coram altari Domini Dei tui.*

5 *Et reſpondebis, & dices coram Domino Deo tuo: Laban Syrus quæſiuit perdere patrem meum, & deſcendit in Ægyptum, & moratus eſt ibi in populo pauco: & fuit ibi in populum magnum, & fortem & multum.*

6 *Et malefecerunt nobis Ægyptij, & afflixerunt nos, & poſuerunt ſuper nos ſeruitutem duriſſimam.*

7 *Et orauimus coram Domino Deo patrum noſtrorum: & ſuſcepit orationem noſtram, & manifeſtus fuit coram eo labor noſter, & fatigatio noſtra, & anguſtia noſtra.*

8 *Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & in brachio excelſo, & in viſione magna, & in ſignis & in portentis:*

9 *Et adduxit nos ad locum hunc, & dedit nobis terram hanc, terram fluentem lacte, & melle.*

10 *Et nunc ecce affero primitias fructus terræ quam dediſti mihi, Domine. Et repones eas coram Domino Deo tuo, & adorabis coram Domino Deo tuo:*

11 *Et lætaberis in omnibus bonis quæ dedit tibi Dominus, & viris domus tuæ, tu & Leuites, & aduena qui eſt in medio tui.*

12 *Quando compleueris decimare omnes decimas frugum tuarum in anno tertio anno decimarum, dabis Leuitæ, & peregrino, & pupillo, & viduæ: & comedent in vrbibus tuis, & ſaturabuntur.*

13 *Et dices coram Domino Deo tuo: Abſtuli decimas ſanctificatas de domo mea, & etiam dedi eas Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ, iuxta omnia præcepta tua, quæ præcepiſti mihi: non præteriui mandata tua, nec oblitus ſum.*

14 *Non comedi in luctu meo ex eis, nec abſtuli ex eis pro immundo, neque dedi ex eis ſuper mortuo. Obediui verbo Domini Dei mei, feci iuxta omnia quæ præcepiſti mihi.*

15 *Reſpice de habitaculo ſancto tuo de cœlis, & benedic populo tuo Iſrael, & Terræ quam dediſti mihi, ſicut iuraſti patribus noſtris, vt dares nobis terram lacte & melle manantem.*

16 *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc & iudicia: & cuſtodias & facies ea in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

17 *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi in Deum, & vt ambules in vijs quæ recta ſunt coram eo, & vt cuſtodias mandata eius, & præcepta eius, & iudicia eius, & vt obedias verbo eius.*

18 *Et Dominus elegit te hodie, vt ſis ei in populum dilectum, ſicut locutus eſt tibi: & vt cuſtodias omnia præcepta eius:*



UVA.BSCH

| | Vulgat.Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Et faciat te excelſiorem cunctis gentibus quas creauit, in laudem, & nomen & gloriam ſuam: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt. | 19 | 19 | *Et ponat te excelſum ſuper omnes gentes quas fecit ad laudem, & nomen, & gloriam, & vt ſis populus ſanctus Domino Deo tuo, quemadmodum locutus eſt.* |
| | CAP. XXVII. | | | *CAP. XXVII.* |
| | PRæcepit autem Moyſes & ſeniores Iſrael, populo dicentes: Cuſtodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. | 1 | 1 | *ET præcepit Moſeh & ſeniores Iſrael populo, dicendo: Cuſtodi omne præceptum, quod ego præcipio vobis hodie.* |
| | Cumque tranſieritis Iordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, | 2 | 2 | *Et erit in die qua tranſieritis Iarden, ad terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, ſtatues tibi lapides magnos, & linies eos calce.* |
| | Vt poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius, Iordane tranſmiſſo: vt introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manantem, ſicut iurauit patribus tuis. | 3 | 3 | *Et ſcribes in eis omnia verba legis iſtius, cum tranſieris, vt ingrediaris terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, terram fluentem lacte, & melle, quemadmodum locutus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi.* |
| * Exo.20.25 Ioſu.8.31. | * Quando ergo tranſieritis Iordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & leuigabis eos calce: | 4 | 4 | *Et, erit, cum tranſieritis Iarden, erigetis lapides iſtos quos ego præcipio vobis hodie in monte Hebal, & linies eos calce.* |
| | Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, & de lapidibus, quos ferrum non tetigit, | 5 | 5 | *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo altare lapideum: non eleuabis ſuper eos ferrum.* |
| | Et de ſaxis informibus & impolitis: & offeres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo, | 6 | 6 | *E lapidibus perfectis ædificabis altare Domini Dei tui, & offeres ſuper ipſo holocauſta Domino Deo tuo.* |
| | Et immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo. | 7 | 7 | *Et ſacrificabis pacifica, & comedes ibi, & lætaberis coram Domino Deo tuo.* |
| | Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis huius plane & lucide. | 8 | 8 | *Et ſcribes in lapidibus omnia verba legis iſtius, declarando diligenter.* |
| | Dixeruntque Moyſes, & ſacerdotes Leuitici generis ad omnem Iſraelem: Attende, & audi Iſrael: Hodie factus es populus Domini Dei tui: | 9 | 9 | *Et locutus eſt Moſeh, & ſacerdotes Leuitæ ad omnem Iſrael, dicendo: Auſculta, & audi Iſrael: Die hac factus es in populum Domino Deo tuo.* |
| | Audies vocem eius, & facies mandata atque iuſtitias, quas ego præcipio tibi. | 10 | 10 | *Et obedi voci Domini Dei tui, & fac præcepta eius, & ſtatuta eius, quæ præcipio tibi hodie.* |
| | Præcepitque Moyſes populo in die illo, dicens: | 11 | 11 | *Et præcepit Moſeh populo in die ipſa, dicendo:* |
| | Hi ſtabunt ad benedicendum populo ſuper montem Garizim, Iordane tranſmiſſo: Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Ioſeph & Beniamin. | 12 | 12 | *Iſti ſtabunt ad benedicendum populum ſuper montem Gherizim, quando tranſibitis Iarden, Simhon, & Leui, Iehudah, & Iſſachar, & Ioſeph, & Biniamin.* |
| | Et e regione illi ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan & Nephthali. | 13 | 13 | *Et iſti ſtabunt ſuper maledictionem in monte Hebal, Reuben, Ghad, & Aſer, & Zebulun, Dan, & Naphthali.* |
| * Dan. 9. 11. | * Et pronunciabunt Leuitæ, dicentque ad omnes viros Iſrael excelſa voce: | 14 | 14 | *Et eleuabunt vocem Leuitæ, & dicent ad omnem virum Iſrael voce excelſa.* |
| | Maledictus homo, qui facit ſculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito: & reſpondebit omnis populus, & dicet: Amen. | 15 | 15 | *Maledictus vir qui fecerit ſculptile, & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificis, & ponit in abſcondito: & reſpondebunt omnis populus & dicent: Amen.* |
| | Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem: & dicet omnis populus: Amen. | 16 | 16 | *Maledictus vilipendens patrem ſuum, & matrem ſuam: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui transfert terminos proximi ſui: & dicet omnis populus: Amen. | 17 | 17 | *Maledictus, attingens terminum proximi ſui: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui errare facit cœcum in itinere: & dicet omnis populus: Amen. | 18 | 18 | *Maledictus errare faciens cœcum in via: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ: & dicet omnis populus: Amen. | 19 | 19 | *Maledictus peruertens iudicium peregrini, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui dormit cum vxore patris ſui, & reuelat operimentum lectuli eius: & dicet omnis populus: Amen. | 20 | 20 | *Maledictus coiens cum vxore patris ſui, quia diſcooperuit oram patris ſui: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui dormit cum omni iumento: & dicet omnis populus: Amen. | 21 | 21 | *Maledictus coiens cum omni animali: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui dormit cum ſorore ſua, filia patris ſui, vel matris ſuæ: & dicet omnis populus: Amen. | 22 | 22 | *Maledictus coiẽs cum ſorore ſua, filia patris ſui, vel filia matris ſuæ: & dicet omnis populus: Amen.* |
| | Maledictus qui dormit cum ſocru ſua, & dicet omnis populus: Amen. | 23 | 23 | *Maledictus coiens cum ſocru ſua: & dicet omnis populus: Amen.* |

Ma- Ma-

UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

19 Et ſis tu ſuper omnes gentes, ſicut fecit te nominatum,& gloriationem,& celebrem, vt ſis tu populus ſanctus Domino Deo tuo,ſicut locutus eſt.

### C A P. XXVII.

1 ET præcepit Moyſes, & ſeniores Iſrael, dicens: Cuſtodite omnia mandata hæc, quæcumque ego mando vobis hodie.

2 Et erit quacumque die tranſieritis Iordanē in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & ſtatues tibi lapides magnos,& leuigabis eos calce:

3 Et ſcribes ſuper lapides hos omnia verba legis huius,poſtquam tranſieritis Iordanem,cum intraueritis in terram,quam Dominus Deus patrum tuorum dat tibi,terram fluentem lac, & mel, quemadmodū dixit Dominus Deus patrum tuorum tibi.

4 Et erit poſtquam tranſieritis Iordanem,ſtatuetis lapides hos, quos ego mando tibi hodie in mōte Gæbal,& leuigabis eos calce:

5 Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, altare ex lapidibus,non immittes ferrum in illud:

6 Lapides integros ædificabis altare Domino Deo tuo: & offeres ſuper illud holocauſtomata Domino Deo tuo:

7 Et ſacrificabis ibi ſacrificium ſalutaris, & comedes, & ſaturaberis, & lætaberis ante Dominum Deum tuum.

8 Et ſcribes ſuper lapides omnem legem hanc manifeſte valde.

9 Et locutus eſt Moyſes, & ſacerdotes Leuitæ omni Iſrael, dicentes: Tace,& audi Iſrael: In die hac factus es in populum Domino Deo tuo:

10 Et exaudies vocem Domini Dei tui, & facies omnia mandata eius, & iuſtificationes eius, quaſcumque ego mando tibi hodie.

11 Et mandauit Moyſes populo in die illa,dicens:

12 Hi ſtabunt benedicere populum in monte Garizin, tranſgreſſi Iordanem: Symeon, Leui, Iudas, Iſſachar,Ioſeph,& Beniamin.

13 Et hi ſtabunt ſuper maledictionem in monte Gæbal: Ruben, Gad, & Aſer, Zabulon, Dan,& Nephtali.

14 Et reſpondentes dicent Leuitæ vniuerſo Iſrael voce magna:

15 Maledictus homo, quiſquis faciet ſculptile, & fuſile, abominationem Domino opus manuum artificum, & ponet illud: & reſpondens omnis populus dicent: Fiat.

16 Maledictus, qui ſpernit patrem ſuum, vel matrem ſuam: & dicent omnis populus: Fiat.

17 Maledictus,qui transfert terminos proximi: & dicēt omnis populus: Fiat.

18 Maledictus,qui errare facit cæcum in via: & dicent omnis populus: Fiat.

19 Maledictus,quicumque peruerterit iudicium aduenæ,& pupilli & viduæ:& dicēt omnis populus: Fiat.

20 Maledictus, qui dormit cum vxore patris ſui, quoniam reuelauit cooperimentum patris ſui:& dicent omnis populus: Fiat.

21 Maledictus,qui dormit cum omni pecore:& dicent omnis populus: Fiat.

22 Maledictus, qui dormit cum ſorore ex patre, aut matre ſua: & dicent omnis populus: Fiat.

23 Maledictus, qui dormit cum nuru ſua. & dicent omnis populus: Fiat. Maledictus, qui dormit cum ſorore vxoris ſuæ: & dicent omnis populus: Fiat.

## Chald.Paraph.Tranſl.

19 *Et vt ponat te excelſum ſuper omnes populos quos fecit in laudem, & in nomen, & magnitudinem, & vt ſis populus ſanctus coram Domino Deo tuo, ſicut locutus eſt.*

### *C A P. XXVII.*

1 *ET præcepit Moyſes,& ſeniores Iſrael populo,dicentes: Cuſtodite omnia præcepta,quæ ego præcipio vobis hodie.*

2 *Et erit in die quo tranſieritis Iordanem ad terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi,eriges tibi lapides grandes,& leuigabis eos calce:*

3 *Et ſcribes ſuper eos omnia verba legis huius, cùm tranſieris, vt ingrediaris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram manantem lacte, & melle, ſicut locutus eſt tibi Dominus Deus patrum tuorum.*

4 *Et erit cùm tranſieritis Iordanem, erigetis lapides iſtos quos ego præcipio vobis hodie in monte Hebal,& leuigabis eos calce:*

5 *Et ædificabis ibi altare coram Domino Deo tuo,altare de lapidibus,non leuabis ſuper eos ferrum:*

6 *De lapidibus integris ædificabis altare Domini Dei tui: & offeres ſuper eo holocauſta coram Domino Deo tuo:*

7 *Et immolabis victimas ſanctificatas, & comedes ibi,& lætaberis coram Domino Deo tuo.*

8 *Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis huius planè,atque diſtinctè.*

9 *Et locutus eſt Moyſes,& ſacerdotes Leuitæ cum omni Iſrael,dicentes: Auſculta, & audi Iſrael. Hodie fuiſti in populum coram Domino Deo tuo:*

10 *Et obedies verbo Domini Dei tui, & facies præcepta eius,& mandata eius,quæ ego præcipio tibi hodie.*

11 *Et præcepit Moyſes populo in die illo,dicens:*

12 *Hi ſtabunt ad benedicendum populo ſuper montem Garizim,quando tranſieritis Iordanem: Symeon, & Leui,& Iudas,& Iſachar,& Ioſeph,& Beniamin.*

13 *Et iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan, & Neptali.*

14 *Et reſpondebunt Leuitæ, & dicent ad omnes viros Iſrael alta voce:*

15 *Maledictus vir,qui fecerit ſimulacrum,& conflatile abominationem Domini opus manuum artificis, & poſuerit in abſcondito: & reſpondebit omnis populus,& dicent: Amen.*

16 *Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuam: & dicet omnis populus: Amen.*

17 *Maledictus,qui tranſtulerit terminum proximi ſui: & dicet omnis populus: Amen.*

18 *Maledictus, qui errare fecerit cæcum in via: & dicet omnis populus: Amen.*

19 *Maledictus, qui declinauerit iudicium aduenæ, pupilli,& viduæ: & dicet omnis populus: Amen.*

20 *Maledictus, qui concubuerit cum vxore patris ſui, quoniam reuelabit operimentum patris ſui: & dicet omnis populus: Amen.*

21 *Maledictus, qui concubuerit cum omni iumento: & dicet omnis populus: Amen.*

22 *Maledictus, qui concubuerit cum ſorore ſua, filia patris ſui, aut filia matris ſuæ: & dicet omnis populus: Amen.*

23 *Maledictus,qui concubuerit cum ſocru ſua: & dicet omnis populus: Amen.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 Maledictus, qui clam percuſſerit proximum ſuum: & dicet omnis populus: Amen.

25 Maledictus, qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis: & dicet omnis populus: Amen.

26 Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit: & dicet omnis populus: Amen.

### CAP. XXVIII.

1 SI autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra.

2 Venientque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendẽt te: ſi tamen præcepta eius audieris.

3 Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro.

4 Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructuſque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum.

5 Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.

6 Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens.

7 Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo: per vnam viã venient cõtra te, & per ſeptẽ fugiẽt à facie tua.

8 Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra, quam acceperis.

9 Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi: ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius.

10 Videbuntque omnes terrarum populi, quòd nomen Domini inuocatum ſit ſuper te, & timebunt te.

11 Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi.

12 Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.

13 Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris ſemper ſupra, & non ſubter: ſi tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & cuſtodieris, & feceris:

14 Ac non declinaueris ab eis, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram, nec ſecutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15 * Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.

* Leu. 26. 14 Thre. 2. 17 Malac. 2. 2 Baruc. 1. 20

16 Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro.

17 Maledictum horreũ tuũ, & maledictæ reliquiæ tuæ.

18 Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum.

19 Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.

20 Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me.

Ad-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Maledictus percutiens proximum ſuum abſcondite: & dicet omnis populus: Amen.*

25 *Maledictus capiens munus, vt percutiat animam, ſanguinem innocentem: & dicet omnis populus: Amen.*

26 *Maledictus, qui non ſtatuerit verba legis iſtius ad faciendum: & dicet omnis populus: Amen.*

### CAP. XXVIII.

1 *ET erit, ſi obediendo obedieris voci Domini Dei tui, vt cuſtodias faciendo omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, ponet te Dominus Deus tuus excelſum ſuper omnes gentes terræ.*

2 *Et venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ, & apprehendent te: ſi obedieris voci Domini Dei tui.*

3 *Benedictus eris in ciuitate, & benedictus eris ĩ agro.*

4 *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus iumenti tui, armenti boum tuorum, & gregis pecudum tuarum.*

5 *Benedictum caniſtrum tuum, & reliquiæ tuæ.*

6 *Benedictus eris, quando ingredieris, & benedictus eris, quando egredieris.*

7 *Dabit Dominus hoſtes tuos ſurgentes aduerſum te, percuſſos coram te: per viam vnam egredientur ad te, & per ſeptem vias fugient coram te.*

8 *Præcipiet Dominus, vt ſit tecum benedictio in cellarijs tuis, & in omnibus in quibus mittes manus tuas: & benedicet tibi in terra, quã Dominus Deus tuus dat tibi.*

9 *Statuet te Dominus ſibi in populum ſanctum, quemadmodum iurauit tibi: ſi cuſtodieris præcepta Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius.*

10 *Et videbunt omnes populi terræ, quòd nomen Domini inuocatum eſt ſuper te, & timebunt à te.*

11 *Et abundare faciet te Dominus bonis, fructu ventris tui, & fructu iumenti tui, & fructu terræ tuæ, ſuper terram ſuper quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi.*

12 *Aperiet Dominus tibi theſaurum ſuum bonum, cœlum, vt det pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: & benedicat omni operi manus tuæ. Et mutuabis gentibus multis, & tu non accipies mutuum.*

13 *Et ponet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris duntaxat ſurſum: & non eris deorſum ſi obedieris præceptis Domini Dei tui, quæ præcipio tibi hodie, vt cuſtodias, & facias:*

14 *Et non receſſeris ab omnibus verbis, quæ præcipio vobis hodie ad dexteram, & ad ſiniſtram eundo poſt deos alios, vt colatis eos.*

15 *Et erit, ſi non obedieris voci Domini Dei tui, vt cuſtodias faciendo omnia præcepta eius, & ſtatuta eius, quæ præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.*

16 *Maledictus eris ĩ ciuitate, & maledictus eris ĩ agro.*

17 *Maledictum caniſtrum tuum, & reliquiæ tuæ.*

18 *Maledictus fructus vẽtris tui, & fructus terræ tuæ, armenti boum tuorum, & gregis pecudum tuarum.*

19 *Maledictus eris, quando ingredieris, & maledictus eris, quando egredieris.*

20 *Mittet Dominus in te maledictionem, & perditionem, & increpationem in omnibus in quibus mittes manus tuas, quæ feceris: donec delearis, & pereas velociter propter malitiam operum tuorum, quibus dereliquiſti me.*

Ad-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

24 Maledictus, qui percutit proximum dolo: & dicent omnis populus: Fiat.

25 Maledictus, quicumque acceperit munera ad percutiendam animam ſanguinis innocentis: & dicent omnis populus: Fiat.

26 Maledictus homo, qui non permanet in omnibus verbis legis huius ad faciendum ea: & dicent omnis populus: Fiat.

### CAP. XXVIII.

1 ET erit, ſi auditione audieris vocem Domini Dei tui ad cuſtodiendum, & faciendum omnia mandata hæc, quæ ego mando tibi hodie, & dabit te Dominus Deus tuus ſupra omnes gentes terræ.

2 Et venient ad te omnes benedictiones iſtæ, & inuenient te: ſi auditione audieris vocem Dñi Dei tui.

3 Benedictus tu in ciuitate, & benedictus tu in agro.

4 Benedicti fœtus ventris tui, & genimina terræ tuæ, & armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum.

5 Benedictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ tuæ.

6 Benedictus tu, cum ingrederis, & benedictus tu, cũ egrederis.

7 Tradat Dominus Deus tuus inimicos tuos, qui ſtant contra te, contritos ante faciem tuam: via vna exibunt ad te, & in ſeptem vijs fugient à facie tua.

8 Mittat Dominus ſuper te benedictionem in cellarijs tuis, & ad omnia, quocumque miſeris manum tuam: ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

9 Suſcitet te Dominus ſibi populum ſanctum, quemadmodum iurauit patribus tuis: ſi audieris vocem Domini Dei tui, & ambulaueris in omnibus vijs eius.

10 Et videbunt te omnes gentes terræ, quia nomẽ Domini inuocatum eſt tibi, & timebunt te.

11 Et multiplicabit te Dominus Deus tuus ad bona in fœtibus ventris tui, & in fœtibus pecorum tuorũ, & in fructibus terræ tuæ, ſuper terram tuam, quam iurauit Dominus patribus tuis dare tibi.

12 Aperiat tibi Dominus theſaurum ſuum bonum, cœlum ad dandam pluuiam terræ tuæ in tempore: benedicat omnia opera manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies.

13 Et principaberis tu gentium multarum, tui autem non principabuntur. Conſtituat te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam: & eris tunc ſupra, & non eris ſubter: ſi audieris vocem Domini Dei tui, quæcumque ego mando tibi hodie cuſtodire:

14 Non præteribis ab omnibus mandatis, quæ ego mãdo tibi hodie, ire dextra, aut ſiniſtra in poſt deos alienos, ſeruire illis.

15 Et erit, ſi non exaudieris vocem Domini Dei tui, cuſtodiendo omnia mandata eius, quæcumque ego mando tibi hodie, & venient in te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.

16 Maledictus tu in ciuitate, & maledictus tu in agro.

17 Maledictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ tuæ.

18 Maledicti fœtus ventris tui, & genimina terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum.

19 Maledictus tu, cum ingrederis, & maledictus tu, cũ egrederis.

20 Mittat Dominus in te egeſtatem, & famem, & conſumptionem ſuper omnia, quocumque miſeris manum tuam, quoadusque exterminauerit te: & quoadusque diſperdiderit te velociter propter malignas adinuentiones tuas, eo quod dereliquiſti me.

Ad-

## Chald. Paraph. Tranſl.

24 *Maledictus, qui percuſſerit proximum ſuum in abſcondito: & dicet omnis populus: Amen.*

25 *Maledictus, qui acceperit munera, vt occidat animam, & fundat ſanguinem innocentis: & dicet omnis populus: Amen.*

26 *Maledictus, qui non permanſerit in omnibus verbis legis huius, vt faciat ea: & dicet omnis populus: Amen.*

### CAP. XXVIII.

1 *ET erit ſi obediens obedieris verbo Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, ponet te Dominus Deus tuus excelſum ſuper omnes populos terræ.*

2 *Et venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ, & apprehendent te: ſi obedieris verbo Domini Dei tui.*

3 *Benedictus tu in ciuitate, & benedictus tu in agro.*

4 *Benedicta generatio vẽtris tui, & fructus terræ tuæ, & generatio iumentorum tuorum, boues armentorũ tuorum, & greges ouium tuarum.*

5 *Benedictum caniſtrum tuum, & panaria tua.*

6 *Benedictus tu cùm ingrederis, & benedictus tu cùm egrederis.*

7 *Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgent aduerſum te, confractos coram te: per vnam viã egredientur ad te, & per ſeptem vias fugiẽt à facie tua.*

8 *Mandabit Dominus ad te benedictionem in cellarijs tuis, & in omnibus ad quæ extenderis manum tuam: & benedicet tibi in terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

9 *Conſtituet te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi: ſi cuſtodieris præcepta Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs, quæ recta ſunt coram eo.*

10 *Et videbunt omnes populi terræ, quòd nomen Domini inuocatum eſt ſuper te, & timebunt te.*

11 *Et abundare te faciet Dominus in bono in generatione ventris tui, & in generatione iumentorum tuorum, & in fructu terræ tuæ ſuper terra pro qua iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eam tibi.*

12 *Aperiet Dominus tibi theſaurum ſuum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: & vt benedicat cunctis operibus manuum tuarum. Et mutuabis populis multis, tu autem non accipies mutuum.*

13 *Et faciet te Dominus fortem, & non infirmum: & eris ſemper ſuperior, & non inferior: ſi obedieris præceptis Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, vt cuſtodias, & vt facias ea:*

14 *Vt non declines ab omnibus verbis, quæ ego præcipio tibi hodie ad dexteram, neque ad ſiniſtram, neq; ambules poſt idola populorum, nec ſeruias eis.*

15 *Si autem non obedieris verbo Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia præcepta eius, & mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.*

16 *Maledictus tu in ciuitate, & maledictus tu in agro.*

17 *Maledictum caniſtrum tuum, & panaria tua.*

18 *Maledicta generatio vẽtris tui, & fructus terræ tuæ, boues armenti tui, & greges ouium tuarum.*

19 *Maledictus tu cùm ingrederis, & maledictus tu cũ egrederis.*

20 *Immittet Dominus in te maledictionem, & increpationem in omnibus ad quæ extenderis manum tuam, & quæ operatus fueris, donec conſumaris: & donec pereas citò, propter malitiam operum tuorum in quibus dereliquiſti timorem meum.*

*Mit-*

UVA.BSCH

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Adiungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingredieris poſſidendam. | 21 | 21 | *Adiunget Dominus tibi peſtilentiam, donec conſumat te de terra ad quam tu ingrederis, vt poſſideas eam.* |
| Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, ardore, & æſtu, & aere corrupto, ac rubigine: & perſequatur donec pereas. | 22 | 22 | *Percutiet te Dominus tumore, & febre, & ardore, & æſtu, & gladio, & percuſſione venti Orientalis, & aurigine: & perſequentur te, donec pereas.* |
| Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra quam calcas, ferrea. | 23 | 23 | *Et erunt cœli tui, qui ſunt ſupra caput tuum, æs: & terra, quæ eſt ſubter te, ferrea.* |
| Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris. | 24 | 24 | *Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ, vt puluerem, & terram à cœlis deſcendet ſuper te, donec diſperdaris.* |
| Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per ſeptem fugias, & diſpergaris per omnia regna terræ. | 25 | 25 | *Dabit te Dominus cæſum coram inimicis tuis: per viam vnam egredieris ad eum, & per ſeptem vias fugies coram eo, & eris in commotionem omnibus regnis terræ.* |
| Sitque cadauer tuum in eſcam cunctis volatilibus cœli, & beſtijs terræ, & non ſit qui abigat. | 26 | 26 | *Et erit cadauer tuum eſca omni volucri cœli, & animali terræ, & non erit terrens.* |
| Percutiat te Dominus vlcere Ægypti, & partem corporis, per quam ſtercora egeruntur, ſcabie quoque & prurigine: ita vt curari nequeas. | 27 | 27 | *Percutiet te Dominus vlcere Ægypti, & infirmitatibus ani, & ſcabie, & prurigine: vt non poſſis curari.* |
| Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis: | 28 | 28 | *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & ſtupore cordis:* |
| Et palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, nec habeas, qui liberet te. | 29 | 29 | *Et palpabis in meridie, quemadmodum palpat cæcus in caligine, & non ſecundabis vias tuas. Et eris verumtamen calumniatus, & rapinis affectus omnibus diebus, & non erit ſeruator.* |
| Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & nõ vindemies eam. | 30 | 30 | *Vxorem deſponſabis, & vir alius coibit cum ea. Domum ædificabis, & non habitabis in ea. Vineã plantabis, & non prophanabis eam.* |
| Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Aſinus tuus rapiatur in conſpectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non ſit qui te adiuuet. | 31 | 31 | *Bos tuus mactabitur in oculis tuis, & non comedes ex eo. Aſinus tuus rapietur à facie tua, & non reſtituetur tibi. Pecudes tuæ dabuntur inimicis tuis, & non erit tibi ſeruator.* |
| Filij tui, & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficiẽtibus ad conſpectum eorum tota die, & non ſit fortitudo in manu tua. | 32 | 32 | *Filij tui & filiæ tuæ dabuntur populo alteri, & oculi tui videbunt, & deficient propter eos omni die, & nõ erit fortitudo in manu tua.* |
| Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras: & ſis ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus cunctis diebus: | 33 | 33 | *Fructum terræ tuæ, & omnem laborem tuum comedet populus, quem ignoraſti: & eris tantum oppreſſus, & contritus omnibus diebus:* |
| Et ſtupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui. | 34 | 34 | *Et obſtupeſces, propterea quæ videbunt oculi tui.* |
| Percutiat te Dominus vlcere peſſimo in genibus, & in ſuris, ſanarique non poſſis a planta pedis vſque ad verticem tuum. | 35 | 35 | *Percutiet te Dominus vlcere malo ſuper genua, & ſuper coxas, vt non poſſis curari à planta pedis tui, vſque ad verticem tuum.* |
| Ducet te Dominus, & regem tuum, quem conſtitueris ſuper te, in gentem, quam ignoras tu, & patres tui: & ſeruies ibi dijs alienis, ligno, & lapidi. | 36 | 36 | *Ambulare faciet Dominus te, & regem tuum, quem conſtitues ſuper te, ad gentem, quam non noſti tu, & patres tui: & coles ibi deos alienos, lignum, & lapidem.* |
| Et eris perditus in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. | 37 | 37 | *Et eris ſtupor, & parabola, & fabula in omnibus populis, ad quos ducet te Dominus.* |
| * Mich. 6. 15. Agg. 1. 6 — * Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia. | 38 | 38 | *Semen multum educes ad agrum, & parum colliges: quia perdet illud locuſta.* |
| Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vaſtabitur vermibus. | 39 | 39 | *Vineas plantabis, & coles: & vinum non bibes, & non colliges: quia conſumet illud vermis.* |
| Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & nõ vngeris oleo: quia defluent, & peribunt. | 40 | 40 | *Oliuæ erunt tibi in omni termino tuo, & oleo non vngeris: quia proijcietur oliua tua.* |
| Filios generabis, & filias, & non frueris eis: quoniã ducentur in captiuitatem. | 41 | 41 | *Filios, & filias generabis, & non erunt tibi: quia ibunt in captiuitatem.* |
| Omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo conſumet. | 42 | 42 | *Omnem arborem tuam, & fructum terræ tuæ, conſumet locuſta.* |
| Aduena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior. | 43 | 43 | *Peregrinus, qui eſt in medio tui aſcendet ſuper te, quam maximè: & tu deſcendes, quam infima.* |
| Ipſe fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. | 44 | 44 | *Ipſe mutuabit tibi, & tu non mutuabis ei. Ipſe erit caput, & tu eris cauda.* |
| Et venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, | 45 | 45 | *Et venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ,* |

& *&*

UVA.BSCH.

| Tranſl. ex Septuag. | | | Chald. Paraph. Tranſl. |
|---|---|---|---|
| Adiungat Dominus in te mortem, donec abſumpſerit te de terra, in quam ingrederis illuc hæreditare eam. | 21 | 21 | *Mittet in te Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingrederis poſſidendam.* |
| Percutiat te Dominus in penuria, & febri, & rigore, & roſione, & aeris corruptione, & rubigine: & perſequentur te, donec diſperdiderint te. | 22 | 22 | *Percutiet te Dominus egeſtate, & febri, & incendio, & ſiccitate, & gladio, & aere corrupto, & rubigine: & perſequentur te donec pereas.* |
| Et erit tibi cęlum, quod ſuper caput tuum, æneum: & terra quæ ſub te, ferrea. | 23 | 23 | *Et erunt cęli qui ſunt ſuper caput tuum fortes quaſi æs, ut non deſtillent pluuiam: & terra, quæ eſt ſubter te, erit fortis, ſicut ferrum, ne faciat fructus.* |
| Det Dominus Deus tuus pluuiam terræ tuæ puluerem, & cinis de cęlo deſcendet, quoadusq; attriuerit te, & quoadusque diſperdiderit te velociter. | 24 | 24 | *Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ fauillam, & puluerem, de cœlis deſcendet ſuper te, donec diſperdat te.* |
| Det te Dominus in occiſionem coram inimicis: in via vna exibis ad eos, & in ſeptem vijs fugies à facie eorum, & eris diſperſio in omnibus regnis terræ. | 25 | 25 | *Tradet te Dominus confractum in conſpectu inimicorum tuorum: per viam vnam egredieris in eos, & per ſeptem vias fugies à facie eorum, & eris in commotionem omnibus regnis terræ.* |
| Et erunt mortui veſtri eſca volatilibus cęli, & beſtijs terræ, & non erit, qui exterreat. | 26 | 26 | *Et erit cadauer tuum proiectum in cibum omni volatili cœli, & iumentis terræ, & non erit qui commoneat.* |
| Percutiat te Dominus vlcere Ægyptio in ſede, & ſcabie agreſti, & prurigine: ita vt non poſſis tu curari. | 27 | 27 | *Percutiet te Dominus vlcere peſſimo Ægyptiorum, & hæmorrhoidis, & ſcabie, & prurigine ſiccato: in quibus non poteris ſanari.* |
| Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, & exceſſu mentis: | 28 | 28 | *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & conturbatione cordis:* |
| Et eris palpans meridie, veluti ſi palparet cæcus in tenebris, & non proſperabit vias tuas. Et eris tunc iniurijs affectus, & direptus omnibus diebus, & non erit, qui auxilium ferat. | 29 | 29 | *Et eris palpans in meridie, ſicut palpat cæcus in tenebris, & non proficies in via tua. Et eris vtique oppreſſus, & vim patiens omnibus diebus, & non erit, qui liberet te.* |
| Vxorem accipies, & vir alius habebit eam. Domum ædificabis, & non habitabis in ea. Vineam plantabis, & non vindemiabis eam. | 30 | 30 | *Mulierem deſpondebis, & vir alius cubabit cum ea. Domum ædificabis, & non habitabis in ea. Vineam plantabis, & non vindemiabis eam.* |
| Vitulus tuus iugulatus ante te, & non comedes ex eo. Aſinus tuus ereptus à te, & non reddetur tibi. Oues tuæ datæ inimicis tuis, & non erit tibi, qui auxilietur. | 31 | 31 | *Bos tuus erit iugulatus ante oculos tuos, & non comedes ex eo. Aſinus tuus erit violenter raptus à facie tua, & non reuertetur ad te. Oues tuæ erunt traditæ inimicis tuis, & non erit, qui ſaluet te.* |
| Filij tui, & filiæ tuæ datæ genti alteri, & oculi tui aſpicient tabeſcentes ad ea, non valebit manus tua. | 32 | 32 | *Filij tui, & filiæ tuæ tradentur populo alieno, & oculi tui videbunt, & deficient pro eis tota die, & non erit fortitudo in manu tua.* |
| Prouentus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet gens, quam non noſti: & eris iniurijs affectus, & quaſſatus omnibus diebus: | 33 | 33 | *Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus quem non cognouiſti: & eris ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus omnibus diebus:* |
| Et eris ſtupidus propter viſiones oculorum tuorum, quas cernes. | 34 | 34 | *Et eris ſtupens propter viſionem oculorum tuorum, quam videbis.* |
| Percutiat te Dominus in vlcere maligno ſuper genua, & ſuper ſuras, vt non poſſis tu curari à veſtigio pedum tuorum vſque ad verticem tuum. | 35 | 35 | *Percutiet te Dominus vlcere peſſimo in genibus, & in femoribus, ex quo non poteris ſanari, à planta pedis tui, & vſque ad cerebrum tuum.* |
| Abducat Dominus te, & principes tuos, quos conſtitues ſuper te, ad gentem, quam non noſti tu, & patres tui: & ſeruies ibi dijs alijs, lignis, & lapidibus. | 36 | 36 | *Migrare te faciet Dominus, & regem tuum quem conſtitues ſuper te, ad populum quem ignoras tu, & patres tui: & ſeruies ibi populis ſeruientibus idolis ligneis, & lapideis.* |
| Et eris ibi in ænigma, & parabolam, & fabulam in omnibus gentibus, ad quas abduxerit te Deus illuc. | 37 | 37 | *Et eris in deſolationem, & in prouerbium, & in fabulam in omnibus populis ad quos tranſmigrare te faciet Dominus.* |
| Semen multum proferes in campum, & pauca inferes: quoniam locuſta comedet ea. | 38 | 38 | *Sementem multam educes ad agrum, & parum congregabis: quoniam deuorabit eam locuſta.* |
| Vineam plantabis, & operaberis: & vinum non bibes, neque lætaberis ex eo: quoniam comedet ea vermis. | 39 | 39 | *Vineas plantabis, & coles: & vinum non bibes, nec colliges: quoniam comedet illud vermis.* |
| Oliuæ tibi erunt in omnibus finibus tuis, & oleo non vngeris: quoniam deſſluet oliua tua. | 40 | 40 | *Oliuæ erunt tibi in omni termino tuo, & oleo non vngeris: quia deſinent oliuæ tuæ.* |
| Filios, & filias generabis, & non erunt: abibũt enim in captiuitate. | 41 | 41 | *Filios, & filias generabis, & non erunt tibi: quoniã ibunt in captiuitatem.* |
| Omnia lignea tua, & genimina terræ tuæ abſumet rubigo. | 42 | 42 | *Omnes arbores tuas, & fructum terræ tuæ conſumet rubigo.* |
| Aduena, qui eſt in te, aſcendet ſurſum ſurſum: tu autem deſcendes deorſum deorſum. | 43 | 43 | *Aduena incircumciſus, qui eſt in medio tui, aſcendet ſuper te ſuperius: & tu deſcendes inferius.* |
| Hic fęnerabit tibi, tu autem huic non fęnerabis. Hic erit caput, tu autem eris cauda. | 44 | 44 | *Ipſe mutuabit tibi, & tu non mutuabis ei. Ipſe erit fortis, & tu eris infirmus.* |
| Et venient ſuper te omnes maledictiones hæ, | 45 | 45 | *Et venient ſuper te omnes maledictiones illæ,* |



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

& perſequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audiſti vocem Domini Dei tui, nec ſeruaſti mandata eius, & ceremonias, quas præcepit tibi.

46 Et erunt in te ſigna, atque prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum:
47 Eo quod non ſerulieris Domino Deo tuo in gaudio, cordiſque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:
48 Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.
49 Adducet Dominus ſuper te Gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non poſſis:
50 Gentem procacissimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli:
51 Et deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te diſperdat:
52 Et conterat in cunctis vrbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi, atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. * Obſideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus:

* Baruc. 2. 3. Thren. 4. 10.

53 Et comedes fructum vteri tui, & carnes filiorũ tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in anguſtia, & vaſtitate qua opprimet te hoſtis tuus.
54 Homo delicatus in te, & luxurioſus valde, inuidebit fratri ſuo, & vxori, quæ cubat in ſinu ſuo:
55 Ne det eis de carnibus filiorum ſuorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obſidione, & penuria, qua vaſtauerint te inimici tui intra omnes portas tuas.
56 Tenera mulier, & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam, inuidebit viro ſuo, qui cubat in ſinu eius ſuper filij, & filiæ carnibus:
57 Et illuuie ſecundarum, quæ egrediuntur de medio fœminum eius, & ſuper liberis, qui eadem hora nati ſunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obſidione, & vaſtitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.
58 Niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, & timueris nomen eius glorioſum, & terribile, hoc eſt Dominum Deum tuum:
59 Augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas, & perſeuerantes, infirmitates peſſimas, & perpetuas:
60 Et conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi:
61 Inſuper & vniuerſos languores, & plagas, quæ non ſunt ſcriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus ſuper te, donec te conterat:
62 Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis, ſicut aſtra cœli præ multitudine, quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui.
63 Et ſicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens, voſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens, vt auferamini de terra ad quam ingredieris poſſidendam.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*& perſequentur te, & apprehendent te, donec pereas: quia non obediuiſti voci Domini Dei tui, vt cuſtodires præcepta eius, & ſtatuta eius, quæ præcepit tibi.*

46 *Et erunt in te in ſignum, & in portentum, & in ſemine tuo vſque in ſæculum:*
47 *Eo quòd non coluiſti Dominum Deum tuum in lætitia, & in bonitate cordis præ multitudine omnium:*
48 *Et ſeruies inimicis tuis, quos mittet Dominus contra te in fame, & ſiti, & nuditate, & defectu omnium: & dabit iugum ferreum ſuper collum tuum, donec diſpergat te.*
49 *Et eleuabit Dominus ſuper te Gentem à longinquo, ab extremo terræ, quemadmodum volat aquila: gentem cuius non intelliges linguam.*
50 *Gentem fortem facie, quæ non eleuabit faciem ad ſenem, & puero non parcet:*
51 *Et comedet fructum iumenti tui, & fructum terræ tuæ: donec pereas, quæ non relinquet tibi frumẽtum, vinum, & oleum, armentum boum, & greges pecudum tuarum: donec perdat te:*
52 *Et obſidebit te in omnibus vrbibus tuis, donec deijciat muros tuos excelſos, & munitos, quibus fidis, in omni terra tua. Et obſidebit te in omnibus vrbibus tuis, in omni terra tua, quam dedit Dominus Deus tuus tibi:*
53 *Et comedes fructum vteri tui, carnem filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quos dedit tibi Dominus Deus tuus in obſidione, & coarctatione, qua coarctabit te inimicus tuus.*
54 *Vir tener in te, & delicioſus valdè, malignabit oculus in fratrem ſuum, & in vxorem ſinus ſui, & in reſiduum filiorum ſuorum, quod remanſerit:*
55 *Vt non det alicui ex eis de carne filiorum ſuorum, quos comedet: vt non remaneat ſibi quicquam in obſidione, & coarctatione, quæ coarctabit te inimicus tuus, in omnibus vrbibus tuis.*
56 *Tenera in te, & delicioſa, quæ non tentauit plantam pedis ſui ſtatuere ſuper terram, præ delitijs ſuis, & præ teneritudine, malignabit oculus in virum ſinus ſui, & in filium ſuum, & in filiam ſuam:*
57 *Et in ſecundinas ſuas, quæ egrediuntur è pedibus eius, & in filios ſuos, quos pariet, quia comedet eos propter defectum omnium clam, in obſidione, & coarctatione, qua coarctabit te inimicus tuus in vrbibus tuis.*
58 *Niſi cuſtodieris, vt facias omnia verba legis iſtius, quæ ſcripta ſunt in libro iſto, vt timeas Dominum glorioſum, & terribilem iſtum, Dominum Deum tuum:*
59 *Diuidere faciet Dominus percuſſiones tuas, & percuſſiones ſeminis tui, percuſſiones magnas, & perſeuerantes, & infirmitates malas, & perſeuerantes:*
60 *Et redire faciet in te omnẽ infirmitatem Ægypti, à quarum timuiſti conſpectu, & adhærebunt tibi:*
61 *Etiam omnem infirmitatem, & omnem percuſſionem, quæ non eſt ſcripta in libro legis huius, aſcendere faciet Dominus ſuper te, donec pereas:*
62 *Et remanebitis cum viris paucis, quamquam fuiſtis ſicut ſtellæ cœli in multitudinem, quia non obediuiſtis voci Domini Dei veſtri.*
63 *Et erit, quẽadmodũ gauiſ⁹ ẽ Dñs ſup vos benefaciẽdo vobis, & multiplicãdo vos: ſic gaudebit Dñs ſup vos perdendo vos, & delendo vos, & demoliemini è terra, ad quam ingredimini, vt poſſideatis eam.*

## Transl. ex Septuag.

& perſequentur te, & apprehendent te, quoadusque exterminauerint te, & quoadusque diſperdiderint te: quoniam non exaudiſti vocem Domini Dei tui, ad cuſtodiendum mandata eius, iuſtificationes, quaſcunque mandauit tibi.

46 Et erunt in te ſigna, & prodigia in ſemine tuo vſque in ſeculum:

47 Pro eo, quod non ſeruiſti Domino Deo tuo in lætitia, & bona mente propter multitudinem omnium:

48 Et ſeruies inimicis tuis, quos immittet Dominus ſuper te, in fame, & in ſiti, & in nuditate, & in omnium inopia: & imponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, quoadusque exterminauerit te.

49 Inducet ſuper te Dominus gentem de longe ab extremo terræ, tanquam impetum aquilæ: gentem, cuius non audies vocem eius:

50 Gentem impudentem facie, qui non mirabitur faciem ſenis, & iuuenis non miſerebitur:

51 Et comedet fœtus pecorum tuorum, & genimina terræ tuæ: ita vt non relinquat tibi frumentum, vinum, oleum, armenta boum tuorum, & greges ouiũ tuarum: quoadusque perdiderit te:

52 Et atteruerit te in ciuitatibus tuis, quoadusque deſtructa fuerint mœnia excelſa, & munita, in quibus tu confidiſti in eis, in omni terra tua. Et tribulabit te in ciuitatibus tuis, quas dedit tibi:

53 Et comedes fœtus ventris tui, carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dedit tibi, in anguſtia tua, & in tribulatione tua, qua tribulabit te inimicus tuus.

54 Mollis, qui in te, & tener valdè, faſcinabit oculo ſuo fratrem ſuum, & vxorem, quæ eſt in ſinu ſuo, & filios, qui reliqui ſunt, quicumque relicti fuerint illi:

55 Vt det vni eorum de carnibus filiorum ſuorum, de quibuſcumque edet: eo quod non derelictum ſit ei quicquã in anguſtia tua, & tribulatione tua, qua tribulabũt te inimici tui in omnibus ciuitatibus tuis.

56 Et mollis in vobis, & delicioſa, cuius non cœpit experientiam pes eius ingredi ſuper terram propter teneritudinem, & propter mollitiem, faſcinabit oculo ſuo virum ſuum, qui in ſinu ſuo, & filium, & filiam ſuam:

57 Et chorium ſuum, quod exijt per fœmora ſua, & filium ſuum, quem pepererit: comedet enim ea propter egeſtatem omnium clam in anguſtia tua, & tribulatione tua, qua tribulabit te inimicus tuus in ciuitatibus tuis.

58 Si non exaudieris facere omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in libro hoc, timere nomen honoratum, admirabile hoc, Dominum Deum tuum:

59 Et incredibiles faciet Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas, & admirabiles, & morbos malignos, & ſtabiles:

60 Et redire faciet omnem dolorẽ Ægypti malignum, quem timuiſti, à facie eorum, & adhærebunt in te:

61 Et omnem languorem, & omnem plagam, quæ non ſcripta, & omnem, quæ ſcripta eſt in libro legis huius, inducet Dominus ſuper te, quoadusque exterminauerit te:

62 Et derelinquemini in numero breui, pro eo, quod fuiſtis, ſicut aſtra cœli, multitudine, quoniam non exaudiſti vocem Domini Dei tui.

63 Et erit, ſicut lætatus eſt Dñs in vobis bene facere vobis, & multiplicare vos: ſic lætabitur Dominus in vobis exterminare vos, & auferemini velociter de terra, in quam ingrederis illuc hæreditare eam.

Et

## Chald. Paraph. Transl.

*& perſequentur te, & apprehendent te, donec diſpereas: quoniam non obediſti verbo Domini Dei tui, vt cuſtodires præcepta eius, & mandata eius, quæ præcepi tibi.*

46 *Et erunt tibi in ſigna, & in portenta, & in filijs tuis vſque in ſæculum:*

47 *Eo quòd non ſervieris coram Domino Deo tuo in gaudio, & in rectitudine cordis, propter multitudinem omnium rerum:*

48 *Et ſerues inimicis tuis, quos mittet Dominus in te in fame, & in ſiti, & in nuditate, & in penuria omnium rerum: & ponent iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec diſperdant te.*

49 *Adducet Dominus ſuper te populum de longinquo à finibus terræ, ſicut volat aquila: populum cuius linguam non intelliges:*

50 *Populum impudentem facie, qui non accipit perſonã ſenis, neque miſeretur paruuli:*

51 *Et comedet fœtus iumentorum tuorũ, & fructũ terræ tuæ: donec conſumat te, qui non relinquet tibi frumentum, vinum, & oleum, nec vaccas boum tuorum, nec greges ouium tuarum: donec diſperdat te:*

52 *Et anguſtiabit te in cunctis vrbibus tuis, donec ſubuertat muros tuos munitos, & fortes, in quibus confidebas, vt euaderes in eis in omni terra tua. Et anguſtiabit te in cunctis vrbibus tuis, in omni terra tua, quam dabit Dominus Deus tuus tibi:*

53 *Et comedes fœtus ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in obſidione, & anguſtia qua anguſtiabit te inimicus tuus.*

54 *Vir tener in te, & delicatus valdè habebit oculũ nequam contra fratrem ſuum, & contra vxorem fœderis ſui, & contra reliquos filios ſuos quos reliquerit:*

55 *Ne det vni ex eis de carne filiorum ſuorum quos comedet: eo quòd nihil aliud ei remanſerit in obſidione, & in anguſtia qua anguſtiabit te inimicus tuus in omnibus vrbibus tuis.*

56 *Quæ tenera eſt in te, & delicata, quæ non eſt experta ponere plantam pedis ſui ſuper terram propter delicias, habebit oculum nequam contra virum fœderis ſui, & contra filium ſuum, & filiam ſuam:*

57 *Et contra filios ſuos paruulos, qui egreſſi ſunt ex ea, & contra filios ſuos quos peperit: quoniam comedet eos in penuria omnium rerum in abſcondito in obſidione, & in anguſtia, qua anguſtiabit te inimicus tuus in vrbibus tuis.*

58 *Si non cuſtodieris, vt facias omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc libro, vt timeas nomen glorioſum, & terribile Domini Dei tui.*

59 *Et admirabiles faciet Dominus plagas tuas, & plagas filiorum tuorum, plagas magnas, & perſeuerantes, & infirmitates peſſimas & permanentes:*

60 *Et cõuertet in te omnes plagas Ægypti quas timuiſti, & adhærebunt tibi:*

61 *Omnes quoque infirmitates, & omnes plagas, quæ non ſunt ſcripta in libro legis huius, inducet Dominus ſuper te, donec diſperdat te:*

62 *Et remanebitis populus pauci numero, qui priùs fuiſti, ſicut aſtra cœli in multitudinem, quoniam non obediſti verbo Domini Dei tui.*

63 *Et erit, ſicut lætatus eſt Dominus ſuper vos, vt benefaceret vobis, & vt multiplicaret vos: ſic lætabitur Dñs ſup vos, vt diſperdat vos, & vt cõſumat vos, & migrabitis à terra ad quã tu ingrederis poſſidẽdam.*

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

64 Diſperget te Dominus in omnes populos à ſum-
mitate terræ vſque ad terminos eius: & ſeruies ibi
dijs alienis,quos & tu ignoras,& patres tui,lignis,&
lapidibus.
65 In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit
requies veſtigio pedis tui. Dabit enim tibi Domi-
nus tibi cor pauidum, & deficientes oculos, & ani-
mam conſumptam mœrore:
66 Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis no-
cte & die,& non credes vitæ tuæ.
67 Mane dices: Quis mihi det veſperum? & veſpere:
Quis mihi det mane? propter cordis tui formidi-
nem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis
oculis.
68 Reducet te Dominus claſſibus in Ægyptum per
viam,de qua dixit tibi,vt eam amplius non videres.
Ibi venderis inimicis tuis in ſeruos, & ancillas, &
non erit qui emat.

### CAP. XXIX.

1 HÆc ſunt verba fœderis,quod præcepit Domi-
nus Moyſi, vt feriret cum filijs Iſrael in terra
Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit
in Horeb.
2 Vocauitque Moyſes omnem Iſrael & dixit ad eos:
* Vos vidiſtis vniuerſa, quæ fecit Dominus coram
vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſeruis
eius,vniuerſæque terræ illius:

* Exo.19.4

3 Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, ſigna
illa,portentaque ingentia:
4 Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & o-
culos videntes, & aures,quæ poſſunt audire, vſque
in præſentem diem.
5 * Adduxit vos quadraginta annis per deſertum:
non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calcea-
menta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta
ſunt.

* Sup.8.2.

6 Panem non comediſtis,vinum, & ſiceram non bibi-
ſtis: vt ſciretis, quia ego ſum Dominus Deus ve-
ſter.
7 Et veniſtis ad hunc locum: * egreſſuſque eſt Sehon
rex Heſebon,& Og rex Baſan,occurrentes nobis ad
pugnam.Et percuſſimus eos:

* Sup.3.3.

8 Et tulimus terram eorum, ac tradidimus poſſiden-
dam Ruben, & Gad,& dimidiæ tribui Manaſſe.
9 Cuſtodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt
intelligatis vniuerſa,quæ facitis.
10 Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſ-
tro,principes veſtri,& tribus,ac maiores natu, atque
doctores,omnis populus Iſrael:
11 Liberi,& vxores veſtræ,& aduena,qui tecum mora-
tur in caſtris, exceptis lignorum cæſoribus, & his,
qui comportant aquas:
12 Vt tranſeas in fœdere Domini Dei tui, & in iure-
iurando, quod hodie Dominus Deus tuus percutit
tecum:
13 Vt ſuſcitet te ſibi in populum, & ipſe ſit Deus tuus,
ſicut locutus eſt tibi, & ſicut iurauit patribus tuis,
Abraham,Iſaac,& Iacob.
14 Nec vobis ſolis ego hoc fœdus ferio, & hæc iura-
menta confirmo:
15 Sed cunctis præſentibus,& abſentibus.
16 Vos enim noſtis quo modo habitauerimus in terra
Ægypti,& quo modo tranſierimus per medium na-
tionum,quas tranſeuntes.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

64 *Et diſpergere faciet te Dominus in omnes populos,
ab extremo terræ vſque ad extremum terræ: & coles
ibi deos alienos, quos non noſti tu, & patres tui, li-
gnum,& lapidem.*
65 *Et in gentibus ipſis non requieſces, & non erit re-
quies plantæ pedis tui. Et dabit Dominus tibi ibi cor
pauidum,& deficientiam oculorum,& dolorem ani-
mi:*
66 *Et erit vita tua ſuſpenſa tibi è regione. Et pauebis
nocte,& die,& non credes vitæ tuæ.*
67 *Mane dices, quis dabit veſperam? & in veſpera di-
ces: Quis dabit mane? propter pauorem cordis tui
quo pauebis, & propterea,quæ videbunt oculi tui.*
68 *Et redire te faciet Dominus in Ægyptum in navi-
bus per viam de qua dixi tibi,non iterum videbis eã.
Et quæres te vendere ibi inimicis tuis in ſeruos, &
in ancillas,& non erit qui emat.*

### CAP. XXIX.

1 *ISta ſunt verba pacti, quod præcepit Dominus
Moſeh, vt pangeret cum filijs Iſrael in terra
Moab: præter pactum,quod pepigit cum eis in Cho-
reb.*
2 *Et vocauit Moſeh omnem Iſrael,& dixit ad eos:Vos
vidiſtis omnia, quæ fecit Dominus in oculis veſtris
in terra Ægypti,Pharhoh, & omnibus ſeruis eius, &
omni terræ eius:*
3 *Tentationes magnas,quas viderunt oculi tui, ſigna,
& portenta magna ipſa:*
4 *Et non dedit Dominus vobis cor,vt ſciretis, & ocu-
los,vt videretis, & aures, vt audiretis vſq; ad diem
hanc.*
5 *Et ambulare feci vos quadraginta annis per deſer-
tum: non inueterauerunt veſtimenta veſtra ſuper
vos, & calciamentum veſtrum non veterauit ſuper
pedem veſtrum.*
6 *Panem non comediſtis,& vinum, & ſechar non bibi-
ſtis: vt ſciretis, quòd ſum Dominus Deus veſ-
ter.*
7 *Et veniſtis ad locum iſtum: & egreſſus eſt Sichon
rex Cheſbon, & Hogh rex Baſan in occurſum noſtrũ
ad bellum. Et percuſſimus eos:*
8 *Et cepimus terram eorum, & tradidimus eam in
hæreditatem Reubenitis,& Ghaditis,& dimidiæ tri-
bui Menaſſitæ.*
9 *Et cuſtodite verba pacti iſtius, & facite ea: vt in-
telligatis omnia,quæ facturi eſtis.*
10 *Vos ſtatis hodie omnes vos coram Domino Deo ve-
ſtro,capita veſtra, tribus veſtræ, ſeniores veſtri, &
præfecti veſtri,omnis vir Iſrael:*
11 *Paruuli veſtri, & peregrini veſtri, qui ſunt in me-
dio caſtrorum veſtrorum à ceſore lignorum veſtrorũ
vſque ad haurientem aquam veſtram:*
12 *Vt tranſeas, ſecundum pactum Domini Dei tui, &
ſecundum iuramentum eius, quod Dominus Deus
tuus pangit tecum hodie:*
13 *Vt ſtatuat te hodie ſibi in populum, & ipſe ſit ti-
bi in Deum, quemadmodum locutus eſt tibi, &
quemadmodum iurauit patribus tuis, Abraham,
Iſchac, & Iahacob.*
14 *Et non vobiſcum tantum pango pactum iſtud,& iu-
ramentum iſtud:*
15 *Sed cum eo, qui eſt hic nobiſcum ſtans hodie coram
Domino Deo noſtro,& cum eo, qui non hic nobiſcum
hodie.*
16 *Vos enim noſtis, quòd habitauimus in terra Ægyp-
ti, & quòd tranſiuimus per medium gentium, quas
tranſiſtis.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

64 Et diſſeminabit te Dominus Deus tuus in omnes
gentes ab extremo terræ, vſque ad extremum terræ:
& ſeruies ibi dijs alijs, lignis, & lapidibus, quos non
noueras tu, & patres tui.
65 Sed & in gentibus illis non dabit tibi quietem, ne-
que erit requies veſtigio pedis tui. Et dabit tibi Do
minus ibi cor aliud incredulum, & deficientes ocu-
los, & tabeſcentem animam:
66 Et erit vita tua pendens ante oculos tuos. Et time-
bis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.
67 Mane dices: Quomodo fiat veſpera? Et veſperi di-
ces: Quomodo fiat mane? præ timore cordis tui,
quem timebis, & præ viſionibus oculorum tuorum,
quas videbis.
68 Et redire te faciet Dominus in Ægyptum in na-
uigijs, in via, qua dixi, non adijcies vltra videre eam.
Et vendemini illic inimicis veſtris in pueros, & an-
cillas, & non erit, qui emat.

### CAP. XXIX.

1 HÆc verba teſtamenti, quæ mandauit Domi-
nus Moyſi ſtatuere filijs Iſrael in terra Moab:
præter teſtamentum, quod teſtatus eſt eis in Cho-
reb.
2 Et vocauit Moyſes omnes filios Iſrael, & dixit ad
eos: Vos vidiſtis omnia, quæcumque fecit Domi-
nus in terra Ægypto coram vobis Pharaoni, & ſer-
uis eius, & omni terræ illius:
3 Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, ſigna,
& prodigia illa magna:
4 Et non dedit Dominus Deus vobis cor ſcire, &
oculos videre, & aures audire vſque in diem iſ-
tam.
5 Et adduxit vos quadraginta annis in deſerto:
non inueterauerunt veſtimenta veſtra, & cal-
ceamenta veſtra non ſunt attrita à pedibus ve-
ſtris.
6 Panem non manducaſtis, vinum, & ſiceram non
bibiſtis: vt ſciretis, quia Dominus Deus veſter
ego.
7 Et veniſtis vſque ad locum hunc: & exijt Seon rex
Eſebon, & Og rex Baſan in occurſum nobis in bel-
lum. Et percuſſimus eos:
8 Et cepimus terram eorum, & dedi eam in ſorte Ru-
ben, & Gaddi & dimidiæ tribui Manaſſe.
9 Et cuſtodietis facere omnia verba teſtamenti hu-
ius: vt intelligatis omnia, quæcunque facietis.
10 Vos ſtetiſtis omnes hodie ante Dominum Deû ve-
ſtrum, principes tribuum veſtri, & ſeniores veſtri, &
iudices veſtri, & magiſtri veſtri, omnis vir Iſrael:
11 Vxores veſtræ, & fœtus veſtri, & aduena, qui in me-
dio caſtrorum veſtrorum, à cæſore lignorum veſtro-
rum, & vſque ad portatorem aquæ veſtrum:
12 Ad tranſeundum in teſtamentum Domini Dei ve-
ſtri, in imprecationes eius, quæcumque Dominus
Deus tuus diſpoſuit erga te hodie:
13 Vt ſtatuat te ſibi in populum, & ipſe erit Deus
tuus, quemadmodum dixit tibi, & quemadmodum
iurauit patribus tuis, Abraham, & Iſaac, & Ia-
cob.
14 Et non vobis ſolis ego teſtatus ſum teſtamentum
hoc, & imprecationem hanc:
15 Sed & ijs qui hic ſunt vobiſcum hodie ante Domi-
num Deum veſtrum, ſed & ijs, qui non ſunt vobiſ-
cum hic hodie.
16 Quoniam vos noſtiſtis, quomodo habitauimus in
terra Ægypto, quomodo tranſiuimus in medio gen-
tium, quos tranſiuiſtis.

## Chald. Paraph. Tranſl.

64 *Et diſperget te Dominus in omnes populos à finibus
terræ, & vſque ad fines terræ: & ſeruies ibi populis
colentibus idola, quæ ignoraſti tu, & patres tui, li-
gnea, & lapidea.*
65 *Et in populis illis non requieſces, neque erit requies
plantæ pedis tui. Et dabit tibi Dominus cor pauidũ,
& tenebroſos oculos, & mœrorem animæ:*
66 *Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Et eris ti-
mens die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.*
67 *Manè dices: Quis mihi dat veſperum? & veſperè
dices: Quis mihi dat manè? propter pauorem cordis
tui quo pauebis, & propter viſionem oculorum tuo-
rum quam videbis.*
68 *Et reducet te Dominus in Ægyptum in nauibus per
viam de qua dixi tibi, non addes vltrà videre eam.
Et vendemini ibi inimicis tuis in ſeruos, & in ancil-
las, & non erit qui emat.*

### CAP. XXIX.

1 *HÆc ſunt verba fœderis, quod præcepit Do-
minus Moyſi, vt feriret cum filijs Iſrael in
terra Moab: præter fœdus, quod pepigit cum eis in
Oreb.*
2 *Et vocauit Moyſes omnem Iſrael, & dixit ad eos:
Vos vidiſtis omnia, quæ fecit Dominus ante oculos
veſtros in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſeruis
eius, & vniuerſæ terræ illius:*
3 *Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, & ſi-
gna, atque portenta magna illa:*
4 *Et non dedit vobis Dominus cor ad ſciendum, neque
oculos ad videndum, neque aures ad audiendum vſ-
que in diem hanc.*
5 *Et duxi vos quadraginta annis per deſertum:
non inueterata ſunt veſtimenta veſtra in vobis,
& calciamenta veſtra non ſunt attrita in pedibus
veſtris.*
6 *Panem non comediſtis, & vinum, & quicquid ine-
briare poteſt non bibiſtis: vt ſciretis, quoniam ego
ſum Dominus Deus veſter.*
7 *Et veniſtis ad locum hunc: & egreſſus eſt Seon rex
Eſebon, & Og rex Baſan in occurſum noſtrum ad pu
gnam. Et percuſſimus eos:*
8 *Et ſubiecimus terram eorum, & dedimus eam in
poſſeſſionem tribui Ruben, & tribui Gad, & dimi-
diæ tribui Manaſſe.*
9 *Et cuſtodietis verba pacti huius, & facietis ea: vt
intelligatis vniuerſa, quæ facietis.*
10 *Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro,
principes veſtri, & tribus veſtræ, ſenes veſtri, & præ-
fecti veſtri, omnes viri Iſrael:*
11 *Paruuli veſtri, & vxores veſtræ, & peregrini tui, qui
ſunt in medio caſtrorum tuorum, ab eo qui colligit li-
gna tua vſque ad haurientem aquam tuam:*
12 *Vt intres in fœdus Domini Dei tui, & in iuramen-
tum eius, quod Dominus Deus tuus ſtatuit tecum
hodie:*
13 *Vt ſuſcitet te hodie in conſpectu ſuo in populum,
& ipſe ſit tibi in Deum, ſicut locutus eſt tibi, &
ſicut iurauit patribus tuis Abraham, Iſaac, &
Iacob.*
14 *Non vobiſcum ſolis ego ſtatui pactum hoc, & iura-
mentum hoc:*
15 *Sed cum eo, qui ſtat hic hodie nobiſcum coram Do-
mino Deo noſtro, & cum eo, qui non eſt hîc hodie no-
biſcum.*
16 *Quoniam vos ſcitis quomodo habitauerimus in ter-
ra Aegypti, & quomodo tranſiuerimus per medium
populorum per quos tranſiſtis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Vidiſtis abominationes, & ſordes, id eſt, idola eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quę colebant.

18 Ne forte ſit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro: vt vadat, & ſeruiat dijs illarum Gentium: & ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.

19 Cumque audierit verba iuramenti huius, benedicat ſibi in corde ſuo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: & abſumat ebria ſitientem:

20 Et Dominus non ignoſcat ei: ſed tunc quam maximè furor eius fumet, & zelus contra hominem illum, & ſedeant ſuper eum omnia maledicta, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius ſub cœlo:

21 Et conſumet eum in perditionem ex omnibus tribubus Iſrael, iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius, ac fœderis continentur.

22 Dicetque ſequens generatio, & filij qui naſcentur deinceps, & peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus:

23 Sulphure, & ſalis ardore comburens, ita vt vltra non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum * ſubuerſionis Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira, & furore ſuo.

* Gen. 19. 24.

24 Et dicent omnes Gentes: * Quare ſic fecit Dominus terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa?

* 3. Reg. 9. 8. Ier. 22. 5.

25 Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti:

26 Et ſeruierunt dijs alienis, & adorauerunt eos, quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi:

27 Idcirco iratus eſt furor Domini contra terram iſtã, vt induceret ſuper eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine ſcripta ſunt:

28 Et eiecit eos de terra ſua in ira, & in furore, & in indignatione maxima, proiecitque in terram alienã, ſicut hodie comprobatur.

29 Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta ſunt, nobis & filijs noſtris vſque in ſempiternum, vt faciamus vniuerſa verba legis huius.

### CAP. XXX.

1 CVm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio, ſiue maledictio, quam propoſui in conſpectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in vniuerſis gentibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus:

2 Et reuerſus fueris ad eum, & obedieris eius imperijs, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua:

3 Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miſerebitur tui, & rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit.

4 Si ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus:

5 Et * aſſumet, atque introducet in terram, quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, maioris numeri te eſſe faciet, quàm fuerunt patres tui.

* 2. Mach. 1. 29.

Cir-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et vidiſtis abominationes eorum, & idola eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quæ ſunt cum eis.*

18 *Ne fortè ſit in vobis vir, vel mulier, vel familia, vel tribus, qua cor ſuum vertat hodie à Domino Deo noſtro: vt vadat ad colendum deos Gentium harum: ne fortè ſit in vobis radix fructificans venenum, & abſynthium.*

19 *Et erit, cum audierit verba maledictionis huius, & benedixerit ſibi in corde ſuo, dicendo: Pax erit mihi, quia in cogitatione cordis mei ambulabo: vt addat ebriam cum ſitiente:*

20 *Non vult Dominus quòd parcatur ei: quia tunc fumabit furor Domini, & zelus eius in virum ipſum, & accubabit in eo omnis maledictio, quæ ſcripta eſt in libro iſto: & delebit Dominus nomen eius ſub cœlo:*

21 *Et ſeparare faciet eum Dominus ad malum, ab vniuerſis tribubus Iſrael, ſecundum omnes maledictiones pacti ſcripti in libro legis iſtius.*

22 *Et dicet generatio poſterior, filij veſtri qui ſurgent poſt vos, & alienigena, qui veniet è terra longinqua, & videbunt percuſſiones terræ huius, & infirmitates eius, in quibus ægrotare fecit Dominus:*

23 *Sulphur, & ſal combuſtionis, omnis terra eius non ſeretur, & non germinabit, & non aſcendet in ea omnis herba, ſecundum ſubuerſionem Sodom, & Hamorah, Adamah, & Seboim, quas ſubuertit Dominus in furore ſuo, & in ira ſua.*

24 *Et dicent omnes Gentes: Propter quid fecit Dominus ſic terræ huic? quæ eſt ira furoris magni huius?*

25 *Et dicent: Eo quòd dereliquerunt pactum Domini Dei patrum ſuorum, quod pepigit cum eis, quando eduxit eos è terra Ægypti:*

26 *Et iuerunt, & coluerunt deos alienos, & incuruauerunt ſe eis, deos quos non nouerunt, & non impartitus eſt eis bonum aliquod:*

27 *Et iratus eſt furor Domini in terram ipſam, vt adduceret ſuper eam omnem maledictionem ſcriptam in libro hoc:*

28 *Et extirpauit eos Dominus è terra eorum in furore, & ira, & in ira magna, & proijcere fecit eos in terram alienam, ſecundum diem hunc.*

29 *Quæ abſcondita ſunt Domino Deo noſtro: & reuelata nobis, & filijs noſtris vſque in ſæculum, vt faciamus omnia verba legis huius.*

### CAP. XXX.

1 *ET erit, cum venerint ſuper te omnia hæc, benedictio, & maledictio, quam dedi coram te, & reduxeris te ad cor tuum in omnibus gentibus, ad quas expulit te Dominus Deus tuus:*

2 *Et conuerſus fueris ad Dominum Deum tuum, & obedieris voci eius, ſecundum omnia, quæ præcipio tibi hodie tu, & filij tui toto corde tuo, & tota anima tua:*

3 *Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, & miſerebitur tui, & reducet, & congregabit te ex omnibus populis, ad quos diſpergere fecit te Dominus Deus tuus.*

4 *Si fuerit expulſio tua in extremum cœli, inde congregabit te Dominus Deus tuus, & inde accipiet te:*

5 *Et venire faciet te Dominus Deus tuus ad terram, quam poſſederunt patres tui, & poſſidebis eam: & benefaciet tibi, & multiplicabit te magis, quàm patres tuos.*

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

17 Et vidiſtis abominationes earum, & idola eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quæ ſunt apud eas.
18 Nunquid eſt aliquis inter vos vir, aut mulier, vel familia, vel tribus, cuius mens declinauit à Domino Deo veſtro: profecti ſeruire dijs Gentium illarum: num quis eſt in vobis radix ſurſum germinans in felle & amaritudine:
19 Et erit cum audierit verba maledictionis huius, & benedixerit in corde ſuo, dicens: Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedam: vt nō ſimul perdat peccator eum qui ſine peccato eſt:
20 Nolet Deus propitiari ei: ſed tunc incendetur ira Domini, & zelus eius in homine illo, & adhærebunt in eo omnia maledicta teſtamenti huius, quæ ſcripta ſunt in libro hoc: & delebit Dominus nomen eius de ſub cœlo:
21 Et diuidet eum Dominus in mala ab omnibus filijs Iſrael, ſecundum omnia maledicta teſtamenti ſcripta in libro legis huius.
22 Et dicent progenies altera, filij veſtri, qui exurgent poſt vos, & alienus, quicumque venerit de terra longinqua, & videbunt plagas terræ illius, & morbos eius quos immiſit Dominus ſuper eam:
23 Sulphur, & ſal ardens, omnis terra eius non ſeminabitur, neque germinabit, neque aſcendet ſuper eam omne viride, ſicut euerſa eſt Sodoma, & Gomorra, Adama, & Seboim, quas euertit Dominus in furore, & ira.
24 Et dicent omnes Gentes: Propter quid fecit Dominus ſic terræ huic? quis furor iræ magnus hic?
25 Et dicent: Quoniam dereliquerunt teſtamentum Domini Dei patrum ſuorum, quæ teſtatus eſt patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti:
26 Et euntes, ſeruierunt dijs alijs, quos non nouerunt, neque diſtribuit eis:
27 Et iratus eſt furore Dominus in terram illam, ad inducendum in eam, ſecundum omnia maledicta ſcripta in libro legis huius:
28 Et abſtulit eos Dominus de terra eorum in furore, & ira, & exacerbatione magna valdè, & eiecit eos in terram alienam, ſicut nunc.
29 Occulta, Domino Deo noſtro: manifeſta autem, nobis, & filijs noſtris in ſæculum, ad faciendum omnia verba legis huius.

### C A P. XXX.

1 ET erit, poſtquam venerint ſuper te omnia verba hæc, benedictio, & maledictio, quam dedi ante faciem tuam: & admiſeris in cor tuum, in omnibus gentibus, quocumque diſperſerit te Dominus illuc:
2 Et conuerſus fueris ad Dominum Deum tuum, & exaudieris vocem eius, ſecundum omnia, quæcumque ego mando tibi hodie, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua:
3 Et ſanabit Dominus peccata tua, & miſerebitur tui, & rurſus congregabit te ex omnibus gentibus, in quos diſperſit te Dominus illuc.
4 Si fuerit diſperſio tua à ſummo cœli vſque ad ſummum cœli, inde congregabit te Dominus Deus tuus:
5 Et inde aſſumet te Dominus Deus tuus, & inducet te Deus tuus inde in terram, quam hæreditauerant patres tui, & hæreditabis eam: & bene tibi faciet, & abundantem te faciet ſuper patres tuos.

## Chald. Paraph. Tranſl.

17 *Et vidiſtis abominationes eorum, & idola eorum lignea, & lapidea, argentea, & aurea, quæ ſunt in eis.*
18 *Ne fortè ſit in vobis vir, aut mulier, aut familia, aut tribus, cuius cor auerſum eſt hodie à timore Domini Dei noſtri: vt vadat, & ſeruiat idolis populorum illorum: ne fortè ſit in vobis vir cogitans peccata, aut ſuperbiam.*
19 *Et cùm audierit verba iuramenti huius, cogitet in corde ſuo, dicens: Pax erit mihi, quoniam in cogitatione cordis mei ego ambulabo: vt addantur ei peccata ignorantiæ peccatis ſuperbiæ:*
20 *Non volet Dominus dimittere ei: ſed tunc inardeſcet furor Domini, & indignatio eius contra virum illū, & adhærebunt ei omnes maledictiones, quæ ſcriptæ ſunt in libro legis huius: & delebit Dominus nomen eius ſub cœlo:*
21 *Et diuidet eum Dominus in malum de omnibus tribubus Iſrael, iuxta omnes maledictiones fœderis, quę ſcriptæ ſunt in libro legis huius.*
22 *Et dicet generatio ſequens, & filij veſtri, qui ſurgent poſt vos, & filij alienigenarum, qui venerint de terra longinqua, videntes plagas terræ illius, & infirmitates eius, quibus afflixerit eam Dominus:*
23 *Sulphure, & ſale combuſta erit omnis terra eius, non ſeminabitur, neque germinabit, neque creſcet in ea omnis herba, ſicut ſubuerſio Sodomæ, & Gomorræ, Adamæ, & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira ſua, & in furore ſuo.*
24 *Et dicent omnes populi: Propter quid fecit Dominus ſic terræ huic? quæ eſt ira furoris magni huius?*
25 *Et dicent: Quia dereliquerunt pactum Domini Dei patrum ſuorum, quod ſtatuit cum eis, quando eduxit eos de terra Ægypti:*
26 *Et ambulauerunt, & ſeruierunt idolis populorum, & adorauerunt portenta, quæ neſcierunt, & quæ non poſſunt benefacere eis:*
27 *Et iratus eſt furor Domini contra terram illam, vt induceret ſuper eam omnes maledictiones, quæ ſcriptæ ſunt in libro hoc:*
28 *Et eiecit eos Dominus de terra ſua in ira, & in indignatione, & in furore magno, & migrare fecit eos in terram aliam, ſicut in die hac.*
29 *Quæ occulta ſunt, ſunt corā Domino Deo noſtro: quæ autem manifeſta ſunt, nobis & filijs noſtris vſque in ſæculum, vt faciamus omnia verba legis huius.*

### C A P. XXX.

1 *ET erit cùm venerint ſuper te omnia verba hæc benedictionum, & maledictionum, quæ poſui coram te: conuerteris ad cor tuum in omnibus populis ad quos migrare te fecit Dominus:*
2 *Et conuerteris ad timorem Domini Dei tui, & obedies verbo eius, iuxta omnia, quæ ego præcipio tibi hodie tu, & filij tui in toto corde tuo, & in tota anima tua:*
3 *Et reducet Dominus Deus tuus captiuitatem trāſmigrationis tuæ, & miſerebitur tui, & conuertetur, & congregabit te ex omnibus populis, in quibus diſperſit te Dominus Deus tuus.*
4 *Si fuerit diſperſio tua in fines cœli, inde congregabit te Dominus Deus tuus, & inde applicabit te:*
5 *Et introducet te Dominus Deus tuus in terram quam poſſederunt patres tui, & poſſidebis eam: & bene faciet tibi, & multiplicabit te magis, quàm patres tuos.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, &
cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum
in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis vi-
uere.
7 Omnes autem maledictiones has conuertet ſuper
inimicos tuos, & eos qui oderunt te, & perſequun-
tur.
8 Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini Dei
tui: facieſque vniuerſa mandata, quæ ego præcipio
tibi hodie:
9 Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cun-
ctis operibus manuum tuarum, in ſobole vteri tui,
& in fructu iumentorum tuorum, in vbertate terræ
tuæ, & in rerum omniũ largitate. Reuertetur enim
Dominus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſi-
cut gauiſus eſt in patribus tuis:
10 Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cu-
ſtodieris præcepta eius, & ceremonias, quæ in hac
lege conſcripta ſunt: & reuertaris ad Dominum
Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima
tua.
11 Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non
ſupra te eſt, neque procul poſitum:
12 *Ro.10.6.* Nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere: * Quis noſtrum
valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, &
audiamus, atque opere compleamus?
13 Neq; trãs mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: Quis ex
nobis poterit trãsfretare mare, & illud ad nos vſque
deferre, vt poſſimus audire, & facere q̃ præceptum eſt?
14 Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde
tuo, vt facias illum.
15 Conſidera quód hodie propoſuerim in cõſpectu tuo
vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum:
16 Vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in
vijs eius, & cuſtodias mandata illius, ac ceremonias,
atque iudicia: & viuas, atque multiplicet te, bene-
dicatque tibi in terra, ad quam ingredieris poſſi-
dendam.
17 Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire no-
lueris, atque errore deceptus adoraueris deos alie-
nos, & ſeruieris eis:
18 Prædico tibi hodie quód pereas, & paruo tempore
moreris in terra, ad quam, Iordane tranſmiſſo, in-
gredieris poſſidendam.
19 Teſtes inuoco hodie cœlum, & terram, quód pro-
poſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, &
maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, &
ſemen tuum:
20 Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias
voci eius, & illi adhæreas (ipſe eſt enim vita tua, &
longitudo dierum tuorum) vt habites in terra, pro
qua iurauit Dominus patribus tuis, Abrahã, Iſaac,
& Iacob, vt daret eam illis.

### CAP. XXXI.

1 Abijt itaque Moyſes, & locutus eſt omnia ver-
ba hæc ad vniuerſum Iſrael:
2 Et dixit ad eos: Centum viginti annorum ſum ho-
die, non poſſum vltra egredi, & ingredi, præſertim
cum & Dominus dixerit mihi: * Non tranſibis Ior-
*Sup. 3.21 Nu.27.13.* danem iſtum.
3 Dominus ergo Deus tuus tranſibit ante te: ipſe de-
lebit omnes gentes has in conſpectu tuo, & poſſi-
debis eas: & Ioſue iſte tranſibit ante te, ſicut locu-
tus eſt Dominus.
4 *Nu.21.24.* Facietque Dominus eis, * ſicut fecit Sehon, & Og
regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, delebitque
eos.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 Et circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, &
cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum
toto corde tuo, & tota anima tua, propter vitam
tuam.
7 Et dabit Dominus Deus tuus omnes maledictiones
illas ſuper inimicos tuos, & ſuper odio habentes te,
qui perſecuti ſunt te.
8 Et tu reuerteris, & obedies voci Domini: & facies
omnia præcepta eius, quæ præcipio tibi hodie:
9 Et abundare faciet te Dominus Deus tuus in omni
opere manuum tuarum, in fructu ventris tui, & in
fructu iumenti tui, & in fructu terræ tuæ in bonum.
Quia reuertetur Dominus, vt gaudeat ſuper te in
bonum, quemadmodum gauiſus eſt ſuper patres
tuos:
10 Si obedieris voci Domini Dei tui, vt cuſtodias præ-
cepta eius, & ſtatuta eius ſcripta in libro legis hu-
ius: ſi reuerſus fueris ad Dominum Deum tuum to-
to corde tuo, & tota anima tua.
11 Quia mandatum hoc, quod præcipio tibi hodie, non
occultum eſt à te, neque longinquum eſt:
12 Non in cælo eſt, vt dicas quis aſcendet pro nobis, in
cælum, & capiet illud nobis, & audire faciet nos il-
lud, & faciemus illud?
13 Et non trans mare eſt: vt dicas: Quis tranſibit pro
nobis trans mare, & accipiet illud nobis: & audire
faciet nos illud, & faciemus illud?
14 Quia propinquum eſt tibi verbum valdè, in ore tuo,
& in corde tuo, vt facias illud.
15 Vide dedi coram te hodie vitam, & bonum, & mor-
tem, & malum:
16 Quia ego præcipio tibi hodie, vt diligas Dominum
Deum tuum, vt ambules in vijs eius, & cuſtodias
præcepta eius, & ſtatuta eius & iudicia eius: & vi-
uas, & multiplicaberis, & benedicet tibi Dominus
Deus tuus in terra, ad quam ingrederis, vt poſſideas
eam.
17 Et ſi auerterit ſe cor tuum, & non audieris, & pro-
pulſaueris te, & incuruaueris te dijs alienis, & co-
lueris eos:
18 Annunciaui vobis hodie, quòd pereundo peribitis, nõ
prolongabitis dies ſuper terram ad quam trãſis Iar-
den, vt ingrediaris ad poſſidendum eam.
19 Conteſtor vobis hodie cælum, & terram, vitam, &
mortem dedi coram te, benedictionem, & maledictio-
nem. Elige vitam, vt viuas tu, & ſemen tuum:
20 Vt diligas Dominum Deum tuum, vt obedias voci
eius, & adhæreas ei, quia ipſe eſt vita tua, & longi-
tudo dierum tuorum, vt maneas ſuper terram ſuper
quam iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Iſ-
chac, & Iahacob, vt daret eis.

### CAP. XXXI.

1 Et perrexit Moſeh, & locutus eſt verba iſta ad
omnem Iſrael:
2 Et dixit ad eos: Filius centum, & viginti annorum
ſum hodie, non poſſum amplius egredi, & ingredi, &
Dominus dixit ad me: Non tranſibis Iarden iſ-
tum.
3 Dominus Deus tuus ipſe tranſit ante te: ipſe diſper-
det gentes iſtas à facie tua, & poſſidebis eas: Iehe-
ſuah ipſe tranſit ante te, quemadmodum locutus eſt
Dominus.
4 Et faciet Dominus eis, quemadmodum fecit Sichon,
& Hogh regibus Emorræorum, & terræ eorum, quam
diſperdidit.

Cum … Et

## Transl. ex Septuag.

6 Et circumpurgabit Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui: diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, vt viuas tu.

7 Et dabit Dominus Deus tuus maledictiones has ſuper inimicos tuos, & ſuper eos, qui oderunt te, qui perſequuti ſunt te.

8 Et tu conuerteris, & exaudies vocem Domini Dei tui: & facies mandata eius, quæcumque ego mando tibi hodie:

9 Et benedicet te Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum, in fœtibus ventris tui, & in fœtibus pecorum tuorum, & in fructibus terræ tuæ. Quoniam reuertetur Dominus Deus tuus lætari ſuper te in bonis, ſicut lætatus eſt ſuper patres tuos:

10 Si exaudieris vocem Domini Dei tui, cuſtodiendo mandata eius, & iuſtificationes eius, & iudicia eius ſcripta in libro legis huius: ſi conuerſus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

11 Quoniā mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non eſt ſupra modum, neque longe abs te eſt:

12 Non in cœlo ſurſum eſt, dicens: Quis aſcendet nobis in cœlum, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus?

13 Neque trans mare eſt, dicens: Quis transfretabit nobis trans mare, & accipiet nobis illud: & auditum nobis faciet illud, & faciemus?

14 Prope te eſt verbum valde, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud.

15 Ecce dedi ante faciem tuam hodie vitam, & mortem, bonum, & malum:

16 Si exaudieris mandata Domini Dei tui, quæ ego mando tibi hodie, diligere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus vijs eius, & obſeruare iuſtificationes eius, & iudicia eius: & viuetis, & multis eritis, & benedicet te Dominus Deus tuus in omni terra, in quam ingrederis illuc hæreditare eam.

17 Et ſi tranſlatum fuerit cor tuum, & non exaudieris, & errans adoraueris deos alios & ſeruieris eis:

18 Annuncio tibi hodie, quia perditione perdemini, & non eritis longæui ſuper terram, in quam vos tranſitis Iordanem, illuc hæreditare eam.

19 Conteſtor vobis hodie cœlum, & terram, vitam, & mortem dedi ante faciem veſtram, benedictionem, & maledictionem. Elige vitam tu, vt viuas tu, & ſemen tuum:

20 Diligere Dominum Deum tuum, exaudire vocem eius, & adhærere ei, quoniam hoc vita tua, & longitudo dierum tuorum ad habitandum ſuper terram, quam iurauit Dominus patribus tuis, Abraham, & Iſaac, & Iacob dare eis.

### CAP. XXXI.

1 ET conſummauit Moyſes loquens omnia verba hæc ad omnes filios Iſrael:

2 Et dixit ad eos: Centum, & viginti annorum ego ſum hodie, non potero vltra ingredi, & egredi, Dominus autem dixit ad me: Non tranſibis Iordanem hunc.

3 Dominus Deus tuus, qui præcedit ante faciem tuam: hic exterminabit gentes has à facie tua, & poſſidebis eos: & Ieſus, qui præcedit ante faciem tuam, ſicut locutus eſt Dominus.

4 Et faciet Dominus Deus tuus eis, ſicut fecit Seon, & Og duobus regibus Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem, & terræ corū, ſm q̄d exterminauit eos.



## Chald. Paraph. Transl.

6 *Et auferet Dominus Deus tuus inſipientiam cordis tui, & inſipientiam cordis filiorum tuorum: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt viuas.*

7 *Et dabit Dominus Deus tuus omnes maledictiones has ſuper inimicos tuos, & ſuper hoſtes tuos, qui perſecuti fuerunt te.*

8 *Tu autem conuerteris, & obedies verbo Domini: & facies omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie:*

9 *Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in omnibus operibus manuum tuarum, in fructu ventris tui, & in fructu iumentorum tuorum, & in fructu terræ tuæ in bonum. Quoniam conuertetur Dominus, vt gaudeat ſuper te in bonum, ſicut gauiſus eſt ſuper patres tuos:*

10 *Si obedieris verbo Domini Dei tui, vt cuſtodias præcepta eius, & mandata eius, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius: quoniam conuerteris ad timorem Domini Dei tui in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

11 *Quoniam præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſeparatum à te, nec longè eſt:*

12 *Non eſt in cœlis, vt dicas: Quis aſcendet pro nobis in cœlum, vt deferat illud nobis, & audiamus illud, & faciamus illud?*

13 *Neque eſt trans mare, vt dicas: Quis tranſibit pro nobis trans mare, & afferet illud nobis: & audiemus illud, & faciemus illud?*

14 *Sed iuxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.*

15 *Vide quòd poſui coram te hodie vitam, & bonum, & mortem, & malum:*

16 *Quod ego præcipio tibi hodie, eſt, vt diligas Dominū Deum tuum, & vt ambules in vijs, quæ rectæ ſunt coram eo, & cuſtodias præcepta eius, & mandata eius, & iudicia eius: vt viuas, & multiplliceris, & benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra ad quā tu ingrederis poſſidendam.*

17 *Et ſi auerſum fuerit cor tuum, & non obedieris, & erraueris, & adoraueris idola populorum, & ſeruieris eis:*

18 *Annuntio vobis hodie, q̄ perditione peribitis, nō prolongabuntur dies veſtri ſuper terram, propter quam tu tranſis Iordanem, vt ingrediaris, & poſſideas eam.*

19 *Conteſtor vobis hodie cœlum, & terram, vitam, & mortem poſui coram te, benedictiones, & maledictiones. Eliges autem vitam, vt viuas tu, & filij tui:*

20 *Vt diligas Dominum Deum tuum, vt obedias verbo eius, & vt adhæreas timori eius, quoniam ipſe eſt vita tua, & prolongatio dierum tuorum, vt habites in terra pro qua iurauit Dominus patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob, vt daret eam illis.*

### CAP. XXXI.

1 *ABijt itaque Moyſes, & locutus eſt verba hæc ad omnem Iſrael:*

2 *Et dixit ad eos: Centum & viginti annorum ætatis ſum hodie, non poſſum vltra egredi, & ingredi, & Dominus dixit ad me: Non tranſibis Iordanem iſtum.*

3 *Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te: & ipſe diſperdet populos iſtos in conſpectu tuo, & poſſidebis eos: Ioſue autem ipſe tranſibit ante te, ſicut locutus eſt Dominus.*

4 *Et faciet Dominus eis, ſicut fecit Seon, & Og regibus Amorræorum, & terræ eorum, quia diſperdidit eos.*

## Vulgat. Editio.

5 Cum ergo & hos tradiderit vobis, ſimiliter facietis eis, ſicut præcepi vobis.

6 * Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis ad conſpectũ eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.

* Sup. 7. c.

7 Vocauitque Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael: * Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam forte diuides.

* Ioſ. 1. 6. 3. Reg. 2. 2.

8 Et Dominus, qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas.

9 Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael.

10 Præcepitque eis dicens: Poſt ſeptem annos, anno remiſſionis, in ſollemnitate tabernaculorum:

11 Conuenientibus cunctis ex Iſrael, vt appareant in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis:

12 Et in vnum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, paruulis, & aduenis, qui ſunt intra portas tuas: vt audientes diſcant, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant, impleantq; omnes ſermones legis huius.

13 Filij quoque eorum, qui nunc ignorant; vt audire poſſint, & timeant Dominum Deum ſuum cunctis diebus quibus verſantur in terra, ad quam vos Iordane tranſmiſſo pergitis obtinendam.

14 Et ait Dominus ad Moyſen: Ecce prope ſunt dies mortis tuæ: voca Ioſue, & ſtate in tabernaculo teſtimonij, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes, & Ioſue, & ſteterunt in tabernaculo teſtimonij:

15 Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ ſtetit in introitu tabernaculi.

16 Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos in terra, ad quam ingreditur, vt habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo.

17 Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem: inuenient eum omnia mala, & afflictiones, ita vt dicat in illo die: Vere quia non eſt Deus mecum, inuenerunt me hæc mala.

18 Ego autem abſcondam, & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quæ fecit, quia ſecutus eſt deos alienos.

19 Nunc itaque ſcribite vobis canticum iſtud, & docete filios Iſrael: vt memoriter teneant, & ore decantent, & ſit mihi carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael.

20 Introducam enim eum in terram, pro qua iuraui patribus eius, lacte, & melle manantem. Cumque comederint, & ſaturati, craſſique fuerint, auertentur ad deos alienos, & ſeruient eis: detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum.

21 Poſtquam inuenerint eum mala multa, & afflictiones, reſpondebit ei canticum iſtud pro teſtimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore ſeminis ſui. Scio enim cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus ſum.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et dabit eos Dominus ante faciẽ veſtrã, & facietis eis, ſecundum omne præceptum, quod præcepi vobis.*

6 *Fortificate vos, & roborate vos: ne timeatis, & ne paueatis à facie eorum: Dominus enim Deus tuus, ipſe pergit tecum, non deſeret te, nec derelinquet te.*

7 *Et vocauit Moſeh Iehoſuah, & dixit ad eum in oculis omnis Iſrael: Fortifica te, & robora te: quia tu ibis cum populo iſto ad terram, ſuper quam iurauit Dominus patribus eorum, vt dares eis, & tu hæreditare facies eam illos.*

8 *Et Dominus ipſe ambulat ante te, ipſe erit tecum: non deſeret te, & non derelinquet te: ne timeas, & ne paueas.*

9 *Et ſcripſit Moſeh legem iſtam, & dedit eam ſacerdotibus filijs Leui portantibus arcam fœderis Domini, & omnibus ſenioribus Iſrael.*

10 *Et præcepit Moſeh eis, dicendo: In fine ſeptem annorum, in tempore anni remiſſionis, in ſollemnitate tabernaculorum:*

11 *Quando veniet omnis Iſrael, vt conſpiciatur coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit, leges legem iſtam coram omni Iſrael in auribus eorum:*

12 *Fac congregare populum virorum, & mulierum, & paruulorum, & peregrinorum tuorum, qui ſunt intra vrbes tuas: vt audiant, & diſcant, & timeant Dominum Deum ſuum, & cuſtodiant faciendo omnia verba legis huius.*

13 *Et filij eorum, qui non cognouerunt, audiant, & diſcant timere Dominum Deum veſtrum, omnibus diebus, quibus viuetis ſuper terram, ad quam tranſitis Iarden, vt poſſideatis eam.*

14 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Ecce appropinquauerunt dies tui, vt moriaris: voca Iehoſuah, & ſtate in tabernaculo eccleſiæ, & præcipiam ei. Et perrexit Moſeh, & Iehoſuah, & ſteterunt in tabernaculo eccleſiæ:*

15 *Et conſpectus eſt Dominus in tabernaculo in columna nubis, & ſtetit columna nubis ſuper oſtium tabernaculi.*

16 *Et dixit Dominus ad Moſeh: Ecce dormis cum patribus tuis, & ſurget populus iſte, & fornicabitur poſt deos alienigenæ terræ, ad quam ingreditur in medium eius: & derelinquet me, & irritum faciet pactum meum, quod pepigi cum eo.*

17 *Et iraſcetur furor meus contra eum, in die ipſa: & derelinquam eos, & abſcondam faciem meam ab eis, & erit in conſumptionem: & inuenient eum mala multa, & anguſtia, & dicet in die illa: Nonne quia non eſt Dominus Deus in medio mei, inuenerunt me mala hæc.*

18 *Et ego abſcondendo abſcondam faciem meam in die illa, propter omne malum, quod fecit, quia conuertit ſe ad deos alios.*

19 *Et nunc ſcribe canticum iſtud, & doce illud filios Iſrael: pone illud in ore eorum, vt ſit mihi canticum iſtud in teſtimonium contra filios Iſrael.*

20 *Quia introducam eum in terram ſuper quam iuraui patribus eius, fluentem lacte, & melle. Et comedet, & ſaturabitur, & impinguabit ſe, & conuertet ſe ad deos alienos, & colet eos: & irritabit me, & irritum faciet pactum meum.*

21 *Et erit, ſi inuenerint eum mala multa, & anguſtiæ, loquetur canticum iſtud coram eo, in teſtimonium, quia non erit in obliuionem ab ore ſeminis eius. Noui enim imaginationem eius, quam ipſe facit hodie, antequam introducam eum in terram ſuper quam iuraui.*



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

5 Et tradidit eos Dominus vobis, & facietis eis, ſicut mandaui vobis.

6 Viriliter age, & confortare: ne timeas, neque paueas, neque ſtupeas à facie corũ: quoniã Dominus Deus tuus qui præcedit vobiſcum in vobis, non te dimittet, neque te derelinquet.

7 Et vocauit Moyſes Ieſum, & dixit ei coram omni Iſrael: Viriliter age, & confortare: tu enim ingredieris ante faciem populi huius in terram, quam iurauit Dominus patribus veſtris dare eis, & tu in hæreditatem diſtribues eis.

8 Et Dominus, qui ſimul procedit tecum: non dimittet te, neque te derelinquet: ne timeas, neque paueas.

9 Et ſcripſit Moyſes verba legis huius in libro, & dedit ſacerdotibus filijs Leui, qui leuant arcam teſtamenti Domini, & ſenioribus filiorum Iſrael.

10 Et mandauit Moyſes eis in die illa, dicens: Poſt ſeptem annos in tempore anni remiſſionis in ſollemnitate ſcenopegiæ:

11 Cum ſimul procedit omnis Iſrael ad apparendum in conſpectu Domini Dei veſtri in loco, quem elegerit Dominus, legetis legem hanc coram omni Iſrael in aures eorum:

12 Conuocans populum, viros, & mulieres, & fœtus, & aduenam, qui in ciuitatibus veſtris: vt audiant, atque vt diſcant timere Dominum Deum veſtrum, & audient facere omnia verba legis huius.

13 Et filij eorum, qui non nouerunt audient, & diſcẽt timere Dominum Deum tuum omnibus diebus, quibus ipſi vixerint ſuper terram, in quam vos tranſitis Iordanem illuc hæreditare eam.

14 Et dixit Dominus ad Moyſen: Ecce appropinquarunt dies mortis tuæ: voca Ieſum, & ſtate ad ianuas tabernaculi teſtimonij, & mandabo ei. Et iuit Moyſes & Ieſus ad tabernaculum teſtimonij, & ſteterunt apud ianuas tabernaculi teſtimonij:

15 Et deſcendit Dominus in nube, & ſtetit apud ianuas tabernaculi teſtimonij, & ſtetit columna nubis apud ianuas tabernaculi teſtimonij.

16 Et dixit Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cũ patribus tuis, & exurgens hic populus exfornicabitur poſt deos alienos terræ, in quam hic ingreditur: & derelinquent me, & diſſipabunt teſtamentum meum, quod teſtatus ſum eis.

17 Et iraſcar furore in eos in die illa: & derelinquam eos, & auertam faciem meam ab eis, & erit eſca: & inuenient eum mala multa, & tribulationes, & dicet in die illa: Quoniam non eſt Dominus meus in me, inuenerunt me mala hæc.

18 Ego autem auertendo auertam faciem meam ab eis in die illa propter omnia mala quæ fecerunt, quoniam abierunt ad deos alienos.

19 Et nunc ſcribite verba cantici huius, & docete illud filios Iſrael: & immittetis illud in os eorum, vt ſiat mihi canticum hoc contra faciem teſtificans in filios Iſrael.

20 Inducam enim eos in terram bonam, quam iuraui patribus eorum dare eis terram fluentẽ lac, & mel. Et comedent, & ſaturati faſtidient, & conuertentur ad deos alienos, & ſeruient eis: & exacerbabunt me, & diſſipabunt teſtamentum meum.

21 Et reſpondebit canticum hoc in faciem teſtificans, non enim tradetur obliuioni ab ore eorum, & ab ore ſeminis eorum. Ego enim noui malignitatem eorum, quæ faciunt hic hodie, antequam inducam eos in terram iſtam bonam, quam iuraui patribus eorum.

## Chald. Paraph. Tranſl.

5 *Et tradet eos Dominus in conſpectu veſtro, & facietis eis, iuxta omnia præcepta, quæ præcepi vobis.*

6 *Confortamini, & roboramini: ne timeatis, neque formidetis à facie eorum: quoniam verbum Domini Dei tui dux erit coram te, non relinquet te, nec dimittet te.*

7 *Et vocauit Moyſes Ieſue, & dixit ei ante oculos omnis Iſrael: Confortare, & eſto robuſtus: quoniam tu introduces populum iſtum in terram, quam iurauit Dominus dare patribus eorum, & tu dabis eis eam in poſſeſſionem.*

8 *Dominus autem ipſe dux erit coram te, verbum eius erit in auxilium tuum: non derelinquet te, nec dimittet te: ne timeas, neque formides.*

9 *Et ſcripſit Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & omnibus ſenioribus Iſrael.*

10 *Præcepitque Moyſes eis, dicens: In fine ſeptem annorum in tempore anni remiſſionis in ſollemnitate tabernaculorum:*

11 *Cùm venerit omnis Iſrael, vt appareant coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit, leges legem iſtã coram omni Iſrael, & audire facies eos:*

12 *Congrega populum, viros, & mulieres, paruulos, & peregrinos tuos, qui ſunt in vrbibus tuis: vt audiant, & vt diſcant, & timeant coram Domino Deo veſtro, & cuſtodiant, & faciant omnia verba legis huius.*

13 *Filij quoque eorum, qui neſcierunt, audient, & diſcent timere coram Domino Deo veſtro omnibus diebus, quibus vos permanebitis ſuper terrã, propter quã vos tranſitis Iordanem, vt poſſideatis eam.*

14 *Et dixit Dominus ad Moyſen: Ecce appropinquauerunt dies tui, vt moriaris: voca Ieſue, & ſtate in tabernaculo fœderis, vt præcipiam ei. Et abijt Moyſes, & Ieſue, & ſteterunt in tabernaculo fœderis:*

15 *Et reuelatus eſt Dominus in tabernaculo in columna nubis, & ſtetit columna nubis ſuper portam tabernaculi fœderis.*

16 *Et dixit Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cũ patribus tuis, & conſurget populus iſte, & errabit poſt idola populorum terræ ad quam ipſe ingredietur inter eos: & relinquent timorem meum, & mutabit pactum meum, quod pepigi cum eis.*

17 *Et iraſcetur furor meus contra eos in tempore illo: & proijciam eos, & auferam maieſtatem meam ab eis, & erunt in direptionem: & euenient eis mala, & anguſtia multa, & dicet in tempore illo: Quia non eſt maieſtas Dei mei in medio mei, occurrerunt mihi hæc mala.*

18 *Ego autem auferens auferam maieſtatem meam ab eis in tempore illo, propter omnia mala, quæ fecit, quoniam conuerſi ſunt ad idola populorum.*

19 *Et nunc ſcribite vobis canticum iſtud, & docete illud filios Iſrael: pone illud in ore eorum, vt ſit coram me canticum iſtud in teſtimonium contra filios Iſrael.*

20 *Introducam enim eos in terram, quam iuraui patribus ſuis fluentem lacte, & melle. Et comedent, & ſaturabuntur, & delicijs affluent, & conuertentur ad idola populorum, & ſeruient eis: & ad iracundiam prouocabunt me, & mutabunt pactum meum.*

21 *Et erit quando euenerint eis mala multa, & anguſtia, reſpondebit canticum iſtud eis in teſtimonium, quod non tradetur obliuioni ex ore filiorum ſuorum. Quia manifeſta eſt coram me cogitatio eius, & quæ ipſi faciunt hodie, antequam introducam eos in terram pro qua iuraui eis.*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

22 Scripſit ergo Moyſes canticum, & docuit filios Iſrael.

23 Præcepitque Dominus Ioſue filio Nun, & ait: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in terram, quã pollicitus ſũ, & ego ero tecũ.

24 Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, atque compleuit:

25 Præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:

26 Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri: vt ſit ibi contra te in teſtimonium.

27 Ego enim ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſſimam. Adhuc viuente me, & ingredien-te vobiſcum, ſemper contentioſe egiſtis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero?

28 Congregate ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, atque doctores, & loquar audientibus eis ſermones iſtos, & inuocabo contra eos cœlum, & terram.

29 Noui enim quòd poſt mortem meam iniquè agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conſpectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum veſtrarum.

30 Locutus eſt ergo Moyſes, audiente vniuerſo cœtu Iſrael, verba carminis huius, & ad finem vſque compleuit.

### CAP. XXXII.

1 Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

2 Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.

3 Quia nomen Domini inuocabo: date magnificentiam Deo noſtro.

4 Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus, & rectus.

5 Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus: generatio praua, atque peruerſa.

6 Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens? numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?

* Iob 8.8. 7 * Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos & dicent tibi.

8 Quando diuidebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael.

9 Pars autem Domini, populus eius. Iacob funiculus hæreditatis eius.

10 Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: circumduxit eum, & docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.

11 Sicut aquila prouocans ad volãdum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.

12 Dominus ſolus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

13 Conſtituit eum ſuper excelſam terram: vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleũque de ſaxo duriſſimo.

Bu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et ſcripſit Moſeh canticum iſtud in die ipſa, & docuit illud filios Iſrael.*

23 *Et præcepit Iehoſuah filio Nun, & dixit: Fortis eſto, & robuſtus eſto: quia tu introduces filios Iſrael in terram, ſuper quam iuraui eis, & ego ero tecum.*

24 *Et fuit, cum conſummaſſet Moſeh ſcribere verba legis iſtius in libro, donec conſummaſſet ea:*

25 *Præcepit Moſeh Leuitis portantibus arcam fœderis Domini, dicendo:*

26 *Capite librum legis iſtius, & ponite eum ex latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri: & ſit ibi contra vos in teſtimonium.*

27 *Ego enim noui rebellionem veſtram, & ceruicem veſtram duram. Ecce adhuc me viuente vobiſcum hodie rebelles eſtis Domino: & quanto magis poſtquã mortuus fuero?*

28 *Congregate ad me omnes ſeniores tribuum veſtrarum, & præfectos veſtros, & loquar in auribus eorum verba iſta & teſtes inuocabo contra eos, cœlum, & terram.*

29 *Noui enim poſtquam mortuus fuero, quòd corrumpendo corrumpetis vos, & recedetis de via, quam præcepi vobis: & eueniet vobis malum in nouiſſimis diebus, ſi feceritis malum in oculis Domini, vt irritetis eum opere manuum veſtrarum.*

30 *Et locutus eſt Moſeh in auribus omnis congregationis Iſrael verba cantici huius, donec conſummarentur ipſa.*

### CAP. XXXII.

1 *Auribus percipite cœli, & loquar, & audiat terra eloquia oris mei.*

2 *Stillabit, vt pluuia doctrina mea, ſtillabit vt ros eloquium meum, vt pluuia ſuper germen, & vt ſtillæ ſuper herbam.*

3 *Quia nomen Domini inuocabo: date magnitudinem Deo noſtro.*

4 *Dei perfectum eſt opus, omnes enim viæ eius iudicium: Deus veritas, & non eſt iniquitas, iuſtus, & rectus eſt.*

5 *Corruperunt ſe, non filij eius, macula eorum: generatio peruerſa, & praua.*

6 *Numquid Domino retribuetis illud, popule ſtulte, & non ſapiens? Nonne eſt ipſe pater tuus, qui poſſedit te, ipſe fecit te, & firmauit te?*

7 *Memento dierum perpetuorum, intelligite annos generationis, & generationis: interroga patrem tuũ, & annunciabit tibi: ſenes tuos, & dicent tibi.*

8 *Quando hæreditare fecit excelſus gentes: quando ſeparare fecit filios hominum, ſtatuit terminos populorum, ſecundum numerum filiorum Iſrael.*

9 *Pars enim Domini populus eius: Iahacob ſors hæreditatis eius.*

10 *Inuenit eum in terra deſerti, & in ſolitudine Ielel deſerti: circuire fecit eum, intelligere fecit eum: cuſtodiuit eum, vt pupillam oculi ſui.*

11 *Vt aquila, quæ excitauit nidum ſuum, ſuper pullos ſuos incubauit, expandit alas ſuas, accepit eum, portauit eum ſuper alam ſuam.*

12 *Dominus ſolus duxit eum: & non erat cum eo Deus alienigena.*

13 *Et equitare fecit eum ſuper excelſa terræ: & comedit fructus agri, & ſugere fecit eum mel è petra, & oleum è forti petra.*

Bu-

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

22 Et ſcripſit Moyſes canticum hoc in illa die, & docuit illud filios Iſrael.

23 Et mandauit Ieſu, & dixit: Viriliter age, & confortare: tu enim induces filios Iſrael in terram, quam iurauit eis Dominus, & ipſe erit tecum.

24 Poſtquam autẽ conſummauit Moyſes ſcribens omnia verba legis huius in libro vſque in finem:

25 Et mandauit Leuitis, portantibus arcam teſtamenti Domini, dicens:

26 Sumentes librum legis huius, ponite illum è latere arcæ teſtamenti Domini Dei veſtri: & erit ibi in te in teſtimonium:

27 Quia ego noui contentionem tuam, & ceruicem tuam duram. Adhuc enim viuente me vobiſcum hodie, amaricantes eratis, quæ ad Deum: quomodo non etiam poſt mortem meam?

28 Conuocate ad me veſtros principes tribuum, & ſeniores veſtros, & iudices veſtros, & magiſtros veſtros, vt loquar in aures eorum omnia verba hæc, & conteſtor eis cœlum, & terram.

29 Scio enim quia poſt obitum meum, iniquitate iniquitatem facietis, & declinabitis de via quam mandaui vobis: & occurrent vobis mala nouiſſimum dierum, quoniam facietis mala ante Dominum, exacerbando eum in operibus manuum veſtrarum.

30 * Et locutus eſt Moyſes in aures vniuerſæ eccleſiæ verba cantici huius vſque in finem.

* In Bibl. Sep. Latin. Ro. edita his incipit cap. 32.

### C A P. XXXII.

1 ATtende cœlum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.

2 Expectetur, vt pluuia, eloquium meum, & deſcendant ſicut ros, verba mea, tamquam imber ſuper herbam, & tamquam ſtilla ſuper gramen:

3 Quoniam nomen Domini vocaui: date magnificentiam Deo noſtro:

4 Deus, veracia opera eius, & omnes viæ eius, iudicia: Deus fidelis, & non eſt iniuſtitia, iuſtus, & ſanctus Dominus.

5 Peccauerunt non ei filij vituperabiles: generatio praua, & peruerſa:

6 Hæc Domino redditis? ſic populus ſtultus, & non ſapiens? nonne hic ipſe pater tuus poſſedit te, & fecit te, & creauit te?

7 Mementote dierum ſæculi, intelligite annos generationum generationibus: interroga patrem tuũ, & annunciabit tibi ſeniores tuos, & dicent tibi.

8 Quando diuidebat altiſſimus gentes, quando diſſeminauit filios Adam, conſtituit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei.

9 Et factus eſt pars Domini, populus eius: Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael.

10 Neceſſaria tribuit ei in deſerto, in ſiti æſtus, in terra inaquoſa: circumduxit eum, & erudiuit eum, & cuſtodiuit eum, ſicut pupillam oculi:

11 Sicut aquila tegat nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos deſiderauit, expandens alas ſuas ſuſcepit eos, & aſſumpſit eos ſuper ſcapulas ſuas.

12 Dominus ſolus duxit eos, non erat cum eis Deus alienus.

13 Aſcendere fecit eos ſuper fortitudinem terræ, cibauit eos fructibus agrorum: ſuxerunt mel de petra, & oleum ex dura petra.



## Chald. Paraph. Tranſl.

22 *Et ſcripſit Moyſes canticum illud in die illa, & docuit illud filios Iſrael.*

23 *Et præcepit Ioſue filio Nun, & ait: confortare & eſto robuſtus: quonia tu introduces filios Iſrael in terrã quam iuraui, & verbum meum erit in auxiliũ tuũ.*

24 *Et factum eſt cum conſummaſſet Moyſes ſcribere verba legis huius in libro, donec compleret ea:*

25 *Præcepit Moyſes Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:*

26 *Tollite librum legis huius, & ponite illum in latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri, vt ſit ibi contra te in teſtimonium:*

27 *Quoniam ego ſcio contumaciam tuam, & ceruicem tuam duram. Si enim dum ego viuo vobiſcum hodie rebelles fuiſtis coram Domino: quanto magis poſtquã mortuus fuero?*

28 *Congregate ad me omnes ſenes tribuum veſtrarum & præfectos veſtros, & loquar coram eis verba hæc, & conteſtabor contra eos cælum & terram.*

29 *Scio enim quòd poſtquam mortuus fuero, iniquè agetis, & declinabitis à via quam præcepi vobis, & euenient vobis mala in fine dierum, ſi feceritis quod malum eſt in conſpectu Domini, ad irritandum eum in operibus manuum veſtrarum.*

30 *Locutuſque eſt Moyſes coram omni cœtu filiorum Iſrael verba cantici huius, donec compleret ea.*

### C A P. XXXII.

1 *AVdite cæli, & loquar, & audiat terra verbum oris mei.*

2 *Suauis ſit ſicut pluuia doctrina mea, ſuſcipiatur ſicut ros verbum meum: ſicut ventus pluuiæ qui perflant ſuper herbam, & ſicut guttæ imbris ſerotini qui fluunt ſuper fœnum.*

3 *Quando in nomine Domini ego oro, date magnificentiam coram Domino Deo noſtro.*

4 *Fortis, cuius opera perfecta ſunt, & oẽs viæ eius iudicium: Deus fidelis, à cuius conſpectu non egreditur iniquitas, iuſtus, & rectus eſt.*

5 *Diſſipauerũt ſeipſos, & nõ illũ, filij q ſeruierũt idolis: generatio q deprauauit opa ſua, et aliena facta ẽ.*

6 *Numquid coram Domino vos redditis hoc populus qui ſuſceperunt legem, & non fuerunt ſapientes: nonne ipſe eſt pater tuus, & tu es eius, qui fecit te & firmauit?*

7 *Memento dierum qui à ſæculo ſunt, intellige in annis generationis & generationis: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſenes tuos, & dicent tibi:*

8 *Quando poſſidere faciebat Altiſſimus gentes, cum diuidebat filios hominum, ſtatuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael.*

9 *Pars enim Domini eſt populus eius, Iacob ſors hæreditatis eius.*

10 *Tribuit eis neceſſaria in terra deſerta, & in loco ſitienti vbi non erat aqua: collocauit eos in circuitu maieſtatis ſuæ, docuit eos verba legis ſuæ: cuſtodiuit eos ſicut pupillam oculi ſui.*

11 *Sicut aquila quæ feſtinat ad nidum ſuum, & ſuper filios ſuos incubat, expandit alas ſuas, ſuſcipit eos, portat eos, in fortitudine pennarum ſuarum.*

12 *Dominus collocabit eos ſeorſum in ſæculo illo quod ipſe renouaturus eſt: & non ſtabit in conſpectu eius cultus idolorum.*

13 *Collocauit eos ſuper fortitudinem terræ, cibauit eos præda inimicorum ſuorum, & dedit eis prædam potentium vrbium & ſubſtantias habitantium in ciuitatibus fortiſſimis*



UVA.BSCH

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan: & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum. | 14 | 14 | *Butyrum boum, & lac ouium, cum adipe agnorum, & arietes filiorum Baſan, & hircos cum adipe granorum tritici, & ſanguinem vuæ bibiſti merum.* |
| | Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. | 15 | 15 | *Et impinguatus eſt Iſrael, & calcitrauit impinguatus fuiſti incraſſatus fuiſti, operuiſti, & dereliquit Deum qui fecit eum, & deſpexit Deum ſalutem ſuam.* |
| | Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. | 16 | 16 | *Zelare fecerunt eum propter extraneos, propter abominationem irritauerunt eum.* |
| | Immolauerunt dæmonijs & non Deo, dijs, quos ignorabant: noui recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. | 17 | 17 | *Sacrificauerunt dæmonijs non Deo, dijs quos non nouerunt: noui qui de propinquo venerunt, quos non timuerunt patres veſtri.* |
| | Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. | 18 | 18 | *Dei (qui genuit te) oblitus es, & oblitus es Dei, qui generare fecit te.* |
| | Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filij ſui, & filiæ. | 19 | 19 | *Et vidit Dominus, & exacerbatus eſt præ ira in filios ſuos, & filias ſuas.* |
| | Et ait: Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum: generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij. | 20 | 20 | *Et dixit: Abſcondam faciem meam ab eis, videbo quid in nouiſſimo eorum: generatio enim peruerſorum ſunt, filij, in quibus non eſt fides.* |
| * Ro.10.19. Iere.15.14 | Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: & * ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus: & in gente ſtulta irritabo illos. | 21 | 21 | *Ipſi zelare fecerunt me in re, quæ non eſt Deus, iraſci fecerunt me in vanitatibus ſuis: & ego zelare faciam eos, in non ſunt populus: in gente ſtulta iraſci faciam eos.* |
| | Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. | 22 | 22 | *Ignis enim ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad infernum inferiorem: & conſumet terram, & fructum eius, & inflammabit fundamenta montium.* |
| | Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. | 23 | 23 | *Congregabo ſuper eos mala, ſagittas meas conſumam in eis.* |
| | Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium. | 24 | 24 | *Combuſti fame, & comeſti auibus, & morſu amaro: & dentem beſtiarum mittam in eos cum veneno ſerpentium in terra.* |
| | Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene. | 25 | 25 | *Foris orbabit gladius, & in cubiculis terror, etiam iuuenem, etiam virginem, lactentem cum viro cano.* |
| | Dixi: Vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum. | 26 | 26 | *Dixi: Diſpergam eos per angulos: ceſſare faciam ex homine memoriam eorum.* |
| | Sed propter iram inimicorum diſtuli, ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. | 27 | 27 | *Niſi iram inimici timerem, ne forte extranea ſe gerant hoſtes eorum, ne forte dicant: Manus noſtra excelſa, & non Dominus operatus eſt totum hoc.* |
| | Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. | 28 | 28 | *Quia gens periens conſilijs ſunt, & non eſt in eis intelligentia.* |
| * Iere.9.11. | * Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. | 29 | 29 | *Vtinam ſapientes eſſent, intelligerent hoc, intelligerent nouiſſimum ſuum.* |
| | Quo modo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? | 30 | 30 | *Quomodo perſecutus fuiſſet vnus mille, & duo fugaſſent decem millia: niſi Deus eorum dediſſet eos, & Dominus tradere feciſſet eos.* |
| | Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum: & inimici noſtri ſunt iudices. | 31 | 31 | *Quia non eſt ſicut Deus noſter Deus eorum, & inimici noſtri fuerunt iudices.* |
| | De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi. | 32 | 32 | *Ex vite enim Sedom eſt vitis eorum, & ex vitibus Hamorah: vuæ eorum vuæ veneni, botri amari ſunt eis.* |
| | Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. | 33 | 33 | *Venenum draconum, vinum eorum, & venenum aſpidum crudele.* |
| | Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? | 34 | 34 | *Numquid non eſt abſconditum mecum, ſigillatum in theſauris meis?* |
| * Eccl.8.11 Ro.12.19 Heb.10.30 | * Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. | 35 | 35 | *Mea eſt vltio, & retributio in tempore quo nutabit pes eorum: quia propinquus eſt dies mali euentus eorum, & feſtinabunt quæ futura ſunt eis.* |
| | Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur: videbit quod infirmata ſit | 36 | 36 | *Quia iudicabit Dominus populũ ſuum, & ſuper ſeruos ſuos pœnitebit eum, quia videbit quòd abierit* |

ma- manus

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

14 Butyrum boum, & lac ouium, cum adipe agnorum, & arietum, filiorum taurorum, & hircorum cum adipe renum tritici, & ſanguinem vuæ bibit vinum.

15 Et comedit Iacob, & ſaturatus eſt, & recalcitrauit dilectus: impinguatus eſt, incraſſatus eſt, dilatatus eſt; & dereliquit Deum, qui fecit eum, & receſſit a Deo ſaluatore ſuo.

16 Irritauerunt me in alienis, in abominationibus eorum exacerbauerunt me.

17 Sacrificauerunt dæmonijs, & non Deo, dijs quos non nouerat: noui, & recentes venerunt, quos non nouerunt patres eorum.

18 Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Dei nutrientis te:

19 Et vidit Deus, & zelauit, & exacerbatus eſt propter iram filiorum ſuorum, & filiarum:

20 Et dixit: Auertam faciem meam ab eis, & oſtendam, quid erit eis in nouiſſimis diebus: quoniam generatio peruerſa eſt, filij quibus non eſt fides in eis.

21 Ipſi ad zelum prouocauerunt me in non Deo, exacerbauerunt me in idolis ſuis: & ego prouocabo eos ad zelum in nõ gente: in gente ſtulta irritabo illos.

22 Quoniam ignis accenſus eſt ex furore meo, ardebit vſque ad infernum deorſum: deuorabit terram, & genimina eius, comburet fundamenta montium.

23 Congregabo in eos mala, & ſagittas meas compugnabo in eos.

24 Liqueſcentes fame, & comeſtione auium, & opiſthotonus inſanabilis: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram.

25 De foris ſine liberis faciet eos gladius, & ex penetralibus pauor, adoleſcens cum virgine, lactens cum ſene conſtante.

26 Dixi: Diſpergam eos: & ceſſare faciam ex hominibus memoriale eorum.

27 Niſi propter iram inimicorum, vt non permaneant, vt non ſimul inſurgant aduerſarij, ne dicant: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.

28 Gens perdita conſilium eſt, & non eſt in eis ſcientia.

29 Non ſapuerunt intelligere, hæc ſuſcipiant in ſequens tempus.

30 Quomodo perſequetur vnus mille, & duo fugabunt decem millia? niſi, quod Deus vendidit eos, & Dominus tradidit eos:

31 Quoniam non ſunt, ſicut Deus noſter dij eorum: inimici autem noſtri amentes.

32 Etenim ex vite Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum ex Gomorra: vua eorum, vua fellis, botrus amaritudinis eis.

33 Furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis.

34 Nonne ecce hæc condita ſunt apud me, & ſignata ſunt in theſauris meis?

35 In die vltionis retribuam, cum labetur pes eorum: quoniam prope eſt dies perditionis eis, & adſunt parata vobis.

36 Quoniam iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis conſolabitur: vidit enim diſſolutos

## Chald. Paraph. Tranſl.

14 *Dedit eis prædam regum ipſorum & dominatorum earum cum diuitijs principum eorum, & fortium populi terra eorum, & poſſeſſionem eorum cum præda exercitus eorum, & caſtrorum eorum, & ſanguis fortium eorum effuſus eſt ſicut aqua.*

15 *Et diues factus eſt Iſrael, & recalcitrauit, proſperatuſque, & confortauit poſſedit ſubſtantiam: & reliquit cultum Dei qui fecit eum, & irritauit coram fortiſſimo redemptore ſuo.*

16 *Prouocauerunt coram eo in cultu idolorum, in abominationibus irritauerunt coram eo.*

17 *Sacrificauerunt dæmonijs, in quibus non eſt vtilitas, & portentis quæ neſcierunt: noua quæ nuper facta ſunt, non coluerunt ea patres veſtri.*

18 *Terribilis & fortis qui te creauit oblitus es, & reliquiſti cultum Dei qui fecit te.*

19 *Et manifeſtum fuit coram Domino, & iratus eſt furor eius, eo quod ad iram prouocauerunt coram eo filij & filiæ,*

20 *Et ait: Auferam maieſtatem meam ab eis, notum eſt coram me quid erit in nouiſſimis eorum: quoniam generatio peruerſa eſt, & filij in quibus non eſt fides.*

21 *Ipſi prouocauerunt coram me in eo quod non erat timendum: irritauerunt coram me in cultu idolorum: & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus: in populo inſipiente irritabo illos.*

22 *Quoniam incendium forte ſicut ignis egreſſum eſt à facie mea in ira, & conſumpſit vſque ad infernũ inferiorem: & perdidit terram & fructum eius, & conſumpſit vſque ad fines montium.*

23 *Congregabo ſuper eos mala, plagas meas immittam in eos.*

24 *Inflati erunt fame, & comeſti ab auibus, & vexati à ſpiritibus malignis: & dentem beſtiarum agri immittam in eos, cum furore draconum qui reptant in puluere.*

25 *Foris abſque liberis faciet eos gladius, & in cubiculis timor mortis, iuuenes ſimul ac puellas, lactentes cum ſenibus eorum.*

26 *Dixi: Reſidebit ira mea ſuper eos, & conſummabo eos: ceſſare faciam à filijs hominum memoriam eorũ.*

27 *Niſi ira inimici collecta eſſet, ne forte magnificaretur inimicus, ne fortè dicerent: Manus noſtra præualuit nobis, & non fuerunt à facie Domini omnia hæc.*

28 *Populus enim perdens conſilium ſunt, & non eſt in eis intelligentia.*

29 *Vtinam ſaperent & contemplarentur hæc, & intelligerent quid erit in nouiſſimis eorum!*

30 *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia: niſi quod Fortis eorum tradidit eos, & Dominus retribuit eos?*

31 *Quoniam non eſt ſicut Fortitudo noſtra fortitudo eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.*

32 *Quoniam ſicut vindicta populi Sodomorum, erit vindicta eorum, & percuſſio eorum ſicut populi Gomorræ: plaga eorum peſſima ſicut capita colubrorum, & retributio operum ſuorum ſicut venenum.*

33 *Sicut fel draconum eſt calix vltionis eorum, & ſicut caput aſpidum crudelium.*

34 *Nonne omnia opera eorum manifeſta ſunt coram me, & conſeruata in die iudicij in theſauris meis?*

35 *Coram me eſt vltio, & ego retribuam in tempore quo migrabunt de terra ſua: quoniam propè eſt dies interitus eorum, & feſtinabit quod futurum eſt eis.*

36 *Quoniam iudicabit Dominus iudicium populi ſui, & vltionem ſeruorum ſuorũ iuſtorũ vlciſcetur:*



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

manus, & clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.

* Iere. 2. 28

37 Et dicet: * Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?

38 De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: ſurgant, opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.

* 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2. Sap. 16. 13. Iob 10. 7.

39 * Videte quòd ego ſim ſolus, & nõ ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, * & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

40 Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.

41 Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus meas: reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

42 Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes, de cruore occiſorum, & de captiuitate, nudati inimicorum capitis.

* 1. Mac. 7. 4

43 * Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur: & vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terræ populi ſui.

44 Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba cantici huius in auribus populi, ipſe & Ioſue filius Nun.

45 Compleuitque omnes ſermones iſtos, loquens ad vniuerſum Iſrael.

46 Et dixit ad eos: Ponite corda veſtra in omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie: vt mandetis ea filijs veſtris cuſtodire & facere, & implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt legis huius:

47 Quia non incaſsũ præcepta ſunt vobis, ſed vt ſinguli in eis viuerent: quæ facientes longo perſeueretis tempore in terra, ad quam, Iordane tranſmiſſo, ingredimini poſſidendam.

48 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in eadem die, dicens:

49 Aſcende in montem iſtum Abarim, id eſt, tranſitum, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho: & vide terram Chanaan, quam ego tradam filijs Iſrael obtinendam, & morere in monte.

* Num. 27. 13. & 20. 26.

50 Quem conſcendens iungeris populis tuis, * ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis:

* Num. 20. 4. & 27. 14

51 * Quia præuaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael ad Aquas contradictionis in Cades deſerti Sin: & non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael.

52 E contra videbis terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filijs Iſrael.

### CAP. XXXIII.

1 HÆc eſt benedictio, qua benedixit Moyſes, homo Dei, filijs Iſrael ante mortem ſuam.

2 Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia. In dextera eius ignea lex.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*manus, & non eſt clauſum, & derelictum.*

37 *Et dicet: Vbi ſunt dij eorum, Deus in quo ſperauerunt?*

38 *Qui pinguedinem ſacrificiorum eorum comedebant, bibebant vinum libaminis eorum: ſurgant, & auxilientur vobis, ſit ſuper vos abſconſio.*

39 *Videte nunc, quòd ego, ego ſum, & non eſt Deus mecum: ego mori faciam, & viuere faciam, perfodiam, & ego ſanabo, & non eſt de manu mea eruens.*

40 *Leuabo enim ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in ſæculum.*

41 *Si acuero aciem gladij mei, & apprehenderit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis, & odio habentibus me reddam.*

42 *Inebriare faciam ſagittas meas ex ſanguine, & gladius meus deuorabit carnem propter ſanguinem occiſi, & captiuitatem, à capite vltionum inimici.*

43 *Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vindicabit & vindictam reddet hoſtibus ſuis, & propitiabitur terræ ſuæ populo ſuo.*

44 *Et venit Moſeh, & locutus eſt omnia verba cantici iſtius in auribus populi huius, & Iehoſuah filij Nun.*

45 *Et finiuit Moſeh loqui omnia verba iſta ad omnem Iſrael.*

46 *Et dixit ad eos: Ponite cor veſtrum ad omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie, vt præcipiatis ea filijs veſtris, vt cuſtodiant, vt faciant omnia verba legis iſtius.*

47 *Quia non verbum inane eſt à vobis, ſed eſt vita veſtra, & in verbo iſto prolongare facietis dies ſuper terram, ad quam vos tranſitis Iarden, vt poſſideatis eam.*

48 *Et locutus eſt Dominus ad Moſeh in corpore diei ipſius, dicendo:*

49 *Aſcende in montem Habarim iſtum, montem Nebo, qui eſt in terra Moab, qui eſt contra Iericho, & vide terram Chenahan quam ego do filijs Iſrael in hæreditatem.*

50 *Et morieris in monte ad quem aſcendis, & congregabis te ad populos tuos, quemadmodum mortuus eſt Aharon frater tuus in Hor monte, & congregauit ſe ad populos ſuos.*

51 *Eo quòd præuaricati eſtis in me in medio filiorum Iſrael, in aquis iurgij Cades deſerti ſin eo quod non ſanctificaſtis me in medio filiorum Iſrael.*

52 *Sed è regione videbis terram, & non ingredieris terram, quam do filijs Iſrael.*

### CAP. XXXIII.

1 *ET hæc eſt benedictio, qua benedixit Moſeh vir Dei filijs Iſrael antequam moreretur.*

2 *Et dixit: Dominus de Sinai venit, & ortus eſt è Sehir eis: illuxit è monte Paran, & venit cum millibus ſanctis. A dextera eius ignea lex eis.*



UVA.BSCH

## Tranſl.ex Septuag.

eos, & deficientes in obductione, & remiſſos.

37 Et dixit Dominus: Vbi ſunt dij eorum, in quibus fidebant in eis,

38 Quorum adipem ſacrificiorum eorum comedebatis, & bibebatis vinum libaminum eorum? exurgant, & auxilientur vobis, & fiant vobis protectores.

39 Videte, videte, quia ego ſum, & non eſt Deus præter me: ego occido, & viuere faciam, percutiam, & ego ſanabo, & non eſt, qui eruat de manibus meis.

40 Quoniam leuabo in cœlum manum meam & iurabo dexteram meam, & dicã: Viuo ego in ſæculũ.

41 Quia exacuam, vt fulgur, gladium meum, & arripiet iudicium manus mea: & reddam vindictam inimicis, & ijs qui oderunt me, retribuam.

42 Inebriabo ſagittas meas à ſanguine, & gladius meus comedet carnes de ſanguine occiſorum, & captiuitate à capite principum inimicorum.

43 Lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei: lætamini gentes cum populo eius, & confortentur in eo omnes filij Dei: quoniam ſanguinem filiorum ſuorum vindicabit, & vlciſcetur & retribuet vltionem inimicis, & ijs, qui oderunt, retribuet: & expurgabit Dominus terram populi ſui.

44 Et ſcripſit Moyſes canticum hoc in die illa, & docuit illud filios Iſrael: & ingreſſus eſt Moyſes, & locutus eſt omnia verba legis huius in aures populi, ipſe, & Ieſus filius Naue.

45 Et finem fecit Moyſes loquens omni Iſrael.

46 Et dixit ad eos: Attendite corde ad omnia verba hæc, quæ ego teſtificor vobis hodie, quæ mandabitis filijs veſtris cuſtodire, & facere omnia verba legis huius.

47 Quoniam non verbum vanum hoc vobis, quoniam hæc vita veſtra, & propter verbum hoc longæui eritis ſuper terram, in quam vos tranſitis Iordanem illuc ad hæreditandum.

48 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen in die iſta, dicens.

49 Aſcende in montem iſtem Abarim, montem iſtum Habay, qui eſt in terra Moab contra faciem Hiericho, & vide terram Chanaan, quam ego do filijs Iſrael, & morere in monte,

50 In quem aſcendis illuc, & apponere ad populum tuum, quemadmodum mortuus eſt Aaron frater tuus in Or monte, & appoſitus eſt ad populum ſuum:

51 Quoniam increduli fuiſtis verbo meo in filijs Iſrael ſuper aquam contradictionis Cades in deſerto Sin: eo quod non ſanctificaſtis me in filijs Iſrael.

52 E regione videbis terram: & illuc non ingredieris.

### C A P. XXXIII.

1 ET hæc benedictio, qua benedixit Moyſes homo Dei filios Iſrael, priuſquam defungeretur.

2 Et dixit: Dominus ex Sina venit, & alluxit ex Seir nobis, & feſtinauit ex monte Pharan cum decem millibus Cades. A dextris eius Angeli cum eo.

## Chald.Paraph.Tranſl.

quoniam manifeſtum eſt coram eo, quod in tempore quo præualebit contra eos plaga inimici, erunt inſtabiles, & derelicti.

37 Et dicet: Vbi eſt terribilis eorum, & fortis in quo habebant fiduciam?

38 De quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum eorum: ſurgant nunc, & auxilientur vos, & ſint ſuper vos in protectionem.

39 Videte nunc quoniam ego, ego ſum, & non eſt Deus præter me: ego occido, & viuifico, percutio, & etiam ſano, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

40 Quoniam præparaui in cœlis domum maieſtatis meæ, & dixi: Viuo ego in ſempiternum.

41 Si in duplum pluſquam fulgur apparet à ſummitate cœli, & vſque ad ſummitatem eius reuelabitur gladius meus, & apprehendet iudicium manus mea: reddam vltionem hoſtibus meis, & inimicis meis retribuam.

42 Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus occidet populos, de cruore occiſorum, & captiuorum, vt auferam coronas de capite hoſtis, & inimici.

43 Laudate gentes populum eius, quoniam vindictam ſeruorum ſuorum iuſtorum vlciſcetur, & vltionem reddet inimicis ſuis, & propitius erit terræ ſuæ, & populo ſuo.

44 Et venit Moyſes, & locutus eſt omnia verba cantici huius coram populo, ipſe & Ioſue filius Nun.

45 Et conſummauit Moyſes loqui omnia verba hæc cum omni Iſrael:

46 Et dixit ad eos: Ponite cor veſtrum ad omnia verba quæ ego teſtificor vobis hodie, quæ præcipietis filijs veſtris, vt cuſtodiant, & faciant omnia verba legis huius.

47 Quia verba non vana ſunt vobis, ſed hæc eſt vita veſtra, & in verbo hoc prolongabuntur dies veſtri ſuper terra propter quam tranſitis Iordanem, vt poſſideatis eam.

48 Et locutus eſt Dominus cum Moyſe in hac die, dicens:

49 Aſcende in montem iſtum tranſeuntium in monte Nebo, qui eſt in terra Moab quæ eſt contra faciem Hiericho: & vide terram Chanaan, quam ego dabo filijs Iſrael in poſſeſſionem.

50 Et morere in monte in quem conſcendes: & colligeris ad populum tuum, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & collectus eſt ad populum ſuum:

51 Eo quod præuaricati eſtis in verbum meum in medio filiorum Iſrael in aquis contradictionis in Cades deſerti Sin: & quia non ſanctificaſtis me in medio filiorum Iſrael.

52 Quoniam è contra videbis terram, & illuc non ingredieris in terram quam ego dabo filijs Iſrael.

### C A P. XXXIII.

1 ET hæc eſt benedictio qua benedixit Moyſes propheta Dei filijs Iſrael ante mortem ſuam.

2 Et ait: Dominus de Sinai reuelatus eſt, & ſplendor gloriæ eius apparuit nobis de Seir: reuelatus eſt in fortitudine ſua ſuper monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia: legem ſcriptam dextera ſua dedit nobis de medio ignis.

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| * Sap.3.1. Dilexit populos, * omnes ſancti in manu illius ſunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. | 3 | 3 | *Etiam diligit populos: omnes ſancti eius ſunt in poteſtate tua: & ipſos qui coniuncti ſunt ad pedem tuum, accipient de eloquijs tuis.* |
| Legem præcepit nobis Moyſes, hæreditatem multitudinis Iacob. | 4 | 4 | *Legem præcepit nobis Moſeh, hæreditatem congregationis Iahacob.* |
| Erit apud rectiſſimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Iſrael. | 5 | 5 | *Et fuit in Iſrael rex quando congregauerunt ſe capita populi, pariter tribus Iſrael.* |
| Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero. | 6 | 6 | *Viuat Reuben & non moriatur, & non ſit populi eius numerus.* |
| Hæc eſt Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum ſuum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit. | 7 | 7 | *Et hac ipſi Iehudah, & dixit: Audi Domine vocem Iehudah, & ad populum ſuum introduc eum: manus eius contendent ſibi, & auxilium ab hoſtibus eius, eris.* |
| Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad aquas contradictionis. | 8 | 8 | *Et ad Leui dixit: Perfectiones tuæ, & doctrina tua erunt viro miſericordi tuo, quem tentaſti in loco tentationis: contendere feciſti eum iuxta aquas contentionis.* |
| Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos: & fratribus ſuis: Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, | 9 | 9 | *Qui dicit patri ſuo, & matri ſuæ: Non vidi eum, & fratres ſuos non agnouit, & filios ſuos non cognouit. Quia cuſtodierunt eloquiũ tuum, & pactum tuum ſeruabunt.* |
| Iudicia tua o Iacob, & legem tuam ò Iſrael: ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum. | 10 | 10 | *Docebunt iudicia tua Iahacob & legem tuam Iſrael: ponent ſuffitum in naribus tuis, & holocauſtum ſuper altare tuum.* |
| Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius: & qui oderunt eum, non conſurgant. | 11 | 11 | *Benedic Domine ſubſtantiæ eius, & opus manuum eius placeat. Transfige lumbos inimicorum eius: & odio habentium eum, qui ſunt de inſurgentibus.* |
| Et Beniamin ait: Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. | 12 | 12 | *Ad Biniamin dixit: Dilectus Domini habitabit confidenter iuxta eum, tegens eum tota die, & inter humeros eius habitauit.* |
| Ioſeph quoque ait: De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore, atque abyſſo ſubiacente. | 13 | 13 | *Et ad Ioſeph dixit: Benedicta à Domino terra eius & de delicatis cœli, de rore, & de voragine cubante deorſum.* |
| De pomis fructuum ſolis ac lunæ. | 14 | 14 | *Et de delicatis fructibus ſolis, & de delicatis fructibus maturis lunarum.* |
| De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum: | 15 | 15 | *Et de vertice montium Orientalium, & de delicatis collium perpetuorum.* |
| * Exo.3.2. Et de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius, * qui apparuit in rubro, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. | 16 | 16 | *Et de delicatis terræ, & plenitudine eius. Et voluntate Habitatoris rubi, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem nazaræi è fratribus eius.* |
| Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes vſque ad terminos terræ: hæ ſunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manaſſe. | 17 | 17 | *Primogenitus bouis eius decor erit ei, & cornua vnicornis cornua eius: ipſis populos cornupetet pariter vſque ad fines terræ: & iſti ſunt decem millia Ephraim & ſunt millia Menaſſeh.* |
| Et Zabulon, ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. | 18 | 18 | *Et ipſi Zebulun, dixit: Lætare Zebulun, quando egredieris, & Iſſaſchar in tabernaculis tuis.* |
| Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iuſtitiæ. Qui inundationem Maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum. | 19 | 19 | *Populos ad montem vocabunt: ibi ſacrificabunt ſacrificia iuſtitiæ, quia affluentiam Marium ſugent, & tectos theſauros arenæ.* |
| Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quaſi leo requieuit, cepitque brachium & verticem. | 20 | 20 | *Et de Ghad, dixit: Benedictus dilatare faciẽs Ghad ſicut leo habitauit, & rapuit brachium, etiã verticẽ.* |
| Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſrael: | 21 | 21 | *Et vidit principium ſibi, quod ibi eſſet pars legiſlatoris tecta, & venit cum principibus populi: iuſtitiam Domini fecit, & iudicia eius cum Iſrael.* |
| Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Baſan. | 22 | 22 | *Et ad Dan, dixit: Dan vt catulus leonis fluet à Baſan.* |

Et

Et

UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

3 Et pepercit populo ſuo, & omnes ſanctificati ſub manus tuas, & hi ſub te ſunt: & accepit de verbis ipſius legem:

4 Quam mandauit nobis Moyſes, hæreditatem congregationibus Iacob.

5 Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum ſimul cum tribubus Iſrael:

6 Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit multus in numero.

7 Et hæc ipſi Iuda: Exaudi Domine vocem Iuda, & ad populum eius venias vtique: manus ipſius dijudicabunt ei, & auxiliator ex inimicis eris.

8 Et ipſi Leui dixit: Date Leui manifeſtationes eius, & veritatem eius viro ſancto, quem tentauerunt eum in tentatione, iurgati ſunt in eum ſuper aquam contradictionis:

9 Qui dicit patri, & matri, non vidi te, & fratres ſuos non agnouit, & filios ſuos reprobauit: cuſtodiuit eloquia tua, & teſtamentum tuum conſeruauit:

10 Manifeſtabunt iuſtificationes tuas ipſi Iacob, & legem tuam Iſrael, imponent incenſum in ira tua ſemper ſuper altare tuum.

11 Benedic Domine fortitudinem eius, & opera manuum eius ſuſcipe. Frange lumbos inimicorum inſurgentium in eum, & qui oderunt eum, non reſurgant.

12 Et ad Beniamin dixit: Dilectus à Domino habitabit fidens: & Deus obumbrat ſuper eum omnibus diebus, & inter humeros eius requieuit.

13 Et ad Ioſeph dixit: A benedictione Domini terra eius, à fructibus cœli, & rore, & ab abyſſis fontium deorſum:

14 Et à fructibus ſecundum horam ſolis conuerſionum, & à conuenientibus menſibus

15 A vertice montium principij, & à vertice collium æternorum,

16 Et ad horam terræ plenitudine: & accepta ei, qui viſus eſt in rubo, veniant ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem glorificatus in fratribus.

17 Primogenitus tauri pulchritudo eius, cornua vnicornis cornua eius, in ipſis gentes ventilabit ſimul vſque ad extremum terræ: hæ myriades Ephræm, & hæ Chiliades Manaſſe.

18 Et ad Zabulon dixit: Lætare Zabulon in egreſſu tuo, & Iſſachar in tabernaculis ſuis!

19 Gentes exterminabunt, & inuocabitis illic, & ſacrificabitis ibi ſacrificium iuſtitiæ: quoniam diuitiæ Maris lactabunt te, & emporia, maritimam habitantium.

20 Et ad Gad dixit: Benedictus dilatans Gad, ſicut leo, requieuit, confringens brachium, & principem.

21 Et vidit primitiam ſuam, quia ibi diuiſa eſt terra principum collectorum ſimul cum ducibus populorum: iuſtitiam Dominus fecit, & iudicium ſuum cum Iſrael.

22 Et ad Dan dixit: Dan catulus leonis, & proſiliet è Baſan.

## Chald. Paraph. Tranſl.

3 *Dilexit vtique tribus, & omnes ſanctos domus Iſrael: in fortitudine eduxit eos de Ægypto, & ipſi ducebantur ſub nube tua, & proficiſcebantur ad verbum tuum.*

4 *Legem dedit nobis Moyſes, & tradidit eam in hæreditatem cœtui Iacob.*

5 *Et fuit in Iſrael rex, cum congregarentur principes populi ſimul cum tribubus Iſrael.*

6 *Viuat Ruben in vita æterna, & non moriatur morte ſecunda, & accipiant filij ſui hæreditatem ſuam iuxta numerum eorum.*

7 *Et hoc dixit Iuda: Suſcipe Domine orationem Iudæ cum egreſſus fuerit ad bellum, & ad populum eius reduces eum in pace: manus eius facient vltionem de inimicis ſuis, & auxiliator contra hoſtes eius eris ei.*

8 *Ad Leui quoque dixit: Perfectione & lumine induiſti virum, qui inuentus eſt ſanctus coram te: quem probaſti in tentatione, & inuentus eſt perfectus, probaſti eum apud aquam contradictionis, & inuentus eſt fidelis.*

9 *Qui non eſt miſertus patris ſui & matris ſuæ in iudicio quando peccauerunt, & perſonam fratris & filij ſui non accepit: quoniam cuſtodierunt cuſtodiam verbi tui, & pactum tuum non mutauerunt.*

10 *Digni ſunt iſti vt doceant iudicia tua Iacob, & legem tuam Iſrael, ponent thymiama aromatum corã te, & holocauſta voluntaria ſuper altare tuum.*

11 *Benedic Domine, ſubſtantia eius, & oblationem manuum ſuarum ſuſcipe voluntariè: contere dorſum hoſtium ſuorum, & inimicorum ſuorum, vt non conſurgant.*

12 *Ad Beniamin dixit: Dilectus Domini habitabit cõfidenter, ſuper eum erit protegens eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maieſtas Domini.*

13 *Ad Ioſeph quoque ait: Benedicta à facie Domini terra eius: faciens fructum erit, de rore cœli deſuper, & de venis fontium abyſſi quæ fluunt à profundis terræ.*

14 *Et faciet poma & fructus quæ ſol germinare facit, & faciet poma in principio menſium.*

15 *Et de vertice montium primitiarum, & de bonis collium quæ non deficiunt:*

16 *Et de bonis terræ & plenitudinis eius, & ad beneplacitũ illius, cuius maieſtas habitat i cælis, & Moyſi reuelatus eſt in rubo, venient omnia hæc ſuper caput Ioſeph, et ſuper virũ dedicatũ inter fratres ſuos.*

17 *Primogenitus filiorum ſuorum pulchritudo eius, & magnalia quæ facta ſunt ei à facie fortiſſimi & excelſi, in cuius fortitudine occidet populos ſimul vſque ad fines terræ: hæc ſunt millia Ephraim, & hæc ſunt millia Manaſſe.*

18 *Et ad Zabulon ait: Lætare Zabulon cum egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & Iſachar cum ſederis ad computanda tempora ſolemnitatum in Hieruſalem.*

19 *Tribus Iſrael congregabuntur in monte domus ſanctuarij: ibi immolabunt voluntariè beſtias ſanctificatas: quoniam ſubſtantias populorum comedent, & theſauri qui abſconditi ſunt in arena reuelabuntur eis.*

20 *Et ad Gad dixit: Benedictus qui dilatat Gad, ſicut leæna habitabit, & occidet principes cum regibus.*

21 *Et ſuſcipiet in principio partem ſuam, quoniam ibi in hæreditate ſua Moyſes ſcriba magnus, & princeps Iſrael ſepultus eſt, & ipſe egreſſus eſt & ingreſſus eſt ante populum: iuſtitias coram Domino fecit, & iudicia eius cum Iſrael.*

22 *Et ad Dan ait: Dan fortis ſicut catulus leonis: terra eius irrigatur à torrentibus qui defluunt de Baſan.*

Et

Et

## Vulgat. Editio.

23 Et Nephthali dixit : Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini : Mare & Meridiem poſſidebit.
24 Aſer quoque ait : Benedictus in filijs Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum.
25 Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.
26 Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi : aſcenſor cœli auxiliator tuus. Magnificentia eius diſcurrunt nubes,
27 Habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna: ejiciet à facie tua inimicum, diceturque: Conterere.
28 Habitabit Iſrael confidenter, & ſolus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore.
29 Beatus es tu Iſrael : quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Domino ? ſcutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ : negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

### CAP. XXXIIII.

a 1. Mac. 2. 4. Sup. 3. 26.

1 ASCendit ᵃ ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phaſga contra Iericho : oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan,
2 Et vniuerſum Nephthali, terramque Ephraim & Manaſſe, & omnem terram Iuda vſque ad Mare nouiſſimum,
3 Et Auſtralem partem, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum vſque Segor.

b Gen. 12. 7. & 15. 18.

4 Dixitque Dominus ad eum : ᵇ Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.
5 Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, in terra Moab iubente Domino :
6 Et ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor : & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.
7 Moyſes centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt : non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.
8 Fleuerúntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus : & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen.
9 Ioſue vero filius Nun repletus eſt Spiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Et obedierunt ei filij Iſrael, feceruntque ſicut præcepit Dominus Moyſi.
10 Et non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem,
11 In omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius,
12 Et cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyſes coram vniuerſo Iſrael.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et Naphthali dixit : Naphthali ſaturitas voluntatis, & repletus benedictione Domini : Occidentem & Meridiem poſſide.*
24 *Et ad Aſer dixit : Benedictus præ filijs Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & tingens in oleo pedem ſuum.*
25 *Ferrum, & æs calciamenta tua, & ſicut dies tui fortitudo tua.*
26 *Non eſt ſicut Deus ô Iſrael, equitans cœlum in auxilium tui, & in magnificentia ſua cœlos.*
27 *Habitaculum Dei ab initio, & ſub brachijs ſæculi : & eiecit à facie tua inimicum, & dixit : Diſperde.*
28 *Et habitauit Iſrael confidenter ſolus. Oculus Iahacob ad terram frumenti, & vini : etiam cœli eius ſtillabunt rorem.*
29 *Beatus es Iſrael : quis ſicut tu popule qui ſeruatus es per Dominum, ſcutum auxilij tui, & qui eſt gladius excellentia tuæ : & negabunt inimici tui te, & tu ſuper excelſa eorum, calcabis.*

### CAP. XXXIIII.

1 *ET aſcendit Moſch è planicie Moab ad montem Nebo, in verticem collis, qui erat contra faciem Iericho, & videre fecit eum Dominus omnem terram à Ghilhad vſque ad Dan.*
2 *Et omnem Naphthali, & terram Ephraim, & Menaſſeh, & omnem terram Iehudah, vſque ad Mare nouiſſimum.*
3 *Et Meridiem, & planiciem, campos Iericho ciuitatis palmarum vſque ad Sohar.*
4 *Et dixit Dominus ad eum : Hæc eſt terra ſuper quā iuraui Abraham, Iſchac, & Iahacob dicendo : Semini tuo dabo eam. Videre feci te oculis tuis, & illuc non tranſibis.*
5 *Et mortuus eſt ibi Moſeh ſeruus Domini, in terra Moab, iuxta ſermonem Domini.*
6 *Et ſepeliuit eum in valle, in terra Moab, è regione Bethpehor : & non cognouit quiſquam ſepulchrum eius vſque ad diem hanc.*
7 *Et Moſeh centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt : non caligauit oculus eius, & non fugit vigor eius.*
8 *Et fleuerunt filij Iſrael Moſeh, in campeſtribus Moab triginta diebus : & perfecti ſunt dies fletus luctus Moſeh.*
9 *Et Iehoſuah filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia coniunxit Moſeh manus ſuas ſuper eum, & paruerunt ei filij Iſrael, & fecerunt quemadmodum præcepit Dominus Moſeh.*
10 *Et non ſurrexit propheta vltra in Iſrael, ſicut Moſeh, quem noſſet Dominus facie ad faciem.*
11 *In omnibus ſignis, & portentis ad quem miſit eum Dominus, vt faceret in terra Ægypti, Pharhoh & omnibus ſeruis eius, & omni terræ eius.*
12 *Et in omni poteſtate forti, & in omni terrore magno, quem fecit Moſeh in oculis omnis Iſrael.*

## FINIS LIBRI DEVTERONOMII.



UVA.BSCH

## Tranſl. ex Septuag.

23 Et ad Nephthali dixit: Nephthali, ſatietas acceptabilium, & ſaturetur benedictione à Domino, Mare, & Africum hæreditabit.

24 Et ad Aſer dixit: Benedictus à filijs, Aſer, & erit acceptus fratribus ſuis: intinget in oleo pedem ſuum:

25 Ferrum, & æs calceamentum eius erit, ſicut dies tui, fortitudo tua.

26 Non eſt, ſicut Deus dilecti, qui aſcendit ſuper cælum, adiutor tuus, & magnificus firmamenti.

27 Et teget te Dei principatus, & ſub fortitudine brachiorum æternorum & eijciet à facie tua inimicum dicens, pereas.

28 Et habitabit Iſrael fidens, ſolus ſuper terram Iacob, in frumento, & vino: & cœlum tibi caligans rore.

29 Beatus tu Iſrael: quis ſimilis tibi populus, qui ſaluaris à Domino? Scuto proteget adiutor tuus, & gladius, gloriatio tua: & mentientur tibi inimici tui, & tu ſuper ceruicem eorum conſcendes.

### CAP. XXXIIII.

1 ET aſcendit Moyſes ab Araboth Moab ſuper montem Nabay in verticem Phaſga, qui eſt ſuper faciem Hierico: & oſtendit ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan,

2 Et omnem terram Nephthali, & omnem terram Ephraim, & Manaſſe, & omnem terram Iuda vſque ad Mare vltimum,

3 Et deſertum, & adiacentia Hierico, ciuitatem palmarum vſque Segor.

4 Et dixit Dominus ad Moyſen: Hæc eſt terra, quam iuraui ipſi Abraam & Iſaac, & Iacob, dicens: Semini veſtro dabo eam: & oſtendi oculis tuis, & illuc non ingredieris.

5 Et defunctus eſt Moyſes famulus Domini in terra Moab per verbum Domini.

6 Et ſepelierunt eum in Gai prope domum Phogor: & non nouit quiſquam ſepulchrum eius vſque in diem hanc.

7 Moyſes autem erat centum & viginti annorum, cũ defunctus eſt, non caligauerunt oculi eius, neque corrupta ſunt labia eius.

8 Et fleuerunt filij Iſrael Moyſen in Araboth Moab ſuper Iordanem contra Hiericho triginta diebus: & conſummati ſunt dies luctus fletus Moyſi.

9 Et Ieſus filius Naue impletus eſt ſpiritu intellectus: impoſuit enim manus ſuas ſuper eum: & exaudierunt eum filij Iſrael, & fecerunt, ſicut mandauerat Dominus Moyſi.

10 Et non ſurrexit vltra propheta in Iſrael, ſicut Moyſes quem nouit Dominus eum, faciem ad faciem,

11 In omnibus ſignis, & prodigijs, quem miſit eum Dominus facere ea in terra Ægypto Pharaoni, & ſeruis eius, & vniuerſæ terræ eius

12 Mirabilia magna, & manum validam, quæ fecit Moyſes coram omni Iſrael.

## Chald. Paraph. Tranſl.

23 *Et ad Neptali dixit: Neptali implebitur deſiderio, & plenus erit benedictionibus à facie Domini: ad Occidentale Mare Geneſar, & ad Meridiem poſſidebit.*

24 *Et ad Aſer dixit: Benedictus benedictionibus filiorum erit Aſer: erit placens fratribus ſuis, & nutrietur delicijs regum.*

25 *Fortis ſicut ferrum, & ſicut æs erit habitatio tua, & ſicut dies iuuentutis tuæ erit fortitudo tua.*

26 *Non eſt Deus ſicut Deus Iſrael, cuius maieſtas eſt in cœlis in auxilium tuum, & fortitudo eius in cœlis cœlorum*

27 *Habitaculum Dei ab initio, & in verbo eius factum eſt ſæculum: & eiecit à facie tua inimicũ, dicetque, conterere.*

28 *Et habitabit Iſrael confidenter & ſolus, iuxta benedictionem qua benedixit eis Iacob pater eorum in terra, producente frumentum & vinum: cœli quoque qui ſunt ſuper eos diſtillabunt rore.*

29 *Beatus es Iſrael: non eſt qui ſimilis ſit tibi, popule cuius ſalus eſt à facie Domini, & fortitudo auxilij tui & à facie eius ſunt victoriæ fortitudinis tuæ: & mentietur tibi inimici tui, & tu colla regũ eorũ calcabis.*

### CAP. XXXIIII.

1 *ET aſcendit Moyſes de campeſtribus Moab ad montem Nabo ad verticem collis qui eſt contra Hiericho, & oſtendit ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan:*

2 *Et omnem terram Neptali, & Ephraim, & Manaſſe, & omnem terram Iuda vſque ad Mare Occidentale:*

3 *Et Auſtralem plagam & planiciem campi Hiericho ciuitatis palmarum vſque Segor.*

4 *Et dixit ei Dominus: Hæc eſt terra pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Filijs tuis dabo eam: vidiſti eam oculis tuis, & illuc non tranſibis.*

5 *Et mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab per verbum Domini:*

6 *Et ſepeliuit eum in valle in terra Moab contra Bethphegor: & non cognouit vir ſepulchrum eius vſque hodie.*

7 *Moyſes autem erat ætatis centum & viginti annorũ quando mortuus eſt: non caligauit oculus eius, neque mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus eius.*

8 *Et fleuerunt filij Iſrael Moyſen in campeſtribus Moab triginta diebus: & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen.*

9 *Ioſue autem filius Nun erat plenus ſpiritu ſapientiæ, quoniam impoſuit Moyſes manus ſuas ſuper eum, & obedierunt ei filij Iſrael, & fecerunt ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

10 *Et non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, cui reuelatus eſt Dominus facie ad faciem:*

11 *In omnibus ſignis & portentis quæ miſit per eum Dominus vt faceret in terra Ægypti Pharaoni & omnibus ſeruis eius, & in vniuerſa terra illius:*

12 *Et in omni manu robuſta, & in omnibus mirabilibus magnis quæ fecit Moyſes ante oculos omnis Iſrael.*

# FINIS LIBRI DEVTERONOMII.



UVA.BSCH

# LIBRI IOSVE.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 ET factum eſt poſt mortem Moyſi ſerui Do-
mini, vt loqueretur Dominus ad Ioſue fi-
lium Nun, miniſtrum Moyſi, & diceret ei:
2 Moyſes ſeruus meus mortuus eſt: ſurge, & tranſi
Iordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in ter-
ram, quam ego dabo filijs Iſrael
3 * Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis (* Deut. 11. 24.)
veſtri, vobis tradam ſicut locutus ſum Moyſi.
4 A deſerto, & Libano vſque ad fluuium magnum Eu-
phraten, omnis terra Hethæorum vſque ad Mare
magnum contra ſolis occaſum erit terminus ve-
ſter.
5 Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ
tuæ: * ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum: non di- (* Heb. 13. 6. Inf. 3. 7.)
mittam nec derelinquam te.
6 * Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diui- (* Deu. 31. 6. 23. 3 Reg. 2. 2)
des populo huic terram, pro qua iuraui patribus ſuis
vt traderem eam illis.
7 Confortare igitur, & eſto robuſtus valde: vt cuſto-
dias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi
Moyſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexte-
ram vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis.
8 Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed
meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias
& facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges
viam tuam, & intelliges eam.
9 Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. No-
li metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Do-
minus Deus tuus in omnibus ad quæcumque per-
rexeris.
10 Præcepitque Ioſue principibus populi, dicens:
Tranſite per medium caſtrorum, & imperate popu-
lo, ac dicite:
11 Præparate vobis cibaria: quoniam poſt diem tertium
tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam
terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt
vobis.

Ra-

# LIBRI IEHOSVA.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET fuit poſt mortem Moſeh ſerui Domini, di-
xit Dominus ad Iehoſuah filium Nun mini-
ſtrum Moſeh, dicendo:*
2 *Moſeh ſeruus meus mortuus eſt: & nunc ſurge, tran
ſi Iarden hunc tu, & omnis populus hic, ad terram
quam do filijs Iſrael.*
3 *Omnem locum in quo calcauerit planta pedis veſtri,
vobis dedi, quemadmodum locutus ſum ad Moſeh.*
4 *A deſerto, & Lebanon iſto, vſque ad flumen ma-
gnum flumen Perath: Omnis terra Chittæorum vſ-
que ad Mare magnum ab occaſu ſolis, erit terminus
veſter.*
5 *Non ſtabit quiſquam ante te, omnibus diebus vitæ
tuæ: quemadmodum fui cum Moſeh, ero tecum: non
derelinquam te, & non dimittam te.*
6 *Conforta te, & robora te, quia tu hæreditate accipere
facies populum hunc terram, ſuper quam iuraui pa-
tribus eorum, vt darem eis.*
7 *Tantum conforta te, & robora te valde, vt cuſtodias,
& facias ſecundum omnem legem quam præcepit ti-
bi Moſeh ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexterã,
& ad ſiniſtrã, vt intelligas omnibus ad q̃ perrexeris.*
8 *Non recedat liber legis huius ab ore tuo, ſed medita-
beris in eo die, ac nocte, vt cuſtodias ad faciendum ſe
cundum omne quod ſcriptum eſt in eo: tunc enim ſe-
cundabis vias tuas, & tunc intelliges.*
9 *Nonne præcepi tibi? Conforta te, & robora te, ne
conſterneris, & ne terrearis quia tecum eſt Domi-
nus Deus tuus in omnibus ad quæ perrexe-
ris.*
10 *Et præcepit Iehoſuah præfectis populi, dicendo: Tran-
ſite per medium caſtrorum, & præcipite populo, di-
cendo:*
11 *Parate vobis annonam quia in fine trium dierum
vos tranſitis Iarden, vt ingrediamini ad poſſiden-
dum terram, quam Dominus Deus veſter dat vobis
ad poſſidendum eam.*

*Ren-*

# LIBRI IESVS NAVE.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt poſt mortem Moyſi, dixit Dominus Ieſu filio Naue, miniſtro Moyſis, dicens: 2 Moyſes ſer-
uus meus mortuus eſt: nunc igitur exurgens tranſi Iordanem tu, & omnis populus iſte in terram, quam
ego do eis. 3 Omnis locus, ſuper quem aſcenderitis veſtigio pedum veſtrorum, vobis dabo eum: quem-
admodum dixi Moyſi. 4 Deſertum & Antilibanum vſque ad flumen magnum, flumen Euphratem, & vſque ad
Mare vltimum ab occaſu ſolis erunt fines veſtri. 5 Non reſiſtet homo ante faciem veſtram omnibus diebus
vitæ tuæ: & ſicut eram cum Moyſe, ita ero & tecum, & non derelinquam te, neque deſpiciam te. 6 Conforta-
re, & viriliter age: tu enim diſtribues populo huic terram, quam iuraui patribus veſtris dare eis. 7 Confortare
igitur, & viriliter age ad cuſtodiendum, & faciendum, ſicut mandauit tibi Moyſes puer meus, & non declinabis ab
eis in dextram, neque in ſiniſtram, vt intelligas in o̅ibus, quæcumque feceris. 8 Et non recedet liber legis huius
ex ore tuo, & meditaberis in eo die, ac nocte, vt ſcias facere omnia, quæ ſcripta ſunt: tunc proſperaberis, & proſpe-
rabis vias tuas, & tunc intelliges. 9 Ecce mandaui tibi: Confortare, & viriliter age, ne paueas, neque timeas:
quoniã tecum Dominus Deus tuus ad omnia, quocumque ieris. 10 Et mandauit Ieſus ſcribis populi, dicens:
Introite per medium caſtrorum populi, & mandate populo, dicentes: 11 Præparate cibaria, quoniam adhuc
tres dies, & vos tranſitis Iordanem hunc, intrantes poſſidere terram, quam Dn̄s Deus patrum veſtrorum dat vobis.

Et ad

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Rubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Ma-
naſſe ait:
13 Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes
famulus Domini, dicens: Dominus Deus veſter de-
dit vobis requiem, & omnem terram.
* Nu. 32. 7. 14 * Vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in ter
ra, quam tradidit vobis Moyſes trans Iordanem: vos
autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes for
tes manu, & pugnate pro eis,
15 Donec det Dominus requiem fratribus veſtris ſicut
& vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque terram, quã
Dominus Deus veſter daturus eſt eis: & ſic reuer-
temini in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in
ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans
Iordanem contra ſolis ortum.
16 Reſponderuntque ad Ioſue, atque dixerunt: Om-
nia, quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque
miſeris, ibimus.
17 Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus
& tibi: tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut
fuit cum Moyſe.
18 Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit, cunctis
ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur: tu tan-
tum confortare, & viriliter age.

### CAP. II.

1 MIſit igitur Ioſue filius Nun de Setim duos vi-
ros exploratores in abſcondito: & dixit eis:
* Iac. 2. 25 Heb. 11. 31 Ite, & conſiderate terram, vrbemque Iericho. * Qui
pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis,
nomine Rahab, & quieuerunt apud eam.
2 Nunciatumque eſt regi Iericho, & dictum: Ecce
viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filijs Iſrael, vt
explorarent terram.
3 Miſitque rex Iericho ad Rahab dicens: Educ viros,
qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam:
exploratores quippe ſunt, & omnem terram conſi-
derare venerunt.
* Ioſu. 6. 17. 4 * Tollenſque mulier viros, abſcondit, & ait: Fateor,
venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent:
5 Cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pari-
ter exierunt, neſcio quò abierunt: perſequimini ci-
to, & comprehendetis eos.
6 Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium do-
mus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi
erat.

Hi

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Reubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Menaſſeh*
*ait Iehoſuah, dicendo;*
13 *Mementote verbi quod præcepit vobis Moſeh ſeruus*
*Domini dicendo: Dominus Deus veſter requieſcere*
*vos fecit, deditque vobis terram hanc.*
14 *Vxores veſtræ, paruuli veſtri, & iumenta veſtra ma*
*neant in terra, quam dedit vobis Moſeh trans Iar-*
*den: vos autem tranſibitis accincti armis ante fra-*
*tres veſtros, omnes potentes fortitudine, & auxilia-*
*bimini eis.*
15 *Donec quieſcere faciat Dominus fratres veſtros ſi-*
*cut vos: & poſſideant etiam ipſi terram, quam Do-*
*minus Deus veſter dat vobis: & reuertemini ad ter-*
*ram poſſeſſionis veſtræ, & poſſidebitis eam, quam de-*
*dit vobis Moſeh ſeruus Domini trans Iarden ad or-*
*tum ſolis.*
16 *Et reſponderunt ad Iehoſuah, dicendo: Omnia quæ*
*præcepiſti nobis faciemus, & ad omnia, ad quæ miſe-*
*ris nos, pergemus.*
17 *Iuxta omnia quibus obediuimus ipſi Moſeh, obedie-*
*mus tibi: tantum ſit Dominus Deus tuus tecum,*
*quemadmodum fuit cum Moſeh.*
18 *Quicumque rebellauerit ori tuo, & non obedierit ver*
*bis tuis in omnibus, quæ præceperis ei, morietur: tan-*
*tum confortare, & robora te.*

### CAP. II.

1 *MIſitque Iehoſuah filius Nun è Sittim duos vi-*
*ros exploratores clam, dicendo: Ite, videte ter-*
*ram, & Iericho: & iuerunt, & ingreſſi ſunt domum*
*mulieris cauponæ & nomen eius Rachab, & dormie-*
*runt ibi.*
2 *Dictum fuit regi Iericho, dicendo: Ecce viri vene-*
*runt huc nocte è filijs Iſrael ad explorandum ter-*
*ram.*
3 *Et miſit rex Iericho ad Rachab, dicendo: Educ vi-*
*ros qui ingreſſi ſunt ad te qui venerunt ad domum*
*tuam, quia ad explorandum omnem terram vene-*
*runt.*
4 *Et tulit mulier ambos viros, & abſcondit eos, & ait:*
*Profectò venerũt ad me viri, ſed nõ cognoui vñ eſſẽt.*
5 *Et fuit, porta dum clauderetur in tenebris, viri e-*
*greſſi ſunt: non cognoui quò abierunt viri: ſequi-*
*mini citò eos, quia comprehendetis eos.*
6 *Ipſa autem aſcendere fecit eos in tectum, & abſcon-*
*dit eos in culmis lini qui ordinati erant ei ſuper te-*
*ctum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et ad Ruben, & Gad, & dimidium tribus Manaſſe dixit Ieſus: 13 Mementote verbi, quod mandauit vobis Moyſes puer Domini, dicens: Dominus Deus veſter quieſcere vos fecit, & dedit vobis terram hanc. 14 Vxores veſtræ, & paruuli veſtri, & pecora veſtra habitent in terra, quam dedit vobis: vos autem tranſibitis bene accincti priores fratribus veſtris, omnis fortis, & commilitabitis eis: 15 Quoadusque quieſcere faciat Deus noſter fratres veſtros, ſicut & vos, & hæreditent etiam hi terram, quam Dominus Deus noſter dat eis: & abibitis vnuſquiſque in hæreditatem ſuam, quam dedit vobis Moyſes trans Iordanem ad ortum Solis. 16 Et reſpondentes Ieſu dixerunt, omnia, quæcumque mandaueris nobis, faciemus, & in omnem locum, quocumque miſeris nos, ibimus. 17 Iuxta omnia, in quibus audiuimus Moyſen, audiemus te, tantummodo ſit Dominus Deus noſter tecum, quemadmodum fuit cum Moyſe: Homo autem, quicumque incredulus fuerit tibi, 18 Et quicumque non audierit verba tua, ſecundum quod mandaueris ei, moriatur: ſed confortare, & viriliter age.

### CAP. II.

ET miſit Ieſus filius Naue de Sattin duos iuuenes ad explorandum, dicens: Aſcendite, & videte terram, & Hierico: & profecti duo iuuenes intrauerunt in Hierico, & intrarent in domum mulieris meretricis, cui nomen Raab, & quieuerunt ibi. 2 Et annunciatum eſt regi Hierico, dicentes: Ingreſſi ſunt huc viri de filijs Iſrael ad explorandam terram. 3 Et miſit rex Hierico, & dixit ad Raab dicens: Educ viros, qui ingreſſi ſunt in domum tuam nocte, nam ad explorandam terram venerunt. 4 Et ſumens mulier ambos viros, occultauit eos: & dixit illis, dicens: Ingreſſi ſunt ad me viri. 5 Sed cũ porta clauderetur in tenebris, & viri egreſſi ſunt, neſcio quo iuerint. Perſequimini poſt eos ſi comprehendetis eos. 6 Ipſa autem aſcendere fecit eos in ſolarium, & occultauit eos in lini ſtipula conſtipata ſibi ſuper ſolarium.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 Hi autem,qui miſſi fuerant, ſecuti ſunt eos per viã, quæ ducit ad vadum Iordanis : illiſque egreſſis ſtatim porta clauſa eſt.

8 Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos,& ait :

9 Noui quod Dominus tradiderit vobis terram : etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.

10 Audiuimus quod * ſiccauerit Dominus aquas Maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto : * & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem : Sehon & Og,quos interfeciſtis.

* Ex.14.21. * Num.21.24.

11 Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum : Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum,& in terra deorſum.

12 * Nunc ergo iurate mihi per Dominum,vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei : detiſque mihi verum ſignum,

* Inf.6.22.

13 Vt ſaluetis patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas,& omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte.

14 Qui responderunt ei : Anima noſtra ſit pro vobis in mortem,ſi tamen non prodideris nos : cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te miſericordiam,& veritatem.

15 Demiſit ergo eos per funem de feneſtra : domus enim eius hærebat muro.

16 Dixitque ad eos: Ad montana conſcendite,ne forte occurrant vobis reuertentes, ibique latitate tribus diebus,donec redeant: & ſic ibitis per viam veſtram.

17 Qui dixerunt ad eam : Innoxij erimus à iuramento hoc quo adiuraſti nos :

18 Si ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus,& ligaueris eum in feneſtra,per quam demiſiſti nos : & patrem tuum ac matrem, fratreſque, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.

19 Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Cunctorum autem ſanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit.

20 Quòd ſi nos prodere volueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento,quo adiuraſti nos.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et viri ſecuti ſunt eos itinere Iarden vſque ad vada, portamque clauſerunt poſtquam egreſſi ſunt ſequentes eos.*

8 *Et antequam dormirent, ipſa aſcendit ad eos ſuper tectum,& ait ad viros.*

9 *Noui quod dederit Dominus vobis terram, & quia cecidit terror veſter ſuper nos, & quia defluxerunt omnes habitatores terræ à facie veſtra.*

10 *Audiuimus enim quod ſiccari fecerit Dominus aquas Maris Suph à facie veſtra, dum exiretis ex Ægypto: & quæ feciſtis duobus regibus Emoræi,qui erant trans Iarden, Sichon, & Hog, quos interemiſtis.*

11 *Et audiuimus, & liquefactum eſt cor noſtrum, & non ſurrexit vltra ſpiritus in viro à facie veſtra: Dominus enim Deus veſter,eſt Deus in cœlo ſurſum & ſuper terram deorſum.*

12 *Et nunc iurate quæſo mihi per Dominum, quia feci vobiſcum miſericordiam, quod facietis etiam vos cum domo patris mei miſericordiam, & dabitis mihi ſignum veritatis.*

13 *Et viuificabitis patrem meum,& matrem meam & fratres meos,& ſorores meas, & omnia quæ ſunt eis, & eruetis animas noſtras à morte.*

14 *Dixeruntq; ei viri : Anima noſtra pro vobis ad moriendum, ſi non prodideritis verbum noſtrum hoc : & erit cum tradiderit Dominus nobis terram,faciemus tecum miſericordiam,& veritatem.*

15 *Et deſcẽdere fecit eos fune per feneſtrã: domus enim eius erat in pariete muri,& in muro ipſa habitabat.*

16 *Dixitq; eis: Ad montẽ pergite,ne forte occurrant vobis inſequentes,& latitate ibi tribus diebus,donec redeant inſequentes:& poſtea ibitis per viam veſtram.*

17 *Dixeruntque ei viri : Innoxij erimus à iuramento tuo hoc,quo iurare feciſti nos.*

18 *Ecce nobis ingredientibus terram cordam fili coccinei hanc ligabis in feneſtrã, per quam deſcendere feciſti nos,& patrem tuum,& matrem tuam, fratreſque tuos,ac omnem domum patris tui congregabis in domum.*

19 *Et erit, omnis qui egreſſus fuerit ex oſtijs domus tuæ foras,ſanguis eius erit in caput eius, & nos innoxij, & omnis qui fuerit tecum in domo, ſanguis illius in caput noſtrum ſi manus fuerit in illum.*

20 *Si vero prodideris verbum noſtrum hoc, erimus innocentes à iuramento tuo, quo nos iurare feciſti.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et viri perſequuti ſunt poſt eos viam,quæ ſuper Iordanem ad tranſitus,& porta clauſa eſt : 8 Et factum eſt, poſtquam exierunt perſequentes poſt eos,& ipſi vero,priuſquam ipſi dormirent,& ipſa vero aſcendit ad eos in ſolarium,& dixit ad eos : 9 Scio, quia dedit vobis Dominus terram : incidit enim timor veſtri ſuper nos. 10 Audiuimus enim quia exiccauit Dominus Deus rubrum Mare à facie veſtra, quando egrediebamini de terra Ægypti,& quæcumque fecit duobus regibus Amorræorum, qui erant trans Iordanem,Seon, & Og, quos exterminaſtis eos. 11 Et audientes nos, obſtupuimus corde noſtro, & non ſtetit vltra ſpiritus in vllo noſtrum à facie veſtra: quoniam Dominus Deus veſter,Deus in cœlo ſurſum,& ſuper terram deorſum. 12 Et nunc iurate mihi Dominum Deum,quoniam facio vobis miſericordiam,& facite etiam vos miſericordiam in domo patris mei : 13 Et viuificate domum patris mei, matrem meam & fratres meos, & vniuerſam domum meam,& omnia,quæcumque ſunt eis,& eximetis animam meam de morte. 14 Et dixerunt ei viri : Anima noſtra pro vobis in mortem : & ipſa dixit : Poſtquam tradiderit Dominus vobis ciuitatem, facietis in me miſericordiam, & veritatem. 15 Et demiſit eos per feneſtram : 16 Et dixit eis : In montanam abite,ne occurrant vobis perſequentes, & latitabitis ibi tres dies, quoadusque reuertentur, qui perſequuntur poſt vos, & poſtea abibitis in viam veſtram. 17 Et dixerunt ad eam viri : Innoxij ſumus à iuramento tuo hoc. 18 Ecce nos intramus in partem ciuitatis,& pones ſignum,funiculum coccineum hunc ligabis ad feneſtram,per quam demiſiſti nos per eam : Patrem vero tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & omnem domum patris tui congregabis ad teipſam in domum tuam. 19 Et erit,omnis,quicumque exierit portam domus tuæ foras,reus ſibi ipſi erit : nos autem innoxij à iuramento tuo hoc : & quicumque fuerint tecum in domo tua : nos rei erimus. 20 Si quis autem nobis nocuerit, vel etiam reuelauerit verba noſtra hæc, erimus innoxij à iuramento tuo hoc.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

21 Et illa reſpondit: Sicut locuti eſtis, ita fiat: dimittenſque
eos vt pergerent, appẽdit funiculũ coccineũ i feneſtra.
22 Illi vero ambulantes peruenerũt ad mõtana, & manſe
rũt ibi tres dies, donec reuerterẽtur q fuerãt pſecuti
quærentes enim per oẽm viam non repererunt eos.
23 Quibus vrbem ingreſſis, reuerſi ſunt, & deſcende-
runt exploratores de monte: & tranſmiſſo Iordane,
venerunt ad Ioſue filium Nun, narraueruntque ei
omnia quæ acciderant ſibi,
24 Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem ter-
ram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt
cuncti habitatores eius.

### CAP. III.

1 IGitur Ioſue de nocte conſurgens mouit caſtra:
egredienteſq; de Setim, venerunt ad Iordanẽ ip-
ſe, & omnes filij Iſrael, & morati ſunt ibi tres dies.
2 Quibus euolutis, tranſierunt præcones per caſtro-
rum medium,
3 Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœ-
deris Domini Dei veſtri, & ſacerdotes ſtirpis Leui-
ticæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſe-
quimini præcedentes:
4 Sitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duũ
millium: vt procul videre poſſitis & noſſe per quam
viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per
eam: & cauete ne appropinquetis ad arcam.
5 Dixitque Ioſue ad populum: Sanctificamini, cras
enim faciet Dominus inter vos mirabilia.
6 Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præ-
cedite populum. Qui iuſſa complentes, tulerunt, &
ambulauerunt ante eos.
7 Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie incipiam exal-
tare te coram omni Iſrael: vt ſciant quod ſicut cum
Moyſe fui, ita & tecum ſim.
8 Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam
fœderis: & dic eis: Cum ingreſſi fueritis partem
aquæ Iordanis, ſtate in ea.
9 Dixitque Ioſue ad filios Iſrael: Accedite huc, & au
dite verbum Domini Dei veſtri.
10 Et rurſum: In hoc, inquit, ſcietis quod Dominus
Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in con-
ſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, Heuæum,
& Pherezæum, Gergeſæum quoque, & Iebuſæum,
& Amorrhæum.
Act. 7. 45. Eccl. 14. 31. 11 * Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antece-
det vos per Iordanem.
12 Parate duodecim viros de tribubus Iſrael, ſingulos
per ſingulas tribus.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et ait: Secundum verba veſtra ita ſit: & dimiſit eos*
*& abierunt: & ligauit filum coccineum in feneſtra.*
22 *Et abierunt, veneruntq; ad montem, & manſerunt ibi*
*tribus diebus, donec reuerterẽtur inſecutores: & quæ-*
*ſierunt inſecutores per oẽm viam, & nõ inuenerunt.*
23 *Reuerſique ſunt ambo viri, ac deſcenderunt de mon-*
*te & tranſierunt, veneruntque ad Iehoſuah filium*
*Nun, & narrauerunt omnia ei, quæ inuenerunt*
*eos.*
24 *Dixerunt ad Iehoſuah: Quod tradidit Dominus in*
*manibus noſtris omnem terram, & etiam diſſoluti*
*ſunt omnes habitatores terræ à facie noſtra.*

### CAP. III.

1 *ET ſurrexit Iehoſuah mane, & profecti ſunt è*
*Sittim, & venerunt vſque ad Iarden ipſe & om-*
*nes filij Iſrael, & pernoctauerũt ibi, anteq; trãſirẽt.*
2 *Et fuit in fine trium dierum tranſierunt præfecti per*
*medium caſtrorum.*
3 *Præceperuntque populo dicendo: Cum videritis ar-*
*cam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacerdotes, & Le*
*uitas portantes eam proficiſcemini è loco veſtro, &*
*ibitis poſt illam.*
4 *Verumtamen interſtitium erit inter vos, & ipſam,*
*fere duum millium cubitorum in menſura: ne appro*
*pinquetis ei, vt cognoſcatis viã per quã ambuletis:*
*non enim tranſiſtis per viã ab heri & nudiuſtertius.*
5 *Dixitq; Iehoſuah ad populum: Sanctificate vos, cras*
*enim faciet Dominus in medio veſtri mirabilia.*
6 *Dixitq; Iehoſuah ad ſacerdotes dicendo: Tollite ar-*
*cam fœderis, & tranſite ante populum: & tulerunt*
*arcam fœderis, & ambulauerunt ante populum.*
7 *Dixit autem Dominus ad Iehoſuah: Die hac inci-*
*piam magnificare te in oculis omnis Iſrael: vt ſciant*
*quod quemadmodum fui cum Moſeh, ſic ero tecum.*
8 *Et tu præcipies ſacerdotibus portantibus arcam fœ-*
*deris dicendo: Cum ingreſſi fueritis vſque ad finem*
*aquæ Iarden, in Iarden ſtabitis.*
9 *Dixitque Iehoſuah ad filios Iſrael: Accedite huc, &*
*audite verba Domini Dei veſtri.*
10 *Et ait Iehoſuah: In hoc cognoſcetis, quod Deus vi-*
*uens eſt in medio veſtri, & quod expellendo expellet*
*à facie veſtra Chenahanæum, & Chittæum, & Chiu*
*uæum, & Perizæum, & Ghirgaſæum, & Emorræum,*
*& Iebuſæum.*
11 *Et ecce arca fœderis Domini vniuerſæ terræ, tranſit*
*ante vos in Iarden.*
12 *Et nunc tollite duodecim viros de tribubus Iſrael,*
*ſingulum virum per tribum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et dixit eis: Iuxta veſtrum verbum ſit: & emiſit eos: 22 Et iuerunt, & venerunt in montanũ, & permãſerunt ibi tres dies: & exquiſierunt ij, qui perſequebantur omnes vias, & non inuenerunt. 23 Et reuerterunt ambo iuuenes, & deſcenderunt de monte, & tranſierunt ad Ieſum filiũ Naue, & narrauerunt ei omnia, quæ ſibi acciderant. 24 Et dixerunt ad Ieſum, quia tradidit Dominus omnem terram in manu noſtra, & conſternatus eſt omnis habitans terram illam à nobis.

### CAP. III.

ET diluculo ſurrexit Ieſus mane, & promouit de Sattin: & venerunt vſque ad Iordanem, & diuerterunt ibi, priuſquam tranſirent. 2 Et factum eſt, poſt tres dies tranſierunt ſcribæ per caſtra: 3 Et mãdauerunt populo, dicentes: Cum videritis arcam teſtamenti Domini Dei noſtri, & ſacerdotes veſtros & Leuitas tollentes eã, proficiſcemini de locis veſtris, & ibitis poſt eam: 4 Sed longum interuallum ſit inter vos, & illam, quantũ duo millia cubitorum, ſtabitis, ne propinquetis ei, vt ſciatis viam, quam ibitis eam: non enim iuiſtis viam ab heſterna, & nudiuſtertiana die. 5 Et dixit Ieſus populo: Purificamini in craſtinum, quoniam cras faciet Dominus in vobis mirabilia. 6 Et dixit Ieſus ſacerdotibus: Tollite arcam teſtamenti Domini, & præcedite populum: & leuauerunt ſacerdotes arcam teſtamenti Domini, & ibant ante populum. 7 Et dixit Dominus ad Ieſum: in die hac incipio exaltare te in conſpectu omniũ filiorum Iſrael vt cognoſcant, quia ſicut eram cum Moyſe, ita ero & tecum. 8 Et nunc manda ſacerdotibus, qui leuant arcam teſtamenti, dicens: Cum intraueritis ſuper partem aquæ Iordanis, & in Iordane ſtabitis. 9 Et dixit Ieſus filijs Iſrael: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei noſtri. 10 In hoc cognoſcetis, quia Deus viuens in vobis, & exterminans exterminabit à facie noſtra Chananæũ, & Ghettæũ, & Pherezæũ, & Euæũ, & Amorræum, & Gergeſæũ, & Iebuſæum. 11 Ecce arca teſtamẽti Dñi vniuerſæ terræ trãſit Iordanẽ. 12 Aſſumite vobis duodecim viros ex filijs Iſrael, vnũ ex vnaquaque tribu.



UVA.BSCH

### Vulgat. Editio.

13 Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes qui portant arcam Domini Dei vniuerſæ terræ in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient: quæ autem deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent.

14 Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanem: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum.

15 Ingreſſiſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat)

16 Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom vſque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent.

17 Populus autem incedebat contra Iericho: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alueum tranſibat.

### CAP. IIII.

1 QVibus tranſgreſſis, dixit Dominus ad Ioſue:

2 Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus:

3 Et præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.

4 Vocauitque Ioſue duodecim viros, quos elegerat de filijs Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus,

5 Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, iuxta numerum filiorum Iſrael,

6 Vt ſit ſignum inter vos: & quando interrogauerint vos filij veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides?

7 Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cum tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael vſque in æternum.

Fe-

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et erit, cum requieuerint plantæ pedum ſacerdotum portantium arcam Domini Dominatoris omnis terræ in aquis Iarden, aquæ Iarden deficient, & aquæ deſcendentes deſuper ſtabunt aceruo vno.*

14 *Et fuit cum proficiſceretur populus è tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iarden, ſacerdotes portabant arcam fœderis ante populum.*

15 *Et cum veniſſent portantes arcam vſque ad Iarden, & pedes ſacerdotum portantium arcam intincti eſſent in extremo aquarum, & Iarden repleuerat omnes ripas ſuas omnibus diebus meſſis.*

16 *Et ſteterunt aquæ, quæ deſcendebant deſuper ſteterunt aceruo vno procul valde ab Adam vrbe, quæ eſt ex latere Sarthan, & deſcendentes in Mare ſolitudinis Mare ſalis, conſumptæ ſunt, defecerunt.*

17 *Populus autem tranſierunt è regione Iericho: ſtabant autem ſacerdotes portantes arcam fœderis Domini in ſicco, in medio Iarden præparati, & omnis Iſrael tranſibant per ſiccum, donec perficerent omnis gens tranſire Iarden.*

### *CAP. IIII.*

1 *ET fuit, quando perfecerunt omnis gens tranſire Iarden, dixit Dominus ad Iehoſuah dicendo:*

2 *Tollite è populo duodecim viros, virum vnum de quolibet tribu,*

3 *Et præcipite eis dicendo: tollite vobis è medio Iarden è loco vbi ſteterunt pedes ſacerdotum præparatorum duodecim lapides, & tranſire facietis eos vobiſcum, & ponere facietis in diuerſorio, in quo manebitis nocte.*

4 *Et vocauit Iehoſuah duodecim viros, quos præparari fecerat de filijs Iſrael virũ vnum de qualibet tribu.*

5 *Dixitque ad eos Iehoſuah: Tranſite ante arcam Domini Dei veſtri in medium Iarden, & tollite ſinguli lapidem vnum ſuper humerum ſuum, iuxta numerum tribuum filiorum Iſrael.*

6 *Vt ſit hoc ſignum in medio veſtri, cum interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos, dicendo: Quid lapides iſti vobis?*

7 *Dicetis eis: Quia defecerunt aquæ Iarden ante arcam fœderis Domini, cum tranſiret Iarden, exciſæ ſunt aquæ Iarden: eruntque lapides iſti in memoriam filijs Iſrael vſque in ſæculum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et erit, cum quieuerint pedes ſacerdotũ leuantium arcam teſtamenti Domini vniuerſæ terræ in aqua Iordanis, aqua Iordanis deficiet, aqua autem deſcendens ſtabit. 14 Et promouit populus e tabernaculis ſuis ad tranſeundum Iordanem: Sacerdotes autem leuauerunt arcam teſtamenti Dñi priores populo. 15 Dum autem ingrediebantur ſacerdotes leuantes arcam teſtamenti in Iordanem, & pedes ſacerdotum leuantium arcam teſtamenti Dñi tincti ſunt in parte aquæ Iordanis: Iordanis autem plenus erat per totam crepidinem ſuam, ſicut dies meſſis tritici. 16 Et ſteterunt aquæ deſcendentes deſuper, ſtetit concretio vna recedens lõge valde vehementer vſque ad partem Cariathiarim: quæ autem deſcẽdebat, deſcendit in Mare Araba, Mare ſalis, donec in finẽ defecit.
17 Et populus ſtetit contra Hiericho: & ſteterunt ſacerdotes leuantes arcam teſtamenti Dñi ſuper aridam in medio Iordanis: & omnes filij Iſrael tranſibant per aridam, donec conſummauit omnis populus tranſiens Iordanem.

### CAP. IIII.

ET poſtquam conſummauit omnis populus tranſiens Iordanem, & dixit Dominus Ieſu, dicens: 2 Aſſumens viros de populo, vnum ex vnaquaque tribu, præcipe eis: 3 Et tollite de medio Iordanis paratos duodecim lapides, & hos transferentes ſimul vobiſcum ipſis, ponite eos in caſtris veſtris, vbicunque caſtrametati fueritis ibi nocte. 4 Et reuocans Ieſus duodecim viros de honoratis ex filijs Iſrael, vnum ex vnaquaque tribu, 5 Dixit eis: Accedite coram me ante faciem Domini in medium Iordanis: & auferens inde vnuſquiſque lapidem, tollat ſuper humeros ſuos ſecundum numerum duodecim tribuum Iſrael. 6 Vt ſint vobis hi in ſignum poſitum ſemper: vt quando interrogauerit te filius tuus cras dicens: Quid ſunt lapides hi nobis? 7 Et tu manifeſtabis filio tuo dicens: Quoniam defecit Iordanis fluuius a facie arcæ teſtamenti Domini vniuerſæ terræ, dum tranſibat eum: & erunt vobis lapides iſti memoriale filijs Iſrael vſque in æternum.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

8 Fecerunt ergo filij Iſrael ſicut præcepit eis Ioſue, portantes de medio Iordanis alueo duodecim lapides, vt Dominus ei imperarat iuxta numerum filiorum Iſrael, vſque ad locũ, in quo caſtrametati ſunt, ibique poſuerunt eos.
9 Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterũt ſacerdotes, qui portabãt arcã fœderis: & ſunt ibi vſq; in præſentem diẽ.
10 Sacerdotes autem, qui portabant arcam, ſtabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Ioſue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes. Feſtinauitque populus, & tranſijt.
11 Cumque tranſiſſent omnes, tranſiuit & arca Domini, ſacerdoteſque pergebant ante populum.
12 Filij quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præcedebant filios Iſrael, * ſicut eis præceperat Moyſes:

*Num 32. 28.

13 Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant per plana atque campeſtria vrbis Iericho.
14 In die illo magnificauit Dominus Ioſue coram omni Iſrael, vt timerent eum, ſicut timuerant Moyſen, dum adviueret.
15 Dixitque ad eum:
16 Præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, vt aſcendant de Iordane.
17 Qui præcepit eis, dicens: Aſcendite de Iordane.
18 Cumque aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum, & fluebant ſicut ante conſueuerant.
19 Populus autem aſcendit de Iordane, decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Iericho.
20 Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alueo ſumpſerant, poſuit Ioſue in Galgalis,
21 Et dixit ad filios Iſrael: Quando interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis: Quid ſibi volunt lapides iſti?
22 Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum,
23 Siccante Domino Deo veſtro aquas eius in conſpectu veſtro, donec tranſiretis:
24 * Sicut fecerat prius in Mari rubro, quod ſiccauit donec tranſiremus:

*Exo. 14. 21.

Vt

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et fecerunt ſic filij Iſrael, quemadmodum præceperat Iehoſuah: & tulerunt duodecim lapides in medio Iarden, quẽadmodũ locutus eſt Dñs ad Iehoſuah ſecundũ numerũ tribuũ filiorũ Iſrael, & tranſire fecerunt eos ſecũ ad diuerſorium, & poſuerunt eos ibi.*
9 *Et duodecim lapides erexit Iehoſuah in medio Iarden ſub loco vbi ſteterant pedes ſacerdotũ portantiũ arcam fœderis: fueruntque ibi vſque ad diẽ hanc.*
10 *Sacerdotes autem portantes arcam fœderis ſtabant in medio Iarden, donec conſumeretur omne verbum, quod præcepit Dominus ad Iehoſuah, vt loqueretur ad populũ, iuxta omnia quæ præcepit ipſi Iehoſuah: & feſtinauerunt populus & tranſierunt.*
11 *Et fuit, quando perfecit omnis populus tranſire, trãſiuit arca Domini & ſacerdotes ante populum.*
12 *Tranſieruntque filij Reuben & filij Gad, & dimidia tribus Menaſſeh accincti ante filios Iſrael, quemadmodum locutus fuerat ad eos Moſeh.*
13 *Circiter quadraginta millia armatorum militum tranſierunt ante Dominum ad prælium ad campeſtria Iericho.*
14 *In die ipſa magnificauit Dominus Iehoſuah in oculis omnis Iſrael, & timuerunt eum, quemadmodum timuerunt Moſeh omnibus diebus vitæ eius.*
15 *Dixitque Dominus ad Iehoſuah dicendo:*
16 *Præcipe ſacerdotibus portantibus arcam teſtimonij, & aſcendant ex Iarden.*
17 *Et præcepit Iehoſuah ſacerdotibus dicendo: Aſcendite ex Iarden.*
18 *Et fuit, cum aſcendiſſent ſacerdotes portantes arcam fœderis Domini de medio Iarden, & tranſlatæ ſunt plantæ pedum ſacerdotum ad ſiccum, & reuerſæ ſunt aquæ Iarden ad locum ſuum, & iuerunt ſicut heri, & nudiuſtertius ſuper omnes ripas ſuas.*
19 *Populus autem aſcenderunt ex Iarden decima menſis primi, & caſtrametati ſunt in Ghilgal in extremo Orientis Iericho.*
20 *Et duodecim lapides illos, quos tulerunt ex Iarden, ſtatuit Iehoſuah in Ghilgal.*
21 *Dixitque ad filios Iſrael, dicendo: Cum interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos dicendo: Quid lapides iſti?*
22 *Cognoſcere facietis filios veſtros dicendo: Per aridam tranſiuit Iſrael Iarden hunc.*
23 *Quoniam ſiccari fecit Dominus Deus veſter aquas Iarden à facie veſtra, donec tranſieritis:*
24 *Quẽadmodũ fecit Dominus Deus veſter Mari Suph quod ſiccari fecit à facie noſtra donec tranſiremus.*

*Vt*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et fecerunt filij Iſrael, ſecundum quod mandauit Dominus Ieſu: & aſſumentes duodecim lapides de medio Iordanis, ſicut præcepit Dominus Ieſu in conſummatione tranſitus filiorum Iſrael, & portauerunt vna ſecum in caſtra, & depoſuerunt ibi. 9 Statuit autem Ieſus & alios duodecim lapides in ipſo Iordane, in loco qui fuit ſub pedibus ſacerdotum leuantium arcam teſtamenti Domini: & ſunt ibi vſque in hodiernam diem. 10 Steterunt autem ſacerdotes, qui leuabant arcam teſtamenti in Iordane, quoadúſqde conſummauit Ieſus omnia, quæ mandauit Dominus annunciare populo: & feſtinauit populus & tranſierunt. 11 Et factum eſt, poſtquam conſummauit omnis populus tranſire, & tranſiuit arca teſtamenti Domini, & lapides ante eos. 12 Et tranſierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidij de tribu Manaſſe parati ante filios Iſrael, ſicut mandauerat eis Moyſes: 13 Quadraginta mille bene accincti in pugnam tranſierunt coram Domino in bellum ad Hierico ciuitatem. 14 In illa die auxit Dominus Ieſum coram vniuerſo genere Iſrael, & timebant eum, ſicut Moyſen, quanto tempore vixit. 15 Et dixit Dominus ad Ieſum dicens: 16 Manda ſacerdotibus portantibus arcam teſtamenti teſtimonij Domini aſcendere e Iordane. 17 Et mandauit Ieſus ſacerdotibus, dicens: Aſcendite e Iordane. 18 Et factum eſt, poſtquam aſcenderunt ſacerdotes leuantes arcam teſtamenti Domini e Iordane, & poſuerunt pedes ſuper terram, & fluxit aqua Iordanis ad regionem, & ibat, ſicut heri, & nudiuſtertius per totam crepidinem. 19 Et populus aſcendit e Iordane decima menſis primi: & caſtrametati ſunt filij Iſrael in Galgalis ad partẽ, quæ eſt ad ortũ ſolis à Hiericho. 20 Et duodecim lapides iſtos, quos ſūpſit ex Iordane, ſtatuit Ieſus in Galgalis, 21 dicens: Qñ interrogant vos filij veſtri dicentes: Quid ſunt lapides hi? 22 annunciate filijs Iſrael, quia ſuper aridã tranſijt Iſrael Iordanem hunc, 23 Exiccante Dño Deo noſtro aquã Iordanis ante eos, quoadúſque trãſierunt. 24 Sicut fecit Dñs Deus noſter rubrum Mare, q̃ exiccauit Dñs Deus noſter ante nos, quoadúſque pertranſiuimus;



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Do
mini manum, vt & vos timeatis Dominum Deum
veſtrum omni tempore.

### CAP. V.

1 POſtquam ergo audierunt omnes reges Amor-
rhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad
Occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan,
qui propinqua poſſidebant magni Maris loca, quòd
ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filijs Iſ-
rael donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, &
non remanſit in eis ſpiritus, timentium introitum
filiorum Iſrael.
2 Eo tempore ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi
cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios
Iſrael.
3 Fecit quod iuſſerat Dominus, & circumcidit filios
Iſrael in colle præputiorum.
4 Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis: Om
nis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis ma
ſculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſer-
to per longiſſimos viæ circuitus,
5 Qui omnes circumciſi erant. Populus autem qui
natus eſt in deſerto,
6 Per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudi-
nis incircumciſus fuit: donec conſumerentur qui
non audierant vocem Domini, & quibus ante iu-
rauerat vt non oſtenderet eis terram lacte & mel-
le manantem.
7 Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & cir-
cumciſi ſunt à Ioſue: quia ſicut nati fuerant, in præ-
putio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.
8 Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerūt
in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur.
9 Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie abſtuli oppro-
brium Ægypti à vobis. Vocatumque eſt nomen lo
ci illius Galgala, vſque in præſentem diem.
10 Manſerunt filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Pha-
ſe, quartadecima die menſis ad veſperum in campe-
ſtribus Iericho:
11 Et comederunt de frugibus terræ die altero, azy-
mos panes, & polentam eiuſdem anni.
12 Defecitque manna poſtquam comederunt de frugi-
bus terræ, nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſrael, ſed
comederūt de frugibus pſentis anni terræ Chanaā.

Cum

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*15 Vt cognoſcant omnes populi terræ manum Domini,
quoniam fortis eſt, vt timeatis Dominum Deum ve-
ſtrum omnibus diebus.*

### *CAP. V.*

*1 ET fuit, cum audiſſent omnes reges Emorræi, qui
erant trans Iarden ad Occidentem, & omnes re-
ges Chenahanæi, qui erant iuxta Mare, quod ſiccari
feciſſet Dominus aquas Iarden à facie filiorum Iſ-
rael, donec tranſirent, liquefactum eſt cor eorum,
nec erat in eis vltra ſpiritus à facie filiorum Iſ-
rael.*
*2 In tempore illo dixit Dominus ad Iehoſuah: Fac
tibi cultros acutos, & iterum circumcide filios Iſ-
rael ſecundo.*
*3 Et fecit ſibi Iehoſuah cultros acutos, & circumcidit
filios Iſrael in colle præputiorum.*
*4 Et hoc eſt propter quod circumcidit Iehoſuah: Om-
nis populus qui egreſſus fuerat ex Ægypto maſculi
omnes viri bellatores mortui erant in deſerto in via,
quando egreſſi ſunt ex Ægypto.*
*5 Quia circumciſi fuerunt omnis populus qui egreſſus
fuerat. Et omnem populum qui nati ſunt in deſerto
in via, qñ egreſſi ſunt ex Ægypto non circũciderũt.*
*6 Nam quadraginta annis ambulauerunt filij Iſrael
per deſertũ, donec conſumeretur omnis generatio vi-
rorum bellatorum qui egreſſi fuerãt ex Ægypto, qui
non audierunt vocẽ Domini, quibus iurauit Dñs ꝙ
non oſtẽderet eis terrã, ſuper quã iurauit Dñs patri-
bus eorũ vt daret nobis terrã fluentẽ lacte & melle.*
*7 Et filios eorum ſtare fecit pro eis: eos circumcidit
Iehoſuah, quia incircumciſi erant: non enim cir-
cumciderat eos in via.*
*8 Et fuit, quando completa fuit omnis gens circumci-
dẽ, manſerunt in loco ſuo in caſtris donec ſanarẽtur.*
*9 Dixitque Dominus ad Iehoſuah: Hodie reuolui op-
probrium Ægypti à vobis: & vocauit nomen loci
ipſius Ghilgal vſque ad diem hanc.*
*10 Et caſtrametati ſunt filij Iſrael in Ghilgal, & fece-
runt Peſach quartadecima die menſis ad veſperam
in campeſtribus Iericho.*
*11 Et comederunt de fructu terræ in craſtino Peſach
infermentata & polentam in ipſomet die.*
*12 Et ceſſauit Man in craſtino, dum comediſſent de fru-
mento terræ, & non fuit vltra filijs Iſrael Man, ſed co
mederunt de fructu terræ Chenahan anno ipſo*

*V-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Vt cognoſcant omnes gentes terræ, quia virtus Domini fortis eſt, & vt vos reuereamini Dominum Deum
noſtrum in omni opere.

### CAP. V.

ET factum eſt, vt audierunt reges Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem & reges Phœniciæ, qui iuxta Ma-
re, quia exiccauit Dominus Deus Iordanem fluuium ante filios Iſrael, dum ipſi tranſirent & liquefactæ ſunt
eorum mentes & conſternati ſunt, & non erat in eis prudentia vlla à facie filiorum Iſrael.
2 Sub hoc
autem tempus dixit Dominus Ieſu: Fac tibi ipſi cultros petrinos de petra acuta, & ſedens circumcide filios Iſ-
rael ſecundo.
3 Et fecit Ieſus cultros petrinos acutos, & circumcidit filios Iſrael in loco, qui vocatur collis
præputiorum.
4 Hoc autem modo circumpurgauit Ieſus filios Iſrael: quicumque aliquando nati fuerant
in via, & quicumque aliquando incircumciſi erant eorum, qui exierant ex Ægypto, omnes iſtos circumcidit Ie-
ſus.
6 Quadraginta enim & duobus annis conuerſatus eſt Iſrael in deſerto Mabdaritide: ideo incircumciſi
erant illorum plurimi pugnatorum, qui exierunt de terra Ægypti, qui inobedientes fuerant mandatis Dei, quibus
& definierat, ne viderent illi terram, quam iurauerat Dominus patribus eorum dare terram fluentem lac, & mel.
7 Pro his autem ſubſtituit filios eorum, quos circumcidit Ieſus, eo quod nati fuiſſent in itinere, incircumciſi.
8 Circumciſi autem quietem habuerunt illic ſedentes in caſtris donec ſanati ſunt.
9 Et dixit Dominus ad
Ieſum filium Naue: In hodierna die abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Et vocauit nomen loci illius Galgala.
10 Et fecerunt filij Iſrael Paſcha quartadecima die menſis à veſpera ſuper Occaſum Hierico trans Iordanem in
cãpo.
11 Et comederũt de frumẽto terræ azyma, & noua.
12 In hac die defecit Mãna: poſtquã ipſi mãduca
uerũt de frumẽto terræ, & nõ vltra affuit filijs Iſrael Mãna: & comederũt de fructu regionis Phenicũ i anno illo

Et fa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Cum autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum?
14 Qui reſpondit: Nequaquam: ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.
15 Cecidit Ioſue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum:
16 a Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Feceitque Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum.

a Exo.3.5. Act.7.33.

### CAP. VI.

1 IEricho autem clauſa erat, atque munita, timore filiorum Iſrael, & nullus egredi audebat, aut ingredi.
2 Dixitque Dominus ad Ioſue: Ecce dedi in manu tua Iericho, & regem eius, omneſque fortes viros.
3 Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus.
4 Septimo autem die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, & præcedant arcam fœderis: ſeptieſque circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis.
5 Cumque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturque ſinguli per locum contra quem ſteterint.
6 Vocauit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: & ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem iubileorum buccinas, & incedant ante arcam Domini.
7 Ad populum quoque ait: Ite & circuite ciuitatem, armati, præcedentes arcam Domini.
8 Cumque Ioſue verba finiſſet, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini:
9 Omniſque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.
10 Præceperat autem Ioſue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini.

Cir-

## Trans. Lex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et fuit, dum eſſet Iehoſuah in Iericho, leuauit oculos ſuos, & vidit, & ecce vir ſtabat contra eũ, & gladius eius euaginatus in manu eius, & iuit Iehoſuah ad eũ, & ait ei: Ex noſtris es, an ex aduerſarijs nr̃is?*
14 *Et dixit: Non: ſed ſum princeps exercitus Domini, nunc veni.*
15 *Et cecidit Iehoſuah in faciem ſuam in terram. Et adorauit, & dixit ei: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum:*
16 *Et dixit princeps exercitus Domini ad Iehoſuah: Solue calceamentum tuum de pede tuo: quia locus ſuper quo tu ſtas ſanctitas eſt. Et fecit Iehoſuah ſic.*

### CAP. VI.

1 a *ET Iericho claudebat viros ſuos, & clauſa erat propter filios Iſrael, non erat egrediens, nec ingrediens.*
2 *Dixitque Dominus ad Iehoſuah: Vide dedi in manu tua Iericho, & regem eius, potentes exercitus.*
3 *Et circuibitis ciuitatem omnes viri bellatores girando ciuitatem ſemel: ſic facies ſex diebus.*
4 *Et ſeptem ſacerdotes tollent ſeptem tubas arietinas ante arcam: die autem ſeptima circuibunt ciuitatem ſeptem vicibus, & ſacerdotes clangent tubis.*
5 *Et erit, quando protrahent ſonitum cum cornu arietino, cum audieretis vocem tubæ, vociferabuntur omnis populus vociferatione magna, & cadet murus ciuitatis ſubter ea, & aſcendent populus quiſque è regione ſui.*
6 *Et vocauit Iehoſuah filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: & ſeptem ſacerdotes tollant ſeptem tubas arietinas coram arca Domini.*
7 *Dixitque ad populum: Tranſite, & circuite ciuitatem, & armatus tranſeat ante arcam Domini.*
8 *Et fuit cum diceret Iehoſuah ad populum ſeptem ſacerdotes tollentes ſeptem tubas arietinas ante arcam Domini tranſierunt, & clanxerunt tubis, & arca fœderis Domini ibat poſt eos:*
9 *Et armatus ibat ante ſacerdotes clangentes tubis, & aggregatus ibat poſt arcam eundo, & clangendo tubis.*
10 *Populo autem præcepit Iehoſuah, dicendo: Non clamabitis, & non facietis audire vocem veſtrã, & non egredietur ex ore veſtro verbum vſque ad diem, quo dixero vobis: Clamate, & vociferate.*

*Et*

a Quæ hic numero 1. ponitur in Bibl. Sab. Pagn. habentur ad medio ſuperiori capite.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et factum eſt, cum eſſet Ieſus in Hiericho, & reſpiciens oculis vidit hominem ſtantem contra ſe, & gladius euaginatus in manu eius, & accedens Ieſus dixit ei: Noſter es, an aduerſariorum? 14 At ille dixit ei: Ego ſum princeps militiæ virtutis Domini, nunc adueni. 15 Et Ieſus cecidit in faciem ſuper terram. Et dixit ei: Domine, quid præcipis tuo famulo? 16 Et ait princeps militiæ Domini ad Ieſum: Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo nunc ſtas ſuper eum, ſanctus eſt.

### CAP. VI.

ET Hierico clauſa, ac munita, & nemo prodibat ex illa, neque introibat. 2 Et dixit Dominus ad Ieſum: Ecce trado tibi ſubiugatam Hierico, & regem eius, qui eſt in ea, potentes, qui ſunt in fortitudine. 3 Tu autem admoue ei bellatores in circuitu. 5 Et erit, poſtquam cecineritis tuba, conclamet omnis populus ſimul, & conclamantibus eis cadent ſponte mœnia ciuitatis, & introibit omnis populus impetum faciens vnuſquiſque ſecundum faciem in ciuitatem. 6 Et intrauit Ieſus filius Naue ad ſacerdotes, & dixit illis, dicens: Annunciate populo circumire, & circundare ciuitatem, & bellatores prætergrediantur armati ante Dominum. 8 Et ſeptem ſacerdotes habentes ſeptem tubas ſacras prætergrediantur ſimiliter ante Dominum, & ſignificent conſonanter, & arca teſtamenti Domini inſequatur: 9 Bellatores autem prætergrediantur in anteriori parte, & ſacerdotes claudentes agmen poſt arcam teſtamenti Domini clangentes. 10 Populo autem mandauit Ieſus, dicens: Ne clametis, neque audiat vllus vocem veſtram, quoaduſque diem annunciet ipſe acclamandi: & tunc acclamabitis.

Et cir-

## Vulgata Editio.

11 Circuiuit ergo arca Domini ciuitatem ſemel per diem, & reuerſa in caſtra, manſit ibi.

12 Igitur Ioſue de nocte conſurgente, tulerunt ſacerdotes arcam Domini:

13 Et ſeptem ex eis ſeptem buccinas, quarum in iubileo vſus eſt: præcedebantque arcam Domini ambulantes, atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat.

14 Circuieruntque ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus.

15 Die autem ſeptimo, diluculo conſurgentes, circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.

16 Cumque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes, dixit Ioſue ad omnem Iſrael: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus ciuitatem:

17 Sitque ciuitas hæc anathema: & omnia, quæ in ea ſunt, Domino. Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: * abſcondit enim nuncios quos direximus.

* Sup. 2. 7. Heb. 11. 31.

18 Vos autem cauete ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.

19 Quidquid autem auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri: Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius.

20 * Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat: * ceperuntque ciuitatem:

* Heb. 11. 30.

* 2. Mach. 12. 15.

21 Et interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt.

22 Duobus autem viris, * qui exploratores miſſi fuerant, dixit Ioſue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia, quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis.

* Sup. 2. 7.

23 * Ingreſſique iuuenes, eduxerunt Rahab, & parentes eius, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem, ac cognationem illius, & extra caſtra Iſrael manere fecerunt.

* Heb. 11. 31.

24 * Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea, ſuccenderunt; abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

* Inf. 8. 2.

Ra-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et circuiuit arca Domini ciuitatem girando ſemel: & venerunt ad caſtra, & manſerunt in caſtris.*

12 *Et ſurrexit Iehoſuah manè, & tulerunt ſacerdotes arcam Domini:*

13 *Et ſeptem ſacerdotes tollentes ſeptem tubas arietinas ante arcam Domini ambulabant eundo, & clanxerunt tubis: & armatus ibat ante eos, & recollectio ibat poſt arcam Domini eundo, & clangendo tubis.*

14 *Et circuierunt ciuitatem die ſecundo vice alia, & reuerſi ſunt ad caſtra. Sic fecerunt ſeptem diebus.*

15 *Et fuit, die ſeptimo ſurrexerunt, cum aſcendit aurora, & circuierunt ciuitatẽ, ſecundũ modũ hunc ſeptẽ vicibus, tñ die ipſa circuierũt ciuitatẽ ſeptẽ vicibus.*

16 *Et fuit, vice ſeptima clanxerunt ſacerdotes tubis, dixitque Iehoſuah ad populum: Clamate: quia tradidit Dominus vobis ciuitatem:*

17 *Et erit ciuitas anathema: & omnia, quæ ſunt in ea Domino. Tantum Rachab caupona viuet ipſa, & omnes, qui ſunt ſecum in domo: quia abſcondit nuncios quos miſimus.*

18 *Veruntamen cauete ab anathemate, ne fortè capiatis anathema, & tollatis de anathemate, & ponatis caſtra Iſrael in anathema, & turbetis ea.*

19 *Omne autem argentum, & aurum, & vaſa area, & ferrea: ſanctum eſt Domino, theſaurum Domini ingredietur.*

20 *Et clamauit populus, & clanxerunt tubis, & fuit, cum audiſſet populus vocem tubæ, clamauerunt populus clamore magno, & cecidit murus ſub ſe: & aſcendit populus in ciuitatem quiſquè è regione ſui: & ceperunt ciuitatem:*

21 *Et deſolauerunt omnia, quæ erant in ciuitate ab homine vſque ad mulierem à puero vſque ad ſenem. Et vſque ad bouem, & ouem, & aſinum acie gladij.*

22 *Duobus autem viris, qui explorauerant terram, dixit Iehoſuah: Ingredimini domum mulieris cauponæ, & educite inde mulierem, & omnia, quæ ſunt ei, quemadmodum iuraſtis ei.*

23 *Et ingreſſi ſunt pueri exploratores, & eduxerunt Rachab, & patrem eius, & matrem eius, & fratres eius, & omnia, quæ erant ei, & omnes familias eius eduxerunt, & poſuerunt eos extra caſtra Iſrael.*

24 *Et ciuitatem ſuccenderunt igni, & omnia, quæ erant in ea; tantum argentum, & aurum, & vaſa area, & ferrea, poſuerunt in theſauro domus Domini.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et circumiens arca teſtamenti Dei, ſtatim abijt in caſtra, & dormiuit ibi. 12 Et die ſecunda ſurrexit Ieſus manè, & leuauerunt ſacerdotes arcam teſtamenti Domini: 13 Et ſeptem ſacerdotes portantes ſeptem tubas præcedebant ante Dominum: & poſt hæc ingrediebantur bellatores, & reliqua turba poſt arcam teſtamenti Domini, & ſacerdotes clanxerunt tubis. 14 Et reliqua turba omnis circuiuit ciuitatẽ ſexies de propinquo, & abijt rurſus in caſtra. Sic faciebat per ſex dies. 15 Et die ſeptima ſurrexerunt diluculo, & circumierunt ciuitatem in die illa ſepties. 16 Et factũ eſt, circuitu ſeptimo clanxerunt ſacerdotes, & dixit Ieſus filijs Iſrael: Vociferamini: tradidit enim vobis Dñs ciuitatem: 17 Et erit ciuitas anathema: ipſa, & omnia, quæcunq; ſunt in ea, Dño Sabaoth. Tantum Raab meretricẽ incolumẽ ſeruate eã, & omnia quæcũque ſunt in domo eius. 18 Sed vos obſeruate valde ab anathemate, ne fortè in animũ inducentes vos ipſi ſumatis de anathemate, & faciatis caſtra filiorũ Iſrael anathema, & exteratis nos. 19 Et omne argentũ, vel aurũ, vel æs, vel ferrum, ſanctum erit Dño, in theſaurũ Domini inferetur. 20 Et clanxerunt tubis ſacerdotes, vt vero audiuit populus tubas, iubilauit vniuerſus populus ſimul iubilatione magna, & forti, & cecidit vniuerſus murus in circuitu: & aſcendit vniuerſus populus in ciuitatem. 21 Et anathemauit eam Ieſus, & quæcunque erant in ciuitate ab homine, & vſque ad mulierem, à iuuene, & vſque ad ſenem. Et vſque ad vitulum & ſubiugale in ore gladij. 22 Et ambobus iuuenibus, qui explorauerant, dixit Ieſus: Introite in domum mulieris, & educite eam inde, & quæcunque ſunt ei. 23 Et intrauerunt ambo iuuenes qui explorauerant ciuitatem, in domum mulieris, & eduxerunt Raab meretricem, & patrem eius, & matrem eius, & fratres eius, & cognationem eius, & omnia, quæcunque erant ei & collocarunt eam extra caſtra Iſrael. 24 Et ciuitas incenſa eſt in incendio cum omnibus, quæ in ea; tantummodo argentum, & aurum, & æs, & ferrum dederunt in theſaurum Domini inferri.

Et Raab

## Vulgat. Editio.

25 Rahab vero meretricem, & domum patris eius, & omnia,quæ habebat,fecit Ioſue viuere,& habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem: eo quòd abſconderit nuncios, quos miſerat vt explorarent Iericho. In tempore illo, imprecatus eſt Ioſue,dicens:

* 3. Reg. 16. 34.

26 * Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat,& in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.

27 Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.

### CAP. VII.

* Infra 22. 16.
* 1. Par. 2. 7.

1 Filij * autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate. * Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate: iratuſque eſt Dominus contra filios Iſrael.

2 Cumque mitteret Ioſue de Iericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethauen ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Aſcendite, & explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.

3 Et reuerſi dixerunt ei: Non aſcendat omnis populus,ſed duo,vel tria millia virorum pergant,& deleant ciuitatem: quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos?

4 Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum.Qui ſtatim terga vertentes:

5 Percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines: perſecutique ſunt eos aduerſarij de porta vſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt.

6 Ioſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſrael: miſeruntque puluerem ſuper capita ſua:

7 Et dixit Ioſue: Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.

8 Mi Domine Deus quid dicam,videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem?

Au-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et Rachab cauponam, & domum patris eius, & omnia,quæ erant ei, viuere fecit Iehoſuah, & habitauit in medio Iſrael vſque ad diem hanc: quia abſcondit nuncios, quos miſerat Iehoſuah ad explorandum Iericho. Et adiurauit Iehoſuah in tempore illo, dicendo:*

26 *Maledictus vir ante Dominum, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem iſtam Iericho. In primogenito ſuo fundat eam, & in paruo ſuo ſtatuat portas eius.*

27 *Et fuit Dominus cum Iehoſuah, & fama eius fuit in omni terra.*

### CAP. VII.

1 *ET præuaricati ſunt filij Iſrael præuaricationem in anathemate. Tulitque Hachan filius Charmi filij Zabdi, filij Zerach de tribu Iehudah de anathemate: & iratus eſt furor Domini contra filios Iſrael.*

2 *Miſit autem Iehoſuah viros de Iericho in Hai, quæ eſt iuxta Bethauen ad Orientem Bethel, dixitque ad eos,dicendo: Aſcendite, & explorate terram. Et aſcenderunt viri,& explorauerunt Hai.*

3 *Et reuerſi ſunt ad Iehoſuah, atque dixerunt illi: Non aſcendat omnis populus, circiter duo millia virorum, vel circiter tria millia virorum aſcendat, & percutiant Hai: ne laborare facias illuc omnem populum,quia pauci ſunt?*

4 *Et aſcenderunt è populo illuc ferè tria millia virorum. Et fugerunt coram viris Hai:*

5 *Et percuſſerunt ex eis viri Hai fermè triginta & ſex viros: & perſecuti ſunt eos coram porta vſque ad Sebarim, & percuſſerunt eos in deſcenſu: & liquefactum eſt cor populi,& fuit velut aqua.*

6 *Et ſcidit Iehoſuah veſtimenta ſua & cecidit in faciem ſuam in terram coram arca Domini vſque ad veſperam ipſe,& ſenes Iſrael: & aſcendere fecerunt puluerem ſuper caput ſuum:*

7 *Dixitque Iehoſuah: Ahah Domine Deus, vt quid tranſire feciſti, tranſire faciendo populum hunc Iarden,vt traderes nos in manum Emorræi, vt perdere faceres nos? & vtinam voluiſſemus, & manſiſſemus trans Iarden.*

8 *O Domine quid dicam,poſtquam vertit Iſrael ceruicem coram inimicis ſuis?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et Raab meretricem,& vniuerſam domum eius paternam viuificauit Ieſus,& habitauit in Iſrael vſque in hó-
diernam diem: eo quod occultauit exploratores,quos miſerat Ieſus ad explorandam Hiericho. Et iurauit Ieſus
in die illa ante Dominum,dicens: 16 Maledictus homo,qui ædificabit ciuitatem hanc. In primogenito ſuo
fundabit eam,& in minimo ſuo collocabit portas eius, & ita fecit Hozan, qui ex Bæthel,in Abiron primogenito
fundauit eam,& in ſaluato nouiſſimo impoſuit portas eius. 27 Et fuit Dominus cum Ieſu, & fuit
nomen eius per omnem terram.

### CAP. VII.

ET deliquerunt filij Iſrael delictum magnum,& vſurpauerunt de anathemate. Et ſumpſit Achar filius Char-
mi,filij Zambri,filij Zara ex tribu Iuda de anathemate: & indignatus eſt Dominus ira filijs Iſrael.
2 Et miſit Ieſus viros in Gai,quæ eſt contra Bethel,dicens: Explorate Gai.Et aſcenderunt viri,& explorauerunt
Gai. 3 Et reuerterunt ad Ieſum, & dixerunt ad eum: Non aſcendat omnis populus, ſed quaſi bis mille,
aut ter mille viri aſcendant,& expugnent ciuitatem: ne adduxeris illuc populum vniuerſum pauci enim ſunt?
4 Et aſcenderunt circiter ter mille viri.Et fugerunt à facie virorum Gai. 5 Et interfecerunt de eis viri
Gai ad triginta ſex viros: & perſequuti ſunt eos à porta, & contriuerunt eos à decliuis & expauit cor populi, &
factum eſt,vt aqua. 6 Et diſcidit Ieſus veſtimenta ſua,& cecidit Ieſus ſuper terram in faciem ante Do-
minum vſque ad veſperam,ipſe, & ſeniores Iſrael: & miſerunt puluerem ſuper capita ſua:
7 Et ait Ieſus: Precor Domine, vt quid tranſierit puer tuus populum hunc Iordanem ad tradendum eum A-
morrhæo,ad perdendum nos? & vtinam manſiſſemus,atque habitaſſemus apud Iordanem.
9 Et quid dicam,quia vertit Iſrael ceruicem coram inimico ſuo?

Et au-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo?

10 Dixitque Dominus ad Ioſue: Surge, cur iaces pronus in terra?

11 Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.

12 Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate. Non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.

13 Surge, ſanctifica populum, & dic eis: * Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema in medio tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere.

* Sup. 3. 5. Leu. 20. 8. Num. 11. 18. 1. Re. 16. 5.

14 Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quamcumque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros.

15 Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael.

16 Surgens itaque Ioſue mane, applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inuenta eſt tribus Iuda.

17 Quæ cum iuxta familias ſuas eſſet oblata, inuenta eſt familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi:

18 Cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi: filij Zare de tribu Iuda.

19 Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.

20 Reſponditque Achan Ioſue, & dixit ei: Vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic & ſic feci.

21 Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui.

22 Miſit ergo Ioſue miniſtros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcôdita in eodem loco, & argentum ſimul.

Au-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et audient Chenahanæi, & omnes habitatores terra, & vertent ſe contra nos, & diſperdent nomen noſtrum è terra: & quid facies nomini tuo magno?*

10 *Dixitque Dominus ad Iehoſuah: Surge, vt quid tu cadis in faciem tuam?*

11 *Peccauit Iſrael, & etiam tranſgreſſi ſunt pactum meum, quod præcepi eis: & etiam tulerunt de anathemate, & etiam furati ſunt, & etiam mētiti ſunt, & etiam poſuerunt inter vaſa ſua.*

12 *Et non poterunt filij Iſrael ſtare coram inimicis ſuis, ceruicem vertet coram inimicis ſuis: quia fuerunt in anathemate. Non addam eſſe vobiſcum niſi diſperdatis anathema è medio veſtri.*

13 *Surge, ſanctifica populum, & dices: Sanctificate vos in craſtinum: ſic enim dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema eſt in medio tui Iſrael: non poteris ſtare coram inimicis tuis, donec remoueatis anathema è medio veſtri.*

14 *Accedetiſq; mane per tribus veſtras: & erit tribus quā ceperit Dominus, accedet per familias, & familia quā ceperit Dominus, accedet p domos, & domus quam comprehenderit Dominus, accedet per viros.*

15 *Et erit, qui deprehenſus fuerit in anathemate comburetur igni ipſe, & omnia, quæ ei ſunt: quia tranſgreſſus eſt pactum Domini, & quia fecit nephas in Iſrael.*

16 *Et ſurrexit Iehoſuah mane, & applicuit Iſrael per tribus ſuas & deprehenſa eſt tribus Iehudah.*

17 *Et applicuit familiam Iehudah, & deprehendit familiam Zarchi. Et applicuit familiam Zarchitam per domos, & deprehenſa eſt Zabdi:*

18 *Et applicuit domum eius per viros, & deprehenſus eſt Hachan filius Charmi, filij Zabdi: filij Zerach de tribu Iehudah.*

19 *Dixitque Iehoſuah ad Hachan: Fili mi, pone quæſo gloriam Domino Deo Iſrael, & da ei cōfeſſionem, & indica quæſo mihi quid feceris, ne abſcondas à me.*

20 *Reſpondit Hachan ad Iehoſuah, & ait: Vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, & tale, & tale feci.*

21 *Vidi inter ſpolia pallium babylonicum vnum bonū, & ducentos ſiclos argenteos, & virgam aureā vnam quinquaginta ſiclorum pondus eius: & concupiui ea, & tuli ea, & ecce abſcondita ſunt in terra in medio tabernaculi mei, & argentum ſub eo.*

22 *Et miſit Iehoſuah nuncios, & cucurrerunt ad tabernaculum, & ecce abſconditum erat in tabernaculo eius, & argentum ſub eo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et audiens Chananæus, & omnes inhabitantes terram vndique circundabunt nos, & exterent nos de terra: & quid facies nomen tuum magnum? 10 Et dixit Dominus ad Ieſum: Surge, vt quid hoc tu cecidiſti in faciem tuam? 11 Peccauit populus, & tranſgreſſus eſt teſtamentum, quod diſpoſui ad eos: furati de anathemate iniecerunt in vaſa ſua. 12 Et non poterunt filij Iſrael ſubſiſtere ad faciem inimicorum ſuorum, ceruicem vertent coram inimicis ſuis: quia facti ſunt anathema. Non adijciam vltra eſſe vobiſcum, niſi abſtuleritis anathema ex vobis ipſis. 13 Surgens ſanctifica populum, & dic: Vt ſanctificentur in craſtinum: hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema eſt in vobis: non poteritis reſiſtere coram inimicis veſtris, quoadusque abſtuleritis anathema ex vobis. 14 Et congregabimini omnes mane per tribus: & erit tribus, quam oſtenderit Dominus, applicabitis per populos, & populum, quem oſtenderit Dominus, applicabitis per domum: & domum, quam oſtenderit Dominus, applicabitis per virum. 15 Et quicumque deprehenſus fuerit, comburetur in igni, & omnia, quæcumque ſunt ei: quoniam tranſgreſſus eſt teſtamentum Domini, & fecit iniquitatem in Iſrael. 16 Et diluculo ſurrexit Ieſus, & applicuit populum per tribus, & deprehenſa eſt tribus Iuda. 17 Et applicata eſt per populos, & deprehenſus eſt populus Zarai. 18 Et applicatus eſt per viros: & deprehenſus eſt Achar filius Zambri, filij Zara. 19 Et dixit Ieſus ad Achar: Da gloriam hodie Domino Deo Iſrael, & da confeſſionem, & annuncia mihi, quid feciſti, & ne abſcondas à me. 20 Et reſpondit Achar Ieſu, & dixit: Vere peccaui coram Domino Deo Iſrael, ſic, & ſic feci. 21 Vidi in præda veſtem variam, & ducentas didrachmas argenti, & linguam vnam auream quinquaginta didrachmatum, & animo commotus illa cepi: & ecce ipſa abſcondita ſunt in tabernaculo meo, & argentum occultatum eſt ſub eis. 22 Et miſit Ieſus nuncios: & cucurrerunt ad tabernaculum in caſtra, & hæc erant abſcondita in tabernaculo eius, & argentum ſub eis.

Et ex-

## Vulgat. Editio.

23 Auferenteſque de tentorio tulerunt ea ad Ioſue, & ad omnes filios Iſrael, proiecerũtque ante Dominum.

* 1. Reg. 18.17.

24 * Tollens itaque Ioſue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues & aſinos, & oues, ipſumque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem: (& omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor:

25 Vbi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Iſrael: & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.

26 Congregaueruntque ſuper eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis. Vocatumque eſt nomen loci illius, vallis Achor, vſque hodie.

### CAP. VIII.

1 DIxit autem Dominus ad Ioſue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua regem eius, & populum, vrbemque & terram.

* Sup. 6.24

2 Facieſque vrbi Hai, & regi eius, * ſicut feciſti Iericho, & regi illius: prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis: pone inſidias vrbi poſt eam.

3 Surrexitque Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcéderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte:

4 Præcepitque eis, dicens: Ponite inſidias poſt ciuitatem: nec longius recedatis: & eritis omnes parati.

* Sup. 7.4

5 * Ego autem & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, accedemus ex aduerſo contra vrbem. Cumque exierint contra nos, ſicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus:

6 Donec perſequentes ab vrbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere, ſicut prius.

7 Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis ciuitatem: tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras.

8 Cumque cęperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, vt iuſſi.

9 Dimiſitque eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntque inter Bethel, & Hai, ad Occidentalem plagam vrbis Hai: Ioſue autem nocte illa in medio manſit populi:

Sur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et tulerunt ea de medio tabernaculi, & adduxerunt ea ad Iehoſuah, & ad omnes filios Iſrael, & ſtatuerunt ea coram Domino.*

24 *Et tulit Iehoſuah Hachan filium Zerach, & argentum, & pallium, & virgam auream, & filios eius, & filias eius, & boues eius, & aſinos eius, & pecora eius, & tabernaculum eius, & omnia, quæ erant ei: & omnis Iſrael cum eo, & aſcendere fecerunt eos in valle Hachor:*

25 *Dixitque Iehoſuah: Cur turbaſti nos, turbet te Dominus in die hac. Et obruerũt eũ oẽs Iſrael lapidib⁹: & cõbuſſerunt eos igni, & lapidauerũt eos lapidibus.*

26 *Et ſtatuerunt ſuper eum aceruum lapidum magnũ vſque ad diem hanc. Et auerſus eſt Dominus ab ira furoris ſui. Ideo vocauit nomen loci illius vallem Hachor, vſque ad diem hanc.*

### *CAP. VIII.*

1 *DIxitque Dominus ad Iehoſuah: Ne timeas, & ne terrearis: tolle tecum omnem populum bellatorem, & ſurge aſcende in Hai. Vide, dedi in manu tua regem Hai, & populum eius, & ciuitatem eius, & terram eius.*

2 *Facieſque Hai, & regi eius, quẽadmodũ feciſti Iericho, & regi eius: tãtũ ſpolia eius, & aĩalia eius prædabimini vobis: pone inſidias ciuitati à tergo eius.*

3 *Et ſurrexit Iehoſuah, & omnis populus bellator, vt aſcenderent in Hai: & elegit Iehoſuah triginta millia virorum fortium virtutis, & miſit eos nocte:*

4 *Et præcepit eis, dicendo: Videte inſidiamini ciuitati à tergo ciuitatis, ne elongetis vos ab vrbe valdè: ſed eſtote omnes vos parati.*

5 *Ego autem, & omnis populus, qui mecum eſt accedemus ad vrbem. Et erit, cum exierit in occurſum noſtrum ſicuti prius, fugiemus ante eos:*

6 *Et egredientur poſt nos, donec euellamus eos ab vrbe, dicent enim: fugiunt ante nos, vt prius.*

7 *Et fugiemus ante eos: vos autem ſurgetis ex inſidijs, & expelletis habitatores ciuitatis: tradetque eam Dominus Deus veſter in manu veſtra.*

8 *Et erit, cũ ceperitis ciuitatẽ, ſuccendẽtis ciuitatẽ igni, iuxta verbum Domini facietis, videte præcepi vobis.*

9 *Et miſit eos Iehoſuah, & perrexerunt ad inſidias, & manſerunt inter Bethel, & Hai ab Occidente Hai: & manſit Iehoſuah nocte illa in medio populi:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et exportauerunt ea de tabernaculo, & attulerunt ad Ieſum, & ſeniores Iſrael, & poſuerunt ea ante Dominum. 24 Et cepit Ieſus Achar filium Zara, & duxit eum in vallem Achor & filios eius, & filias eius, & vitulos eius, & ſubiugalia eius, & omnes oues eius, & tabernacula eius, & omnia, quæ erant eius: & omnis populus cum eo, & adduxit eos in Emec Achor: 25 Et ait Ieſus ad Achar: Quid turbaſti nos, exturbet te Deus, ſecundum quæ & hodie. Et lapidauerunt eum lapidibus omnis Iſrael. 26 Et ſuperpoſuerunt ei aceruum lapidum magnum. Et ceſſauit Dominus ab indignatione iræ. Propter hoc cognominauit illud Emec Achor, vſque in diem hanc.

### CAP. VIII.

ET dixit Dominus ad Ieſum: Ne timeas, neque formides: ſume tecum omnes viros bellatores, & ſurgens aſcende in Gai. Ecce dedi in manus tuas regem Gai, & terram eius. 2 Et facies Gai, quemadmodum feciſti Hiericho, & regem eius: & prædam pecorum prædaberis tibi: colloca autem tibi inſidias ciuitati retrorſum. 3 Et ſurrexit Ieſus, & omnis populus bellator ad aſcendendum in Gai: elegit autem Ieſus triginta millia virorum potentes in fortitudine, & miſit eos nocte: 4 Et mandauit eis, dicens: Vos inſidiabemini poſt ciuitatem: & non longe eritis à ciuitate: & eritis omnes parati. 5 Et ego, & omnes, qui mecum, accedemus ad ciuitatem. Et erit, cum exierint, qui commorantur in Gai, in obuiam nobis, ſicut & antea, & fugiemus à facie eorum: 6 Et cum exierint poſt nos, abducemus illos à ciuitate, & dicent: fugiunt hi à facie noſtra, ſicut & antea. 7 Vos autem exurgetis de inſidijs, & ibitis in ciuitatem. 8 Secundum verbum iſtum facietis, ecce præcepi vobis. 9 Et miſit eos Ieſus, & ierunt ad inſidias, & inſederunt inter Bethel, & Gai à mari ipſius Gai.

Et ſur-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

10 Surgenſque diluculo recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.

11 Cumque veniſſent, & aſcendiſſent ex aduerſo ciuitatis, ſteterunt ad Septentrionalem vrbis plagam, inter quam & eos erat vallis media.

12 Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidijs inter Bethel, & Hai ex Occidentali parte eiuſdem ciuitatis:

13 Omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciē dirigebat, ita vt nouiſſimi illius multitudinis Occidentalem plagam vrbis attingerent. Abijt ergo Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio.

14 Quod cum vidiſſet rex Hai, feſtinauit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu ciuitatis, direxitque aciem contra deſertum, ignorans, quòd poſt tergum laterent inſidiæ.

15 Ioſue vero, & omnis Iſrael ceſſerunt loco, ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam.

16 At illi vociferantes pariter, & ſe mutuo cohortantes, perſecuti ſunt eos. Cūque receſſiſſent à ciuitate:

17 Et ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſrael (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes:)

18 Dixit Dominus ad Ioſue: Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19 Cumque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim: & pergentes ad ciuitatem, ceperunt, & ſuccenderunt eam.

20 Viri autem ciuitatis, qui perſequebantur Ioſue, reſpicientes, & videntes fumum vrbis ad cœlum vſque conſcendere, non potuerunt vltra huc illucque diffugere: præſertim cum hi, qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſime reſtitiſſent.

21 Videnſque Ioſue, & omnis Iſrael, quod capta eſſet ciuitas, & fumus vrbis aſcenderet, reuerſus percuſſit viros Hai.

22 Siquidem & illi, qui ceperant, & ſuccenderant ciuitatem, egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt. Cum ergo ex vtraque parte aduerſarij cæderentur, ita vt nullus de tanta multitudine ſaluaretur:

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et ſurrexit Iehoſuah mane, & numerauit populum, & aſcendit ipſe, & ſenes Iſrael ante populum ad Hai.*

11 *Et omnis populus bellator, qui erat ſecum, aſcenderunt, & appropinquauerunt, & venerunt contra ciuitatem, & caſtrametati ſunt ab Aquilone ipſi Hai, & vallis erat inter eum, & inter Hai.*

12 *Et tulit circiter quinque millia virorum, & poſuit eos in inſidijs inter Bethel, & inter Hai ab Occidente ipſi ciuitati:*

13 *Et poſuerunt populus omnia caſtra, quæ erant ab Aquilone ipſi ciuitati, & inſidias eius ab Occidente ipſi ciuitati. Et perrexit Iehoſuah nocte illa in medium vallis.*

14 *Et fuit, cum videret rex Hai, feſtinauerunt, & ſurrexerunt, & egreſſi ſunt homines ciuitatis in occurſum Iſrael in prælium ipſe, & omnis populus eius ad tempus conſtitutum ante campeſtria, & neſciebat, quòd inſidiæ eſſent ſibi à tergo ciuitatis.*

15 *Et ceſſi ſunt Iehoſuah, & omnis Iſrael ante eos, & fugerunt per viam ſolitudinis.*

16 *Et vociferati ſūt omnis populus in ciuitate perſequēdo eos, & perſecuti ſūt Iehoſuah. Et euulſi ſūt à ciuitate:*

17 *Et non eſt relictus vir de Hai, & Bethel, qui non egreſſi ſunt poſt Iſrael, & reliquerunt ciuitatem apertam, & perſecuti ſunt Iſrael:*

18 *Dixit autem Dominus ad Iehoſuah: Extende haſtam, quæ eſt in manu tua contra Hai, quia in manu tua dabo eam.*

19 *Et extendit Iehoſuah haſtam, quæ erat in manu ſua contra ciuitatem, & inſidiæ ſurrexerunt feſtinanter de loco ſuo, & cucurrerunt, cum extendiſſet manū ſuā: & venerunt ad ciuitatem, atque ceperunt eam, & feſtinauerunt, & ſuccenderunt ciuitatem igni.*

20 *Et verterunt ſe viri Hai poſt ſe, & viderunt, & ecce aſcendebat fumus ciuitatis ad cœlum, & non erant in eis loca ad fugiendum huc, & illuc: & populus, qui fugerat in deſertum conuerſus eſt ad perſequentem.*

21 *Et Iehoſuah, & omnis Iſrael viderunt, quòd cepiſſent inſidiæ ciuitatem, & aſcendiſſet fumus ciuitatis, & reuerſi ſunt, & percuſſerunt viros Hai.*

22 *Et illi egreſſi ſunt de ciuitate in occurſum eorum, & fuerunt Iſraeli in medio iſti hinc, & inde. Et percuſſerunt eos vſquequo non remaneret ex eo ſuperſtes, & euaſor:*

*Re-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et ſurgens Ieſus mane recognouit populum, & aſcenderunt ipſe, & ſeniores ad faciem populi ſuper Gai, &
omnis populus bellator cum eo aſcenderunt. 11 Et pergentes venerunt
ex aduerſo ciuitatis ab Oriente. 12 Et inſidiæ ciuitatis à mari.
14 Et factum eſt, vt vidit rex Gai, feſtinauit, & exijt in occurſum eis rectà in prælium, ipſe, & omnis populus, qui
cum eo, & ipſe non ſciebat, quia inſidiæ ſibi ſunt poſt ciuitatem.
15 Et vidit, & receſſit Ieſus, & Iſrael à facie eorum. 16 Et perſequuti ſunt poſt filios Iſrael. Et ipſi abſceſſerunt à ciuitate:
17 Non remanſit quiſquam in Gai, qui non perſequeretur poſt Iſrael, & reliquerunt ciuitatem apertam, & perſequuti ſunt poſt Iſrael: 18 Et dixit Dominus ad Ieſum: Extende manum tuam
in Gæſo, quod in manu tua, contra ciuitatem, in manus enim tuas tradidi eam, & inſidiæ exurgent velociter de
loco ſuo. 19 Et extendit Ieſus manum ſuam, Gæſum in ciuitatem, & inſidiæ
ſurrexerunt velociter de loco ſuo, & exierunt, quando extendit manum, & intrauerunt in ciuitatem, & ceperunt
eam: & feſtinantes incenderunt ciuitatem in igni.
20 Et circumſpicientes habitatores Gai in poſteriora ſua, & ſpectabant fumum aſcendentem de ciuitate in cœlum: & non vltra habebant, quo fugerent huc, vel huc.
21 Et Ieſus, & omnis Iſrael viderunt, quia ceperant inſidiæ ciuitatem, & quia aſcenderat fumus ciuitatis in cœlum, & conuerſi percuſſerunt viros Gai.
22 Et hi exierunt de ciuitate in occurſum, & facti ſunt inter medium caſtrorum hi hinc, & hi hinc. Et percuſſerunt eos, quoaduſque nemo remanſit ſaluus, & qui euaſerit:

*Qui numero 13. correſpondere deberēt abſunt à Tralat. Septuag. Interp. Romanæ editionis.

Et re-

## Vulgat. Editio.

23 Regem quoque vrbis Hai apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Ioſue.

24 Igitur omnibus interfectis, qui Iſraelem ad deſerta tendentem fuerant perſecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reuerſi filij Iſrael percuſſerunt ciuitatem.

25 Erant autem, qui in eodem die conciderant à viro vſque ad mulierem duodecim millia hominum omnes vrbis Hai.

26 Ioſue vero non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27 Iumenta autem, & prædam ciuitatis diuiſerunt ſibi filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Ioſue.

28 Qui ſuccendit vrbem, & fecit eam tumulum ſempiternum:

29 Regem quoque eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam, & ſolis Occaſum. Præcepitque Ioſue, & depoſuerunt cadauer eius de cruce: proiecerüntque in ipſo introitu ciuitatis, congeſto ſuper eum magno aceruo lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem.

30 Tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal:

31 * Sicut præceperat Moyſes famulus Domini filijs Iſrael, & ſcriptum eſt in volumine legis Moyſi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit ſuper eo holocauſta Domino, immolauitque pacificas victimas.

* Exo. 20. 21. Deut. 27. 4.

32 Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomiū legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filijs Iſrael.

33 Omnis autem populus, & maiores natu, ducéſque ac iudices ſtabant ex vtraque parte arcæ, in conſpectu ſacerdotum, qui portabant arcam fœderis Domini, vt aduena ita & indigena. Media pars eorum, iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, ſicut præceperat Moyſes famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Iſrael.

34 Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ ſcripta erant in legis volumine.

35 Nihil ex his, quę Moyſes iuſſerat, reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſrael, mulieribus, ac paruulis, & aduenis, qui inter eos morabantur.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Regemque Hai ceperunt viuum, & accedere fecerūt eum ad Iehoſuah.*

24 *Et fuit cum compleuiſſet Iſrael occidere omnes habitatores Hai, tam in agro, quam in deſerto, in quo perſecuti fuerant eos, & cecidiſſent omnes ipſi acie gladij, donec cōſumerentur, reuerſi ſunt omnis Iſrael ad Hai, & percuſſerunt eam acie gladij.*

25 *Et fuerunt omnes, qui ceciderunt in die illa viro vſque ad mulierem, duodecim millia, omnes viri Hai.*

26 *Et Iehoſuah non reduxit manum ſuam, quam extenderat cum lancea, donec interficerat omnes habitatores Hai.*

27 *Tantum animalia, & ſpolia ciuitatis eius prædati ſunt ſibi filij Iſrael, iuxta verbum Domini, quod præcepit ipſi Iehoſuah.*

28 *Et ſuccendit Iehoſuah Hai, & poſuit eam tumulum ſempiternum deſolationem vſque ad diem hanc:*

29 *Et regem Hai ſuſpendit in ligno vſque ad tempus veſpertinum, & cum occubuiſſet ſol. Præcepit Iehoſuah, & depoſuerunt cadauer eius de ligno, & proiecerunt illud ad oſtium portæ ciuitatis, & ſtatuerunt ſuper illud aceruum lapidum grandem vſque ad diem hanc.*

30 *Tunc ædificauit Iehoſuah altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal:*

31 *Quemadmodum præcepit Moſeh ſeruus Domini filijs Iſrael, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro legis Moſeh: Altare ex lapidibus integris, ſuper quos non fecit eleuare ferrum: & immolauerunt ſuper illud holocauſta Domino, & ſacrificauerunt pacifica.*

32 *Et ſcripſit ibi in lapidibus Deuteronomiū legis Moſeh, quod ſcripſit coram filijs Iſrael.*

33 *Et omnis Iſrael, & ſeniores eius, & præfecti, & iudices ſtabant hinc, & inde ad arcam coram ſacerdotibus Leuitis portantibus arcam fœderis Domini ſicut peregrinus ſic indigena. Medietas eius contra mōtem Gharizim, & medietas eius contra montem Hebal, quemadmodum præcepit Moſeh ſeruus Domini. Vt benediceret populo Iſrael primum.*

34 *Et poſtea legit omnia verba legis, benedictionem, & maledictionem, iuxta omne quod ſcriptum eſt libro legis.*

35 *Non fuit verbum ex omnibus, quæ præcepit Moſeh, quod non legerit Iehoſuah coram omni cœtu Iſrael, & mulieribus, & paruulis, & peregrinis, ambulantibus in medio eorum.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et regem Gai ceperunt viuum, & adduxerunt eum ad Ieſum. 24 Et poſtquam ceſſauerunt filij Iſrael
interficientes omnes, qui in Gai, & qui in campis, & in monte ſuper deſcenſum, quo perſequuti ſunt eos ab ea in
finem, & reuertit Ieſus in Gai, & percuſſit eam in ore gladij. 25 Et fuerunt, qui ceciderunt in die illa à
viro & vſque ad mulierem, duodecim millia, omnes inhabitantes Gai. * 27 Præter ſpolia, quæ in ciuitate, omnia,
quæ prædati ſunt ſibi filij Iſrael iuxta præceptum Domini, quemadmodum conſtituit Dominus Ieſu.
28 Et incendit Ieſus ciuitatem in igni, tumulum inhabitabilem in ſæculum poſuit eam vſque in diem hanc:
29 Et regem Gai ſuſpendit ſuper lignum geminum, & fuit ſuper lignum vſque ad veſperam. Et Occidente ſole
præcepit Ieſus, & depoſuerunt corpus illius de ligno: & proiecerunt illud in foueam, & ſuperpoſuerunt ei aceruum
lapidum vſque in diem hanc. 30 Tunc ædificauit Ieſus altare Domino Deo Iſrael in monte Gebal:
31 Secundum quod mandauit Moyſes ſeruus Domini filijs Iſrael, ſecundum quæ ſcriptum eſt in lege Moyſi:
Altare lapidum integrorum ſuper quos non eſt miſſum ferrum: & aſcendere illuc fecit holocauſtomata Domino,
& ſacrificium ſalutaris. 32 Et ſcripſit Ieſus ſuper lapides Deuteronomium legem Moyſi coram filijs Iſrael.
33 Et omnis Iſrael, & ſeniores eorum, & iudices, & ſcribæ eorum iuxta ibant hinc, & hinc arcæ in conſpectu, &
ſacerdotes, & Leuitæ tulerunt arcam teſtamenti Domini, & aduena, & indigena, qui erant. Dimidium iuxta montem
Garizim, & quæ erant, dimidium iuxta montem Gabal, ſicut mandauit Moyſes ſeruus Domini. Ad benedicendum
populum in primis. 34 Et poſt hæc ſic recitauit Ieſus omnia verba legis huius, benedictiones, & maledictiones,
ſecundum omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi. 35 Non fuit verbum ex omnibus, quæ mandauit
Moyſes Ieſu, quod non legerit Ieſus in aures vniuerſæ eccleſiæ filiorum Iſrael, viris, & mulieribus, & paruulis,
& proſelytis, qui accedebant ad Iſrael.

* Quæ numero 26. reſpondere deberēt abſunt à Tranſlat. ex Septuaginta Romæ edita. * Quę hic ponuntur à numero nigriſsimo notato aſteriſco vſque ad finem capituli Tranſlat. ex Septuag. Romana habentur capitulo ſequenti poſt numerum ſecundum notatū aſteriſco.

CAP.

## Vulgata Editio.

### CAP. IX.

1 QVibus auditis, cuncti reges trans Iordanem, qui verſabantur in montanis, & campeſtribus, in maritimis, ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant iuxta Libanũ, Hethæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Heuæus, & Iebuſæus.

2 Congregati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue, & Iſrael vno animo, eademque ſententia.

3 At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta, quæ fecerat Ioſue, Iericho, & Hai:

4 Et callidè cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos, atque conſutos:

5 Calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittacijs conſuta erant, induti veteribus veſtimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in fruſta comminuti:

6 Perrexeruntque ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque viri Iſrael ad eos, atque dixerunt:

7 Ne forte in terra, quæ nobis forte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum.

8 At illi ad Ioſue: Serui inquiunt, tui ſumus. Quibus Ioſue ait: Qui nam eſtis vos? & vnde veniſtis?

9 Reſponderunt: De terra longinqua valde venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta, quæ fecit in Ægypto:

* Nu. 21. 23.

10 * Et duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Iordanem, Sehon regi Heſebon, & Og regi Baſan, qui erat in Aſtaroth:

11 Dixeruntque nobis ſeniores, & omnes habitatores terræ noſtræ: Tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam, & occurrite eis, & dicite: Serui veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum.

12 En, panes quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti.

13 Vtres vini nouos impleuimus, nunc rupti ſunt, & ſoluti, veſtes, & calceamenta quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt & penè conſumpta.

14 Suſceperunt igitur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. IX.

1 *ET fuit, cum audiſſent omnes reges, qui erant trans Iarden in monte, & in planicie, & in omni littore maris magni contra Lebanon, Chittæus, Emorræus, Chenahanæus, & Perizæus, Chiuæus, & Iebuſæus.*

2 *Congregati ſunt pariter ad pugnandum cum Iehoſuah, & Iſrael conſenſu vno.*

3 *Et habitatores Ghibhon audierunt, quod fecerat Iehoſuah ipſi Ierichò, & Hai:*

4 *Et fecerunt etiam ipſi callidè, & abierunt, & oſtenderunt ſe legatos, & tulerunt ſaccos veteres aſinis ſuis, & vtres vini veteres, & ſciſſos, & colligatos:*

5 *Et calciamina vetera, & reſarcita in pedibus ſuis, & veſtes veteres ſuper ſe: & omnes panes cibus eorum ſicci erant, & mucidi:*

6 *Et perrexerunt ad Iehoſuah in caſtra Ghilghal, dixeruntque ei, & ad virum Iſrael: E terra longinqua venimus, & nunc percutite nobiſcum fœdus. Dixitque vir Iſrael ad Chiuæum:*

7 *Fortè in medio mei tu habitas, & quomodo percutiam tecum fœdus.*

8 *Dixeruntque ad Iehoſuah: Serui tui ſumus. Dixitque ad eos Iehoſuah: Qui eſtis? & vnde veniſtis?*

9 *Et dixerunt ei: E terra longinqua valdè venerunt ſerui tui, in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam eius, & omnia, quæ fecit in Ægypto:*

10 *Et omnia, quæ fecit duobus regibus Emorræi, qui erant trans Iarden, Sichon regi Cheſbon, & Hog regi Baſan, qui erant in Haſhtaroth:*

11 *Dixeruntque nobis ſeniores noſtri, & omnes habitatores terræ noſtræ, dicendo: Tollite in manu veſtra eſcam pro itinere, & ite in occurſũ eorũ, ac dicite eis: Serui veſtri ſumus, & nũc percutite nobiſcũ fœdus.*

12 *Hunc panem noſtrum calidum, eſcam parauimus de domibus noſtris in die qua egreſſi ſumus, vt veniremus ad vos, & nunc ecce eſt ſiccus, & mucidus.*

13 *Et iſti vtres vini, quos impleuimus noui erant, & ecce ſciſſi ſunt, & iſta veſtimenta noſtra, & calciamina noſtra veterauerunt propter maximum iter.*

14 *Et acceperunt viri de eſca eorum, & os Domini non interrogauerunt.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. IX.

POſtquam autem audierunt reges Amorrhæorum, qui trans Iordanem, qui in montana, & qui in campeſtri, &
qui in vniuerſa maritima maris magni, & qui ad Antilibanũ & Chettei, & Chananæi, & Pherezæi, & Euæi,
& Amorrhæi, & Gergeſæi, & Iebuſæi. 2 Conuenerunt in idipſum ad expugnandum Ieſum, & Iſrael, ſimul omnes.
3 Et qui inhabitabant Gabaon, audierunt omnia, quæcumque fecit Dominus Hiericò, & Gai: 4 Et fecerunt etiam ipſi cum aſtutia, & euntes parauerunt cibaria, & apparârunt ſe, & ſumentes ſaccos veteres ſuper humeros ſuos, & vtres vini veteres, & diſruptos alligatos: 5 Et cauã calceamentorum ſuorum, & ſandalia ſua vetera, & pitacijs conſuta, & veſtimenta ſua inueterata ſuper ſe: & panis eorũ viatici aridus, & cariem paſſus, & corroſus:
6 Et venerunt ad Ieſum in caſtra Iſrael in Galgala, & dixerunt ad Ieſum, & Iſrael: De terra longinqua
venimus, & nunc diſponite nobis teſtamentum. Et dixerunt filij Iſrael ad Chorræum: 7 Vide, ne in me habites, & quomodo diſponam tibi teſtamentum. 8 Et dixerunt ad Ieſum: Famuli tui ſumus. Et dixit ad eos Ieſus:
Vnde eſtis? & vnde aduenistis? 9 Et dixerunt: De terra longinqua valdè venerunt pueri tui in nomine
Domini Dei tui: Audiuimus enim nomen eius, & quæcumque fecit in Ægypto: 10 Et quæcumque fecit regibus Amorrhæorũ, qui erãt trans Iordanẽ, Seon regi Amorrhæorũ, & Og regi Baſan, qui habitabat in Aſtaroth,
& in Edrain: 11 Et audiẽtes dixerũt ad nos ſeniores noſtri, & oẽs inhabitãtes terrã noſtrã, dicẽtes: Sumite vobis ipſis cibaria in viã, & ite in occurſum eorũ, & dicetis ad eos: Famuli tui ſumus, & nũc diſponite nobis teſtamentũ. 12 Hi ſunt panes, calidos in viaticũ accepimus eos in die, qua exiuimus aduenire ad vos, nunc autẽ exaruerũt, & facti ſunt corroſi. 13 Et hi vtres vini, quos impleuimus nouos, & hi rupti ſũt & veſtimẽta nr̃a, & calceamẽta nr̃a inueterauerũt ex multa via valde. 14 Et ſũpſerũt principes de cibarijs eorũ, & Dñm nõ interrogauerũt.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

*2. Reg. 21.1.*

15 *Feciṫque Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quod non occiderentur: principes quoque multitudinis iurauerunt eis.

16 Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent.

17 Mouerunt que caſtra filij Iſrael, & venerunt in ciuitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula ſunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim.

18 Et non percuſſerunt eos, eo quod iuraſſent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael. Murmurauit itaque omne vulgus contra principes.

19 Qui reſponderunt eis: Iurauimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere.

20 Sed hoc faciemus eis: Reſeruentur quidem vt viuant, ne contra nos, ira Domini concitetur, ſi peierauerimus:

21 Sed ſic viuant, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent. Quibus hæc loquentibus:

22 Vocauit Gabaonitas Ioſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt diceretis: Procul valde habitamus à vobis, cum in medio noſtri ſitis?

23 Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei.

24 Qui reſponderunt: Nunciatum eſt nobis ſeruis tuis, quod promiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſeruo ſuo, vt traderet vobis omnem terram, & diſperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, & prouidimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi, & hoc conſilium iniuimus.

25 Nunc autem in manu tua ſumus: quod tibi bonum, & rectum videtur, fac nobis.

26 Fecit ergo Ioſue, vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur.

27 Decreuitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, vſque in præſens tempus, in loco, quem Dominus elegiſſet.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et fecit cum eis Iehoſuah pacem, & percuſſit cum eis fœdus ad viuificandum eos: & iurauerunt eis, principes congregationis.*

16 *Et fuit, in fine trium dierum, poſtquam percuſſerunt cum eis fœdus, audierunt quòd propinqui eſſent ſibi, & in medio ſui habitarent.*

17 *Et profecti ſunt filij Iſrael, & venerunt ad ciuitates eorum die tertio, & ciuitates Ghibhon, & Chephirah, & Beeroth, & Chiriathiehari m.*

18 *Et non percuſſerunt eos filij Iſrael, quia iurauerant eis principes ſynagogæ per Dominum Deum Iſrael. Et murmurauit omnis ſynagoga contra principes.*

19 *Dixeruntque omnes principes ad omnem ſynagogã: Nos iurauimus eis per Dominum Deum Iſrael, & nunc non poſſumus contingere eos.*

20 *Hoc faciemus eis: Et faciendo viuere eos, & non erit contra nos ira propter iuramentum, quod iurauimus eis:*

21 *Et dixerunt ad eos principes: Viuant, & cædant ligna, & hauriant aquam omni ſynagogæ, quemadmodum locuti ſunt eis principes:*

22 *Et vocauit eos Iehoſuah, & locutus eſt ad eos, dicendo: Vt quid decepiſtis nos, dicendo: Longinqui ſumus à vobis valde, & vos in medio noſtri habitatis?*

23 *Et nunc maledicti eſtis, & non excidentur ex vobis ſerui, & cædentes ligna, & haurientes aquam domui Dei mei.*

24 *Et reſponderunt ad Iehoſuah, atque dixerunt: Cum indicando indicatum fuit ſeruis tuis omne, quod præcepit Dominus Deus tuus Moſeh ſeruo eius, vt daret vobis omnem terram, & diſperderet omnes habitatores terræ à facie veſtra. Timuimus valdè animabus noſtris à facie veſtra, & fecimus hoc.*

25 *Et nunc ecce ſumus in manu tua: ſicut placet, & ſicut rectum eſt in oculis tuis, vt facias nobis, fac.*

26 *Et fecit eis ita, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, & non interfecerunt eos.*

27 *Poſuitque eos Iehoſuah in die ipſa cæſores lignorum, & hauritores aquæ ſynagogæ, & altari Domini vſque ad diem hanc, in loco quem elegerit.*

CAP.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et fecit Ieſus erga eos pacem, & diſpoſuerunt ad eos teſtamentum ſaluandi eos: & iurauerunt eis principes
ſynagogæ. 16 Et factum eſt poſt tres dies poſtquam diſpoſuerant ad eos teſtamentum, audierunt,
quia prope ſe ſunt, & quia inter ſe habitant. 17 Et promouerunt filij Iſrael, & venerunt ad ciui-
tates eorum, ciuitates autem eorum Gabaon, & Cephira, & Berot, & ciuitates Larim. 18 Et non pu-
gnauerunt cum eis filij Iſrael, quoniam iurauerant eis omnes principes Dominum Deum Iſrael. Et murmura-
uerunt omnis ſynagoga ſuper principes. 19 Et dixerunt principes omni ſynagogæ: Nos iuraui-
mus eis Dominum Deum Iſrael, & nunc non poterimus tangere eos. 20 Hoc faciemus, viuifi-
cando eos: Et reſeruabimus eos, & non erit contra nos ira propter iuramentum, quod iurauimus eis:
21 Viuent, & erunt cædentes ligna, & portantes aquam omni ſynagogæ. Sicut dixerunt eis principes:
22 Et conuocauit eos Ieſus, & dixit eis: Cur decepiſtis me dicentes: Procul à te ſumus valde, vos autem de re-
gione eſtis habitantium in nobis? 23 Et nunc maledicti eſtis, non deficiet ex vobis ſeruus, neque cæ-
dens ligna, neque aquam portans mihi, & Deo meo. 24 Et reſponderunt Ieſu, dicentes: Annunciata
ſunt nobis, quæcumque præcepit Dominus tuus Moyſi puero ſuo, ad dandum vobis terram hanc, & exterminan-
dum nos, & omnes inhabitantes ſuper eam à facie veſtra. Et timuimus valdè de animabus noſtris à facie ve-
ſtra, & fecimus rem hanc. 25 Et nunc ecce nos ſubiugati vobis: prout placet vobis, & prout videtur
vobis, facite nobis. 26 Et fecerunt eis ita, & eripuit eos Ieſus in die illa de manibus filiorum Iſrael, &
non occiderunt eos. 27 Et conſtituit eos Ieſus in die illa cæſores lignorum, & portatores aquæ omni
ſynagogæ, & altari Dei, propter hoc facti ſunt habitatores Gabaon cæſores lignorum, & portatores aquæ altaris,
vſque in hodiernam diem, & ad locum, quem elegerit Dominus.

## Vulgat. Editio.

### CAP. X.

1 QVæ cum audiſſet Adoniſedec rex Ieruſalem, quòd ſcilicet cepiſſet Ioſue Hai, & ſubuertiſſet eam (ſicut enim fecerat Iericho, & regi eius, ſic fecit Hai, & regi illius) & quòd tranſfugiſſent Gabaonitæ ad Iſrael, & eſſent fœderati eorum:

2 Timuit valdè. Vrbs enim magna erat Gabaon, & vna ciuitatum regalium, & maior oppido Hai, omneſque bellatores eius fortiſſimi.

3 Miſit ergo Adoniſedec rex Ieruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharan regem Ierimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens:

4 Ad me aſcendite, & ferte præſidium, vt expugnemus Gabaon, quare tranſfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſrael.

5 Congregati igitur aſcenderunt quinque reges Amorrhæorum: rex Ieruſalem, rex Hebron, rex Ierimoth, rex Lachis, rex Eglon, ſimul cum exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

6 Habitatores autem Gabaon vrbis obſeſſæ miſerunt ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum: aſcende citò, & libera nos, ferque præſidium: conuenerunt enim aduerſum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

7 Aſcenditque Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſſimi.

8 Dixitque Dominus ad Ioſue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſiſtere poterit.

9 Irruit itaque Ioſue ſuper eos repentè, tota nocte aſcendens de Galgalis:

10 Et conturbauit eos Dominus à facie Iſrael: contriuitque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethhoron, & percuſſit vſque Azeca, & Maceda.

11 Cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethhoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo vſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.

Tunc

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. X.

1 *ET fuit, cum audiſſet Adoniſedech rex Ieruſalaim, quòd cepiſſet Iehoſuah Hai, & interfeciſſet eam, quemadmodum fecit Iericho, & regi eius ſic feciſſet Hai, & regi eius, & quòd pacem feciſſent habitatores Ghibhon cum Iſrael, & eſſet in medio eorum:*

2 *Timuerunt valdè. Ciuitas enim magna erat Ghibhon veluti vna è ciuitatibus regalium, & quia erat maior Hai & omnes viri eius fortes.*

3 *Et miſit Adoniſedech rex Ieruſalaim ad Hoham regem Chebron, & ad Piram regem Iarmuth, & ad Iaphiah regem Lachis, & ad Debir regem Heglon, dicendo:*

4 *Aſcendite ad me, auxiliamini mihi, & percutiemus Ghibhon, quia pacem fecit cum Iehoſuah, & cum filijs Iſrael.*

5 *Et congregati ſunt, & aſcenderunt quinque reges Emorræi: rex Ieruſalaim, rex Chebron, rex Iarmuth, rex Lachis, rex Heglon, ipſi & omnia caſtra eorũ, & caſtrametati ſunt contra Ghibhon, & pugnauerunt aduerſus eam.*

6 *Et miſerunt viri Ghibhon ad Iehoſuah, ad caſtra in Ghilghal, dicendo: Ne ceſſare facias manus tuas à ſeruis tuis: aſcende ad nos citò, & fac ſalutem nobis, & auxiliare nobis: quia congregati ſunt contra nos omnes reges Emorræi habitantes in monte.*

7 *Et aſcendit Iehoſuah de Ghilghal ipſe, & omnis populus bellator cum eo, & omnes potentes viribus.*

8 *Dixit autem Dominus ad Iehoſuah: Ne timeas ab eis: in manu enim tua tradidi eos: nec ſtabit quiſquam ex eis in conſpectu tuo.*

9 *Et venit ad eos Iehoſuah repentè, tota nocte aſcendit de Ghilghal:*

10 *Et contriuit eos Dominus coram Iſrael: & percuſſit eos plaga magna in Ghibhon, & perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethchoron, & percuſſit eos vſq; Hazachah, & vſque Maccedah.*

11 *Et fuit, dum fugerent à facie Iſrael, ipſis exiſtentibus in deſcenſu Bethchoron Dominus proiecit ſuper eos lapides magnos è cœlo vſque ad Hazachah, & mortui ſunt: plures fuerunt, qui mortui ſunt lapidibus grandinis, quam quos interfecerunt filij Iſrael gladio.*

*Tunc*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. X.

POſtquam autem audiuit Adonibezec rex Hieruſalem, quia cepit Ieſus Gai, & exterminauit eam, quemadmodum fecerat Hierico, & regem eius ſic fecerunt, & Gai, & regem eius, & quia transfugerunt habitatores
Gabaon ad Ieſum, & ad Iſrael: 2 Et timuerunt ab eis valdè. Sciebat enim, quia ciuitas magna Gabaon,
quaſi vna ex ijs, quæ ſunt Metropoles, & omnes viri eius fortes. 3 Et miſit Adonibezec rex Hieruſalem ad
Elam regem Chebron, & ad Phidon regem Hierimuth, & ad Iephra regem Lachis, & ad Dabin regem Odollam, dicens: 4 Venite, aſcendite ad me, & auxiliamini mihi, & expugnabimus Gabaon, transfugerunt enim
ad Ieſum, & ad filios Iſrael. 5 Et aſcenderunt quinque reges Iebuſæorum: rex Hieruſalem, & rex Chebron, & rex Hierimuth, & rex Lachis, & rex Odollam, ipſi, & populus eorum, & obſederunt Gabaon, & oppugnabant eam. 6 Et miſerunt habitatores Gabaon ad Ieſum in caſtra Iſrael in Galgala, dicentes: Ne relaxes manus tuas à pueris tuis: aſcende ad nos velociter, & auxiliare nobis, & eripe nos: quoniam congregati ſunt ſuper
nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant montanam. 7 Et aſcendit Ieſus de Galgalis ipſe, & omnis populus bellator cum eo, omnis potens in fortitudine. 8 Et dixit Dominus ad Ieſum: Ne timeas illos: in manus enim tuas tradidi eos: non remanebit ex illis quiſquam coram vobis. 9 Et quoniam adueniebat Ieſus
ſuper eos repentè, totam noctem perrexit de Galgalis: 10 Et exturbauit eos Dominus à facie filiorum
Iſrael: & contriuit eos Dominus contritione magna in Gabaon, & perſequuti ſunt eos viam aſcenſionis Oronim,
& conciderunt eos vſque Azeca, & vſque Maceda. 11 Dum autem illi fugerent à facie filiorum Iſrael ſuper deſcenſum Oronim, & Dominus proiecit in eos lapides grandinis de cœlo vſque Azeca: & fuerunt plures
qui mortui ſunt propter lapides grandinis, quam quos occiderunt filij Iſrael gladio in prælio.

Tunc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.
13 Steteruntque * Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.

* Iſa.38.[illegible] Eccli.46.[illegible]

14 Non fuit antea, nec poſtea, tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.
15 Reuerſuſque eſt Ioſue cum omni Iſrael in caſtra Galgala.
16 Fugerant enim quinque reges, & ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda.
17 Nunciatumque eſt Ioſue, quòd inuenti eſſent quinque reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda.
18 Qui præcepit ſocijs, & ait: Voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant:
19 Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos quoſque fugientium cædite: nec dimittatis eos vrbium ſuarum intrare præſidia, quos tradidit Dominus Deus in manus veſtras.
20 Cæſis ergo aduerſarijs plaga magna, & vſque ad internecionem penè conſumptis; hi qui Iſrael effugere potuerunt, ingreſſi ſunt ciuitates munitas.
21 Reuerſuſque eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, vbi tunc erant caſtra, ſani & integro numero: nulluſque contra filios Iſrael mutire auſus eſt.
22 Præcepitque Ioſue, dicens: Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant.
23 Feceruntque miniſtri, vt ſibi fuerat imperatum: & eduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Ieruſalem, regem Hebron, regem Ierimoth, regem Lachis, regem Eglon.
24 Cumque educti eſſent ad eum, vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. Qui cum perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent:
25 Rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & eſtote robuſti: ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicatis.

Per-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Tunc locutus eſt Iehoſuah Domino in die, qua tradidit Dominus Emorræum coram filijs Iſrael, & dixit in oculis Iſrael: Sol in Ghibhon expecta, & Luna in valle Aialon.*
13 *Et expectauit Sol, & Luna ſtetit, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. An non eſt ſcriptum in libro Iaſar? Et ſtetit Sol in medio cæli, & non feſtinauit, vt occumberet die perfecta.*
14 *Et non fuit, ſicut dies illa ante eam, & poſt eam, vt obediret Dominus voci viri, Dominus enim pugnauit pro Iſrael.*
15 *Et reuerſus eſt Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo ad caſtra in Ghilghal.*
16 *Et fuerunt quinque reges iſti, & abſconderunt ſe in ſpelunca in Macchedah.*
17 *Et nunciatum eſt ipſi Iehoſuah, dicendo: Inuenti ſunt quinque reges abſconditi in ſpelunca in Macchedah.*
18 *Dixitque Iehoſuah: Voluite ſaxa magna ad os ſpeluncæ, & conſtituite iuxta eam viros, vt cuſtodiant eos:*
19 *Et vos ne ſtetis, ſequimini inimicos veſtros, & caudam eorum cædite: ne ſinatis eos ingredi vrbes ſuas, tradidit enim eos Dominus Deus veſter in manu veſtra.*
20 *Et fuit, cum finiſſet Iehoſuah, & filij Iſrael percutere eos plaga magna valdè, donec conſumerentur, & ſuperſtites, qui ſuperfuerunt ex eis, ingreſſi eſſent ciuitates munitas.*
21 *Reuerſi ſunt omnis populus ad caſtra ad Iehoſuah in Macchedah in pace: non mouit contra filios Iſrael quiſquam linguam ſuam.*
22 *Dixitque Iehoſuah: Aperite os ſpeluncæ, & adducite ad me quinque reges illos de ſpelunca.*
23 *Et fecerunt ita: & adduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Ieruſalaim, regem Chebron, regem Iarmuth, regem Lachis, regem Heglon.*
24 *Et fuit, cum adduxiſſet quinque reges illos ad Iehoſuah, vocauit Iehoſuah omnem virum Iſrael, dixitque ad principes virorum bellatorum, qui perrexerant ſecum: Accedite, ponite pedes veſtros ſuper colla regum iſtorum. Et acceſſerunt, & poſuerunt pedes ſuos ſuper colla eorum:*
25 *Dixitque ad eos Iehoſuah: Ne timeatis, & ne paueatis, confortate vos, & roborate vos: ſic enim faciet Dominus omnibus inimicis veſtris contra quos pugnatis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Tunc locutus eſt Ieſus ad Dominum, qua die tradidit Deus Amorrhæum ſubiugatum Iſrael, quando contriuit eos in Gabaon, & contriti ſunt à facie filiorum Iſrael, & dixit Ieſus: Stet Sol ſuper Gabaon, & Luna ſuper vallem Ælom. 13 Et ſtetit Sol, & Luna in ſtatione, donec vltus eſt Dominus inimicos eorum? Et ſtetit Sol ad medium cæli, non procedebat ad Occaſum in finem diei vnius. 14 Et non fuit dies talis, neque antea, neque poſtremo, vt obediret Deus homini, quoniam Dominus ſimul expugnabat cum Iſrael. 16 Et fugerunt quinque reges hi, & abſconderunt ſe in ſpeluncam, quæ in Maceda. 17 Et nunciatum eſt Ieſu, dicentes: Inuenti ſunt quinque reges abſconditi in ſpelunca, quæ in Maceda. 18 Et dixit Ieſus: Voluite lapides ad os ſpeluncæ, & conſtituite viros ad cuſtodiendum ſuper eos: 19 Vos autem ne ſtetis, perſequentes poſt inimicos veſtros, & apprehendite caudam eorum: & ne ſinatis ingredi in ciuitates ſuas, tradidit enim eos Dominus Deus noſter in manus noſtras. 20 Et factum eſt, poſtquam ceſſauit Ieſus, & omnis filius Iſrael cædentes eos cæde magna valdè vſque in finem, & ſuperſtites euaſerũt in ciuitates munitas. 21 Et reuerſus eſt omnis populus ad Ieſum in Maceda ſani: & non mutiuit quiſquam de filijs Iſrael lingua ſua. 22 Et dixit Ieſus: Aperite ſpeluncam, & educite quinque iſtos reges è ſpelunca. 23 Et eduxerunt quinque reges è ſpelunca, regem Hieruſalem, & regem Chebron, & regem Ierimuth, & regem Lachis, & regem Odollam. 24 Et poſtquam eduxerunt eos ad Ieſum, & conuocauit Ieſus omnem Iſrael, & principes prælij, qui ſimul proceſſerant cum ipſo, dicens eis: Procedite, & imponite pedes veſtros ſuper ceruices eorum. Et accedentes impoſuerunt pedes ſuos ſuper ceruices eorum: 25 Et dixit Ieſus ad eos: Ne timeatis eos, neque formidetis, viriliter agite, & confortamini: quia ſic faciet Dominus omnibus inimicis veſtris, quos vos debellabitis eos.

Quæ deberent reſpõdere numero 15. abſunt à Trãſlat. ex Septuag. Romana.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

26 Percuſſit Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites: fueruntque ſuſpenſi vſque ad veſperum.

* Deut. 21. 23.

27 * Cumque occumberet ſol, præcepit ſocijs, vt deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in qua latuerant, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vſque in præſens.

28 Eodem quoque die Macedam cepit Ioſue, & percuſſit eam in ore gladij, regemque illius interfecit, & omnes habitatores eius: non dimiſit in ea ſaltem paruas reliquias. Fecitque regi Maceda, ſicut fecerat regi Iericho.

29 Tranſiuit autem cum omni Iſrael de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam:

30 Quam tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſrael: percuſſeruntque vrbem in ore gladij, & omnes habitatores eius: non dimiſerunt in ea vllas reliquias. Feceruntque regi Lebna, * ſicut fecerant regi Iericho.

* Sup. 6. 2.

31 De Lebna tranſiuit in Lachis cum omni Iſrael: & exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam.

32 Traditque Dominus Lachis in manus Iſrael, & cepit eam die altero, atque percuſſit in ore gladij, omnemque animam, quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna.

33 Eo tempore aſcendit Horam rex Gazer, vt auxiliaretur Lachis: quem percuſſit Ioſue cum omni populo eius, vſque ad internecionem.

34 Tranſiuitque de Lachis in Eglon, & circumdedit:

35 Atque expugnauit eam eadem die: percuſſitque in ore gladij omnes animas, quæ erant in ea iuxta omnia, quæ fecerat Lachis.

36 Aſcendit quoque cum omni Iſrael de Eglon in Hebron, & pugnauit contra eam:

37 Cepit eam, & percuſſit in ore gladij: regem quoque eius, & omnia oppida regionis illius, vniuerſaſque animas, quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea vllas reliquias: ſicut fecerat Eglon, ſic fecit, & Hebron, cuncta quæ in ea reperit conſumens gladio.

38 Inde reuerſus in Dabir:

Ce-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et percuſſit eos Iehoſuah poſt hæc, & mori fecit eos, & ſuſpendit eos in quinque lignis: & fuerunt ſuſpenſi in lignis vſque ad veſperam.*

27 *Et fuit, tempore quo occubuit ſol, præcepit Iehoſuah, & depoſuerunt eos de lignis. Et proiecerunt eos in ſpeluncam, in qua ſe abſconderant, & poſuerunt lapides ingentes ad os ſpeluncæ vſque ad hunc met diem.*

28 *Et Macchedah cepit Iehoſuah die ipſa, & percuſſit eam acie gladij, & regem eius occidit, ipſos & omnem animam, quæ erant in ea: non remanſit euaſor. Fecitque regi Macchedah, quemadmodum fecit regi Iericho.*

29 *Et tranſiuit Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo de Macchedah in Libnah, & pugnauit cum Libnah:*

30 *Tradiditque Dominus eam in manu Iſrael, & regem eius, & percuſſit eam acie gladij, & omnem animam, quæ erat in ea: non remanſit in ea ſuperſtes. Et fecit regi eius, quemadmodum fecit regi Iericho.*

31 *Et tranſiuit Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo de Libnah in Lachis: & caſtrametatus eſt iuxta eam, & pugnauit cum ea.*

32 *Et dedit Dominus Lachis in manu Iſrael, & cepit eam die ſecunda, & percuſſit eam acie gladij, & omnem animam, quæ erat in ea, iuxta omnia, quæ fecit ipſi Libnah.*

33 *Tunc aſcendit Horam rex Ghezer ad auxiliandum Lachis: & percuſſit eum Iehoſuah, & populum eius, donec non remanſit ei ſuperſtes.*

34 *Et tranſiuit Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo de Lachis in Heglon, & caſtrametati ſunt aduerſus eã, & pugnauerunt contra eam:*

35 *Ceperuntque eam die ipſa: & percuſſerunt eam acie gladij, & omnem animam, quæ erat in ea die ipſa interfecit, iuxta omnia, quæ fecit ipſi Lachis.*

36 *Et aſcendit Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo de Heglon in Chebron, & pugnauerunt contra eam:*

37 *Et ceperunt eam, & percuſſerunt eam acie gladij, & regem eius, & omnes vrbes eius, & omnem animam, quæ erat in ea: non remanſit ſuperſtes, iuxta omnia, quæ fecit ipſi Heglon: & interfecit eius habitatores, & omnem animam in ea.*

38 *Et reuerſus eſt Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo in Debir, & pugnauit contra eam:*

*Ca-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et occidit eos Ieſus, & ſuſpendit eos ſuper quinque ligna: & fuerunt pendentes ſuper ligna vſque ad veſpe-
ram. 27 Et factum eſt circiter ſolis Occaſum, mandauit Ieſus, & depoſuerunt eos de lignis. Et
proiecerunt eos in ſpeluncam, in quam confugerant illuc, & aduoluerunt lapides ad ſpeluncam vſque in ho-
diernam diem. 28 Et ipſam Maceda ceperunt in die illa, & occiderunt eam in ore gladij,
& exterminauerunt omne ſpirans, quod erat in ea: & non remanſit vllus in ea ſuperſtes, & qui euaſerit. Et fece-
runt regi Maceda, quemadmodum fecerant regi Hierico. 29 Et abijt Ieſus, & omnis Iſrael
cum eo de Maceda in Lebna, & oppugnabat Lebna: 30 Et tradidit eam Dominus in ma-
nus Iſrael: & ceperunt eam, & regem eius, & occiderunt eam in ore gladij, & omne ſpirans in ea: & non reman-
ſit in ea ſuperſtes, & qui euaſerit. Et fecerunt regi eius quemadmodum fecerant regi Hiericho.
31 Et abijt Ieſus, & omnis Iſrael cum eo de Lebna in Lachis: & obſedit eam, & oppugnabat eam.
32 Et tradidit Dominus ipſam Lachis in manum Iſrael, & cepit eam in die ſecunda, & occiderunt eam in ore
gladij, & exterminarunt eam, quemadmodum fecerant Lebna. 33 Tunc aſcendit Elam rex Ga-
zer auxilium laturus ipſi Lachis: & percuſſit eum Ieſus in ore gladij, quoadusque non remanſit de eis ſuperſtes,
& qui euaſerit. 34 Et abijt Ieſus, & omnis Iſrael cum eo de Lachis in Odollam, & obſedit eam,
& oppugnauit eam, & tradidit eam Dominus in manu Iſrael: 35 Et cepit eam in die illa: & oc-
cidit eam in ore gladij, & omne ſpirans in ea occiderunt, quemadmodum fecerant Lachis.
36 Et abijt Ieſus, & omnis Iſrael cum eo in Chebron, & obſedit eam: 37 Et percuſſit eam in
ore gladij, & omne ſpirans, quæcumque erant in ea: non fuit ſuperſtes: quemadmodum fecerant Odollam, ex-
terminarunt eam, & quæcumque erant in ea. 38 Et reuertit Ieſus & omnis Iſrael in Dabir:

Et ob-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

39 Cepit eam, atque vaſtauit: regem quoque eius, atque omnia per circuitum oppida percuſſit in ore gladij: non dimiſit in ea vllas reliquias: ſicut fecerat Hebron, & Lebna, & regibus earum, ſic fecit Dabir, & regi illius.

40 Percuſſit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridianam, atque campeſtrem, & Aſedoth cum regibus ſuis: non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed omne quod ſpirare poterat interfecit, ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael:

41 A Cadesbarne vſque Gazam. Omnem terram Goſen vſque Gabaon:

42 Vniuerſoſque reges, & regiones eorum vno impetu cepit, atque vaſtauit: Dominus enim Deus Iſrael pugnauit pro eo.

43 Reuerſuſque eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

### CAP. XI.

1 QVæ cum audiſſet Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achſaph:

2 Ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis, & in planitie contra Meridiem Ceneroth, in campeſtribus quoque, & in regionibus Dor iuxta mare:

3 Chananæum quoque ab Oriente, & Occidente, & Amorrhæum, atque Hethæum, ac Pherezæum, & Iebuſæum in montanis: Heuæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maſpha.

4 Egreſſique ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis, ſicut arena, quæ eſt in littore maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis.

5 Conueneruntq; omnes reges iſti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent contra Iſrael.

6 Dixitque Dominus ad Ioſue: Ne timeas eos; cras enim hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael: equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures.

7 Venitque Ioſue, & omnis exercitus cum eo aduerſus illos ad aquas Merom ſubito, & irruerunt ſuper eos:

Tra-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

39 *Capitque eam: & regem eius, & omnes vrbes eius: & percuſſerunt eos acie gladij, & interfecerunt omnem animam, quæ erat in ea: non remanſit ſuperſtes: quemadmodum fecit ipſi Chebron, ſic fecit ipſi Debir, & regi eius, & quemadmodum fecit ipſi Libnah, & regi eius.*

40 *Et percuſſit Iehoſuah omnem terram montanam, & meridianam, & campeſtrem, & Aſedoth, & omnes reges eorum: non remanſit ſuperſtes, & omnem animam interfecit, quemadmodum præcepit Dominus Deus Iſrael:*

41 *Et percuſſit eos Iehoſuah à Cadesbarneah vſque Hazzah. Et omnem terram Ghoſen vſque Ghibhon:*

42 *Et omnes reges iſtos, & terram eorum cepit Iehoſuah vice vna: quia Dominus Deus Iſrael pugnauit pro Iſrael.*

43 *Et reuerſus eſt Iehoſuah, & omnis Iſrael cum eo ad caſtra in Ghilghal.*

### CAP. XI.

1 *ET fuit, cum audiſſet Iabin rex Chaſor, miſit ad Iobab regem Maton, & regem Simbron, & ad regem Achſaph:*

2 *Et ad reges, qui erant ab Aquilone in monte & in planitie ad Auſtrum Chinereth, & in planitie, & in Naphoth Dor ab Occidente:*

3 *Chenahanæus ab Oriente, & Occidente, & Emorræus, & Chitæus, & Perizæus, & Iebuſæus in monte, & Chiuæus ſub Chermon in terra Miſpah.*

4 *Et egreſſi ſunt ipſi, & omnia caſtra eorum cum eis, populus multus tanquam arena, quæ eſt iuxta littus maris præ multitudine, & equi, & currus multi valdè.*

5 *Et conuenerunt omnes reges iſti, & venerunt, & caſtrametati ſunt pariter ad aquas Merom, vt pugnarent cum Iſrael.*

6 *Dixit autem Dominus ad Iehoſuah: Ne timeas à facie eorum: cras enim in tempore hoc trado omnes iſtos occiſos coram Iſrael: equos eorum ſubneruabis, & currus eorum combures igni.*

7 *Et venit Iehoſuah, & omnis populus bellator cum eo aduerſus eos, ad aquas Merom repente, & irruerunt in eos:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

39 Et obſidentes eam, ceperunt eam: & regem eius, & oppida eius, & percuſſit eam in ore gladij: & exterminauerunt eam, & omne ſpirans in ea, & non reliquerunt ei quenquam ſuperſtitem: quemadmodum fecerant Chebron, & regi eius, ſic fecerunt Dabir, & regi eius. 40 Et percuſſit Ieſus omnem terram montanæ, & ipſam Nageb, & campeſtrem, & Aſedoth, & reges eius: non reliquerunt ex eis ſuperſtitem, & omne ſpirans vitæ exterminauit, quemadmodum mandauit Dominus Deus Iſrael: 41 A Cadesbarne vſque Gazam. Omnem Goſom vſque Gabaon: 42 Et omnes reges eorum, & terram eorum percuſſit Ieſus vno tempore: quoniam Dominus Deus Iſrael ſimul pugnabat cum Iſrael.

Quæ numero 43. deberent notari à Trãslat. ex Septuag. Romanæ editione abſunt.

### CAP. XI.

VT autem audiuit Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Maron, & ad regem Symoon, & ad regem Aziph: 2 Et ad reges, qui ad Sidonem magnam in montana, & in Araba e regione Cenoroth, & in campum, & in Phenieddor: 3 Et ad maritimos Chananæos ab Oriente, & ad maritimos Amorrhæos, & Chettæos, & Pherezæos, & Iebuſæos, qui in monte: & Euæos, & qui ſub Æermon in terra Maſſyma. 4 Et exierunt ipſi, & reges eorum cum ipſis ſicut arena maris multitudine, & equi, & currus multi valde. 5 Et conuenerunt omnes reges ipſi, & venerunt in idipſum, & caſtrametati ſunt ſuper aquam Maron ad debellandum Iſrael. 6 Et dixit Dominus ad Ieſum: Ne timeas à facie eorum: quia cras hac ipſa hora ego trado fugatos eos ante Iſrael: equos eorum ſubneruabis, & currus eorum combures in igni. 7 Et venit Ieſus, & omnis populus bellator ſuper eos ad aquam Maron repente, & irruerunt ſuper eos in montana:

## Vulgat. Editio.

8 Tradiditque illos Dominus in manus Iſrael. Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt vſque ad Sidonem magnam, & aquas Maſerephoth, campumque Maſphe, qui eſt ad Orientalem illius partem. Ita percuſſit omnes, vt nullas dimitteret ex eis reliquias:

9 Fecitque ſicut præceperat ei Dominus, equos eorũ ſubneruauit, curruſque combuſſit igni.

10 Reuerſuſque ſtatim cepit Aſor: & regem eius percuſſit gladio. Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

11 Percuſſitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſque ad internecionem vniuerſa vaſtauit, ipſamque vrbem peremit incendio.

12 Et omnes per circuitum ciuitates, regeſque earum cepit, percuſſit, atque deleuit, * ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini.

* Deut. 7. 1

13 Abſque vrbibus quæ erant in collibus, & in tumulis ſitæ, cæteras ſuccendit Iſrael: vnam tantum Aſor munitiſſimam flamma conſumpſit.

14 Omnemque prædam iſtarum vrbium, ac iumenta diuiſerunt ſibi filij Iſrael, cunctis hominibus interfectis.

15 * Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille vniuerſa compleuit: non præterijt de vniuerſis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi.

* Exo. 34. 11 Deut. 7. 1.

16 Cepit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridianam, terramque Goſen, & planitiem, & Occidentalem plagam, montemque Iſrael, & campeſtria eius:

17 Et partem montis, quæ aſcendit Seir vſque Baalgad per planitiem Libani ſubter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percuſſit, & occidit.

18 Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos.

19 Non fuit ciuitas, quæ ſe traderet filijs Iſrael, præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.

20 Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent: & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

In

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et tradidit eos Dominus in manu Iſrael. Et percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt eos vſque Sidon magnam, & vſque Miſrephoth aquarum, & vſque ad campum Miſpah ad Orientem. Et percuſſit eos, donec non remaneret eis ſuperſtes:*

9 *Et fecit eis Iehoſuah, quemadmodum dixerat ei Dominus, equos eorum ſubneruauit, & currus eorum combuſſit igni.*

10 *Et reuerſus eſt Iehoſuah in tempore ipſo, & cepit Chaſor: & regem eius percuſſit gladio. Chaſor enim antea fuit caput omnium regnorum iſtorum.*

11 *Et percuſſerunt omnem animam, quæ erat in ea, acie gladij interficiendo: non remanſit in ea omnis anima, & Chaſor combuſſit igni.*

12 *Et omnes vrbes regum iſtorum, & omnes reges earum cepit Iehoſuah, & percuſſit eos acie gladij interficiendo eos, quemadmodum præcepit Moſeh ſeruus Domini.*

13 *Tantummodo omnes vrbes, quæ ſtant iuxta tumulum eorum, non combuſſit Iſrael: præter Chaſor ſolam quam combuſſit Iehoſuah.*

14 *Et omnia ſpolia ciuitatum iſtarum, & animalia prædati ſunt ſibi filij Iſrael, tantum omnem hominẽ percuſſerunt acie gladij, donec perdiderunt eos, non reliquerunt omnem animam.*

15 *Quemadmodum præcepit Moſeh ſeruo ſuo, ſic præcepit Moſeh ipſi Iehoſuah, & ſic fecit Iehoſuah: non remouit verbum, ex omnibus, quæ præcepit Dominus ipſi Moſeh.*

16 *Et tulit Iehoſuah omnem terram iſtam montanam, & omnem Auſtralem, & omnem terram Goſen, & planiciem, & campeſtria, & montem Iſrael, & planiciem eius:*

17 *A monte Lenei, qui aſcendit in Seir vſque Bahalgad in campo Lebanon ſub monte Chermon: & omnes reges eorum cepit, & percuſſit eos, & mori fecit eos.*

18 *Diebus multis fecit Iehoſuah cum omnibus regibus iſtis bella.*

19 *Non fuit ciuitas, quæ pacem fecerit cum filijs Iſrael, præter Chiuuæos habitatores Ghibhon: omnes ceperunt in prælio.*

20 *Quia à Domino fuit, vt induraret cor ſuum in occurſum belli cum Iſrael, vt occideret eos, vt non eſſet eis miſericordia, ſed vt diſperderet eos, ſicut præcepit Dominus Moſeh.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et tradidit eos Dominus ſubiugatos Iſrael. Et cædentes eos perſequuti ſunt vſque Sidonem magnam, & vſque
Miteron, & vſque ad campos Maſſoch ad Orientem. Et trucidauerunt eos donec non remanſit ex eis ſuperſtes:
9 Et fecit eis Ieſus, quemadmodum mandauit ei Dominus, equos eorum ſubneruauit, & currus eorum incendit
igni. 10 Et reuerſus eſt Ieſus in tempore illo, & cepit Aſor: & regem eius. Erat autem Aſor
antea princeps omnium regnorum horum. 11 Et occidit omne ſpirans in ea in gladio, & exterminarunt omnes: & non remanſit in ea ſpirans, & ipſam Aſor incenderunt in igni. 12 Et omnes
ciuitates regnorum, & reges eorum cepit Ieſus, & interfecit eos in ore gladij, & exterminarunt eos, quemadmodum præceperat Moyſes puer Domini. 13 Sed omnes ciuitates exaggeratas non incendit Iſrael:
tantum Aſor ſolam incendit Iſrael. 14 Et omnia ſpolia eius prædati ſunt ſibi filij Iſrael, ipſos autem omnes exterminarunt in ore gladij, quoaduſque diſperdidit eos, non reliquerunt ex eis quicquam ſpirans.
15 Quemadmodum præcepit Dominus Moyſi puero ſuo, & Moyſes ſimiliter mandauit Ieſu, & ſic fecit Ieſus:
non eſt tranſgreſſus quicquam ab omnibus, quæ præcepit ei Moyſes. 16 Et cepit Ieſus omnem
terram montanam, & omnem terram Nageb, & omnem terram Goſom, & campeſtrem, & eam quæ verſus Occaſum, & montem Iſrael, & humilia: 17 Quæ ad montem à monte Chelcha, & qui aſcendit in Seir, & vſque Balagad, & campos Libani ſub monte Æermon: & omnes reges eorum cepit, & ſuſtulit, & occidit. 18 Et dies plures fecit Ieſus aduerſus reges iſtos bellum.
19 Et non fuit ciuitas, quam non cepertt Iſrael, omnia ceperunt in bello. 20 Quia per Dominum
factum eſt confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Iſrael, vt exterminarentur, ita vt non daretur eis miſericordia, ſed vt exterminarentur, quemadmodum dixit Dominus ad Moyſen.

Et ve-

## Vulgata Editio.

21 In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis, Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda, & Iſrael, vrbeſque eorum deleuit.

22 Non reliquit vllum de ſtirpe Enacim in terra filiorum Iſrael: abſque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolis relicti ſunt.

23 Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen, & tradidit eam in poſſeſſionẽ filijs Iſrael, ſecundum partes, & tribus ſuas, quieuitque terra à prælijs.

### CAP. XII.

1 HI ſunt reges, quos percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad ſolis Ortum, à torrente Arnon vſque ad montem Hermon, & omnem Orientalem plagam, quæ reſpicit ſolitudinem.

2 Sehon rex Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon, dominatus eſt ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, vſque ad torrentem Iaboc, qui eſt terminus filiorum Ammon.

3 Et à ſolitudine vſque ad Mare Ceneroth contra Orientem, & vſque ad Mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum, ad Orientalem plagam per viam, quæ ducit Bethſimoth, & ab Auſtrali parte, quæ ſubiacet Aſedoth, Phaſga.

4 Terminus Og regis Baſan, de reliquijs Raphaim, qui habitauit in Aſtaroth, & in Edrai, & dominatus eſt in monte Hermon, & in Salecha, atque in vniuerſa Baſan, vſque ad terminos.

5 Geſſuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Heſebon.

6 Moyſes famulus Domini, & filij Iſrael percuſſerunt eos, tradiditque terram eorum Moyſes in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe.

7 Hi ſunt reges terræ, quos percuſſit Ioſue, & filij Iſrael trans Iordanem ad Occidentalem plagam, à Baalgad in campo Libani, vſque ad montem, cuius pars aſcendit in Seir: tradiditque eam Ioſue in poſſeſſionem tribubus Iſrael, ſingulis partes ſuas:

8 Tam in montanis, quàm in planis, atque campeſtribus. In Aſedoth, & in ſolitudine, ac in Meridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chananæus, & Pherezæus, Heuæus, & Iebuſæus.

Rex

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et venit Iehoſuah in tempore illo, & excidit Hanachim de monte, de Chebron, de Debir, & de Hanab, & de omni monte Iehudah, & de omni monte Iſrael cũ vrbibus eorum interfecit eos Iehoſuah.*

22 *Non remanſerunt Hanachim in terra filiorum Iſrael: tantum in Hazah, in Gath, & in Aſdod remanſerunt.*

23 *Et accepit Iehoſuah omnem terram iuxta omnia, quę locutus eſt Dominus ad Moſeh, & tradidit eam Iehoſuah in hæreditate filijs Iſrael, ſecundum partes eorum per tribus eorum, & terra quieuit à bello.*

### *CAP. XII.*

1 *HI autem ſunt reges terræ quos percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iarden ad Ortum ſolis à torrente Arnon vſque ad montem Chermon, & omnem planiciem Orientalem.*

2 *Sichon rex Emorræus habitans in Cheſbon, qui dominabatur ab Harober iuxta ripam torrentis Arnon, & medium torrentis, & dimidium Ghilhad vſque ad Iabboc torrentem, terminum filiorum Hammon.*

3 *Et planitiem vſque ad Mare Chineroth ad Orientem, & vſque ad Mare deſerti, mare ſalis ad Orientem per viam Bethhaieſimoth, & ab Auſtro ſubter effuſiones aquarum collis Piſghah.*

4 *Et terminum Hogh regis Baſan à reſiduo Rephaim, qui habitabat in Haſtaroth, & in Edrehi, & dominabatur in monte Chermon, & in Salchah, & in omni Baſan vſque ad terminum.*

5 *Gheſuri, & Mahachati, & dimidium Ghilhad: terminum Sichon regis Cheſbon.*

6 *Moſeh ſeruus Domini, & filij Iſrael percuſſerunt eos, & dedit eam Moſeh ſeruus Domini in poſſeſſionem Reubenitis, & Ghaditis, & dimidiæ tribui Menaſſeh.*

7 *Iſti ſunt autem reges terræ, quos percuſſit Iehoſuah, & filij Iſrael trans Iarden ab Occidente, à Bahalgad in campo Lebanon, vſque ad montem Lenei, qui aſcendit in Sehir: & tradidit eam Iehoſuah tribubus Iſrael in poſſeſſionem, ſecundum partes ſuas:*

8 *In monte, & in planitie, & in campeſtri. Et in Aſedoth, & in deſerto, & in Auſtro Chitræus, Emorræus, Chenahanæus, Perizæus, Chiuuæus, & Iebuſæus.*

*Rex*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et venit Ieſus in tempore illo, & exterminauit ipſos Enacim de montana, de Chebron, & de Dabir, & de Anaboth, & de omni genere Iſrael, & de omni monte Iuda, cum ciuitatibus eorum, & exterminauit eos Ieſus.
22 Non remanſit de ipſis Enacim à filijs Iſrael: ſed tantum in Gaza, & in Geth, & in Aſeldo remanſit.
23 Et cepit Ieſus omnem terram, ſecundum quod mandauit Dominus Moyſi, & dedit eos Ieſus in hæreditatem Iſrael in partitione, ſecundum tribus eorum, & terra quieuit à prælijs.

### CAP. XII.

ET hi reges terræ, quos ſuſtulerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem ab Ortu ſolis à valle Arnon vſque ad montem Ærmon, & omnem terram Araba ab Oriente. 2 Seon regem Amorrhęorum, qui habitabat in Eſebon, dominans ab Arnon, quę eſt in valle ad partem vallis, & dimidium Galaad vſque Iaboc, fines filiorum Ammon. 3 Et Araba vſque ad Mare Chenereth, ad Orientem, & vſque ad Mare Araba, Mare ſalis ab Oriente per viam, quę ad Aſimoth, & à Theman, quę ſub Aſedoth Phaſga.
4 Et Og rex Baſan remanſit ex gigantibus, qui habitabat in Aſtaroth, & in Adrain, princeps à monte Ærmon, & à Secchę, & omnem terram Baſan vſque ad fines. 5 Gergeſi, & ipſam Machi, & dimidium Galaad de finibus Seon regis Eſebon. 6 Moyſes puer Domini, & filij Iſrael percuſſerunt eos, & dedit eam Moyſes in hęreditatem Ruben, & Gad, & dimidię tribui Manaſſe. 7 Et hi reges Amorrhęorum, quos ſuſtulit Ieſus, & filij Iſrael trans Iordanem iuxta mare Balagad in campo Libani, & vſque ad montem Chelca aſcendentibus in Seir: & dedit eam Ieſus tribubus Iſrael hęreditare ſecundum ſortem eorum:
8 In monte, & in campo, & in Araba Et in Aſedoth, & in deſerto, & Nageb, Chettęum, & Amorrhęum, & Chananęum, & Pherezęum, & Eueum, & Iebuſęum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Rex Iericho vnus: rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel, vnus:
10 Rex Ieruſalem vnus, rex Hebron vnus.
11 Rex Ierimoth vnus, rex Lachis vnus:
12 Rex Eglon vnus, rex Gazer vnus:
13 Rex Dabir vnus, rex Gader vnus:
14 Rex Herma vnus, rex Gered vnus:
15 Rex Lebna vnus, rex Odullam vnus:
16 Rex Maceda vnus, rex Bethel vnus:
17 Rex Taphua vnus, rex Opher vnus:
18 Rex Aphec vnus, rex Saron vnus:
19 Rex Madon vnus, rex Aſor vnus:
20 Rex Semeron vnus, rex Achſaph vnus:
21 Rex Thenac vnus, rex Mageddo vnus:
22 Rex Cades vnus, rex Iachanan Carmeli vnus:
23 Rex Dor, & prouinciæ Dor vnus, rex Gentium Galgal vnus:
24 Rex Therſa vnus: omnes reges triginta vnus.

### CAP. XIII.

1 IOſue ſenex, prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuiſti & longæuus es, terraque latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diuiſa eſt:
2 Omnis videlicet Galilæa Philiſthijm, & vniuerſa Geſſuri.
3 A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vſque ad terminos Accaron contra Aquilonem: terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſthijm diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas.
4 Ad Meridiem vero ſunt Heuæi, omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum vſque Apheca, & terminos Amorrhæi:
5 Eiuſque confinia, Libani quoque regio contra Oriẽtem à Baalgad ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.
6 Omnium, qui habitant in monte à Libano vſque ad aquas Maſerephoth, vniuerſique Sidonij. Ego ſum, qui delebo eos à facie filiorum Iſrael. Veniat ergo in partem hæreditatis Iſrael, ſicut præcepi tibi.
7 Et nunc diuide terram in poſſeſſionem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe:
8 Cum qua Ruben, & Gad poſſederunt terrã,* quam tradidit eis Moyſes famulus Domini trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam.

* Nu. 32. 32.

Ab

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Rex Iericho vnus: rex Hai, qui erat ex latere Bethel vnus:*
10 *Rex Ieruſalaim vnus, rex Chebron vnus:*
11 *Rex Iarmuth vnus rex Lachis vnus:*
12 *Rex Heglon vnus, rex Gheſer vnus:*
13 *Rex Debir vnus, rex Gheder vnus:*
14 *Rex Chermah vnus, rex Harad vnus:*
15 *Rex Libnah vnus, rex Hadulam vnus:*
16 *Rex Machedah vnus, rex Bethel vnus:*
17 *Rex Tapuach vnus, rex Chepher vnus:*
18 *Rex Aphec vnus, rex Laſſaron vnus:*
19 *Rex Madon vnus, rex Chaſor vnus:*
20 *Rex Simron Meroon vnus, rex Achſaph vnus:*
21 *Rex Tahanach vnus, rex Neghiddo vnus:*
22 *Rex Chedes vnus, rex Iocknaham Charmelo vnus:*
23 *Rex Dor ipſi Haphathedor vnus, rex Ghoim ipſi Ghilghal vnus:*
24 *Rex Tirſah vnus: omnes reges triginta, & vnus.*

### *CAP. XIII.*

1 *IEhoſuah ſenuit, venit in dies, dixitque Dominus ad eum: Tu ſenuiſti, veniſti in dies, & terra relicta eſt multa valdè ad poſſidendum eam:*
2 *Iſta eſt terra, quæ relicta eſt, omnes limites Peliſtinorum, & omnis Gheſſuri.*
3 *A nilo, qui eſt ſuper faciẽ Ægypti, & vſque ad terminum Hecron ad Aquilonem Chenahanæi ipſius reputatur, quinque Satrapæ Peliſtinorum Hazathæus, Aſdodæus, Aſchelonæus, & Ghittæus, & Hacronæus, & Hauuim.*
4 *Ab Auſtro omnis terra Chenahanæi, & Meharah, quæ eſt Sidoniis, vſque ad Aphec vſque ad terminum Emorræi:*
5 *Et terra Ghibli, & omnis Lebanon ad Ortum ſolis à Bahalgad ſub monte Chermon, donec ingrediaris Chamath.*
6 *Omnes habitatores montis à Libano vſque ad Miſrephoth agrum omnes Sidonios: expellam à facie filiorum Iſrael. Tantum cadere fac eam ipſi Iſrael in hæreditatem, ſicuti præcepi tibi.*
7 *Et nunc diuide terram iſtam in hæreditatem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Menaſſeh:*
8 *Cum ea Reubenitæ, & Gaditæ acceperunt partes ſuas, quas dedit eis Moſeh trans Iarden ad Orientem, ſicuti dedit eis Moſeh ſeruus Domini.*

*Ab*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

Quoniã & nomina, & numerus horũ regum varius eſt in iſta Tranſlat. ex Sept. Romana, quã hic ponimus, nec non etiam & ordo illorum, idcirco per numeros certum diſpoſuimus quoſque voluimus reliqua abſque numeris ibi dedimus.

9 Regem Hiericho: & regem Gai, quæ eſt prope Bæthel: 10 Regem Hieruſalem, regem Chebron: 11 Regem Hierimuth, regem Lachis: 12 Regem Ælan, regem Gazer: 13 Regem Dabir, regem Gader: 14 Regem Hermath, regem Ader: 15 Regem Lebna, regem Odollam: 16 Regem Elath: 17 Regem Taphut, regem Opher: 18 Regem Ophec ipſius Aroc, regem Aſom, regem Symoon, regem Mambroth, regem Aziph, regem Cades, regem Zachac, regem Maredoth, regem Iecom ipſius Chermel: 23 Regem Odollam ipſius Phennealdor, regem Gei Galilææ: 24 Regem Therſa: omnes hi reges viginti nouem.

### CAP. XIII.

ET Ieſus erat ſenior prouectus dierum, & dixit Dominus ad Ieſum: Tu prouectus es in diebus, & terra relicta eſt multa in hæreditatem: 2 Et hæc eſt terra, quæ remanſit, fines Phyliſtijm, ipſe Geſiri. 3 Et Chananæus ab inhabitata, quæ ad faciem Ægypti vſque ad fines Accaron à ſiniſtris Chananæorum cõputatur quinque Satrapijs Phyliſtijm, Gazeo, & Azotio, & Aſcalonitæ, & Getthæo, & Accaronitæ: 4 Et Euxo, de Theman, & omni terra Chanaan contra Gazan, & Sidonij vſque Aphec vſque ad fines Amorrhæorum: 5 Et omnem terram Galiath Phyliſtiim, & omnem Libanum ab Ortu ſolis à Galgal ſub monte Æ rmon, vſque ad ingreſſum Emath. 6 Omnis habitans montanam à Libano vſque Maſereth Memphomaim, omnes Sidonios. Ego eos exterminabo à facie Iſrael. Sed diſtribue illam in ſortem ipſi Iſrael, quemadmodum tibi mandaui. 7 Et nunc diuide terram hanc in hæreditatem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe à Iordane vſque ad mare magnũ ad Occaſum ſolis dabis eam, Mare magnum terminabit, duabus tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe: 8 Ipſi Ruben, & ipſi Gad dedit Moyſes trans Iordanem, ad Ortum ſolis dedit ei Moyſes puer Domini.

Ab

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, vniuerſaque campeſtria Medaba, vſque Dibon.

10 Et cunctas ciuitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnauit in Heſebon vſque ad terminos filiorum Ammon.

11 Et Galaad, ac terminum Geſſuri & Machati, & omnem montem Hermon, & vniuerſam Baſan, vſque ad Salecha,

12 Omne regnum Og in Baſan, qui regnauit in Aſtaroth & Edrai, ipſe fuit de reliquijs Raphaim: percuſſitque eos Moyſes, atque deleuit.

13 Nolueruntque diſperdere filij Iſrael Geſſuri & Machati: & habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem.

*Nu. 18. 1* 14 * Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem: ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt eius hæreditas, ſicut locutus eſt illi.

15 Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes ſuas.

16 Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon, & in valle eiuſdem torrentis media: vniuerſam planitiem, quæ ducit Medaba.

17 Et Heſebon, cunctoſque viculos earum, qui ſunt in campeſtribus: Dibon quoque, & Bamothbaal, & oppidum Baalmaon,

18 Et Iaſſa, & Cedimoth, & Mephaath,

19 Et Cariathaim, & Sabama, & Sarathaſar in monte conuallis.

20 Bethphogor, & Aſedoth, Phaſga, & Bethieſimoth,

21 Et omnes vrbes campeſtres, vniuerſaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnauit in Heſebon,

*Nu. 31. 8* * quem percuſſit Moyſes cum principibus Madian: Heuæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ.

22 Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Iſrael gladio cum ceteris interfectis.

23 Factuſque eſt terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Hæc eſt poſſeſſio Rubenitarum per cognationes ſuas vrbium, & viculorum.

24 Deditque Moyſes tribui Gad, & filijs eius per cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hæc diuiſio eſt.

25 Terminus Iaſer, & omnes ciuitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, vſque ad Aroer, quæ eſt contra Rabba.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Ab Haroher quæ eſt iuxta ripam fluminis Arnon, & ciuitatem quæ eſt in medio vallis, & omnem planitiem Medbah vſque ad Dibon.*

10 *Et omnes vrbes Sichon regis Emorræi, qui regnauit à Chesbon vſque ad terminum filiorum Hammon.*

11 *Et Ghilhad, & terminum Gheſuri, & Mahachati, & omnem montem Chermon, & omnem Baſan vſque ad Salchah.*

12 *Omnia regna Hog in Baſan, qui regnauit in Haſhtaroth, & in Edrehi: ipſe remanſit ex reſiduo Rephaim & percuſſit eos Moſeh, & expulit eos.*

13 *Non expulerunt filij Iſrael Gheſuri, & Mahachathi, & habitauit Geſur, & Mahachath in medio Iſrael vſque ad diem hanc.*

14 *Tantum tribui Leui non dedit hæreditatem: ſacrificium Domini Dei Iſrael ipſum eſt hæreditas eius, quemadmodum locutus eſt ei.*

15 *Deditque Moſeh tribui filiorum Reuben per familias ſuas.*

16 *Et fuit eis terminus ab Haroher, quæ eſt iuxta ripam torrentis Arnon, & ciuitas quæ eſt in medio vallis, & omnis planicies vſque Medbah.*

17 *Chesbon, & omnes vrbes eius quæ erant in planicie Dibon, & Bamothbahal, & Bethbahalmehon.*

18 *Et Iahaſah, & Chedemoth, & Mephahath.*

19 *Et Chiriathaim & Sibmah, & Sereth Sahar in monte vallis.*

20 *Et Bethpehor, & Aſdoth Piſghah, & Bethieſimoth.*

21 *Et omnes vrbes planiciei, & omnia regna Sichon regis Emorræi, qui regnauit in Chesbon, quē percuſſit Moſeh, & principes Midian Eui & Recem, & Sur, & Chur, & Rebah, duces Sichon habitatores terræ.*

22 *Et Bilham filium Behor diuinatorem occiderunt filij Iſrael gladio cum interfectis eorum.*

23 *Et fuit terminus filiorum Reuben, Iarden & terminus. Hæc eſt hæreditas filiorum Reuben per familias ſuas, vrbes, & villæ earum.*

24 *Deditque Moſeh tribui Gad filijs Gad per familias ſuas.*

25 *Et fuit eis terminus Iahazer, & omnes vrbes Ghilhad, & dimidium terræ filiorum Hammon vſque ad Haroher, quæ eſt coram Rabbah.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Ab Aroer, quæ eſt ſuper labium torrentis Arnon, & ciuitatem, quæ in medio vallis & vniuerſam Miſora Mædaban: 10 Omnes ciuitates Seon regis Amorræorum, qui regnauit in Eſebon, vſque ad fines filiorum Ammon: 11 Et Galaaditidem, & fines Geſiri, & ipſos Machati, vniuerſum montem Æрmon, & vniuerſam Baſanitidem vſque Acha 12 Omne regnum Og in Baſanitide, qui regnauit in Aſtaroth, & in Hedrain: hic remanſerat ex gigantibus: & percuſſit eum Moyſes, & exterminauit. 13 Et non exterminarunt filij Iſrael ipſum Geſiri, & ipſum Machati, & Chananæum: & habitabat rex Geſiri, & Machati in filijs Iſrael vſque in hodiernum diem. 14 Tantum tribui Leui non eſt data hæreditas: Dominus Deus Iſrael, hic hæreditas eorum, ſecundum quæ dixit eis Dominus: & hæc eſt diuiſio, quam diuiſit Moyſes filijs Iſrael in Araboth Moab trans Iordanem contra Hiericho. 15 Et dedit Moyſes tribui Ruben ſecundum populos eorum. 16 Et fuerunt eorum fines ab Aroer, quæ eſt ad faciem vallis Arnon, & ciuitas, quæ in valle Arnon, & vniuerſam Miſor 17 Vſque Eſebon, & omnes ciuitates, quæ erant in Miſor, & Dæbon, & Bæmon Baal, 18 Et domus Meelboth, & Baſan, & Bacedmoth, 19 Et Mæphaad, & Cariathæm, & Sebama, & Serada, & Sion in monte Enab, 20 Et Bæthphogor, & Aſidoth Phaſga, & Betthaſinoth, 21 Et omnes ciuitates ipſius Miſor, & omne regnum Seon regis Amorræorum quem percuſſit Moyſes eum, & duces Madian, & ipſum Eui, & ipſum Roboc, & ipſum Sur, & ipſum Vr, & ipſum Robe principem, ſpolia Sion & habitantes Sion. 22 Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt in impetu: fuerunt autem fines Ruben, Iordanis terminus. 23 Hæc hæreditas filiorum Ruben ſecundum populos eorum, ciuitates eorum, & pagi eorum. 24 Dedit autem Moyſes filijs Gad ſecundum populos eorum. 25 Et fuerunt fines eorum Iazer, omnes ciuitates Galaad, & dimidium terræ filiorum Ammon vſque ad Araba, quæ eſt ad faciem Arad:

Et ab

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

26 Et ab Heſebon vſque Ramoth, Maſphe & Betonim: & à Manaim vſque ad terminos Dabir.
27 In valle quoque Betharan, & Bethnemra, & Socoth & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Heſebon: huius quoque finis, Iordanis eſt vſque ad extremam partem Maris Cenereth trans Iordanem ad Orientalem plagam.
28 Hæc eſt poſſeſſio filiorum Gad per familias ſuas, ciuitates, & villæ earum.
29 Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, filijſque eius iuxta cognationes ſuas poſſeſſionem,
30 Cuius hoc principium eſt: à Manaim vniuerſam Baſan, & cuncta regna Og regis Baſan, omneſque vicos Iair, qui ſunt in Baſan, ſexaginta oppida.
31 Et dimidiam partem Galaad, & Aſtaroth, & Edrai vrbes regni Og in Baſan: filijs Machir, filij Manaſſe dimidiæ parti filiorum Machir iuxta cognationes ſuas
32 Hanc poſſeſſionem diuiſit Moyſes in campeſtribus Moab trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam.
33 *Num. 18.* * Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem: quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe eſt poſſeſſio eius, vt locutus eſt illi.

### CAP. XIIII.

1 HOc eſt, quod poſſederunt filij Iſrael in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum per tribus Iſrael:
2 *Num. 34. 13.* Sorte omnia diuidentes, * ſicut præceperat Dominus in manu Moyſi, nouem tribubus, & dimidiæ tribui.
3 Duabus enim tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Iordanem poſſeſſionem: abſque Leuitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos:
4 Sed in eorum ſucceſſerunt locum filij Ioſeph in ſuas diuiſi tribus, Manaſſe & Ephraim: nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta & pecora ſua.
5 Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filij Iſrael, & diuiſerunt terram.
6 Acceſſerunt itaque filij Iuda ad Ioſue in Galgala, locutuſque eſt ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: *Num. 14. 22.* * Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſen hominem Dei de me, & te in Cadeſbarne.

Qua-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et à Cheſbô vſq; ad Ramath ipſius Miſpeh & Betonim, & à Machanaim vſq; ad terminũ ipſius Debir.*
27 *Et in valle Betharam, & Bethnimrah, & Succoth, & Saphon reſiduum regni Sichon regis Cheſbon: Iarden & confinium vſque ad extremum Maris Chinereth trans Iarden ad Orientem.*
28 *Hæc eſt hæreditas filiorum Gad per familias ſuas, ciuitates, & villa earum.*
29 *Et dedit Moſeh dimidiæ tribui Menaſſeh: & fuit dimidia tribui filiorum Menaſſeh per familias ſuas.*
30 *Fuit terminus eorum à Machanaim, & omnis Baſan omnis regni Hog regis Baſan & omnes Chauoth Iair quæ ſunt in Baſan ſexaginta vrbes.*
31 *Et dimidium Ghilhad, & Aſtaroth, & Edrehi, vrbes regni Hog Baſan, filijs Machir filij Menaſſeh, dimidio filiorum Machir per familias ſuas.*
32 *Iſta ſunt quæ hæreditare fecit Moſeh in campeſtribus Moab à tranſitu Iarden ipſo Iericho ad Orientem.*
33 *Tribui autem Leui non dedit Moſeh hæreditatem: Dominus Deus Iſrael ipſe eſt hæreditas eorum, quemadmodum locutus eſt ad eos.*

### CAP. XIIII.

1 *ISta ſunt autem quæ hæreditate acceperunt filij Iſrael in terra Chenahan, quæ hæreditate accipere fecerunt eos Elhazar ſacerdos, & Iehoſuah filius Nun, & capita patrum tribuum filijs Iſrael.*
2 *Per ſortem hæreditas eorum, ſicut præcepit Dominus per manum Moſeh, nouem tribubus, & dimidiæ tribui.*
3 *Dederat enim Moſeh hæreditatem duabus tribubus & dimidiæ tribui trans Iarden: Leuitis autem non dedit hæreditatem in medio eorum.*
4 *Fuerunt enim filij Ioſeph duæ tribus Menaſſeh, & Ephraim: & non dederunt partem Leuitis in terra præter vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum pro iumentis eorum, & gregibus eorum.*
5 *Quemadmodum præcepit Dominus Moſeh, ſic fecerunt filij Iſrael, & diuiſerunt terram.*
6 *Acceſſerunt filij Iehudah ad Iehoſuah in Ghilgal, dixitque ad eum Caleb filius Iephunneh Chenizæus: Tu noſti verbum quod locutus eſt Dominus ad Moſeh virũ Dei propter me, & te in Cadeſbarneah.*

*Qua-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et ab Eſebon vſque Araboth ad Maſſepha, & Botanim, & Maan vſque ad fines Dæbon, & Anadon. 27 Et Othargai, & Bengtanabra, & Socchotha, & Saphan, & reliquum regnum Seon regis Eſebon: & Iordanis terminabit vſque ad partem Maris Chenereth trans Iordanem ab Oriente. 28 Hæc eſt hæreditas filiorum Gad ſecundum populos eorum & ſecundum ciuitates eorum, ſecundum populos ſuos ceruicem vertent coram inimicis ſuis: quoniam fuerunt ſecundum populos eorum ciuitates eorum & pagi eorum. 29 Et dedit Moyſes dimidiæ tribui Manaſſe ſecundum populos eorum. 30 Et fuerunt fines eorum à Maan, & omne regnum Baſan, & omne regnum Og regis Baſan, & omnes pagos Iair, qui ſunt in Baſanitide, ſexaginta ciuitates. 31 Et dimidium Galaad, & in Aſtaroth, & in Hedrain ciuitates regni Og in Baſanitide filijs Machir, filijs Manaſſe, & dimidijs filiorum Manaſſe, filijs Manaſſe ſecundum populos eorum. 32 Hi ſunt, quibus poſſeſſionem dedit Moyſes trans Iordanem in Araboth Moab trans Iordanem contra Hiericho ab Oriente.

### CAP. XIIII.

ET hi ſunt qui poſſederunt, de filijs Iſrael in terra Chanaan, quibus diſtribuerunt hæreditatem eis Eleazar ſacerdos, & Ieſus filius Naue, & principes familiarum tribuum filiorum Iſrael. 2 Secundum ſortes hæreditarunt, quemadmodum mandauit Dominus in manu Ieſu nouem tribubus, & dimidiæ tribui. 3 Ex eo, quod trans Iordanem: & Leuitis non dedit ſortem in eis. 4 Quoniam fuerunt filij Ioſeph duæ tribus, Manaſſe & Ephraim: & non fuit data portio in terra Leuitis, ſed ciuitates ad habitandum, & ſegregata earum pecoribus & pecora eorum. 5 Quemadmodum mandauerat Dominus Moyſi, ſic fecerunt filij Iſrael, & partiti ſunt terram. 6 Et acceſſerunt filij Iuda ad Ieſum in Galgal: & dixit ad eum Chaleb filius Iephone Cenezæus: tu noſti verbum, quod locutus eſt Dominus ad Moyſen hominem Dei de me, & te in Cades Barne.

Quadra-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Quadraginta annorum eram quando miſit me Moyſes famulus Domini de Cadesbarne, vt conſiderarem terram, nunciauique ei quod mihi verum videbatur.

8 Fratres autem mei, qui aſcenderant mecum, diſſoluerunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.

9 Iurauitque Moyſes in die illo, dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia ſecutus es Dominum Deum meum.

10 Conceſſit ergo Dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt vſque in præſentem diem. Quadraginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem: hodie octoginta quinque annorum ſum.

*Eccli. 46 11. 11 Sic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandum miſſus ſum: * illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.

12 Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim ſunt, & vrbes magnæ atque munitæ: ſi forte ſit Dominus mecum, & potuero delere eos: ſicut promiſit mihi.

13 Benedixitque ei Ioſue: & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem.

14 Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vſque in præſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael.

15 Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt: & terra ceſſauit à prælijs.

### CAP. XV.

*Nu. 34 3. 1 IGitur * ſors filiorum Iudæ per cognationes ſuas iſta fuit: A termino Edom, deſertum Sin contra Meridiem, & vſque ad extremam partem Auſtralis plagæ.

2 Initium eius à ſummitate Maris ſalſiſſimi, & à lingua eius, quæ reſpicit Meridiem.

3 Egrediturque contra Aſcenſum Scorpionis, & pertranſit in Sina: aſcenditque in Cadesbarne, & peruenit in Eſron, aſcendens ad Addar, & circumiens Caarcaa,

Atque

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Quadragenarius eram, quando miſit Moſeh ſeruus Domini me de Cadesbarneah ad explorandum terram, & retuli ei verbum, quemadmodum erat cum corde meo.*

8 *Et fratres mei qui aſcenderunt mecum diſſoluerunt cor populi: ego autem compleui, vt irem poſt Dominum Deum meum.*

9 *Et iurauit Moſeh in die illa dicendo: Si non terra in qua calcauit pes tuus tibi erit in hæreditatem, & filijs tuis in æternum: quia compleuiſti vt ires poſt Dominum Deum meum.*

10 *Et nunc ecce viuere fecit Dominus me, ſicut locutus eſt iam quadraginta, & quinque annis ex eo tempore quo locutus eſt Dominus verbum hoc ad Moſeh, quibus ambulauit Iſrael per deſertum: & nunc ecce hodie ſum quinque & octoginta annorum.*

11 *Adhuc ſum hodie fortis, quemadmodum in die qua miſit me Moſeh: ſicut fortitudo mea tunc, ſic & fortitudo mea nunc ad prælium, & ad exeundum, & ingrediendum.*

12 *Et nunc da mihi montem illum, vt locutus eſt Dominus in die illa: tu enim audiſti in die illa, quia Hanachim ſunt ibi, & vrbes magnæ, munitæ: ſi forte Dominus ſit mecum, & expulero eos, quemadmodum locutus eſt Dominus.*

13 *Et benedixit ei Iehoſuah: deditque Chebron ipſi Chaleb filio Iephunneh Chenizæo in hæreditatem vſque ad diem hanc.*

14 *Iccirco fuit Chebron ipſi Chaleb filio Iephunneh Chenizæo in hæreditatem vſque ad diem hanc: pro eo quod compleuit vt iret poſt Dominum Deum Iſrael.*

15 *Et nomen Chebron antea fuit Chiriath Arbah, homo magnus inter Hanachim fuit & terra quieuit à bello.*

### C A P. X V.

1 *ET fuit ſors tribus filiorum Iehudah per familias eorum ad terminum Edom deſerti Sin ad Auſtrum, ab extremo Auſtri.*

2 *Fuitque eis terminus Meridiei ab extremo Maris ſalis à limite, qui reſpicit ad Meridiem.*

3 *Et egredietur à Meridie ad aſcenſum ſcorpionum, & tranſibit in Sin, & aſcendet à Meridie in Cadesbarneah, & tranſibit in Cheſron, & aſcendet in Adar, & circuibit in Carcahah.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Quadraginta enim annorum eram, quando miſit me Moyſes puer Dei de Cades Barne explorare terram: &
reſpondi ei verbum ſecundum mentem eius. 8 Fratres mei qui aſcenderant mecum, tranſtulerunt cor populi. Ego autem appoſitus fui obſequi Domino Deo meo. 9 Et iurauit Moyſes in illa die, dicens: Terra,
ſuper quam aſcendiſti, tibi erit in ſorte, & filijs tuis in ſeculum: quoniam appoſuiſti obſequi poſt Dominum
Deum noſtrum. 10 Et nunc enutriuit me Dominus, quemadmodum dixit: Hic eſt quadrageſimus, & quintus annus, ex quo locutus eſt Dominus verbum hoc ad Moyſen: Et iuit Iſrael in deſerto, & nunc ecce ego hodie
octuaginta, & quinque annorum. 11 Adhuc ſum hodie valens, ſicut quando miſit me Moyſes, ſimiliter valeo nunc egredi, & ingredi in prælium. 12 Et nunc peto à te montem hunc, ſecundum quæ dixit Dominus
die illa, quoniam tu audiſti verbum hoc in die illa: nunc autem ipſi Enacim ibi ſunt, ciuitates munitæ, & magnæ.
Si igitur Dominus mecum fuerit, exterminabo eos: quemadmodum dixit mihi Dominus. 13 Et benedixit
eum Ieſus, 14 Et dedit Chebron ipſi Chaleb filio Iephone Cenezæi in ſortem vſque in diem hanc, eo
quod ipſe obſecutus fuit præcepto Domini Dei Iſrael. 15 Nomen autem ipſius Chebron erat antea ciuitas Argob, metropolis ipſorum Enacim hæc: & terra quieuit à bello.

### C A P. X V.

ET facti ſunt fines tribus Iuda ſecundum populos eorum à finibus Idumeæ à deſerto Sin vſque Cades ad Africum. 2 Et fuerunt fines eorum ab Africo vſque ad partem Maris ſalſi ſummitate, quæ
fert ad Africum. 3 Et egrediuntur contra aſcenſum Acrabin, & pertranſeunt Sena:
& aſcendunt ab Africo in Cades Barne: & egrediuntur Aſoron, & aſcendunt in Sarada, & obeunt eam, quæ ad
Occidentem Cades.

Et egre-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Atque inde pertranſiens in Aſemona,& perueniens ad torrentem Ægypti : eruntque termini eius Mare magnum : hic erit finis Meridianæ plagæ.
5 Ab Oriente vero erit initium, Mare ſalſiſſimum vſque ad extrema Iordanis : & ea quæ reſpiciunt ad Aquilonem a lingua Maris vſque ad eundem Iordanis fluuium.
6 Aſcenditque terminus in Beth Hagla, & tranſit ab Aquilone in Beth Araba : aſcendens ad lapidem Boen filij Ruben.
7 Et tendens vſque ad terminos Debera de Valle Achor,contra Aquilonem reſpiciens Galgala,quæ eſt ex aduerſo Aſcenſionis Adommim,ab Auſtrali parte torrentis : tranſitque aquas, quæ vocantur Fons ſolis : & erunt exitus eius ad Fontem Rogel.
8 Aſcenditque per conuallem filij Ennom ex latere Iebuſæi ad Meridiem,hæc eſt Ieruſalem : & inde ſe erigens ad verticem montis, qui eſt contra Geennom ad Occidentem in ſummitate vallis Raphaim contra Aquilonem.
9 Pertranſitque à vertice montis vſque ad fontem aquæ Nephtoa : & peruenit vſque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala,quæ eſt Cariathiarim,id eſt,vrbs ſiluarum.
10 Et circuit de Baala contra Occidentem, vſque ad montem Seir : tranſitque iuxta latus montis Iarim ad Aquilonem in Cheſlon : & deſcendit in Bethſames,tranſitque in Thamna.
11 Et peruenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere : inclinaturque Sechrona, & tranſit montem Baala : peruenitque in Iebneel,& magni Maris contra Occidentem fine concluditur.
12 Hi ſunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus ſuis.
13 Caleb vero filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda,ſicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac,ipſa eſt Hebron.
*Iud.1.10 14 * Deleuitque ex ea Caleb tres filios Enac, Seſai, & Ahiman,& Tholmai de ſtirpe Enac.
15 Atque inde conſcendens venit ad habitatores Dabir,quæ prius vocabatur Cariath Sepher,ideſt,ciuitas litterarum.
16 Dixitque Caleb : Qui percuſſerit Cariath Sepher, & ceperit eam,dabo ei Axam filiam meam vxorem.
17 Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior : deditque ei Axam filiam ſuam vxorem.

Quæ

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et tranſibit in Aſmon, & egredietur ad torrentem Ægypti, & erunt egreſſus termini ad Occidentem : iſte erit vobis terminus ad Meridiem.*
5 *Et terminus ad Orientem,Mare ſalſu vſque ad extremum Iarden: & terminus anguli Aquilonaris à limite Maris ab extremo Iarden.*
6 *Aſcendetque terminus in Bethehaglah, & tranſibit ab Aquilone Bethharabah & aſcendet terminus ad lapidem Bohan filij Reuben.*
7 *Aſcendetque terminus in Debir à valle Hachor, & ad Aquilonem reſpiciens ad Ghilgal, quæ eſt contra aſcenſum Adummim,quæ eſt ab Auſtro torrenti, & tranſibit terminus ad aquas Henſemes,& erunt exitus eius ad Henroghel.*
8 *Et aſcendet terminus ad latus Iebuſæi à Meridie, ipſa eſt Ieruſalaim, aſcendetque terminus ad verticem montis qui eſt in conſpectu Gebenhinnom ad Occidentem quæ eſt in extremo vallis Rephaim ad Aquilonem.*
9 *Et deſignabitur terminus à vertice montis, ad fontem aquæ Nephtoach,& egredietur ad vrbes montis Hephron,& deſignabitur terminus ipſi Bahalah quæ eſt Chiriathiiharim.*
10 *Et girabit terminus ad Bahalah, ad Occidentem ad montem Sehir, & pertranſibit ad latus montis Ieharim ab Aquilone,quæ eſt Cheſalon,& deſcẽdet in Bethſemes,& tranſibit Timnach.*
11 *Et egredietur terminus ad latus Hechron, & pertranſibit ad montem Bahalah, & egredietur in Iabneel,eruntque exitus termini ad Mare.*
12 *Et terminus Occidentis ad Mare magnum: & terminus iſte terminus filiorum Iehudah per circuitum per familias ſuas.*
13 *Calebque filio Iephunneh dedit partem in medio filiorum Iehudah iuxta ſermonem Domini ad Iehoſuah Chiriath Arbah patris Hanach quæ eſt Chebron.*
14 *Expulitque inde Chaleb tres filios Hanach Seſai, & Achiman,& Talmai filij Hanac.*
15 *Aſcenditque inde ad habitatores Debir : & nomen Debir antea fuit Chiriathſepher.*
16 *Dixitque Chaleb : Qui percuſſerit Chiriathſepher dabo ei Hachſah filiam meam in vxorem.*
17 *Et cepit eam Hathniel filius Chenaz frater Chaleb. Deditque ei Hachſah filiam ſuam in vxorem.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et egrediuntur in Selmonan,& tranſeunt vſque ad vallem Ægypti : & erit eius finium exitus ad Mare: hic eſt eorum terminus ab Africo. 5 Et fines ab Oriente vniuerſum Mare ſalſum vſque ad Iordanem : & fines eorum ab Aquilone,& à ſummitate Maris & à parte Iordanis 6 Aſcendunt fines ad Bæthaglaam,& tranſeunt ab Aquilone in Bætharaba, & aſcendunt fines ad lapidem Bæon filij Ruben. 7 Et aſcendunt ad quartam vallis Achor, & deſcendunt ad Galgal, quæ eſt è regione aſcenſionis Adammim, quæ eſt ad Africum ipſi valli, & pertranſeunt ad aquam fontis ſolis : & erit eius exitus fons Rogel. 8 Et aſcendunt fines ad vallem Ennom ſuper dorſum Iebus ab Africo : Hæc eſt Hieruſalem : & traijciunt fines ad cacumen montis, quod eſt ad faciem vallis Ennom ad Mare,quod eſt à parte terræ Raphaim ad Aquilonem. 9 Et pertranſit terminus à cacumine montis ad fontem aquæ Naphto, & tranſit ad montem Ephron,& ducet terminum ad Baal, hæc eſt ciuitas Iarim. 10 Et circuibit terminus à Baal ad Mare, & præteribit ad montem Aſſar ſuper dorſum ciuitatem Iarim ab Aquilone,hæc eſt Chalon : & deſcendet ad ciuitatem Solis,& præteribit ad Africum. 11 Et tranſit terminus contra dorſum Accaron ad Aquilonem, & peruenient termini ad Socchoth : & præteribunt fines ad Africum, & peruenient ad Lebna : & erit exitus finium ad Mare ; & fines eorum à Mari Mare magnum terminabit. 12 Hi ſunt fines filiorum Iuda in circuitu ſecundum populos eorum. 13 Et Chaleb filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda per præceptum Dei : & dedit ei Ieſus ciuitatem Arboc metropolim Enac : hæc eſt Chebron. 14 Et exterminauit inde Chaleb filius Iephone tres ipſos filios Enac, Suſi,& Tholami, & Achima. 15 Et aſcendit inde Chaleb ſuper habitantes Dabir : nomen autem Dabir erat antea ciuitas litterarum. 16 Et dixit Chaleb : Qui ceperit,& exciderit ciuitatem litterarum, & dominatus fuerit eius, dabo ei Aſchan filiam meã in vxorẽ. 17 Et cepit eam Gothoniel filius Cenez fratris Chaleb: & dedit ei Aſchan filiã ſuã,vxorẽ.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Quæ, cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt à viro ſuo, vt peteret à patre ſuo agrum, ſuſpirauitque vt ſedebat in aſino. Cui Caleb: Quid habes, inquit? 18
At illa reſpondit: Da mihi benedictionem: Terram Auſtralem, & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. 19
Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Iuda per cognationes ſuas. 20
Erantque ciuitates ab extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom à Meridie: Cabſeel, & Eder, & Iagur, 21
Et Cina & Dimona & Adada, 22
Et Cades, & Aſor, & Iethnam, 23
Ziph & Telem & Baloth, 24
Aſor noua & Carioth, Heſron, hæc eſt Aſor. 25
Amam, Sama, & Molada, 26
Et Aſergadda & Haſſemon & Bethpheleth, 27
Et Haſerſual & Berſabee & Baziothia, 28
Et Baala & Iim & Eſem, 29
Et Eltholad & Ceſil & Harma, 30
Et Siceleg & Medemena & Senſenna, 31
Lebaoth & Selim & Aen & Remon: omnes ciuitates viginti nouem, & villæ earum. 32
In campeſtribus vero: Eſtaol & Sarea & Aſena, 33
Et Zanoe & Ænganim & Taphua & Enaim, 34
Et Ierimoth & Adullam, Socho & Azeca, 35
Et Saraim & Adithaim & Gedera & Gederothaim: vrbes quatuordecim, & villæ earum. 36
Sanan & Hadaſſa & Magdalgad, 37
Delean & Maſepha & Iecthel, 38
Lachis & Baſcath & Eglon, 39
Chebbon & Leheman & Cethlis 40
Et Gideroth & Bethdagon & Naama & Maceda: ciuitates ſedecim, & villæ earum. 41
Labana & Ether & Aſan, 42
Iephtha & Eſna & Neſib, 43
Et Ceila & Achzib & Mareſa: ciuitates nouem, & villæ earum. 44
Accaron cum vicis & villulis ſuis. 45
Ab Accaron vſque ad Mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos eius. 46
Azotus cum vicis & villulis ſuis: Gaza cum vicis & villulis ſuis, vſque ad torrentem Ægypti, & Mare magnum terminus eius. 47
Et in monte: Samir & Iether & Socoth 48
Et Danna & Cariathſenna, hæc eſt Dabir: 49

Anab

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et fuit cum veniret, ſuaſit ei, vt peteret à patre ſuo agrum: & deſcendit de aſino. Dixitque ei Chaleb: Quid eſt tibi?*
19 *Et dixit: Da mihi benedictionem: Quia terram aridam dediſti mihi, da mihi fontes aquarum. Et dedit ei Chaleb fontes ſuperiores, & fontes inferiores.*
20 *Iſta eſt hæreditas tribus filiorum Iehudah per familias ſuas.*
21 *Et fuerunt vrbes ab extremo tribui filiorum Iehudah ad terminum Edom in Meridie Chabſeel, & Heder, & Iaghur,*
22 *Et Chinah, & Dimonah, & Hadhadah.*
23 *Et Chedes, & Chaſoret, Ithnan.*
24 *Ziphetthelem, & Behaloth.*
25 *Et Chaſor chadathah, & Cherioth, Cheſron quæ eſt Chaſor.*
26 *Amam, & Semah, & Molodah,*
27 *Et Chaſar Ghaddah, & Cheſmon, & Bethphaleth.*
28 *Et Chaſarſuhal, & Beerſebah, & Bezi0thiah,*
29 *Bahala, & Hijm, & Haſen.*
30 *Et Eltholad, & Cheſil, & Chormah.*
31 *Et Siclag, & Magmanah, & Sanſanah.*
32 *Et Lebaoth, & Silchim, & Hain, & Rimmon, omnes vrbes viginti, & nouem & villa earum.*
33 *In planicie Eſthaol, & Sarhah, & Aſnah.*
34 *Et Zanoah, & Henghannim Tapuach, & Henam.*
35 *Iarmuth, & Adulam, Suchoh, & Hazechah.*
36 *Et Saharaim, & Haditaim, & Ghederah, & Ghederothaim, vrbes quatuordecim, & villæ earum.*
37 *Senan, & Chadaſcah, & Migdalgad.*
38 *Et Dilham, & Miſpeh & Iocthel,*
39 *Lachis, & Baſſacath, & Heghlon.*
40 *Et Chabbon, & Lachaman, & Chithlis.*
41 *Et Ghederoth, & Bethdagon, & Naamah, & Maccedah, ciuitates ſexdecim, & villæ earum.*
42 *Libnah & Heter, & Haſan,*
43 *Et Iphthach, & Aſnah, & Neſib.*
44 *Et Chehilah, & Achzib, & Mareſchah ciuitates nouem & villæ earum.*
45 *Hecron, & oppida, & villæ eius.*
46 *Et ab Hecron & Mare, omnes quæ ſunt iuxta latus Aſdod, & villæ earum.*
47 *Aſdod, oppida eius & villæ eius: & Hazzah, oppida eius, & villæ eius vſque torrentem Ægypti, & Mare magnum, & terminus.*
48 *Et in monte Samir & Iather, & Sochoh,*
49 *Et Dannah, & Chiriath ſannah quæ eſt Debir.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et factum eſt, cum ea egrederetur, & habuit conſilium cum eo dicens: Petam patrem meum agrum: & exclamauit de aſino: & dixit ei Chaleb: Quid eſt tibi? 19 Et dixit ei: Da mihi benedictionem: quoniam in terram Nageb dediſti me: Da mihi ipſam Botthanis: & dedit ei Gonathlan ſuperiorem, & Gonathlan inferiorem. 20 Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Iuda. 21 Fuerunt autem ciuitates eorum, ciuitates ad tribum filiorum Iuda ſuper fines Edom ſuper deſertum, & Bæſeleel, & Ara, & Aſor, & Icam & Regma, & Aruel, & Cades, & Aſorionain, & Mænam, & Balmænan, & oppida earum: & ciuitates, Aſeron (hæc eſt Aſor) & Sen, & Salmaa, & Molada, & Seri, & Bæphalath, 28 Cholaſeola, & Berſabee, & oppida earum, & villæ earum. 29 Bala & Bacoc, & Aſom, 30 Et Elboydad, & Bæthel & Herma, 31 Et Secelac & Macharim, & Sethennac, 32 Et Labos, & Sale, & Eromoth, ciuitates viginti nouem, & oppida earum. 33 In campeſtri Aſtaol, & Raa, & Aſſa, 34 Et Ramen, & Tano, & Iluthoth, & Mæani, 35 Et Iermuth, & Odollam, & Membra, & Saocho, 36 Et Iazeca, & Sacarim, & Gadera, & villæ eius ciuitates quatuordecim, & oppida earum. 37 Senna, & Adaſam, & Magadalgad, 38 Et Dalad, & Maſpha, & Lachareel, 39 Et Baſedoth, & Ideadalea, & Chabra, & Maches, & Maachos, 41 Et Geddor, & Bagadiel, & Noman & Machedan, ciuitates ſexdecim, & oppida earum. 42 Lebna, & Ithac, & Anoch, & Iana, & Naſib, 44 Et Ceilam, & Akiezi, & Cozib, & Bathheſar, & Ailom, ciuitates decem, & oppida earum. 45 Accaron, & oppida eius, & villæ eorum. 46 Ab Accaron Iemna, & omnes, quæcumque ſunt prope Aſedoth, & oppida earum: 47 Aſiedoth, & oppida eius, & villæ eius: Gazza, & oppida eius, & villæ eius vſque ad torrentem Ægypti: & Mare magnum diſterminat. 48 Et in montana Samir, & Iether & Socha. 49 Et Renna, & ciuitas literarum (Hæc eſt Dabir)

Non ſolū in nobis propriis nominibus [illegible] ſed & in eodē ne differt [illegible] maxime hæc Bibl. Sept. Inte. Rom. ab [illegible] pro- [illegible] non valuimus numerare [illegible] ſpondere [illegible] hæc translationes cum aliis ordinare.

Et

## Vulgata Editio.

50 Anab & Iſtemo & Anim,
51 Goſen & Olon & Gilo : ciuitates vndecim & villæ
earum.
52 Arab & Ruma & Eſaan,
53 Et Ianu & Beththaphua & Apheca,
54 Athmatha & Cariatharbe,hæc eſt Hebron,& Sior :
ciuitates nouem,& villæ earum.
55 Maon & Carmel & Ziph & Iota,
56 Iezrael & Iucadam & Zanoe,
57 Accain,Gabaa & Thamna : ciuitates decem, & vil-
læ earum.
58 Halhul & Beſſur,& Gedor,
59 Mareth, & Bethanoth, & Eltecon : ciuitates ſex &
villæ earum.
60 Cariathbaal,hæc eſt Cariathiarim vrbs ſiluarum, &
Arebba : ciuitates duæ,& villæ earum.
61 In deſerto Betharaba,Meddin,& Sachacha
62 Et Nebſan,& ciuitas ſalis,& Engaddi : ciuitates ſex,
& villæ earum.
63 Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non po-
tuerunt filij Iuda delere : habitauitque Iebuſæus
cum filijs Iuda in Ieruſalem vſque in præſen-
tem diem.

### CAP. XVI.

1 CEcidit quoque ſors filiorum Ioſeph ab Iordane
contra Iericho & aquas eius ab Oriente : ſoli-
tudo quæ aſcendit de Iericho ad montem Bethel :
2 Et egreditur de Bethel Luza : tranſitque termi-
num Archi,Atharoth.
3 Et deſcendit ad Occidentem iuxta terminum Ie-
phleti, vſque ad terminos Beth horon inferioris, &
Gazer : finiunturque regiones eius Mari magno :
4 Poſſederuntque filij Ioſeph Manaſſes & Ephraim.
5 Et factus eſt terminus filiorum Ephraim per cogna-
tiones ſuas : & poſſeſſio eorum contra Orientem
Ataroth addar vſque Beth horon ſuperiorem.
6 Egrediunturque confinia in Mare : Machmethath
vero Aquilonem reſpicit, & circuit terminos con-
tra Orientem in Thanathſelo : & pertranſit ab O-
riente Ianoe.
7 Deſcenditque de Ianoe in Ataroth, & Naara-
tha : & peruenit in Iericho, egrediturque ad
Iordanem.

De

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

50 *Et Hannab, & Eſſhemoh, & Hanim.*
51 *Et Gheſan, & Cholon, & Ghiloh, ciuitates vndecim
& villæ earum.*
52 *Arab, & Dumah, & Eshan,*
53 *Et Ianum, & Bethapuach, & Aphecah.*
54 *Et Chumtah, & Chiriatharbah, quæ eſt Chebron, &
Sihor ciuitates nouem, & villæ earum.*
55 *Mahon, Charmel, & Ziph, & Iuttah.*
56 *Et Izrehel, & Iocdehan, & Zanoach*
57 *Cham, Ghibhah, & Timnah, ciuitates decem, & villæ
earum.*
58 *Chalchul, & Bethſur, & Ghedor.*
59 *Et Maharath, & Bethhanoth, & Eltecon ciuitates
ſex, & villæ earum.*
60 *Chiriathbahal, quæ eſt Chiriathieharim, & Rab-
bah, ciuitates duæ, & villæ earum.*
61 *In deſerto Bethharabah Middim, & Sechachah.*
62 *Et Nibſan, & ciuitas ſalis, & Henghedi, ciuitates
ſex, & villæ earum.*
63 *Et Iebuſæus habitatores Ieruſalaim non potue-
runt filij Iehudah expellere : & habitauit Iebu-
ſæus cum filijs Iehudah in Ieruſalaim vſque ad
diem hanc.*

### CAP. XVI.

1 *ET egreſſa eſt ſors filijs Ioſeph à Iarden Iericho
ad aquas Iericho ad Orientem deſertum aſcen-
dens à Iericho in montem Bethel.*
2 *Et egredietur à Bethel in Luz. & tranſibit ad ter-
minum Archibataroth Iaphleti vſque ad terminum
Bethchoron inferiorem.*
3 *Et aſcendet ad Mare vſque ad Ghazer, eruntque
exitus eius ad Mare.*
4 *Et hæreditate acceperunt filij Ioſeph Menaſſeh, &
Ephraim.*
5 *Et fuit terminus filiorum Ephraim per familias
ſuas: & fuit terminus hæreditatis eorũ ad Orientem
ad Hathroth Addar, vſque ad Bethchoron ſuperiorẽ.*
6 *Et exibit terminus ad Mare ad Michmethath ab
Aquilone, & circuibit terminus ad Orientem Taa-
nathſiloh, & tranſibit ipſum ab Oriente ad Ia-
noah.*
7 *Et deſcendet à Ianoah in Hatharoth, & Naha-
rath, & perueniet in Iericho, & egredietur ad
Iarden.*

*A*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

50 Et Anon,& Es,& Man,& Æſam, 51 Et Goſom,& Calu,& Channa,& Gelom, ciuitates vndecim, & op-
pida earum. 52 Ærem,& Remna,& Soma,& Iemaan,& Bæthachui,& Phacua, 53 Et Euma,& ciui-
tas Arboc ( hæc eſt Chebron ) & Soreth,ciuitates nouem & villæ earum. 55 Maor,& Chermel,& Ozib,
& Itan, 56 Et Iariel,& Aricam, 57 Et Zacanaim,& Gabaa,& Thamnatha,ciuitates nouem, & oppida
earum. 58 Ælua,& Bethſur,& Geddon, 59 Et Magaroth,& Bæthanam, & Thecum,ciuitates ſex,&
oppida earum : Theco, & Ephratha ( hæc eſt Bethleem ) & Phagor, & Ætan, & Gulon,& Catam,& Thobes,&
Tarem,& Calem,& Thether,& Manocho,ciuitates vndecim,& oppida earum 60 CariathBaal (hæc eſt ci-
uitas Iarim ) & Sotheba,ciuitates duæ,& villæ earum. 61 Et Baddargis,& Tharabaam,& Aenon,& Aco-
chioza, 62 Et Naphtazon,& ciuitates Sadon,& Ancades,ciuitates ſeptem,& oppida earum.
63 Et Iebuſæus habitabat in Hieruſalem, & non potuerunt filij Iuda diſperdere eos : & habitarunt Iebuſæi in
Hieruſalem vſque in diem hanc.

### CAP. XVI.

ET facti ſunt fines filiorum Ioſeph à Iordane,qui contra Hiericho ab Oriẽte:& aſcendent à Hiericho in mon-
tanam,deſertum,in Bæthel Luza. 2 Et egredientur in Bæthel,& præteribunt ad fines Acatarothi: 3 Et
tranſibunt ad Mare ſuper fines Aptalim vſque ad fines Bæthoron,quæ infra: & erit exitus eorũ ad Mare. 4 Et
hereditauerunt filij Ioſeph Ephræm,& Manaſſe. 5 Et fuerunt fines filiorũ Ephræm ſm populos eorum: & fue-
runt fines hæreditatis eorum ab Oriente Ataroth,& Eroc,vſque ad Bæthoron ſuperiorem,& Gazara. 6 Et ve-
nient fines ad Mare in Icaſmon ab Aquilone Therma,circuibunt ad Orientẽ in Thenaſa,& Selles,& præteribũt
ab Oriente in Ianoca,& in Macho,& Ataroth,& pagi earũ. 7 Et venient ad Hiericho,& trãſibunt ad Iordanẽ.

Et à

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

8 De Taphua pertranſit contra Mare in vallem arundineti, ſuntque egreſſus eius in Mare ſalſiſſimum: hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Ephraim per familias ſuas.

9 Vrbeſque ſeparatæ ſunt filijs Ephraim in medio poſſeſſionis filiorum Manaſſe, & villæ earum.

10 Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius.

### CAP. XVII.

1 CEcidit autem ſors tribui Manaſſe: (ipſe enim eſt primogenitus Ioſeph) Machir primogenito Manaſſe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque poſſeſſionem Galaad & Baſan:

*Num.26. 30.

2 * Et reliquis filiorum Manaſſe iuxta familias ſuas, filijs Abiezer, & filijs Helec, & filijs Eſriel, & filijs Sechem, & filijs Hepher, & filijs Semida: iſti ſunt filij Manaſſe filij Ioſeph, Mares per cognationes ſuas.

*Nu.27.1. & 36.11.

3 * Salphaad vero filio Hepher filij Galaad filij Machir filij Manaſſe non erant filij, ſed ſolæ filiæ: quarum iſta ſunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Therſa.

4 Venerunt in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & Ioſue filij Nun, & principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moyſi, vt daretur nobis poſſeſſio in medio fratrum noſtrorum. Deditque eis iuxta imperium Domini poſſeſſionem in medio fratrum patris earum.

5 Et ceciderunt funiculi Manaſſe, decem, abſque terra Galaad & Baſan trans Iordanem.

6 Filiæ enim Manaſſe poſſederunt hereditatem in medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in ſortem filiorum Manaſſe qui reliqui erant.

7 Fuitque terminus Manaſſe ab Aſer, Machmethath quæ reſpicit Sichem: & egreditur ad dexteram iuxta habitatores Fontis Taphuæ.

8 Etenim in ſorte Manaſſe ceciderat terra Taphuæ, quæ eſt iuxta terminos Manaſſe filiorum Ephraim.

9 Deſcenditque terminus vallis arundineti in Meridiem torrentis ciuitatum Ephraim, quæ in medio ſunt vrbium Manaſſe: terminus Manaſſe ab Aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad Mare:

Ita

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*8 A Tappuah perget terminus ad Mare ad torrentem arundinis, & erunt exitus eius ad Mare: hæc eſt hæreditas tribus filiorum Ephraim per familias ſuas.*

*9 Et vrbes ſeparata filijs Ephraim in medio hæreditatis filiorum Menaſſeh, omnes vrbes, & villa earum.*

*10 Et non expulerunt Chenahanæum habitantem in Ghazer: & habitauit Chenahanæus in medio Ephraim vſque ad diem hanc, & fuit tributo ſeruiens.*

### CAP. XVII.

*1 ET fuit ſors tribui Menaſſeh: ipſe enim fuit primogenitus Ioſeph, Machir primogenito Menaſſeh patri Ghilhad: ipſe enim fuit vir bellicoſus: & fuit ei Ghilhad, & Baſan.*

*2 Fuitque filijs Menaſſeh reliquis per familias ſuas, filijs Habiezer, & filijs Chelech, & filijs Aſriel, & filijs Sechem, & filijs Chepher, & filijs Semidah: iſti ſunt filij Menaſſe filij Ioſeph Mares per familias ſuas.*

*3 Et Selophchad filio Chefer, filij Ghilhad, filij Machir, filij Menaſſeh non fuerunt filij ſed filiæ: & iſta ſunt nomina filiarum eius Machalah, & Nohah, Choglah, Milchah, & Tirſah.*

*4 Et acceſſerunt in conſpectu Elhazar ſacerdotis, & in conſpectu Iehoſuah filij Nun, & in conſpectu principum, dicendo: Dominus præcepit Moſeh, vt daret nobis hæreditatem in medio fratrum noſtrorum. Et dedit eis iuxta ſermonem Domini hæreditatem in medio fratrum patris earum.*

*5 Et ceciderunt hæreditates Menaſſeh decem præter terram Ghilhad, & Baſan, quæ erant trans Iarden.*

*6 Filiæ enim Menaſſeh ſortitæ ſunt hæreditatem in medio filiorum eius terra autem Ghilhad fuit filijs Menaſſeh reliquis.*

*7 Fuit autem terminus Menaſſeh ab Aſer Hammichmethah coram Sechem, & perget terminus ad dexteram ad habitatores Hentappuah.*

*8 Ipſi Menaſſeh fuit terra Tappuah: & Tappuah erat ad terminum Menaſſeh filijs Ephraim.*

*9 Deſcendetque terminus ad torrentem arundinis ad Meridiem ad torrentem, ciuitates iſtæ erant Ephraim ĩ medio ciuitatũ Menaſſeh: & terminus Menaſſeh ab Aquilone ipſi torrẽti, & fuit exitus ei⁹ ad Mare.*

*Ad*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et à Taphu ibunt fines ad Mare in Chelcana: & erit exitus eorũ ad Mare: hæc eſt hæreditas tribus Ephræm ſe-
cundum populos eorum, 9 Et ciuitates ſegregatæ filijs Ephræm inter medium hæreditatis filiorum Manaſſe,
omnes ciuitates, & pagi earum. 10 Et non diſperdidit Ephręm Chananęum habitantem in Gazer: & habitabat
Chananæus in Ephręm vſque in diẽ illũ, donec aſcendit Pharao rex Ægypti, & cepit eã, & incendit eã in igni, &
Chananæos, & Pherezæos, & habitantes in Gazer tranſpunxerunt, & dedit eam Pharao in dotem filiæ ſuæ.

### CAP. XVII.

ET facti ſunt fines tribus filiorum Manaſſe, quoniam hic primogenitus Ioſeph ipſi Machir primogenito Ma-
naſſe patri Galaad (vir enim bellator erat) in Galaaditide, & Baſanitide. 2 Et facti ſunt filijs Manaſſe re-
liquis ſecundum populos eorum filijs Iezi, & filijs Celez. & filijs Iezriel, & filijs Sychen, & filijs Symarim, & filijs
Opher: Hi maſculi ſecundum populos eorum. 3 Et Salpaad filio Opher non fuerant ei filij, ſed filiæ: & hæc ſunt no-
mina filiarũ Salpaad, Maala, & Noa, & Egla, & Melcha, & Therſa. 4 Et ſteterunt corã Eleazaro ſacerdote, & co-
ram Ieſu, & coram principibus, dicentes: Deus mandauit per manum Moyſi dari nobis hæreditatem in medio fra-
trum noſtrorum: & data eſt eis per præceptum Domini ſors in fratribus patris earum. 5 Et cecidit funiculus
earum ab Anaſſa, & campus Labec de terra Galaad, quæ eſt trans Iordanem: 6 Quoniam filię filiorum Manaſ-
ſe hęreditarunt ſortem in medio fratrum ſuorum. Terra autem Galaad fuit filijs Manaſſe reliquis. 7 Et facti
ſunt fines filiorum Manaſſe Delanath, quæ eſt ad faciem filiorũ Anath, & vadunt ad fines in Iamin, & Iaſſib ad fon
tem Thaphthoth. 8 Ipſi Manaſſe erit: & Thaphet ſuper fines Manaſſe, filijs Ephræm. 9 Et deſcendent fi-
nes ad vallem Carana ad Africum ſecundum vallem Iariel terebinthus ipſi Ephręm inter medium ciuitatis Ma-
naſſe: & fines Manaſſe ad Aquilonem in torrentem: & erit eius exitus Mare.

Ab

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Ita vt poſſeſſio Ephraim ſit ab Auſtro, & ab Aquilone Manaſſe, & vtramque claudat Mare, & coniungantur ſibi in tribu Aſer ab Aquilone, & in tribu Iſſachar ab Oriente.

11 Fuitque hæreditas Manaſſe in Iſſachar & in Aſer, Bethſan & viculi eius, & Ieblaam cum viculis ſuis, & habitatores Dor cum oppidis ſuis, habitatores quoque Endor cum viculis ſuis: ſimiliterque habitatores Thenac cum viculis ſuis, & habitatores Mageddo cum viculis ſuis, & tertia pars vrbis Nopheth.

12 Nec potuerunt filij Manaſſe has ciuitates ſubuertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua.

13 Poſtquam autem conualuerunt filij Iſrael, ſubiecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos.

14 Locutique ſunt filij Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt: Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis & funiculi vnius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?

15 Ad quos Ioſue ait: Si populus multus es, aſcende in ſiluam, & ſuccide tibi ſpatia in terra Pherezæi, & Raphaim: quia anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim.

16 Cui reſponderunt filij Ioſeph: Non poterimus ad montana conſcendere, cum ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campeſtri, in qua ſitæ ſunt Bethſan cum viculis ſuis, & Iezrael mediam poſſidens vallem.

17 Dixitque Ioſue ad domum Ioſeph, Ephraim & Manaſſe: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis ſortem vnam,

18 Sed tranſibis ad montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia: & poteris vltra procedere cum ſubuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & eſſe fortiſſimum.

### CAP. XVIII.

1 Congregatiq; ſunt omnes filij Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonij, & fuit eis terra ſubiecta.

2 Remanſerant autem filiorum Iſrael ſeptem tribus, quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas.

3 Ad quos Ioſue ait: Vſquequo marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?

Eli-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Ad Meridiem ipſius Ephraim, & ad Aquilonem ipſi Menaſſeh fuitque Mare terminus eius & in Aſer contingebant ſe ab Aquilone & Iſaſchar ab Oriente.*

11 *Fuitque ipſi Menaſſeh in Iſaſchar & in Aſer Bethſean & oppida eius, & Ibleham & oppida eius, & habitatores Dor & oppida eius, & habitatores Hendor & oppida eius, & habitatores Tahanach & oppida eius, & habitatores Megiddo & oppida eius tres regiones.*

12 *Et non potuerunt filij Menaſſeh expellere habitatores vrbium iſtarum: ſed cœpit Chenahanæus habitare in terra ipſa.*

13 *Et fuit cum roborati eſſent filij Iſrael poſuerunt Chenahanæum tributarium, & expellendo non expulerunt eum.*

14 *Locuti ſunt autem filij Ioſeph ad Iehoſuah, dicendo: Cur dediſti mihi in hæreditatem ſortem vnam, & hæreditatem vnam, & ego populus multus cum hucuſque benedixerit mihi Dominus?*

15 *Dixitque ad eos Iehoſuah: Si populus multus es aſcende in ſiluam, & ſuccide ibi in terra Perizæi, & Rephaim, ſi anguſtus eſt tibi mons Ephraim.*

16 *Dixeruntque filij Ioſeph: Non ſufficiet nobis mons, & currus ferrei ſunt in omni Chenahanæo, qui habitat in terra vallis, & ei qui in Bethſean & oppidis eius, & ei qui in valle Izrehel.*

17 *Dixitque Iehoſuah ad domum Ioſeph ad Ephraim, & Menaſſeh dicendo: Populus multus es, & fortitudo magna eſt tibi, non erit tibi ſors vna.*

18 *Mons enim erit tibi, quia ſilua eſt. & ſuccides eam, & erunt tibi exitus eius: quia expelles Chenahanæum quanquam currus ferrei ſunt ei, quamquam fortes ſunt.*

### *CAP. XVIII.*

1 *Congregati ſunt autem omnis cœtus filiorum Iſrael in Siloh, & habitare fecerunt ibi tabernaculum eccleſiæ, & terra ſubiecta eſt coram eis.*

2 *Remanſerant autem è filijs Iſrael quibus non diuiſerant hæreditatem ſuam ſeptem tribus.*

3 *Dixitque Iehoſuah ad filios Iſrael: Vſquequo vacatis ad ingrediendum, vt poſſideatis terram, quam dedit vobis Dominus Deus patrum veſtrorum?*

*Tra.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Ab Africo ipſi Ephræm, & ad Aquilonem Manaſſe: & erit Mare terminus eis, & in Aſeb contigui erunt ad
Aquilonem, & ipſi Iſſachar ab Oriente.
11 Et erit Manaſſe in Iſſachar, & in Aſer Bæthſan, & pa-
gi earum, & habitantes Dor, & pagos eius, & habitantes Mageddo, & pagos eius, & tertiam partem ipſius Maphe-
ta, & pagos eius.
12 Et non potuerunt filij Manaſſe exterminare ciuitates has, & cœpit
Chananæus habitare in terra hac.
13 Et factum eſt, & poſtquam inualuerunt filij Iſrael, &
fecerunt Chananæos ſubiectos: exterminando autem non eos exterminarunt.
14 Contradi-
xerunt autem filij Ioſeph Ieſu, dicentes: Cur hæreditare feciſti nos ſortem vnam, & funiculum vnum? Ego au-
tem populus multus ſum, & Deus benedixit me.
15 Et dixit eis Ieſus: Si populus multus
es, aſcende in ſyluam, & ſuccide tibi ipſi. Si coarctat te mons Ephrem.
16 Et dixerunt:
Non ſatisfacit nobis mons Ephræm, & equus electus, & ferrum Chananæo habitanti in eo in Bæthſan, & in pa-
gis eius, in conualle Iezrael.
17 Et dixit Ieſus filijs Iſrael: Si populus multus, & for-
titudinem magnam habes, non erit tibi ſors vna:
18 Sylua enim erit tibi: quo-
niam ſylua eſt, & emundabis eam, & erit tibi, & quando exterminaueris Chananæum, quoniam equus ele-
ctus ei eſt. Tu enim præualebis ei.

### CAP. XVIII.

ET conuocata eſt omnis Synagoga filiorum Iſrael in Selo, & fixerunt ibi tabernaculum teſtimonij, & terra
ſubacta eſt ab eis.
2 Et remanſerant filij Iſrael, qui non hæreditauerant,
ſeptem tribus.
3 Et dixit Ieſus filijs Iſrael: Quoadusque remiſſi eritis hæredi-
tare terram, quam dedit Dominus Deus noſter?

Date

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant atque circumeant terram, & deſcribant eam iuxta numerum vniuſcuiuſque multitudinis: referantque ad me quod deſcripſerint.

5 Diuidite vobis terram in ſeptem partes: Iudas ſit in terminis ſuis ab Auſtrali plaga, & domus Ioſeph ab Aquilone.

6 Mediam inter hos terram in ſeptem partes deſcribite: & huc venietis ad me, vt corã Domino Deo veſtro mittam vobis hic ſortem:

7 Quia non eſt inter vos pars Leuitarum, ſed ſacerdotium Domini eſt eorum hæreditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe iam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Iordanem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Moyſes famulus Domini.

8 Cumque ſurrexiſſent viri, vt pergerent ad deſcribendam terram, præcepit eis Ioſue, dicens: Circuite terram, & deſcribite eam, ac reuertimini ad me: vt hic coram Domino, in Silo mittam vobis ſortem.

9 Itaque perrexerunt: & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, ſcribentes in volumine. Reuerſique ſunt ad Ioſue in caſtra Silo.

10 Qui miſit ſortes coram Domino in Silo, diuiſitque terram filijs Iſrael in ſeptem partes.

11 Et aſcendit ſors prima filiorum Beniamin per familias ſuas, vt poſſiderent terram inter filios Iuda & filios Ioſeph.

12 Fuitque terminus eorum contra Aquilonem à Iordane: pergens iuxta latus Iericho Septentrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conſcendens & perueniens ad ſolitudinem Bethauen,

13 Atque pertranſiens iuxta * Luz ad Meridiem, ipſa eſt Bethel: deſcẽditque in Ataroth Addar in mõtem, qui eſt ad Meridiem Beth horon inferioris:

*Gen. 28. 19.

14 Et inclinatur circuiens contra Mare ad Meridiem montis qui reſpicit Beth horon contra Africum: ſuntque exitus eius in Cariath baal, quæ vocatur & Cariathiarim, vrbem filiorum Iuda: hæc eſt plaga contra Mare, ad Occidentem.

15 A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra Mare, & peruenit vſque ad fontem aquarum Nephtoa.

16 Deſcenditque in partem montis qui reſpicit vallem filiorum Ennom: & eſt contra Septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim: Deſcenditque in Geennom (id eſt, vallem Ennon) iuxta latus Iebuſæi ad Auſtrum: & peruenit ad Fontem Rogel,

Tran-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Tradite ex vobis tres viros per tribum, & mittam eos: ſurgentque & ambulabunt per terram, deſcribentque eam ſecundum hæreditatem eorum, & venient ad me.*

5 *Et diuident eam in ſeptem partes: Iehudah ſtabit iuxta terminum ſuum à Meridie, familia Ioſeph ſtabunt iuxta terminum ſuum ab Aquilone.*

6 *Vóſque deſcribetis terram in ſeptem partes, & adducetis ad me huc, & iaciam vobis ſortem hic coram Domino Deo noſtro.*

7 *Non eſt enim pars Leuitis in medio veſtri, quia ſacerdotium Domini eſt hæreditas eius: Gad autem & Reuben, & dimidia tribus Menaſſeh acceperunt hæreditatem ſuam trans Iarden ad Orientem, quam dedit eis Moſeh ſeruus Domini.*

8 *Surrexeruntque viri, atque abierunt præcepitque Iehoſuah pergentibus, vt deſcriberent terram, dicendo: Ite, & ambulate per terram, & deſcribite eam, & reuertimini ad me, & hic iaciam vobis ſortem coram Domino in Siloh.*

9 *Abieruntque viri, & tranſierunt per terram, atque deſcripſerunt eam vrbes, in ſeptem partes in libro: veneruntque ad Iehoſuah ad caſtra in Siloh.*

10 *Iecit aũt eis Iehoſuah ſortẽ in Siloh corã Dño: diuiſitq́; Iehoſuah terrã filijs Iſrael ſecundũ parte eorũ.*

11 *Aſcendit autem ſors tribus filiorum Biniamin per familias ſuas, & exiuit terminus ſortis eorum inter filios Iehudah & inter filios Ioſeph.*

12 *Fuitque eis terminus ad latus Aquilonis à Iarden & aſcendit terminus ad latus Iericho ab Aquilone, & aſcendit in montem ad Mare, fueruntque exitus eius ad deſertum Bethauen.*

13 *Et trãſiuit inde termin⁹ Luz ad lat⁹ Luz ad Meridiẽ (ipſa ẽ Bethel) & deſcẽdit terminus in Hateroth Adar, iuxta mõtẽ q̃ ẽ à Meridie ipſi Bethhorõ iferioris.*

14 *Et deſignatus eſt terminus, & circuiuit ad latus Maris ad Meridiem à monte, qui eſt è regione Bethchoron ad Meridiem: fueruntque exitus eius ad Chiriath bahal: ipſa eſt Chiriath Iehiarim vrbs filiorum Iehudah: hoc eſt latus Maris.*

15 *Et latus ad Meridiem ab extremo Chiriath Iehiarim & exiuit terminus ad Mare, & exiuit ad fontem aquæ Nephthoach.*

16 *Et deſcendit terminus ad extremum montis, qui eſt è regione vallis Benhinnom, qui eſt in valle Rephaim ad Aquilonem. Deſcendit autem vallis Hinnom ad latus Iebuſi ad Meridiem, & deſcendit ad Henroghel.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Date ex vobis viros tres de tribu: & ſurgentes peragrent terram, & deſcribant eam coram me, ſicut oportebit diuidere eam: & peruenerunt ad eum. 5 Et diuiſit eis ſeptem partes: Iudas ſtatuet ſibi terminum ab Africo: & filij Ioſeph ſtatuent ſibi ab Aquilone. 6 Vos autem diuidite terram, ſeptem partes: & afferte huc ad me, & educam vobis ſortem ante Dominum Deum noſtrum. 7 Non eſt enim pars filijs Leui in vobis. Sacerdotium enim Domini, pars eius: & Gad, & Ruben, & dimidium tribus Manaſſe acceperunt hæreditatem ſuam trans Iordanem ad Orientem, quam dedit eis Moyſes puer Domini. 8 Et ſurgentes viri ierunt, & mandauit Ieſus viris euntibus deſcribere terram dicens: Ite, & deſcribite terram, & aduenite ad me, & hic educam vobis ſortem in Selo. 9 Et ierunt, & deſcripſerunt terram, & viderunt eam, & ſcripſerunt eam ſecundum ciuitates, ſeptem partes in libro, & attulerunt ad Ieſum. 10 Et miſit eis Ieſus ſortem in Selo ante Dominum. 11 Et exijt ſors tribus Beniamin prima ſecundum populos eorum: & exierunt fines ſortis eorum inter medium filiorum Iuda, & filiorum Ioſeph: 12 Et facti ſunt eorum fines ab Aquilone, à Iordane aſcendent fines per dorſum Hiericho ab Aquilone, & aſcendent ſuper montem ad Mare: & erit eius exitus Mabdaritis Bæthon. 13 Et tranſibunt inde fines Luza ſuper dorſum Luza ab Africo eius: hæc eſt Bæthel: & deſcendent fines Maatarob Orech ad montanam, quæ eſt ad Africum Bæthoron, quæ infra. 14 Et tranſibunt fines & præteribunt ad partem, quæ ſpectat ad Mare ab Africo, à monte ad faciem Bæthoron Africum, & erit eius exitus ad Cariath Baal: hæc eſt Cariathiarim, ciuitas filiorum Iuda: hæc eſt pars, quæ ad Mare. 15 Et pars, quæ ad Africum, à parte Chariath Baal, & tranſibunt fines in Gaſin ad fontem aquę Naphto. 16 Et deſcendent fines in parte, hic eſt ſecundum faciem nemoris Sonnam, qui eſt à parte Emec Raphaim ab Aquilone, & deſcendent Gæenna ſuper dorſum Iebuſæ ab Africo, deſcendent ad fontem Rogel,



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

17 Tranſiens ad Aquilonem,& egrediens ad Enſemes, id eſt fontem ſolis:
18 Et pertranſit vſque ad tumulos, qui ſunt è regione
Aſcenſus Adommim: deſcenditque ad Abenboen,
id eſt,lapidē Boen filij Rubē: & pertranſit ex latere
Aquilonis ad campeſtria: deſcenditq; in planitiem,
19 Et prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla:
ſuntque exitus eius contra linguam Maris ſalſiſſimi
ab Aquilone in fine Iordanis ad Auſtralem plagam:
20 Qui eſt terminus illius ab Oriente: hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin per terminos ſuos in circuitu, & familias ſuas.
21 Fueruntque ciuitates eius,Iericho & Beth hagla & vallis Caſis,
22 Beth Araba & Samaraim & Bethel
23 Et Auim & Aphara & Ophera,
24 Villa Emona & Ophni & Gabee: ciuitates duodecim,& villæ earum.
25 Gabaon & Rama & Beroth,
26 Et Meſphe & Caphara,& Amoſa
27 Et Recem Iarephel,& Tharela,
28 Et Sela,Eleph,& Iebus,quæ eſt Ieruſalem, Gabaath & Cariath: ciuitates quatuordecim,& villæ earū. Hęc ē poſſeſſio filiorū Beniamin iuxta familias ſuas.

### CAP. XIX.

1 ET egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas: fuitque hæreditas eorum
2 In medio poſſeſſionis filiorum Iuda: Berſabee & Sabee & Molada
3 Et Haſerſual Bala & Aſem
4 Et Eltholad,Bethul & Harma
5 Et Siceleg & Bethmarchaboth & Haſerſuſa
6 Et Bethlebaoth & Sarohen: ciuitates tredecim, & villæ earum.
7 Ain & Remmon & Athar & Aſan: ciuitates quatuor & villæ earum:
8 Omnes viculi per circuitum vrbium iſtarum vſque ad Baalath Beer Ramath contra Auſtralem plagā. Hæc ē hęreditas filiorū Simeō iuxta cognationes ſuas,
9 In poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat: & idcirco filij Simeon poſſederunt in medio hæreditatis eorum.

10 Cecidítq; ſors tertia filiorū Zabulon p cognationes ſuas:& fact' eſt termin' poſſeſſionis eorū vſq; Sarid.
11 Aſcenditque de Mari & Merala,& peruenit in Debbaſeth, vſque ad torrentem qui eſt contra Ieconam.

Et

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

17 *Et deſignata eſt ab Aquilone, & exiuit ad Henſemes,*
18 *Et exiuit ad Ghelíloth, qui ſunt contra aſcenſum Adummim,& deſcendit ad Ebenbohan filij Reuben: & pertranſit ad latus contra planitiem ad Aquilonem,& deſcendit in Harabah.*
19 *Et pertranſiuit terminus ad latus Bethchoglah ad Aquilonem fuerunt exitus termini ad limitem Maris ſalis,ad Aquilonem ad extremum Iarden ad Meridiem: iſte eſt terminus Auſtri.*
20 *Et Iarden terminabit eum ad latus Orientis: iſta eſt hæreditas filiorum Biniamim per terminos eius in circuitu per familias ſuas.*
21 *Fueruntq; ciuitates tribui filiorū Biniamim per familias ſuas Iericho, & Bethcheglah & vallis Cheſis.*
22 *Et Bethharabah & Samaraim,& Bethel.*
23 *Et Hauuim,& Parah,& Hophrah.*
24 *Et villa Hahamonai,& Hophni,& Gabah, ciuitates duodecim,& villæ earum.*
25 *Ghibhon,& Ramah,& Beeroth.*
26 *Et Miſpeh,& Chephirah,& Moſah:*
27 *Et Rechem,& Irpeel & Tarelah.*
28 *Et Selah,Eleph,et Iebuzi,ipſa eſt Ieruſalaim,Ghibhath,Chiriath,ciuitates quatuordecī, & villæ earū. Iſta eſt hæreditas filiorū Biniamin per familias ſuas.*

### CAP. XIX.

1 *EGreſſa eſt aūt ſors ſecūda ipſi Simhō tribui filiorū Simhō ꝑ familias ſuas & fuit hæreditas eorū*
2 *In medio hæreditatis filiorum Iehudah: fuitq; eis in hæreditate eorū Beerſebah,& Sebah,& Moladah.*
3 *Et Chaſar ſuhal,& Balah,& Haſem.*
4 *Et Eltholad,& Bethul,& Chormah.*
5 *Et Siclagh,& Bethhamerchaboth,& Chaſarſuſah,*
6 *Et Bethlebaoth, & Saruchen, ciuitates tredecim, & villæ earum.*
7 *Hain Rimmon,& Hether,& Haſan, ciuitates quatuor,& villæ earum.*
8 *Et oēs villæ quæ erant per circuitū vrbium iſtarum vſque ad Bahalathbeer Ramath ad Auſtrū. Iſta eſt hæreditas tribus filiorum Simhon per familias ſuas.*
9 *De portione filiorum Iehudah fuit hæreditas filiorum Simhon: erat enim portio filiorum Iehudah maior ipſis, & hæreditatem acceperunt filij Simhon in medio hæreditatis eorum.*
10 *Aſcendit aūt ſors tertia filijs Zebulun per familias ſuas:& fuit termin' hæreditatis eorū vſq; ad Sarid.*
11 *Aſcenditq; terminus eorum ad Mare & Marhalah, & pertinget ad Dabbaſeth & pertinget ad flumen, quod eſt è regione Iocneham.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Et tranſibunt ad fontem Bethſamys: 18 Et prætéribunt in Galiloth,quæ eſt è regione ad aſcenſum Æthamim. & deſcendent ad lapidem Bæon filiorum Ruben. 19 Et tranſibunt ſuper dorſum Betharaba ab Aquilone, & deſcendent ad fines ad dorſum Mare ab Aquilone: & erit exitus finium ad extremitatem Maris ſalis ad Aquilonem in partem Iordanis ab Africo. 20 Hi fines ſunt ab Africo: & Iordanis terminabit à parte Orientis: hæc eſt hereditas filiorum Beniamin,fines eius in circuitu ſecundum populos. 21 Et factæ ſunt ciuitates filiorum Beniamin ſecundum populos eorum,Hiericho, & Bethegæo, & Amecaſis, 22 Et Bethabara, & Sara,& Beſana, 23 Et Æin,& Phara,& Ephrata, 24 Et Carapha & Cephira,& Moni,& Gabaa,ciuitates duodecim,& pagi earum: 25 Gabaon,& Rama & Beerotha, 26 Et Maſſema,& Miron,& Amoce, & Phira,& Caphan,& Nacan & Selecan,& Tharecla,& Iebus (hæc eſt Hieruſalem) & Gabaoth,Iarim, ciuitates tredecim,& pagi earum: hæc eſt hæreditas filiorum Beniamin ſecundum populos eorum.

### CAP. XIX.

ET exijt ſecunda ſors filiorum Symeon: & facta eſt hæreditas eorum inter ſortes filiorum Iuda: & facta eſt ſors eorum 2 Berſabee,& Samaa,& Cadadam, 3 Et Arſola,& Bola,& Laſon, 4 Et Erthula, & Bula,& Herma, 5 Et Siccelac,& Bæthmachereb,& Sarſuſin, 6 Et Batharoth,& agri earum,ciuitates tredecim,& pagi earum. 7 Eremmon,& Thalcha,& Iether & Aſan,ciuitates quatuor,& pagi earum 8 in circuitu ciuitatū earū vſque Balec euntibus Bameth ad Africum:hæc eſt hæreditas tribus filiorum Symeon ſm populos eorum. 9 De ſorte Iuda hęreditas tribus filiorum Symeon:qm fuit pars filiorum Iuda maior ea,quæ ipſorum,& hæreditauerūt filij Symeon in medio ſortis eorum. 10 Et exijt ſors tertia ipſi Zabulon ſecundum populos eorum. 11 Et erit dec Gola fines eorum Mare,& Magelda,& contingent ad Betharaba in valle,quæ eſt ad faciem Iemman.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Et reuertitur de Sared contra Orientem in fines
Ceſeleththabor: & egreditur ad Dabereth ,aſcen-
ditque contra Iaphie.
13 Et inde pertranſit vſque ad Orientalem plagam Ge
thhepher & Thacaſin: & egreditur in Remmon,
Amthar & Noa.
14 Et circuit ad Aquilonem Hanathon: ſuntque
egreſſus eius vallis Iephtahel,
15 Et Cateth & Naalol & Semeron & Ierala & Bethle
hem: ciuitates duodecim,& villæ earum.
16 Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Zabulon per co-
gnationes ſuas,vrbes & viculi earum.
17 Iſſachar egreſſa eſt ſors quarta per cognationes ſuas.
18 Fuitq; eius hæreditas Iezrael & Caſaloth & Sunem.
19 Et Hapharaim & Seon,& Anaharath
20 Et Rabboth & Ceſion,Abes,
21 Et Rameth,& Engannim,& Enhadda & Bethpheſes.
22 Et peruenit terminus eius vſque Thabor & Seheſi-
ma & Bethſames: eruntque exitus eius Iordanis:
ciuitates ſedecim,& villæ earum.
23 Hæc eſt poſſeſſio filiorum Iſſachar per cognationes
ſuas,vrbes,& viculi earum.
24 Ceciditque ſors quinta tribui filiorum Aſer per co-
gnationes ſuas:
25 Fuitque terminus eorum Halcath,& Chali,& Be-
ten,& Axaph
26 Et Elmelech,& Amaad,& Meſſal: & peruenit vſque
ad Carmelum Maris,& Sihor,& Labanath.
27 Ac reuertitur cõtra Orientẽ Bethdagon: & pertrãſit
vſq; Zabulon & vallẽ Iephthael contra Aquilonẽ in
Bethemec & Nehiel. Egrediturq; ad læuam Cabul,
28 Et Abran,& Rohob,& Hamon,& Cana,vſque ad Si-
donem magnam.
29 Reuertiturque in Horma vſque ad ciuitatem muni-
tiſſimam Tyrum, & vſque Hoſa: eruntque exitus
eius in Mare de funiculo Achziba:
30 Et Amma & Aphec & Rohob: ciuitates viginti-
duæ,& villæ earum.
31 Hæc eſt poſſeſſio filiorum Aſer per cognationes
ſuas,vrbeſque & viculi earum.
32 Filiorum Nephthali ſexta ſors cecidit per familias
ſuas:
33 Et cœpit terminus de Heleph & Elon in Saananim,
& Adami,quæ eſt Neceb,& Iebnael vſque Lecum:
& egreſſus eorum vſque ad Iordanem:
34 Reuertiturque terminus contra Occidentem in A-
zanothabor,atq; inde egreditur in Hucuca,& pertrã-
ſit in Zabulõ cõtra Meridiẽ,& in Aſer contra Occi-
dentem,& in Iuda ad Iordanem contra ortum ſolis.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et reuertetur à Sarid ad Orientem ad ortum ſolis
contra terminum Chiſloth Tabor, & egredietur ad
Dabrath,& aſcendet in Iaphiah.*
13 *Et inde tranſiuit ad Orientem ad ortum Gittah,Che
pher,ad Hittah, Caſin & exibit in Rimmon,quæ gi-
rat ad Nehah.*
14 *Et girat ei terminus ab Aquilone ad Ahanathon,&
erunt egreſſus eius ad vallem Iphthahel.*
15 *Et Chattath,& Nahalal,& Simron,& Idhalah,et
Bethlehem,ciuitates duodecim,& villæ earum.*
16 *Hæc eſt hæreditas filiorum Zebulun per familias
ſuas,vrbes iſtæ & villæ earum. (ſuas.*
17 *Iſſacar egreſſa ẽ ſors quarta filijs Iſſacar per familias*
18 *Et fuit termin' eorũ Izrehelah et Cheſuloth,et Sunẽ*
19 *Et Chapharaim,& Sien,& Anacharath.*
20 *Et Rabbith & Chiſion,& Abes.*
21 *Et Remeth,& Hẽgãni,& Hẽchaddah,et Bethpaſſes.*
22 *Et perueniet terminus in Tabor,& Sachaſimah,&
Bethſemes, & erũt exitus termini eorum ad Iardẽ,
ciuitates ſexdecim,& villæ earum.*
23 *Hæc eſt hæreditas,tribus filiorum Iſaſchar per fami-
lias ſuas,vrbes & villæ earum.*
24 *Egreſſa eſt autem ſors quinta tribui filiorum Aſer
per familias ſuas.*
25 *Fuitque terminus eorum Chelcath, & Chali,& Be-
then,& Achſaph.*
26 *Et Alamelech, & Hamhad, & Miſal, & perueniet
in Charmel ad Mare,& in Sichor Libnath.*
27 *Et reuertetur ab ortu ſolis Bethdagon, & perueniet
in Zebulũ & filij Iphthachel ad Aquilonẽ Bethha-
hemec,& Nehiel,& exibit ad Chabul à ſiniſtra.*
28 *Et Hebron,& Rechob, & Chammon, & Canah vſ-
que ad Sidon magnam.*
29 *Et reuertetur terminus in Ramah,vſque ad ciuitatẽ
munitam Sor, & reuertetur terminus in Choſah e-
runtque exitus eius ad Mare à funiculo ad Achzib.*
30 *Et Hummah,& Aphec,& Rechob, ciuitates viginti,
& duæ,& villæ earum.*
31 *Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Aſer per familias
ſuas,ciuitates iſtæ, & villæ earum.*
32 *Filijs Naphthali exiuit ſors ſexta filijs Naphthali
per familias ſuas.*
33 *Et fuit terminus eorum à Cheleph,ab Elon in Saha-
nannim,& Adami iſſius Nekeb,& Iabneel vſque
ad Lackum:& fuit exitus eius vſque ad Iarden.*
34 *Et reuertetur terminus ad Mare ad Aznothabor,&
& egredietur inde in Cuchoch,& perueniet in Zebu
lun à Meridie,& in Aſer perueniet ab Occidente,&
in Iehudah ad Iarden ad ortum ſolis.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et reuerterunt à Sadduc ex aduerſo ab Oriente Bethſamys ad fines Chaſelothæth,& tranſibunt in Dabiroth
& aſcendent in Phangæ. 13 Et inde circuibunt ex aduerſo ad Orientem in Gebere ad ciuitatem Ca-
taſem,& pertranſibunt in Remmonaa Macharaoza. 14 Et circuibunt fines ad Aquilonem ad Amoth: &
erit exitus eorum ad Gæphael, 15 Et Catanath,& Nabaal,& Symoon,& Hiericho,& Bæthman. 16 Hæc
eſt hæreditas tribus filiorum Zabulon ſecundum populos eorum,ciuitates,& pagi earum. 17 Et ipſi Iſſachar
exijt ſors quarta: 18 Et facti ſunt fines eorum Iazel,& Chaſaloth,& Sunam, & Agim, & Siona,& Reeroth,
& Anachereth,& Dabiron,& Ciſon,& Rebes,& Renmas,& Ieon. 21 Et Tomman,& Æmarec,& Berſaphes.
22 Et contingent fines ad Gæth Bor, & ad Salim ad Mare,& Bæthſamys: & erit eius exitus finium Iordanis.
23 Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Iſſachar ſecundum populos eorum,ciuitates,& pagi earum. 24 Et
exijt ſors quinta Aſer ſecundum populos eorum. 25 Et facti ſunt fines eorum Exeleceth, & Aleph,& Bæ-
thoc,& Ceaph, 26 Et Elimelech,& Amiel,& Maaſa: & contingent Carmelum ad Mare, & Sion, & Laba-
nath. 27 Et reuertent ab ortu ſolis,& Bæthegeneth,& contingent Zabulon & Engai, & Phthael ad Aquilonẽ,
& ingredientur fines Saphthæ Bæthme,& Inael,& tranſibunt in Choba Maſomel, 28 Et Elbon,& Raab,& E-
memaon,& Canthan vſque Sidonem magnam. 29 Et reuertent fines in Rama,& vſque ad fontem Maſphaſat,
& Tyrios: & reuertent fines ad Laſiph,& erit exitus eius Mare,& Apoleb,& Echozob, 30 Et Archob,& Aphec,
& Raay 31 Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Aſer ſecundum populos eorum,ciuitates & pagi earum. 32 Et
Nephtali exijt ſors ſexta. 33 Et facti ſunt fines eorum Moolam & Mola,& Beſemijn,& Arme,& Naboc,& Ie-
phtame vſque Dodam:& facti ſunt exitus eius Iordanes. 34 Et reuertent fines ad Mare in Atthabor,& tranſi-
bunt inde Iacana,& contingent Zabulon ab Auſtro,& Aſer contingent ad Mare, & Iordanes ab ortu ſolis.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

35 Ciuitates muniſſimæ, Aſſedim, Ser, & Emath, & Reccath & Cenereth,
36 Et Edema & Arama, Aſor
37 Et Cedes & Edrai, Enhaſor
38 Et Ieron & Magdalel, Horem & Bethanath & Bethſames: ciuitates decem & nouem, & villæ earum.
39 Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Nephthali per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum.
40 Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima:
41 Et fuit terminus poſſeſſionis eius Sara & Eſthaol, & Hirſemes, id eſt ciuitas ſolis.
42 Selebin & Aialon & Iethela,
43 Elon & Themna & Acron,
44 Elthece, Gebbethon & Balaath,
45 Et Iud & Bane & Barach & Gethremmon:
46 Et Meiarcon & Arecon, cum termino qui reſpicit Ioppen,
47 Et ipſo fine concluditur. Aſcenderuntque filij Dan, & pugnauerunt contra Leſem, ceperuntque eam: & percuſſerunt eam in ore gladij, & poſſederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Leſem Dan, ex nomine Dan patris ſui.
48 Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Dan, per cognationes ſuas vrbes, & viculi earum.
49 Cumque compleſſet ſorte diuidere terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filij Iſrael poſſeſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui,
50 Iuxta præceptum Domini, vrbem quam poſtulauit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificauit ciuitatem, habitauitque in ea.
51 Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſorte diuiſerunt Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael in Silo, coram Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonij, partitique ſunt terram.

### CAP. XX.

1 ET locutus eſt Dominus ad Ioſue, dicens: Loquere filijs Iſrael, & dic eis:
2 Separate vrbes fugitiuorum, * de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi,
3 Vt confugiat ad eas quicumque animam percuſſerit neſciens: & poſſit euadere iram proximi, qui vltor eſt ſanguinis:

* Num. 35. 9. Deut. 19. 2.

Cum

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

35 *Et ciuitates munitæ Siddimſer, Chammath, Raccath & Chinnereth.*
36 *Et Adamah, Ramah & Chaſor.*
37 *Et Chedes & Edrehi, & Henchaſor.*
38 *Et Iron, & Migdalel, Chorem, & Bethhanath, & Bethſemes, ciuitates nouem & decem, & villæ earum.*
39 *Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Naphthali per familias ſuas, vrbes, & villæ earum.*
40 *Tribui filiorum Dan per familias ſuas, exiuit ſors ſeptima.*
41 *Et fuit terminus hæreditatis eorum Sorhah, & Eſthaol, & Hirſemes.*
42 *Et Sahalabbim, Adialon Ithlah.*
43 *Et Elon, & Timatah, & Hecron.*
44 *Et Elthecheh, & Gibbethon, & Bahalath,*
45 *Iehud, & Beneberach, & Gathrimmon.*
46 *Et Mehaiarchon, & Raccon cum termino contra Iapho.*
47 *Et exibit terminus filiorum Dan ab eis. Aſcenderuntque filij Dan, & pugnauerunt cum Leſem, ceperuntque eam, & percuſſerunt eam acie gladij, & hæreditate acceperunt eam, & habitauerunt in ea, & vocauerunt Leſemdan ſecundum nomen Dan patris ſui.*
48 *Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Dan per familias ſuas, ciuitates iſtæ, & villæ earum.*
49 *Compleuerunt autem in hæreditatem diuidere terram per terminos ſuos, dederuntque filij Iſrael hæreditatem Iehoſuah filio Nun in medio ſui.*
50 *Iuxta ſermonem Domini dederunt ei vrbem quam poſtulauit Timnath ſerach in monte Ephraim, & ædificauit ciuitatem, & habitauit in ea.*
51 *Iſtæ ſunt hæreditates quas hæreditare fecerunt Elhazar ſacerdos, & Iehoſuah filius Nun, & principes patrum tribus filiorum Iſrael per ſortem in Silo coram Domino ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & finierunt diuidere terram.*

### C A P. XX.

1 *LOcutus eſt autem Dominus ad Iehoſuah, dicendo: Loquere ad filios Iſrael, dicendo:*
2 *Date ciuitates refugij, quas locutus ſum ad vos per manum Moſeh.*
3 *Vt fugiat illuc homicida percutiens animam per errorem abſque ſcientia, eruntque vobis in refugium à propinquo ſanguinis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

35 Et ciuitates muratæ Tyriorum, Cyrus, & Omothadaceth, & Cenereth, & Atmeth, & Arael, & Aſor, & Cades & Aſſari, & fons Aſor, & Ceroe, & Megalaarim, & Betthame, & Theſſamys. 39 Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Nephtali. 40 Et Dan exijt ſors ſeptima. 41 Et facti ſunt fines eorum Sarath, & Aſa, & ciuitates Sammays, & Salamin, & Ammon, & Silatha, & Alon, & Thamnatha, & Accaron, & Alcatha, & Begethon, & Gebeelan, & Azor, & Banæ bacat, & Geth Remmon: & à Mari Hierachon terminus prope Ioppen. 48 Hæc hæreditas tribus filiorum Dan ſecundum populos eorum, ciuitates eorum, & pagi earum: & non exterminauerunt filij Dan Amorræum vexantem eos in monte: & non ſinebant eos Amorræi deſcendere in conuallem: & vexauerunt à ſe terminum portionis eorum. 47 Et iuerunt filij Dan, & oppugnauerunt Lachis, & ceperunt eam, & percuſſerunt eam in ore gladij: & habitauerunt eam, & vocauerunt nomen eius Laſendan: & Amorræus permanſit habitare in Elom, & in Salamin: & grauata eſt manus Ephræm ſuper eos, & facti ſunt illis tributarij. 49 & iuerunt adire terram ſecundũ terminum ipſorum. & dederunt filij Iſrael ſortem Ieſu filio Naue inter ipſos per præceptum Dei: 50 Et dederunt ei ciuitatem, quam petijt, Thamnaſarach quæ eſt in monte Ephræm: & ædificauit ciuitatem, & habitabat in ea. 51 Hæ ſunt diuiſiones, quas in hæreditatem dedit Eleazar ſacerdos & Ieſus Naue, & principes familiarum in tribubus Iſrael ſecundum ſortes in Selo ante Dominum apud ianuas tabernaculi teſtimonij: & iuerunt adire terram.

### C A P. XX.

ET locutus eſt Dominus Ieſu, dicens: Loquere filijs Iſrael, dicens: 2 Date ciuitates refugiorum, quas dixi ad vos per Moyſen: 3 Refugium homicidæ, qui percuſſit animam non ſponte: & erunt vobis ciuitates refugium, & non morietur homicida à perſequente ſanguinem:

Quæ numero 48. ponuntur [illegible] notatis numero 47. quia ſic conſeruntur in translatione ex Septuag. Romana [illegible] vulgata editione.

[illegible]

Quo-

## Vulgat. Editio.

4 Cum ad vnam harum confugerit ciuitatum, ſtabit ante portam ciuitatis, & loquetur ſenioribus vrbis illius ea, quæ ſe comprobent innocentem: ſicque ſuſcipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.
5 Cumque vltor ſanguinis eum fuerit perſecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans percuſſit proximum eius, nec ante biduum, triduumve, eius probatur inimicus.
6 Et habitabit in ciuitate illa, donec ſtet ante iudicium cauſam reddens facti ſui, & moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem & domum ſuam de qua fugerat.
7 Decreueruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipſa eſt Hebron in monte Iuda.
8 Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho, * ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan de tribu Manaſſe.
9 Hæ ciuitates conſtitutæ ſunt cunctis filijs Iſrael, & aduenis, qui habitabant inter eos: vt fugeret ad eas qui animam neſcius percuſſiſſet, & non moreretur in manu proximi, effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec ſtaret ante populum expoſiturus cauſam ſuam.

* Deu. 4. 4

### CAP. XXI.

1 ACceſſeruntque principes familiarum Leui ad Eleazarum ſacerdotem, & Ioſue filium Nun ad duces cognationum per ſingulas tribus filiorum Iſrael:
2 Locutique ſunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: * Dominus præcepit per manum Moyſi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta.
3 Dederuntque filij Iſrael de poſſeſſionibus ſuis iuxta imperium Domini, ciuitates & ſuburbana earum.
4 Egreſſaque eſt ſors in familiam Caath filiorum Aaron ſacerdotis de tribubus Iuda, & Simeon, & Beniamin, ciuitates tredecim:
5 Et reliquis filiorum Caath, id eſt Leuitis, qui ſuperfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manaſſe, ciuitates decem.

* Nu. 35. 1

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et fugiet ad vnam ex ciuitatibus iſtis: ſtabitque ad oſtium portæ ciuitatis, ac loquetur in auribus ſeniorum vrbis ipſius verba ſua: & recolligent eum in vrbem ad ſe, dabuntque ei locum, & habitabit cum eis.*
5 *Et ſi ſecutus fuerit propinquus ſanguinis poſt eum, non tradent homicidam in manu eius: quia abſque ſcientia percuſſit proximum ſuum, & non odio habuerat eum ab heri, & nudiuſtertius.*
6 *Et habitabit in ciuitate ipſa, donec ſteterit ante cœtum ad iudicium, donec moriatur ſacerdos magnus, qui erit in diebus illis: tunc reuertetur homicida, & veniet ad ciuitatem ſuam, & ad domum ſuam, ad ciuitatem vnde fugerat.*
7 *Et parauerunt Chedes in Ghalil in monte Naphthali, & Sechem in monte Ephraim, & Chiriatharbah (ipſa eſt Chebron) in monte Iehudah.*
8 *De trans Iarden autem Iericho ad Orientem dederant Beſer in deſerto in planicie de tribu Reuben, & Ramoth in Ghilhad de tribu Ghad, & Gholan in Baſan de tribu Menaſſeh.*
9 *Iſtæ fuerunt ciuitates congregationis omnibus filijs Iſrael, & peregrino qui peregrinatur in medio eorum, vt fugiat illuc omnis percutiens animam per errorem, & non moriatur per manum propinqui ſanguinis, donec ſteterit coram cœtu.*

### CAP. XXI.

1 *ACceſſerunt autem principes patrum Leuitarum ad Elhazar ſacerdotem, & ad Iehoſuah filium Nun, & ad principes patrum tribuum filiorum Iſrael.*
2 *Locutique ſunt ad eos in Siloh in terra Chenahan dicendo: Dominus præcepit per manum Moſeh vt darent nobis ciuitates ad habitandum, & ſuburbana earum pro animalibus noſtris.*
3 *Dederuntque filij Iſrael Leuitis de hæreditate ſua iuxta ſermonem Domini vrbes iſtas, & ſuburbana earum.*
4 *Egreſſa eſt autem ſors per familias Chohathitarum, fuitque filijs Aharon ſacerdotis de Leuitis de tribu Iehudah, & de tribu Simhon, & de tribu Biniamin per ſortem ciuitates tredecim.*
5 *Filijs autem Chohath, qui reſidui erant de familijs tribus Ephraim, & de tribu Dan, & de dimidia tribu Menaſſeh per ſortem ciuitates decem.*

Fi-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Quoadusque conſtiterit coram Synagoga in iudicium.
7 Et diſtinxit Cades in Galilæa in monte ipſi Nephthali, & Sychem in monte ipſi Ephræm, & ciuitatem Arboc (hæc eſt Chebron) in monte ipſi Iuda.
8 Et trans Iordanem dedit Boſor in deſerto in campo de tribu Ruben, & Aremoth in Galaad de tribu Gad, & Gaylon in Baſanitide de tribu Manaſſe.
9 Hæ ſunt ciuitates celebres filijs Iſrael, & proſelyto appoſito in eis, ad confugiendum illuc, omni percutienti animam non ſponte, vt non moriatur in manu perſequentis ſanguinem: donec conſtiterit coram Synagoga in iudicium.

Quæ debebant correſpondere numero v. & 6. deſunt ab hac noſtra Latina ex Sep. Rom. & ab ipſa Sep. Interpr. deſiderantur: commodatis græcis notat quamquam huius tralat. Latin. editione Romana.

### CAP. XXI.

ET acceſſerunt principes familiarum filiorum Leui ad Eleazarum ſacerdotem, & ad Ieſum filium Naue, & ad principes tribuum familiarum ex tribubus Iſrael.
2 Et dixerunt ad eos in Selo in terra Chanaan, dicentes: Mandauit Dominus in manu Moyſi dare nobis ad habitandum, & ſuburbana pecoribus noſtris.
3 Et dederunt filij Iſrael Leuitis in adeunda hæreditate per præceptum Domini ciuitates, & ſuburbana earum.
4 Et exijt ſors populo Caath: & factæ ſunt filijs Aaron ſacerdotibus Leuitis de tribu Iuda, & de tribu Symeon, & de tribu Beniamin per ſortem ciuitates tredecim
5 Et filijs Caath reliquis, de tribu Ephræm, & de tribu Dan, & de dimidio tribus Manaſſe per ſortem ciuitates decem.



Et fi-

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | : | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Porro filijs Gerſon egreſſa eſt ſors, vt acciperent de tribubus Iſſachar & Aſer & Nephthali, dimidiaq; tribu Manaſſe in Baſan ciuitates numero tredecim. | 6 | 6 | *Filijs vero Gherſō de familijs tribus Iſaſchar, & de tribu Aſer, & de tribu Naphtali, & de dimidia tribu Menaſſeh in Baſan per ſortem ciuitates tredecim.* |
| Et filijs Merari per cognationes ſuas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon vrbes duodecim. | 7 | 7 | *Filijs Merari per familias ſuas, de tribu Reubē, et de tribu Gad, & de tribu Zebulun ciuitates duodecim.* |
| Dederuntque filij Iſrael Leuitis ciuitates & ſuburbana earum, ſicut præcepit Dominus per manum Moyſi, ſingulis ſorte tribuentes, | 8 | 8 | *Dederuntque filij Iſrael Leuitis ciuitates has & ſuburbana earum ſicut præcepit Dominus per manus Moſch per ſortem.* |
| De tribubus filiorum Iuda & Simeon dedit Ioſue ciuitates: * quarum iſta ſunt nomina, | 9 | 9 | *Et dederunt de tribu filiorum Iehudah, & de tribu filiorum Simhon ciuitates iſtas quas vocauit nōie.* |
| Filijs Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) | 10 | 10 | *Et fuit filijs Aharon de familijs Chehathi, de filijs Leui: eis enim erat ſors prima.* |
| Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & ſuburbana eius per circuitum. | 11 | 11 | *Dederuntque eis Chiriatharbah patris Hanach (ipſa eſt Chebron) in monte Iehudah & ſuburbana eius per circuitum eius.* |
| * Agros vero, & villas eius dederat Caleb filio Iephone ad poſſidendum. | 12 | 12 | *Agrum vero ciuitatis, & villas eius dederunt Chaleb filio Iephunneh in poſſeſſionem eius.* |
| Dedit ergo filijs Aaron ſacerdotis Hebron confugij ciuitatem, ac ſuburbana eius: & Lobnam cum ſuburbanis ſuis: | 13 | 13 | *Filijs autem Aharon ſacerdotis dederunt ciuitatem refugij homicidæ Chebron, & ſuburbana eius, & Libnah, & ſuburbana eius.* |
| Et Iether, & Eſtemo, | 14 | 14 | *Et Iathir, & ſuburbana eius, & Eſhtemoah, & ſuburbana eius.* |
| Et Holon, & Dabir, | 15 | 15 | *Et Cholē, et ſuburbana eiꝰ, et Debir, et ſuburbana eiꝰ.* |
| Et Ain, & Ieta, & Bethſames, cum ſuburbanis ſuis: ciuitates nouem de tribubus, vt dictum eſt, duabus. | 16 | 16 | *Et Hain, & ſuburbana eius, & Iuttah, & ſuburbana eius, & Bethſemes, & ſuburbana eius, ciuitates nouem de duabus tribubus iſtis.* |
| De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon, & Gabae, | 17 | 17 | *De tribu vero Biniamin Ghibhon, & ſuburbana eius & Ghebah, & ſuburbana eius.* |
| Et Anathoth & Almon, cum ſuburbanis ſuis: ciuitates quatuor. | 18 | 18 | *Hanathoth, & ſuburbana eius, Halmon, & ſuburbana, ciuitates quattuor.* |
| Omnes ſimul ciuitates filiorum Aaron ſacerdotis, tredecim, cum ſuburbanis ſuis. | 19 | 19 | *Omnes ciuitates filiorum Aharon ſacerdotum tredecim ciuitates, & ſuburbana earum.* |
| Reliquis vero per familias filiorum Caath Leuitici generis hæc eſt data poſſeſſio. | 20 | 20 | *Familijs vero filiorum Chehath Leuitarum qui reſidui erant de filijs Chehath: & fuerunt ciuitates ſortis eorum de tribu Ephraim.* |
| De tribu Ephraim vrbes confugij, Sichem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gazer | 21 | 21 | *Dederat eis ciuitatem refugij homicidæ Sechem, & ſuburbana eius in monte Ephraim, & Ghezer, & ſuburbana eius.* |
| Et Cibſaim & Beth horon, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. | 22 | 22 | *Et Chibſaim, & ſuburbana eius, & Bethchoron, & ſuburbana eius ciuitates quattuor.* |
| De tribu quoque Dan, Eltheco & Gabathon. | 23 | 23 | *De tribu vero Dan Elthecin, & ſuburbana eius, & Ghibbeton, & ſuburbana eius.* |
| Et Aialon & Gethremmon, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. | 24 | 24 | *Et Aialon, & ſuburbana eius, & Ghathrimmon, & ſuburbana eius, vrbes quattuor.* |
| Porro de dimidia tribu Manaſſe, Thanach & Gethremmon, cum ſuburbanis ſuis ciuitates duæ. | 25 | 25 | *De dimidia vero tribu Menaſſeh Tahanah, & ſuburbana eiꝰ Ghathrimō, et ſuburbana eiꝰ ciuitates duas.* |
| Omnes ciuitates decem, & ſuburbana earum, datæ ſunt filijs Caath inferioris gradus. | 26 | 26 | *Omnes ciuitates decem, & ſuburbana earum familijs filiorum Chehat reſiduis.* |
| Fi- | | | *Fi-* |

Marginal notes: * 1.Par.6.a (v. 9); * Sup.14.14 (v. 12)

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et filijs Gedſon, de tribu Iſſachar, & de tribu Aſer, & de tribu Nephthali, & de dimidio tribus Manaſſe in Baſan ciuitates tredecim. 7 Et filijs Merari ſecundum populos eorum, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de
tribu Zabulon per ſortem ciuitates duodecim. 8 Et dederunt filij Iſrael Leuitis ciuitates, & ſuburbana
earum, quemadmodum mandauerat Dominus Moyſi, per ſortem. 9 Et dedit tribus filiorum Iuda, & tribus
filiorum Symeon, & de tribu filiorum Beniamin ciuitates has: 10 Et vocatę ſunt filijs Aaron de populo Caath filiorum Leui, quoniam his fuit ſors.
11 Et dedit eis Cariath Arboc metropolim Enach
(hæc eſt Chebron) in monte Iuda. 12 Suburbana autem in circuitu, & agros ciuitatis, & pagos
eius dedit Ieſus filijs Caleb filij Iephone in poſſeſſionem. 13 Et filijs Aaron dedit ciuitatem, refugium homicidæ, ipſam Chebron, & ſegregata quę cum ea, & Lemna, & ſegregata, quæ ad eam, Ælom, & ſegregata ei, & Tema, & ſegregata ei, 15 Et Gella, & ſegregata ei, & Dabir, & ſegregata ei, 16 Et
Aſa, & ſegregata ei, & Tany, & ſegregata ei, & Beth ſamys, & ſegregata ei, ciuitates nouem à duabus tribubus his.
17 Et à tribu Beniamin Gabaon, & ſegregata ei, & Gadeth, & ſegregata ei, 18 Et Anathoth, & ſegregata
ei, & Gamala, & ſegregata ei: ciuitates quatuor. 19 Omnes ciuitates filiorum Aaron ſacerdotum, tredecim. 20 Et populis filijs Caath Leuitis reliquis de filijs Caath, & facta eſt ciuitas ſacerdotum eorum, de
tribu Ephræm. 21 Et dederunt eis ciuitatem refugij homicidæ, Sichem, & ſegregata ei, & Gazara, &
quæ ad eam: 22 Et ſegregata ei, & Bæthoron, & ſegregata ei: ciuitates quatuor. 23 Et de tribu Dan
Helcothem, & ſegregata ei, & Gethoda, & ſegregata ei, 24 Et Ælon, & ſegregata ei, & Getheremmon, & ſegregata ei: ciuitates quatuor. 25 Et de dimidio tribus Manaſſe Tanach, & ſegregata ei, & Iebatha, & ſegregata ei: ciuitates duas. 26 Omnes ciuitates, decem, & ſegregata ipſi, quæ ad eas, populis filiorum Caath reliquis.

Marginal note: Varia ſunt nomina & ordo in vrbes has numerando [illegible] hac tranſl. ex Sep. Ro.

Et fi-

| Vulgata Editio. | | | Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Filijs quoque Gerſon Leuitici generis dedit de dimidia tribu Manaſſe confugij ciuitates, Gaulon in Baſan, & Boſram, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates duas. | 27 | 27 | *Filijs Gherſon de familijs Leuitarum, de dimidia tribu Menaſſeh ciuitatem refugij homicidæ Ghelan in Baſan, & ſuburbana eius, & Heſhterah, & ſuburbana eius, ciuitates duæ.* |
| Porro de tribu Iſſachar, Ceſion, & Dabereth, | 28 | 28 | *De tribu Iſaſchar Chiſion, & ſuburbana eius, Pabrath, & ſuburbana eius.* |
| Et Iaramoth, & Engannim, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quattuor. | 29 | 29 | *Iarmuth, & ſuburbana eius, & HenGannim, & ſuburbana eius, ciuitates quattuor.* |
| De tribu autem Aſer, Maſal & Abdon, | 30 | 30 | *De tribu autem Aſer Miſal, & ſuburbana eius: Habdon, & ſuburbana eius.* |
| Et Helcath, & Rohob, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quattuor. | 31 | 31 | *Chelcath, & ſuburbana eius, & Rechob, & ſuburbana eius ciuitates quattuor.* |
| De tribu quoque Nephthali ciuitates confugij, Cedes in Galilæa, & Hammoth Dor, & Carthan, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates tres. | 32 | 32 | *De tribu vero Naphthali ciuitatem refugij homicidæ Chedes in Ghalil, & ſuburbana eius, & Chamathdor, & ſuburbana eius, & Gharthan, & ſuburbana eius ciuitates tres.* |
| Omnes vrbes familiarum Gerſon tredecim, cum ſuburbanis ſuis. | 33 | 33 | *Omnes ciuitates Gherſum per familias ſuas, tredecim ciuitates, & ſuburbana earum.* |
| Filijs autem Merari Leuitis inferioris gradus per familias ſuas data eſt de tribu Zabulon, Iecnam & Cartha | 34 | 34 | *Familijs autem filiorum Merari Leuitarum reſiduorum de tribu Zebulun Iocnham, & ſuburbana eius, & Cartah, & ſuburbana eius,* |
| Et Damna & Naalol, ciuitates quattuor cum ſuburbanis ſuis. | 35 | 35 | *Dimnah & ſuburbana eius, Nahalal, & ſuburbana eius ciuitates quattuor.* |
| De tribu Ruben vltra Iordanem contra Iericho ciuitates refugij, Boſor in ſolitudine, Miſor & Iaſer & Iethſon & Mephaath, ciuitates quattuor cum ſuburbanis ſuis. | 36 | 36 | *De tribu vero Reuben, Beſer, & ſuburbana eius, & Iahaſah, & ſuburbana eius, & Chedemoth, & ſuburbana eius, & Mephahath, & ſuburbana eius ciuitates quattuor.* |
| De tribu Gad ciuitates confugij, Ramoth in Galaad, & Manaim & Heſebon & Iazer, ciuitates quattuor cum ſuburbanis ſuis. | 37 | 37 | *Et de tribu Ghad ciuitatem refugij homicidæ, Ramoth in Ghilhad, & ſuburbana eius, Machanaim, & ſuburbana eius, Cheſbon, & ſuburbana eius, Iahazer, & ſuburbana eius: Omnes ciuitates quattuor.* |
| Omnes vrbes filiorum Merari per familias & cognationes ſuas, duodecim. | 38 | 38 | *Omnes ciuitates filiorum Merari per familias ſuas qui reſidui erant de familijs Leuitarum, & fuit ſors eorum, ciuitates duodecim.* |
| Itaque ciuitates vniuerſæ Leuitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael fuerunt quadraginta octo | 39 | 39 | *Omnes ciuitates Leuitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael ciuitates quadraginta, & octo, & ſuburbana earum.* |
| Cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ. | 40 | 40 | *Fuerunt ciuitates illæ ſingulæ ciuitates, & ſuburbana earum per circuitum eius ſic omnibus ciuitatibus iſtis.* |
| Deditque Dominus Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum iurauerat: & poſſederunt illam, atque habitauerunt in ea. | 41 | 41 | *Dedit autem Dominus ipſi Iſrael omnem terram quam iurauit dare patribus eorum, & poſſederunt eam, & habitauerunt in ea.* |
| Da- | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et filijs Gedſon Leuitis de dimidio tribus Manaſſe ciuitates ſegregatas homicidis, Gaulon in Baſanitide, & ſe-
gregata, & Boſoran, & ſegregata ei, ciuitates duas, 28 Et de tribu Iſſachar Ciſon, & ſegregata ei, & Debba & ſe-
gregata ei: 29 Et Rhemmach, & ſegregata ei: Fontem litterarum, & ſegregata ei, ciuitates quattuor. 30 Et de
tribu Aſer Baſellam, & ſegregata ei, & Dabbon, & ſegregata ei: 31 Et Chelcat, & ſegregata ei, & Raab, & ſegre-
gata ei, ciuitates quattuor. 32 Et de tribu Nephthali ciuitatem ſegregatam homicidæ, Cades in Galilæa, & ſe-
gregata ei, & Nemmath, & ſegregata ei, & Themon, & ſegregata ei, ciuitates tres: 33 Oēs ciuitates ipſius Ged-
ſon, ſ̃m populos eorum, ciuitates tredecim. 34 Et populo filiorum Merari Leuitis reliquis, de tribu Zabulon Ma-
an, & ſuburbana eius: 35 Et Cades, & ſuburbana eius, & Sella, & ſuburbana eius, ciuitates tres: 36 Et trans Ior-
danem qua contra Hiericho, de tribu Ruben ciuitatem, refugium homicidæ, Boſor in deſerto: Miſo, & ſuburbana
eius, & Iazer, & ſuburbana eius, & Beemon, & ſuburbana eius, & Mapha, & ſuburbana eius, ciuitates quattuor.
37 Et de tribu Gad ciuitatē, refugium homicidæ, & Rhamoth in Galaad, & ſuburbana eius, Camin, & ſuburbana
eius, & Eſbon, & ſuburbana eius, & Iazer, & ſuburbana eius, oēs ciuitates quattuor. 38 Oēs ciuitates filijs Merari
ſ̃m populos eorũ reſiduorũ de tribu Leui. 39 Et factæ ſunt fines ciuitates duodecim oēs ciuitates Leuitarũ in
medio poſſeſſionis filiorũ Iſrael, quadraginta octo ciuitates, & ſuburbana earũ in circuitu ciuitatum iſtarũ: 40 Ci-
uitas, & ſuburbana in circuitu ciuitatis oibus ciuitatibus iſtis. * & conſummauit Ieſus diuidens terrā in finibus eo-
rũ: & dederunt filij Iſrael portionē Ieſu per conſtitutionē Dñi dederunt ei ciuitatem, quam petijt: Thamnaſachar
dederunt ei in monte Ephraim: & ædificauit Ieſus ciuitatem, & habitauit in ea: & accepit Ieſus cultros petrinos, in
quibus circumciderat filios Iſrael qui nati fuerant in via in deſerto, & poſuit eos in Thamnaſachar. 41 Et dedit
Dñs ipſi Iſrael oēm terram, quam iurauerat dare patribus eorum, & hæreditauerunt eam, & habitauerunt in ea.

Quod aſteriſco notatur vſque ad nu. 41. maiori ex parte repetita videtur ex his quæ ponũtur cap. 19. num. 49. & 50. & quæ hic ponuntur reſpondent loco illi noſtræ vulgatæ editionis.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

42 Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nulluſque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt.

43 Ne vnum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.

### CAP. XXII.

1 EOdem tempore vocauit Ioſue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manaſſe,

2 Dixitque ad eos: Feciſtis omnia quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis,

3 Nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore, vſque in præſentem diem, cuſtodientes imperium Domini Dei veſtri.

4 Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem & pacem, ſicut pollicitus eſt: reuertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis, * quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Iordanem:

* Nu. 32. 33. Sup. 13. 8.

5 Ita dumtaxat, vt cuſtodiatis attente, & opere compleatis mandatum & legem quam præcepit vobis Moyſes famulus Domini, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obſeruetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſeruiatis in omni corde, & in omni anima veſtra.

6 Benedixitque eis Ioſue, & dimiſit eos. Qui reuerſi ſunt in tabernacula ſua.

7 Dimidiæ autem tribui Manaſſe poſſeſſionem Moyſes dederat in Baſan: idcirco mediæ, quæ ſuperfuit dedit Ioſue ſortem inter ceteros fratres ſuos trans Iordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis,

8 Dixit ad eos: In multa ſubſtantia atque diuitijs reuertimini ad ſedes veſtras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veſte multiplici: diuidite prædam hoſtium cum fratribus veſtris.

9 Reuerſique ſunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe, à filijs Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan, vt intrarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moyſi.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

42 *Et requiem dedit Dominus eis in circuitu iuxta omnia ſuper quibus iurauit Dominus patribus eorum: & non ſtetit vir in conſpectu eorum ex omnibus inimicis eorum. Omnes inimicos eorum dedit Dominus in manu eorum.*

43 *Non cecidit verbum, ex omni verbo bono, quod locutus eſt Dominus ad domum Iſrael: omne venit.*

### CAP. XXII.

1 *TVnc vocauit Iehoſuah Reubenitas, & Gadditas, & dimidiam tribum Manaſſeh.*

2 *Dixitque ad eos: Vos cuſtodiſtis omnia, quæ præcepit vobis Moſeh ſeruus Domini, & obediſtis voci meæ in cunctis quæ præcepi vobis.*

3 *Non reliquiſtis fratres veſtros iam diebus multis vſque ad diem hanc, & ſeruaſtis cuſtodiam præcepti Domini Dei veſtri.*

4 *Et nunc requieſcere fecit Dominus Deus veſter fratres veſtros, quemadmodum locutus eſt eis: & nunc reuertimini, & proficiſcimini ad tabernacula veſtra, ad terram poſſeſſionis veſtræ, quam dedit vobis Moſeh ſeruus Domini trans Iarden.*

5 *Tantum cuſtodite valde, vt faciatis præceptum, & legem quam præcepit vobis Moſeh ſeruus Domini, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & ſeruetis præcepta eius, & adhæreatis ei, & ſeruiatis ei toto corde veſtro, & tota anima veſtra.*

6 *Benedixitque eis Iehoſuah, & dimiſit eos. Abieruntque in tabernacula ſua.*

7 *Dimidiæ autem tribui Menaſſeh dedit Moſeh in Baſan: dimidio vero eius dedit Iehoſuah cum fratribus ſuis trans Iarden ad Occidentem: & etiam cum dimitteret eos Iehoſuah in tabernacula ſua, & benediceret eis.*

8 *Dixit ad eos dicendo: Cum diuitijs multis reuertimini ad tabernacula veſtra, & cum poſſeſſione multa valde, cum argento, & auro, & ære, & ferro, & veſtibus multis valde: diuidite ſpolia inimicorum veſtrorum cum fratribus veſtris.*

9 *Reuerſi ſunt autem, & abierunt filij Ruben, & filij Ghad, & dimidia tribus Menaſſeh à filijs Iſrael de Siloh, quæ eſt in terra Chenahan vt irent ad terram Ghilhad, ad terram poſſeſſionis ſuæ, in qua poſſeſſionẽ acceperant, iuxta ſermonem Dñi per manũ Moſeh.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

42 Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, ſicut iurauerat patribus eorum: non reſtitit quiſquam ante faciem eorum ab omnibus inimicis eorum, omnes inimicos eorum tradidit Dominus in manus eorum.

43 Non decidit ex omnibus verbis bonis, quæ locutus eſt Dominus filijs Iſrael: omnia aduenerunt.

### CAP. XXII.

TVnc conuocauit Ieſus filios Ruben, & filios Gad, & dimidium tribus Manaſſe: 2 Et dixit eis: Vos au-
diſtis omnia, quæcumque mandauit vobis Moyſes puer Domini, & obediſtis voci meæ ſecundum omnia,
quæcumque mandauit vobis: 3 Non dereliquiſtis fratres veſtras his diebus pluribus: vſque ad hodiernam
diem ſeruaſtis mandatum Domini Dei veſtri. 4 Nunc autem requiem dedit Dominus Deus noſter fratri-
bus noſtris: quemadmodum dixerat eis: Nunc igitur reuertentes redite ad domos veſtros, & ad terram poſſeſſio-
nis veſtræ, quam dedit vobis Moyſes trans Iordanem. 5 Sed cuſtodite valde facere mandata, & legem, quam
mandauit nobis facere Moyſes puer Domini: diligere Dominum Deum noſtrum, ambulare in omnibus vijs eius,
ſeruare mandata eius, & adhærere ei, & ſeruire ei ex tota mente veſtra, & ex tota anima veſtra. 6 Et
benedixit eos Ieſus, & dimiſit eos: & ierunt ad domos ſuas. 7 Et dimidiæ tribui Manaſſe dedit
Moyſes in Baſanitide, & dimidiæ dedit Ieſus cum fratribus eius trans Iordanem iuxta Mare: & vbi dimiſit eos
Ieſus in domos ſuas, & benedixit eis: 8 Et in diuitijs multis abierunt in domos ſuas, & pecora
multa valde, & argentum, & aurum, & ferrum, & veſtem multam diuiſerunt, prædam inimicorum cum fratribus
ſuis. 9 Et ierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidium tribus Manaſſe à filijs Iſrael in Selo
in terra Chanaan ad abeundum in terram Galaad, in terram poſſeſſionis eorum, quam hæreditauerunt eam per
conſtitutionem Dominum in manu Moyſi.

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.

11 Quod cum audiſſent filij Iſrael, & ad eos certi nuncij detuliſſent ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe altare in terra Chanaan, ſuper Iordanis tumulos, contra filios Iſrael:

12 Conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent, & dimicarent contra eos.

13 E interim miſerunt ad illos in terram Galaad, Phinees filium Eleazari ſacerdotis:

14 Et decem principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus.

15 Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe in terram Galaad, dixeruntque ad eos:

16 Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ eſt iſta tranſgreſſio? Cur reliquiſtis Dominum Deum Iſrael, ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes?

17 An parum vobis eſt * quod peccaſtis in Beelphegor, & vſq; in præſenté dié macula huius ſceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt.

* Nu. 25. 4. Deut. 4. 3.

18 Et vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in vniuerſum Iſrael ira eius deſæuiet.

19 Quod ſi putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram, in qua tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos: tantum vt à Domino, & à noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri.

20 * Nonne Achan filius Zare præterijt mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira eius incubuit? Et ille erat vnus homo, atque vtinam ſolus periſſet in ſcelere ſuo.

* Sup. 7. 1.

21 Reſponderuntque filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe principibus legationis Iſrael:

22 Fortiſſimus Deus Dominus, Fortiſſimus Deus Dominus, ipſe nouit, & Iſrael ſimul intelliget: ſi præuaricationis animo, hoc altare conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti:

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et venerunt ad limites Iarden, qui erant in terra Chenahan, & ædificauerunt filij Reuben, & filij Ghad, & dimidia tribus Menaſſeh ibi altare iuxta Iarden, altare magnum viſu.*

11 *Audierunt autem filij Iſrael dicere, ecce ædificauerunt filij Reuben, & filij Ghad, & dimidia tribus Menaſſeh altare contra terram Chenahan in confinibus Iarden in tranſitu filiorum Iſrael:*

12 *Audieruntque filij Iſrael, & conuenerunt omnis cœtus filiorum Iſrael in Siloh, vt aſcenderent contra eos ad pugnam.*

13 *Miſerunt autem filij Iſrael ad filios Reuben, & ad filios Ghad, & ad dimidiã tribum Menaſſeh, ad terram Ghilhad Pinchas filium Elhazar ſacerdotis:*

14 *Et decem principes cum eo, principem vnum principem vnũ per domũ patris ex oĩbus tribubus Iſrael, et ipſe caput domus patrũ ſuorũ erãt ĩ millibus Iſrael.*

15 *Et venerunt ad filios Reuben, & ad filios Ghad, & ad dimidiam tribum Menaſſeh, ad terram Ghilhad, & locuti ſunt cum eis, dicendo:*

16 *Sic dixerunt eis cœtus Iſrael: Quæ eſt præuaricatio iſta? Quã p̃uaricati eſtis cõtra Deũ Iſrael, vt auertamini hodie ne eatis poſt Dominum, cum ædificetis vobis altare, vt rebelletis hodie contra Dominum?*

17 *An parum nobis eſt cum iniquitate Pehor à qua non ſumus mundati vſque ad diem hanc? & fuit plaga in cœtu Domini.*

18 *Et vos auertimini hodie ne eatis poſt Dominum, & erit, vos rebellabitis hodie contra Dominum, & cras in totum cœtum Iſrael iraſcetur.*

19 *Et quidem ſi immunda eſt terra poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram poſſeſſionis Domini, in qua habitat tabernaculum Domini, & poſſeſſiones accipite in medio noſtrum: & contra Dominum ne rebelletis, & à nobis ne recedatis ædificando vobis altare præter altare Domini Dei noſtri.*

20 *Nonne Hachan filius Zerach præuaricatus eſt præuaricationem in anathemate, & contra omnem cœtũ Iſrael fuit ira? Et ipſe vir vnus non obijt tantum propter iniquitatem ſuam.*

21 *Reſponderunt autem filij Reuben, & filij Ghad, & dimidia tribus Menaſſeh, locutique ſunt ad principes millium Iſrael:*

22 *Fortis deorum Dominus, Fortis deorum Dominus, ipſe cognoſcit, & Iſrael cognoſcet, ſi propter rebellionem: & ſi propter præuaricationem in Dominum, ne ſeruet nos die hac, ædificauimus nobis altare, vt auertamur ne eamus poſt Dominum:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et venerunt in Galaad Iordanis, quæ eſt in terra Chanaan, & ædificauerunt filij Ruben, & filij Gad, & dimi-
dia tribus Manaſſe illic aram ſuper Iordanem, aram magnam videre. 11 Et audierunt filij Iſrael di-
centium, ecce ædificauerunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe aram ſuper fines terræ Chanaan
ſuper Galaad Iordanis in tranſitu filiorum Iſrael: 12 Et congregati ſunt omnes filij Iſrael in Selo, vt
aſcendentes debellarent eos. 13 Et miſerunt filij Iſrael ad filios Ruben, & ad filios Gad, & ad filios di-
midiæ tribus Manaſſe in terram Galaad Phinees filium Eleazari, filij Aaron principis ſacerdotum: 14 Et de-
cem ex principibus cum eo, princeps vnus de domo familiæ ex omnibus tribubus Iſrael, principes domorum fa-
miliarum ſunt Chiliarchi Iſrael. 15 Et aduenerunt ad filios Ruben, & ad filios Gad, & ad dimidios tribus Ma-
naſſe in terram Galaad, & locuti ſunt ad eos, dicentes: 16 Hæc dicit vniuerſa ſynagoga Domini: Quod eſt de-
lictum hoc? Quod deliquiſtis ante Deum Iſrael, auerti hodie à Domino, ædificãtes vobis ipſis aram, apoſtatas vos
fieri à Domino? 17 Nunquid paruum vobis peccatum Phogor, quod non ſumus mundati ab eo vſque in diem
hanc? & facta eſt plaga in ſynagoga Domini. 18 Et vos auerſi eſtis hodie à Domino, & erit ſi receſſeritis ho-
die à Domino, & cras, ſuper omnem Iſrael erit ira. 19 Et nunc ſi parua terra veſtra poſſeſſionis veſtræ, tranſite
ad terram poſſeſſionis Domini, vbi habitat illic tabernaculum Domini, & poſſidebitis in nobis: & nolite à Deo
fieri apoſtatæ, & vos, & nolite recedere à Domino, eo quod ædificetis vos aram extra altare Domini Dei noſtri.
20 Nonne ecce Achar filius Zara delicto deliquit ab anathemate, & ſuper vniuerſam ſynagogam Iſrael facta eſt
ira? Et vnus hic ipſe mortuus eſt in ſuo ipſius peccato. 21 Et reſponderunt filij Ruben, & filij Gad, & di-
midium tribus Manaſſe, & locuti ſunt Chiliarchis Iſrael, dicentes: 22 Deus Deus Dominus eſt, & Deus Deus
ipſe nouit: & Iſrael ipſe cognoſce: ſi in apoſtaſia deliquimus ante Dominum, non eximat nos in die hac.

Et ſi

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Et ſi ea mente fecimus, vt holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat, & iudicet:

24 Et non ea magis cogitatione, atque tractatu, vt diceremus: Cras dicent filij veſtri filijs noſtris: Quid vobis, & Domino Deo Iſrael?

25 Terminum poſuit Dominus inter nos, & vos, ò filij Ruben, & filij Gad, Iordanem fluuium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occaſionem auertent filij veſtri filios noſtros à timore Domini. Putauimus itaque melius:

26 Et diximus: Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas:

27 Sed in teſtimonium inter nos, & vos, & ſobolem noſtram veſtramque progeniem, vt ſeruiamus Domino, & iuris noſtri ſit offerre, & holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filij veſtri filijs noſtris: Non eſt vobis pars in Domino.

28 Quòd ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres noſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimoniū noſtrum, ac veſtrum.

29 Abſit à nobis hoc ſcelus, vt recedamus à Domino, & eius veſtigia relinquamus extructo altari ad holocauſta, & ſacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei noſtri, quod extructum eſt ante tabernaculum eius.

30 Quibus auditis, Phinees ſacerdos, & principes legationis Iſrael, qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, libentiſſime ſuſceperunt.

31 Dixitque Phinees filius Eleazari ſacerdos ad eos: Nunc ſcimus, quòd nobiſcum ſit Dominus, quoniā alieni eſtis à præuaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini.

32 Reuerſuſque eſt cum principibus à filijs Ruben, & Gad de terra Galaad, finium Chanaan ad filios Iſrael, & retulit eis.

33 Placuitque ſermo cunctis audientibus. Et laudauerunt Deum filij Iſrael, & nequaquam vltra dixerunt, vt aſcenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram poſſeſſionis eorum.

Vo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et ſi ad immolandum ſuper illud holocauſtum, & ſacrificium, & ſi ad faciendum ſuper illud ſacrificia pacificorum Dominus ipſe requirat:*

24 *Et ſi non timore huius rei fecimus hoc, dicendo: Cras dicent filij veſtri filijs noſtris, dicendo: Quid vobis, & Domino Deo Iſrael?*

25 *Et terminum dedit Dominus inter nos, & vos filij Reuben, & filij Ghad Iarden: non eſt vobis pars in Domino. Et ceſſare facient filij veſtri filios noſtros. Vt non timeant Dominum:*

26 *Et diximus: Faciamus nunc nobis ædificando altare, non pro holocauſto, nec pro ſacrificio:*

27 *Sed vt teſtis ſit inter nos, & vos, & inter generationem noſtram poſt nos, vt ſeruiamus ſeruitutem Domini coram eo in holocauſtis noſtris, & in ſacrificijs noſtris, & pacificis noſtris: & non dicant filij veſtri cras filijs noſtris: Non eſt vobis pars in Domino.*

28 *Et diximus: Et erit, ſi dixerint nobis, & generationibus noſtris cras, dicemus: Videte ſimilitudinem altaris Domini, quod fecerunt patres noſtri, non pro holocauſto, neque pro ſacrificio, ſed vt teſtis ſit inter nos, & vos.*

29 *Abſit nobis à nobis, vt rebellemus contra Dominum, & auertamur hodie, ne eamus poſt Dominum ædificando altare pro holocauſto, pro oblatione, & pro ſacrificio, præter altare Domini Dei noſtri, quod eſt ante tabernaculum eius.*

30 *Audierunt autem Pinchas ſacerdos, & principes cœtus, & capita millium Iſrael, qui ſecum erant: verba quæ locuti ſunt filij Reuben, & filij Ghad, & filij Menaſſeh, & placuit in oculis eorum.*

31 *Dixitque Pinchas filius Elhazar ſacerdotis ad filios Reuben, & ad filios Ghad, & ad filios Menaſſeh: Hodie nouimus, quòd in medio noſtri ſit Dominus, quòd non præuaricati eſtis contra Dominum præuaricationem iſtam, tunc liberaſtis filios Iſrael de manu Domini.*

32 *Reuerſus eſt autem Pinchas filius Elhazar ſacerdotis, & principes à filijs Reuben, & à filijs Ghad, de terra Ghilhad ad terram Chenahan ad filios Iſrael, & retulerunt eis rem.*

33 *Et placuit res in oculis filiorum Iſrael, & benedixerunt Deo filij Iſrael, & non dixerunt, vt aſcenderent contra eos ad pugnam, vt diſperderent terram, in qua filij Reuben, & filij Ghad habitant.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et ſi ædificauimus nobis ipſis aram, vt recedamus à Dño Deo noſtro, vt aſcendere faciamus ſuper eam ſacrifi-
cium holocauſtomatum, vt faciamus ſuper eam ſalutarium, Dñs exquiret: 24 Sed pp cautelam verbi fecimus
hoc, dicentes: Vt non dicant cras filij veſtri filijs noſtris: Quid vobis, & Dño Deo Iſrael? 25 Et fines poſuit
Dominus inter nos, & vos Iordanem: & non eſt vobis pars Domini, & abalienabunt filij veſtri filios noſtros. Vt
non venerentur Dominum: 26 Et diximus facere ſic: Ædificare aram hanc, non propter oblationes, neq; pro-
pter ſacrificia: 27 Sed vt ſit hoc teſtimonium inter nos, & vos, & inter progenies noſtras poſt nos, ſeruire ſer-
uitutem Domini coram eo in oblationibus noſtris, & in ſacrificijs noſtris, & in ſacrificijs ſalutarium noſtrorum:
& non dicent filij veſtri filijs noſtris cras: Non eſt vobis pars Domini. 28 Et diximus: Si quando factum fuerit,
& locuti fuerint ad nos, vel generationibus noſtris cras, & dicent: Videte ſimulachrum altaris Domini, quod fe-
cerunt patres noſtri, non propter oblationes, neque propter ſacrificia, ſed teſtimonium eſt inter vos, & inter nos, &
inter filios noſtros. 29 Abſit igitur nos auerti à Dño in hodierna die, recedere à Dño, ædificando nos altare ob-
lationibus, & ſacrificijs Salamin, & ſacrificio ſalutaris, præter altare Domini, quod eſt ante tabernaculum eius.
30 Et audiens Phinees ſacerdos, & oēs principes ſynagogæ Iſrael, qui erant cum eo: verba quæ locuti ſunt filij
Ruben, & filij Gad, & dimidiū tribus Manaſſe, & placuit eis. 31 Et dixit Phinees ſacerdos filijs Ruben, & filijs
Gad & dimidiæ tribui Manaſſe: Hodie cognouimus, q̄a nobiſcū Dñs, eo q̄ nō deliquiſtis ante Dñm delictum, &
q̄a eruiſtis filios Iſrael de manu Dñi. 32 Et reuertit Phinees ſacerdos, & principes à filijs Rubē & à filijs Gad,
& à dimidia tribu Manaſſe de Galaad in terrā Chanaā ad filios Iſrael, & rñderunt eis verba. 33 Et placuit filijs
Iſrael. Et locuti ſūt ad filios Iſrael, & bñdixerūt Deū filiorū Iſrael, & dixerūt nō vltra aſcēdere ad eos in bellū ad
exterminandam terram filiorum Ruben, & filiorum Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, & habitauerunt ſuper eam.

Et co-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

34 Vocaueruntque filij Ruben, & filij Gad altare, quod
extruxerant, teſtimonium noſtrum, quòd Dominus
ipſe ſit Deus.

### CAP. XXIII.

1 Evoluto autem multo tempore, poſtquam pa-
cem dederat Dominus Iſraeli, ſubiectis in gyro
nationibus vniuerſis, & Ioſue iam longæuo, & perſe-
nilis ætatis:
2 Vocauit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſque natu,
& principes, ac duces, & magiſtros, dixitque ad eos:
Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum:
3 Voſque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus
veſter cunctis per circuitum nationibus, quomodo
pro vobis ipſe pugnauerit:
4 Et nunc quia vobis ſorte diuiſit omnem terram, ab
Orientali parte Iordanis vſque ad mare magnum,
multæque adhuc ſuperſunt nationes:
5 Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet à fa-
cie veſtra, & poſſidebitis terram, ſicut vobis pollici-
tus eſt.
6 Tantum confortamini & eſtote ſoliciti, vt cuſtodia-
tis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moy-
ſi: & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, ne-
que ad ſiniſtram:
7 Ne poſtquam intraueritis ad Gentes, quæ inter vos
futuræ ſunt, iuretis in nomine deorum earum, &
ſeruiatis eis, & adoretis illos:
8 Sed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod feciſtis
vſque in diem hanc.
9 Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſ-
tro gentes magnas, & robuſtiſſimas, & nullus vobis
reſiſtere poterit.
10 Vnus è vobis perſequetur hoſtium mille viros: quia
Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſi-
cut pollicitus eſt.
11 Hoc tantum diligentiſſimè præcauete, vt diligatis
Dominum Deum veſtrum.
12 Quòd ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos
habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere
connubia, atque amicitias copulare:

Iam

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Et vocauerunt filij Reuben, & filij Ghad altare,*
*Hed, quia teſtis eſt inter nos, quòd Dominus eſt*
*Deus.*

### CAP. XXIII.

1 *Et fuit poſt dies multos, poſtquam requieſcere*
*fecit Dominus Iſrael ab omnibus inimicis ſuis*
*in circuitu, Iehoſuah ſenuit, venit in dies:*
2 *Vocauitque Iehoſuah omnem Iſrael, ſeniores eius, &*
*capita eius, & iudices eius, & principes eius, dixit-*
*que ad eos: Ego ſenui, veni in dies:*
3 *Voſque vidiſtis omnia, quæ fecit Dominus Deus ve-*
*ſter omnibus gentibus iſtis in conſpectu veſtro, quia*
*Dominus Deus veſter pugnauit pro vobis:*
4 *Videte, cadere feci vobis gentes reſiduas iſtas in hæ-*
*reditatem tribubus veſtris à Iarden, & omnes gen-*
*tes, quas diſperdere feci, vſque ad mare magnum*
*ab Occaſu ſolis:*
5 *Et Dominus Deus veſter ipſe propulſauit eas à*
*facie veſtra, & expulit eas à facie veſtra, & poſ-*
*ſediſtis terram earum, quemadmodumq; locutus eſt*
*Dominus Deus veſter vobis.*
6 *Et confortati eſtis valdè, vt cuſtodiatis, & faciatis*
*omne quod ſcriptum eſt in libro legis Moſeh: &*
*non recedatis ab ea ad; dexteram, & ad ſiniſ-*
*tram:*
7 *Vt non ingrediamini inter Gentes iſtas, quæ rema-*
*nent vobiſcum, & nomen Dei earum non comme-*
*moretis, & non iuretis, neque ſeruiatis eis, neque*
*incuruetis vos eis:*
8 *Sed Domino Deo veſtro adhæreatis: ſicut feciſtis*
*vſque ad diem hanc.*
9 *Et expellet Dominus à facie veſtra gentes magnas,*
*& fortes, & non ſtetit quiſquam in conſpectu veſ-*
*tro vſque ad diem hanc.*
10 *Vir vnus ex vobis perſequetur mille: quia Dominus*
*Deus veſter ipſe pugnat pro vobis, ſicut locutus eſt*
*vobis.*
11 *Et cuſtodite valdè propter animas veſtras, vt dili-*
*gatis Dominum Deum veſtrum.*
12 *Quia ſi auertendo auerſi fueritis, & adhæſeritis re-*
*ſiduis gentibus iſtis, quæ ſunt vobiſcum, & affinita-*
*tem contraxeritis cum eis, & ingreſſi fueritis cum*
*eis, & ipſa vobiſcum:*

*Scien-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

34 Et cognominauit Ieſus aram ipſorum Ruben, & ipſorum Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, & dixit: Quoniam
teſtimonium eſt inter eos, quia Dominus Deus eorum eſt.

### CAP. XXIII.

ET factum eſt poſt dies plures, poſtquam Dominus quieſcere fecit Iſrael ab omnibus inimicis eius in cir-
cuitu, & Ieſus ſenior, prouectus diebus:
2 Et conuocauit Ieſus omnes filios Iſrael, & ſeniores eorum, &
principes eorum, & iudices eorum, & ſcribas eorum, & dixit ad eos: Ego ſenui, & prouectus ſum diebus:
3 Vos autem vidiſtis, quæcumque fecit Dominus Deus noſter omnibus gentibus his à facie veſtra, quoniam Do-
minus Deus veſter, qui debellauit vobis:
4 Videtis, quia feci cadere vobis gentes reſiduas vobis has in ſor-
tibus in tribus veſtras, à Iordane omnes gentes, & exterminaui, & à mari magno terminabit ad Occaſum ſolis:
5 Dominus autem Deus noſter hic exterminabit eos à facie noſtra, donec pereant, & mittet eis beſtias agreſtes,
quoadusque exterminauerit eos, & reges eorum à facie veſtra, & hæreditabitis terram eorum, ſicut locutus eſt
Dominus Deus noſter vobis.
6 Confortamini igitur valdè ad cuſtodiendum, & faciendum omnia, quæ
ſcripta ſunt in libro legis Moyſi: vt non declinetis in dextera, vel ſiniſtra:
7 Vt non intretis in gentes reſiduas
iſtas, & nomina deorum eorum non nominabuntur in vobis, neque ſeruietis, neque adorabitis eos:
8 Sed
Domino Deo noſtro adhærebitis: ſicut feciſtis vſque in diem hanc.
9 Et exterminabit eos Dominus à
facie veſtra, gentes magnas, & fortes, & nemo reſtitit coram nobis vſque in diem hanc.
10 Vnus è vo-
bis perſequutus eſt mille, quoniam Dominus Deus noſter, hic debellabat vobis, ſicut dixit nobis.
11 Et ob-
ſeruate valdè diligere Dominum Deum noſtrum.
12 Si enim auerſi fueritis, & appoſiti fueritis reſiduis
gentibus iſtis, quæ vobiſcum, & connubia feceritis ad eos, & commiſti fueritis eis, & ipſi vobis:

No-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

13 Iam nunc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

*3. Reg. 2.* 14 * En ego hodie ingredior viam vniuerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quòd de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, vnum non præterierit incaſſum.

15 Sicut ergo impleuit opere, quod promiſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet ſuper vos quidquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis:

16 Eo quòd præterieritis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſeruieritis dijs alienis, & adoraueritis eos: citò atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

### CAP. XXIIII.

1 Congregauitque Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vocauit maiores natu, ac principes, & iudices, & magiſtros: ſteteruntque in conſpectu Domini:

2 Et ad populum ſic locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans fluuium habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor: ſeruieruntque dijs alienis.

*Gen. 11. 26.* 3 * Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus: & adduxi eum in terram Chanaan: multiplicauique ſemen eius:

*Gen. 21. 2. Gen. 25. 26. Gen. 36. 8. Gen. 46. 6.* 4 * Et dedi ei Iſaac: * Illique rurſum dedi Iacob, & Eſau. * E quibus, Eſau dedi montem Seir ad poſſidendum: * Iacob verò, & filij eius deſcenderunt in Ægyptum.

*Exo. 3. 10. & 12. 37.* 5 * Miſique Moyſen, & Aaron, & percuſſi Ægyptum multis ſignis, atque portentis.

6 Eduxique vos, & patres veſtros de Ægypto, & veniſtis ad mare: perſecutique ſunt Ægyptij patres veſtros cum curribus, & equitatu, vſque ad Mare rubrum.

Cla-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Sciendo ſcitote, quòd non addet Dominus Deus veſter, vt expellat omnes gentes iſtas à facie veſtra, ſed erunt vobis laqueus, & offendiculum, & flagellum in lateribus veſtris, & ſpinæ in oculis veſtris, donec diſperdat vos è terra optima iſta, quam dedit vobis Dominus Deus veſter.*

14 *Et ecce ego vado hodie per viam vniuerſæ terræ, & cognoſcetis toto corde veſtro, & tota anima veſtra, quòd non cecidit verbum vnum ex omnibus verbis optimis, quæ locutus eſt Dominus Deus veſter ſuper vos, omnia venerunt vobis, non cecidit ex eis verbum vnum.*

15 *Et erit, ſicuti venit ſuper vos omne verbum bonum, quod locutus eſt Dominus Deus veſter vobis: ſic adducet Dominus ſuper vos omne verbum malum, donec diſperdat vos è terra optima iſta, quam dedit vobis Dominus Deus veſter:*

16 *Cum tranſgreſſi fueritis pactum Domini Dei veſtri, quod præcepit vobis, & ambulaueritis, & ſeruieritis dijs alienis, & incuruaueritis vos eis: iraſcetur furor Domini contra vos, & peribitis citò è terra optima, quam dedit vobis.*

### CAP. XXIIII.

1 *Congregauit autem Iehoſuah omnes tribus Iſrael in Sechem, vocauitque ſeniores Iſrael, & capita eius, iudiceſque eius, ac principes eius: ſteteruntque coram Deo:*

2 *Dixitque Iehoſuah ad omnem populum: Sic dicit Dominus Deus Iſrael: Trans flumen habitauerunt patres veſtri à ſæculo Terach pater Abraham, & pater Nachor: ſeruieruntque dijs alienis.*

3 *Et tuli patrem veſtrum Abraham è loco, qui erat trans flumen: & ambulare feci in omnem terram Chenahan: multiplicauique ſemen eius, & dedi ei Iſchac:*

4 *Et dedi ipſi Iſchac, Iahacob, & Heſau. Tradidique ipſi Heſau montem Sehir, vt poſſideret eum: Iahacob autem & filij eius deſcenderunt in Ægyptum.*

5 *Miſique Moſeh, & Aharon, & percuſſi Ægyptum, quemadmodum feci in medio eius.*

6 *Et poſtea eduxi vos, & eduxi patres veſtros ex Ægypto, & veniſtis ad mare: & perſecuti ſunt Ægyptij patres veſtros cum curribus, & equitibus ad Mare rubrum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Noſcite, quia non adijciet Dominus exterminare gentes iſtas à facie veſtra, & erunt vobis in laqueos, & in ſcandala, & in clauos in calcaneis veſtris, & in iacula in oculis veſtris, donec diſperdamini de terra bona hac, quã dedit vobis Dominus Deus veſter. 14 Ego autem recurro viam, ſicut & omnes, qui ſunt ſuper terram, & cognoſcetis corde veſtro, & anima veſtra, quoniam non cecidit vnum verbum de omnibus verbis, quæ dixit Dominus Deus noſter ad omnia pertinentia nobis, non diſſonuit ex eis. 15 Et erit, quemadmodum venium ad nos omnia verba bona, quæ locutus eſt Dominus ſuper vos: ita inducet Dominus Deus ſuper vos omnia verba mala, quoadusque exterminauerit vos de terra bona hac, quam dedit Dominus vobis:
16 In tranſgrediendo vos teſtamentum Domini Dei noſtri, quod mandauit nobis, & ambulantes ſeruieritis dijs alijs, & adoraueritis eos.

### CAP. XXIIII.

ET congregauit Ieſus omnes tribus Iſrael in Selo, & conuocauit ſeniores eorum, & ſcribas eorum, & iudices eorum: & ſtatuit eos ante Deum: 2 Et dixit Ieſus ad omnem populum: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans flumen inhabitarunt patres veſtri ab initio, Thara pater Abraam, & pater Nachor: & ſeruierunt dijs alienis. 3 Et aſſumpſi patrem veſtrum Abraam de trans flumine: & deduxi eum in omnem terram: & multiplicaui eius ſemen: 4 Et dedi ei Iſaac: Et ipſi Iſaac, Iacob, & Eſau. Et dedi Eſau montem Seir ad hæreditandum ei: Et Iacob, & filij eius deſcenderunt in Ægyptum, & facti ſunt ibi in gentem magnam, & multam, & validam, & afflixerunt eos Ægyptij. 5 Et percuſſi Ægyptum in ſignis, quæ feci in eis. 6 Et poſt hæc eduxit patres noſtros de Ægypto, & intraſtis in mare rubrum: & perſecuti ſunt Ægyptij poſt patres noſtros in curribus, & in equis in Mare rubrum.

Et ex-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 *Exo. 14. 9. Clamauerunt autem ad Dominum filij Iſrael: *qui poſuit tenebras inter vos, & Ægyptios, & adduxit ſuper eos mare, & operuit eos. Viderunt oculi veſtri cuncta, quæ in Aegypto fecerim, & habitaſtis in ſolitudine multo tempore:

8 Et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. *Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus veſtras, & poſſediſtis terrã eorum, atque interfeciſtis eos. *Nu. 21. 23.

9 *Nu. 22. 5. *Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Iſraelem. Miſitque & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis:

10 Et ego nolui audire eum, ſed e contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius.

11 *Sup. 3. 14. & 6. 1. & 11. 3. *Tranſiſtiſque Iordanem, & veniſtis ad Iericho. Pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergeſæus, & Heuæus, & Iebuſæus: & tradidi illos in manus veſtras.

12 *Exo. 23. 28. Deu. 7. 20. *Miſique ante vos crabones: & eieci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.

13 Dedique vobis terram, in qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis: vineas, & oliueta, quæ non plantaſtis.

14 *1. Reg. 7. 3. Tob. 14. 10. *Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei perfecto corde, atque veriſſimo: & auferte deos, quibus ſeruiunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Aegypto, ac ſeruite Domino.

15 Sin autem malum vobis videtur, vt Domino ſeruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum dijs, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, an dijs Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea ſeruiemus Domino.

16 Reſponditque populus, & ait: Abſit à nobis, vt relinquamus Dominum, & ſeruiamus dijs alienis.

17 Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos, & patres noſtros de terra Aegypti, de domo ſeruitutis: fecitque videntibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodiuit nos in omni via, per quam ambulauimus, & in cunctis populis, per quos tranſiuimus.

18 Et eiecit vniuerſas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intrauimus. Seruiemus igitur Domino, quia ipſe eſt Deus noſter.

19 Dixitque Ioſue ad populum: Non poteritis ſeruire Domino: Deus enim ſanctus, & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris, atque peccatis.

Si

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et clamauerunt ad Dominum: & poſuit caliginem inter vos, & Aegyptios, & adduxit ſuper eum mare, & operuit eum. Et viderunt oculi veſtri, quæ feci in Aegypto, & habitaſtis in ſolitudine diebus multis:*

8 *Et adduxi vos ad terram Emorræi habitantis trans Iarden. Pugnaueruntque vobiſcum, & tradidi eos in manu veſtra, & poſſediſtis terram eorum, & deleui eos à facie veſtra.*

9 *Surrexit autem Balach filius Sippor rex Moab, & pugnauit cum Iſrael. Miſitque & vocauit Bilham filium Behor, vt malediceret vobis:*

10 *Et nolui audire Bilham, ſed benedixi benedicendo vobis, & liberaui vos è manu eius.*

11 *Tranſiſtiſque Iarden, & veniſtis ad Iericho. Et pugnauerunt contra vos viri Iericho, Emorræus, & Perizæus, & Chenahanæus, & Chittæus, & Ghirghaſæus, Chiuuæus, & Iebuſæus: tradidique eos in manu veſtra.*

12 *Et miſi ante vos crabronem: & expulit eos à facie veſtra, duos reges Emorræi, non gladio tuo, nec arcu tuo.*

13 *Dedique vobis terram in qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, & habitaſtis in eis: vineas, & oliueta, quæ non plantaſtis, comeditis.*

14 *Et nunc timete Dominum, & ſeruite ei in ſimplicitate, & veritate: & remouete deos, quibus ſeruierunt patres veſtri trans flumen, & in Aegypto, & ſeruite Domino.*

15 *Et ſi malum eſt in oculis veſtris ſeruire Domino: eligite vobis hodie cui ſeruiatis, ſiue deos, quibus ſeruierunt patres veſtri, qui fuerunt trans flumen, ſiue deos Emorræi, in quorum habitatis terra: & ego, & domus mea ſeruiemus Domino.*

16 *Et reſpondit populus, & dixit: Abſit nobis, vt derelinquamus Dominum ſeruiendo dijs alienis.*

17 *Dominus enim Deus noſter, ipſe aſcẽdere fecit nos, & patres noſtros è terra Aegypti è domo ſeruorũ: & qui fecit in oculis noſtris ſigna magna iſta, & cuſtodiuit nos in omni via, per quam ambulauimus, & in omnibus populis, per quorum tranſiuimus medium.*

18 *Expulitque Dominus omnes populos, & Emorræum habitatorem terræ à facie noſtra. Etiam nos ſeruiemus Domino, quia ipſe eſt Deus noſter.*

19 *Dixitque Iehoſuah ad populum: Non poteritis ſeruire Domino: quia Deus ſanctus eſt, Deus æmulator eſt, non parcet ſceleribus veſtris, atq; peccatis veſtris.*

*Si*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et exclamauimus ad Dñm, & dedit nubem, & caliginem inter nos, & inter Aegyptios, & induxit ſuper eos mare, & operuit illos. Et viderunt oculi veſtri, quæcumq; fecit Dñs in terra Aegypto, & fuiſtis in deſerto dies plures: 8 Et duxit nos in terram Amorrhæorũ habitantiũ trans Iordanẽ. Et tradidit eos Dñs in manus noſtras, & hæreditaſtis terrã eorum, & extermınaſtis eos à facie veſtra. 9 Et ſurrexit Balac filius Sephor rex Moab, & inſtruxit exercitũ contra Iſrael. Et mittens vocauit Balaã ad maledicendũ vos: 10 Et noluit Dñs Deus tuus perdere te, & benedictionibus benedixit nos, & eripuit vos de manibus eorum, & tradidit eos. 11 Et tranſiſtis Iordanẽ, & aduenıſtis in Hiericho. Et bellauerunt aduerſus nos, qui habitabant Hiericho, Amorrhæus, & Chananæus, & Pherezæus, & Euæus, & Iebuſæus, & Chettæus, & Gergeſæus: & tradidit eos Dñs in manus noſtras. 12 Et miſit ante vos veſpas: & emiſit eos à facie noſtra, duodecim reges Amorrhæorũ, non in gladio tuo, neque in arcu tuo. 13 Et dedit vobis terrã, ſuper q̃ non laboraſtis ſuper eã, & ciuitates, quas non ædificaſtis, & habitaſtis in eis: & vineas, & olıueta, quæ nõ plãtaſtis, vos comeditis. 14 Et nunc timete Dñm, & ſeruite ei in rectitudine, & in iuſtitia: & circũauferte deos alienos, quibus ſeruierũt patres noſtri trans flumen, & in Aegypto, & ſeruite Dño. 15 Si aũt non placet vobis ſeruire Dño: eligite vobis ipſis hodie, cui ſeruiatis, ſiue dijs patrũ veſtrorũ, ijs qui in tranſfluuiali, ſiue dijs Amorrhęorũ, in quibus vos habitatis ſuper terrã eorum: ego autem, & domus mea ſeruiemus Dñomino, quia ſanctus eſt. 16 Et reſpondens populus dixit: Abſit à nobis derelinquere Dñm, vt ſeruiamus dijs alijs. 17 Dñs Deus noſter, ipſe Deus eſt: ipſe eduxit nos, & patres noſtros de Aegypto, & cuſtodiuit nos in omni via, qua iuimus in ea, & in oĩbus gentibus, quas tranſiuimus per eas. 18 Et eiecit Dñs Amorrhæũ, & oẽs gẽtes inhabitãtes terrã, à facie nr̃a. Sed & nos ſeruiemus Dño, hic enim Deus nr̃ eſt. 19 Et dixit Ieſus ad populum: Nõ poteritis ſeruire Domino: quoniam Deus ſanctus eſt, & zelans ipſe, non dimittet peccata veſtra, & iniquitates veſtras.

Qua-

## Vulgata Editio.

20 Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis dijs alienis, conuertet ſe, & affliget vos, atque ſubuertet: poſtquam vobis præſtiterit bona.
21 Dixitque populus ad Ioſue: Nequaquam ita vt loqueris, erit, ſed Domino ſeruiemus.
22 Et Ioſue ad populum, Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, vt ſeruiatis ei. Reſponderuntque: Teſtes.
23 Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael.
24 Dixitque populus ad Ioſue: Domino Deo noſtro ſeruiemus & obedientes erimus præceptis eius.
25 Percuſſit ergo Ioſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta, atque iudicia in Sichem.
26 Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini:
27 Et dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis: ne forte poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro.
28 Dimiſitque populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam.
29 Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini, centum & decem annorum:
30 Sepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à Septentrionali parte montis Gaas.
31 Seruiuitque Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſrael.
32 * Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de Aegypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, * quẽ emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph.
33 Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim.

* Gen. 50. 25. Exo. 13. 19. * Gen. 33. 19.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis deo alieno, conuertet ſe, & malefaciet vobis, & conſummet vos, poſtquam benefecerit vobis.*
21 *Dixitque populus ad Iehoſuah: Nequaquam ſed Domino ſeruiemus.*
22 *Dixitque Iehoſuah ad populum, Teſtes eſtis contra vos, quia elegiſtis vobis Dominum, vt ſeruiatis ei. Et dixerunt: Teſtes.*
23 *Et nunc remouete deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & inclinate cor veſtrum ad Dominum Deum Iſrael.*
24 *Dixeruntque populus ad Iehoſuah: Domino Deo noſtro ſeruiemus, & voci eius obediemus.*
25 *Percuſſitque Iehoſuah fœdus cum populo in die illa, & propoſuit ei præceptum, & iudicium in Sechem.*
26 *Scripſitque Iehoſuah verba iſta in libro legis Dei: & tulit lapidem magnum, & ſtatuit eum ibi ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini:*
27 *Dixitque Iehoſuah ad omnem populum: Ecce lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quia ipſe audiuit omnia eloquia Domini, quæ locutus eſt nobiſcum, & erit contra vos in teſtimonium: ne fortè negetis contra Deum veſtrum.*
28 *Dimiſitque Iehoſuah populum quemlibet in hæreditatem ſuam.*
29 *Et fuit, poſt hæc mortuus eſt Iehoſuah filius Nun ſeruus Domini centum & decem annorum:*
30 *Sepelieruntque eum in termino hæreditatis eius in Timnathſerach, quæ eſt in monte Ephraim ab Aquilone montis Gahas.*
31 *Seruiuitque Iſrael Domino omnibus diebus Iehoſuah, & omnibus diebus ſeniorum, & qui prolongauerunt dies poſt Iehoſuah, & qui cognouerunt omne opus Domini, quod fecerat ipſi Iſrael.*
32 *Et oſſa Ioſeph, quæ aſcendere fecerunt filij Iſrael ex Aegypto, ſepelierunt in Sechem in parte agri, quam acquiſierat Iahacob à filijs Chamor patris Sechem centum nummis, & fuerunt filijs Ioſeph in hæreditatem.*
33 *Et Elhazar filius Aharon mortuus eſt: & ſepelierunt eum in colle Pinchas filij eius, quæ data fuit ei in monte Ephraim.*

LI-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Quandocumque dereliqueritis Dominum, & ſeruieritis dijs alijs, & inuadens affliget vos, & delebit vos pro ijs, quæ benefecit vobis. 21 Et dixit populus ad Ieſum: Nequaquam, ſed Domino ſeruiemus. 22 Et dixit Ieſus ad populum: Teſtes vos contra vos, quia vos elegiſtis Domino ſeruire ei. 23 Et nunc circumauferte deos alienos, qui in vobis, & dirigite cor veſtrum ad Dominum Deum Iſrael. 24 Et dixit populus ad Ieſum: Domino ſeruiemus, & vocem eius audiemus. 25 Et diſpoſuit Ieſus teſtamentum ad populum in illa die, & dedit illi legem, & iudicium in Selo coram tabernaculo Dei Iſrael. 26 Et ſcripſit verba hæc in libro legum Dei: & accepit lapidem magnum & ſtatuit illum Ieſus ſub terebintho ante Dominum: 27 Et dixit Ieſus ad populũ: Ecce lapis iſte erit in vobis in teſtimonium, quia hic audiuit omnia, quæ dicta ſunt ei à Domino, quicquid locutus eſt ad vos hodie, & hic erit in vobis in teſtimonium in nouiſſimis diebus: cum mentiti fueritis Domino Deo meo. 28 Et miſit Ieſus populum, & iuerunt vnuſquiſque ad locum ſuum. * 29 Et factũ eſt poſt illa: & mortuus eſt Ieſus filius Naue ſeruus Domini, centum decem annorum: 30 Et ſepelierunt eum ad fines ſortis eius in Thamnaſachar in monte, qui Ephrem ab Aquilone montis, qui Galaad. Ibi poſuerunt cum eo in monumẽto, in quo ſepelierant eum, ibi cultros petrinos, in quibus circumcidit filios Iſrael in Galgalis, cũ eduxit eos de Aegypto, ſicut conſtituit eis Dominus & ibi ſunt vſque in hodiernam diem. 31 Et ſeruiuit Iſrael Domino omnes dies Ieſu, & omnes dies ſeniorum, quicumque traduxerant tempus cum Ieſu, & quicumque viderant omnia opera Domini, quæ fecerat ipſi Iſrael. 32 Et oſſa Ioſeph extulerunt filij Iſrael de Aegypto, & defoderunt in Sicimis, in parte agri, quem acquiſiuit Iacob ab Amorrhæis habitantibus in Sicimis, agnabus centum, & dedit eã Ioſeph in parte. 33 Et factum eſt poſt hæc, & Eleazar filius Aaron princeps ſacerdotum defunctus eſt: & ſepultus eſt in Gabaar Phinees filij ſui, quam dedit ei in monte, qui Ephræm, in illa die ſumentes filij Iſrael arcam Dei circumtulerunt in ſe ipſis, & Phinees functus eſt ſacerdotio pro Eleazaro patre ſuo, quoadusque mortuus eſt, & defoſſus eſt in Gabaar, quæ ipſius. filij autem Iſrael abierunt vnuſquiſque ad locum ſuum, & ad ſuam ciuitatem & coluerunt filij Iſrael Aſtartẽn & Aſtaroth, & deos gentium, quæ in circuitu ipſorum, & tradidit eos Dominus in manus Eglom regi Moab, & dominatus eſt eorum annos decem octo.

* Quæ infra numero 31. continentur in Biblia ex Septuag. Romana habentur hic poſt numerum 28. loco notato aſteriſco coniũcta, quæ tamẽ nos ibi tranſtulimus, vt diſpoſitionem vulgatæ ſequeremur.

FINIS LIBRI IOSVE.

LIBRI

# LIBRI IVDICVM.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 POſt mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum, dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?

2 Dixitque Dominus: Iudas aſcendet: ecce tradidi terram in manus eius.

3 Et ait Iudas Symeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et abijt cum eo Simeon.

4 Aſcenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum: & percuſſerunt in Bezec decem millia virorum.

5 Inueneruntque Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum, & Pherezæum.

6 Fugit autem Adonibezec: quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum.

7 Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt.

8 Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij, tradentes cũctam incendio ciuitatem.

9 Et poſtea deſcendentes pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad Meridiẽ, & in campeſtribus.

10 * Pergenſque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percuſſit Seſai, & Ahiman, & Tholmai:

* Ioſ. 15. 14.

11 Atque inde profectus abijt ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariat Sepher, id eſt, ciuitas litterarum.

Di-

# LIBRI SOPHTIM.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *FVit poſt mortem Iehoſuah, interrogauerunt filij Iſrael Dominũ, dicendo: Quis aſcendet ad Chenahanaũ in principio ad pugnãdũ cũ eo?*

2 *Dixitque Dominus: Iehudah aſcendet: & ecce dedi terram in manu eius.*

3 *Dixitque Iehudah ad Simhon fratrem ſuum: Aſcẽde mecum in ſortem meam, & pugnabimus contra Chenahanæum, & ibo etiam ego tecum in ſortem tuam. Et perrexit cum eo Simhon.*

4 *Aſcenditque Iehudah, & tradidit Dominus Chenahanæum, & Perizæum in manu eorum: percuſſerunt eos in Bezec decem millia virus.*

5 *Et inuenerunt Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt cum eo, & percuſſerunt Chenahanæum, & Perizæum.*

6 *Fugitque Adonibezec: & perſecuti ſunt eum, apprehenderuntque eum, & abſciderunt pollices manuum eius, & pedum eius.*

7 *Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges pollicibus manuum eorum, ac pedum abſciſis colligebant ſub menſa mea: ſicut feci, ſic reddidit mihi Deus. Et adduxerunt eum in Ieruſalaim, & mortuus eſt ibi.*

8 *Pugnaueruntque filij Iehudah etiam contra Ieruſalaim, & ceperunt eam, & percuſſerunt eam acie gladij, & ciuitatem miſerunt in ignem.*

9 *Et poſtea deſcenderunt filij Iehudah ad pugnãdum contra Chenahanæum habitantem in monte, & Meridie, & planitie.*

10 *Et perrexit Iehudah ad Chenahanæum, qui habitabat in Chebron, (nomen autem Chebron antea fuit Chiriatharbah) & percuſſerunt Seſai, & Achiman, & Talmai:*

11 *Et perrexit inde ad habitatores Debir, (nomen vero Debir antea fuit Chiriathſepher.)*

*Di-*

# LIBRI IVDICVM.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt, poſtquam defunctus eſt Ieſus, & interrogabant filij Iſrael per Dominum, dicentes: Quis aſcendet nobis ad Chananæos dux ad bellandum aduerſus eos? 2 Et dixit Dominus: Iudas aſcendet: ecce dedi terram in manu eius. 3 Et dixit Iudas ad Symeon fratrem ſuum: Aſcende mecum in ſortem meam, & inſtruamus exercitum aduerſus Chananæos, & ibo etiam ego tecum in ſortem tuam. Et iuit cũ eo Symeon. 4 Et aſcendit Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manus eorum: & conciderũt eos in Beſec, ad decem millia virorum. 5 Et aſſecuti ſunt Adonibezec in Beſec, & ſtruxerunt aciem aduerſus eum, & conciderunt Chananæum, & Pherezæum. 6 Et fugit Adonibezec: & cucurrerunt poſt eum, & ceperunt eum, & præciderunt ſummitates manuum eius & ſummitates pedum eius. 7 Et dixit Adonibezec: Septuaginta reges ſummitates manuum ſuarum, & ſummitates pedum ſuorũ abſciſi, erant colligentes, quæ ſub menſa mea: ſicut igitur feci, ſic retribuit mihi Deus. Et ducunt eum in Hieruſalem & mortuus eſt ibi. 8 Et oppugnabãt filij Iuda Hieruſalẽ, & ceperunt eã, & percuſſerunt eã in ore gladij, & ciuitatẽ incenderũt in igni. 9 Et poſt hæc deſcenderunt filij Iuda bellare in Chananæum inhabitantem montanam, & Auſtrum, & campeſtrem. 10 Et iuit Iudas ad Chananæum habitantem in Chebron, & exijt Chebron ex aduerſo, & nomen erat Chebrõ, antea Cariath' Arboc Sepher, & percuſſerunt Seſſi, & Achiman, & Tholmi, genimina ipſius Enac: 11 Et aſcẽderunt inde ad habitantes Dabir, nomen autem Dabir erat antea Cariath Sepher, ciuitas litterarum.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

13 Cumque cepiſſet eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam ſuam coniugem.

14 Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus, vt peteret à patre ſuo agrum. Quæ cum ſuſpiraſſet ſedēs in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes?

15 At illa reſpondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguū inferius.

16 Filij autem Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum, cum filijs Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad Meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.

17 Abijt autem Iudas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen vrbis, Horma, id eſt, anathema.

18 Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem, atque Accaron cum terminis ſuis.

19 Fuitque Dominus cum Iuda, & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.

* Nu. 14. 24. Ioſ. 15. 14. 20 Dederuntque Caleb Hebron, * ſicut dixerat Moyſes, qui deleuit ex ea tres filios Enac.

21 Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Beniamin: habitauitque Iebuſæus cum filijs Beniamin in Ieruſalem, vſque in præſentem diem.

22 Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.

23 Nam cum obſiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur:

24 Viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam.

25 Qui cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt.

26 Qui dimiſſus, abijt in terram Hethim, & ædificauit ibi ciuitatem, vocauitque eam Luzam: quæ ita appellatur vſque in præſentem diem.

Ma-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Dixitque Chaleb: Qui percuſſerit Chiriath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Hachſah filiam meam in vxorem.*

13 *Et cepit eam Hothniel filius Chenaz fratris Chaleb, qui minor eo erat, deditque ei Hachſah filiam ſuam in vxorem.*

14 *Et fuit, cum pergeret ipſa inſtigauit eum, vt peteret à patre ſuo agrum. Et deſcendit de aſino, dixitque ei Chaleb: Quid eſt tibi?*

15 *Dixitque ei: Da mihi benedictionem, quia terram aridam dediſti mihi: & da mihi fontes aquarum. Et dedit ei Chaleb fontes ſuperiores, & fontes inferiores.*

16 *Filij autem Cheni ſoceri Moſeh aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filijs Iehudah in deſertum Iehudah, quod eſt in Meridie Harad, & perrexit, & habitauit cum populo.*

17 *Et iuit Iehudah cum Simheon fratre ſuo, & percuſſerunt Chenahanæum habitatorem Sephath & interfecerunt eos. Et vocauit nomen ciuitatis Chormah.*

18 *Cepitque Iehudah Hazzah, & terminum eius, & Aſchelon, & terminum eius, & Hechron, & terminum eius.*

19 *Fuitque Dominus cum Iehudah, & poſſedit montem: non enim poterat expellere habitatores vallis, quia currus ferrei erant eis.*

20 *Dederuntque ipſi Chaleb Chebron, ſicut locutus eſt Moſeh, & expulit inde tres filios Hanac.*

21 *Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalaim non expulerunt filij Biniamin: & habitauit Iebuſæus cum filijs Biniamin in Ieruſalaim vſque ad diem hanc.*

22 *Et aſcenderunt domus Ioſeph, & ipſi in Bethel, & Dominus fuit cum eis.*

23 *Et explorare fecerunt domus Ioſeph, Bethel, & nomen vrbis antea fuit Luz:*

24 *Videruntque cuſtodes virum egredientem ex vrbe, dixeruntque ei: Oſtende nobis quaſo introitum vrbis, & faciemus tecum miſericordiam.*

25 *Et oſtendit eis introitum vrbis, percuſſeruntque vrbem acie gladij: virum autem & omnem familiam eius, dimiſerunt.*

26 *Et perrexit vir in terram Chittim, & ædificauit vrbem, & vocauit nomen eius Luz: hoc eſt nomen eius vſque ad diem hanc.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et dixit Chaleb: Quicumque percuſſerit ciuitatem litterarum, & præoccupauerit eam, dabo ei Aſcha filiam meam in vxorem. 13 Et præoccupauit eam Gothoniel filius Cenez fratris Chaleb, qui iunior, & dedit ei Chaleb Aſcha filiam ſuam in vxorem. 14 Et factum eſt in ingreſſu eius, & incitauit eam Gothoniel ad petendum à patre ſuo agrum. Et murmurauit, & clamauit de ſubiugali, in terrā Auſtri tradidiſti me, & dixit ei Chaleb: Quid eſt tibi? 15 Et dixit ei Aſcha: Da nunc mihi benedictionem, quā in terram Auſtri tradidiſti me: & dabis mihi redemptionem aquæ. Et dedit ei Chaleb, ſm cor eius redemptionem excelſorum, & redemptionem humilium. 16 Et filij Iothor affinis Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarū cū filijs Iuda in deſertū, quod eſt in Auſtro Iuda, quod eſt ſuper deſcenſum Arad, & habitauerunt cum populo. 17 Et iuit Iudas cū Symeon fratre ſuo, & cōcidit Chananæū habitantē Sephet, & exterminauerunt eos. Et vocauit nomen ciuitatis, anathema. 18 Et non hæreditauit Iudas Gazā, neque fines eius, neque Aſcalonē, neque fines eius, & Accaron, neque fines eius, Azotū, neque adiacentia eius. 19 Et erat Dñs cū Iuda, & hæreditauit montem: quā non potuerunt exterminare inhabitantes in valle, quā Rechab obſtitit eis. 20 Et dederunt ipſi Chaleb Chebron, ſicut locutus eſt Moyſes, & hæreditauit inde tres ciuitates filiorū Enac. 21 Et Iebuſæū habitantē in Hieruſalē non hæreditauerunt filij Beniamin: & habitauit Iebuſæus cū filijs Beniamin in Hieruſalē vſque in diē hanc. 22 Et aſcenderunt filij Ioſeph, & vſque ipſi in Bæthel, & Dñs fuit cū eis. 23 Et caſtrametati ſunt, & explorauerunt Bæthel, nomen autē ciuitatis erat antea Luza: 24 Et viderunt, qui obſeruabant, & ecce vir egrediebatur e ciuitate, & ceperunt eū, & dixerunt ei: Oſtende nobis ciuitatis ingreſſum, & faciemus tecū miſericordiam. 25 Et oſtendit eis ingreſſum ciuitatis, & percuſſerunt ciuitatem in ore gladij: virum autem, & cognationem eius dimiſerunt. 26 Et iuit vir in terram Chettin, & ædificauit ibi ciuitatem, & vocauit nomen eius Luza: hoc eſt nomen eius vſque in diem hanc.

Et non

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

27 Manaſſes quoque non deleuit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis, & habitatores Dor, & Ieblaam, Mageddo cum viculis ſuis, cœpitque Chananæus habitare cum eis.

28 Poſtquam autem confortatus eſt Iſrael, fecit eos tributarios, & delere noluit.

29 Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitauit cum eo.

30 Zabulon non deleuit habitatores Cetron, & Naalol: ſed habitauit Chananæus in medio eius, factuſque eſt ei tributarius.

31 Aſer quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob.

32 Habitauitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

33 Nephthali quoque non deleuit habitatores Bethſames, & Bethanath: & habitauit inter Chananæum, habitatorem terræ, fueruntque ei Bethſamitæ, & Bethanitæ tributarij.

34 Arctauitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent:

35 Habitauitque in monte Hares, quod interpretatur teſtaceo, in Aialon, & Salebim. Et aggrauata eſt manus domus Ioſeph, factuſque eſt ei tributarius.

36 Fuit autem terminus Amorrhæi ab Aſcenſu Scorpionis, petra, & ſuperiora loca.

CAP. II.

1 AScenditque Angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris: & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum:

Ita

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et non expulit Menaſſeh Bethſeam, & oppida eius, Tahanach, & oppida eius, & habitatores Dor, & oppida eius, habitatores Ibleham, & oppida eius, & habitatores Meghiddo, & oppida eius, cœpitque Chenahanaus habitare in terra ipſa.*

28 *Et fuit cum roboratus eſſet Iſrael, poſuit Chenahanaum tributarium, ſed expellendo non expulit eum.*

29 *Ephraim autem non expulit Chenahanaum habitantem in Ghazer, ſed habitauit Chenahanaus in medio eius in Ghazer.*

30 *Zebulun non expulit habitatores Chitron, & habitatores Nahalol: ſed habitauit Chenahanaus in medio eius, fueruntque ei tributarij.*

31 *Aſer non expulit habitatores Hacho, & habitatores Sidon, & Achlab, & Achzib, & Chelbah, & Aphic, & Recob:*

32 *Sed habitauit Aſer ita in medio Chenahanai, habitatoris terræ, non enim expulit eum.*

33 *Naphthali non expulit habitatores Bethſemes, & habitatores Bethhanath, ſed habitauit in medio Chenahanæorum habitatorum terræ, & habitatores Bethſemes, & Bethhanath erant eis tributarij.*

34 *Et compulerunt Emorræi filios Dan ad montem, non enim permiſerant eis, vt deſcenderent in vallem:*

35 *Cœpitque Emorræus habitare in monte Cheres in Aialon, & in Sahalbim. Et aggrauata eſt manus domus Ioſeph, & fuerunt tributarij.*

36 *Terminus autem Emorræi erat ab Aſcenſu Scorpionum à petra, & ſupra.*

*CAP. II.*

1 *AScendit autem Angelus Domini de Ghilghal ad Bochim, & dixit: Aſcendere feci vos ex Ægypto, & introduxi vos in terram, ſuper quam iuraui patribus veſtris, & dixi: Non irritum faciam pactum meum vobiſcum in æternum:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et non abſtulit Manaſſes Bæthſan, quæ eſt Scytharum ciuitas, neque filias eius, neque adiacentia eius, neque Thanac, neque filias eius, neque habitantes Dor, neque filias eius, neque habitantem Balac, neque adiacentia eius, neque filias eius, neque habitantes Mageddo, neque adiacentia eius, & filias eius, neque habitantes Ieblaâ, neque adiacentia eius, neque filias eius, & cœpit Chananæus habitare in terra hac. 28 Et factum eſt, quando præualuit Iſrael, & fecit Chananæum in tributum, & auferens non abſtulit eum. 29 Et Ephræm non abſtulit Chananæum habitantem in Gazer, & habitauit Chananæus in medio eius in Gazer, & factus eſt in tributum. 30 Et Zabulon non abſtulit habitantes Cedron, neque habitantes Domana: & habitauit Chananæus in medio eorum, & factus eſt ei in tributum. 31 Et Aſer non abſtulit habitantes Ancho & factus eſt ei in tributû, & habitantes Dor, & habitantes Sidona, & habitâtes Dalaph, Aſchazi, & Chebda, & Nai, & Ereo: 32 Et habitauit Aſer in medio Chananæi habitâtis terrâ, qm̃ non potuit auferre eum. 33 Et Nephthali nô abſtulit habitâtes Bæthſamys & habitantes Bæthanac: & habitauit Nephthali in medio Chananæi habitantis terram, habitantes autem Bæthſamys, & Bætheneth facti ſunt eis in tributum. 34 Et contribulauit Amorrhæus alios Dan in monte, quoniam non permiſerunt eum deſcendere in vallem: 35 Et cœpit Amorrhæus habitare in monte teſtaceo (in quo vrſi, & in quo vulpes) in Myrſinoni, & in Thalabin. Et grauata eſt manus domus Ioſeph ſuper Amorrhæum, & factus eſt eis in tributum. 36 Et terminus Amorrhæi ab Aſcenſu Actabin à petra, & ſupra.

CAP. II.

ET aſcendit Angelus Domini ſuper Clauthmona, & ſuper Bæthel, & ſuper domum Iſrael, & dixit ad eos: Hæc dicit Dominus: Aſcendere vos feci de Ægypto, & induxi vos in terram, quam iuraui patribus veſtris, & dixi: Non diſſipabo teſtamentum meum, quod vobiſcum, in ſæculum:



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Ita dumtaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, ſed aras eorum ſubuerteretis: & noluiſtis audire vocem meam: cur hoc feciſtis?

3 Quam ob rem nolui delere eos à facie veſtra: vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.

4 Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael: eleuauerunt ipſi vocem ſuã, & fleuerunt.

5 Et vocatum eſt nomen loci illius: Locus flentium, ſiue lachrymarum: immolaueruntque ibi hoſtias Domino.

* Ioſ. 24. 28.

6 * Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſrael vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam:

7 Seruieruntque Domino cunctis diebus eius, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrael.

8 Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun famulus Domini, centum & decem annorum:

9 Et ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare in monte Ephraim, à Septentrionali plaga montis Gaas.

10 Omniaque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſrael.

11 Feceruntque filij Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim.

12 Ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: & ſecuti ſunt deos alienos, deoſque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos: & ad iracundiam concitauerunt Dominum:

13 Dimittentes eum, & ſeruientes Baal, & Aſtaroth.

14 Iratuſque Dominus contra Iſrael, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere aduerſarijs ſuis:

15 Sed quocumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt, & iurauit eis: & vehementer afflicti ſunt.

16 Suſcitauitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt:

For-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et vos non ferietis pactum cum habitatoribus terræ huius, altaria eorum diruetis: & non obediſtis voci meæ: cur hoc feciſtis?*

3 *Et etiam dixi: Non expellam eos à facie eorum: ſed erunt vobis in lateribus, & dij eorum erunt vobis laqueus.*

4 *Et fuit, cum loqueretur Angelus Domini verba hæc ad omnes filios Iſrael, leuauerunt populus vocem ſuam, & fleuerunt.*

5 *Vocaueruntque nomen loci ipſius: Bochim, & immolauerunt ibi Domino.*

6 *Dimiſit autem Iehoſuah populum, & abierunt filij Iſrael vnuſquiſque ad hæreditatem ſuam, ad poſſidendum terram:*

7 *Seruieruntque populus Domino omnibus diebus Iehoſuah, & omnibus diebus ſeniorum, qui prolongauerunt dies poſt Iehoſuah, & qui viderũt omne opus Domini magnum, quod fecit Iſraeli.*

8 *Mortuus eſt autem Iehoſuah filius Nun ſeruus Domini, centum & decem annorum:*

9 *Sepelieruntque eum in termino hæreditatis eius in Timnathcheres, in monte Ephraim ab Aquilone montis Ghahas.*

10 *Et etiam omnis generatio illa congregata eſt ad patres ſuos: ſurrexitque generatio alia poſt eos, quæ non nouerunt Dominum, & etiã opus, quod fecit Iſraeli.*

11 *Feceruntque filij Iſrael malum in oculis Domini, ſeruieruntque Behalim.*

12 *Et dereliquerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos è terra Ægypti: & iuerunt poſt deos alienos, ex dijs populorum, qui erant in circuitu eorum: & incuruauerunt ſe eis, & irritauerunt Dominum:*

13 *Dereliquerunt Dominum, & ſeruierunt Bahal, & Aſtaroth.*

14 *Et iratus eſt furor Domini contra Iſrael, & tradidit eos in manu diripientium: & diripuerunt eos, & vendiderunt eos in manu inimicorum eorum in circuitu: & non potuerunt vltra ſtare coram inimicis ſuis:*

15 *Quocumque egrediebantur, manus Domini erat contra eos in malum, ſicuti locutus eſt Dominus, & ſicut iurauit Dominus eis, & anguſtijs affecti ſunt valdè.*

16 *Suſcitauit autem Dominus iudices, & ſeruauerunt eos è manu diripientium eos: & etiam iudices ſuos non audierunt:*

*Sed*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et vos non diſponetis teſtamentum ijs, qui ſedent in terra hac, neque deos eorum adorabitis, ſed ſculptilia eorum contereris, altaria eorum deſtruetis: & non exaudiſtis vocem meam: quoniam hæc feciſtis? 3 Et ego dixi: Non auferam eos à facie veſtra: & erunt vobis in anguſtias, & dij eorum erunt vobis in ſcandalum. 4 Et factum eſt, poſtquam locutus eſt Angelus Domini verba hæc ad omnes filios Iſrael: & eleuauerunt populus vocem ſuam, & plorauerunt. 5 Et cognominauerunt nomen loci illius: Clauthmones, id eſt, plorationes: & ſacrificauerunt ibi Domino. 6 Et dimiſit Ieſus populum, & venit vir ad hæreditatem ſuam hæreditare terram: 7 Et ſeruiuit populus Domino omnes dies Ieſu, & omnes dies ſeniorum, qui prolongauerunt dies cum Ieſu, quicumque cognouerunt omne opus Domini magnum, quæcumque fecit in Iſrael. 8 Et mortuus eſt Ieſus filius Naue ſeruus Domini, filius centum decem annorum: 9 Et ſepelierunt eum in termino hæreditatis eius in Thamnathares in monte Ephraim ab Aquilone montis Gaas. 10 Et omnis generatio illa appoſiti ſunt ad patres ſuos: & ſurrexit generatio altera poſt eos, qui non ſcierunt Dominum, & opus, quod fecerat in Iſrael. 11 Et fecerunt filij Iſrael malignum coram Domino, & ſeruierunt Baalim. 12 Et dereliquerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxit eos de terra Ægypti: & ambulauerunt poſt deos alios de dijs gentiũ, quæ in circuitu eorum, & adorauerunt eos: & exacerbarunt Dominum: 13 Et dereliquerunt eum, & ſeruierunt Baal, & Aſtartibus. 14 Et iratus eſt furore Dominus in Iſrael, & tradidit eos in manus prædantium, & deprædati ſunt eos: & vendidit eos in manibus inimicorum ſuorum in circuitu: & non potuerunt vltra reſiſtere ad faciem inimicorum ſuorum: 15 In omnibus, in quibus ibant, & manus Domini erat ſuper eos in mala, ſicut locutus eſt Dominus, & ſicut iurauit Dominus eis: & contribulauit eos valde. 16 Et ſuſcitauit Dominus iudices, & ſaluauit eos Dominus de manu deprædantium eos: ac ne iudicibus quidem obedierunt:

Quo-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

17 Fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos. Cito deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

18 Cumque Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium.

19 Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quàm fecerant patres eorū, ſequentes deos alienos, ſeruiētes eis, & adorantes illos. Non dimiſerunt adinuentiones ſuas, & viā duriſſimam, per quam ambulare conſueuerunt.

20 Iratuſque eſt furor Domini in Iſrael, & ait: Quia irritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempſit:

21 Et ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt:

22 Vt in ipſis experiar Iſrael, vtrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non.

23 Dimiſit ergo Dominus omnes nationes has, & cito ſubuertere noluit, nec tradidit in manus Ioſue.

### CAP. III.

1 HÆ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum:

2 Vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi:

3 Quinque ſatrapas Philiſtinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Heuæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon vſque ad introitum Emath.

4 Dimiſitque eos, vt in ipſis experiretur Iſraelem, vtrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non.

5 Itaque filij Iſrael habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi:

6 Et duxerunt vxores filias eorum, ipſique filias ſuas filijs eorum tradiderunt, & ſeruierunt dijs eorum.

7 Feceruntque malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim, & Aſtaroth.

Ira-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Sed fornicati ſunt poſt deos alienos, & incuruauerūt ſe eis. Receſſerunt cito de via per quam ambulauerant patres eorum, vt audirent præcepta Domini, non fecerunt ſic.*

18 *Et cum ſuſcitaret Dominus eis iudices, erat Dominus cum iudice, & ſeruabat eos è manu inimicorum eorum omnibus diebus iudicis, miſerebatur enim Dominus gemitus eorum propter oppreſſores eorum, & coarctatores eorum.*

19 *Et erat mortuo iudice, reuertebantur, & corrumpebantur magis, quam patres eorum, vt irent poſt deos alienos ſeruiendo eis, & incuruando ſe eis. Non cadere faciebant de actibus ſuis, & de via ſua dura.*

20 *Et iratus eſt furor Domini contra Iſrael, & dixit: Pro eo quòd tranſgreſſi ſunt gens iſta pactum meum, quod præcepi patribus eorum, & non obedierunt voci meæ:*

21 *Ego non addam expellere quemquam à facie eorum de gentibus quas dimiſit Iehoſuah, & mortuus eſt:*

22 *Vt tentem per eas Iſrael, vtrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent per eam, ſicut ſeruauerunt patres eorum, an non.*

23 *Et dimiſit Dominus gentes iſtas, vt non expelleret eas cito, & non tradidit eas in manu Iehoſuah.*

### CAP. III.

1 *ISta autem ſunt gentes, quas dimiſit Dominus, vt tentaret per eas Iſrael, omnes qui non nouerant omnia bella Chenahan:*

2 *Tantum vt ſcirent generationes filiorū Iſrael docere eos bellum, tantum qui antea non cognouerant ea:*

3 *Quinque ſatrapas Peliſtim, omnemque Chenahanæum, & Sidonium, & Chiuæum habitantem in monte Libano, à monte Bahal Chermon vſque ad introitum Chamath.*

4 *Fueruntque vt tentaret per eas Iſrael, vt ſciret vtrum audirent præcepta Domini, quæ præcepit patribus eorum per manum Moſeh.*

5 *Et filij Iſrael habitauerunt in medio Chenahanæi, Chittæi, & Emorræi, & Perizæi, & Chiuæi, & Iebuſæi:*

6 *Acceperuntque filias eorum ſibi in vxores, & filias ſuas dederunt filijs eorum, ſeruieruntque dijs eorū.*

7 *Fecerunt autem filij Iſrael malum in oculis Domini, oblitique ſunt Domini Dei ſui, & ſeruierunt Behalim, & Lucis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Quoniam exfornicati ſunt poſt deos alios, & adorauerunt eos. Et declinauerunt cito de via, qua ambulauerūt patres eorum ad exaudiendum verba Dñi: non fecerunt ita. 18 Et quia ſuſcitabat Dñs eis Indices, & fuit Dñs cum iudice, & ſaluauit eos de manu inimicorum eorum omnes dies iudicis, qm̄ flectebatur Dñs à gemitu eorum à facie obſidentium eos, & contribulantium eos. 19 Et factum eſt, poſtquam mortuus eſt iudex, & reuerterunt, & iterum corruperunt ſuper patres ſuos eundo poſt deos alios, ad ſeruiendum illis, & adorandum illos. Non abiecerunt ſtudia ſua, & vias ſuas duras. 20 Et iratus eſt furore Dominus in Iſrael, & dixit: Pro ijs, quanta dereliquerunt gens hæc teſtamentum meum, quod mandaui patribus eorum, & non obedierunt voci meæ: 21 Et ego non apponam auferre virum à facie ipſorum de gentibus, quos reliquit Ieſus filius Naue: 22 Et dimiſit ad tentandum in eis Iſrael, ſi obſeruarent viam Domini ire in ea, quemadmodum cuſtodierunt patres eorum, an non. 23 Et dimittet Dominus gentes has, vt non auferat illas celeriter, & non tradidit eas in manu Ieſu.

### CAP. III.

ET hæ gentes, quas reliquit Dominus eas, vt tentaret in eis Iſrael, omnes, qui neſcierunt bella Chanaan: 2 Tantum propter generationes filiorum Iſrael, vt doceret illos bellum, verum, qui ante illos, neſcierunt illa: 3 Quinque ſatrapias alienigenarum, & omnem Chananæum & Sidonium, & Euæum inhabitantem Libanum à monte Æermon vſque Laboemath. 4 Et factum eſt, vt tentaret in ipſis Iſrael, ad ſciendum, ſi audirent mandata Domini, quæ mandauit patribus eorum in manu Moyſi. 5 Et filij Iſrael habitauerunt in medio Chananæi & Chettæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Euæi, & Iebuſæi: 6 Et acceperunt filias eorum ſibi ipſis in vxores, & filias ſuas dederunt filijs eorum, & ſeruierunt dijs eorum. 7 Et fecerunt filij Iſrael malum ante Dominum, & obliti ſunt Domini Dei ſui, & ſeruierunt Baalim, & Lucis.

## Vulgat. Editio.

8 Iratuſque contra Iſrael Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis.

9 Et clamauerunt ad Dominum: qui ſuſcitauit eis ſaluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem:

10 Fuitque in eo ſpiritus Domini, & iudicauit Iſrael. Egreſſuſque eſt ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chuſan Raſathaim regem Syriæ, & oppreſſit eum.

11 Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt Othoniel filius Cenez.

12 Addiderunt autem filij Iſrael facere malum in cõſpectu Domini: qui confortauit aduerſum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conſpectu eius.

13 Et copulauit ei filios Ammon, & Amalec: abijtque & percuſſit Iſrael, atque poſſedit Vrbem palmarum.

14 Seruieruntque filij Iſrael Eglon regi Moab decem & octo annis:

15 Et poſtea clamauerunt ad Dominum: qui ſuſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aod, filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Miſeruntque filij Iſrael per illum munera Eglon regi Moab.

16 Qui fecit ſibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.

17 Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon craſſus nimis.

18 Cumque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant.

19 Et reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te ò Rex. Et ille imperauit ſilentium: egreſſiſque omnibus, qui circa eum erant:

20 Ingreſſus eſt Aod ad eum: ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno.

21 Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eã in ventre eius.

22 Tam valide, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladiũ, ſed ita vt percuſſerat, reliquit in corpore: ſtatimq; per ſecreta naturæ alui ſtercora proruperũt.

Aod

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 Et iratus eſt furor Domini contra Iſrael, & vendidit eos in manu Chuſcan Riſhathaim regis Aram Naharaim, ſeruieruntque filij Iſrael Chuſcan Riſhathaim octo annos.

9 Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum: ſuſcitauitque Dominus ſeruatorem filijs Iſrael, & ſeruauit eos Hothniel filius Chenaz fratris Chaleb minoris illo:

10 Et fuit ſuper eum ſpiritus Domini, & iudicauit Iſrael. Egreſſuſque eſt ad bellũ, tradiditq; Dominus in manu eius Chuſcan Riſhathaim regẽ Aram, & roborata eſt manus eius ſuper Chuſcan Riſhathaim.

11 Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt Hothniel filius Chenaz.

12 Et addiderunt filij Iſrael, vt facerent malum in oculis Domini: & confortauit Dominus Heglon regem Moab contra Iſrael: propterea quòd fecerant malum in oculis Domini.

13 Et congregauit ad ſe filios Hammon, & Hamalec: & iuit, & percuſſit Iſrael, & poſſederunt Vrbem palmarum.

14 Seruieruntque filij Iſrael Heglon regi Moab octo, & decem annos:

15 Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum: ſuſcitauitque Dominus eis ſeruatorem Ehud filium Ghera filij Iemini, virum qui dextera manu nihil efficiebat, ſed ſiniſtra. Miſeruntque filij Iſrael munus per manum eius Heglon regi Moab.

16 Et fecit ſibi Ehud gladium, & ei erant duæ acies cubitus longitudo eius, & accinxit ſe eo ſub veſte ſua ſuper femur dextrum ſuum.

17 Obtulitque munus Heglon regi Moab, Heglon autem erat vir craſſus valde.

18 Et fuit, oblato munere, dimiſit populum qui detulerat munus.

19 Ipſe autem reuerſus eſt à Lapidicinis, quæ erant in Ghilghad, & dixit: Verbum ſecretum eſt mihi ad te ò Rex. Et dixit: Sile, & egreſſi ſunt ab eo omnes, qui ſtabant iuxta eum:

20 Et Ehud ingreſſus eſt ad eum: ipſe autem ſedebat in cœnaculo æſtiuo, quod erat ei ſoli, dixitque Ehud, Verbum Dei mihi eſt ad te. Et ſurrexit de ſolio.

21 Miſitq; Ehud manum ſiniſtram ſuam, & tulit gladiũ à femore dextro ſuo, & infixit eũ in vẽtrẽ eius.

22 Et ingreſſus eſt etiam capulus poſt ferrum, & clauſit ſe adeps propter ferrum. Non enim exiverat gladius è ventre eius, & exiuit ſtercus.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et iratus eſt furore Dominus in Iſrael,& vendidit eos in manu Cuſarſathæm regis Syriæ fluminum,& ſeruie-
runt filij Iſrael Cuſarſathæm annos octo. 9 Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum: & excitauit Dominus
ſaluatorem Iſrael,& ſaluauit eos,Gothoniel filium Cenez fratris Chaleb minorem ſuper ipſum: 10 Et factus
eſt ſuper eum ſpiritus Domini,& iudicauit Iſrael. Et exijt ad bellum aduerſus Chuſarſathæm,& tradidit Dñs in
manu eius Cuſarſathæm,regem Syriæ fluminum,& præualuit manus eius ſuper Cuſarſathæm. 11 Et quieuit
terra annos quadraginta,& mortuus eſt Gothoniel filius Cenez. 12 Et adiecerunt filij Iſrael facere malum in
conſpectu Domini: & confortauit Dominus Eglom regem Moab ſuper Iſrael: eo quod ipſi fecerant malum ante
Dominum. 13 Et congregauit ad ſe omnes filios Ammon,& Amalec: & iuit, & percuſſit Iſrael,& hæreditauit
ciuitatem palmarum. 14 Et ſeruierunt filij Iſrael Eglom regi Moab annos decem octo: 15 Et clamaue-
runt filij Iſrael ad Dominum: & ſuſcitauit eis ſaluatorem Aod filium Gera filium Iemeni virum ambidexterũ.
Et miſerunt filij Iſrael munera in manu eius Eglom regi Moab. 16 Et fecit ſibi Aod gladium habentem duo
ora,palmi longitudo eius & accinctus eſt eo ſub ſago ſuper femur ſuum dextrum. 17 Et iuit,& attulit munera
Eglom regi Moab.Et Eglom vir vrbanus valde. 18 Et factum eſt, poſtquam conſummauit Aod offerens mu-
nera,& dimiſit ferentes munera. 19 Et ipſe reuerſus eſt à ſculptilibus,quæ cum Galgal, & dixit Aod: Verbum
occultum mihi eſt ad te Rex.Et dixit Eglom ad eum: Tace,& dimiſit à ſe omnes,qui aſtabant ſuper eũ: 20 Et
Aod intrauit ad eum: & ipſe ſedebat in cœnaculo æſtiuo ſuo prorſus ſolus,& dixit Aod: Verbum Dei mihi ad te
Rex.Et exurrexit Eglom de throno prope eum. 21 Et factũ eſt ſimul,dum ille ſurgeret,& extendit Aod manum
ſiniſtrã ſuã,& ſumpſit gladiũ deſuper femore ſuo dextro,& infixit illũ in ventre eius. 22 Et ſuper immiſit etiam
capulum poſt flammam,& concluſit adeps ſuper flammam.Quoniam non extraxit gladium e ventre eius.

Et exijt

## Vulgata Editio.

23 Aod autem clauſis diligentiſſime oſtijs cœnaculi, & obfirmatis ſera:
24 Per poſticum egreſſus eſt. Seruique regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forſitan purgat aluum in æſtiuo cubiculo.
25 Expectanteſque diu donec erubeſcerent, & videntes, quod nullus aperiret, tulerunt clauem: & aperientes inuenerunt Dominum ſuum in terra iacentem mortuum.
26 Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertranſijt Locum idolorum, vnde reuerſus fuerat. Venitque in Seirath:
27 Et ſtatim inſonuit buccina in monte Ephraim: deſcenderuntque cum eo filij Iſrael: ipſo in fronte gradiente.
28 Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderuntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ tranſmittunt in Moab: & non dimiſerunt tranſire quemquam:
29 Sed percuſſerunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robuſtos, & fortes viros, nullus eorum euadere potuit.
30 Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſrael: & quieuit terra octoginta annis.
31 Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthijm ſexcentos viros vomere: & ipſe quoque defendit Iſrael.

### CAP. IIII.

1 ADdideruntque filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod:
2 * Et tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Aſor: habuitque ducem exercitus ſui nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in Haroſeth gentium.

* 1.Reg.12.9

3 Clamaueruntque filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.
4 Erat autem Debbora propheteſs vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.
5 Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam filij Iſrael in omne iudicium.

Quæ

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et egreſſus eſt Ehud per veſtibulum, & clauſit fores cœnaculi pro ſe, & obfirmauit ſera:*
24 *Ipſe autem egreſſus eſt. Et ſerui eius ingreſſi ſunt, & viderunt, & ecce fores cœnaculi obſeratæ, & dixerunt: Certè ventris deponit onus in cœnaculo æſtiuo.*
25 *Et expectauerunt, donec tardaret: & ecce non aperiebat fores cœnaculi, tuleruntque clauem: & aperuerunt, & ecce Dominus eorum ceciderat in terram mortuus.*
26 *Ehud autem euaſit, dum tardarent illi, & tranſiuit Lapidicinas. Et euaſit in Sehirath:*
27 *Et fuit, dum ingrederetur clanxit tuba in monte Ephraim: deſcenderuntque cum eo filij Iſrael de monte: & ipſe ante eos.*
28 *Dixitque ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos veſtros Moab in manu veſtra. Et deſcenderunt poſt eum, & ceperunt vada Iarden ipſi Moab: & non permiſerunt quemquam tranſire:*
29 *Percuſſeruntque Moab in tempore illo circiter decē millia virorum, virum omnem pinguem, & omnem virum fortem, & non euaſit quiſquam.*
30 *Humiliatuſque eſt Moab in die illa ſub manu Iſrael: & quieuit terra octoginta annis.*
31 *Poſt ipſum autem fuit Samgar filius Hanath, & percuſſit Peliſtim ſexcentos viros ſtimulo bouis, & ſeruauit & ipſe Iſrael.*

### CAP. IIII.

1 *ADdiderunt autem filij Iſrael, vt facerent malū in oculis Domini, & Ehud mortuus erat:*
2 *Et tradidit eos Dominus in manu Iabin regis Chenahan, qui regnauit in Chaſor: & princeps exercitus eius erat Siſera, ipſe autem habitabat in Charoſeth gentium.*
3 *Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum quia nongentos currus ferrei erant ei, & ipſe oppreſſit Iſrael fortiter viginti annis.*
4 *Deborah autem mulier propheteſs vxor Lappidoth iudicabat Iſrael in tempore illo.*
5 *Et ſedebat ſub palma Deborah inter Ramah, & Bethel in monte Ephraim: & aſcendebant filij Iſrael ad eam ad iudicium.*

*Mi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et exijt Aod veſtibulum, & tranſijt obſeruantes, & clauſit ianuas cœnaculi ſuper ſe, & coarctauit: 24 Et ipſe
exijt. Et pueri eius ſuperuenerunt, & ecce ianuæ cœnaculi coarctatæ, & dixerunt: Numquid forte euacuat pedes
ſuos in conclaui æſtiuo. 25 Et ſuſtinuerunt quoadusque erubuerunt, & ecce non eſt, qui aperiat ianuas cœna-
culi, & ſumpſerunt clauim: & aperuerunt, & ecce Dominus eorum prolapſus in terram mortuus. 26 Et Aod
ſaluus euaſit, dum turbabantur, & non erat, qui attenderet ei, & ipſe trāſijt ſculptilia, & euaſit ſaluus in Seirotha.
Et factum eſt poſtquam venit Aod in terram Iſrael: 27 Et cecinit in cornea in monte Ephraim: & deſcenderūt
cum eo filij Iſrael de monte, & ipſe ante eos. 28 Et dixit ad eos: Deſcendite poſt me: quia tradidit *Dñs* Deus
inimicos noſtros ipſam Moab in manu noſtra. Et deſcenderunt poſt eum, & præoccuparunt tranſitus Iordanis ip-
ſius Moab: & non permiſit virum tranſire: 29 Et percuſſerunt ipſam Moab die illa, circiter decem millia virorū,
omnem pinguem, & omnem virum virtutis, & non euaſit ſaluus vir. 30 Et confuſa eſt Moab in die illa ſub ma-
nu Iſrael: & quieuit terra octuaginta annos. 31 Et iudicauit eos Aod, quoadusque mortuus eſt, & poſt eum ſur-
rexit Samegar filius Dinach, & percuſſit alienigenas in ſexcentos viros in vomere boum, & ſaluauit: & ipſe Iſrael.

### CAP. IIII.

ET adiecerunt filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini, & Aod mortuus eſt: 2 Et vendidit filios
Iſrael Dominus in manu Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Aſor: & princeps virtutis eius Siſara, & ipſe
habitabat in Aſiroth gentium. 3 Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum: quoniam nongenti currus
ferrei erant ei, & ipſe vexauit Iſrael imperioſe viginti annos. 4 Et Debbora mulier propheteſſa vxor
Laphidoth. ipſa iudicabat Iſrael in tempore illo. 5 Et ipſa ſedebat ſub palma Debbora inter Rhama,
& inter Bæthel in monte Ephraim: & aſcendebant ad eam filij Iſrael ad iudicium.

## Vulgat. Editio.

6 Quæ miſit, & vocauit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decé millia pugnatorum de filijs Nephthali, & de filijs Zabulon:

7 Ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon, Siſaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.

8 Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.

9 Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes.

10 Qui, accitis Zabulon, & Nephthali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu ſuo.

11 Haber autem Cinæus receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis filijs Hobab, cognati Moyſi: & retenderat tabernacula vſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes.

12 Nunciatumque eſt Siſaræ, quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoem, in montem Thabor:

13 Et congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroſeth gentium ad torrentem Ciſon.

14 Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo.

*Pſal.82.10.* 15 * Perterruitque Dominus Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac: in tantum, vt Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret:

16 Et Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum vſque ad Haroſeth gentium, & omnis hoſtium multitudo vſque ad internecionem caderet.

17 Siſara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Iabin regem Azor & domum Haber Cinæi.

18 Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi: intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Miſitque & vocauit Barac filium Abinoham de Chedes Naphtali: dixitque ad eum: Nonne præcepit Dominus Deus Iſrael, vade, & trahe in montẽ Thabor, & tolle tecum decem millia virorum de filijs Naphthali, & è filijs Zebulun:*

7 *Et traham ad te ad torrentem Chiſon Siſera principem exercitus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius, & tradam eum in manu tua.*

8 *Dixitque ad eam Barac: Si veneris mecum ibo: ſi autem non veneris mecum non ibo.*

9 *Et dixit: Eundo ibo tecum, veruntamen non erit gloria tua in via per quam tu ambulas, quia in manu mulieris tradet Dominus Siſera. Surrexitque Deborah, & perrexit cum Barac in Chedes*

10 *Et congregauit Barac Zebulun, & Naphtali in Chedes, & aſcendit pedibus ſuis cum decem millibus virorum, aſcenditque cum eo Deborah.*

11 *Cheber autem Chenæus ſeparauit ſe à Chain de filijs Chobab ſoceri Moſch: & tetendit tabernaculum ſuum vſque ad quercum in Sabanaim, quæ eſt in Chedes.*

12 *Et nunciauerunt ipſi Siſera, quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoham in montem Tabor:*

13 *Et congregauit Siſera omnem currum ſuum, nongentos currus ferreos, & omnem populum, qui erat ſecum de Charoſeth gentium ad torrentem Chiſon.*

14 *Dixitque Deborah ad Barac: Surge, hæc enim eſt dies in qua tradidit Dominus Siſera in manu tua: nonne Dominus egreſſus eſt ante te? Et deſcendit Barac de monte Thabor, & decem millia virorum poſt eum.*

15 *Et contriuit Dominus Siſera, & omnem currum, & omnia caſtra acie gladij ante Barac, deſcenditque Siſera de curru, & fugit pedibus ſuis:*

16 *Barac autem perſecutus eſt currus, & caſtra vſque Charoſeth gentium, & ceciderunt omnia caſtra Siſera acie gladij, non remanſit vſque ad vnum.*

17 *Siſera autem fugit pedibus ſuis ad tabernaculum Iahel vxoris Cheber Chenæi. Pax enim erat inter Iabin regem Chaſor, & familiam Cheber Chenæi.*

18 *Et egreſſa eſt Iahel in occurſum Siſera, dixitque ad eum: Declina Domine mi: declina ad me, ne timeas. Et declinauit ad eam in tabernaculum, & operuit eum tegumento.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et miſit Debbora, & vocauit Barac filium Abineem e Cades Nephthali: & dixit ad eum: Nõne præcepit Do-
minus Deus Iſrael tibi, & perges ad montem Thabor, & accipies tecum decem millia virorum ex filijs Nephtha-
li, & ex filijs Zabulon: 7 Et inducam ad te torrentem Ciſon ſuper Siſaram principem virtutis Iabin, & currus
eius, & multitudinem eius, & tradam eum in manus tuas. 8 Et dixit ad eã Barac: Si ieris mecũ, ibo: & ſi non
ieris, non ibo, qñ neſcio diem, in qua proſperat Dñs Angelum mecũ. 9 Et dixit: Pergens pergã tecum, verum
cognoſce, quia non erit primatus tuus ſuper viã, quam tu ambulas, qñ in manu mulieris vendet Dñs Siſaram. Et
ſurrexit Debbora, & iuit cum Barac e Cades. 10 Et Barac conclamauit Zabulon, & Nephthali e Cades, & aſcẽ
derunt iuxta pedes eius decem millia virorum, & aſcendit Debbora cum eo. 11 Et Chaber Cinæus ſeceſſerat
à Cainã de filijs Iobab affinis Moyſi: & fixerat tabernaculum ſuum vſque ad quercum rapacium, quæ eſt iuxta
Cedes. 12 Et nunciatum eſt Siſaræ, quia aſcendit Barac filius Abineem in montẽ Thabor: 13 Et vocauit Si-
ſara omnes currus ſuos nongentos currus ferreos, & omnem populum, qui ſecum ab Ariſoth gentium ad torren-
tem Ciſon. 14 Et dixit Debbora ad Barac: Surge, qñ hæc eſt dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manu
tua: quoniam Dominus egredietur ante te. Et deſcendit Barac de monte Thabor, & decem millia virorum poſt
eum. 15 Et paueſecit Dominus Siſaram, & omnes currus eius, & omnia caſtra eius in ore gladij in conſpectu
Barac: & deſcendit Siſara deſuper curru ſuo, & fugit pedibus ſuis: 16 Et Barac perſequens poſt currus, & poſt
caſtra vſque Ariſoth gentium, & ceciderunt omnia caſtra Siſaræ in ore gladij, non remanſit vſque ad vnum.
17 Et Siſara fugit pedibus ſuis ad tabernaculum Iael vxoris Chaber ſodalis Cinæi. Qñ pax erat inter Iabin re-
gẽ Aſor, & inter domũ Chaber Cinæi. 18 Et exijt Iael in occurſum Siſaræ, & dixit ei: Declina Domine mi: de-
clina ad me, ne timeas. Et declinauit ad eam in tabernaculum, & circumuoluit eum indumento.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

19 Dixit ad eam: Da mihi, obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis,& dedit ei bibere,& operuit illum.

20 Dixitque Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi: & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Nũquid hic eſt aliquis? Reſpõdebis: Nullus eſt.

21 Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram: qui ſoporem morti conſocians defecit,& mortuus eſt.

22 Et ecce Barac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaque Iahel in occurſum eius,dixit ei: Veni,& oſtendam tibi virum,quem quæris. Qui cum intraſſet ad eam, vidit Siſaram iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius.

23 Humiliauit ergo Deus in die illo Iabim regẽ Chanaan coram filijs Iſrael:

24 Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.

### CAP. V.

1 CEcineruntque Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die,dicentes:

2 Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum,benedicite Domino.

3 Audite reges, auribus percipite principes: Ego ſum,ego ſum, quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael.

4 Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlique ac nubes diſtillauerunt aquis.

5 Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael.

6 In diebus Samgar filij Anath, diebus Iahel quieuerunt ſemitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios.

7 Ceſſauerunt fortes in Iſrael, & quieuerunt: donec ſurgeret Debbora,ſurgeret mater in Iſrael.

8 Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus, & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael.

9 Cor meũ diligit principes Iſrael:qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini,benedicite Dño.

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Dixitque ad eam: Da bibere mihi, quæſo paululum aquæ,quia ſitius. Et aperuit vtrem lactis,potumque dedit ei,& operuit eum.*

20 *Dixitque ad eam: Sta ad oſtium tabernaculi: & erit ſi quiſpiam ingreſſus fuerit,& interrogauerit te, & dixerit: Eſt ne hic quiſquam? Dices: Non.*

21 *Et tulit Iahel vxor Cheber clauum tabernaculi, & poſuit malleum in manu ſua: & ingreſſa eſt ad eum clam,& infixit clauum in tempus eius,& deſcendit in terram: ipſe autem ſoporatus eſt, & laſſus eſt, & mortuus eſt.*

22 *Et ecce Barac perſequens Siſera: & egreſſa eſt Iahel in occurſum eius,dixitque ei: Veni & oſtendam tibi virum,quem quæris. Et ingreſſus eſt ad eam, & ecce Siſera ceciderat mortuus, & clauus in tempore ipſius.*

23 *Humiliauitque Deus in die ipſo Iabin regem Chenahan coram filijs Iſrael:*

24 *Et ibat manus filiorum Iſrael eundo, & dura erat contra Iabin regem Chenahan,donec exciderent Iabin regem Chenahan.*

### CAP. V.

1 *CEcinit autem Deborah,& Barac filius Abinoham in die illa,dicendo:*

2 *Dum vleiſcitur vltiones in Iſrael, dum ſponte ſe offert populus,benedicite Dominum.*

3 *Audite reges, auribus percipite principes: Ego Domino,ego canam,pſallam Domino Deo Iſrael.*

4 *Domine cum exires è Sehir, dum incederes ex agro Edom,terra concuſſa eſt,etiam cœli ſtillauerunt, etiam nubes ſtillauerunt aquas.*

5 *Montes fluxerunt à facie Domini, iſte Sinai tremuit à facie Domini Dei Iſrael.*

6 *In diebus Samghar filij Hanath, in diebus Iahel ceſſauerunt ſemitæ: & ambulantes per ſemitas, ambulabant per ſemitas tortuoſas.*

7 *Ceſſauerunt villæ abſque muro, & munitione in Iſrael ceſſauerunt: donec ſurrexi Deborah, donec ſurrexi mater in Iſrael.*

8 *Quum elegit deos nouos, tunc fuit bellum in portis: clypeus ſi conſpectus eſt,& lancea in quadraginta millibus in Iſrael.*

9 *Cor meum ad legiſlatores Iſrael: qui voluntarij eſtis in populo benedicite Domino.*

*Equi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et dixit Siſara ad eam: Pota me nunc puſilla aqua,quoniam ſitiui. Et aperuit vtrem lactis,& potauit eum, &
operuit eum. 20 Et dixit ad eam Siſara: Sta nunc ad portam tabernaculi: & erit, ſi vir venerit ad te,
& interrogauerit te,& dixerit: Si eſt hic vir? Et dices: Non eſt. 21 Et ſumpſit Iael vxor Chaber paxillum
tabernaculi, & poſuit malleum in manu ſua: & intrauit ad eum in occulto, & fixit paxillum in tempore
eius,& prolapſus eſt in terram: & ipſe ſoporatus obtenebratus eſt, & perijt. 22 Et ecce Barac perſequens
Siſaram: & exijt Iael in occurſum ei,& dixit ei: Veni,& oſtendam tibi virum, quem tu quæris. Et intrauit
ad eam,& ecce Siſara proiectus mortuus, & paxillus in tempore eius. 23 Et fugauit Deus Iabin regem
Chanaan in die illa ante filios Iſrael: 24 Et pergebat manus filiorum Iſrael pergens, & indurata
ſuper Iabin regem Chanaan,quoadusque exterminauerunt Iabin regem Chanaan.

### CAP. V.

ET cecinerunt Debbora,& Barac filius Abineem in die illa, dicentes: 2 Reuelata eſt reuelatio in Iſ-
rael,dum ſponte ſe offerret populus,benedicite Dominum. 3 Audite reges,& auribus percipite Sa-
trapæ: Canam ego quidem Domino,ego quidem pſallam Domino Deo Iſrael. 4 Domine in exitu tuo in Seir,
dum promoueres tu ex agro Edom,terra commota eſt,& cœlum ſtillauit rores,& nubes ſtillarunt aquã. 5 Mõ-
tes commoti ſunt à facie Domini Heloi,iſte Sina à facie Domini Dei Iſrael. 6 In diebus Samegar filij Anath
in diebus Iael reliquerunt vias: & ambulauerunt diuerticula ambulauerunt vias diſtortas. 7 Defecerunt potẽ-
tes in Iſrael,defecerunt: quoadusque ſurrexit Debbora,quoadusque ſurrexit mater in Iſrael. 8 Elegerũt deos
nouos,tunc expugnauerunt ciuitates principum: clypeus ſi apparuerit,& lancea in quadraginta millibus in Iſrael.
9 Cor meum ad ea,quæ diſpoſita ſunt huic Iſrael: qui ſponte agitis in populo,benedicite Dominum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.

11 Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur iuſtitiæ Domini, & clementia in fortes Iſrael: tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.

12 Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abinoem.

13 Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.

14 Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos ò Amalec: de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.

15 Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti, qui quaſi in præceps, ac barathrũ ſe diſcrimini dedit: diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.

16 Quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos gregum? diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.

17 Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus: Aſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.

18 Zabulon vero & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.

19 Venerunt reges, & pugnauerunt, pugnauerunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.

20 De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.

21 Torrens Ciſon traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Ciſon: conculca anima mea robuſtos.

22 Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.

23 Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius.

24 Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.

25 Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

Si-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Equitantes aſinas cãdidas habitantes iuxta Middin, & ambulantes in via, loquimini.*

11 *Propter ſonitum iaculantium ſagittas inter loca vbi hauritur aqua ibi doceant iuſtitias Domini, iuſtitias villarum eius in Iſrael: tunc deſcenderunt ad portas populus Domini.*

12 *Exurge, exurge Deborah, exurge, exurge, loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende prædã tuam fili Abinoham.*

13 *Tunc dominatus eſt euaſor fortibus populi, Dominus dominatus eſt fortibus.*

14 *De Ephraim radix eorum contra Hamalec, poſt te Biniamin in populis tuis: de Machir deſcenderunt legiſlatores, & de Zebulun trahentes ſtilo ſcribæ.*

15 *Et principes in Iſſachar cum Deborah, & Iſſachar, ſic Barac in vallem miſſus eſt pedibus ſuis: in diuiſionibus Reuben, magni erant cogitabundi cordes.*

16 *Vt quid ſediſti inter duas caulas, vt audires ſibilos gregum? in diuiſionibus Reuben maiores ſcrutatores cordis.*

17 *Ghilhad trans Iarden manſit, & Dan vt quid habitauit in nauibus: Aſer ſedit in portu marium, & in fracturis eius habitabit.*

18 *Zebulun populus probris affecit animam ſuam ad moriendum, & Naphthali ſuper altitudinem agri.*

19 *Venerunt reges pugnauerunt, tunc pugnauerunt reges Chenahan in Tahanach, iuxta aquas Meghiddo, vtile argentum non acceperunt.*

20 *De cælo pugnauerunt ſtellæ, de gradibus ſuis pugnauerunt cum Siſera.*

21 *Torrens Chiſon ſcopauit eos, torrens Chedumim, torrens Chiſon: conculcabit anima mea robuſtum.*

22 *Tunc quaſſata ſunt plantæ equi à ſono pedum, ſono pedum fortium eius.*

23 *Maledicite Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite maledicendo habitatores eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, ad auxilium Domini cum fortibus.*

24 *Benedicetur præ mulieribus Iahel vxor Cheber Chenæi, præ mulieribus in tabernaculo benedicetur.*

25 *Aquam poſtulauit lac dedit, in phiala fortium obtulit butyrum.*

*Ma-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Qui aſcendiſtis ſuper aſinam fœmellam meridie ſedentes ſuper tribunal, & ambulantes ſuper vias confeſſo-
rum ſuper viam narrate. 11 A voce agitantium in medio haurientium aquam, ibi dabunt iuſtitias Domi-
ne iuſtitias auge in Iſrael: tunc deſcendit ad ciuitates populus Domini. 12 Expergiſcere, expergiſcere
Debbora, expergiſcere, expergiſcere, loquere canticum: exurge Barac & captiua captiuitatem tuam filius Abi-
noem. 13 Tunc deſcendit reſiduum fortibus, populus Domini deſcendit ei in potentibus ex me.
14 Ephræm eradicauit eos in Amalec, poſt te Beniamin in populis tuis: in me Machir deſcenderunt perſcrutan-
tes, & de Zabulon trahentes in virga narrationis ſcribæ. 15 Et principes in Iſſachar cum Debbora, & Ba-
rac, ſic Barac in vallibus miſit in pedibus ſuis: in portionibus Ruben, magni, penetrantes corde. 16 Ad quid
ſederunt inter medium digomiæ, ad audiendum ſibilum gregum? in diuiſionibus Ruben magnæ perſcrutatio-
nes cordis. 17 Galaad trans Iordanem, vbi habitauit, & Dan ad quid incolit nauibus: Aſer ſedit ad li-
tus marium, & ſuper exitus eius habitabit. 18 Zabulon populus improperauit animam ſuam in mortem,
& Nephthali venerunt ad altitudines agri ſui. 19 Reges pugnauerunt, tunc pugnauerunt reges Chanaan
in Thanac ſuper aquam Mageddo, munus argenti non acceperunt. 20 De cœlo pugnauerunt ſtellæ: e
ſemitis ſuis pugnauerunt cum Siſara. 21 Torrens Ciſon deuoluit eos, torrens antiquitatum, torrens Ci-
ſon: conculcabit eum anima mea potens. 22 Quando impediti ſunt calcanei equi, feſtinatione
feſtinauerunt fortes eius. 23 Maledicite Meroz dixit Angelus Domini, maledicite: maledictus om-
nis inhabitans eam, quoniam non venerunt in auxilium Domini, in auxilium in potentibus.
24 Benedicatur in mulieribus Iael vxor Chaber Cinæi, à mulieribus in tabernaculis benedicatur.
25 Aquam petijt, lac dedit in phiala, præſtantium attulit butyrum.

Manum

## Vulgat. Editio.

26 Siniſtram manum miſit ad clauum , & dexteram ad fabrorum malleos , percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum , & tempus valide perforans .

27 Inter pedes eius ruit : defecit,& mortuus eſt : voluebatur ante pedes eius,& iacebat exanimis & miſerabilis .

28 Per feneſtram reſpiciens, vlulabat mater eius : & de cœnaculo loquebatur : Cur moratur regredi currus eius ? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius ?

29 Vna ſapientior ceteris vxoribus eius , hæc ſocrui verba reſpondit :

30 Forſitan nũc diuidit ſpolia,& pulcherrima fœminarum eligitur ei : veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur .

31 Sic pereant omnes inimici tui Domine : qui autem diligunt te , ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet , ita rutilent .

32 Quieuitque terra per quadraginta annos .

### C A P. VI.

1 FEcerunt autem filij Iſrael malum in conſpectu Domini : qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis ,

2 Et oppreſſi ſunt valde ab eis . Feceruntque ſibi antra & ſpeluncas in montibus,& munitiſſima ad repugnandum loca .

3 Cumque ſeuiſſet Iſrael, aſcẽdebat Madian & Amalec,ceterique Orientalium nationum :

4 Et apud eos figentes tentoria , ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ : nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael,non oues,non boues,non aſinos .

5 Ipſi enim & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa cõplebant,innumera multitudo hominum, & camelorum,quidquid tetigerant deuaſtantes .

6 Humiliatuſque eſt Iſrael valde in conſpectu Madian .

7 Et clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas .

8 Qui miſit ad eos virum prophetam , & locutus eſt : Hæc dicit Dominus Deus Iſrael : Ego vos feci conſcendere de Ægypto , & eduxi vos de domo ſeruitutis ,

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Manum ſuã ad clauum miſit & dexteram ſuam ad malleum laborantium , & conquaſſauit Siſra : abſcidit caput eius , & perfodit , & tranſiit tempus eius .*

27 *Inter pedes eius incuruatus eſt, cecidit, dormiuit, inter pedes eius curuauit ſe, cecidit vbi curuauit ſe, ibi cecidit vaſtatus .*

28 *Per feneſtram reſpexit, & vlulauit mater Siſra : per cancellum : Cur moratur inquit currus eius, vt veniat , cur tardauerunt pedes quadrigarum eius ?*

29 *Sapientes dominæ eius reſponderunt ei , etiam ipſa reſpondit verba ſua .*

30 *Nonne inuenient, diuident ſpolia, puella, duæ puellæ capiti viri ſpolia diſcolorium ipſi Siſra, ſpolia diſcolorium , polymitum , diſcolor , duo polymita collo ſpolij ?*

31 *Sic pereant omnes inimici tui Domine: diligentes autem eum erunt ſecundum exitum Solis in fortitudine ſua .*

32 *Quieuit autem terra quadraginta annis .*

### C A P. VI.

1 *FEcerunt autem filij Iſrael malum in oculis Domini, & tradidit eos Dominus in manu Midian ſeptem annis .*

2 *Et inualuit manus Midian ſuper Iſrael : A facie Midian fecerunt ſibi filij Iſrael antra quæ eſſent in montibus & ſpeluncas, & munitiones .*

3 *Et erat, ſi ſerebat Iſrael aſcendebat Midian, & Hamalec, & filij Chedem aſcendebant aduerſus eum .*

4 *Et caſtrametabantur aduerſus eos, & vaſtabant fructum terræ , donec venias in Hazzah : & non relinquebant victum in Iſrael , & pecudes , & boues, & aſinos .*

5 *Quia ipſi, & greges eorum aſcendebant, & tabernacula eorum, veniebant que tamquam locuſta in multitudine, & ipſorum, & camelorum eorum, non erat numerus, & veniebant in terram ad deuaſtandũ eã.*

6 *Et attenuatus eſt Iſrael valde, & clamauerunt filij Iſrael ad Dominum .*

7 *Et fuit , cum clamaſſent filij Iſrael ad Dominum propter Midian .*

8 *Miſit Dominus virum prophetam ad filios Iſrael, dixitque ad eos : Sic dixit Dominus Deus Iſrael : Ego aſcendere feci vos ex Ægypto , & eduxi vos è domo ſeruorum .*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Manum ſuam ſiniſtram ad paxillum extendit,& dextram ſuam in malleum laborantium,& malleo terebrauit
Siſaram,perforauit caput eius,& percuſſit,perforauit tempus eius : 27 Inter pedes ipſius deuolutus eſt,ceci-
dit,& dormiuit inter pedes eius : Procumbens cecidit,ſicut procubuit,ibi cecidit expirans . 28 Per fene-
ſtram reſpexit mater Siſaræ , extra feneſtellam : cur erubuit currus eius ? Cur tardauerunt pedes curruum eius ?
29 Sapientes principes eius reſponderunt ad eam & ipſa conuertit ſermones ſuos ſibi . 30 Nonne inuenient
eum diuidentem ſpolia ? miſericors miſerebitur,in caput viri : ſpolia tincturarum ipſi Siſaræ,ſpolia tincturarum
varietatis,ſpolia variatorum ipſa,capiti eius ſpolia . 31 Sic pereant omnes inimici tui Domine,& qui dili-
gunt eum,ſicut exitus ſolis in virtute ſua . 32 Et quieuit terra quadraginta annis .

### C A P. VI.

ET fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu Domini, & tradidit eos Dominus in manu Madiam ſeptem an-
nos : 2 Et inualuit manus Madiam ſuper Iſrael : & fecerunt ſibi filij Iſrael à facie Madiam antra,quæ
in montibus,& ſpeluncas,& penſilia . 3 Et factum eſt,ſi ſeminauerunt filij Iſrael, & aſcendebant Madiam, &
Amalec,& filij Orientis ſimul aſcendebant cum eis . 4 Et caſtrametabantur aduerſus eos,& corrumpebant
fructus eorum, donec venias in Gaza : & non relinquebant ſubſtantiam vitæ in terra Iſrael , neque in gregibus ,
taurum,& aſinum . 5 Quoniam ipſi,& poſſeſſiones eorum aſcendebant,& tabernacula eorum adueniebant,
tamquam locuſta in multitudine,& eis,& camelis eorum non erat numerus: & veniebant in terram Iſrael,& cor-
rumpebant eam . 6 Et mendicauit Iſrael valde à facie Madiam . 7 Et clamauerunt filij Iſrael ad Do-
minum à facie Madiam . 8 Et miſit Dominus virum prophetam ad filios Iſrael,& dixit eis : Hæc dicit Do-
minus Deus Iſrael : Ego ſum,qui eduxi vos de terra Ægypti,& eduxi vos de domo ſeruitutis veſtræ :

Et li-

## Vulgata Editio.

9 Et liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum.
10 Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.
11 Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian,
12 Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.
13 Dixitque ei Gedeon: Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.
14 Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: * Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito quod miſerim te.

* 1.Reg.12. 11.

15 Qui reſpondens ait: Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.
16 Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi vnum virum.
17 Et ille, Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum quod tu ſis qui loqueris ad me.
18 Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium, & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor aduentum tuum.
19 Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes: carneſque ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.
20 Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde. Cumque feciſſet ita,
21 Extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymoſque panes conſumpſit: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.
22 Videnſque Gedeon quod eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 Et erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium opprimentium vos, & expuli eos à facie veſtra, dedique vobis terram eorum.
10 Ac dixi vobis: Ego Dominus Deus veſter: non timeatis deos Emorræorum quorũ vos habitatis in terra, & non obtemperaſtis voci meæ.
11 Venit autem Angelus Domini, & manſit ſub quercu quæ erat in Ophrah, quæ erat ipſi Ioas patris Hezri: Ghidhon autem filius eius excutiebat frumenta in torculari, vt fugeret à facie Midian.
12 Et conſpectus eſt ei Angelus Domini, ac dixit ei: Dominus tecum vir fortis.
13 Dixitque ad eum Ghidhon: Obſecro Domine mi, & eſt Dominus nobiſcum? Et vtquid inuenit nos totum hoc? Et vbi ſunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres noſtri dicendo: Nonne de Ægypto aſcendere fecit nos Dominus? Et nunc dereliquit nos Dominus, tradiditque nos in manu Midian.
14 Reſpexit autem ad eum Dominus & ait: Vade in fortitudine tua hac & ſaluum facies Iſrael de manu Midian: nonne miſi te?
15 Dixitque ad eum: Obſecro Domine mi in quo ſaluum faciam Iſrael? Ecce pater meus pauper eſt in Menaſſeh, & ego minimus in domo patris mei.
16 Dixitque ad eum Dominus: Quia ero tecum, percutieſque Midian tanquam virum vnum.
17 Dixitque ad eum: ſi quæſo inueni gratiam in oculis tuis, fac mihi ſignum quod tu loquaris mecum.
18 Ne quæſo recedas hinc, donec veniam ad te, & educam ſacrificium meum, & ponam coram te, & dixit: Manebo, donec reuertaris.
19 Ghidhon autem ingreſſus eſt, & parauit hædum caprarum, & medium farinæ infermentata carnem poſuit in caniſtro, & ius carnium poſuit in olla, & eduxit ad eum ſub quercu, & acceſſit.
20 Dixitque Angelus Dei ad eum: Tolle carnem & infermentata, & pone in petra illa, & ius carnium effunde, & fecit ſic.
21 Et extendit Angelus Domini ſummitatem baculi qui erat in manu ſua, tetigitque carnem, & infermentata, & aſcendit ignis de petra, & conſumpſit carnem, & infermentata: Angelus autem Domini receſſit ab oculis eius.
22 Et vidit Ghidhon quod Angelus Domini eſſet, & dixit Ghidhon: Heu Domine Deus, quia idcirco vidi Angelum Domini facie ad faciem.

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et liberaui vos de manu Ægypti, & de manu omnium tribulantium vos, & eieci eos à facie veſtra, & dedi vobis terram eorum. 10 Et dixi vobis: Ego Dominus Deus veſter: non timebitis deos Amorræi, in quibus ſedetis in terra eorum, & non exaudiſtis vocem meam. 11 Et venit Angelus Domini, & ſedit ſub terebintho, quæ in Ephratha in terra Ioas patris Ezdri: Et Gedeon filius eius excutiens frumentum in torculari ad effugiendum à facie ipſius Madiam. 12 Et apparuit ei Angelus Domini, & dixit ad eum: Dominus tecum, fortis virtutum. 13 Et dixit ad eum Gedeon: In me Domine mi, & ſi eſt Dñs nobiſcum, ad quid inuenerunt nos mala hæc? Et vbi ſunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres noſtri, dicentes: Nonne ex Ægypto eduxit nos Dñs? & nunc proiecit nos, & dedit nos in manu Madiam. 14 Et reſpexit ad eum Angelus Dñi, & dixit: Vade in fortitudine tua hac, & ſaluabis Iſrael de manu Madiam. Ecce miſi te. 15 Et dixit ad eum Gedeon: In me Dñe mi, in quo ſaluabo Iſrael? ecce chiliasmea infirmata eſt in Manaſſe, & ego ſum minor in domo patris mei. 16 Et dixit ad eum Angelus Domini: Dñs erit tecum, & percuties ipſam Madiam tamquam virum vnum. 17 Et dixit ad eum Gedeon: Si nunc inueni miſericordiam in oculis tuis, & facies mihi hodie omne, quicquid locutus es mecum: 18 Ne ſeceda[s] hinc, quoadusque ego veniam ad te, & proferam ſacrificium & ſacrificabo coram te: & dixit: Ego quidem ſedebo, donec tu reuertaris. 19 Et Gedeon intrauit, & fecit hœdum caprarum, & œphi farinæ, azyma, & carnes impoſuit in cophino, & ius iniecit in ollã, & protulit ea ad eũ ſub terebintho, & appropinquauit. 20 Et dixit ad eũ Angelus Dei: Accipe carnes, & azyma, & pone ad petrã illã, & ius iuxta effunde, & fecit ſic. 21 Et extendit Angelus Dñi ſummum virgæ, quæ in manu ſua, & tetigit carnes, & azymos, & aſcendit ignis de petra, & comedit carnes, & azymos, & Angelus Domini iuit ab oculis eius. 22 Et vidit Gedeon, quoniam Angelus Domini hic eſt: & dixit Gedeon: Ah, ah Domine mi Dñe: quia vidi Angelum Domini, faciem ad faciẽ.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

24 Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax, vſque in præſentem diem. Cumque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri,

25 Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide:

26 Et ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius, ſuper quam ante ſacrificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderís.

27 Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſeruis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere, ſed omnia nocte compleuit.

28 Cumque ſurrexiſſent viri oppidi eius mane, viderunt deſtructam aram Baal, lucumque ſucciſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat.

29 Dixeruntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.

30 Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur: quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus.

31 Quibus ille reſpondit: Numquid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo? qui aduerſarius eſt eius, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.

32 Ex illo die vocatus eſt Gedeon, Ierobaal, eo quòd dixiſſet Ioas: Vlciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram eius.

33 Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati ſimul: & tranſeuntes Iordanem, caſtrametati ſunt in valle Iezrael.

34 Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt ſequeretur ſe.

35 Miſitque nuncios in vniuerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuncios in Aſer & Zabulon & Nephthali, qui occurrerunt ei.

36 Dixitque Gedeon ad Deum: Si ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es,

Po-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Dixitque ei Dominus: Pax tibi, ne timeas, non morieris.*

24 *Et ædificauit ibi Ghidhon altare Domino, & vocauit illud Adonai Salom vſque ad diem hanc. Adhuc eſt in Hophrath patris Hezri.*

25 *Et fuit, in nocte ipſa dixit ei Dominus: Tolle iuuencum bouis, qui eſt patri tuo, & iuuencum ſecundum ſeptennem: deſtrueſque altare Bahal, quod eſt patri tuo: & lucum qui eſt iuxta illud ſuccides.*

26 *Et ædificabis altare Domino Deo tuo ſuper verticem arcis ordinata, & tolles iuuencum ſecundum & aſcendere facies holocauſtum cum lignis luci quæ ſuccides.*

27 *Tulitque Ghidhon decem viros de ſeruis ſuis, & fecit quemadmodum locutus eſt ad eum Dominus: & fuit, quia timebat familiam patris ſui, & viros ciuitatis vt faceret in die, fecit in nocte.*

28 *Et ſurrexerunt viri ciuitatis mane, & ecce deſtructum erat altare Bahal, & lucus qui erat iuxta illud ſucciſus erat & iuuencum ſecundum oblatum ſuper altare ædificatum.*

29 *Dixeruntque vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quis fecit hoc? Et quæſierunt, & inueſtigauerunt: & dixerunt: Ghidhon filius Ioas fecit hoc.*

30 *Dixeruntque viri ciuitatis ad Ioas: Educ filium tuum, & moriatur quia diruit aram Bahal, & quia ſuccidit lucum, qui erat iuxta illam.*

31 *Dixitque Ioas omnibus qui ſtabant aduerſum ſe: Numquid litigabitis pro Bahal? num ſaluum facietis eum? Qui litigauerit pro eo morietur vſque mane: ſi Deus eſt, iudicium faciat ſibi quia diruit aram eius.*

32 *Et vocauit eum in die ipſa Ierubbahal dicendo: Litiget cum eo Bahal, quia diruit aram eius.*

33 *Omnis autem Midian, & Hamelech, & filij Chedem congregati ſunt pariter, & tranſierunt, & caſtrametati ſunt in valle Izrehel.*

34 *Spiritus autem Domini induit Ghidhon, & clanxit tuba, & congregatus eſt Abiehezer poſt eum.*

35 *Nūcioſq; miſit in omnē Menaſſeh, & congregatus eſt & ipſe poſt eū, & nuncios miſit in Aſer, & in Zebulū & in Naphthali, & aſcenderunt in occurſum eorum.*

36 *Dixitque Ghidhon ad Deum: Si ſaluas per manum meam Iſrael, quemadmodum locutus es,*

*Ec-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et dixit ei Dominus: Pax tibi, ne timeas: non morieris. 24 Et ædificauit ibi Gedeon altare Domino,
& vocauit ei, pax Domini vſque in diem hanc, adhuc illo exiſtente in Ephratha patris Eſdri. 25 Et fa-
ctum eſt in nocte illa, & dixit ei Dominus: Accipe vitulum, taurum, qui eſt patri tuo, & vitulum ſecundum ſep-
tem annorum: & deſtrues altare ipſius Baal, quod eſt patri tuo, & lucum, qui eſt ſuper illud, exterminabis.
26 Et ædificabis altare Domino Deo tuo ſuper cacumen Maozi huius in ordine: & ſumes vitulum ſecundum,
& offeres holocauſtomata in lignis lucus, quem exterminaſti. 27 Et ſumpſit Gedeon decem viros ex
ſeruis ſuis, & fecit, quemadmodum locutus eſt ad eum Dominus: & factum eſt, ſicut timuit domum patris ſui, &
viros ciuitatis faciendo in die, & fecit nocte. 28 Et diluculo ſurrexerunt viri ciuitatis mane, & ecce
deſtructum erat altare ipſius Baal, & lucus, qui ſuper illud, erat exterminatus: & viderunt vitulum ſecundum,
quem obtulerat ſuper altare ædificatum. 29 Et dixit vir ad proximum ſuum: Quis fecit verbum
hoc? Et inquiſierunt, & inueſtigarunt, & cognouerunt, quia Gedeon filius Ioas fecit verbum hoc.
30 Et dixerunt viri ciuitatis ad Ioas: Profer filium tuum, & moriatur, quoniam deſtruxit altare Baal, & quo-
niam exterminauit lucum, qui ſuper illud. 31 Et dixit Gedeon filius Ioas viris omnibus, qui inſurre-
xerant ei: numquid vos nunc iudicium facitis pro Baal? Aut vos ſaluatis eum? Quicumque iudicium fecerit ei,
morti detur vſque mane: ſi Deus eſt, iudicium faciat ſibi, quoniam deſtruxit altare eius. 32 Et vocauit eum
in die illa Ierobaal, dicens: Iudicet in eum Baal, quia diruit altare eius. 33 Et vniuerſa Madiam, & Amalec,
& filij Orientis cōgregati ſunt in idipſū, & caſtrametati ſunt in valle Iezrael. 34 Et ſpiritus Dñi induit Gedeō: &
cecinit in cornea: & clamauit Abiezer poſt ſe. 35 Et nuncios miſit in oēm Manaſſe, & in Aſer, & in Zabulō, & in
Nephthali: & aſcēdit in occurſū eorū. 36 Et dixit Gedeō ad Deū: Si tu ſaluas i manu mea Iſrael, ſicut locut⁹ es;



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Ponam hoc vellus lanæ in area : ſi ros in ſolo vellere fuerit , & in omni terra ſiccitas , ſciam quod per manum meam , ſicut locutus es , liberabis Iſrael .

38 Factumque eſt ita . Et de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore impleuit .

39 Dixitque rurſus ad Deum : Ne iraſcatur furor tuus contra me ſi adhuc ſemel tentauero , ſignum quærens in vellere . Oro vt ſolum vellus ſiccum ſit , & omnis terra rore madens .

40 Fecitque Deus nocte illa vt poſtulauerat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra .

### CAP. VII.

1 IGitur Ierobaal qui & Gedeon , de nocte conſurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad : erant autem caſtra Madian in valle ad Septentrionalem plagam collis excelſi .

2 Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum eſt populus , nec tradetur Madian in manus eius : ne glorietur contra me Iſrael, & dicat : Meis viribus liberatus ſum

3 Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: * Qui formidoloſus & timidus eſt, reuertatur . Receſſeruntque de monte Galaad, & reuerſi ſunt de populo vigintiduo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt .

* Deut. 20. 8. 1 Mach. 3. 56.

4 Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi vt tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, reuertatur .

5 Cumque deſcendiſſet populus ad aquas , dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas , ſicut ſolent canes lambere , ſeparabis eos ſeorſum : qui autem curuatis genibus biberint , in altera parte erunt .

6 Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proijciente, lambuerant aquas , trecenti viri : omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat .

7 Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian : omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum .

Sum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Ecce ego ſtatuo vellus lanæ in area ſi ros fuerit ſuper vellus tantum , & ſuper totam terram fuerit ſiccitas, ſciam quod ſaluum facies per manum meam Iſrael, quemadmodum locutus es .*

38 *Et fuit ita : & ſurrexit in craſtino , & conſtrinxit vellus , & expreſſit rorem de vellere , plenam phialam aqua .*

39 *Dixitque Ghidhon ad Deum : Ne iraſcatur furor tuus contra me , & loquar tantum ſemel , tentabo nunc tantum ſemel in vellere : ſit quaſo ſiccitas, ſuper vellus tantum, & ſuper totam terram ſit ros .*

40 *Fecitque Deus ſic in nocte ipſa, & fuit ſiccitas ſuper vellus tantum, & ſuper totam terram fuit ros .*

### CAP. VII.

1 *SVrrexit autem Ierubahal ( ipſe eſt Ghidhon) & omnis populus, qui erat cum eo, & caſtrametati ſunt iuxta fontem Charod : caſtra autem Midian erant ſibi ab Aquilone à colle Hammoreh in valle .*

2 *Dixitque Dominus ad Ghidhon : Multus eſt populus qui eſt tecum , vt non tradam Midian in manu eorum, ne forte glorietur contra me Iſrael , dicendo : Manus mea ſalutem fecit mihi .*

3 *Et nunc clama nunc in auribus populi , dicendo : Quis eſt formidoloſus, & pauidus ? Reuertatur : & ſurrexit à monte Ghilhad , & reuerſi ſunt de populo viginti , & duo millia , & decem millia remanſerunt .*

4 *Dixitque Dominus ad Ghidhon: Adhuc populus multus eſt : Fac deſcendere eos ad aquas , & probabo eum tibi ibi : & erit, quem dixero tibi iſte vadat tecum, ipſe perget tecum: & omnis, quem dixero tibi, iſte non vadet tecum, ipſe non ibit .*

5 *Et deſcendere fecit populum ad aquas : Dixitque Dominus ad Ghidhon omnem qui lamberet lingua ſua de aqua, quemadmodum lambit canis, ſtare facies ſeorſum: & omnem qui curuauerit ſe ſuper genua ſua ad bibendum .*

6 *Et fuit numerus lambentium manu ſua ad os ſuum trecenti viri : totum autem reliquum populi incuruauerunt ſe ſuper genua ſua ad bibendum aquam .*

7 *Dixitque Dominus ad Ghidhon : In trecentis viris, qui lambuerunt, ſaluabo vos, Tradamque Midian in manu tua : omnis autem populus vadant quiſque in locum ſuum .*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

37 Ecce ego pono vellus lanæ in area : ſi ros factus fuerit ſuper vellus ſolum, & ſuper vniuerſam terram ſiccitas,
cognoſcam, quia ſaluabis in manu mea Iſrael, ſicut locutus es. 38 Et factum eſt ſic : & ſurrexit diluculo die
craſtina, & expreſſit vellus, & ſtillauit ros de vellere, plena lagæna aquæ. 39 Et dixit Gedeon ad Deum : Ne
iraſcatur nunc furor tuus in me, & loquar adhuc ſemel, tentabo nunc & quidem adhuc ſemel in vellere, & fiat ſiccitas ſuper vellus ſolum, & ſuper vniuerſam terram fiat ros. 40 Et fecit Deus ſic in nocte illa : & facta eſt
ſiccitas ſuper vellus ſolum, & ſuper vniuerſam terram factus eſt ros.

### CAP. VII.

ET diluculo ſurrexit Ierobaal (ipſe eſt Gedeon) & omnis populus cum eo, & caſtrametati ſunt ſuper fontem
Arad, & caſtra Madiam erant ei ab Aquilone à Gabaathmoræ in conualle 2 Et dixit Dñs ad Gedeon: Mul-
tus eſt populus, qui tecum, ita vt non ego traditurus ſim Madiam in manu eorum, ne quando glorietur Iſrael ſu-
per me, dicens: Manus mea ſaluauit me. 3 Et nunc loquere vtique in auribus populi, dicens: Quis eſt timens, &
formidoloſus? reuertatur, & recedat a monte Galaad: & reuerterunt de populo viginti, & duo millia, & remanſe-
runt decem millia. 4 Et dixit Dñs ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt: fac eos deſcendere ad aquam, & emundabo tibi eum illic, & erit quemcumque dixero ad te, hic ibit tecum, ipſe ibit tecum: & omnis, quemcumque
dixero ad te, hic non ibit tecũ, ipſe non ibit tecũ: 5 Et deſcendere fecit populum ad aquã: & dixit Dñs ad Ge-
deon: Omnis, quicumque lambuerit lingua ſua de aqua, tamquã ſi lamberet canis, ſtatues eum ſeorſum, & omnis,
quicumque inclinauerit ſuper genua ſua ad bibendũ. 6 Et factus eſt numerus eorũ, qui lãbuerunt in manu ſua
ad os ſuũ, trecẽti viri: & omne reſiduũ populi procubuerunt ſuper genua ſua ad bibẽdũ aquã. 7 Et dixit Dñs ad
Gedeon: In trecẽtis viris lãbentibus ſaluabo vos, & dabo Madiã in manu tua, & oĩs populus ibũt, vir ad locũ ſuum.

Et ſum-

## Vulgat. Editio.

8 Sumptis itaque pro numero cibarijs & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle.

9 Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi eos in manu tua.

10 Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.

11 Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes. Deſcendit ergo ipſe & Phara puer eius in partem caſtrorum, vbi erant armatorum vigiliæ.

12 Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, ſicut arena quæ iacet in littore maris.

13 Cumque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.

14 Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ: tradidit enim Dominus in manu eius Madian, & omnia caſtra eius.

15 Cumque audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian.

16 Diuiſitque trecentos viros in tres partes & dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas ac lampades in medio lagenarum.

17 Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini.

18 Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite, & conclamate Domino & Gedeoni.

19 Ingreſſuſque eſt Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo in partem caſtrorum, incipientibus vigilijs noctis mediæ, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et tulerunt eſcam populi in manu ſua, & tubas ſuas, & omnem virum Iſrael dimiſit quemque in tabernacula ſua, & trecentos viros retinuit: Caſtra autem Midian erant ei ſubter in valle.*

9 *Et fuit, in nocte ipſa dixit ad eum Dominus: Surge, deſcende in caſtra, quia tradidi ea in manu tua.*

10 *Et ſi times deſcendere, deſcende tu, & Purah puer tuus ad caſtra.*

11 *Et audies quid loquantur, & poſtea confortabuntur manus tuæ, deſcendeſque in caſtra: & deſcendit ipſe, & Purah puer eius ad extremum armatorum, qui erant in caſtris.*

12 *Midian autem, & Hamalech, & omnes filij Chedem iacebant in valle tamquam locuſta in multitudine, & camelorum eorum non erat numerus tamquam arena quæ eſt iuxta littus Maris in multitudine.*

13 *Veniteque Ghidhon, & ecce vir narrabat proximo ſuo ſomnium, & dicebat: Ecce ſomnium ſomniaui, & ecce torta panis hordeacei voluebat ſe in caſtra Midian, & venit vſque ad tabernaculum, & percuſſit illud, & cadere fecit, & ſubuertit illud deſuper, & cecidit tabernaculum.*

14 *Et reſpondit proximus eius, & ait: Non eſt hoc niſi gladius Ghidhon filij Ioas viri Iſrael, dedit Deus in manu eius Midian, & omnia caſtra.*

15 *Et fuit cum audiſſet Ghidhon narrationem ſomnij, & interpretationem eius, adorauit: & reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manu veſtra caſtra Midian.*

16 *Diuiſitq; trecentos viros in tria capita, & dedit tubas in manu omnium eorum, hydriaſque vacuas & lampades in medio hydriarum.*

17 *Dixitque ad eos: Ex me videbitis, & ſic facietis: & ecce ingredior extremum caſtrorum, & erit, quemadmodum faciam, ſic facietis.*

18 *Clangamque tuba, & omnis qui erit mecum, & clangetis tubis etiam vos per circuitus omnium caſtrorum: diceti ſque Domino, & Ghidhon.*

19 *Et ingreſſus eſt Ghidhon, & centum viri, qui erant ſecū in extremū caſtrorum, in caput vigiliæ mediæ, tantum ſuſcitando ſuſcitauerunt cuſtodes, & clanxerunt tubis, & collidendo hydrias quæ erant in manibus eorum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et ſumpſerunt cibaria populi in manu ſua, & corneas ſuas, & omnem virum Iſrael dimiſit, virum in tabernacu-
lum eius, & trecentos viros confortauit: & caſtra Madiam erant de ſubter eius in conualle.
9 Et factum eſt in nocte illa, & dixit ad eum Dominus: Exurge, deſcende in caſtra, quoniam tradidi ea in manu
tua. 10 Et ſi times tu deſcendere, deſcende tu, & Phara puer tuus in caſtra: 11 Et audies,
quid loquentur: & poſt hoc inualeſcent manus tuæ, & deſcendes in caſtra, & deſcendit ipſe, & Phara puer eius
ad principium ipſorum quinquaginta, qui erant in caſtris. 12 Et Madiam, & Amalec, & omnes filij
Orientis iacentes in valle, ſicut locuſta in multitudine, & camelis eorum non erat numerus, ſed erant velut are-
na, quæ eſt ad labium Maris, in multitudine. 13 Et venit Gedeon, & ecce vir narrans proximo ſuo
ſomnium, & dixit: Ecce ſomniaui ſomnium, & ecce menſa panis hordeacei voluens ſe in caſtra Madiam & venit
vſque ad tabernaculum, & percuſſit illud, & cecidit, & ſubuertit illud deſuper, & cecidit tabernaculum.
14 Et reſpondit proximus eius, & dixit: Non eſt hæc, niſi gladius Gedeon filij Ioas, viri Iſrael: tradidit Deus in
manu eius Madiam, & vniuerſa caſtra. 15 Et factum eſt, poſtquam audiuit Gedeon narrationem ſom-
nij, & interpretationem eius, & adorauit Dominum, & reuertit in caſtra Iſrael, & dixit: Surgite, quoniam tradidit
Dominus in manu noſtra caſtra Madiam. 16 Et diuiſit trecentos viros in tria principia, & dedit cor-
neas in manu omnium, & hydrias vacuas, & lampades in hydrijs, & dixit ad eos: 17 Ex me videbitis, & ſic fa-
cietis, & ecce ego ingredior in principium caſtrorum, & erit, ſicut vtique fecero, ſic facietis. 18 Et canam
in cornea ego, & omnes mecum canetis in corneis in circuitu omnium caſtrorum, & dicetis, Domino, & ipſi Ge-
deon. 19 Et intrauit Gedeon, & centum viri, qui cum eo in principium caſtrorum, in principio cuſtodiæ
mediæ, & excitantes excitarunt cuſtodes, & cecinerunt in corneis, & excuſſerunt hydrias, quæ in manibus eorum:

Et ce-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

20 Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaueruntque Gladius Domini, & Gedeonis:

21 Stantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium. Omnia itaque caſtra turbata ſunt: & vociferantes, vlulantesque fugerunt:

22 Et nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes. * Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant,

*Pſal. 82.13

23 Fugientes vſque ad Bethſetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Iſrael de Nephthali, & Aſer, & omni Manaſſe perſequebantur Madian.

24 Miſitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas vſque Bethbera atque Iordanem. Clamauitque omnis Ephraim, & præoccupauit aquas atque Iordanem vſque Bethbera.

25 * Apprehenſoſque duos viros Madian, Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in Torculari Zeb. Et perſecuti ſunt Madian, capita Oreb, & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

*Pſal. 82.10 Iſa. 10.16.

### CAP. VIII.

1 Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.

2 Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? nonne melior eſt racemus Ephraim, vindemijs Abiezer?

3 In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cum locutus eſſet, requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.

4 Cumque veniſſet Gedeon ad Iordanem, tranſiuit eum cum trecentis viris, qui ſecum erant: & præ laſſitudine, fugientes perſequi non poterant.

5 Dixitque ad viros Soccoth: Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerunt: vt poſſimus perſequi Zebee, & Salmana reges Madian.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Et clanxerunt tria capita tubis, & fregerunt hydrias: tenueruntque manu ſiniſtra ſua lampades, manu vero dextera ſua tubas ad clangendum: clamaueruntque, gladius Domino, & Ghidhon.*

21 *Steteruntque quiſque in loco ſuo per circuitum caſtrorum, & confracta ſunt omnia caſtra, & vociferati ſunt, fugeruntque.*

22 *Clanxeruntque trecenti tubis: & poſuit Dominus gladium vniuſcuiuſque in proximum ſuum, & in omnia caſtra.*

23 *Fugeruntque omnia caſtra vſque ad Bethhaſittah in Seredath vſque ad limitem Abelmecholah ad Serrathab, & congregatus eſt vir Iſrael de Naphthali, & de Aſer, & de omni Menaſſeh, & perſecuti ſunt Midian.*

24 *Nunciosque miſit Ghidhon in omnem montem Ephraim dicendo: Deſcendite in occurſum Midian, & capite eis aquas vſque ad Bethbarah, & Iarden, & congregatus eſt omnis vir Ephraim, & ceperunt aquas vſque ad Bethbarah, & Iarden.*

25 *Et comprehenderunt duos principes Midian Horeb & Zeeb, & interfecerunt Horeb in Petra Horeb, & Zeeb occiderunt in torculari Zeeb, & perſecuti ſunt Midian: caput autem Horeb & Zeeb attulerunt ad Ghidhon trans Iarden.*

### CAP. VIII.

1 *Dixerunt autem ad eum viri Ephraim: Cur hoc feciſti nobis, vt non vocares nos, cum pergeres ad pugnandum contra Midian? & iurgauerunt ſecum fortiter.*

2 *Dixitque ad eos: Quid feci nunc ſicut vos? nonne melior eſt racemus Ephraim vindemia Abiezer.*

3 *In manu veſtra tradidit Deus principes Midian Horeb & Zeeb, & quid potui facere ſicut vos? tunc lenijt ſe ſpiritus eorum ab eo, quando locutus eſt verbum hoc.*

4 *Et venit Ghidhon ad Iarden tranſiens ipſe, & trecenti viri qui erant ſecum laſſi, & perſequentes.*

5 *Dixitque viris Succoth: Date obſecro tortas panis populo qui eſt cum pedibus meis, quia laſſi ſunt: Ego autem perſequor Zebach, & Salmunnah reges Midian.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et cecinerunt tria principia in corneis, & contriuerunt hydrias, & tenuerunt in manibus ſiniſtris ſuis lampa-
des, & in manibus dextris ſuis corneas ad clangendum, & exclamauerunt, Gladius Domino, & ipſi Gedeon.
21 Et ſtetit vir ſuper ſe in circuitu caſtrorum, & cucurrerunt vniuerſa caſtra, & ſignificauerunt, & fugerunt.
22 Et cecinerunt in trecentis corneis: & poſuit Dominus gladium viri in proximum eius in vniuerſis caſtris
23 Et fugerunt caſtra vſque Bethſeed Tagaragatha Abelmeula ſuper Thabath: & clamauerunt viri Iſrael ex
Nephthali, & ex Aſer, & ex omni Manaſſe, & perſecuti ſunt poſt Madiam. 24 Et nuncios miſit
Gedeon in omnem montem Ephræm, dicens: Deſcendite in occurſum Madiam, & occupate eis aquam vſque
Bæthæra, & Iordanem: & clamauit omnis vir Ephræm, & præoccuparunt aquam vſque Bæthæra, & Iorda-
nem. 25 Et comprehenderunt principes Madiam, & Oreb & Zeb, & interfecerunt Oreb in Sur
Oreb, & Zeb interfecerunt in H·iacephzeph: & perſequuti ſunt Madiam, & caput Oreb, & Zeb attulerunt ad Ge-
deon de trans Iordanem.

### CAP. VIII.

ET dixerunt ad Gedeon vir Ephræm: Quid, verbum hoc feciſti nobis, vt non vocares nos, quando iuiſti pu-
gnare in Madiam? & iurgabant aduerſus eum fortiter. 2 Et dixit ad eos: Quid feci nunc ſicut
vos? nonne melior racemus Ephræm, quam vindemia Abiezer? 3 In manu veſtra tradidit Dominus
principes Madiam, Oreb, & Zeb: & quid potui facere, ſicut vos? tunc remiſit ſe ſpiritus eorum ab eo, dum ille lo-
queretur ſermonem hunc. 4 Et venit Gedeon ad Iordanem, & tranſijt ipſe, & trecenti viri, qui cum
eo, eſurientes, & perſequentes. 5 Et dixit viris Socchot: Date nunc panes in alimentum populo huic, qui
in pedibus meis, quoniam deficiunt, & ecce ego ſum perſequens poſt Zebee, & Salmana reges Madiam.

Et di-

## Vulgata Editio.

5 Reſponderunt principes Soccoth: Forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas vt demus exercitui tuo panes.
7 Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes veſtras cum ſpinis, tribuliſque deſerti.
8 Et inde conſcendens, venit in Phanuel: locutuſque eſt ad viros loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant viri Soccoth.
9 Dixit itaque & eis: Cum reuerſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc.
10 Zebee autem & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo. Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.
*Oſee 10 14 11 * Aſcendenſque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe, & Iegbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil aduerſi ſuſpicabantur.
12 Fugeruntque Zebee & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.
13 Reuertenſque de bello ante ſolis ortum,
14 Apprehendit puerum de viris Soccoth: & interrogauit eum nomina principum, & ſeniorum Soccoth & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros.
15 Venitque ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee, & Salmana ſuper quibus exprobraſtis mihi, dicentes: Forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas vt demus viris qui laſſi ſunt, & defecerunt panes.
16 Tulit ergo ſeniores ciuitatis & ſpinas deſerti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.
17 Turrim quoque Phanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis.
18 Dixitque ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt: Similes tui, & vnus ex eis quaſi filius regis.
19 Quibus ille reſpondit: Fratres mei fuerunt, filij Matris meæ: viuit Dominus, quia ſi ſeruaſſetis eos, non vos occiderem.
20 Dixitque Iether primogenito ſuo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Dixeruntque principes Succoth: Num palma Zebach, & Salmunnah nunc eſt in manu tua, vt demus exercitui tuo panem?*
7 *Dixitque Ghidhon: Idcirco cum tradiderit Dominus Zebach, & Salmunnah in manus meas, triturabo carnem veſtram ſpinis deſerti, & tribulis.*
8 *Et aſcendit inde in Penuel, & locutus eſt ad eos ſecundum hoc: & reſponderunt ei homines Penuel ſicuti reſponderunt viri Succoth.*
9 *Dixitque etiam hominibus Penuel: Cum reuerſus fuero in pace, diruam turrim hanc.*
10 *Zebach autem, & Salmunnah erant in Charchar, & caſtra eorum cum eis ferme quindecim millia, omnes qui remanſerant ex omnibus caſtris filiorum Chedem, & qui ceciderant fuerunt centum, & viginti millia virorum educentium gladium.*
11 *Et aſcendit Ghidhon per viam habitantium in tabernaculis ab Oriente ipſius Nobach, & Iegbehah, & percuſſit caſtra: caſtra autem erant fiducialiter.*
12 *Fugeruntque Zebach, & Salmunnach, & perſecutus eſt eos, cepitque duos reges Midian Zebach, & Salmunnah, & omnia caſtra perterruit.*
13 *Et reuerſus eſt Ghidhon filius Ioas de bello deſuper exiſtente ſole.*
14 *Cepitque puerum de viris Succoth, & interrogauit eum, & ſcripſit ſibi principes Succoth, & ſeniores eius ſeptuaginta, & ſeptem viros.*
15 *Venitque ad viros Succoth, & dixit: Ecce Zebach, & Salmunah de quibus exprobraſtis mihi, dicendo: Num manus Zebach, & Salmunnah nunc in manu tua eſt, quia dabimus viris tuis laſſis panem.*
16 *Et tulit ſeniores ciuitatis, ſpinaſque deſerti, ac tribulos, & confregit cum eis viros Succoth.*
17 *Et turrim, Penuel diruit, & interfecit, viros ciuitatis.*
18 *Dixitque ad Zebach, & Salmunnah: Quales erant viri quos interfeciſtis in Thabor, & dixerut: Qualis tu, tales & ipſi, vnus ſecundum formam filiorum regis erat.*
19 *Et ait: Fratres mei, filij matris meæ erant: viuit Dominus, ſi viuere feciſſetis eos, non occiderem vos.*
20 *Dixitque Iether primogenito ſuo: Surge, interfice eos, & non eduxit puer gladium ſuum: timebat enim quia adhuc erat puer.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et dixerunt principes Socchoth: Numquid manus Zebee, & Salmana nunc in manu tua, quia dabimus virtuti tuæ panes? 7 Et dixit Gedeon: Propter hoc in dando Dominus Zebee, & Salmana in manu mea, & ego triturabo carnes veſtras in ſpinis deſerti & in Barcenim. 8 Et aſcendit inde in Phanuel, & locutus eſt ad eos ſimiliter, & reſponderunt ei viri Phanuel, quemadmodum reſponderant viri Socchoth. 9 Et dixit Gedeon ad viros Phanuel: In reditu meo cum pace, demoliar turrim hanc. 10 Et Zebee, & Salmana in Carcar, & caſtra eorum cum eis circiter quindecim millia, omnes, qui reſidui fuerant de vniuerſis caſtris alienigenarum, & qui ceciderant, centum viginti millia virorum educentium gladium. 11 Et aſcendit Gedeon viam habitantium in tabernaculis ab Oriente, ipſius Nabæ, & Iegebal, & percuſſit caſtra, & caſtra erant confidentia. 12 Et fugerunt Zebee, & Salmana, & perſequutus eſt poſt eos, & tenuit ambos reges Madiam Zebee, & Salmana, & vniuerſa caſtra paueſecit. 13 Et reuertit Gedeon filius Ioas à prælio deſuper acie Ares. 14 Et cepit puerum de viris Socchoth, & interrogauit eum, & ſcripſit apud ſe nomina principum Socchoth, & ſeniorum eorum ſeptuaginta, & ſeptem viros. 15 Et aduenit Gedeon ad principes Socchoth, & dixit: Ecce Zebee, & Salmana, in quibus exprobraſtis me dicentes, numquid manus Zebee & Salmana nunc in manu tua, quia dabimus viris tuis deficientibus panes? 16 Et apprehendit ſeniores ciuitatis in ſpinis deſerti, & Barcenim, & triturauit in eis viros ciuitatis. 17 Et turrim Phanuel euertit, & interfecit viros ciuitatis. 18 Et dixit ad Zebee, & Salmana: Vbi viri, quos interfeciſtis in Thabor? & dixerunt: Sicut tu, ſicut ipſi in ſimulachrum filij regis. 19 Et dixit Gedeon: Fratres mei, & filij matris meæ erant: viuit Dominus, ſi viuificaſſetis eos, non interfeciſſem vos. 20 Et dixit ad Iether primogenitum ſuum, interfice eos, & non eduxit puer gladium ſuum, quia timuit, quoniam adhuc iunior erat.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu ſurge,& irrue in nos: quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon,* & interfecit Zebee & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas,quibus colla regalium camelorum decorari ſolent.

*Pſal. 82.

22 Dixeruntque omnes viri Iſrael ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian.

23 Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.

24 Dixitque ad eos: Vnam petitionem poſtulo à vobis: Date mihi inaures ex præda veſtra. Inaures enim aureas Iſmaelitæ habere conſueuerant.

25 Qui reſponderunt: Libentiſſime dabimus. Expandenteſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda:

26 Et fuit pondus poſtulatarum inaurium, mille ſeptingenti ſicli,abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum.

27 Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra. Fornicatuſque eſt omnis Iſrael in eo,& factum eſt Gedeoni & omni domui eius in ruinam.

28 Humiliatus eſt autem Madian coram filijs Iſrael, nec potuerunt vltra ceruices eleuare: ſed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

29 Abijt itaque Ierobaal filius Ioas,& habitauit in domo ſua:

30 Habuitque ſeptuaginta filios,qui egreſſi ſunt de femore eius: eo quod plures haberet vxores.

31 Concubina autem illius,quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

32 Mortuuſque eſt Gedeon filius Ioas in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ſepulchro Ioas patris ſui in Ephra de familia Ezri.

33 Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, auerſi ſunt filij Iſrael,& fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus,vt eſſet eis in deum:

34 Nec recordati ſunt Domini Dei ſui, qui eruit eos de manibus inimicorum ſuorum omnium per circuitum:

35 Nec fecerunt miſericordiam cum domo Ierobaal Gedeon iuxta omnia bona,quæ fecerat Iſraeli.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Dixitque Zebach,& Salmunnah: Surge tu,& irrue in nos,quia ſicut vir fortitudo eius: ſurrexit& Ghidhon & interfecit Zebach,& Salmunnah: tulitque lunulas, quæ erant in collibus camelorum eorum.*

22 *Dixitque vir Iſrael ad Ghidhon: Dominare nobis etiam tu,etiam filius tuus,etiam filius filij tui,quia ſaluaſti nos de manu Midian.*

23 *Et dixit ad eos Ghidhon: Non dominabor vobis,nec dominabitur filius meus vobis, Dominus dominabitur vobis.*

24 *Dixitque ad eos Ghidhon: Poſtulabo à vobis poſtulationem, & date mihi vnuſquiſque in aurem ſpoliorum ſuorum: in aures enim aurea erant eis,quia Iſmahelitæ erant.*

25 *Et dixerunt: Dando dabimus, & extenderunt veſtimentum, & proiecerunt ibi quiſque inaurem ſpoliorum ſuorum.*

26 *Fuit autem pondus inaurium aurearum, quas poſtulauerat, mille,& ſeptingentorum aureorum præter lunulas,& monilia,& veſtes purpureas, quæ erant ſuper reges Midian,et præter torques,quæ erant in collibus camelorum eorum.*

27 *Et fecit ex eo Ghidhon Ephod,& poſuit illud in ciuitate ſua in Hophrah, & fornicati ſunt omnis Iſrael poſt eum ibi, fuitque Ghidhon, & domui eius in offendiculum.*

28 *Et humiliatus eſt Midian coram filijs Iſrael,& non addiderunt vt eleuarent caput ſuum, quieuitque terra quadraginta annis in diebus Ghidhon.*

29 *Abijt autem Ierubabal filius Ioas,& manſit in domo ſua.*

30 *Et ipſi Ghidhon fuerunt ſeptuaginta filij qui egreſſi ſunt de femore ſuo: vxores enim plures fuerunt ei.*

31 *Concubina autem eius quæ erat in Sechem peperit ei etiam ipſa filium,& poſuit nomen eius Abimelech.*

32 *Mortuus eſt autem Ghidhon filius Ioas in ſenectute bona, ſepultuſque eſt in ſepulchro Ioas patris ſui in Hophrah Habezri.*

33 *Et fuit,cum mortuus eſſet Ghidhon reuerſi ſunt filij Iſrael, & fornicati ſunt poſt Bahalim, & poſuerunt ſibi Bahalberith pro deo.*

34 *Et non ſunt recordati filij Iſrael Domini Dei ſui, qui eruit eos de manu omnium inimicorum ſuorum in circuitu.*

35 *Nec fecerunt miſericordiam cum domo Ierubahal, iuxta omne bonum quod fecerat cum Iſrael.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et dixit Zebee,& Salmana: Surge tu,& occurre nobis,quoniam tamquam viri eſt virtus tua, & ſurrexit Ge-
deon,& interfecit Zebee,& Salmana,& ſumpſit lunulas,& quæ in ceruicibus camelorum eorum. 22 Et di-
xerunt vir Iſrael ad Gedeon: Domine principare noſtri, & tu,& filius tuus & filius filij tui, quoniam tu ſaluaſti
nos de manu Madiam. 23 Et dixit ad eos Gedeon: Non principabor ego,& non principabitur filius meus in
vobis: Dominus principabitur veſtri. 24 Et dixit ad eos Gedeon: Petam à vobis petitionem,& date mihi
vir aurem de ſpolijs ſuis: quoniam inaures aureæ illis,quia erant Iſmaelitæ. 25 Et dixerunt: Dantes dabi-
mus,& expandit veſtimentum ſuũ,& miſit in eo vir inaurem ſpoliorum ſuorum. 26 Et factum eſt pondus inau-
rium aurearum, quas petijt, mille & ſeptingenti aurei præter lunulas,& monilia,& veſtimenta,& purpurea,quæ
ſuper reges Madiam,& præter torques,quæ erant in ceruicibus camelorum ipſorum. 27 Et fecit illud Ge-
deon in Ephod,& ſtatuit illud in ciuitate ſua in Ephrata,& fornicatus eſt omnis Iſrael poſt illud: & factum eſt
Gedeon,& domui eius in ſcandalum. 28 Et compreſſus eſt Madiam coram filijs Iſrael,& non adiecerunt
leuare caput ſuum,& quieuit terra quadraginta annos in diebus Gedeon. 29 Et iuit Ierobaal filius Ioas,&
ſedit in domo ſua. 30 Et ipſi Gedeon fuerunt filij ſeptuaginta exeuntes e femoribus eius, quoniam vxores
multæ fuerunt ei. 31 Et concubina ipſius fuit in Sychem,& peperit ei etiam ipſa filium,& poſuit nomen
Abimelech. 32 Et mortuus eſt Gedeon filius Ioas in ciuitate ſua,& ſepultus eſt in ſepulchro Ioas patris ſui
in Ephratha Abi Eſdri. 33 Et factum eſt,poſtquam mortuus eſt Gedeon,& reuerterunt filij Iſrael,& forni-
cati ſunt poſt Baalim,& poſuerunt ſibi,ipſi Baal teſtamentum,vt eſſet eis ipſe in Deum. 34 Et non ſunt re-
cordati filij Iſrael Domini Dei,qui eruerat eos de manu omnium tribulantium eos in circuitu. 35 Et non
fecerunt miſericordiam cum domo Ierobaal ( ipſe eſt Gedeon ) ſecundum omnia bona, quæ fecerat cum Iſrael.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. IX.

1 ABijt autem Abimelech filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris ſuæ, & locutus eſt ad eos, & ad omnem cognationem domus patris matris ſuæ, dicens:

2 Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? ſimulque conſiderate, quod os veſtrum, & caro veſtra ſum.

3 Locutique ſunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem vniuerſos ſermones iſtos, & inclinauerunt cor eorum poſt Abimelech, dicentes: Frater noſter eſt.

4 Dederuntque illi ſeptuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit ſibi ex eo viros inopes & vagos, ſecutique ſunt eum.

5 Et venit in domum patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum: remanſitque Ioatham filius Ierobaal minimus, & abſconditus eſt.

6 Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & vniuerſæ familiæ vrbis Mello: abieruntque & conſtituerunt regem Abimelec iuxta quercum, quę ſtabat in Sichem.

7 Quod cum nunciatum eſſet Ioatham, iuit, & ſtetit in vertice montis Garizim: eleuataque voce, clamauit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.

8 Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem: dixeruntque oliuæ: Impera nobis.

9 Quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear?

10 Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe.

11 Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerero dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire vt inter cetera ligna promouear?

12 Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.

13 Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cetera promoueri?

14 Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos.

Quæ

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. IX.

1 *PErrexit autem Abimelech filius Ierubahal in Sechem ad fratres matris ſuæ, locutuſque eſt ad eos & ad omnem familiam domus patris matris ſuæ dicendo:*

2 *Loquimini obſecro in auribus omnium dominorum Sechem: Quid melius vobis eſt vt dominentur vobis ſeptuaginta viri omnes filij Ierubahal, an vt dominetur vobis vir vnus: mementote, quod os veſtrum, & caro veſtra ſum.*

3 *Et locuti ſunt fratres matris eius de eo in auribus omnium dominorum Sechem omnia verba illa, & inclinauit ſe cor eorum poſt Abimelech, dixerunt enim: Frater noſter eſt.*

4 *Et dederunt ei ſeptuaginta argenteos è domo Bahalberith, & mercede conduxit cum eis Abimelech viros vacuos, & vagos, & ierunt poſt eum.*

5 *Et venit in domum patris ſui in Hophrah, & interfecit fratres ſuos, filios Ierubahal ſeptuaginta viros ſuper lapidem vnum: remanſit autem Iotham filius Ierubahal paruus, quia abſcondit ſe.*

6 *Congregati ſunt autem omnes viri Sechem, & omnis domus Millo, & ierunt, & regnare fecerunt Abimelech regem, iuxta quercum ſtatus, quæ erat in Sechem.*

7 *Et annunciauerunt ipſi Iotham, & perrexit, & ſtetit in vertice montis Gherizim, & leuauit vocem ſuam, clamauitque, & dixit eis: Audite me Domini Sechem & audiat vos Deus.*

8 *Eundo ierunt ligna ad vngendum ſuper ſe regem, dixeruntque oliuæ: Regna ſuper nos.*

9 *Dixitque eis oliua: Numquid derelinquam pinguedinem meam, qua per me honorificant Deos, & homines, & vadam, vt promouear ſuper ligna?*

10 *Dixeruntque ligna ad ficum: Veni tu, regna ſuper nos.*

11 *Et dixit eis ficus: Num derelinquam dulcedinem meam, & fructum meum optimum, & vadam, vt promouear ſuper ligna?*

12 *Dixeruntque ligna ad Vitem: Veni, regna ſuper nos.*

13 *Et dixit eis vitis: Num derelinquam muſtum meũ, quod lætificat Deum, & homines, & ibo, vt promouear ſuper ligna?*

14 *Dixerunt autem omnia ligna ad Rhamnum: Veni tu, regna ſuper nos.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. IX.

ET iuit Abimelech filius Ierobaal in Sychem ad fratres matris ſuæ, & locutus eſt ad eos, & ad vniuerſam
cognationem domus patris matris ſuæ, dicens: 2 Loquimini nunc in auribus omnium virorum Sy-
chem: Quid bonum vobis, dominari vobis ſeptuaginta viros omnes filios Ierobaal, an dominari vobis virum v-
num? Et recordamini, quia os veſtrum, & caro veſtra ſum. 3 Et locuti ſunt de eo fratres matris eius in au-
ribus omnium virorum Sychem, omnia verba hæc, & inclinauit cor eorum poſt Abimelech, quia dixerunt, frater
noſter eſt. 4 Et dederunt ei ſeptuaginta argenti de domo Baalberith, & conduxit ſibi Abimelech viros in-
anes, & miſeros, & ierunt poſt eum. 5 Et intrauit in domum patris ſui in Ephratha, & interfecit fratres
ſuos filios Ierobaal, ſeptuaginta viros ſuper lapidem vnum, & remanſit Ioatham filius Ierobaal iunior, quoniam
abſcondit ſe. 6 Et congregati ſunt omnes viri Sicimorum, & vniuerſa domus Bethmaalo, & iuerunt, & fe-
cerunt regem Abimelech iuxta quercum inuentam ſtationis, quæ in Sicimis. 7 Et nunciatum eſt ipſi Ioa-
tham, & iuit, & ſtetit ſuper cacumen montis Garizin, & eleuauit vocem ſuam, & plorauit, & dixit eis: Audite me
viri Sicimorum, & audiet vos Deus. 8 Euntia iuerunt ligna ad vngendum ſuper ſe regem, & dixe-
runt ipſi oliuæ: Regna ſuper nos. 9 Et dixit eis oliua: Numquid derelinquens pinguedinem meam,
in qua glorificabunt Deum viri, ibo vt promoueat ſuper ligna? 10 Et dixerunt ligna ficui: Veni regna
ſuper nos. 11 Et dixit eis ficus: Numquid derelinquens ego dulcedinem meam, & genimina mea bo-
na, ibo, vt promoueat ſuper ligna? 12 Et dixerunt ligna ad vitem: Veni, regna ſuper nos.
13 Et dixit eis vitis: Numquid derelinquens vinum meum, quod lætificat Deum & homines, ibo promoueri
ſuper ligna? 14 Et dixerunt omnia ligna rhamno: Veni tu, regna ſuper nos.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 Quæ reſpondit eis: Si vere me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.

16 Nunc igitur, ſi recte, & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech, & bene egiſtis cum Ierobaal, & cum domo eius, & reddidiſtis vicem beneficijs eius, qui pugnauit pro vobis,

17 Et animam ſuam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian,

18 Qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros ſuper vnum lapidem, & conſtituiſtis regem Abimelech filium ancillæ eius ſuper habitatores Sichem, eo quod frater veſter ſit:

19 Si ergo recte, & abſque vitio egiſtis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis.

20 Sin autem peruerſe: egrediatur ignis ex eo, & conſumat habitatores Sichẽ, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.

21 Quæ cum dixiſſet, fugit, & abijt in Bera: habitauitque ibi ob metum Abimelech fratris ſui.

22 Regnauit itaque Abimelech ſuper Iſrael tribus annis.

23 Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum deteſtari,

24 Et ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Ierobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in ceteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant.

25 Poſueruntque inſidias aduerſus eum in ſummitate montium: & dum illius præſtolabantur aduentum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nunciatumque eſt Abimelech.

26 Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus ſuis, & tranſiuit in Sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem,

27 Egreſſi ſunt in agros vaſtantes vineas, vuaſque calcantes: & factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum dei ſui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech,

Cla-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et dixit Rhamnus ad ligna: Si in veritate vos vngitis me in regem ſuper vos, venite, ſperate in vmbra mea, & ſi non, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Lebanon.*

16 *Et nunc ſi in veritate, & ſimplicitate feciſtis, & regnare feciſtis Abimelech, & ſi bonum feciſtis cum Ierubahal, & cum domo eius, & ſi ſecundum retributionem manuum eius feciſtis ei, quia pugnauit pater meus pro vobis,*

17 *Et proiecit animam ſuam à longe, & eruit vos è manu Midian.*

18 *Et vos ſurrexiſtis contra domum patris mei hodie, & interfeciſtis filios eius, ſeptuaginta viros ſuper lapidem vnum, & regnare feciſtis Abimelech filium ancillæ eius ſuper dominos Sechem, quia frater veſter eſt.*

19 *Et ſi in veritate, & ſimplicitate feciſtis cum Ierubahal, & cum domo eius die hac, lætamini in Abimelech, & lætetur etiam ipſe in vobis.*

20 *Et ſi non: egrediatur ignis de Abimelech, & deuoret dominos Sechem, & domum Millo, et egrediatur ignis à dominis Sechẽ, & de domo Millo & deuoret Abimelech.*

21 *Et fugit Iotham, & fugit, & abijt in Beer, & manſit ibi à facie Abimelech fratris ſui.*

22 *Imperauit autem Abimelech ſuper Iſrael tribus annis.*

23 *Miſitque Deus ſpiritum malum inter Abimelech, & viros Sechem, & præuaricati ſunt domini Sechem in Abimelech.*

24 *Vt veniret iniuria ſeptuaginta filiorum Ierubahal, & ſanguis eorum, ut poneret ſuper Abimelech fratrem eorum, quia interfecit eos, & ſuper dominos Sechem, quia roborauerunt manus eius, vt occideret fratres ſuos.*

25 *Poſueruntque ei viri Sechem inſidias ſuper cacumina montium, & prædabantur omnem, qui tranſibat iuxta ea per viam: & nunciatum eſt ipſi Abimelech.*

26 *Venit autem Ghahal filius Hebed, & fratres eius, & tranſierunt in Sechem ſperaueruntque in domini Sechem.*

27 *Et egreſſi ſunt in agrum, & inciderunt vineas eorum, & calcauerunt, & fecerunt lætitias, & egreſſi ſunt in domum dei ſui, & comederunt, & biberunt, & maledixerunt Abimelech.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit rhamnus ad ligna: Si in veritate vngitis me vos regnare ſuper vos, venite, ſubſiſtite in vmbra mea, &
ſi non: exeat ignis à me, & comedat cedros Libani. 16 Et nunc ſi in veritate, & perfectione feciſtis, & regem
conſtituiſtis Abimelech, & ſi bonitatem feciſtis cum Ierobaal, & cum domo eius, & ſi, prout retributio manus
eius, feciſtis ei, ſicut præliatus eſt pater meus pro vobis, 17 Et proiecit animam ſuam ex aduerſo, & eruit
vos de manu Madiam. 18 Et vos inſurrexiſtis ſuper domum patris mei hodie, & interfeciſtis filios eius ſe-
ptuaginta viros ſuper lapidem vnum, & feciſtis regem Abimelech filium ancillæ eius ſuper viros Sicimorum,
quoniam frater veſter eſt. 19 Et ſi in veritate & perfectione feciſtis cum Ierobaal, & cum domo eius in die
hac, lætamini in Abimelech, & lætetur etiam ipſe in vobis. 20 Si autem non, exeat ignis ab Abime-
lech, & comedat viros Sicimorum, & domum Bethmaalo, & exeat ignis à viris Sicimorum, & de domo Bethmaa-
lo, & comedat ipſum Abimelech. 21 Et fugit Ioathan, & ſeceſſit, & iuit vſque Beer, & habitauit ibi à
facie Abimelech fratris ſui. 22 Et dominatus eſt Abimelech ſuper Iſrael tres annos. 23 Et
emiſit Deus ſpiritum malignum inter Abimelech, & inter viros Sicimorum, & ſpreuerunt viri Sicimorum in do-
mo Abimelech, 24 Ad inducendam iniuſtitiam ſeptuaginta filiorum Ierobaal, & ſanguines eorum ad
ponendum ſuper Abimelech fratrem eorum, qui interfecit eos, & ſuper viros Sicimorum, quoniam confortaue-
runt manus eius ad interficiendos fratres ſuos. 25 Et poſuerunt ei viri Sicimorum, inſidiantes ſuper
capita montium, & diripiebant omnem qui præteribat ſuper eos in via, & nunciatum eſt regi Abimelech.
26 Et venit Gaal filius Iobel, & fratres eius, & tranſierunt in Sicima, & ſperauerunt in eo viri Sicimorum.
27 Et egreſſi ſunt in agrum, & vindemiauerunt vineas ſuas, & calcauerunt, & fecerunt Ellulim, & intulerunt in
domum dei ſui, & comederunt, & biberunt, & maledixerunt Abimelec.

Et di-

VVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb Sanct. Pagn. |
| --- | --- | --- | --- |
| Clamante Gaal filio Obed: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei? numquid non eſt filius Ierobaal, & conſtituit principem Zebul ſeruũ ſuum ſuper viros Emor patris Sichem? Cur ergo ſeruiemus ei? | 28 | 28 | *Dixit autem Ghahal filius Hebed: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sechem, quod ſeruiamus ei? Nonne filius Ierubahal, & Zebul præpoſitus eius? ſeruite viris Chamor patris Sechem, & cur ſeruiemus ei nos?* |
| Vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea vt auferrem de medio Abimelech. Dictumque eſt Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni. | 29 | 29 | *Et quis det populum hunc in manu mea, & remouebo Abimelech? & dixit quiſpiam ipſi Abimelech: Auge exercitum tuum, & egredere.* |
| Zebul enim princeps ciuitatis auditis ſermonibus Gaal filij Obed, iratus eſt valde, | 30 | 30 | *Audiuit autem Zebul princeps ciuitatis verba Ghahal filij Hebed, & iratus eſt furor eius.* |
| Et miſit clam ad Abimelech nuncios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat aduerſum te ciuitatem. | 31 | 31 | *Miſitque nuncios ad Abimelech in dolo dicendo: Ecce Ghahal filius Hebed, & fratres eius veniunt in Sechem, & ecce obſident ciuitatem contra te.* |
| Surge itaque nocte cum populo, qui tecum eſt, & latita in agro: | 32 | 32 | *Et nunc ſurge in nocte, tu & populus qui eſt tecum, & inſidiare in agro.* |
| Et primo mane oriente ſole, irrue ſuper ciuitatem: illo autem egrediente aduerſum te cum populo ſuo fac ei quod potueris. | 33 | 33 | *Et erit, mane quando orietur ſol, ſurges, & graſſaberis contra ciuitatem, & ſi ipſe, & populus qui eſt ſecum egredietur ad te, facies ei ſecundum quod inuenerit manus tua.* |
| Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte, & tetendit inſidias iuxta Sichimam in quatuor locis. | 34 | 34 | *Surrexit autem Abimelech, & omnis populus qui erat ſecum noctu, & inſidiati ſunt contra Sechem quattuor duces.* |
| Egreſſuſque eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ ciuitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco. | 35 | 35 | *Et egreſſus eſt Ghahal filius Hebed, ſtetitque ad oſtium portæ ciuitatis, & ſurrexit Abimelech, & populus qui erat ſecum de inſidijs.* |
| Cumque vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zeb: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Vmbras montium vides quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis. | 36 | 36 | *Vidit autem Ghahal populum, & ait ad Zebul: Ecce populus deſcendit de cacuminibus montium, & ait ad eum Zebul: Vmbram montium vides quaſi homines.* |
| Ruſumque Gaal ait: Ecce populus de vmbilico terræ deſcendit, & vnus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum. | 37 | 37 | *Et addidit adhuc Ghahal vt loqueretur, & dixit: Ecce populus deſcendunt de vmbilico terræ, & dux vnus venit de via quercus Mehonenim.* |
| Cui dixit Zebul: Vbi eſt nunc os tuum, quo loquebaris? Quis eſt Abimelech vt ſeruiamus ei? Nonne hic populus eſt, quem deſpiciebas? Egredere, & pugna contra eum. | 38 | 38 | *Dixit autem ad eum Zebul: Vbi nunc eſt os tuum quod dicebas: Quis eſt Abimelech, quod ſeruiamus ei? Nonne iſte eſt populus, quem ſpreuiſti? Egredere obſecro nunc, & pugna cum eo.* |
| Abijt ergo Gaal, ſpectante Sichimorum populo, & pugnauit contra Abimelech, | 39 | 39 | *Et egreſſus eſt Ghahal coram viris Sechem, pugnauitque cum Abimelech.* |
| Qui perſecutus eſt eum fugientem, & in vrbem compulit: cecideruntque ex parte eius plurimi, vſque ad portam ciuitatis: | 40 | 40 | *Et perſecutus eſt eum Abimelech, & fugit à facie eius, & ceciderunt vulnerati multi vſque ad oſtium portæ.* |
| Et Abimelech ſedit in Ruma: Zebul autem, Gaal, & ſocios eius expulit de vrbe, nec in ea paſſus eſt commorari. | 41 | 41 | *Manſit autem Abimelech in Arumah: & expulit Zebul ipſum Ghahal, & fratres eius ne manerat in Sechem.* |
| Sequenti ergo die egreſſus eſt populus in campum. Quod cum nunciatum eſſet Abimelech, | 42 | 42 | *Et fuit, in craſtino egreſſus eſt populus in agrum, & nunciauerunt ipſi Abimelech.* |
| Tu- | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

28 Et dixit Gaal filius Iobel: Quis eſt Abimelech? & quis eſt filius Sychem, quia ſeruiemus ei? nonne filius Ierobaal? & Zebul viſitator eius, ſeruus eius cum viris Emmor patris Sychem? & quid, quod ſeruiemus ei nos? 29 Et quis det populum hunc in manu mea? & amouebo Abimelech, & dicam ad eum: Multiplica virtutem tuam, & egredere. 30 Et audiuit Zebul princeps ciuitatis verba Gaal filij Iobel, & iratus eſt furore ipſe. 31 Et miſit nuncios ad Abimelech clam, dicens: Ecce Gaal filius Iobel, & fratres eius adueniunt in Sychem, & ecce ipſi obſident ciuitatem ſuper te. 32 Et nunc ſurge nocte, & populus, qui tecum, & inſidiare in agro. 33 Et erit, mane ſimul vt oritur ſol, ſurges diluculo, & tendes ſuper ciuitatem, & ecce ipſe, & populus, qui cum eo, egrediuntur ad te, & facies ei, quæcumque inuenerit manus tua. 34 Et ſurrexit Abimelech, & omnis populus cum eo nocte, & inſidiati ſunt ſuper Sychem quattuor principijs. 35 Et egreſſus eſt Gaal filius Iobel, & ſtetit ad oſtium portæ ciuitatis, & ſurrexit Abimelech, & populus qui cum eo, ex inſidijs. 36 Et vidit Gaal filius Iobel populũ, & dixit ad Zebul: Ecce populus deſcendit de capitibus montium, & dixit ad eum Zebul: Vmbram montium tu vides, tamquam viros. 37 Et adiecit adhuc Gaal loqui, & dixit: Ecce populus deſcendens iuxta Mare de contiguo vmbilico terræ, & principium aliud venit per viam Helon Maonenim: 38 Et dixit ad Zebul: Et vbi eſt os tuum, ſicut locutus es, quis eſt Abimelech, quia ſeruiemus ei? nonne hic eſt populus, quem ſpreuiſti. Exi vtique nunc, & congredere cum eo. 39 Et exiuit Gaal in conſpectu virorum Sychem, & congreſſus eſt cum Abimelech. 40 Et perſecutus eſt eum Abimelech, & fugit à facie eius, & ceciderunt cæſi multi vſque ad oſtium portæ. 41 Et intrauit Abimelech in Arema, & Zebul eiecit Gaal, & fratres eius, vt non habitarent in Sichem. 42 Et factum eſt in craſtina, & exijt populus in agrum, & annunciauit ipſi Abimelech.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

43 Tulit exercitum ſuum, & diuiſit in tres turmas, ten-
dens inſidias in agris. Videnſque quod egrederetur
populus de ciuitate, ſurrexit, & irruit in eos
44 Cum cuneo ſuo, oppugnans, & obſidens ciuitatem:
duæ autem turmæ palantes per campum aduerſa-
rios perſequebantur.
45 Porro Abimelech omni die illo oppugnabat vrbē,
quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipſaque
deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret.
46 Quod cum audiſſent qui habitabant in turre Sichi-
morum, ingreſſi ſunt fanum dei ſui Berith, vbi fœ-
dus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acce-
perat, qui erat munitus valde.
47 Abimelech quoque audiens viros turris Sichimo-
rum pariter conglobatos,
48 Aſcendit in montem Selmon cum omni populo
ſuo: & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, im-
poſitumque ferens humero, dixit ad ſocios; Quod
me videtis facere, cito facite.
49 Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſe-
quebantur ducem. Qui circumdantes præſidium
ſuccenderunt: atque ita factum eſt, vt fumo & igne
mille homines necarentur, viri pariter & mulieres,
habitatorum turris Sichem.
50 Abimelech autem inde proficiſcens venit ad oppi-
dum Thebes, quod circumdans obſidebat exercitu.
51 Erat autem turris excelſa in media ciuitate, ad quā
confugerant ſimul viri ac mulieres, & omnes prin-
cipes ciuitatis, clauſa firmiſſime ianua, & ſuper turris
tectum ſtantes per propugnacula.
52 Accedenſque Abimelech iuxta turrim, pugnabat
fortiter: & appropinquans oſtio, ignem ſupponere
nitebatur:
53 * Et ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens,
illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum
eius,
54 * Qui vocauit cito armigerum ſuum, & ait ad eum:
Euagina gladium tuum & percute me: ne forte di-
catur quod a fœmina interfectus ſim. Qui iuſſa
perficiens, interfecit eum.
55 Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Iſrael,
reuerſi ſunt in ſedes ſuas:
56 Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech
contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratri-
bus ſuis,

Si-

* 2.Reg. 11.21.

* 1.Reg. 31.4 1.Par.10 4.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

43 *Et tulit populum, & diuiſit eos in tria capita, & in-
ſidiatus eſt in agro, & vidit, & ecce populus egredie-
batur de ciuitate, & ſurrexit aduerſus eos, & per-
cuſſit eos.*
44 *Et Abimelech, & capita quæ erant ſecum graſſati
ſunt, & ſteterunt ad oſtium portæ ciuitatis: duo au-
tem capita graſſati ſunt aduerſus omnes qui erant
in agro, & percuſſerunt eos.*
45 *At Abimelech pugnauit contra ciuitatem tota die
illa, & cepit vrbem, ac populum qui erat in ea inter-
fecit, diruit vrbem, & ſeminauit in ea ſal.*
46 *Audierunt autem omnes viri turris Sechem, & ve-
nerunt ad arcem Bethelberith.*
47 *Nunciatumque eſt ipſi Abimelech, quod congregati
eſſent omnes viri turris Sechem:*
48 *Et deſcendit Abimelech in monte Salmon, ipſe & om
nis populus qui erat ſecum, & tulit Abimelech ſecu-
res, & præcidit ramum arboris, & portauit eũ, & po-
ſuit ſuper humerum ſuum, dixitq; ad populum qui e-
rat ſecũ: Quod vidiſtis feci: feſtinate, facite ſicut ego.*
49 *Et præciderunt etiam omnis populus vnuſquiſque
ramum ſuum, & ierunt poſt Abimelech, et poſuerunt
iuxta arcem & combuſſerunt cum eis arcem igni, &
mortui ſunt etiam omnes viri turris Sechem ferè
mille viri, & mulieres.*
50 *Iuit autem Abimelech ad Thebes, & caſtrametatus
eſt contra Thebes, & cepit eam.*
51 *Turris autem fortis erat in medio ciuitatis, & fuge-
runt illuc omnes viri, & mulieres, & omnes Domini
ciuitatis, & clauſerunt ſe ſuper ſe, & aſcenderunt ſu
per tectum turris.*
52 *Et venit Abimelech vſque ad turrim, & pugnabat
contra eam, & appropinquauit vſque ad oſtium tur-
ris, vt combureret illud igni.*
53 *Et proiecit mulier vna fragmen molæ ſuper caput
Abimelech, & confregit ceruicem eius.*
54 *Et vocauit cito puerum portantem arma ſua, & di-
xit ei: Euagina gladium tuum, & interfice me, ne
forte dicant de me: mulier interfecit eum, & perfo-
dit eum puer eius, & mortuus eſt.*
55 *Viderunt autem viri Iſrael quod mortuus eſſet Abi-
melech, & abierunt vnuſquiſque in locum ſuum.*
56 *Reddiditque Deus malum Abimelech, quod fece-
rat patri ſuo, interficiendo ſeptuaginta fratres
ſuos.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

43 Et accepit populum, & diuiſit eos in tria principia, & inſidiatus eſt in agro, & vidit, & ecce populus exiuit e
ciuitate, & ſurrexit ſuper eos, & percuſſit eos. 44 Et Abimelech, & principes, qui cum eo, extenderunt, &
ſteterunt apud oſtium portæ ciuitatis, & duo principia tetenderunt ſuper omnes, qui in agro, & percuſſerunt eos.
45 Et Abimelech pugnauit in vrbem tota die illa, & cepit ciuitatem, & populum, qui in ea, interfecit, & ciuita-
tem deſtruxit, & ſeminauit eam ſale. 46 Et audierunt omnes viri turris Sychem, & venerunt in conuen-
tum Bæthel Berith. 47 Et nunciatum eſt Abimelech, quia congregati ſunt omnes viri turris Sychem.
48 Et aſcendit Abimelech in montem Selmun, & omnis populus, qui cum eo, & ſumpſit Abimelech ſecures in
manu ſua, & ſuccidit ramum ligni, & tulit, & poſuit ſuper humeros ſuos, & dixit populo, qui ſecum: quod vidi-
ſtis me facientem, cito facite, ſicut ego. 49 Et ſucciderunt etiam vir ramum, omnis vir, & iuerunt poſt Abi-
melech, & impoſuerunt ſuper conuentum, & incenderunt ſuper eos conuentum in igni, & mortui ſunt etiam om
nes viri turris Sicimorum, circiter mille viri, & mulieres. 50 Et iuit Abimelech de Bæthel Berith, &
caſtrametatus eſt in Thebes, & cepit eam. 51 Et turris fortis erat in medio ciuitatis, & fugerunt illuc
omnes viri, & mulieres ciuitatis, & clauſerunt deforis ſe, & aſcenderunt ſuper tectum turris. 52 Et ve-
nit Abimelech vſque ad turrim, & pugnauerunt cum eo, & appropinquauit Abimelech vſque ad oſtium turris ad
incendendam eam in igni. 53 Et proiecit mulier vna fragmentum ſupermolale ſuper caput Abime-
lech, & fregit cranium eius, 54 Et clamauit cito ad puerum, qui ferebat vaſa eius, & dixit ei: Educ
gladium meum, & interfice me, ne quando dicant, mulier occidit eum, & transfodit eum puer eius, & mortuus eſt.
55 Et vidit vir Iſrael, quia mortuus eſt Abimelech, & iuerunt, vir ad locum ſuum. 56 Et retulit
Deus malignitatem Abimelech quam fecerat patri ſuo, interficiendo ſeptuaginta fratres ſuos.

Et om-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

57 Sichimitis quoque quod operati erant, retributum eſt, & venit ſuper eos maledictio Ioatham filij Ierobaal.

### CAP. X.

1 POſt Abimelech ſurrexit dux in Iſrael Thola filius Phua patrui Abimelech: vir de Iſſachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim:

2 Iudicauit Iſraelem viginti & tribus annis, mortuuſque eſt, ac ſepultus in Samir.

3 Huic ſucceſſit Iair Galaadites, qui iudicauit Iſraelem per viginti & duos annos,

4 Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius ſunt appellatæ Hauoth Iair, id eſt, oppida Iair, vſque in præſentem diem in terra Galaad.

5 Mortuuſque eſt Iair, ac ſepultus in loco, cui eſt vocabulum Camon.

6 Filij autem Iſrael peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt idolis, Baalim & Aſtaroth, & dijs Syriæ ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philiſthijm: dimiſeruntque Dominum, & non coluerunt eum.

7 Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philiſthijm & filiorum Ammon.

8 Afflictique ſunt, & vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad:

9 In tantum, vt filij Ammon Iordane tranſmiſſo, vaſtarent Iudam & Beniamin & Ephraim: afflictuſque eſt Iſrael nimis.

10 Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſeruiuimus Baalim.

11 Quibus locutus eſt Dominus: Numquid non Ægyptij & Amorrhæi, filijque Ammon & Philiſthijm,

12 Sidonij quoque & Amalec & Chanaan oppreſſerunt vos, & clamaſtis ad me, & erui vos de manu eorum?

13 Et tamen reliquiſtis me, & coluiſtis deos alienos: idcirco non addam vt vltra vos liberem:

14 Ite, & inuocate deos quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et omne malum virorum Sechem reddidit Deus in caput eorum, & venit ad eos maledictio Iotham filij Ierubahal.*

### CAP. X.

1 *SVrrexit autem poſt Abimelech, vt ſaluum faceret Iſrael Tolah filius Puah filij Dodo vir de Iſſachar, & ipſe habitabat in Samir, in monte Ephraim.*

2 *Iudicauitque Iſrael viginti, & tribus annis, & mortuus eſt, & ſepultus eſt in Samir.*

3 *Surrexit autem poſt eum Iair Ghilhadites, iudicauitque Iſrael viginti, & duobus annis:*

4 *Et fuerunt ei triginta filij equitantes ſuper triginta pullos & triginta vrbes eis quas vocabant Chauuoth Iair, vſque ad diem hanc, quæ erant in terra Ghilhad.*

5 *Mortuuſque Iair, & ſepultus eſt in Chamon.*

6 *Addiderunt autem filij Iſrael vt facerent malum in oculis Domini, ſeruieruntque Behalim, & Haſtaroth, & dijs Aram, dijſque Sidon, & dijs Moab, ac dijs filiorum Hammon, dijſque Peliſtim: dereliquerunt autem Dominum, & non ſeruierunt ei.*

7 *Iratuſque eſt furor Domini contra Iſrael, & tradidit eos in manu Peliſtim, & in manu filiorum Hammon.*

8 *Et detriuerunt, & oppreſſerunt filios Iſrael in anno ipſo, octo, & decem annis, omnes filios Iſrael, qui erãt trans Iarden in terra Emorræi, quæ eſt in Ghilhad.*

9 *Tranſieruntque filij Hammon Iarden ad pugnandũ & cum Iehudah, & cum Biniamin, etiam cum domo Ephraim, & anguſtia affectus eſt Iſrael valde.*

10 *Clamaueruntque filij Iſrael ad Dominum dicendo: Peccauimus tibi, & quia dereliquimus Deum noſtrum, & ſeruiuimus Behalim.*

11 *Dixitque Dominus ad filios Iſrael: Nonne ab Ægyptijs, & Emorræo, & filijs Hammon, & Peliſtim?*

12 *Et Sidonim, & Hamalec, & Mahon qui oppreſſerunt vos: & clamaſtis ad me, ſaluoſque feci vos de manu eorum.*

13 *Vos autem dereliquiſtis me, & ſeruiſtis dijs alienis: ideirco non addam vt ſaluos faciam vos.*

14 *Ite, & clamate ad deos, quos elegiſtis: ipſi ſaluent vos in tempore anguſtiæ veſtræ.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

57 Et omnem malignitatem virorum Sychem retulit Deus in caput eorum, & superuenit ſuper eos maledictio
Ioatham filij Ierobaal.

### CAP. X.

ET ſurrexit poſt Abimelech, qui ſaluum faceret Iſrael, Thola filius Phua patrui eius, vir de Iſſachar, & ipſe
habitabat in Samir in monte Ephræm. 2 Et iudicauit Iſrael viginti tres annos, & mortuus eſt, & ſepul-
tus eſt in Samir. 3 Et ſurrexit poſt eum Iair, qui de Galaad, & iudicauit Iſrael viginti duos annos.
4 Et erant ei triginta, & duo filij inſcendentes ſuper triginta duos pullos, & triginta duæ ciuitates eis, & vocabant
eas oppida Iair vſque in diem hanc in terra Galaad. 5 Et mortuus eſt Iair, & ſepultus eſt in Rhamnon.
6 Et addiderunt filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt ipſis Baalim, & Aſtaroth, & dijs A-
ram, & dijs Sidonis, & dijs Moab, & dijs filiorum Ammon, & dijs Phyliſtijm, & dereliquerunt Dominum, & non
ſeruierunt ei. 7 Et iratus eſt furore Dominus in Iſrael, & vendidit eos in manu Phyliſtijm, & in manu fi-
liorum Ammon. 8 Et tribulauerunt, & fregerunt filios Iſrael in tempore illo, octo & decem annis omnes fi-
lios Iſrael, qui trans Iordanem, in terra ipſius Amorrhæi, qui in Galaad. 9 Et tranſierunt filij Ammon Ior-
danem ad pugnandum aduerſus Iudam, & Beniamin, & aduerſus Ephræm, & vexati ſunt filij Iſrael valde.
10 Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum, dicentes: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Deum, & ſeruiuimus
ipſi Baalim. 11 Et dixit Dominus ad filios Iſrael: Nonne ab Ægypto, & ab Amorræo & à filijs Am-
mon, & à Phyliſtijm, 12 Et Sidonijs, & Amalec, & Madiã, qui tribulauerunt vos, & clamaſtis ad me, &
ſaluaui vos de manu eorum: 13 Et vos dereliquiſtis me, & ſeruiuiſtis dijs alijs: propter hoc non apponam
ſaluare vos. 14 Ite, & clamate ad Deos, quos elegiſtis vobis ipſis, & ipſi ſaluent vos in tpe tribulationis veſtræ.

## Vulgata Editio.

15 Dixerûtque filij Iſrael ad Dominum. Peccauimus:
redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc
libera nos.
16 Quæ dicentes: omnia de finibus ſuis alienorum
deorum idola proiecerunt, & ſeruierunt Domino
Deo: qui doluit ſuper miſerijs eorum.
17 Itaque filij Ammon conclamantes in Galaad fixere
tentoria: contra quos congregati filij Iſrael, in Maſpha
caſtrametati ſunt:
18 Dixeruntque principes Galaad ſinguli ad proximos
ſuos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon
cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

### CAP. XI.

1 FVit illo tempore Iephte Galaadites vir fortiſſimus
atque pugnator, filius mulieris meretricis,
qui natus eſt de Galaad.
2 Habuit autem Galaad vxorem, de qua ſuſcepit filios:
qui poſtquam creuerant, eiecerunt Iephte,
dicentes: Heres in domo patris noſtri eſſe non poteris,
quia de altera matre natus es.
3 Quos ille fugiens, atque deuitans, habitauit in Terra
Tob: congregatique ſunt ad eum viri inopes,
& latrocinantes, & quaſi principem ſequebantur.
4 In illis diebus pugnabant filij Ammon contra Iſrael.
5 Quibus acriter inſtantibus perrexerunt maiores natu
de Galaad, vt tollerent in auxilium ſui Iepthe de
Terra Tob:
6 Dixeruntque ad eum: Veni & eſto princeps noſter,
& pugna contra filios Ammon.
7 Quibus ille reſpondit: * Nonne vos eſtis, qui odiſtis
* Gen.6.27 me, & eieciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis
ad me neceſſitate compulſi?
8 Dixeruntque principes Galaad ad Iephte. Ob hanc
igitur cauſam nunc ad te venimus, vt proficiſcaris
nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſiſque
dux omnium qui habitant in Galaad.
9 Iephte quoque dixit eis: Si vere veniſtis ad me, vt
pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque
eos Dominus in manus meas, ego ero veſter
princeps?
10 Qui reſponderunt ei: Dominus, qui hæc audit,
ipſe mediator ac teſtis eſt quod noſtra promiſſa faciemus.

Abij:

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Dixeruntque filij Iſrael ad Dominum: Peccauimus:
fac tu nobis ſecundum quod bonum eſt in oculis
tuis, tantum libera nos quæſumus die hac.*
16 *Et remouerunt deos alienos de medio ſui, ſeruieruntque
Domino: & anguſtijs affecta eſt anima eius propter
laborem Iſrael.*
17 *Et conuenerunt filij Hammon, & caſtrametati ſunt
in Ghilhad, & congregati ſunt filij Iſrael, & caſtrametati
ſunt in Miſpah.*
18 *Dixeruntque populus: Principes Ghilhad, quilibet
ad proximum ſuum: Quicumque cœperit pugnare
contra filios Hammon erit dux omnibus habitatoribus
Ghilhad.*

### CAP. XI.

1 *IPhtach autem Ghilhadites erat potens viribus,
eratque filius mulieris meretricis, genueratque
Ghilhad ipſum Iphtach.*
2 *Peperit autem uxor Ghilhad ſibi filios: creueruntque
filij vxoris, & expulerunt Iphtach, dixeruntque
ei: Non hæreditatem accipies in domo patris noſtri,
quia filius mulieris alteræ es*
3 *Fugitque Iphtach à facie fratrum ſuorum, & manſit
in terra Thob: & collecti ſunt ad Iphtach homines
vacui, & egreſſi ſunt cum eo.*
4 *Et fuit poſt aliquot dies pugnauerunt filij Hammon
cum Iſrael.*
5 *Et fuit, cum pugnarent filij Hammō cum Iſrael perrexerunt
ſeniores Ghilhad, vt tollerent Iphtach de
terra Thob.*
6 *Dixeruntque ad Iphtach: Veni, & eſto nobis in principem,
& pugna cum filijs Hammon.*
7 *Dixitque Iphtach ſenioribus Ghilhad: Non ne odio
habuiſtis me, & expuliſtis è domo patris mei? & cur
veniſtis ad me, quando anguſtia eſt vobis?*
8 *Dixeruntque ſeniores Ghilhad ad Iphtach: Idcirco
nunc reuerſi ſumus ad te, & venies nobiſcum, pugnabiſque
cum filijs Hammon, & eris nobis dux, omnibus
habitatoribus Ghilhad.*
9 *Dixitque Iphtach ad ſeniores: Si reuerti facitis me
ad pugnandum cum filijs Hammon, tradideritque
Dominus eos coram me, ero vobis dux?*
10 *Dixeruntque ſeniores Ghilhad ad Iphtach: Dominus
audiat inter nos, niſi ſecundum verbum tuum,
ſic faciemus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixerunt filij Iſrael ad Dominum: Peccauimus: fac tu nobis iuxta omne, quod bonum in oculis tuis: verumtamen
erue nos in die hac. 16 Et remouerunt deos alienos de medio ſui, & ſeruierunt Domino
ſoli, & diminuta eſt anima eius in labore Iſrael. 17 Et aſcenderunt filij Ammon, & caſtrametati ſunt
in Galaad, & congregati ſunt filij Iſrael, & caſtrametati ſunt in ſpecula. 18 Et dixerunt populus, ipſi
principes Galaad, vir ad proximum ſuum: Quis eſt vir, qui incipiet pugnare aduerſus filios Ammon, & erit in
principem omnibus inhabitantibus Galaad?

### CAP. XI.

ET Iephthæ Galaaditides eleuatus virtute, & ipſe filius mulieris meretricis, quæ genuit ipſi Galaad ipſum
Iephthæ. 2 Et peperit vxor Galaad ei filios, & creuerunt filij vxoris, & eiecerunt Iephthæ, & dixerunt ei:
Non hæreditabis in domo patris noſtri, quoniam filius mulieris fornicariæ es. 3 Et fugit Iephthæ à facie fratrum
ſuorum, & habitauit in terra Tob: & conglobati ſunt ad Iephthæ viri inanes, & egreſſi ſunt cum eo.
4 Et factum eſt, quando pugnarunt filij Ammon cum Iſrael: 5 Et iuerunt ſeniores Galaad aſſumere Iephthæ
de terra Tob: 6 Et dixerunt Iephthæ: Veni, & eris nobis in principem, & pugnabimus aduerſus filios
Ammon. 7 Et dixit Iephthæ ſenioribus Galaad: Nonne vos odio habuiſtis me, & eieciſtis me de domo patris
mei, & emiſiſtis me à vobis? & propter quid veniſtis ad me nunc quando egetis? 8 Et dixerunt ſeniores Galaad
ad Iephthæ: Propter hoc nunc reuertimur ad te, & ibis nobiſcum, & pugnabis aduerſus filios Ammon, & eris nobis
in principem omnibus inhabitantibus Galaad. 9 Et dixit Iephthæ ad ſeniores Galaad: Si reducitis me vos
ad pugnandum in filios Ammon, & tradiderit eos Dominus coram me, & ego vobis ero in principem. 10 Et
dixerunt ſeniores Galaad ad Iephthæ: Dominus ſit audiens inter nos, ſi non iuxta verbum tuum ſic faciemus.

Et iuit

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Abijt itaque Iephte cum principibus Galaad, feceruntque eum omnis populus principem ſui. Locutuſque eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſpha. | 11 | 11 | *Et iuit Iphtach, cum ſenioribus Ghilhah, & poſuerunt populus eum ſuper ſe ducem & principem: locutuſque Iphtach omnia verba ſua coram Domino in Miſpah.* |
| Et miſit nuncios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, vt vaſtares terram meam? | 12 | 12 | *Miſit autem Iphtach nuncios ad regem filiorum Hammon dicendo: Quid mihi & tibi, quia veniſti ad me, vt pugnes contra terram meam?* |
| *Num.21.13 Quibus ille reſpondit: * Quia tulit Iſrael terram meam quando aſcendit de Ægypto à finibus Arnô vſque Iaboc atque Iordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. | 13 | 13 | *Dixitq; rex filiorum Hammon ad nuncios Iphtach: Quia tulit Iſrael terram meam, quando aſcendit ex Ægypto, ab Arnon vſque ad Iabboc, & vſque ad Iarden, & nunc reddes eas cum pace.* |
| Per quos rurſum mandauit Iephte, & imperauit eis vt dicerent regi Ammon: | 14 | 14 | *Addidit autem adhuc Iphtach, & miſit nuncios ad regem filiorum Hammon.* |
| Hæc dicit Iephte: non tulit Iſrael terram Moab, nec terram filiorum Ammon: | 15 | 15 | *Dixitque ei: Sic dicit Iphtach: Non tulit Iſrael terram Moab & filiorum Hammon.* |
| Sed quando de Ægypto conſcenderunt, ambulauit per ſolitudinem vſque ad Mare rubrum, & venit in Cades. | 16 | 16 | *Sed cum aſcenderent ex Ægypto, ambulauit Iſrael per deſertum vſque ad Mare Suph, & venit in Cades.* |
| *Num.20.14 * Miſitque nuncios ad regem Edom, dicens: Dimitte me vt tranſeam per terram tuam. Qui noluit acquieſcere precibus eius. Miſit quoque ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum præbere contempſit. Manſit itaque in Cades, | 17 | 17 | *Miſitque Iſrael nuncios ad regem Edom dicendo: Tranſibo per terram tuam, & non audiuit rex Edom & etiam ad regem Moab miſit, & noluit. Manſitque Iſrael in Cades.* |
| Et circuiuit ex latere terram Edom, & terram Moab: venitque contra Orientalem plagam terræ Moab & caſtrametatus eſt trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium eſt terræ Moab. | 18 | 18 | *Et ambulauit per deſertum, & circuiuit terram Edom, & terram Moab: venitque ab ortu ſolis terræ Moab, & caſtrametati ſunt trans Arnon: nec intrauerunt terminum Moab: Arnon enim eſt terminus Moab.* |
| Num.21.21. Miſit itaque Iſrael nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Heſebon, & dixerunt ei: Dimitte vt tranſeam per terram tuam vſque ad fluuium. | 19 | 19 | *Miſitque Iſrael nuncios ad Sichon regem Emorræum: regem Chesbon, & dixit ei Iſrael: Tranſeam obſecro per terram tuam vſque ad locum meum.* |
| Qui & ipſe Iſrael verba deſpiciens, non dimiſit eum tranſire per terminos ſuos: ſed infinita multitudine congregata egreſſus eſt contra eum in Iaſa, & fortiter reſiſtebat. | 20 | 20 | *Et non credidit Sichon Iſraelem tranſire per terminum ſuum, ſed congregauit Sichon omnem populum ſuum, & caſtrametati ſunt in Iahas, & pugnauit cum Iſrael.* |
| Tradiditque eum Dominus in manus Iſrael cum omni exercitu ſuo, qui percuſſit eum, & poſſedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, | 21 | 21 | *Tradiditque Dominus Deus Iſrael Sichon, & omnem populum eius in manu Iſrael, & percuſſerunt eos, & poſſedit Iſrael omnem terram Emorræi habitatoris terræ ipſius.* |
| Et vniuerſos fines eius de Arnon vſque Iaboc, & de ſolitudine vſque ad Iordanem. | 22 | 22 | *Et poſſederunt omnem terminum Emorræi ab Arnon vſque ad Iabboc, & à deſerto vſque ad Iarden.* |
| Dominus ergo Deus Iſrael ſubuertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo ſuo Iſrael, & tu nûc vis poſſidere terram eius? | 23 | 23 | *Et nunc Dominus Deus Iſrael eiecit Emorræum à facie populi ſui Iſrael, & tu poſſidebis eum?* |
| Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem. | 24 | 24 | *Nonne quod poſſidere faciet te Chemos Deus tuus illud poſſidebis? & quicquid poſſidere fecit Dominus Deus noſter à facie noſtra, illud poſſidebimus.* |
| Niſi | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et iuit Iephthæ cum ſenioribus Galaad, & poſuerunt eum populus ſuper ſe in caput, & in principem: & locutus eſt Iephthæ omnia verba ſua coram Domino in Maſſephæ. 12 Et miſit Iephthæ nuncios ad regem filiorum Ammon, dicens: Quid mihi, & tibi, quia veniſti ad me ad pugnandum in terra mea? 13 Et dixit rex filiorum Ammon, ad nuncios Iephthæ: quoniam cepit Iſrael terram meam, dum ipſe aſcenderet ex Ægypto ab Arnon vſque Iaboc, & vſque ad Iordanem, & nunc reſtitue eas in pace, & ibo. 14 Et appoſuit adhuc Iephthæ, & miſit nuncios ad regem filiorum Ammon, & dixit ei: 15 Sic dicit Iephthæ: Non cepit Iſrael terram Moab, & terram filiorum Ammon: 16 Quoniam cum aſcenderent ipſi ex Ægypto, iuit Iſrael in deſerto vſque ad Mare Suph, & venit in Cades. 17 Et miſit Iſrael nuncios ad regem Edom dicens: Prætereo nunc in terra tua, & non audiuit rex Edom. Atque etiam ad regem Moab miſit, & non beneſenſit, & ſedit Iſrael in Cades: 18 Et iuit in deſerto, & circuiuit terram Edom, & terram Moab, & venit ab ortu ſolis terræ Moab, & caſtrametatus eſt trans Arnon, & non intrauit in fines Moab, quoniam Arnon eſt terminus Moab. 19 Et miſit Iſrael nuncios ad Seon regem ipſius Amorræi, regem Eſebon, & dixit ei Iſrael: Prætereamus nunc in terra tua vſque ad locum noſtrum. 20 Et Seon non credidit Iſraeli tranſire in termino ſuo, & congregauit Seon omnem populum ſuum, & caſtrametati ſunt in Iaſa, & pugnauit aduerſus Iſrael. 21 Et tradidit Dominus Deus Iſrael Seon, & vniuerſum populum eius in manu Iſrael, & percuſſit eum, & hæreditauit Iſrael omnem terram Amorræi inhabitantis terram illam. 22 Ab Arnon & vſque Iaboc, & à deſerto vſque ad Iordanem. 23 Et nunc Dominus Deus Iſrael abſtulit Amorræum à facie populi ſui Iſrael: & tu hæreditabis eum? 24 Nonne quæcumque hæreditabit te Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis? & omnes, quos abſtulit Dominus Deus noſter à facie veſtra, eos hæreditabimus?

## Vulgat. Editio.

*Nu.22.2

25 * Niſi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod iurgatus ſit contra Iſrael & pugnauerit contra eum,

26 Quando habitauit in Heſebon, & viculis eius, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?

27 Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Iſrael, & inter filios Ammon.

28 Noluitque acquieſcere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuncios mandauerat.

29 Factus eſt ergo ſuper Iephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon,

30 Votum vouit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,

31 Quicumque primus fuerit egreſſus, de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.

32 Tranſiuitque Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius.

33 Percuſſitque ab Aroer vſque dum venias in Mennith, viginti ciuitates, & vſque ad Abel, quæ eſt vineis conſita, plaga magna nimis: humiliatique ſunt filij Ammon à filijs Iſrael.

34 Reuertente autem Iephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos.

35 Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.

36 Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi vltione atque victoria de hoſtibus tuis.

37 Dixitque ad patrem: Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor: Dimitte me vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.

Cui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et nunc, num melior es Balac filio Sippor rege Moab? num iurgando iurgatus eſt populus Iſrael, aut pugnando pugnauit contra eos?*

26 *Quando manſit Iſrael in Cheſbon, & in villis eius, & in Harhur, & villis eius, & in omnibus ciuitatibus, quæ ſunt iuxta terminos Arnon per trecentos annos? & quare non eruiſtis in tempore illo?*

27 *Ego autem non peccaui tibi, & tu facis mihi malum pugnando contra me: iudicet Dominus iudex diei inter filios Iſrael, & filios Hammon.*

28 *Et non audiuit rex filiorum Hammõ verba Iphtach quæ miſit ad eum.*

29 *Fuit autem ſuper Iphtach ſpiritus Domini, & tranſire fecit ipſum Ghilhad, & Menaſſeh, & tranſire fecit Miſpeh Ghilhad, & de Miſpeh Ghilhad, tranſiuit ad filios Hammon.*

30 *Vouitque Iphtach votum Domino, & ait: Si tradendo tradideris filios Hammon in manu mea,*

31 *Erit egrediens, quod egreſſum fuerit è foribus domus meæ in occurſum meum, cum reuerſus fuero in pace à filijs Hammon, erit Domino, & offeram illud in holocauſtum.*

32 *Tranſiuit autem Iphtach ad filios Hammon ad pugnandum cum eis, tradiditque eos Dominus in manu eius.*

33 *Et percuſſit eos ab Harhor vſque quo venias in Minnith viginti ciuitates, & vſque ad Abel vinearum plaga magna valde, & humiliati ſunt filij Hammon à facie filiorum Iſrael.*

34 *Venit autem Iphtach in Miſpah ad domum ſuam, & ecce filia eius egrediebatur in occurſum eius cũ tympanis, & choris & tantum ipſa vnica: non erat ex ſe filius, vel filia.*

35 *Et fuit cum vidiſſet eam ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Ahah filia mi incuruando incuruare feciſti me, & tu fuiſti inter turbantes me: & ego aperui os meum ad Dominum, & non potero retractare.*

36 *Dixitque ad eum: Pater mi aperuiſti os tuum Domino, fac mihi quemadmodum egreſſum eſt, ex ore tuo, poſtquam fecit tibi Dominus vltiones de inimicis tuis de filijs Hammon.*

37 *Dixitque patri ſuo: Fiat mihi hoc, dimitte me duobus menſibus, & ibo, & deſcendam ſuper montes, & flebo ſuper virginitatem meam: ego, & amicæ meæ.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et nunc numquid in bono melior tu ſuper Balac filium Sephor regis Moab? Numquid pugnans pugnauit cum Iſrael, aut bellans bello aggreſſus eſt eum: 26 Cum habitaret in Eſebon, & in finibus eius, & in terra Aroer, & in finibus eius, & in omnibus ciuitatibus, quæ apud Iordanem, trecentos annos? & cur non eruiſti eos in tempore illo? 27 Et nunc ego quidem non peccaui tibi, & tu facis mecum malignitatem, pugnando in me: iudicet Dominus, qui iudicat hodie inter filios Iſrael, & inter filios Ammon. 28 Et non audiuit rex filiorum Ammon verba Iephthæ, quæ miſit ad eum. 29 Et factus eſt ſuper Iephthæ ſpiritus Domini, & præterijt Galaad & Manaſſe, & præterijt ſpeculam Galaad trans filios Ammon. 30 Et vouit Iephthæ votum Domino & dixit: Si dans dederis mihi filios Ammon in manu mea; 31 Et erit, exiens, quicumque exierit de ianua domus meæ in obuiam mihi, in reuertendo me in pace à filijs Ammon, & erit Domino, offeram eum holocauſtoma. 32 Et tranſijt Iephthæ ad filios Ammon, pugnare aduerſus eos, & tradidit eos Dominus in manu eius. 33 Et percuſſit eos ab Aroer, donec venias vſque Arnon, in numero viginti ciuitates, & vſque Ebel Charmin, plagam magnam valde, & humiliati ſunt filij Ammon à facie filiorum Iſrael. 34 Et venit Iephthæ in Maſſepha in domum ſuam, & ecce filia eius egrediebatur in occurſum in tympanis, & choris, & hæc erat vnigenita ei, non erat ei alius filius, vel filia. 35 Et factum eſt, vt vidit eam ipſe, diſcidit veſtimenta ſua, & dixit: Ah, ah filia mea, perturbatione perturbaſti me, & tu fuiſti in turbamentum meum, & ego ipſe aperui contra te os meum ad Dominum, & non potero reuocare. 36 Illa vero dixit ad eum: Pater aperuiſti os tuum ad Dominum? Fac mihi, quemadmodum exijt ex ore tuo, dum faceret tibi Dominus vindictam inimicorum tuorum de filijs Ammon. 37 Atque ipſa dixit ad patrem ſuum: Faciat nunc pater meus verbum hoc, permitte me duos menſes, & ibo, & deſcendam ſuper montes, & plorabo ſuper virginalibus meis, ego ipſa, & ſodales meæ.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

38 Cui ille reſpondit : Vade . Et dimiſit eam duobus menſibus. Cumque abiſſet cum ſocijs,ac ſodalibus ſuis,flebat virginitatem ſuam in montibus.

39 Expletiſque duobus menſibus,reuerſa eſt ad patrem ſuum,& fecit ei,ſicut vouerat,quæ ignorabat virum. Exinde mos increbruit in Iſrael,& conſuetudo ſeruata eſt :

40 Vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael , & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quattuor .

### CAP. XII.

1 ECce autem in Ephraim orta eſt ſeditio , nam tranſeuntes contra Aquilonem,dixerunt ad Iephte : Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon,vocare nos noluiſti,vt pergeremus tecum?Igitur incendemus domum tuam .

2 Quibus ille reſpondit : Diſceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens : vocauique vos, vt præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis .

3 Quod cernens poſui animam meam in manibus meis, tranſiuique ad filios Ammon , & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, vt aduerſum me conſurgatis in prælium ?

4 Vocatis itaque ad ſe cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim : percuſſeruntque viri Galaad Ephraim , quia dixerat : Fugitiuus eſt Galaad de Ephraim,& habitat in medio Ephraim,& Manaſſe.

5 Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis , per quæ Ephraim reuerſurus erat . Cumque veniſſet ad ea de Ephraim numero , fugiens , atque dixiſſet : Obſecro , vt me tranſire permittatis : dicebant ei Galaaditæ : Numquid Ephrathæus es ? quo dicente : Non ſum :

6 Interrogabant eum : Dic ergo Scibboleth , quod interpretatur Spica . Qui reſpondebat, Sibboleth : eadem littera ſpicam exprimere non valens . Statimque apprehenſum iugulabant in ipſo Iordanis tranſitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia .

7 Iudicauit itaque Iephte Galaadites Iſrael ſex annis : & mortuus eſt, ac ſepultus in ciuitate ſua Galaad .

8 Poſt hunc iudicauit Iſrael Abeſan de Bethlehem :

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

38 *Et ait : Vade. Dimiſitque eam duobus menſibus. Et iuit ipſa, & amicæ eius, & fleuit ſuper virginitatem ſuam ſuper montes .*

39 *Et fuit, circa finem duorum menſium reuerſa eſt ad patrem ſuum , & fecit de ea votum ſuum, quod vouerat . Ipſa autem non cognouerat virum,fuitque lex in Iſrael :*

40 *Annuatim vadunt filiæ Iſrael ad alloquendum filiam Iphtach Ghilhadita quattuor diebus in anno .*

### CAP. XII.

1 *COnuenit autem vir Ephraim , & tranſiuit ad Aquilonem,dixeruntque ad Iphtach : Quare tranſiſti ad pugnandum cum filijs Hammon , & nos non vocaſti , vt pergeremus tecum ? Domum tuam comburemus tecum igni .*

2 *Dixitque Iphtach ad eos: Vir rixæ fui ego, & populus meus,& filij Hammon valde : & vocaui vos, & non ſeruaſti me è manu eorum .*

3 *Et vidi,quòd non ſeruaretis, & poſui animam meã in manu mea, & tranſiui ad filios Hammon, & tradidit eos Dominus in manu mea. Et vt quid aſcendiſtis ad me die hac ad pugnandum contra me ?*

4 *Congregauit autem Iphtach omnes viros Ghilhad , & pugnauit cum Ephraim : & percuſſerunt viri Ghilhad Ephraim , quia dixerunt : Abiecti Ephraim eſtis Ghilgad in medio Ephraim , & in medio Menaſſeh .*

5 *Et cepit Ghilhad vada Iarden ipſi Ephraim . Et fuit,quando dicebant: Fugitiui Ephraim: Tranſibo: & dicebant ei viri Ghilhad : Num Ephrathæus es ? & dicebat: Non :*

6 *Dicebantque ei: Dic nunc Sciboleth , & dicebat Siboleth: & non valebat loqui ſic. Et apprehendebant eum, & iugulabant eum in vadis Iarden . Et ceciderunt in tempore illo de Ephraim quadraginta, & duo millia.*

7 *Iudicauit autem Iphthach Iſrael ſex annis : & mortuus eſt Iphthach Ghilhadites , ac ſepultus in vna ex ciuitatibus Ghilhad .*

8 *Iudicauit autem poſt eum Iſrael, Ebſan de Bethlechem :*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

38 Et dixit: Vade. Et dimiſit eam duos menſes . Et iuit ipſa,& ſodales eius, & plorauit ſuper virginalibus ſuis
ſuper montes . 39 Et factum eſt in fine duorum menſium, & reuertit ad patrem ſuum,& fecit in ea votum
ſuum,quod vouerat,& ipſa non cognouerat virum. Et factum eſt in præceptum in Iſrael . 40 Ex diebus in
dies ibant filiæ Iſrael lamentari filiam Iephthæ Galaaditidis ad quattuor dies in anno .

### CAP. XII.

ET clamauit vir Ephræm,& tranſierunt ad Aquilonem , & dixerunt ad Iephthæ : Propter quid tranſiſti pugnare in filios Ammon,& nos non vocaſti ire tecum? Domum tuam incendemus ſuper te in igni.
2 Et dixit ad eos Iephthæ: Vir pugnator eram ego, & populus meus, & filij Ammon valde : & clamaui vos , &
non ſaluaſtis me de manu eorum . 3 Et vidi,quia non es ſaluator, & poſui animam meam in ma-
nu mea,& tranſij ad filios Ammon,& dedit eos Dominus in manu mea . Et ad quid aſcendiſtis ſuper me in die
hac,ad pugnandum in me ? 4 Et conglobauit Iephthæ omnes viros Galaad , & conflixit cum
Ephræm: & percuſſerunt viri Galaad ipſum Ephræm,quia dixerunt: Euaſores ipſius Ephræm vos Galaad,in me-
dio ipſius Ephræm,& in medio ipſius Manaſſe . 5 Et præoccupauit Galaad tranſitus Iordanis ipſius
Ephræm: & dicebant eis ij,qui euaſerant de Ephræm,tranſeamus: & dixerunt eis viri Galaad: Numquid Ephra-
tites es? & dixit: Non : 6 Et dixerunt ei : Dic nunc Spica . Et non dirigebat loqui ſic . Et apprehen-
debant eum,& immolabant eum ad tranſitus Iordanis. Et ceciderunt in tempore illo de Ephræm duo & quadra-
ginta millia. 7 Et iudicauit Iephthæ Iſrael ſex annis: & mortuus eſt Iephthæ Galaadites, & ſepultus eſt in
ciuitate ſua Galaad. 8 Et poſt eum iudicauit Iſrael Abæſſam de Bethleem :

Et erant

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores, introducens in domum ſuam. Qui ſeptem annis iudicauit Iſrael.

10 Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Bethlehem.

11 Cui ſucceſſit Ahialon Zabulonites: & iudicauit Iſrael decem annis:

12 Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Zabulon.

13 Poſt hunc iudicauit Iſrael Abdon, filius Illel Pharathonites:

14 Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & iudicauit Iſrael octo annis:

15 Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

### CAP. XIII.

1 RVrſumque* filij Iſrael fecerunt malum in cōſpectu Domini: qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis.

* Sup. 10. 6.

2 Erat autem quidam vir de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem ſterilem.

3 Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis: * ſed concipies, & paries filium:

* 1. Reg. 1. 20. Gen. 16. 11. Luc. 1. 31. Nu. 6. 3.

4 Caue ergo ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas:

5 Quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.

6 Quæ cum veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogaſſem, quis eſſet, & vnde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere:

7 Sed hoc reſpondit: Ecce concipies, & paries filium: caue ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia ſuæ, ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ.

8 Orauit itaque Manue Dominum, & ait: Obſecro Domine, vt vir Dei, quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui naſciturus eſt.

Exau-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et fuerunt ei triginta filij, & triginta filias miſit foras, & triginta filias adduxit filijs ſuis deforis. Iudicauitque Iſrael ſeptem annis.*

10 *Et mortuus eſt Ibſan, ac ſepultus in Bethlechem.*

11 *Iudicauit autem poſt eum Iſrael Elon Zebulonites: iudicauitque Iſrael decem annis:*

12 *Et mortuus eſt Elon Zebulonites, ac ſepultus in Aialon in terra Zebulun.*

13 *Iudicauit autem poſt eum Iſrael Habdon filius Hillel Pirhatonites:*

14 *Et fuerunt ei quadraginta filij, & triginta filij filiorum equitantes ſuper ſeptuaginta pullos, iudicauitque Iſrael octo annis:*

15 *Et mortuus eſt Habdon filius Hillel Pirhatonites, ac ſepultus eſt in Pirhaton, in terra Ephraim, in monte Hamalechitarum.*

### CAP. XIII.

1 *ADdiderunt autem filij Iſrael, vt facerent malū in oculis Domini: tradiditque eos Dominus in manu Peliſtinorum quadraginta annis.*

2 *Fuit autem vir vnus de Sorhah, de familia Danitarum, & nomen eius Manoach, & vxor eius ſterilis, & non peperit.*

3 *Conſpectuſque eſt Angelus Domini mulierē, & dixit ei: Ecce nunc es ſterilis, & non peperiſti: concipies autem & paries filium:*

4 *Et nunc caue, ne bibas vinum, & Sechar, & ne comedas omne immundum:*

5 *Quia ecce es pragnans, & paries filium, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius: quia naziræus Dei erit puer ab vtero, & ipſe incipiet ſeruare Iſrael de manu Peliſtinorum.*

6 *Venitque mulier, & dixit viro ſuo, dicendo: Vir Dei venit ad me, & aſpectus eius, tanquam aſpectus Angeli Dei terribilis valdè. Et non interrogaui eum, vbi, vnde eſſet, & nomen ſuum non indicauit mihi:*

7 *Dixitque mihi: Ecce es pragnans, & paries filium: & nunc ne bibas vinum, & Sechar, & ne comedas omne immundum: quia nazaræus Dei erit puer ab vtero, vſque ad diem mortis ſuæ.*

8 *Orauit autem Manoach ad Dominum, & ait: Obſecro Domine mi, vir Dei quem miſiſti, veniat quæſo iterum ad nos, doceatque nos, quid faciamus puero naſcituro.*

*An-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et erant ei triginta filij, & triginta filiæ, quas emiſit foras, & triginta filias introduxit filijs ſuis deforis. Et iudi-
cauit Iſrael ſeptem annis. 10 Et mortuus eſt Abæſſan, & ſepultus eſt in Bethleem. 11 Et iudicauit poſt eum
Iſrael Ælom Zabulonites decem annis: 12 Et mortuus eſt Ælom Zabulonites, & ſepultus eſt in Ælom in ter-
ra Zabulon. 13 Et iudicauit poſt eum Iſrael Abdon filius Ellel Pharathonites: 14 Et erant ei quadraginta fi-
lij, & triginta filiorum filij inſcendentes ſuper, ſeptuaginta pullos, & iudicauit Iſrael octo annis: 15 Et mortuus
eſt Abdon filius Ellel Pharathonites, & ſepultus eſt in Pharathon in terra Ephræm in monte ipſius Amalec.

### CAP. XIII.

ET addiderunt adhuc filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini: & tradidit eos Dominus in manu Phy-
liſthijm quadraginta annos. 2 Et erat vir vnus de Saraa, de populo cognationis Dani, & nomen ei Manoe,
& vxor eius ſterilis, & non pariebat. 3 Et apparuit Angelus Domini ad vxorem, & dixit ad eam: Ecce tu
ſterilis, & non peperiſti: & concipies filium: 4 Et nunc obſerua nunc, & non bibas vinum, & inebriamētum,
& non manduces omne immundum: 5 Quoniam ecce tu in vtero habes, & paries filium, & ferrum ſuper
caput eius non aſcendet: quoniam nazir Dei erit puerulus à ventre, & ipſe incipiet ſaluare Iſrael de manu Phy-
liſthijm. 6 Et intrauit mulier, & dixit viro ſuo, dicens: Homo Dei venit ad me, & ſpecies eius, ſicut ſpecies
Angeli Dei, terribilis valde. Et non interrogaui eum, vnde eſt, & nomen ſuum non annunciauit mihi:
7 Et dixit mihi: Ecce tu in vtero habes, & paries filium: & nunc ne bibas vinum, & inebriamentum, & non man-
duces omne immundum: quoniam Dei ſanctus erit puer à ventre vſque ad diem mortis ſuæ. 8 Et de-
precatus eſt Manoe ad Dominum, & dixit: In me Domine Adonaie, hominem Dei quem miſiſti, veniat nunc
adhuc ad nos, & inſtruat nos, quid facturi ſumus puero naſcenti.

Et exau-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Exaudiuitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rurſum Angelus Dei vxori eius ſedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cum vidiſſet Angelum:

10 Feſtinauit, & cucurrit ad virum ſuum: nunciauitque ei dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram.

11 Qui ſurrexit, & ſecutus eſt vxorem ſuam: veniénſque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit: Ego ſum.

12 Cui Manue: Quando, inquit, ſermo tuus fuerit expletus, quid vis, vt faciat puer? aut à quo ſe obſeruare debebit?

13 Dixitq; Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus ſum vxori tuæ, abſtineat ſe:

14 Et quidquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum, & ſiceram non bibat, nullo veſcatur immundo: & quod ei præcepi, impleat, atque cuſtodiat.

15 Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obſecro te, vt acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris.

16 Cui reſpondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino. Et neſciebat Manue, quòd Angelus Domini eſſet:

17 Dixitque ad eum: Quod eſt tibi nomen, vt, ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te?

18 Cui ille reſpondit: * Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?

* Gen. 32. 29.

19 Tulit itaque Manue hædum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipſe autem & vxor eius intuebantur.

20 Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Quod cum vidiſſent Manue, & vxor eius, proni ceciderunt in terram:

21 Et vltra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue, Angelum Domini eſſe:

22 Et dixit ad vxorem ſuam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

23 Cui reſpondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia, neque ea, quæ ſunt ventura, dixiſſet.

Pe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Audiuit autem Deus vocem Manoach, conſpectuſque eſt Angelus Dei iterum vxori eius, & ipſa ſedebat in agro. Manoach autem vir eius, non erat cum ea:*

10 *Feſtinauit autem mulier, & cucurrit, & nunciauit viro ſuo: & ait ei: Ecce conſpectus eſt mihi vir, qui venit in die illa ad me.*

11 *Surrexitque, & iuit Manoach poſt vxorem ſuam: & venit ad virum, & dixit ei: Num tu es vir, qui locutus es mulieri? Et ait: Sum.*

12 *Dixitque Manoach: Nunc veniet ſermo tuus, quid erit iudicium pueri? & opus eius?*

13 *Et dixit Angelus Domini ad Manoach: Ab omnibus, quæ dixi mulieri, caueat:*

14 *De omni quod egreditur de vite vini, ne comedat, & Sechar ne bibat, & omne immundum ne comedat: omne quod præcepi ei, cuſtodiat.*

15 *Dixitque Manoach ad Angelum Domini: Retardemus quæſo te, & præparabimus coram te hædum caprarum.*

16 *Dixitque Angelus Domini ad Manoach: Si retardaueris me non comedam de pane tuo: ſi vero feceris holocauſtum, Domino offeres illud. Non enim ſciebat Manoach, quòd Angelus Domini eſſet:*

17 *Dixitque Manoach ad Angelum Domini: Quod eſt nomen tuum, cum venerit verbum tuum honore perſequemur te?*

18 *Dixitque ei Angelus Domini: Vt quid hoc interrogas de nomine meo, quod eſt occultum?*

19 *Tulit autem Manoach hædum caprarum, & oblationem, & obtulit ſuper petram Domino, & miraculum fecit ad faciendum: Manoach autem, & vxor eius intuebantur.*

20 *Et fuit, cum aſcenderet flamma ſuper altare in cœlum aſcendit Angelus Domini in flamma altaris: Manoach autem, & vxor eius intuebantur, & ceciderunt ſuper faciem ſuam in terram:*

21 *Et non addidit vltra Angelus Domini, vt conſpiceretur Manoach, & vxori eius. Tunc cognouit Manoach, quòd Angelus Domini eſſet:*

22 *Dixitque Manoach ad vxorem ſuam: Moriendo moriemur, quia Deum vidimus.*

23 *Dixitque ei vxor ſua: Si voluiſſet Dominus occidere nos, non ſuſcepiſſet de manu noſtra holocauſtum, & oblationem, nec oſtendiſſet nobis omnia hæc, & ſecundum tempus non audire feciſſet nos talia.*

*Pe-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et exaudiuit Deus vocem Manoe, & venit Angelus Dei adhuc ad mulierem, & ipſa ſedebat in agro. Et Manoe vir eius non erat cum ea. 10 Et feſtinauit mulier, & cucurrit, & annunciauit viro ſuo: & dixit ad eum: Ecce apparuit ad me vir, qui venit in die ad me. 11 Et ſurrexit, & iuit Manoe poſt vxorem ſuam: & venit ad virum, & dixit ei: Si tu es vir, qui locutus es ad mulierem? Et dixit Angelus: Ego. 12 Et ait Manoe: Nunc veniet verbum, quod erit iudicium pueri? & opera eius? 13 Et dixit Angelus Domini ad Manoe: Ab omnibus, quæ dixi ad mulierem, cuſtodietur: 14 Ab omni, quod egreditur de vite vini, non comedet: & vinum, & inebriamentum non bibat, & omne immundum non manducet: omnia quæcunque mandaui ei, obſeruabit. 15 Et dixit Manoe ad Angelum Domini: Retineamus nunc te, & faciamus in conſpectu tuo hædum caprarum. 16 Et dixit Angelus Domini ad Manoe: Si retinueris, non manducabo de panibus tuis: & ſi feceris holocauſtum, Domino offeres illud. Quoniam ignorauit Manoe, quia Angelus Dei ipſe: 17 Et dixit Manoe ad Angelum Domini: Quod nomen tibi, quoniam veniat verbum tuum, & glorificabimus te? 18 Et dixit ei Angelus Domini: Ad quid hoc interrogas nomen meum, & ipſum eſt admirabile? 19 Et ſumpſit Manoe hædum caprarum, & ſacrificium, & obtulit ſuper petram Domino, & diſceſſit ad faciendum: & Manoe, & vxor eius aſpicientes. 20 Et factum eſt, dum aſcenderet flamma deſuper altari vſque ad cœlum, & aſcendit Angelus Domini in flamma. Et Manoe, & vxor eius aſpicientes, & ceciderunt ſuper faciem ſuam ſuper terram: 21 Et non appoſuit vltra Angelus Domini apparere ad Manoe, & ad vxorem eius. Tunc cognouit Manoe, quoniam Angelus Domini hic: 22 Et dixit Manoe ad vxorem ſuam: Morte moriemur, quoniam Deum vidimus. 23 Et dixit ei vxor eius: Si vellet Dominus mortificare nos, non accepiſſet de manu noſtra holocauſtoma, & ſacrificium, & non oſtendiſſet nobis hæc omnia & ſicut tempus, non audire feciſſet nos hæc.

Et pe-

## Vulgata Editio.

24 Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samſon. Creuitque puer, & benedixit ei Dominus.
25 Cœpitque Spiritus Domini eſſe cum eo in Caſtris Dan inter Saraa, & Eſthaol.

### CAP. XIIII.

1 DEſcendit ergo Samſon in Thamnatha, videnſque ibi mulierem de filiabus Philiſthijm:
2 Aſcendit, & nunciauit patri ſuo, & matri ſuæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum: quam quæſo, vt mihi accipiatis vxorem.
3 Cui dixerunt pater, & mater ſua: Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philiſthijm, qui incircumciſi ſunt? Dixitque Samſon ad patrem ſuum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.
4 Parentes autem eius neſciebant, quod res a Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthijm, eo enim tempore Philiſthijm dominabantur Iſraeli.
5 Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnatha. Cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei.
6 Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare.
7 Deſcenditque & locutus eſt mulieri, quæ placuerat oculis eius.
8 Et poſt aliquot dies reuertens, vt acciperet eam, declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.
9 Quem cũ ſumpſiſſet in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem ſuũ, & matrem, dedit eis partem, qui & ipſi comederunt: nec tamẽ eis voluit indicare, quòd mel de corpore leonis aſſumpſerat.
10 Deſcendit itaque pater eius ad mulierem, & fecit filio ſuo Samſon conuiuium. Sic enim iuuenes facere conſueuerant.
11 Cum ergo ciues loci illius vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, vt eſſent cum eo.
12 Quibus locutus eſt Samſon: Proponam vobis problema: quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij, dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas:

Sin

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Peperit autẽ mulier filium, vocauitque nomen eius Simſon. Creuitque puer, & benedixit ei Dominus.*
25 *Cœpitque Spiritus Domini roborare eum in Caſtris Dan, inter Sorhah, & inter Eſthaol.*

### CAP. XIIII.

1 *DEſcendit autẽ Simſon in Timnath, viditq; mulierem in Timnath de filiabus Peliſtinorum:*
2 *Et aſcendit nunciauitque patri ſuo, ac matri ſuæ, & ait: Mulierem vidi in Timnath de filiabus Peliſtinorum: & nunc accipite eam mihi in vxorem.*
3 *Dixitque ei pater ſuus, & mater ſua: An non eſt inter filias fratrum tuorum, & in omni populo meo mulier, quia tu vadis, vt accipias vxorem de Peliſtinis incircumciſis? Dixitque Simſon patri ſuo: Eam accipe mihi, quia placuit in oculis meis.*
4 *Pater vero ſuus, & mater ſua neſciebant, quòd à Domino eſſet, quia occaſionem quærebat à Peliſtæis, & in tempore illo dominabantur Peliſtæi in Iſrael.*
5 *Deſcendit autem Simſon, & pater eius, & mater eius in Timnath. Et venerunt ad vineas Timnatha, & ecce catulus leonum rugiens in occurſum eius.*
6 *Et tranſiuit ſuper eum Spiritus Domini, & diuiſit eum, vt diuiditur hœdus, & quicquam non erat in manu eius: & non indicauit patri ſuo, & matri ſuæ, quod fecerat.*
7 *Et deſcendit, & locutus eſt mulieri, & placuit in oculis Simſon.*
8 *Et reuerſus eſt poſt dies aliquot, vt acciperet eam, & declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum erat in corpore leonis, & mel.*
9 *Et tulit illud ad manus ſuas, & iuit eundo, & comedendo: & iuit ad patrem ſuum, & matrem ſuã, deditque eis, & comederunt: ſed non indicauit eis, quòd de cadauere leonis tuliſſet mel.*
10 *Et deſcendit pater eius ad mulierem, fecitque ibi Simſon conuiuium. Sic enim faciebant iuuenes.*
11 *Et fuit, cum vidiſſent eum acceperunt triginta ſocios, & fuerunt cum eo.*
12 *Dixitque eis Simſon: Ænigmaticè loquar nũc vobis ænigma: ſi indicando indicaueritis illud mihi ſeptem diebus conuiuij, & inueneritis, dabo vobis triginta linteamina, & triginta mutatorias veſtes:*

Si

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et peperit mulier filium, & vocauit nomen eius Sampſon. Et creuit puer, & benedixit eum Dominus.
25 Et cœpit Spiritus Domini ſimul egredi cum eo in Caſtra Dan, & inter Saraa, & inter Eſthaol.

### CAP. XIIII.

ET aſcendit Sampſon in Thamnatha, & vidit mulierem in Thamnatha de filiabus alienigenarũ: 2 Et aſcẽ-
dit, & nunciauit patri ſuo, & matri ſuæ, & dixit: Mulierem vidi in Thamnatha de filiabus Phyliſthijm, & nũc
accipite eam mihi in vxorem. 3 Et dixit ei pater eius, & mater eius: Nonne ſunt filiæ fratrum tuorũ, & de omni
populo meo mulier, quia tu vadis accipere vxorem de alienigenis incircumciſis? Et dixit Sampſon ad patrẽ ſuũ:
Hanc accipe mihi, qm̃ hæc recta in oculis meis. 4 Et pater eius, & mater eius ignorabant, quia à Domino eſt,
qm̃ vindictam ipſe quærit de alienigenis, & in tempore illo alienigenæ dominantes in Iſrael. 5 Et deſcendit Sã-
pſon & pater eius, & mater eius in Thamnatha. Et venit vſque ad vineam Thamnatha, & ecce catulus leonis ru-
giens in occurſum eius. 6 Et inſiliuit in eum Spiritus Domini, & contriuit eum, ſicut contereret hœdum caprarũ,
& nihil erat in manibus eius: & non annunciauit patri ſuo, & matri ſuæ, quod fecerat. 7 Et deſcenderunt, & lo-
cuti ſunt mulieri, & direxit in oculis Sampſon. 8 Et reuertit poſt dies accipere eam, & declinauit ad videndum
cadauer leonis, & ecce congregatio apum in ore leonis, & mel. 9 Et abſtulit illud in manus ſuas & perrexit per-
gens, & comedens: & iuit ad patrem ſuũ, & ad matrem ſuam, & dedit eis, & comederunt: & non annunciauit eis,
quia de ore leonis abſtulit mel. 10 Et deſcendit pater eius ad mulierem, & fecit ibi Sampſon conuiuiũ dies ſe-
ptem. Quia ſic faciunt iuuenes. 11 Et factũ eſt, quando viderunt eum, & acceperunt triginta vocatos, & fuerunt
cum eo. 12 Et dixit eis Sampſon: Problema vobis propono: & ſi indicantes indicaueritis mihi illud in ſeptem
his diebus conuiuij, & inueneritis, dabo vobis triginta ſindones, & triginta ſtolas veſtimentorum.

Et, ſi

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Si autem non potueritis ſoluere, vos dabitis mihi triginta ſindones, & eiuſdem numeri tunicas. Qui reſponderunt ei: Propone problema, vt audiamus.

14 Dixitque eis: De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſoluere.

15 Cumque adeſſet dies ſeptimus, dixerunt ad vxorem Samſon: Blandire viro tuo, & ſuade ei, vt indicet tibi quid ſignificet problema: quod ſi facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui. An idcirco vocaſtis nos ad nuptias, vt ſpoliaretis?

16 Quæ fundebat apud Samſon lachrymas, & querebatur dicens: Odiſti me, & non diligis: idcirco problema, quod propoſuiſti filijs populi mei, non vis mihi exponere. At ille reſpondit: Patri meo, & matri nolui dicere: & tibi indicare potero?

17 Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemque die ſeptimo cum ei eſſet moleſta, expoſuit. Quæ ſtatim indicauit ciuibus ſuis.

18 Et illi dixerunt ei die ſeptimo ante ſolis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.

19 Irruit itaque in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros, quorum ablatas veſtes dedit ijs, qui problema ſoluerãt. Iratuſque nimis aſcendit in domo patris ſui:

20 Vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis.

### CAP. XV.

1 POſt aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ meſſis inſtaret, venit Samſon, inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius ſolito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens:

2 Putaui, quòd odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo: ſed habet ſororem, quæ iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor.

3 Cui Samſon reſpondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthæos: faciam enim vobis mala.

Per-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Si verò non potueritis indicare mihi, dabitis vos mihi triginta linteamina, & triginta mutatorias veſtes. Et dixerunt ei: Ænigmaticè loquere ænigma tuum, & audiemus illud.*

14 *Dixitque eis: De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Et non potuerunt indicare ænigma tribus diebus.*

15 *Et fuit, die ſeptima, dixerunt vxori Simſon: Suade viro tuo, vt indicet nobis ænigma: ne fortè comburamus te, & domum patris tui igni. Num vt poſſideret nos vocaſti nos, numquid non?*

16 *Fleuitque vxor Simſon ſuper eum, & ait: Profectò odiſti me, & non dilexiſti me: ænigma ænigmaticè locutus es filijs populi mei, & mihi non indicaſti. Dixitque ei: Ecce patri meo, & matri meæ non indicaui: & tibi indicabo?*

17 *Et fleuit ſuper eum ſeptem diebus quibus fuit eis conuiuium: & fuit, die ſeptima indicauit ei, quia coarctabat eum. Et indicauit ænigma filijs populi ſui.*

18 *Dixeruntque ei viri ciuitatis die ſeptima, antequã occumberet ſol: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Dixitque eis: Niſi araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis ænigma meum.*

19 *Et venit ſuper eum Spiritus Domini, & deſcendit in Aſcalon, & percuſſit ex eis triginta viros: & tulit exuuias eorum, & dedit mutatorias, ijs qui indicauerant ænigma. Et iratus eſt furor eius, & aſcendit in domum patris ſui:*

20 *Fuit autem vxor Simſon ſodali ſuo, qui ſocietatem fecerat ei.*

### CAP. XV.

1 *ET fuit poſt dies aliquot in diebus meſſis triticeæ, viſitauit Simſon vxorem ſuam cum hœdo caprarum. Dixitque ingrediar ad vxorem meam in cubiculum, & non permiſit eum pater eius, vt intraret, dixitque pater eius, dicendo:*

2 *Dixi, quòd odiendo odio haberes eam, & tradidi eam ſodali tuo: an non eſt ſoror eius minor, pulchrior illa, ſit nunc tibi pro illa.*

3 *Dixitque eis Simſon: Innocens ſum ſemel à Peliſtæis: ſi fecero cum eis malum.*

*Iuit*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et, ſi non potueritis indicare mihi, dabitis vos mihi triginta lintea, & triginta mutatorias ſtolas veſtimento-
rum. Et dixerunt ei: Propone problema tuum, & audiemus illud. 14 Et dixit eis: Manducabile quid exijt de
manducante, & de forti dulce. Et non potuerunt indicare problema per tres dies. 15 Et factum eſt in die quar-
ta, & dixerunt vxori Sampſon: Decipe nunc virum tuum, & annunciet tibi problema: ne forte incendamus te, &
domum patris tui in igni. Numquid ad extorquendũ nos vocaſti? 16 Et plorauit vxor Sampſon ad eum, & di-
xit: Verumtamen odio habuiſti me, & non dilexiſti me: quoniam problema, quod propoſuiſti filijs populi mei,
non indicaſti mihi illud. Et dixit ei Sampſon: Si patri meo & matri meæ non indicaui, & tibi indicabo?
17 Et plorauit ad eũ per ſeptẽ dies, quos fuit eis conuiuium: & factum eſt in die ſeptima, & indicauit ei, quoniã
perturbauerat eum. Et ipſa indicauit filijs populi ſui. 18 Et dixerunt ei viri ciuitatis in die ſeptima,
antequam oriretur ſol: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Et dixit eis Sampſon: Si non araſſetis in vitu-
la mea, non intellexiſſetis problema meum. 19 Et inſilijt in eum Spiritus Domini, & deſcendit in
Aſcalonem, & percuſſit ex eis triginta viros: & cepit veſtimenta eorum, & dedit ſtolas ijs, qui indicauerant pro-
blema. Et iratus eſt indignatione Sampſon, & aſcendit in domum patris ſui: 20 Et facta eſt vxor
Sampſon vni amicorum eius, quos dilexit.

### CAP. XV.

ET factũ eſt poſt dies, in diebus meſſis tritici, & viſitauit Sampſon vxorẽ ſuã in hœdo caprarũ, & dixit: Intra-
bo ad vxorẽ meã, & in cubiculũ, & nõ dedit eũ pater eius intrare, & dixit pater eius, dicẽs: 2 Dixi, quia odio
habens odiſti eam, & dedi eam vni ex amicis tuis: nonne ſoror eius iunior melior ſuper eã, ſit nunc tibi pro ea.
3 Et dixit eis Sampſon: Innocens factus ſum etiam ſemel ab alienigenis, quia facio ego cum eis malum.

Et iuit

## Vulgata Editio.

4 Perrexitque & cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas,& faces ligauit in medio:

5 Quas igne ſuccendens, dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis,& comportatæ iam fruges,& adhuc ſtantes in ſtipula,concrematæ ſunt, in tantum, vt vineas quoque & oliueta flamma conſumeret.

6 Dixeruntque Philiſthijm: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi: quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus eſt. Aſcenderuntque Philiſthijm: & combuſſerunt tam mulierem,quàm patrem eius.

7 Quibus ait Samſon: Licet hæc feceritis,tamen adhuc ex vobis expetam vltionem,& tunc quieſcam.

8 Percuſſitque eos ingenti plaga, ita vt ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens habitauit in ſpelunca petræ Etam.

9 Igitur aſcendentes Philiſthijm in terram Iuda caſtrametati sűt in loco, qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt,maxilla,vbi eorum effuſus eſt exercitus.

10 Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Qui reſponderunt: Vt ligemus Samſon, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.

11 Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda,ad ſpecum ſilicis Etam, dixeruntque ad Samſon: Neſcis quòd Philiſthijm imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi,ſic feci eis.

12 Ligare, inquiunt, te venimus,& tradere in manus Philiſthinorum. Quibus Samſon,Iurate,ait, & ſpődete mihi,quòd non occidatis me.

13 Dixerunt: Non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligaueruntque eum duobus nouis funibus,& tulerunt eum de petra Etam.

14 Qui cum veniſſent ad locum Maxillæ, & Philiſthijm vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt,& ſoluta.

15 Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros:

16 Et ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarű deleui eos,& percuſſi mille viros.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Iuit autem Simſon,& cepit trecentas vulpes,& accepit faces, & vertit caudam ad caudam, & poſuit facem vnam inter duas caudas in medio:*

5 *Et ſuccendit ignem in facibus,& miſit in ſegetes Peliſtinorum, & ſuccendit ab aceruo vſque ad ſegetem,vſque ad vineas,& oleas.*

6 *Dixeruntque Peliſtei: Quis fecit hoc? Et dixerunt Simſon gener Timni: quia tulit vxorem eius,& tradidit eam ſodali eius. Aſcenderunt autem Peliſtæi, & combuſſerunt eam,& patrem eius igni.*

7 *Dixitq; eis Simſon: Numquid facitis ſicut hoc, vere vindicabo me de vobis,& poſtea ceſſabo.*

8 *Et percuſſit eos coxa ſuper femur plaga magna. Et deſcendit, & manſit in cacumine petræ Hetam.*

9 *Aſcenderunt autem Peliſtim, & caſtrametati ſunt in Iehudah,& extenderunt ſe in Lechi.*

10 *Dixeruntque viri Iehudah: Vt quid aſcendiſtis aduerſus nos? Et dixerunt: Vt ligemus Simſon aſcendimus, vt faciamus ei, quemadmodum fecit nobis.*

11 *Et deſcenderunt tria millia virorum de Iehudah ad ſummitatem petræ Hetam, dixeruntque ad Simſon: Nonne noſti, quòd dominantur nobis Peliſtim? & cur hoc feciſti nobis? Dixitque eis: Quemadmodum fecerunt mihi,ſic feci eis.*

12 *Dixeruntque ei: Ad ligandum te deſcendimus, vt demus te in manu Peliſtinorum. Dixitque eis Simſon: Iurate mihi,ne fortè contingatis me vos.*

13 *Dixeruntque ei,dicendo:Non,ſed ligando ligabimus te,trademuſque te in manu eorum,ſed occidendo non occidemus te. Et ligauerunt eum duobus funibus nouis,& aſcendere fecerunt eum de petra.*

14 *Ipſe venit vſque ad Lechi:Peliſtim autem vociferati ſunt in occurſum eius, & venit ſuper eum Spiritus Domini: & fuerunt funes qui erant in brachijs eius,tanquam lina,quæ combuſta ſunt igni, & ſoluta ſunt vincula eius de manibus eius.*

15 *Inuenitque maxillam aſini recentem, miſitque manum ſuam, & accepit eam, & percuſſit ea mille viros:*

16 *Dixitque Simſon: Maxilla aſini aceruum aceruorum,maxilla aſini percuſſi mille viros.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et iuit Sampſon,& comprehendit triginta vulpes,& cepit lampadas & conuertit caudam ad caudam & poſuit
lampadem vnam inter duas caudas,& ligauit: 5 Et accendit ignem in lampadibus, & emiſit in ſpicas
alienigenarum.Et arſerunt ab area,& vſque ad ſpicas rectas,& vſque ad vineam,& oliuetum. 6 Et dixerunt
alienigenæ: Quis fecit hæc? Et dixerunt: Sampſon gener ipſius Thamni: quoniam tulit vxorem eius, & dedit eã
vni ex amicis eius.Et aſcenderunt alienigenæ,& combuſſerunt eam,& domum patris eius in igni.
7 Et dixit eis Sampſon: Si feceritis ſic hanc,quinimmo vlciſcar in vobis,& tandem quieſcam. 8 Et percuſſit
eos tibiam ſuper femur plagam magnam.Et deſcendit,& ſedit in ſpelunca petræ Etam. 9 Et aſcenderunt
alienigenæ & caſtrametati ſunt in Iuda,& diſperſi ſunt in Lechi. 10 Et dixerunt viri Iuda: Ad
quid aſcendiſtis ſuper nos? Et dixerunt alienigenæ: Ligare Sampſon aſcendimus,& facere ei,quemadmodum fecit nobis.
11 Et deſcenderunt ter mille viri de Iuda in ſpeluncam petræ Etam,& dixerunt ad Sampſon:
Nonne noſti,quia alienigenæ dominantur noſtri? Et quid hoc feciſti nobis? Et dixit eis Sampſon: Quemadmodum
fecerunt mihi,ſic feci eis,& dixerunt ei: 12 Ligare te deſcendimus, vt demus te in manu alienigenarum.
Et dixit eis Sampſon: Iurate mihi,ne fortè occurratis in me vos. 13 Et dixerunt ei,dicentes: Nő,quia
tantum vinculo vinciemus te,& trademus te in manu eorum,& morte non mortificabimus te.Et ligauerunt eum
in duobus funibus nouis,& eduxerunt eum de petra illa,& venerunt vſque ad maxillam. 14 Et alienigenæ
vociferati ſunt,& occurrerunt in occurſum eius, & inſilijt in eum Spiritus Domini:& facti ſunt funes, qui ſuper
brachijs eius,tanquam ſtuppa,quæ ſuccenſa eſt in igni,& reſoluta ſunt vincula eius de manibus eius.
15 Et inuenit maxillam aſini proiectam,& extendit manum ſuam,& accepit eam,& percuſſit in ea mille viros:
16 Et dixit Sampſon: In maxilla aſini delens deleui eos,quia in maxilla aſini percuſſi mille viros.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Cumque hæc verba canẽs compleſſet, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ.

18 Sitienſque valde, clamauit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.

19 Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Quibus hauſtis, refocillauit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla, vſque in præſentem diem.

20 Iudicauitque Iſrael in diebus Philiſthijm viginti annis.

### CAP. XVI.

1 ABijt quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.

2 Quod cum audiſſent Philiſthijm, & percrebuiſſet apud eos, intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus: & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent.

3 Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis: & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.

4 Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila.

5 Veneruntque ad eam principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.

6 Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit quo ligatus erumpere nequeas?

7 Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem neruiceis funibus necdum ſiccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri homines.

8 Attuleruntque ad eam ſatrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum:

La-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et fuit, cum compleuiſſet loqui, proiecit maxillam à manu ſua, & vocauit locum ipſum Ramath Lechi (id eſt proiectio maxillæ.)*

18 *Sitiuit autem valdè, & clamauit ad Dominum, & ait: Tu dediſti per manum ſerui tui ſalutem magnam hanc: & nunc moriar ſiti, & cadam in manu incircumciſorum.*

19 *Et rupit Deus molarem dentem, qui erat in maxilla, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, & bibit. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & reuixit. Idcirco vocauit nomen eius Henhaccore Aſer Hallechi, vſque ad diem hanc.* Fonti inuocantis, qui eſt in Lechi.

20 *Iudicauitque Iſrael in diebus Peleſtinorum viginti annis.*

### CAP. XVI.

1 *PErrexit autem Simſon in Hazzah, viditque ibi mulierem meretricem, & ingreſſus eſt ad eam.*

2 *Hazzitis dictum fuit, dicendo: Venit Simſon huc, & circumdederunt, & inſidiati ſunt ei tota nocte in porta vrbis: tacueruntque tota nocte dicendo vſque ad lucem matutinam, & occidemus eum.*

3 *Dormiuit autem Simſon vſque ad dimidium noctis: & ſurrexit media nocte, apprehenditque fores portæ vrbis, & duos poſtes, & profectus eſt cum eis cum vecte, poſuitque ſuper humeros ſuos, & aſcendit cum eis in verticem montis, qui erat contra faciem Chebron.*

4 *Et fuit poſt hæc, dilexit mulierem in torrente Sorech, & nomen eius erat Delilah.*

5 *Aſcenderunt autem ad eam ſatrapæ Peliſtinorum, dixeruntque ei: Decipe eum, & vide in quo ſit fortitudo eius magna, & in quo præualeamus ei, ligabimuſque eum, vt affligamus eum. Et nos dabimus tibi ſinguli mille, & centum argenteos.*

6 *Dixitque Delilah ad Simſon: Indica quæſo mihi, in quo eſt fortitudo tua magna, & quo ligeris ad affligendum te?*

7 *Dixitque ei Simſon: Si ligauerint me ſeptem virgis viridibus, quæ non ſint ſiccæ, debilis ero, & ero ſicut vnus ex hominibus.*

8 *Aſcendere fecerunt ad eam ſatrapæ Peliſtinorum ſeptem virgas virides, quæ non erant ſiccæ, & ligauit eum illis.*

*Inſi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Et factum eſt, vt ceſſauit loquens, & proiecit maxillam de manu ſua, & vocauit locum illum, eleuatio maxillæ. 18 Et ſitiuit valde, & plorauit ad Dominum, & dixit: Tu benedixiſti in manu ſerui tui ſalutem magnam hanc: & nunc moriar ſiti, & incidam in manum incircumciſorum.
19 Et rupit Deus lacum, qui in maxilla, & exijt ex eo aqua, & bibit. Et reuertit ſpiritus eius, & vixit. Propter hoc vocatum eſt nomen eius, Fons inuocantis, qui eſt in maxilla vſque in diem hanc. 20 Et iudicauit Iſrael in diebus alienigenarum viginti annos.

### CAP. XVI.

ET iuit Sampſon in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, & intrauit ad eam. 2 Et nunciatum eſt Gazæis, dicentes: Venit Sampſon huc, & circumdederunt, & inſidiati ſunt in eum tota nocte, in porta ciuitatis: & mutuerunt tota nocte, dicentes: Donec illuxerit mane, & interficiemus eum. 3 Et dormiuit Sampſon vſque ad mediam noctem: & ſurrexit in dimidio noctis, & apprehendit ianuas portæ ciuitatis cum ambabus poſtibus, & ſuſtulit eas cum vecte, & poſuit ſuper humeros ſuos, & aſcendit in cacumen montis, qui eſt ſuper faciem Chebron, & poſuit ea ibi. 4 Et factum eſt poſt hoc, & amauit mulierem in Alſorech, & nomen ei Dalida. 5 Et aſcenderunt ad eam principes alienigenarum, & dixerunt ei: Decipe eum, & vide, in quo fortitudo eius magna, & in quo præualebimus ei, & ligabimus eum ad humiliandum eum. Et nos dabimus tibi vir mille, & centum argenti. 6 Et ait Dalida ad Sampſon: Annuncia nunc mihi, in quo fortitudo tua magna, & in quo ligaberis ad humiliandum te? 7 Et dixit ad eam Sampſon: Si ligauerint me in ſeptem neruis humidis nondum ſiccatis, & infirmabor, & ero ſicut vnus hominum. 8 Et attuleruñt ad eam principes alienigenarum ſeptem neruos humidos nondum ſiccatos, & ligauit eum in illis.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Latentibus apud ſe inſidijs, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamauitque ad eum: Philiſthijm ſuper te Samſon. Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum in quo eſſet fortitudo eius.

10 Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: ſaltem nunc indica mihi quo ligari debeas.

11 Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis.

12 Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamauit: Philiſthijm ſuper te Samſon, in cubiculo inſidijs præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum.

13 Dixitque Dalila rurſum ad eum: Vſquequo decipis me, & falſum loqueris? oſtende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

14 Quod cum feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthijm ſuper te Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus, & licio.

15 Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere in quo ſit maxima fortitudo tua.

16 Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt.

17 Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines.

18 Videnſque illa, quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthinorum, ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt aſſumpta pecunia, quam promiſerant.

19 At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit:

Di-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Inſidiæ autem manebant apud illam in cubiculo, dixitque ad eum: Peliſtim ſuper te Simſon. Et rupit virgas quemadmodum rumpitur filum ſtupæ, quando odorat ipſum ignis, & non eſt agnita fortitudo eius.*

10 *Dixitque Delilah ad Simſon: Ecce deluſiſti me, locutuſque es ad me mendacia: nunc indica quæſo mihi quo ligeris.*

11 *Dixitque ad eam: Si ligando ligauerint me funibus nouis, quibus non eſt factum opus, debilis ero, & ero ſicut vnus ex hominibus.*

12 *Tulitque Delilah funes nouos, & ligauit eum illis, dixitque ad eum: Peliſtim ſuper te Simſon, inſidiæ autem manebant in cubiculo. Et rupit eos à brachijs ſuis ſicut filum.*

13 *Dixitque Delilah ad Simſon: Vſquequo deluſiſti me, & locutus es mihi mendacia? indica mihi quo ligeris. Dixitque ad eam: Si texueris ſeptem cincinnos capitis mei licio, & fixeris clauo.*

14 *Dixitque ad eum: Peliſtim ſuper te Simſon. Et expergefactus eſt de ſomno ſuo, & profectus eſt cum clauo texturæ, & cum licio.*

15 *Dixitque ei: Quomodo dicis dilexi te, & cor tuum non eſt mecum? Iam tribus vicibus deluſiſti me, & non indicaſti mihi in quo ſit fortitudo tua magna.*

16 *Et fuit cum coarctaret eum verbis ſuis omnibus diebus, & moleſtaret eum; anguſtijs affecta eſt anima eius, vt moreretur.*

17 *Et indicauit ei totum cor ſuum, dixitque ei: Nouacula non aſcẽdit ſuper caput meum, quia nazaræus Dei ſum ab vtero matris meæ: ſi raſus fuero, recedet à me fortitudo mea, & debilis ero, & ero ſicut omnes homines.*

18 *Et vidit Delilah, quòd indicaſſet ſibi totum cor ſuũ, & miſit, & vocauit principes Peliſtinorum, dicendo: Aſcendite ſemel, quia indicauit mihi totum cor ſuũ. Et aſcenderunt ad eam principes Peliſtinorum, & detulerunt argentum in manibus ſuis.*

19 *Et dormire fecit eum ſuper genua. Vocauitque virum, & radi fecit ſeptem cincinnos capitis eius, & cœpit affligere eum, & receſſit fortitudo eius ab eo.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et inſidiæ ei ſedebant in cubiculo, & dixit ad eum: Alienigenæ ſuper te Sampſon. Et diſrupit neruos, ac ſi quis
rumperet globum ſtuppæ, dum ea olfecerit ignem: & non eſt cognita fortitudo eius. 10 Et dixit Dalida ad Sa-
pſon: Ecce decepiſti me, & locutus es ad me falſa: nunc igitur annuncia mihi, in quo ligaberis. 11 Et dixit ad
eam: Si ligantes ligauerint me in funiculis nouis quibus nõ eſt factum in eis opus, & infirmabor, & ero, ſicut vnus
hominum. 12 Et ſumpſit Dalida funiculos nouos, & ligauit eum in illis, & inſidiæ exierunt de cubiculo, & dixit:
Alienigenæ ſuper te Sampſon. Et diſrupit eas à brachijs ſuis tanquam filum. 13 Et dixit Dalida ad Sampſon:
Ecce decepiſti me, & locutus es ad me falſa? annuncia nunc mihi, in quo ligaberis. Et dixit ad eam: Si intexueris
ſeptem cincinnos capitis mei cum licio, & infixeris paxillo in parietem, & ero, tanquam vnus hominum, infirmus.
14 Et factum eſt, cum ille dormiret, & ſumpſit Dalida ſeptem cincinnos capitis eius, & intexuit in licio, & infixit
paxillo in parietem, & dixit: Alienigenæ ſuper te Sampſon. Et expergefactus eſt e ſomno ſuo, & abſtulit paxillum
texturæ de pariete. 15 Et dixit ad eum Dalida: Quomodo dicis, amaui te, & cor tuum non eſt mecum? Hoc
tertium feſelliſti me, & non annunciaſti mihi, in quo fortitudo tua magna. 16 Et factum eſt, quando vexauit eũ
in verbis ſuis omnes dies, & anguſtiauit eum, & defecit animo vſque ad moriendum. 17 Et annunciauit ei omne
cor ſuum, & dixit ad eam: Ferrum non aſcendit ſuper caput meum, quoniam ſanctus Dei ego ſum à ventre ma-
tris meæ: ſi igitur raſus fuero, diſcedet à me fortitudo mea, & infirmabor, & ero ſicut omnes homines. 18 Et in-
tellexit Dalida, quia annunciauerat ei omne cor ſuum, & miſit, & vocauit principes alienigenarum, dicens: Aſcẽ-
dite adhuc vice hac, quoniam annunciauit mihi omne cor ſuum. Et aſcenderunt ad eam principes alienigenarũ,
& attulerunt argentum in manibus ſuis. 19 Et dormire fecit Dalida Sampſon ſuper genua ſua. Et vocauit vi-
rum, & raſit ſeptem cincinnos capitis eius, & cœpit humiliare eum: & diſceſſit fortitudo eius ab eo.

Et di-

UVA.BSCH

| Vulgat.Editio. | | | Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Dixitque: Philiſthijm ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens, dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam, neſciens, quòd receſſiſſet ab eo Dominus. | 20 | 20 | *Dixitque: Peliſtim ſuper te Simſon. Et expergefactus eſt à ſomno ſuo, & dixit: Egrediar ſicut vice altera, & excutiam me, & neſciebat, quòd Dominus receſſerat ab eo.* |
| Quem cum apprehendiſſent Philiſthijm, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt. | 21 | 21 | *Et apprehenderunt eum Peliſtim, & effoderunt oculos eius, & deſcendere fecerunt eum in Hazzah, & ligauerunt eum compedibus, & molebat in domo vinctorum.* |
| Iamque capilli eius renaſci cœperant: | 22 | 22 | *Et cœpit pilus capitis eius germinare poſt quam raſus eſt:* |
| Et principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum vt immolarent hoſtias magnificas Dagon deo ſuo, & epularentur, dicentes: Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras. | 23 | 23 | *Satrapæ autem Peliſtinorum congregati ſunt, vt ſacrificarent ſacrificium magnum Dagon deo ſuo, & ad lætitiam, & dixerunt: Tradidit nobis Deus noſter in manu noſtra Simſon inimicum noſtrum.* |
| Quod etiam populus videns, laudabat deum ſuum, eademque dicebat: Tradidit Deus noſter aduerſarium noſtrum in manus noſtras, qui deleuit terram noſtram, & occidit plurimos. | 24 | 24 | *Videruntque eum populus, laudaueruntque deum ſuum, quia dixerunt. Tradidit Deus noſter in manibus noſtris inimicum noſtrum, & deuaſtantem terram noſtram, & qui multiplicauit occiſos noſtros.* |
| Lætanteſque per conuiuia, ſumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum ſtare inter duas columnas. | 25 | 25 | *Et fuit cum iucundum eſſet cor eorum, dixerunt: Vocate Simſon, & ludat coram nobis. Vocaueruntque Simſon de domo vinctorum, & luſit ante eos, & ſtare fecerunt eum inter columnas.* |
| Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas, & paululum requieſcam. | 26 | 26 | *Dixitque Simſon ad puerum, qui tenebat manum eius: Duc me, & fac palpare me columnas ſuper quas domus firmatur, & innitar eis.* |
| Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto, & ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon: | 27 | 27 | *Domus autem plena erat virorum, & mulierum, & ibi omnes ſatrapæ Peliſtim, & ſuper tectum circiter tria millia virorum, & mulierum, qui ſpectabant dū luderet Simſon:* |
| At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam. | 28 | 28 | *Clamauitque Simſon ad Dominum, & ait: Domine Deus memento mei obſecro, & fortifica me obſecro tantum vice hac Deus, & vlciſcar vltione vna de duobus oculis meis de Peliſtinis.* |
| Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læua tenens: | 29 | 29 | *Et complexus eſt Simſon ambas columnas medias ſuper quas domus firma erat, & innixus eſt eis, vna erat à dextera eius, & altera à ſiniſtra eius:* |
| Ait: Moriatur anima mea cum Philiſthijm, concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quàm ante viuus occiderat. | 30 | 30 | *Dixitque Simſon: Moriatur anima mea cum Peliſtcis, & inclinauit ſe fortiter, ceciditque domus ſuper ſatrapas, & ſuper omnem populum, qui erat in ea: fueruntque mortui, quos mori fecit cum moreretur ipſe plures, quam quos mori fecit, dum viueret ipſe.* |
| Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: iudicauitque Iſrael viginti annis. | 31 | 31 | *Deſcenderunt autem fratres eius, & omnis domus patris eius, & tulerunt eum, & aſcenderunt, & ſepelierunt eum inter Sorhah, & inter Eſthaol in ſepulchro Manoach patris ſui: ipſe autem iudicauit Iſrael viginti annis.* |
| CAP. | | | *CAP.* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et dixit Dalida: Alienigenæ ſuper te Sampſon. Et expergefactus eſt è ſomno ſuo, & dixit: Exibo, vt ſemel, & ſemel, & excutiam me, & ipſe non intellexerat, quia Dominus receſſerat deſuper eo. 21 Et tenuerunt eum alienigenæ, & exciderunt oculos eius, & depoſuerunt eum in Gazam, & ligauerunt eum in compedibus æneis, & erat molens in domo carceris. 22 Et cœpit capillus capitis eius germinare, ſicut raſus fuerat: 23 Et principes alienigenarum congregati ſunt ad ſacrificandum ſacrificium magnum Dagon deo ſuo, & lætandum, & dixerunt: Dedit Deus in manu noſtra Sampſon inimicum noſtrum. 24 Et viderunt eum populus, & hymnis celebrarunt Deum ſuum: Quia tradidit Deus noſter inimicum noſtrum in manu noſtra, qui vaſtabat terram noſtram, & qui multiplicabat cæſos noſtros. 25 Et quando bonum fuit cor eorum, & dixerunt: Vocate Sampſon è domo cuſtodiæ, & ludat coram nobis. Et vocauerunt Sampſon è domo carceris, & ludebat coram eis, & alapis percutiebant eum, & ſtatuerunt eum inter columnas. 26 Et dixit Sampſon ad puerum, qui tenebat manum eius: Dimitte me, & palpabo columnas, ſuper quas domus ſuper eas, & innitar ſuper eas 27 Et domus plena virorũ & mulierũ, & ibi omnes principes alienigenarũ, & in ſolario circiter ter mille viri, & mulieres ſpectãtes ad ludos Sãpſon: 28 Et plorauit Sãpſon ad Dñm, & dixit: Adonaie Dñe memento nunc mei, & conforta me adhuc vice hac Dee, & retribuã retributioné vnã alienigenis pro duobus oculis meis. 29 Et apprehendit Sãpſon ambas colũnas domus, ſuper quas domus ſtabat, & innixus eſt ſup illas, & tenuit vnã dextra ſua, & vnam ſiniſtra ſua: 30 Et dixit Sãpſon: Moriatur anima mea cũ alienigenis, & ſuſtulit in fortitudine, & cecidit domus ſup principes, & ſuper oẽm populũ, qui in ea: & fuerũt mortui, quos mortificauit Sãpſon in morte ſua, plures quã quos mortificauit in vita ſua. 31 Et deſcenderũt fratres eius, & domus patris eius, & tulerũt eũ, & aſcenderunt, & ſepelierunt eum inter Saraa, & inter Eſthaol in ſepulchro Manoe patris eius: & ipſe iudicauit Iſrael viginti annis.

## Vulgata Editio.

### CAP. XVII.

1 FVit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas:

2 Qui dixit matri ſuæ: Mille, & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino.

3 Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi.

4 Reddidit igitur eos matri ſuæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

5 Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit, & fecit ephod, & theraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola: impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos.

6 In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

7 Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius: eratque ipſe Leuites, & habitabat ibi.

8 Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem, peregrinari voluit vbicumque ſibi commodum reperiſſet. Cumque veniſſet in montem Ephraim, iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ:

9 Interrogatus eſt ab eo vnde veniſſet. Qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado vt habitem vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero.

10 Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens, ac ſacerdos: daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.

11 Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filijs.

12 Impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe.

13 Nunc ſcio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis ſacerdotem.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XVII.

1 *FVit autem vir de monte Ephraim, & nomen eius Michaiehu:*

2 *Dixitque matri ſuæ: Mille, & centum argentei, qui ablati fuerunt à te, & tu maledixiſti, & dixiſti in auribus meis, ecce argentum mecum eſt, ego accepi illud. Et dixit mater eius: Benedictus filius meus à Domino.*

3 *Et reddidit mille, & centum argenteos matri ſuæ, dixeritque mater eius: Sanctificando ſanctificaui argentum Domino de manu mea filio meo ad faciendum ſculptile, & conflatile: & nunc reſtituam illud tibi.*

4 *Et reddidit argentum matri ſuæ: tulitque mater eius ducentos argenteos, & dedit eos argentario, & fecit ex eis ſculptile, & conflatile, & fuit in domo Michaiehu.*

5 *Viro autem Michah fuit domus Dei, fecitque ephod, & teraphim, & conſecrauit manum vnius de filijs ſuis: & fuit ei ſacerdos.*

6 *In diebus illis non erat rex in Iſrael, vnuſquiſque quod rectum erat in oculis ſuis faciebat.*

7 *Fuit autem puer de Bethlechem Iehudah, de familia Iehudah, & ipſe Leuita, & ipſe peregrinabatur ibi.*

8 *Abijt autem vir de ciuitate Bethlechem Iehudah, ad peregrinandum vbicumque inueniſſet. Venitque in montem Ephraim vſque ad domum Michah, ad faciendum iter ſuum:*

9 *Dixitque ei Michah: Vnde venis. Dixitque ei Leuita: Ego ſum de Bethlechem Iehudah, & vado ad peregrinandum vbicumque inuenero.*

10 *Dixitque ei Michah: Mane apud me, & eſto mihi pro patre, & pro ſacerdote: & dabo tibi decem argẽteos annuatim, & ordinem veſtimentorum, & victum tuum, & perrexit Leuita.*

11 *Et voluit Leuita manere cum viro, & fuit adoleſcẽs ei tanquam vnus de filijs ſuis.*

12 *Et conſecrauit Michah manum Leuitæ, & fuit ſibi adoleſcens pro ſacerdote, & fuit in domo Michah.*

13 *Dixitque Michah: Nunc cognoui, quòd benefaciet Dominus mihi, quia eſt mihi Leuita pro ſacerdote.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XVII.

ET fuit vir de monte Ephræm, & nomen ei Michæas: 2 Et dixit matri ſuæ: Mille, &
centum, quos accepiſti argenti tibi ipſi, & me maledictis adiuraſti, & etiam dixiſti in auribus meis, ecce argentum apud me, ego accepi illud. Et dixit mater eius: Benedictus filius meus Domino.
3 Et reddidit mille, & centum argenti matri ſuæ, & dixit mater eius: Sanctificans ſanctificaui argentum Domino de manu mea filio meo ad faciendum ſculptile, & fuſile: & nunc reddam illud tibi.
4 Et reddidit argentum matri ſuæ: & ſumpſit mater eius ducentos argenti, & dedit illud argentario, & fecit ipſum ſculptile, & fuſile, & fuit in domo Michæ. 5 Et domus Michæ, ipſi domus Dei, & fe-
cit ephod, & theraphim: & impleuit manum vnius de filijs ſuis, & factus eſt ei in ſacerdotem.
6 In diebus autem illis non erat rex in Iſrael, vir, quod rectum in oculis ſuis, faciebat. 7 Et fuit
adoleſcens de Bethleem de populo Iuda, & ipſe Leuita: & hic incolebat ibi. 8 Et iuit vir de Be-
thleem ciuitate Iuda ad incolendum, in quocumque inueniſſet loco. Et venit vſque ad montem Ephræm, & vſque ad domum Michæ ad faciendum iter ſuum: 9 Et dixit ei Michæas: Vnde venis. Et dixit
ad eum: Leuita ſum de Bethleem Iuda, & ego vado ad incolendum, in quocumque loco inuenero.
10 Et dixit ei Michæas: Sede mecum, & ſis mecum in patrem, & in ſacerdotem: & ego dabo tibi decem argenti
in diem, & ſtolam veſtimentorum, & ea, quæ ad vitam tuam. 11 Et iuit Leuita, & cœpit incolere
apud virum, & factus eſt adoleſcens ei, ſicut vnus de filijs eius. 12 Et impleuit Michæas manum Le-
uitæ, & factus eſt ei in ſacerdotem, & fuit in domo Michæ. 13 Et dixit Michæas: Nunc cognoui,
quia benefaciet mihi Dominus, quoniam factus eſt mihi Leuita in ſacerdotem.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XVIII.

1 IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea: vſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat.

2 Miſerunt ergo filij Dan, ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa, & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent: dixeruntque eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cum pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieuerunt ibi:

3 Et agnoſcentes vocem adoleſcentis Leuitæ, vtenteſque illius diuerſorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti?

4 Qui reſpondit eis: Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit vt ſim ei ſacerdos.

5 Rogauerunt autem eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.

6 Qui reſpondit eis: Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.

7 Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore, iuxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opū, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.

8 Reuerſique ad fratres ſuos in Saraa, & Eſthaol, & quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt:

9 Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare. Eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.

10 Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria eorum, quæ gignuntur in terra.

11 Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Saraa, & Eſthaol ſexcenti viri accincti armis bellicis:

12 Aſcendenteſque manſerunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus ex eo tempore Caſtrorum Dan, nomen accepit, & eſt poſt tergum Cariathiarim.

Inde

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XVIII.

1 *IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & in diebus illis tribus Danita quærebat ſibi hæreditatem ad habitandum: non enim ceciderat ſibi vſque ad diem ipſum in medio tribuum Iſrael hæreditas.*

2 *Miſeruntque filij Dan de familia ſua quinque viros de partibus ſuis viros fortes, de Sorhah & de Heſthaol ad explorandum terram, & inueſtigandum eam: dixeruntque ad eos: Ite, conſiderate terram. Et venerunt in montem Ephraim vſque ad domum Michah, manſeruntque ibi:*

3 *Ipſis exiſtentibus apud domum Michah, agnouerunt vocem adoleſcentis Leuitæ, & declinauerunt illuc, dixeruntque ei: Quis adduxit te?*

4 *Dixitque ad eos: Talia, & talia fecit mihi Michah, & mercede conduxit me, & fui illi pro ſacerdote.*

5 *Dixeruntque ei: Conſule obſecro Deum, ut ſciamus, an ſecundet viam noſtram per quam ambulamus.*

6 *Dixitque illis ſacerdos: Ite in pace: Ante Dominum eſt via veſtra, per quam ambulabitis.*

7 *Et abierunt quinque viri, & venerunt in Lais, videruntque populum, qui erat in medio eius, habitātem confidenter, iuxta conſuetudinem Sidoniorum, quieſcentem, & confidentem, & non confundentem eos in aliquo in terra non poſſidentem regnum, & diſtantē à Sidonijs & commercium non erat eis cū homine.*

8 *Et venerunt ad fratres ſuos in Sorhah, & Eſthaol, dixeruntque eis fratres eorum: Quid vos?*

9 *Et dixerunt: Surgite, & aſcendamus ad eos: vidimus enim terram, & ecce bona valdè, & eſtis tacentes. Ne ſitis pigri ad eundum, ut ingrediamini ad poſſidendum terram.*

10 *Quando intrabitis, intrabitis ad populum confidentem, & terra lata locis eſt, quia tradidit eam Deus in manu veſtra, locum in quo non eſt defectus omnis rei, quæ eſt in terra.*

11 *Profecti ſunt autem inde de familia Danita de Sorhah, & de Eſthaol ſexcenti viri accincti inſtrumentis bellicis:*

12 *Et aſcenderunt, & caſtrametati ſunt in Chiriathiearim in Iehudah: idcirco vocauerunt locum ipſum Machaneh Dan vſque ad diem hāc, ecce eſt poſt Chiriathiearim.* Caſtra Dā

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XVIII.

IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & in diebus illis tribus Dan quærebat ſibi hæreditatem ad habitandum:
quia non ceciderat ei vſque in diem illam in medio tribuum filiorum Iſrael hæreditas.
2 Et miſerunt
filij Dan de populis ſuis quinque viros filios virtutis, de Saraa, & de Eſthaol ad conſiderandam terram, & inueſti-
gandam eam: & dixerunt ad eos: Ite, & inueſtigate terram. Et venerunt vſque ad montem Ephræm, vſque ad do-
mum Michee, & manſerunt ipſi illic in domo Michee:
3 Et ipſi agnouerunt vocem adoleſcentis Leuitæ, &
declinauerunt illuc, & dixerunt ei: Quis attulit te huc? & tu quid facis in loco hoc? & quid tibi hic?
4 Et dixit ad eos: Sic, & ſic fecit mihi Micheas, & mercede conduxit me, & factus ſum ei in ſacerdotem.
5 Et dixerunt ei: Interroga nunc in Deo, & cognoſcemus, ſi proſperabitur via noſtra, in qua nos imus in ea.
6 Et dixit eis ſacerdos: Ite in pace: Coram Domino via veſtra, in qua pergitis in ea.
7 Et perrexerunt quin-
que viri, & venerunt in Laiſa: & viderunt populum, qui in medio eius, ſedētem in ſpe, ſicut eſt iudicium Sidonio-
rum, quieſcens, & non eſt deterrens, vel confundens verbum in terra, poſſeſſor exprimens theſauros, & procul ſunt
à Sidonijs, & non habent verbum ad hominem.
8 Et venerunt quinque viri ad ſuos in Saraa, & Eſthaol, &
dixerunt fratribus ſuis: Quid vos ſedetis & dixerunt:
9 Surgite, & aſcendamus ſuper eos: quoniam vidi-
mus terram, & ecce bona valde, & vos quieſcitis. Ne torpeatis ire, & intrare ad hæreditandam terram.
10 Et quandocumque venietis, intrabitis ad populum in ſpe, & terra lata, quoniam dedit eam Deus in manu ve-
ſtra locus, vbi non eſt ibi inopia omnis verbi eorum, quæ in terra.
11 Et promouerunt inde de populis Dan à
Saraa, & ab Eſthaol ſexcenti viri accincti vaſis belli:
12 Et aſcenderunt, & caſtrametati ſunt in Cariathiarim
in Iuda: propter hoc vocatum eſt in loco illo, Caſtra Dan vſque in diem hanc, ecce poſt Cariathiarim.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cumque veniſſent ad domum Michæ:
14 Dixerunt quinque viri, qui prius miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis, quòd in domibus iſtis ſit ephod, & theraphim, & ſculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.
15 Et cum paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domũ adoleſcentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ: ſalutaueruntque eum verbis pacificis.
16 Sexcenti autem viri ita vt erant armati, ſtabant ante oſtium.
17 At illi, qui ingreſſi fuerant domum iuuenis, ſculptile, & ephod, & theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus.
18 Tulerunt igitur qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos: Quid facitis?
19 Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum: venique nobiſcum, vt habeamus te patrem, ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis ſacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu, & familia in Iſrael?
20 Quod cum audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.
21 Qui cum pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos, ac iumenta, & omne quod erat pretioſum:
22 Et iam à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes ſecuti ſunt:
23 Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas?
24 Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?
25 Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.
26 Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.

Sex-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et tranſierunt inde in montem Ephraim. Veneruntque vſque ad domum Michah:*
14 *Locutique ſunt quinque viri, qui perrexerant ad explorandum terram Lais, dixeruntque fratribus ſuis: Num noſtis, quòd eſt in domibus iſtis Ephod, & Teraphim, & ſculptile, & conflatile: & nunc ſcitote quid faciatis.*
15 *Et declinauerunt illuc, veneruntque ad domum adoleſcentis Leuitæ, ad domum Michah: & ſalutauerunt eum pacificè.*
16 *Sexcenti autem viri accincti armis bellicis ſuis ſtabant ad oſtium portæ, qui erant de filijs Dan.*
17 *Aſcenderunt autem quinque viri, qui perrexerant ad explorandum terram, & ingreſſi ſunt illuc, tulerunt ſculptile, & ephod, & teraphim, & conflatile, ſacerdos autem ſtabat ad oſtium portæ, & ſexcenti viri accincti armis bellicis.*
18 *Et iſti ingreſſi ſunt domum Michah, & tulerunt ſculptile, ephod, & teraphim, & conflatile. Dixitque ad eos ſacerdos: Quid facitis?*
19 *Dixeruntque ei: Tace, pone manum tuam ſuper os tuum: & veni nobiſcum, & eſto nobis pro patre, & ſacerdote. Quid melius eſt eſſe te ſacerdotem domus viri vnius, aut eſſe te ſacerdotem tribus, & familia in Iſrael?*
20 *Et iucundum fuit cor ſacerdotis, tulitque ephod, & teraphim, & ſculptile, & ingreſſus eſt medium populi.*
21 *Et verterunt ſe & abierunt, poſueruntque paruulos, & iumenta, & precioſa ante ſe:*
22 *Ipſi longè erant à domo Michah, & viri, qui erant in domibus, qui erant apud domum Michab congregati ſunt, & perſecuti ſunt filios Dan:*
23 *Et clamauerunt ad filios Dan. Et verterunt facies ſuas, dixeruntque ad Michah: Quid tibi, quia congregatus es?*
24 *Et dixit: Deos meos, quos feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & abiiſtis, & quid mihi vltra, & cur hoc dicitis mihi: Quid tibi?*
25 *Dixeruntque ad eum filij Dan: Ne audire facias vocem tuam nobiſcum, ne fortè attingant vos viri amari animo, & perdas animam tuam, & animam domus tuæ.*
26 *Et abierunt viri Dan in viam ſuam. Vidit autem Michah, quòd fortiores eſſent ſe, & vertit ſe, & reuerſus eſt in domum ſuam.*

*Ipſi*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et prætererierunt inde montem Ephræm. Et venerunt vſque ad domum Michææ: 14 Et reſponderunt quinque viri euntes conſiderare terram Laiſa, & dixerunt ad fratres: Noſtis, quia eſt in domo hac
ephod, & theraphim, & ſculptile, & fuſile: & nunc intelligite, quid facietis. 15 Et declinauerunt
inde & intrauerunt in domum adoleſcentis Leuitæ, in domum Michææ: & interrogauerunt eum in pace.
16 Et ſexcenti viri, qui erant accincti vaſis belli ſuis, ſtantes apud ianuas portæ, qui erant de filijs Dan.
17 Et aſcenderunt quinque viri, qui ierant conſiderare terram, & intrauerunt illuc in domum Michææ, & ſacerdos ſtans. 18 Et ſumpſerunt ſculptile, & ephod, & theraphin, & fuſile. Et dixit ad eos ſacerdos: Quid vos facitis? 19 Et dixerunt ei: Tace, impone manum tuam ſuper os tuum: & veni
nobiſcum, & eſto nobis in patrem, & in ſacerdotem. Numquid eſt bonum eſſe te ſacerdotem domus viri vnius,
an fieri te ſacerdotem tribus, & domus in populo Iſrael? 20 Et factum eſt bonum cor ſacerdotis, & ſumpſit ephod, & theraphin, & ſculptile, & fuſile, & venit in medio populi. 21 Et reuerterunt, & abierunt, & poſuerunt filios, & poſſeſſionem, & quod precioſum ante ſe: 22 Ipſi elongauerant à domo Michææ, & ecce Michææ, & viri, qui in domibus, quæ cum domo Michææ:
23 Clamauerunt, & aſſecuti ſunt filios Dan. Et conuerterunt filij Dan faciem ſuam, & dixerunt Michææ: Quid
eſt tibi? quia clamaſti? 24 Et dixit Micheas: Quoniam ſculptile meum, quod feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & iuiſtis, & quid mihi vltra, & quid hoc dicitis ad me: Quid clamas? 25 Et dixerunt
ad eum filij Dan: Non audiatur nunc vox tua nobiſcum, ne forte occurrant vobis viri amari animo, & aponent
animam tuam, & animam domus tuæ. 26 Et iuerunt filij Dan in viam ſuam. Et vidit Michæas, quia potentiores ſunt ſuper ipſum, & reuertit in domum ſuam.

Et filij

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

27 Sexcenti autem viri tulerunt ſacerdotem, & quæ ſupra diximus : veneruntque in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij: vrbemque incendio tradiderunt :

28 Nullo penitus ferente præſidium, eo quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis, ac negotij. Erat autem ciuitas ſita in regione Rohob: quam rurſum extruentes habitauerunt in ea :

29 Vocato nomine ciuitatis Dan iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſrael, quæ prius Lais dicebatur.

30 Poſueruntque ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan, vſque ad diem captiuitatis ſuæ.

31 Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo, in diebus illis non erat rex in Iſrael.

### CAP. XIX.

1 FVit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda :

2 Quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quattuor menſibus.

3 Secutuſque eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum, & duos aſinos : quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui. Quod cum audiſſet ſocer eius, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus :

4 Et amplexatus eſt hominem. Manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter.

5 Die autem quarto de nocte conſurgens, proficiſci voluit. Quem tenuit ſocer, & ait ad eum : Guſta prius pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris.

6 Sederuntque ſimul, ac comederunt, & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum : Quæſo te, vt hodie hic maneas, pariterque lætemur.

7 At ille conſurgens, cœpit velle proficiſci. Et nihilominus obnixe eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.

Ma-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Ipſi autem acceperant, quod fecerat Michah, & ſacerdotem, qui fuerat ei : veneruntque ad Lais ad populum quieſcentem, & confidentem, & percuſſerunt eos acie gladij : vrbemque ſuccenderunt igni :*

28 *Et non fuit liberator, quia longinqua erat à Sidon, & commercium non erat eis cum homine. Ipſa autem erat in valle quæ erat ipſi Bethrechob : & ædificauerunt vrbem, & manſerunt in ea :*

29 *Vocaueruntque nomen vrbis Dan, ſecundum nomen Dan patris ſui, qui natus eſt ipſi Iſrael, & quidem Lais nomen erat vrbi prius.*

30 *Et ſtatuerunt ſibi filij Dan ſculptile, Iehonathan autem filius Gerſom filij Menaſſeh ipſe, & filij eius fuerunt ſacerdotes tribui Danitæ vſque ad diem captiuitatis terræ.*

31 *Et poſuerunt ſibi ſculptile ipſius Michah, quod fecerat omnibus diebus, quibus fuit domus Dei in Siloh, * & fuit, in diebus ipſis rex non erat in Iſrael.**

* Quæ duobus aſteriſ. clauduntur in Biblia Sanct. Pagnini ſūt [illegible] ſtatim initio capituli ſequentis.

### CAP. XIX.

1 *ET fuit, vir Leuita peregrinans in lateribus montis Ephraim, accepit ſibi vxorem concubinam de Bethlehem Iehudah.*

2 *Et fornicata eſt apud eum concubina eius, & receſſit ab eo ad domum patris ſui in Bethlehem Iehudah, fuitque ibi dierum quattuor menſibus.*

3 *Surrexitque vir eius, & perrexit poſt eam, vt loqueretur ad cor eius, vt reduceret eam, & puer eius erat ſecum, & par aſinorum : & introduxit eum in domum patris ſui. Et vidit eum pater puellæ, & lætatus eſt in occurſum eius :*

4 *Et amplexatus eſt eum ſocer eius pater puellæ. Manſitque ſecum tribus diebus, comederuntque, ac biberunt, manſeruntque ibi.*

5 *Et fuit, die quarta ſurrexerunt mane. Surrexitque, vt iret. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum : Fulci cor tuum buccella panis, & poſtea ibitis.*

6 *Sederuntque ac comederunt ambo pariter, & biberunt. Dixitque pater puellæ ad virum : Quæſo & mane, & iucundetur cor tuum.*

7 *Surrexitque vir, vt pergeret. Et compulit eum ſocer ſuus, & reuerſus eſt, & manſit ibi.*

Sur-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et filij Dan tulerunt, quod fecerat Michæas, & ſacerdotem, qui erat ei: & venerunt ſuper Laiſa, ſuper populum quieſcentem, & confidentem in ſpe, & percuſſerunt eos in ore gladij: & ciuitatem incenderunt in igni :
28 Et non fuit, qui erueret, quoniam longe eſt à Sidonijs, & verbum non eſt eis cum homine, & ipſa in valle domus Rhaab: & ædificauerunt ciuitatem, & habitarunt in ea :
29 Et vocauerunt nomen ciuitatis Dan, in nomine Dan patris eorum, qui natus eſt ipſi Iſrael, & erat Vlamais nomen ciuitatis antea.
30 Et ſtatuerunt ſibi filij Dan ſculptile & Ionathan filius Gerſon filius Manaſſe, ipſe, & filij eius erant ſacerdotes tribui Dan vſque in diem tranſmigrationis terræ.
31 Et poſuerunt ſibi ſculptile, quod fecerat Michæas, omnibus diebus, quibus fuit domus Dei in Selom, & factum eſt in diebus illis, non erat rex in Iſrael.

### CAP. XIX.

ET fuit vir Leuita incolens in femoribus montis Ephræm, & accepit ſibi vxorem concubinam de Bethleem Iuda :
2 Et iuit ab eo concubina eius, & abijt ab eo in domum patris ſui in Bethleem Iuda, & fuit ibi diebus menſium quattuor.
3 Et ſurrexit vir eius, & iuit poſt eam ad loquendum ad cor eius, ad reuocandam eam ſibi, & puer eius cum eo, & par aſinorum: illa vero introduxit eum in domum patris ſui. Et vidit eum pater adoleſcentulæ, & lætatus eſt in occurſum eius :
4 Et retinuit eum ſocer eius, pater adoleſcentulæ, & ſedit cum eo ad tres menſes, & comederunt, & biberunt, & manſerunt ibi.
5 Et factum eſt die quarta, & ſurrexerunt mane, & ſurrexit ad eundum. Et dixit pater adoleſcentulæ ad generum ſuum : Firma cor tuum buccella panis, & poſt hoc ibitis.
6 Et ſederunt, & comederunt ambo in idipſum, & biberunt. Et dixit pater adoleſcentulæ ad virum: Age nunc, maneas, & bonum fiet cor tuum.
7 Et ſurrexit vir ad eundum. Et coegit eum ſocer eius, & ſedit, & manſit ibi.

## Vulgata Editio.

8 Mane autem facto, parabat Leuites iter. Cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, vt paululum cibi capias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul.

9 Surrexitque adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua, & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera, quòd dies ad occaſum declinior ſit, & propinquat ad veſperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris, vt vadas in domum tuam.

10 Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius: ſed ſtatim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ieruſalem, & ducens ſecum duos aſinos onuſtos, & concubinam.

11 Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæorum, & maneamus in ea.

12 Cui reſpondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filijs Iſrael, ſed tranſibo vſque Gabaa:

13 Et cum illuc peruenero, manebimus in ea, aut certè in vrbe Rama.

14 Tranſierunt ergo Iebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis ſol iuxta Gabaa, quæ eſt in tribu Beniamin:

15 Diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi. Quo cum intraſſent, ſedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio.

16 Et ecce, apparuit homo ſenex, reuertens de agro, & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filij Iemini.

17 Eleuatiſque oculis, vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis in platea ciuitatis: & dixit ad eum: Vnde venis? & quò vadis?

18 Qui reſpondit ei: Profecti ſumus de Bethlehem Iuda, & pergimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim, vnde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nulluſque ſub tectum ſuum nos vult recipere:

19 Habentes paleas, & fœnum in aſinorum pabulum, & panem, ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri, qui mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio.

20 Cui reſpondit ſenex: Pax tecum ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantum, quæſo, ne in platea maneas.

In-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Surrexitque mane die quinta, vt pergeret. Et dixit ei pater puellæ: Fulci quaſo cor tuum, & retardauit eum, donec inclinaret dies. Comederuntque ambo.*

9 *Et ſurrexit vir, vt iret ipſe, & concubina eius, & puer eius. Dixitque ei ſocer eius pater puellæ: Ecce nunc debilitata eſt dies ad occidendum, manete quæſo ecce manſione dies: mane hic, & iucundetur cor tuum, & ſurgetis cras in viam veſtram, pergeſque in tabernaculum tuum.*

10 *Et noluit vir manere, ſed ſurrexit, & abijt, & venit è regione Iebus (ipſa eſt Ieruſalaim,) & cum eo par aſinorum onuſtorum, & concubina eius ſecum.*

11 *Ipſis exiſtentibus iuxta Iebus, dies deſcenderat valdè: dixitque puer domino ſuo: Veni obſecro, & declinemus ad vrbem Iebuſæi hanc, & maneamus in ea.*

12 *Dixitque ad eum dominus eius: Non declinemus ad vrbem alienorum, quæ non de filijs Iſrael eſt, ſed tranſeamus vſque Ghibhah:*

13 *Dixitq; puero ſuo: Vade, & appropinquabimus ad vnum è locis, & manebimus in Ghibhah, vel Ramah.*

14 *Tranſieruntque & abierunt, & occubuit eis ſol iuxta Ghibhah, quæ eſt Biniamin:*

15 *Et declinauerunt illuc, vt ingrederentur ad manendum in Ghibhah. Et intrauit, ſeditque in platea ciuitatis, & non fuit vir recolligens eos in domum ad manendum.*

16 *Et ecce vir ſenex venit ab opera ſua ex agro in veſpera, & vir erat de monte Ephraim, & peregrinabatur in Ghibhah. Viri autem loci erant filij Iemini.*

17 *Leuauitque oculos ſuos, & vidit virum deambulantem per plateam ciuitatis: dixitque vir ſenex: Quò vadis? & vnde venis?*

18 *Dixitque ad eum: Tranſimus de Bethlechem Iehudah vſque ad latera montis Ephraim vnde ſum, & perrexi vſque Bethlechem Iehudah: & ad domum Domini vado, & non eſt vir colligens me in domum:*

19 *Et etiam palea, & fœnum eſt aſinis noſtris, & etiam panis, & vinum eſt mihi, & ancillæ tuæ, & puero cū ſeruo tuo: non eſt defectus omnis rei.*

20 *Dixitque vir ſenex: Pax tibi, tantum omnis defectus tuus ſit ſuper me: tantum in platea ne maneas.*

*In-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et ſurrexit manè die quinta ad eundum Et dixit pater adoleſcentulæ: Firma nunc cor tuum, & inſtrue, donec
inclinet dies. Et comederunt ambo. 9 Et ſurrexit vir ad eundum, ipſe, & concubina eius, & puer eius. Et
dixit ei ſocer eius pater adoleſcentulæ: Ecce iam infirmata eſt dies in veſperam: maneto hic, & bonum fiet cor
tuum, & diluculo ſurgetis cras ad viam veſtram, & ibis ad tabernaculum tuum. 10 Et non probauit vir
manere: & ſurrexit, & abijt, & venit vſque contra Iebus (hæc eſt Hieruſalem) & cum eo par aſinorum ſuperſtratorum,
& concubina eius cum eo. 11 Et venerunt vſque Iebus, & dies proceſſerat valdè: & dixit puer ad
dominum ſuum: Veni nunc, & declinemus ad ciuitatem Iebuſi hanc, & maneamus in ea. 12 Et dixit
ad eum dominus eius: Non declinabimus ad ciuitatem alienam, in qua non eſt de filijs Iſrael iſtic, & tranſibimus
vſque Gabaa: 13 Et dixit puero ſuo: Veni, & appropinquemus vni locorum, & manebimus
in Gabaa, vel in Rhama. 14 Et prætererunt, & ierunt & occidit eis ſol iuxta Gabaa, quæ eſt in Beniamin:
15 Et declinarunt illuc, vt intrarent ad manendum in Gabaa. Et intrarunt, & ſederunt
in platea ciuitatis & non erat vir conducens eos in domum ad manendum. 16 Et ecce vir ſenex
veniebat ab operibus ſuis ex agro ad veſperam, & vir erat de monte Ephræm, & ipſe incolebat in Gabaa. Et viri
loci, filij Beniamin. 17 Et leuauit oculos ſuos, & vidit virum iter facientem in platea ciuitatis:
& dixit vir ſenex: Quò vadis? & vnde venis? 18 Et dixit ad eum: Tranſimus nos à Bethleem
Iuda vſque ad femora montis Ephræm, inde ego ſum, & iui vſque Bethleem Iuda: & ad domum meam ego vado,
& non eſt vir conducens me in domum: 19 Et quidem paleæ, & pabula ſunt aſinis noſtris, & panis, &
vinum eſt mihi, & ancillæ, & adoleſcenti, cum pueris tuis: non eſt defectus vllius rei. 20 Et dixit vir
ſenex: Pax tibi, tantum omnis defectus tuus ſuper me: tantum in platea non manebis.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

21 Introduxitque eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit: ac poſtquam lauerunt pedes ſuos, recepit eos in conuiuium.

22 Illis epulantibus, & poſt laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius, filij Belial, (id eſt, abſque iugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt, clamantes ad Dominũ domus, atque dicentes: * Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuã, vt abutamur eo.

*Gen. 19. 5.

23 Egreſſuſque eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia:

24 Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tantum, obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.

25 Nolebant acquieſcere ſermonibus illius. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.

26 At mulier, recedentibus tenebris, venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit:

27 Mane facto, ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam: & ecce concubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.

28 Cui ille, putans eam quieſcere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil reſpondente, intelligens quod erat mortua; tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſque eſt in domum ſuam.

29 Quam cum eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes, ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſrael.

30 Quod cum vidiſſent ſinguli, conclamabant: Numquam res talis facta eſt in Iſrael ex eo die, quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, vſque in præſens tempus: ferte ſententiam, & in commune decernite quid facto opus ſit.

### CAP. XX.

1 EGreſſi itaque ſunt omnes filij Iſrael, & pariter congregati, quaſi vir vnus, * de Dan, vſque Berſabee, & terra Galaad ad Dominum in Maſpha.

*Oſee 9. 9.

Om-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Introduxitque eum in domum ſuam & pabulum præbuit aſinis: & lauerunt pedes ſuos, comederuntque ac biberunt.*

22 *Ipſis iucunditate afficientibus cor ſuum, ecce viri ciuitatis viri impij girauerunt iuxta domum pulſantes ad oſtium, dixeruntque ad virum dominum domus ſenem, dicendo: Educ virum, qui ingreſſus eſt in domum tuam, vt cognoſcamus eum.*

23 *Egreſſus eſt autem ad eos vir dominus domus, dixitque eis: Ne fratres mei, ne maleficiatis obſecro: poſtquam ingreſſus eſt vir iſte in domum meam, ne faciatis nephas hoc:*

24 *Ecce filia mea virgo, & concubina eius, educam nũc eas, & affligite eas, & facite eis, quod bonum eſt in oculis veſtris: viro autem huic ne faciatis rem ignominioſam.*

25 *Et noluerunt viri audire eum. Tenuitque vir concubinam ſuam, & eduxit ad eos foras, & cognouerunt eam, & abuſi ſunt ea tota nocte vſque mane: dimiſeruntque eam, cum aſcenderet aurora.*

26 *Et venit mulier dum reſpiceret mane, ceciditque ad oſtium domus viri, qui erat dominus ſuus ibi vſque ad lucem:*

27 *Surrexitque dominus eius mane, & aperuit oſtia domus, & egreſſus eſt, vt iret in viam ſuam: & ecce mulier concubina ſua ceciderat ad oſtium domus, & manus eius erant ſuper limen.*

28 *Dixitque ad eam: Surge, & eamus. Et non reſpondebat, & tulit eam ſuper aſinum, & ſurrexit vir, & abijt in locum ſuum.*

29 *Et venit ad domum ſuam, & accepit gladium, & apprehendit concubinam ſuam, & in fruſta concidit eam cum oſſibus ſuis in duodecim fruſta, & miſit in omnem terminum Iſrael.*

30 *Et fuit, omnis qui videbat, dicebat: Non factum fuit, nec viſum fuit ſimile à die quo aſcenderunt filij Iſrael è terra Ægypti, vſque ad diem hanc: conſiderate illud, conſulite, & loquimini.*

### CAP. XX.

1 *EGreſſi ſunt autem omnes filij Iſrael, & congregatus eſt cœtus tanquam vir vnus à Dan, vſque Beerſebah, & terram Ghilhad, ad Dominum in Miſpah.*

*Ste-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et introduxit eum in domum ſuam, & locum fecit aſinis: & ipſi lauerunt pedes ſuos, & comederunt, & biberunt. 22 Ipſi autem bonum reddentes cor ſuum, & ecce viri ciuitatis filij iniquorum circuierunt domum, pulſantes ad oſtium, & dixerunt ad virum dominum domus ſenem, dicentes: Produc virum, qui intrauit in domum tuam, vt cognoſcamus eum. 23 Et exijt ad eos vir dominus domus, & dixit: Non fratres, non malefaciatis nunc: poſtquam intrauit hic vir in domum meam, non faciatis imprudentiam hanc: 24 Ecce filia mea virgo, & concubina eius, educam eas, & humiliate eas, & facite eis, quod bonum in oculis veſtris: & viro huic ne faciatis verbum imprudentiæ huius. 25 Et non probauerunt viri audire eum. Et apprehendit vir concubinam eius, & eduxit eam ad eos foras: & cognouerunt eam, & illuſerunt in ea totam noctem vſque mane, & dimiſerunt eam, vt aſcendit ipſum mane. 26 Et venit mulier diluculum verſus, & cecidit ad oſtium domus, vbi erat ibi ſuus vir, quoadusque illuxit. 27 Et ſurrexit vir eius mane, & aperuit ianuas domus, & exijt ad eundum viam ſuam: & ecce mulier eius concubina iacens apud ianuas domus, & manus eius ſuper limen. 28 Et dixit ad eam: Surge, & abeamus. Et non reſpondit, quoniam erat mortua; & tulit eam ſuper aſinum, & iuit ad locum ſuum. 29 Et ſumpſit gladium, & tenuit concubinam ſuam, & partitus eſt eam in duodecim membra, & miſit ea in omnem terminum Iſrael. 30 Et factum eſt omnis aſpiciens, dicebat: Non fuit, neque viſa eſt à die aſcenſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti vſque in diem hanc, ſicut hæc: ponite vobis ipſis conſilium ſuper eam, & loquimini.

### CAP. XX.

ET exierunt omnes filij Iſrael, & euocata eſt ſynagoga, tanquam vir vnus à Dan, & vſque Berſabee, & terram Galaad ad Dominum in Maſepha.

## Vulgat. Editio.

2 Omneſque anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael in eccleſiam populi Dei conuenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum.

3 (Nec latuit filios Beniamin, quod aſcendiſſent filij Iſrael in Maſpha.) Interrogatuſque Leuita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet:

4 Reſpondit: Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diuerti:

5 Et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt.

6 Quam arreptam, in fruſta concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum eſt in Iſrael.

7 Adeſtis omnes filij Iſrael, decernite quid facere debeatis.

8 Stanſque omnis populus, quaſi vnius hominis ſermone reſpondit: Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quiſquam intrabit domum:

9 Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

10 Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Iſrael, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro ſcelere, quod meretur.

11 Conuenitque vniuerſus Iſrael ad ciuitatem, quaſi homo vnus eadem mente, vnoque conſilio.

12 Et miſerunt nuncios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt?

13 Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſrael. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire mandatum:

14 Sed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſrael dimicarent.

15 Inuentique ſunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa:

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Steteruntque anguli omnis populi, omnes tribus Iſrael in eccleſia populi Dei quadringenta millia virorum peditum educentium gladium.*

3 *Audierunt autem filij Biniamin, quod aſcenderent filij Iſrael in Miſpah. Dixeruntque filij Iſrael, loquimini quomodo fuit malum hoc.*

4 *Et reſpondit vir Leuita, maritus mulieris occiſæ, & ait: In Ghibhah, quæ eſt ipſi Biniamin, veni, & concubina mea ad hoſpitandum:*

5 *Surrexeruntque aduerſum me viri Ghibhah, & circumdederunt aduerſum me domum noctu, me cogitauerunt occidere, & concubinam meam affixerunt, & mortua eſt.*

6 *Et apprehendi concubinam meam, & in fruſta concidi eam, & miſi eam in omnem regionem hæreditatis Iſrael: fecerunt enim abominationem, & fœditatem in Iſrael.*

7 *Ecce omnes vos filij Iſrael, date vobis verbum, & conſilium hic.*

8 *Surrexitque omnis populus tanquam vir vnus, dicendo: Non ibimus quiſque in tabernaculum ſuum, & non declinabimus vnuſquiſque in domum ſuam:*

9 *Et nunc hoc eſt, quod faciemus ipſi Ghibhah contra eam per ſortem.*

10 *Accipiamus decem viros è centum de omni tribu Iſrael, & centum ex mille, & mille ex decem millibus, vt afferant cibum populo, vt faciant venire eos in Ghibhah Biniamin ſecundum omnem fœditatem, quam fecit in Iſrael.*

11 *Et conuenit omnis vir Iſrael in ciuitatem tanquam vir vnus ſocij.*

12 *Miſerunt autem tribus Iſrael viros in omnes tribus filiorum Biniamin, dicendo: Quod malum hoc, quod factum eſt in vobis?*

13 *Et nunc date viros filios impios, qui ſunt in Ghibhah, vt occidamus, & auferemus malum ex Iſrael. Et noluerunt Biniamin audire vocem fratrum ſuorum filios Iſrael:*

14 *Sed congregati ſunt filij Biniamin è ciuitatibus in Ghibhah, vt exirent ad bellum contra filios Iſrael.*

15 *Et numerati ſunt filij Biniamin in die illa de ciuitatibus viginti, & ſex millia virorum educentium gladium præter habitatores Ghibhah numerati fuerunt ſexcenti viri electi.*

*Ex*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſteterunt ad faciem Domini omnes tribus Iſrael in eccleſia populi Dei, quadringenta millia virorum peditum trahentium gladium.
3 Et audierunt filij Beniamin, quia aſcenderant filij Iſrael in Maſſepha.
Et venientes dixerunt filij Iſrael, loquimini, vbi facta eſt malignitas hæc:
4 Et reſpondit vir Leuita, vir mulieris occiſæ, & dixit: In Gabaa Beniamin veni ego, & concubina mea ad manendum:
5 Et ſurrexerunt ſuper me viri Gabaa, & circumdederunt ſuper me domum nocte, me voluerunt occidere, & concubinam meam humiliauerunt, & mortua eſt.
6 Et tenui concubinam meam, & diuiſi eam membratim, & emiſi in omnem terminum hæreditatis filiorum Iſrael: quia fecerunt feruorem, & ruinam in Iſrael.
7 Ecce omnes vos filij Iſrael, date vobis verbum, & conſilium illic.
8 Et ſurrexit omnis populus, tanquam vir vnus, dicentes: Non abibimus vir ad tabernaculum ſuum, & non reuertemus vir in domum ſuam:
9 Et nunc hoc eſt verbum, quod fiet ipſi Gabaa.
10 Aſcendemus ſuper eam in ſorte, tantum ſumemus decem viros e centum in omnibus tribubus Iſrael, & centum e mille, & mille e decem millibus ad accipienda cibaria, ad faciendum venire eos in Gabaa Beniamin, ad faciendum ei ſecundum omnem ruinam, quam fecit in Iſrael.
11 Et congregatus eſt omnis vir Iſrael in ciuitatem, tanquam vir vnus.
12 Et miſerunt tribus Iſrael viros in omnem tribum Beniamin, dicentes: Quæ eſt malignitas hæc, quæ facta eſt in vobis?
13 Et nunc date viros filios iniquorum, qui in Gabaa, & morti trademus eos. & expurgabimus malignitatem ab Iſrael. Et non probauerunt filij Beniamin audire vocem fratrum ſuorum filiorum Iſrael:
14 Et congregati ſunt filij Beniamin de ciuitatibus ſuis in Gabaa ad exeundum in bellum aduerſus filios Iſrael.
15 Et recenſiti ſunt filij Beniamin in die illa de ciuitatibus viginti tria millia vir trahens gladium, præter habitantes Gabaa:

Qui

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra vt dextra præliantes: & ſic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

17 Virorum quoque Iſrael, abſque filijs Beniamin, inuenta ſunt quadraginta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.

18 Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt, in Silo: conſuleruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit dux veſter.

19 Statimque filij Iſrael ſurgentes mane, caſtrametati ſunt iuxta Gabaa:

20 Et inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, vrbem oppugnare cœperunt.

21 Egreſſique filij Beniamin de Gabaa, occiderunt de filij. Iſrael die illo viginti duo millia virorum.

22 Rurſum filij Iſrael & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certauerant, aciem direxerunt:

23 Ita tamen vt prius aſcenderent & flerent coram Domino vſque ad noctem: conſulerentque eum, & dicerent: Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen.

24 Cumque filij Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent,

25 Eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.

26 Quamobrem omnes filij Iſrael venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas,

27 Et ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei.

28 Et Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus. Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras.

Po-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Ex omni populo iſto ſeptingenti viri electi non vtentes manu dextera ſua, ſed ſiniſtra: omnes iſti funda iaciebant lapides ad capillum, neque lapides peccare faciebant.*

17 *Viri autem Iſrael numerati ſunt præter Biniamin quadringenta millia virorum euaginantium gladiũ, omnes iſti viri bellatores.*

18 *Surrexerunt autem & aſcenderunt in Bethel, & interrogauerunt Deum, & dixerunt filij Iſrael: Quis aſcendet pro nobis in primis ad bellum contra filios Biniamin? Dixitque Dominus, Iehudah ſit in primis.*

19 *Et ſurrexerunt filij Iſrael mane, & caſtrametati ſunt contra Ghibhah.*

20 *Et egreſſi ſunt viri Iſrael ad bellum contra filios Biniamin, & diſpoſuerunt contra eos viri Iſrael bellum, contra Ghibhah.*

21 *Egreſſi ſunt autem filij Biniamin de Ghibhah, & perdiderunt de Iſrael in die illa duo, & viginti millia virorum ad terram.*

22 *Et confortatus eſt populus virorum Iſrael, & addiderunt, vt diſponerent bellum in loco, in quo diſpoſuerant die prima.*

23 *Et aſcenderunt filij Iſrael, & fleuerunt ante Dominum vſque ad veſperam, & interrogauerunt Dominum dicendo: Num addam accedere ad bellum contra filios Biniamin fratris mei? Dixitque Dominus: Aſcendite ad eum.*

24 *Acceſſerunt autem filij Iſrael ad filios Biniamin die ſecunda.*

25 *Et egreſſus eſt Biniamin in occurſum eorum de Ghibhah die ſecunda, & perdiderunt de filijs Iſrael adhuc illo, & decem millia virorum ad terram: Omnes ij euaginatores gladij.*

26 *Aſcenderuntque omnes filij Iſrael, & omnis populus, & venerunt in Bethel, fleuerunt q́ ac manſerunt ibi corã Domino, ieiunaueruntq́ die illa vſque ad veſperam, & obtulerunt holocauſta, & pacifica corã Dño.*

27 *Interrogauerunt autem filij Iſrael Dominum (& ibi erat arca fœderis Dei in diebus illis.*

28 *Et Pinchas filius Elhazar filij Aharon ſtabat ante eam in diebus illis) dicendo: Num addam vltra egredi ad bellum contra filios Biniamin fratris mei, an ceſſabo? Dixitque Dominus: Aſcendite quia cras dabo eum in manu tua.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Qui recenſiti ſunt ſeptingenti viri electi de omni populo ambidextri: omnes hi Funditores in lapidibus ad capillum, & non aberrantes. 17 Et vir Iſrael recenſiti ſunt præter Beniamin quadringenta millia virorum trahentium gladium: omnes hi viri belli. 18 Et ſurrexerunt, & aſcenderunt in Bæthel, & interrogauerunt in Deo: & dixerunt filij Iſrael: Quis aſcendet nobis in principio ad bellum aduerſus filios Beniamin? & dixit Dominus: Iudas in principio aſcendet dux. 19 Et ſurrexerunt filij Iſrael mane, & caſtrametati ſunt ſuper Gabaa: 20 Et exierunt omnis vir Iſrael ad bellum aduerſus Beniamin, & congreſſi ſunt eis ſuper Gabaa. 21 Et exierunt filij Beniamin de Gabaa, & corruperunt in Iſrael in die illa duo & viginti millia virorum ſuper terram. 22 Et confortauerunt ſe vir Iſrael, & adiecerunt conſerere prælium in loco, vbi conſeruerant in die prima. 23 Et aſcenderunt filij Iſrael, & plorauerunt coram Domino vſque ad veſperam, & interrogauerunt in Domino, dicentes: Si adijciamus appropinquare in prælium aduerſus filios Beniamin fratres noſtros? Et dixit Dominus: Aſcendite aduerſus eos. 24 Et acceſſerunt filij Iſrael aduerſus filios Beniamin in die ſecunda. 25 Et exierunt filij Beniamin in occurſum eis de Gabaa in die ſecunda, & corruperunt de filijs Iſrael adhuc octo & decem millia virorum ſuper terrã: Omnes hi trahentes gladium. 26 Et aſcenderunt omnes filij Iſrael, & omnis populus, & venerunt in Bæthel, & plorauerunt, & ſederunt ibi coram Domino, & ieiunarunt in die illa vſque ad veſperam, & obtulerunt holocauſtoſes, & conſummatas in conſpectu Domini. 27 Quoniam illic arca teſtamenti Domini Dei in diebus illis. 28 Et Phinees filius Eleazari filij Aaron aſſiſtens coram ea in diebus illis, & interrogauerunt filij Iſrael in Domino, dicentes: Si adijciamus vltra exire in prælium aduerſus filios Beniamin fratres noſtros, & dixit Dominus: Aſcendite, cras dabo eos in manus veſtras.

Et po-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

29 Poſueruntque filij Iſrael inſidias per circuitum vrbis Gabaa:

30 Et tertia vice, ſicut ſemel & bis, contra Beniamin exercitum produxerunt.

31 Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduerſarios longius perſecuti ſunt, ita vt vulnerarent ex eis ſicut primo die & ſecundo & cæderent per duas ſemitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque proſternerent triginta circiter viros:

32 Putauerunt enim ſolito eos more cedere. Qui fugam arte ſimulantes inierunt conſilium vt abſtraherent eos de ciuitate, & quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerent.

33 Omnes itaque filij Iſrael ſurgentes de ſedibus ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa vrbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt,

34 Et ab Occidentali vrbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerſo Iſrael habitatores vrbis ad certamina prouocabant. Ingrauatumque eſt bellum contra filios Beniamin: & non intellexerunt quod ex omni parte illis inſtaret interitus.

35 Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, & centum viros, omnes bellatores & educentes gladium.

36 Filij autem Beniamin cum ſe inferiores eſſe vidiſſent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Iſrael, dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas inſidias deuenirent, quas iuxta vrbem poſuerāt.

37 Qui cum repente de latibulis ſurrexiſſent, & Beniamin terga cædentibus daret, ingreſſi ſunt ciuitatem & percuſſerunt eam in ore gladij.

38 Signum autem dederant filij Iſrael his, quos in inſidijs collocauerant, vt poſtquam vrbem cepiſſent, ignem accenderent: vt aſcendente in altum fumo, captam vrbem demonſtrarent.

39 Quod cum cernerent filij Iſrael in ipſo certamine politi (putauerunt enim filij Beniamin eos fugere, & inſtantius perſequebantur, cæſis de exercitu eorum triginta viris.)

40 Et viderunt quaſi columnam fumi de ciuitate conſcendere. Beniamin quoque aſpiciens retro cū captā cerneret ciuitatem, & flammas in ſublime ferri:

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et poſuit Iſrael inſidias contra Ghibhah per circuitum.*

30 *Aſcenderuntque filij Iſrael ad filios Biniamin die tertia, & diſpoſuerunt contra Ghibhah ſicut ſemel, & iterum.*

31 *Egreſſi ſunt autem filij Biniamin in occurſum populi, euulſi ſunt è ciuitate & cœperunt percutere de populo vulnerato ſicut ſemel, & iterum per ſemitas, quarum vna aſcendebat in Bethel, & altera in Ghibhah in agro ferè triginta viros de Iſrael.*

32 *Dixeruntque filij Biniamin, caſi ſunt coram nobis ſicut prius: filij autem Iſrael dixerunt: Fugiamus, & euellamus eum ex vrbe ad ſemitas.*

33 *Omneſque viri Iſrael ſurrexerunt è loco ſuo, & diſpoſuerunt in Bahaltamar: inſidiæ autem Iſrael exibant è loco ſuo è gramineto Ghabah.*

34 *Et venerunt contra Ghibhah decem millia virorum electorum de Iſrael, & prælium aggrauatum eſt: illi autem neſciebant quod attingeret eos malum.*

35 *Percuſſitque Dominus Biniamin coram Iſrael, & perdiderunt filij Iſrael de Biniamin in die illa viginti & quinque millia, & centum virorum: omnes hi euaginabant gladium.*

36 *Viderunt autem filij Biniamin quod percuterentur, & dederunt viri Iſrael locum ipſi Biniamin, vt tuto accederent ad inſidias, quas poſuerant contra Ghibhah.*

37 *Inſidiæ autem feſtinauerunt, & impetum fecerunt contra Ghibhah, & pertraxerunt* buccinæ ſonitū *inſidiæ & percuſſerunt vniuerſos vrbis habitatores acie gladij.*

38 *Tempus autem conſtitutum erat viro Iſrael cum inſidijs, vt aſcendere facerent combuſtionem fumi è ciuitate.*

39 *Et vertit ſe vir Iſrael in prælium, & Biniamin cœpit percutere vulneratos ex viris Iſrael fere triginta viros, dixerunt enim: Equidem percutiendo percuſſus eſt coram nobis ſicut in prælio primo.*

40 *Combuſtio autem cœpit aſcendere è ciuitate vt columna fumi: Reſpexit autem Biniamin poſt ſe & ecce aſcendebat combuſtio ciuitatis ad cælum.*

*Vir*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et poſuerunt filij Iſrael inſidias Gabaa in circuitu. 30 Et aſcenderunt filij Iſrael ad filios Beniamin in die tertia, & congreſſi ſunt ad Gabaa, ſicut ſemel & ſemel. 31 Et exierunt filij Beniamin in occurſum populi, & euacuati ſunt de ciuitate, & cœperunt percutere de populo cæſos, ſicut ſemel, & ſemel, in vijs, quæ eſt vna aſcendens in Bæthel, & vna in Gabaa in agro, circiter triginta viros in Iſrael. 32 Et dixerunt filij Beniamin: Cadunt coram nobis, vt antea, & filij Iſrael dixerunt: Fugiamus, & euacuemus eos de ciuitate in vias, & fecerunt ſic. 33 Et omnis vir ſurrexit de loco ſuo, & congreſſi ſunt in Baal Thamar, & inſidiæ Iſrael aduenicbant de loco ſuo, à Maraagabe. 34 Et venerunt ex aduerſo Gabaa decem millia virorum electorum ex omni Iſrael, & prælium erat graue, & ipſi non nouerant, quia aduenit ſuper ipſos malum. 35 Et percuſſit Dominus Beniamin coram filijs Iſrael, & corruperunt filij Iſrael de Beniamin in die illa viginti & quinque millia, & centum viros: Omnes hi trahebant gladium. 36 Et viderunt filij Beniamin, quia percuſſi ſunt, & dedit vir Iſrael ipſi Beniamin locum, quoniam ſperauerunt ad inſidias, quas poſuerant ſuper Gabaa. 37 Et dum ipſi fecederent, & inſidiæ mouerunt ſe, & extenderunt ſuper Gabaa, & effuderunt ſe inſidiæ, & percuſſerunt ciuitatem in ore gladij. 38 Et ſignum erat filijs Iſrael cum inſidijs pugnæ, vt extollerent ſignificationem fumi à ciuitate. 39 Et viderunt filij Iſrael, quia præoccupauerant inſidiæ Gabaa, & ſteterunt in prælio, & Beniamin cœpit percutere vulneratos in viris Iſrael circiter triginta viros, quoniam dixerunt: Rurſus caſu cadunt coram nobis, ſicut prælium primum. 40 Et ſignificatio aſcendit in plus ſuper ciuitatem, tanquam columna fumi, & reſpexit Beniamin poſt ſe, & ecce aſcendit conſummatio ciuitatis vſque ad cælum.

Et vir

## Vulgat. Editio.

41 Qui prius ſimulauerant fugam, verſa facie fortius reſiſtebant. Quod cum vidiſſent filij Beniamin in fugam verſi ſunt,

42 Et ad viam deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos aduerſarijs perſequentibus: ſed & hi, qui vrbem ſuccenderant, occurrerunt eis.

43 Atque ita factum eſt, vt ex vtraque parte ab hoſtibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt, atque proſtrati ſunt ad Orientalem plagam vrbis Gabaa.

44 Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti ſunt, decem & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi pugnatores.

45 Quod cum vidiſſent, qui remanſerant de Beniamin, fugerunt in ſolitudinem: & pergebant ad petram, cuius vocabulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuerſa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum vltra tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.

46 Et ſic factum eſt, vt omnes qui ceciderant de Beniamin in diuerſis locis, eſſent vigintiquinque millia, pugnatores ad bella promptiſſimi.

47 Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.

48 Regreſſi autem filij Iſrael, omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit.

### CAP. XXI.

1 IVrauerunt quoque filij Iſrael in Maſpha & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filijs Beniamin de filiabus ſuis vxorem.

2 Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam, leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes.

3 Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?

4 Altera autem die diluculo conſurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocauſta, & pacificas victimas, & dixerunt:

Quis

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

41 *Et vir Iſrael vertit ſe, & feſtinauit vir Biniamin: quia vidit quod attingeret ſe malum.*

42 *Reſpexeruntque ante viros Iſrael ad viam deſerti, & bellum contingebat eum, & qui de ciuitatibus perdebant eum in medio eius.*

43 *Circumdederunt Biniamin, perſequi fecerunt eum ne eſſet requies, conculcare fecerunt eum vſque contra Ghibhah ab ortu ſolis.*

44 *Et ceciderunt de Biniamin octo, & decem millia virorum, & omnes iſ erant viri fortes.*

45 *Et reuerterunt ſe: & fugerunt ad deſertum ad petram Rimmon, & acciderunt, non dimittentes racemum ex eo, & in ſemitis quinque millia virorum & perſecuti ſunt eum vſque ad Ghidhon, & percuſſerunt ex eo duo millia virorum.*

46 *Et fuerunt omnes qui ceciderunt de Biniamin viginti & quinque millia virorum euaginantium gladium in die illa: Omnes iſ viri fortes.*

47 *Et conuerſi ſunt, & fugerunt in deſertum ad petram Rimmon ſexcenti viri, & manſerunt in petra Rimmon quattuor menſibus.*

48 *Et viri Iſrael reuerſi ſunt ad filios Biniamin & percuſſerunt eos acie gladij de ciuitate viros, vſque ad iumentum, vſque ad omne, quod inueniebatur. & omnes vrbes, quæ inueniebantur, miſerunt in ignem.*

### CAP. XXI.

1 *VIr autem Iſrael iurauit in Miſpah dicendo: Vir ex nobis non dabit filiam ſuam ipſi Biniamin in vxorem.*

2 *Et venit populus in Bethel, & manſerunt ibi vſque ad veſperam coram Deo: leuaueruntque vocem ſuam, & fleuerunt fletu magno.*

3 *Ac dixerunt: Vt quid Domine Deus Iſrael fuit hoc in Iſrael, vt deficeret hodie tribus vna ex Iſrael?*

4 *Et fuit in craſtino ſurrexerunt populus, & ædificauerunt ibi altare: obtuleruntque holocauſta, & pacifica, dixerunt autem filij Iſrael.*

Quis

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

41 Et vir Iſrael reuertit, & feſtinauerunt viri Beniamin, quoniam viderunt, quia occurrit ſuper eos malum: 42 Et reſpexerunt coram filijs Iſrael ad viam deſerti, & fugerunt, & acies aduenit ſuper eos, & de ciuitatibus corruperunt eos in medio ſui. 43 Et conciderunt Beniamin, & perſequuti ſunt eum à Nua iuxta pedem eius vſque contra Gabaa ad ortum ſolis. 44 Et ceciderunt e Beniamin octo, & decem millia virorum: Omnes iſti viri virtutis. 45 Et reſpexerunt reliqui, & fugerunt in deſertum ad petram ipſius Rhemmon, & racemarunt ex eis filij Iſrael quinquies mille viros, & deſcenderunt poſt eos filij Iſrael vſque Gedan, & percuſſerunt ex eis bis mille viros. 46 Et fuerunt omnes, qui ceciderunt de Beniamin, viginti quinque millia virorum trahentium gladium in die illa: Omnes hi viri virtutis. 47 Et reſpexerunt reliqui, & fugerunt in deſertum ad petram Rhemmon ſexcenti viri, & ſederunt in Petra Rhemmon quattuor menſes. 48 Et filij Iſrael reuerterunt ad filios Beniamin, & percuſſerunt eos in ore gladij à ciuitate Methla, & vſque ad pecus, & vſque ad omnem inuentum in omnibus ciuitatibus, & ciuitates inuentas incenderunt in igni.

### CAP. XXI.

ET filij Iſrael iurauerunt in Maſſepha dicentes: Vir e nobis non dabit filiam ſuam ipſi Beniamin in vxorem. 2 Et venit populus in Bethel, & ſederunt ibi vſque ad veſperam coram Deo, & eleuauerunt vocem ſuam, & plorauerunt plorationem magnam, & dixerunt: 3 Ad quid Domine Deus Iſrael facta eſt hæc, vt requiretur hodie de Iſrael tribus vna? 4 Et factum eſt craſtina, & diluculo ſurrexit populus, & ædificauerunt ibi altare, & obtulerunt holocauſtoſes & conſummatas: & dixerunt filij Iſrael:

Quis

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

5 Quis non aſcendit in exercitu Domini de vniuerſis tribubus Iſrael? Grandi enim iuramento ſe conſtrinxerant, cum eſſent in Maſpha, interfici eos qui defuiſſent.

6 Ductique pœnitentia filij Iſrael ſuper fratre ſuo Beniamin, cœperunt dicere: Ablata eſt tribus vna de Iſrael.

7 Vnde vxores accipient? omnes enim in commune iurauimus, non daturos nos his filias noſtras.

8 Idcirco dixerunt: Quis eſt de vniuerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha? Et ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.

9 (Eo quoque tempore cum eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.)

10 Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores quam paruulos eorum.

11 Et hoc erit quod obſeruare debebitis: * Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reſeruate.

*Num. 31.

12 Inuentæque ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo, in terram Chanaan.

13 Miſeruntque nuncios ad filios Beniamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace.

14 Veneruntque filij Beniamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: alias autem non repererunt, quas ſimili modo traderent.

15 Vniuerſuſque Iſrael valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione vnius tribus ex Iſrael.

16 Dixeruntque maiores natu: Quid facimus reliquis, qui non acceperunt vxores? omnes in Beniamin fęminæ conciderunt,

17 Et magna nobis cura, ingentique ſtudio prouidendum eſt, ne vna tribus deleatur ex Iſrael.

18 Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti iuramento & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis vxorem Beniamin.

19 Cœperuntq; conſiliũ, atque dixerunt: Ecce ſollẽnitas Dñi eſt in Silo anniuerſaria, q̃ ſita eſt ad Septẽtrionẽ vrbis Bethel, & ad Orientalẽ plagã viæ, q̃ de Bethel tendit ad Sichimã, & ad Meridiem oppidi Lebona.

Præ-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Quis eſt qui non aſcendit in cœtum ex omnibus tribubus Iſrael ad Dominum? iuramentum enim grãde fuit ei, qui non aſcendit ad Dominum in Miſpah dicendo: Moriendo morietur.*

6 *Et pœnituit filios Iſrael Biniamin fratris ſui, ac dixerunt: Exciſa eſt hodie tribus vna ex Iſrael.*

7 *Quid faciemus eis qui remanſerunt pro vxoribus cum nos iurauerimus per Dominum, non dare eis de filiabus noſtris in vxores?*

8 *Et dixerunt: Quis vnus de tribubus Iſrael eſt, qui non aſcendit ad Dominum in Miſpah, & ecce non venerat vir ad caſtra de Iabes Ghilhad ad congregationem.*

9 *Et numeratus eſt populus, & ecce non erat ibi quiſquam de habitatoribus Iabes Ghilhad.*

10 *Miſeruntque illuc congregationem duodecim milliũ virorum de filijs fortibus, & præceperunt eis dicendo: Ite, & percutite habitatores Iabes Ghilhad acie gladij & mulieres, & paruulos.*

11 *Et hoc eſt quod facietis: Omnem maſculum, & omnem mulierem quæ cognouit concubitum maſculi, interficietis.*

12 *Et inuenerunt de habitatoribus Iabes Ghilhad quadringentas puellas virgines, quæ non cognouerant virum in concubitu maſculi, & adduxerunt eas ad caſtra in Siloh, quæ eſt in terra Chenahan.*

13 *Miſeruntque omnis congregatio, & locuti ſunt ad filios Biniamin qui erant in petra Rimmon & vocauerunt eos cum pace.*

14 *Et reuerſus eſt Biniamin in tempore illo, & dederunt eis vxores, quas viuificauerant ex mulieribus Iabes Ghilhad, & non ſuffecerunt eis ſic.*

15 *Populum autem pœnituit Biniamin, quia fecit Dominus fracturam in tribubus Iſrael?*

16 *Dixeruntque ſeniores cœtus: Quid faciemus reliquis pro vxoribus, deleta eſt enim de Biniamin mulier.*

17 *Et dixerunt: Opus eſt vt ſit hæreditas ijs qui euaſerunt de Biniamin, vt non deleatur tribus de Iſrael.*

18 *Nos autem non poſſumus dare eis vxores de filiabus noſtris, iurauerunt enim filij Iſrael dicendo: Maledictus qui dederit vxorem ipſi Biniamin.*

19 *Et dixerunt: Ecce ſollemnitas Domini in Siloh annualis, quæ eſt ab Aquilone ipſi Bethel ab ortu ſolis ad viam quæ aſcendit è Bethel ad Schem, & à Meridie ipſi Lebonah.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Quis non aſcendit in eccleſiam de omnibus tribubus Iſrael ad Dominum? Quoniam iuramentum magnum erat ijs, qui non aſcendiſſent ad Dominum in Maſſepha, dicentes: Morte mortificetur. 6 Et pœnituit filios Iſrael erga Beniamin fratrem ſuum, & dixerunt: Exciſa eſt hodie tribus vna de Iſrael. 7 Quid faciemus ſuperſtitibus ijs, qui reſidui ſunt ad vxores? Et nos iurauimus in Domino non dare eis de filiabus noſtris in vxores. 8 Et dixerunt: Quis vnus de tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dominum in Maſſepha? Et ecce non venerat vir in caſtra de Iabis Galaad ad eccleſiam. 9 Et recognitus eſt populus, & non fuit ibi vir de habitantibus Iabis Galaad. 10 Et miſit illuc Synagoga duodecim millia virorum de filijs virtutis, & mandauerunt eis, dicentes: Ite, & percutite habitantes Iabis Galaad in ore gladij: 11 Et hoc facietis: Omne maſculinum, & omnem mulierem, quæ nouit cubile maſculi, anathemabitis, virgines autem conſeruabitis, & fecerunt ſic. 12 Et inuenerunt de habitantibus Iabis Galaad quadringentas adoleſcentulas virgines, quæ non nouerant virũ in cubili maſculi, & attulerunt eas in caſtra in Sylo, quæ in terra Chanaan. 13 Et miſit vniuerſa Synagoga, & locuti ſunt ad filios Beniamin in petra Rhemmon, & vocauerunt eos in pace, & reuertit Beniamin ad filios Iſrael in tempore illo. 14 Et dederunt eis filijs Iſrael mulieres, quas viuificauerant de filiabus Iabis Galaad, & placuit eis ſic. 15 Et pœnituit populum ſuper Beniamin, quoniam fecerat Dominus ſciſſuram in tribubus Iſrael. 16 Et dixerunt ſeniores Synagogæ: Quid faciemus reſiduis in vxoribus? quia deleta eſt de Beniamin mulier? 17 Et dixerunt: Hæreditas ſuperſtitum de Beniamin, & non delebitur tribus de Iſrael: 18 Quoniã nos non poterimus dare eis vxores de filiabus noſtris, quoniam iurauimus in filijs Iſrael, dicentes: Maledictus qui dederit vxorẽ ipſi Beniamin. 19 Et dixerunt: Ecce nunc ſollemnitas Dñi in Selo ex diebus in dies, quæ eſt ab Aquilone ipſius Bæthel, ab ortu ſolis ſuper viam aſcendentem à Bæthel in Sychem, & ab Auſtro ipſius Lebona.

Et man-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Præceperuntque filij Beniamin, atque dixerunt: Ite,& latitate in vineis.
21 Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere,exite repente de vineis,& rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas,& pergite in terra Beniamin.
22 Cumque venerint patres earum ac fratres,& aduerſum vos queri cœperint,atque iurgari,dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, ſed rogantibus vt acciperent,non dediſtis,& à veſtra parte peccatum eſt.
23 Feceruntque filij Beniamin, vt ſibi fuerat imperatum: & iuxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, vxores, ſingulas: abieruntque in poſſeſſionem ſuam,ædificantes vrbes,& habitantes in eis.
24 Filij quoque Iſrael reuerſi ſunt per tribus, & familias in tabernacula ſua. In diebus illis non erat rex in Iſrael: ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Et præceperunt filij Biniamin dicendo: Ite,& inſidiamini in vineis.*
21 *Et videte,& ecce ſi egreſſæ fuerint filiæ Siloh ad ſaltandum in choris, exite ex vineis,& rapite vobis vnuſquiſque vxorem ſuam de filiabus Siloh, & ite in terram Biniamin.*
22 *Et erit, cum venerint patres earum, vel fratres earum ad iurgandum ante nos,dicemus eis: Miſeremini eorum, quia non accepimus vnuſquiſque mulierem ſuam in bello: quia non dediſtis eis tempore hoc ne delinqueretis, ſed ipſi acceperunt ſibi vxores.*
23 *Feceruntque ita filij Biniamin: Tuleruntque vxores ſecundum numerum ſuum de ſaltantibus, quas rapuerunt,& abierunt,& reuerſi ſunt ad hæreditatem ſuam,& ædificauerunt vrbes,& habitauerunt in eis.*
24 *Et abierunt inde filij Iſrael in tempore ſuo, vnuſquiſque ad tribum ſuam,& familiam ſuam,& egreſſi ſunt inde vnuſquiſque ad hæreditatem ſuam. In diebus illis non erat rex in Iſrael, vnuſquiſque quod rectum erat in oculis ſuis,faciebat.*

I. I-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et mandauerunt filij Beniamin,dicentes: Ite,& inſidiamini in vineis,& aſpicietis: 21 Et ecce,ſi
exierint filiæ habitantium Selo ducere choræas in choris,& exitote è vineis,& rapite vobis ipſis, vir mulierem de
filiabus Selo,& ite in terram Beniamin. 22 Et erit, quando venerint patres earum, vel fratres earum
contendere in iudicio ad nos,& dicemus eis: Miſericordiam facite nobis eas,quoniam non cepimus vir vxorem
ſuam in bello,quia non vos dediſtis eis,ſicut ſors,deliquiſtis. 23 Et fecerunt ſic filij Beniamin, & ce-
perunt mulieres ad numerum ſuum de choræas agentibus,quas rapuerunt, & iuerunt,& reuerterunt ad hæredi-
tatem ſuam,& ædificauerunt ciuitates,& ſederunt in eis. 24 Et obambulauerunt in die filij Iſrael in
tempore illo,vir ad tribum ſuam,& ad cognationem ſuam, & exierunt inde vir ad hæreditatem ſuam. In diebus
autem illis non erat rex in Iſrael,vir,quod rectum coram ſe, faciebat.

## FINIS LIBRI IVDICVM.



LIBRI

# LIBRI RVTH.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

1 IN diebus vnius iudicis, quando iudices præ-
erant, facta eſt fames in terra. Abijtque ho-
mo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in
regione Moabitide cum vxore ſua, ac duobus li-
beris.
2 Ipſe vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi: &
duo filij alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi
de Bethlehem Iuda. Ingreſſique regionem Moa-
bitidem, morabantur ibi.
3 Et mortuus eſt Elimelech maritus Noemi: reman-
ſitque ipſa cum filijs.
4 Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vo
cabatur Orpha, altera vero Ruth. Manſeruntque
ibi decem annis,
5 Et ambo mortui ſunt, Mahalon videlicet & Che-
lion: remanſitque mulier orbata duobus liberis, ac
marito.
6 Et ſurrexit vt in patriam pergeret cum vtraque nu-
ru ſua de regione Moabitide: audierat enim quod
reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis
eſcas.
7 Egreſſa eſt itaque de loco peregrinationis ſuæ, cum
vtraque nuru: & iam in via reuertendi poſita in ter
ram Iuda,
8 Dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ, faciat
vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis
cum mortuis & mecum.
9 Det vobis inuenire requiem in domibus virorum,
quos ſortituræ eſtis. Et oſculata eſt eas. Quæ ele-
uata voce flere cœperunt,
10 Et dicere: Tecum pergemus ad populum tu-
um.
11 Quibus illa reſpondit: Reuertimini filiæ meæ, cur
venitis mecum? num vltra habeo filios in vtero meo
vt viros ex me ſperare poſſitis?

Re-

# LIBRI RVTH.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET fuit in diebus, quando iudicabant iudices,
fuit fames in terra. Abijtque vir de Beth-
lechem Iehudah, vt peregrinaretur in regio-
ne Moab, ipſe & vxor eius, & duo liberi eius.*
2 *Nomen autem viri Elimelech, & nomen vxoris eius
Nahomi: nomen vero duorum filiorum eius Mach-
lon, et Chiliō, Ephrathæi de Bethlechem Iehudah, in-
greſſique ſunt regionem Moab, & fuerunt ibi.*
3 *Mortuuſque Elimelech vir Nahomi, & remanſit ip-
ſa, & duo filij eius.*
4 *Acceperunt autem ſibi vxores Moabitidas: nomen
vnius Horpah, & nomen alterius Ruth. Manſe-
runtque ibi ferme decem annis.*
5 *Et mortui ſunt etiam ambo ipſi Machlon, & Chi-
lion: & remanſit mulier orbata duobus filijs, & ma-
rito ſuo.*
6 *Surrexitque ipſa & nurus eius, & reuerſa eſt ex re-
gione Moab: audierat enim in regione Moab, quod
viſitaſſet Dominus populum ſuum dando eis pa-
nem.*
7 *Et egreſſa eſt è loco in quo erat, & duæ nurus eius ſe
cum, & abierunt per viam redeundo ad terram Ie-
hudah.*
8 *Dixitque Nahomi duabus nuribus ſuis: Ite redite
vnaquæque in domum matris ſuæ, faciat Dominus
vobiſcum miſericordiam, quemadmodum feciſtis
cum mortuis, & mecum.*
9 *Det Dominus vobis vt inueniat requiem vnaquæ-
que in domo viri ſui. Et oſculata eſt eas. Et le-
uauerunt vocem ſuam, & fleuerunt.*
10 *Dixeruntque ei: Quia tecum reuertemur ad popu-
lum tuum.*
11 *Dixitque Nahomi: Reuertimini filiæ meæ: vt quid
pergitis mecum? numquid vltra filij erunt in vte-
ro meo, vt ſint vobis viri?*

*Re-*

# LIBRI RVTH.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt, cum iudices iudicarent, & facta eſt fames in terra. Et iuit vir de Bethleem Iuda ad incolen-
dum in agro Moab, ipſe & vxor eius, & duo filij eius.
2 Et nomen viro Elimelech, & nomen vxori
eius Noemin, & nomen duobus filijs eius Maalon, & Chelæon: Ephrathæi de Bethleem Iuda, & vene-
runt in agrum Moab, & fuerunt ibi.
3 Et mortuus eſt Elimelech vir ipſius Noemin, & remanſit ipſa, & duo
filij eius.
4 Et ſumpſerunt ſibi vxores Moabitidas, nomen vni Orpha & nomen ſecundæ Ruth: & habitaue-
runt ibi circiter decem annos.
5 Et mortui quidem ſunt vtrique, Maalon, & Chelæon, & relicta eſt mulier à
viro ſuo, & à duobus filijs ſuis:
6 Et ſurrexit ipſa, & duæ nurus eius, & reuerterunt ex agro Moab, quia audi-
uit in agro Moab, quia viſitauit Dñs populum ſuum, dando eis panes.
7 Et exijt e loco, vbi fuerat ibi, & duæ
nurus eius cum eo, & ibant in via ad reuertendum in terram Iuda.
8 Et dixit Noemin duabus nuribus ſuis:
Ite nunc, reuertimini vnaquæque in domum matris ſuæ.
9 Faciat Dñs vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis
cum mortuis, & mecum: det Dñs vobis & inueniatis requiem vnaquæque in domo viri ſui, & oſculata eſt eas, & ele
uauerunt vocē ſuā & plorauerunt,
10 Et dixerunt ei: Tecū reuertimur ad populū tuū.
11 Et dixit Noemin:
Reuertimini nunc filiæ meæ, & vt quid itis mecū? Numquid vltra mihi filij in vtero meo, & erunt vobis in viros?

Reuer-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Reuertimini filiæ meæ, & abite: iam enim ſenectute confecta ſum, nec apta vinculo coniugali: etiam ſi poſſem hac nocte concipere, & parere filios,

13 Si eos expectare velitis donec creſcant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæſo, filiæ meæ: quia veſtra anguſtia magis me premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me.

14 Eleuata igitur voce, rurſum flere cœperunt, Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reuerſa eſt: Ruth adhæſit ſocrui ſuæ.

15 Cui dixit Noemi: En reuerſa eſt cognata tua ad populum ſuum, & ad deos ſuos, vade cum ea.

16 Quæ reſpondit: Ne aduerſeris mihi, vt relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.

17 Quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparauerit.

18 Videns ergo Noemi, quod obſtinato animo Ruth decreuiſſet ſecum pergere aduerſari noluit, nec ad ſuos vltra reditum perſuadere:

19 Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem. Quibus vrbem ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres: Hæc eſt illa Noemi.

20 Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (id eſt, pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt, amaram) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.

21 Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliauit, & afflixit Omnipotens?

22 Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru ſua, de terra peregrinationis ſuæ: ac reuerſa eſt in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

### C A P. II.

1 ERat autem viro Elimelech conſanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Reuertimini filiæ meæ, ite, ſenui enim, vt non apta ſim viro: ſi etiam dicerem, eſt mihi ſpes, etiam ſi eſſem nocte hac cum viro, & etiam parerem filios.*

13 *Numquid eos expectabitis, donec creſcant? numquid morabimini, vt non ſitis viro? ne filiæ meæ, quia amaritudo foret mihi valde pluſquam vobis quia egreſſa eſt in me percuſſio Domini.*

14 *Et leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt adhuc, & oſculata eſt Herpah ſocerum ſuam: Ruth vero adhæſit ei.*

15 *Et ait: Ecce reuerſa eſt cognata tua ad populum ſuum, & ad deos ſuos: Reuertere poſt cognatam tuam.*

16 *Et dixit Ruth: Ne roges me, vt relinquam te, vt recedam à te: quocumque enim perrexeris pergam, & vbi morata fueris, morabor. Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus.*

17 *Vbi mortua fueris, moriar, & ibi ſepeliar: ſic faciat Dominus mihi, & ſic addat niſi mors diuiſionem faciat inter me, & te.*

18 *Et vidit quod indurata eſſet ad eundum ſecum, & ceſſauit loqui ad eam.*

19 *Et perrexerunt ambæ, donec venirent Bethlechem, & fuit, quando ingreſſæ ſunt Bethlechem commota eſt tota ciuitas ſuper eas, & dixerunt: Num hæc eſt Nahomi?*

20 *Et dixit ad eas: Ne vocetis me Nahomi, vocate me Mara, quia amaritudine affecit Omnipotens me valde.*

21 *Ego plena abij, & vacuam reduxit me Dominus: vt quid vocatis me Nahomi, & Dominus teſtificatus eſt contra me, & Omnipotens male fecit mihi.*

22 *Et reuerſa eſt Nahomi, & Ruth Moabitis nurus eius cum ea: reuerſa eſt ex regione Moab, & venerunt Bethlechem in principio meſſis hordeaceæ.*

### C A P. II.

1 *IPſius autem Nahomi conſanguineus viro erat, vir potens diuitijs à familia Elimelech, & nomen eius Bohaz.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Reuertimini nunc filiæ meæ, quoniam ſenui, vt non ſim viro, quia dixi, quia eſt mihi ſubſtantia, vt ego ſiam viro, & pariam liberos: 13 Numquid ipſos expectabitis, donec adoleuerint? aut ipſis detinebimini, vt non ſitis viro? nequaquam nunc filiæ meæ, nam amaritudo eſt mihi ſuper vos, quoniam exijt in me manus Domini. 14 Et eleuauerunt vocem ſuam, & plorauerunt adhuc, & oſculata eſt Orpha ſocrum ſuam & reuertit ad populum ſuum: Ruth autem ſequuta eſt eam. 15 Et dixit Noemin ad Ruth: Ecce redijt cognata tua ad populum ſuum & ad Deos ſuos: reuertere nunc & tu poſt cognatam tuam. 16 Dixit autem Ruth: Ne occurrat mihi, vt derelinquam te, aut auertar à poſt te, quoniam quocumque tu ieris, ibo, & vbicumque manſeris, manebo. Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. 17 Et vbicumque morieris, moriar, & ibi ſepeliar: hæc vero faciat mihi Dominus, & hæc adijciat, quia mors diuidet inter me, & te. 18 Videns autem Noemin quia illa perdurat ad eundum ſecum, ceſſauit loqui ad eam vltra. 19 Iuerunt autem ambæ, quoadusque ipſæ aduenirent in Bethleem, & factum eſt, dum ipſæ venirent in Bethleem & ſonuit vniuerſa ciuitas ſuper eas, & dixerunt: Si hæc eſt Noemin? 20 Et dixit ad eas: Nequaquam nunc vocate me Noemin, vocate me amaram, quoniam inamaruit in me Omnipotens valde. 21 Ego plena iui & inanem reduxit me Dominus, & vt quid vocatis me Noemin? & Dominus humiliauit me, & Omnipotens afflixit me? 22 Et redijt Noemin, & Ruth Moabites nurus eius, redeuntes ex agro Moab: hæ vero aduenerunt in Bethleem in principio meſſis hordeorum.

### C A P. II.

ET ipſi Noemin erat vir notus viro eius: vir autem potens fortitudine ex cognatione Elimelech, & nomen ei Booz.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Dixitque Ruth Moabitis ad ſocrum ſuam: Si iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, vbicumque clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa reſpondit: Vade filia mea.

3 Abijt itaque & colligebat ſpicas poſt terga metentium. Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

4 Et ecce ipſe veniebat, de Bethlehem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5 Dixitque Booz iuueni, qui meſſoribus præerat: Cuius eſt hæc puella?

6 Cui reſpondit: Hæc eſt Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide,

7 Et rogauit vt ſpicas colligeret remanentes, ſequens meſſorum veſtigia: & de mane vſque nunc ſtat in agro, & ne ad momentum quidem domum reuerſa eſt.

8 Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: ſed iungere puellis meis:

9 Et vbi meſſuerint, ſequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo moleſtus ſit tibi: ſed & ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibũt.

10 Quæ cadens in faciem ſuam & adorans ſuper terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem?

11 Cui ille reſpondit: Nunciata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas.

12 Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cuius confugiſti alas.

13 Quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui cõſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis vnius puellarum tuarum

14 Dixitque ad eam Booz: Quando hora veſcendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad meſſorum latus, & congeſſit polentam ſibi, comeditque & ſaturata eſt, & tulit reliquias.

At-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Dixitque Ruth Moabitis ad Nahomi: Ibo nunc in agrum, & colligam ſpicas in agro illius, in cuius oculis inuenero gratiam, & dixit ei: Vade filia mea.*

3 *Et abijt, & venit, & collegit in agro poſt meſſores, & accidit accidens vt pars agri eſſet ipſius Bohaz qui erat de familia Elimelech.*

4 *Et ecce Bohaz venit de Bethlechem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum, & dixerunt ei: Benedicat tibi Dominus.*

5 *Dixitque Bohaz puero ſuo qui ſtabat ſuper meſſores: Cuius eſt puella hæc?*

6 *Et reſpondit puer qui ſtabat ſuper meſſores, & ait: Puella Moabitidis eſt, quæ reuerſa eſt cum Nahomi de regione Moab.*

7 *Et dixit: Colligam obſecro, & congregabo manipulos poſt meſſores: & venit, & ſtetit à mane vſque nunc: hæc manſio eius in domo fuit paululum.*

8 *Dixitque Bohaz ad Ruth: Nonne audiſti filia mea? ne vadas ad colligendum in agrum alterum, & etiam non tranſeas hinc: ſed hic adhærebis puellis meis.*

9 *Oculi tui erunt in agro in quo meſſuerint, pergeſque poſt eas: an nõ præcepi pueris, vt nõ tãgant te? & ſi ſitieris perge ad vaſa, & bibe de eis q̃ hauſerint pueri.*

10 *Et cecidit in faciem ſuam, & incuruauit ſe in terram dixitque ei: Quare inueni gratiam in oculis tuis, vt agnoſceres me quæ ſum alienigena?*

11 *Reſponditque Bohaz, & dixit ei: Nunciando nunciatum eſt mihi omne quod feciſti ſocrui tuæ, poſtquam mortuus eſt vir tuus, & reliquiſti patrem tuum, & matrem tuam, & terram natiuitatis tuæ, & perrexiſti ad populum, quem non noſti ab heri & nudiuſtertius.*

12 *Reddat tibi Dominus opus tuum, & ſit merces tua perfecta à Domino* Deo *Iſrael cuius veniſti ad ſperandum ſub alis.*

13 *Et dixit: Inueniam gratiam in oculis tuis Domine mi, quia conſolatus es me, & quia locutus es ad cor ancillæ tuæ, & ego non ſum ſicut vna ex ancillis tuis.*

14 *Dixitque ei Bohaz: Tempore cibi accede huc, & comede de pane, & intinge buccellam tuam in aceto, & ſedit ex latere meſſorum, & porrexit ei polentam, & comedit, & ſaturata eſt, & ſuperfuit.*

*Sur-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et dixit Ruth Moabites ad Noemin: Vadam nunc in agrum, & colligam in ſpicis à tergo, cuiuſcunque ſi inuenero gratiam in oculis eius: dixit autem ei: Vade filia. 3 Et iuit, & veniens collegit in agro à tergo metentium, & euenit euentu ad partem agri Booz, qui ex cognatione Elimelech. 4 Et ecce Booz venit de Bethleem, & dixit meſſoribus: Dominus vobiſcum, & dixerunt ei: Benedicat te Dominus. 5 Et dixit Booz puero ſuo, qui aſſiſtebat ſuper meſſores: cuius eſt adoleſcentula hæc? 6 Et reſpondit puer aſſiſtens ſuper meſſores, & dixit: Puella Moabites eſt, quæ reuertit cum Noemin ex agro Moab: 7 Et dixit: Colligam nunc, & congregabo in manipulis poſt meſſores, & venit, & ſtetit à mane, & vſque ad veſperam non ceſſauit in agro puſillum. 8 Et dixit Booz ad Ruth: Nonne audiſti filia, ne ieris colligere in agro altero, & tu ne eas hinc, hic adhære cum puellis meis. 9 Oculi tui ad agrum quemcumque meſſuerint, & ibis poſt eas, ecce mandaui pueris, ne tangant te, & quando ſities, & ibis ad vaſa, & bibes vndecumque hauſerint pueri. 10 Et cecidit ſuper faciem ſuam & adorauit ſuper terram, & dixit ad eum: Quid, quod inueni gratiam in oculis tuis, vt agnoſceres me, & ego ſum peregrina? 11 Et reſpondit Booz, & dixit ei: Renunciatione renunciata ſunt mihi, quæcumque feciſti cum ſocru tua, poſtquam mortuus eſt vir tuus, & quomodo reliquiſti patrem tuum, & matrem tuã & ad terram generationis tuæ, & iuiſti ad populum quem non noueras heri, & nudiuſtertius. 12 Rependat Dominus operationem tuam: fiat merces tua plena à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti ad confidendum ſub alis eius. 13 Illa vero dixit: Inueniam gratiam in oculis tuis Domine, quia conſolatus es me, & quia locutus es ad cor ſeruæ tuæ, & ecce ego ero tanquam vna ancillarum tuarum. 14 Et dixit ei Booz: Iam hora comedendi: accede huc, & comedes panes, & tinges buccellam tuam in aceto, & ſedit Ruth à latere meſſorum, & porrexit ei Booz polentam, & comedit, & ſaturata eſt, & reliquit:

Et ſur-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 Atque inde ſurrexit, vt ſpicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens: Etiamſi vobiſcum metere voluerit ne prohibeatis eam:
16 Et de veſtris quoque manipulis proijcite de induſtria,& remanere permittite, vt abſque rubore colligat,& colligentem nemo corripiat.
17 Collegit ergo in agro vſque ad veſperam: & quæ collegerat virga cædens, & excutiens, inuenit hordei quaſi ephi menſuram, id eſt, tres modios.
18 Quos portans reuerſa eſt in ciuitatem,& oſtendit ſocrui ſuæ: inſuper protulit,& dedit ei de reliquijs cibi ſui,quo ſaturata fuerat.
19 Dixitque ei ſocrus ſua: Vbi hodie collegiſti, & vbi feciſti opus? ſit benedictus qui miſertus eſt tui. Indicauitque ei apud quem fuiſſet operata: & nomen dixit viri,quod Booz vocaretur.
20 Cui reſpondit Noemi: Benedictus ſit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis. Rurſumque ait: Propinquus noſter eſt homo.
21 Et Ruth: Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, vt tamdiu meſſoribus eius iungerer, donec omnes ſegetes meterentur.
22 Cui dixit ſocrus: Melius eſt,filia mea, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi.
23 Iuncta eſt itaque puellis Booz, & tamdiu cum eis meſſuit,donec hordea & triticum in horreis conderentur.

### CAP. III.

1 POſtquam autem reuerſa eſt ad ſocrum ſuam, audiuit ab ea: Filia mea,quæram tibi requiem, & prouidebo vt bene ſit tibi.
2 Booz iſte, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat.
3 Laua igitur,& vngere,& induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream: non te videat homo, donec eſum,potumque finierit.
4 Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque & diſcooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proijcies te, & ibi iacebis: ipſe autem dicet tibi quid agere debeas.

Quæ

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Surrexitque ad colligendum, & præcepit Bohaz pueris ſuis dicendo: Etiam inter manipulos colligat, & non pudore afficiatis eam.*
16 *Et etiam dimittendo dimittite ei de manipulis, & relinquetis,& colligat,& non increpetis eam.*
17 *Et collegit in agro vſque ad veſperam, & excuſſit, quod collegerat,& fuit fere modius hordei.*
18 *Et portauit, & ingreſſa eſt vrbem, & vidit ſocrus eius quod collegerat:& protulit, & dedit ei quod ſuperfuerat ſibi de ſaturitate ſua.*
19 *Dixitque ei ſocrus ſua: Vbi collegiſti hodie, & vbi feciſti? ſit qui cognouit te benedictus. Et indicauit ſocrui ſuæ cum quo fecerat,& ait: Nomen viri cum quo feci hodie eſt Bohaz.*
20 *Dixitque Nahomi nurui ſuæ: Benedictus ſit à Domino qui non reliquit miſericordiam ſuam cum viuentibus, nec cum mortuis,& ait ei Nahomi: Propinquus nobis eſt vir, de propinquis noſtris eſt.*
21 *Dixitque ei Ruth Moabitis: Etiam dixit mihi: Pueris qui ſunt mihi adhærebis, donec compleuerint totam meſſem,quæ eſt mihi.*
22 *Et ait Nahomi ad Ruth nurum ſuam: Bonum eſt filia mea quod exeas cum puellis eius, & non obuiabunt tibi in agro alio.*
23 *Et iunxit ſe puellis Bohaz ad colligendum, donec finiretur meſſis hordeorum,& meſſis frumentorum, & reuerſa eſt ad ſocrum ſuam.*

### CAP. III.

1 *DIxitque ei Nahomi ſocrus ſua: Filia mea,nonne quæram tibi requiem,vt bene ſit tibi?*
2 *Et nunc nonne Bohaz de conſanguinitate noſtra eſt, cuius fuiſti cum puellis? ecce ventilat aream hordeorum.*
3 *Laua te,& vnge te, ac pone veſtimenta tua ſuper te, & deſcendes ad aream,non cognoſcaris viro,donec finierit comedere,& bibere.*
4 *Et erit cum dormierit,nota locum in quo dormierit: & venies,& diſcooperies à parte pedum eius, & accumbes,& ipſe indicabit tibi,quid facias.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et ſurrexit ad colligendum,& mandauit Booz pueris ſuis, dicens: Et quidem inter manipulos colligat,& ne confundatis eam: 16 Et portantes portate ei & quidem proijcientes proijcite ei ex congeſtis,& comedet,& colliget,& non increpabitis eam. 17 Et collegit in agro vſque ad veſperam, & virga excuſſit,quæ collegerat,& fuit circiter Oephi ordeorum. 18 Et tulit, & intrauit in ciuitatem, & vidit ſocrus eius,quæ collegerat,& proferens Ruth dedit ei,quæ reliquerat ex ijs,quibus ſaturata fuerat.
19 Et dixit ei ſocrus eius: vbi collegiſti hodie, & vbi feciſti? Sit,qui agnouit te,benedictus, & nunciauit Ruth ſocrui ſuæ,vbi feciſſet,& dixit: Nomen viri,cum quo feci hodie,Booz. 20 Dixit autem Noemin nurui ſuæ: Benedictus eſt Domino, quoniam non dereliquit miſericordiam ſuam cum viuentibus, & cum mortuis,& dixit ei Noemin: Propinquus eſt nobis vir,de redemptoribus eſt nobis. 21 Et dixit Ruth ad ſocrum ſuam: Et quidem,quia dixit ad me,cum puellis meis adhære, quoadusque conſummauerint totam meſſem,quæ eſt mihi. 22 Et dixit Noemin ad Ruth nurum ſuam: Bonum filia, quia exiſti cum puellis eius,& non occurrent tibi in agro alio. 23 Et adhæſit Ruth puellis Booz colligendo,quoadusque conſummaretur meſſis ordeorum, & triticorum.

### C A P. III.

ET ſedit cum ſocru ſua: Dixit autem ei Noemin ſocrus eius: Filia,nonne quæram tibi requiem,vt bene ſit tibi? 2 Et nunc nonne Booz notus noſter,cuius fuiſti cum puellis eius? Ecce ipſe ventilat aream ordeorũ hac nocte. 3 Tu autem lauaberis,& vngeris,& circumpones veſtimentum tuum ſuper te,& aſcendes ad aream: ne innoteſcas viro,quoadusque ipſe conſummauerit edere & bibere. 4 Et erit,cum ipſe dormierit,& noſces locum,vbi dormit illic,& venies,& diſcooperies, quæ ad pedes eius,& dormies, & ipſe indicabit tibi,quæ facies.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Quæ reſpondit: Quidquid præceperis, faciam.

6 Deſcenditque in aream, & fecit omnia, quæ ſibi imperauerat ſocrus.

7 Cumque comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, venit abſcondite, & diſcooperto pallio, à pedibus eius ſe proiecit.

8 Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus eſt: viditque mulierem iacẽtem ad pedes ſuos,

9 Et ait illi: Quæ es? Illaque reſpondit: Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.

10 Et ille, Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti: quia non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites.

11 Noli ergo metuere, ſed quidquid dixeris mihi, faciam tibi: Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.

12 Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior.

13 Quieſce hac nocte: & facto mane, ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt: ſin autem ille noluerit, ego te abſque vlla dubitatione ſuſcipiam, viuit Dominus: dormi vſque mane.

14 Dormiuit itaque ad pedes eius, vſque ad noctis abſceſſum. Surrexit itaque antequam homines ſe cognoſcerent mutuo, & dixit Booz: Caue ne quis nouerit quod huc veneris.

15 Et rurſum: Expande, inquit pallium tuum, quo operiris, & tene vtraque manu. Qua extendente, & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem,

16 Et venit ad ſocrum ſuam. Quæ dixit ei: Quid egiſti filia? Narrauitque ei omnia, quæ ſibi feciſſet hõ.

17 Et ait: Ecce ſex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reuerti ad ſocrum tuam.

18 Dixitque Noemi: Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat: neque enim ceſſabit homo niſi compleuerit quod locutus eſt.

### CAP. IIII.

1 AScendit ergo Booz ad portam, & ſedit ibi. Cumque vidiſſet propinquum præterire, de quo prius ſermo habitus eſt, dixit ad eum: Declina paulliſper, & ſede hic, vocans eum nomine ſuo. Qui diuertit, & ſedit.

Tol-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Dixitque ad eam: omnia quæ dixeris mihi faciam.*

6 *Et deſcendit in aream, & fecit iuxta omnia quæ præceperat ſibi ſocrus ſua.*

7 *Et comedit Bohaz, & bibit, & iucundum erat ſibi cor eius, & venit ad dormiendum in ſummitate acerui: venitque abſcondite, & diſcooperuit à parte pedum, & accubuit.*

8 *Et fuit, media nocte expauit vir, & inclinauit ſe & ecce mulier dormiebat à parte pedum eius,*

9 *Et dixit: Quæ es tu? & dixit: Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper ancillam tuã, quia propinquus es.*

10 *Dixitque: Benedicta es tu à Domino filia mi: Meliorem feciſti miſericordiam tuam poſteriorem, quam primam, vt non ambulares poſt iuuenes, tum pauperem, tumque diuitem.*

11 *Et nunc filia mea, ne timeas: omnia quæ dixeris faciam tibi: ſcit enim tota ciuitas populi mei, quia mulier virtuoſa es.*

12 *Et nunc quia vere propinquus ſum, & etiam eſt propinquus propinquior me.*

13 *Pernocta nocte: & erit mane, ſi propinquus tuus eſſe voluerit, bene, propinquus ſit: ſi verò non voluerit propinquus tuus eſſe propinquus, ero tibi ego, viuit Dominus: dormi vſque mane.*

14 *Et dormiuit à parte pedum eius vſque mane, & ſurrexit antequam cognoſceret vir proximum ſuum, & dixit: Non ſciatur quod venerit mulier ad aream.*

15 *Et dixit: Affer lintheum quod eſt ſuper te, & tene illud: & tenuit illud, & menſus eſt ſex hordei menſuras, & poſuit ſuper eam, & ingreſſa eſt ciuitatem.*

16 *Et venit ad ſocrum ſuam, & dixit: Quæ es tu filia mea? & narrauit ei omnia quæ fecit ſibi vir.*

17 *Et ait: Sex hordei menſuras has dedit mihi, dixit enim: Non ingredieris vacua ad ſocrum tuam.*

18 *Et dixit: Mane filia mea, donec cognoſcas quomodo cadat res, non enim quieſcet vir, niſi compleuerit rem hodie.*

### *CAP. IIII.*

1 *BOhaz autem aſcendit ad portam, & ſedit ibi, & ecce propinquus tranſibat de quo locutus fuerat Bohaz, & dixit: Declina, ſede hic tu talis, & talis & declinauit, & ſedit.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Dixit autem Ruth ad eam: Omnia, quæcumque dixeris, faciam. 6 Et deſcendit ad aream, & fecit iuxta omnia, quæcumque mandauit ei ſocrus eius. 7 Et comedit Booz, & bibit, & bonum factum eſt cor eius, & venit ad dormiendum in parte acerui, illa autem venit in occulto, & diſcooperuit, quæ ad pedes eius. 8 Factũ eſt autem in media nocte, & expauit vir, & turbatus eſt, & ecce mulier dormit ad pedes eius. 9 Dixit autem: Quis es tu? At illa dixit: Ego ſum Ruth ſerua tua, & circumpones alas tuas ſuper ſeruam tuam, quoniam redemptor es tu. 10 Et dixit Booz, Benedicta tu Domino Deo filia, quoniam bonam feciſti miſericordiam tuam poſtremam ſuper primam, non eundo poſt iuuenes, ſiue inops, ſiue diues. 11 Et nunc filia ne timeas: omnia quæcumque dixeris, faciam tibi: nouit enim vniuerſa tribus populi mei, quia mulier virtutis tu es. 12 Et nunc vere redemptor ego ſum, & quidem eſt redemptor propinquus ſuper me. 13 Maneto nocte, & erit mane: ſi redemerit te, bonum, redimat: ſi autem noluerit redimere te, redimam te ego: viuit Dominus, dormi vſque mane. 14 Et dormiuit ad pedes eius vſque mane: illa vero ſurrexit, antequam agnoſceret vir proximum ſuum, & dixit Booz: Ne innoteſcat, quia venit mulier ad aream. 15 Et dixit ei: Da pallium, quod ſuper te, & tenuit illud, & menſus eſt ſex ordeorum, & impoſuit ſuper eam, & intrauit in ciuitatem. 16 Et Ruth intrauit ad ſocrum ſuam. At illa dixit ei: Filia, & dixit ei omnia, quæcumque fecerat ei vir. 17 Et dixit ei: Sex ordeorum hæc dedit mihi, qm̃ dixit ad me, ne intres vacua ad ſocrũ tuam. 18 At illa dixit: Sede filia, quoadusque tu cognoſcas, quomodo non cadet verbum: non enim quieſcet vir, quoadusque conſummauerit verbum hodie.

### CAP. IIII.

ET Booz aſcendit ad portam, & ſedit ibi, & ecce redemptor prætergrediebatur, quem locutus eſt Booz, & dixit ad eum Booz: Declinans ſede hic abſcondite, & declinauit, & ſedit.

Et ſum-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Tollens autem Booz decem viros de ſenioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hic.

3 Quibus ſedentibus, locutus eſt ad propinquum: Partem agri fratris noſtri Elimelec vendet Noemi, quæ reuerſa eſt de regione Moabitide:

4 Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis poſſidere iure propinquitatis: eme, & poſſide ſin autem diſplicet tibi, hoc ipſum indica mihi, vt ſciã quid facere debeam, nullus enim eſt propinquus, excepto te qui prior es: & me, qui ſecundus ſum. At ille reſpondit: Ego agrum emam.

5 Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere: vt ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate ſua:

6 Qui reſpondit: Cedo iuri propinquitatis: neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo: tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.

*Deut.25.7.

7 * Hic autem erat mos antiquitus in Iſrael inter propinquos, vt ſi quando alter alteri ſuo iuri cedebat: vt eſſet firma conceſſio, ſoluebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo: hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrael.

8 Dixit ergo propinquo ſuo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod ſtatim ſoluit de pede ſuo.

9 At ille maioribus natu, & vniuerſo populo, Teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quod poſſederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion & Mahalon, tradente Noemi:

10 Et Ruth Moabitidem, vxorem Mahalon, in coniugium ſumpſerim, vt ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei teſtes eſtis.

11 Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: Nos teſtes ſumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael: vt ſit exemplum virtutis in Ephratha, & habeat celebre nomen in Bethlehem.

*Gen.38. 19

12 Fiatque domus tua, ſicut domus Phares, * quem Thamar peperit Iudæ, de ſemine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.

Tu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et tulit decem viros de ſenioribus ciuitatis, & dixit: Sedete hic.*

3 *Et ſederunt: Dixitque propinquo: Partem agri, quæ erat fratris noſtri Elimelech vendidit Nahomi quæ reuerſa eſt è regione Moab.*

4 *Ego autem dixi: Reuelabo aurem tuam dicendo: Acquire coram habitatoribus, & coram ſenioribus populi mei, ſi propinquus eſſe vis, propinquus eſſendo, & ſi non propinquus eſſe vis indica mihi, vt ſciam, quod non eſt præter te, vt ſit propinquus, & ego ſum poſt te, & dixit: Ego propinquus ero.*

5 *Et dixit Bohaz: In die qua acquiſieris agrum de manu Nahomi, & Ruth Moabitidem vxorem defuncti acquires ad ſuſcitandum nomen defuncti in hæreditate eius.*

6 *Dixitque propinquus: Non poſſum propinquus eſſe, ne forte deleam hæreditatem meam: ſis tu propinquus propinquitate mea, quia non poſſum eſſe propinquus.*

7 *Hoc autem erat ante in Iſrael ſuper propinquitate, & ſuper permutatione ad confirmandum omnem rem: ſoluebat vir calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo, & hoc erat teſtimonium in Iſrael.*

8 *Dixitque propinquus ad Bohaz: Acquire tibi, & ſoluit calceamentum ſuum.*

9 *Dixitque Bohaz ad ſeniores, & omnem populum: Teſtes eſtis hodie quod acquiſiui omnia quæ erant Elimelech, & omnia quæ erant Chilion, & Machalon de manu Nahomi.*

10 *Et etiam Ruth Moabitidem vxorem Machalon acquiſiui mihi in vxorem, ad ſuſcitandum nomen defuncti in hæreditate ſua, & non excidatur nomen defuncti à fratribus ſuis, & à porta loci ſui: teſtes eſtis hodie.*

11 *Et dixerunt omnis populus qui erat in porta, & ſeniores, teſtes ſumus: det Dominus mulierem quæ ingreditur domum tuam ſicut Rachel, & ſicut Leah quæ ædificauerunt domum Iſrael, & faciat virtutem in Ephrathah, & celebre nomen in Bethlechem.*

12 *Et ſit domus tua ſicut domus Peres quem peperit Tamar ipſi Iehudah de ſemine quem dederit Dominus tibi de puella hac.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſumpſit Booz decem viros de ſenioribus ciuitatis, & dixit: Sedete hic. 3 Et ſederunt, & dixit
Booz redemptori: Partem agri, quæ eſt fratris noſtri Elimelech, quæ data eſt ipſi Noemin reuerſæ ex agro Moab:
4 Et ego dixi: Diſcooperiam aurem tuam, dicens: Acquire coram ſedentibus, & coram ſenioribus populi mei:
ſi redimis, redime, ſi autem non redimis, annuncia mihi, & cognoſcam, quia non eſt præter te ad redimendum, &
ego ſum poſt te. At ille dixit: Ego ſum, redimam. 5 Et dixit Booz: In die acquirendi te agrum de
manu Noemin, & à Ruth Moabitide vxore defuncti, & ipſam te acquirere oportet, vt ſuſcites nomen mortui ſuper hæreditatem eius. 6 Et dixit redemptor: Non potero redimere mihi, ne forte corrumpam hæreditatem meam: redime tibi redemptionem meam, quoniam non potero redimere. 7 Et hæc iuſtificatio erat antea in Iſrael ſuper redemptione, & ſuper permutatione ad firmandum omne verbum, & ſoluebat vir
calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo redimenti redemptionem ſuam, & hoc erat teſtimonium in Iſrael.
8 Et dixit redemptor ad Booz: Acquire tibi redemptionem meam, & ſoluit calceamentum ſuum, & dedit ei.
9 Et dixit Booz ſenioribus, & vniuerſo populo: Teſtes vos hodie, quia acquiſiui omnia, quæ ipſius Elimelech, &
omnia, quæcumque ſunt ipſi Chelæon, & ipſi Maalon, de manu Noemin. 10 Et etiam Ruth Moabitidem vxorem Maalon acquiſiui mihi in vxorem, ad ſuſcitandum nomen mortui ſuper hæreditatem eius, & non
exterminabitur nomen mortui de fratribus ſuis, & de tribu populi ſui. Teſtes vos hodie. 11 Et
dixerunt vniuerſus populus, qui in porta: Teſtes, & ſeniores dixerunt: Det Dominus vxorem tuam intrantem
in domum tuam, ſicut Rhachel, & ſicut Liam, quæ ædificauerunt vtræque domum Iſrael, & fecerunt virtutem in
Ephratha, & erit nomen in Bethleem. 12 Et fiat domus tua, ſicut domus Phares, quem peperit
Thamar ipſi Iuda ex ſemine, quod dabit Dominus tibi ex ancilla hac.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

13 Tulit itaque Booz Ruth,& accepit vxorem: ingreſ-
ſuſque eſt ad eam,& dedit illi Dominus vt concipe-
ret,& pareret filium.
14 Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Do-
minus, qui non eſt paſſus vt deficeret ſucceſſor fa-
miliæ tuæ,& vocaretur nomen eius in Iſrael.
15 Et habeas qui conſoletur animam tuam, & enutriat
ſenectutem: de nuru enim tua natus eſt, quæ te di-
ligit: & multo tibi melior eſt, quam ſi ſeptem ha-
beres filios.
16 Suſceptumque Noemi puerum poſuit in ſinu ſuo,&
nutricis ac gerulæ fungebatur officio.
17 Vicinæ autem mulieres congratulantes ei,& dicen-
tes: Natus eſt filius Noemi: vocauerunt nomen
eius Obed: hic eſt pater Iſai, patris Dauid.
18 Hæ ſunt generationes Phares: * Phares genuit Eſ-
ron,

* 1 Par. 2. 4 & 41. Matt. 1. 3.

19 Eſron genuit Aram, Aram genuit Aminadab,
20 Aminadab genuit Nahaſſon, Nahaſſon genuit Sal-
mon,
21 Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,
22 Obed genuit Iſai, Iſai genuit David.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et tulit Bohaz Ruth, & fuit ſibi vxor, & ingreſſus*
*eſt ad eam, & dedit Dominus ei conceptum, & pepe-*
*rit filium.*
14 *Dixeruntque mulieres ad Nahomi: Benedictus Do-*
*minus qui non ceſſare fecit ſibi propinquum hodie, vt*
*vocetur nomen eius in Iſrael.*
15 *Et erit tibi ad quieſcere faciendum animam, & ad*
*alendum ſenectutem tuam, quia nurus tua, quæ di-*
*ligit te, peperit eum qui eſt melior tibi quam ſeptem*
*filij.*
16 *Et tulit Nahomi infantem, & poſuit eum in ſinu*
*ſuo, & fuit ei vt nutrix.*
17 *Et vocauerunt eum vicinæ nomen dicendo: Natus*
*eſt filius ipſi Nahomi, & vocauerunt nomen eius Ho*
*bed: ipſe eſt pater Iſai patris Dauid.*
18 *Iſta ſunt generationes Peres, Peres genuit Cheſ-*
*ron.*
19 *Cheſron autem genuit Ram, Ram autem genuit*
*Hamminadab.*
20 *Hamminadab autem genuit Nachſon, Nachſon au-*
*tem genuit Salmah.*
21 *Salmon autem genuit Bohaz, Bohaz autem genuit*
*Hebed.*
22 *Hebed autem genuit Iſai, Iſai autem genuit Da-*
*uid.*

LI-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et accepit Booz Ruth,& facta eſt ei in vxorem,& intrauit ad eam,& dedit ei Dominus conceptionem,& pe-
perit filium.
14 Et dixerunt mulieres ad Noemin: Benedictus Dominus, qui non fecit deeſſe
tibi hodie redemptorem,& vocet nomen tuum in Iſrael.
15 Et erit tibi in reuocantem animam
& ad nutriendum caniciem tuam, quoniam nurus, quæ dilexit te, peperit eum, quæ eſt bona tibi ſuper ſeptem
filias.
16 Et ſumpſit Noemin puerum,& poſuit in ſinu ſuo,& facta eſt ei in nutricem.
17 Et vocauerunt eius vicinæ nomen eius Obed. Hic pater Ieſſe patris Dauid.
18 Et hæ ge-
nerationes Phares, Phares genuit Eſrom.
19 Eſrom genuit Aram,& Aram genuit Aminadab.
20 Et Aminadab genuit Naaſſon,& Naaſſon genuit Salmon.
21 Et Salmon genuit Booz,&
Booz genuit Obed.
22 Et Obed genuit Ieſſe,& Ieſſe genuit Dauid.

## FINIS LIBRI RVTH.



UVA.BSCH

# LIBRI PRIMI REGVM.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

FVit vir vnus de Ramathaimſophim, de mon- 1
te Ephraim, & nomen eius Elcana, filius
Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph,
Ephrathæus.
Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen 2
ſecundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij:
Annæ autem non erant liberi.

Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus 3
vt adoraret & ſacrificaret Domino exercituum in
Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni &
Phinees, ſacerdotes Domini.
Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phe- 4
nennæ vxori ſuæ, & cunctis filijs eius, & filiabus
partes:
Annæ autem dedit partem vnam triſtis, quia An- 5
nam diligebat. Dominus autem concluſerat vul-
uam eius.
Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer 6
angebat, in tantum, vt exprobraret quod Dominus
concluſiſſet vuluam eius:
Sicque faciebat per ſingulos annos, cum redeun- 7
te tempore aſcenderent ad templum Domini: &
ſic prouocabat eam: porro illa flebat, & non ca-
piebat cibum.

Di-

# LIBRI PRIMI SEMVEL.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET fuit vir vnus de RamathaimSophim de monte Ephraim, & nomen eius Elcanah filius Ierocham filij Elihu, filij Tochu, filij Zuph Ephrathæi.*
2 *Et ei fuerunt duæ vxores, nomen vnius Channah, & nomen alterius Peninnah: & fuerunt ipſi Peninnah nati, ſed Channah non fuerunt nati.*
3 *Aſcendebat autem vir ipſe è ciuitate ſua annuatim ad adorandum, & immolandum Domino exercituum in Siloh, & ibi erant duo filij Heli, Chophni, & Pinchas ſacerdotes Domino.*
4 *Et fuit dies, & immolauit Elcanah, deditque Peninnah vxori ſuæ, & omnibus filijs eius, & filiabus eius partes.*
5 *Ipſi vero Channah dedit partem vnam honorabilem, quoniam Channah diligebat: Dominus autem concluſerat vuluam eius.*
6 *Et irritabat eam inimica eius etiam ira, propterea quod improperaret ei quod concluſerat Dominus vuluam eius.*
7 *Et ſic faciebat annuatim à tempore quo aſcendebat ipſa in domum Domini, ſic irritabat eam: flebat autem, & non comedebat.*

Di-

# LIBRI PRIMI REGNORVM.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

HOMO fuit de Armathæm Sipha, de monte Ephræm, & nomen ei Elcana filius Ieremeel filij Tho-
ce in Naſib Ephræm. 2 Et huic duæ vxores, nomen vni Anna, & nomen ſecundæ
Phennana, & erant Phennanæ filij, & Annæ non erat filius. 3 Et aſcendebat homo
ex diebus in dies de ciuitate ſua de Armathæm adorare, & ſacrificare Domino Deo Sabaoth in Selom, & ibi
Heli, & duo filij eius Ophni, & Phinees ſacerdotes Domini. 4 Et facta eſt dies, & ſacrificauit El-
cana, & dedit Phennanæ vxori ſuæ, & filijs eius partes: 5 Et Annæ dedit partem vnam, quia non erat
ei filius, veruntamen Annam diligebat Elcana ſuper hanc, & Dominus concluſerat, quæ circa vuluam eius:
6 Quia non dederat ei Dominus filium, ſecundum tribulationem eius, & ſecundum triſtitiam tribulationis eius,
& triſtabatur propter hoc, quoniam concluſerat Dominus, quæ circa vuluam eius, non dando ei filium.
7 Sic faciebat annum per annum in aſcendendo ipſam in domum Domini, & triſtabatur, & plorabat, & non
comedebat.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Dixit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi ſum, quam decem filij?

9 Surrexit autem Anna poſtquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli ſacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes templi Domini,

10 Cum eſſet Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter,

11 Et votum vouit, dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.

12 Factum eſt autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obſeruaret os eius.

13 Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimauit ergo eam Heli temulentam,

14 Dixitque ei: Vſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum, quo mades.

15 Reſpondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini.

16 Ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta ſum vſque in præſens.

17 Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.

18 Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abijt mulier in viam ſuam, & comedit, vultuſque illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.

19 Et ſurrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino: reuerſique ſunt, & venerunt in domum ſuam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem ſuam: & recordatus eſt eius Dominus.

20 Et factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quod à Domino poſtulaſſet eum.

Aſcen-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Dixitque ei Elcanah vir ſuus, Channah vt quid fles & vt quid non comedis, & vt quid male ſe habet cor tuum? Nonne melior ſum tibi, quam decem filij?*

9 *Surrexitque Channah poſtquam comederant in Siloh, & biberant. Heli autem ſacerdos ſedebat ſuper ſolium, iuxta poſtem templi Domini.*

10 *Et ipſa erat amaro animo, orauitque ad Dominum, & flendo fleuit.*

11 *Et vouit votum, & ait: Domine exercituum ſi videndo videris afflictionem ancillæ tuæ, & recordatus fueris mei, & non fueris oblitus ancillæ tuæ dederiſque famulæ tuæ ſemen virile dabo illud Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput illius.*

12 *Et fuit, cum diu oraret coram Domino, Heli obſeruabat os eius.*

13 *Channah autem loquebatur in corde ſuo, tantum labia eius mouebantur, ſed vox eius non audiebatur, & æſtimauit eam Heli tamquam ebriam.*

14 *Dixitque ad eam Heli: Vſquequo ebria eris? remoue vinum tuum à te.*

15 *Reſpondit Channah & ait: Non Domine mi ſum ebria, ſed mulier dura ſpiritus ſum, & vinum & Sechar non bibi, ſed effudi animam meam coram Domino.*

16 *Ne reputes, quod ancilla tua ſtet coram Domino tamquam filia impia: quia ex multitudine eloquij mei, & indignationis meæ locuta ſum hactenus.*

17 *Et reſpondit Heli, ac dixit: Vade in pace, & Deus Iſrael det petitionem tuam, quam petiſti ab eo.*

18 *Et dixit: Inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis, & abijt mulier in viam ſuam, & comedit: vultuſque illius non fuit eis vltra.*

19 *Et ſurrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino: reuerſique ſunt, & venerunt in domum ſuam in Ramah. Cognouit autem Elcanah Channah vxorem ſuam, & recordatus eſt eius Dominus.*

20 *Et fuit, in reuolutione dierum concepit Channah, & peperit filium, vocauitque nomen eius Semuel, quod à Domino petiuiſſet eum.*

*Aſcen-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et dixit ei Elcana vir eius: Anna, & dixit ei: Ecce ego domine, & dixit ad eam: Quid eſt tibi, quia ploras? &
vt quid non comedis? & vt quid verberat cor tuum? nonne bonus ego tibi ſuper decem filios?
9 Et ſurrexit Anna, poſtquam ipſi comederant in Selom, & ſtetit coram Domino, & Heli ſacerdos ſuper ſellam
ſuper limina templi Domini. 10 Et ipſa mæſta animo, & orauit ad Dominum, & plorans plo-
rauit: 11 Et vouit votum Domino, dicens: Adonai, Domine Eloe Sabaoth, ſi reſpiciens reſpexeris ſu-
per humiliationem ſeruæ tuæ, & recordatus fueris mei, & dederis ſeruæ tuæ ſemen virorum, & dabo eum coram
te datum vſque ad diem mortis eius, & vinum, & inebriamentum non bibet, & ferrum non aſcendet ſuper caput
eius. 12 Et factum eſt, quando multiplicabat orans coram Domino, & Heli ſacerdos obſeruabat
os eius. 13 Et ipſa loquebatur in corde ſuo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audieba-
tur, & reputauit eam Heli in ebriam. 14 Et dixit ei puer Heli: Quouſque eris ebria? aufer vi-
num tuum, & vade à facie Domini. 15 Et reſpondit Anna, & dixit: Nequaquam Domine. Mulier
dura dies ego ſum, & vinum, & inebriamentum non bibi, & effundo animam meam coram Domino. 16 Ne
dederis ſeruam tuam in filiam peſtilentem quoniam, ex multitudine meditationis meæ extendi vſque nunc.
17 Et reſpondit Heli, & dixit ei: Vade in pace: Deus Iſrael det tibi omnem petitionem tuam, quã petiiſti ab eo.
18 Et dixit: Inuenit ſerua tua gratiam in oculis tuis, & iuit mulier in viam ſuam, & intrauit in diuerſorium ſuũ,
& comedit cum viro ſuo, & bibit, & facies eius non concidit vltra. 19 Et ſurgunt mane, & adorant Do-
minum, & vadunt viam ſuam, & intrauit Elcana in domum ſuam Armathæm, & cognouit Annam vxorem ſuam,
& recordatus eſt eius Dominus, & concepit. 20 Et factum eſt tempore dierum, & peperit fi-
lium, & vocauit nomen eius Samuel, & dixit: Quoniam à Domino Deo Sabaoth petij eum.

Et aſcen-

## Vulgata Editio.

Aſcendit autem vir eius Elcana, & omnis domus 21
eius,vt immolaret Domino hoſtiam ſollemnem,votum ſuum,
Et Anna non aſcendit: dixit enim viro ſuo: Non 22
vadam,donec ablactetur infans,& ducam eum,vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter.
Et ait ei Elcana vir ſuus: Fac quod bonum tibi vi- 23
detur, & mane donec ablactes eum: precorque vt impleat Dominus verbum ſuum. Manſit ergo mulier,& lactauit filium ſuum, donec amoueret eum à lacte.
Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactauerat, in 24
vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & Amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus:
Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum 25
Heli.
Et ait Anna: Obſecro mi domine, viuit anima tua 26
domine: ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te hic orans Dominum.
Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus peti- 27
tionem meam,quam poſtulaui eum.
Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis 28
diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna,& ait:

### CAP. II.

EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum 1
eſt cornu meum in Deo meo: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo.
Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus: neque enim 2
eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.
Nolite multiplicare loqui ſublimia glorantes: re- 3
cedant vetera de ore veſtro: quia Deus ſcientiarũ, Dominus eſt:& ipſi præparantur cogitationes.
Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti 4
ſunt robore.
Repleti prius, pro panibus ſe locauerunt: & fa- 5
melici ſaturati ſunt, donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.
* Dominus mortificat & viuificat, deducit ad in- 6
feros & reducit.
Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & 7
ſubleuat.

Su-

* Deut. 32. 39. Tob. 13. 2. Sapi. 16. 13.

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Aſcendit autem vir Elcanah, & omnis familia eius ad immolandum Domino hoſtiam anniuerſariam,& votum ſuum.*
22 *Channah autem non aſcendit: dixit enim viro ſuo: Non aſcendam donec ablactetur infans,& adducam eum vt conſpiciatur coram Domino, & maneat ibi vſque in ſæculum.*
23 *Dixitque ei Elcanah vir ſuus: Fac quod bonum eſt in oculis tuis: mane donec ablactes eum: veruntamen confirmet Dominus verbum ſuum. Manſitque mulier, & lactauit filium ſuum, donec ablactaret eum.*
24 *Aſcendereque fecit eum ſecum,cum ablactauit eum iuuencis tribus,& modio vno farinæ,& vtre vini,& adduxit eum ad domum Domini in Siloh, & puer erat valde puer.*
25 *Et iugulauerunt iuuencum, & adduxerunt puerum ad Heli.*
26 *Et dixit: Obſecro domine mi, viuit anima tua domine mi: ego ſum mulier, quæ ſteti tecum hic ad orandum coram Domino.*
27 *Pro puero hoc oraui,& dedit Dominus mihi petitionem meam,quam petij ab eo.*
28 *Et etiam ego commodaui eum Domino omnibus diebus,quibus eſt commodatus Domino, & incuruauit ſe ibi Domino.* Orauit autem Channah,& dixit: **

### CAP. II.

1 *EXultauit cor meum in Domino, exaltatum eſt cornu meum in Domino: dilatatum eſt os meũ ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalute tua.*
2 *Non eſt ſanctus ſicut Dominus: quia non eſt præter te,& non eſt fortis ſicut Deus noſter:*
3 *Ne multiplicetis,vt loquamini valde ſublime verbũ, egrediatur vetus verbum ex ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus,& ipſi directa ſunt opera.*
4 *Arcus, & fortes confracti ſunt, & debiles accincti ſunt robore.*
5 *Hi qui ſaturati prius fuerant pro pane ſe locauerunt, & qui fuerunt famelici deſierunt ſameſcere donec ſterilis peperit ſeptem,& quæ multiplicabat filios infirmata eſt.*
6 *Dominus mortificat, & viuificat, deſcendere faciat ad inferos & aſcendere facit.*
7 *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & exaltat.*

*Su-*

* Quæ duob⁹ clauditur aſteris in Tranſl. Sanct. Pagn. ex habetur hîc in ipſomet pri. c. poſt cap. ſequentis.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et aſcendit homo Elcana,& vniuerſa domus eius ſacrificare in Selom ſacrificium dierum, & vota ſua, & omnes decimas terræ ſuæ. 22 Et Anna non aſcendit cum eo,quoniam dixit viro ſuo,donec aſcendat puer: ſi ablactauero eum,& apparebit faciei Domini, & ſedebit vſque in ſæculum ibi. 23 Et dixit ei Elcana vir eius: Fac,quod bonum in oculis tuis,ſede, quoadúſque ablactaueris eum, ſed firmet Dominus, quod exijt ex ore tuo,& ſedit mulier,& lactauit filium ſuum,donec ablactaſſet eum. 24 Et aſcendit cum eo in Selom in vitulo trienni,& panibus, & Oephi ſimilaginis, & Nebel vini, & intrauit in domum Domini in Selom, & puer cum eis. 25 Et adduxerunt coram Domino,& mactauit pater eius ſacrificium, quod faciebat à diebus in dies Domino,& adduxit Anna mater pueri ad Heli, 26 Et dixit: In me Domine viuit anima tua,ego illa mulier,quæ ſteti coram te tecum,cum orarem ad Dominum: 27 Pro puero hoc oraui,& dedit mihi Dominus petitionem meam,quam petij ab eo. 28 Et ego commodo eum Domino omnes dies,quos ipſe viuit,commodationem Domino, & dixit:

### CAP. II.

COnfirmatum eſt cor meum in Domino,exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: dilatatum eſt ſuper inimicos meos os meum,lætata ſum in ſalute tua. 2 Quoniam non eſt ſanctus,ſicut Dominus, & non eſt iuſtus ſicut Deus noſter,non eſt ſanctus præter te. 3 Nolite gloriari,& nolite loqui excelſa, non procedat magniloquentia de ore veſtro,quoniam Deus ſcientiarum Dominus, & Deus præparans adinuentiones ſuas. 4 Arcus potentium infirmatus eſt,& infirmi accincti ſunt virtute. 5 Pleni panibus minorati ſunt,tranſierunt terram,quoniam ſterilis peperit ſeptem,& multa in filijs infirmata eſt. 6 Dominus mortificat,& viuificat,deducit ad inferos,& reducit. 7 Dominus pauperem facit,& ditat,humiliat, & exaltat.

## Vulgat. Editio.

8 Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

9 Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.

10 Dominum formidabunt aduerſarij eius: & ſuper ipſos in cœlis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.

11 Et abijt Elcana Ramatha, in domum ſuam, puer autem erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli ſacerdotis.

12 Porro filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum,

13 Neque officium ſacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dum coquerentur carnes & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua,

14 Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ſiue in cacabum: & omne, quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi: ſic faciebant vniuerſo Iſraeli venientium in Silo.

15 Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer ſacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam ſacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, ſed crudam.

16 Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque deſiderat anima tua. Qui reſpondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

17 Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.

18 Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo.

19 Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam ſollemnem.

20 Et benedixit Heli Elcanæ & vxori eius: dixitque ei: Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac, pro fœnore quod commodaſti Domino. Et abierunt in locum ſuum.

Vi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*8 Suſcitat è puluere pauperem, è ſtercore eleuabit mendicum, vt ſedere faciat cum principibus, & ſolium gloriæ ſortiri faciat eos: Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.*

*9 Pedes piorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent, quia non in fortitudine roborabitur vir.*

*10 Domine conterantur rixa eius, ſuper ipſum è cœlis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit fortitudinem regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.*

*11 Abijt autem Elchanah in Ramah in domum ſuam, puer autem miniſtrabat Domino coram Heli ſacerdote.*

*12 Filij autem Heli filij erant impij nec cognoſcebant Dominum.*

*13 Et conſuetudo ſacerdotum cum populo erat, quod omni viro ſacrificante ſacrificium, veniebat puer, quando coquebatur caro, & fuſcinula tridens erat in manu eius.*

*14 Et percutiebat in concha, vel in ahenum, vel in lebetem, vel in ollam: omne quod aſcendere faciebat fuſcinula, accipiebat ſacerdos ſibi: ſic faciebant vniuerſo Iſraeli venientibus illuc in Siloh.*

*15 Etiam antequam ſuffire facerent adipem, veniebat puer ſacerdotis, & dicebat viro immolanti. da carnem, vt aſſem ſacerdoti, & non accipiet à te carnem coctam, ſed crudam:*

*16 Dicebatque ad eum vir, ſuffiendo ſuffire faciant hac die adipem, & tolle tibi ſicuti deſiderat anima tua, & dicebat: Nequaquam ſed nunc dabis, & ſi non dederis accipiam vi.*

*17 Eratque peccatum puerorum magnum valde coram Domino, quia contemnebant viri ſacrificium Domini.*

*18 Samuel autem miniſtrabat coram Domino puer accinctus Ephod lineo.*

*19 Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, & afferebat ſibi annuatim, quando aſcendebat cum viro ſuo ad immolandum hoſtiam anniuerſariam.*

*20 Benedixit autem Heli Elcanah, & vxori eius, & dixit: Ponat Dominus tibi ſemen de muliere hac pro commodato quem commodauit Domino, & abierunt in locum ſuum.*

*Vi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Suſcitat à terra pauperem, & de ſtercore erigit inopem, vt ſedere faciat cum potentibus populi, & ſedem gloriæ hæreditatem dans eis. 9 Dans votum vouenti, & benedixit annos iuſti, quoniam non in virtute potens eſt vir, Dominus infirmum faciet aduerſarium ſuum, Dominus ſanctus, & non glorietur prudens in prudentia ſua, & non glorietur potens in potentia ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & ſcire Dominum, & facere iudicium, & iuſtitiam in medio terræ. 10 Dominus aſcendit in cœlos, & tonuit, ipſe iudicabit extrema terræ, & dat virtutem regibus noſtris, & exaltabit cornu Chriſti ſui. 11 Et reliquit eum ibi ante Dominum, & abijt in Armathæm, & puer erat miniſtrans faciei Domini coram Heli ſacerdote. 12 Et filij Heli ſacerdotis, filij peſtilentes, non ſcientes Dominum. 13 Et iuſtificatio ſacerdotis ab vniuerſo populo ſacrificante, & veniebat puer ſacerdotis, dum coqueretur caro, & fuſcinula tridens in manu eius: 14 Et percutiebat in lebetem magnum, vel in caldariam, vel in ollam, & omne, quodcumque aſcenderat in fuſcinula, ſumebat ſibi ſacerdos: Iuxta hæc faciebant vniuerſo Iſrael, venientibus ſacrificare Domino in Selom. 15 Et antequam adoleretur adeps: veniebat puer ſacerdotis, & dicebat viro ſacrificanti: da carnem ad aſſandum ſacerdoti, & non accipiam a te carnem coctam de lebete. 16 Et dicebat vir ſacrificans: adoleatur primum, ſicut decet, adeps, & ſume tibi de omnibus, quæ concupiſcit anima tua, & dicebat: Nequaquam, quia nunc dabis, & ſi non ſumniam violenter. 17 Et erat peccatum, coram Domino, puerorum magnũ valde, quoniam contemnebant ſacrificium Domini. 18 Et Samuel erat miniſtrans coram Domino, puer accinctus Ephod Bad. 19 Et diploidem paruam fecit ei mater eius, & afferebat ei ex diebus in dies, in aſcendendo ipſam cum viro ſuo ad ſacrificandũ ſacrificium dierũ. 20 Et benedixit Heli Elcana, & vxorẽ eius, dicens: Retribuat tibi Dñs ſemen ex muliere hac pro commodato, quod commodaſti Domino, & abijt homo ad locum ſuum.

Et vi-

UVA.BSCH

**Vulgat. Editio.**

21 Viſitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum.
22 Heli autem erat ſenex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij ſui vniuerſo Iſraeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi:
23 Et dixit eis: Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo?
24 Nolite filij mei: non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini.
25 Si peccauerit vir in virum placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos.
26 Puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.
27 Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non apertè reuelatus ſum domui patris tui, cum eſſent in Ægypto in domo Pharaonis?
28 Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, vt aſcenderet ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de ſacrificijs filiorum Iſrael.
29 Quare calce abieciſtis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerentur in templo: & magis honoraſti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij Iſrael populi mei?
*3 Reg. 2. 27. 30 Propterea ait Dominus Deus Iſrael: * Loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc a me: ſed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.
31 Ecce dies veniunt: & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua.
32 Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuerſis proſperis Iſrael: & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus.
33 Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur cũ ad virilem ætatem venerit.

Hoc

**Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.**

*21 Viſitauit enim Dominus Channah, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: creuitque puer Semuel apud Dominum.*
*22 Heli autem erat ſenex valdè, & audiuit vniuerſa, quæ faciebant filij eius vniuerſo Iſrael: & quod dormirent cum mulieribus, quæ congregabantur ad oſtium tabernaculi eccleſiæ:*
*23 Dixitque ad eos: Vt quid facitis ſecundum hæc quæ audio veſtra mala ab omni populo iſto?*
*24 Ne filij mei ita faciatis: non enim eſt bona fama, quam audio facientes tranſgredi populum Domini.*
*25 Si peccauerit vir in virum iudicabit ipſum Deus: ſi autem in Dominum peccauerit quiſpiam, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos.*
*26 Puer autem Semuel ambulabat, & creſcebat, placebatque tam Domino, quam hominibus.*
*27 Venit autem vir Dei ad Heli, dixitque ei: Sic dicit Dominus: Nonne manifeſtando manifeſtaui me domui patris tui, cum eſſent in Ægypto in domo Pharaoh?*
*28 Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, vt offerret ſuper altare meum, vt ſuffiret thymiama, vt portaret ſuperhumerale coram me: & dedi domui patris tui omnes oblationes filiorum Iſrael.*
*29 Et cur calcitraſtis in ſacrificium meum, & in oblationem meam, quam præcepi in tabernaculo, & honoraſti filios tuos magis quàm me, vt impinguaretis vos de primitijs omnis oblationis Iſrael populi mei?*
*30 Idcirco dixit Dominus Deus Iſrael, dicendo dixi: Domus tua, & domus patris tui ambulabunt coram me vſque in ſæculum. Et nunc dicit Dominus: Abſit mihi: quia honorantes me, honorabo, contemnentes autem me contemnentur.*
*31 Ecce dies veniunt: & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ne ſit ſenex in domo tua.*
*32 Et videbis inimicum habitaculi in habitaculo in cunctis quibus benefaciet ipſi Iſrael: & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus.*
*33 Et virum non excidam ab altari meo: vt conſumam oculos tuos, & dolore afficiam animam tuam, & omnis multitudo domus tuæ morientur iuuenes.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et viſitauit Dominus Annam, & peperit adhuc tres filios, & duas filias: & magnificatus eſt puer Samuel coram Domino.
22 Et Heli ſenex valde, & audiuit, quæ faciebant filij ſui filijs Iſrael:
23 Et dixit eis: Vt quid facitis iuxta verbum hoc, quod ego audio ex ore vniuerſi populi Domini?
24 Non filij: quoniam non bona auditio, quam ego audio, nolite facere ita, quoniam non bonæ auditiones, quas ego audio, vt faciatis non ſeruire populum Deo.
25 Si peccans peccauerit vir in virum, & orabunt pro eo ad Dominum: &, ſi Domino peccauerit, quis orabit pro eo? Et non audiebant vocem patris ſui: quoniam volens volebat Dominus diſperdere illos.
26 Et puer Samuel ibat, & erat bonus cum Domino, & cum hominibus.
27 Et venit homo Dei ad Heli, & dixit: Hæc dicit Dominus: Reuelans reuelatus ſum ad domum patris tui, cum eſſent in terra Ægypto ſerui in domo Pharaonis?
28 Et elegi domum patris tui ex omnibus ſceptris Iſrael, mihi ſacerdotio fungi, vt aſcenderent ad altare meum, & incenderent incenſum, & portarent ephod: & dedi domui patris tui omnia, quæ ſunt ignis filiorum Iſrael in eſcam.
29 Et vt quid reſpexiſti in incenſum meum, & in ſacrificium meum impudenti oculo: & glorificaſti filios tuos ſuper me, benedicere de primordio omnis ſacrificij Iſrael in conſpectu meo.
30 Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dixi, domus tua, & domus patris tui tranſibunt coram me vſque in æternum. Et nunc dicit Dominus: Nequaquam mihi: quoniam tantum glorificantes me glorificabo: & qui ſpernit me, honore priuabitur.
31 Ecce dies veniunt: & exterminabo ſemen tuum, & ſemen domus patris tui.
32 Et non erit tibi ſenex in domo mea omnibus diebus.
33 Et virum non exterminabo tibi ab altari meo: vt deficiant oculi eius, & defluat anima eius: & omnis, qui ſupererit domus tuæ, decident in gladio virorum.

Et hoc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

34 Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filijs tuis, Ophni, & Phinees: In die vno morientur ambo.
35 Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.
36 Futurum eſt autem vt quicumque remanſerit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me obſecro ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

### CAP. III.

1 PVer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta.
2 Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre:
3 Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei.
4 Et vocauit Dominus Samuel. Qui reſpondens, ait: Ecce ego.
5 Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocaſti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abijt, & dormiuit.
6 Et adiecit Dominus rurſum vocare Samuelem. Conſurgenſque Samuel, abijt ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocaſti me. Qui reſpondit: Non vocaui te fili mi: reuertere, & dormi.
7 Porro Samuel needum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini.
8 Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertio. Qui conſurgens abijt ad Heli:
9 Et ait: Ecce ego: quia vocaſti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & ſi deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Abijt ergo Samuel, & dormiuit in loco ſuo.
10 Et venit Dominus, & ſtetit: & vocauit, ſicut vocauerat ſecundo, Samuel Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.
11 Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.
12 In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli oĩa, quæ locutus ſum ſuper domum eius: incipiam, & complebo.

Pue-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Et hoc tibi ſignum, quod veniet duobus filijs tuis Chophni, & Pinchas: die eodem morientur ambo.*
35 *Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, quemadmodum eſt in corde meo, & in animo meo faciat: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo omnibus diebus.*
36 *Et erit, omnis qui reliquus fuerit in domo tua, veniet, vt incuruet ſe ei pro nummo argenteo, & buccella panis, & dicet: Iunge me quæſo vni parti ſacerdotali, vt comedam buccellam panis.*

### CAP. III.

1 *PVer autem Semuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio aperta.*
2 *Et fuit in die illa, Heli dormiebat in loco ſuo, & oculi eius inceperant caligare, non poterat videre:*
3 *Et lucerna Dei antequam extingueretur, & Semuel dormiebat in templo Domini in quo erat arca Dei.*
4 *Vocauitque Dominus Semuel. Et dixit: Ecce adſum.*
5 *Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce adſum: quia vocaſti me. Et dixit: Non vocaui: reuertere dormi. Et abijt, & dormiuit.*
6 *Addiditque Dominus, vt vocaret adhuc Semuel. Et ſurrexit Semuel, & abijt ad Heli, & dixit: Ecce adſum: quia vocaſti me. Et dixit: Non vocaui fili mi: reuertere, dormi.*
7 *Et Semuel antequam cognoſceret Dominum, & antequam reuelatus fuiſſet ei ſermo Domini.*
8 *Addiditque Dominus, vt vocaret Semuel tertio. Et ſurrexit, & abijt ad Heli:*
9 *Et dixit: Ecce adſum: quia vocaſti me. Et intellexit Heli, quòd Dominus vocaret puerum: dixitque Heli ad Semuel: Vade, & dormi: & erit ſi vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Et abijt Semuel, & dormiuit in loco ſuo.*
10 *Venitque Dominus, & ſtetit: & vocauit, vt vice altera, & dixit: Semuel, Semuel. Dixitque Semuel: Loquere, quia audit ſeruus tuus.*
11 *Dixitque Dominus ad Semuel: Ecce facio rem in Iſrael: quam omnis, qui audierit, tinnient ambæ aures eius.*
12 *In die illa ſuſcitabo ſuper Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum eius: incipiendo, & finiendo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

34 Et hoc tibi ſignum, quod veniet ſuper duos filios tuos, Ophi, & Phinees: Vna die morientur ambo.
35 Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia, quæ in corde meo, & quæ in anima mea: faciet & ædifica-
bo ei domum fidelem, & tranſit corã Chriſto meo omnibus diebus. 36 Et erit, qui ſupererit in domo tua, ve-
niet adorare cum obolo argentij, dicens: Iacta me ad vnam ſacerdotiorum tuorum, manducare panem.

### CAP. III.

ET puer Samuel erat miniſtrans Domino coram Heli ſacerdote, & verbum Domini erat pretioſum in diebus
illis, non erat viſio diſtinguens. 2 Et factum eſt in die illa & Heli dormiebat in loco ſuo. & oculi
eius cœperant grauari, & non poterant videre: 3 Et lucerna Dei antequam eſſet inſtructa, & Samuel
dormiebat in templo, vbi arca Dei. 4 Et vocauit Dominus Samuel, Samuel. Et dixit: Ecce
ego. 5 Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quoniam vocaſti me. Et dixit: Non vocaui te: re-
uertere, dormi. 6 Et adiecit Dominus, & vocauit: Samuel Samuel. Et iuit ad Heli ſecundo, & di-
xit: Ecce ego: quoniam vocaſti me. Et dixit: Non vocaui te: reuerte, dormi. 7 Et Samuel, ante-
quam cognoſceret Deum, & reuelaretur ei verbum Domini. 8 Et adiecit Dominus vocare Sa-
muel in tertio. Et ſurrexit, & iuit ad Heli: 9 Et dixit: Ecce ego: quoniam vocaſti me. Et intellexit He-
li, quia Dominus vocauit puerum: & dixit: Reuerte, dormi fili: & erit, ſi vocauerit te, & dices: Loquere, quoniam
audit ſeruus tuus. Et iuit Samuel, & dormiuit in loco ſuo. 10 Et venit Dominus, & ſtetit: & vocauit eum,
ſicut ſemel, & ſemel. Et dixit Samuel: Loquere, quoniam audit ſeruus tuus. 11 Et dixit Dominus ad Sa-
muel: Ecce ego facio verba mea in Iſrael: omnis audientis ea tinnient ambæ aures eius. 12 In die illa ſu-
ſcitabo ſuper Heli omnia, quæcumque locutus ſum in domum eius: incipiam, & conſummabo.

Et an-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

13 Prædixi enim ei, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.

14 Idcirco iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vſque in æternum.

15 Dormiuit autem Samuel vſque mane, aperuitque oſtia domus Domini. Et Samuel timebat indicare viſionem Heli.

16 Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui reſpondens, ait: Præſto ſum.

17 Et interrogauit eum: Quis eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus ad te? oro te ne celaueris me: hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſcõderis à me ſermonem ex omnibus verbis, quæ dicta ſunt tibi.

18 Indicauit itaque ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo. Et ille reſpondit: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.

19 Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

20 Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan, vſque Berſabee, quòd fidelis Samuel propheta eſſet Domini.

21 Et addidit Dominus, vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit ſermo Samuelis vniuerſo Iſrael.

### CAP. IIII.

1 ET factum eſt in diebus illis, conuenerunt Philiſthijm in pugnam: & egreſſus eſt Iſrael obuiam Philiſthijm in prælium, & caſtrametatus eſt iuxta Lapidem adiutorij. Porro Philiſthijm venerunt in Aphec:

2 Et inſtruxerunt aciem contra Iſrael. Inito autem certamine, terga vertit Philiſthæis: & cæſa ſunt in illo certamine paſſim per agros, quaſi quattuor millia virorum.

3 Et reuerſus eſt populus ad caſtra: dixeruntque maiores natu de Iſrael: Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthijm? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.

Mi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et indicabo ei, quòd iudico domum ſuam vſque in ſæculum propter iniquitatem quam cognouit, quia contemnebant ſeipſos filij eius, & non prohibuit eos.*

14 *Et idcirco iuraui domui Heli, ſi expiabitur iniquitas domus Heli ſacrificio, & oblatione vſque in ſæculum.*

15 *Dormiuit autem Semuel vſque manè, & aperuit oſtia domus Domini. Et Semuel timebat indicare viſionem ipſi Heli.*

16 *Vocauitque Heli Semuel, & dixit: Semuel fili mi? Et ait: Ecce adſum.*

17 *Et dixit: Quod eſt verbum, quod locutus eſt ad te? ne quæſo celes à me: ſic faciat tibi Deus, & ſic addat, ſi abſconderis à me verbum ex omni verbo, quod locutus eſt ad te.*

18 *Et indicauit ei Semuel omnia verba, & non abſcondit ab eo. Et ait: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.*

19 *Creuit autem Semuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.*

20 *Et cognouit omnis Iſrael à Dan vſque Beerſebah, quòd fidelis Semuel propheta eſſet Domini.*

21 ** Et addidit Dominus, vt conſpiceretur in Siloh, quoniam manifeſtauerat ſe Dominus Semueli in Siloh in verbo Domini. Et fuit verbum Semuel omni Iſrael. **

* Quæ his aſteriſcis clauduntur in Biblia Sancti Pagnini habentur in principio capitulis ſequentis.

### CAP. IIII.

1 *EGreſſus eſt autem Iſrael in occurſum Peliſtim in bellum: & caſtrametati ſunt iuxta Lapidem adiutorij. Peliſtim autem caſtrametati ſunt in Aphec:*

2 *Et ordinauerunt ſe Peliſtim in occurſum Iſrael. Et extendit prælium, & caſus eſt Iſrael coram Peliſtim: & percuſſerunt acie in agro fermè quattuor millia virorum.*

3 *Et venit populus ad caſtra: dixeruntque ſeniores Iſrael: Vt quid percuſſit nos Dominus hodie coram Peliſtim? Accipiamus ad nos è Siloh arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtrum, ſeruetque nos è manu inimicorum noſtrorum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et annunciaui eis, quia vlciſcar ego domum eius vſque in æternum in iniuſtitijs filiorum eius, quoniam maledicentes Deum filij eius, & non monebat eos. 14 Et neque ſic, iuraui domui Heli, ſi propitiabitur iniuſtitia domus Heli in incenſo, & in ſacrificijs vſque in æternum. 15 Et dormiuit Samuel vſque mane, & ſurrexit mane, & aperuit ianuas domus Domini. Et Samuel timebat annunciare viſionem. 16 Et dixit Heli ad Samuel, Samuel fili mi? Et dixit: Ecce ego. 17 Et dixit: Quod eſt verbum, quod dictum eſt ad te? noli nunc occultare à me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc adijciat, ſi occultaueris à me verbum ex omnibus ſermonibus, qui dicti ſunt tibi in auribus tuis. 18 Et annunciauit Samuel omnia verba, & non occultauit ab eo. Et dixit Heli: Dominus ipſe: quod bonum in conſpectu ſuo, faciet. 19 Et magnificatus eſt Samuel, & erat Dominus cum eo, & non cecidit de omnibus verbis eius ſuper terram. 20 Et cognouerunt omnis Iſrael à Dan, & vſque Berſabee, quia fidelis Samuel in prophetam Domino. 21 Et adiecit Dominus manifeſtari in Selom, quoniam reuelatus eſt Dominus ad Samuel. Et creditus eſt Samuel propheta eſſe Domino in omnem Iſrael ab extremis terræ, & vſque ad extrema, & Heli ſenex valdè, & filij eius euntes ibant, & maligna via eorum in conſpectu Domini.

### CAP. IIII.

ET factum eſt in diebus illis, & congregantur alienigenæ aduerſus Iſrael ad bellum: & exijt Iſrael in occurſum eis in bellum, & caſtrametantur ſuper Abenezer. Et alienigenæ caſtrametantur in Aphec: 2 Et aciem inſtruunt alienigenæ in prælium ſuper Iſrael. Et inclinauit prælium, & cecidit vir Iſrael coram alienigenis: & percuſſi ſunt in acie in agro quattuor millia virorum. 3 Et venit populus in caſtra: & dixerunt ſeniores Iſrael: Ad quid deficere nos fecit Dominus hodie coram alienigenis? Sumamus arcam Dei noſtri de Selom, & egrediatur è medio noſtri, & ſaluabit nos de manu inimicorum noſtrorum.

Et ni-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

4 Miſit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim: erantque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees.

5 Cumque veniſſet arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi, & perſonuit terra.

6 Et audierunt Philiſthijm vocem clamoris, dixeruntque: Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt quod arca Domini veniſſet in caſtra.

7 Timueruntque Philiſthijm, dicentes: Venit Deus in caſtra. Et ingemuerunt, dicentes:

8 Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiuſtertius: væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, in deſerto.

9 Confortamini, & eſtote viri, Philiſthijm: ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis: confortamini, & bellate.

10 Pugnauerunt ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſrael, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: & facta eſt plaga magna nimis: & ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum.

11 Et arca Dei capta eſt: duo quoque filij Heli mortui ſunt, Ophni, & Phinees.

12 Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput.

13 Cumque ille veniſſet, Heli ſedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille poſtquam ingreſſus eſt, nunciauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas.

14 Et audiuit Heli ſonitum clamoris, dixitque: Quis eſt hic ſonitus tumultus huius? At ille feſtinauit, & venit, & nunciauit Heli.

15 Heli autem erat nonaginta, & octo annorū, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.

16 Et dixit ad Heli: Ego ſū qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid factū ē fili mi?

17 Reſpondens autem ille, qui nunciabat: Fugit, inquit, Iſrael coram Philiſthijm, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſūt, Ophni, & Phinees: & arca Dei capta eſt.

18 Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt. Senex enim erat vir, & grandæuus: & ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis.

Nu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et miſit populus in Siloh, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim: & erant ibi duo filij Heli cum arca fœderis Domini, Chophni, & Pinchas.*

5 *Et fuit, cum veniſſet arca fœderis Domini in caſtra vociferati ſunt omnis Iſrael vociferatione magna, & perſonuit terra.*

6 *Et audierunt Pelisthim vocem vociferationis, & dixerunt: Quæ eſt vox vociferationis magnæ huius in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt, quòd arca Domini veniſſet in caſtra.*

7 *Timueruntque Pelisthim, dixerunt enim: Venit Deus in caſtra, & dixerunt:*

8 *Væ nobis: non enim fuit ſimile heri, & nudiuſtertius: væ nobis. Quis liberabit nos à manu deorum fortium iſtorum? hi ſunt dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto.*

9 *Confortamini, & eſtote viri Pelisthim: ne fortè ſeruiatis Hebræis quemadmodum ſeruierunt nobis: & eſtote viri, & bellate.*

10 *Et pugnauerunt Pelisthim, & cæſus eſt Iſrael, fugeruntq; vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: & fuit plaga magna valdè: & ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum.*

11 *Et arca Dei capta eſt: & duo filij Heli mortui ſunt, Chophni, & Pinchas.*

12 *Et cucurrit vir de Biniamin ex acie, & venit in Siloh in die illa, & veſtes eius ſciſſæ erant, & terra ſuper caput eius.*

13 *Et venit, & ecce Heli ſedebat ſuper thronum ad latus viæ ſpeculans. Erat enim cor eius pauens, propter arcam Dei. Et vir venit ad nunciandum in ciuitate, & clamauit omnis ciuitas.*

14 *Audiuit autem Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ eſt vox tumultus huius? Vir autem feſtinauit, & venit, & nunciauit ipſi Heli.*

15 *Heli autem erat nonaginta, & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & non poterant videre.*

16 *Dixitque vir ad Heli: Ego venio ex acie, & ex acie fugi hodie. Et dixit: Quod fuit fili mi?*

17 *Et reſpondit nuncians, & dixit: Fugit Iſrael coram Pelisthim, & etiam plaga magna fuit in populo: & etiam duo filij tui mortui ſunt Chophni, & Pinchas, & arca Dei capta eſt.*

18 *Et fuit, cū memoraſſet ille arcā Dei, cecidit de throno retrorſum, iuxta locū portæ, & confractū eſt eccipit eius, & mortuus eſt. Senex enim erat vir, & grandæuus: & ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis.*

Nu-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et miſit populus in Selom, & tollunt inde arcam Dñi inſidentis Cherubim: & ambo filij Heli cū arca, Ophi,
& Phinees. 5 Et factum eſt, vt venit arca Domini in caſtra, & exclamauit vniuerſus Iſrael voce magna, & ſonuit
terra. 6 Et audierunt alienigenæ clamorem, & dixerunt alienigenæ: Quis clamor magnus hic in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt, quia arca Dñi venit in caſtra. 7 Et timuerunt alienigenæ & dixerunt: Hi Dij venerunt ad eos in caſtra. 8 Veh nobis: erue nos Dñe hodie, qm̄ non eſt facta talis heri, & nudiuſtertius: veh nobis.
Quis eruet nos de manu Deorum firmorum horum? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum in omni plaga &
in deſerto. 9 Inualeſcite, & eſtote in viros alienigenæ: vt non ſeruiatis Hebræis, ſicut ſeruierunt nobis: & eſtote
in viros, & impugnate eos. 10 Et impugnarunt eos, & cadit vir Iſrael, & fugit vnuſquiſque ad tabernaculū ſuū:
& facta eſt plaga magna valde: & ceciderunt de Iſrael triginta millia ordinum. 11 Et arca Dei capta eſt: & vtrique filij Heli mortui ſunt, Ophni, & Phinees. 12 Et cucurrit vir Iemineus e prælio, & venit in Selom in die illa, & veſtimenta ipſius diſciſſa, & terra ſuper caput eius. 13 Et venit, & ecce Heli ſuper ſellā apud oſtiū ſpeculans
viam. Quoniam erat cor eius pauens pro arca Dei. Et homo intrauit in ciuitatem ad annunciandum, & exclamauit ciuitas. 14 Et audiuit Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ vox clamoris huius? Et homo feſtinans intrauit, & annunciauit Heli. 15 Et Heli erat filius nonaginta annorū, & oculi eius ſteterant, & nō perſpiciebat, & dixit Heli
viris aſſiſtentibus ſibi: Quæ vox ſoni huius. 16 Et vir feſtinans acceſſit ad Heli, & dixit ei: Ego ſum qui veni e
caſtris, & ego fugi e prælio hodie Et dixit Heli: Quod nā verbū, quod factū eſt, fili? 17 Et reſpōdit puer, & dixit:
Fugit vir Iſrael à facie alienigenarū, & facta eſt plaga magna in populo: & ambo filij tui mortui ſunt, & arca Dei
capta eſt. 18 Et factum eſt, vt meminit arcæ Dei, & cecidit de ſella retrorſum iuxta portam, & contribulatū eſt
dorſum eius, & mortuus eſt. Quoniam ſenex erat homo, & grauis: & ipſe iudicabat Iſrael viginti annos.

Et nu-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

19 Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vi-
cinaque partui : & audito nuncio, quod capta eſſet
arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, in-
curuauit ſe, & peperit : irruerant enim in eam do-
lores ſubiti.
20 In ipſo autem momento mortis eius, dixerunt ei,
quæ ſtabant circa eam : Ne timeas, quia filium pe-
periſti. Quę non reſpondit eis, neque animaduertit.
21 Et vocauit puerum, Ichabod, dicens : Tranſlata eſt
gloria de Iſrael, quia capta eſt arca Dei, & pro ſoce-
ro ſuo, & pro viro ſuo :
22 Et ait: Tranſlata eſt gloria ab Iſrael, eo quòd capta
eſſet arca Dei.

### CAP. V.

1 PHiliſthijm autem tulerunt arcam Dei, & aſpor-
tauerunt eam a Lapide adiutorij in Azotum.
2 Tuleruntque Philiſthijm arcam Dei, & intulerunt
eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta
Dagon.
3 Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die,
ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam
Domini : & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum
in locum ſuum.
4 Rurſumque mane die altera conſurgentes, inuene-
runt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra
coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ
palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen:
5 Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.
Propter hanc cauſam non calcant ſacerdotes Da-
gon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius, ſu-
per limen Dagon in Azoto, vſque in hodiernum
diem.
6 Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azo-
*pſ.77.66 tios, & demolitus eſt eos: * & percuſſit in ſecretiori
parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt
villę & agri in medio regionis illius, & nati ſūt mu-
res, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate.
7 Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam,
dixerunt : Non maneat arca Dei Iſrael apud nos :
quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper
Dagon Deum noſtrum.
8 Et mittentes congregauerunt omnes ſatrapas Phi-
liſthinorum ad ſe, & dixerunt : Quid faciemus de
arca Dei Iſrael? Reſponderuntque Gethæi : Cir-
cumducatur arca Dei Iſrael. Et circumduxerunt
arcam Dei Iſrael.

Illis

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Nurus autem eius vxor Pinchas, prægnans ad pa-*
*riendum audiuit famam, quòd capta eſſet arcā Dei,*
*& mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, & incurua-*
*uit ſe, & peperit: quia verſa erant ſuper eam angu-*
*ſtia eius.*
20 *Tempore autem quo moriebatur, locutæ ſunt, quæ ſta-*
*bant iuxta eam: Ne timeas, quia filium peperiſti. Et*
*non reſpondit, neque poſuit cor ſuum.*
21 *Et vocauit puerum Ichabod, dicendo : Tranſlata eſt*
*gloria ex Iſrael, quòd capta eſſet arca Dei, & mor-*
*tuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus :*
22 *Dixit tranſlata eſt gloria ex Iſrael, quia capta eſt*
*arca Dei.*

### *CAP. V.*

1 *PEliſtim autem tulerunt arcam Dei, & adduxe-*
*runt eam à Lapide adiutorij in Aſdod.*
2 *Tuleruntque Peliſtim arcam Dei, & introduxerunt*
*eam in domum Daghon, & ſtatuerunt eam apud*
*Daghon.*
3 *Et ſurrexerunt Aſdodij in craſtino, & ecce Daghon*
*ceciderat ſuper faciem ſuam in terram coram arca*
*Domini: & tulerunt Daghon, & reſtituerunt eum in*
*locum ſuum.*
4 *Et mane de craſtino, & ecce Daghon ceciderat ſuper*
*faciem ſuam in terram coram arca Domini : caput*
*autem Daghon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ*
*erant in limine :*
5 *Tantum Daghon remanſerat iuxta eam. Ideo non*
*calcant ſacerdotes Daghon, & omnes, qui ingrediun-*
*tur in domum Daghon ſuper limen Daghon in Aſ-*
*dod vſque ad diem hanc.*
6 *Aggrauata eſt autem manus Domini in Aſdodios,*
*& deſolatus eſt eos: & percuſſit eos mariſcis Aſdod,*
*& omnes fines eius.*
7 *Et viderunt viri Aſdod, quòd ſic eſſent percuſſi, &*
*dixerunt : Non maneat arca Dei Iſrael nobiſcum :*
*quia dura eſt manus eius contra nos, & contra Da-*
*ghon Deum noſtrum.*
8 *Miſeruntque, & congregauerunt omnes ſatrapas Pe-*
*liſtinorum ad ſe, & dixerunt : Quid faciemus arca*
*Dei Iſrael? Et dixerunt ad Ghath : Circumduca-*
*tur arca Dei Iſrael. Et circumduxerunt arcam Dei*
*Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et nurus eius vxor Phinees cum concepiſſet ad pariendum:& audiuit nunciū, quia capta eſt arca Dei,& quia
mortuus eſt ſocer ſuus,& vir ſuus,& plorauit,& peperit: quoniam irruerant in eam dolores ſui. 20 Et in tem-
pore ſuo moritur,& dicebant ei mulieres aſſiſtentes ei: Ne timeas,quoniam filium peperiſti. Et non reſpondit,&
non cogitauit cor eius. 21 Et vocauit puerum Væbarchaboth pro arca Dei, & pro ſocero ſuo,& pro viro ſuo.
22 Et dixerunt: Tranſmigrauit gloria Iſrael,in eo,quod capta eſt arca Domini. CAP. V.
ET alienigenæ ceperunt arcam Dei,& intulerunt illam ex Abenezer in Azotum. 2 Et ceperunt alieni-
genæ arcam Domini,& intulerunt eam in domum Dagon,& collocauerunt illam iuxta Dagon. 3 Et ma-
ne vigilauerunt Azotij,& intrauerunt in domum Dagon,& viderunt, & ecce Dagon cecidit in faciem ſuā ante
arcam Dei: & erexerunt Dagon,& ſtatuerunt in locū ſuū,& grauata eſt manus Dñi ſuper Azotios,& cruciauit il-
los,& percuſſit illos in ſedibus eorum,Azotum,& regiones eius. 4 Et factum eſt,cum mane vigilaſſent,& ec-
ce Dagon ceciderat in faciem ſuam ante arcam teſtamenti Domini: & caput Dagon, & ambo veſtigia manuum
eius ſuper anteriora Amapheth ſinguli,& ambo articuli manuum eius ceciderant in limen : 5 Tantummo-
do truncus Dagon remanſerat. Propter hoc non incedunt ſacerdotes Dagon, & omnis intrans in domum Dagō,
ſuper limen domus Dagon in Azoto vſque in diem hanc,quoniam tranſcendentes tranſcendunt. 6 Et grauа-
ta eſt manus Domini ſuper Azotum: & induxit eis,& efferbuit eis in natibus, & medium regionis eius expullu-
larunt mures,& facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate. 7 Et viderunt viri Azotij,quoniam ſic,& dicunt :
Quoniam non ſedebit arca Dei Iſrael nobiſcum: quoniam dura eſt manus illius ſuper nos, & ſuper Dagon Deū
noſtrum. 8 Et mittunt,& congregant ſatrapas alienigenarum ad ſe,& dicunt : Quid faciemus arcæ Dei Iſ-
rael? Et dicunt Gethæi: Tranſeat arca Dei ad nos. Et tranſijt arca Dei Iſrael in Geth.

Et ſa

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuſcuiuſque vrbis, à paruo vſque ad maiorem, & computreſcebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi conſilium, & fecerunt ſibi ſedes pelliceas.
10 Miſerunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque veniſſet arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Iſrael, vt interficiat nos, & populum noſtrum.
11 Miſerunt itaque & congregauerunt omnes ſatrapas Philiſthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Iſrael, & reuertatur in locum ſuum, & non interficiat nos cum populo noſtro.
12 Fiebat enim pauor mortis in ſingulis vrbibus, & grauiſſima valde manus Dei, viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in ſecretiori parte natium: & aſcendebat vlulatus vniuſcuiuſque ciuitatis in cœlum.

### CAP. VI.

1 FVit ergo arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus.
2 Et vocauerunt Philiſthijm ſacerdotes, & diuinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum ſuum. Qui dixerunt:
3 Si remittitis arcam Dei Iſrael, nolite dimittere eã vacuam, ſed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & ſcietis quare non recedat manus eius à vobis.
4 Qui dixerunt: Quid eſt quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi:
5 Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorũ quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & ſatrapis veſtris. Facietiſque ſimilitudines anorum veſtrorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſrael gloriam: ſi fortè releuet manum ſuam à vobis, & à dijs veſtris, & à terra veſtra.
6 Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? * nonne poſtquã percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt?
* Exo. 12. 31.
7 Nunc ergo arripite, & facite plauſtrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi.

To'-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et fuit, poſtquam circumduxerunt eam fuit manus Domini contra ciuitatem contritione magna nimis: & percuſſit viros ciuitatis à paruo & vſq; ad magnum. Et antea incognita erant eis mariſca.*
10 *Et miſerunt arcam Dei in Hecron. Et fuit, cum veniſſet arca Dei in Hecron, exclamauerunt Hecronitæ, dicendo: Circumduxerunt ad me arcam Dei Iſrael, vt interficiant me, & populum meum.*
11 *Miſeruntque, & congregauerunt omnes ſatrapas Peliſtinorum: dixeruntque: Dimittite arcam Dei Iſrael, & reuertatur in locum ſuum, & non interficiat me, & populum meum.*
12 *Erat enim contritio mortis in omni ciuitate grauis erat valdè manus Dei ibi: viri autem qui non fuerant mortui, percuſſi ſunt mariſcis: aſcenditque clamor ciuitatis in cælum.*

### CAP. VI.

1 *FVit autem arca Domini in agro Peleſtinorum ſeptem menſibus.*
2 *Vocaueruntque Peliſtim ſacerdotes, & diuinos, dicendo: Quid faciemus arcæ Domini? indicate nobis, in qua dimittamus eam in locum ſuum. Et dixerunt:*
3 *Si dimittitis arcam Dei Iſrael, ne dimittatis eam vacuam, ſed reſtituendo reſtituetis ei beſtiam pro delicto, tunc curabimini: & notum erit vobis cur nõ receſſerit manus eius à vobis.*
4 *Et dixerunt: Quæ eſt beſtia pro delicto, quam reſtituemus ei? Et dixerunt:*
5 *Secundum numerum principum Peliſtinorum quinque ani aurei, & quinque mures aurei: quia plaga vna eſt omnibus illis, & principibus veſtris. Facietiſque imagines anorum veſtrorum, & imagines murium veſtrorum, qui deuaſtauerunt terram, dabitiſque Deo Iſrael gloriam: ſi fortè alleuietur manus eius à vobis, & dijs veſtris, & à terra veſtra.*
6 *Et vt quid aggrauatis cor veſtrũ quẽadmodũ aggrauauerũt Ægyptij, & Pharhoh cor ſuũ? nonne quando operatus eſt in eos, dimiſerunt eos, & abierunt?*
7 *Et nunc tollite, & facite plauſtrum nouum vnum: & duas vaccas lactantes ſuper quas nõ aſcendit iugum, & ligate vaccas in plauſtro, & reducite filios earum, qui ſunt poſt eas, ad domum.*

*Tol-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et factum eſt, poſtquã ipſa tranſijt, & fit manus Dñi ciuitati, turbatio magna valde: & percuſſit viros ciuitatis à paruo vſque ad magnum, & percuſſit eos in ſedibus eorum. Et fecerunt ſibi Gethæi ſedes. 10 Et emittunt arcã Dei in Aſcalonẽ. Et factũ eſt, vt intrauit arca Dei in Aſcalonẽ, & clamauerunt Aſcalonitæ, dicentes: Quid conuertiſtis arcam Dei Iſrael ad nos, ad mortificandum nos, & populum noſtrum. 11 Et mittunt, & congregant ſatrapas alienigenarum: & dixerunt: Emittite arcam Dei Iſrael, & reſideat in loco ſuo, & non morti dabit nos, & populum noſtrum. 12 Quia facta eſt confuſio in ciuitate tota, grauis valde, vt intrauit arca Dei Iſrael illuc: & qui viuebant, & non ſunt mortui, percuſſi ſunt in ſedibus, & aſcendit clamor ciuitatis ad cœlum.

### CAP. VI

ET fuit arca in agro alienigenarum ſeptem menſes, & efferbuit terra eorum mures. 2 Et alienigenæ vocant ſacerdotes, & vates, & incantatores ſuos, dicentes: Quid faciemus arcæ Domini? notum facite nobis, in quo mittemus eam ad locum ſuum. Et dixerunt: 3 Si dimittite vos arcam teſtamenti Domini Dei Iſrael, ne dimittatis eam inanem, ſed reddentes reddite ei pro cruciatu, & tunc curabimini: & depropitiabitur vobis, numquid non recedet manus eius à vobis. 4 Et dicunt: Quid eſt, quod pro cruciatu reddemus ei? Et dixerunt: 5 Iuxta numerum ſatraparum alienigenarum quinque ſedes aureas: quoniam delictum in vobis, & principibus veſtris, & populo, & mures aureos ſimilitudinem murium veſtrorum corrumpentium terram: & dabitis Domino gloriam: vt alleuet manum ſuam à vobis, & à dijs veſtris, & à terra veſtra. 6 Et vt quid aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? nonne quando illuſit eis, dimiſerunt eos & abierunt? 7 Et nunc ſumite, & facite plauſtrum nouum: & duas vaccas primo enixas ſine filijs, & iungite vaccas in plauſtro, & abducite filios à poſt eas in domum.

Et fu-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

8 Tolletiſque arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea,quæ exoluiſtis eis pro delicto, ponetis in capſellam ad latus eius ; & dimittite eam , vt vadat .

9 Et aſpicietis : & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames , ipſe fecit nobis hoc malum grãde: ſin autem,minime: ſciemus,quia nequaquam manus eius tetigit nos,ſed caſu accidit.

10 Fecerunt ergo illi hoc modo:& tollentes duas vaccas,quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vitulóſque earum concluſerunt domi.

11 Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum , & capſellam,quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum .

12 Ibant autem in directum vaccæ per viam , quæ ducit Bethſames,& itinere vno gradiebantur, pergentes,& mugientes: & non declinabant,neq; ad dexteram,neque ad ſiniſtram: ſed & ſatrapæ Philiſthijm ſequebantur vſque ad terminos Bethſames .

13 Porro Bethſamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos ſuos,viderunt arcam,& gauiſi ſunt cum vidiſſent .

14 Et plauſtrum venit in agrum Ioſue Bethſamitæ , & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus,& conciderũt ligna plauſtri, vaccaſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino .

15 Leuitæ autem depoſuerunt arcam Dei , & capſellam,quæ erat iuxta eam,in qua erant vaſa aurea, & poſuerunt ſuper lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta , & immolauerunt victimas in die illa Domino .

16 Et quinque ſatrapæ Philiſthinorum viderunt,& reuerſi ſunt in Accaron in die illa .

17 Hi ſunt autem ani aurei , quos reddiderunt Philiſthijm pro delicto , Domino : Azotus vnum , Gaza vnum , Aſcalon vnum , Geth vnum , Accaron vnum :

18 Et mures aureos , ſecundum numerum vrbium Philiſthijm,quinque prouinciarum, ab vrbe murata, vſque ad villam , quæ erat abſque muro , & vſque ad Abelmagnum , ſuper quem poſuerunt arcam Domini,quæ erat vſque in illum diem in agro Ioſue Bethſamitis .

19 Percuſſit autem de viris Bethſamitibus , eo quòd vidiſſent arcam Domini : & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis . Luxitque populus, eo quòd Dominus percuſſiſſet plebem plaga magna .

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Tolliteque arcam Domini , & ponite eam in plauſtro , & vaſa aurea , quæ reddiſtis ei pro delicto, ponetis in capſa à latere eius : & dimittite eam , & vadat .*

9 *Et aſpicite : ſi viam confinis ſui aſcendat in Bethſemes,ipſa fecit nobis omne malum grande hoc: ſin vero ſciemus: quòd non manus eius tetigit nos, ſed accidens fuit nobis .*

10 *Feceruntque viri ſic : & tulerunt duas vaccas lactantes,& ligauerunt in plauſtro,& filios earum duxerunt in domum .*

11 *Poſueruntque arcam Domini in plauſtro , & capſam , & mures aureos , & imagines anorum ſuorum .*

12 *Et direxerunt ſe vaccæ per viam iuxta viam Bethſemes via eadem perrexerunt pergendo , & mugiendo : & non declinauerunt ad dexteram, & ad ſiniſtram: ſatrapæ vero Peliſtinorum ibant poſt eas vſq; ad terminum Bethſemes .*

13 *Viri autem Bethſemes metebant meſſem frumentariam in valle:& leuauerunt oculos ſuos,& viderunt arcam,& lætati ſunt,cum vidiſſent .*

14 *Plauſtrum autem venit in agrum Iehoſuah Bethſemeſita, & ſtetit ibi. Ibi autem erat lapis magnus & ceciderunt ligna plauſtri, & vaccas immolauerunt in holocauſtum Domino .*

15 *Leuitæ autem depoſuerunt arcam Domini , & capſam,quæ erat ſecum, in qua erant vaſa aurea,& poſuerunt in lapide magno. Viri autem Bethſemes obtulerunt holocauſta , & immolauerunt victimas in die ipſa Domino .*

16 *Et quinque ſatrapæ Peliſtinorum viderunt , & reuerſi ſunt in Hechron in die illa .*

17 *Iſti autem ſunt ani aurei quos reddiderunt Peliſtim, propter delictum Domino: pro Aſdod vnus pro Hazzah vnus, pro Aſkelon vnus, pro Gath vnus , pro Hecron vnus :*

18 *Mures vero aurei , ſecundum numerum omnium vrbium Peliſtinorum quinque ſatrapis ab vrbe munita vſque ad villam abſque muro , vſque ad Abelmagnum,ſuper quem poſuerunt arcam Domini, vſque ad diem hanc in agro Iehoſuah Bethſemeſitæ .*

19 *Percuſſit autem aliquot ex viris Bethſemes, quia aſpexerunt , quæ erant in arca Domini : & percuſſit è populo ſeptuaginta viros , & quinquaginta millia virorum. Luxeruntque populus , quia percuſſit Dominus populum plaga magna .*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et ſumetis arcam,& ponetis eam ſuper plauſtrum,& vaſa aurea reddetis ei pro cruciatu, & ponetis in capſula
Berſechthan,à parte eius: & dimittetis eam,& expelletis eam. 9 Et abibitis, & videbitis : ſi viam finium ſuorũ
ibit poſt Bethſamys,ipſe fecit nobis malum magnum hoc: & ſi non;& cognoſcemus,quia non manus eius tetigit
nos,ſed accidens hoc euenit nobis. 10 Et fecerunt alienigenæ ſic : & ſumpſerunt duas vaccas primo enixas, &
iunxerunt eas in plauſtro,& filios earum abſtraxerunt in domum. 11 Et poſuerunt arcam Domini ſuper plauſtrum,& capſulam Ergab,& mures aureos. 12 Et direxerunt vaccæ in via ad viam Bethſamys, in ſemita vna
ibant,& laborabant : & non declinauerunt à dextera, neque à ſiniſtra : & ſatrapæ alienigenarum ibant poſt eam
vſque ad fines Bethſamys. 13 Et qui in Bethſamys,metebant meſſem frumentorum in valle : & eleuauerunt
oculos ſuos,& viderunt arcam Domini,& lætati ſunt in occurſum eius. 14 Et plauſtrum intrauit in agrum
Oſee,qui in Bethſamys. Et ſtatuerunt ibi apud eam lapidem magnum,& ſcindunt ligna plauſtri, & vaccas attulerunt in holocauſtoſim Domino. 15 Et Leuitæ attulerunt arcam Dñi,& capſulam Ergab cum ea, & quæ ſuper
eam vaſa aurea,& poſuerunt ſuper lapidem magnum. Et viri Bethſamys attulerunt holocauſtoſes, & ſacrificia in
die illa Dño. 16 Et quinque ſatrapæ alienigenarum videbant,& reuerterunt in Aſcalonem die illa. 17 Et hæ
ſunt ſedes aureæ,quas reddiderunt alienigenæ pro cruciatu Dño: Azoti vnam,Gazæ vnam,Aſcalonis vnã, Geth
vnam,Acaron vnam : 18 Et mures aurei iuxta numerum omnium ciuitatum alienigenarum quinque ſatraparũ
à ciuitate confirmata,& vſque ad pagum Pherezæi,& vſque ad lapidem magnum,in quo impoſuerunt ſuper eum
arcam teſtamenti Domini,quæ erat in agro Oſee Bethſamytæ. 19 Et non ſunt delectati filij Iechoniæ in viris
Bethſamys , quia viderant arcam Domini : & percuſſit in eis ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia virorum.
Et luxit populus,quia percuſſerat Dominus in populo plagam magnam valdè .

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Et dixerunt viri Bethſamitæ: Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? & ad quem aſcendet à nobis?
21 Miſeruntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philiſthijm arcam Domini, deſcendite, & reducite eam ad vos.

### CAP. VII.

1 VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius ſanctificauerunt, vt cuſtodiret arcam Domini.
2 Et factum eſt, ex qua die manſit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies (erat quippe iã annus vigeſimus) & requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum.
3 Ait autem Samuel ad vniuerſam domum Iſrael, dicens: * Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth: & præparate corda veſtra Dño, & ſeruite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthijm.

* Deut.4. 11. Matt.4. 11.

4 Abſtulerunt ergo filij Iſrael Baalim, & Aſtaroth, & ſeruierunt Domino ſoli.
5 Dixit autem Samuel: Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphath, vt orem pro vobis Dominum.
6 Et conuenerunt in Maſphath: hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Iſrael in Maſphath.
7 Et audierunt Philiſthijm, quod cõgregati eſſent filij Iſrael in Maſphat, & aſcenderunt ſatrapæ Philiſthinorum ad Iſrael. Quod cum audiſſent filij Iſrael, timuerunt à facie Philiſthinorum.
8 Dixeruntque ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum.
9 Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocauſtum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum Dominus.
10 Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthijm inire prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.

Egreſ-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Dixeruntque viri Bethſemes: Quis poterit ſtare coram Domino Deo ſancto iſto? & ad quem aſcendet à nobis?*
21 *Miſeruntque nuncios ad habitatores Chiriathiiarim, dicendo: Reduxerunt Peliſtim arcam Domini, deſcendite, facite aſcendere eam ad vos.*

### CAP. VII.

1 *VEnerunt autem viri Chiriathiiarim, & aſcendere fecerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab, quæ erat in Gibhah: & Eleazar filium eius ſanctificauerunt, vt cuſtodiret arcam Domini.*
2 *Et fuit à die qua manſit arca in Chiriathiiarim multiplicati ſunt dies, & fuerunt viginti anni, & luxerunt omnis domus Iſrael, & ſecuti ſunt Dominum.*
3 *Dixit autem Semuel ad vniuerſam domũ Iſrael, dicendo: Si toto corde veſtro reuertimini ad Dominũ, auferte deos alienos de medio veſtri, & Aſtharoth: & præparate cor veſtrum Domino, & ſeruite ſoli ei, & liberabit vos de manu Peliſtinorum.*
4 *Et remouerunt filij Iſrael Bahalim, & Aſtharoth, & ſeruierunt Domino ſoli.*
5 *Dixitque Semuel: Congregate vniuerſum Iſrael in Miſpah, & orabo pro vobis ad Dominum.*
6 *Et congregati ſunt in Miſpah: hauſeruntq; aquam, & effuderunt coram Domino, & ieiunauerunt die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Semuel filios Iſrael in Miſpah.*
7 *Audierunt autem Peliſtim, quòd congregati eſſent filij Iſrael in Miſpah, & aſcenderunt ſatrapæ Peliſtim ad Iſrael. Et audierunt filij Iſrael, & timuerũt à facie Peliſtim.*
8 *Dixeruntque filij Iſrael ad Semuel: Ne ſileas pro nobis clamando ad Dominum Deum noſtrum, vt ſeruet nos de manu Peliſtim.*
9 *Tulit autem Semuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocauſtum totum Domino: & clamauit Semuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum Dominus.*
10 *Et fuit Semuel offerente holocauſtum Peliſtæi acceſſerunt ad prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus voce grandi in die illa contra Peliſtæos, & contriuit eos, & cæſi ſunt coram Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et dixerunt viri, qui de Bethſamys: Quis poterit tranſire coram Domino Deo ſancto iſto? & ad quem aſcendet arca Domini à nobis? 21 Et mittunt nuncios ad inhabitantes Cariathiarim, dicentes: Redire fecerunt alienigenæ arcam Domini, deſcendite, & adducite eam ad vos ipſos.

### CAP. VII.

ET veniunt viri Cariathiarim, & reducunt arcam teſtamenti Domini, & introducunt eam in domum Aminadab, quæ in colle: & Eleazarum filium eius ſanctificauerunt ad cuſtodiendum arcam teſtamenti Domini. 2 Et factum eſt, ex qua die fuit arca in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies, & fuerunt viginti anni, & reſpexit omnis domus Iſrael poſt Dominum. 3 Et dixit Samuel ad vniuerſam domum Iſrael, dicens: Si in toto corde veſtro vos reuertitis ad Dominum, circumauferte deos alienos de medio veſtri, & lucos: & præparate corda veſtra erga Dominum, & ſeruite illi ſoli, & eruet vos de manu alienigenarum. 4 Et circumabſtulerunt filij Iſrael Baalim, & lucos Aſtharoth, & ſeruierunt Domino ſoli. 5 Et dixit Samuel: Congregate vniuerſum Iſrael in Maſſephat, & orabo pro vobis ad Dominum. 6 Et conuenerunt in Maſſephat: & hauriunt aquam, & effundebant coram Domino ſuper terram, & ieiunarunt in die illa, & dixerunt: Peccauimus coram Domino. Et iudicabat Samuel vniuerſum Iſrael in Maſſephat. 7 Et audierunt alienigenæ, quia cõgregati ſunt omnes filij Iſrael in Maſſephat, & aſcenderunt ſatrapæ alienigenarum ſuper Iſrael. Et audiunt filij Iſrael, & timuerunt à facie alienigenarum. 8 Et dixerunt filij Iſrael ad Samuel: Ne taceas à nobis, vt non clames ad Dominum Deum tuũ, & ſaluabit nos de manu alienigenarum. 9 Et ſumpſit Samuel agnum lactentem vnum, & attulit eum holocauſtoſim cum vniuerſo populo Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum Dominus. 10 Et erat Samuel offerens holocauſtoſim, & alienigenæ acceſſerunt in prælium ſuper Iſrael: & tonuit Dominus in voce magna in die illa ſuper alienigenas, & confuſi ſunt, & ceciderunt coram Iſrael.

Et exie-

## Vulgat. Editio.

*Eccl. 46. 14

11 * Egreſſique viri Iſrael de Maſphath perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſubter Bethchar.
12 Tulit autem Samuel lapidem vnum, & poſuit eum inter Maſphath, & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.
13 Et humiliati ſunt Philiſthijm, nec appoſuerunt vltra, vt venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos, cunctis diebus Samuelis.
14 Et redditæ ſunt vrbes, quas tulerant Philiſthijm ab Iſrael, Iſraeli, ab Accaron vſque Geth, & terminos ſuos: liberauitque Iſrael de manu Philiſthinorum, eratque pax inter Iſrael, & Amorrhæum.
15 Iudicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ:
16 Et ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſraelem in ſupradictis locis.
17 Reuertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Iſraelem: ædificauit etiam ibi altare Domino.

### CAP. VIII.

1 FActum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices Iſrael.
2 Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen ſecundi Abia, iudicum in Berſabee.
3 Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius: ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.
4 Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha.
5 Dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui nõ ambulant in vijs tuis: * conſtitue nobis regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.

*Oſe. 13. 10. Act. 13. 21.

6 Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eo quòd dixiſſent: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum.
7 Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.
8 Iuxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vſque ad diem hanc: ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis, ſic faciunt etiam tibi.

Nunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et egreſſi ſunt viri Iſrael de Miſpah, & perſecuti ſunt Peliſtim, & percuſſit eos vſque ad locum, qui eſt ſubter Bethchar.*
12 *Et tulit Semuel lapidẽ vnum, & poſuit inter Miſpah, & inter Sen: & vocauit nomen eius Ebenhaezer.* Et dixit: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.*

*Lapis adiutorij.

13 *Et humiliauerunt ſe Peliſtim, & non addiderunt vltra, vt venirent in terminum Iſrael. Et fuit manus Domini contra Peliſtim omnibus diebus Semuel.*
14 *Et redierunt vrbes quas tulerãt Peliſtim ab Iſrael, ad Iſrael, ab Hecron vſque ad Ghath, & terminum ſuum: liberauit Iſrael de manu Peliſtim, fuitque pax inter Iſrael, & inter Emorræum.*
15 *Et iudicauit Semuel Iſrael omnibus diebus vitæ ſuæ:*
16 *Et ibat, & circuibat Bethel, & Ghilghal, & Miſpah, & iudicabat Iſrael in omnibus locis illis.*
17 *Et reuertebatur in Ramah: ibi enim erat domus eius: & ibi iudicauit Iſrael, & ædificauit ibi altare Domino.*

### CAP. VIII.

1 *ET fuit, cum ſenuiſſet Semuel, poſuit filios ſuos iudices Iſraeli.*
2 *Et fuit nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen ſecundi eius Abijah iudices in Beerſebah.*
3 *Et non ambulauerunt filij eius in vijs illius: ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.*
4 *Congregati ſunt autem omnes ſeniores Iſrael, & venerunt ad Semuel in Ramah.*
5 *Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: nunc conſtitue nobis regem ad iudicandum nos, ſicut omnes gentes.*
6 *Et diſplicuit verbum in oculis Semuel, quando dixerunt: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Semuel ad Dominum.*
7 *Dixitque Dominus ad Semuel: Audi vocem populi, in omnibus, quæ dicent ad te, non enim te ſpreuerũt, ſed me ſpreuerunt, vt non regnem ſuper eos.*
8 *Iuxta omnia opera quæ fecerunt à die, qua aſcendere feci eos ex Ægypto vſque ad diem hanc: dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis, ſic ipſi faciũt etiam tibi.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et exierunt viri Iſrael e Maſſephat, & perſecuti ſunt alienigenas, & percuſſerunt eos vſque ſub Bethchor.
12 Et ſumpſit Samuel lapidem vnum, & ſtatuit illum inter Maſſephat, & inter veterem: & vocauit nomen eius
Abenezer, Lapis adiutoris. Et dixit: Vſque huc adiuuit nos Dominus. 13 Et humiliauit Dñs alienigenas, & nõ
adiecerunt vltra accedere ad terminum Iſrael. Et facta eſt manus Domini ſuper alienigenas omnibus diebus Samuel.
14 Et redditæ ſunt ciuitates, quas ceperant alienigenæ de filijs Iſrael, & reddiderunt ſe ipſi Iſrael ab Aſcalone vſque Azob, & terminum Iſrael abſtulerunt de manu alienigenarum: & fuit pax inter Iſrael, & inter Amorrhæum.
15 Et iudicabat Samuel Iſrael omnibus diebus vitæ ſuæ, & ibat per annum:
16 Et circuibat Bæthel, & Galgala, & Maſſephat, & iudicabat Iſrael in omnibus ſanctificatis his.
17 Reuerſio autem eius erat in Armathæm: quoniam ibi erat domus eius, & iudicabat ibi Iſrael: & ædificauit ibi altare Domino.

### CAP. VIII.

ET factum eſt, vt ſenuit Samuel, & conſtituit filios ſuos indices ipſi Iſrael.
2 Et hæc nomina filiorum eius, primogenitus Ioel: & nomen ſecũdi Abia, iudices in Berſabee.
3 Et non ambulauerũt filij eius in via eius: & declinauerunt poſt conſummationem, & accipiebant dona, & peruertebant iuſtificationes.
4 Et congregantur viri Iſrael, & veniunt in Armathæm ad Samuel.
5 Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in via tua: & nunc conſtitue ſuper nos regem ad iudicandum nos, ſicut & cæteræ gentes.
6 Et malum fuit verbum in oculis Samuel, quia dixerunt: Da nobis regem ad iudicandum nos. Et orauit Samuel ad Dominũ.
7 Et dixit Dominus ad Samuel: Audi vocem populi iuxta quæcumque loquuntur tibi, quoniam non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt, vt non regnem ſuper eos.
8 Secundum omnia facta, quæ fecerunt mihi, ex qua die eduxi eos ex Ægypto vſque in diem hanc: & dereliquerunt me, & ſeruiebant dijs alijs, ſic ipſi faciunt & tibi.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.

10 Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à ſe regem:

11 Et ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum:

12 Et conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum.

13 Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas.

14 Agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet & dabit ſeruis ſuis.

15 Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis ſuis.

16 Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo.

17 Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui.

18 Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem.

19 Noluit autem populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit ſuper nos:

20 Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.

21 Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini.

22 Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad viros Iſrael: Vadat vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.

### CAP. IX.

1 ET erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.

2 Et erat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus: & non erat vir de filijs Iſrael melior illo. Ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.

Pe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et nunc audi vocem eorum: verumtamen vt conteſtando conteſtatus fueris contra eos indicabis eis legem regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.*

10 *Dixitque Semuel omnia verba Domini ad populũ, qui petebant ab eo regem:*

11 *Et dixit: Hæc erit lex regis, qui regnaturus eſt ſuper vos: Filios veſtros tollet, & ponet ſibi in curribus ſuis, & equitibus ſuis, & current ante currum eius:*

12 *Et ponet ſibi tribunos, & quinquagenarios, & ad arandum arationem ſuam, & ad metendum meſſem ſuam, & ad faciendum vaſa bellica ſua, & arma curruum ſuorum.*

13 *Filiaſque veſtras tollet pro vnguentarijs, & coquinarijs, & panificis.*

14 *Et agros veſtros, & vineas veſtras, & oliueta veſtra optima accipiet, dabitque ſeruis ſuis.*

15 *Et de ſeminibus veſtris, & vineis veſtris capiet decimas, & dabit eunuchis ſuis, atque ſeruis ſuis.*

16 *Seruoſque veſtros, & ancillas veſtras iuuenesſque veſtros optimos, & aſinos veſtros tollet, & faciet in opere ſuo.*

17 *De pecoribus veſtris decimam capiet, & eritis ei ſerui.*

18 *Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exaudiet Dominus vos in die illa.*

19 *Et renuit populus audire vocem Semuel, ſed dixerunt: Nequaquam: ſed rex erit ſuper nos:*

20 *Et erimus etiam nos, ſicut omnes gentes: iudicabitque nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra.*

21 *Audiuitque Semuel omnia verba populi: & locutus eſt ea in auribus Domini.*

22 *Dixitque Dominus ad Semuel: Audi vocem eorum, & regnare facies eis regem. Dixitque Semuel ad viros Iſrael: Ite vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.*

### *CAP. IX.*

1 *ET fuit vir de Biniamin, & nomen eius Chis, filius Abiel, filij Seror, filij Becherath, filij Aphiach, filij viri Iemini fortis robore.*

2 *Et ei erat filius, & nomen eius Saul electus, & bonus: & non erat vir de filijs Iſrael pulchrior illo. Ab humero ſuo, & ſurſum altior erat omni populo.*

*Pe-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et nunc audi vocem eorum: tantummodo conteſtans conteſtaberis eis, & annunciabis eis iuſtificationem regis, qui regnabit ſuper eos. 10 Et dixit Samuel omne verbum Domini ad populum petentes ab eo regem: 11 Et dixit: Hæc erit iuſtificatio regis, qui regnabit ſuper vos: Filios veſtros capiet, & ponet eos in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, & præcurſores curruum ſuorum: 12 Et ad ponendum eos ſibi centuriones, & Chiliarchos, & ad metendum meſſem ipſius, & vindemiandam vindemiam ipſius, & ad faciendum vaſa bellica ipſius, & vaſa curruum ſuorum. 13 Et filias veſtras capiet in vnguentarias, & in coquinarias, & in panificas. 14 Et agros veſtros & vineas veſtras, & oliueta veſtra bona capiet, & dabit ſeruis ſuis. 15 Et ſemina veſtra, & vineas veſtras decimabit, & dabit eunuchis ſuis & ſeruis ſuis. 16 Et ſeruos veſtros, & ſeruas veſtras, & armenta boum, veſtra bona, & aſinos veſtros capiet, & decimabit ad opera ſua. 17 Et greges veſtros decimabit, & vos eritis ei ſerui. 18 Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegeritis vobis & non exaudiet Dominus vos in diebus illis, quoniam vos elegiſtes vobis ipſis regem. 19 Et noluit populus audire Samuel, & dixerunt ei: Nequaquam: ſed rex erit ſuper nos: 20 Et erimus etiam nos, ſicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & bellabit bellum noſtrum. 21 Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt eos in aures Domini. 22 Et dixit Dominus ad Samuel: Audi vocem eorum, & regnare fac eis regem. Et dixit Samuel ad viros Iſrael: Recurrat vnuſquiſque ad ciuitatem ſuam.

### CAP. IX.

ET vir de filijs Beniamin, & nomen ei Cis, filius Abiel, filij Iared, filij Bachir, filij Aphec, filij viri Ieminæi, vir potens. 2 Et huic filius, & nomen ei Saul, procerus, vir bonus: & non erat in filijs Iſrael bonus ſuper eum, ab humero, & ſupra excelſus ſuper omnem terram.

Et pe-

## Vulgata Editio.

3 Perierant autem aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum vnum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas. Qui cum tranſiſſent per montem Ephraim:

4 Et per terram Saliſa, & non inueniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram Iemini, & minime repererunt.

5 Cum autem veniſſent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo: Veni & reuertamur ne forte dimiſerit pater meus aſinas, & ſolicitus ſit pro nobis.

6 Qui ait ei: Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur, ſine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, ſi forte indicet nobis de via noſtra, propter quam venimus.

7 Dixitque Saul ad puerum ſuum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in ſitarcijs noſtris: & ſportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.

8 Rurſum puer reſpondit Sauli, & ait: Ecce inuentus eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam noſtram.

9 (Olim in Iſrael ſic loquebatur vnuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.)

10 Et dixit Saul ad puerum ſuum: Optimus ſermo tuus: Veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

11 Cumque aſcenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic eſt Videns?

12 Quæ reſpondentes, dixerunt illis: Hic eſt: ecce ante te, feſtina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.

13 Ingredientes vrbem, ſtatim inuenietis eum antequam aſcendat excelſum ad veſcendum. Neque enim comeſurus eſt populus donec ille veniat: quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt, qui vocati ſunt. Nunc ergo conſcendite, quia hodie reperietis eum.

14 Et aſcenderunt in ciuitatem. Cumque illi ambularent in medio vrbis apparuit Samuel egrediens obuiam eis, vt aſcenderet in excelſum.

15 * Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem, quam veniret Saul, dicens.

* Act. 13. 21.

Hæc

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Perierant autem aſinæ Chis patri Saul: dixitque Chis ad Saul filium ſuum: Tolle quaſo tecum vnum de pueris, & ſurge, vade, quære aſinas. Et tranſiuit per montem Ephraim:*

4 *Et tranſiuit per terram Saliſah, & non inuenerunt, & tranſierunt per terram Sahalim, & non erant: & tranſiuit per terram Iemini, & non inuenerunt.*

5 *Ipſi venerunt in terram Suph, & Saul dixit puero ſuo, qui erat ſecum: Veni, & reuertamur, ne fortè ceſſauerit pater meus ab aſinis, & timeat nobis.*

6 *Dixitque ei: Ecce nunc vir Dei eſt in ciuitate iſta, & vir honorabilis: omne quod loquetur veniendo veniet Nunc eamus illuc ſi fortè indicet nobis viam noſtram per quam ambulemus.*

7 *Dixitque Saul puero ſuo: Ecce ibimus: & quid afferemus viro? panis enim abijt de vaſis noſtris: & munus non eſt, vt afferamus viro Dei, & quid eſt nobiſcum.*

8 *Et rurſus puer reſpondit ad Saul, & dixit: Ecce inuenitur in manu mea quarta pars ſicli argentei, & dabo viro Dei, & indicabit nobis viam noſtram.*

9 *Olim in Iſrael ſic dicebat vir, quando ibat ad inquirendum Deum: Venite, & eamus vſque ad Videntem. Quia Propheta hodie, vocabatur olim Videns.*

10 *Dixitque Saul puero ſuo: Bonum eſt verbum tuum: Veni eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.*

11 *Ipſis aſcendentibus cliuũ ciuitatis inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num eſt hic Videns?*

12 *Et reſponderunt eis, & dixerunt: Eſt: ecce ante te, feſtina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium hodie eſt populo in Bamah.*

13 *Cum ingreſſi fueritis vrbem ſic inuenietis eum, antequam aſcendat in Bamah ad veſcendum. Non enim comedet populus donec veniat: ipſe enim benedicet ſacrificio, & poſtea comedent, qui inuitati ſunt. Et nunc aſcendite, quia eum hac hora inuenietis.*

14 *Et aſcenderunt in ciuitatem. Ipſis ingredientibus per medium ciuitatis, ecce Semuel egrediebatur in occurſum eorum, vt aſcenderet in Bamah.*

15 *Dominus autem reuelauerat aurem Semuel die vna antequam veniret Saul, dicendo:*

*Hoc*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et perierunt aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filiũ ſuum: Sume tecũ vnũ puerorũ, & ſurgite, & ite, &
quærite aſinas. Et tranſierunt per montẽ Ephraim: 4 Et tranſierunt per terrã Selcha, & non inuenerunt, & trã-
ſierunt per terrã Segalim, & non erant: & tranſierunt per terrã Iamin, & non inuenerunt. 5 Ipſis autẽ venienti-
bus in Siph, & Saul dixit puero ſuo, qui ſecũ: Veni, & reuertamur, ne omittens pater meus aſinas, ſolicitus ſit quæ
de nobis. 6 Et dixit ei puer: Ecce nunc homo Dei in ciuitate hac, & homo honoratus: oẽ quodcũque locutus
fuerit, eueniens aderit. Et nunc eamus, vt annunciet nobis viã noſtrã, ſuper quã ibimus ſuper eã. 7 Et dixit Saul
puero ſuo, qui ſecũ: Et ecce ibimus: & quid feremus homini Dei? qm panes defecerunt de vaſis noſtris: & plus
non eſt nobiſcũ ad afferendũ homini Dei, quod eſt nobis. 8 Et adiecit puer reſpõdere Sauli, & dixit: Ecce inuẽta
eſt in manu mea quarta pars ſicli argenti, & dabis hoĩ Dei, & annunciabit nobis viã noſtrã. 9 Et antea in Iſrael
hæc dicebat vnuſquiſque in eundo ad interrogandum Deum: Veni, & eamus ad Videntem. Quoniam Prophe-
tam vocabat populus antea, Videns. 10 Et dixit Saul ad puerum ſuum: Bonum eſt verbum: Veni, & eamus. Et
ierunt in ciuitatem, vbi erat ibi homo Dei. 11 Ipſis aſcendentibus aſcenſionem ciuitatis, & ipſi inueniunt
puellas exeuntes ad hauriendam aquam, & dicunt eis: Si eſt hic Videns? 12 Et reſponderunt puellæ ei, & di-
cunt ei: Eſt: ecce ad faciem veſtram: nunc per diem venit in ciuitatem, quoniam ſacrificium hodie populo in
Bama. 13 Cum ingreſſi fueritis in ciuitatem, ſic inuenietis eum in ciuitate, priuſquam ipſe aſcendat in Bama
ad manducandum, quoniam non manducabit populus, quoadusque ipſe ingrediatur: quoniam hic benedicit ſa-
crificium, & poſt hæc comedunt hoſpites. Et nunc aſcendite, quia per diem inuenietis eum. 14 Et aſcendunt
ciuitatem. Ipſis ingredientibus in medium ciuitatis, & ecce Samuel exiit in occurſum eorum ad aſcendendum
in Bama. 15 Et Dominus reuelauerat aurem Samuel die vna, antequam veniret ad eum Saul, dicens:

## Vulgat. Editio.

16 Hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſaluabit populum meum de manu Philiſthinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

17 Cumque aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo.

18 Acceſſit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi eſt domus Videntis.

19 Et reſpondit Samuel Sauli, dicens: Ego ſum Vidēs, aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi.

20 Et de aſinis, quas nudiuſtertius perdidiſti, ne ſolicitus ſis, quia inuentæ ſunt. Et cuius erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui?

21 Reſpondens autem Saul, ait: Numquid non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?

22 Aſſumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati, erant enim quaſi triginta viri.

23 Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres ſeorſum apud te.

24 Leuauit autem cocus armum, & poſuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede: quia de induſtria ſeruatum eſt tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

25 Et deſcenderunt de excelſo in oppidum, & locutus eſt cum Saule in ſolario: ſtrauitque Saul in ſolario, & dormiuit.

26 Cumque mane ſurrexiſſet, & iam eluceſceret, vocauit Samuel Saulem in ſolario, dicens: Surge, & dimittam te. Et ſurrexit Saul: egreſſique ſunt ambo, ipſe videlicet, & Samuel.

27 Cumque deſcenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Hoc tempore cras mittam ad te virum de terra Biniamin, & vnges eum in ducem ſuper populū meum Iſrael: & ſaluum faciet populum meum de manu Peliſtim: reſpexi enim populum meum, quia venit clamor eius ad me.*

17 *Semuel reſpexit Saul, & Dominus allocutus eſt eum: Ecce vir, quem dixi tibi, iſte dominabitur populo meo.*

18 *Acceſſit autem Saul ad Semuel in medio porta, & dixit: Indica quaſo mihi, vbi qualis eſt domus Videntis.*

19 *Et reſpondit Semuel ad Saul: Ego ſum Videns: aſcende ante me in Bamah, & comedetis mecum hodie, & dimittam te manè: & omne quod eſt in corde tuo annunciabo tibi.*

20 *Et pro aſinabus, qua perierunt tibi, hodie tres dies ſūt, ne ponas cor tuum, quia inuenta ſunt. Et cui omne deſiderabile Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui?*

21 *Et reſpondit Saul, & dixit: Nonne filius Iemini ſum de minoribus tribubus Iſrael, & familia mea minor omnibus familijs tribus Biniamin? & vt quid locutus es mihi, ſecundum verbum hoc?*

22 *Aſſumpſit autem Semuel ipſum Saul, & puerum eius, & introduxit eos in cœnaculum, & dedit eis locum in capite inuitatorum, qui erant fermè triginta viri.*

23 *Dixitque Semuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, quam dixi tibi, pone eam tecum.*

24 *Et leuauit coquus armum, & quod erat ſuper eum, & poſuit ante Saul. Et dixit: Ecce quod remanſit, pone ante te, comede: quia pro hoc tempore ſeruatum eſt tibi, dicendo, populum inuitaui. Comeditque Saul cum Semuel in die illa.*

25 *Deſcenderuntque de Bamah in ciuitatem, & locutus eſt cum Saul ſuper tectum.*

26 *Et ſurrexerunt manè, & fuit, cum aſcenderet aurora, vocauit Semuel Saul ad tectum, dicendo: Surge, & dimittam te. Et ſurrexit Saul: & egreſſi ſunt ambo ipſe, & Semuel foras.*

27 *Ipſis deſcendentibus in extremum vrbis Semuel, dixit ad Saul: Dic puero, vt tranſeat ante nos, & trāſiuit: tu autem ſta hac hora, & audire faciam te verbum Dei.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Sicut tempus, cras mittam ad te virum de terra Beniamin, & vnges eum in principem ſuper populum meū
Iſrael: & ſaluabit populum meum de manu alienigenarum: quoniam reſpexi ſuper humiliationem populi mei,
quia venit clamor eorum ad me. 17 Et Samuel vidit Saul, & Dominus reſpondit ei: Ecce homo,
quem dixi tibi, hic principabitur in populo meo. 18 Et acceſſit Saul ad Samuel in medium ciuitatis,
& dixit: Annuncia nunc, qualis eſt domus Videntis. 19 Et reſpondit Samuel Sauli, & dixit: Ego ſum
ipſe: Aſcende ante me in Bama, & manduca mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia, quæ in corde tuo, an-
nunciabo tibi. 20 Et de aſinabus tuis, quæ perierunt, hodie tres dies, ne ponas cor tuum eis, quo-
niam inuentæ ſunt. Et cui ſpecioſa Iſrael? nonne tibi, & domui patris tui? 21 Et reſpondit Saul,
& dixit: Nonne viri filius Iemini ego ſum puſilli ſceptri tribus Iſrael, & tribus minimæ ex toto ſceptro Beniamin?
& vt quid locutus es ad me iuxta verbum hoc? 22 Et ſumpſit Samuel Saulem, & pue-
rum eius, & introduxit eos in diuerſorium, & poſuit eis ibi locum in primis vocatorum circiter ſeptuaginta viro-
rum. 23 Et dixit Samuel coquo: Da mihi partem, quam dedi tibi, quam dixi tibi, vt pone-
res eam apud te. 24 Et coxerat coquus armum, & appoſuit illud coram Saul. Et dixit Samuel
Sauli: Ecce quod remanſit, appone illud coram te, & manduca: quoniam in teſtimonium eſt poſitum tibi præter
alios, Carpe. Et comedit Saul cum Samuel in die illa. 25 Et deſcendit de Bama in ciui-
tatem: & ſtrauerunt Sauli ſuper ſolarium, & dormiuit. 26 Et factum eſt, vt aſcendit dilu-
culum, & vocauit Samuel Saulem in ſolario, dicens: Surge, & dimittam te. Et ſurrexit Saul, & exijt ipſe, & Sa-
muel vſque foras. 27 Ipſis deſcendentibus ad partem ciuitatis, & Samuel dixit Sauli: Dic
puero, & tranſeat ante nos: & tu ſta, vt hodie, & audi verbum Dei.

CA P.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. X.

*Act. 13.

1 TVlit * autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuã in principem, & liberabis populum ſuũ de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem.

2 Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentque tibi: Inuentæ ſunt aſinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermiſſis pater tuus aſinis, ſolicitus eſt pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

3 Cumque abieris inde, & vltra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

4 Cumque te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

5 Poſt hæc venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum: & cum ingreſſus fueris ibi vrbem, obuiũ habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes.

6 Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cũ eis, & mutaberis in virum alium.

7 Quando ergo euenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt.

8 Et deſcendes ante me in Galgala, (ego quippe deſcendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: ſeptem diebus expectabis, donec veniam ad te, & oſtendam tibi quid facias.

9 Itaque cum auertiſſet humerum ſuum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa.

10 Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obuius ei: & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.

Vi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. X.

1 *TVlit autem Semuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, ac dixit: Nonne quia vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in ducem.*

2 *Cum ambulaueris hodie à me, inuenies duos homines iuxta ſepulchrum Rachel in termino Biniamin in Selſach, dicentque tibi: Inuentæ ſunt aſinæ quas ieras ad quærendum: & ecce dimiſit pater tuus negotium aſinarum, & timet vobis, dicendo: Quid faciam pro filio meo?*

3 *Et præteribis inde, & vltra, & venies vſque ad Elon Thabor, & reperient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius portans tres tortas panis, & alius portans vtrem vini.*

4 *Et ſalutabunt te cum pace, & dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.*

5 *Poſtea venies ad collem Dei, in quo ſunt præſidea Peliſtim: & erit quando ingredieris illuc vrbem, obuium habebis cœtum prophetarum deſcendentium de Bamah, & ante eos erunt lyra, tympanum, tibia, & cithara, & ipſi prophetantes.*

6 *Et requieſcet ſuper te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & efficieris vir alter.*

7 *Et erit, cum venerint ſigna iſta tibi, fac tibi quod inuenerit manus tua, quia Deus tecum eſt.*

8 *Et deſcendes ante me in Ghilgal, & ecce ego deſcendo ad te ad offerendum holocauſta, & ad ſacrificandum ſacrificia pacificorum: ſeptem diebus expectabis, donec veniam ad te, & oſtendam tibi, quæ facias.*

9 *Et fuit, cum vertiſſet humerum ſuum, vt abiret à Semuel, vertit ei Deus cor alterum, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa.*

10 *Veneruntque illuc ad collem, & ecce cuneus prophetarum in occurſum eius, & requieuit ſuper eum Spiritus Dei, & prophetauit in medio eorum.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. X.

ET ſumpſit Samuel lenticulam olei, & infudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, & dixit ei: Nõne vnxit te Dominus in principem ſuper populum ſuum, ſuper Iſrael, & tu principaberis in populo Domini, & tu ſaluabis eum de manu inimicorum eius. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem. 2 Poſtquam abieris hodie à me, & inuenies duos viros ad ſepulchra Rachel in monte Beniamin, ſalientes grãditer, & dicent tibi: Inuentæ ſunt aſinæ, quas ibatis quærere: & ecce pater tuus dimiſit verbum aſinarum, & profundebat propter vos, dicens: Quid faciam pro filio meo? 3 Et abibis inde, & vlterius venies vſque ad quercum Thabor, & inuenies ibi tres viros aſcendentes ad Deum in Bæthel, vnum portantem tres hœdos, & vnũ portantem tria vaſa panum, & vnum portantem vtrem vini. 4 Et interrogabunt te, quæ ad pacem, & dabunt tibi duas primitias panum, & ſumes de manu eorum. 5 Et poſt hæc ingredieris in collem Dei, vbi eſt ibi ſtatio alienigenarum, ibi Naſib alienigena. Et erit, poſtquam intraueritis illuc in ciuitatem, & occurres choro prophetarum deſcendentium de Bama, & ante eos Nabla, & tympanum, & tibia, & cithara, & ipſi prophetantes. 6 Et inſiliet ſuper te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & verteris in virum alium. 7 Et erit, quando venient ſigna hæc ſuper te, fac omnia, quæcumque inuenerit manus tua, quoniam Deus tecum. 8 Et deſcendes ante Galgal, & ecce deſcendo ad te ad offerendum holocauſtum, & ſacrificia pacifica: ſeptem diebus differes, donec ego veniam ad te, & oſtendam tibi, quæ facies. 9 Et factum eſt, vt conuertit ſe humero ſuo ad abeundum à Samuel, mutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna in die illa. 10 Et pergit inde in collem, & ecce chorus prophetarum ex aduerſo ipſius: & inſilijt in eum Spiritus Dei, & prophetauit in medio eorum, & fuerunt omnes, qui nouerunt eum heri, & nudiuſtertius, & viderunt, & ecce ipſe in medio prophetarum.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiuſtertius, quòd eſſet cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?

12 Reſponditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea verſum eſt in prouerbium: * Num & Saul inter prophetas?

* Inf. 19. 24.

13 Ceſſauit autem prophetare, & venit ad excelſum.

14 Dixitque patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quo abiſtis? Qui reſponderunt: Quærere aſinas: quas cum non reperiſſemus, venimus ad Samuelem.

15 Et dixit ei patruus ſuus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

16 Et ait Saul ad patruum ſuum: Indicauit nobis, quia inuentæ eſſent aſinæ. De ſermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

17 Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maſpha:

18 Et ait ad filios Iſrael: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego eduxi Iſrael de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum, qui affligebant vos.

19 Vos autem hodie proiecíſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſaluauit vos de vniuerſis malis, & tribulationibus veſtris: & dixiſtis: * Nequaquam: ſed regē conſtitue ſuper nos. Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias.

* Sup. 8. 19.

20 Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors tribus Beniamin.

21 Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vſque ad Saul filium Cis. Quæſierunt ergo eū, & non eſt inuentus.

22 Et conſuluerunt poſt hæc Dominum vtrumnam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus: Ecce abſconditus eſt domi.

23 Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: ſtetitque in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum.

24 Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat rex.

25 Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino: & dimiſit Samuel omnem populum, ſingulos in domum ſuam.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et fuit omnis, qui nouerat eum ab heri, & nudiuſtertius, viderunt & ecce cum prophetis prophetabat, dixitque populus vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quid hoc fuit filio Chis? num etiam Saul inter prophetas?*

12 *Et reſpondit vir inde & dixit: Et quis pater eorum? propterea verſum eſt in parabolam: Num etiam Saul inter prophetas?*

13 *Et ceſſauit prophetare, & venit in Bamah.*

14 *Dixit autem patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quo abyſtis? Et dixit: Ad quærendum aſinas: & vidimus quòd non eſſent, & venimus ad Semuel.*

15 *Et dixit patruus Saul: Indica quæſo mihi, quid dixit vobis Semuel.*

16 *Dixitque Saul ad patruum ſuum: Indicando indicauit nobis, quòd inuentæ eſſent aſinæ. Verbum autem regni non indicauit ei, vt dixerat Semuel.*

17 *Conuocauit autem Semuel populum ad Dominum in Miſpah:*

18 *Dixitque ad filios Iſrael: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Ego aſcendere feci Iſrael ex Aegypto, & liberaui vos de manu Aegyptiorum, & de manu omniū regnorum, ac eorum qui opprimebant vos.*

19 *Vos autem hodie abieciſtis Deum veſtrum, qui ſeruat vos ab omnibus malis veſtris, & anguſtijs veſtris: dixiſtiſque ei: Sed regem pones ſuper nos. Et nunc ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per millia veſtra.*

20 *Et applicuit Semuel omnes tribus Iſrael, & capta eſt tribus Biniamin.*

21 *Et applicuit tribum Biniamin per familias ſuas, & capta eſt familia Mathri, & captus eſt Saul filius Chis. Quæſierunt que eum, & non eſt inuentus.*

22 *Et conſuluerunt Dominum an venturus eſſet adhuc illuc vir. Dixitque Dominus: Ecce abſcondit ſe inter vaſa.*

23 *Et cucurrerunt, tuleruntque eum inde: & ſtetit in medio populi, & altior fuit omni populo ab humero ſuo, & ſupra.*

24 *Dixitque Semuel ad omnem populum: Num vidiſtis quem elegerit Dominus, quia non eſt ſimilis illi in omni populo. Et clamauerunt omnis populus, ac dixerunt: Viuat rex.*

25 *Et locutus eſt Semuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino: & dimiſit Semuel omnem populum, quemlibet in domū ſuam.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dixit populus vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quid eſt hoc, quod euenit filio Cis? numquid & Saul in prophetis? 12 Et reſpondit quiſpiam eorum, & dixit: Et quis pater eius? & propter hoc factum eſt in parabolam: Numquid & Saul in prophetis? 13 Et conſummauit prophetans, & venit in collem. 14 Et dixit propinquus eius ad eum, & ad puerum eius: Quo iuiſtis? Et dixerunt: Ad quærendas aſinas: & vidimus, quia non ſunt, & intrauimus ad Samuel. 15 Et dixit propinquus ad Saul: Annuncia nunc mihi, quid dixit tibi Samuel. 16 Et dixit Saul ad propinquum ſuum: Annuncians annunciauit mihi, quia inuentæ ſunt aſinæ. Verbū autem regni non annunciauit ei. 17 Et condixit Samuel vniuerſo populo ad Dominum in Maſſephat. 18 Et dixit ad filios Iſrael: Hæc dixit Dominus Deus Iſrael, dicens: Ego eduxi filios Iſrael ex Ægypto, & erui vos de manu Pharaonis regis Aegypti, & ex omnibus regnis tribulantibus vos. 19 Et vos hodie ſpreuiſtis Deū, qui ipſe eſt ſaluator veſter ex omnibus malis veſtris, & tribulationibus veſtris: & dixiſtis: Nequaquam: ſed quia regem conſtitues ſuper nos. Et nunc ſtate coram Domino ſecūdum ſceptra veſtra, & ſm tribus veſtras. 20 Et applicuit Samuel omnia ſceptra Iſrael, & ſorte capitur ſceptrum Beniamin. 21 Et applicat ſceptrum Beniamin in tribus, & ſorte capitur tribus Mattari, & applicant tribum Mattari in viros, & ſorte capitur Saul filius Cis. Et quærebāt eum, & non inueniebatur. 22 Et interrogauit Samuel adhuc in Domino, ſi venit vir huc. Et dixit Dominus: Ecce ipſe abſconditus eſt in vaſis. 23 Et cucurrit, & ſumit eum inde: & conſtituit in medio populi, & exaltatus eſt ſuper omnem populum ab humero, & ſupra. 24 Et dixit Samuel ad vniuerſum populum: Si vidiſtis, quem elegit ſibi Dominus, quia non eſt ſimilis ei omnibus vobis. Et cognouerunt vniuerſus populus, & dixerunt: Viuat rex. 25 Et dixit Samuel ad populum iuſtificationem regis, & ſcripſit in libro, & poſuit coram Domino: & dimiſit Samuel vniuerſum populum, & abijt vnuſquiſque ad locum ſuum.

Et Saul

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

26 Sed & Saul abijt in domum ſuam in Gabaa: & a-
bijt cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus
corda.
27 Filij vero Belial, dixerunt: Num ſaluare nos poterit
iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei mu-
nera: ille vero diſſimulabat ſe audire.

### CAP. XI.

1 ET factum eſt quaſi poſt menſem, aſcẽdit Naas
Ammonites & pugnare cœpit aduerſum Iabes
Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas:
Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi.
2 Et reſpondit ad eos Naas Ammonites: In hoc fe-
riam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum
oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vni-
uerſo Iſrael.
3 Et dixerunt ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis
ſeptem dies, vt mittamus nuncios ad vniuerſos ter-
minos Iſrael: & ſi non fuerit, qui defendat nos, e-
grediemur ad te.
4 Venerunt ergo nuncij in Gabaa Saulis: & locuti
ſunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis
populus vocem ſuam, & fleuit.
5 Et ecce Saul veniebat, ſequens boues de agro, &
ait: Quid habet populus, quod plorat? Et narraue-
runt ei verba virorum Iabes.
6 Et inſiliuit Spiritus Domini in Saul, cum audiſſet
verba hæc, & iratus eſt furor eius nimis.
7 Et aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta,
miſitque in omnes terminos Iſrael per manum
nunciorum, dicens: Quicumque non exierit, & ſe-
cutus fuerit Saul, & Samuel, ſic fiet bobus eius. In-
uaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt
quaſi vir vnus.
8 Et recenſuit eos in Bezech: fueruntq; filiorum Iſrael
trecẽta millia: virorum autem Iuda triginta millia.
9 Et dixerunt nuncijs, qui venerant: Sic dicetis viris,
qui ſunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis ſalus, cum
incaluerit ſol. Venerunt ergo nuncij, & annuncia-
uerunt viris Iabes: qui lætati ſunt.
10 Et dixerunt: Mane exibimus ad vos: & facietis no-
bis omne, quod placuerit vobis.
11 Et factum eſt, cum dies craſtinus veniſſet, conſtituit
Saul populum in tres partes: & ingreſſus eſt media
caſtra in vigilia matutina, & percuſſit Ammon vſq;
dum incaleſceret dies: reliqui autem diſperſi ſunt,
ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et etiam Saul iuit in domum ſuam in Ghibbah: &
ierunt cum eo exercitus, quorum tetigerat Deus
cor.*
27 *Filij autem impij dixerunt: Quid, ſaluabit nos iſte?
Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera:
& fuit veluti ſurdus.*

### CAP. XI.

1 *AScendit autem Nachas Hammonites, & ca-
ſtrametatus eſt contra Iabes, Ghilhad. Et di-
xerunt omnes viri Iabes ad Nachas: Percute nobiſ-
cum fœdus, & ſeruiemus tibi.*
2 *Dixitque ad eos Nachas Hammonites: In hoc percu-
tiam fœdus vobiſcum, in effodiendo vobis omnem
oculum dextri lateris, ponamq; iſtud opprobrium in
omni Iſrael.*
3 *Dixeruntque ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis
ſeptem dies, & mittemus nuncios in omnem termi-
num Iſrael: & ſi non fuerit, qui ſeruet nos, egredie-
mur ad te.*
4 *Veneruntque nuncij in Ghibbah Saul: & locuti ſunt
verba in auribus populi: & leuauerunt omnis popu-
lus vocem ſuam, & fleuerunt.*
5 *Et ecce Saul veniebat poſt boues ex agro, & dixit
Saul: Quid eſt populo, quia flent? Et narrauerunt ei
verba virorum Iabes.*
6 *Et tranſiuit Spiritus Dni ſuper Saul, cum audiſſet
verba hæc, & iratus eſt furor eius valdè.*
7 *Tulitque par boum, & in fruſta concidit illud, &
miſit in omnem terminum Iſrael per manum nun-
ciorum, dicendo: Qui non exierit poſt Saul, & poſt
Semuel, ſic fiet bobus eius. Et cecidit pauor Domini
in populum, & egreſſi ſunt tanquam vir vnus.*
8 *Et recenſuit eos in Bezech: & fuerũt filij Iſrael tre-
centa millia: & viri Iehudah triginta millia.*
9 *Dixeruntque nuncijs, qui venerant: Sic dicetis vi-
ris Iabes Ghilhad: Cras erit vobis ſalus, cum inca-
luerit ſol. Et venerunt nuncij, & nunciauerunt vi-
ris Iabes, lætatique ſunt.*
10 *Et dixerũt viri Iabes: Mane exibimus ad vos: & fa-
cietis nobis iuxta o ẽ quod bonũ eſt in oculis veſtris.*
11 *Et fuit, in craſtino diſpoſuit Saul populum in tria
capita: & ingreſſi ſunt in medium caſtrorũ in vigi-
lia matutina, & percuſſerunt Hãmon vſque dũ in-
caleſceret dies: & fuit, qui remanſerant diſperſi sũt,
& non remanſerunt ex eis duo pariter.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et Saul abijt in domum ſuam in Gabaa: & iuerunt filij virtutum, quorum tetigit Dñs corda corũ cũ Saul
27 Et filij peſtilentes dixerunt: Quis, ſaluabit nos iſte? Et contempſerunt eum: & non attulerunt ei munera.

### CAP. XI.

ET factum eſt quaſi poſt menſem, & aſcendit Naas Ammanites, & caſtrametatur ſuper Iabis Galaad. Et dixe-
runt omnes viri Iabis ad Naas Ammanitem: Diſpone nobis teſtamentum, & ſeruiemus tibi. 2 Et dixit ad
eos Naas Ammanites: In hoc diſponam teſtamentum vobis, in effodiendo vobis omnem oculum dextrum, & po-
nam opprobrium ſuper Iſrael. 3 Et dicunt ei viri Iabis: Permitte nobis ſeptẽ dies, & mittemus nuncios in om-
nem terminum Iſrael: ſi non fuerit qui ſaluet nos, exibimus ad vos. 4 Et veniunt nuncij in Gabaa ad Saul: &
loquuntur verba in aures populi: & eleuauerunt vniuerſus populus vocẽ ſuã, & plorauerũt. 5 Et ecce Saul ve-
niebat poſt mane ex agro, & dixit Saul: Quid eſt, quia plorat populus? Et narrant ei verba virorũ Iabis. 6 Et in-
ſilijt Spiritus Dñi ſuper Saul, vt audiuit verba hæc & indignatus eſt ſuper eos ira ſua valdè. 7 Et ſumpſit duas
vaccas, & mẽbratim diuiſit eas, & miſit in omnem terminũ Iſrael in manu nunciorum, dicens: Qui non eſt egre-
diens poſt Saul, & poſt Samuel, ſm hæc facient bobus eius. Et ſuperuenit ecſtaſis Dñi ſuper populũ Iſrael, & cla-
mauerunt tanquam vir vnus. 8 Et recenſet eos in Bezec in Bama, omnem virum Iſrael ſexcenta millia, & viros
Iuda ſeptuaginta millia. 9 Et dixit nuncijs, qui venerant: Hæc dicetis viris Iabis: Cras vobis ſalus, cũ incaluerit
ſol. Et venerunt nuncij in ciuitatẽ, & nunciant viris Iabis: & lætati ſunt. 10 Et dixerunt viri Iabis ad Naas Am-
manitẽ: Cras egredicmur ad vos: & facietis nobis, quod bonũ in cõſpectu veſtro. 11 Et factũ eſt poſt cras, & po
ſuit Saul populũ in tria principia: & ingrediuntur medium caſtrorũ in cuſtodia matutina, & percutiebant filios
Ammon, quoadusque incaluit dies: & factum eſt, & reſidui diſperſi ſunt, & non remãſerũt in eis duo ſm idipſum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Sup. 10. 27.

12 Et ait populus ad Samuelem: * Quis eſt iſte qui dixit: Saul num regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos.
13 Et ait Saul: Non occidetur quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.
14 Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.
15 Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſrael nimis.

### CAP. XII.

1 Dixit autem Samuel ad vniuerſum Iſrael: Ecce audiui vocem veſtram iuxta omnia, quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos regem.
2 Et nunc rex graditur ante vos: ego autem ſenui, & incanui: porro filij mei vobiſcum ſunt: itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hanc diem, ecce præſto ſum.

* Eccl. 46. 22.

3 * Loquimini de me coram Domino & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis.
4 Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam.
5 Dixitque ad eos: Teſtis eſt Dominus aduerſum vos, & teſtis Chriſtus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis.
6 Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron, & eduxit patres noſtros de terra Ægypti.
7 Nunc ergo ſtate, vt iudicio contendam aduerſum vos coram Domino de omnibus miſericordijs Domini, quas fecit vobiſcum, & cum patribus veſtris:

* Gen. 46. 5.

8 * Quo modo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum, & clamauerunt patres veſtri ad Dominum: & miſit Dominus Moyſen & Aaron, & eduxit patres veſtros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc.

* Iudic. 4. 2.

9 Qui obliti ſunt Domini Dei ſui, * & tradidit eos in manu Siſaræ magiſtri militiæ Haſor, & in manu Philiſthinorum, & in manu regis Moab, & pugnauerunt aduerſum eos.

Po-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Dixitque populus ad Semuel: Quis eſt, qui dicit, nũ Saul regnabit ſuper nos? Date viros, & mori faciemus eos.*
13 *Dixitque Saul: Non morietur quiſquam die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.*
14 *Dixitque Semuel ad populum: Venite, & eamus in Ghilghal, & innouemus ibi regnum.*
15 *Et abierunt omnis populus in Ghilghal, & regnare fecerunt Saul coram Domino in Ghilghal, & ſacrificauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saul, & omnes viri Iſrael vſq; valdè.*

### CAP. XII.

1 *Dixit autem Semuel ad vniuerſum Iſrael: Ecce audiui vocem veſtram in omnibus, quæ dixiſtis mihi, & regnare feci ſuper vos regem.*
2 *Et nunc ecce rex graditur coram vobis: ego autem ſenui, & incanui, & filij mei ecce ſunt vobiſcum: & ego ambulaui coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad diem hanc, ecce adſum.*
3 *Teſtificamini contra me coram Domino, & coram Chriſto eius vtrum bouem cuiquam tulerim, & aſinum cuiquam acceperim, & cuiquam vim intulerim, & quemquam contriuerim, & de manu cuiquam tulerim precium, & occultauerim oculos meos ab eo, & reſtituam ei.*
4 *Dixeruntque: Non vim intuliſti, nec contriuiſti nos, neque tuliſti de manu cuiquam quippiam.*
5 *Dixitque ad eos: Teſtis eſt Dominus aduerſum vos, & teſtis Chriſtus eius die hac, quòd non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixit: Teſtis.*
6 *Dixitque Semuel ad populum: Dominus, qui magnificauit Moſeh, & Aharon, & qui aſcendere fecit patres veſtros ex Ægypto.*
7 *Et nunc ſtate, vt dyudicer vobiſcum coram Domino de omnibus iuſtitijs Domini quas fecit vobiſcum, & cum patribus veſtris:*
8 *Quum ingreſſus eſſet Iahacob in Ægyptum clamauerunt patres veſtri ad Dominum: miſitq; Moſeh, & Aharon, & eduxerunt patres veſtros ex Ægypto: & habitare fecerunt eos in loco iſto.*
9 *Et obliti ſunt Domini Dei veſtri, & tradidit eos in manu Siſera principis militia Chaſor, & in manu Peliſtim, & in manu regis Moab, & pugnauerunt cum eis.*

*Cla-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et dixit populus ad Samuel: Quis eſt, qui dixit: quia Saul nõ regnabit ſuper nos? Trade viros, & mortificabimus eos. 13 Et dixit Saul: Non morietur vllus in die hac, quia hodie fecit Dñs ſalutẽ in Iſrael. 14 Et dixit Samuel ad populũ, dicens: Eamus in Galgala, & innouemus ibi regnũ. 15 Et iuit omnis populus in Galgala, & vnxit Samuel ibi Saul in regem coram Domino in Galgalis, & ſacrificauit ibi ſacrificia, & pacificas coram Domino. Et lætatus eſt Samuel, & vniuerſus Iſrael quamplurimum.

### CAP. XII.

Et dixit Samuel ad vniuerſum Iſrael: Ecce audiui vocẽ veſtrã in omnibus, quæcumque dixiſtis mihi, & feci regnare ſuper vos regem. 2 Et nunc ecce rex graditur ante vos: & ego ſenui, & ſedebo: & filij mei ecce in vobis: & ego ecce ambulaui corã vobis à iuuẽtute, & vſque ad diẽ hãc, ecce ego. 3 Rñdete cõtra me corã Dño, & corã Chriſto eius, bouẽ cuius cepi, aut aſinũ cuius cepi, aut quẽ oppreſſi veſtrũ, aut quem expreſſi, aut de manu cuius cepi propitiationem, vel calceamentum: reſpondete contra me, & reddam vobis. 4 Et dixerunt ad Samuel: Non feciſti iniuriam nobis, neque oppreſſiſti nos, neque contriuiſti nos, & non cepiſti de manu cuiuſquam quicquam. 5 Et dixit Samuel ad populũ: Teſtis Dominus in vos, & teſtis Chriſtus eius hodie in hac die, quia non inueniſtis in manu mea quicquam. Et dixerunt: Teſtis. 6 Et dixit Samuel ad populum, dicens: Teſtis Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron, qui eduxit patres noſtros ex Ægypto. 7 Et nunc ſtate, & iudicabo vos coram Domino, & annunciabo vobis omnem iuſtitiam Domini, quæ fecit in vobis, & in patribus veſtris:
8 Poſtquam intrauit Iacob, & filij eius in Ægyptum, & humiliauit eos Ægyptus, & clamauerunt patres noſtri ad Dominum: & miſit Dominus Moyſen, & Aaron, & eduxerunt patres veſtros ex Ægypto: & habitare fecit eos in loco hoc. 9 Et obliti ſunt Domini Dei ſui, & vendidit eos in manus Siſaræ magiſtro militiæ Iabis regis Aſor, & in manus alienigenarum, & in manus regis Moab, & pugnauit in eos.

Et cla-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Poſtea autem clamauerunt ad Dominum , & dixerunt : Peccauimus , quia dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus Baalim & Aſtaroth : nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorum & ſeruiemus tibi .

*Iud.6.14

11 * Et miſit Dominus Ierobaal,& Badan, & Iephte,& Samuel , & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum per circuitum , & habitaſtis confidenter .

* Sup.8. 19. & 10. 19.

12 Videntes autem quòd Naas rex filiorum Ammon veniſſet aduerſum vos,dixiſtis mihi : * Nequaquam, ſed rex imperabit nobis : cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis .

13 Nunc ergo,præſto eſt rex veſter , quem elegiſtis, & petiſtis : ecce dedit vobis Dominus regem .

14 Si timueritis Dominum,& ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius , & non exaſperaueritis os Domini : eritis & vos,& rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum .

15 Si autem non audieritis vocem Domini,ſed exaſperaueritis ſermones eius , erit manus Domini ſuper vos,& ſuper patres veſtros .

16 Sed & nunc ſtate , & videte rem iſtam grandem quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro .

17 Numquid non meſſis tritici eſt hodie ? inuocabo Dominum,& dabit voces & pluuias : & ſcietis,& videbitis quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini,petentes ſuper vos regem .

18 Et clamauit Samuel ad Dominum , & dedit Dominus voces & pluuias in illa die .

19 Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem , & dixit vniuerſus populus ad Samuelem : Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum , vt non moriamur : addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem .

20 Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere , vos feciſtis vniuerſum malum hoc : verumtamen nolite recedere à tergo Domini, ſed ſeruite Domino in omni corde veſtro.

21 Et nolite declinare poſt vana , quæ non proderunt vobis,neque eruent vos,quia vana ſunt .

22 Et non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum : quia iurauit Dominus facere vos ſibi populum .

Ab-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Clamaueruntque ad Dominum , ac dixerunt : Peccauimus quia dereliquimus Dominum , & ſeruiuimus Behalim, & Haſtharoth, & nunc libera nos de manu inimicorum noſtrorum , & ſeruiemus tibi .*

11 *Miſitque Dominus Ierubahal , & Bedan , & Iphtach , & Semuel , eruitque vos de manu inimicorum veſtrorum vndique , & habitaſtis confidenter .*

12 *Et vidiſtis quod Nachas rex filiorum Hammon venit contra vos , & dixiſtis mihi : Nequaquam , ſed rex regnabit ſuper nos ,& Dominus Deus veſter,rex veſter erat .*

13 *Et nunc ecce rex quem elegiſtis , & petiſtis , & ecce poſuit Dominus ſuper vos regem .*

14 *Si timueritis Dominum , & ſeruieritis ei, atque audieritis voci eius ,& non exaſperaueritis os Domini : ambulabitis , tum vos , tum rex qui regnabit ſuper vos poſt Dominum Deum veſtrum .*

15 *Si autẽ non audieritis voci Domini, ſed exaſperaueritis os Domini , erit manus Domini contra vos , & contra patres veſtros .*

16 *Etiam nunc ſtate, & videte rem grandem hanc quã Dominus facit in oculis veſtris .*

17 *Nonne meſſis frumentacea eſt hodie ? Inuocabo Dominum,& dabit tonitrua,& pluuiam: & ſcitote,& videte quod malum veſtrum multum eſt quod feciſtis in oculis Domini , petendo vobis regem .*

18 *Clamauit autem Semuel ad Dominum , deditque Dominus tonitrua , & pluuiam in die illa .*

19 *Et timuit omnis populus Dominũ valde,& Semuel. Dixeruntque omnis populus ad Semuel: Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum vt nõ moriamur: Addidimus enim omnibus peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem .*

20 *Dixitque Semuel ad populum : Ne timeatis , vos feciſtis omne malum hoc , verumtamen ne recedatis à tergo Domini , ſed ſeruite Domino toto corde veſtro .*

21 *Et non declinetis , poſt idola quæ non proderunt, nec eruent, quia idola ſunt .*

22 *Non enim derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum , quia iurauit Dominus facere vos ſibi populum .*

*Etiam*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et clamauerunt ad Dominum, & dicebant : Peccauimus, quoniam dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus
Baalim,& Lucis,& nunc erue nos de manu inimicorum noſtrorum,& ſeruiemus tibi .
11 Et mi-
ſit Ierobaal,& Barac,& Iephte,& Samuel,& eripuit nos de manu inimicorum noſtrorum, qui in circuitu & habi-
taſtis confidentes .
12 Et vidiſtis,quia Naas rex filiorum Ammon venit ſuper vos,& dixiſtis :
Nequaquam,ſed quia rex regnabit ſuper nos,& Dominus Deus noſter,rex noſter .
13 Et nunc
ecce rex,quem elegiſtis,& ecce dedit Dominus ſuper vos regem .
14 Si timueritis Dominum,&
ſeruieritis ei,& audieritis vocem eius, & non repugnaueritis ori Domini, & eritis & vos, & rex regnans ſuper vos
poſt Dominum ambulantes .
15 Si autem non audieritis vocem Domini & repugnaueritis ori
Domini,& erit manus Domini ſuper vos,& ſuper regem veſtrum .
16 Et nunc ſtate,& videte verbum
magnum hoc,quod Dominus faciet in oculis veſtris .
17 Nonne meſſis frumentorum hodie? In-
uocabo Dominum,& dabit voces,& pluuia,& cognoſcite, & videte,quia maleficium veſtrum eſt magnum, quod
feciſtis in conſpectu Domini,petentes vobiſipſis regem.
18 Et inuocauit Samuel Dominum & dedit
Dominus voces,& pluuiam in die illa.
19 Et timuerunt omnis populus Dominum valde,& Samuel,
& dixerunt omnis populus ad Samuel : Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum , & non moriamur quo-
niam addidimus ad omnia peccata noſtra maleficium,petentes nobis ipſis regem .
20 Et dixit Samuel
ad populum: Ne timeatis,vos feciſtis omne maleficium hoc: verumtamen ne declinetis à poſt Dominum,& ſer-
uite Domino in toto corde veſtro .
21 Et non tranſgrediamini poſt eos, qui nihil ſunt,qui non
proficient quicquam,& qui non eruent,quia nihil ſunt .
22 Quoniam non abijciet Dominus po-
pulum ſuum propter nomen ſuum magnum, quoniam admodum Dominus ſuſcipit vos ſibi in populum .

Et mi-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Abſit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.

24 Igitur timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro: vidiſtis enim magnifica quæ in vobis geſſerit.

25 Quod ſi perſeueraueritis in malitia: & vos & rex veſter pariter peribitis.

### CAP. XIII.

1 Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael.

2 Et elegit ſibi Saul tria millia de Iſrael: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin: porro cęterum populum remiſit vnumquemque in tabernacula ſua.

3 Et percuſſit Ionathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audiſſent Philiſthijm, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

4 Et vniuerſus Iſrael audiuit huiuſcemodi famam: Percuſſit Saul ſtationem Philiſthinorum: & erexit ſe Iſrael aduerſus Philiſthijm. Clamauit ergo populus poſt Saul in Galgala.

5 Et Philiſthijm congregati ſunt ad prœliandum contra Iſrael, triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena quæ eſt in littore maris plurima. Et aſcendentes caſtrametati ſunt in Machmas ad Orientem Bethauen.

6 Quod cum vidiſſent viri Iſrael ſe in arcto poſitos, (afflictus enim erat populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis in petris quoque, & in antris, & in ciſternis.

7 Hebræi autem tranſierunt Iordanem in terram Gad & Galaad. Cumque adhuc eſſet Saul in Galgala, vniuerſus populus perterritus eſt, qui ſequebatur eum.

8 Et expectauit ſeptem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapſuſque eſt populus ab eo.

9 Ait ergo Saul: Afferte mihi holocauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum.

10 Cumque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat: & egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt ſalutaret eum.

Lo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Etiam ego non derelinquam vos. Abſit mihi, vt peccem Domino, vt ceſſem orare pro vobis: doceboque vos viam bonam, & rectam.*

24 *Verumtamen timete Dominum, & ſeruite ei in veritate in toto corde veſtro: videte enim quod magnifice fecit vobiſcum.*

25 *Si autem malefaciendo malefeceritis, etiam vos, etiã rex veſter peribitis.*

### CAP. XIII.

1 *Veluti filius anni erat innocens Saul, quando regnauit, & duobus annis regnauit ſuper Iſrael.*

2 *Elegit autem ſibi Saul tria millia ex Iſrael, & fuerunt cum Saul duo millia in Michmas, & in monte Bethel, mille vero fuerunt cum Iehonathan in Ghibhah Biniamin: reſiduum vero populi dimiſit vnumquemque in tabernacula ſua.*

3 *Percuſſit autem Iehonathan præſidem Peliſtim, qui erat in Ghebah. Et audierunt Peliſtim: Saul autem clanxit tuba per totam terram dicendo: Audiant Hebræi.*

4 *Et omnis Iſrael audierunt dicendo: Percuſſit Saul præſidem Peliſtim & etiam abominatus eſt Iſrael Peliſtim, & congregati ſunt populus poſt Saul in Ghilghal.*

5 *Peliſtim autem congregati ſunt ad pugnandum cum Iſrael triginta millia currus, & ſex millia equites, & populus ſicut arena quæ eſt iuxta littus maris in multitudine, & aſcenderunt, & caſtrametati ſunt in Michmas ad Orientem Bethauen.*

6 *Et viri Iſrael viderunt, quod anguſtia eſſet ſibi, quia coarctatus erat populus, & abſconderunt populus ſe in ſpeluncis, & in munitionibus, & in petris, & in turribus, & in ciſternis.*

7 *Hebræi autem tranſierunt Iarden in terram Ghad, & Ghilhad: Saul autem adhuc erat in Ghilghal & omnis populus moti ſunt poſt eum.*

8 *Et expectauit ſeptem dies ſecundum tempus quod dixerat Semuel, & non venit Semuel in Ghilghal & diſperſus eſt populus ab eo.*

9 *Dixitque Saul: Afferte ad me holocauſtum, & pacifica, & obtulit holocauſtum.*

10 *Et fuit, cum compleuiſſet offerre holocauſtum, ecce Semuel venit: & egreſſus eſt Saul in occurſum eius ad ſalutandum eum.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et mihi nequaquam, vt peccem Domino, omnittendo orare pro vobis, & ſeruiam Domino, & oſtendam vobis viam bonam & rectam.
24 Tantummodo timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & in toto corde veſtro, quoniam videtis, quæ magnificauit vobiſcum.
25 Et ſi maleficio malefeceritis, & vos, & rex veſter apponemini.

### CAP. XIII.

Quæ debent correſpondere num. 1. deſunt ab hac tranſl. Bibl. Sep. Romæ editæ.

2 Et elegit ſibi Saul tria millia virorum ex viris Iſrael, & fuerant cũ Saul bis mille, qui in Machmas, in monte Bæthel, & mille fuerunt cum Ionathan in Gabaa Beniamin, & reſiduum populi dimiſit, vnumquemque in tabernaculum eius.
3 Et percuſſit Ionathan Naſib alienigenam, qui in colle, & audiunt alienigenæ, & Saul tuba clangit in omnem terram, dicens: Spreuerunt ſerui.
4 Et omnis Iſrael audiuit dicentes: Percuſſit Saul Naſib alienigenam, & puduit Iſrael in alienigenas, & aſcenderunt filij Iſrael poſt Saul in Galgala.
5 Et alienigenæ congregantur in prœlium ſuper Iſrael, & aſcendunt ſuper Iſrael triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & populus tanquam arena, quæ iuxta Mare, multitudine, & aſcendunt, & caſtrametantur in Machmas ex aduerſo Bæthoron contra Auſtrum.
6 Et vir Iſrael vidit, quia anguſte ſibi, ne ipſe accedat, & occultauit ſe populus in ſpelũcis, & in abditis, & in petris, & in foueis, & in ciſternis.
7 Et tranſitores tranſierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad, & Saul adhuc erat in Galgalis, & vniuerſus populus expauit poſt eum.
8 Et diſtulit ſeptem dies teſtimonio, ſicut dixerat Samuel, & non adueniebat Samuel in Galgala, & diſperſus eſt populus eius ab eo.
9 Et dixit Saul: Adducite vt faciam holocauſtoſim, & pacifica, & obtulit holocauſtoſim.
10 Et factum eſt, vt conſummauit offerens holocauſtoſim, & Samuel aduenit, & exijt Saul in occurſum ei ad benedicendum eum.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Locutuſque ad eum Samuel: Quid feciſti? Reſpondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porro Philiſthijm congregati fuerant in Machmas,

12 Dixi: Nunc deſcendent Philiſthijm ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Neceſſitate compulſus, obtuli holocauſtum.

13 Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum,

14 Sed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. * Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum: & præcepit ei Dominus vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſeruaueris quæ præcepit Dominus.

* Act. 13. 22

15 Surrexit autem Samuel, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi aſcenderunt poſt Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin. Et recenſuit Saul populum, qui inuenti fuerant cum eo, quaſi ſexcentos viros.

16 Et Saul & Ionathas filius eius, populuſque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin: porro Philiſthijm conſiderant in Machmas.

17 Et egreſſi ſunt ad prædandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terra Saul.

18 Porro alius ingrediebatur per viam Beth horon: tertius autem verterat ſe ad iter termini imminentis valli Seboim contra deſertum.

19 Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael: cauerant enim Philiſthijm, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.

20 Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthijm, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem & ſecurim & ſarculum.

21 Retuſæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, vſque ad ſtimulum corrigendum.

22 Cumque veniſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio eius.

23 Egreſſa eſt autem ſtatio Philiſthijm, vt tranſcenderet in Machmas.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Dixitque Semuel: Quid feciſti? Dixitque Saul: Quia vidi quod diſpergebatur populus à me, & tu non veniebas ad tempus dierum: Peliſtim autem congregati erant in Michmas.*

12 *Dixi: Nunc deſcendent Peliſtim ad me in Ghilghal & faciem Domini non oraui. Et roboraui me, & obtuli holocauſtum.*

13 *Dixitque Semuel ad Saul: Stulte egiſti, & non ſeruaſti præceptum Domini Dei tui, quod præcepit tibi, quia nunc præparauerat Dominus regnum tuum ſuper Iſrael vſque in ſæculum.*

14 *Et nunc regnum tuum non ſtabit: quæſiuit Dominus ſibi virum ſecundum cor ſuum: & præcepit ei vt ſit dux ſuper populum ſuum, quia non ſeruaſti, quod præcepit tibi Dominus.*

15 *Surrexit autem Semuel, & aſcendit de Ghilghal in Ghibhah Biniamin, & recenſuit Saul populum qui inueniebatur ſecum ferme ſexcentos viros.*

16 *Saul autem, & Ionathan filius eius, & populus, qui inuentus eſt cum eis, manebant in Ghebah Biniamin: Peliſtim autem caſtrametati ſunt in Michmas.*

17 *Et egreſſus eſt vaſtator è caſtris Peliſtim cum tribus capitibus: Caput vnum reſpiciebat ad viam Ophrah ad terram Suhal.*

18 *Et caput aliud reſpiciebat ad viam Bethchoron, & caput aliud vertebat ſe ad viam termini, quæ reſpicit contra vallem Sebohim ad deſertum.*

19 *Faber autem non inueniebatur in tota terra Iſrael: dixerant enim Peliſtim ne forte faciant Hebræi gladium aut lanceam.*

20 *Deſcendebantque omnis Iſrael ad Peliſtim, vt acueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem ſuum, & ſecurim ſuam & ſarculum ſuum.*

21 *Et erat lima vomeribus & ligonibus, & tridentibus, & ſecuribus, & ad acuendum ſtimulum.*

22 *Et fuit in die prælij, non eſt repertus gladius & lancea in manu omnis populi qui erat cum Saul, & cum Ionathan, & repertus eſt ipſi Saul, & Ionathan filio eius.*

23 *Et egreſſus eſt præfectus Peliſtim ad tranſitum Michmas.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dixit Samuel: Quid feciſti? Et dixit Saul: Quoniam vidi, quia diſperſus erat populus à me, & tu non ad-
ueniebas, ſicut conſtitueras in teſtimonio dierum, & alienigenæ congregati erant in Machmas, 12 Et dixi:
Nunc deſcendent alienigenæ ad me in Galgala, & faciem Domini non ſum deprecatus, & vim feci, & obtuli holo
cauſtoſim. 13 Et dixit Samuel ad Saul: Stulte actum eſt tibi, quoniam non cuſtodiſti mandatum meum,
quod mandauit tibi Dominus, quia nunc præparauerat Dominus regnum tuum ſuper Iſrael vſque in ſæculum.
14 Et nunc regnum tuum non ſtabit tibi, & quæret ſibi Dominus hominem ſecundum cor ſuum, & mandabit
Dominus in principem ſuper populum ſuum, quoniam non cuſtodiſti, quæcumque mandauit tibi Dominus.
15 Et ſurrexit Samuel, & abijt de Galgalis, & reſiduum populi aſcendit poſt Saul in occurſum poſt populum bel-
latorem: ipſis aduenientibus e Galgalis in Gabaa Beniamin, & recenſuit Saul populum, qui inuentus erat cum
eo circiter ſexcentos viros. 16 Et Saul, & Ionathan filius eius, & populus, qui inuenti ſunt cum eis, ſederunt
in Gabaa Beniamin, & plorabant, & alienigenæ caſtrametati erant in Machmas. 17 Et egreſſus eſt vaſtator
ex agro alienigenarum tribus principijs, principium vnum ſpectans viam Gophera ad terram Sogal: 18 Et
principium vnum ſpectans viam Bæthoron, & principium vnum ſpectans viam Gabae vergentem ad Gæ Sabim.
19 Et faber ferri non inueniebatur in vniuerſa terra Iſrael, quoniam dixerunt alienigenæ, ne faciant Hebræi
gladium, & lanceam. 20 Et deſcendebant vniuerſus Iſrael ad terram alienigenarum, fabricari vnuſquiſque
meſſorium ſuum, & vas ſuum, & vnuſquiſque ſecurim ſuam, & marram ſuam. 21 Et erat vindemia parata ad
metendum: vaſa autem erant, tres ſicli in dentem, & ſecuri, & falci ſubſtantia erat eadem. 22 Et factum eſt
in diebus prælij Machmas, & non eſt inuentus gladius, & lancea in manu vniuerſi populi, qui cum Saul, & cum
Ionathan, & inuentus eſt Sauli, & Ionathan filio eius. 23 Et exijt de ſtatione alienigenarum trans Machmas.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XIIII.

1 ET accidit quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum illum. Patri autem ſuo hoc ipſum non indicauit.
2 Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa ſub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum.
3 Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, * qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat quo iſſet Ionathas.
4 Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boſes, & nomen alteri Sene:
5 Vnus ſcopulus prominens ad Aquilonem ex aduerſo Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa.
6 Dixit autem Ionathas ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis.
7 Dixitque ei armiger ſuus: Fac omnia, quæ placent animo tuo: perge quo cupis, & ero tecum vbicumque volueris.
8 Et ait Ionathas: Ecce nos tranſimus ad viros iſtos. Cumque apparuerimus eis,
9 Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: ſtemus in loco noſtro, nec aſcendamus ad eos.
10 Si autem dixerint: Aſcendite ad nos: aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris, hoc erit nobis ſignum.
11 Apparuit igitur vterque ſtationi Philiſthinorum dixeruntque Philiſthijm: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abſconditi fuerant.
12 Et locuti ſunt viri de ſtatione ad Ionatham, & ad armigerum eius dixeruntque: Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum ſuum: Aſcendamus, ſequere me: * tradidit enim Dominus eos in manus Iſrael.

* Sup. 4. 11.
* 1. Mach. 4. 30.

Aſcen-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XIIII.

1 *FVitque dies, & dixit Ionathan filius Saul ad puerum armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad præfectum Peliſtim, qui eſt trans locum illum: Patrique ſuo non indicauit.*
2 *Saul vero manebat in extremo Ghibhah ſub malogranato quod eſt in Mighron: Populus autem qui erat ſecum, erant ferme ſexcenti viri.*
3 *Achijah autem filius Achitub fratris Ichabod filij Pinehas filij Heli ſacerdotis Domini in Siloh portabat Ephod: populus autem neſciebat quod abijſſet Iehonathan.*
4 *Et inter tranſitus per quos quærebat Ionathan tranſire ad præfectum Peliſtim erat dens petra in tranſitu hinc, & dens petra in tranſitu inde: nomen vnius Boſes, & nomen alterius Seneah.*
5 *Dens vnus ſtabat ab Aquilone contra Michmas & alter à Meridie contra Gebah.*
6 *Dixitque Ionathan ad puerum armigerum: Veni, & tranſeamus ad præfectum incircumciſorum iſtorum forte faciet ſalutem Dominus per nos quia non eſt Domino prohibitio ſeruandi cum multis, vel paucis.*
7 *Dixitque armiger eius: Fac omne quod eſt in corde tuo: diuerte, ecce ſum tecum ſecundum cor tuum.*
8 *Dixitque Ionathan: Ecce nos tranſimus ad viros, & aperiemus nos eis.*
9 *Si ita dixerint nobis, expectate donec attingamus vos, ſtemus in loco noſtro, & non aſcendamus ad eos.*
10 *Si vero ſic dixerint: Aſcendite ad nos: aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manu noſtra, & hoc nobis ſignum.*
11 *Apparuerunt autem ambo præfecto Peliſtim, dixeruntque Peliſtim: Ecce Hebræi egrediuntur de foraminibus, in quibus ſe abſconderant.*
12 *Et locuti ſunt viri præfecti ad Ionathan, & armigerum eius, & dixerunt: Aſcendite ad nos, & ſcire faciemus vos rem: Dixitque Ionathan ad armigerum ſuum: Aſcende poſt me: tradidit enim eos Dominus in manu Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XIIII.

ET fit dies, & dixit Ionathan filius Saul puero portanti vaſa ipſius: Veni, & tranſeamus ad Meſſab alienigenarum, quæ trans locum illum: & patri ſuo non annunciauit. 2 Et Saul ſedebat ſuper ſummitatem collis, ſub malo granato, quod in Magdon, & erant cum eo quaſi ſexcenti viri. 3 Et Achia filius Achitob fratris Iochabed filij Phinees, filij Heli ſacerdotis Dei in Selô, portans Ephud, & populus non ſciebat, quia iuit Ionathan. 4 Et inter tranſitum, vbi quærebat Ionathan tranſire ad ſtationem alienigenarum, & dens petræ hinc, & dens petræ hinc: Nomen vni Baſes, & nomen alteri Senna.
5 Via vna ab Aquilone venienti Machmas, & via altera ab Auſtro venienti Gabae.
6 Et dixit Ionathan ad puerum portantem vaſa ipſius: veni, tranſeamus ad Meſſab incircumciſorum horum: ſiquid faciat Dominus nobis, quoniam non eſt Domino reſtrictum ſaluare in multis, vel in paucis.
7 Et dixit ei ille, qui portabat vaſa eius: fac omne, quodcumque cor tuum inclinauerit, ecce ego tecum, ſicut cor tuum, cor meum. 8 Et dixit Ionathan: Ecce nos tranſimus ad viros, & deuoluemur ad eos. 9 Si hæc dixerint ad nos, recedite illic, donec annunciemus vobis, & ſtabimus ſuper nos ipſos, & non aſcendemus ad eos. 10 Si autem dixerint ad nos, aſcendite ad nos, & aſcendemus, quoniam tradidit eos Dominus in manus noſtras: hoc nobis ſignum. 11 Et intrarunt vtrique in Meſſab alienigenarum, & dicunt alienigenæ: Ecce Hebræi egrediuntur è cauernis ſuis, vbi abſconditi erant illic. 12 Et reſponderunt viri Meſſab ad Ionathan, & ad eum, qui portabat vaſa eius, & dicunt: Aſcendite ad nos, & notum faciemus vobis verbum, & dixit Ionathan ad portantem vaſa ipſius: Aſcende poſt me, quoniam tradidit eos Dominus in manus Iſrael.

E:

## Vulgat. Editio.

13 Aſcendit autem Ionathas manibus & pedibus re-
ptans, & armiger eius poſt eum. Itaque alij cade-
bant ante Ionatham, alios armiger eius interficie-
bat ſequens eum.
14 Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Ionathas,
& armiger eius, quaſi viginti virorum in media
parte iugeri, quam par boum in die arare conſue-
uit.
15 Et factum eſt miraculum in caſtris, per agros: ſed &
omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad præ-
dandum, obſtupuit, & conturbata eſt terra: & accidit
quaſi miraculum à Deo.
16 Et reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Ga-
baa Beniamin, & ecce multitudo proſtrata, & huc il-
lucque diffugiens.
17 Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite,
& videte quis abierit ex nobis. Cumque requiſiſ-
ſent, repertum eſt non adeſſe Ionatham, & armige-
rum eius.
18 Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (E-
rat enim ibi arca Dei in die illa cum filijs Iſ-
rael.)
19 Cumque loqueretur Saul ad ſacerdotem, tumultus
magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum: cre-
ſcebatque paulatim, & clarius reſonabat. Et ait
Saul ad ſacerdotem: Contrahe manum tuam.
20 Conclamauit ergo Saul, & omnis populus, qui erat
cum eo, & venerunt vſque ad locum certaminis: &
ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proxi-
mum ſuum & cædes magna nimis.
21 Sed & Hebræi qui fuerant cum Philiſthijm heri &
nudiuſtertius, aſcenderantque cum eis in caſtris, re-
uerſi ſunt vt eſſent cum Iſrael, qui erant cum Saul
& Ionatha.
22 Omnes quoque Iſraelitæ, qui ſe abſconderant in
monte Ephraim, audientes quod fugiſſent Philiſthei,
ſociauerunt ſe cum ſuis in prælio. Et erant cum
Saul, quaſi decem millia virorum.
23 Et ſaluauit Dominus in die illa Iſrael: pugna autem
peruenit vſque ad Bethauen.
24 Et viri Iſrael ſociati ſunt ſibi in die illa: adiurauit
autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui
comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar
de inimicis meis. Et non manducauit vniuerſus po-
pulus panem:
25 Omneque terræ vulgus venit in ſaltum, in quo erat
mel ſuper faciem agri.

In-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et aſcendit Ionathan manibus ſuis, & pedibus ſuis & armiger eius poſt eum, & ceciderunt coram Ionathan, & armigero eius interficiente poſt eum.*
14 *Et fuit plaga prima, qua percuſſit Ionathan, & armiger eius fere viginti virorum, fere in medio iugeris in agro.*
15 *Et fuit pauor in caſtris, & in agro, & in omni populo, præfectus & vaſtator expauerunt etiam ipſi, & commota eſt terra, & fuit in pauore grandi.*
16 *Et reſpexerunt ſpeculatores Saul in Gibhhah Biniamin, & ecce multitudo diſſoluebatur, & abibat, & frangebatur.*
17 *Dixitque Saul ad populum qui erat ſecum: Numerate nunc, & videte, quis ierit ex nobis, & recenſuerunt, & ecce non erat Ionathan, & armiger eius.*
18 *Dixitque Saul ad Achijah: Applica arcam Dei, erat enim arca Dei in die illa cum filijs Iſrael.*
19 *Et fuit adhuc loquente Saul ad ſacerdotem, multitudo quæ erat in caſtris Peliſtim ibat eundo, & multiplicabatur: Dixitque Saul ad ſacerdotem: Recollige manum tuam.*
20 *Et congregatus eſt Saul, & omnis populus qui erat ſecum, & venerunt vſque ad prælium, & ecce erat gladius vniuſcuiuſque in proximum ſuum, contritio magna valde.*
21 *Et Hebræi, qui fuerant cum Peliſtæis ſicut heri & nudiuſtertius, qui aſcenderant cum eis in caſtra per circuitum, etiam ipſi reuerſi ſunt vt eſſent cum Iſrael, qui erant cum Saul, & Ionathan.*
22 *Et omnes viri Iſrael, qui abſconderant ſe in monte Ephraim, audierunt quod fugerent Peliſtim, & perſecuti ſunt etiam ipſi illos in prælio.*
23 *Et ſeruauit Dominus in die illa Iſrael: Bellatores autem tranſierunt Bethauen.*
24 *Et Iſrael coarctatus erat in die illa, & adiurauerat Saul populum dicendo: Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperam, vt vlciſcar de inimicis meis, & non guſtauit omnis populus panem.*
25 *Omnis autem populus terræ venerunt in ſiluam, eratque mel in ſuperficie agri.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et aſcendit Ionathan ſuper manus ſuas, & ſuper pedes ſuos, & portans vaſa eius cum eo, & inſpexerunt ad faciem Ionathan, & percuſſit eos, & portans vaſa eius procedebat poſt eum. 14 Et fuit plaga prima, quam percuſſit Ionathan, & portans vaſa eius, circiter viginti viri, in iaculis, & lapidum iactu, & ſilicibus campi. 15 Et factus eſt pauor in caſtris, & in agro, & vniuerſus populus, qui in Meſſab, & qui vaſtabant, obſtupuerunt, & ipſi nolebant facere, & obſtupuit terra, & factus eſt pauor à Domino. 16 Et viderunt ſpeculatores Saulis in Gabaa Beniamin, & ecce caſtra perturbata hinc, & hinc. 17 Et dixit Saul populo, qui cum ipſo: Recognoſcite nunc, & videte, quis iuit ex vobis, & recognouerunt, & ecce non inueniebatur Ionathan, & portans vaſa eius. 18 Et dixit Saul ad Achia: Applica Ephud, quoniam ipſe tulit Ephud in die illa coram Iſrael. 19 Et factum eſt, vt loquitur Saul ad ſacerdotem, & ſonus in caſtris alienigenarum pergebat pergens, & multiplicabatur, & dixit Saul ad ſacerdotem: Collige manus tuas. 20 Et aſcendit Saul, & omnis populus, qui cum eo, & veniunt vſque in prælium, & ecce factus eſt gladius viri ſuper proximum ſuū, confuſio magna valde. 21 Et ſerui, qui erant heri, & nudiuſtertius cum alienigenis, qui aſcenderant in caſtra, reuerterunt & ipſi eſſe cū Iſrael ipſi, qui cum Saul, & Ionathan. 22 Et omnis Iſrael, qui ſe abſconderant in monte Ephræm, & audierunt, quia fugerunt alienigenæ, & adhærent etiam ipſi poſt eos in prælium. 23 Et ſaluauit Dominus in die illa Iſrael, & prælium tranſijt ipſam Bamoth. 24 * Et omnis populus erat cum Saul, circiter decem millia virorum. * Et erat prælium diſperſum in totam ciuitatem in monte Ephræm, & Saul ignorauit ignorantiam magnam in die illa, & maledicto obſtringit populum, dicens: Maledictus homo, qui comedit panem vſque ad veſperam, & vlciſcar inimicum meum, & non guſtauit omnis populus panem, & vniuerſa terra prandebat. 25 Et Iaal Sylua erat apiarij ad faciem agri.

Hæc quæ clauduntur aſteriſcis reſpondent iis verbis quæ habentur in noſtra vulgata parte ſuperiori.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

26 Ingreſſus eſt itaque populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nulluſque applicuit manum ad os ſuum; timebat enim populus iuramentum.

27 Porro Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum: extenditque ſummitatem virgæ, quæ habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.

28 Reſpondenſque vnus de populo, ait: Iureiurando conſtrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. (defecerat autem populus)

29 Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidiſtis ipſi quia illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtauerim paululum de melle iſto:

30 Quanto magis ſi comediſſet populus de præda inimicorum ſuorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuiſſet in Philiſthijm?

31 Percuſſerunt ergo in die illa Philiſthæos à Machmis vſque in Aialon. Defatigatus eſt autem populus nimis:

32 Et verſus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum ſanguine.

33 Nunciauerunt autem Sauli dicentes quod populus peccaſſet Domino, comedens cum ſanguine. Qui ait: Præuaricati eſtis: voluite ad me iam nunc ſaxum grande.

34 Et dixit Saul: Diſpergimini in vulgus, & dicite eis vt adducat ad me vnuſquiſque bouem ſuum & arietem occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine. Adduxit itaque omnis populus vnuſquiſque bouem in manu ſua vſque ad noctem: & occiderunt ibi.

35 Ædificauit autem Saul altare Domino; tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.

36 Et dixit Saul: Irruamus ſuper Philiſthæos nocte, & vaſtemus eos vſquedum illuceſcat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait ſacerdos: Accedamus huc ad Deum.

37 Et conſuluit Saul Dominum: Num perſequar Philiſthijm? ſi trades eos in manus Iſrael? Et non reſpondit ei in die illa.

38 Dixitque Saul: Applicate huc vniuerſos angulos populi: & ſcitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.

Vi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et ingreſſus eſt populus in ſiluam, & ecce decurrebat mel, & non attingere fecit manum ſuam ad os ſuū: Timebat enim populus iuramentum.*

27 *Ionathan autem non audierat, quando adiurauit pater ſuus populum, miſitque extremitatem virgæ quæ erat in manu ſua, & intinxit illam in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.*

28 *Et reſpondit vir de populo, & dixit: Adiurando adiurauit pater tuus populum dicendo: Maledictus vir qui comederit panem hodie, & defecit populus.*

29 *Dixitque Ionathan: Turbauit pater meus populum terræ, videte nunc quod illuminati ſunt oculi mei, quia guſtaui paululum mellis huius.*

30 *Quanto magis ſi comedendo comediſſet hodie populus de ſpolijs inimicorum ſuorum quæ reperit nunc, nonne creuiſſet plaga in Peliſtim?*

31 *Et percuſſerunt in die illa Peliſtim à Michmas vſque ad Aialon, & fatigatus eſt populus valde.*

32 *Et diuertit populus ad ſpolia, & tulerunt oues, & boues, & filios boum, & mactauerunt in terra, comeditque populus cum ſanguine.*

33 *Et nunciauerunt Saul dicendo: Ecce populus peccant Domino comedendo cum ſanguine, & dixit: Præuaricati eſtis, voluite ad me hodie lapidem magnum.*

34 *Dixitque Saul: Diſpergimini in populum, & dicetis eis: Afferte ad me vnuſquiſque pecus ſuum, & mactabitis hic, & veſcemini, & non peccabitis Domino comedendo cum ſanguine, & attulerunt omnis populus vnuſquiſque bouem ſuum in manu ſua in nocte, & mactauerunt ibi.*

35 *Et ædificauit Saul altare Domino, illud cœpit ædificare altare Domino.*

36 *Dixitque Saul: Deſcendamus poſt Peliſtim in nocte & deprædemur eos, donec illuceſcat mane, & non relinquamus ex eis virum, & dixerunt: Omne quod bonum eſt in oculis tuis fac: Dixitque ſacerdos: Accedamus hic ad Deum.*

37 *Et conſuluit Saul Deum: num deſcendam poſt Peliſtim? num trades eos in manu Iſrael? & non reſpondit ei in die illa.*

38 *Dixitque Saul: Accedite huc omnes anguli populi, & ſcitote, & videte in quo ſit peccatum hoc hodie.*

*Vi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et intrauit populus in apiarium, & ecce ibat dicens: Et ecce non fuit conuertens manum ſuam ad os ſuum,
quoniam timuit populus iuramentum Domini. 27 Et Ionathan non audierat, cum adiuraret pater eius po-
pulum, & extendit ſummitatem ſceptri ſui, quod in manu ſua, & tinxit illam in fauo mellis, & conuertit manum
ſuam ad os ſuum, & ſuſpexerunt oculi eius. 28 Et reſpondit vnus de populo, & dixit: Adiurans adiurauit
populum pater tuus, dicens: Maledictus homo, qui comedet panem hodie, & defecit populus. 29 Et co-
gnouit Ionathan, & dixit: Perturbauit pater meus terram, vide, quia viderunt oculi mei, quoniam guſtaui breue
quid de melle hoc. 30 Vtinam comediſſet comedens hodie populus de ſpolijs inimicorum ſuorum, quæ in-
uenit, quoniam nunc maior fuiſſet plaga in alienigenis. 31 Et percuſſit in die illa de alienigenis in Mach-
mas, & laborauit populus valde. 32 Et diuertit populus ad ſpolia, & cepit populus greges, & armenta boum,
& filios boum, & iugulauit ſuper terram, & comedit populus cum ſanguine. 33 Et annunciatum eſt Saul,
dicentes: Peccauit populus Domino, comedens cum ſanguine, & dixit Saul: De Getthæm, voluite mihi lapidem
huc magnum. 34 Et dixit Saul: Diſpergimini in populum, & dicite eis, vt adducat huc vnuſquiſque vitu-
lum ſuum, & vnuſquiſque ouem ſuam, & iugulet ſuper hunc, & non peccetis Domino, comedendo cum ſangui-
ne, & adduxit populus, vnuſquiſque, quod in manu ſua & iugularunt ibi. 35 Et ædificauit ibi Saul altare
Domino: iſtud cepit Saul ædificare altare Domino. 36 Et dixit Saul: Deſcendemus poſt alienigenas nocte,
& deprædemur in eis, donec illuceſcat dies, & non relinquamus in eis virum, & dixerunt: Omne, quod bonum
coram te, fac, & dixit ſacerdos: Accedamus huc ad Deum: 37 Et interrogauit Saul Deum, ſi de-
ſcendero poſt alienigenas, ſi trades eos in manus Iſrael? & non reſpondit ei in die illa. 38 Et dixit Saul:
Adducite huc omnes angulos Iſrael, & cognoſcite, & videte, in quo factum eſt peccatum hoc hodie.

Quo-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

39 Viuit Dominus ſaluator Iſrael, quia ſi per Ionatham filium meum ſactum eſt, abſque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

40 Et ait ad vniuerſum Iſrael: Separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Reſponditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

41 Et dixit Saul ad Dominum Deum Iſrael: Domine Deus Iſrael da indicium: quid eſt quod non reſponderis ſeruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi hæc iniquitas eſt in populo tuo, da ſanctitatem. Et deprehenſus eſt Ionathas & Saul: populus autem exiuit.

42 Et ait Saul: Mittite ſortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus eſt Ionathas.

43 Dixit autem Saul ad Ionathan: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait: Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior,

44 Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.

45 Dixitque populus ad Saul: Ergone Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? hoc nefas eſt: viuit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus eſt hodie. Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.

46 Receſſitque Saul, nec perſecutus eſt Philiſthijm: porro Philiſthijm abierunt in loca ſua.

47 Et Saul, confirmato regno ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum aduerſum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philiſthæos: & quocumque ſe verterat, ſuperabat.

48 Congregatoque exercitu, percuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu vaſtatorum eius.

49 Fuerunt autem filij Saul, Ionathas & Ieſſui, & Melchiſua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

50 Et nomen vxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: & nomé principis militiæ eius Abner, filius Ner, patruelis Saul.

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

39 *Viuit enim Dominus qui ſaluat Iſrael, quia ſi fuerit illud in Ionathan filio meo, quia moriendo morietur, & non reſpondit ei quiſpiam ex omni populo.*

40 *Dixitque ad vniuerſum Iſrael: Vos eritis in latere vno, ego autem, & Ionathan filius meus erimus in latere altero, dixeruntque populus ad Saul: Quod bonum eſt in oculis tuis fac.*

41 *Dixit autem Saul ad Dominum Deum Iſrael: Da perfectionem & deprehenſus eſt Ionathan, & Saul: Populus autem egreſſi ſunt.*

42 *Dixitque Saul: Cadere facite inter me, & Ionathan filium meum, & deprehenſus eſt Ionathan*

43 *Dixitque Saul ad Ionathan indica mihi quid feceris, & indicauit ei Ionathan, & ait: Guſtando guſtaui cum ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, ecce ego moriar?*

44 *Dixitque Saul: Sic faciat mihi Deus, & ſic addat, quia moriendo morieris Ionathan.*

45 *Dixitque populus ad Saul: Numquid Ionathan morietur, qui fecit ſalutem magnam hanc in Iſrael? Abſit. Viuit Dominus ſi ceciderit de capillo capitis eius in terram, quia cum Deo fecit die hac: & redemerunt populus Ionathan, & non eſt mortuus.*

46 *Et aſcendit Saul à Peliſtim: Peliſtim autem abierunt in locum ſuum.*

47 *Saul autem cepit regnum ſuper Iſrael, & pugnauit per circuitum contra omnes inimicos ſuos contra Moab, & contra filios Hammon, & contra Edom, & contra reges Sobah, & contra Peliſtim, & in omnibus ad quæ ſe vertebat viriliter agebat.*

48 *Et congregauit exercitum, & percuſſit Hamalech, & eruit Iſrael de manu diripientis eum.*

49 *Fuerunt autem filij Saul Ionathan, & Iſui, & Malchiſuah: nomen autem duarum filiarum eius, primogenitæ quidem Merab, nomen autem minoris Michal.*

50 *Nomen vero vxoris Saul Achinoham filia Achimahas: nomen autem principis militiæ eius Abiner filius Ner patrui Saul.*

*Chis*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

39 Quoniam viuit Dominus, qui ſaluauit Iſrael, quia ſi reſponderit contra Ionathan filium meum, morte morie-
tur, & non erat reſpondens de omni populo. 40 Et dixit omni viro Iſrael: Vos eritis in ſeruitutem, & ego &
Ionathan filius meus erimus in ſeruitutem, & dixit populus ad Saul: Quod bonum coram te, fac. 41 Et di-
xit Saul: Domine Deus Iſrael, quid, quod non reſpondiſti ſeruo tuo hodie? Si in me, vel in Ionathan filio meo in-
iuſtitia, Domine Deus Iſrael da manifeſtationes, & ſi hæc dixerit, da nunc populo tuo Iſrael, da nunc ſanctitatem,
& ſorte capitur Ionathan, & Saul, & populus egreſſus eſt. 42 Et dixit Saul: Iacite inter me, & inter Ionathan
filium meum, quemcumque ſorte ceperit Dominus: moriatur, & dixit populus ad Saul: Non eſt verbum hoc, &
præualuit Saul populo, & iaciunt inter eum & inter Ionathan filium eius, & ſorte capitur Ionathan. 43 Et
dixit Saul ad Ionathan: Annuncia mihi, quid feciſti, & annunciauit ei Ionathan, & dixit: Guſtans guſtaui in ſum-
mo ſceptro quod in manu mea, breue mel, & ecce ego morior. 44 Et dixit ei Saul: Hæc faciat mihi Deus,
& hæc adijciat, quia morte morietur hodie. 45 Et dixit populus ad Saul: Si hodie morti tradetur, qui fecit
ſalutem magnam hanc in Iſrael? viuit Dominus, ſi cadet capillus de capite eius ſuper terram, quoniam populus
Dei fecit diem hanc, & orauit populus pro Ionathan in die illa, & non eſt mortuus. 46 Et aſcendit Saul à
poſt alienigenas, & alienigenæ abierunt ad locum ſuum. 47 Et Saul ſorte cepit regnare, ſorte capit opus ſu-
per Iſrael, & oppugnabat in circuitu omnes inimicos ſuos in Moab, & in filios Ammon, & in filios Edom, & in Be-
theor, & in regem Suba, & in alienigenas, quocumque ſe vertebat, ſaluabatur. 48 Et fecit virtutem, & per-
cuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu conculcantium eum. 49 Et fuerunt filij Saulis Ionathan, & Ieſſiu, &
Melchiſa, & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen ſecundæ Melchol. 50 Et no-
men vxori eius Achinoõ filia Achimaas, & nomé principis militiæ eius Abenner filius Ner, filij propinqui Saul.

Et Cis

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

51 Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel.
52 Erat autem bellum potens aduerſum Philiſthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi.

### CAP. XV.

1 ET dixit Samuel ad Saul: Me miſit Dominus, vt vngerem te in regem ſuper populum eius Iſrael: nunc ergo audi vocem Domini:
2 Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli * quomodo reſtitit ei in via cum aſcenderet de Ægypto.

*Exo. 17. b

3 Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.
4 Præcepit itaque Saul populo, & recenſuit eos quaſi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.
5 Cumque veniſſet Saul vſque ad ciuitatem Amalec, tetendit inſidias in torrente.
6 Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec: ne forte inuoluam te cum eo: tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filijs Iſrael, cum aſcenderent de Ægypto. Et receſſit Cinæus de medio Amalec.
7 Percuſſitque Saul Amalec ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ eſt e regione Ægypti.
8 Et apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.
9 Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium: & armentorum, & veſtibus & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid vero vile fuit & reprobum, hoc demoliti ſunt.
10 Factum eſt autem verbum Domini ad Samuel, dicens:
11 Pœnitet me quod conſtituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contriſtatuſque eſt Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

51 *Chis autem pater Saul, & Ner pater Abner filius erat Abiel.*
52 *Fuit autem bellum forte contra Peliſtim omnibus diebus Saul, & vidit Saul omnem virum potentem, & omnem filium robuſtum, & aggregauit eum ſibi.*

### CAP. XV.

1 *DIxit autem Semuel ad Saul: Me miſit Dominus vt vngerem te regem ſuper populum ſuum ſuper Iſrael, & nunc audi vocem verborum Domini.*
2 *Sic dicit Dominus exercituum: Recordatus ſum eorum quæ fecit Hamalec ipſi Iſrael, inſidiarum quas illi poſuit in via, quando aſcendebat ex Ægypto.*
3 *Nunc vade, & percute Hamalec, & perdetis omnia quæ ſunt ei, & non parces ei, ſed interficies à viro vſque ad mulierem, à paruulo vſque ad lactentem, & à boue vſque ad agnum, à camelo vſque ad aſinum.*
4 *Et congregauit Saul populum, & numerauit eos in Thelaim ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iehudah.*
5 *Et venit Saul vſque ad ciuitatem Hamalec, & certauit in valle.*
6 *Dixitque Saul ad Chinæum: Ite, recedite, deſcendite de medio Hamalechitarum, ne forte diſperdam te cum eo, & tu feciſti miſericordiam cum omnibus filijs Iſrael, quando aſcenderunt ex Ægypto, & receſſit Chinæus de medio Hamalec.*
7 *Et percuſſit Saul Hamalec à Chauilah veniente te in Sur quæ eſt contra faciem Ægypti.*
8 *Cepitque Aghag regem Hamalec viuum, & omnem populum interfecit acie gladij.*
9 *Et pepercit Saul, & populus ipſi Agag, & bonis pecoribus, & bobus, & pinguibus, & agnis, & omne quod bonum erat, & noluerunt perdere ea: quicquid autem erat contemptibile & diſſolutum illud perdiderunt.*
10 *Fuit autem verbum Domini ad Semuel, dicendo:*
11 *Pœnitet me quod conſtituerim Saul regem, quia auerſus eſt à me, & verba mea non confirmauit, & iratus eſt contra Semuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

51 Et Cis pater Saul, & Ner pater Abenner filius Iamin filij Abiel. 52 Et fuit bellum validum ſuper alienigenas omnibus diebus Saul, & videns Saul omnem virum potentem, & omnem virum filium virtutis, & colligebat eos ad ſe.

### CAP. XV.

ET dixit Samuel ad Saul: Me miſit Dominus vngere te in regem ſuper Iſrael, & nunc audi vocem Domini.
2 Hæc dixit Dominus Sabaoth: Nunc vlciſcar, quæ fecit Amalec Iſraeli, vt occurrit ei in via aſcendente eo
ex Ægypto. 3 Et nunc vade, & percuties Amalec, & Hierim, & omnia, quæ eius & non reſeruabis ex eo, &
exterminabis eum, & anathemabis, & omnia, quæ eius, & non parces ab eo, & interficies à viro, & vſque ad mulierem, & ab infante vſque ad lactentem, & à vitulo vſque ad ouem, & à camelo vſque ad aſinum. 4 Et con-
dixit Saul populo: & recenſet eos in Galgalis quadringenta millia ordinum, & Iudam triginta millia ordinum.
5 Et venit Saul vſque ad ciuitates Amalec, & tetendit inſidias in torrente. 6 Et dixit Saul ad Cinæum:
Abi, & declina de medio Amalecitæ, ne addam te cum eo, & tu feciſti miſericordiam cum filijs Iſrael in aſcendendo ipſos ex Ægypto, & declinauit Cinæus de medio Amalec. 7 Et percuſſit Saul Amalec ab Euilat vſque Sur ſuper faciem Ægypti. 8 Et cepit Agag regem Amalec viuum, & omnem populum, &
Hierim interfecit in ore gladij: 9 Et reſeruauit Saul, & omnis populus ipſum Agag viuum, &
optima gregum, & armentorum, & ferculorum, & vinearum, & omnium bonorum, & noluerunt exterminare ea, &
omne opus vile, & contemptum exterminarunt. 10 Et factum eſt verbum Domini ad Samuel
dicens: 11 Reuocaui me, quia regnare feci Saul in regem, quoniam auertit ſe à poſt me, & verba
mea non ſeruauit, & triſtatus eſt Samuel, & clamauit ad Dominum totam noctem.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Cumq; de nocte ſurrexiſſet Samuel, vt iret ad Saul mane, nunciatum eſt Samueli eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem,& reuerſus tranſiſſet,deſcendiſſetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocauſtum Domino de initijs prædarum,quæ attulerat ex Amalec.

13 Et cum veniſſet Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.

14 Dixitque Samuel: Et quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis,& armentorum, quam ego audio?

15 Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus.

16 Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.

17 Et ait Samuel: Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrael,

18 Et miſit te Dominus in viam,& ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vſque ad internecionem eorum.

19 Quare ergo non audiſti vocem Domini: ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?

20 Et ait Saul ad Samuelem: Immo audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.

21 Tulit autem de præda populus oues, & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis.

22 Et ait Samuel: * Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? MELIOR eſt enim obedientia quam victimæ: & auſcultare magis quam offerre adipem arietum.

* Eccl. 4. 17. Oſee 6. 6. Matt. 9. 13 & 12. 7.

23 Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis rex.

24 Dixitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini,& verba tua, timens populum,& obediens voci eorum.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et ſurrexit Semuel in occurſum Saul mane: nunciatumque fuit ipſi Semuel dicendo: Venit Saul in Carmel, & ecce conſtituit ſibi locum & circuiuit, & tranſiuit, deſcenditque in Ghilghal.*

13 *Venitque Semuel ad Saul, & dixit ei Saul: Benedictus tu à Domino: ſtatui verbum Domini.*

14 *Dixitque Semuel: Et quiſ eſt balatus pecorum horum in auribus meis, & mugitus boum quem ego audio?*

15 *Dixitque Saul: Ex Hamalechitis adduxerunt ea, quia pepercit populus bonis pecoribus, & bobus, vt ſacrificaret Domino Deo tuo: reſiduum verò perdidimus.*

16 *Dixitque Semuel ad Saul: Permitte, & indicabo tibi quæ locutus eſt Dominus mihi nocte. Dixitque ei: Loquere.*

17 *Dixitque Semuel: Nonne quum paruulus eſſes in oculis tuis, caput tribuum Iſrael fuiſti, vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrael?*

18 *Et miſit te Dominus per viam, dixitque tibi: Perde peccatores, Hamalec, & pugna contra eum, donec conſumant ipſi eos.*

19 *Et vt quid non paruiſti voci Domini, ſed diuertiſti ad ſpolia, & feciſti malum in oculis Domini?*

20 *Dixitque Saul ad Semuel: immo obtemperaui voci Domini, & ambulaui per viam per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Hamalec, & Hamalec perdidi.*

21 *Tulit autem populus de ſpolijs pecorum, & boum, de optimis eorum quæ perdenda erant ad immolandum Domino Deo tuo in Ghilghal.*

22 *Dixit autem Semuel: Numquid voluntas Domini eſt in holocauſtis, & victimis, vt in obtemperando voci Domini? ECCE parere quam ſacrificium melius eſt, auſcultare, quam adeps arietum.*

23 *Quia peccatum diuinationis eſt rebellio, & idolum, & Teraphim tranſgredi: pro eo quod contempſiſti verbum Domini, abiecit te ne ſis rex.*

24 *Dixitque Saul ad Semuel: Peccaui, quia tranſgreſſus ſum ſermonem Domini, & verbum tuum: nam timui populum, & parui voci eorum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et diluculo ſurrexit Samuel,& iuit in occurſum Iſrael mane,& annunciatum eſt ipſi Saul dicentes: Venit Sa-
muel in Carmelum,& conſtituit ſibi manum,& conuertit currum,& deſcendit in Galgala ad Saul,& ecce ipſe of-
ferebat holocauſtoſin Domino, prima ſpoliorum, quæ tulit ex Amalec. 13 Et aduenit Samuel ad Saul,
& dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, firmaui omnia, quæcumque locutus eſt Dominus. 14 Et di-
xit Samuel: Et quæ eſt vox gregis huius in auribus meis,& vox boum, quam ego audio? 15 Et dixit
Saul: Ex Amalec tuli ea, quæ reſeruauit populus optima gregis,& boum, vt ſacrificentur Domino Deo tuo,& re-
liqua exterminaui. 16 Et dixit Samuel ad Saul: Permitte,& annunciabo tibi, quæ locutus eſt Domi-
nus ad me nocte,& dixit ei: Loquere. 17 Et dixit Samuel ad Saul: Nonne paruus es tu coram te ipſo
dux ſceptri tribus Iſrael? & vnxit te Dominus in regem ſuper Iſrael. 18 Et miſit te in viam,& dixit tibi:
Vade,& extermina, deſtrues peccantes in me, ipſum Amalec,& oppugnabis eos, donec conſummaueris eos.
19 Et quid non audiſti vocem Domini, ſed irruiſti ad ponendum ſuper ſpolia,& feciſti malum coram Domino?
20 Et dixit Saul ad Samuel: Propterea quod ego audiui vocem populi,& iui via, qua miſit me Dominus, & ad-
duxi Agag regem Amalec,& ipſum Amalec exterminaui. 21 Et ſumpſit populus de ſpolijs greges,&
armenta prima exterminationis, ad ſacrificandum coram Domino Deo noſtro in Galgalis. 22 Et dixit Sa-
muel: Si volitum Domino holocauſtomata,& ſacrificia, ſicut audire vocem Domini? ECCE auditio ſuper ſa-
crificium bonum,& obedientia ſuper adipem arietum: 23 Quoniam peccatum augurium eſt, dolo-
rem,& labores Theraphin inducunt: quia ſpreuiſti verbum Domini,& ſpernet te Dominus, ne ſis rex ſuper
Iſrael. 24 Et dixit Saul ad Samuel: Peccaui, quoniam tranſgreſſus ſum verbum Domini,& ver-
bum tuum, quoniam timui populum,& audiui vocem eorum.

## Vulgat. Editio.

25 Sed nunc porta, quæſo, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.
26 Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus ne ſis rex ſuper Iſrael.
27 Et conuerſus eſt Samuel vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt.
28 Et ait ad eum Samuel: * Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

* Infr. 28. 17.

29 Porro Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam.
30 At ille ait: Peccaui ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.
31 Reuerſus ergo Samuel ſecutus eſt Saulem: & adorauit Saul Dominum.
32 Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine ſeparat amara mors?
33 Et ait Samuel: Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in fruſtra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.
34 Abijt autem Samuel in Ramatha: Saul vero aſcendit in domum ſuam in Gabaa.
35 Et non vidit Samuel vltra Saul vſque ad diem mortis ſuæ: verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod conſtituiſſet eum regem ſuper Iſrael.

### CAP. XVI.

1 Dixitque Dominus ad Samuelem: Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem.
2 Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.
3 Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monſtrauero tibi.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et nunc parce obſecro peccato meo, & reuertere mecum, & incuruabo me Domino.*
26 *Dixitque Semuel ad Saul: Non reuertar tecum: quia proiecisti verbum Domini, proiecit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael.*
27 *Et vertit ſe Semuel, vt iret, & tenuit oram pallij eius, & ſcidit ſe.*
28 *Dixitque ad eum Semuel: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit proximo tuo meliori te.*
29 *Et etiam Fortitudo Iſrael non mentietur, nec pœnitebit: non enim homo eſt, vt pœniteat.*
30 *Et dixit: Peccaui: nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael & reuertere mecum, & incuruabo me Domino Deo tuo.*
31 *Et reuerſus eſt Semuel poſt Saul, & incuruauit ſe Saul Domino.*
32 *Dixit autem Semuel: Facite appropinquare mihi Aghagh regem Hamalec, & iuit ad eum Aghagh delicatè: Dixitque Aghagh: Vere venit amaritudo mortis.*
33 *Dixitque Semuel: Quemadmodum orbauit mulieres gladius tuus, ſic orbabitur præ mulieribus mater tua, & ſcindere fecit Semuel Aghagh coram Domino in Ghibhah.*
34 *Abijt autem Semuel in Ramah: Saul vero aſcendit in domum ſuam in Ghibhah Saul.*
35 *Et non addidit Semuel, vt videret Saul vſque ad diem quo mortuus eſt: ſed luxit Semuel ſuper Saul: Dominum autem pœnituit, quod regnare feciſſet Saul ſuper Iſrael.*

### CAP. XVI.

1 *Dixit autem Dominus ad Semuel: Vſquequo tu luges ſuper Saul, & ego reprobaui eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Iſai Bethlamitam: prouidi enim de filijs eius mihi regem.*
2 *Dixitque Semuel: Quomodo vadam? Audiet Saul, & interficiet me: dixitque Dominus: Vitulam boum tolles in manu tua, dicesque: Ad immolandum Domino veni.*
3 *Et inuitabis Iſai ad victimam, & ego ſcire faciam te quid facturus ſis: vngeſque mihi, quem dixero tibi.*

Fe-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et nunc tolle, quæſo, peccatum meum, & reuerte mecum, & adorabo Dominum Deum tuum. 26 Et dixit Samuel ad Saul: Non reuertor tecum, qui ſpreuiſti verbum Domini, & ſpernet te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael. 27 Et conuertit Samuel faciem ſuam, vt abiret, & tenuit Saul pinnulam diploidis eius, & dirupit eam. 28 Et dixit ad eum Samuel: Dirupit Dominus regnum tuum ab Iſrael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo bono ſuper te. 29 Et diuidetur Iſrael in duo, & non auertet, neque pœnitebit eum, quoniam non eſt, ſicut homo, vt pœniteat eum. 30 Et dixit Saul: Peccaui: ſed glorifica me nunc coram ſenioribus Iſrael, & coram populo meo, & reuerte mecum, & adorabo Dominum Deum tuum. 31 Et reuertit Samuel poſt Saul, & adorauit Dominum. 32 Et dixit Samuel: Adducite mihi Agag regem Amalec, & aduenit ad eum Agag tremens, & dixit Agag: ſi ſic amara mors. 33 Et dixit Samuel ad Agag: Sicut liberis orbauit mulieres gladius tuus, ſic filijs orbabitur ex mulieribus mater tua, & iugulauit Samuel Agag coram Domino in Galgal. 34 Et abijt Samuel in Armathæm, & Saul aſcendit in domum ſuam in Gabaa. 35 Et non adiecit vltra Samuel videre Saul vſque ad diem mortis eius, quoniam lugebat Samuel ſuper Saul, & Dominum pœnituerat, quia fecerat regem Saul ſuper Iſrael.

### CAP. XVI.

ET dixit Dominus ad Samuel: Vſque quo tu luges ſuper Saul, & ego ſpreui eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Ieſſæ vſque Bethleem, quia vidi in filijs eius mihi regem.
2 Et dixit Samuel: Quomodo ibo? & audiet Saul, & interficiet me, & dixit Dominus: Vitulam boum cape in manu tua, & dices: Ad ſacrificandum Domino venio. 3 Et vocabis Ieſſæ ad ſacrificium, & nota faciam tibi, quæ facies, & vnges, quemcumque dixero ad te.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

4 Fecit ergo Samuel, ſicut locutus eſt ei Dominus. Venitque in Bethlehem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificuſne eſt egreſſus tuus?

5 Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Iſai & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium.

6 Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius?

7 Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, * Dominus autem intuetur cor.

* Pſ.7.10.

8 Et vocauit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

9 Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.

10 Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis.

11 Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus prius quam huc ille veniat.

12 Miſit ergo, & adduxit eum. Erat autem ruſus, & pulcher aſpectu, decoraque facie: & ait Dominus: Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.

13 Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & * directus eſt Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: ſurgenſque Samuel abijt in Ramatha.

* 2.Reg.7.8. Pſal.77.76. 88.21. Act.7.46. 13.26.

14 Spiritus autem Domini receſſit à Saul & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino.

15 Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.

16 Iubeat dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.

17 Et ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 Fecitque Semuel quod locutus eſt Dominus, & venit in Bethlechem: & mouerunt ſe ſeniores ciuitatis in occurſum eius, & dixerunt: Pacificus ne eſt ingreſſus tuus?

5 Et dixit: Pacificus: Ad immolandum Domino veni, ſanctificate vos, & venite mecum ad victimam: & ſanctificauit Iſai, & filios eius, inuitauit que eos ad victimam.

6 Et fuit, cum veniſſent vidit Eliab, & dixit: Certe coram Domino eſt Chriſtus eius.

7 Dixit autem Dominus ad Semuel: Ne reſpicias ad aſpectum eius, & ad altitudinem ſtaturæ eius, quia reprobaui eum: quia non quod videt homo: homo enim videt quæ ſunt præ oculis, & Dominus videt quæ ſunt in corde.

8 Et vocauit Iſai Abinadab, & tranſire fecit eum coram Semuel, & dixit: Etiam hunc non elegit Dominus.

9 Et tranſire fecit Iſai Sammah, & dixit: Etiam hunc non elegit Dominus.

10 Et tranſire fecit Iſai ſeptem filios ſuos coram Semuel: dixitque Semuel ad Iſai: Non elegit Dominus hos.

11 Dixitque Semuel ad Iſai: Sunt ne finiti pueri? & dixit: Adhuc remanſit minor, & ecce paſcit pecudes. & dixit Semuel ad Iſai: Mitte, & tolle eum: non enim diſcumbemus, donec veniat huc.

12 Miſitque, & venire fecit eum: ipſe autem erat rubens, & pulcher oculis, & decorus viſu: dixit autem Dominus: Surge, vnge eum, quia hic eſt.

13 Tulitque Semuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum ſuorum, & manſit ſpiritus Domini ſuper Dauid à die illa, & ſupra: ſurrexitque Semuel, & abijt in Ramah.

14 Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & terruit eum ſpiritus malus à Domino.

15 Dixerunt autem ſerui Saul ad eum: ecce nunc ſpiritus Dei malus terret te.

16 Dicat quæſo Dominus noſter, & ſerui tui qui ſunt coram te quærent virum ſcientem pſallere in cithara, & erit, cum fuerit ſuper te ſpiritus Dei malus, pſallet manu ſua, & bene erit tibi.

17 Dixit autem Saul ſeruis ſuis: Prouidete quæſo mihi virum bene ſcientem pſallere, & adducite mihi.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et fecit Samuel omnia, quæ locutus eſt Dominus ei, & venit in Bethleem, & expauerunt ſeniores ciuitatis occurſui eius, & dixerunt: Si pax introitus tuus ò videns? 5 Et dixit: Pax: Ad ſacrificandum Domino venio: ſanctificamini, & lætamini mecum hodie: & ſanctificauit ipſum Ieſſæ, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. 6 Et factum eſt, cum illi ingrederentur, & vidit Eliab, & dixit: At enim coram Domino Chriſtus eius. 7 Et dixit Dominus ad Samuel: Ne reſpexeris in aſpectu eius, neque in habitum magnitudinis eius, quoniam ſpreui eum, quoniam non, ſicut inſpiciet homo, aſpiciet Deus, quoniam homo aſpiciet in faciem: Deus autem aſpiciet ad cor. 8 Et Ieſſæ vocauit Aminadab, & tranſijt ad faciem: Samuel, & dixit: Neque hunc elegit Deus. 9 Et Ieſſæ adduxit Sama, & dixit: & in hoc non elegit Dominus. 10 Et adduxit Ieſſæ ſeptem filios ſuos coram Samuel, & dixit Samuel: Non elegit Dominus in his. 11 Et dixit Samuel ad Ieſſæ: Defecerunt filij? & dixit: Adhuc paruus ecce paſcit in gregem, & dixit Samuel ad Ieſſę: Mitte & ſume eum, quoniam non diſcumbemus, quoadusque ille venerit. 12 Et miſit, & introduxit eum, & ipſe ruffus cum pulchritudine oculorum, & bonus aſpectu Domino, & dixit Dominus ad Samuel: Surge, & vnge Dauid, quoniam hic eſt bonus. 13 Et ſumpſit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & inſilijt ſpiritus Domini ſuper Dauid à die illa, & ſupra, & ſurrexit Samuel, & abijt in Armathaim. 14 Et ſpiritus Domini diſceſſit à Saul, & ſuffocabat eum ſpiritus malignus à Domino. 15 Et dixerunt pueri Saul ad eum: Ecce nunc ſpiritus Domini malignus ſuffocat te. 16 Dicant nunc ſerui tui coram te, & quærant domino noſtro virum ſcientem pſallere in cithara, & erit in exiſtendo ſpiritum malignum ſuper te, & pſallet in cithara ſua, & bonum tibi erit, & requieſcere te faciet. 17 Et dixit Saul ad pueros ſuos: Videte nunc mihi virum recte pſallentem, & introducite eum ad me.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Et reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo.

19 Miſit ergo Saul nuncios ad Iſai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.

20 Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenã vini, & hœdum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.

21 Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.

22 Miſitque Saul ad Iſai, dicens: Stet Dauid in conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

23 Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat recedebat enim ab eo ſpiritus malus.

### CAP. XVII.

1 Congregantes autem Philiſthijm agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudææ: & caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca in finibus Dommim.

2 Porro Saul & filij Iſrael congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthijm.

3 Et Philiſthijm ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſupra montem ex altera parte: valliſque erat inter eos.

4 Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi:

5 Et caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamata induebatur: porrò pondus loricæ eius, quinque millia ſiclorum æris erat:

6 Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius.

7 Haſtile autem haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium: ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum.

8 Stanſque clamabat aduerſum phalangas Iſrael, & dicebat eis: Quare veniſtis parati ad prælium? Numquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen.

Si

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et reſpondit vnus è ſeruis, & dixit: Ecce vidi filium ipſi Iſai Bethlachmita, ſcientem pſallere, & potentem robore, virumque bellicoſum & prudentem, & virum formoſum, & Dominus eſt cum eo.*

19 *Miſitque Saul nuncios ad Iſai, & dixit: Mitte ad me Dauid filium tuum qui eſt cum pecoribus.*

20 *Tulitque Iſai aſinum ferentem panem, & vtrem vini, & hœdum caprarum vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui ad Saul.*

21 *Venitque Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: & dilexit eum valde, fuitque ei armiger.*

22 *Miſit autem Saul ad Iſai dicendo: Stet obſecro Dauid coram me, quia inuenit gratiam in oculis meis.*

23 *Et fuit, cum eſſet ſpiritus Dei ſuper Saul, tollebat Dauid citharam, & pſallebat manu ſua, & refrigerium erat ipſi Saul, & bene erat ei, recedebatque ab eo ſpiritus malus.*

### CAP. XVII.

1 *Congregauerunt autem Poliſtim caſtra ſua ad prælium, & congregati in Sochoh quæ erat in Iehudah & caſtrametati ſunt inter Sochoh Hazecah in termino Dammim.*

2 *Saul autem, & viri Iſrael congregati ſunt in valle Elah, & diſpoſuerunt bellum in occurſum Peliſtim.*

3 *Peliſtim autem ſtabant ſuper monte hinc, & Iſrael ſtabant ſuper monte inde: vallis autem erat inter eos.*

4 *Et egreſſus eſt vir ſtans inter duas acies de caſtris Peliſtim Gh°liath nomen eius de Ghath: Altitudo eius ſex cubitorum & palmi.*

5 *Et galea ærea ſuper caput eius, & loricam ſquamoſam induebatur pondus autem loricæ quinque millium ſiclorum æris erat.*

6 *Et lamina ærea in pedibus, & clypeus æreus inter humeros eius.*

7 *Haſtile autem lanceæ eius tamquam liciatorium texentium, & ferrum lanceæ eius erat ſexcentorum ſiclorum ferri: ferens autem ſcutum pergebat ante eum.*

8 *Et ſtetit, & clamauit ad acies Iſrael: dixitque eis: Vt quid egreſſi eſtis ad parandum prælium? nonne ego Peliſtæus ſum, & vos ſerui Saul? eligite vobis virum, & deſcendat ad me.*

*Si*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et reſpondit vnus puerorum eius, & dixit: Ecce vidi filium Ieſſæ Bethleemitem, & ipſum ſcientem pſalmum, & vir intelligens, & bellator, & ſapiens ſermone, & vir bonus ſpecie, & Dominus cum eo.
19 Et miſit Saul nuncios ad Ieſſæ, dicens: Mitte ad me filium tuum Dauid, qui in grege tuo.
20 Et ſumpſit Ieſſæ Gomor panum & vtrem vini, & hœdum caprarum vnum, & miſit in manu Dauid filij ſui ad Saul.
21 Et intrauit Dauid ad Saul & aſſiſtebat coram eo: & dilexit eum valde, & factus eſt ei portans vaſa eius.
22 Et miſit Saul ad Ieſſæ, dicens: Aſſiſtat nunc Dauid coram me, quoniam inuenit gratiam in oculis meis.
23 Et factum eſt, cum eſſet ſpiritus malignus ſuper Saul, & ſumebat Dauid citharam, & pſallebat in manu ſua, & refrigerabat Saul, & bonum ei, & diſcedebat ab eo ſpiritus malignus.

### CAP. XVII.

Et congregant alienigenæ caſtra ſua in bellum, & congregantur in Socchoth Iudææ, & caſtrametantur inter Socchoth, & inter Azeca Ephermen.
2 Et Saul, & viri Iſrael congregantur, & caſtrametantur in valle ipſi, & inſtruuntur in prælium ex aduerſo alienigenarum.
3 Et alienigenæ ſtant ſuper montem hinc, & Iſrael ſtat ſuper montem hinc, & vallis inter eos.
4 Et exijt vir potens, ex acie alienigenarum, Goliath nomen ei è Geth, altitudo eius quattuor cubitorum, & palmi:
5 Et caſſis ſuper caput eius, & thoracem hamatum ipſe indutus, & pondus thoracis eius, quinque millia ſiclorum æris, & ferri.
6 Et ocreæ æneæ ſuper crura eius, & clypeus æneus inter humeros eius:
7 Et haſtile haſtæ eius, ſicut liciatorium texentium, & lancea eius ſexcentorum ſiclorum ferri: & portans arma eius antecedebat eum.
8 Et ſtetit, & exclamauit in aciem Iſrael, & dixit eis: Quid egredimini congredi prælio aduerſum nos? Nonne ego ſum alienigena, & vos Hebræi ipſius Saul? Eligite vobis ipſis virum, & deſcendat ad me.

## Vulgata Editio.

9 Si quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.

10 Et aiebat Philiſthæus: Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie: Date mihi virum, & ineat mecum ſingulare certamen.

11 Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſmodi, ſtupebant, & metuebant nimis.

*ſup. 16. 1.* 12 Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo * ſupra dictum eſt, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.

13 Abierunt autem tres filij eius maiores poſt Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma.

14 Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem,

15 Abijt Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.

16 Procedebat vero Philiſthæus mane & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.

17 Dixit autem Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos,

18 Et decem formellas caſei has deferes ad tribunum: & fratres tuos viſitabis, ſi recte agant: & cum quibus ordinati ſunt, diſce.

19 Saul autem, & illi, & omnes filij Iſrael, in Valle terebinthi pugnabant aduerſum Philiſthijm.

20 Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem cuſtodi: & onuſtus abijt, ſicut præceperat ei Iſai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

21 Direxerat enim aciem Iſrael, ſed & Philiſthijm ex aduerſo fuerant præparati.

22 Derelinquens ergo Dauid vaſa, quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat ſi omnia recte agerentur erga fratres ſuos.

23 Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille ſpurius aſcendens, Goliath nomine, Philiſthæus, de Geth, de caſtris Philiſthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid.

24 Omnes autem Iſraelitæ, cum vidiſſent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Si quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego quiuero in eum, & percuſſero eum, eritis nobis ſerui, & ſeruietis nobis.*

10 *Dixit autem Peliſtæus: Ego exprobraui acies Iſrael die hac: date mihi virum & pugnemus pariter.*

11 *Et audiuit Saul, & omnis Iſrael verba Peliſtæi hæc, & territi ſunt, & timuerunt valde.*

12 *Dauid autem filius viri Ephratæi de Bethlechem Iehudah, & nomen eius Iſai, & ei erant octo filij, & vir erat in diebus Saul ſenex, veniens inter homines.*

13 *Abieruntque tres filij Iſai maiores, abierunt poſt Saul ad bellum: nomen autem trium filiorum, qui perrexerunt ad bellum Eliab primogenitus, & ſecundus eius Abinadab, tertius vero Sammah.*

14 *Dauid autem erat minor: tres autem maiores abierunt poſt Saul.*

15 *Dauid vero ibat, & reuertebatur à Saul, ad paſcendum pecora patris ſui in Bethlechem.*

16 *Acceſſit autem Peliſtæus ſurgendo mane, & veſperi, & ſtetit quadraginta diebus.*

17 *Dixit autem Iſai ad Dauid filium ſuum: Tolle nunc fratribus tuis medium polentæ huius, & decem panes hos, & curre in caſtra ad fratres tuos.*

18 *Et decem caſeos lacteos hos deferes tribuno, & fratres tuos viſitabis cum ſalutatione, & pignus eorum tolles.*

19 *Saul autem & ipſi, & omnes viri Iſrael erant in valle Elah pugnantes cum Peliſtim.*

20 *Et ſurrexit Dauid mane, & reliquit pecora cuſtodi, & onerauit ſe, & abijt quemadmodum præcepit ei Iſai, & venit ad vallum, & exercitus egreſſus fuerat ad aciem, & vociferati erant in prælio.*

21 *Et ordinauerat Iſrael, & Peliſtim aciem in occurſum aciei.*

22 *Et dereliquit Dauid vaſa quæ erant ſuper ſe ad manum cuſtodis ſupellectilium, & cucurrit in aciem, & venit & ſalutauit fratres ſuos pacifice.*

23 *Et ipſo loquente cum eis, ecce vir ſtans inter duas acies aſcendebat Gholiath Peliſtæus nomen eius de Ghath, de aciebus Peliſtinorum, & loquebatur iuxta verba hæc: & audiuit Dauid.*

24 *Omnes autem viri Iſrael, quando viderunt virum fugerunt à facie eius, & timuerunt valde.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et ſi potuerit pugnare aduerſus me, & ſi percuſſerit me, & erimus vobis in ſeruos: ſi autem ego potuero, & per-
cuſſero eum, eritis nobis in ſeruos, & ſeruietis nobis. 10 Et dixit alienigena: Ecce ego exprobraui
aciem Iſrael hodie in die hac: Date mihi virum, & ſingulariter pugnabimus vtrique. 11 Et audiuit
Saul, & vniuerſus Iſrael verba alienigenæ hæc, & expauerunt, & timuerunt valde.
12 *Et erat Dauid filius hominis Ephrathai, hic ex Bethleem Iuda, & nomen ei Ieſſa, & ei octo filij, & vir in die-
bus Saul ſenior, veniens inter homines.* 13 *Et iuerunt tres filij Ieſſa maiores poſt Saul ad bellum, He-
liab primogenitus eius, & ſecundus Aminadab, & tertius Sama.* 14 *Dauid autem ipſe, minor: & tres
ipſi maiores iuerunt poſt Saul.* 15 *Et Dauid abijt, & reuertit à Saul, paſcens oues patris ſui in Beth-
leem.* 16 *Et adueniebat alienigena ſurgens mane, & veſpere, & ſtetit coram Iſrael quadraginta dies.*
17 *Et dixit Ieſſa ad Dauid filium ſuum: Sume nunc fratribus tuis Oephi farinæ, & decem panes hos, & per-
curre in caſtra, & da fratribus tuis:* 18 *Et decem formellas lactis huius afferes Chiliarcho, & fratres
tuos viſita in pace, & omnia, quibuſcumque opus habuerint, cognoſces, & ſabbatum facies tecum.* 19 *Saul
autem ipſe, & vniuerſus populus in valle quercus bellantes cum alienigenis.* 20 *Et diluculo ſurrexit
Dauid mane, & dimiſit oues cuſtodi, & ſumpſit, & abijt, ſicut mandauerat ei Ieſſa: & venit ad rotunditatem, &
virtutem exeuntem in aciem, & vociferati ſunt in prælio.* 21 *Et inſtruxerunt Iſrael, & alienigenæ
aciem ex aduerſo aciei.* 22 *Deponens autem Dauid vaſa ſua à ſe ſuper manum cuſtodis, cucurrit ad
aciem, & venit, & interrogauit fratres ſuos in pace.* 23 *Et ipſo loquente cum eis, ecce vir Ameſſæus
aſcendebat, Goliath Philiſtæus nomen ei è Geth ex aciebus alienigenarum, & locutus eſt ſecundum verba iſta: &
audiuit Dauid.* 24 *Et omnis vir Iſrael, dum ipſi viderent virum, & fugerunt à facie eius, & timuerunt valde.*

Aug. ſer. 197. & in lib. quinquag. homil. 31. & 2. lo. Chryſoſt. 1. de Dauid & Saul, deirco ab interprete huiuſ tranſl. rei eiiciuntur a contextu, & ponuntur poſt cap. inter varias lectiones



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Et dixit vnus quiſpiam de Iſrael : Nam vidiſtis virum hunc,qui aſcendit ? ad exprobrandum enim Iſrael aſcendit . Virum ergo qui percuſſerit eum,ditabit rex diuitijs magnis , filiam ſuam dabit ei , & domum patris eius faciet abſque tributo in Iſrael .

26 Et ait Dauid ad viros , qui ſtabant ſecum , dicens : Quid dabitur viro , qui percuſſerit Philiſthæum hunc,& tulerit opprobium de Iſrael ? quis enim eſt hic Philiſthæus incircumciſus,qui exprobrauit acies Dei viuentis ?

27 Referebat autem ei populus eundem ſermonem , dicens : Hæc dabuntur viro , qui percuſſerit eum .

28 Quod cum audiſſet Eliab frater eius maior,loquente eo cum alijs,iratus eſt contra Dauid,& ait:Quare veniſti , & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto ? ego noui ſuperbiam tuam , & nequitiam cordis tui : quia vt videres prælium,deſcendiſti.

29 Et dixit Dauid : Quid feci ? numquid non verbum eſt ?

30 Et declinauit paululum ab eo ad alium : dixitque eundem ſermonem . Et reſpondit ei populus verbum ſicut prius .

31 Audita ſunt autem verba, quæ locutus eſt Dauid,& annunciata in conſpectu Saul .

32 Ad quem cum fuiſſet adductus, locutus eſt ei : Non concidat cor cuiuſquam in eo : ego ſeruus tuus vadam,& pugnabo aduerſus Philiſthæum .

33 Et ait Saul ad Dauid : Non vales reſiſtere Philiſthæo illi , nec pugnare aduerſus eum : quia puer es , hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua .

34 Dixitque Dauid ad Saul : * Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem,& veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis : *Eccl.47.3

35 Et perſequebar eos & percutiebam,eruebamque de ore eorum : & illi conſurgebant aduerſum me , & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos .

36 Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus : erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus , quaſi vnus ex eis . Nunc vadam , & auferam opprobrium populi : quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus , qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis ?

Et

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

25 *Et dixit vir Iſrael : Num vidiſtis virum qui aſcendit hunc ? Ad exprobrandum enim Iſrael aſcendit ; & erit : Virum qui percuſſerit eum ditabit rex diuitijs magnis,& filiam ſuam dabit ei,& domum patris eius faciet liberam in Iſrael .*

26 *Dixitque Dauid ad viros ſtantes ſecum dicendo : Quid fiet viro qui percuſſerit Peliſtæum hunc,& remouerit opprobrium ab Iſrael ? Quis eſt enim Peliſtæus incircumciſus hic, quia exprobrauit acies Dei viuentis ?*

27 *Dixitque ei populus ſecundum verbum hoc dicendo: Sic fiet viro qui percuſſerit eum .*

28 *Et audiuit Eliab frater eius maior , quando loquebatur ad viros, & iratus eſt furor Eliab contra Dauid, & dixit : Vt quid deſcendiſti , & cui reliquiſti paucas pecudes in deſerto ? Ego noui ſuperbiam tuam , & malitiam cordis tui , quia vt videres prælium deſcendiſti .*

29 *Dixitque Dauid : Quid feci nunc ? An non verbum eſt ?*

30 *Et vertit ſe ab illo ad alium, & dixit ſecundum verbum hoc. Et reſponderunt ei populus verbum iuxta verbum primum .*

31 *Et audita ſunt verbum quæ locutus eſt Dauid , & narrauerunt coram Saul :*

32 *Et tulit eum : Dixitque Dauid ad Saul : Ne concidat cor hominis propter eum,ſeruus tuus ibit,& pugnabit cum Peliſtæo iſto .*

33 *Dixitque Saul ad Dauid : Non poteris ire ad Peliſteum iſtum , vt pugnes cum eo , quia puer es , & ipſe eſt vir bellator ab adoleſcentia ſua .*

34 *Dixit autem Dauid ad Saul : Paſtor erat ſeruus tuus patri ſuo in pecoribus , & veniebat leo , & vrſus , & tollebat agnum de grege .*

35 *Et egrediebar poſt eum,& percutiebam eum,& eruebam ex ore eius,& conſurgebat aduerſum me,& apprehendebam barbam eius,& percutiebam eum , & mori faciebam eum .*

36 *Et leonem,etiam vrſum percuſſit ſeruus tuus,& erit Peliſtæus incircumciſus iſte tamquam vnus ex eis , quia probris affecit acies Dei viuentis .*

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 *Et dixit vir Iſrael : Si vidiſtis virum aſcendentem hunc,quia ad exprobrandum Iſrael aſcendit ? & erit,vir*
*quicumque percuſſerit eum,ditabit eum rex diuitijs magnis,& filiam ſuam dabit ei,& domum patris eius faciet*
*liberam in Iſrael .* 26 *Et dixit Dauid ad viros, qui ſtabant ſimul cum eo, dicens : Quid fiet viro, qui*
*percuſſerit alienigenam illum,& abſtulerit opprobrium ab Iſrael ? Quoniam quis eſt alienigena incircumciſus iſte,*
*quia exprobrauit aciam Dei viuentis ?* 27 *Et dixit ei populus iuxta verbum hoc, dicens : Sic fiet viro,*
*qui percuſſerit eum .* 28 *Et audiuit Heliab frater eius maior,cum ipſe loqueretur ad viros, & iratus*
*eſt indignatione Heliab in Dauid , & dixit : Vt quid hoc aſcendiſti ? & ſuper quem dimiſiſti puſillas oues illas in*
*deſerto ? Ego noui ſuperbiam tuam,& improbitatem cordis tui,quoniam cauſa videndi prælium deſcendiſti .*
29 *Et dixit Dauid : Quid feci ? Nonne verbum eſt ?* 30 *Et auertit ſe ab eo ad contra alterum : &*
*dixit iuxta verbum iſtud : & reſpondit ei populus iuxta verbum primi .* 31 *Et audita ſunt verba,quæ*
*locutus eſt Dauid,& annunciata ſunt coram Saul : & aſſumpſerunt eum,& introduxerunt eum ad Saul .*
32 Et dixit Dauid ad Saul : Non concidat nunc cor domini mei ſuper eum : ſeruus tuus ibit, & pugnabit cum
alienigena hoc . 33 Et dixit Saul ad Dauid : Non poteris ire aduerſus alienigenam, ad pugnandum
cum eo,quoniam puer es tu, & ipſe vir bellator à iuuentute ſua . 34 Et dixit Dauid ad Saul : Paſcens
erat ſeruus tuus patri ſuo in grege,& quando veniebat leo,vel vrſa, & capiebat ouem de grege : 35 Et
egrediebar poſt eum,& percutiebam eum,& extrahebam ex ore eius : & ſi inſurgebat in me, & tenui guttur eius,
& percuſſi,& morti tradidi eum . 36 Et leonem,& vrſam percutiebat ſeruus tuus : & erit alienigena
incircumciſus, tamquam vnum eorum : Nonne ibo,& percutiam eum, & auferam hodie opprobrium ex Iſrael ?
Quoniam quis incircumciſus iſte , qui exprobrauit aciem Dei viuentis ?

Domi-

## Vulgata Editio.

37 Et ait Dauid : Dominus qui eripuit me de manu
leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu
Philiſthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid : Va-
de,& Dominus tecum ſit.
38 Et induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit
galeã æream ſuper caput eius,& veſtiuit eum lorica.
39 Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuã,
cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere : non enim
habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul:
Non poſſum ſic incedere,quia non vſum habeo. Et
depoſuit ea,
40 Et tulit baculum ſuum,quem ſemper habebat in ma
nibus : & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides
de torrente,& miſit eos in peram paſtoralem, quam
habebat ſecum, & fundam manu tulit : & proceſſit
aduerſum Philiſthæum.
41 Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropinquans
aduerſum Dauid,& armiger eius ante eum.
42 Cumque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid,
deſpexit eum. Erat enim adoleſcens : rufus,& pul-
cher aſpectu.
43 Et dixit Philiſthæus ad Dauid : Numquid ego ca-
nis ſum, quod tu venis ad me cum baculo? Et ma-
ledixit Philiſthæus Dauid in dijs ſuis.
44 Dixitque ad Dauid : Veni ad me, & dabo carnes
tuas volatilibus cœli & beſtijs terræ.
45 Dixit autem Dauid ad Philiſthæum : Tu venis ad
me cum gladio,& haſta,& clypeo : ego autem venio
ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminũ
Iſrael,quibus exprobraſti
46 Hodie,& dabit te Dominus in manu mea, & percu-
tiam te, & auferã caput tuum à te: & dabo cadauera
caſtrorum Philiſthijm hodie volatilibus cœli,& be-
ſtijs terræ : vt ſciat omnis terra quia eſt Deus in Iſ-
rael.
47 Et nouerit vniuerſa eccleſia hæc,quia non in gladio
nec in haſta ſaluat Dominus : ipſius enim eſt bel-
lum,& tradet vos in manus noſtras.
48 Cum ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & ap-
propinquaret contra Dauid,feſtinauit Dauid,& cu-
currit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.
49 Et miſit manum ſuam in peram,tulitque vnum lapi
dem & funda iecit, & circumducens percuſſit Phili
ſthæum in fronte : & infixus eſt lapis in fronte eius,
& cecidit in faciem ſuper terram.

* Eccli. 4. 4. 1. Mach. 4. 30.

50 * Præualuitque Dauid aduerſum Philiſthæũ in fun
da & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit.
Cumque gladium non haberet in manu Dauid,

Cu-

## Transl. ex Heb Sanct. Pagn.

37 *Dixit autem Dauid: Dominus qui eruit me de ma-
nu leonis, & de manu vrſi, ipſe eruet me de manu
Peliſtæi huius: Dixitque Saul ad Dauid: Vade, &
Dominus ſit tecum.*
38 *Et induit Saul Dauid veſtibus ſuis, & poſuit galeã
æream ſuper caput eius, & induit eum lorica.*
39 *Et accinxit Dauid gladium ſuum ſuper veſtes ſuas,
& voluit ire : Non enim periculum fecerat : Dixit-
que Dauid ad Saul : Non poſſum ire cum iſtis, quia
non periculum feci. Et remouit ea Dauid à ſe.*
40 *Tulitque baculum ſuum in manu ſua, & elegit ſibi
quinque leues lapides de torrente, & poſuit eos in va
ſe paſtorali, quod erat ſibi, & in pera, & funda ſua
erat in manu ſua : & appropinquauit ad Peli-
ſtæum.*
41 *Et ibat Peliſtæus eundo, & appropinquando ad Da-
uid, & ferebat ſcutum ante eum.*
42 *Et aſpexit Peliſtæus, & vidit Dauid, & deſpexit
eum, quia erat puer, & rubicundus, & pulcher aſpe-
ctu.*
43 *Dixitque Peliſtæus ad Dauid: Numquid canis ſum,
quia venis ad me cum baculis? & maledixit Peli-
ſtæus Dauid per deos ſuos.*
44 *Dixitq; Peliſtæus ad Dauid: Veni ad me, & dabo car
nẽ tuam volatilibus cœli & animalibus agreſtibus.*
45 *Dixit autem Dauid ad Peliſtæum : Tu venis ad me
cum gladio & lancea, & clypeo, & ego venio ad te in
nomine Domini exercituum Dei acierum Iſrael quẽ
probris affeciſti.*
46 *Die hac tradet te Dominus in manu mea, & percu-
tiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cada-
uera caſtrorum Peliſtim die hac volatilibus cœli, &
beſtijs terræ, & ſcient omnes habitatores terræ quod
eſt Deus Iſraeli.*
47 *Et ſcient omnis congregatio iſta, quod non gladio, &
lancea ſaluum facit Dominus: Domini enim eſt bel-
lum, & tradet vos in manu noſtra.*
48 *Et fuit, cum ſurgeret Peliſtæus, & veniret, & appro-
pinquaret in occurſum Dauid, feſtinauit Dauid, &
cucurrit in aciem in occurſum Peliſtæo.*
49 *Et miſit Dauid manum ſuam ad vas, & tulit inde
lapidem, & funda iecit, & percuſſit Peliſtæum in
fronte eius, & infixus eſt lapis in fronte eius, & ceci-
dit ſuper faciem ſuam in terram.*
50 *Et robuſtior fuit Dauid Peliſtæo in funda, & lapide,
& percuſſit Peliſtæum & interfecit eum : Gladius
autem non erat in manu Dauid,*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

37 Dominus,qui eruit me de manu leonis,& de manu vrſæ,ipſe eruet me de manu alienigenæ incircumciſi hu-
ius : & dixit Saul ad Dauid : Vade,& erit Dominus tecum. 38 Et induit Saul Dauid veſtimentum,& caſ-
ſidem æneam circa caput eius, 39 Et cinxit Dauid gladio ſuo ſuper veſtimentum ſuum,& laborauit,cum
ambulaſſet ſemel, & bis : Et dixit Dauid ad Saul : Non potero ire in his, quia vſum non habeo : & auferunt ea
ab eo. 40 Et ſumpſit baculum ſuum in manu ſua, & elegit ſibi quinque lapides leues de torrente, & poſuit
eos in pera paſtorali,quæ erat ſibi ad collectionem,& funda eius in manu eius, & acceſſit ad virum alienigenam.
42 Et vidit Goliath Dauid,& contempſit eum,quoniam ipſe erat puer, & ipſe ruſſus cum pulchritudine oculo-
rum. 43 Et dixit alienigena ad Dauid: Tanquam canis ego ſum,quia tu venis ſuper me in virga, & lapi-
dibus? Et dixit Dauid : Nequaquam,ſed peior cane : & maledixit alienigenam Dauid in dijs ſuis. 44 Et di-
xit alienigena erga Dauid : Veni ad me,& dabo carnes tuas volatilibus cœli,& pecoribus terræ. 45 Et di-
xit Dauid ad alienigenam : Tu venis ad me in gladio,& in haſta, & in clypeo, & ego venio ad te in nomine Do-
mini Dei Sabaoth aciei Iſrael, quam exprobraſti hodie: 46 Et intercludet te Dominus hodie
in manu mea, & interficiam te,& auferam caput tuum à te, & dabo cadauera tua,& cadauera caſtrorum alieni-
genarum in hac die volatilibus cœli,& beſtijs terræ. 47 Et cognoſcet vniuerſa terra, quia eſt
Deus in Iſrael,& cognoſcet vniuerſa eccleſia hæc,quia non in gladio, & haſta ſaluat Dominus, quoniam Domi-
ni eſt bellum,& tradet Dominus vos in manus noſtras. 48 Et ſurrexit alienigena,& iuit in oc-
curſum Dauid. 49 Et extendit Dauid manum ſuam in peram, & ſumpſit inde lapidem
vnum,& funda iecit, & percuſſit alienigenam ad frontem eius, & infixus eſt lapis per caſſidem in frontem eius,&
cecidit in faciem ſuam ſuper terram.

Quæ de- [illegible] lat. ex Se- ptu. Rom.

Quæ de- [illegible] Rom.

## Vulgat. Editio.

51 Cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua: & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philiſthijm, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.
52 Et conſurgentes viri Iſrael & Iuda vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Philiſthæos vſque dum venirent in vallem, & vſque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philiſthijm in via Saraim, & vſque ad Geth, & vſque ad Accaron.
53 Et reuertentes filij Iſrael poſtquam perſecuti fuerant Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.
54 Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalem: arma vero eius poſuit in tabernaculo ſuo.
55 Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, rex, ſi noui.
56 Et ait rex: Interroga tu, cuius filius ſit iſte puer.
57 Cumque regreſſus eſſet Dauid, percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philiſthæi habentem in manu.
58 Et ait ad eum Saul: De qua progenie es o adoleſcens? Dixitque Dauid: Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

### CAP. XVIII.

1 ET factum eſt cum compleſſet loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.
2 Tulitque eum Saul in die illa, & non conceſſit ei vt reuerteretur in domum patris ſui.
3 Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quaſi animam ſuam.
4 Nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.

Egre-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

51 *Et cucurrit Dauid, & ſtetit ſuper Peliſtæo, & tulit gladium eius, & euaginauit eum è vagina ſua, & interfecit eum, & præcidit cum eo caput eius: viderunt autem Peliſtæi, quod mortuus eſſet fortis eorum & fugerunt.*
52 *Surrexeruntque viri Iſrael, & Iehudah, & vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Peliſtim vſquequo venias ad vallem, & vſque ad portas Hecron, & ceciderunt vulnerati Peliſtim in via Saharaim vſque ad Ghath, & vſque ad Hecron.*
53 *Et reuerſi ſunt filij Iſrael à perſequendo Peliſtim, & diripuerunt caſtra eorum.*
54 *Tulitque Dauid caput Peliſtæi, & adduxit illud in Ieruſalaim, & arma eius poſuit in tabernaculo ſuo.*
55 *Quando autem vidit Saul ipſum Dauid egredientem in occurſum Peliſtæi, dixit ab Abner principem militiæ: Filius cuius eſt iſte puer Abner? dixitque Abner: Viuit anima tua rex ſi noui.*
56 *Et dixit rex: Interroga filius cuius ſit adoleſcens.*
57 *Quando autem reuerſus eſt Dauid à percutiendo Peliſtæum, tulit eum Abner, & adduxit eum ante Saul, & caput Peliſtæi erat in manu ſua.*
58 *Dixitque ad eum Saul: filius cuius es puer? & dixit Dauid: Filius ſerui tui Iſai Bethlachemitæ.*

### CAP. XVIII.

1 *ET fuit, cum perfeciſſet loqui ad Saul, anima Ionathan ligata eſt cum anima Dauid, & dilexit eum Ionathan ſicut animam ſuam.*
2 *Et tulit eum Saul in die illa, & non permiſit ei vt rediret in domum patris ſui.*
3 *Et percuſſit Ionathan, & Dauid fœdus, cum diligeret eum ſecundum animam ſuam.*
4 *Et exuit ſe Ionathan pallio, quod erat ſuper ſe, & dedit illud Dauid, & veſtes ſuas, & vſque ad gladium ſuum, & vſque ad arcum ſuum, & vſque ad baltheum ſuum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

51 Et cucurrit Dauid, & aſcendit ſuper eum, & ſumpſit gladium eius, & morti tradidit eum, & abſtulit caput eius & viderunt alienigenæ, quia mortuus eſt potens ipſorum, & fugerunt. 52 Et exurgunt viri Iſrael, & Iuda, & vociferati ſunt, & perſequuti ſunt poſt eos vſque ad introitum Geth, & vſque ad portam Aſcalonis, & ceciderunt vulnerati alienigenarum in via portarum, & vſque Geth, & vſque Accaron.
53 Et reuerterunt viri Iſrael declinantes poſt alienigenas, & conculcarunt caſtra eorum. 54 Et cepit Dauid caput alienigenæ, & tulit illud in Hieruſalem, & vaſa eius poſuit in tabernaculo ſuo.
55 *Et vt vidit Saul Dauid egredientem in occurſum alienigenæ, dixit ad Abenner principem virtutis: Filius cuius adoleſcens iſte, Abenner? & dixit Abenner: Viuit anima tua rex, ſi noui.* 56 *Et dixit rex: Interroga tu, filius cuius adoleſcens iſte.* 57 *Et vt reuertit Dauid à percutiendo alienigenam, & aſſumpſit eum Abenner, & introduxit eum coram Saul, & caput alienigenæ in manu eius.*
58 *Et dixit ad eum Saul: Filius cuius eſt puer? & dixit Dauid: Filius ſerui tui Ieſſe Bethleemitæ.*

### C A P. XVIII.

*ET factum eſt, vt conſummauit loquens ad Saul, & anima Ionathan conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathan iuxta animam ſuam.* 2 *Et aſſumpſit eum Saul in die illa, & non dedit eum reuerti in domum patris ſui.* 3 *Et diſpoſuit Ionathan, & Dauid teſtamentum in diligendo illum iuxta animam ſuam.* 4 *Et exuit Ionathan pallium, quod ſuper ſe, & dedit illud Dauid, & mantellum ſuum, & vſque ad gladium ſuum, & vſque ad arcum ſuum, & vſque ad balteum ſuum.*

*Et egre-*

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcum-
que miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat: po-
ſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat
in oculis vniuerſi populi, maximeque in conſpectu
famulorum Saul.
6 Porro cum reuerteretur percuſſo Philiſthæo Da-
uid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſ-
rael, cantantes, chorosque ducentes in occurſum
Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris.
7 Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes:
* Eccl.47. * Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.
8 Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis
eius ſermo iſte: dixitque: Dederunt Dauid decem
millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi
ſolum regnum?
9 Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die
illa, & deinceps.
10 Poſt diem autem alteram, inuaſit Spiritus Dei ma-
lus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ: Da-
uid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos
dies. Tenebatque Saul lanceam:
11 Et miſit eam, putans, quod configere poſſet Dauid
cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius ſe-
cundo.
12 Et timuit Saul Dauid, eo quòd Dominus eſſet cum
eo, & à ſe receſſiſſet.
13 Amouit ergo eum Saul à ſe, & fecit eum tribunum
ſuper mille viros: & egrediebatur, & intrabat in
conſpectu populi.
14 In omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter age-
bat, & Dominus erat cum eo.
15 Vidit itaque Saul, quòd prudens eſſet nimis, & cœ-
pit cauere eum.
16 Omnis autem Iſrael, & Iuda diligebat Dauid: ipſe
enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.
17 Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Me-
rob, ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir
fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputa-
bat, dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper
eum manus Philiſthinorum.
18 Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego ſum, aut quæ
eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, vt
fiam gener regis?
19 Factum eſt autem tẽpus cùm deberet dari Merob
filia Saul Dauid, data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.
20 Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera. Et
annunciatum eſt Saul, & placuit ei.
Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et egreſſus eſt Dauid in omnibus ad quæ mittebat
eum Saul, & prudenter ſe gerebat: poſuitque eũ Saul
ſuper viros bellatores, placuitque in oculis omnis
populi, & etiam in oculis ſeruorum Saul.*
6 *Et fuit, dum venirent ipſi, dum reuerteretur Dauid
à percutiendo Peliſtæum, egreſſæ ſunt mulieres de
cunctis vrbibus Iſrael cantando, & chori mulierum
ibant in occurſum Saul regis, cum tympanis cum læ-
titia, & canticis.*
7 *Cantabant mulieres ludentes, & dicebant: Percuſſit
Saul mille ſuos, & Dauid decem millia ſua.*
8 *Et iratus eſt Saul valde, & diſplicuit in oculis ſuis
verbum iſtud: & dixit: Dederunt Dauid decem mil
lia, mihi autem dederunt mille: & vltra quid dare
poſſunt ei niſi regnum?*
9 *Et Saul torue aſpiciebat Dauid, à die illa, & vl-
tra.*
10 *Et fuit, in craſtino requieuit Spiritus Dei malus in
Saul, & prophetabat in medio domus, & Dauid pſal
lebat manu ſua, ſicut conſueuerat per ſingulos dies.
Lancea autem erat in manu Saul:*
11 *Et iaculatus eſt Saul lanceam, & dixit: Percutiam
Dauid, & parietem: & auertit ſe Dauid à facie
eius duabus vicibus.*
12 *Et timuit Saul à facie Dauid, quia erat Dominus
cum eo, & à Saul receſſerat.*
13 *Et recedere fecit eum Saul à ſe, & poſuit eum ſibi
tribunum, & egrediebatur, & ingrediebatur ante
populum.*
14 *Et Dauid in omnibus vijs ſuis prudenter ſe gere-
bat, & Dominus erat cum eo.*
15 *Et vidit Saul quòd prudenter ſe gereret valdè, & ti-
muit à facie eius.*
16 *Omnis autem Iſrael, & Iehudah diligebat Dauid:
quia egrediebatur, & ingrediebatur ante eos.*
17 *Dixit autem Saul ad Dauid: Ecce filiam meã ma-
iorem Merab dabo tibi in vxorem: tantummodo eſto
mihi filius fortis & præliare bella Domini. Saul au-
tem dicebat: Ne ſit manus mea in eum, ſed ſit in eo
manus Peliſtim.*
18 *Dixit autem Dauid ad Saul: Quis ego ſum, & quæ
vita mea, familia patris mei in Iſrael, quòd ſim ge-
ner regis?*
19 *Et fuit, tempore quo danda erat Merab filia Saul
ipſi Dauid, data eſt Hadrieli Mecholatitæ in vxorẽ.*
20 *Dilexit autẽ Michal filia Saul ipſum Dauid. Et nũ-
ciauerunt ipſi Saul, & placuit verbũ in oculis eius.*
*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 *Et egrediebatur Dauid in omnibus, ad quæ mittebat eum Saul, intelligens, & conſtituit eum Saul ſuper viros
belli: & placuit in oculis vniuerſi populi, & etiam in oculis ſeruorum Saul.* 6 *Et factum eſt in ingrediendo
eos, in reuertendo Dauid à percutiendo alienigenam, & egreſſæ ſunt choros ducentes in occurſum Dauid ex omni-
bus ciuitatibus Iſrael in tympanis, & in lætitia, & in cymbalis.* 7 Et exibant mulieres, & dicebant: Per-
cuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis. 8 Et malum viſum eſt verbum in oculis Saul
de ſermone iſto: & dixit: Dauidi dederunt decem millia: & mihi dederunt millia, * *& quid ei niſi regnum?*
9 *Et fuit Saul inuidens Dauid à die illa, & deinceps.* 10 *Et factum eſt à craſtino, & cecidit Spiritus Dei
malus ſuper Saul, & prophetauit in medio domus ſuæ: Et Dauid pſallebat manu ſua, ſicut per vnamquamque
diem. Et haſta in manu Saul.* 11 *Et eleuauit Saul haſtam, & dixit: Percutiam in Dauid & in parietem: &
declinauit Dauid à facie eius bis.* 12 Et timuit Saul à facie Dauid. 13 Et remouit eum à ſe, & conſti-
tuit eum ſibi Chiliarchum: & egrediebatur, & ingrediebatur ante populum. 14 Et erat Dauid in omnibus
vijs ſuis intelligens, & Dominus erat cum eo. 15 Et vidit Saul, quia ipſe intelligit valde, & cauebat à facie
eius. 16 Et vniuerſus Iſrael, & Iudas diligebat Dauid: quoniam ipſe ingrediebatur, & egrediebatur
ante faciem populi. 17 *Et dixit Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, eam tibi dabo in vxo-
rem: tantummodo eſto mihi in filium virtutis, & præliare prælia Domini. Et Saul dixit: Non ſit manus mea ſu-
per eum, & erit ſuper eum manus alienigenarum.* 18 *Et dixit Dauid ad Saul: Quis ego ſum, &
vita cognationis patris mei in Iſrael, quia ero gener regis?* 19 *Et factum eſt in tempore dandi
Merob filiam Saul ipſi Dauid, & hæc data eſt ipſi Edriel Molathitæ in vxorem.* 20 Et dilexit Mel-
chol filia Saul Dauid. Et annunciatum eſt Sauli & rectum fuit in oculis eius.

Et di-

## Vulgata Editio.

21 Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie.

22 Et mandauit Saul ſeruis ſuis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes ſerui eius diligunt te. Nunc ergo eſto gener regis.

23 Et locuti ſunt ſerui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis, generum eſſe regis? Ego autem ſum vir pauper, & tenuis.

24 Et renunciauerunt ſerui Saul, dicentes: Huiuſcemodi verba locutus eſt Dauid.

25 Dixit autem Saul: Sic loquimini ad Dauid: Non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum cẽtum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſthinorum.

26 Cumque renunciaſſent ſerui eius Dauid verba, quæ dixerat Saul, placuit ſermo in oculis Dauid, vt fieret gener regis.

27 Et poſt paucos dies ſurgens Dauid, abijt cum viris, qui ſub eo erant. Et percuſſit ex Philiſthijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi, vt eſſet gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam vxorem.

28 Et vidit Saul, & intellexit, quod Dominus eſſet cum Dauid. Michol autem filia Saul diligebat eum.

29 Et Saul magis cœpit timere Dauid: factuſque eſt Saul inimicus Dauid cunctis diebus.

30 Et egreſſi ſunt principes Philiſthinorum. A principio autem egreſſionis eorum, prudentius ſe gerebat Dauid, quàm omnes ſerui Saul, & celebre factum eſt nomen eius nimis.

### CAP. XIX.

1 Locutus eſt autem Saul ad Ionathan filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderent Dauid. Porro Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde.

2 Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obſerua te, quæſo, mane, & manebis clam, & abſconderis.

3 Ego autem egrediens ſtabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nunciabo tibi.

Lo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Dixitque Saul: Dabo eam ſibi, vt ſit ei laqueus, & ſit in eo manus Peliſthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus affinitatem contrahes mecum hodie.*

22 *Præcepit autem Saul ſeruis ſuis: Loquimini ad Dauid clam, dicendo: Ecce complacuit in te rex, & omnes ſerui eius dilexerunt te. Et nunc affinitatem contrahe cum rege.*

23 *Et locuti ſunt ſerui Saul in auribus Dauid verba hæc. Dixitque Dauid: Num leue eſt in oculis veſtris affinitatem contrahere cum rege? Et ego ſum vir pauper, & deſpectus.*

24 *Et nunciauerunt ſerui Saul ei, dicendo: Secundum verba hæc locutus eſt Dauid.*

25 *Dixit autem Saul: Sic dicetis ad Dauid: Non eſt voluntas regi in dote, ſed in centum præputijs Peliſthim, vt vlciſcatur de inimicis regis. Saul autem cogitabat, vt mori faceret Dauid per manum Peliſthim.*

26 *Nunciaueruntque ſerui eius ipſi Dauid verba hæc, & placuit verbum in oculis Dauid, vt affinitatem contraheret cum rege.*

27 *Et non completi erant dies, & ſurrexit Dauid, & iuit ipſe, & viri eius. Et percuſſit ex Peliſthim ducentos viros, & attulit Dauid præputia eorum, & plenè tradiderunt ea regi, vt affinitatem contraheret cum rege. Et dedit ei Saul Michol filiam ſuam in vxorem.*

28 *Vidit autem Saul, & cognouit, quòd Dominus eſſet cum Dauid. Et Michol filia Saul diligebat eum.*

29 *Et addidit Saul timere à facie Dauid amplius: & fuit Saul inimicans Dauid omnibus diebus.*

30 *Egreſſi ſunt autem principes Peliſthim. Et fuit à tempore quo egreſſi ſunt, prudenter ſe geſſit Dauid præ omnibus ſeruis Saul, & magnificatum eſt nomen eius valde.*

### CAP. XIX.

1 *Locutus eſt autem Saul ad Ionathan filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occideret Dauid. Et Ionathan filius Saul complacuit in Dauid valde.*

2 *Et nunciauit Ionathan ipſi Dauid, dicendo: Quærit Saul pater meus interficere te: & nunc caue tibi obſecro manè, & manebis in occulto, & abſcondes te.*

3 *Ego autẽ egrediar, & ſtabo ad manum patris mei in agro in quo eris: ego autem loquar de te ad patrem meum: & videbo quid reſpondeat, & nunciabo tibi.*

*Lo-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et dixit Saul: Dabo eam ei, & erit illi in ſcandalum, & fuit ſuper Saul manus alienigenarum.
22 Et mandauit Saul pueris ſuis dicens: Loquimini vos clanculum ipſi Dauid, dicentes: Ecce vult in te rex, & omnes pueri eius diligunt te. Et tu eſto gener regi.
23 Et locuti ſunt pueri Saul in aures Dauid verba iſta. Et dixit Dauid: Si leue in oculis veſtris fieri generum regi? Et ego vir humilis, & non honoratus.
24 Et annunciauerunt pueri Saul ei iuxta verba illa, quæ locutus eſt Dauid.
25 Et dixit Saul: Hæc dicetis ipſi Dauid: Non vult rex in dono, ſed in centum præputijs alienigenarum, ad vlciſcendum inimicos regis. Et Saul cogitabat inijcere eum in manus alienigenarum.
26 Et annunciant pueri Saul ipſi Dauid verba hæc, & rectum fuit verbum in oculis Dauid, generum fieri regi.
27 Et ſurrexit Dauid, & iuit ipſe, & viri eius. Et percuſſit in alienigenis centum viros, & attulit præputia eorum, & fit gener regi. Et dat ei Melchol filiam ſuam ei in vxorem.
28 Et vidit Saul, quia Dominus cum Dauid, & vniuerſus Iſrael diligebat eum. & adiecit cauere à Dauid amplius.
29 *Et fuit Saul inimicitias exercens in Dauid omnibus diebus.*
30 *Et exierunt principes alienigenarum. Et factum eſt in opportunitate egreſſionis eorum, & intelligens erat Dauid præter omnes ſeruos Saul, & honoratum fuit nomen eius valdè.*

Hæc habē-tur i aliis codicibus ab illo Vaticano ſeparatim.

### CAP. XIX.

Et locutus eſt Saul ad Ionathan filium ſuum, & ad omnes pueros ſuos ad interficiendum Dauid. Et Ionathan filius Saul diligebat Dauid valdè.
2 Et annunciauit Ionathan ipſi Dauid, dicens: Saul quærit morti tradere te: obſerua igitur cras manè, & abſcondere, & ſede in occulto.
3 Et ego egrediar, & ſtabo adhærens patri meo in agro, vbi fueris illic: & ego loquar pro te ad patrem meum: & videbo quicquid fuerit, & annunciabo tibi.

Et lo-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

4 Locutus eſt ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem ſuum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in ſeruum tuum Dauid quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valde.

5 Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraeli: vidiſti, & lætatus es. Quare ergo peccas in ſanguine innoxio, interficiens Dauid, qui eſt abſque culpa?

6 Quod cum audiſſet Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur.

7 Vocauit itaque Ionathas Dauid & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, ſicut fuerat heri, & nudiuſtertius.

8 Motum eſt autem rurſum bellum: & egreſſus Dauid, pugnauit aduerſum Philiſthijm: percuſſitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.

9 Et factus eſt Spiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam: porro Dauid pſallebat manu ſua.

10 Niſuſque eſt Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem, & Dauid fugit, & ſaluatus eſt nocte illa.

11 Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annunciaſſet Dauid Michol vxor ſua, dicens: Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris:

12 Depoſuit eum per feneſtram, porro ille abijt, & aufugit, atque ſaluatus eſt.

13 Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis.

14 Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & reſponſum eſt quod ægrotaret.

15 Rurſumque miſit Saul nuncios, vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.

16 Cumque veniſſent nuncij, inuentum eſt ſimulacrũ ſuper lectum, & pellis caprarum ad caput eius.

17 Dixitque Saul ad Michol: Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum, vt fugeret? Et reſpondit Michol ad Saul: Quia ipſe locutus eſt mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

18 Dauid autem fugiens, ſaluatus eſt, & venit ad Samuel in Ramatha, & nunciauit ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul: & abierunt ipſe & Samuel, & morati ſunt in Naioth:

Nun-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Locutus eſt autem Ionathan de Dauid bonum ad Saul patrem ſuum: dixitque ad eum: Ne peccet rex contra ſeruum ſuum contra Dauid, quia non peccauit tibi, & quia opus eius bonum eſt tibi valdè.*

5 *Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Peliſtæum fecitque Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraeli: vidiſti, & lætatus es. Et vt quid peccabis contra ſanguinem innocentem, vt interficias Dauid gratis?*

6 *Audiuitque Saul voci Ionathan, & iurauit Saul: Viuit Dominus ſi morietur.*

7 *Et vocauit Ionathan Dauid, & nunciauit ei Ionathan omnia verba hæc, & adduxit Ionathan Dauid ad Saul, & fuit ante eum ſicut heri, & nudiuſtertius.*

8 *Additum eſt autem bellum eſſe, & egreſſus eſt Dauid, & pugnauit cum Peliſtim: percuſſitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.*

9 *Fuit autem Spiritus Domini malus ſuper Saul, eratque in domo ſua ſedens, & lancea eius erat in manu ſua, Dauid autem pſallebat manu.*

10 *Et quæſiuit Saul percutere lancea Dauid, & parietem, & declinauit à facie Saul: & percuſſit lancea parietem, & Dauid fugit, & euaſit nocte illa.*

11 *Miſit autem Saul nuncios ad domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & occiderent eum manè. Et indicauit ipſi Dauid Michal vxor eius, dicendo: Niſi ſeruaueris animam tuam nocte cras interficieris:*

12 *Et deſcendere fecit Michal Dauid per feneſtram, & abijt, & fugit, & ſeruatus eſt.*

13 *Tulitque Michal ſimulachrum, & poſuit in lecto, & puluinar è pilis caprarum poſuit ſub capite eius, & operuit veſte.*

14 *Miſitque Saul nuncios, vt tolleret Dauid: & dixit: Ægrotat.*

15 *Miſitq́ Saul nũcios, vt viderẽt Dauid, dicẽdo: Aſcẽdere facite eum in lecto ad me, vt occidere faciã eũ.*

16 *Et venerunt nuncij, & ecce ſimulachrum ſuper lectum, & puluinar è pilis caprarum ſub capite eius.*

17 *Dixitque Saul ad Michal: Vt quid ſic decepiſti me, & dimiſiſti inimicum meum, & ſaluatus eſt? Et dixit Michal ad Saul: Ipſe dixit mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.*

18 *Dauid autem fugit, & euaſit, & venit ad Semuel, in Ramah, & indicauit ei omnia quæ fecit ſibi Saul: & abijt ipſe, & Semuel, & morati ſunt in Naioth:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et locutus eſt Ionathan de Dauid bona ad Saul patrem ſuum: & dixit ad eum: Non peccet rex in ſeruum ſuum Dauid, quoniam non peccauit in te, & opera eius bona valdè. 5 Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit alienigenam, & fecit Dominus ſalutem magnam, & vniuerſus Iſrael viderunt, & gauiſi ſunt. Et vt quid peccas in ſanguinem innoxium, interficiendo Dauid gratis? 6 Et audiuit Saul vocem Ionathan, & iurauit Saul, dicens: Viuit Dominus, ſi morietur. 7 Et vocauit Ionathan Dauid, & annunciauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathan Dauid ad Saul, & erat in conſpectu eius, ſicut heri, & nudiuſtertius. 8 Et proceſſit bellum fieri aduerſus Saul: & inualuit Dauid, & impugnauit alienigenas: & percuſſit in eis plagam magnam valde, & fugerunt à facie eius. 9 Et factus eſt Spiritus Dei malus ſuper Saul, & ipſe in domo ſedẽs, & haſta in manu eius, & Dauid pſallebat manibus ſuis. 10 Et quærebat Saul percutere haſtam in Dauid, & receſſit Dauid à facie Saul: & percuſſit haſtam in parietem, & Dauid ſeceſſit, & ſaluatus eſt. 11 Et factũ eſt in nocte illa, & miſit Saul nuncios in domum Dauid, ad cuſtodiendum eum, & interficiendum eum mane. Et annunciauit ipſi Dauid Melchol vxor eius, dicens: Si tu non ſaluaueris animã tuã nocte hac, cras interficieris. 12 Et deſcendere fecit Melchol Dauid per feneſtram, & abijt, & fugit, & ſaluatur. 13 Et ſumpſit Melchol cenotaphia, & poſuit ſuper lectũ, & iecur caprarũ poſuit ad caput eius, & operuit ea veſtimento. 14 Et miſit Saul nuncios ad capiendũ Dauid: & dicũt ægrotare eũ. 15 Et miſit ſuper Dauid, dicẽs: Adducite eũ ſuper lectũ ad me ad interficiendũ eũ. 16 Et veniunt nuncij, & ecce cenotaphia ſuper lectum, & iecur caprarum ad caput eius. 17 Et dixit Saul ad Melchol: Vt quid ſic decepiſti me, & emiſiſti inimicum meum, & ſaluatus eſt? Et dixit Melchol ad Saul: Ipſe dixit, emitte me: Si autem non, interficiam te. 18 Et Dauid fugit, & ſaluatus eſt, & aduenit ad Samuel in Armathæm, & annunciat ei omnia, quæcumque fecit ſibi Saul: & iuit Samuel, & Dauid, & ſederunt in Nauath in Rhama.

Et an-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

19 Nunciatum eſt autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha.

20 Miſit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cum vidiſſent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi.

21 Quod cum nunciatum eſſet Sauli, miſit, & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rurſum miſit Saul tertios nuncios: qui & ipſi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul:

22 Abijt etiam ipſe in Ramatha, & venit vſque ad ciſternam magnam, quæ eſt in Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco ſunt Samuel, & Dauid? Dictũque eſt ei: Ecce in Naioth ſunt in Ramatha.

23 Et abijt in Naioth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth in Ramatha.

24 Et expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa, & nocte. Vnde & exiuit prouerbiũ: * Num & Saul inter prophetas?

*ſup. 10. 11.

### CAP. XX.

1 Fvgit autem Dauid de Naioth, quæ eſt in Ramatha, veniensque locutus eſt coram Ionatha: Quid feci? quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatũ meum in patrem tuum, quia quærit animã meam?

2 Qui dixit ei: Abſit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande, vel paruum, niſi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus ſermonem tantummodo? nequaquam erit iſtud.

3 Et iurauit rurſum Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Neſciat hoc Ionathas, ne fortè triſtetur. Quinimmo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego morſque diuidimur.

4 Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumque dixerit mihi anima tua faciam tibi.

5 Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta regem ad veſcendum: dimitte ergo me, vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ.

Si

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et nunciatum eſt Saul, dicendo: Ecce Dauid in Naioth qua eſt in Ramah.*

20 *Miſitque Saul nuncios ad tollendum Dauid: & vidit cuneum prophetarum prophetantium, & Semuel ſtantem docentem eos, & fuit ſuper nuncijs Saul Spiritus Dei, & prophetabant etiam ipſi.*

21 *Et nunciauerunt Saul, & miſit nuncios alios: & prophetauerunt etiam ipſi. Et addidit Saul, & miſit nuncios tertios: & prophetauerunt etiam ipſi.*

22 *Et abijt etiam ipſe in Ramah, & venit vſque ad ciſternam magnam, quæ eſt in Secho, & interrogauit, & dixit: Vbi eſt Semuel, & Dauid? Et dixit: Ecce eſt in Naioth, quæ eſt in Ramah.*

23 *Et abijt illuc in Naioth in Ramah, & fuit ſuper eũ etiam Spiritus Dei, & iuit eundo, & prophetauit vſquequo veniret in Naioth in Ramah.*

24 *Et expoliauit ſe etiam ipſe veſtimentis ſuis, & prophetauit etiam ipſe coram Semuel, & cecidit nudus tota die illa, & nocte. Idcirco dicunt: Num etiam Saul inter prophetas?*

### CAP. XX.

1 *Fvgit autem Dauid de Naioth, quæ eſt Ramah, & venit, & dixit coram Ionathan: Quid fecit quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum coram patre tuo, quia quærit animam meam?*

2 *Dixitque ei: Abſit non morieris: Ecce non faciet pater meus rem grandem, vel rem paruam, quam non reuelet aures meas: cur autem abſconderit pater meus à me rem hanc non eſt mihi cognitum.*

3 *Et iurauit adhuc Dauid. Et dixit: Sciendo ſciuit pater tuus, quòd inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Ne cognoſcat hoc Ionathan, ne fortè dolore afficiatur. Verum viuit Dominus, & viuit anima tua, quia tanquam paſſus vnus eſt inter me, & mortem.*

4 *Dixitque Ionathan ad Dauid: Quod dixerit anima tua, faciam tibi.*

5 *Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce Kalendæ ſunt cras, & ſedendo ſedere ſoleo apud regem ad veſcendum: & dimittes me, & abſcondam me in agro vſque ad veſperam diei tertia.*

Si

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et annunciatum eſt Saul, dicentes: Ecce Dauid in Nauath in Rhama. 20 Et miſit Saul nuncios
ad capiendum Dauid: & viderunt eccleſiam prophetarum, & Samuel ſtabat aſſiſtens ſuper eos, & factus eſt ſuper
nuncios Saul Spiritus Dei, & prophetant. 21 Et annunciatum eſt Saul, & miſit nuncios alios: & pro-
phetauerunt etiam ipſi. Et adiecit Saul mittere nuncios tertios: & prophetauerunt etiam ipſi. Et indignatus eſt
ira Saul: 22 Et iuit etiam ipſe in Armathæm, & venit vſque ad puteum areæ, quæ in Sephi, & interro-
gauit, & dixit: Vbi Samuel, & Dauid? Et dixerunt: Ecce in Nauath in Rhama. 23 Et iuit inde in Na-
uath in Rhama, & factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Dei, & ibat prophetans, quoadusque ipſe veniret in Naua-
th in Rhama. 24 Et exuit veſtimenta ſua, & prophetauit coram eis, & cecidit nudus totam diem
illam, & totam noctem. Propter hoc dicebant: Si & Saul in prophetis?

### CAP. XX.

Et fugit Dauid de Nauath in Rhama, & venit coram Ionathan, & dixit: Quid feci? & quæ iniuſtitia mea, &
quid peccaui coram patre tuo, quia inquirit animam meam? 2 Et dixit ei Ionathan: Nequa-
quam tibi, non morieris: ecce non faciet pater meus verbum magnum, aut paruum, & non reuelabit auriculam
meam: & quid, quia abſcondet pater meus à me verbum hoc? non eſt illud. 3 Et reſpondit Dauid ipſi
Ionathan. Et dixit: Cognoſcens nouit pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dixit: Non cognoſcat hoc
Ionathan, ne minimè velit. Sed viuit Dominus, & viuit anima tua, quia ſicut dixi impletum eſt inter me, & mor-
tem. 4 Et dixit Ionathan ad Dauid: Quid concupiſcit anima tua, & quid faciam tibi?
5 Et dixit Dauid ad Ionathan: Ecce nunc Neomenia cras, & ego ſedens non ſedebo manducare: & dimittes
me, & abſcondar in campo vſque ad veſperam.

Et ſi

## Vulgat. Editio.

6 Si reſpiciens requiſierit me pater tuus: reſpondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem ſuam: quia victimæ ſollemnes ibi ſunt vniuerſis contribulibus ſuis.

7 Si dixerit: Bene: pax erit ſeruo tuo. Si autem fuerit iratus, ſcito quia completa eſt malitia eius.

8 Fac ergo miſericordiam in ſeruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire feciſti. Si autem eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

9 Et ait Ionathas: Abſit hoc à te: neque enim fieri poteſt, vt ſi certe cognouero completam eſſe patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi.

10 Reſponditque Dauid ad Ionathan: Quis renunciabit mihi, ſi quid forte reſponderit tibi pater tuus dure de me?

11 Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumque exiſſent ambo in agrum:

12 Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Iſrael, ſi inueſtigauero ſententiam patris mei craſtino, vel perendie: & aliquid boni fuerit ſuper Dauid, & non ſtatim miſero ad te, & notum tibi fecero:

13 Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perſeuerauerit patris mei malitia aduerſum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & ſit Dominus tecum ſicut fuit cũ patre meo.

14 Et ſi vixero, facies mihi miſericordiam Domini: ſi vero mortuus fuero:

15 Non auferes miſericordiam tuam à domo mea vſque in ſempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionathan de domo ſua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.

16 Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.

17 Et addidit Ionathas deierare Dauid, eo quod diligeret illum: ſicut enim animam ſuam, ita diligebat eum.

18 Dixitque ad eum Ionathas: Cras Calendæ ſunt, & requireris:

19 Requiretur enim ſeſſio tua vſque perendie. Deſcendes ergo feſtinus, & venies in locum vbi celandus es in die qua operari licet, & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel.

20 Et ego tres ſagittas mittam iuxta eum, & iaciã quaſi exercens me ad ſignum.

21 Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi ſagittas.

Si

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Si recordando recordatus fuerit mei pater tuus: dices: Poſtulando poſtulauit à me Dauid, vt curreret in Bethlechem ciuitatem ſuam: quia ſacrificium annuale eſt ibi toti familiæ.*

7 *Si ſic dixerit: Bene: pax ſeruo tuo. Si autem iraſcendo iraſ fuerit ei, ſcito quòd cõpleta eſt malitia cũ eo.*

8 *Et facies miſericordiam cum ſeruo tuo. quia in fœdus Domini adduxiſti ſeruum tuum tecum. Et ſi eſt in me iniquitas, interfice me tu, & vſque ad patrem tuum, vt quid introduces me.*

9 *Dixitque Ionathan: Abſit tibi: vt ſi cognoſcendo cognouero quòd completa ſit malitia cum patre meo, vt veniat contra te, non illud annunciem tibi.*

10 *Dixitque Dauid ad Ionathan: Quis renunciabit mihi ſi quid boni, vel ſi quid reſponderit tibi pater tuus durè?*

11 *Dixitque Ionathan ad Dauid: Veni, & egrediamur in agrum. Et egreſſi ſunt ambo in agrum:*

12 *Dixit autem Ionathan ad Dauid: Domine Deus Iſrael, ſi inueſtigauero patrem meum iuxta tẽpus cras dies tertia: & ecce bonum fuerit ſuper Dauid, & nõ tunc miſero ad te, & aperuero aurem tuam:*

13 *Sic faciat Dominus Ionathæ, & ſic addat. Si placuerit patri meo, vt adducat malum ſuper te, aperiam aurem tuam, & dimittã te, & ibis in pace, & ſit Dominus tecum, quemadmodum fuit cum patre meo.*

14 *Et non tantum adhuc me viuẽte facies mecum miſericordiam Domini: & non moriar.*

15 *Sed etiam non abſcides miſericordiam tuam à domo mea vſque in ſæculum, nec cum abſciderit Dominus inimicos Dauid vnumquemque è ſuperficie terræ.*

16 *Et pepigit fœdus Ionathan cum domo Dauid: & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.*

17 *Et addidit Ionathan, vt iuraret ipſi Dauid, propterea quòd diligeret ipſum: quia ſecundum dilectionẽ animæ ſuæ, diligebat eum.*

18 *Dixit autem ei Ionathan: Cras ſunt Kalendæ, & memoraberis:*

19 *Deficiet enim ceſſio tua. Et manebis tribus diebus deſcendes valdè, & venies ad locum in quo abſcondes te in die operis, manebis apud lapidem viatorium.*

20 *Ego autem tres ſagittas ad latus eius iaciam mittendo ad ſignum.*

21 *Et ecce mittam puerum, dicens ei: Vade inueni ſagittas.*

*Si*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et ſi recenſens recenſuerit me pater tuus, & dices: Deprecans deprecatus eſt à me Dauid currere vſque in
Bethleem ciuitatem ſuam: quoniam ſacrificium dierum ibi vniuerſæ tribui. 7 Si hæc dixerit: Bene.
pax ſeruo tuo. Et ſi durè reſponderit tibi, ſcito quia conſummata eſt malitia ab eo. 8 Et facies miſericordiam
cum ſeruo tuo: quoniam induxiſti in teſtamentum Domini ſeruum tuum cum te ipſo. Et, ſi eſt iniuſtitia
in ſeruo tuo, interfice me tu, & vſque ad patrem tuum, vt quid ita introducis me. 9 Et dixit Ionathan:
Nequaquam tibi: quoniam ſi cognoſcens cognouero, quia conſummata eſt malitia à patre meo ad veniendum
ſuper te, et ſi non fuerit in ciuitatibus tuis, ego annunciabo tibi. 10 Et dixit Dauid ad Ionathan:
Quis annunciabit mihi, ſi reſponderit pater tuus durè? 11 Et dixit Ionathan ad Dauid: Vade, & maneto
in campo. Et egrediuntur vtrique in campum: 12 Et dixit Ionathan ad Dauid: Dominus Deus
Iſrael nouit, quia interrogauero patrem meum, prout tempus, ter: & ecce bonum fuerit de Dauid, & non miſero
ad te in campum: 13 Hæc faciat Deus ipſi Ionathan, & hæc adijciat. Quoniam deferam mala ſuper te, &
reuelabo auriculam tuam, & dimittam te, & abibis in pace, & erit Dominus tecum, ſicut fuit cum patre meo.
14 Et ſiquidem adhuc me viuente, & facies miſericordiam mecum: & ſi morte mortuus fuero: 15 Non
auferes miſericordiam tuam à domo mea vſque in ſæculum, &, ſi non, in auferendo Dominum inimicos Dauid,
vnumquemque à facie terræ: inueniatur nomen Ionathan à domo Dauid, & requirat Dominus inimicos Dauid.
17 Et adiecit adhuc Ionathan iurare ipſi Dauid: quoniam amauit animo amantis ſe. 18 Et dixit Ionathan:
Cras Neomenia, & viſitaberis: 19 Quia viſitabitur ſedes tua. Et tertiabis, & ſpeculaberis, & venies ad locum
tuum, vbi abſcondes te in die operaria, & ſedebis apud Ergab illud. 20 Et ego tertiabo ſagittis iaculans,
emittens in Amattari. 21 Et ecce mitto puerum, dicens: Veni, reperias mihi ſagittam.

Quæ deberent correſpõdere rumæ 16. deſũt ab hac Tr ſlat. ex Sept. Romana.

Si di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Si dixero puero: Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, viuit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero: Ecce ſagittæ vltra te ſunt: vade in pace, quia dimiſit te Dominus.

23 De verbo autē, quod locuti ſumus ego & tu, ſit Dominus inter me, & te vſque in ſempiternum.

24 Abſconditus eſt ergo Dauid in agro, & venerūt Calendæ, & ſedit rex ad comedendum panem.

25 Cumque ſediſſet rex ſuper cathedram ſuam (ſecundum conſuetudinem) quæ erat iuxta parietem, ſurrexit Ionathas, & ſedit Abner ex latere Saul, vacuuſque apparuit locus Dauid.

26 Et non eſt locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte euenisſet ei, vt non eſſet mūdus, nec purificatus.

27 Cumque illuxiſſet dies ſecunda poſt Calendas, rurſus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionathan filium ſuum: Cur non venit filius Iſai, nec heri, nec hodie ad veſcendum?

28 Reſponditque Ionathas Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem:

29 Et ait: Dimitte me, quoniam ſacrificium ſollemne eſt in ciuitate, vnus de fratribus meis accerſiuit me: nunc ergo ſi inueni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc cauſam non venit ad menſam regis.

30 Iratus autem Saul aduerſum Ionathan, dixit ei: Fili mulieris virum vltro rapientis, numquid ignoro, quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ?

31 Omnibus enim diebus quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis eſt.

32 Reſpondens autem Ionathas Sauli patri ſuo, ait: Quare morietur? quid fecit?

33 Et arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas, quòd definitum eſſet à patre ſuo, vt interficeret Dauid.

34 Surrexit ergo Ionathas à menſa in ira furoris, & non comedit in die Calendarum ſecunda panem. Contriſtatus eſt enim ſuper Dauid, eo quòd confudiſſet eum pater ſuus.

35 Cumque illuxiſſet manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo:

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Si dicendo dixero puero: Ecce ſagitta à te, & infra cape eam: & veni, quia pax tibi, & non eſt quicquid mali viuit Dominus. Si vero ſic dixero puero: Ecce ſagitta à te, & vltra: vade, quia dimiſit te Dominus.*

23 *Verbum autem, quod locuti ſumus ego & tu ecce Dominus inter me, & te, vſque in ſæculum.*

24 *Abſcondit autem ſe Dauid in agro, & fuerunt Kalendæ, & ſedit rex, panem ad veſcendum.*

25 *Seditque rex ſuper cathedram ſuam ſicut conſueuerat alias in cathedra iuxta parietem, & ſurrexit Ionathan, ſeditque Abner ex latere Saul, & carebat ſedente locus Dauid.*

26 *Et non eſt locutus Saul quicquam in die illa: dixit enim: Accidens eſt non quòd non ſit mundus, vel quia non eſt mundus.*

27 *Et fuit in craſtino Kalendarum ſecundo caruit ſedente locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionathan filium ſuum: Quare non venit filius Iſai etiam heri, etiam hodie ad panem?*

28 *Reſponditque Ionathan ad Saul: Poſtulando poſtulauit Dauid à me, vt iret vſque Bethlechem.*

29 *Et dixit: Dimitte me obſecro, quia victima eſt familiæ noſtræ in ciuitate, & ipſe præcepit mihi frater meus, vt illuc me conferam: & nunc ſi inueni gratiã in oculis tuis conferam me illuc, & videbo fratres meos. Idcirco non venit ad menſam regis.*

30 *Et iratus eſt furor Saul in Ionathan, & dixit ei: Fili matris peruerſæ rebellionis, an non noui quòd elegis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominiæ matris tuæ?*

31 *Omnibus enim diebus quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Et nunc mitte, & tolle eum ad me, quia obnoxius morti eſt.*

32 *Reſpondit autem Ionathan ad Saul patrem ſuum, & dixit ei: Vt quid morietur? quid fecit?*

33 *Et iaculatus eſt lanceam contra eum, vt percuteret eum. Et cognouit Ionathan, quòd decreuerat pater ſuus interficere Dauid.*

34 *Surrexitque Ionathan è menſa in ira furoris, & non comedit in die Kalendarum ſecunda panem. Dolore enim affectus eſt propter Dauid, quia ignominia affecit eum pater ſuus.*

35 *Et fuit, manè egreſſus eſt Ionathan in agrum ad tempus conſtitutum Dauidi, & puer paruus cum eo:*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Si dixero dicens puero, hic ſagitta à te, & hic, cape eam: accede, quoniam pax tibi, & non eſt verbum, viuit
Dominus. Si autem hæc dixero adoleſcenti, hic ſagitta à te, & vltra: vade quoniam dimiſit te Dominus. 23 Et
verbum, quod locuti ſumus ego, & tu, ecce Dominus teſtis inter me & te vſque in ſæculum. 24 Et abſcondit ſe
Dauid in agro, & aduenit menſis, & venit rex ad menſam ad comedendum. 25 Et ſedit ſuper cathedram ſuam,
ſicut ſemel, & ſemel, ſuper cathedram apud parietem, & præuenit ipſum Ionathan, & ſedit Abenner à latere Saul
& viſitatus eſt locus Dauid. 26 Et non locutus eſt Saul in die illa: quoniam dixit: Accidens videtur, vt non ſit
purus, quoniam mundatus eſt. 27 Et factum eſt craſtina menſis die ſecunda, & viſitatus eſt locus Dauid Et dixit
Saul ad Ionathan filium ſuum: Quid, quod non aduenit filius Ieſſæ, & heri, & hodie ad menſam? 28 Et reſpō-
dit Ionathan ad Saul: & dixit ei: Deprecatus eſt à me Dauid vſque in Bethleem ciuitatem ſuam ire: 29 Et di-
xit: Dimitte nunc me, quoniam ſacrificium ipſius tribus, nobis in ciuitate, & mandauerunt ad me fratres mei: &
nunc, ſi inueni gratiam in oculis tuis, tranſibo iam, & videbo fratres meos. Propter hoc non aduenit ad menſam
regis. 30 Et indignatus eſt ira Saul ſuper Ionathan valde, & dixit ei: Fili puellarum vltro venientium, nō enim
noui, quia particeps es tu filio Ieſſæ in confuſionem tuam, & in confuſionem, reuelationis matris tuæ? 31 Quo-
niam omnibus diebus, quibus filius Ieſſe vixerit ſuper terram, non parabitur regnum tuum. Nunc igitur mittens
cape adoleſcentem: quia filius mortis iſte. 32 Et reſpondit Ionathan ad Saul: Vt quid moritur? quid fecit?
33 Et eleuauit Saul haſtā ſuper Ionathan ad interficiendū eū. Et cognouit Ionathā, quia cōſummata eſt malitia
hæc à patre ſuo, interficiendi Dauid. 34 Et reſilijt Ionathan à menſa in indignatione iræ, & non comedit in
ſecunda menſis panē. Quoniā fauciatus eſt ſuper Dauid, qm̄ conſummauerat ſuper eum pater ſuus. 35 Et factū
eſt mane, & exijt Ionathan in campum, ſicut conſtituerat in teſtimonium Dauid, & puer paruulus cum eo:

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

36 Et ait ad puerum ſuum: Vade, & affer mihi ſagit-
tas, quas ego iacio. Cumque puer cucurriſſet, iecit
aliam ſagittam trans puerum.
37 Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miſerat
Ionathas: & clamauit Ionathas poſt tergum pueri,
& ait: Ecce ibi eſt ſagitta porro vltra te.
38 Clamauitque iterum Ionathas poſt tergum pueri,
dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Collegit autem
puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad dominũ ſuum:
39 Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo
enim Ionathas, & Dauid rem nouerant.
40 Dedit ergo Ionathas arma ſua puero, & dixit ei: Va-
de, & defer in ciuitatem.
41 Cumque abijſſet puer, ſurrexit Dauid de loco, qui
vergebat ad Auſtrum, & cadens pronus in terram,
adorauit tertio: & oſculantes ſe alterutrum, fleue-
runt pariter, Dauid autem amplius.
42 Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæ-
cumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicẽ-
tes: Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen meũ,
& ſemen tuum vſque in ſempiternum.
43 Et ſurrexit Dauid, & abijt: ſed & Ionathas ingreſ-
ſus eſt ciuitatem.

### CAP. XXI.

1 VEnit autem Dauid in Nobe ad Achimelech
ſacerdotẽ: & obſtupuit Achimelech, eo quòd
veniſſet Dauid. Et dixit ei: Quare tu ſolus, & nul-
lus eſt tecum?
2 Et ait Dauid ad Achimelech ſacerdotem: Rex præ-
cepit mihi ſermonem, & dixit: Nemo ſciat rem pro-
pter quam miſſus es à me, & cuiuſmodi præcepta
tibi dederim: nam & pueris condixi in illum, & il-
lum locum.
3 Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinque
panes, da mihi, aut quidquid inueneris.
4 Et reſpondens ſacerdos ad Dauid, ait illi: Nõ habeo
laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctũ. ſi
mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?
5 Et reſpondit Dauid ſacerdoti, & dixit ei: Equidem,
ſi de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, &
nudiuſtertius, quando egrediebamur, & fuerunt va-
ſa puerorum ſancta, porro via hæc polluta eſt, ſed &
ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.

De-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 Dixitque ad puerum ſuum: Curre inueni nunc ſa-
gittas quas iacio. Et puer cucurrit, & iecit ſagittam
trans illum.
37 Et venit puer vſque ad locum ſagittæ, quam iece-
rat Ionathan: clamauitque Ionathan poſt puerum,
& dixit: Nonne ſagitta à te, & vltra.
38 Clamauitque Ionathan poſt puerum: Accelera, feſti-
na, ne ſteteris. Et collegit puer Ionathan ſagittas, &
venit ad dominum ſuum:
39 Puer autem neſciebat quicquam: ſed Ionathan, &
Dauid ſciebant rem.
40 Deditque Ionathan arma ſua puero, qui erat ei, di-
xitque ei: Vade defer in ciuitatem.
41 Puer ingreſſus eſt, & Dauid ſurrexit à loco, qui ver-
gebat ad Auſtrum, & cecidit in faciem ſuam in ter-
ram, & incuruauit ſe tribus vicibus: & oſculati ſūt
vnuſquiſque alter alterum, & fleuerunt vnuſquiſq;
alter cum altero, ſed Dauid magis fleuit.
42 Dixitque Ionathan ad Dauid: Vade in pace: quod
iurauimus ambo per nomen Domini, dicendo: Domi-
nus ſit inter me, & te, & inter ſemen meum, & ſe-
men tuum vſque in ſæculum.
43 Et ſurrexit, & abijt: & Ionathan ingreſſus eſt ciui-
tatem.

### CAP. XXI.

1 VEnit autem Dauid in Nob ad Achimelech ſa-
cerdotem: & timuit Achimelech, & venit in
occurſum Dauid. Dixitque ei: Quare es ſolus, &
vir non eſt tecum?
2 Dixitque Dauid ad Achimelech ſacerdotem: Rex
præcepit mihi aliquid, dixitque mihi: Vir non ſciat
quicquam, rem propter quam mitto te, & quæ præce-
pi tibi: pueros autem ſcire feci locum cuiuſdam, &
locum ignotum talis.
3 Et nunc quod eſt ſub manu tua, quinque panes da
in manu mea, vel quod inuenitur.
4 Et reſpondit ſacerdos ad Dauid, & dixit: Non eſt
panis prophanus ſub manu mea, ſed panis ſanctus:
num puer ſeruauit ſe, vel à muliere?
5 Et reſpondit Dauid ſacerdoti, & dixit ei: Vere mu-
lier prohibita eſt à nobis, ſicut heri, & nudiuſter-
tius quum egreſſus ſum, & fuerunt vaſa puerorum
ſanctitas, & ipſa via prophanationis, & etiam
quia hodie ſanctificabitur in vaſe.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

36 Et dixit puero: Curre inuenito mihi ſagittas, in quibus ego iaculor. Et puer cucurrit, & ipſe iaculatus eſt ſa-
gittã, & tranſire fecit eam. 37 Et venit puer vſque ad locũ ſagittæ, quo iaculatus fuerat Ionathan: & exclamauit
Ionathan poſt puerum, & dixit: Illic ſagitta à te, & vltra. 38 Et exclamauit Ionathan poſt puerum ſuum, dicẽs:
Feſtinans propera, & non ſtes. Et collegit puer Ionathan ſagittas, & attulit ſagittas ad dominũ ſuum: 39 Et puer
non cognouit quicquam: tantum Ionathan, & Dauid. 40 Et Ionathan dedit vaſa ſua ſuper puerum ſuum, & di-
xit puero ſuo: Vade, intra in ciuitatem. 41 Et vt intrauit puer, & Dauid ſurrexit ab Argab, & cecidit ſuper fa-
ciem ſuam, & adorauit eum ter: & deoſculatus eſt vnuſquiſque proximum ſuum, & plorauit vnuſquiſque proximũ
ſuum, vſque ad conſummationem magnam. 42 Et dixit Ionathan ipſi Dauid: Vade in pace: & ſicut iurauimus
nos vtrique in nomine Domini, dicentes: Dominus erit teſtis inter me, & te, & inter ſemen meum, & inter ſemen
tuum vſque in ſæculum. 43 Et ſurrexit Dauid, & abijt: & Ionathan ingreſſus eſt in ciuitatem.

### CAP. XXI.

ET venit Dauid in Nomba ad Abimelech ſacerdotem: & obſtupuit Abimelech occurſu eius. Et dixit ei:
Quid, quia tu ſolus, & nemo tecum? 2 Et dixit Dauid ſacerdoti: Rex mandauit mihi verbum hodie, & di-
xit mihi: Nemo ſciat verbum, de quo ego mitto te, & pro quo ego mandaui tibi, & pueris condixi in loco dicto,
Dei fides, Phelani, Maemoni. 3 Et nunc, ſi ſunt ſub manu tua quinque panes, da in manum meam, quod inuen-
tum fuerit. 4 Et reſpondit ſacerdos ipſi Dauid & dixit: Non ſunt panes prophani ſub manum meam, quia niſi
panes ſancti ſunt: ſi cuſtodierunt ſe pueri tantum à muliere, & comedent? 5 Et reſpondit Dauid ſacerdoti, &
dixit ei: Sed à muliere abſtinuimus heri, & nudiuſtertius, in exeundo me in viam, omnes pueri fuerunt purificati,
& hæc via prophana; quoniam ſanctificabitur hodie per vaſa mea.

Et de-

## Vulgat. Editio.

*Mat.12.3

6 * Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, niſi tantum panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

7 Erat autem ibi vir quidam de ſeruis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saul.

8 Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si habes hic ad manum haſtam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum, ſermo enim regis vrgebat.

9 Et dixit ſacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in Valle terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle, neque enim hic eſt alius abſque eo. Et ait Dauid: Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.

10 Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul: & venit ad Achis regem Geth:

11 Dixeruntq; ſerui Achis ad eum cum vidiſſent Dauid: Numquid non iſte eſt Dauid rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: * Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia?

*Sup.18.7. Eccli.47.7

12 Poſuit autem Dauid ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.

13 Et immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in oſtia portæ, deſfluebantque ſaliuæ eius in barbam.

14 Et ait Achis ad ſeruos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me?

15 An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente? hiccine ingredietur domum meam?

### CAP. XXII.

1 ABijt ergo Dauid inde, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cum audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc.

2 Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et dedit ei ſacerdos panem ſanctum. Non enim erant ibi panes, niſi panes facierum, qui remoti erant à facie Domini ad ponendum panes calidos in die qua ſublati ſunt.*

7 *Et ibi vir de ſeruis Saul in die illa demorabatur coram Domino, & nomen eius Doegh Edomæus potentiſſimus paſtorum, qui erant ipſi Saul.*

8 *Dixitque Dauid ad Achimelech, & non eſt hic ſub manu tua lancea, vel gladius? quia etiam gladium meum, & etiam arma mea non tuli in manu mea, quia verbum regis vrgebat.*

9 *Dixit autem ſacerdos: Gladius Gholiath Peliſthæi, quem percuſſiſti in valle quercus, ecce eſt inuolutus panno poſt ephod: ſi iſtum vis tollere tibi, tolle, quia non eſt alius præter ipſum hic. Dixitque Dauid: Si non eſt ſimilis illi da eum mihi.*

10 *Et ſurrexit Dauid, & fugit à facie Saul: & venit ad Achis regem Ghath:*

11 *Dixeruntque ſerui Achis ad eum: Nonne iſte eſt Dauid rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicendo: Percuſſit Saul mille ſuos, & Dauid decem millia ſuos?*

12 *Et poſuit Dauid verba hæc in corde ſuo, & timuit valde à facie Achis regis Ghath.*

13 *Et mutauit ipſe ſermonem ſuum in oculis eorum, & inſanum ſe oſtendebat in manibus eorum: & deſignabat in oſtijs portæ, & deſcendere faciebat ſaliuam ſuam in barbam ſuam.*

14 *Dixitque Achis ſeruis ſuis: Ecce vidiſtis hominem furentem, vt quid adduxiſtis eum ad me?*

15 *Deficio inſanis ego, quia adduxiſtis hunc ad inſaniendum coram me? num iſte ingredietur in domum meam?*

### CAP. XXII.

1 *ABijt autem Dauid inde & ſeruauit ſe in ſpelunca Hadullam. Et audierunt fratres eius, & omnis domus patris eius, & deſcenderunt ad eum illuc.*

2 *Et congregati ſunt ad eum omnis vir anguſtijs affectus, & omnis vir cui erat creditor, & omnis vir amarus animi: fuitque eis in principem, & fuerunt cum eo fermè quadringenti viri.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et dedit ei Abimelech ſacerdos panes propoſitionis. Quoniam ibi non erant panes, niſi panes faciei, qui ablati fuerant à facie Domini, ad apponendum panem calidum, qua die cepit eos. 7 Et ibi erat vnus puerorum Saul in die illa, detentus Neeſ Saran coram Domino: & nomen ei Doec Syrus paſcens mulas Saul. 8 Et dixit Dauid ad Abimelech: Vide, ſi eſt hic ſub manum tuam haſta, vel gladius? quoniam gladium meum, & vaſa non ſumpſi in manu mea, quoniam fuit verbum regis, ſecundum feſtinationem. 9 Et dixit ſacerdos: Ecce gladius Goliath alienigenæ, quem percuſſiſti in valle Ela, & hic inuolutus fuit in veſtimento: ſi hunc ſumpſeris, tibi ſume, quoniam non eſt alius præter hunc hic. Et dixit Dauid: Ecce non eſt, ſicut hic, da mihi illum, & dedit illum ei. 10 Et ſurrexit Dauid, & fugit in die illa à facie Saul: & venit Dauid ad Anchus regem Geth: 11 Et dixerunt pueri Anchus ad eum: Nonne hic Dauid rex terræ? nonne huic præcinebant ea, quæ choros ducebant, dicentes: Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis? 12 Et poſuit Dauid verba in corde ſuo, & timuit valde à facie Anchus regis Geth. 13 Et mutauit faciem ſuam coram eo, & affectabat in die illa, & tympanizabat ad oſtia ciuitatis, & collabebatur in manibus ſuis: & cadebat ad portas ciuitatis, & ſaliuæ eius defluebant in barbam eius. 14 Et dixit Anchus ad pueros ſuos: Ecce vidiſtis virum arreptitium correptum: vt quid introduxiſtis eum ad me? 15 Num indigens furentibus ego, quoniam introduxiſtis eum furere ad me? hic non ingredietur in domum?

### CAP. XXII.

ET abijt inde Dauid, & ſaluatus eſt, & venit in ſpeluncam Odollam. Et audiunt fratres eius, & domus patris eius, & deſcendunt ad eum illuc. 2 Et conuenerunt ad eum omnis in neceſſitate, & omnis debitor, & omnis triſtis animo: & fuit ſuper eos dux, & fuerunt cum eo circiter quadringenti viri.

Et abijt

UVA.BSCH

## Vulgat.Editio.

3 Et profectus eſt Dauid inde in Maſpha, quæ eſt Moab: & dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus,& mater mea vobiſcum,donec ſciam quid faciat mihi Deus.

4 Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manſeruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præſidio.

5 Dixitque Gad propheta ad Dauid: Noli manere in præſidio,proficiſcere,& vade in terram Iuda.Et profectus eſt Dauid,& venit in ſaltum Haret.

6 Et audiuit Saul, quòd apparuiſſet Dauid,& viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & eſſet in nemore,quod eſt in Rama, haſtam manu tenens,cunctique ſerui eius circumſtarent eum:

7 Ait ad ſeruos ſuos qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filij Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros,& vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones:

8 Quoniam coniuraſtis omnes aduerſum me, & non eſt qui mihi renunciet, maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Iſai?Non eſt qui vicem meã doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eo quod ſuſcitauerit filius meus ſeruum meum aduerſum me,inſidiantem mihi vſque hodie.

9 Reſpondens autem Doeg Idumæus,qui aſſiſtebat,& erat primus inter ſeruos Saul: Vidi,inquit filiũ Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotẽ.

10 Qui cõſuluit pro eo Dominum,& cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.

11 Miſit ergo rex ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius, ſacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuerſi venerunt ad regem.

12 Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui reſpondit: Præſto ſum Domine.

13 Dixitque ad eum Saul: Quare coniuraſtis aduerſũ me,tu & filius Iſai,& dediſti ei panes,& gladium, & conſuluiſti pro eo Deum, vt conſurgeret aduerſum me,inſidiator vſque hodie permanens?

14 Reſpondenſque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus ſeruis tuis,ſicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?

15 Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum? abſit hoc à me: ne ſuſpicetur rex aduerſus ſeruum ſuum rem huiuſcemodi,in vniuerſa domo patris mei:non enim ſciuit ſeruus tuus quidquam ſuper hoc negotio,vel modicum,vel grande.

Di-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

3 *Et abijt Dauid inde in Miſpeha Moab: dixitque ad regem Moab: Egrediatur quaſo pater meus, & mater mea,& maneant vobiſcum,donec ſciam quid faciat mihi Deus.*

4 *Et adduxit eos ante regem Moab: & manſerunt cum eo omnibus diebus, quibus fuit Dauid in arce.*

5 *Dixitque Ghad propheta ad Dauid: Ne maneas in arce, vade & ingredere terram Iehudah. Et abijt Dauid,& venit in ſaltum Chareth.*

6 *Audiuit autem Saul quòd ſcirentur Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem manebat in Ghibhah ſub arbore in Ramah, & lancea eius erat in manu eius,& omnes ſerui eius ſtabant iuxta eum:*

7 *Dixitque Saul ſeruis ſuis, qui ſtabant iuxta eum: Audite quaſo filij Iemini: etiam omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, omnes vos ponet tribunos,& centuriones:*

8 *Quia coniuraſtis aduerſum me, & non eſt qui aperiat ex vobis aurem meam, cum fœdus inierit filius meus cum filio Iſai? Et non eſt qui doleat ſuper me, & qui reuelet aurem meam: quia ſuſcitauit filius meus ſeruum meum aduerſum me ad inſidias ſecundum diem hanc.*

9 *Reſpondit autem Doegh Edomæus,qui conſtitutus erat ſuper ſeruos Saul, & dixit: Vidi filium Iſai venientem in Nob ad Achimelech filium Achithub.*

10 *Et conſuluit pro eo Dominum,& eſcam dedit ei: & gladium Gholiath Peliſtæi dedit ei.*

11 *Et miſit rex ad vocandum Achimelech filium Achithub ſacerdotem,& omnem familiam patris eius, ſacerdotes qui erant in Nob, & venerunt omnes ad regem.*

12 *Dixit autem Saul: Audi nunc fili Achithub. Et dixit: Ecce adſum Domine mi.*

13 *Dixitque ad eum Saul: Vt quid coniuraſtis aduerſum me tu,& filius Iſai,vt dares ei panem, & gladium,& conſuleres pro eo Deum,vt conſurgeret contra me ad inſidias ſecundum diem hanc?*

14 *Et reſpondit Achimelech regi, & ait: Et quis inter omnes ſeruos tuos,ſicut Dauid fidelis,& gener regis, & qui pergit ad obedientiam tuam, & glorioſus in domo tua?*

15 *Num hodie cœpi conſulere pro eo Deum? abſit mihi: ne imponat rex ſeruo ſuo quippiam omni domui patris mei: quia non nouit ſeruus tuus de omnibus his paruum,vel magnum.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et abijt Dauid inde in Maſſephat ipſius Moab: & dixit ad regem Moab: Sint nunc pater meus, & mater mea
apud te,quoadaſque cognouero,quid faciet mihi Deus. 4 Et deprecatus eſt faciem regis Moab: & habitauerunt
cum eo omnes dies,dum eſſet Dauid in præſidio. 5 Et dixit Gad propheta ad Dauid: Ne ſedeas in præſidio,va-
de,& venias ad terram Iuda.Et iuit Dauid,& venit,& ſedit in ciuitate Saric. 6 Et audiuit Saul, quia cognitus
eſt Dauid,& viri,qui cum eo.Et Saul ſedebat in colle ſub arboreto,quod in Rhama,& haſta in manu eius,& om-
nes pueri eius aſſiſtebant ei: 7 Et dixit Saul ad pueros ſuos: qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filij Beniamin: ſi
vere omnibus vobis dabit filius Ieſſæ agros,& vineas,& omnes vos ſtatuet centuriones,& Chiliarchos: 8 Quia
compoſiti eſtis omnes vos ſuper me,& non eſt,qui reuelet auriculam meam, cum diſpoſuerit filius meus teſtamẽ
tum cum filio Ieſſæ? Et non eſt qui laboret pro me ex vobis,& reuelans auriculam meam: quoniam ſuſcitauit fi-
lius meus ſeruum meum ſuper me in inimicum,ſicut dies hæc. 9 Et reſpondet Doec Syrus,qui præſidebat ſup
mulas Saul,& dixit: Vidi filium Ieſſæ aduenientem in Nomba ad Abimelech filium Achitob ſacerdotẽ. 10 Et
interrogauit ei per Deum,& cibaria dedit ei: & gladium Goliath alienigenæ dedit ei. 11 Et miſit rex vocare
Abimelec filium Achitob,& omnes filios patris eius,ſacerdotes,qui in Nomba,& aduenerunt omnes ad regem.
12 Et dixit Saul: Audi nunc fili Achitob. Et dixit: Ecce ego,loquere Domine. 13 Et dixit ei Saul: Vt quid cõ-
poſitus es contra me tu,& filius Ieſſæ,ad dandum te ei panem,& gladium, & interrogandum ei per Deũ, ad po-
nendum eum ſuper me in inimicũ,ſicut dies hæc? 14 Et reſpondit regi,& dixit: Et quis in omnibus ſeruis tuis,
ſicut Dauid,fidelis,& gener regis,& princeps omnis præcepti tui,& honoratus in domo tua? 15 Nunquid ho-
die cepi interrogare ei per Deum? Nequaquam: ne det rex contra ſeruum ſuum verbum,& ſuper totam domum
patris mei: quoniam ignorauit ſeruus tuus in omnibus his verbum paruum,vel magnum.

## Vulgata Editio.

16 Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu & omnis domus patris tui.

17 Et ait rex emiſſarijs, qui circumſtabant eum: Conuertimini, & interficite ſacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid eſt: ſcientes, quòd fugiſſet, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem ſerui regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini.

18 Et ait rex ad Doeg: Conuertere tu, & irrue in ſacerdotes. Conuerſuſque Doeg Idumæus, irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octogintaquinque viros veſtitos ephod lineo.

19 Nobe autem ciuitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque & aſinum, & ouem in ore gladij.

20 Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid:

21 Et annunciauit ei, quòd occidiſſet Saul ſacerdotes Domini.

22 Et ait Dauid ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cum ibi eſſet Doeg Idumæus, proculdubio annunciaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui.

23 Mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque ſeruaberis.

### CAP. XXIII.

1 ET annunciauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philiſthijm oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.

2 Conſuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philiſthæos iſtos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philiſthæos, & Ceilam ſaluabis.

3 Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa conſiſtentes timemus: quanto magis ſi ierimus in Ceilam aduerſum agmina Philiſthinorum?

4 Rurſum ergo Dauid conſuluit Dominum. Qui reſpondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philiſthæos in manu tua.

5 Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos, & abegit iuméta eorum, & percuſſit eos plaga magna: & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Dixitque rex: Moriendo morieris Achimelech tu, & omnis familia patris tui.*

17 *Dixitque rex curſoribus, qui ſtabant iuxta eum: Conuertimini, & interficite ſacerdotes Domini: quia etiam manus eorum eſt cum Dauid: & quia cognouerunt, quòd fugeret, & non aperuerunt aurē meam. Et noluerunt ſerui regis mittere manum ſuam, vt interficerent ſacerdotes Domini.*

18 *Dixit autem rex ad Doegh: Conuertere tu, & interfice ſacerdotes. Et conuerſus eſt Doegh Edomæus, & interfecit ſacerdotes, & interfecit in die illa octoginta, & quinque viros portantes ephod lineum.*

19 *Et Nob ciuitatem ſacerdotum percuſſit acie gladij à viro vſque ad mulierem, à paruulo vſque ad lactentem, & boues, & aſinos, & pecudes acie gladij.*

20 *Et euaſit filius vnus Achimelech filij Achitob, & nomen eius Ebiathar, & fugit poſt Dauid:*

21 *Et nunciauit Ebiathar ipſi Dauid, quòd occidiſſet Saul ſacerdotes Domini.*

22 *Et dixit Dauid ad Ebiathar: Noui in die illa, quòd ibi erat Doegh Edomæus, & quòd nunciando nunciaret Saul: ego cauſam præbui, quòd interficeretur omnis homo familia patris tui.*

23 *Mane apud me: ne timeas, quoniam qui, quæſierit animam meam quæret animam tuam, quia cuſtoditus eris penes me.*

### CAP. XXIII.

1 *ANnunciauerunt autem Dauid, dicendo: Ecce Peliſtæi pugnant cum Chehilah, & diripiunt areas.*

2 *Et interrogauit Dauid Dominum, dicendo: Num vadam, & percutiam Peliſtæos iſtos? Dixitque Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Peliſtæos, & ſeruabis Chehilah.*

3 *Dixeruntque viri Dauid ad eum: Ecce hic in Iehudah timemus: quanto magis cum perrexerimus in Chehilah ad acies Peliſtim?*

4 *Et addidit Dauid adhuc, vt interrogaret Dominum. Et reſpondit ei Dominus, & dixit: Surge, deſcende in Chehilah, quia do Peliſtæos in manu tua.*

5 *Et abijt Dauid, & viri eius in Chehilah, & pugnauit cum Peliſtæis, & duxit pecudes eorum, percuſſitque eos plaga magna: & ſeruauit Dauid habitatores Chehilah.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et dixit rex Saul: Morte morieris Abimelech tu, & vniuerſa domus patris tui. 17 Et dixit rex emiſſarijs, qui
aſſiſtebant apud eum: Adducite, & interficite ſacerdotes Domini: qm̄ manus eorum cum Dauid: & quoniā cognouerunt, quia fugit ipſe, & non reuelauerunt auriculam meam. Et non voluerūt pueri regis inferre manus ſuas
ad occurrendum in ſacerdotes Domini. 18 Et dixit rex ipſi Doec: Conuertere tu, & occurre in ſacerdotes. Et
conuertit ſe Doec Syrus, & interfecit ſacerdotes Domini in die illa, trecentos, & quinque viros, omnes portantes
ephud. 19 Et ipſam Nomba ciuitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij à viro vſque ad mulierem, ab infante
vſque ad lactentem, & vitulum, & aſinum, & ouem. 20 Et ſaluatur filius vnus ipſi Abimelech filio Achitob, &
nomen ei Abiathar, & fugit poſt Dauid: 21 Et annunciauit Abiathar ipſi Dauid, quia interfecit Saul omnes ſacerdotes Domini. 22 Et dixit Dauid ad Abiathar: Noui, quia in die illa, quia Doec Syrus, quia annuncians annunciabit ipſi Saul: ego ſui cauſa animarum domus patris tui. 23 Sede mecum: ne timeas, quoniam, vbicumque quæſiero animæ meæ locum, quæram & animæ tuæ, quoniam cuſtoditus es tu apud me.

### C A P. XXIII.

ET nunciatum eſt ipſi Dauid, dicentes: Ecce alienigenæ pugnant in Ceila, & ipſi diripiunt, conculcant areas.
2 Et interrogauit Dauid per Dominū, dicens: Si ibo, & percutiam alienigenas hos? Et dixit Dominus: Vade, & percuties in alienigenis his, & ſaluabis Ceila. 3 Et dixerunt viri Dauid ad eum: Ecce nos hic in Iudęa timemus: & quomodo, erit ſi iuerimus in Ceila, in ſpolia alienigenarum ingrediemur? 4 Et adiecit adhuc Dauid
interrogare per Dominum. Et reſpondit ei Dominus, & dixit ei: Surge, & deſcende in Ceila: quoniam ego trado alienigenas in manus tuas. 5 Et iuit Dauid, & viri, qui cum eo, in Ceila, & bellū fecit alienigenis, & fugerunt
à facie eius, & abduxit pecora eorum, & percuſſit in eis plagam magnam: & ſaluauit Dauid habitantes Ceila.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

6 Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius
Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod ſecum
habens deſcenderat.
7 Nunciatum eſt autem Sauli, quòd veniſſet Dauid
in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in ma-
nus meas, concluſuſque eſt introgreſſus vrbem, in
qua portæ, & ſeræ ſunt.
8 Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam de-
ſcenderet in Ceilam: & obſideret Dauid, & viros
eius.
9 Quod cum Dauid reſciſſet, quia præpararet ei Saul
clam malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem: Appli-
ca ephod.
10 Et ait Dauid: Domine Deus Iſrael, audiuit famam
ſeruus tuus, quòd diſponat Saul venire in Ceilam,
vt euertat vrbem propter me:
11 Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & ſi deſ-
cendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine
Deus Iſrael indica ſeruo tuo. Et ait Dominus: De-
ſcendet.
12 Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & vi-
ros, qui ſunt mecum, in manus Saul? Et dixit Do-
minus: Tradent.
13 Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, &
egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incer-
ti: nunciatumque eſt Sauli, quod fugiſſet Dauid de
Ceila, & ſaluatus eſſet: quā ob rē diſſimulauit exire.
14 Morabatur autem Dauid in deſerto in locis firmiſ-
ſimis, manſitque in monte ſolitudinis Ziph, in mon-
te Opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis die-
bus: & non tradidit eum Deus in manus eius.
15 Et vidit Dauid, quòd egreſſus eſſet Saul, vt quære-
ret animam eius. Porro Dauid erat in deſerto Ziph
in ſilua.
16 Et ſurrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in
ſiluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque
ei:
17 Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul
patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero ti-
bi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc.
18 Percuſſit ergo vterque fœdus coram Domino: man-
ſitque Dauid in ſilua: Ionathas autem reuerſus eſt
in domum ſuam.
*Infr. 26. 1.
19 * Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, di-
centes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis
tutiſſimis ſiluæ, in Colle Hachila, quæ eſt ad dexte-
ram deſerti?

Nunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 Et fuit cum fugeret Ebiathar filius Achimelech ad
Dauid in Chehilah, cum ephod deſcendit in manu
ſua.
7 Et nunciatum fuit Saul, quòd veniſſet Dauid in
Chehilah: dixitque Saul: Concluſit eum Deus in
manu mea, quia clauſus eſt ingrediendo in vrbem
portarum, & vectis.
8 Et congregauit Saul omnem populum in prælium, vt
deſcenderet in Chehilah, vt obſideret Dauid, & vi-
ros eius.
9 Et cognouit Dauid, quòd contra ſe Saul tacitè cogi-
taret malum, & dixit ad Ebiathar ſacerdotem: Ap-
plica ephod.
10 Dixitque Dauid: Domine Deus Iſrael, audiēdo au-
diuit ſeruus tuus, quòd quærit Saul venire in Che-
hilah, vt diſperdat ciuitatem propter me.
11 Nunquid tradent me maiores Chehilah in manu
eius? nunquid deſcendet Saul, quemadmodum audi-
uit ſeruus tuus? Domine Iſrael, indica quæſo ſeruo
tuo. Dixitque Dominus: Deſcendet.
12 Dixitque Dauid: Nunquid tradent maiores Chehi-
lah me, & viros meos in manu Saul? Et dixit Do-
minus: Tradent.
13 Surrexit autem Dauid, & viri eius fermè ſexcenti
viri, & egreſſi ſunt è Chehilah, & ambulauerunt
quo ambulauerunt: Sauli autem nunciatum fuit,
quòd euaſiſſet Dauid è Chehilah, & ceſſauit exire.
14 Et manſit Dauid in deſerto in munitionibus, man-
ſitque in monte in deſerto Ziph: quæſiuit autem eum
Saul omnibus diebus: & non tradidit eum Deus in
manu eius.
15 Et cognouit Dauid, quòd egreſſus eſſet Saul ad quæ-
rendum animam ſuam. Et Dauid erat in deſerto
Ziph in ſilua.
16 Surrexit autem Ionathan filius Saul, & iuit ad Da-
uid in ſiluam, & confortauit manum eius in Deo:
dixitque ad eum:
17 Ne timeas: quia non inueniet te manus Saul patris
mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecū-
dus, & etiam Saul pater meus ſcit ita.
18 Et pepigerunt ambo fœdus coram Domino: & man-
ſit Dauid in ſilua: Ionathan autem abijt in domum
ſuam.
19 Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Ghibhah, di-
centes: Nonne Dauid latitat nobiſcum in præſi-
dijs, in ſilua, in Colle Chachilah, quæ eſt à dextris
Ieſimon?

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et factum eſt in fugiendo Abiathar filium Achimelech ad Dauid, & ipſe cum Dauid in Ceila deſcendit ha-
bens ephud in manu ſua. 7 Et nunciatum eſt ipſi Saul, quia venit Dauid in Ceila: & dixit Saul: Ven-
didit eum Deus in manus meas, quoniam concluſus eſt, ingreſſus in ciuitatem portarum, & ſerarum.
8 Et præcepit Saul vniuerſo populo deſcendere in bellum in Ceila ad comprehendendum Dauid, & viros
eius. 9 Et cognouit Dauid, quia non tacet Saul de eo malitiam, & dixit Dauid ad Abiathar ſacerdo-
tem: Applica ephud Domini. 10 Et dixit Dauid: Domine Deus Iſrael, audiens audiuit ſeruus tuus,
quia quærit Saul venire ſuper Ceila ad corrumpendam ciuitatem propter me. 11 Nunquid conclu-
dentur? & nunc, nunquid deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine Deus Iſrael, annuncia ſeruo tuo. Et
dixit Dominus: Concludetur. 13 Et ſurrexit Dauid, & viri qui cum eo, circiter quadringenti: &
exierunt e Ceila, & ibant quo ibant: & annunciatum eſt Saul, quia euaſit Dauid è Ceila: & omiſit exire.
14 Et ſedit in Maſerem in deſerto in anguſtis, & ſedit in deſerto in monte Ziph, in terra æſtuoſa: & quærebat
eum Saul omnibus diebus: & non tradidit eum Dominus in manus eius. 15 Et vidit Dauid,
quia egreditur Saul ad quærendum Dauid, & Dauid erat in monte æſtuoſo in Cæne Ziph.
16 Et ſurrexit Ionathan filius Saul, & iuit ad Dauid in Cæne, & confirmauit manus eius in Domino: & dixit ad
eum: 17 Ne timeas: quoniam non inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, &
ego ero tibi in ſecundum, & Saul pater meus nouit ita. 18 Et diſpoſuerunt vtrique teſtamen-
tum coram Domino: & ſedit Dauid in Cæne: & Ionathan abijt in domum ſuam. 19 Et aſcende-
runt Ziphæi de æſtuoſa ad Saul in Collem, dicentes: Nonne ecce Dauid abſconditus eſt apud nos in Meſſerà in
anguſtis, in Cæne, in Colle ipſius Echela, qui à dextris Ieſſemū?

12. Et dixit Dauid: Nūquid tradent [illegible] de Ceila me, & viros meos in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. Hæc notata numero 12. [illegible] reſpondent noſtræ vulgatæ non habentur in trāſl. lat. ex Septuag. Romana videntur tamen agnoſci à Theodoreto q. 54.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

20 Nunc ergo, ſicut deſiderauit anima tua, vt deſcenderes, deſcende: noſtrum autem erit, vt tradamus eum in manus regis.
21 Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam.
22 Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curioſius agite, & conſiderate locum vbi ſit pes eius, vel quis viderit eum ibi, recogitat enim de me, quòd callidè inſidier ei.
23 Conſiderate, & videte omnia latibula eius, in quibus abſconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiſcum. Quòd ſi etiam in terram ſe abſtruſerit, perſcrutabor eum in cunctis millibus Iudæ.
24 At illi ſurgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem, & viri eius erant in deſerto Maon, in campeſtribus ad dexteram Ieſimon.
25 Iuit ergo Saul, & ſocij eius ad quærendum eum: & nunciatum eſt Dauid, ſtatimq; deſcendit ad petrã, & verſabatur in deſerto Maon. Quod cum audiſſet Saul, perſecutus eſt Dauid in deſerto Maon.
26 Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul: itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.
27 Et nuncius venit ad Saul, dicens: Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthijm ſuper terram.
28 Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſthinorum. Propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

### CAP. XXIIII.

1 AScendit ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi.
2 Cumque reuerſus eſſet Saul, poſtquam perſecutus eſt Philiſthæos, nunciauerunt ei, dicentes: Ecce, Dauid in deſerto eſt Engaddi.
3 Aſſumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Iſrael, perrexit ad inueſtigandum Dauid, & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.
4 Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti. Eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Et nunc ad omne deſiderium animæ tuæ rex deſcendendo deſcende: & noſtrum erit tradere eum in manu regis.*
21 *Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia miſerti eſtis mei.*
22 *Ite quæſo, & parate adhuc, & ſcitote, & videte locum eius in quo ſit pes eius quis viderit eum ibi, dixitque enim mihi nuncius, quòd callendo callidus eſt.*
23 *Et videte, & ſcitote omnia latibula in quibus abſcondit ſe: & reuertimini ad me cum re certa, & ibo vobiſcum. Et erit, ſi fuerit in terra, ſcrutabor eum in omnibus millibus Iehudah.*
24 *Surrexerunt autem, & abierunt in Ziph ante Saul: Dauid vero, & viri eius erant in deſerto Mahon in campeſtribus ad dexteram Ieſimon.*
25 *Et iuerunt Saul, & viri eius ad quærendum: & nunciauerunt nuncij Dauidi, & deſcendit ad petram & manſit in deſerto Mahon. Et audiuit Saul, & perſecutus eſt Dauid in deſertum Mahon.*
26 *Et iuit Saul ex latere montis hinc, & Dauid, & viri eius ex latere montis inde: & Dauid feſtinauit ire à facie Saul: Saul autem, & viri eius circumdabant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.*
27 *Nuncius autem venit ad Saul, dicens: Accelera, & veni, quoniam impetum fecerunt Peliſtim ſuper terram.*
28 *Et reuerſus eſt Saul à perſequendo Dauid, & iuit in occurſum Peliſtim. Ideo vocauerũt locum illum* Selah Hammachlecoth.*

### CAP. XXIIII.

1 *AScendit autem Dauid inde: & manſit in munitionibus Henghedi.*
2 *Et fuit, quando reuerſus eſt Saul à Peliſtim, nunciauerunt ei, dicendo: Ecce Dauid eſt in deſerto Henghedi.*
3 *Tulitq; Saul tria millia virorum electorum ex omni Iſrael, & iuit ad quærendum Dauid, & viros eius ſuper faciem petrarum arietum ſylueſtrium.*
4 *Et venit ad caulas ouium iuxta viam, vbi erat ſpelunca, & ingreſſus eſt Saul ad purgandum ventrem: Dauid autem, & viri eius in lateribus ſpeluncæ manebant.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et nunc omne, quod eſt ad animam regis, in deſcenſum deſcendat ad nos: concluſerunt eum in manus regis. 21 Et dixit ei Saul: Benedicti vos Domino, quia laboraſtis pro me. 22 Ite nunc, & parate adhuc, & noſcite locum eius, vbi erit pes eius cito ibi, vbi dixiſtis, ne fortè verſute agat. 23 Et videte, & noſcite & ibo vobiſcum. Et erit, ſi eſt ſuper terram, & inueſtigabo eum in omnibus millibus Iuda.
24 Et ſurrexerunt Ziphæi, & ierunt ante Saul: & Dauid, & viri eius in deſerto Maon, ad Occidentem à dextris Ieſſemũ. 25 Et iuit Saul, & viri eius, ad quærendum eum: & annunciauerunt ipſi Dauid, & deſcendit ad petram, quæ in deſerto Maon. Et audiuit Saul, & perſequutus eſt poſt Dauid in deſertum Maon.
26 Et eunt Saul, & viri eius à parte montis ab hac: & erat Dauid, & viri eius à parte montis ab hac: & fuit Dauid tegens ſe in eundo à facie Saul: & Saul, & viri eius caſtrametati ſunt ſuper Dauid, & viros eius, ad comprehendendum eos. 27 Et ad Saul venit nuncius, dicens: Feſtina, & veni, quoniam alienigenæ incurſionem fecerunt ſuper terram. 28 Et reuerſus eſt Saul non perſequendo poſt Dauid, & iuit in occurſum alienigenarum. Propter hoc cognominatus eſt locus ille, petra diuiſa.

### CAP. XXIIII.

ET ſurrexit Dauid inde: & ſedit in anguſtijs Engaddi. 2 Et factum eſt, vt reuertit Saul à poſt alienigenas, & annunciatum eſt ei, dicentibus: Quoniam Dauid in deſerto Engaddi. 3 Et ſumpſit ſecum tria millia virorum electorum ex omni Iſrael, & iuit quærere Dauid, & viros eius ſuper faciem Saddæem. 4 Et venit ad greges pecorum, quæ ſuper viam, & erat ibi ſpelunca, & Saul intrauit ad prouocandum: & Dauid, & viri eius in inferioribus ſpeluncæ ſedebant.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

5 Et dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.

6 Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eo quod abſciſſet oram chlamydis Saul.

7 Dixitque ad viros ſuos: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.

8 Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Saul: porro Saul exurgens de ſpelunca, pergebat cœpto itinere.

9 Surrexit autem, & Dauid poſt eum: & egreſſus de ſpelunca, clamauit poſt tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram, adorauit:

10 Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te?

11 Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manus meas in ſpelunca: & cogitaui, vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus, dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt.

12 Quin potius pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Animaduerte, & vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam.

13 Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur me Dominus ex te: manus autem mea non ſit in te.

14 Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: AB IMPIIS egredietur impietas: manus ergo mea non ſit in te.

15 Quem perſequeris, rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.

16 Sit Dominus iudex, & iudicet inter me, & te: & videat, & iudicet cauſam meam, & eruat me de manu tua.

17 Cum autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit:

18 Dixitq; ad Dauid: Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Dixeruntque viri Dauid ad eum: Ecce dies, quam dixit Dominus tibi: Ecce do inimicum tuum in manu tua, & facies ei quemadmodum placuerit in oculis tuis. Et ſurrexit Dauid, & abſcidit oram pallij, quod erat ipſi Saul clam.*

6 *Et fuit, poſt hoc percuſſit cor Dauid eum, propterea, quòd abſciderat oram, quæ erat ipſi Saul.*

7 *Dixitque viris ſuis: Abſit mihi à Domino, ſi faciam hoc domino meo, Chriſto Domini, vt mittã manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.*

8 *Et confregit Dauid viros ſuos verbis, & non permiſit eos conſurgere in Saul: Saul autem ſurrexit de ſpelunca, & iuit per viam.*

9 *Surrexit autem Dauid poſt hoc: & egreſſus eſt de ſpelunca, & clamauit poſt Saul, dicendo: Domine mi rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & incuruauit ſe Dauid in faciem in terram, & incuruauit ſe.*

10 *Dixitque Dauid ad Saul: Vt quid audis verba hominum, dicendo: Ecce Dauid quærit malum tuum?*

11 *Ecce die hac viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus hodie in manu mea in ſpelunca: & dixit quiſpiam, vt occiderem te, & peperci tibi, & dixi: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt.*

12 *Et pater mi vide, etiam vide oram pallij tui in manu mea: quia dum abſcinderem oram pallij tui non interfeci te. Scito, & vide, quia non eſt in manu mea malum, & præuaricatio, neque peccaui tibi: tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam.*

13 *Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur me Dominus de te: & manus mea non ſit in te.*

14 *Quemadmodum dicit prouerbium antiquorum: AB IMPIIS egredietur impietas: & manus mea non ſit in te.*

15 *Poſt quem egreſſus eſt rex Iſrael? quẽ perſequeris? poſt canem mortuum, poſt pulicem vnum.*

16 *Et ſit Dominus in iudicem, & iudicet inter me, & te: & videat, & iudicet animam meam, & iudicet me de manu tua.*

17 *Et fuit cum compleuiſſet Dauid loqui verba hæc ad Saul, dixit Saul: Num eſt vox tua hæc fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit:*

18 *Dixitq; ad Dauid: Iuſtior es me: tu enim retribuiſti mihi bonum, ego autem retribui tibi malum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et dixerunt viri Dauid ad eum: Ecce dies hæc, quam dixit Dominus ad te: Tradere inimicum tuum in ma-
nus tuas, & facies ei, ſicut bonum in oculis tuis. Et exurrexit Dauid, & dempſit pinnam diploidis Saul occulte.
6 Et factum eſt poſt hæc, & percuſſit cor eum, quia dempſerat pinnam diploidis eius. 7 Et dixit Dauid ad vi-
ros ſuos: Nequaquam mihi à Domino, ſi faciam verbum hoc domino meo Chriſto Domini, vt inferam manum
meam ſuper eum, quoniam Chriſtus Domini eſt hic. 8 Et ſuaſit Dauid viros ſuos in verbis, & non dedit eis, vt
ſurgentes immolarent Saul: & ſurrexit Saul, & deſcendit viam. 9 Et ſurrexit Dauid poſt eum de ſpelunca, &
clamauit Dauid poſt Saul, dicens: Domine rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinauit ſe Dauid in faciem ſuam
ſuper terram, & adorauit eum: 10 Et dixit Dauid ad Saul: Quare audis verba populi dicentium, ecce Dauid
quærit animam tuam? 11 Ecce in die hac viderunt oculi tui, quia tradidit te Dominus hodie in manus meas
in ſpelunca: & nolui te occidere, & peperci tibi, & dixi: Non iniiciam manum meam in dominum meum, quo-
niam Chriſtus Domini hic eſt. 12 Et ecce pinna diploidis tuæ in manu mea: ego abſtuli pinnam, & non occi-
di te. Et cognoſce, & vide hodie, quoniam non eſt malitia in manu mea, neque impietas, & contemptus, & non
peccaui in te: & tu ligas animam meam ad capiendum eam. 13 Iudicet Dominus inter me, & te, & vindicet
tibi de te: & manus mea non erit in te. 14 Sicut dicitur parabola antiqua: EX INIQVIS exibit deli-
ctum: & manus mea non erit in te. 15 Et nunc poſt quem tu egrederis rex Iſrael? poſt quem perſequeris tu?
poſt canem mortuum, & poſt pulicem vnum. 16 Fiat Dominus in iudicem, & vindicem inter me, & inter te:
videat Dñs, & iudicet iudicium meum, & vindicet me de manu tua. 17 Et factũ eſt, cum conſummaſſet Dauid
verba hæc loquens ad Saul, & dixit Saul: Vox tua hæc fili Dauid? Et eleuauit Saul vocem ſuam, & plorauit.
18 Et dixit Saul ad Dauid: Iuſtus tu ſuper me: quoniam tu reddidiſti mihi bona: ego autem retribui tibi mala.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

19 Et tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona: quo-
modo tradiderit me Dominus in manum tuam, &
non occideris me.
20 Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimit-
tet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vi-
ciſſitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus
es in me.
21 Et nunc, quia ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, &
habiturus in manu tua regnum Iſrael:
22 Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt
me, neque auferas nomen meum de domo patris
mei.
23 Et iurauit David Sauli. Abijt ergo Saul in domum
ſuam: & David, & viri eius aſcenderunt ad tutiora
loca.

### CAP. XXV.

*Eccli.46. 23. Infr.28.3.

1 MOrtuus * eſt autem Samuel, & congregatus
eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſe-
pelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſur-
genſque David deſcendit in deſertum Pharan.
2 Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſ-
ſeſſio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis:
erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & ac-
cidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.
3 Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomẽ vxo-
ris eius Abigail. Eratque mulier illa prudentiſſima,
& ſpecioſa: porro vir eius durus & peſſimus, & ma-
litioſus: erat autem de genere Caleb.
4 Cum ergo audiſſet David in deſerto, quòd tonde-
ret Nabal gregem ſuum:
5 Miſit decem iuuenes, & dixit eis: Aſcendite in Car-
melum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex
nomine meo pacificè.
6 Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui
tuæ pax & omnibus, quæcumque habes, ſit pax.
7 Audiui, quòd tonderent paſtores tui, qui erant no-
biſcum in deſerto: nunquam eis moleſti fuimus,
nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni
tempore quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.
8 Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nũc ergo
inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die e-
nim bona venimus. Quodcumque inuenerit manus
tua, da ſeruis tuis, & filio tuo David.
9 Cumque veniſſent pueri David, locuti ſunt ad
Nabal omnia verba hæc ex nomine David: & ſi-
luerunt.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et tu indicaſti hodie, quòd feciſti mecum bonum:
quia tradidit me Dominus in manu tua, & non oc-
cidiſti me.*
20 *Et ſi inuenerit quiſpiam inimicum ſuum, num di-
mittet eum in via bona? Dominus autem reddat ti-
bi bonum pro die hac, quam feciſti mihi.*
21 *Et nunc ecce cognoui, quòd regnando regnabis, &
ſtabit in manu tua regnum Iſrael:*
22 *Et nunc iura mihi per Dominum, ſi abſcideris ſe-
men meum poſt me, & ſi diſperdideris nomen meum
de domo patris mei.*
23 *Et iurauit David ipſi Saul. Et abijt Saul in domum
ſuam, & David, & viri eius aſcenderunt in præſi-
dium.*

### CAP. XXV.

1 *MOrtuus eſt Samuel, & congregati ſunt omnis
Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum
in domo ſua in Ramah. Et ſurrexit David, & deſcẽ-
dit in deſertum Paran.*
2 *Vir autem erat in Mahon, & pecudes eius in Char-
mel, & erat vir magnus valdè, & ei erant oues tria
millia: & mille capræ: & erat dum tonderet pecu-
des ſuas in Charmel.*
3 *Et nomen viri Nabal: nomen verò vxoris eius erat
Abighail. Et erat mulier bona intellectu, & pulchra
forma: vir autem erat durus: & malus operibus, &
erat Callibita.*
4 *Audiuit David in deſerto, quòd tonderet Nabal pe-
cora ſua:*
5 *Et miſit David decem pueros, dixitque David pue-
ris: Aſcendite in Charmel, & ite ad Nabal, & ſalu-
tate eum nomine meo pacificè.*
6 *Et dicite ſic: Ad vitã meã. & tu pacificus, & dom⁹
tua pacifica, & omne, quod eſt tibi erit pacificum.*
7 *Et nunc audiui, quòd tondentes ſunt tibi, nunc pa-
ſtores, qui ſunt tibi, fuerunt nobiſcum: non ignomi-
nia affecimus eos, nec defuit eis quicquam omnibus
diebus quibus fuerunt in Charmel.*
8 *Interroga pueros tuos, & annunciabunt tibi. Inueni-
antque pueri gratiam in oculis tuis: in die enim bo-
na venimus. Da obſecro, quod inuenerit manus tua
ſeruis tuis, & filio tuo David.*
9 *Et venerunt pueri David, & locuti ſunt ad Nabal
iuxta omnia verba hæc nomine David, & quieue-
runt.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et tu renunciaſti mihi hodie, quæ feciſti mihi bona: ſicut concluſit me Dominus in manibus tuis hodie, &
non occidiſti me: 20 Et ſicut ſi inueniat quis inimicum ſuum in tribulatione, & emittat eum in viam
bonam? & Dominus reddet ei bona, ſicut feciſti hodie. 21 Et nunc ecce ego cognoſco quoniam
regnans regnabis, & conſtituetur in manu tua regnum Iſrael: 22 Et nunc iura mihi in Domino, quia non
exterminabis ſemen meum poſt me, non delebis nomen meum de domo patris mei. 23 Et iurauit David
ipſi Saul. Et abijt Saul ad locum ſuum: & David, & viri eius aſcenderunt in Meſſera anguſtam.

### CAP. XXV.

ET mortuus eſt Samuel, & congregantur vniuerſus Iſrael, & plangunt eum, & ſepeliunt eum in domo ſua in
Armathæm. Et ſurrexit David, & deſcendit in deſertum Maon. 2 Et erat homo in Maon, & greges
eius in Carmelo, & homo magnus valde: & huic greges ter mille, & capræ mille: & factum eſt in tondendo gre-
gem ſuum in Carmelo. 3 Et nomen hominis Nabal: & nomen vxori eius Abigæa. Et vxor eius bona intel-
lectu, & bona ſpecie valde: & homo durus, & malignus in ſtudijs, & homo caninus. 4 Et audiuit Da-
uid in deſerto, quia tondet Naban Carmelus gregem ſuum: 5 Et miſit David decem pueros, & dixit pueris:
Aſcendite in Carmelum, & abite ad Nabal, & interrogate eum in nomine meo in pacem. 6 Et dicetis hęc:
In horas, & tu ſaluus, & domus tua, & omnia tua ſalua. 7 Et nunc ecce audiui, quia tondent tibi nunc pa-
ſtores tui, qui erant nobiſcum in deſerto: & non prohibuimus eos, & non imperauimus eis quicquam omnibus
diebus, cum ipſi eſſent in Carmelo. 8 Interroga pueros tuos, & annunciabunt tibi. Et inuenient pueri tui gra-
tiam in oculis tuis: quoniam ſuper diem bonam venimus. Da nunc, quodcumque inueneris manus tua, filio tuo
David. 9 Et veniunt pueri, & loquuntur ſermones hos ad Nabal iuxta omnia verba hæc in nomine David.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

10 Reſpondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos.

11 Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris quos neſcio vnde ſint?

12 Regreſſi ſunt itaque pueri Dauid per viam ſuam, & reuerſi venerunt, & nunciauerunt ei omnia verba, quæ dixerat.

13 Tunc ait Dauid pueris ſuis: Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladijs ſuis, accinctuſque eſt, & Dauid enſe ſuo: & ſecuti ſunt Dauid quaſi quadringenti viri: porro ducenti remanſerunt ad ſarcinas.

14 Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris ſuis, dicens: Ecce Dauid miſit nuncios de deſerto, vt benedicerent domino noſtro: & auerſatus eſt eos.

15 Homines iſti, boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti: nec quidquam aliquando perijt omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto:

16 Pro muro erant nobis, tam in nocte, quam in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges.

17 Quam ob rem conſidera, & recogita quid facias: quoniam completa eſt malitia aduerſum virum tuum, & aduerſum domum tuam, & ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui.

18 Feſtinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos:

19 Dixitque pueris ſuis: Præcedite me: ecce, ego poſt tergum ſequar vos: viro autem ſuo Nabal non indicauit.

20 Cum ergo aſcendiſſet aſinum, & deſcenderet ad radices montis, Dauid & viri eius deſcendebant in occurſum eius: quibus & illa occurrit.

21 Et ait Dauid: Vere fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto, & non perijt quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

22 Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent vſque mane, mingentem ad parietem.

Cum

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et reſpondit Nabal ſeruis Dauid, & dixit: Quis eſt Dauid? & quis filius Iſai? hodie multiplicati ſunt ſerui, qui diuidunt ſe vnuſquiſque à facie dominorum ſuorum.*

11 *Et tollam panem meum, & aquam meam, & victimam meam, quam occidi tonſoribus meis, & dabo viris quos non noui vnde ſint?*

12 *Et reuerſi ſunt pueri Dauid ad viam ſuam, & reuerſi ſunt, & venerunt, & annunciauerunt ei ſecundum omnia verba hæc.*

13 *Dixitque Dauid viris ſuis: Accingite vos vnuſquiſque gladium ſuum. Et accinxerunt ſe vnuſquiſque gladium ſuum, & accinxit ſe etiam Dauid gladium ſuum, & aſcenderunt poſt Dauid fermè quadringenti viri: ducenti autem manſerunt ad ſuppellectilia.*

14 *Abigail autem vxori Nabal annunciauit puer vnus è pueris, dicendo: Ecce miſit Dauid nuncios è deſerto ad ſalutandum dominum noſtrum: & inuectus eſt in eos.*

15 *Viri autem boni fuerunt nobis valdè, & non fuimus ignominia affecti: nec defuit nobis quicquam omnibus diebus quibus ambulauimus cum eis, dum eſſemus in agro:*

16 *Murus fuerunt nobis tum nocte, tum die omnibus diebus quibus cum eis pauimus pecora.*

17 *Et nunc ſcito, & vide quid facias: quia completa eſt malitia contra dominum noſtrum, & contra omnem domum eius, & ipſe eſt filius impius, vt nemo poſſit loqui ad eum.*

18 *Et feſtinauit Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque oues paratas, & quinque ſata polenta, & centum ligaturas vuarum ſiccarum, & ducentas carrycas, & poſuit ſuper aſinos:*

19 *Dixitque pueris ſuis: Tranſite ante me: ecce poſt vos venio: & viro ſuo Nabal non indicauit.*

20 *Et fuit, illa equitante ſuper aſinũ, & deſcendẽte per abſconditum montis, ecce Dauid, & viri eius deſcẽdebant in occurſum eius, & occurrit eis.*

21 *Et Dauid dixit: Certè ſeruaui omnia, quæ erant huic in deſerto, & non defuit ex omnibus, quæ erant ſibi, quicquam: & reddidit mihi malum pro bono.*

22 *Sic faciat Deus inimicis Dauid, & ſic addat, ſi reliquero ex omnibus, quæ ſunt ei vſque manè, mingentem in parietem.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et reſilijt, & reſpondit Nabal pueris Dauid, & dixit: Quis eſt Dauid? & quis filius Ieſſæ? hodie multiplicati ſunt ſerui recedentes vnuſquiſque à facie domini ſui. 11 Et capiam panes meos, & vinum meum, & victimas meas, quas immolaui tondentibus pecora mea, & dabo ea viris, quos non noui, vnde ſunt?
12 Et reuerſi ſunt pueri Dauid ad viam ſuam, & reuerterunt, & venerunt, & annunciauerunt Dauid, ſecundum verba hæc. 13 Et dixit Dauid viris ſuis: Cingimini vnuſquiſque gladium ſuum. Et aſcenderunt poſt Dauid circiter quadringenti viri: & ducenti ſederunt cum vaſis. 14 Et Abigææ vxori Nabal nunciauit vnus puerorum, dicens: Ecce Dauid miſit nuncios e deſerto ad benedicendum dominum noſtrum: & declinauit ab eis. 15 Et viri boni nobis valde, & non prohibuerunt nos: neque imperatunt nobis quicquam omnibus diebus, quibus fuimus apud eos, & dum eſſemus nos in agro: 16 Tamquam murus erant circa nos, & nocte, & die, omnibus diebus, quibus fuimus apud eos paſcentes gregem. 17 Et nunc cognoſce, & vide tu, quid facies: quoniam conſummata eſt malitia in dominum noſtrum, & in domum eius, & hic eſt filius peſtilentiæ, & non eſt loqui ad eum. 18 Et feſtinauit Abigæa, & ſumpſit ducentos panes, & duo vaſa vini, & quinque oues factas, & quinque œphi farinæ, & gomor vnum vuæ paſſæ, & ducentas palathas, & poſuit ſuper aſinos: 19 Et dixit pueris ſuis: Præcedite ante me: & ecce ego poſt vos aduenio: & viro ſuo non annunciauit. 20 Et factum eſt, cum ipſa inſcendiſſet ſuper aſinum, & deſcenderet in tegmine montis, & ecce Dauid, & viri eius deſcendebant in occurſum eius: & obuiam iuit eis.
21 Et Dauid dixit: Vtique immerito cuſtodiui omnia eius in deſerto, & non imperauimus capere ex omnibus eius quicquam: & retribuit mihi mala pro bonis. 22 Hæc faciat Deus ipſi Dauid, & hæc adijciat, ſi relinquam ex omnibus, qui ſunt ipſius Nabal vſque manè, mingentem ad parietem.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Cum autem vidiſſet Abigail David, feſtinauit, & deſcendit de aſino, & procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram:

24 Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me ſit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obſecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

25 Ne ponat, oro, dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos miſiſti.

26 Nunc ergo domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in ſanguinem, & ſaluauit manum tuam tibi: & nunc fiant, ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.

27 Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris, qui ſequuntur te dominum meum.

28 Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

29 Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu, & circulo fundæ.

30 Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, & conſtituerit te ducem ſuper Iſrael:

31 Non erit tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum cordis domino meo, quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris: & cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

32 Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum:

33 Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea.

34 Alioquin viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: niſi cito veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam mingens ad parietem.

Su-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et vidit Abighail Dauid, & feſtinauit, & deſcendit de aſino, & proſtrauit ſe in faciem Dauid ſuper faciem ſuam, & incuruauit ſe in terra:*

24 *Et proſtrauit ſe ad pedes eius, & dixit: Obſecro, ego domine mi ſit obnoxia pœnæ iniquitatis: & loquatur obſecro ancilla tua in auribus tuis, & audi verba ancillæ tuæ.*

25 *Ne quæſo ponat dominus meus cor ſuum ſuper virũ impium hunc ſuper Nabal, quia ſecundum nomen ſuum ſic eſt Nabal nomen eius, & ſtultitia cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros domini mei, quos miſiſti.*

26 *Et nunc domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te Dominus, vt non venires in ſanguinibus, & ſeruaret manum tuam tibi: & nunc ſint, ſicut Nabal inimici tui, & quærentes domino meo malum.*

27 *Et nunc benedictio hæc, quam attulit ancilla tua domino meo, detur pueris, qui ambulant ad pedes domini mei.*

28 *Parce obſecro præuaricationi ancillæ tuæ: quia faciendo faciet Dominus Domino meo domum ſtabilem, quia prælia Domini, dominus meus præliatus eſt: & malitia non inuenta eſt in te à diebus tuis.*

29 *Et ſurrexit homo ad perſequendum te, & ad quærendum animam tuam, & erit anima domini mei colligata in faſciculo vitæ cum Domino Deo tuo: & animam inimicorum tuorum funda iaculabitur in medio ſedis fundæ.*

30 *Et erit cum fecerit Dominus domino meo, ſecũdum omne, quod locutus eſt bonum ſuper te, & præceperit tibi vt ſis dux ſuper Iſrael:*

31 *Non erit hoc tibi offenſio, & offendiculum cordis domino meo, & ad effundendum ſanguinem gratis, & ad faciendum ſalutem Dominus meus ſibi, & benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.*

32 *Dixitque Dauid ad Abighail: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te die hac in occurſum mei, & benedictum eloquium tuum:*

33 *Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me die hac, ne venirem in ſanguinibus ad ſeruandum manum meam mihi.*

34 *Et quidem viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me, ne malefacerem tibi: quia niſi feſtinaſſes, & veniſſes in occurſum mei, non remanſiſſet ipſi Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et vidit Abigæa Dauid, & feſtinauit, & deſcendit ab aſino, & cecidit coram Dauid in faciem ſuam, & adorauit eum ſuper terram. 24 Ad pedes eius, & dixit: In me domine mi iniuſtitia mea: loquatur nunc ſerua tua in aures tuas, & audi ſermones ſeruæ tuæ. 25 Ne nunc ponat dominus meus cor ſuum ſuper hominem peſtilentem hunc: quia iuxta nomen ſuum hic eſt Nabal nomen ei, & inſipientia cum eo: & ego ſerua tua non vidi pueros domini mei, quos miſiſti. 26 Et nunc domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, ſicut prohibuit te Dominus, ne venires in ſanguinem innoxium, & ſeruares manum tuam tibi: & nunc fiant tanquam Nabal, inimici tui, & qui quærunt domino meo mala. 27 Et nunc accipe benedictionem hanc, quam attulit ſerua tua domino meo: & da pueris, qui aſſiſtunt domino meo. 28 Tolle nunc iniquitatem ancillæ tuæ: quia faciens faciet Dominus Domino meo domum fidelem, quia prælium Domini mei Dominus præliatur: & malitia non inuenietur in te vnquam. 29 Et ſurget homo perſequens te, & quærens animam tuam, & erit anima domini mei illigata in vinculo vitæ apud Dominum Deum: & animam inimicorum tuorum rotabis in medio fundæ. 30 Et erit, cum fecerit Dominus domino meo omnia, quæcumque locutus eſt bona ſuper te, & mandabit tibi in ducem ſuper Iſrael: 31 Et non erit tibi hoc abominatio, & ſcandalum domino meo, effundere ſanguinem innoxium gratis, & ſeruare manum domino meo ſibi: & benefaciat Dominus domino meo, & recorderis ancillæ tuæ ad benefaciendum ei. 32 Et dixit Dauid Abigææ: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in hac in occurſum mihi & benedictus modus tuus: 33 Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie in hac, ne venirem ad ſanguines, & ſeruando manum meam mihi. 34 Veruntamen viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me hodie malefacere tibi: quia niſi feſtinabas, atque adueniebas in occurſum mihi, tunc dixeram, ſi remanebit ipſi Nabal vſque ad lucem matutinam mingens ad parietem.

Et ac-

## Vulgat. Editio.

35 Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam.

36 Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quaſi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum puſillum aut grande vſque mane.

37 Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.

38 Cumque pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.

39 Quod cum audiſſet Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal, & ſeruum ſuum cuſtodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Miſit ergo Dauid, & locutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi in vxorem.

40 Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum & locuti ſunt ad eam, dicentes: Dauid miſit nos ad te, vt accipiat te ſibi in vxorem.

41 Quæ conſurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei.

42 Et feſtinauit, & ſurrexit Abigail, & aſcendit ſuper aſinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pediſſequæ eius, & ſecuta eſt nuncios Dauid: & facta eſt illi vxor.

43 Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrael: & fuit vtraque vxor eius.

44 Saul autem dedit Michol filiam ſuam vxorem Dauid, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim.

### CAP. XXVI.

1 ET * venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ eſt ex aduerſo ſolitudinis.

* ſup. 23. 19.

2 Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſrael, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph.

3 Et caſtrametatus eſt Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerſo ſolitudinis in via: Dauid autem habitabat in deſerto. Videns autem quòd veniſſet Saul poſt ſe in deſertum,

Mi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

35 *Et tulit Dauid è manu eius, quod adduxerat ſibi, & ei dixit: Aſcende in pace in domum tuam: vide audiui vocem tuam, & ſuſcepi faciem tuam.*

36 *Et venit Abighail ad Nabal, & ecce erat ei conuiuium in domo ſua ſicut conuiuium regium & cor Nabal iocundum, & ipſe erat ebrius valde, & non indicauit ei rem paruam, & magnam, vſque ad lucem matutinam.*

37 *Et fuit, mane cum egreſſum eſſet vinum à Nabal, indicauit ei vxor eius verba iſta, & mortuum eſt cor eius in medio eius, & fuit vt lapis.*

38 *Et fuerunt ferè decem dies & percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.*

39 *Et audiuit Dauid quòd mortuus eſſet Nabal, & dixit: Benedictus Dominus qui iudicauit iudicium opprobrij mei de manu Nabal, & ſeruum ſuum retinuit à malo, & malum Nabal reddidit Dominus in caput eius: Miſitque Dauid, & locutus eſt ad Abighail, vt ſumeret eam ſibi vxorem.*

40 *Et venerunt ſerui Dauid ad Abighail in Charmel, & locuti ſunt ad eam dicendo: Dauid miſit nos ad te, vt ſumat te ſibi vxorem.*

41 *Et ſurrexit & incuruauit ſe in faciem ſuper terram & dixit: Ecce ancilla tua pro ancilla ad lauandum pedes ſeruorum Domini mei.*

42 *Et feſtinauit, & ſurrexit Abigail, & inſidit ſuper aſinum, & quinque puellæ eius ambulabant ad pedes eius, & iuit poſt nuncios Dauid, & fuit ei vxor.*

43 *Et Achinoham tulit Dauid de Izrehel, & fuerunt etiam ambæ ſibi vxores.*

44 *Saul autem dedit Michal filiam ſuam vxorem Dauid: Palti filio Lais, qui erat de Gallim.*

### CAP. XXVI.

1 *VEnerunt autem Ziphei ad Saul in Ghibhah, dicendo: Nonne Dauid latet in Ghibhah Chachilah quæ eſt contra faciem Ieſimon.*

2 *Surrexitque Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo erant tria millia virorum electorum Iſrael, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph.*

3 *Et caſtrametatus eſt Saul in Ghibhah Chachilah, quæ eſt contra faciem Ieſimon iuxta viam: Dauid autem manebat in deſerto: & cognouit quòd veniſſet Saul poſt ſe in deſertum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

35 Et accepit Dauid de manu eius omnia, quæ ferebat ei, & dixit ad eam: Aſcende in pace in domum tuam, vide, audiui vocem tuam, & ſuſcepi faciem tuam.
36 Et aduenit Abigæa ad Nabal, & ecce ei conuiuium in domo ſua, ſicut conuiuium regis, & cor Nabal bonum in eo, & ipſe ebrius vſque valde, & non annunciauit ei verbum paruum, vel magnum vſque ad lucem matutinam.
37 Et factum eſt mane, vt reſipuit à vino Nabal, annunciauit vxor eius verba, & hæc immortuum eſt cor eius in eo, & ipſe fit tanquam lapis.
38 Et facti ſunt circiter decem dies, & percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.
39 Et audiuit Dauid, & dixit: Benedictus Dominus, qui iudicauit iudicium opprobrij mei de manu Nabal, & ſeruum ſuum reſeruauit de manu malorum, & malitiam Nabal conuertit Dominus in caput eius, & miſit Dauid, & locutus eſt de Abigæa, ad accipiendum eam ſibi in vxorem.
40 Et venerunt pueri Dauid ad Abigæam in Carmelum, & locuti ſunt ei, dicentes: Dauid miſit nos ad te ad accipiendum te ſibi in vxorem.
41 Et ſurrexit, & adorauit ſuper terram in faciem, & dixit: Ecce ſerua tua in ancillam ad lauandum pedes puerorum tuorum.
42 Et ſurrexit Abigæa, & inſcendit ſuper aſinum, & quinque puellæ ſequutæ ſunt eam, & iuit poſt pueros Dauid, & fit ei in vxorem.
43 Et Achinaam ſumpſit Dauid de Iezrael, & vtræque fuerint ei vxores.
44 Et Saul dedit Melchol filiam ſuam, quæ erat vxor Dauid, Phalti filio Amis, qui de Rhomma.

### CAP. XXVI.

ET veniunt Ziphæi ab æſtuoſa ad Saul in collem, dicentes: Ecce Dauid tegitur nobiſcum in colle Echela ad faciem Ieſſemu.
2 Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum, electi ex Iſrael, ad quærendum Dauid in deſerto Ziph.
3 Et caſtrametatus eſt Saul in colle Echela, qui ſuper faciem Ieſſemu ſuper viam, & Dauid ſedit in deſerto, & vidit Dauid, quia venit Saul poſt ſe in deſertum:

Et mi-

## Vulgata Editio.

4 Miſit exploratores, & didicit quòd illuc veniſſet certiſſime.
5 Et ſurrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saul: cumque vidiſſet locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius,
6 Ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abiſai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis deſcendet mecum ad Saul in caſtra? Dixitque Abiſai: Ego deſcendam tecum.
7 Venerunt ergo Dauid, & Abiſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput eius: Abner autem & populum dormientes in circuitu eius.
8 Dixitque Abiſai ad Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, ſemel, & ſecundo opus non erit.
9 Et dixit Dauid ad Abiſai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?
10 Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit:
11 Propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in Chriſtum Domini: nunc igitur tolle haſtam, quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.
12 Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.
13 Cumque tranſiſſet Dauid ex aduerſo, & ſtetiſſet in vertice montis de longe, & eſſet grande interuallum inter eos,
14 Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne reſpondebis Abner? Et reſpondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem?
15 Et ait Dauid ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſrael? quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem? ingreſſus eſt enim vnus de turba vt interficeret regem, dominum tuum.

Non

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et miſit Dauid exploratores, & cognouit quod veniſſet Saul pro certo.*
5 *Et ſurrexit Dauid, & venit ad locum in quo caſtrametatus erat Saul, & vidit Dauid locum vbi iacebat Saul, & Abner filius Ner princeps militiæ eius: Saul autem iacebat in loco caſtrorum, & populus caſtrametati erant per circuitum eius.*
6 *Et reſpondit Dauid, & dixit Achimelech Chittæum & ad Abiſai filium Seruiah fratrem Ioab dicendo: Quis deſcendet mecum ad Saul in caſtra? & dixit Abiſai: Ego deſcendam tecum.*
7 *Et venit Dauid & Abiſai ad populum nocte, & ecce Saul iacens dormiebat in loco caſtrorum, & lancea eius fixa erat in terra ad caput eius, & Abner, & populus iacebant per circuitum eius.*
8 *Dixit autem Abiſai ad Dauid: Concluſit Deus hodie inimicum tuum in manu tua, & nunc percutiam eum nunc lancea, & in terra vice vna & non iterabo ei.*
9 *Dixitque Dauid ad Abiſai: Ne diſperdas eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?*
10 *Dixitque Dauid: Viuit Dominus, niſi Dominus percuſſerit eum, vel dies eius venerit, & moriatur, vel in prælium deſcenderit, & perierit.*
11 *Abſit mihi à Domino, ne mittam manum meam in Chriſtum Domini, & nunc tolle obſecro lanceam quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ & ibimus.*
12 *Et tulit Dauid lanceam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non fuit qui videret, nec cognoſceret, nec vigilaret, ſed omnes dormiebant: Sopor enim vehemens ceciderat ſuper eos.*
13 *Et tranſiuit Dauid in aduerſum, & ſtetit ſuper verticem montis à longe, multus locus erat inter eos.*
14 *Et clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner dicendo: Nonne reſpondebis Abner, & reſpondit Abner, & dixit: Quis es tu qui clamaſti ad regem.*
15 *Dixit autem Dauid ad Abner: Nonne vir es tu? & quis ſicut tu in Iſrael? & vt quid non cuſtodiſti Dominum tuum regem? venit enim vnus è populo ad perdendum regem Dominum tuum.*

Non

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et miſit Dauid exploratores, & cognouit, quia venit Saul paratus de Ceila. 5 Et ſurrexit Dauid clam,
& ingreditur in locum, vbi dormiebat illic Saul, & ibi Abenner filius Ner princeps militiæ eius, & Saul dormiebat
in lampene, & populus caſtrametatus circa eum. 6 Et reſpondit Dauid, & dixit ad Abimelech Chettæum, & ad Abeſſa filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis introibit mecum ad Saul in caſtra? & dixit Abeſſa:
Ego introibo tecum. 7 Et intrat Dauid, & Abeſſa ad populum nocte, & ecce Saul dormiens ſomno in
lampene, & lancea eius fixa in terram ad caput eius, & Abenner, & populus eius dormiebat circa eum.
8 Et dixit Abeſſa ad Dauid: Concluſit Dominus hodie inimicum tuum in manus tuas, & nunc percutiam eum
lancea in terram ſemel, & non repetam ei. 9 Et dixit Dauid ad Abeſſa: Ne humilies illum, quoniam
quis iniiciet manum ſuam in Chriſtum Domini, & purus erit? 10 Et dixit Dauid: Viuit Dominus,
niſi Dominus percuſſerit illum, aut hora illius venerit, & moriatur, vel in pugnam deſcenderit, & apponatur;
11 Nequaquam mihi à Domino iniicere manum meam in Chriſtum Domini, & nunc accipe, quæſo, lanceam
à ceruicali eius, & lentem aquæ, & abeamus nos per nos ipſi. 12 Et accepit Dauid lanceam, &
lentem aquæ à ceruicali eius, & abierunt per ſe ipſi, & non erat, qui videret, & non erat qui cognoſceret, & non
erat qui vigilaret, omnes ſomno ſopiti, quoniam ſtupor Domini irruerat ſuper illos. 13 Et tranſiuit Dauid vltra, & ſtetit in cacumine montis longe, & multa via inter eos. 14 Et aduocauit Dauid populum, & ad Abenner locutus eſt, dicens: Non reſpondebis Abenner? & reſpondit Abenner, & dixit: Quis es tu qui vocas? 15 Et dixit Dauid ad Abenner: Nonne vir
tu? & quis, ſicut tu, in Iſrael? & quare non cuſtodis dominum tuum regem? quoniam intrauit vnus de populo
diſperdere dominum tuum regem.

Et non

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Non eſt bonum hoc, quod feciſti: viuit Dominus, quoniam filij mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis Dominum veſtrum, Chriſtum Domini: nunc ergo vide vbi ſit haſta regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput eius.
17 Cognouit autem Saul vocem Dauid & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid: Vox mea, domine mi rex.
18 Et ait: Quam ob cauſam dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? Quid feci? aut quod eſt malum in manu mea?
19 Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba ſerui tui: Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium: ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini dicentes: Vade, ſerui dijs alienis.
20 Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino: quia egreſſus eſt rex Iſrael vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus.
21 Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod ſtulte egerim, & ignorauerim multa nimis.
22 Et reſpondens Dauid, ait: Ecce haſta regis: tranſeat vnus de pueris regis, & tollat eam.
23 Dominus autem retribuet vnicuique ſecundum iuſtitiam ſuam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini.
24 Et ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis, ſic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia.
25 Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid in viam ſuam, & Saul reuerſus eſt in locum ſuum.

### CAP. XXVII.

1 ET ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum, vt deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſrael? fugiam ergo manus eius.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Non eſt bonum hoc quod feciſti: viuit Dominus quia obnoxij morti eſtis, qui non cuſtodiſtis Dominum veſtrum Chriſtum Domini: & nunc vide vbi ſit lancea regia, & ſcyphus aquæ qui erat ad caput eius.*
17 *Et cognouit Saul vocem Dauid, & dixit: Num eſt vox tua hæc fili mi Dauid? & dixit Dauid: Vox mea eſt domine mi rex.*
18 *Et dixit: Vt quid dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? quid enim feci? & quid in manu mea malum?*
19 *Et nunc audiat quæſo dominus meus rex verba ſerui ſui: ſi Dominus incitauit te contra me, odoret ſacrificium: ſi vero filij hominum maledicti ſunt coram Domino, quia expulerunt me hodie, ne habitem in hæreditate Domini dicendo: Vade ſerui dijs alienis.*
20 *Et nunc ne cadat ſanguis meus in terram coram facie Domini quia egreſſus eſt rex Iſrael ad quærendum pulicem vnum, quemadmodum perſequitur quiſpiam perdicem in montibus.*
21 *Dixitque Saul: Peccaui: Reuertere fili mi Dauid: non enim malefaciam tibi amplius, eo quod precioſa fuit anima mea in oculis tuis die hac: ecce ſtulte egi & erraui multum valde.*
22 *Et reſpondit Dauid, & dixit: Ecce lancea regis: tranſeat vnus e pueris, & tollat eam.*
23 *Dominus autem reddat vnicuique iuſtitiam ſuam, & fidem ſuam, quia tradidit te hodie in manu mea, & nolui mittere manum meam in Chriſtum Domini.*
24 *Et ecce ſicut magnificata eſt anima tua die hac in oculis meis, ſic magnificetur anima mea in oculis Domini, & eruat me ex omni anguſtia.*
25 *Dixitque Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid, etiam faciendo facies, & valendo valebis, & iuit Dauid in viam ſuam, & Saul reuerſus eſt in locum ſuum.*

### CAP. XXVII.

1 *DIxit autem Dauid in corde ſuo: Nunc conſumar die vna per manum Saul: nonne eſt bonum quod eruendo eruam me in terra Peleſtim, & deſperet de me Saul, & non quærat me amplius in omni termino Iſrael, & eruam me de manu eius?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et non eſt bonum verbum hoc, quod feciſti: viuit Dominus, quoniam filij mortificationis vos eſtis, qui non
cuſtoditis regem dominum veſtrum Chriſtum Domini, & nunc vide, quæſo, lanceam regis, & lenticula aquæ vbi
eſt, quæ ad caput eius. 17 Et cognouit Saul vocem Dauid, & dixit: Vox tua hæc fili Dauid? & dixit Dauid:
Seruus tuus domine rex. 18 Et dixit: Vt quid hoc perſequitur dominus poſt ſeruum ſuum? quoniam quid
peccaui? & quæ inuenta eſt in me iniuſtitia? 19 Et nunc audiat dominus meus rex verbum ſerui ſui: ſi
Deus incitat te in me, olfiat ſacrificium tuum, quod ſi filij hominum, maledicti hi in conſpectu Domini, quoniã
eiecerunt me hodie non confirmatum eſſe in hæreditate Domini, dicentes: Vade, ſerui dijs alienis.
20 Et nunc non cadat ſanguis meus in terram ante conſpectum Domini, quoniam exijt rex Iſrael quærere animam
meam ſicut perſequitur nycticorax in montibus. 21 Et dixit Saul: Peccaui: reuertere fili Dauid,
quoniam non malefaciam tibi, ideo quoniam precioſa anima mea in oculis tuis & in hodierna: ſtulte egi & ignoraui
multa valde. 22 Et reſpondit Dauid, & dixit: Ecce lancea regis, tranſeat vnus ex pueris, & accipiat
eam, 23 Et Dominus reſtituet vnicuique ſecundum iuſtitias eius, & ſecundum fidem eius, ſicut tradidit
te Dominus hodie in manus meas, & nolui inijcere manum meam in Chriſtum Domini. 24 Et
ecce, ſicut magnificata eſt anima tua hodie in hac in oculis meis, ſic magnificetur anima mea in conſpectu Domini,
& tegat me, & eruat me ex omni tribulatione. 25 Et dixit Saul ad Dauid: Benedictus tu fili, &
faciens facies & potens poteris, & abijt Dauid ad viam ſuam, & Saul reuertit ad locum ſuum.

### CAP. XXVII.

ET dixit Dauid in corde ſuo dicens: Nunc apponar in die vna in manus Saul, & nõ eſt mihi bonũ, niſi ſaluatus
fuero in terrã alienigenarũ, & ceſſet à me Saul, à q̃rẽdo me in oẽm terminũ Iſrael, & ſaluabor de manu eius.

Et ſur-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Et ſurrexit Dauid, & abijt ipſe, & ſexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.

3 Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſe & viri eius; vir & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

4 Et nunciatum eſt Sauli quod fugiſſet Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum.

5 Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet ſeruus tuus in ciuitate regis tecum?

6 Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam cauſam facta eſt Siceleg regum Iuda, vſque in diem hanc.

7 Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philiſthinorum, quattuor menſium.

8 Et aſcendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vſque ad terram Ægypti.

9 Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollenſque oues, & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.

10 Dicebat autem ei Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid: Contra Meridiem Iudæ, & contra Meridiem Ierameel, & contra Meridiem Ceni.

11 Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur aduerſum nos: Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philiſthinorum.

12 Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſrael: erit igitur mihi ſeruus ſempiternus.

### CAP. XXVIII.

1 Factum eſt autem in diebus illis, congregauerunt Philiſthijm agmina ſua, vt præpararentur ad bellum contra Iſrael: dixitque Achis ad Dauid: Sciens nunc ſcito, quoniam mecum egredieris in caſtris tu, & viri tui.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et ſurrexit Dauid, & tranſiuit ipſe, & ſexcenti viri qui erant ſecum ad Achis filium Mahoch regem Ghath.*

3 *Et habitauit Dauid cum Achis in Ghath ipſe, & viri eius ſinguli cum familia ſua, Dauid, & duæ vxores eius: Achinoham Izrehelitis, & Abighail vxor Nabal Charmelitis.*

4 *Et nunciatum eſt Sauli quod fugiſſet Dauid in Ghath, & non addidit vltra vt quæreret eum.*

5 *Dixit autem Dauid ad Achis: Si quæſo inueni gratiam in oculis tuis, dent mihi locum in vna ex vrbibus regionis, & manebo ibi: & vt quid manet ſeruus tuus in ciuitate regia tecum?*

6 *Et dedit ei Achis in die illa Siclagh: ideo fuit Siclag regibus Iehudah vſque ad diem hanc.*

7 *Fuit autem numerus dierum quibus manſit Dauid in regione Peliſtim annus, & quattuor menſes.*

8 *Et aſcendit Dauid, & viri eius, & impetum fecerunt in Gheſuritam, & Ghirzitam, & Hamalechitam: hi enim inhabitabant terram quæ fuit à ſæculo, ingrediente te Sur vſque ad terram Ægypti.*

9 *Et percuſſit Dauid terram, nec viuum reliquit virum & mulierem, & tulit oues & boues, & aſinos & camelos ac veſtes, & reuerſus eſt, & venit ad Achis.*

10 *Dixitque Achis: Quò inuaſiſtis ad prædam hodie? & dixit Dauid: Contra Meridiem Iehudah, & contra Meridiem Ierachmeeli, & contra Meridiem Cheni.*

11 *Et virum, & mulierem non relinquebat viuum Dauid, vt adduceret in Ghath dicendo: Ne forte nuncient contra nos dicendo: Sic fecit Dauid. & ſic fuit conſuetudo eius omnibus diebus quibus manſit in regione Peliſtim.*

12 *Et credidit Achis Dauid dicendo: Abominando abominatus eſt populum ſuum Iſrael, & erit mihi ſeruus in ſæculum.*

### C A P. XXVIII.

1 *Et fuit, in diebus illis congregarunt Peliſtim caſtra ſua in pugnam, vt pugnarent cum Iſrael: dixitque Achis ad Dauid: Sciendo ſcies quod mecum egredieris in caſtra tu, & viri tui.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſurrexit Dauid, & ſexcenti viri, qui cum eo, & iuit ad Anchus filium Ammach, regem Geth.
3 Et ſedit Dauid cum Anchus, ipſe & viri eius, vnuſquiſque, & domus eius, & Dauid, & ambæ vxores eius, Achinaam Iezraelites, & Abigæa vxor Nabal Carmeli. 4 Et annunciatum eſt ipſi Saul, quia fugit Dauid
in Geth, & non adiecit vltra quærere eum. 5 Et dixit Dauid ad Anchus: Si nunc inuenit ſeruus tuus
gratiam in oculis tuis, dent nunc mihi locum in vna ciuitatum, quæ per agrum, & ſedebo illic, & vt quid ſedet
ſeruus tuus in ciuitate regia tecum? 6 Et dedit ei in die illa ipſam Sicelac: propter hoc facta eſt Sicelac regi Iudææ vſque in diem hanc. 7 Et factus eſt numerus dierum, quibus ſedit Dauid in agro
alienigenarum quattuor menſes. 8 Et aſcendit Dauid & viri eius, & incurſiones faciebant in omnem
Geſiri, & in Amalecitem, & ecce terra habitabatur ab aduenientibus, quæ à Gelampſur murata, & vſque ad terram Ægypti. 9 Et percutiebat terram, & non viuificabat virum, vel mulierem, & capiebant greges, &
armenta boum, & aſinos, & camelos, & veſtem, & reuertebant, & veniebant ad Anchus. 10 Et dixit
Anchus ad Dauid: Super quem irruiſtis hodie? & dixit Dauid ad Anchus: Ad Auſtrum Iudææ, & ad Auſtrum
Ieſmega, & ad Auſtrum Genezi. 11 Et virum & mulierem non viuificaui ad adducendum in Geth,
dicens: Ne annunciet in Geth contra nos, dicentes: Hæc Dauid facit: & hæc autem fuit iuſtificatio eius, omnibus diebus, quibus ſedit Dauid in agro alienigenarum. 12 Et fidem ſibi conciliauit Dauid in Anchus
valde, dicens: Abominans abominatus eſt in populo ſuo, in Iſrael, & erit mihi ſeruus in ſæculum.

### C A P. XXVIII.

Et factum eſt in diebus illis, & congregantur alienigenæ in caſtris ſuis, ad exeundum pugnare cum Iſrael, & dixit Anchus ad Dauid: Cognoſcens cognoſces, quia mecum exibis in bellum, tu, & viri tui.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Dixitque Dauid ad Achis: Nunc ſcies quæ facturus eſt ſeruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego cuſtodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

* Cap. 25. 1. Eccl. 46. 23

3 * Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramatha vrbe ſua. Et Saul abſtulit magos, & hariolos de terra.

4 Congregatique ſunt Philiſthijm, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: congregauit autem, & Saul vniuerſum Iſrael, & venit in Gelboe.

5 Et vidit Saul in caſtra Philiſthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis.

6 Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas.

* Leu. 20. 27 Deut. 18. 11 Act. 16. 16

7 Dixitque Saul ſeruis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem * pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſerui eius ad eum: Eſt mulier pythonem habens in Endor.

8 Mutauit ergo habitum ſuum: veſtituſque eſt alijs veſtimentis, & abijt ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi.

9 Et ait mulier ad eum: Ecce, tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & hariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt occidar?

10 Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

11 Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita.

12 Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul.

13 Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra.

14 Dixitque ei: Qualis eſt forma eius? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quod Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Dixit Dauid ad Achis: Profecto ſcies quæ faciet ſeruus tuus: dixitque Achis ad Dauid: Profecto cuſtodem capiti meo ponam te omnibus diebus.*

3 *Semuel autem mortuus erat, & planxerunt eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramah, & in vrbe ſua: Saul autem remouit pythones, & magos de terra.*

4 *Et congregati ſunt Peliſtim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunem, & congregauit Saul omnem Iſrael, & caſtrametati ſunt in Ghilboah.*

5 *Et vidit Saul caſtra Peliſtim, & timuit, & expauit cor eius valde.*

6 *Et conſuluit Saul Dominum, & non reſpondit ei Dominus nec per ſomnia nec per vrim, nec per prophetas.*

7 *Dixit autem Saul ſeruis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & ibo ad eam, & inquiram per eam: Dixeruntque ſerui eius ad eum: Ecce mulier habens pythonem in Hendor.*

8 *Et mutauit ſe Saul, & induit ſe veſtimentis alijs, & abijt ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & dixit: Diuina quæſo mihi per pythonem, & fac aſcendere ad me quem dixero tibi.*

9 *Dixitque mulier ad eum: Ecce tu noſti quæ fecit Saul, qui abſcidit pythones, & magos è terra, & vt quid tu offendiculum ponis animæ meæ, vt mori facias me?*

10 *Et iurauit ei Saul per Dominum dicendo: Viuit Dominus ſi euenerit tibi punitio propter hoc.*

11 *Dixitque mulier: Quem aſcendere faciam tibi? & dixit: Semuel: Fac aſcendere mihi.*

12 *Viditque mulier Semuelem, & clamauit voce magna, & dixit mulier ad Saul dicendo: Vt quid decepiſti me, & tu es Saul?*

13 *Dixitque ei rex: Ne timeas, quid enim vidiſti? & dixit mulier ad Saul: Diuum vidi aſcendentem è terra.*

14 *Dixitque ei: Qualis forma eius? & ait: vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus pallio, & cognouit Saul, quod Semuel eſſet, & incuruauit ſe in faciem ſuper terram, & adorauit.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et dixit Dauid ad Anchus: Ita nunc cognoſces, quæ faciet ſeruus tuus, & dixit Anchus ad Dauid: Sic prin-
cipem cuſtodiæ corporis ponam te omnibus diebus. 3 Et Samuel mortuus eſt, & planxe-
runt eum vniuerſus Iſrael, & ſepeliunt eum in Armathæm, in ciuitate eius, & Saul circumabſtulit ventriloquos,
& Gnoſtas de terra. 4 Et congregantur alienigenæ, & veniunt, & caſtrametantur in Sonam,
& congregat Saul omnem virum Iſrael, & caſtrametantur in Gelbue. 5 Et vidit Saul caſtra
alienigenarum, & timuit, & expauit cor eius valde. 6 Et interrogauit Saul per Dominum,
& non reſpondit ei Dominus in ſomnijs, & in manifeſtationibus, & in prophetis. 7 Et dixit
Saul pueris ſuis: Quærite mihi mulierem ventriloquam, & ibo ad eam, & quæram in ea, & dixerunt pueri eius ad
eum: Ecce mulier ventriloqua in Aendor. 8 Et cooperuit ſe Saul, & induit veſtimenta
alia, & vadit ipſe, & duo viri cum eo, & veniunt ad mulierem nocte, & dixit ad eam: Vaticinare nunc mihi in ven-
triloquo, & reduc mihi quemcumque dixero: 9 Et dixit ei mulier: Ecce nunc tu noſti,
quæcumque fecit Saul, quomodo exterminauit ventriloquos, & Gnoſtas à terra, & vt quid tu illaqueas animam
meam ad mortificandam eam? 10 Et iurauit ei Saul, dicens: Viuit Dominus, ſi occurret
tibi iniuſtitia in verbo hoc. 11 Et dixit mulier: Quem reducam tibi? & dixit: Ipſum Sa-
muel reduc mihi. 12 Et vidit mulier ipſum Samuel, & exclamauit voce magna, & dixit
mulier ad Saul: Vt quid decepiſti me, & tu es Saul? 13 Et dixit ei rex: Ne timeas, dicito
quem vidiſti, & dixit ei mulier: Deos vidi aſcendentes è terra: 14 Et dixit ad eam: Quid
cognouiſti? & dixit ei: Virum erectum aſcendentem è terra, & hic diploidem indutus, & nouit Saul, quia hic Sa-
muel, & procubuit in faciem ſuam ſuper terram, & adorauit eum.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 Dixit autem Samuel ad Saul : * Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer? Et ait Saul : Coarctor nimis : ſiquidem Philiſthijm pugnant aduerſum me,& Deus receſſit à me,& exaudire me noluit neque in manu prophetarum, neque per ſomnia : vocaui ergo te,vt oſtenderes mihi quid faciam.

*Eccli. 46. 23.

16 Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?

17 Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid:

18 Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec : idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

19 Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthijm : cras autem tu & filij tui mecum eritis : ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſthijm.

20 Statimque Saul cecidit porrectus in terra : extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo,quia non comederat panem tota die illa.

21 Ingreſſa eſt itaque mulier illa ad Saul, (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum : Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea : & audiui ſermones tuos, quos locutus es ad me.

22 Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas,& poſſis iter agere.

23 Qui renuit, & ait : Non comedam. Coegerunt autem eum ſerui ſui & mulier, & tandem audita voce eorum ſurrexit de terra, & ſedit ſuper lectum.

24 Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo,& feſtinauit, & occidit eum : tollenſque farinam,miſcuit eam,& coxit azyma,

25 Et poſuit ante Saul & ante ſeruos eius. Qui cum comediſſent, ſurrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

### CAP. XXIX.

1 Congregata ſunt ergo Philiſthijm vniuerſa agmina in Aphec : ſed & Iſrael caſtrametatus eſt ſuper fontem,qui erat in Iezrahel.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Dixitque Semuel ad Saul : Vt quid commouiſti me, vt faceres aſcendere me? dixitque Saul : Anguſtijs afficior valde, & Peliſtim pugnant contra me, & Deus receſſit à me,& non reſpondit mihi vltra, neque per manum prophetarum, neque per ſomnia, & vocaui te,vt ſcire me faceres,quid faciam.*

16 *Dixitque Semuel : & vt quid interrogas me & Dominus receſſit à te,& eſt cum inimico tuo?*

17 *Et fecit Dominus ei,quemadmodum locutus eſt per manum meam, & ſcidit Dominus regnum de manu tua,& dedit illud ſocio tuo Dauid.*

18 *Propterea quod non audiſti voci Domini, nec feciſti iram furoris eius contra Hamalech : ideo hoc fecit tibi Dominus die hac.*

19 *Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manu Peliſtim, & cras eris tu, & filij tui mecum, etiam caſtra Iſrael dabit Dominus in manu Peliſtim.*

20 *Et feſtinauit Saul, & cecidit plenitudo ſtaturæ eius in terram, & timuit valde propter verba Semuel, etiam vires non erant in eo, quia non comederat panem tota die,& tota nocte.*

21 *Et venit mulier ad Saul,& vidit quod territus eſſet valde, & dixit ei : Ecce obtemperauit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea, & parui verbis tuis,quæ locutus es ad me.*

22 *Et nunc obtempera quæſo etiam voci ancillæ tuæ, & ponam ante te buccellam panis, & comede, & erunt in te vires,vt vadas per viam.*

23 *Et renuit,& dixit : Non comedam,& coegerunt eum ſerui eius, & etiam mulier, & audiuit voci eorum, ſurrexitque è terra,& ſedit ſuper lectum.*

24 *Mulieri autem erat vitulus pinguis in domo, & feſtinauit, & iugulauit eum,& tulit farinam,& miſcuit,& coxit ex ea infermentata.*

25 *Et attulit ante Saul, & ante ſeruos eius, & comederunt, & ſurrexerunt, & abierunt nocte ipſa.*

### CAP. XXIX.

1 *Et congregauerunt Peliſtim omnia caſtra ſua in Aphec, & Iſrael caſtrametati erant in fonte qui erat in Izrehel.*

*Prin-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit Samuel : Vt quid perturbaſti me,faciendo me aſcendere? & dixit Saul : Tribulor valde,& alienigenæ bellant in me,& Deus diſceſſit à me,& non exaudiuit me vltra etiam in manu prophetarum, & in ſomnijs, &
nunc vocaui te ad notificandum mihi,quid faciam. 16 Et dixit Samuel: Vt quid interrogas me,
& Dominus diſceſſit à te,& factus eſt cum proximo tuo? 17 Et fecit Dominus tibi, ſicut locutus
eſt Dominus in manu mea, & abſcindet Dominus regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo ipſi
Dauid : 18 Propterea quod non audiſti vocem Domini, & non feciſti indignationem iræ ſuæ in
Amalec : Propter hoc verbum fecit Dominus tibi in die hac. 19 Et tradet Dominus ipſum Iſrael
tecum in manus alienigenarum,& cras tu & filij tui tecum cadent,& caſtra Iſrael dabit Dominus in manus alienigenarum. 20 Et feſtinauit Saul,& cecidit porrectus ſuper terram,& timuit valde à ſermonibus
Samuel,& in eo non fuit fortitudo vltra,non enim comederat panem tota die & tota nocte illa. 21 Et
intrauit mulier ad Saul,& vidit quia feſtinabat valde,& dixit ad eum : Ecce nunc audiuit ſerua tua vocem tuam,
& poſui animam meam in manu mea,& audiui verba, quæ locutus es mihi. 22 Et nunc audi,
quæſo,vocem ancillæ tuæ, & apponam corã te buccellam panis,& comede, & erit tibi fortitudo,quoniam vadis
in via. 23 Et noluit comedere,& coegerunt eum pueri eius,& mulier, & audiuit vocem eorum,
& ſurrexit de terra,& ſedit ſuper ſellam. 24 Et mulieri erat vitula paſcualis in domo, & feſtinauit,& immolauit eam,& ſumpſit farinas,& conſperſit,& coxit azyma; 25 Et attulit coram Saul,& coram pueris eius, & comederunt, & ſurrexerunt, & abierunt nocte illa.

### CAP. XXIX.

Et congregant alienigenæ omnia caſtra ſua in Aphec,& Iſrael caſtrametatus eſt in Aendor,quæ in Iezrael.

Et Sa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Et ſatrapæ quidem Philiſthijm incedebant in centurijs & millibus: Dauid autem & viri eius erant in nouiſſimo agmine cum Achis.

3 Dixeruntque principes Philiſthijm ad Achis: Quid ſibi volunt Hebræi iſti? Et ait Achis ad principes Philiſthijm: Num ignoratis Dauid, qui fuit ſeruus Saul regis Iſrael, & eſt apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam ex die qua transfugit ad me, vſque ad diem hanc?

* 1. Par. 12. 19.

4 * Irati ſunt autem aduerſus eum principes Philiſthijm, & dixerunt ei: Reuertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcum in prælium, ne fiat nobis aduerſarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris?

5 Nonne iſte eſt Dauid, cui cantabant in choris, dicentes: Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis?

6 Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in caſtris: & non inueni in te quidquam mali ex die qua veniſti ad me, vſque in diem hanc: ſed ſatrapis non places.

7 Reuertere ergo & vade in pace, & non offendas oculos ſatraparum Philiſthijm.

8 Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inueniſti in me ſeruo tuo à die qua fui in conſpectu tuo vſque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis?

9 Reſpondens autem Achis, locutus eſt Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei: ſed principes Philiſthinorum dixerunt: Non aſcendet nobiſcum in prælium.

10 Igitur conſurge mane tu, & ſerui domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte ſurrexeritis, & cœperit dilucеſcere, & pergite.

11 Surrexit itaque de nocte Dauid ipſe & viri eius, vt proficiſcerentur mane, & reuerterentur ad terram Philiſthijm: Philiſthijm autem aſcenderunt in Iezrahel.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*2 Principes autem Peliſtim tranſibant centeni, & milleni: Dauid autem, & viri eius tranſibant in nouiſſimo cum Achis.*

*3 Dixeruntque principes Peliſtim: Quid hic agunt Hebræi iſti? dixitque Achis ad principes Peliſtim: nonne iſte eſt Dauid ſeruus Saul regis Iſrael, qui fuit mecum iam diebus, vel iam annis, & non inueni in eo quicquam à die qua habitauit vſque ad diem hanc?*

*4 Et irati ſunt aduerſus eum principes Peliſtim, dixeruntque ei principes Peliſtim: Fac redire virum, & reuertatur ad locum ſuum in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcum in prælium, & non ſit nobis aduerſarius in prælio, & in quo placebit hic domino ſuo? Nonne in capitibus virorum horum?*

*5 Nonne hic eſt Dauid, cui canebant in choris dicendo: Percuſſit Saul mille ſuos, Dauid decem millia ſuos.*

*6 Vocauit autem Achis Dauid, & dixit ei: Viuit Dominus quia rectus es, & bonus in oculis meis, egrediente te, & ingrediente te in caſtra: non enim inueni in te malum à die quo ingreſſus es ad me vſque ad diem hanc ſed in oculis principum non es bonus.*

*7 Et nunc reuertere, & vade in pace & non facies malum in oculis principum Peliſtim.*

*8 Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inueniſti in ſeruo tuo à die qua fui coram te vſque ad diem hanc, quod non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis?*

*9 Et reſpondit Achis: Dixitque ad Dauid: Noui quod bonus es in oculis meis, ſicut Angelus Dei: ſed principes Peliſtim dixerunt: Non aſcendat nobiſcum in prælium.*

*10 Et nunc ſurge mane, & ſerui Domini tui qui venerunt tecum, & ſurgite mane, & illuceſcet vobis, & ite.*

*11 Et ſurrexit Dauid, & viri eius, vt iret mane, vt reuerteretur ad terram Peliſtim: Peliſtim vero aſcenderunt in Izrehel.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſatrapæ alienigenarum tranſibant ad centurias, & ad millia, & Dauid, & viri eius tranſibant in nouiſſimis
cum Anchus. 3 Et dixerunt alienigenæ: Qui nam iſti pertranſeuntes? & dixit Anchus ad
duces alienigenarum: Nonne hic Dauid ſeruus Saul regis Iſrael? fuit nobiſcum dies, hunc ſecundum annum,
& non inueni in eo quicquam, ex qua die incidit ad me, & vſque in diem hanc. 4 Et contriſtati ſunt ſuper eum duces alienigenarum, & dicunt ei: Fac reuerti virum, & reuertatur ad locum ſuum, vbi collocaſti eum illic, & non veniat nobiſcum ad bellum, & non fiat inſidiator caſtrorum, & in quo conciliabitur hic
domino ſuo? Nonne in capitibus virorum iſtorum? 5 Nonne iſte Dauid cui præcinebant
in choris, dicentes: Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis? 6 Et
vocauit Anchus Dauid, & dixit ei: Viuit Dominus, quia rectus tu, & bonus in oculis meis, & exitus tuus, & introitus tuus mecum in caſtris, & quia non inueni de te malum ex qua die venis ad me vſque in hodiernam
diem, & in oculis ſatraparum non bonus tu. 7 Et nunc reuerte, & vade in pace, & non facies malum in oculis ſatraparum alienigenarum. 8 Et dixit Dauid ad Anchus: Quid feci
tibi? & quid inueniſti in ſeruo tuo, ex qua die fui coram te, & vſque ad diem hanc, vt non veniam impugnans
inimicos domini mei regis? 9 Et reſpondit Anchus ad Dauid: Noui, quia bonus tu in oculis meis: ſed ſatrapæ alienigenarum dicunt: Non veniet nobiſcum ad bellum. 10 Et nunc
diluculo ſurge mane, tu, & pueri domini tui, qui veniunt tecum, & ite ad locum, vbi collocaui vos illic, & verbum peſtilens ne poſueris in corde tuo, quoniam bonus tu coram me, & diluculo ſurgite in viam, & illuceſcat vobis,
& ite. 11 Et diluculo ſurrexit Dauid, ipſe, & viri eius ad abeundum, & cuſtodiendum terram alienigenarum: & alienigenæ aſcenderunt ad bellandum in Iezrael.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XXX.

a 1.Par. 12.20

1 CVmque a venissent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.
2 Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.
3 Cum ergo venissent Dauid & viri eius ad ciuitaté, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas,
4 Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ.
5 Siquidé & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerãt, Achinoã Iezrahelites, Abigail vxor Nabal Carmeli.
6 Et contristatus est Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis, & filiabus: confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.
7 Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid,
8 Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitq; ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.
9 Abijt ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cũ eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt.
10 Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor.
11 Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem vt comederet & biberet aquam,
12 Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cũ comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquã, tribus diebus & tribus noctibus.
13 Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.
14 Siquidem nos erupimus ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad Meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXX.

1 *ET fuit, cum venisset Dauid & viri eius in Siclag die tertia: Hamalechitæ inuaserant ad prædam versus Meridiem, & Siclag, & diruerant Siclagh & combusserant eam igni.*
2 *Et captiuas duxerant mulieres quæ erant in ea à paruo vsque ad magnum, non interfecerant quenquam, sed duxerunt, & abierunt in viam suam.*
3 *Et venit Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & ecce combusta erat igni, & vxores eorum & filij eorum, & filiæ eorum captiui ducti erant.*
4 *Et leuauit Dauid, & populus qui erat cum eo vocem suam & fleuerunt donec non essent in eis vires ad flendum.*
5 *Et duæ vxores Dauid captiuæ ductæ erant Achinoã Izrahelita, & Abighail vxor Nabal Charmelita.*
6 *Et angustijs affectus est Dauid valde: dixerũt enim populus quod lapidaret eũ, q amaritudine affecta esset anima ois populi vniusquisque super filijs, & super filiabus suis, & roborauit se Dauid in Dño Deo suo.*
7 *Dixit autem Dauid ad Ebiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica quæso mihi Ephod, & applicauit Ebiathar Ephod ad Dauid.*
8 *Et interrogauit Dauid Dominum dicendo: Num persequar exercitum hunc? Num attingam eum? & dixit ei: Persequere quia comprehendendo comprehendes, & eruendo erues.*
9 *Et abijt Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant secum & venerunt vsque ad torrentem Besor: reliqui vero substiterunt.*
10 *Et persecutus est eos Dauid ipse, & quadringenti viri, & substiterunt ducenti viri qui lassi fuerant, ne transirent torrentem Besor.*
11 *Inueneruntque virum Ægyptium in agro & attulerunt eum ad Dauid, & dederunt ei panem, & comedit, & propinauerunt ei aquas.*
12 *Et dederunt ei fragmen caryca, & duas ligaturas vuarum passarum, & comedit, & reuersus est spiritus eius in eo: non enim comederat panem, nec biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.*
13 *Dixitque ei Dauid: Cuius es tu, & vnde es? dixitq; puer Ægyptius: Ego sum seruus viri Hamalechitæ, & dereliquit me Dominus meus quia ægrotaui hodie tres sunt dies.*
14 *Nos iuimus ad prædam, ad Meridiem Cherethi, & ad id quod est Iehudah, & ad Meridiem Chaleb, & Siclagh combussimus igni.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XXX.

ET factum est, intrante Dauid, & viris eius in Secelac die tertia, & Amalec in excursionem fecit ad Austrum, &
ad Secelac, & percussit ipsam Secelac, & incenderunt eam in igni: 2 Et mulieres, & omnia, quæ in ea, à parno vsque ad magnum non mortificauerunt virum, & mulierem, sed captiuarunt, & abierunt ad viam suam. 3 Et
venit Dauid, & viri eius in ciuitatem, & ecce incensa est in igni, vxores autem ipsorum, & filij ipsorum, & filiæ ipsorum captiuatæ. 4 Et eleuauit Dauid, & viri eius vocem suam, & plorauerunt, quoadusque non fuit in eis vltra
fortitudo ad plorandum. 5 Et ambæ vxores Dauid captiuatæ fuerant, Achinaam Iezraelites, & Abigæa vxor
Nabal Carmelij. 6 Et tribulatus est Dauid valde, qm̃ dixit populus lapidare eum, qm̃ amara anima vniuersi
populi, cuiusque super filios suos, & super filias suas, & confortatus est Dauid in Domino Deo suo. 7 Et dixit
Dauid ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica Ephud. 8 Et interrogauit Dauid per Dñm dicens: Si persequar post Geddur illud, si assequar eos? & dixit ei: Persequere, qm̃ assequens assequeris eos, & eruens
erues. 9 Et iuit Dauid, & sexcenti viri cum eo, & veniunt vsque ad torrentem Bosor, & residui substiterunt.
10 Et persequutus est in quadringentis viris: substiterunt aũt ducenti viri, qui quidem sederant trans torrentem
Bosor. 11 Et inueniunt virum Ægyptium in agro, & capiunt eum, & adducunt eum ad Dauid, & dant ei paně
& manducauit, & potauerunt eum aqua: 12 Et dant ei fragmentum palathæ, & manducauit, & restitutus est
spiritus eius in eo, quoniam non comederat panem, & non biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.
13 Et dixit ei Dauid: Cuius tu es, & vnde es? & dixit puer Ægyptius: Ego sum seruus viri Amalecitæ, & dereliquit me dominus meus, quia turbatus sum ego hodie tertianus. 14 Et nos incursionem fecimus ad Austrum
ipsius Cheleti, & super partes Iudææ, & ad Austrum Chelub, & ipsam Secelac incendimus in igni.

Et di-

## Vulgata Editio.

15 Dixitque ei Dauid : Potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait : Iura mihi per Deum, quod non occidas me,& non tradas me in manus domini mei & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et iurauit ei Dauid.
16 Qui cum duxiſſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem,pro cuncta præda, & ſpolijs quæ ceperant de terra Philiſthijm, & de terra Iuda.
17 Et percuſſit eos Dauid à veſpere vſque ad veſperam alterius diei,& non euaſit ex eis quiſquam,niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderant camelos,& fugerant.
18 Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores ſuas eruit.
19 Nec defuit quidquam à paruo vſque ad magnum, tam de filijs quàm de filiabus, & de ſpolijs, & quæcumque rapuerant omnia reduxit Dauid.
20 Et tulit vniuerſos greges & armenta, & minauit ante faciem ſuam : dixeruntque : Hæc eſt præda Dauid.
21 Venit autem Dauid ad ducentos viros,qui laſſi ſubſtiterant,nec ſequi potuerant Dauid,& reſidere eos iuſſerat in torrente Beſor : qui egreſſi ſunt obuiam Dauid,& populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum,ſalutauit eos pacifice.
22 Reſpondenſque omnis vir peſſimus,& iniquus de viris,qui ierant cum Dauid, dixit : Quia non venerunt nobiſcum,non dabimus eis quidquam de præda,quam eruimus : ſed ſufficiat vnicuique vxor ſua & filij : quos cum acceperint,recedant.
23 Dixit autem Dauid : Non ſic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, & cuſtodiuit nos, & dedit latrunculos,qui eruperant aduerſum nos,in manus noſtras :
24 Nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc : æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas,& ſimiliter diuident.
25 Et factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael vſque in diem hanc.
26 Venit ergo Dauid in Siceleg, & miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis, dicens : Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini :
27 His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem,& qui in Ieſher,

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Dixitque ad eum Dauid : Num deſcendere facies me ad exercitum illum? Et dixit : Iura mihi per Deum quod non occides me,neque trades me in manum domini mei, & aſcendere faciam te ad exercitum illum.*
16 *Et deſcendere fecit eum, & ecce diffuſi erant in ſuperficie omnis terræ comedentes, & bibentes & tripudiantes propter omnia ſpolia magna quæ tulerant è terra Peliſtim,& è terra Iehudah.*
17 *Et percuſſit eos Dauid à crepuſculo vſque ad veſperam in craſtinum, & non euaſit ex eis quiſquam, præter quadringentos viros adoleſcentes qui equitauerunt ſuper camelos,& fugerunt.*
18 *Et eruit Dauid omnia quæ tulerunt Hamalech, & duas vxores ſuas eruit Dauid.*
19 *Et non defuit eis à paruo vſque ad magnum vſque ad filios, & filias, & à ſpolijs vſque ad omnia quæ tulerunt ſibi omnia reduxit Dauid.*
20 *Et tulit Dauid omnes pecudes, & boues duxerunt ante gregem ipſum,& dixerunt : Hæc eſt præda Dauid.*
21 *Venitque Dauid ad ducentos viros qui laſſi fuerant, vt non poſſent ire poſt Dauid. & reſidere fecerunt eos in torrente Beſor : egreſſi ſunt in occurſum Dauid, & in occurſum populi qui erat ſecum, & acceſſit Dauid ad populum, & ſalutauit eos pacifice.*
22 *Reſpondit autem omnis vir malus,& impius, ex viris qui iuerunt cum Dauid, & dixerunt : Pro eo quod non venerunt nobiſcum,non dabimus eis de ſpolijs quæ eruimus, ſed vnuſquiſque vxorem ſuam, & filios ſuos ducent,& ibunt.*
23 *Dixit autem Dauid : Non facietis ſic fratres mei, quæ dedit Dominus nobis, & cuſtodiuit nos, & dedit exercitum qui venit contra nos in manu noſtra.*
24 *Et quis audiet vobis in re hac? ſed ſicut portio deſcendentis ad prælium erit portio manentis ad ſarcinas,pariter diuidentur.*
25 *Et fuit à die illa & ſupra, poſitum eſt hoc in legem, & in ius in Iſrael vſque ad diem hanc.*
26 *Et venit Dauid in Sielagh, & miſit de præda ſenioribus Iehudah amicis ſuis dicendo : Ecce vobis benedictio de ſpolijs inimicorum Domini.*
27 *Iis qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem,& qui in Iatther.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit ei Dauid:Si deduces me de Geddur iſtud? & dixit:Iura nunc mihi per Deū nō morti tradere me,ne-
que tradere me in manus dñi mei, & deducam te ad Geddur hoc 16 Et deduxit eum illuc,& ecce illi profuſi
ſuper faciem vniuerſæ terræ,comedentes,& bibentes, & feſtum celebrantes in omnibus ſpolijs illis magnis,quæ
ceperant de terra alienigenarum,& de terra Iuda. 17 Et venit ſuper eos Dauid,& percuſſit eos à Lucifero vſq;
ad veſperā,& in craſtina & non euaſit ſaluus ex eis vir:quia tm̄ quadringenti viri,qui inſcenderunt ſuper camelos
& fugerunt. 18 Et eripuit Dauid omnia quæ ceperant Amalecitæ,& vtraſque vxores ſuas eripuit: 19 Et nō
diſſonuit eis à paruo vſq; ad magnū,& de ſpolijs,& vſque ad filios,& filias, & vſque ad oīa,quæ ceperant ipſorū &
oīa redire fecit Dauid. 20 Et cepit oēs greges,& armenta boū,& abduxit ante ſpolia,& ſpolijs illis dicebatur:
hæc ſpolia Dauid. 21 Et aduenit Dauid ad ducentos viros,qui remanſerant ab eundo poſt Dauid, & reſidere
fecerat eos in torrente ipſius Boſor,& exierunt in occurſum Dauid,& in occurſum populi, qui cū eo, & acceſſit
Dauid vſque ad populum,& interrogauerunt eum,quæ ad pacem. 22 Et reſpondit omnis vir peſtilens, & ma-
lignus de viris bellatoribus,qui fuerant cum Dauid,& dixerunt,qm̄ non ſunt perſequuti nobiſcū,non dabimus eis
de ſpolijs,quæ eripuimus,quia tm̄ vnuſquiſque vxorem ſuam,& filios ſuos abducant,& reuertantur. 23 Et di-
xit Dauid: Non facietis ſic,poſtquam tradidit Dñs nobis, & cuſtodiuit nos, & tradidit Dñs Geddur,qui irruerat
ſuper nos,in manus noſtras. 24 Et quis exaudiet veſtros ſermones iſtos? Qm̄ non minoris nobis ſunt,quia ſm̄
portionem deſcendentis in prælium,ſic erit portio ſedentis ſuper vaſa,iuxta idem diuidentur. 25 Et factum eſt
à die illa,& vltra,& factum eſt in conſtitutionem,& in iuſtificationem ipſi Iſrael vſque in hodiernam.
26 Et venit Dauid in Sicelac, & miſit ſenioribus Iuda de ſpolijs, & proximis ſuis, dicens : Ecce de ſpolijs inimi-
corum Domini, 27 Qui in Bethſur, & qui in Rhama Auſtri, & quæ in Gethor,



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Et q in Aroer,& q in Sephamoth,& q in Eſthamo, 28
Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni, 29
Et q in Arama,& q in lacu Aſan, & qui in Athach, 30
Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, 31
in quibus cõmoratus fuerat Dauid ipſe, & viri eius.

CAP. XXXI.

1 PHiliſthijm autem pugnabant aduerſum Iſrael: & fugerunt viri Iſrael ante faciem Philiſthijm, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe.
2 * Irrueruntque Philiſthijm in Saul, & in filios eius, & percuſſerunt Ionathan, & Abinadab, & Melchiſua filios Saul, (* 1. paral. 10.3.)
3 Totumque pondus prælij verſum eſt in Saul: & conſecuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer à ſagittarijs.
4 * Dixitque Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum,& percute me:ne forte veniant incircũciſi iſti,& interficiant me,illudentes mihi. Et noluit armiger eius:fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium,& irruit ſuper eum. (* 1. para. 10.4.)
5 Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum,& mortuus eſt cum eo.
6 Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius,& vniuerſi viri eius in die illa pariter.
7 Videntes autem viri Iſrael,qui erant trans vallem,& trans Iordanẽ,quòd fugiſſent viri Iſraelitæ, & quod mortuus eſſet Saul,& filij eius,reliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt: veneruntque Philiſthijm, & habitauerunt ibi.
8 Facta autem die altera,venerunt Philiſthijm,vt ſpoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.
9 Et præciderunt caput Saul,& ſpoliauerunt eum armis: & miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum,vt annunciaretur in templo idolorum,& in populis.
10 Et poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth, corpus vero eius ſuſpenderunt in muro Bethſan.
11 * Quod cum audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philiſthijm Saul, (* 2. Reg. 2.4.)
12 Surrexerunt omnes viri fortiſſimi,& ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan: veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi:
13 Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes,& ieiunauerunt ſeptem diebus.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et q i Haroher,& q i Siphmoth,& q i Eſtemohah,*
29 *Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierachmeeli, & qui in vrbibus Cheni.*
30 *Et q i Chormah,& q in Borhaſan, & q in Hathah,*
31 *Et qui in Chebron, & omnibus locis in quibus ambulauerat Dauid ipſe,& viri eius.*

*CAP. XXXI.*

1 *PEliſtim autem pugnabant cum Iſrael, & fugerunt viri Iſrael à facie Peliſtim, & ceciderunt vulnerati in monte Ghilboah.*
2 *Et perſecuti ſunt Peliſtim Saul, & filios eius: percuſſeruntque Peliſtim Ionathan, & Abinadab, & Malchiſuah filios Saul.*
3 *Et aggrauatum eſt prælium contra Saul, & inuenerunt eum iaculatores viri cum arcu,& timuit valde à iaculatoribus.*
4 *Dixitque Saul armigero ſuo: Euagina gladium tuũ & perfode me illo,ne forte veniant incircumciſi iſti, & perfodiant me,& illuſiones ſiant in me, & noluit armiger eius: timebat enim valde, & tulit Saul gladium,& irruit ſuper eum.*
5 *Viditque armiger eius quod mortuus eſſet Saul, & irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.*
6 *Mortuuſque eſt Saul, & tres filij eius, & armiger eius,& etiam omnes viri eius in die illa pariter.*
7 *Et viderunt viri Iſrael qui erant in tranſitu vallis, & qui erant in tranſitu Iarden quod fugiſſent viri Iſrael,& quod mortui eſſent Saul,& filij eius & reliquerunt ciuitates,& fugerunt; veneruntque Peliſtim,& habitauerunt in eis.*
8 *Et fuit, in craſtino venerunt Peliſtim ad expoliandum interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Ghilboah.*
9 *Et absciderunt caput eius, & ſpoliauerunt arma eius, & miſerunt in terra Peliſtim per circuitum ad annunciandum in templo idolorum ſuorum, & in populo.*
10 *Et poſuerunt arma eius in templo Haſtaroth, corpus vero eius fixerunt in muro Bethſan.*
11 *Et audierunt de eo habitatores Iabes Ghilhad, quæ fecerunt Peliſtim ipſi Saul.*
12 *Et ſurrexerunt omnis vir fortis,& ambulauerunt tota nocte, tuleruntque corpus Saul & corpora filiorum eius de muro Bethſan,& venerunt in Iabes,& combuſſerunt ea ibi.*
13 *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt ſub arbore Iabes,& ieiunauerunt ſeptem diebus.*

LI-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

(Tanta eſt varietas huius Tranſ. ex Sep. cũ noſtra vulgata & aliis, vt hæc loca ſuis numeris adaptare nequiuerimus.)

28 Et qui in Aroer,& qui in Ammadi,& qui in Saphi,& qui in Eſthie,& qui in Geth, & qui in Cimath, & qui in Saphec, & qui in Themath, & qui in Carmelo, & qui in ciuitatibus ipſius Hieremeel, & qui in ciuitatibus ipſius Cenezi,& qui in Hierimuth,& qui in Berſabee,& qui in Nombe, & qui in Chebron, & omnia loca,quo tranſierat Dauid illuc,ipſe,& viri eius.

CAP. XXXI.

ET alienigenæ pugnabant in Iſrael,& fugerunt viri Iſrael à facie alienigenarum, & cadunt vulnerati in monte Gelbue. 2 Et congrediuntur alienigenæ cum Saul,& filijs eius, & percutiũt alienigenæ Ionathan,& Aminadab,& Melchiſa filium Saul. 3 Et aggrauatur prælium ſuper Saul,& inueniunt eum iaculatores viri ſagittarij & vulneratus eſt in hypochondria. 4 Et dixit Saul ad eum,qui portabat vaſa ipſius: Educ gladium tuum,& confige me in eo,ne veniant incircumciſi iſti,& configant me,& illudant mihi,& noluit,qui portabat vaſa eius,q̃m timuit valde,& ſumpſit Saul gladium,& incubuit ſuper eum. 5 Et vidit portans vaſa eius, quia mortuus eſt Saul, & incubuit et ipſe ſuper gladium ſuum,& mortuus eſt cum eo. 6 Et mortuus eſt Saul, & tres filij eius, & portans vaſa eius in die illa in idipſum. 7 Et viderunt viri Iſrael,qui trans vallem, & qui trans Iordanem,quia fugerunt viri Iſrael,& qui mortuus eſt Saul,& filij eius,& derelinquunt ciuitates ſuas,& fugiunt, & veniunt alienigenæ,& habitant in eis. 8 Et factum eſt,craſtina veniunt alienigenæ ad ſpoliandos mortuos,& inueniunt Saul, & tres filios eius iacẽtes in mõtibus Gelbue: 9 Et cõuertũt eũ,& ſpoliauerunt vaſa eius,& mittũt ea ad terrã alienigenarũ in circuitu euãgelizãtes idolis ſuis,& populo. 10 Et repoſuerũt vaſa eius in Aſtartio,& corpus eius defixerũt i muro Bæthsã. 11 Et audiũt inhabitãtes Iabis Galaditidis,q̃ fecerãt alienigenæ ipſi Saul. 12 Et ſurrexerũt oĩs vir virtutis,& iuerunt totã noctẽ,& ſũpſerũt corpus Saul,& corpus Ionathã filij eius de muro Bæthsã,& fuerũt eos i Iabis,& cõbuſſũt eos illic. 13 Et ſumũt oſſa eorũ,& ſepeliũt ſub arboreto,q̃ i Iabis,& ieiunãt ſeptẽ dies.

*Finis libri Primi Regum.*

LIBRI

UVA.BSCH

LIBRI SECVNDI

# REGVM.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

FActum eſt autem, poſtquam mortuus eſt 1
Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Ama-
lec, & maneret in Siceleg duos dies.
In die autem tertia apparuit homo veniens de ca- 2
ſtris Saul veſte conſciſſa, & puluere conſperſus ca-
put: & vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam
& adorauit.
Dixitque ad eum Dauid: Vnde venis? Qui ait ad 3
eum: De caſtris Iſrael fugi.
Et dixit ad eum Dauid: Quod eſt verbum quod 4
factum eſt? indica mihi. Qui ait: Fugit populus
ex prælio, & multi corruentes è populo mortui
ſunt: ſed & Saul & Ionathas filius eius interie-
runt.
Dixitque Dauid ad adoleſcentem, qui nunciabat ei: 5
Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius
eius?
Et ait adoleſcens, qui nunciabat ei: Caſu veni in 6
montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam
ſuam: porro currus & equites appropinquabant
ei:
Et conuerſus poſt tergum ſuum, videnſque me vo- 7
cauit. Cui cum reſpondiſſem: Adſum:
Dixit mihi: Quiſnam es tu? Et aio ad eum: Ama- 8
lecites ego ſum.
Et locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: 9
quoniam tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima
mea in me eſt.
Stanſque ſuper eum, occidi illum: ſciebam enim 10
quod viuere non poterat poſt ruinam: & tuli dia-
dema quod erat in capite eius, & armillam de
brachio illius, & attuli ad te dominum meum
huc.

Ap-

LIBRI SECVNDI

# SEMVEL.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ET fuit poſt mortem Saul, & Dauid reuer-*
*ſus erat à cædendo Hamalech, & manſerat*
*Dauid in Siclagh diebus duobus.*
2 *Et fuit, die tertio, ecce vir venit è caſtris Saul, &*
*veſtes eius ſciſſa erant, & terra ſuper caput eius, &*
*fuit, cum veniſſet ad Dauid, cecidit in terram, & in-*
*curuauit ſe.*
3 *Dixitque ei Dauid: Vnde venis? dixitque ad eum,*
*è caſtris Iſrael euaſi me.*
4 *Dixitque ad eum Dauid: Quid euenerit nuncia*
*quæſo mihi: Et dixit: Fugit populus de prælio, &*
*etiam multitudo cecidit è populo, & mortui*
*ſunt, & etiam Saul, & Ionathan filius eius mor-*
*tui ſunt.*
5 *Dixitque Dauid ad puerum qui nunciabat ſibi:*
*quomodo noſti quod mortuus ſit Saul & Ionathan*
*filius eius?*
6 *Dixitque puer, qui nunciabat ei: Per accidens ve-*
*niendo per accidens veni in montem Ghilboah, & ec-*
*ce Saul innixus erat lanceæ ſuæ, & ecce currus &*
*equites perſequebantur eum.*
7 *Et reſpexit poſt ſe, & vidit me, vocauitque me, &*
*dixi ei: Ecce adſum.*
8 *Dixitque mihi: Quis es tu? Et dixi ad eum Hama-*
*lechites ſum.*
9 *Dixitque mihi: Sta quæſo ſuper me, & interfice me,*
*quia tenet me anguſtia, quia omnis adhuc anima*
*mea eſt in me.*
10 *Et ſteti ſuper eum, & interfeci eum: ſciebam enim*
*quod non poſſet viuere: mortuo illo, tuli diadema*
*quod erat ſuper caput eius, & armillam quæ erat*
*in brachio eius, & adduxi ea ad dominum meum*
*huc.*

*Et*

LIBRI SECVNDI

# REGNORVM.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt, poſtquam mortuus eſt Saul, & Dauid reuertit percutiens Amalec, & ſedit Dauid in Secelac
dies duos. 2 Et factum eſt die tertia, & ecce vir venit è caſtris, de populo Saul, & veſtes eius
diſciſſæ, & terra ſuper caput eius: & factum eſt in intrando ipſum ad Dauid, & cecidit ſuper terram, &
adorauit eum. 3 Et dixit ei Dauid: Vnde tu aduenis? & dixit ad eum: De caſtris Iſrael ego ſaluus
euaſi. 4 Et dixit ei Dauid: Quod verbum hoc? annuncia mihi, & dixit, quia fugit populus ex prælio,
& ceciderunt multi de populo, & mortui ſunt, & Saul, & Ionathan filius eius mortuus eſt. 5 Et dixit
Dauid puero, qui annunciabat ei: quomodo noſti, quia mortuus eſt Saul, & Ionathan filius eius? 6 Et
dixit puer qui annunciabat ei: euentu adueni in montem in Gelbue, & ecce Saul innixus erat ſuper lanceam
ſuam, & ecce currus, & præfecti equitum attingebant eum. 7 Et reſpexit in poſteriora ſua, & vidit me,
& vocauit me: & dixi: Ecce ego. 8 Et dixit mihi: Quis es tu? & dixi: Amalecites ego ſum.
9 Et dixit ad me: Sta nunc ſuper me, & interfice me, quoniam occupauerunt me tenebræ graues, quia omnis
anima mea in me. 10 Et inſurrexi ſuper eum, & interfeci eum, quia ſciebam quod non viuet,
poſtquam ipſe ceciderat, & ſumpſi regale quod ſuper caput eius, & armillam, quæ ſuper brachium eius, & attuli
ea domino meo huc.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo,
12 Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eo quod corruiſſent gladio.
13 Dixitque Dauid ad iuuenem qui nunciauerat ei: Vnde es tu? Qui reſpondit: Filius hominis aduenæ Amalecitæ ego ſum.
14 Et ait ad eum Dauid: * Quare non timuiſti mittere manum tuam vt occideres Chriſtum Domini?

* Pſ. 104. 15.

15 Vocanſque Dauid vnum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percuſſit illum, & mortuus eſt.
16 Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſum te, dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini.
17 Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius,
18 (Et præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in Libro iuſtorum.) Et ait: Conſidera Iſrael pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati.
19 Inclyti, Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ceciderunt fortes?
20 Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis: ne forte lætentur filiæ Philiſthijm, ne exultent filiæ incircumciſorum.
21 Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.
22 A ſanguine interfectorum, ab adipe fortium, ſagitta Ionathæ numquam rediјt retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis.
23 Saul & Ionathas amabiles & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi: aquilis velociores, leonibus fortiores.
24 Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.
25 Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelſis tuis occiſus eſt?
26 Doleo ſuper te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.
27 Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica?

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et apprehendit Dauid veſtimenta ſua, & ſcidit ea, & etiam omnes viri qui erant ſecum,*
12 *Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael qui mortui erant gladio.*
13 *Dixit autem Dauid ad puerum qui nunciabat ſibi: vnde es tu? & dixit: filius viri peregrini Hamalechita ſum.*
14 *Dixitq; ad eum Dauid: Quomodo non timuiſti mittere manum tuam ad perdendũ Chriſtum Domini.*
15 *Vocauitque Dauid vnum è pueris, & dixit: Accede, occide eum, & percuſſit eum, & mortuus eſt.*
16 *Dixitque ad eum Dauid: Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum teſtificatum eſt contra te dicendo: Ego occidi Chriſtum Domini.*
17 *Et lamentatus eſt Dauid lamentationem hanc ſuper Saul & ſuper Ionathan filium eius.*
18 *Dixitque vt docerent filios Iehudah iaculari arcu: Ecce ſcriptum eſt in libro Iaſar: & ò terra Iſrael in excelſis tuis vulneratus eſt.*
19 *Quomodo ceciderunt potentes.*
20 *Ne annuncietis in Ghath, & ne annuncietis in plateis Aſchelon, ne forte lætentur filiæ Peleſtim, ne forte exultent filiæ incircumciſorum.*
21 *Montes Ghilboah nec ros, neque pluuia deſcendat ſuper vos neque ſint agri oblationum, quia ibi proiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul ac ſi non eſſet vnctus oleo.*
22 *A ſanguine interfectorum ab adipe fortium: ſagitta arcus Ionathan non rediјt retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis.*
23 *Saul, & Ionathan amabiles, & decori in vita ſua & in morte ſua non ſunt ſeparati: aquilis leuiores, leonibus fortiores fuerunt.*
24 *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino cum delitijs qui aſcendere faciebat ornamentum aureum ſuper veſtem veſtram.*
25 *Quomodo ceciderunt fortes in medio belli: Ionathan in excelſis tuis occiſus eſt.*
26 *Anguſtijs afficior ſuper te frater mi Ionathan: dulcis fuiſti mihi valde: mirabilior fuit amor tuus mihi amore mulierum.*
27 *Quomodo ceciderunt fortes, & perierunt arma bellica.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et apprehendit Dauid veſtimenta ſua, & diſcidit ea, & omnes viri, qui cum eo, diſciderunt veſtimenta ſua.
12 Et planxerunt, & plorauerunt, & ieiunarunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, &
ſuper populum Iuda, & ſuper domum Iſrael, quoniam percuſſi fuerant in gladio. 13 Et dixit Dauid puero,
qui annunciarat ei: vnde es tu? & dixit: Filius hominis incolæ Amalecitæ ego ſum. 14 Et dixit ei Dauid:
Quomodo non timuiſti inijcere manu tuam ad diſperdendum Chriſtum Domini? 15 Et vocauit Dauid vnũ
ex pueris ſuis, & dixit: Accedens occurre ei, & percuſſit eum, & mortuus eſt. 16 Et dixit ad eum Dauid: Sanguis
tuus ſuper caput tuum, quoniam os tuum reſpondit contra te, dicens: Quia ego interfeci Chriſtum Domini.
17 Et lamentatus eſt Dauid lamentationem hanc ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius: 18 Et dixit ad
docendum filios Iuda, ecce ſcriptum eſt in libro recti: Sta Iſrael ſuper mortuos in excelſis tuis vulneratos:
19 Quomodo ceciderunt potentes. 20 Ne annuncietis in Geth, & non euangelizetis in exitibus Aſcalonis,
ne forte lætentur filiæ alienigenarum, ne quando exultent filiæ incircumciſorum, 21 Montes qui in Gelbue,
non deſcendat ros, & non pluuia ſuper vos, & agri primitiarum, quoniam ibi proiectus eſt clypeus potentium,
clypeus Saul non eſt vnctus in oleo, 22 A ſanguine vulneratorum, & ab adipe potentium, arcus Ionathan
non eſt reuerſus vacuus in poſteriora, & gladius Saul non ſe reflexit vacuus. 23 Saul, & Ionathan dilecti,
& ſpecioſi, non ſeparati, decori in vita ſua, & in morte ſua non ſunt ſeparati: leues ſuper aquilas, & ſuper leones
valuerunt. 24 Filiæ Iſrael ſuper Saul plorate, qui induebat vos coccino cum ornatu veſtro, qui afferebat
ornatum aureum ſuper indumenta veſtra. 25 Quomodo ceciderunt potentes in medio belli, Ionathan in
excelſis tuis, occiſi? 26 Doleo ſuper te frater mi Ionathan: Specioſus fuiſti mihi valde, mirificata eſt dilectio
tua mihi ſuper dilectionem mulierum. 27 Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt vaſa bellica?

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. II.

IGitur poſt hæc conſuluit Dauid Dominum, di- 1
cens: Num aſcendam in vnam de ciuitatibus Iu-
dæ? Et ait Dominus ad eum: Aſcende. Dixitque
Dauid: Quo aſcendam? Et reſpondit ei: In He-
bron.
Aſcendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam 2
Iezraelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli:
Sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid ſingu- 3
los cum domo ſua: & manſerunt in oppidis He-
bron.
a 1. Mach. 2. 37. * Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt 4
regnaret ſuper domum Iuda. Et nunciatum eſt Da-
uid, quod viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul.
Miſit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, 5
dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui feci-
ſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, &
ſepeliſtis eum.
Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſeri- 6
cordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam,
eo quòd feciſtis verbum iſtud.
Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudi- 7
nis: licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, ta-
men me vnxit domus Iuda in regem ſibi.
Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul tu- 8
lit Iſboſeth filium Saul, & circumduxit eum per
caſtra,
Regemque conſtituit ſuper Galaad & ſuper Geſſu- 9
ri, & ſuper Iezrael, & ſuper Ephraim & ſuper Benia-
min & ſuper Iſrael vniuerſum.
Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saul 10
cum regnare cœpiſſet ſuper Iſrael, & duobus an-
nis regnauit: ſola autem domus Iuda ſequebatur
Dauid.
Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Da- 11
uid, imperans in Hebron ſuper domum Iuda, ſep-
tem annorum, & ſex menſium.
egreſſuſque eſt Abner filius Ner, & pueri Iſboſeth 12
filij Saul de caſtris in Gabaon.
Porro Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egreſſi ſunt 13
& occurrerunt eis iuxta piſcinam Gabaon. Et cum
in vnum conueniſſent, è regione ſederunt: hi ex
vna parte piſcinæ, & illi ex altera.
Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & lu- 14
dant coram nobis. Et reſpondit Ioab: Sur-
gant.

Sur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. II.

1 *ET fuit, poſt hæc interrogauit Dauid Dominum, dicendo: Num aſcendam in vnam ex vrbibus Iehudah? dixitque Dominus ad eum: Aſcende. dixit Dauid: Quo aſcendam? & dixit in Chebron.*

2 *Et aſcẽdit illuc Dauid, et et duæ vxores eius Achinoãm Izreheelitis, & Abighail vxor Nabal Carmelitæ.*

3 *Et viros ſuos qui erant ſecum, aſcendere fecit Dauid, vnumquemque cum familia ſua, & manſerunt in vrbibus Chebron.*

4 *Et venerunt viri Iehudah, & vnxerunt ibi Dauid in regem ſuper domũ Iehudah, & nunciauerunt Dauid dicendo: Viri Iabes Ghilhad ſepelierunt Saul.*

5 *Et miſit Dauid nuncios ad viros Iabes Ghilhad, & dixit ad eos: Benedicti vos à Domino qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro cum Saul, & ſepeliſtis eum.*

6 *Et nunc faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, & veritatem, & ego etiam faciam vobiſcum bonum hoc, quia feciſtis rem hanc.*

7 *Et nunc confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortes, quia mortuus eſt dominus veſter Saul, & etiã me vnxerunt domus Iehudah in regem ſuper eos.*

8 *Abner autem filius Ner princeps militiæ, qui erat ipſi Saul tulit Iiboſeth filium Saul, & tranſire fecit eum in caſtra.*

9 *Et regnare fecit eum ſuper Ghilhad, & ſuper Aſſuri, & ſuper Izrehel, & ſuper Ephraim, & ſuper Biniamin, & ſuper Iſrael vniuerſum.*

10 *Quadragenarius erat Iiboſeth filius Saul, quando regnauit ſuper Iſrael, & duobus annis regnauit: tantum domus Iehudah, fuerunt poſt Dauid.*

11 *Et fuit numerus dierum quibus fuit Dauid rex in Chebron ſuper domum Iehudah, ſeptem anni, & ſex menſes.*

12 *Et egreſſus eſt Abner filius Ner, & ſerui Iiboſeth filij Saul de caſtris in Ghibhon.*

13 *Ioab filius Seruiah, & ſerui Dauid egreſſi ſunt, & occurrerunt eis iuxta piſcinam Ghibhon pariter, & manſerunt ij iuxta piſcinam hinc, & illi iuxta piſcinam inde.*

14 *Dixitque Abner ad Ioab: Surgant nunc pueri, & ludant ante nos, dixitque Ioab: Surgant.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. II.

ET factum eſt poſt hæc & interrogauit Dauid in Domino, dicens: Si aſcendam in vnam ciuitatum Iuda? & dixit Dominus ad eum: Aſcende: & dixit Dauid: Quo aſcendam? & dixit: In Chebron. 2 Et aſcendit illuc Dauid in Chebron, & ambæ vxores eius, Achinaam Iezraelites, & Abigæa vxor Nabal Carmelij. 3 Et viri, qui cum eo, vnuſquiſque, & domus eius, & habitabant in ciuitatibus Chebron. 4 Et veniunt viri Iudææ, & vngunt Dauid ibi ad regnandum ſuper domum Iuda, & annunciauerunt Dauid dicentes: Quia viri Iabis Galaaditidis ſepelierunt Saul. 5 Et miſit Dauid nuncios ad duces Iabis Galaaditidis, & dixit ad eos Dauid: Benedicti vos Domino, quoniam feciſtis miſericordiam hanc ſuper dominum veſtrum, ſuper Saul Chriſtum Domini, & ſepeliſtis eum, & Ionathan filium eius. 6 Et nũc faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, & veritatem, & quidem ego faciam vobiſcum bonum hoc, quoniam feciſtis verbum iſtud. 7 Et nunc confortentur manus veſtræ, & eſtote in filios potentes, quoniam mortuus eſt dominus veſter Saul, & quidem me vnxit domus Iuda ſuper ſe in regem. 8 Et Abenner filius Ner princeps militiæ Saul ſumpſit Iebotte filium Saul & aſcendere fecit eum e caſtris in Manaem, 9 Et fecit eum regnare in Galaaditide, & in Thaſiri, & in Iezrael, & in Ephræm, & in Beniamin, & ſuper omnem Iſrael. 10 Quadraginta annorum erat Ieboſthe filius Saul, quando regnauit ſuper Iſrael, & duos annos regnauit præter domum Iuda, qui erant poſt Dauid. 11 Et facti ſunt dies, quibus Dauid regnauit in Chebron ſuper domum Iuda, ſeptem anni, & menſes ſex. 12 Et exiuit Abenner filius Ner, & pueri Ieboſthe filij Saul de Manaem in Gabaon. 13 Et Ioab filius Saruia, & pueri Dauid exierunt de Chebron, & occurrunt eis ſuper fontem Gabaon in idipſum, & ſederunt hi ſuper fontem hinc, & hi ſuper fontẽ hinc. 14 Et dixit Abenner ad Ioab: Surgant nunc pueri, & ludant coram nobis, & dixit Ioab: Surgant.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Surrexerunt ergo, & tranſierunt numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboſeth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid.

16 Apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul: vocatumque eſt nomen loci illius: Ager robuſtorum, in Gabaon.

17 Et ortum eſt bellum durum ſatis in die illa: fugatuſque eſt Abner, & viri Iſrael à pueris Dauid.

18 Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abiſai, & Aſael: porro Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſiluis.

19 Perſequebatur autem Aſael Abner, & non declinauit ad dexteram neque ad ſiniſtram omittens perſequi Abner.

20 Reſpexit itaque Abner poſt tergum ſuum, & ait: Tu ne es Aſael? Qui reſpondit: Ego ſum.

21 Dixitque ei Abner: Vade ad dextram, ſiue ad ſiniſtram, & apprehende vnum de adoleſcentibus, & tolle tibi ſpolia eius. Noluit autem Aſael omittere quin vrgeret eum.

22 Rurſumque locutus eſt Abner ad Aſael: recede, noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.

23 Qui audire contempſit, & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco: omneſque qui tranſibant per locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.

24 Perſequentibus autem Ioab, & Abiſai fugientem Abner, ſol occubuit: & venerunt vſque ad Collem aquæductus, qui eſt ex aduerſo vallis itineris deſerti in Gabaon.

25 Congregatique ſunt filij Beniamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum, ſteterunt in ſummitate tumuli vnius.

26 Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? an ignoras quod periculoſa ſit deſperatio? vſquequo non dicis populo vt omittat perſequi fratres ſuos?

27 Et ait Ioab: Viuit Dominus, ſi locutus fuiſſes, mane receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum.

28 Inſonuit ergo Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt vltra Iſrael, neque inire certamen.

Ab-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et ſurrexerunt, & tranſierunt in numero duodecim ex Biniamin, & Iſboſeth filio Saul, & duodecim ex ſeruis Dauid.*

16 *Et apprehenderunt vnuſquiſque caput proximi ſui, & gladius ſuus in latus proximi ſui, & ceciderunt pariter, & vocauit locum ipſum * Chelcath haſſurim qui eſt in Ghibhon.*

* Agri ſectum.

17 *Et fuit prælium durum vſque valde in die illa, & cæſus eſt Abner, & viri Iſrael coram ſeruis Dauid.*

18 *Erant autem ibi tres filij Seruiah, Ioab, & Abiſai, & Haſael: Haſael autem leuis erat pedibus ſuis ſicut vnus è capreis qui ſunt in agro.*

19 *Et perſecutus eſt Haſael Abner, & non declinauit in eundo ad dexteram, nec ad ſiniſtram poſt Abner.*

20 *Et reſpexit Abner poſt ſe, & ait: Tu ne es Haſael? Et dixit: Sum.*

21 *Dixitque Abner declina ad dexteram tuam, vel ad ſiniſtram tuam, & apprehende vnum è pueris, & tolle tibi exuuias eius, & noluit Haſael declinare ab eo.*

22 *Addidit autem adhuc Abner dicere ad Haſahel: Recede à me: vt quid percutiam te in terram, & ſi percuſſero te quomodo leuabo faciem meam ad Ioab fratrem tuum?*

23 *Et renuit recedere, & percuſſit eum Abner cuſpide lanceæ in quinta coſta, & egreſſa eſt lancea poſt eum & cecidit ibi, & mortuus eſt in loco ipſo. & fuit, omnis qui veniebat ad locum in quo ceciderat Haſahel, & mortuus fuerat, ſubſiſtebat.*

24 *Et perſecuti ſunt Ioab & Abiſai Abner, & ſol occubuit, ipſi autem venerunt vſque ad Ghibhah, quæ eſt contra faciem Ghiah per viam deſerti Ghibhon:*

25 *Et congregati ſunt filij Biniamin poſt Abner, & fuerunt cœtus vnus, & ſteterunt in ſummitate collis vnius.*

26 *Et clamauit Abner ad Ioab, & ait: Num in ſeculum deuorabit gladius? Nonne noſti quod amaritudo ſit in nouiſſimo? & vſquequo non dices populo, vt auertatur à fratribus ſuis?*

27 *Dixitque Ioab: Viuit Deus, quia niſi locutus fuiſſes, tunc mane aſcendiſſet populus vnuſquiſque à fratribus ſuis.*

28 *Et clanxit Ioab buccina, & ſtetit omnis populus, & non ſunt perſecuti vltra Iſrael, nec addiderunt vltra pugnare.*

Ab-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et ſurrexerunt, & tranſierunt in numero de pueris Beniamin duodecim ex iis, qui erant Ieboſthe filij Saul, & duodecim de pueris Dauid. 16 Et apprehenderunt vnuſquiſque manu caput proximi ſui, & gladius eius in coſtam proximi ſui & cadunt pariter, & vocatum eſt nomen loci illius, portio irruentium, quæ eſt in Gabaon. 17 Et factum eſt prælium durum, vt etiam maxime, in die illa, & cecidit Abenner, & viri Iſrael coram pueris Dauid. 18 Et fuerunt ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abeſſa, & Aſael: & Aſael leuis pedibus ſuis, tamquam vna caprea in campo. 19 Et perſequutus eſt Aſael poſt Abenner, & non declinauit eundo in dextra neque in ſiniſtra poſt Abenner. 20 Et inſpexit Abenner in poſteriora ſua & dixit: Si tu es ipſe Aſael? Et dixit: Ego ſum. 21 Et dixit ei Abenner: Declina tu in dextra, aut in ſiniſtra, & apprehende tibi vnum puerorum, & ſume tibi armaturam eius, & noluit Aſael declinare à poſt ipſum. 22 Et adiecit adhuc Abenner dicens ipſi Aſael: Recede à me, vt non percutiam te in terram, & quomodo leuabo faciem meam erga Ioab? & vbi ſunt hæc? reuertere ad Ioab fratrem tuum. 23 Et noluit recedere, & percutit eum Abenner in poſteriore parte lanceæ in inguinem, & tranſijt lancea ex poſterioribus eius, & cadit ibi, & moritur ſub ſe, & factum eſt, omnis, qui veniebat ad locum, vbi ceciderat ibi Aſael, & mortuus erat, & ſubſiſtebat. 24 Et perſequutus eſt Ioab & Abeſſa poſt Abenner, & ſol occidebat, & ipſi intrauerunt vſque ad collem Amman, qui eſt ſuper faciem Gai, viam deſertum Gabaon. 25 Et congregantur filij Beniamin, qui poſt Abenner, & facti ſunt in concurſum vnum, & ſteterunt ſuper caput collis vnius. 26 Et vocauit Abenner Ioab, & dixit: Numquid ad victoriam comedet gladius? Nonne ſcis quia amara erunt in nouiſſimis? & vſquequo non dices populo reuerti à poſt fratres noſtros? 27 Et dixit Ioab: Viuit Dominus, quia niſi locutus eſſes, quia tunc à mane aſcendiſſet populus, vnuſquiſque poſt fratrem ſuum. 28 Et clanxit Ioab tuba, & receſſerunt omnis populus, & non ſunt perſequuti poſt Iſrael, & non adiecerunt vltra pugnare.

Et

## Vulgata Editio.

29 Abner autem & viri eius abierunt per campeſtria, tota nocte illa: & tranſierunt Iordanem, & luſtrata omni Beth horon, venerunt ad caſtra.
30 Porro Ioab reuerſus, omiſſo Abner, congregauit omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri excepto Aſaele.
31 Serui autem Dauid percuſſerunt de Beniamin, & de viris, qui erant cum Abner trecentos ſexaginta, qui mortui ſunt.
32 Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethlehem: & ambulauerunt tota nocte Ioab & viri qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.

### CAP. III.

1 FActa eſt ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid: Dauid proficiſcens & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.
*1.Par.3.1. 2 * Natique ſunt filij Dauid in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezrahelitide.
3 Et poſt eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porro tertius Abſalon filius Maacha filiæ Tholmai regis Geſſur.
4 Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital.
5 Sextus quoque Iethraam de Egla vxore Dauid: hi nati ſunt Dauid in Hebron.
6 Cum ergo eſſet prælium inter domum Saul & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domũ Saul.
7 Fuerat autem Sauli concubina nomine Reſpha, filia Aia. Dixitque Iboſeth ad Abner:
8 Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Iboſeth, ait: Numquid caput canis ego ſum aduerſus Iudam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie?
9 Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo,
10 Vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam, à Dan vſque Berſabee.
11 Et non potuit reſpondere ei quidquam, quia metuebat illum.

Mi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Abner autem, & viri eius abierunt per campeſtria tota nocte illa, & tranſierunt Iarden, & perambulauerunt totam Bithron, & venerunt ad caſtra.*
30 *Ioab autem reuerſus eſt ab Abner, & congregauit omnem populum, & defuerunt è ſeruis Dauid nouem, & decem viri & Haſahel.*
31 *Serui autem Dauid percuſſerunt de Biniamin, & de viris Abner trecentos, & ſexaginta viri mortui ſunt.*
32 *Tuleruntque Haſahel, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui quod erat in Bethlechem, & ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri eius, & illuxit eis in Chebron.*

### CAP. III.

1 *FVit autem bellum longum inter domum Saul, & domum Dauid, & Dauid ibat, & confortabatur, domus autem Saul ibat, & attenuabatur.*
2 *Nati ſunt autem Dauid filij in Chebron, & fuit primogenitus eius Amnon ex Achinoham Izrehelitide.*
3 *Secundus vero eius Chilab ex Abighail vxore Nabal Charmelita, & tertius Abſalom filius Mahachah filia Talmai regis Gheſur.*
4 *Et quartus Adoniiah filius Chaggith, & quintus Sephatiah filius Abital.*
5 *Et ſextus Ithlecham ex Heglah vxore Dauid: iſti nati ſunt Dauid in Chebron.*
6 *Et fuit, cum eſſet bellum inter domum Saul, & domum Dauid, Abner tenebat ſe pro domo Saul.*
7 *Sauli autem fuerat concubina, & nomen ei Riſpah filia Aiah. Dixitque Iboſeth ad Abner:*
8 *Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Et iratus eſt Abner valde propter verba Iboſeth, & dixit: Numquid caput canis ego ſum, vt contra Iehudah, hodie faciam miſericordiam cum domo Saul patris tui, fratribus eius, & proximis eius? & non tradidi te in manu Dauid, & viſitaſti ſuper me iniquitatem mulieris hodie.*
9 *Sic faciat Dominus Abner, & ſic addat ei, quia ſicut iurauit Dominus Dauid, ſic faciam ei.*
10 *Tranſire faciendo regnum à domo Saul, & erigendo ſolium Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iehudah à Dan vſque Beerſebah.*
11 *Et non potuit amplius reſpondere Abner quicquam, eo quod timeret eum.*

*Mi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et Abenner & viri eius abierunt in Occidentem tota nocte illa, & tranſierunt Iordanem, & iuerunt totã porrectam, & veniunt in caſtra. 30 Et Ioab reuerſus à ſequendo poſt Abenner, & congregauit vniuerſum populum, & viſitati ſunt de pueris Dauid nouem & decem viri, & Aſael: 31 Et pueri Dauid percuſſerunt de filijs Beniamin de viris Abenner trecentos ſexaginta viros ab eo. 32 Et tollunt Aſael, & ſepeliunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethleem, & iuit Ioab, & viri, qui cum eo, totam noctem, & illuxit eis in Chebron.

### CAP. III.

ET fuit bellum ad multum inter domum Saul, & inter domum Dauid, & domus Dauid ibat, & conualeſcebat, & domus Saul ibat, & infirmabatur. 2 Et nati ſunt ipſi Dauid filij in Chebron, & fuit primogenitus eius Ammon ipſius Achinoam Iezraelitidis: 3 Et ſecundus eius Daluia ipſius Abigææ Carmelitæ, & tertius Abeſſalom filius Maacha filiæ Tholmi regis Geſſir: 4 Et quartus Ornia filius Angith, & quintus Saphatia ipſius Abital: 5 Et ſextus Ietharaam filius Ægal vxoris Dauid: hi nati ſunt ipſi Dauid in Chebron. 6 Et factum eſt, dum eſſet bellum inter domum Saul, & inter domum Dauid, & Abenner erat tenens domum Saul. 7 Et ipſi Saul fuit concubina Rheſpha filia Iol, & dixit Iebosthe filius Saul ad Abenner. 8 Quid, quod intraſti ad concubinam patris mei? & indignatus eſt valde Abenner de verbo hoc ipſi Iebosthe, & dixit Abenner ad eum: Numquid caput canis ego ſum? feci hodie miſericordiam cũ domo Saul patris tui, & pro fratribus, & pro notis, & non defeci ad domum Dauid, & inquiris ſuper me tu pro iniuria mulieris hodie? 9 Hæc faciat Deus ipſi Abenner, & hæc adijciat ei, quia ſicut iurauit Dominus ipſi Dauid, quia ſic faciam in die hac, 10 Auferendo regnum à domo Saul, & erigendo thronum Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam à Dan vſque Berſabee. 11 Et non potuit vltra Iebosthe reſpondere ipſi Abenner verbum, à timendo eũ.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Miſit ergo Abner nuncios ad Dauid pro ſe dicentes: Cuius eſt terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuerſum Iſrael.

13 Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias: ſed vnam rem peto à te, dicens: Non videbis faciem meam antequàm adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies, & videbis me.

14 Miſit autem Dauid nuncios ad Isboſeth filium Saul, dicens: * Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſthijm.

* 1.Reg. 18.27.

15 Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel, filio Lais.

16 Sequebaturque eam vir ſuus, plorans vſque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere. Qui reuerſus eſt.

17 Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael dicens: Tam heri quàm nudiuſtertius quærebatis Dauid vt regnaret ſuper vos.

18 Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt ad Dauid, dicens: In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum Iſrael de manu Philiſthijm, & omnium inimicorum eius.

19 Locutus eſt autem Abner etiam ad Beniamin. Et abijt vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia quæ placuerant Iſraeli, & vniuerſo Beniamin.

20 Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris eius qui venerant cum eo, conuiuium.

21 Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua. Cum ergo deduxiſſet Dauid Abner, & ille iſſet in pace,

22 Statim pueri Dauid, & Ioab venerunt, cæſis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiſerat eũ, & profectus fuerat in pace.

23 Et Ioab, & omnis exercitus, qui erat cum eo, poſtea venerunt: nunciatum eſt itaque Ioab à narrantibus: * Venit Abner filius Ner ad regem, & dimiſit eum, & abijt in pace.

* 1.Reg. 3.

24 Et ingreſſus eſt Ioab ad regem, & ait: Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum, & abijt, & receſſit

Igno-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Miſit autem Abner nuncios ad Dauid loco ſui dicendo: Cui eſt terra? dicendo: Pange pactum tuum mecum, & ecce manus mea erit tecum, vt vertam ad te vniuerſum Iſrael.*

13 *Et dixit: Bene pangam tecum fœdus: verumtamen vnum poſtulo à te dicendo: Non videbis faciem meam, niſi prius adduxeris Michal filiam Saul, quando venies ad videndum faciem meam.*

14 *Miſit autem Dauid nuncios ad Isboſeth filium Saul dicendo: Da vxorem meam Michal, quam deſpondi mihi centum præputijs Peliſtim.*

15 *Et miſit Isboſeth, & tulit eam à viro à Paltiel filio Lais.*

16 *Et abijt ſecum vir eius, eundo & flendo poſt eam vſque ad Bachurim, dixitque ad eum Abner: Vade, reuertere, & reuerſus eſt.*

17 *Et verbum Abner fuit cum ſenioribus Iſrael dicendo: Tum heri, tum nudiuſtertius quæſiuiſtis Dauid vt eſſet rex ſuper vos.*

18 *Et nunc facite, Dominus enim dixit ad Dauid, dicendo: Per manum ſerui mei Dauid ſeruabo populum meum Iſrael, de manu Peliſtim, & de manu omnium inimicorum eorum.*

19 *Et locutus eſt etiam Abner in auribus Biniamin: Abijtque etiam Abner ad loquendum in auribus Dauid in Chebron omne quod bonum erat in oculis Iſrael, & in oculis omnis domus Biniamin.*

20 *Et venit Abner ad Dauid in Chebron, & cum eo erant viginti viri, & fecit Dauid Abner, & viris qui erant ſecum conuiuium.*

21 *Dixitque Abner ad Dauid: Surgam, & ibo, & congregabo ad dominum meum regem vniuerſum Iſrael & percutient tecum fœdus, & regnabis ſecundum omne quod deſiderabit anima tua, & dimiſit Dauid Abner, & abijt in pace.*

22 *Et ecce ſerui Dauid, & Ioab veniebant è caſtris, & prædam multam ſecum adducebant: Abner autem non erat cum Dauid in Chebron, quia dimiſerat eũ, & abierat in pace.*

23 *Et Ioab, & omnis exercitus qui erat ſecum, venerunt, & nuntiauerunt Ioab dicendo: Venit Abner filius Ner ad regem & dimiſit eum, & abijt in pace.*

24 *Et venit Ioab ad regem, & dixit: Quid feciſti? ecce venit Abner ad te: propter quid dimiſiſti eum, & abijt eundo?*

*No-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et miſit Abenner nuncios ad Dauid in Thælam, vbi erat ſubito, dicens: Diſpone teſtamentum tuum mecum & ecce manus mea tecum ad conuertendum ad te vniuerſam domum Iſrael. 13 Et dixit Dauid: Recte ego diſponam erga te teſtamentum: tantummodo verbum vnum ego peto à te, dicens: Non videbis faciem meam, ſi non adduxeris Melchol filiam Saul, adueniente te videre faciem meam. 14 Et miſit Dauid ad Ieboſte filium Saul nuncios, dicens: Redde mihi vxorem meam Melchol: quam accepi in centum præputijs alienigenarum. 15 Et miſit Ieboſte, & tulit eam à viro eius, à Phaltiel filio Selles. 16 Et ibat vir eius cum ea plorans poſt eam vſque Baracim, & dixit ad eum Abenner: Vade, reuerte, & reuertit. 17 Et dixit Abenner ad ſeniores Iſrael dicens: Heri, & nudiuſtertius quærebatis Dauid regnare ſuper vos: 18 Et nunc facite, quoniam Dominus locutus eſt de Dauid, dicens: In manu ſerui mei Dauid ſaluabo Iſrael de manu alienigenarum, & de manu omnium inimicorum eorum. 19 Et locutus eſt Abenner in auribus Beniamin, & iuit Abenner ad loquendum in aures Dauid in Chebron omnia, quæcumque placebant in oculis Iſrael & in oculis domus Beniamin. 20 Et venit Abenner ad Dauid in Chebron, & cum eo viginti viri, & fecit Dauid ipſi Abenner, & viris qui cum eo, conuiuium. 21 Et dixit Abenner ad Dauid: Surgam nunc, & ibo, & congregabo ad dominum meum regem vniuerſum Iſrael, & diſponam cum eo teſtamentum, & regnabis in omnibus, quæ deſiderat anima tua, & miſit Dauid Abenner, & iuit in pace. 22 Et ecce pueri Dauid, & Ioab adueniebant ab excurſione, & ſpolia multa ferebant ſecum, & Abenner non erat cum Dauid in Chebron, quoniã dimiſerat eum, & abierat in pace. 23 Et Ioab, & vniuerſus exercitus eius venerunt, & nunciatum eſt ipſi Ioab, dicentes: Venit Abenner filius Ner ad Dauid, & dimiſit eum, & abijt in pace. 24 Et intrauit Ioab ad regem, & dixit: Quid hoc feciſti? ecce venit Abenner ad te, & vt quid dimiſiſti eum, & abijt in pace?

Non-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & ſciret exitum tuum, & introitum tuum,& noſſet omnia,quæ agis?

26 Egreſſus itaque Ioab à Dauid, miſit nuncios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira, ignorante Dauid.

27 Cumque rediſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in vltionem ſanguinis Aſael fratris eius.

28 Quod cum audiſſet Dauid rem iam geſtam, ait: Mundus ego ſum, & regnum meum apud Dominũ vſque in ſempiternum à ſanguine Abner filij Ner:

29 Et veniat ſuper caput Ioab, & ſuper omnem domũ patris eius:nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio,& indigens pane.

30 Igitur Ioab, & Abiſai frater eius interfecerunt Abner,eo quod occidiſſet Aſael fratrem eorum in Gabaon in prælio.

31 Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populũ, qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner. Porro rex Dauid ſequebatur feretrum.

32 Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem ſuam,& fleuit ſuper tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus.

33 Plangenſque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam vt mori ſolent ignaui,mortuus eſt Abner.

34 Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati: ſed ſicut ſolent cadere corã filijs iniquitatis,ſic corruiſti. Congeminanſque omnis populus fleuit ſuper eum.

35 Cumque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quidquam.

36 Omniſque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta,quæ fecit rex in conſpectu totius populi.

37 Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illa,quoniam non actum fuiſſet à rege, vt occideretur Abner filius Ner.

38 Dixit quoque rex ad ſeruos ſuos: Nam ignoratis, quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael?

Ego

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Noſti Abner filium Ner, quia vt deciperet te, venit: & vt ſciret exitum tuum,& introitum tuum, & vt ſciret omne,quod facis?*

26 *Et egreſſus eſt Ioab à Dauid, & miſit nuncios poſt Abner, & reduxerunt eum à ciſterna Sirah, & Dauid neſciebat.*

27 *Et reuerſus eſt Abner in Chebron, & diuertere fecit eum ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo: & percuſſit eum ibi in quinta coſta, & mortuus eſt propter ſanguinem Haſahel fratris ſui.*

28 *Et audiuit Dauid poſtea, & dixit: Innocens ego & regnum meum cum Domino vſque in ſæculum à ſanguine Abner filij Ner:*

29 *Cadant ſuper caput Ioab, & ſuper omnem domum patris eius: & non deficiat de domo Ioab fluens, & leproſus, & tenens Scipionem, & cadens gladio, & carens pane.*

30 *Ioab autem, & Abiſai frater eius interfecerunt Abner,eo quòd occiderat Haſael fratrem eorũ in Gibhon in prælio.*

31 *Dixit autem Dauid ad Ioab,& ad omnem populũ, qui erat ſecum: Scindite veſtimenta veſtra, & accingite vos ſaccis, & plangite ante Abner. Et rex Dauid ibat poſt feretrum.*

32 *Et ſepelierunt Abner in Chebron,& leuauit rex vocem ſuam,& fleuit ſuper ſepulchrum Abner: & fleuerunt omnis populus.*

33 *Et planxit rex ſuper Abner,& dixit: Num ſicut moritur ſtultus mortuus eſt Abner.*

34 *Manus tuæ non fuerunt ligatæ, & pedes tui non in cõpedibus æreis appropinquare facti ſunt: ſicut corruit quiſpiam coram filijs iniquit.corruiſti. Et addiderunt omnis populus flere ſuper eum.*

35 *Et venit omnis populus, vt comedere faceret ipſum Dauid panem cum adhuc eſſet dies, & iurauit Dauid, dicendo: Sic faciat mihi Deus, & ſic addat, ſi antequam occumbat ſol, guſtauero panem, vel omne quantulumcumque.*

36 *Et omnis populus cognouerunt, & placuit in oculis eorum, quicquid fecit rex in oculis totius populi placuit.*

37 *Et cognouerunt omnis populus, & omnis Iſrael in die illa,quòd non fuit à rege, vt mori faceret Abner filium Ner.*

38 *Dixit autem rex ſeruis ſuis: Nonne ſcitis, quòd princeps,& magnus cecidit die hac in Iſrael?*

*Er*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Nonne noſti malitiam Abenner filij Ner,quia ad decipiendum te aduenit, & cognoſcendum exitum tuum,
& introitum tuum,& cognoſcendum omnia,quæcumque tu facis? 26 Et reuertit Ioab à Dauid,& miſit nun-
cios ad Abenner retro,& redire faciunt eum à fonte Seiran,& Dauid neſciuit. 27 Et redire fecit ipſum
Abenner in Chebron, & diuertere eum fecit Ioab à latere portæ ad loquendum cum eo, inſidians: & percuſſit
eum ibi in inguine,& mortuus eſt in ſanguine Aſael fratris Ioab. 28 Et audiuit Dauid poſt hæc,& dixit:In-
nocens ſum ego & regnum meum à Domino,& vſque in ſæculum,à ſanguinibus Abenner filij Ner: 29 Incur-
rant ſuper caput Ioab,& ſuper vniuerſam domum patris eius: & non deficiat de domo Ioab ſeminifluus,& lepro-
ſus,& tenens ſcytalam,& cadens in gladio,& egens panibus. 30 Ioab autem,& Abeſſa frater eius captabant
Abenner,pro eo,quod interfecerat Aſael fratrem ſuum in Gabaon in prælio. 31 Et dixit Dauid ad Ioab,& ad
vniuerſum populum qui ſecum: Diſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis,& plangite coram Abenner.
Et rex Dauid ibat poſt lectum. 32 Et ſepeliunt Abenner in Chebron,& eleuauit rex vocem ſuam, & plorauit
ſuper ſepulchrum eius,& plorauit vniuerſus populus ſuper Abenner. 33 Et lamentatus eſt rex ſuper Abéner,
& dixit: Si iuxta mortem Nabal morietur Abenner. 34 Manus tuæ non erant ligatæ,pedes tui non in compe-
dibus: non acceſſit,vt Nabal,coram filijs iniuſtitiæ cecidiſti. 35 Et conuenit omnis populus ad plorandum
eum,& venit omnis populus ad cibandum Dauid panibus,cum adhuc eſſet dies,& iurauit Dauid, dicens: Hæc
faciat mihi Deus,& hæc adijciat,quia,niſi occiderit Sol,non guſtabo panem,aut de quopiam vllo. 36 Et co-
gnouit omnis populus,& placuerunt coram eis omnia,quæcumque fecerat rex in conſpectu populi. 37 Et co-
gnouit omnis populus,& omnis Iſrael in die illa,quia non fuit à rege interficere Abenner filium Ner. 38 Et
dixit rex ad pueros ſuos: Non noviſtis,quia dux magnus cecidit in die hac in Iſrael?

Et quia

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

39 Ego autem adhuc delicatus,& vnctus rex: porro viri iſti filij Saruiæ duri ſunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam ſuam.

### CAP. IIII.

1 AVdiuit autem Isboſeth filius Saul,quòd cecidiſſet Abner in Hebron: & diſſolutæ ſunt manus eius,omniſque Iſrael perturbatus eſt.

2 Duo autem viri principes latronum erãt filio Saul, nomen vni Baana,& nomen alteri Rechab, filij Remon Berothitæ de filijs Beniamin: ſiquidem & Beroth reputata eſt in Biniamin.

3 Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vſque ad tempus illud.

4 Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuncius de Saul,& Ionatha ex Iezrahel, tollens itaque eum nutrix ſua, fugit: cumque feſtinaret,vt fugeret, cecidit, & claudus effectus eſt:habuitque vocabulum Miphiboſeth.

5 Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab, & Baana,ingreſſi ſunt feruente die domum Isboſeth: qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie. Et oſtiaria domus purgans triticum,obdormiuit.

6 Ingreſſi ſunt autem domum latenter aſſumẽtes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine Rechab, & Baana frater eius,& fugerunt.

7 Cum autem ingreſſi fuiſſent domum, ille dormiebat ſuper lectum ſuum in conclaui, & percutientes interfecerunt eum: ſublatoque capite eius, abierunt per viam deſerti tota nocte:

8 Et attulerunt caput Isboſeth ad Dauid in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboſeth filij Saul inimici tui,qui quærebat animam tuam:& dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul,& de ſemine eius.

9 Reſpondens autem Dauid Rechab, & Baana fratri eius, filijs Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia:

*Sup. 1.14 10 * Quoniam eum,qui annunciauerat mihi, & dixerat: Mortuus eſt Saul: qui putabat ſe proſpera nunciare,tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuncio.

Quan-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

39 *Et ego hodie tener,& vnctus rex: viri autem iſti filij Seruiah fortiores ſunt me: reddat Dominus facienti malum,iuxta malitiam ſuam.*

### CAP. IIII.

1 *AVdiuit autem filius Saul, quòd mortuus eſſet Abner in Chebron: & debilitatæ ſunt manus eius,& omnis Iſrael territi ſunt.*

2 *Duo autem viri principes turmarũ erant filio Saul, nomen vnius Bahanah, & nomen alterius Rechab, filij Rimmon Beerothita de filijs Biniamin, quia etiã Beeroth reputabatur in Biniamin.*

3 *Fugeruntque Beerothitæ in Githaim, & fuerunt ibi aduenæ vſque ad diem hanc.*

4 *Ionathan autem filio Saul erat filius claudus pedibus: quinquennis erat,quando venit rumor Saul, & Ionathan de Izrehel,& tulit eum nutrix eius,& fugit: & fuit cum feſtinaret fugere,cecidit,& claudus effectus eſt,& nomen eius Mephiboſeth.*

5 *Et abierunt filij Rimmon Beerothitæ Rechab, & Bahanah, & venerunt cum incaleſceret dies in domum Isboſeth: ipſe autem dormiebat in cubiculo meridiano.*

6 *Et ecce ingreſſi ſunt in medium domus tollentium frumenta, & percuſſerunt eum in quinta coſta, & Rechab,& Bahanah frater eius euaſerunt.*

7 *Et ingreſſi ſunt domum, ipſe autem dormiebat ſuper lectum ſuum in cubiculo lecti ſui, & percuſſerunt eum, & interfecerunt eum, & remouerunt caput eius: tuleruntque caput eius, & abierunt per viam campeſtrem tota nocte:*

8 *Et adduxerunt caput Isboſeth ad Dauid in Chebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboſeth filij Saul inimici tui, qui quæſiuit animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltiones die hac de Saul,& ſemine eius.*

9 *Reſpondit autem Dauid ad Rechab, & Bahanah fratrem eius filios Rimmon Beerothitæ, & dixit eis: Viuit Dominus, qui redemit animam meam ex omni anguſtia.*

10 *Quod qui nunciauit mihi,dicendo: Ecce mortuus eſt Saul: ( & ipſe erat veluti euangelizans in oculis ſuis,) tenui eum,& occidi eum in Siclagh, qui putabat,quòd darem ei præmium nuncij.*

Quan-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

39 Et quia ego ſum propinquus hodie,& conſtitutus à rege: viri autem hi filij Saruiæ duriores me ſunt: reddat
Dominus facienti mala ſecundum malitiam eius.

### CAP. IIII.

ET audiuit Iebosſe filius Saul,quia mortuus eſt Abenner filius Ner in Chebrõ: & diſſolutæ ſunt manus eius,
& omnes viri Iſrael remiſerunt ſe. 2 Et duo viri duces agminum erant ipſi Ieboſte filio Saul, nomen
vni Baana,& nomen ſecundo Rechab, filij Rhemmon Berothæi de filijs Beniamin: quoniam Beroth computabatur
filijs Beniamin. 3 Et aufugerunt Berothæi in Gethæm, & fuerunt ibi incolentes vſque in diem
hanc. 4 Et ipſi Ionathan filio Saul erat filius percuſſus pedes: filius annorum quinque,& hic in ueniendo
nuncium Saul, & Ionathan filij eius ex Iezrael, & tulit eum nutrix eius, & fugit: & factum eſt in feſtinando ipſum,&
ſecedendo,& cecidit,& claudus factus eſt: & nomen huic Memphiboſte. 5 Et ierunt filij Rhemmon
Berothæi, Rhechab, & Baana, & intrauerunt in æſtu diei in domum Ieboſthe, & ipſe dormiebat in cubili
meridiei. Et ecce oſtiaria domus purgabat frumenta,& dormitabat,& dormiebat. 6 Et Rhechab,& Baana
fratres delituerunt, & intrarunt in domum, & Ieboſte dormiebat ſuper lectum ſuum in cubiculo ſuo. Et percutiunt
eum,& interficiunt eum, & auferunt caput eius: & tulerunt caput eius,& abierunt viam, quæ ad Occidentem
tota nocte: 8 Et attulerunt caput Ieboſte ipſi Dauid in Chebron: & dixerunt ad regem: Ecce
caput Ieboſte filij Saul inimici tui,qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino regi vindictam inimicorum
eius,ſicut dies hæc,de Saul inimico tuo,& de ſemine eius. 9 Et reſpondit Dauid ipſi Rhecab,
& ipſi Baana fratri eius,filijs Rhemmon Berothæi, & dixit eis: Viuit Dominus,qui redemit animam meam ex
omni tribulatione: 10 Quia,qui nunciauit mihi: Quod mortuus erat Saul: & ipſe fuit tamquam euangelizans
coram me,& tenui eum & interfeci eum in Seceлac,cui oportebat me dare euangelia.

Et nunc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Quanto magis nunc cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo ſua, ſuper lectum ſuum, non quæram ſanguinem eius de manu veſtra, & auferam vos de terra?

12 Præcepit itaque Dauid pueris ſuis, & interfecerunt eos: præcidenteſque manus, & pedes eorum, ſuſpenderunt eos ſuper piſcinam in Hebron: caput autem Isboſeth tulerunt, & ſepelierunt in ſepulchro Abner in Hebron.

### CAP. V.

* 1.Par.11. 1. 1 ET venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid in Hebron, dicentes: * Ecce nos, os tuum, & caro tua ſumus.

2 Sed & heri, & nudiuſtertius cum eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.

3 Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad regem in Hebron, & percuſſit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxeruntque Dauid in regem ſuper Iſrael.

* 3.Reg.2. 11. 4 Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpiſſet, * & quadraginta annis regnauit.

5 In Hebron regnauit ſuper Iudam ſeptem annis, & ſex menſibus: in Ieruſalem autem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Iudam.

6 Et abijt rex, & omnes viri, qui erant cum eo, in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ: dictumque eſt Dauid ab eis: Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc.

7 Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid.

8 Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cæcos, & claudos odientes animam Dauid, idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus, & claudus non intrabunt in templum.

9 Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam, ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello, & intrinſecus.

10 Et ingrediebatur proficiens, atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.

* 1.Par.14. 1. 11 * Miſit quoq; Hiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina & artifices lignorum, artificeſq; lapidũ ad parietes: & ædificauerunt domum Dauid.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 Quanto magis homines impios, qui interfecerunt virum iuſtum in domo ſua ſuper lectum ſuum, & nunc nonne requiram ſanguinem eius de manu veſtra, & auferam vos è terra?

12 Et præcepit Dauid pueris, & interfecerunt eos: & præciderunt manus eorum, & pedes eorum, & ſuſpenderunt ſuper piſcinam in Chebron: caput vero Isboſeth tulerunt, & ſepelierunt in ſepulchro Abner in Chebron.

### CAP. V.

1 VEnerunt autem omnes tribus Iſrael ad Dauid in Chebron, atque dixerunt dicendo: Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus.

2 Tum heri, tum nudiuſtertius, cum eſſet Saul rex ſuper nos educebas, & introducebas Iſrael: dixitque Dominus tibi: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.

3 Veneruntque omnes ſeniores Iſrael ad regem in Chebron, & percuſſit cum eis rex Dauid fœdus in Chebron coram Domino: & vnxerunt Dauid in regem ſuper Iſrael.

4 Triginta annorum erat Dauid, quando regnauit, & quadraginta annis regnauit.

5 In Chebron regnauit ſuper Iehudah ſeptem annis, & ſex menſibus: & in Ieruſalaim regnauit triginta, & tribus annis ſuper Iſrael, & Iehudah.

6 Et abijt rex, & viri eius in Ieruſalaim ad Iebuſæum habitatorem terræ: dixitque ad Dauid, dicendo: Non ingredieris huc niſi remoueris cæcos, & claudos, dicendo: Non ingredietur Dauid huc.

7 Et cepit Dauid arcem Sijon, ipſa eſt ciuitas Dauid.

8 Dixitque Dauid in die illa, omnis qui percuſſerit Iebuſæum attinget catharactam, & claudos, & cæcos odio habitos ab anima Dauid, ideo dicebant: Cæcus, & claudus non intrabit domum.

9 Et habitauit Dauid in arce, vocauitque eam ciuitatem Dauid: & ædificauit Dauid per circuitum à Millo, & intrinſecus.

10 Et abijt Dauid eundo, & creſcendo, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.

11 Miſit autem Chiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & fabros lignarios, lapicidaſque pro pariete: & ædificauerunt domum Dauid.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et nunc viri mali interfecerunt hominem iuſtum in domo eius ſuper cubile eius, & nunc requiram ſanguinem eius de manu veſtra, & exterminabo vos de terra? 12 Et mandauit Dauid pueris ſuis, & interficiunt eos: & truncant manus eorum, & pedes eorum, & ſuſpenderunt eos ſuper fontem in Chebron: & caput Iebosſe ſepelierunt in ſepulchro Abenner filij Ner.

### CAP. V.

ET adueniunt omnes tribus Iſrael ad Dauid in Chebron, & dixerunt ei: Ecce oſſa tua, & carnes tuæ nos. 2 Et heri, & nudiuſtertius, cum eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens, & introducens Iſrael: & dixit Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris in ducem ſuper populum meum Iſrael. 3 Et veniunt omnes ſeniores Iſrael ad regem in Chebron, & diſpoſuit eis rex Dauid teſtamentum in Chebron coram Domino: & vngunt Dauid in regem ſuper omnem Iſrael. 4 Filius triginta annorum erat Dauid, cum ipſe regnauit, & quadraginta annos regnauit. 5 Septem annos, & menſes ſex regnauit in Chebron ſuper Iudam: & triginta tres annos regnauit ſuper vniuerſum Iſrael, & Iudam in Hieruſalem. 6 Et abijt Dauid & viri eius in Hieruſalem ad Iebuſæum habitantem terram: & dictum eſt ipſi Dauid: Non ingredieris huc, quia aduerſati ſunt cæci & claudi, dicentes: Quia non ingredietur Dauid huc. 7 Et præoccupauit Dauid munitionem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid. 8 Et dixit Dauid die illa: Omnis percutiens Iebuſæum, tangat in pugione, & claudos, & cæcos, & odio habentes animam Dauid, propter hoc dicent: Cæci, & claudi non ingredientur in ciuitatem Domini. 9 Et ſedit Dauid in munitione, & vocata eſt hæc ciuitas Dauid: & ædificauit ipſam ciuitatem in circuitu à ſummo, & domum ſuam. 10 Et tranſibat Dauid valens, & magnificatus, & Dominus omnipotens cum eo. 11 Et miſit Chiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & fabros lignorum, & fabros lapidum: & ædificauerunt domum ipſi Dauid.

Et co-

## Vulgat. Editio.

12 Et cognouit Dauid,quoniam confirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſrael,& quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum ſuum Iſrael.
13 * Accepit ergo Dauid adhuc concubinas , & vxores de Ieruſalem, poſtquam venerat de Hebron : natique ſunt Dauid,& alij filij,& filiæ :
14 Et hæc nomina eorum, qui nati ſunt ei in Ieruſalē, Samua,& Sobab,& Nathan,& Salomon :
15 Et Iebahar,& Eliſua,& Nepheg :
16 Et Iaphia,& Eliſama,& Elioda,& Eliphaleth.
17 Audierunt ergo Philiſthijm,quod vnxiſſent Dauid in regem ſuper Iſrael : & aſcenderunt vniuerſi , vt quærerent Dauid : quod cum audiſſet Dauid , deſcendit in præſidium.
18 * Philiſthijm autem venientes diffuſi ſunt in Valle Raphaim.
19 Et conſuluit Dauid Dominum,dicens: Si aſcendam ad Philiſthijm ? & ſi dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid : Aſcende, quia tradens dabo Philiſthijm in manu tua.
20 * Venit ergo Dauid in Baal Pharaſim , & percuſſit eos ibi , & dixit : Diuiſit Dominus inimicos meos coram me,ſicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum eſt nomen loci illius,Baal Pharaſim.
21 Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua : quæ tulit Dauid , & viri eius.
22 Et addiderunt adhuc Philiſthijm,vt aſcenderent,& diffuſi ſunt in Valle Raphaim.
23 Conſuluit autem Dauid Dominum : Si aſcendam contra Philiſthæos , & tradas eos in manus meas ? Qui reſpondit : Non aſcendas contra eos , ſed gyra poſt tergum eorum , & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.
24 Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium : quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthijm.
25 Fecit itaque Dauid, ſicut præceperat ei Dominus , & percuſſit Philiſthijm de Gabaa , vſque dum venias Gezer.

* 1.Par.3.
* 1.Par.14.
* Iſai.28.

### CAP. VI.

1 Congregauit autem rurſum Dauid omnes electos ex Iſrael triginta millia.

Sur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*12 Et cognouit Dauid, quòd cōfirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſrael , & quòd eleuatum eſſet regnum eius propter populum ſuum Iſrael.*
*13 Accepit autem Dauid adhuc concubinas, & vxores de Ieruſalaim, poſtquam venit de Chebron : & nati ſunt adhuc Dauid filij,& filiæ :*
*14 Et hæc ſunt nomina natorum ei in Ieruſalaim,Sammuah,Sobab,& Nathan,& Selomoh :*
*15 Et Ibchar,& Eliſuah,& Nephech :*
*16 Et Iaphiah,& Eliſamah,& Eliadah,& Eliphelech.*
*17 Et audierunt Peliſtim, quòd vnxiſſent Dauid in regem ſuper Iſrael: & aſcenderunt omnes Peliſtim ad quærendum Dauid: & audiuit Dauid, & deſcendit in arcem.*
*18 Peliſtim autem venerunt, & diffuderunt ſe in Valle Rephaim.*
*19 Et interrogauit Dauid Dominum, dicendo: Num aſcendam ad Peliſtim?num trades eos in manu mea? Dixitque Dominus ad Dauid : Aſcende , quia tradendo tradam Peliſtim in manu tua.*
*20 Et venit Dauid in Bahalperaſim,& percuſſit eos ibi Dauid,& dixit: Diuiſit Dominus inimicos meos coram me ſecundum diuiſionem aquarum. Idcirco vocauit nomen loci ipſius, Bahalperaſim.*
*21 Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua : & combuſſit ea Dauid,& viri eius.*
*22 Et appoſuerunt adhuc Peliſtim aſcendere , & diffuderunt ſe in Valle Rephaim.*
*23 Et interrogauit Dominum , & dixit : Non aſcendes gyra poſt eos , & venies ad eos ex aduerſo mororum.*
*24 Et erit cum audieris ſonitum greſſus in cacuminibus mororum , tunc mouebis te : tunc enim egredietur Dominus ante te , ad percutiendum caſtra Peliſtim.*
*25 Et fecit Dauid ita quemadmodum præcepit ei Dominus, & percuſſit Peliſtim à Ghebah vſquequo venias in Ghazer.*

### CAP. VI.

*1 Collegit autem adhuc Dauid omne electum in Iſrael triginta millia.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et cognouit Dauid,quia parauit eum Dominus in regem ſuper Iſrael, & quia exaltatum eſt regnū ſuum pp populum,eius Iſrael. 13 Et accepit Dauid adhuc vxores,& concubinas ex Hieruſalem, poſtquam ipſe venit de Chebron: & facti ſunt ipſi Dauid adhuc filij,& filiæ: 14 Et hæc nomina eorum,qui nati ſunt ei in Hieruſalem, Sammas,& Sobab,& Nathan,& Salomon: 15 Et Ebear,& Eliſue,& Naphec: 16 Et Iephies,& Eliſama,& Elidae,& Eliphalath,Samae,Ieſſibath,Nathan,Galamaan,Iebaar,Theeſus,Eliphalath,Naged,Naphec,Ianathā,Leaſamys,Baalimath,Eliphalath. 17 Et audierunt alienigenæ,quia vnctus eſt Dauid rex ſuper Iſrael : & aſcenderūt omnes alienigenæ,ad quærendum Dauid: & audiuit Dauid,& deſcendit in munitionem. 18 Et alienigenæ adueniunt,& concurrerunt in Vallem Titanum. 19 Et interrogauit Dauid per Dominum,dicens: Si deſcendero ad alienigenas? & trades eos in manus meas? Et dixit Dominus ad Dauid: Aſcende, quoniam tradens tradam alienigenas in manus tuas. 20 Et venit Dauid de ſuperioribus rupturis,& concidit alienigenas ibi,& dixit Dauid: Diſrupit Dominus inimicos alienigenas coram me,ſicut diſrumpuntur aquæ. Propter hoc vocatum eſt nomen loci illius,deſuper rupturis. 21 Et derelinquunt ibi Deos ſuos: & ceperunt eos Dauid,& viri, qui cum eo. 22 Et adiecerunt adhuc alienigenæ aſcendere,& concurrerunt in Vallem Titanum. 23 Et interrogauit Dauid per Dominum,& dixit Dominus: Non aſcendes in occurſum eorum, reuerte ab eis, & accedes ad eos prope plorationem. 24 Et erit in audiendo te vocem conſtrictionis à nemore plorationis,tunc deſcendes ad eos: quoniam tunc egredietur Dominus ante te ad cædendum in bello alienigenarum. 25 Et fecit Dauid,ſicut mandauit ei Dominus,& percuſſit alienigenas à Gabaon vſque ad terram Gazera.

### CAP. VI.

Et congregauit adhuc Dauid omnem adoleſcentem ex Iſrael,circiter ſeptuaginta millia.

Et ſur-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

ᵃ 1.Par.13.5. 2 ᵃ Surrexitque Dauid, & abijt & vniuerſus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in Cherubim ſuper eam.

3 Et impoſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum nouū: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem, & Ahio filij Abinadab, minabant plauſtrum nouum.

ᵇ 1.Reg.7.1. 4 ᵇ Cumque tuliſſent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, cuſtodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.

5 Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.

6 Poſtquam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eã: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam.

7 Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozã, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.

ᶜ 1.Par.13.11. 8 ᶜ Contriſtatus eſt autem Dauid, eo quòd percuſſiſſet Dominus Ozam, & vocatum eſt nomen loci illius: Percuſſio Ozæ vſque in diem hanc.

9 Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quo modo ingredietur ad me arca Domini?

10 Et noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertit eam in domum Obededõ Gethæi.

11 Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.

ᵈ 1.Par.15.25. 12 ᵈ Nunciatumque eſt regi Dauid, quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abijt ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cũ gaudio: & erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli.

ᵉ 1.Par.15.26. 13 ᵉ Cumq; tranſcendiſſent, qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem, & arietem:

14 Et Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominũ, porro Dauid erat accinctus ephod lineo.

15 Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini, in iubilo, & in clangore buccinæ.

16 Cumque intraſſet arca Domini in ciuitatẽ Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem corã Domino: & deſpexit eum in corde ſuo.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et ſurrexit, & abijt Dauid: & omnis populus, qui erat ſecum de viris Iehudah, vt aſcendere facerent arcam Dei ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim.*

3 *Et inſidere fecerunt arcam Dei ſuper plauſtrũ nouum: & tulerunt eam è domo Abinadab, quæ erat in Ghibhah: Huzza autem & Achio filij Abinadab ducebant plauſtrum nouum.*

4 *Et tulerunt eam è domo Abinadab, quæ erat in Ghibhah cum arca Dei, & Achio ibat ante arcam.*

5 *Dauid vero, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis abiegnis, & cytharis, & nablis, & tympanis, & ſiſtris, & in cymbalis.*

6 *Et venerunt ad Aream Nachon, & extendit manum ſuam Huzza ad arcam Dei, & tenuit: quoniam declinabant boues.*

7 *Et iratus eſt furor Domini contra Huzza, & percuſſit eum ibi Deus propter temeritatem: & mortuus eſt ibi apud arcam Dei.*

8 *Et iratus eſt Dauid eo quòd diuiſiſſet Dominus diuiſionẽ in Huzzah, & vocauit nomen loci ipſius, ᵃ Perets Huzzah vſque ad diem hanc.* ᵃ Diuiſio.

9 *Et timuit Dauid Dominum in die illa, & dixit: Quo modo ingredietur ad me arca Domini?*

10 *Et noluit Dauid diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertere fecit eam Dauid in domum Hobededom Ghittæi.*

11 *Et manſit arca Domini in domo Hobededom Ghittæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Hobededom, & omni domui eius.*

12 *Nunciatumque eſt regi Dauid, dicendo: Benedixit Dominus domui Hobededom, & omnibus, quæ erant ei propter arcam Dei. Et abijt Dauid, & aſcendere fecit arcam Dei è domo Hobededom in ciuitatem Dauid cum lætitia.*

13 *Et erat cum incederent portantes arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem, & bubalum.*

14 *Dauid autem ſaltabat tota virtute coram Domino, & Dauid accinctus erat ephod lineo.*

15 *Et Dauid, & omnis domus Iſrael aſcendere faciebant arcam Domini cum taratantara, & ſonitu buccinæ.*

16 *Et fuit, arca Domini ingrediente ciuitatem Dauid, Michal filia Saul proſpexit de feneſtra, & vidit regem Dauid viriliter agentem, & ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſurrexit, & iuit Dauid: & omnis populus, qui cum eo, & de principibus Iuda in aſcenſione ad reducendum inde arcam Dei, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini virtutum ſedentis ſuper Cherubim ſuper eam.
3 Et aſcendere fecerunt arcam Domini ſuper plauſtrum nouum: & tulerunt eam de domo Aminadab, quæ in colle: & Oza, & fratres eius, filij Aminadab ducebant plauſtrum cum arca. 4 Et fratres eius ibant ante arcam.
5 Et Dauid, & filij Iſrael ludentes coram Domino in organis modulatis in fortitudine & in canticis, & in citharis, & in nablis, & in tympanis, & in cymbalis, & in tibijs. 6 Et adueniunt vſque ad Aream Nachor, & extendit Oza manum ſuam ad arcam Dei, ad retinendum eam, & tenuit eam: quoniam circumflectebat eam vitulus.
7 Et indignatus eſt ira Dominus ipſi Ozæ, & percuſſit eum ibi Deus: & mortuus eſt ibi apud arcam Domini coram Deo. 8 Et triſtatus eſt Dauid, pro eo quod ruperat Dominus rupturam in Ozam, & vocatus eſt locus ille: Ruptura Ozæ vſque in diem hanc. 9 Et timuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quomodo introibit ad me arca Domini? 10 Et noluit Dauid diuertere ad ſe arcam teſtamenti Domini in ciuitatem Dauid.
11 Et diuertere fecit eam Dauid in domum Abeddara Getthæi menſes tres: & benedixit Dominus vniuerſam domum Abeddara, & omnia eius. 12 Et annunciatum eſt regi Dauid dicentes: Benedixit Dominus domum Abeddara & omnia eius propter arcam Dei. Et iuit Dauid, & adduxit arcam Domini de domo Abeddara in ciuitatem Dauid in lætitia. 13 Et erant cum eo portantes arcam ſeptem chori, & victima, vitulus, & agni. 14 Et Dauid pulſabat in organis modulatis coram Domino, & Dauid indutus ſtolam eximiam.
15 Et Dauid, & vniuerſa domus Iſrael adduxerunt arcam Domini cum iubilo, & cum voce tubæ. 16 Et factum eſt arca adueniente in ciuitatem Dauid, & Melchol filia Saul proſpiciebat per feneſtram, & vidit regem Dauid ſaltantem, & pulſantem coram Domino: & ſpreuit eum in corde ſuo.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

17 Et introduxerunt arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocauſta, & pacifica coram Domino.

18 Cumque compleſſet offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19 Et partitus eſt vniuerſæ multitudini Iſrael, tam viro, quàm mulieri ſingulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo: & abijt omnis populus, vnuſquiſque in domum ſuam.

20 Reuerſuſque eſt Dauid, vt benediceret domui ſuæ: & egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait: Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael diſcooperiẽs ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.

21 Dixitque Dauid ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael:

22 Et ludam, & vilior fiam plus quàm factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.

23 Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ.

### CAP. VII.

1 FActum eſt autem cum ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis:

a 1. Par. 17. b — 2 Dixit ad Nathan prophetam: * Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium?

3 Dixitque Nathã ad regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum eſt.

4 Factum eſt autem in illa nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens:

5 Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

6 Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti, vſque in diem hanc: ſed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio.

Per

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et adduxerunt arcam Domini, & collocauerunt eã in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocauſta coram Domino, & pacifica.*

18 *Et compleuit Dauid offerre holocauſta, & pacifica, & benedixit populo in nomine Domini exercituum.*

19 *Et partitus eſt vniuerſo populo toti multitudini Iſrael à viro vſque ad mulierem, vnicuique placentam panis vnam, & partem pulchram carnis vnam, & lagenam vnam: & abijt omnis populus vnuſquiſque in domum ſuam.*

20 *Et reuerſus eſt Dauid ad ſalutandum domũ ſuam: egreſſa eſt autem Michal filia Saul in occurſum Dauid, & dixit: Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael, qui diſcooperuit ſe hodie in oculis ancillarum ſeruorum ſuorum ſecundum quòd diſcooperit ſe vnus è fatuis.*

21 *Dixitque Dauid ad Michal: Coram Domino, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omne domum eius, præcipiendo mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini, ſuper Iſrael:*

22 *Et ludam coram Domino, & vilior ſiam amplius quam hoc: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus dixiſti, glorificabor.*

23 *Et Michal filiæ Saul non fuit natus, vſque ad diem quo mortua eſt.*

### *CAP. VII.*

1 *ET fuit, cum ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus requieſcere feciſſet eum in circuitu ab omnibus inimicis ſuis:*

2 *Dixitque rex ad Nathan prophetam: Vide nunc ego habito in domo cedrina, & arca Dei habitat in medio cortinæ?*

3 *Dixitque Nathan ad regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade: fac, quia Dominus tecum eſt.*

4 *Et fuit in nocte illa: fuit verbum Domini ad Nathã, dicendo:*

5 *Vade, & dic ad ſeruum meum Dauid: Sic dixit Dominus: Numquid tu ædificabis domum, vt habitem?*

6 *Non enim habitaui in domo à die qua aſcendere feci filios Iſrael ex Ægypto vſque ad diem hanc: ſed ambulaui in tentorio, & tabernaculo.*

*In*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Et ferunt arcam Domini, & repoſuerunt eam in locum ſuum, in medium tabernaculi quod fixerat ei Dauid:
& obtulit Dauid holocauſtomata coram Domino, pacificas. 18 Et conſummauit Dauid ſimul offerens holocau-
ſtoſes, & pacificas, & benedixit populum in nomine Domini virtutum. 19 Et diſtribuit vniuerſo populo in om-
nem virtutem Iſrael à Dan vſque Berſabee, & à viro vſque ad mulierem, vnicuique collyridam panis, & aſſaturã
vnam, & laganum de ſartagine: & abijt vniuerſus populus, vnuſquiſque in domum ſuam. 20 Et reuertit Dauid
ad benedicendum domum ſuam: & exijt Melchol filia Saul in occurſum Dauid, & benedixit eum, & dixit: Quã
glorificatus eſt hodie rex Iſrael, qui diſcooperuit ſe hodie in oculis ancillarum ſeruorum ſuorum, ſicut diſcooperit ſe diſcoopertus vnus ſaltantium. 21 Et dixit Dauid ad Melchol: Coram Domino ſaltabo, benedictus Do-
minus, qui elegit me ſuper patrem tuum, & ſuper vniuerſam domum eius, conſtituendo me in ducem ſuper po-
pulum ſuum, ſuper Iſrael: 22 Et ludam, & ſaltabo coram Domino, & diſcooperiar vltra ſic: & ero inutilis in
oculis tuis: & cum ancillis, de quibus dixiſti, me non eſſe glorificatum. *23 Et ipſi Melchol filiæ Saul non fuit
filius vſque ad diem, in quo mortua eſt ipſa.

### CAP. VII.

ET factum eſt, quando ſedit rex in domo ſua, & Dominus hæreditare fecit eum in circuitu ab omnibus inimicis eius, qui in circuitu: 2 Et dixit rex ad Nathan prophetam: Ecce nunc ego habito in domo ce-
drina, & arca Dei ſedet in medio tabernaculi? 3 Et dixit Nathan ad regem: Omnia, quæcumque in
corde tuo, vade, & fac: quoniam Dominus tecum. 4 Et factum eſt nocte illa: & factum eſt verbum
Domini ad Nathan, dicens: 5 Vade, & dic ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Non tu
ædificabis mihi domum ad habitandum me? 6 Quoniam non habitaui in domo, ex qua die eduxi filios
Iſrael de Ægypto vſque in diem hanc: & fui inambulans in tentorio, & in tabernaculo.

In om-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Per cuncta loca, quæ tranſiui cum omnibus filijs Iſrael, numquid loquens locutus ſum ad vnam de tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael, dicens: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam?

8 Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: * Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſrael:

* Supr. 1. Reg. 16. Pſal. 77. 70.

9 Et fui tecum in omnibus vbicumque ambulaſti, & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.

10 Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo, & non turbabitur amplius: nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum, ſicut prius:

11 Ex die qua conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.

12 * Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.

* 3. Reg. 8. 19.

13 * Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.

* 3. Reg. 5. 5.

14 * Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.

* 1. Par. 22. 10.

15 * Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea.

* Pſal. 88. 3. 13.

16 Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam, & * thronus tuus erit firmus iugiter.

* Heb. 1. 5.

17 Secundum omnia verba hæc, & iuxta vniuerſam viſionem iſtam, ſic locutus eſt Nathan ad Dauid.

18 Ingreſſus eſt autem rex Dauid, & ſedit corã Domino, & dixit: Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucuſque?

19 Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum: iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.

20 Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? tu enim ſcis ſeruũ tuum Domine Deus.

Pro-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *In omni loco per quem ambulaui cum omnibus filijs Iſrael, numquid verbum locutus ſum cum aliqua è tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael, dicendo: Vt quid non ædificaſtis mihi domum cedrinam?*

8 *Et nunc ſic dices ſeruo meo Dauid: Sic dixit Dominus exercituum: Ego tuli te è tugurio euntem poſt oues, vt eſſes dux ſuper populum meum ſuper Iſrael:*

9 *Et fui tecum in omni loco quo ambulaſti, & excidi omnes inimicos tuos à facie tua: & feci tibi nomen magnum, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.*

10 *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plãtabo eum, & habitabit in loco ſuo, & non mouebitur amplius: neque addent filij iniqui, vt affligant eum, ſicut prius:*

11 *Ex die qua præcepi, vt eſſent iudices ſuper populum meum Iſrael: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, & annunciat tibi Dominus, quòd domum tibi faciat Dominus.*

12 *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis ſtatuam ſemen tuum poſt te, quod egredietur è ventre tuo, & firmabo regnum ſuum.*

13 *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & firmabo ſolium regni eius vſque in ſæculum.*

14 *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium: cũ iniquè geſſerit arguam eum virga virorum, & plagis filiorum hominum.*

15 *Miſericordia autem mea non recedet ab eo, quemadmodum recedere feci à Saul, quem recedere feci à facie tua.*

16 *Firma erit domus tua, & regnum tuum vſque in ſæculum coram te thronus tuus erit firmus vſque in ſæculum.*

17 *Secundum omnia verba hæc, & ſecundũ vniuerſam viſionem hanc, ſic locutus eſt Nathan ad Dauid.*

18 *Ingreſſus eſt autem rex Dauid, & ſedit coram Domino, & ait: Quis ego ſum Domine Deus, & quæ eſt domus mea, quia adduxiſti me vſque huc?*

19 *Et parum fuit hoc in oculis tuis Domine Deus, & locutus es etiam ſuper domum ſerui tui in longinquum: & iſta eſt lex Adam Domine Deus.*

20 *Et quid addet vltra Dauid, vt loquatur ad te? & tu noſti ſeruum tuum Domine Deus.*

*Pro-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 In omnibus, per quæ tranſij in omni Iſrael, numquid loquens locutus ſum ad vnam tribum Iſrael, cui mandaui paſcere populum meum Iſrael, dicens: Vt quid non ædificaſtis mihi domum cedrinam? 8 Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus omnipotens: Aſſumpſi te ex mandra ouium, vt eſſes tu in ducem ſuper populum meum ſuper Iſrael: 9 Et fui tecum in omnibus, in quibus ibas, & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua: & feci te nominatum iuxta nomen magnorum, qui ſuper terram.
10 Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit per ſe, & non erit ſollicitus vltra: & non adijciet filius iniuſtitiæ humiliare eum, ſicut à principio: 11 A diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael: & requieſcere faciam te ab omnibus inimicis tuis, & annunciabit tibi Dominus, quia domum ædificabis ei. 12 Et erit ſi impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit ex ventre tuo, & parabo regnum eius. 13 Ipſe ædificabit mihi domum nomini meo, & erigam thronum eius vſque in ſæculum. 14 Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: & ſi venerit iniuſtitia eius, & arguam eum in virga virorum, & in tactibus filiorum hominum.
15 Miſericordiam autem meam non remouebo ab eo, ſicut remoui ab ijs, quos remoui à facie mea.
16 Et fidelis erit domus eius, & regnum eius vſque in ſæculum coram me, & thronus eius erit erectus in ſæculum. 17 Iuxta omnia verba hæc, & iuxta omnem viſionem hanc, ſic locutus eſt Nathan ad Dauid.
18 Et intrauit rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: Quis ſum ego Domine mi Domine, & quæ domus mea, quia dilexiſti me vſque ad hæc? 19 Et factus ſum paruus parum coram te Domine mi Domine, & locutus es pro domo ſerui tui in longinquum: hæc autem lex hominis Domine mi Domine.
20 Et quid adijciet vltra Dauid loqui ad te? & nunc noſti ſeruum tuum Domine mi Domine.

Et pro-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres ſeruo tuo.

22 Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui, neque eſt Deus extra te, in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris.

23 Quæ eſt autem, vt populus tuus Iſrael, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum, & poneret ſibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia ſuper terram, à facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, gentem, & deum eius.

24 Firmaſti enim tibi populũ tuũ Iſrael in populũ ſempiternũ: & tu Domine Deus factus es eis in Deũ.

25 Nunc ergo Domine Deus verbum, quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum: & fac ſicut locutus es:

26 Vt magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternũ, atque dicatur: Dñs exercituum, Deus ſuper Iſrael. Et domus ſerui tui Dauid erit ſtabilita coram Dño:

27 Quia tu Domine exercituum Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.

28 Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad ſeruum tuum bona hæc.

29 Incipe ergo, & benedic domui ſerui tui, vt ſit in ſempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus ſerui tui in ſempiternum.

### CAP. VIII.

1 Factum eſt autem poſt hæc percuſſit Dauid Philiſthijm, & humiliauit eos, * & tulit Dauid Frenum tributi de manu Philiſthijm. [* 1.Par.18. 2.]

2 Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnũ ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factuſq; eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo.

3 Et percuſſit Dauid Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus eſt, vt dominaretur ſuper flumen Euphratem.

4 Et captis Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubneruauit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnem magnitudinem hanc, vt ſcire faceres ſeruum tuum.*

22 *Ideo magnificatus es Domine Deus, non eſt enim ſicut tu, & non eſt Deus præter te, ſecundum omnia, quæ audiuimus auribus noſtris.*

23 *Et quis ſicut populus tuus, ſicut Iſrael, gens vna in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret ſibi populum, & poneret ſibi nomen, & faceret vobis magnitudinem, & terribilia terræ tuæ, à facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto gentibus, & dijs eius.*

24 *Et firmaſti tibi populum tuum Iſrael, tibi populum vſque in ſæculum: & tu Domine fuiſti eis Deus.*

25 *Et nunc Domine Deus, verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita vſque in ſæculum: & fac ſecundum quod locutus es.*

26 *Et magnificetur nomen tuum vſque in ſæculum, dicendo: Dominus exercituum Deus ſuper Iſrael. Et domus ſerui tui Dauid erit ſtabilita coram te:*

27 *Quia tu Domine exercituum Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicendo: Domum ædificabo tibi: ideo inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret ad te orationem hanc.*

28 *Et nunc Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt veritas: & locutus es ad ſeruum tuum bonum hoc.*

29 *Et nunc incipe, & benedic domui ſerui tui, vt ſit in ſæculum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus ſerui tui in ſæculum.*

### CAP. VIII.

1 *ET fuit, poſt hoc percuſſit Dauid Peliſtim, & humiliauit eos, tulitque Dauid frenum aquæductus de manu Peliſtim.*

2 *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquando terræ: & menſus eſt duos funiculos ad mortificandum, & plenum funiculum ad viuificandum: & fuerũt Moabitæ ipſi Dauid ſerui, portãtes munus.*

3 *Et percuſſit Dauid Hadarhezer filium Rechob regem Sobah, quando proficiſcebatur ad conſtituendum terminum ſuum in flumine Perath.*

4 *Et cepit Dauid ex eis mille, & ſeptingentos equites, & viginti millia virorum peditum, & ſubneruauit Dauid omnem currum: & ſeruauit ex eis centum currus.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et propter ſeruum tuum feciſti, & ſm cor tuum feciſti omnem magnificentiam hanc ad notum faciendũ ſer-
uo tuo. 22 Ideo vt magnificares te Domine mi, quñ non eſt, ſicut tu, & non eſt Deus præter te in omnibus, quæ
audiuimus in auribus noſtris. 23 Et quis ſicut populus tuus Iſrael, gens alia in terra, quomodo duxit ſe Deus ad
redimendum ſibi populum, ad ponendum te nomen, ad faciendum magnificentiam, & claritatem, ad ejciendum
te à facie populi tui, quos redemiſti tibi ex Ægypto, gentes & tabernacula. 24 Et paraſti tibi populum tuum Iſ-
rael in populum vſque in ſæculum: & tu Domine factus es eis in Deum. 25 Et nunc Domine mi, verbum quod
locutus es de ſeruo tuo, & domo eius fidele fac vſque in ſæculum Domine omnipotens, Dee Iſrael: & nunc, ſicut
locutus es: 26 Magnificetur nomen tuum vſque in ſæculum. 27 Domine omnipotens Deus Iſrael, reuelaſti
auriculam ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propter hoc inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret ad te
orationem hanc. 28 Et nunc Domine mi Domine, tu es Deus, & verba tua erunt veracia: & locutus es de ſer-
uo tuo bona hæc. 29 Et nunc incipe, & benedic domum ſerui tui, vt ſit in ſæculum coram te: quoniam tu Do-
mine mi Domine locutus es, & à benedictione tua benedicetur domus ſerui tui, vt ſit in ſæculum.

### CAP. VIII.

ET factum eſt poſt hæc, & percuſſit Dauid alienigenas, & fugauit eos, & accepit Dauid ſegregatam de manu
alienigenarum. 2 Et percuſſit Dauid Moab, & menſus eſt eos in funibus, ſternens eos ſuper terram: & fue-
runt duo funiculi ad occidendum, & duos funiculos viuificauit: & fuit Moab ipſi Dauid in ſeruos, ferentes xenia.
3 Et percuſſit Dauid Adrazar filium Raab regem Suba, eunte eo ad imponendam manum ſuam ſuper flumen
Euphratem. 4 Et cepit Dauid de rebus eius mille currus, & ſeptem millia equitum, & viginti millia virorum
peditum. & diſſoluit Dauid omnes currus: & reliquit ſibi ipſi centum currus.

Et ad-

## Vulgat. Editio.

5 Venit quoque Syria Damaſci, vt præſidium ferret Adarezer regi Soba: & percuſſit Dauid de Syria viginti duo millia virorum.

6 Et poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci: factaque eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo: ſeruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus eſt.

7 Et tulit Dauid arma aurea quæ habebant ſerui Adarezer, & detulit ea in Ieruſalem.

8 Et de Bete, & de Beroth ciuitatibus Adarezer tulit rex Dauid æs multum nimis.

9 Audiuit autem Thou, rex Emath, quòd percuſſiſſet Dauid omne robur Adarezer:

10 Et miſit Thou Ioram filium ſuum ad regem Dauid, vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret: eo quòd expugnaſſet Adarezer, & percuſſiſſet eum. Hoſtis quippe erat Thou Adarezer, & in manu eius erant vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea:

11 Quæ & ipſa ſanctificauit rex Dauid Domino cum argento, & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus, quas ſubegerat.

12 De Syria, & Moab, & filijs Ammon, & Philiſthijm, & Amalec, & de manubijs Adarezer filij Rohob regis Soba.

13 Fecit quoque ſibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus.

14 Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitq; præſidium: & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid, & ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus eſt.

15 Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael: faciebat quoque Dauid iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.

16 Ioab autem filius Saruiæ erat ſuper exercitum: porro Ioſaphat filius Ahilud erat à commentarijs:

17 Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erant ſacerdotes: & Saraias, ſcriba:

18 Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Cerethi, & Phelethi: filij autem Dauid ſacerdotes erant.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et venit Aram Dammeſech ad auxiliandum Hadarhezer regi Sobah: & percuſſit Dauid de Aram viginti, & duo millia virorum.*

6 *Et poſuit Dauid præſides in Aram Dammeſech: & fuerunt Aramæi ipſi Dauid ſerui portantes munus: & ſeruauit Dominus Dauid in omni loco quo perrexit.*

7 *Tulitque Dauid ſcuta aurea, quæ erant ſuper ſeruis Hadarhezer, & adduxit ea in Ieruſalaim.*

8 *Et de Bethach, & de Berothai ciuitatibus Hadarhezer tulit rex Dauid æs multum valdè.*

9 *Audiuit autem Toi rex Chamath, quòd percuſſit Dauid omnem exercitum Hadarhezer.*

10 *Miſitque Toi Ioram filium ſuum ad regem Dauid, vt ſalutaret eum pacificè, & benediceret ei, quòd pugnaſſet cum Hadarhezer, & percuſſiſſet eum. Gerebat enim bella cum Toi Hadarhezer, & in manu eius erant vaſa argentea, & vaſa aurea, & vaſa ærea:*

11 *Etiam ea ſanctificauit rex Dauid Domino cum argento, & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus, quas ſubegerat.*

12 *De Aram, & de Moab, & de filijs Hammon, & de Peliſtim, & de Hamalech, & de ſpolijs Hadarhezer filij Rechob regis Sobah.*

13 *Et fecit Dauid nomen cum reuerteret à cædendo Aram in Valle ſalis octo, & decem millia.*

14 *Et poſuit in Edom præſides: in omni Edom poſuit præſides: & fuerunt Edomæi ſerui Dauid, & ſeruauit Dominus Dauid in omni loco quo ambulauit.*

15 *Regnauitque Dauid ſuper omnem Iſrael, & Dauid faciebat iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.*

16 *Ioab autem filius Seruiah erat ſuper exercitum: Iehoſaphath vero filius Achilud erat à commentarijs:*

17 *Et Sadoc filius Achitub, & Achimelech filius Ebiathar ſacerdotes: & Seraiah, ſcriba:*

18 *Benaiahu autem filius Iehoiadah, & Hacerethi, & Hapheleth: & filij Dauid principes erant.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et aduenit Syria Damaſci ad auxiliandum Adraazar regi Suba: & percuſſit Dauid in Syro viginti duo millia
virorum. 6 Et poſuit Dauid præſidium in Syria, quæ ad Damaſcum: & factus eſt Syrus ipſi Dauid in
ſeruos ferentes xenia: & ſaluauit Dominus Dauid in omnibus, ad quæ ibat. 7 Et cepit Dauid armillas
aureas, quæ erant ſuper pueros Adraazar, regis Suba, & attulit ea in Hieruſalem, & cepit ea Suſacim rex Ægypti,
in aſcendendo ipſum in Hieruſalem in diebus Roboam filij Salomonis. 8 Et de Meſebac, & de electis ci-
uitatibus Adraazar cepit rex Dauid æs multum valdè. In eo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & labra, &
omnia vaſa. 9 Et audiuit Thou rex Hemath, quia percuſſit Dauid omnem virtutem Adraazar:
10 Et miſit Thou Ieddura filium ſuum ad regem Dauid, interrogare eum quæ ad pacem, & benedicere eum
pro eo, quod impugnauit Adraazar, & percuſſit eum: quoniam aduerſarius erat ipſi Adraazar. Et in manibus eius
erant vaſa argentea, & vaſa aurea, & vaſa ænea. 11 Et hæc ſanctificauit rex Dauid Domino cum
argento, & auro, quod ſanctificauit de omnibus ciuitatibus, quas ſubegerat. 12 Ex Idumæa, & ex
Moab, & ex filijs Ammon, & ex alienigenis, & ex Amalec, & de ſpolijs Adraazar filij Raab regis Suba.
13 Et fecit Dauid nomen, & cum ipſe reflecteret, percuſſit Idumæam in Gebelem ad octo, & decem millia.
14 Et poſuit in Idumæa præſidium, in omni Idumæa: & facti ſunt omnes Idumæi ſerui regis & ſaluauit Dominus
Dauid in omnibus, ad quæ ibat. 15 Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael: & erat Dauid faciens
iudicium, & iuſtitiam ſuper omnem populum ſuum. 16 Et Ioab filius Saruiæ ſuper exercitum:
& Ioſaphat filius Achilud ſuper commentarios: 17 Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech fi-
lius Abiathar ſacerdotes: & Saxa ſcriba: 18 Et Banæas filius Iodae conſiliarius, & ipſe Chele-
thi, & ipſe Phelethi: & filij Dauid erant principes aulæ.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. IX.

1 ET dixit Dauid: Putaſne eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan?

2 Erat autem de domo Saul, ſeruus nomine Siba: quē cum vocaſſet rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus.

3 Et ait rex: Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Supereſt filius Ionathæ, debilis pedibus.

4 Vbi, inquit, eſt? Et Siba ad regem: Ecce, ait in domo eſt Machir filij Ammiel in Lodabar.

5 Miſit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar.

6 Cum autem veniſſet Miphiboſeth filius Ionathæ filij Saul ad Dauid, corruit in faciem ſuam, & adorauit. Dixitque Dauid: Miphiboſeth? Qui reſpondit: Adſum ſeruus tuus.

7 Et ait ei Dauid: Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionathan patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.

8 Qui adorans eum, dixit: Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?

9 Vocauit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuerſam domum eius, dedi filio domini tui.

10 Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & ſerui tui: & inferes filio domini tui cibos, vt alatur: Miphiboſeth autem filius domini tui comedet ſemper panē ſuper menſam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij, & viginti ſerui.

11 Dixitque Siba ad regem: Sicut iuſſiſti Domine mi rex ſeruo tuo, ſic faciet ſeruus tuus: & Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam, quaſi vnus de filijs regis.

12 Habebat autem Miphiboſeth filium paruulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ ſeruiebat Miphiboſeth.

13 Porro Miphiboſeth habitabat in Ieruſalem: quia de menſa regis iugiter veſcebatur: & erat claudus vtroque pede.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. IX.

1 *DIxit autem Dauid: Num eſt adhuc qui remāſerit è domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan?*

2 *Et domui Saul erat ſeruus, & nomen eius Sibah: & vocauerunt eum ad Dauid, dixitque rex ad eum: Tune es Sibah? Et dixit: Seruus tuus ſum.*

3 *Dixitque rex: Num eſt adhuc vir è domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei? Dixitque Sibah ad regem: Adhuc ſupereſt filius Ionathan claudus pedibus.*

4 *Dixitque rex: Vbi eſt? Et dixit Sibah ad regem: Ecce eſt in domo Machir filij Hammiel de Lodebar.*

5 *Miſitque rex Dauid, & tulit eum è domo Machir filij Hammiel de Lodebar.*

6 *Et venit Miphiboſeth filius Ionathan filij Saul ad Dauid, & proſtrauit ſe ſuper faciem ſuam & incuruauit ſe. Dixitque Dauid: Miphiboſeth? Et dixit: Ecce ſeruus tuus.*

7 *Dixitque ei Dauid: Ne timeas, quia faciendo faciā tecum miſericordiam propter Ionathan patrem tuū, & reddere faciam tibi omnem agrum Saul patris tui, & tu comedes panem ſuper menſam meam ſemper.*

8 *Et incuruauit ſe, & dixit: Quid eſt ſeruus tuus, quia reſpexiſti ſuper canem mortuum, qui eſt ſicut ego?*

9 *Et vocauit rex Sibah puerum Saul, & dixit ad eū: Omne quod erat Sauli, & omni domui eius dedi filio domini tui.*

10 *Coles autem ei terram tu, & filij tui, & ſerui tui, & afferes, & erit filio domini tui panis, & comedet ipſe Miphiboſeth autem filius domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam. Sibah vero erant quindecim filij, & viginti ſerui.*

11 *Dixitque Sibah ad regem: Iuxta omnia, quæ præcepit Dominus meus rex ſeruo ſuo, ſic faciet ſeruus tuus: & Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam veluti vnus de filijs regis.*

12 *Miphiboſeth autem erat filius paruus, & nomē eius Michah: & omnis habitatio domus Sibah ſerui erāt Miphiboſeth.*

13 *Miphiboſeth autem manebat in Ieruſalaim: quia ſuper menſam regis ſemper comedebat: ipſe claudicabat duobus pedibus ſuis.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. IX.

ET dixit Dauid: Si eſt adhuc ſuperſtes in domo Saul, & faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan?
2 Et de domo Saul erat puer, & nomen ei Siba: & vocant eum ad Dauid, & dixit ad eum rex: Tu es Siba?
Et dixit: Ego ſeruus tuus. 3 Et dixit rex: Si reſiduus eſt de domo Saul adhuc vir, & faciam cum eo miſericordiam Dei? Et dixit Siba ad regem: Adhuc eſt filius ipſi Ionathan percuſſus pedes. 4 Et dixit rex: Vbi iſte? Et
dixit Siba ad regem: Ecce in domo Machir filij Amiel de ipſa Lodabar. 5 Et miſit rex Dauid, & ſumpſit eum
de domo Machir filij Amiel de Lodabar. 6 Et aduenit Memphiboſte filius Ionathan filij Saul ad regem Dauid, & cecidit in faciem ſuam, & adorauit eum. Et dixit ei Dauid: Memphiboſte? Et dixit: Ecce ſeruus tuus.
7 Et dixit ei Dauid: Ne timeas, quoniam faciens faciam tecum miſericordiam propter Ionathan patrem tuum,
& reſtituam tibi omnem agrum Saul patris patris tui, & tu manducabis panem ſuper menſam meam ſemper.
8 Et Memphiboſte adorauit, & dixit: Quis ſum ſeruus tuus, quia reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mihi? 9 Et vocauit rex Siba puerum Saul, & dixit ad eum: Omnia, quæcumque ſunt ipſi Saul, & vniuerſæ domui
eius, dedi filio domini tui. 10 Et operare ei terram, tu, & filij tui, & ſerui tui: & introferes filio domini tui panes, & comedet panes: & Memphiboſte filius domini tui manducabit perpetuo panem ſuper menſam meam. Et
Siba erant quinque & decem filij, & viginti ſerui. 11 Et dixit Siba ad regem: Iuxta omnia, quæcumque mādauit dominus meus rex ſeruo ſuo, ſic faciet ſeruus tuus: & Memphiboſte comedebat ſuper menſam Dauid, ſicut
vnus filiorum ipſius regis. 12 Et ipſi Memphiboſte filius paruus erat, & nomen ei Micha: & omnis habitatio
domus Siba, ſerui Memphiboſte. 13 Et Memphiboſte habitabat in Hieruſalem: quoniam ſuper menſam
regis ipſe ſemper comedebat: & ipſe erat claudus ambobus pedibus ſuis.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. X.

1 FActum eſt autem poſt hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo.
2 Dixitque David: * Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid, conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu. Cum autem veniſſent ſerui Dauid in terram filiorum Ammon,

* 1.Paral. 19.a.

3 Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum: Putas quod propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo vt inueſtigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos ſuos ad te?
4 Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid, raſitque dimidiã partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.
5 Quod cum nunciatum eſſet Dauid, miſit in occurſum eo: erant enim viri confuſi turpiter valde, & mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini.
6 Videntes autem filij Ammon quod iniuriam feciſſent Dauid, miſerunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Iſtob duodecim millia virorum.
7 Quod cum audiſſet Dauid, miſit Ioab & omnem exercitum bellatorum.
8 Egreſſi ſunt ergo filij Ammon & direxerunt aciem ante ipſum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Iſtob, & Maacha ſeorſum erant in campo.
9 Videns igitur Ioab quod præparatum eſſet aduerſum ſe prælium, & ex aduerſo & poſt tergum, elegit ex omnibus electis Iſrael, & inſtruxit aciem contra Syrum:
10 Reliquam autem partem populi tradidit Abiſai fratri ſuo, qui direxit aciem aduerſus filios Ammon.
11 Et ait Ioab: Si præualuerint aduerſum me Syri, eris mihi in adiutorium: ſi autem filij Ammon præualuerint aduerſum te, auxiliabor tibi.
12 Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri: Dominus autem faciet quod bonum eſt in conſpectu ſuo.
13 Iniit itaque Ioab & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui ſtatim fugerunt à facie eius.

Filij

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. X.

1 *ET fuit, poſt hæc mortuus eſt rex filiorum Hammon, & regnauit Chanon filius eius pro eo.*
2 *Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Chanõ filio Nachas, quemadmodum fecit pater eius mecum miſericordiam, & miſit Dauid ad conſolandum eum per manum ſeruorum ſuorum ſuper patre ſuo, & venerũt ſerui Dauid in terram filiorũ Hammon.*
3 *Dixeruntque principes filiorum Hammon ad Chanon dominum ſuum: num honorat Dauid patrem tuum in oculis tuis, quia miſit ad te conſolatores? nonne vt inueſtigaret ciuitatem, & exploraret eam, & vt euertat eam miſit Dauid ſeruos ſuos ad te.*
4 *Et tulit Chanon ſeruos Dauid, & raſit dimidium barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum per medium vſque ad nates eorum, & dimiſit eos.*
5 *Et nunciauerunt Dauid, & miſit in occurſum eorũ: erant enim vir confuſi valde, dixitque rex: Manete in Iericho vſquequo germinet barba veſtra, & reuertemini.*
6 *Viderunt autem filij Hammon quod abominationem fecerant Dauid, & miſerunt filij Hammon, & mercede conduxerunt Aram Bethrechob, & Aram Sobah viginti millia peditum, & à rege Mahachah mille viros, & ab Iſtob duodecim millia virorum.*
7 *Et audiuit Dauid, & miſit Ioab, & omnem exercitum robuſtorum.*
8 *Egreſſi ſunt autem filij Hammon, & diſpoſuerunt bellum ad oſtium portæ è regione Aram Sobah, & Rechob, & Iſtob, & Mahachah ſeorſum in agro.*
9 *Et vidit Ioab quod eſſet contra ſe facies belli ante, & retro, & elegit ex omnibus electis in Iſrael, & ordinauit ſe in occurſum Aram.*
10 *Reſiduum vero populi tradidit in manu Abiſai fratris ſui, & diſpoſuit ſe in occurſum filiorum Hãmon.*
11 *Dixitque: Si robuſtior fuerit Aram me, eris mihi in ſalutem: ſi vero filij Hammon robuſtiores fuerint te, veniam ad ſeruandum te.*
12 *Roborã te, & eſto robuſtus pro populo noſtro, & pro ciuitatibus Dei noſtri: Dominus autem faciat quod bonum eſt in oculis ſuis.*
13 *Et appropinquauit Ioab, & populus qui erat ſecum ad prælium contra Aram, & fugerunt à facie eius.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. X.

ET factum eſt poſt hæc, & mortuus eſt rex filiorũ Ammon, & regnauit pro eo Annon filius eius. 2 Et dixit Dauid: Faciam miſericordiam cum Annon filio Naas, quemadmodũ fecit pater eius mecum miſericordiam, & miſit Dauid ad conſolandum eum in manu ſeruorum ſuorum de patre eius, & adueniunt pueri Dauid in terram filiorum Ammon. 3 Et dixerunt principes filiorum Ammon ad Annon dñm ſuum: Numquid eo quod Dauid glorificet patrem tuum coram te, quia miſit tibi conſolatores? Sed nõne vt ſcrutentur ciuitatem, & ſpeculentur eam, & ad conſiderandam eam miſit Dauid pueros ſuos ad te? 4 Et cepit Annon filios Dauid, & raſit barbas eorum, & præcidit mantella eorum in dimidio, vſque ad nates eorum, & dimiſit eos. 5 Et annunciauerunt Dauid de viris, & miſit in obuiam eorum, qm̃ erant viri inhonorati valde, & dixit rex: Sedete in Hierico, quoadusq; pullulent barbæ veſtræ, & reuertemini. 6 Et viderunt filij Ammon, quia ignominia affecti ſunt populus Dauid, & miſerunt filij Ammon, & mercede conduxerunt Syriam Bæthraam, & Syriam Suba, & Rhoob, viginti millia peditum, & regem Amalec mille viros, & Iſtob duodecim millia virorum. 7 Et audiuit Dauid & miſit Ioab, & oẽm virtutem, ipſos potentes. 8 Et exierunt filij Ammon, & inſtruxerunt bellum apud oſtiũ portæ, Syria Suba, & Roob, & Iſtob, & Amalec ſoli in agro. 9 Et vidit Ioab, quia erat ad ſe contraria facies prælij è loco ad faciẽ, ex aduerſo, & à tergo, & elegit ex omnibus adoleſcentibus Iſrael & ſtruxerunt aciẽ ex aduerſo Syriæ. 10 Et reſiduum populi dedit in manu Abeſſa fratris ſui, & ſtruxerunt aciẽ ex aduerſo filiorum Ammon: 11 Et dixit: Si inualuerit Syria ſuper me, & eritis mihi in ſalutẽ, & ſi inualuerint filij Ammõ ſuper te, & erimus ad ſaluandũ te. 12 Viriliter age, & inualeſcamus pro populo nr̃o, & pro ciuitatibus Dei noſtri: & Dñs faciet, q̃ bonũ in oculis ſuis. 13 Et aduenit Ioab, & populus eius cum eo in præliũ erga Syriam, & fugerunt à facie eius

Yy 2 Et fi-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

14 Filij autem Ammon videntes quia fugiſſent Syri, fugerunt & ipſi à facie Abiſai, & ingreſſi ſunt ciuitatem: reuerſuſque eſt Ioab à filijs Ammon, & venit Ieruſalem.

15 Videntes igitur Syri quoniam corruiſſent coram Iſrael, congregati ſunt pariter.

16 Miſitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magiſter militiæ Adarezer, erat princeps eorũ.

17 Quod cum nunciatum eſſet Dauid, contraxit omnem Iſraelem, & tranſiuit Iordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerſo Dauid, & pugnauerunt contra eum.

18 Fugeruntque Syri à facie Iſrael, & occidit Dauid de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percuſſit: qui ſtatim mortuus eſt.

19 Videntes autem vniuerſi reges, qui erant in præſidio Adarezer, ſe victos eſſe ab Iſrael, expauerunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael. Et fecerunt pacem cum Iſrael: & ſeruierunt eis, timueruntq; Syri auxiliũ præbere vltra filijs Ammon.

### CAP. XI.

*1. Par. 20.

1 FActum eſt autem, * vertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba: Dauid autem remanſit in Ieruſalem.

2 Dum hæc agerentur, accidit vt ſurgeret Dauid de ſtrato ſuo poſt Meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde.

3 Miſit ergo rex, & requiſiuit quæ eſſet mulier. Nunciatumque eſt ei quod ipſa eſſet Bethſabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi.

*Leu. 15. 18.

4 Miſſis itaque Dauid nuncijs, tulit eam: quæ cum ingreſſa eſſet ad illum dormiuit cum ea: * ſtatimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua:

5 Et reuerſa eſt in domum ſuam concepto fœtu. Mittenſque nunciauit Dauid, & ait: Concepi.

6 Miſit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Miſitque Ioab Vriam ad Dauid.

7 Et venit Vrias ad Dauid. Quæſiuitque Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et filij Hammon viderunt quod fugeret Aram, & fugerunt à facie Abiſai, & ingreſſi ſunt ciuitatem: reuerſuſque eſt Ioab à filijs Hammon, & venit in Ieruſalaim.*

15 *Viditque Aram quod caſus eſſet coram Iſrael, & congregati ſunt pariter.*

16 *Et miſit Hadarhezer, & eduxit Aram qui erat trãs flumen, & venerunt ad exercitum eorum: & Sobach princeps militia Hadarhezer erat ante eos.*

17 *Et nunciatum eſt Dauid, & congregauit omnem Iſrael, tranſiuitque Iardan, & venerunt ad exercitum eorum, & ordinauerunt ſe Aram in occurſum Dauid, & pugnauerunt cum eo.*

18 *Et fugit Aram à facie Iſrael, & interfecit Dauid de Aram ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum, & Sobach principem exercitus eius percuſſit, & mortuus eſt ibi.*

19 *Et viderunt omnes reges ſerui Hadarheſer qui caſi eſſent coram Iſrael, & fecerunt pacem Iſrael. Et ſeruierunt eis, timueruntque Aramæi venire ad ſeruandum vltra filios Hammon.*

### CAP. XI.

1 *ET fuit, in reuerſione anni, tempore quo egrediuntur reges, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & omnem Iſrael, & vaſtauerunt filios Hammon, & obſederunt Rabbah: Dauid autem manebat in Ieruſalaim.*

2 *Et fuit, tempore veſpertino ſurrexit Dauid de ſtratu ſuo, & deambulabat ſuper tectum domus regiæ, & vidit mulierem lauantem ſe è tecto, (& mulier erat decora aſpectu valde.)*

3 *Miſitque Dauid, & requiſiuit de muliere, & dixit quidam: Nonne hæc eſt Bathſebah filia Eliam vxor Vrijah Chittæi.*

4 *Et miſit Dauid nuntios, & tulit eam, & ingreſſa eſt ad eum, & rem habuit cum ea, & ipſa purgabat ſe ab immunditia ſua,*

5 *Et reuerſa eſt in domum ſuam, & cõcepit mulier. Et miſit, & nunciauit Dauid, & dixit: Prægnans ſum.*

6 *Et miſit Dauid ad Ioab: Mitte ad me Vrijah Chittæum, & miſit Ioab Vrijah ad Dauid.*

7 *Et venit Vrijah ad eum, & interrogauit Dauid de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et filij Ammon viderunt quia fugit Syria, & fugerunt à facie Abeſſa, & intrarunt in ciuitatem. & reuertit
Ioab à filijs Ammon, & aduenit in Hieruſalem. 15 Et vidit Syria, quia cecidit ante Iſrael, & con-
gregati ſunt in idipſum. 16 Et miſit Adraazar, & congregauit Syriam, quæ de trans flumine Chala-
mac, & adueniunt in Ælam, & Sobac princeps virtutis Adraazar ante eos. 17 Et nunciatum eſt Da-
uid, & congregauit vniuerſum Iſrael, & tranſiuit Iordanem, & aduenit in Ælam, & aciem ſtruxit Syria ex aduerſo
Dauid, & pugnauerunt cum eo. 18 Et fugit Syria à facie Iſrael, & ſuſtulit Dauid de Syria ſeptingen-
tos currus, & quadraginta millia equitum, & Sobac principem virtutis eius percuſſit, & mortuus eſt ibi.
19 Et viderunt omnes reges ſerui Adraazar, quia ceciderunt ante Iſrael & confugerunt ad Iſrael, & ſeruierunt
eis, & timuit Syria ſaluare vltra filios Ammon.

### CAP. XI.

ET factum eſt reuertente anno ad tempus egreſſionis regum, & miſit Dauid Ioab, & pueros ſuos cum eo, &
omnem Iſrael, & diſperdiderunt filios Ammon, & obſederunt ſuper Rhabbath, & Dauid ſedit in Hieruſalẽ.
2 Et factum eſt ad veſperam, & ſurrexit Dauid de cubili ſuo, & ambulabat ſuper ſolarium domus regis, & vidit
mulierem lauantem ſe de ſolario, & mulier pulchra ſpecie valde. 3 Et miſit Dauid, & quæſiuit mulierem,
& dixit: Nonne hæc Berſabee filia Eliab, vxor Vriæ Chettæi? 4 Et miſit Dauid nuncios, & ſumpſit eam, &
intrauit ad eam, & dormiuit cum ea, & hæc ſanctificata ab immunditia ſua, 5 Et reuertit in domum ſuam,
& in vtero cepit mulier, & mittens annunciauit Dauid, & dixit: Ego quidem in ventre habeo. 6 Et miſit
Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Chettæum, & miſit Ioab Vriam ad Dauid. 7 Et aduenit Vrias,
& intrauit ad eum, & interrogauit Dauid ad pacem Ioab, & ad pacem populi, & ad pacem belli.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Et dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egreſſus eſt Vrias de domo regis, ſecutuſque eſt eum cibus regius.

9 Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs ſeruis domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam.

10 Nunciatumque eſt Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domum ſuam. Et ait Dauid ad Vriam: Numquid non de via veniſti? quare non deſcendiſti in domum tuam?

11 Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & ſerui domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.

12 Ait ergo Dauid ad Vriam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Manſit Vrias in Ieruſalem in die illa & altera:

13 Et vocauit eum Dauid vt comederet coram ſe & biberet, & inebriauit eum: qui egreſſus veſpere, dormiuit in ſtrato ſuo cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit.

14 Factum eſt ergo mane, & ſcripſit Dauid epiſtolam ad Ioab: miſitque per manum Vriæ,

15 Scribens in epiſtola: Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium: & derelinquite eum vt percuſſus intereat.

16 Igitur cum Ioab obſideret vrbem, poſuit Vriam in loco vbi ſciebat viros eſſe fortiſſimos.

17 Egreſſiq; viri de ciuitate, bellabant aduerſum Ioab, & ceciderunt de populo ſeruorum Dauid, & mortuus eſt etiam Vrias Hethæus.

18 Miſit itaque Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij:

19 Præcepitque nuncio dicens: Cum compleueris vniuerſos ſermones belli ad regem,

20 Si eum videris indignari, & dixerit: Quare acceſſiſtis ad murum, vt præliaremini? an ignorabatis quod multa deſuper ex muro tela mittantur?

*Iudg. 9. 11

21 Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal? * nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? quare iuxta murum acceſſiſtis? dices: Etiam ſeruus tuus Vrias Hethæus occubuit.

Abijt

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*8 Dixitque Dauid ad Vrijah: Deſcende in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egreſſus eſt Vrijah è domo regis, & egreſſus eſt poſt eum donum regium.*

*9 Et dormiuit Vrijah ad oſtium domus regis cum omnibus ſeruis domini ſui, & non deſcendit in domum ſuam.*

*10 Et nunciauerunt Dauid, dicendo: Non deſcendit Vrijah in domum ſuam: Dixitque Dauid ad Vrijah: Nonne de via tu venis? quare non deſcendiſti in domum tuam?*

*11 Dixitque Vrijah ad Dauid: Arca, & Iſrael, & Iehudah manet in tabernaculis, & dominus meus Ioab, & ſerui domini mei in ſuperficie agri manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per vitam tuam & vitam animæ tuæ non faciam hoc.*

*12 Dixitque Dauid ad Vrijah: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te, & manſit Vrijah in Ieruſalaim die illa, & ſequenti.*

*13 Et vocauit eum Dauid, & comedere fecit ante ſe & bibere, & inebriauit eum, & egreſſus eſt veſperi ad dormiendum in ſtratu ſuo cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit.*

*14 Et fuit, mane ſcripſit Dauid litteras ad Ioab, & miſit per manum Vrijah.*

*15 Et ſcripſit in litteris dicendo: Ponite Vrijah è regione prælij fortis, & reuertimini ab eo, & percutiatur, & moriatur.*

*16 Et fuit, cũ obſeruaret Ioab ciuitatem, poſuit Vrijah in loco in quo cognouit quod eſſent viri fortes.*

*17 Et egreſſi ſunt viri ciuitatis, & pugnauerunt cum Ioab, & mortui ſunt de populo, de ſeruis Dauid, & mortuus eſt etiam Vrijah Chittæus.*

*18 Miſitque Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij.*

*19 Et præcepit nuncio dicendo: Cum compleueris vniuerſa verba prælij loqui ad regem.*

*20 Erit, ſi aſcenderit furor regis, & dixerit tibi: quare acceſſiſtis ad ciuitatem vt præliaremini, nonne ſcitis quod proijciunt è muro.*

*21 Quis percuſſit Abimelech filium Ierubbeſeth, nonne mulier proiecit ſuper eum fragmen molæ è muro, & mortuus eſt in Tebes: vt quid acceſſiſtis ad murum? dices: etiam ſeruus tuus Vrijah Chittæus mortuus eſt.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et dixit Dauid Vriæ: Deſcende in domum tuam, & laua pedes tuos, & exiuit Vrias e domo regis, & exiuit poſt eum demenſum regis. 9 Et dormiuit Vrias apud oſtium regis cum ſeruis domini ſui, & non deſcendit in domum ſuam. 10 Et annunciauerunt Dauid dicentes: Quia non deſcendit Vrias in domum ſuam, & dixit Dauid ad Vriam: Nonne ex itinere tu venis? quid, quod non deſcendiſti in domum tuam? 11 Et dixit Vrias ad Dauid: Arca, & Iſrael, & Iudas habitant in tabernaculis, & dominus meus Ioab, & ſerui domini mei ſuper faciem agri caſtrametantur, & ego intrabo in domum meam ad manducandum, & bibendum, & dormiendum cum vxore mea? quomodo? viuit anima tua, ſi faciam verbum hoc. 12 Et dixit Dauid ad Vriam: Sede hic etiam hodie, & cras dimittam te, & ſedit Vrias in Hieruſalem in die illa, & craſtina. 13 Et vocauit eum Dauid, & manducauit coram eo, & bibit, & inebriauit eum, & egreſſus eſt veſpere ad dormiendum ſuper cubile ſuum cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit. 14 Et factum eſt mane, & ſcripſit Dauid libellum ad Ioab, & miſit in manu Vriæ. 15 Et ſcripſit in libello, dicens: Induc Vriam ex aduerſo prælij validi, & reuertemini à tergo eius, & percutietur, & morietur. 16 Et factum eſt in obſeruando Ioab ſuper ciuitatem, & poſuit Vriã in locum, vbi ſciebat, quia viri virtutis illic. 17 Et exierunt viri ciuitatis, & pugnabant cum Ioab & ceciderunt de populo, de ſeruis Dauid, & mortuus eſt etiam Vrias Chettæus. 18 Et miſit Ioab, & annunciauit Dauid omnia verba prælij ad loquendum ad regem. 19 Et mandauit nuncio dicens: In conſummando omnia verba prælij loqui ad regem, 20 Et erit ſi aſcenderit furor regis, & dixerit tibi: Quid, quod appropinquaſtis ad ciuitatem pugnare? Nonne ſciebatis, quia ſagittabunt deſuper muro? 21 Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal filij Ner? Nonne mulier proiecit fragmentum molæ ſuper eum deſuper muro, & mortuus eſt in Thamaſi? vt quid acceſſiſtis ad murum? & dices: Etiam ſeruus tuus Vrias Chettæus mortuus eſt.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Abijt ergo nuncius,& venit,& narrauit Dauid omnia,quæ ei præceperat Ioab.
23 Et dixit nuncius ad Dauid: Præualuerunt aduerſum nos viri, & egreſſi ſunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu perſecuti eos ſumus vſque ad portam ciuitatis.
24 Et direxerũt iacula ſagittarij ad ſeruos tuos ex muro deſuper: mortuique ſunt de ſeruis regis, quinetiam ſeruus tuus Vrias Hethæus mortuus eſt.
25 Et dixit Dauid ad nuncium: Hæc dices Ioab: Non te frangat iſta res: varius enim euentus eſt belli,nũc hunc, & nunc illum conſumit gladius: conforta bellatores tuos aduerſus vrbem, vt deſtruas eam, & exhortare eos.
26 Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus eſſet Vrias vir ſuus,& planxit eum.
27 Tranſacto autem luctu miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam,& facta eſt ei vxor,peperitque ei filium: & diſplicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid,coram Domino.

### CAP. XII.

1 Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid:qui cũ veniſſet ad eum,dixit ei:Duo viri erant in ciuitate vna,vnus diues,& alter pauper.
2 Diues habebat oues,& boues plurimos valdè.
3 Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius ſimul,de pane illius comedens,& de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia.
4 Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem,parcens ille ſumere de ouibus,& de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini qui venerat ad ſe.
5 Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis,dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc.
6 * Ouem reddet in quadruplum, eo quòd fecerit verbum iſtud,& non pepercerit.

* Exo.22. 1.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et abijt nuncius,& venit,& nunciauit Dauid omnia pro quibus miſerat eum Ioab.*
23 *Et dixit nuncius ad Dauid: Præualuerunt aduerſum nos viri, & egreſſi ſunt aduerſum nos in agrũ & fuimus contra eos vſque ad oſtium portæ.*
24 *Et iecerunt iaculatores in ſeruos tuos è muro: & mortui ſunt è ſeruis regis, & etiam ſeruus tuus Vrijah Chitthæus mortuus eſt.*
25 *Dixitque Dauid ad nuncium: Sic dices ad Ioab: Ne diſpliceat in oculis tuis hoc, quia hunc ſicut illum conſumit gladius: robora bellum tuum contra vrbem,& deſtrue eam,& conforta eum.*
26 *Et audiuit vxor Vrijah, quòd mortuus eſt Vrijah vir ſuus,& planxit ſuper virum ſuum.*
27 *Tranſijtque luctus,& miſit Dauid,& collegit eam in domum ſuam,& fuit ei vxor,& peperit ei filium: diſplicuitque quod fecit Dauid in oculis Domini.*

### CAP. XII.

1 *Miſit autem Dominus Nathan ad Dauid: & venit ad eum: dixitque ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper.*
2 *Diuiti erant oues, & boues multi valdè.*
3 *Pauperi verò non erat quicquam, præter agnam vnam paruam,quam emerat, & victum præbuerat ei, & creuerat ſecum, & cum filijs ſuis pariter de buccella eius comedebat, & de calice eius bibebat, & in ſinu eius dormiebat,eratque illi ſicut filia.*
4 *Et venit viator ad virum diuitem, & pepercit ſumere de pecudibus ſuis, & de bobus ſuis ad parandum viatori, qui venerat ad eum, & tulit agnam viri pauperis, & parauit eam viro, qui venerat ad eum.*
5 *Et iratus eſt furor Dauid in virum valdè,dixitque ad Nathan: Viuit Dominus,quia obnoxius morti eſt vir,qui fecit hoc.*
6 *Et agnam reſtituet bis quadruplicatam pro eo, quòd fecit hoc,& ei non pepercit.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Exiuit nuncius Ioab ad regem in Hieruſalem,& aduenit,& annunciauit Dauid omnia, quæcumque annunciarat ei Ioab,omnia verba prælij,& indignatus eſt Dauid in Ioab,& dixit ad nuncium: Vt quid acceſſiſtis ad ciuitatem præliando? Nonne ſciebatis,quia percutiemini è muro? Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal? Nonne mulier proiecit ſuper eum fragmentum molæ è muro, & mortuus eſt in Tamaſi? Vt quid acceſſiſtis ad murum. 23 Et dixit nuncius ad Dauid: Quia inualuerunt ſuper nos viri,& exierunt ſuper nos in agrum,& fuimus ſuper eos vſque ad oſtiũ portæ. 24 Et ſagittauerunt ſagittantes in ſeruos tuos deſuper muro: & mortui ſunt de pueris regis,& etiam ſeruus tuus Vrias Chetthæus mortuus eſt. 25 Et dixit Dauid ad nuncium: Hæc dices ad Ioab: Ne malũ ſit in oculis tuis verbũ hoc: quũ interdum quidem ſic,& interdum ſic comedet gladius: fac inualeſcere prælium tuum in ciuitatem,& deſtrue eam,& cõforta eam. 26 Et audiuit mulier Vriæ,quia mortuus eſt Vrias vir ſuus,& planxit virum ſuum. 27 Et tranſijt luctus,& miſit Dauid, & conduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei in vxorem,& peperit ei filium: & malũ apparuit verbũ in oculis Domini.

CAP. XII.

ET miſit Dominus Nathan prophetam ad Dauid: & intrauit ad eum, & dixit ei: Duo erant viri in ciuitate vna,vnus diues,& vnus pauper. 2 Et diuiti erant greges,& armenta boum multa valdè. 3 Et pauperi nihil, niſi agna vna parua, quam acquiſiuerat, & reſeruauerat,& educauerat eam, & creuerat cum eo,& cum filijs eius in idipſum,de pane eius edebat,& de poculo eius bibebat,& in ſinu eius dormiebat, & erat ei tanquam filia. 4 Et venit viator viro diuiti, & pepercit ſumere de gregibus ſuis, & de armentis ſuis ad faciendum hoſpiti viatori,qui venerat ad ipſum,& cepit agnam pauperis,& fecit eam viro,qui venerat ad ſe. 5 Et indignatus eſt ira Dauid valdè viro,& dixit Dauid ad Nathan: Viuit Dominus,quia filius mortis vir,qui fecit hoc. 6 Et agnam reddet in ſeptuplum pro eo,quod fecit verbum iſtud,& pro eo,quod non pepercit.

Et di-

## Vulgata Editio.

7 Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael,& ego erui te de manu Saul:
8 Et dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo,dedique tibi domum Iſrael, & Iuda: & ſi parua ſunt iſta,adijciam tibi multo maiora.

9 Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Vriam Hethæũ percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi,& interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.
10 Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vſq; in ſempiternum,eo quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi vt eſſet vxor tua.
11 Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua,& tollam vxores tuas in
*Infr.16.a oculis tuis, & * dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.
12 Tu enim feciſti abſcondite: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.
13 Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Di-
* Eccl.47. 13. xitque Nathan ad Dauid: * Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.
14 Verumtamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur.
15 Et reuerſus eſt Nathan in domum ſuam. Percuſſit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid,& deſperatus eſt.
16 Deprecatuſque eſt Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum, iacuit ſuper terram.

17 Venerunt autem ſeniores domus eius, cogentes eũ, vt ſurgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum.
18 Accidit autem die ſeptima, vt moreretur infans: timueruntque ſerui Dauid nunciare ei, quòd mortuus eſſet paruulus,dixerunt enim: Ecce cum paruulus adhuc viueret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem noſtram: quanto magis ſi dixerimus: Mortuus eſt puer,ſe affliget?
19 Cum ergo Dauid vidiſſet ſeruos ſuos muſſitantes, intellexit quòd mortuus eſſet infantulus: dixitque ad ſeruos ſuos: Num mortuus eſt puer? Qui reſpõderunt ei: Mortuus eſt.

Sur-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Dixitque Nathan ad Dauid: Tu es vir. Sic dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vnxi te, vt eſſes rex ſuper Iſrael,& erui te de manu Saul.*
8 *Dedique tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo, & tradidi tibi domum Iſrael,& Iehudah, & ſi parum eſt adijciam tibi ſimilia, & ſimilia.*
9 *Quare contempſiſti verbum Domini faciendo, quod malum eſt in oculis eius? Vrijah Chittaum percuſſiſti gladio, & vxorem eius accepiſti tibi vxorem, ipſum vero occidiſti gladio filiorum Hammon.*
10 *Et nunc non recedet gladius de domo tua vſque in ſeculum,eo quòd contempſiſti me, & tuliſti vxorem Vrijah Chittai,vt eſſet tibi vxor.*
11 *Sic dicit Dominus: Ecce ego conſurgere facio aduerſum te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.*
12 *Tu enim feciſti abſcondite: & ego faciam hoc coram omni Iſrael & coram Sole.*

13 *Dixit autem Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Etiam Dominus tranſire fecit peccatum tuum,& non morieris.*
14 *Verumtamen, quia contemnendo contemnere feciſti inimicos Domini, propter hoc,etiam filius,qui natus eſt tibi moriendo morietur.*
15 *Et abijt Nathan in domum ſuam. Percuſſit autem Dominus puerum quem pepererat vxor Vrijah Dauid,& doluit.*
16 *Et rogauit Dauid Deum pro puero: & ieiunauit Dauid ieiunium,& venit, & pernoctauit, & iacuit ſupra terram.*

17 *Surrexerunt autem ſeniores domus eius ad eum, vt ſurgere facerent eum de terra: & noluit, & non comedit cum eis panem.*
18 *Et fuit,die ſeptima mortuus eſt infans: timueruntque ſerui Dauid nunciare ei, quòd mortuus eſſet infans,quia dixerunt: Ecce cum eſſet infans viuus,locuti ſumus ad eum, & non audiuit vocem noſtram: & quomodo dicemus ei: Mortuus eſt infans, vt faciat malum?*
19 *Et vidit Dauid,quòd ſerui ſui muſſitarent, & intellexit Dauid, quòd mortuus eſſet infans: dixitque Dauid ſeruis ſuis: Num mortuus eſt infans? Et dixerunt: Mortuus eſt.*

*Sur-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et dixit Nathan ad Dauid: Tu es vir,qui feciſti hoc. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego ſum,qui vnxi te in regem ſuper Iſrael,& ego quidem erui te de manu Saul: 8 Et dedi tibi domum domini tui, & mulieres domini tui in ſinu tuo,& dedi tibi domum Iſrael,& Iuda: & ſi parum eſt,adijciam tibi ſecundum hæc. 9 Quid, quod vilipendiſti verbum Domini,faciendo malum in oculis eius?Vriam Chettæum percuſſiſti in gladio,& vxorem eius cepiſti tibi in vxorem,& ipſum interfeciſti in gladio filiorũ Ammon. 10 Et nunc non recedet gladius de domo tua vſque in ſæculum,pro eo,quod ſpreuiſti me,& ſumpſiſti vxorem Vriæ Chettæi,vt ſit tibi in vxorem. 11 Hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcito ſuper te mala e domo tua,& capiã vxores tuas ante oculos tuos, & dabo proximo tuo,& dormiet cum vxoribus tuis coram Sole hoc. 12 Quoniam tu feciſti in occulto: & ego faciã verbum hoc coram vniuerſo Iſrael,& coram Sole hoc. 13 Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Et dixit Nathan ad Dauid: Et Dominus tranſire fecit peccatum tuum,non morieris. 14 Verumtamẽ,quia prouocãs prouocaſti ad iram inimicos Domini in verbo hoc,filius quidem tuus natus tibi,morietur. 15 Et abijt Nathan in domum ſuam. Et percuſſit Dominus paruulum,quem pepererat vxor Vriæ Chettæi ipſi Dauid,& ægrotauit. 16 Et quæſiuit Dauid Deũ pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiuniũ,& intrauit,& manſit ſuper terrã. 17 Et ſurrexerunt ſuper eũ ſeniores domus eius ad ſuſcitandũ eũ de terra: & noluit,& nõ mãducauit cũ eis panẽ. 18 Et factũ eſt in die ſeptima,& mortuus eſt paruulus: & timuerũt ſerui Dauid annunciare ei, quia mortuus eſt paruulus,qm dixerunt: Ecce,dum viueret adhuc paruulus, locuti ſumus ad eum, & non exaudiuit vocem noſtram: & quomodo dicemus ad eum,quia mortuus eſt paruulus,& faciat mala? 19 Et intellexit Dauid, quia pueri ſui muſſitant,& cogitauit Dauid, quia mortuus eſt paruulus: & dixit Dauid ad pueros ſuos: Si mortuus eſt paruulus? Et dixerunt: Mortuus eſt.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Surrexit ergo Dauid de terra: & lotus vnctuſque eſt: cumque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini: & adorauit, & venit in domum ſuam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit.
21 Dixerunt autem ei ſerui ſui: Quis eſt ſermo, quem feciſti? propter infantem, cum adhuc viueret, ieiunaſti, & flebas: mortuo autem puero, ſurrexiſti, & comediſti panem.
22 Qui ait: Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dicebam enim: Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans?
23 Nunc autem, quia mortuus eſt, quare ieiunem? Nũquid potero reuocare eũ amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me.
24 Et conſolatus eſt Dauid Bethſabee vxorem ſuam, ingreſſuſque ad eam, dormiuit cum ea: quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum.
25 Miſitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.
*1.Par.20.1. 26 *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam.
27 Miſitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduerſum Rabbath, & capienda eſt vrbs aquarum.
28 Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam: ne, cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo aſcribatur victoria.
29 Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus eſt aduerſum Rabbath: cumque dimicaſſet, cepit eam.
30 Et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper caput Dauid. Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valde:
31 Populum quoq; eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta: diuiſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit vniuerſis ciuitatibus filiorum Ammon: & reuerſus eſt Dauid, & omnis exercitus in Ieruſalem.

### CAP. XIII.

1 FActum eſt autem poſt hæc, vt Abſalom filij Dauid ſororem ſpecioſiſſimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius Dauid.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Surrexitque Dauid è terra: & lauit ſe, vnxitque ſe: & mutauit veſtes ſuas, ingreſſuſque domum Domini: & adorauit, & venit in domum ſuam, & petiuit, & poſuerunt ſibi panem, & comedit.*
21 *Dixeruntque ſerui eius ad eum: Quid eſt hoc, quod feciſti? pro puero viuo ieiunaſti, & fleuiſti: quando autem mortuus eſt infans ſurrexiſti, & comediſti panem.*
22 *Dixitque: Propter infantem viuum ieiunaui, & fleui: dixi enim: Quis ſcit ſi miſerebitur mei Dominus, & viuet infans?*
23 *Nunc autem mortuus eſt, vt quid iam ieiuno? Num potero reducere eum amplius? ego vado ad eum: & ipſe non reuertetur ad me.*
24 *Et conſolatus eſt Dauid Bathſebah vxorem ſuam, & ingreſſus eſt ad eam, & rem habuit cum ea: & peperit filium, & vocauit nomen eius Selomoh, & Dominus dilexit eum.*
25 *Miſit per manum Nathan propheta, & vocauit nomen eius Iedidiah propter Dominum.*
26 *Pugnauit autem Ioab cum Rabbah filiorum Hammon, & cepit vrbem regiam.*
27 *Miſitque Ioab nuncios ad Dauid, dixitque ad Dauid: Dimicaui contra Rabbah, & etiam cepi vrbem aquarum.*
28 *Et nunc congrega reſiduum populi, & caſtrametare contra ciuitatem, & cape eam: ne fortè capiam ciuitatem, & vocetur nomen meum ſuper eam.*
29 *Et congregauit Dauid omnem populum, & abijt in Rabbah: & pugnauit contra eam, cepitque eam.*
30 *Et tulit diadema regis eorum è capite eius, (& pondus eius erat talentum auri, & lapis pretioſus erat in eo,) & fuit ſupra caput Dauid. Et prædam vrbis eduxit multam valdè:*
31 *Et populum, qui erat in ea eduxit, & poſuit in ſerra, & in trahis ferreis, & in ſecuribus ferreis, & trãſire fecit eos per fornacem: & ſic fecit omnibus ciuitatibus filiorum Hammon: & reuerſus eſt Dauid, & omnis populus in Ieruſalaim.*

### CAP. XIII.

1 *ET fuit poſt hæc Abſalom filio Dauid erat ſoror pulchra, & nomen eius Thamar, & adamauit eam Amnon filius Dauid.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et ſurrexit Dauid de terra: & lauit ſe, & vnxit ſe: & mutauit veſtimenta ſua, & intrauit in domum Dei: & adorauit eum, & intrauit in domum ſuam, & petijt panem ad manducandum, & appoſuerunt ei panem, & manducauit. 21 Et dixerunt pueri eius ad eum: Quod eſt verbum hoc quod feciſti? propter paruulum, cum adhuc viueret, ieiunabas, & plorabas, & vigilabas: & quando mortuus eſt paruulus, ſurrexiſti, & manducaſti panem, & bibiſti. 22 Et dixit Dauid: Dum viueret adhuc paruulus, ieiunaui, & ploraui: quoniam dixi: Quis nouit, ſi miſerebitur mei Dominus, & viuet paruulus? 23 Et nunc mortuus eſt, vt quid hoc ego ieiuno? Numquid potero facere ipſum reuerti vltra? ego ibo ad eum: & ipſe non reuertet ad me. 24 Et conſolatus eſt Dauid Berſabee vxorem ſuam, & intrauit ad eam, & dormiuit cum ea: & concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum. 25 Et miſit in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius Ieddedi propter Dñm. 26 Et bellauit Ioab in Rabbath filiorum Ammon, & cepit ciuitatem regni. 27 Et miſit Ioab nũcios ad Dauid, & dixit: Bellaui in Rabbath, & cepi ciuitatem aquarum. 28 Et nunc congrega reſiduum populi, & caſtrametare ſuper ciuitatem, & cape eam, vt non capiam ego ciuitatem, & vocetur nomen meum ſuper eam. 29 Et congregauit Dauid vniuerſum populum, & iuit in Rabbath, & pugnauit in eam, & cepit eam. 30 Et cepit coronam Molchom regis eorum de capite eius, & pondus eius talentum auri, & lapides precioſi, & fuit ſuper caput Dauid. Et ſpolia ciuitatis exportauit multa valde: 31 Et populum, qui erat in ea, eduxit, & poſuit in ſerra, & in tribolis ferreis, & in ſecuribus ferreis, & tranſire fecit eos per fornacem: & ſic fecit omnibus ciuitatibus filiorum Ammõ: & reuerſus eſt Dauid, & vniuerſus populus in Hieruſalem.

### CAP. XIII.

ET factum eſt poſt hæc, & ipſi Abeſſalom filio Dauid ſoror pulchra ſpecie valde, & nomen ei Themar, & dilexit eam Ammon filius Dauid.

Et tri-

## Vulgat. Editio.

2 Et deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cum eſſet virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhoneſte ageret cum ea.

3 Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde.

4 Qui dixit ad eum: Quare ſic attenuaris macie fili regis per ſingulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar ſororem fratris mei Abſalom amo.

5 Cui reſpondit Ionadab: Cuba ſuper lectum tuum, & languorem ſimula: cumque venerit pater tuus vt viſitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar ſoror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum, vt comedam de manu eius.

6 Accubuit itaque Amnon, & quaſi ægrotare cœpit: cumque veniſſet rex ad viſitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obſecro, Thamar ſoror mea, vt faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius.

7 Miſit ergo Dauid ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

8 Venitque Thamar in domum Amnon fratris ſui: ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiſcuit: & liquefaciens, in oculis eius coxit ſorbitiunculas.

9 Tollenſque quod coxerat effudit, & poſuit coram eo, & noluit comedere: dixitque Amnon: eiicite vniuerſos à me. Cumque eieciſſent omnes,

10 Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclaue, vt veſcar de manu tua. Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem ſuum in conclaue.

11 Cumque obtuliſſet ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum ſoror mea.

12 Quæ reſpondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas eſt in Iſrael: noli facere ſtultitiam hanc.

13 Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi vnus de inſipientibus in Iſrael: quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi.

14 Noluit autem acquieſcere precibus eius, ſed præualens viribus oppreſſit eam, & cubauit cum ea.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et anguſtijs affectus eſt Amnon adeo vt ægrotaret propter Tamar ſororem ſuam: virgo enim erat, & difficile erat in oculis Amnon facere ei quicquam.*

3 *Et ipſi Amnon erat amicus, & nomen eius Ionadab filius Simhah fratris Dauid (Ionadab autem erat vir ſapiens valde.)*

4 *Dixitque ei: Quare es ſic infirmus fili regis ſingulo mane? cur non indicas mihi? dixitque ei Amnon: Tamar ſororem Abſalom fratris mei adamo.*

5 *Dixitque ei Ionadab: Cuba ſuper lectum tuum, Et ægrotare ſimula, & veniet pater tuus ad videndum te, & dices ad eum: Veniat obſecro Tamar ſoror mea, & comedere faciat me panem, & faciat in oculis meis pulmentum vt videam, & comedam de manu eius.*

6 *Et accubuit Amnon, & ægrotare ſimulauit, & venit rex ad videndum eum: dixitque Amnon ad regem: Veniat obſecro Tamar ſoror mea, & faciat laganam in oculis meis, duo lagana, & comedam de manu eius.*

7 *Miſitque Dauid ad Tamar ad domum dicendo: Veni obſecro in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.*

8 *Et iuit Tamar in domum Amnon fratris ſui. (Ipſe autem iacebat.) Et tulit farinam, & miſcuit, fecit lagana in oculis eius, & coxit lagana.*

9 *Et tulit ſartaginem, & effudit coram eo, & renuit comedere: dixitque Amnon: Educite omnem virum à me, & eduxerunt omnem virum ab eo.*

10 *Dixitque Amnon ad Tamar: Affer pulmentum in cubiculum, & comedam de manu tua: tulitque Tamar lagana quæ parauerat, & attulit ad Amnon fratrem ſuum in cubiculum.*

11 *Et obtulit ei, vt comederat, & apprehendit eam, dixitque ei: Veni, cuba mecum ſoror mea.*

12 *Dixitque ei: Ne frater mi, ne opprimas me: non enim fit ſic in Iſrael: ne facias ſtultitiam hanc.*

13 *Et ego quo pergere faciam probrum meum? & tu eris veluti vnus è ſtultis in Iſrael, & nunc loquere obſecro ad regem, quia non prohibebit me à te.*

14 *Et noluit audire vocem eius, ſed præualuit ei, & oppreſſit eam, & rem habuit cum ea.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et tribulabatur Amnon, ita vt ægrotaret propter Themar ſororem ſuam, quoniam virgo erat hæc, & difficile in
oculis Amnon facere quicquam ei. 3 Et erat ipſi Amnon amicus, & nomen ei Ionadab, filius Samaa fra-
tris Dauid, & Ionadab vir ſapiens valde: 4 Et dixit ei: Quid tibi, quia tu ſic infirmus fili regis mane
mane? nonne annuncias mihi? & dixit ei Amnon: Themar ſororem Abeſſalom fratris mei amo.
5 Et dixit ei Ionadab: Cuba ſuper cubile tuum, & langueſce, & ingredietur pater tuus ad videndum te, & dices
ad eum: Veniat nunc Themar ſoror mea, & cibet me, & faciat ante oculos meos cibum, vt videam & comedam
de manu eius. 6 Et cubuit Amnon, & ægrotauit, & intrauit videre eum, & dixit Amnon ad regem:
Veniat nunc Themar ſoror mea ad me, & collyrizet in oculis meis duas collyridas, & comedam de manu eius.
7 Et miſit Dauid ad Themar in domum, dicens: Vade nunc in domum fratris tui, & fac ei cibum.
8 Et iuit Themar in domum Amnon fratris ſui, & ipſe cubans, & ſumpſit paſtam, & conſperſit, & fecit collyridas
ante oculos eius, & coxit collyridas: 9 Et ſumpſit ſartaginem, & effudit coram eo, & noluit co-
medere: & dixit Amnon: Educite omnem virum deſuper me, & eduxerunt omnem virum deſuper eo.
10 Et dixit Amnon ad Themar: Infer cibum in cubiculum, & comedam de manu tua, & ſumpſit Themar col-
lyridas, quas fecerat, & introtulit ad Amnon fratrem ſuum in cubiculum: 11 Et obtulit ei ad
comedendum, & prehendit eam, & dixit ei: Veni, cuba mecum ſoror mea. 12 Et dixit ei: Ne-
quaquam frater mi, nequaquam humilies me, quoniam non fiet ſic in Iſrael: Ne facias ſtultitiam hanc.
13 Et ego, quo auferam opprobrium meum? & tu eris tamquam vnus inſipientium in Iſrael, & nunc loquere,
quæſo, ad regem, quoniam non prohibebit me à te. 14 Et noluit Amnon audire vocem
eius, & inualuit ſuper eam, & humiliauit eam, & cubuit cum ea.

Et odi-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 Et exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade.

16 Quæ reſpondit ei: Maius eſt hoc malum, quod nunc agis aduerſum me, quàm quod ante feciſti, expellens me. Et noluit audire eam:

17 Sed vocato puero, qui miniſtrabat ei, dixit: Ejice hanc à me foras, & claude oſtium poſt eam.

18 Quæ induta erat talari tunica: huiuſcemodi enim filiæ regis virgines veſtibus vtebantur. Ejecit itaque eam miniſter illius foras: clauſitque fores poſt eam.

19 Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens, & clamans.

20 Dixit autem ei Abſalom frater ſuus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? ſed nunc ſoror tace, frater tuus eſt: neque affligas cor tuum pro hac re: Manſit itaque Thamar contabeſcens in domo Abſalom fratris ſui.

21 Cum autem audiſſet rex Dauid verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

22 Porro non eſt locutus Abſalom ad Amnon nec malum, nec bonum: oderat enim Abſalom Amnon, eo quod violaſſet Thamar ſororem ſuam.

23 Factum eſt autem poſt tempus biennij, vt tonderentur oues Abſalom in Baalhaſor, quæ eſt iuxta Ephraim: & vocauit Abſalom omnes filios regis,

24 Venitque ad regem & ait ad eum: Ecce tondentur oues ſerui tui: veniat, oro, rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum ſuum.

25 Dixitque rex ad Abſalom: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cum autem cogeret eum, & noluiſſet ire, benedixit ei.

26 Et ait Abſalom: Si non vis venire, veniat obſecro, nobiſcum ſaltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non eſt neceſſe vt vadat tecum.

27 Coegit itaque Abſalom eum, & dimiſit cum eo Amnon & vniuerſos filios regis. Feceratque Abſalom conuiuium quaſi conuiuium regis.

Præ-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et odio habuit eam Amnon odio magno valde: maius enim fuit odium quo odio habuit eam: amore quo dilexerat eam: Dixitque ei Amnon: Surge, vade.*

16 *Dixitque ei: Ob hanc cauſam malum maius eſt hoc, quam aliud quod feciſti mecum, emittendo me, & noluit audire eam.*

17 *Et vocauit puerum ſuum miniſtrum ſuum, & dixit: Emitte nunc iſtam à me foras, & obſera oſtium poſt eam.*

18 *Et ſuper eam erat tunica polymita: ſic enim induebantur filiæ regis virgines tunicis. Et eduxit eam miniſter illius foras, & obſerauit oſtium poſt eam.*

19 *Et tulit Tamar cinerem ſuper caput ſuum & tunicam polymitam quæ erat ſuper ſe, ſcidit & poſuit manum ſuam ſuper caput ſuum, & ibat eundo, & clamabat.*

20 *Dixitque ad eam Abſalom frater ſuus: Num Amnon frater tuus fuit tecum? & nunc ſoror mea tace: frater tuus eſt: ne ponas cor tuum ad hoc, & manſit Tamar deſolata in domo Abſalom fratris ſui.*

21 *Rex Dauid audiuit omnia hæc, & iratus eſt valde.*

22 *Non eſt autem locutus Abſalom cum Amnon à malo vſque ad bonum: odio habebat enim Abſalom Amnon, eo quod oppreſſerat Tamar ſororem ſuam.*

23 *Et fuit poſt duos annos dierum tondebant pecudes ipſi Abſalom in Bahalthaſor, quæ erat iuxta Ephraim, & vocauit Abſalom omnes filios regis.*

24 *Et venit Abſalom ad regem, & dixit: Ecce nunc tondent pecudes ſeruo tuo: veniat obſecro rex & ſerui eius cum ſeruo tuo.*

25 *Et dixit rex ad Abſalom: Ne fili mi, ne quæſo veniamus omnes nos, ne grauemus te, & cogebat eum, & noluit ire, ſed benedixit ei.*

26 *Dixitque Abſalom: Et non veniet obſecro nobiſcum Amnon frater meus? Dixitque ei rex: Ad quid veniet tecum?*

27 *Et coegit eum Abſalom, & miſit ſecum Amnon, & omnes filios regis.*

*Præ-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et odiuit eam Amnon odio magno valde, quoniam magnum fuit odiũ, quo odiuit eam, ſuper amorem, quo
amauerat eam, qm̃ maius malum vltimum, quam primum, & dixit ei Amnon: Surge, & vade. 16 Et dixit ei The-
mar: Pro malo magno hoc ſuper alterum quod feciſti mecum, emittendo me, & noluit Amnon audire vocem
eius: 17 Et vocauit puerum ſuum præfectum domus, & dixit ei: Emitte nunc iſtam à me foras, & claude oſtium
poſt eam. 18 Et ſuper eam erat tunica intexta fructibus, quia ſic induebantur filiæ regis virgines ſuper indu-
menta ſua, & eduxit eam miniſter eius foras, & clauſit oſtium poſt eam. 19 Et ſumpſit Themar cinerem, & im-
poſuit ſuper caput ſuum, & tunicam intextam fructibus, quæ ſuper ipſam, diſcidit, & impoſuit manus ſuas ſuper ca-
put ſuum, & perrexit pergens, & clamans. 20 Et dixit ad eam Abeſſalom frater eius: Numquid Amnon frater
tuus fuit tecum? & nunc ſoror mea obmuteſce qm̃ frater tuus eſt: ne poſueris cor tuum ad loquendum verbum
hoc, & ſedit Themar viduata agens in domo Abeſſalom fratris ſui. 21 Et audiuit rex Dauid omnia verba hæc
& indignatus eſt valde, & non contriſtauit ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, qm̃ primogenitus
ſuus erat. 22 Et non eſt locutus Abeſſalom cum Amnon à malo vſque ad bonum, qm̃ odio habebat Abeſſa-
lom Amnon ſuper verbo, quod humiliauerat Themar ſororem ſuam: 23 Et factum eſt in biennium dierum, &
erant tondentes ipſi Abeſſalom in Belaſor contigua Ephraim: & vocauit Abeſſalom omnes filios regis. 24 Et
venit Abeſſalom ad regem, & dixit: Ecce nunc tondent ſeruo tuo: Eat quæſo rex, & pueri eius cum ſeruo tuo.
25 Et dixit rex ad Abeſſalom: Nequaquam nunc fili mi, non eamus omnes nos, & non ingraueſcamus ſuper te:
& coegit eum, & noluit ire, & benedixit eum. 26 Et dixit Abeſſalom ad eum, & ſi non: eat quæſo nobiſcum
Amnon frater meus, & dixit ei rex: Vt quid eat tecum? 27 Et coegit eum Abeſſalom, & miſit cum eo Am-
non, & omnes filios regis, & fecit Abeſſalom conuiuium iuxta conuiuium regis.

Et man-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

28 Præceperat autem Abſalom pueris ſuis, dicens: Obſeruate cum temulentus fuerit Amnon, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite, nolite timere: ego enim ſum qui præcipio vobis: roboramini, & eſtote viri fortes.

29 Fecerunt ergo pueri Abſalom aduerſum Amnon, ſicut præceperat eis Abſalom. Surgenteſque omnes filij regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.

30 Cumque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid, dicens: Percuſſit Abſalom omnes filios regis, & non remanſit ex eis ſaltem vnus.

31 Surrexit itaque rex, & ſcidit veſtimenta ſua: & cecidit ſuper terram, & omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua.

32 Reſpondens autem Ionadab filius Samaa fratris Dauid, dixit: Ne æſtimet dominus meus rex, quod omnes pueri filij regis occiſi ſint: Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat poſitus ex die qua oppreſſit Thamar ſororem eius.

33 Nunc ergo ne ponat dominus meus rex ſuper cor ſuum verbum iſtud, dicens: Omnes filij regis occiſi ſunt: quoniam Amnon ſolus mortuus eſt.

34 Fugit autem Abſalom: & eleuauit puer ſpeculator oculos ſuos, & aſpexit: & ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis.

35 Dixit autem Ionadab ad regem: Ecce filij regis adſunt: iuxta verbum ſerui tui ſic factum eſt.

36 Cumque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij regis: & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt: ſed & rex & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.

37 Porro Abſalom fugiens, abijt ad Tholomai filium Ammiud regem Geſſur. Luxit ergo Dauid filium ſuum cunctis diebus.

38 Abſalom autem cum fugiſſet, & veniſſet in Geſſur, fuit ibi tribus annis.

39 Ceſſauitque rex Dauid perſequi Abſalom, eo quod conſolatus eſſet ſuper Amnon interitu.

### CAP. XIIII.

1 INtelligens autem Ioab filius Saruiæ, quod cor regis verſum eſſet ad Abſalom,

Mi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Præcepit autem Abſalom pueris ſuis, dicendo: Videte obſecro, cum iocundum fuerit cor Amnon vino, & dixero vobis, percutite Amnon, interimite eum, ne timeatis: nonne quia ego præcepi vobis? confortamini, & eſtote filij fortes.*

29 *Et fecerunt pueri Abſalom ipſi Amnon, quemadmodum præceperat Abſalom: ſurrexeruntque omnes filij regis, & equitauerunt quiſque ſuper mulum ſuũ, & fugerunt.*

30 *Et fuit, ipſis exiſtentibus in via, fama venit Dauid dicendo: Percuſſit Abſalom omnes filios regis, & non remanſit ex eis vnus.*

31 *Surrexit autem rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & iacuit in terra, & omnes ſerui eius aſſiſtebant ſciſſis veſtibus.*

32 *Et reſpondit Ionadab filius Simhah fratris Dauid, & dixit: Ne dicat dominus meus, omnes pueros filios regis interemerunt, quia Amnon tantum mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat poſitum à die qua oppreſſit Tamar ſororem ſuam.*

33 *Et nunc ne ponat dominus meus rex ſuper cor ſuum verbum dicendo: Omnes filij regis mortui ſunt, quia Amnon ſolus mortuus eſt.*

34 *Fugit autem Abſalom, & eleuauit puer ſpeculator oculos ſuos, & vidit & ecce populus multus veniebat de via poſt montem ex latere montis.*

35 *Dixitque Ionadab ad regem: Ecce filij regis veniunt, iuxta verbum ſerui tui, ſic fuit.*

36 *Et fuit, cum compleuiſſet loqui, ecce filij regis venerunt, & leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, & etiam rex & omnes ſerui eius fleuerunt fletu magno valde.*

37 *Abſalom vero fugit, & abijt ad Talmai filium Hãmichud regem Gheſur, & luxit Dauid ſuper filium ſuum omnibus diebus.*

38 *Abſalom vero fugit, & abijt in Gheſur, & fuit ibi tribus annis.*

39 *Et deſiderauit anima Dauid regis egredi propter Abſalom, quia conſolatus fuerat ſuper Amnon quod mortuus eſſet.*

### CAP. XIIII.

1 *COgnouit autem Ioab filius Seruiah quod cor regis eſſet ab Abſalom.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

28 Et mandauit Abeſſalom pueris ſuis, dicens: Videte, cum bonum factum fuerit cor Amnõ in vino, & dixero ad vos: Percutite Amnon, & interficite eum: ne timeatis, quia nonne ego ſum, qui mando vobis? viriliter agite, & ſitis in filios virtutis. 29 Et fecerunt pueri Abeſſalom ipſi Amnon, ſicut mandauit eis Abeſſalom, & ſurrexerunt omnes filij regis, & inſederunt, vir ſuper mulam ſuam, & fugerunt. 30 Et factum eſt, dum ipſi eſſent in via, & fama venit ad Dauid, dicens: Percuſſit Abeſſalom omnes filios regis, & non remanſit de eis vllus. 31 Et ſurrexit rex, & diſcidit veſtimenta ſua, & cubuit ſuper terram, & oẽs pueri eius aſſiſtẽtes ei diſciderunt veſtimenta ſua. 32 Et reſpondit Ionadab filius Samaa fratris Dauid, & dixit: Non dicat dñs meus rex, quia omnes paruulos filios regis interfecit, quia Amnon prorſus ſolus mortuus eſt, quia ſuper os Abeſſalom erat poſitus à die, qua humiliauit Themar ſororem eius. 33 Et nunc non ponat dñs meus rex ſuper cor ſuum, verbum, dicens: Omnes filij regis mortui ſunt, quia tñ Amnon ſolus mortuus eſt. 34 Et aufugit Abeſſalom, & eleuauit puer ſpeculator oculos ſuos, & vidit, & ecce populus multus pergens in via poſt eum à latere montis in deſcenſu, & aduenit ſpeculator, & annunciauit regi, & dixit: Viros vidi de via Oronim, è parte montis. 35 Et dixit Ionadab ad regem: Ecce filij regis adſunt, iuxta verbum ſerui tui, ſic factum eſt. 36 Et factum eſt, poſtquam conſummauit loquens, & ecce filij regis venerunt, & eleuauerunt vocẽ ſuã, & plorauerunt, & ẽt rex, & oẽs pueri eius plorauerunt plorationem magnam valde. 37 Et Abeſſalom fugit, & iuit ad Tholmi filium Emiud regem Gedſur in terram Chamaachad, & luxit rex Dauid ſuper filium ſuum omnibus diebus. 38 Et Abeſſalom aufugit, & iuit in Gedſur, & fuit ibi annos tres. 39 Et ceſſauit rex Dauid exire ad Abeſſalom, quia conſolatus eſt ſe ſuper Amnon, quia mortuus erat.

### CAP. XIIII.

1 ET intellexit Ioab filius Saruiæ, quia cor regis ſuper Abeſſalom.

Et mu-

UVA.BSCH

### Vulgata Editio.

2 Miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem: dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum:

3 Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum ſermones huiuſcemodi. Poſuit autem Ioab verba in ore eius.

4 Itaque cum ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adorauit, & dixit: Serua me rex.

5 Et ait ad eam rex: Quid cauſæ habes? Quæ reſpondit: Heu, mulier vidua ego ſum: mortuus eſt enim vir meus.

6 Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati ſunt aduerſum ſe in agro, nulluſque erat, qui eos prohibere poſſet: & percuſſit alter alterũ, & interfecit eũ.

7 Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio aduerſum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum pro anima fratris ſui, quem interfecit, & deleamus heredem: & quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.

8 Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.

9 Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, ſit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem & thronus eius ſit innocens.

10 Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat te.

11 Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei ſui, vt non multiplicentur proximi ſanguinis ad vlciſcendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram.

12 Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere.

13 Dixitque mulier: Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt rex verbum iſtud, vt peccet, & non reducat eiectum ſuum?

14 Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: * nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus eſt.

* Ezec. 18. 32. & 33. 11

15 Nunc igitur veni, vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præſente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, ſi quo modo faciat rex verbum ancillæ ſuæ.

Et

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et miſit Ioab in Tecoham, & tulit inde mulierem ſapientem, & dixit ad eam: Præfer luctum obſecro, & indue te quæſo veſtimentis lugubribus, & ne vngas te oleo, & ſis veluti mulier iam diebus multis lugens ſuper mortuum.*

3 *Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum iuxta verbum hoc, & poſuit Ioab verba in ore eius.*

4 *Et dixit mulier Tecohitis ad regem, & cecidit ſuper faciem ſuam in terram, & incuruauit ſe, & dixit: Serua rex.*

5 *Dixitque ei rex: Quid eſt tibi? & dixit: Profecto mulier vidua ſum, & mortuus eſt vir meus.*

6 *Et ancillæ tuæ erant duo filij, & rixati ſunt ambo in agro, & non erat qui erueret inter eos, & percuſſit vnus alterum, & occidit eum.*

7 *Et ecce ſurrexit tota familia contra ancillam tuam, & dixerunt: Da percuſſorem fratris ſui, vt interficiamus eum propter animam fratris ſui, quem occidit, & diſperdamus etiam hæredem, & extinguent prunam meam quæ relicta eſt, vt non ponam viro meo nomen, & reſiduum ſuper faciem terræ.*

8 *Dixit autem rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.*

9 *Dixitque mulier Tecohitis ad regem: Super me domine mi rex ſit pœnam iniquitatis, & ſuper domum patris mei: rex autem, & thronus eius ſit innocens.*

10 *Dixitque rex: Loquentem contra te adduc ad me, & non addet vltra vt tangat te.*

11 *Dixitque: Recordetur obſecro rex Domini Dei ſui ne multiplicari faciat propinquos ſanguinis ad perdendum, & non diſperdant filium meum. & dixit: Viuit Dominus ſi ceciderit de capillo filij tui in terram.*

12 *Dixitque mulier: Loquatur obſecro ancilla tua ad dominum meum regem verbum, dixitque: Loquere.*

13 *Et ait mulier: Et quare cogitaſti ſimile contra populum Dei? & ne loquatur rex verbum hoc tamquã delinquens, vt non reducat rex expulſum ſuum.*

14 *Moriendo enim morimur, & veluti aquæ, quæ defluunt in terram, qui non congregantur, & non accipiet Deus animam: ſed cogitabit cogitationes, vt non expellat ad ſe expulſum.*

15 *Et nunc quod venerim vt loquerer ad regem dominum meum verbum hoc cauſa eſt, quia terruerunt me populus, & dixit ancilla tua: loquar nunc ad regem, forſitam faciet rex verbum ancillæ ſuæ.*

*Au-*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et miſit Ioab in Thecoe, & ſumpſit inde mulierem ſapientem, & dixit ad eam: Luge nunc, & indue veſtimenta
lugubria, & non vngaris oleo, & eris tãquam mulier lugens ſuper mortuum iam diebus multis. 3 Et venies ad
regem & loqueris ad eum iuxta verbum hoc, & poſuit Ioab verba in ore eius. 4 Et intrauit mulier Thecoites
ad regem, & cecidit ſuper faciem ſuam in terram, & adorauit eum, & dixit: Salua rex, ſalua. 5 Et dixit ad eam
rex: Quid eſt tibi? At illa dixit: Et valde, vidua mulier ego ſum, & mortuus eſt vir meus. 6 Et etiam ancillæ tuæ
erant duo filij, & pugnarunt vterique in agro, & non fuit, qui eximeret inter eos, & percuſſit vnus vnum fratrẽ ſuũ,
& interfecit eum. 7 Et ecce inſurrexit tota cognatio erga ancillam tuam, & dixerunt: Da eum qui percuſſit
fratrem ſuum, & interficiemus eum pro anima fratris ſui, quem occidit, & tollemus & hæredem veſtrum, & extinguent
prunam meam reſiduam ita vt non ponatur viro meo reſiduum, & nomen ſuper faciem terræ. 8 Et dixit
rex ad mulierem: Vadens vade in domum tuam, & ego mandabo pro te. 9 Et dixit mulier Thecoites ad regẽ:
Super me dñe mi rex iniquitas, & ſuper domum patris mei, & rex & thronus eius innocens. 10 Et dixit rex:
Quiſquis eſt qui loquitur ad te, & duces eũ ad me, & non adijciet vltra tangere eum. 11 Et dixit: Recordetur
nunc rex Dñi Dei ſui, multiplicando redemptorem ſanguinis ad diſperdendum, & non tollant filium meũ, & dixit:
Viuit Dñs, ſi cadet de capillo filij tui ſuper terram. 12 Et dixit mulier: Loquatur nunc ancilla tua ad dñm
meum regem verbum, & dixit: Loquere. 13 Et dixit mulier: Vt quid cogitaſti tale ſuper populum Dei? nũquid
ex ore regis verbum hoc, tamquam delictum, vt non redire faciat rex eiectum ſuum? 14 Quia morte moriemur
& tamquam aqua delabens ſuper terram, quæ non colligetur, & accipiet Deus animam, & cogitans expellere a ſe
expulſum? 15 Et nunc, quod veneram loqui ad regem dominum meum verbum hoc, quia aſpiciet me populus, & dicet ancilla tua, loquatur nunc ad dominum meum regem, ſi quomodo faciat rex verbum ancillæ ſuæ:

Quo-

## Vulgat. Editio.

16 Et audiuit rex,vt liberaret ancillam ſuam de manu omnium,qui volebant de hęreditate Dei delere me, & filium meum ſimul.

17 Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum domini mei regis ſicut ſacrificium. Sicut enim Angelus Dei,ſic eſt Dominus meus rex,vt nec benedictione,nec maledictione moueatur : vnde & Dominus Deus tuus eſt tecum.

18 Et reſpondens rex , dixit ad mulierem : Ne abſcondas à me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier : Loquere Domine mi rex.

19 Et ait rex : Numquid manus Ioab tecum eſt in omnibus iſtis ? Reſpondit mulier, & ait : Per ſalutem animæ tuæ,domine mi rex,nec ad ſiniſtram, nec ad dexteram eſt ex omnibus his,quæ locutus eſt dominus meus rex : ſeruus enim tuus Ioab, ipſe præcepit mihi,& ipſe poſuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

20 Vt verterem figuram ſermonis huius, ſeruus tuus Ioab præcepit iſtud : tu autem domine mi rex, ſapiens es,ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram.

21 Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: Vade ergo,& reuoca puerum Abſalom.

22 Cadenſque Ioab ſuper faciem ſuam in terram, adorauit,& benedixit regi : & dixit Ioab : Hodie intellexit ſeruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi rex : feciſti enim ſermonem ſerui tui.

23 Surrexit ergo Ioab & abijt in Geſſur,& adduxit Abſalom in Ieruſalem.

24 Dixit autem rex : Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat. Reuerſus eſt itaque Abſalom in domum ſuam,& faciem regis non vidit.

25 Porro ſicut Abſalom, vir non erat pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis : à veſtigio pedis vſque ad verticem non erat in eo vlla macula.

26 Et quando tondebat capillum ( ſemel autem in anno tondebatur,quia grauabat eum cæſaries)ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico.

27 Nati ſunt autem Abſalom filij tres : & filia vna nomine Thamar,elegantis formæ.

28 Manſitque Abſalom in Ieruſalem duobus annis, & faciem regis non vidit.

29 Miſit itaque ad Ioab,vt mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque ſecundo miſiſſet,& ille noluiſſet venire ad eum,

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Audiet enim rex vt liberet ancillam ſuam de manu viri volentis perdere me, & filium meum pariter de hæreditate Dei.*

17 *Et dixit ancilla tua: Sit obſecro verbum domini mei regis ad requiem: Sicut enim Angelus Dei,ſic eſt dominus meus rex,vt audiat quod bonum eſt,& quod malum,& Dominus Deus tuus ſit tecum.*

18 *Et reſpondit rex, & dixit ad mulierem : Ne quæſo abſcõdas à me verbum quod ego interrogo te. Dixitque mulier : Loquatur obſecro dominus meus rex.*

19 *Dixitque rex: Num conſilium Ioab tecum eſt in omni hoc? Et reſpondit mulier,& dixit: Per vitam animæ tuæ domine mi rex, non eſt qui poſſit declinare ad dexteram,vel ſiniſtram ab his quæ locutus eſt dominus meus rex : ſeruus enim tuus Ioab ipſe præcepit mihi,& ipſe poſuit in ore ancillæ tuæ omnia verba hæc.*

20 *Vt verterem faciem verbi fecit ſeruus tuus Ioab verbum hoc: Dominus autem meus ſapiens eſt ſecundum ſapientiam Angeli Dei,vt cognoſcat omnia quæ ſunt in terra.*

21 *Dixit autem rex ad Ioab : Ecce nunc feci verbum hoc,vade reduc puerum Abſalom.*

22 *Et proſtrauit ſe Ioab ſuper faciem ſuam ſuper terram, & incuruauit ſe, & benedixit regi : dixitque Ioab : Hodie cognouit ſeruus tuus quod inueni gratiam in oculis tuis domine mi rex : Fecit enim rex verbum ſerui ſui.*

23 *Surrexit autem Ioab,& abijt in Gheſur,& adduxit Abſalom in Ieruſalaim.*

24 *Dixitque rex : Reuertatur ad domum ſuam, & faciem meam non videat, & reuerſus eſt Abſalom in domum ſuam, & faciem regis non vidit.*

25 *Et ſicut Abſalõ non erat vir pulcher in vniuerſo Iſrael,ita vt ſplendidus eſſet:ſplenderet valde à plãta pedis eius, vſq; ad verticẽ eius,nõ erat in eo macula.*

26 *Et quando tondebat caput ſuum ( erat autem à fine anni ad annum quo tondebat, quia graue erat ei, & tondebat illud, ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere regio.*

27 *Nati ſunt aũt Abſalom tres filij, & filia vna,& nomẽ eius Thamar, ipſa erat mulier pulchra aſpectu.*

28 *Manſitque Abſalom in Ieruſalaim duobus annis dierum,& faciem regis non vidit.*

29 *Miſit autem Abſalom ad Ioab, vt mitteret eum ad regem: & noluit venire ad eum. Et miſit adhuc ſecundo, & noluit venire.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Quoniam audiet rex,eruat ancillam ſuam de manu viri quærentis tollere me, & filium meum ab hæreditate
Dei. 17 Et dixit mulier : Si iam ſermo dñi mei regis in ſacrificia, qm̃ ſicut Angelus Dei, ſic dñs meus rex ad
audiendum bonum, & malum, & Dñs Deus tuus erit tecum. 18 Et reſpondit rex, & dixit ad mulierem : Ne
nunc occultaueris à me verbum quod ego interrogo te,& dixit mulier:Loquatur nunc dñs meus rex. 19 Et di-
xit rex: Numquid manus Ioab in omni hoc tecum?& dixit mulier regi : Viuit anima tua dñe mi rex,ſi eſt in dex-
tera,vel in ſiniſtra de omnibus,quæ locutus eſt dñs meus rex,qm̃ ſeruus tuus Ioab ipſe mandauit mihi,& ipſe po-
ſuit in ore ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20 Vt verterem faciem verbi huius, quod fecit ſeruus tuus Ioab ver-
bum hoc,& dñs meus ſapiens,ſicut ſapientia Angeli Dei ad cognoſcendum omnia, quæ in terra. 21 Et dixit
rex ad Ioab: Ecce nunc feci tibi iuxta verbum tuum hoc : vade,reduc puerum Abeſſalom 22 Et cecidit Ioab
ſuper faciem ſuam in terram,& adorauit,& benedixit regẽ, & dixit Ioab: Hodie cognouit ſeruus tuus,quia inue-
ni gratiã in oculis tuis dñe mi rex,qm̃ fecit dñs meus rex verbum ſerui ſui. 23 Et ſurrexit Ioab & iuit in Ged-
ſur,& duxit Abeſſalom in Hieruſalem. 24 Et dixit rex : Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non vi-
deat,& reuertit Abeſſalom in domum ſuam, & faciem regis non vidit. 25 Et ſicut Abeſſalom, non erat vir in
omni Iſrael,laudabilis valde,à veſtigio pedis eius,& vſque ad verticem eius non erat in eo macula. 26 Et cum
tonderetur ipſe caput ſuum (& erat à principio dierum in dies,quãdo tondebatur, qm̃ aggrauabatur ſuper eum)
& tonſus ponderauit capillum capitis ſui ducentos ſiclos in ſiclo regio. 27 Et nati ſunt ipſi Abeſſalom tres filij
& filia vna,& nomen ei Themar:Hæc fuit mulier pulcra valde,& fit vxor Roboã filio Salomon,& pariter ei Abia.
28 Et ſedit Abeſſalom in Hieruſalem duos annos dierum , & faciem regis non vidit. 29 Et miſit Abeſſalom
ad Ioab ad mittendum eum ad regem,& noluit venire ad eum,& miſit ſecundo ad eum, & noluit aduenire.

Et di-

## Vulgata Editio.

30 Dixit ſeruis ſuis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum
meum, habentem meſſem hordei: ite igitur, & ſuc-
cendite eum igni. Succenderunt ergo ſerui Abſa-
lom ſegetem igni. Et venientes ſerui Ioab, ſciſſis
veſtibus ſuis, dixerunt: Succenderunt ſerui Abſa-
lom partem agri igni.
31 Surrexitque Ioab, & venit ad Abſalom in domum
eius, & dixit: Quare ſuccenderunt ſerui tui ſegetem
meam igni?
32 Et reſpondit Abſalom ad Ioab: Miſi ad te obſecrans
vt venires ad me, & mitterem te ad regem, & dice-
res ei: Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi
eſſe: obſecro ergo vt videam faciem regis: quod ſi
memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.
33 Ingreſſus itaque Ioab ad regem, nunciauit ei om-
nia: vocatuſque eſt Abſalom, & intrauit ad regem,
& adorauit ſuper faciem terræ coram eo: oſcula-
tuſque eſt rex Abſalom.

### CAP. XV.

1 IGitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus, & equi-
tes, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.
2 Et mane conſurgens Abſalom, ſtabat iuxta intro-
tum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium
vt veniret ad regis iudicium, vocabat Abſalom ad
ſe, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui reſpon-
dens aiebat: Ex vna tribu Iſrael ego ſum ſeruus
tuus.
3 Reſpondebatque ei Abſalom: Videntur mihi ſer-
mones tui boni & iuſti. Sed non eſt qui te audiat
conſtitutus à rege: dicebatque Abſalom:
4 Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt ad me
veniant omnes, qui habent negotium, & iuſte iudi-
cem?
5 Sed & cum accederet ad eum homo vt ſalutaret il-
lum, extendebat manum ſuam, & apprehendens,
oſculabatur eum.
6 Faciebatque hoc omni Iſrael venienti ad iudicium,
vt audiretur à rege, & ſolicitabat corda virorum Iſ-
rael.
7 Poſt quadraginta autem annos, dixit Abſalom ad
regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea quæ
voui Domino in Hebron.
8 Vouens enim vouit ſeruus tuus, cum eſſet in Geſſur
Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ieruſa-
lem, ſacrificabo Domino.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

30 *Dixitque ſeruis ſuis: Videte poſſeſſionem Ioab iux-
ta locum meum, & ei ſunt ibi hordea, ite & elbur-
te ipſam igni, & ſuccenderunt ſerui Abſalom poſ-
ſeſſionem igni.*
31 *Surrexitque Ioab, & venit ad Abſalom in domum:
dixitque Ioab ad eum: Vt quid ſuccenderunt ſerui
tui poſſeſſionem, quæ eſt mihi igni?*
32 *Dixitque Abſalom ad Ioab: Ecce miſi ad te dicen-
do, veni huc, & mittam te ad regem dicendo: Vt
quid veni de Gheſur: melius mihi erat quod adhuc
eſſem ibi, & nunc videam faciem regis, & ſi eſt in
me iniquitas, interficere me faciat.*
33 *Et venit Ioab ad regem, & indicauit ei, & vocauit
Abſalom, & venit ad regem, & incuruauit ſe ei ſu-
per faciem ſuam in terra coram rege, & oſculatus
eſt rex Abſalom.*

### CAP. XV.

1 *ET fuit, poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus &
equos, & quinquaginta viros currentes ante ſe.*
2 *Et mane conſurgebat Abſalom, & ſtabat iuxta lo-
cum viæ portæ, & erat, omnem virum cui eſſet, cau-
ſa, vt veniret ad regem pro iudicio, vocabat Abſalom
& dicebat: Ex qua ciuitate es tu? & dicebat: Ex
vna tribuum Iſrael ſeruus tuus eſt.*
3 *Dicebatque ad eum Abſalom: Vide ſermones tui
boni ſunt, & recti, & qui te audiat non eſt tibi à re-
ge: dicebatque Abſalom:*
4 *Quis ponat me iudicem in terra, & ad me veniat
omnis vir cui ſit cauſa, & iudicium, & iuſtitiam
faciam ei?*
5 *Et erat cum appropinquabat quiſpiam, & incurna-
bat ſe ei, extendebat manum ſuam, & apprehende-
bat eum, & oſculabatur eum.*
6 *Et faciebat Abſalom hoc pacto vniuerſo Iſrael, qui
veniebant pro iudicio ad regem, & furabatur Abſa-
lom cor virorum Iſrael.*
7 *Et fuit, in fine quadraginta annorum, dixit Abſa-
lom ad regem: Ibo obſecro, & reddam votum meum
quod voui Domino in Chebron.*
8 *Votum enim vouit ſeruus tuus cum manerem in
Gheſur in Aram, dicendo: Si reducendo reduxerit
me Dominus in Ieruſalaim, ſeruiam Domino.*

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

30 Et dixit Abeſſalom ad pueros ſuos: Videte, portio in agro ipſius Moab eſt contigua mihi, & ei illic hordea: Ite
& ſuccendite eam in igni, & incenderunt pueri Abeſſalom portionem & aduениunt ſerui Ioab ad eum, diſciſſi ve-
ſtimenta ſua, & dixerunt: Incenderunt ſerui Abeſſalom portionem in igni. 31 Et ſurrexit Ioab, & venit ad A-
beſſalom in domum, & dixit ad eum: Vt quid incenderunt pueri tui portionem meam in igni? 32 Et dixit A-
beſſalom ad Ioab: Ecce miſi ad te, dicens: Veni huc, & mittam te ad regem, dicens: Vt quid veni de Geſſur? Bo-
num mihi erat eſſe ibi, & nunc ecce faciem regis non vidi: Si autem eſt in me iniuſtitia, & interfice me. 33 Et
intrauit Ioab ad regem, & annunciauit ei, & vocauit Abeſſalom, & intrauit ad regem, & adorauit eum, & cecidit
ſuper faciem ſuam in terram, & ad faciem regis, & deoſculatus eſt rex ipſum Abeſſalom. CAP. XV.
ET factum eſt poſt hæc, & fecit ſibi Abeſſalom currus, & equos, & quinquaginta viros ad currendum ante ſe.
2 Et diluculo ſurgebat Abeſſalom, & ſtabat ſuper manû viæ portæ, & factû eſt, omnis vir, cui erat iudiciû, ve-
niebat ad regem in iudicium, & clamabat ad eum Abeſſalom, & dicebat ei: Ex quali ciuitate tu es? & dixit: Ex
vna tribuum Iſrael ſeruus tuus. 3 Et dixit ad eum Abeſſalom: Ecce verba tua bona, & facilia, & qui audiat non
eſt tibi à rege, & dixit Abeſſalom: 4 Quis me conſtituat iudicem in terra, & ſuper me veniet omnis vir, cui-
cumque fuerit controuerſia, & iudicium, & iuſtificabo eum? 5 Et factum eſt, cum appropinquaret vir ad ado-
randum eum, & extendebat manum ſuam, & apprehendebat eum, & deoſculabatur eum. 6 Et fecit Abeſſa-
lom iuxta verbum hoc omni Iſrael, iis, qui adueniebant in iudicium ad regem, & Abeſſalom ſuum faciebat cor
virorum Iſrael. 7 Et factum eſt à fine quadraginta annorum, & dixit Abeſſalom ad patrem ſuum: Ibo nunc,
& reddam vota mea, quæ voui Domino in Chebron: 8 Quoniam votum vouit ſeruus tuus, cum ego habita-
rem in Gedſur in Syria, dicens: Si reducens reduxerit me Dominus in Hieruſalem, & ſeruiam Domino.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et ſurrexit, & abiit in Hebron.

10 Miſit autem Abſalom exploratores in vniuerſas tribus Iſrael, dicens : Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnauit Abſalom in Hebron.

11 Porro cum Abſalom ierunt ducenti viri de Ieruſalem vocati, euntes ſimplici corde, & cauſam penitus ignorantes.

12 Accerſiuit quoque Abſalom Achitophel Gilonitem conſiliarium Dauid, de ciuitate ſua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum Abſalom.

13 Venit igitur nuncius ad Dauid, dicens : Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom.

14 Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem : Surgite, fugiamus : neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom: feſtinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.

15 Dixeruntque ſerui regis ad eum : omnia quæcumque præceperit Dominus noſter rex libenter exequemur ſerui tui.

16 Egreſſus eſt ergo rex, & vniuerſa domus eius pedibus ſuis : & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum.

17 Egreſſuſque rex & omnis Iſrael pedibus ſuis, ſtetit procul à domo :

18 Et vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, ſexcenti viri qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.

19 Dixit autem rex ad Ethai Gethæum : Cur venis nobiſcum ? reuertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo.

20 Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? ego autem vadam quo iturus ſum: reuertere, & reduc te cum fratres tuos, & Dominus faciet tecum miſericordiam, & veritatem, quia oſtendiſti gratiam & fidem.

21 Et reſpondit Ethai regi, dicens : Viuit Dominus, & viuit dominus meus rex : quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.

Et

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Dixitque ei rex : Vade in pace, & ſurrexit, & abijt in Chebron.*

10 *Miſit autem Abſalom exploratores in vniuerſas tribus Iſrael dicendo : Cum audieritis ſonitum buccinæ dicite : Regnauit Abſalom in Chebron.*

11 *Cum Abſalom autem iuerunt ducenti viri de Ieruſalaim inuitati, & ibant in ſimplicitate ſua, nec ſciebant quicquam.*

12 *Miſitque Abſalom ad Achithophel Chilonitam conſiliarium Dauid de ciuitate ſua de Ghiloh, dum immolaret victimas, & fuit coniuratio valida, & populus ibat, & augebatur cum Abſalom.*

13 *Et venit nuncius ad Dauid dicendo : Fuit cor viri Iſrael poſt Abſalom.*

14 *Dixitque Dauid omnibus ſeruis ſuis qui erant ſecum in Ieruſalaim : Surgite, & fugiamus, quia non erit nobis euaſio à facie Abſalom : Feſtinate ire, ne forte acceleret, & apprehendat nos, & impellat ſuper nos malum, & percutiat, ciuitatem ore gladij.*

15 *Dixeruntque ſerui regis ad regem : ſecundum omne quod elegerit dominus meus rex ecce ſerui tui.*

16 *Et egreſſus eſt rex, & omnis familia eius pedibus ſuis : & reliquit rex decem mulieres concubinas, vt cuſtodirent domum.*

17 *Et egreſſus eſt rex, & omnis populus pedibus ſuis, & ſteterunt in loco longinquo.*

18 *Et vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta manum eius, & omnes Cherethi, & omnes Pelethi, & omnes Chittai ſexcenti viri, qui venerant pede ſuo de Ghath, tranſibant ante faciem regis.*

19 *Dixit autem rex ad Itthai Chitthæum : Vt quid venis etiam tu nobiſcum? reuertere, & mane cum rege, quia alienigena es, & etiam vagus es ad locum tuum.*

20 *Heri venire tuum fuit, & hodie mouere faciam te nobiſcum ad eundum? ego autem vado, quo vado : reuertere & reduc fratres tuos, tecum ſit miſericordia, & veritas.*

21 *Et reſpondit Itthai ad regem, & dixit : Viuit Dominus, & viuat dominus meus rex: niſi in loco in quo fuerit dominus meus rex, tam in morte quam in vita, ibi fuerit ſeruus tuus,*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et dixit ei rex: Vade in pace. Et ſurgens iuit in Chebron. 10 Et miſit Abeſſalom exploratores in omnes tri-
bus Iſrael, dicens: In audiendo vos vocem corneæ & dicetis: Regnauit rex Abeſſalom in Chebron. 11 Et poſt
Abeſſalom ierunt ducenti viri ex Hieruſalem vocati, & euntes ſimplicitate ſua, & non nouerunt omne verbū.
12 Et miſit Abeſſalom ad Achitophel Theconi conſiliarium Dauid de ciuitate eius, de Gola, dum ille ſacrifica-
ret: & facta eſt coitio fortis & populus pergens, & multus cum Abeſſalom. 13 Et aduenit annuncians ad Da-
uid, dicens: Factum eſt cor virorum Iſrael poſt Abeſſalom. 14 Et dixit Dauid omnibus pueris ſuis, qui ſecū, qui
in Hieruſalem: Surgite, & fugiamus, quia non eſt nobis ſalus à facie Abeſſalom: Feſtinate ad eundū, vt non feſtinet,
& apprehendat nos, & proijciat ſuper nos malū, & percutiat ciuitatem in ore gladij. 15 Et dixerunt pueri re-
gis ad regē: iuxta omnia quæcūque elegit dñs noſter rex, ecce pueri tui. 16 Et egreſſus eſt rex, & vniuerſa do-
mus eius pedibus ſuis, & dimiſit rex decē mulieres de concubinis ſuis ad cuſtodiendam domū. 17 Et egreſſus
eſt rex, & oēs pueri eius pedibus, & ſteterunt in domo, quæ longe. 18 Et oēs pueri eius ſuper manū eius trāſi-
bant, & vniuerſus Chelethi, & vniuerſus Pelethi: & ſteterunt ſuper oleā in deſerto, & oīs populus prætergredieba-
tur iuxta eū, & oēs qui circa eū, & oēs robuſti, & oēs bellatores ſexcenti viri, & tranſierunt ſuper manum eius, &
vniuerſus Chelethi, & vniuerſus Phelethi, & oēs Getthæi ſexcenti viri, qui venerant pedibus ſuis e Geth, & eun-
tes ad faciē regis. 19 Et dixit rex ad Ethi Getthæū: Vt quid vadis & tu nobiſcū? Reuerte, & habita cū rege, quia
peregrinus es tu, & quia tranſmigraſti tu de loco tuo. 20 Si heri aduenisti, & hodie mouebo te nobiſcū, & ēt mu
tabis rurſus locū tuū: heri exitus tuus, & hodie trāſmouebo te nobiſcū ad eūdū, & ego ibo, quocūq; iuero: reuerte-
re, & reduc frs tuos tecū, & Dñs faciet tecū miſericordiā, & veritatē. 21 Et Ethi rñdit regi, & dixit: Viuit Dñs, &
viuit dñs meus rex, quod in loco, vbicumque fueris dñs meus, etſi ad mortē, etſi ad vitā, quia ibi erit ſeruus tuus.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Et ait Dauid Ethai: Veni, & tranſi: Et tranſiuit Ethai Gethæus,& omnes viri,qui cum eo erant,& reliqua multitudo.

23 Omneſque flebant voce magna, & vniuerſus populus tranſibat: rex quoque tranſgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam,quæ reſpicit ad deſertum.

24 Venit autem & Sadoc ſacerdos, & vniuerſi Leuitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & depoſuerunt arcam Dei: & aſcendit Abiathar,donec expletus eſſet omnis populus, qui egreſſus fuerat de ciuitate.

25 Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in vrbem: ſi inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum.

26 Si autem dixerit mihi: Non places: præſto ſum,faciat quod bonum eſt coram ſe.

27 Et dixit rex ad Sadoc ſacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar duo filij veſtri, ſint vobiſcum.

28 Ecce ego abſcondar in campeſtribus deſerti, donec veniat ſermo à vobis indicans mihi.

29 Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar arcam Dei in Ieruſalem: & manſerunt ibi.

30 Porro Dauid aſcendebat Cliuum oliuarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, ſed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite aſcendebat plorans.

31 Nunciatum eſt autem Dauid quod & Achitophel eſſet in coniuratione cum Abſalom, dixitque Dauid: Infatua, quæſo, Domine conſilium Achitophel.

32 Cumque aſcenderet Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chuſai Arachites,ſciſſa veſte, & terra pleno capite.

33 Et dixit ei Dauid: Si veneris mecum, eris mihi oneri:

34 Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalom: Seruus tuus ſum, rex: ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero ſeruus tuus: diſſipabis conſilium Achitophel.

35 Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar ſacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc, & Abiathar ſacerdotibus

Sunt

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

22 *Dixitque Dauid ad Ithai: Veni,& tranſi: Et tranſiuit Ithai Chitthæus, & omnes viri eius, & omnis paruulus qui erat ſecum.*

23 *Et omnis terra flebat voce magna, & omnis populus tranſibat: rex autem tranſibat per torrentem Chidron,& omnis populus tranſibat contra faciem via ad deſertum.*

24 *Et ecce etiam Sadoc, & omnes Leuitæ ſecum portantes arcam fœderis Dei,& ſtatuerunt arcam Dei: & aſcendit Ebiathar,donec finiret omnis populus tranſire de ciuitate.*

25 *Dixitque rex ad Sadoc: Reduc arcam Dei in vrbem: ſi inuenero gratiam in oculis Domini reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum eius.*

26 *Si autem ſic dixerit,non complacui in te,ecce ego,faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis.*

27 *Dixitque rex ad Sadoc ſacerdotem: Nonne videns es? reuertere in ciuitatem in pace, & Achimaas filius tuus,& Ionathan filius Ebiathar duo filij veſtri ſint vobiſcum.*

28 *Et videte, ego morior in campeſtribus deſerti, donec veniat verbum à vobis,vt nuncietis mihi.*

29 *Et reduxit Sadoc,& Ebiathar arcam Dei in Ieruſalaim,& manſerunt ibi.*

30 *Dauid autem aſcendebat per aſcenſum oliuarum, aſcendens, & flens, & caput ei opertum erat, & incedebat diſcalciatus: & omnis populus qui erat ſecum operuerunt vnuſquiſque caput ſuum,& aſcendebant aſcendendo,& flendo.*

31 *Et Dauidi nunciauit quiſpiam dicendo: Achitophel eſt in coniurationibus cum Abſalom, dixitque Dauid: Infatua obſecro conſilium Achitophel Domine.*

32 *Et fuit, Dauid venit vſque ad verticem, vt incuruaret ſe ibi Deo,& ecce in occurſum eius Chuſai Archites ſciſſus tunica ſua,& terra ſuper caput eius.*

33 *Dixitque ei Dauid: Si tranſieris mecum, eris mihi oneri.*

34 *Si autem in ciuitatem reuertaris,& dixeris ad Abſalom, ſeruus tuus ſum rex, ſui ſeruus patris tui ex eo tempore,nunc ero ſeruus tuus,diſſipabis mihi conſilium Achitophel.*

35 *Et an non tecum eſt ibi Sadoc,& Ebiathar ſacerdotes: & erit, omne verbum quod audieris de domo regis, indicabis Sadoc, & Ebiathar ſacerdotibus.*

Ecce

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Et dixit rex ad Ethi;Veni,& tranſcende mecum,& tranſiuit Ethi Getthæus,& rex,& omnes pueri eius,& om-
nis turba quæ cum eo. 23 Et vniuerſa terra plorabat voce magna,& vniuerſus populus præteribant in torrente
Cedron:& rex tranſcendit torrentem Cedron,& vniuerſus populus & rex preteribant ad faciem viç,quæ deſertũ.
24 Et ecce etiam Sadoc,& omnes Leuitæ cũ eo leuantes arcam teſtamenti Dñi de Bæthar,& ſtatuerunt arcam
Dei,& aſcendit Abiathar,quoaduſque ceſſauit vniuerſus populus tranſire de ciuitate. 25 Et dixit rex ad Sa-
doc:Reduc arcã Dei in ciuitatẽ:ſi inuenero grãm in oculis Dñi,& reducet me,& oſtendet mihi eam,& decorem
eius: 26 Et ſi dixerit ſic:Non volui in te,ecce ego ſum,faciat mihi iuxta id,quod bonum in oculis ſuis. 27 Et
dixit rex ad Sadoc ſacerdotem:Videte,tu reuertis in ciuitatem in pace,& Achimaas filius tuus,& Ionathan filius
Abiathar,duo filij veſtri vobiſcum. 28 Videte,ego quidem caſtra facio in Araboth deſerti,quoaduſque veniat
verbũ a vobis ad annunciandũ mihi. 29 Et reduxit Sadoc,& Abiathar arcã Dei in Hieruſalẽ,& ſedit ibi. 30 Et
Dauid aſcendit in aſcenſione oliuarũ,aſcendens,& plorans,& caput adopertus,& ipſe ibat diſcalceatus, & vniuer-
ſus populus,qui cum eo,adoperuit vir caput ſuum,& aſcenderunt aſcendentes,& plorantes. 31 Et annunciatũ
eſt Dauid,dicentes:Et Achitophel in ijs,qui conglobantur cum Abeſſalom,& dixit Dauid:Diſſipa nunc conſiliũ
Achitophel Dñe Deus mi. 32 Et fuit Dauid pergens vſque Rhos,vbi adorauit illic Deum: & ecce in obuiam
ei Chuſi princeps amicus Dauid diſciſſus tunicã ſuã & terra ſuper caput eius. 33 Et dixit ei Dauid:Siquidem
tranſcenderis mecum,& eris ſuper me in onus. 34 Et ſi reuerteris in ciuitatẽ,& dices ad Abeſſalom:tranſierunt
fratres tui,& rex de poſt me tranſijt pater tuus,& nunc puer tuus ſũ o rex,permitte me viuere,puer patris tui erã
tũc,& nuper,& nũc ego ſeruus tuus,& diſſipabis mihi cõſiliũ Achitophel. 35 Et ecce ibi tecũ Sadoc,& Abiathar
ſacerdotes,& erit,omne verbũ,quodcũque audieris e domo regis,& annunciabis Sadoc,& Abiathar ſacerdotibus.

Ecce

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

36 Sunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.
37 Veniente ergo Chuſai amico Dauid in ciuitatem, Abſalom quoque ingreſſus eſt Ieruſalem.

### CAP. XVI.

1 CVmque Dauid tranſiſſet paululum montis verticé, apparuit Siba puer Miphiboſeth in occurſum eius, cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & vtre vini.
2 Et dixit rex Sibæ: Quid ſibi volunt hæc? Reſponditque Siba: Aſini, domeſticis regis vt ſedeant: panes & palathæ ad veſcendum pueris tuis: vinum autem vt bibat, ſi quis defecerit in deſerto.
3 Et ait rex: Vbi eſt filius domini tui? * Reſponditque Siba regi: Remanſit in Ieruſalem, dicens: Hodie reſtituet mihi domus Iſrael regnum patris mei.
* Inf. 19. 17.
4 Et ait rex Sibæ: Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth. Dixitque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te domine mi rex.
5 Venit ergo rex Dauid vſque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & * maledicebat,
* 3 Reg. 2. 8.
6 Mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuerſi bellatores à dextro, & à ſiniſtro latere regis incedebant.
7 Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial.
8 Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul: quoniam inuaſiſti regnum pro eo: & dedit Dominus regnum in manu Abſalom filij tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es.
9 Dixit autem Abiſai filius Saruiæ, regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam & amputabo caput eius.
10 Et ait rex: Quid mihi & vobis eſt filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 *Ecce ibi ſunt cum eis duo filij eorum Achimahas ipſi Sadoc, & Ionathan ipſi Ebiathar, & mittetis per manum eorum ad me omne verbum quod audieritis.*
37 *Et venit Chuſai amicus Dauid in ciuitatem, & Abſalom ingreſſus eſt in Ieruſalaim.*

### CAP. XVI.

1 *DAuid autem tranſierat paululum de vertice montis, & ecce Siba puer Miphiboſeth in occurſum eius, & par aſinorum ſtrati, & ſuper eos erant ducenti panes, & centum ligaturæ vuæ paſſæ, & centum ficus, & vter vini.*
2 *Dixitque rex ad Siba: Quid iſta? Dixitque Siba: Aſini pro familia regis ad equitandum, & panis, & ficus, vt comedant pueri: & vinum, vt bibat qui laſſus fuerit in deſerto.*
3 *Dixitque rex: Et vbi eſt filius domini tui? Et dixit Siba ad regem: Ecce manet in Ieruſalaim: Dixit enim: Hodie reſtituet mihi domus Iſrael, regnum patris mei.*
4 *Dixitque rex ad Siba: Ecce tibi omnia quæ ſunt Miphiboſeth: & dixit Siba: Incuruaui me, inueniam gratiam in oculis tuis domine mi rex.*
5 *Venit autem rex Dauid vſque ad Bachurim, & ecce inde vir egrediebatur è familia domus Saul, & nomen eius Simhi filius Ghera: Egrediebatur egrediendo, & maledicebat.*
6 *Et lapidabat lapidibus Dauid, & omnes ſeruos regis Dauid, & omnis populus, & omnes potentes erãt à dextera eius, & à ſiniſtra eius.*
7 *Sic autem dicebat Simhi dum malediceret illi: Egredere vir ſanguinum, & vir impie.*
8 *Reddidit tibi Dominus omnem ſanguinem domus Saul pro quo regnaſti: Deditque Dominus regnum in manu Abſalom filij tui, & ecce tu in malo tuo, quoniam vir ſanguinum es.*
9 *Dixitque Abiſai filius Seruiah ad regem: Vt quid maledicit canis mortuus hic domino meo regi? Tranſeam obſecro, & remouebo caput eius.*
10 *Dixitque rex: Quid mihi, & vobis filij Seruiah ſi maledicat, & ſi Dominus dixit ei: Maledic Dauid, & quis dicet, cur feciſti ſic?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

36 Ecce ibi cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Ionathan filius Abiathar: & mittetis in manu eorum omne verbum, quodcumque audieritis. 37 Et intrauit Chuſi amicus Dauid in ciuitatem: & Abeſſalom iam ingrediebatur in Hieruſalem.

### CAP. XVI.

ET Dauid tranſijt breue quid à Rhos, & ecce Siba puer Memphiboſthe in occurſum eius, & par aſinorum conſtratorum, & ſuper eos ducenti panes, & centum botri paſſi, & centum palmæ, & Nebel vini. 2 Et dixit rex ad Siba: Quid hæc tibi? Et dixit Siba: Subiugalia domui regis ad inſidendum, & panes, & palmulæ in eſcam pueris, & vinum ad bibendum ijs, qui laſſati ſunt in deſerto. 3 Et dixit rex: Et vbi filius domini tui? Et dixit Siba ad regem: Ecce ſedet in Hieruſalem, quoniam dixit: Hodie redire facient ad me domus Iſrael regnum patris mei. 4 Et dixit rex ad Siba: Ecce tibi omnia, quæcumque ſunt Memphiboſthe, & dixit Siba adorans: Inueniam gratiam in oculis tuis domine mi rex. 5 Et venit rex Dauid vſque Baurim, & ecce inde vir egrediebatur de cognatione domus Saul & nomen ei Semei filius Gera egrediebatur egrediens, & maledicens: 6 Et lapidans in lapidibus Dauid, & omnes pueros regis Dauid, & omnis populus erat, & omnes potentes à dextris, & à ſiniſtris regis. 7 Et ſic dicebat Semei in maledicendo eum: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir qui iniquus. 8 Redire fecit ſuper te Dominus omnes ſanguines domus Saul, quoniam regnaſti pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Abeſſalom filij tui: & ecce tu in malo tuo, quoniam vir ſanguinum tu. 9 Et dixit Abeſſa filius Saruiæ ad regem: Vt quid maledicit canis mortuus hic dominum meum regem? Tranſcendam nunc, & auferam caput eius. 10 Et dixit rex: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? Et permittite eum, & ſic maledicat, quoniam Dominus dixit ei maledicere Dauid, & quis dicet, vt quid feciſti ſic?



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Et ait rex Abiſai, & vniuerſis ſeruis ſuis: Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini:

12 Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

13 Ambulabat itaque Dauid & ſocij eius per viam cũ eo. Semei autem per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduerſum eum, terramque ſpargens.

14 Venit itaque rex, & vniuerſus populus cum eo laſſus & refocillati ſunt ibi.

15 Abſalom autem & omnis populus eius ingreſſi ſunt Ieruſalem, ſed & Achitophel cum eo.

16 Cum autem veniſſet Chuſai Arachites amicus Dauid ad Abſalom, locutus eſt ad eum: Salue rex, ſalue rex.

17 Ad quem Abſalom, Hæc eſt, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuiſti cum amico tuo?

18 Responditque Chuſai ad Abſalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuerſus Iſrael, & cum eo manebo

19 Sed vt & hoc inferam, cui ego ſeruiturus ſum? nonne filio regis? ſicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

20 Dixit autem Abſalom ad Achitophel: Inite conſilium quid agere debeamus.

21 Et ait Achitophel ad Abſalom: Ingredere ad concubinas patris tui quas dimiſit ad cuſtodiendam domum: vt cum audierit omnis Iſrael quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

22 * Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.

* Sup. 12. 11.

23 Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalom.

### CAP. XVII.

1 Dixit ergo Achitophel ad Abſalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et dixit Dauid ad Abiſai, & ad omnes ſeruos ſuos: Ecce filius meus qui egreſſus eſt de vtero meo quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini? ſinite illum, & maledicat, quia dixit ei Dominus.*

12 *Forſitan reſpiciet Dominus ad afflictionem meam, & reddet Dominus mihi bonum pro maledictione eius die hac.*

13 *Et ibat Dauid, & viri eius per viam: Simhi autem ibat per latus montis ex aduerſo ipſius, & iactabat puluerem.*

14 *Et venit rex, & omnis populus qui erat cum eo laſſi: & requieuit ibi.*

15 *Abſalom autem, & omnis populus virorum Iſrael venerunt in Ieruſalaim, & Achithophel cum eo.*

16 *Et fuit, quando venit Chuſai Archites Amicus Dauid ad Abſalom: Dixit Chuſai ad Abſalom: Viuat rex, viuat rex:*

17 *Dixitq́ Abſalom ad Chuſai: Iſta eſt miſericordia tua ad amicũ tuũ? Vt quid non iuiſti cũ amico tuo?*

18 *Dixitque Chuſai ad Abſalom: Non, ſed eius ero quem elegerit Dominus, & populus iſte, & omnes viri Iſrael, & cum eo manebo.*

19 *Et ſecundo cui ego ſeruiturus ſum? Nonne coram filio eius? Quemadmodum ſeruiui coram patre tuo, ſic ero coram te.*

20 *Dixit autem Abſalom ad Achithophel: Date conſilium, quid faciamus.*

21 *Dixitque Achithophel ad Abſalom: Ingredere ad concubinas patris tui quas dimiſit ad cuſtodiendam domum, & audiet omnis Iſrael quod abominationem feceris in patrem tuum, & roborabunt manus omnium qui ſunt tecum.*

22 *Et extenderunt ipſi Abſalom tabernaculum ſuper tectum, & ingreſſus eſt Abſalom ad concubinas patris ſui in oculis omnis Iſrael.*

23 *Conſilium autem Achithophel quod conſulebat in diebus illis, erat quemadmodum interrogaret quiſpiam verbum Dei: Sic erat omne conſilium Achithophel, etiam Dauidi etiam ipſi Abſalom.*

### *CAP. XVII.*

1 *Dixit autem Achithophel ad Abſalom: Eligam nunc duodecim millia virorum, & conſurgam, & perſequar Dauid nocte.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dixit Dauid ad Abeſſa, & ad omnes pueros ſuos: Ecce filius meus, qui egreſſus eſt è ventre meo, quærit animam meam, & multo magis nunc filius Iemini. Permittite eum maledicere, quoniam dixit ei Dominus.
12 Si forte inſpiciat Dominus in humiliationem meam, & redire faciet mihi bona pro maledictione illius in die hac.
13 Et iuit Dauid, & omnes viri eius in via: & Semei ibat a latere montis iuxta eum vadens, & maledicens, & lapidans in lapidibus ex obliquo eius, & puluere aſpergens.
14 Et venit rex, & omnis populus cum eo laſſati, & reſpirarunt ibi.
15 Et Abeſſalom, & omnis vir Iſrael intrarunt in Hieruſalem, & Achitophel cum eo.
16 Et factum eſt quando venit Chuſi princeps amicus Dauid ad Abeſſalom, & dixit Chuſi ad Abeſſalom: Viuat rex.
17 Et dixit Abeſſalom ad Chuſi: Hæc eſt miſericordia tua cum amico tuo? Vt quid non abijſti cum amico tuo?
18 Et dixit Chuſi ad Abeſſalom: Nequaquam: ſed poſt eum, quem elegit Dominus & populus hic, & omnis vir Iſrael, ei ero, & cum eo ſedebo.
19 Et ſecundo, cui ego ſeruiam? nonne coram filio eius? Sicut ſeruiui coram patre tuo, ſic ero coram te.
20 Et dixit Abeſſalom ad Achitophel: Ferte vobis conſilium, quid facturi ſimus.
21 Et dixit Achitophel ad Abeſſalom: Intra ad cõcubinas patris tui, quas reliquit cuſtodire domum eius, & audiet oĩs Iſrael, quia confudiſti patrem tuum, & inualeſcent manus omnium, qui tecũ.
22 Et fixerunt tabernaculũ ipſi Abeſſalom ſuper ſolarium, & intrauit Abeſſalom ad concubinas pr̃is ſui ante oculos vniuerſi Iſrael.
23 Et erat conſiliũ Achitophel, quod cõſulendo dabat in diebus primis, quemadmodum interroget quis in verbo Dei: ſic omne conſilium ipſius Achitophel, & ipſi Dauid, etiã ipſi Abeſſalom.

### CAP. XVII.

1 Et dixit Achitophel ad Abeſſalom: Eligam nunc mihi duodecim millia virorum, & ſurgam, & perſequar poſt Dauid nocte.

Et ſu-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Et irruens ſuper eum (quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam regem deſolatum.

3 Et reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet: vnum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace.

4 Placuitque ſermo eius Abſalom, & cunctis maioribus natu Iſrael.

5 Ait autem Abſalom: Vocate Chuſai Arachiten, & audiamus quid etiam ipſe dicat.

6 Cumque veniſſet Chuſai ad Abſalom, ait Abſalom ad eum: Huiuſcemodi ſermonem locutus eſt Achitophel: facere debemus an non? quod das conſilium?

7 Et dixit Chuſai ad Abſalom: Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.

8 Et rurſum intulit Chuſai: Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat: ſed & pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo.

9 Forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta eſt plaga in populo qui ſequebatur Abſalom.

10 Et fortiſſimus quiſque, cuius cor eſt quaſi leonis, pauore ſoluetur: ſcit enim omnis populus Iſrael fortem eſſe patrem tuum, & robuſtos omnes qui cum eo ſunt.

11 Sed hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium: Congregetur ad te vniuerſus Iſrael, a Dan vſque Berſabee, quaſi arena Maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum.

12 Et irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo ſunt, ne vnum quidem.

13 Quod ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circumdabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.

14 Dixitque Abſalom, & omnes viri Iſrael: Melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ, conſilio Achitophel: Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus ſuper Abſalom malum.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et veniam ſuper eum: ipſe autem eſt laborans, & debilis manibus, & terrebo eum, & fugiet omnis populus qui eſt ſecum, & percutiam regem ſolum.*

3 *Et reducam omnem populum ad te, ſicut redit omnis vir, quem tu quæris: omnis populus erit pacificus.*

4 *Et rectũ fuit verbum in oculis Abſalom, & in oculis omnium ſeniorum Iſrael.*

5 *Dixitq; Abſalom: Voca obſecro etiam Chuſai architam & audiamus quid ore ſuo etiam ipſe loquatur.*

6 *Et venit Chuſai ad Abſalom, & dixit Abſalom ad eum dicendo: Secundum verbum hoc locutus eſt Achitophel: Numquid faciemus verbum eius, an non? tu loquere.*

7 *Dixitque Chuſai ad Abſalom: Non eſt bonum conſilium quod conſuluit Achitophel vice hac.*

8 *Dixitque Chuſai: Tu noſti patrem tuum, & viros eius quod fortes ſunt, & amari animo ſunt ſicut vrſus orbatus in agro, & pater tuus eſt vir bellicoſus, & non pernoctabit cum populo.*

9 *Ecce nunc abſcondit ſe in vna è foueis, vel in vno è locis, & erit cum ceciderit ex eis in principio & audierit audiens, dicet: Fuit plaga in populo qui erat poſt Abſalom.*

10 *Et ipſe etiam vir fortis, cuius cor eſt ſicut cor leonis, liqueſiendo liqueſiet: Scit enim omnis Iſrael quod fortis eſt pater tuus, & filij fortes qui ſunt cum eo.*

11 *Sed conſulo: vt congregando congregetur ad te omnis Iſrael à Dan vſque Berſebah, tamquam arena quæ eſt iuxta Mare in multitudine, & facies tua vadat in bellum.*

12 *Et veniemus ad eum in vnum è locis in quo inuenietur, & caſtrametabimur aduerſum eum, quemadmodum cadit ros ſuper terram, & non relinquetur ex eo, & ex omnibus viris qui ſunt ſecum, etiam vnus.*

13 *Et ſi in ciuitatem collegerit ſe, portabunt omnis Iſrael ad ciuitatem funes, & trahemus eam vſque in torrentem, vſquequo non inueniatur ibi etiam lapis.*

14 *Dixitque Abſalom, & omnis vir Iſrael: Melius eſt conſilium Chuſai Architæ conſilio Achitophel: Dominus autem præceperat, vt deſtrueret conſilium Achitophel quod bonum erat, vt induceret Dominus ſuper Abſalom malum.*

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ſuperueniam ſuper eum, & ipſe laborans, & reſolutus manibus & pauefaciam eum, & fugiet omnis populus,
qui cum eo, & percutiam regem prorſus ſolum, 3 Et conuerti faciam omnem populum ad te, quemadmodũ redit
ſponſa ad virum ſuum: tantummodo animam viri vnius tu quæris, & vniuerſo populo erit pax. 4 Et rectum fuit verbũ in ocu-
lis Abeſſalõ, & in oculis omnium ſeniorũ Iſrael. 5 Et dixit Abeſſalom: Vocate nunc & Chuſi Arachi, & audiamus
quid in ore eius, etiam ipſum. 6 Et intrauit Chuſi ad Abeſſalom: Et dixit Abeſſalom ad eum dicens: Iuxta ver-
bum hoc locutus eſt Achitophel: Faciemus iuxta verbum eius? Si autem non, tu loquere. 7 Et dixit Chuſi ad
Abeſſalom: Non bonum hoc conſilium, quod conſiliando dedit Achitophel vice hac. 8 Et dixit Chuſi: Tu
noſti patrem tuum, & viros eius quia potentes ſunt valde, & amari animo ſuo, tanquam vrſa orbata filijs, & tan-
quam ſus aſpera in campo: & pater tuus vir bellator, & non diſſoluet populum. 9 Ecce enim ipſe nunc abſcon-
ditus eſt in vno collium, vel in vno locorum, & erit in incidendo eis in principio, & audiet audiens, & dicet: Facta
eſt percuſſio in populo, qui poſt Abeſſalom. 10 Et etiam ipſe filius virtutis, cuius cor, ſicut cor leonis, liqueſcens
liqueſcet, quoniam nouit omnis Iſrael, quia potens pater tuus, & filij virtutis, qui cum eo. 11 Quoniam ſic con-
ſulens ego conſului, & congregatus congregabitur ad te vniuerſus Iſrael à Dan, & vſque Berſabee, tanquam are-
na, quæ ſuper Mare, in multitudine, & facies tua pergens in medio eorum. 12 Et veniemus ad eum in vnum
locorum, vbicumque inuenerimus eum illic, & caſtrametabimur ſuper eum, ſicut cadit ros ſuper terram, & non
relinquemus in eo, & viris eius, qui cum eo, etiam vnum. 13 Et ſi in ciuitatem ſe collegerit, & ſumet omnis Iſ-
rael erga ciuitatem illam funes, & pertrahemus eam vſque in torrentem, vt non relinquatur ibi neque lapis.
14 Et dixit Abeſſalom, & omnis vir Iſrael: Bonum conſilium Chuſi Arachi ſuper conſilium Achitophel: & Dñs
mandauit diſſipare conſilium Achitophel bonum, vt induceret Dominus ſuper Abeſſalom mala omnia.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Et ait Chuſai Sadoc, & Abiathar ſacerdotibus: Hoc & hoc modo conſilium dedit Achitophel Abſalom, & ſenioribus Iſrael: & ego tale & tale dedi conſilium.

16 Nunc ergo mittite cito, & nunciate Dauid, dicentes: Ne moreris nocte hac in campeſtribus deſerti, ſed abſque dilatione tranſgredere: ne forte abſorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo eſt.

17 Ionathas autem & Achimaas ſtabant iuxta Fontem rogel: abijt ancilla & nunciauit eis: & illi profecti ſunt, vt referrent ad regem Dauid nuncium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.

18 Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Abſalom: illi vero concito gradu ingreſſi ſunt domum cuiuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo,& deſcenderunt in eum.

19 Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas: & ſic latuit res.

20 Cumque veniſſent ſerui Abſalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi eſt Achimaas & Ionathas? Et reſpondit eis mulier: Tranſierunt feſtinanter, guſtata paululum aqua. At hi qui quærebant,cum non reperiſſent,reuerſi ſunt in Ieruſalem.

21 Cumque abijſſent,aſcenderunt illi de puteo,& pergentes nunciauerunt regi Dauid,& dixerunt: Surgite,& tranſite cito fluuium: quoniam huiuſcemodi dedit conſilium contra vos Achitophel.

22 Surrexit ergo Dauid, & omnis populus qui cum eo erat,& tranſierunt Iordanem,donec diluceſceret: & ne vnus quidem reſiduus fuit,qui non tranſiſſet fluuium.

23 Porro Achitophel videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum,ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque & abijt in domum ſuam & in ciuitatem ſuam: & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interijt, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui.

24 Dauid autem venit in caſtra, & Abſalom tranſiuit Iordanem,ipſe & omnes viri Iſrael cum eo.

25 Amaſam vero conſtituit Abſalom pro Ioab ſuper exercitum: Amaſa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Ieſraeli, qui ingreſſus eſt ad Abigail filiam Naas, ſororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab.

26 Et caſtrametatus eſt Iſrael cum Abſalom in terra Galaad.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Dixit autem Chuſai ad Sadoc,& Ebiathar ſacerdotes: Sic, & ſic conſuluit Achithophel Abſalom, & ſenioribus Iſrael:& ſic,& ſic conſului ego.*

16 *Et nunc mittite feſtinanter,& nunciate Dauid dicendo: Ne moreris nocte in campeſtribus deſerti, ſed etiam tranſeundo tranſibis, ne forte deglutiatur rex,& omnis populus qui eſt cum eo.*

17 *Ionathan autem,& Achimahas ſtabant in fonte Roghel, & abijt ancilla, & nunciauit eis: & ipſi abierunt, & nunciauerunt regi Dauid: non enim poterant videri ingredi vrbem.*

18 *Et vidit eos puer, & nunciauit Abſalom: & abierunt ambo feſtinanter, & venerunt ad domum viri in Bachurim, & ei erat puteus in atrio ſuo, & deſcenderunt illuc.*

19 *Et tulit mulier, & expandit velamen in ſuperficie putei, & expandit ſuper eum frumenta contuſa:& non eſt agnita res.*

20 *Et venerunt ſerui Abſalom ad mulierem in domum,& dixerunt: Vbi eſt Achimahas,& Ionathā? Dixitque eis mulier: Tranſierunt vadum aquæ, & quæſierunt,& non inuenerunt, & reuerſi ſunt in Ieruſalaim.*

21 *Et fuit, poſtquam abierunt illi, aſcenderunt de puteo, & abierunt,& nunciauerunt regi Dauid: Dixeruntque ad Dauid: Surgite, & tranſite feſtinanter aquam: ſic enim conſuluit contra vos Achithophel.*

22 *Et ſurrexit Dauid, & omnis populus qui erat cum eo,& trāſierunt Iarden, donec illuceſceret mane vſque ad vnum: non defuit qui non tranſiret Iarden.*

23 *Achithophel autem vidit quod non eſſet factum conſilium ſuum,& ſtrauit aſinum & ſurrexit, & abijt in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & præcepta dedit familiæ ſuæ,& ſtrangulauit ſe,& mortuus eſt, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui.*

24 *Dauid autem venit in Machanaim, & Abſalom trāſiuit Iarden ipſe, & omnes viri Iſrael cum eo.*

25 *Et Hamaſa poſuit Abſalom pro Ioab ſuper exercitum: Hamaſa autem filius erat viri, & nomen eius Ithra Iſrehelita, qui ingreſſus eſt ad Abighail filiā Nachas ſororem Seruiah matrem Ioab.*

26 *Et caſtrametatus eſt Iſrael, & Abſalom in terra Ghilhad.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit Chuſi,qui Arachi,ad Sadoc,& Abiathar ſacerdotes: Sic,& ſic conſilium dedit Achitophel ipſi Abeſ-
ſalom,& ſenioribus Iſrael,& ſic,& ſic conſilium dedi ego. 16 Et nunc mittite cito, & annunciate Dauid,
dicentes: Ne maneas nocte in Araboth deſerti, etiam tranſiens feſtina, ne forte abſorbeat regem, & omnem po-
pulum,qui cum eo. 17 Et Ionathan,& Achimaas ſteterant in fonte Rhogel,& iuit ancilla,& nunciauit eis,
& ipſi vadunt, & annunciant regi Dauid, quia non poterant videri ingredi in ciuitatem. 18 Et vidit eos
puer,& annunciauit Abeſſalom,& ierunt ambo velociter,& intrarunt in domum viri in Baurim,& ei ciſterna in
atrio,& deſcenderunt illuc. 19 Et ſumpſit mulier, & expandit velum ſuper faciem ciſternæ,& ſiccauit in-
per illud Araphoth,& non eſt agnitum verbum. 10 Et venerunt pueri Abeſſalom ad mulierem in domum
& dixerunt: Vbi Achimaas,& Ionathan? & dixit eis mulier: Pretererierunt puſillum aquæ, & quæſierunt,& non
inuenerunt,& reuerterunt in Hieruſalem. 21 Factum eſt autem, poſtquam ipſi abierunt, & aſcenderunt
e ciſterna,& ierunt,& annunciauerunt regi Dauid, & dixerunt ad Dauid: Surgite, & tranſite velociter aquam,
quoniam ſic conſilium dedit de vobis Achitoplel. 22 Et ſurrexit Dauid, & omnis populus,qui cum
eo,& tranſierunt Iordanem,vſque ad lucem matutinam,vſque ad vnum non latuit,qui non tranſierit Iordanem.
23 Et Achitophel vidit,quia non eſt factum conſilium ſuum, & inſtrauit aſinum ſuum,& ſurrexit, & abijt in ci-
uitatem ſuam,& mandauit domui ſuæ,& ſuffocauit ſe,& mortuus eſt,& ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui.
24 Et Dauid tranſijt in Manaem: & Abeſſalom tranſijt Iordanem ipſe,& omnis vir Iſrael cum eo.
25 Et ipſum Ameſſai conſtituit Abeſſalom pro Ioab ſuper virtutem: & Ameſſai filius viri,& nomen eius Iether
Iezraelites: Hic intrauit ad Abigeam filiam Naas, ſororem Saruiæ matris Ioab. 26 Et caſtrameta-
tus eſt omnis Iſrael, & Abeſſalom in terra Galaad.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

27 Cumque veniſſet Dauid in Caſtra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon,& Machir filius Ammihel de Lodabar,& Berzellai Galaadites de Rogelim,
28 Obtulerunt ei ſtratoria,& tapetia,& vaſa fictilia, frumentum,& hordeum,& farinam & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer,
29 Et mel,& butyrum, oues, & pingues vitulos: dederuntque Dauid, & populo, qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt, populum fame,& ſiti fatigari in deſerto.

### CAP. XVIII.

1 IGitur conſiderato Dauid populo ſuo conſtituit ſuper eos tribunos & centuriones,
2 Et dedit populi tertiam partem ſub manu Ioab, & tertiam partem ſub manu Abiſai filij Saruiæ fratris Ioab,& tertiam partem ſub manu Ethai,qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiſcum.
3 Et reſpondit populus: Non exibis: ſiue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit e nobis,non ſatis curabũt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur vt ſis nobis in vrbe præſidio.
4 Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas ſuas centeni, & milleni.
5 Et præcepit rex Ioab,& Abiſai,& Ethai,dicens: Seruate mihi puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom.
6 Itaque egreſſus eſt populus in campum contra Iſrael,& factum eſt prælium in ſaltu Ephraim.
7 Et cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu Dauid, factaque eſt plaga magna in die illa, viginti millium.
8 Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciẽ omnis terræ,& multo plures erant quos ſaltus conſumpſerat de populo, quam hi, quos vorauerat gladius in die illa.
9 Accidit autem vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter cõdenſam quercum & magnam, adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.

Vi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et fuit, cum veniſſet Dauid in Machanaim Sobi filius Nachas de Rabbah filiorum Hammon, & Machir filius Hammiel de Lodebar, & Barzelai Ghilhadites de Roghelim.*
28 *Lectum, & crateres & vaſa figulina, & frumenta, & hordea, & farinam, & polentam, & fabas, & lentes, & polentam.*
29 *Et mel, & butyrum, & pecudes, & caſeos vaccinos obtulerunt Dauid, & populo qui erat cum eo ad veſcendum: dixerunt enim populus famelicus, & laſſus, & ſitiens eſt in deſerto.*

### CAP. XVIII.

1 *NVmerauit autem Dauid populum qui erat ſecũ, & poſuit ſuper eos tribunos, & centuriones.*
2 *Et miſit Dauid populum, tertiam partem in manu Ioab, & tertiam partem in manu Abiſai filij Seruiah fratris Ioab, & tertiam partem in manu Itthai Ghitthæi: dixitque rex ad populum: Egrediendo egrediar etiam ego vobiſcum.*
3 *Dixitque populus: Non egredieris, ſi enim fugiendo fugerimus, nõ ponent ſuper nos cor: & ſi mortua fuerit medietas noſtrum non ponent ſuper nos cor: nunc enim tu es ſicut nos decem millia, & nunc benũ eſt, quod ſis nobis in ciuitate ad auxiliandum.*
4 *Dixitque ad eos rex: Quod bonum eſt in oculis veſtris faciam, & ſtetit rex in loco portæ, & omnis populus egrediebantur centeni, & milleni.*
5 *Præcepit autem rex Ioab, & Abiſai, & Itthai dicendo: Leniter ambulate propter me erga Abſalom, & omnis populus audierunt quando præcepit rex omnibus principibus propter Abſalom.*
6 *Et egreſſus eſt populus in campum in occurſum Iſrael, & fuit prælium in ſaltu Ephraim.*
7 *Et cæſi ſunt ibi populus Iſrael coram ſeruis Dauid, & fuit ibi plaga magna in die illa viginti millium.*
8 *Et fuit ibi prælium diſperſum in ſuperficie omnis terræ, & plures ſilua conſumpſit de populo, quam gladius in die illa.*
9 *Et accidit vt occurreret Abſalom ante ſeruos Dauid & Abſalõ equitabat ſuper mulo: & ingreſſus eſt mulus ſubter denſitatem quercus magnæ, & tenuit ſe caput eius in quercu, & poſitus eſt inter cœlum, & terram: mulus autem qui erat ſub eo, tranſiuit.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et factum eſt, quando venit Dauid in Manaim,& Veſbi filius Naas de Rhabaath filiorum Ammon, & Machir filius Amiel de Lodabar,& Berzelli Galaadites de Rhogellim 28 Attulerunt cubilia,tapetia,& lebetes decem & vaſa figuli,& frumẽta,& hordea,& farinam,polentam,& fabam,& lentem, 29 Et mel, & butyrum, & oues,& ſaphoth boum,& attulerunt Dauid,& populo,qui cum eo,ad comedendum,quoniam dixit: Populus eſuriens,& laſſatus,& ſitiens in deſerto.

### CAP. XVIII.

ET recognouit Dauid populum, qui cum eo,& ſuper eos conſtituit Chiliarchos,& centuriones. 2 Et Miſit Dauid populum,tertiam partem in manu Ioab,& tertiam in manu Abeſſa filij Saruiæ, fratris Ioab,& tertiam in manu Ethi Getthæi:& dixit Dauid ad populum: Exiens exibo etiam ego vobiſcum. 3 Et dixerunt: Nõ exibis,quoniam ſi fuga fugerimus,non ponent ſuper nos cor, & ſi mortui fuerimus dimidium noſtri, non ponent ſuper nos cor,quia tu,ſicut nos decem millia, & nunc bonum,quod ſis nobis in ciuitate auxilium ad auxiliandũ. 4 Et dixit ad eos rex: Quodcunque placuerit in oculis veſtris faciam,& ſtetit rex ad manum portæ & omnis populus egrediebatur in centurijs & in millibus, 5 Et mandauit rex ipſi Ioab,& Abeſſa,& Ethi,dicens: Parcite, mihi, puero Abeſſalom, & vniuerſus populus audiuit mandantem regem omnibus principibus pro Abeſſalom. 6 Et exijt vniuerſus populus in ſyluam ex aduerſo Iſrael,& factum eſt prælium in ſylua Ephraim. 7 Et ceciderũt ibi populus Iſrael coram pueris Dauid,& facta eſt plaga magna in die illa,viginti millia virorum. 8 Et factum eſt ibi prælium diſperſum ſuper faciem vniuerſæ terræ:& multiplicauit ſylua deuorare è populo, ſuper eos,quos deuorauerat in populo gladius die illa. 9 Et occurrit Abeſſalom coram pueris Dauid:& Abeſſalom inſcenderat ſuper mulam ſuam, & intrauit mula ſubter denſitatem quercus magnæ, & circumplicatum eſt caput eius in quercu, & pependit inter cœlum, & inter terram, & mula ſubter eum præterijt.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Vidit autem hoc quiſpiam, & nunciauit Ioab, dicens: Vidi Abſalom pendere de quercu.

11 Et ait Ioab viro, qui nunciauerat ei: Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & vnum balteum?

12 Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argẽteos, nequaquam mitterem manum meã in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abiſai, & Ethai, dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalom.

13 Sed & ſi feciſſem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuiſſet, & tu ſtares ex aduerſo?

14 Et ait Ioab: Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu,

15 Cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab & percutientes interfecerunt eum.

16 Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne perſequeretur fugientem Iſrael, volens parcere multitudini.

17 Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Iſrael fugit in tabernacula ſua.

18 Porro Abſalom erexerat ſibi, cum adhuc viueret, titulum qui eſt in valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimẽtum nominis mei. Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom, vſque ad hanc diem.

19 Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nunciabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.

20 Ad quem Ioab dixit: Non eris nuncius in hac die, ſed nunciabis in alia: hodie nolo te nunciare, filius enim regis eſt mortuus.

21 Et ait Ioab Chuſi: Vade, & nuncia regi quæ vidiſti. Adorauit Chuſi Ioab, & cucurrit.

22 Rurſus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit ſi etiam ego curram poſt Chuſi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuncij baiulus.

23 Qui reſpondit: Quid enim ſi cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, tranſiuit Chuſi.

Da-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et vidit vir quiſpiam, & nunciauit Ioab, & dixit: Ecce vidi Abſalom ſuſpenſum in quercu.*

11 *Dixit Ioab viro nuncianti ſibi: Et ecce vidiſti, & cur non percuſſiſti eum ibi in terra, & mea interfuiſſet dare tibi decem argenteos, & balteum vnum.*

12 *Dixitque vir ad Ioab: Et ſi appenderes ſuper manus meas mille argenteos huius rei gratia mihi exhibitos, non mitterem manum meam in filium regis, quia in auribus noſtris præcepit rex tibi, & Abiſai, & Itthai dicendo: Cauete ne quis puerum tangat Abſalom.*

13 *Vel feciſſem in animam meam mendacium, & omne verbum non abſconditum eſſet à rege, & tu ſtares ex aduerſo.*

14 *Dixitque Ioab: Non eſt bonum quod ſic expectem coram te: & tulit tria tela in manu ſua, & infixit ea in corde Abſalom adhuc ipſo viuente in medio quercus.*

15 *Et verterunt ſe decem iuuenes armigeri Ioab, & percuſſerunt Abſalom, & occiderunt eum.*

16 *Et clanxit Ioab buccina, & ſtetit populus ne perſequeretur Iſrael, quia prohibuit Ioab populum.*

17 *Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltum, in foueam grandem, & ſtatuerunt ſuper eum aceruũ lapidum magnum valde, & omnis Iſrael fugerunt vnuſquiſque in tabernacula ſua.*

18 *Abſalom autem tulerat, & erexerat ſibi in vita ſua monumentum, quod erat in valle regia: dixit enim: Non eſt mihi filius faciã hoc vt memorare faciã nomen meũ: & vocauit monumentũ nomine ſuo: & vocatum eſt illud locus Abſalom vſque ad diem hanc.*

19 *Achimahas autem filius Sadoc dixit: Curram nunc, & nunciabo regi quod iudicauerit eum Dominus de manu inimicorum ſuorum.*

20 *Dixitque ei Ioab: Non vir præmij eris die hac, ſed nunciabis die altera: Die hac non nunciabis, eo quod filius regis mortuus eſt.*

21 *Dixitq; Ioab ad Chuſi: Vade nuncia regi quod vidiſti, & incuruauit ſe Chuſi ipſi Ioab, & cucurrit.*

22 *Et addidit adhuc Achimahas filius Sadoc, & dixit ad Ioab: Et ſit quicquid ſit: Curram nun etiam ego poſt Chuſi: Dixitque Ioab: Vt quid tu curris fili mi cum tibi merces non præparatur?*

23 *Et ſit quicquid ſit, curram: Dixitque ei: Curre, & cucurrit Achimahas per viam planiciei, & tranſiuit Chuſi.*

*Da-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et vidit vir vnus, & adnunciauit ipſi Ioab, & dixit: Ecce vidi Abeſſalom pendentem in quercu. 11 Et dixit
Ioab viro annuncianti ſibi: Et ecce vidiſti: Quid, quod non percuſſiſti eum illic in terram, & ego dediſſem tibi
decem argenti, & baltheum vnum? 12 Dixit autem vir ad Ioab: Et ego quidem appẽdo in manibus meis mil-
le ſiclos argenti, non inijciam manum meam ſuper filium regis, quõ in auribus noſtris mandauit rex tibi, & Abeſ-
ſa, & Ethi, dicens: Cuſtodite mihi puerum Abeſſalom. 13 Non faciendo in animam eius iniuriã & omne ver-
bum non latebit a rege & tu ſtares ex aduerſo. 14 Et dixit Ioab: Hoc ego aggrediar, non ſic manebo corã te:
& ſumpſit Ioab tria ſpicula in manu ſua, & infixit ea in corde Abeſſalom, adhuc illo viuente in corde quercus.
15 Et circumierunt decem pueri portantes vaſa Ioab, & percuſſerunt Abeſſalom, & interfecerunt eum. 16 Et
cecinit Ioab in cornea, & reuertit populus non perſequendo poſt Iſrael, quõ pepercit Ioab populo. 17 Et ſum-
pſit Abeſſalom, & proiecit eum in hiatum magnum in ſylua, in foueam magnam, & ſtatuit ſuper eum, aceruũ la-
pidum magnum valde: & omnis Iſrael fugit vir in tabernaculum ſuum. 18 Et Abeſſalom adhuc viuens tule-
rat, & ſtatuerat ſibi titulum (in quo aſſumptus eſt, & ſtatuerat illum, capere titulum) qui in valle regis, quõ dixit:
Quia non eſt ei filius, vt memoretur nomen eius: & vocauit titulũ Manus Abeſſalom vſque in diẽ hanc. 19 Et
Achimaas filius Sadoc dixit: Curram nunc, & euangelizabo regi, quõ iudicauit Dñs de manu inimicorum eius.
20 Et dixit Ioab: Non vir euangelij tui in die hac, & euangelizabis in die alia, in die aũt hac non euangelizabis,
propterea q filius regis mortuus eſt. 21 Et dixit Ioab ad Chuſi: Ambulans annuncia regi, quocumque vidi-
ſti: & adorauit Chuſi Ioab, & exijt. 22 Et adiecit adhuc Achimaas filius Sadoc, & dixit ad Ioab: & eſto, q a currã
& ego poſt Chuſi: & dixit Ioab: Vt q d tu hoc curris fili mi? Veni: non eſt tibi euangeliũ, ad vtilitatẽ eũti. 23 Et
dixit: Quid n ſi cucurrero? & dixit ei Ioab: Curre: & cucurrit Achimaas, viã q Cechar, & prætergreſſus eſt Chuſi.

Et Da-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

24 Dauid autem ſedebat inter duas portas: ſpeculator vero, qui erat in faſtigio portæ ſuper murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem ſolum.
25 Et exclamans indicauit regi: dixitque rex: Si ſolus eſt, bonus eſt nuncius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propius,
26 Vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixitque rex: Et iſte bonus eſt nuncius.
27 Speculator autem, Contemplor, ait, curſum prioris, quaſi curſum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex: Vir bonus eſt: & nuncium portans bonum, venit.
28 Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit homines qui leuauerunt manus ſuas contra dominum meum regem.
29 Et ait rex: Eſtne pax puero Abſalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab ſeruus tuus, ó rex, me ſeruum tuum: neſcio aliud.
30 Ad quem rex: Tranſi, ait, & ſta hic. Cumque ille tranſiſſet, & ſtaret,
31 Apparuit Chuſi: & veniens ait: Bonum apporto nuncium, domine mi rex: indicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui ſurrexerunt contra te.
32 Dixit autem rex ad Chuſi: Eſtne pax puero Abſalom? Cui reſpondens Chuſi: Fiant, inquit, ſicut puer, inimici domini mei regis, & vniuerſi qui conſurgunt aduerſus eum in malum.
33 Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et ſic loquebatur, vadens: * Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?

* Inf. 34

### CAP. XIX.

1 NVnciatum eſt autem Ioab quod rex fleret & lugeret filium ſuum:
2 Et verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: Dolet rex ſuper filio ſuo.
3 Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus & fugiens de prælio.

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Dauid autem ſedebat inter duas portas, & iuit ſpeculator ſuper tectum portæ, ſuper murum, & eleuauit oculos ſuos & vidit, & ecce vir currebat ſolus.*
25 *Et clamauit ſpeculator, & nunciauit regi: dixitque rex: Si ſolus eſt, nuncius eſt in ore eius. Et ibat eundo, & appropinquabat.*
26 *Et vidit ſpeculator virum alterum currentem, & clamauit ſpeculator ad ianitorem & dixit: Ecce vir currens ſolus: dixitque rex: Etiam iſte nunciat.*
27 *Dixitque ſpeculator: Video curſum prioris veluti curſum Achimahas filij Sadoc: Dixitque rex: Vir bonus eſt hic, & cum nuncio bono venit.*
28 *Et clamauit Achimahas, & dixit ad regem pax: Et incuruauit ſe regi in faciem ſuam ſuper terram, & ait: Benedictus Dominus Deus tuus qui tradidit viros, qui leuauerunt manus ſuas contra dominum meum regem.*
29 *Dixit autem rex: Pax ne eſt puero Abſalom? dixitque Achimahas: Vidi tumultum magnum dum mitteret ſeruum regium Ioab, & me ſeruum tuum, & non noui aliquid.*
30 *Dixitque rex: Verte teſta hic, & vertit, & ſtetit.*
31 *Et ecce Chuſi venit: & ait Chuſi: Nunciatur domino meo regi, quod iudicauit te Dominus hodie de manu omnium inſurgentium contra te.*
32 *Dixit autem rex ad Chuſi: Num eſt pax puero Abſalom? dixitque Chuſi: Sint ſicut puer inimici domini mei regis, & vniuerſi qui inſurgunt contra te in malum.*
33 *Et conturbatus eſt rex, & aſcendit ſuper thalamum portæ, & fleuit. Et ſic dicebat, dum iret: Fili mi Abſalom, fili mi, fili mi Abſalom: Vtinam mortuus eſſem pro te Abſalom fili mi, fili mi.*

### CAP. XIX.

1 *NVnciatum eſt autem Ioab: Ecce rex flet, & luget ſuper Abſalom.*
2 *Et fuit ſalus in die illa in luctum omni populo: audiuit enim populus in die illa dicendo: Dolet rex ſuper filio ſuo.*
3 *Et inſtar furis ſe habuit populus in die illo ingrediendo vrbem, quemadmodum inſtar furis ſe habet populus qui erubeſcunt, dum fugiunt e prælio.*

*Rex*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et Dauid ſedebat inter duas portas: & iuit ſpeculator in ſolarium portæ ad murum, & eleuauit oculos ſuos, & vidit, & ecce vir currens ſolus in conſpectu eius. 25 Et exclamauit ſpeculator, & annunciauit regi, & dixit rex: Si ſolus eſt, euangelia in ore eius, & pergebat pergens, & appropinquans. 26 Et vidit ſpeculator virum aliũ currentem, & exclamauit ſpeculator ad portam, & dixit: Et ecce vir alius currens ſolus, & dixit rex: Etiam iſte euangelizans. 27 Et dixit ſpeculator: Ego video curſum primi, tamquam curſum Achimaas filij Sadoc: & dixit rex: Vir bonus iſte, etiam ad Euangelium bonum veniet. 28 Et clamauit Achimaas, & dixit ad regem: Pax: Et adorauit regem ſuper faciem ſuam in terram, & dixit: Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit viros, qui extulerant manum ſuam in dominum meum regem. 29 Et dixit rex: Pax puero Abeſſalom? & dixit Achimaas: Vidi multitudinem magnam in mittendo ſeruum regis Ioab, & ſeruum tuum, & non noui, quid illic. 30 Et dixit rex: Conuerte te, ſta hic: & conuertit ſe, & ſtetit. 31 Et ecce Chuſi aduenit, & dixit regi: Euangelizetur dominus meus rex, quoniam iudicauit tibi Dominus hodie de manu omnium inſurgentium ſuper te. 32 Et dixit rex ad Chuſi: Si pax puero Abeſſalom? & dixit Chuſi: Fiant, ſicut puer inimici domini mei regis, & omnes quicumque inſurrexerunt ſuper eum in mala. 33 Et turbatus eſt rex, & aſcendit in cœnaculum portæ, & plorauit, & ſic dixit: dum ipſe iret: Fili mi Abeſſalom, fili mi, fili mi Abeſſalom, quis dederit mortem meam pro tua? ego pro te Abeſſalom, fili mi, fili mi.

### CAP. XIX.

ET annunciatum eſt Ioab, dicentes: Ecce rex plorat, & luget ſuper Abeſſalom. 2 Et facta eſt ſalus in die illa in luctũ omni populo, quia audiuit populus in die illa, dicens: Quia triſtatur rex ſuper filiũ ſuũ. 3 Et ſuffuratus eſt ſe populus in die illa ab intrãdo in ciuitatẽ, ſicut ſuffuratus ſe populus, q confũdũtur in fugiẽdo ipſos in plio.

## Vulgat. Editio.

4 Porro rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, fili mi.

5 Ingreſſus ergo Ioab ad regem in domum, dixit: Cõfudiſti hodie vultus omnium ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.

6 Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & oſtendiſti hodie quia non curas de ducibus tuis, & de ſeruis tuis: & vere cognoui modo, quia ſi Abſalom viueret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi.

7 Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac ſeruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris, ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua vſque in præſens.

8 Surrexit ergo rex & ſedit in porta: & omni populo nunciatum eſt quod rex ſederet in porta: venitque vniuerſa multitudo coram rege: Iſrael autem fugit in tabernacula ſua.

9 Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Iſrael, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum noſtrorum, ipſe ſaluauit nos de manu Philiſthinorum: & nunc fugit de terra propter Abſalom.

10 Abſalom autem, quem vnximus ſuper nos, mortuus eſt in bello: vſquequo ſiletis, & non reducitis regem?

11 Rex vero Dauid miſit ad Sadoc, & Abiathar ſacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouiſſimi ad reducendum regem in domum ſuam? (Sermo autem omnis Iſrael peruenerat ad regem in domo eius.)

12 Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouiſſimi reducitis regem?

13 Et Amaſæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.

14 Et inclinauit cor omnium virorum Iuda, quaſi viri vnius: miſeruntque ad regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes ſerui tui.

15 Et reuerſus eſt rex: & venit vſque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vſque in Galgalam vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Rex autem operuit faciem ſuam, & clamauit rex voce magna: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, fili mi.*

5 *Et ingreſſus eſt Ioab ad regem in domum, & dixit: pudore affeciſti hodie vultus omnium ſeruorum tuorum, qui eruerunt animam tuam hodie, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animã vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.*

6 *Eo quod diligis odio habentes te, & odio habes diligentes te: indicaſti enim hodie quod non ſunt tibi principes & ſerui: noui enim hodie quod ſi Abſalõ viueret, & omnes nos hodie mortui eſſemus, quod tunc rectum fuiſſet in oculis tuis.*

7 *Et nunc ſurge egredere, & loquere ad cor ſeruorum tuorum: per Dominum enim iuraui, quod ſi non egreſſus fueris, non manebit quiſquam tecum nocte, & peius erit tibi hoc omni malo quod venit ſuper te ab adoleſcentia tua, vſque ad hoc tempus.*

8 *Surrexitque rex, & ſedit in porta, & omni populo nunciauerunt dicendo: Ecce rex ſedet in porta, & venit omnis populus coram rege: & Iſrael fugit vnuſquiſque in tabernacula ſua.*

9 *Et fuit, omnis populus certabat omnibus tribubus Iſrael dicendo: Rex eruit nos de manu inimicorum noſtrorum, & ipſe eripuit nos de manu Peliſtim, & nunc fugit de terra propter Abſalom.*

10 *Abſalom autem quem vnximus ſuper nos mortuus eſt in prælio: & nunc, vt quid ſiletis in reducendo regem.*

11 *Rex autem Dauid miſit ad Sadoc, & Ebiathar ſacerdotes, dicendo: Loquimini ad ſeniores Iehudah, dicendo: Vt quid eritis vltimi ad reducendum regem in domum ſuam? verbum autem omnis Iſrael venit ad regem in domum eius.*

12 *Fratres mei eſtis, os meum, & caro mea eſtis, & vt quid eritis nouiſſimi ad reducendum regem?*

13 *Et ad Hamaſam dicetis: Numquid non os meum, & caro mea es? Sic faciat mihi Deus, & ſic addat niſi princeps fueris exercitus coram me, omnibus diebus pro Ioab.*

14 *Et inclinauit cor omnis viri Iehudah veluti viri vnius, & miſerunt ad regem: Reuertere tu, & omnes ſerui tui.*

15 *Et reuerſus eſt rex, & venit vſque ad Iarden, & Iehudah venit in Ghilghal, vt pergeret in occurſum regis, vt tranſire faceret regem Iarden.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et rex abſcondit faciem ſuam, & vociferatus eſt rex voce magna, dicens: Fili mi Abeſſalom, Abeſſalom fili mi.
5 Et intrauit Ioab ad regem in domum, & dixit: Confudiſti hodie facies omniũ ſeruorum tuorũ, qui eripuerunt
te hodie, & aĩam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & aĩam vxorum tuarum, & concubinarum tuarũ: 6 Diligendo eos, qui oderunt te, & odiendo eos, qui diligunt te, & annunciaſti hodie, quia non ſunt principes tui, neque
pueri: quĩa noui hodie, quia ſi Abeſſalom viueret, oẽs nos hodie mortui, quia tunc rectũ erat in oculis tuis: 7 Et
nunc ſurgens egredere, & loquere ad cor ſeruorum tuorum, quĩa in Dño iuraui, quia niſi egrediaris hodie, ſi manebit vir tecum nocte hac, & ſcito tibi, & malum tibi hoc ſuper omne malũ, quod ſuperuenit tibi à iuuentute tua
vſque nunc. 8 Et ſurrexit rex, & ſedit in porta, & vniuerſus populus annunciauerunt, dicentes: Ecce rex ſedet
in porta, & intrauit vniuerſus populus ad faciem regis ad portã: & Iſrael fugit, vir ad tabernacula ſua. 9 Et erat
omnis populus concertans in omnibus tribubus Iſrael, dicentes: Rex Dauid eripuit nos ab omnibus inimicis nřis,
& ipſe eripuit nos de manu alienigenarum: & nũc fugit de terra, & de regno ſuo, & ab Abeſſalom. 10 Et Abeſſalom, quem vnxeramus ſuper nos, mortuus eſt in prælio, & nunc vt quid vos ſiletis ad reuocandũ regẽ? & verbum
vniuerſi Iſrael venit ad regem. 11 Et rex Dauid miſit ad Sadoc, & ad Abiathar ſacerdotes, dicens: Loquimini
ad ſeniores Iuda, dicentes: Vt quid eſtis vltimi ad reducendum regẽ in domum ſuã? & verbum vniuerſi Iſrael venit ad regem in domum eius. 12 Fratres mei vos, oſſa mea, & carnes meæ vos: Vt quid eſtis vltimi ad reducendum regem in domum ſuã? 13 Et ad Ameſſai dicetis: Nonne os meum, & caro mea tu? & nunc hæc faciat mihi
Deus, & hæc adijciat, ſi non princeps virtutis fueris coram me omnibus diebus pro Ioab. 14 Et inclinauit cor
oĩs viri Iuda, tãquã viri vnius, & miſerũt ad regẽ, dicẽtes: Reuertere tu, & oẽs ſerui tui. 15 Et reuertit rex, & venit
vſque ad Iordanẽ, & viri Iuda venerunt in Galgala ad eundũ in occurſum regis, ad traducendũ regẽ Iordanem.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

* 3. Reg. 2. 8.

16 * Feſtinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & deſcendit cum viris Iuda in occurſum regis Dauid.

17 Cum mille viris de Beniamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filij eius, ac viginti ſerui erant cum eo: & irrumpentes Iordanem, ante regem.

18 Tranſierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iuſſionem eius: Semei autem filius Gera proſtratus coram rege, cum iam tranſiſſet Iordanem:

19 Dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum ſerui tui in die qua egreſſus es domine mi rex de Ieruſalem, neque ponas rex in corde tuo.

20 Agnoſco enim ſeruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioſeph, deſcendique in occurſum domini mei regis.

21 Reſpondens vero Abiſai filius Saruiæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Chriſto Domini?

22 Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in ſatan? ergone hodie interficietur vir in Iſrael? an ignoro hodie me factum regem ſuper Iſrael?

23 Et ait rex Semei: Non morieris. Iurauitque ei.

24 Miphiboſeth quoque filius Saul deſcendit in occurſum regis illotis pedibus, & intonſa barba: veſteſque ſuas non lauerat à die qua egreſſus fuerat rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace.

25 Cumque Ieruſalem occurriſſet regi, dixit ei rex: Quare non veniſti mecum Miphiboſeth?

26 Et reſpondens ait: Domine mi rex, ſeruus meus contempſit me: dixique ei ego famulus tuus, vt ſterneret mihi aſinum, & aſcendens abirem cum rege: claudus enim ſum ſeruus tuus.

*Sup. 16. 3.

27 * Inſuper & accuſauit me ſeruum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, ſicut Angelus Dei es, fac quod placitum eſt tibi.

28 Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia domino meo regi: tu autem poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ: quid ergo habeo iuſtæ querelæ? aut quid poſſum vltra vociferari ad regem?

Ait

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et feſtinauit Simhi filius Ghera filij Iemini, qui erat de Bachurim, & deſcendit cum viro Iehudah, in occurſum regis Dauid.*

17 *Et mille viri erant cum eo de Biniamin, & Siba ſeruus domus Saul: & quindecim filij eius, & viginti ſerui eius ſecum: & irruperunt Iarden ante regem.*

18 *Et tranſiuit ſcapha, vt traducerent familiam regiã, & facerent quod bonum eſt in oculis eius: Simhi autem filius Ghera procidit ante regem, dum tranſiret per Iarden:*

19 *Et dixit ad regem: Ne reputet mihi dominus meus iniquitatem, ne memineris, quòd inique egit ſeruus tuus in die qua egreſſus eſt dominus meus rex de Ieruſalaim, vt ponat rex ſuper cor ſuum.*

20 *Nouit enim ſeruus tuus ſe peccaſſe: & ecce veni hodie primus de omni familia Ioſeph, vt deſcenderem in occurſum domini mei regis.*

21 *Et reſpondit Abiſai filius Seruiah, & dixit: Numquid propter hoc non morietur Simhi, qui maledixit Chriſto Domini?*

22 *Dixit autem Dauid: Quid mihi, & vobis filij Seruiah? quia eſtis mihi hodie aduerſarij? num hodie morietur vir in Iſrael? nonne noui, quòd hodie ſum rex ſuper Iſrael?*

23 *Dixitque rex ad Simhi: Non morieris. Iurauitque ei rex.*

24 *Miphiboſeth autem filius Saul deſcendit in occurſum regis, & non aptauerat pedes ſuos, nec aptauerat labrum ſuum: & veſtes ſuas non lauerat à die qua abierat rex, vſque ad diem qua venit in pace.*

25 *Et fuit cum venit Ieruſalaim in occurſum regis, dixit ei rex: Vt quid non veniſti mecum Miphiboſeth?*

26 *Dixitque: Domine mi rex, ſeruus meus decepit me, dixit enim ſeruus tuus, ſternam mihi aſinam, & equitabo ſuper eam, & ibo ad regem: claudus enim ſum, ego ſeruus tuus.*

27 *Et accuſauit me ſeruum tuum apud te dominum meum regem: Dominus autem meus rex eſt, ſicut Angelus Dei, fac quod bonum eſt in oculis tuis.*

28 *Non enim fuit omnis familia patris mei, niſi obnoxia morti domino meo regi: & poſuiſti ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ: & qualis eſt mihi vltra iuſtitia, vt clamem vltra ad regem?*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et feſtinauit Semei filius Gera filij Iemini de Baurim, & deſcendit cum viro Iuda in occurſum regis Dauid.
17 Et mille viri cum eo de Beniamin, & Siba puer domus Saul: & quindecim filij eius cũ eo, & viginti ſerui eius
cum eo: & direxerunt Iordanem ante regem. 18 Et miniſtrarunt miniſterium ad traducendum regem, & trãſijt
tranſitus ad erigendam domum regis, & ad faciendum, quod rectũ in oculis eius: & Semei filius Gera cecidit ſuper
faciem ſuam coram rege, tranſeunte illo Iordanem. 19 Et dixit ad regem: Ne nunc imputet dñs meus iniquitatem,
& ne recorderis, quæcunque iniuſte fecit puer tuus in die, qua dominus meus egrediebatur e Hieruſalem,
ita vt ponat rex in corde ſuo. 20 Quoniam cognouit ſeruus tuus, quia ego peccaui, & ecce ego veni hodie
prior vniuerſo Iſrael, e domo Ioſeph, vt deſcenderem in occurſum domini mei regis. 21 Et reſpondit Abeſſae
filius Saruiæ, & dixit: Numquid pro hoc non interficietur Semei, quia maledixit Chriſtũ Dñi? 22 Et dixit Dauid:
Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? quia eſtis mihi hodie in aduerſarium: hodie non tradetur morti vllus vir de
Iſrael? qñ nonne noui, ſi hodie regno ego ſuper Iſrael? 23 Et dixit rex ad Semei: Non morieris. Et iurauit ei
rex. 24 Et Memphiboſthe filius filij Saul, deſcendit in occurſum regis, & non curauerat pedes ſuos, neque fecerat
vngues, neque fecerat labrum ſuum, & veſtimenta ſua non lauerat à die, qua abijt rex, vſque ad diem, qua ipſe aduenit
in pace. 25 Et factum eſt, qñ intrauit in Hieruſalẽ in occurſum regis, & dixit ei rex: Quid, quod nõ iuiſti
mecum Memphiboſthe? 26 Et dixit ad eum Memphiboſthe: Domine mi rex, ſeruus meus decepit me, quoniã
dixit puer tuus ei, inſterne mihi aſinam, & aſcendam ſuper eam, & ibo cum rege: quoniam claudus ſeruus tuus.
27 Et fallaciter egit in ſeruo tuo ad dñm meum regem: & dñs meus rex, ſicut Angelus Dei, & fac, quod bonum
in oculis tuis. 28 Quoniã non erat vniuerſa domus patris mei, niſi viri mortis domino meo regi: & poſuiſti ſeruum
tuum in ijs, qui comedunt menſam tuã: & quæ eſt mihi vltra iuſtificatio, & vt ego vociferer vltra ad regem?

Et di-

## Vulgata Editio.

29 Ait ergo ei rex: Quid vltra loqueris ? fixum eſt quod
locutus ſum: tu,& Siba diuidite poſſeſſiones.
30 Reſponditque Miphiboſeth regi : Etiam cuncta ac-
cipiat,poſtquam reuerſus eſt dominus meus rex pa-
cifice in domum ſuam .
31 Berzellai quoque Galaadites,deſcendens de Roge-
lim, traduxit regem Iordanem, paratus etiam vltra
fluuium proſequi eum.
* 3. Reg. 2.7. 32 * Erat autem Berzellai Galaadites ſenex valde , id
eſt octogenarius,& ipſe præbuit alimenta regi, cum
moraretur in Caſtris: fuit quippe vir diues nimis.
33 Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, vt re-
quieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem .
34 Et ait Berzellai ad regem : Quot ſunt dies annorũ
vitæ meæ,vt aſcendam cum rege in Ieruſalem ?
* ſup. 17. 27. 35 * Octogenarius ſum hodie : numquid vigent ſenſus
mei ad diſcernendum ſuaue, aut amarum? aut dele-
ctare poteſt ſeruum tuum cibus,& potus? vel audire
poſſum vltra vocem cantorum,atque cantatricum ?
quare ſeruus tuus ſit oneri domino meo regi ?
36 Paululum procedam famulus tuus ab Iordane te-
cum: non indigeo hac viciſſitudine :
37 Sed obſecro , vt reuertar ſeruus tuus , & moriar in
ciuitate mea,& ſepeliar iuxta ſepulchrũ patris mei,
& matris meæ . Eſt autem ſeruus tuus Chamaam ,
ipſe vadat tecum,domine mi rex,& fac ei quidquid
tibi bonum videtur .
38 Dixit itaque ei rex: Mecum tranſeat Chamaam, &
ego faciã ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod
petieris à me,impetrabis .
39 Cumque tranſiſſet vniuerſus populus, & rex Iorda-
nem,oſculatus eſt rex Berzellai, & benedixit ei : &
ille reuerſus eſt in locum ſuum .
40 Tranſiuit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum
eo. Omnis autem populus Iuda traduxerat regem ,
& media tantum pars affuerat de populo Iſrael.
41 Itaque omnes viri Iſrael concurrentes ad regem
dixerunt ei : Quare te furati ſunt fratres noſtri viri
Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iorda-
nem,omneſque viros Dauid cum eo ?
42 Et reſpondit omnis vir Iuda ad viros Iſrael : Quia
mihi propior eſt rex : cur iraſceris ſuper hac re ?
numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera
nobis data ſunt ?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Dixitque rex : Vt quid loqueris vltra verba tua ?*
*Dixi: Tu & Siba diuidite agros .*
30 *Dixitque Miphiboſeth ad regem: Etiam omnia tol-*
*lat poſtquam venit dominus meus rex in pace in do-*
*mum ſuam .*
31 *Barzillai autem Ghilhadites deſcendit de Roghlim,*
*vt tranſiret cum rege Iarden , vt tranſmitteret eum*
*vltra Iarden .*
32 *Et Barzillai ſenex erat valdè octoginta, ſcilicet an-*
*norum , & ipſe pauit regem dum manſit in Macha-*
*naim: quia vir magnus erat valdè .*
33 *Dixitque rex ad Barzillai : Tranſi mecum, & alam*
*te mecum in Ieruſalaim .*
34 *Dixitque Barzillai ad regem : Quot ſunt dies*
*annorum vitæ meæ , vt aſcendam cum rege in Ieru-*
*ſalaim ?*
35 *Octoginta annorum ſum hodie : num diſcernam in-*
*ter bonum, & malum? an guſtabit ſeruus tuus, quod*
*comedam, & quod bibam ? num audiam vltra vocẽ*
*cantorum , & cantatricum ? & vt quid erit ſeruus*
*tuus adhuc oneri domino meo regi ?*
36 *Paululum tranſibit ſeruus tuus Iarden cum re-*
*ge : & vt quid retribuet mihi rex retributionem*
*iſtam :*
37 *Reuertatur obſecro ſeruus tuus, & moriar in ciuita-*
*te mea in ſepulchro patris mei , & matris meæ. Et*
*ecce ſeruus tuus Chimham tranſibit cum domino*
*meo rege, fac ei quod bonum eſt in oculis tuis .*
38 *Dixitque rex : Mecum tranſeat Chimham , & faciã*
*ei, quod bonum eſt in oculis tuis, & quicquid volue-*
*ris à me, faciam tibi .*
39 *Et tranſiuit omnis populus Iarden, & rex tranſiuit,*
*& oſculatus eſt rex Barzillai, & benedixit ei: & re-*
*uerſus eſt in locum ſuum .*
40 *Tranſiuit autem rex in Ghilgbal , & Chimham*
*tranſiuit cum eo . Et omnis populus Iehudah tran-*
*ſire fecerunt regem , & etiam dimidium populi*
*Iſrael .*
41 *Et ecce omnis vir Iſrael venient ad regem , dixit :*
*Cur furati ſunt te fratres noſtri viri Iehudah &*
*tranſire fecerunt regem , & familiam eius Iarden ,*
*& omnes viros Dauid cum eo ?*
42 *Et reſpondit omnis vir Iehudah viro Iſrael : Quia*
*propinquus eſt rex mihi: & cur iraſceris propter hoc?*
*numquid comedendo comedimus aliquid ex rege ,*
*num donatiuum donauit nobis ?*

Re-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et dixit ei rex: Vt quid loqueris vltra ſermones tuos? Dixi: Tu,& Siba diuidite agrum. 30 Et dixit Mephi-
boſthe ad regem: Etiam omnia accipiat,poſtquam aduenit dominus meus rex in pace in domum ſuam. 31 Et
Berzelli Galaadites deſcenderat de Rhogellim,& tranſierat cum rege Iordanem,ad tranſmittendum eum Iorda-
nem. 32 Et Berzelli vir ſenior valde filius octoginta annorum,& ipſe aluerat regem, cum ille habitaret in Ma-
naim: quia vir magnus erat valdè. 33 Et dixit rex ad Berzellli: Tu tranſibis mecum, & nutriam ſenectutem tuã
mecum in Hieruſalem. 34 Et dixit Berzelli ad regem: Quot dies annorum vitæ meæ,quia aſcendam cum re-
ge in Hieruſalem. 35 Filius octoginta annorum ego ſum hodie: numquid cognoſcam inter bonum,& malum?
numquid guſtabit ſeruus tuus vltra,quid comedam,aut bibam? aut audiam vltra vocem cantorum,& cantatricũ?
& vt quid erit vltra ſeruus tuus in onus ſuper dñm meum regem ? 36 Perparum tranſibit ſeruus tuus Iordanẽ
cum rege: & vt quid retribuit mihi rex retributionem hanc : 37 Sedeat nunc ſeruus tuus,& moriar in ciuitate
mea apud ſepulchrum patris mei,& matris meæ.Et ecce ſeruus tuus Chamaam tranſibit cum domino meo rege,
& fac ei,quod bonum in oculis tuis. 38 Et dixit rex: Mecum tranſeat Chamaam & ego faciam ei,quod bonum
in oculis meis,& omnia,quæcumque elegerit in me,faciam ei. 39 Et tranſiuit vniuerſus populus Iordanem,&
rex tranſiuit,& deoſculatus eſt rex ipſum Berzelli,& benedixit eum: & reuertit in locum ſuum. 40 Et tranſiuit
rex in Galgala,& Chamaam tranſiuit cũ eo. Et vniuerſus populus Iuda tranſeuntes cum rege,atque etiã dimidiũ
populi Iſrael. 41 Et ecce omnis vir Iſrael aduenerunt ad regem,& dixit ad regem: Quid,quod furati ſunt te fra-
tres noſtri,viri Iuda,& tranſmiſerunt regem,& domum eius Iordanem,& omnes viri Dauid cũ eo? 42 Et reſpõ-
dit omnis vir Iuda ad virum Iſrael,& dixerunt: Eo quod appropinquat ad me rex: & vt quid ita indignatus es de
verbo hoc? numquid comeſtione comedimus ex rege,aut munus dedit,aut tributum ſuſtulit nobis?

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

43 Et reſpondit vir Iſrael ad viros Iuda, & ait: Decem partibus maior ego ſum apud regem, magiſque ad me pertinet Dauid, quàm ad te: cur feciſti mihi iniuriam,& non mihi nunciatum eſt priori,vt reducerem regem meum? Durius autem reſponderunt viri Iuda viris Iſrael.

### CAP. XX.

1 ACcidit quoque vt ibi eſſet vir Belial, nomine Seba,filius Bochri, vir Iemineus: & cecinit buccina,& ait: Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai: reuertere in tabernacula tua Iſrael.
2 Et ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid,ſecutuſq; eſt Seba filium Bochri:viri autem Iuda adhæſerunt regi ſuo à Iordane vſque Ieruſalem.
3 Cumque veniſſet rex in domum ſuam in Ieruſalē, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad cuſtodiendam domum, & tradidit eas in cuſtodiam, alimenta eis præbens: & non eſt ingreſſus ad eas,ſed erant clauſæ vſque in diem mortis ſuæ in viduitate viuentes.
4 Dixit autem rex Amaſæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium,& tu adeſto præſens.
5 Abijt ergo Amaſa,vt conuocaret Iudam,& moratus eſt extra placitum,quod ei conſtituerat rex.
6 Ait autem Dauid ad Abiſai: Nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri,quàm Abſalom: tolle igitur ſeruos domini tui,& perſequere eum,ne forte inueniat ciuitates munitas,& effugiat nos.
7 Egreſſi ſunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoq; & Phelethi: & omnes robuſti exierunt de Ieruſalē ad perſequendum Seba filium Bochri.
8 Cumque illi eſſent iuxta lapidem grandem, qui eſt in Gabaon,Amaſa veniens occurrit eis. Porro Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia, in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat,& percutere.
9 Dixit itaque Ioab ad Amaſam: Salue mi frater. * Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum.

* 3. Reg. 2.5.

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

43 *Reſpondit vir Iſrael viro Iehudah,& dixit: Decem partes ſunt mihi in rege,& etiam in Dauid complaceo pluſquam te: & cur flocciſeciſti me, & non fuit verbum meum primum mihi, vt reducerem regem meum? Et durius fuit verbum viri Iehudah verbo viri Iſrael.*

### CAP. XX.

1 *IBi autem caſu erat vir impius, & nomen eius Sebah filius Bichri vir Iemini, & clanxit buccina,& dixit: Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas nobis in filio Iſai: vnuſquiſque reuertatur ad tabernacula ſua Iſrael.*
2 *Et aſcendit omnis vir Iſrael à Dauid,poſt Sebah filium Bichri: viri autem Iehudah adhæſerunt regi ſuo à Iarden,vſque ad Ieruſalaim.*
3 *Et venit Dauid in domum ſuam in Ieruſalaim, & tulit rex decem mulieres concubinas, quas dimiſerat ad cuſtodiendam domum, & poſuit eas in domo cuſtodia, & pauit eas: & ad eas non eſt ingreſſus, & fuerunt cuſtoditæ vſque ad diem mortis ſuæ in viduitate vitæ.*
4 *Dixit autem rex ad Hamaſa: Congrega hi viros Iehudah in tribus diebus,& tu hic ſta.*
5 *Et abijt Hamaſa ad conuocandum Iehudah, & moratus eſt vltra tempus,quod conſtituerat ei.*
6 *Dixitque Dauid ad Abiſai: Nunc peius faciet nobis Sebah filius Bichri, quam Abſalom: tolle ſeruos domini tui,& perſequere eum, ne fortè inueniat ſibi ciuitates munitas,& effugiat ex oculis noſtris.*
7 *Et egreſſi ſunt poſt eum viri Ioab, & Cherethi, & Pelethi: & omnes fortes, & egreſſi ſunt de Ieruſalaim ad perſequendum Sebah filium Bichri.*
8 *Ipſis exiſtentibus apud lapidem magnum, qui erat in Ghibhon,Hamaſa venit ante eos. Ioab autem erat accinctus tunica veſtimenti ſui, & ſuper eam cingulum gladij coniuncti lumbis eius in vagina ſua, & Ioab egreſſus eſt,& cecidit gladius.*
9 *Dixitque Ioab ad Hamaſa: Num ſaluus es frater mi. Et tenuit manus dextera Ioab barbam Hamaſa, vt oſcularetur eum.*

*Ha-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

43 Et reſpondit vir Iſrael viro Iuda,& dixit: Decem manus mihi in rege,& primogenitus ego,quàm tu,etiam in ipſo Dauid ſum ſuper te: & vt quid hoc iniuriam intuliſti mihi, & non eſt reputatum verbum meum primum mihi à Iuda ad reducendum regem mihi? Et durum fuit verbum viri Iuda ſuper verbum viri Iſrael.

### CAP. XX.

ET ibi aduocatus,filius iniquus,& nomen ei Sabee filius Bochori,vir Iemini: & clanxit cornea, & dixit: Non
eſt nobis pars in Dauid,neque hæreditas nobis in filio Ieſſæ: vir ad tabernacula tua Iſrael.
2 Et aſcendit omnis vir Iſrael à poſt Dauid poſt Sabee filium Bochori: & vir Iuda adhæſit regi ſuo, à Iordane,
& vſque Hieruſalem. 3 Et intrauit Dauid in domum ſuam in Hieruſalem, & ſumpſit rex decem illas
mulieres concubinas,quas reliquerat cuſtodire domum, & dedit eas in domo cuſtodiæ,& nutriuit eas, & ad eas
non intrauit: & fuerunt detentæ vſque ad diem mortis ſuæ,viduæ viuentes. 4 Et dixit rex ad Ameſ-
ſai: Clama mihi virum Iuda tribus diebus,tu autem hic ſta. 5 Et iuit Ameſſai ad clamandum Iu-
dam,& tardauit à tempore,quo conſtituerat ei Dauid. 6 Et dixit Dauid ad Ameſſai: Nunc malefa-
ciet nobis Sabee filius Bochori: & nunc tu ſume tecum pueros domini tui,& perſequere poſt eum,ne forte inue-
niat ſibi ciuitates munitas,& teget oculos noſtros. 7 Et exierunt poſt eum Abeſſai, & viri Ioab, &
Cherethi, & Phelethi: & omnes potentes, & exierunt è Hieruſalem ad perſequendum poſt Sabee filium Bo-
chori. 8 Et ipſe apud lapidem magnum,qui in Gabaon,& Ameſſai intrauit ante eos. Et Ioab indutus
mantellum,veſtimentum ſuum,& ſuper illud accinctus gladio coniuncto ſuper lumbum ſuum in vagina eius, &
gladius exiuit,& ipſe exiuit,& irruit. 9 Et dixit Ioab ad Ameſſai: Si vales tu frater. Et tenuit manus
dextera Ioab barbam Ameſſai ad oſculandum illum.

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

10 Porro Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit, & mortuus eſt. Ioab autem, & Abiſai frater eius perſecuti ſunt Seba filium Bochri.

11 Interea quidam viri, cum ſtetiſſent iuxta cadauer Amaſæ, de ſocijs Ioab, dixerunt: Ecce qui eſſe voluit pro Ioab comes Dauid.

12 Amaſa autem conſperſus ſanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod ſubſiſteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amaſam de via in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.

13 Amoto ergo illo de via, tranſibat omnis vir ſequens Ioab ad perſequendum Seba filium Bochri.

14 Porro ille tranſierat per omnes tribus Iſrael in Abelam, & Bethmaacha: omneſque viri electi congregati fuerant ad eum.

15 Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obſeſſa eſt vrbs: omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur deſtruere muros.

16 Et exclamauit mulier ſapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite Ioab: Appropinqua huc, & loquar tecum.

17 Qui cum acceſſiſſet ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille reſpondit: Ego. Ad quem ſic locuta eſt: Audi ſermones ancillæ tuæ. Qui reſpondit: Audio.

18 Ruſumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & ſic perficiebant.

19 Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſrael, & tu quæris ſubuertere ciuitatem, & euertere matrem in Iſrael? Quare præcipitas hæreditatem Domini?

20 Reſpondenſque Ioab, ait: Abſit, abſit hoc à me: non præcipito, neque demolior.

21 Non ſic ſe habet res, ſed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, leuauit manum ſuã contra regem Dauid: tradite illum ſolum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum.

In-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Hamaſa autem non obſeruauit ſe à gladio, qui erat in manu Ioab, & percuſſit eum illo in quinta coſta, & effudit inteſtina eius in terram, & non iterauit ei, & mortuus eſt. Ioab autem, & Abiſai frater eius, perſecutus eſt Sebah filium Bichri.*

11 *Et vir ſtetit iuxta Hamaſa è pueris Ioab, & dixit: Qualis eſt qui voluit eſſe pro Ioab, & qualis qui voluit eſſe Dauidi poſt Ioab.*

12 *Hamaſa autem inuolutus ſanguine erat in medio via. Et vidit vir, quòd ſubſiſteret omnis populus, & diuertit Hamaſa de via in agrum, & proiecit ſuper eum veſtimentum, quum vidit quòd omnis, qui veniebat ad eum, ſubſiſteret.*

13 *Quando autem amotus fuit tranſiuit omnis vir poſt Ioab ad perſequendum Sebah filium Bichri.*

14 *Et tranſiuit per omnes tribus Iſrael in Abel, & in Bethmabachah: & omnia loca Berim, & congregati ſunt, & venerunt etiam poſt Ioab.*

15 *Et venerunt, & obſederunt eum in Abelah Bethmahachah, & effuderunt aggerem iuxta ciuitatem, & ſteterunt viri ciuitatis in antemurali: & omnis populus qui erat cum Ioab diſſipabant, vt ruere facerent murum.*

16 *Et clamauit mulier ſapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite obſecro ad Ioab: Appropinqua huc, & loquar ad te.*

17 *Et acceſſit ad eam, & dixit mulier: Num tu es Ioab? Et dixit: Sum. Et dixit ei: Audi verba ancillæ tuæ. Et dixit: Audio.*

18 *Dixitque dicendo: Loquendo loquebantur olim, dicendo: Interrogando interrogent in Abel: & ſic perfecta ſunt.*

19 *Ego Abelah ſum inter pacificos, & fideles Iſrael, tu quæris interficere ciuitatem, & metropolim in Iſrael? Quare diſſipas hæreditatem Domini?*

20 *Et reſpondit Ioab, & dixit: Abſit, abſit mihi, vt ſubuertam, & diſperdam.*

21 *Non ita ſe habet res, ſed vir de monte Ephraim Sebah filius Bichri nomen eius, leuauit manum ſuam contra regem Dauid: tradite illum ſolum, & recedam à ciuitate. Dixitque mulier: Ecce caput eius proijcitur ad te per murum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et Ameſſai non obſeruarat gladium, qui in manu Ioab, & percuſſit illum in ipſo Ioab in inguinem, & effuſus eſt venter eius in terram, & non iterauit ei, & mortuus eſt. Et Ioab, & Abeſſai frater eius perſequutus eſt
poſt Sabee filium Bechori. 11 Et vir ſtetit ſuper eum de pueris Ioab, & dixit: Quis volens Ioab, & quis
ipſius Dauid poſt Ioab. 12 Et Ameſſai conſperſus in ſanguine in medio ſemitæ. Et vidit vir, quia ſubſiſtebat omnis populus, & tranſtulit Ameſſai e ſemita in agrum, & iniecit ſuper eum veſtem, ſecundum quod viderat
omnem, qui veniebat ſuper eum, ſubſiſtere. 13 Poſtquam autem declinauit de via, præterijt omnis vir Iſrael poſt Ioab ad perſequendum poſt Sabee filium Bochori. 14 Et tranſijt in omnibus tribubus Iſrael in
Abel, & in Bethmaca, & omnes in Chairi: & congregati ſunt, & venerunt poſt eum. 15 Et aduenerunt, &
obſederunt ſuper eum in Abel, & in Phermacha, & effuderunt aggerem erga ciuitatem: & ſtetit in antemurali,
& omnis populus, qui cum Ioab, cogitauerunt deijcere murum. 16 Et clamauit mulier ſapiens de muro,
& dixit: Audite, audite, dicite nunc ad Ioab: Appropinqua vſque huc, & loquar ad eum. 17 Et appropinquauit ad eam, & dixit mulier: Si tu es Ioab? At ille dixit: Ego. Dixit autem ad eum: Audi verba ſeruæ tuæ. Et
dixit Ioab: Audio equidem. 18 Et dixit dicens: Verbum locuti ſunt in primis, dicentes: Interrogando interrogatus eſt in Abel, & in Dan, ſi defecerunt, quæ poſuerunt fideles Iſrael, interrogantes interrogabunt in Abel,
& ita, ſi defecerunt. 19 Ego ſum pacifica de firmamentis Iſrael, tu autem quæris mortificare ciuitatem, &
Metropolim in Iſrael? Vt quid demergis hæreditatem Domini? 20 Et reſpondit Ioab, & dixit: Propitius mihi, propitius mihi, ſi demergam, & ſi corrumpam. 21 Non ſic verbum, quia vir de monte Ephraim,
Sabee filius Bochori nomen eius, & eleuauit manum ſuam ſuper regem Dauid: date eum mihi ſolum, & abibo
deſuper ciuitate. Et dixit mulier ad Ioab: Ecce caput eius iacietur ad te per murum.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Ingreſſa eſt ergo ad omnem populum, & locuta eſt eis ſapienter: qui abſciſſum caput Seba filij Bochri proiecerunt ad Ioab. Et ille cecinit tuba, & receſſerunt ab vrbe, vnuſquiſque in tabernacula ſua: Ioab autem reuerſus eſt Ieruſalem ad regem.

*Sup. 8. 16.

23 * Fuit ergo Ioab ſuper omnem exercitum Iſrael: Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Cerethæos, & Phelethæos.

24 Aduram vero ſuper tributa: porro Ioſaphat filius Ahilud, à commentarijs.

25 Siua autem, ſcriba: Sadoc vero & Abiathar, ſacerdotes.

26 Ira autem Iairites erat ſacerdos Dauid.

### CAP. XXI.

1 FActa eſt quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & conſuluit Dauid oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.

*Ioſu. 9. 16.

2 Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non erant de filijs Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum: * filij quippe Iſrael iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filijs Iſrael, & Iuda.)

3 Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? & quod erit veſtri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini?

4 Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non eſt nobis ſuper argento, & auro quæſtio, ſed contra Saul, & contra domum eius: neque volumus, vt interficiatur homo de Iſrael. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis, vt faciam vobis?

5 Qui dixerunt regi: Virum, qui attriuit nos, & oppreſſit inique, ita delere debemus, vt ne vnus quidem reſiduus ſit de ſtirpe eius in cunctis finibus Iſrael.

6 Dentur nobis ſeptem viri de filijs eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.

* 1. Reg. 18. 3.

7 * Pepercitque rex Miphiboſeth filio Ionathæ filij Saul, propter iuſiurandum Domini, quod fuerat inter Dauid, & inter Ionathan filium Saul.

8 Tulit itaque rex duos filios Reſpha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboſeth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi:

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Et venit mulier ad omnem populum ſapientia ſua: & abſciderunt caput Sebah filij Bichri, & proiecerunt ad Ioab. Et clanxit buccina, & diſperſi ſunt ab vrbe vnuſquiſque in tabernacula ſua: Ioab autem reuerſus eſt Ieruſalaim ad regem.*

23 *Ioab autem erat ſuper omnem exercitum Iſrael: Benaiah vero filius Iehoiadah ſuper Cherethi, & Pelethi.*

24 *Et Adoram ſuper tributum: & Iehoſaphath filius Achilud à commentarijs.*

25 *Et Seia ſcriba: & Sadoc, & Ebiathar ſacerdotes.*

26 *Et etiam Hira Iairites erat princeps ipſi Dauid.*

### CAP. XXI.

1 *ET fuit fames in diebus Dauid tribus annis anno poſt annum: & requiſiuit Dauid faciem Domini. Et dixit Dominus: Propter Saul, & propter familiam ſanguinariam, eo quòd interfecit Gibhonitas.*

2 *Et vocauit rex Gibhonitas, & dixit eis: Gibhonitæ autem non de filijs Iſrael erant, ſed de reſiduis Emorræorum, & filij Iſrael iurauerunt eis, & quæſiuit Saul percutere eos, quando zelatus eſt pro filijs Iſrael, & Iehudah.*

3 *Dixitque Dauid ad Gibhonitas: Quid faciam vobis? & quo expiabo peccatum, vt benedicatis hæreditati Domini?*

4 *Dixeruntque ei Gibhonitæ: Non eſt nobis quæſtio ſuper argento, & auro cum Saul, & cum familia eius: & non eſt nobis voluntas quemquam interficiendi in Iſrael. Et dixit: Quicquid dixeritis faciam vobis.*

5 *Dixeruntque ad regem: Virum qui conſumpſit nos, & qui imputauit nobis diſperdemus, vt non ſtet in omni termino Iſrael.*

6 *Dentur nobis ſeptem viri è filijs eius, & affigemus Domino in Gibhah Saul electi Domini. Dixitque rex: Ego dabo.*

7 *Et pepercit rex Miphiboſeth filio Ionathan filij Saul propter iuſiurandum Domini, quod fuit inter Dauid, & Ionathan filium Saul.*

8 *Et tulit rex duos filios Riſpah filiæ Aiah, quos peperit ipſi Saul Armoni, & Miphiboſeth: & quinque filios Michal filiæ Saul quos peperit ipſi Hadriel filio Barzillai Meholatitæ:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Et intrauit mulier ad vniuerſum populum, & locuta eſt ad vniuerſam ciuitatẽ in ſapientia ſua: & abſtulit caput Sabee filij Bochori, & abſtulit, & iecit ad Ioab. Et clanxit in cornea, & diſperſi ſunt à ciuitate ab eo vir in tabernacula ſua: & Ioab reuertit in Hieruſalem ad regem. 23 Et Ioab ad omnem virtutem Iſrael: Et Banæas filius Iodae ſuper Cherethi, & ſuper Phelethi. 24 Et Adoniram ſuper tributum: & Ioſaphat filius Achiluth cõmonefaciens. 25 Et Suſa ſcriba: & Sadoc, & Abiathar ſacerdotes. 26 Et etiam Icas, qui Iarin, erat ſacerdos ipſi Dauid.

### CAP. XXI.

ET facta eſt fames in diebus Dauid tres annos, & annus contiguus anno: & quæſiuit Dauid faciem Domini. Et dixit Dominus: Super Saul, & ſuper domum eius iniuſtitia in morte ſanguinum eius, pro eo, quod morti tradidit Gabaonitas. 2 Et vocauit rex Dauid Gabaonitas, & dixit ad eos: (Et Gabaonitæ non filij Iſrael ſunt, quia tantum ex reliquijs Amorrhæi: & filij Iſrael iurauerant eis, & quæſiuit Saul percutere eos, cum ipſe zelaret filios Iſrael, & Iuda.) 3 Et dixit Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis, & in quo depropitiabor, & benedicetis hæreditatem Domini? 4 Et dixerunt ei Gabaonitæ: Non eſt nobis argentum, vel aurum cum Saul, & cum domo eius: & non eſt nobis vir ad interficiendum in Iſrael. Et dixit: Quid vos dicitis, & faciam vobis? 5 Et dixerunt ad regem: Vir, qui conſummauit ſuper nos, & perſequutus eſt nos, qui male cogitauit exterminare nos, deleamus eum, vt non ſtet ipſe in omni termino Iſrael. 6 Det nobis ſeptem viros de filijs eius, & Soli exponamus eos Domino in Gabaon Saul electos Domini. Et dixit rex: Ego dabo. 7 Et pepercit rex ſuper Memphiboſthe filium Ionathan filij Saul propter iuramentum Domini, quod inter eos, & inter Dauid, & inter Ionathan filium Saul. 8 Et cepit rex duos filios Reſphæ filiæ Aia, quos peperit ipſi Saul, Hermoni, & Memphiboſthe, & quinque filios Michol filiæ Saul, quos peperit ipſi Eſdriel filio Berzelli Moulatitæ.

Et de-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi ſeptem ſimul occiſi in diebus meſſis primis, incipiente meſſione hordei.

10 Tollens autem Reſpha filia Aia, cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo: & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.

11 Et nunciata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha, filia Aia, concubina Saul.

12 Et abijt Dauid, & tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad, * qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Philiſthijm cum interfeciſſent Saul in Gelboe:

* 1. Reg. 31. 12.

13 Et aſportauit inde oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius: & colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant:

14 Sepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filij eius in terra Beniamin, in latere, in ſepulchro Cis patris eius: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc.

15 Factum eſt autem rurſum prælium Philiſthinorum aduerſum Iſrael, & deſcendit Dauid, & ſerui eius cum eo, & pugnabant contra Philiſthijm. Deficiente autem Dauid:

16 Ieſbibenob, qui fuit de genere Arapha, * cuius ferrum haſtæ trecentas vncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere Dauid.

* 1. Reg. 17. 7.

17 Præſidioque ei fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſthæum interfecit. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael.

18 * Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philiſthæos: tunc percuſſit Sobochai de Huſati, Saph de ſtirpe arapha de genere gigantum.

* 1. Paral. 20. 4.

19 Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtæ erat quaſi liciatorium texentium.

20 Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelſus, qui ſenos in manibus pedibuſque habebat digitos, id eſt viginti quatuor, & erat de origine arapha.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et dedit eos in manu Ghibhonitarum: & ſuſpenderunt eos in monte coram Domino: & mortui ſunt ſeptem hi pariter, & occiſi fuerunt in diebus meſſis, in primis diebus, in principio meſſis hordeacea.*

10 *Et tulit Riſpah filia Aiah ſaccum, & extendit eum ſibi ſuper petram à principio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos è cœlo: & non permiſit aues cœli requieſcere ſuper eos in die, nec beſtiam agri in nocte.*

11 *Et nunciatum eſt Dauid, quod fecerat Riſpah filia Aiah concubina Saul.*

12 *Et abijt Dauid, & tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathan filij eius à maioribus Iabes Ghilhad, qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Peliſtim, in die qua percuſſerunt Peliſtim Saul in Ghilbeah:*

13 *Et aſcendere fecit inde oſſa Saul, & oſſa Ionathan filij eius: & collegerunt oſſa affixorum.*

14 *Et ſepelierunt oſſa Saul, & Ionathan filij eius in terra Biniamin in Salah in ſepulchro Chis patris eius: & fecerunt omnia, quæ præceperat rex, & propitiatus eſt Deus terræ poſt hæc.*

15 *Et fuit adhuc bellum Peliſtinis cum Iſrael, & deſcendit Dauid, & ſerui eius cum eo, & pugnauerunt cum Peliſtinis. Et defecit Dauid:*

16 *Et Iſhibenob, qui erat de filijs Haraphah, (pondus autem ferri haſtæ eius erat trecentorum ſiclorum ponderis æris, & ipſe erat accinctus enſe nouo) cogitauit percutere Dauid.*

17 *Et auxiliatus eſt ei Abiſai filius Seruiah, & percuſſit Peliſtæum, & interfecit eum. Tunc iurauerunt viri Dauid ei (dicendo: Non egredieris vltra nobiſcum in prælium, vt non extinguas lucernam Iſrael.*

18 *Et fuit, poſt hæc fuit adhuc bellum in Ghob cum Peliſtim: tunc percuſſit Sibbechai Chuſathites Saph, qui erat de filijs Haraphah.*

19 *Et fuit adhuc bellum in Ghob cum Peliſtim, & percuſſit Elhanan filius Iahare Bethlehemites Goliath Ghittaum, & lignum haſtæ eius erat tanquam liciatorium texentium.*

20 *Et fuit adhuc bellum in Gath, & fuit ibi vir magnæ menſuræ, digiti autem manuum eius, & digiti pedũ eius ſex, & ſex viginti, & quatuor numero, & etiam erat natus de Haraphah.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et dedit eos in manu Gabaonitarum: & Soli expoſuerunt eos in monte ante Dominum: & ceciderunt ſeptem
iſti in idipſum, ipſi vero interfecti ſunt in diebus meſſis, in primis, in principio meſſis hordeorum. 10. Et ſum-
pſit Rheſpha filia Aia ſaccum, & defixit ſibi ad petram, in principio meſſis hordeorum, quoadusque ſtillauit ſuper
eos aqua de cœlo: & non dedit volatilia cœli requieſcere ſuper eos die, & beſtias agri nocte. 11 Et nunciatum
eſt Dauid, quæcumque fecit Rheſpha filia Aia concubina Saul, & reſoluta ſunt, & cepit eos Dan filius Ioa ex pro-
nepotibus Gigantum. 12 Et iuit Dauid, & ſumpſit oſſa Saul, & oſſa Ionathan filij eius à viris filijs Iabis Ga-
laad, qui furati erant eos è platea Bæthſan, quia ſtatuerant eos ibi alienigenæ in die, qua percuſſerunt alienigenæ
Saul in Gelbue: 13 Et aſportauit inde oſſa Saul, & oſſa Ionathan filij eius: & oſſa expoſitorum Soli. 14 Et
ſepelierunt oſſa Saul, & oſſa Ionathan filij eius, & oſſa Soli expoſitorum, in terra Beniamin in latere, in ſepulchro
Cis patris eius: & fecerunt omnia, quæcumque mandauit rex, & exaudiuit Deus terram poſt hæc. 15 Et fuit
adhuc bellum alienigenis cum Iſrael, & deſcendit Dauid, & pueri eius cum eo, & pugnauerunt cum alienigenis.
Et iuit Dauid. 16 Et Ieſbi, qui erat in nepotibus ipſius Rapha, & pondus lanceæ eius, trecentorum ſiclorum
pondere æris, & ipſe accinctus clauam, & ſtuduit percutere Dauid. 17 Et auxiliatus eſt ei Abeſſa filius Saruiæ,
& percuſſit alienigenam, & interfecit eum. Tunc iurarunt viri Dauid, dicentes: Non egredieris vltra nobiſcum ad
bellum, & non extingues lucernam Iſrael. 18 Et fuit poſt hæc adhuc prælium in Geth cum alienigenis: tunc
percuſſit Sebocha Aſtatothi ipſum Seph in nepotibus Rhapha. 19 Et fuit prælium in Rhom cum alienige-
nis, & percuſſit Eleanan filius Ariorgim Bæthleemites ipſum Goliath Gethæum, & lignum lanceæ eius, tanquam
liciatorium texentium. 20 Et factum eſt adhuc prælium in Geth: & fuit vir Madon, & digiti manuum eius, &
digiti pedum eius ſex, & ſex, viginti quattuor numero, etiam ipſe natus erat ipſi Rhapha.

Et ex-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Et blaſphemauit Iſrael: percuſſit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid.
22 Hi quatuor nati ſũt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & ſeruorum eius.

### CAP. XXII.

1 LOcutus eſt autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. * & ait:

* Pſal. 17. 2.

2 * Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus.

3 Deus fortis meus ſperabo in eum: ſcutum meũ, & cornu ſalutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: ſaluator meus, de iniquitate liberabis me.

* Pſal. 17. 3-5.

4 * Laudabilem inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

5 Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

6 Funes inferni circumdederunt me: præuenerunt me laquei mortis.

7 In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius.

8 Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis.

9 Aſcendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

10 Inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius:

11 Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: & lapſus eſt ſuper pennas venti.

12 Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: cribrans aquas de nubibus cœlorum.

13 Præ fulgore in conſpectu eius, ſuccenſi ſunt carbones ignis.

14 Tonabit de cœlo Dominus: & excelſus dabit vocem ſuam.

15 Miſit ſagittas, & diſſipauit eos: fulgur, & conſumpſit eos.

16 Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione Domini, ab inſpiratione ſpiritus furoris eius.

17 Miſit de excelſo, & aſſumpſit me: & extraxit me de aquis multis.

Li-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et probris affecit Iſrael, & percuſſit eum Ionathã, filius Simhah fratris Dauid.*
22 *Quattuor iſ nati ſunt ipſi Haraphah in Ghath, & mortui ſunt per manum Dauid, & per manum ſeruorum eius.*

### *CAP. XXII.*

1 *LOcutus eſt autem Dauid Domino verba cantici huius in die qua liberauit Dominus eum de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. * & dixit.*

2 *Dominus petra mea, & arx mea, & liberator meus mihi.*

3 *Deus fortitudo mea, ſperabo in eo: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: ſaluator meus à rapina ſaluum feciſti me.*

4 *Laudabilem inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.*

5 *Circumdederunt me contritiones mortis: torrentes impij terruerunt me.*

6 *Dolores inferi circumdederunt me: præuenerunt me laquei mortis.*

7 *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: & exaudiuit de templo ſuo vocem meam, & clamor meus in aures eius.*

8 *Et commota eſt, & contremuit terra: fundamenta cœli commota ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt ei.*

9 *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis de ore eius deuorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

10 *Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.*

11 *Et equitauit ſuper Cherub, & volauit: & apparuit ſuper pennas venti.*

12 *Et poſuit tenebras in circuitu ſuo tabernacula: colligationem aquarum nubes cœlorum.*

13 *Præ fulgore in conſpectu eius, ſuccenſi ſunt carbones ignis.*

14 *Tonauit de cœlis Dominus: & altiſſimus dedit vocem ſuam.*

15 *Et miſit ſagittas, & diſperſit eos: fulgur, & contriuit eos.*

16 *Et apparuerunt effuſiones maris, reuelata ſunt fundamenta orbis, propter increpationem Domini ab inſpiratione ſpiritus iræ eius.*

17 *Miſit de ſummo, aſſumpſit me: traxit me de aquis multis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et exprobrauit Iſrael, & percuſſit eum Ionathan filius Semei fratris Dauid. 22 Quattuor hi nati ſunt prone
potes gigantum in Geth, ipſi Rapha domus, & ceciderunt in manu Dauid, & in manu ſeruorum eius.

### CAP. XXII.

ET locutus eſt Dauid Domino verba cantici huius, in qua die eripuit eum Dominus de manu omnium ini-
micorum eius, & de manu Saul. 2 Et dixit: CANTICVM. * Domine petra mea, & munitio mea,
& eruens me mihi. 3 Deus meus, cuſtos meus erit mihi, confidens ero in eo: Protector meus, & cornu ſa-
lutis meæ: ſuſceptor meus, & refugium meum ſalutis meæ, de iniquo ſaluabis me. 4 Laudabilem inuocabo
Dominum: & de inimicis meis ſaluabor. 5 Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes
iniquitatis exterruerunt me. 6 Dolores mortis circumdederunt me: præuenerunt me aſperitates mortis.
7 Dum ego tribulor inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo ſuo vocẽ meam,
& vociferatio mea in auribus eius. 8 Et turbata eſt, & concuſſa eſt terra: & fundamenta cœli conturbata
ſunt, & quaſſata ſunt, quoniam indignatus eſt Dominus eis. 9 Aſcendit fumus in ira eius, & ignis de ore
eius vorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo. 10 Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus
eius. 11 Et inſedit ſuper Cherubim, & volauit: & conſpectus eſt ſuper pennas venti. 12 Et poſuit te-
nebras latibulum ſuum in circuitu ſuo tabernaculum ſuum: tenebras aquarum condenſauit in nubibus aeris.
13 A fulgore in conſpectu eius, ſuccenſi ſunt carbones ignis. 14 Intonuit e cœlo Dominus: & altiſſimus dedit
vocem ſuam. 15 Et miſit ſagittas, & diſſipauit eos: & coruſcauit coruſcationem, & exterruit eos. 16 Et
apparuerunt emiſſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis in increpatione Domini, à ſpiratione ſpiritus
furoris eius. 17 Miſit de excelſo, & aſſumpſit me: traxit me de aquis multis.

Eri-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Liberauit me ab inimico meo potentiſſimo, & ab his, qui oderant me: quoniam robuſtiores me erant.

19 Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus eſt Dominus firmamentum meum.

20 Et eduxit me in latitudinem: liberauit me, quia complacui ei.

21 Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

22 Quia cuſtodiui vias Domini, & non egi impie, à Deo meo.

23 Omnia enim iudicia eius in conſpectu meo: & præcepta eius non amoui à me.

24 Et ero perfectus cum eo: & cuſtodiam me ab iniquitate mea.

25 Et reſtituet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum munditiam manuum meaſ, in conſpectu oculorum ſuorum.

26 Cum ſancto ſanctus eris: & cum robuſto perfectus.

27 Cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.

28 Et populum pauperem ſaluum facies: oculiſque tuis excelſos humiliabis.

29 Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.

30 In te enim curram accinctus: in Deo meo tranſiliam murum.

31 Deus, immaculata via eius, eloquiũ Domini igne examinatum: ſcutum eſt omnium ſperantium in ſe.

32 Quis eſt Deus præter Dominum, & quis fortis præter Deum noſtrum?

33 Deus qui accinxit me fortitudine: & complanauit perfectam viam meam.

34 Coæquans pedes meos ceruis, & ſuper excelſa mea ſtatuens me.

*Pſal.143.1. 35 * Docens manus meas ad prælium, & componẽs quaſi arcum æreum brachia mea.

36 Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ: & manſuetudo tua multiplicauit me.

37 Dilatabis greſſus meos ſubtus me: & non deficient tali mei.

38 Perſequar inimicos meos, & conteram: & non conuertar donec conſumam eos.

39 Conſumam eos, & confringam, vt non conſurgant: cadent ſub pedibus meis.

Ac-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et liberauit me ab inimico meo forti, ab odio habentibus me: quoniam robuſtiores erant me.*

19 *Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & fuit Dominus baculus mihi.*

20 *Et eduxit ad latitudinem me: & liberauit me, quoniam complacuit in me.*

21 *Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam ſecundum munditiam manuum mearum reddet mihi.*

22 *Quia cuſtodiui vias Domini, & non impiè egi à Deo meo.*

23 *Quia omnia iudicia eius in conſpectu meo, & ſtatuta eius, non recedam ab eo.*

24 *Et ero perfectus ei: & cuſtodiam me ab iniquitate mea.*

25 *Et reſtituit Dominus mihi ſecundum iuſtitiam meam: ſecundum munditiam meam in conſpectu oculorum eius.*

26 *Cum pio eris pius: cum viro perfecto perfectus eris.*

27 *Cum mundo mundus eris: & cum peruerſo peruerſus eris.*

28 *Et populum pauperem ſaluum facies: & oculos tuos pones ſuper excelſos, humiliabis eos.*

29 *Quia tu es lucerna mea Domine: & Dominus illuminabit tenebras meas.*

30 *In te enim conteram exercitum: in Deo meo tranſiliam murum.*

31 *Deus perfecta via eius, eloquium Domini ſublimatum: ſcutum eſt omnibus ſperantibus in ſe.*

32 *Quoniam quis eſt Deus præter Dominum, & quis fortis præter Deum noſtrum?*

33 *Deus fortitudo mea in exercitu: ſoluit perfectam viam meam.*

34 *Ponens pedes meos tanquam ceruarum, & ſuper excelſa mea ſtatuet me.*

35 *Docens manus meas ad bellum, & contritus eſt arcus æreus brachÿs meis.*

36 *Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ: & in manſuetudine tua multiplicaſti me.*

37 *Dilataſti paſſum meum ſubter me, & non declinauerunt tali mei.*

38 *Perſequar inimicos meos, & diſperdam eos: & nõ reuertar, donec conſumam eos.*

39 *Et conſumam eos, & perfodiam eos, & non ſurgent: & cadent ſub pedibus meis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Eripuit me de inimicis meis fortitudinis, de ijs, qui oderunt me: quoniam confortati fuerant ſuper me.
19 Præuenerunt me dies tribulationis meæ, & factus eſt Dominus firmamentum meum. 20 Et
eduxit me in latitudinem, & eripuit me: quoniam bene ſenſit in me. 21 Et retribuit mihi Do-
minus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.
22 Quoniam cuſtodiui vias Domini, neque impiè egi à Deo meo. 23 Quoniam omnia iudicia eius
in conſpectu meo, & iuſtificationes eius, non diſceſſi ab eis. 24 Et ero immaculatus ei & præcauebo
ab iniquitate mea. 25 Et reddet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem
manuum mearum in conſpectu oculorum eius. 26 Cum ſancto ſanctificaberis: & cum viro per-
fecto perfectus eris. 27 Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.
28 Et populum inopem ſaluabis: & oculos ſuper excelſos, humiliabis. 29 Quoniam tu lucerna mea
Domine: & Dominus illuminabit mihi tenebras meas. 30 Quoniam in te curram accinctus: & in Deo
meo tranſgrediar murum. 31 Fortis immaculata via eius. Verbum Domini potens, igni examinatum,
protector eſt omnibus confidentibus ſuper eum. 32 Quis fortis præter Dominum, & quis creator erit præ-
ter Deum noſtrum? 33 Fortis, confortans me virtute, & explanauit immaculatam viam meam.
34 Ponens pedes meos, tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. 35 Docens manus meas
ad prælium, & confringens arcum æneum in brachio meo. 36 Et dediſti mihi protectionem ſa-
lutis meæ: & placabilitas tua multiplicauit me. 37 In latitudinem in greſſibus meis ſubtus me: & non
vacillarunt crura mea. 38 Perſequar inimicos meos, & delebo eos: & non reuertam.
39 Donec conſummauero eos & confringam eos, & non reſurgent: & cadent ſubtus pedes meos.

Et con-

## Vulgat.Editio.

40 Accinxiſti me fortitudine ad prælium: incurvaſti reſiſtentes mihi ſubtus me.

41 Inimicos meos dediſti mihi dorſum: odientes me,& diſperdam eos.

42 Clamabunt,& non erit qui ſaluet,ad Dominum, & non exaudiet eos.

43 Delebo eos,vt puluerem terræ: quaſi lutum platearum comminuam eos,atque confringam.

44 Saluabis me à contradictionibus populi mei: cuſtodies me in caput Gentium: populus quem ignoro,ſeruiet mihi.

45 Filij alieni reſiſtent mihi, auditu auris obedient mihi.

46 Filij alieni defluxerunt,& contrahentur in anguſtijs ſuis.

47 Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltabitur Deus fortis ſalutis meæ.

48 Deus qui das vindictas mihi, & deijcis populos ſub me.

49 Qui educis me ab inimicis meis,& à reſiſtentibus

* Pſ.17.49. mihi eleuas me: * à viro iniquo liberabis me:

* Ro.15.9. 50 * Propterea confitebor tibi Domine in gentibus: & nomini tuo cantabo.

51 Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius in ſempiternum.

### CAP. XXIII.

1 HÆc autem ſunt verba Dauid nouiſſima. Dixit Dauid filius Iſai: Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſrael:

2 Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.

3 Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt Fortis Iſrael, Dominator hominum, iuſtus dominator in timore Dei:

4 Sicut lux auroræ, Oriente ſole manè abſque nubibus rutilat,& ſicut pluuijs germinat herba de terra.

5 Nec tanta eſt domus mea apud Deum,vt pactum æternum iniret mecum,firmum in omnibus, atq; munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas: nec eſt quidquam ex ea,quod non germinet.

6 Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus.

7 Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ comburentur, vſque ad nihilum.

Hæc

## Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

40 *Et accinxiſti me fortitudine ad prælium: incuruaſti inſurgentes mihi ſubtus me.*

41 *Et inimicos meos dediſti mihi ceruicem: & odio habentes me excidi.*

42 *Aſpicient, & non erit ſeruator, ad Dominum, & non exaudiuit eos.*

43 *Et contundam eos, ſicut puluerem terræ: ſicut lutum platearum comminuam eos,diſtendam eos.*

44 *Et eruiſti me à contradictionibus populorum: cuſtodies me in caput Gentium populus, quem non noui ſeruiet mihi.*

45 *Filij alieni mentiti ſunt mihi, ad auditum auris audient mihi.*

46 *Filij alieni defluent & contremiſcent à clauſuris ſuis.*

47 *Viuit Dominus, & benedictus fortitudo mea, & exaltetur Deus fortitudo ſalutis meæ.*

48 *Deus dans vindictas mihi, & deijciens populos ſub me.*

49 *Et educens me ab inimicis meis, & ab inſurgentibus in me eleuabis me: à viro iniquo liberabis me.*

50 *Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo pſallam.*

51 *Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.*

### CAP. XXIII.

1 *HÆc autem ſunt verba Dauid nouiſſima. Dixit Dauid filius Iſai: & dixit vir, qui conſtitutus eſt excelſus, Chriſtus Dei Iahacob, & dulcis carminibus Iſrael:*

2 *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius fuit ſuper lingua mea.*

3 *Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt Fortis Iſrael, Dominator in hominibus, iuſtus dominator timoris Dei:*

4 *Et ſicut lux matutina orietur ſol, manè abſque nubibus à ſplendore, & à pluuia herba de terra.*

5 *Non enim ſic domus mea cum Deo, quia pactum æternum poſuit mihi diſpoſitum in omnibus, & cuſtoditum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas: quia non germinare faciet.*

6 *Impij autem tanquam ſpina mouentur vniuerſi: quia non manu capient.*

7 *Et vir qui tetigerit eas replebitur ferro, & ligno lanceæ, & igne comburendo comburentur in habitaculo.*

*Illa*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

40 Et confortabis me virtute ad prælium: curuabis eos, qui inſurgunt mihi, ſubtus me. 41 Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, eos, qui odio habent me, & morti tradidiſti eos. 42 Clamabunt, & non eſt adiutor ad Dominum, & non exaudiuit eos. 43 Et contriui eos, tanquam puluerem terræ: tanquam lutum viarum comminui eos. 44 Et erues me de pugna populorum: cuſtodies me in caput Gentium: populus, qué non noui, ſeruierunt mihi. 45 Filij alieni mentiti ſunt mihi, in auditu auris audierunt me. 46 Filij alieni abijcientur, & contremiſcent è clauſuris ſuis. 47 Viuit Dominus, & benedictus cuſtos meus: & exaltabitur Deus meus cuſtos ſalutis meæ. 48 Fortis Dominus, dans vindictas mihi, caſtigās populos ſub me. 49 Et educens me ex inimicis meis, & de inſurgentibus mihi exaltabis me: à viro iniquitatum eripies me. 50 Propter hoc confitebor tibi Domine in gentibus: & in nomine tuo pſallam. 51 Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum.

### CAP. XXIII.

ET hæc verba Dauid vltima. Fidelis Dauid filius Ieſſæ: & fidelis vir, quem ſuſcitauit Dominus in Chriſtum Dei Iacob, & decori pſalmi Iſrael: 2 Spiritus Domini locutus eſt in me, & verbum eius ſuper linguam meam. 3 Dicit Deus Iſrael, mihi locutus eſt cuſtos ex Iſrael parabolam, dixi in homine, quomodo tenebitis timorem Chriſti: 4 Et in luce Dei matutina, exoriatur Sol mane, non Dominus tranſijt à ſplendore, & tanquam ex pluuia viroris à terra. 5 Non enim ſic domus mea cum forti, teſtamentum enim æternum poſuit mihi paratum in omni tempore cuſtoditum. Quoniam vniuerſa ſalus mea, & omnis voluntas: quoniam non germinabit iniquus. 6 Sicut ſpina ciecta omnes hi: quoniam non manu ſumentur, & vir non laborabit in eis. 7 Et pleni ferro, & lignum lanceæ, & in igni combureт, & comburentur confuſionem eorum.

## Vulgat. Editio.

*1. Par. 11. b. 10.*

8 * Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi teneriſſimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.

9 Poſt hunc, Eleazar filius patrui eius Ahohites inter tres fortes, qui erant cum Dauid quando exprobrauerunt Philiſthijm & congregati ſunt illuc in prliũ.

10 Cumque aſcendiſſent viri Iſrael, ipſe ſtetit & percuſſit Philiſthæos donec deficeret manus eius, & obrigeſceret cum gladio: fecitque Dominus ſalutem magnam in die illa: & populus, qui fugerat, reuerſus eſt ad cæſorum ſpolia detrahenda.

11 Et poſt hunc Semma filius Age de Arari: & cõgregati ſunt Philiſthijm in ſtatione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugiſſet populus a facie Philiſthijm,

12 Stetit ille in medio agri, & tuitus eſt eum, percuſſitque Philiſthæos. & fecit Dominus ſaluté magnam.

13 Necnon & ante deſcenderant tres, qui erant principes inter triginta, & venerant tempore meſſis ad Dauid in ſpeluncam Odollam: caſtra autem Philiſthinorum erant poſita in Valle gigantum.

14 Et Dauid erat in præſidio: porro ſtatio Philiſthinorum tunc erat in Bethlehem.

15 Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam.

16 Irruperunt ergo, tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino,

17 Dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorũ, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi.

18 Abiſai quoque frater Ioab filius Saruiæ, princeps erat de tribus: ipſe eſt qui leuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus,

19 Et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, ſed vſque ad tres primos non peruenerat.

20 Et Banaias filius Ioiadæ viri fortiſſimi, magnorũ operum, de Cabſeel ipſe percuſſit duos leones Moab, & ipſe deſcendit, & percuſſit leonem in media ciſterna in diebus niuis.

21 Ipſe quoque interfecit virum Aegyptium, virum dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam: itaque cum deſcendiſſet ad eum in virga, vi extorſit haſtã de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua.

Hæc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Iſta ſunt nomina fortium qui erant ipſi Dauid. Sedens in cathedra ſapiens caput magnorum, ipſe Hadino Heſnita qui occidit octingentos viros vice vna.*

9 *Et poſt eum Elhazar filius Dodo, filij Achochi inter tres fortes cum Dauid quando in Peliſtæos qui congregati erant illic in prælium,*

10 *Et aſcenderunt viri Iſrael, ipſe ſurrexit & percuſſit Peliſtim, donec deficeret manus eius, & adhæreret manus eius gladio. Et fecit Dominus ſalutem magnam in die illa & populus reuerſus eſt poſt eum tãtum ad ſpoliandum.*

11 *Et poſt eum Samma filius Aghe Hararites: & cõgregati ſunt Peliſtim in villa, & erat ibi poſſeſſio campi plena lentis, & populus fugerat à facie Peliſtim.*

12 *Et ſtetit in medio poſſeſſionis, & liberauit eam, & percuſſit Peliſtim, fecitq; Dominus ſalutem magnã.*

13 *Et deſcenderunt tres ex triginta principibus, & venerunt in meſſe ad Dauid ad ſpeluncam Hadullam, & caſtra Peliſtim caſtrametata erant in valle Rephaim.*

14 *Dauid autem tunc erat in præſidio, & præſides Peliſtim, tunc erant in Bethlechem.*

15 *Et deſiderauit Dauid, & ait: Vtinam quiſpiam propinaret mihi aquam de ciſterna Bethlechem, quæ eſt in porta.*

16 *Et irruperunt tres fortes in caſtra Peliſtim, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlechem, quæ erat in porta, & portauerunt, & attulerunt ad Dauid, & noluit bibere eam ſed libauit eam Domino.*

17 *Et dixit. Abſit mihi domine, vt faciam hoc. Num bibam ſanguinem virorum qui abierunt contra animas ſuas? Et noluit bibere eam. Hæc fecerunt tres fortes.*

18 *Abiſai autem frater Ioab filius Seruiah erat princeps trium & ipſe ſuſcitauit lanceam ſuam contra trecentos quos occidit. Et ei erat nomen inter tres.*

19 *Tribus nonne glorioſior erat? Et erat eis princeps, ſed vſque ad tres non peruenit.*

20 *Et Benaiahu filius Iehoiadah, filius viri fortis, magnus operibus, de Cabſeel. Ipſe percuſſit duos fortes vt leones Moab, & ipſe deſcendit & percuſſit leonem in medio ciſterna in die niuis.*

21 *Et ipſe percuſſit virum Aegyptium virum aſpectus, & in manu Aegyptij erat lancea, & deſcendit ad eum in virga, & rapuit lanceam de manu Aegyptij, & interfecit eum lancea ſua.*

*Hæc*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Hæc nomĩa potẽtium Dauid. Iebosthe Chananæus princeps tertij eſt, Adinon Aſonæus: hic eduxit gladium ſuũ ſuper octingentos milites vice vna. 9 Et cum eis Eleanan filius patrui eius, filius Dudi, qui in tribus potentibus cũ Dauid: & cum ipſe exprobraret in alienigenas; congregati ſunt illuc in prælium: 10 Et aſcendit vir Iſrael: ipſe ſurrexit, & percuſſit in alienigenis; quoadusq; defatigata eſt manus eius, & adhæſit manus eius ad gladiũ: Et fecit Dñs ſaluté magnã in die illa: & populus ſedit poſt eum tñ ad ſpoliandũ. 11 Et poſt eum Samaia filius Aſa Aruchæus. Et congregati ſunt alienigenæ in Theria. Et erat ibi pars agri plena lentis. Et populus fugit a facie alienigenarum. 12 Et ſtetit in medio partis: & eripuit eã, & percuſſit alienigenas. Et fecit Dñs ſalutem magnam. 13 Et deſcenderunt tres e triginta, & deſcenderunt in Caſon ad Dauid in ſpeluncam Odollã. Et ordo alienigenarum, & caſtrametati ſunt in valle Rhaphaim. 14 Et Dauid tunc in præſidio: & ſtatio alienigenarum tunc in Bethleem. 15 Et concupiuit Dauid, & dixit: Quis potabit me aqua de ciſterna, quæ in Bethleẽ, quæ in porta? Statio aũt alienigenarum tunc in Bethleem. 16 Et irruperunt tres illi potentes in caſtra alienigenarum, & auſi ſunt aquam de ciſterna quæ in Bethleem, quæ in porta. Et tulerunt, & venerunt ad Dauid. Et noluit bibere eam: & libauit eam Domino, 17 Et dixit: Propitius mihi Dñe a faciendo hoc, ſi ſanguinem virorũ, qui iuerũt in animabus ſuis, bibã? Et noluit bibere eã. Hæc fecerũt tres illi potẽtes. 18 Et Abeſſa frater Ioab filius Saruiæ ipſe princeps in tribus: & ipſe ſuſcitauit lanceã ſuã ſuper trecẽtos cæſos, & ei nomen in ipſis tribus, 19 Ex tribus illis glorioſus: & factus eſt eis in principẽ: & vſq; ad tres nõ venit. 20 Et Banaias filius Iodae vir ipſe multus operibus e Cabeſeel; & ipſe pcuſſit duos filios Ariel ipſius Moab: & ipſe deſcẽdit, & pcuſſit leonẽ ĩ medio ciſternæ in die niuis: 21 ipſe percuſſit virũ Ægyptiũ, virum ſpectabilẽ: in manu autem Ægyptij lancea, tanquam lignũ ſcalæ nauticæ: & deſcendit ad eum in virga, & rapuit lanceam de manu Ægyptij, & occidit eum in lancea eius.

Hæc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ.
23 Et ipſe nominatus inter tres robuſtos, qui erant inter triginta nobiliores: veruntamen vſque ad tres non peruenerat: fecitque eum ſibi Dauid auricularium, à ſecreto.
24 Aſael frater Ioab inter triginta, Elchanam filius patrui eius de Bethlehem,
25 Semma de Harodi, Elica de Harodi,
26 Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,
27 Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Huſati,
28 Selmon Ahohites, Maharai Netophathites,
29 Heled filius Baana, & ipſe Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin.
30 Banaia Pharathonites, Heddai de torrente Gaas,
31 Abialbon Arbathites, Azmaueth de Beromi,
32 Eliaba de Saloboni. Filij Iaſſen, Ionatham,
33 Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites,
34 Eliphelet filius Aasbai filij Machati, Eliam filius Achithophel Gelonites,
35 Heſrai de Carmelo, Pharai de Arbi,
36 Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,
Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger
37 Ioab filij Saruiæ,
38 Ira Iethrites, Gareb, & ipſe Iethrites,
39 Vrias Hethæus. Omnes triginta ſeptem.

### CAP. XXIIII.

*1. Par. 21. 1.

1 ET * addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade, numera Iſrael & Iudam.
2 Dixitque rex ad Ioab principem exercitus ſui: Perambula omnes tribus à Dan vſque Berſabee, & numerare populum, vt ſciam numerum eius.
3 Dixitq; Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc eſt, iterumq; centuplicet in conſpectu domini mei regis: ſed quid ſibi dominus meus rex vult in re huiuſcemodi?
4 Obtinuit autem ſermo regis verba Ioab, & principũ exercitus, egreſſuſq; eſt Ioab, & principes militum à facie regis, vt numerarent populum Iſrael.
5 Cumque pertranſiſſet Iordanem, venerũt in Aroer ad dexteram vrbis, quæ eſt in Valle Gad:
6 & per Iazer tranſierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodſi, & venerunt in Dan ſilueſtria. Circumeunteſque iuxta Sidonem,

Tran-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Hæc fecit Benaiah filius Iehoiadah,*
23 *Et ei erat nomen inter tres fortes, ipſis triginta glorioſior, ſed ad tres non peruenit, & poſuit eum Dauid ad auditum ſuum,*
24 *Haſahel frater Ioab inter triginta. Elchanan filius Dodo de Bethlechem.*
25 *Samma Charodites, Elica Charadites.*
26 *Cheles Paltites, Hira filius Hicches Tecohites.*
27 *Abihezer Hannethothites, Mebunnai Chuſathites.*
28 *Salmon Athochites, Maharai Nethophathites.*
29 *Cheled filius Bahanah Nethophathites, Ithai filius Ribai de Ghibhath filiorum Biniamin.*
30 *Benaiahu Pirhathonites, Hiddai de torrente Ghahas.*
31 *Abihalbon Harbathites, Hazmaueth Barchumites.*
32 *Eliachba Sahalbonites, filij Iaſen Iehonatham.*
33 *Sammah Hararites, Achiam filius Sarar Ararites.*
34 *Elipheleth filius Achasbai filius Mahachathi, Eliham filius Achithophel Ghilonites.*
35 *Cheſrai Charmelites, Paharai Arbites.*
36 *Ighal filius Nathan de Sobah, Bani Gadites.*
*Selec Hammonites, Nacharai Beerothites armiger*
37 *Ioab filij Seruiah.*
38 *Hira Ithrites, Ghareb Ithrites.*
39 *Vrijah Chitthæus: Omnes triginta, & ſeptem.*

### CAP. XXIIII.

1 *ET addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, & concitauit Dauid in eis dicendo. Vade, numera Iſrael, & Iehudah.*
2 *Dixitq; rex ad Ioab principẽ exercitus q erat ſecũ. Diſcurre obſecro p oẽs trib. Iſrael à Dã vſq; Beerſebah, & numerate populũ, vt ſciã numerum populũ.*
3 *Dixitque Ioab ad regẽ: Addat Dominus Deus tuus populo ſicut ſunt, & ſicut ſunt centum vicibus, & oculi Domini mei regis videant. Sed Dominus meus rex, vt quid vult hoc?*
4 *Præualuit autem verbum regis ſuper Ioab, & ſuper principes exercitus: Egreſſuſq; eſt Ioab, & principes exercitus à facie regis, vt numerarẽt populũ Iſrael.*
5 *Et tranſierũt Iarden, & caſtrametati ſunt in Haroher ad dexterã vrbis q eſt in medio torrentis Ghad,*
6 *Et ad Iahazer, & venerunt in Ghilhad, & in terrã Tachteim Chodſi, & venerunt in Dan Iahan, & circa Siden.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Hæc fecit Banæas filius Iodae: 23 & ei nomen in tribus potentibus, ex tribus glorioſus: & ad tres non venit. Et conſtituit eum Dauid ad auditiones ſuas. Et hæc nomina potentium Dauid regis: 24 Aſael frater Ioab, hic in triginta: Eleanam filius Dudi patrui eius in Bethleem: 25 Sæma Rhudæus: 26 Selles Celothi: Iras filius Iſca Thecoites: 27 Achiezer Anothites, ex filijs Anothitæ: 28 Ellon Aoites: Noere Netophatites: Eſthai filius Rhiba de Gabaeth filius Beniamin Ephrathæi: Aſmoth Bardiamites: Emaſu Salabonites: filij Aſan, Ionathan, Samnan Arodites: Amnan filius Arai Saraurites: Aliphaleth filius Aſbitæ, filius Machachi: Eliab filius Achitophel Gelonitæ: Aſatai Carmelius ipſius Vræoerchi: Gaal filius Nathana: Polydynameus filius Galaaddi: Eliè Ammanites: Hadri de torrentibus: Gadabiel filius Arabothæi: Geloré Bethoræus portans vaſa Ioab filius Saruiæ: 38 Iras Ethiræus: Gerab Ethenæus: 39 Vrias Chettæus. omnes triginta, & ſeptem.

### CAP. XXIIII.

ET addidit iram Dominus accendere in Iſrael. Et commouit ipſum Dauid in eis, dicens: Vade, numera Iſrael, & Iudam. 2 Et dixit rex ad Ioab principem virtutis, qui cum eo: Tranſi nunc omnes tribus Iſrael, & Iuda, à Dan, & vſque Berſabee: & recognoſce populum: & ſciam numerum populi. 3 Et dixit Ioab ad regem: Et adijciat Dominus Deus ad populum, ſicut eos, & ſicut eos, centuplum: & oculi domini mei regis videntes. Et dominus meus rex vt quid vult in verbo hoc? 4 Et præualuit verbum regis ad Ioab, & ad principes virtutis. Et egreſſus eſt Ioab, & principes virtutis in conſpectu regis, ad recognoſcendum populum Iſrael. 5 Et tranſierunt Iordãnem, & caſtrametati ſunt in Aroer à dextris ciuitatis, quæ in medio conuallis Gad. 6 & Eliezer. Et venerunt in Galaad, & in terram Thabaſon, quæ eſt Adaſæ: & aduenerunt in Danidan, & Vdan, & circumierunt Sidona.

## Vulgata Editio.

7 Transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Heuei & Chananæi, veneruntque ad meridiem Iuda in Bersabee:

8 Et lustrata vniuersa terra, affuerunt post nouem menses, & viginti dies in Ierusalem.

9 Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.

10 Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis.

11 Surrexit itaque Dauid mane, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & Videntem, Dauid, dicens:

12 Vade & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.

13 Cumque venisset Gad ad Dauid, nunciauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.

* 1.Par.21. 13. Dan.13.23

14 Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: * sed melius est, vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quam in manus hominum.

15 Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum.

16 Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi.

17 Dixitque Dauid ad Dominum cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccaui, ego inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & cōtra domum patris mei.

18 Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et venerunt ad munitionem Tyri, & omnes vrbes Chiuuæi, & Chenahanæi, & egressi sunt ad meridie Iehudah in Beerschebah.*

8 *Et circuierunt omnem terram, & venerunt in fine nouem mensium, & viginti dierum in Ierusalaim.*

9 *Deditque Ioab numerum numerationis populi regi, & fuit Israel octingenta millia virorum fortium euaginantium gladium: & viri Iehudah quingenta millia virorum.*

10 *Percussit autem cor Dauid eum, postquam numerauit populum: dixitque Dauid ad Dominum: Peccaui valdè in eo quod feci: & nunc Domine fac transire quæso iniquitatem serui tui, quia stultè egi valdè.*

11 *Et surrexit Dauid manè, & verbum Domini fuit ad Ghad prophetam Videntem, Dauid, dicendo:*

12 *Vade & loquere ad Dauid: Sic dixit Dominus: Tria offero tibi, elige tibi vnum ex his, & faciam tibi.*

13 *Et venit Ghad ad Dauid & nunciauit ei, dixitque illi: Num vis, vt veniant tibi septem anni famis in terra tua: aut tribus mensibus fugere corā hostibus tuis, & ipse hostis persequatur te: aut quòd sit tribus diebus pestis in terra tua. Nunc cognosce, & vide quale respondeam mittenti me verbum.*

14 *Dixitque Dauid ad Ghad: Angustijs afficior valdè: incidamus obsecro in manum Domini, quia multæ miserationes eius, & in manum hominum ne incidam.*

15 *Et dedit Dominus pestem in Israel à manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt de populo à Dan vsque ad Beerschebah septuaginta millia virorum.*

16 *Et misit manum suam Angelus ad Ierusalaim, vt disperderet eam, & pœnituit Dominum super malo, dixitque Angelo disperdenti populum: Sufficit: nunc quiescere fac manum tuam. Angelus autem Domini erat iuxta aream Araunah Iebusæi.*

17 *Dixitque Dauid ad Dominum cum vidisset Angelum cædentem populum, & dixit: Ecce ego peccaui, & ego iniquè egi: isti autem qui oues sunt, quid fecerunt? veniat, obsecro, manus tua contra me, & cōtra domum patris mei.*

18 *Venit autem Ghad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, erige Domino altare in area Araunah Iebusæi.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et venerunt in Mapsar Tyri, & in omnes ciuitates Euæi, & Chananæi, & venerunt ad Austrum Iuda in Bersa-
bee: 8 Et circumierunt in omni terra, & aduenerunt à fine nouem mensium, & viginti dierum in Hierusalem.
9 Et dedit Ioab numerum recognitionis populi ad regem, & fuit Israel octingenta millia virorum virtutis trahē-
tium gladium: & vir Iuda quingenta millia virorum bellatorum. 10 Et cor Dauid percussit eum, postquā nu-
merauerat populum: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde, quod feci nunc Domine: transfer nunc iniqui-
tatem serui tui, quoniam desipui valde. 11 Et surrexit Dauid manè, & verbum Domini factum est ad Gad pro-
phetam, Videntem, dicens: 12 Vade, & loquere ad Dauid, dicēs: Hæc dicit Dominus: Tria ego porto super te,
& elige tibi vnum ex eis, & faciam tibi. 13 Et intrauit Gad ad Dauid, & annunciauit, & dixit ei: Elige tibi fieri,
si veniat tibi tres annos fames, vel tres menses fugere te ante inimicos tuos, & erunt persequentes te: vel fieri tri-
bus diebus mortem in terra tua. Nunc igitur scito & vide, quod respondeam ei, qui misit me, verbum. 14 Et di-
xit Dauid ad Gad: Angusta mihi vndique valde sunt: incidam nunc in manus Domini, quoniam multæ misera-
tiones eius valde, in manus autem hominis non incidam, & elegit sibi Dauid mortem, & erant dies messis frumē-
torum. 15 Et dedit Dominus mortem in Israel à mane vsque ad horam prandij, & cepit quassatio in populo, &
perierunt de populo à Dan & vsque Bersabee septuaginta millia virorum. 16 Et extendit Angelus Dei manum
suam in Hierusalem ad corrumpendam eam, & reuocauit se Dominus super malo, & dixit Angelo corrumpenti
in populo: Multum nunc: remitte manum tuam. Et Angelus Domini erat apud aream Orna Iebusæi. 17 Et di-
xit Dauid ad Dominum, dum ipse videret Angelum percutientem in populo, & dixit: Ecce ego ipse iniuste egi,
& hi oues quid fecerunt? fiat nunc manus tua in me, & in domo patris mei. 18 Et venit Gad ad Dauid in die
illa, & dixit ei: Ascende & statue Domino altare in area Orna Iebusæi.

Et ascen-

UVA.BSCH

### Vulgat. Editio.

Et aſcendit Dauid iuxta ſermonem Gad, quē præ- r
ceperat ei Dominus. 9
Conſpiciénſque Areuna, animaduertit regem, &
ſeruos eius tranſire ad ſe: 20
Et egreſſus adorauit regem prono vultu in terram,
& ait: Quid cauſæ eſt, vt veniat dominus meus rex 21
ad ſeruum ſuum? Cui Dauid ait: Vt emam à te a-
ream, & ædificem altare Domino, & ceſſet interfe-
ctio, quæ graſſatur in populo.
Et ait Areuna ad Dauid: Accipiat, & offerat do-
minus meus rex, ſicut placet ei: habes boues in ho- 22
locauſtum, & plauſtrum, & iuga boum in vſum li-
gnorum.
Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad
regem: Dominus Deus tuus ſuſcipiat votum tuum. 23
Cui reſpondens rex, ait: Nequaquam vt vis, ſed e-
mam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo 24
holocauſta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & bo-
ues argenti ſiclis quinquaginta.
Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit
holocauſta, & pacifica: & propitiatus eſt Dominus 25
terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.

I. I-

### Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et aſcendit Dauid iuxta verbum Ghad, quemad-*
*modum præceperat Dominus.*
20 *Et reſpexit Araunah, & vidit regem, & ſeruos eius*
*tranſeuntes ad ſe:*
21 *Et egreſſus eſt Araunah, & incuruauit ſe regi ſuper*
*faciem ſuam ſuper terram, dixitque Araunah: Cur*
*venit dominus meus rex ad ſeruum ſuum? Dixitq́;*
*Dauid: Vt emam à te aream, vt ædificem altare Do-*
*mino, & reſtringatur plaga à populo.*
22 *Dixitque Araunah ad Dauid: Accipiat, & offerat*
*dominus meus rex, quod bonum eſt in oculis ſuis: vi-*
*de boues pro holocauſto, & plauſtra, & inſtrumenta*
*boum pro lignis.*
23 *Omnia dedit Araunah regi: dixitque Araunah ad*
*regem: Dominus Deus tuus complaceat tibi.*
24 *Dixitq́; rex ad Araunah: Nequaquam, ſed emendo e-*
*mam eam, emam à te pretio, & non offeram Domino*
*Domino meo holocauſta gratis. Et emit Dauid areã,*
*& boues argento Secbelim quinquaginta.*
25 *Et ædificauit Dauid ibi altare Domino, & obtulit*
*holocauſta, & pacifica: & propitiatus eſt Dominus*
*terræ, & reſtricta eſt plaga ab Iſrael.*

I. I-

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et aſcendit Dauid iuxta verbum Gad, quemadmodum mandauit ei Dominus. 20 Et proſpexit Orna, & vidit regem, & pueros eius accedentes deſuper ſe: 21 Et egreſſus eſt Orna & adorauit regem ſuper faciem ſuam in terram, & dixit Orna: Quid, quod venit dominus meus rex ad ſeruum ſuum? Et dixit Dauid: Acquirere à te aream, ad ædificandum altare Domino, & cohibebitur quaſſatio deſuper populo. 22 Et dixit Orna ad Dauid: Accipiat, & offerat dominus meus rex Domino quod bonum in oculis ipſius: ecce boues in holocauſtoma, & rotæ, & vaſa boum in ligna. 23 Omnia dedit Orna regi: & dixit Orna ad regem: Dominus Deus tuus benedicat te. 24 Et dixit rex ad Orna: Nequaquam: quoniam tantum acquirens acquiram à te in permutatione, & non offeram Domino meo Deo holocauſtoma gratis. Et acquiſiuit Dauid aream, & boues in argento ſiclorum quinquaginta. 25 Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocauſtoſes, & pacificas: & addidit Salomon ad altare in nouiſſimo, quoniam paruum erat in primis, & exaudiuit Dominus terram, & cohibita eſt quaſſatio deſuper Iſrael.

## FINIS LIBRI SECVNDI REGVM.



## LIBRI TERTII
# REGVM.
### Vulgata Editio.

CAPVT PRIMVM.

ET rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis 1
plurimos dies: cumque operiretur veſtibus,
non calefiebat.
Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus domino no- 2
ſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram
rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & cale-
faciat dominum noſtrum regem.
Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in 3
omnibus finibus Iſrael, & inuenerunt Abiſag Suna-
mitidem, & adduxerunt eam ad regem.
Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque 4
cum rege, & miniſtrabat ei, rex vero non cogno-
uit eam.
Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: 5
Ego regnabo. Fecitque ſibi currus, & equites, &
quinquaginta viros, qui currerent ante eum.
Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: 6
Quare hoc feciſti? Erat autem & ipſe pulcher val-
de, ſecundus natu poſt Abſalom.
Et ſermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar 7
ſacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.
Sadoc vero ſacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Na- 8
than propheta, & Semei, & Rei, & robur exercitus
Dauid non erat cum Adonia.
Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & vni- 9
uerſis pinguibus iuxta Lapidem zoheleth, qui erat
vicinus Fonti rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos
filios regis, & omnes viros Iuda ſeruos regis.
Nathan autem prophetam, & Banaiam, & robuſtos 10
quoſque, & Salomonem fratrem ſuum non vocauit.
Dixit itaque Nathan ad Bethſabee matrem Salo- 11
monis: Num audiſti, quòd regnauerit Adonias filius
Haggith, & dominus noſter Dauid hoc ignorat?

Nunc

## LIBRI PRIMI
# MELACHIM.
### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAPVT PRIMVM.

1 *REx autem Dauid ſenuerat, venerat in dies:*
*& operiebant eum veſtibus, & non erat ca-*
*lor ei.*
2 *Dixerunt ei ſerui eius: Quærant domino meo regi*
*puellam virginem, & ſtet coram rege, & eum foueat,*
*& dormiat in ſinu tuo, & calefaciat dominũ meum*
*regem.*
3 *Et quæſierunt puellam pulchram in omni termino*
*Iſrael, & inuenerunt Abiſagh Sunamitem, & ad-*
*duxerunt eam ad regem.*
4 *Puella autem erat pulchra valdè, & regem foue-*
*bat, & miniſtrabat ei, rex autem non cognouit*
*eam.*
5 *Adoniiah autem filius Chagith eleuabatur, dicendo:*
*Ego regnabo. Et fecit ſibi currus, & equites, & quin-*
*quaginta viros currentes ante ſe.*
6 *Et non dolore affecit eum pater ſuus à diebus eius,*
*dicendo: Cur ſic feciſti? Et etiam iſte decorus e-*
*rat forma valdè, & ipſum pepererat Mahachah*
*poſt Abſalom.*
7 *Et fuerunt verba eius cum Ioab filio Seruiah, & cũ*
*Ebiathar ſacerdote, & adiuuabant Adoniiah.*
8 *Sadoc vero ſacerdos, & Benaiahu filius Iehoiadah,*
*& Nathan propheta, & Simhi, & Rehi, & fortes qui*
*erant Dauidi, non erant cum Adoniiahu.*
9 *Et immolauit Adoniiahu oues, & boues, & pinguia*
*iuxta Lapidem Zocheleth, qui erat apud Fontem ro-*
*ghel, & inuitauit omnes fratres ſuos filios regis, &*
*omnes viros Iehudah ſeruos regis.*
10 *Et Nathan prophetam, & Benaiahu, & fortes, &*
*Selomoh fratrem ſuum non inuitauit.*
11 *Dixitque Nathan ad Bathſebah matrem Selomoh,*
*dicendo: Nonne audis, quòd regnet Adoniiahu filius*
*Chagith, & dominus noſter Dauid neſciuit?*

*Et*

## LIBRI TERTII
# REGNORVM.
### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

CAPVT PRIMVM.

ET rex Dauid erat ſenior, prouectus diebus: & operiebant eum veſtibus, & non calefiebat. 2 Et dixe-
runt pueri eius: Quærant regi virginem adoleſcentulam, & aſſiſtet regi, & erit eum fouens, & cubabit cũ
eo, & calefiet dominus meus rex. 3 Et quæſierunt adoleſcentulam pulchram ex omni termino Iſrael,
& inuenerunt Abiſag Somanitem, & adduxerunt eam ad regem. 4 Et adoleſcentula pulchra vſque valdè,
& erat fouens regem, & miniſtrabat ei, & rex non cognouit eam. 5 Et Adonias filius Aggith eleuabatur, di-
cens: Ego regnabo. Et fecit ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros ad currendum ante ſe. 6 Et non pro-
hibuit eum pater eius vnquam, dicens: Propter quid tu feciſti? Et etiam ipſe ſpecioſus aſpectu valdè, & eum pe-
pererat poſt Abeſſalom. 7 Et fuerunt verba eius cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote, & adiuua-
bant poſt Adoniam. 8 Et Sadoc ſacerdos, & Banæas filius Iodae, & Nathan propheta, & Semei, & Rheſi, &
filij potentes Dauid non erant poſt Adoniam. 9 Et ſacrificauit Adonias oues, & vitulos, & agnos cum
Æthe ipſius Zoelethi, qui erat iuxta Rhogel, & vocauit omnes fratres ſuos, & omnes robuſtos Iuda pueros re-
gis. 10 Et Nathan prophetam, & Banæam, & potentes, & Salomon fratrem ſuum non vocauit.
11 Et dixit Nathan ad Berſabee matrem Salomon, dicens: Nonne audiſti, quia regnauit Adonias filius Aggith,
& dominus noſter Dauid non nouit?

Et nunc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Nunc ergo veni,accipe conſilium à me,& ſalua animam tuam,filijque tui Salomonis.

13 Vade,& ingredere ad regem Dauid,& dic ei: Nonne tu domine mi rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? quare ergo regnat Adonias?

14 Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniã poſt te,& complebo ſermones tuos.

15 Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad regem in cubiculum: rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei.

16 Inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit regem. Ad quã rex: Quid tibi,inquit,vis?

17 Quæ reſpondens,ait: Domine mi,tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me,& ipſe ſedebit in ſolio meo.

18 Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.

19 Maſtauit boues,& pinguia quæque, & arietes plurimos,& vocauit omnes filios regis,Abiathar quoque ſacerdotem,& Ioab principem militiæ: Salomonem autem ſeruum tuum non vocauit.

20 Verumtamen domine mi rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael,vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo domine mi rex poſt te.

21 Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.

22 Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

23 Et nunciauerunt regi,dicentes: Adeſt Nathan propheta. Cumque introiſſet in conſpectu regis,& adoraſſet eum pronus in terram:

24 Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum?

25 Quia deſcendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque ſacerdotem: illiſque veſcentibus,& bibentibus coram eo,& dicentibus: viuat rex Adonias:

26 Me ſeruum tuum,& Sadoc ſacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum non vocauit.

27 Numquid à domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei regis poſt eum?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et nunc veni, conſulam tibi obſecro conſilium, & erue animam tuam,& animam filij tui Selomoh.*

13 *Vade,& ingredere ad regem Dauid,& dices ei: Nõne tu nunc,mi rex iuraſti ancillæ tuæ,dicẽdo:Selomoh filius tuus regnaturus eſt poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum? & cur regnauit Adoniiahu?*

14 *Ecce adhuc te loquente ibi cum rege, veniam poſt te, & complebo ſermones tuos.*

15 *Et ingreſſa eſt Bathſebah ad regem in cubiculum: rex autem ſenuerat valdè, & Abiſagh Sunamitis miniſtrabat regi.*

16 *Et inclinauit ſe Bathſebah, & incuruauit ſe regi. Dixitque rex: Quid eſt tibi?*

17 *Dixitque ei: Domine mi, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ,Selomoh filius tuus regnabit poſt me,& ipſe ſedebit ſuper ſolium meum.*

18 *Et nunc ecce Adoniiah regnauit, & nunc domine mi rex neſciſti.*

19 *Et immolauit boues,et pinguia,& pecudes in multitudinem, & inuitauit omnes filios regis, Ebiathar ſacerdotem, & Ioab principem exercitus: Selomoh autem ſeruum tuum non inuitauit.*

20 *Et tu noſti domine mi rex, quòd oculi omnis Iſrael ſuper te ſunt, vt indices eis, quis ſeſſurus ſit ſuper ſolium domini mei regis poſt eum.*

21 *Et erit, cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, ero ego & filius meus Selomoh peccatores.*

22 *Et ecce adhuc ea loquente cum rege Nathan propheta venit.*

23 *Et nunciauerunt regi,dicendo: Ecce Nathan propheta. Et introiuit ante regem, & incuruauit ſe ſuper faciem ſuam ſuper terram.*

24 *Dixitque Nathan: Domine mi rex,tu ne dixiſti: Adoniiahu regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolio meo?*

25 *Deſcendit enim hodie, & immolauit boues, & pinguia,& pecudes in multitudinem,inuitauitque omnes filios regis, & principes exercitus, & Ebiathar ſacerdotem: & ecce ipſi comedunt, & bibunt coram eo,atque dixerunt: viuat rex Adoniiahu.*

26 *Me autem qui ſum ſeruus tuus,& Sadoc ſacerdotẽ, & Benaiahu filium Iehoiadah, & Selomoh ſeruum tuum non inuitauit.*

27 *Num à domino meo rege factum eſt verbum hoc, & non ſcire feciſti ſeruos tuos quis ſeſſurus eſſet ſuper ſolium domini mei regis poſt ſe?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et nunc veni,conſulam tibi quæſo conſilium,& erue animam tuam,& animam filij tui Salomon. 13 Vade,ingredere ad regem Dauid,& dices ad eum,dicens: Nonne tu domine mi rex iuraſti ancillæ tuæ,dicens: Quia
filius tuus Salomon regnabit poſt me,& ipſe ſedebit ſuper thronum meum? &,quid,quod regnauit Adonias?
14 Et ecce adhuc loquente te illic cum rege,& ego ingrediar poſt te,& complebo ſermones tuos. 15 Et intrauit Berſabee ad regem in cubiculum: & rex ſenex valde,& Abiſag Somanites erat miniſtrans regi. 16 Et
inclinauit ſe Berſabee,& adorauit regem. Et dixit rex: Quid eſt tibi? 17 At illa dixit: Domine tu iuraſti in
Domino Deo tuo ancillæ tuæ,dicens: Quia filius tuus Salomon regnabit poſt me, & ſedebit ſuper thronũ meũ.
18 Et nunc ecce Adonias regnauit,& tu domine mi rex non noſti. 19 Et ſacrificauit vitulos,& agnos,& oues
in multitudine,& vocauit omnes filios regis,& Abiathar ſacerdotem,& Ioab principem virtutis: & Salomon ſeruum tuum non vocauit. 20 Et tu domine mi rex,oculi omnis Iſrael ad te, annuncia eis,quis ſedebit ſuper
thronum domini mei regis poſt eum. 21 Et erit poſtquam dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, &
ero ego,& Salomon filius meus peccatores. 22 Et ecce adhuc ea loquente cum rege,& Nathan propheta venit. 23 Et annunciatum eſt regi,ecce Nathan propheta. Et intrauit ad faciem regis, & adorauit regem ſuper
faciem ſuam ſuper terram. 24 Et dixit Nathan: Domine mi rex,tu dixiſti: Adonias regnabit poſt me, & ipſe
ſedebit ſuper thronum meum? 25 Quoniam deſcendit hodie,& ſacrificauit vitulos,& agnos,& oues in multitudine,& vocauit omnes filios regis,& principes virtutis, & Abiathar ſacerdotem: & ecce ſunt comedentes, &
bibentes coram eo,& dixerunt: Viuat rex Adonias. 26 Et meipſum ſeruum tuum, & Sadoc ſacerdotem,&
Banæam filium Iodae,& Salomon ſeruum tuum non vocauit. 27 Si per dominum meum regem factum eſt
verbum hoc,& non feciſti notum ſeruo tuo,quis ſedebit ſuper thronum domini mei regis poſt eum?



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

28 Et reſpondit rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethſabee. Quæ cum fuiſſet ingreſſa coram rege, & ſtetiſſet ante eum:

29 Iurauit rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animã meam de omni anguſtia:

30 Quia ſicut iuraui tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me: ſic faciam hodie.

31 Summiſſoque Bethſabee in terram vultu, adorauit regem, dicens: Viuat dominus meus Dauid in æternum.

32 Dixit quoque rex Dauid: Vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathã prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ. Qui cum ingreſſi fuiſſent coram rege:

33 Dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſeruos domini veſtri, & imponite Salomonem filium meũ ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon.

34 Et vngat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta in regem ſuper Iſrael: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon.

35 Et aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me: illique præcipiam, vt ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Iudam.

36 Et reſpondit Banaias filius Ioiadæ, regi, dicens: Amen: ſic loquatur Dominus domini mei regis.

37 Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium eius à ſolio domini mei regis Dauid.

38 Deſcendit ergo Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis Dauid: & adduxerunt eum in Gihon.

39 Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon.

40 Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.

41 Audiuit autem Adonias, & omnes, qui inuitati fuerant ab eo, iamque conuiuium finitum erat: ſed & Ioab, audita voce tubæ, ait: Quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis?

42 Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar ſacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuncians.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et reſpondit rex Dauid, & dixit: Vocate ad me Bathſebah. Et ingreſſa eſt ante regem, & ſtetit coram rege:*

29 *Et iurauit rex, & dixit: Viuit Dominus, qui redemit animam meam de omni anguſtia:*

30 *Quia quemadmodum iuraui tibi per Dominum Deum Iſrael, dicendo: Quòd filius tuus Selomoh regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me: ſic faciam die hac.*

31 *Et inclinauit ſe Bathſebah ſuper faciem ſuper terram, & incuruauit ſe regi, & dixit: Viuat dominus meus rex Dauid in æternum.*

32 *Dixit autem rex Dauid: Vocate ad me Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Benaiahu filiũ Iehoiadah. Et ingreſſi ſunt ante regem:*

33 *Dixitque rex eis: Tollite vobiſcum ſeruos domini veſtri, & equitare facite Selomoh filium meum ſuper mulam, quæ eſt mihi: & deſcendere facietis eum in Ghichon.*

34 *Et vnget eum ibi Sadoc ſacerdos & Nathan propheta regem ſuper Iſrael: & clangetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Selomoh.*

35 *Et aſcendetis poſt eum & veniet & ſedebit ſuper ſolium meum, & regnabit pro me: & ipſi præcipiam, vt ſit dux ſuper Iſrael & ſuper Iehudah.*

36 *Reſpondit autem Benaiahu filius Iehoiada ad regem, & dixit: Amen: ſic dicat Dominus Deus domini mei regis.*

37 *Quemadmodum fuit Dominus cum domino meo rege, ita ſit cum Selomoh, & magnificet ſolium eius, pluſquam ſolium domini mei regis Dauid.*

38 *Et deſcendit Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta, & Benaiahu filius Iehoiadah, & Cherethi, & Pelethi: & equitare fecerunt Selomoh ſuper mulam regis Dauid, & ire fecerunt eum in Ghichon.*

39 *Tulitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Selomoh: & clanxerunt buccina, dixeruntque omnis populus: Viuat rex Selomoh.*

40 *Et aſcenderunt omnes populus poſt eum, & populus canebat tibijs, & lætabatur lætitia magna, & ſcindebatur terra à voce eorum.*

41 *Audiuit autem Adoniahu, & omnes inuitati, qui erant ſecum, ipſi autem finierant comedere: & audiuit Ioab ſonitum buccinæ, & dixit: Cur vox ciuitatis tumultuantis?*

42 *Adhuc eo loquente: ecce Ionathan filius Ebiathar ſacerdotis venit: dixitque Adoniahu: Ingredere, quia vir fortis es, & bonum nunciabis.*

*Re-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

28 Et reſpondit rex Dauid, & dixit: Vocate mihi Berſabee. Et intrauit coram rege, & ſtetit coram eo.
29 Et iurauit rex, & dixit: Viuit Dominus, qui redemit animam meam ex omni tribulatione: 30 Quia ſicut
iuraui tibi in Domino Deo Iſrael, dicens: Quia Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper thronum meum pro me: quia ſic faciam die hac. 31 Et inclinauit ſe Berſabee ſuper faciem ſuper terram, & adorauit regem, & dixit: Viuat dominus meus rex Dauid in ſæculum. 32 Et dixit rex Dauid: Vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Banæam filium Iodae. Et intrarunt coram rege. 33 Et dixit rex eis:
Sumite ſeruos domini veſtri vobiſcum, & facite aſcendere filium meum Salomon ſuper mulam meam: & deducite eum in ipſam Gion. 34 Et vngat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta in regem ſuper Iſrael: &
clangite cornea, & dicetis: Viuat rex Salomon. 35 Et ſedebit ſuper thronum meum, & regnabit pro me: &
ego mandaui eſſe in Ducem ſuper Iſrael, & Iudam. 36 Et reſpondit Banæas filius Iodae regi & dixit: Fiat: ſic
confirmet Dominus Deus domini mei regis. 37 Sicut fuit Dominus cum domino meo rege, ita ſit cum Salomon, & magnificet thronum eius ſuper thronum domini mei regis Dauid. 38 Et deſcendit Sadoc ſacerdos,
& Nathan propheta, & Banæas filius Iodae, & Cherethi, & Phelethi: & inſidere fecerunt Salomon ſuper mulam
regis Dauid, & adduxerunt eum ad Gion. 39 Et ſumpſit Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomon, & clanxit cornea, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon. 40 Et aſcendit omnis populus poſt eum,
& choræas ducebant in choris, & lætabantur lætitiam magnam, & ſcindebatur terra in voce eorum. 41 Et audiuit Adonias, & omnes inuitati eius, & ipſi conſummauerant manducare: & audiuit Ioab vocem corneæ, & dixit: Quæ nam vox ciuitatis ſonantis? 42 Adhuc eo loquente, & ecce Ionathan filius Abiathar ſacerdotis intrauit: & dixit Adonias: Ingredere, quia vir virtutis es tu, & bona euangeliza.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

43 Reſponditque Ionathas Adoniæ : Nequaquam : Dominus enim noſter rex Dauid regem conſtituit Salomonem :

44 Miſitque cum eo Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt eum ſuper mulam regis.

45 Vnxeruntque eum Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon : & aſcenderunt inde lætantes, & inſonuit ciuitas : hæc eſt vox, quam audiſtis.

46 Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni.

47 Et ingreſſi ſerui regis benedixerunt domino noſtro regi Dauid, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum,& magnificet thronum eius ſuper thronum tuum. Et adorauit rex in lectulo ſuo :

48 Et locutus eſt : Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.

49 Territi ſunt ergo,& ſurrexerunt omnes,qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnuſquiſque in viam ſuam.

50 Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abijt,tenuitque cornu altaris.

51 Et nunciauerunt Salomoni, dicentes : Ecce Adonias timens regem Salomonem,tenuit cornu altaris dicens : Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat ſeruum ſuum gladio.

52 Dixitque Salomon : Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram : ſin autem malum inuentum fuerit in eo,morietur.

53 Miſit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari : & ingreſſus adorauit regem Salomonem : dixitque ei Salomon : Vade in domum tuam.

### CAP. II.

1 APpropinquauerunt autem dies Dauid vt moreretur, præcepitque Salomoni filio ſuo, dicens :

2 Ego ingredior viam vniuerſæ terræ : confortare, & eſto vir.

3 Et obſerua cuſtodias Domini Dei tui,vt ambules in vijs eius, vt cuſtodias ceremonias eius, & præcepta

* Deut. 17. 16 eius, & iudicia, & teſtimonia, * ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi : vt intelligas vniuerſa quæ facis, & quocumque te verteris :

Vt

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

43 *Reſponditque Ionathan,& dixit ad Adoniahu: Profecto dominus noſter rex Dauid regnare fecit Selomoh.*

44 *Et miſit ſecum rex Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Benaiahu filium Ioiadah, & Cherethi, & Peleti, & equitare fecerunt eum ſuper mulam regiam.*

45 *Et vnxerunt eum Sadoc ſacerdos,& Nathan propheta in regem in Gihchon, & aſcenderunt inde lætantes, & tumultuauit ciuitas : hic eſt ſonitus quem audiſtis.*

46 *Et etiam ſedit Selomoh ſuper ſolium regni.*

47 *Et etiam venerunt ſerui regis ad benedicendum domino noſtro regi Dauid dicendo : Benefaciat Deus nomini Selomoh magis quam nomini tuo, & magnificet ſolium eius,magis quam ſolium tuum,& incuruauit ſe rex ſuper lectum.*

48 *Et etiam ſic dixit rex : Benedictus Dominus Deus Iſrael,qui dedit hodie ſedentem ſuper thronum meũ, & oculi mei vident.*

49 *Et territi ſunt,& ſurrexere omnis inuitati,qui erãt cum Adoniahu, & abierunt vnuſquiſque in viam ſuam.*

50 *Adoniahu autem timens à facie Selomoh,ſurrexit, & abijt,& tenuit cornua altaris.*

51 *Et nunciatum eſt Selomoh,dicendo:Ecce Adoniahu timens regem Selomoh,apprehendit cornua altaris dicendo : Iuret mihi hac die rex Selomoh quod non interficiet ſeruum ſuum gladio.*

52 *Dixitque Selomoh: Si fuerit filius virtuoſus,non cadet de capillis eius ſuper terram : ſi vero malum inuentum fuerit in eo,morietur.*

53 *Et miſit rex Selomoh,& deſcendere fecerunt eum ab altari: & venit, & incuruauit ſe regi Selomoh : dixitque Selomoh : Vade in domum tuam.*

### *CAP. II.*

1 *APpropinquauerunt autem dies Dauid, vt moreretur, præcepitque Selomoh filio ſuo, dicendo :*

2 *Ego vado per viam omnis terræ : conforta te, & eſto vir.*

3 *Et cuſtodi cuſtodiam Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, vt cuſtodias decreta eius, & præcepta eius, & iudicia eius, & teſtimonia eius ſicut ſcriptum eſt in lege Moſeh,vt ſecũdes omnia quæ feceris, & omnia ad quæ te verteris.*

*Vt*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

43 Et reſpondit Ionathan,& dixit : Et quidem Dominus noſter rex Dauid regem fecit Salomon,
44 Et miſit rex cum eo Sadoc ſacerdotem,& Nathan prophetam, & Banæam filium Iodae, & Cherethi,& Phe-
lethi,& ſedere eum fecerunt ſuper mulam regis : 45 Et vnxerunt eum Sadoc ſacerdos,& Nathan propheta
in ipſa Gion,& aſcenderunt inde lætantes,& ſonuit ciuitas : Hæc eſt vox,quam audiſtis. 46 Et ſedit Salo-
mon ſuper thronum regni, 47 Et intrarunt ſerui regis ad benedicendum dominum noſtrum regem Dauid
dicentes : Bonum faciat Deus nomen Salomon ſuper nomen tuum, & magnificet thronum eius ſuper thronum
tuum,& adorauit rex ſuper cubile : 48 Et etiam ſic dixit rex : Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit
hodie de ſemine meo ſedentem ſuper thronum meum,& oculi mei aſpiciunt. 49 Et exterriti ſunt omnes
inuitati Adoniæ,& iuerunt vir in viam ſuam. 50 Et Adonias timuit à facie Salomon,& ſurrexit,& abijt,&
apprehendit cornua altaris. 51 Et nunciatum eſt Salomon,dicentes : Ecce Adonias timuit regem Salo-
mon,& tenet corona altaris,dicens : Iuret mihi hodie Salomon,ſi non interficiet ſeruum ſuum in gladio.
52 Et dixit Salomon : Si fuerit in virum virtutis, ſi cadet de capillis eius ſuper terram, & ſi malum inuentum
fuerit in eo,interficietur. 53 Et miſit rex Salomon,& deduxerunt eum deſuper altari,& intrauit, & adora-
uit regem Salomon : & dixit ei Salomon : Vade in domum tuam.

### CAP. II.

ET appropinquarunt dies Dauid,vt ipſe moreretur,& reſpondit Salomon filio ſuo,dicens : 2 Ego qui-
dem vado in via vniuerſæ terræ,& confortaberis, & eris in virum : 3 Et cuſtodies cuſtodiam Domini
Dei tui,ad ambulandum in vijs eius, cuſtodiendo mandata eius, & iuſtificationes, & iudicia, quæ ſcripta ſunt in
lege Moyſi, vt intelligas, quæ facies ſecundum omnia quæcumque mandauero tibi :

Vt ſta-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

4 Vt confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus
eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias ſuas,
& ambulauerint coram me in veritate, in omni cor-
de ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir
de ſolio Iſrael.
5 Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Sar-
uiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael
* Abner filio Ner, & * Amaſæ filio Iether: quos
occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit
cruorem prælij in balteo ſuo, qui erat circa lum-
bos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedi-
bus eius.
6 Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces
canitiem eius pacifice ad inferos.
7 Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam,
eruntque comedentes in menſa tua: * occurrerunt
enim mihi quando fugiebam à facie Abſalom fra-
tris tui.
8 * Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Ie-
mini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione
peſſima, quando ibam ad Caſtra: ſed quia deſcen-
dit mihi in occurſum cum tranſirem Iordanem, &
iuraui ei per dominum, dicens: Non te interficiam
gladio:
9 Tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir autem ſapiens
es, vt ſcias quæ facies ei, deducesque canos eius cum
ſanguine ad inferos.
10 * Dormiuit igitur Dauid cum patribus ſuis, & ſepul
tus eſt in ciuitate Dauid.
11 Dies autem, quibus regnauit Dauid ſuper Iſrael,
quadraginta anni ſunt: in Hebron regnauit ſeptem
annis: in Ieruſalem triginta tribus.
12 Salomon autem ſedit ſuper thronum Dauid patris
ſui, & firmatum eſt regnum eius nimis.
13 Et ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſa-
bee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificus ne
eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit: Pacificus.
14 Addiditque: Sermo mihi eſt ad te. Cui ait: Lo-
quere. Et ille:
15 Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, & me præ
poſuerat omnis Iſrael ſibi in regem: ſed tranſla-
tum eſt regnum, & factum eſt fratris mei: a Domi-
no enim conſtitutum eſt ei.
16 Nunc ergo petitionem vnam precor à te: ne con-
fundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.
17 Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi (neque
enim negare tibi quidquam poteſt) vt det mihi A-
biſag Sunamitidem vxorem.

Et

* 2. Reg. 3. 17. * 2. Reg. 20. 10. * 2. Reg. 19. 31. * 2. Reg. 16. 5. & 19. 19. * Act. 2. 29. 1. Par. 29. 23.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Vt confirmet Dominus verbum ſuum, quod locutus*
*eſt mihi dicendo: Si cuſtodierint filij tui viam ſuā,*
*& ambulauerint coram me in veritate, in toto corde*
*ſuo, & in tota anima ſua, dicendo: Non abſcidetur*
*tibi vir de ſolio Iſrael.*
5 *Et etiam noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Seruiah,*
*& quæ fecerit duobus principibus exercituum Iſ-*
*rael, Abner filio Ner, & Hamaſa filio Iether, quos oc-*
*cidit, & poſuit ſanguines belli in pace, & dedit ſan-*
*guines belli in balteo ſuo qui erat in lumbis ſuis,*
*& in calceamento ſuo, quod erat in pedibus ſuis.*
6 *Facieſque iuxta ſapientiam tuam, & non deſcende-*
*re facies caniciem eius pacifice ad ſepulchrum.*
7 *Filijs autem Barzillai Ghilhadita facies miſericor-*
*diam, & erunt inter comedentes menſæ tuæ quia ſic ac-*
*ceſſerunt ad me dum fugerem à facie Abſalom fra-*
*tris tui.*
8 *Et ecce tecum eſt Simhi filius Ghera filij Iemini de*
*Bachurim qui maledixit mihi maledictione vehe-*
*menti in die qua pergebam ad Machanaim & ipſe*
*deſcendit in occurſum meum ad Iarden, & iuraui ei*
*per Dominum, dicendo: Non mori faciam te gla-*
*dio.*
9 *Et nunc ne innocentem dimittas, quia vir ſapiens es*
*& noſti quæ facias ei, & deſcendere facies caniciem*
*eius cum ſanguine ad ſepulchrum.*
10 *Et dormiuit Dauid cum patribus ſuis, & ſepultus*
*eſt in ciuitate Dauid.*
11 *Dies autem quibus regnauit ſuper Iſrael fuere qua*
*draginta anni: in Chebron regnauit ſeptem annis,*
*& Ieruſalaim regnauit triginta & tribus annis.*
12 *Selomoh autem ſedit ſuper ſolium Dauid patris ſui,*
*& firmatum eſt regnum eius valde.*
13 *Venit autem Adoniahu filius Chaggith ad Bethſe-*
*bah matrem Selomoh, & dixit Bathſebah: Num pa-*
*cificus eſt ingreſſus tuus? Dixitque: Pacificus.*
14 *Et ait: Verbum mihi eſt ad te: Et dixit: Loque-*
*re: Et dixit:*
15 *Tu noſti quia meum erat regnum, & ſuper me po-*
*ſuerant omnis Iſrael facies ſuas, vt regnarem, &*
*verſum eſt regnum, & fuit fratri meo: à Domino*
*enim fuerat ei.*
16 *Et nunc petitionem vnam poſtulo à te: ne auertere*
*facias faciem meam: Et dixit ad eum: Loquere.*
17 *Et dixit: Dic obſecro Selomoh regi: (non enim auer-*
*tere faciet faciem tuam) vt det mihi Abiſag Su-*
*namitem vxorem.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Vt ſtabiliat Dominus verbum ſuum, quod locutus eſt, dicens: Si cuſtodierint filij tui viam ſuam ad ambulandum coram me in veritate, in toto corde ſuo, dicens: Non exterminabitur tibi vir deſuper throno Iſrael. 5 Et etiam tu noſti, quæcumque fecit mihi Ioab filius Saruiæ, quæcumque fecit duobus principibus virtutum Iſrael, Abenner filio Ner, & Ameſſai filio Iether, & interfecit eos, & poſuit ſanguines belli in pace, & dedit ſanguinem innocentem in zona ſua, quæ in lumbo ſuo, & in calceamento ſuo, quod in pede ſuo. 6 Et facies ſecundum ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius in pace ad infernum. 7 Et filijs Berzelli Galaaditæ facies miſericordiam, & erunt in comedentibus menſam tuam, quoniam ſic appropinquarunt mihi in fugiendo me a facie Abeſſalom fratris tui. 8 Et ecce tecum Semei filius Gera filius Iemeni e Bauirim, & ipſe maledixit me maledictionem acerbam die, qua ibam in caſtra: & ipſe deſcendit in occurſum meum in Iordanem, & iuraui ei in Domino dicens: Si interficiam te in gladio. 9 Et non iuſtificabis eum, quoniam vir ſapiens es tu, & cognoſces, quæ facies ei, & deduces canitiem eius in ſanguine ad infernum. 10 Et dormiuit Dauid cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid. 11 Et dies, quibus regnauit Dauid ſuper Iſrael, quadraginta anni, in Chebron regnauit ſeptem annos, & in Hieruſalem triginta tres annos. 12 Et Salomon ſedit ſuper thronum Dauid patris ſui, & paratum fuit regnum eius valde. 13 Et intrauit Adonias filius Aggith ad Berſabee matrem Salomon, & adorauit eam. At illa dixit: Pax introitus tuus? Et dixit: Pax. 14 Verbum mihi ad te, & dixit ei: Loquere Et dixit ad eam: 15 Tu noſti, quia mihi erat regnum, & ſuper me poſuerat omnis Iſrael faciem ſuam in regem, & verſum fuit regnum, & factum eſt fratri meo, quoniam a Domino factum eſt ei
16 Et nunc petitionem vnam peto à te, ne auertas faciem tuam, & dixit ei Berſabee: Loquere. Et dixit ad eam:
17 Dic nunc ad Salomon regem, quia non auertet faciem tuam à te, & dabit mihi Abiſag Somanitem in vxorē.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Et ait Bethſabee: Bene, ego loquar pro te regi.

19 Venit ergo Bethſabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & ſurrexit rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitusque eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexteram eius.

20 Dixitque ei: Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam.

21 Quæ ait: Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.

22 Reſponditque rex Salomon, & dixit matri ſuæ: Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? poſtula ei & regnum: ipſe eſt enim frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab filium Saruiæ.

23 Iurauit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animã ſuam locutus eſt Adonias verbũ hoc.

24 Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie occidetur Adonias.

25 Miſitque rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt.

26 Abiathar quoque ſacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.

27 Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet ſacerdos Domini, * vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.

* 1. Reg. 2. 31

28 Venit autem nuncius ad Ioab, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

29 Nunciatumque eſt regi Salomoni, quod fugiſſet Ioab in tabernaculum Domini, & eſſet iuxta altare: miſitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum.

30 Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, ſed hic moriar. Renunciauit Banaias regi ſermonem, dicens: Hæc locutus eſt Ioab, & hæc reſpondit mihi.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Dixitque Bathſebah: Bene ego loquar pro te ad regem.*

19 *Et venit Bathſebah ad regem Selomoh, vt loqueretur ei pro Adoniiahu: & ſurrexit rex in occurſum eius, & incuruauit ſe ei, & ſedit ſuper ſolium ſuum, & poſuit ſolium matri regis, & ſedit ad dexteram eius.*

20 *Et ait: Petitionem vnam paruam ego peto à te, ne auertere facias faciem meam: Dixitque rex: Pete mater mea: non enim auertere faciam faciem tuam.*

21 *Et ait: Detur Abiſagh Sunamitis Adoniiahu fratri tuo vxor.*

22 *Et reſpondit rex Selomoh, & dixit matri ſuæ: Et quare tu poſtulas Abiſagh Sunamitem, pro Adoniiahu? pete pro eo regnum: ipſe enim frater meus maior eſt, & ei eſt Abiathar ſacerdos, & Ioab filius Seruiah.*

23 *Et iurauit rex Selomoh per Dominum, dicendo: Sic faciat mihi Deus, & ſic addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adoniiahu verbum hoc.*

24 *Et nunc viuit Dominus qui firmauit me, & ſedere fecit me ſuper thronum Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie morietur Adoniiahu.*

25 *Et miſit rex Selomoh per manum Benaiahu filij Iehoiadah, & interfecit eum, & mortuus eſt.*

26 *Et ad Ebiathar ſacerdotem dixit rex: In Hanathoth vade ad agrum tuum, quia vir obnoxius morti es: & in die hac non interficiam te, quia portaſti arcam Domini Dei ante Dauid patrẽ meũ, & quia aſſlictus fuiſti i omnibus in quibus aſſlictus fuit pater meus.*

27 *Et eiecit Selomoh Ebiathar, ne eſſet ſacerdos Domini, vt impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat ſuper domum Heli in Siloh.*

28 *Et fama venit vſque ad Ioab, quia Ioab declinauerat poſt Adoniiahu, & poſt Abſalom non declinauerat, & fugit Ioab ad tabernaculum Domini, & apprehendit cornua altaris.*

29 *Et nunciatum eſt regi Selomoh, quod fugiſſet Ioab ad tabernaculum Domini, & ecce eſt apud altare: miſitque Selomoh Benaiahu filium Iehoiadah dicendo: Vade interfice eum.*

30 *Et venit Benaiahu ad tabernaculum Domini, dixitque ad eum: Sic dixit rex: Egredere. Et dixit: Nequaquam, ſed hic moriar, & retulit Benaiahu regi verbum, dicendo: Sic locutus eſt Ioab, & ſic reſpondit mihi.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et dixit Berſabee: Recte. Ego loquar pro te regi. 19 Et intrauit Berſabee ad regẽ Salomon ad loquendum ei pro Adonia, & exurrexit rex in obuiam ei, & oſculatus eſt eã, & ſedit ſuper thronum, & poſitus eſt thronus matri regis, & ſedit à dextris eius. 20 Et dixit ei: Petitionem vnam paruam ego peto à te, ne auferas faciẽ meam, & dixit ei rex: Pete mr̃ mea, & non auertã te. 21 Et dixit: Detur, quæſo, Abiſag Somanites Adoniæ fratri tuo in vxorẽ. 22 Et rñdit rex Salomon, & dixit mři ſuæ: Et vt quid tu petiſti Abiſag Adoniæ? Et pete ei regnũ, qm̃ hic frater meus magnus ſuper me, & ei Abiathar ſacerdos, & ei Ioab filius Saruiæ princeps militiæ amicus. 23 Et iurauit rex Salomon per dñm, dicens: Hæc vero faciat mihi Deus, & hæc adijciat, qm̃ contra aĩam ſuam locutus eſt Adonias verbũ hoc. 24 Et nunc viuit Dñs, qui parauit me, & poſuit me ſuper thronũ Dauid patris mei, & ipſe fecit mihi domũ, ſicut locutus eſt Dñs, quia hodie occidetur Adonias. 25 Et miſit rex Salomon in manu Banææ filij Iodae, & ſuſtulit illũ, & mortuus eſt Adonias in die illa. 26 Et Abiathar ſacerdoti dixit rex: Recurre in Anathoth in agrũ tuũ, qm̃ vir mortis es tu in die hac, & nõ interficiã te, quia portaſti arcã teſtamẽti Dñi corã pr̃e meo, & quia afflictus fuiſti oĩbus, in quibus afflictus eſt pr̃ meus. 27 Et eiecit Salomõ Abiathar, ne eſſet ſacerdos Dñi, ad implendũ verbũ Dñi, q̃ locutus eſt ſuper domũ Heli in Selõ. 28 Et rumor venit vſque ad Ioab filiũ Saruiæ, qm̃ fuerat inclinans poſt Adoniã, & poſt Salomon non inclinauerat, & fugit Ioab in tabernaculũ Dñi, & tenuit cornua altaris. 29 Et nunciatũ eſt Salomõ, dicentes: Quia fugit Ioab in tabernaculũ Dñi, & ecce tenet cornua altaris, & miſit Salomõ rex ad Ioab, dicens: Quid factũ eſt tibi, quia fugiſti ad altare? & dixit Ioab: Qm̃ timui à facie tua, & fugi ad Dñm, & miſit Salomon ipſũ Banææ filiũ Iodae, dicens: Vade, & tolle eũ, & ſepeli eũ 30 Et venit Banæas filius Iodae ad Ioab in tabernaculũ teſtimonij, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Et dixit Ioab: Nõ egrediar, qm̃ hic moriar, & reuertit Banæas filius Iodae, & dixit regi, dicẽs: Hæc locutus ẽ Ioab, & hęc rñdit mihi.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

31 Dixitque ei rex: Fac ſicut locutus eſt: & interfice eum, & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me, & à domo patris mei.

32 Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius quia interfecit duos viros iuſtos, melioreſque ſe: & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante, * Abner filium Ner principem militiæ Iſrael, & * Amaſam filium Iether principem exercitus Iuda:

a 2. Reg. 3. 27. * 2. Reg. 20. 9.

33 Et reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab, & in caput ſeminis eius in ſempiternum. Dauid autem & ſemini eius, & domui, & throno illius ſit pax vſque in æternum à Domino.

34 Aſcendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggreſſus eum interfecit: ſepultuſque eſt in domo ſua in deſerto.

35 Et conſtituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo ſuper exercitum, & Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abiathar.

36 Miſit quoque rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc, atque illuc.

37 Quacumque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron ſcito te interficiendum: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum.

38 Dixitque Semei regi: Bonus ſermo, ſicut locutus eſt dominus meus rex, ſic faciet ſeruus tuus. Habitauit itaque Semei in Ieruſalem diebus multis.

39 Factum eſt autem poſt annos tres vt fugerent ſerui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nunciatumque eſt Semei quod ſerui eius iſſent in Geth.

40 Et ſurrexit Semei, & ſtrauit aſinum ſuum: iuitque ad Achis in Geth ad requirendum ſeruos ſuos, & adduxit eos de Geth.

41 Nunciatum eſt autem Salomoni quod iſſet Semei in Geth de Ieruſalem, & rediſſet.

42 Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Non ne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacumque die egreſſus, ieris huc & illuc, ſcito te eſſe moriturum? Et reſpondiſti mihi: Bonus ſermo, quem audiui:

43 Quare ergo non cuſtodiſti iuſiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

31 *Dixitque ei rex: Fac ſicut locutus eſt, & interfice eum, & ſepelies eum, & remouebis ſanguines gratis quos effudit Ioab à me, & à domo patris mei.*

32 *Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius, quia aggreſſus eſt duos viros iuſtiores, & meliores ſe: & occidit eos gladio, & pater meus Dauid neſciuit: Abner videlicet filium Ner principem exercitus Iſrael, & Hamaſa filium Iether principem militia Iehudah.*

33 *Et reuertentur ſanguines eorum in caput Ioab, & in caput ſeminis eius in æternum: Dauid autem & ſemini eius, & domui eius, & throno eius ſit pax vſque in ſæculum à Domino.*

34 *Et aſcendit Benaiahu filius Ioiadah, & aggreſſus eſt eum, & interfecit eum: ſepultuſque eſt in domo ſua in deſerto.*

35 *Et poſuit rex Benaiahu filium Ioiadah pro eo ſuper exercitum, & Sadoc ſacerdotem poſuit rex pro Ebiathar.*

36 *Et miſit rex, & vocauit Simhi: Dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalaim & habitabis ibi: & non egredieris inde huc, & illuc.*

37 *Et erit in die qua egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Chidron, ſciendo ſcias quod moriendo morieris: ſanguis tuus erit in caput tuum.*

38 *Dixitque Simhi ad regem: Bonum eſt verbum, ſicut locutus eſt dominus meus rex, ſic faciet ſeruus tuus: Et manſit Simhi in Ieruſalaim diebus multis.*

39 *Et fuit, in fine trium annorum fugerunt duo ſerui Simhi ad Achis filium Mahachah regem Ghath, & nunciauerunt Simhi dicendo: Ecce ſerui tui ſunt in Ghath.*

40 *Et ſurrexit Simhi, & ſtrauit aſinum ſuum, & abijt in Ghath ad Achis, vt quæreret ſeruos ſuos, & abijt Simhi, & adduxit ſeruos ſuos de Ghath.*

41 *Nunciatum eſt autem Selomoh quod iuiſſet Simhi de Ieruſalaim in Ghath, & reuerſus eſſet.*

42 *Et miſit rex, & vocauit Simhi, dixitque ad eum: Nonne iuraui tibi per Dominum, & teſtificatus ſum tibi dicẽdo, in die qua egreſſus fueris, & abieris huc, & illuc, ſciendo ſcias quod moriendo morieris: Et dixiſti mihi bonum eſt verbum quod audiui?*

43 *Et quare non cuſtodiſti iuſiurandum Domini, & præceptum quod præcepi tibi?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

31 Et dixit ei rex: Vade, & fac ei ſicut dixit, & tolle eum, & ſepelies eum, & amouebis hodie ſanguinem, quem gratis effudit, à me, & à domo patris mei. 32 Et reuerti fecit Dominus ſanguinem iniuſtitiæ eius in caput eius, quia occurrit duobus hominibus iuſtis, & bonis ſuper eum, & interfecit eos in gladio, (& pater meus ignorauit ſanguinem eorum.) Abenner filium Ner ducem militiæ Iſrael, & Ameſſa filium Iether ducem militiæ Iuda. 33 Et reuerſi ſunt ſanguines eorum in caput eius, & in caput ſeminis tui in ſæculum. & Dauid, & ſemini eius, & domui eius & throno eius fiat pax vſque in ſeculum a Domino. 34 Et aſcendit Banæas filius Iodae, & occurrit ei, & interfecit eum, & ſepeliuit eum in domo eius in deſerto. 35 Et dedit rex ipſum Banæu filium Iodae pro eo ſuper exercitum, & regnum dirigebatur in Hieruſalem, & Sadoc ſacerdotem dedit eum rex in ſacerdoté primum pro Abiathar. * 36 Et vocauit rex Semei, & dixit ei: Ædifica tibi domum in Hieruſalem, & ſede ibi, & non egredieris inde vſque. 37 Et erit in die exitus tui, & tranſieris torrentem Cedron, cognoſcens cognoſces, quia morte morieris ſanguis tuus erit ſuper caput tuũ, & adiurauit eũ rex in die illa. 38 Et dixit Semei ad regem: Bonum eſt verbum quod locutus es domine mi rex, ſic faciet ſeruus tuus, & ſedit Semei in Hieruſalem tres annos. 39 Et factum eſt poſt tres annos, & aufugerunt duo ſerui Semei ad Anchus filium Maacha regem Geth, & annunciatum eſt Semei dicentes: Ecce ſerui tui in Geth: 40 Et ſurrexit Semei, & inſtrauit aſinum ſuum, & iuit in Geth ad Anchus ad exquirendum ſeruos ſuos, & iuit Semei, & duxit ſeruos ſuos e Geth. 41 Et nunciatum eſt Salomon dicentes: Quia iuit Semei de Hieruſalem in Geth, & reduxit ſeruos ſuos. 42 Et miſit rex, & vocauit Semei, & dixit ad eum: Nonne adiuraui te per Dominum, & conteſtatus ſum tibi dicens: In quacumque die exieris de Hieruſalem, & ieris in dextra, vel ſiniſtra cognoſcent cognoſces, quia morte morieris. 43 Et quid non cuſtodiſti iuramentum Domini, & mandatum, quod mandaui contra te?

Hæc quæ hic ponũtur a n. 36. vſque ad fin. cap. in Bibl. Sep. Rom. hic c. ſeq. poſt num. notato aſteriſco.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Dixitque rex ad Semei: Tu noſti omne malum, cu- 44
ius tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti Dauid
patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in
caput tuum.
Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid 45
erit ſtabilis coram Domino vſque in ſempiter-
num.
Iuſſit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ: qui egreſſus, 46
percuſſit eum, & mortuus eſt.

### CAP. III.

1 Par. 1. 1.

COnfirmatum eſt igitur regnum in manu Salo- 1
monis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni re-
gi Ægypti: accepit namque filiam eius, & adduxit
in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans do-
mum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſa-
lem per circuitum.
Attamen populus immolabat in excelſis: non enim 2
ædificatum erat templum nomini Domini vſque in
diem illum.
Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in 3
præceptis Dauid patris ſui, excepto quod in excelſis
immolabat & accendebat thymiama.
Abijt itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud 4
quippe erat excelſum maximum: mille hoſtias in
holocauſtum obtulit Salomon ſuper altare illud in
Gabaon.
Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium 5
nocte, dicens: Poſtula quod vis vt dem tibi.
Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid 6
patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit
in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto cor-
de tecum: cuſtodiſti ei miſericordiam tuam gran-
dem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum
eius, ſicut eſt hodie.
Et nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſeruum 7
tuum pro Dauid patre meo: ego autem ſum puer
paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum
meum.
Et ſeruus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, 8
populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt
præ multitudine.

* 2. Par. 1. 10.

* Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuũ 9
iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malũ,
quis enim poterit iudicare populum iſtum, popu-
lum tuum hunc multum?

Pla-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

44 Dixitque rex ad Simhi: Tu noſti omne malum,
quod nouit cor tuum, quod feciſti Dauid patri meo:
Reddidit autem Dominus malum tuum in caput
tuum.
45 Et rex Selomoh benedictus, & thronus Dauid ſit
ſtabilis coram Domino vſque in ſæculum.
45 Et præcepit rex Benaiahu filio Ioiadah, & egreſſus
eſt, & interfecit eum, & mortuus eſt.

### CAP. III.

1 *ET regnum confirmatum eſt in manu Selo-
moh, * & affinitate coniunctus Selomoh Pa-
rhoh regi Ægypti, & accepit filiã Parhoh, & adduxit
eam in ciuitatem Dauid, donec finiret ædificare do-
mum ſuam, & domum Domini & murum Ieruſa-
laim per circuitum.
2 Attamen populus immolabat in excelſis, quia non
erat ædificata domus nomini Domini vſque ad dies
illos.
3 Dilexit autem Selomoh Dominum, ambulando in
præceptis Dauid patris ſui, tantum in excelſis im-
molabat, & ſuffiebat.
4 Et iuit rex in Ghibhon, vt immolaret ibi, quia ip-
ſum erat excelſum magnum: mille holocauſta obtu-
lit Selomoh ſuper altare illud.
5 In Ghibhon viſus eſt Dominus Selomoh in ſomnis
noctis: dixitq; Deus: Poſtula quid vis, et dabo tibi.
6 Dixitque Selomoh: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid
patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit
coram te in veritate, & in iuſtitia, & in rectitudi-
ne cordis tecum, & cuſtodiſti miſericordiam ma-
gnam iſtam: & dediſti ei filium ſedentem ſuper thro
num eius ſecundum diem hanc.
7 Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti me ſeruum
tuum pro Dauid patre meo: ego autem ſum puer
paruus, non ſcio egredi, & ingredi.
8 Et ſeruus tuus eſt in medio populi tui, quem elegi-
ſti, populi multi, qui non numerabitur nec ſupputa-
bitur præ multitudine.
9 Dabiſque ſeruo tuo cor intelligens vt iudicet popu-
lum tuum, vt diſcernat inter bonum & malum:
quis enim poterit iudicare populum tuum grauem
iſtum?

Quæ duobus aſteriſ. clauduntur, in tranſlat. Sanct. Pag. habẽt ſu. ſuperio ra cap.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

44 Et dixit rex ad Semei: Tu noſti omne malum tuum, quod nouit cor tuum quæ feciſti Dauid patri meo, &
retribuit Dominus malum tuum in caput tuum. 45 Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit
paratus coram Domino in ſæculum. 46 Et mandauit rex Salomon Banææ filio Iodae & egreſſus eſt, & ſu-
ſtulit illum.

### CAP. III.

*ET Salomon filius Dauid regnauit ſuper Iſrael, & Iuda in Hieruſalem, * & accepit filiam Pharaonis, &
introduxit eam in ciuitatem Dauid, quoaduſq; ipſe conſummaſſet ædificare domũ ſuam, & domum Dñi in
primis, & murum Hieruſalem in circuitu. 2 Veruntamen populus erant adolentes in excelſis, quoniam non
erat ædificata domus Domino vſque nunc. 3 Et dilexit Salomon Dominum, eundo in præceptis Dauid pa-
tris ſui: Tantummodo in excelſis ſacrificabat, & adolebat. 4 Et ſurrexit, & iuit in Gabaon ad ſacrificandum
ibi, quoniam ipſum erat excelſiſſimum, & magnum: Millenariam holocauſtoſim obtulit Salomon ſuper altare in
Gabaon. 5 Et apparuit Dominus ipſi Salomon in ſomno nocte, & dixit Dominus ad Salomon: Pete ali-
quam petitionem tibi. 6 Et dixit Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam ma-
gnam, ſicut tranſiuit coram te in veritate, & in iuſtitia, & in rectitudine cordis tecum, & cuſtodiſti ei miſericor-
diam magnam hanc, dare filium eius ſuper thronum eius, ſicut dies hęc. 7 Et nunc Domine Deus meus tu
dediſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo, & ego ſum puer paruus, & non noui exitum meum, & introitum
meum. 8 Seruus autem tuus in medio populi tui, quem elegiſti populum multum, qui non numerabitur.
9 Et dabis ſeruo tuo cor ad audiendum, & diiudicandum populum tuum in iuſtitia, & ad intelligendum inter
bonum, & malum, quoniam quis poterit iudicare populum tuum grauem hunc?

Hæc quæ in princi. cap. aſteriſ clauduntur & vſq; quo dam mo do tradere [illegible] in tranſlat. Sept. Ea hic c. ſuperiori poſt an. 35. loco narrate aſſertiſq; & in hoc c. repetun tur hic.

Vt pla-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

10 Placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomõ poſtulaſſet huiuſcemodi rem.

11 Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium:

12 Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.

13 * Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retro diebus.

*Sap.7.11 Matt.6.33.

14 Si autẽ ambulaueris in vijs meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.

15 Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod eſſet ſomnium: cumque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuerſis famulis ſuis.

16 Tunc venerũt duæ mulieres meretrices ad regem, ſteteruntque coram eo,

17 Quarum vna ait: Obſecro mi Domine: ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo:

18 Tertia autem die poſt quam ego peperi, peperit & hæc, & eramus ſimul, nulluſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus.

19 Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppreſſit eum.

20 Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filiũ meum de latere meo ancillæ tuæ dormiẽtis, & collocauit in ſinu ſuo: ſuum autem filiũ, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo.

21 Cumque ſurrexiſſem mane vt darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum quem genueram.

22 Reſponditque altera mulier: Non eſt ita vt dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modũ contendebant coram rege.

23 Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondit: Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit.

24 Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coram rege,

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct.

10 *Et placuit verbum in oculis Domini, quod poſtulauerit Selomoh hoc*

11 *Dixitque Deus ad eum. Pro eo quòd poſtulaſti hoc, & non poſtulaſti tibi dies multos, nec poſtulaſti tibi diuitias, neque poſtulaſti animam inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi intelligentiam ad audiendum iudicium.*

12 *Ecce feci iuxta verba tua, ecce dedi tibi cor ſapiens, & intelligens vt ſimilis tibi non fuerit ante te nec poſt te ſurrecturus ſit ſimilis tibi.*

13 *Et etiam quod non poſtulaſti dedi tibi, etiam diuitias, etiam gloriam vt non fuerit ſimilis tibi quiſquam inter reges omnibus diebus tuis.*

14 *Et ſi ambulaueris in vijs meis, vt cuſtodias decreta mea, & præcepta mea, ſicut ambulauit Dauid pater tuus, longos faciam dies tuos.*

15 *Et euigilauit Selomoh, & ecce ſomnium: & venit in Ieruſalaim, & ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, fecitque pacifica, & fecit conuiuium vniuerſis famulis ſuis.*

16 *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, & ſteterunt coram eo.*

17 *Dixitque mulier vna. Obſecro Domine mi: Ego & mulier iſta habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in domo.*

18 *Et fuit, die tertia qua peperi, peperit etiam mulier hæc, & eramus pariter: non erat alienus nobiſcum in domo præter nos duas in domo.*

19 *Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte: quia dormiebat ſuper eum.*

20 *Et ſurrexit media nocte, & tulit filium meum, qui erat apud me. (Ancilla autem tua dormiebat.) & requieſcere fecit eum in ſinu ſuo.*

21 *Et ſurrexi mane, vt darẽ lac filio meo, & ecce mortuus erat. Et conſideraui eum mane, & ecce non erat filius meus, quem pepereram.*

22 *Dixitque mulier altera. Nequaquã, ſed filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Hæc autem dicebat. Non, ſed filius tuus mortuus eſt, & filius meus viuit. Et loquebantur coram rege.*

23 *Dixitque rex: Hæc dicit: Hic eſt filius meus qui viuit, & filius tuus mortuus. Et hæc dicit. Nequaquã, ſed filius tuus mortuus eſt, & filius meus viuus.*

24 *Dixitque rex Afferte gladium. Et attulerunt gladium coram rege.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et placuit coram Domino, quia petierat Salomon verbum hoc. 11 Et dixit Dominus ad eum:
Pro eo, quod petijſti à me verbum hoc, & non petijſti tibi dies multos, & non petijſti diuitias, neque petijſti animas inimicorum tuorum, ſed petijſti tibi intelligere ad exaudiendum iudicium; 12 ecce feci
iuxta verbum tuum. Ecce dedi tibi cor prudens: & ſapiens: ſicut tu, non fuit ante te: & poſt te non exurget
ſimilis tibi. 13 Et quæ non petijſti, dedi tibi, & diuitias, & gloriam; ita vt non fuerit vir ſimilis tibi in regibus.
14 Et, ſi ambulaueris in via mea cuſtodiendo mandata mea, & præcepta mea, ſicut ambulauit Dauid pater tuus;
& multiplicabo dies tuos. 15 Et expergefactus eſt Salomon: & ecce ſomnium. Et ſurrexit, & aduenit in
Hieruſalem: & ſtetit ad faciem altaris: quod ad faciem arcæ teſtamenti Domini in Sion: & obtulit holocau-
ſtoſis, & fecit pacificas: & fecit conuiuium magnum ſibi, & omnibus pueris ſuis. 16 Tunc apparue-
runt duæ mulieres meretrices regi, & ſteterunt coram eo. 17 Et dixit mulier vna: In me Domine.
Ego, & mulier hæc habitabamus in domo vna: & peperimus in domo. 18 Et factum eſt in die tertia,
cum ego peperiſſem, peperit & mulier hæc. Et nos ſimul: & non eſt vllus nobiſcum præter ambas nos in domo.
19 Et mortuus eſt filius mulieris huius nocte, quia incubuit ſuper eum. 20 Et ſurrexit media nocte, & ſum-
pſit filium meum ex vulnis meis: & collocauit eum in ſinu ſuo: & filium ſuum mortuum collocauit in ſinu meo.
21 Et ſurrexi mane ad lactandum filium meum: & ille erat mortuus. Et ecce conſideraui eum mane: & ecce non
erat filius meus, quem peperi. 22 Et dixit mulier altera: Nequaquam: ſed filius meus eſt, qui viuit: filius autem tuus, qui mortuus. Et loquuti ſunt coram rege. 23 Et dixit rex eis: Tu dicis, hic filius meus,
qui viuit, & filius huius eſt, qui mortuus. Et tu dicis: nequaquam, ſed filius meus eſt, qui viuit; & filius tuus,
qui mortuus. 24 Et dixit rex: Sumite gladium. Et attulerunt gladium coram rege.

Et dixit

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

25 Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.

26 Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regē: (commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo) Obſecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi ſit, ſed diuidatur.

27 Reſpondit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc eſt enim mater eius.

28 Audiuit itaque omnis Iſrael iudicium quod iudicaſſet rex, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium.

### CAP. IIII.

1 ERat autem rex Salomon regnans ſuper omnem Iſrael:

2 Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc ſacerdotis:

3 Elioreph, & Ahia filij Siſa ſcribæ: Ioſaphat filius Ahilud à commentarijs:

4 Banaias filius Ioiadæ ſuper exercitum: Sadoc autem, & Abiathar ſacerdotes.

5 Azarias filius Nathan ſuper eos qui aſſiſtebant regi: Zabud filius Nathan ſacerdos, amicus regis:

6 Et Ahiſar præpoſitus domus: & Adoniram filius Abda ſuper tributa.

7 Habebat autem Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael, qui præbebant annonam regi & domui eius: per ſingulos enim menſes in anno, ſinguli neceſſaria miniſtrabant.

8 Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.

9 Bendecar, in Maccès, & in Salebim, & in Bethſames & in Elon, & in Bethanan.

10 Benheſed in Aruboth: ipſius erat Socho, & omnis terra Epher.

11 Benabinadab, cuius omnis Nephathdor, Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem.

12 Bana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & vniuerſam Bethſan, quæ eſt iuxta Sarthana ſubter Iezrahel, à Bethſan vſque Abelmehula è regione Iecmaan.

13 Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Auothiair filij Manaſſe in Galaad, ipſe præerat in omni regione Argob, quæ eſt in Baſan, ſexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant ſeras æreas.

Ahi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Dixitque rex: Diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidium vni, & dimidium alteri.*

26 *Dixitque mulier cuius filius viuus erat ad regem: (commota enim ſunt viſcera eius ſuper filio ſuo) & dixit: Obſecro domine mi, date ei infantem viuum, & interficiendo, ne interficiatis eum. Illa autem dicebat: Etiam mihi, etiam tibi non ſit, diuidite.*

27 *Et reſpondit rex, & dixit. Date ei infantem viuum, & interficiēdo nō interficietis eū:hæc eſt mater eius.*

28 *Et audierunt omnis Iſrael iudicium, quod iudicauit rex, & timuerunt à facie regis, quia viderunt quod ſapientia Dei eſſet in corde eius ad faciendū iudiciū.*

### *CAP. IIII.*

1 *ET fuit rex Selomoh, rex ſuper omnem Iſrael.*

2 *Et iſti principes qui erant ei: Hazariahu filius Sadoc ſacerdotis.*

3 *Elichoreph, & Achiiah, & filij Siſa ſcribæ, & Iehoſaphath filius Achilud à commentarijs.*

4 *Et Benaiahu filius Iehoiadah ſuper exercitum, & Sadoc, & Ebiathar ſacerdotes.*

5 *Et Hazariahu filius Nathan ſuper præfectos, & Zabud filius Nathan ſacerdos amicus regis.*

6 *Et Achiſar ſuper domum, & Adoniram filius Habdah ſuper tributum.*

7 *Et ipſi Selomoh erant duodecim præfecti ſuper omnem Iſrael, & alebant regem, & domum eius per menſem in anno intererat vnumquemque ex eis alere.*

8 *Et hæc nomina eorum filius Chur in monte Ephraim.*

9 *Filius Decher in Machas, & in Sahalbim, & in Bethſemes, & Elon de Bethchanan.*

10 *Filius Cheſed in Arubboth: ei erat Sochoh, & omnis terra Chepher.*

11 *Filius Abinadab omnis terminus Dor, Taphath filia Selomoh erat ei vxor.*

12 *Bahanah filius Achilud Tahanach, & Meghiddo, & omnis Bethſean, quæ erat iuxta Sarthan ſubter Izreël à Bethſean vſque ad Abel Mecholah vſque trans Iokmeham.*

13 *Filius Gheber in Rameth Ghilhad: ei erant villæ Iair filij Menaſſeh quæ erant in Ghilhad, ei erat regio Arghob, quæ erat in Baſan ſexaginta vrbes magnæ muratæ, & vectibus æreis munitæ.*

*Achi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et dixit rex: Diuidite puerum viuentem lactentem in duo, & date dimidium eius huic, & dimidium eius
huic. 26 Et reſpondit mulier, cuius erat filius viuens, & dixit ad regem, quoniam turbatus eſt vterus eius ſuper
filio ſuo, & dixit: In me domine, date ei puerum, & morte non mortificetis eum, & hæc dixit: Neque mihi, neque
tibi ſit, diuidite. 27 Et reſpondit rex, & dixit: Date puerum ei, quæ dixit, date huic eum, & morte ne mortifi-
cetis eum, hæc mater eius. 28 Et audierunt omnis Iſrael iudicium hoc, quod iudicauerat rex, & timuerunt à
facie regis, quoniam viderunt, quia prudentia Dei in eo ad faciendum iuſtificationem.

### CAP. IIII.

ET erat rex Salomon regnans ſuper Iſrael. 2 Et hi principes, qui erant ei, Azarias filius Sadoc,
3 Eliaph, & Achia filius Seba ſcribæ, & Ioſaphat filius Achilud commonefaciens, 4 Et Banæas filius
Iodaæ ſuper virtutem, & Sadoc, & Abiathar ſacerdotes: 5 Et Ornia filius Nathan ſuper aſſiſtentes, & Za-
buth filius Nathan amicus regis: 6 Et Achiſar erat œconomus, & Eliac œconomus, & Eliab filius Saph ſu-
per familiam, & Adoniram filius Aydon ſuper tributa. 7 Et Salomoni duodecim præfecti ſuper omnem Iſ-
rael ad præbendum regi, & domui eius, menſem in anno erat ſuper vnum præbere: 8 Et hæc nomina eo-
rum: Bene filius Or in monte Ephræm, vnus: 9 Filius Dacar in Maſes, & in Salabin, & Bæthſamys, & Elom
vſque Bethanan, vnus: 10 Filius Eſdi in Araboth, ipſius Socho, & vniuerſa terra Opher: 11 Filij Ami-
nadab vniuerſa Nephthador (Thephat filia Salomon erat ei in vxorem) vnus: 12 Banà filius Achimich ip-
ſam Ithanaach, & Mageddo, & vniuerſa domus San, quę apud Seſathan, ſub Eſrae, & de Bethſan vſque Abel-
meula, vſque Maeber Lucam, vnus: 13 Filius Naber in Rhaboth Galaad (huic funiculus Ergab in
Baſan ſexaginta ciuitates magnæ muratæ, & vectes ęnei) vnus:

Achi-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

14 Ahinadab filius Addo præerat in Manaim.
15 Achimaas in Nephthali: ſed & ipſe habebat Baſemath filiam Salomonis in coniugio.
16 Baana filius Huſi, in Aſer, & in Baloth.
17 Ioſaphat filius Pharue, in Iſſachar.
18 Semei filius Ela, in Beniamin.
19 Gaber filius Vri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi & Og regis Baſan, ſuper omnia quæ erant in illa terra.
20 Iuda & Iſrael innumerabiles, ſicut arena Maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes.
21 * Salomo autem erat in ditione ſua, habens omnia regna à flumine terræ Philiſthijm vſque ad terminum Ægypti: offerentium ſibi munera, & ſeruientium ei cunctis diebus vitæ eius.

* Eccl. 47. 16.

22 Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilę, & ſexaginta cori farinæ,
23 Decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium.
24 Ipſe enim obtinebat omnem regionem, quę erat trans flumen à Thaphſa vſque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.
25 Habitabatque Iuda, & Iſrael abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabee cunctis diebus Salomonis.
26 * Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium.

* 2. Par. 9. 25.

27 Nutriebantque eos ſupradicti regis præfecti: ſed & neceſſaria menſę regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore ſuo.
28 Hordeum quoque, & paleas equorum, & iumentorum deferebant in locum vbi erat rex, iuxta conſtitutum ſibi.
29 Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam, quæ eſt in littore Maris.
30 Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum,
31 * Et erat ſapientior cunctis hominibus: ſapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filijs Mahol: & erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum.

* Eccl. 47. 16.

32 Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct.

14 *Achinadab filius Hiddo in Machanaim.*
15 *Achimahas in Naphtali: etiam ipſe accepit Boſmath filiam Selomoh vxorem:*
16 *Bahana filius Chuſai in Aſer, & in Haloth.*
17 *Ieoſaphath filius Paruach in Iſaſchar.*
18 *Simhi filius Elah in Biniamin.*
19 *Et Heber filius Vrim in terra Ghilhad, terra Sichon regis Emorræi, & Hog regis Baſan, et præfectus vnus qui erat in terra.*
20 *Iehudah, & Iſrael multi ſicut arena, quæ eſt iuxta Mare in multitudinem comedentes, & bibentes, & lætantes.*
21 *Selomoh autem dominabatur omnibus regnis à flumine terræ Peliſtim vſque ad terminum Ægypti offerentes munera, & ſeruientes Selomoh omnibus diebus vitæ eius.*
22 *Erat autem cibus Selomoh per ſingulos dies, triginta chori ſimilæ & ſexaginta chori farinæ.*
23 *Decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum pecudes, præter ceruos, & capreas, & bubalos & gallinaceos impinguatos.*
24 *Ipſe enim dominabatur omni loco trans flumen à Tiphſath vſque ad Hazzah omnibus regibus qui erant trans flumen, & pax erat ei ex omnibus lateribus eius in circuitu.*
25 *Et habitauit Iehudah, & Iſrael confidenter, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan, vſque Beerſebah omnibus diebus Selomoh.*
26 *Et fuerunt quadraginta millia præſepia equorum pro curribus eius, & duodecim millia equites.*
27 *Et alebant præfecti iſti regem Selomoh, & omnem qui appropinquabat ad menſam regis Selomoh vnuſquiſque in menſe ſuo, non deficiebant in aliquo.*
28 *Et hordeum, & paleas pro equis, & mulis deferebant ad locum vbi erat vnuſquiſque ſecundum regulam ſuam.*
29 *Dedit autem Deus ſapientiam Selomoh, & intelligentiam multam valde, & latitudinem cordis ſecundum arenam quæ eſt iuxta littus Maris.*
30 *Et amplior fuit ſapientia Selomoh, ſapientia omnium filiorum Orientalium, & omni ſapientia Ægyptiorũ.*
31 *Et ſapientior fuit omni homine, Ethan Ezrachita, & Heman, & Chalchol, & Dardah filijs Machol, & fuit nomen eius in omnibus gentibus per circuitum.*
32 *Et locutus eſt tria millia parabolas, & fuerunt cantica eius quinque millia.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Achinadab filius Saddo Maanaim: 15 Achimaas in Nephthalin: (& hic accepit Baſemoth filiam Salomon in vxorem) vnus: 16 Baana filius Chuſi in Aſer, & in Baaloth, vnus: 17 * Ioſaphat filius Phuaſud in Iſſachar: 18 Semei filius Ela in Beniamin: 19 Gaber filius Adai in terra Gad Seon regis Eſebon, & Og regis Baſan, & Naſeph vnus in terra Iuda: * 20 Et fuit rex Salomon prudens valde & ſapiens, & Iuda, & Iſrael multi valde tanquam arena quæ ſuper Mare in multitudine comedentes & bibentes, & gaudentes. 21 Et Salomon erat princeps in omnibus regnis, & erant offerentes dona: & ſeruiebant Salomon omnes dies vitæ eius. 22 * Et hęc erant neceſſaria Salomon in die vna, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ ſubactæ, 23 Et decem vituli electi, & viginti boues paſcuales, & centum oues, præter ceruos, & capreas electas, ſaginata. 24 Quoniam erat princeps trans flumen, & erat ei pax ex omnibus partibus in circuitu. 25 Et habitabat Iuda & Iſrael confidentes vnuſquiſque ſub vitę ſua, & ſub ficu ſua comedentes & bibentes, & feſtiuitatem celebrantes à Dan, & vſque Berſabee omnibus diebus Salomon. 26 Et erant Salomon quadraginta millæ fœtæ equę in currus, & duodecim millia equorum. 27 Et prębebant pręfecti ſic regi Salomon, & omnia mandata ad menſam regis vnuſquiſque menſem ſuum, non mutant verbum. 28 Et hordea, & paleam equis & curribus ferebant ad locum vbicumque eſſet rex iuxta ordinem ſuum. 29 Et dedit Dominus prudentiam ipſi Salomon, & ſapientiam multam valde & latitudinem cordis, velut arena, quæ iuxta Mare. 30 * Et abundauit Salomon valde ſuper prudentiam omnium antiquorum hominum, & ſuper omnes prudentes Ægypti. 31 Et ſapuit ſuper omnes homines, & ſapuit ſuper Gethan Zarrem, & Ænam, & Calcad, & Darala filios Mal. 32 Et locutus eſt Salomon ter mille parabolas, & fuerunt cantica eius quinque mille.

* Hęc hîc infra poſt nu. 19. vbi aſteriſcus poſuit.

* Hæc & nu. 22. 23. & 24. notantur reperiri [illegible] c. 3.

* Et multiplicata ē prudentia Salomon valde ſup prudentiam [illegible] Hæc vſq; repetitur his quæ hîc ſt n. 30. & hîc in princ. c. 5.

* [illegible]

Hæc [illegible] habentur.

Et Io-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

33 Et diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.
34 Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.

### CAP. V.

1 Miſit quoque Hiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem: audiuit enim quod ipſum vnxiſſent regem pro patre eius: quia amicus fuerat
2 Hiram Dauid omni tempore.
3 Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens:
Tu ſcis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius.
4 Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non eſt ſatan, neque occurſus malus.
5 * Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus Dauid patri meo, dicens: Filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo.

* 2. Reg. 7. 13. 1. Par. 22. 10

6 Præcipe igitur vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis: mercedem autem ſeruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir qui nouerit ligna cædere ſicut Sidonij:
7 Cum ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie: qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.
8 Et miſit Hiram ad Salomonem, dicens: Audiui quæcumque mandaſti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis.
9 Serui mei deponent ea de Libano ad Mare: & ego componam ea in ratibus in Mari vſque ad locum, quem ſignificaueris mihi, & applicabo ea ibi, & tu tolles ea: præbebiſque neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ.
10 Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius.

Si-

## Transl. ex Heb. Sanct.

33 *Et locutus eſt ſuper arboribus à cedro quæ eſt in Lebanon vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & locutus eſt ſuper animalibus, & ſuper volatilibus & ſuper reptilibus, & ſuper piſcibus.*
34 *Et veniebant ex omnibus populis ad audiendam ſapientiam Selomoh, de vniuerſis regibus terræ qui audierunt ſapientiam eius.*

### CAP. V.

1 *Miſit autem Chiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Selomoh: Audierat enim quod ipſum vnxiſſent in regem pro patre ſuo: quia dilexerat Chiram*
2 *ipſum David omnibus diebus.*
3 *Miſitque Selomoh ad Chiram, dicendo:*
*Tu noſti David patrem meum non potuiſſe ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella quæ circumdederunt eum, donec poſuit Dominus eos ſub plantis pedum eius.*
4 *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus mihi in circuitu: non eſt aduerſarius, & non eſt occurſus malus.*
5 *Et ecce cogito ædificare domum nomini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus ad David patrem meum, dicendo: Filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo.*
6 *Et nunc præcipe, vt præcidant mihi cedros de Lebanon, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis: mercedem autem ſeruorum tuorum dabo tibi ſecundum omnia quæ dixeris: Tu enim noſti quod non eſt inter nos vir ſciens cædere ligna ſicut Sidonij.*
7 *Et fuit, cum audiſſet Chiram verba Selomoh, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus hodie qui dedit David filium ſapientem ſuper populum multum hunc.*
8 *Et miſit Chiram ad Selomoh, dicendo: Audiui quæ miſiſti ad me, ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & lignis abiegnis:*
9 *Serui mei deponent de Lebanon ad Mare: ego autem ponam ea in ratibus in Mari vſque ad locum, quem miſeris ad me, & diſſoluere faciam ea ibi, & tu tolles, & facies voluntatem meam præbendo cibum domui meæ.*
10 *Et Chiram dedit Selomoh ligna cedrina, & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.*

*Se-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

33 Et locutus eſt de lignis à cedro, quæ in Libano, & vſque ad hyſſopum egredientem per parietem, & locutus eſt de pecoribus, & de volatilibus, & de reptilibus, & de piſcibus. 34 Et adueniebant omnes populi audire ſapientiam Salomon, & ab omnibus regibus terræ, quicumque audiebant ſapientiam eius. *

### CAP. V.

ET miſit Chiram rex Tyri pueros ſuos ad vngendum Salomonem pro David patre eius, quoniam Chiram fuerat diligens David omnibus diebus. 2 Et miſit Salomon ad Chiram, dicens: 3 Tu noſti patrem meum David quia non poterat ædificare domum Domini Dei mei à facie bellorum, quæ circumdederunt eum, quoadusque Dominus daret eos ſub veſtigijs pedum eius. 4 Et nunc requiem dedit Dominus Deus meus mihi in circuitu, & non eſt aduerſarius, & non eſt peccatum malum. 5 Et ecce ego dico ædificare domum nomini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus Deus ad David patrem meum, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper thronum tuum, hic ædificabit domum nomini meo. 6 Et nunc manda, & cædant mihi ligna de Libano: & ecce ſerui mei cum ſeruis tuis, & mercedem ſeruitij tui dabo tibi ſecundum omnia, quæcumque dixeris: quoniam tu noſti, quia non eſt nobis ſciens ligna cædere, ſicut Sidonij. 7 Et factum eſt, vt audiuit Chiram verba Salomon, gauiſus eſt valde, & dixit: Benedictus Deus hodie, qui dedit ipſi David filium prudentem ſuper populum multum iſtum. 8 Et miſit ad Salomon, dicens: Audiui de omnibus, de quibus miſiſti ad me, ego faciam omnem voluntatem tuam. 9 Ligna cedrina, & abiegna ſerui mei deducent ea de Libano ad Mare: ego ponam ea rates vſque ad locum, quocumque miſeris ad me, & excutiam ea ibi, & tu tolles: & facies voluntatem meam, dando panes domui meæ. 10 Et fuit Chiram dans Salomon cedros, & abietes, & omnem voluntatem eius.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Salomon autem præbebat Hiram choros tritici, viginti millia, in cibum domui eius, & viginti choros puriſſimi olei: hęc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.

* Sup.3.12

12 * Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus.

13 Elegitque rex Salomon operarios de omni Iſrael, & erat indictio triginta millia virorum.

14 Mittebatq; eos in Libanũ, decẽ millia per mẽſes ſingulos vicißim, ita vt duob⁹ mẽſibus eſſẽt ĩ domibus ſuis: & Adonirã erat ſuper huiuſcemodi indictione.

15 Fueruntq; Salomoni ſeptuaginta millia eorũ q̃ onera portabant, & octoginta millia latomorũ in mõte:

16 Abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo & his quę faciebant opus.

17 Præcepitque rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos:

18 Quos dolauerunt cœmentarij Salomonis, & cœmentarij Hiram: porro Giblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum.

### CAP. VI.

1 FActum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino.

2 Domus aũt, quam ædificabat rex Salomon Dño, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

3 Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis tẽpli: & habebat decẽ cubitos latitudinis ante faciem templi.

4 Fecitque in templo feneſtras obliquas.

5 Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi, & fecit latera in circuitu.

6 Tabulatum, quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & mediũ tabulatũ ſex cubitorũ latitudinis, & tertiũ tabulatũ ſeptẽ habens cubitos latitudinis. Trabes autẽ poſuit in domo per circuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi.

7 Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur. Oſtium

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Selomoh autem præbuit Chiram viginti millia choros triticorum in cibum domui eius, & viginti choros olei compreßi: ſic dedit Selomoh ipſi Chiram per ſingulos annos.*

12 *Dominus autem dedit ſapientiam Selomoh, ſicut locutus eſt ei: & fuit pax inter Chiram & Selomoh, & percuſſerunt fœdus ambo.*

13 *Et aſcendere fecit rex Selomoh tributum ex omni Iſrael, & fuit tributum triginta millia virorum.*

14 *Et miſit ex eis in Lebanõ decẽ millia per mẽſem, viciſſim per menſem erant in Lebanon, duobus menſibus in domo ſua: & Adoniram erat ſuper tributum.*

15 *Et fuerunt Selomoh ſeptuaginta millia portantes onus, & octoginta millia cadentes ligna in monte.*

16 *Præter principes qui aßiſtebãt ipſi Selomoh qui erãt ſuper opus tria millia, & trecenti, qui præerant populo, qui faciebat opus.*

17 *Et præcepit rex, & proficiſci fecerunt lapides grandes, lapides pretioſos ad fundandum domum, lapides dolatos.*

18 *Et dolauerunt cęmentarij Selomoh, & cęmentarij Chiram, & Ghiblim, & præparauerunt ligna, & lapides ad ædificandum domum.*

### CAP. VI.

1 *ET fuit, octogeſimo anno, & quadringenteſimo anno, quo egreſſi ſunt filij Iſrael è terra Aegypti, anno quarto menſe Aprili. (Ipſe eſt menſis ſecundus) quo regnauit Selomoh ſuper Iſrael cœpit ædificare domum Domino.*

2 *Domus autẽ quã cœpit ædificare rex Selomoh Dño, ſexaginta cubitorum erat longitudo eius, & viginti latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius.*

3 *Et veſtibulum erat ante templũ domus viginti cubitorum longitudo eius ante latitudinem domus decem cubitorum latitudo eius ante domum.*

4 *Et fecit domui feneſtras latas extrinſecus, anguſtas intrinſecus.*

5 *Et ædificauit iuxta parietẽ domus thalamũ per circuitum iuxta parietes domus per circuitum templi, & oraculi, & fecit thalamos per circuitum.*

6 *Thalami inferioris quinque cubitorum erat latitudo, & medij ſex cubitorum latitudo, & tertij ſeptem cubitorũ latitudo quia interſtitia in muro reſtricta vbi capita ponerentur trabium erant domui per circuitum extra parietes domus.*

7 *Domus autem cum ædificaretur lapide perfecto, & proficiſci facto è monte, ædificata eſt & malleus, & ſecuris omne inſtrumentũ ferreum, non fuit auditum in domo, quando ædificabatur. Oſtium*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et Salomon dedit Chirã viginti mille choros frumenti, & Machir domui eius, & viginti millia Bæth olei cõtuſi: Iuxta hoc dabat Salomon ipſi Chiram per annum. 12 Et Dominus dedit ſapientiam Salomon, ſicut locutus eſt ei, & fuit pax inter Chiram, & inter Salomon, & diſpoſuerunt teſtamentum inter ſe. 13 Et retulit rex tributum ex omni Iſrael, & fuit tributum triginta millia virorum. 14 Et miſit eos in Libanum, decem mille in menſe mutantes ſe, menſem erant in Libano, & duos menſes in domo ſua, & Adoniram ſuper tributũ. 15 * Et erant Salomon ſeptuaginta mille portantes onus, & octuaginta millia lapicidarum in monte 16 Abſque principibus qui præſidebant ſuper opera Salomon, ter mille, & ſexcenti præfecti, facientes opera. * 17 Et mandauit rex vt tollant lapides magnos pretioſos in fundamentum domus & lapides non dolatos. 18 Et dolauerunt filij Salomon, & filij Chiram, & ſecerunt eos. * Et parauerunt lapides & ligna tribus annis. CAP. VI.

* Hæc eadẽ in hac Transl. Roma. habentur cap. 1. parũ poſt initium.
* Hæc habentur ſupra poſt ru. 16 vbi aſteriſcus.

ET factum eſt in quadrageſimo, & quadringenteſimo anno exitus filiorum Iſrael de Aegypto, anno quarto in menſe ſecundo regnante rege Salomon ſuper Iſrael: * 2 Et domus quam ædificauit rex Dño, quadraginta in cubito longitudo eius, & viginti in cubito latitudo eius, & quinque & viginti in cubito altitudo eius. 3 Et ipſum Aelam ſecundum faciem templi, viginti in cubito longitudo eius, in latitudinem domus ſecundum faciem domus, & ædificauit domum, & conſummauit eam. 4 Et fecit domui feneſtras oblique proſpicientes occultas. 5 Et dedit ſuper parietem domus Melathra per circuitum templo, & ipſi Dabir 6 Latus quod ſubter, quinque cubitorum in cubito latitudo eius, & medium ſex, & tertium ſeptem in cubito latitudo eius: quoniam interuallum dedit domui in circuitu ab extra ipſius domus, vt non hærerent muris domus. 7 Et domus, cum ipſa ædificaretur, lapidibus ex rupe exciſis illaboratis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, & omne vas ferreum non eſt auditum in domo, dum ipſa ædificaretur.

* [illegible]

Et oſtium

## Vulgat. Editio.

8 Oſtium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.

9 Et ædificauit domum, & conſummauit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.

10 Et ædificauit tabulatum ſuper omnem domũ quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.

11 Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem, dicens:

12 Domus hæc, quam ædificas ſi ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mãdata mea, gradiens per ea: firmabo ſermonẽ meũ tibi, * quem locutus ſum ad Dauid patrẽ tuũ.

13 * Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum Iſrael.

14 Igitur ædificauit Salomon domũ, & conſũmauit eã.

15 Et ædificauit parietes domus intrinſecus, tabulatis cedrinis, à pauimento domus vſque ad ſummitatem parietum, & vſque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinſecus: & texit pauimentum domus tabulis abiegnis.

16 Ædificauitque viginti cubitorum ad poſteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vſque ad ſuperiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum ſanctorum.

17 Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi.

18 Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas, & iuncturas ſuas fabrefactas & cælaturas eminentes: oĩa cedrinis tabulis veſtiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.

19 Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini.

20 Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo: ſed & altare veſtiuit cedro.

21 Domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis.

22 Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: ſed & totum altare oraculi texit auro.

23 Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis.

24 Quinque cubitorum ala cherub vna, & quinque cubitorum ala cherub altera: id eſt, decem cubitos habentes à ſummitate alæ vnius vſque ad alæ alterius ſummitatem. De-

* 2.Reg. 7.13.
* 1.Para. 22.9.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Oſtium thalami medij erat in latere domus dextræ, & per cochleas aſcendebant ad medium, & de medio ad tertium.*

9 *Et ædificauit domum, & perfecit eam, & texit domũ tignis excauatis inſtar foſſarum trabibus cedrinis.*

10 *Et ædificauit thalamum cum omni domo: quinque cubitorum erat altitudo eius, & apprehendebat domum cum lignis cedrinis.*

11 *Fuit autem verbum Domini ad Selomoh, dicendo:*

12 *Domus iſta, quam tu ædificas, ſi ambulaueris in decretis meis, & iudicia mea feceris, & ſeruaueris omnia mandata mea ambulando in eis, ſtatuam verbũ meum tecũ, quod locutus ſum ad Dauid patrem tuũ.*

13 *Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum Iſrael.*

14 *Et ædificauit Selomoh domum, & perfecit eam.*

15 *Et ædificauit parietes domus intrinſecus tabulis cedrinis à pauimento domus, vſque ad parietes contignationis operuit ligno intrinſecus, & obduxit pauimentum domus tabulis abiegnis.*

16 *Et ædificauit viginti cubitos à lateribus domus tabulis cedrinis à pauimento vſque ad parietes: & ædificauit ei quod erat intra oraculum, vt eſſet Sanctitas ſanctitatum.*

17 *Et quadraginta cubitorum erat domus: ipſa eſt templum exterius quod eſt ante oraculum.*

18 *Et tabula cedrina quibus tegebatur domus intrinſecus depicta erant picturis inſtar funda, & colocyntidarum, & cælaturis inſtar florum: omnia tabulis cedrinis tegebantur, nec lapis apparebat.*

19 *Oraculum autem in medio domus intrinſecus parare fecit, vt poneret ibi arcam fœderis Domini.*

20 *Et quod texerat auro de oraculo viginti cubitorum erat longitudo, & viginti cubitorum latitudo, & viginti cubitorum altitudo eius, & operuit illud auro puriſſimo: operuit autem altare cedrinis tabulis.*

21 *Et texit Selomoh domum intrinſecus auro mundo, & clauſit p[er] ſſulis aureis parietem, qui erat ante oraculum, & texit illum auro.*

22 *Et omnem domum operuit auro donec perficeretur tota domus: & totum altare quod erat in pariete exteriori oraculi texit auro.*

23 *Fecit autem in oraculo duos cherubim è lignis pineis, decem cubitorum altitudo eius.*

24 *Et quinque cubitorum erat ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala cherub altera, decem cubiti erant à ſummitatibus alæ vnius, vſque ad ſummitates alæ alterius.* Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et oſtium lateris quod ſubtus, ſub humero domus dextro, & cochlearis aſcenſus ad medium, & à medio ad tertia conclauia. 9 Et ædificauit domum, & conſummauit eam, & laquearibus texit eam cedris.

10 Et ædificauit ligamenta per totam domum, quinque cubitorum altitudo eius, & concluſit colligaturam in lignis cedrinis.

*11 Et factum eſt verbum Domini ad Salomonem dicens: 12 Domus hæc quam tu ædificas ſi ambulaueris in decretis, & iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea conuerſando in eis firmabo verbum meum tecum quod locutus ſum ad Dauid patrem tuum: 13 Et inhabitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum Iſrael.*

15 Et ædificauit parietes domus ab intus per ligna cedrina à pauimento domus, & vſque ad parietes, & vſque ad trabes, laquearibus texit coniunctè lignis ab intus, & circumdedit internum domus in coſtis abiegnis.

16 Et ædificauit viginti cubitos à ſummo muri latus vnum à pauimento vſque ad trabes: & fecit è Dabir in Sanctum Sanctorum. 17 (Et quadraginta cubitorum fuit templum ad faciem ipſius Dabir)

19 In medio domus ab intus ad dandam ibi arcam teſtamenti Domini: 20 Viginti cubiti longitudo, & viginti cubiti latitudo, & viginti cubiti altitudo eius, & circumdedit illud auro concluſo: & fecit altare ad faciem Dabir, & circumdedit illud auro. 21 Et totam domum operuit auro vſque ad conſummationem vniuerſæ domus.

23 Et fecit in Dabir duo cherubim, decem cubitorum magnitudo menſurata:

24 Et quinque cubitorum ala cherubim vnius, & quinque cubitorum ala eius ſecunda in cubito, decem à parte alæ eius ad partem alæ eius.

Quæ ponuntur n. 11. 12. 13. hic in exemplo & quibuſdam antiquis [illegible] non poſuimus [illegible] non ſunt de contextu huius transl. Ro.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

25 Decem quoque cubitorum erat cherub ſecundus in menſura pari, & opus vnum erat in duobus cherubim,
26 Id eſt, altitudinem habebat vnus cherub decem cubitorum, & ſimiliter cherub ſecundus.
27 Poſuitque cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas ſuas cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe inuicem contingebant.
28 Texit quoque cherubim auro.
29 Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit varijs cœlaturis & torno: & fecit in eis cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredientes.
30 Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus & extrinſecus.
31 Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarũ, poſteſque angulorum quinque.
32 Et duo oſtia de lignis oliuarum: & ſculpſit in eis picturam cherubim, & palmarum ſpecies, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim quam palmas, & cętera, auro.
33 Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulatos:
34 Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus: & vtrumque oſtium duplex erat, & ſe inuicem tenens aperiebatur.
35 Et ſculpſit cherubim, & palmas, & cœlaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.
36 Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.
37 Anno quarto fundata eſt domus Domini in menſe Zio:
38 Et in anno vndecimo, menſe Bul (ipſe eſt menſis octauus) perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus: ſuis ædificauitque eam annis ſeptem.

### CAP. VII.

* Inf. 9. 10

1 DOmum autem ſuam ædificauit Salomon * tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxit.
2 Ædificauit quoque domum ſaltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorũ latitudinis, & triginta cubitorũ altitudinis: & quatuor deambulachra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et decem cubitorum erat Cherub ſecundus: menſura eadem, & inciſio eadem erat duobus cherubim.*
26 *Altitudo Cherub vnius decem cubitorum, & ſimiliter Cherub ſecundus.*
27 *Et poſuit cherubim in medio domus interioris, & extendebant alas cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala cherub ſecundi tangebat parietem ſecundum, & alæ eorum in medio domus tangebant ſe inuicem.*
28 *Texitque cherubim auro.*
29 *Et omnes parietes domus per circuitum texit picturis inſtar fundarum, cœlaturis inſtar fundarum, picturis cherubim, & palmarum, & cœlaturis florum intrinſecus, & extrinſecus.*
30 *Et pauimentum domus texit auro intrinſecus, & extrinſecus.*
31 *Et ianuæ oraculi fecit oſtia è lignis pineis ſuperliminare, & poſtes erant quinque laterum.*
32 *Et duo oſtia è lignis pineis, & cœlauit in eis cœlaturas inſtar fundarum, cherubim, & palmarum & cœlaturas in eis florum, & texit auro, & extendit ſuper cherubim, & ſuper palmas aurum.*
33 *Et ſic fecit portæ templi poſtes è lignis pineis quadrilateros,*
34 *Et duo oſtia è lignis abiegnis, & duo latera oſtij vnius rotunda, & duo latera oſtij ſecundi rotunda.*
35 *Et cœlauit cœlaturas inſtar fundarum, & cherubim & palmarum, & cœlaturas florum: operuitque directo quæ erant ſculpta.*
36 *Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum dolatorum, & ordine trabium cedrinarum.*
37 *Anno quarto fundata eſt domus Domini menſe Aprilis.*
38 *Et anno vndecimo in menſe Octobri (ipſe eſt menſis octauus) completa eſt domus ſecundum omnia ad eam pertinentia, & ſecundum omnes regulas ſuas: ædificauit eam annis ſeptem.*

### *CAP. VII.*

1 *DOmũ autem ſuam ædificauit Selomoh tredecim annis, & compleuit omnem domum ſuam.*
2 *Et ædificauit domum ſaltus Libanon centum cubitorum erat longitudo eius, & quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius: ſuper quatuor ordines columnarum cedrinarum ædificauit eam, trabes autem cedrinæ erant ſuper columnas.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Sic cherubim ſecundo, in menſura vna conſummatio vna vtriſque:
26 Et altitudo cherubim vnius, decem in cubito, & ſic cherubim ſecundo.
27 Et vtraque cherubim in medio domus intimæ, & expandit alas eorum, & tangebat ala vna parietem, & ala cherubim ſecundi tangebat parietem ſecundum, & alæ eorum in medio domus tangebant ala alam.
28 Et operuit cherubim auro. 29 Omnes parietes domus in circuitu celatos ſcripſit ſcriptura cherubim, & palmas interiore, & exteriore. 30 Et pauimentum domus operuit auro, intimæ, & extimæ. 31 Et oſtio ipſius Dabir fecit ianuas ex lignis iuniperinis, porticus quadrupliciter, in vtriſque ianuis ligna abiegna: 32 Duæ plicæ ianua vna, & cardines earum, & duæ plicæ ianua ſecunda, volubilia inſculpta cherubim, & palmæ, & expanſæ laminæ, & operta auro deducto ſuper ſculpturam. 36 Et ædificauit atrium intimum, tres ordines non dolatorum, & ordinem fabrefactæ cedri in circuitu, & ædificauit velamen atrij ipſius Ælam domus, quæ ad faciem templi. 37 In anno quarto fundauit domum Domini in menſe Zin, & ſecundo menſe. 38 In vndecimo anno in menſe Baal (hic eſt menſis octauus) conſummata eſt domus in omni ratione eius, & in omni conſtitutione eius * in ſeptem annis fecit & conſummauit. *

Quæ hic ſita ſunt noſtrę vulgatæ, in tranſl. Sep. Rom. hîc ſupra in hoc c. poſt nu. 1 coniuncta his quæ aſteriſco ſiniuntur ca. 18. Quæ duobus aſteriſcis clauduntur hîc ſup. cap. 5. poſt nu. 1. vbi aſteriſcum.

### CAP. VII.

ET domum ædificauit ſibi Salomon tribus & decem annis. 2 Et ædificauit domum ſyluæ Libani, centum cubiti longitudo eius, & quinquaginta cubiti latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius, & trium ordinum columnarum cedrinarum, & humeri cedrini columnis.

Et te-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Et tabulatis cedrinis veſtiuit totam cameram, quæ 3
quadragintaquinque columnis ſuſtentabatur. Vnus
autem ordo habebat columnas quindecim
Contra ſe inuicem poſitas, 4

Et è regione ſe reſpicientes,æquali ſpatio inter co- 5
lumnas, & ſuper columnas quadrangulata ligna in
cunctis æqualia.
Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubi- 6
torum longitudinis, & triginta cubitorum latitudi-
nis: & alteram porticum in facie maioris porticus:
& columnas, & epiſtylia ſuper columnas.
Porticum quoque ſolij,in qua tribunal eſt,fecit: & 7
texit lignis cedrinis à pauimento vſque ad ſummi-
tatem.
Et domuncula, in qua ſedebatur ad iudicandum, 8
erat in media porticu, ſimili opere. Domum quo-
que fecit filiæ Pharaonis (* quam vxorem duxerat
Salomon) tali opere,quali & hanc porticum.
Omnia lapidibus pretioſis, qui ad normam quan- 9
dam atque menſuram tam intrinſecus quam extrin
ſecus ſerrati erant: à fundamento vſque ad ſummi-
tatem parietum,& extrinſecus vſque ad atrium ma-
ius.
Fundamenta autem de lapidibus pretioſis,lapidibus 10
magnis decem ſiue octo cubitorum.
Et deſuper lapides pretioſi æqualis menſuræ ſecti 11
erant,ſimiliterque de cedro.
Et atriū maius rotundū trium ordinū de lapidibus 12
ſectis,& vnius ordinis de dolata cedro: nec nō & in
atrio domus Dñi interiori, & in porticu domus.
Miſit quoque rex Salomon,& tulit Hiram de Tyro, 13
Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre 14
Tyrio,artificem ærarium,& plenum ſapientia,& in-
telligentia,& doctrina ad faciendum omne opus ex
ære. Qui cum veniſſet ad regem Salomonem, fe-
cit omne opus eius.
Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubi- 15
torum altitudinis columnam vnam: * & linea duo-
decim cubitorum ambiebat columnam vtramque.
Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper 16
capita columnarum, fuſilia ex ære: quinque cubi-
torum altitudinis capitellum vnum,& quinque cu-
bitorum altitudinis capitellum alterum:
Et quaſi in modum retis,& catenarum ſibi inuicem 17
miro opere contextarū. Vtrumque capitellum colū-
narū fuſile erat: ſeptena verſuum retiacula in capi-
tello vno,& ſeptena retiacula in capitello altero.
Et

*Sup. 3. 1.
* Iere. 52. 21.

## Transl. ex Heb. Sanct.

3 *Et tecta eſt tabulis cedrinis deſuper trabes quæ erant ſuper columnas quadraginta, & quinque, quindecim per ordinem ſingulum.*

4 *Et feneſtræ erant tres ordines, & feneſtra erat contra feneſtram in tribus parietibus.*

5 *Et omnia oſtia, & poſtes quadrati erant, & ſic fenestella quæ erat ſupra portam,& feneſtra erat contra feneſtram,in tribus parietibus.*

6 *Porticum autem columnarum fecit, quinquaginta cubitorum erat longitudo eius, & triginta cubitorum latitudo eius: & porticus erat ante columnas, & columna alia,& trabs ante eas.*

7 *Et porticum ſolij in qua iudicaret, hoc eſt porticum iudicij fecit:& tecta eſt cedrinis tabulis à pauimento vſque ad pauimentum.*

8 *Et domus ſua in qua manebat atrium aliud intra porticum, ſecundum opus iſtud erat: & domum fecit filiæ Pharaoh quam acceperat Selomoh ſecundum porticum hanc.*

9 *Omnia hæc erant ex lapidibus pretioſis ſecundū menſuras è lapidibus dolatis,ſerratis ſerra intrinſecus,& extrinſecus:& à fundamēto vſque ad lapides ſuper quos capita ponebantur trabiū qui erant ad menſuram palmi, & extrinſecus vſque ad atrium maius.*

10 *Et fundatū lapidibus pretioſis,lapidibus magnis,lapidibus decem cubitorū,& lapidibus octo cubitorū.*

11 *Et ſupra à fundamento erant lapides pretioſi ſecundū menſuras lapidum dolatorū, & cedrina tabula.*

12 *Et atrio maiori per circuitum erant tres ordines à petris dolatis,& ordo trabium cedrinarum & atrio domus Domini interioris,& porticus domus.*

13 *Et miſit rex Selomoh,& tulit Chiram de Tyro,*

14 *Filius mulieris viduæ erat de tribu Naphtali,pater vero eius vir,Tyrius faber ærarius plenuſque erat ſapientia, & intelligentia, & ſcientia ad faciendum omnem opus in ære, & venit ad regem Selomoh, & fecit omne opus eius.*

15 *Et finxit duas columnas æreas,octo, & decem cubitorum erat altitudo columnæ vnius,& filum duodecim cubitorum circumdabat columnam ſecundam.*

16 *Et duo capitella fecit, vt poneret ſuper capita columnarum fuſa ex ære: quinque cubitorum erat altitudo capitelli vnius, & quinque cubitorum altitudo capitelli ſecundi.*

17 *Retiacula opere retiaculi cohærentia opere catenarum capitellis quæ erant ſuper caput columnarum: ſeptem erant capitello vno, & ſeptem capitello ſecundo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et texit domum deſuper ſuper latera columnarum,& numerus columnarum,quadraginta & quinque,ordo,
& Melathra tria, 4 Et capacitas ſuper capacitatem tripliciter. 5 Et omnia oſtia,& capacitates quadrangulę
melathris inſtructæ,& ab oſtio ad oſtium tripliciter. 6 Et Ælam columnarū,quinquaginta longitudo,& quin-
quaginta in latitudine,iuncta Ælam ſuper faciem earū,& columnæ, & craſſities ſuper faciem eius ipſis Ælamni.
7 Et Ælam thronorum,vbi iudicabit ibi Ælam tribunalis. 8 Et domus eorum,in qua ſedebitur illuc, atrium
vnum circumuolutum his iuxta opus hoc,& domum filiæ Pharaonis,quam accepit Salomon,iuxta hoc Aelam.
9 Omnia hæc ex lapidibus precioſis,ſculpta ex interuallo ab intus,& à fundamento vſque ad ſummitates parie-
tum,& ab extra ad atrium magnum 10 Fundatum in precioſis lapidibus magnis, lapidibus decem cubito-
rum,& octo cubitorum, 11 Et deſuper, precioſis ſecundum menſuram non dolatorum, & cedris. 12 Atrij
magni in circuitu tres ordines non dolatorum, & ordo ſculptæ cedri, & conſummauit Salomon totam domum
ſuā. 13 * Et miſit Salomon,& accepit Chiram e Tyro 14 Filium mulieris viduæ,& hic de tribu Nephtha-
lim,& pater eius vir Tyrius faber æris,& plenus arte, & intelligentia, & ſcientia faciendi omne opus in ęre, & in-
ductus eſt ad regem Salomon, & fecit omnia opera. 15 Et fudit duas columnas ipſi Aelam domus, octo &
decem cubiti altitudo columnæ,& perimetrum,quatuordecim cubiti,circumdabant eam, craſſitiem columnæ,
quattuor digitorum cauitates,& ſic columna ſecunda. 16 Et duo additamenta fecit, ad dandum ſuper capita
columnarum fuſilia,quinque cubiti altitudo additamenti vnius,& quinque cubiti altitudo additamenti ſecundi.
17 Et fecit duo retia ad cooperiendum additamenta columnarum,& rete additamento vni, & rete additamen-
to ſecundo,& opus penſile,duo ordines malogranatorum æneorum,reticulati, opus penſile, ordo ſuper ordinem,
ſic fecit additamento ſecundo.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

18 Et perfecit columnas,& duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum, vt tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem, malogranatorum: eodem modo fecit & capitello ſecundo.
19 Capitella autem,quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant in porticu quattuor cubitorum.
20 Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper iuxta menſuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi.
21 Et ſtatuit duas columnas in porticu templi: cumque ſtatuiſſet columnam dexteram,vocauit eam nomine Iachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam: & vocauit nomen eius Booz.
22 Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit: perfectumque eſt opus columnarum.
* 1. Par. 4. 2. 23 * Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.
24 Et ſculptura ſubter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines ſculpturarum ſtriatarum erant fuſiles.
25 Et ſtabat ſuper duodecim boues, è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare ſuper eos deſuper erat: quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.
26 Groſſitudo autem luteris,trium vnciarum erat: labiumque eius,quaſi labium calicis,& folium repandi lilij: duo millia batos capiebat.
27 Et fecit decem baſes æneas, quattuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas, & quattuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.
28 Et ipſum opus baſium, interraſile erat: & ſculpturæ inter iuncturas.
29 Et inter coronulas & plectas,leones & boues & cherubim: & in iuncturis ſimiliter deſuper: & ſubter leones,& boues quaſi lora ex ære dependentia.
30 Et quattuor rotæ per baſes ſingulas,& axes ærei: & per quattuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles,contra ſe inuicem reſpectantes.
31 Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate: & quod forinſecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum,pariterque habebat vnum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media inter columnia,quadrata non rotunda. Quat-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et fecit columnas, & duos ordines per circuitum ſuper retiaculum vnum, vt tegerent capitella quæ erant ſuper caput malogranatorum, & ſic fecit capitello ſecundo.*
19 *Capitella autem quæ erant ſuper caput columnarum, erat opus lilij in porticu, quattuor cubitorum.*
20 *Et capitella ſuper duas columnas etiam deſuper à regione loci medij,qui erat trans retiaculum: malogranatorum autem ducenti erant ordines per circuitum ſuper capitellum ſecundum.*
21 *Et ſtatuit columnas in porticu templi,& ſtatuit columnã dexteram, & vocauit nomen eius Iachin: & ſtatuit columnam ſiniſtram, & vocauit nomen eius Bohaz.*
22 *Et ſuper caput columnarum opus lilij,& perfectum eſt opus columnarum.*
23 *Fecit autem mare fuſum decem cubitorum à labro eius vſque ad labrum eius rotundum in circuitu,& quinque cubitorum erat altitudo eius, & filum triginta cubitorum ambiebat illud per circuitum.*
24 *Et tubercula inſtar colocyntidarũ ſubter labiũ eiꝰ per circuitũ circũdãtia illud decẽ cubitis,ãbiẽtia mare per circuitũ: duo ordĩes tuberculorũ fuſorũ erãt i fuſiõe eiꝰ.*
25 *Stabat mare ſuper duodecim boues: tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres reſpiciebant ad Occidentem, & tres reſpiciebant ad Meridiem, & tres reſpiciebant ad Orientem,& mare ſuper eos deſuper erat,& omnia poſteriora eorum intrinſecus erant.*
26 *Denſitas eius erat palmus, & labium eius erat ſecundum opus labij calicis,flos lilij, duo millia batos comprehendebat.*
27 *Et fecit baſes decem æreas,quattuor cubitorum longitudo baſis vnius, & quattuor cubitorum latitudo eius, & trium cubitorum altitudo eius.*
28 *Et hoc opus baſis: clauſura erant ipſis, & clauſura inter velles,quæ erant vt ſcalarum gradus.*
29 *Et ſuper clauſuras quæ erant inter velles erãt leones, boues,& cherubim,& ſuper velles baſis deſuper,& ſubter leones,& boues, copulationes opere extenſo.*
30 *Et quattuor rotæ areæ erãt baſi ſingulæ,et tabulæ areæ & quattuor angulis eius humeri erãt,et ſubter cõcã humeri fuſi erãt ex latere cuiuslibet copulationum.*
31 *Et os eius intra capitellum erat,& ſuperius in cubito: & os eius erat rotundum opere baſis cubitus, & dimidium cubiti, & etiam ſuper os eius erant cælaturæ, & clauſuræ earum quadrata non rotunda.* Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

Quæ deberent ſhdere n. 19. & 20. deſunt ab hac tráſlat. ex Sept. Rom.

18 Et ſtatuit columnas ipſius Ælam templi.
21 Et ſtatuit columnam vnam,& vocauit nomen eius Lachum, & ſtatuit columnam ſecundam, & vocauit nomen eius Boloz.
22 Et ſuper capita columnarum opus lilij ſecundum Ælam quattuor cubitorum, & Melathrum ſuper vtraſque columnas,& deſuper latera additamentum,& Melathrum craſſitiei.
23 Et fecit mare, decem in cubito à labio eius vſque ad labium eius, rotundum in circuitu ipſum, quinque in cubito altitudo eius,& reſticula tres,& triginta in cubito.
24 Et fulcimenta ſub labio eius in circuitu circumdabant illud,decem in cubito in circuitu. *
25 Et duodecim boues ſubter mare, tres ſpectantes Aquilonem, & tres ſpectantes Mare, & tres ſpectantes Auſtrum,& tres ſpectantes Orientem,& omnia poſteriora ad domum,& mare ſuper eos deſuper.
* 26 Et labium eius tanquam opus labij calicis germen lilij,& craſſities eius palmus.
27 Et fecit decem Mechonoth æneas, quinque cubiti longitudo Mechonoth vnius, & quattuor cubiti latitudo eius.& ſex in cubito altitudo eius.
28 Et hoc opus ipſarum Mechonoth,concluſum eis,& concluſum inter iuncturas.
29 Et ſuper clauſuras earum inter iuncturas leones,& boues,& Cherubim, & ſuper iuncturas: Sic & deſuper,& ſubter leones,& boues,regiones,opus deſcenſionis.
30 Et quattuor rotæ æneæ Mechonoth vni,& excedentia ænea, & quattuor partes earum, humeruli ſubter luteres, & manus in rotis in ipſa Mechonoth:

* Hæc quæ hic poſita ſhdent vulgata in hac tráſl. ex Septu. Rom. ſide poſt n. 24. vbi aſteriſcus.

Deſunt quæ deberent reſpõdere n. 31.

Et al-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

32 Quattuor quoque rotæ, quæ per quattuor angulos
baſis erant, cohærebant ſibi ſubter baſim: vna rota
habebat altitudinis cubitum & ſemis.
33 Tales autem rotæ erant quales ſolent in curru fieri:
& axes earum, & radij, & canthi, & modioli, omnia
fuſilia.
34 Nam & humeruli illi quattuor per ſingulos angu-
los baſis vnius, ex ipſa baſi fuſiles & coniuncti
erant.
35 In ſummitate autem baſis erat quædam rotundi-
tas dimidij cubiti, ita fabrefacta, vt luter deſuper
poſſet imponi, habens cœlaturas ſuas variaſque ſcul-
pturas ex ſemetipſa.
36 Sculpſit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære,
& in angulis cherubim, & leones, & palmas, quaſi in
ſimilitudinem hominis ſtantis, vt non cœlata, ſed ap-
poſita per circuitum viderentur.
37 In hunc modum fecit decem baſes, fuſura vna, &
menſura, ſculpturaque conſimili.
38 Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta
batos capiebat luter vnus, eratque quattuor cubito-
rum: ſingulos quoque luteres per ſingulos, id eſt,
decem baſes, poſuit.
39 Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram
partem templi, & quinque ad ſiniſtram: Mare au-
tem poſuit ad dexteram partem templi contra O-
rientem ad Meridiem.
40 Fecit ergo Hiram lebetes, & ſcutras, & hamulas, &
perfecit omne opus regis Salomonis in templo Do-
mini.
41 Columnas duas, & funiculos capitellorum ſuper
capitella columnarum duos: & retiacula duo, vt
operirent duos funiculos, qui erant ſuper capita co-
lumnarum.
42 Et malogranata quadringenta in duobus retiacu-
lis: duos verſus malogranatorum in retiaculis ſin-
gulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui
erant ſuper capita columnarum.
43 Et baſes decem, & luteres decem ſuper baſes.
44 Et mare vnum, & boues duodecim ſubter ma-
re.
45 Et lebetes, & ſcutras, & hamulas: omnia vaſa, quæ
fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de
aurichalco erant.
46 In campeſtri regione Iordanis fudit ea rex in argil-
loſa terra, inter Sochoth, & Sarthan.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Et quattuor rotæ erant ſubter clauſuras, & cardi-
nes rotarum in baſi: altitudo rotæ vnius erat cubi-
tus, & dimidium cubiti*
33 *Opus autem rotarum erat ſicut opus rotæ currus, &
cardines earum, & radij earum & cantheorum, &
ligamina earum omnia erant fuſa.*
34 *Et quattuor humeri ſuper quattuor angulos baſis
vnius ex baſe erant humeri eius.*
35 *Et in ſummitate baſis dimidium cubiti altitudo ro
tunda per circuitum, & ſuper verticem baſis erant
axes eius, & clauſura eius ex ea.*
36 *Et cælauit ſuper tabulis cardinum eius, & ſuper
clauſuris eius cherubim, leones, & palmas ex latere
vniuſcuiuſque per circuitum.*
37 *Secundum hoc fecit decem baſes, fuſura vna, menſu-
ra vna, inciſio vna erat cunctis ipſis.*
38 *Et fecit decem conchas æreas: quadraginta batos
capiebat concha vna: quattuor cubitorum erant
ſingula concha ſuper baſim vnam decem baſibus.*
39 *Et poſuit baſes quinque ad latus domus à dextera,
& quinque ad latus domus à ſiniſtra eius: & Mare
poſuit à latere domus dextera ad Orientem contra
Meridiem.*
40 *Fecit autem Chiram conchas, & ſcopas, & peluės,
& compleuit Chiram facere omne opus, quod fecit
regi Selomoh in domo Domini.*
41 *Et columnas duas, & vaſa rotunda inſtar cratera-
rum capitellorum quæ erant ſuper caput columna-
rum duarum, & retiacula duo, vt operirent duo illa
vaſa rotunda, quæ erant ſuper caput columna-
rum.*
42 *Et malogranata quadringenta duobus retiaculis:
duo ordines malogranatorum erant retiaculo vno,
ad operiendum duo illa vaſa capitellorum quæ erant
ſuper faciem columnarum.*
43 *Et baſes decem, & conchas decem ſuper baſes.*
44 *Et mare vnum, & boues duodecim ſubter ma-
re.*
45 *Et lebetes, & ſcopas, & crateras, & omnia vaſa hæc
quæ fecit Chiram regi Selomoh in domo Domini
erant ex ære limato.*
46 *In planicie Iarden fudit ea rex in argilla terræ inter
Succoth & inter Sarthan.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

32 Et altitudo rotæ vnius, cubiti ac dimidij. 33 Et opus rotarum, opus rotarum currus: manus earum, &
dorſa earum, & tractatio earum, omnia fuſilia: 34 Quattuor humeruli ſuper quattuor angulos Mechonoth
vnius, ex ipſa Mechonoth humeri eius. 35 Et ſuper caput ipſius Mechonoth dimidium cubiti magnitudo eius
rotunda in circuitu ſuper caput ipſius Mechonoth, & principium manuum eius, & clauſuræ eius. 36 Et aperie-
batur ſuper principia manuum ſuarum, & clauſuræ eius Cherubim, & leones, & palmæ, ſtantia, cohęrens vnum-
quodque ad faciem totus, & quę in circuitu. 37 Secundum hanc fecit omnes decem Mechonoth, ordinem
vnum, & menſuram in omnibus. 38 Et fecit decem Chytrocaulos æneos, quadraginta Choas capientem vnũ
Chytrocaulum menſura quattuor cubitorum: Chytrocaulos vnus ſuper Mechonoth vnam, decem ipſis Mecho-
noth. 39 Et poſuit quinque Mechonoth ab humero domus à dextris, & quinque ab humero domus à ſini-
ſtris, & mare ab humero domus à dextris ad Orientem à latere Auſtri. 40 Et fecit Chiram lebetes, & calfa-
ctoria, & phialas, & conſummauit Chiram faciens omnia opera, quæ fecit regi Salomon in domo Domini:
41 Columnas duas, & vertibilia columnarum ſuper capita columnarum duo, & retia duo ad operiendum vtra-
que vertibilia ſculpturarum exiſtentia ſuper columnas: 42 Malogranata quadringenta vtriſque retibus, duo
ordines malogranatorum reti vni ad cooperiendum vtraque exiſtentia vertibilia ipſius Mechonoth, ſuper vtraſ-
que columnas. 43 Et Mechonoth decem, & chytrocaulos decem ſuper Mechonoth. 44 Et mare
vnum, & boues duodecim ſubtus mare, 45 Et lebetes, & calfactoria, & phialas, & omnia vaſa, quę fecit
Chiram regi Salomon, domo domini, & columnæ quadraginta, & octo domus regis, & domus Domini: omnia
opera regis, quæ fecit Chiram, ænea abundanter. * 46 In vicinia Iordanis fudit ea in craſſitie
terræ inter Socchoth, & inter Sira.

## Vulgata Editio.

47 Et poſuit Salomon omnia vaſa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.

48 Feceitque Salomon omnia vaſa in domo Domini: altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream:

49 Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum ex auro puro: & quaſi lilij flores, & lucernas deſuper aureas & forcipes aureos:

50 Et hydrias, & fuſcinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro puriſſimo: & cardines oſtiorum domus interioris Sancti ſanctorum, & oſtiorum domus templi, ex auro erant.

* 2.Par.5.1. 51 * Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit, quæ ſanctificauerat Dauid pater ſuus, argentum, & aurum, & vaſa, repoſuitque in theſauris domus Domini.

### CAP. VIII.

* 2.Par.5.2. 1 TVnc * congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſrael ad regem Salomonem in Ieruſalem: vt deferrent arcam fœderis Domini, de ciuitate Dauid, id eſt, de Sion.

2 Conuenitque ad regem Salomonem vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim, in ſollemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus.

3 Veneruntque cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt arcam ſacerdotes:

4 Et portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea ſacerdotes, & Leuitæ.

5 Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues, & boues abſque æſtimatione, & numero.

6 Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum ſanctorum ſubter alas Cherubim.

7 Si quidẽ Cherubim expandebãt alas ſuper locũ arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius deſuper.

8 Cumque eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltra extrinſecus, qui & fuerunt ibi vſq; in præſentem diem.

* Exo.34.27. Heb.9.4. 9 In arca autem non erat aliud * niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti.

Fa-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

47 *Et noluit vt põderarẽtur Selomoh oĩa vaſa: propter multitudinem nimiã non eſt exploratũ pondus æris.*

48 *Et fecit Selomoh omnia vaſa, quæ erant in domo Domini, altare aureum, & menſam ſuper quam erant panes facierum, auream.*

49 *Et candelabra quinque à dextera, & quinque à ſiniſtra ante oraculum ex auro puriſſimo, & flores, & lucernas, & forcipes ex auro.*

50 *Et hydrias, & pſalteria, & pelues, & cochlearia, & acerras ex auro puro, & cardines oſtijs domus interioris Sanctitati ſanctitatum, oſtijs domus templo, aurei.*

51 *Et perfectum eſt omne opus quod fecit rex Selomoh in domo Domini, & intulit Selomoh ſanctitates Dauid patris ſui argentum, & aurum, & vaſa poſuit in theſauris domus Domini.*

### CAP. VIII.

1 *TVnc congregauit Selomoh ſeniores Iſrael omnes principes tribuum, principes patrum filiorũ Iſrael ad regem Selomoh in Ieruſalaim: vt aſcendere facerent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid: ipſa eſt Syon.*

2 *Et conuenerunt ad regem Selomoh omnis viri Iſrael in menſe ſeptembri in ſollemnitate: ipſe eſt menſis ſeptimus.*

3 *Et venerunt omnes ſeniores Iſrael, & tulerunt ſacerdotes arcam,*

4 *Et aſcendere fecerunt arcam Domini, & tabernaculum eccleſiæ, & omnia vaſa ſanctitatis, & aſcendere fecerunt ea ſacerdotes, & Leuitæ,*

5 *Rex autem Selomoh & omnis congregatio Iſrael, quæ conuenerant ad eum erant ſecum ante arcam immolantes oues, & boues quæ non enumerabantur, nec ſupputabantur præ multitudine.*

6 *Et adduxerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini ad locum ſuum, ad oraculum domus, ad Sãctitatem ſanctitatum ſub alas Cherubim.*

7 *Quia Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ & operiebãt Cherubim arcã, & vectes eius deſuper.*

8 *Et elongare fecerunt vectes, & apparebant capita vectium è Sanctitate coram oraculo, & non apparebant extrinſecus, fueruntque ibi vſque ad diem hanc.*

9 *Non erant in arca niſi duæ tabulæ lapideæ, quas repoſuerat ibi Moſeh in Choreb, quando pepigit fœdus cum filijs Iſrael, quando egreſſi ſunt è terra Ægypti.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

*Quæ hic poſita reſpondent noſtræ vulgatæ, & clauſa duobus aſteriſcis habẽtur paulò ſupra. poſt verſ. 45 vbi aſteriſcus.

47 Et accepit rex Salomon vaſa: quæ fecerat in domo Domini, * Non erat pondus æris, quo fecit omnia opera hæc præ multitudine valdè, non erat terminus ponderum æris. * 48 Altare aureum, & menſam, ſuper quam panes oblationis, auream: 49 Et candelabra quinque à ſiniſtris, & quinque à dextris ſecundum faciem Dabir, aurea concluſa, & lampadas, & lucernas: 50 Et eparyſtres aureas, & veſtibula, & claui, & phialæ, patellæ, & mortariola aurea, concluſa: & cardines oſtiorum domus intimæ Sancti ſanctorum, & oſtia templi aurea.

51 Et completum eſt opus, quod fecit Salomon domus Domini, & intulit Salomon ſancta Dauid patris ſui, & omnia ſancta Salomon, argentum, & aurum, & vaſa dedit in theſauros domus Domini.

### CAP. VIII.

1 & 2 ET factum eſt, poſtquam conſummauit Salomon ædificare domum Domini, & domum ſuam poſt viginti annos, tunc conuocauit rex Salomon omnes ſeniores Iſrael in Sion ad ferendum arcam teſtamenti Domini e ciuitate Dauid (hæc eſt Sion) in menſe Athanin. 3 Et tulerunt ſacerdotes arcam.
4 Et tabernaculum teſtimonij, & vaſa ſancta, quæ in tabernaculo teſtimonij. 5 Et rex, & omnis Iſrael
ante arcam, immolantes oues, & boues ſine numero. 6 Et inferunt ſacerdotes arcam in locum eius, in
Dabir domus, in Sancta ſanctorum ſub alas Cherubim. 7 Quoniam Cherubim expanſa alis ſuper locum arcæ, & cooperiebant Cherubim ſuper arcam, & ſuper ſancta eius deſuper. 8 Et eminere faciebant ſanctificata, & inſpiciebantur capita ſanctificatorum e ſanctis ad faciem Dabir, & non videbantur extra.
9 Non erat in arca, niſi duæ tabulæ lapideæ, tabulę teſtamenti, quas poſuit Moyſes in Choreb, quas diſpoſuit Dominus cum filijs Iſrael in egrediendo eos e terra Ægypti.

Et ſa-

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Factum eſt autem, cum exiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini: | 10 | 10 | *Et fuit cum exirent ſacerdotes è Sanctitate nubes repleuit domum Domini:* |
| Et non poterant ſacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini. | 11 | 11 | *Et non potuerunt ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum propter nubem: repleuerat enim gloria Domini domum Domini.* |
| * 2. Par. 6. 1. Tunc ait Salomon: * Dominus dixit, vt habitaret in nebula. | 12 | 12 | *Tunc dixit Selomoh: Dominus dixit, vt habitaret in caligine.* |
| Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. | 13 | 13 | *Ædificando ædificaui domum habitaculi tibi, habitaculum, vt habitares in ſæcula.* |
| Conuertitque rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael: omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat. | 14 | 14 | *Et vertit rex faciem ſuam, & benedixit omni congregationi Iſrael: omnis autem congregatio Iſrael ſtabat.* |
| Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit, dicens: | 15 | 15 | *Et ait: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & potentia ſua impleuit, dicendo:* |
| A die, qua eduxi populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi Dauid, vt eſſet ſuper populum meum Iſrael. | 16 | 16 | *A die, qua eduxi populum meum Iſrael ex Ægypto, non elegi ciuitatem ex vniuerſis tribubus Iſrael ad ædificandum domum, vt eſſet nomen meum ibi: ſed elegi Dauid, vt eſſet ſuper populum meum Iſrael.* |
| * 2. Reg. 7. 2. * Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Iſrael: | 17 | 17 | *Et fuit in corde Dauid patris mei, vt ædificaret domum nomini Dei Iſrael:* |
| Et ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans. | 18 | 18 | *Dixit autem Dominus ad Dauid patrem meum: Pro eo, quòd fuit in corde tuo, vt ædificares domum nomini meo benefeciſti, quia fuit in corde tuo.* |
| Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, ſed filius tuus qui egredietur de renibus tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo. | 19 | 19 | *Verumtamen tu non ædificabis domum, ſed filius tuus, qui egreſſus eſt de lumbis tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo.* |
| Confirmauit Dominus ſermonem ſuum, quem locutus eſt: ſtetique pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael. | 20 | 20 | *Firmauitque Dominus verbum ſuum, quod locutus eſt: & ſurrexi pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, quemadmodum locutus eſt Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael.* |
| Et conſtitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini eſt, quod percuſſit cum patribus noſtris, quando egreſſi ſunt de terra Ægypti. | 21 | 21 | *Et poſui ibi locum arcæ in qua eſt fœdus Domini, quod pepigit cum patribus noſtris, quando eduxit eos è terra Ægypto.* |
| Stetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in cœlum: | 22 | 22 | *Stetit autem Selomoh ante altare Domini coram omni congregatione Iſrael, & extendit palmas ſuas ad cælum:* |
| Et ait: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui Deus in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum: qui cuſtodis pactum, & miſericordiam ſeruis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde ſuo. | 23 | 23 | *Et dixit: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tibi Deus in cælo deſuper, nec ſuper terram deorſum: cuſtodiens pactum, & miſericordiam ſeruis tuis, qui ambulant coram te toto corde ſuo.* |
| Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfeciſti, vt hæc dies probat. | 24 | 24 | *Qui ſeruaſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei: & locutus es ore tuo, & potentia tua impleſti ſecundum diem hanc.* |
| Nunc | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et factum eſt, quando exierunt ſacerdotes e Sancto, & nubes impleuit domum: 11 Et non potuerunt ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum à facie nubis: quoniam impleuerat gloria Domini domum. 12 Tunc locutus eſt Salomon pro domo, poſtquam conſummauit ædificare eam: Solem fecit notum in cœlo: Dominus dixit habitare in caligine. 13 Ædifica domum meam domum decoram tibi ad inhabitandum ſuper nouitatem: Nonne ecce hæc ſcripta eſt in libro cantici. 14 Et conuertit rex faciem ſuam, & benedixit rex omnem Iſrael: & omnis eccleſia Iſrael ſtabat. 15 Et dixit: Benedictus Dominus Deus Iſrael hodie, qui locutus eſt in ore ſuo de Dauid patre meo, & in manibus ſuis impleuit, dicens: 16 Ex qua die eduxi populũ meũ Iſrael de Ægypto, non elegi in ciuitate in vno ſceptro Iſrael ad ædificandam domum, vt eſſet nomen meũ ibi: & elegi in Hieruſalē eſſe nomen meũ ibi: & elegi Dauid, vt eſſet ſuper populũ meũ Iſrael. 17 Et fuit ſuper cor patris mei ædificare domum nomini Dñi Dei Iſrael: 18 Et dixit Dñs ad Dauid patrē meum: Pro eo quod venit in cor tuũ, ædificare domum nomini meo, rectè feciſti, quia factum eſt ſuper cor tuum. 19 Verumtamen tu non ædificabis domum, ſed filius tuus egreſſus e lateribus tuis, hic ædificabit domum nomini meo. 20 Et ſuſcitauit Dominus verbum ſuum, quod locutus eſt: & ſurrexi pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronũ Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael. 21 Et poſui ibi locum arcæ, in qua eſt ibi teſtamentum Domini, quod diſpoſuit Dominus cum patribus noſtris, cum ipſe educeret eos de terra Ægypti. 22 Et ſurrexit Salomon ad faciem altaris Domini coram omni eccleſia Iſrael, & expandit manus ſuas ad cœlum: 23 Et dixit: Domine Deus Iſrael, non eſt, ſicut tu, Deus in cœlo ſurſum, & ſuper terram deorſum: cuſtodiens teſtamentum, & miſericordiam ſeruo tuo ambulanti coram te in toto corde ſuo. 24 Quæ cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, etenim locutus es in ore tuo: & in manibus tuis impleuiſti, ſicut dies hæc.

Hæc quæ poſita ſunt 12 & 13 aliqua ex parte reſpondent noſtræ vulgatæ (hanc) tranſlat. ex Septuag. habemus infra poſt nu 53. vbi aſteriſcus.

Et nunc

## Vulgata Editio.

25 Nunc igitur Domine Deus Iſrael, conſerua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: *Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſrael: ita tamen ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam, vt ambulent coram me ſicut tu ambulaſti in conſpectu meo. (*2.Reg.7.14.)

26 Et nunc Domine Deus Iſrael firmentur verba tua, quæ locutus es ſeruo tuo Dauid patri meo.

27 Ergone putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? ſi enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?

28 Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius Domine Deus meus: audi hymnum, & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodie:

29 Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte, ac die: ſuper domum, de qua dixiſti: *Erit nomen meum ibi: vt exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus. (*Deut.12.11.)

30 Vt exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, quodcumque orauerint in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cum exaudieris, propitius eris.

31 Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur aſtrictus, & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam:

32 Tu exaudies in cœlo: & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificanſque iuſtum, & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam.

33 Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam & confitentes nomini tuo, venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac;

34 Exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram quam dediſti patribus eorum.

35 Si clauſum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis conuerſi fuerint propter afflictionem ſuam:

36 Exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſeruorum tuorum, & populi tui Iſrael: & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem.

Ex-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et nunc Domine Deus Iſrael cuſtodi ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicendo: Non excidetur tibi vir à facie mea ſedens ſuper thronum Iſrael: verumtamen ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam, vt ambulent coram me, ſicut ambulaſti coram me.*

26 *Et nunc Deus Iſrael ſtabiliatur obſecro verbũ tuũ, quod locutus es ſeruo tuo Dauid patri meo.*

27 *Num verè habitabit Deus ſuper terram? ecce cœli, & cœli cœlorum non continent te, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?*

28 *Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad deprecationem eius Domine Deus mi: vt audias clamorem, & orationem quam ſeruus tuus orat coram te hodie:*

29 *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die, ac nocte: in loco, de quo dixiſti: Erit nomen meum ibi: vt audias orationem, quam orat ſeruus tuus in loco iſto.*

30 *Et exaudi deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, qui orauerint in loco iſto, & exaudies de loco habitationis tuæ de cœlis, & exaudies, & parces.*

31 *Cum peccauerit vir in proximum ſuum, & exegerit ab eo iuramentum vt faciat iurare eum, & venerit iuramentum ante altare tuum in domo hac.*

32 *Tu exaudies in cœlo: & facies, & iudicabis ſeruos tuos, vt condemnes impium, dando viam eius in caput eius, & iuſtifices iuſtum, dando ei ſecundum iuſtitiam eius:*

33 *Cum caſus fuerit populus tuus Iſrael coram inimico ſi peccauerint tibi, & reuerſi fuerint ad te, & confeſſi fuerint nomen tuum, & orauerint, & deprecati fuerint te in domo hac,*

34 *Tu exaudies in cœlo, & parces peccato populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum.*

35 *Cum clauſum fuerit cœlum, & non fuerit pluuia, ſi peccauerint tibi, & orauerint in loco iſto, & confeſſi fuerint nomen tuum, & à peccato ſuo auerſi fuerint quum afflixeris eos:*

36 *Tu exaudies in cœlo, & parces peccato ſeruorum tuorum, & populi tui Iſrael: docebis enim eos viam bonam per quam ambulent, & dabis pluuiam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in hæreditate.*

*Fa-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et nunc Domine Deus Iſrael cuſtodi ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur à
te vir à facie mea ſedens ſuper thronum Iſrael: dummodo cuſtodiant filij tui vias ſuas, ambulando coram me, ſi-
cut ambulaſti coram me. 26 Et nunc Domine Deus Iſrael, fidele ſit, obſecro, verbum tuum Dauid patri meo.
27 Quoniam ſi verè habitabit Deus cum hominibus ſuper terram? ſi cœlum, & cœlum cœli non ſufficiunt tibi,
tantum etiam domus hæc, quam ædificaui nomini tuo? 28 Et reſpicies ſuper orationem meam Domine Deus
Iſrael: audiendo deprecationem, quam ſeruus tuus deprecatur coram te ad te hodie: 29 Vt ſint oculi tui aper-
ti in domum hanc die, & nocte: ad locum, quem dixiſti: Erit nomen meum ibi: vt exaudias deprecationem, quã
deprecatur ſeruus tuus, ad locum hunc die, & nocte. 30 Et exaudies orationem ſerui tui & populi tui Iſrael,
quæcumque deprecati fuerint in loco hoc, & tu exaudies in loco habitationis tuæ in cœlo, & facies, & propitius
eris. 31 Quæcumque peccauerit vnuſquiſque proximo ſuo, & ſi acceperit in eum maledictionem ad maledi-
cendum eum, & venerit, & confeſſus fuerit ad faciem altaris tui in domo hac: 32 Et tu exaudies de cœlo: & fa-
cies, & iudicabis populum tuum Iſrael, iniquitatis condemnando iniquum, & dando viam eius in caput eius &
ad iuſtificandum iuſtum, dando ei ſecundum iuſtitiam eius. 33 In cadendo populum tuum Iſrael coram ini-
micis, quoniã peccabunt tibi, & reuertent, & confitebuntur nomini tuo, & deprecabuntur, & orabũt in domo hac;
34 Et tu exaudies de cœlo & propitius eris peccatis populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti pa-
tribus eorum. 35 Cum cohibitum fuerit cœlum, & non fuerit facta pluuia, quoniam peccabunt tibi, & depreca-
buntur in loco hoc, & confitebuntur nomini tuo, & à peccatis ſuis auertent ſe, cum humiliaueris eos: 36 Et
exaudies de cœlo, & propitius eris peccatis ſerui tui, & populi tui Iſrael: quoniam manifeſtabis eis viam bonam ad
ambulandum in ea, & dabis pluuiam ſuper terram, quam dediſti populo tuo in hæreditate.

Fames

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

37 Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obſidens, omnis plaga, vniuerſa infirmitas:

38 Cuncta deuotatio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael: ſi quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac:

39 Tu exaudies in cęlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum)

40 Vt timeant te cunctis diebus, quibus viuunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris.

41 Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomē tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum.

42 Extentum vbique) cum venerit ergo, & orauerit in hoc loco:

43 Tu exaudies in cęlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena: vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomē tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael, & probent, quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hāc, quam ædificaui.

44 Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos, per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegiſti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo.

45 Et exaudies in cęlo orationes eorum, & preces eorum & facies iudicium eorum.

* 1. Par. 6. 36. 1. Io. 1. 8. Eccl. 7. 21.

46 Quod ſi peccauerint tibi (* non eſt enim homo, qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longe, vel prope:

47 Et egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captiuitatis, & conuerſi deprecati te fuerint in captiuitate ſua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus:

48 Et reuerſi fuerint ad te in vniuerſo corde ſuo, & tota anima ſua in terra inimicorum ſuorum, ad quam captiui ducti fuerint: & orauerint te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegiſti, & templi, quod ædificaui nomini tuo:

Exau-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

37 *Fames ſi fuerit in terra, peſtis ſi fuerit, ariditas, ærugo locuſta, bruchus cum fuerit, ſi obſederit eum inimicus eius in terra portarum ſuarum, omnis plaga, omnis infirmitas:*

38 *Omnis oratio, omnis deprecatio quæ fuerit omni homini, omni populo tuo Iſrael: ſi cognouerint vnuſquiſque plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac:*

39 *Tu exaudies de cœlo, de loco habitationis tuæ, & parcito ac facito, dabiſque vnicuique ſecundum omnes vias ſuas cuius cognouiſti cor, tu enim noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.*

40 *Vt timeant te omnibus diebus, quibus viuunt in ſuperficie terræ, quam dediſti patribus noſtris.*

41 *Et etiam de alienigenis, qui non de populo tuo Iſrael ſunt, & venerint de terra longinqua, ſi audierint nomen tuum magnum, & potentiam tuam validam, & brachium tuum.*

42 *Extentum, & venerint, & orauerint in domo hac:*

43 *Tu exaudies de cœlo, de loco reſidentiæ tuæ, facieſque iuxta omnia pro quibus inuocauerint te alienigenæ, vt ſciant omnes populi terræ nomen tuum, vt timeant te, ſicut populus tuus Iſrael, & cognoſcant, quòd nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc, quā ædificaui.*

44 *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicum ſuum per viam, per quam miſeris eos, & orauerint ad Dominum in via ciuitatis, quam elegiſti, & domum quam ædificaui nomini tuo.*

45 *Exaudies de cœlo orationem eorum, & deprecationē eorum, & facies iudicium eorum.*

46 *Si peccauerint tibi (non eſt enim homo, qui non peccet,) & iratus fueris contra eos, tradideriſque eos coram inimico, & captiuos duxerint ipſos captiuos ducentes eos in terram inimici longinquam, vel propinquam:*

47 *Et reuerſi fuerint ad cor ſuum in terra, in qua captiui ducti fuerunt, & reuerſi fuerint, & deprecati fuerint te in terra illorum, qui captiuos eos duxerunt, dicendo: Peccauimus, & iniquè egimus, impiè egimus:*

48 *Et reuerſi fuerint ad te toto corde ſuo, & tota anima ſua in terra inimicorum ſuorum, qui captiuos duxerunt eos: & orauerint ad te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum ciuitatis, quam elegiſti, & domus quam ædificaui nomini tuo:*

*Exau-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

37 Fames ſi facta fuerit, mors ſi facta fuerit, quia erit incendium, bruchus, ærugo ſi fuerit, & ſi tribulauerit eum inimicus eius in vna ciuitatum eius, omnem occurſum. 38 Omnem laborem, omnem deprecationem, omnem orationem, ſi acciderit omni homini, poſtquam cognouerint vnuſquiſque tactum cordis ſui, & expanderit manus ſuas in loco hoc: 39 Et tu exaudies de cęlo, ex parato habitaculo tuo, & propitius eris, & facies, & dabis viro iuxta vias eius, ſicut cognoueris vias eius: quoniam tu prorſus ſolus nouiſti cor omnium filiorum hominum. 40 Vt timeant te omnibus diebus, quibus vixerint ſuper terram, quam dediſti patribus noſtris. 41 Etiam alieno, qui non eſt de populo tuo hic. 42 Et venient, & deprecabuntur in loco hoc: 43 Et tu exaudies de cęlo de præparato habitaculo tuo, & facies iuxta omnia, quæcumque inuocauerit te alienus: vt cognoſcant omnes populi nomen tuum, & timeant te, ſicut populus tuus Iſrael, & cognoſcant, quia nomē tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc, quam ædificaui. 44 Quia egredietur populus tuus in bellum ſuper inimicos ſuos in via, qua conuertes eos, & deprecabuntur in nomine Domini viam ciuitatis, quam elegiſti in ea & domus, quam ædificaui nomini tuo. 45 Et tu exaudies de cęlo orationem eorum, & deprecationem eorum, & facies iuſtificationem eis. 46 Quia peccabunt tibi (quoniam non eſt homo, qui non peccabit) & induces eos, & trades eos coram inimicis, & captiuantes captiuabunt in terram longè, vel propè, & conuertent corda ſua in terra, quo tranſlati fuerint illuc: 47 Et conuerterint ſe in terra tranſmigrationis ſuæ, & orauerint te, dicentes: Peccauimus iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus: 48 Et reuerterint ad te in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, in terra inimicorum ſuorum, quo tranſtuleris eos, & deprecabuntur ad te viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegiſti, & domus, quam ædificaui nomini tuo:

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Exaudies in cœlo, in firmamento ſolij tui orationes 49
eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum:

Et propitiaberis populo tuo, qui peccauit tibi, & 50
omnibus iniquitatibus eorum, quibus præuaricati ſunt in te: & dabis miſericordiam coram eis, qui eos captiuos habuerint, vt miſereantur eis.

Populus enim tuus eſt, & hæreditas tua, quos eduxi- 51
ſti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.

Vt ſint oculi tui aperti ad deprecationem ſerui tui, 52
& populi tui Iſrael, & exaudias eos in vniuerſis pro quibus inuocauerint te.

Tu enim ſeparaſti eos tibi in hæreditatem de vni- 53
uerſis populis terræ, ſicut locutus es per Moyſen ſeruum tuum, quando eduxiſti patres noſtros de Ægypto Domine Deus.

Factum eſt autem, cum compleſſet Salomon orans 54
Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc: ſurrexit de conſpectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.

Stetit ergo, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael voce 55
magna, dicens:

Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo ſuo 56
Iſrael, iuxta omnia, quæ locutus eſt: non cecidit ne vnus quidem ſermo ex omnibus bonis, quæ locutus eſt per Moyſen ſeruum ſuum.

Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum 57
patribus noſtris, non derelinquens nos, neque proijciens.

Sed inclinet corda noſtra ad ſe, vt ambulemus in v- 58
niuerſis vijs eius, & cuſtodiamus mandata eius, & ceremonias eius, & iudicia quæcumque mandauit patribus noſtris.

Et ſint ſermones mei iſti, quibus deprecatus ſum 59
coram Domino, appropinquantes Domino Deo noſtro die, ac nocte, vt faciat iudicium ſeruo ſuo, & populo ſuo Iſrael per ſingulos dies:

Vt ſciant omnes populi terræ, quia Dominus ipſe 60
eſt Deus, & non eſt vltra abſque eo.

Sit quoque cor noſtrum perfectum cum Domino 61
Deo noſtro, vt ambulemus in decretis eius, & cuſtodiamus mandata eius, ſicut & hodie.

Igitur rex, & omnis Iſrael cum eo, immolabant vi- 62
ctimas coram Domino.

M.-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

49 *Exaudies de cœlo, de loco reſidentiæ tuæ orationem eorum, & deprecationem eorum, & facies iudicium eorum:*

50 *Parceſque populo tuo, qui peccauerunt tibi, & omnibus præuaricationibus eorum, quibus præuaricati ſunt contra te: & dabis eos in miſericordias coram eis, qui captiuos duxerunt eos, & miſerebuntur eorum.*

51 *Populus enim tuus, & hæreditas tua ſunt quos eduxiſti ex Ægypto è medio fornacis ferreæ.*

52 *Vt ſint oculi tui aperti ad deprecationem ſerui tui, & ad deprecationem populi tui Iſrael, vt exaudias eos omni tempore quo inuocauerint te.*

53 *Tu enim ſeparaſti eos tibi in hæreditatem de vniuerſis populis terræ, ſicut locutus es per manum Moſeh ſerui tui, quando eduxiſti patres noſtros ex Ægypto Domine Deus.*

54 *Et fuit, cum compleuiſſet Selomoh orare ad Dominum omni oratione, & deprecatione hac: ſurrexit à facie altaris Domini: à genuflectendo ſuper genua ſua, & manibus ſuis, expanſis ad cœlum.*

55 *Et ſtetit, & benedixit omni congregationi Iſrael voce magna, dicendo:*

56 *Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo ſuo Iſrael, iuxta omnia, quæ locutus eſt: non cecidit verbum vnum ex omni verbo eius bono, quod locutus eſt per manum Moſeh ſerui ſui.*

57 *Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris, ne derelinquat nos, & ne deſerat nos.*

58 *Vt inclinare faciat cor noſtrum ad eum, vt ambulemus in vniuerſis vijs eius, & cuſtodiamus præcepta eius, & decreta eius, & iudicia eius, quæ præcepit patribus noſtris.*

59 *Et ſint verba mea hæc, quibus deprecatus ſum coram Domino, propinqua Domino Deo noſtro per diem, & noctem, vt faciat iudicium ſerui ſui, & iudicium populi ſui Iſrael per ſingulos dies:*

60 *Vt cognoſcant omnes populi terræ, quòd Dominus eſt Deus, nec eſt vltra.*

61 *Et ſit cor eorum perfectum cum Domino Deo noſtro, vt ambulent in decretis eius, & cuſtodiant præcepta eius, ſecundum diem hanc.*

62 *Rex autem, & omnis Iſrael cum eo ſacrificabant ſacrificium coram Domino.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

49 Et exaudies de cœlo, de præparato habitaculo tuo: 50 Et propitius eris iniuſtitijs eorum, quibus peccauerint tibi, & iuxta omnes præuaricationes eorum, quas præuaricati fuerint tibi, & dabis eos in miſericordias coram ijs, qui captiuauerunt eos, & miſerebuntur in eos. 51 Quoniam populus tuus, & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Ægypti, è medio fornacis ferri. 52 Et ſint oculi tui, & aures tuæ apertæ ad orationem ſerui tui, & ad orationem populi tui Iſrael, ad exaudiendum eos in omnibus, quæcumque inuocauerint te.
53 Quoniam tu diſtinxiſti eos tibi in hæreditatem ex omnibus populis terræ, ſicut locutus es in manu ſerui tui Moyſi, in educendo te patres noſtros e terra Ægypti, Domine, Domine. * 54 Et factum eſt, poſtquam conſummauit Salomon deprecans ad Dominum deprecationem, & orationem hanc, & ſurrexit à facie altaris Domini cum curuaſſet ſe ſuper genua ſua, & manus eius expanſæ ad cœlum. 55 Et ſtetit, & benedixit omnem eccleſiam Iſrael voce magna, dicens: 56 Benedictus Dominus hodie, qui dedit requiem populo ſuo Iſrael, iuxta omnia, quæcumque locutus eſt: non diſſonauit verbum vnum in omnibus verbis eius bonis, quæ locutus eſt in manu ſerui ſui Moyſi. 57 Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris, ne derelinquat nos, neque auertat nos. 58 Inclinando corda noſtra ad ipſum, vt eamus in omnibus vijs eius, & cuſtodiamus omnia mandata eius, & præcepta eius, quæ mandauit patribus noſtris. 59 Et ſint verba hæc, ſicut oraui coram Domino Deo noſtro, appropinquantia ad Dominum Deum noſtrum die, ac nocte, ad faciendum iuſtificationem ſerui tui, & iuſtificationem populi Iſrael, verbum diei in die anni: 60 Vt cognoſcant omnes populi terræ, quia Dominus Deus, ipſe eſt Deus, & non eſt vltra. 61 Et ſint corda noſtra perfecta erga Dominum Deum noſtrum, & ſanctè ambulando in præceptis eius, & cuſtodiendo mandata eius, ſicut dies hæc.
62 Et rex, & omnes filij Iſrael ſacrificauerunt ſacrificium coram Domino.

Et ſa-

## Vulgat. Editio.

63 Mactauitque Salomon hoſtias pacificas, quas immolauit Domino, boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia: & dedicauerunt templum Domini rex, & filij Iſrael.

64 In die illa ſanctificauit rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificiũ, & adipem pacificorum.

65 Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtiuitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath vſque ad Riuum Ægypti, coram Domino Deo noſtro, ſeptem diebus, & ſeptẽ diebus, id eſt, quattuordecim diebus.

66 Et in die octaua dimiſit populos: qui benedicentes regi, profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes, & alacri corde ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid ſeruo ſuo, & Iſrael populo ſuo.

### CAP. IX.

1 FActum eſt autem cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optauerat, & voluerat facere:

*2. Par. 7. 18. Sup. 3. 5.

2 Apparuit ei Dominus ſecundo, * ſicut apparuerat ei in Gabaon.

3 Dixitque Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

4 Tu quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & in æquitate: & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea, & iudicia mea ſeruaueris:

*2. Reg. 7. 12. 16.

5 * Ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum, ſicut locutus ſum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſrael.

6 Si autem auerſione auerſi fueritis vos, & filij veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis, & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos:

Au-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

63 *Et ſacrificauit Selomoh ſacrificium pacificorum, quod ſacrificauit Domino, boues viginti, & duo millia, & oues centum viginti millia: & dedicauerũt domum Domini rex, & omnes filij Iſrael.*

64 *In die illa ſanctificauit rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: fecit quippe ibi holocauſtum, & ſacrificium, & adipes pacificorum: quia altare æreum, quod erat coram Domino, erat paruum, vt nõ comprehenderet holocauſtum, & ſacrificium, & adipes pacificorum.*

65 *Fecitque Selomoh in tempore illo feſtiuitatem, & omnis Iſrael cum eo congregatione magna ab ingredi Chamath vſque ad torrentem Ægypti coram Domino Deo noſtro ſeptem diebus, & ſeptem diebus quatuordecim diebus.*

66 *Die autem octauo dimiſit populum: & benedixerunt regi, & abierunt in tabernacula ſua, lætantes, & iucundi corde ſuper omne bonum, quod fecerat Dominus Dauid ſeruo ſuo, & Iſrael populo ſuo.*

### CAP. IX.

1 *ET fuit, cum compleuiſſet Selomoh ædificare domum Domini, & domum regiam, & omne deſiderium Selomoh, quod voluit facere*

2 *Apparuit Dominus Selomoh ſecundo, ſicut apparuerat ei in Ghibhon.*

3 *Dixitque Dominus ei: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt poneremnomen meum ibi vſque in ſeculum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi omnibus diebus.*

4 *Tu autem ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit Dauid pater tuus in perfectione cordis, & rectitudine, vt facias ſecundum omnia, quæ præcepi tibi, decreta mea, & iudicia mea ſeruaueris:*

5 *Firmabo thronum regni tui ſuper Iſrael in ſeculum, ſicut locutus ſum ad Dauid patrem tuum, dicendo: Non abſcindetur tibi vir à throno Iſrael.*

6 *Si auertendo auerſi fueritis vos, & filij veſtri à me, & non cuſtodieritis præcepta mea, & decreta mea, quæ dedi coram vobis, ſed abieritis, & ſeruieritis dijs alienis.*

Ex-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

63 Et ſacrificauit rex Salomon ſacrificia pacificorum, quæ ſacrificauit Domino, boum duo, & viginti millia, ouiũ centum, & viginti millia: & dedicauit domum Domini rex, & omnes filij Iſrael. 64 Die illa ſanctificauit rex medium atrij, quod ad faciem domus Domini: quoniam fecit ibi holocauſtoſim, & ſacrificia, & adipes pacificorum: quoniam altare æreum, quod coram Domino, paruum erat, ita vt non poſſet holocauſtoſim, & ſacrificia pacificorum ſufferre. 65 Et fecit Salomon feſtiuitatem in die illa, & omnis Iſrael cum eo, eccleſia magna ab introitu Hemath vſque ad flumen Ægypti coram Domino Deo noſtro in domo, quam ædificauit, comedens, & bibens, & lætans coram Domino Deo noſtro ſeptem dies. 66 Et in die octaua dimiſit populum: & benedixerunt regẽ, & abijt vnuſquiſque ad tabernacula ſua lætantes, & bonum fuit cor ſuper bonis, quæ fecerat Dominus Dauid ſeruo ſuo, & Iſrael populo ſuo.

### CAP. IX.

ET factum eſt, poſtquam conſummauit Salomon ædificare domum Domini, & domum regis, & omne opus Salomon, quæcumque voluit facere: 2 Et apparuit Dominus ipſi Salomon ſecundo, ſicut apparuerat in Gabaon. 3 Et dixit ad eum Dominus: Audiui vocem deprecationis tuæ, & orationis tuæ, quam oraſti coram me, feci tibi ſecundum omnem deprecationem tuam: ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti ad ponendum nomen meum ibi in ſæculum, & erunt oculi mei illuc, & cor meum omnibus diebus. 4 Et tu ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit Dauid pater tuus in ſanctitate cordis, & rectitudine, & faciendo iuxta omnia, quæ mãdaui ei, & præcepta mea, & mandata mea cuſtodieris: 5 Et faciam ſurgere thronum regni tui in Iſrael in ſæculum, ſicut locutus ſum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur tibi vir Dux in Iſrael. 6 Si autem auerſi auerſi fueritis vos, & filij veſtri à me, & non cuſtodieritis mandata mea, & præcepta mea, quæ dedit Moyſes coram vobis & ieritis, & ſeruieritis dijs alijs, & adoraueritis eos:

Et tol-

## Vulgata Editio.

7 Auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis: & templum, quod ſanctificaui nomini meo, proijciã à conſpectu meo, eritque Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.

8 Et domus hæc erit in exemplum: omnis, qui tranſierit per eam, ſtupebit & ſibilabit, & dicet: * Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic?

* Deu. 29. 24. Ier. 22. 8.

9 Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & ſecuti ſunt deos alienos, & adorauerũt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc.

10 * Expletis autem annis viginti poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt domum Domini, & domum regis:

* 2. Par. 8. 1.

11 (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina, & abiegna, & aurum iuxta omne, quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.

12 Et egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei:

13 Et ait: Hæccine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi, frater? Et appellauit eas terram Chabul, vſque in diem hanc.

14 Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem cẽtum viginti talenta auri.

15 Hæc eſt ſumma expenſarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini, & domum ſuam, & Mello, & murum Ieruſalem, & Heſer, & Mageddo, & Gazer.

16 Pharao rex Ægypti aſcendit, & cepit Gazer, ſuccenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.

17 Ædificauit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem:

18 Et Baalath & Palmiram in terra ſolitudinis.

19 Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muro, muniuit, & ciuitates curruum, & ciuitates equitum, & quodcumque ei placuit, vt ædificaret in Ieruſalem, & in Libano, & in omni terra poteſtatis ſuæ.

20 Vniuerſum populum, qui remãſerat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, qui non ſunt de filijs Iſrael:

Ho-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Excidam Dauid è ſuperficie terra, quam dedi eis: & domum, quam ſanctificaui nomini meo, dimittam à facie mea, & erit Iſrael in parabolam, & in fabulam in omnibus populis.*

8 *Et domus iſta, qua eſt altiſſima: omnis qui tranſierit iuxta eam, obſtupeſcet, & ſibilabit, & dicet: Propter quid fecit Dominus ſic terra huic, & domui huic?*

9 *Et dicent: Eo quod dereliquerunt Dominum ſuum, qui eduxit patres eorum è terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, adorauerũtque eos, & ſeruierunt eis: idcirco induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc.*

10 *Et fuit, in fine viginti annorum quibus ædificauit Selomoh duas domos, domum Domini, & domum regiam:*

11 *Chiram rex Tyri donauerat Selomoh ligna cedrina, & abiegna, & aurum ſecundum omnem voluntatem eius, tunc dedit rex Selomoh ipſi Chiram viginti vrbes in terra Ghalil.*

12 *Et egreſſus eſt Chiram, è Tyro, vt videret vrbes quas tradiderat ei Selomoh, & non placuerunt in oculis eius:*

13 *Et dixit: Quales ſunt vrbes iſta, quas dediſti mihi frater mi? Et appellauit eas terram Chabul vſque ad diem hanc.*

14 *Miſit autem Chiram ad regem centum, & viginti talenta auri.*

15 *Et hac eſt res, quam aſcendere fecit rex Selomoh ad ædificandum domum Domini, & domum ſuam, & Millo, & murum Ieruſalaim, & Chaſer, & Meghiddo, & Ghezer.*

16 *Parhoh rex Ægypti aſcendit, & cepit Ghezer, & ſuccendit eam igni, & Chenahanaum qui habitabat in ciuitate interfecit, & tradidit eam pro muneribus filia ſua vxori Selomoh.*

17 *Et ædificauit Selomoh Ghezer, & Bethchoron inferiorem:*

18 *Et Bahalath, & Tamor in deſerto in terra.*

19 *Et omnes vrbes theſaurorum, qua erant ipſi Selomoh, & ciuitates curruum, & ciuitates equitum, & deſiderium Selomoh, quod deſiderauit ædificare in Ieruſalaim, & in Lebanon, & in omni terra Domini ſui,*

20 *Omnem populum, qui remanſerat de Emorræo, Chittæo, Perizæo, Chiuuæo, & Iebuſæo, qui non de filijs Iſrael erant:*

*Fi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et tollam Iſrael de terra, quam dedi eis: & domum hãc, quam ſanctificaui nomini meo, abijciam à facie mea: & erit Iſrael in perditionem, & in ſermonem in omnibus populis. 8 Et domus iſta erit excelſa: omnis tranſiēs per eam ſtupebit, & ſibilabit, & dicent: Propter quid fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? 9 Et dicēt: Pro eo, quod dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum ex Ægypto, e domo ſeruitutis, & ſuſceperunt deos alienos, & adorauerunt eos, & ſeruierunt eis, propter hoc induxit Dominus ſuper eos malũ hoc. 10 Viginti annis, in quibus ædificauit Salomon ambas domos, domum Domini, & domum regis: 11 Chiram rex Tyri adiuuit Salomon in lignis cedrinis, & in lignis abiegnis, & in auro, & in omni voluntate eius, tunc dedit rex ipſi Chiram viginti ciuitates in terra Galilæa. 12 Et exiuit Chiram e Tyro, & iuit in Galilæam ad videndum ciuitates, quas dederat ei Salomon, & non placuerunt ei: 13 Et dixit: Quid ciuitates hæ, quas dediſti mihi frater? Et vocauit eas terminum vſque in diem hanc. 14 Et attulit Chiram Salomoni centum, & viginti talenta auri. * 15 Hæc fuit ſumma diſtributionis, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini, & domum regis, & murum Ieruſalem, & arcem, ad circumſepiendum ſepem ciuitatis Dauid, & Aſſur, & Magdal, & Gazer. 16 * Tunc aſcendit Pharao rex Ægypti, & cepit Gazer, & incendit eam, & Chananitem habitantem in Mergab, & dedit eas Pharao miſſiones filiæ ſuæ vxori Salomon. 17 Et Salomon ædificauit Gazer, * & Bethoron ſuperiorem. 18 Et Ballath, & ipſe ædificauit Thermæ in deſerto. * 19 Et omnes ciuitates curruum, & omnes ciuitates equitum, & negociationem Salomon, quam negociatus eſt, ædificando in Hieruſalem, & in omni terra. 20 Vt non opprimeret eum, omnem populum reſiduum de Chetæo, & Amorrhæo, & Pherezæo, & Chananæo, & Heuæo, & Iebuſæo, & Gergeſæo de ijs, qui non erant ex filijs Iſrael:

* Hæc habētur in hac translat. Rom. cap. seq. conſi[illegible] his q̃ a nobis notantur nu. 22.

* Ab hoc loco vſq; ad nu. 25. hæc [illegible] hac Roman. habētur cap. 10. poſt ea q̃ notantur nu. 22. ſed coniuncta his, quæ hic notata ſunt nu. 25.

Filio-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Horum filios, qui remanſerant in terra, quos ſcilicet non potuerant filij Iſrael exterminare: fecit Salomon tributarios, vſque in diem hanc.

22 De filijs autem Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum, & equorum.

23 Erant autem principes ſuper omnia opera Salomonis præpoſiti quingenti quinquaginta, qui habebant ſubiectum populum, & ſtatutis operibus imperabant.

* 2.Par.8. 11. 24 * Filia autem Pharaonis aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ei Salomon: tunc ædificauit Mello.

25 Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectumque eſt templum.

26 Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore Maris rubri, in terra Idumææ.

27 Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris, cum ſeruis Salomonis.

28 Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

### CAP. X.

* 2.Par.9. Mat.12.42. Luc.11.31. 1 SED * & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2 Et ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu, & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitũ nimis, & gemmas precioſas, venit ad regem Salomonem, & locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo.

3 Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat: non fuit ſermo, qui regem poſſet latere, & non reſponderet ei.

4 Videns autem regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat:

5 Et cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltra ſpiritum.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Filios eorum, qui remanſerant poſt eos in terra, quos non potuerunt filij Iſrael occidere: fecit Selomoh tributarios vſque ad diem hanc.*

22 *De filijs vero Iſrael non dedit Selomoh ſeruum, ſed erant viri bellatores, & ſerui eius, & principes eius, & duces eius, & principes curruum eius, & equitum eius.*

23 *Iſti ſunt principes præfectorum, qui erant ſuper opus Selomoh, quinquaginta, & quingenti, qui præerant populo, qui faciebat opus.*

24 *Sed filia Parhoh deſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ſibi: tunc ædificauit Millo.*

25 *Obtulit autem Selomoh tribus vicibus in anno holocauſta, & pacifica ſuper altare, quod ædificauerat Domino, & adoleuit ſuper illud, quod erat coram Domino: & perfecit domum.*

26 *Et nauem fecit rex Selomoh in Heſiongheber, quæ erat iuxta Eloth, iuxta ripam Maris Suph in terra Edom.*

27 *Miſitque Chiram in naui ſeruos ſuos viros nautas, gnaros maris cum ſeruis Selomoh.*

28 *Et venerunt in Ophir, & tulerunt inde aurum, quadraginta, & viginti talenta, & adduxerunt ad regem Selomoh.*

### CAP. X.

1 *REgina autem Seba audiens famam Selomoh in nomine Domini venit, vt tentaret eum in ænigmatibus.*

2 *Et ingreſſa eſt Ieruſalaim cum exercitu graui valde, camelis portantibus aromata, & aurum multum valdè, & lapides precioſos, venitque ad regem Selomoh, & locuta eſt ad eum omne, quod erat in corde ſuo.*

3 *Et indicauit ei Selomoh omnia verba eius: non fuit verbum abſconditum à rege, quod non indicauerit ei.*

4 *Et vidit regina Seba omnem ſapientiam Selomoh, & domum, quam ædificauerat.*

5 *Et cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum eius, & aſſiſtentiam miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, & pincernas eius, & gradus eius, quibus aſcendebant in domum Domini: & non erat in ea vltra ſpiritus.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Filiorum eorum reſiduos cum eo in terra, quos non potuerant filij Iſrael exterminare eos, & adduxit eos Salomon in tributum vſque in diem hanc. 22 Et de filijs Iſrael non dedit Salomon moleſtiam, quoniam ipſi erant viri bellatores, & pueri eius, & principes, & terciarij eius, & principes curruum eius, & equites eius. *
23 Et hi ſunt principes, qui erant præpoſiti ſuper opera ipſius Salomon ter mille, & ſexcenti præſides populi facientium opera. 24 Tunc adduxit Salomon filiam Pharaonis è ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ſibi in diebus illis * ſic filia Pharao aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ei: tunc ędificauit arcem. 25 Et Salomon offerebat tres in anno holocauſtoſes, & pacificas ſuper altare, quod ędificauerat Domino, & adolebat coram Domino: & conſummauit domum. 26 Et nauem pro ea re fecit rex Salomon in Gaſion Gaber, quę eſt iuxta Ailath ſuper labium vltimi maris in terra Edom. 27 Et miſit Chiram in naui puerorum ſuorum viros nauticos impellere ſcientes mare cum pueris Salomon. 28 Et venerunt in Sophira, & ſumpſerunt inde auri centum, & viginti talenta, & attulerunt regi Salomon.

### CAP. X.

ET regina Saba audiuit nomen Salomon, & nomen Domini, & venit tentare eum in ænigmatibus.
2 Et venit in Hieruſalem in virtute graui valde, & cameli portantes ſuauitates, & aurum multum valdè, & lapidem precioſum, & ingreſſa eſt ad Salomon, & locuta eſt ei omnia, quæcumque erant in corde ſuo.
3 Et indicauit ei Salomon omnia verba eius: non fuit verbum deſpectum à rege, quod non indicauit ei.
4 Et vidit regina Saba omnem prudentiam Salomon, & domum, quam ædificauerat: 5 Et cibos Salomon, & cathedram puerorum eius, & ſtationem miniſtrorum eius, & veſtem eius, & pincernas eius, & holocauſtoſim eius, quam offerebat in domo Domini: & extra ſe facta eſt.

Et

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Dixitque ad regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea.

7 Super ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.

8 Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

9 Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam.

10 Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas precioſas: non ſunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

* 2.Par.9.10.

11 (Sed & * claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas precioſas.

12 Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & citharas lyraſque cantoribus: non ſunt allata huiuſcemodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem.)

13 Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia, quę voluit, & petiuit ab eo: exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio. Quæ reuerſa eſt, & abijt in terram ſuam cum ſeruis ſuis.

14 Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri:

15 Excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negociatores, vniuerſique ſcruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, duceſque terræ.

16 Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius.

17 Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant: poſuitque eas rex in domo ſaltus Libani.

18 Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis:

19 Qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.

20 Et duodecim leunculi ſtãtes ſup ſex gradus hinc, atque inde: non eſt factũ tale opus in vniuerſis regnis.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Dixitque ad regem: Verum fuit verbum, quod audiui in terra mea.*

7 *Super verbis tuis, & ſapientia tua: & non credidi verbis, donec veni, & viderunt oculi mei, & ecce non fuit nunciatum mihi dimidium: addidiſti ſapientiam, & bonum ſuper famam, quam audiui.*

8 *Beati viri tui ſerui tui, hi qui ſtant coram te ſemper audientes ſapientiam tuam.*

9 *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui complacuit in te, vt poneret te ſuper ſolium Iſrael, cum dilexerit Dominus Iſrael in ſæculum, & poſuit te regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam.*

10 *Deditque regi centum, & viginti talenta auri, & aromata multa valdè, & lapides precioſos: non venerunt talia aromata vltra in multitudine, quæ dedit regina Seba regi Selomoh.*

11 *Et etiam nauis Chiram, quæ portabat aurum ex Ophir, detulit ex Ophir coralia multa valdè, & lapides precioſos.*

12 *Fecitque rex è coralijs fulcimenta domus Domini, & domus regis, & cytharas, & lyras cantoribus: non venerunt talia coralia, nec viſa ſunt vſque ad diem hanc.*

13 *Rex autem Selomoh dedit reginæ Seba omnem voluntatem ſuam, quam petiuit, præter ea, quæ dedit ei manu regia Selomoh. Et vertit ſe, & abijt in terram ſuam ipſa, & ſerui eius.*

14 *Erat autem pondus auri, quod veniebat ad Selomoh per annos ſingulos ſexcentorum, & ſexaginta, & ſex talentorum auri.*

15 *Præter viros mercatores, & negotiationem aromatariorum, & omnes reges Harabiæ, & duces terræ.*

16 *Fecit autem rex Selomoh ducenta ſcuta ex auro tracto, ſexcentos aureos tradidit pro ſcuto ſingulo.*

17 *Et trecentos clypeos ex auro tracto: tres minas auri tradidit pro ſingulis clypeis: & poſuit eos rex in domo ſaltus Lebanon.*

18 *Fecit autem rex ſolium eburneum grande: & operuit illud auro obrizo.*

19 *Sex gradus erant ſolio: & ſummitas rotunda erat ſolio à parte poſteriori: & loca hinc, & inde ſuper locum ſeſſionis, & duo leones ſtabant apud loca.*

20 *Et duodecim leones ſtabãt ibi ſuper ſex gradus hinc & inde: non fuit factum tale in omnibus regnis.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et dixit ad regem Salomon: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea. 7 De ſermone tuo, & de prudentia tua: & non credidi ijs, qui dicebant mihi, donec veni, & viderunt oculi mei, & ecce non ſunt dimidium, ſicut annunciarant mihi: appoſuiſti bona ad ea, ſuper omnem auditionem, quam audiui in terra mea. 8 Beatæ mulieres tuæ, beati pueri tui, qui aſſiſtunt coram te ſemper, qui audiunt omnem prudentiam tuam. 9 Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit in te, ad dandum te ſuper thronum Iſrael, eo quod Dominus diligat Iſrael ad ſtatuendum in ſæculum, & poſuit te regem ſuper eos ad faciendum iudicium in iuſtitia, & in iudicijs eorum. 10 Et dedit Salomoni centum viginti talenta auri, & ſuauitates multas valde, & lapidem precioſum: non venit iuxta ſuauitates illas vltra in multitudine, quas dedit regina Saba regi Salomon. 11 Et nauis Chiram portans aurum de Suphir, attulit ligna dolata multa valde, & lapidem precioſum. 12 Et fecit rex ligna dolata, fulcimẽta domus Domini, & domus regis & nablas, & citharas cantoribus: non venerunt huiuſmodi ligna non dolata ſuper terram, neque viſa ſunt vſquam vſque in diem hanc. 13 Et rex Salomon dedit reginæ Saba omnia, quæcumque voluit, quæcumque petijt, præter ea, quæ dederat ei per manum regis Salomon. Et reuertit, & venit in terram ſuam, ipſa, & omnes pueri eius. 14 Et erat pondus auri, quod veniebat ad Salomon in anno vno, ſexcenta, & ſexaginta ſex talenta auri: 15 Abſque tributis ſubditorum, & mercatorum, & omnium regum regionis vlterioris, & ſatraparũ terræ. 16 Et fecit Salomon trecentas lanceas aureas ductiles, trecenti aurei inerant in lancea vna. 17 Et trecenta ſcuta aurea ductilia, & tres minæ inerant auri in ſcuto vno: & dedit ea rex in domũ ſyluæ Libani. 18 Et fecit rex thronũ elephantinũ magnũ: & circũaurauit illũ auro probato. 19 Sex gradus throno, & prominẽtiæ vitulorũ ipſi throno ex poſterioribus eius: & manus hinc, & hinc ſup locũ cathedræ: & duo leones ſtãtes iuxta manus. 20 Et duodecim leones ſtantes ibi ſuper ſex gradus hinc, & hinc: non ſactum eſt ſic omni regno.

Et om-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Sed & omnia vaſa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo: non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis:

22 Quia claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos.

23 Magnificatus eſt ergo rex Salomon ſuper omnes reges terræ diuitijs, & ſapientia.

24 Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.

25 Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, veſtes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos ſingulos.

* 2 Par. 1. 14. — 26 * Congregauitque Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum rege in Ieruſalem.

27 Fecitque vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus.

28 Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa. Negociatores enim regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant.

29 Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum, & Syriæ equos venundabant.

### CAP. XI.

* Deut. 17. 17. Eccl. 47. 21. — 1 REx autem Salomon * adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas:

* Exo. 34. 16. — 2 De gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael: * Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore.

3 Fueruntque ei vxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et omnia vaſa potus regis Selomoh erant aurea: & omnia vaſa domus ſaltus Libani ex auro mundo: non erat argentum, non reputabatur in diebus Selomoh quicquam.*

22 *Quia nauis Tharſis erat regi per mare cum naui Chiram, ſemel in tribus annis veniebat nauis Tharſis, & portabat aurum & argentum, dentes elephantum, & ſimias, & pauos.*

23 *Et magnificatus eſt rex Selomoh præ omnibus regibus terræ in diuitijs, & ſapientia.*

24 *Et omnes habitatores terræ quærebant faciem Selomoh, vt audirent ſapientiam eius, quam poſuerat Deus in corde eius.*

25 *Et afferebant vnuſquiſque munus ſuum, vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & arma, & aromata, & equos, & mulos per ſingulos annos.*

26 *Et congregauit Selomoh currus, & equites: & fuerunt ei mille, & quadringenti currus, & duodecim millia equites, & poſuit eos in ciuitatibus curruum, & cum rege in Ieruſalaim.*

27 *Et dedit rex argentum in Ieruſalaim, tanquam lapides: & cedros dedit tanquam ſycomoros, quæ ſunt in campeſtri in multitudine.*

28 *Et exitus equorum ipſi Selomoh erat ex Aegypto, & congregatio. Negociatorum regis accipiebant netum in precium.*

29 *Et aſcendebat, & egrediebatur quadriga ex Aegypto pro ſexcentis argenteis, equus vero pro quinquaginta. Et centum, & ſic omnes reges Chittæorum, & reges Aram per manum eorum educebant.*

### CAP. XI.

1 *REx autem Selomoh adamauit mulieres alienigenas multas, & filiam Pharhoh, Moabitidas, Hammonitidas, Edomæas, Sidonias & Chittæas:*

2 *De gentibus quas dixit Dominus filijs Iſrael: Non ingrediemini ad eas, & ipſi non ingredientur ad veſtras: ſiquidem declinare facient cor veſtrum poſt deos earum. Eis adhæſit Selomoh amando.*

3 *Et fuerunt ei vxores reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: & declinare fecerunt mulieres eius cor eius.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et omnia vaſa, quæ à Salomon facta, aurea, & lateres aurei: & omnia vaſa domus ſyluæ Libani auro concluſa: non fuit argentum, quoniam non erat reputatum in diebus Salomon: 22 Quia nauis Tharſis erat regi Salomon in mari cum nauibus Chiram, vna per tres annos veniebat regi nauis è Tharſis auri, & argenti, & lapidum tornatorum, & dolatorum. 23 Et magnificatus eſt Salomon ſuper omnes reges terræ diuitijs, & prudentia. 24 Et omnes reges terræ quærebant faciem Salomon, ad audiendam prudentiam eius, quam dederat Dominus cordi eius. 25 Et ipſi ferebant vnuſquiſque dona, vaſa aurea, & veſtem, ſtacten, & aromata, & equos, & mulos, quod per annum, anno. 26 Et fuerunt Salomon quattuor mille fœminæ equæ ad currus, & duodecim millia equitum: & poſuit ea in ciuitatibus curruum, & cum rege in Hieruſalem, & fuit Dux omnium regum à flumine, & vſque ad terram alienigenarum, & vſque ad terminos Aegypti. 27 Et dedit rex aurum, & argentum in Hieruſalem, tanquam lapides: & cedros dedit, tanquam ſycomoros, quæ in campeſtri, in multitudine. 28 Et exitus Salomon equitum, & in Aegypto, & ex Thecue, mercatores regis, & accipiebant è Thecue in permutationem. 29 Et aſcendebat exitus ex Aegypto, currus pro centum argenti, & equus pro quinquaginta argenti. Et ſic omnibus regibus Chettijn, & regibus Syriæ per mare egrediebantur.

### CAP. XI.

* Hic habentur in translat. ex Sept. quæ infra ponuntur ver. 3.

ET rex Salomon erat amator mulierum, * & accepit vxores alienas, & filiam Pharao, Moabitidas, Ammonitidas, Syras, & Idumæas, Chettæas, & Amorrhæas: 2 Ex gentibus, quibus interdixit Dominus filijs Iſrael: Non intrabitis ad eos, & ipſi non intrabunt ad vos, ne inclinent corda veſtra poſt idola ſua, ad eos adhæſit Salomon, amando. 3 Et fuerunt ei vxores principes ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: * & declinare potuerunt mulieres alienæ cor eius poſt deos ſuos.

* Hæc habentur in hac translat. ſuperius post ver. 1.



UVA BSCH

## Vulgat. Editio.

Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut Dauid patris eius. 4

Sed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. 5

Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit: vt ſequeretur Dominum, ſicut Dauid pater eius. 6

Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. 7

Atque in hunc modum fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant dijs ſuis. 8

Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſrael, qui * apparuerat ei ſecundo: 9

*3. Reg. 3.

Et præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur deos alienos, & non cuſtodiuit quæ mandauit ei Dominus. 10

Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. 11

* Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud. 12

* Inf. 12. 31.

Nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi. 13

Suſcitauit autem Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom. 14

* Cum enim eſſet Dauid in Idumæa, & aſcendiſſet Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæa. 15

*Sup. 8. 4. 14.

Sex enim menſibus ibi moratus eſt Ioab, & omnis Iſrael, donec interimeret omne maſculinum in Idumæa.) 16

Fugit Adad ipſe, & viri Idumæi de ſeruis patris eius cum eo, vt ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer paruulus. 17

Cumque ſurrexiſſent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque ſecum viros de Pharan, & introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domũ, & cibos cõſtituit, & terrã delegauit. 18

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et fuit tempore ſenectutis Selomoh vxores eius inclinauerunt cor eius poſt deos alienos: & non erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris ſui.*

5 *Et iuit Selomoh poſt Haſtoreth deam Sidoniorum, & poſt Milchom abominationem Hammonitarum.*

6 *Et fecit Selomoh malum in oculis Domini, & non adimpleuit: vt iret poſt Dominum ſicut Dauid pater eius.*

7 *Tunc ædificauit Selomoh excelſum ipſi Chemos abominationi Moab, in monte qui eſt è regione Ieruſalaim, & Molech abominationi filiorum Hammon.*

8 *Et ſic fecit omnibus vxoribus ſuis alienigenis, quæ ſuffiebant, & immolabant dijs ſuis.*

9 *Et iratus eſt Dominus contra Selomoh, quia declinauerunt cor eius à Domino Deo Iſrael, qui conſpectus fuerat ei duabus vicibus.*

10 *Et præceperat ei ſuper verbo hoc, vt non iret poſt deos alienos, & non cuſtodiuit quod præcepit Dominus.*

11 *Dixit autem Dominus ad Selomoh: Pro eo quòd fuit hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & decreta mea quæ præcepi tibi, ſcindendo ſcindam regnum à te, & dabo illud ſeruo tuo.*

12 *Veruntamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud.*

13 *Verumtamen totum regnum non ſcindam, tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & propter Ieruſalaim quam elegi.*

14 *Suſcitauit autem Dominus aduerſarium ipſi Selomoh Hadad Edomæum, de ſemine regio erat in Edom.*

15 *Et fuit cum eſſet Dauid in Edom, quando aſcendit Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum interfectos, & percuſſiſſet omnem maſculum in Edom.*

16 *Sex enim menſibus manſit ibi Ioab, & omnis Iſrael, donec exterminaret omnem maſculum in Edom.*

17 *Fugit Hadad ipſe, & viri Edomæi de ſeruis patris ſui ſecum, vt ingrederentur Ægyptum: Hadad autem erat puer paruulus.*

18 *Et ſurrexerunt de Midian, & venerunt in Pharan, & tulerũt viros ſecũ de Pharã, & ingreſſi ſunt Aegyptũ ad Parahoh regẽ Aegypti: & dedit ei domũ, & cibũ iuſſit vt ſubminiſtrarẽt ei, & terrã dedit ei.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

* Hæc in hac tranſlat. habent poſt illa quæ notantur hic à nobis nu. 8

4 Et factum eſt in tempore ſenectutis Salomon, & non fuit cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor
Dauid patris eius. * 6 Et fecit Salomon malum in conſpectu Domini, non ambulauit poſt Dominum, ſicut
pater eius. 7 Tunc ædificauit Salomon excelſum ipſi Chamos idolo Moab, & regi eorum idolo filiorum
Ammon, & Aſtarte abominationi Sidoniorum. 8 Et ſic fecit omnibus vxoribus ſuis alienis, quæ adolebãt,
& ſacrificabant idolis ſuis. 9 Et iratus eſt Dominus in Salomon, quoniam declinare fecit cor ſuum a Do-
mino Deo Iſrael, qui apparuerat ei bis: 10 Et mandauerat ei ſuper verbo hoc, omnino, vt non
iret poſt deos alios, & cuſtodiret facere, quæ mandauerat ei Dominus Deus, neque erat cor eius perfectum cum
Domino, iuxta cor Dauid patris eius. 11 Et dixit Dominus ad Salomon: Pro eo, quod facta ſunt
hæc tecum, & non cuſtodiſti mandata mea, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſcindens diſcindam regnum
tuum de manu tua, & dabo illud ſeruo tuo. 12 Veruntamen in diebus tuis non faciam
ea propter Dauid patrem tuum de manu filij tui tollam illud. 13 Veruntamen totum re-
gnum non tollam, ſceptrum vnum dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & propter Hieruſalem ciuita-
tem, quam elegi. 14 Et ſuſcitauit Dominus Satan Salomoni Ader Idumæum, * & Ader Idumæus de ſe-
mine regni in Idumæa. 15 Et factum fuerat, cum exterminaret Dauid Edom, in eundo Ioab principem mili-
tiæ ad ſepeliendum cæſos, & exciderunt omne maſculinum in Idumæa. 16 Quoniam ſex menſes obſedit ibi
Ioab, & vniuerſus Iſrael in Idumæa quoadusque exterminauit omne maſculinum in Idumæa. 17 Et aufugit
Ader ipſe, & omnes viri Idumæi de ſeruis patris eius cum eo, & intrarunt in Aegyptũ: & Ader puerulus paruus.
18 Et exurgunt viri de ciuitate Madian, & veniunt in Pharan, & aſſumunt viros ſecum, & veniunt ad Pharao re-
gem Aegypti: & intrauit Ader ad Pharao, & dedit ei domum, & panes conſtituit ei.

* [illegible]

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

19 Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone valdè, in tantum, vt daret ei vxorem, ſororem vxoris ſuæ germanam Taphnes reginæ.
20 Genuitque ei ſoror Taphnes Genubath filium, & nutriuit eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filijs eius.
21 Cumque audiſſet Adad in Ægypto, dormiſſe Dauid cum patribus ſuis, & mortuum eſſe Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, vt vadam in terram meam.
22 Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, vt quæras ire ad terram tuam? At ille reſpondit: Nulla: ſed obſecro te, vt dimittas me.
23 Suſcitauit quoque ei Deus aduerſarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum ſuum:
24 Et congregauit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum cum interficeret eos Dauid: abieruntque Damaſcum, & habitauerunt ibi, & conſtituerunt eum regem in Damaſco:
25 Eratque aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis: & hoc eſt malum Adad, & odium contra Iſrael, regnauitque in Syria.
26 Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, ſeruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua: leuauit manum contra regem.
27 Et hæc eſt cauſa rebellionis aduerſus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui.
28 Erat autem Ieroboam vir fortis, & potens: videnſq; Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtriũ, conſtituerat eum præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.
29 * Factum eſt igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio nouo: erant autem duo tantum in agro.
30 Apprehendenſq; Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes.
31 Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.
32 Porro vna tribus remanebit ei propter ſeruum meũ Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael.

Eo

* 3. Par. 13. 6.
* 1. Par. 10. 15.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et inuenit Hadad gratiam in oculis Pharhoh valdè, & dedit ei vxorem ſororem vxoris ſuæ ſororem Tachpenes reginæ.*
20 *Et peperit ei ſoror Tachpenes Ghenubath filiũ eius, & ablactauit eum Tachpenes in medio domus Parhoh: & fuit Ghenubath in domo Parhoh in medio filiorum Parhoh:*
21 *Et Hadad audiuit in Ægypto, quòd dormiſſet Dauid cum patribus ſuis, & quòd mortuus eſſet Ioab princeps militiæ, & dixit Hadad ad Parhoh: Dimitte me, & ibo ad terram meam.*
22 *Dixitque ad Parhoh: Quo enim indiges mecum, vt quæras ire ad terram tuam? Et dixit: Nullo: ſed dimittendo dimitte me.*
23 *Et ſuſcitauit Deus ei aduerſarium Rezon filium Eliadah, qui fugerat ab Hadarhezer regem Sobah domino ſuo:*
24 *Et congregauit aduerſus eum viros, & fuit princeps exercitus, cum interficeret Dauid eos: abieruntque Dammeſec, & habitauerunt in ea, & regnauerunt in Dammeſec:*
25 *Eratque aduerſarius Iſraeli omnibus diebus Selomoh: & cum malo, quod fecit Hadad, & deteſtatus eſt Iſrael, regnauitque ſuper Syriam.*
26 *Iarobhãm filius Nebath Ephratæus de Seradah (& nomen matris eius Seruhah mulier vidua,) ſeruus ipſi Selomoh, leuauit manum contra regem.*
27 *Et hanc ob rem leuauit manum contra regem, Selomoh: ædificauit Millo, clauſit diruptionem ciuitatis Dauid patris ſui.*
28 *Vir autem Iarobhãm erat potens robore, & vidit Selomoh puerum, quòd ad faciendum opera eſſet idoneus, & præfecit eum omnibus oneribus domus Ioſeph.*
29 *Et fuit in tempore illo Iarobhãm egreſſus eſt de Ieruſalaim, & inuenit eum Achijah Silonites propheta in via, & erat opertus veſte noua, & erant ambo ſoli in agro.*
30 *Et apprehendit Achijah veſtẽ nouam, quæ erat ſuper ſe, & ſcidit illam in duodecim ſciſſiones.*
31 *Dixitque ad Iarobhãm: Tolle tibi decem ſciſſiones: ſic enim dixit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindo regnum de manu Selomoh, & dabo tibi decem tribus.*
32 *Et tribus vna erit ei propter ſeruum meum Dauid, & propter Ieruſalaim ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael.*

*Eo*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et inuenit Ader gratiam in conſpectu Pharaonis valde, & dedit ei vxorem, ſororem vxoris ſuæ, ſororem Thecеminæ maiorem. 20 Et peperit ei ſoror Thecеminæ, ipſi Ader Ganebath filium ſuum, & enutriuit eum Thecemina in medio filiorum Pharaonis: & fuit Ganebath in medio filiorum Pharaonis. 21 Et Ader audiuit in Ægypto, quia dormiuit Dauid cum patribus ſuis, & quia mortuus eſt Ioab princeps militiæ, & dixit Ader ad Pharao: Dimitte me, & reuertar in terram meam. 22 Et dixit Pharao ad Ader: Quare tu eges mecũ, & ecce tu quæris abire in terram tuam? Et dixit ei Ader: Quia dimittens dimittes me, & reuertit Ader in terrã ſuam. * 23 Et Eſrom filium Eliadæ, qui in Rhamma Adadezer regem Suba dominum ſuum: 24 Et congregati ſunt ſuper eum viri, & fuit princeps congregationis, & præoccupauit Damaſce. 25 Et fuerunt Satan Iſraeli omnibus diebus Salomon. * Hoc eſt malum, quod fecit Ader, & grauiter affecit Iſrael, & regnauit in terra Edom. 26 Et Hieroboam filius Nabath Ephrathi e Sarirã, filius mulieris viduæ, ſeruus Salomonis. 27 Et hæc res, quia eleuauit manum ſuper regem Salomon, & rex Salomon ædificauit arcem, concluſit ſeptem ciuitatis Dauid patris ſui. 28 Et homo Hieroboam fortis virtute: & vidit Salomon paruulum, quia vir operum eſt, & conſtituit eum ſuper onera domus Ioſeph. 29 Et factum eſt in tempore illo, & Hieroboam exiuit e Hieruſalem, & inuenit eum Achia Selonites propheta in via, & remouit eum de via, & Achia indutus veſtimento nouo: & vtrique ſoli in campo. 30 Et apprehendit Achiam veſtimentum ſuum nouum, quod ſuper ſe, & diſcidit illud duodecim ſciſſuras. 31 Et dixit ad Hieroboam: Sume tibi decem ſciſſuras: quoniam hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem ſceptra. 32 Et duo ſceptra erunt ei propter ſeruum meum Dauid, & propter Hieruſalem, ciuitatem, quam elegi in ea ex omnibus tribubus Iſrael.



UVABSCH

## Vulgat. Editio.

33 Eo quod dereliquerit me, & adorauerit Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloc deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in vijs meis, vt faceret iuſtitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia ſicut Dauid pater eius.

34 Nec auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, qui cuſtodiuit mandata mea, & præcepta mea.

35 Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus:

36 Filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid ſeruo meo cunctis diebus coram me in Ieruſalem ciuitate, quam elegi, vt eſſet nomen meum ibi.

37 Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque rex ſuper Iſrael.

38 Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris, quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit Dauid ſeruus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum, & tradam tibi Iſrael:

39 Et affligam ſemen Dauid ſuper hoc, veruntamen non cunctis diebus.

40 Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam: qui ſurrexit, & aufugit in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti, & fuit in Ægypto vſque ad mortem Salomonis.

41 Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit, & ſapientia eius: ecce vniuerſa ſcripta ſũt in Libro verborum dierum Salomonis.

42 Dies autem, quos regnauit Salomon in Ieruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt.

43 Dormiuitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui, regnauitque Roboam filius eius pro eo.

### CAP. XII.

2. Par. 10. 1.

1 VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum regem.

2 At vero Ieroboam filius Nabat, cum adhuc eſſet in Ægypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte eius, reuerſus eſt de Ægypto.

Mi-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Eo quòd dereliquerunt me, & adorauerunt Haſthoreth deam Sidoniorum, Chamos deum Moab, & Milchom deum filiorum Hammon: & non ambulauerunt in vijs meis, vt facerent quod rectum eſt in oculis meis, & decreta mea, & iudicia mea ſicut Dauid pater eius.*

34 *Et non tollam omne regnum de manu eius, ſed ducẽ ponam eum omnibus diebus vitæ eius, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, quia cuſtodiuit præcepta mea, & decreta mea.*

35 *Et tollam regnum de manu filij eius, & dabo ex illo tibi decem tribus:*

36 *Filio autem eius dabo tribum vnam, vt ſit lucerna Dauid ſeruo meo omnibus diebus coram me in Ieruſalaim ciuitate, quam elegi, vt ponerem nomen meum ibi.*

37 *Te autem aſſumam, & regnabis in omnibus, quæ deſiderabit anima tua, eriſque rex ſuper Iſrael.*

38 *Et erit, ſi audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris, quod rectum eſt in oculis meis, vt cuſtodias decreta mea, & præcepta mea ſicut fecit Dauid ſeruus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum firmam, ſicut ædificaui Dauid, & dabo tibi Iſrael.*

39 *Et affligam ſemen Dauid propter hoc, veruntamen non omnibus diebus.*

40 *Quæſiuit autem Selomoh interficere Iarobham: & ſurrexit Iarobham, & fugit in Ægyptum ad Siſach regem Ægypti, fuitque in Ægypto, donec moreretur Selomoh.*

41 *Reliqua acta Selomoh, & omnia, quæ fecit, & ſapientia eius: nonne ſcripta ſunt in Libro verborum Selomoh.*

42 *Dies autem quibus regnauit Selomoh in Ieruſalaim ſuper omnem Iſrael fuerunt quadraginta anni.*

43 *Dormiuitque Selomoh cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui, regnauitque Rechabham filius eius pro eo.*

### CAP. XII.

1 *ABijt autem Rechabham in Sechem: in Sechem enim venerat omnis Iſrael, vt regem conſtituerent eum.*

2 *Et fuit, cum audiſſet Iarobham filius Nebath (& ipſe adhuc erat in Ægypto, quia fugerat à facie regis Selomoh, & habitauerat Iarobham in Ægypto.*

*Mi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

33 Pro eo, quod dereliquit me, & fecit Aſtarce abominationi Sidoniorum, & Chamos, & idolis Moab, & regi eo-
rum offendiculo filiorum Ammon: & non ambulauit in vijs meis, ad faciendum rectum coram me, ſicut Dauid
pater eius. 34 Et non tollam regnum totum de manu eius, ſed propugnans propugnabo ei omnes dies vi-
tæ eius, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi eum. 35 Et tollam regnum de manu filij eius, &
dabo tibi decem ſceptra: 36 Filio autem eius dabo duo ſceptra, vt ſit ſedes ſeruo meo Dauid omni-
bus diebus coram me in Hieruſalem ciuitate, quam elegi mihi ad ponendum nomen meum ibi. 37 Et
te aſſumam & regnabis, in quibus concupiſcit anima tua, & tu eris rex ſuper Iſrael. 38 Et erit, ſi cu-
ſtodieris omnia, quæcumque mandauero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris rectum coram me, cuſtodien-
do præcepta mea, & mandata mea, ſicut fecit Dauid ſeruus meus: & ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem,
ſicut ædificaui ipſi Dauid. 40 Et quæſiuit Salomon interficere Hieroboam: & ſurrexit, & aufugit in
Ægyptum ad Suſacim regem Aegypti, & fuit in Aegypto, quoadusque mortuus eſt Salomon. 41 Et reli-
qua verborum Salomon, & omnia, quæcumque fecit, & omnem prudentiam eius: nonne ecce hæc ſcripta ſunt in
Libro verborum Salomonis. 42 Et dies, quibus regnabat Salomon in Hieruſalem ſuper omnem Iſrael,
quadraginta anni. 43 Et dormiuit Salomon cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid patris
eius, * & rex Salomon dormiuit cum patribus ſuis, & regnauit Roboam filius eius pro eo.

### CAP. XII.

ET vadit rex Roboam in Sicima: quoniam in Sicima veniebant omnis Iſrael ad faciendum regem eum.
2 Et factum eſt, poſtquam audiuit Hieroboam filius Nabat, & cum adhuc ipſe eſſet in Ægypto, vt fugerat à
facie Salomonis, & ſederat in Ægypto, dirigit ſe, & venit in ciuitatem ſuam Sarirà, quæ in monte Ephraim.

*Quæ ſeq. cap. à nobis poſita ſunt vu. 1. in hac edit. lat. Rom. habentur hic.

Et lo-

## Vulgat. Editio.

3 Miſeruntque & vocauerunt eum: venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Iſrael, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes:

4 Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi.

5 Qui ait eis: Ite vſque ad tertium diem, & reuertimini ad me. Cumque abijſſet populus:

6 Inijt conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi conſilium, vt reſpõdeam populo huic?

7 Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutuſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus.

8 Qui dereliquit conſilium ſenum, quod dederant ei, & adhibuit adoleſcentes, qui nutriti fuerant cum eo, & aſſiſtebant illi:

9 Dixitque ad eos: Quod mihi datis conſilium, vt reſpondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Leuius fac iugum, quod impoſuit pater tuus ſuper nos?

10 Et dixerunt ei iuuenes, qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti ſunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu releua nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.

11 Et nunc pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.

12 Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboã die tertia, ſicut locutus fuerat rex, dicens: Reuertimini ad me die tertia.

13 Reſponditque rex populo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant:

14 Et locutus eſt eis ſecundum conſilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.

15 Et non acquieuit rex populo: quoniam auerſatus fuerat eum Dominus, vt ſuſcitaret verbum ſuum, * quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat.

* Sup. 11. 31.

Vi-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Miſeruntque & vocauerunt eum: ) & venerunt Iarobhã, & omnis congregatio Iſrael, & locuti ſunt ad Rechabham, dicendo:*

4 *Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, ſed tu nunc alleuia de ſeruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod poſuit ſuper nos, & ſeruiemus tibi.*

5 *Dixitque ad eos: Ite vſque ad tres dies, & reuertimini ad me. Et abijt populus:*

6 *Et conſiliatus eſt rex Rechabham cum ſenioribus, qui ſteterant coram Selomoh patre eius, adhuc eo viuente, dicendo: Quomodo conſulitis, vt reſpondeã populo huic verbum?*

7 *Locuti ſunt ad eum, dicendo: Si hodie fueris ſeruus populo huic, ſeruierisque eis, & reſponderis eis, locutuſque fueris ad eos verba bona, erunt tibi ſerui omnibus diebus.*

8 *Et dereliquit conſilium ſeniorum, quod conſuluerãt ei, & conſuluit iuuenes, qui creuerant cum eo, qui ſtabant coram eo:*

9 *Dixitque ad eos: Quid conſulitis, vt reſpondeamus populo huic, qui locuti ſunt ad me, dicendo: Alleuia iugum, quod poſuit pater tuus ſuper nos?*

10 *Et locuti ſunt ad eum iuuenes, qui creuerant cum eo, dicendo: Sic dices populo huic, qui locuti ſunt ad te, dicendo: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu autem alleuia à nobis. Sic loqueris ad eos: Minor digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei.*

11 *Et nunc pater meus onus impoſuit vobis iugum graue, ego autem addam iugo veſtro: pater meus corripuit vos flagellis, ego autem corripiam vos ſcorpionibus.*

12 *Venitque Iarobham, & omnis populus ad Rechabhã die tertio ſicut locutus fuerat rex, dicendo: Reuertimini ad me die tertio.*

13 *Reſponditque rex populo dura, & reliquit conſilium ſeniorum, quod conſuluerant ei:*

14 *Et locutus eſt ad eos ſecundum conſilium iuuenum, dicendo: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: pater meus corripuit vos flagellis, ego autem corripiam vos ſcorpionibus.*

15 *Et non exaudiuit rex populum: fuit enim cauſa à Domino, vt firmaret verbum ſuum, quod locutus fuerat Dominus per manum Achijah Silonitæ ad Iarobham filium Nebath.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et locutus eſt populus ad regem Roboam, dicentes: 4 Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum: & tu nũc al-
leua de ſeruitute patris tui dura, & de iugo eius graui quod dedit ſuper nos, & ſeruiemus tibi. 5 Et dixit
ad eos: Abite vſque ad dies tres, & reuertite ad me. Et abierunt. 6 Et annunciauit rex ſenioribus, qui fue-
rant aſſiſtentes coram Salomone patre eius adhuc viuente eo, dicens: Quomodo vos conſilium datis, & reſpon-
debo populo huic verbum? 7 Et locuti ſunt ad eum, dicentes: Si in die hac eris ſeruus populo tuo & ſer-
uies eis, & loqueris ad eos verba bona, & erunt tibi ſerui omnibus diebus. 8 Et dereliquit conſilium ſenio-
rum, ea, quæ conſuluerant ei, & inijt conſilium vna cum pueris, qui enutriti fuerant cum eo, qui aſſiſtebant ante
faciem eius. 9 Et dixit eis: Quod vos conſilium datis, & quid reſpondebo populo huic, ijs, qui dicunt ad
me, dicendo: Alleua de iugo, quod dedit pater tuus ſuper nos? 10 Et locuti ſunt ad eum pueri enutriti
cum eo, qui aſſiſtebant ante faciem eius, dicentes: Hæc loqueris populo huic, ijs, qui locuti ſunt ad te, dicentes:
Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, & tu nunc alleua à nobis. Hæc loqueris ad eos: Paruitas mea craſſior lũ-
bo patris mei. 11 Et nunc pater meus ſtrauit vos iugo graui, & ego adijciam ſuper iugum veſtrum: pater
meus caſtigauit vos in flagellis, ego autem caſtigabo vos in ſcorpionibus. 12 Et aduenerunt omnis Iſ-
rael ad regem Roboam in die tertia, ſicut locutus erat eis rex, dicens: Reuertimini ad me die tertia.
13 Et reſpondit rex ad populum dura & dereliquit Roboam conſilium ſeniorum, ea, quæ conſuluerant ei.
14 Et locutus eſt ad eos iuxta conſilium puerorum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum: & ego ad-
dam ſuper iugum veſtrum, pater meus caſtigauit vos in flagellis, & ego caſtigabo vos in ſcorpionibus.
15 Et non audiuit rex populum: quoniam erat euerſio à Domino, vt firmaret verbum ſuum, quod locutus erat
in manu Achiã Selonitæ die Hieroboam filio Nabat.

## Vulgat. Editio.

16 Videns itaque populus, quod noluiſſet eos audire rex, reſpondit ei, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael, nunc vide domum tuam Dauid. Et abijt Iſrael in tabernacula ſua.

17 Super filios autem Iſrael, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam.

18 Miſit ergo rex Roboam Aduram, qui erat ſuper tributa: & lapidauit eum omnis Iſrael, & mortuus eſt. Porro rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem:

19 Receſſitque Iſrael à domo Dauid, vſque in præſentem diem.

20 Factum eſt autem cum audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eũ congregato cœtu, & conſtituerunt eum regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſquam domũ Dauid præter tribum Iuda ſolam.

21 Venit autem Roboam Ieruſalem, & congregauit vniuerſam domum Iuda, & tribum Beniamin, cẽtum octoginta millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Iſrael, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis.

* 2.Par.11 b. 22 * Factus eſt autem ſermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens:

23 Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo, dicens:

24 Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael: reuertatur vir in domum ſuam, à me enim factum eſt verbum hoc. Audierunt ſermonem Domini, & reuerſi ſunt de itinere, ſicut eis præceperat Dominus.

25 Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habitauit ibi: & egreſſus inde ædificauit Phanuel.

26 Dixitque Ieroboam in corde ſuo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid:

27 Si aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad dominum ſuum Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum.

* Tob.1.5. 28 * Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem:

* Exo.32.8 * Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

Po-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et vidit omnis Iſrael, quòd non exaudiuit rex eos, & reſponderunt populus ad regem verbum, dicendo: Quæ nobis pars in Dauid? & hæreditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael, nunc vide domum tuam Dauid. Et abijt Iſrael in tabernacula ſua.*

17 *Super filios autem Iſrael, qui habitabant in vrbibus Iehudah, regnauit Rechabham.*

18 *Miſit autem rex Adoram, qui erat ſuper tributum: & lapidauerũt eum omnis Iſrael lapide, & mortuus eſt. Rex autem Rechabham roborauit ſe, vt aſcenderet currum vt fugeret in Ieruſalaim:*

19 *Et præuaricati ſunt Iſrael in domum Dauid, vſque ad diem hanc.*

20 *Et fuit, cum audiſſet omnis Iſrael, quòd reuerſus eſſet Iarobham miſerunt, & vocauerunt eum ad congregationem, & regem conſtituerunt eum ſuper omnem Iſrael, non fuit poſt domum Dauid niſi tribus Iehudah ſola.*

21 *Et venit Rechabham in Ieruſalaim, & congregauit omnem domum Iehudah, & tribum Biniamin centum, & octoginta millia electorum facientium bellum, vt pugnaret cum domo Iſrael, vt reduceret regnum ad Rechabham filium Selomoh.*

22 *Fuit autem verbum Dei ad Semahiah virum Dei, dicendo:*

23 *Dic ad Rechabham filium Selomoh regem Iehudah, & ad omnem domum Iehudah, & Biniamin, & reſiduum populi, dicendo:*

24 *Sic dicit Dominus: Ne aſcendatis, & ne pugnetis cũ fratribus veſtris filijs Iſrael: reuertimini vnuſquiſque in domum ſuam, quia à me factum eſt verbum hoc. Et audierunt verbum Domini, & reuerſi ſunt, vt irent iuxta verbum Domini.*

25 *Ædificauit autem Iarobham Sechem in monte Ephraim, & habitauit in ea: & egreſſus eſt inde, & ædificauit Penuel.*

26 *Dixitque Iarobham in corde ſuo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid:*

27 *Si aſcenderit populus iſte ad faciendum ſacrificia in domo Domini in Ieruſalaim, conuertetur cor populi huius ad dominum ſuum Rechabham regem Iehudah, & interficient me, & conuertentur ad Rechabham regem Iehudah.*

28 *Et conſiliatus eſt rex, & fecit duos vitulos aureos, dixitque ad eos: Nimis eſt vobis, vt aſcendatis in Ieruſalaim: Ecce dij tui Iſrael, qui aſcendere fecerunt te è terra Ægypti.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et viderunt omnis Iſrael, quia non audiuit rex eos, & reſpondit populus regi, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? & non eſt nobis hæreditas in filio Ieſſæ? Recurre Iſrael ad tabernacula tua, nunc paſce domum tuã Dauid.
Et abierunt Iſrael ad tabernacula ſua. 18 Et miſit rex Adoniram, qui ſuper tributum: & lapidauerunt eum
in lapidibus, & mortuus eſt. Et rex Roboam anticipauit aſcendere, ad fugiendum in Hieruſalem. 19 Et rebel-
lis fuit Iſrael in domum Dauid vſque in diem hanc. 20 Et factum eſt, poſtquam audiuit omnis Iſrael, quia re-
uertit Hieroboam ex Ægypto, & miſerunt, & vocauerunt eum in ſynagogam, & regem fecerunt eum ſuper Iſrael,
& non fuit poſt domum Dauid, niſi de ſceptro Iuda, & Beniamin ſoli. 21 Et Roboam intrauit in Hieruſalem,
& euocauit ſynagogam Iuda, & ſceptrum Beniamin, centum & viginti millia adoleſcentium facientium bellum,
ad bellandum aduerſus domum Iſrael, ad reſtituendum regnum Roboam filio Salomon. 22 Et factum eſt ver-
bum Domini ad Samæam hominem Dei, dicens: 23 Dic Roboam filio Salomon regi Iuda, & ad vniuerſam
domum Iuda, & Beniamin, & reſiduo populi, dicens: 24 Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bella-
bitis cum fratribus veſtris filiorum Iſrael: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam, quoniam à me factum eſt ver-
bum hoc. Et audierunt verbum Domini, & quieuerunt ab eundo iuxta verbum Domini. 25 Et ædifi-
cauit Hieroboam Sicima, quæ in monte Ephræm, & habitabat in ea: & egreſſus eſt inde, & ædificauit Phanuel.
26 Et dixit Hieroboam in corde ſuo: Ecce nunc reuertetur regnum ad domum Dauid: 27 Si aſcen-
derit populus hic ſacrificium offerre in domo Domini in Hieruſalem: & conuertetur cor populi ad Dominum,
& dominum ſuum, ad Roboam regem Iuda, & occident me. 28 Et conſilium cepit rex, & iuit,
& fecit duas vitulas aureas, & dixit ad populum: Sufficiat vobis aſcendere in Hieruſalem: Ecce dij tui Iſrael,
qui reduxerunt te de terra Ægypti.

Et po-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

29 Poſuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan:
30 Et factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim
populus ad adorandum vitulum vſque in Dan.
*2.Par.11.15. 31 Et fecit fana in excelſis, & * ſacerdotes de extremis
populi, qui non erant de filijs Leui.
32 Conſtituitque diem ſollemnem in menſe octauo,
quintadecima die menſis, in ſimilitudinem ſollem-
nitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et aſcendens alta-
re, ſimiliter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis,
quos fabricatus fuerat: conſtituitque in Bethel ſa-
cerdotes excelſorum, quæ fecerat.
33 Et aſcendit ſuper altare, quod extruxerat in Bethel,
quintadecima die menſis octaui, quem finxerat de
corde ſuo: & fecit ſollemnitatem filijs Iſrael, & aſ-
cendit ſuper altare, vt adoleret incenſum.

### CAP. XIII.

1 ET ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Do-
mini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, &
thus iaciente.
2 Et exclamauit contra altare in ſermone Domini, &
*4.Reg.23.17. ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: * Ecce fi-
lius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & im-
molabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc
in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te
incendet.
3 Dedítque in illa die ſignum, dicens: Hoc erit ſignũ,
quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur,
& effundetur cinis, qui in eo eſt.
4 Cumque audiſſet rex ſermonem hominis Dei, quẽ
inclamauerat contra altare in Bethel, extendit ma-
num ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et
exaruit manus eius, quam extenderat contra eum:
nec valuit retrahere eam ad ſe.
5 Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de al-
tari, iuxta ſignum, quod prædixerat vir Dei in ſer-
mone Domini.
6 Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domi-
ni Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea
mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuerſa
eſt manus regis ad eum, & facta eſt, ſicut prius fue-
rat.
7 Locutus eſt autem rex ad virum Dei: Veni mecum
domum, vt prandeas, & dabo tibi munera.
8 Reſpondítq; vir Dei ad regẽ: Si dederis mihi mediã
partem domus tuæ, non veniam tecum, nec come-
dam panem, neque bibam aquam in loco iſto:
Sic

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et poſuit vnum in Bethel, & alterũ poſuit in Dan:*
30 *Et fuit verbum hoc in peccatum: & abierunt popu-*
*lus coram vno vſque ad Dan.*
31 *Et fecit domum excelſorũ, & fecit ſacerdotes quoſ-*
*dam de populo, qui non erant de filijs Leui.*
32 *Et fecit Iarobham ſollemnitatẽ menſe octauo, quin-*
*tadecima die menſis ſecundum ſollemnitatem, quæ*
*erat in Iehudah, & obtulit ſuper altare. Similiter fe-*
*cit in Bethel immolando vitulis quos fecerat & con-*
*ſtituit in Bethel ſacerdotes excelſorum, quæ fece-*
*rat.*
33 *Et obtulit ſuper altare, quod fecerat in Bethel, quin-*
*tadecima die menſis octaui, menſis quem eduxerat*
*de corde ſuo: & fecit ſollemnitatem filijs Iſrael, &*
*aſcendit ſuper altare, vt ſuffiret.*

### *CAP. XIII.*

1 *ECce autem vir Dei venit de Iehudah in verbo*
*Domini in Bethel Iarobham autem ſtabat iux-*
*ta altare, vt ſuffiret.*
2 *Et clamauit contra altare iuxta verbum Domini,*
*& dixit: Altare, altare, ſic dixit Dominus: Ecce fi-*
*lius natus domui Dauid Ioſiahu nomen eius, &*
*immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui ſuf-*
*fiunt ſuper te, & oſſa hominum comburent ſuper*
*te.*
3 *Et dedit in die illa portentum, dicendo: Hoc eſt por-*
*tentum, quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcin-*
*detur, & effundetur cinis, qui eſt ſuper eum.*
4 *Et fuit, cum audiſſet rex verbum viri Dei, quod cla-*
*mauerat contra altare in Bethel, extendit Iarobham*
*manum ſuam de altari, dicendo: Apprehendite eum.*
*Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eũ:*
*& non potuit retrahere ad ſe.*
5 *Altare autem ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de al-*
*tari, ſecundum portentum, quod dederat vir Dei in*
*verbo Domini.*
6 *Et reſpondit rex, & dixit ad virum Dei, ora quæſo*
*faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reuertatur*
*manus mea ad me. Et orauit vir Dei faciem Do-*
*mini, & reuerſa eſt manus regis ad eum, fuitque ſi-*
*cut prius.*
7 *Et locutus eſt rex ad virum Dei: Ingredere mecum*
*domum & conuiuare, & dabo tibi donum.*
8 *Dixitque vir Dei ad regem: Si dederis mihi dimi-*
*dium domus tuæ non veniam tecum, & nõ comedam*
*panem, & non bibam aquam in loco iſto:*
*Sic*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et poſuit vnam in Bæthel, & vnam dedit in Dan.
30 Et factum eſt verbum hoc in peccatum: & ibat popu-
lus ante faciem vnius vſque Dan, & dimiſerunt domum Dñi.
31 Et fecit domos ſuper excelſa, & fecit ſacerdotes
partem quandam de populo, qui non erant ex filijs Leui.
32 Et fecit Hieroboam feſtiuitatem in menſe octauo
in quintadecima die menſis ſcḿ feſtiuitatem, quæ in terra Iuda. Et aſcendit ſuper altare, quod fecit in Bæthel, vt
ſacrificaret vitulabus, quas fecit, & conſtituit in Bæthel ſacerdotes excelſorum, quæ fecerat.
33 Et aſcẽdit ſuper
altare, quod fecit, quinta & decima die in menſe octauo in feſtiuitate, quam finxit e corde ſuo: & fecit feſtiuita-
tem filijs Iſrael, & aſcendit ſuper altare ad ſacrificandum.

### CAP. XIII.

ET ecce homo Dei de Iuda aduenit in verbo Domini in Bæthel, & Hieroboam ſtabat ad altare ad adolẽdũ.
2 Et inuocauit aduerſus altare, in verbo Domini, & dixit: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius na-
ſcitur domui Dauid, Ioſias nomen eius, & ſacrificabit ſuper te ſacerdotes excelſorum adolentium ſuper te, & oſſa
hominum comburet ſuper te.
3 Et dabit in die illa prodigium, dicens: Hoc verbum, quod locutus eſt Dñs, di-
cens: Ecce altare rumpitur, & effundetur pinguedo, quæ ſuper ipſum.
4 Et factum eſt, vt audiuit rex Hieroboã
verba hominis Dei inuocantis ſuper altare, quod in Bæthel, & extendit rex manum ſuam ab altari, dicens: Com-
prehendite eum. Et ecce exaruit manus eius, quam extenderat in illũ: & non potuit reducere illam ad ſe.
5 Et
altare ruptũ eſt, & effuſa eſt pinguedo de altari iuxta prodigium quod dedit homo Dei in verbo Dñi.
6 Et di-
xit rex Hieroboam homini Dei, ora faciem Dñi Dei tui, & reuertatur manus mea ad me. Et orauit homo Dei fa-
ciem Domini Dei tui, & reduxit manum regis ad eum, & facta eſt ſicut antea.
7 Et locutus eſt rex ad hominem
Dei: Intra mecum in domum, & prande, & dabo tibi donum.
8 Et dixit homo Dei ad regem: Si dederis mihi di-
midium domus tuæ, non intrabo tecum, neque manducabo panem, neque bibam aquam in loco hoc.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Sic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam, qua veniſti.

10 Abijt ergo per aliam viam, & non eſt reuerſus per iter, quo venerat in Bethel.

11 Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij ſui, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba, quæ locutus fuerat ad regem, narrauerunt patri ſuo.

12 Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abijt? Oſtenderũt ei filij ſui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda.

13 Et ait filijs ſuis: Sternite mihi aſinum. Qui cũ ſtrauiſſent, aſcendit:

14 Et abijt poſt virum Dei, & inuenit eum ſedentẽ ſubtus terebinthum: & ait illi: Tu ne es vir Dei, qui veniſti de Iuda? Reſpondit ille: Ego ſum.

15 Dixitque ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem.

16 Qui ait: Non poſſum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto:

17 Quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuerteris per viam, qua ieris.

18 Qui ait illi: Et ego propheta ſum ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum:

19 Et reduxit ſecum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam.

20 Cumque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.

21 Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus:

22 Et reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.

23 Cumque comediſſet, & bibiſſet, ſtrauit aſinum ſuum prophetæ, quem reduxerat,

24 Qui cum abijſſet, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Sic enim præcepit mihi in verbo Domini, dicendo: Non comedes panem, neque bibes aquam, neque reuerteris per viam, per quam veniſti.*

10 *Et abijt per viam aliam, & non eſt reuerſus per viã per quam venerat in Bethel.*

11 *Propheta autem vnus ſenex habitabat in Bethel: venit filius eius, & narrauit ei omne opus, quod fecerat vir Dei hodie in Bethel, verba quæ locutus fuerat ad regem, & narrauerunt ea patri ſuo.*

12 *Locutuſque eſt ad eos pater eorum: Per quam viam abijt? Et oſtenderunt filij eius viam per quam ambulauerat vir Dei, qui venerat de Iehudah.*

13 *Dixitque filijs ſuis: Sternite mihi aſinum. Et ſtrauerunt ei aſinum, & equitauit ſuper eum.*

14 *Et abijt poſt virum Dei, & inuenit eum ſubter quercum, dixitque ad eum: Tu ne es vir Dei, qui veniſti de Iehudah? Et dixit: Sum.*

15 *Dixitque ad eum: Veni mecum domum, & comede panem.*

16 *Dixitque: Non poſſum reuerti tecum, & venire tecum, & non comedam panem, neque bibam tecum aquam in loco iſto.*

17 *Verbum enim ad me fuit in verbo Domini: Nõ comedes panem, neque bibes ibi aquam, non reuerteris, vt vadas per viam per quam veniſti.*

18 *Dixitque ei: Etiam ego propheta ſum ſicut tu, & Angelus locutus eſt ad me in verbo Domini, dicẽdo: Reduc eum tecum in domum tuam, & comedat panem, & bibat aquam. Mentitus eſt ei.*

19 *Et reduxit eum: & comedit panem in domo eius, & bibit aquam.*

20 *Et fuit, ipſis ſedentibus ad menſam fuit verbum Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.*

21 *Et clamauit ad virum Dei, qui venerat de Iehudah, dicendo: Sic dicit Dominus: Pro eo quòd rebellis fuiſti ori Domini, & non ſeruaſti præceptum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus.*

22 *Sed reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquã in loco de quo locutus eſt ad te, ne comedas panem, & ne bibas aquam, non ingredietur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.*

23 *Et fuit, poſtquam comedit panem, & bibit, ſternere iuſſit ei aſinum, hoc eſt prophetæ quem reduxerat.*

24 *Et abijt, & inuenit eum leo in via, & occidit eum: & fuit, cadauer eius proiectum erat in via: & aſinus ſtabat iuxta eum, & leo ſtabat iuxta cadauer.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Quoniam ſic mandauit mihi Dominus in verbo, dicens: Ne comedas panem, neque bibas aquam, neq; reuer-
taris in via, qua iuiſti in ea. 10 Et abijt in via alia, & non reuertit in via, qua venerat in ea in Bæthel. 11 Et pro-
pheta vnus ſenex habitabat in Bæthel, & veniunt filij eius, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat homo Dei
in die illa in Bæthel: & verba, quæ locutus fuerat regi, & auerterunt faciem patris ſui. 12 Et locutus eſt ad eos
pater eorum, dicens: Quali via iuit? Et oſtendunt ei filij eius viam in qua abijt homo Dei, qui venerat ex Iuda.
13 Et dixit filijs ſuis: Sternite mihi aſinum. Et ſtrauerunt ei aſinum. 14 Et inſcendit ſuper eum, & iuit poſt ho-
minem Dei, & inuenit illum ſedentem ſub quercu, & dixit ei: Si tu es homo Dei, qui veniſti e Iuda? Et dixit ei:
Ego. 15 Et dixit ei: Veni mecum, & manduca panem. 16 Et dixit: Non potero reuerti tecum, neque mandu-
cabo panem, neque bibam aquam in loco hoc: 17 Quoniam ſic mandauit mihi in verbo Dominus, dicens: Ne
manducaueris panem ibi, neque biberis aquam, neque reuerteris illic in via, qua iuiſti in ea. 18 Et dixit ad eum:
Et ego propheta ſum, ſicut tu: & Angelus locutus eſt ad me in verbo Domini, dicens: Reduc eũ ad te in domum
tuam, & manducet panẽ, & bibat aquam. Et mentitus eſt ei: 19 Et reduxit eum, & manducauit panem, & bibit
aquã in domo eius. 20 Et factum eſt, ſedentibus illis ad menſam, & factum eſt verbum Dñi ad prophetã, qui re-
duxerat eum. 21 Et dixit ad hominem Dei, qui venerat ex Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Propterea quod
exacerbaſti verbum Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod mandauerat tibi Dominus Deus tuus. 22 Et re-
uertiſti, & manducaſti panem, & bibiſti aquam in loco hoc, de quo locutus eſt ad te, dicens: Non manducabis pa-
nem, neque bibes aquam, non intrabit corpus tuum in ſepulchrum patrũ tuorum. 23 Et factum eſt, poſtquã mã-
ducauit ipſe panem, & bibit aquam, & ſtrauit ei aſinum, & reuertit, & abijt. 24 Et inuenit eum leo in via, & occi-
dit eum, & erat corpus eius proiectum in viam: & aſinus ſtabat apud ipſum, & leo ſtabat iuxta corpus.

Et ecce

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

25 Et ecce, viri tranſeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem ſtantem iuxta cadauer. Et venerunt & diuulgauerunt in ciuitatem, in qua prophetes ille ſenex habitabat.

16 Quod cum audiſſet propheta ille, qui reduxerat eũ de via, ait: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum, & occidit iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ei.

27 Dixitque ad filios ſuos: Sternite mihi aſinam. Qui cum ſtrauiſſent,

28 Et ille abijſſet, inuenit cadauer eius proiectum in via, & aſinum & leonem ſtantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læſit aſinum.

29 Tulit ergo propheta cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem prophetæ ſenis vt plangeret eum.

30 Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo: & planxerunt eum: Heu heu mi frater.

31 Cumque planxiſſent eum, dixit ad filios ſuos: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt: iuxta oſſa eius ponite oſſa mea.

32 Profecto enim veniet ſermo, quem prædixit in ſermone Domini contra altare quod eſt in Bethel, & contra omnia fana excelſorum, quæ ſunt in vrbibus Samariæ.

33 Poſt verba hæc non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua peſſima, ſed e contrario fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum: quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum.

34 Et propter hanc cauſam peccauit domus Ieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.

### CAP. XIIII.

1 IN tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam.

2 Dixitque Ieroboam vxori ſuæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quod ſis vxor Ieroboam: & vade in Silo, vbi eſt Ahias propheta, * qui locutus eſt mihi, quod regnaturus eſſem ſuper populum hunc.

* Sup. 11. 31.

3 Tolle quoque in manu tua decem panes, & cruſtulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipſe enim indicabit tibi quid euenturum ſit puero huic.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem ſtantem iuxta cadauer, & venerunt, & locuti ſunt in ciuitate in qua propheta ſenex manebat.*

26 *Et audiuit propheta qui reduxerat eum de via, & dixit: Vir Dei eſt, qui rebellis fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit eum iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ei.*

27 *Locutuſque eſt ad filios ſuos, dicendo: Sternite mihi aſinum. Et ſtrauerunt.*

28 *Et abijt, & inuenit cadauer eius proiectum in via, & aſinum & leonem ſtantes iuxta cadauer: non comedit leo cadauer, neque confregit aſinum.*

29 *Et tulit propheta cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reduxit illud, & venit ad ciuitatem prophetæ ſenioris, vt plangeret & ſepeliret eum.*

30 *Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt ſuper eum: Heu frater mi.*

31 *Et fuit poſtquam ſepeliuit eum, dixit ad filios ſuos dicendo: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro in quo vir Dei eſt ſepultus, & apud oſſa eius ponite oſſa mea.*

32 *Quia eus erit verbum quod exclamauit in verbo Domini contra altare quod eſt in Bethel, & contra omnes domos excelſorum, quæ ſunt in vrbibus Someron.*

33 *Poſt verbum hoc non eſt reuerſus Iarobham à via ſua mala, ſed reuerſus eſt, fecit aliquos à populo ſacerdotes excelſorum: Qui volebat conſecrabat manum ſuam, & erat ſacerdos excelſorum.*

34 *Et fuit propter hoc in peccatum domus Iarobham, & ad extirpandum, & ad delendum à ſuperficie terræ.*

### CAP. XIIII.

1 *IN tempore illo ægrotauit Achijah filij Iarobham.*

2 *Dixitque Iarobham ad vxorem ſuam: Surge nunc & muta te, & non cognoſcant, quod ſis vxor Iarobham, & vade in Siloh: Ecce ibi eſt Achijah propheta: ipſe locutus eſt ſuper me quod eſſem rex ſuper populum hunc.*

3 *Et tolles in manu tua decem panes, & cruſtulas, & amphorum mellis, & vade ad eum: ipſe indicabit tibi quid futurum ſit puero.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et ecce viri prætereuntes, & viderunt morticinum proiectum in via, & leo ſtabat iuxta morticinum, & ingreſſi ſunt, & locuti ſunt in ciuitate, vbi propheta ſenex habitabat in ea. 26 Et audiuit qui reduxerat eum de via, & dixit: Homo Dei hic eſt, qui exacerbauit verbum Domini, 28 Et iuit, & inuenit corpus eius proiectum in via, & aſinus, & leo ſtabant apud corpus, & non comedit leo corpus hominis Dei, & non contriuit aſinum. 29 Et leuauit propheta corpus hominis Dei, & impoſuit illud ſuper aſinum. 30 Et reduxit eum in ciuitatem propheta ad ſepeliendum eum in ſepulchro ſuo. 31 Et planxerunt eum, vah frater, & factum eſt, poſt quam planxerunt eum, & dixit filijs ſuis, dicens: Si mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro hoc, vbi homo Dei ſepultus eſt in eo, apud oſſa eius ponite me, vt ſaluentur oſſa mea cum oſſibus eius: 32 Quoniam euenturum erit verbum, quod locutus eſt in ſermone Domini ſuper altare in Bæthel, & ſuper domos excelſas, quæ in Samaria. 33 Et poſt verbum hoc non reuertit Hieroboam à malitia ſua, & reuertit, & fecit de parte populi ſacerdotes excelſorum: qui volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos in excelſis. 34 Et factum eſt verbum hoc in peccatum domui Hieroboam, & in perditionem, & in exterminium à facie terræ.

Hæc quæ hic ponimus diuerſo caractere, [illegible]

### CAP. XIIII.

*IN tempore illo ægrotauit Abia filius Hieroboam. 2 Et vxori ſuæ dixit Hieroboam: Surge, & mutaberis, & non cognoſcent, quia tu vxor Roboam, & ibis in Selo: ecce ibi Achia propheta, ipſe loquutus eſt ad me de regnando ſuper populum hunc. 3 Et ſume in manu tua (hominis Dei) panes, & collyria (filijs eius, & vuas) & vas mellis, & venies ad eum: ipſe annunciabit tibi, quid erit puero.*

*Et ſe-*

## Vulgat. Editio.

4 Fecit vt dixerat, vxor Ieroboam: & cõſurgens abijt in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ ſenectute.

5 Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce vxor Ieroboam ingreditur vt conſulat te ſuper filio ſuo qui ægrotat: hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & diſſimularet ſe eſſe quæ erat,

6 Audiuit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis per oſtium, & ait: Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te eſſe ſimulas? ego autem miſſus ſum ad te durus nuncius.

7 Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael:

8 Et ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo:

9 Sed operatus es mala ſuper omnes, qui fuerant ante te, & feciſti tibi deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proieciſti poſt corpus tuum:

10 Idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & * percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael: & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum.

* Inf. 15. 29

11 Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli: quia Dominus locutus eſt.

12 Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam: & in ipſo introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer,

13 Et planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet: iſte enim ſolus inferetur de Ieroboam in ſepulchrum, quia inuentus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſrael, in domo Ieroboam.

14 Conſtituet autem ſibi Dominus regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore:

15 Et percutiet Dominus Deus Iſrael, ſicut moueri ſolet arundo in aqua: & euellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt ſibi lucos, vt irritarent Dominum.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et fecit ſic vxor Iarobham & ſurrexit, & abijt in Siloh, & venit in domum Achijah: Achijah autem non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ ſenectute eius.*

5 *Dominus autem dixit ad Achijah: Ecce vxor Iarobham venit, vt quærat verbum à te, ſuper filio ſuo qui ægrotat: talia & talia loqueris ad eam, & fuit, cum intraret (ipſa aliam ſe præferebat)*

6 *Et fuit, cum audiſſet Achijah ſonitum pedum eius venientis ad oſtium, dixit: Ingredere vxor Iarobham: cur aliam te præferſ? ego autem miſſus ſum ad te durus nuncius.*

7 *Vade dic ad Iarobham: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod exaltaui te è medio populi, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael.*

8 *Et ſcidi regnum à domo Dauid, & dedi illud tibi, et non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit præcepta mea, & qui ambulauit poſt me toto corde ſuo, vt faceret tantum quod rectum erat in oculis meis.*

9 *Sed malefeciſti faciendo præ omnibus qui fuerunt ante te, & iuiſti, & feciſti tibi deos alienos, & conflatiles, ad irritandum me: me autem proieciſti poſt corpus tuum.*

10 *Idcirco ego adduco malum ſuper domum Iarobham & excidam de Iarobham mingentem ad parietem, & clauſum, & derelictum in Iſrael, & ſuccidam poſteros domus Iarobham, ſicut ſucciditur ſterquilinium, donec conſumetur.*

11 *Eum qui mortuus fuerit de Iarobham in ciuitate, comedent canes: eum vero qui mortuus fuerit in agro comedent volucres cœli: Dominus enim locutus eſt.*

12 *Tu autem ſurge, vade in domum tuam: quando ingredientur pedes tui vrbem morietur puer.*

13 *Et plangent eum omnis Iſrael, & ſepelient eum: iſte enim ſolus ingredietur de Iarobham in ſepulchrum, quia inuentum eſt verbum bonum in eo à Domino Deo Iſrael in domo Iarobham.*

14 *Et ſtatuet Dominus ſibi regem Iſrael, qui excidat domum Iarobham illa die: & quid eſt hoc etiam nunc.*

15 *Et percutiet Dominus Iſrael, ſicut mouetur arundo in aqua, euellet Iſrael è terra bona iſta, quam dedit patribus eorum, & diſperget eos trans flumen, eo quod fecerunt lucos ſuos irritantes Dominum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

*✠ Et fecit ſic uxor Hieroboam, & ſurrexit, & iuit in Selo, & intrauit in domum Achia, & homo ſenior ad videndũ & caligabant oculi eius præ ſenectute eius. 5 Et dixit Dominus ad Achia: Ecce uxor Hieroboam ingreditur ad exquirendum verbum à te ſuper filio ſuo, qui infirmus eſt: Iuxta hoc, & iuxta hoc loqueris ad eam: & factũ eſt in ingrediendo eam, & ipſa aliam ſe faciebat. 6 Et factum eſt, vt audiuit Achia vocem pedum eius ingrediẽte ea in oſtium, & dixit: Ingredere uxor Hieroboam: Vt quid hoc tu te aliam facis? Et ego ſum legatus ad te durus: 7 Vadens dicito ad Hieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo, quod exaltaui de medio populi, & dedi te Ducem ſuper populum Iſrael, 8 Et ſcidit regnum à domo Dauid, & dedi illud tibi, & non fuiſti, vt ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & qui ambulauit poſt me in omni corde ſuo, ad faciendum rectũ in oculis meis, 9 Et malefeciſti faciendo vltra omnes quicumque fuerunt ad faciem tuã, & iuiſti, & feciſti tibi Deos alios, & fuſilia, ad irritandum me, & me proieciſti poſt te, 10 Propter hoc ecce ego adduco malum ad domum Hieroboam, & exterminabo Hieroboam mingentem ad parietem, detentum, & derelictum Iſrael, & colligam ſuper domum Hieroboam, ſicut colligitur fimus, donec ipſe conſummatus fuerit. 11 Mortuum ipſius Hieroboam in ciuitate comedent canes, & mortuum in agro comedent volatilia: quoniam Dominus loquutus eſt. 12 Et tu ſurge, vade in domum tuam, in ingrediendo pedes tuos ciuitatem, morietur puer. 13 Et plangent eum omnis Iſrael, & ſepelient eum, quoniam hic ſolus ingredietur ipſi Hieroboam in ſepulchrum, quoniam inuentum eſt in eo verbum bonum de Domino Deo Iſrael in domo Hieroboam. 14 Et ſuſcitabit Dominus ſibi regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Hieroboam hac die, & vltra etiam nunc. 15 Et percutiet Dominus Iſrael, ſicut mouetur calamus in aqua, & euellet Iſrael de ſuper terram bonam hanc, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos à tranſitu fluminis, pro eo quantum fecerunt lucos ſuos, irritantes Dominum.*

*Et da-*

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

16 Et tradet Dominus Iſrael ꝓpter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſrael.

17 Surrexit itaque vxor Ieroboam, & abijt, & venit in Therſa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus eſt,

18 Et ſepelierunt eum: Et planxit eum omnis Iſrael iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu ſerui ſui Ahiæ prophetæ.

19 Reliqua autem verborum Ieroboam, quomodo pugnauerit, & quomodo regnauerit, ecce ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael.

20 Dies autem, quibus regnauit Ieroboam viginti duo anni ſunt: & dormiuit cum patribus ſuis: regnauitq; Nadab filius eius pro eo.

* 2.Par.12 13

21 *Porro Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. Quadraginta & vnius anni erat Roboam, cum regnare cœpiſſet: decem & ſeptem annos regnauit in Ieruſalem ciuitate, quam elegit Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi, ex omnibus tribubus Iſrael. Nomen autem matris eius Naama Ammanitis.

22 Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis ſuis, qui peccauerunt.

23 Ædificauerant enim & ipſi ſibi aras, & ſtatuas & lucos ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam:

24 Sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Iſrael.

25 In quinto autem anno regni Roboam, aſcendit Seſac rex Ægypti in Ieruſalem,

26 Et tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & vniuerſa diripuit: ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon:

Sup.10.16.

27 Pro quibus fecit rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manum ducum ſcutariorum, & eorum qui excubabant ante oſtium domus regis.

28 Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & poſtea reportabant ad armamentarium ſcutariorum.

29 Reliqua autem ſermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda.

30 Fuitque bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus.

Doc-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et tradet Iſrael propter peccata Iarobham, qui peccauit, & peccare fecit Iſrael.*

17 *Et ſurrexit vxor Iarobham, & abijt, & venit in Tirſah: ipſa ingrediente limen domus mortuus eſt puer.*

18 *Et ſepelierunt eum: Et planxerunt eum omnis Iſrael iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per manum ſerui Domini Achijahu Propheta.*

19 *Reſidua autem verborum Iarobham, quibus pugnauit, & quibus regnauit, ecce ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael.*

20 *Dies autem quibus regnauit Iarobham, viginti & duo anni fuere: dormiuitque cum patribus ſuis: & regnauit Nadab filius eius pro eo.*

21 *Rechabham autem filius Selomoh regnauit in Iehudah. Quadraginta & vnius annorum erat Rechabham quando regnauit, & ſeptem, & decem annis regnauit in Ieruſalaim ciuitate, quam elegit Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi ex omnibus tribubus Iſrael. Nomen autem matris eius Nahamah Hammoniti.*

22 *Fecitq; Iehudah malum in oculis Domini, & æmulari fecerunt eum præ omnibus, quæ fecerunt patres eorum in peccatis ſuis, quæ peccauerunt.*

23 *Et ædificauerunt etiam ipſi ſibi excelſa, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum, ſubter omne lignum viride.*

24 *Et etiam ſcortator erat in terra, fecerunt ſecundum omnes abominationes gentium, quas eiecit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

25 *Et fuit anno quinto regis Rechabham, aſcendit Siſa rex Ægypti contra Ieruſalaim,*

26 *Et tulit theſauros domus Domini, & theſauros domus regiæ, & omnia tulit: & tulit omnia ſcuta aurea, quæ fecerat Selomoh.*

27 *Et fecit rex Rechabham pro eis ſcuta ærea, & conſtituit in manu principum curſorum, qui obſeruabant oſtium domus regiæ.*

28 *Et fuit, tempore quo ingrediebatur rex domum Domini, portabant ea curſores, & reportabant ea ad thalamum curſorum.*

29 *Reſidua autem verborum Rechabham, & omnia quæ fecit, nonne ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iehudah.*

30 *Et bellum fuit inter Rechabham, & Iarobham omnibus diebus.*

*Dor-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

*16 Et dabit Dominus Iſrael gratia peccatorum Hieroboam, qui peccauit, & qui peccare fecit Iſrael. 17 Et ſurrexit vxor Hieroboam, & iuit in Sarirà: Et factum eſt, vt intrauit in veſtibulum domus, & puer mortuus eſt. 18 Et ſepelierunt eum, & planxerunt eum omnis Iſrael iuxta verbum Domini, quod loquutus eſt in manu ſerui ſui Achiæ propheta. 19 Et reſiduum verborum Hieroboam, quæcumque bellauit, & quæcumque regnauit, ecce hæc ſcripta ſunt ſuper librum verborum dierum regum Iſrael. 20 Et dies, quibus regnauit Hieroboam, viginti, & duo anni, & dormiuit cum patribus ſuis, & regnauit Adab.* 21 Et Roboam filius Salomonis regnauit ſuper Iudam: Filius quadraginta & vnius annorum Roboam, cum ipſe inijt regnum, & ſeptem & decem annos regnauit in Hieruſalem, ciuitate, quam elegit Dominus ad ponendum nomen ſuum ibi ex omnibus tribubus Iſrael, & nomen matris eius Naama Ammonites. 22 Et fecit Roboam malum in conſpectu Domini, & ad zelum prouocauit eum in omnibus, quæ fecerant patres ſui, in peccatis ſuis, quæ peccauerunt. 23 Et ædificauerunt ſibi excelſa, & titulos, & lucos ſuper oẽm collem excelſum, & ſubter oẽm arborem vmbroſam. 24 Et colligatio facta eſt in terra, & fecerunt de omnibus abominationibus gentium, quas abſtulit Dñs à facie filiorum Iſrael. 25 Et factum eſt in anno quinto regnante Roboam, aſcendit Saſacim rex Ægypti ſuper Hieruſalẽ: 26 Et cepit oẽs theſauros domus Dñi, & theſauros domus regis, & lanceas aureas, quas tulerat Dauid de manu puerorũ Adrazaar regis Saba, & intulerat ea in Hieruſalẽ, oĩa, quæ tulerat ſcuta aurea quęcũque fecerat Salomon, & abſtulit ea in Ægyptũ. 27 Et fecit Roboã rex ſcuta ænea pro eis, & præpoſiti ſunt ſuper ea duces præcurſorum, qui cuſtodiebant oſtium domus regis. 28 Et factum eſt, quando ingrediebatur rex in domum Dñi, & portabant ea præcurſores, & ſtatuebant ea in Thee præcurſorum. 29 Et reliqua verborum Roboam, & omnia, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborũ dierum regibus Iuda? 30 Et bellũ fuit inter Roboam, & inter Hieroboã oĩbus diebus.

Et dor-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

31 Dormiuitque Roboam cum patribus ſuis, & ſepul-
tus eſt cum eis in ciuitate Dauid: nomen autem
matris eius Naama Ammanitis: & regnauit A-
biam filius eius pro eo.

### CAP. XV.

1 IGitur in octauo decimo anno regni Ieroboam
filij Nabat, regnauit Abiam ſuper Iudam.
2 Tribus annis regnauit in Ieruſalem: * nomen ma-
tris eius Maacha filia Abſalom.
3 Ambulauitque in omnibus peccatis patris ſui, quæ
fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum
Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius.
4 Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus lu-
cernam in Ieruſalem, vt ſuſcitaret filium eius poſt
eum, & ſtatueret Ieruſalem:
5 Eo quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, &
non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei
cunctis diebus vitæ ſuæ, * excepto ſermone Vriæ
Hethæi.
6 Attamen bellum fuit inter Roboam, & Ieroboam
omni tempore vitæ eius.
7 Reliqua autem ſermonum Abiam, & omnia quæ
fecit, nonne hæc * ſcripta ſunt in Libro verborum
dierum regum Iuda? Fuitque prælium inter Abiam
& inter Ieroboam.
8 Et dormiuit Abiam cum patribus ſuis, & ſepelierũt
eum in ciuitate Dauid: * regnauitque Aſa filius
eius pro eo.
9 In anno ergo vigeſimo Ieroboam regis Iſrael re-
gnauit Aſa rex Iuda,
10 Et quadraginta & vno anno regnauit in Ieruſalem.
Nomen matris eius Maacha, filia Abſalom.
11 Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſi-
cut Dauid pater eius:
12 Et abſtulit effeminatos de terra, purgauitque vni-
uerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres eius.
13 Inſuper & Maacham matrem ſuam amouit, ne eſ-
ſet princeps in ſacris Priapi, & in luco eius, quem
conſecrauerat: ſubuertitque ſpecum eius, & con-
fregit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in tor
rente Cedron:
14 Excelſa autem non abſtulit. Verumtamen cor Aſa
perfectum erat cum Domino cunctis diebus ſuis.
15 Et intulit ea, quæ ſanctificauerat pater ſuus, & vo-
uerat, in domum Domini, argentum & aurum,
& vaſa.

Bel-

* 2.Par.13 2. (v. 2) — * 2.Reg. 11.4. (v. 5) — * 2.Par.13 2. (v. 7) — * 2.Par.14 1. (v. 8)

## Transl. ex Heb. Sanct.

31 *Dormiuitque Rechabham cum patribus ſuis, & ſe-
pultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid, &
nomen matris eius Nahamah Hammonitis, & re-
gnauit Abijam filius eius pro eo.*

### CAP. XV.

1 *ET anno octauo decimo regis Iarobham filij Ne
bath regnauit Abijam ſuper Iehudah.*
2 *Tribus annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem
matris eius fuit Mahachah filia Abiſalom.*
3 *Et ambulauit in omnibus peccatis patris ſui, quæ fe-
cerat ante eum: & non fuit cor eius perfectum cum
Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris ſui.*
4 *Quia propter Dauid dedit Dominus Deus eius ei lu
cernam in Ieruſalaim, vt ſuſcitaret filium eius poſt
eum, & ſtare faceret Ieruſalaim.*
5 *Quia fecit Dauid, quod rectum erat in oculis Do-
mini, & non declinauit ab omnibus quæ præcepit ei
omnibus diebus vitæ ſuæ, præter rem Vrijah Chit-
tæi.*
6 *Et bellum fuerat inter Rechabham, & Iarobham om
nibus diebus eius.*
7 *Reſidua autem verborum Abijam, & omnia quæ fe-
cit, nonne ſcripta ſunt in Libro verborum dierum re-
gum Iehudah? Et bellum fuit inter Abijam, & Ia-
robham.*
8 *Et dormiuit Abijam cum patribus ſuis, & ſepelie-
runt eum in ciuitate Dauid, & regnauit Aſa filius
eius pro eo.*
9 *Anno autem vigeſimo Iarobham regis Iſrael regna-
uit Aſa ſuper Iehudah.*
10 *Et quadraginta, & vno annis regnauit in Ieruſa-
laim. Nomen matris eius Mahachah filia Abiſalom.*
11 *Fecitque Aſa quod rectum erat in oculis Domini, ſi-
cut Dauid pater eius.*
12 *Et tranſire fecit ſcorta maſcula de terra, & abſtu-
lit vniuerſa idola quæ fecerant patres eius.*
13 *Et etiam Mahachah matrem ſuam amouit, ne eſſet
regina, quæ fecerat idolum luco, & ſuccidit Aſa ido-
lum eius, & combuſſit in torrente Chidron.*
14 *Excelſa autem non abſtulerunt: Verumtamẽ cor Aſa
erat perfectum cum Domino omnibus diebus ſuis.*
15 *Et intulit ſanctificationes patris ſui, & ſanctifica-
tiones domus Domini, argentum, & aurum, &
vaſa.*

*Bel-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

31 Et dormiuit Roboam cum patribus ſuis, & ſepelitur cum patribus ſuis in ciuitate Dauid: Et regnauit Abiu
filius eius pro eo.

### CAP. XV.

ET in anno octauo & decimo, regnante Hieroboam filio Nabat, regnat Abiu filius Roboam ſuper Iudam:
2 Et tribus annis regnauit in Hieruſalem, & nomen matris eius Maacha filia Abeſſalom. 3 Et ambu-
lauit in peccatis patris ſuis, quæ fecit in conſpectu eius, & non fuit cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo,
ſicut cor patris eius. 4 Quoniam propter Dauid dedit ei Dominus reliquias, vt ſtatuat filios eius poſt
eum, & ſtatuat Hieruſalem: 5 Quia fecit Dauid rectum coram Domino, non declinauit ab omnibus,
quæ mandauit ei omnibus diebus vitæ ſuæ. * 6 Et bellum fuit inter Abiu, & inter Hieroboam.
7 Et reliqua verborum Abiu, & omnia, quæ fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regum
Iuda? 8 Et dormiuit Abiu cum patribus ſuis in ciuitate Dauid: & regnauit Aſa filius eius
pro eo. 9 In anno quarto & vigeſimo Hieroboam regis Iſrael, regnat Aſa ſuper Iu-
dam: 10 Et quadraginta & vnum annum regnauit in Hieruſalem: & nomen matris
eius Anà filia Abeſſalom. 11 Et fecit Aſa rectum in conſpectu Domini ſicut Dauid
pater eius, 12 Et abſtulit teletas de terra, & dimiſit omnes adinuentiones, quas fecerant pa-
tres ſui. 13 Et ipſam Ana matrem ſuam amouit, ne eſſet hera, ſicut fecerat conuentum in luco
ſuo: & excidit Aſa luſtra eius, & combuſſit igni in torrente Cedron: 14 Excelſa autem non ab-
ſtulit: Verumtamen cor Aſa fuit perfectum cum Domino omnibus diebus eius. 15 Et intulit
columnas patris ſui, & columnas eius intulit in domum Domini argenteas, & aureas, & vaſa.

* In hac tranſ. Ro. ſ poſt ver- ſum 7. hic habet.

Et bel-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

16 Bellum autem erat inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael cunctis diebus eorum.

17 *2.Par.16. b.* * Aſcendit quoque Baaſa rex Iſrael in Iudam, & ædificauit Rama, vt non poſſet quiſpiam egredi, vel ingredi de parte Aſa regis Iuda.

18 Tollens itaque omne argentum, & aurum, quod remanſerat in theſauris domus regiæ, & dedit illud in manus ſeruorum ſuorum: & miſit ad Benadad filium Tabremon filij Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens:

19 Fœdus eſt inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum: ideo miſi tibi munera argentum & aurum: & peto vt venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baaſa rege Iſrael, & recedat à me.

20 Acquieſcens Benadad regi Aſa, miſit principes exercitus ſui in ciuitates Iſrael, & percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abeldomum Maacha, & vniuerſam Ceneroth, omnem ſcilicet terram Nephthali.

21 Quod cum audiſſet Baaſa, intermiſit ædificare Rama, & reuerſus eſt in Therſa.

22 Rex autem Aſa nuncium miſit in omnem Iudam dicens: Nemo ſit excuſatus: & tulerunt lapides de Rama, & ligna eius, quibus ædificauerat Baaſa, & extruxit de eis rex Aſa Gabaa Beniamin, & Maſpha.

23 Reliqua autem omnium ſermonum Aſa, & vniuerſæ fortitudines eius, & cuncta quæ fecit, & ciuitates, quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Verumtamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes.

24 Et dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui. *2.Par.17. a.* * Regnauitque Ioſaphat filius eius pro eo.

25 Nadab vero filius Ieroboam regnauit ſuper Iſrael anno ſecundo Aſa regis Iuda: regnauitque ſuper Iſrael duobus annis.

26 Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini, & ambulauit in vijs patris ſui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.

27 Inſidiatus eſt autem ei Baaſa filius Ahiæ de domo Iſſachar, & percuſſit eum in Gebbethon, quæ eſt vrbs Philiſthinorum: ſiquidem Nadab & omnis Iſrael obſidebant Gebbethon.

28 Interfecit ergo illum Baaſa in anno tertio Aſa regis Iuda, & regnauit pro eo.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Bellum autem erat inter Aſa, & Bahaſa regem Iſrael omnibus diebus eorum.*

17 *Et aſcendit Bahaſa rex Iſrael aduerſum Iehudah, & ædificauit Ramah, vt non permitteret egredientem & ingredientem Aſa regi Iehudah.*

18 *Et tulit Aſa omne argentum, & aurum quæ remanſerant in theſauris domus Domini, & theſauris domus regiæ, & dedit ea in manum ſeruorum ſuorum, miſitque ea rex Aſa ad Benhadad filium Tabrimmon filij Chezion regem Aram, qui habitabat in Dammeſech, dicendo:*

19 *Fœdus ſuit inter me, & te, & inter patrem meum, & patrem tuum: Ecce miſi tibi munus argentum, & aurum: vade irrita pactum tuum cum Bahaſa rege Iſrael, & recedat à me.*

20 *Et audiuit Benhadad regem Aſa, & miſit principes exercitus qui erant ſibi contra vrbes Iſrael, & percuſſit Hyon, & Dan, & Abelbethmahachah, & vniuerſam Chinneroth cum omni terra Naphtali.*

21 *Et fuit, cum audiſſet Bahaſa, deſtitit ædificare Ramah, & manſit in Tirſah.*

22 *Rex autem Aſa congregare fecit omnem Iehudah; Non fuit exemptus: & tulerunt lapides Ramah, & ligna eius quæ ædificauerat Bahaſa, & extruxit ex eis rex Aſa Ghebah Biniamin, & Miſpah.*

23 *Reſidua autem omnium verborum Aſa, & omne robur eius, & omne quod fecit, & vrbes quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iehudah? Veruntamen tempore ſenectutis ſuæ ægrotauit pedibus ſuis.*

24 *Dormiuitque Aſa cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui, regnauitque Iehoſaphath filius eius pro eo.*

25 *Nadab autem filius Iarobham regnauit ſuper Iſrael anno ſecundo Aſa regis Iehudah, & regnauit ſuper Iſrael duobus annis.*

26 *Fecitque malum in oculis Domini, & ambulauit in via patris ſui, & in peccatis eius quibus peccare fecit Iſrael.*

27 *Et conſpirauit aduerſus eum Bahaſa filius Achiiah de domo Iſachar, & percuſſit eum Bahaſa in Ghibbethon, quæ fuerat Peliſthæis: Nadab autem, & omnis Iſrael obſidebant Ghibbethon.*

28 *Interfecitque eum Bahaſa anno tertio Aſa regis Iehudah, & regnauit pro eo.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et bellum fuit inter Aſa, & inter Baaſa regem Iſrael omnibus diebus eorum. 17 Et aſcendit Baaſa rex
Iſrael ſuper Iudam, & ædificauit Rama, vt non eſſet egrediens, & ingrediens ipſi Aſa regi Iuda. 18 Et ſumpſit Aſa omne argentum, & aurum inuentum in theſauris domus Domini, & in theſauris domus regis, & dedit ea
in manus puerorum ſuorum, & miſit eos rex Aſa ad filium Ader filium Taberemã filij Azin regis Syriæ, habitātis in Damaſco, dicens: 19 Diſpone teſtamentum inter me, & inter te, & inter patrem meum, & patrem tuum:
Ecce miſi tibi dona argentum, & aurum: Vade, diſſipa teſtamentum tuum, quod erga Baaſa regem Iſrael, & aſcendet à me. 20 Et audiuit filius Ader regem Aſa, & miſit principes virtutum ſuarum ciuitatibus Iſrael, & percuſſerunt Ain, Dan, & Abel domus Maacha, & omnem Chennereth vſque ad omnem terram Nephthali.
21 Et factum eſt, vt audiuit Baaſa, & omiſit ædificare Rama, & reuertit in Therſa. 22 Et rex Aſa conduxit
omnem Iuda in Enacim, & tollunt lapides ipſius Rama, & ligna eius, quæ ædificauerat Baaſa, & ædificauit eis rex
Aſa omnem collem Beniamin, & ſpeculam. 23 Et reliqua verborum Aſa, & omnis potentatus eius, quem
fecit, & omnes ciuitates, quas ædificauit, nonne ecce hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?
Tantum in tempore ſenectutis ſuæ laborauit pedibus ſuis. 24 Et dormiuit Aſa cum patribus ſuis, &
ſepelitur cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui: & regnat Ioſaphat filius eius pro eo. 25 Et
Nabath filius Hieroboam regnat ſuper Iſrael in anno ſecundo ipſius Aſa regis Iuda, & regnauit in Iſrael annos
duos: 26 Et fecit malum in conſpectu Domini, & ambulauit in via patris ſui, & in peccatis eius,
quibus peccare fecit Iſrael. 27 Et inſidiatus eſt ei Baaſa filius Achia ſuper domum Belaam filij
Achia, & ſecauit eum in Gabathon alienigenarum: Et Nabat, & omnis Iſrael obſidebat ſuper Gabathon.
28 Et interfecit eum Baaſa in anno tertio ipſius Aſa filij Aſa regis Iuda, & regnauit pro eo.

Et fa-

UVA.BSCH

### Vulgat. Editio.

* Inf. 22. 11.
* Sup. 14. 10

29 Cumque regnaſſet, * percuſſit omnem domum Ieroboam: non dimiſit ne vnam quidem animam de ſemine eius, donec deleret eum iuxta verbum Domini, * quod locutus fuerat in manu ſerui ſui Ahiæ Silonitis,

30 Propter peccata Ieroboam, quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Iſrael: & propter delictum, quo irritauerat Dominum Deum Iſrael.

31 Reliqua autem ſermonum Nadab, & omnia quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?

32 Fuitque bellum inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael cunctis diebus eorum.

33 Anno tertio Aſa regis Iuda regnauit Baaſa filius Ahiæ, ſuper omnem Iſrael in Therſa viginti quatuor annis.

34 Et fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.

CAP. XVI.

1 FActus eſt autem ſermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baaſa, dicens:

2 Pro eo quod exaltaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael, tu autem ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, vt me irritares in peccatis eorum:

3 Ecce, ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus eius: & faciam domum tuam ſicut domum Ieroboam filij Nabat.

* Sup. 14. 11.

4 * Qui mortuus fuerit de Baaſa in ciuitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli.

* 2. Par. 16. 1

5 * Reliqua autem ſermonum Baaſa, & quæcumque fecit, & prælia eius, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?

6 Dormiuit ergo Baaſa cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in Therſa: & regnauit Ela filius eius pro eo.

7 Cum autem in manu Iehu filij Hanani prophetæ verbum Domini factum eſſet contra Baaſa, & contra domum eius, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum ſuarum, vt fieret ſicut domus Ieroboam: ob hanc cauſam occidit eum, hoc eſt, Iehu filium Hanani, prophetam.

An-

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et fuit, cum regnaſſet, percuſſit omnem domum Iarobbam: non reliquit omnem animam ipſi Iarobbam, donec diſperderet eum iuxta verbum Domini quod locutus fuerat per manum ſerui ſui Achiiah Silonitæ.*

30 *Propter peccata Iarobbam qui peccauit, & peccare fecit Iſrael, propter irritationem eius, qua irritauit Dominum Deum Iſrael.*

31 *Reſidua autem verborum Nadab, & omnia quæ fecit nonne ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

32 *Et bellum fuit inter Aſa, & Bahaſa regem Iſrael, omnibus diebus eorum.*

33 *Anno tertio Aſa regis Iehudah regnauit Bahaſa filius Achiiah ſuper omnem Iſrael in Tirſah viginti, & quatuor annis.*

34 *Fecitque malum in oculis Domini, & ambulauit in via Iarobbam, & in peccato eius, quo peccare fecit Iſrael.*

*CAP. XVI.*

1 F*Vit autem verbum Domini ad Iehu filium Chanani contra Bahaſa, dicendo:*

2 *Pro eo quod exaltaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael, ambulaſti in via Iarobbam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, vt irritares me pœcatis eorum.*

3 *Ecce ego remoueo poſteros Bahaſa, & poſteros domus eius, & dabo domum tuam ſicut domum Iarobbam filij Nebath.*

4 *Eum qui mortuus fuerit ex Bahaſa in ciuitate, comedent canes: qui vero mortuus fuerit ex eo in agro comedent aues cœli.*

5 *Reſidua autem verborum Bahaſa, & quæ fecit, & fortitudo eius, nonne ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

6 *Et dormiuit Bahaſa cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Tirſah, & regnauit Elah filius eius pro eo.*

7 *Et etiam per manum Iehu filij Chanani prophetæ, verbum Domini fuit ſuper Bahaſa, & ſuper domum eius, & ſuper omne malum quod fecit in oculis Domini irritando eum opere manuum ſuarum vt eſſet ſicut domus Iarobbam, & pro eo quod percuſſit eum.*

*An-*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et factum eſt, vt regnauit, & percuſſit totam domum Hieroboam, & non reliquit omne ſpiraculum ipſius
Hieroboam, donec exterminaret eum iuxta verbum Domini, quod locutus eſt in manu ſerui ſui Achia Selo-
nitæ 30 De peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Iſrael & in irritatione ſua qua ir-
ritauit Dominum Deum Iſrael. 31 Et reliqua verborum Nabat, & omnia, quæ fecit,
nonne ecce hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 33 Et in anno
tertio ipſius Aſa regis Iuda regnat Baaſa filius Achia ſuper Iſrael in Therſa viginti, & quatuor annos.
34 Et fecit malum in conſpectu Domini, & ambulauit in via Hieroboam filij Nabat, & in peccatis eius, quomo-
do peccare fecit Iſrael.

CAP. VI.

ET factum eſt verbum Domini in manu Ihu filij Anani ad Baaſa: 2 Pro eo, quod exaltaui te de terra,
& dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael, & ambulaſti in via Hieroboam, & peccare feciſti populum
meum Iſrael, ad irritandum me in vanitatibus ſuis; 3 Ecce ego ſuſcito poſt Baaſa, & poſt domum eius, &
dabo domum tuam, ſicut domum Hieroboam filij Nabat. 4 Mortuum ipſius Baaſa in ciuitate comedent
eum canes, & mortuum eius in campo comedent eum volatilia cœli. 5 Et reliqua verborum Baaſa, & om-
nia quæ fecit, & potentatus eius, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?
6 Et dormiuit Baaſa cum patribus ſuis, & ſepelitur in Therſa, & regnat Ela filius eius pro eo. 7 Et in
manu Ihu filij Anani locutus eſt Dominus ſuper Baaſa, & ſuper domum eius, omne malum, quod fecit in con-
ſpectu Domini ad irritandum eum in operibus manuum ſuarum, vt eſſet ſecundum domum Hieroboam, & pro-
pterea quod percuſſit eum.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

8 Anno vigeſimo ſexto Aſa regis Iuda, regnauit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael in Therſa duobus annis.
9 Et rebellauit contra eum ſeruus ſuus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Therſa bibens, & temulentus in domo Arſa præfecti Therſa.
* 4.Reg.9.31
10 * Irruens ergo Zambri, percuſſit, & occidit eum anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Iuda, & regnauit pro eo.
11 Cumque regnaſſet, & ſediſſet ſuper ſolium eius, percuſſit omnem domum Baaſa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos, & amicos eius.
12 Deleuitque Zambri omnem domum Baaſa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baaſa in manu Iehu prophetæ,
13 Propter vniuerſa peccata Baaſa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerunt, & peccare fecerunt Iſrael, prouocantes Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis.
14 Reliqua autem ſermonum Ela, & omnia quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?
15 Anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Iuda, regnauit Zambri ſeptem diebus in Therſa. porro exercitus obſidebat Gebbethon vrbem Philiſthinorum:
16 Cumque audiſſet rebellaſſe Zambri, & occidiſſe regem, fecit ſibi regem omnis Iſrael Amri, qui erat princeps militiæ ſuper Iſrael in die illa in caſtris.
17 Aſcendit ergo Amri, & omnis Iſrael cum eo de Gebbethon, & obſidebant Therſa.
18 Videns autem Zambri quod expugnanda eſſet ciuitas, ingreſſus eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo regia: & mortuus eſt
19 In peccatis ſuis, quæ peccauerat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Iſrael.
20 Reliqua autem ſermonum Zambri, & inſidiarum eius, & tyrannidis, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?
21 Tunc diuiſus eſt populus Iſrael in duas partes: media pars populi ſequebatur Thebni filium Gineth, vt conſtitueret eum regem: & media pars Amri.
22 Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui ſequebatur Thebni filium Gineth: mortuuſque eſt Thebni, & regnauit Amri.

An-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Anno vigeſimo, & ſexto anno Aſa regis Iehudah, regnauit Elah filius Bahaſa ſuper Iſrael in Tirſah duobus annis.*
9 *Et coniurauit aduerſùs eum ſeruus eius Zimri princeps mediæ partis curruum: & ipſo in Tirſah bibente, & ebrio exiſtente in domo Arſa, qui erat ſuper domum in Tirſah.*
10 *Venit Zimri, & percuſſit eum, & occidit eum anno vigeſimo, & ſeptimo Aſa regis Iehudah, & regnauit pro eo.*
11 *Et fuit, cum regnaret, & ſederet ſuper ſolium eius, percuſſit omnem domum Bahaſa, non reliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos eius, & amicos eius.*
12 *Et perdidit Zimri omnem domum Bahaſa iuxta verbum Domini quod locutus fuerat ſuper Bahaſa per manum Iehu prophetæ,*
13 *Propter omnia peccata Bahaſa, & peccata Elah filij eius qui peccauerant, & peccare fecerunt Iſrael irritando Dominum Deum Iſrael, in vanitatibus ſuis.*
14 *Reſidua autem verborum Elah, & omnia quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?*
15 *Anno vigeſimo, & ſeptimo Aſa regis Iehudah, regnauit Zimri ſeptẽ diebus in Tirſah: populus aũt caſtrametati fuerant contra Ghibbethõ quæ fuerat Peleſtinis.*
16 *Audiuitque populus qui caſtrametati erant, dicendo: Coniurauit Zimri, & etiam percuſſit regem: & regem conſtituerunt omnis Iſrael Hombri principem exercitus ſuper Iſrael in die illa in caſtris.*
17 *Aſcenditque Hombri, & omnis Iſrael cum eo de Ghibbethon, & obſederunt Tirſah.*
18 *Et fuit, cum vidiſſet Zimri quod capta eſſet ciuitas venit ad palatium domus regiæ, & combuſſit ſuper ſe domum regiam igni, & mortuus eſt.*
19 *Propter peccata ſua quibus peccauit, faciẽdo quod malũ eſt in oculis Domini, ambulando in via Iarobeã, & in peccatis eius, quæ fecit, peccare faciendo Iſrael.*
20 *Reſidua autem verborum Zimri, & coniuratio eius qua coniurauit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*
21 *Tũc diuiſus eſt populus Iſrael in duas partes: media pars populi erat poſt Tibni filiũ Ghinath, vt regnare facerent eum, & altera media pars erat poſt Hombri.*
22 *Præualuit populus qui erat poſt Hombri populo qui erat poſt Tibni filium Ghinath, & regnauit Hombri.*

*An-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et Ela filius Baaſa regnauit ſuper Iſrael duobus annis in Therſa. 9 Et conuertit ſe ſuper eum
Zambri princeps dimidij equitatus, & ipſe erat in Therſa bibens temulentus in domo Oſa œconomi in Ther-
ſa. 10 Et intrauit Zambri, & percuſſit eum, & interfecit eum, & regnauit pro eo. 11 Et fa-
ctum eſt in regnando ipſum, in ſedendo ipſum ſuper thronum eius, 12 Et percuſſit totam domum
Baaſa, iuxta verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper domum Baaſa, & ad Ihu prophetam
13 De omnibus peccatis Baaſa, & Ela filij eius, quomodo peccare fecit Iſrael, irritando Dominum Deum Iſrael
in vanitatibus eorum. 14 Et reliqua verborum Ela, quæ fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro
verborum dierum regum Iſrael? 15 Et Zambri regnauit in Therſa dies ſeptem, & caſtra Iſ-
rael erant ſuper Gabathon alienigenarum. 16 Et audiuit populus in caſtris, dicentes: Con-
uertit ſe Zambri, & percuſſit regem: & regem fecerunt in Iſrael Ambri ducem militiæ ſuper Iſrael in die illa in
caſtris. 17 Et aſcendit Ambri, & omnis Iſrael cum eo de Gabathon, & obſederunt ſuper
Therſa. 18 Et factum eſt, vt vidit Zambri, quod capta eſt ipſius ciuitas, & vadit in antrum do-
mus regis, & incendit ſuper ſe domum regis, & mortuus eſt 19 Pro peccatis ſuis, quæ fecit,
faciendo malum coram Domino ambulando in via Hieroboam filij Nabat, & in peccatis eius quomodo peccare
fecit Iſrael. 20 Et reliqua verborum Zambri, & coniurationes eius, quas coniurauit, nonne
ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael? 21 Tunc diuiditur populus Iſrael,
dimidium populi fit poſt Thamni filium Gonath ad faciendum eum regem, & dimidium populi fit poſt Ambri.
22 Populus qui erat poſt Ambri, præualuit populo, qui poſt Thamni filium Gonath, & mortuus eſt Thamni, &
Ioram frater eius in tempore illo, & regnauit Ambri poſt Thamni.

In an-

### Vulgata Editio.

23 Anno trigeſimo primo Aſa regis Iuda regnauit Amri ſuper Iſrael, duodecim annis: in Thersa regnauit ſex annis.

24 Emitque monté Samariæ a Somer duobus talentis argenti: & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer Domini montis Samariam.

25 Fecit autem Amri malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter ſuper omnes, qui fuerunt ante eum.

26 Ambulauitque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius quibus peccare fecerat Iſrael: vt irritaret Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis.

27 Reliqua autem ſermonum Amri, & prælia eius, quæ geſſit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?

28 Dormiuitque Amri cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Samaria: regnauitque Achab filius eius pro eo.

29 Achab vero filius Amri regnauit ſuper Iſrael anno trigeſimo octauo Aſa regis Iuda Et regnauit Achab filius Amri ſuper Iſrael in Samaria viginti & duobus annis.

30 Et fecit Achab filius Amri malum in cõſpectu Domini ſuper omnes, qui fuerunt ante eum.

31 Nec ſuffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat: inſuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abijt, & ſeruiuit Baal, & adorauit eum.

32 Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificauerat in Samaria.

33 Et plantauit lucum: & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſrael ſuper omnes reges Iſrael, qui fuerunt ante eum.

34 * In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun.

* Ioſ. 6. 26.

#### CAP. XVII.

Eccl. 48. 1. Luc. 5. 17.

1 ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.

Et

### Transl. ex Heb. Sanct.

23 *Anno trigeſimo, & vno anno Aſa regis Iehudah regnauit Hemri ſuper Iſrael duodecim annis: in Tirſah regnauit ſex annis.*

24 *Emitque montem Somron à Semer duobus talentis argenti, & ædificauit montem, vocauitque nomen ciuitatis, quam ædificauit nomine Semer Domini montis Somron.*

25 *Et fecit Hemri malum in oculis Domini, & peius fecit omnibus qui fuerunt ante eum.*

26 *Ambulauitque in omni via Iarobham filij Nebath, & in peccato eius qui peccare fecit Iſrael irritando Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis.*

27 *Reſidua autem verborum Hemri, & omnia quæ fecit, & fortitudo eius quam fecit, nonne ſunt ſcripta in libro verborum dierum regum Iſrael.*

28 *Dormiuitque Hemri cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Somron, & regnauit Achab filius eius pro eo.*

29 *Achab autem filius Hemri regnauit ſuper Iſrael anno trigeſimo et octauo Aſa regis Iehudah Regnauitque Achab filius Hemri ſuper Iſrael in Somron viginti, & duobus annis.*

30 *Fecitque Achab filius Hemri peius in oculis Domini omnibus qui fuerunt ante ſe.*

31 *Et fuit, ſiue leue vt ambularet in peccatis Iarobham filij Nebath? Et tulit vxorem Izebel filiam Ethbahal regis Sidoniorum, & abijt, & ſeruiuit Bahal, incuruauitque ſe ei.*

32 *Et ſtatuit altare ipſi Bahal in domo Bahal quod ædificauerat in Somron.*

33 *Fecitque Achab lucũ: addiditque Achab facere ad irritandum Dominum Deum Iſrael præ omnibus regibus Iſrael, qui fuerunt ante eum.*

34 *In diebus ſuis ædificauit Chiel Bethhelita Iericho. In Abiram primogenito ſuo fundauit eam, & in Segub minimo ſuo ſtatuit portas eius iuxta verbum Domini quod locutus fuerat per manum Iehoſuah filij Nun.*

#### CAP. XVII.

1 *DIxit autem Elijahu Tiſbites de aduenis Ghilhad ad Achab. Viuit Dominus Deus Iſrael, cuius ſteti in conſpectu, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi ſecundum verbum meum.*

*Fuit-*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

* Hic perſonas eaſdem in noſtra vulgata habemus [illegible] quorũ aliquas, quia [illegible] hac eadem translatione repetuntur hoc loco accepimus q̃ c. illo 12. nu. 47. 48. 49. & 50. poſitiſſima [illegible] verò hoc fragmẽ erit ad ſinẽ huius tomi vt mediã huius trãſlat. ibi videri poſſit.

23 In anno trigeſimo & primo regis Aſa regnat Ambri ſuper Iſrael duodecim annos: in Therſa regnat ſex annos.
24 Et acquiſiuit Ambri montem Semeron a Semer domino montis in duobus talentis argẽti. Et ædificauit montem, & inuocauerunt nomen montis, quem ædificauit, in nomine Semer domini montis Semeron. 25 Et fecit Ambri malum in conſpectu Domini, & malefecit ſuper omnes, qui fuerant ante eum. 26 Et ambulauit in omni via Hieroboam filij Nabath, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael, ad irritandum Dominum Deum Iſrael in vanitatibus eorum. 27 Et reliqua verborum Ambri, & omnia, quæ fecit, & omnis potentatus eius, nonne ecce hæc ſcripta in libro verborum dierum regum Iſrael? 28 Et dormiuit Ambri cum patribus ſuis: & ſepelitur in Samaria: & regnat Achaab filius eius pro eo. * 29 In anno ſecundo Ioſaphat regis Iuda, Achaab filius Ambri regnauit ſuper Iſrael in Samaria viginti & duos annos. 30 Et fecit Achaab malum in conſpectu Domini, & malefecit ſuper omnes, qui ante eum. 31 Et non fuit ei ſatis ire in peccatis Hieroboam filij Nabath, & accepit vxorem Iezabel filiam Iethebaal regis Sidoniorum. Et iuit, & ſeruiuit Baal, & adorauit eum. 32 Et ſtatuit altare in domo offendiculorum eius, quam ædificauit in Samaria. 33 Et fecit Achaab lucum. Et adiecit Achaab facere irritationes, ad irritandum Dominum Deum Iſrael, & ad perdendum animam ſuam: malefecit ſuper omnes reges Iſrael, qui fuerant ante eum. 34 Et in diebus eius ædificauit Achiel Bæthelita ipſam Hiericho: in Abiron primogenito ſuo fundauit eam: & Segub iuniore ſuo impoſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt in manu Ieſu filij Naue.

#### CAP. XVII.

ET dixit Eliu propheta Thesbites, qui de Thesbon Galaad ad Achaab: Viuit Dominus Deus virtutum Deus Iſrael, cui adſtiti coram eo; ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi per os verbi mei.

Et fa-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens:

3 Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem,

4 Et ibi de torrente bibes: coruiſque præcepi vt paſcant te ibi.

5 Abijt ergo, & fecit iuxta verbum Domini: cumque abijſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem.

6 Corui quoque deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente.

7 Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens: non enim pluerat ſuper terram.

8 Factus eſt ergo ſermo Domini ad eum, dicens:

9 Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt paſcat te.

* Luc. 4. 26

10 * Surrexit, & abijt in Sarephta. Cumque veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam.

11 Cumque illa pergeret, vt afferret, clamauit poſt tergum eius, dicens: Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua.

12 Quæ reſpondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna vt ingrediar & faciam illum mihi & filio meo vt comedamus, & moriamur.

13 Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: veruntamen mihi primum fac ipſa farina ſubcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſtea.

14 Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinę non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.

15 Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipſe, & illa, & domus eius: & ex illa die

16 Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

17 Factum eſt autem poſt hæc, ægrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortiſſimus, ita vt non remaneret in eo halitus.

18 Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Fuitque verbum Domini ad eum, dicendo:*

3 *Vade hinc, & verte te ad Orientem, & abſconde te in torrente Cherith qui eſt contra Iarden.*

4 *Et erit, de torrente bibes, & coruis præcepi vt paſcant te ibi.*

5 *Et abijt, fecitque iuxta verbum Domini, & abijt: Seditque in torrente Cherith qui erat contra Iarden.*

6 *Et corui afferebant ei panem, & carnem mane, & panem, & carnem veſperi, & de torrente bibebat.*

7 *Et fuit, in fine dierum ſiccatus eſt torrens: non enim fuerat pluuia in terra.*

8 *Fuitque verbum Domini ad eum, dicendo:*

9 *Surge, vade in Sarphath quæ eſt ipſi Sidō, & manebis ibi: Ecce præcepi ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.*

10 *Surrexitque, & abijt in Sarphath, & venit ad portam ciuitatis, & ecce ibi mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, & dixit: Affer obſecro mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam.*

11 *Et abijt, vt tolleret, & vocauit eam, & dixit: Tolle obſecro buccellam panis in manu tua.*

12 *Et ait: Viuit Dominus Deus tuus, ſi eſt mihi panis ſubcinericius, præter plenam volam farinæ in hydria & modicum olei in lenticula, & ecce colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illam mihi, & filio meo, & comedamus illam, & moriamur.*

13 *Dixitque ad eam Elijahu: Ne timeas. Vade fac ſecundum verbum tuum: Veruntamen fac mihi inde ſubcinericium panem paruum prius, & affer mihi: Tibi autem, & filio tuo facies poſtea.*

14 *Sic enim dixit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non conſumetur, & lenticula oleum non deficiet vſque ad diem quo dabit Dominus pluuiam ſuper faciem terræ.*

15 *Et iuit, & fecit ſecundum verbum Elijahu, & comedit ipſa, & ipſe, & familia eius per dies.*

16 *Hydria farinæ non defecit, & lenticula oleum non defecit, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per manum Elijahu.*

17 *Et fuit, poſt hæc ægrotauit filius mulieris dominæ domus: fuitque infirmitas eius fortis valde, donec non remaneret in eo halitus.*

18 *Dixitque ad Elijahu: Quid mihi & tibi vir Dei? Veniſti ad me vt memorare faceres iniquitatem meam, & mori faceres filium meum?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et factum eſt verbum Domini ad Eliu: 3 Vade hic ad Orientem, & abſcondere in torrente Chorrath,
qui ſuper faciem Iordanis. 4 Et erit, de torrente bibes aquam, & coruis mandabo nutrire te illic.
5 Et fecit Eliu iuxta verbum Domini, & ſedit in torrente Chorrath ſuper faciem Iordanis. 6 Et corui ferebant ei panes mane, & carnes veſperi, & de torrente bibebat aquam. 8 Et factum eſt poſt dies, & exaruit
torrens, quia non fuerat pluuia ſuper terram. 8 Et factum eſt verbum Domini ad Eliu: 9 Surge, &
vade in Sarepta Sidoniæ: Ecce mandaui ibi mulieri viduæ de nutriendo te. 10 Et ſurrexit, & iuit in Sarepta, & venit ad oſtium ciuitatis, & ecce ibi mulier vidua colligebat ligna, & clamauit poſt eam Eliu, & dixit ad
eam: Cape nunc mihi puſillam aquam in vaſe, & bibam. 11 Et iuit capere, & clamauit poſt eam Eliu, &
dixit: Cape nunc mihi buccellam panis, qui in manu tua. 12 Et dixit mulier: Viuit Dominus Deus
tuus ſi eſt mihi ſubcinericius, niſi quantum pugillum farinæ in hydria, & paucum oleum in lecytho, & ecce ego
colligam duo ligniculа, & ingrediar, & faciam illum mihi, & filijs meis, & comedemus, & moriemur.
13 Et dixit ad eam Eliu: Confide, intra, & fac iuxta verbum tuum: Sed fac mihi inde ſubcinericium paruum, &
afferes mihi in primis, tibi autem & filijs tuis facies in vltimo. 14 Quoniam hæc dicit Dominus:
Hydria farinæ non deficiet & lecythus olei non minuetur vſque ad diem, quo dabit Dominus pluuiam ſuper
terram. 15 Et iuit mulier, & fecit, & comedit ipſa, & ipſe, & filij eius. 16 Et hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus iuxta verbum Domini, quod locutus eſt in manu
Eliu. 17 Et factum eſt poſt hæc, & ægrotauit filius mulieris dominæ domus, & erat infirmitas eius
valida valde, donec non remanſit in eo ſpiritus. 18 Et dixit ad Eliu: Quid mihi, & tibi homo Dei?
Intraſti ad me ad rememorandum iniuſtitias meas, & interficiendum filium meum.

## Vulgata Editio.

19 Et ait ad eam Elias : Da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius,& portauit in cœnaculum vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum.

20 Et clamauit ad Dominum,& dixit : Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego vtcumque ſuſtentor,afflixiſti vt interficeres filium eius.

21 Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait : Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.

22 Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ : & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit.

23 Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ,& ait illi : En viuit filius tuus.

24 Dixitque mulier ad Eliam : Nunc, in iſto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.

### CAP. XVIII.

1 POſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam, in anno tertio dicens : Vade, & oſtende te Achab vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.

2 Iuit ergo Elias,vt oſtenderet ſe Achab : erat autem fames vehemens in Samaria.

3 Vocauitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ : Abdias autem timebat Dominum valde.

4 Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abſcondit eos quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis,& pauit eos pane & aqua.

5 Dixit ergo Achab ad Abdiam : Vade in terram ad vniuerſos fontes aquarum,& in cunctas valles,ſi forte poſſimus inuenire herbam, & ſaluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.

6 Diuiſeruntque ſibi regiones, vt circuirent eas : Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram ſeorſum.

7 Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei : qui cum cognouiſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam,& ait : Num tu es,domine mi, Elias?

8 Cui ille reſpondit : Ego. Vade,& dic domino tuo : Adeſt Elias.

9 Et ille : Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me ſeruum tuum in manu Achab,vt interficiat me?

Vi-

## Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

19 *Et dixit ad eam : Da mihi filium tuum. Et tulit eum de ſinu illius, & aſcendere fecit eum in cœnaculum in quo manebat, & iacere fecit eum ſuper lectum ſuum.*

20 *Et clamauit ad Dominum,& dixit : Domine Deus. Num etiam vidua cum qua habito maleféciſti, vt interficeres filium eius?*

21 *Et menſus eſt ſe ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & dixit : Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius ad interiora eius.*

22 *Et exaudiuit Dominus vocem Eliyahu, & reuerſa eſt anima pueri ad interiora eius, & reuixit.*

23 *Tulitque Eliyahu puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in domum,& dedit illum matri ſuæ : Dixitque Eliyahu : Vide viuit filius tuus.*

24 *Dixitque mulier ad Eliyahu : Nunc iam noui quod vir Dei es, & verbum Domini in ore tuo eſt veritas.*

### CAP. XVIII.

1 *ET fuerunt dies multi, & verbum Domini fuit ad Eliyahu anno tertio dicendo : Vade, oſtende te ipſi Achab, & dabo pluuiam ſuper faciem terræ.*

2 *Et abijt Eliyahu, vt oſtenderet ſe Achab: fames autem valida erat in Someron.*

3 *Et vocauit Achab Hobadiahu qui erat ſuper domũ (Hobadiahu autem erat timens Dominum valde.)*

4 *Et fuit, cum occidere faceret Izebel prophetas Domini, tulit Hobadiahu centum prophetas,& abſcondit eos quinquagenos ſingulos in ſpelunca,& pauit eos pane,& aqua.*

5 *Dixitq; Achab ad Hobadiahu : Vade in terram ad vniuerſos fontes aquarum,& ad omnes torrentes,ſi forte inueniamus herbam,et viuos reſeruemus equos & mulos,& non excidere faciamus iumenta.*

6 *Diuiſeruntque ſibi terram, vt pertranſirent eam : Achab abijt per viam vnam ſolus, & Hobadiahu abijt per viam alteram ſolus.*

7 *Et fuit,Hobadiahu exiſtente in via, ecce Eliyahu venit in occurſum eius:& agnouit eum,& cecidit ſuper faciem ſuam, & dixit : Numquid tu es dominus meus Eliyahu?*

8 *Dixitque ei : Sum. Vade, dic domino tuo. Ecce Eliyahu.*

9 *Et dixit : Quid peccaui quod tradis ſeruum tuum in manum Achab,vt interficiat me?*

*Vi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et dixit Eliu ad mulierem : Da mihi filium tuum. Et ſumpſit illum de ſinu eius,& attulit eum in cœnacu-
lum,in quo ipſe ſedebat ibi,& cubare eum fecit ſuper lectum. 20 Et exclamauit Eliu, & dixit : Hei
mihi Domine,teſtis viduæ, qua cum ego habito cum ea, tu afflixiſti interficiendo filium eius? 21 Et
inſufflauit puerulo ter, & inuocauit Dominum, & dixit : Domine Deus meus, reuertatur nunc anima puerulí
eius in ipſum. 22 Et factum eſt ſic, & exclamauit puerulus. 23 Et deduxit eum de cœna-
culo in domum,& dedit eum matri eius : & dixit Eliu : Aſpice, viuit filius tuus. 24 Et dixit mulier
ad Eliu : Ecce cognoui, quia tu homo Dei, & verbum Domini in ore tuo verum.

### CAP. XVIII.

ET factum eſt poſt dies multos,& verbum Domini factum eſt ad Eliu in anno tertio,dicens : Vade,& appare
Achaab, & dabo pluuiam ſuper faciem terræ. 2 Et iuit Eliu apparere Achaab : & fames valida in
Samaria. 3 Et vocauit Achaab Abdiu œconomum : & Abdiu erat timens Dominum valde.
4 Et factum eſt in percutiendo Iezabel prophetas Domini, & ſumpſit Abdiu centum viros prophetas, & occul-
tauit eos ad quinquaginta in ſpelunca,& enutriuit eos in aqua,& pane. 5 Et dixit Achaab ad Abdiu :
Heus,& tranſeamus ſuper terram,& ad fontes aquarum,& ad torrentes, ſi quomodo inueniamus herbam & con-
ſeruemus equos,& mulos,& non exterminabuntur de tabernaculis. 6 Et diuiſerunt ſibi viam ad tran-
ſeundum eam. Achaab iuit in via vna,& Abdiu iuit in via alia ſolus. 7 Et erat Abdiu in via ſolus :
& venit Eliu in occurſum eius ſolus,& Abdiu feſtinauit, & cecidit ſuper faciem ſuam, & dixit : Si tu es ipſe,Do-
mine mi Eliu? 8 Et dixit Eliu ei : Ego. Vade,dic domino tuo : Ecce Eliu. 9 Et dixit Ab-
diu : Quid peccaui,quia das ſeruum tuum in manum Achaab ad interficiendum me?

Viuit

UVA.BSCH

### Vulgat. Editio.

10 Viuit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens aut regnum, quò non miſerit dominus meus te requirens: & reſpondentibus cunctis: Non eſt hic: adiurauit regna ſingula & gentes, eo quod minime reperireris.

11 Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias.

12 Cumque receſſero a te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingreſſus nunciabo Achab, & non inueniens te, interficiet me: ſeruus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua.

13 Numquid non indicatum eſt tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quod abſconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aqua?

14 Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias: vt interficiat me?

15 Et dixit Elias: Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto, quia hodie apparebo ei.

16 Abijt ergo Abdias in occurſum Achab, & indicauit ei: venitque Achab in occurſum Eliæ.

17 Et cum vidiſſet eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Iſrael?

18 Et ille ait: Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.

19 Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me vniuerſum Iſrael in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Iezabel.

20 Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit prophetas in monte Carmeli.

21 Accedens autem Elias ad omnem populum ait: Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Et non reſpondit ei populus verbum.

22 Et ait rurſus Elias ad populum: Ego remanſi propheta Domini ſolus: prophetæ autẽ Baal quadringenti, & quinquaginta viri ſunt.

23 Dentur nobis boues, & illi eligant ſibi bouem vnum, & in fruſta cædentes ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bouem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam.

Inno-

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Viuit Dominus Deus tuus, ſi eſt gẽs, & regnum ad quod non miſerit Dominus meus, vt quæreret te: & dixerunt, non eſt; & adiurauit regnum, & gentem, quia non inuenit te.*

11 *Et nunc dicis: Vade, dic Domino tuo. Ecce Elijahu.*

12 *Et erit, ego ibo à te, & ſpiritus Domini tollet te ad locum, quem non cognoſcam: & veniam vt nunciem Achab, & non inueniet te, & interficiet me: ſeruus autem tuus timet Dominum ab adoleſcentia ſua.*

13 *Nonne indicatum fuit Domino meo quod feci, cum occideret Izebel prophetas Domini? Abſcondi ex prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos viros in ſpelunca, & paui eos pane, & aqua.*

14 *Et nunc dicis, vade, dic Domino tuo. Ecce Elijahu, & interficiet me.*

15 *Dixitque Elijahu. Viuit Dominus exercituũ, cuius ſteti in conſpectu, quia hodie oſtendam me ei.*

16 *Et abijt Hobadiahu in occurſum Achab, & nunciauit ei. Et iuit Achab in occurſum Elijahu.*

17 *Et fuit, cum vidit Achab Elijahu. Dixit Achab ad eum? numquid tu es ille qui conturbas Iſrael?*

18 *Et dixit: Nõ turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, cum reliqueritis mandata Domini, & ambulauitis poſt Behalim.*

19 *Et nunc mitte, congrega ad me vniuerſum Iſrael ad montem Charmel, & prophetas Bahal quadringentos, & quinquaginta, & prophetas luci quadringentos comedentes in menſa Izebel.*

20 *Miſit autem Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit prophetas in monte Charmel.*

21 *Et acceſſit Elijahu ad vniuerſum populum, & dixit. Vſquequo claudicatis in duas cogitationes. Si Dominus eſt Deus, ite poſt eũ: & ſi Bahal, ite poſt eum. Et non reſpondit populus ei verbum.*

22 *Dixitque Elijahu ad populum. Ego remanſi propheta Domini ſolus. Prophetæ autem Bahal ſunt quadringenti, & quinquaginta viri.*

23 *Denturque nobis duo iuuenci & eligant ſibi iuuencum vnum, & in fruſta concidant eum, & ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam iuuencum alterum, & ponam ſuper ligna, & ignem non ſupponam.*

*In-*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Viuit Dominus Deus tuus, ſi eſt gens, aut regnum; quo non miſit Dominus meus quærere te. Et ſi dixerunt,
non eſt; & incendit regnum, & regiones eius quia non inuenit te. 11 Et nunc tu dicis, Vade, annuncia domino tuo, Ecce Eliu. 12 Et erit, ſi ego abiero a te; & ſpiritus Domini tollet te in terram, quam non noui: &
ingrediar annunciare Achaab: & non inueniet te: & occidet me. Et ſeruus tuus eſt timens Dominum a iuuentute ſua. 13 Nunquid non annunciatum eſt tibi domino meo; qualia feci in occidendo Iezabel prophetas Domini, & occultaui de prophetis Domini centum viros, ſingulos quinquaginta in ſpelunca, & nutriui in panibus, &
aqua? 14 Et nunc tu dicis mihi, vade, dic domino tuo, Ecce Eliu: Et interficiet me. 15 Et dixit Eliu: Viuit
Dominus virtutum, cui aſtiti in conſpectu eius; quia hodie apparebo ei. 16 Et iuit Abdiu in occurſum Achaab:
& annunciauit ei. Et excurrit Achaab, & iuit in occurſum Eliu. 17 Et factum eſt, vt vidit Achaab Eliu, & dixit
Achaab ad Eliu: Si tu es ipſe, qui euertis Iſrael? 18 Et dixit Eliu: Non euerto Iſrael: Sed quin imo tu, &
domus patris tui: dum relinquitis vos Dominum Deum veſtrum, & iiſſi poſt Baalim. 19 Et nunc mitte, congrega ad me omnem Iſrael in montem Carmeli, & prophetas confuſionis quadringentos & quinquaginta, & prophetas lucorum quadringentos manducantes menſam Iezabel. 20 Et miſit Achaab in omnem Iſrael, & collegit omnes prophetas in montem Carmeli. 21 Et acceſſit Eliu ad omnes: & dixit eis Eliu: Vſquequo vos
claudicabitis in ambobus poplitibus? Si Deus eſt Dominus; ite poſt eum: Si autem Baal; ite poſt eum. Et non
reſpondit populus verbum. 22 Et dixit Eliu ad populum. Ego remanſi propheta Domini ſolus: & prophetæ
Baal quadringenti & quinquaginta viri, & prophetæ lucus quadringenti. 23 Dent nobis duos boues: & eligant ſibi vnum, & demembrent, & imponant ſuper ligna, & ignem non apponant. Et ego faciam bouem alterum, & ignem non apponam.

## Vulgata Editio.

24 Inuocate nomina deorum veſtrorum, & ego inuo-
cabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit
per ignem, ipſe ſit Deus: Reſpondens omnis popu-
lus ait: Optima propoſitio.
25 Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bo-
uem vnum, & facite primi, quia vos plures eſtis: &
inuocate nomina deorum veſtrorum, ignemque non
ſupponatis.
26 Qui cum tuliſſent bouem, quem dederat eis, fece-
runt: & inuocabant nomen Baal de mane, vſque ad
Meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat
vox, nec qui reſponderet: tranſiliebantque altare
quod fecerant.
27 Cumque eſſet iam Meridies, illudebat illis Elias, di-
cens: Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & for-
ſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere,
aut certe dormit, vt excitetur.
28 Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta
ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderen-
tur ſanguine.
29 Poſtquam autem tranſijt Meridies, & illis prophe-
tantibus venerat tempus, quo ſacrificium offerri ſo-
let, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec
attendebat orantes:
30 Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et acce-
dente ad ſe populo, curauit altare Domini, quod
deſtructum fuerat.
31 Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tri-
buum filiorum Iacob, ad quem factus eſt ſer-
* Gen. 32. 28. mo Domini, dicens: * Iſrael erit nomen tu-
um.
32 Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domi-
ni: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiun-
culas in circuitu altaris,
33 Et compoſuit ligna: diuiſitque per membra bo-
uem, & poſuit ſuper ligna,
34 Et ait: Implete quattuor hydrias aqua, & fundite
ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque di-
xit: Etiam ſecundò hoc facite. Qui cum feciſſent
ſecundò, ait: Etiam tertiò, idipſum facite. Fece-
runtque tertiò,
35 Et currebant aquæ circum altare, & foſſa aquædu-
ctus repleta eſt.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Inuocate autem nomen deorum veſtrorum, &*
*ego inuocabo nomen Domini, & erit, Deus qui*
*exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus: Reſponditq-*
*que omnis populus, & dixit: Bonum eſt ver-*
*bum.*
25 *Dixitque Elijahu ad prophetas Bahal: Eligite vo-*
*bis iuuencum vnum, & facite primum, quia plures*
*eſtis, & inuocate nomen deorum veſtrorum, &*
*ignem ne ſupponatis.*
26 *Et tulerunt iuuencum, quem dederat eis, & fece-*
*runt, & inuocauerunt nomen Bahal à mane vſque*
*ad Meridiem dicendo: Bahal exaudi nos: & non*
*erat vox, nec erat reſpondens: Tranſiliebantque ſu-*
*per altare, quod fecerant.*
27 *Et fuit in Meridie illudebat eis Elijahu atque*
*dicebat: Clamate voce magna: ſi Deus ipſe eſſet*
*ſermo cum quopiam, vel ſi eſſet ei apprehenſio ini-*
*micorum, aut ſi eſſet iter ei, forſitan dormit ipſe, &*
*excitabitur.*
28 *Clamabantque voce magna, & incidebant ſe iuxta*
*morem ſuum cultris, & lanceolis, vſquequo effunde-*
*retur ſanguis ſuper eos.*
29 *Et fuit, cum tranſiſſet Meridies, prophetabant vſ-*
*quequo efferrent ſacrificium, & non erat vox, neque*
*reſpondens, nec attentio.*
30 *Dixitque Elijahu ad omnem populum: Accedite ad*
*me: & acceſſerunt omnis populus ad eum, & cura-*
*uit altare Domini dirutum.*
31 *Tulitque Elijahu duodecim filiorum Iahacob, ad*
*quem fuit verbum Domini, dicendo: Iſrael erit no-*
*men tuum.*
32 *Et ædificauit ex lapidibus altare in nomine Domi-*
*ni: fecitque aquaductum ſecundum locum duarum*
*ſatorum ſementis in circuitu altaris.*
33 *Et parauit ligna, & in fruſta concidit iuuencum, &*
*poſuit ſuper ligna.*
34 *Et dixit: Implete quattuor hydrias aqua, & fun-*
*dite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna, & dixit:*
*Iterate: & iterauerunt: & dixit. Tertio facite:*
*Et tertio fecerunt.*
35 *Et ibant aqua per circuitum altaris, & etiam aqua-*
*ductum impleuit aqua.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et clamate in nomine deorum veſtrorum, & ego inuocabo in nomine Domine Dei mei, & erit, Deus qui-
cumque exaudierit in igne, hic Deus. Et reſponderunt omnis populus, & dixerunt: Bonum eſt verbum, quod
locutus es. 25 Et dixit Eliu ad prophetas confuſionis: Eligite vobis vitulum vnum, & facite primi, quo-
niam multi vos eſtis, & inuocate in nomine Dei veſtri, & ignem ne apponatis. 26 Et acceperunt vitulum,
& fecerunt, & inuocabant in nomine Baal à mane vſque ad Meridiem, & dicebant: Exaudi nos Baal exaudi nos:
& non fuit vox, & non fuit auditio, & tranſiliebant ſuper altare, quod fecerant. 27 Et facta eſt Meridies, &
ſubſannauit eos Eliu Theſbites & dixit: Inuocate in voce magna, quia Deus eſt, quia fabulatio ei eſt, & ſimul, ne
forte reſponſa det ipſe, vel ne forte dormiat ipſe, & ſuſcitabitur. 28 Et inuocabant in voce magna, & ſeca-
bant ſe ſecundum conſuetudinem ſuam in gladijs, & ſyromaſtibus vſque ad effuſionem ſanguinis ſuper ſe;
29 Et prophetabant vſque dum tranſiret veſpera: Et factum eſt, quando fuit tempus vt aſcenderet ſacrificium,
& locutus eſt Eliu Theſbites ad prophetas offendiculorum, dicens: Diſcedite amodo & ego faciam holocau-
ſtoma meum: & diſceſſerunt, & abierunt. 30 Et dixit Eliu ad populum: Accedite ad me: Et acceſſit
omnis populus ad eum. 31 Et accepit Eliu duodecim lapides ſecundum numerum tribuum Iſrael, ſicut
locutus eſt Dominus ad eum, dicens: Iſrael erit nomen tuum. 32 Et ædificauit lapides in nomine Do-
mini, & curuauit altare diruptum, & fecit Mare, quod caperet duas metretas ſeminis in gyro altaris:
33 Et conſtipauit ſchizas ſuper altare, quod fecit, & demembrauit holocauſtoma, & impoſuit ſuper ſchizas, &
ſtipauit ſuper altare, 34 Et dixit: Accipite mihi quattuor hydrias aquæ, & effundite ſuper holocauſtum,
& ſuper ſchizas, & fecerunt ſic: & dixit: Iterate. Et iterauerunt. Et dixit: Repetite tertio. Et tertio repetie-
runt. 35 Et mandabat aqua in circuitu altaris, & Mare impleuerunt aqua.

Et ex-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

36 Cumque iam tempus eſſet vt offerretur holocauſtum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.

37 Exaudi me Domine, exaudi me: vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum.

38 Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquã, quæ erat in aquæ ductu lambens.

39 Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.

40 Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi.

41 Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede, & bibe: quia ſonus multæ pluuiæ eſt.

42 Aſcendit Achab vt comederet & biberet: Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua,

43 Et dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra Mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus.

44 In ſeptima autem vice: Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de Mari. Qui ait: Aſcende, & dic Achab: Iunge currum tuum & deſcende, ne occupet te pluuia.

45 Cumque ſe verteret huc atque illuc, ecce cęli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis. Aſcendens itaque Achab abijt in Iezrahel:

46 Et manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

### CAP. XIX.

1 NVnciauit autem Achab Iezabel, omnia quæ fecerat Elias, & quo modo occidiſſet vniuerſos prophetas gladio.

Mi-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 *Et fuit, cum offerret ſacrificium, acceſſit Elijahu propheta, & dixit: Domine Deus Abraham, Iſchac & Iſrael, hodie cognoſcatur quod tu es Deus in Iſrael, & ego ſeruus tuus, & quod in verbo tuo feci omnia hæc.*

37 *Exaudi me Domine, exaudi me, & cognoſcat populus hic quod tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum retrorſum.*

38 *Et cecidit ignis Domini, & conſumpſit holocauſtum, & ligna, & lapides, & puluerem, & aquam, quæ erat in aquæductu linxit.*

39 *Viditque omnis populus, & cecidit in facies ſuas, & dixit: Dominus eſt Deus, & Dominus eſt Deus.*

40 *Dixitque Elijahu ad eos: Apprehendite prophetas Bahal: Nemo euadat ex eis, & apprehenderunt eos, & deſcendere fecit eos Elijahu ad torrentem Chiſon, & iugulauit eos ibi.*

41 *Dixitque Elijahu ad Achab: Aſcende, comede, & bibe: quia ſonus eſt multitudinis pluuiæ.*

42 *Aſcenditque Achab, vt comederet, & biberet: Elijahu vero aſcendit in verticem Charmel, & proſtrauit ſe in terram, & poſuit faciem ſuam inter genua ſua.*

43 *Et dixit ad puerum ſuum: Aſcende nunc, & reſpice ad viam Maris. Et aſcendit, & reſpexit, & ait: Non eſt quicquam. Et dixit: Reuertere ſeptem vicibus.*

44 *Et fuit, in ſeptima dixit: Ecce nubes parua ſicut vola viri aſcendit è Mari. Et dixit: Aſcende, dic Achab: Liga currum & deſcende, ne remoretur te pluuia.*

45 *Et fuit, vſque huc & vſque illuc, & cæli contenebrati ſunt nubibus, & vento, & fuit pluuia magna. Et equitauit Achab, & abijt in Izrehel.*

46 *Manus autem Domini fuit ad Elijahu, & accinxit lumbos ſuos, & currebat ante Achab, donec venias in Izrehel.*

### *CAP. XIX.*

1 *NVnciauit autem Achab Izebel omnia, quæ fecerat Elijahu, & omnes quos occiderat, omnes prophetas gladio.*

*Mi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

36 Et exclamauit Eliu in cœlum, & dixit: Domine Deus Abraam, & Iſaac, & Iſrael, exaudi me Domine, exaudi
me hodie in igne, & ſciant omnis populus hic, quoniam tu es Dominus Deus Iſrael, & ego ſeruus tuus, & per te
feci opera hæc. 37 Exaudi me domine, exaudi me: & cognoſcat populus hic, quia tu es Dominus
Deus, & tu vertiſti cor populi huius retro. 38 Et cecidit ignis à Domino de cœlo, & comedit holo-
cauſta, & ſchizas, & aquam, quæ in Mari: & lapides, & terram linxit ignis. 39 Et cecidit omnis popu-
lus ſuper faciem ſuam, & dixerunt: Vere Dominus Deus ipſe eſt Deus. 40 Et dixit Eliu ad populum:
Comprehendite prophetas Baal, nemo ſit ſaluus ex illis: & comprehendit illos, & deduxit illos Eliu ad torren-
tem Ciſſon, & iugulauit eos ibi. 41 Et dixit Eliu ad Achaab: Aſcende, & manduca, & bibe, quoniam
vox eſt pedum pluuiæ. 42 Et aſcendit Achaab ad manducandum, & bibendum: & Eliu aſcendit in
Carmelum, & inclinauit ſe in terram, & poſuit faciem ſuam inter genua ſua, & dixit puero ſuo: 43 Aſcen-
de, & proſpice viam Maris. Et reſpexit puer, & dixit: Non eſt quicquam Et dixit Eliu: Et tu reuerte ſepties.
Et reuertit puer ſepties. 44 Et factum eſt in ſeptimo, & ecce nubes puſilla quaſi veſtigium hominis ad-
ducens aquam: Et dixit: Aſcende, & dic ad Achaab: Iunge currum tuum, & deſcende, ne comprehendat te plu-
uia. 45 Et factum eſt vſque huc, & illuc, & cœlum contenebrauit nubibus, & vento, & facta eſt pluuia
magna. Et plorabat, & ibat Achaab vſque Iezrael. 46 Et manus Domini ſuper Eliu, & conſtrinxit
lumbum ſuum, & currebat ante Achaab in Iezrael.

### CAP. XIX.

ET annunciauit Achaab Iezabel vxori ſuæ omnia, quæ fecerat Eliu, & quomodo interfecit prophetas in gladio.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Miſitque Iezabel nuncium ad Eliam,dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis.

3 Timuit ergo Elias,& ſurgens abijt quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum.

4 Et perrexit in deſertum, viam vnius diei. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine,tolle animam meam: neq; enim melior ſum, quam patres mei.

5 Proiecitque ſe,& obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge,& comede.

6 Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis,& vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit.

7 Reuerſusque eſt Angelus Domini ſecũdò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge,comede: grandis enim tibi reſtat via.

8 Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus,& quadraginta noctibus,vſque ad montem Dei Horeb.

9 Cumque veniſſet illuc, manſit in ſpelunca: & ecce ſermo Domini ad eum,dixitque illi: Quid hic agis Elia?

10 At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio,derelictus ſum ego ſolus,& quærunt animam meam vt auferant eam.

11 Et ait ei: Egredere & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit,& ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus,& poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus.

12 Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus: & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.

13 Quod cum audiſſet Elias,operuit vultum ſuum pallio: & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia?

14 Et ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: * quia dereliquerunt pactũ tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio,derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam.

*Ro.11.3.

Et

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

2 *Miſitque Izabel nuncium ad Elyahu dicendo: Sic faciant dij, & ſic addant: niſi hoc tempore cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.*

3 *Viditque, & ſurrexit, & abijt ſecundum animum ſuum,& venit in Beerſebah,quæ erat ipſi Iehudah, & dimiſit puerum ſuum ibi.*

4 *Ipſe autem perrexit in deſertum itinere diei. Et venit,& ſedit ſubtus geniſtam vnã, & petiuit anima ſua, vt moreretur, & dixit: Sufficit nunc Domine, tolle animam meam: non enim melior ſum patribus meis.*

5 *Et accubuit, dormiuitque ſubtus geniſtam vnam: & ecce tempore illo Angelus tetigit eũ, & dixit ei: Surge,comede.*

6 *Et reſpexit: & ecce ad caput ſuum panis inter prunas coctus,& ſcyphus aquæ,& comedit,& bibit,& reuerſus eſt,& accubuit.*

7 *Reuerſus eſt autem Angelus Domini ſecũdo,& tetigit eum, & dixit: Surge,comede, quia longe à te eſt via.*

8 *Surrexitque & comedit, & bibit,& abijt in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus,vſque ad montem Dei Choreb.*

9 *Et ingreſſus eſt illuc ſpeluncam & manſit ibi:& ecce verbum Domini ad eum, dixitque ei: Quid tibi hic Elyahu?*

10 *Et dixit: Zelando zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: dereliquerunt enim pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio,& remanſi ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.*

11 *Et ait: Egredere,& ſta in monte coram Domino:& ecce Dominus tranſit,& ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & confringẽs petras coram Domino: non in ſpiritu Dominus:& poſt ſpiritum cõmotio: non in commotione Dominus.*

12 *Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus: & poſt ignem vox tenuis.*

13 *Et fuit,cum audiſſet Elyahu,operuit faciem ſuam pallio ſuo. Et egreſſus eſt,& ſtetit ad oſtium ſpeluncæ, & ecce ad eũ vox,& dixit: Quid tibi hic Elyahu?*

14 *Et dixit: Zelando zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael. Altaria tua deſtruxerunt,& prophetas tuos occiderunt gladio, & remanſi ego ſolus, & quærũt animam meam vt auferant eam.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et miſit Iezabel ad Eliu,& dixit: Si tu es Eliu; & ego Iezabel. Hæc mihi faciat Deus & hæc adijciat; quia hac hora cras ponam animam tuam,quemadmodum animam vnius ex illis. 3 Et timuit Eliu, & ſurrexit, & abijt ſecundum animam ſuam. Et venit in Berſabee terram Iuda: & dimiſit puerum ſuum ibi. 4 Et ipſe iuit in deſerto viam diei: & venit, & ſedit ſub Rathmon: & petiuit animam ſuam mori & dixit: Sufficiat nunc. Tolle quæſo animam meam a me Domine: quoniam non melior ego ſum ſuper patres meos. 5 Et dormiuit, & ſoporatus eſt ibi ſubtus plantam. Et ecce quidam tetigit eum, & dixit ei: Surge, & comede. 6 Et Eliu reſpexit: & ecce ad caput eius ſubcineritius ſiligineus,& lecythus aquæ. Et ſurrexit,& manducauit, & bibit, & reuertens dormiuit: 7 Et reuertit Angelus Domini ſecundo,& tetigit eum,& dixit ei: Surge,comede: quia multa a te via. 8 Et ſurrexit,& manducauit,& bibit: & iuit in fortitudine cibi illius quadraginta dies,& quadraginta noctes vſq; ad montem Choreb. 9 Et intrauit illic in ſpeluncam,& manſit ibi.Et ecce verbum Domini ad eum,& dixit:Quid tu hic Eliu? 10 Et dixit Eliu: Zelans zelaui Domino omnipotenti;quia dereliquerunt te filij Iſrael. Altaria tua diruerunt,& prophetas tuos occiderunt in gladio. Et relictus ſum ego ſolus: & quærunt animam meam ad tollendam eam. 11 Et dixit: Egredieris cras, & ſtabis coram Domino in monte.Ecce tranſibunt Dominus, & ecce ſpiritus magnus validus diſſoluens montes,& conterens petras coram Domino. Non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritũ concuſſio.Non in concuſſione Dominus. 12 Et poſt concuſſionem ignis. Non in igne Dominus. Et poſt ignem vox auræ tenuis. 13 Et factum eſt,vt audiuit Eliu; & cooperuit faciem ſuam in melote ſua: & exijt, & ſtetit ſub ſpelunca. Et ecce ad eum vox,& dixit:Quid tibi hic Eliu? Et dixit Eliu: 14 Zelans zelaui Domino omnipotẽti, quia dereliquerunt teſtamentum tuum filij Iſrael: & altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt in gladio. Et relictus ſum ego ſolus: & quærunt animam meam ad tollendam eam.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Et ait Dominus ad eum: Vade, & reuertere in
viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque
perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriā,
16 Et Iehu filium Namſi vnges regem ſuper Iſrael:
Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeu-
la, vnges prophetam pro te.
17 * Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occi-
det eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu,
interficiet eum Eliſeus.
18 * Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia viro-
rum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal,
& omne os, quod non adorauit eum oſculans ma-
nus.
19 Profectus ergo inde Elias, reperit Eliſeum filium
Saphat, arantem in duodecim iugis boum: & ipſe
in duodecim iugis boum arantibus vnus erat: cum-
que veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper
illum.
20 Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, &
ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam,
& ſic ſequar te. Dixitque ei: Vade, & reuertere:
quod enim meum erat, feci tibi.
21 Reuerſus autem ab eo, tulit par boum, & mactauit
illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit popu-
lo, & comederunt: conſurgenſque abijt, & ſecutus
eſt Eliam, & miniſtrabat ei.

* 4. Reg. 9. 1.

* Ro. 11. 4.

### CAP. XX.

1 POrro Benadad rex Syriæ, congregauit omnem
exercitum ſuum, & triginta duos reges ſecum,
& equos, & currus: & aſcendens pugnabat contra
Samariam, & obſidebat eam.
2 Mittenſque nuncios ad Achab regem Iſrael in ci-
uitatem,
3 Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & au-
rum tuum meum eſt: & vxores tuæ, & filij tui opti-
mi, mei ſunt.
4 Reſpondítque rex Iſrael: Iuxta verbum tuum, do-
mine mi rex, tuus ſum ego, & omnia mea.
5 Reuertenſque nuncij, dixerunt: Hæc dicit Bena-
dad, qui miſit nos ad te: Argentum tuum, & aurum
tuum, & vxores tuas, & filios tuos dabis mihi.
6 Cras igitur hac eadem hora mittam ſeruos meos
ad te, & ſcrutabuntur domum tuam, & domum ſer-
uorum tuorum: & omne, quod eis placuerit, po-
nent in manibus ſuis, & auferent.

Vo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Dixitque Dominus ad eum: Vade, reuertere in
viam tuam in deſertum Dammeſech, & venies, &
vnges Chazael regem ſuper Aram.*
16 *Et Iehu filium Nimſi vnges regem ſuper Iſrael, &
Eliſah filium Saphath de Abelmechalah vnges pro-
phetam pro te.*
17 *Et erit eum qui euaſerit à gladio Chazael, interfi-
ciet Iehu, & qui euaſerit à gladio Iehu interficiet
Eliſah.*
18 *Et remanere faciam in Iſrael ſeptem millia: omnia
genua, quæ non incuruauerunt ſe ipſi Bahal, & omne
os quod non oſculatum eſt eum.*
19 *Et abijt inde, & reperit Eliſah filium Saphath:
ipſe autem arabat. duodecim paria ante ſe, & ipſe
inter duodecim: & tranſiuit Eliiahu ad eum, &
proiecit pallium ſuum ſuper eum.*
20 *Et reliquit boues, & cucurrit poſt Eliiahu, & dixit:
Oſculer obſecro patrem meum, & matrem meam, &
veniam poſt te: Et dixit ei: Vade, reuertere: Quid
enim feci tibi?*
21 *Et reuerſus eſt ab eo, & tulit par boum, & mactauit
illud, & inſtrumento boum coxit eis carnem, & de-
dit populo, & comederunt: Surrexitque, & abijt
poſt Eliiahu, & miniſtrabat ei.*

### CAP. XX.

1 *BEnadad autem rex Aram congregauit omnem
exercitum ſuum, & triginta, & duo reges erant
ſecum, & equi & currus, & aſcendit, obſedit Some-
ron, & pugnauit cum ea.*
2 *Miſitque nuncios ad Achab regem Iſrael in ciui-
tatem.*
3 *Dixitque ei: Sic dicit Benhadad: Argentum tuum
meum eſt, & aurum tuum meum eſt: & vxores tuæ,
& filij tui optimi mei ſunt.*
4 *Et reſpondit rex Iſrael, et dixit: Secundū verbū tuū
domine mi rex, tuus ſum, & omnia quæ ſunt mihi.*
5 *Et reuerſi ſunt nuncij, atque dixerunt: Sic dixit
Benhadad dicendo: Cum miſero ad te dicendo: Ar-
gentum tuum & aurum tuum, & vxores tuas, &
filios tuos mihi dabis.*
6 *Niſi hoc tempore cras mittam ſeruos meos ad te, &
ſcrutabuntur domum tuam, & domos ſeruorum tuo-
rum: & erit, omne concupiſcibile oculorum tuorum
ponent in manibus ſuis, & tollent.*

Vi-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit ad eum Dominus: Vade, reuertere in viam tuam, & venies in viam deſerti Damaſci, & venies, & vnges Azael in regem Syriæ: 16 Et Ihu filium Namessi vnges in regem ſuper Iſrael, & Eliſæe filium Saphat vnges in prophetam pro te. 17 Et erit, euadentem e gladio Azael interficiet Ihu, & euadentem e gladio Ihu interficiet Eliſæe. 18 Et relinques in Iſrael ſeptem millia virorum, omnia genua, quæ non flexerunt genu ipſi Baal, & omne os, quod non adorauit eum. 19 Et abijt inde, & inuenit Eliſæe filium Saphat, & ipſe arabat in bobus, duodecim iuga coram eo, & ipſe in his duodecim, & abijt ad eum, & proiecit melotem ſuam ſuper eum. 20 Et dereliquit Eliſæe boues, & cucurrit poſt Eliu, & dixit: Deoſculabor patrem meum, & ſequar poſt te: & dixit Eliu: Reudrtere, quoniam feci tibi. 21 Et reuertit a poſt eum, & cepit iuga boum, & immolauit, & coxit ea in vaſis boum, & dedit populo, & comederunt, & ſurrexit, & iuit poſt Eliu, & miniſtrabat ei.

### CAP. XX.

In Tranſlat. hac ex Septuag. Regn. hoc c. 21. locū ſibi vēdicat, qui & infra poſt hunc ponitur loco ſuo ſibi vēdicat.

ET congregauit filius Ader omnem virtutem ſuam, & aſcendit, & obſedit ſuper Samariam, & triginta duo reges cum eo, & omnis equus, & currus, & aſcenderunt, & obſederunt ſuper Samariam, & pugnauerunt ſuper eam. 2 Et miſit ad Achaab regem Iſrael in ciuitatem, 3 Et dixit ad eum: Hæc dicit filius Ader: Argentum tuum, & aurum tuum, meum eſt, & vxores tuæ, & filij tui, mei ſunt. 4 Et reſpondit rex Iſrael, & dixit: Sicut locutus es domine mi rex, tuus ego ſum, & omnia mea. 5 Et reuerterunt nuncij, & dixerunt: Hęc dicit filius Ader: Ego miſi ad te, dicens: Argentum tuum, & aurum tuum, & vxores, & filios tuos dabis mihi: 6 Quoniam hac hora cras mittam pueros meos ad te, & ſcrutabuntur domum tuam, & domos puerorum tuorum: & erit, omnia deſideria oculorum ſuorum, ſuper quæcumque iniicient manus ſuas, & tollent.

## Vulgata Editio.

7 Vocauit autem rex Iſrael omnes ſeniores terræ, &
ait : Animaduertite, & videte quoniam inſidietur
nobis : miſit enim ad me pro vxoribus meis,& filijs,
& pro argento & auro : & non abnui.
8 Dixeruntque omnes maiores natu,& vniuerſus po-
pulus ad eum : Non audias, neque acquieſcas illi.
9 Reſpondit itaque nuncijs Benadad : Dicite Domi-
no meo regi : Omnia propter quæ miſiſti ad me
ſeruum tuum in initio,faciam : hanc autem rem fa-
cere non poſſum.
10 Reuerſique nuncij retulerunt ei. Qui remiſit, &
ait : Hæc faciant mihi dij,& hæc addant, ſi ſuffece-
rit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequi-
tur me.
11 Et reſpondens rex Iſrael,ait : Dicite ei : Ne glorie-
tur accinctus æque vt diſcinctus.
12 Factum eſt autem, cum audiſſet Benadad verbum
iſtud, bibebat ipſe & reges in vmbraculis, & ait ſer-
uis ſuis : Circumdate ciuitatem. Et circumdede-
runt eam.
13 Et ecce propheta vnus accedens ad Achab regem
Iſrael, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certe vidiſti
omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego
tradam eam in manu tua hodie : vt ſcias, quia ego
ſum Dominus.
14 Et ait Achab : Per quem? Dixitque ei : Hæc dicit
Dominus : Per pediſſequos principum prouincia-
rum. Et ait : Quis incipiet præliari? Et ille di-
xit : Tu.
15 Recenſuit ergo pueros principum prouinciarum, &
reperit numerum ducentorum triginta duorum : &
recenſuit poſt eos populum,omnes filios Iſrael, ſep-
tem millia.
16 Et egreſſi ſunt Meridie. Benadad autem bibebat te-
mulentus in vmbraculo ſuo, & reges triginta duo
17 cum eo,qui ad auxilium eius venerant.
Egreſſi ſunt autem pueri principum prouinciarum
in prima fronte. Miſit itaque Benadad. Qui nun-
ciauerunt ei, dicentes : Viri egreſſi ſunt de Sama-
ria.
18 Et ille ait : Siue pro pace veniunt,apprehendite eos
viuos : ſiue vt prælientur, viuos eos capite.
19 Egreſſi ſunt ergo pueri principum prouinciarum,
ac reliquus exercitus ſequebatur :
20 Et percuſſit vnuſquiſque virum, qui contra ſe ve-
niebat : fugeruntque Syri, & perſecutus eſt eos Iſ-
rael. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo
cum equitibus ſuis.

Nec-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

7 Vocauit aũt rex Iſrael oẽs ſeniores terræ,& ait: Co-
gnoſcite obſecro,& videte quoniã malũ iſte quærit:
miſit.n.ad me pro vxoribus meis,& pro filijs meis,ac
pro argẽto meo,& pro auro meo, & non prohibui ei.
8 Dixeruntque ad eum omnes ſeniores, & omnis po-
pulus: Ne audias, neque acquieſcas.
9 Dixitque nuncijs Benhadad: Dicite Domino meo
regi: Omnia pro quibus miſiſti ad ſeruum tuum in
initio faciam,rem autem hanc non poſſum facere.
10 Et abierunt nuncij, & retulerunt ei rem, miſitque
ad eum Benhadad, & ait: Sic faciant mihi dij, &
ſic addant,ſi ſuffecerit puluis Somron pugillis omnis
populi,qui eſt cum pedibus meis.
11 Et reſpondit rex Iſrael,& dixit: Loquimini: Ne ſe
laudet accinctus,ſicut diſcinctus.
12 Et fuit, cum audiſſet verbum hoc (biberat autem
ipſe, & reges in tabernaculis) dixit ſeruis: Ponite
inſtrumenta bellica: Et poſuerunt contra ciuita-
tem.
13 Et ecce propheta vnus acceſſit ad Achab regem Iſ-
rael, & dixit: Sic dixit Dominus: Nonne vidiſti
omnem multitudinem magnam hanc? ecce ego tra-
do eam in manu tua hodie,& ſcies,quod ſum Domi-
nus.
14 Dixitque Achab: Per quem? Et ait: Sic dixit Do-
minus: Per pueros principum prouinciarum: Et di-
xit: Quis incipiet bellum? Et dixit: Tu.
15 Et recenſuit pueros principum prouinciarum,& fue-
runt ducenti duo, & triginta: & poſt eos recenſuit
omnem populum omnium filiorum Iſrael ſeptem
millia.
16 Et egreſſi ſunt Meridie. Benhadad autem bibebat
ebrius in tabernaculis,ipſe & reges triginta,& duo
17 reges auxiliantes ei.
Et egreſſi ſunt pueri principum prouinciarum in ini
tio,& miſit Benhadad,& nunciauerunt ei,dicendo:
Viri egreſſi ſunt de Somron.
18 Et ait: Siue pro pace egreſſi fuerunt, capite eos vi-
uos,ſiue ad bellum egreſſi fuerint viuos capite eos.
19 Et ĩ egreſſi ſunt de vrbe: pueri principum prouin-
ciarum,& exercitus qui erat poſt eos.
20 Et percuſſerunt vnuſquiſque virum contra ſe ve-
nientem,& fugerunt Aram,& perſecutus eſt eos Iſ-
rael, & euaſit Benhadad rex Aram ſuper equo &
equites iidem euaſerunt.

Egreſ-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et vocauit rex Iſrael omnes ſeniores terræ,& dixit: Cognoſcite nunc, & videte,quia malum iſte quærit, quoniam miſit ad me pro vxoribus meis, & pro filijs meis, & pro filiabus meis: Argentum meum, & aurum meum non prohibui ab eo. 8 Et dixerunt ei ſeniores,& omnis populus: Non audias,& non velis. 9 Et dixit nuncijs filij Ader: Dicite domino veſtro: Omnia,quæcumque miſiſti ad ſeruum tuum in primis,faciam,verbum autem hoc non potero facere. 10 Et abierunt viri,& retulerunt ei verbum, & miſit ad eum filius Ader, dicens: Hæc faciat mihi Deus,& hæc adijciat,ſi ſufficiet puluis Samariæ vulpibus,omni populo,peditibus meis. 11 Et reſpondit rex Iſrael,& dixit: Satis ſit. Non glorietur gibboſus, vt rectus: 12 Et factum eſt, quando reſpondit ei verbum hoc,bibens erat ipſe,& omnes reges,qui cum eo in tabernaculis,& dixit pueris ſuis: Ædificate vallum. Et poſuerunt vallum ſuper ciuitatem. 13 Et ecce propheta vnus aduenit Achaab regi Iſrael,& dixit: Hæc dicit Dominus: Si vidiſti turbam magnam hanc? Ecce ego do eam hodie in manus tuas,& cognoſces,quia ego Dominus. 14 Et dixit Achaab: In quo? Et dixit: Hæc dicit Dominus: In pueris principum regionum: & dixit Achaab: Quis committet pugnam? Et dixit: Tu. 15 Et recognouit Achaab principes pueros regionum,& fuerunt ducenti triginta: & poſt hæc recognouit populum,omnem filium virtutis,ſeptem millia. 16 Et egreſſus eſt Meridie. Et filius Ader bibens temulentus in Socchoth, ipſe, & reges, triginta & duo reges coadiutores eius. 17 Et egreſſi ſunt principes pueri regionum in primis: Et mittunt, & annunciant regi Syriæ,dicentes: Viri exierunt de Samaria. 18 Et dixit eis,ſi ad pacem egrediuntur,comprehendere eos viuos,& ſi ad bellum,viuos comprehendere eos, & non exeant e ciuitate, 19 Principes pueri regionum, & virtus poſt eos, 20 Percuſſit vnuſquiſque eum,qui iuxta ſe, & iterauit vnuſquiſque eum, qui iuxta ſe: Et fugit Syria. Et perſecutus eſt eos Iſrael, & ſaluatur filius Ader rex Syriæ ſuper equum equitis.

Et egreſ-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 Necnon egreſſus rex Iſrael percuſſit equos, & currus, & percuſſit Syriam plaga magna.

22 ( Accedens autem propheta ad regem Iſrael, dixit ei: Vade, & confortare, & ſcito, & vide quid facias: ſequenti enim anno rex Syriæ aſcendet contra te. )

23 Serui vero regis Syriæ, dixerunt ei: Dij montium ſunt dij eorum, ideo ſuperauerunt nos: ſed melius eſt, vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.

24 Tu ergo verbum hoc fac: Amoue reges ſingulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis:

25 Et inſtaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos ſecundum equos priſtinos, & currus ſecundum currus, quos ante habuiſti: & pugnabimus contra eos in campeſtribus, & videbis, quod obtinebimus eos. Credidit conſilio eorum, & fecit ita.

26 Igitur poſtquam annus tranſierat, recenſuit Benadad Syros, & aſcendit in Aphec, vt pugnaret contra Iſrael.

27 Porro filij Iſrael recenſiti ſunt, & acceptis cibarijs profecti ex aduerſo, caſtraque metati ſunt contra eos, quaſi duo parui greges caprarum: Syri autem repleuerant terram.

28 ( Et accedens vnus vir Dei, dixit ad regem Iſrael: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus Vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & ſcietis, quia ego ſum Dominus. )

29 Dirigebantque ſeptem diebus ex aduerſo hi, atque illi acies, ſeptima autem die commiſſum eſt bellum: percuſſeruntque filij Iſrael de Syris centum millia peditum in die vna.

30 Fugerunt autem, qui remanſerant in Aphec, in ciuitatem: & cecidit murus ſuper viginti ſeptem millia hominum, qui remanſerant. Porro Benadad fugiens ingreſſus eſt ciuitatem, in cubiculum, quod erat intra cubiculum.

31 Dixeruntque ei ſerui ſui: Ecce, audiuimus, quòd reges domus Iſrael clementes ſint: ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael: forſitan ſaluabit animas noſtras.

32 Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, veneruntque ad regem Iſrael, & dixerunt ei: Seruus tuus Benadad, dicit: Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc viuit, frater meus eſt.

Quod

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Egreſſus eſt autem rex Iſrael, & percuſſit equos, & currus, & percuſſit Aram plaga magna.*

22 *Et acceſſit propheta ad regem Iſrael, & dixit ei: Vade, conforta te, & ſcito, & vide, quid facias: in reuerſione enim anni rex Aram aſcendit contra te.*

23 *Serui autem regis Aram, dixerunt ad eum: Dij montium ſunt dij eorum, idcirco præualuerunt nobis: veruntamen pugnemus contra eos in campeſtri, & videbis, quòd præualebimus eis.*

24 *Et verbum hoc fac: Fac recedere reges vnumquemque à loco ſuo, & pone duces pro eis:*

25 *Tu autem numerabis tibi exercitum ſecundum exercitum, qui cecidit à te, & equos, ſicut equos, & currus, ſicut currus, & pugnabimus cum eis in campeſtribus, & videbis, quòd præualebimus eis. Et audiuit vocem eorum, & fecit ſic.*

26 *Et fuit in reuerſione anni, recenſuit Benhadad Aram, & aſcendit in Aphech ad bellum cum Iſrael.*

27 *Filij autem Iſrael numerati ſunt, & fuerunt omnes, & abierunt in occurſum eorum, & caſtrametati ſunt filij Iſrael contra eos, tanquam duo parui greges: Aramæi autem repleuerunt terram.*

28 *Et acceſſit vir Dei, & ait ad regem Iſrael, & ait: Sic dixit Dominus: Pro eo quod dixerunt Aramæi: Deus montium Dominus, & non Deus Vallium ipſe eſt: dabo omnem multitudinem magnam hanc in manu tua, & ſcietis, quòd ſum Dominus.*

29 *Et caſtrametati ſunt iſti contra illos ſeptem diebus, & fuit, die ſeptima appropinquauit prælium: & percuſſerunt filij Iſrael de Aram centum millia peditum die vna.*

30 *Et fugerunt reſidui in Aphech in ciuitatem: & cecidit murus ſuper viginti, & ſeptem millia virorum, qui remanſerant. Benhadad autem fugit, & venit in ciuitatem de cubiculo in cubiculum.*

31 *Dixeruntque ei ſerui ſui: Ecce obſecro audiuimus, quòd reges domus Iſrael reges miſericordes ſunt: ponamus obſecro ſaccos in lumbis noſtris, & funes in capite noſtro, & egrediamur ad regem Iſrael: forſitan viuificabit animam tuam.*

32 *Et accinxerunt ſaccos in lumbis ſuis, & funes in capitibus ſuis, & venerunt ad regem Iſrael, atque dixerunt: Seruus tuus Benhadad, dixit: Viuat, obſecro anima mea. Et dixit: Si adhuc viuit, frater meus eſt.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et egreſſus eſt rex Iſrael, & cepit omnes equos, & currus, & percuſſit plagam magnam in Syria. **22** Et ac-
ceſſit propheta ad regem Iſrael, & dixit: Confortare, & cognoſce, & vide, quid facies: quoniam reuertente anno
filius Ader rex Syriæ aſcendit ſuper te. **23** Et pueri regis Syriæ, & dixerunt: Deus montium, Deus Iſrael, &
non Deus Vallium, propter hoc valuit ſuper nos: ſi autem impugnemus eos per planum, profectò valebimus ſu-
per eos. 24 Et verbum hoc fac: Amoue reges, vnumquemque in locum ſuum, & pone pro eis ſatrapas.
25 Et inſtaurabimus tibi virtutem ſecundum virtutem, quæ cecidit, & equum iuxta equum, & currus iuxta cur-
rus: & pugnabimus aduerſus eos per planum, & valebimus ſuper eos. Et audiuit vocem eius, & fecit ſic.
26 Et factum eſt reuertente anno, & recognouit filius Ader Syriam, & aſcendit in Apheca ad bellum ſuper Iſ-
rael. 27 Et filij Iſrael recogniti ſunt, & aduenerunt in occurſum eorum, & caſtrametatus eſt Iſrael ex ad-
uerſo eorum, tanquam duo greges caprarum: & Syria impleuit terram. 28 Et acceſſit homo Dei, & dixit re-
gi Iſrael: Hæc dicit Dominus: Pro eo, quod dixit Syria, Deus montium Dominus, Deus Iſrael, & non Deus val-
lium ipſe, & dabo virtutem magnam hanc in manum tuam, & cognoſces, quia ego Dominus. 29 Et caſtrametã-
tur hi è regione horum ſeptem dies, & factum eſt in die ſeptima, & appropinquauit prælium: & percuſſit Iſrael
Syriam centum millia peditum vna die. 30 Et fugerunt reliqui in Apheca in ciuitatem: & cecidit murus ſu-
per viginti, & ſeptem millia virorum, qui remanſerant. Et filius Ader fugit, & intrauit in domum, cubiculo in tha-
lamum. 31 Et dixit pueris ſuis: Noui, quia reges Iſrael, reges miſericordiæ ſunt: imponamus nunc ſaccos
ſuper lumbos noſtros, & funiculos ſuper capita noſtra, & exeamus ad regem Iſrael, ſi fortè viuificabit animas no-
ſtras. 32 Et induti ſunt ſaccis ſuper lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos ſuper capita ſua, & dixerunt regi
Iſrael: Seruus tuus filius Ader, dicit: Viuat quæſo, anima noſtra.

Et di-

## Vulgata Editio.

33 Quod acceperunt viri pro omine: & feſtinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egreſſus eſt ergo ad eum Benadad, & leuauit eum in currum ſuum.

34 Qui dixit ei: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam: & plateas fac tibi in Damaſco, ſicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimiſit eum.

35 Tunc vir quidam de filijs prophetarum dixit ad ſocium ſuum in ſermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere.

36 Cui ait: Quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum receſſiſſet ab eo, inuenit eum leo, atque percuſſit.

37 Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percuſſit eum, & vulnerauit.

38 Abijt ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aſperſione pulueris os, & oculos ſuos.

39 Cumque rex tranſiſſet, clamauit ad regem, & ait: Seruus tuus egreſſus eſt ad prœliandum comminus: cumque fugiſſet vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Cuſtodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes.

40 Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, ſubito non comparuit. Et ait rex Iſrael ad eum: Hoc eſt iudicium tuum, quod ipſe decreuiſti.

41 At ille ſtatim abſterſit puluerem de facie ſua, & cognouit eum rex Iſrael, quòd eſſet de prophetis.

* Inf. 22. 32.

42 Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: * quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

43 Reuerſus eſt igitur rex Iſrael in domum ſuam, audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.

### CAP. XXI.

1 POſt verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ.

Lo-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Et viri augurati ſunt: & feſtinauerunt, & accelerauerunt ab eo, & dixerunt: Frater tuus Benhadad. Et dixit: Venite, & tollite eum. Et egreſſus eſt ad eum Benhadad, & aſcendere fecit eum ſuper currum.*

34 *Dixitque ad eum: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo reſtituam: plateas pones tibi in Dammeſech, ſicut poſuit pater meus in Somron, & ego cum fœdere dimittam te. Et pepigit cum eo pactum, & dimiſit eum.*

35 *Vir autem vnus de filijs prophetarum dixit ad proximum ſuum in verbo Domini: Percute me quæſo. Et renuit vir percutere eum.*

36 *Dixitque ei: Pro eo quòd non audiſti vocem Domini, ecce recedis à me, & percutiet te leo. Et abijt ab eo & inuenit eum leo, & percuſſit eum.*

37 *Et inuenit virum alterum, & dixit: Percute me obſecro. Et percuſſit eum vir percutiendo, & vulnerando.*

38 *Et abijt propheta, & ſtetit in occurſum regi iuxta viam, & mutauit ſe cum pileo ſuper oculos ſuos.*

39 *Et fuit, rege tranſeunte clamauit ad regem, & ait: Seruus tuus ingreſſus eſt in medium prælij: & ecce vir receſſit, & adduxit ad me virum, & dixit: Cuſtodi virum iſtum, ſi deficiendo defecerit, erit anima tua pro anima ipſius, vel talentum argenti appendas.*

40 *Et fuit, ſeruo tuo agente huc, & illuc ipſe non fuit. Dixitque ad eum rex Iſrael: Sic eſt iudiciū tuum, tu definiuiſti.*

41 *Et feſtinauit, & amouit pileum ab oculis ſuis, & agnouit eum rex Iſrael, quòd de prophetis eſſet.*

42 *Et dixit ad eum: Sic dixit Dominus: quia dimiſiſti virum obnoxium morti de manu, erit anima tua pro anima ipſius, & populus tuus pro populo ipſius.*

43 *Et abijt rex Iſrael in domum ſuam triſtis, & furibundus, & venit in Somron.*

### CAP. XXI.

1 *ET fuit, poſt hæc vinea erat Naboth Izrehelitæ, quæ erat in Izrehel apud ædem Achab regis Somron.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

33 Et dixit: Si adhuc viuit, frater meus eſt: & viri pro omine acceperunt, & pro fœdere, & rapuerunt verbum de
ore eius, & dixerunt: Frater tuus filius Ader. Et dixit: Ingredimini, & aſſumite eum. Et egreſſus eſt ad eum filius
Ader, & faciunt aſcendere eum ad eum ſuper currum.
34 Et dixit ad eum: Ciuitates, quas cepit pa-
ter meus à patre tuo, reddam tibi: & exitus pones tibi in Damaſco, ſicut poſuit pater meus in Samaria, & ego in
teſtamento dimittam te. Et diſpoſuit ei teſtamentum, & dimiſit eum.
35 Et homo vnus de filijs
prophetarum dixit ad proximum ſuum in verbo Domini: Percute nunc me. Et noluit homo percutere eum.
36 Et dixit ad eum: Pro eo, quod non audiſti vocem Domini, & ecce tu recedis à me, & percutiet te leo. Et a-
bijt ab eo, & inuenit eum leo, & percuſſit eum.
37 Et inuenit hominem alium, & dixit: Percute
me nunc. Et percuſſit eum homo percutiens, & contriuit.
38 Et iuit propheta, & aſtitit regi Iſ-
rael ſuper viam, & obligauit in vitta oculos ſuos.
39 Et factum eſt, vt prætcribat rex, & hic clama-
bat ad regem, & dixit: Seruus tuus exijt ad militiam belli: & ecce vir introduxit ad me virum, & dixit ad me: Cu-
ſtodi hunc virum: ſi autem exiliens exilierit, & erit anima tua pro anima eius, vel talentum argenti appendes.
40 Et factum eſt, circumſpexit ſeruus tuus huc, & huc, & hic non erat. Et dixit ad eum rex Iſrael: Ecce & inſi-
diæ apud me, occidiſti.
41 Et feſtinauit, & abſtulit vittam ab oculis ſuis, & agnouit eum rex Iſrael,
quia ex prophetis hic.
42 Et dixit ad eum: Hæc dicit Dominus: Propterea, quod emiſiſti tu vi-
rum pernicioſum de manu tua, & erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.
43 Et abijt rex Iſrael confuſus, & triſtis, & venit in Samariam.

### CAP. XXI.

ET vinea vna erat Nabuthæ Iezraelitæ iuxta aream Achaab regis Samariæ.

Capethae to. Ieeum ſibi vendi cat in Vulſ lat. ex Sept. Rom.

Et lo-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Locutus eſt ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna eſt.

3 Cui reſpondit Naboth: Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.

4 Venit ergo Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et proijciens ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.

5 Ingreſſa eſt autem ad eum Iezabel vxor ſua, dixitque ei: Quid eſt hoc, vnde anima tua contriſtata eſt? & quare non comedis panem?

6 Qui reſpondit ei: Locutus ſum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, ſi tibi placet, dabo tibi vineam meliorẽ pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam.

7 Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſrael. Surge, & comede panem, & æquo animo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ.

8 Scripſit itaque litteras ex nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth.

9 Litterarum autem hæc erat ſententia: Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi:

10 Et ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant: Benedixit Deum, & regem: & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur.

11 Fecerunt ergo ciues eius maiores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in vrbe, ſicut præceperat eis Iezabel, & ſicut ſcriptum erat in litteris quas miſerat ad eos:

12 Prædicauerunt ieiunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13 Et adductis duobus viris filijs diaboli, fecerunt eos ſedere contra eum: at illi, ſcilicet, vt viri diabolici, dixerunt contra eum teſtimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.

14 Miſeruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt.

F2-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et locutus eſt Achab ad Naboth, dicendo: Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum oleris: eſt enim propinqua domui mea, & dabo tibi pro ea vineam meliorem illa: ſi placuerit in oculis tuis, dabo tibi argentum precij ipſius.*

3 *Dixitque Naboth ad Achab: Abſit mihi à Domino, vt dem hæreditatem patrum meorum tibi.*

4 *Venitque Achab in domum ſuam triſtis, & furibundus propter verbum, quod locutus fuerat ſibi Naboth Izrahelita, & dixit: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et recubuit ſuper lectum ſuum, vertitque faciem ſuam, & non comedit panem.*

5 *Et venit ad eum Izebel vxor eius, & locuta eſt ad eum: Vt quid ſpiritus tuus triſtis eſt? & non comedis panem?*

6 *Et locutus eſt ad eam: Quia locutus ſum ad Naboth Izrahelitam, dixique ei: Da mihi vineam tuam pecunia: vel ſi complacueris dabo tibi vineam pro ea. Et dixit: Non dabo tibi vineam meam.*

7 *Dixitque ei Izebel vxor eius: Tu nunc facies regnũ ſuper Iſrael. Surge, comede panem, & iucundetur cor tuum, ego dabo tibi vineam Naboth Izrehelita.*

8 *Scripſitque litteras nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius, & miſit litteras ad ſeniores, & optimates, qui erant in ciuitate ipſius, qui habitabant cum Naboth.*

9 *Et ſcripſit in litteris, dicendo: Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth in capite populi:*

10 *Et ſtare facite duos viros impios contra eum, & teſtificabuntur contra eum, dicendo: Benedixiſti Deo, & regi: & educite eum, & lapidate eũ, & moriatur.*

11 *Feceruntque viri ciuitatis ipſius ſeniores, & optimates, qui habitabant in ciuitate ipſius, ſecũdum quod miſerat ad eum Izebel, ſecundum quod ſcriptum erat in litteris quas miſerat ad eos:*

12 *Prædicauerunt ieiunium, & ſedere fecerunt Naboth in capite populi:*

13 *Veneruntque duo viri impij, & ſederunt contra eũ, & teſtificati ſunt contra eum viri impij: videlicet contra Naboth, coram populo, dicendo: Benedixit Naboth Deum, & regi: & deduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidauerunt eum lapidibus, & mortuus eſt.*

14 *Miſeruntque ad Izebel, dicendo: Lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et locutus eſt Achaab ad Nabuthæ, dicens: Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerum, quoniam
propinquat hæc domui meæ, & dabo tibi vineam aliam bonam ſuper eam: ſi vero placet coram te, dabo tibi ar-
gentum, permutationem vineæ tuæ iſtius, & erit mihi in hortum olerum. 3 Et dixit Nabuthæ ad Achaab:
Non fiat mihi à Deo meo, vt dem hæreditatem patrum meorum tibi. 4 Et turbatus eſt ſpiritus A-
chaab, & dormiuit in lecto ſuo, & velauit faciem ſuam, & non manducauit panem. 5 Et intrauit Ieza-
bel vxor eius ad eum, & locuta eſt ad eum: Quid ſpiritus tuus turbatus, & non es tu manducans panem?
6 Et dixit ad eam: Quia locutus ſum ad Nabuthæ Iezraelitam, dicens: Da mihi vineam tuam argento, ſi autem
velis, dabo tibi vineam aliam pro ea. Et dixit: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. 7 Et dixit ad
eum Iezabel vxor eius: Tu nunc ſic facis regem ſuper Iſrael. Surge, & manduca panem, & eſto tui ipſius, ego ve-
ro dabo tibi vineam Nabuthæ Iezraelitæ. 8 Et ſcripſit librum in nomine Achaab, & ſignauit anulo
illius, & miſit librum ad ſeniores, & liberos eos, qui habitabant cum Nabuthæ. 9 Et erat ſcriptum in
libris, dicens: Ieiunate ieiunium, & ſedere facite Nabuthæ in principio populi: 10 Et collocate duos
viros filios iniquorum ex aduerſo eius, & teſtentur contra eum, dicentes: Benedixit Deum, & regem: & produ-
cant eum, & lapident eum, & moriatur. 11 Et fecerunt viri ciuitatis illius, ipſi ſeniores, & liberi, qui habita-
bant in ciuitate eius, ſicut miſit ad eos Iezabel, & ſicut ſcriptum erat in libris, quos miſerat ad eos.
12 Et vocauerunt ieiunium, & ſedere fecerunt Nabuthæ in principio populi. 13 Et intrarunt duo vi-
ri filij iniquorum, & ſederunt ex aduerſo eius, & teſtati ſunt contra eum, dicentes: Benedixiſti Deum, & regem:
& produxerunt eum extra ciuitatem, & lapidauerunt eum in lapidibus, & mortuus eſt. 14 Et miſe-
runt ad Iezabel, dicentes: Lapidatus eſt Nabuthæ, & mortuus eſt.

Et fa-

## Vulgat. Editio.

15 Factum eſt autem, cum audiſſet Iezabel lapidatum
Naboth,& mortuum,locuta eſt ad Achab: Surge &
poſſide vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi
acquieſcere,& dare eam accepta pecunia: nõ enim
viuit Naboth,ſed mortuus eſt.
16 Quod cum audiſſet Achab, mortuum videlicet Na
both, ſurrexit, & deſcendebat in vineam Naboth
Iezrahelitæ,vt poſſideret eam.
17 Factus eſt igitur ſermo Domini ad Eliam Theſbi-
ten,dicens:
18 Surge,& deſcende in occurſum Achab regis Iſrael,
qui eſt in Samaria: ecce ad vineam Naboth deſcẽ-
dit,vt poſſideat eam:
19 Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus:
Occidiſti, inſuper & poſſediſti. Et poſt hæc addes:
* Inf. 22. 38. Hæc dicit Dominus: * In loco hoc, in quo linxe-
runt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque
ſanguinem tuum.
20 Et ait Achab ad Eliam: Num inueniſti me inimi-
cum tibi? Qui dixit: Inueni, eo quòd venundatus
ſis,vt faceres malum in conſpectu Domini.
* 4. Reg. 9. 8. 21 * Ecce ego inducam ſuper te malum, & demetam
poſteriora tua, & interficiam de Achab mingen-
tem ad parietem, & clauſum, & vltimum in Iſ-
rael.
* Sup. 15. 29. 22 Et dabo domum tuam, ſicut * domum Ieroboam
* Sup. 16. 3. filij Nabat,& ſicut domum * Baaſa filij Ahia: quia
egiſti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare
feciſti Iſrael.
* 4. Reg. 9. 36. 23 * Sed & de Iezabel locutus eſt Dominus, dicens:
Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel.
24 Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedẽt eum
canes: ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent
eum volucres cœli.
25 Igitur non fuit alter talis,ſicut Achab,qui venunda-
tus eſt,vt faceret malum in conſpectu Domini: cõ-
citauit enim eum Iezabel vxor ſua:
26 Et abominabilis factus eſt, in tantum, vt ſequeretur
idola,quæ fecerant Amorrhæi,quos conſumpſit Do
minus à facie filiorum Iſrael.
27 Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit
veſtimenta ſua,& operuit cilicio carnem ſuam, ie-
iunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit de-
miſſo capite.
28 Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten,
dicens:

Nonne

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et fuit, cum audiſſet Izebel, quòd lapidatus eſſet
Naboth,& mortuus eſſet, dixit Izebel ad Achab:
Surge,poſſide vineam Naboth Izrehelita, qui renuit
dare tibi pecunia: non enim Naboth viuit, ſed mor-
tuus eſt.*
16 *Et fuit, cum audiſſet Achab, quòd mortuus eſſet
Naboth: ſurrexit Achab,vt poſſideret vineam Nabo-
th Izrehelita,vt poſſideret eam.*
17 *Et fuit verbum Domini ad Elijahu Tiſbiten, di-
cendo:*
18 *Surge,deſcende in occurſum Achab regis Iſrael, qui
eſt in Somron: ecce in vinea Naboth eſt,ad quam de-
ſcendit,vt poſſideat eam.*
19 *Et loqueris ad eum, dicendo: Sic dixit Dominus:
Nonne occidiſti, & etiam poſſediſti. Loquerisque ad
eum, dicendo: Sic dixit Dominus: In loco, in quo
linxerunt canes ſanguinem Naboth, lingent canes
ſanguinem tuum,etiam tuum.*
20 *Dixit autem Achab ad Elijahu: Num inueniſti me
inimicum tuum? Et dixit: Inueni, quia tradidiſti
teipſum ad faciendum malum in oculis Domini.*
21 *Ecce ego adduco ſuper te malum, & auferam poſte-
ros tuos, & ſuccidam de Achab mingentem ad pa-
rietem,& clauſum,& derelictum in Iſrael.*
22 *Et dabo domum tuam, ſicut domum Iarobham filij
Nebath, & ſicut domum Baaſa filij Achijah: pro-
pter irritationem qua irritaſti, & peccare feciſti Iſ-
rael.*
23 *Et etiam ſuper Izebel locutus eſt Dominus, di-
cendo: Canes comedent Izebel intra ante murale
Izrehel.*
24 *Eum, qui mortuus fuerit de Achab in ciuitate, co-
medent canes: & qui mortuus in agro comedent vo-
lucres cœli.*
25 *Verumtamen non fuit, ſicut Achab, qui tradiderit
ſeipſum ad faciendum malum in oculis Domini:
quia incitauit eum Izebel vxor eius:*
26 *Et abominationes fecit valde,vt iret poſt idola,iux-
ta omnia,quæ fecerunt Emorræi,quos expulit Domi-
nus à facie filiorum Iſrael.*
27 *Et fuit,cum audiſſet Achab verba hæc, ſcidit veſti-
menta ſua,& poſuit ſaccum ſuper carnem ſuam, &
ieiunauit, & dormiuit in ſacco, & ambulauit len-
ſim.*
28 *Fuit autem verbum Domini ad Elijahu Tiſbitem,
dicendo:*

*Num*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et factum eſt,vt audiuit Iezabel,& dixit ad Achaab: Surge,hæredita vineam Nabuthæ Iezraelitæ,qui nõ de-
derat tibi,argento: quoniam non eſt Nabuthæ viuens,quia mortuus eſt. 16 Et factum eſt,vt audiuit Achaab,quia
mortuus eſt Nabuthæ Iezraelita,& conſcidit veſtimenta ſua,& cooperuit ſe cilicio, & factum eſt poſt hæc & ſur-
rexit,& deſcendit Achaab ad vineam Nabuthæ Iezraelitæ poſſidere eam. 17 Et dixit Dominus ad Eliu Theſ-
biten,dicens: 18 Surge,& deſcẽde in obuiam Achaab regis Iſrael,qui eſt in Samaria: quia hic in vinea Nabu-
thæ,quia deſcendit illuc poſſidere eam. 19 Et loqueris ad eum,dicens: Hæc dicit Dñs: Quomodo occidiſti,&
poſſediſti. Propter hoc hæc dicit Dñs: In omni loco in quo linxerunt ſues & canes ſanguinem Nabuthæ, ibi lin-
gent canes ſanguinem tuũ,& meretrices lauabunt in ſanguine tuo. 20 Et dixit Achaab ad Eliu: Si inueniſti me
inimicus meus? Et dixit: Inueni,quĩ fruſtra venditus es ad faciendum malũ in conſpectu Domini, ad exacerban-
dum eum. 21 Ecce ego induco ſuper te mala,& ſuccendam poſt te,& diſperdam de Achaab mingentem ad pa-
rietem,& clauſum,& derelictum in Iſrael. 22 Et dabo domum tuam,ſicut domum Hieroboam filij Nabat,& ſi-
cut domum Baaſa filij Achia,pro exacerbationibus quibus exacerbaſti,& peccare feciſti Iſrael. 23 Et ad Ieza-
bel loquutus eſt Dominus,dicens: Canes manducabunt eam in antemurali Iezrael. 24 Mortuum de Achaab in
ciuitate comedent canes: & mortuum eius in campo comedent volatilia cœli. 25 Veruntamẽ fruſtra Achaab,
qui venundatus eſt facere malum in conſpectu Domini: ſicut euertit eũ Iezabel vxor eius. 26 Et factus eſt abo-
minabilis valde,eundo poſt abominationes ſm omnia,quæ fecerat Amorrhæus, quem exterminauit Dominus à
facie filiorum Iſrael. 27 Et pro verbo,quomodo compunctus eſt Achaab,& ibat plorans,& conſcidit tunicã ſuã,
& accinxit ſaccum ſuper corpus ſuum,& ieiunauit, & indutus eſt ſaccum in die, qua percuſſit Nabuthæ Iezrae-
litem,& iuit. 28 Et factum eſt verbum Domini in manu ſerui ſui Eliu de Achaab,& dixit Dominus:

Vidi-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

29 Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia
igitur humiliatus eſt mei cauſâ, non inducam ma-
lum in diebus eius, ſed * in diebus filij ſui inferam
malum domui eius.

*4.Reg.9.10.

### CAP. XXII.

2.Par.18.1

1 TRanſierunt igitur tres anni abſque bello inter
Syriam, & Iſrael.
2 In anno autem tertio, deſcendit Ioſaphat rex Iuda
ad regem Iſrael.
3 Dixitque rex Iſrael ad ſeruos ſuos: Ignoratis, quòd
noſtra ſit Ramoth Galaad, (& negligimus tollere eā
de manu regis Syriæ?)
4 Et ait ad Ioſaphat: Venieſne mecum ad præliandū
in Ramoth Galaad?
5 Dixitque Ioſaphat ad regem Iſrael: Sicut ego ſum,
ita & tu: populus meus, & populus tuus vnum ſunt:
& equites mei, equites tui. Dixitque Ioſaphat ad
regem Iſrael: Quære, oro te, hodiè ſermonem
Domini.
6 Congregauit ergo rex Iſrael prophetas, quadrin-
gentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ra-
moth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui re-
ſponderunt: Aſcende, & dabit eam Dominus in ma-
nu regis.
7 Dixit autem Ioſaphat: Non eſt hic propheta Do-
mini quiſpiam, vt interrogemus per eum?
8 Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat: Remanſit vir vnus, per
quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego
odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed ma-
lum, Michæas filius Iemla. Cui Ioſaphat ait: Ne lo-
quaris ita rex.
9 Vocauit ergo rex Iſrael eunuchum quendam, & di-
xit ei: Feſtina adducere Michæam filium Iemla.
10 Rex autem Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda ſedebant v-
nuſquiſque in ſolio ſuo veſtiti cultu regio, in area
iuxta oſtium portæ Samariæ, & vniuerſi prophetæ
prophetabant in conſpectu eorum.
11 Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua
ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis
Syriam, donec deleas eam.
12 Omneſque prophetæ ſimiliter prophetabant, dicen-
tes: Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſpere, &
tradet Dominus in manus regis.

Nun-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Num vidiſti, quod humiliauit ſe Achab à facie
mea? pro eo quod humiliauit ſe à facie mea, non in-
ducam malum in diebus eius, in diebus filij eius in-
ducam malum ſuper domum eius.*

### CAP. XXII.

1 *MAnſerunt autem tres anni abſque bello inter
Aram & Iſrael.*
2 *Et fuit, anno tertio deſcendit Iehoſaphath rex Iehu-
dah ad regem Iſrael.*
3 *Dixitque rex Iſrael ſeruis ſuis: Nonne noſtis, quòd
noſtra ſuit Ramoth Ghilhad, & tacemus ab accipien-
do eam de manu regis Aram?*
4 *Dixitque ad Iehoſaphath: Venieſne mecum ad præ-
lium in Ramoth Ghilhad?*
5 *Dixitque Iehoſaphath ad regem Iſrael: Sicut ego,
ſic tu: ſicut populus meus, ſic populus tuus: ſicut e-
qui mei, ſic equi tui. Dixitque Iehoſaphath ad re-
gem Iſrael: Quære, obſecro hac die verbum Domi-
ni.*
6 *Et congregauit rex Iſrael prophetas fermè qua-
dringentos viros, dixitque ad eos: Num ire debeo in
Ramoth Ghilhad ad prælium, an quieſcere? Et di-
xerunt: Aſcende, & dabit Dominus in manu re-
gis.*
7 *Dixitque Iehoſaphath: Numquid non eſt hic pro-
pheta Domini vltra, vt inquiramus ab eo?*
8 *Dixitque rex Iſrael ad Iehoſaphath: Adhuc eſt vir
vnus, vt inquiramus Dominum ab eo: ſed ego odi
eum, quia non vaticinatur mihi bonum, ſed malum
Michaiehu filius Imla. Dixitque Iehoſaphath: Ne
dicat rex ita.*
9 *Vocauit autem rex Iſrael eunuchum vnum, & di-
xit: Feſtinare fac Michaiehu filium Imla.*
10 *Rex autem Iſrael, & Iehoſaphath rex Iehudah ſe-
debant vnuſquiſque ſuper ſolium ſuum induti ve-
ſtibus in area ad oſtium portæ Somron, & omnes va-
tes vaticinabantur ante eos.*
11 *Fecitque ſibi Sidchijah filius Chenahanah cornua
ferrea, & dixit: Sic dixit Dominus: His cornupetes
Aramæos donec conſumas eos.*
12 *Et omnes vates vaticinabantur, ſic dicendo: Aſcen-
de in Ramoth Ghilhad, & proſperaberis, & tradet
Dominus in manu regis.*

*Nun-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Vidiſti, quemadmodum compunctus eſt Achaab a facie mea? non inducam malum in diebus eius, ſed in
diebus filij eius inducam malum.

### CAP. XXII.

ET ſedit tribus annis, & non fuit bellum inter Syriam, & inter Iſrael. 2 Et factum eſt in anno tertio, &
deſcendit Ioſaphat rex Iuda ad regem Iſrael. 3 Et dixit rex Iſrael ad pueros ſuos: Si noſtis, quia nobis
Rhemmath Galaad & nos tacemus capere eam de manu regis Syriæ? 4 Et dixit rex Iſrael ad Ioſaphat:
Aſcendes mecum in Rhemmath Galaad ad bellum? 5 Et dixit Ioſaphat: Sicut ego, & tu ſic: ſicut popu-
lus meus, populus tuus: ſicut equi mei, equi tui. Et dixit Ioſaphat rex Iuda ad regem Iſrael: Interrogate, quæſo,
hodie Dominum. 6 Et congregauit rex Iſrael omnes prophetas, circiter quadringentos viros, &
dixit eis rex: Si vadam in Rhemmath Galaad ad bellum, an ceſſem? Et dixerunt: Deſcende, & dans dabit Do-
minus in manus regis. 7 Et dixit Ioſaphat ad regem Iſrael: Non eſt hic propheta Domini, &
interrogabimus Dominum per eum? 8 Et dixit rex Iſrael ad Ioſaphat: Vnus eſt vir ad interro-
gandum Dominum per eum: & ego odi eum, quoniam non loquitur de me bona, ſed mala, Michæas filius Iem-
blaa. Et dixit Ioſaphat rex Iuda: Non dicat rex ſic. 9 Et vocauit rex Iſrael eunuchum vnum, &
dixit: Cito Michæam filium Iemblaa. 10 Et rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda ſedebant vir ſuper thro-
num ſuum, armati in portis Samariæ, & omnes prophetæ prophetabant coram eis. 11 Et fecit ſibi Se-
decias filius Chanaan cornua ferrea, & dixit: Hæc dicit Dominus: In his cornupetes Syriam, quoadúſque con-
ſummata fuerit. 12 Et omnes prophetæ prophetabant ſic, dicentes: Aſcende in Rhemmath Galaad,
& proſperabit, & dabit Dominus in manus tuas, & regem Syriæ.

Et nun-

## Vulgata Editio.

13 Nuncius vero, qui ierat, vt vocaret Michæam, locutus eſt ad eum, dicens: Ecce ſermones prophetarum ore vno regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona.

14 Cui Michæas ait: Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.

15 Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prœliandum, an ceſſare? Cui ille reſpondit: Aſcende, & vade proſpere, & tradet eum Dominus in manus regis.

16 Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini.

17 Et ille ait: Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem, & ait Dominus: Non habent iſti Dominum: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace.

18 (Dixit ergo rex Iſrael ad Ioſaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?)

19 Ille vero addens, ait: Propterea audi ſermonem Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris:

20 Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regẽ Iſrael, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter.

21 Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo?

22 Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita.

23 Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.

24 Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?

25 Et ait Michæas: Viſurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, vt abſcondaris.

26 Et ait rex Iſrael: Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium Amelech:

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Nuncius autem, qui ierat ad vocandum Michaiehu locutus eſt ad eum, dicendo: Ecce obſecro verba prophetarum ore vno bonum annunciant regi: ſit obſecro verbum tuum, ſicut verbum vnius ex eis, & loquere bonum.*

14 *Dixitque Michaiehu: Viuit Dominus, quia quod dixerit Dominus mihi illud loquar.*

15 *Et venit ad regem, dixitque rex ad eum Michaiehu: Num ire debemus in Ramoth Ghilhad ad bellum, an deſiſtere? Dixitque ad eum: Aſcende, & proſperaberis & tradet Dominus in manu regis.*

16 *Dixitque ad eum rex: Vſque ad tot vices, ego adiuro te, vt non loquaris mihi niſi veritatem in nomine Domini.*

17 *Et ait: Vidi vniuerſum Iſrael diſperſum ſuper mõtes, ſicut oues, quibus non erat paſtor, dixitque Dominus: Non eſt Dominus iſtis: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace.*

18 *Dixitque rex Iſrael ad Iehoſaphath: Nonne dixi tibi, quòd non vaticinaretur mihi bonum, ſed malum?*

19 *Et ait: Idcirco audi verbum Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli ſtantem iuxta eum à dextera eius, & à ſiniſtra eius:*

20 *Dixitque Dominus: Quis decipiet Achab, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Ghilhad? Et dixit, hic ſic, & alter dicebat ſic.*

21 *Et egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Dixitque Dominus ad eum: In quo?*

22 *Et ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium vatum eius. Et dixit: Decipies, & etiam præualebis: egredere, & fac ita.*

23 *Et nunc, ecce dedit Dominus ſpiritum mendacem in ore omnium vatum iſtorum tuorum, & locutus eſt Dominus ſuper te malum.*

24 *Et acceſſit Sidkijahu filius Chenahanah, & percuſſit Michaiehu in maxillam, & dixit: Quando tranſiuit ſpiritus Domini à me, vt alloqueretur te?*

25 *Dixitque Michaiehu: Ecce videbis in die illa, qua ingredieris de cubiculo in cubiculum, vt abſcondas te.*

26 *Dixitque rex Iſrael: Tolle Michaiehu, & redire fac eum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium regis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et nuncius, qui ierat ad vocandum Michæam, locutus eſt ei, dicens: Ecce nunc loquuntur omnes prophetæ
in ore vno bona de rege: eſto, quæſo, & tu in verbis tuis iuxta verbum vnius eorum, & loquere bona.
14 Et dixit Michæas: Viuit Dominus, quia quæcumque dixerit Dominus ad me, hæc loquar.
15 Et venit ad regem, & dixit ei rex: Michæa, ſi aſcendam in Rhemmath Galaad ad bellum, an ceſſem? Et di-
xit: Aſcende, & proſperabit Dominus in manu regis. 16 Et dixit ei rex: Toties ego adiuro te,
vt loquaris ad me veritatem in nomine Domini. 17 Et dixit: Non ſic, vidi vniuerſum Iſrael di-
ſperſum in montibus, tanquam gregem, cui non eſt paſtor, & dixit Dominus: Non Dominus his Deus: vnuſquiſ-
que ad domum ſuam in pace reuertatur. 18 Et dixit rex Iſrael ad Ioſaphat regem Iuda: Non-
ne dixi ad te, quia non prophetat hic mihi bona, quia tantum malum? 19 Et dixit Michæas: Non ſic,
non ego, audi verbum Domini: Non ſic: Vidi Deum Iſrael ſedentem ſuper thronum ſuum, & omnis militia cœli
ſtabat circa eum à dextris eius, & à ſiniſtris eius. 20 Et dixit Dominus: Quis decipiet Achaab regẽ Iſrael,
& aſcendet, & cadet in Rhemmath Galaad? Et dixit hic ita, & hic ita. 21 Et egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit co-
ram Domino, & dixit: Ego decipiam eum. Et dixit ad eum Dominus: In quo? 22 Et dixit: Egrediar, & ero
ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit: Decipies, & etiam præualebis: egredere, & fac ſic.
23 Et nunc ecce dedit Dominus ſpiritum mendacem in os omnium prophetarum tuorum iſtorum, & Domi-
nus locutus eſt ſuper te mala. 24 Et acceſſit Sedecias filius Chanaan, & percuſſit Michæam ſuper
maxillam, & dixit: Qualis ſpiritus Domini, qui locutus eſt in te? 25 Et dixit Michæas: Ecce tu vide-
bis die illa, quia intrabis cubiculum cubiculo ad latendum illic. 26 Et dixit rex Iſrael: Capite Mi-
chæam, & reducite eum ad Semer regem ciuitatis, & ad Ioas filium regis.

Dicito,

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

27 Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, donec reuertar in pace.
28 Dixitque Michæas: Si reuerſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes.
29 Aſcendit itaque rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda in Ramoth Galaad.
30 Dixit itaque rex Iſrael ad Ioſaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porro rex Iſrael mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.
31 Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, niſi contra regem Iſrael, ſolum.
32 Cum ergo vidiſſent principes curruum Ioſaphat, ſuſpicati ſunt, quòd ipſe eſſet rex Iſrael, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Ioſaphat.
33 Intellexeruntque principes curruum, quòd non eſſet rex Iſrael, & ceſſauerunt ab eo.
34 Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum. At ille dixit aurigæ ſuo: Verte manum tuam, & eijce me de exercitu, quia grauiter vulneratus ſum.
35 Commiſſum eſt ergo prælium in die illa, & rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mortuus eſt veſpere: fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum curtus:
36 Et præco inſonuit in vniuerſo exercitu antequam ſol occumberet, dicens: Vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam.
37 Mortuus eſt autem rex, & perlatus eſt in Samariam: ſepelieruntque regem in Samaria:
38 Et * lauerunt currum eius in piſcina Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat.

* Supr. 21. 19.

39 Reliqua autem ſermonum Achab, & vniuerſa, quæ fecit, & domus eburnea, quam ædificauit, cunctarumque vrbium, quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?
40 Dormiuit ergo Achab cum patribus ſuis, & regnauit Ochozias filius eius pro eo.
41 Ioſaphat vero filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam anno quarto Achab regis Iſrael.

Tri-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et dices: Sic dicit rex: Ponite hunc in domo carceris, & comedere facies eum panem arctum, & aquã arctam, donec veniam in pace.*
28 *Dixitque Michaiehu: Si reuertendo reuerſus fueris in pace, non eſt locutus Dominus per me. Et ait: Audite populi omnes.*
29 *Aſcendit autem rex Iſrael, & Iehoſaphath rex Iehudah in Ramoth Ghilhad.*
30 *Dixitque rex Iſrael ad Iehoſaphath: Mutabo me, & ingrediar bellum, tu autem indue te veſtibus tuis. Et mutauit ſe rex Iſrael, & ingreſſus eſt bellum.*
31 *Rex autem Aram præcepit principibus curruum, qui erant ſibi triginta, & duobus, dicendo: Non pugnabitis cum paruo, vel magno, niſi cum rege Iſrael ſolum.*
32 *Et fuit, cum vidiſſent principes curruum Iehoſaphath, dixerunt: Certè rex Iſrael, & declinauerunt contra eum ad pugnandum: & exclamauit Iehoſaphath.*
33 *Et fuit, cum vidiſſent principes curruum, quòd non eſſet rex Iſrael ipſe, auerſi ſunt ab eo.*
34 *Vir autem iaculatus eſt arcu in ſimplicitate ſua, & percuſſit regem Iſrael inter commiſſuras, & loricam. Dixitque aurigæ ſuo: Verte manum tuam, & educ me de caſtris, quia vulneratus ſum.*
35 *Et aſcendit prælium in die illo, rex autem Iſrael ſtabat in curru contra Aramæos, & mortuus eſt veſpere: & effluebat ſanguis plagæ in ſinu currus:*
36 *Et tranſiuit præco per caſtra accumbente ſole, dicendo: Vnuſquiſque eat in ciuitatem ſuam, & vnuſquiſque in terram ſuam.*
37 *Mortuus eſt autem rex, & venit in Somron: & ſepelierunt regem in Somron:*
38 *Lauitque lauans currum in piſcina Somron, & linxerunt canes ſanguinem eius, & arma lauerunt, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat.*
39 *Reſidua autem Achab, & omnia, quæ fecit, & domus eburnea quam ædificauit, & omnes vrbes quas ædificauit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*
40 *Et dormiuit Achab cum patribus ſuis, & regnauit Achaziahu filius eius pro eo.*
41 *Iehoſaphath autem filius Aſa regnauit ſuper Iehudah anno quarto Achab regis Iſrael.*

*Ie-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Dicito, vt ponat eum in cuſtodia, & ipſe comedat panem tribulationis, & aquam tribulationis, quoadeſque
reuertero ego in pace. 28 Et dixit Michæas: Si reuertens reuerteris in pace, non eſt locutus Dominus in me.
29 Et aſcendit rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda cum eo ad Rhemmath Galaad. 30 Et dixit rex Iſrael ad Ioſa-
phat regem Iuda. Cooperiar, & ingrediar in prælium, & tu induere veſtimentum meũ. Et cooperuit ſe rex Iſrael,
& intrauit in prælium. 31 Et rex Syriæ mandauerat principibus curruum ſuorum triginta, & duobus, dicẽs: Nõ
impugnetis paruum, & magnum, ſed regem Iſrael ſolum. 32 Et factum eſt, vt viderunt principes curruum Ioſa-
phat regem Iuda, & ipſi dixerunt: Videtur rex Iſrael hic, & circumdederunt eum ad impugnandum: & exclama-
uit Ioſaphat. 33 Et factum eſt, vt viderunt principes curruum, quia non eſt rex Iſrael hic, & reuerterunt ab eo.
34 Et intendit vnus arcum bene collimans, & percuſſit regem Iſrael inter pulmonem, & inter thoracem. Et dixit
aurigæ ſuo: Conuerte manus tuas, & educ me de prælio, quoniam vulneratus ſum. 35 Et profligatum eſt præ-
lium in die illa, & rex erat ſtans ſuper currum ex aduerſo Syriæ à mane vſque ad veſperam: & effundebat ſan-
guinem è plaga in ſinum currus, & mortuus eſt veſperi & egrediebatur ſanguis ſtragis vſque ad ſinum currus.
36 Et ſtetit præco exercitus occidente Sole, dicens: Vnuſquiſque ad ſuam ciuitatem, & ad ſuam terram.
37 Quoniam mortuus eſt rex, & venerunt in Samariam: & ſepelierunt regem in Samaria. 38 Et abluerunt ſan-
guinem ſuper fontem Samariæ, & linxerunt ſues, & canes ſanguinem, & meretrices lauerunt ſe in ſanguine, iuxta
verbum Domini, quod locutus eſt. 39 Et reliqua verborum Achaab, & omnia, quæ fecit, & domum ebur-
neam, quam ædificauit, & omnes ciuitates, quas fecit, nonne ecce hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum re-
gum Iſrael? 40 Et dormiuit Achaab cum patribus ſuis, & regnauit Ochozias filius eius pro eo. 41 Et Io-
ſaphat filius Aſa regnauit ſuper Iudam, in anno quarto Achaab regis Iſrael regnauit Ioſaphat.

Filius

## Vulgat.Editio.

42 Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, & viginti quinque annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Azuba filia Salai.

43 Et ambulauit in omni via Aſa patris ſui, & non declinauit ex ea: fecitque quod rectum erat in conſpectu Domini.

44 Verumtamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus ſacrificabat,& adolebat incenſum in excelſis.

45 Pacemque habuit Ioſaphat cum rege Iſrael.

46 Reliqua autem verborum Ioſaphat, & opera eius, quæ geſſit, & prælia, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

47 Sed & reliquias effœminatorum, qui remanſerant in diebus Aſa patris eius, abſtulit de terra.

48 Nec erat tunc rex conſtitutus in Edom.

49 Rex vero Ioſaphat fecerat claſſes in mari, quæ nauigarent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſiongaber.

50 Tunc ait Ochozias filius Achab ad Ioſaphat: Vadant ſerui mei cum ſeruis tuis in nauibus. Et noluit Ioſaphat.

51 Dormiuitque Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui: regnauitque Ioram filius eius pro eo.

52 Ochozias autem filius Achab regnare cœperat ſuper Iſrael in Samaria, anno ſeptimodecimo Ioſaphat regis Iuda, regnauitque ſuper Iſrael duobus annis.

53 Et fecit malum in conſpectu Domini, & ambulauit in via patris ſui, & matris ſuæ, & in via Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael.

54 Seruiuit quoque Baal, & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Iſrael, iuxta omnia, quæ fecerat pater eius.

L I-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

42 *Iehoſaphath vero triginta, & quinque annorum erat, quando regnauit, & viginti, & quinque annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Hazubah filia Silchi.*

43 *Et ambulauit in omni via Aſa patris ſui, & non declinauit ab ea: faciendo quod rectum eſt in oculis Domini.*

44 *Verumtamen excelſa non remouerunt: adhuc populo immolante, & ſuffiente in excelſis.*

45 *Et pacem fecit Iehoſaphath cum rege Iſrael.*

46 *Reſidua autem Iehoſaphath, & robur eius, quod fecit, & quo pugnauit, nonne ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

47 *Et reſidua ſcorta, quæ remanſerant in diebus Aſa patris ſui, tulit à terra.*

48 *Et rex non erat in Edom, præfectus erat rex.*

49 *Et Iehoſaphath fecit naues Tharſis, vt irent i Ophir pro auro: & non iuerunt, quia confractæ ſunt naues in Heſionghaber.*

50 *Tunc dixit Achazìahu filius Achab ad Iehoſaphath: Vadant ſerui mei cum ſeruis tuis in nauibus. Et noluit Iehoſaphath.*

51 *Dormiuitque Iehoſaphath cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui: & regnauit Iehoram filius eius pro eo.*

52 *Achazìahu filius Achab regnauit ſuper Iſrael in Somron anno ſeptimo decimo Iehoſaphath regis Iehudah, & regnauit ſuper Iſrael duobus annis.*

53 *Fecitque malum in oculis Domini, ambulauitque in via patris ſui, & in via matris ſuæ, & in via Iarobham filij Nebath, qui peccare fecit Iſrael.*

54 *Seruiuitque Bahal, & incuruauit ſe ei, & irritauit Dominum Deum Iſrael, ſecundum omnia, quæ fecerat pater eius.*

L I-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

42 Filius triginta,& quinque annorum in regnando ipſum & viginti & quinque annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Azuba filia Salai. 43 Et ambulauit in omni via Aſa patris ſui, non declinauit ab ea, faciendo rectum in oculis Domini. 44 Verumtamen excelſa non abſtulit: adhuc populus ſacrificabat,& adolebat in excelſis. 45 Et pacem habuit Ioſaphat cum rege Iſrael. 46 Et reliqua verborum Ioſaphat, & potentatus eius, quæcumque fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regum Iuda? * 47 Et reliqua complicationum, quas impoſuerant in diebus Aſa patris ſui ſuſtulit de terra. 48 Et rex non erat in Syria Naſib. 49 Et rex Ioſaphat fecit nauem in Tharſis ad eundum in Sophir ad aurum: & non iuit, quoniam contrita eſt nauis in Gaſion Gaber. 50 Tunc dixit rex Iſrael ad Ioſaphat: Mittam pueros meos,& puerulos meos in naui,& noluit Ioſaphat. 51 Et dormiuit Ioſaphat cum patribus ſuis,& ſepultus eſt apud patres ſuos in ciuitate Dauid patris ſui: & regnauit Ioram filius eius pro eo. 52 Et Ochozias filius Achaab regnauit ſuper Iſrael in Samaria, in anno ſeptimo & decimo Ioſaphat regis Iuda Ochozias filius Achaab regnauit in Iſrael in Samaria duos annos. 53 Et fecit malum ante Dominum,& ambulauit in via Achaab patris ſui,& in via Iezabel matris ſuæ,& in peccatis domus Hieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 54 Et ſeruiuit Baalim,& adorauit eos,& exacerbauit Dominum Deum Iſrael, ſecundum omnia, quæ facta fuerant ante eum.

* Hæc quę nu. 47. 48. 49. & 50. notantur in hac tranſlat. Rom. habentur ca. 16. poſt nu. 28. cũ alijs nonnullis, quę hic repetita videntur & nos totum illud verſu hic [illegible] ille ca. poſuimus ad calcem huius tomi primi noſtræ Bibliæ.

# FINIS LIBRI TERTII REGVM.

LIBRI

UVA.BSCH

LIBRI QVARTI

# REGVM.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

PRæuaricatus eſt autem Moab in Iſrael, poſt- 1
quam mortuus eſt Achab.
Cecidítque Ochozias per cancellos cœnacu- 2
li ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit : miſit-
que nuncios, dicens ad eos : Ite, conſulite Beelze-
bub deum Accaron, vtrum viuere queam de infir-
mitate mea hac.

Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Theſ- 3
biten, dicens : Surge, & aſcende in occurſum nun-
ciorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid nõ
eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelze-
bub deum Accaron?
Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſu- 4
per quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte mo-
rieris. Et abijt Elias.
Reuerſique ſunt nuncij ad Ochoziam. Qui dixit 5
eis: Quare reuerſi eſtis?

At illi reſponderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit 6
ad nos: Ite, & reuertimini ad regem, qui miſit vos,
& dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia
non erat Deus in Iſrael, mittis, vt conſulatur Beel-
zebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, ſuper quẽ
aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.

Qui dixit eis: Cuius figuræ, & habitus eſt vir ille, 7
qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc?

At illi dixerunt: Vir piloſus, & zona pellicea accin- 8
ctus renibus. Qui ait: Elias Theſbites eſt.
Miſitque ad eum quinquagenarium principem, & 9
quinquaginta, qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eũ:
ſedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex
præcepit, vt deſcendas.

Re-

LIBRI SECVNDI

# MELACHIM.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *DEfecit autem Moab contra Iſrael mortuo
Achab.*
2 *Cecidit autem Achaziahu de cancello in
cœnaculum ſuum, quod erat in Somron, & ægrota-
uit: miſitque nuncios, & dixit ad eos: Ite inquirite
per Bahalzebub deum Hecron, ſi viuam de infirmi-
tate hac.*

3 *Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliiahu Tiſ-
biten: Surge, aſcende in occurſum nunciorum regis
Somron, & loquere ad eos: Numquid non eſt Deus
in Iſrael, vt eatis ad inquirendum per Bahalzebub
deum Hecron?*
4 *Et idcirco ſic dicit Dominus: De lecto ſuper quem
aſcendiſti, non deſcendes, ſed moriendo morieris. Et
abijt Eliiah.*
5 *Et reuerſi ſunt nuncij ad eum. Dixitque ad eos: Vt
quid reuerſi eſtis?*

6 *Dixeruntque ad eum: Vir aſcendit in occurſum no-
ſtrum, dixitque nobis: Ite reuertimini ad regem, qui
miſit vos, & loquemini ad eum: Sic dixit Dominus:
Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt mittas ad inqui-
rendum per Bahalzebub deum Hecron? Idcirco de
lecto ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed mo-
riendo morieris.*
7 *Dixitque ad eos: Qualis diſpoſitio eſt viri, qui aſ-
cendit in occurſum veſtrum, & locutus eſt vobis
ſermones iſtos?*
8 *Dixeruntque ad eum: Vir piloſus, & cingulo pelliceo
accinctus renes ſuos. Et ait: Eliiah Tisbites eſt.*
9 *Miſitque ad eum principem quinquagenarium, &
quinquaginta eius. Et aſcendit ad eum: Et ecce ſe-
debat in vertice mõtis, locutuſque ad eum: Vir Dei,
rex locutus eſt. Deſcende.*

*Et*

LIBRI QVARTI

# REGNORVM.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET præuaricatus eſt Moab in Iſrael, poſtquam mortuus eſt Achab. 2 Et cecidit Ochozias per cãcellum,
qui in cœnaculo ſuo in Samaria, & ægrotauit: & miſit nuncios, & dixit ad eos: Ite, & inquirite in Baal mu-
ſcam deum Accaron, ſi viuam ex infirmitate mea hac, & ierunt interrogare per eum. 3 Et Angelus Do-
mini vocauit Eliu Theſbitem, dicens: Surgens, vade in obuiam nunciorum Ochoziæ regis Samariæ, & loquer͂is
ad eos: Si propterea quod non ſit Deus in Iſrael, vos itis inquirere in Baal muſcam deum Accaron? 4 Et non
ita, quoniam hæc dicit Dominus: Lectus, ſuper quem aſcendiſti illuc, non deſcendes ab eo, quia morte morieris.
Et iuit Eliu, & dixit ad eos. 5 Et reuerſi ſunt nuncij ad eum. Et dixit ad eos: Quid, quod reuertiſtis? 6 Et di-
xerunt ad eum: Vir aſcendit in occurſum noſtrum, & dixit ad nos: Ite, reuertite ad regem, qui miſit vos, & loqui-
mini ad eum: Hæc dicit Dominus: Si propterea quod non ſit Deus in Iſrael, tu vadis inquirere in Baal muſcam
deum Accaron? Non ita lectus, ſuper quem aſcendiſti illuc, non deſcendes ab eo, quia morte morieris. Et reuerſi
annunciauerunt regi ſecundum quæ locutus fuerat Eliu. 7 Et locutus eſt ad eos: Quodnam iudicium viri,
qui aſcendit in obuiam vobis, & locutus eſt ad vos verba hæc? 8 Et dixerunt ad eum: Vir piloſus, & zona pel-
licea accinctus lumbum ſuum. Et dixit: Eliu Theſbites hic eſt. 9 Et miſit ad eum principem quinquagena-
rium, & ipſos quinquaginta illius. Et aſcendit ad eum: Et ecce Eliu ſedebat ſuper cacumen montis, & locutus eſt
princeps quinquagenarius ad eum, & dixit: Homo Dei, rex vocauit te, Deſcende.

## Vulgat. Editio.

10 Reſpondenſque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.

11 Rurſumque miſit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus eſt illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Feſtina, deſcende.

12 Reſpondens Elias ait: Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit ergo ignis de cœlo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius.

13 Iterum miſit principem quinquagenarium tertiū, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum veniſſet, curuauit genua contra Eliam, & precatus eſt eum, & ait: Homo Dei, noli deſpicere animam meam, & animas ſeruorum tuorum, qui mecum ſunt.

14 Ecce deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant: ſed nunc obſecro, vt miſerearis animæ meæ.

15 Locutus eſt autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Deſcende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & deſcendit cum eo ad regem:

16 Et locutus eſt ei: Hæc dicit Dominus: Quia miſiſti nuncios ad conſulendum Beelzebub deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideo de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.

17 Mortuus eſt ergo iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo, anno ſecundo Ioram filij Ioſaphat regis Iudæ: non enim habebat filium.

18 Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et reſpondit Elijahu, locutuſque eſt ad principem quinquagenarium: Et ſi vir Dei ſum, deſcēdat ignis è cœlo, & conſumat te, & quinquaginta tuos. Et deſcendit ignis è cœlo, & conſumpſit eum, & quinquaginta eius.*

11 *Et reuerſus eſt, miſitque ad eum principem quinquagenarium alium, & quinquaginta eius. Et reſpondit, & locutus eſt ad eum: Vir Dei ſic dixit rex: Feſtina, deſcende.*

12 *Et reſpōdit Elijahu, dixitque ad eos: Si vir Dei ſum, deſcendat ignis è cœlo, & conſumat te, & quinquaginta tuos. Et deſcendit ignis Dei è cœlo, & conſumpſit eum, & quinquaginta eius.*

13 *Et reuerſus eſt, & miſit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta eius. Et aſcendit, & venit princeps quinquagenarius tertius, & incuruauit ſe ſuper genua ſua contra Elijahu, & precatus eſt eum, locutuſque eſt ad eum: Vir Dei precioſa ſit quaſo anima mea, & anima ſeruorum tuorum, horum quinquaginta in oculis tuis.*

14 *Ecce deſcendit ignis è cœlo, & conſumpſit duos principes quinquagenarios primos, & quinquaginta eorum, & nunc precioſa ſit anima mea in oculis tuis.*

15 *Locutus eſt autem Angelus Domini ad Elijahu: Deſcende cum eo, ne timeas à facie eius. Et ſurrexit, deſcenditque cum eo ad regem:*

16 *Et locutus eſt ad eum: Sic dixit Dominus: Pro eo quod miſiſti nuncios ad inquirendum Baalzebub deum Hekron, (numquid non eſt Deus in Iſrael ad quærendum per verbum eius,) idcirco de lecto ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed moriendo morieris.*

17 *Et mortuus eſt iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat Elijahu, & regnauit Iehoram pro eo, anno ſecundo Iehoram filij Iehoſaphath regis Iehudah, quia non fuerat ei filius.*

18 *Reſidua autem Achaziah, quæ fecit, nonne ipſa ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et reſpondit Eliu, & dixit ad principem quinquagenarium: Et, ſi homo Dei ego, deſcendet ignis de cœlo, &
deuorabit te, & quinquaginta tuos. Et deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta eius. 11 Et
adiecit rex, & miſit ad eum alium principem quinquagenarium, & ipſos quinquaginta illius. Et locutus eſt princeps
quinquagenarius ad eum, & dixit: Homo Dei, hæc dicit rex: Cito deſcende. 12 Et reſpondit Eliu, & locutus
eſt ad eum, & dixit: Si homo Dei ego, deſcendet ignis de cœlo, & deuorabit te, & quinquaginta tuos. Et deſcendit
ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta eius. 13 Et adiecit adhuc rex mittere Ducem, &
quinquaginta eius. Et venit princeps quinquagenarius tertius, & curuauit ſe ſuper genua ſua ante Eliu, & orauit
eum, & locutus eſt ad eum, & dixit: Homo Dei precioſa ſit anima mea, & anima ſeruorum tuorum, horum quinquaginta
in oculis tuis. 14 Ecce deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios
primos, & nunc precioſa ſit, quæſo, anima mea in oculis tuis. 15 Et locutus eſt Angelus Domini ad Eliu,
& dixit: Deſcende cum eo, ne timeas à facie eorum. Et ſurrexit Eliu, & deſcendit cum eo ad regem. 16 Et
locutus eſt ad eum, & dixit Eliu: Hæc dicit Dominus: Quid, quod miſiſti nuncios exquirere in Baal muſcam
deum Accaron, non ſic. Lectus, ſuper quem aſcendiſti illuc, non deſcendes ab eo, quia morte morieris. 17 Et
mortuus eſt iuxta verbum Domini, quod locutus eſt Eliu. 18 Et reliqua verborum Ochoziæ, quæ fecit,
nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? * Et Ioram filius Achaab regnat ſuper Iſrael
in Samaria annos duodecim in anno octauo & decimo Ioſaphat regis Iuda. Et fecit malum in conſpectu
Domini. Verumtamen, non ſicut fratres eius neque ſicut mater eius: & amouit titulos Baal, quos fecerat pater
eius, & contriuit eos. Verumtamen in peccatis domus Hieroboam, qui peccare fecit Iſrael, adhæſit, non receſſit
ab eis. Et indignatus eſt ira Dominus in domum Achaab.

*Hæc omnia repetuntur in hac eadem translat. cap. 3. vbi & in noſtra vulgata habentur.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. II.

FActum eſt autem, cum leuare vellet Dominus 1
Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias, & E-
liſeus de Galgalis.
Dixitque Elias ad Eliſeum: Sede hic, quia Domi- 2
nus miſit me vſque in Bethel. Cui ait Eliſeus: Viuit
Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam
te. Cumque deſcendiſſent Bethel:
Egreſſi ſunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, 3
ad Eliſeum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia ho-
die Dominus tollet dominum tuum à te? Qui re-
ſpondit: Et ego noui: ſilete.
Dixit autem Elias ad Eliſeum: Sede hic, quia Do- 4
minus miſit me in Iericho. Et ille ait: Viuit Domi-
nus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.
Cumque veniſſent Iericho:
Acceſſerunt filij prophetarum, qui erant in Iericho, 5
ad Eliſeum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia
Dominus hodie tollet dominum tuum à te? Et ait:
Et ego noui: ſilete.
Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus mi- 6
ſit me vſque ad Iordanem. Qui ait: Viuit Dominus,
& viuit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt
igitur ambo pariter:
Et quinquaginta viri de filijs prophetarum ſecuti 7
ſunt eos, qui & ſteterunt è contra, longe: illi autem
ambo ſtabant ſuper Iordanem.
Tulitque Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & 8
percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque par-
tem, & tranſierunt ambo per ſiccum.
Cumque tranſiſſent, Elias dixit ad Eliſeum: Poſtu- 9
la, quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te.
Dixitque Eliſeus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpi-
ritus tuus.
Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti: attamen 10
ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod peti-
ſti: ſi autem non videris, non erit.
Cumque pergerent, & incedentes ſermocinaren- 11
tur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt v-
trumque: & * aſcendit Elias per turbinem in cœlũ.
Eliſeus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater 12
mi, currus Iſrael, & auriga eius. Et non vidit eum
amplius: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit
illa in duas partes.
Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuer- 13
ſuſque ſtetit ſuper ripam Iordanis.

*Eccl. 48. 13.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. II.

1 *ET fuit, cum aſcendere faceret Dominus Elija-
hu per turbinem in cælum, abijt Elijahu, &
Eliſaah, de Ghilghal.*
2 *Dixitq; Elijahu ad Eliſaah: Sede obſecro hic, quia
Dominus miſit me vſque in Bethel. Dixitque Eli-
ſaah: Viuit Dominus, & viuit anima tua, ſi dereli-
quero te. Et deſcenderunt in Bethel:*
3 *Et egreſſi ſunt filij prophetarum, qui erant in Be-
thel, ad Eliſaah, atque dixerunt: Numquid noſti,
quòd hodie Dominus tollit dominum tuum à capite
tuo? Dixitque: Etiam noui: tacete.*
4 *Dixitque ei Elijahu Eliſaah: ſede obſecro hic, quia
Dominus miſit me in Iericho. Et dixit: Viuit Domi-
nus, & viuit anima tua, ſi dimiſero te. Et venerunt
in Iericho:*
5 *Et acceſſerunt filij prophetarum, qui erant in Ieri-
cho ad Eliſaah, dixeruntque ad eum: Num noſti,
quòd hodie Dominus tollit dominum tuum à capite
tuo? Et ait: Etiam noui: ſilete.*
6 *Dixitque ei Elijahu: Sede obſecro hic, quia Domi-
nus miſit me ad Iarden. Et ait: Viuit Dominus, &
viuit anima tua ſi dereliquero te. Et abierunt am-
bo:*
7 *Quinquaginta autem viri de filijs prophetarum a-
bierunt, ſteteruntque è regione à longè: & ambo ſte-
terunt iuxta Iarden.*
8 *Tulitque Elijahu pallium ſuum, & inuoluit, & per-
cuſſit aquas, & dimiſerunt ſe huc, & illuc, & tran-
ſierunt ambo per ſiccum.*
9 *Quum autem tranſiſſent Elijahu, dixit ad Eliſaah:
Poſtula, quid faciam tibi antequam tollar à te. Di-
xitque Eliſaah: Et ſit obſecro menſura duarum par-
tium de ſpiritu tuo ſuper me.*
10 *Et ait: Difficilem rem poſtulaſti: ſi videris me abla-
tum à te, erit tibi ſic, ſin autem, non erit.*
11 *Et fuit ipſis pergentibus pergendo, & loquendo, ecce
currus igneus, & equi ignei, diuiſerunt vtrumque:
& aſcendit Elijahu per turbinem in cælum:*
12 *Eliſaah autem videbat, & clamabat: Pater mi, pa-
ter mi, currus Iſrael, & equites eius. Et non vidit
eum amplius, & apprehendit veſtimenta ſua, &
ſcidit ea in duas ſciſſiones.*
13 *Et eleuauit pallium Elijahu, quod ceciderat ab eo:
& reuerſus eſt, & ſtetit iuxta ripam Iarden.*

Tu-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. II.

ET factum eſt, cum eleuaret Dominus in concuſſione ipſum Eliu tanquam in cœlum, & iuit Eliu, & Eliſæe de
Galgalis. 2 Et dixit Eliu ad Eliſæe: Sede, quæſo, hic, quia Deus miſit me vſque Bæthel. Et dixit Eliſæe: Vi-
uit Dominus, & viuit anima tua, ſi derelinquam te. Et venerunt in Bæthel. 3 Et venerunt filij prophetarum,
qui in Bæthel, ad Eliſæe, & dixerunt ad eum: Si noſti, quia Dominus hodie tollit dominum tuum deſuper capite
tuo? Et dixit: Et ego noui: ſilete. 4 Et dixit Eliu ad Eliſæe: Sede, quæſo, hic, quoniam Dominus miſit me vſq;
Hierico. Et dixit: Viuit Dominus, & viuit anima tua, ſi derelinquam te. Et venerunt in Hierico. 5 Et acceſſe-
runt filij prophetarum, qui in Hierico, ad Eliſæe, & dixerunt ad eum: Si noſti, quia hodie tollit Dominus domi-
num tuum deſuper caput tuum? Et dixit: Etiam ego noui: ſilete. 6 Et dixit ei Eliu: Sede, quæſo hic, quoniam
Dominus miſit me vſque ad Iordanem. Et dixit Eliſæe: Viuit Dominus, & viuit anima tua, ſi derelinquam te. Et
fuerunt ambo. 7 Et quinquaginta viri filij prophetarum, & ſteterunt ex aduerſo longè: & ambo ſteterunt ſu-
per Iordanem. 8 Et ſumpſit Eliu melotem ſuam, & conuoluit, & percuſſit aquam, & diuiſa eſt aqua hinc, & hinc,
& tranſierunt vterque in deſerto. 9 Et factum eſt in tranſeundo ipſos, & Eliu dixit ad Eliſæe: Pete, quid faciam
tibi, antequam ego aſſumar à te. Et dixit Eliſæe: Fiant, quæſo, duplicia in ſpiritu tuo ſuper me. 10 Et dixit
Eliu: Dure egiſti petendo: ſi videris me, dum aſſumor à te, & erit tibi ſic, & ſi non, non fiet. 11 Et factum eſt
ipſis euntibus, ibant, & loquebantur, & ecce currus ignis, & equi ignis, & diuiſerunt inter vtroſque: & aſſumptus
eſt Eliu in concuſſione tanquam in cœlum. 12 Et Eliſæe videbat, & clamabat: Pater, pater, currus Iſrael, &
eques eius. Et non vidit eum vltra: & apprehendit veſtimenta ſua, & diſcidit ea in duas ſciſſuras. 13 Et eleua-
uit melotem Eliu, quæ ceciderat deſuper Eliſæe: & reuertit Eliſæe, & ſtetit ſuper labium Iordanis.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

14 Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ, & dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſijt Eliſeus.
15 Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Iericho e contra, dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Et venientes in occurſum eius, adorauerunt eum proni in terram:
16 Dixeruntque illi: Ecce, cum ſeruis tuis ſunt quinquaginta viri fortes, qui poſſunt ire, & quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnā vallium. Qui ait: Nolite mittere.
17 Coegeruntque eum, donec acquieſceret, & diceret: Mittite. Et miſerunt quinquaginta viros: qui cum quæſiſſent tribus diebus, non inuenerunt.
18 Et reuerſi ſunt ad eum: at ille habitabat in Iericho, & dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere?
19 Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliſeum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe domine perſpicis: ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.
20 At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent:
21 Egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas.
22 Sanatæ ſunt ergo aquæ vſque in diem hanc, iuxta verbum Eliſei, quod locutus eſt.
23 Aſcendit autem inde in Bethel: cumque aſcenderet per viam: pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calue, aſcende calue.
24 Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.
25 Abijt autem inde in montem Carmeli, & inde reuerſus eſt in Samariam.

### CAP. III.

1 IOram vero filius Achab regnauit ſuper Iſrael in Samaria anno decimo octauo Ioſaphat regis Iudæ. Regnauitque duodecim annis.
2 Et fecit malum coram Domino, ſed non ſicut pater ſuus, & mater: tulit enim ſtatuas Baal, quas fecerat pater eius.

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Tulitque pallium Elijahu, quod ceciderat ab eo, & percuſſit aquas, & dixit: Vbi eſt Dominus Deus Elijahu, etiam ipſe? Et percuſſit aquas, & diuiſerunt ſe huc, & illuc, & tranſiuit Eliſaah.*
15 *Et viderunt eum filij prophetarum, qui erant in Iericho è regione, atque dixerunt: Requieuit ſpiritus Elijahu ſuper Eliſaah. Et venerũt in occurſum eius, & incuruauerunt ſe ei ſuper terram:*
16 *Et dixerunt ei: Ecce obſecro ſunt cum ſeruis tuis quinquaginta viri robuſti, eant nunc, & quærant dominum tuum, ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum è montibus aut in vnam è vallibus. Et dixit: Ne mittatis.*
17 *Et coegerunt eum quamdiu tardauit, & dixit: Mittite, & miſerunt quinquaginta viros, quæſieruntque tribus diebus, & non inuenerunt eum.*
18 *Et reuerſi ſunt ad eum: ipſe autem habitabat in Iericho, dixit ad eos: Nonne dixi vobis: Ne eatis?*
19 *Dixerunt autem viri ciuitatis ad Eliſaah: Ecce obſecro habitatio ciuitatis bona eſt, ſicut dominus meus videt, & aquæ malæ, & terra habitatores orbant.*
20 *Et dixit: Tollite mihi phialam nouam, & ponite in ea ſal. Et attulerunt ei:*
21 *Et egreſſus eſt ad exitum aquarum, & proiecit illuc ſal, & dixit: Sic dixit Dominus: Sanaui aquas iſtas, non erit inde vltra mors, & orbans.*
22 *Et ſanatæ ſunt aquæ vſque ad diem hanc, iuxta verbum Eliſaah, quod locutus fuerat.*
23 *Et aſcendit inde in Bethel: & ipſo aſcendente per viam, pueri parui egreſſi ſunt ex vrbe, & illudebant ei, dixeruntque ei: Aſcende calue, aſcende calue.*
24 *Et reſpexit poſt ſe, & vidit eos, maledixitque eis in nomine Domini: & egreſſæ ſunt duæ vrſæ è ſylua, & lacerauerunt ex eis quadraginta, & duos pueros.*
25 *Et abijt inde in montem Charmel, & inde reuerſus eſt in Semron.*

### CAP. III.

1 *IEhoram autem filius Achab regnauit ſuper Iſrael in Semron anno octauo decimo Iehoſaphath regis Iehudah. Regnauitque duodecim annis.*
2 *Fecitque quod malum eſt in oculis Domini, verumtamen non ſicut pater ſuus, & ſicut mater ſua: & remouit ſtatuam Bahal, quam fecerat pater ſuus.*

*Ve-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et ſumpſit melotem Eliu, quæ ceciderat deſuper eo, & percuſſit aquam & dixit: Vbi Deus Eliu Appho? Et
percuſſit aquas, & diſciſſæ ſunt hinc, & hinc, & tranſiuit Eliſæe. 15 Et viderunt eum filij prophetarum, qui in
Hiericho ex aduerſo, & dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliu ſuper Eliſæe. Et venerunt in occurſum eius, & adorauerunt eum in terram. 16 Et dixerunt ad eum: Ecce nunc cum pueris tuis quinquaginta viri, filij virtutis, euntes
nunc quærant dominum tuum, ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in Iordanem, vel ſuper
vnum montium, vel ſuper vnum collium. Et dixit Eliſæe: Non mittetis. 17 Et coegerunt eum, quoadusque erubuit, & dixit: Mittite. Et miſerunt quinquaginta viros, & quæſierunt tribus diebus, & non inuenerunt eum. 18 Et
reuerſi ſunt ad eum: & ipſe ſedebat in Hiericho, & dixit Eliſæe: Nonne dixi ad vos: Nolite ire? 19 Et dixerũt
viri ciuitatis ad Eliſæe: Ecce habitatio ciuitatis bona, ſicut dominus videt, & aquæ malæ, & terra ſterilis. 20 Et
dixit Eliſæe: Sumite mihi hydriolam nouam, & ponite ibi ſal. Et ſumpſerunt, & attulerunt ad eum. 21 Et exiuit Eliſæe ad tranſitum aquarum, & proiecit illuc ſal, & dixit: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, non erit vltra inde mors, & ſterilis. 22 Et ſanatæ ſunt aquæ vſque in diem hanc iuxta verbum Eliſæe, quod locutus eſt.
23 Et aſcendit inde in Bæthel: & aſcendente eo in via, & pueruli parui exierunt de ciuitate, & illudebant eum,
& dixerunt ei: Aſcende calue, aſcende. 24 Et reſpexit poſt eos, & vidit eos, & maled. it eis in nomine Domini:
& ecce exiuerunt duo vrſi de ſylua, & diſcerpſerunt de eis quadraginta, & duos pueros. 25 Et iuit inde ad
montem Carmelum, & inde reuertit in Samariam.

### CAP. III.

ET Ioram filius Achaab regnauit in Iſrael in anno octauo, & decimo Ioſaphat regis Iuda. Et regnauit duodecim annos. 2 Et fecit malum in oculis Domini, verumtamen non, ſicut pater eius, & non ſicut
mater eius: & amouit titulos Baal, quos fecerat pater eius.

Tan-

## Vulgat. Editio.

3 Verumtamen in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui
peccare fecit Iſrael, adhæſit, nec receſſit ab eis.
4 Porro Meſa rex Moab, nutriebat pecora multa, &
ſoluebat regi Iſrael centum millia agnorum, & cen
tum millia arietum cum velleribus ſuis.
5 Cumque mortuus fuiſſet Achab, præuaricatus eſt
fœdus, quod habebat cum rege Iſrael.
6 Egreſſus eſt igitur rex Ioram in die illa de Samaria,
& recenſuit vniuerſum Iſrael.
7 Miſitque ad Ioſaphat regem Iuda, dicens: Rex Mo-
ab receſſit à me, veni mecum contra eum ad præ-
lium. Qui reſpondit: Aſcendam: qui meus eſt, tuus
eſt: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi
tui.
8 Dixitque: Per quam viam aſcendemus? At ille re-
ſpondit: Per deſertum Idumææ.
9 Perrexerunt igitur rex Iſrael, & rex Iuda, & rex E-
dom, & circuierunt per viam ſeptē dierum, nec erat
aqua exercitui, & iumentis, quæ ſequebantur eos.
10 Dixitque rex Iſrael: Heu heu heu, congregauit nos
Dominus tres reges, vt traderet in manus Moab.
11 Et ait Ioſaphat: Eſt ne hic propheta Domini, vt de-
precemur Dominum per eum? Et reſpondit vnus
de ſeruis regis Iſrael: Eſt hic Eliſeus filius Saphat,
qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ.

12 Et ait Ioſaphat: Eſt apud eum ſermo Domini. De-
ſcenditque ad eum rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda
& rex Edom.
13 Dixit autem Eliſeus ad regem Iſrael: Quid mihi
& tibi eſt? vade ad prophetas patris tui, & matris
tuæ. Et ait illi rex Iſrael: Quare congregauit Do-
minus tres reges hos, vt traderet eos in manus
Moab?
14 Dixitque ad eum Eliſeus: Viuit Dominus exerci-
tuum, in cuius conſpectu ſto, quod ſi non vultum
Ioſaphat regis Iudæ erubeſcerem, non attendiſſem
quidem te, nec reſpexiſſem.
15 Nunc autem adducite mihi pſaltem. Cumque ca-
neret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini,
& ait:
16 Hæc dicit Dominus: Facite alueum torrentis hu-
ius foſſas, & foſſas.
17 Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum,
neque pluuiam: & alueus iſte replebitur aquis, &
bibetis vos, & familiæ veſtræ, & iumenta veſtra.
18 Paruumque eſt hoc in conſpectu Domini: inſuper
tradet etiam Moab in manus veſtras.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Veruntamen in peccatis Iarobham filij Hebath, qui*
*peccare fecit Iſrael, adhaſit, non receſſit ab eis.*
4 *Meſah autem rex Moab habebat greges, & reddebat*
*regi Iſrael centum millia agnos & centum millia a-*
*rietes cum lana.*
5 *Et fuit, cum mortuus eſſet Achab, defecit rex Moab*
*contra regem Iſrael.*
6 *Et egreſſus eſt rex Iehoram die illa de Somron, &*
*recenſuit vniuerſum Iſrael.*
7 *Et abyt, & miſit ad Iehoſaphath regem Iehudah,*
*dicendo: Rex Moab defecit contra me, num venies*
*mecum contra Moab in prælium. Et dixit ei: Aſcen-*
*dam: ſicut ego, ſic tu, ſicut populus meus ſic populus*
*tuus: ſicut equi mei, ſic equi tui.*
8 *Et dixit: Per quam viam aſcendemus? Et dixit:*
*Per viam deſerti Edom.*
9 *Et abyt rex Iſrael, & rex Iehudah, & rex Edō, &*
*circuierunt per viā ſeptem diebus, & non erat aqua*
*caſtris, nec iumentis, quæ erant ad pedes eorum.*
10 *Dixitque rex Iſrael: Ahah, vocauit Dominus tres*
*reges iſtos, vt traderet eos in manu Moab.*
11 *Dixitque Iehoſaphath: An non eſt hic propheta Do-*
*mini, vt inquiramus Dominum ab eo? Reſpondit-*
*que vnus è ſeruis regis Iſrael, & dixit: Hic eſt Eli-*
*ſaah filius Saphath, qui fundebat aquam ſuper ma-*
*nuum Elijahu.*
12 *Dixitque Iehoſaphath: Eſt ne ſecum verbum Domi-*
*ni. Et deſcenderunt ad eum rex Iſrael, & Iehoſa-*
*phath, & rex Edom.*
13 *Dixitque Eliſaah ad regem Iſrael: Quid mihi, &*
*tibi? vade ad prophetas patris tui, & ad prophetas*
*matris tuæ. Dixitque rex Iſrael: Nequaquam, quia*
*conuocauit Dominus tres reges iſtos, vt traderet eos*
*in manu Moab?*
14 *Dixitque Eliſaah: Viuit Dominus exercituum, cu-*
*ius ſteti in conſpectu, quia niſi faciem Iehoſaphath*
*regis Iehudah honorarem, ſi reſpexiſſem ad te, & ſi*
*vidiſſem te.*
15 *Et nunc tollite mihi pulſatorem, & fuit cum pul-*
*ſando pulſaret, fuit ſuper eum prophetia Domi-*
*ni, & ait:*
16 *Sic dixit Dominus: Fac torrentem hunc foſſas, foſ-*
*ſas.*
17 *Sic enim dixit Dominus: Non videbitis ventum, ne-*
*que videbitis pluuiam: & torrens ipſe implebitur a-*
*qua, & bibetis vos, & greges veſtri, & iumēta vēſtra.*
18 *Et leue eſt hoc in oculis Domini: dabitque Moab in*
*manu veſtra.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Tantummodo in peccato Hieroboam filij Nabat qui peccare fecit Iſrael, adhæſit, non receſſit ab eo. 4 Et
Moſa rex Moab erat Noced, & reddebat regi Iſrael in rebellione centum millia agnorum, & centum millia arie-
tum in velleribus. 5 Et factum eſt, poſtquam mortuus eſt Achaab, & præuaricatus eſt rex Moab in regem Iſ-
rael. 6 Et egreſſus eſt rex Ioram in die illa è Samaria, & recenſuit Iſrael. 7 Et iuit, & miſit ad Ioſaphat re-
gem Iuda, dicens: Rex Moab præuaricatus eſt in me, ſi ibis mecum in Moab ad bellum. Et dixit: Aſcendam: ſimi-
lis mihi, ſimilis tibi: ſicut populus meus, populus tuus: ſicut equi mei, equi tui. 8 Et dixit: Quali via aſcēdam?
Et dixit: Viam deſertum Edom. 9 Et iuit rex Iſrael, & rex Iuda, & rex Edom, & circumierunt viam ſeptem die-
rum, & non erat aqua in caſtris, & pecoribus, quæ in pedibus eorum. 10 Et dixit rex Iſrael: Heu, quia vocauit
Dominus tres reges aduenientes ad dandum eos in manu Moab. 11 Et dixit Ioſaphat: Non eſt hic propheta
Domini, & inquiramus Dominum ab eo? Et reſpondit vnus puerorum regis Iſrael, & dixit: Hic Eliſæe filius Sa-
phat, qui effundebat aquam ſuper manus Eliu. 12 Et dixit Ioſaphat: Eſt ei verbum Domini. Et deſcendit ad
eum rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda, & rex Edom. 13 Et dixit Eliſæe ad regem Iſrael: Quid mihi, & tibi? vade
ad prophetas patris tui, & prophetas matris tuæ. Et dixit ei rex Iſrael: Numquid vocauit Dominus tres ipſos re-
ges ad tradendum eos in manus Moab? 14 Et dixit Eliſæe: Viuit Dominus virtutum, cui adſtiti coram eo,
quia niſi faciem Ioſaphat regis Iuda ego ſumerem, ſi reſpexiſſem ad te, & vidiſſem te. 15 Et nunc accipe mihi
pſallentem. Et factum eſt, vt pſallebat pſallens, & facta eſt ſuper eum manus Domini, & dixit: 16 Hæc dicit
Dominus: Facite torrentem hunc foſſas foſſas. 17 Quoniam hæc dicit Dominus: Non videbitis ſpiritum,
& non videbitis pluuiam: & torrens hic implebitur aqua, & bibetis vos, & poſſeſſiones veſtræ, & pecora veſtra.
18 Et leuis hæc in oculis Domini: & tradam Moab in manu veſtra.

## Vulgat. Editio.

19 Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuerſum lignum fructiferum ſuccideтis, cunctoſque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.

20 Factum eſt igitur manè, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis.

21 Vniuerſi autem Moabitæ audientes, quòd aſcendiſſent reges, vt pugnarent aduerſum eos, conuocarunt omnes, qui accincti erant balteo deſuper, & ſteterunt in terminis.

22 Primoque manè ſurgentes, & orto iam ſole ex aduerſo aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras quaſi ſanguinem:

23 Dixeruntque: Sanguis gladij eſt: pugnauerunt reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab.

24 Perrexeruntque in caſtra Iſrael: porro conſurgens Iſrael, percuſſit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percuſſerũt Moab.

25 Et ciuitates deſtruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes ſinguli lapides, repleuerunt: & vniuerſos fontes aquarum obturauerunt: & omnia ligna fructifera ſucciderunt, ita vt muri tantum fictiles remanerent: & circumdata eſt ciuitas à fundibularijs, & magna ex parte percuſſa.

26 Quod cum vidiſſet rex Moab, præualuiſſe ſcilicet hoſtes, tulit ſecum ſeptingentos viros educentes gladium, vt irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt.

27 Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſrael, ſtatimq; receſſerũt ab eo, & reuerſi ſunt in terrã ſuam.

### CAP. IIII.

1 MVlier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliſeum, dicẽs: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi.

2 Cui dixit Eliſeus: Quid vis, vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo vngar.

Cui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*19 Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnẽ ciuitatem electam, & omnem arborem bonam cadere facietis, cunctoſque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum bonum operietis lapidibus.*

*20 Et fuit manè, quando offertur ſacrificium, ecce aqua veniebant è via Edom, & repleta eſt terra aquis.*

*21 Vniuerſus autem Moab audierunt, quòd aſcendiſſent reges ad pugnandum aduerſus eos, & congregauerunt ſe ab omni accincto cingulo, & ſupra, & ſteterunt ſuper terminum.*

*22 Et ſurrexerunt manè, & ſol ortus erat ſuper aquas, videruntque Moab è regione, aquas rubras, ſicut ſanguis:*

*23 Et dixerunt: Sanguis eſt: digladiando gladiati ſunt reges, & percuſſerũt vnuſquiſque proximum ſuum: & nunc ad ſpolia Moab.*

*24 Veneruntq; ad caſtra Iſrael: & ſurrexerunt Iſrael, & percuſſerunt Moabitas: fugeruntq; à facie eorũ, & percuſſerunt eos, & percutiendo Moabitas.*

*25 Et vrbes deſtruxerunt: & in omnem agrum optimum proiecerunt vnuſquiſque lapidem ſuum: & repleuerunt illum & omnem fontem aquarum obturauerunt: & omnem arborem bonam cadere fecerunt, donec dimitterent lapides eius in pariete Chareſeth: & circumdederunt fundibularij, & percuſſerunt eum.*

*26 Et vidit rex Moab, quòd præualeret ſibi bellum, & tulit ſecum ſeptingentos viros euaginantes gladium, vt irrumperet ad regem Edom: & non potuerunt.*

*27 Et tulit filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, & obtulit illum holocauſtum ſuper murum: & fuit ira magna ſuper Iſrael, & profecti ſunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram.*

### *CAP. IIII.*

*1 MVlier autem vna de vxoribus filiorũ prophetarum clamauit ad Eliſaah, dicendo: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quòd ſeruus tuus timebat Dominum: creditor autem venit, vt tollat duos natos meos ſibi in ſeruos.*

*2 Dixitque ad eam Eliſaah: Quid faciam tibi? Indica mihi, quid eſt tibi in domo? Et ait: Non eſt ancilla tua quicquam, niſi vas olei.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omne lignum bonum deijcietis, & omnes fontes aquæ obſtruetis, & omnem portionem bonam inutilem reddetis in lapidibus. 20 Et factum eſt mane aſcendente ſacrificio, & ecce aquæ veniebant è via Edom & terra impleta eſt aqua 21 Et vniuerſa Moab audierunt, quia aſcenderant tres reges impugnare eos, & exclamauerunt ex omni, accincti zona, & dixerunt: Hem, & ſteterunt ſuper terminũ. 22 Et diluculo ſurrexerunt mane, & Sol exortus eſt ſuper aquas, & vidit Moab ex aduerſo aquas rubras tanquam ſanguinem. 23 Et dixerunt: Sanguis hic gladij: & pugnauerunt reges, & percuſſit vir proximum ſuum: & nũc ad ſpolia Moab. 24 Et intrauerunt in caſtra Iſrael: & Iſrael ſurrexerunt, & percuſſerunt ipſam Moab: & fugerunt à facie eorum. Et intrauerunt ingredientes, & percutientes ipſam Moab. 25 Et ciuitates deſtruxerunt: & omnem portionem bonam, proiecerunt vir lapidem, & impleuerunt eam: & omnem fontem obſtruxerunt: & omne lignum bonum deiecerunt vſque ad relinquendum lapides muri deſtructos: & circumierunt fundibularij, & percuſſerunt eam. 26 Et vidit rex Moab, quia inualuit ſuper eum pugna, & ſumpſit ſecum ſeptingentos viros educentes gladium ad irrumpendum aduerſus regem Edom: & non potuerunt. 27 Et ſumpſit filium ſuum primogenitum, quem regem fecerat pro ſe, & obtulit eum holocauſtoma ſuper murum: & facta eſt pœnitentia magna ſuper Iſrael, & receſſerunt ab eo, & reuerterunt in terram.

### CAP. IIII.

ET mulier vna de filijs prophetarum clamabat ad Eliſæe, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus erat timens Dominum: & creditor venit tollere ambos filios meos ſibi in ſeruos.
2 Et dixit Eliſæe: Quid faciam tibi? Annuncia mihi, quid eſt tibi in domo? At illa dixit: Non eſt ancillæ tuæ quicquam in domo, niſi quo vngar, oleum.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

3 Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca.

4 Et ingredere,& claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu,& filij tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint,tolles.

5 Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa,& illa infundebat.

6 Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit: Non habeo. Stetitque oleum.

7 Venit autem illa,& indicauit homini Dei. Et ille: Vade,inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem,& filij tui viuite de reliquo.

8 Facta eſt autem quædam dies, & tranſibat Eliſeus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panẽ: cumque frequẽter inde tranſiret, diuertebat ad eam, vt comederet panẽ.

9 Quæ dixit ad virum ſuum: Animaduerto, quòd vir Dei ſanctus eſt iſte,qui tranſit per nos frequenter.

10 Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum,& menſam, & ſellam, & candelabrum,vt cum venerit ad nos,maneat ibi.

11 Facta eſt ergo dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculum,& requieuit ibi.

12 Dixitque ad Giezi puerum ſuum: Voca Sunamitidem iſtam. Qui cum vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coram eo:

13 Dixit ad puerum ſuum: Loquere ad eam: Ecce, ſedule in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis, vt faciam tibi? numquid habes negotium, & vis, vt loquar regi,ſiue principi militiæ? Quæ reſpondit: In medio populi mei habito.

14 Et ait: Quid ergo vult,vt faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir eius ſenex eſt.

15 Præcepit itaque vt vocaret eam: quæ cum vocata fuiſſet,& ſtetiſſet ante oſtium:

16 Dixit ad eam: In tempore iſto, & in hac eadem hora,ſi vita comes fuerit,habebis in vtero filium. At illa reſpondit: Noli quæſo domine mi,vir Dei,noli mentiri ancillæ tuæ.

17 Et concepit mulier,& peperit filium in tempore, & in hora eadem,qua dixerat Eliſeus.

18 Creuit autem puer. Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſores:

19 Ait patri ſuo: Caput meũ doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle,& duc eũ ad matrẽ ſuam.

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Et dixit: Vade,pete vaſa ab iis, qui ſunt extra, ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua,non pauca petes.*

4 *Et ingredieris, & claudes oſtium ſuper te, & ſuper filios tuos: & fundes ſuper omnia vaſa hæc: & quod plenum fuerit remouere facies.*

5 *Iuitque ab eo,& clauſit oſtiũ ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: ipſi afferebant ad eam,& ipſa infundebat.*

6 *Et fuit,cum impleuiſſet vaſa,dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Dixitque ad eam: Non eſt vltra vas. Et ſtetit oleum.*

7 *Venitque,& indicauit viro Dei. Et ait: Vade,vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filius tuus viues de reſiduo.*

8 *Et fuit dies, & tranſibat Eliſaah in Sunem: & ibi erat mulier magna,& vim fecit ei,vt comederet panem: & fuit, quando tranſibat declinabat illuc, vt comederet panem.*

9 *Dixitque viro ſuo: Ecce nunc noui, quòd vir Dei ſanctus eſt,tranſiens per nos iugiter.*

10 *Faciamus nunc cœnaculum habentem parietem paruum, ponamuſque ei ibi lectum, & menſam, & ſellam,& candelabrum, & erit, quum venerit ad nos,declinabit illuc.*

11 *Fuitque dies,& venit illuc, & declinauit in cœnaculum,& requieuit ibi.*

12 *Dixitque ad Ghechazi puerum ſuum: Voca Sunamitem hanc. Et vocauit eam,& ſtetit ante eum.*

13 *Dixitque ei: Dic ad eam: Ecce ſollicita fuiſti pro nobis ſollicitudine iſta quid vis,vt faciam tibi? num eſt loquendum tibi ad regem,vel ad principem exercitus? Et dixit: In medio populi mei habito.*

14 *Et dixit: Et quid vis, vt faciam ei? Et dixit Ghechazi: Equidem filius non eſt ei, & vir eius ſenex eſt.*

15 *Et ait: Voca eam: & vocauit eam, & ſtetit ad oſtium:*

16 *Et dixit: In tempore iſto viuente te, amplexaberis filium. Et ait: Ne domine mi vir Dei, ne mentiaris ancillæ tuæ.*

17 *Et concepit mulier,& peperit filium ad tempus iſtũ iuxta tempus vitæ,quod locutus fuerat ei Eliſaah.*

18 *Et creuit puer. Et fuit,in die qua egreſſus eſt ad patrem ſuum,ad meſſores:*

19 *Dixit patri ſuo: Caput meum,caput meum. Dixitque ad puerum: Tolle eum ad matrem ſuam.*

Tu-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et dixit ad eam: Vade,pete tibi vaſa de foris ab omnibus vicinis,vaſa vacua,non parcas. 4 Et intrabis,& clau-
des oſtium ſuper te,& ſuper filios tuos,& effundes in vaſa iſta,& quod impletum fuerit,tolles. 5 Et abijt ab eo,
& clauſit oſtium ſuper ſe,& ſuper filios ſuos: ipſi afferebant ad eam,& ipſa infundebat. 6 Donec impleta ſunt
vaſa. Et dixit ad filios ſuos: Afferte adhuc ad me vas. Et dixerunt ei: Non eſt vltra vas. Et ſtetit oleum. 7 Et ve-
nit,& annunciauit homini Dei. Et dixit Eliſæe: Vade,& vende oleum,& reddes fœnora tua: & tu, & filij tui viue-
tis in reſiduo oleo. 8 Et facta eſt dies,& tranſiuit Eliſæe in Soman: & ibi mulier magna, & tenuit eum ad man-
ducandum panem: & factum eſt ex multo ingreſſu eius,diuertebat ad manducandum illic. 9 Et dixit mulier
ad virum ſuum: Ecce nunc noui,quia homo Dei ſanctus hic tranſit per nos frequenter. 10 Faciamus,quæſo,ei
cœnaculum locum paruum,& ponamus ei ibi lectum,& menſam,& ſellam,& candelabrum,& erit, in ingredien-
do ad nos diuertet illuc. 11 Et facta eſt dies,& intrauit illuc,& diuertit in cœnaculum,& dormiuit ibi. 12 Et
dixit ad Giezi puerum ſuum: Voca mihi Somanitem hanc. Et vocauit eam,& ſtetit coram eo. 13 Et dixit ad
eum: Dic nunc ad eam: Ecce trepidaſti nobis omnem trepidationem hanc, quid oportet facere tibi? ſi eſt verbũ
tibi ad regem,vel ad principem virtutis? At illa dixit: In medio populi ego quidem habito. 14 Et dixit ad Gie-
zi: Quid oportet facere ei? Et dixit Giezi puer eius: Et profecto filius non eſt ei,& vir eius ſenex. 15 Et voca-
uit eam,& ſtetit apud oſtium. 16 Et dixit Eliſæe ad eam: In tempore hoc,ſicut hora,viuens tu,habens in vte-
ro filium. At illa dixit: Non domine,non fallas ancillam tuam. 17 Et in vtero concepit mulier,& peperit fi-
lium in tempore iſto,ſicut hora,viuens,quemadmodum locutus erat ad eam Eliſæe. 18 Et creuit puer.
Et factum eſt,quando egreſſus eſt ad patrem ſuum,ad metentes: 19 Et dixit ad patrem ſuum: Caput
meum,caput meum. Et dixit puero: Tolle illum ad matrem ſuam.

## Vulgat. Editio.

20 Qui cum tuliſſet,& duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua vſque ad meridiẽ, & mortuus eſt.
21 Aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei,& clauſit oſtium: & egreſſa,
22 Vocauit virum ſuum,& ait: Mitte mecum, obſecro, vnum de pueris,& aſinam,vt excurram vſque ad hominem Dei,& reuertar.
23 Qui ait illi: Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ reſpondit: Vadam:
24 Straitque aſinam,& præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age, quod præcipio tibi.
25 Profecta eſt igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidiſſet eam vir Dei è cõtra, ait ad Giezi puerum ſuum: Ecce Sunamitis illa.
26 Vade ergo in occurſum eius,& dic ei: Rectè ne agitur circa te,& circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ reſpondit: Rectè.
27 Cumque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi, vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine eſt,& Dominus celauit à me,& non indicauit mihi.
28 Quæ dixit illi: Numquid petiui filium à domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me?
29 Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua,& vade. Si occurrerit tibi homo,non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam,non reſpondeas illi: & pones baculum meum ſuper faciem pueri.
30 Porro mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt eam.
31 Giezi autem præceſſerat ante eos,& poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus: reuerſuſque eſt in occurſum eius, & nunciauit ei,dicens: Non ſurrexit puer.
32 Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum,& ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius.
33 Ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe,& ſuper puerũ: & orauit ad Dominum.
34 Et aſcendit,& incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os eius,& oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.

At

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

20 *Tulitque eum, & adduxit eum ad matrem ſuam, & ſedit ſuper genua eius vſque ad meridiem, & mortuus eſt.*
21 *Et aſcendit, & accumbere fecit ſuper lectum viri Dei,& oſtium clauſit ſuper eum: & egreſſa eſt:*
22 *Vocauitque virum ſuum, & ait: Mitte obſecro mihi vnum è pueris,& vnam aſinam,& curram vſque ad virum Dei,& reuertar.*
23 *Et dixit: Cur vadis ad eum? hodie non ſunt Kalendæ,nec Sabbatum. Et dixit: Pax:*
24 *Et ſtrauit aſinam,dixitque puero: Duc, & vade,ne moreris equitando,niſi dixero tibi.*
25 *Et iuit,& venit ad virum Dei in mõtem Charmel: & fuit, cum vidiſſet vir Dei illam è contra, dixit ad Ghechazi puerum ſuum: Ecce Sunamitis illa.*
26 *Nunc curre obſecro in occurſum eius,& dic ei: Numquid eſt pax tibi: Num eſt pax viro tuo: Num eſt pax puero? Et dixit: Pax.*
27 *Et venit ad virum Dei in montem, & apprehendit pedes eius: & acceſſit Ghechazi, vt expelleret eam. Dixitque vir Dei: Dimitte eam, quia anima eius amara eſt ei,& Dominus celauit à me,& non indicauit mihi.*
28 *Et ait: Numquid petiui filium à domino meo? numquid non dixi tibi: Ne errare facias me?*
29 *Dixitque ad Ghechazi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si inueneris virum, ne ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te vir,non reſpondebis ei: & pones baculum meum ſuper faciem pueri.*
30 *Dixit autem mater pueri: Viuit Dominus, & viuit anima tua, ſi dimiſero te. Et ſurrexit, & iuit poſt eam.*
31 *Ghechazi autem tranſiuit ante eos, & poſuit baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, nec attentio: & reuerſus eſt in occurſum eius, & nunciauit ei,dicendo: Non ſurrexit puer.*
32 *Ingreſſuſque eſt Eliſaeh in domum & ecce puer mortuus,iacebat ſuper lectum eius.*
33 *Et ingreſſus eſt, & clauſit oſtium ſuper vtrumque: orauitque ad Dominum.*
34 *Et aſcendit,& incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: & incuruauit ſe ſuper eum,& calefacta eſt caro pueri.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et tulit eum ad matrem eius,& cubuit ſuper genua eius vſque ad meridiem,& mortuus eſt. 21 Et extulit
eum,& cubare fecit eum ſuper lectum hominis Dei,& clauſit ſuper eum: & egreſſa eſt. 22 Et vocauit virũ ſuũ,
& dixit: Mitte,quæſo,mihi vnum puerorum,& vnam aſinarum,& curram vſque ad hominem Dei,& reuertar.
23 Et dixit: Quid,quod tu vadis ad eum? hodie non Neomenia,neque Sabbatum. Ipſa autem dixit: Pax.
24 Et inſtrauit aſinam,& dixit ad puerum ſuum: Age,vade,ne ceſſaris mihi ad inſcendendum,quocumque dixero tibi: Heus,& ibis,& venies ad hominem Dei in montem Carmelium. 25 Et iuit,& venit vſque ad hominem
Dei in montem: & factum eſt,vt vidit Eliſæe venientem eam, & dixit ad Giezi puerum ſuum: Ecce nunc Somanites illa. 26 Nunc curre in occurſum eius,& dices: Pax tibi,vel pax viro tuo,vel pax puerulo? At illa dixit:Pax.
27 Et venit ad Eliſæe in montem,& apprehendit pedes eius:& acceſſit Giezi ad remouendam eam. Et dixit Eliſæe: Dimitte eam,quoniam anima eius triſtis amara ei,& Dominus abſcondit à me,& non annunciauit mihi.
28 At illa dixit: Numquid poſtulaui filium à domino meo? quia nonne dixi,non decipies mecum? 29 Et dixit
Eliſæe ad Giezi: Accinge lumbum tuum,& ſume baculum meum in manu tua,& vade. Quemcumque inueneris virum,non benedices eum: &,ſi benedixerit vir,non reſpondebis ei: & impones baculum meũ ſuper faciẽ pueri.
30 Et dixit mater pueri: Viuit Dominus,& viuit anima tua,ſi derelinquam te. Et ſurrexit Eliſæe, & iuit poſt eã.
31 Et Giezi tranſiuit ante eam,& poſuit baculum ſuper faciem pueri & non fuit vox,& non fuit auſcultatio: & reuertit in occurſum eius,& annunciauit ei,dicens: Non eſt expergefactus puer. 32 Et intrauit Eliſæe in domũ,
& ecce puer mortuus cubans ſuper lectum eius. 33 Et intrauit Eliſæe in domũ,& clauſit oſtiũ ſuper ambos ſe:&
deprecatus eſt ad Dominum. 34 Et aſcendit,& cubuit ſuper puerũ: & poſuit os ſuũ ſuper os eius,& oculos ſuos
ſuper oculos eius,& manus ſuas ſuper manus eius: & inflexit ſe ſuper eum,& calefacta eſt caro pueri.

Et con-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

35 At ille reuerſus, deambulauit in domo, ſemel huc atque illuc: & aſcendit, & incubuit ſuper eum: & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.

36 At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.

37 Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram: tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt.

38 Et Eliſeus reuerſus eſt in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo: dixitque vni de pueris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum.

39 Et egreſſus eſt vnus in agrum vt colligerēt herbas agreſtes: inuenitque quaſi vitem ſiluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium ſuum, & reuerſus concidit in ollam pulmenti: neſciebat enim quid eſſet.

40 Infuderunt ergo ſocijs, vt comederent: cumque guſtaſſent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.

41 At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

42 Vir autem quidam venit de Baalſaliſa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos & frumentum nouum in pera ſua. At ille dixit: Da populo, vt comedat.

43 Reſponditque ei miniſter eius: Quantum eſt hoc, vt apponam centum viris? Rurſum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & ſupererit.

44 Poſuit itaque coram eis: qui comederunt, & ſuperfuit iuxta verbum domini.

### CAP. V.

1 NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ: erat autem vir fortis & diues, ſed leproſus.

2 Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de Terra Iſrael puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman.

Quæ

## Transl. ex Heb Sanct. Pagn.

35 *Et reuerſus eſt, & deambulauit in domo ſemel huc, & ſemel illuc, & aſcendit, incuruauit ſe ſuper eum: & ſternutauit puer vſque ad ſeptē vices, & aperuit puer oculos ſuos.*

36 *Vocauitque Ghechazi, & dixit: Voca Sunamitem hanc. Et vocauit. Venitque ad eum. Tolle filium tuum.*

37 *Et venit, & proſtrauit ſe ad pedes eius, & incuruauit ſe ſuper terram. Tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt.*

38 *Eliſaeh autē reuerſus eſt in Ghilghal. Fames autem erat in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo: dixitque puero ſuo: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum.*

39 *Et egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret olera, & inuenit vitem ſyluestrem, collegit ex ea colocynthidas ſylueſtres plenum veſtimentum ſuum, & venit, & concidit in ollam pulmenti: non enim cognouerant.*

40 *Fuderunt autem viris, vt comederent. Et fuit, edentibus illis de pulmento, clamauerunt, atque dixerunt: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.*

41 *Et dixit. Tollite farinam: Et proiecit in ollam, & dixit. Funde populo. Et comederunt. & non fuit quicquam mali in olla.*

42 *Vir autem venit de valle Saliſah, & detulit ad virum Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & ſpicas plenas virides in veſte ſua, Et dixit, Da populo, vt comedant.*

43 *Et dixit miniſter eius: Quomodo dabo hoc coram centum viris? Et dixit. Da populo, & comedent. Sic enim dixit Dominus: Comedent, & ſupererit.*

44 *Et dedit coram eis: Et comederunt & ſuperfuerunt iuxta verbum Domini.*

### CAP. V.

1 *NAhamā autem princeps militiæ regis Aram: erat vir magnus coram Domino ſuo, & honorata perſona. Per illum enim dedit Dominus ſalutē Aram. Vir autem erat potens robore leproſus.*

2 *Et de Aram egreſſi fuerant exercitus, & captiuam duxerant è terra Iſrael puellam paruam, & erat ante vxorem Nahaman.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

35 Et conuertit ſe, & ambulauit in domo hinc, & hinc. Et aſcendit: curuauit ſe ſuper puerum vſque ſepties. Et
aperuit puer oculos ſuos. 36 Et exclamauit Eliſæe ad Giezi, & dixit: Voca Sonamitem iſtam. Et vocauit, &
intrauit ad eum. Et dixit Eliſæe: Accipe filium tuum. 37 Et intrauit mulier, & cecidit ſuper pedes eius, &
adorauit in terram. Et ſumpſit filium ſuum, & exijt. 38 Et Eliſæe reuertit in Galgala. Et fames in terra: &
filij prophetarum ſedebant coram eo. Et dixit Eliſæe puero ſuo: Appone lebetem magnum, & coque coctionem
filijs prophetarum. 39 Et exijt in agrum ad colligendum Arioth: & inuenit vitem in agro: & collegit de ea
colocynthidam agreſtem, plenum veſtimentum ſuum: & iniecit in lebetem coctionis; quoniam non nouerant.
40 Et effudit viris ad comedendum. Et factum eſt in comedendo eos de coctione, & ecce exclamauerunt, & dixerunt: Mors in lebete homo Dei. Et non poterant comedere. 41 Et dixit: Sumite farinam, & inijcite in le-
betem. Et dixit Eliſæe ad Giezi puerum: Effunde populo, & comedant. Et non fuit illic vltra verbum malum
in lebete. 42 Et vir tranſiuit de Bæthariſa, & attulit ad hominem Dei de primitijs viginti panes hordeaceos,
& palathas. Et dixit: Date populo & comedant. 43 Et dixit miniſter eius: Quid dem hoc coram cen-
tum viris? Et dixit: Da populo, & comedant: Quoniam hæc dicit Dominus: Comedent, & relinquent.
44 Et comederunt, & reliquerunt iuxta verbum Domini.

### CAP. V.

ET Næman princeps virtutis Syriæ erat vir magnus in conſpectu domini ſui, & acceptus facie, quia in eo dede-
rat Dominus ſalutem Syriæ: & vir erat potens fortitudine leproſus. 2 Et Syria exiuerunt accincti, &
captiuam duxerunt de terra Iſrael adoleſcentulam paruam: & erat in conſpectu vxoris Næman.

Hæc

## Vulgat. Editio.

3 Quæ ait ad dominam ſuam: Vtinam fuiſſet dominus meus ad prophetam, qui eſt in Samaria: profecto curaſſet eum à lepra, quam habet.

4 Ingreſſus eſt itaque Naaman ad dominum ſuum, & nunciauit ei, dicens: Sic & ſic locuta eſt puella de terra Iſrael.

5 Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Iſrael: Qui cum profectus eſſet,& tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum,

6 Detulit litteras ad regem Iſrael,in hæc verba: Cum acceperis epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſeruum meum, vt cures eum à lepra ſua.

7 Cumque legiſſet rex Iſrael litteras, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus ego ſum, vt occidere poſſim,& viuificare, quia iſte miſit ad me, vt curem hominem à lepra ſua? animaduertite,& videte quod occaſiones quærat aduerſum me.

8 Quod cum audiſſet Eliſeus vir Dei,ſcidiſſe videlicet regem Iſrael veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſcidiſti veſtimenta tua? veniat ad me, & ſciat eſſe prophetam in Iſrael.

9 Venit ergo Naaman cum equis, & curribus & ſtetit ad oſtium domus Eliſei:

10 Miſitque ad eum Eliſeus nuncium,dicens: Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua,atque mundaberis.

11 Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomē Domini Dei ſui,& tangeret manu ſua locum lepræ,& curaret me.

12 Numquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſrael vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans,

13 Acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi propheta,certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare,& mundaberis.

* Luc.4. 27

14 * Deſcendit,& lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli,& mundatus eſt.

15 Reuerſuſque ad virum Dei cum vniuerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Vere ſcio, quod non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael. Obſecro itaque vt accipias benedictionem à ſeruo tuo.

At

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Dixitque ad dominam ſuam: Vtinam dominus meus eſſet coram propheta, qui eſt in Samrom: tunc curaſſet eum à lepra ſua.*

4 *Et venit, & nunciauit domino ſuo, dicendo: Sic & ſic locuta eſt puella quæ eſt è terra Iſrael.*

5 *Dixitque rex Aram: Vade,ingredere,& mittam litteras ad regem Iſrael: Et abijt, & tulit in manu ſua decem talenta argenti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimenta.*

6 *Et detulit litteras ad regem Iſrael,dicendo: Et nunc cum venerit epiſtola hæc ad te, ecce miſi ad te Nahaman ſeruum meum, & curabis eum à lepra ſua.*

7 *Et fuit, cum legiſſet rex Iſrael epiſtolam, ſcidit veſtimenta ſua,& ait: Num Deus ego ſum, vt mortificem,& viuificem,quia ille mittit ad me, vt curem virum à lepra ſua? Veruntamen ſcitote nunc, & videte quod occaſionem quærat contra me.*

8 *Et fuit, cum audiſſet vir Dei quod ſcidiſſet rex Iſrael veſtimenta ſua, miſit ad regem, dicendo: Vt quid ſcidiſti veſtimenta tua? veniat nunc ad me,& ſciat quod eſt propheta in Iſrael.*

9 *Venitque Nahaman in equo ſuo,& in curru ſuo,& ſtetit ad oſtium domus Eliſahh.*

10 *Miſitque ad eum Eliſahh nuncium,dicendo: Vade, & laua te ſeptem vicibus in Iarden, & reuertetur caro tua tibi,& mundabitur.*

11 *Et iratus eſt Nahaman, & abibat, & dixit: Ecce cogitaui in me, egrediendo egredietur, & ſtabit & inuocabit nomen Domini Dei ſui, & eleuabit manum ſuam ad locum & mundabit leproſum.*

12 *Nonne meliores ſunt Amanah, & Parpar fluuij Dammeſech omnibus aquis Iſrael? An non lauabo me, & mundabo me? Et vertit ſe, & ibat cum ira.*

13 *Et acceſſerunt ſerui eius, & locuti ſunt ad eum, atque dixerunt: Pater mi, ſi rem grandem vates locutus fuiſſet tibi, nonne feciſſes? Et quanto magis cum dixerit tibi: Laua te,& mundus eris?*

14 *Et deſcendit, & abluit ſe in Iarden ſeptem vicibus, iuxta verbum viri Dei,& reuerſa eſt caro eius ſicut caro pueri,& mundatus eſt.*

15 *Et reuerſus eſt ad virum Dei ipſe, & omnis turma eius, & venit, ſtetitque ante eum, & dixit: Ecce nunc noui quod non eſt Deus in omni terra, niſi in Iſrael. Et nunc tolle obſecro benedictionem à ſeruo tuo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Hæc vero dixit dominæ ſuæ: Vtinam dominus meus in conſpectu prophetæ Dei,qui in Samaria. Tunc cura-
bit eum à lepra eius. 4 Et intrauit,& annunciauit domino ſuo & dixit: Sic, & ſic locuta eſt adoleſcentula quæ
de terra Iſrael. 5 Et dixit rex Syriæ ad Næman: Veni,intra & mittam librum ad regem Iſrael: & iuit,& ſum-
pſit in manu ſua decem talenta argenti,& ſex mille aureos,& decem mutatorias ſtolas. 6 Et attulit librum ad
regem Iſrael,dicens: Et nunc,cum venerit liber hic ad te,ecce miſi ad te Næman ſeruum meum, & curabis eum
à lepra eius. 7 Et factum eſt,vt agnouit rex Iſrael librum,diſcidit veſtimenta ſua,& dixit: Deus ego ad morti-
ficandum,& viuificandum,quoniam hic mittit ad me curare virum à lepra eius? Veruntamen cognoſcite,quæſo,
& videte, quia occaſionem quærit iſte mihi. 8 Et factum eſt, vt audiuit Eliſæe, quia diſcidit rex Iſrael veſti-
menta ſua,& miſit ad regem Iſrael,dicens: Vt quid diſcidiſti veſtimenta tua? Veniat nunc ad me Næman,& co-
gnoſcat,quia eſt propheta in Iſrael. 9 Et venit Næman in equo & curru, & ſtetit ſuper oſtium domus Eliſæe.
10 Et miſit Eliſæe nuncium ad eum, dicens: Vadens laua ſepties in Iordane, & reuertetur caro tua tibi, & mun-
daberis. 11 Et indignatus eſt Næman,& abijt,& dixit: Ecce dixi,ad me omnino egredietur, & ſtabit,& inuo-
cabit in nomine Dei ſui, & imponet manum ſuam ſuper locum, & curabit lepram. 12 Nonne bonus Aba-
na,& Pharphar fluuij Damaſci,ſuper omnes aquas Iſrael? Nonne vadens lauabor in eis, & mundabor? Et decli-
nauit,& abijt in furore. 13 Et acceſſerunt pueri eius, & locuti ſunt ad eum: Magnum verbum locutus eſt
propheta ad te,nonne facies? Etiam quia dixit ad te: Lauare, & mundabere? 14 Et deſcendit Næman,&
merſit ſe in Iordane ſepties iuxta verbum Eliſæe: & reuertit caro eius, ſicut caro pueri parui,& mundatus eſt.
15 Et reuertit ad Eliſæe,ipſe,& vniuerſa caſtra eius,& venit, & ſtetit coram eo,& dixit: Ecce noui, quia non eſt
Deus in omni terra, niſi in Iſrael. Et nunc accipe benedictionem à ſeruo tuo.

Et di-

## Vulgata Editio.

16 At ille reſpondit: Viuit Dominus ante quem ſto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit.

17 Dixitque Naaman: Vt vis: ſed, obſecro, concede mihi ſeruo tuo vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam dijs alienis, niſi domino.

18 Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſeruo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, vt adoret: & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmõ, adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re.

19 Qui dixit ei: Vade in pace. Abijt ergo ab eo electo terræ tempore.

20 Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro iſti, vt non acciperet ab eo quę attulit: viuit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid.

21 Secutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cum vidiſſet ille currentem ad ſe, deſilijt de curru in occurſum eius, & ait: Recte ne ſunt omnia?

22 Et ille ait: Recte: dominus meus miſit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filijs prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.

23 Dixitque Naaman: Melius eſt vt accipias duo talenta. Et coegit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portauerunt corã eo.

24 Cumque veniſſet iam veſperi, tulit de manu eorum & repoſuit in domo, dimiſitque viros, & abierunt.

25 Ipſe autem ingreſſus, ſtetit coram domino ſuo. Et dixit Eliſeus: Vnde venis Giezi? Qui reſpondit: Non iuit ſeruus tuus quoquam.

26 At ille ait: Nonne cor meum in præſenti erat, quãdo reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas.

27 Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, vſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

### CAP. VI.

1 Dixerunt autem filij prophetarum ad Eliſeum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis.

Ea-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et dixit: Viuit dominus, cuius ſteti in conſpectu, ſi accepero. Et cogebat eum, vt tolleret, & renuit.*

17 *Dixitque Nahaman: Et non dabit nunc onus paris mulorum de terra? Non enim faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum, & ſacrificium dijs alienis, niſi domino.*

18 *Pro re hac parcat Dominus ſeruo tuo, quando ingredietur dominus meus in domum Rimmon, vt adoret ibi, & ipſe innixus fuerit ſuper manum meam, & adorauero in domo Rimmon: in adoratione mea, in domo Rimmon, ignoſcat dominus ſeruo tuo in re hac.*

19 *Dixitque ei: Vade in pace. Et abijt ab eo per miliare terræ.*

20 *Dixit autem Ghehazi puer Eliſaah viri Dei: Ecce prohibuit dominus meus Nahaman Aramæũ hunc: vt nõ acciperet de manu eius quæ attulit: Viuit dñs niſi curro poſt eum, & accepero ab eo aliquid.*

21 *Et ſecutus eſt Ghehazi Nahaman: Viditque Nahaman currentem poſt ſe, & deſilijt de curru in occurſum eius, & dixit: Numquid eſt pax?*

22 *Et dixit: Pax. Dominus meus miſit me, dicendo: Ecce tempore hoc venerunt ad me duo pueri de monte Ephraim de filijs prophetarum: da obſecro eis talentum argenti, & duo mutatoria veſtimenta.*

23 *Dixitq; Nahaman: Complace, & tolle duo talenta: & coegit eum: & ligauit duo talenta argenti in duobus ſacculis, & duo mutatoria veſtimenta, & poſuit ſuper duos pueros ſuos, & portauerunt ante eum.*

24 *Et venit ad munitionem, & tulit de manu eorũ, & depoſuit in domo, & dimiſit viros, & abierunt.*

25 *Ipſe autem ingreſſus eſt, & ſtetit ante dominum ſuum: Dixitque ei Eliſaah: Vnde Ghehazi? Et dixit: Non iuit ſeruus tuus huc, & illuc.*

26 *Dixitque ad eum: Nonne cor meum iuit tecum, cum vertit ſe vir de curru ſuo in occurſum tui? An non nunc tempus quo ibas ad accipiendum, & ad accipiendum veſtes et emeres oliueta, & vineas, & pecudes, & boues, & ſeruos, & ancillas.*

27 *Et lepra Nahaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſæculum. Et egreſſus eſt à facie eius leproſus ſicut nix.*

### CAP. VI.

1 *Dixerunt autem filij prophetarum ad Eliſaah: Ecce nunc locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis.*

*Ibi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et dixit Eliſæe: Viuit Dominus, cui aſliti coram eo, ſi accipiam & vrgebat eum accipere, & recuſauit. 17 Et
dixit Neman: Et ſi non, detur, quæſo, ſeruo tuo onus, par mulorum, quoniã non faciet vltra ſeruus tuus holocau-
ſtoma, & ſacrificium dijs alijs, ſed Domino verbo hoc. 18 Et propitiabitur Dominus ſeruo tuo: In ingredien-
do dominum meum in domum Rhemman ad adorandum ibi, & ipſe requieſcet ſuper manum meam, & adorabo
in domo Rhemman, dũ ipſe adorat in domo Rhemman, & propiciabitur nunc Dominus ſeruo tuo in verbo hoc.
19 Et dixit Eliſæe ad Neman: Vade in pace. Et abijt ab eo in Debrathã terræ. 20 Et dixit Giezi puer Eliſęe:
Ecce pepercit Dominus meus ipſi Neman Syro huic, non accipiendo de manu eius, quæ attulit. Viuit Dominus,
niſi curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. 21 Et perſequutus eſt Giezi poſt Neman. Et vidit eum Ne-
man, currentem poſt ſe, & conuerſus eſt de curru in occurſum eius. 22 Et dixit Pax: Dominus meus miſit me,
dicens: Ecce nunc venerunt ad me duo pueri e monte Ephræm de filijs prophetarum: Da, quæſo, eis talentum ar
genti, & duas mutatorias ſtolas. 23 Et dixit: Accipe duplex talentum argenti, & accepit duo talenta argenti in
duobus marſupijs, & duas mutatorias ſtolas, & dedit ſuper duos pueros ſuos, & tulerunt ante eum. 24 Et venit
tenebroſum, & ſumpſit de manu eorum, & depoſuit in domo, & dimiſit viros. 25 Et ipſe intrauit, & aſtitit apud
dominum ſuum, & dixit ad eum Eliſæe: Vnde Giezi? Et dixit Giezi: Non iuit ſeruus tuus huc & huc. 26 Et di-
xit ad eum Eliſæe: Nonne cor meum iuit tecum, quando conuerſus eſt vir de curru in obuiam tibi? Et nunc ac-
cepiſti argentum, & nunc accepiſti veſtimenta, & oliueta, & vineta, & oues, & boues, & pueros, & ancillas: 27 Et
lepra Neman adhærebit in te, & in ſemine tuo in ſæculum. Et egreſſus eſt à facie eius leproſus tamquam nix.

### CAP. VI.

1 Et dixerunt filij prophetarum ad Eliſæe: Ecce nunc locus, in quo nos habitamus coram te, anguſtus à nobis.

Eamus

## Vulgata Editio.

2 Eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſilua materias ſingulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.
3 Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum ſeruis tuis. Reſpondit: Ego veniam.
4 Et abijt cum eis. Cumque veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna.
5 Accidit autem, vt cum vnus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamauitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.
6 Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum. præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natauitque ferrum.
7 Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.
8 Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael, conſiliumque inijt cum ſeruis ſuis, dicens: In loco illo, & illo ponamus inſidias.
9 Miſit itaque vir Dei ad regem Iſrael, dicens: Caue ne tranſeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidijs ſunt.
10 Miſit itaque rex Iſrael ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obſeruauit ſe ibi non ſemel neque bis.
11 Conturbatumque eſt cor regis Syriæ pro hac re: & conuocatis ſeruis ſuis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei ſit apud regem Iſrael?
12 Dixitque vnus ſeruorum eius: Nequaquam domine mi rex, ſed Eliſeus propheta, qui eſt in Iſrael, indicat regi Iſrael omnia verba quæcumque locutus fueris in conclaui tuo.
13 Dixitque eis: Ite: & videte vbi ſit: vt mittam, & capiam eum. Annunciaueruntque ei, dicentes: Ecce in Dothan.
14 Miſit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cum veniſſent nocte, circumdederunt ciuitatem.
15 Conſurgens autẽ diluculo miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus: nunciauitque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus?
16 At ille reſpondit: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.
17 Cumque oraret Eliſeus, ait: Domine aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſei.

Hoſtes

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Ibimus nunc vſque ad Iarden, & tollemus inde vnuſquiſque tignum vnum, & faciemus nobis ibi locum ad habitandum ibi. Et dixit: Ite.*
3 *Dixitque vnus: Complace obſecro, & veni cum ſeruis tuis. Et dixit: Ego veniam.*
4 *Et abijt cum eis: Veneruntque ad Iarden, & cædebant ligna.*
5 *Et fuit, vno cadere faciente tignum, ferrum cecidit in aquam & clamauit, & dixit Ahah Domine mi. Et ipſum erat commodatum.*
6 *Dixitque vir Dei: Vbi cecidit, & oſtendit ei locum: Præciditque lignum, & proiecit illuc, & ſupernatare fecit ferrum.*
7 *Et dixit. Tolle, & extendit manum ſuam, & tulit illud.*
8 *Rex autem Aram pugnabat cum Iſrael: Et conſiliatus eſt cum ſeruis ſuis dicendo: In loco tali & tali erit manſio mea.*
9 *Miſit autem vir Dei ad regem Iſrael, dicendo: Caue ne tranſeas ad locum illum: Illuc enim Aramæi deſcendunt.*
10 *Et miſit rex Iſrael ad locum quem dixerat ei vir Dei, & monuerat eum, & obſeruauit ſe ibi non ſemel, nec ſecundo.*
11 *Et conturbatum eſt cor regis Aram propter hoc, & vocauit ſeruos ſuos, & ait eis: Vt quid non indicatis mihi quis è nobis eſt regis Iſrael?*
12 *Dixitque vnus è ſeruis eius: Non Domine mi rex, ſed Eliſaah propheta, qui eſt in Iſrael indicat regi Iſrael verba quæ loqueris in penetrali cubilis tui.*
13 *Dixitque. Ite, & videte vbi ſit, & mittam & tollam eum: Nunciaruntque ei dicendo: Ecce eſt in Dothan.*
14 *Miſitque illuc equos, & currus, & exercitum grauem, & venerunt nocte, & circumdederunt ciuitatem.*
15 *Surrexit autem mane miniſter viri Dei, vt ſurgeret, & egreſſus eſt, & ecce exercitus circumdans ciuitatem, & equus, & currus: Dixitque puer eius ad eum: Ahah Domine mi, quid nam faciemus?*
16 *Et dixit. Ne timeas, quia plures ſunt qui nobiſcum quam qui cum eis.*
17 *Oravit autem Eliſaah, & ait: Domine aperi obſecro oculos eius, & videat: Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equis, & currus igneus in circuitu Eliſaah.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Eamus nunc vſque ad Iordanem, & capiamus inde, vir vnus trabem vnam, & faciamus nobis ipſis ibi ad habi-
tandum ibi. Et dixit: Vadite. 3 Et dixit vnus leniter: Veni cum ſeruis tuis. Et dixit: Ego ibo. Et iuit
cum eis: & venerunt ad Iordanem, & cædebant ligna. 5 Et ecce vnus deijciens trabem: & ferrum cecidit in
aquam. Et clamauit, Heu domine: & hoc abſconditum. 6 Et dixit homo Dei: Vbi cecidit? Et oſtendit ei
locum. Et amputauit lignum, & proiecit illuc: & enatauit ferrum. 7 Et dixit: Eleua tibi. Et extendit ma-
num, & cepit illud. 8 Et rex Syriæ erat bellans in Iſrael: & conſultabat apud pueros ſuos, dicens: In loco iſto
quodam Elmoni caſtrametabor. 9 Et miſit Eliſæe ad regem Iſrael, dicens: Obſerua non tranſire in locum
iſtum: quoniam ibi Syria abſcondita eſt. 10 Et miſit rex Iſrael ad locum, quem dixerat ei Eliſæe: & obſerua-
uit ſe inde non ſemel, neque bis. 11 Et emota eſt anima regis Syriæ de verbo hoc. Et vocauit pueros ſuos,
& dixit. Non annunciabitis mihi, quis prodit me regi Iſrael? 12 Et dixit vnus puerorum eius: Nequa-
quam domine mi rex: quoniam Eliſæe propheta, qui in Iſrael, annunciat regi Iſrael omnia verba, quæcumque
locutus fueris in thalamo cubiculi tui. 13 Et dixit: Vadite, videte, vbi iſte: & mittens capiam eum. Et
annunciauerunt ei, dicentes: Ecce in Dothaim. 14 Et miſit illuc equum, & currum, & virtutem gra-
uem: & venerunt nocte, & circumdederunt ciuitatem. Et euigilauit miniſter Eliſæe ad ſurgen-
dum, & egreſſus eſt: & ecce virtus circundans ciuitatem, & equus, & currus. Et dixit puer ad eum: Heu Do-
mine, quomodo faciemus? 16 Et dixit Eliſæe: Ne timeas: quoniam plures, qui nobiſcum; ſu-
per eos, qui cum illis. 17 Et deprecatus eſt Eliſæe, & dixit: Domine aperi, quæſo,
oculos pueri, & videat. Et aperuit Dominus oculos eius, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & currus
ignis circa Eliſæe.

Edi-

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Hoſtes vero deſcenderunt ad eum: porro Eliſeus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Eliſei. | 18 | 18 | *Et deſcenderunt ad eum: Orauitque Eliſa ad Dominum, & ait: Percute obſecro gentem iſtam cæcitatibus. & percuſſit eos cæcitatibus iuxta verbum Eliſaah.* |
| Dixit autem ad eos Eliſeus: Non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas: ſequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: | 19 | 19 | *Dixitque ad eos Eliſaah: Non eſt hæc via, nec eſt hæc ciuitas: venite poſt me, & ducam vos ad virum quem quæritis. Et duxit eos in Someron.* |
| Cumque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus: Domine aperi oculos iſtorum, vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. | 20 | 20 | *Et fuit, cum ingreſſi eſſent Somerō, dixit Eliſaah: Domine aperi oculos iſtorum, & videant: Et aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt, & ecce in medio Someron.* |
| Dixitque rex Iſrael ad Eliſeum, cum vidiſſet eos: Numquid percutiam eos, pater mi? | 21 | 21 | *Dixit autē rex Iſrael ad Eliſaah, cum vidiſſet eos: Num percutiam percutiam pater mi?* |
| At ille ait: Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: ſed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant & vadant ad dominum ſuum. | 22 | 22 | *Et ait: Non percuties: Num quos cæpiſti gladio tuo, & arcu tuo tu percutis? Pone panem & aquam ante eos, & comedant, & bibant, & vadant ad dominum ſuum.* |
| Appoſitaque eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, abieruntque ad dominum ſuum, & vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael. | 23 | 23 | *Et præparauit eis apparatum magnum, & comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, & abierunt ad dominum ſuum, & non addiderunt vltra exercitus Aram, vt venirent in terram Iſrael.* |
| Factum eſt autem poſt hæc, congregauit Benadad rex Syriæ, vniuerſum exercitum ſuum, & aſcendit, & obſidebat Samariam. | 24 | 24 | *Et fuit poſt hæc, congregauit Benhadad rex Aram omnia caſtra ſua, & aſcendit, & obſedit Someron.* |
| Factaque eſt fames magna in Samaria: & tandiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. | 25 | 25 | *Fuitque fames magna in Someron: & ecce obſidebant eam, donec eſſet caput aſini olloginta argenteis & quartum cab ſtercoris columbarum quinque argenteis.* |
| Cumque rex Iſrael tranſiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: Salua me domine mi rex. | 26 | 26 | *Et fuit, rege Iſrael tranſeunte ſuper murum, mulier clamauit ad eum, dicendo: Saluum me fac domine mi rex.* |
| Qui ait: Non te ſaluat Dominus: vnde te poſſum ſaluare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ reſpondit: | 27 | 27 | *Et dixit: Non te ſaluam faciat dominus: vnde ſaluam faciam te? Num de area, vel de torculari? Dixitque ei rex: Quid eſt tibi? Et ait:* |
| Mulier iſta dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. | 28 | 28 | *Mulier hæc dixit mihi: Da filium tuum, & comedamus eum hodie, filium autem meum comedemus cras.* |
| Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixitque ei die altera: Da filium tuum, vt comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum. | 29 | 29 | *Et coximus filium meum, & comedimus eum. Dixitque ad eam die altera: Da filium tuum, & comedemus eum, & abſcondit filium ſuum.* |
| Quod cum audiſſet rex, ſcidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. | 30 | 30 | *Et fuit, cum audiſſet rex verba mulieris, ſcidit veſtimenta ſua, & eo tranſeunte ſuper murum, vidit populus, & ecce ſaccus erat ſuper carnem eius intrinſecus.* |
| Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi filij Saphat ſuper ipſum hodie. | 31 | 31 | *Et ait: Sic faciat mihi Deus, & ſic addat, ſi ſteterit caput Eliſaah filij Saphath ſuper eum hodie.* |
| Eli- | | | Eli- |

TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et deſcenderunt ad eum: Et deprecatus eſt ad Dominum, & dixit: Percute nunc gentem hanc cæcitate, & percuſſit eos cæcitate iuxta verbum Eliſæe. 19 Et dixit ad eos Eliſæe: Nonne hæc ciuitas, & hęc via? Venite poſt me, & ducam vos ad virum, quem quęritis. Et abduxit eos ad Samariam. 20 Et factum eſt, vt intrauit in Samariam, & dixit Eliſęe: Aperi, quęſo, Domine oculos eorum, & videant. & aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt, & ecce erant in medio Samarię. 21 Et dixit rex Iſrael ad Eliſęe, vt vidit eos: Si percutiens percutiam pater? 22 Et dixit: Non percuties: Numquid quos captinaſti in gladio tuo & arcu tuo, tu percuties? Appone panes, & aquam coram eis, & comedant, & bibant, & abeant ad dominum ſuum. 23 Et appoſuit eis appoſitionem magnam, & comederunt, & biberunt: & miſit eos, & abierunt ad dominum ſuum. Et non adiecerunt vltra accincti Syrię venire in terram Iſrael. 24 Et factum eſt poſt hęc, & congregauit filius Ader rex Syrię omnia caſtra ſua, & aſcendit, & obſedit ſuper Samariam. 25 Et facta eſt fames magna in Samaria, & ecce obſederunt ſuper eam, donec factum eſt caput aſini quinquaginta argenti, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenti. 26 Et fuit rex Iſrael obambulans ſuper murum. Et mulier clamauit ad eum, dicens: Salua domine rex. 27 Et dixit ei: Non te ſaluet Dominus, vnde ſaluabo te, numquid ab area, aut à torculari? Et dixit ei rex: Quid eſt tibi? Et dixit: 28 Mulier hęc dixit ad me: Da filium tuum, & comedemus eum hodie, & filium meum comedemus eum cras. 29 Et coximus filium meum, & mandacauimus eum. Et dixit ad eam die ſecunda: Da filium tuum, & comedamus eum, & occultauit filium ſuum. 30 Et factum eſt, vt audiuit rex Iſrael verba mulieris, conſcidit veſtimenta ſua, & ipſe obambulabat ſuper murum, & vidit populus ſaccum ſuper carnem eius ab intus. 31 Et dixit: Hęc faciat mihi Deus, & hęc adijciat: ſi ſtabit caput Eliſæe ſuper ipſum hodie.

Et Eli-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

32 Eliſæus autem ſedebat in domo ſua, & ſenes ſedebant cum eo. Præmiſit itaque virum: & antequam veniret nuncius ille, dixit ad ſenes: Numquid ſcitis quod miſerit filius homicidæ hic, vt præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuncius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire: ecce enim ſonitus pedum domini eius poſt eum eſt.

33 Adhuc illo loquente eis, apparuit nuncius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum à Domino eſt: quid amplius expectabo à Domino?

### CAP. VII.

1 Dixit autem Eliſæus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno, in porta Samariæ.

2 Reſpondens vnus de ducibus, ſuper cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

3 Quattuor ergo viri erant leproſi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad inuicem: Quid hic eſſe volumus donec moriamur?

4 Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur: ſiue manſerimus hic, moriendum nobis eſt: venite ergo, & transfugiamus ad caſtra Syrię, ſi pepercerint nobis, viuemus: ſi autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.

5 Surrexerunt ergo veſperi, vt venirent ad caſtra Syriæ. Cumque veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt.

6 Si quidem Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad inuicem: Ecce mercede conduxit aduerſum nos rex Iſrael reges Hethęorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos.

7 Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos in caſtris, fugeruntque animas tantum ſuas ſaluare cupientes.

8 Igitur cum veniſſent leproſi illi ad principium caſtrorum, ingreſſi ſunt vnum tabernaculum, & comederunt & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & veſtes, & abierunt, & abſconderunt: & rurſum reuerſi ſunt ad aliud tabernaculum, & inde ſimiliter auferentes abſconderunt.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

32 *Eliſaah autē ſedebat in domo ſua, & ſeniores ſedebant ſecum. Miſitque rex virum à facie ſua: Antequam veniret nuncius ad eum, dixit ad ſeniores: Num vidiſtis quod miſerit filius homicida iſtius, vt auferre faciat caput meum? videte, cum venerit nuncius, claudite oſtium, & opprimite eum in oſtio: nonne ſonitus pedum domini eius poſt eum eſt?*

33 *Adhuc eo loquente cum eis, ecce nuncius deſcendebat ad eum, & ait: Ecce hoc malum à Domino eſt: Quid expectabo Dominum amplius?*

### *CAP. VII.*

1 *Dixit autem Eliſaah: Audite verbum Domini: Sic dixit Dominus: Iuxta tempus cras ſatum ſimilæ ſiclo, & duo ſata ordei ſiclo in portu Someron.*

2 *Et reſpondit dux, cuius rex innitebatur ſuper manum ad virum Dei, & ait: Si Dominus faceret feneſtras in cælo, numquid erit hoc? Et dixit: Ecce videbis oculis tuis, ſed inde non comedes.*

3 *Quattuor autem viri erant leproſi ad oſtium portæ: dixeruntque vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quid manemus hic, donec moriamur?*

4 *Si dixerimus, ingrediamur ciuitatem, fames eſt in ciuitate, & moriemur ibi, & ſi manſerimus hic, moriemur: & nunc venite, & transfugiamus ad caſtra Aram, ſi viuificauerint nos viuemus, & ſi mortificauerint nos moriemur.*

5 *Et ſurrexerunt in crepuſculo, vt venirent ad caſtra Aram. Veneruntque vſque ad extremum caſtrorum Aram, & ecce non erat ibi quiſquam.*

6 *Dominus autem audiri fecerat caſtra Aram ſonitum curruum, & ſonitum equorum, ſonitum exercitus magni: Dixeruntque vnuſquiſque ad fratrem ſuum: Ecce mercede conduxit aduerſum nos rex Iſrael reges Chittæorum, & reges Ægyptiorum, vt veniant contra nos.*

7 *Et ſurrexerunt, & fugerunt in crepuſculo, & reliquerunt tentoria ſua, & equos ſuos, & aſinos ſuos caſtra ſecundum quod erant, & fugerunt pro aia ſua.*

8 *Et venerunt leproſi [illegible] ad extremum caſtrorum, & venerunt ad tabernaculum vnum, & comederunt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & veſtes, & abierunt, & abſconderunt, & reuerſi ſunt, & venerunt [illegible] aliud, & tulerunt inde, & abierunt, & abſconderunt.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

32 Et Eliſæe ſedebat in domo ſua, & ſeniores ſedebant cum eo. Et miſit virum ante faciem ſuam. Antequam veniret nuncius ad ſe, & ipſe dixit ad ſeniores: Si audiſtis quia miſit filius homicidæ hic auferre caput meum? Videte cum venerit nuncius, claudite oſtium, & opprimite eum in oſtio. Nonne vox pedum domini eius poſt eum?

33 Adhuc ipſo loquente cum eis, & ecce nuncius deſcendit ad eum, & dixit: Ecce hoc malum à Domino. Quid expectabo à Domino vltra?

### CAP. VII.

Et dixit Eliſęe: Audi verbum Domini: Hæc dicit Dominus: Sicut hora hæc, cras menſura ſimilaginis ſiclo, & duæ menſurę ordeorum ſiclo in portis Samariæ. 2 Et reſpondit Triſtata, ſuper quem rex innitebatur ſuper manum eius, ad Eliſęe, & dixit: Ecce faciet Dñs cataractas in cęlo, numquid erit verbum hoc? Et Eliſęe dixit: Ecce tu videbis oculis tuis, & inde non comedes. 3 Et quattuor viri erant leproſi apud oſtium ciuitatis, & dixit vir ad proximum ſuum: Quid nos ſedemus hic, donec moriamur? 4 Si dixerimus, ingrediamur in ciuitatem, & fames in ciuitate, & moriemur ibi. Et ſi ſederimus hic, & moriemur, & nunc venite, & incidamus in caſtra Syriæ, ſi viuificauerint nos, & viuemus, & ſi mortificauerint nos, & moriemur. 5 Et ſurrexerunt in tenebris ad intrandum in caſtra Syriæ, & venerunt in partem caſtrorum Syriæ, & ecce non eſt vir ibi 6 Et Dominus audientia fecerat caſtra Syrię vocem currus, & vocem equi, vocem virtutis magnę. Et dixit vir ad fratrem ſuum: Nunc mercede conduxit ſuper nos rex Iſrael reges Chettęorum, & reges Ægypti ad veniendum ſuper nos. 7 Et ſurrexerunt, & aufugerunt in tenebris, & reliquerunt tabernacula ſua, & equos ſuos, & aſinos ſuos in caſtris, ſicut ſunt, & fugerunt ad animam ſuam. 8 Et intrauerunt leproſi hi vſque ad partem caſtrorum, & intrauerunt in tabernaculum vnum, & comederunt, & biberunt, & tulerunt inde argentum, & aurum, & veſtem. Et iuerunt, & conuerterunt ſe inde, & intrauerunt in tabernaculum aliud, & ſumpſerunt inde, & iuerunt, & abſconderunt.

Et di-

### Vulgata Editio.

9 Diceruntque ad inuicem : Non recte facimus: hæc enim dies boni nuncij eſt. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare vſque mane, ſceleris arguemur: venite, eamus, & nunciemus in aula regis.

10 Cumque veniſſent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis, dicentes: Iuimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, niſi equos, & aſinos alligatos, & fixa tentoria.

11 Ierunt ergo portarij, & nunciauerunt in palatio regis intrinſecus.

12 Qui ſurrexit nocte, & ait ad ſeruos ſuos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri : Sciunt quia fame laboramus, & idcirco egreſſi ſunt de caſtris, & latitant in agris, dicentes : Cum egreſſi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus.

13 Reſpondit autem vnus ſeruorum eius : Tollamus quinque equos, qui remanſerunt in vrbe ( quia ipſi tantum ſunt in vniuerſa multitudine Iſrael, alij enim conſumpti ſunt ) & mittentes, explorare poterimus.

14 Adduxerunt ergo duos equos, miſitque rex in caſtra Syrorum, dicens: Ite, & videte.

15 Qui abierunt poſt eos vſque ad Iordanem: ecce autem omnis via plena erat veſtibus, & vaſis, quæ proiecerant Syri cum turbarentur : reuerſique nuncij indicauerunt regi.

16 Et egreſſus populus diripuit caſtra Syriæ: factumque eſt modius ſimilæ ſtatere vno, & duo modij hordei ſtatere vno, iuxta verbum Domini.

17 Porro rex ducem illum, in cuius manu incumbebat, conſtituit ad portam: quem conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus eſt, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando deſcenderat rex ad eum.

18 Factumque eſt ſecundum ſermonem viri Dei, quẽ dixerat regi, quando ait: Duo modij hordei ſtatere vno erunt, & modius ſimilæ ſtatere vno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ.

19 Quando reſponderat dux ille viro Dei & dixerat : Etiamſi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei : Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

20 Euenit ergo ei ſicut prædictum fuerat, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus eſt.

CAP.

### Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Dixeruntque vnuſquiſque ad proximum ſuum : Non recte facimus : dies hæc dies boni nuncij eſt. Et nos tacemus, & ſi expectauerimus vſque ad lucem matutinam, inueniet nos punitio, & nunc venite, & eamus, & nunciemus in domo regis.*

10 *Et venerunt, & clamauerunt ad portarium ciuitatis, & nunciauerunt eis, dicendo : Venimus ad caſtra Aram, & ecce non eſt ibi quiſquam, nec vox hominis, niſi equi ligati, & aſini ligati, & tentoria ſecundum quod erant.*

11 *Et clamauerunt portarij, & nunciauerunt in domo regis intrinſecus.*

12 *Surrexitque rex nocte, & dixit ſeruis ſuis: Indicabo nunc vobis quod fecerunt nobis Aramæi : Sciuerunt quod famelici ſumus, & egreſſi ſunt è caſtris, vt lateant in agro, dicendo : Cum egreſſi fuerint è ciuitate, capiemus eos viuos, & vrbem ingrediemur.*

13 *Et reſpondit vnus è ſeruis eius, & dixit : Tollantur nunc quinque ex equis reſiduis, qui remanſerunt in ea : ecce ipſi ſunt in vniuerſa multitudine Iſrael, qui remanſerunt in ea : ecce inquã ipſi in vniuerſa multitudine Iſrael, qui conſumpti erant, & mittamus, & videamus.*

14 *Et tulerunt duos currus equorum, & miſit rex poſt caſtra Aram, dicendo : Ite, & videte.*

15 *Et abierunt poſt eos vſque ad Iarden: & ecce omnis via plena erat veſtibus, & vaſis quæ proiecerant Aramæi dum feſtinarent: & reuerſi ſunt nuncij, & indicauerunt regi.*

16 *Et egreſſus eſt populus, & diripuit caſtra Aram: & fuit ſatum ſimilæ ſiclo, & duo ſata hordei ſiclo, iuxta verbum Domini.*

17 *Rex autem conſtituit ducem cuius innitebatur ſuper manum, ſuper portam, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus eſt, ſicut locutus fuerat vir Dei, qui locutus eſt, quando deſcendit rex ad eum.*

18 *Et fuit, ſecundum quod locutus eſt vir Dei ad regem, dicendo: Duo ſata hordei ſiclo, & ſatum ſimilæ ſiclo erit ſecundum tempus iſtud cras in porta Somron.*

19 *Et reſpondit dux ad virum Dei, & ait : Et ſi faceret Dominus feneſtras in cælo, numquid erit hoc? Et dixit : Ecce tu videbis oculis tuis, ſed inde non comedes.*

20 *Et fuit ei ſic, & conculcauerunt eum populus in porta, & mortuus eſt.*

*CAP.*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et dixit vir ad proximum ſuum : Non ſic nos facimus. Dies hæc, dies boni nuncij eſt: & nos tacemus, & ma-
nemus vſque ad lucem matutinam, & inueniemus iniquitatem. Et nunc agite, & intremus, & annunciemus in
domum regis. 10 Et intrarunt, & clamauerunt ad portam ciuitatis, & annunciauerunt eis, dicentes : Intraui-
mus in caſtra Syriæ : & ecce non eſt ibi vir & vox hominis : quoniam niſi equus ligatus, & aſinus, & tabernacula
eorum, ſicut ſunt. 11 Et clamauerunt ianitores, & annunciauerunt in domum regis intus. 12 Et ſurrexit rex
nocte, & dixit ad pueros ſuos : Annunciabo nunc vobis, quæ fecit nobis Syria. Nouerunt, quia eſurimus nos:
& exierunt de caſtris, & abſconderunt ſe in agro, dicentes : Quoniam egredientur de ciuitate, & comprehende-
mus eos viuentes, & in ciuitatem intrabimus. 13 Et reſpondit vnus puerorum eius, & dixit: Sumant nunc quin-
que de equis reſiduis, qui remanſerunt hic ( ecce ſunt ad omnem multitudinem Iſrael, quod defecit) & mitte-
mus illuc, & videbimus. 14 Et ſumpſerunt duos aſcenſores equorum: Et miſit rex Iſrael poſt regem Syriæ,
dicens : Ite, & videte. 15 Et iuerunt poſt eos vſque ad Iordanem. Et ecce omnis via plena veſtimentorum, &
vaſorum, quæ proiecerat Syria dum ipſi pauerent. Et reuerterunt nuncij, & annunciauerunt regi. 16 Et exi-
uit populus: & diripuerunt caſtra Syriæ. Et facta eſt menſura ſimilaginis ſiclo iuxta verbum Domini, & duæ men-
ſuræ hordeorum ſiclo. 17 Et rex ſtatuit Triſtatam, ſuper quem rex innitebatur manu ſua, ſuper portam. Et
conculcauit eum populus in porta : & mortuus eſt, ſicut locutus eſt homo Dei, qui locutus eſt in aſcendendo
nuncium ad eum. 18 Et factum eſt, ſicut locutus eſt Eliſæe ad regem, dicens: Duæ menſuræ hordei ſiclo : &
erit, ſicut hora, cras in porta Samariæ : 19 Et reſpondit Triſtata ad Eliſæe, & dixit : Ecce Dominus facit ca-
taractas in cælo; nunquid erit verbum hoc? Et dixit Eliſæe : Ecce videbis oculis tuis, & inde non comedes.
20 Et factum eſt ita. Et conculcauerunt eum populus in porta: & mortuus eſt.

CAP.

## Vulgata Editio.

### CAP. VIII.

* Cap. 4. 35.

1 Eliſæus autem locutus eſt ad mulierem, * cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicumque repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis.

2 Quæ ſurrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo ſua, peregrinata eſt in terra Philiſthijm diebus multis.

3 Cumque finiti eſſent anni ſeptem, reuerſa eſt mulier de terra Philiſthijm: & egreſſa eſt vt interpellaret regem pro domo ſua, & pro agris ſuis.

4 Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſæus.

5 Cumque ille narraret regi quomodo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius, quem ſuſcitauit Eliſæus.

6 Et interrogauit rex mulierem: quæ narrauit ei. Deditque ei rex eunuchum vnum, dicens: Reſtitue ei omnia quæ ſua ſunt, & vniuerſos reditus agrorum a die, qua reliquit terram vſque ad præſens.

7 Venit quoque Eliſæus Damaſcum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nunciaueruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc.

8 Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, & vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum, dicens: Si euadere potero de infirmitate mea hac?

9 Iuit igitur Hazael in occurſum eius, habens ſecum munera, & omnia bona Damaſci, onera quadraginta camelorum. Cumque ſtetiſſet coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ miſit me ad te, dicens: Si ſanari potero de infirmitate mea hac?

10 Dixitque ei Eliſæus: Vade, dic ei: Sanaberis: porro oſtendit mihi Dominus quia morte morietur.

11 Stetitque cum eo, & conturbatus eſt vſque ad ſuffuſionem vultus: fleuitque vir Dei.

12 Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio quæ facturus ſis filijs Iſrael mala. Ciuitates eorum munitas igne ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. VIII.

1 *Eliſaah autem locutus eſt ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicendo: Surge, & vade, tu & familia tua, & peregrinare vbi potueris peregrinari: vocauit enim Dominus famem, & etiam venit ſuper terram ſeptem annis.*

2 *Surrexitque mulier, & fecit iuxta verbum viri Dei: & abijt ipſa, & familia eius, & peregrinata eſt in terra Peliſtim ſeptem annis.*

3 *Et fuit, in fine ſeptem annorum, reuerſa eſt mulier à terra Peliſtim: & egreſſa eſt, vt clamaret ad regem pro domo ſua, & pro agro ſuo.*

4 *Rex autem loquebatur ad Ghechazi puerum viri Dei, dicendo: Narra obſecro mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſaah.*

5 *Et fuit, eo narrante regi quod viuere fecerat mortuum, ecce mulier cuius viuificauerat filium, clamabat ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitque Ghechazi: Domine mi rex. Hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius, quem viuificauit Eliſaah.*

6 *Et interrogauit rex mulierem, & narrauit ei. Deditque ei rex eunuchum vnum, dicendo: Reſtitue omnia quæ erant ei, & omnes fructus agri à die, qua reliquit terram vſque ad hoc tempus.*

7 *Et venit Eliſaah in Dammeſech, Benhadad autem rex Aram ægrotabat: nunciatumque eſt ei dicendo: Venit vir Dei vſque huc.*

8 *Et ait rex ad Chazael: Tolle in manu tua munus, & vade in occurſum viri Dei, & requires Dominum ab eo dicendo: Numquid viuam de infirmitate hac?*

9 *Et abijt Chazael in occurſum eius, & tulit munus in manu ſua, & omne bonum Dammeſech, onus quadraginta camelorum, & venit, ſtetitque coram eo, & ait: Filius tuus Benhadad rex Aram miſit me ad te, dicendo: Numquid viuam de infirmitate hac?*

10 *Dixitque ei Eliſaah: Vade, dic ei: Viuendo viues: & oſtendit mihi Dominus, quod moriendo morietur.*

11 *Et ſtare fecit faciem ſuam, & poſuit donec tardauit: fleuitque vir Dei.*

12 *Dixitque Chazael: Quare Dominus meus flet? Et ait: Quia noui quod facturus es filijs Iſrael malum. Munitiones eorum mittes in ignem, & iuuenes eorum gladio occides, & paruulos eorum allides, & prægnantes eorum diuides.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

CAP. VIII. ET Eliſęe locutus eſt ad mulierē, cuius viuificauerat filiū, dicens: Surge, & vade tu, & domus tua,
& incole, vbicumque incolueris: quia vocauit Dñs famē ad terram, & ēt venit ad terrā ſeptē an-
nis. 2 Et ſurrexit mulier, & fecit iuxta verbum Eliſęe, & ipſa, & domus eius, & incoluit in terra alienigenarum
ſeptem annos. 3 Et factum eſt poſt finem ſeptem annorum, & reuertit mulier de terra alienigenarum in ci-
uitatem: & venit clamare ad regem de domo ſua, & de agris ſuis. 4 Et rex loquebatur ad Giezi puerum
Eliſæe hominis Dei, dicens: Narra nunc mihi omnia magna, quæ fecit Eliſæe. 5 Et factum eſt eo narran-
te regi, quomodo ſuſcitauit filium mortuum; & ecce mulier, cuius ſuſcitauerat filium eius Eliſæe, clamans ad
regem de domo ſua, & de agris ſuis. Et dixit Giezi: Domine rex, hæc eſt mulier, & hic filius eius, quem ſu-
ſcitauit Eliſæe. 6 Et interrogauit rex mulierem. Et narrauit ei. Et dedit ei rex eunuchum vnum, dicens:
Fac redire omnia, quę ipſius, & omnia genimina agri à die, qua reliquit terram, vſque nunc. 7 Et venit
Eliſęe in Damaſcum. Et filius Ader rex Syrię ęgrotauit. Et annunciauerunt ei, dicentes: Venit homo Dei vſ-
que huc. 8 Et dixit rex ad Azael. Sume in manu tua Manaa, & vade in occurſum hominis Dei, & inqui-
re Dominum ab eo, dicens, ſi viuam ex infirmitate mea hac. 9 Et iuit Azael in occurſum eius, & ſumpſit
Manaa in manu ſua, & omnia bona Damaſci, onus quadraginta camelorum: & venit, & ſtetit coram eo, & dixit
ad Eliſęe: Filius tuus filius Ader rex Syrię miſit me ad te interrogare, dicens, ſi viuam ex infirmitate mea
hac. 10 Et dixit Eliſęe: Vade, dic. Vita viues: Et oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur. 11 Et
ſtetit facie ſua, & poſuit vſque ad confuſionem. Et plorauit homo Dei. 12 Et dixit Azael: Quid, quod domi-
nus meus plorat? Et dixit: Quoniam noui, quęcumque facies filijs Iſrael mala: munitiones eorum mittes in
ignem, & electos eorum in gladio occides, & infantes eorum concuties, & prægnantes eorum diſcerpes.

Et di-

## Vulgata Editio.

13 Dixitque Hazael: Quid enim ſum ſeruus tuus canis, vt faciam rem iſtam magnam? Et ait Eliſeus: Oſtendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.

14 Qui cum receſſiſſet ab Eliſeo, venit ad dominum ſuum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliſeus? At ille reſpondit: Dixit mihi: Recipies ſanitatem.

15 Cumque veniſſet dies altera, tulit ſtragulum, & infudit aquam, & expandit ſuper faciem eius: quo mortuo, regnauit Hazael pro eo.

16 Anno quinto Ioram filij Achab regis Iſrael, & Ioſaphat regis Iuda, regnauit Ioram filius Ioſaphat rex Iuda.

* 2.Para. 21.5. — 17 * Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpiſſet, & octo annis regnauit in Ieruſalem.

18 Ambulauitque in vijs regum Iſrael, ſicut ambulauerat domus Achab: filia enim Achab erat vxor eius: & fecit quod malum eſt in conſpectu Domini.

* 2.Reg. 7.16. — 19 * Noluit autem Dominus diſperdere Iudam, propter Dauid ſeruum ſuum, ſicut promiſerat ei, vt daret illi lucernam, & filijs eius cunctis diebus.

* 2.Para. 21.8. — 20 * In diebus eius receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit ſibi regem.

21 Venitque Ioram Seira, & omnes currus cum eo: & ſurrexit nocte, percuſſitque Idumæos qui eum circumdederant, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula ſua.

22 Receſſit ergo Edom ne eſſet ſub Iuda, vſque ad diem hanc. Tunc receſſit & Lobna in tempore illo.

23 Reliqua autem ſermonem Ioram, & vniuerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

24 Et dormiuit Ioram cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt cum eis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ochozias filius eius pro eo.

* 2.Para. 22.1. — 25 * Anno duodecimo Ioram filij Achab regis Iſrael regnauit Ochozias filius Ioram regis Iudæ.

26 Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Athalia filia Amri regis Iſrael.

27 Et ambulauit in vijs domus Achab: & fecit quod malum eſt coram Domino, ſicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit:

28 Abijt quoque cum Ioram filio Achab, ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulnerauerunt Syri Ioram:

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Dixitque Chazael: Quid eſt enim ſeruus tuus canis vt faciat rem magnam hanc? Dixitque Eliſaah: Oſtendit mihi Dominus te fore regem ſuper Aram.*

14 *Et receſſit ab Eliſaah, & venit ad dominum ſuum. Dixitque ei: Quid dixit tibi Eliſaah? Et ait: Dixit mihi: Viuendo viues.*

15 *Et fuit, in craſtino tulit pannum è pilis caprarum, & intinxit in aquam, & expandit ſuper faciem eius, & mortuus eſt, & regnauit Chazael pro eo.*

16 *Anno autem quinto Ioram filij Achab regis Iſrael, & Iehoſaphath regis Iehudah regnauit Iehoram filius Iehoſaphath rex Iehudah.*

17 *Filius triginta, & duorum annorum erat quando regnauit, & octo annis regnauit in Ieruſalaim.*

18 *Et ambulauit per viam regum Iſrael, quemadmodum fecerunt domus Achab: Filia enim Achab erat ei vxor: fecitque malum in oculis Domini.*

19 *Sed noluit Dominus diſperdere Iehudah propter Dauid ſeruum ſuum, quemadmodum dixerat ei, vt daret ei lucernam, & filijs eius cunctis diebus.*

20 *In diebus eius defecit Edom à poteſtate Iehudah, & regnare fecerunt ſuper ſe regem.*

21 *Et tranſiuit Ioram in Sehir, & omnes currus cum eo, & fuit, ipſe ſurrexit nocte, & percuſſit Edom, qui circumdederat eum, & principes curruum, fugitque populus in tabernacula ſua.*

22 *Et defecit Edom à poteſtate Iehudah vſque ad diem hanc. Tunc defecit Libnah in tempore illo.*

23 *Reſidua autem Ioram, & omnia quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

24 *Dormiuitque Ioram cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid, & regnauit Achaziahu filius eius pro eo.*

25 *Anno duodecimo Ioram filij Achab regis Iſrael regnauit Achaziahu filius Iehoram regis Iehudah.*

26 *Viginti, & duorum annorum erat Achaziahu, cum regnauit, & anno uno regnauit in Ieruſalaim. Nomen autem matris eius erat Nathaliahu filia Homri regis Iſrael.*

27 *Et ambulauit per viam domus Achab: Fecitque malum in oculis Domini, ſicut domus Achab: Gener enim domus Achab erat.*

28 *Et abijt cum Ioram filio Achab in prælium contra Chazael regem Aram in Ramoth Gilhad, & percuſſerunt Aramæi Ioram.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et dixit Azael: Quis eſt ſeruus tuus, canis mortuus; quia faciet verbum hoc. Et dixit Eliſæe: Oſtendit mihi
Dominus te regnantem ſuper Syriam. 14 Et abijt ab Eliſæe, & intrauit ad dominum ſuum Et dixit ei: Quid di-
xit tibi Eliſæe? Et dixit: Dixit mihi: Vita viuet. 15 Et factum eſt craſtina, & ſumpſit Machbar, & tinxit in aqua,
& circumiecit ſuper faciem eius: & mortuus eſt. Et regnauit Azael pro eo. 16 In anno quinto Ioram fi-
lio Achaab regi Iſrael, & Ioſaphat regi Iuda, regnauit Ioram filius Ioſaphat rex Iuda. 17 Filius triginta & duo-
rum annorum erat in regnando ipſum: & octo annos regnauit in Hieruſalem. 18 Et ambulauit in via re-
gum Iſrael, ſicut fecerat domus Achaab: quoniam filia Achaab erat ei in vxorem. Et fecit malum in conſpectu
Domini. 19 Et noluit Dominus corrumpere Iudam propter Dauid ſeruum ſuum; ſicut dixit dare ei lucer-
nam, & filijs eius, omnibus diebus. 20 In diebus eius rebellauit Edom de ſub manu Iuda Et regnare fece-
runt ſuper ſe regem. 21 Et aſcendit Ioram in Sior, & omnes currus, qui cum eo. Et factum eſt, cum ipſe
ſurrexiſſet; & percuſſit Edom, qui circumierat ſuper eum, & principes curruum. Et fugit populus ad tabernacu-
la ſua. 22 Et rebellauit Edom ſub manu Iuda vſque in diem hanc. Tunc rebellauit Lebna in tempore illo.
23 Et reliqua verborum Ioram, & omnia, quæcumque fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum
regibus Iuda? 24 Et dormiuit Ioram cum patribus ſuis: & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid
patris ſui. Et regnauit Ochozias filius eius pro eo. 25 In anno duodecimo Ioram filio Achaab regi Iſrael, re-
gnauit Ochozias filius Ioram. 26 Filius viginti & duorum annorum Ochozias in regnando ipſum: & annum
vnum regnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Gotholia filia Ambri regis Iſrael. 27 Et ambulauit in
via domus Achaab: & fecit malum in conſpectu Domini, ſicut domus Achaab. 28 Et iuit cum Ioram filio A-
chaab ad bellum cum Azael rege alienigenarum in Rhemmoth Galaad. Et percuſſerunt Syri ipſum Ioram.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

29 Qui reuerſus eſt vt curaretur in Iezrahel: quia vulnerauerant eum Syri in Ramoth prœliantem contra Hazrael regem Syriç. Porro Ochozias filius Ioram rex Iuda, deſcendit inuiſere Ioram filium Achab in Iezrahel, quia ægrotabat ibi.

### CAP. IX.

1 ELiſeus autem prophetes vocauit vnum de filijs prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.

* 3. Reg. 19.16.

2 * Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Ioſaphat filij Namſi: & ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubiculum;

3 Tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem ſuper Iſrael. Aperieſque oſtium & fugies, & non ibi ſubſiſtes.

4 Abijt ergo adoleſcens puer prophetæ in Ramoth Galaad,

5 Et ingreſſus eſt illuc: ecce autem principes exercitus ſedebant, & ait: Verbum mihi ad te ô princeps. Dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te ô princeps.

6 Et ſurrexit & ingreſſus eſt cubiculum: at ille fudit oleum ſuper caput eius, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: vnxi te regem ſuper populum Domini Iſrael,

7 Et percuties domum Achab domini tui, & vleiſcar ſanguinem ſeruorum meorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorũ Domini de manu Iezabel.

* 3. Reg. 21.21.

8 * Perdamque omnem domum Achab: & interficiã de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael.

* 3. Reg. 15.29.
* 3. Reg. 16.3.

9 Et dabo domum Achab, ſicut * domum Ieroboam filij Nabat, & ſicut domum * Baaſa filij Ahia.

10 Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui ſepeliat eam. Aperuitque oſtium, & fugit.

11 Iehu autem egreſſus eſt ad ſeruos domini ſui: qui dixerunt ei: Recte ne ſunt omnia? quid venit inſanus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hominem, & quid locutus ſit.

12 At illi reſpõderunt: Falſum eſt, ſed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hęc locutus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem ſuper Iſrael.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et reuerſus eſt Ioram rex, vt curaret ſe in Izrehel à plagis quibus percuſſerant eũ Aramæi in Ramah, dũ pugnaret contra Chazael regẽ Arã. Achaziahu autẽ filius Iehorã rex Iehudah deſcẽdit, vt videret Ioram filium Achab in Izrehel, quia ægrotabat.*

### CAP. IX.

1 *ELiſaah autem propheta vocauit vnum è filijs prophetarum, dixitque ei: Accinge lumbos tuos & tolle lenticulam olei huius in manu tua, & vade in Ramoth Ghilhad,*

2 *Et venies illuc, & videbis Iehu filium Iehoſaphath filij Nimſi, & venies, & ſtatues eum de medio fratrum ſuorum, & introduces eum in cubiculum ante cubiculum.*

3 *Et tolles lenticulam olei, & fundes ſuper caput eius & dices: Sic dixit Dominus: Vnxi te regem ſuper Iſrael, & aperies oſtium, & fugies, & non expectabis.*

4 *Et abijt puer, puer propheta in Ramoth Ghilhad.*

5 *Et venit, & ecce Principes exercitus ſedebant, & dixit: Verbum eſt mihi ad te ò princeps. Dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? Et dixit: Ad te ò princeps.*

6 *Surrexitque, & ingreſſus eſt domum, & fudit oleum ſuper caput eius, dixitque ei: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Vnxi te regem ſuper populum Domini, ſuper Iſrael.*

7 *Et percuties domum Achab domini tui, & vleiſcar ſanguinem ſeruorum meorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini de manu Izebel.*

8 *Et peribit omnis domus Achab, & ſuccidam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & derelictum in Iſrael.*

9 *Et dabo domum Achab, ſicut domum Iarabhã filij Nebath, & ſicut domum Bahaſa filij Achijah.*

10 *Izebel autem comedent canes in agro Izrehel, & non erit ſepeliens. Et aperuit oſtium, & fugit.*

11 *Iehu autem egreſſus eſt ad ſeruos domini ſui. Dixitque ei: Eſt ne pax? Cur venit inſanus ille ad te? Dixitque ad eos: Vos noſtis virum, & eloquium eius?*

12 *Et dixerunt: Falſum eſt indica nunc nobis, & dixit: Sic, & ſic, dixit mihi dicendo: Sic dixit Dominus: Vnxi te regem ſuper Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et reuertit rex Ioram, vt curaretur in Iezrael à plagis, quibus percuſſerant eum in Rhemmoth, in bellando ipſum cum Aſael rege Syriæ: Et Ochozias filius Ioram deſcendit ad videndum Ioram filium Achaab in Iezrael, quia ægrotabat ille.

### CAP. IX.

ET Eliſæe propheta vocauit vnum ex filijs prophetarum, & dixit ei: Accinge lumbum tuum, & ſume lentem olei huius in manu tua, & vade in Rhemmoth Galaad.
2 Et ingredieris illuc, & videbis ibi Ihu filium Ioſaphat filij Nameſſi. Et ingredieris, & ſuſcitabis eum de medio fratrum eius, & introduces eum in cubiculum in cubiculo:
3 Et ſumes lentem olei, & effundes ſuper caput eius, & dic: Hæc dicit Dominus: Vnxi te in regem ſuper Iſrael. Et aperies oſtium, & fugies, & non manebis.
4 Et iuit puer prophetę in Rhemmoth Galaad,
5 Et intrauit, & ecce principes virtutis ſedebant. Et dixit: Verbum mihi ad te ô princeps. Et dixit Ihu: Ad quem ex omnibus nobis? Et dixit: Ad te ô princeps.
6 Et ſurrexit, & intrauit in domum. Et effudit oleum ſuper caput eius, & dixit ei: Hęc dicit Dominus Deus Iſrael: Vnxi te in regem ſuper populum Domini, ſuper Iſrael:
7 Et exterminabis domum Achaab domini tui à facie mea, & vindicabis ſanguines ſeruorum meorum prophetarum, & ſanguines omnium ſeruorum Domini de manu Iezabel, & de manu totius domus Achaab:
8 Et exterminabis domui Achaab mingentem ad parietem & clauſum, & derelictum in Iſrael.
9 Et dabo domũ Achaab, ſicut domum Hieroboam filij Nabat, & ſicut domum Baaſa filij Achia.
10 Et Iezabel comedent canes in portione Iezrael, & non eſt ſepeliens: Et aperuit oſtium, & fugit.
11 Et Ihu egreſſus eſt ad pueros domini ſui, & dixerunt ei: Pax? Quid, quod intrauit arreptitius iſte ad te? Et dixit eis: Vos noſtis virum, & garrulitatem eius.
12 Et dixerunt: Iniuſtum, annuncia nunc nobis. Et dixit Ihu ad eos: Sic, & ſic locutus eſt ad me dicens: & dixit: Hæc dicit Dominus: Vnxi te in regem ſuper Iſrael.

Et au-

## Vulgat. Editio.

13 Feſtinauerunt itaque, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.

14 Coniurauit ergo Iehu filius Ioſaphat filij Namſi contra Ioram: * porro Ioram obſederat Ramoth Galaad, ipſe, & omnis Iſrael contra Hazael regem Syriæ:

* Sup. 8. 28.

15 Et reuerſus fuerat vt curaretur in Iezrahel propter vulnera, quia percuſſerant eum Syri, præliantem cõtra Hazael regem Syriæ: Dixitque Iehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de ciuitate, ne vadat, & nunciet in Iezrahel.

16 Et aſcendit, & profectus eſt in Iezrahel: Ioram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Iuda deſcenderat ad viſitandum Ioram.

17 Igitur ſpeculator, qui ſtabat ſuper turrim Iezrahel, vidit globum Iehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixitque Ioram: Tolle currum, & mitte in occurſum eorum, & dicat vadens: Recte ne ſunt omnia?

18 Abijt ergo, qui aſcenderat currum, in occurſum eius & ait: Hæc dicit rex: Pacata ne ſunt omnia? Dixitque Iehu: Quid tibi & paci? tranſi, & ſequere me: Nunciauit quoque ſpeculator, dicens: Venit nuncius ad eos, & non reuertitur.

19 Miſit etiam currum equorum ſecundum: venitque ad eos, & ait: Hæc dicit rex: Numquid pax eſt? Et ait Iehu: Quid tibi & paci? tranſi, & ſequere me.

20 Nunciauit autem ſpeculator, dicens: Venit vſque ad eos, & non reuertitur: eſt autem inceſſus quaſi inceſſus Iehu filij Namſi, præceps enim graditur.

21 Et ait Ioram: Iunge currum. Iunxeruntque currum eius, & egreſſus eſt Ioram rex Iſrael, & Ochozias rex Iuda, ſinguli in curribus ſuis, egreſſique ſunt in occurſum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ.

22 Cumque vidiſſet Ioram Iehu, dixit: Pax eſt Iehu? At ille reſpondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.

23 Conuertit autem Ioram manum ſuam, & fugiens ait ad Ochoziam: Inſidiæ Ochozia.

24 Porro Iehu tetendit arcum manu, & percuſſit Ioram inter ſcapulas: & egreſſa eſt ſagitta per cor eius, ſtatimque corruit in curru ſuo.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et feſtinauerunt, & tulerunt vnuſquiſque veſtimentum ſuum, & poſuerunt ſubter eum ſuper faſtigium graduum, & clanxerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.*

14 *Et coniurauit Iehu filius Iehoſaphath filij Nimſi contra Ioram: Ioram autem obſeruauerat Ramoth Ghilhad ipſe, & omnis Iſrael à facie Chazael regis Aram.*

15 *Et reuerſus fuerat Iehoram rex, vt curaret ſe in Izrehel à vulneribus, quibus vulnerauerant eum Aramai, dum pugnaret contra Chazael regem Aram. Dixitque Iehu: Si eſt voluntas veſtra ne egrediatur euaſor è ciuitate, vt vadat ad annunciandum in Izrehel.*

16 *Et equitauit Iehu & abijt in Izrehel: Ioram enim cubabat ibi, & Achazias rex Iehudah deſcenderat ad videndum Ioram.*

17 *Speculator autem ſtabat ſuper turrem in Izrehel, & vidit globum Iehu, eo veniente, & dixit: Globum video. Dixitque Iehoram: Tolle equitantem, & mitte in occurſum eorum, & dicat: Num eſt pax?*

18 *Et abijt equitans equum in occurſum eius, & dixit: Sic dixit rex: Eſt ne pax? Dixitque Iehu: Quid tibi, & paci? Gyra poſt me: Et nunciauit ſpeculator dicendo: Venit nuncius vſque ad eos, & non reuertitur.*

19 *Miſitque equitantem equum ſecundum: & venit ad eos, & ait: Sic dixit rex: Num eſt pax? Et dixit Iehu: Quid tibi, & paci? Gyra poſt me.*

20 *Nunciauitque ſpeculator dicendo: Venit vſque ad eos, & non reuertitur: Inceſſus autem eſt ſicut inceſſus Iehu filij Nimſi, quia furioſa incedit.*

21 *Dixitque Iehoram: Liga. Et ligauit currum eius. Et egreſſus eſt Iehoram rex Iſrael, & Achazi ahu rex Iehudah vnuſquiſque in curru ſuo, & egreſſi ſunt in occurſum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Izrehelitæ.*

22 *Et fuit, cum vidiſſet Iehoram Iehu, dixit: Num eſt pax Iehu? Et dixit: Quæ pax? Adhuc fornicationes Izebel matris tuæ, & veneficia eius multa ſunt.*

23 *Et conuertit Iehoram manum ſuam, & fugit. Dixitque ad Achaziahu: Dolus Achaziah.*

24 *Iehu autem impleuit manum ſuam arcu, & percuſſit Iehoram inter brachia eius, & egreſſa eſt ſagitta è corde eius, & incuruauit ſe in curru ſuo.*

Di-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et audientes feſtinauerunt, & ſumpſit vnuſquiſque veſtimentum ſuum, & poſuerunt ſub eo ſuper Garem graduum, & clanxerunt in cornea, & dixerunt: Regnauit Ihu. 14 Et conuertit ſe Ihu filius Ioſaphat filij Nameſſi ad Ioram. Et Ioram ipſe cuſtodiebatur in Rhémoth Galaad, & omnis Iſrael à facie Aſael regis Syriæ. 15 Et reuerterat Ioram rex ad curandum ſe in Iezrael à plagis, quibus percuſſerant eum Syri in bellando ipſum cũ Azael rege Syriæ. Et dixit Ihu: Si eſt anima veſtra mecum, non exeat de ciuitate profugus ad eundum, & annunciandum in Iezrael. 16 Et equitauit, & iuit Ihu, & deſcendit in Iezrael, quia Ioram rex Iſrael curabatur in Iezrael à vulneribus ſagittarum, quibus ſagittauerunt eum ipſi Aramin in Rhammath in prælio cum Azael rege Syriæ, quia ipſe potens, & vir virtutis. Et Ochozias rex Iuda deſcenderat videre Ioram. 17 Et ſpeculator aſcẽdit ſuper turrim Iezrael, & vidit puluerem Ihu in adueniendo illum, & dixit: Puluerem ego video. Et dixit Ioram: Sume aſcenſorem, & mitte ante eos, & dicat: Si pax? 18 Et iuit aſcenſor equi in occurſum eorum, & dixit: Hæc dicit rex: Pax? Et dixit Ihu: Quid tibi, & paci? Conuertere ad poſteriora mea. Et annunciauit ſpeculator, dicens: Venit nuncius vſque ad eos, & non reuertit. 19 Et miſit aſcenſorem equi ſecundum Et venit ad eum, & dixit: Hæc dicit rex: Pax? Et dixit Ihu: Quid tibi, & paci? Conuertere ad poſteriora mea. 20 Et annunciauit ſpeculator, dicens: Venit vſque ad eos, & non reuertit, & agens agit Ihu filium Nameſſi, quia inæqualitate factus eſt. 21 Et dixit Ioram: Iunge. Et iunxit currum. Et egreſſus eſt Ioram rex Iſrael, & Ochozias rex Iuda, vir in curru ſuo, & exierũt in obuiam Ihu, & inuenerunt eum in portione Nabuthæ Iezraelitæ. 22 Et factum eſt, vt vidit Ioram Ihu, & dixit: Pax Ihu? Et dixit Ihu: Quid pax? Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa. 23 Et conuertit Ioram manus ſuas, & fugit, & dixit ad Ochoziam: Dolus Ochozia. 24 Et impleuit Ihu manum ſuã in arcu, & percuſſit Ioram inter brachia eius, & exiuit iaculum ſuum per cor eius. Et procubuit ſuper genua ſua.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

25 Dixitque Iehu ad Badacer ducem: Tolle, proijce eum in agro Naboth Iezrahelitæ: memini enim quando ego & tu ſedentes in curru ſequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc leuauerit ſuper eum, dicens:

26 * Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus: Nunc ergo tolle, & proijce eum in agrum iuxta verbum Domini.

* 3. Reg. 21.24.

27 Ochozias autem rex Iuda videns hoc, fugit per viā domus horti: perſecutuſque eſt eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru ſuo. Et percuſſerunt eum in aſcenſu Gauer, qui eſt iuxta Ieblaam: qui fugit in Mageddo, & mortuus eſt ibi.

28 Et impoſuerunt eum ſerui eius ſuper currum ſuum & tulerunt in Ieruſalem: ſepelieruntque eum in ſepulchro cum patribus ſuis in ciuitate Dauid.

29 Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnauit Ochozias ſuper Iudam,

30 Venitque Iehu in Iezrahel. Porro Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram

31 Ingredientem Iehu per portam, & ait: * Numquid pax poteſt eſſe Zambri, qui interfecit dominum ſuum?

* 3. Reg. 16.10.

32 Leuauitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta? & inclinauerunt ſe ad eum duo, vel tres eunuchi.

33 At ille dixit eis: Præcipitate eam deorſum, & præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.

34 Cumque introgreſſus eſſet, vt comederet, biberetque ait: Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam: quia filia regis eſt.

35 Cumque iſſent vt ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariam & pedes, & ſummas manus.

36 Reuerſique nunciauerunt ei. Et ait Iehu: * Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam Theſbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel,

* 3. Reg. 21.23.

37 Et erunt carnes Iezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in agro Iezrahel, ita vt prætereuntes dicant: Hæccine eſt illa Iezabel?

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Dixit autem ad Bidcar ducem ſuum: Tolle, proijce eum in partem, agri Naboth Izrahelitæ: memini enim ego & tu cum equitaremus copulati poſt Achab patrem eius quod Dominus leuauit aduerſus eum prophetiam hanc.*

26 *Si non ſanguinem Naboth, & ſanguinē filiorum eius vidi heri nocte dicit Dominus: Reddam tibi in agro hoc dicit Dominus: Et nunc tolle, & proijce eum in agrum iuxta verbum Domini.*

27 *Achaziah autem rex Iehudah vidit, & fugit per viam domus horti: Perſecutuſque eſt eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite ſuper currum: In aſcenſu Ghur qua eſt iuxta Ibleham, & fugit in Meghiddo, & mortuus eſt ibi.*

28 *Et equitare fecerunt eum ſerui eius in Ieruſalaim, ſepelierunt que eum in ſepulchro ſuo cum patribus ſuis in ciuitate Dauid.*

29 *Anno autem vndecimo Ioram filij Achab regnauit Achaziah ſuper Iehudah.*

30 *Venitque Iehu in Izrehel: Izebel autem audiuit, & poſuit fucum in oculis ſuis, & decorauit caput ſuū, & reſpexit de feneſtra.*

31 *Et Iehu ingrediebatur per portam, & dixit: Nunquid pax eſt ô Zimri occiſor domini ſui?*

32 *Et leuauit faciem ſuam ad feneſtram, & dixit: Quis eſt mecum, quis? Et reſpexerunt ad eum duo, vel tres eunuchi.*

33 *Et dixit: Dimittite eam, & dimiſerunt eam; & aſperſus eſt de ſanguine eius in parietem, & in equos, & conculcauit eam.*

34 *Et venit, & comedit, & bibit, & dixit: Viſitate nunc maledictam illam, & ſepelite eam, quia filia regis eſt.*

35 *Et abierunt, vt ſepelirent eam, & non inuenerunt ex ea, niſi caluariam, & pedes, & palmas manuum.*

36 *Et reuerſi ſunt & nunciauerunt ei, & dixit: Verbum Domini quod locutus eſt per manum ſerui ſui Eliyahu Tiſbitæ, dicendo: In agro Izrehel comedent canes carnem Izebel.*

37 *Et erit cadauer Izebel, ſicut ſtercus ſuper faciem agri in agro Izrehel, vt non dicat, hæc eſt Izebel.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et dixit ad Badecar triſtatam ſuum: Proijce eum in partem agri Nabuthæ Iezraelitæ, quoniam memini ego
& tu, qui aſcenderamus ſuper currus poſt Achaab patrem eius, & Dominus aſſumpſit ſuper eum aſſumptionem
hanc: 26 Si non ſanguines Nabuthæ, & ſanguines filiorum eius vidi heri, dicit Dominus, & re-
tribuam ei in parte hac dicit Dominus: Et nunc tollens, quæſo, proijce eum in portionem iuxta verbum Do-
mini. 27 Et Ochozias rex Iuda vidit, & fugit viam Bæthgan. Et perſequutus eſt poſt eum Ihu,
& dixit: Etiam ipſum. Et percuſſit eum ad currum in aſcendendo Gai, quæ eſt Ieblaam, & fugit in Maged-
do, & mortuus eſt ibi. 28 Et aſcendere fecerunt eum pueri eius ſuper currum, & adduxe-
runt eum in Hieruſalem, & ſepelierunt eum in ſepulchro eius in ciuitate Dauid. 29 Et in
anno vndecimo Ioram regis Iſrael regnauit Ochozias ſuper Iudam. 30 Et venit Ihu in Iezrael,
& Iezabel audiuit, & ſtibio depinxit oculos ſuos, & bonum fecit caput ſuum, & proſpexit per feneſtram.
31 Et Ihu ingrediebatur in ciuitatem, & dixit: Pax Zambri homicida domini ſui? 32 Et eleua-
uit faciem ſuam ad feneſtram, & vidit eam, & dixit: Quæ es tu? Deſcende mecum, & reſpexerunt ad eum duo
eunuchi. 33 Et dixit: Præcipitate eam: & præcipitauerunt eam. Et aſperſum eſt de ſan-
guine eius ad parietem, & ad equos, & conculcauerunt eam. 34 Et intrauit, & comedit, & bi-
bit, & dixit: Viſitate, quæſo, maledictam iſtam, & ſepelite eam: quoniam filia regis eſt.
35 Et iuerunt ſepelire eam, & non inuenerunt in ea aliud quid, quam cranium, & pedes, & veſtigia manuum.
36 Et reuerterunt, & annunciauerunt ei, & dixit: Verbum Domini, quod locutus eſt in manu Eliu Theſbite,
dicens: In parte Iezrael canes comedent carnes Iezabel. 37 Et erit morticinum Iezabel
tanquam ſtercus ſuper faciem agri in parte Iezrael, vt non dicant ipſi Iezabel.

CAP.

## Vulgata Editio.

### CAP. X.

1 ERant autem Achab ſeptuaginta filij in Samaria: ſcripſit ergo Iehu litteras, & miſit in Samariam, ad optimates ciuitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab, dicens:

2 Statim vt acceperitis litteras has, qui habetis filios domini veſtri, & currus, & equos, & ciuitates firmas, & arma,

3 Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filijs domini veſtri, & eum ponite ſuper ſolium patris ſui, & pugnate pro domo domini veſtri.

4 Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt ſtare coram eo, & quo modo nos valebimus reſiſtere?

5 Miſerunt ergo præpoſiti domus, & præfecti ciuitatis & maiores natu, & nutritij, ad Iehu, dicentes: Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus, nec conſtituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac.

6 Reſcripſit autem eis litteras ſecundò, dicens: Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini veſtri, & venite ad me hac eadem hora cras in Iezrahel. Porro filij regis, ſeptuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur.

7 Cumque veniſſent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum Iezrahel.

8 Venit autem nuncius, & indicauit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui reſpondit: Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum portæ vſque mane.

9 Cumque diluxiſſet, egreſſus eſt, & ſtans dixit ad omnem populum: Iuſti eſtis: ſi ego coniuraui contra dominum meum, & interfeci eum, quis percuſſit omnes hos?

*4. Reg. 21. 19.*

10 * Videte ergo nunc quoniam non cecidit de ſermonibus Domini in terram, quos locutus eſt Dominus ſuper domũ Achab, & Dominus fecit quod locutus eſt in manu ſerui ſui Eliæ.

11 Percuſſit igitur Iehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Iezrahel, & vniuerſos optimates eius, & notos, & ſacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. X.

1 *ACHab autem fuerant ſeptuaginta filij in Somron: Scripſitque Iehu litteras, & miſit in Somron ad principes Izrahel ſeniores, & adnutritios Achab, dicendo:*

2 *Et nunc cum venerit epiſtola hæc ad vos, (& vobiſcum ſunt filij domini veſtri, & vobiſcum ſunt currus, & equi, & ciuitas munita, & arma.)*

3 *Videte meliorem, & qui placet de filijs domini veſtri & ponite ſuper ſolium patris ſui, & pugnate pro domo domini veſtri.*

4 *Timuerunt que vehementiſſime, atque dixerunt: Ecce duo reges non ſteterunt coram eo, & quomodo ſtabimus nos?*

5 *Et miſerunt qui erant ſuper domum, & qui erant ſuper ciuitatem, & ſeniores, & nutritij ad Iehu, dicendo: Serui tui ſumus, & omnia quæ dixeris nobis, faciemus: Non conſtituemus regem quemquam. Quod bonum eſt in oculis tuis fac.*

6 *Scripſit autem ad eos epiſtolam ſecundam, dicendo: Si mei eſtis, & voci meæ obeditis, tollite capita virorum filiorum domini veſtri, & venite ad me tempore hoc cras in Izrahel. Filij autem regis ſeptuaginta viri, cum maioribus ciuitatis nutrientibus eos erant.*

7 *Et fuit, cum veniſſet epiſtola ad eos, tulerunt filios regis & iugulauerunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum in Izrahel.*

8 *Venit autem nuncius, & indicauit ei, dicendo: Attulerunt capita filiorum regis, & dixit: Ponite ea in duobus aceruis ad oſtium portæ vſque mane.*

9 *Et fuit mane, & egreſſus eſt, & ſtetit, & ait ad omnem populum: Iuſti vos eſtis: ecce ego coniuraui contra dominum meum, & interfeci eum, ſed quis percuſſit omnes hos?*

10 *Et ſcitote nunc quòd non cecidit de ſermone Domini in terram quem locutus eſt Dominus contra domum Achab, & Dominus fecit quod locutus eſt per manus ſerui ſui Eliahu.*

11 *Percuſſitque Iehu omnes qui remanſerant de domo Achab in Izrehel, & omnes optimates eius, propinquoſque eius, ac ſacerdotes eius donec non remanſit ei ſuperſtes.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. X.

ET ipſi Achaab ſeptuaginta filij in Samaria: & ſcripſit Ihu librum, & miſit in Samariam ad principes Samariæ, & ad nutricios Achaab, dicens: 2 Et nunc, cum venerit liber hic ad vos, & vobiſcum filij domini
veſtri, & vobiſcum currus, & equi, & ciuitates munitæ, & arma: 3 Et videbitis eum, qui bonus, & rectus in
filijs domini veſtri & conſtituetis eum ſuper thronum patris eius, & bellabitis pro domo domini veſtri.
4 Et timuerunt valde, & dixerunt: Ecce duo reges non ſteterunt ad faciem eius, & quomodo ſtabimus nos?
5 Et miſerunt ij, qui ſuper domum, & qui ſuper ciuitatem, & ſeniores, & nutricij ad Ihu, dicentes: Pueri tui nos,
& quæcumque dixeris ad nos, faciemus, non faciemus regnare virum, quod bonum in oculis tuis, faciemus.
6 Et ſcripſit ad eos Ihu librum ſecundum, dicens: Si mei vos, & vocem meam vos exauditis, tollite caput virorum filiorum domini veſtri, & afferte ad me, ſicut hora, cras in Iezrael: & filij regis erant ſeptuaginta viri, hi magnates ciuitatis enutriebant eos. 7 Et factum eſt, vt venit liber ad eos, & ceperunt filios regis, & iugulauerunt eos ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cartallis, & miſerunt ea ad illum in Iezrael.
8 Et venit nuncius, & annunciauit, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Et dixit Ponite ea aceruos duos
apud oſtium portæ in mane. 9 Et factum eſt mane, & egreſſus eſt, & ſtetit, & dixit ad omnem populum:
Iuſti vos: ecce ego quidem conuerti me ſuper dominum meum, & occidi illum, & quis percuſſit omnes
iſtos? 10 Videte Appho, quia non cadet de verbo Domini in terram, quod locutus eſt Dominus ſuper domum Achaab. Et Dominus fecit, quæcumque locutus eſt in manu ſerui ſui Eliu.
11 Et percuſſit Ihu omnes qui remanſerant in domo Achaab, & omnes magnates eius, & notos eius, & ſacerdotes eius; ita vt non relinqueret de eo reliquias.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Et ſurrexit,& venit in Samariam : cumque veniſſet ad Cameram paſtorum in via,

13 Inuenit fratres Ochoziæ regis Iuda, dixitque ad eos, Quinam eſtis vos? Qui reſponderunt: Fratres Ochoziæ ſumus,& deſcendimus ad ſalutandos filios regis,& filios reginæ.

14 Qui ait : Comprehendite eos viuos. Quos cum comprehendiſſent viuos,iugulauerunt eos in ciſterna iuxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.

15 Cumque abiſſet inde, inuenit Ionadab filium Rechab in occurſum ſibi,& benedixit ei. Et ait ad eũ: Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cũ corde tuo? Et ait Ionadab : Eſt. Si eſt, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum ſuam. At ille leuauit eum ad ſe in currum :

16 Dixitque ad eum : Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impoſitum in curru ſuo,

17 Duxit in Samariam. Et percuſſit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vſque ad vnum, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt per Eliam.

18 Congregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: * Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.

* 3.Reg. 16.31.

19 Nũc igitur omnes prophetas Baal, & vniuerſos ſeruos eius,& cunctos ſacerdotes ipſius vocate ad me: nullus ſit qui non veniat, ſacrificium enim grande eſt mihi Baal : quicumque defuerit,non viuet. Porro Iehu faciebat hoc inſidioſe,vt diſperderet cultores Baal.

20 Et dixit : Sanctificate diem ſollemnem Baal. Vocauitque,

21 Et miſit in vniuerſos terminos Iſrael, & venerunt cuncti ſerui Baal : non fuit reſiduus ne vnus quidem qui non veniret. Et ingreſſi ſunt templum Baal : & repleta eſt domus Baal, à ſummo vſque ad ſummum.

22 Dixitque his, qui erant ſuper veſtes : Proferte veſtimenta vniuerſis ſeruis Baal. Et protulerunt eis veſtes.

23 Ingreſſuſque Iehu, & Ionadab filius Rechab templum Baal,ait cultoribus Baal : Perquirite, & videte,ne quis forte vobiſcum ſit de ſeruis Domini, ſed vt ſint ſerui Baal ſoli.

In-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

12 *Et ſurrexit,& venit, & abijt in Somron ad domum Tonſtrinæ paſtorum in via.*

13 *Et Iehu inuenit fratres Achaziahu regis Iehudah, & dixit: Qui eſtis? Et dixerunt fratres Achaziahu ſumus, & deſcendimus ad ſalutandum filios regis,& filios reginæ.*

14 *Dixitque: Comprehendite eos viuos. Et comprehenderunt eos viuos, & iugulauerunt eos in ciſterna domus Tonſtrinæ,quadraginta & duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.*

15 *Et abijt inde, & inuenit Ionadab filium Rechab in occurſum ſibi, & ſalutauit eum, & ait ei: Numquid eſt cor tuum rectum, quemadmodum eſt cor meum cum corde tuo? Dixitque Ionadab: Eſt, & eſt. Da, inquit, manum tuam, & dedit ei manum ſuam,& aſcendere fecit eum ad ſe in currum.*

16 *Et dixit : Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et equitare fecit eum in curru ſuo.*

17 *Et venit in Somron,& percuſſit omnes qui remanſerant de Achab in Somron, donec diſperdidit ipſum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Elijahu.*

18 *Congregauit autem Iehu omnem populum, dixitque ad eos: Achab coluit Bahal parum, Iehu colet eum multum.*

19 *Et nunc omnes prophetas Bahal, omnes ſeruos eius, & omnes ſacerdotes eius vocate ad me: quiſquam ne deficiat; ſacrificium enim grande eſt mihi: omnis qui defecerit, non viuet: Iehu autem faciebat callide,vt perderet cultores Bahal.*

20 *Dixitque Iehu : Sanctificate cœtum pro Bahal, & vocauerunt.*

21 *Miſitque Iehu in omnem Iſrael,& venerunt omnes cultores Bahal, & non remanſit quiſquam qui non venerit. Et ingreſſi ſunt domum Bahal, & repleta eſt domus Bahal ab extremo, vſque ad extremum.*

22 *Dixitque ei,qui erat ſuper theſauro veſtium: Profer veſtimentum omnibus cultoribus Bahal.Et protulit eis veſtes.*

23 *Ingreſſus eſt autem Iehu, & Ionadab filius Rechab domum Bahal,dixitque cultoribus Bahal: Scrutamini, & videte, ne forte ſit hic vobiſcum de ſeruis Domini,niſi cultores Bahal ſoli.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et ſurrexit,& iuit in Samariam,ipſe in Bæthacath paſtorum via. 13 Et Ihu inuenit fratres Ochoziæ re-
gis Iuda,& dixit: Quinam vos? Et dixerunt: Fratres Ochoziæ nos,& deſcendimus ad pacem filiorum regis,& fi-
liorum dominatricis. 14 Et dixit:Comprehendite eos viuos, & iugulauerunt eos in Bæthacath quadragin-
ta & duos viros,non reliquit virum ex eis. 15 Et iuit inde,& inuenit Ionadab filium Rhecab in obuiam ſibi,
& benedixit eum,& dixit ad eum Ihu : Si eſt cor tuum cum corde meo rectum, ſicut cor meum cum corde tuo?
Et dixit Ionadab : Eſt. Et dixit Ihu : Et ſi eſt,da manum tuam: & dedit manum ſuam,& aſcendere fecit eum ad
ſe in currum, 16 Et dixit ad eum: Veni mecum,& vide in zelando me Domino. Et ſedere fecit eum in cur-
ru ſuo: 17 Et intrauit in Samariam, & percuſſit omnes reſiduos ipſius Achaab in Samaria vſque ad delen-
dum eum iuxta verbum Domini,quod locutus eſt ad Eliu. 18 Et congregauit Ihu omnem populum,& di-
xit ad eos: Achaab ſeruiuit Baal pauca: Ihu ſeruiet ei multa. 19 Et nunc omnes prophetæ Baal, omnes
ſeruos eius,& ſacerdotes eius vocate ad me,vir non viſitetur, quoniam ſacrificium mihi magnum ipſi Baal. Om-
nis,quicumque viſitatus fuerit,non viuet:& Ihu fecit in ſupplãtatione,vt diſperderet omnes ſeruos Baal. 20 Et
dixit Ihu : Sanctificate ſollemnitatem ipſi Baal. Et præcones pronunciauerunt. 21 Et miſit Ihu in omnem
Iſrael,dicens: Et nunc omnes ſerui, & omnes ſacerdotes eius, & omnes prophetæ eius, nemo relinquatur, quo-
niam ſacrificium magnum facio. Quicumque defuerit, non viuet. Et venerunt omnes ſerui Baal, & omnes ſa-
cerdotes eius, & omnes prophetæ eius, non remanſit vir, qui non aduenerit. Et intrauerunt in domum Baal, &
impleta eſt domus Baal, os ad os. 22 Et dixit ei, qui ſuper domum Meſthaal : Profer indumentum omnibus
ſeruis Baal,& protulit eis præpoſitus ſtolarum. 23 Et intrauit Ihu,& Ionadab filius Rhecab in domum Baal,
& dixit ſeruis Baal : Scrutamini, & videte ſi eſt vobiſcum de ſeruis Domini, quoniam tantum ſerui Baal ſoli.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 Ingreſſi ſunt igitur vt facerent victimas & holocauſta: Iehu autem præparauerat ſibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus veſtras, anima eius erit pro anima illius.

25 Factum eſt autem, cum completum eſſet holocauſtum, præcepit Iehu militibus & ducibus ſuis: Ingredimini, & percutite eos, nullus euadat. Percuſſeruntque eos in ore gladij, & proiecerunt milites & duces: & ierunt in ciuitatem templi Baal.

26 Et protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſſerunt.

27 Et comminuerunt eam. Deſtruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas vſque in diem hanc.

28 Deleuit itaque Iehu Baal de Iſrael:

29 Verumtamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan

30 Dixit autem Dominus ad Iehu: Qui ſtudioſe egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab: * filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.

* Inf. 15. 12

31 Porro Iehu non cuſtodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo: non enim receſſit à peccatis Ieroboã, qui peccare fecerat Iſrael.

32 In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper Iſrael: percuſſitque eos Hazael in vniuerſis finibus Iſrael,

33 A Iordane contra Orientalem plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manaſſe, ab Aroer, quæ eſt ſuper torrentem Arnon, & Galaad, & Baſan.

34 Reliqua autem verborum Iehu, & vniuerſa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hęc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?

35 Et dormiuit Iehu cum patribus ſuis, ſepelieruntque eum in Samaria: & regnauit Ioachaz filius eius pro eo.

36 Dies autem, quos regnauit Iehu ſuper Iſrael, viginti & octo anni ſunt, in Samaria.

### CAP. XI.

1. Par. 22. 10

1 Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.

Tol-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Et ingreſſi ſunt, vt facerent ſacrificia, & holocauſta: Iehu autem poſuit ſibi foris octoginta viros, & ait: Vir qui euaſerit de hominibus quos ego adduco ad manus veſtras, anima eius erit pro anima illius.*

25 *Et fuit, cum compleuiſſet facere holocauſtum, dixit Iehu curſoribus, & ducibus: Ingredimini, percutite eos, quiſquã ne egrediatur, & percuſſerunt eos acie gladij, & proiecerunt occiſos ipſi curſores, & duces, & ierunt vſque ad ciuitatem domus Bahal.*

26 *Et eduxerunt ſtatuas domus Bahal, & combuſſerunt eam, & diruerunt ſtatuam Bahal.*

27 *Et diruerunt domum Bahal, & poſuerunt eam pro latrinis vſque hodie.*

28 *Et deleuit Iehu Bahal de Iſrael.*

29 *Verumtamen à peccatis Iarobham filij Nebath, qui peccare fecit Iſrael, non declinauit Iehu, vitulis aureis qui erant in Bethel, & qui erant in Dan.*

30 *Dixit autem Dominus ad Iehu: Pro eo quod benefeciſti, vt faceres quod rectum erat in oculis meis, iuxta quæ erant in corde meo, feciſti domus Achab, filij quartæ generationis ſedebunt tibi ſuper ſolium Iſrael.*

31 *Iehu autem non cuſtodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Iſrael toto corde ſuo: Non declinauit à peccatis Iarobham, qui peccare fecit Iſrael.*

32 *In diebus illis cœpit Dominus excidere in Iſrael: & percuſſit eos Chazael in omni termino Iſrael.*

33 *A Iarden ad ortum ſolis omnem terram Ghilhad, Gaditem, & Reubenitem, & Menaſſitem ab Haroher, quæ eſt iuxta torrentem Arnon, & Ghilhad, & Baſan.*

34 *Reſidua autem Iehu, & omnia quæ fecit, & fortitudo eius, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

35 *Dormiuitque Iehu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Semron, & regnauit Iehoachaz filius eius pro eo.*

36 *Dies autem quibus regnauit Iehu ſuper Iſrael fuerunt viginti, & octo anni in Semron.*

### *CAP. XI.*

1 *Hathaliah autem mater Achaziahu vidit quod mortuus eſſet filius ſuus, & ſurrexit, & perdidit omne ſemen regium.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et intrauit ad faciendum ſacrificia & holocauſta, & Ihu poſuit ſibi foris octoginta viros, & dixit: Vir, quicum-
que ſaluus euaſerit de viris, quos ego adduco in manum veſtram, anima ipſius pro anima eius. 25 Et factum
eſt, vt conſummauit faciens holocauſtoſin, & dixit Ihu curſoribus, & triſtatis: Intrantes percutite eos, non exeat ex
eis vir, & percuſſerunt eos in ore gladij, & proiecerunt curſores, & triſtatæ, & iuerunt vſque ad ciuitatem domus
Baal: 26 Et extulerunt ſtatuam Baal, & incenderunt eam. 27 Et diruerunt titulos Baal, & poſuerunt
eum in latrinam vſque in diem hanc. 28 Et deleuit Ihu Baal de Iſrael. 29 Verumtamen de peccatis
Hieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit Ihu à poſt ea: Vitulæ aureæ in Bæthel, & in Dan.
30 Et dixit Dominus ad Ihu: Pro ijs, quæcumque bene feciſti, faciendo rectum in oculis meis iuxta omnia, quæ-
cumque in corde meo, feciſti domui Achaab, filij quarti ſedebunt tibi ſuper thronum Iſrael. 31 Et Ihu non
obſeruauit ire in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo, non receſſit deſuper peccatis Hieroboam, qui pecca-
re fecit Iſrael. 32 In diebus illis cepit Deus excidere in Iſrael, & percuſſit eos Azael in omni termino Iſ-
rael, 33 A Iordane ad ortum Solis omnem terram Galaad ipſius Gadde, & Ruben, & Manaſſe, ab Aroer,
quæ eſt ſuper labium torrentis Arnon, & Galaad, & Baſan. 34 Et reliqua verborum Ihu, & omnia, quæ-
cumque fecit, & omnis potentatus eius, & coniurationes eius, quas coniurauit, nonne hæc ſcripta ſuper Libro ver-
borum dierum regibus Iſrael. 35 Et dormiuit Ihu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Sammaria: &
regnauit Ioachaz filius eius pro eo: 36 Et dies, quibus regnauit Ihu ſuper Iſrael, viginti octo anni
in Samaria.

### CAP. XI.

ET Gotholia mater Ochoziæ vidit, quia mortuus eſt filius ſuus, & diſperdidit omnem ſemen regni.

## Vulgata Editio.

2 Tollens autem Ioſaba filia regis Ioram, ſoror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata eſt eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur & nutricem eius, de triclinio: & abſcondit eum a facie Athaliæ ut non interficeretur.

3 Eratque cum ea ſex annis clam in domo Domini: porro Athalia regnauit ſuper terram.

* 2.Para. 23.1.

4 Anno autem ſeptimo miſit Ioiada, & aſſumens centuriones, & milites introduxit ad ſe in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: & adiurans eos in domo Domini, oſtendit eis filium regis.

5 Et præcepit illis: dicens: Iſte eſt ſermo, quem facere debetis:

6 Tertia pars veſtrum introeat ſabbato, & obſeruet excubias domus regis. Tertia autem pars ſit ad portam Sur: & tertia pars ſit ad portam, quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum: & cuſtodietis excubias domus Meſſa.

7 Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes ſabbato, cuſtodiant excubias domus Domini circa regem.

8 Et vallabitis eum, habentes arma in manibus veſtris: ſi quis autem ingreſſus fuerit ſeptum templi, interficiatur: eritiſque cum rege ingrediẽte, & egrediente.

9 Et fecerunt centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada ſacerdos: & aſſumentes ſinguli viros ſuos qui ingrediebantur ſabbato, venerunt ad Ioiadam ſacerdotem.

10 Qui dedit eis haſtas, & arma regis Dauid, quæ erant in domo Domini.

11 Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua a parte templi dextra, vſque ad partem ſiniſtram altaris, & ædis, circum regem.

12 Produxitque filium regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum regem, & vnxerunt, & plaudentes manu, dixerunt: Viuat rex.

13 Audiuit autem Athalia vocem populi currentis: & ingreſſa ad turbas in templum Domini.

14 Vidit regem ſtantem ſuper tribunal iuxta morem, & cantores, & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & ſcidit veſtimenta ſua, clamauitque: Coniuratio, coniuratio.

Præce-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et tulit Iehoſebah filiam regis Ioram ſoror Achaziahu Ioas filium Achaziahu, & furata eſt eum è medio filiorum regis qui interficiebantur, ipſum & nutricem eius in cubiculo lectorum, & occultauerunt eũ à facie Hathaliahu, & non eſt interfectus.*

3 *Fuitque ſecum in domo Domini abſconditus ſex annis: Hathaliah autem regnabat ſuper terram.*

4 *Anno autem ſeptimo miſit Iehoiadah, & tulit centuriones, duces & curſores, & introduxit eos ad ſe in domum Domini, & percuſſit cum eis fœdus, & iurare fecit eos in domo Domini, & oſtendit eis filium regis.*

5 *Præcepitque eis dicendo: Hoc eſt quod facietis: Tertia pars ex vobis ingrediantur ſabbato, & cuſtodiam domus regia.*

6 *Et tertia pars erit in porta Sur, & tertia pars in porta quæ eſt poſt curſores, & cuſtodietis cuſtodiam domus à demolitione.*

7 *Et duæ partes ex vobis omnes egredientes ſabbato cuſtodiant cuſtodiam domus Domini circa regem.*

8 *Et circumdabitis regem per circuitum vnuſquiſque & arma eius in manu eius: qui venerit ad ſeptum moriatur: & eſtote cum rege, quando egreditur, & quando ingreditur.*

9 *Et fecerunt centuriones iuxta omnia quæ præceperat Iehoiadah ſacerdos, & tulerunt vnuſquiſque viros ſuos ingredientes ſabbato, cum egredientibus ſabbato, & venerunt ad Iehoiadah ſacerdotem.*

10 *Deditque ſacerdos centurionibus lanceas, & clypeos quæ fuerãt regis Dauid, quæ erant in domo Domini.*

11 *Et ſteterunt curſores vnuſquiſque, & arma eius in manu eius, à latere domus dextero, vſq; ad latus domus ſiniſtrũ altaris, et domus iuxta regẽ p circuitũ.*

12 *Et eduxit filium regis, & poſuit ſuper eum diadema & ornamentum, & regem conſtituerunt eum: Vnxeruntque eum, plauſeruntque manu, atque dixerunt: Viuat rex.*

13 *Audiuit autem Hathaliah ſonitum currentium populorum, & ingreſſa eſt ad populũ in domũ Domini.*

14 *Et vidit, & ecce rex ſtabat iuxta columnam ſecundum morem, & principes, & tubæ ante regem, & omnis populus terræ lætus, & clangebant tubis, & ſcidit Hathaliah veſtimenta ſua, & dixit: Coniuratio, coniuratio.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et tulit Ioſabee filia regis Ioram, ſoror Ochoziȩ ipſum Ioas filium fratris ſui, & furatus eſt eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur ipſum, & nutricem eius in cubiculo lectorum: & abſcondit eum a facie Gotholiæ: & non eſt occiſus. 3 Et fuit cum ea abſconditus in domo Domini ſex annos. Et Gotholia regnans ſuper terram. 4 Et in anno ſeptimo miſit Iodae, & ſumpſit centuriones ipſorum Chorri, & ipſorum Raſim, & adduxit eos ad ſe in domum Domini, & diſpoſuit eis teſtamentum Domini, & fecit iurare, & oſtendit eis ipſum Iodae filium regis. 5 Et mandauit eis, dicens: Hoc eſt verbum quod facietis: Tertia pars ex vobis introeat ſabbato: & cuſtodite cuſtodiam domus regis in porta. 6 Et tertia pars in porta viarum. Et tertia, portæ poſt curſores. Et cuſtodite cuſtodiam domus. 7 Et duæ manus in vobis, omnis egrediens ſabbatum; & cuſtodient cuſtodiam domus Domini apud regem. 8 Et circuite ſuper regem in circuitu vir: & vas ſuum in manu ſua. Et ingrediens in ipſas Saderoth morietur. Et erunt cum rege in egrediendo eum, & in ingrediendo eum. 9 Et fecerunt centuriones omnia, quæcumque mandauit Iodae intelligens. Et aſſumpſit vir viros ſuos, & ingredientes ſabbato, cum egredientibus ſabbato: & intrauerunt ad Iodae ſacerdotem. 10 Et dedit ſacerdos centurionibus ſyromaſtas & triſſos regis Dauid, qui in domo Domini. 11 Et ſteterunt curſores, vir, & vas ſuum in manu ſua ab humero domus dextro vſque ad humerum domus ſiniſtrum altaris, & domus ſuper regem in circuitu. 12 Et emiſit filiũ legitimis, & dedit ſuper eum Nezer, & teſtimonium, & regẽ fecit eum, & vnxit eum. Et plauſerunt manu, & dixerunt: Viuat rex. 13 Et audiuit Gotholia vocem currentium de populo: & intrauit ad populum in domum Domini, 14 & vidit: & ecce rex ſtabat ſuper columnam ſecundum iudicium: & cantores, & tubæ apud regem: & omnis populus terræ lætans, & clangens in tubis. Et conſcidit Gotholia veſtimenta ſua, & clamauit. Colligatio, colligatio.

Et man-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Præcepit autem Ioiada centurionibus,qui erant ſuper exercitum, & ait eis : Educite eam extra ſepta templi, & quicumque eam ſecutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim ſacerdos: Non occidatur in templo Domini.

16 Impoſueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum,iuxta palatium, & interfecta eſt ibi.

17 Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum,& inter regem,& inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter regem, & populum.

18 Ingreſſuſque eſt omnis populus terræ templum Baal, & deſtruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt valide: Mathan quoque ſacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et poſuit ſacerdos cuſtodias in domo Domini.

19 Tulitque centuriones,& Cerethi,& Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ ſcutariorum in palatium,& ſedit ſuper thronum regum.

20 Lætatuſque eſt omnis populus terræ,& ciuitas conquieuit : Athalia autem occiſa eſt gladio in domo regis.

21 Septemque annorum erat Ioas, cum regnare cœpiſſet.

### CAP. XII.

1 ANno ſeptimo Iehu regnauit Ioas: & quadraginta annis regnauit in Ieruſalem,nomen matris eius Sebia de Berſabee.

2 Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus,quibus docuit eum Ioiada ſacerdos.

3 Verumtamen excelſa non abſtulit : adhuc enim populus immolabat,& adolebat in excelſis incenſum.

4 Dixitque Ioas ad ſacerdotes : Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte,& arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini :

5 Accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſartatecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione.

6 Igitur vſque ad vigeſimum tertium annum regis Ioas, non inſtaurauerunt ſacerdotes ſartatecta templi.

Vo-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

15 *Et præcepit Iehoiadah ſacerdos centurionibus præpoſitis exercitus, dixitque ad eos : Educite eam è ſepto,& qui venerit poſt eam,interficiatur gladio. Dixerat enim ſacerdos, ne moriatur in domo Domini.*

16 *Dederuntque ei locum. & venit per viam introitus equorum domus regia,& interfecta eſt ibi.*

17 *Percuſſit Iehoiadah fœdus inter Dominum, & regem,& populum, vt eſſet populus Domini,& inter regem,& populum.*

18 *Et ingreſſi ſunt omnis populus terra domum Bahal, & diruerunt illam, & aras eius, & imagines eius confregerunt bene: & Mattan ſacerdotem Bahal occiderunt ante aras. Et poſuit ſacerdos præfectos ſuper domum Domini.*

19 *Tulitque centuriones,& duces, & Curſores, & omnem populum terra, & deſcendere fecerunt regem è domo Domini, & venerunt per viam porta curſorum in domum regiam, & ſedit ſuper thronum regum.*

20 *Et lætatus eſt omnis populus terra, & ciuitas requieuit : Hathaliiahu autem occiderunt gladio in domo regia.*

21 **Septem annorum erat Iehoas,quum regnauit.*

**Hic incipit c.12. in Biblia Sanct.Pagnini.*

### CAP. XII.

1 *ANno ſeptimo Iehu regnauit Iehoas : & quadraginta annis regnauit in Ieruſalaim, nomen autem matris eius Sibiah de Beerſebah.*

2 *Fecitque Iehoas, quod rectum eſt in oculis Domini omnibus diebus ſuis, quibus docuit eum Iehoiadah ſacerdos.*

3 *Verumtamen excelſa non remanserunt : adhuc populus immolabat,& ſuffiebat in excelſis.*

4 *Dixitque Iehoas ad ſacerdotes : Omnem pecuniam ſanctitatum, quæ introducetur in domum Domini, pecuniam tranſeuntis viri, pecuniam animarum æſtimationis eius,omnem pecuniam,quæ aſcenderit ſuper cor viri,vt adducant in domum Domini :*

5 *Tollent ſibi ſacerdotes vnuſquiſque à noto ſuo, & fortificabunt rimas domus ſecundum omnes, quæ inuenta fuerint ibi,rimas.*

6 *Et fuit,anno vigeſimo, & tertio anno regis Iehoas, non fortificauerant ſacerdotes rimas templi.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et mandauit Iodae ſacerdos centurionibus viſitatoribus virtutis, & dixit ad eos: Educite eam ab intra Sade-
roth,omnis ingrediens poſt eám morte mortificabitur in gladio. Quoniam dixit ſacerdos : Et non moriatur in
domo Domini. 16 Et iniecerunt ei manus,& intrauerunt viam introitus equorum domus regis,& mortua
eſt ibi. 17 Et diſpoſuit Iodae teſtamentum inter Dominum,& inter regem,& inter populum,vt ſit in popu-
lum Domino,& inter regem,& inter populum. 18 Et intrauit omnis populus terræ in domum Baal, & di-
ruerunt eam,& altaria eius,& imagines eius contriuerunt bene : & Mathan ſacerdotem Baal occiderunt ad faciē
altarium.Et poſuit ſacerdos viſitatores in domum Domini. 19 Et ſumpſit centuriones,& Chorri,& Rhaſim,
& omnem populum terræ, & deduxerunt regem e domo Domini : & intrauerunt viam portæ curſorum domus
regis,& ſedere fecerunt eum ſuper thronum regum. 20 Et gauiſus eſt omnis populus terræ,& ciuitas quieuit:
& Gotholiam interfecerunt in gladio in domo regis. 21 Filius ſeptem annorum Ioas in regnando ipſum.

### CAP. XII.

IN anno ſeptimo Ihù regnauit Ioas: & quadraginta annos regnauit in Hieruſalem. & nomen matris eius Sa-
bia de Berſabee. 2 Et fecit Ioas rectum in conſpectu Domini omnibus diebus, quibus illuminauit eum
Iodae ſacerdos. 3 Verumtamen ab excelſis non ſe remouerunt: & ibi adhuc populus ſacrificabat,& adole-
bant in excelſis. 4 Et dixit Ioas ad ſacerdotes: Omne argentum ſacerdotum quod illatum fuerit in domo
Domini argentum æſtimationis, vir argentum accipiens æſtimationis, omne argentum,quodcumque aſcenderit
in cor viri offerre in domo Domini : 5 Accipiant ſibi ſacerdotes,vir à venditione ſua, & ipſi ſtabilient
Bedec domus in omnibus,vbicumque inuentum fuerit ibi Bedec. 6 Et factum eſt in vigeſimo, & tertio
anno regis Ioas non firmauerant ſacerdotes Bedec domus.

Et vo-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Vocauitque rex Ioas Ioiadam pontificem, & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſartatecta non inſtaurat is templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam.

8 Prohibitique ſunt ſacerdotes vltra accipere pecuniam à populo, & inſtaurare ſartatecta domus.

9 Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnum, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

10 Cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba regis, & pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini:

11 Et dabant eam iuxta numerum, atque menſuram in manu eorum, qui præerant cæmentarijs domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorũ, & in cæmentarijs ijs, qui operabantur in domo Domini:

12 Et ſartatecta faciebant: & in ijs, qui cædebant ſaxa, & vt emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita vt impleretur inſtauratio domus Domini in vniuerſis, quæ indigebant expenſa ad muniendam domum.

13 Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum, & argenteum de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini.

14 Ijs enim, qui faciebant opus, dabatur, vt inſtauraretur templum Domini:

15 Et non fiebat ratio ijs hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam.

16 Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat.

17 Tunc aſcendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam: & direxit faciem ſuam, vt aſcenderet in Ieruſalem.

18 Quam ob rem tulit Ioas rex Iuda omnia ſanctificata, quæ conſecrauerant Ioſaphat, & Ioram, & Ochozias patres eius reges Iuda, & quæ ipſe obtulerat: & vniuerſum argentum, quod inueniri potuit in theſauris templi Domini, & in palatio regis: miſitque Hazaeli regi Syriæ, & receſſit ab Ieruſalem.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et vocauit rex Iehoas Iehoiadah ſacerdotem, & ſacerdotes, dixitque ad eos: Cur non fortificaſtis rimas templi? & nunc ne accipiatis pecuniam à notis veſtris, ſed ad rimas domus tradite eam.*

8 *Et morem geſſerunt ſacerdotes, vt non acciperent pecuniam à populo, neque fortificarent rimas domus.*

9 *Et tulit Iehoiadah ſacerdos arcam vnam, & perforauit foramen in oſtio eius, & poſuit eam apud altare in dextera, cum ingreditur vnuſquiſque in domũ Domini, & poſuerunt ibi ſacerdotes cuſtodes liminis omnem pecuniam, quæ adducebatur in domum Domini.*

10 *Et erat, quando videbãt, quòd multa pecunia eſſet in arca, aſcendebat ſcriba regis, & ſacerdos magnus, & ligabant, & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini:*

11 *Et tradebant pecuniam paratam per manus facientium opus, qui præerant in domo Domini: & educebant eam ad fabros lignarios, & ad ædificatores, qui faciebant in domo Domini:*

12 *Ad cæmentarios, & cæſores lapidum, & vt emerent ligna, & lapides dolatos, vt fortificarent rimas domus Domini, & ad omne, quod egrediebatur ſuper domum ad muniendum.*

13 *Verumtamen non fiebant in domo Domini cratera argentea, pſalteria, pelues, tubæ, omnia vaſa aurea & omnia vaſa argentea, ex pecunia, quæ inferebatur in domum Domini.*

14 *Facientibus enim opus dabant eam, & fortificabant ex ea domum Domini:*

15 *Et non rationem faciebant reddere homines per quorum manus dabant pecunias, vt darent facientibus opus, ſed in fide faciebant.*

16 *Pecunia pro delicto, & pecunia pro peccatis non inferebatur in domum Domini, ſacerdotum erat.*

17 *Tunc aſcendit Chazael rex Aram, & pugnauit contra Ghath, cepitque eam: & poſuit Chazael faciem ſuam, vt aſcenderet contra Ieruſalaim.*

18 *Tulit autem Iehoas rex Iehudah omnes ſanctificationes, quas ſanctificauerant Iehoſaphath, & Iehoram, & Achazjahu patres eius reges Iehudah, & ſanctificationes ſuas: & omne aurum, quod inuentum eſt in theſauris domus Domini, & domus regis: & miſit ad Chazael regem Aram, & aſcendit à Ieruſalaim.*

Re-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et vocauit Ioas rex Iodae ſacerdotem, & ſacerdotes, & dixit ad eos: Quid, quod non firmaſtis Bedec domus? Et
nunc non accipiatis argentum de venditionibus veſtris, quoniam in Bedec domus dabitis illud. 8 Et
conſenſerunt ſacerdotes non accipere argentum à populo, & non ſtabilire Bedec domus. 9 Et ſumpſit Io-
dae ſacerdos arcam vnam, & perforauit foramen in oſtio eius, & dedit eam apud Ammazibi in domo viri domus
Domini: & dederunt ſacerdotes cuſtodientes limen, omne argentum inuentum in domo Domini. 10 Et
factum eſt, vt viderent, quia multum argentum in arca, & aſcendit ſcriba regis, & ſacerdos magnus, & ligauerunt,
& numerauerunt argentum inuentum in domo Domini: 11 Et dederunt argentum paratum in manus fa-
cientium opera viſitatorum domus Domini: & protulerunt fabris lignorum, & ædificatoribus facientibus in do-
mo Domini, & in cæmentarijs, & cæſoribus lapidum, ad emenda ligna, & lapides exciſos, ad continendum Bedec
domus Domini. 12 In omnia quæcumque expendebantur in domum ad fulciendum. 13 Verumta-
men non fient domui Domini portæ argenteæ, claui, phialæ, & tubæ, & omne vas aureum, & vas argenteum, ex
argento illato in domum Domini. 14 Quoniam facientibus opera dabunt illud, & fulcierunt in eo do-
mum Domini. 15 Et non exigebant rationem à viris, quibus dabant argentum in manus eorum ad dan-
dum facientibus opera, quoniam in fide ipſorum faciunt. 16 Argentum pro peccato, & argentum pro deli-
cto quicquid illatum fuit in domo Domini, ſacerdotibus fuit. 17 Tunc aſcendit Azael rex Syriæ, & bel-
lauit ſuper Geth, & cepit eam: & poſuit Azael faciem ſuam ad aſcendendum ſuper Hieruſalem. 18 Et
ſumpſit Ioas rex Iuda omnia ſancta, quæcumque ſanctificauerat Ioſaphat, & Ioram, & Ochozias patres eius, &
reges Iuda, & ſancta ſua, & omne aurum inuentum in theſauris domus Domini, & domus regis: & miſit Azael
regi Syriæ, & aſcendit de Hieruſalem.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

Reliqua autem ſermonum Ioas,& vniuerſa, quæ fe- 19
cit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum die-
rum regum Iuda?
Surrexerunt autem ſerui eius, & coniurauerant in- 20
ter ſe, percuſſeruntque Ioas in domo Mello in de-
ſcenſu Sella.
Ioſachar namque filius Semaath, & Iozabad filius 21
Somer ſerui eius,percuſſerunt eum,& mortuus eſt:
& ſepelierunt eum cũ patribus ſuis in ciuitate Da-
uid,regnauitque Amaſias filius eius pro eo.

### CAP. XIII.

ANno vigeſimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis 1
Iuda, regnauit Ioachaz filius Iehu ſuper Iſ-
rael in Samaria decem & ſeptem annis.
Et fecit malum coram Domino,ſecutuſque eſt pec- 2
cata Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael,
& non declinauit ab eis.
Iratuſque eſt furor Domini contra Iſrael, & tradi- 3
dit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Be-
nadad filij Hazael cunctis diebus.
Deprecatus eſt autem Ioachaz faciem Domini, & 4
audiuit eum Dominus: vidit enim anguſtiam Iſrael,
quia attriuerat eos rex Syriæ:
Et dedit Dominus ſaluatorem Iſraeli, & liberatus 5
eſt de manu regis Syriæ: habitaueruntq; filij Iſrael
in tabernaculis ſuis ſicut heri,& nudiuſtertius.
Verumtamen non receſſerunt à peccatis domus Ie- 6
roboam,qui peccare fecit Iſrael,ſed in ipſis ambula-
uerunt: ſiquidem & lucus permanſit in Samaria.
Et non ſunt derelicti Ioachaz de populo,niſi quin- 7
quaginta equites, & decem currus, & decem millia
peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & rede-
gerat quaſi puluerem in tritura areæ.
Reliqua autem ſermonũ Ioachaz, & vniuerſa, quæ 8
fecit,& fortitudo eius,nonne hæc ſcripta ſunt in Li-
bro ſermonum dierum regum Iſrael?
Dormiuitque Ioachaz cum patribus ſuis, & ſepe- 9
lierunt eum in Samaria: regnauitque Ioas filius
eius pro eo.
Anno trigeſimo ſeptimo Ioas regis Iuda regnauit 10
Ioas filius Ioachaz ſuper Iſrael in Samaria ſedecim
annis:
Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini: non 11
declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Na-
bat,qui peccare fecit Iſrael,ſed in ipſis ambulauit.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Reſidua autem Ioas, & omnia, quæ fecit, nonne ſunt*
*ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehu-*
*dah?*
20 *Et ſurrexerunt ſerui eius & coniurauerunt coniu-*
*rationem, & percuſſerunt Ioas in domo Millo, quæ*
*deſcendit in Silla.*
21 *Iozachar autem filius Simhath, & Iehozabad filius*
*Somer ſerui eius percuſſerunt eum, & mortuus eſt:*
*& ſepelierunt eum cum patribus ſuis in ciuitate*
*Dauid, & regnauit Amaſiah filius eius pro eo.*

### CAP. XIII.

1 *ANno vigeſimo, & tertio anno Ioas filij Acha-*
*ziahu regis Iehudah regnauit Iehoachaz filius*
*Iehu ſuper Iſrael in Somron, ſeptem & decẽ annis.*
2 *Et fecit quod malum eſt in oculis Domini, & ambu-*
*lauit poſt peccata Iarobham filij Nebath, qui pecca-*
*re fecit Iſrael, non declinauit ab eis.*
3 *Iratuſque eſt furor Domini contra Iſrael, & tradi-*
*dit eos in manu Chazael regis Aram, & in manu*
*Benhadad filij Chazael omnibus diebus.*
4 *Et deprecatus eſt Iehoachaz faciem Domini, & ex-*
*audiuit eum Dominus: vidit enim oppreſſionem*
*Iſrael, qua oppreſſit eos rex Aram.*
5 *Et dedit Dominus Iſraeli ſeruatorem, & egreſſi ſũt*
*de poteſtate Aram: habitaueruntque filij Iſrael in*
*tabernaculis ſuis ſicut heri, & nudiuſtertius.*
6 *Verumtamen non receſſerunt à peccatis domus Ia-*
*robham, qui peccare fecit Iſrael, per ea ambulauit:*
*& etiam lucus ſtetit in Somron.*
7 *Nõ enim dimiſit ipſi Iehoachaz de populo niſi quin-*
*quaginta equites, & decem currus, & decem millia*
*peditum: diſperdiderat enim eos rex Aram, & po-*
*ſuerat eos veluti puluerem ad triturandum.*
8 *Reſidua autem Iehoachaz, & omnia, quæ fecit, &*
*fortitudo eius, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum*
*dierum regum Iſrael?*
9 *Dormiuitque Iehoachaz cum patribus ſuis, & ſepe-*
*lierunt eum in Somron: regnauitque Ioas filius eius*
*pro eo.*
10 *Anno trigeſimo, & ſeptimo anno Ioas regis Iehudah*
*regnauit Iehoas filius Iehoachaz ſuper Iſrael in So-*
*mron ſexdecim annis:*
11 *Et fecit malum in oculis Domini: non declinauit*
*ab omni peccato Iarobham filij Nebath, qui peccare*
*fecit Iſrael; in eo ambulauit.*

*Re-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et reliqua verborum Ioas,& omnia, quæcumque fecit, nonne hæc ſcripta in Libro verborũ dierum regibus
Iuda? 20 Et ſurrexerunt ſerui eius,& ligauerunt omnem colligationem,& percuſſerunt Ioas in domo Mallo,
quæ in Sella. 21 Et Iezirchar filius Iemuath,& Iezebuth filius ipſius Somer ſerui eius percuſſerunt eum,& mor-
tuus eſt: & ſepelierunt eum cum patribus eius in ciuitate Dauid,& regnauit Ameſſias filius eius pro eo.

### CAP. XIII.

IN anno vigeſimo,& tertio anno Ioas filij Ochoziæ regis Iuda regnauit Ioachaz filius Ihû in Samaria ſeptem
& decem annos. 2 Et fecit malum in oculis Domini, & ambulauit poſt peccata Hieroboam filij Nabat, qui
peccare fecit Iſrael,non receſſit ab eo. 3 Et iratus eſt indignatione Dominus in Iſrael,& dedit eos in manu A-
zael regis Syriæ,& in manu filij Ader filij Azael omnibus diebus. 4 Et orauit Ioachaz faciem Domini,& exau-
diuit eum Dominus: quoniam vidit tribulationem Iſrael,quoniam tribulauit eos rex Syriæ. 5 Et dedit Do-
minus ſalutem Iſrael,& exiuit de ſub manu Syriæ: & ſederunt filij Iſrael in tabernaculis ſuis ſicut heri,& nudiuſ-
tertius. 6 Verumtamen non receſſerunt à peccatis domus Hieroboam,qui peccare fecit Iſrael, in ipſo ambu-
lauit: etiam lucus ſtetit in Samaria. 7 Quoniam non remanſit ipſi Ioachaz populus,niſi quinquaginta equites,
& decem currus,& decem millia peditum: quia diſperdidit eos rex Syriæ,& poſuerunt eos tanquam puluerem in
conculcationem. 8 Et reliqua verborum Ioachaz,& omnia,quæcumque fecit, & potentatus eius,nonne hæc
ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 9 Et dormiuit Ioachaz cum patribus ſuis,& ſepelierunt
eum in Samaria: & regnauit Ioas filius eius pro eo. 10 In anno trigeſimo,& ſeptimo anno Ioas regis Iuda
regnauit Ioas filius Ioachaz ſuper Iſrael in Samaria ſex & decem annos. 11 Et fecit malum in oculis Do-
mini: non receſſit ab omni peccato Hieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael,in eo ambulauit.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Reliqua autem ſermonum Ioas,& vniuerſa, quæ fecit, & fortitudo eius, quo modo pugnauerit contra Amaſiam regem Iuda, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

13 Et dormiuit Ioas cum patribus ſuis: Ieroboam autem ſedit ſuper ſolium eius. Porro Ioas ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael.

14 Eliſeus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt: deſcenditque ad eum Ioas rex Iſrael,& flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael,& auriga eius.

15 Et ait illi Eliſeus: Affer arcum,& ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum,& ſagittas:

16 Et dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis:

17 Et ait: Aperi feneſtram orientalem. Cumque aperuiſſet, dixit Eliſeus: Iace ſagittam. Et iecit. Et ait Eliſeus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.

18 Et ait: Tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet, rurſum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus,& ſtetiſſet:

19 Iratus eſt vir Dei contra eum,& ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.

20 Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrũculi autẽ de Moab venerũt in terrã in ipſo anno.

21 * Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos,& proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.

* Eccl. 48. 14

22 Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Iſrael cunctis diebus Ioachaz:

23 Et miſertus eſt Dominus eorum, & reuerſus eſt ad eos propter pactum ſuum, quod habebat cum Abraham,& Iſaac, & Iacob: & noluit diſperdere eos, neque proijcere penitus vſque in præſens tempus.

24 Mortuus eſt autem Hazael rex Syriæ, & regnauit Benadad filius eius pro eo.

25 Porro Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris ſui iure prælij, tribus vicibus percuſſit eum Ioas,& reddidit ciuitates Iſrael.

CAP.

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*12 Reſidua autem Ioas, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius qua pugnauit cum Amaſiah rege Iehudah, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

*13 Dormiuitque Ioas cum patribus ſuis: Iarobham autem ſedit ſuper ſolium eius. Sepultuſque eſt Ioas in Someron cum regibus Iſrael.*

*14 Eliſaah autem ægrotauit ægrotatione ſua de qua mortuus eſt: & deſcendit ad eum Ioas rex Iſrael, & fleuit ſuper faciem eius, & dixit: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & equites eius.*

*15 Dixitque ei Eliſaah: Tolle arcum, & ſagittas. Et accepit arcum, & ſagittas:*

*16 Dixitque ad regem Iſrael: Apprehende manu tua arcum. Et apprehendit manum ſuam, & poſuit Eliſaah manus ſuas ſuper manus regis.*

*17 Et dixit: Aperi feneſtram ad orientem. Et aperuit, dixitque Eliſaah: Iace. Et iecit. Et ait: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Aram: percutieſque Aram in Apheck, donec conſumas.*

*18 Et ait: Tolle ſagittas. Et tulit, dixitque ad regem Iſrael: Percute terram. Et percuſſit tribus vicibus, & ſtetit.*

*19 Et iratus eſt contra eum vir Dei & ait: Percutiendum erat quinque vel ſex vicibus, tunc percuſſiſſes Aram, donec conſumpſiſſes: nunc autem tribus vicibus percuties Aram.*

*20 Et mortuus eſt Eliſaah, & ſepelierunt eum. Caſtra autem Moab venerunt in terram ſequenti anno.*

*21 Et fuit, ipſis ſepelientibus virum ecce viderunt caſtra & proiecerunt virum in ſepulchro Eliſaah. Et abijt, & tetigit vir oſſa Eliſaah, & vixit, & ſurrexit ſuper pedes ſuos.*

*22 Chazael autem rex Aram oppreſſit Iſrael omnibus diebus Iehoachaz:*

*23 Et miſeratus eſt Dominus eis, & miſertus eſt eorũ, & conuerſus eſt ad eos propter pactum ſuum cum Abraham, Iſchac, & Iahacob: & noluit diſperdere eos, nec proiecit eos à facie ſua, vſque ad hoc tempus.*

*24 Mortuus eſt autem Chazael rex Aram, & regnauit Benhadad filius eius pro eo.*

*25 Et reuerſus eſt Iehoas filius Iehoachaz, & tulit ciuitates de manu Benhadad filij Chazael, quas tulerat de manu Iehoachaz patris ſui in prælio, tribus vicibus percuſſit eum Ioas, & reddidit ciuitates Iſrael.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et reliqua verborem Ioas,& omnia, quæcumque fecit,& potentatus eius, quos fecit cum Ameſſia rege Iuda, nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 13 Et dormiuit Ioas cum patribus ſuis: & Hieroboam ſedit ſuper thronum eius,& ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael. 14 Et Eliſæe infirmatus eſt infirmitatem ſuam, per quam mortuus eſt: & deſcendit ad eum Ioas rex Iſrael, & plorauit ſuper faciem eius, & dixit: Pater, pater, currus Iſrael,& eques eius. 15 Et dixit ei Eliſæe: Cape arcum,& ſagittas. Et cepit ad ſe arcum,& ſagittas. 16 Et dixit regi: Impone manum tuam ſuper arcum. Et impoſuit Ioas manum ſuam, & impoſuit Eliſæe manus ſuas ſuper manus regis. 17 Et dixit: Aperi feneſtram ad orientem. Et aperuit,& dixit Eliſæe: Iaculare. Et iaculatus eſt Et dixit: Sagitta ſalutis Domino, & ſagitta ſalutis in Syria: & percuties Syriam in Aphec vſque ad conſummationem. 18 Et dixit ei Eliſæe: Cape ſagittas. Et cepit, & dixit regi Iſrael: Percute in terram. Et percuſſit rex ter,& ſtetit: 19 Et contriſtatus eſt ſuper eo homo Dei, & dixit: Si percuſſiſſes quinquies, vel ſexies, tunc percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem: & nunc ter percuties Syriam. 20 Et mortuus eſt Eliſæe,& ſepelierunt eum. Et accincti Moab venerunt in terram, veniente anno. 21 Et factum eſt ipſis ſepelientibus virum,& ecce viderunt accinctum,& proiecerunt virum in ſepulchrum Eliſæe. Et iuit,& tetigit oſſa Eliſæe,& vixit,& ſurrexit ſuper pedes ſuos. 22 Et Azael afflixit Iſrael omnibus diebus Ioachaz. 23 Et miſertus eſt Dominus eorum,& miſeratus eſt eos, & reſpexit ſuper eos propter teſtamentum ſuum, quod cum Abraam,& Iſaac,& Iacob: & noluit Dominus corrumpere eos,& non eiecit eos à facie ſua. 24 Et mortuus eſt Azael rex Syriæ,& regnauit filius Ader filius eius pro eo. 25 Et reuertit Ioas filius Ioachaz,& cepit ciuitates de manu filij Ader filij Azael, quas ceperat de manu Ioachaz patris eius in bello, ter percuſſit eum Ioas,& reddidit ciuitates Iſrael.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XIIII.

1 IN anno ſecundo Ioas filij Ioachaz regis Iſrael regnauit Amaſias filius Ioas regis Iuda.

* 2. Par. 25. 1.

2 * Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet: viginti autem & nouem annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Ioadan de Ieruſalem.

3 Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non vt Dauid pater eius. Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater ſuus, fecit:

4 Niſi hoc tantum, quòd excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis.

5 Cumque obtinuiſſet regnum, percuſſit ſeruos ſuos, qui interfecerant regem patrem ſuum:

* Deut. 24. 16. Eze. 18. 20.

6 Filios autem eorum, qui occiderant, non occidit, iuxta quod ſcriptum eſt in libro legis Moyſi, ſicut præcepit Dominus, dicens: * Non morientur patres pro filijs, neque filij morientur pro patribus: ſed vnuſquiſque in peccato ſuo morietur.

7 Ipſe percuſſit Edom in Valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocauitque nomen eius Iectehel vſque in præſentem diem.

8 Tunc miſit Amaſias nuncios ad Ioas filium Ioachaz, filij Iehu regis Iſrael, dicens: Veni, & videamus nos.

9 Remiſitque Ioas rex Iſrael ad Amaſiam regem Iuda dicens: Carduus Libani miſit ad cedrum, quę eſt in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo vxoré. Tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcauerunt carduum.

10 Percutiens inualuiſti ſuper Edom, & ſubleuauit te cor tuum: contentus eſto gloria, & ſede in domo tua: quare prouocas malum, vt cadas tu & Iudas tecum?

11 Et non acquieuit Amaſias: Aſcenditque Ioas rex Iſrael, & viderunt ſe, ipſe & Amaſias rex Iuda in Bethſames oppido Iudæ.

12 Percuſſuſque eſt Iuda coram Iſrael, & fugerunt vnuſquiſque in tabernacula ſua.

13 Amaſiam vero regem Iuda filium Ioas filij Ochoziæ cepit Ioas rex Iſrael in Bethſames, & adduxit eum in Ieruſalem: & interrupit murum Ieruſalé, à porta Ephraim vſque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

Tu-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XIIII.

1 *ANno ſecundo Ioas filij Iehoachaz regis Iſrael regnauit Amaſiahu filius Ioas regis Iehudah.*

2 *Viginti & quinque annorum erat quando regnauit: viginti autem & nouem annis regnauit in Ieruſalaim, nomen verò matris eius Iehoaddan de Ieruſalaim.*

3 *Et fecit quod rectum erat in oculis Domini, verumtamen non ſicut Dauid pater eius, iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater eius fecit:*

4 *Verumtamen excelſa non abſtulerunt: adhuc populus immolabat, & ſuffiebat in excelſis.*

5 *Et fuit, quum roboratum eſſet regnum in manu eius, percuſſit ſeruos ſuos, qui percuſſerant regem patrem ſuum:*

6 *Filios autem percuſſorum non occidit, ſicut ſcriptũ eſt in libro legis Moſeh, in quo præcepit Dominus, dicendo: Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus: ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.*

7 *Ipſe percuſſit Edom in Valle ſalis decem millia, & cepit Selah in bello, & vocauit nomen eius Ioktheel vſque ad diem hanc.*

8 *Tunc miſit Amaſiah nuncios ad Ioas filium Iehoachaz, filij Iehu regis Iſrael, dicendo: Veni, videamus nos facie.*

9 *Miſitque Iehoas rex Iſrael ad Amaſiahu regem Iehudah, dicendo: Carduus, qui eſt in Lebanõ miſit ad cedrum, quæ eſt in Lebanon, dicendo: Da filiam tuam filio meo vxorem. Et tranſiuit beſtia agri, quæ eſt in Lebanon, & conculcauit carduum.*

10 *Percutiendo percuſſiſti Edom, & eleuauit te cor tuum: gloriare, & ſede in domo tua: & vt quid prouocas te in malum, vt cadas tu, & Iehudah tecum?*

11 *Et non audiuit Amaſiahu: Et aſcendit Iehoas rex Iſrael, & viderunt ſe facie, ipſe & Amaſiahu rex Iehudah in Bethſemes, quæ eſt ipſi Iehudah.*

12 *Et caſus eſt Iehudah coram Iſrael, & fugerũt vnuſquiſque in tabernacula ſua.*

13 *Amaſiahu verò regem Iehudah filium Iehoas filij Achaziahu, cepit Ioas rex Iſrael in Bethſemes, & venit in Ieruſalaim: & diruit murum Ieruſalaim à porta Ephraim, vſque ad portam anguli quadringentis cubitis.*

*Tu-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XIIII.

IN anno ſecundo Ioas filij Ioachaz regis Iſrael, & regnauit Ameſſias filius Ioas rex Iuda. 2 Filius vigin-
ti, & quinque annorum erat in regnando ipſum: & viginti & nouem annos regnauit in Hieruſalem. & nomen
matris eius Ioadim de Hieruſalem. 3 Et fecit rectum in oculis Domini, verumtamen non ſicut Dauid
pater eius, iuxta omnia, quæcumque fecerat Ioas pater eius, fecit. 4 Verumtamen excelſa non ſuſtulit: ad-
huc populus ſacrificabat, & adolebat in excelſis. 5 Et factum eſt, quando confortatum fuit regnum
in manu ipſius & percuſſit ſeruos ſuos, qui percuſſerant patrem ipſius: 6 Et filios eorum, qui percuſſerant,
non interfecit, ſicut ſcriptum eſt in libro legum Moyſi, quomodo mandauit Dominus, dicens: Non morientur
patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus: quia tantum vnuſquiſque in peccatis ſuis morietur:
7 Ipſe percuſſit Edom in Gemeled decem millia, & cepit petram in bello, & vocauit nomen eius Iethoel vſque
in diem hanc. 8 Tunc miſit Ameſſias nuncios ad Ioas filium Ioachaz filij Ihu regis Iſrael, dicens: Ve-
ni, conſpiciamus nos faciebus. 9 Et miſit Ioas rex Iſrael ad Ameſſiam regem Iuda, dicens: Carduus, qui in
Libano, miſit ad cedrum, quæ in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo in vxorem. Et tranſierunt beſtiæ agri,
quæ in Libano, & conculcauerunt cardunm. 10 Percutiens percuſſiſti Idumæam, & eleuauit te cor tuum:
gloriare ſedens in domo tua: & vt quid contendis in malum tuum, & cades tu, & Iudas tecum? 11 Et non au-
diuit Ameſſias: Et aſcendit Ioas rex Iſrael, & conſpexerunt ſe faciebus, ipſe & Ameſſias rex Iuda in Bæthſamys,
quæ ipſius Iuda. 12 Et cecidit Iudas à facie Iſrael, & fugit vir in tabernaculum ſuum, 13 Et Ameſ-
ſiam filium Ioas filij Ochoziæ cepit Ioas rex Iſrael in Bæthſamys, & venit in Hieruſalem: & diruit in muro Hie-
ruſalem in porta Ephraim vſque ad portam anguli quadringentos cubitos.

Ex co-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

14 Tuliſque omne aurum,& argentum, & vniuerſa vaſa,quæ inuenta ſunt in domo Domini,& in theſauris regis,& obſides,& reuerſus eſt in Samariam.

15 Reliqua autem verborum Ioas,quæ fecit,& fortitudo eius qua pugnauit contra Amaſiam regem Iuda, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

16 Dormiuitque Ioas cum patribus ſuis,& ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael: & regnauit Ieroboã filius eius pro eo.

17 Vixit autem Amaſias,filius Ioas,rex Iuda, poſtquam mortuus eſt Ioas filius Ioachaz regis Iſrael quindecim annis.

18 Reliqua autem ſermonum Amaſiæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda?

19 Factaque eſt contra eum coniuratio in Ieruſalem: at ille fugit in Lachis. Miſeruntque poſt eum in Lachis,& interfecerunt eum ibi.

20 Et aſportauerunt in equis, ſepultuſque eſt in Ieruſalem cum patribus ſuis in ciuitate Dauid.

21 *Tulit autem vniuerſus populus Iudæ Azariam annos natum ſexdecim, & conſtituerunt eum regem pro patre eius Amaſia. (* 2. Paral. 26.1.)

22 Ipſe ædificauit Ælath, & reſtituit eam Iudæ, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis.

23 Anno quintodecimo Amaſiæ filij Ioas regis Iuda, regnauit Ieroboam filius Ioas regis Iſrael in Samaria,quadraginta & vno anno:

24 Et fecit quod malum eſt coram Domino. Non receſſit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael.

25 Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emath, vſque ad Mare ſolitudinis, iuxta ſermonem Domini Dei Iſrael,quem locutus eſt per ſeruum ſuum *Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ eſt in Opher. (* Ionæ 1.1.)

26 Vidit enim Dominus afflictionem Iſrael amarã nimis,& quod conſumpti eſſent vſq; ad clauſos carcere,& extremos,& non eſſet,qui auxiliaretur Iſraeli.

27 Nec locutus eſt Dominus, vt deleret nomen Iſrael de ſub cœlo, ſed ſaluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas.

28 Reliqua autem ſermonum Ieroboam, & vniuerſa, quæ fecit,& fortitudo eius,qua prœliatus eſt,& quomodo reſtituit Damaſcum ,& Emath Iudæ in Iſrael, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

Dor-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Tuliſque omne aurum, & argentum, & vaſa, quæ inuenta ſunt in domo Domini,& in theſauris domus regis,& filios obſides,& reuerſus eſt in Semron.*

15 *Reſidua autem Iehoas,quæ fecit,& fortitudo eius,& quæ pugnauit cum Amaſiahu rege Iehudah, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

16 *Dormiuitque Iehoas cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Semron cum regibus Iſrael: & regnauit Iarobham filius eius pro eo.*

17 *Vixit autẽ Amaſiahu filius Ioas rex Iehudah, poſtquam mortuus eſt Iehoas filius Iehoachaz regis Iſrael quindecim annis.*

18 *Reſidua autem Amaſiahu, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

19 *Et coniurauerunt aduerſus eum coniurationem in Ieruſalaim: & fugit in Lachis. Et miſerunt poſt eũ in Lachis,& occiderunt eum ibi.*

20 *Et tulerunt eum in equis, & ſepultus eſt in Ieruſalaim cum patribus ſuis in ciuitate Dauid.*

21 *Tulerunt autem vniuerſus populus Iehudah Hazariah (& erat ſexdecim annorum,) & regem conſtituerunt eum pro patre ſuo Amaſiahu.*

22 *Ipſe ædificauit Elath, & reſtituit eam ipſi Iehudah, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis.*

23 *Anno quintodecimo Amaſiah filij Ioas regis Iehudah, regnauit Iarobham filius Ioas ſuper Iſraël in Semron quadraginta,& vno annis:*

24 *Et fecit malum in oculis Domini. Non declinauit ab omnibus peccatis Iarobham filij Nebath,qui peccare fecit Iſrael.*

25 *Ipſe reſtituit terminum Iſrael ab introitu Chamath vſque ad Mare ſolitudinis, iuxta verbum Domini Dei Iſrael, quod locutus fuerat per manum ſerui ſui Ionah filij Amithai propheta, qui erat de Gathhachepher.*

26 *Vidit enim Dominus afflictionem Iſrael mutabilem valdè,& non erat clauſus,nec derelictus,neque auxilians Iſraeli.*

27 *Et non eſt locutus Dominus, vt deleret nomẽ Iſrael, vt non eſſet ſub cælo,& ſeruauit eos per manum Iarobham filij Ioas.*

28 *Reſidua autem Iarobham,& omnia,quæ fecit,& fortitudo eius quæ pugnauit, & quæ reſtituit Dammeſech,& Chamath ipſi Iehudah in Iſrael, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et cepit aurum,& argentum,& omnia vaſa inuenta in domo Domini,& in theſauris domus regis, & filios cõmiſſionum,& reuertit in Samariam. 15 Et reliqua verborum Ioas,quæcumque fecit in potentatu ſuo,quæ bellauit cum Ameſſia rege Iuda,nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 16 Et dormiuit Ioas cum patribus ſuis,& ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael: & regnauit Hieroboam filius eius pro eo. 17 Et vixit Ameſſias filius Ioas rex Iuda,poſtquam mortuus eſt Ioas filius Ioachaz rex Iſrael, quinque & decem annos. 18 Et reliqua verborum Ameſſiu,& omnia,quæcumque fecit,nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? 19 Et coniurauerunt ſuper eum coniurationem in Hieruſalem: & fugit in Lachis. Et miſerunt poſt eum in Lachis,& occiderunt eum ibi. 20 Et tulerunt eum ſuper equos, & ſepultus eſt in Hieruſalem cum patribus ſuis in ciuitate Dauid. 21 Et aſſumpſit omnis populus Iuda Azariam (& ipſe filius ſex & decem annorum) & regnare fecerunt eum pro patre eius Ameſſia. 22 Hic ædificauit Ælotli,& reſtituit eam ipſi Iuda, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis. 23 In anno quinto & decimo Ameſſiæ filij Ioas regis Iuda regnauit Hieroboã filius Ioas ſuper Iſrael in Samaria quadraginta & vnum annos. 24 Et fecit malũ in conſpectu Dñi. Non receſſit ab omnibus peccatis Hieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael. 25 Ipſe amouit terminũ Iſrael ab introitu Æmath vſque ad Mare ipſius Araba,iuxta verbum Domini Dei Iſrael,quod locutus eſt in manu ſerui ſui Ionæ filij Amathi prophetæ,qui de Gethchopher. 26 Quoniam vidit Dominus humiliationẽ Iſrael amaram valde,& paucos,clauſos,& rarefactos,& derelictos,& non erat,qui auxiliaretur Iſrael. 27 Et nõ locutus eſt Dominus delere ſemen Iſrael de ſub cœlo,& ſaluauit eos per manum Hieroboam filij Ioas. 28 Et reliqua verborum Hieroboã,& omnia,quæcũque fecit,& potentatus eius,quæcũque bellauit,& quæcumque reſtituit,Damaſcum,& Æmath ipſi Iuda in Iſrael,nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael.

Et dor-

## Vulgat. Editio.

Dormiuitque Ieroboam cum patribus ſuis regibus Iſrael,& regnauit Zacharias filius eius pro eo. 29

### CAP. XV.

ANno vigeſimo ſeptimo Ieroboam regis Iſrael regnauit Azarias filius Amaſiæ regis Iuda. 1

Sexdecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem. 2

Fecitque quod erat placitum coram Domino,iuxta omnia,quæ fecit Amaſias pater eius. 3

Verumtamen excelſa non eſt demolitus: adhuc populus ſacrificabat,& adolebat incenſum in excelſis. 4

* 2.Par.26 21. * Percuſſit autem Dominus regem, & fuit leproſus vſque in diem mortis ſuæ, & habitabat in domo libera ſeorſum: Ioathan vero filius regis gubernabat palatium,& iudicabat populum terræ. 5

Reliqua autem ſermonum Azariæ,& vniuerſa, quæ fecit,nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iuda? 6

Et dormiuit Azarias cum patribus ſuis:ſepelieruntque eum cum maioribus ſuis in ciuitate Dauid, & regnauit Ioathan filius eius pro eo. 7

Anno trigeſimo octauo regis Iuda,regnauit Zacharias filius Ieroboam ſuper Iſrael in Samaria ſex menſibus: 8

Et fecit quod malum eſt coram Domino,ſicut fecerant patres eius: non receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael. 9

Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes: percuſſitque eum palam, & interfecit, regnauitque pro eo. 10

Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? 11

* Sup. 10. 30. * Iſte eſt ſermo Domini, quem locutus eſt ad Iehu,dicens:Filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Factumque eſt ita. 12

Sellum filius Iabes regnauit trigeſimo nono anno Azariæ regis Iuda: regnauit autem vno menſe in Samaria. 13

Et aſcendit Manahem filius Gadi de Therſa: venitque in Samariam, & percuſſit Sellum filium Iabes in Samaria,& interfecit eum,regnauitque pro eo. 14

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Et dormiuit Iarobham cum patribus ſuis cum regibus Iſrael,& regnauit Zechariah filius eius pro eo.*

### *CAP. XV.*

1 *ANno vigeſimo, & ſeptimo anno, Iarobham regis Iſrael, regnauit Hazariah filius Amaſiah regis Iehudah.*

2 *Sexdecim annorum erat,quando regnauit, & quinquaginta, & duobus annis regnauit in Ieruſalaim: & nomen matris eius Iecholiahu, de Ieruſalaim.*

3 *Et fecit quod rectum erat in oculis Domini, iuxta omnia,quæ fecerat Amaſiahu pater eius.*

4 *Verumtamen excelſa non abſtulerunt: adhuc populus immolabat,& ſuffiebat in excelſis.*

5 *Percuſſit autem Dominus regem & fuit leproſus vſque ad diem quo mortuus eſt, & habitauit in domo libera: Iotham vero filius regis erat ſuper domum iudicans populum terræ.*

6 *Reſidua autem Hazariahu,& omnia,quæ fecit,nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

7 *Et dormiuit Hazariah cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in ciuitate Dauid, & regnauit Iotham filius eius pro eo.*

8 *Anno trigeſimo & octauo anno Hazariahu regis Iehudah regnauit Zechariahu filius Iarobham ſuper Iſrael in Somron ſex menſibus:*

9 *Et fecit malum in oculis Domini, quemadmodum fecerunt patres eius: non declinauit à peccatis Iarobham filij Nebath,qui peccare fecit Iſrael.*

10 *Et coniurauit aduerſus eum Sallum filius Iabes: & percuſſit eum coram populo, & occidit eum, & regnauit pro eo.*

11 *Reſidua autem Zechariahu,ecce ipſa ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

12 *Hoc eſt verbum Domini, quod locutus fuerat ad Iehu, dicendo: Filij quartæ generationis ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Fuitque ita.*

13 *Sallum autem filius Iabes regnauit anno trigeſimo, & nono Hazariahu regis Iehudah: & regnauit per menſem dierum in Somron.*

14 *Et aſcendit Manahem filius Ghadi de Tirſah: venitque in Somron,& percuſſit Sallum filium Iabes in Somron,& interemit eum, regnauitque pro eo.*

*Re-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et dormiuit Hieroboam cum patribus ſuis cum regibus Iſrael,& regnauit Zacharias filius eius pro eo.

### CAP. XV.

IN anno vigeſimo,& ſeptimo Hieroboam regis Iſrael regnauit Azarias filius Ameſſiæ regis Iuda. 2 Filius ſex & decem annorum erat in regnando ipſum,& quinquaginta duos annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Hiechelia de Hieruſalem. 3 Et fecit rectum in oculis Domini, iuxta omnia,quæ fecerat Ameſſias pater eius. 4 Verumtamen excelſa non ſuſtulit: adhuc populus ſacrificabat,& adolebant in excelſis. 5 Et tetigit Dominus regem,& fuit leproſus vſque ad diem mortis ſuæ,& regnauit in domo Apphuſoth: & Ioatham filius regis ſuper domum iudicans populum terræ. 6 Et reliqua verborum Azariæ,& omnia,quæcumque fecit,nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? 7 Et dormiuit Azaria cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum cum patribus eius in ciuitate Dauid, & regnauit Ioatham filius eius pro eo. 8 In anno trigeſimo & octauo Azariu regis Iuda regnauit Zacharias filius Hieroboam ſuper Iſrael in Samaria ſex menſes: 9 Et fecit malum in oculis Domini,ſicut fecerant patres eius: non receſſit ab omnibus peccatis Hieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael. 10 Et coniurauerunt ſuper eum Sellum filius Labis: & percuſſerunt eum Ceblaam,& occiderunt eum & regnauit pro eo. 11 Et reliqua verborum Zachariæ,ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 12 Verbum Domini,quod locutus eſt ad Ihu,dicens: Filij quarti ſedebunt tibi ſuper thronum Iſrael. Et factum eſt ſic. 13 Et Sellum filius Labis regnauit, & in anno trigeſimo, & nono Azariæ regis Iuda regnauit Sellum menſem dierum in Samaria. 14 Et aſcendit Manaem filius Gaddi de Tarſila: & venit in Samariam, & percuſſit Sellum filium Labis in Samaria,& occidit eum.

Et re-

| Vulgat.Editio. | | | Transl.ex Heb.Sanct.Pagn. |
|---|---|---|---|
| Reliqua autem verborum Sellum,& cõiuratio eius, per quam tetendit inſidias, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? | 15 | 15 | *Reſidua autem Sallum, & coniuratio eius, qua coniurauit, ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?* |
| Tunc percuſſit Manahem Thapſam, & omnes, qui erant in ea, & terminos eius de Therſa, noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes eius,& ſcidit eas. | 16 | 16 | *Tunc percuſſit Menachem Tiphſach, & omnes, qui erant in ea, & termines eius à Tirſah, quia non aperuerat percuſſit, omnes prægnantes eius ſcidit.* |
| Anno trigeſimonono Azariæ regis Iuda regnauit Manahem filius Gadi ſuper Iſrael decem annis in Samaria. | 17 | 17 | *Anno trigeſimo, & nono anno Hazariahu regis Iehudah regnauit Menachem filius Ghadi ſuper Iſrael decem annis in Somron.* |
| Fecitque quod erat malum coram Domino: non receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael cunctis diebus eius. | 18 | 18 | *Et fecit malum in oculis Domini: non receſſit à peccatis Iarobham filij Nebath, qui peccare fecit Iſrael omnibus diebus ſuis.* |
| Veniebat Phul rex Aſſyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium,& firmaret regnum eius. | 19 | 19 | *Venit Pul rex Aſſur contra terram, & dedit Menachem ipſi Pul mille talenta argenti,vt eſſent manus eius ſecum ad roborandum regnum in manu eius.* |
| Indixitque Manahem argentum ſuper Iſrael cunctis potentibus, & diuitibus, vt daret regi Aſſyriorũ quinquaginta ſiclos argenti per ſingulos: reuerſuſq; eſt rex Aſſyriorum,& non eſt moratus in terra. | 20 | 20 | *Et indixit Menachem argentum ſuper Iſrael ſuper omnes potentes ſubſtantia, vt darent regi Aſſur quinquaginta ſeclos argenteos ſingulis: & reuerſus eſt rex Aſſur,& non ſtetit ibi in terra.* |
| Reliqua autem ſermonum Manahem, & vniuerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? | 21 | 21 | *Reſidua autem Menachem, & omnia,quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?* |
| Et dormiuit Manahem cum patribus ſuis: regnauitque Phacea filius eius pro eo. | 22 | 22 | *Et dormiuit Menachem cum patribus ſuis: et regnauit Pechachiah filius eius pro eo.* |
| Anno quinquageſimo Azariæ regis Iuda regnauit Phacea filius Manahem ſuper Iſrael in Samaria biennio: | 23 | 23 | *Anno quinquageſimo anno Hazariah regis Iehudah regnauit Pechachiah filius Menachem ſuper Iſrael in Somron duobus annis.* |
| Et fecit quod erat malum coram Domino: non receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael. | 24 | 24 | *Fecitque quod erat malum in oculis Domini: non receſſit à peccatis Iarobham filij Nebath, qui peccare fecit Iſrael.* |
| Coniurauit autem aduerſus eum Phacee filius Romeliæ,dux eius, & percuſſit eum in Samaria in turre domus regiæ iuxta Argob, & iuxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filijs Galaaditarum,& interfecit eum,regnauitque pro eo. | 25 | 25 | *Et coniurauit aduerſus eum Pecach filius Remaliahu dux eius, & percuſſit eum in Somron in palatio domus regia cum Arghob, & cum Arieh, & cum eo quinquaginta viri de filijs Ghilhaditarum, & interfecit eum,regnauitque pro eo.* |
| Reliqua autem ſermonum Phacea,& vniuerſa,quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? | 26 | 26 | *Reſidua autem Pechachiah, & omnia,quæ fecit, ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?* |
| Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ regis Iuda regnauit Phacee filius Romeliæ ſuper Iſrael in Samaria viginti annis. | 27 | 27 | *Anno quinquageſimo, & ſecundo Hazariah regis Iehudah regnauit Pechach filius Remaliahu ſuper Iſrael in Somron viginti annis.* |
| Et fecit quod erat malum coram Domino: non receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael. | 28 | 28 | *Fecitque quod malum erat in oculis Domini: non receſſit à peccatis Iarobham filij Nebath, qui peccare fecit Iſrael.* |
| In | | | *In* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et reliqua verborum Sellum,& coniuratio eius, quam coniurauit, ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 16 Tunc percuſſit Manaem,& ipſam Terſa,& omnia,quæ in ea, & terminos eius de Therſa,quoniam non aperuerant ei: & percuſſit eam,& prægnantes diſcidit. 17 In anno trigeſimo & nono Azariæ regis Iuda regnauit Manaem filius Gaddi ſuper Iſrael in Samaria decem annos.
18 Et fecit malum in oculis Domini: non receſſit ab omnibus peccatis Hieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 19 In diebus eius aſcendit Phua rex Aſſyriorum ſuper terram, & Manaem dedit ipſi Phua mille talenta argenti,vt eſſet manus eius ſecum. 20 Et extraxit Manaem argentum ſuper Iſrael, ſuper omnem potentem facultate, ad dandum regi Aſſyriorum, quinquaginta ſiclos viro vni: & reuertit rex Aſſyriorum,& non ſtetit ibi in terra. 21 Et reliqua verborum Manaem,& omnia, quæcumque fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 22 Et dormiuit Manaem cum patribus ſuis: & regnauit Phaceſias filius eius pro eo. 23 In anno quinquageſimo Azariæ regis Iuda regnauit Phaceſias filius Manaem ſuper Iſrael in Samaria duos annos. 24 Et fecit malum in oculis Domini: non receſſit à peccatis Hieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael. 25 Et coniurauit ſuper eum Phacee filius Rhomeliæ triſtata eius,& percuſſit eum in Samaria ante domum regis cum Argob,& cum Aria,& ſecum quinquaginta viri de quadringentis,& interfecit eum: & regnauit pro eo. 26 Et reliqua verborum Phaceſiæ,& omnia,quæcumque fecit,ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael.
27 In anno quinquageſimo & ſecundo Azariæ regis Iuda regnauit Phacee filius Rhomeliæ ſuper Iſrael in Samaria viginti annos. 28 Et fecit malum in oculis Domini: non receſſit ab omnibus peccatis Hieroboam filij Nabat,qui peccare fecit Iſrael.

In

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

29 In diebus Phacee regis Iſrael venit Theglathphalaſar rex Aſſur, & cepit Aion, & Abel domum Maacha, & Ianoe, & Cedes & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & vniuerſam terram Nephthali: & tranſtulit eos in Aſſyrios.

30 Coniurauit autem, & tetendit inſidias Oſee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percuſſit eũ, & interfecit: regnauitque pro eo vigeſimo anno Ioatham filij Oziæ.

31 Reliqua autem ſermonum Phacee, & vniuerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

*2.Par.27. 1. — 32 *Anno ſecundo Phacee, filij Romeliæ regis Iſrael, regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda.

33 Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Ieruſa, filia Sadoc.

34 Fecitque quod erat placitum coram Domino: iuxta omnia, quæ fecerat Ozias pater ſuus, operatus eſt.

35 Veruntamen excelſa non abſtulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis: ipſe ædificauit portam domus Domini ſublimiſſimam.

36 Reliqua autem ſermonum Ioatham, & vniuerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

37 In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Raſin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.

38 Et dormiuit Ioatham cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui, & regnauit Achaz filius eius pro eo.

### CAP. XVI.

1 ANno decimo ſeptimo Phacee filij Romeliæ regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda.

*2.Par.28. 1. — 2 *Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpiſſet, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalem: non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius.

3 Sed ambulauit in via regum Iſrael: inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignem ſecundum idola Gentium: quæ diſſipauit Dominus coram filijs Iſrael.

4 Immolabat quoque victimas, & adolebat incenſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo.

Tunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *In diebus Pechach regis Iſrael venit Tiglathpileſer rex Aſſur, & tulit Hyon, & Abelbethmaachah, & Ianoach, & Chedes, & Chaſor, & Gilhad, & Galilah omnem terram Naphthali, & tranſtulit eos in Aſſur.*

30 *Et coniurauit coniuratione Hoſeah filius Elah contra Pechach filium Remaliahu, & percuſſit eum, & occidit eum: regnauitque pro eo anno vigeſimo Iotham filij Huzziahu.*

31 *Reſidua autem Pechach, & omnia, quæ fecit, ecce ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iſrael?*

32 *Anno ſecundo Pechach filij Remaliahu regis Iſrael, regnauit Iotham filius Huzziahu regis Iehudah.*

33 *Filius viginti, & quinque annorum erat quando regnauit, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Ieruſa filia Sadoc.*

34 *Et fecit quod rectum erat in oculis Domini: iuxta omnia, quæ fecit Huzziahu pater eius fecit.*

35 *Veruntamen excelſa non abſtulerunt: adhuc populus immolabat, & ſuffiebat in excelſis: ipſe ædificauit portam domus Domini ſuperiorem.*

36 *Reſidua autem Iotham, & omnia, quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

37 *In diebus ipſis cœpit Dominus mittere in Iehudah Reſin regem Aram, & Pechach filium Remaliahu.*

38 *Dormiuitque Iotham cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui, regnauitque Achaz filius eius pro eo.*

### CAP. XVI.

1 *ANno ſeptimo decimo Pechach filij Remaliahu regnauit Achaz filius Iotham regis Iehudah.*

2 *Viginti annorum erat Achaz quando regnauit, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalaim: & non fecit quod rectum eſt in oculis Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius.*

3 *Et abijt in via regum Iſrael, & etiam filium ſuum tranſire fecit per ignem, ſecundum abominationes Gentium: quas expulit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

4 *Et immolauit, & ſuffiuit in excelſis, & collibus, & ſubter omne lignum viride.*

*Tunc*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 In diebus Phacee regis Iſrael venit Thalgath Phellaſar rex Aſſyriorum, & cepit Ain, & Abel, & Thamaacha, & Aniocb, & Cenez, & Aſor, & Galaan, & Galilæam, omnem terram Nephthali, & emigrauit eos in Aſſyrios. 30 Et coniurauit coniurationem Oſee filius Elà ſuper Phacee filium Romeliæ, & percuſſit eum, & interfecit: & regnauit pro eo in anno vigeſimo Ioatham filij Azariæ. 31 Et reliqua verborum Phacee, & omnia, quæcumque fecit, ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iſrael? 32 In anno ſecundo Phacee filij Romeliæ regis Iſrael, regnauit Ioatham filius Azariæ regis Iuda. 33 Filius viginti, & quinque annorum erat in regnando ipſum, & ſex & decem annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Hieruſa filia Sadoc. 34 Et fecit rectum in oculis Domini, ſecundum omnia, quæcumque fecerat Azarias pater eius. 35 Veruntamen excelſa non abſtulit: adhuc populus ſacrificabat, & adolebat in excelſis: hic ædificauit portam domus Domini, quæ ſupra. 36 Et reliqua verborum Ioatham, & omnia, quæcumque fecit, nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? 37 In diebus illis cœpit Dominus emittere in Iudam Raaſſon regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ. 38 Et dormiuit Ioatham cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui, & regnauit Achaz filius eius pro eo.

### CAP. XVI.

IN anno ſeptimo & decimo Phacee filij Romeliæ regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda. 2 Filius viginti annorum erat Achaz in regnando ipſum, & ſex & decem annos regnauit in Hieruſalem: & non fecit rectum in oculis Domini Dei ſui fideliter, ſicut Dauid pater eius. 3 Et ambulauit in via regum Iſrael: etiam filium ſuum traduxit in igne ſecundum abominationem Gentium: quas ſuſtulerat Dominus à facie filiorum Iſrael. 4 Et ſacrificabat, & adolebat in excelſis, & ſuper colles, & ſub omni ligno frondoſo.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Iſa.7.1.

5 * Tunc aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſrael in Ieruſalem ad prœliandum: cumq; obſiderent Achaz, nõ valuerunt ſuperare eum.

6 In tempore illo reſtituit Raſin rex Syriæ, Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailam, & habitauerunt ibi vſque in diem hanc.

7 Miſit autem Achaz nuncios ad Theglathphalaſar regem Aſſyriorum, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego ſum: aſcende, & ſaluum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Iſrael, qui conſurrexerunt aduerſum me.

8 Et cum collegiſſet argentum, & aurum, quod inueniri potuit in domo Domini, & in theſauris regis, miſit regi Aſſyriorum munera.

9 Qui & acquieuit voluntati eius: aſcendit enim rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtauit eam: & tranſtulit habitatores eius Cyrenẽ, Raſin autẽ interfecit.

10 Perrexitque rex Achaz in occurſum Theglathphalaſar regi Aſſyriorum in Damaſcum, cumque vidiſſet altare Damaſci, miſit rex Achaz ad Vriam ſacerdotem exemplar eius, & ſimilitudinem iuxta omne opus eius.

11 Extruxitque Vrias ſacerdos altare iuxta omnia, quæ præceperat rex Achaz de Damaſco, ita fecit ſacerdos Vrias, donec veniret rex Achaz de Damaſco.

12 Cumque veniſſet rex de Damaſco, vidit altare, & veneratus eſt illud: aſcenditque & immolauit holocauſta, & ſacrificium ſuum:

13 Et libauit libamina, & fudit ſanguinem pacificorũ, quæ obtulerat ſuper altare.

14 Porro altare æreum, quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini: poſuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem.

15 Præcepit quoque rex Achaz Vriæ ſacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocauſtum matutinum, & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum regis, & ſacrificium eius, & holocauſtum vniuerſi populi terræ, & ſacrificia eorum, & libamina eorum: & omnẽ ſanguinem holocauſti, & vniuerſum ſanguinem victimæ ſuper illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam.

16 Fecit igitur Vrias ſacerdos iuxta omnia, quæ præceperat rex Achaz.

17 Tulit autem rex Achaz cælatas baſes, & luterẽ, qui erat deſuper: & mare depoſuit de bobus æreis, qui ſuſtentabant illud, & poſuit ſuper pauimentum ſtratum lapide.

Mu-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*5 Tunc aſcendit Reſin rex Aram, & Pechach filius Remaliahu rex Iſrael in Ieruſalaim in prælium: & obſederunt Achaz, & non potuerunt expugnare.*

*6 In tempore illo reſtituit Reſin rex Aram Elath ipſi Aram, & extirpauit Iehudæos de Elath: & Edomæi venerunt in Elath, & habitauerunt ibi vſque ad diem hanc.*

*7 Miſit autem Achaz nuncios ad Tiglathpeleſer regem Aſſur, dicendo: Seruus tuus, & filius tuus ſum: aſcende, & ſerua me de manu regis Aram, & de manu regis Iſrael, qui ſurrexerunt aduerſum me.*

*8 Et tulit Achaz argentum, & aurum, quod inuentum eſt in domo Domini, & in theſauris domus regis, & miſit regi Aſſur munus.*

*9 Et exaudiuit eum rex Aſſur: aſcendit autem rex Aſſur in Dammeſech, & cepit eam: & tranſmigrare fecit in Chir, & Reſin interemit.*

*10 Perrexitque rex Achaz in occurſum Tiglathpileſer regis Aſſur in Dammeſech. Viditque altare, quod erat in Dammeſech, & miſit rex Achaz ad Vrijah ſacerdotem ſimilitudinem altaris, & figuram eius, ſecundum omne opus eius.*

*11 Extruxitque Vrijah ſacerdos altare, iuxta omnia, quæ miſit rex Achaz è Dammeſech, ſic fecit Vrijah ſacerdos, donec venit rex Achaz è Dammeſech.*

*12 Venit autem rex è Dammeſech, & vidit altare, & acceſſit ad altare, & obtulit ſuper illud: & ſuffiuit holocauſtum ſuum & ſacrificium ſuum:*

*13 Et libauit libamen ſuum, & ſparſit ſanguinem pacificorum, qui erat ei ſuper altare.*

*14 Altare autem æneum, quod erat coram Domino, appropinquare fecit à facie domus inter altare, & domum Domini: & poſuit illud iuxta latus altaris ad Aquilonem.*

*15 Et præcepit rex Achaz Vrijah ſacerdoti, dicendo: Super altare maius ſuffi holocauſtum matutinum, & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum regium, & ſacrificium eius, & holocauſtum vniuerſi populi terræ, & ſacrificium eorum, & libamina eorum: & omnem ſanguinem holocauſti, & vniuerſum ſanguinem victimæ ſuper illud ſparges: altare vero æreum erit mihi ad quærendum.*

*16 Et fecit Vrijah ſacerdos iuxta omnia, quæ præcepit rex Achaz.*

*17 Et abſcidit rex Achaz clauſuras baſium, & remouit ab eis concham: & mare deponi fecit de bobus æreis, quæ erant ſub eo, & poſuit eos ſuper pauimẽtum lapideum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Tunc aſcendit Rhaaſſon rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſrael in Hieruſalem ad bellum: & obſidebãt
ſuper Achaz, & non potuerunt expugnare. 6 In tẽpore illo reſtituit Raaſſon rex Syriæ ipſam Ælath ipſi Syriæ,
& eiecit Iudæos de Ælath: & Idumæi venerunt in Ælath & habitauerunt ibi vſque in diem hãc. 7 Et miſit A-
chaz nuncios ad Thalgath Phellaſar regem Aſſyriorum, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego: aſcende, ſalua me
de manu regis Syriæ, & de manu regis Iſrael inſurgentium ſuper me. 8 Et ſumpſit Achaz argentum, & aurum
inuentum in theſauris domus Domini, & domus regis, & miſit regi dona. 9 Et audiuit eum rex Aſſyriorum: &
aſcendit rex Aſſyriorum in Damaſcum, & cepit eam: & tranſtulit eam, & Rhaaſſon regem interfecit. 10 Et iuit
rex Achaz in Damaſcum in obuiam Talgath Phellaſar regi Aſſyriorum in Damaſcum. Et vidit altare in Dama-
ſco, & miſit rex Achaz ad Vriam ſacerdotem ſimilitudinem altaris, & rythmum eius, & omnem facturam eius.
11 Et ædificauit Vrias ſacerdos altare iuxta omnia, quæcumque miſerat rex Achaz è Damaſco. 12 Et vidit rex
altare, & aſcendit ſuper illud: & adoleuit holocauſtoſim ſuam, & ſacrificium ſuum. 13 Et libationem ſuam, & ef-
fudit ſanguinem pacificorum ſuorum ſuper altare æneum, quod ante Dominum. 14 Et adduxit faciem domus
Domini ab eo, quod inter altare, & ab eo quod inter domum Domini: & oſtendit illud ſuper femur altaris ad A-
quilonem. 15 Et mandauit rex Achaz Vriæ ſacerdoti, dicens: Super altare magnum offer holocauſtoſim matu-
tinam, & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtoſim regis, & ſacrificium eius, & holocauſtoſim vniuerſi populi, &
ſacrificium eorum, & libationem eorum: & omnem ſanguinem holocauſti, & omnem ſanguinem ſacrificij ſuper
illud effundes: & altare æneum erit mihi in mane. 16 Et fecit Vrias ſacerdos iuxta omnia, quæcumque man-
dauit ei rex Achaz. 17 Et concidit rex Achaz clauſuras ipſarum Mechonoth, & tranſtulit ab eis luterem: &
mare deiecit à bobus æneis, qui ſub eo, & dedit illud ſuperb aſim lapideam.

Et ſun-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

18 Muſach quoque ſabbati, quod ædificauerat in templo: & ingreſſum regis exterius conuertit in templum Domini propter regem Aſſyriorum.

19 Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda?

20 Dormiuitque Achaz cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid, & regnauit Ezechias filius eius pro eo.

### CAP. XVII.

1 ANno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Oſee filius Ela in Samaria ſuper Iſrael nouem annis.

2 Fecitque malum coram Domino: ſed non ſicut reges Iſrael, qui ante eum fuerant.

*Infr. 18. Tob. 1.* 3 * Contra hunc aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum, & factus eſt ei Oſee ſeruus, reddebatque illi tributa.

4 Cumque deprehendiſſet rex Aſſyriorum Oſee, quód rebellare nitens miſiſſet nuncios ad Sua regem Ægypti, ne præſtaret tributa regi Aſſyriorum ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vinctum miſit in carcerem.

5 Peruagatuſque eſt omnem terram: & aſcendens Samariam, obſedit eam tribus annis.

*Inf. 18. 10.* 6 * Anno autem nono Oſee, cepit rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: poſuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum.

7 Factum eſt enim, cum peccaſſent filij Iſrael Domino Deo ſuo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos.

8 Et ambulauerunt iuxta ritum Gentium, quas conſumpſerat Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & regum Iſrael: quia ſimiliter fecerant.

9 Et offenderunt filij Iſrael verbis non rectis Dominum Deum ſuum: & ædificauerunt ſibi excelſa in cunctis vrbibus ſuis à Turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.

10 Feceruntque ſibi ſtatuas, & lucos in omni colle ſublimi, & ſubter omne lignum nemoroſum:

11 Et adolebant ibi incenſum ſuper aras in moré Gentium, quas tranſtulerat Dominus à facie eorum: feceruntque verba peſſima irritantes Dominum.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et tectum ſabbati, quod ædificauerant in domo: & ingreſſum regis exterius circuire fecit domum Domini propter regem Aſſur.*

19 *Reſidua autem Achaz, quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

20 *Dormiuitque rex Achaz cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid, & regnauit Chizchijahu filius eius pro eo.*

### CAP. XVII.

1 *ANno duodecimo Achaz regis Iehudah, regnauit Hoſeah filius Elah in Somron ſuper Iſrael nouem annis.*

2 *Fecitque malum in oculis Domini: verumtamen nō ſicut reges Iſrael, qui fuerunt ante eum.*

3 *Aduerſus eum aſcendit Salmaneſer rex Aſſur, & fuit ei Hoſeah ſeruus, reddebatque ei munus.*

4 *Et inuenit rex Aſſur in Hoſeah coniurationem, quód miſit nuncios ad Sua regem Ægypti, & non obtulit munus regi Aſſur annuatim, & clauſit eum rex Aſſur, & vinxit eum in domo carceris.*

5 *Et aſcendit rex Aſſur in omnem terram: & aſcendit in Somron, & obſedit eam tribus annis.*

6 *Anno autem nono Hoſeah cepit rex Aſſur Somron, & tranſtulit Iſrael in Aſſur, & habitare fecit eos in Chelach, & in Chabor flumine Gozan, & ciuitatibus Medorum.*

7 *Et fuit, cum peccaſſent filij Iſrael Domino Deo ſuo, qui aſcendere fecerat eos è terra Ægypti, vt eſſent ſub poteſtate Parhoh regis Ægypti, timuerunt deos alienos.*

8 *Et ambulauerunt in decretis Gentium, quas eiecerat Dominus à facie filiorum Iſrael: & regum Iſrael, quæ fecerunt.*

9 *Et occultè fecerunt filij Iſrael, quæ non erant recta coram Domino Deo ſuo: & ædificauerunt ſibi excelſa in cunctis vrbibus ſuis à turre cuſtodum, vſque ad ciuitatem munitam.*

10 *Et ſtatuerunt ſibi ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem eleuatum, & ſubter omne lignum viride:*

11 *Et ſuffiuerunt ibi in omnibus excelſis, ſicut Gentes, quas tranſtulerat Dominus à facie eorum: & fecerunt peſſima ad irritandum Dominum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et fundamentum cathedræ ædificauit in domo Domini, & introitum regis exteriorem conuertit in domum
Domini à facie regis Aſſyriorum. 19 Et reliqua verborum Achaz, quæcumque fecit, nonne hæc
ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? 20 Et dormiuit Achaz cum patribus ſuis, & ſepul-
tus eſt in ciuitate Dauid, & regnauit Ezecias filius eius pro eo.

### CAP. XVII.

IN anno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Oſee filius Ela in Samaria ſuper Iſrael nouem annos.
2 Et fecit malum in oculis Domini: veruntamen non ſicut reges Iſrael, qui fuerant ante eum. 3 Super ip-
ſum aſcendit Salamanaſſar rex Aſſyriorum, & factus eſt ei Oſee ſeruus, & reddidit ei Manaa. 4 Et inuenit rex
Aſſyriorum in Oſee iniuſtitiam, quoniam miſerat nuncios ad Segor regem Ægypti, & non attulerat Manaa regi
Aſſyriorum in anno illo, & oppugnauit eum rex Aſſyriorum, & ligauit eum in domo cuſtodiæ. 5 Et aſcendit
rex Aſſyriorum in omnem terram: & aſcendit in Samariam, & oppugnauit ſuper eam tribus annis. 6 In anno
nono Oſee cepit rex Aſſyriorum in Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: & collocauit eos in Alae, & in A-
bor fluuijs Gozan, & ore Medorum. 7 Et factum eſt, quia peccauerunt filij Iſrael Domino Deo ſuo, qui eduxe-
rat eos de terra Ægypti de ſub manu Pharaonis regis Ægypti, & timuerunt deos alios. 8 Et ambulauerunt in-
ſtificationibus Gentium, quas ſuſtulerat Dominus à facie filiorum Iſrael, & reges Iſrael: quicumque fecerunt.
9 Et quicumque induti ſunt filij Iſrael verba non ſic contra Dominum Deum ſuum: & ædificauerunt ſibi ex-
celſa in omnibus ciuitatibus ſuis à turre cuſtodum, vſque ad ciuitatem munitam. 10 Et ſtatuerunt ſibi titulos,
& lucos in omni colle excelſo, & ſub omni ligno frondoſo. 11 Et adolebant ibi in omnibus excelſis, ſicut Gētes,
quas tranſtulit Dominus à facie eorum: & fecerunt participes, & ſculpſerunt ad irritandum Dominum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc.

13 Et teſtificatus eſt Dominus in Iſrael, & in Iuda per manum omnium Prophetarum, & Videntium, dicens: * Reuertimini à vijs veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea & ceremonias iuxta omnem legem, quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos in manu ſeruorum meorum Prophetarum.

*Iere. 25. 5.

14 Qui non audierunt, ſed indurauerunt ceruicem ſuã iuxta ceruicem patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo.

15 Et abiecerunt legitima eius, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & teſtificationes, quibus conteſtatus eſt eos: ſecutique ſunt vanitates, & vane egerunt: & ſecuti ſunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, ſuper quibus præceperat Dominus eis, vt non facerent ſicut & illæ faciebant.

16 Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui: feceruntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuerſam militiam cœli: ſeruieruntque Baal:

17 Et conſecrauerunt filios ſuos, & filias ſuas per ignẽ: & diuinationibus inſeruiebant, & augurijs: & tradiderunt ſe, vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum.

18 Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo.

19 Sed nec ipſe Iuda cuſtodiuit mandata Domini Dei ſui: verum ambulauit in erroribus Iſrael, quos operatus fuerat.

20 Proiecitque Dominus omne ſemen Iſrael, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proijceret eos à facie ſua:

21 * Ex eo iam tempore, quo ſciſſus eſt Iſrael à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Ieroboam filium Nabat: ſeparauit enim Ieroboam Iſrael à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.

* 3. Reg. 12. 19.

22 Et ambulauerunt filij Iſrael in vniuerſis peccatis Ieroboam, quæ fecerat: & non receſſerunt ab eis.

23 * Vſque quo Dominus auferret Iſrael à facie ſua, ſicut locutus fuerat in manu omnium ſeruorum ſuorum Prophetarum: tranſlatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios, vſque in diem hanc.

*Iere. 25. 9.

Ad-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et ſeruierunt idolis, de quibus dixit Dominus: Non facietis hoc.*

13 *Et teſtificari fecit Dominus in Iſrael, & in Iehudah per manum omnium Prophetarum omnem viſionem, dicendo: Reuertimini à vijs veſtris malis, & cuſtodite præcepta mea, & decreta mea, iuxta omnem legem, quam præcepi patribus veſtris: & quam miſi ad vos per manum ſeruorum meorum Prophetarum.*

14 *Et non audierunt, & indurauerunt ceruicem ſuam, iuxta ceruicem patrum ſuorum, qui non crediderunt Domino Deo ſuo.*

15 *Et contempſerunt decreta eius, & pactum eius, quod pepigit cum patribus eorum, & teſtificationes eius, quibus teſtificatus eſt eis: & ambulauerunt poſt vanitatem & vani facti ſunt: & poſt Gentes, quæ erant in circuitu eorum, de quibus præcepit Dominus, vt non facerent ſicut illa.*

16 *Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui: & fecerunt ſibi conflatile, duos vitulos, & fecerunt lucum, & incuruauerunt ſe vniuerſæ militiæ cœli: & ſeruierunt Bahal:*

17 *Et tranſire fecerunt filios ſuos, & filias per ignem: & diuinauerunt diuinationes, & augurabantur: & tradiderunt ſe, vt facerent malum in oculis Domini, vt irritarent eum.*

18 *Et iratus eſt Dominus valdè contra Iſrael, & remouit eos à facie ſua, non remanſit niſi tribus Iehudah ſola.*

19 *Etiam Iehudah non cuſtodiuit præcepta Domini Dei ſui: & ambulauerunt in decretis Iſrael, quæ fecerunt.*

20 *Et reprobauit Dominus omne ſemen Iſrael, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proijceret eos à facie ſua:*

21 *Quoniam ſcidit Iſrael à domo Dauid, & regem conſtituerunt Iarobham filium Nebath: expulit Iarobham Iſrael ne iret poſt Dominum, & peccare fecit eos peccatum grande.*

22 *Et ambulauerunt filij Iſrael in vniuerſis peccatis Iarobham, quæ fecit: non receſſerunt ab eis.*

23 *Donec remouit Dominus à facie ſua, ſicut locutus fuerat per manum omnium ſeruorum ſuorum Prophetarum: & tranſmigrare fecit Iſrael è terra ſua in Aſſur, vſque ad diem hanc.*

*Ad-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et ſeruierunt idolis, de quibus dixit Dominus eis: Non facietis verbum hoc Domino. 13 Et teſtificatus eſt Dominus in Iſrael, & in Iuda, & in manu omnium prophetarum ſuorum, omnis Videntis, dicens: Reuertimini à vijs veſtris malis, & cuſtodite mandata mea, & iuſtificationes meas, & omnem legem, quam mandaui patribus veſtris, quæcumque miſi eis in manu ſeruorum meorum prophetarum. 14 Et non audierunt, & indurauerunt dorſum ſuum ſuper dorſum patrum ſuorum. 15 Et teſtimonia eius, quæcumque conteſtatus eſt eis, non cuſtodierunt, & ambulauerunt poſt vana, & euanuerunt, & poſt Gentes, quæ in circuitu ipſorum, de quibus mandauerat Dominus eis non facere ſecundum iſtas. 16 Dereliquerunt mandata Domini Dei ſui: & fecerunt ſibi fuſile, duas vitulas, & fecerunt lucos, & adorauerunt omnem virtutem cœli: & ſeruierunt Baal. 17 Et traduxerunt filios ſuos, & filias ſuas in igne: & vaticinati ſunt vaticinia, & augurati ſunt: & venditi ſunt ad faciendum malum in oculis Domini ad irritandum eum. 18 Et indignatus eſt Dominus valde in Iſrael, & amouit eos à facie ſua, & non remanſit niſi tribus Iuda ſolitaria. 19 Etiam Iudas non cuſtodiuit mandata Domini Dei ſui: & ambulauerunt in iuſtificationibus Iſrael, quas fecerant, & abiecerunt Dominum. 20 Et indignatus eſt Dominus omni ſemini Iſrael, & commouit eos, & dedit eos in manu diripientium eos, quoadusque eiecit eos à facie ſua. 21 Quia maxime Iſrael deſuper domo Dauid, & regem fecerunt Hieroboam filium Nabat: & expulit Hieroboam ipſum Iſrael à poſt Dominum, & peccare fecit eos peccatum magnum. 22 Et ambulauerunt filij Iſrael in omni peccato Hieroboam, quod fecit: non receſſerunt ab eo. 23 Donec remouit Dominus ipſum Iſrael à facie ſua, ſicut locutus eſt Dominus in manu omnium ſeruorum ſuorum prophetarum: & tranſlatus eſt Iſrael deſuper terra ſua in Aſſyrios, vſque in diem hanc.

Et ad-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 Adduxit autem rex Aſſyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim: & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Iſrael: qui poſſederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius.

25 Cumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

26 Nunciatumque eſt regi Aſſyriorum, & dictum: Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quòd ignorent ritum Dei terræ.

27 Præcepit autem rex Aſſyriorum, dicens: Ducite illuc vnum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ.

28 Igitur cum veniſſet vnus de ſacerdotibus his, qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.

29 Et vnaquæque Gens fabricata eſt Deum ſuum: poſueruntque eos in fanis excelſis, quæ fecerant Samaritæ, Gens, & Gens in vrbibus ſuis, in quibus habitabat.

30 Viri enim Babylonij fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Aſima.

31 Porro Heuæi fecerunt Nebahaz, & Tharthac. Hi autem, qui erant de Sepharuaim, comburebant filios ſuos igni, Adramelech, & Anamelech dijs Sepharuaim:

32 Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem ſibi de nouiſſimis ſacerdotes excelſorum, & ponebant eos in fanis ſublimibus.

33 Et cum Dominum colerent, dijs quoque ſuis ſeruiebant iuxta conſuetudinem Gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam:

34 Vſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum: non timent Dominum, neque cuſtodiunt ceremonias eius, iudicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filijs Iacob, * quem cognominauit Iſrael:

* Gen. 35. 10.

35 Et percuſſerat cum eis pactum, & mandauerat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Adduxitque rex Aſſur è Babel, & è Chutah, & Hauuah, & Chamath, & Sepharuaim: & habitare fecit in ciuitatibus Somron pro filijs Iſrael: & poſſederunt Somron, & habitauerunt in vrbibus eius.*

25 *Et fuit, in principio quo habitauerunt ibi, non timuerunt Dominum: & miſit Dominus in eis leones, & occidebant eos.*

26 *Dixeruntque regi Aſſur, dicendo: Gentes quas trãſmigrare feciſti, & habitare feciſti in vrbibus Somron neſciunt iudicium Dei terræ: & miſit in eos leones, & ecce interimunt eos, eo quòd neſciunt iudicium Dei terræ.*

27 *Et præcepit rex Aſſur, dicendo: Pergere facite illuc vnum è ſacerdotibus quos tranſmigrare feciſtis inde, & pergat & vadat illuc, & doceat eos iudicium Dei terræ.*

28 *Et venit vnus è ſacerdotibus quos tranſmigrare fecerant de Somron, & habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo timerent Dominum.*

29 *Et fecerunt ſingulæ Gentes deos ſuos, & poſuerunt in domo excelſorum, quæ fecerant Somronitæ ſingulæ Gentes in vrbibus ſuis, in quibus habitabant.*

30 *Et viri Babel fecerunt Succoth Benoth: viri autem Chuth fecerunt Nerghal: & viri Chamath Aſimah.*

31 *Heuuæi autem fecerunt Nibchaz, & Tartach. Sepharuæi autem comburebant filios ſuos igni Adramelech, & Hanamelech dijs Sepharuæorum:*

32 *Et timebant Dominum. Et fecerunt ſibi aliquos eorum ſacerdotes excelſorum, & ſacrificabant eis in domo excelſorum.*

33 *Dominum timebant, & dijs ſuis ſeruiebant iuxta iudicium Gentium, quas tranſmigrare fecerant inde.*

34 *Vſque ad diem hanc faciunt iuxta prima: non timent Dominum, neque faciunt iuxta decreta eorũ, & iuxta iudicium eorum, & iuxta legem, & iuxta præceptum quod præcepit Dominus filijs Iahacob cui impoſuit nomen Iſrael:*

35 *Et pepigerat Dominus cum eis pactum, & præceperat eis, dicendo: Non timebitis deos alienos, nec incuruabitis vos eis, nec ſeruietis eis, nec immolabitis eis.*

*Sed*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et adduxit rex Aſſyriorum è Babylone, qui de Churha, ab Aia, & ab Æmath, & Sepharuaim: & habitauerũt in ciuitatibus Samariæ pro filijs Iſrael: & hæreditarunt Samariam, & habitauerunt in ciuitatibus eius. 25 Et factum eſt in principio ſeſſionis eorum, non timuerunt Dominum: & miſit Dominus in eis leones, & erant interficientes in eis. 26 Et dixerunt regi Aſſyriorum dicentes: Gentes, quas tranſtuliſti, & pro alijs ſedere feciſti in ciuitatibus Samariæ, non cognouerunt iudicium Dei terræ: & miſit in eos leones, & ecce ſunt occidentes eos, ſicut non nouerunt iudiciũ Dei terræ. 27 Et mandauit rex Aſſyriorũ, dicens: Abducite hinc, & eant, & habitent ibi, & illuminabunt eos iudiciũ Dei terræ. 28 Et adduxerunt vnũ ſacerdotũ, quos tranſtulerant de Samaria, & ſedit in Bæthel, & fuit illuminans eos, quomodo timeant Dñm. 29 Et fuerunt facientes Gentes gentes deos ſuos: & poſuerunt in domo excelſorum, quæ fecerant Samaritæ, gentes gentes in ciuitatibus ſuis, in quibus habitabant. 30 Et viri Babylonis fecerunt ipſam Soccoth Benith: & viri Chuth fecerunt Ergel: & viri Æmath fecerunt Aſimath. 31 Et Euæi fecerunt Eblazer, & Tharthac. Et Sepphanraim tunc comburebant filios ſuos in igne, ipſi Adramelech, & Anemelech dijs Sepphauraim. 32 Et erant timentes Dominum. Et collocarunt abominationes ſuas in domibus excelſorum, quæ fecerant in Samaria, gens, gens in ciuitate, in qua habitabant in ea, & erãt timẽtes Dominum. Et fecerunt ſibi ſacerdotes excelſorum, & fecerunt eis in domo excelſorum. 33 Et Dominum timebant, & dijs ſuis ſeruiebant iuxta iudicium Gentium, vnde tranſtulerant eos inde. 34 Vſque in diem hanc ipſi faciebant iuxta iudicium earum: ipſi timent, & ipſi faciunt ſecundum iuſtificationes earum, & ſecundum iudicium earum, & ſecundum legem, & ſecundum mandatum, quod mandauit Dominus filijs Iacob, cuius poſuit nomen eius Iſrael. 35 Et diſpoſuit Dominus cum eis teſtamentum, & mandauit eis, dicens: Non timebitis deos alios, & non adorabitis eos, & non ſeruietis eis, & non ſacrificabitis eis.

## Vulgat. Editio.

36 Sed Dominum Deum veſtrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipſum timete, & illum adorate, & ipſi immolate.
37 Ceremonias quoque, & iudicia, & legem, & mandatum, quod ſcripſit vobis, cuſtodite, vt faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos.
38 Et pactum, quod percuſſit vobiſcum, nolite obliuiſci: nec colatis deos alienos:
39 Sed Dominum Deum veſtrum timete, & ipſe eruet vos de manu omnium inimicorum veſtrorum.
40 Illi vero non audierunt, ſed iuxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant.
41 Fuerunt igitur Gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus, & idolis ſuis ſeruientes: nam & filij eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſque in præſentem diem.

### CAP. XVIII.

* 2. Par. 28. 27. & 29. 1.

1 ANno * tertio Oſee filij Ela regis Iſrael, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda.
2 Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet: & viginti nouem annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ.
3 Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.
4 Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, * quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum: vocauitque nomen eius Noheſtan.
5 In Domino Deo Iſrael ſperauit: itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda, ſed neque in his, qui ante eum fuerunt:
6 Et adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigijs eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dñs Moyſi.
7 Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat. Rebellauit quoque contra regem Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei.
8 Ipſe percuſſit Philiſthæos vſque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à Turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.

* Nu. 21. 9.

9 * Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus ſeptimus Oſee filij Ela regis Iſrael, aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnauit eam.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 *Sed Dominum, qui aſcendere fecit vos è terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento timebitis, & ei genuflectetis, & ei ſacrificabitis.*
37 *Et ſtatuta, & iudicia, & legem, & præceptum, quæ ſcripſit vobis cuſtodietis, vt faciatis cunctis diebus: & non timebitis deos alienos.*
38 *Et pacti, quod pepigi vobiſcum ne obliuiſcamini: & non timebitis deos alienos.*
39 *Sed Dominum Deum veſtrũ timebitis, & ipſe liberabit vos è manu omnium inimicorum veſtrorum.*
40 *Et non audierunt, ſed iuxta conſuetudinem ſuam primam faciunt.*
41 *Fueruntque Gentes iſtæ timentes Dominum, & ſculptilibus ſuis ſeruiebant: etiam filij eorum, & filij filiorum eorum, ſecundum quòd fecerunt patres eorũ, ipſi faciunt vſque ad diem hanc.*

### CAP. XVIII.

1 *ET fuit anno tertio Hoſeah filij Elah regis Iſrael, regnauit Chizkijah filius Achaz regis Iehudah.*
2 *Viginti & quinque annorum erat, quando regnauit: & vigintinouem annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Abi filia Zechariah.*
3 *Fecitque quod rectum erat in oculis Domini iuxta omnia, quæ fecit Dauid pater eius.*
4 *Ipſe remouit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucum, confregitque ſerpentem æreum, quem fecerat Moſeh: quia vſque ad dies illos filij Iſrael ſuffiebant ei: & vocauit eum Nechuſan.*
5 *In Domino Deo Iſrael ſperauit: & poſt eum nõ fuit ſimilis illi inter cunctos reges Iehudah, & qui fuerunt ante eum:*
6 *Adhæſitq; Domino, et nõ declinauit ab eo, cuſtodiuitque præcepta eius, quæ præcepit Dominus Moſeh.*
7 *Et fuit Dominus cum eo, in omni loco ad quem egrediebatur, proſpere agebat. Rebellauitque contra regem Aſſur, & non ſeruiuit ei.*
8 *Ipſe percuſſit Peliſtæos vſque ad Hazzah, & terminos eius, à turri cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.*
9 *Et fuit anno quarto regis Chizkijahu (ipſe erat annus ſeptimus Hoſeah filij Elah regis Iſrael, aſcendit Salmaneſer rex Aſſur contra Somron, & obſedit eam.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

36 Quia tantum Domino, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio excelſo, ipſum timebitis, & ipſum adorabitis, ei ſacrificabitis. 37 Iuſtificationes, & iudicia, & legem, & mandata, quæ ſcripſit vobis facere, ſeruabitis omnibus diebus: & non timebitis deos alios. 38 Et teſtamenti, quod diſpoſuit vobiſcum, non obliuiſcemini: & non timebitis deos alios. 39 Sed Dominum Deum veſtrum timebitis, & ipſe eruet vos de omnibus inimicis veſtris. 40 Et non audietis in iudicio eorum, quod ipſi faciunt. 41 Et fuerunt gentes hæ timentes Dominum, & ſculptilibus ſuis erant ſeruientes: etiam filij, & filij filiorum eorum, ſicut fecerant patres eorum, faciunt vſque in diem hanc.

### CAP. XVIII.

ET factum eſt in anno tertio Oſeæ filij Ela regis Iſrael regnauit Ezecias filius Achaz regis Iuda. 2 Filius viginti & quinque annorum in regnando ipſum, & viginti & nouem annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Abu filia Zachariæ. 3 Et fecit rectum in oculis Domini, ſecundum omnia, quæcumque fecerat Dauid pater eius. 4 Ipſe ſuſtulit excelſa, & contriuit ſtatuas, & exterminauit lucos, & ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: quoniam vſque ad dies illos erant filij Iſrael adolentes ei: & vocabat eum Neeſthan.
5 In Domino Deo Iſrael ſperauit: & poſt eum non fuit ſimilis ei in regibus Iuda, & in ijs, qui fuerunt ante eum.
6 Et adhæſit Domino, non receſſit à poſt eum, & cuſtodiuit mandata eius, quæcumque mandauit Moyſi.
7 Et fuit Dominus cum eo, & in omnibus, quæ faciebat, intellexit. Et rebellauit in rege Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei. 8 Ipſe percuſſit alienigenas vſque Gazam, & vſque ad terminum eius à turre cuſtodum, & vſque ad ciuitatem munitam. 9 Et factum eſt in anno quarto regis Ezeciæ (ipſe annus ſeptimus Oſeæ filio Ela regi Iſrael) aſcendit Salamanaſſar rex Aſſyriorum ſuper Samariam, & obſidebat ſuper eam.

Et ce-

## Vulgata Editio.

10 Et cepit. Nam poſt annos tres, anno ſexto Ezechiæ, id eſt nono anno Oſee regis Iſrael, capta eſt Samaria:

11 Et tranſtulit rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios, collocauitque eos in Hala, & in Habor fluuijs Gozan in ciuitatibus Medorum:

12 Quia non audierunt vocem Domini Dei ſui, ſed prætergreſſi ſunt pactum eius: omnia, quæ præceperat Moyſes ſeruus Domini, non audierunt, neque fecerunt.

*2.Par.32. 1. Iſa.36.1. Eccl.48.20.

13 * Anno quartodecimo regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas: & cepit eas.

14 Tunc miſit Ezechias rex Iuda nuncios ad regem Aſſyriorum in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me: & omne, quod impoſueris mihi, feram. Indixit itaq; rex Aſſyriorum Ezechiæ regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.

15 Deditque Ezechias omne argentum, quod repertũ fuerat in domo Domini, & in theſauris regis.

16 In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas regi Aſſyriorum.

17 Miſit autem rex Aſſyriorum Tharthan, & Rabſaris, & Rabſacen de Lachis ad regem Ezechiam cũ manu valida Ieruſalem: qui cum aſcendiſſent, venerũt Ieruſalem, & ſteterunt iuxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via Agri fullonis.

18 Vocaueruntque regem: egreſſus eſt autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſapha commentarijs.

19 Dixitque ad eos Rabſaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua niteris?

20 Forſitan iniſti conſilium, vt præpares te ad prœlium. In quo confidis, vt audeas rebellare?

21 An ſperas in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, ſuper quem, ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? ſic eſt Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in ſe.

22 Quod ſi dixeritis mihi: In Domino Deo noſtro habemus fiduciam: nonne iſte eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa, & altaria: & præcepit Iudæ, & Ieruſalem: Ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem?

Nunc

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Et ceperunt eam in fine trium annorum anno ſexto Chizchiyah (ipſe eſt annus nonus Hoſeah regis Iſrael) capta eſt Somron.*

11 *Et tranſmigrare fecit rex Aſſur Iſrael in Aſſur, & ducere fecit eos in Chalach, & in Chabor, flumen Ghozan, & ciuitates Madai.*

12 *Eo quòd non audierunt voci Domini Dei ſui, & tranſgreſſi ſunt pactum eius, omnia, quæ præcepit Dominus Moſeh ſeruus Domini, & non audierunt, nec fecerunt.*

13 *Quartodecimo autem anno regis Chizchiyahu aſcēdit Sancherib rex Aſſur contra omnes ciuitates Iehudah munitas: & cepit eas.*

14 *Miſitque Chizchiyah rex Iehudah ad regem Aſſur in Lachis, dicendo: Peccaui, recede à me: quod impoſueris mihi, feram. Et impoſuit rex Aſſur Chizchiyah regi Iehudah ad trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.*

15 *Deditq; Chizchiyah omne argentum, quod repertum eſt in domo Domini, & in theſauris domus regia.*

16 *In tempore illo abſcidit Chizchiyah valuas templi Domini, & columnas quas obtexerat Chizchiyahu rex Iehudah, & dedit eas regi Aſſur.*

17 *Miſit autem rex Aſſur Tarthan, & Rabſaris, & Rabſacheh de Lachis ad regem Chizchiyahu cum exercitu graui in Ieruſalaim: & aſcenderunt, & venerunt, ſteteruntque in aquaductu piſcinæ, quæ eſt in via Agri fullonis.*

18 *Et vocauerũt regem: & egreſſus eſt ad eos Eliachim filius Chilchiyahu, qui erat ſuper domum, & Sebna ſcriba, & Ioach filius Aſaph à commentarijs.*

19 *Dixitque ad eos Rabſacheh: Dicite obſecro ad Chizchiyahu: Sic dicit rex magnus, rex Aſſur: Quæ eſt fiducia hæc tua fiſus es?*

20 *Dixiſti tantum verbum labiorum conſilium, & fortitudo ad prælium. Nunc cui fiſus es, quia defeciſti contra me?*

21 *Nunc ecce ſperaſti in baculo arundineo abſciſo iſto in Ægypto, cui ſi innitatur quiſpiam ingredietur in manum eius, & perforabit eam? ſic eſt Parhoh rex Ægypti omnibus confidentibus in eo.*

22 *Si autem dixeritis mihi: In Domino Deo noſtro confidimus: nonne hic eſt cuius remouit Chizchiyah excelſa, & altaria: dixitque ad Iehudah, & Ieruſalaim, coram altari hoc incuruabitis vos in Ieruſalaim?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et cepit eam à fine trium annorum in anno ſexto Ezeciæ, ipſe annus nonus Oſeæ regi Iſrael, & capta eſt Sa-
maria. 11 Et tranſtulit rex Aſſyriorum Samariam in Aſſyrios, & poſuit eos in Alae, & in Abor flumio Gozan, &
Ore Medorum. 12 Pro eo quòd non audierunt vocem Domini Dei ſui, & tranſgreſſi ſunt teſtamentũ eius om-
nia, quæcumque mandauit Moyſes ſeruus Domini, & non audierunt, & non fecerunt. 13 Et quarto & decimo
anno regis Ezeciæ aſcendit Sennacherim rex Aſſyriorum ſuper ciuitates Iudas munitas, & cepit eas. 14 Et mi-
ſit Ezecias rex Iuda nuncios ad regẽ Aſſyriorũ in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me: quodcumque impoſueris
ſuper me, portabo Et impoſuit rex Aſſyriorũ ſuper Ezeciã regem Iuda trecenta talenta argenti, & triginta talẽta
auri. 15 Et dedit Ezecias omne argentũ inuentũ in domo Dñi, & in theſauris domus regis. 16 In tẽpore illo
concidit Ezecias ianuas templi, & firmata, quæ deaurauerat Ezecias rex Iuda, & dedit ea regi Aſſyriorũ. 17 Et
miſit rex Aſſyriorum ipſum Tharthan, & Raphis, & Rhapſacem è Lachis ad regem Ezeciam in virtute graui ſu-
per Hieruſalem: & aſcenderunt, & venerunt in Hieruſalem, & ſteterunt in aquæducto piſcinæ ſuperioris, quæ eſt
in via Agrifullonis. 18 Et clamauerunt ad Ezeciam: & venerunt ad eum Eliacim filius Chelchiæ œconomus,
& Somnas ſcriba, & Ioas filius Sophath commonefaciens. 19 Et dixit ad eos Rhapſaces: Dicite nunc ad Eze-
ciam: Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quid fiducia hæc qua fidiſti? 20 Dixiſti tantum verba labiorum,
conſilium, & virtus ad prælium. Nunc igitur quo fretus rebellaſti in me? 21 Nunc igitur fidiſti tibi ſuper vir-
gam arundineam fractam iſtam, ſuper Ægyptum, quicumque innixus fuerit vir ſuper eam, & intrabit in manum
eius, & perforabit eam? ſic Pharao rex Ægypti omnibus confidentibus ſuper eum. 22 Et quoniam dixiſti
ad me: Super Dominum Deum confidimus: nonne hic ipſe amouit Ezecias excelſa eius, & altaria eius: & dixit
ad Iudam & Hieruſalem, coram altare hoc adorabitis in Hieruſalem?



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

23 Nunc igitur tranſite ad Dominum meum regem Aſſyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis aſcenſores eorum.

24 Et quo modo poteſtis reſiſtere ante vnum ſatrapam de ſeruis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus, & equites?

25 Numquid ſine Domini voluntate aſcendi ad locũ iſtum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc, & demolire eam.

26 Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe Rabſaci: Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriace: ſiquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui eſt ſuper murum.

27 Reſponditque eis Rabſaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me Dominus meus, vt loquerer ſermones hos, & non potius ad viros, qui ſedent ſuper murum, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum?

28 Stetit itaque Rabſaces, & exclamauit voce magna Iudaice, & ait: Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum.

29 Hæc dicit rex: Non vos ſeducat Ezechias: nõ enim poterit eruere vos de manu mea.

30 Neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur ciuitas hæc in manu regis Aſſyriorum.

31 Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum, quod vobis eſt vtile, & egredimini ad me: & comedet vnuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua: & bibetis aquas de ciſternis veſtris:

32 Donec veniam, & transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram oliuarũ, & olei, ac mellis, & viuetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos.

33 Numquid liberauerunt dij Gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum?

34 Vbi eſt Deus Emath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim, Ana, & Aua? numquid liberauerunt Samariam de manu mea?

35 Quinam illi ſunt in vniuerſis dijs terrarum, qui eruerunt regionem ſuã de manu mea, vt poſſit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea?

Ta-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et nunc ſideiube obſecro Domino meo regi Aſſur, & dabo tibi duo millia equos, ſi potueris dare equitantes ſuper eos.*

24 *Et quomodo vertere facies faciem ducis vnius ſeruorum domini mei minimorum? Vt confidas in Ægypto propter currus, & equites?*

25 *Et nunc num abſque Domino aſcendi ad locum iſtum, vt diſperdam illum? Dominus dixit mihi: Aſcende contra terram hanc, vt diſperdas eam.*

26 *Dixitque Eliachim filius Chilchiahu, & Sebna, & Ioach ad Rabſacheh: Loquere obſecro ſeruis tuis Arameice, (ſiquidem intelligimus,) & ne loquaris nobiſcum Iehudaice in auribus populi, qui eſt ſuper murum.*

27 *Dixitque ad eos Rabſacheh: Num ad dominum tuũ, & ad te miſit me Dominus meus, vt loquerer verba iſta, nonne ad viros, qui ſedent ſuper murum, vt comedant ſtercus ſuum, & bibant aquam vrinæ ſuæ vobiſcum?*

28 *Stetitque Rabſacheh, & exclamauit voce magna Iehudaice, & locutus eſt, ac dixit: Audite verbum regis magni Aſſur.*

29 *Sic dixit rex: Ne ſeducat vos Chizchiiahu: quia nõ poterit eruere vos è manu eius.*

30 *Et ne ſperare faciat vos Chizchiiahu in Domino, dicendo: Eruendo eruet nos Dominus, & non tradetur ciuitas hæc in manu regis Aſſur.*

31 *Ne audiatis Chizchiiahu. Sic enim dixit rex Aſſur: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me: & comedite vnuſquiſque de vite ſua, & vnuſquiſque de ficu ſua: & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ.*

32 *Donec veniam, & tollam vos ad terram, ſicut terram veſtram, terram frumenti, & vini, terram panis, & vinearum terram, oliuæ, olei, & mellis, & viuite, & non moriemini, & ne audiatis Chizchiiahu cum perſuaſerit vobis, dicendo: Dominus eruet nos.*

33 *Num eruendo eruerunt dij Gentium, vnuſquiſque terram ſuam è manu regis Aſſur?*

34 *Vbi eſt Deus Chamath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim Henah, & Hiuuah? num eruerunt Someron è manu mea?*

35 *Quis inter omnes deos terrarum, qui eruerint terram ſuam è manu mea, num eruet Dominus Ieruſalaim è manu mea?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et nunc miſcete vos, quæſo, Domino meo regi Aſſyriorum, & dabo tibi bis mille equos, ſi poteris dare tibi aſcenſores ſuper eos. 24 Et quomodo auertes faciem Toparchæ vnius ex ſeruis domini mei minimis? Et ſperaſti tibi ſuper Ægyptum in curribus & equitibus. 25 Et nunc numquid ſine Domino aſcendimus ſuper locum hunc ad corrumpendum eum? Dominus dixit ad me: Aſcende ſuper terram iſtam & corrumpe eam.
26 Et dixit Eliacim filius Chelchiæ & Somnas, & Ioas ad Rhapſacem: Loquere, quæſo, ad ſeruos tuos Syriace, quoniam audimus nos: & non loqueris nobiſcum Iudaice, & vt quid loqueris in auribus populi, qui ſuper murũ.
27 Et dixit ad eos Rhapſaces: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me Dominus meus loqui verba hæc, nonne ad viros ſedentes ſuper murum, ad comedendum ſtercus ſuum, & bibendum vrinam ſuam vobiſcũ ſimul?
28 Et ſtetit Rhapſaces, & clamauit voce magna Iudaice, & locutus eſt, & dixit: Audite verba magni regis Aſſyriorum. 29 Hæc dicit rex: Ne eleuet vos Ezecias verbis: quoniam non poterit vos eruere de manu eius.
30 Et non faciat vos ſperare Ezecias in Dominum, dicens: Eruens, eruet Dominus, non tradetur ciuitas hæc in manu regis Aſſyriorum. 31 Nolite audire Ezeciam. Quoniam hæc dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & exite ad me, & bibet vir vitem ſuam, & vir ficum ſuam comedet, & bibet aquam ciſternæ ſuæ.
32 Quoadusque veniam, & accipiam vos in terram, ſicut terra veſtra, terra frumenti, & vini, & panis, & vinearum, terra oliuæ olei, & mellis, & viuetis, & non moriemini. Et nolite audire Ezeciam, quoniam decipiet vos, dicens: Dominus eruet nos. 33 Numquid eruentes eruerunt dij Gentium, vnuſquiſque ſuam regionem de manu regis Aſſyriorum? 34 Vbi eſt Deus Æmath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim, Ana, & Aba? quia eruerunt Samariam de manu mea? 35 Quis in omnibus dijs terrarum, qui eruerint terras ſuas de manu mea, quoniam eruet Dominus Hieruſalem de manu mea?

Et mu-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

36 Tacuit itaque populus, & non reſpondit ei quidquam: ſiquidem præceptum regis acceperant vt non reſponderent ei.
37 Venitque Eliacim filius Helciæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentarijs ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis.

### CAP. XIX.

Eſa. 37. 1. 1 QVę cum audiſſet Ezechias rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco, ingreſſuſque eſt domum Domini.
2 Et miſit Eliacim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Iſaiam prophetam filium Amos.
3 Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemiæ dies iſte: venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens.
4 Si forte audiat Dominus Deus tuus vniuerſa verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus, vt exprobraret Deum viuentem, & argueret verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro reliquijs, quæ repertæ ſunt.
5 Venerunt ergo ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam.
6 Dixitque eis Iſaias: Hæc dicetis Domino veſtro: Hæc dicit Dominus: Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me.
7 Ecce, ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram ſuam, & deijciam eum gladio in terra ſua.
8 Reuerſus eſt ergo Rabſaces, & inuenit regem Aſſyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim quod receſſiſſet de Lachis.
9 Cumque audiſſet de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egreſſus eſt vt pugnet aduerſum te: & iret contra eum, miſit nuncios ad Ezechiam, dicens:
10 Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda: Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Ieruſalem in manus regis Aſſyriorum.
11 Tu enim ipſe audiſti quæ fecerunt reges Aſſyriorum vniuerſis terris, quo modo vaſtauerunt eas: num ergo ſolus poteris liberari?

Num-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

36 *Et tacuerunt populus, & non reſponderunt ei verbum: quia præceptum regis erat dicendo, non reſpondeatis ei.*
37 *Veneruntque Eliachim filius Chilchijahu, qui erat ſuper domũ, & Sebna ſcriba, & Ioach filius Aſaph à commentarijs ad Chizchijahu ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacheh.*

### CAP. XIX.

1 *ET fuit, cum audiſſet rex Chizchijahu, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit ſe ſacco, ingreſſuſque eſt domum Domini.*
2 *Et miſit Eljachim, qui erat ſuper domum, & Sebnam ſcribam, & ſeniores ſacerdotum opertos ſaccis ad Ieſaiahu prophetam filium Amos.*
3 *Dixerunt autem ad eum: Sic dixit Chizchijahu: Dies anguſtiæ, & increpationis, & contumeliæ in Deũ, eſt dies hæc: venerunt enim filij vſque ad matricem & virtus non eſt parienti.*
4 *Si forte audiat Dominus Deus tuus omnia verba Rabſacheh, quem miſit rex Aſſur dominus ſuus vt probris afficeret Deum viuentem, & argueret verbis quæ audiuit Dominus Deus tuus: & leua orationem pro reſiduo quod inuenitur.*
5 *Veneruntque ſerui regis Chizchijahu ad Ieſaiahu.*
6 *Dixitque Ieſahiahu: Sic dicetis domino veſtro: Sic dixit Dominus: Ne timeatis à facie verborum quæ audiſtis, quibus probris affecerunt pueri regis Aſſur me.*
7 *Ecce pono in eo ſpiritum, & audiet auditum, & reuertetur in terram ſuam, & cadere faciam eum gladio in terra ſua.*
8 *Et reuerſus eſt Rabſacheh, & inuenit regem Aſſur pugnantem contra Libnah: Audierat enim quod profectus erat de Lachis.*
9 *Audiuitque de Tirhacah rege Chus, dicendo: Ecce egreſſus eſt, vt pugnet tecum, reuerſus eſt, & miſit nuncios ad Chizchijahu, dicendo:*
10 *Sic dicetis Chizchijahu regi Iehudah, dicendo: Ne decipiat te Deus tuus in quo tu confidis, dicendo: Non tradetur Ieruſalaim in manum regis Aſſur.*
11 *Ecce audiſti, quæ fecerunt reges Aſſur vniuerſis terris, perdendo eas, & tu liberaberis?*

*Num*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

36 Et mutiuerunt, & non reſponderunt ei verbum, quoniam mandatum erat regis, dicens: Non reſpondebitis ei.
37 Et intrauit Eliacim filius Chelchiæ œconomus, & Somnas ſcriba, & Ioas filius Saphat commonefaciens, ad Ezeciam, diſciſſi veſtimenta, & annunciauerunt ei verba Rhapſacis.

### CAP. XIX.

ET factum eſt, vt audiuit rex Ezecias, & diſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſaccum, & intrauit in domum Domini.
2 Et miſit Eliacim œconomum, & Somnam ſcribam, & ſeniores ſacerdotum indutos ſaccis ad Eſaiam prophetam filium Amos.
3 Et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezecias: Dies tribulationis, & arguitionis, & irritationis, dies hæc, quoniã venerunt filij vſque ad dolores partus, & fortitudo non eſt parienti.
4 Si quo modo exaudiet Dominus Deus tuus omnia verba Rhapſacis, quem miſit eum rex Aſſyriorum dominus eius ad exprobrandum Deum viuum, & blaſphemandum in verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus, & aſſumes deprecationem pro reſiduo, quod inuenitur.
5 Et venerunt pueri regis Ezeciæ ad Eſaiam.
6 Et dixit eis Eſaias: Hæc dicetis ad dominum veſtrum: Hæc dicit Dominus: Ne timeas à verbis, quæ audiſti, quæ blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum.
7 Ecce ego do in eo ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram ſuam, & proſternam eum in gladio in terra eius.
8 Et reuertit Rhapſaces, & inuenit regem Aſſyriorum bellantium ſuper Lobna, quoniam audiuit, quia promouerat è Lachis.
9 Et audiuit de Tharaca rege Aethiopum, dicens: Ecce exiuit bellare tecum, & reuertit, & miſit nuncios ad Ezeciam, dicens:
10 Ne extollat te Deus tuus, in quo tu confidiſti in eo, dicens: Non tradetur Hieruſalem in manus regis Aſſyriorum.
11 Ecce tu audiſti omnia, quæcunque fecerunt reges Aſſyriorum omnibus terris anathemando eas: & tu eripieris?

Num-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Numquid liberauerunt dij Gentium ſingulos, quos vaſtauerunt patres mei, Gozan videlicet, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thelaſſar?
13 Vbi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex ciuitatis Sepharuaim, Ana, & Aua?
14 Itaque cum accepiſſet Ezechias litteras de manu nunciorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino.
15 Et orauit in conſpectu eius, dicens: Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ: tu feciſti cœlum & terram.
16 Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui miſit vt exprobraret nobis Deum viuentem.
17 Vere Domine diſſipauerunt Reges Aſſyriorũ Gentes, & terras omnium.
18 Et miſerunt deos eorum in ignem: non enim erant dij, ſed opera manuum hominũ ex ligno & lapide, & perdiderunt eos.
19 Nunc igitur Domine Deus noſter, ſaluos nos fac de manu eius, vt ſciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus ſolus.
20 Miſit autem Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib rege Aſſyriorum, audiui.
21 Iſte eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus de eo: Spreuit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion: poſt tergum tuum caput mouit, filia Ieruſalem.
22 Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? contra quẽ exaltaſti vocem tuam, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſrael.
23 Per manum ſeruorum tuorum exprobraſti Domino, & dixiſti: In multitudine curruum meorum aſcẽdi excelſa montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius. Et ingreſſus ſum vſque ad terminos eius, & ſaltum Carmeli eius
24 Ego ſuccidi. Et bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigijs pedum meorum omnes aquas clauſas.
25 Numquid non audiſti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plaſmaui illud, & nunc adduxi: eruntque in ruina collium pugnantium ciuitates munitæ.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Num liberauerunt eos dij Gentium, quos deleuerunt patres mei Gozan, & Haran, & Reſeph, & filij Heden, qui erant in Telaſar?*
13 *Vbi eſt rex Chamath, & rex Arpad & rex ciuitatis Sepharuaim Henah, & Chiuuah.*
14 *Et tulit Chizkijahu litteras de manu nunciorum, & legit eas, & aſcendit in domum Domini, & expandit eas Chizkijahu coram Domino.*
15 *Orauit autem Chizkijahu coram Domino, & dixit: Domine Deus Iſrael ſedens ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ: tu feciſti cœlum, & terram.*
16 *Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sancherib, qua miſit, vt probris afficeret Deum viuentem.*
17 *Vere Domine vaſtauerunt reges Aſſur gentes, & terram eorum,*
18 *Et poſuerunt deos eorum in ignem: non enim dij erant, ſed opus manuum hominum, lignum & lapis, & perdiderunt eos.*
19 *Et nunc Domine Deus noſter ſaluos fac nos obſecro de manu eius, vt ſciant omnia regna terræ quod tu es Dominus Deus ſolus.*
20 *Miſit autem Ieſahiahu filius Amos ad Chizkijahu, dicendo: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Pro quibus oraſti me ſuper Sancherib regem Aſſur audiui.*
21 *Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper eum: Contempſit te, ſubſannauit te virgo filia Syon, poſt te caput mouit filia Ieruſalaim.*
22 *Quem probris affeciſti, & in quem conuiciatus es, & ſuper quem exaltaſti vocem, & leuaſti in excelſum oculos tuos? ad ſanctum Iſrael.*
23 *Per manum nunciorum tuorum probris affeciſti Dominum, & dixiſti: In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium, latera Lebanon, & ſuccidam altitudinem cedrorum eius, electas abietes illius, & ingrediar habitaculum finis eius, ſaltum Charmeli eius.*
24 *Ego fodi venam, & bibi aquas alienas, & ſiccaui planta pedum meorum omnes riuos munitos.*
25 *Numquid non audiſti à longe quod feci in diebus antiquis, & plaſmaui illud, nunc adduxi illud, & erit ad deſolandum in aceruos deſtructionum ciuitates munitas?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Numquid eruentes eruerunt eos dij Gentium, quos corruperunt patres mei, Gozam, & Charram, & Raphis, & filios Edom, qui Thaeſthen? 13 Vbi eſt rex Æmath, & rex Arphad? Et vbi eſt rex ciuitatis Sepharuaim, Ana, & Aba? 14 Et ſumpſit Ezecias libros de manu nunciorum, & legit eos. Et aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezecias ante Dominum, 15 Et dixit: Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus in omnibus regnis terræ, tu feciſti cœlum, & terram.
16 Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi verba Sennacherim, quæ miſit ad exprobrandum Deum viuum. 17 Quoniam in veritate, Domine, deſolauerunt reges Aſſyriorum gentes: 18 Et dederunt Deos earum in ignem (quoniam non dij ſunt, ſed opera manuum hominum, ligna, & lapis,) & diſperdiderunt eos. 19 Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius, & cognoſcent omnia regna terræ, quia tu Dominus Deus ſolus. 20 Et miſit Eſaias filius Amos ad Ezeciam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus virtutum Deus Iſrael: Quæ deprecatus es ad me de Sennacherim rege Aſſyriorum, audiui. 21 Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper eum, ſpreuit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion: ſuper te caput ſuum mouit filia Hieruſalem. 22 Quem exprobraſti, & quem blaſphemaſti? Et ſuper quem exaltaſti vocem, & eleuaſti in ſublime oculos tuos? in ſanctum Iſrael? 23 In manu nunciorum tuorum exprobraſti Dominum, & dixiſti: In multitudine curruum meorum ego aſcendam in altitudinem montium, fœnora Libani, & concidi magnitudinem cedri eius, & electa cupreſſorum eius, & veni in medium ſyluæ, & Carmeli: 24 Ego ſiccaui, & bibi aquas alienas, & deſolaui veſtigio pedis mei omnes fluuios clauſuræ, 25 Finxi eam, duxi eam. Et fuit in tumulos demigrationum oppugnantium ciuitates munitas.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

26 Et qui ſedent in eis,humiles manu, contremuerunt & confuſi ſunt,facti ſunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ areſacta eſt antequam veniret ad maturitatem .

27 Habitaculum tuum,& egreſſum tuum,& introitum tuum,& viam tuam ego præſciui, & furorem tuum contra me .

28 Inſaniſti in me , & ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis,& camum in labijs tuis,& reducam te in viam,per quam veniſti .

29 Tibi autem Ezechia hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ reperceris : in ſecundo autem anno , quæ ſponte naſcuntur : porro in tertio anno ſeminate & metite : plantate vineas , & comedite fructum earum .

30 Et quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda , mittet radicem deorſum , & faciet fructum ſurſum .

31 De Ieruſalem quippe egredientur reliquiæ,& quod ſaluetur de monte Sion : zelus Domini exercituum faciet hoc .

32 Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum : Non ingredietur vrbem hanc , nec mittet in eam ſagittam , nec occupabit eam clypeus , nec circumdabit eam munitio .

33 Per viam, qua venit, reuertetur : & ciuitatem hanc non ingredietur,dicit Dominus .

34 Protegamque vrbem hanc , & ſaluabo eam propter me & propter Dauid ſeruum meum .

Tob. 1. 21. Eccle. 48. 25. Iſa. 37. 36. 1. Mach. 7. 41. 2. Mach. 8. 19.

35 * Factum eſt igitur in nocte illa,venit Angelus Domini , & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia . Cumque diluculo ſurrexiſſet , vidit omnia corpora mortuorum : & recedens abijt ,

36 Et reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum , & manſit in Niniue .

Tob. 1. 24.

37 * Cumque adoraret in templo Neſroch deum ſuũ , Adramelech & Sarafar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum , & regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo :

### CAP. XX.

2. Par. 32. 24. Iſa. 38. 1.

1 IN diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem : & venit ad eum Iſaias filius Amos , propheta , dixitque ei : Hæc dicit Dominus Deus : Præcipe domui tuæ : morieris enim tu , & non viues ,

Qui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et habitatores earum abbreuiati manu,contriti & pudore affecti ſunt , fuerunt vt herba agri , & olus germinis herba tectorum , & percuſſa vento ante ſegetem .*

27 *Habitare autem tuum , & egredi tuum , & ingredi tuum noui, & iraſci tuum contra me .*

28 *Pro eo quod iratus es aduerſum me tumultus tuus aſcendit in aures meas , & ponam hamum meum in naribus tuis , & camum meum in labijs tuis, & redire faciam te per viam per quam veniſti .*

29 *Et hoc tibi ſignum : Comede anno iſto cadiua : anno autem ſecundo ſponte germinata : anno verò tertio ſeminate , & metite , & plantate vineas , & comedite fructum earum ,*

30 *Et addet qua euaſit familia Iehudah qua remanſit radicem deorſum , & faciet fructum ſurſum .*

31 *De Ieruſalaim enim egredietur reſiduum , & euaſor de monte Sijon : Zelus Domini exercituum faciet hoc .*

32 *Quamobrem ſic dicit Dominus ſuper regem Aſſur: Non ingredietur vrbem hanc,& non iaciet illuc ſagittam,& non præoccupabit eam clypeo,& non effundet iuxta eam aggerem .*

33 *Per viam qua venit , reuertetur , & ciuitatem hanc non ingredietur dicit Dominus .*

34 *Et protegam ciuitatem hanc , vt ſeruem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum .*

35 *Et fuit , nocte illa egreſſus eſt Angelus Domini , & percuſſit in caſtris Aſſur centum octoginta, & quinque millia . Et ſurrexerunt mane,& ecce omnes ipſi cadauera mortuorum .*

36 *Et profectus eſt , & abijt , & reuerſus eſt Sancherib rex Aſſur,& habitauit in Niniueh .*

37 *Et fuit , eo adorante in domo Niſroch deum ſuum Adramelech , & Sareſer filij eius percuſſerunt eum gladio : ipſi autem euaſerunt in terram Ararath,& regnauit Eſarchadon filius eius pro eo .*

### CAP. XX.

1 *IN diebus illis ægrotauit Chizkijahu ad moriendum : & venit ad eum Ieſahiahu filius Amos propheta , dixitque ad eum : Sic dixit Dominus : Præcipe domui tuæ , quia morieris, & non viues .*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et inhabitantes in eis infirmati ſunt manu,contremuerunt,& confuſi ſunt . Fuerunt fœnum agris, vel virens
herba,herba tectorum, & conculcatio coram ſtante, 27 Et ſeſſionem tuam,& exitum tuum noui,& furo-
rem tuum ſuper me . 28 Eo quod iratus ſis ſuper me . Et ſtrepitus tuus aſcendit in aures meas, & ponam
hamos meos in naribus tuis,& frenum in labijs tuis, & redire faciam te via,qua veniſti in ea . 29 Et hoc
tibi ſignum . Comede hoc anno ſponte nata,& anno ſecundo germinantia,& anno tertio ſatio, & meſſis,& plan-
tatio vinearum,& comedetis fructum earum . 30 Et adjiciet quod ſaluatum eſt de domo Iuda,ipſum
reſiduum radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum . 31 Quoniam de Hieruſalem egredietur reſi-
duum,& is qui ſaluus euadit,de monte Sion : zelus Domini virtutum faciet hoc . 32 Nonne ſic? Hæc
dicit Dominus ad regem Aſſyriorum : Non ingredietur in ciuitatem hanc , & non iaculabitur illuc iaculum , &
non præueniet ſuper eam clypeus,& non effundet ad eam aggerem . 33 Via,qua venit in ea, reuerte-
tur,& in ciuitatem hanc non ingredietur,dicit Dominus . 34 Et protegam ſuper ciuitatem hanc pro-
pter me,& propter Dauid ſeruum meum . 35 Et factum eſt nocte, & exiuit Angelus Domini, & per-
cuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octuaginta quinque millia . Et ſurrexerunt mane , & ecce omnes corpora
mortua . 36 Et promouit,& iuit & reuertit Sennacherim rex Aſſyriorum,& habitauit in Niniue .
37 Et factum eſt ipſo adorante in domo Meſerach dei ſui,& Adramelec,& Saraſar filij eius percuſſerunt eum in
gladio . Et ipſi euaſerunt in terram Ararath , & regnauit Aſordan filius eius pro eo .

### CAP. XX.

IN diebus illis ægrotauit Ezecias ad mortem : & intrauit ad eam Eſaias filius Amos propheta,& dixit ad eum:
Hæc dicit Dominus : Præcipe domui tuæ : moreris tu ,& non viues .

Et con-

## Vulgata Editio.

2 Qui conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit Dominum, dicens:
3 Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto & quod placitum eſt coram te, fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno.
4 Et antequam egrederetur Iſaias mediam partem atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens:
5 Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: & ecce ſanaui te, die tertio aſcendes templum Domini.
6 Et addam diebus tuis quindecim annos: ſed & de manu regis Aſſyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.
7 Dixitque Iſaias: Afferte maſſam ficorum. Quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt.
8 Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini?
9 Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt: Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?
10 Et ait Ezechias: Facile eſt, vmbram creſcere decem lineis: nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus.
11 Inuocauit itaque Iſaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.
12 * In tempore illo miſit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotaſſet Ezechias.

* Iſa. 39. 1.

13 Lætatus eſt autem in aduentu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.
14 Venit autem Iſaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri iſti? aut vnde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me de Babylone.

At

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et vertit Chizchijahu faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, dicendo:*
3 *Obſecro Domine, memento quæſo quod ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Chizchijahu fletu magno.*
4 *Et fuit, Ieſahiahu non egreſſus fuerat ad atrium medium, & verbum Domini fuit ad eum, dicendo:*
5 *Reuertere, & dic Chizchijahu duci populi mei: Sic dixit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, vidi lachrymam tuam: ecce ſano te, die tertia aſcendes in domum Domini.*
6 *Et addam diebus tuis quindecim annos, & de manu regis Aſſur eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*
7 *Dixitque Ieſahiahu: Tollite maſſam ficuum. Et tulerunt, & poſuerunt ſuper vlcus, & ſanatum eſt.*
8 *Dixitque Chizchijahu ad Ieſahiahu: Quod ſignum quod ſanaturus ſit Dominus me, & aſcenſurus ſim die tertio in domum Domini?*
9 *Dixitque Ieſahiahu: Hoc tibi ſignum à Domino quod facturus ſit Dominus verbum quod locutus eſt: Num vis vadat vmbra decem gradibus, an reuertatur decem gradibus?*
10 *Dixitque Chizchijahu: Leue eſt vmbra declinare decem gradibus: nolo hoc: ſed vt reuertatur vmbra retrorſum decem gradibus.*
11 *Et clamauit Ieſahiahu propheta ad Dominum, & reduxit vmbram per gradus quos deſcenderat per gradus Achaz retrorſum decem gradibus.*
12 *In tempore illo miſit Berodach Baladan filius Baladan rex Babel litteras, & munera ad Chizchijahu: audierat enim quod ægrotaſſet Chizchijahu.*
13 *Et audiuit eis Chizchijahu, & oſtendit eis omnem domum deſiderabilem ſuam, argentum, & aurum, & aromata, & vnguentum optimum, & domum vaſorum ſuorum, & omne quod inuentum eſt in theſauris ſuis. Non fuit quicquam quod non oſtenderet eis Chizchijahu in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.*
14 *Venit autem Ieſahiahu propheta ad regem Chizchijahu, dixitque ad eum: Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? Dixitque Chizchijahu: De terra longinqua venerunt ad me, de Babel.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et conuertit Ezecias ad murum, & precatus eſt ad Dominum, dicens:
3 Domine memento nunc, quæcumque ambulaui coram te in veritate, & corde pleno, & bonum in oculis tuis feci. Et plorauit Ezecias ploratu magno.
4 Et erat Eſaias in atrio medio. Et verbum Domini factum eſt ad eum, dicens:
5 Reuertere, & dices ad Ezeciam ducem populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui deprecationem tuam, vidi lachrymas tuas. Ecce ego ſanabo te: die tertia aſcendes in domum Domini.
6 Et adijciam ad dies tuos quinque & decem annos, & de manu regis Aſſyriorum ſaluabo te, & ciuitatem hanc, & protegam ſuper ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum.
7 Et dixit: Capiant palatham ficorum, & ponant ſuper vlcus, & ſanabitur.
8 Et dixit Ezecias ad Eſaiam: Quod nam ſignum, quia ſanabit me Dominus, & aſcendam in domum Domini die tertia?
9 Et dixit Eſaias: Hoc ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum, quod locutus eſt: Ibit vmbra decem gradus, ſi reuertet decem gradus?
10 Et dixit Ezecias: Leue vmbram declinate decem gradus. Nequaquam, ſed reuertatur vmbra in aſcenſionibus decem gradus retrorſum.
11 Et clamauit Eſaias propheta ad Dominum, & reuertit vmbra in aſcenſionibus in poſteriora decem gradus.
12 In tempore illo miſit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros, & Manaa ad Ezeciam, quoniam audiuerat, quia ægrotauit Ezecias.
13 Et gauiſus eſt ſuper ijs Ezecias, & oſtendit eis totam domum ipſius Nechotha, argentum, & aurum, aromata, & oleum bonum, & domum vaſorum, & quæcumque inuenta ſunt in theſauris ſuis. Non fuit verbum, quod non oſtenderit eis Ezecias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.
14 Et intrauit Eſaias propheta ad regem Ezeciam, & dixit ad eum: Quid locuti ſunt viri illi? & vnde venerunt ad te? Et dixit Ezecias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 At ille reſpondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque ſunt in domo mea, viderunt: nihil eſt quod non monſtrauerim eis in theſauris meis.

16 Dixit itaque Iſaias Ezechiæ: Audi ſermonem Domini:

17 Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus.

18 Sed & de filijs tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

19 Dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonus ſermo Domini quem locutus es: ſit pax & veritas in diebus meis.

20 Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piſcinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda?

21 Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & regnauit Manaſſes filius eius pro eo.

### CAP. XXI.

2.Par.33.1

1 DVodecim annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Haphſiba.

2 Fecitque malum in conſpectu Domini, iuxta idola Gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Iſrael.

* 2.Par. 33.3.

3 * Conuerſuſque eſt, & ædificauit excelſa, quæ diſſipauerat Ezechias pater eius: & erexit aras Baal, & fecit lucos ſicut fecerat Achab rex Iſrael, & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam.

* 2.Reg.7. 10.

4 Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: * In Ieruſalem ponam nomen meum.

5 Et extruxit altaria vniuerſæ militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini.

6 Et traduxit filium ſuum per ignem: & ariolatus eſt, & obſeruauit auguria, & fecit pythones, & aruſpices multiplicauit, vt faceret malum coram Domino & irritaret eum.

Po-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*15 Et ait: Quid viderunt in domo tua? Dixitque Chizkijahu: Omnia quæ ſunt in domo mea viderunt: non fuit quicquam quod non oſtenderim eis in theſauris meis.*

*16 Dixit autem Ieſahiahu ad Chizkijahu: Audi verbum Domini.*

*17 Ecce dies veniunt, & deferetur omne quod eſt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque ad diem hanc in Babel: non remanebit quicquam dixit Dominus.*

*18 Et de filijs tuis qui egredientur de te, quos generabis tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babel.*

*19 Dixitque Chizkijahu ad Ieſahiahu: Bonum eſt verbum Domini, quod locutus es: & dixit: Nonne bonum eſt cum pax & veritas futura ſit in diebus meis?*

*20 Reſidua autem Chizkijahu, & omnis fortitudo eius, & quod fecit piſcinam, & aquaductum, & introduxit aquas in ciuitatem, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

*21 Dormiuitque Chizkijahu cum patribus ſuis, & regnauit Menaſſeh filius eius pro eo.*

### CAP. XXI.

*1 DVodecim annorum erat Menaſſeh cum regnauit, & quinquaginta & quinque annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius erat Chephſibah.*

*2 Fecitque malum in oculis Domini iuxta abominationes gentium quas expulit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

*3 Conuerſuſque eſt, & ædificauit excelſa quæ perdiderat Chizkijah pater eius, & erexit altaria ipſi Bahal, & fecit lucum ſicut fecerat Achab rex Iſrael, & incuruauit ſe omni militia cœli, & ſeruiuit eis.*

*4 Et extruxit altaria in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ieruſalaim ponam nomen meum.*

*5 Extruxitque aras vniuerſæ militiæ cœli in duobus atrijs domus Domini.*

*6 Et tranſire fecit filium ſuum per ignem, & obſeruauit tempora, & auguratus eſt, & fecit pytonem, & magos multiplicauit, vt faceret malum in oculis Domini ad irritandum eum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit: Omnia, quæcumque in domo mea, viderunt, non fuit in do-
mo mea, quod non oſtenderim eis, ſed & quæ in theſauris meis. 16 Et dixit Eſaias ad Ezeciam:
Audi verbum Domini: 17 Ecce dies veniunt, & tollentur omnia, quæ in domo tua, & quæcum-
que theſaurizauerunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem, & non remanebit verbum, quod dixit Do-
minus: 18 Et filij tui, qui egredientur ex te, quos generabis, capientur, & erunt eunuchi in do-
mo regis Babylonis. 19 Et dixit Ezecias ad Eſaiam: Bonum eſt verbum Domini, quod locu-
tus eſt, ſit pax in diebus meis. 20 Et reliqua verborum Ezeciæ, & omnis potentatus eius, &
quæcumque fecit, fontem, & aquæductum, & introduxit aquam in ciuitatem, nonne hæc ſcripta in Libro ver-
borum dierum regibus Iuda? 21 Et dormiuit Ezecias cum patribus ſuis. Et regnauit Ma-
naſſes filius eius pro eo.

### CAP. XXI.

FIlius duodecim annorum erat Manaſſes in regnando ipſum, & quinquaginta & quinque annos regnauit in
Hieruſalem, & nomen matris eius Apſiba. 2 Et fecit malum in oculis Domini, iuxta abominatio-
nes gentium, quas ſuſtulit Dominus à facie filiorum Iſrael. 3 Et reuertit, & ædificauit excelſa, quæ
diruerat Ezecias pater eius, & erexit altare Baal, & fecit lucos ſicut fecerat Achaab rex Iſrael, & adorauit om-
nem virtutem cœli, & ſeruiuit eis. 4 Et ædificauit altare in domo Domini, quomodo dixit: In
Hieruſalem ponam nomen meum. 5 Et ædificauit altare omni virtuti cœli in duobus atrijs do-
mus Domini: 6 Et traduxit filios ſuos in igni, & ariolabatur, & augurabatur, & fecit delubra, &
Gnoſtas multiplicauit, faciendo malum in oculis Domini ad irritandum eum.

Et po-

## Vulgat. Editio.

7 Poſuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini, * ſuper quod locutus eſt Dominus ad Dauid, * & ad Salomonem filium eius: In templo hoc, & in Ieruſalem quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum.

* 2.Reg.7.16.
* 3.Reg.8.16. & 9.3.

8 Et vltra non faciam commoueri pedem Iſrael de terra, quam dedi patribus eorum: ſi tamen cuſtodierint opere omnia quæ præcepi eis, & vniuerſam legem, quam mandauit eis ſeruus meus Moyſes.

9 Illi vero non audierunt: ſed ſeducti ſunt à Manaſſe, vt facerent malum ſuper Gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Iſrael.

10 Locutuſque eſt Dominus in manu ſeruorum ſuorum Prophetarum, dicens:

11 * Quia fecit Manaſſes rex Iuda abominationes iſtas peſſimas, ſuper omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iuda in immunditijs ſuis:

* Infr.23.4.

12 Propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam: vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.

13 Et extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſuper faciem eius.

14 Dimittam vero reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vaſtitatem, & in rapinam cunctis aduerſarijs ſuis.

15 Eo quod fecerint malum coram me, & perſeuerauerint irritantes me, ex die qua egreſſi ſunt patres eorum ex Ægypto, vſque ad hanc diem.

16 Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os: abſque peccatis ſuis, quibus peccare fecit Iudam, vt faceret malum coram Domino.

17 Reliqua autem ſermonum Manaſſe, & vniuerſa quæ fecit, & peccatum eius, quod peccauit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda?

18 Dormiuitque Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in horto domus ſuæ, in horto Oza: & regnauit Amon filius eius pro eo.

19 Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpiſſet: duobus quoque annis regnauit in Ieruſalem; nomen matris eius Meſſalemeth filia Harus de Ieteba.

20 Fecitque malum in conſpectu Domini, ſicut fecerat Manaſſes pater eius.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et poſuit ſculptile luci quod fecerat in domo, de qua dixerat Dominus ad Dauid, & ad Selomoh filium eius, in domo hac, & in Ieruſalaim quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum.*

8 *Et non addam vt moueri faciam pedem Iſrael è terra, quam dedi patribus eorum, ſi cuſtodierint, vt faciant iuxta omnia quæ præcepi eis, & iuxta omnem legem quam præcepit eis ſeruus meus Moſeh.*

9 *Et non audierunt, & errare fecit eos Menaſſeh, vt facerent peius, quam gentes quas deleuit Deus à facie filiorum Iſrael.*

10 *Locutuſque eſt Dominus per manum ſeruorum ſuorum prophetarum, dicendo:*

11 *Pro eo quod fecit Menaſſeh rex Iehudah abominationes illas faciendo peius omnibus quæ fecerunt Emorai qui fuerunt ante eum, & peccare fecit etiam Iehudah in idolis ſuis.*

12 *Idcirco dixit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego inducam malum ſuper Ieruſalaim, & Iehudah quod omnis audientis illud tinnient ambæ aures.*

13 *Et extendam ſuper Ieruſalaim lineam Somron, & pondus domus Achab, & abſtergam Ieruſalaim ſicut abſtergit quiſpiam ſcutellam, & terſit, & vertit ſuper faciem ſuam.*

14 *Et derelinquam reſiduos hæreditatis meæ, & tradã eos in manu inimicorum eorum, eruntque in rapinam, & in direptionem omnibus inimicis ſuis.*

15 *Eo quod fecerunt malum in oculis meis, & irritauerunt me à die qua egreſſi ſunt patres eorum ex Ægypto vſque ad diem hanc.*

16 *Et etiam ſanguinem innoxium effudit Menaſſeh multum valde, donec impleret Ieruſalaim de latere ad latus, præter peccatum ſuum quo peccare fecit Iehudah, vt faceret malum in oculis Domini.*

17 *Reſidua autem Menaſſeh, & vniuerſa quæ fecit, & peccatum quod peccauit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

18 *Dormiuitque Menaſſeh cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in horto domus ſuæ in horto Huzza, regnauitque Amon filius eius pro eo.*

19 *Viginti & duarum annorum erat Amon quando regnauit, & duobus annis regnauit in Ieruſalaim; nomen autem matris eius erat Meſulemeth filia Charus de Iotbah.*

20 *Fecitque malum in oculis Domini ſicut fecerat Menaſſeh pater ſuus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et poſuit ſculptile luci in domo, qua dixit Dominus ad Dauid, & ad Salomon filium eius: In domo hac, & in
Hieruſalem, quam elegi de omnibus tribubus Iſrael, & ponam nomen meum in ſeculum: 8 Et non adijciam
commouere pedem Iſrael de terra, quam dedi patribus eorum, qui modo cuſtodient omnia, quæcunque manda-
ui iuxta omne mandatum, quod mandauit eis ſeruus meus Moyſes. 9 Et non audierunt, & decepit eos Manaſ-
ſes ad faciendum malum in oculis Domini ſuper gentes, quas deleuerat Dominus à facie filiorum Iſrael. 10 Et
locutus eſt Dominus in manu ſeruorum ſuorum prophetarum, dicens: 11 Pro ijs, quæ fecit Manaſſes rex Iuda
abominationes iſtas malas, ex omnibus, quæ fecerat Amorræus, qui ante, & peccare fecit etiã Iudam in idolis ſuis;
12 Non ſic: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego porto mala ſuper Hieruſalem, & Iudam, ita vt omnis au-
dientis perſonaturæ ſint ambæ aures eius. 13 Et extendam ſuper Hieruſalem menſuram Samariæ, & pondus
domus Achaab Et extergam Hieruſalem, ſicut extergitur Alabaſtrum, quod abſtergitur, & conuertitur ſuper faciẽ
ſuam. 14 Et expellam reſiduum hæreditatis meæ, & tradam eos in manus inimicorum ſuorum, & erunt in dire-
ptionem & in prædam omnibus inimicis ſuis: 15 Pro eo, quod fecerunt malum in oculis meis, & fuerunt irri-
tantes me à die, qua eduxi patres eorum ex Ægypto, & vſque in diem hanc. 16 Etiam ſanguinem innocentẽ
effudit Manaſſes multum valde: quoaduſque impleuit Hieruſalem, os ad os, præter peccata ſua, quibus peccare fe-
cit Iudam ad faciendum malum in oculis Dñi. 17 Et reliqua verborum Manaſſe, & omnia quæcumque fecit, &
peccatum eius, quod peccauit, nonne hæc ſcripta in Libro verborũ dierum regibus Iuda? 18 Et dormiuit Ma-
naſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in horto domus ſuæ, in horto Oza. Et regnauit Amos filius eius pro eo.
19 Filius viginti & duorum annorum Amos in regnando ipſum, & duos annos regnauit in Hieruſalem, & no-
men matri eius Meſollam filia Arus de Ieteba. 20 Et fecit malum in oculis Dñi, ſicut fecerat Manaſſes pr̃ eius.

Et am-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

21 Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius: ſeruiuitque immunditijs, quibus ſeruierat pater eius, & adorauit eas,

22 Et dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulauit in via Domini.

23 Tetenderuntque ei inſidias ſerui ſui, & interfecerunt regem in domo ſua.

24 Percuſſit autem populus terræ omnes, qui coniurauerant contra regem Amon: & conſtituerunt ſibi regem Ioſiam filium eius pro eo.

25 Reliqua autem ſermonum Amon quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda?

26 Sepelieruntq; eum in ſepulchro ſuo in horto Oza: & regnauit Ioſias filius eius pro eo.

### CAP. XXII.

a.Par.34.3 1 OCto annorum erat Ioſias cum regnare cœpiſſet, triginta & vno anno regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Idida, filia Hadaia de Beſecath.

2 Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris ſui: non declinauit ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram.

3 Anno autem octauo decimo regis Ioſiæ, miſit rex Saphan filium Aſlia, filij Meſſulam ſcribam templi Domini, dicens ei:

4 Vade ad Helciam ſacerdotem magnum, vt confletur pecunia, quæ illata eſt in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi à populo,

5 Deturque fabris per præpoſitos domus Domini: qui & diſtribuant eam his qui operantur in templo Domini ad inſtauranda ſartatecta templi:

6 Tignarijs videlicet & cœmentarijs, & ijs, qui interrupta componunt: & vt emantur ligna, & lapides de lapicidinis ad inſtaurandum templum Domini.

7 Verumtamen non ſupputetur eis argentum quod accipiunt, ſed in poteſtate habeant, & in fide.

8 Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan ſcribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud.

9 Venit quoque Saphan ſcriba ad regem, & renunciauit ei quod præceperat, & ait: Conflauerunt ſerui tui pecuniam, quæ reperta eſt in domo Domini: & dederunt vt diſtribueretur fabris à præfectis operum templi Domini.

Nar-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et ambulauit in omni via per quam ambulauit pater ſuus: ſeruiuitque idolis quibus ſeruierat pater ſuus, & incuruauit ſe eis.*

22 *Et dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulauit in via Domini.*

23 *Et coniurauerunt ſerui Amon contra eum, & interfecerunt regem in domo ſua.*

24 *Et percuſſit populus terræ omnes qui coniurauerant aduerſum regem Amon, & regem conſtituit populus terræ Ioſiahu filium eius pro eo.*

25 *Reſidua autem Amon quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah?*

26 *Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo in horto Huzza, regnauitque Ioſiahu filius eius pro eo.*

### CAP. XXII.

1 *OCto annorum erat Ioſiahu cum regnauit, & triginta, & vno anno regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius erat Iedidah filia Hadaiah de Boſcath.*

2 *Fecitque quod rectum erat in oculis Domini, & ambulauit in omni via Dauid patris ſui, & non declinauit ad dexteram & ſiniſtram.*

3 *Et fuit octauo decimo anno regis Ioſiahu, miſit rex Saphan filium Aſaliahu filij Meſulam ſcribam ad domum Domini, dicendo:*

4 *Aſcende ad Chilchijahu ſacerdotẽ magnum, & perficiat conflare pecuniã quæ illata eſt in domum Dñi, quã collegerunt cuſtodes liminis à populo, & tradat eam manui facientium opus præfecti in domo Dñi.*

5 *Et tradant eam facientibus opus quod eſt in domo Domini ad roborandum rimas domus.*

6 *Fabris, & ædificatoribus, cæmentarijs, & ad emendum ligna & lapides exciſos, ad roborandum domum.*

7 *Tantum non ſupputetur eis argentum quod datur ad manum eorum, ſed in fide faciant.*

8 *Dixit autẽ Chilchijahu ſacerdos magnus ad Saphan ſcribam: Librum legis inueni in domo Domini: & dedit Chilchijahu librum ipſi Saphan, legitque illum.*

9 *Venit autem Saphan ſcriba ad regem, & retulit regi rem, & dixit: Conflauerunt ſerui tui argentum quod inuentum eſt in domo, & dederunt illud manui facientium opus præfecti in domo Domini.*

Nun-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et ambulauit in omni via, qua ambulauerat pater eius & ſeruiuit idolis, quibus ſeruierat pater eius, & adora-
uit ea. 22 Et dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulauit in via Domini.
23 Et coniurarunt pueri Amos aduerſus eum, & interfecerunt regem in domo eius. 24 Et percuſſit po-
pulus terræ omnes, qui coniurauerant ſuper regem Amos, & regem fecit populus terræ Ioſiam filium eius pro eo.
25 Et reliqua verborum Amos, quæcumque fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus
Iuda? 26 Et ſepelierunt eum in ſepulchro eius in horto Oza, & regnauit Ioſias filius eius pro eo.

### CAP. XXII.

FIlius octo annorum Ioſias in regnando ipſum, & triginta & vnum annum regnauit in Hieruſalem, & nomen
matri eius Iedia filia Edeia de Baſuroth. 2 Et fecit rectum in oculis Domini, & ambulauit in omni via
patris ſui, non receſſit ad dexteram, & ſiniſtram. 3 Et factum eſt in octauo & decimo anno regis Ioſiæ in menſe
octauo miſit rex Sapphan filium Ezeliæ filij Meſollam ſcribam domus Domini, dicens: 4 Aſcende ad Chel-
ciam ſacerdotem magnum, & ſigna argentum illatum in domo Domini, quod collegerunt cuſtodes liminis à po
pulo: 5 Et dent illud ſuper manum facientium opera, qui præpoſiti ſunt in domo Domini. Et dedit illud fa-
cientibus opera qui in domo Domini ad fulciendum Bedec domus, 6 Fabris & ædificatoribus, & cœmentarijs,
& ad emendum ligna & lapides exciſos ad confirmandum Bedec domus. 7 Verumtamen non ſupputabant eis
argentum, quod dabatur eis, quoniam in fide ipſi faciunt. 8 Et dixit Chelcias ſacerdos magnus ad Sapphan
ſcribam: Librum legis inueni in domo Domini. Et dedit Chelcias librum ad Sapphan: & legit illum.
9 Et intrauit in domo Domini ad regem, & retulit regi verbum, & dixit: Conflauerunt ſerui tui argentum in-
uentum in domo Domini, & dederunt illud ad manum facientium opera præfectorum in domo Domini.

Et di-

## Vulgata Editio.

10 Narrauit quoque Saphan ſcriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias ſacerdos. Quem cum legiſſet Saphan coram rege,
11 Et audiſſet rex verba Libri Legis Domini, ſcidit veſtimenta ſua.
12 Et præcepit Helciæ ſacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan ſcribæ, & Aſaiæ ſeruo regis, dicens:
13 Ite & conſulite Dominum ſuper me & ſuper populo, & ſuper omni Iuda, de verbis voluminis iſtius, quod inuentum eſt: magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos: quia non audierunt patres noſtri verba Libri huius, vt facerent omne quod ſcriptum eſt nobis.
14 Ierunt itaque Helcias ſacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Aſaia ad Holdam prophetidem vxorem Sellum filij Thecuæ, filij Araas cuſtodis veſtium, quæ habitabat in Ieruſalem in Secunda: locutique ſunt ad eam.
15 Et illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Dicite viro, qui miſit vos ad me:
16 Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, omnia verba Legis quæ legit rex Iuda:
17 Quia dereliquerunt me, & ſacrificauerunt dijs alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum ſuarum: & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.
18 Regi autem Iuda, qui miſit vos vt conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis,
19 Et perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in ſtuporem & in maledictum: & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, & ego audiui, ait Dominus:
20 Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.

### CAP. XXIII.

4.Par.34 1 ET renunciauerunt regi quod dixerat. Qui miſit: & congregati ſunt ad eum omnes ſenes Iuda & Ieruſalem.

Aſcen-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

10 *Nunciauitque Saphan ſcriba regi dicendo: Librum dedit mihi Chilchijahu ſacerdos. Legitque illum Saphan coram rege.*
11 *Et fuit cum audiſſet rex verba libri legis, ſcidit veſtimenta ſua.*
12 *Præcepit autem rex Chilchijahu ſacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Hachbor filio Michaiah, & Saphan ſcribæ, & Haſaiah ſeruo regis dicendo:*
13 *Ite inquirite Dominum pro me, & pro populo, & pro omni Iehudah ſuper verba libri qui inuentus eſt huius, quia magna eſt ira Domini, quæ ſuccenſa eſt contra nos, eo quod non audierunt patres noſtri verba Libri huius, vt facerent iuxta omne quod ſcriptum eſt nobis.*
14 *Abijt autem Chilchijahu ſacerdos, & Achicham, & Hachbor, & Saphan, & Haſaiah ad Chuldah prophetiſſam vxorem Sallum filij Ticeuah filij Charcha cuſtodis veſtium, ipſa autem habitabat in Ieruſalaim in domo doctrinæ, & locuti ſunt ad eam.*
15 *Dixitque ad eos: Sic dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro qui miſit vos ad me.*
16 *Sic dixit Dominus: Ecce adduco malum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius omnia verba Libri quem legit rex Iehudah.*
17 *Pro eo quod dereliquerunt me, & ſuffierunt dijs alienis, vt irritarent me in omni opere manuum ſuarum, ſuccenſus eſt furor meus in loco iſto, & non extinguetur.*
18 *Ad regem autem Iehudah qui miſit vos ad requirendum Dominum, ſic dicetis: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Verba quæ audiſti.*
19 *Pro eo quod mollitum eſt cor tuum, & humiliatus es à facie Domini, quando audiſti quæ locutus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, vt ſint in deſolationem, & in maledictionem, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, ego etiam audiui dixit Dominus:*
20 *Idcirco ecce colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchra tua in pace, & non videbunt oculi tui omne malum quod induco ſuper locum hunc. Et retulerunt regi verbum.*

### *CAP. XXIII.*

1 *MIſit autem rex, & congregauerunt ſe ad eum omnes ſeniores Iehudah, & Ieruſalaim.*

*Aſcen-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et dixit Sapphan ſcriba ad regem, dicens: Librum dedit mihi Chelcias ſacerdos. Et legit illum Sapphan coram rege. 11 Et factum eſt, vt audiuit rex verba libri legis, & diſcidit veſtimenta ſua. 12 Et mandauit rex Chelciæ ſacerdoti, & Achicam filio Sapphan, & Achobor filio Michææ & Sapphan ſcribæ, & Aſaiæ ſeruo regis, dicens: 13 Ite, exquirite Dominum pro me, & pro omni populo, & pro vniuerſo Iuda, & de verbis libri inuenti huius, quoniam magna eſt ira Domini accenſa in nobis, pro eo, quod non audiuerunt patres noſtri verba libri huius ad faciendum iuxta omnia quæ ſcripta ſunt ſuper nos. 14 Et iuit Chelcias ſacerdos & Achicam & Achobor, & Sapphan, & Aſaias ad Oldam prophetiſſam matrem Sellem filij Thecuan filij Aras cuſtodis veſtium. Et ipſa habitabat in Hieruſalem in Maſena. Et locuti ſunt ad eam. 15 Et dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro, qui miſit vos ad me: 16 Hæc dicit Dominus: Ecce ego adduco mala ſuper locum hunc, & ſuper inhabitantes eum, omnia verba libri, quę legit rex Iuda, 17 Pro eo quod dereliquerunt me, & adolebant dijs alijs: vt irritarent me in operibus manuum ſuarum, & ſuccendetur indignatio mea in loco iſto, & non extinguetur. 18 Et ad regem Iuda, qui miſit vos inquirere Dominum, hæc dicetis ad eum: Hęc dicit Dominus Deus Iſrael. Verba, quæ audiſti, 19 Propterea quod perterritum eſt cor tuum, & confuſus es à facie, vt audiſti, quęcunque locutus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper inhabitantes eum, vt ſiot in perditionem, & in maledictionem, & diſcidiſti veſtimenta tua, & ploraſti coram me, etiam ego audiui, dicit Dominus: 20 Non ſic: Ecce ego adijcio te ad patres tuos, & colligeris in ſepulchrum tuum in pace, & non aſpicietur in oculis tuis, in omnibus malis, quæ ego ipſe adduco ſuper locum hunc.

### CAP. XXIII.

ET retulerunt regi verbum. Et miſit rex, & congregauit ad ſe omnes ſeniores Iuda, & Hieruſalem.

Et aſcen-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Aſcenditque rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuerſique qui habitabant in Ieruſalem cum eo, ſacerdotes & prophetæ, & omnis populus à paruo vſque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini.

3 Stetitque rex ſuper gradum: & fœdus percuſſit coram Domino, vt ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia, & ceremonias in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitarent verba fœderis huius, quæ ſcripta erant in libro illo: acquieuitque populus pacto.

4 Et præcepit rex Helciæ pontifici, & ſacerdotibus ſecundi ordinis, & ianitoribus, vt proijcerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuerſæ militiæ cœli: & combuſſit ea foris Ieruſalem in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel.

5 Et deleuit aruſpices, quos poſuerant reges Iuda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Iuda, & in circuitu Ieruſalem: & eos, qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cœli.

6 Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem in conualle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.

7 Deſtruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci.

8 Congregauitque omnes ſacerdotes de ciuitatibus Iuda: & contaminauit excelſa, vbi ſacrificabant ſacerdotes de Gabaa vſque Berſabee: & deſtruxit aras portarum in introitu oſtij Ioſue principis ciuitatis, quod erat ad ſiniſtram portæ ciuitatis.

9 Verumtamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Ieruſalem: ſed tantum comedebant azima in medio fratrum ſuorum.

10 Contaminauit quoque Topheth, quod eſt in conualle filij Ennon: vt nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem, Moloch.

11 Abſtulit quoque equos, quos dederant reges Iuda, Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combuſſit igni.

Al-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Aſcenditque rex in domum Domini, & omnis vir Iehudah, & omnes habitatores Ieruſalaim erant cum eo, & ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus à paruo vſque ad magnum: legitque in auribus eorum omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini.*

3 *Stetit autem rex ſuper columnam, & pepigit fœdus coram Domino, vt ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia eius, decretaque eius toto corde, & tota anima, vt ſuſcitarent verba fœderis huius, quæ ſcripta ſunt in libro hoc: & ſtetit omnis populus in fœdere.*

4 *Præcepit autem rex Chilchiahu ſacerdoti magno, & ſacerdotibus ſecundis, & cuſtodibus liminis, vt educerent è templo Domini omnia vaſa quæ facta fuerant ipſi Bahal, & luco, & vniuerſæ militiæ cœli: & combuſſit ea foris Ieruſalaim in valle Chidron, & tulit puluerem eorum in Bethel.*

5 *Et ceſſare fecit ſacerdotes quos poſuerant reges Iehudah, vt ſuffirent in excelſis, in vrbibus Iehudah, & in circuitibus Ieruſalaim, & ceſſare fecit ſuffientes Bahal, Soli, & Lunæ, & ſignis, & omni militiæ cœli.*

6 *Et educere fecit lucum è domo Domini extra Ieruſalaim in valle Chidron, & combuſſit eum in valle Chidron, & comminuit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchrum filiorum populi.*

7 *Et deſtruxit domos ſcortorum maſculorum, qui erãt in domo Domini, in quibus mulieres texebant cortinas luco.*

8 *Et adduxit omnes ſacerdotes de vrbibus Iehudah, & immunda eſſe declarauit excelſa in quibus ſuffiebant ſacerdotes à Glebah vſque ad Beerſebah, & deſtruxit excelſa portarum, quæ erant ad oſtium portæ Iehoſuah principis ciuitatis, quæ erant ad ſiniſtram viri in porta ciuitatis.*

9 *Verumtamen non aſcendebant ſacerdotes ad altare Domini in Ieruſalaim, ſed comedebant infermentata in medio fratrum ſuorum.*

10 *Immundum locum eſſe declarauit Topheth, quod erat in valle filij Himnon, vt non tranſire faceret quiſquam filium ſuum, & filiam ſuam per ignem ipſi Molech.*

11 *Et ceſſare fecit equos quos poſuerant reges Iehudah, Soli, ab introitu domus Domini ad cœnaculum Nethanmelech eunuchi, quod erat in ſuburbanis, & currus ſolis combuſſit igni.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et aſcendit rex in domum Domini, & omnis vir Iuda, & omnes habitantes in Hieruſalem cum eo, & ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus à paruo, & vſque ad magnum. Et legit in auribus eorum omnia verba libri teſtamenti inuenti in domo Domini. 3 Et ſtetit rex ad columnam, & diſpoſuit teſtamentum coram Domino, eundi poſt Dominum, & cuſtodiendi mandata eius, & teſtimonia eius, & iuſtificationes eius in omni corde, & in omni anima, erigendi verba teſtamenti huius ſcripta ſuper librum hunc: & ſtetit omnis populus in teſtamento. 4 Et mandauit rex Chelciæ ſacerdoti magno, & ſacerdotibus ſecundi ordinis, & cuſtodibus liminis, educere e templo Domini omnia vaſa facta Baal, & luco, & omni virtuti cęli, & combuſſit ea extra Hieruſalem in Sademoth Cedron, & eiecit puluerem eorum in Bæthel. 5 Et combuſſit Chomarim, (quos dederant reges Iuda, & adolebant in excelſis, & in ciuitatibus Iuda, & quæ circa Hieruſalem) & eos qui adolebant Baal & Soli, & Lunæ, & ipſi Mazuroth, & vniuerſæ virtuti cœli. 6 Et extraxit lucum e domo Domini extra Hieruſalem in torrentem Cedron, & combuſſit eum in torrente Cedron, & comminuit in puluerem, & proiecit puluerem eius in ſepulchrum filiorum populi. 7 Et diruit domum ipſorum Cadeſim, qui in domo Domini, vbi mulieres texebant illic Chettijm luco. 8 Et eduxit omnes ſacerdotes e ciuitatibus Iuda, & contaminauit excelſa, vbi adolebant ibi ſacerdotes, à Gæbal, & vſque Berſabee. Et diruit domum portarum, quę iuxta oſtium portę Ieſu principis ciuitatis, ex ijs quę à ſiniſtris viri in porta ciuitatis: 9 Verumtamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Hieruſalem, quoniam tantum comedebant azyma in medio fratrum ſuorum. 10 Et contaminauit ipſum Taphet, qui in valle filij Ennon, ad traducendum virum filium ſuum, & virum filiam ſuam ipſi Moloch in igni. 11 Et combuſſit equos, quos dederant reges Iuda Soli in introitu domus Domini, in Gazophylacium Nathan regis Eunuchi in Pharurin. Et currum Solis combuſſit igni.

## Vulgata Editio.

12 Altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atrijs templi Domini, deſtruxit rex: & cucurrit inde, & diſperdit cinerem eorum in torrentem Cedron.

* 3. Reg. 11. 7.

13 Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, * quæ ædificauerat Salomon rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſionis Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex.

14 Et contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos: repleuitque loca eorum oſſibus mortuorum.

* 3. Reg. 13. 32.

15 * Inſuper & altare, quod erat in Bethel, & excelſum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael: & altare illud, & excelſum deſtruxit, atque combuſſit, & comminuit in puluerem, ſuccendítque etiam lucum.

16 Et conuerſus Ioſias, vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte: miſitque & tulit oſſa de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc.

* 2. Paral. 35. 1.

17 * Et ait: Quis eſt titulus ille, quem video? Reſponderuntque ei ciues vrbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel.

18 Et ait: Dimitte eum, nemo commoueat oſſa eius. Et intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus prophetæ, qui venerat de Samaria.

19 Inſuper & omnia fana excelſorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Iſrael ad irritandum Dominum, abſtulit Ioſias: & fecit eis ſecundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel.

20 Et occidit vniuerſos ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria: & combuſſit oſſa humana ſuper ea: reuerſuſque eſt Ieruſalem.

* 3. Reg. 13. 2.

21 * Et præcepit omni populo dicens: Facite Phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis huius.

22 Nec enim factum eſt Phaſe tale à diebus iudicum, qui iudicauerunt Iſrael, & omnium dierum regum Iſrael, & regum Iuda,

23 Sicut in octauo decimo anno regis Ioſiæ factum eſt Phaſe iſtud Domino in Ieruſalem.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et aras quæ erant ſuper tectum cœnaculi Achaz, quas fecerant reges Iehudah, & altaria quæ fecerat Menaſſeh in duobus atrijs domus Domini deſtruxit rex, & currere fecit inde, & proijcere fecit puluerem eorum in torrente Chidron.*

13 *Excelſa autem quæ erant coram Ieruſalaim quæ erant à dextris montis Oliueti, quæ ædificauerat Selomoh rex Iſrael Haſtereth abominationi Sidoniorum, & Chemos abominationi Moab, & Milcham abominationi filiorum Hammon immunda eſſe cenſuit rex.*

14 *Et contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, repleuitque locum eorum oſſibus hominum.*

15 *Et etiam altare quod erat in Bethel, excelſum quod fecerat Iarobham filius Nebath, qui peccare fecit Iſrael etiam altare ipſum, & excelſum deſtruxit, combuſſitque excelſum, contriuit in puluerem, & combuſſit lucum.*

16 *Et conuerſus eſt Ioſiahu, & vidit ſepulchra quæ erant ibi in monte: & miſit, & tulit oſſa è ſepulchris, & combuſſit ſuper altare, & immundum eſſe cenſuit illud: iuxta verbum Domini quod prædicauerat vir Dei qui prædicauit hæc.*

17 *Et ait: Quid titulus iſte quem video? Dixerunt autem ad eum viri ciuitatis: Sepulchrum viri Dei qui venit de Iehudah, & prædicauit hæc quæ feciſti ſuper altare Bethel.*

18 *Et dixit: Dimittite illum: quiſquam ne moueat oſſa eius. Et liberauerunt oſſa eius, oſſa prophetæ qui venerat de Somron.*

19 *Et etiam omnes domos excelſorum, quæ erant in ciuitatibus Somron, quas fecerant reges Iſrael ad irritandum, remouere fecit Ioſiahu: fecitque eis iuxta omnia opera, quæ fecerat in Bethel.*

20 *Et iugulauit omnes ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria, et combuſſit oſſa hominum ſuper ea, & reuerſus eſt in Ieruſalaim.*

21 *Præcepit autem rex omni populo dicendo: Facite Peſach Domino Deo veſtro ſicut ſcriptum eſt in libro fœderis huius.*

22 *Non enim factum eſt ſicut Peſach hoc à diebus iudicum qui iudicauerunt Iſrael, & omnibus diebus regum Iſrael, & regum Iehudah.*

23 *Sed octauo decimo anno regis Ioſiahu factum eſt Peſach hoc Domino in Ieruſalaim.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et altaria, quæ ſuper ſolarium cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda. Et altaria, quæ fecerat Manaſſes in duobus atrijs domus Domini, & diruit rex, & demolitus eſt inde, & proiecit puluerẽ eorum in torrentem Cedrõ. 13 Et domum, quæ ad faciem Hieruſalem, quæ à dextris montis Moſtath, quam ædificauerat Salomon rex Iſrael Aſtartæ offendiculo Sidoniorum & Chamos offendiculo Moab, & Moloch abominationi filiorum Ammon, cõtaminauit rex. 14 Et contriuit ſtatuas, & exterminauit lucos, & impleuit loca eorũ oſſibus hominũ. 15 Etiã altare, quod in Bethel, excelſum quod fecerat Hieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael, etiam altare illud excelſum demolitus eſt, & contriuit lapides eius, & comminuit in puluerem, & combuſſit lucum. 16 Et venit Ioſias, & vidit ſepulchra, quæ ibi in ciuitate, & miſit, & tulit oſſa e ſepulchris, & combuſſit ſuper altare, & contaminauit illud iuxta verbum Domini, quod locutus eſt homo Dei in ſtando Hieroboam in feſtiuitate ad altare. Et conuerſus leuauit oculos ſuos ad ſepulchrum hominis Dei, qui locutus fuerat verba hæc. 17 Et dixit: Quid ſcopulus ille, quem ego video? Et dixerunt ei viri ciuitatis: Homo Dei, qui venit e Iuda, & indicauit verba hæc, quæ inuocauit ſuper altare Bethel. 18 Et dixit: Sinite eum. Vir non moueat oſſa eius. Et ſaluata ſunt oſſa eius, cum oſſibus prophetę, qui venerat e Samaria. 19 Etiam omnes domos excelſorum, quę in ciuitatibus Samarię, quas fecerant reges Iſrael, ad irritandum Dominum, amouit Ioſias: & fecit in eis omnia opera, quæ fecerat in Bethel. 20 Et immolauit omnes ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi, ſuper altaria: & combuſſit oſſa hominum ſuper ea. Et reuerſus eſt in Hieruſalem: 21 Et mandauit rex omni populo, dicens Facite Paſcha Domino Deo noſtro: ſicut ſcriptum eſt ſuper librum teſtamenti huius. 22 Quoniam non fuit factum Paſcha hoc à diebus Iudicum, qui iudicabant Iſrael, & omnibus diebus regum Iſrael, & regum Iuda. 23 Sed tantum octauo & decimo anno regis Ioſię factum eſt Paſcha Domino in Hieruſalem.

Etiam

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

24 Sed & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda & Ieruſalem, abſtulit Ioſias: vt ſtatueret verba legis, quæ ſcripta ſunt in Libro, quem inuenit Helcias ſacerdos in templo Domini.

25 Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua iuxta omnem legem Moyſi: neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi.

26 Verumtamen non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor eius contra Iudam: propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manaſſes.

* Iſai. 29, 8. 27 * Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam à facie mea, ſicut abſtuli Iſrael: & proijciam ciuitatem hanc, quam elegi Ieruſalem, & domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi.

28 Reliqua autem ſermonum Ioſiæ, & vniuerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

* 2. Par. 35 29 * In diebus eius aſcendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Aſſyriorum ad flumen Euphratem: & abijt Ioſias rex in occurſum eius: & occiſus eſt in Mageddo: cum vidiſſet eum.

30 Et portauerunt eum ſerui ſui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Ieruſalem, & ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo. Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ: & vnxerunt eum, & conſtituerunt eum regem pro patre ſuo.

* 2. Paral. 36. 1. 31 * Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ, de Lobna.

32 Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

33 Vinxitq; eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnaret in Ieruſalem: & impoſuit mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri.

34 Regemque conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius: vertitque nomen eius Ioakim: porro Ioachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi.

Ar-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Et etiam pytones, & magos, & ſimulachra, & idola, & omnes abominationes quæ conſpiciebantur in terra Iehudah, & in Ieruſalaim remouit Ioſiiahu, vt ſtatueret verba legis ſcripta in libro quem inuenit Chilchijahu ſacerdos in domo Domini.*

25 *Et ſicut ipſe non fuit ante eum rex qui reuerſus ſit ad Dominum toto corde ſuo, & tota anima ſua, & tota validitate ſua iuxta omnem legem Moſeh, & poſt eum non ſurrexit ſicut ipſe.*

26 *Verumtamen non eſt reuerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor eius contra Iehudah propter irritationes, quibus irritauit eum Menaſſeh.*

27 *Dixit autem Dominus: Etiam Iehudah remouebo à facie mea ſicut remoui Iſrael, & reprobabo ciuitatem hanc, quam elegi Ieruſalaim, & domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi.*

28 *Reſiduum autem verborum Ioſiiahu, & omnia quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah.*

29 *In diebus eius aſcendit Parhoh Nechoh rex Ægypti contra regem Aſſur, iuxta flumen Perath, & abijt rex Ioſiiahu in occurſum eius, & occidit eum in Meghiddo cum vidiſſet eum.*

30 *Et equitare fecerunt eum ſerui ſui mortuum, à Meghiddo, & adduxerunt eum in Ieruſalaim, & ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo. Tuliteque populus terræ Iehoachaz filium Ioſiiahu, & vnxerunt eum, & regem conſtituerunt eum pro patre ſuo.*

31 *Viginti, & trium annorum erat Iehoachaz quando regnauit, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius erat Ghamuthal filia Irmeiahu de Libnah.*

32 *Fecitque malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerunt patres ſui.*

33 *Et ligauit eum Parhoh, Nechoh in Riblah in terra Ghamath, dum regnaret in Ieruſalaim, & impoſuit mulctam ſuper terram centum talenta argenti, & talentum auri.*

34 *Et regem conſtituit Parhoh Nechoh Eliachim filium Ioſiiahu pro Ioſiiahu patre ſuo, & vertit nomen eius Iehoiachim: Iehoachaz autem tulit, & venit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi.*

Ar-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Etiam Theletas, & cognitores, & Theraphin, & idola, & omnia offendicula, quæ fuerunt in terra Iuda, & in Hieruſalem, ſuſtulit Ioſias, vt firmaret verba legis ſcripta ſuper librum, quem inuenit Chelcias ſacerdos in domo Domini. 25 Similis ei non fuit ante eum rex, qui reuertit ad Dominum in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, & in tota fortitudine ſua ſecundum omnem legem Moyſi. Et poſt eum non ſurrexit ſimilis ei.
26 Verumtamen non eſt auerſus Dominus à furore iræ ſuæ magnæ, quo indignatus eſt ira ſua in Iuda ſuper irritationes, quibus irritauit eum Manaſſes. 27 Et dixit Dominus: Etiam Iudam remouebo à facie mea, ſicut remoui Iſrael: & abijciam ciuitatem hanc, quam elegeram, ipſam Hieruſalem, & domum, qua dixi: Erit nomen meum ibi. 28 Et reliqua verborum Ioſię, & omnia, quæ fecit, nonne hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? 29 In diebus autem eius aſcendit Pharao Nechao rex Aegypti ſuper regem Aſſyriorum ſuper flumen Euphratem. Et iuit Ioſias in occurſum eius. Et interfecit eum Nechao in Mageddo, in videndo eum. 30 Et reportarunt eum pueri eius mortuum in Mageddo, & adduxerunt eum in Hieruſalem, & ſepelierunt eum in ſepulcho eius. Et ſumpſit populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & vnxerunt eum, & regem fecerunt eum pro patre eius. 31 Filius viginti & trium annorum erat Ioachaz in regnando ipſum, & tres menſes regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Amital filia Hieremiæ de Lobna. 32 Et fecit malum in oculis Domini ſecundum omnia, quæcumque fecerant patres eius.
33 Et tranſtulit eum Pharao Nechao in Rablaam in terra Æmath, vt non regnaret in Hieruſalem: & dedit mulctam ſuper terram centum talenta argenti, & centum talenta auri. 34 Et regem fecit Pharao Nechao ſuper eos Eliacim filium Ioſiæ regis Iuda, pro Ioſia patre eius: & conuertit nomen eius Ioacim. Et ipſum Ioachaz cepit, & adduxit in Aegyptum: & mortuus eſt ibi.

## Vulgata Editio.

35 Argentum autem, & aurum dedit Ioakim Pharaoni cum indixiſſet terræ per ſingulos, vt conferretur iuxta præceptum Pharaonis: & vnumquemque iuxta vires ſuas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, vt daret Pharaoni Nechao.

36 Viginti quinque annorum erat Ioakim cum regnare cœpiſſet: & vndecim annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Zebida filia Phadaia de Ruma.

37 Et fecit malum coram Domino iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

### CAP. XXIIII.

1 IN diebus eius aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & factus eſt ei Ioakim ſeruus tribus annis: & rurſum rebellauit contra eum.

2 Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum, * iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per ſeruos ſuos prophetas.

*Supr. 23. 17.*

3 Factum eſt autem hoc per verbum Domini contra Iudam, vt auferret eum coram ſe propter peccata Manaſſe vniuerſa quæ fecit,

4 Et propter ſanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Ieruſalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5 Reliqua autem ſermonum Ioakim, & vniuerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda? Et dormiuit Ioakim cum patribus ſuis:

6 Et regnauit Ioachin filius eius pro eo.

7 Et vltra non addidit rex Ægypti, vt egrederetur de terra ſua: tulerat enim rex Babylonis a riuo Ægypti vſque ad fluuium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

8 Decem & octo annorum erat Ioakin cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Nohesta filia Elnathan de Ieruſalem.

9 Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

10 * In tempore illo aſcenderunt ſerui Nabuchodonoſor regis Babylonis in Ieruſalem, & circumdata eſt vrbs munitionibus.

*Dan. 1. 1.*

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

35 *Argentum autem, & aurum dedit Iehoiachim ipſi Parhoh; verumtamen æſtimare fecit terram, vt daret argentum ad imperium Parhoh: ab vnoquoque ſecundum æſtimationem ſuam exigebat argentum, & aurum à populo, vt daret Parhoh Nechoh.*

36 *Viginti & quinque annorum erat Iehoiachim, quando regnauit, & vndecim annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius erat Zebudah filia Pedaiah de Rumah.*

37 *Fecitque malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerunt patres eius.*

### CAP. XXIIII.

1 *IN diebus eius aſcendit Nebuchadneſar rex Babel, & fuit ei Iehoiachim ſeruus tribus annis, & reuerſus eſt, & rebellauit contra eum.*

2 *Miſit autem Dominus contra eum exercitus Chaſdim, & exercitum Aram, & exercitum Moab, & exercitum filiorum Hammon, & miſit eos in Iehudah, vt diſperderet eum iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per manum ſeruorum ſuorum prophetarum.*

3 *Verumtamen iuxta os Domini fuit contra Iehudah, vt remoueret eum à facie ſua propter peccata Menaſſeh, propter omnia quæ fecit.*

4 *Et etiam ſanguinem innocentem quem effudit, & repleuit Ieruſalaim cruore innocenti, & noluit Dominus parcere.*

5 *Reſidua autem Iehoiachim, & omnia quæ fecit, nonne ſunt ſcripta in Libro verborum dierum regum Iehudah? dormiuitque Iehoiachim cum patribus ſuis.*

6 *Et regnauit Iehoiachin filius eius pro eo.*

7 *Et non addidit vltra rex Ægypti, vt egrederetur è terra ſua: tulerat enim rex Babel à flumine Ægypti vſque ad flumen Perath, quicquid erat regis Ægypti.*

8 *Octo & decem annorum erat Iehoiachin, quando regnauit, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Nechuſta filia Elnathan de Ieruſalaim.*

9 *Fecitque malum in oculis Domini iuxta omnia quæ fecerat pater eius.*

10 *In tempore illo aſcenderunt ſerui Nebuchadneſar rex Babel in Ieruſalaim, & venit ciuitas in obſidionem.*

*Ve-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

35 Et argentum, & aurum dedit Ioacim Pharaoni. Verumtamen æſtimari fecit terram ad dandum argentum ſuper os Pharaonis. Vir ſecundum æſtimationem ſuam dabant argentum, & aurum cum populo terræ, ad dandum Pharaoni Nechao. 36 Filius viginti & quinque annorum Ioacim in regnando ipſum, & vndecim annos regnauit in Hieruſalem, & nomen matri eius Iedaph filia Phadail de Rhuma. 37 Et fecit malum in oculis Domini iuxta omnia, quæcumque fecerant patres eius.

### CAP. XXIIII.

IN diebus eius aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis. Et factum eſt ei Ioacim ſeruus tribus annis. Et reuertit, & rebellauit in eo. 2 Et miſit Dominus ei accinctos Chaldæorum, & accinctos Syriæ, & accinctos Moab, & accinctos filiorum Ammon, & emiſit eos in terram Iuda 3 Ad præualendum iuxta verbum Domini, quod locutus eſt in manu ſeruorum ſuorum prophetarum. Verum ſuper indignationem Domini fuit in Iuda, ad remouendum eum à facie ſua, in peccatis Manaſſes iuxta omnia, quæcumque fecerat: 4 Etiam ſanguinem innocentem effuderat, & impleuerat Hieruſalem ſanguine innoxio. Et noluit Dominus propitiari. 5 Et reliqua verborum Ioacim, & omnia, quæcumque fecit, nonne ecce hæc ſcripta in Libro verborum dierum regibus Iuda? Et dormiuit Ioacim cum patribus ſuis. 6 Et regnauit Ioachim filius eius pro eo. 7 Et non adiecit vltra rex Aegypti exire de terra ſua, quoniam cepit rex Babylonis à torrente Aegypti vſque ad flumen Euphratem, omnia, quæcumque erant regis Aegypti. 8 Filius octo & decem annorum Ioachim in regnando ipſum, & tres menſes regnauit in Hieruſalem, & nomen matri eius Neſtha filia Elanaſtham de Hieruſalem. 9 Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia, quæcumque fecerat pater eius. 10 In tempore illo aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Hieruſalem, & venit ciuitas in clauſuram.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Veniţque Nabuchodonoſor rex Babylonis ad ciuitatem cum ſeruis ſuis vt oppugnarent eam.
12 Egreſſuſque eſt Ioachin rex Iuda ad regem Babylonis, ipſe & mater eius, & ſerui eius, & principes eius, & eunuchi eius: & ſuſcepit eum rex Babylonis anno octauo regni ſui.
13 Et protulit inde omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus regiæ: & concidit vniuerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon rex Iſrael in templo Domini iuxta verbum Domini.
14 Et tranſtulit omnem Ieruſalem, & vniuerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captiuitatem: & omnem artificem & cluſorem: nihilque relictum eſt, exceptis pauperibus populi terræ.
*2.Par.36 10. Ezech.2.4. & 12.4.
15 * Tranſtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis, & vxores regis, & eunuchos eius: & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ieruſalem in Babylonem.
16 Et omnes viros robuſtos, ſeptem millia, & artifices, & cluſores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitque eos rex Babylonis captiuos in Babylonē.
*Ier.37.1. & 52.1.
17 * Et conſtituit Matthaniam patruum eius pro eo: impoſuitque nomen ei Sedeciam.
18 Vigeſimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius erat Amital, filia Ieremiæ de Lobna.
19 Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim.
20 Iraſcebatur enim Dominus contra Ieruſalem & contra Iudam, donec proiiceret eos à facie ſua: receſſitque Sedecias à rege Babylonis.

### CAP. XXV.

Iere.39.4. & 52.4.
1 FActum eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu eius munitiones.
2 Et clauſa eſt ciuitas atque vallata vſque ad vndecimum annum regis Sedeciæ,
3 Nona die menſis: præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ.
4 Et interrupta eſt ciuitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portę, quę eſt inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldęi obſidebant in circuitu ciuitatem) fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn

11 *Veniţque Nebuchadneſar rex Babel contra ciuitatem, & ſerui eius obſidebant eam.*
12 *Et egreſſus eſt Iehoiachin rex Iehudah ad regem Babel ipſe, & mater eius, & ſerui eius, & principes eius, & eunuchi eius: & ſuſcepit eum rex Babel anno octauo quo regnauit.*
13 *Et eduxit inde omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus regia, & concidit vniuerſa vaſa aurea qua fecerat Selomoh rex Iſrael in templo Domini ſicut locutus eſt Dominus.*
14 *Et tranſtulit omnem Ieruſalaim & vniuerſos principes, & omnes fortes viribus, decem millia in tranſmigrationem: & omnis artifex, & incluſor non remanſit præter pauperes populi terra.*
15 *Et tranſtulit Iehoiachin in Babel, & matrem regis, & vxores regis, & eunuchos eius, & fortes terra ire fecit in captiuitatem, de Ieruſalaim in Babel.*
16 *Et omnes viros exercitus ſeptem millia, & artifices, & incluſores mille, omnes fortes facientes bellum, adduxitque eos rex Babel in captiuitatem in Babel.*
17 *Et regem conſtituit rex Babel Mataniah patruum eius pro eo, & vertit nomen eius in Sidchijahu.*
18 *Viginti & vnius anni erat Sidchijahu quando regnauit, & vndecim annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius erat Chamutahal filia Irmeiah de Libnah.*
19 *Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia qua fecerat Iehoiachim.*
20 *Quia propter furorem Domini, qui erat cōtra Ieruſalaim, & Iehudah, donec proiiceret faceret eos à facie ſua, defecit Sidchijahu contra regem Babel.*

### C A P. XXV.

1 *FVit autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima menſis venit Nebuchadneſar rex Babel, ipſe, & omnis exercitus eius contra Ieruſalaim, & caſtrametatus eſt aduerſus eam, & extruxerunt cōtra eam turrim ligneam per circuitum.*
2 *Et venit ciuitas in obſidionem vſque ad vndecimum annum regis Sidchijahu.*
3 *Nona menſis prævaluit fames in ciuitate, & nō erat panis populo terra*
4 *Et rupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores fugerunt nocte per viam porta inter duos muros qui ſunt iuxta hortum regium, & Chaſdim iuxta ciuitatem per circuitum erant, & abierunt per viam vallis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et intrauit Nabuchodonoſor rex Babylonis ad ciuitatem, & pueri eius obſidebant ſuper eam. 12 Et egreſſus eſt Ioachim rex Iuda ſuper regē Babylonis, ipſe, & pueri eius, & mater eius, & principes eius, & eunuchi eius. Et cepit eum rex Babylonis in octauo anno regni ſui: 13 Et exportauit inde omnes theſauros domus Domini & theſauros domus regis, & concidit omnia vaſa aurea, quę fecerat Salomon rex Iſrael in templo Domini, iuxta verbum Domini. 14 Et tranſtulit ipſam Hieruſalem, & omnes principes, & potentes fortitudine, captiuitatis decem millia captiuans, & omnem fabrum & incluſorem, & non remanſit, niſi mendici terræ. 15 Et tranſtulit ipſum Ioachim in Babylonem, & matrem regis, & vxores regis, & eunuchos eius, & fortes terræ abduxit in demigrationem e Hieruſalem in Babylonem: 16 Et omnes viros virtutis, ſeptem mille, & fabrum, & incluſorem, mille: omnes potentes facientes bellum. Et duxit eos rex Babylonis tranſmigrationem in Babylonem. 17 Et regem fecit rex Babylonis ipſum Bathaniam filium eius pro eo, & impoſuit nomen eius, Sedecia. 18 Filius viginti & vnius annorum Sedecias in regnando ipſum, & vndecim annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Amital filia Hieremię. 19 Et fecit malum in conſpectu Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioachim. 20 Quoniam ſuper indignationem Domini erat in Hieruſalem, & in Iuda, quoaduſque abiecit eos à facie ſua. Et rebellauit Sedecias in rege Babylonis.

### CAP. XXV.

ET factum eſt in anno nono regni eius in menſe decimo, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & omnis virtus eius ſuper Hieruſalem. Et caſtrametatus eſt ſuper eam, & ædificauit ſuper eam circummurale in circuitu. 2 Et venit ciuitas in clauſuram vſque ad vndecimum annum regis Sedeciæ 3 nona menſis. Et inualuit in fames in ciuitate, & non erant panes populo terræ. 4 Et ſciſſa eſt ciuitas, & omnes viri belli exierunt nocte viā portæ, quæ inter muros (hæc eſt horti regis) & Chaldæi ſuper ciuitatem in circuitu. Et iuit viam Araba:

## Vulgata Editio.

5 Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, cõprehenditque eũ in planitie Iericho: & oẽs bellatores, qui erat cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eũ.
6 Apprehenſum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudiciũ.
7 Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.
8 Menſe quinto, ſeptima die menſis, ipſe eſt annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, ſeruus regis Babylonis, in Ieruſalem.
9 * Et ſuccendit domum Domini, & domum regis: & domos Ieruſalem, omnemq; domũ combuſſit igni. (* Hier. 52. 9.)
10 Et muros Ieruſalẽ in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.
11 Reliquam autem populi partem, quæ remanſerat in ciuitate, & perfugas, qui tranſfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ.
12 Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.
13 * Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem. (* Iere. 27. 19.)
14 Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & ſcyphos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant, tulerunt.
15 Necnon & thuribula, & phialas: quæ aurea, aurea: & quæ argentea, argentea, tulit princeps militiæ,
16 Id eſt, columnas duas, mare vnum, & baſes quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vaſorum.
17 * Decẽ & octo cubitos altitudinis habebat columna vna: & capitellum æreum ſuper ſe altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata ſuper capitellum columnæ, omnia ærea: ſimilem & columna ſecunda habebat ornatum. (* 3. Reg. 7. 15. Iere. 52. 21. 2. Par. 3. 15.)
18 Tulit quoque princeps militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum, & tres ianitores.
19 Et de ciuitate eunuchum vnum, qui erat præfectus ſuper bellatores viros: & quinque viros de his, qui ſteterant coram rege, quos reperit in ciuitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & ſexaginta viros e vulgo, qui inuenti fuerant in ciuitate.

Quot

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et perſecuti ſunt exercitus Caſdim regem, & comprehenderunt eum in campeſtribus Iericho: & omnis exercitus eius diſperſus eſt ab eo.*
6 *Et cõprehenderunt regem, & aſcẽdere fecerũt eũ ad regem Babel in Riblah, & locuti ſunt cũ eo iudiciũ.*
7 *Filios autem Sidchijahu iugulauerunt in oculis eius & oculos Sidchijahu excæcauit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum in Babel.*
8 *Menſe autem quinto ſeptima menſis (ipſe eſt annus nonus decimus regis Nebuchadneſar regis Babel) venit Nebuzaradan magiſter laniorum ſeruus regis Babel in Ieruſalaim.*
9 *Et cõbuſſit domũ Domini, & domũ regiam, & oẽs domos Ieruſalaim, & oẽm domũ magnã cõbuſſit igni.*
10 *Et muros Ieruſalaim per circuitum deſtruxit omnis exercitus Caſdim, qui erat cum magiſtro laniorum.*
11 *Reſiduum autem populi, qui remanſerat in ciuitate, & transfugarum qui transfugerant ad regem Babel, & reſiduum multitudinis tranſtulit Nebuzaradan magiſter laniorum.*
12 *Et de pauperibus terræ reliquit magiſter laniorum vinitores & agricolas.*
13 *Columnas autem æreas, quæ erant in domo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaſdim, & tulerunt æs eorum in Babel.*
14 *Et ollas, & ſcopas, & pſalteria, & cochlearia, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant tulerunt.*
15 *Et acerras, & peluies: quæ aurea, aurea: & quæ argentea, argentea, tulit magiſter laniorum.*
16 *Columnas duas, mare vnum, & baſes quas fecerat Selomoh in domo Domini: non erat pondus æris omnium vaſorum horum.*
17 *Octo & decẽ cubitorũ erat altitudo columnæ vnius, & capitellum ſuper eam æreum, & altitudo capitelli erat trium cubitorum, & retiaculũ, & malogranata ſuper capitellum per circuitum, omnia ærea: & ſicut iſta erant columnæ ſecundæ ſuper retiaculum.*
18 *Et tulit magiſter laniorum, Seraiah ſacerdotem primum, & Sephaniahu ſacerdotem ſecundum, & tres cuſtodes vaſorum.*
19 *Et de ciuitate tulit eunuchum vnum qui erat præfectus ſuper viros bellatores, & quinque viros ex iis qui videbant faciem regis, qui inuenti fuerunt in ciuitate: & ſcribam principem militiæ, qui colligere faciebat populum terræ: & ſexaginta viros de populo terræ qui inuenti ſunt in ciuitate.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et perſequuta eſt virtus Chaldęorum poſt regem, & cepit eum in Araboth Hiericho: & omnis virtus eius di-
ſperſa eſt deſuper eo. 6 Et ceperunt regem, & duxerunt eum ad regem Babylonis in Rheblatha. Et locutus eſt
cũ eo iudicium: 7 Et filios Sedeciæ iugulauit ante oculos eius: & oculos Sedecię excęcauit, & ligauit eum in
compedibus, & duxit in Babylonem. 8 Et in menſe quinto ſeptima menſis (ipſe annus nonus & decimus Nabu
chodonoſor regi Babylonis) venit Nabuzardam princeps coquorum ſtans coram rege Babylonis, in Hieruſalem:
9 Et incendit domum Dñi, & domum regis, & omnes domos Hieruſalem, & omnem domum incendit princeps
coquorum. 10 Et murum Hieruſalem in circuitu diruit virtus Chaldęorum. 11 Et reſiduum populi, quod
remanſerat in ciuitate & eos, qui procubuerant, qui delapſi erant ad regem Babylonis, & reliquũ firmamenti tran-
ſtulit Nabuzardam princeps coquorum. 12 Et de mendicis terrę reliquit princeps coquorũ in vinitores, & in
Gabin. 13 Et columnas æneas, quę in domo Dñi, & ipſas Mechonoth, & mare ęneum, quod in domo Dñi, cõ-
triuerunt Chaldęi, & tulerunt æs eorum in Babylonem. 14 Et lebetes, & Iamin, & phialas, & mortariola & om
nia vaſa ænea, in quibus miniſtrant in eis, & cepit: 15 Et thuribula, & phialas aureas, & argẽteas cepit princeps
coquorum, 16 Columnas duas, & mare vnum, & Mechonoth, quas fecerat Salomon domui Dñi. Non erat põ-
dus ęris omnium vaſorum: 17 Octo & decem cubitorum altitudo columnæ vnius, & Chothar ſuper eam ęneũ
& altitudo ipſius Chothar trium cubitorum: Sabachã, & mala punica ſuper Chothar in circuitu, omnia ęnea, &
iuxta hęc columnę ſecundę ſuper Sabacha. 18 Et tulit princeps coquorum Sarçam ſacerdotem primum, &
Sophoniam filium ſecundi ordinis, & tres, qui cuſtodiebant limen. 19 Et de ciuitate tulerunt eunuchum vnũ,
qui erat prefectus virorum bellatorum, & quinque viros ex ijs, qui videbant faciem regis, inuentos in ciuitate, &
ſcribam principis virtutis, qui ordinabat populum terrę, & ſexaginta viros de populo terræ inuentos in ciuitate.

Et ce-

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. | 20 | 20 | *Et tulit eos Nebuzaradan magiſter laniorum, & ire fecit eos ad regem Babel in Riblah.* |
| Percuſſitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & tranſlatus eſt Iuda de terra ſua. | 21 | 21 | *Et percuſſit eos rex Babel, & interfecit eos in Riblah in terra Chamath, & tranſlatus eſt Iehudah è terra ſua.* |
| Populo autem, qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiſerat Nabuchodonoſor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filij Saphan. | 22 | 22 | *Populo autem qui remanſerat in terra Iehudah, quem remanere fecerat Nebuchadneſar rex Babel, præfecit eis Ghedaliahu filium Achichã filij Saphã.* |
| Quod cum audiſſent omnes duces militum, ipſi & viri qui erant cum eis, videlicet quod conſtituiſſet rex Babylonis Godoliam: venerunt ad Godoliam in Maſpha, Iſmahel filius Nathaniæ, & Iohanan filius Caree, & Saraia filius Thanehumeth Netophathites, & Iezonias filius Maachathi, ipſi & ſocij eorũ. | 23 | 23 | *Audierunt autem omnes principes exercituum ipſi, & viri, quod præfeciſſet rex Babel Ghedaliahu, & venerunt ad Ghedaliahu in Miſpah & Iſmael filius Nethaniah, & Iochanan filius Careah, & Seraiah filius Tanchumeth Nethophathites, & Iaazaniahu filius Mahachati, ipſi & viri eorum.* |
| Iurauitque Godolias ipſis & ſocijs eorum, dicens: Nolite timere ſeruire Chaldæis: manete in terra, & ſeruite regi Babylonis, & bene erit vobis. | 24 | 24 | *Et iurauit eis Ghedaliahu, & viris eorum, dixitque eis: Ne timeatis ſeruire Chaſdim: manete in terra, & ſeruite regi Babel, & bene erit vobis.* |
| Factum eſt autem in menſe ſeptimo, venit Iſmahel filius Nathaniæ, filij Eliſama de ſemine regio, & decem viri cum eo: percuſſeruntque Godoliam, qui & mortuus eſt: ſed & Iudæos & Chaldæos, qui erant cum eo in Maſpha. | 25 | 25 | *Et fuit menſe ſeptimo venit Iſmahel filius Nethaniah filij Eliſamah de ſemine regni, & decem viri cum eo, percuſſeruntque Ghedaliahu, & mortuus eſt & Iehudæos, & Chaſdim qui erant cum eo in Miſpah.* |
| Cõſurgenſque omnis populus á paruo vſque ad magnum, & principes militum venerunt in Ægyptum timentes Chaldæos. | 26 | 26 | *Et ſurrexit omnis populus à paruo vſque ad magnum, & principes exercituum, & iuerunt in Ægyptum: timuerunt enim à facie Chaſdim.* |
| Factum eſt vero in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Ioachin regis Iuda, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis: ſubleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno, quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere. | 27 | 27 | *Et fuit, anno trigeſimo, & ſeptimo tranſmigrationis Iehoiachin regis Iehudah, duodecimo menſe, vigeſima, & ſeptima menſis, leuauit Euilmerodach rex Babel anno quo regnauit caput Iehoiachin regis Iehudah de domo carceris.* |
| Et locutus eſt ei benigne: & poſuit thronum eius ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. | 28 | 28 | *Et locutus eſt cum eo bona: & poſuit thronum eius ſuper thronum regum, qui erant ſecum in Babel.* |
| Et mutauit veſtes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu eius cunctis diebus vitæ ſuæ. | 29 | 29 | *Et mutauit veſtes carcerarias eius, & comedebat panem ſemper in conſpectu eius omnibus diebus vitæ ſuæ.* |
| Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei à rege per ſingulos dies omnibus diebus vitæ ſuæ. | 30 | 30 | *Portio autem eius portio quotidiana dabatur ei à rege per ſingulos dies, omnibus diebus vitæ eius.* |
| LI- | | | LI- |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

20 Et cepit eos Nabuzardam princeps coquorum, & duxit eos ad regem Babylonis in Rheblatha. 21 Et
percuſſit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Rheblatha in terra Æmath. Et tranſlatus eſt Iudas deſuper terra
ſua. 22 Et populus relictus in terra Iuda, quos reliquit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & conſtituit ſuper
eos Godoliam filium Achicham filium Saphan. 23 Et audierunt omnes principes virtutis, ipſi, & viri eo-
rum, quia conſtituit rex Babylonis Godoliam, & venerunt ad Godoliam in Maſſephat, & Iſmael filius Nathaniæ,
& Iona filius Careth, & Saræas filius Thanamuth Netophathites, & Iezonias filius Machuthi, ipſi, & viri eorum.
24 Et iurauit Godolias eis, & viris eorum, & dixit eis: Ne timeatis tranſitum Chaldæorum: Sedete in terra, &
ſeruite regi Babylonis, & bene erit vobis. 25 Et factum eſt, in ſeptimo menſe venit Iſmael filius Nathaniæ
filij Eliſama de ſemine regum, & decem viri cum eo, & percuſſit Godoliam (& mortuus eſt) & Iudæos, & Chal-
dæos, qui erant cum eo in Maſſepha. 26 Et ſurrexit omnis populus à paruo vſque ad magnum, & principes
virtutum, & intrarunt in Ægyptum, quoniam timuerunt à facie Chaldæorum. 27 Et factum eſt in trigeſi-
mo & ſeptimo anno tranſmigrationis Ioachim regis Iuda in duodecimo menſe, ſeptima & vigeſima menſis, exal-
tauit Euilmarodec rex Babylonis in anno regni ſui caput Ioachim regis Iuda, & eduxit eum è domo cuſtodiæ
eius: 28 Et locutus eſt cum eo bona, & dedit thronum eius ſuper thronos regum, qui cum ipſo in Babylo-
ne: 29 Et mutauit veſtimenta cuſtodiæ eius. Et comedebat panem ſemper in conſpectu eius omnibus die-
bus vitæ ſuæ. 30 Et demenſum eius, demenſum perpetuo dabatur ei è domo regis verbum diei in die ſuo,
omnibus diebus vitæ eius.

## FINIS LIBRI QVARTI REGVM.

## LIBRI PRIMI PARALIPOMENON.

### Vulgata Editio.

#### CAPVT PRIMVM.

Gen. 5. 15. 4. 25. 5. 10.

1 ADAM, Seth, Enos,
2 Cainan, Malaleel, Iared,
3 Henoch, Mathuſale, Lamech,
4 Noe, Sem, Cham, & Iapheth.
5 Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, Thubal, Moſoch, Thiras.
6 Porro filij Gomer: Aſcenez, & Riphath, & Thogorma.
7 Filij autem Iauan: Eliſa & Tharſis, Cethim & Dodanim.
8 Filij Cham: Chus, & Meſraim, & Phut, & Chanaan.
9 Filij autem Chus: Saba, & Heuila, Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Porro filij Regma: Saba, & Dadan.
10 Chus autem genuit * Nemrod: iſte cœpit eſſe potens in terra. (* Gen. 10. 8)
11 Meſraim vero genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephtuim,
12 Phetruſim quoq; & Caſluim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthijm, & Caphtorim.
13 Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum ſuũ, Hethæum quoque,
14 Et Iebuſæum, & Amorrhæum, & Gergeſæum,
15 Heuæumque & Aracæum, & Sinæum.
16 Aradium quoque, & Samaræum, & Hamathæum.
17 Filij * Sem: Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether, & Moſoch. (* Gen. 10. 22. 11. 10)
18 Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipſe genuit Heber.
19 Porro Heber nati ſunt duo filij, nomen vni Phaleg, quia in diebus eius diuiſa eſt terra: & nomen fratris eius Iectan.
20 Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, & Iare,
21 Adoram quoque, & Huzal, & Decla,
22 Hebal etiam, & Abimael, & Saba, necnon
23 Et Ophir, & Heuila, & Iobab: omnes iſti filij Iectan:

Sem,

## LIBRI PRIMI DIBRE HAIAMIM.

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

#### CAPVT PRIMVM.

1 *ADam, Seth, Enos,*
2 *Chenan, Mahalalel, Iered,*
3 *Chanoch, Methuſelach, Lemech.*
4 *Noach, Sem, Cham, & Iepheth.*
5 *Filij Iepheth: Ghomer, & Maghog, & Madai, & Ianan, & Tubal, & Meſech, & Tiras.*
6 *Filij autem Ghomer, Aſchenaz, & Riphath, & Togharmah.*
7 *Filij vero Ianan, Eliſah, & Tarſis, Chittim, & Dodanim.*
8 *Filij Cham: Chus, & Miſraim, Puth, & Chenahan.*
9 *Filij vero Chus, Seba, & Chauilah, & Sabtha, & Rahamah, & Sabthecha. Filij autem Rahamah: Seba, & Dedan.*
10 *Chus autem genuit Nimrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra.*
11 *Miſraim vero genuit Ludim, & Hananim, & Lehabim, & Naphtuchim,*
12 *Et Patruſim, & Chaſluchim, à quibus egreſſi ſunt Peliſtim, & Caphtorim.*
13 *Chenahan autem genuit Sidon primogenitum ſuum, & Cheth,*
14 *Et Iebuſæum, & Emorræum, & Ghirghaſæum,*
15 *Et Chiuuæum, & Harchæum, & Sinæum,*
16 *Et Aruadæum, & Semaræum, & Chamathæum.*
17 *Filij Sem, Helam, & Aſſur, & Arpachſad, & Lud, et Aram, & Hus, & Chul, & Ghether, & Meſech.*
18 *Arpachſad autem genuit Selach, & Selach genuit Heber.*
19 *Ipſi autem Heber nati ſunt duo filij: nomen vnius Pelegh: quia in diebus eius diuiſa eſt terra, & nomen fratris eius Ioctan.*
20 *Ioctan autem genuit Almodad, & Seleph, & Chaſarmaueth, & Iarach,*
21 *Et Adoram, & Vzal, & Diclah,*
22 *Et Hebal, & Abimael, & Seba,*
23 *Et Ophir, & Chauilah, & Iobab: omnes iſti filij Ioctan.*

*Sem,*

## LIBRI PRIMI PARALIPOMENON.

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

#### CAPVT PRIMVM.

Tot ſunt huiuſmodi nominibus varietates vt difficile ſit ſuis illa adaptare locis.

ADAM, Seth, Enos,
2 Et Cainan, Maleleel, Iared,
3 Enoch, Mathuſala, Lamech,
4 Noe: Filij Noe, Sem, Cham, Iapheth.
5 Filij Iapheth, Gamer, Magog, Madaim, Ioyam, Eliſà, Thobel, Moſoc, & Thiras.
6 Et filij Gamer, Aſchanaz, & Riphath, & Thorgama.
7 Et filij Ioyan, Eliſà, & Tharſis, Citij, & Rhodij.
8 Et filij Cham, Chus, & Meſraim, Phud, & Chanaan.
9 Et filij Chus, Saba, & Euilà, & Sabatha, & Regma, & Sebethacha. Et filij Regma, Saba, & Dadan.
10 Et Chus genuit Nebrod. Hic cœpit eſſe gigas, venator ſuper terram.
17 Filij Sem: Ælam, & Aſſur, & Arphaxad,

Quæ hic deſiderantur [illegible] vulgata.

Sala,

| | Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|---|
| | Sem,Arphaxad,Sale: | 24 | 24 | *Sem,Arpachſad,Selach:* |
| | Heber,Phaleg,Ragau: | 25 | 25 | *Heber,Pelegh,Rehu:* |
| | Serug,Nachor,Thare: | 26 | 26 | *Serugh,Nachor,Terach:* |
| | Abram,ille eſt Abraham. | 27 | 27 | *Abram,ipſe eſt Abraham.* |
| * Gen.21. 26. * Gen.25. 13. | Filij * autem Abraham,Iſaac,& Iſmahel. | 28 | 28 | *Filij Abraham,Iſchac,& Iſmahel.* |
| | Et hæ generationes eorum. Primogenitus * Iſmahelis,Nabaioth,& Cedar,& Abdeel,& Mabſam: | 29 | 29 | *Et hæ generationes eorum. Primogenitus Iſmahel Nebaioth,& Chedar,& Adbeel,& Mibſeam:* |
| | Et Maſma,& Duma,Maſſa,Hadad,& Thema: | 30 | 30 | *Miſmah,& Dumah,Maſſa,Chadad,& Tema.* |
| | Ietur,Naphis,Cedma.Hi ſunt filij Iſmahelis. | 31 | 31 | *Iethur,Naphis & Chedmah. Iſti ſunt filij Iſmahel.* |
| | Filij autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran,Iecſan,Madan,Madian,Ieſboc,& Sue. Porro filij Iecſan: Saba,& Dadan. Filij autem Dadan: Aſſurim,& Latuſſim,& Laomim. | 32 | 32 | *Filij autem Chethurah concubinæ Abraham, peperit Zimran, & Iechſan, & Medan, & Midian,& Ieſbach,& Suah. Et filij Iechſan,Seba,& Dedan.* |
| * Gen.25. 2. | Filij * autem Madian: Epha,& Epher,& Henoch,& Abida,& Eldaa. Omnes hi,filij Ceturæ. | 33 | 33 | *Et filij Midian,Ephah, & Hepher, & Chanoch, & Habidah,& Eldaah. Omnes iſti filij Chethurah.* |
| * Gen.25. 18. | Genuit * autem Abraham Iſaac: cuius fuerunt filij Eſau,& Iſrael. | 34 | 34 | *Genuit autem Abraham, Iſchac: filij Iſchac, Heſau,& Iſrael.* |
| * Gen.36. 11. | Filij * Eſau: Eliphaz,Rahuel,Iehus,Ihelom,& Core. | 35 | 35 | *Filij Heſau: Eliphaz, Rehuel, & Iehus, & Iahalam,& Corach.* |
| | Filij Eliphaz: Theman, Omar,Sephi, Gathan,Cenez,Thamna,Amalec. | 36 | 36 | *Filij Eliphaz: Teman,& Omar, Sephi, & Ghahatham,Chenaz, & Timnah,& Hamalech.* |
| | Filij Rahuel: Nahath,Zara,Samma,Meza. | 37 | 37 | *Filij Rehuel: Nachath,Zerach,Sāmah, & Mizzah.* |
| | Filij Seir: Lotan,Sobal,Sebeon, Ana, Diſon, Eſer, Diſan. | 38 | 38 | *Filij autem Sehir: Lothan,& Sobal,& Sibhon,& Hanah,& Diſon,& Eſer,& Diſean.* |
| | Filij Lotan: Hori,Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna. | 39 | 39 | *Filij autem Lothan: Chori,& Heman, & ſoror Lothan,Timnah.* |
| | Filij Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filij Sebeon: Aia,& Ana. Filij Ana: Diſon. | 40 | 40 | *Filij Sobal: Haliam,& Manachath,& Hebal,Sephi, & Onam. Filij autem Sibhon: Aia, & Hanah. Filij Hanah: Diſon.* |
| | Filij Diſon: Hamram,& Eſeban,& Iethrā,& Charā. | 41 | 41 | *Filij autē Diſon: Hemdā,& Eſbā,& Ithrā,& Kerā.* |
| | Filij Eſer: Balaan,& Zauan, & Iacan. Filij Diſan: Hus,& Aran. | 42 | 42 | *Filij Eſer: Bilham,Zahauan, Iahachan. Filij Diſon: Hus,& Aram.* |
| | Iſti ſunt reges,qui imperauerunt in terra Edom antequam eſſet rex ſuper filios Iſrael: Bale filius Beor: & nomen ciuitatis eius,Denaba. | 43 | 43 | *Iſti ſunt autem reges, qui regnauerunt in terra Edom,antequam regnaret rex ſuper filios Iſrael: Belah filius Behor,& nomen ciuitatis eius Dinhabah.* |
| | Mortuus eſt autem Bale, & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Boſra. | 44 | 44 | *Et mortuus eſt Belah, & regnauit pro eo Iobab filius Zerach de Boſrah.* |
| | Cumque & Iobab fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Huſam de terra Themanorum. | 45 | 45 | *Et mortuus eſt Iobab, & regnauit pro eo Chuſam de terra Temani.* |
| | Obijt quoque & Huſam, & regnauit pro eo Adad filius Badad qui percuſſit Madian in terra Moab: & nomen ciuitatis eius Auith. | 46 | 46 | *Et mortuus eſt Chuſam, & regnauit pro eo Hadad filius Bedad, qui percuſſit Midian in agro Moab: & nomen ciuitatis Hauith.* |
| | Cumque & Adad fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Semla de Maſreca. | 47 | 47 | *Et mortuus eſt Hadad,& regnauit pro eo Samlah,de Maſrecah.* |
| | Sed & Semla mortuus eſt, & regnauit pro eo Saul de Rohoboth,quæ iuxta amnem ſita eſt. | 48 | 48 | *Et mortuus eſt Samlah, & regnauit pro eo Saul de Rechoboth fluuij.* |
| | Mortuo quoque Saul, regnauit pro eo Balanan filius Achobor. | 49 | 49 | *Et mortuus eſt Saul, & regnauit pro eo Bahalchanan filius Hachor.* |
| | Sed | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Sala. 25 Eber,Phaleg,Ragau: 26 Seruch,Nachor,Tharra: 27 Abraham. 28 Filij autem Abraham' Iſaac,& Iſmael. 29 Hæ autem generationes eorum. Primogenitus Iſmael,Nabæoth,& Cedar,Nabdeel, Maſſam. 30 Maſma,Iduma,Maſſe,Chondam,Thaman. 31 Iettur,Naphes,Cedma.Hi filij Iſmael. 32 Et filij Cheturæ concubinæ Abraham,& genuit ei Zembram,Iexan,Madiam,Madam,Sobac Soe. Et filij Iexan,Dædan & Sabai. 33 Et filij Madiam,Gephar,& Opher,& Enoch,& Abidà,& Eldada. Omnes hi filij Cheturæ. 34 Et genuit Abraham,Iſaac.Filij Iſaac,Iacob,& Eſau. 35 Et filij Eſau Eliphaz,& Raguel,& Ieul,& Ieglom,& Core. 36 Filij Eliphaz: Thæman, & Omar,Sophar,& Gootham,& Cenez,& Thamna,& Amalec. 37 Et filij Raguel: Naches,Zare, Some,& Moze. 38 Filij Seir,Lotan,Sobal,Sebegon,Ana,Deſon,Oſar,& Diſan. 39 Et filij Lotan: Chorri,& Aeman.Soror autem Lotan,Thamna. 40 Filij Sobal,Alon, Machanath,Tæbel,Sophi,& Onan.Filij autem Sebegon,Aeth,& Sonan. 41 Filij autem Dæſon: Emeron & Aſebon,& Iethram,& Charran. 42 Et filij Oſar: Balaam, & Zucam,& Acan.Filij Diſan: Os,& Aran. 43 Et hi reges eorum: Balac filius Beor,& nomen ciuitati eius Dennaba. 44 Et mortuus eſt Balac,& regnauit pro eo Iobab filius Zara de Boſorra. 45 Et mortuus eſt Iobab,& regnauit pro eo Aſom de terra Thæmanon. 46 Et mortuus eſt Aſom,& regnauit pro eo Adad filius Barad, qui percuſſit Madiam in campo Moab: & nomen ciuitati eius Gethæm. 48 Et mortuus eſt Sebla,& regnauit pro eo Saul de Rooboth,quæ trans flumen. 49 Et mortuus eſt Saul,& regnauit pro eo Balaennor filius Achobor.

Et mor-

## Vulgata Editio.

Sed & hic mortuus eſt,& regnauit pro eo Adad:cu- 50
ius vrbis nomẽ fuit Phau, & appellata eſt vxor eius
Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.
Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom 51
eſſe cœperunt:dux Thamna,dux Alua,dux Ietheth:
Dux Oolibama,dux Ela,dux Phinon: 52
Dux Cenez,dux Theman,dux Mabſar: 53
Dux Magdiel,dux Hiram.Hi duces Edom. 54

### CAP. II.

Gen. 29. 32. 30. 5. 21. Filij autem Iſrael: Ruben,Simeon,Leui,Iuda,Iſ- 1
ſachar,& Zabulon:
Dan,Ioſeph,Beniamin,Nephthali,Gad,& Aſer. 2
* Gen. 38. 3. 4. 5. 11. Inf. 4. 1. Matt. 1. 3. Filij * Iudæ: Her,Onan,& Sela. Hi tres nati ſunt ei 3
de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primoge-
nitus Iuda,malus coram Domino,& occidit eum.
Thamar autem nurus eius peperit ei Phares, & Za- 4
ra. Omnes ergo filij Iuda,quinque.
Filij autem Phares: Heſron,& Hamul. 5
Filij quoque Zaræ: Zamri,& Ethan,& Eman, Chal- 6
chal quoque,& Dara,ſimul quinque.
* Ioſ. 7. 1. Filij * Charmi: Achar,qui turbauit Iſrael,& pecca- 7
uit in furto anathematis.
Filij Ethan: Azarias. 8
* Ruth. 4. 19. Filij * autem Heſron,qui nati ſunt ei: Ierameel, & 9
Ram,& Calubi.
Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem 10
genuit Nahaſſon,principem filiorum Iuda.
Nahaſſon quoque genuit Salma, de quo ortus eſt 11
Booz.
Booz vero genuit Obed,qui & ipſe genuit Iſai. 12
* 1. Reg. 16. 10. 17. 12. * Iſai autem genuit primogenitum Eliab, ſecũdum 13
Abinadab,tertium Simmaa:
Quartum Nathanael,quintum Raddai: 14
Sextum Aſom,ſeptimum Dauid. 15
Quorum ſorores fuerunt Saruia, & Abigail. Filij 16
Saruiæ: Abiſai,Ioab,& Aſael,tres.
Abigail autem genuit Amaſa, cuius pater fuit Ie- 17
ther Iſmahelites.
Caleb vero filius Heſron accepit vxorem nomine 18
Azuba,de qua genuit Ierioth: fueruntque filij eius
Iaſer,& Sobab,& Ardon.
Cumque mortua fuiſſet Azuba, accepit vxorẽ Ca- 19
leb,Ephrata: quæ peperit ei Hur.
Porro Hur genuit Vri: & Vri genuit Bezeleel. 20
Poſt

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

50 *Et mortuus eſt Bahalchanan,& regnauit pro eo Ha-*
*dad:& nomen vrbis eius fuit Pahi, & nomen vxoris*
*eius Mehethabel filia Matred filia Mezahab.*
51 *Et mortuus eſt Hadad, & fuerunt duces Edom dux*
*Timnah,dux Halıah,dux Ietheth:*
52 *Dux Aholibamah,dux Elah,dux Pinon:*
53 *Dux Chenaz,dux Teman,dux Mibſar:*
54 *Dux Magdiel,dux Hiram. Iſti duces Edom.*

### *CAP. II.*

1 *Iſti filij Iſrael: Reuben,Simhon,Leui,& Iehudah,*
*Iſaſchar,& Zebulun:*
2 *Dan,Ioſeph,& Biniamin,Naphthali,Ghad,& Aſer.*
3 *Filij Iehudah: Her,& Onan,& Selah, tres nati ſũt*
*ei de Bathſuah Chenahanitida. Et fuit Her primo-*
*genitus Iehudah malus in oculis Domini, & occi-*
*dit eum.*
4 *Tamar autem nurus eius peperit ei Peres, & Zera-*
*ch. Omnes filij Iehudah,quinque.*
5 *Filij Peres: Cheſron,& Chamul.*
6 *Filij autem Zerach: Zimri,& Ethan,& Heman,&*
*Chalcol,& Darah. Omnes hi quinque.*
7 *Filij vero Charmi: Hachar turbator Iſrael,qui præ-*
*uaricatus eſt in anathemate.*
8 *Filij autem Ethan: Hazariah.*
9 *Filij vero Cheſron, qui nati ſunt ei: Ierachmeel, &*
*Ram,& Chelubai.*
10 *Ram autem genuit Hamminadab. Hamminadab au-*
*tem genuit Nachſon principem filiorum Iehudah.*
11 *Nachſon autem genuit Salma, Salma autem ge-*
*nuit Bohaz.*
12 *Bohaz autem genuit Hobed, Hobed autem genuit*
*Iſai.*
13 *Iſai autem genuit primogenitum ſuum Eliab,& A-*
*binadab ſecundum,& Simha tertium.*
14 *Nethanel quartum,Raddai quintum:*
15 *Oſem ſextum,Dauid ſeptimum.*
16 *Sorores autem eorum Seruiah,& Abighail. Filij au-*
*tem Seruiah, Abſai,& Ioab,& Haſahel tres.*
17 *Abighail autem genuit Hamaſa, pater vero Hama-*
*ſa fuit Iether Iſmahelita.*
18 *Chaleb autem filius Cheſron genuit Hazubah mu-*
*lierem,& Ierioth: & iſti filij eius Ieſer,& Sobab,&*
*Ardon.*
19 *Et mortua eſt Hazubah, & accepit ſibi Chaleb, E-*
*phrath: & peperit ſibi Chur.*
20 *Chur autem genuit Vri: Vri autem genuit Beſalel.*
*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

50 Et mortuus eſt Balaennor,& regnauit pro eo Adad filius Barad: & nomen ciuitati eius Phogor.
51 Duces Edom,dux Thamna,dux Golada,dux Iether:
52 Dux Elibamah,dux Elas,dux Phinon:
53 Dux Cenez,dux Thæman,dux Babſar.
54 Dux Magediel,dux Zaphoin. Hi duces Edom.

### CAP. II.

HÆc nomina filiorum Iſrael: Ruben,Symeon,Leui,Iuda,Iſſachar,Zabulon:
2 Dan,Ioſeph,
Beniamin,Nephthali,Gad,Aſer.
3 Filij Iuda: Er,Aynan,Selom,tres nati ſunt ei ex filia Sauæ
Chananitide. Et fuit Er primogenitus Iuda malus ante Dominum,& occidit eum.
4 Et Thamar nu-
rus eius peperit ei Phares,& Zara. Omnes filij Iuda,quinque.
5 Filij Phares,Eſrom,& Iemuel.
6 Et filij Zara,Zambri,& Æthan,& Æmuam,& Calchal,& Darad,omnes quinque.
7 Filij
Charmi: Achar impeditor Iſrael,qui præuaricatus eſt in anathema.
8 Et filij Æthan, Aza-
rias.
9 Et filij Eſrom,qui nati ſunt ei: Ieramael,& Aram,& Caleb.
10 Et Aram ge-
nuit Aminadab. Et Aminadab genuit Naaſſon,principem domus Iuda.
11 Et Naaſſon genuit Sal-
mon,& Salmon genuit Booz.
12 Et Booz genuit Obed,& Obed genuit Ieſſe.
13 Et Ieſ-
ſe genuit primogenitum ſuum Eliab,Aminadab ſecundus: Samaa,tertius.
14 Nathanael,quar-
tus,Zabdai,quintus.
15 Aſam ſextus,Dauid,ſeptimus.
16 Et ſoror eorum Sar-
uia,& Abigæa. Et filij Saruiæ Abiſa & Ioab,& Aſael tres.
17 Et Abigæa genuit Ameſſalo,& pater
Ameſſalo Iothor Iſmaelita.
18 Et Chaleb filius Eſron accepit Gazuba vxorem,& Ierioth. Et hi filij
eius,Iaſar,& Sobab,& Ardon.
19 Et mortua eſt Gazuba,& accepit ſibi Chaleb ipſam Ephrath:
& peperit ei Or.
20 Et Or genuit Vri: & Vri genuit Beſeleel.

Et poſt

UVA.BSCH

## Vulgat.Editio.

21 Poſt hæc ingreſſus eſt Heſron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cum eſſet annorum ſexaginta: quæ peperit ei Segub.
22 Sed & Segub genuit Iair, & poſſedit viginti tres ciuitates in terra Galaad.
23 Cepitque Geſſur,& Aram oppida Iair, & Canath, & viculos eius ſexaginta ciuitatum. Omnes iſti,filij Machir patris Galaad.
24 Cum autem mortuus eſſet Heſron,ingreſſus eſt Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Heſron vxorem Abia,quæ peperit ei Aſhur patrem Thecuæ.
25 Nati ſunt autem filij Ierameel primogeniti Heſron, Ram primogenitus eius, & Buna, & Aram, & Aſom,& Achia.
26 Duxit quoque vxorem alteram Ierameel, nomine Atara,quæ fuit mater Onam.
27 Sed & filij Rā primogeniti Ierameel, fuerũt Moos, Iamin,& Achar.
28 Onam autem habuit filios Semei: & Iada. Filij autem Semei: Nadab,& Abiſur.
29 Nomen vero vxoris Abiſur,Abihail, quæ peperit ei Ahobban,& Molid.
30 Filij autem Nadab fuerunt Saled,& Apphaim. Mortuus eſt autem Saled abſque liberis.
31 Filius vero Apphaim, Ieſi: qui Ieſi genuit Seſan. Porro Seſan genuit Oholai.
32 Filij autem Iada fratris Semei: Iether,& Ionathan. Sed & Iether mortuus eſt abſque liberis.
33 Porro Ionathan genuit Phaleth, & Ziza. Iſti fuerunt filij Ierameel.
34 Seſan autem non habuit filios, ſed filias: & ſeruum Ægyptium nomine Ieraa.
35 Deditque ei filiam ſuam vxorem: quæ peperit ei Ethei.
36 Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad.
37 Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed:
38 Obed genuit Iehu,Iehu genuit Azariam.
39 Azarias genuit Helles,& Helles genuit Elaſa:
40 Elaſa genuit Siſamoi,Siſamoi genuit Sellum:
41 Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Eliſama.
42 Filij autem Caleb fratris Ierameel: Meſa primogenitus eius, ipſe eſt pater Ziph: & filij Mareſa patris Hebron.

Por-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

21 *Et poſtea ingreſſus eſt Cheſron,ad filiam Machir patris Ghilhad, & ipſe accepit eam, & erat filius ſexaginta annorum: & peperit ſibi Sechub.*
22 *Sechub autem genuit Iair, & fuerunt ſibi viginti, & tres ciuitates in terra Ghilhad.*
23 *Et accepit Gheſur,& Aram, & Channoth Iair ab eis Ghenath,& viculos eius ſexaginta ciuitates. Omnes iſti filij Machir patris Ghilhad.*
24 *Et poſtquam mortuus eſt Cheſron in Chaleb Ephrata. Et vxor Cheſron Abijah peperit ſibi Aſchur patrem Tecoach.*
25 *Fuerunt autem filij Ierachmeel primogeniti Cheſron,primogenitus Ram,& Bunah,& Oren,& Oſem Achijah.*
26 *Et fuit vxor altera ipſi Ierachmeel, & nomen eius Hatharah,ipſa eſt mater Onam.*
27 *Et fuerunt filij Ram primogeniti Ierachmeel, Mahas,& Iamin,& Hecher.*
28 *Fuerunt autem filij Onam,Sammai,& Iadah. Filij vero Sammai: Nadab,& Abiſur.*
29 *Et nomen vxoris Abiſur, Abighail, & peperit ſibi Achban,& Molid.*
30 *Filij autem Nadab, Seled, & Appaim. Et mortuus eſt Seled abſque filijs.*
31 *Filij autem Appaim Iſchi: filij autem Iſchi Seſan. Et filij Seſan, Achalai.*
32 *Filij autem Iadah fratris Sammai, Iether: & Ionathan. Et mortuus eſt Iether abſque liberis.*
33 *Filij autem Ionathan,Peleth,& Zaza. Iſti fuerunt filij Ierachmeel.*
34 *Et non fuerunt ipſi Seſan filij,ſed filia: & ipſi Seſan fuit ſeruus Miſritha,& nomen eius Iarchah.*
35 *Et dedit Seſan filiam ſuam Iarchah ſeruo ſuo in vxorem: & peperit ſibi Hathai.*
36 *Hathai autem genuit Nathan, Nathan autem genuit Zabad.*
37 *Zabad autem genuit Ephal, Ephal autem genuit Hobed:*
38 *Hobed autē genuit Iehu,Iehu autē genuit Hazariah.*
39 *Hazariah autem genuit Cheles, Cheles autem genuit Elhaſah:*
40 *Elhaſah autem genuit Siſmai,Siſmai autem genuit Sallum:*
41 *Sallum autem genuit Iechamiah, Iechamiah autem genuit Eliſamah.*
42 *Filij autem Chaleb fratris Ierachmeel: Meſah primogenitus eius, ipſe fuit pater Ziph: & filij Mareſchah patris Chebron.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et poſt hæc intrauit Eſrom ad filiam Machir patris Galaad,& ipſe accepit eam, & ipſe ſexaginta quinque annorum: & peperit ei Seruch. 22 Et Seruch genuit Iair, & fuerunt ei viginti, & tres ciuitates in Galaad. 23 Et accepit Gedſur,& Aram pagos Iair ab eis,ipſum Chanath,& pagos eius, ſexaginta ciuitates. Omnes hæ filiorum Machir patris Galaad. 24 Et poſtquam mortuus eſt Eſrom venit Chaleb in Ephratha.Et vxor Eſrom Abia,& peperit ei Aſchò patrem Thecoe. 25 Et fuerunt filij Hierameel primogeniti Eſrom,primogenitus Rham,& Banaa,& Aram,& Aſan frater eius. 26 Et fuit vxor alia ipſi Hierameel,& nomen ei Atara hæc eſt mater Ozom. 27 Et fuerunt filij Rham primogeniti Hierameel,Maas,& Iamin,& Achor. 28 Et fuerunt filij Ozam,Samai,& Iadae.Et filij Samai: Nadab,& Abiſur. 29 Et nomen vxoris Abiſur,Abichæa,& peperit ei Achabar,& Moel. 30 Et filij Nadab,Salad,& Apphain.Et mortuus eſt Salad non habens filios. 31 Et filij Apphain,Iſemiel: & filij Iſemiel,Soſan.Et filij Soſan,Dadæ. 32 Et filij Dadæ,Achiſamas, Iether,Ionathan.Et mortuus eſt Iether non habens filios. 33 Et filij Ionathan,Phaleth,& Ozam. Hi fuerunt filij Hierameel. 34 Et non fuerunt Soſan filij, ſed filiæ: & ipſi Soſan erat puer Ægyptius,& nomen ei Iochel. 35 Et Soſan dedit filiam ſuam Iochel puero ſuo in vxorem: & peperit ei Ethi. 36 Et Ethi genuit Nathan,& Nathan genuit Zabed. 37 Et Zabed genuit Aphamel, & Aphamel genuit Obed. 38 Et Obed genuit Ieu,& Ieu genuit Azariam. 39 Et Azarias genuit Chelles,& Chelles genuit Eleaſa. 40 Et Eleaſa genuit Soſomai,& Soſomai genuit Salum. 41 Et Salum genuit Iechemiam,& Iechemias genuit Eliſamà,& Eliſamà genuit Iſmael. 42 Et filij Chaleb fratris Hierameel,Meriſà primogenitus eius,hic pater Ziph: & filij Meriſà patris Chebron.

Et filij

## Vulgat. Editio.

43 Porro filij Hebron, Core, & Taphua, & Recem, & Samma.
44 Samma autem genuit Raham, patrem Iercaam, & Recem genuit Sammai.
45 Filius Sammai Maon: & Maon pater Bethſur.
46 Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Moſa, & Gezez. Porro Haran genuit Gezez.
47 Filij autem Iahaddai, Regom, & Ioathan, & Geſan, & Phalet, & Epha, & Saaph.
48 Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana.
49 Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia vero Caleb, fuit Achſa.
50 Hi erant filij Caleb, filij Hur primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim.
51 Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader.
52 Fuerunt autem filij Sobal patris Cariathiarim. Qui videbat dimidium requietionum.
53 Et de cognatione Cariathiarim, Iethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maſerei. Ex his egreſſi ſunt Saraitæ, & Eſthaolitæ.
54 Filij Salma, Bethlehem, & Netophathi, Coronæ domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai.
55 Cognationes quoque ſcribarum habitantium in Iabes, Canentes, atque Reſonantes, & In tabernaculis commorantes. Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.

### CAP. III.

2. Reg. 3. 2. 1 DAuid vero hos habuit filios, qui ei nati ſunt in Hebron: primogenitum Amnon ex Achinoam Iezraheliride, ſecundum Daniel de Abigail Carmelitide:
2 Tertium Abſalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Geſſur, quartum Adoniam filium Aggith:
3 Quintum Saphatiam ex Abital, ſextum Iethraham de Egla vxore ſua.
4 Sex ergo nati ſunt ei in Hebron, vbi regnauit ſeptẽ annis, & ſex menſibus. Triginta autem & tribus annis regnauit in Ieruſalem.
* 2. Reg. 5. 14. 5 * Porro in Ieruſalem nati ſunt ei filij Simmaa, & Sobab & Nathan, & Salomon, quattuor de Bethſabee filia Ammiel:
6 Iebaar quoque & Eliſama:
7 Et Eliphaleth, & Noge, & Nepheg, & Iaphia:
Nec-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

43 *Et filij Chebron, Corach, & Tappuach, & Rechem, & Semah.*
44 *Semah autem genuit Racham patrem Iarchebam, & Rechem genuit Samai.*
45 *Filius autem Samai Mahon: Mahon autem fuit pater Bethſur.*
46 *Hepha autem concubina Chaleb peperit Charam, & Meſa, & Ghazez. Et Charan genuit Ghazez.*
47 *Filij autem Iachdai, Reghen, & Iothan, & Gheſan, & Peleth, & Hephah, & Sahaph.*
48 *Concubina Chaleb Mahachah peperit Seber, & Tirchanah.*
49 *Et peperit Sahaph patrem Madmannah, & Seuah patrem Macchenah, & patrem Ghibha. Filia autem Chaleb, Hachſah.*
50 *Iſti fuerunt filij Chaleb filij Chur primogeniti Ephratha, Sobal pater Chiriathiebarim.*
51 *Salma pater Bethlechem, Chareph pr Bethghader.*
52 *Et fuerunt filij Sobal patri Chiriathiebarim. Qui videbat dimidium requieтionum.*
53 *Et familia Chiriathiebarim, Ithrani, & Puthani, & Sumathani, & Miſraathani. Ab iſtis egreſſi ſunt Seraathani, & Iſthaolithani.*
54 *Filij Salma Betlechem, & Nethophathi, Corona domus Ioab, & dimidium requietionis Serhi.*
55 *Et familia ſcribarum habitantium in Iahabes, Tirhati, Simhatim, Suchatim. Iſti ſunt Chimin, qui venerunt de Chamath patris domus Rechab.*

### CAP. III.

1 *ISti autem fuerunt filij Dauid qui nati ſunt ei in Chebron: primogenitus Ammon de Achinoham, Izrehelitida, ſecundus Daniel de Abighail Carmelitida:*
2 *Abſalom filius Mahachah filiæ Talmai regis Gheſur, quartus Adoniah filius Haghith:*
3 *Quintus Sephatiah de Habithal, ſextus Ithreham de Heglah vxore ſua.*
4 *Sex nati ſunt ei in Chebron, & regnauit ibi ſeptem annis, & ſex menſibus. Et triginta, & tribus annis regnauit in Ieruſalaim.*
5 *Et iſti nati ſunt ei in Ieruſalaim Simha, & Sobab, & Nathan, & Selomoh quattuor de Bathſuah filia Hammiel:*
6 *Et Ibchar, & Eliſamah:*
7 *Eliphaleth, & Neghah, & Nephegh, & Iapiah:*
*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

43 Et filij Chebron, Core, & Tapphus, & Recom, & Samaa. 44 Et Samaa genuit Raem patrem Ieclan, & Ieclan genuit Samai. 45 Et filius eius Maon: & Maon pater Bæthſur. 46 Et Gæpha concubina Chaleg genuit Aram, & Moſa, & Gezue. 47 Et filij Addai, Rhegem, & Ioatham, & Sagar, & Phalech, & Gepha, & Sagae. 48 Et concubina Chaleb Mochâ genuit Saber, & Tharam. 49 Et genuit Sagae patrem Madmena, & Sau patrem Machabena, & patrem Gæbal. Et filia Chaleb, Aſcha. 50 Hi fuerunt filij Chaleb, filij Or primogeniti Ephrathâ, Sobal pater Chariathiarim. 51 Salomon pater Bætha, Lammon pater Bæthalaem, & Arim pater Bethgedor. 52 Et fuerunt filij Sobal patri Cariathiarim: 53 Araa, & Aſi, & Ammanith, & Vmaſphae ciuitates Iair, Æthalim, & Mephithim & Samathim, & Maſaraim. 54 Ex his exierunt Sarathæi, & filij Eſthaam. Filij Salomon, Bæthalaem, Netophathi, Atatoth domus Ioab, & dimidium Malachi, Eſari. 55 Cognationes ſcribarum habitantes in Iabis, Thargathijm, & Samathijm, & Sochatim. Hi ſunt Cinæi, qui venerunt ex Hæmath patre domus Rhecab.

### CAP. III.

ET hi fuerunt filij Dauid, qui nati ſunt ei in Chebron: primogenitus Amnon Achinaam Iezraelitidi, ſecundus Damniel, Abigææ Carmelitæ: 2 Tertius Abeſſalom, filius Mochâ filiæ Tholmai regis Geſſur, quartus Adonia filius Angith: 3 Quintus Saphatia ipſius Abital, ſextus Iethraam ex Agla vxore eius. 4 Sex nati ſunt ei in Chebron, & regnauit ibi ſeptem annos, & ſex menſes. Et triginta & tres annos regnauit in Hieruſalem. 5 Et hi nati ſunt ei in Hieruſalem, Samaa, Sobab, Nathan, & Salomon, quattuor ipſi Betſabee filiæ Amiel. 6 Et Ebaar, & Eliſa: 7 Et Eliphaleth, & Nagai, & Naphec, & Iaphie.

Et Eli-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Necnon Eliſama,& Eliada,& Elipheleth,nouem:
9 Omnes hi filij Dauid abſque filijs concubinarum: habueruntque ſororem Thamar.
10 Filius autem Salomonis,Roboam: cuius Abia filius genuit Aſa.De hoc quoque natus eſt Ioſaphat:
11 Pater Ioram: qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus eſt Ioas:
12 Et huius Amaſias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Ioathan.
13 Procreauit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus eſt Manaſſes.
14 Sed & Manaſſes genuit Amon patrem Ioſiæ.
15 Filij autem Ioſiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, ſecundus Ioakim, tertius Sedecias,quartus Sellum.
16 * De Ioakim natus eſt Iechonias,& Sedecias.

* Matth. 1. 12.

17 Filij Iechoniæ fuerunt,Aſir,Salathiel:
18 Melchiram,Phadaia,Senneſer, & Iecemia, Sama, & Nadabia.
19 De Phadaia orti ſunt Zorobabel,& Semei. Zorobabel genuit Moſollam,Hananiam, & Salomith ſororem eorum:
20 Haſaban quoque, & Obol, & Barachian, & Haſadian,Ioſabheſed,quinque.
21 Filius autem Hananiæ,Phalthias,pater Ieſeiæ,cuius filius Raphaia, huius quoque filius, Arnan, de quo natus eſt Obdia,cuius filius fuit Sechenias.
22 Filius Secheniæ, Semeia: cuius filij Hattus, & Iegaal,& Baria,& Naaria,& Saphat,ſex numero.
23 Filius Naariæ, Elioenai, & Ezechias, & Ezricam, tres.
24 Filij Elioenai,Oduia, & Eliaſub, & Pheleia, & Accub,& Iohanan,& Dalaia,& Anani,ſeptem.

### CAP. IIII.

Sup. 2. 4. Gen. 38. 3. 46. 12.

1 FIlij Iuda: Phares,Heſron,& Charmi, & Hur,& Sobal.
2 Raia vero filius Sobal genuit Iahath, de quo nati ſunt Ahumai,& Laad.Hæ cognationes Sarathi.
3 Iſta quoque ſtirps Etam: Iezrahel, & Ieſema, & Iedebos.Nomen quoque ſororis eorum,Aſalelphuni.
4 Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hoſa. Iſti ſunt filij, Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem.

Aſſur

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et Eliſamah,& Eliadah,& Elipheleth nouem:*
9 *Et omnes filij Dauid præter filios concubinarum: & Thamar ſororem eorum.*
10 *Et filius Selomoh, Rechabham: Abyah filius eius. Aſa filius eius Iehoſaphath filius eius.*
11 *Ioram filius eius, Achaziahu filius eius, Ioas filius eius:*
12 *Amaziahu filius eius Hazariahu filius eius, Iothã filius eius.*
13 *Achaz filius eius,Chizkiyahu filius eius,Menaſſeh filius eius.*
14 *Amon filius eius,Ioſiyahu filius eius.*
15 *Filij autẽ Ioſiyahu primogenitus Iochanã,ſecundus Iehoiachim,tertius Sidkiyahu,quartus Sallum.*
16 *Filij autem Iehoiachim, Iechoniah filius eius Sidkiyah filius eius.*
17 *Filij autem Iechoniah, Aſſir,Sealthiel filius eius.*
18 *Et Malchiram & Pedaiah,& Senaſar, Iechamiah, Hoſamah,& Nedabiah.*
19 *Filij autem Pedaiah,Zerubabel,& Simhi, & filius Zerubabel, Meſullam, & Chananiah, & Selomith ſoror eorum.*
20 *Et Ghaſubah,& Ohel,& Berechiah, & Chaſadiah, & Iuſabcheſed,quinque.*
21 *Filius autem Chananiah,Pelathiah,& Iſahaiah filij Rephaiah filij Arnam filij Obadiah filij Sechaniah.*
22 *Et filij Sechaniah, Semahaiah: filij autem Semahaiah, Chatus, & Ighal, & Bariah, & Nehariah, & Saphath ſex.*
23 *Filius autem Nehariah, Eliohenai, & Chizchiyah, & Hazricam,tres.*
24 *Filij autem Eliohenai, Hodaiuahu,Eliaſib, & Pelaiah,& Haccabub,& Iochanan,& Delaiah, & Hanam ſeptem.*

### CAP. IIII.

1 *FIlij Iehudah: Peres, Cheſron, & Charmi, & Chur & Sobal.*
2 *Reaiah autem filius Sobal genuit Iachath, Iachath autem genuit Achumai, & Lahad. Iſta familia Sorhithi.*
3 *Et iſti pater Hetham: Iſrahel, & Iſma, & Idbaſ. Et nomen ſororis eorum Selelphoni.*
4 *Penuel autem pater Ghedur, & Hezer pater Chuſah. Iſti filij Chur primogeniti Ephratha patris Bethlechem.*

*Aſchur*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et Eliſama,& Eliada,& Eliphala,nouem. 9 Omnes filij Dauid. præter filios concubina-
rum: & Themar ſoror eorum. 10 Filij Salomon,Roboam: Abia filius eius, Aſa filius eius,
Ioſaphat filius eius. 11 Iotam filius eius,Ochozias filius eius,Ioas filius eius. 12 Ama-
ſias filius eius,Azarias filius eius,Ioathan filius eius. 13 Achaz filius eius,Ezecias filius eius.
14 Manaſſes filius eius,Amon filius eius,Ioſia filius eius. 15 Et filij Ioſia,primogenitus Ioanan, ſe-
cundus Ioacim,tertius Sedecias,quartus Salum. 16 Et filij Ioachim,Iechonias filius eius, Sedecias fi-
lius eius. 17 Et filij Iechoniæ,Aſir,Salathiel filius eius. 18 Melchiram & Pha-
daias,& Saneſar,& Iecemia,& Oſamath,& Nabadias. 19 Et filij Phadaias,Zorobabel,& Semei.
Et filij Zorobabel,Moſollam,& Anania,& Salomethi ſoror eorum. 20 Et Aſube,& Ool,& Bara-
chia,& Aſadia & Aſobed,quinque. 21 Et filij Anania,Phalettia,& Ieſias filius eius, Ra-
phal filius eius,Orna filius eius,Abdia filius eius,Sechenias filius eius. 22 Et filius Seche-
nia,Samaia: & filij Samaia,Chattus,& Ioel,& Berri,& Noadia,& Saphath,ſex. 23 Et filij
Noadia,Elithenan,& Ezecia,& Ezricam,tres. 24 Et filij Elithenan,Odolia,& Eliaſebon, &
Phadaia,& Acub,& Iohanan,& Dalaia,& Anan ſeptem.

### CAP. IIII.

ET filij Iuda: Phares,Eſrom,& Charmi,& Or,Subal. 2 Et Rada filius eius, & Subal genuit Ieth,
& Ieth genuit Achimai,& Laad.Hæ ſunt generationes ipſius Arathi. 3 Et hi filij Ætham,Iez-
rael,& Ieman,& Iebdas.Et nomen ſororis eorum Eſelebbon. 4 Et Phanuel pater Gedor, & Ia-
ſer pater Oſan.Hi filij Or primogeniti Ephrathâ patris Bæthalaen.

Et ipſi

## Vulgata Editio.

5 Aſſur vero patri Thecuæ erant duæ vxores, Halaa, & Naara.
6 Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher, & Themani, & Ahaſthari. Iſti ſunt filij Naara.
7 Porro filij Halaa, Sereth, Iſaar, & Ethnan.
8 Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationem Aharehel filij Arum.
9 Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus ſuis, & mater eius vocauit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum in dolore.
10 Inuocauit vero Iabes Deum Iſrael, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi. Et præſtitit Deus, quæ precatus eſt.
11 Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Eſthon.
12 Porro Eſthon genuit Bethrapha, & Pheſſe, & Tehinna patrem vrbis Naas: hi ſunt viri Recha.
13 Filij autem Cenez, Othoniel, & Saraia. Porro filij Othoniel, Hathath, & Maonathi.
14 Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant.
15 Filij vero Caleb filij Iephone, Hir, & Ela, & Nahã. Filij quoque Ela: Cenez.
16 Filij quoque Ialeleel: Ziph, & Zipha, Thiria, & Aſrael.
17 Et filij Ezra, Iether & Mered, & Epher, & Ialon, genuitque Mariam, & Sammai, & Ieſba patrem Eſthamo.
18 Vxor quoque eius Iudaia peperit Iared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrem Zanoe. Hi autem filij Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.
19 Et filij vxoris Odaiæ ſororis Naham patris Ceila, Garmi, & Eſthamo, qui fuit de Machathi.
20 Filij quoque Simon, Amnon, & Rinna filius Hanã, & Thilon. Et filij Ieſi, Zoheth, & Benzoheth.
21 Filij * Sela, filij Iuda: Her pater Lecha, & Laada pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum in Domo iuramenti.
(* Gen. 38.)
22 Et qui ſtare fecit Solem, virique Mendacij, & Securus, & Incendens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reuerſi ſunt in Lahē. Hæc autem verba vetera.
23 Hi ſunt figuli habitantes in Plantationibus, & in Sepibus apud regem in operibus eius, commoratique ſunt ibi.

Filij

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Aſchur autē patri Tecoah fuerunt duæ vxores Chelah, & Naharah.*
6 *Et peperit ei Naharah, Achuzam, & Chepher, & Temni, & Hahachaſtari. Iſti filij Naharah.*
7 *Filij autem Chelah, Sereth, & Sohar, & Etnan.*
8 *Chos autem genuit Anub, & Haſobebah, & familias Acharchel filij Charum.*
9 *Fuit autem Iahabes honorabilior fratribus ſuis, & mater eius vocauit nomen eius Iahabes, dicendo: Quia peperi cum dolore.*
10 *Et inuocauit Iahabes Deum Iſrael, dicendo: Si benedicendo benedixeris mihi, & multiplicaueris terminum meum, & fuerit manus tua mecum, & feceris me eruere à malo, vt non dolore afficiar. Et attulit Deus, quod petijt.*
11 *Chelub autem frater Suchah genuit Mechir, ipſe eſt pater Eſthon.*
12 *Eſthon autem genuit Bethrapha, & Paſeach, & Techinnah patrem vrbis Nachas. Iſti viri Rechah.*
13 *Filij autem Chenaz, Hothniel, & Seraiah. Filij autem Hothniel Chathathi.*
14 *Mehonathai autem genuit Hophrah, Seraiah autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: quia artifices fuerunt.*
15 *Filij autem Chaleb filij Iephuneh, Hiru, Elah, & Naham Filij autem Elah: Vchnaz.*
16 *Filij autem Iehalelel: Ziph, & Ziphah, Tiriah, & Aſarel.*
17 *Et filius Hezrah, Iether, & Mered, & Hepher, & Ialon, & genuit Miriam, & Sammai, & Iſbah patrem Eſhtemoah.*
18 *Et vxor eius Iehudijah peperit Iered patrem Ghedor, & Cheber patrem Socho, & Iecuthiel patrem Zanoach. Et iſti filij Bithiah filiæ Parhoh, quam accepit Mered.*
19 *Filij autē vxoris Hodijah ſororis Nachā patris Chehilah, Hacharmi, & Eſhtemoah Hamahachati.*
20 *Filij autem Simon, Amnon, & Rinah filius Chanā, & Tilon. Filij autem Iiſhi, Zocheth, & Ben-zocheth.*
21 *Filij Selah, filij Iehudah: Her pater Lechah, & Lahadah pater Mareſah, & familia domus operis byſſini in domo Aſbeah.*
22 *Et Iockim, & viri Chozebah, & Ioas, & Saraph, qui dominati ſunt in Moab, & habitatores Lechem. Et verba antiqua enarramus.*
23 *Iſti ſunt figuli, & habitatores Nethahim, & Ghederah cum rege in opere ſuo habitauerunt ibi.*

*Filij*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et ipſi Aſſur patri Thecoe fuerunt duæ vxores, Aoda, & Thoada. 6 Et Aoda peperit ei Ochæa, & Ephal, & Thæman, & Aaſther. Omnes hi filij Aodæ. 7 Et filij Thoadæ, Sereth, & Saar, & Eſthanam. 8 Et Coe genuit Enob, & Sabathã, & generationes fratris Rechab filij Iarin. 9 Et fuit Igabes glorioſus ſuper fratres ſuos, & mater vocabat nomen eius Igabes, dicens: Peperi, ſicut Gabes. 10 Et inuocauit Igabes Deum Iſrael, dicens: Si benedicens benedixeris me, & multiplicaueris fines meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris cognitionem ad non humiliandum me, & adduxit Deus omnia, quæcumque petijt. 11 Et Chaleb pater Aſcha genuit Machir. 12 Hic pater Aſſathon, genuit Bathræam, & Beſſee, & Thæman patrem ciuitatis Naas fratris Eſelom Cenezi. Hi viri Rhecab. 13 Et filij Cenez, Gothoniel, & Saraia. Et filij Gothoniel, Athath. 14 Et Manathi genuit Gopherã, & Saraia genuit Iobab patrem Agedda: quoniam fabri erant. 15 Et filij Chaleb filij Iephonne, Er, Adã, & Noom. Et filij Adã, Cenez. 16 Et filij Aleel, Zib, & Zepha, & Thiria, & Eſerel. 17 Et filij Eſri, Iether, Morad, & Apher, & Iamon, & Iether genuit Maron, & Semei, & Ieſbã patrem Eſthæmon. 18 Et vxor eius hæc Adia peperit Iared patrem Gedor, & Aber patrem Sochon, & Chetiel patrem Zamon. Et hi filij Betthia filiæ Pharao, quam accepit Mared. 19 Et filij vxoris Iduiæ ſororis Nachaim patris Ceilã, Garmi, & Eſthæmon Nochathi. 20 Et filij Senon, Amnon, & Ana filius Phana, & Inon. Et filij Sei, Zoan. Et filij Zoab. 21 Filij Selom filij Iuda: Er pater Lechab, & Laada pater Meriſã, & generationes domeſticorum Ephrathabac domus Eſoba. 22 Et Ioacim & viri Chozeba, & Ioas, & Saraph, qui habitabant in Moab: & reduxit eos Abederim, Athuciim. 23 Hi figuli habitantes in Atarin, & Gadira cum rege, in regno eius inualuerunt, & habitarunt ibi.

Filij

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* Gen. 46. 12.

Filij * Simeon: Namuel,& Iamin,Iarib,Zara,Saul. 24
Sellum filius eius, Mapſam filius eius, Maſma filius 25
eius.
Filij Maſma: Hamuel filius eius, Zachur filius eius, 26
Semei filius eius.
Filij Semei ſeſdecim,& filiæ ſex: fratres autem eius 27
non habuerunt filios multos , & vniuerſa cognatio
non potuit adæquare ſummam filiorum Iuda.
Habitauerunt autem in Berſabee,& Molada,& Ha- 28
ſarſuhal:
Et in Bala,& in Aſom,& in Tholad: 29
Et in Bathuel,& in Horma,& in Siceleg: 30
Et in Bethmarchaboth, & in Haſarſuſim, & in Be- 31
thberai,& in Saarim. Hæ ciuitates eorum vſque ad
regem Dauid.
Villæ quoque eorũ: Etam,& Æn,Remmon, & Tho- 32
chen,& Aſan,ciuitates quinque.
Et vniuerſi viculi eorum per circuitum ciuitatum 33
iſtarum vſque ad Baal. Hæc eſt habitatio eorum, &
ſedium diſtributio.
Moſobab quoque & Iemlech,& Ioſa filius Amaſiæ; 34
Et Ioel,& Iehu filius Ioſabiæ filij Saraiæ filij Aſiel: 35
Et Elioenai & Iacoba,& Iſuhaia,& Aſaia, & Adiel, 36
& Iſmiel,& Banaia:
Ziza quoque filius Sephei filij Allon filij Idaia filij 37
Semri filij Samaia.
Iſti ſunt nominati principes in cognationibus ſuis, 38
& in domo affinitatum ſuarum multiplicati ſunt
vehementer.
Et profecti ſunt, vt ingrederentur in Gador vſque 39
ad Orientem vallis, & vt quærerent paſcua gregi-
bus ſuis.
Inueneruntque paſcuas vberes, & valde bonas, & 40
terram latiſſimam,& quietam & fertilem, & in qua
ante habitauerant de ſtirpe Cham.
Hi ergo venerunt, quos ſupra deſcripſimus nomi- 41
natim,in diebus Ezechiæ regis Iuda: & percuſſerũt
tabernacula eorum,& habitatores, qui inuenti fue-
rant ibi, & deleuerunt eos vſque in præſentem diẽ:
habitaueruntque pro eis, quoniam vberrimas paſ-
cuas ibidem repererunt.
De filijs quoque Simeon abierunt in montem Seir 42
viri quingenti,habentes principes Phalthiã, & Naa-
riam,& Raphaiam,& Oziel filios Ieſi:
Et percuſſerunt reliquias, quæ euadere potuerant, 43
Amalecitarum,& habitauerunt ibi pro eis vſque ad
diem hanc.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Filij Simhon: Nemuel, & Iamin, Iarib, Zerah, Saul.*
25 *Sallum filius eius, Mibſam filius eius, Miſmah filius*
*eius.*
26 *Filij autem Miſmah, Chamuel filius eius Zaccbur*
*filius eius Simhi filius eius.*
27 *Ipſi Simhi fuerunt filij ſexdecim, & filiæ ſex: fratri-*
*bus autem eius nõ fuerunt filij multi, & omnẽ fami*
*liam ſuã nõ multiplicauerũt vſq; ad filios Iehudah.*
28 *Habitauerunt autem in Beerſebah, & Moladah, &*
*Chaſarſuhal:*
29 *Et in Bilhah, & in Heſem, & in Tholad:*
30 *Et in Bethuel & in Chormah, & in Sicklagh:*
31 *Et in Bethmarchaboth, & Chaſarſuſim, & in Beth-*
*biri, & in Saharaim. Hæ ciuitates eorum, donec re-*
*gnauit Dauid.*
32 *Et villæ eorum Hetham, & Ham, Rimmon, & To-*
*chen, & Haſan ciuitates quinque.*
33 *Et omnes viculi eorum, qui erant in circuitu iſta-*
*rum vſque ad Bahal. Hæc habitatio eorum, & ge-*
*nealogia eorum ipſis.*
34 *Et Meſobab, & Iamlech, & Ioſah filius Amaſiah:*
35 *Ioel, & Iehu filius Ioſbeah filij Seraiah filij Haſiel:*
36 *Et Eliohenai, & Iahacobah, & Ieſohaiah, & Haſa-*
*iah, & Hadiel, & Ieſimel, & Benaiah.*
37 *Et Ziza filius Siphhi filij Alon filij Iedaiah filij*
*Simri filij Semahaiah.*
38 *Iſti ſunt, qui veniunt per nomina principes in fami-*
*lijs ſuis, & domo patrum ſuorum multiplicati ſunt*
*in multitudinem.*
39 *Et abierunt ad introitum Ghedor vſque ad Orien-*
*tem vallis, vt quærerent paſcua pecoribus ſuis.*
40 *Et inuenerunt paſcuum pingue, & bonum, & terram*
*latam locis, & quietam, & fertilem, quia de Cham*
*fuerunt habitantes ibi ante.*
41 *Et venerunt iſti ſcripti per nomina in diebus Ie-*
*chizkiyahu regis Iehudah: & percuſſerunt taber-*
*nacula eorum, & habitacula, quæ inuenta ſunt ibi,*
*& interfecerunt eos vſque ad diem hanc: & habi-*
*tauerunt pro eis, quoniam paſcuum pro pecoribus*
*ſuis erat ibi.*
42 *Et ex eis de filijs Simhon abierunt in montem Sehir*
*viri quingẽti, & Pelathiah, & Neharíah, & Repha-*
*iah, & Huzziel filij Iſhi in capite eorum.*
43 *Et percuſſerunt reſiduum eorum, qui euaſerunt de*
*Hamalech, & habitauerunt ibi vſque ad diem*
*hanc.*

CAP.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Filij Symeon: Namuel,& Iamin,Iarib Zares,Saul: 25 Salem filius eius, Mabaſam filius eius,Maſma fi-
lius eius: 26 Amuel filius eius,Sabud filius eius,Zacchur filius eius,Semei filius eius. 27 Ipſi Se-
mei filij ſex & decem,& filiæ ſex: & fratribus earum non fuerunt filij multi. Et omnes patriæ eorum non abun-
darunt,vt filij Iuda. 28 Et habitauerunt in Berſabee,& Molada,& in Eſerſual: 29 Et in Ba-
laa,& in Æſem,& in Tholad: 30 Et in Bathuel,& in Herma,& in Seccelag: 31 Et in Bæthma-
rimoth,& Hemiſuſeoſim,& domus Baruſeorim. Hæ ciuitates eorum vſque ad regem Dauid. 32 Et villæ
eorum, Ætan,& En,Remmon,& Thocca,& Æſar,ciuitates quinque. 33 Et omnes villæ earum in circuitu
ciuitatum harum vſque Baal. Hæc poſſeſſio eorum,& diſtributio eorum. 34 Et Meſobab,& Iemoloch,
& Ioſia filius Amaſia: 35 Et Ioel,Ieu filius Aſabia,filius Saray,filius Aſiel: 36 Et Elionai,& Io-
cabã,& Iaſuia,& Aſaia,& Iediel,& Iſmael,& Banæas: 37 Et Zuzã filius Saphai,filij Alom filij Iedia filij
Semri filij Samææ. 38 Hi ſunt qui tranſierunt in nominibus principum in generationibus ſuis, & in
domibus patriarum ſuarum multiplicati ſunt in multitudine. 39 Et iuerunt vſque ad veniendum Geraa
vſque ad Orientem Gai,ad quærendum paſcua pecoribus ſuis. 40 Et inuenerunt paſcua plura,
& bona,& terra lata coram eis,& pax,& quies,quoniam ex filijs Cham habitantium ibi antea.
41 Et venerunt hi ſcripti ſuper nomen in diebus Ezeciæ regis Iuda: & percuſſerunt domos eorum, & Minæos,
quos inuenerunt ibi,& anathemarunt eos vſque in diem hanc: & habitauerunt pro eis, quoniam paſcua pecori-
bus ſuis ibi. 42 Et ex eis de filijs Symeon ierunt in montem Seir viri quingenti, & Phalaet-
thia,& Naadia,& Rhaphaia,& Oziel filij Ieſi principes eorum. 43 Et percuſſerunt reſiduos,
qui remanſerant de Amalec vſque in diem hanc.

CAP.

## Vulgat. Editio.

### CAP. V.

Ge.35.24. 49.4.

1 FIlij quoque Ruben primogeniti Iſrael. ( Ipſe quippe fuit primogenitus eius : ſed cum violaſſet thorum patris ſui, data ſunt primogenita eius filijs Ioſeph filij Iſrael, & non eſt ille reputatus in primogenitum.
2 Porro Iudas, qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos, de ſtirpe eius principes germinati ſunt: primogenita autem reputata ſunt Ioſeph. )
* Gen.46.9. Exo.6.14. Num.26.5
3 Filij * ergo Ruben primogeniti Iſrael : Enoch, & Phallu, Eſron, & Carmi.
4 Filij Ioel : Samia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius :
5 Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius :
6 Beera filius eius, quem captiuum duxit Thelgathphalnaſar rex Aſſyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben.
7 Fratres autem eius, & vniuerſa cognatio eius, quando numerabantur per familias ſuas, habuerunt principes Iehiel, & Zachariam.
8 Porro Bala filius Azaz, filij Samma, filij Ioel, ipſe habitauit in Aroer vſque ad Nebo, & Beelmeon.
9 Contra orientalem quoque plagam habitauit vſque ad introitum eremi, & flumen Euphratem. Multum quippe iumentorum numerum poſſidebant in terra Galaad.
10 In diebus autem Saul præliati ſunt contra Agareos, & interfecerunt illos, habitaueruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ reſpicit ad Orientem Galaad.
11 Filij vero Gad è regione eorum habitauerunt in terra Baſan vſque Selcha :
12 Ioel in capite, & Saphan ſecundus : Ianai autem, & Saphat in Baſan.
13 Fratres vero eorum ſecũdum domos cognationum ſuarum, Michael, & Moſoliam, & Sebe, & Iorai, & Iachan, & Zie, & Heber, ſeptem.
14 Hi filij Abihail, filij Huri, filij Iara, filij Galaad, filij Michael, filij Ieſiſi, filij Ieddo filij Buz.
15 Fratres quoque filij Abdiel, filij Guni, princeps domus in familijs ſuis.
16 Et habitauerunt in Galaad, & in Baſan, & in viculis eius, & in cunctis ſuburbanis Saron, vſque ad terminos.
17 Omnes hi, numerati ſunt in diebus Ioathan regis Iuda, & in diebus Ieroboam regis Iſrael.

Filij

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. V.

1 *FIlij autem Reuben primogeniti Iſrael. Ipſe enim fuit primogenitus: & cum violaſſet ipſe thorum patris ſui, data eſt primogenitura eius filijs Ioſeph filij Iſrael, & non eſt dum recenſetur generationis ſeries in primogenitura.*
2 *Quia Iehudah fortis fuit inter fratres ſuos, & dux eõ: & primogenitura ipſi Ioſeph data eſt.*
3 *Filij Reuben primogeniti Iſrael: Chanoch, Pallu, Cheſron, & Charmi.*
4 *Filij Ioel Semahaiah filius eius, Gogh filius eius, Simhi filius eius.*
5 *Michah filius eius, Reaiah filius eiꝰ Bahal filiꝰ eiꝰ.*
6 *Beerah filius eius, quem tranſmigrare fecit Tilghathphilneeſer rex Aſſur, ipſe princeps ipſi Reubenitæ.*
7 *Et fratres eius per familias ſuas, dum recenſetur generationis ſeries per generationes ſuas, caput Iehiel, & Zechariahu.*
8 *Et Belah filius Hazaz filij Semah filij Ioel, ipſe habitabat in Haroher vſque ad Nebo, & Bahalmeon.*
9 *Et ad Orientem habitauit vſque ad ingreſſum deſerti à flumine Perath, quia greges eorum multiplicati fuerant in terra Ghilhad.*
10 *In diebus autem Saul fecerunt bellum cum Haghrijm, & mortui ſunt per manum eorum, & habitauerunt in tabernaculis eorum in omni facie Orientis ad Ghilhad.*
11 *Filij vero Ghad è regione eorum habitauerunt in terra Baſan vſque Salchah.*
12 *Ioel dux, & Sapham ſecundus: Iahanai autem, & Saphath in Baſan.*
13 *Fratres vero eorum ſecundum domum patrum ſuorum Michael, & Meſullam, & Sebah, & Iodai, & Iahachan, & Ziah, & Heber, ſeptem.*
14 *Iſti filij Abighail, filij Churi, filij Iaroach filij Ghilhad, filij Michael, filij Ieſiſai filij Iahaddo filij Buz.*
15 *Achi filius Habdiel filij Gunni dux per domum patrum ſuorum.*
16 *Et habitauerunt in Ghilhad, in Baſan, & in viculis eius, & in vniuerſis ſuburbanis Saron, vſque ad exitus eorum.*
17 *Oẽs hi recenſiti ſunt per feriẽ generationis in diebus Iothã regis Iehudah, et ĩ diebꝰ Iarobhã regis Iſrael.*

*Filij*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. V.

ET filij Ruben primogeniti Iſrael. Quoniam hic primogenitus : & in aſcendendo ſuper cubile patris ſui, de-
dit benedictionem eius filio ſuo Ioſeph filio Iſrael, & non eſt in genealogia computatus in primogenituram.
2 Quoniam Iudas potens fortitudine, & in fratribus ſuis, & in ducem ex ipſo, & benedictio ipſius Ioſeph.
3 Filij Ruben primogeniti Iſrael, Enoch, & Phallus, Aſrom, & Charmi. 4 Filij Ioel, Semei,
& Banæa filius eius, & filij Gug filij Semei filius eius : 5 Micha filius eius, Recha filius
eius, Ioel filius eius Beel. 6 Quem tranſtulit Thaglaphallaſar rex Aſſur. Hic princeps eo-
rum, qui ipſius Ruben. 7 Et fratres eius patria ſua in genealogijs ſuis ſecundum genera-
tiones ſuas princeps Ioel, & Zacharias. 8 Et Balec filius Azuz, filius Sama, filius Ioel, hic ha-
bitauit in Aroer, & ſuper Nabay, & Beelmaſſon. 9 Et ad Orientem habitauit vſque ad
contigua deſerti à flumine Euphrate, quoniam pecora eorum multa in terra Galaad. 10 Et in
diebus Saul fecerunt bellum aduerſus incolas, & ceciderunt in manus eorum ij, qui habitabant in tabernaculis
ſuis, omnes ad Orientem ipſius Galaad. 11 Filij Gad è regione eorum habitarunt in terra Baſan vſ-
que Sela. 12 Ioel primogenitus, & Saphan ſecundus: & Lanin ſcriba in Baſan. 13 Et fra-
tres eorum ſecundum domos patriarum ſuarum, Michael, Moſollam, & Sebee, & Iorei, & Ioachã, & Zue, & Obed,
ſeptem. 14 Hi filij Abichæa, filij Vri, filij Idai, filij Galaad, filij Michael, filij Ieſai, filij Ieddai, filij
Buz. 15 Fratris filij Abdiel, filij Guni, princeps domus patriarum. 16 Habitabant in Ga-
laad, in Baſan, & in pagis earum, & omnia adiacentia Saron, vſque ad exitum. 17 Omnium com-
putatio in diebus Ioatham regis Iuda, & in diebus Hieroboam regis Iſrael.

Filij

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Filij Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe viri bellatores, ſcuta portantes, & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælia quadragintaquattuor millia, & ſeptingenti ſexaginta procedentes ad pugnam.
19 Dimicauerunt contra Agareos: Ituræi vero, & Naphis, & Nodab.
20 Præbuerunt eis auxilium. Traditique ſunt in manus eorum Agarei, & vniuerſi, qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur: & exaudiuit eos, eo quòd credidiſſent in eum.
21 Ceperuntque omnia, quæ poſſederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & aſinos duo millia, & animas hominũ centum millia.
22 Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaueruntque pro eis vſque ad tranſmigrationem.
23 Filij quoque dimidiæ tribus Manaſſe poſſederũt terrã à finibus Baſan vſque ad Baal Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat.
24 Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, & Ieſi, & Eliel, & Ezriel, & Ieremia, & Odoia, & Iediel viri fortiſſimi, & potentes, & nominati duces in familijs ſuis.
25 Reliquerunt autem Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt deos populorum terræ, quos abſtulit Deus coram eis.
26 Et ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Phul regis Aſſyriorum, & ſpiritum Thelgathphalnaſar regis Aſſur: & tranſtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluuium Gozan, vſque ad diem hanc.

### CAP. VI.

* Gen.46. 11. inf.23.6.

1 Filij Leui: Gerſon, Caath, & Merari.
2 Filij Caath: Amram, Iſaar, Hebron, & Oziel.
3 Filij Amram: Aaron, Moyſes, & Maria. Filij Aarõ: Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.
4 Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abiſue:
5 Abiſue vero genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi.
6 Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth.
7 Porro Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob.

Achi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Filij Reuben, & Ghadita, & dimidia tribus Menaſſeh de filijs robuſtis, viris portantibus ſcutum, & gladium, & tendentibus arcum, & doctis bellũ quadraginta, & quattuor millia, & ſeptingenti, & ſexaginta egredientes ad pugnam.*
19 *Et fecerunt bellum cum Hagberim: & Iethur, & Nephis, & Nodab.*
20 *Et auxiliati ſunt eis. Traditique ſunt in manu eorum Hagberim, & vniuerſi, qui fuerant cum eis, quia ad Deum clamauerunt in bello: & exorabilis fuit eis, quia ſperauerant in eo.*
21 *Et prædati ſunt greges eorum, camelos eorum quinque millia, & pecudes ducentum, & quinquaginta millia, & aſinos duo millia, & animas hominum centum millia.*
22 *Quia vulnerati multi corruerunt: quia à Deo fuit bellum. Et habitauerunt pro eis vſque ad tranſmigrationem.*
23 *Filij aũt dimidiæ tribus Menaſſeh habitauerunt in terra à Baſan vſque ad Bahal Chermon, & Senir: & montem Chermon, ipſi multiplicati fuerant.*
24 *Et iſti capita domus patrum eorum, & Hepher, & Iſhi, & Eliel, & Hazriel, & Irmeiah, & Hodauiah, & Iachdiel viri fortes robore, viri nominati, capita domus patrum ſuorum.*
25 *Et præuaricati ſunt in Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt deos populorum terræ, quos diſperdere fecit Deus à facie eorum.*
26 *Et ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Pul regis Aſſur, & ſpiritum Tilgathpilneſer regis Aſſur: & tranſtulit eos Reubenitẽ, & Ghaditẽ, & dimidiam tribũ Menaſſeh, & adduxit eos in Lahlach, & Chabor, & Harah, & fluuium Ghozan vſque ad diem hanc.*

### CAP. VI.

1 *Filij Leui: Gherſon, Chehath, & Merari.*
2 *Filij autem Chehath: Hamram, & Iſhar, & Chebron, & Huzziel.*
3 *Filij autem Hamrã: Aharõ, & Moſeh, & Miriã. Filij autẽ Aharõ Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar.*
4 *Elhazar genuit Pinchas, Pinchas genuit Abiſuah:*
5 *Abiſuah autem genuit Bucchi, Bucchi autem genuit Huzzi.*
6 *Huzzi autem genuit Zerachiah, Zerachiah autem genuit Meraioth.*
7 *Meraioth genuit Amariah, Amariah autem genuit Achitub.*

*Achi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Filij Ruben, & Gad, & dimidium tribus Manaſſe ex filijs virtutis, viri leuantes clypeos, & gladium, & tendentes arcum, & docti bellum, quadraginta & quattuor mille, & ſeptingenti, & ſexaginta egredientes in aciem.
19 Et faciebant bellum cum Agarenis, & Ithuræis, & Naphitæis, & Nadabæis, 20 & inualuerunt ſuper eos. Et dati ſunt in manus eorum Agaræi, & omnia tabernacula eorum: quoniam ad Deum clamauerunt in prælio: & exaudiuit eos: quoniam ſperauerunt in eum: 21 & captiuarunt apparatum eorum, camelos quinquies mille, & ouium ducenta quinquaginta millia, aſinos bis mille, & animas virorum centum millia: 22 & habitarunt pro eis vſque ad tranſmigrationem. 23 Et dimidij tribus Manaſſe, habitarunt à Baſan vſque Baal, Ermon & Sanir, & montem Ærmon. Et in Libano ipſi abundarunt.
24 Et hi principes domus patriarum eorum, Opher, & Sei, & Eliel, & Hieremia, & Odoia, & Iediel, viri fortes virtute, viri nominati, principes domorum patriarum ſuarum. 25 Et præuaricati ſunt in Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt Deos populorum terræ, quos ſuſtulerat Deus à facie eorum.
26 Et ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Phaloch regis Aſſur, & ſpiritum Thaglaphallaſar regis Aſſur: & tranſtulit Ruben, & Gaddi, & dimidium tribus Manaſſe: & duxit eos in Chaach, & Chabor, & ſuper flumen Gozan vſque in diem hanc.

### CAP. VI.

Filij Leui, Gedſon, Caath, & Merari. 2 Et filij Caath, Ambram, & Iſſaar, Chebron & Oziel. 3 Et filij Ambram, Aaron, & Moyſes, & Maria. Et filij Aaron, Nadab, & Abiud, Eleazar, & Ithamar. 4 Eleazar genuit Phinees: Phinees genuit Abiſu: 5 Abiſu genuit Bocci: & Bocci genuit Ozi. 6 Ozi genuit Zaræa. 6 Zaræa genuit Mariel: 7 & Mariel genuit Amaria: & Amaria genuit Achitob:

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas: | 8 | 8 | *Achithub autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achimahas:* |
| Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan: | 9 | 9 | *Achimahas autem genuit Hazariah, Hazariah autem genuit Iochanan:* |
| Iohanan genuit Azariam: ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt in domo, quam ædificauit Salomon in Ieruſalem. | 10 | 10 | *Iochanan autem genuit Hazariah: ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt in domo, quam ædificauit Selomoh in Ieruſalaim.* |
| Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob: | 11 | 11 | *Genuit autem Hazariah Amariah, Amariah autē genuit Achithub:* |
| Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum: | 12 | 12 | *Achithub autē genuit Sadoc, Sadoc autē genuit Sallum:* |
| Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam: | 13 | 13 | *Sallum autem genuit Chilchijah, Chilchijah autem genuit Hazariah:* |
| Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Ioſedec. | 14 | 14 | *Hazariah autem genuit Seraiah, Seraiah autem genuit Iehoſadac.* |
| Porro Ioſedec egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Iudam, & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſor. | 15 | 15 | *Iehoſadac autem abijt dum tranſmigrare fecit Dominus Iehudah, & Ieruſalaim per manum Nebuchadneſar.* |
| *Exod. 6. 17* Filij * ergo Leui: Gerſon, Caath, & Merari. | 16 | 16 | *Filij Leui: Gherſom, Chehath, & Merari.* |
| Et hæc nomina filiorum Gerſon: Lobni, & Semei. | 17 | 17 | *Et hæc nomina filiorum Gherſom: Libni, & Simhi.* |
| Filij Caath: Amram, & Iſaar, & Hebron, & Oziel. | 18 | 18 | *Filij autem Chehath: Hamram, & Iſhar, & Chebron, & Huzziel.* |
| Filij Merari: Moholi, & Muſi. Hæ autem cognationes Leui ſecundum familias eorum. | 19 | 19 | *Filij Merari: Machali, & Muſi. Et iſtæ familiæ Leui per familias ſuas.* |
| Gerſon, Lobni filius eius, Iahath filius eius, Zamma filius eius: | 20 | 20 | *Ipſi Gherſom, Libni filius eius, Iachath filius eius, Zimmah filius eius.* |
| Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrai filius eius. | 21 | 21 | *Ioach filius eius, Hiddo filius eius, Zerach filius eius, Ieathrai filius eius.* |
| Filij Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Aſir filius eius: | 22 | 22 | *Filij Chehath Hamminadab filius eius, Corach filius eius, Aſſir filius eius.* |
| Elcana filius eius, Abiaſaph filius eius, Aſir filius eius. | 23 | 23 | *Elchanah filius eius, & Ebiaſaph filius eius, & Aſſir filius eius.* |
| Thahath filius eius, Vriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. | 24 | 24 | *Et Tachath filius eius, & Vriel filius eius, Huzziah filius eius, & Saul filius eius.* |
| Filij Elcana, Amaſai, & Achimoth: | 25 | 25 | *Filij autem Elchanah, Hamaſai, & Achimoth:* |
| Et Elcana: Filij Elcana: Sophai filius eius, Nahath filius eius: | 26 | 26 | *Elchanah: Filij Elchanah: Sophai filius eius, & Nachath filius eius:* |
| Eliab filius eius, Ierohā filius eius, Elcana filius eius, | 27 | 27 | *Eliab filius eius, Ierochā fili⁹ ei⁹, Elchanah fili⁹ ei⁹.* |
| Filij Samuel primogenitus Vaſſeni, & Abia. | 28 | 28 | *Filij Semuel primogenitus Vaſni, & Abijah.* |
| Filij autem Merari, Moholi: Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius: | 29 | 29 | *Filij Merari Machali: Libni filius eius, Simhi filius eius, Huzzah filius eius:* |
| Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Aſaia filius eius. | 30 | 30 | *Simha filius eius, Chaggijah filius eius, Haſaiah filius eius.* |
| Iſti ſunt, quos conſtituit Dauid ſuper cantores domus Domini, ex quo collocata eſt arca: | 31 | 31 | *Iſti ſunt autem quos ſtatuit Dauid in locis cantici domus Domini à requie arcæ:* |
| Et miniſtrabant coram tabernaculo teſtimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Ieruſalem: ſtabant autem iuxta ordinem ſuum in miniſterio. | 32 | 32 | *Et miniſtrauerunt coram habitaculo tabernaculi eccleſiæ in cantico, donec ædificauit Selomoh domum Domini in Ieruſalaim: & ſteterunt iuxta morem ſuum in miniſterio ſuo.* |
| Hi | | | *Iſti* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 & Achitob genuit Sadoc: & Sadoc genuit Achimaas: 9 & Achimaas genuit Azariam: & Azarias genuit Ioanan: 10 & Ioanan genuit Azariam. Hic ſacerdotio functus eſt in domo, quam ædificauit Salomon in Hieruſalem. 11 Et Azarias genuit Amariam: & Amaria genuit Achitob: 12 & Achitob genuit Sadoc: & Sadoc genuit Salom: 13 & Salom genuit Chelciam: & Chelcias genuit Azariam: 14 & Azarias genuit Sarea: & Sareas genuit Ioſadac. 15 Et Ioſadac iuit in tranſmigratione cum Iuda, & Hieruſalem in manum Nabuchodonoſor. 16 Filij Leui, Gedſon, Caath, & Merari. 17 Et hæc nomina filiorum Gedſon, Lobeni, & Semei. 18 Filij Caath, Ambram, & Iſſaar, Chebron, & Oziel. 19 Filij Merari, Mooli, & Muſi. Et hæ patriæ Leui ſecundum patrias eorum. 20 Ipſi Gedſon, ipſi Lobeni filio eius, Ieth filius eius, Tammath filius eius, 21 Ioab filius eius, Addi filius eius, Zara filius eius, Iethri filius eius. 22 Filij Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Aſer filius eius, 24 Thaath filius eius, Vriel filius eius, Ozia filius eius, Saul filius eius. 25 Et filij Elcana, Ameſſi, & Achimoth, 26 Helcana filius eius, Suphi filius eius, Caenaath filius eius, 27 Eliab filius eius, Hieroboam filius eius, Elcana filius eius. 28 Filij Samuel, primogenitus Sani, & Abia. 29 Filij Merari, Mooli, Lobeni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius, 30 Samaa filius eius, Angia filius eius, Aſaias filius eius. 31 Et iſti, quos conſtituit Dauid ſuper manus canentium in domo Domini in requietione arcæ. 32 Et fuerunt miniſtrantes coram, tabernaculo teſtimonij in organis, quoadusque ædificauit Salomon domum Domini in Hieruſalem. Et ſteterunt iuxta iudicium ſuum ſuper miniſteria ſua.

Et hi

## Vulgata Editio.

33 Hi vero ſunt, qui aſſiſtebant cum filijs ſuis, de filijs Caath. Heman cantor filius Iohel, filij Samuel:
34 Filij Elcana, filij Ieroham, filij Eliel, filij Thohu:
35 Filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amaſai:
36 Filij Elcana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ:
37 Filij Thahath, filij Aſir, filij Abiaſaph, filij Core:
38 Filij Iſaar filij Caath, filij Leui, filij Iſrael.
39 Et frater eius Aſaph qui ſtabat à dextris eius, Aſaph filius Barachiæ, filij Samaa:
40 Filij Michael, filij Baſaiæ, filij Melchiæ:
41 Filij Athanai filij Zara, filij Adaia:
42 Filij Ethan, filij Zamma, filij Semei:
43 Filij Ieth, filij Gerſom, filij Leui.
44 Filij autem Merari fratres eorum ad ſiniſtram, Ethã filius Cuſi, filij Abdi, filij Maloch:
45 Filij Haſabiæ, filij Amaſiæ, filij Helciæ:
46 Filij Amaſai, filij Boni, filij Somer:
47 Filij Moholi, filij Muſi, filij Merari, filij Leui.
48 Fratres quoque eorum Leuitæ, qui ordinati ſunt in cunctum miniſterium tabernaculi domus Domini:
49 Aarõ vero, & filij eius adolebãt incẽſum ſuper altare holocauſti, & ſuper altare thymiamatis, in omne opus Sancti ſanctorum: & vt precarentur pro Iſrael iuxta omnia quæ præceperat Moyſes ſeruus Dei.
50 Hi ſunt autem filij Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abiſue filius eius:
51 Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius:
52 Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob filius eius:
53 Sadoc filius eius, Achimaas filius eius.
54 Et hæc habitacula eorum per vicos, atque confinia, filiorum ſcilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum: ipſis enim ſorte contigerant.
55 Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda, & ſuburbana eius per circuitum:
56 * Agros autem ciuitatis, & villas, Caleb filio Iephone. * Ioſ. 21. 10.
57 Porro filijs Aaron dederunt ciuitates ad confugiẽdum Hebron, & Lobna, & ſuburbana eius:
58 Iether quoque, & Eſthemo cum ſuburbanis ſuis, ſed & Helon, & Dabir cum ſuburbanis ſuis:
59 Aſan quoque, & Bethſemes, & ſuburbana earum.
60 De tribu autem Beniamin, Gabee, & ſuburbana eius, & Almath cũ ſuburbanis ſuis, Anathoth quoque cum ſuburbanis ſuis. Omnes ciuitates, tredecim, per cognationes ſuas.

Fi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Iſti ſunt qui ſtabant, & filij eorum de filijs Chehathi, Heman cantor filius Ioel filij Semuel:*
34 *Filij Elchanah, filij Ierocham, filij Eliel, filij Tuach:*
35 *Filij Suph, filij Elchanah, filij Machath, filij Hamaſai:*
36 *Filij Elchanah, filij Ioel, filij Hazariah, filij Sephaniah:*
37 *Tachath filij Aſſir, filij Ebiaſaph, filij Corach:*
38 *Filij Ishar, filij Chehath, filij Leui, filij Iſrael.*
39 *Et frater eius Aſaph, qui ſtabat ad dexteram eius Aſaph filius Berechiahu, filij Simha:*
40 *Filij Michael, filij Bahaſeiah, filij Malchijah:*
41 *Filij Ethni, filij Zerach, filij Hadaiah:*
42 *Filij Ethan, filij Zimmah, filij Simhi:*
43 *Filij Iachath, filij Gherſom, filij Leui.*
44 *Filij autem Merari fratres eorum ad ſiniſtram, Ethan filius Chiſi, filius Abdi, filij Malluch:*
45 *Filij Chaſabiah, filij Amaſiah, filij Chilchijah:*
46 *Amſi filij Bani, filij Semer.*
47 *Filij Machali filij Muſi, filij Merari, filij Leui.*
48 *Fratres autem eorum, & Leuitæ dati ſunt ad omne miniſterium habitaculi domus Dei.*
49 *Aharon autem, & filij eius ſuffiebant ſuper altare holocauſti, & ſuper altare ſuffimenti ad omne opus Sancti ſanctorum: & ad expiandum Iſrael ſecundũ omnia, quæ præceperat Moſeh ſeruus Dei.*
50 *Iſti ſunt autem filij Aharon: Elhazar filius eius, Pinchas filius eius, Abiſuah filius eius.*
51 *Bucchi fil⁹ ei⁹, Huzzi filius ei⁹, Zerachiah fil⁹ ei⁹:*
52 *Meraioth filius eius, Amariah filius eius, Achitub filius eius:*
53 *Sadoc filius eius, Achimahas filius eius.*
54 *Iſta ſunt autem habitacula eorum per palatia eorũ, iuxta terminum eorum filijs Aharon per familiam Chahathi: ipſis erat ſors.*
55 *Dederunt autem eis Chebron in terra Iehudah, & ſuburbana eius in circuitu eius:*
56 *Agros autem vrbis, & villas eorum dederunt Chaleb filio Iephunneh.*
57 *Filijs autem Aharon dederunt vrbes euaſionis Chebron, & Libnah, & ſuburbana eius:*
58 *Iathir, & Eſthemoah, & ſuburbana eius, & Chilẽ, & ſuburbana eius, Debir, & ſuburbana eius:*
59 *Haſã, et ſuburbãa ei⁹, et Bethſemes, et ſuburbana ei⁹.*
60 *De tribu autem Biniamin, Ghebah, & ſuburbana eius, & Hallemeth, & ſuburbana eius, & Hanathoth, & ſuburbana eius. Omnes vrbes eorum, tredecim vrbes per familias eorum.*

*Fi-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

33 Et hi aſſiſtentes, & filij eorum de filijs Caath, Æman cantor pſalmorum filius Ioel filij Samuel. 34 Filij Elcana filij Hieroboam filij Eliel filij Thou 35 filij Saph filij Elcana filij Maath filij Amathi. 36 Filij Elcana filij Ioel filij Azaria filij Saphania 37 filij Thaath filij Aſer filij Abiaſaph filij Core 38 filij Iſaar filij Leui filij Iſrael. 39 Et frater eius Aſaph ſtans in dextera eius, Aſaph filius Barachia filij Samaa 40 Filij Michael filij Baaſia filij Melchia 41 filij Athani filij Zaarai filij Adai 42 filij Æthan filij Zamman filij Semei 43 filij Ieeth filij Gerſon filij Leui. 44 Et filij Merari fratres eorum à ſiniſtris. Æthan filius Ciſa filij Abai filij Malochi 45 filij Aſebi filij Ameſſia filij Bani filij Semer 47 filij Mooli filij Muſi filij Merari filij Leui. 48 Et fratres eorum ſcd̃m domos patriarum ſuarũ Leuitæ dati in omnẽ operationem miniſterij tabernaculi domus Dñi. 49 Et Aaron & filij eius adolentes ſuper altare holocauſtomatum, & ſuper altare thymiamatum in omnẽ operationem ſancti ſanctorum, & ad propitiandum pro Iſrael iuxta omnia, quæcumque mandauit Moyſes puer Dei. 50 Et hi filij Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abiſu filius eius, 51 Bocci filius eius, Ozi filius eius, Saraia filius eius, 52 Mariel filius eius, Amaria filius eius, Achitob filius eius, 53 Sadoc filius eius, Achimaas filius eius. 54 Et hę habitationes eorũ in pagis eorũ, in terminis eorũ, filijs Aaron, patriç eorum, ipſis Caathi: qm̃ ipſis facta eſt ſors. 55 Et dederunt eis Chebron in terra Iuda, & adiacentia eius in circuitu eius. 56 Et cãpos ciuitatis, & pagos eius dederunt Chaleb filio Iephonne. 57 Et filijs Aaron dederunt ciuitates refugiorum, Chebron, & Lobna, & adiacentia eius, 58 & Selna, & adiacentia eius, & Eſthamo, & adiacentia eius, & Iethar, & adiacentia eius, & Dabir, & adiacentia eius, 59 & Aſan, & adiacentia eius, & Bæthſamys, & adiacentia eius, & de tribu Beniamin Gabai, & adiacentia eius, & Galemath, & adiacentia eius, & Anathoth, & adiacentia eius: Omnes ciuitates eorum, tres & decem ciuitates ſecundum patrias eorum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

61 Filius autem Caath reſiduis de cognatione ſua de-
derunt ex dimidia tribu Manaſſe in poſſeſſionem
vrbes decem.
62 Porro filijs Gerſom per cognationes ſuas de tribu
Iſſachar, & de tribu Aſer, & de tribu Nephthali, &
de tribu Manaſſe in Baſan, vrbes tredecim.
63 Filijs autem Merari per cognationes ſuas de tribu
Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dede-
runt ſorte ciuitates duodecim.
64 Dederunt quoque filij Iſrael Leuitis ciuitates, &
ſuburbana earum:
65 Dederuntque per ſortem, ex tribu filiorum Iuda,
& ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum
Beniamin vrbes has, quas vocauerunt nominibus
ſuis:
66 Et his, qui erant de cognatione filiorum Caath,
* Ioſ. 21. 16. * fueruntque ciuitates in terminis eorum de tribu
Ephraim.
67 Dederunt ergo eis vrbes ad confugiendum, Sichem
cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gazer
cum ſuburbanis ſuis:
68 Iecmaam quoque cum ſuburbanis ſuis, & Bethoron
ſimiliter:
69 Necnon & Helon cum ſuburbanis ſuis, & Gethré-
mon in eundem modum.
70 Porro ex dimidia tribu Manaſſe, Aner, & ſuburba-
na eius, Balaam & ſuburbana eius: his videlicet, qui
de cognatione filiorum Caath reliqui erant.
71 Filijs autem Gerſom de cognatione dimidiæ tri-
bus Manaſſe Gaulon in Baſan, & ſuburbana eius, &
Aſtaroth cum ſuburbanis ſuis.
72 De tribu Iſſachar, Cedes, & ſuburbana eius, & Da-
bereth cum ſuburbanis ſuis:
73 Ramoth quoque & ſuburbana eius, & Anem cum
ſuburbanis ſuis.
74 De tribu vero Aſer Maſal cum ſuburbanis ſuis, &
Abdon ſimiliter:
75 Hucac quoque & ſuburbana eius, & Rohob cum
ſuburbanis ſuis.
76 Porro de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa & ſub-
urbana eius, Hamon cum ſuburbanis ſuis, & Caria-
thaim, & ſuburbanis eius.
77 Filijs autem Merari reſiduis: de tribu Zabulon,
Remmono, & ſuburbana eius, & Thabor cum ſub-
urbanis ſuis:
78 Trãs Iordané quoq; ex aduerſo Iericho contra O-
rienté Iordanis, de tribu Ruben, Boſor in ſolitudine
cum ſuburbanis ſuis, & Iaſſa cum ſuburbanis ſuis.
Ca-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

61 *Filijs autem Chehath reſiduis de familia tribus, de
dimidia tribu, dimidij Menaſſeh in ſortes vrbes de-
cem.*
62 *Filijs autem Gherſom per familias ſuas de tribu
Iſaſchar, & de tribu Aſer, & de tribu Naphthali, et
de tribu Menaſſeh in Baſan ciuitates tredecim.*
63 *Filijs Merari per familias ſuas de tribu Reuben, &
de tribu Ghad, & de tribu Zebulun in ſortem ciui-
tates duodecim.*
64 *Dederunt autem filij Iſrael Leuitis ciuitates, &
ſuburbana eorum:*
65 *Dederuntque per ſortem ex tribu filiorum Iehudah,
& ex tribu filiorum Simhon & ex tribu filiorum
Biniamin vrbes has, quas vocabant per nomina.*
66 *Et de familijs filiorum Chehath fuerunt vrbes in
termino ſuo de tribu Ephraim.*
67 *Et dederunt eis vrbes euaſionis Sechem, & ſuburba-
na eius in monte Ephraim, & Ghazer, & ſuburba-
na eius:*
68 *Et Iechmeham, & ſuburbana eius, & Bethcheron,
& ſuburbana eius:*
69 *Et Aialon, & ſuburbana eius, & Ghathrimmon, &
ſuburbana eius.*
70 *Et ex dimidia tribu Menaſſeh, Haner, & ſuburbana
eius, & Bilham, & ſuburbana eius, familia filiorum
Chehath, qui reſidui erant.*
71 *Filijs Gherſom de familia dimidiæ tribus Menaſſeh
Gholan in Baſan, & ſuburbana eius, Haſtharoth, &
ſuburbana eius.*
72 *Et de tribu Iſaſchar, Chedes, & ſuburbana eius, Da-
berath, & ſuburbana eius.*
73 *Et Ramoth, & ſuburbana eius, & Hanem, & ſubur-
bana eius.*
74 *Et de tribu Aſer Maſal, & ſuburbana eius, & Ab-
don, & ſuburbana eius.*
75 *Et Chuchoch, & ſuburbana eius, & Rechob, & ſub-
urbana eius.*
76 *Et de tribu Naphthali, Chedes, & Ghalil, & ſubur-
bana eius, & Chammon, & ſuburbana eius, & Chi-
riathaim, & ſuburbana eius.*
77 *Filijs Merari reſiduis: de tribu Zebulun, Rimmo-
no, & ſuburbana eius, & Thabor, & ſuburbana
eius.*
78 *Et de ijs, quæ erant trans Iarden Iericho ad Orienté
Iarden, de tribu Reuben, Beſer in deſerto, & ſubur-
bana eius, & Iahaſah, & ſuburbana eius.*
*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

61 Et filijs Chaath reliquis, ex patrijs, ex tribu, ex dimidio tribus Manaſſe ſorte ciuitates decem.
62 Et filijs Gedſon ſecundum patrias eorum de tribu Iſſachar, de tribu Aſer, de tribu Nephthali, de tribu Ma-
naſſe in Baſan ciuitates tres & decem. 63 Et filijs Merari ſecundum patrias eorum de tribu Ruben, de tri-
bu Gad, de tribu Zabulon, ſorte ciuitates duodecim. 64 Et dederunt filij Iſrael Leuitis ciuitates, & adia-
centia earum. 65 Et dederunt in ſorte de tribu filiorum Iuda, & de tribu filiorum Symeon, & de tribu fi-
liorum Beniamin ciuitates has quas vocauerunt eas in nomine. 66 Et de familijs filiorum Caath, &
fuerunt ciuitates finium eorum de tribu Ephræm. 67 Et dederunt eis ciuitates refugiorum, Sychem,
& adiacentia eius in monte Ephræm, & Gazer, & adiacentia eius, 68 Et Iecmaan, & adiacentia eius,
& Bethoron, & adiacentia eius. 69 & Ælon, & adiacentia eius, & Gethremmon, & adiacentia eius:
70 & de dimidio tribus Manaſſe Anar, & adiacentia eius, & Iemblaan, & adiacentia eius, ſecundum patriam filijs
Caath reliquis. 71 Filijs Gedſon de familijs dimidiæ tribus Manaſſe Golan e Baſan, & ſuburba-
na eius, & Aſeroth, & ſuburbana eius: 72 & de tribu Iſſachar Cedes, & adiacentia eius, & Deberi &
adiacentia eius, & Dabor, & adiacentia eius, 73 & Ramoth, & Ænan, & adiacentia eius:
74 & de tribu Aſer Maſaal, & adiacentia eius & Abdon, & adiacentia eius, 75 & Arac, & adia-
centia eius, & Roob, & adiacentia eius: 76 & de tribu Nephthali Cedes in Galilæa, & adia-
centia eius, & Chamoth, & adiacentia eius, & Cariathiarin, & adiacentia eius.
77 Filijs Merari reliquis de tribu Zabulon, Remmon, & adiacentia eius, & Thabor, & adiacentia eius,
78 de trans Iordanem Hiericho ad Occidentem Iordanis: de tribu Ruben Boſor in deſerto, & adiacentia eius,
& Iaſa, & adiacentia eius,

& Cad-

## Vulgat. Editio.

79 Cademoth quoque & ſuburbana eius, & Mephaat cum ſuburbanis ſuis.
80 Necnon & de tribu Gad, Ramoth in Galaad, & ſuburbana eius, & Manaim cum ſuburbanis ſuis:
81 Sed & Heſebon cum ſuburbanis ſuis, & Iezer cum ſuburbanis ſuis.

### CAP. VII.

Gen.46.13. 1 Porro filij Iſſachar: Thola, & Phua, Iaſub, & Simeron, quatuor.
2 Filij Thola: Ozi, & Raphaia, & Ieriel, & Iemai, & Iebſem, & Samuel, principes per domos cognationum ſuarum. De ſtirpe Thola viri fortiſſimi numerati ſunt in diebus Dauid, viginti duo millia ſexcenti.
3 Filij Ozi: Izrahia, de quo nati ſunt Michael, & Obadia, & Ioel, & Ieſia, quinque omnes principes.
4 Cumque eis per familias, & populos ſuos, accincti ad prælium, viri fortiſſimi, triginta ſex millia: multas enim habuerunt vxores, & filios.
5 Fratres quoque eorum per omnem cognationem Iſſachar robuſtiſſimi ad pugnandum, octoginta ſeptem millia numerati ſunt.
*Gen.46.21. 6 Filij * Beniamin: Bela, & Bechor, & Iadiel, tres.
7 Filij Bela: Eſbon, & Ozi, & Oziel, & Ierimoth, & Vrai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robuſtiſſimi: numerus autem eorum, viginti duo millia, & triginta quattuor.
8 Porro filij Bechor: Zamira, & Ioas, & Eliezer, & Elioenai, & Amri, & Ierimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filij Bechor.
9 Numerati ſunt autem per familias ſuas principes cognationum ſuarum ad bella fortiſſimi, viginti millia, & ducenti.
10 Porro filij Iadihel: Balan. Filij autem Balan: Iehus, & Beniamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharſis, & Ahiſahar:
11 Omnes hi filij Iadihel, principes cognationum ſuarum viri fortiſſimi, decem & ſeptem millia, & ducenti ad prælium procedentes.
12 Sepham quoque, & Hapham filij Hir: et Haſim filij Aher.
13 Filij autem Nephthali: Iaſiel, & Guni, & Ieſer, & Sellum, filij Bala.
14 Porro filius Manaſſe, Eſriel: concubinaque eius Syra peperit Machir patrem Galaad.

Ma-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

79 Et Chedemoth, & ſuburbana eius, & Mephaath, & ſuburbana eius.
80 Et de tribu Ghad, Ramoth in Ghilhad, & ſuburbana eius, & Machanaim, & ſuburbana eius.
81 Et Cheſbon & ſuburbana eius, & Iahazer, & ſuburbana eius.

### CAP. VII.

1 Filij autem Iſſachar: Tolah, & Puah, Iaſub, & Simron, quattuor.
2 Filij autem Tolah: Huzzi, & Rephaiah, & Ieriel, & Iachamai, & Ibſam, & Semuel principes per domum patrum ſuorum. De Tolah fortes robore per generationes ſuas, numerus eorum in diebus Dauid viginti duo millia, & ſexcenti.
3 Filij Huzzi: Izrachiah, filij autem, Izrachiah Michael, & Hobadiah, & Ioel, Ieſijah quinque principes omnes ipſi.
4 Et cum eis per generationes ſuas per domum patrũ ſuorum milites exercitus belli triginta, & ſex millia: quia multiplicauerunt vxores, & filios.
5 Et fratres eorum per omnes familias Iſſachar fortes viribus octoginta, & ſeptem millia recenſiti ſunt per ſeriem generationis eorum per omnes.
6 Biniamin: Belah, & Becher, & Iedihael, tres.
7 Filij aũt Belah: Eſbõ, & Huzzi, & Huzziel, & Ieremoth, & Hiri, quinque principes domus familiarũ potẽtes viribus, & recẽſiti ſunt per ſeriẽ generationis eorum viginti, & duo millia, & triginta & quattuor.
8 Filij autẽ Becher: Zemirah, & Iohas, & Eliezer, & Eliohenai, & Homri, & Ieremoth, & Abijah, & Hanathoth & Hallameth: omnes iſti filij Becher.
9 Recenſiti ſunt per ſeriem generationis eorum per generationes ſuas principes domus familiarum ſuarũ fortes robore viginti millia, & ducenti.
10 Filij autem Iedihael: Bilhan. Filij vero Bilhan, Iehus, & Biniamin, & Ehud, & Chenahanah, & Tithan, & Tharſis, & Achiſachar.
11 Omnes iſti filij Iedihael principes familiarum fortes viribus ſeptem, & decem millia, & ducenti egredientes ad militiam ad bellum.
12 Et Suphim, & Chuppim filij Hir: Chuſim filij Acher.
13 Filij Naphthali: Iachaſiel, & Gunni, & Ieſer, & Sallum filij Bilhah.
14 Filij Menaſſeh, Aſriel: quem peperit concubina eius Aramijah peperit Machir patrem Ghilhad.

Ma-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

79 Et Cadmoth, & adiacentia eius, & Maephla, & adiacentia eius: 80 de tribu Gad Rhamoth Galaad & adiacentia eius, & Manaim, & adiacentia eius. 81 & Eſebon, & adiacentia eius, & Iazer, & adiacentia eius.

### CAP. VII.

ET filij Iſſachar, Thola, & Phua, & Iaſub, & Semeron, quattuor. 2 Et hi filij Thola, Ozi, Raphaia & Ie-
riel, & Iamai, & Iemaſan, & Samueli principes domorum patriarum ſuarum. Ipſi Thola, fortes virtute ſecun-
dum generationes ſuas numerus eorum in diebus Dauid viginti & duo millia, & ſexcenti. 3 Et filij Ozi, Iez-
raia. Et filij Iezraia Michael, Abdiu, & Ioel, & Ieſia, quinque principes omnes. 4 Et ſuper eos ſecundum gene-
rationes ſuas, ſecundum domos patriarum ſuarum, fortes ad pugnandum in prælio, triginta et ſex millia: quoniã
multiplicauerunt vxores, et filios. 5 Et fratres eorum in omnes patrias Iſſachar, et fortes virtute, octuaginta et
ſeptem millia, numerus eorum omnium. 6 Filij Beniamin, Bale, et Bachir, et Iediel, tres. 7 Et filij Bale,
Eſebon, et Ozi, et Oziel, et Ieremuth, et Vri, quinque: principes domorum patriarum, fortes virtute: et numerus
eorum, viginti et duo millia, et triginta quattuor. 8 Et filij Bachir, Zemirã, et Ioas, et Eliezer, et Elithenan, et
Amaria, et Ierimuth, et Abiud, et Anathot, et Eleemeth: omnes hi filij Bachir: 9 et numerus eorum ſecundũ
generationes eorum, principes domorum patriarum eorum, fortes virtute viginti millia, et ducenti. 10 Et filij
Iediel, Balaam. Et filij Balaam, Iaus, et Beniamin, et Aoth, et Chananã, et Zethan, et Tharſi, et Achiſar:
11 omnes hi filij Iediel, principes patriarum, fortes virtute, ſeptem et decem millia, et ducenti, egredientes virtu-
te ad bellandum. 12 Et Sapphin, et Apphin, et filij Or, Aſom filius ipſius Aor. 13 Filij Nephthali,
Iaſiel, Goni, et Aſer, et Sellum, filij eius, Balaam filius eius. 14 Filij Manaſſe, Eſriel, quem peperit con-
cubina eius Syra: peperit autem ei et Machir patrem Galaad.

## Vulgat. Editio.

15 Machir autem accepit vxores filijs ſuis Happhim,& Saphan,& habuit ſororẽ nomine Maacha: nomẽ autem ſecundi Salphaad,natæque ſunt Salphaad filiæ.

16 Et peperit Maacha vxor Machir filium, vocauitque nomen eius Phares: porro nomen fratris eius, Sares: & filij eius,Vlam,& Recen.

17 Filius autem Vlam,Badan. Hi ſunt filij Galaad,filij Machir,filij Manaſſe.

18 Soror autem eius regina peperit Virum decorum,& Abiezer,& Mohola.

19 Erant autem filij Semida,Ahin,& Sechem, & Leci, & Aniam.

20 Filij autem Ephraim: Suthala, Bared filius eius Thahath filius eius,Elada filius eius, Thahath filius eius,huius filius Zabad:

21 Et huius filius Suthala,& huius filius Ezer, & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ,quia deſcenderant,vt inuaderent poſſeſſiones eorum.

22 Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus,& venerunt fratres eius,vt conſolarentur eum.

23 Ingreſſuſque eſt ad vxorem ſuam: quæ concepit, & peperit filium,& vocauit nomẽ eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus eſſet:

24 Filia autem eius fuit Sara,quæ ędificauit Bethoron inferiorem,& ſuperiorem,& Ozenſara.

25 Porro filius eius Rapha,& Reſeph,& Thale, de quo natus eſt Thaan:

26 Qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Eliſama:

27 De quo ortus eſt Nun,qui habuit filium Ioſue.

28 Poſſeſſio autem eorum,& habitatio, Bethel cum filiabus ſuis,& contra Orientem Noran, ac Occidentalem plagam Gazer, & filiæ eius, Sichem quoque cum filiabus ſuis,vſque ad Aza cum filiabus eius.

29 Iuxta filios quoque Manaſſe,Bethſan, & filias eius, Thanach,& filias eius,Mageddo,& filias eius: Dor, & filias eius: in his habitauerunt filij Ioſeph, filij Iſrael.

30 Filij * Aſer: Iemna,& Ieſua,& Ieſſui,& Baria,& Sara ſoror eorum.

* Gen. 46. 17.

31 Filij autem Baria: Heber, Melchiel: ipſe eſt pater Barſaith.

32 Heber autem genuit Iephlat,& Somer,& Hotham, & Suaa ſororem eorum.

33 Filij Iephlat: Phoſech,& Chamaal, & Aſoth: hi filij Iephlat.

34 Porro filij Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram.

Filij

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Machir & accepit vxorẽ ipſi Chuppim, & Suphim, & nomen ſororis eius Mahachah: nomẽ autẽ ſecundi Selophchad, fueruntque ipſi Selophchad filiæ.*

16 *Et peperit Mahachah vxor Machir filium, & vocauit nomen eius Peres: & nomen fratris eius Seres: filij autem eius Vlam, & Rachen.*

17 *Filij autem Vlam, Bedan. Iſti filij Ghilhad, filij Machir, filij Menaſſeh.*

18 *Soror autem eius Molecheth peperit virum Hod, & Abihezer, & Machalah.*

19 *Erant autem filij Semidah, Achian, & Sechem, & Licchi, & Aniham.*

20 *Filij autem Ephraim, Suthelach, & Bered filius eius, & Tachath, & Elhadah filius eius, & Tachath filius eius, & Zabad filius eius.*

21 *Et Suthelach filius, & Hezer, & Elhad: & occiderunt eos viri Ghath, qui nati erant in terra, deſcenderant enim vt acciperent greges eorum.*

22 *Et luxit Ephraim pater eorum diebus multis, & venerunt fratres eius ad conſolandum eum.*

23 *Et ingreſſus eſt ad vxorem ſuam: & concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Berihah, propter malum, quod fuit in domo eius.*

24 *Et filia eius Seerah, & ædificauit Bethchoron inferiorem, & ſuperiorem, & Ozen Seerah.*

25 *Et Rephach filius eius, & Reſeph, & Telach filius eius, & Tachan filius eius.*

26 *Lahadan filius eius, Hammiud filius eius, Eliſamah filius eius.*

27 *Nun filius eius, Iehoſuah filius eius.*

28 *Poſſeſſio autem eorum, & habitatio eorum Bethel, et viculi eius ad Orientem Naharan, & ad Occidẽtem Ghezer, & viculi eius, & Sechem, & viculi eius, vſque ad Hazah, & viculos eius.*

29 *Et iuxta loca filiorum Menaſſeh, Bethſean, & viculos eius Tahanach, & viculos eius Meghiddo, & viculos eius: Dor, & viculos eius: in his habitauerunt filij Ioſeph, filij Iſrael.*

30 *Filij Aſer: Imnah, & Iſuah, & Iſui, & Berihah, & Serach, ſoror eorum.*

31 *Filij autem Beriah: Cheber, & Machiel: ipſe eſt pater Birzauith.*

32 *Cheber autem genuit Iaphleth, & Somer, & Chotham, & Suha ſororem eorum.*

33 *Filij autem Iaphleth: Paſach, & Chimhal, & Haſuath: iſti filij Iaphleth.*

34 *Filij autem Semer: Achi, & Rohaghah, Iechubbah, & Aram.*

*Filius*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et Machir accepit vxorem ipſi Apphin, & Sapphin, & nomen ſororis eius Moocha: & nomen ſecundo Sap-
phaad,natæ ſunt autem ipſi Sapphaad,filiæ. 16 Et peperit Moocha vxor Machir filium, & vocauit nomen
eius Phares: & nomen fratris eius Suros: filij eius,Vlam,& Rocom. 17 Et filij Vlam,Badam.Hi filij
Galaad,filij Machir,filij Manaſſe. 18 Et ſoror eius Malechet peperit Iſud,& Abieſer,& Maelâ.
19 Et fuerunt filij Semira,Aim,& Sychem,& Lacim,& Anian. 20 Et filij Ephraim,Sothalath,& Ba-
rad filius eius & Thaat filius eius,Elada filius eius,Saath filius eius,& Zabad filius eius: 21 Sotheli fi-
lius eius,& Azer,& Elead: & occiderunt eos viri Geth,qui nati erant in terra, quoniam deſcenderant ad capien-
dum pecora eorum. 22 Et luxit Ephræm pater eorum dies multos: & venerunt fratres eius ad conſo-
landum eum. 23 Et intrauit ad vxorem ſuam: & concepit in vtero,& peperit filium, & vocauit nomen
eius Beria,quoniam in malis factus eſt in domo mea. 24 Et filia eius Saraa,& in illis reſiduis,& ædifi-
cauit Bæthoron inferiorem,& ſuperiorem. 25 Et filij Ozan, Secra,& Raphe filius eius,Saraph,& Tha-
lees filij eius,Thaen filius eius. 26 Ipſi Laadan filio eius,filius Amind,filius Eliſamai:
27 Filius Moon filius Ioſue,filij eius. 28 Et poſſeſſio eorum,& habitatio eorum Bethel,& pagi eius
ad Orientem Noatan,ad Occidentem Gazer,& pagi eius,& Sychem,& pagi eius vſque Gazan,& pagi eius:
29 Et vſque ad fines filiorum Manaſſe,Bæthſan,& pagi eius,Tanach,& pagi eius,Mageddo,& pagi eius: Dor, &
pagi eius: in hac habitarunt filij Ioſeph,filij Iſrael. 30 Filij Aſer,Iemna,& Suia,& Iſui,et Beria,et So-
re ſoror eorum. 31 Et filij Beriæ: Chaber,et Melchiel: hic pater Berthaith. 32 Et Chaber
genuit Iaphleth,et Samer,et Choſſam,et Solâ ſororem eorum. 33 Et filij Iaphlet: Phaſec,et Bamaæl,et
Aſith: hi filij Iaphleth. 34 Et filij Semmer: Achi,et Rooga,et Iaba,et Aram.

Et Ba-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

35 Filij autem Helem fratris eius: Sopha, & Iemna, & Selles, & Amal.
36 Filij Sopha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Iamra:
37 Boſor, & Hod, & Samma, & Saluſa, & Iethran, & Bera.
38 Filij Iether: Iephone & Phaſpha, & Ara.
39 Filij autem Olla: Aree, & Haniel, & Reſia.
40 Omnes hi filij Aſer, principes cognationum, electi, atque fortiſſimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis, quæ apta eſſet ad bellum, viginti ſex millia.

### CAP. VIII.

Gen. 46.21 Sup. 7.6.

1 Beniamin autem genuit Bale primogenitum ſuum, Aſbel ſecundum, Ahara tertium:
2 Noha quartum, & Rapha quintum.
3 Fueruntque filij Bale: Addar, & Gera, & Abiud:
4 Abiſue quoque & Naaman, & Ahoe:
5 Sed & Gera, & Sephuphan, & Huram.
6 Hi ſunt filij Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui tranſlati ſunt in Manahath.
7 Naaman autem, & Achia, & Gera ipſe tranſtulit eos, & genuit Oza, & Ahiud.
8 Porro Saharaim genuit in regione Moab, poſtquam dimiſit Huſim, & Bara vxores ſuas.
9 Genuit autem de Hodes vxore ſua Iobab, & Sebia, & Moſa, & Molchom.
10 Iehus quoque, & Sechia, & Marma. Hi ſunt filij eius principes in familijs ſuis.
11 Mehuſim vero genuit Abitob, & Elphaal.
12 Porro filij Elphaal: Heber, & Miſaam, & Samad: hic ædificauit Ono & Lod, & filias eius.
13 Baria autem, & Sama principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugauerunt habitatores Geth.
14 Et Ahio, & Seſac, & Ierimoth:
15 Et Zabadia, & Arod, & Heder:
16 Michael quoque, & Ieſpha, & Ioha filij Baria.
17 Et Zabadia, & Moſollam, & Hezeci, & Heber:
18 Et Ieſamari, & Iezlia, & Iobab filij Elphaal:
19 Et Iacim, & Zechri, & Zabdi:
20 Et Elioenai, & Selethai, & Eliel:
21 Et Adaia, & Baraia, & Samarath filij Semei.
22 Et Ieſpham & Heber, & Eliel:

Et

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

35 *Filius autem Helem fratris eius: Sophach, & Imnah, & Seles, & Hamal.*
36 *Filij Sophach: Suach, & Chanepher, & Suah, & Beri, & Imrah.*
37 *Beſer, & Hod, & Samma, & Silſah, & Ithran, & Beera.*
38 *Filij autem Iether, Iephunneh, & Piſpha & Ara.*
39 *Filij autem Hulla, Arach, & Channiel, & Riſiah.*
40 *Omnes iſti filij Aſer principes domus familiarum electi fortes viribus capita principum, & recenſiti ſunt per ſeriem generationis eorum ad militiam in bello, numerus eorum viri viginti, & ſex millia.*

### CAP. VIII.

1 *Biniamin autem genuit Belah primogenitum ſuum, Aſbel ſecundum, & Acharach tertium:*
2 *Nochah quartum, & Raphah quintum.*
3 *Et fuerunt filij ipſi Belah, Adar, & Ghera, & Abihud:*
4 *Et Abſuah, & Nahaman, & Achoach:*
5 *Et Ghera, & Sephuphan, & Churam.*
6 *Iſti ſunt autem filij Ehud. Iſti ſunt principes familiarum habitantium in Ghebah, & tranſtulit eos in Manachath.*
7 *Nahaman autem, & Achijah, Gherah ipſe tranſtulit eos, & genuit Huzzan, & Achichud.*
8 *Sacharaim autem genuit in agro Moab, poſtquam dimiſerat Chuſijm, & Baharah vxores ſuas.*
9 *Et genuit de Chodes vxore ſua Iobab, & Sibiah, & Meſa, & Malcham.*
10 *Et Iehus, & Sachiah, & Mirmah. Iſti filij eius principes familiarum.*
11 *Mechuſim vero genuit Abitub, & Elphahal.*
12 *Filij autem Elphahal: Heber, & Miſham, & Samed: ipſe ædificauit Ono, & Lod, & villas eius.*
13 *Et Beriah, & Semah, ipſi principes familiarum habitantium in Aialon: iſti fugauerunt habitatores Ghath.*
14 *Et Achio, Saſak, & Ieremoth:*
15 *Et Zebadiah, & Harad, & Hader.*
16 *Et Michael, & Iſphah, & Iocha filij Beriah.*
17 *Et Zebadiah, & Meſullam, & Chizchi, & Chaber.*
18 *Et Imerai, & Izliah, & Iobab filij Elphahal:*
19 *Et Iachin, & Zichri, & Zabdi:*
20 *Et Eliahenai, & Silthai, & Eliel:*
21 *Et Hadaiah, & Beraiah, & Simrath filij Simhi.*
22 *Iſphan autem, & Heber, & Eliel:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

35 Et Bane Elam fratris eius: Sopha, & Imma, & Selles, & Amal. 36 Filij Sophar, Sue, & Arnaphar,
& Suda, & Barin, & Imran: 37 Et Baſan, & Oa, & Samà, & Saliſà, & Iethra, & Beerà. 38 Et
filij Iether, Iephina, & Phaſpha, & Ara. 39 Et filij Olà, Orech, Aniel, & Raſià.
40 Omnes hi filij Aſer, omnes principes patriarum, electi, fortes virtute, principes duces: numerus eorum in aciem ad pugnandum, numerus eorum viri viginti ſex millia.

### CAP. VIII.

ET Beniamin genuit Bale primogenitum ſuum, & Aſbel ſecundum, Aara tertium: 2 Noà quartum, & Rapha quintum. 3 Et fuerunt filij Bale: Adir, & Gerà, & Abiud. 4 Et Abelſue, & Noama, & Achia: 5 Et Gera, & Sephuphan, & Vram. 6 Hi filij Aod: hi ſunt principes patriarum habitantibus Gabee, & tranſtulerunt eos in Machanathi. 7 Et Nooma, & Achia, &
Gera: hic Ieglaam, & genuit Aza, & Iachicho. 8 Et Saarin genuit in campo Moab, poſtquam ipſe dimiſit Oſin, & Baada vxorem ſuam. 9 Et genuit ex Ada vxore ſua Iobab, & Sebia, & Miſa, & Melchas:
10 Et Iebus, & Zabia, & Maima. Hi principes patriarum. 11 Et de Oſin genuit Abitol, & Alphaal.
12 Et filij Alphaal, Obed, Niſaal, Semmer: hic ædificauit Oran, & Lod, et pagos eius. 13 Et Beria,
et Sama, hi principes patriarum, habitantibus Ælam: et hi perſequuti ſunt eos, qui habitabant Geth.
14 Et frater eius Soſee, et Arimoth: 15 Et Zabadia, et Ored, et Eder: 16 Et Michael, et
Ieſpha, et Ioda filij Beria. 17 Et Zabadia, et Moſollam, et Azaci, et Abar: 18 Et Iſamari, et Iezlias, et
Iobab filij Elphaal. 19 Et Iacim, et Zachri, et Zabdi: 20 Et Elionai, et Salathi, et Elieli. 21 Et
Adaia, et Baraia, et Samarath filij Samaith. 22 Et Ieſphan, et Obed, et Eleel:

## Vulgat. Editio.

23 Et Abdon,& Zechri,& Hanan:
24 Et Hanania,& Ælam,& Anathothia:
25 Et Iephdaia,& Phanuel filij Seſac.
26 Et Samſari,& Sohoria,& Otholia:
27 Et Ierſia,& Elia,& Zechri,filij Ieroham.
28 Hi patriarchæ,& cognationum principes, qui habitauerunt in Ieruſalem.
29 In * Gabaon autem habitauerunt Abigabaon, & nomen vxoris eius Maacha:
*2.Par.9.35.
30 Filiuſque eius primogenitus Abdon,& Sur, & Cis, & Baal,& Nadab.
31 Gedor quoque,& Ahio,& Zacher,& Macelloth:
32 Et Macelloth genuit Samaa: habitaueruntque ex aduerſo fratrum ſuorum in Ieruſalem cum fratribus ſuis.
33 * Ner autem genuit Cis,& Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Ionathan,& Melchiſua,& Abinadab, & Esbaal.
* 1. Reg. 14.51. Inf. 9.39.
34 Filius autem Ionathan,Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha.
35 Filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz.
36 Et Ahaz genuit Ioada: & Ioada genuit Alamath,& Azmoth,& Samri: porro Zamri genuit Moſa:
37 Et Moſa genuit Banaa, cuius filius fuit Rapha, de quo ortus eſt Elaſa,qui genuit Aſel.
38 Porro Aſel ſex filij fuerunt his nominibus, Ezricã, Bocru,Iſmahel,Saria, Obdia, & Hanan. Omnes hi filij Aſel.
39 Filij autem Eſec fratris eius,Vlam primogenitus,& Iehus ſecundus,& Eliphalet tertius.
40 Fueruntque filij Vlam viri robuſtiſſimi, & magno robore tendentes arcum :& multos habentes filios, ac nepotes, vſque ad centum quinquaginta. Omnes hi,& filij Beniamin.

### CAP. IX.

1 VNiuerſus ergo Iſrael dinumeratus eſt: & ſumma eorum ſcripta eſt in Libro regum Iſrael, & Iuda: tranſlatique ſunt in Babylonem propter delictum ſuum.
2 Qui autem habitauerunt primi in poſſeſſionibus, & in vrbibus ſuis Iſrael, et Sacerdotes, et Leuitæ, et Nathinæi.
3 Commorati ſunt in Ieruſalem de filijs Iuda, et de filijs Beniamin, de filijs quoque Ephraim, et Manaſſe.

Othei

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et Habdon,& Zichri,& Chanan:*
24 *Et Chananiah,& Helam,& Hanthothijah.*
25 *Et Iphdijah,& Penuel filij Saſach.*
26 *Samſerai autem,& Secharıah,& Hathaliah.*
27 *Iaharesiah,& Elijah,& Zichri filij Ierocham.*
28 *Iſti principes familiarum per generationes ſuas, principes iſti habitauerunt in Ieruſalaim.*
29 *Et in Ghibhon habitauerunt Abighibhon,& nomen vxoris eius Mahachah:*
30 *Et filius eius primogenitus Habdon,& Sur,& Chis, & Bahal,& Nadab.*
31 *Et Ghedor,& Achio,& Zacher.*
32 *Et Michloth genuit Simah: & etiam iſti è regione fratrum ſuorum habitauerunt in Ieruſalaim cum fratribus ſuis.*
33 *Ner autem genuit Chis, Chis autem genuit Saul. Saul autem genuit Ionathan,& Malchiſuah, & Abinadab,& Esbahal.*
34 *Filius autem Ionathan, Meribbahal, Meribbahal autem genuit Michah.*
35 *Filij vero Michah, Pithon,& Melech, & Taarcah, & Achaz.*
36 *Achaz autem genuit Iehohadah, Iehohadah autem genuit Hallemeth & Hazmaueth,& Zimri: Zimri autem genuit Moſa.*
37 *Moſa autem genuit Binha,Raphah filius eius, Elhaſah filius eius Aſel filius eius.*
38 *Ipſi autem Aſel fuerunt ſex filij, & iſta nomina eorũ,Hazrichã primogenitus eius, & Iſmahel, & Sehariah,& Hobadiah,& Chanan.Oẽs iſti filij Aſel.*
39 *Filij autem Heſech fratris eius, Vlam primogenitus eius, Iehus ſecundus,& Elipheleth tertius.*
40 *Fuerunt autem filij Vlam viri fortes robore tendentes arcum,& multiplicantes filios, & filios filiorum centum,& quinquaginta. Omnes iſti de filijs Biniamin.*

### *CAP. IX.*

1 *OMnis autem Iſrael recenſiti ſunt per ſeriem generationis: & ecce ipſi ſcripti ſunt in Libro regum Iſrael, & Iehudah: tranſlati ſunt in Babel propter præuaricationem eorum.*
2 *Et qui habitabant primi, qui erant in poſſeſſione ſua in vrbibus ſuis: Iſrael,Sacerdotes,Leuitæ,& Nethinim.*
3 *Et in Ieruſalaim habitauerunt de filijs Iehudah, & de filijs Biniamin, & de filijs Ephraim, & Menaſſeh.*

*Hu-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et Abdon,& Zechri,& Anan: 24 Et Anania & Ambri,& Ælam,& Anathoth,& Iathia: 25 Et Iephadias,& Phanuel,filij Soſec. 26 Et Samſari,& Saarias,& Gotholia: 27 Et Iaraſia,& Eria,& Zechri filius Ioram. 28 Hi principes patriarum ſecundum generationes ſuas: principes hi habitarunt in Hieruſalem. 29 Et in Gabaon habitauit pater Gabaon: & nomen vxori eius Moacha. 30 Et filius eius primogenitus Abdon,& Sur,& Cis,& Baal,& Nadab. 31 Et Ner,& Gedur,& frater eius,& Zachur,& Macceloth. 32 Et Macceloth genuit Samaa: & quidem hi è regione fratrum ſuorum habitarunt in Hieruſalem cum fratribus ſuis. 33 Et Ner genuit Cis,& Cis genuit Saul. Et Saul genuit Ionathan,& Melchiſue,& Aminadab,& Aſabal. 34 Et filius Ionathan Meribaal,& Meribaal genuit Micha. 35 Et filij Micha,Phithon,& Melach,& Tharach,& Achaz. 36 Et Achaz genuit Iada: & Iada genuit Salaimath, & Aſmoth,& Zambri: & Zambri genuit Maſa. 37 Et Maſa genuit Baana,Raphæa filius eius,Elaſa filius eius, Eſel filius eius. 38 Et Eſel ſex filij,& hæc nomina eorum,Ezricam primogenitus eius,& Iſmael, & Saraia,& Abdia,& Anan,& Aſa. Omnes hi filij Eſel. 39 Et filij Aſel fratris eius,Ælam primogenitus eius, & Ias ſecundus,& Eliphalet tertius. 40 Et fuerunt filij Ælam viri fortes potentia,tendentes arcum,& multiplicantes filios,& filios filiorum,centum quinquaginta. Omnes hi ex filijs Beniamin.

### CAP. IX.

ET omnis Iſrael computatio eorum: & hi deſcripti in Libro regum Iſrael,& Iuda: cum ijs, qui tranſlati ſunt in Babylonem in ſuis iniquitatibus. 2 Et qui habitabant antea in poſſeſſionibus eorum in ciuitatibus Iſrael: Sacerdotes,Leuitæ,& dediti. 3 Et in Hieruſalem habitauerunt de filijs Iuda,& de filijs Beniamin,& de filijs Ephraim & Manaſſe.

Et Gno-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

4 Othei filius Ammiud, filij Amri, filij Omrai, filij
Bonni,de filij Phare filij Iuda.
5 Et de Siloni: Aſaia primogenitus, & filij eius.
6 De filijs autem Zara: Iehuel, & fratres eorum,ſex-
centi nonaginta.
7 Porro de filijs Beniamin: Salo filius Moſollam filij
Oduia,filij Aſana:
8 Et Iobania filius Ieroham: & Ela filius Ozi, filij
Mochori: & Moſollam filius Saphatiæ,filij Rahuel,
filij Iebaniæ,
9 Et fratres eorum per familias ſuas, nongenti quin-
quaginta ſex. Omnes hi, principes cognationum
per domos patrum ſuorum.
10 De ſacerdotibus autem: Iedaia,Iotarib, & Iachin:
11 Azarias quoque filius Helciæ,filij Moſollam filij Sa
doc,filij Meraioth,filij Achitob,pōtifex domus Dei.
12 Porro Adaias filius Ieroham,filij Phaſſur, filij Mel-
chiæ: & Maaſai filius Adiel, filij Iezra, filij Moſol-
lam,filij Moſollamith,filij Emmer.
13 Fratres quoque eorum principes per familias ſuas,
mille ſeptingenti ſexaginta, fortiſſimi robore ad fa-
ciendum opus miniſterij in domo Dei.
14 De Leuitis autem: Semeia filius Haſſub filij Ezri-
cam,filij Haſebia de filijs Merari.
15 Bacbacar quoque carpentarius, & Galal, & Matha-
nia filius Micha filij Zechri,filij Aſaph:
16 Et Obdia filius Semeiæ, filij Galal, filij Idithun: &
Barachia filius Aſa, filij Elcana, qui habitauit in
atrijs Netophati.
17 Ianitores autem: Sellum, & Accub, & Telmon, &
Ahiman: & frater eorum Sellum princeps,
18 Vſque ad illud tempus,in porta regis ad Orientem,
obſeruabant per vices ſuas de filijs Leui.
19 Sellum vero filius Core filij Abiaſaph,filij Core,cū
fratribus ſuis, & domo patris ſui, hi ſunt Coritæ ſu-
per opera miniſterij, cuſtodes veſtibulorum taber-
naculi: & familiæ eorum per vices caſtrorum Do-
mini cuſtodientes introitum.
20 Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum co-
ram Domino.
21 Porro Zacharias filius Moſollamia, ianitor portæ ta
bernaculi teſtimonij.
22 Omnes hi electi in oſtiarios per portas,ducēti duo-
decim & deſcripti in villis proprijs: quos conſtitue-
runt Dauid,& Samuel Videns,in fide ſua.
23 Tam ipſos, quām filios eorum in oſtijs domus Do-
mini,& in tabernaculo vicibus ſuis.

Per

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Huthai filius Hammiud, filij Homri, filij Imri, filij*
*Bani de filijs Peres filij Iehudah.*
5 *Et de Siloni: Haſaiah primogenitus,& filij eius.*
6 *Et de filijs Zerach: Iehiel,& fratres eius ſexcenti,*
*& nonaginta.*
7 *Et de filijs Biniamin: Sallu filius Meſullam, filij*
*Hodauiah,filij Haſennah.*
8 *Et Ibniah filij Ierocham: & Elah filius Huzzi,fi-*
*lij Michri,& Meſullam,filius Sephatiah, filij Re-*
*chuel,filij Ibniah.*
9 *Et fratres eorum per generationes ſuas nongenti,&*
*quinquaginta & ſex. Omnes iſti viri principes fa-*
*miliarum per domum patrum ſuorum.*
10 *Et de ſacerdotibus Iedahiah,et Iehoiarib,et Iachin.*
11 *Et Hazariah filius Chilchiah, filij Meſullam, filij*
*Sadoc,filij Meraioth,filij Achitub ducis domus Dei.*
12 *Et Adaiah filius Ierocham, filij Paſchur, filij Mal-*
*chiah, & Mahaſai filius Hadiel, filij Iachazerah,*
*filij Meſullam,filij Meſſillemeth, filij Immer.*
13 *Et fratres eorum principes per domum familiarum*
*ſuarum mille,& ſeptingenti, & ſexaginta fortes ro-*
*bore in opere miniſterij domus Dei.*
14 *Et de Leuitis: Semahaiah filius Chaſub filij Haz-*
*richam,filij Chaſabiah de filijs Merari.*
15 *Et Bachbachar faber, & Ghalhal, & Matthaniah*
*filius Michah,filij Zichri,filij Aſaph.*
16 *Et Hobadiah filius Semahaiah, filij Ghelal, filij Ie-*
*duthun,& Berechiah filius Aſa, filij Elcanah, qui*
*habitabat in villis Nethophathi.*
17 *Ianitores autem Sallum,& Hacub, & Talmon, &*
*Achiman,& frater eorum Sallum princeps.*
18 *Et hucuſque in porta regis ad Orientem ipſi ianito-*
*res per turbas filiorum Leui.*
19 *Sallum filius Chore,filij Ebiaſaph,filij Corach,et fra*
*tres eius per domum patris ſui, Hacorechim ſuper*
*opus miniſterij, cuſtodes liminum tabernaculi, &*
*familia eorum per turmas Domini cuſtodes introi-*
*tus.*
20 *Et Pinchas filius Elhazar dux erat ſuper eos co-*
*ram Domino cum eo.*
21 *Et Zechariah filius Meſſelemiah ianitor oſtij taber-*
*naculi eccleſiæ.*
22 *Omnes ij electi ianitores in liminibus ducenti, &*
*duodecim: ipſi cum villis ſuis recenſiti ſunt per ſe-*
*riem generationis: ipſos fundauit Dauid,& Semuel*
*videns in fide ſua.*
23 *Et ipſi,& filij eorum in portis domus Domini, in do-*
*mo tabernaculi in vigilijs.*

*Ad*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et Gnothi,& filius Samiud filij Amri filij Ambraim filij Bani filij filiorum Phares filij Iuda. 5 Et de ijs,qui
Selom,Aſaa primogenitus eius,& filij eius. 6 De filijs Zara,Ieel,& fratres eorum ſexcenti & nonaginta.
7 Et de filijs Beniamin,Salom filius Moſollam filij Oduia filij Aſinu. 8 Et Iemnaa filius Hieroboam,& Elo:
Hi filij Ozi filij Machir. Et Moſollam filius Saphatia filij Raguel filij Iemnai, 9 Et fratres eorum ſecundum
generationes ſuas nongenti quinquaginta ſex, omnes viri principes patriarum ſecundum domos patriarum ſua-
rum. 10 Et de ſacerdotibus,Iodae,& Ioarim, & Iachin, 11 Et Azaria filius Chelciæ filij Moſollam filij Sa-
doc filij Maraioth filij Achitob ducis domus Dei. 12 Et Adaia filius Iraam filij Phaſchor filij Melchiæ,& Ma
aſæa filius Adiel filij Ezira filij Moſollam filij Maſelmoth filij Emmer: 13 Et fratres eorum principes domo-
rum patriarum ſuarum,mille & ſeptingenti & ſexaginta,fortes virtute ad operationem miniſterij domus Dei.
14 Et de Leuitis Samæa filius Aſob filij Ezricam filij Aſabia de filijs Merari. 15 Et Bacbacar,& Ares,& Ga-
laal,& Matthanias filius Micha filij Zechri filij Aſaph. 16 Et Abdia filius Samia filij Galaal filij Idithun. Et
Barachia filius Olla filij Elcana habitans in pagis Netophati. 17 Ianitores,Salom,Acum,Telmon,& Diman,
& fratres eorum,Salom princeps, 18 Et vſque huc in porta regis ad Orientem. Hæ portæ caſtrorum filiorum
Leui 19 Et Sellum filius Core filij Abiſaph filij Core: & fratres eius ad domum patris eius,Coritæ ſuper ope
ra miniſterij, cuſtodientes cuſtodias tabernaculi. Et patres eorum ſuper caſtra Domini, cuſtodientes introitum.
20 Et Phinees filius Eleazari dux fuit ſuper eos ante Dominum. 21 Et hi cum eo: Zacharias filius Moſol-
lami ianitor portæ tabernaculi teſtimonij. 22 Omnes electi ſuper portam in portis,ducenti & duodecim: hi
in villis ſuis: computatio eorum. Hos ſtatuit Dauid, & Samuel videns, fide ipſorum. 23 Et hi & filij eo-
rum ſuper portas in domo Domini, & in domo tabernaculi ad cuſtodiendum.

Ad qua-

| Vulgat. Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Per quatuor ventos erant oſtiarij: id eſt ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum. | 24 | 24 | *Ad quatuor partes erant ianitores ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, Meridiem.* |
| Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in ſabbatis ſuis de tempore vſque ad tempus. | 25 | 25 | *Et fratres eorum in villis ſuis veniendo in ſeptimo die de tempore ad tempus cum eis.* |
| His quatuor Leuitis creditus erat omnibus numerus ianitorum, & erant ſuper exedras, & theſauros domus Domini. | 26 | 26 | *In fide enim iſtorum quatuor potentium ianitorum erant Leuitæ: & erant ſuper cubicula, & ſuper theſauros domus Dei.* |
| Per gyrum quoque templi Domini morabantur in cuſtodijs ſuis: vt cum tempus fuiſſet, ipſi mane aperirent fores. | 27 | 27 | *Et in circuitu domus Dei manebant, quia ſuper eos erat cuſtodia: & ipſi erant ſuper aperitione ſingulo mane.* |
| De horum genere erant & ſuper vaſa miniſterij: ad numerum enim & inferebantur vaſa, & efferebantur. | 28 | 28 | *Et ex eis erant ſuper vaſa miniſterialia: in numero enim inferebant ea, & in numero educebant ea.* |
| De ipſis & qui credita habebant vtenſilia ſanctuarij, præerant ſimilæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus. | 29 | 29 | *Et ex ipſis conſtituti erant ſuper vaſa, & ſuper omnia vaſa ſancta, & ſuper ſimilam, & vinum, & oleum, & thus, & aromata.* |
| Filij autem ſacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant. | 30 | 30 | *Et de filijs ſacerdotum erant vnguentarij vnguenti aromatici.* |
| Et Mathathias Leuites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in ſartagine frigebantur. | 31 | 31 | *Et Mathethiah de Leuitis ipſe primogenitus Sallum Corchita in fide ſuper opus ſartaginum.* |
| Porro de filijs Caath fratribus eorum, ſuper panes erant propoſitionis, vt ſemper nouos per ſingula ſabbata præpararent. | 32 | 32 | *Et de filijs Chehathide patribus eorum erant ſuper panem facierum ad parandum ſingulis ſabbatis.* |
| Hi ſunt principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedris morabantur, vt die ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent. | 33 | 33 | *Et iſti cantores principes familiarum Leuitarum in cubiculis dimiſſi die ac nocte ſuper eos in opere.* |
| Capita Leuitarum, per familias ſuas principes, manſerunt in Ieruſalem. | 34 | 34 | *Iſti capita familiarum Leuitis per generationes ſuas capita: iſti habitauerunt in Ieruſalaim.* |
| * Sup. 8. 29. In * Gabaon autem commorati ſunt pater Gabaon Iehiel, & nomen vxoris eius Maacha. | 35 | 35 | *Et in Ghibhon habitauerunt Abighibhon, Iehiel, & nomen vxoris eius Mahachah.* |
| Filius primogenitus eius Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab, | 36 | 36 | *Filius autem eius primogenitus Habdon, & Sur, & Chis, & Bahal, & Ner, & Nadab.* |
| Gedor quoque & Ahio, & Zacharias, & Macelloth. | 37 | 37 | *Et Ghedor, & Achyah, & Zechariah, & Michloth.* |
| Porro Macelloth genuit Samaan: iſti habitauerunt e regione fratrum ſuorum in Ieruſalem, cum fratribus ſuis. | 38 | 38 | *Michloth autem genuit Simam: & etiam ipſi contra fratres ſuos habitauerunt in Ieruſalaim cum fratribus ſuis.* |
| * Sup. 8. 33. * Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ionathan, & Melchiſua, & Abinadab, & Esbaal. | 39 | 39 | *Neer autem genuit Chis: Chis autem genuit Saul: Saul autem genuit Ionathan.* |
| Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. | 40 | 40 | *Filius autem Ionathan Meribbahal: Meribbahal autem genuit Michah.* |
| Porro filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. | 41 | 41 | *Filij autem Michah Pithon, & Melech, & Tachreah.* |
| Ahaz | | | *Achaz* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Ad quatuor ventos erant portæ, ad Orientem, Mare, Aquilonem, Auſtrum. 25 Et fratres eo-
rum in villis ſuis ad ingrediendum ſecundum ſeptem dies à tempore in tempus cum his: 26 Quo-
niam in fide ſunt quatuor potentes portarum. Et Leuitæ erant ſuper paſtophoria, & ſuper theſauros domus
Dei 27 caſtrametantur, quoniam ſuper eos cuſtodia: & hi ſuper claues, mane mane ad aperien-
dum portas templi. 28 Et ex eis ſuper vaſa miniſterij, quoniam in numero inferent, & in nume-
ro efferent. 29 Et ex eis præfecti ſuper vaſa, & ſuper omnia vaſa ſancta, & ſuper ſimilam, vinum,
oleum, thus, & aromata 30 Et de filijs ſacerdotum erant vnguentarij vnguenti, & in aro-
mata. 31 Et Mathathias ex Leuitas (hic primogenitus Salom Coritæ) in fide ſuper opera ſa-
crificij ſartaginis magni ſacerdotis. 32 Et Banaias Caathita ex fratribus eorum ſuper panes pro-
poſitionis, ad præparandum, ſabbatum per ſabbatum. 33 Et hi cantores principes patria-
rum Leuitarum ordinatæ vices, quoniam dies, ac nox ſuper eos in operibus. 34 Hi princi-
pes patriarum Leuitarum ſecundum generationes ſuas, principes hi habitarunt in Hieruſalem.
35 Et in Gabaon habitauit pater Gabaon Ieel: & nomen vxoris eius Moochá.
36 Et filius eius primogenitus Abdon. & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab,
37 Et Gedur, & frater, & Zachur, & Maceloth. 38 Et Maceloth genuit Samaa.
Et in medio fratrum ſuorum habitarunt in Hieruſalem in medio fratrum ſuorum.
39 Et Ner genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ionathan, & Melchiſue, & Aminadab, & Aſabal.
40 Et filius Ionathan Meribaal. Et Meribaal genuit Micha:
41 Et filij Micha, Phithon, & Nalach, & Tharach.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

42 Ahaz autem genuit Iara, & Iara genuit Ala-
math, & Azmoth, & Zamri: Zamri autem genuit
Moſa.
43 Moſa vero genuit Banaa: cuius filius Raphaia, ge-
nuit Elaſa: de quo ortus eſt Aſel.
44 Porro Aſel ſex filios habuit his nominibus, Ezri-
cam, Broeu, Iſmael, Saria, Obdia, Hanan: hi ſunt
filij Aſel.

### CAP. X.

1.Reg.31.

1 PHiliſthijm autem pugnabant contra Iſrael, fu-
geruntque viri Iſrael Palæſthinos, & ceciderunt
vulnerati in monte Gelboe.
2 Cumque appropinquaſſent Philiſthei perſequentes
Saul & filios eius, percuſſerunt Ionathan, & Abina-
dab, & Melchiſua filios Saul.
3 Et aggrauatum eſt prælium contra Saul, inuene-
runtque eum ſagittarij, & vulnerauerunt iacu-
lis.
4 Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Euagina gla-
dium tuum, & interfice me: ne forte veniant incir-
cumciſi iſti, & illudant mihi. Noluit autem armi-
ger eius hoc facere, timore perterritus: arripuit er-
go Saul enſem, & irruit in eum.
5 Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet mor-
tuum eſſe Saul, irruit etiam ipſe in gladium ſuum,
& mortuus eſt.
6 Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus
illius pariter concidit.
7 Quod cum vidiſſent viri Iſrael, qui habitabant in
campeſtribus, fugerunt: & Saul ac filijs eius mor-
tuis, dereliquerunt vrbes ſuas, & huc illucque di-
ſperſi ſunt: veneruntque Philiſthijm, & habitaue-
runt in eis.
8 Die igitur altero detrahentes Philiſthijm ſpolia
cæſorum, inuenerunt Saul, & filios eius iacentes in
monte Gelboe.
9 Cumque ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput, ar-
miſque nudaſſent, miſerunt in terram ſuam, vt cir-
cumferetur, & oſtenderetur idolorum templis, &
populis:
10 Arma autem eius conſecrauerunt in fano dei ſui, &
caput affixerunt in templo Dagon.
11 Hoc cum audiſſent viri in Iabes Galaad, omnia ſci-
licet quæ Philiſthijm fecerant ſuper Saul,

Con-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

42 *Achaz autem genuit Iaharah: Iaharah autem ge-
nuit Hallemeth, & Hazmaueth, & Zimbri: Zimbri
autem genuit Moſah.*
43 *Moſah autem genuit Bina, & Rephaiah filius eius,
Elhaſah filius eius, Aſel filius eius.*
44 *Ipſi autem Aſel fuerunt ſex filij, & iſta nomina eo-
rum Hazricham primogenitus eius, & Iſmahel
& Sahariah, & Hobadiah, & Chanam: iſti filij
Aſel.*

### CAP. X.

1 *PEliſtim autem pugnauerunt cum Iſrael, fugit-
que vir Iſrael à facie Peliſtim, & ceciderunt vul-
nerati in monte Ghilboah.*
2 *Et perſecuti ſunt Peliſtim Saul, & filios eius, & per-
cuſſerunt Peliſtim Ionathan, & Abinadab, & Mel-
chiſuah filios Saul.*
3 *Et aggrauatum eſt bellum contra Saul, & inuene-
runt eum iacientes arcu, & vulneratus eſt à iacula-
toribus.*
4 *Dixitque Saul ad armigerum ſuum: Euagina gla-
dium tuum, & perfode me eo, ne forte veniant incir-
cumciſi iſti, & illudant mihi. Et noluit armiger
eius: timebat enim valde, & accepit Saul gladium
& iallauit ſe ſuper eum.*
5 *Et vidit armiger eius quod mortuus eſſet Saul, &
iallauit ſe etiam ipſe ſuper gladium, & mortuus
eſt.*
6 *Et mortuus eſt Saul, & tres filij eius, & omnis do-
mus eius pariter mortui ſunt.*
7 *Et viderunt omnes viri Iſrael qui erant in valle,
quod fugiſſent, & quod mortui eſſent Saul, & filij
eius, & dereliquerunt vrbes ſuas, atque fugerunt:
& venerunt Peliſtim, & habitauerunt in eis.*
8 *Et fuit, in craſtino venerunt Peliſtim ad expolian-
dum cæſos, & inuenerunt Saul, & filios eius iacen-
tes in monte Ghilboah.*
9 *Et ſpoliauerunt eum, & tulerunt caput eius, & ar-
ma eius, & miſerunt in terram Peliſtim per circui-
tum, vt nunciarent ſculptilibus ſuis, atque po-
pulo.*
10 *Et poſuerunt arma eius in domo dei ſui, & caput
eius ſuſpenderunt in domo Daghon.*
11 *Et audierunt omnes viri Iabes Ghilhad omnia quæ
fecerunt Peliſtim ipſi Saul.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

42 Et Achaz genuit Iada: & Iada genuit Galemeth, & Galmoth, & Zambri. Et Zambri genuit Maſſa:
43 Et Maſſa genuit Baana, & Raphæa filius eius, Elaſa filius eius, Eſel filius eius.
44 Et Eſel ſex filij: & hæc nomina eorum, Ezricam primogenitus eius, & Iſmael, & Saraia, & Abdias, &
Aman, & Aſa: hi filij Eſel.

### CAP X.

ET alienigenæ pugnauerunt aduerſus Iſrael. Et fugerunt à facie alienigenarum: & ceciderunt vulnerati in
monte Gelbue. 2 Et perſequuti ſunt alienigenæ poſt Saul, & poſt filios eius: & percuſſerunt alieni-
genæ Ionathan, & Aminadab, & Melchiſue filios Saul. 3 Et ingrauatum eſt prælium ſuper Saul: & in-
uenerunt eum ſagittarij in arcubus: & laborauerunt ab arcubus. 4 Et dixit Saul ei, qui portabat vaſa
eius: Educ gladium tuum, & interfice me in eo: ne veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi. Et non voluit por-
tans vaſa eius, quoniam timebat valde. Et cepit Saul gladium, & incubuit ſuper eum. 5 Et vidit portans
vaſa eius, quia mortuus eſt Saul, & cecidit etiam ipſe ſuper gladium ſuum. 6 Et mortuus eſt Saul, & tres
filij eius in die illa, & vniuerſa domus eius in idipſum mortua eſt. 7 Et vidit omnis vir Iſrael, qui in val-
le, quia fugit Iſrael, & quia mortuus eſt Saul, & filij eius, & dereliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt. Et venerunt
alienigenæ, & habitauerunt in eis. 8 Et factum eſt ſequenti die, & venerunt alienigenæ ad ſpoliandum
cæſos: & inuenerunt Saul, & omnes filios eius iacentes in montes Gelbue: 9 Et exuerunt eum. &
tulerunt caput eius, & vaſa eius: & miſerunt in terram alienigenarum in circuitu ad euangelizandum idolis ſuis,
& populo. 10 Et poſuerunt vaſa eorum in domo dei ſui: & caput eius poſuerunt in domo Dagon.
11 Et audierunt omnes habitantes Galaad omnia, quæ fecerant alienigenæ ipſi Saul, & Iſrael.

Et ſu-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius: & attuleruntque ea in Iabes, & ſepelierunt oſſa eorũ ſubter quercum,quæ erat in Iabes,& ieiunauerunt ſeptẽ diebus.

13 Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit * mandatum Domini quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed * inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit,

* 1.Reg. 15.3. Exo.17.14 * 1.Reg. 28.7.

14 Nec ſperauerit in Domino: propter quod interfecit eum,& tranſtulit regnũ eius ad Dauid filiũ Iſai.

### CAP. XI.

* 2.Reg.5.1

1 Congregatus eſt igitur omnis Iſrael ad Dauid in Hebron, dicens: Os tuum ſumus, & caro tua.

2 Heri quoque,& nudiuſtertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſrael: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris princeps ſuper eum.

3 Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrael ad regem in Hebron, & inijt Dauid cum eis fœdus coram Domino: vnxeruntque eum regem ſuper Iſrael, iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel.

4 Abijt quoque Dauid, & omnis Iſrael in Ieruſalem: hæc eſt Iebus,vbi erant Iebuſæi habitatores terræ.

5 Dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: Non ingredieris huc. Porro Dauid cepit arcem Sion,quæ eſt ciuitas Dauid,dixitque:

6 Omnis qui percuſſerit Iebuſæum in primis,erit princeps & dux. Aſcendit igitur primus Ioab filius Saruiæ,& factus eſt princeps.

7 Habitauit autem Dauid in arce,& idcirco appellata eſt ciuitas Dauid.

8 Ædificauitque vrbem in circuitu à Mello vſque ad gyrum, Ioab autem reliqua vrbis extruxit.

9 Proficiebatque Dauid vadens & creſcens, & Dominus exercituum erat cum eo.

* 2.Reg. 23.8.

10 * Hi principes virorum fortium Dauid,qui adiuuerunt eum vt rex fieret ſuper omnem Iſrael iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrael.

11 Et iſte numerus robuſtorum Dauid: Ieſbaam filius Hachamoni princeps inter triginta: iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Et

## Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn

12 *Et ſurrexerunt omnes viri robuſti,& tulerunt corpus Saul, & corpora filiorum eius: attuleruntque ea in Iabes, & ſepelierunt corpora eorum ſubter quercum in Iabes,& ieiunauerunt ſeptem diebus.*

13 *Et mortuus eſt Saul propter præuaricationem ſuam qua præuaricatus eſt contra Dominum, contra verbum Domini quod non cuſtodiuit: & etiam quia interrogauit per pythonem ad quærendum.*

14 *Et non quæſiuit Dominum: & interfecit eum, & conuertit regnum ad Dauid filium Iſai.*

### CAP. XI.

1 *ET congregati ſunt omnis Iſrael ad Dauid in Chebron, dicendo: Ecce os tuum, & caro tua ſumus.*

2 *Etiam heri, etiam nudiuſtertius etiam cum eſſet Saul rex tu educebas, & introducebas Iſrael: dixitque Dominus Deus tuus tibi: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper populum meum Iſrael.*

3 *Veneruntque omnes ſeniores Iſrael ad regem in Chebron,& percuſſit cum eis Dauid fœdus coram Domino: vnxeruntque Dauid in regem ſuper Iſrael iuxta verbum Domini per manum Semuel.*

4 *Et abijt Dauid,& omnis Iſrael in Ieruſalaim: ipſa eſt Iebus,& ibi Iebuſæi habitatores terræ.*

5 *Dixeruntque habitatores Iebus ad Dauid: Non ingredieris huc. Et cepit Dauid arcem Syon: ipſa eſt ciuitas Dauid.*

6 *Dixitque Dauid: Omnis qui percuſſerit Iebuſæum in primis erit dux & princeps: & aſcendit imprimis Ioab filius Seruijah: & fuit dux.*

7 *Habitauit autem Dauid in arce: idcirco vocauerunt eam ciuitatem Dauid.*

8 *Ædificauitque vrbem per circuitum à Millo vſque ad gyrum,Ioab autem reparauit reſiduum vrbis.*

9 *Et abijt Dauid eundo, & creſcendo, & Dominus exercituum erat cum eo.*

10 *Iſti ſunt autem duces fortium qui erant ipſi Dauid qui robuſti erant cum eo in regno eius cum omni Iſrael,vt regem conſtituerent eum, iuxta verbum Domini ſuper Iſrael.*

11 *Iſte eſt autem numerus fortium qui erant ipſi Dauid: Iaſobham filius Chachmoni princeps inter triginta: iſte ſuſcitauit haſtam ſuam contra trecentos quos vulnerauit vice vna.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et ſuſcitati ſunt in Galaad omnis vir potens, & tulerunt corpus Saul, & corpus filiorum eius: & attulerunt ea in Iabis: & ſepelierunt oſſa eorum ſub quercu in Iabis: & ieiunarunt ſeptem dies. 13 Et mortuus eſt Saul in ſuis iniquitatibus,quibus inique egit Deo,ſuper verbum Domini,quoniam non obſeruauit: quia interrogauit Saul in ventriloquo ad quærendum,& reſpondit ei Samuel propheta. 14 Et non quæſiuit Dominum: & interfecit eum,& conuertit regnum ad Dauid filium Ieſſæ.

### CAP. XI.

ET venit omnis Iſrael ad Dauid in Chebron,dicentes: Ecce oſſa tua,& carnes tuæ nos: 2 & heri,& nudiuſtertius, cum eſſet Saul rex, tu fuiſti educens, & introducens Iſrael. Et dixit Iſrael Dominus tibi: tu paſces populum meum Iſrael: & tu eris in ducem ſuper Iſrael. 3 Et venerunt omnes ſeniores Iſrael ad regem in Chebron. Et diſpoſuit eis rex Dauid teſtamentum in Chebron ante Dominum. Et vnxerunt Dauid in regem ſuper Iſrael iuxta verbum Domini per manum Samuel. 4 Et iuit rex,& viri eius in Hieruſalem (hæc Iebus:) & ibi Iebuſæi habitantes terram 5 dixerunt Dauid: Non ingredieris huc. Et cepit arcem Sion: hæc eſt ciuitas Dauid. 6 Et dixit Dauid: Omnis percutiens Iebuſæum in primis, & erit in principem,& in ducem. Et aſcendit ſuper eam in primis Ioab filius Saruiæ: & factus eſt in principem. 8 Et ædificauit ciuitatem in circuitu. 9 Et procedebat procedens, & creſcens: & Dominus omnipotens cum eo. 10 Et hi principes potentium, qui fuerunt ipſi Dauid, qui inualeſcebant cum eo in regno eius cum omni Iſrael ad faciendum regnare eum iuxta verbum Domini ſuper Iſrael. 11 Et hic numerus potentium Dauid: Ieſebada filius Achaman primus ipſorum triginta. Hic eduxit gladium ſuum ſemel ſuper trecentos vulneratos in tempore vno.

Et poſt

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Et poſt eum Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potentes. | 12 | 12 | *Et poſt eum Elhazar filius patrui ſui Achochites: ipſe inter tres potentes.* |
| Iſte fuit cum Dauid in Pheſdomim, quando Philiſthijm congregati ſunt ad locum illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus à facie Philiſthinorum. | 13 | 13 | *Iſte fuit cum Dauid in Paſdammim, & Peliſtim congregati erant ibi ad prælium: & erat hæreditas agri plena hordeo, & populus fugerat à facie Peliſtim.* |
| Hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumque percuſſiſſent Philiſthæos, dedit Dominus ſalutem magnam populo ſuo. | 14 | 14 | *Et ſteterunt in medio hæreditatis, & eruerunt eam & percuſſerunt Peliſtim, & ſeruauit Dominus ſalute magna.* |
| Deſcenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat Dauid, ad ſpeluncam Odollam, quando Philiſthijm fuerant caſtrametati in valle Raphaim. | 15 | 15 | *Et deſcenderunt tres è triginta principibus ad petram ad Dauid, ad ſpeluncam Hadullam, & caſtra Peliſtim caſtrametabantur in valle Rephaim.* |
| (* 2. Reg. 23.14.) *Porro Dauid erat in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethlehem. | 16 | 16 | *Dauid autem tunc erat in arce, & ſtatio Peliſtim tunc erat in Bethlechem.* |
| Deſiderauit igitur Dauid, & dixit: O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem, quæ eſt in porta. | 17 | 17 | *Et deſiderauit Dauid, & dixit: Vtinam quiſpiam propinaret mihi aquam de ciſterna Bethlechem, quæ eſt in porta.* |
| Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad Dauid vt biberet: qui noluit, ſed magis libauit illam Domino, | 18 | 18 | *Et irruperunt tres per caſtra Peliſtim, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlechem, quæ erat in porta, & acceperunt, & attulerunt ad Dauid: & noluit Dauid bibere eam, ſed libauit eam Domino,* |
| Dicens: Abſit vt in conſpectu Dei mei hoc faciam, & ſanguinem iſtorum virorum bibam: quia in periculo animarum ſuarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc cauſam noluit bibere: hæc fecerunt tres robuſtiſſimi. | 19 | 19 | *Dicendo: Abſit mihi à Deo meo, non faciam hoc: numquid ſanguinem virorum iſtorum bibam cum diſcrimine eorum: quia cum diſcrimine vitæ ſuæ attulerunt eam, & noluit bibere eam: hæc fecerunt tres potentes.* |
| Abiſai quoque frater Ioab ipſe erat princeps trium, & ipſe leuauit haſtam ſuam contra trecentos vulneratos, & ipſe erat inter tres nominatiſſimus, | 20 | 20 | *Et Abſai frater Ioab ipſe erat princeps trium, & ipſe ſuſcitauit lanceam ſuam contra trecentos quos vulnerauit, & ei nomen inter tres.* |
| Et inter tres ſecundos inclytus, & princeps eorum: verumtamen vſque ad tres primos non peruenerat. | 21 | 21 | *Ex tribus inter duos glorioſus, & fuit eis princeps, ſed vſque ad tres non peruenit.* |
| Banaias filius Ioiadæ viri robuſtiſſimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel: ipſe percuſſit duos ariel Moab: & ipſe deſcendit, & interfecit leonem in media ciſterna tempore niuis. | 22 | 22 | *Benaiah filius Iehoiadah filij viri robuſti magni operibus de Cabſeel: ipſe percuſſit duos fortes vt leones Moab: & ipſe deſcendit, & percuſſit leonem in medio ciſternæ in die niuis.* |
| Et ipſe percuſſit virum Ægyptium, cuius ſtatura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium texentium: deſcendit igitur ad eum cum virga, & rapuit haſtam, quam tenebat manu: & interfecit eum haſta ſua. | 23 | 23 | *Et ipſe percuſſit virum Ægyptium virum menſuræ magnæ quinque cubitorum: & in manu Ægyptij erat ſicut liciatorium texentium: & deſcendit ad eum cum virga, & rapuit lanceam è manu Ægyptij & occidit eum lancea eius.* |
| Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ, qui erat inter tres robuſtos nominatiſſimus, | 24 | 24 | *Hæc fecit Benaiahu filius Iehoiadah, & nomen inter tres potentes.* |
| Inter triginta primus, veruntamen ad tres vſque non peruenerat: poſuit autem eum Dauid ad auriculam ſuam: | 25 | 25 | *Ex triginta ecce ipſe inclytus eſt: ſed ad tres non peruenit: poſuit autem eum Dauid ad auditum ſuum.* |
| Por- | | | Po- |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et poſt eum Eleazar filius Dodai, Achochi. Hic fuit in tribus potentibus. 13 hic fuit cum Da-
uid in Phaſodamin: & alienigenæ congregati ſunt ibi ad prælium: & erat pars agri plena hordeorum: & popu-
lus fugit à facie alienigenarum: 14 & ſtetit in medio patriæ, & ſaluauit eam, & percuſſit alienigenas:
& fecit Dominus ſalutem magnam. 15 Et deſcenderunt tres de triginta principibus in petram ad
Dauid in ſpeluncam Odollam: & caſtra alienigenarum in valle gigantum: 16 & Dauid tunc in mu-
nitione: & ſtatio alienigenarum tunc in Bethleem. 17 Et concupiuit Dauid, & dixit: Quis pota-
bit me aqua de ciſterna Bethleem, quæ in porta? 18 Et preruperant illi tres caſtra alienigenarum, &
aquati ſunt aquam de ciſterna, quæ in Bethleem, quæ erat in porta. Et tulerunt, & venerunt ad Dauid. Et no-
luit Dauid bibere illam, & libauit illam Domino, 19 & dixit: Propitius mihi Deus à faciendo ver-
bum hoc. Si ſanguinem virorum horum bibam in animabus eorum? quoniam in animabus ſuis attulerunt,
Et noluit bibere illam. Hæc fecerunt tres potentes. 20 Et Abiſa frater Ioab hic fuit princeps trium:
hic eduxit gladium ſuum ſuper trecentos vulneratos in tempore vno: & hic fuit nominatus in tribus:
21 de tribus ſuper duos glorioſus, & fuit eis principem: & vſque ad tres non peruenit. 22 Et Banæa
filius Iodae filius viri potentis: multa opera eius de Cabaſael. Hic percuſſit duos Ariel Moab: & hic deſcen-
dit, & percuſſit leonem in ciſterna in die niuis: 23 & hic percuſſit virum Ægyptium hominem con-
ſpicuum quinque cubitorum: & in manu Ægyptij lancea tamquam liciatorium texentium: & deſcendit ſuper
eum Banæas in virga: & abſtulit de manu eius lanceam, & interfecit eum in lancea eius. 24 Hæc fecit
Banæa filius Iodae, & huic nomen in tribus potentibus; 25 ſuper triginta fuit honoratus hic: & ad
tres non peruenit. Et conſtituit eum Dauid ſuper patriam ſuam.

Et po-

## Vulgat. Editio.

26 Porro fortiſſimi viri in exercitu, Aſahel frater Ioab, & Elchanan filius patrui eius de Bethlehem,
27 Sammoth Arorites, Helles Phalonites,
28 Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites,
29 Sobbochai Huſathites, Ilai Ahohites,
30 Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites,
31 Ethæi filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, Banaia Pharatonites,
32 Hurai de torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites.
33 Filij Aſſem Gezonites, Ionathan filius Sage Ararites,
34 Ahiam filius Sachar Ararites,
35 Eliphal filius Vr,
36 Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites,
37 Heſro Carmelites, Naarai filius Asbai,
38 Ioel frater Nathan, Mibahar filius Agarai.
39 Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Ioab filij Saruiæ.
40 Ira Iethræus, Gareb Iethræus,
41 Vrias Hethæus, Zabad filius Oholi,
42 Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum & cum eo triginta:
43 Hanan filius Maacha, & Ioſaphat Mathanites,
44 Ozia Aſtarothites, Samma, & Iehuel filij Hotham Arorites,
45 Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thoſaites,
46 Eliel Mahumites, & Ieribai, & Ioſaia filij Elnaem, & Iethma Moabites, Eliel, & Obed, & Iaſiel de Maſobia.

### CAP. XII.

1 HI quoque venerunt ad Dauid in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortiſſimi & egregij pugnatores,
2 Tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas: de fratribus Saul ex Beniamin.
3 Princeps Ahiezer, & Ioas filij Samaa Gabaathites, & Iaziel, & Phallet filij Azmoth, & Baracha, & Iehu, Anathotites.
4 Samaias quoque Gabaonites fortiſſimus inter triginta & ſuper triginta: Ieremias, & Ieheziel, & Iohanan, & Iezabed Gaderothites.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Potentes autem exercituum Haſahel frater Ioab, Elchanan filius patrui eius de Bethlechem,*
27 *Sammoth Harodites, Cheles Pelonites,*
28 *Hira filius Hicches Techohites Abihezer Hanthothites,*
29 *Sibbechai Chuſatites Hilai Achochites,*
30 *Naharai Nethophathites, Cheled filius Bahanah Nethophathites.*
31 *Itthai filius Ribai de Ghibbath filiorum Biniamin, Benniah Pirhatonites.*
32 *Churai de torrente Ghahas, Abiel Harbathites, Hazmaueth Bacharumites, Aliachba Sahalebonites.*
33 *Filij Sem Ghizonites, Ionathan filius Saghel Hararites.*
34 *Achiam filius Sachar Hararites,*
35 *Eliphal filius Vr,*
36 *Chipher Mecharathites, Achijah Pelonites,*
37 *Cheſron Charmelites, Naharai filius Ezbai,*
38 *Iohel frater Nathan, Mibchar filius Haghri.*
39 *Selech Hammonites, Nacharai Berothites armiger Ioab filij Seruiah.*
40 *Hira Ithrænus Ghareb Ithræus.*
41 *Vrijah Ghitthæus Zabad filius Achalai.*
42 *Hadina filius Siza Reubenites, dux ipſi Reubenitis, & cum eo triginta.*
43 *Chana filius Mahachah, & Ioſaphath Mithenites,*
44 *Huzzijah Haſterothites, Samah, & filij Iehuel filij Chotham Harhorites,*
45 *Iedihahel filius Simri & Iocha frater eius Tiſites,*
46 *Eliel Machauites, Iaribai, & Ioſauiah filij Elnahâ, & Ithmah Moabites, Eliel & Hebed, & Iahaſiel Meſobaiah.*

### *CAP. XII.*

1 *HI ſunt autem qui venerunt ad Dauid in Siclag adhuc clauſum à facie Saul filij Chis, & ipſi erant inter potentes auxiliatores belli.*
2 *Armati arcu dextra, & ſiniſtra iacientes lapides, & ſagittas arcu de fratribus Saul de Biniamin.*
3 *Dux Achihezer, & Ioas filij Semahah Ghibhathites, & Iezìel, & Peleth, filij Hazmaueth, & Berachah, & Iehu Hanthothites.*
4 *Et Iſmahaiah Ghibhonites fortis inter triginta, & ſuper triginta. Et Irmeiah & Iachaziel, & Iochanan, & Iozabad Ghedarathites.*

*Elhu-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Et potentes virtutum, Aſael frater Ioab, Elcanan filius Dodoe de Bethleem, 27 Samaoth Arori, Chelles Pheloni, 28 Ora filius Eccis Thecoi, Abiezer Anathothi, 29 Sobochæ Vſathi, Eli Achoni, 30 Marai Netophathi, Cehaod filius Nooza Netophathi, 31 Æri filius Rebec de colle Beniamin, Banæas Pharathoni, 32 Vri de Nachali, Haas Abiel Garabethi, Asbon Baromi, Eliaba Salaboni, 33 filius Aſam Gizonitæ, Ionathan filius Sola Arari, 34 Achim filius Achar Arari, 35 Elphath filius 36 Tyrophar Mechorathri, Achia Phelloni, 37 Eſere Charmadai, Naaræ filius Azobæ, 38 Ioel filius Nathan, Mebaal filius Agari, 39 Sele Ammoni, Nachor Berothi, portans vaſa filio Saruiæ, 40 Ira Iethri, Gaber Iethre, 41 Vria Chetti, Zabet filius Achaiâ, 42 Adina filius Sæza ipſius Ruben princeps, & ſuper eum triginta, 43 Anan filius Moocha, & Ioſaphat Matthani, 44 Ozia Aſtarothi, Samathâ, & Ieiel filij Chotham Arari, 45 Iediel filius Semeri, & Ioſae frater eius Thoſai, 46 Eliel Maoi, & Iaribi, & Ioſia filius eius, Ellaam, & Iethama Moabites, Daliel, & Obeth, & Ieſſiel Meſobia.

### CAP. XII.

ET hi, qui venerunt ad Dauid in Sicelag: cum adhuc comprimeretur à facie Saul filij Cis. Et hi in potentibus, adiuuantes in bello, 2 Et arcu à dextris, & à ſiniſtris, & funditores in lapidibus, & arcubus: De fratribus Saul de Beniamin 3 princeps Achiezer, & Ioas filius Aſma Gabathitæ, & Ioel, & Iophleth filij Aſmoth, & Berechia, & Ieul Anathothi, 4 & Samaias Gabaonites potens in triginta, & ſuper triginta, Hieremia, & Ieziel, & Ioanan, & Ioazabath Gadarathijm,

Azai,

## Vulgata Editio.

5 Et Eluzai & Ierimuth, & Baalia, & Samaria, & Saphatia Haruphites.
6 Elcana, & Ieſia, & Azareel, & Ioezer, & Ieſbaam de Carehim:
7 Ioela quoque & Zabadia filij Ieroham de Gedor.
8 Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus:
9 Ezer princeps, Obdias ſecundus, Eliab tertius,
10 Maſmana quartus, Ieremias quintus,
11 Ethi ſextus, Eliel ſeptimus,
12 Iohanan octauus, Elzebad nonus,
13 Ieremias decimus, Machbanai vndecimus.
14 Hi de filijs Gad principes exercitus: nouiſſimus centum militibus præerat, & maximus, mille.
15 Iſti ſunt qui tranſierunt Iordanem menſe primo, quando inundare conſueuit ſuper ripas ſuas: & omnes fugauerunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam & Occidentalem.
16 Venerunt autem & de Beniamin, & de Iuda ad præſidium, in quo morabatur Dauid.
17 Egreſſuſque eſt Dauid obuiam eis, & ait: Si pacifice veniſtis ad me vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: ſi autem inſidiamini mihi pro aduerſarijs meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum, & iudicet.
18 Spiritus vero induit Amaſai principem inter triginta, & ait: Tui ſumus o Dauid, & tecum fili Iſai: pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuuat Deus tuus. Suſcepit ergo eos Dauid, & conſtituit principes turmæ.
19 Porro de Manaſſe transfugerunt ad Dauid, quando veniebat cum Philiſthijm aduerſus Saul, vt pugnaret: & non dimicauit cum eis * quia inito conſilio remiſerunt eum principes Philiſthinorum, dicentes: Periculo capitis noſtri reuertetur ad Dominum ſuum Saul.

a 1. Reg. 29.

20 Quando igitur reuerſus eſt in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manaſſe, Ednas, & Iozabad, & Iedihel, & Michael, & Ednas, & Iozabad, & Eliu, & Salathi, principes millium in Manaſſe.
21 Hi præbuerunt auxilium Dauid aduerſus latrunculos: omnes enim erant viri fortiſſimi, & facti ſunt principes in exercitu.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Elhuzai, & Ierimoth, & Behaliah, & Semariahu, & Sephathiahu Caruphites.*
6 *Elchanah & Iſſiahu, & Hazarel & Iohezer, & Iaſobham Chorchites.*
7 *Iohelah, & Zebadiah filij Ierocham de Ghedor.*
8 *Et de Ghadi diuiſi ſunt ad Dauid, ad munitionem in deſerto, fortes viribus viri militia ad bellum, diſpoſiti ad clypeum, & lanceam, facies autem leonis facies eorum: & ſicut capræ ſuper montes ad feſtinandum.*
9 *Hezer dux, Hobadiah ſecundus, Eliab tertius,*
10 *Maſmanah quartus, Irmeiah quintus,*
11 *Hatthai ſextus, Eliel ſeptimus,*
12 *Iochanan octauus, Elzabad nonus,*
13 *Irmeiahu decimus, Mabbechanai vndecimus.*
14 *Iſti de filijs Ghad duces exercitus vnus perſequebatur centum minor, & maior mille.*
15 *Iſti ſunt qui tranſierunt Iarden menſe primo, & ipſe plenus erat ſuper omnes ripas ſuas, & fugauerunt omnes incolentes valles ad Orientem, & Occidentem.*
16 *Et venerunt de filijs Biniamin, & Iehudah ad præſidium ad Dauid.*
17 *Egreſſuſque eſt Dauid ante eos, & reſpondit & dixit eis: Si pacifice veniſtis ad me, vt auxiliemini mihi, ſit mihi ſuper vos cor pariter: ſi autem ad decipiendum me pro aduerſarijs meis abſque iniquitate in manibus meis, videat Deus patrum noſtrorum, & increpet.*
18 *Spiritus vero induit Hamaſai dux triginta: Tui erimus inquit Dauid, & tecum fili Iſai erimus, pax pax tibi, & pax vt iuuemus te, quia iuuat te Deus tuus. Et ſuſcepit eos Dauid, & poſuit eos principes turmæ.*
19 *De Menaſſeh autem declinauerunt ad Dauid, cum veniſſet cum Peliſthim contra Saul in prælium: & non iuuit eos: quia conſilio dimiſerunt eum principes Peliſthim dicendo, Cum capitibus noſtris declinabit ad Dominum ſuum Saul.*
20 *Cum pergeret in Sichlagh declinauerunt ad eum de Menaſſeh, Hadnah, & Iozabad, & Iedihael, & Michael, & Iozabad, & Elihu, & Silethai duces millium qui erant in Menaſſeh.*
21 *Et hi auxiliati ſunt Dauidi contra turmam: quia fortes viribus erant omnes, & fuerunt principes exercitu.*

*Ad*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Azai, & Arimuth & Baalia, & Samarais, & Saphatias, Charæphiel, 6 Elcana, & Ieſuni, & Ozriel, & Ioazara, & Sobocam, & Coritæ, 7 & Iclia, & Zabadia filij Iroam, & qui ipſius Gedor. 8 Et de Gaddi diſceſſerunt ad Dauid à deſerto fortes, potentes, viri aciei belli, leuantes clypeos, & lanceas, & facies leonis facies eorum, & leues, ſicut capreæ ſuper montes, velocitate. 9 Aza princeps, Abdia ſecundus, Eliab tertius, 10 Maſmaria quartus, Hieremias quintus, 11 Iethi ſextus, Eliab ſeptimus, 12 Ioanan octauus, Eliazer nonus, 13 Hieremia decimus, Melchabanai vndecimus. 14 Hi ex filijs Gad principes militiæ, vnus ipſis centum paruus, & magnus ipſis mille: 15 hi, qui tranſierunt Iordanem in menſe primo (& hic repletus ſuper omnem crepidinem ſuam) & perſequuti ſunt omnes habitantes vallium ab Oriente vſque ad Occidentem. 16 Et venerunt de filijs Beniamin, & Iuda in auxilium Dauid. 17 Et Dauid exiuit in obuiam eorum, & dixit eis: Si ad pacem veniſtis ad me, ſit mihi cor per ſe ſuper vos: & ſi ad tradendum me inimicis meis non in veritate manus; videat Deus patrum veſtrorum, & arguat. 18 Et ſpiritus induit ipſum Amaſæ principem triginta, & dixit: Vade, & populus tuus Dauid filius Ieſſæ, pax, pax tibi & pax auxiliatoribus tuis: quoniam auxiliatus eſt tibi Deus tuus. Et ſuſcepit eos Dauid, & conſtituit eos principes virtutum: 19 Et de Manaſſe acceſſerunt ad Dauid, in veniendo alienigenas ſuper Saul ad bellum. Et non audiuit eos; quoniam in conſilio factum eſt à Ducibus alienigenarum dicentium. In capitibus virorum illorum reuertet ad Dominum ſuum Saul. 20 In eundo Dauid in Sicelag, acceſſerunt ei de Manaſſe Edna, & Iozabath, & Rodiel, & Michael, & Ioſabæth, & Elimuth & Semathi, principes millium ſunt ipſius Manaſſe. 21 Et ipſi pugnarunt vnà cum Dauid ſuper Geddur: quoniam potentes fortitudinis omnes. Et fuerunt duces in exercitu, in virtute:

quo-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

22 Sed & per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.

23 Iſte quoque eſt numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid, cum eſſet in Hebron, vt transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini.

24 Filij Iuda portantes clypeum & haſtam, ſex millia octingenti expediti ad prælium.

25 De filijs Simeon virorum fortiſſimorum ad pugnandum, ſeptem millia centum.

26 De filijs Leui, quatuor millia ſexcenti.

27 Ioiada quoque princeps de ſtirpe Aaron, & cum eo tria millia ſeptingenti.

28 Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius, principes viginti duo.

29 De filijs autem Beniamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc ſequebatur domum Saul.

30 Porro de filijs Ephraim viginti millia octingenti, fortiſſimi robore, viri nominati in cognationibus ſuis.

31 Et ex dimidia tribu Manaſſe, decem & octo millia, ſinguli per nomina ſua venerunt vt conſtituerent regem Dauid.

32 De filijs quoque Iſſachar viri eruditi, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſrael, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum conſilium ſequebatur.

33 Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & ſtabant in acie inſtructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici.

34 Et de Nephthali, principes mille: & cum eis inſtructi clypeo & haſta, triginta & ſeptem millia.

35 De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia ſexcenti.

36 Et ad Aſer egredientes ad pugnam, & in acie prouocantes, quadraginta millia.

37 Trans Iordanem autem de filijs Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manaſſe inſtructi armis bellicis, centum viginti millia.

38 Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, vt conſtituerent regem Dauid ſuper vniuerſum Iſrael: ſed & omnes reliqui ex Iſrael, vno corde erant, vt rex fieret Dauid.

Fue-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Ad tempus enim de die in diem veniebant ad Dauid, vt auxiliarentur ei vſque ad caſtra magna quaſi caſtra Dei.*

23 *Iſti ſunt autem numeri ducum expeditorum ad pugnam qui venerunt ad Dauid in Chebron, vt conuerterent regnum Saul ad eum iuxta os Domini.*

24 *Filij Iehudah portantes clypeum, & haſtam ſex millia octingenti expediti ad pugnam.*

25 *De filijs Simhon fortes viribus ad pugnam ſeptem millia, & centum.*

26 *De filijs Leui quattuor millia, & ſexcenti.*

27 *Et Iehoiadah dux de Aharon, & cum eo tria millia, & ſeptingenti.*

28 *Et Sadoc adoleſcens fortis viribus, & domus patris eius principes viginti, & duo.*

29 *Et de filijs Biniamin fratris Saul tria millia: Et vſque adhuc multitudo eorum cuſtodiebant cuſtodiam domus Saul.*

30 *De filijs vero Ephraim, viginti millia, & octingenti fortes robore viri nominati in domo familiarum ſuarum.*

31 *Et ex dimidia tribu Menaſſeh octo, & decem millia, qui nominati ſunt per nomina vt venirent ad conſtituendum regem Dauid.*

32 *De filijs vero Iſſachar, ſcientes intelligentiam in temporibus vt ſciret quid faceret Iſrael, principes eorum ducenti: & omnes fratres eorum ad ſermonem eorum erant.*

33 *De Zebulun egredientes ad pugnam diſpoſiti ad bellum cum omnibus inſtrumentis bellicis quinquaginta millia, & ad diſponendum in non corde, & corde.*

34 *De Naphthali autem principes mille, & cum eis cum clypeo, & haſta triginta, & ſeptem millia.*

35 *De Danitis praparati ad prælia viginti, & octo millia, & ſexcenti.*

36 *Et de Aſer egredientes ad pugnam ad diſponendum bellum quadraginta millia.*

37 *Et trans Iarden de Reubenitis, & Ghaditis, & dimidia tribu Menaſſeh cum omnibus inſtrumentis pugnæ bellicis centum, & viginti millia.*

38 *Omnes iſti viri bellatores inſtructores aciei corde perfecto venerunt in Chebron ad conſtituendum regem Dauid ſuper vniuerſum Iſrael, & etiam omne reſiduum Iſrael corde vno erant, vt regem conſtituerent Dauid.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 quoniam diem ex die veniebant ad Dauid, ad virtutem magnam, ſicut virtus Dei. 23 Et
hæc nomina principum militiæ, qui venerunt ad Dauid in Chebron ad conuertendum regnum Saul ad eum,
iuxta verbum Domini. 24 Filij Iuda ſcutiferi, & haſtiferi, ſex mille, & octingenti, potentes aciei.
25 De filijs Symeon potentes fortitudinis in aciem ſeptem millia, & centum. 26 De filijs Leui
quattuor mille, & ſexcenti. 27 Et Ioiadas dux ipſi Aaron, & cum eo tria millia, & ſeptingenti.
28 Et Sadoc iuuenis potens fortitudine, & de paterna domo eius principes viginti duo. 29 Et
de filijs Beniamin fratribus Saul tria millia: & adhuc plurima pars eorum intendebat in cuſtodiam domus Saul.
30 Et de filijs Ephraim viginti millia, & octingenti, potentes fortitudine, viri nominati per domos patriarum
ſuarum. 31 Et de dimidio tribu Manaſſe, decem octo millia, qui nominati fuerunt in nomine
ad faciendum regnare ipſum Dauid. 32 Et de filijs Iſſachar, cognoſcentes intelligentiam in
tempora, cognoſcentes, quid faciat Iſrael, ducenti, & omnes fratres eorum cum eis. 33 Et de
Zabulon procedentes in aciem belli in omnibus vaſis bellicis quinquaginta millia ad auxiliandum Dauid non
manibus vacuis. 34 Et de Nephthali principes mille, & cum eis in ſcutis, & lanceis
triginta ſeptem millia. 35 Et de Danitis inſtructi ad bellum, viginti octo millia, & octin-
genti. 36 Et de Aſer ingredientes auxiliari in bello, quadraginta millia.
37 Et de trans Iordanem de Ruben, & Gaddi, & de dimidio tribus Manaſſe in omnibus vaſis bellicis, centum
viginti millia. 38 Omnes hi viri bellatores inſtruentes aciem in animo pacifico. Et
venerunt in Chebron ad faciendum regnare Dauid ſuper omnem Iſrael. Et reſiduus Iſrael anima vna ad faciendum regnare Dauid.

Et ſue-

## Vulgata Editio.

39 Fueruntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes: præparauerant enim eis fratres ſui.
40 Sed & qui iuxta eos erant, vſque ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis, & camelis, & mulis, & bobus ad veſcendum: farinam, palathas, vuam paſſam, vinum, oleum, boues, arietes ad omnem copiam; gaudium quippe erat in Iſrael.

### CAP. XIII.

1 INijt autem conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuerſis principibus,
2 Et ait ad omnem cœtum Iſrael: Si placet vobis: & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſrael, & ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos,
3 Et reducamus arcam Dei noſtri ad nos: non enim requiſiuimus eam in diebus Saul.
4 Et reſpondit vniuerſa multitudo, vt ita fieret: placuerat enim ſermo omni populo.
5 Congregauit ergo Dauid cunctum Iſrael à Sihor Ægypti, vſque dum ingrediaris Emath, * vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim.
6 Et aſcendit Dauid, & omnis vir Iſrael ad collem Cariathiarim, qui eſt in Iuda, vt afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper cherubim, vbi inuocatum eſt nomen eius.
7 Impoſueruntque arcam Dei ſuper plauſtrum nouum, de domo Abinadab: Oza autem, & frater eius minabant plauſtrum.
8 Porro Dauid, & vniuerſus Iſrael ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & pſalterijs, & tympanis & cymbalis, & tubis.
9 Cum autem perueniſſent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam: bos quippe laſciuiens paululum inclinauerat eam.
10 Iratus eſt itaque Dominus contra Ozam, & percuſſit eum quod tetigiſſet arcam: & mortuus eſt ibi coram Domino.
11 Contriſtatuſque eſt Dauid, eo quod diuiſiſſet Dominus Ozam: vocauitque locum illum: Diuiſio Ozæ vſque in præſentem diem.
12 Et timuit Deum tunc temporis dicens: Quo modo poſſum ad me introducere arcam Dei?

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

39 *Et fuerunt ibi cum Dauid diebus tribus comedentes, & bibentes: præparauerant enim eis fratres eorum.*
40 *Et etiam propinqui eis vſque ad Iſſachar, & Zebulun, & Naphthali afferebant panem cum aſinis, & camelis, & mulis, & bobus eſcam farinam palatas, vuas paſſas, & vinum, & oleum, & boues, & oues in multitudine, lætitia enim erat in Iſrael.*

### CAP. XIII.

1 *ET conſuluit Dauid cum tribunis, & centurionibus cum omni duce.*
2 *Et ait Dauid ad omnem cœtum Iſrael: Si vobis placet, & à Domino Deo noſtro mittamus huc & illuc mittamus ad fratres noſtros qui remanſerunt, in omnes terras Iſrael, & cum eis ſacerdotes, & Leuitæ in vrbibus ſuburbanorum ſuorum, & congregentur ad nos.*
3 *Vt reducatur arca Dei noſtri ad nos: non enim requiſiuimus eam in diebus Saul.*
4 *Et dixerunt omnes cœtus, vt faceret ſic: rectum enim fuit verbum in oculis omnis populi.*
5 *Et congregauit Dauid cunctum Iſrael à Nilo Ægypti vſque ad introire Chamath, vt adducerent arcam Domini è Chiriathiiharim.*
6 *Et aſcendit Dauid, & omnis Iſrael Bahalathah in Chiriathiiharim quæ eſt in Iehudah, vt aſcendere faceret inde arcam Dei Domini ſedentis ſuper Cherubim, ſuper quam inuocatum eſt nomen.*
7 *Et vehere fecerunt arcam Dei ſuper plauſtrum nouum è domo Abinadab: Huzzah autem & fratres eius ducebant plauſtrum.*
8 *Dauid autem, & omnis Iſrael ludebant coram Deo omni fortitudine, & in canticis, & in cytharis, & pſalterijs, & tympanis, & cymbalis, & tubis.*
9 *Et venerunt vſque ad arcam Chidon, & miſit Huzzah manum ſuam, vt teneret arcam: quoniam declinabant boues.*
10 *Et iratus eſt furor Domini in Huzzah, & percuſſit eum eo quod miſit manum ſuam ad arcam, & mortuus eſt ibi coram Deo.*
11 *Et ira fuit ipſi Dauid, quia diuiſit Dominus diuiſionem in Huzzah, & vocauit nomen ipſum Peres Huzzah vſque ad diem hanc.*
12 *Et timuit Dauid Deum in die illa, dicendo: Quomodo introducam ad me arcam Dei?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

39 Et fuerunt ibi diebus tribus comedentes, & bibentes: quoniam præparauerant fratres eorum.
40 Et confines eis vſque ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali afferebant eis ſuper camelos, & aſinos, & mulos, & ſuper vitulos cibaria, farinas, palathas, vuas paſſas, vinum, & oleum, vitulos, & oues in multitudine: quoniam lætitia in Iſrael.

### CAP. XIII.

ET conſuluit Dauid cum Chiliarchis, & centurionibus, omni duce. 2 Et dixit Dauid vniuerſæ Eccleſiæ Iſrael: Si ſuper vos bonum, & à Domino Deo noſtro proſperabitur; mittamus ad fratres noſtros reliquos in omni terra Iſrael: & cum eis ſacerdotes Leuitæ in ciuitatibus poſſeſſionis ſuæ: & cõgregabuntur ad nos: 3 & tranſferamus arcam Dei noſtri ad nos: quia non quæſierunt eam à diebus Saul. 4 Et dixit vniuerſa Eccleſia facere ſic; quia rectum fuit verbum in oculis vniuerſi populi. 5 Et conuocauit Dauid omnem Iſrael à finibus Ægypti, & vſque ad introitum Hemath ad inferendam arcam Dei e ciuitate Iarim. 6 Et adduxit eam Dauid: & omnis Iſrael aſcendit in ciuitatem Dauid, quæ erat ipſius Iuda, ad educendum inde arcam Dei Dñi ſedentis ſuper Cherubim, vbi inuocatum eſt nomen eius. 7 Et impoſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum nouum e domo Aminadab. Et Oza, & fratres eius ducebant plauſtrum. 8 Et Dauid, & omnis Iſrael ludentes ante Deum in omni virtute, & in cantoribus, & in citharis, & in Nablis in tympanis, & in cymbalis, & in tubis. 9 Et venerunt vſque ad aream: & extendit Oza manum ſuam ad ſubſtentandam arcam, quia inclinauerat eam vitulus. 10 Et indignatus eſt Dominus ira ſuper Oza, & percuſſit eum ibi, propterea quod extendiſſet manum ſuam ſuper arcam: & mortuus eſt ibi ante Deum. 11 Et triſtatus eſt Dauid, quia diſcidit Dñs ſciſſuram in Oza, & vocauit locum illum ſciſſura Oza, vſque in diem hanc. 12 Et timuit Dauid Deũ in die illa, dicens: Quõ introducã arcã Dei ad me:



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Et ob hanc cauſam non adduxit eam ad ſe,hoc eſt, 13
in ciuitatem Dauid, ſed auertit in domum Obede-
dom Gethæi.
Manſit ergo arca Dei in domo Obededom tribus 14
menſibus: & benedixit Dominus domui eius,& om
nibus quæ habebat.

### CAP. XIIII.

2.Reg.5.11 MIſit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad Da- 1
uid, & ligna cedrina, & artifices parietum, li-
gnorumque: vt ædificarent ei domum.
Cognouitque Dauid quod confirmaſſet eum Do- 2
minus in regem ſuper Iſrael, & ſubleuatum eſſet re-
gnum ſuum ſuper populum eius Iſrael.
a2.Reg.5.13. ᵃAccepit quoque Dauid alias vxores in Ieruſalem: 3
genuitque filios,& filias.
Et hæc nomina eorum, qui nati ſunt ei in Ieruſa- 4
lem: Samua,& Sobad,Nathan,& Salomon,
Iebahar,& Eliſua,& Eliphalet, 5
Noga quoque,& Napheg,& Iaphia, 6
Eliſama,& Baaliada,& Eliphalet. 7
2.Reg.5. Audientes autem Philiſthijm eo quod vnctus eſſet 8
Dauid in regem ſuper vniuerſum Iſrael, aſcende-
runt omnes vt quærerent eum: quod cum audiſſet
Dauid,egreſſus eſt obuiam eis.
Porro Philiſthijm venientes, diffuſi ſunt in valle 9
Raphaim.
Conſuluitque Dauid Dominum, dicens: Si aſcen- 10
dam ad Philiſthæos, & ſi trades eos in manu mea?
Et dixit ei Dominus: Aſcende,& tradam eos in ma
nu tua.
Cumque illi aſcendiſſent in Baalpharaſim, percuſ- 11
ſit eos ibi Dauid, & dixit: Diuiſit Deus inimicos
meos per manum meam, ſicut diuiduntur aquæ: &
idcirco vocatum eſt nomen illius loci Baalphara-
ſim.
Dereliqueruntque ibi deos ſuos, quos Dauid iuſſit 12
exuri.
Alia etiam vice Philiſthijm irruerunt,& diffuſi ſunt 13
in valle.
Conſuluitq; ruſum Dauid Deum,& dixit ei Deus: 14
Non aſcendas poſt eos,recede ab eis, & venies con-
tra illos ex aduerſo pyrorum.
Cumque audieris ſonitum gradientis in cacumine 15
pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egreſſus eſt
enim Deus ante te, vt percutiat caſtra Phili-
ſthijm.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Et non declinare fecit Dauid arcam ad ſe in ciui-
tatem Dauid, ſed declinare fecit eam ad domum
Hobededom Ghitthai.*
14 *Et habitauit arca Dei in domo Hobededom, in domo
eius tribus menſibus: & benedixit Dominus domui
Hobededom,& omnibus quæ erant ei.*

### CAP. XIIII.

1 *MIſit autem Chiram rex Sor nuncios ad Dauid
& ligna cedrina,& artifices parietis,& arti-
fices lignorum ad ædificandum ei domum.*
2 *Cognouitque Dauid quod confirmaſſet eum Domi-
nus regem ſuper Iſrael quod eleuatum eſſet deſuper
regnum eius propter populum ſuum Iſrael.*
3 *Accepit autem Dauid adhuc vxores in Ieruſalaim:
& genuit Dauid adhuc filios,& filias.*
4 *Et iſta nomina natorum,qui fuerunt ei in Ieruſa-
laim Sammuah,& Sobab,Nathan,& Selomoh.*
5 *Et Ibchar,& Eliſuah,& Elipheleth,*
6 *Et Noghah,& Nephegh,& Iaphiah,*
7 *Et Eliſamah,& Beheliadah,& Elipheleth.*
8 *Et audierunt Peliſtim quod vnctus eſſet Dauid rex
ſuper omnem Iſrael, & aſcenderunt omnes Peliſtim
ad quærendum Dauid, & audiuit Dauid, & egreſ-
ſus eſt contra eos.*
9 *Peliſthim autem venerunt, & diffuſi ſunt in valle
Rephaim.*
10 *Et conſuluit Dauid Deum dicendo: Num aſcen-
dam ad Peliſtim,& trades eos in manu mea? Et di-
xit ei Dominus: Aſcende, & tradam eos in manu
tua.*
11 *Et aſcenderunt Bahalberaſim, & percuſſit eos ibi
Dauid,& dixit Dauid: Diuiſit Deus inimicos meos
per manum meam ſecundum diuiſionem aquæ: id-
circo vocauerunt nomen loci ipſius Bahalpera-
ſim.*
12 *Dereliqueruntque ibi deos ſuos,& dixit Dauid, &
combuſſerunt eos igne.*
13 *Et addiderunt adhuc Peliſthim, & diffuſi ſunt in
valle.*
14 *Conſuluitque adhuc Dauid Deum, & dixit ei
Deus: Non aſcendes poſt eos, circumda eos, & ve-
nies ad eos ex aduerſo pyrorum.*
15 *Et erit,cum audieris ſonitum greſſus in capite pyro-
rum,tunc egredieris in prælium. Egreſſus eſt enim
Deus ante te vt percutiat caſtra Peliſthim.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et non fecit diuertere Dauid arcam ad ſe in ciuitatem Dauid, & fecit eam declinare in domum Abeddarâ Gethæi. 14 Et ſedit arca Dei in domo Abeddarâ tres menſes. Et benedixit Deus Abeddarâ, & omnia eius.

### CAP. XIIII.

ET miſit Chiram rex Tyri nuncios ad Dauid,& ligna cedrina,& ædificatores,& fabros lignorum ad ædificandam ei domum. 2 Et nouit Dauid,quia parauit eum Dominus in regem ſuper Iſrael: quoniam auctum eſt in altitudinem regnum ſuum propter populum eius Iſrael. 3 Et accepit Dauid adhuc vxores in Hieruſalem,& nati ſunt Dauid adhuc filij,& filiæ. 4 Et hæc nomina eorum,qui nati ſunt,qui fuerunt ei in Hieruſalem: Samaa,Sobab,Nathan,& Salomon, 5 & Baar,& Eliſi,& Eliphaleth, 6 & Nageth,& Naphath,& Iaphie, 7 & Eliſamae,& Eliade,& Eliphalâ. 8 Et audierunt alienigenæ,quia vnctus eſt Dauid rex ſuper omnem Iſrael. Et aſcenderunt omnes alienigenæ ad quærendum Dauid Et audiuit Dauid,& egreſſus eſt in occurſum eis. 9 Et alienigenæ venerunt,& conſederunt in valle gigantum. 10 Et interrogauit Dauid per Deum,dicens: Si aſcendero ſuper alienigenas;& dabis eos in manus meas? Et dixit ei Dominus: Aſcende: & dabo eos in manus tuas. 11 Et aſcendit in Baal Pharaſin:& percuſſit eos ibi Dauid. Et dixit Dauid: Côcidit Deus inimicos meos in manu mea,tamquam ſciſſurâ aquæ. Propterea vocauit nomen loci illius,ſciſſura Pharaſin. 12 Et dereliquerunt ibi Deos ſuos alienigenæ Et dixit Dauid comburere in igne. 13 Et adiecerunt adhuc alienigenæ,& côſederunt adhuc in valle gigantum. 14 Et interrogauit Dauid adhuc in Deo. Et dixit ei Deus: Nô ibis poſt eos: auertere ab eis:& aderis eis prope pyros. 15 Et erit in audiêdo te você côcuſſionis ipſarû ſummitatum pyrorû; tunc ingredieris in prælium: quû egreſſus eſt Deus ante te ad percutiendû caſtra alienigenarû.

Et ſe-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Fecit ergo Dauid ſicut præceperat ei Deus, & per-
cuſſit caſtra Philiſthinorũ, de Gabaon vſq; Gazera.
17 Diuulgatumque eſt nomen Dauid in vniuerſis re-
gionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper om-
nes gentes.

### CAP. XV.

1 FEcit quoque ſibi domos in ciuitate Dauid: & ædificauit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.
2 Tunc dixit Dauid: illicitum eſt vt à quocunque portetur arca Dei niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad miniſtrandum ſibi vſque in æternum.
3 Congregauitque vniuerſum Iſrael in Ieruſalem, vt afferretur arca Dei in locum ſuum, quem præparauerat ei.
4 Necnon & filios Aaron, & Leuitas.
5 De filijs Caath, Vriel princeps fuit, & fratres eius centum viginti.
6 De filijs Merari, Aſaia princeps: & fratres eius ducenti viginti.
7 De filijs Gerſom, Ioel princeps; & fratres eius centum triginta.
8 De filijs Eliſaphan, Semeias princeps, & fratres eius ducenti.
9 De filijs Hebron, Eliel princeps; & fratres eius octoginta.
10 De filijs Oziel, Aminadab princeps; & fratres eius centum duodecim.
11 Vocauitque Dauid Sadoc, & Abiathar Sacerdotes, & Leuitas, Vriel, Aſaiam, Ioel, Semeiam, Eliel, & Aminadab:
12 Et dixit ad eos: Vos qui eſtis principes familiarum Leuiticarum, ſanctificamini cum fratribus veſtris, & afferte arcam Domini Dei Iſrael ad locum, qui ei præparatus eſt:
13 * Ne vt à principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus, ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.
14 Sanctificati ſunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini Dei Iſrael.
15 * Et tulerunt filij Leui arcam Dei, ſicut præceperat Moyſes iuxta verbum Dñi humeris ſuis in vectibus.
16 Dixitque Dauid principibus Leuitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ.

Con-

* Supr. 13. 10.

* Num. 4. 15.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et fecit Dauid quẽadmodũ ſ̃cepit ei Deus, & percuſſerunt caſtra Peliſthim à Ghibbõ vſq; ad Ghazerah.*
17 *Et egreſſum eſt nomen Dauid in vniuerſas terras, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes.*

### CAP. XV.

1 *ET fecit ſibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit ſibi locum pro arca Dei, & tetendit ei tabernaculum.*
2 *Tunc dixit Dauid: Non eſt fas vt portent arcam Dei niſi Leuitæ: hos enim elegit Dominus ad portandum arcam Domini, & ad miniſtrandum ei vſque in ſæculum.*
3 *Congregauitque Dauid vniuerſum Iſrael in Ieruſalaim, vt aſcendere faceret arcam Domini in locum ſuum, quem parauerat ei.*
4 *Et congregauit Dauid filios Aharon, & Leuitas.*
5 *De filijs Chehath, Vriel princeps, & fratres eius centum, & viginti.*
6 *De filijs Merari, Haſaiah princeps, & fratres eius ducenti, & viginti.*
7 *De filijs Gherſom, Ioel princeps, & fratres eius ducenti, & triginta.*
8 *De filijs Eliſaphan, Semahaiah princeps, & fratres eius ducenti.*
9 *De filijs Chebron, Eliel princeps, & fratres eius octoginta.*
10 *De filijs Hazziel, Hamminadab princeps, & fratres eius centum, & duodecim.*
11 *Vocauitque Dauid Sadoc, & Ebiathar ſacerdotes, & Leuitas, Vriel, Haſaiah, & Ioel Semahaiah, & Eliel, & Hamminadab.*
12 *Et dixit eis: Vos eſtis capita familiarum Leuiticarum, ſanctificamini vos, & fratres veſtri, & aſcendere facietis arcam Domini Dei Iſrael ad locum meum et paratum.*
13 *Quia à principio non fuiſtis, diuiſit Dominus Deus noſter nos, quia non quæſiuimus eum ſecundum ritum.*
14 *Sanctificati ſunt autem ſacerdotes, & Leuitæ, vt aſcendere facerent arcam Domini Dei Iſrael.*
15 *Et tulerũt filij Leui arcã Dei, quẽadmodũ ſ̃cepit Moſeh iuxta verbũ Dñi humero ſuo ĩ vectibus ſuper ſe.*
16 *Dixitque Dauid principibus Leuitarum, vt ſtatuerent fratres ſuos cantores cum inſtrumentis canticis pſalterijs, & cytharis, & cymbalis audire facientes, exaltando vocem in lætitia.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et fecit, ſicut mandauit ei Deus: & percuſſit caſtra alienigenarum à Gabaon vſque Gazera.
17 Et factum eſt nomen Dauid in vniuerſa terra: & Dominus dedit timorem eius ſuper omnes gentes.

### CAP. XV.

ET fecit ſibi domos in ciuitate Dauid; & parauit locum arcæ Dei: & fecit ei tabernaculum.
2 Tunc dixit Dauid: Non eſt tollere arcam Dei, niſi Leuitas: quoniam eos elegit Dominus tollere arcam
Domini, & miniſtrare ſibi vſque in ſæculum. 3 Et conuocauit Dauid omnem Iſrael in Hieruſalem ad
adducendum arcam Domini in locum quem parauerat ei. 4 Et congregauit Dauid filios Aaron
Leuitas: 5 De filijs Caath Vriel princeps, & fratres eius, centum viginti: 6 De filijs Merari
Aſaias princeps, & fratres eius ducenti viginti: 7 De filijs Gedſon, Ioel princeps, & fratres eius, centum
viginti: 8 De filijs Eliſaphath, Semei princeps, & fratres eius, ducenti: 9 De filijs Che-
bron, Eliel princeps, & fratres eius, octuaginta: 10 De filijs Oziel, Aminadab princeps, & fratres eius,
centum duodecim. 11 Et vocauit Dauid Sadoc, & Abiathar ſacerdotes, & Leuitas, Vriel, Aſaiam, &
Ioel, & Semæam, & Eliel, & Aminadab: 12 & dixit eis: Vos principes patriarum Leuitarum. Purifi-
camini vos, & fratres veſtri, & efferetis arcam Dei Iſrael, vbi paraui ei: 13 quoniam eo quod antea vos
non fuiſtis, diſcidit Deus noſter in nobis: quoniam non exquiſiuimus in iudicio. 14 Et purificati ſunt
ſacerdotes, & Leuitæ ad efferendam arcam Dei Iſrael. 15 Et tulerunt filij Leuitarum, arcam Dei, ſi-
cut mandauerat Moyſes in verbo Dei ſecundum ſcripturam in ſupputatorijs ſuper ſe. 16 Et dixit Da-
uid principibus Leuitarum: Conſtituite fratres veſtros cantores in organis, nablis, citharis, & cymbalis ad reſo-
nandum in ſublime voce lætitiæ.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

17 Conſtitueruntque Leuitas: Heman filium Ioel, & de fratribus eius Aſaph filium Barachiæ: de filijs vero Merari, fratribus eorum: Ethan filium Caſaiæ.
18 Et cum eis fratres eorum: in ſecundo ordine, Zachariam, & Ben, & Iaziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, Eliab & Banaiam, & Maaſiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededon, & Iehiel, ianitores.
19 Porro cantores, Heman, Aſaph, & Ethan; in cymbalis æneis concrepantes.
20 Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, & Eliab, & Maaſias, & Banaias in nablis arcana cantabant.
21 Porro Mathathias, & Eliphalu, & Macenias, & Obededom, & Iehiel, & Ozazias, in citharis pro octaua canebant epinicion.
22 Chonenias autem princeps Leuitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde ſapiens.
23 Et Barachias, & Elcana: ianitores arcæ.
24 Porro Sebenias, & Ioſaphat, & Nathanael, & Amaſai, & Zacharias, & Banaias, & Eliezer ſacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: & Obededom, & Iehias erant ianitores arcæ.
* 1. Reg. 6. 12. 25 * Igitur Dauid & omnes maiores natu Iſrael, & tribuni ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia.
26 Cumque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes.
27 Porro Dauid erat indutus ſtola byſſina, & vniuerſi Leuitæ qui portabant arcam, cantoreſque & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: Dauid autem etiam indutus erat ephod lineo.
28 Vniuerſuſque Iſrael deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes.
29 Cumque perueniſſet arca fœderis Domini vſque ad ciuitatem Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſaltantem atque ludentem, & deſpexit eum in corde ſuo.

### CAP. XVI.

2. Reg. 6. 17. 1 ATtulerunt igitur arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocauſta, & pacifica coram Deo.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et ſtatuerunt Leuitæ Heman filium Ioel & de fratribus eius Aſaph filium Berechiahu, & de filijs Merari fratribus eorum Ethan, filium Chuſaiahu.*
18 *Et cum eis fratres Zechariahu, Ben, & Iahaziel, & Semiramoth, & Iechiel, & Hunni, Eliab, & Benaiahu, & Mahaſeiahu, & Mathithiahu, & Eliyephalehu & Michneiahu, & Hobededom, & Iehiel Ianitores.*
19 *Cantores autem Heman, Aſaph, & Ethan in cymbalis æneis, ut audire facerent.*
20 *Et Zechariah, & Haziel, & Semiramoth, & Iechiel, & Hunni, & Eliab, & Mahaſeiahu, & Benaiahu in pſalterijs ſuper Halamoth.*
21 *Et Mathithiahu, & Eliyephalehu, & Michneiahu, & Hobededom, & Iehiel, & Hazaziahu in citharis ſuper Haſeminith Lenaſeach.*
22 *Chenaniahu autem princeps Leuitarum in prophetia principatū tenebat: in prophetia quia intelligens erat.*
23 *Et Berechiah, & Elchanah ianitores arcæ.*
24 *Sebaniahu autem & Iehoſaphath, & Nethanel, & Hamaſai, & Zechariahu, & Benaiahu, & Elihezer ſacerdotes clangebant tubis coram arca Dei, & Hobededom, & Iechijah.*
25 *Et fuit Dauid, & ſeniores Iſrael, & tribuni ibant, ut aſcendere facerent arcam fœderis Domini de domo Hobededom in lætitia.*
26 *Et fuit, cum adiuuiſſet Deus Leuitas portantes arcam fœderis Domini immolabant ſeptem boues, & ſeptem arietes.*
27 *Dauid autem amictus erat pallio byſſino, & omnes Leuitæ portantes arcam, & cantores, & Chenaniah princeps prophetiæ, & cantores & ſuper Dauid erat Ephod lineum.*
28 *Et omnis Iſrael aſcendere faciebant arcam fœderis Domini in iubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis audire facientibus in pſalterijs, & citharis.*
29 *Et fuit, arca fœderis Domini veniente vſque ad ciuitatem Dauid, Michal filia Saul aſpiciebat per feneſtram, & vidit regem Dauid ſaltantem, & ludentem, & deſpexit eum in corde ſuo.*

### CAP. XVI.

1 *ET attulerunt arcam Dei, & pertingere fecerunt eam in medium tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid, & obtulerunt holocauſta, & pacifica coram Deo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Et cõſtituerunt Leuitæ Æman filium Ioel, de fratribus eius Aſaph filius Barachiæ & de filijs Merari fratribus eius Æthan filius Ciſæi, 18 & cum eis fratres eorum, ſecundi, Zacharias, & Oziel, & Semiramoth, & Ieiel, & Elioel, & Eliab, & Banæa, & Naaſia, & Mathathia, & Eliphena, & Macellia, & Abdedom, & Ieiel, & Ozias, ianitores 19 Et pſalmorum cantores, Aeman, Aſaph, & Aethan in cymbalis æneis ad faciendum audita: 20 Zacharias & Oziel Semiramoth, Ieiel, Oni, Eliab, Maaſæas, Banæas in nablibus ſuper Alæmoth. 21 Et Matthathias, & Eliphalu, & Macenia, & Abdedom, & Ieiel, & Ozias in citharis Amaſenith ad vincendum. 22 Et Chonenia princeps Leuitarum princeps cantorum; quoniam intelligens erat. 23 Et Barachia, & Elcana ianitores arcæ. 24 Et Somnia, & Ioſaphat, & Nathanael, & Amaſai, & Zacharia, & Banaia, & Eliezer ſacerdotes clangentes tubis ante arcam Dei. Et Abdedom, & Ihia ianitores arcæ Dei. 25 Et erat Dauid, & ſeniores Iſrael, & Chiliarchi procedentes ad educendam arcam teſtamenti e domo Abdedom in lætitia. 26 Et factum eſt in confortando Deum Leuitas leuantes arcam teſtamenti Domini, & immolauerunt ſeptem vitulos, & ſeptem arietes. 27 Et Dauid indutus in ſtola byſſina, & omnes Leuitæ leuantes arcam teſtamenti Domini, & pſalmorum cantores, & Chonenias princeps cantorum canentium. Et ſuper Dauid ſtola byſſina. 28 Et omnis Iſrael educentes arcam teſtamenti Domini in ſignificationes & in voce Sopher, & in tubis, & in cymbalis, reſonantes in nablis, & in citharis. 29 Et factum eſt, arca teſtamenti Domini, & venit vſque ad ciuitatem Dauid. Et Melchol filia Saul proſpexit per feneſtram, & vidit regem Dauid ſaltantem & ludentem: & ſpreuit eum in anima ſua.

### C A P. XVI.

ET attulerunt arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi, quod fixerat ei Dauid: & obtulerunt holocauſtomata, & ſalutaris ante Deum.

Et con-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Cumque compleſſet Dauid offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini.

3 Et diuiſit vniuerſis per ſingulos, à viro vſque ad mulierem tortam panis, & partem aſſæ carnis bubalæ, & frixam oleo ſimilam.

4 Conſtituitque coram arca Domini de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Iſrael:

5 Aſaph principem: & ſecundum eius Zachariam: Porro Iahiel, & Semiramoth, & Iehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banaiam, & Obededom: Iehiel ſuper organa pſalterij, & lyras: Aſaph autem vt cymbalis perſonaret,

6 Banaiam vero, & Iaziel ſacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini.

7 In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino Aſaph, & fratres eius.

8 * Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.

*Pſ.104.1. Iſa.12.4.

9 Cantate ei, & pſallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.

10 Laudate nomen ſanctum eius: lætetur cor quærentium Dominum.

11 Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius ſemper.

12 Recordamini mirabilium eius quæ fecit: ſignorum illius, & iudiciorum oris eius.

13 Semen Iſrael ſerui eius: filij Iacob electi eius.

14 Ipſe Dominus Deus noſter in vniuerſa terra iudicia eius.

15 Recordamini in ſempiternum pacti eius: ſermonis, quem præcepit in mille generationes.

16 Quem pepigit cum Abraham: & iuramenti illius cum Iſaac.

17 Et conſtituit illud Iacob in præceptum: & Iſrael in pactum ſempiternum,

18 Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.

19 Cum eſſent pauci numero, parui & coloni eius.

20 Et tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

21 Non dimiſit quemquam calumniari eos; ſed increpauit pro eis reges.

No-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et complacuit Dauid offerre holocauſtum, & pacifica, & benedixit populo in nomine Domini.*

3 *Et diuiſit omni viro Iſrael à viro vſque ad mulierem, vnicuique placentam panis, & fruſtum carnis, & pulrem.*

4 *Et poſuit coram arca Domini de Leuitis miniſtros, & ad recordandum, & ad confitendum, & ad laudandum Dominum Deum Iſrael.*

5 *Aſaph dux: & ſecundus eius Zechariah, Iehiel, & Semiramoth, & Iethiel, & Matthithiah, & Eliab, & Benaiahu, & Hobededom, & Iehiel inſtrumentis pſalteriorum & in citharis, & Aſaph in cymbalis audire faciens.*

6 *Et Benaiahu, & Iachaziel ſacerdotes in tubis iugiter coram arca fœderis Dei.*

7 *In die ipſa tunc poſuit Dauid ducem ad confitendū Domino per manum Aſaph, & fratris eius.*

8 *Confitemini Domino, inuocate nomen eius: notificate in populis opera eius.*

9 *Cantate ei, pſallite ei: loquimini de omnibus mirabilibus eius.*

10 *Laudamini in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Dominū.*

11 *Quærite Dominum, & fortitudinem eius: quærite faciem eius ſemper.*

12 *Recordamini mirabilium eius quæ fecit: prodigiorum eius, iudiciorum oris eius.*

13 *Semen Iſrael ſerui eius: filij Iahacob electi eius.*

14 *Ipſe Dominus Deus noſter, in vniuerſa terra iudicia eius.*

15 *Recordamini in ſæculum pacti eius: verbi quod præcepit mille generationibus.*

16 *Quod pepigit cum Abraham: & iuramenti ſui ad Iſchac.*

17 *Et ſtatuit illud ipſi Iahacob in præceptum: Iſraeli in pactum ſempiternum.*

18 *Dicendo: Tibi dabo terram Chenahan, portionem hæreditatis veſtræ.*

19 *Cum eſſetis viri numero pauci, quaſi res exigua & peregrini in ea,*

20 *Et ambulauerunt de gente ad gentem, & de regno ad populum alterum.*

21 *Non permiſit homini, vt vim inferrent eis, & corripuit pro eis reges.*

*Ne*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et conſummauit Dauid offerens holocauſtomata, & ſalutaria: & benedixit populum in nomine Domini.
3 Et diſtribuit omni viro Iſrael a viro, & vſque ad mulierem, viro panem vnum piſtum, & amoritem.
4 Et conſtituit ad faciem arcæ teſtamenti Domini de Leuitis miniſtrantes, reſonantes, & ad confitendum, & laudandum Dominum Deum Iſrael: 5 Aſaph dux, & ſecundus ei Zacharias, Ieiel, Semiramoth, & Ieiel, Matthathias, Eliab, & Banæas, & Abdedom, & Liel in organis, nablibus, citharis: & Aſaph in cymbalis reſonans.
6 Et Banæas, & Oziel ſacerdotes in tubis perpetuo ante arcam teſtamenti Dei. 7 In die illa tunc conſtituit Dauid in principio ad laudandum Dominum in manu Aſaph, & fratrum eius.

### CANTICVM.

8 Confitemini Domino: inuocate eum in nomine eius: notas facite in populis adinuentiones eius.
9 Cantate ei, & hymnum dicite ei: narrate omnibus mirabilia eius, quæ fecit Dominus.
10 Laudate in nomine ſancto eius: lætabitur cor quærens beneplacitum eius. 11 Quærite Dominum, & confortamini: quærite faciem eius ſemper. 12 Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigiorum & iudiciorum oris eius. 13 Semen Iſrael, pueri eius, filij Iacob, electi eius.
14 Ipſe Dominus Deus noſter: in vniuerſa terra iudicia eius. 15 Memores ſimus in ſæculum teſtamenti eius, verbi eius, quod mandauit in mille generationes: 16 Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramentum ſuum Iſaac. 17 Statuit illud Iacob in præceptum, Iſrael teſtamentum æternum, 18 dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.
19 Cum eſſent ipſi pauci numero, quaſi parui facti ſunt, & incoluerunt in ea: 20 & iuerunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. 21 Non permiſit virum opprimere eos: & corripuit pro eis reges.

## Vulgata Editio.

22 Nolite tangere chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

Pſalm. 95. 23 Cantate Domino omnis terra, annunciate ex die in diem ſalutare eius.

24 Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius.

25 Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis ſuper omnes deos.

26 Omnes enim dij populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.

27 Confeſſio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius.

28 Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium.

29 Date Domino gloriam, nomini eius, leuate ſacrificium, & venite in conſpectu eius: & adorate Dominum in decore ſancto.

30 Commoueatur à facie eius omnis terra: ipſe enim fundauit orbem immobilem.

31 Lætentur cœli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnauit.

32 Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis ſunt.

33 Tunc laudabunt ligna ſaltus coram Domino: quia venit iudicare terram.

34 Confitemini Domino: quoniam bonus quoniam in æternum miſericordia eius.

35 Et dicite: Salua nos Deus ſaluator noſter, & congrega nos, & erue de gentibus, vt confiteamur nomini ſancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.

36 Benedictus Dominus Deus Iſrael ab æterno vſque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.

37 Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Aſaph, & fratres eius vt miniſtrarent in conſpectu arcæ iugiter per ſingulos dies, & vices ſuas.

38 Porro Obededom & fratres eius ſexaginta octo; & Obededom filium Idithun, & Hoſa conſtituit ianitores.

39 Sadoc autem ſacerdotem, & fratres eius ſacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon.

40 Vt offerrent holocauſta Domino ſuper altare holocauſtomatis iugiter, mane & veſpere, iuxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, quam præcepit Iſraeli.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

22 *Ne tangatis chriſtos meos, & in prophetis meis ne malignemini.*

23 *Cantate Domino omnis terra, annunciate de die in diem ſalutare eius.*

24 *Narrate in gentibus gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.*

25 *Quia magnus Dominus, & laudabilis valde: & terribilis ſuper omnes Deos.*

26 *Omnes enim dij populorum idola: Dominus autem cælos fecit.*

27 *Confeſſio, & decor coram eo: fortitudo, & lætitia in loco eius.*

28 *Afferte Domino familia populorum: afferte Domino gloriam, & honorem.*

29 *Afferte gloriam nomini eius, leuate ſacrificium, & venite in conſpectu eius: incuruate vos in decore ſanctitatis.*

30 *Pauete à facie eius vniuerſi habitatores terræ: etiam firmauit orbem ne commoueatur.*

31 *Lætentur cœli & exultet terra: & dicant in gentibus, Dominus regnauit.*

32 *Tonet mare, & plenitudo eius: exultet ager, & omne quod eſt in eo.*

33 *Tunc exultabunt ligna ſyluæ coram Domino quia venit iudicare terram.*

34 *Confitemini Domino: quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

35 *Et dicite: Serua nos Deus ſalus noſtra, & congrega nos, & erue nos de gentibus, vt confiteamur nomini ſancto tuo, vt laudemur in laude tua.*

36 *Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & vſque in ſæculum: & dicant omnis populus: Amen, & laudate Dominum.*

37 *Dereliquit autem ibi coram arca fœderis Domini Aſaph, & fratres eius, vt miniſtrarent coram arca iugiter per ſingulos dies.*

38 *Et Hobededom, & fratres eorum ſexaginta, & octo, & Hobededom filius Ieditbun, & Choſah, & ianitores.*

39 *Et Sadoc ſacerdotem, & fratres eius ſacerdotes coram tabernaculo Domini in excelſo quod erat in Ghibhon.*

40 *Vt offerrent holocauſta Domino ſuper altare holocauſti iugiter mane, & veſperi: & iuxta omne quod ſcriptum eſt in lege Domini, quam præcepit Iſraeli.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

22 Nolite tangere Chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari. 23 Cantate Domino om-
nis terra: annunciate de die in diem ſalutem eius. 24 Narrate in gentibus gloriam eius in omnibus
populis mirabilia eius. 25 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis valde, terribilis eſt ſuper omnes
Deos 26 Quoniam omnes dij gentium Idola: & Deus noſter cœlos fecit. 27 Gloria, &
laus ad faciem eius, fortitudo, & gloriatio in loco eius. 28 Date Domino patriæ gentium: date Do-
mino gloriam, & fortitudinem: 29 date Domino gloriam nomini eius. Sumite dona, & afferte ad fa-
ciem eius: & adorate Dominum in atrijs ſanctis eius. 30 Timeat à facie eius omnis terra: dirigatur
terra, & non commoueatur. 31 Lætetur cœlum, & exultet terra: & dicant in gentibus, Dominus re-
gnauit. 32 Tonabit mare cum plenitudine, & lignum agri, & omnia, quæ in eo. 33 Tunc læ-
tabuntur ligna ſyluæ à facie Domini: quoniam venit iudicare terram. 34 Confitemini Domino:
quoniam bonum quoniam in ſeculum miſericordia eius. 35 Et dicite: Salua nos Deus ſalutis noſtræ
& collige nos, & erue nos de gentibus, ad laudandum nomen ſanctum tuum, & gloriandum in laudationibus tuis.
36 Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum: & dicet omnis populus, Amen.
Et laudem dederunt Domino: 37 & reliquerunt ibi ante arcam teſtamenti Domini Aſaph, & fra-
tres eius ad miniſtrandum ante arcam ſemper, quod diei in diem. 38 (Et Abdedom & fratres eius,
ſexaginta & octo. Et Abdedom filius Idithun, & Oſa in ianitores) 39 & Sadoc ſacerdotem, & fratres
eius ſacerdotes ante tabernaculum Domini in Bamá, quæ in Gabaon, 40 ad offerendum holocauſto-
mata Domino ſuper altare holocauſtomatum ſemper mane, & veſperi, & ſecundum omnia ſcripta in lege Domi-
ni, quæcumque mandauit ſuper filios Iſrael in manu Moyſi ſerui Dei.

Et cum

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

41 Et poſt eum Heman, & Idithun, & reliquos electos,
vnumquemque vocabulo ſuo ad confitendum Do-
mino: Quoniam in æternum miſericordia eius.
42 Heman quoque, & Idithun canentes tuba, & qua-
tientes cymbala, & omnia muſicorum organa ad ca-
nendũ Deo: filios autem Idithun fecit eſſe portarios.
43 Reuerſuſque eſt omnis populus in domum ſuam, & 
David, vt benediceret etiam domui ſuæ.

### CAP. XVII.

2. Reg. 7. 1

1 CVm autem habitaret David in domo ſua, dixit
ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in do-
mo cedrina: arca autem fœderis Domini ſub pel-
libus eſt.
2 Et ait Nathan ad David: Omnia, quæ in corde tuo
ſunt, fac: Deus enim tecum eſt.
3 Igitur nocte illa factus eſt ſermo Dei ad Nathan,
dicens:
4 Vade & loquere David ſeruo meo: Hæc dicit Do-
minus: Non ædificabis tu mihi domum ad habi-
tandum.
5 Neque enim manſi in domo ex eo tempore quo
eduxi Iſrael, vſque ad diem hanc: ſed fui ſemper
mutans loca tabernaculi, & in tentorio
6 Manens cum omni Iſrael. Numquid locutus ſum
ſaltem vni Iudicum Iſrael, quibus præceperam, vt pa-
ſcerent populum meum, & dixi: Quare non ædifi-
caſtis mihi domum cedrinam?
7 Nunc itaque ſic loqueris ad ſeruum meum David:
Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cum
in paſcuis ſequereris gregem, vt eſſes dux populi mei
Iſrael.
8 Et fui tecum quocumque perrexiſti: & interfeci
omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen
quaſi vnius magnorum, qui celebrantur in terra.
9 Et dedi locum populo meo Iſrael: plantabitur, & 
habitabit in eo, & vltra non commouebitur: nec fi-
lij iniquitatis atterent eos, ſicut à principio,
10 Ex diebus quibus dedi iudices populo meo Iſrael, & 
humiliaui vniuerſos inimicos tuos. Annuncio er-
go tibi, quod ædificaturus ſit tibi Dominus do-
mum.
11 Cumque impleueris dies tuos, vt vadas ad patres
tuos, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te: quod erit de fi-
lijs tuis: & ſtabiliam regnum eius.

Ipſe

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

41 *Et cum eis Heman, & Iedutbun, & reſiduum electo-
rum qui nominati ſunt per nomina ad confitendum
Domino: Quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
42 *Et cum eis Heman, & Iedutbun cum tubis, & cym-
balis, vt audire facerent, & inſtrumentis canticis
Dei: filios autem Iedutbun ad portam.*
43 *Et abierunt omnis populus, vnuſquiſque in domum
ſuam, & reuerſus eſt David ad benedicendum do-
mui ſua.*

### CAP. XVII.

1 *ET fuit, cum habitaret David in domo ſua, dixit
David ad Nathan prophetam: Ecce habito in
domo cedrina, & arca fœderis Domini ſub corti-
nis.*
2 *Et dixit Nathan ad David: Omne quod eſt in cor-
de tuo fac, quia Deus tecum eſt.*
3 *Et fuit nocte ipſa, fuit verbum Dei ad Nathan di-
cendo:*
4 *Vade, & dic ad David ſeruum meum: Sic dixit Do-
minus: Non ædificabis mihi domum ad habitan-
dum.*
5 *Non enim habitaui in domo à die qua aſcendere fe-
ci filios Iſrael, vſq; ad diẽ hanc, ſed fui de taberna-
culo in tabernaculũ, & de habitaculo ad habitaculũ.*
6 *In omnibus in quibus ambulaui cum omni Iſrael.
Numquid verbum locutus ſum vni ex iudicibus Iſ-
rael quibus præcepi vt paſcerent populũ meũ dicẽdo:
Vt quid non ædificaſtis mihi domum cedrinam?*
7 *Et nunc ſic dices ſeruo meo David: Sic dixit Domi-
nus exercituum: Ego tuli te è tugurio è pecudibus,
vt eſſes dux ſuper populum meum Iſrael.*
8 *Et fui tecum in omnibus ad quæ perrexiſti: & ſucci-
di omnes inimicos tuos à facie tua, & feci tibi no-
men iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra.*
9 *Et poſui locum populo meo Iſrael, & plantaui eũ, & 
habitabit in loco ſuo, & non commouebitur vltra, & 
non addent filij iniquitatis, vt atterant eum, quẽ-
admodum in principio.*
10 *Et à diebus in quibus præcepi iudicibus ſuper popu-
lum meum Iſrael, & humiliaui omnes inimicos tuos
& annunciaui tibi: & domum ædificabit tibi Do-
minus.*
11 *Et erit, cum completi fuerint dies tui, vt eas cum pa-
tribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit
de filijs tuis, & ſtabiliam regnum eius.*

*Ipſe*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

41 Et cum eo Æman, & Idithun, & reliqui electi in nomine ad laudandum Dominum; quoniam in ſeculum miſericordia eius. 42 Et cum eis tubæ, & cymbala ad reſonandum, & organa cantorum Dei. Filij autem Idithun ad portam, 43 Et iuit omnis populus, vnuſquiſque ad domum ſuam. Et reuertit David ad benedicendum domum ſuam.

### CAP. XVII.

ET factum eſt, vt habitauit David in domo ſua, & dixit David ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: & arca teſtamenti Domini ſub pellibus. 2 Et dixit Nathan ad David: Omne, quod in anima tua, fac: quoniam Deus tecum. 3 Et factum eſt in nocte illa, & factum eſt verbum Domini ad Nathan: 4 Vade, & dic ad David ſeruum meum: Sic dixit Dominus. Non tu ædificabis mihi domum, ad habitandum me in ea:
5 quoniam non habitaui in domo à die, qua eduxi Iſrael, vſque in diem hanc, & fui in tabernaculo, & in tegmine
6 in omnibus, quæ tranſiui in omni Iſrael. Si loquens locutus ſum ad vnam tribum Iſrael, quibus mandaueram paſcere populum meum, dicens: Quia non ædificaſtis mihi domum cedrinam? 7 Et nunc ita dices ſeruo meo David: Hæc dicit Dominus omnipotens: Ego aſſumpſi te de mandra, de poſt greges, vt eſſes in ducem ſuper populum meum Iſrael: 8 Et fui tecum in omnibus, quibus iuiſti: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua: & feci tibi nomen iuxta nomen magnorum, qui ſuper terram. 9 Et ponam locum populo meo Iſrael; & plantabo eum, & habitabit apud ſe: & non ſollicitabitur vltra: & non adijciet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut principio, 10 & à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael. Et humiliaui omnes inimicos tuos: & augebo te: & domum ædificabit tibi Dominus. 11 Et erit, quando impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis; & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo: & parabo regnum eius.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Ipſe ædificabit mihi domum,& firmabo ſolium eius
vſque in æternum.
13 Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: &
miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut ab-
ſtuli ab eo,qui ante te fuit.
14 Et ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo vſ-
que in ſempiternum: & thronus eius erit firmiſſi-
mus in perpetuum.
15 Iuxta omnia verba hæc,& iuxta vniuerſam viſionem
iſtam,ſic locutus eſt Nathan ad Dauid.
16 Cumque veniſſet rex Dauid, & ſediſſet coram Do-
mino,dixit: Quis ego ſum Domine Deus,& quæ do-
mus mea,vt præſtares mihi talia?
17 Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo, ideo-
que locutus es ſuper domum ſerui tui etiam in fu-
turum: & feciſti me ſpectabilem ſuper omnes ho-
mines Domine Deus.
18 Quid vltra addere poteſt Dauid, cum ita glorifica-
ueris ſeruum tuum,& cognoueris eum?
19 Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fe-
ciſti omnem magnificentiam hanc, & nota eſſe vo-
luiſti vniuerſa magnalia.
20 Domine, non eſt ſimilis tui: & non eſt alius Deus
abſque te,ex omnibus, quos audiuimus auribus no-
ſtris.
21 Quis enim eſt alius,vt populus tuus Iſrael, gens vna
in terra,ad quam perrexit Deus,vt liberaret,& face-
ret populum ſibi, & magnitudine ſua atque terrori-
bus eijceret nationes à facie eius, quem de Ægypto
liberaret?
22 Et poſuiſti populum tuum Iſrael tibi in populum
vſque in æternum, & tu Domine factus es Deus
eius.
23 Nunc igitur Domine,ſermo,quem locutus es famu-
lo tuo, & ſuper domum eius confirmetur in perpe-
tuum,& fac ſicut locutus es.
24 Permaneatque & magnificetur nomen tuum vſque
in ſempiternum: & dicatur: Dominus exercituum
Deus Iſrael, & domus Dauid ſerui eius permanens
coram eo.
25 Tu enim Domine Deus meus reuelaſti auriculam
ſerui tui,vt ædificares ei domum: & idcirco inuenit
ſeruus tuus fiduciam,vt oret coram te.
26 Nunc ergo Domine tu es Deus: & locutus es ad
ſeruum tuum tanta beneficia.
27 Et cœpiſti benedicere domui ſerui tui,vt ſit ſemper
coram te: te enim Domine benedicente, benedicta
erit in perpetuum.

CAP.

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

12 *Ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium eius*
*vſque in ſæculum.*
13 *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: &*
*miſericordiam meam non remouebo ab eo,ſicut remo-*
*ui ab eo qui fuit ante te.*
14 *Et ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo vſ-*
*que in ſæculum, & thronus eius erat firmus in ſæcu-*
*lum.*
15 *Iuxta omnia verba hæc, & iuxta vniuerſam viſio-*
*nem hanc locutus eſt Nathan ad Dauid.*
16 *Venit autem rex Dauid,& ſedit coram Domino, &*
*dixit: Quis ego ſum Domine Deus, & quæ eſt do-*
*mus mea,quia feciſti me venire huc uſque?*
17 *Et parum fuit hoc in oculis tuis, & locutus es ſuper*
*domum ſerui tui ad longinquum, & vidiſti me ſe-*
*cundum diſpoſitionem hominis excellentis Domine*
*Deus.*
18 *Quid addet vltra Dauid tibi ad glorificandum ſer-*
*uum tuum,& tu ſeruum tuum noſti.*
19 *Domine propter ſeruum tuum, & ſecundum cor*
*tuum feciſti magnitudinem hanc,vt notificares om-*
*nia magnalia.*
20 *Domine non eſt ſimilis tibi, nec eſt Deus præter te,*
*ſecundum omnes quos audiuimus auribus no-*
*ſtris.*
21 *Et quis eſt ſicut populus tuus Iſrael, gens vna ad*
*quam perrexit Deus, vt redimeret ſibi populum, vt*
*poneret tibi magnitudines,& terribilia,vt expelleres*
*à facie populi tui quem redemiſti ex Ægypto gen-*
*tes.*
22 *Et poſuiſti populum tuum Iſrael tibi in populum*
*vſque in ſæculum, & tu Domine fuiſti eis in*
*Deum.*
23 *Et nunc Domine, verbum quod locutus es ſuper ſer-*
*uo tuo,& ſuper domo eius,confirmetur vſque in ſæcu-*
*lum: & fac ſicut locutus es.*
24 *Et permaneat, & magnificetur nomen tuum vſque*
*in ſæculum, vt dicant: Dominus exercituum Deus*
*Iſrael Deus eſt Iſraeli, & domus Dauid ſerui tui*
*firma ſit coram te.*
25 *Tu enim Deus meus aperuiſti aurem ſerui tui, vt*
*ædificares ei domum: ideo inuenit ſeruus tuus, vt*
*oret coram te.*
26 *Et nunc Domine tu ipſe locutus es ſuper ſeruo tuo*
*bonum hoc.*
27 *Et nunc cœpiſti benedicere domui ſerui tui,vt ſit in*
*ſæculum coram te: tu enim Domine benedixiſti, &*
*benedicta erit in ſæculum.*

CAP.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Ipſe ædificabit mihi domum:& erigam thronum eius vſque in ſæculum. 13 Ego ero ei in patrem:& ip-
ſe erit mihi in filium. Et miſericordiam meam non remouebo ab eo,ſicut remoui ab ijs,qui erant ante eum.
14 Et fideliter ſtatuam eum in domo mea,& in regno ſuo vſque in ſæculum:& thronus eius erit erectus vſque in
ſæculum. 15 Secundum omnia verba hæc, & ſecundum omnem viſionem hanc, ſic locutus eſt Nathan ad
Dauid. 16 Et venit rex Dauid,& ſedit e regione Domini,& dixit:Quis ſum ego Domine Deus? & quæ do-
mus mea,quia dilexiſti me vſque in ſæculum? 17 Et facta ſunt parua hæc coram te Deus:& locutus es ſu-
per domum pueri tui à longinquis,& inſpexiſti me,tamquam viſio hominis: & exaltaſti me Domine Deus.
18 Quid adijciet vltra Dauid ad te,ad glorificandum? 19 Et tu ſeruum tuum noſti:& iuxta cor tuum feci-
ſti omnem magnificentiam. 20 Domine,non eſt ſimilis tibi: & non eſt Deus præter te,iuxta omnia,quæ-
cumque audiuimus in auribus noſtris: 21 & non eſt, ſicut populus tuus Iſrael,gens vltra ſuper terram,quo-
modo deduxit ſe Deus ad redimendum populum ſibi, ad ponendum ſibi nomen magnum, & illuſtre, ad eijcien-
dum à facie populi tui quos redemiſti ex Ægypto,gentes. 22 Et dediſti populum tuum Iſrael tibi ipſi po-
pulum vſque in ſæculum: & tu Dominus factus es eis in Deum. 23 Et nunc Domine verbum tuum, quod
locutus es ad puerum tuum,& ſuper domum eius,fidele ſit vſque in ſæculum.Et fac ſicut locutus es: 24 &
fidele ſit,& magnificetur nomen tuum vſque in ſæculum,dicentibus: Domine,Domine omnipotens Deus Iſrael,
& domus Dauid pueri tui erecta coram te. 25 Quoniam tu Dominus Deus meus aperuiſti aurem pueri tui
ad ædificandum ei domum,propter hoc inuenit puer tuus deprecari ad faciem tuam. 26 Et nunc Domine
tu es ipſe Deus: & locutus es ſuper ſeruum tuum bona hæc. 27 Et nunc incipe benedicere domum pueri
tui,vt ſit in ſæculum coram te. Quoniam tu Domine benedixiſti; & benedic in ſæculum.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XVIII.

2.Reg.8.a.

1 FActum eſt autem poſt hæc, vt percuteret Dauid Philiſthijm, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias eius de manu Philiſthijm:

2 Percuteretque Moab, & fierent Moabitæ ſerui Dauid, offerentes ei munera.

3 Eo tempore percuſſit Dauid etiam Adarezer regẽ Soba regionis Hemath, quando perrexit, vt dilataret imperium ſuum vſque ad flumen Euphraten.

4 Cepit ergo Dauid mille quadrigas eius, & ſeptem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, ſubneruauitque omnes equos curruum, exceptis cẽtum quadrigis, quas reſeruauit ſibi.

5 Superuenit autem & Syrus Damaſcenus, vt auxiliũ præberet Adarezer regi Soba: ſed & huius percuſſit Dauid viginti duo millia virorum.

6 Et poſuit milites in Damaſco, vt Syria quoque ſeruiret ſibi, & offerret munera. Adiuuitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.

7 Tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant ſerui Adarezer, & attulit eas in Ieruſalem.

8 Necnon de Thebath, & Chun vrbibus Adarezer ęris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea.

9 Quod cum audiſſet Thou rex Hemath, percuſſiſſe videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer regis Soba:

10 Miſit Adoram filium ſuum ad regem Dauid, vt poſtularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quod percuſſiſſet, & expugnaſſet Adarezer: aduerſarius quippe erat Thou Adarezer.

11 Sed & omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea conſecrauit Dauid rex Domino, cum argento, & auro, quod tulerat ex vniuerſis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filijs Ammon, quam de Philiſthijm, & Amalec.

12 Abiſai vero filius Saruiæ percuſſit Edom in Valle Salinarum, decem & octo millia:

13 Et conſtituit in Edom præſidium, vt ſeruiret Idumæa Dauid: ſaluauitque Dominus Dauid in cunctis, ad quæ perrexerat.

14 Regnauit ergo Dauid ſuper vniuerſum Iſrael, & faciebat iudicium, atque iuſtitiam cuncto populo ſuo.

15 Porro Ioab filius Saruiæ erat ſuper exercitum, & Ioſaphat filius Ahilud à commentarijs.

Sa-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XVIII.

1 *ET fuit, poſt hæc percuſſit Dauid Peliſtim, & humiliauit eos, & tulit Gath, & villas eius de manu Peliſtim.*

2 *Et percuſſit Moab, & fuerunt Moabitæ ſerui Dauid deferentes munus.*

3 *Et percuſſit Dauid Hadadhezer regẽ Sobah in Chamath, dum pergeret, vt ſtare faceret potentiam ſuam in flumine Perath.*

4 *Et accepit Dauid ab eo mille currus, & ſeptem millia equites, & viginti millia virorum peditum, ſubneruauitque Dauid omnem currum, & reſeruauit ex eis centum currus.*

5 *Et venit Aram Darmeſec, ut auxiliaretur Hadadhezer regi Sobah: & percuſſit Dauid de Aram viginti, & duo millia virorum.*

6 *Et poſuit Dauid in Aram Darmeſec, & fuerunt Aramæi Dauidi ſerui, deferẽtes munus. Et ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæ perrexit.*

7 *Et tulit Dauid clypeos aureos, qui erant ſuper ſeruis Hadadhezer, & adduxit eos in Ieruſalaim.*

8 *Et de Tibchath, & Chun vrbibus Hadadhezer tulit Dauid æs multum valdè, de quo fecit Selomoh mare æneum, & columnas, & vaſa ænea.*

9 *Et audiuit Tohu rex Chamath, quòd percuſſiſſet Dauid omnem exercitum Hadadhezer regis Sobah:*

10 *Et miſit Hadoram filium ſuum ad regem Dauid, vt poſtularet ab eo pacem, & ad benedicendum ei, eo quòd pugnauit cum Hadadhezer: & percuſſit eum, quia vir bellorum Thohu erat cum Hadadhezer.*

11 *Et omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea, etiam ipſa ſanctificare fecit rex Dauid, cum cum argento, & auro, quod tulerat ex vniuerſis gentibus de Edō, & Moab, & de filijs Hammon, & de Peliſtim, & de Hamalec.*

12 *Abiſai autem filius Seruiah percuſſit Edom in Valle Salis decem, & octo millia:*

13 *Et poſuit in Edom præſidia, & fuerunt omnis Edomæi ſerui Dauid: & ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæ perrexit.*

14 *Regnauitque Dauid ſuper vniuerſum Iſrael, & faciebat iudicium, & iuſtitiam omni populo.*

15 *Ioab autem filius Seruiah erat ſuper exercitum, & Iehoſaphath filius Achilud à commentarijs.*

Sa-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XVIII.

ET factum eſt poſt hæc, & percuſſit Dauid alienigenas, & fugauit eos, & cepit Geth, & pagos eius de manu alienigenarum. 2 Et percuſſit Moab, & fuerunt Moab pueri Dauid, ferentes munera. 3 Et percuſſit Dauid Adraazar regem Suba Emath, eunte illo ſtatuere manum ſuam ſuper flumen Euphratem. 4 Et cepit Dauid de eis mille currus, & ſeptem millia equorum, & viginti millia virorum peditum. Et diſſoluit Dauid omnes currus: & reliquit ex eis centum currus. 5 Et venit Syrus e Damaſco ad auxiliandum Adraazar regi Suba. Et percuſſit Dauid in Syro viginti, & duo millia virorum. 6 Et poſuit Dauid præſidium in Syria, quæ ad Damaſcum: & fuerunt Dauid in pueros ferentes munera. Et ſaluauit Dominus Dauid in omnibus, ad quæ iuit. 7 Et cepit Dauid torques aureos, qui fuerant ſuper pueros Adraazar, & attulit eos in Hieruſalem. 8 Et de Mathabeth, & de electis ciuitatibus, quæ Adraazar, cepit Dauid æs multum valde. Ex eo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea. 9 Et audiuit Thoa rex Emath, quia percuſſit Dauid omnem virtutẽ Adraazar regis Suba: 10 & miſit Adduram filium ſuum ad regem Dauid ad interrogandum eum, quæ ad pacem, & ad benedicendum eum pro eo, quod impugnauit Adraazar, & percuſſit eum: quoniam vir hoſtilis Thoa erat ipſi Adraazar. 11 Et omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea, & hæc ſanctificauit rex Dauid Domino cum argento, & auro, quod ceperat ex omnibus gentibus, ex Idumæa, & Moab, & ex filijs Ammon, & ex alienigenis, & ex Amalec. 12 Et Abeſſa filius Saruiæ percuſſit Idumæam in valle ſalinarum octo & decem millia. 13 Et poſuit in valle præſidia: & fuerunt omnes Idumæi pueri Dauid. Et ſaluauit Dominus Dauid in omnibus ad quæ ibat. 14 Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael: & erat faciens iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo. 15 Et Ioab filius Saruiæ ſuper militiam: & Ioſaphat filius Achilud à commentarijs.

& Sa-

### Vulgata Editio.

16 Sadoc autem filius Achitob, & Ahimelec, filius A-
biathar, ſacerdotes: & Suſa, ſcriba.
17 Banaias quoque filius Ioiadæ ſuper legiones Cere-
thi, & Phelethi: porro filij Dauid, primi ad ma-
num regis.

#### CAP. XIX.

1 Accidit autem, vt moreretur Naas rex filiorum
Ammon, & regnaret filius eius pro eo.
2 Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Ha-
non filio Naas: præſtitit enim mihi pater eius gra-
tiam. Miſitque Dauid nuncios ad conſolandum
eum ſuper morte patris ſui. Qui cum perueniſſent
in terram filiorum Ammon, vt conſolarentur Ha-
non:
3 Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon:
Tu forſitan putas, quod Dauid honoris cauſa in pa-
trem tuum miſerit, qui conſolentur te: nec animad-
uertis, quod vt explorent, & inueſtigent, & ſcruten-
tur terram tuam, venerint ad te ſerui eius.
4 Igitur Hanon pueros Dauid decaluauit, & raſit, &
præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes, &
dimiſit eos.
5 Qui cum abijſſent, & hoc mandaſſent Dauid, miſit
in occurſum eorum (grandem enim contumeliam
ſuſtinuerant) & præcepit, vt manerent in Iericho,
donec creſceret barba eorum, & tunc reuerterentur.
6 Videntes autem filij Ammon, quod iniuriam feciſ-
ſent Dauid, tam Hanon, quam reliquus populus, mi-
ſerunt mille talenta argenti, vt conducerent ſibi de
Meſopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba cur-
rus, & equites.
7 Conduxeruntque triginta duo millia curruum, &
regem Maacha cum populo eius. Qui cum veniſ-
ſent, caſtrametati ſunt e regione Medaba. Filij quo-
que Ammon congregati de vrbibus ſuis, venerunt
ad bellum.
8 Quod cum audiſſet Dauid, miſit Ioab, & omnem
exercitum virorum fortium:
9 Egreſſique filij Ammon, direxerunt aciẽ iuxta por-
tam ciuitatis: reges autem, qui ad auxilium eius ve-
nerant, ſeparatim in agro ſteterunt.
10 Igitur Ioab intelligens bellum ex aduerſo, & poſt
tergum contra ſe fieri, elegit viros fortiſſimos de v-
niuerſo Iſrael, & perrexit contra Syrum.
11 Reliquam autem partẽ populi dedit ſub manu Abi-
ſai fratris ſui, & perrexerunt contra filios Ammon.
Di-

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Sadoc autem filius Achithub, & Abimelech filius
Ebiathar, ſacerdotes: Sauſa autem ſcriba.*
17 *Et Benaiahu filius Iehoiadah ſuper Cerethi, & Pe-
lethi: filij autem Dauid primi ad manum regis.*

#### CAP. XIX.

1 *Et fuit, poſt hoc mortuus eſt Nachaz rex filiorũ
Hammon, & regnauit filius eius pro eo.*
2 *Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Cha-
nun filio Nachas: fecit enim pater eius mecum mi-
ſericordiam. Miſitque Dauid nuncios ad conſolan-
dum eum ſuper patre ſuo. Et venerunt ſerui Dauid
in terram filiorum Hammon ad Chanun, vt conſola-
rentur eum:*
3 *Et dixerunt principes filiorum Hammon ad Chanũ:
Numquid honorat Dauid patrem tuum in oculis
tuis, quia miſit ad te conſolantes: nonne propterea
vt inquirant, & ſubuertant, & explorent terram
venerunt ſerui eius ad te.*
4 *Et tulit Chanun ſeruos Dauid, & raſit eos, & præ-
ſcidit tunicas eorum per medium vſque ad nates, &
dimiſit eos.*
5 *Et abierunt, & nunciauerunt ipſi Dauid per viros,
& miſit in occurſum eorum (erãt enim viri ignomi-
nia affecti valde,) & dixit rex: Manete in Iericho
donec germinet barba veſtra, & reuertemini.*
6 *Et viderunt filij Hammon, quòd fœtuiſſent cum Da-
uid, & miſit Chanun, & filij Hammon mille talenta
argenti, vt conducerent mercede de Aram Naha-
raim, & de Arammahachah, & de Sobah currus, &
equites.*
7 *Et conduxerunt ſibi duo, & triginta millia curruũ,
& regem Mahachah, & populum eius. Et venerunt,
& caſtrametati ſunt ante Medba. Et filij Hammon
congregati ſunt de vrbibus ſuis, & venerunt ad bel-
lum.*
8 *Et audiuit Dauid, & miſit Ioab, & omnem exerci-
tum fortium:*
9 *Et egreſſi ſunt filij Hammon, & diſpoſuerunt præ-
lium ad portam vrbis: & reges, qui venerunt ſeor-
ſum erant in agro.*
10 *Et vidit Ioab, quòd eſſet facies prælij contra ſe, ante
& retro, & elegit ex omnibus electis Iſrael, & dire-
xit aciem in occurſum Aram.*
11 *Reſiduum vero populi dedit Abſai fratris ſui, & di-
rexerunt aciem in occurſum filiorum Hammon,*
*Di-*

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 & Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar ſacerdotes: & Suſà ſcriba: 17 & Banæas filius Io-
dae ſuper Cherethi, & ſuper Phelethi. Et filij Dauid primi vicarij regis.

#### CAP. XIX.

Et factum eſt poſt hæc, mortuus eſt Naas rex filiorum Ammon: & regnauit Aran filius eius pro eo.
2 Et dixit Dauid: Faciam miſericordiam cum Aran filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiã.
Et miſit nuncios Dauid ad conſolandum eum de patre eius. Et venerunt pueri Dauid in terram filiorum Am-
mon ad Anan ad conſolandum eum. 3 Et dixerunt principes filiorum Ammon ad Anan: Nunquid glorifi-
cans Dauid patrem tuum miſit tibi, qui conſolentur? Nonne, vt explorent ciuitatem, & ad ſpeculandam terram
venerunt pueri eius ad te? 4 Et cepit Anan pueros Dauid & raſit eos, & abſtulit de mantellis eorum dimi-
dium vſque ad tunicam: & dimiſit eos. 5 Et venerunt annunciare Dauid de viris: & miſit in obuiam eis, quia
erant inhonorati valde, & dixit rex: Sedete in Hiericho, donec exoriantur barbæ veſtræ: & reuertite. 6 Et
viderunt filij Ammon, quia confuſus eſt populus Dauid: & miſit Anan, & filij Ammon mille talenta argenti, ad
conducendum mercede ſibi e Syria Meſopotamiæ, & e Syria Maachá, & à Sobal currus, & equites: 7 & mer-
cede conduxerunt ſibi duo & triginta millia curruum, & regem Maachá, & populum eius. Et venerunt, & caſtra-
metati ſunt e regione Medabá. Et filij Ammon congregati ſunt ex ciuitatibus ſuis: & venerunt ad bellandum.
8 Et audiuit Dauid, & miſit Ioab, & omnem militiam potentium. 9 Et exierunt filij Amon: & aciem in-
ſtruunt in prælium apud portam ciuitatis. Et reges, qui venerant, caſtrametati ſunt per ſe in campo. 10 Et
vidit Ioab, quia facti ſunt aduerſis faciebus ad præliandum aduerſus ſe ad faciem, & à tergo: & elegit ex omni
iuuene Iſrael: & aciem ſtruxerunt aduerſus Syrum: 11 & reſiduum populi dedit in manu Abiſai fra-
tris ſui: & ſtruxerunt aciem ex aduerſo filiorum Ammon.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: ſi autem ſuperauerint te filij Ammon, ero tibi in præſidium.

13 Confortare, & agamus viriliter pro populo noſtro, & pro vrbibus Dei noſtri: Dominus autem quod in conſpectu ſuo bonum eſt, faciet.

14 Perrexit ergo Ioab, & populus, qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugauit eos.

15 Porro filij Ammon videntes, quod fugiſſet Syrus, ipſi quoque fugerunt Abiſai fratrem eius, & ingreſſi ſunt ciuitatem: reuerſuſque eſt etiam Ioab in Ieruſalem.

16 Videns autem Syrus, quod cecidiſſet coram Iſrael, miſit nuncios, & adduxit Syrum, qui erat trans fluuium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum.

17 Quod cum nunciatum eſſet Dauid, congregauit vniuerſum Iſrael, & tranſiuit Iordanem, irruitque in eos, & direxit ex aduerſo aciem, illis contra pugnantibus.

18 Fugit autem Syrus Iſrael: & interfecit Dauid de Syris ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem.

19 Videntes autem ſerui Adarezer ſe ab Iſrael eſſe ſuperatos, transfugerunt ad Dauid, & ſeruierunt ei: noluitque vltra Syria auxilium præbere filijs Ammon.

### CAP. XX.

2. Reg. 10. 7. & 11. 1.

1 Factum eſt autem poſt anni circulum, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, congregauit Ioab exercitum, & robur militiæ, & vaſtauit terram filiorum Ammon; perrexitque & obſedit Rabba: porro Dauid manebat in Ieruſalē, quando Ioab percuſſit Rabba, & deſtruxit eam.

2 Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema: manubias quoque vrbis plurimas tulit:

3 Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire, ita vt diſſecarentur, & contererentur: ſic fecit Dauid cunctis vrbibus filiorum Ammon: & reuerſus eſt cum omni populo ſuo in Ieruſalem.

Poſt

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*12 Dixitque: Si fortior fuerit me Aram, eris mihi in ſalutem: ſi vero filij Hammon fuerint fortiores te, ſeruabo.*

*13 Confortare, & confortemur pro populo noſtro, & pro vrbibus Dei noſtri: Dominus autem quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.*

*14 Et appropinquauit Ioab, & populus, qui erant cum eo contra Aram in prælium: & fugerunt à facie eius.*

*15 Filij autem Hammon viderunt, quòd fugiſſet Aram, & fugerunt etiam ipſi à facie Abiſai fratris eius & ingreſſi ſunt ciuitatem: & ingreſſus eſt Ioab Ieruſalaim.*

*16 Et viderunt Aramæi, quòd caſi eſſent coram Iſrael, & miſerunt nuncios, & eduxerunt Aramæos qui erant trans flumen: & Sophach princeps exercitus Hadadhezer erat ante eos.*

*17 Et nunciatum eſt Dauidi: & congregauit omnem Iſrael, & tranſiuit Iarden, & venit ad eos, & direxit aciem contra eos, & direxit aciem Dauid in occurſum Aram in prælium, & pugnauerunt cum eo.*

*18 Et fugit Aram à facie Iſrael: & occidit Dauid de Aram ſeptem millia curruum, & quadraginta millium virorum peditum, & Sophach principem exercitus interemit.*

*19 Et viderunt ſerui Hadadhezer, quòd caſi eſſent coram Iſrael, & pacem fecerunt cum Dauid, & ſeruierunt ei: & noluit Aram ſeruare filios Hammon vltra.*

### CAP. XX.

*1 ET fuit tempore reuerſionis anni, tempore quo egrediuntur reges, duxit Ioab robur militiæ, & vaſtauit terram filiorum Hammon; & venit, & obſedit Rabbah: Dauid autem manebat in Ieruſalaim, & percuſſit Ioab Rabbah, & deſtruxit eam.*

*2 Tulit autem Dauid coronam regis eorum à capite eius, & inuenit in ea pondus talenti auri, & in ea lapidem precioſum, & fuit ſupra caput Dauid, & ſpolia vrbis eduxit multa valdè.*

*3 Et populum, qui erat in ea, eduxit: & ſerrauit ſerra, & carpentis ferreis, & ſerris: & ſic fecit Dauid vniuerſis vrbibus filiorum Hammon: & reuerſus eſt Dauid, & omnis populus Ieruſalaim.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et dixit: Si inualuerit ſuper me Syrus; & eris mihi in ſalutem &, ſi filij Ammon inualuerint ſuper te; & ſal-
uabo te. 13 Viriliter age: & confortemur pro populo noſtro, & pro ciuitatibus Dei noſtri: & Domi-
nus quod bonum in oculis ſuis, faciet. 14 Et aciem ſtruxit Ioab, & populus, qui cum eo, contra Syros
in prælium: & fugerunt ab eis. 15 Et filij Ammon viderunt, quia fugerunt Syri: & fugerunt etiam ip-
ſi à facie Abeſai, & à facie Ioab fratris eius: & venerunt in ciuitatem. Et venit Ioab in Hieruſalem.
16 Et vidit Syrus, quia fugauit eum Iſrael: & miſit nuncios, & eduxerunt Syrum de trans flumine: & Sophath
princeps militiæ virtutis Adrazar ante eos. 17 Et annunciatum eſt Dauid: & congregauit omnem
Iſrael: & tranſiuit Iordanem, & venit ſuper eos: & inſtruxit aciem ſuper eos. Et ſtruit aciem Dauid ex aduerſo
Syri in prælium. Et impugnauerunt eum. 18 Et fugit Syrus à facie Iſrael: & occidit Dauid de Syro
ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum: & Sophath principem militiæ virtutis interfecit.
19 Et viderunt pueri Adrazar, quia ceciderunt à facie Iſrael: & diſpoſuerunt cum Dauid, & ſeruierunt ei. Et
noluit Syrus auxiliari filijs Ammon vltra.

### C A P. XX.

ET factum eſt in ſequenti anno in exitu regum, & duxit Ioab omnem virtutem militiæ: & corruperunt re-
gionem filiorum Ammon. Et venit, & obſedit Rabba. Et Dauid ſedit in Hieruſalem. Et percuſſit Ioab Rab-
ba, & diruit eam. 2 Et cepit Dauid coronam Molcham regis eorum de capite eius: & inuentum eſt pon-
dus eius talentum auri: & in ea lapis precioſus: & fuit ſuper caput Dauid. Et ſpolia ciuitatis extulit multa valde.
3 & populum, qui in ea, eduxit: & diſſecuit ſerris, & in aſcijs ferreis, & in tribulis. Et ſic fecit Dauid omnibus fi-
lijs Ammon. Et reuertit Dauid, & omnis populus eius in Hieruſalem.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* 1. Reg. 21. 18.

4 * Poſt hæc initum eſt bellum in Gazer aduerſum Philiſthæos: in quo percuſſit Sobochai Huſathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliauit eos.

5 Aliud quoque bellum geſtum eſt aduerſus Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cuius haſtæ lignum erat quaſi liciatorium texentium.

6 Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longiſſimus, ſenos habens digitos, id eſt, ſimul viginti quattuor: qui & ipſe de Tapha fuerat ſtirpe generatus.

7 Hic blaſphemauit Iſrael: & percuſſit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi ſunt filij Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu Dauid, & ſeruorum eius.

### CAP. XXI.

2. Reg. 24. 1. Infr. 19. 24.

1 CONſurrexit autem Satan contra Iſrael: & concitauit Dauid, vt numeraret Iſrael.

2 Dixitque Dauid ad Ioab, & ad principes populi: Ite, & numerate Iſrael à Berſabee vſque Dan: & afferte mihi numerum, vt ſciam.

3 Reſponditque Ioab: Augeat Dominus populum ſuum centuplum, quam ſunt: nonne domine mi rex, omnes ſerui tui ſunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Iſrael?

4 Sed ſermo regis magis præualuit: egreſſuſque eſt Ioab, & circuiuit vniuerſum Iſrael; & reuerſus eſt Ieruſalem:

5 Deditque Dauidi numerum eorum, quos circumierat: & inuentus eſt omnis numerus Iſrael, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum.

6 Nam Leui, & Beniamin non numerauit: eo quòd Ioab inuitus exequeretur regis imperium.

7 Diſplicuit autem Deo, quod iuſſum erat, & percuſſit Iſrael.

8 Dixitque Dauid ad Deum: Peccaui nimis, vt hoc facerem: obſecro aufer iniquitatem ſerui tui, quia inſipienter egi.

9 Et locutus eſt Dominus ad Gad Videntem Dauidis, dicens:

10 Vade, & loquere ad Dauid, & dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do: vnum, quod volueris, elige, & faciam tibi.

Cum-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Et fuit, poſtea ſtetit bellum in Ghezer cum Peliſtim: tunc percuſſit Sibbechai Chuſathites, Sippai de natis Rephaim, & humiliati ſunt.*

5 *Et fuit adhuc bellum cum Peliſtim, & percuſſit Elchanan filius Iahur Ethlachamites fratrem Gholiath Ghittheum, & lignum haſtæ eius erat veluti liciatorium texentium.*

6 *Et fuit adhuc bellum in Ghath, & erat vir menſuræ magnæ, & digiti eius ſex, & ſex, viginti & quattuor: & etiam ipſe natus erat è Raphah.*

7 *Et probris afficiebat Iſrael: & percuſſit eum Ionathan filius Simha fratris Dauid. Iſti nati ſunt è Raphah in Ghath, & ceciderunt per manum Dauid, & per manum ſeruorum eius.*

### CAP. XXI.

1 *ET ſtetit aduerſarius contra Iſrael: & incitauit Dauid, vt numeraret Iſrael.*

2 *Dixitque Dauid ad Ioab, & ad principes populi: Ite numerate Iſrael à Beerſebah vſque ad Dan: & afferte ad me, vt ſciam numerum eorum.*

3 *Dixitque Ioab: Addat Dominus populo ſuo, ſicut ſunt centum vicibus: numquid non domine mi rex, omnes ipſi domino meo ſunt ſerui? vt quid quærit hoc dominus meus, vt quid erit ad delictum Iſraeli?*

4 *Verbum autem regis præualuit ipſi Ioab: & egreſſus eſt Ioab, & ambulauit per vniuerſum Iſrael, & venit Ieruſalaim:*

5 *Deditque Ioab numerum numeri populi ipſi Dauid, & fuit omnis Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: Iehudah autem quadringenta, & ſeptuaginta millia virorum educentium gladium.*

6 *Leui verò, & Biniamin non numerauit in medio eorum, quia abominabile fuit verbum regis ipſi Ioab.*

7 *Diſplicuit autem in oculis Dei propter verbum hoc, & percuſſit Iſrael.*

8 *Dixitque Dauid ad Deum: Peccaui valde, quia feci rem hanc, & nunc tranſire fac obſecro iniquitatē ſerui tui, quia inſipienter egi valde.*

9 *Et locutus eſt Dominus ad Ghad Videntem Dauid, dicendo:*

10 *Vade, & loquere ad Dauid, dicendo: Sic dixit Dominus: Tria ego extendo ſuper te, elige tibi vnum ex his, & faciam tibi.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et factum eſt poſt hæc, & factum eſt adhuc bellum in Gazer cum alienigenis. Tunc percuſſit Sobochai Soſathi ipſum Saphut de filijs gigantibus & humiliauit eum. 5 Et factum eſt adhuc prælium cum alienigenis: & percuſſit Elcanam filius Iair ipſum Lachmi fratrem Goliath Gethæi, & lignum lanceæ eius, tanquam liciatorium texentium. 6 Et factum eſt adhuc prælium in Geth: & fuit vir ſupra modum magnus, & digiti eius ſex, & ſex, viginti quattuor: & hic erat prognatus ex gigantibus: 7 & exprobrauit Iſrael. Et percuſſit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi fuerunt ipſi Raphā in Geth: omnes erant quattuor gigantes: & ceciderunt in manu Dauid, & in manu puerorum eius.

### CAP. XXI.

ET ſtetit diabolus in Iſrael: & incitauit Dauid ad numerandum Iſrael. 2 Et dixit rex Dauid ad Ioab, & ad principes virtutis: Ite, numerate Iſrael à Berſabee, & vſque Dan: & afferte ad me: & cognoſcam numerū eorum. 3 Et dixit Ioab: Adijciat Dominus ad populum ſuum, ſicut ipſi, centuplicìter: & oculi domini mei regis videntes: omnes domino meo pueri. Vt quid quærit dominus meus hoc, vt non fiat in peccatū ipſi Iſrael? 4 Verbum autem regis valuit ſuper Ioab. Et exiuit Ioab, & tranſijt in omni Iſrael, & venit in Hieruſalem. 5 Et dedit Ioab numerum viſitationis populi ipſi Dauid. Et fuit omnis Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium Et filij Iuda, quadringenta & ſeptuaginta millia virorum educentium gladium. 6 Et ipſum Leui, & Beniamin non numerauit in medio eorum: quia oppreſſerat verbum regis ipſum Ioab. 7 Et malum coram Deo de re hac: & percuſſit Iſrael. 8 Et dixit Dauid ad Deum: Peccaui valde, quia feci rem hanc: & nunc aufer, quæſo, malum pueri tui; quoniam deſipui valde. 9 Et locutus eſt Dominus ad Gad videntē, dicens: 10 Vade, & loquere ad Dauid, dicens: Sic dicit Dominus: Tria feram ego ſuper te: elige tibi vnum ex eis, & faciā tibi.

Et ve-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Cumque veniſſet Gad ad Dauid,dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris:

12 Aut tribus annis famem: aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere: aut tribus diebus gladium Domini, & peſtilentiam verſari in terra & Angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael: nunc igitur vide quid reſpondeam ei,qui miſit me.

13 Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me anguſtiæ premunt: ſed melius mihi eſt, vt incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius, quàm in manus hominum.

14 Miſit ergo Dominus peſtilentiam in Iſrael: & ceciderunt de Iſrael ſeptuaginta millia virorum.

15 Miſit quoque Angelum in Ieruſalem, vt percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper magnitudine mali: & imperauit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam ceſſet manus tua.Porro Angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi.

16 Leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter cœlum,& terram,& euaginatum gladium in manu eius,& verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt tam ipſe, quàm maiores natu veſtiti cilicijs,proni in terram.

17 Dixitque Dauid ad Deum: Nonne ego ſum, qui iuſſi,vt numeraretur populus?Ego,qui peccaui:ego, qui malum feci: iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obſecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.

18 Angelus autem Domini præcepit Gad, vt diceret Dauidi,vt aſcenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Iebuſæi.

19 Aſcendit ergo Dauid iuxta ſermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.

20 Porro Ornan cum ſuſpexiſſet, & vidiſſet Angelum, quattuorque filij eius cum eo,abſconderunt ſe:nam eo tempore terebat in area triticum.

21 Igitur cum veniret Dauid ad Ornan, cõſpexit eum Ornan, & proceſſit ei obuiam de area, & adorauit eum pronus in terram.

22 Dixitque ei Dauid: Da mihi locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti accipias,& ceſſet plaga à populo.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et venit Ghad ad Dauid,dixitque ei: Sic dixit Dominus: Recipe tibi:*

12 *Aut tribus annis famem: aut tribus menſibus deficiens eſſe à facie hoſtium tuorum,& gladium inimicorum attingens: aut tribus diebus gladium Domini,& peſtem in terra,& Angelum Domini vaſtantē in omni termino Iſrael: & nunc vide quid reſpondeam mittenti me.*

13 *Et dixit Dauid ad Ghad: Anguſtia eſt mihi vehementer: incidam quæſo in manu Domini, quia multæ miſerationes eius valdè, & in manum hominum ne incidam.*

14 *Et dedit Dominus peſtilentiam in Iſrael: & ceciderunt de Iſrael ſeptuaginta millia virorum.*

15 *Et miſit Deus Angelum in Ieruſalaim, vt perderet eam: & cum vaſtaret, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper malo: & dixit Angelo vaſtanti: Sufficit, nunc ceſſet manus tua. Angelus autem ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi.*

16 *Et leuauit Dauid oculos ſuos, & vidit Angelum Domini ſtantem inter terram,& cœlum, & gladium eius euaginatum in manu eius extentum contra Ieruſalaim: & cecidit Dauid, & ſeniores operti ſaccis,ſuper faciem ſuam.*

17 *Et dixit Dauid ad Deum: Nonne ego dixi, vt numeraret populum? Et ego ipſe ſum,qui peccaui: & malefaciendo malefeci: & iſta oues quid fecerunt? Domine Deus meus ſit quæſo manus tua in me, & in domum patris mei, & in populum tuum non ſit plaga.*

18 *Angelus autem Domini dixit ad Ghad, vt diceret ad Dauid, quòd aſcenderet Dauid ad erigendum altare Domino in area Ornan Iebuſæi.*

19 *Et aſcendit Dauid iuxta verbum Ghad, quod locutus fuerat in nomine Domini.*

20 *Et conuerſus eſt Ornan,& vidit Angelum,& quatuor filij eius cum eo abſconderunt ſe: & Ornan triturabat triticum.*

21 *Et venit Dauid ad Ornan,& aſpexit Ornan, & vidit Dauid, & egreſſus eſt de area, & incuruauit ſe Dauid pronus in terram.*

22 *Dixitque Dauid ad Ornan: Da mihi locum areæ, & ædificabo in ea altare Domino: argento pleno da eum mihi,& prohibebitur plaga à populo.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et venit Gad ad Dauid,& dixit ei: Sic dicit Dominus: Elige tibi : 12 vel tres annos famis, vel tres
menſes fugere te à facie inimicorum tuorum ( & gladius inimicorum tuorum ad exterminandum ) vel tres dies
gladium Domini,& mortem in terra: & angelus Domini exterminans in omni hæreditate Iſrael. Et nunc vide,
quod reſpondeam ei,qui me miſit verbum. 13 Et dixit Dauid ad Gad: Anguſtia mihi etiam tria iſta
valde.Incidam nunc in manus Domini,quoniam multæ miſerationes eius valde : & in manus hominum non in-
cidam. 14 Et dedit Dominus mortem in Iſrael: & ceciderunt ex Iſrael ſeptuaginta millia virorum.
15 Et miſit Deus angelum in Hieruſalem ad exterminandum eam : & vt exterminabat ; vidit Dominus, & pœ-
nituit ſuper malo: & dixit angelo exterminanti : Sufficiat tibi : remitte manum tuam. Et angelus Domini ſtans
in area Ornã Iebuſæi. 16 Et eleuauit Dauid oculos ſuos, & vidit angelum Domini ſtantem inter ter-
ram,& cœlum: & gladius eius eductus in manu eius,extentus ſuper Hieruſalem. Et cecidit Dauid,& ſeniores in-
duti in ſaccis ſuper faciem ſuam. 17 Et dixit Dauid ad Deum : Nonne ego dixi ad numerandum in po-
pulo? Et ego ſum qui peccaui: maleficiens malefeci: & hæ oues quid fecerunt? Domine Deus fiat manus tua in
me, & in domo patris mei,& non in populo tuo ad perditionem Domine. 18 Et angelus Domi-
ni dixit ipſi Gad,vt diceret ad Dauid, vt aſcenderet ad ſtatuendum altare Domino in area Ornã Iebuſæi.
19 Et aſcendit Dauid iuxta verbum Gad, quod locutus eſt in nomine Domini. 20 Et conuer-
tit ſe Ornã,& vidit regem,& quatuor filios eius cum eo cum Hachabin: & Ornã erat triturans frumenta.
21 Et venit Dauid ad Ornã:& Ornã exijt ex area,& adorauit Dauid facie ſuper terram. 22 Et di-
xit Dauid ad Ornã : Da mihi locum tuum areæ : & ædificabo ſuper illum altare Domino : in argento digno da
mihi illum: & ceſſabit plaga de populo.

Et di-

## Vulgata Editio.

23 Dixit autem Ornan ad Dauid: Tolle, & faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: ſed & boues do in holocauſtum, & tribulas in ligna, & triticum in ſacrificium: Omnia libens præbebo.

24 Dixitque ei rex Dauid: Nequaquam ita fiet, ſed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & ſic offerre Domino holocauſta gratuita.

25 Dedit ergo Dauid Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.

26 * Et ædificauit ibi altare Domino: obtulitque holocauſta, & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti.

* 1.Par.3. 2.

27 Præcepitque Dominus Angelo: & conuertit gladium ſuum in vaginam.

28 Protinus ergo Dauid, videns quòd exaudiſſet eum Dominus in area Ornan Iebuſæi, immolauit ibi victimas.

29 Tabernaculum autem Domini, *quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum, ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon.

* Exo.26.a

30 Et non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

### CAP. XXII.

1 Dixitque Dauid: Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael.

2 Et præcepit, vt congregarentur omnes proſeliti de terra Iſrael, & conſtituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei.

3 Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras, atque iuncturas præparauit Dauid: & æris pondus innumerabile.

4 Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij, & Tyrij deportauerant ad Dauid.

5 Et dixit Dauid: Salomon filius meus puer paruulus eſt & delicatus; domus autem, quam ædificari volo Domino, talis eſſe debet, vt in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei neceſſaria. Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas.

6 Vocauitque Salomonem filium ſuum: & præcepit ei, vt ædificaret domum Domino Deo Iſrael.

7 Dixitq; Dauid ad Salomonē: Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarē domum nomini Domini Dei mei:

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et dixit Ornan ad Dauid: Tolle tibi, & faciat dominus meus rex, quod bonum eſt in oculis ſuis: vide, dedi boues pro holocauſto, & tribulas pro lignis, & triticum pro ſacrificio: Omnia dedi.*

24 *Dixitque rex Dauid ad Ornan: Nequaquam, ſed poſſidendo poſſidebo argento pleno: non enim accipiam, quod eſt tibi Domino, & offerram holocauſtum gratis.*

25 *Et dedit Dauid ipſi Ornan pro loco ſiclos aureos ponderatos ſexcentos.*

26 *Et ædificauit ibi Dauid altare Domino: & obtulit holocauſta, & pacifica, & clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum in igne è cœlo ſuper altare holocauſti.*

27 *Dixitque Dominus Angelo: & conuertit gladium ſuum in vaginam ſuam.*

28 *In tempore illo, quando vidit Dauid, quòd exaudiuit eum Dominus in area Ornan Iebuſæi, immolauit ibi.*

29 *Tabernaculum autem Domini, quod fecit Moſcheh in deſerto, & altare holocauſti in tempore illo erat in Bamah in Gibhon.*

30 *Et non potuit Dauid ire ante illud, vt requireret Deum: quia territus erat propter gladium Angeli Domini.*

### CAP. XXII.

1 *Dixitque Dauid: Hæc eſt domus Domini Dei, & hoc altare in holocauſtum pro Iſrael.*

2 *Et dixit Dauid, vt congregarent peregrinos, qui erant in terra Iſrael, & ſtatuit latomos ad cædendum lapides dolatos, vt ædificarent domum Dei.*

3 *Et ferrum in multitudine ad clauos, ad oſtia portarum, & ad commiſſuras præparauit Dauid: & æs in multitudine abſque pondere.*

4 *Et ligna cedrina abſq; numero, quia attulerūt Sidonim, et Sorim ligna cedrina i multitudine ad Dauid.*

5 *Et dixit Dauid: Selomoh filius meus puer eſt, & tenellus; domus autem ædificanda eſt Domino ad magnificandum, ad excellentiam, ad nomen, & gloriam, in omnibus terris, parabo nunc. Et parauit Dauid in multitudine ante mortem ſuam.*

6 *Et vocauit Selomoh filium ſuum: & præcepit ei, vt ædificaret domum Domino Deo Iſrael.*

7 *Dixitque Dauid ad Selomoh: Filium ſuū, fuit in corde meo, vt ædificarem domū nomini Domini Dei mei.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et dixit Ornā ad Dauid: Accipe tibi: & faciat dominus meus rex, quod bonum coram ſe. Vide, dedi iuuencos in holocauſtoſin, & aratrum in ligna, & frumentum in ſacrificium: omnia dedi. 24 Et dixit rex Dauid ad Ornā Nequaquam: quoniam emens emam in argento digno: quoniam non ſumam, quæ ſunt tibi, Domino, ad offerendum holocauſtoſin gratis Domino. 25 Et dedit Dauid Ornā in loco eius ſiclos auri ponderis ſexcentos: 26 & ædificauit ibi Dauid altare Domino: & obtulit holocauſtomata, & ſalutaris. Et clamauit ad Dominum: & exaudiuit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſtoſis: & conſumpſit holocauſtoſim. 27 Et dixit Dominus ad Angelum: & depoſuit gladium in vaginam eius. 28 In tempore illo in videndo Dauid, quia exaudiuit eum Dominus in area Ornā Iebuſæi, & immolauit ibi. 29 Et tabernaculum Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtomatum in tempore illo in Bamā in Gabaon. 30 Et non potuit Dauid ire ante illud ad exquirendum Deum; quoniam non feſtinaſſet à facie gladij Angeli Domini.

### CAP. XXII.

ET dixit Dauid: Hæc eſt domus Domini Dei: & hoc altare in holocauſtoſim ipſi Iſrael. 2 Et dixit Dauid congregare omnes proſelytos qui in terra Iſrael: & conſtituit lapicidas ad cædendum lapides politos ad ædificandam domum Deo. 3 Et ferrum multum ad clauos oſtiorum, & portarum, & iuncturas parauit Dauid: & æs in multitudine: non erat pondus: 4 & ligna cedrina: non erat numerus: quoniam afferebant Sidonij, & Tyrij ligna cedrina in multitudine ipſi Dauid. 5 Et dixit Dauid: Salomon filius meus, puerulus tener eſt: & domus ædificanda Domino ad magnificentiam ſurſum, ad nomen & ad gloriam in omnem terram: parabo ei. Et parauit Dauid in multitudine ante finem ſuum. 6 Et vocauit Salomon filium ſuum: & mandauit ei ædificare domum Dño Deo Iſrael. 7 Et dixit Dauid ad Salomon: Fili, mihi fuit in animo ædificare domū noī Dñi Dei.

Et ſa-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

8 Sed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me:

9 Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacem, & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius.

*2.Reg.7.13. Heb.1.5. 3.Reg.5.5.

10 *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum.

11 Nunc ergo fili mi, ſit Dominus tecum, & proſperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, ſicut locutus eſt de te.

12 Det quoque tibi Dominus prudentiam, & ſenſum, vt regere poſſis Iſrael, & cuſtodire legem Domini Dei tui.

13 Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, & iudicia, quæ præcepit Dominus Moyſi, vt doceret Iſrael: confortare, & viriliter age, ne timeas, neque paueas.

14 Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris vero, & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia.

15 Habes quoque plurimos artifices: latomos, & cæmentarios, artificeſque lignorum, & omniũ artium ad faciendum opus prudentiſſimos:

16 In auro, & argento, & ære, & ferro, cuius non eſt numerus. Surge igitur & fac, & erit Dominus tecum.

17 Præcepit quoque Dauid cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum.

18 Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos veſtros in manus veſtras, & ſubiecta ſit terra coram Domino, & coram populo eius.

19 Præbete igitur corda veſtra, & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum: & conſurgite, & ædificate ſanctuarium Domino Deo, vt introducatur arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

### CAP. XXIII.

1 IGitur Dauid ſenex, & plenus dierum, regem conſtituit Salomonem filium ſuum ſuper Iſrael.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et fuit ad me verbum Domini, dicendo: Sanguinem in multitudine effudiſti, & bella magna feciſti: non ædificabis domum nomini meo, quia ſanguinẽ multum effudiſti in terram coram me.*

9 *Ecce filius natus tibi, ipſe erit vir quietus: & requieſcere faciam eum ab omnibus inimicis ſuis in circuitu: quia Selomoh erit nomen eius: & pacem, & quietem, dabo ſuper Iſrael in diebus eius.*

10 *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael vſque in ſæculum.*

11 *Nunc fili mi erit Dominus tecum, & proſperabis, & ædificabis domum Domini Dei tui, quemadmodum locutus eſt ſuper te.*

12 *Veruntamen det tibi Dominus intellectum, & intelligentiam, & præcipiat tibi ſuper Iſrael & ad cuſtodiendum legem Domini Dei tui.*

13 *Tunc proſperabis ſi cuſtodieris vt facias præcepta, & iudicia, quæ præcepit Dominus Moſcheh ſuper Iſrael: confortare & roborare, ne timeas, & ne paueas.*

14 *Et ecce ſecundum paupertatem meam præparaui pro domo Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talenta: æs vero, & ferrum abſque pondere, quia in multitudine fuit: & ligna, & lapides præparaui, & his addes.*

15 *Tecum autem ſunt in multitudine facientes opus, latomi, & artifices lapidis, & ligni, & omnis ſapiens in omni opere.*

16 *Auri, argenti, æris, & ferri non eſt numerus. Surge, & fac & erit Dominus tecum.*

17 *Præcepitque Dauid cunctis principibus, vt auxiliarentur Selomoh filio ſuo.*

18 *Nonne Dominus Deus veſter vobiſcum eſt, & requieſcere faciet vos in circuitu, quia dedit in manu mea habitatores terræ, & ſubiecta eſt terra coram Domino, & coram populo eius.*

19 *Nunc præbete cor veſtrum, & animam veſtram ad quærendum Dominum Deum veſtrum: & ſurgite, & ædificate ſanctuarium Domini Dei ad introducendum arcam fœderis Domini, & vaſa ſanctuarij Dei pro domo, quæ ædificatur nomini Domini.*

### *CAP. XXIII.*

1 *DAuid autem erat ſenex, & ſaturus dierum, & regẽ conſtituit Selomoh filiũ ſuũ ſuper Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et factum eſt mihi verbum Domini, dicens: Sanguinẽ in multitudine effudiſti, & bella magna feciſti: non ædi-
ficabis domum nomini meo: quoniam ſanguines multos effudiſti ſuper terram coram me. 9 Ecce filius naſci-
tur tibi: hic erit vir quietus: & quieſcere eum faciam ab omnibus inimicis ſuis in circuitu: quĩ Salomon nomen
ei, & pacem, & quietem dabo ſuper Iſrael in diebus eius. 10 Hic ædificabit domum nomini meo: & hic erit mi-
hi in filium: & ego ei in patrem: & erigam thronum regni eius in Iſrael vſque in ſeculũ. 11 Et nunc fili mi erit
tecum Dominus, & proſperabit; & ædificabis domum Domino Deo tuo; quomodo locutus eſt de te. 12 Sed det
tibi ſapientiam, & intellectum Dominus & confortet te ſuper Iſrael, & ad cuſtodiendum. & faciendum legẽ Dñi
Dei tui. 13 Tunc proſperabit ſi obſeruaueris facere præcepta, & iudicia, quæ mandauit Dñs Moyſi ſuper Iſrael.
Viriliter age, & confortare: ne timeas, neque paueas. 14 Et ecce ego ſm inopiã meã paraui in domũ Dñi, auri ta-
lentorũ centũ millia, & argenti talentorũ mille millia, & æs, & ferrũ, cuius non eſt pondus, qm̃ in multitudine eſt:
& ligna, & lapides paraui, & ad hæc adde: 15 & tecum adde in multitudine de facientibus opera, artifices, & ædi-
ficatores lapidum, & fabri lignorum, & omnis ſapiens in omni opere, 16 in auro, & argento, ære, & in ferro, non
eſt numerus: Surge, & fac: & Dominus tecum. 17 Et mandauit Dauid omnibus principibus Iſrael adiuuare
Salomon filium ſuum: 18 Nonne Dominus vobiſcum? & requieſcere fecit vos in circuitu: quia dedit in ma-
nus veſtras habitantes terram: & ſubiecta eſt terra ante Dominum, & ante populum eius. 19 Nunc date corda
veſtra, & animas veſtras ad quærendum Domino Deo veſtro: & ſuſcitamini, & ædificate ſanctificationem Deo ve-
ſtro, ad inferendum arcam teſtamenti Domini, & vaſa ſancta Dei in domum ædificatam nomini Domini.

### CAP. XXIII.

ET Dauid ſenex, & plenus dierum: & regnare fecit Salomon filium ſuum pro ſe ſuper Iſrael.

Et con-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Et congregauit omnes principes Iſrael, & Sacerdotes, atque Leuitas.
3 Numeratique ſunt Leuitæ à triginta annis, & ſupra: & inuenta ſunt triginta octo millia virorum.
4 Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quattuor millia: præpoſitorum autem & iudicum ſex millia.
5 Porro quattuor millia ianitores: & totidem pſaltæ canentes Dño in organis, quę fecerat ad canendum.
6 * Et diſtribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, Gerſon videlicet, & Caath, & Merari. [* Sup. 6. 1.]
7 Filij Gerſon: Leedan, & Semei.
8 Filij Leedan: princeps Iahiel, & Zethã, & Ioel, tres.
9 Filij Semei: Salomith, & Hoſiel, & Aran, tres: iſti principes familiarum Leedan.
10 Porro filij Semei, Leheth, & Ziza, & Iaus, & Baria: iſti filij Semei, quattuor.
11 Erat autem Leheth prior, Ziza ſecundus: porro Iaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & idcirco in vna familia, vnaque domo computati ſunt.
12 Filij Caath: Amram, & Iſaar, Hebron, & Oziel, quattuor.
13 * Filij Amram, Aaron, & Moyſes. * Separatuſque eſt Aaron, vt miniſtraret in Sancto ſanctorum, ipſe & filij eius in ſempiternum, & adoleret incenſum Domino ſecundum ritum ſuum, ac benediceret nomini eius in perpetuum. [* Sup. 6. 3. * Heb. 5. 4.]
14 Moyſi quoque hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Leui.
15 Filij * Moyſi Gerſom, & Eliezer. [* Exod. 2. 22. & 18. 3.]
16 Filij Gerſom: Subuel primus.
17 Fuerunt autem filij Eliezer: Rohobia primus: & non erant Eliezer filij alij. Porro filij Rohobia multiplicati ſunt nimis.
18 Filij Iſaar: Salomith primus.
19 Filij Hebron: Ieriau primus, Amarias ſecundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus.
20 Filij Oziel: Micha primus, Ieſia ſecundus.
21 Filij Merari: Moholi, & Muſi. Filij Moholi: Eleazar, & Cis.
22 Mortuus eſt autem Eleazar, & non habuit filios, ſed filias: acceperuntque eas filij Cis fratres earum.
23 Filij Muſi: Moholi, & Eder, & Ierimoth, tres.
24 Hi filij Leui in cognationibus, & familijs ſuis, principes per vices, & numerum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterij domus Domini à viginti annis, & ſupra.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et congregauit omnes principes Iſrael, & Sacerdotes, & Leuitas.*
3 *Numeratique ſunt Leuitæ à filio triginta annorum, & ſupra: & fuit numerus eorum per capita ſua, per viros, triginta, & octo millia.*
4 *Ex ipſis ad ſollicitandum ſuper opus domus Domini fuerunt viginti, & quattuor millia: & præfecti, & iudices ſex millia.*
5 *Et quattuor millia ianitores: & quattuor millia laudantes Dñm cum inſtrumẽtis, quæ feci ad laudãdũ.*
6 *Et diſtribuit eos in diſtributiones filijs Leui ipſi Gherſon, Chehath, & Merari.*
7 *Ipſi Gherſunit: Lahadan, & Simhi.*
8 *Filij Lahadan: dux Iechiel, & Zetham, & Ioel tres.*
9 *Filij Simhi: Selomith, & Chaziel, & Charan tres: iſti principes familiarum ipſi Lahadan.*
10 *Filij autem Simhi, Iachath, Zinah, & Iehus, & Berihah quattuor: iſti filij Simhi, quattuor.*
11 *Et fuit Iachath dux, & Zizah ſecundus: & Iehus, & Beriah non multiplicauerunt filios, & fuerunt domus patris in numeratione vna.*
12 *Filij Chehath: Hamram, & Ishar, Chebron, & Huzziel, quattuor.*
13 *Filij Hamram, Aharon, & Moſeh. Et ſeparatus eſt Aharon, vt ſanctificaret ipſe Sanctitatem ſanctitatum ipſe, & filij eius in ſeculum, vt ſuffirent coram Domino, vt miniſtraret ipſe, & benediceret in nomine eius vſque in ſeculum.*
14 *Moſeh autem viri Dei filij vocabuntur in tribu Leui.*
15 *Filij Moſeh Gherſom, & Elihezer.*
16 *Filij Gherſom: Sebuel primus.*
17 *Et fuerunt filij Elihezer: Rechabiah dux: & non fuerunt ipſi Elihezer filij alij. Filij autem Rechabiah multiplicati ſunt ſupra.*
18 *Filij Ishar: Selomith dux.*
19 *Filij Chebron: Ieriiahu dux, Amariah ſecundus, Iechaziel tertius, & Iechamam quartus.*
20 *Filij Huzziel: Michah primus, Iſiah ſecundus.*
21 *Filij Merari: Machali, & Muſi. Filij Machali: Elhazar, & Achis.*
22 *Et mortuus eſt Elhazar, & non fuerunt ei filij, ſed filiæ: & acceperunt eas filij Ciſis fratres earum.*
23 *Filij Muſi: Machali, & Heder, & Ieremoth tres.*
24 *Iſti filij Leui per domum familiarum ſuarum principes familiarum cum numeratis ſuis ſuis ſecundũ numerũ nominũ ꝑ capita ſua faciẽtes opus ad miniſterium domus Dñi à filio viginti annorũ, & ſupra.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et congregauit omnes principes Iſrael, & ſacerdotes, & Leuitas. 3 Et numerauerunt Leuitæ à trigeſimo anno, & ſupra: & factus eſt numerus eorum per caput eorum in viros triginta, & octo mille. 4 De ijs, qui vrgerent opera, ſuper opera domus Domini, viginti quattuor mille: & ſcribæ, & iudices ſex mille: 5 & quattuor mille ianitores: & quattuor mille laudantes Dominum in organis, quæ fecerat ad laudem dicendam Domino. 6 Et diſtribuit eos Dauid, diurnas vices filijs Leui, Gedſon, Caath, & Merari. 7 Ipſi Gedſon Edan, & Semei. 8 Filij Edan princeps Iiel, & Zethan, & Ioel, tres. 9 Filij Semei, Salomith, Iiel, & Dan, tres. Hi principes patriarum Edan. 10 Et filij Semei, Ieth, & Zizã, & Ioas, & Beria; hi filij Semei quattuor. 11 Et fuit Ieth princeps, & Ziza ſecundus. Et Ioas & Beria non multiplicauerunt filios: & facti ſunt in domum patriæ in computationem vnam. 12 Filij Caath, Ambram, Iſaar, Chebron, Oziel quattuor. 13 Filij Ambram, Aaron, & Moyſes. Et ſeparatus eſt Aaron ad ſanctificandum ſancta ſanctorum, ipſe, & filij eius vſque in ſæculum ad adolendum ante Dominum, miniſtrandum, & deprecandum in nomine eius vſque in ſæculum. 14 Et Moyſes homo Dei: filij eius vocati ſunt in tribum Leui. 15 Filij Moyſi, Gerſam, & Eliezer. 16 Filij Gerſam, Subael princeps. 17 Et fuerunt filij Eliezer, Rabia princeps. Et non fuerunt Eliezer filij alij. Et filij Rabia aucti ſunt in ſublime. 18 Filij Iſaar, Salomoth princeps. 19 Filij Chebron Hieria princeps, Amaria ſecundus, Ieziel tertius, Iecemias quartus. 20 Filij Oziel Michã princeps, & Iſia ſecundus. 21 Filij Merari, Mooli, & Muſi. Filij Mooli, Eleazar, & Cis. 22 Et mortuus eſt Eleazar: & non fuerunt ei filij, ſed filiæ. Et acceperunt eas filij Cis fratres earum. 23 Filij Muſi, Mooli, & Eder, & Ierimoth tres. 24 Hi filij Leui ſecundum domos patriarum ſuarum, principes patriarum ſuarum ſecundum recognitionem ſuam, iuxta numerum nominum ſuorum, iuxta caput ipſorum facientes opera miniſterij domus Domini, à vigeſimo anno, & ſupra.

Quo-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Dixit enim Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Ieruſalem vſque in æternum.

26 Nec erit officij Leuitarum, vt vltra portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum.

27 Iuxta præcepta quoque Dauid nouiſſima, ſupputabitur numerus filiorum Leui à viginti annis, & ſupra.

28 Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & in vniuerſis operibus miniſterij templi Domini.

29 Sacerdotes autem, ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana azyma, & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus, atque menſuram.

30 Leuitæ vero vt ſtent manè ad confitendum, & canendum Domino: ſimiliterque ad veſperam.

31 Tam in oblatione holocauſtorum Domini, quam in ſabbatis, & Calendis, & ſollemnitatibus reliquis iuxta numerum, & ceremonias vniuſcuiuſque rei, iugiter coram Domino.

32 Et cuſtodiant obſeruationes tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarij, & obſeruationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, vt miniſtrent in domo Domini.

### CAP. XXIIII.

Leu. 10. 1. 1 PORro filijs Aaron hæ partitiones erant: Filij Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

*Num. 3. 4. 2 * Mortui ſunt autem Nadab, & Abiu ante patrem ſuum abſque liberis: ſacerdotioque functus eſt Eleazar, & Ithamar.

3 Et diuiſit eos Dauid, id eſt Sadoc de filijs Eleazari, & Ahimelech de filijs Ithamar, ſecundum vices ſuas, & miniſterium.

4 Inuentique ſunt multo plures filij Eleazar in principibus viris, quam filij Ithamar. Diuiſit autem eis, hoc eſt filijs Eleazar principes per familias ſexdecim: & filijs Ithamar per familias, & domos ſuas octo.

5 Porro diuiſit vtraſque inter ſe familias ſortibus: erant enim principes ſanctuarij, & principes Dei, tam de alijs Eleazar, quam de filijs Ithamar.

De-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Dixit enim Dauid: Requieſcere facit Dominus Deus Iſrael populum ſuum, & habitauit in Ieruſalaim vſque in ſæculum.*

26 *Et etiam Leuitis non erit portare tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſterium eius.*

27 *Quia iuxta verba Dauid nouiſſima fuit numerus filiorum Leui à filio viginti annorum, & ſupra.*

28 *Quia ſtatus eorum ad manum filiorum Aharon in miniſterio domus Domini in atrijs, & in cubiculis in munditia, in omni ſanctitate, & opere miniſterij domus Dei.*

29 *Et in pane ordinato, & in ſimila, & in ſacrificio, & in laganis infermentatorum, & in ſartagine, & in roſto, & in omni menſura, & menſura.*

30 *Et ad ſtandum ſingulo manè ad confitendum, & laudandum Dominum, & ſic veſperi.*

31 *Et ad omne offerre holocauſtorum Domino, ad ſabbata, ad Kalendas, & ad ſollemnitates, iuxta numerum, iuxta ordinem ſuper eis iugiter coram Domino.*

32 *Et cuſtodient cuſtodiam tabernaculi fœderis, & cuſtodiam, ſanctuarij, & cuſtodiam filiorum Aharon fratrum in miniſterio domus Domini.*

### CAP. XXIIII.

1 *DE filijs autem Aharon partitiones eorum erant: Filij Aharon: Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar.*

2 *Et mortuus eſt Nadab, et Abihu ante patrem ſuum, & filij non fuerunt eis: & ſacerdotio functi ſunt Elhazar, & Ithamar.*

3 *Et diuiſit eos Dauid, & Sadoc de filijs Elhazar, & Achimelech de filijs Ithamar ſecundum numerationem eorum in miniſterio eorum.*

4 *Et inuenti ſunt filij Elhazar plures in capitibus virorum, quam filij Ithamar. Et diuiſerunt eos, de filijs Elhazar duces per domum familiarum ſexdecim: & de filijs Ithamar per domum familiarum ſuarum octo.*

5 *Et diuiſerunt eos ſortibus iſtos cum iſtis, quia fuerunt principes ſanctuarij, & principes Dei, de filijs Elhazar, & de filijs Ithamar.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Quoniam dixit Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo: & habitauit in Hieruſalem vſque
in ſæculum. 26 Et Leuitæ non erant leuantes tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſterium eius,
27 quoniam in ſermonibus Dauid nouiſſimis eſt numerus filiorum Leui à vigeſimo anno, & ſupra:
28 quoniam ſtatuit eos in manu Aaron ad miniſtrandum in domo Domini in atrijs, & in paſtophorijs, & in pur-
gatione omnium ſanctorum, & in operibus miniſterij domus Dei, 29 & in panibus propoſitionis, & in ſimi-
la ſacrificij, & in laganis azymis, & in ſartagine, & in conſperſa, & in omni menſura, 30 & ad ſtandum
mane ad laudandum, & confitendum Domino, & ſic veſperi, 31 & ſuper omnia, quæ offeruntur holocauſta
Domino in ſabbathis, & in Neomenijs, & in feſtiuitatibus, iuxta numerum, iuxta iudicium ſuper eis ſemper Do-
mino. 32 Et cuſtodient cuſtodias tabernaculi teſtimonij, & cuſtodiam ſancti, & cuſtodias filiorum Aaron
fratrum ſuorum, ad miniſtrandum in domo Domini.

### CAP. XXIIII.

ET filijs Aaron diſtributione, Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar. 2 Et mortuus eſt Nadab, &
Abiud, ante patrem ſuum & filij non fuerunt eis. Et ſacerdotio functus eſt Eleazar, & Ithamar filij Aaron.
3 Et diſtribuit eos Dauid, & Sadoc de filijs Eleazari, & Achimelech de filijs Ithamar, ſecundum recognitionem
eorum, ſecundum miniſterium eorum, ſecundum domos patriarum ſuarum. 4 Et in-
uenti ſunt filij Eleazar plures in principes potentum præ filijs Ithamar. Et diſtribuit eos, filijs Eleazar principes
in domibus patriarum ſex & decem, filijs Ithamar ſecundum domos patriarum, octo.
5 Et diſtribuit eos per ſortes hos ad hos: quoniam fuerunt principes ſanctorum, & principes Domini in filijs
Eleazar, & in filijs Ithamar.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Deſcripſitque eos Semeias filius Nathanael ſcriba Leuites coram rege, & principibus, & Sadoc ſacerdote, & Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum ſacerdotalium, & Leuiticarum: vnã domum, quæ cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum quæ ſub ſe habebat cæteros, Ithamar.
7 Exiuit autem ſors prima Ioiarib, ſecunda Iedei:
8 Tertia Harim, quarta Seorim:
9 Quinta Melchia, ſexta Maiman:
10 Septima Accos, octaua Abia:
11 Nona Ieſua, decima Sechenia:
12 Vndecima Eliaſib, duodecima Iacim:
13 Tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab:
14 Decimaquinta Belga, decimaſexta Emmer:
15 Decimaſeptima Hezir, decimaoctaua Aphſes:
16 Decimanona Phetcia, vigeſima Hezechiel:
17 Vigeſimaprima Iachin, vigeſimaſecunda Gamul:
18 Vigeſimatertia Dalaian, vigeſimaquarta Maaziau.
19 Hæ vices eorum ſecundum miniſteria ſua, vt ingrediantur domum Domini, & iuxta ritum ſuum ſub manu Aaron patris eorum: ſicut præceperat Dominus Deus Iſrael.
20 Porro filiorum Leui, qui reliqui fuerant, de filijs Amram erat Subael, & de filijs Subael, Iehedeia:
21 De filijs quoque Rohobiæ princeps Ieſias.
22 Iſaari vero filius Salemoth, filiuſque Salemoth Iahath:
23 Filiuſque eius Ieriau primus, Amarias ſecundus, Iaziel tertius, Iecmaan quartus.
24 Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir.
25 Frater Micha, Ieſia: filiuſque Ieſiæ, Zacharias.
26 Filij Merari, Moholi, & Muſi. Filius Oziau: Benno.
27 Filius quoque Merari: Oziau, & Soam, & Zachur, & Hebri.
28 Porro Moholi filius: Eleazar, q̃ nõ habebat liberos.
29 Filius vero Cis Ierameel:
30 Filij Muſi: Moholi, Eder, & Ierimoth. Iſti filij Leui ſecundum domos familiarum ſuarum.
31 Miſeruntque & ipſi ſortes contra fratres ſuos filios Aaron coram Dauid rege, & Sadoc, & Ahimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium, & Leuiticarum, tam maiores, quam minores. Omnes ſors æqualiter diuidebat.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et deſcripſit eos Semahaiah filius Nethanel ſcriba, de Leui coram rege, & principibus, & Sadoc ſacerdote, & Achimelech filio Abiathar, & principibus familiarum ſacerdotum, & Leuitarum, domum familiæ, vnam iunllam ipſi Eldazar: & iunllam iunllam ipſi Ithamar.*
7 *Exiuit autem ſors prima ipſi Iehoiarib, ipſi Iedahaiah ſecunda:*
8 *Charim tertia, Sehorim quarta:*
9 *Malchijah quinta, Mijamin ſexta:*
10 *Hacchos ſeptima, Abijah octaua:*
11 *Ieſuah nona, Sehaniah decima:*
12 *Eliaſib vndecima, Iachim duodecima:*
13 *Chuppah tertiadecima, Ieſebab quartadecima:*
14 *Bilgah quintadecima, Immer ſextadecima:*
15 *Chezir ſeptimadecima, Piſſes octauadecima:*
16 *Pethachiah nonadecima, Iechezchel vigeſima:*
17 *Iachin vna & vigeſima, Ghamul ſecunda, & vigeſima:*
18 *Delaiahu tertia, & vigeſima, Mahaziahu quarta, & vigeſima.*
19 *Iſta numerationes eorum in miniſterio eorum, vt ingrediantur domum Domini ſecundum ordinem ſuũ per manum Aharon patris eorum, quemadmodum præcepit ei Dominus Deus Iſrael.*
20 *De filijs Leui reſiduis, de filijs Hamram, Subael, de filijs Subael, Iechdeiahu:*
21 *De Rechabiahu, de filijs Rechabiahu dux Ieſſijahu.*
22 *De Ishari, Selomith, Iachath:*
23 *Filij autem Ierijahu, Amariahu ſecundus, Iechaziel tertius, Iechaman quartus.*
24 *Filij Huzziel, Michah: de filijs Michah, Samir.*
25 *Frater Michah Ieſſijah: de filijs Ieſſijah Zechariahu*
26 *Filij Merari, Machali, & Muſi. Filij Iehazijahu: Beno.*
27 *Filij Merari: de Iehazijahu, Beno, & Soham, & Zacchur, & Hibri.*
28 *De Machali: Elhazar, & non fuerunt ei filij.*
29 *Chis, filij Cis Ierachmeel:*
30 *Filij autem Muſi: Machali, & Heder, & Ieremoth. Iſti filij Leuitarum per domum familiarum ſuarũ.*
31 *Et proiecerunt etiam ipſi ſortes contra fratres ſuos filios Aharon ante Dauid regem & Sadoc, & Achimelech, & principes familiarum Sacerdotalium, & Leuiticarum familiarum primus contra fratrem ſuum minorem.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et ſcripſit eos Samaias filius Nathanael ſcriba de Leui coram rege, & principibus: & Sadoc ſacerdos, & Achimelech filius Abiathar, & principes patriarum ſacerdotum, & Leuitarum: de domo patriæ, vna vna Eleazaro, & vna vna Ithamar. 7 Et exijt ſors prima Ioarim, Iediã ſecunda, 8 Charib tertia, Seorin quarta, 9 Melchiæ quinta, Meciamin ſexta, 10 Cos ſeptima, Abiæ octaua, 11 Ieſu nona, Sechenie decima: 12 Eliabi vndecima, Iacim duodecima, 13 Ophã tertia decima, Iesbaal quartadecima, 14 Belgã quintadecima, Emmer ſextadecima, 15 Chezin ſeptimadecima, Aphese octaua decima, 16 Phetthææ decima nona, Ezecel vigeſima, 17 Achim vna & vigeſima, Gamul ſecunda & vigeſima, 18 Adallai tertia & vigeſima, Maaſæ quarta & vigeſima. 19 Hæc recognitio eorum iuxta miniſterium eorum ad ingrediendum in domum Domini iuxta iudicium eorum per manum Aaron patris eorum, ſicut mandauit Dominus Deus Iſrael, 21 ipſi Raabia princeps. 22 Et ipſi Iſaari, Salamoth: filijs Salamoth Iath, 23 filij Ecdiũ, Amadia ſecundus, Iaziel tertius, 24 Iecmoam quartus. Filijs Oziel, Michã: filij Michã, Samer: 25 frater Michã Iſia: filius Iſia Zacharia. 26 Filij Merari Mooli, & Muſi. 27 Filij Ozia ipſius Merari ipſi Ozia. Filij eius Iſoam, & Sacchur, & Abai. 28 Ipſi Mooli Eleazar, & Ithamar. Et mortuus eſt Eleazar: & non fuerunt ei filij. 29 Ipſi Cis, Filij Cis, Hierameel.
30 Et filij Muſi, & Mooli & Eder, & Ierimoth. Hi filij Leuitarum ſecundum domos patriarum ſuarum.
31 Et acceperunt etiam ipſi ſortes ſicut fratres eorum filij Aaron coram rege, & Sadoc, & Achimelech, & principes patriarum ſacerdotum, & Leuitarum, patriarchæ Araab, ſicut fratres eius iuniores.

CAP.

## Vulgata Editio.

### CAP. XXV.

1 IGitur Dauid, & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & pſalterijs, & cymbalis ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes.

2 De filijs Aſaph: Zacchur, & Ioſeph, & Nathania, & Aſarela, filij Aſaph: ſub manu Aſaph prophetantis iuxta regem.

3 Porro Idithun: filij Idithun, Godolias, Sori, Ieſeias, & Haſabias, & Mathathias, ſex, ſub manu patris ſui Idithun, qui in cithara prophetabat ſuper confitentes, & laudantes Dominum.

4 Heman quoque: filij Heman Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, & Ieſbacaſſa, Mellothi, Othir, Mahazioth:

5 Omnes iſti filij Heman Videntis regis in ſermonibus Dei, vt exaltaret cornu: deditque Deus Hemã filios quattuordecim, & filias tres.

6 Vniuerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant, in cymbalis, & pſalterijs, & citharis, in miniſteria domus Domini iuxta regem: Aſaph videlicet, & Idithun, & Heman.

7 Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octogintaocto.

8 Miſeruntque ſortes per vices ſuas, ex æquo tam maior, quam minor, doctus pariter, & indoctus.

9 Egreſſaque eſt ſors prima Ioſeph, qui erat de Aſaph. Secunda Godoliæ, ipſi & filijs eius, & fratribus eius duodecim.

10 Tertia Zacchur, filijs & fratribus eius duodecim.

11 Quarta Iſari, filijs & fratribus eius duodecim.

12 Quinta Nathaniæ, filijs & fratribus eius duodecim.

13 Sexta Bocciau, filijs & fratribus eius duodecim.

14 Septima Iſreela, filijs & fratribus eius duodecim.

15 Octaua Ieſaiæ, filijs & fratribus eius duodecim.

16 Nona Mathaniæ, filijs & fratribus eius duodecim.

De-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXV.

1 *ET diuiſit Dauid, & principes exercitus in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Iedutkun: qui prophetabant in citharis, in pſalterijs, & in cymbalis, & fuit numerus eorum virorum operis ad miniſterium ſuum.*

2 *De filijs Aſaph: Zacchur, & Ioſeph, & Nethaniah, & Aſarelah, filij Aſaph ad iuſſionem Aſaph, qui prophetabat ad iuſſionem regis.*

3 *De Iedutkun: filij Iedutkun, Ghedaliahu, & Seri, & Ieſahiahu, Chaſabiahu, Mattithiahu ſex ad iuſſionem patris eorum Iedutkun in cithara, qui prophetabat ad confitendum, & laudandum Dominũ.*

4 *De Heman: filij Heman, Bucckiahu, Matthaniahu, Huzziel, Sebuel, & Ierimoth, Chananiah, Chanani, Eliathah, Ghiddalthi, & Romamthiheʒer, Ioſbecaſah, Mallothi, Hothir, Machazioth:*

5 *Omnes iſti filij Heman Videntis regis in verbis Dei ad exaltandum cornu: deditque Deus Heman filios quattuordecim, & filias tres.*

6 *Omnes iſti ad iuſſionem patris ſui, in cantico domus Domini, in cymbalis, pſalterijs, & citharis ad miniſterium domus Dei, ad iuſſionem regis: Aſaph, & Iedutkun, & Heman.*

7 *Et fuit numerus eorum cum fratribus ſuis docti in cantico Domini, omnis intelligens ducenti octoginta, & octo.*

8 *Et proiecerunt ſortes cuſtodiam contra cuſtodiam, ſicut paruus ſic magnus, intelligere faciens cum diſcente.*

9 *Et egreſſa eſt ſors prima ipſi Aſaph de Ioſeph: Ghedaliahu ſecunda: ipſe & fratres eius, & filij eius duodecim.*

10 *Tertia Zacchur, filij eius, & fratres eius duodecim.*

11 *Quarta ipſi Izhar, filij eius, & fratres eius duodecim.*

12 *Quinta Natthaniahu, filijs eius, & fratribus eius duodecim*

13 *Sexta Bucckijahu filijs eius, & fratribus eius duodecim.*

14 *Septima Ieſarelah filijs eius, & fratribus eius duodecim.*

15 *Octaua Ieſahiahu filijs eius, & fratribus eius duodecim.*

16 *Nona Matthaniahu filijs eius & fratribus eius duodecim.*

*De-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XXV

ET ſtatuit Dauid rex, & principes virtutis ad opera filios Aſaph, & Æman, & Idithum prophetantes in citharis, & in nablis, & in cymbalis. Et fuit numerus eorum iuxta caput eorum, qui operabantur in operibus ſuis:
2 Filij Aſaph, Saccur, Ioſeph, & Nathanias, & Eſrael: filij Aſaph adhærentes regi. 3 Ipſi Idithum, filij Idithum, Godolias, & Suri, & Iſeas, & Aſabias, & Matthathias, ſex poſt patrem ſuum Idithum, in cithara pulſantes confeſſionem, & laudem Domino. 4 Ipſi Æman, filij Æman, Bucias, & Matthanias, & Oziel, & Subael, & Ierimoth, & Ananias, & Anan, & Heliathá, & Godollathi, & Romethiezer, & Ieſbaſaca, & Mallithi, & Otheri, & Meazoth. 5 Omnes hi filij Æman pulſanti ad regem in verbis Dei ad exaltandum cornu. Et dedit Deus ipſi Æman filios quattuordecim, & filias tres. 6 Omnes hi cum patre ſuo cantantes hymnos in domo Dei, in cymbalis, & in nablis, & in citharis, ad ſeruitutem domus Dei, iuxta regem, & Aſaph, & Idithum, & Æman. 7 Et fuit numerus eorum poſt fratres ſuos, docti cantare Domino, omnis intelligens, ducenti octuaginta & octo. 8 Et iecerunt, & ipſi ſortes vicium diurnarum iuxta paruum, & iuxta magnum, perfectorum, & diſcentium. 9 Et exijt ſors prima filiorum eius, & fratrum eius ipſi Aſaph ipſius Ioſeph, Godolias: ſecundus Henia; filij eius, & fratres eius duodecim:
10 tertius Zacchur, filij eius, & fratres eius duodecim: 11 quartus Ieſri, filij eius, & fratres eius duodecim: 12 quintus Nathan, filij eius, & fratres eius duodecim:
13 ſextus Bucias, filij eius, & fratres eius duodecim: 14 ſeptimus Ieſiiel, filij eius, & fratres eius, duodecim: 15 octauus Ioſia, filij eius, & fratres eius duodecim:
16 nonus Matthanias filij eius, & fratres eius duodecim:



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Decima Semeiæ, filijs & fratribus eius duodecim.
18 Vndecima Azareel, filijs & fratribus eius duodecim.
19 Duodecima Haſabiæ, filijs & fratribus eius duodecim.
20 Tertiadecima Subael, filijs & fratribus eius duodecim.
21 Quartadecima Mathathiæ, filijs & fratribus eius duodecim.
22 Quintadecima Ierimoth, filijs & fratribus eius duodecim.
23 Sextadecima Hananiæ, filijs & fratribus eius duodecim.
24 Septimadecima Ieſbacaſſæ, filijs & fratribus eius duodecim.
25 Octauadecima Hanani, filijs & fratribus eius duodecim.
26 Nonadecima Mellothi, filijs & fratribus eius duodecim.
27 Vigeſima Eliatha, filijs & fratribus eius duodecim.
28 Vigeſimaprima Othir, filijs & fratribus eius duodecim.
29 Vigeſimaſecunda Geddelthi, filijs & fratribus eius duodecim.
30 Vigeſimatertia Mahazioth: filijs & fratribus eius duodecim.
31 Vigeſimaquarta Romemthiezer, filijs & fratribus eius duodecim.

### CAP. XXVI.

1 Diuiſiones autem ianitorum: De Coritis Meſelemia, filius Core, de filijs Aſaph.
2 Filij Meſelemiæ: Zacharias primogenitus, Iadihel ſecundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus.
3 Ælam quintus, Iohanan ſextus, Elioenai ſeptimus.
4 Filij autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad ſecundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus:
5 Ammiel ſextus, Iſſachar ſeptimus, Phollathi octauus: quia benedixit illi Dominus.
6 Semei autem filio eius nati ſunt filij, præfecti familiarum ſuarum: erant enim viri fortiſſimi.

Filij

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Decima Simhi filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
18 *Vndecima Hazarel, filijs eius & fratribus eius duodecim.*
19 *Duodecima Chaſabiah filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
20 *Tertiadecima Subael filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
21 *Quartadecima Matthithijahu filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
22 *Quintadecima Ieremoth filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
23 *Sextadecima Chananiahu filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
24 *Septimadecima Ioſbechaſah filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
25 *Octauadecima Chanani filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
26 *Nonadecima Mallothi filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
27 *Vigeſima Eliathah filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
28 *Vna & vigeſima Hothir filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
29 *Secunda, & vigeſima Ghiddalthi filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
30 *Tertia, & vigeſima Machazioth: filijs eius, & fratribus eius duodecim.*
31 *Quarta, & vigeſima Romamthihezer filijs eius, & fratribus eius duodecim.*

### *CAP. XXVI.*

1 *De diuiſionibus ianitorum: De Chorchim Meſelemiahu filius Core, de filijs Aſaph.*
2 *Et de Meſelemiahu: filij Zechariahu, primogenitus Iedihael, ſecundus Zebadiahu tertius, Iathaniel quartus.*
3 *Helam quintus, Iehochanam ſextus, Eliehohenai ſeptimus.*
4 *Et de Hebededom: filij Semahaiah primogenitus Iehozabad ſecundus, Iaach tertius, & Sachar quartus, & Nethanel quintus.*
5 *Hamiel ſextus, Iſaſchar ſeptimus, Pehullethai octauus: quia benedixit illi Deus.*
6 *Semahiah autem filio eius nati ſunt filij Dominantes domus familiarum ſuarum: fortes enim viribus erant.*

*Filij*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 decimus Semeia, filij eius, & fratres eius duodecim: 18 vndecimus Afriel, filij eius, & fratres
eius duodecim: 19 duodecimus Aſabia, filij eius, & fratres eius duodecim:
20 tertiuſdecimus Subael, filij eius, & fratres eius, duodecim: 21 quartuſdecimus Matthathias,
filij eius, & fratres eius duodecim: 22 quintuſdecimus Ierimoth, filij eius, & fratres eius
duodecim: 23 decimus ſextus Anania, filij eius, & fratres eius duodecim:
24 decimus ſeptimus Ieſbaſaca, filij eius, & fratres eius duodecim: 25 decimus octauus Ananias, filius eius, & fratres eius duodecim: 26 decimus nonus Mallithi, filij eius, & fratres eius duodecim: 27 vigeſimus Heliatha, filij eius, & fratres
eius duodecim: 28 vigeſimus primus Otheri, filij eius, & fratres eius duodecim: 29 vigeſimus ſecundus Godollathi, filij eius, & fratres eius duodecim:
30 vigeſimus tertius Meazoth, filij eius, & fratres eius duodecim: 31 vigeſimus quartus
Romethiezer, filij eius, & fratres eius duodecim.

### CAP. XXVI.

ET ad diſtributiones portarum filij Coreim Moſellamia de filijs Aſaph. 2 Et Moſellamiæ filius
Zacharias primogenitus, Iadiel ſecundus, Zabadia tertius, Iemuel quartus, 3 Iolam quintus, Ionathan
ſextus, Elionai ſeptimus, Abdedom octauus. 4 Et ipſi Abdedom filij, Samæas primogenitus, Ioſabath
ſecundus, Ioath tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, 5 Amiel ſextus, Iſſachar ſeptimus,
Phelathi octauus: quoniam benedixit eum Deus. 6 Et Samææ filio eius nati ſunt filij ipſius primogeniti Rhoſæ in domum paternam eius: quoniam potentes fuerunt.

Filij

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

7 Filij ergo Semeiæ: Othni,& Raphael, & Obed, Elzabad, fratres eius viri fortiſſimi: Eliu quoque, & Samachias.
8 Omnes hi, de filijs Obededom: ipſi,& filij,& fratres eorum fortiſſimi ad miniſtrandum ſexaginta duo de Obededom:
9 Porro Meſelemiæ filij, & fratres eorum robuſtiſſimi, decem & octo.
10 De Hoſa autem, id eſt de filijs Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum,& idcirco poſuerat eum pater eius in principem)
11 Helcias ſecundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus. Omnes hi filij,& fratres Hoſa, tredecim.
12 Hi diuiſi ſunt in ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorum miniſtrarent in domo Domini.
13 Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo,& paruis,& magnis, per familias ſuas in vnamquamque portarum.
14 Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo,& erudito, ſortito obtigit plaga Septentrionalis.
15 Obededom vero & filijs eius ad Auſtrum: in qua parte domus erat ſeniorum concilium.
16 Sephim,& Hoſa ad Occidentem, iuxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam.
17 Ad Orientem vero Leuitæ ſex: & ad Aquilonem quattuor per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die quattuor: & vbi erat concilium bini,& bini.
18 In cellulis quoque ianitorum ad Occidẽtem quattuor in via, binique per cellulas.
19 Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Core, & Merari.
20 Porro Achias erat ſuper theſauros domus Dei, & vaſa ſanctorum.
21 Filij Ledan filij Gerſonni: de Ledan principes familiarum, Ledan,& Gerſonni, Iehieli.
22 Filij Iehieli: Zathan, & Ioel fratres eius ſuper theſauros domus Domini:
23 Amramitis, & Iſaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis.
24 Subael autem filius Gerſom, filij Moyſi, præpoſitus theſauris.
25 Fratres quoque eius Eliezer, cuius filius Rababia,& huius filius Iſaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri,& huius filius Selemith.

Ipſe

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Filij Semahiah: Hothni,& Rephael,& Hobed Elzabad, fratres eius filij fortitudinis: Eliiahu,& Semachiahu.*
8 *Omnes iſti de filijs Hobededom: ipſi,& filij eorum,& fratres eorum viri fortes in fortitudine ad miniſterium ſexaginta,& duo de Hobededom.*
9 *Et de Meſelemiahu filij, & fratres filij fortes octo, & decem.*
10 *Et de Choſah de filijs Merari: filij Simri princeps, non enim fuerat primogenitus, & poſuit eum pater ſuus principem.*
11 *Chilchiiahu ſecundus, Thebaliahu tertius, Zechariahu quartus. Omnes filij, & fratres Choſah tredecim.*
12 *De iſtis diuiſionibus ianitorum, & de principibus virorum cuſtodiarum contra fratres ſuos ad miniſtrandum in domo Domini.*
13 *Et proiecerunt ſortes, ſicut paruus ſic magnus per domum familiarum ſuarum ad ſingulas portas.*
14 *Et cecidit ſors ad Orientem ipſi Selemiahu. Et Zechariahu filio eius conſiliario cum intellectu proiecerunt ſortes,& egreſſa eſt ſors eius ad Aquilonem.*
15 *Ipſi Hobededom ad Auſtrum: & filijs eius domus conciliorum.*
16 *Ipſi Suppim, & Choſah ad Occidentem cum porta quæ itur per viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam.*
17 *Ad Orientem Leuitæ ſex: ad Aquilonem per diem quatuor: ad Meridiem per diem quattuor: & ad conciliorum per ſingula loca duo.*
18 *Ad domum inſtrumentorum ad Occidentem quattuor, pro via duo per ſingulas domos.*
19 *Iſtæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Chorchitarum,& filiorum Merari.*
20 *Et Leuitæ Achiiah ſuper theſauros domus Dei, & theſauros ſanctitatum.*
21 *Filij Lahadan, filij Ghaerſunni: de Lahadan principes familiarum, de Lahadan, Ghaerſunni, Iechieli.*
22 *Filij Iechieli: Zetham, & Ioel fratres eius ſuper theſauros domus Domini:*
23 *De Hamrami, de Iſhari, de Chebroni, & Hazzieli.*
24 *Et Sebuel filij Gherſom, filij Moſeh dux ſuper theſauros.*
25 *Et fratres eius de Elihezer, Rechabiahu filius eius, & Ieſahiahu filius eius,& Ioram filius eius,& Zichri filius eius,& Selomith filius eius.*

*Ipſe*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Filij Samai Othni,& Raphael,& Obed,& Elzabath,& Achiud,filij potentes,Eliu,& Sabachia,& Iſbacom.
8 Omnes de filijs Abdedom,ipſi,& filij eorum,& fratres eorum facientes potenter in operatione,omnes ſexaginta duo ipſi Abdedom.
9 Et Moſellemiæ filij,& fratres decem & octo potentes.
10 Et ipſi Oſa de filijs Merari filij cuſtodientes principatum,quoniam non fuit primogenitus.Et fecit eum pater eius principem diſtributionis ſecundæ:
11 Chelchias ſecundus,Tablai tertius,Zacharias quartus. Omnes hi filij,& fratres Oſa tredecim:
12 his diſtributiones portarum principibus potentum diuorſæ vices ſicut fratres eorum ad miniſtrandum in domo Domini.
13 Et miſerunt ſortes iuxta paruum,& iuxta magnum ſecundum domos patriarum eorum ad portam,& portam.
14 Et cecidit ſors earum,quæ ad Orientem,Selemiæ: & Zachariæ filij Ioas ipſi Melchiæ iecerunt ſortes,& exijt ſors ad Aquilonem:
15 ipſi Abdedom Auſtrum è regione domus
16 Eſephim,in ſecundo, ipſi Oſa ad Occidentem poſt portam paſtophorij aſcenſionis,cuſtodia è regione cuſtodiæ:
17 ad Orientem ſex die,Aquiloni die quattuor,Auſtrum die quattuor: & ad Eſephim duo in excipientibus: & ipſi Oſa ad Occidentem poſt portam paſtophorij tres: cuſtodia è regione cuſtodiæ aſcenſionis,ad Orientem die ſex, & Aquiloni quattuor, & Auſtro quattuor, & Eſephim duo
18 in excipientibus,& ad Occidentem quattuor & ad ſemitam duo excipientes.
19 Hæ diſtributiones ianitorum filijs Core,& filijs Merari.
20 Et Leuitæ fratres eorum ſuper theſauros domus Domini,& ſuper theſauros ſanctificatorum.
21 Filij Ladan hi: filij ipſi Gerſoni,ipſi Ladan principes patriarum Ladan ipſi Gerſoni Iiel.
22 Filij Iiel Iethom,& Ioel,fratres ſuper theſauros domus Domini:
23 Ipſi Ambram,& Iſaar,Chebron,& Oziel.
24 Et Sabael,qui Gerſan,qui Moyſi ſuper theſauros.
25 Et fratri eius Eliezer Rabias filius,& Ioſias,& Ioram,& Zechri,& Salamoth:

 Ipſe

## Vulgat. Editio.

26 Ipſe Selemith, & fratres eius ſuper theſauros ſan-
ctorum, quæ ſanctificauit Dauid rex, & principes fa-
miliarum, & tribuni, & centuriones, & duces exer-
citus.
27 De bellis, & manubijs præliorum, quæ conſecraue-
rant ad inſtaurationem, & ſupellectilem templi Do-
mini.
28 Hæc autem vniuerſa ſanctificauit Samuel Videns, &
Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius
Saruiæ: omnes, qui ſanctificauerant ea per manum
Selemith, & fratrum eius.
29 Iſaaritis vero præerat Chonenias, & filij eius ad ope
ra forinſecus ſuper Iſrael ad docendum, & iudi-
candum eos.
30 Porro de Hebronitis Haſabias, & fratres eius viri
fortiſſimi, mille ſeptingenti præerant Iſraeli trans
Iordanem contra Occidentem, in cunctis operibus
Domini, & in miniſterium regis.
31 Hebronitarum autem princeps fuit Ieria ſecundum
familias, & cognationes eorum. Quadrageſimo anno
regni Dauid recenſiti ſunt, & inuenti ſunt viri for-
tiſſimi in Iazer Galaad:
32 Fratreſque eius robuſtioris ætatis, duo millia ſep-
tingenti principes familiarum. Præpoſuit autem eos
Dauid rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiæ tribui
Manaſſe, in omne miniſterium Dei, & regis.

### CAP. XXVII.

1 FIlij autem Iſrael ſecundum numerum ſuum,
principes familiarum, tribuni, & centuriones, &
præfecti, qui miniſtrabant regi iuxta turmas ſuas,
ingredientes, & egredientes per ſingulos menſes in
anno, viginti quattuor millibus ſinguli præerant.
2 Primæ turmæ in primo menſe Ieſboam præerat fi-
lius Zabdiel, & ſub eo viginti quattuor millia.
3 De filijs Phares, princeps cunctorum principum in
exercitu menſe primo.
4 Secundi menſis habebat turmam Dudia Ahohites,
& poſt ſe alter nomine Macelloth, qui regebat par-
tem exercitus viginti quattuor millium.
5 Dux quoque turmæ tertiæ in menſe tertio erat Ba-
naias filius Ioiadæ ſacerdos: & in diuiſione ſua vi-
ginti quattuor millia.

Ipſe

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Ipſe Selemith, & fratres eius ſuper omnes theſau-
ros ſanctificationum, quæ ſanctificare fecit Dauid
rex, & principes familiarum, & tribuni, & centu-
riones, & principes exercitus.*
27 *De bellis, & de ſpolijs ſanctificare fecerunt ad robo-
randum domum Domini.*
28 *Et omne quod ſanctificauit Samuel videns, & Saul
filius Chis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Ser-
uiah: omne quod ſanctificauit ad ſuſſicent Selemith,
& fratrum eius.*
29 *De Iſhari Chenaniahu, & filij eius ad opus forinſe-
cus ſuper Iſrael præfecti, & iudices.*
30 *De Chebroni Chaſabiahu, & fratres eius viri robu-
ſti, mille & ſeptingenti ſuper officium Iſrael trans
Iarden ad Occidentem, ad omne opus Domini, & ad
miniſterium regium.*
31 *De Chebroni Iedijah dux ipſi Chebroni ſecundum
generationes eius per familias. Anno quadrageſimo
regni Dauid quæſiti ſunt, & inuenti ſunt in eis for-
tes viribus in Iahazer Ghilhad:*
32 *Et fratres eius viri robuſti mille, & ſeptingenti prin-
cipes familiarum. Et conſtituit eos Dauid rex ſuper
Reubenitas, & Ghaditas, & dimidiam tribum Me-
naſſitarum ad omnem rem Dei, & rem regis.*

### CAP. XXVII.

1 *FIlij autem Iſrael ſecundum numerum ſuum
principes familiarum, & tribuni, & centuriones,
& præfecti miniſtrantes regi ſecundum omnem rem
diuiſionum quæ ingrediebantur, & egrediebantur per
menſes ſingulos per omnes menſes anni, diuiſio vna
viginti & quattuor millium.*
2 *Super diuiſione prima in menſe primo Iaſobham fi-
lius Zabdiel, & in diuiſione eius viginti, & quat-
tuor millia.*
3 *De filijs Peres princeps cunctorum principum exer-
cituum in menſe primo.*
4 *Et ſuper diuiſiones menſis ſecundi Dodai Achochi-
tes, & diuiſio eius, & Micloth dux, & in diuiſione
eius viginti & quattuor millia.*
5 *Princeps exercitus tertij menſe tertio Benaiahu fi-
lius Iehoiadah ſacerdotis princeps: & in diuiſione
eius viginti, & quattuor millia.*

*Ipſe*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

26 Ipſe Salamoth, & fratres eius ſuper omnes theſauros ſanctorum, quæ ſanctificauit Dauid rex, & principes pa-
triarum, Chiliarchi, & centuriones, & Duces virtutis: 27 quæ cepit ex ciuitatibus, & de ſpolijs, & ſanctificauit
de ipſis, vt non deficeret ædificatio domus Dei: 28 & ſuper omnia ſancta Dei Samuel prophetæ, & Saul filij
Cis, & Abenner filij Ner, & Ioab filij Saruiæ, omne quod ſanctificauerant per manum Salomoth, & fratrum eius.
29 Ipſi Iſaari Chonenia, & filij operationis, quæ extra, ſuper Iſrael, ad ſcribendum, & dijudicandum. 30 Ipſi
Chebroni Aſabias, & fratres eius, filij potentes, mille & ſeptingenti ſuper recognitionem Iſrael, trans Iordanē ad
Occidentem, in omne miniſterium Domini, & operationem regis. 31 Ipſius Chebroni Vrias princeps eorum,
qui Chebroni ſecundum generationes eorum, ſecundum patrias in quadrageſimo anno regni eius recogniti ſunt,
& inuentus eſt vir potens in eis in Iazer Galaaditidis: 32 & fratres eius filij potentes bis mille ſeptingenti,
principes patriarum: & conſtituit eos Dauid rex ſuper Rubeni, & Gaddi, & dimidium tribus Manaſſe ad omne
præceptum Domini, & verbum regis.

### CAP. XXVII.

ET filij Iſrael iuxta numerum ſuum principes patriarum, Chiliarchi, & centuriones, & ſcribæ miniſtrantes re-
gi, & ad omne verbum regis ſecundum diſtributiones, omne verbum, ingredientis, & egredientis, menſem ex
menſe, in omnes menſes anni, diſtributio vna viginti & quatuor millia. 2 Et ſuper diſtributionem
primam menſis primi, Isboaz filius Zabdiel, ſuper diſtributionem eius, viginti & quattuor millia: 3 de filijs
Phares princeps omnium principum virtutis, menſis primi. 4 Et ſuper diſtributionem menſis ſecundi
Dodia, qui de Choc: & ſuper diſtributionem eius, & Maceloth præfectus, & ſuper diſtributionem eius viginti &
quattuor millia principes virtutis. 5 Tertius menſe tertio Banaias filius Iodae ſacerdos princeps: &
ſuper diſtributionem eius viginti & quattuor millia.

Ipſe

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Ipſe eſt Banaias fortiſſimus inter triginta, & ſuper 6
triginta, præerat autem turmæ ipſius Amizabad fi-
lius eius.
Quartus, menſe quarto, Aſahel frater Ioab & Zaba- 7
dias filius eius poſt eum: & in turma eius viginti-
quattuor millia.
Quintus, menſe quinto, princeps Samaoth Iezeri- 8
tes: & in turma eius viginti quattuor millia.
Sextus, menſe ſexto, Hira filius Acces Thecuites: & 9
in turma eius viginti quattuor millia.
Septimus, menſe ſeptimo, Helles Phallonites de 10
filijs Ephraim: & in turma eius viginti quattuor
millia.
Octauus, menſe octauo, Sobochai Huſathites de 11
ſtirpe Zarahi: & in turma eius viginti quattuor mil-
lia.
Nonus, menſe nono, Abiezer Anathothites de fi- 12
lijs Iemini: & in turma eius viginti quattuor mil-
lia.
Decimus, menſe decimo, Marai, & ipſe Netopha- 13
thites de ſtirpe Zarai: & in turma eius viginti quat-
tuor millia.
Vndecimus, menſe vndecimo, Banaias Pharathoni- 14
tes de filijs Ephraim: & in turma eius viginti quat-
tuor millia.
Duodecimus, menſe duodecimo, Holdai Netopha- 15
thites, de ſtirpe Gothoniel: & in turma eius viginti-
quattuor millia.
Porro tribubus præerant Iſrael, Rubenitis, dux Ele- 16
zer filius Zechri: Simeonitis dux Saphathias filius
Maacha:
Leuitis, Haſabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: 17
Iuda, Eliu, frater Dauid: Iſſachar, Amri filius Mi- 18
chael.
Zabulonitis, Ieſmaias filius Abdiæ: Nephthaliti- 19
bus Ierimoth filius Ozriel:
Filijs Ephraim, Oſee filius Ozaziu: dimidiæ tribui 20
Manaſſe, Ioel filius Phadaiæ:
Et dimidiæ tribui Manaſſe in Galaad, Iaddo filius 21
Zachariæ: Beniamin autem Iaſiel filius Abner.
Dan vero, Ezrihel filius Ieroham: hi principes fi- 22
liorum Iſrael.
Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis 23
inferius: quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Iſ-
rael quaſi ſtellas cœli.

Ioab

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Ipſe eſt Benaiahu fortis inter triginta, & ſuper tri-
ginta, & in diuiſione eius Hammizadab filius eius.*
7 *Quarti in menſe quarto Haſael frater Ioab, & Ze-
badiah filius eius poſt eum, & in diuiſione eius vi-
ginti, & quattuor millia.*
8 *Quinti in menſe quinto Samhuth Izrach, & in di-
uiſione eius viginti, & quattuor millia*
9 *Sexti menſe ſexto Hiram filius Hicches, Tecoites,
& in diuiſione eius viginti, & quattuor millia.*
10 *Septimi menſe ſeptimo Cheles Pelonites de filijs E-
phraim: & in diuiſione eius viginti, & quattuor
millia.*
11 *Octaui menſe octauo Sibbechai Chuſathites de
Zarchi: & in diuiſione eius, viginti, & quattuor
millia.*
12 *Noni menſe nono Abihezer Hanthothites de filijs
Iemini: & in diuiſione eius viginti, & quattuor
millia.*
13 *Decimi menſe decimo Maharai Nethophathites de
Zarchi: & in diuiſione eius viginti, & quattuor
millia.*
14 *Vndecimi vndecimo menſe Benaiah Pirhathonites
de filijs Ephraim: & in diuiſione eius viginti, &
quattuor millia.*
15 *Duodecimi duodecimo menſe Cheldai, Nethophati-
tes, de Hathniel, & in diuiſione eius viginti, &
quattuor millia.*
16 *Et ſuper tribus Iſrael ſuper Reubenitas dux Elihe-
zer filius Zichri: ſuper Simhonitas, Sephathiahu
filius Mahacah.*
17 *Super Leui, Ghaſabiah filius Chemuel: ſuper Aha-
ron, Sadoc:*
18 *Super Iehudah, Elin de fratribus Dauid: ſuper Iſſa-
ſchar, Hamri filius Michael.*
19 *Super Zebulun, Iſmahiahu filius Hobadiahu: ſu-
per Naphthali, Ieremoth filius Hazriel:*
20 *Super filios Ephraim, Hoſeah filius Hazaziahu:
ſuper dimidiam tribum Menaſſeh filius Peda-
iahu:*
21 *Super dimidium Menaſſeh in Ghilhad Iddo filius
Zechariahu: ſuper Biniamin Iahaziel filius Ab-
ner.*
22 *Super Dan, Hazrael filius Ierocham: iſti principes
tribuum Iſrael.*
23 *Et non leuauit Dauid numerum eorum à filio vi-
ginti annorum, & infra: quia dixit Dominus, vt
multiplicaret Iſrael veluti ſtellas cœli.*

*Ioab*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Ipſe Banaias potentior triginta, & ſuper triginta: & ſuper diſtributionem eius Zabad filius eius. 7 Quartus
in menſem quartum Azael frater Ioab, & Zabodias filius eius, & fratres: & ſuper diſtributionem eius viginti, &
quattuor millia. 8 Quintus menſi quinto præfectus Samaoth filius Ieſrae: & ſuper diſtributionem eius vi-
ginti & quattuor millia. 9 Sextus menſi ſexto Oduias filius Ecces Thecoita: & ſuper diſtributionem eius
viginti & quattuor millia. 10 Septimus menſi ſeptimo Chelles, qui de Phallus, de filijs Ephræm: & ſuper
diſtributionem eius viginti & quattuor millia 11 Octauus menſi octauo Sobochai Vſathi ipſi Zarai: & ſu-
per diſtributionem eius viginti & quattuor millia. 12 Nonus menſi nono Abiezer, qui ex Anathoth, qui
de terra Beniamin: & ſuper diſtributionem eius quattuor, & viginti millia. 13 Decimus menſi decimo
Meera, qui ex Netophati, ipſi Zarai, & ſuper diſtributionem eius viginti & quattuor millia: 14 Vndecimus
menſi vndecimo Banaias, qui ex Pharathon, de filijs Ephræm: & ſuper diſtributionem eius, viginti & quattuor
millia: 15 Duodecimus in menſem duodecimum, Choldia, qui ex Netophathi, ipſi Gothoniel: & ſuper di-
ſtributionem eius viginti & quattuor millia. 16 Et ſuper tribus Iſrael, ipſi Ruben præfectus Eliezer,
qui ipſius Zechri: Ipſi Symeon, Saphatias, qui ipſius Maacha: 17 Ipſi Leui, Aſabias, qui ipſius Chamuel:
Ipſi Aaron, Sadoc. 18 Ipſi Iuda Eliab de fratribus Dauid: Ipſi Iſſachar, Ambri, qui ipſius Michael.
19 Ipſi Zabulon Samaias, qui Abdiæ: Ipſi Nephthali, Ierimoth, qui ipſius Oziel: 20 Ipſi Ephræm, Oſe,
qui Oziæ: Dimidio tribus Manaſſe, Ioel filius Phadaia: 21 Dimidio tribus Manaſſe, quod in terra
Galaad Iadai, qui Zadiæ: Filijs Beniamin, Iaſiel, qui ipſius Abenner: 22 Ipſi Dan, Azariel, qui ipſius
Ioab. Hi patriarchæ tribuum Iſrael. 23 Et non cepit Dauid numerum eorum à viginti annis, &
infra: quoniam dixerat Dominus multiplicare Iſrael, ſicut aſtra cœli.

## Vulgat. Editio.

* ſup. 21. 1.

24 * Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit: quia ſuper hoc ira irruerat in Iſrael: & idcirco numerus eorum, qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos regis Dauid.

25 Super theſauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. His autem theſauris, qui erant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, præſidebat Ionathan filius Oziæ.

26 Operi autem ruſtico, & agricolis, qui exercebāt terram, præerat Ezri filius Chelub:

27 Vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinarijs, Zabdias Aphonites.

28 Nam ſuper olineta, & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Balanam Gederites: ſuper apothecas autem olei, Ioas.

29 Porro armentis, quæ paſcebantur in Saron, præpoſitus fuit Setrai Saronites: & ſuper boues in vallibus Saphat filius Adli:

30 Super camelos vero, Vbil Iſmahelites: & ſuper aſinos, Iadias Meronathites.

31 Super oues quoque Iaziz Agareus. Omnes hi, principes ſubſtantiæ regis Dauid.

32 Ionathan autem patruus Dauid, conſiliarius, vir prudens, & litteratus: Ipſe & Iahiel filius Hachamoni erant cum filijs regis.

33 Achitophel etiam conſiliarius regis, & Chuſai Arachites amicus regis.

34 Poſt Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, & Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Ioab.

### CAP. XXVIII.

1 Conuocauit igitur Dauid omnes principes Iſrael, duces tribuum, & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant regi: tribunos quoque & centuriones, & qui præerant ſubſtantiæ, & poſſeſſionibus regis, filioſque ſuos cum eunuchis, & potentes, & robuſtiſſimos quoſque in exercitu Ieruſalem.

2 Cumque ſurrexiſſet rex, & ſtetiſſet, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri: & ad ædificandum, omnia præparaui.

* 1. Reg. 7. 11.

3 Deus autem dixit mihi: * Non ædificabis domum nomini meo, eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis.

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Ioab filius Seruiah cœpit numerare, & non compleuit: & fuit propter hoc ira ſuper Iſrael: & non aſcendit numerus in numerum verborum dierum regis Iſrael.*

25 *Super theſauros autem regis fuit Hazmaueth filius Hadiel. Et ſuper theſauros in regione, in vrbibus, & in villis, & in turribus fuit Ionathan filius Huzziahu.*

26 *Et ſuper facientes opus agri in cultura terræ Hezri filius Chelub:*

27 *Et ſuper vineas Simhi Ramathites: & ſuper ea, quæ ſunt in vineis ſuper cellaria vini Zabdi Siphmites.*

28 *Et ſuper oliueta, & ſicomoros, quæ ſunt in campeſtribus Bahalcanan Ghederites: & ſuper cellaria olei Iohas.*

29 *Et ſuper boues, qui paſcebantur in Saron Sithri Saronites: & ſuper boues in vallibus Saphath filius Hadlai:*

30 *Et ſuper camelos Obil Iſmahelites: & ſuper aſinas Iecdiahu Meronothites.*

31 *Et ſuper pecudes Iaziz Haghcrites. Omnes iſti principes ſubſtantiæ, quæ erant regi Dauid.*

32 *Ionathan autem patruus Dauid conſiliarius vir intelligens, & ſcriba: Ipſe, & Iechiel filius Chachmoni cum filijs regis.*

33 *Achithophel autem conſiliarius regis, & Chuſai Archites amicus regis.*

34 *Et poſt Achithophel Iehoiadah filius Benaiahu, & Ebiathar, & princeps exercitus regis Ioab.*

### CAP. XXVIII.

1 *Et congregauit Dauid omnes principes Iſrael, principes tribuum, & principes diuiſionum miniſtrantium regi, & tribunos, & centuriones, & principes ſubſtantiæ & poſſeſſionis regis, & filiorum eius cum eunuchis, & potentibus, & omnem fortem viribus in Ieruſalaim.*

2 *Et ſurrexit Dauid rex ſuper pedes ſuos & ait: Audite me fratres mei, & populus meus: In corde meo fuit, vt ædificarem domum quietis arcæ fœderis Domini, & ſcabello pedum Dei noſtri: & preparaui ad ædificandum.*

3 *Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, quia vir bellorum es, & ſanguinem effudiſti.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

24 Et Ioab Saruiæ cepit numerare in populo, & non conſummauit: & facta eſt in his ira ſuper Iſrael: & non eſt
relatus numerus in librum verborum dierum regis Dauid. 25 Et ſuper theſauros regis, Aſmoth, qui ipſius
Odiel: 26 & ſuper theſauros, qui in agro, & in pagis, & in villis, & in turribus, Ionathan, qui Oziæ: & ſuper
agricolas terram operantes, Eſdri, qui ipſius Chelub: 27 Et ſuper cellas, Semei, qui de Rael: & ſuper theſauros,
qui in cellis vini, Zabdi, qui ipſius Sephni. 28 Et ſuper olineta, & ſuper ſycomoros, quæ in campeſtri, Ballanan
Gedorita: ſuper theſauros autem olei, Ioas. 29 Et ſuper boues paſcuales, qui in Saron, Satrai Saronitæ: &
ſuper boues, qui in vallibus, Sophat, qui ipſius Adli. 30 Super camelos autem, Abias Iſmaelita. Super aſinos
autem Iadias, qui de Merathon. 31 Et ſuper oues, Iaziz Agarita. Omnes hi præfecti ſubſtantiæ Dauid regis.
32 Et Ionathan patruus Dauid conſiliarius, homo intelligens. Et Ieel, qui ipſius Achami, cum filijs regis.
33 Achitophel conſiliarius regis: & Chuſi primus amicus regis: 34 & poſt hunc Achitophel, ſequens Iodae,
qui Banææ, & Abiathar, & Ioab princeps militiæ regis.

### CAP. XXVIII.

Et conuocauit Dauid omnes principes Iſrael, principes iudicum, & omnes principes diurnarum vicium, quæ
circa corpus regis, & principes millium, & centuriarum, & cuſtodes theſauri, & eos, qui ſuper ſubſtantiam ipſius,
& omnem poſſeſſionem regis, & filiorum eius, cum eunuchis, & potentes, & bellatores militiæ in Hieruſalem.
2 Et ſtetit Dauid in medio Eccleſiæ, & dixit: Audite me fratres mei, & populus meus. Mihi factum eſt ſuper cor
ædificare domum requietis arcæ teſtamenti Domini, & ſtationem pedum Domini noſtri: & paraui, quæ ad habitationem
apta. 3 Et Deus dixit: Non ædificabis mihi domum, ad cognominandum nomen meum in ea:
quoniam homo bellator es tu, & ſanguinem effudiſti.

Et ele-

## Vulgata Editio.

4 Sed elegit Dominus Deus Iſrael me de vniuerſa domo patris mei, vt eſſem rex ſuper Iſrael in ſempiternum: de Iuda enim elegit principes: porro de domo Iuda, domum patris mei: & de filijs patris mei, placuit ei vt me eligeret regem ſuper cunctũ Iſrael.

* ſup.9.7. 5 * Sed & de filijs meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael,

6 Dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.

7 Et firmabo regnum eius vſque in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia, ſicut & hodie.

8 Nunc ergo coram vniuerſo cœtu Iſrael audiente Deo noſtro, cuſtodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei noſtri: vt poſſideatis terram bonam, & relinquatis eam filijs veſtris poſt vos vſque in ſempiternum.

* Pſ.7.10. 9 Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſeruito ei corde perfecto, & animo voluntario: * omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentiũ cogitationes intelligit. Si quæſieris eũ, inuenies: ſi autẽ dereliqueris eũ, proijciet te in æternum.

10 Nunc ergo quia elegit te Dominus vt ædificares domum Sanctuarij, confortare, & perfice.

11 Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis,

12 Necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in theſauros domus Domini, & in theſauros ſanctorum,

13 Diuiſionumque ſacerdotalium & Leuiticarum, in omnia opera domus Domini, & in vniuerſa vaſa miniſterij templi Domini.

14 Aurum in pondere per ſingula vaſa miniſterij. Argenti quoque pondus pro vaſorum & operum diuerſitate.

15 Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum aurum pro menſura vniuſcuiuſque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & lucernas eorum, pro diuerſitate menſuræ, pondus argenti tradidit.

16 Aurum quoque dedit in menſas propoſitionis pro diuerſitate menſarum: ſimiliter & argentum in alias menſas argenteas.

Ad

## Transl. ex Heb Sanct. Pagn.

4 *Et elegit Dominus Deus Iſrael me ex omni domo patris mei, vt eſſem rex ſuper Iſrael in ſæculum: de Iehudah enim elegit ducem, & è domo Iehudah domum patris mei, & è filijs patris mei me voluit, vt regnarem ſuper vniuerſum Iſrael.*

5 *Et è filijs meis (multos enim filios dedit mihi Dominus) elegit Selomoh filium meum, vt ſederet ſuper thronum regni Domini ſuper Iſrael.*

6 *Dixitque mihi Selomoh filius tuus ipſe ædificabit domum meam, & atria mea: elegi enim eum in filium, & ego ero illi in patrem.*

7 *Et firmabo regnum eius vſque in ſæculum, ſi robuſtus fuerit ad faciendum præcepta mea, & iudicia mea ſecundum diem hanc.*

8 *Et nunc in oculis omnis Iſrael cœtus Domini, & in auribus Dei noſtri cuſtodite, & quærite cuncta mandata Domini Dei noſtri, vt poſſideatis terram bonam, & hæreditare faciatis filios veſtros poſt vos vſque in ſæculum.*

9 *Et tu Selomoh fili mi ſcito Deum patris tui, & ſerui eo corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & omnem imaginationem intelligit. Si quæſieris eum, inuenietur tibi, & ſi dereliqueris eum, proijciet te in æternum.*

10 *Vide nunc quod Dominus elegit te, vt ædificet domum ſanctuarij, confortare, & fac.*

11 *Dedit autem Dauid Selomoh filio ſuo ſimilitudinem porticus, & domorum eius, & cellariorum eius, & cœnaculorum eius, & cubiculorum eius intrinſecorum, & domus propitiationis.*

12 *Et ſimilitudinem omnis quod fuerat in ſpiritu cum eo in atrijs domus Domini, & in omnibus cubiculis per circuitum in theſauros Dei, & in theſauros ſanctitatum.*

13 *Et in diuiſionibus ſacerdotum, & Leuitarum, & in omni opere miniſterij domus Domini, & in omnibus vaſis miniſterij domus Domini.*

14 *In auro, in pondere auri, in omnibus vaſis ſingulorum miniſteriorum: in omnibus vaſis argenteis, in pondere, & in omnibus vaſis ſingulorũ miniſteriorũ.*

15 *Et pondus in candelabris aureis, & lucernas eorum aureis in pondere candelabri, & candelabri & lucernarum eius: & candelabris argenteis in pondere pro candelabro, & lucernis eius ſecundum miniſterium cuiuslibet candelabri.*

16 *Et auri pondus pro menſis propoſitionis, pro ſingula menſa, & argentum pro menſis argenteis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Et elegit Dominus Deus Iſrael in me, de omni domo patris mei, & eſſe regem ſuper Iſrael in ſæculum: & in Iuda elegit regnum, & de domo Iuda domum patris mei. Et in filijs patris mei, in me voluit: vt eſſem ego in regem ſuper omnem Iſrael. 5 Et de omnibus filijs meis (quia multos filios dedit mihi Dominus) elegit in Salomon filio meo, ſedere ipſum ſuper thronum regni Domini ſuper Iſraeſl. 6 Et dixit mihi Deus: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atrium meum: quoniam elegi in eo, eſſe meum filium, & ego ero ei in patrem: 7 & dirigam regnum eius vſque in ſæculum; ſi inualuerit ad cuſtodiendum mandata mea, & iudicia mea, ſicut dies hæc. 8 Et nunc ad faciem vniuerſæ Eccleſiæ Domini, & in auribus Dei noſtri, obſeruate, & quærite omnia mandata Domini Dei noſtri, vt hæreditetis terram bonam, & in hæreditatem tradatis filijs veſtris poſt vos vſque in ſæculum. 9 Et nunc Salomon fili noſce Deum patrum tuorum & ſerui ei in corde perfecto, & anima volente: quoniam omnia corda ſcrutatur Dominus, & omnem cogitationem cognoſcit. Si quæſieris eum; inuenietur tibi: & ſi dereliqueris eum; derelinquet te in finem. 10 Vide nunc, quia Dominus elegit te ædificare ſibi domum ſanctificationum. Confortare, & fac. 11 Et dedit Dauid Salomon filio ſuo exemplar templi, & domorum eius, & Zacchon eius, & cœnaculorum & apothecarum interiorum, & domus propitiationis: 12 & exemplar, quod habuit in ſpiritu ſuo, atriorum domus Domini, & omnium paſtophoriorum, quæ in circuitu, quæ ad apothecas domus Domini, 13 & apothecarum ſanctorum & diuerſoriorum, & vicium ſacerdotum, & Leuitarum, ad omnem operationem miniſterij domus Domini, & apothecarum miniſterialium vaſorum cultus domus Domini: 14 & menſuram ponderis eorum, & aureorum, & argenteorum: 15 candelabrum pondus dedit ei: & lucernarum dedit ei. 16 Similiter pondus menſarum propoſitionis, cuiuſque menſæ aureæ, & ſimiliter argentearum.

& ſu-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

17 Ad fuſcinulas quoque, & phialas, & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit in leunculum, & leunculum Similiter & in leones argenteos diuerſum argenti pondus ſeparauit.

18 Altari autem, in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit: vt ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ cherubim extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini.

19 Omnia, inquit, venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.

20 Dixit quoque Dauid Salomoni filio ſuo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet donec perficias omne opus miniſterij domus Domini.

21 Ecce diuiſiones Sacerdotum & Leuitarum, in omne miniſterium domus Domini aſſiſtunt tibi, & parati ſunt, & nouerunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

### CAP. XXIX.

1 Locutuſque eſt Dauid rex ad omnem eccleſiam: Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.

2 Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei. Aurum ad vaſa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnemque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſime:

3 Et ſuper hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem ſanctam.

4 Tria millia talenta auri de auro Ophir: & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos parietes templi.

5 Et, vbicumque opus eſt aurum de auro, & vbicumque opus eſt argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & ſi quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie, & offerat quod voluerit Dño.

6 Polliciti ſunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Iſrael, tribuni quoque, & centuriones & principes poſſeſſionum regis.

De-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et pro fuſcinulis, & crateribus, & acerris aurum mundum, & pro crateribus aureis in pondere, pro ſingulo cratere, & pro crateribus argenteis in pondere pro ſingulo cratere.*

18 *Et pro altari ſuffimenti aurum purificatum in pondere, & pro figura quadrigæ cherubim aurum pro expandentibus & tegentibus arcam fœderis Domini.*

19 *Omnia in ſcriptura de manu Domini ſuper me, intelligere fecit omnia opera ſimilitudinis.*

20 *Dixitque Dauid Selomoh filio ſuo: Confortare, & roborare & fac, ne timeas, & ne paueas, quia Dominus Deus, Deus meus tecum erit, & non dimittet te, & non derelinquet te, donec perficias omne opus miniſterij domus Domini.*

21 *Et ecce diuiſiones Sacerdotum, & Leuitarum in omne miniſterium domus Dei, & tecum ſunt in omni opere omni ſpontaneo in ſapientia omni miniſterio, & principes, & omnis populus omnibus verbis tuis.*

### CAP. XXIX.

1 *Dixit autem Dauid rex ad omnem cœtum. Selomoh filium meum vnum elegit Deus puerum & tenellum: & opus grande eſt: non enim hominis eſt ædes, ſed Domini Dei.*

2 *Totis autem viribus meis præparaui domui Dei mei aurum ad aurum, & argentum ad argentum, & æs ad æs, & ferrum, & ligna ad ligna, lapides onychinos & gemmas, lapides ſtibinos, & diuerſorum colorum, & omnem lapidem pretioſum, & lapides marmoreos in multitudine.*

3 *Et adhuc propter voluntatem meam in domo Dei mei eſt mihi peculiare aurum, & argentum, quod dedi domui Dei mei propter gradum, ex omnibus præparaui domui ſanctuarij.*

4 *Tria millia talenta auri de auro Ophir, & ſeptem millia talenta argenti purgati ad complanandum parietes domorum.*

5 *Ad aurum ad aurum, ad argentum ad argentum, & ad omne opus per manum artificum. & quiſquis ſponte offert, vt conſecret manum ſuam hodie Domino.*

6 *Et ſponte obtulerunt principes familiarum, & principes tribuum Iſrael & tribuni, & centuriones, & principes operis regis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 & fuſcinularum, & libatoriorum, & phialarum aurearum: & pondus aureorum, & argenteorum, & thuribulorũ
Cephure, cuiuſque ponderis, 18 & altaris thymiamatum ex auro probato, pondus oſtendit ei; & exemplar currus ipſorum Cherubim expanſorum alis, & obumbrantium ſuper arcam teſtamenti Dñi. 19 Omnia in ſcriptura manus Dñi dedit Dauid Salomon, ſecundum aſſiſtentem ſibi intelligentiam confectionis exemplaris. 20 Et
dixit Dauid Salomon filio ſuo: Confortare, & viriliter age, & fac: ne timeas, neque paueas: quoniã Dominus Deus
meus tecum: non dimittet te, & non derelinquet, quoadusque tu conſummes omnem operationem miniſterij domus Domini. Et ecce exemplar templi, & domus eius, & Zacchò eius, & cœnacula, & apothecas interiores, & domum propitiationis, & exemplar domus Domini. 21 Et ecce vices ſacerdotum, & Leuitarum ad omne miniſterium domus Domini; & tecum in omni tractatione & omnis promptus in ſapientia ſecundum omnem artem,
& principes, & populus ad omnia verba tua.

### CAP. XXIX.

Et dixit Dauid omni Eccleſiæ: Salomon filius meus, in quem elegit in eo Dñs, iuuenis, & tener: & opus magnum: quĩ non homini, ſed Dño Deo. 2 Iuxta omnem potentiam paraui in domum Dei mei aurum, argentum, æs, ferrum, ligna, lapides Soam, & plenitudinis, lapides precioſos, & varios, & omnẽ lapidem precioſum, &
Parium multum. 3 Et vltra in bene ſentiendo me in domo Dei mei, eſt mihi quod reſeruaui aurum, & argentũ
& ecce dedi in domum Dei mei in altitudinem, præter ea, quæ paraui in domum ſanctorum, 4 ter mille talenta auri è Suphir, & ſeptem mille talenta argenti probati, ad liniendum in eis parietes templi 5 in aurum auro,
& in argentum argento: & in omne opus per manum artificum. Et quis promptus implere manus ſuas hodie
Domino? 6 Et prompti fuerunt principes patriarum, & principes filiorum Iſrael, & Chiliarchi, & centuriones,
& præſides operum, & ædificatores regis.

Et de-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Dederuntq; in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.

8 Et apud quécumque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſauros domus Domini, per manum Iahiel Gerſonitis.

9 Lætatuſque eſt populus, cum vota ſponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: ſed & Dauid rex lætatus eſt gaudio magno.

10 Et benedixit Domino coram vniuerſa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Iſrael patris noſtri ab æterno in æternum.

11 Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo ſunt, & in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes.

12 Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium.

13 Nunc igitur Deus noſter confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.

14 Quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.

15 Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri. * Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora.

* Iap.i.j.

16 Domine Deus noſter, omnis hæc copia quam parauimus vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.

17 Scio Deus meus quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas, vnde & ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc: & populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

18 Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael patrum noſtrorum, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.

19 Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, vt cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat vniuerſa: & ædificet ædem, cuius impenſas paraui.

20 Præcepit autem Dauid vniuerſæ eccleſiæ: Benedicite Domino Deo noſtro. Et benedixit omnis eccleſia Domino Deo patrum ſuorum: & inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum, & deinde regem.

Im-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et dederunt ad miniſterium domus Dei auri, talēta quinque millia, & ſolidos decem millia, & argenti talenta decem millia, & æris decem millia & octo millia talenta, & ferri centum millia talenta.*

8 *Et cum quo inuenti ſunt lapides dederunt in theſaurum domus Domini per manum Iechiel Gherſunita.*

9 *Et lætati ſunt populus cum ſponte offerrent ipſi, quia corde perfecto ſponte obtulerunt Domino: & etiam Dauid rex lætatus eſt lætitia magna.*

10 *Et benedixit Dauid Domino in oculis omnis congregationis, & ait Dauid: Benedictus es tu Domine Deus Iſrael patris mei à ſæculo vſque in ſæculum.*

11 *Tibi Domine magnificentia, & potentia, & gloria, et victoria, & gloria: cuncta enim quæ in cælo ſunt, & in terra ſunt: tuum eſt Domine regnum, & exaltatio ſuper omnem principem.*

12 *Et diuitiæ, & gloria à facie tua, & tu dominaris omnibus, & in poteſtate tua, & virtus, & fortitudo. & in poteſtate tua eſt magnificare, & confortare omnia.*

13 *Et nunc Deus noſter confitemur, & laudamus nomen gloriæ tuæ.*

14 *Quis enim ego ſum, & quis eſt populus meus quod obtineamus potentiam ad ſponte offerendum ſecundum hoc: à te enim ſunt oīa, et de manu tua dedimus tibi.*

15 *Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri: Dies noſtri ſicut vmbra ſuper terram, & non eſt expectatio.*

16 *Domine Deus noſter omnis copia hæc quam parauimus ad ædificandum tibi domum nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.*

17 *Noui autem Deus mi quod tu probas cor, & rectitudines voles: ego in rectitudine cordis mei ſponte obtuli vniuerſa hæc, & nunc populum tuum, qui reperti ſunt hic, vidi cum gaudio ad ſponte offerendum tibi.*

18 *Domine Deus Abraham, Iſchac, & Iſrael, patrum noſtrorum, cuſtodi hoc in ſæculum, imaginationem cogitationum cordis populi tui, & para cor eorum tibi.*

19 *Et Selomoh filio meo da cor perfectum, vt cuſtodiat præcepta tua, teſtimonia tua, & ſtatuta tua, vt faciat omnia, & ædificet ædem quam præparaui.*

20 *Et dixit Dauid vniuerſæ eccleſiæ: Benedicite quæſo Domino Deo noſtro, & benedixerunt omnis eccleſia Domino Deo patrum ſuorum, & inclinauerunt ſe, & genuflexerunt ſe Domino, & regi.*

*Im-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 Et dederunt in opera domus Domini talenta auri quinque mille, & aureos decē mille, & argenti talentorum decem millia, & æris talenta decem & octo mille, & ferri talentorum millia centum: 8 & quibus inuentus eſt apud eos lapis, dederunt in apothecas domus Domini per manum Iiel Gedſoni. 9 Et lætatus eſt populus pro promptitudinem: quoniam in corde pleno prōpti fuerunt Dño. Et Dauid rex lætatus eſt magnopere. 10 & benedixit rex Dauid Dñm in conſpectu Eccleſiæ, dicens: Benedictus es Dñe Deus Iſrael pater noſter a ſęculo, & vſque in ſęculū, 11 Tibi Dñe magnificentia, & virtus, & gloriatio & victoria, & fortitudo: quoniā tu omnium, quæ in cælo, & quæ ſuper terrā, dominaris. A facie tua turbatur omnis rex, & gens. 12 a te diuitiæ, & gloria: tu omniū principaris Dñe, princeps omnis principatus: & in manu tua, fortitudo, & potentatus: & in manu tua omnipotens, magnificare, & confortare omnia. 13 Et nunc Dñe confitemur tibi, & laudamus nomen gloriationis tuæ. 14 Et quis ſum ego, & quis populus meus, quia valuimus prompti eſſe tibi iuxta hæc? Quoniam tua ſunt omnia: & de tuis dedimus tibi: 15 quoniam incolæ ſumus ante te, & peregrinantes, ſicut omnes patres noſtri. Tāquam vmbra dies noſtri ſuper terram: & non eſt dilatio. 16 Domine Deus noſter ad omnem multitudinē, hanc quam paraui ad ædificandum nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tibi omnia. 17 Et noui Domine, quia tu es ſcrutans corda, & iuſtitiam diligis. In ſimplicitate cordis mei prompte obtuli omnia hæc: & nunc populum tuum inuentum hic vidi in lætitia prompte offerentem tibi. 18 Domine Deus Abraam, & Iſaac, & Iſrael patrum noſtrorum cuſtodi hæc in cogitatione cordis populi huius in ſęculum: & dirige corda corū ad te. 19 Et Salomon filio meo da cor bonum ad faciendum mandata tua, & teſtimonia tua, & præcepta tua, & ad perducendū ad finem apparatum domus tuæ. 20 Et dixit Dauid omni eccleſiæ Benedicite Dominum Deum noſtrum. Et benedixit vniuerſa Eccleſia Dominum Deum patrum ſuorum. Et flectentes genua adorauerunt Dominum, & regem.

Et ſa-

## Vulgata Editio.

21 Immolaueruntque victimas Domino: & obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus ſuis, & vniuerſo ritu abundantiſſime in omnem Iſrael.
22 Et comederunt, & biberunt coram Domino in die
* 3. Reg. 1. 34. illo cum grandi lætitia. * Et vnxerunt ſecundo Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificem.
23 Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in regem pro Dauid patre ſuo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Iſrael.
24 Sed & vniuerſi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni regi.
25 Magnificauit ergo Dominus Salomonem ſuper omnem Iſrael: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Iſrael.
26 Igitur Dauid filius Iſai regnauit ſuper vniuerſum Iſrael.
27 Et dies, quibus regnauit ſuper Iſrael, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnauit ſeptem annis, & in Ieruſalem annis triginta tribus.
28 Et mortuus eſt in ſenectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria: & regnauit Salomon filius eius pro eo.
29 * 3. Reg. 11. * Geſta autem Dauid regis priora, & nouiſſima ſcripta ſunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis:
30 Vniuerſique regni eius, & fortitudinis, & temporum, quæ tranſierunt ſub eo, ſiue in Iſrael, ſiue in cunctis regnis terrarum.

LI-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Immolaueruntque victimas Domino, & obtulerunt holocauſta Domino in craſtino diei illius tauros mille, arietes mille, agnos mille, & libamina eorum, & victimas in multitudine pro omni Iſrael.*
22 *Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illa in lætitia, & regem conſtituerunt ſecundo Selomoh filium Dauid, & vnxerunt Domino ducem, & Sadoc ſacerdotem.*
23 *Seditque Selomoh ſuper ſolium Domini rex pro Dauid patre ſuo, & proſperatus eſt: & paruerunt ei omnis Iſrael.*
24 *Et vniuerſi principes, & potentes, & omnes filij regis Dauid dederunt manum ſub Selomoh rege.*
25 *Et magnificauit Dominus Selomoh excellenter in oculis omnis Iſrael: & dedit illi gloriam regni qualis non fuit omni regi ante eum ſuper Iſrael.*
26 *Dauid autem filius Iſai regnauit ſuper vniuerſum Iſrael.*
27 *Et dies quibus regnauit ſuper Iſrael quadraginta anni: in Chebron regnauit ſeptem annis, in Ieruſalaim regnauit triginta, & tribus annis.*
28 *Et mortuus eſt in ſenectute bona, ſaturus diebus, diuitijs, & gloria, regnauitque Selomoh filius eius pro eo.*
29 *Res autem Dauid regis prima ecce ipſa ſcripta ſunt in verbis Semuel Videntis, & in Libro Nathan prophetæ, & in verbis Ghad Videntis.*
30 *Cum omni regno eius, & fortitudine eius, & temporum quæ tranſierunt ſuper eum, & ſuper Iſrael, & ſuper vniuerſa regna terrarum.*

LI-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et ſacrificauit Dauid Domino ſacrificia, & obtulit holocauſtomata Deo craſtina primæ diei vitulos mille, arietes mille, agnos mille, & libamina eorum, & ſacrificia in multitudine vniuerſo Iſrael. 22 Et comederunt & biberunt ante Dominum in illa die cum gaudio: & regem fecerunt ſecundo Salomon filium Dauid: & vnxerunt eum Domino in regem, & Sadoc in ſacerdotium. 23 Et ſedit Salomon ſuper thronum Dauid patris ſui, & beneplacuit: & obedierunt ei omnis Iſrael. 24 Principes, & potentes, & omnes filij Dauid regis patris ſui ſubiecti fuerunt ei. 25 Et magnificauit Dominus Salomon deſuper omni Iſrael: & dedit ei gloriam regis, quod non fuit ſuper omnem regem ante eum. 26 Et Dauid filius Ieſſæ regnauit ſuper Iſrael 27 annos quadraginta, in Chebron annos ſeptem, & in Hieruſalem annos triginta tres. 28 Et obijt in ſenectute bona, plenus diebus, diuitijs, & gloria. Et regnauit Salomon filius eius pro eo. 29 Reliqua autem verba regis Dauid priora, & poſteriora ſcripta ſunt in verbis Samuel videntis, & ſuper verba Nathan prophetæ, & ſuper verba Gad videntis 30 de omni regno eius, & potentatu eius, & tempora, quæ fuerunt ſuper eum, & ſuper Iſrael, & ſuper omnia regna terræ.

## FINIS LIBRI PRIMI PARALIPOMENON.



UVA.BSCH

LIBRI SECVNDI

# PARALIPOMENON.

## Vulgata Editio.

### CAPVT PRIMVM.

3.Reg.3.4 1 CONFORTATVS eſt ergo Salomon
filius Dauid in regno ſuo, & Dominus Deus
eius erat cum eo & magnificauit eum in ex-
celſum.
2 Præcepitque Salomon vniuerſo Iſraeli, tribunis, &
centurionibus, & ducibus, & iudicibus omnis Iſrael
& principibus familiarum:
3 Et abijt cum vniuerſa multitudine in Excelſum Ga-
baon, vbi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit
Moyſes famulus Dei in ſolitudine.
4 Arcam autem Dei adduxerat Dauid de Cariathia-
rim in locum, quem præparauerat ei, & vbi fixerat
illi tabernaculum, hoc eſt, in Ieruſalem.
*Exo.38.1 5 Altare quoque æneum, * quod fabricatus fuerat
Beſeleel filius Vri, filij Hur, ibi erat coram taberna-
culo Domini: quod & requiſiuit Salomon, & omnis
eccleſia.
6 Aſcenditque Salomon ad altare æneum, coram ta-
bernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille
hoſtias.
7 Ecce autem in ipſa nocte apparuit ei Deus, dicens:
Poſtula quod vis, vt dem tibi.
8 Dixitque Salomon Deo: Tu feciſti cum Dauid pa-
tre meo miſericordiam magnam: & conſtituiſti me
regem pro eo.
9 Nunc ergo Domine Deus impleatur ſermo tuus,
quem pollicitus es Dauid patri meo: tu enim me
feciſti regem ſuper populum tuum multum, qui tam
innumerabilis eſt, quam puluis terræ.
*Sap.9.10 10 * Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingre-
diar & egrediar coram populo tuo: quis enim po-
teſt hunc populum tuum digne, qui tam grandis eſt,
iudicare?

Di-

LIBRI SECVNDI

# DIBRE HAIAMIM.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAPVT PRIMVM.

1 *ROBORAVIT autem ſe Selomoh filius
Dauid in regno ſuo, & Dominus Deus eius
erat cum eo, & magnificauit eum in ex-
celſum.*
2 *Dixitque Selomoh vniuerſo Iſrael, tribunis, & cen-
turionibus, & iudicibus, & omni duci ſuper Iſrael
principibus familiarum.*
3 *Et iuerunt Selomoh, & omnis cœtus in excelſum,
quod erat in Gibhon: ibi enim erat tabernacu-
lum fœderis Dei, quod fecit Moſeh famulus Do-
mini in deſerto.*
4 *Sed arcam Dei aſcendere fecerat Dauid de Chiria-
thiiarim, quando præparauit ei locum Dauid: ex-
tendit enim ei tabernaculum in Ieruſalaim.*
5 *Et altare æneum quod fecit Beſalel filius Vri, filij
Chur, ibi coram tabernaculo Domini: & requiſiuit
illud Selomoh, & cœtus.*
6 *Aſcenditque Selomoh illuc ad altare æneum coram
Domino, quod erat in tabernaculo fœderis, & obtulit
ſuper illud holocauſta mille.*
7 *In nocte ipſa apparuit Deus Selomoni, dixitque ei:
Poſtula quod dem tibi.*
8 *Dixitque Selomoh Deo: Tu feciſti cum Dauid pa-
tre meo miſericordiam magnam, & regnare feciſti
me pro eo.*
9 *Nunc Domine Deus ſtabiliatur verbum tuum cum
Dauid patre meo: tu enim regnare feciſti me ſuper
populum multum ſicut puluerem terræ.*
10 *Nunc ſapientiam, & ſcientiam da mihi, vt egrediar
coram populo iſto, & ingrediar: quis enim iudicabit
populum tuum hunc magnum?*

Di-

LIBRI SECVNDI

# PARALIPOMENON.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAPVT PRIMVM.

ET confortatus eſt Salomon filius Dauid ſuper regnum ſuum: & Dominus Deus eius cum eo: & magni-
ficauit eum in altitudinem. 2 Et dixit Salomon ad omnem Iſrael, Chiliarchis, & centurionibus, &
iudicibus, & omnibus principibus coram Iſrael, principibus patriarum. 3 Et iuit Salomon, & vni-
uerſa Eccleſia, ad excelſum, quæ in Gabaon, vbi erat ibi tabernaculum teſtamenti Dei, quod fecit Moyſes puer
Domino in deſerto. 4 Sed arcam Dei eduxerat Dauid de ciuitate Cariathiarim, quoniam parauit ei Da-
uid: quoniam fixit ei tabernaculum in Hieruſalem. 5 Et altare æneum, quod fecit Beſeleel filius Vriæ
filij Or, ibi erat ante tabernaculum Domini. Et exquiſiuit illud Salomon, & Eccleſia: 6 & obtulit Salo-
mon ibi ſuper altare æneum coram Domino, quod in tabernaculo: & obtulit ſuper illud holocauſtoſim mille-
nariam. 7 In nocte illa apparuit Deus Salomoni & dixit ei: Poſtula, quid tibi dem. 8 Et dixit Salo-
mon ad Deum: Tu feciſti cum Dauid patre meo miſericordiam magnam: & regnare feciſti me pro eo.
9 Et nunc Domine Deus, fidele ſit, quæſo, nomen tuum ſuper Dauid patre meo: quoniam tu regnare feciſti me
ſuper populum multum, tamquam puluis terræ. 10 Nunc ſapientiam, & intellectum da mihi: & egrediar
coram populo hoc, & ingrediar: quoniam, quis iudicabit populum tuum magnum hunc?

Et di-

## Vulgat. Editio.

11 Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non poſtulaſti diuitias, & ſubſtantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant, ſed nec dies vitæ plurimos: petiſti autem ſapientiam & ſcientiam, vt iudicare poſſis populum meum, ſuper quem conſtitui te regem.
12 Sapientia & ſcientia data ſunt tibi: diuitias autem & ſubſtantiam & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus nec ante te nec poſt te fuerit ſimilis tui.
13 * Venit ergo Salomon ab Excelſo Gabaon in Ieruſalem coram tabernaculo fœderis, & regnauit ſuper Iſrael.

*3.Reg.10. 26.

14 Congregauitque ſibi currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & fecit eos eſſe in vrbibus quadrigarum, & cum rege in Ieruſalem.
15 Præbuitque rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna.
16 Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa à negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio,
17 Quadrigam equorum ſexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: ſimiliter de vniuerſis regnis Hethæorum, & à regibus Syriæ emptio celebrabatur.

### CAP. II.

1 Decreuit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium ſibi.
2 Et numerauit ſeptuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpoſitoſque eorum tria millia ſexcentos.
3 * Miſit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egiſti cum Dauid patre meo, & miſiſti ei ligna cedrina vt ædificaret ſibi domum, in qua & habitauit:

*3.Reg.5. 2.

4 Sic fac mecum vt ædificem domum nomini Domini Dei mei, vt conſecrem eam ad adolendum incenſum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propoſitionem panum ſempiternam, & holocauſtomata mane, & veſpere, ſabbatis quoque, & neomenijs, & ſollemnitatibus Domini Dei noſtri in ſempiternum quæ mandata ſunt Iſraeli.
5 Domus enim, quam ædificare cupio, magna eſt: magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes deos.

Quis

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Dixit autem Deus ad Selomoh: Pro eo quod fuit hoc in corde tuo, & non poſtulaſti diuitias, ſubſtantias, & gloriam, & animas odio habentium te, & etiam dies multos non poſtulaſti, petiſti autem ſapientiam, & ſcientiam, vt iudices populum meum ſuper quem regnare feci te.*
12 *Sapientia, & ſcientia data eſt tibi: diuitias autem, & ſubſtantias, & gloriam dabo tibi, vt non fuerit ſic inter reges qui fuerunt ante te, & poſt te non erit ſic.*
13 *Et venit Selomoh ab excelſo quod erat in Ghibhon in Ieruſalaim coram tabernaculo fœderis, & regnauit ſuper Iſrael.*
14 *Et congregauit Selomoh currus, & equites, & fuerunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equites & collocauit eos in vrbibus curruum, & cum rege in Ieruſalaim.*
15 *Prabuitque rex argentum & aurum ſicut lapides, & cedros dedit ſicut ſycomoros, quæ ſunt in campeſtribus in multitudine.*
16 *Et exitum equorum qui erant Selomoni ex Ægypto, & à Choue negotiatores regis de Choue accipiebant pretio.*
17 *Et aſcendebant & educebant ex Ægypto quadrigam ſexcentis argenteis, & equum quinquaginta, & centum, & ſic vniuerſis regibus Chittim, & regibus Aram, per manum eorum educebant.*

### CAP. II.

1 *Dixit autem Selomoh vt ædificaret domum nomini Domini, & domum regno ſuo.*
2 *Et numerauit Selomoh ſeptuaginta millia virorum portantium, & octoginta millia virorum cædentium in monte, & præpoſitos ſuper eos tria millia, & ſexcentos.*
3 *Et miſit Selomoh ad Chiram regem Sor, dicendo: Sicut feciſti cum Dauid patre meo, & miſiſti ei cedros, vt ædificaret ſibi domum ad habitandum in ea.*
4 *Ecce ego ædifico domum nomini Domini Dei mei, ad ſanctificandum eam, & ad ſuffiendum coram illo ſuffimentum aromaticum, & diſpoſitionem iugem, & holocauſta mane, & veſpere, ſabbatis, & kalendis, & ſollemnitatibus Domini Dei noſtri in ſæculum hoc ſuper Iſrael.*
5 *Domus autem quam ædifico magna eſt: magnus eſt enim Deus noſter præ omnibus dijs.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dixit Deus ad Salomon: Pro eo, quod factum eſt hoc in corde tuo, & non poſtulaſti diuitias pecuniarum, neque gloriam, neque animam aduerſariorum, & dies multos non poſtulaſti, & poſtulaſti tibi ſapientiam, & intellectum, vt iudices populum meum, ſuper quem regnare feci te ſuper eum; 12 ſapientiam, & intellectum do tibi: & diuitias, & pecunias & gloriam dabo tibi, quomodo non fuit ſimilis tibi in regibus, qui ante te, & poſt te non erit ita. 13 Et venit Salomon de Bamá quæ in Gabaon, in Hieruſalem ante faciem tabernaculi teſtimonij: & regnauit ſuper Iſrael. 14 Et congregauit Salomon currus, & equites: & fuerunt ei mille, & quadringenti currus, & duodecim millia equitum. Et reliquit ea in ciuitatibus curruum, & populus cum rege in Hieruſalem. 15 Et poſuit rex argentum, & aurum in Hieruſalem, tamquam lapides, & cedros in Iudæa, tamquam ſycomoros, quæ in campeſtri, in multitudine. 16 Et exitus equorum Salomon ex Ægypto: & precium mercatorum regis ad eundum, & emebant. Et aſcendebant, & educebant ex Ægypto, 17 currum vnum ſexcentis argentis, & equum quinquaginta & centum. Et ſic omnibus regibus Chettæorũ & regibus Syriæ in manibus ſuis afferebant.

### CAP. II.

Et dixit Salomon ædificare domum nomini Dñi, & domum regno ſuo. 2 Et congregauit Salomon ſeptuaginta millia virorum portantium humeris, & octuaginta millia lapicidarũ in monte: & præſides ſuper eos ter mille ſexcenti. 3 Et miſit Salomon ad Chyram regẽ Tyri, dicens: Sicut feciſti cũ Dauid patre meo, & miſiſti ei cedros ad ædificandum ſibi domum ad habitandum in ea; 4 & ecce ego filius eius ædifico domũ nomini Dñi Dei mei, ad ſanctificandum illam ei, ad adolendũ coram eo thymiama, & propoſitionem perpetuo & ad offerendũ holocauſtomata ſemper mane, & veſperi, & in ſabbatis, & in Neomenijs, & in feſtiuitatibus Dñi Dei noſtri: in ſæculum hoc ſuper Iſrael: 5 & domus, quam ego ædifico, magna: quĩa magnus Dñs Deus noſter ſupra omnes Deos.

Et quis

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

6 Quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? ſi cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego ſum, vt poſſim ædificare ei domum? ſed ad hoc tantum, vt adoleatur incenſum coram illo.

7 Mitte ergo mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui ſciat ſculpere cælaturas cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudæa, & Ieruſalem, quos præparauit Dauid pater meus.

8 Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano: ſcio enim quod ſerui tui nouerint cædere ligna de Libano, & erunt ſerui mei cum ſeruis tuis,

9 Vt parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna eſt nimis, & inclyta.

10 Præterea operariis, qui cæſuri ſunt ligna, ſeruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia.

11 Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miſerat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum ſuũ, idcirco te regnare fecit ſuper eum.

12 Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit cælum & terram, qui dedit Dauid regi filium ſapientem & eruditum & ſenſatum atque prudentem, vt ædificaret domum Domino: & palatium ſibi.

13 Miſi ergo tibi virum prudentem & ſcientiſſimum Hiram, patrem meum,

14 Filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui nouit operari in auro, & argento, ære, & ferro & marmore, & lignis in purpura quoque, & hyacintho, & byſſo, & coccino: & qui ſcit cælare omnem ſculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere neceſſarium eſt cum artificibus tuis, & cũ artificibus Domini mei Dauid patris tui.

15 Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es Domine mi, mitte ſeruis tuis.

16 Nos autem cædemus ligna de Libano, quot neceſſaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuum autem erit transferre ea in Ieruſalem.

17 Numerauit igitur Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſrael, poſt dinumerationem, quã dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et quis obtinebit vires ad ædificandum ei domum? ſi cælum, & cæli cælorum non capiunt eum, quis ego ſum, vt ædificem ei domum? ſed ad ſuffitendum coram eo domum ædifico.*

7 *Et nunc mitte mihi virum ſapientem ad faciendum in auro, & argento, & ære, & ferro, & purpura, & coccino, & hyacintho, & ſciente cælare cælaturas cum ſapientibus qui ſunt in Iehudah, & in Ieruſalaim, quos præparauit Dauid pater meus.*

8 *Et mitte mihi ligna cedrina, & abiegna, & almughim de Lebanon: noui enim quod ſerui tui ſciunt cædere ligna Lebanon: & ecce ſerui mei erunt cum ſeruis tuis.*

9 *Ad parandum mihi ligna in multitudinem, quia domus quam ædifico magna eſt, & mirabilis.*

10 *Et ecce cæſoribus, & exciſoribus lignorum dedi triticorum percuſſorum ſeruis tuis coros viginti millia, & hordeorum coros viginti millia, & vini batos viginti millia.*

11 *Dixit autem Churam rex Sor per ſcripturam, & miſit ad Selomoh: Pro eo quod dilexit Dominus populum ſuum poſuit te ſuper eos regem.*

12 *Dixitque Churam: Benedixit Dominus Deus Iſrael, qui fecit cælum, & terram: qui dedit Dauid regi filium ſapientem, ſcientem intellectum, & intelligentiam, vt ædificaret domum Domino, & domum regno ſuo.*

13 *Et nunc miſi virum ſapientem, ſcientem intelligentiam ipſius Churam patris mei.*

14 *Filium mulieris de filiabus Dan, & pater eius erat Soraus ſcientem facere in auro, & argento, in ære ferro, lapidibus, & lignis, in purpura, hyacintho, & byſſo, & coccino, & ad cælandum omnem cælaturam, & ad cogitandum omnem cogitationem, quæ dabitur ei cum ſapientibus tuis & ſapientibus Domini Dauid patris tui.*

15 *Et nunc tritica, & hordea, oleum, & vinum quæ dixit Dominus Deus meus, mittat ſeruis ſuis,*

16 *Et nos cædemus ligna de Lebanon prout opus fuerit tibi, & afferemus ea tibi per rates ad mare Iapho, & tu aſcendere facies ea in Ieruſalaim.*

17 *Et numerauit Selomoh omnes viros peregrinos qui erant in terra Iſrael poſt dinumerationem, quam dinumerauit eos Dauid pater ſuus, & inuenti ſunt centum, & quinquaginta millia, & tria millia, & ſexcenti.*

Fe-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et quis valebit ædificare ei domum? quoniam cælum, & cælum cæli non fuerunt gloriam eius. Et quis ego
ædificans ei domum? ſed tantum ad adolendum coram eo. 7 Et nunc mitte mihi virum ſapientem, & ſcientem
facere in auro, & in argento, & in ære, & in ferro, & in purpura, & in coccino, & in hyacintho, & ſcientem ſculpere
ſcalpturam cum ſapientibus, qui mecum in Iuda, & in Hieruſalem, quæ parauit Dauid pater meus. 8 Et mitte
mihi ligna cedrina, & arceuthina, & pinea de Libano: quoniam ego noui, quia ſerui tui norunt cædere ligna de
Libano. Et ecce pueri tui cum pueris meis 9 ibunt parare mihi ligna in multitudine; quoniam domus, quam
ego ædifico, magna, & glorioſa. 10 Et ecce operantibus, cædentibus ligna, in cibaria dedi frumentum, in data
pueris tuis, cororum tritici viginti millia, & hordeorum, cororum viginti millia, & vini menſurarum viginti millia,
& olei menſurarum viginti millia. 11 Et dixit Chiram rex Tyri in ſcriptura & miſit ad Salomon, dicens: In di-
ligendo Dñm populum ſuum, dedit te ſuper eos regem. 12 Et dixit Chiram: Benedictus Dñs Deus Iſrael, qui
fecit cælum, & terram, qui dedit Dauid regi filium ſapientem, & ſcientem, ſcientiam & intellectum, qui ædificabit
domum Dño & domum regno ſuo. 13 Et nunc miſi tibi virum ſapientem, & ſcientem intellectum, Chiram
patrem meum 14 (mater eius de filiabus Dan, & pater eius vir Tyrius) ſcientem facere in auro, & in argento,
& in ære, & in ferro, & in lapidibus, & lignis, & texere in purpura & in hyacintho, & in byſſo, & in coccino, & ſcul-
pere ſculpturas, & excogitare omnem excogitationem, quæcumque dederis ei cũ ſapientibus tuis, & ſapientibus
Dauid domini mei patris tui. 15 Et nunc frumentum, & hordeũ, & oleum, & vinum, quæ dixit Dñs meus, mit-
tat pueris ſuis. 16 Et nos cædemus ligna de Libano iuxta omnem vſum tuum, & adducemus ea ratibus ad mare
Ioppe: & tu adduces ea in Hieruſalẽ. 17 Et congregauit Salomon oẽs viros proſelytos, qui in terra Iſrael poſt
numerum, quo numerauit eos Dauid pater eius: & inuenti ſunt cẽtum quinquaginta millia, & ter mille ſexcenti

Exſe-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

18 Fecitque ex eis ſeptuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & ſexcentos præpoſitos operum populi.

### CAP. III.

3.Reg.6.1. 1 ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid in * area Ornan Iebuſæi.

*2.Reg.24. 16. 1.Par.21. 26. 2 Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, anno quarto regni ſui.

3 Et hæc ſunt fundamenta, quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in menſura prima ſexaginta, latitudinis cubitos viginti.

4 Porticum vero ante frontẽ, quæ tendebatur in longum iuxta menſuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat: & deaurauit eam intrinſecus auro mundiſſimo.

5 Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: ſculpſitque in ea palmas, & quaſi catenulas ſe inuicem complectentes.

6 Strauit quoque pauimentum templi pretioſiſſimo marmore, decore multo.

7 Porro aurum erat probatiſſimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & poſtes, & parietes, & oſtia: & cœlauit cherubim in parietibus.

8 Fecit quoque domum Sancti ſanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus cubitorum viginti: & latitudinem ſimiliter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis.

9 Sed & clauos fecit aureos, ita vt ſinguli claui ſiclos quinquagenos appẽderẽt: cœnacula quoq; texit auro.

10 Fecit etiam in domo Sancti ſanctorum cherubim duos, opere ſtatuario: & texit eos auro.

11 Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita vt vna ala haberet cubitos quinque & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.

12 Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala eius altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat.

13 Igitur alæ vtriuſque cherubim expanſæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipſi autem ſtabant erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Fecitque ex eis ſeptuaginta millia baiulos, & octoginta millia cæſores in monte: & tria millia & ſexcenti erant ſollicitatores ad faciendum operari populum.*

### CAP. III.

1 *ET cœpit Selomoh ædificare domum Domini in Ieruſalaim in monte Morijah, qui monſtratus fuerat Dauid patri ſuo, quando parauit in loco Dauid in area Ornan Iebuſæi.*

2 *Et cœpit ædificare in menſe ſecundo, in ſecundo die, anno quarto regni ſui*

3 *Et iſtæ diſpoſitiones ſecundum quas conſultum fuit Selomoh, vt ædificaret domum Dei, longitudo cubitorum, in menſura prima erat cubitorum ſexaginta, & latitudo cubitorum viginti.*

4 *Et porticus, quæ erat ante longitudinem, ante latitudinem domus erat cubitorum viginti: altitudo autem centum, & viginti, & texit eam intrinſecus auro mundo.*

5 *Domum autem magnam texit lignis abiegnis, & texit eam auro bono: & aſcendere fecit ſuper eam palmas, & catenas.*

6 *Et texit domum lapide pretioſo ad gloriam: aurum autem erat aurum ex loco paruaim.*

7 *Texitque domum, trabes, poſtes, & parietes eius, & oſtia eius auro, & cælauit Cherubim in parietibus.*

8 *Fecitque domum Sanctitatis ſanctitatum, longitudo eius ſecundum latitudinem domus, cubitorum viginti, & latitudo eius cubitorum viginti, & texit eam auro bono talentis ſexcentis.*

9 *Pondus autem clauorum ſiclorum quinquaginta auri erat, & cœnacula texit auro.*

10 *Fecitq; in domo Sanctitatis ſanctitatum cherubim duos opere [illegible] puerorum, & texerunt eos auro.*

11 *Alarum autem cherubim longitudo erat cubitorum viginti: ala vna cubitorum quinque tangebat parietem domus, & ala altera cubitorum quinque tangebat alam cherub alterius.*

12 *Et ala cherub vnius cubitorum quinque tangebat parietem domus, & ala altera cubitorum quinque iuncta erat alæ cherub alterius.*

13 *Et alæ cherubim iſtorum expanſæ erant per cubitos viginti, & ſtabant ſuper pedes ſuos, & facies eorum verſus domum.*

Fe-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et fecit ex eis ſeptuaginta millia portantium humeris, & octuaginta millia lapicidarum, & ter mille ſexcentos exactores operum ſuper populum.

### CAP. III.

ET cepit Salomon ædificare domum Domini in Hieruſalem in monte ipſius Amoria; vbi apparuerat Dominus Dauid patris eius, in loco, quem parauit Dauid in area Orna Iebuſæi. 2 Et cepit ædificare in menſe ſecundo, in anno quarto regni ſui. 3 Et hæc incepit Salomon ad ædificandam domum Dei: longitudo cubitorum, menſura prima cubitorum ſexaginta: & latitudo cubitorum viginti. 4 Et Aelam ad faciem domus: longitudo ſuper faciem latitudinis domus cubitorum viginti: & altitudo cubitorum centum viginti: & deaurauit eam ab intus auro mundo. 5 Et domum magnam texit lignis cedrinis, & deaurauit auro mundo: & ſculpſit ſuper eam palmas, & catenas dependentes. 6 Et ornauit domum lapidibus precioſis ad gloriam, 7 & deaurauit auro, de auro, quod de Pharuim. Et deaurauit domum, & parietes eius, & poſtes, & tecta, & oſtia auro: & ſculpſit cherubim ſuper parietes. 8 Et fecit domum Sancti ſanctorum: longitudo eius ad faciem latitudinem domus, cubitorum viginti: & longitudo cubitorum viginti: & deaurauit eam auro mundo in cherubim ad talenta ſexcenta: 9 & pondus clauorum pondus vnius, quinquaginta ſicli auri. Et cœnaculum deaurauit auro. 10 Et fecit in domo, Sancto ſanctorum cherubim duo, opus ex lignis: & deaurauit ea auro; 11 & alæ ipſorum cherubim, longitudo cubitorum viginti; & ala vna cubitorum quinque, tangens parietem domus: & ala altera cubitorum quinque tangens alam cherubim alterius: 13 & alæ Cherubim horum expanſæ, cubitorum viginti: & ipſa ſtantia ſuper pedes ſuos: & facies eorum ad domum.

Et fe-

UVA.BSCH

### Vulgata Editio.

* Mat.27. 51. * Iere.52. 20.

14 * Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo : & intexuit ei cherubim.
15 * Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum, quinque cubitorum.
16 Nec non & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit.
17 Ipſas quoque columnas poſuit in veſtibulo templi, vnam à dextris, & alteram à ſiniſtris: eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachin: & quæ ad læuam, Booz.

## CAP. IIII.

1 FEcit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.
* 3.Reg.7. 23.
2 * Mare etiam fuſile decem cubitis à labio vſque ad labium, rotundum per circuitum : quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius.
3 Similitudo quoque boum erat ſubter illud, & decē cubitis quædam extrinſecus cœlaturæ, quaſi duobus verſibus aluum maris circuibant. Boues autem erant fuſiles :
4 Et ipſum mare ſuper duodecim boues impoſitum erat, quorum tres reſpiciebant ad Aquilonem, & alij tres ad Occidentem : porro tres alij Meridiem, & tres qui reliqui erant, Orientem, habentes mare ſuperpoſitum: poſteriora autem boum erant intrinſecus ſub mari.
5 Porro vaſtitas eius habebat menſuram palmi, & labium illius erat quaſi labium calicis, vel repandi lilij : capiebatque tria millia metretas.
6 Fecit quoque conchas decem : & poſuit quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant : porro in mari ſacerdotes lauabantur.
7 Fecit autem & candelabra aurea decem ſecundum ſpeciem, qua iuſſa erant fieri: & poſuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris.
8 Necnon & menſas decem : & poſuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris : phialas quoque aureas centum.
9 Fecit etiam atrium ſacerdotium, & baſilicam grandem : & oſtia in baſilica, quæ texit ære.
10 Porro mare poſuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem.

Fe-

### Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Fecitque velum ex hyacintho, & purpura, & cocco, & byſſo, & aptauit ei cherubim.*
15 *Et fecit ante domum columnas duas cubitorum triginta & quinque in longitudine : & corona quæ erat ſuper caput eius cubitorum quinque.*
16 *Et fecit catenas in oraculo, & poſuit ſuper caput columnarum : fecitque malogranata centum, & poſuit in catenis.*
17 *Et ſtatuit columnas ante templum vnam à dextera, & alteram à ſiniſtra : Vocauitque nomen dexteræ Iachin, & nomen ſiniſtræ Bohaz.*

## CAP. IIII.

1 *FEcit autem altare æneum, viginti cubitorum longitudo eius, & viginti cubitorum latitudo eius, & decem cubitorum altitudo eius.*
2 *Fecitque mare fuſile decem cubitorum à labio eius vſque ad labium eius rotundum in circuitu : & quinque cubitorum altitudo eius, & linea triginta cubitorum circumdabat illud per circuitum.*
3 *Et ſimilitudo boum ſubter illud per circuitum circumdantium illud decem cubitis ambiebant mare per circuitum. Duo ordines erant boum fuſorum ſecundum fuſuram illius.*
4 *Stabat ſuper duodecim boues : tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres reſpiciebant ad Occidentem : tres autem reſpiciebant ad Meridiem, & tres reſpiciebant ad Orientem, & mare ſuper eos deſuper : omnia autem poſteriora eorum erant intrinſecus.*
5 *Porro denſitas eius erat palmi vnius, & labium eius ſicut opus labij calicis floris lilij : comprehendebat batos tria millia capiebat.*
6 *Et fecit conchas decem, & poſuit quinque à dextera, & quinque à ſiniſtra ad lauandum in eis opus holocauſti impellebant in eas : & mare vt lauarent ſe ſacerdotes in eo.*
7 *Et fecit candelabra aurea decem ſecūdum normam eorum, & poſuit in templo quinque à dextera, & quinque à ſiniſtra.*
8 *Et fecit menſas decem, & poſuit in templo, quinque à dextra, & quinque à ſiniſtra & fecit crateras aureas centum.*
9 *Et fecit atrium ſacerdotum, & atrium magnum, & oſtia ipſi atrio, & oſtia eorum texit ære.*
10 *Mare autem poſuit à latere dextro ad Orientem contra Meridiem.*

Fe-

### TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et fecit velum de hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo : & texuit in eo cherubim. 15 Et fecit ante domum columnas duas : cubitorum triginta quinque altitudo & capita earum, cubitorum quinque.
16 Et fecit Serſeroth in Dabir : & dedit ſuper capita columnarum. Et fecit malogranata centum : & poſuit ſuper catenas dependentes. 17 Et ſtatuit columnas ad faciem templi, vnam à dextris, & vnam à ſiniſtris : & vocauit nomen eius, quæ à dextris, Directio, & nomen eius quæ à ſiniſtris, Fortitudo.

## CAP. IIII.

ET fecit altare æneum : viginti cubitorum longitudo, & viginti cubitorum latitudo, & decem cubitorum altitudo. 2 Et fecit mare fuſile, decem cubitorum diametrum, rotundum in circuitu, & quinque cubitorum altitudinem : & ambitus triginta cubitorum. 3 Et ſimilitudo vitulorum ſubter illud in circuitu circundant illud, decem cubiti ambiunt luterem in circuitu : duo genera ſuderunt vitulos in fuſura ipſorum,
4 qua fecerunt eos duodecim vitulos : tres ſpectantes Aquilonem, & tres Occidentem, & tres Auſtrum, & tres ad Orientem : & mare ſuper eos ſurſum : erant poſteriora eorum intus. 5 Et craſſities eius palmaris, & labium eius, tamquam labium calicis, ſculpta geminibus lilij, capiens metretas ter mille. Et conſummauit.
6 Et fecit luteres decem : & poſuit quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, ad lauandum in eis opera holocauſtomata, & abſtergendum in eis : & mare ad lauandum ſe ſacerdotes in eo. 7 Et fecit candelabra aurea decem iuxta iudicium ſuum, & poſuit in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris. 8 Et fecit menſas decem, & poſuit in templo, decem à dextris, & decem à ſiniſtris. Et fecit phialas aureas centum.
9 Et fecit atrium ſacerdotum, & atrium magnum, & portas atrio, & poſtes earum inæratas ære.
10 Et mare poſuit ab angulo domus à dextris tamquam ad Orientem è regione.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

11 Fecit autem Hiram lebetes,& creagras,& phialas:& compleuit omne opus regis in domo Dei:

12 Hoc eſt,columnas duas,& epiſtylia,& capita,& quaſi quædam retiacula, quæ capita tegerent ſuper epiſtylia.

13 Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo ita vt bini ordines malogranatorum ſingulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epiſtylia, & capita columnarum.

14 Baſes etiã fecit,& conchas,quas ſuperpoſuit baſibus:

15 Mare vnum,boues quoque duodecim ſub mari.

16 Et lebetes,& creagras,& phialas. Omnia vaſa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini ex ære mundiſſimo.

17 In regione Iordanis fudit ea rex in argilloſa terra inter Sochot,& Saredatha.

18 Erat autem multitudo vaſorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris.

19 Fecitque Salomon omnia vaſa domus Dei,& altare aureum,& menſas, & ſuper eas panes propoſitionis:

20 Candelabra quoque cum lucernis ſuis, vt lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro puriſſimo:

21 Et florentia quædam,& lucernas,& forcipes aureos: omnia de auro mundiſſimo facta ſunt.

22 Thymiateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro puriſſimo. Et oſtia cœlauit templi interioris, id eſt, in Sancta ſanctorum: & oſtia templi forinſecus aurea. Sicque completum eſt omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

### CAP. V.

3. Reg. 7. 51 & 8. 1.

1 INtulit igitur Salomon omnia, quæ vouerat Dauid pater ſuus, argentum,& aurum, & vniuerſa vaſa poſuit in theſauris domus Dei.

2 Poſt quæ congregauit maiores natu Iſrael, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Iſrael in Ieruſalem vt adducerent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, quæ eſt Sion.

3 Venerunt itaque ad regem omnes viri Iſrael in die ſolemni menſis ſeptimi.

4 Cumque veniſſent cuncti ſeniorum Iſrael, portauerunt Leuitæ arcam,

5 Et intulerunt eam,& omnem paraturam tabernaculi. Porro vaſa ſanctuarij, quæ erant in tabernaculo, portauerunt Sacerdotes cum Leuitis.

Rex

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Fecit autem Churam lebetes, & ſcopas, & pelues, & compleuit Churam facere opus quod fecit regi Selomoh in domo Dei.*

12 *Columnas duas, & funiculos, & coronas ſuper caput columnarum duarum, & retiacula duo ad operiendum duos funiculos coronarum, qui erant ſuper caput columnarum.*

13 *Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duo ordines malogranatorum erant retiaculo vno ad operiendum duos funiculos coronarum, quæ erant ante columnas.*

14 *Baſes fecit, & conchas fecit ſuper baſes.*

15 *Mare vnum, & boues duodecim ſubter illud.*

16 *Et lebetes, & ſcopas tridentes, & omnia vaſa eorum fecit Churam pater eius regi Selomoh in domo Domini ex ære mundo.*

17 *In regione Iarden fudit rex in argylla terra inter Succhot, & inter Saredathah.*

18 *Et fecit Selomoh omnia vaſa hæc in multitudine grandi: non enim inueſtigabatur pondus æris.*

19 *Et fecit Selomoh omnia vaſa quæ erant domus Dei, & altare areũ, & menſas, & ſuper eas panes facierũ.*

20 *Et candelabra, & lucernas eorum, vt arderent iuxta ordinem in oraculo ex auro purgato.*

21 *Et flores, & lucernas, & forcipes ex auro quod erat perfectum.*

22 *Et pſalteria, & pelues, & cochlearia, & acerras ex auro mundo. Et oſtium domus, oſtia eius interiora ipſi Sanctitati ſanctitatum, & oſtia domus ipſi templo ex auro: * & perfectum eſt omne opus quod fecit Selomoh in domo Domini.*

* Hic incipit cap. 5 apud San. Pagn.

### CAP. V.

1 *ET intulit Selomoh ſanctificationes Dauid patris ſui, & argentum, & aurum, & omnia vaſa poſuit in theſauris domus Dei.*

2 *Tunc congregauit Selomoh ſeniores Iſrael, & omnes principes tribuum, principes familiarum de filijs Iſrael in Ieruſalaim, vt aſcendere facerent arcam fœderis Domini è ciuitate Dauid: ipſa eſt Sijon.*

3 *Et congregati ſunt ad regem omnes viri Iſrael in ſolemnitate ipſius menſis ſeptimi.*

4 *Et venerunt omnes ſeniores Iſrael, & portauerunt Leuitæ arcam.*

5 *Et aſcendere fecerunt arcam, & tabernaculum eccleſiæ, & omnia vaſa ſanctitatis, quæ erant in tabernaculo aſcendere fecerunt ſacerdotes, & Leuitæ.*

Rex

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et fecit Chiram fuſcinulas,& thuribula,& focum altaris, & omnia vaſa eius. Et conſummauit Chiram facere omne opificiũ, quod fecit Salomoni regi in domo Dei, 12 columnas duas,& ſuper eas Golath ipſi Chothareth ſuper capita columnarum duo,& retiacula duo ad cooperiendum capita ipſarum Chothareth, quæ ſunt ſuper capita columnarum,& tintinnabula aurea quadringenta ad duo retiacula: 13 & duo genera malogranatorum in retiaculo vno ad cooperiendum ambas Golath ipſarum Chothareth, quæ ſunt deſuper columnas. 14 Et fecit Mechonoth decem: & luteres fecit ſuper Mechonoth: 15 & mare vnum,& vitulos duodecim ſubter illud: 16 & podiſteras,& analempteras,& lebetes,& fuſcinulas, & omnia vaſa eorum, quæ fecit Chiram,& obtulit regi Salomon in domo Domini de ære puro. 17 In adiacente Iordanis fudit ea rex in craſſitie terræ in domo Socchoth,& inter Saredatha. 18 Et fecit Salomon omnia vaſa hæc in multitudine valde: quia non defecit pondus æris. 19 Et fecit Salomon omnia vaſa domus Dñi,& altare aureum,& menſas (& ſuper eas panes propoſitionis) 20 & candelabra,& lucernas luminis iuxta iudicium,& ad faciem Dabir de auro mundo; 21 & anſulæ earũ,& lucernę eorũ:& phialas, 22 & mortariola,& thuribula de auro mundo:& oſtiũ domus interius in Sancta ſanctorum, & ianuas domus templi aureas. Et conſummatum eſt omne opificium, quod fecit Salomon in domo Dñi.

### CAP. V.

ET intulit Salomon ſancta Dauid patris ſui, argentũ,& aurum, & vaſa, quæ dederat in theſaurum domus Dñi. 2 Tunc conuocauit Salomon oẽs ſeniores Iſrael, & oẽs principes tribuum, duces patriarum filiorũ Iſrael in Hieruſalem ad educendam arcam teſtamenti Dñi è ciuitate Dauid: hæc eſt Sion. 3 Et conuenerunt ad regem vniuerſus Iſrael in feſtiuitate: hic eſt menſis ſeptimus. 4 Et venerunt oẽs ſeniores Iſrael:& tulerunt oẽs Leuitę arcam, 5 & tabernaculũ teſtimonij,& oĩa vaſa ſancta, quę in tabernaculo:& eduxerunt eã ſacerdotes,& Leuitę.

Et rex

## Vulgat. Editio.

6 Rex autem Salomon, & vniuerſus cœtus Iſrael, & omnes, qui fuerant congregati ante arcam immolabant arietes, & boues abſque vllo numero: tanta enim erat multitudo victimarum.

7 Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, id eſt, ad oraculum templi, in Sancta ſanctorum ſubter alas cherubim:

8 Ita vt cherubim expanderent alas ſuas ſuper locum, in quo poſita erat arca, & ipſam arcam tegerent cum vectibus ſuis.

9 Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: ſi vero quis paululum fuiſſet extrinſecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi vſque in præſentem diem.

10 Nihilque erat aliud in arca, niſi duæ tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb, quando legem dedit Dominus filijs Iſrael egredientibus ex Ægypto.

11 Egreſſis autem Sacerdotibus de ſanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inueniri, ſanctificati ſunt: nec adhuc in illo tempore vices, & miniſteriorum ordo inter eos diuiſus erat)

12 Tam Leuitæ quàm cantores, id eſt & qui ſub Aſaph erant, & qui ſub Eman, & qui ſub Idithum filij, & fratres eorum veſtiti byſſinis, cymbalis, & pſalterijs, & citharis concrepabant, ſtantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis.

13 Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus; longe ſonitus audiebatur, ita vt cum Dominum laudare cœpiſſent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius; impleretur domus Dei nube,

14 Nec poſſent Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

### C A P. V I.

3.Reg.8. 12.

1 TVnc Salomon ait: Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine:

2 Ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum.

3 Et conuertit rex faciem ſuam, & benedixit vniuerſæ multitudini Iſrael (nam omnis turba ſtabat intenta) & ait:

Be-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Rex autem Selomoh, & omnis cœtus Iſrael, qui conuenerant ad eum ante arcam immolabant pecudes, & boues, qui non numerabantur, & nõ numerabantur propter multitudinem.*

7 *Et adduxerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini ad locum ſuum, ad oraculum interius, ad Sanctitatem ſanctitatum ſubter alas cherubim.*

8 *Et cherubim expandebant alas ſuper locum arca, & tegebant cherubim arcam, & vectes eius deſuper.*

9 *Et elongauerunt vectes, & videbantur capita vectium arca coram oraculo, & non apparebant forinſecus. Et fuit ibi vſque ad diem hanc.*

10 *Non erant in arca niſi dua tabula quas poſuit Moſeh in Choreb, quas excidit Dominus, cum filij Iſrael egrederentur ex Ægypto.*

11 *Et fuit, cum egreſſi eſſent ſacerdotes de ſanctitate: (omnes enim ſacerdotes qui inuenti ſunt ſanctificauerunt ſe) non erat obſeruare diſtinctiones.*

12 *Leuitæ, cantores de omnibus ipſis, de Aſaph, de Heman, de Iedithun, & de filijs eorum, & de fratribus eorum, induti erant byſſo, in cymbalis, & in pſalterijs, & citharis ſtantes ad Orientem altaris, & cum eis ſacerdotes centum, & viginti clangentes tubis.*

13 *Et erant veluti vnus clangentibus, & cantantibus, vt audire facerent ſonitum vnum, laudãdo & confitendo Domino, cum eleuarent vocem cum tubis, & cymbalis & inſtrumentis muſicis, & cum laudarent Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius, domus impleta eſt nube domus Domini.*

14 *Et non poterant ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum propter nubem. Impleuerat enim gloria Domini domum Dei.*

### C A P. V I.

1 *TVnc ait Selomoh: Dominus dixit, quod habitaret in caligine.*

2 *Ego autem ædificaui domum, habitaculum tibi, & locum habitationi tuæ in ſecula.*

3 *Et conuertit rex faciem ſuam, & benedixit vniuerſo cœtui Iſrael: omnis autem cœtus Iſrael ſtabat, & ait:*

*Be-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et rex Salomon, & omnis ſynagoga Iſrael, & qui timebant, & qui adhæſerant eis, ante arcam immolantes vitulos, & oues, qui non numerabuntur, & qui non computabuntur præ multitudine. 7 Et introduxerunt ſacerdotes arcam teſtamenti Domini in locum ſuum, in Dabir domus, in ſancta ſanctorum, ſubter alas cherubim. 8 Et erant cherubim expandentia alas ſuas ſuper locum arcæ: & cooperiebant cherubim ſuper arcam, & ſuper geſtatoria eius deſuper; 9 & eminebant geſtatoria: & aſpiciebantur capita geſtatoriorum e ſanctis in faciem Dabir: non aſpiciebantur extra: & fuerunt ibi vſque in diem hanc. 10 Non erat arca, niſi duæ tabulæ, quas poſuit Moyſes in Choreb, quæ diſpoſuit Dominus cum filijs Iſrael, in exeundo eos de terra Ægypti. 11 Et factũ eſt in exeundo ſacerdotes e ſanctis (quoniam omnes ſacerdotes, qui inuenti ſunt, erant ſanctificati, non erant diſpoſiti per vicem) 12 & Leuitæ, pſalmorum cantores omnes filijs Aſaph, ipſi Æman, ipſi Idithum, & filijs eius, & fratribus eius, qui induti erant ſtolas byſſinas, in cymbalis, & in nablis, & in citharis, ſtantes e regione altaris, & cum eis ſacerdotes centum viginti clangentes tubis. 13 Et facta eſt vna vox in clangendo, & canendo, & in reſonando, voce vna ad confitendum, & laudandum Dominum. Et dum eleuarent vocem in tubis, & cymbalis, & in organis canticorum, & dicebant: Confitemini Domino, quoniam bonum; quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et domus impleta eſt nube gloriæ Domini. 14 Et non poterant ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum a facie nubis: quoniam impleuerat gloria Domini domum Dei.

### C A P. V I.

TVnc dixit Salomon: Dominus dixit habitare in caligine: 2 & ego ædificaui domum nomini tuo ſanctam tibi, & paratam ad habitandum in ſecula. 3 Et conuertit rex faciem ſuam, & benedixit omnem Eccleſiam Iſrael. (& omnis Eccleſia Iſrael adſtabat) & dixit:

## Vulgata Editio.

4 Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui quod locutus eſt Dauid patri meo, opere compleuit, dicens:

5 A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Iſrael, vt ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, vt eſſet dux in populo meo Iſrael,

6 Sed elegi Ieruſalem, vt ſit nomen meum in ea, & elegi Dauid, vt conſtituerem eum ſuper populum meum Iſrael.

7 Cumque fuiſſet voluntatis Dauid patris mei, vt ædificaret domum nomini Domini Dei Iſrael,

8 Dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, vt ædificares domum nomini meo, bene quidem feciſti huiuſcemodi habere voluntatem:

9 Sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo.

10 Compleuit ergo Dominus ſermonem ſuum, quem locutus fuerat: & ego ſurrexi pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael.

11 Et poſui in ea arcam, in qua eſt pactum Domini, quod pepigit cum filijs Iſrael.

12 Stetit ergo corã altari Domini ex aduerſo vniuerſæ multitudinis Iſrael, & extendit manus ſuas.

13 Siquidem fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: ſtetitque ſuper eam: & deinceps flexis genibus contra vniuerſam multitudinem Iſrael, & palmis in cælum leuatis,

* 2. Mach. 2. 8.

14 Ait: * Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui Deus in cælo & in terra: qui cuſtodis pactum & miſericordiam cum ſeruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo:

15 Qui præſtitiſti ſeruo tuo Dauid patri meo quæcumque locutus fueras ei: & quæ ore promiſeras, opere compleſti, ſicut & præſens tempus probat.

16 Nunc ergo Domine Deus Iſrael, imple ſeruo tuo patri meo Dauid quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſrael: ita tamen, ſi cuſtodierint filij tui vias ſuas, & ambulauerint in lege mea, ſicut & tu ambulaſti coram me.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

4 *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo Dauid patri meo, & per manus eius compleuit, dicendo:*

5 *A die qua eduxi populum meum è terra Ægypti, non elegi ciuitatem è cunctis tribubus Iſrael ad ædificandum domum, vt eſſet nomen meum ibi, & non elegi virum, vt eſſet dux ſuper Iſrael.*

6 *Sed elegi Ieruſalaim, vt eſſet nomen meum ibi, & elegi Dauid vt eſſet ſuper populum meum Iſrael.*

7 *Et fuit, in corde Dauid patris mei vt ædificaret domum nomini Domini Dei Iſrael.*

8 *Et dixit Dominus ad Dauid patrem meum: Pro eo quod fuit in corde tuo vt ædificares domum nomini meo, benefeciſti, quia fuit in corde tuo.*

9 *Sed tu non ædificabis domum, ſed filius tuus qui egredietur de lumbis tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo.*

10 *Et ſtatuit Dominus verbum ſuũ quod locutus fuerat, & ſurrexi pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus, & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael.*

11 *Et poſui ibi arcam in qua eſt pactum Domini quod pepigerat cum filijs Iſrael.*

12 *Stetit autem coram altari Domini contra omnem cœtum Iſrael, & extendit manus ſuas.*

13 *Quia fecit Selomoh ſuggeſtum inſtar conchæ æneum, & poſuit illud in medio atrij, quinque cubitorum longitudo eius, & quinque cubitorum latitudo eius, & cubitorum trium altitudo eius: ſtetitque ſuper illud, & genuflexit ſe ſuper genua ſua contra omnem cœtum Iſrael, & extendit palmas ſuas ad cælum.*

14 *Et ait: Domine Deus Iſrael non eſt ſicut tu Deus in cælo, & in terra, cuſtodiens pactum, & miſericordiam ſeruis tuis ambulantibus coram te toto corde ſuo.*

15 *Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo quod locutus es ei, & locutus es ore tuo, & potentia tua impleſti ſecundum diem hanc.*

16 *Et nunc Domine Deus Iſrael cuſtodi ſeruo tuo Dauid patri meo, quod locutus es ei, dicendo: Non excidetur tibi vir à facie mea ſedens ſuper thronum Iſrael, tantum ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam, vt ambulent in lege mea, quemadmodum ambulaſti coram me.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

4 Benedictus Dominus Deus Iſrael, quomodo locutus eſt in ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus ſuis impleuit, dicens: 5 A die qua eduxi populum meum e terra Ægypti; non elegi in ciuitate de omnibus tribubus Iſrael, ad ædificandam domum, vt eſſet nomen meum ibi: & non elegi in viro, vt eſſet in ducem ſuper populum meum Iſrael. 6 Et elegi Hieruſalem vt fieret nomen meum ibi: & elegi in Dauid, vt eſſet ſuper populum meum Iſrael. 7 Et factum eſt ſuper cor Dauid patris mei, ædificare domum nomini Domini Dei Iſrael. 8 Et dixit Dominus ad Dauid patrem meum: Quoniam factum eſt ſuper cor tuum ædificare domum nomini meo; recte feciſti, quoniam factum eſt ſuper cor tuum. 9 Verumtamen tu non ædificabis domum: quoniam filius tuus, qui egredietur de lumbo tuo, hic ædificabit domum nomini meo. 10 Et ſuſcitauit Dominus verbum hoc, quod locutus eſt. Et factus ſum pro Dauid patre meo: & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael: 11 & poſui ibi arcam; in qua ibi teſtamentum Domini, quod diſpoſuit ipſi Iſrael. 12 Et ſtetit e regione altaris Domini ante omnem Eccleſiam Iſrael, & expandit manus ſuas: 13 quoniam fecerat Salomon baſim æneam: & poſuerat eam in medio atrij ipſius templi, quinque cubitorum longitudo eius, & quinque cubitorum latitudo eius, & trium cubitorum altitudo eius: & ſtetit ſuper eam: & cecidit ſuper genua coram omni Eccleſia Iſrael. Et expandit manus ſuas ad cælum, 14 & dixit: Domine Deus Iſrael non eſt ſimilis tibi Deus in cælo, & ſuper terram, cuſtodiens teſtamentum, & miſericordiam pueris tuis ambulantibus ante te in toto corde: 15 quæ cuſtodiſti puero tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Et locutus es in ore tuo: & in manu tua impleuiſti, ſicut dies hæc. 16 Et nunc Dñe Deus Iſrael cuſtodi puero tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non deficiet tibi vir à facie mea ſedens ſuper thronum Iſrael, tantum ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam, ambulando in lege mea, ſicut ambulaſti coram me.

Et nunc

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

17 Et nunc Domine Deus Iſrael, firmetur ſermo tuus, quem locutus es ſeruo tuo Dauid.
18 Ergone credibile eſt vt habitet Deus cum hominibus ſuper terram? Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus iſta, quam ædificaui?
19 Sed ad hoc tantum facta eſt, vt reſpicias orationem ſerui tui, & obſecrationem eius Domine Deus meus: & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te:
20 Vt aperias oculos tuos ſuper domum iſtam diebus ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es vt inuocaretur nomen tuum,
21 Et exaudires orationem, quam ſeruus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Iſrael. Quicumque orauerit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo id eſt, de cœlis, & propitiare.
22 Si peccauerit quiſpiam in proximum ſuum, & iurare contra eum paratus venerit, ſeque maledicto cõſtrinxerit coram altari in domo iſta:
23 Tu audies de celo, & facies iudicium ſeruorum tuorum, ita vt reddas iniquo viam ſuam in caput proprium, & vleiſcaris iuſtum, retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam.
24 Si ſuperatus fuerit populus tuus Iſrael ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conuerſi egerint pœnitentiam, & obſecrauerint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco iſto,
25 Tu exaudies de cœlo, & propitiare peccato populi tui Iſrael, & reduc eos in terram, quam dediſti eis, & patribus eorum.
26 Si clauſo cœlo pluuia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco iſto, & confeſſi nomini tuo, & conuerſi à peccatis ſuis, cum eos afflixeris,
27 Exaudi de cœlo Domine, & dimitte peccata ſeruis tuis & populi tui Iſrael, & doce eos viam bonam per quam ingrediantur: & da pluuiam terræ, quam dediſti populo tuo ad poſſidendum.
28 * Fames ſi orta fuerit in terra & peſtilentia, ærugo, & aurugo, & locuſta, & bruchus, & hoſtes, vaſtatis regionibus, portas obſederint ciuitatis, omniſque plaga & infirmitas preſſerit:
29 Si quis de populo tuo Iſrael fuerit deprecatus, cognoſcens plagam & infirmitatem ſuam, & expanderit manus ſuas in domo hac,

Tu

* Iul.12.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et nunc Domine Deus Iſrael firmetur verbũ tuum quod locutus es ſeruo tuo Dauid.*
18 *Sed num vere habitabit Deus cum homine ſuper terram? Ecce cœlum & cœli cœlorum non capiunt te, quanto magis domus hæc quam ædificaui.*
19 *Et reſpicias ad orationem ſerui tui, & ad deprecationem eius Domine Deus meus, vt audias clamorem, & orationem quam ſeruus tuus orat coram te.*
20 *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die, ac nocte, ſuper locum in quo dixiſti quòd poneres nomen tuum, vt audias orationem quam orat ſeruus tuus in loco iſto.*
21 *Et exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael quam orauerint in loco iſto, & tu exaudies è loco habitationis tuæ è cœlo, & exaudies, & parces.*
22 *Si peccauerit quiſpiam in proximum ſuum, & leuauerit contra eum iuramentum, vt faciat iurare eum, & venerit iuramentũ coram altari tuo in domo iſta.*
23 *Tu audies de cœlo, & iudicabis ſeruos tuos, & reddendo impio, dando viam eius in caput eius, & iuſtificando iuſtum, dando ei ſecundum iuſtitiam eius.*
24 *Et ſi cæſi fuerint ſerui tui coram inimico, cum peccauerint tibi, & conuerſi fuerint, & confeſſi fuerint nomen tuum, & orauerint, & deprecati fuerint coram te in domo hac.*
25 *Tu audies de cœlo, & parces peccato populi tui Iſrael, & reduces eos ad terram, quam dediſti eis, & patribus eorum.*
26 *Cum clauſum fuerit cœlum, & non fuerit pluuia, cum peccauerint tibi, & orauerint in loco iſto, & confeſſi fuerint nomen tuum, & à peccato ſuo conuerſi fuerint, cum affixeris eos.*
27 *Tu exaudies de cœlo, & parces peccato ſeruorũ tuorum, & populi tui Iſrael: docebis enim eos viam bonam per quam ambulent, & dabis pluuiam terræ, quam dediſti populo tuo in hæreditatem.*
28 *Fames ſi fuerit in terra, peſtis ſi fuerit, ariditas, aurugo, locuſta, rubigo cum fuerit, ſi obſederit eum inimicus eius in terra intra portas ſuas, omnis plaga, omnis infirmitas.*
29 *Omnis oratio, omnis deprecatio, quæ fuerit omni homini, & omni populo tuo Iſrael, ſi cognouerint vnuſquiſque plagam ſuam, & dolorem ſuum, & expanderit manus ſuas ad domum iſtam.*

*Tu*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Et nunc Dñe Deus Iſrael, fidele ſit quæſo, verbum tuum, quod locutus es puero tuo Dauid. 18 Quia ſi vere
habitabit Deus cũ hominibus ſuper terram? Si cęlum, & cęlum cęli non ſufficient tibi; & quæ domus hæc quam
ædificaui? 19 Et inſpicies ſuper deprecationem pueri tui, & ſuper orõnem meam Dñe Deus ad exaudiendum
orõnem & deprecationem, quam puer tuus deprecatur ante te hodie; 20 vt ſint oculi tui aperti ſuper domum
hanc die, ac nocte ad locum hunc, quem dixiſti inuocari nomen tuũ ibi, 21 ad audiendum deprecationẽ, quã
deprecatur puer tuus in loco hoc. Et audies orõnem pueri tui, & populi tui Iſrael, quæcũque deprecati fuerin in
loco hoc. Et tu exaudies in loco habitationis tuę e cęlo: & audies, & propitius eris. 22 Si peccauerit vir proximo
ſuo, & ſumpſerit ſuper eum maledictionẽ ad maledicẽdũ ei, & venerit, & maledixerit corã altari in loco hoc;
23 & tu exaudies de cęlo, & facies, & iudicabis ſeruos tuos ad retribuendum iniquo & retribuendum vias eius in
caput eius, & ad iuſtificandũ iuſtũ, ad retribuendum ei ſm iuſtitiam eius. 24 Et, ſi percuſſus fuerit populus tuus
Iſrael coram inimico (ſi peccauerint tibi,) & reuerterint, & confeſſi fuerint nomini tuo, & deprecati fuerint, & orauerint ante te in domo hac; 25 & tu exaudies de cęlo, & propitius eris peccatis populi tui Iſrael: & reduces eos
in terrã, q̃ dediſti eis, & patribus eorũ. 26 Cũ cohibitũ fuerit cęlũ, & nõ fuerit pluuia (qĩa peccabunt tibi) & deprecabuntur in loco hoc & laudabunt nomen tuũ, & à peccatis ſuis reuertent, qĩa humiliabis eos; 27 & tu exaudies de cęlo, & propitius eris peccatis puerorũ, & populi tui Iſrael: quia manifeſtabis eis viã bonã, in qua ibunt in
ea: & dabis pluuiã ſuper terrã tuã, q̃ dediſti populo tuo in hęreditatẽ. 28 Fames ſi facta fuerit ſuper terrã, mors
ſi facta fuerit, aeris corruptio, ſterilitas, locuſta, & bruchus fuerit, & ſi tribulauerit eũ inimicus corã ciuitatib[9] ipſorũ ſm oẽm plagã, & oẽm laborẽ, 29 & ois deprecatio, & ois orõ, quęcũque facta fuerit omni homini, & omni
populo tuo Iſrael, ſi nouerit homo factum ſuum, & languorem ſuum, & expanderit manus ſuas ad locum hunc;

## Vulgata Editio.

30 Tu exaudies de cœlo, de ſublimi ſcilicet habitaculo tuo,& propitiare,& redde vnicuique ſecundum vias ſuas,quas noſti eum habere in corde ſuo: ( tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum )

31 Vt timeant te, & ambulent in vijs tuis cunctis diebus,quibus viuunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris.

32 Externum quoque, qui non eſt de populo tuo Iſrael, ſi venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robuſtã, & brachium tuum extẽtum, & adorauerit in loco illo,

33 Tu exaudies de cœlo firmiſſimo habitaculo tuo, & facies cuncta,pro quibus inuocauerit te ille peregrinus: vt ſciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te ſicut populus tuus Iſrael, & cognoſcant, quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc,quam ædificaui.

34 Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum cõtra aduerſarios ſuos per viam in qua miſeris eos, adorabunt te contra viam, in qua ciuitas hæc eſt, quam elegiſti,& domus,quam ædificaui nomini tuo:

35 Tu exaudies de cœlo preces eorum, & obſecrationem,& vlciſcaris.

*3.Reg.8.46. Eccl.7.21. 1.Ioh.1.8.* 36 Si autem peccauerint tibi (* neque enim eſt homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hoſtibus, & captiuos duxerint eos in terram longinquam,vel certe quæ iuxta eſt,

37 Et conuerſi in corde ſuo in terra, ad quam captiui ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint in terra captiuitatis ſuæ, dicentes: Peccauimus,inique fecimus,iniuſte egimus:

38 Et reuerſi fuerint ad te in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, in terra captiuitatis ſuæ, ad quam ducti ſunt,adorabunt te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & vrbis, quam elegiſti, & domus,quam ædificaui nomini tuo:

39 Tu exaudies de cœlo, hoc eſt, de firmo habitaculo tuo preces eorum,& facias iudicium,& dimittas populo tuo,quamuis peccatori:

*Pſ.131.1.* 40 Tu es enim Deus meus: * aperiantur, quæſo, oculi tui, & aures tuæ intentæ ſint ad orationem, quæ fit in loco iſto.

41 Nunc igitur conſurge Domine Deus in requiem tuam,tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur ſalutem,& ſancti tui lætentur in bonis.

42 Domine Deus ne auerteris faciem Chriſti tui: memento miſericordiarum Dauid ſerui tui.

CAP.

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

30 *Tu exaudies de cælo,habitaculo ſeſſionis tuæ,& parces, & dabis vnicuique iuxta vias ſuas, quia noſti cor eius: tu enim ſolus noſti cor filiorum hominum.*

31 *Vt timeant te,vt ambulent in vijs tuis omnibus diebus,quibus viuunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris.*

32 *Et etiam alienigenam, qui non eſt de populo tuo Iſrael ipſe, & veniens è terra longinqua propter nomen tuũ magnũ,& manũ tuam robuſtã, & brachiũ tuũ extentũ, & venerint & orauerint in domo iſta.*

33 *Tu exaudies de cælo, habitaculo ſeſſionis tuæ: & facies ſecundum omnia pro quibus inuocauerit te alienigena,vt ſciant omnes populi terræ nomen tuum,& timeant te ſicut populus tuus Iſrael,& cognoſcant, quod nomen tuum inuocatum eſt ſuper domũ hanc, quam ædificaui.*

34 *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos per viam qua miſeris eos, & orauerit ad te in via ciuitatis huius, quam elegiſti, & domus quam ædificaui nomini tuo.*

35 *Exaudies de cælo orationem eorum, & deprecationem eorum,& facies iudicium eorum.*

36 *Si peccauerint tibi: (non enim eſt homo qui non peccet) & iratus fueris contra eos, & tradideris eos coram inimico,& captiuos duxerint eos,captiuos ducẽtes eos ad terram longinquam, vel propinquam.*

37 *Et redierint ad cor ſuum in terra ad quam captiui ducti ſunt & conuerſi fuerint, & orauerint ad te in terra captiuitatis ſuæ, dicendo: Peccauimus,iniquè egimus,impiè egimus.*

38 *Et conuerſi fuerint ad te toto corde ſuo,& tota anima ſua in terra captiuitatis ſuæ ad quam captiuos duxerunt eos,& orauerint in via terræ eorum,quam dediſti patribus eorum,& ciuitatis quam elegiſti,& domus quam ædificaui nomini tuo.*

39 *Exaudies de cælo, de habitaculo ſeſſionis tuæ orationem eorum, & deprecationem eorum, & facies iudiciũ eorum,& parces populo tuo,qui peccauerunt tibi.*

40 *Nunc Deus meus ſint quæſo oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ ad orationem loci huius.*

41 *Et nunc ſurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Dominus Deus, induantur ſalute, & ſancti tui lætentur in bono.*

42 *Domine Deus ne auertas faciem Chriſti tui: memento miſericordiam Dauid ſerui tui.*

CAP.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

30 & tu exaudies de cęlo,de parato habitaculo tuo,& propitiaberis,& dabis viro iuxta vias eius,ſicut cognoueris
cor eius (qm̃ ſolus cognoſcis cor filiorũ hominum) 31 vt timeant omnes vias tuas omnibus diebus,quibus ipſi
vixerint ſuper faciem terræ,quam dediſti patribus noſtris. 32 Et omnis alienus,qui nõ de populo tuo Iſrael eſt
ipſe,& venerit de terra longe pp nomen tuum magnum,& manum tuam validam,& brachium tuum excelſum,&
venerint,& deprecati fuerint in loco hoc; 33 & tu exaudies de cęlo,de parato habitaculo tuo: & facies iuxta
oĩa quæcumque inuocauerit te alienus:vt cognoſcant oẽs populi terræ nomen tuum,& ad timendum te,ſicut populus
tuus Iſrael,& ad cognoſcendũ,quia nomen tuũ inuocatum eſt ſuper domũ hanc,quam ædificaui. 34 Si
aũt exiuerit populus in bellum ſuper inimicos ſuos in via,qua miſeris eos, & deprecati fuerint ad te ad viam ciuitatis
huius,quam elegiſti in ea,& domus,quã ædificaui nomini tuo; 35 & audies de cęlo deprecationẽ eorum,
& orõnem eorum:& facies iuſtificationem eorum. 36 Qm̃ peccabunt tibi(quia non erit homo,qui non peccabit)&
percuties eos,& trades eos ad faciem inimicorum,& captiuabunt eos,captiuos abducentes eos in terrã inimicorum,
in terram longinquam,vel prope, 37 & conuerterint cor ſuum in terra eorum, quo tranſlati fuerint
illuc,& conuerterint ſe,& orauerint te in captiuitate ſua,dicentes: Peccauimus, inique egimus, iniuſte fecimus,
38 & reuerterint ad te in toto corde,& in tota aĩa ſua in terra captiuãtiũ eos,quo captiuos abduxerunt eos,& deprecati
fuerint viã terræ ſuæ,quã dediſti patribus ipſorũ,& ciuitatis,quã elegiſti,& domus,q̃ ędificaui nomini tuo;
39 & audies de cęlo,de parato habitaculo tuo deprecationẽ eorũ,& orõnẽ eorum: & facies iudicia:& propitius
eris populo tuo peccanti tibi. 40 Et nũc Dñe ſint,q̃ſo,oculi tui aperti,& aures tuæ exaudiẽtes ad orõnẽ loci huius.
41 Et nunc exurge Dñe Deus in requiẽ tuã,tu,& arca fortitudinis tuæ.Sacerdotes tui Dñe Deus induãtur
ſalutẽ: & filij tui lętentur in bonis 42 Dñe Deus,ne auertas faciẽ Chriſti tui:recordare m̃ias Dauid ſerui tui.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. VII.

1 CVmque complesset Salomon fundens preces,
ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocau-
ſta & victimas: & maieſtas Domini impleuit domũ.
* 1.Mac.2.10. 2 * Nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domi-
ni, eo quod impleſſet maieſtas Domini templum
Domini.
3 Sed & omnes filij Iſrael videbant deſcendentem
ignem, & gloriam Domini ſuper domum: & corru-
entes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum
lapide, adorauerunt, & laudauerunt Dominum:
Quo bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.
4 Rex autem, & omnis populus immolabant victimas
coram Domino.
* 3.Reg.8.63. 5 * Mactauit igitur rex Salomon hoſtias, boum vigin-
tiduo millia, arietum centum viginti millia: & dedi-
cauit domum Dei rex, & vniuerſus populus.
6 Sacerdotes autem ſtabant in officijs ſuis: & Leuitæ
in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid rex
ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum
miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per ma-
nus ſuas: porro Sacerdotes canebant tubis ante eos,
cunctuſque Iſrael ſtabat.
7 Sanctificauit quoque Salomon medium atrij ante
templum Domini: obtulerat enim ibi holocauſta
& adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fe-
cerat, non poterat ſuſtinere holocauſta & ſacrificia
& adipes.
8 Fecit ergo Salomon ſollemnitatem in tempore illo
ſeptem diebus, & omnis Iſrael cum eo, eccleſia ma-
gna valde, ab introitu Emath vſque ad torrentem
Ægypti.
9 Fecitque die octauo collectam, eo quòd dedicaſſet
altare ſeptem diebus, & ſollemnitatem celebraſſet
diebus ſeptem.
10 Igitur in die vigeſimotertio menſis ſeptimi dimiſit
populos ad tabernacula ſua, lætantes atque gauden-
tes ſuper bono, quod fecerat Dominus Dauidi, &
Salomoni, & Iſraeli populo ſuo.
* 3.Reg.9.1. 11 * Compleuitque Salomon domum Domini, & do-
mum regis, & omnia quæ diſpoſuerat in corde ſuo,
vt faceret in domo Domini, & in domo ſua, & pro-
ſperatus eſt.
12 Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audiui
orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in do-
mum ſacrificij.

Si

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. VII.

1 *CVmque compleſſet Selomoh orare, ignis deſcen-
dit e cælo, & conſumpſit holocauſtum, & victi-
mas, & gloria Domini repleuit domum.*
2 *Et non potuerunt ſacerdotes ingredi domum Do-
mini, quia repleuit gloria Domini domum Do-
mini.*
3 *Et omnes filij Iſrael videbant, quando deſcendebat
ignis, & gloria Domini ſuper domum, & incuruaue-
runt ſe in facie in terra ſuper pauimentum, & confi-
tebantur Domino, quoniam bonus: Quoniam in ſæ-
culum miſericordia eius.*
4 *Rex autem, & omnis populus immolabant victimam
coram Domino.*
5 *Et immolauit rex Selomoh victimam, boues viginti,
& duo millia, & oues centum, & viginti millia, &
dedicauerunt domum Dei rex, & vniuerſus populus.*
6 *Sacerdotes autem in cuſtodijs ſuis ſtabant, & Leuitæ
cum inſtrumentis muſicis Domini, quæ fecit Dauid
rex ad confitendum Domino, quoniam in ſæculum mi-
ſericordia eius, dum laudaret Dauid per manum
eorum: Sacerdotes autem clangebant contra eos, &
omnis Iſrael ſtabant.*
7 *Fecit autem ſanctificare rex Selomoh medium atrij
quod erat ante domum Domini: fecit enim ibi ho-
locauſta, & adipes pacificorum, quia altare æneum,
quod fecit Selomoh non poterat ſuſtinere holocau-
ſtum, & victimam, & adipes.*
8 *Et fecit Selomoh ſollemnitatem in tempore illo ſep-
tem diebus, & omnis Iſrael cum eo, cœtus magnus
valde, ab ingreſſu Chamath vſque ad torrentem Æ-
gypti.*
9 *Et fecerunt in die octaua collectam: dedicationem
enim altaris fecerunt ſeptem diebus, & ſollemnita-
tem ſeptem diebus.*
10 *Die autem vigeſima, & tertia menſis ſeptimi dimiſit
populum ad tabernacula ſua lætos & iucundos corde
ſuper bono, quod fecit Dominus Dauid, & Selomoh,
& Iſrael populo ſuo.*
11 *Compleuitque Selomoh domum Domini, & domum
regiam, & omne quod venit in cor Selomoh, vt fa-
ceret in domo Domini, & in domo ſua proſpere fe-
cit.*
12 *Apparuit autem Dominus Selomoh nocte, & ait ei:
Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi
in domum ſacrificij.*

Si

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. VII.

ET conſummauit Salomon deprecans; & ignis deſcendit de celo & deuorauit holocauſtomata, & ſacrificia: &
gloria Domini impleuit domum: 2 & non poterant ſacerdotes intrare in domum Domini in tempore il-
lo quoniam impleuerat gloria Domini domum. 3 Et omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem: (& glo-
ria Domini ſuper domum) & ceciderunt in faciem ſuper terram, ſuper pauimentum ſtratum lapide. & adorauet-
runt, & laudauerunt Dñm, quõ bonum, quõ in ſeculum miſericordia eius. 4 Et rex, & omnis populus immolan-
tes victimas ante Dñm. 5 Et ſacrificauit rex Salomon ſacrificium vitulorum viginti & duo millia, pecorum
centum & viginti millia. Et dedicauit domum Dei rex, & omnis populus. 6 Et ſacerdotes ſtantes ſuper cuſto-
dias ſuas, & Leuitæ in organis canticorum Dñi ipſius Dauid regis, ad confitendum ante Dñm, quõ in ſæculum mi-
ſericordia eius, in hymnis Dauid per manum ipſorum. Et ſacerdotes clangentes tubis ante eos, & oĩs Iſrael ſtans.
7 Et ſanctificauit Salomon medium atrij quod in domo Domini: quõ fecit ibi holocauſtomata, & adipes ſaluta-
rium: quõ altare æneum, quod fecerat Salomon, nõ ſufficiebat capere holocauſtomata, & Manaa, & adipes. 8 Et
fecit Salomon feſtiuitatem in tempore illo ſeptem dies: & omnis Iſrael cum eo, Eccleſia magna valde ab introitu
Æmath, & vſque ad torrentem Ægypti. 9 Et fecit in die octaua Exodion: quoniam dedicationem altaris fe-
cit ſeptem diebus feſtiuitatem: 10 & in tertia & vigeſima menſis ſeptimi miſit populum ad tabernacula eo-
rum lætantes, & bono corde ſuper bonis, quæ fecerat Dominus ipſi Dauid, & Salomoni, & Iſrael populo ſuo.
11 Et conſummauit Salomon domum Domini, & domum regis, & omnia, quæcumque voluit in animo Salo-
mon facere in domo Domini, & in domo ſua, proſperatus eſt. 12 Et apparuit Dominus ipſi Salomon nocte, &
dixit ei: Audiui deprecationem tuam, & elegi in loco hoc mihi in domum ſacrificij.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

13 Si clauſero cœlum & pluuia non fluxerit,& manda-
uero & præcepero locuſtæ,vt deuoret terram,& mi-
ſero peſtilentiam in populum meum:
14 Conuerſus autem populus meus,ſuper quos inuoca-
tum eſt nomen meum,deprecatus me fuerit, & ex-
quiſierit faciem meam ,& egerit pœnitentiam à vijs
ſuis peſſimis : & ego exaudiam de cœlo,& propitius
ero peccatis eorum,& ſanabo terram eorum.
15 Oculi quoque mei erunt aperti,& aures meę erectę
ad orationem eius,qui in loco iſto orauerit.
16 Elegi enim,& ſanctificaui locum iſtum,vt ſit nomen
meum ibi in ſempiternum,& permaneant oculi mei
& cor meum ibi cunctis diebus.
17 Tu quoque ſi ambulaueris coram me,ſicut ambula-
uit Dauid pater tuus , & feceris iuxta omnia , quæ
præcepi tibi,& iuſtitias meas iudiciaque ſeruaueris:
18 Suſcitabo thronum regni tui , ſicut pollicitus ſum
Dauid patri tuo,dicens: Non auferetur de ſtirpe tua
vir,qui ſit princeps in Iſrael.
19 Si autem auerſi fueritis , & dereliqueritis iuſtitias
meas & præcepta mea,quæ propoſui vobis, & abeũ-
tes ſeruieritis dijs alienis,& adoraueritis eos,
20 Euellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & do-
mum hanc,quam ſanctificaui nomini meo, proijciã
à facie mea,& tradam eam in parabolam, & in exem
plum cunctis populis.
21 Et domus iſta erit in prouerbium vniuerſis tranſe-
untibus, & dicent ſtupentes : Quare fecit Dominus
ſic terræ huic,& domui huic?
22 Reſpondebuntque : Quia dereliquerunt Dominum
Deum patrum ſuorum, qui eduxit eos de terra Æ-
gypti , & apprehenderunt deos alienos , & adoraue-
runt eos , & coluerunt : idcirco venerunt ſuper eos
vniuerſa hæc mala.

### CAP. VIII.

3.Reg.9.10. 1 EXpletis autem viginti annis poſtquam ædifi-
cauit Salomon domum Domini & domum
ſuam:
2 Ciuitates quas dederat Hiram Salomoni,ædificauit
& habitare ibi fecit filios Iſrael.
3 Abijt quoque in Emath Suba,& obtinuit eam.
4 Et ædificauit Palmiram in deſerto, & alias ciuitates
munitiſſimas ædificauit in Emath.
5 Extruxitque Bethoron ſuperiorem, & Bethoron in-
feriorem , ciuitates muratas habentes portas & ve-
ctes,& ſeras:

Ba-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Si clauſero cælum, & non fuerit pluuia, & ſi præce-
pero locuſtæ,vt deuoret terram, & ſi miſero peſtilen-
tiam in populum meum.*
14 *Et humiliauerint ſe populus meus ſuper quos inuo-
catum eſt nomẽ meum,& orauerint, & exquiſierint
faciem meam , & conuerſi fuerint à vijs ſuis malis,
ego exaudiam de cælo, & parcam peccato eorum, &
ſanabo terram eorum.*
15 *Nunc oculi mei erunt aperti , & aures meæ intentæ
ad orationem loci huius.*
16 *Et nunc elegi,& ſanctificaui domum hanc,vt ſit no-
men meum ibi vſque in ſæculum: & erunt oculi mei
& cor meum ibi cunctis diebus.*
17 *Tu autem ſi ambulaueris coram me,ſicut ambulauit
Dauid pater tuus,vt facias iuxta omnia,quæ præcepi
tibi,& ſtatuta mea,& iudicia mea cuſtodieris.*
18 *Suſcitabo ſolium regni tui,quemadmodum pollicitus
ſum Dauid patri tuo dicendo: Non ſuccidetur tibi
vir dominans in Iſrael.*
19 *Si aũt auerſi fueritis,& dereliqueritis ſtatuta mea,
& præcepta mea q̃ dedi corã vobis,& ambulaueritis
& ſeruieritis dijs alienis, & incuruaueritis vos eis.*
20 *Euellam eos è terra mea , quam dedi eis , & domum
iſtam quam ſanctificaui nomini meo,proijciam à fa-
cie mea,& dabo eam in parabolam,& in exemplum
cunctis populis.*
21 *Et domus iſta quæ fuit excelſa omni tranſeunti per
eam,erit ſtupori,& dicet : Propter quod fecit Domi-
nus ſic terræ huic,& domui huic.*
22 *Et dicent : Eo quod dereliquerint Deum patrum
ſuorum qui eduxit eos è terra Ægypti,& apprehen-
derint deos alienos,& adorauerint eos, & ſeruierint
eis : idcirco adduxit ſuper eos omne malum hoc.*

### CAP. VIII.

1 *ET fuit, in fine viginti annorum , quibus ædi-
ficauit Selomoh domum Domini , & domum
ſuam.*
2 *Ciuitates quas dedit Chiram Selomoni ædificauit Se
lomoh,& habitare fecit ibi filios Iſrael.*
3 *Et abijt Selomoh in Chamath Sobah, & obtinuit eã.*
4 *Et ædificauit Tadmor in deſerto,& vniuerſas vrbes
theſaurorum quas ædificauit in Chamath.*
5 *Et ædificauit Bethchoron ſuperiorem , & Bethchoron
inferiorem ciuitates munitas muris,portis,& vectī-
bus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Si cohibuero cœlum,& non fuerit facta pluuia,& ſi mandauero locuſtæ deuorare lignum,& ſi miſero mortem
in populo meo, 14 & ſi confuſus fuerit populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum ſuper eos, &
deprecati fuerint,& quæſierint faciem meam,& auerterint ſe à vijs ſuis malis;& ego exaudiam de cœlo,& propi-
tius ero peccatis eorum,& ſanabo terram eorum. 15 Et nunc oculi mei erunt aperti, & aures meæ exaudien-
tes ad deprecationem loci huius. 16 Et nunc elegi,& ſanctificaui domum hanc,vt ſit ibi nomen meum vſque
in ſæculum: & erunt oculi mei,& cor meum ibi omnibus diebus. 17 Et tu,ſi ambulaueris coram me,ſicut Da-
uid pater tuus,& feceris ſecundum omnia,quæ mandaui tibi,& præcepta mea,& iudicia mea cuſtodieris; 18 &
ſuſcitabo thronũ regni tui ſicut diſpoſui Dauid patri tuo,dicens:Non auferetur tibi dux vir in Iſrael. 19 Et,
ſi auerteritis vos,& dereliqueritis præcepta mea,& mandata mea,quæ dedi ante vos, & ieritis, & ſerujeritis dijs
alijs,& adoraueritis eos; 20 & auferam vos,de terra,quam dedi eis:& domum hanc,quam ſanctificaui nomini
meo,auertam à facie mea,& dabo eam in parabolam,& in narrationem in omnibus gẽtibus. 21 Et domus hæc
excelſa,omnis tranſiens eam ſtupebit, & dicet: Cuius gratia fecit Dominus terræ huic, & domui huic? 22 Et
dicent : Quoniam dereliquerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxit eos è terra Ægypti : & ſuſcepe-
runt deos alios,& adorauerunt eos, & ſeruierunt eis : & propter hoc induxit ſuper eos omne malum hoc.

### CAP. VIII.

ET factum eſt poſt viginti annos,in quibus ædificauit Salomon domum Dñi,& domum ſuam; 2 & ciuitates,
quas dedit Chiram Salomoni,ædificauit eas Salomon,& habitare fecit ibi filios Iſrael. 3 Et venit Salomon
in Bæſoba,& obtinuit eam. 4 Et ædificauit Thoedmot in deſerto,& omnes ciuitates munitas,quas ędificauit in
Hemath. 5 Et ædificauit Bethoron ſuperiorẽ,& Bæthoron inferiorẽ,ciuitates munitas,mœnia,portę,& vectes,

& ip-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Balaath etiam & omnes vrbes firmiſſimas,quæ fue-
runt Salomonis, cunctaſque vrbes quadrigarum, &
vrbes equitum,omnia quæcumque voluit Salomon
atque diſpoſuit, ædificauit in Ieruſalem, & in Liba-
no,& in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ.
7 Omnem populum, qui derelictus fuerat de He-
thæis,& Amorrhæis,& Pherezæis,& Heuæis, & Ie-
buſæis,qui non erant de ſtirpe Iſrael:
8 De filijs eorum: & de poſteris, quos non interfece-
rant filij Iſrael, ſubiugauit Salomon in tributarios,
vſque in diem hanc.
9 Porro de filijs Iſrael non poſuit, vt ſeruirent opeI-
bus regis: ipſi enim erant viri bellatores, & duces
primi & principes quadrigarum,& equitum eius.
10 Omnes autem principes exercitus regis Salomonis
fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant po-
pulum.
11 Filiam vero Pharaonis tranſtulit de ciuitate Dauid
in domum, quam ædificauerat ei. Dixit enim rex:
Non habitabit vxor mea in domo Dauid regis Iſ-
rael,eo quod ſanctificata ſit: quia ingreſſa eſt in eam
arca Domini.
12 Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino ſuper
altare Domini,quod extruxerat ante porticum:
13 Vt per ſingulos dies offerretur in eo iuxta præcep-
tum Moyſi in ſabbatis,& in Calendis,& in feſtis die-
bus ter per annum,id eſt, in ſollemnitate azymorũ,
& in ſollemnitate hebdomadarum,& in ſollemnita-
te tabernaculorum.
14 Et conſtituit iuxta diſpoſitionem Dauid patris ſui
officia Sacerdotum in miniſterijs ſuis: & Leuitas in
ordine ſuo, vt laudarent, & miniſtrarent coram Sa-
cerdotibus iuxta ritum vniuſcuiuſque diei: & iani-
tores in diuiſionibus ſuis per portam, & portam: ſic
enim præceperat Dauid homo Dei.
15 Nec prætergreſſi ſunt de mandatis regis,tam Sacer-
dotes,quam Leuitæ,ex omnibus quæ præceperat, &
in cuſtodijs theſaurorum.
16 Omnes impenſas præparatas habuit Salomon ex
eo die, quo fundauit domum Domini vſque in diẽ,
quo perfecit eam.
17 Tunc abijt Salomon in Aſiongaber, & in Ailath ad
oram Maris rubri,quæ eſt in terra Edom.
18 Miſit autem ei Hiram per manus ſeruorum ſuorum
naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum ſer-
uis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadrin-
genta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad
regem Salomonem.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 Et Behalath,& omnes vrbes theſaurorum, quæ fue-
runt Selomoni,& omnes vrbes quadrigarum, & vr-
bes equitum,& omne volitum Selomoh,quod voluit
ædificare in Ieruſalaim, & in Lebanon, & in vni-
uerſa terra poteſtatis ſuæ.
7 Omnem populum, qui remanſit de Chittheis, & E-
moreis, & Perizzæis, & Chiuuæis, & Iebuſæis, qui
non de Iſrael erant:
8 De filijs eorum: qui remanſerant poſt eos in terra
quos non conſumpſerunt filij Iſrael,fecit tributarios
vſque ad diem hanc.
9 Et de filijs Iſrael quos non poſuit ſeruos in opere re-
gio: ipſi enim erant viri bellatores,& principes prin-
cipũ eius,& principes curruũ eius, & equitum eius.
10 Iſti ſunt autem principes,qui ſtabant, qui erant re-
gi Selomoh, quinquaginta, & ducenti, qui domina-
bantur populo.
11 Et filiam Parhoh aſcendere fecit Selomoh de ciuita-
te Dauid in domum,quam ædificauit ei. Dixit enim:
Non habitabit vxor mea in domo Dauid regis Iſ-
rael, quia ſanctitas eſt: quia ingreſſa eſt eam arca
Domini.
12 Tunc obtulit Selomoh holocauſta Domino ſuper al-
tare Domini,quod ædificauit ante porticum:
13 Et per ſingulos dies, vt offerrent iuxta præceptum
Moſeh in ſabbatis, & Kalendis,& ſollemnitatibus
tribus vicibus per annum,in ſollemnitate infermen-
tatorum, & in ſollemnitate hebdomadarum, & in
ſollemnitate tabernaculorum.
14 Et ſtatuit iuxta ordinem Dauid patris ſui diuiſio-
nes Sacerdotum in miniſterio ſuo: & Leuitas in cu-
ſtodijs ſuis,vt laudarent, & miniſtrarent coram Sa-
cerdotibus per ſingulos dies: & ianitores in diuiſio-
nibus ad ſingulas portas: ſic enim erat præceptum
Dauid viri Dei.
15 Et non declinauerunt à præcepto regis ſuper Sacer-
dotibus,& Leuitis in omni re,& in theſauris.
16 Et præparauit omne opus Selomoh vſque ad diem
qua fundata eſt domus Domini, & donec compleuit
perficere domum Domini.
17 Tunc iuit Selomoh in Heſiongheber, & in Eloth ad
littus Maris in terram Edom.
18 Et miſit ad eum Churam per manum ſeruorum
ſuorum naues, & ſeruos gnaros maris, & iuerunt
cum ſeruis Selomoh in Ophir,& tulerunt inde qua-
dringenta,& quinquaginta talenta auri, & attule-
runt ad regem Selomoh.

CAP.

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 & ipſam Balaath,& oẽs ciuitatẽs munitas,quæ erant Salomoni: & oẽs ciuitates currũ,& ciuitates equitum:&
quæcũque concupiuit Salomon ſm deſiderium ædificare in Hieruſalẽ,& in Libano,& in omni regno ſuo. 7 Om
nis populus reſiduus de Chettæo,& Amorrhæo,& Pherezæo,& Euæo,& Iebuſæo,qui non ſunt de Iſrael, 8 ſed
erant de filijs eorum,qui remanſerant poſt eos in terra,quos non exterminauerant filij Iſrael; & adduxit eos Sa-
lomon in tributũ vſque in diem hanc. 9 Et de filijs Iſrael non dedit Salomon in pueros regno ſuo: qm ecce vi-
ri bellatores,& principes,& potentes,& principes currũ,& equitum. 10 Et hi principes ex ijs,qui adſtabant re-
gi Salomon,quinquaginta & ducenti exactores operũ in populo. 11 Et filiã Pharaonis adduxit Salomon de ci-
uitate Dauid in domum,quam ædificauerat ei: qm dixit: Non habitabit vxor mea in ciuitate Dauid regis Iſrael,
qm ſancta eſt,ex quo intrauit illuc arca Domini. 12 Tũc obtulit Salomon holocauſtomata Dño ſuper altare,qđ
ædificauit Dño e regione templi. 13 iuxta verbũ diei in die,ad offerendum iuxta mandata Moyſi in ſabbatis, &
in menſibus,& in feſtiuitatibus,tribus tẽporibus anni,in feſtiuitate azymorũ,& in feſtiuitate hebdomadarum,& in
feſtiuitate tabernaculorum. 14 Et ſtatuit iuxta iudicium Dauid patris ſui diſtributiones ſacerdotum, & ſm mi-
niſteria eorum.Et Leuitæ ſuper cuſtodias ſuas,ad laudandum,& miniſtrandum coram ſacerdotibus iuxta verbum
diei in die. Et ianitores ſecundum diſtributionem ad portam, & portam: quoniam ita mandata Dauid hominis
Dei. 15 Non tranſgreſſi ſunt mandata regis de ſacerdotibus,& Leuitis in omni verbo,& in theſauris. 16 Et
paratum fuerat omne opificium,à qua die fundata eſt,quoaduſque perfecit Salomon domum Domini.
17 Tunc abijt Salomon in Gaſion Gaber,& in Ælath maritimam in terra Idumæa. 18 Et miſit Chirã in ma-
nu puerorum ſuorum nauigia,& pueros ſcientes mare: & abierunt cum pueris Salomon in Sophira: & tulerunt
inde quadringenta,& quinquaginta talenta auri: & venerunt ad regem Salomon.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. IX.

1 Reg. 10. 1. Mat. 12. 42. Luc. 11. 31.

1 REgina quoque Saba, cum audiſſet famam Salomonis, venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Ieruſalem, cum magnis opibus, & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmaſque pretioſas. Cumque veniſſet ad Salomonem, locuta eſt ei quæcumque erant in corde ſuo.
2 Et expoſuit ei Salomon omnia, quæ propoſuerat: nec quidquam fuit, quod non perſpicuum ei fecerit.
3 Quæ poſtquam vidit, ſapientiam ſcilicet Salomonis, & domum quam ædificauerat:
4 Necnon & cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ ſtupore vltra in ea ſpiritus.
5 Dixitque ad regem: Verus eſt ſermo, quem audieram in terra mea de virtutibus, & ſapientia tua.
6 Non credebam narrantibus donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: viciſti famam virtutibus tuis.
7 Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam.
8 Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Iſrael, & vult ſeruare eum in æternum, idcirco poſuit te ſuper eum regem, vt facias iudicia, atque iuſtitiam.
9 Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſſimas: non fuerunt aromata talia, vt hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni.
10 Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerūt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretioſiſſimas:
11 De quibus fecit rex, de lignis ſcilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia, citharas quoque, & pſalteria cantoribus: numquam viſa ſunt in terra Iuda ligna talia.
12 Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multo plura quàm attulerat ad eum: quæ reuerſa, abijt in terram ſuā cum ſeruis ſuis.

Erat

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. IX.

1 *REgina autē Sebah audiuit famam Selomoh, & venit ad tentandum Selomoh in ænigmatibus in Ieruſalaim cum exercitu graui valdè, & camelis portantibus aromata, & aurum in multitudine, & lapides pretioſos, & venit ad regem Selomoh, & locuta eſt cum eo quicquid erat in corde ſuo.*
2 *Et indicauit ei Selomoh omnia verba eius, & non latuit quicquam à Selomoh, quod non indicauerit ei.*
3 *Et vidit regina Sebah ſapientiam Selomoh, & domū, quam ædificauerat:*
4 *Et cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum eius, & functionem miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, & pincernas eius, & veſtimenta eorum, & cœnaculum eius quo aſcendebat in domum Domini: & non erat vltra in ea ſpiritus.*
5 *Dixitque ad regem: Verum eſt verbum, quod audiui in terra mea de rebus tuis, & de ſapientia tua.*
6 *Et non credebam verbis eorum, donec venirem, & viderent oculi mei, & ecce non fuit indicatum mihi dimidium multitudinis ſapientiæ tuæ: addidiſti famæ, quam audiui.*
7 *Beati viri tui, & beati ſerui tui iſti, qui ſtant corā te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*
8 *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te, vt poneret te ſuper thronum ſuum in regem Domino Deo tuo. Propterea quòd diligit Deus tuus Iſrael, vt ſtare faciat eum in ſæculum, poſuit te ſuper eos regē ad faciendum iudicium, & iuſtitiam.*
9 *Dedit autem regi centum, & viginti talenta auri, & aromata in multitudinem valdè, & lapides pretioſos: non fuit ſicut aroma iſtud, quod dedit regina Sebah regi Selomoh.*
10 *Et etiam ſerui Churam, & ſerui Selomoh, qui attulerunt aurum de Ophir, attulerunt ligna algumim & lapides pretioſos:*
11 *Et fecit rex de lignis algumim ſigna in domo Domini, & domo regia, & cytharas, & pſalteria cantoribus: & non ſunt viſa, ſicut ipſa ante in terra Iehudah.*
12 *Rex autem Selomoh dedit reginæ Sebah omnem volūtatem eius, quam poſtulauit præter id quod attulerat ad regem: & reuerſa eſt, & abijt in terrā ſuam ipſa, & ſerui eius.*

*Erat*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. IX

ET regina Saba audiuit nomen Salomon, & venit ad tentandum Salomon in ænigmatibus in Hieruſalem in virtute graui: & cameli portantes aromata in multitudine, & aurum, & lapidem precioſum. Et venit ad Salomon, & locuta eſt ad eum omnia, quæcumque erant in anima ſua. 2 Et annunciauit ei Salomon omnia verba eius: & non præterijt verbum à Salomon, quod non annunciarit ei. 3 Et vidit regina Saba ſapientiam Salomō, & domum quam ædificauit, 4 & cibaria menſarum, & ſeſſionem puerorum eius, & ſtationem miniſtrorū eius, & veſtem eorum, & pincernas eius, & ornatum eorum, & holocauſtomata, quæ offerebat in domo Domini, & extra ſe facta eſt. 5 Et dixit ad regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea de verbis tuis, & de ſapientia tua. 6 Et non credidi ſermonibus, quoadusque veni, & viderunt oculi mei: & ecce non eſt annunciatum mihi dimidium multitudinis ſapientiæ tuæ: adiecisti ſuper auditionem, quam audieram. 7 Beati viri tui, beati pueri tui, qui aſſiſtunt tibi ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. 8 Sit Dominus Deus tuus benedictus; qui voluit in te, ad dandum te ſuper thronum ſuum in regem Domino Deo tuo. In diligendo Dominum Deum tuum, ipſum Iſrael, ad ſtatuendum eum in ſæculum, & dedit te ſuper eos in regem, ad faciendum iudicium, & iuſtitiam. 9 Et dedit regi centum viginti talenta auri, & aromata in multitudine plurima, & lapidem precioſum. Et non fuit iuxta aromata illa, quæ dedit regina Saba regi Salomon. 10 Et pueri Salomon, & pueri Chiram afferebant aurum Salomoni de Suphir, & ligna pinea, & lapidem precioſum. 11 Et fecit rex ligna pinea, aſcenſiones domui Domini, & domui regis, & citharas, & nablas cantoribus. Et non apparuerant talia antea in terra Iuda. 12 Et rex Salomon dedit reginæ Sabā omnia deſideria eius, quæ poſtulauit, præter omnia, quæ attulerat regi Salomon. Et reuertitur in terram ſuam.

Et fuit

## Vulgat. Editio.

13 Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri:

14 Excepta ea ſumma, quam legati diuerſarum gentium, & negociatores afferre conſueuerant, omneſque reges Arabiæ, & ſatrapæ terrarum, qui comportabant aurum, & argentum Salomoni.

15 Fecit igitur rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur:

16 Trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta: poſuitque ea rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.

17 Fecit quoque rex ſolium eburneum grande, & veſtiuit illud auro mundiſſimo.

18 Sex quoq; gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureum, & brachiola duo altrinſecus, & duos leones ſtantes iuxta brachiola:

19 Sed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper ſex gradus ex vtraque parte: non fuit tale ſolium in vniuerſis regnis.

20 Omnia quoque vaſa conuiuij regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

21 Siquidem naues regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram, ſemel in annis tribus: & deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & ſimias, & pauos.

22 Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes reges terræ præ diuitijs, & gloria.

23 Omneſque reges terrarum deſiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiam, quam dederat Deus in corde eius:

24 Et deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & aromata, equos, & mulos, per ſingulos annos.

25 Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, equitumque duodecim millia, conſtituitque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat rex in Ieruſalem.

26 Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos reges à flumine Euphrate vſque ad terram Philiſthinorum, & vſque ad terminos Ægypti.

27 Tantamque copiam præbuit argenti in Ieruſalem quaſi lapidum: & cedrorum tantã multitudinem velut ſycomororum, quæ gignuntur in campeſtribus.

28 Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctiſque regionibus.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Erat autem pondus auri, quod veniebat ad Selomoh annuatim ſexcenta & ſexaginta, & ſex talenta auri:*

14 *Præter viros mercatores, & negociatores adducentes, & omnes reges Harab, & duces terræ adducentes aurum, & argentum Selomoni.*

15 *Et fecit rex Selomoh ducenta ſcuta ex auro ductili, ſexcenti aurei ductiles aſcendebant ſuper ſcuto ſingulo.*

16 *Et trecentos clypeos ex auro ductili, trecenti aurei aſcendebant ſuper clypeo ſingulo: & poſuit eos in domo ſaltus Lebanon.*

17 *Fecit autem rex ſolium eburneum grande, & texit illud auro mundo.*

18 *Et ſex gradus erant ſolio, & gradus ex auro erant ipſi ſolio tenentes, & manus hinc & inde in loco ſeſſionis, & duo leones ſtantes iuxta manus.*

19 *Et duodecim leones ſtabant iuxta ſex gradus hinc, & inde: non eſt factum ſic in vniuerſis regnis.*

20 *Et omnia vaſa potus regis Selomoh aurea, & omnia vaſa domus ſaltus Libani ex auro mundo. Non argentum reputabatur in diebus Selomoh quicquam.*

21 *Naues enim regis ibant in Tharſis cum ſeruis Churam ſemel in tribus annis et deferebant naues Tharſis portantes aurum, & argentum, dentes elephantum, & ſimias, & pauos.*

22 *Magnificatuſque eſt rex Selomoh præ omnibus regibus terræ in diuitijs, & ſapientia.*

23 *Et omnes reges terræ quærebant faciem Selomoh, vt audirent ſapientiam eius, quam dedit Deus in corde eius:*

24 *Et ipſi deferebant vnuſquiſque munus ſuum, vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, arma, & aromata, & equos, & mulos annuatim.*

25 *Et fuerunt Selomoni quattuor millia præſepia equorum, & curruum, & duodecim millia equitum, & dimiſit eos in vrbibus curruum, & cum rege in Ieruſalaim.*

26 *Et Dominatus eſt omnibus regibus à flumine vſque ad terram Peliſtim, & vſque ad terminum Ægypti.*

27 *Et præbuit rex argentum in Ieruſalaim, ſicut lapides: & cedros præbuit quaſi ſycomoros, quæ ſunt in campeſtribus in multitudine.*

28 *Et educebant equos ex Ægypto ad Selomoh, & de cunctis terris.*

*Re-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

13 Et fuit pondus auri allati ad Salomon in anno vno, ſexcenta ſexaginta talenta auri 14 præter ſubiectos
& mercatorum, quæ afferebant. Et de omnibus regibus Arabiæ, & ſatraparum terræ, omnes afferebant aurum, &
argentum regi Salomon. 15 Et fecit rex Salomon ducenta ſcuta aurea ductilia: ſexcenti aurei puri inerant
in vno ſcuto: 16 & trecentos clypeos ductiles aureos, trecentorum aureorum aſcendebat ſuper clypeum
vnumquemque. Et dedit eos rex in domo ſyluæ Libani. 17 Et fecit rex thronum de elephantinis dentibus
magnum: & deaurauit cum auro probato: 18 & ſex gradus throno illigati auro, & brachiola hinc, & hinc
ſuper thronum ſeſſionis: & duo leones ſtantes apud brachiola: 19 & duodecim leones ſtantes ibi ſuper
ſex gradus hinc, & hinc. Non factum eſt ſic in omni regno. 20 Et omnia vaſa regis Salomon ex auro,
& omnia vaſa domus ſyluæ Libani auro incluſa. Non fuit argentum reputatum in diebus Salomon ad quicquam.
21 Quoniam nauis regis ibat in Tharſis cum pueris Chiram: ſemel per tres annos veniebant nauigia e Tharſis
referta auro, & argento, & dentibus elephantinis, & ſimijs. 22 Et magnificatus eſt Salomon ſuper omnes reges, & diuitijs, & ſapientia. 23 Et omnes reges terræ quærebant faciem Salomon ad audiendum ſapientiam eius, quam dederat Dominus in corde eius. 24 Et ipſi afferebant, vnuſquiſque dona
ſua, vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtem, ſtacten, & ſuauitates, equos, & mulos, quod per annum annum.
25 Et fuerunt Salomoni quattuor mille fœminæ equæ ad currus, & duodecim millia equitum: & poſuit eos in
ciuitatibus curruum, & cum rege in Hieruſalem. 26 Et fuit Dux omnium regum à flumine, &
vſque ad terram alienigenarum, & vſque ad fines Ægypti. 27 Et dedit rex aurum, & argentum
in Hieruſalem, tanquam lapides, & cedros, tanquam ſycomoros, quæ in campeſtri, in multitudine.
28 Et exitus equorum ex Ægypto ipſi Salomon, & ex omni terra.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

29 Reliqua autem operum Salomonis priorum, & no-
uiſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophe-
tæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in viſione quoq; Ad-
do Videntis, contra Ieroboam filium Nabat.
30 Regnauit autem Salomon in Ieruſalem ſuper om-
nem Iſrael quadraginta annis.
31 Dormiuitque cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum
in ciuitate Dauid: regnauitque Roboam filius eius
pro eo.

### CAP. X.

3.Reg.12.1

1 PRofectus eſt autem Roboam in Sichem: illuc
enim cunctus Iſrael conuenerat, vt conſtitue-
rent eum regem.
2 Quod cum audiſſet Ieroboam filius Nabat, qui erat
in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem)
ſtatim reuerſus eſt.
3 Vocaueruntque eum, & venit cum vniuerſo Iſrael,
& locuti ſunt ad Roboam, dicentes:
4 Pater tuus duriſſimo iugo nos preſſit, tu leniora im-
pera patre tuo, qui nobis impoſuit grauem ſeruitu-
tem, & paululum de onere ſubleua, vt ſeruiamus
tibi.
5 Qui ait: Poſt tres dies reuertimini ad me. Cumque
abiiſſet populus:
6 Iniit conſilium cum ſenibus, qui ſteterant coram
patre eius Salomone dum adhuc viueret, dicens:
Quid datis conſilii, vt reſpondeam populo?
7 Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, & leni-
ueris eos verbis clementibus, ſeruient tibi omni
tempore.
8 At ille reliquit conſilium ſenum, & cum iuuenibus
tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant
in comitatu illius.
9 Dixitque ad eos: Quid vobis videtur? vel reſponde-
re quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleua
iugum quod impoſuit nobis pater tuus?
10 At illi reſponderunt vt iuuenes, & nutriti cum eo in
deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo, qui di-
xit tibi: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu
ſubleua: & ſic reſpōdebis ei: Minimus digitus meus
groſſior eſt lumbis patris mei.
11 Pater meus impoſuit vobis graue iugum, & ego
maius pondus apponam: pater meus cecidit vos fla-
gellis, ego vero cædam vos ſcorpionibus.

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

29 *Reſidua autem Selomoh primorum, & nouiſſimorum, nonne ſunt ſcripta in libro Nathan Prophetæ, & in prophetia Achyah Silonitæ, & in viſionibus Iahad-di Videntis, contra Iarebham filium Nebath.*
30 *Et regnauit Selomoh in Ieruſalaim ſuper omnem Iſrael quadraginta annis.*
31 *Et dormiuit Selomoh cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid patris ſui: regnauitque Rechabham filius eius pro eo.*

### CAP. X.

1 *ABiit autem Rechabham in Sechem: quia in Sechem venerant omnis Iſrael, vt regem conſtituerent eum.*
2 *Et fuit, cum audiſſet Iarebham filius Nebath, qui erat in Ægypto, qui fugerat à facie Selomoh regis, reuerſus eſt de Aegypto.*
3 *Et miſerunt, & vocauerunt eum, & venit Iarebham, & omnis Iſrael, & locuti ſunt ad Rechabham, dicendo:*
4 *Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, & nunc alleuia de ſeruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod poſuit ſuper nos, & ſeruiemus tibi.*
5 *Et dixit ad eos: Adhuc tres dies, & reuertimini ad me. Et abiit populus:*
6 *Et conſuluit rex Rechabham ſenes, qui ſteterant corā Selomoh patre eius, ipſo viuente, dicendo: Quomodo conſulitis, vt reſpondeam populo huic verbum?*
7 *Et locuti ſunt ad eum, dicendo: Si fueris in bono populo huic, & placueris eis, & locutus fueris ad eos verba bona, erunt tibi ſerui omnibus diebus.*
8 *Et reliquit conſilium ſenum, quod conſuluerant ei, & conſuluit adoleſcentes, qui nutriti erant ſecum, qui ſtabant coram eo.*
9 *Et dixit ad eos: Quid vos conſulitis, & reſpondebimus verbum populo huic, qui locuti ſunt, dicendo: Alleuia de iugo, quod poſuit pater tuus ſuper nos?*
10 *Et locuti ſunt cum eo adoleſcentes, qui nutriti erant cum eo, dicendo: Sic dices populo, qui locuti ſunt ad te dicendo: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, & tu alleuia à nobis: ſic dices ad eos: Minor digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei.*
11 *Et nunc pater meus onerauit ſuper vos iugum graue, & ego addam iugo veſtro: pater meus caſtigauit vos virgis, & ego ſcorpionibus.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

29 Et reliqua verba Salomon prima, & nouiſſima ecce hæc ſcripta in ſermonibus Nathan prophetæ, & in ſermo-
nibus Achia Selonitæ, & in viſionibus Ioel videntis contra Hieroboam filium Nabath. 30 Et regnauit Salomō
ſuper omnem Iſrael quadraginta annos. 31 Et dormiuit Salomon: & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid patris
eius. Et regnauit Roboam filius eius pro eo.

### CAP. X.

ET venit Roboam in Sychem: quoniam in Sychem veniebat vniuerſus Iſrael ad regem faciendum eum.
2 Et factum eſt, vt audiuit Hieroboam filius Nabat (& ipſe in Ægypto, ſicut fugerat à facie Salomon regis,
& habitauerat Hieroboam in Ægypto,) & reuertit Hieroboam ex Ægypto. 3 Et miſerunt, & vocauerunt eum.
Et venit Hieroboam, & omnis Eccleſia ad Roboam, dicentes: 4 Pater tuus indurauit iugum noſtrum: & nunc
remitte de ſeruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod dedit ſuper nos & ſeruiemus tibi. 5 Et dixit
eis: Ite vſque ad tres dies, & venite ad me. Et abiit populus. 6 Et congregauit rex Roboam ſeniores, qui ſtabant
coram Salomon patre eius, in viuendo eum dicens: Quomodo vos conſulitis reſpondere populo huic verbum?
7 Et locuti ſunt ei dicentes: Si hodie fueris ad bonum populo huic, & bene placueris, & locutus fueris eis verba
bona; & erunt tibi pueri omnibus diebus. 8 Et reliquit conſilium ſeniorum, qui conſuluerant ei: & conſuluit
cum pueris, qui nutriti fuerant cum eo, qui ſtabant coram eo. 9 Et dixit eis: Quid vos conſulitis, & reſpon-
debo verbum populo huic, qui locuti ſunt ad me, dicentes: Remitte de iugo, quod dedit pater tuus ſuper nos?
10 Et locuti ſunt ei pueri enutriti cum eo, dicentes: Sic loqueris populo, qui locutus eſt ad te, dicens: Pater
tuus aggrauauit iugum noſtrum, & tu remitte à nobis: Sic dices: Paruus digitus meus craſſior lumbo patris mei.
11 Et nunc pater meus caſtigauit vos iugo graui: & ego adiiciam ſuper iugum veſtrum. Pater meus caſtigauit
vos flagellis: & ego caſtigabo vos in ſcorpionibus.

Et re-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

12 Venit ergo Ieroboam, & vniuerſus populus ad Roboam die tertio, ſicut præceperat eis.

13 Reſponditque rex dura, derelicto conſilio ſeniorum:

14 Locutuſque eſt iuxta iuuenum voluntatem: Pater meus graue vobis impoſuit iugum, quod ego grauius faciam: pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos ſcorpionibus.

* 3. Reg. 11. 29.

15 Et non acquieuit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, vt compleretur ſermo eius, * quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboã filium Nabat.

16 Populus autem vniuerſus rege duriora dicente, ſic locutus eſt ad eum: Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai. Reuertere in tabernacula tua Iſrael, tu autem paſce domum tuam Dauid. Et abijt Iſrael in tabernacula ſua.

17 Super filios autem Iſrael, qui habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam.

18 Miſitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidauerunt eum filij Iſrael, & mortuus eſt: porro rex Roboam currum feſtinauit aſcendere, & fugit in Ieruſalem.

19 Receſſitque Iſrael à domo Dauid, vſque ad diem hanc.

### CAP. XI.

3. Reg. 12. 21.

1 VEnit autem Roboam in Ieruſalem, & conuocauit vniuerſam domum Iuda, & Beniamin, centum octoginta millia electorum, atque bellantium, vt dimicaret contra Iſrael, & conuerteret ad ſe regnum ſuum.

2 Factuſque eſt ſermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens:

3 Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad vniuerſum Iſrael, qui eſt in Iuda, & Beniamin:

4 Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neq; pugnabitis contra fratres veſtros: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam, quia mea hoc geſtum eſt voluntate. Qui cum audiſſent ſermonem Domini, reuerſi ſunt, nec perrexerunt contra Ieroboam.

5 Habitauit autem Roboam in Ieruſalem, & ædificauit ciuitates muratas in Iuda.

6 Extruxitque Bethlehem, & Etam, & Thecue:

Be-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et venit Iarobham, & omnis populus ad Rechabbã die tertio, quemadmodum locutus fuerat rex, dicendo: Reuertimini ad me die tertio.*

13 *Reſpõditque eis rex dura, & dereliquit rex Rechabham conſilium ſenum:*

14 *Et locutus eſt ad eos iuxta conſilium adoleſcentum, dicendo: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, & ego addam ſuper illud: pater meus caſtigauit vos flagellis, & ego ſcorpionibus.*

15 *Et non audiuit rex populum: nam erat cauſatum à Deo, vt firmaret Dominus verbum ſuum, quod locutus fuerat per manum Achijahu Silonitæ ad Iarobham filium Nebath.*

16 *Et omnis Iſrael viderunt, quòd non audiſſet rex eos, & reſponderunt populus ad regem, dicendo: Quæ nobis pars in Dauid, & non eſt hæreditas in filio Iſai. Vnuſquiſque in tabernacula tua Iſrael, nunc prouide domui tuæ Dauid. Et abijt omnis vir Iſrael in tabernacula ſua.*

17 *Super filios autem Iſrael habitantes in vrbibus Iehudah, regnauit Rechabham.*

18 *Et miſit rex Rechabham Hadoram, qui erat ſuper tributum, & lapidauerunt eum filij Iſrael lapide, et mortuus eſt: & rex Rechabham roborauit ſe, vt aſcenderet currum ad fugiendum in Ieruſalaim.*

19 *Et præuaricati ſunt contra domum Dauid, vſque ad diem hanc.*

### CAP. XI.

1 *VEnit autem Rechabham in Ieruſalaim, & cõgregauit domum Iehudah, & Biniamin centum, & octoginta millia electorum facientium bellum, vt dimicaret cum Iſrael, vt reduceret regnum ad Rechabham.*

2 *Et fuit verbum Domini ad Semahiahu viri Dei, dicendo:*

3 *Dic ad Rechabham filium Selomoh regem Iehudah, & ad vniuerſum Iſrael in Iehudah, & in Biniamin, dicendo:*

4 *Sic dixit Dominus: Non aſcendetis, & non pugnabitis cum fratribus veſtris: reuertimini vnuſquiſque in domum ſuam, quia à me factum eſt verbum hoc. Et audierunt verba Domini, & reuerſi ſunt ne irent contra Iarobham.*

5 *Et habitauit Rechabham in Ieruſalaim, & ædificauit vrbes ad munitionem in Iehudah.*

6 *Et ædificauit Bethlechem, & Hetham, & Techoah:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et venit Hieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia ſicut locutus fuerat rex, dicens: Reuertite ad me in die tertia. 13 Et reſpondit rex dura: & dereliquit rex Roboam conſilium ſeniorum: 14 & locutus eſt ad eos iuxta conſilium iuniorum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum: & ego adijciam ſuper illud. Pater meus caſtigauit vos in flagellis: & ego caſtigabo vos in ſcorpionibus. 15 Et non audiuit rex populum: quoniã erat euerſio à Deo, dicens: Suſcitauit Dominus verbum ſuum, quod locutus eſt in manu Achiæ Selonitæ de Hieroboam filio Nabat, & omni Iſrael: quoniam non audiuit rex eos. 16 Et reſpondit populus ad regem, dicens: Quæ noſtra pars in Dauid, & hæreditas in filio Ieſſæ? Ad tabernacula tua Iſrael. Nunc vide domum tuam Dauid. Et iuit omnis populus ad tabernacula ſua. 17 Et viri Iſrael, & habitantes in ciuitatibus Iuda, & regem fecerunt ſuper ſe Roboam. 18 Et miſit ſuper eos Roboam rex Adoniram, qui ſuper tributum: & lapidauerunt eum filij Iſrael lapidibus: & mortuus eſt. Et rex Roboam feſtinauit aſcendere in currum, ad fugiendum in Hieruſalem. 19 Et præuaricatus eſt Iſrael in domo Dauid vſque in diem hanc.

### CAP. XI.

ET venit Roboam in Hieruſalem, & conuocauit Iudam, & Beniamin centum octuaginta millia iuuenum facientium bellum: Et bellabat aduerſus Iſrael ad reſtituendum regnum ipſi Roboam. 2 Et factum eſt verbum Domini ad Samæam hominem Dei, dicens: 3 Dic ad Roboam filium Salomon, & omnem Iudam, & Beniamin, dicens: 4 Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, & non bellabitis aduerſus fratres veſtros. Reuertite vnuſquiſque in domum ſuam: quoniam à me factum eſt verbum hoc. Et obedierunt verbo Domini, & cõuerſi ſunt à non eundo ſuper Hieroboam. 5 Et habitauit Roboam in Hieruſalem: & ædificauit ciuitates munitas in Iudæa: 6 & ædificauit Bethleem, & Ætan, & Thecoe:

& Bx-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

7 Bethſur quoque,& Socho,& Odollam:
8 Necnon & Geth,& Mareſa,& Ziph:
9 Sed & Aduram,& Lachis,& Azeca:
10 Saraa quoque, & Aialon, & Hebron, quæ erant in Iuda,& Beniamin,ciuitates munitiſſimas.
11 Cumque clauſiſſet eas muris,poſuit in eis principes, ciborumque horrea,hoc eſt,olei,& vini.
12 Sed & in ſingulis vrbibus fecit armamentarium ſcutorum,& haſtarum,firmauitque eas ſumma diligentia,& imperauit ſuper Iudam,& Beniamin
13 Sacerdotes autem & Leuitæ, qui erant in vniuerſo Iſrael, venerunt ad eum de cunctis ſedibus ſuis:
14 Relinquentes ſuburbana,& poſſeſſiones ſuas,& tranſeuntes ad Iudam, & Ieruſalem: eo quod abieciſſet eos Ieroboam,& poſteri eius,ne ſacerdotio Domini fungerentur.
15 Qui conſtituit ſibi ſacerdotes excelſorum,& dæmoniorum,vitulorumque quos fecerat.
16 Sed & de cunctis tribubus Iſrael, quicumque dederant cor ſuum, vt quærerent Dominum Deum Iſrael, venerunt in Ieruſalem ad immolandum victimas ſuas coram Domino Deo patrum ſuorum.
17 Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in vijs Dauid,& Salomonis, annis tantum tribus.
18 Duxit autem Roboam vxorem Mahalath, filiam Ierimoth, filij Dauid: Abihail quoque filiam Eliab filij Iſai:
19 Quæ peperit ei filios Iehus, & Somoriam, & Zoom.
20 Poſt hanc quoque accepit Maacha filiam Abſalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith.
21 Amauit autem Roboam Maacha filiam Abſalom ſuper omnes vxores ſuas, & concubinas: nam vxores decem & octo duxerat, concubinas autem ſexaginta: & genuit viginti octo filios,& ſexaginta filias.
22 Conſtituit vero in capite,Abiam filium Maacha ducem ſuper omnes fratres ſuos: ipſum enim regem facere cogitabat:
23 Quia ſapientior fuit,& potentior ſuper omnes filios eius, & in cunctis finibus Iuda, & Beniamin, & in vniuerſis ciuitatibus muratis: præbuitque eis eſcas plurimas,& multas petiuit vxores.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et Bethſur,& Socho,& Hadulam:*
8 *Et Ghath,& Mareſah,& Ziph:*
9 *Et Adoraim,& Lachis,& Hazecah:*
10 *Et Sarhah,& Aialon, & Chebron, quæ erant in Iehudah,& Biniamin vrbes munitas.*
11 *Et roborauit munita,& poſuit in eis duces, & cellaria cibi,& olei,& vini.*
12 *Et in ſingulis vrbibus ſcuta,& haſtas, & roborauit eas multum valdè, & fuit ſibi Iehudah, & Biniamin.*
13 *Sacerdotes autem, & Leuitæ, qui erant in vniuerſo Iſrael, ſteterunt iuxta eum de cunctis finibus ſuis:*
14 *Dereliquerunt enim Leuitæ ſuburbana ſua, & poſſeſſionem ſuam,& ierunt in Iehudah, & in Ieruſalaim,quia eiecit eos Iarobham,& filij eius ne miniſtrarent Domino.*
15 *Et conſtituit ſibi ſacerdotes in excelſis,& dæmonijs, & vitulis quos fecit.*
16 *Et poſt eos de cunctis tribubus Iſrael, qui ponebant cor ſuum,vt quærerent Dominum Deum Iſrael, veniebant in Ieruſalaim ad immolandum Deo patrum ſuorum.*
17 *Et roborauerunt regnum Iehudah, & confirmauerunt Rechabham annis tribus: ambulauerunt enim in via Dauid,& Selomoh,annis tribus.*
18 *Accepit autem ſibi Rechabham vxorem Machalath filiam Ierimoth filij Dauid: Abichail filiam Eliab, filij Iſai.*
19 *Et peperit ei filios Iehus, & Semariah, & Zaham.*
20 *Et poſt eam accepit Mahachah filiam Abſalom, & peperit ei Abyah, & Hatthai, & Ziza, & Selomith.*
21 *Et amauit Rechabham, Mahachah filiam Abſalom præ omnibus vxoribus ſuis, & concubinis ſuis: vxores enim octo, & decem accepit, concubinas ſexaginta: & genuit viginti, & octo filios, & ſexaginta filias.*
22 *Conſtituit autem in capite Rechabham filium Abyah filium Mahachah ducem inter fratres ſuos, vt regnare faceret eum:*
23 *Et erudire faciebat, & diſpergebat de omnibus filijs ſuis in cunctis terris Iehudah, & Biniamin, in cunctis vrbibus munitis poſuit eſcam copiosè, & petiuit multitudinem vxorum.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

7 & Bæthſurà,& Socchoth,& Odollam, 8 & Geth,& Meriſan,& Ziph, 9 & Adoræ,& Lachis,
& Azeca, 10 & Saraa,& Ælom,& Chebron,quæ eſt Iuda,& Beniamin,ciuitates muratas. 11 Et mu-
niuit ipſas muratas,& dedit in eis duces,& cellaria cibariorum,oleum,& vinum,ad ciuitatem, 12 & ad
ciuitatem ſcuta,& lanceas.Et confortauit eas in multitudine valdè.Et fuerunt ei Iuda,& Beniamin. 13 Et
ſacerdotes,& Leuitæ,qui erant in omni Iſrael,conuenerunt ad eum ex omnibus finibus: 14 quoniam
dereliquerunt Leuitæ tabernacula poſſeſſionis ſuæ,& iuerunt ad Iuda in Hieruſalem: quoniam eiecit eos Hie-
roboam,& filij eius,ad non miniſtrandum Domino. 15 Et conſtituit ſibi ſacerdotes excelſorum, &
idolis,& vanis,& vitulis,quæ fecit Hieroboam. 16 Et eiecit eos,de tribubus Iſrael, qui dederant cor
ſuum ad quærendum Dominum Deum Iſrael.Et venerunt in Hieruſalem ſacrificare Domino Deo patrum ſuo-
rum: 17 & confortauerunt regnum Iuda.Et confortauit Roboam filium Salomon ad annos tres:
quoniam iuit in vijs Dauid,& Salomon annos tres. 18 Et accepit ſibi Roboam vxorem Moolath
filiam Hierimuth filij Dauid,& Abigæam filiam Heliab,qui ipſius Ieſſæ. 19 Et peperit ei filios Ieus,
& Samoria,& Zaam. 20 Et poſt hæc accepit ſibi Maacha filiam Abeſſalom: & peperit ei Abiâ, &
Ietthi,& Zeza,& Salemoth. 21 Et dilexit Roboam Maachâ filiam Abeſſalom ſuper om-
nes vxores ſuas,& concubinas ſuas: quoniam vxores decem octo habuit,& concubinas ſexaginta. Et genuit filios
viginti & octo,& filias ſexaginta. 22 Et conſtituit in principem Abiâ filium Maachâ, in
ducem in fratribus eius: quoniam regem facere cogitabat eum. 23 Et creuit ſupra omnes
filios eius in omnibus finibus Iuda, & Beniamin, & in ciuitatibus munitis: & dedit eis alimenta, multitudinem
plurimam: & petiuit multitudinem vxorum.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

### CAP. XII.

1 CVmque roboratum fuiſſet regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael cum eo.
2 Anno autem quinto regni Roboam, aſcendit Seſac rex Ægypti in Ieruſalem (quia peccauerant Domino)
3 Cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes ſcilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes.
4 Cepitque ciuitates munitiſſimas in Iuda, & venit vſque in Ieruſalem.
5 Semeias autem propheta ingreſſus eſt ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ieruſalem, fugientes Seſac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac.
6 Conſternatique principes Iſrael, & rex dixerunt: Iuſtus eſt Dominus.
7 Cumque vidiſſet Dominus, quòd humiliati eſſent, factus eſt ſermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis pauxillum auxilij, & non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem per manum Seſac.
8 Verumtamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum.
9 Receſſit itaque Seſac rex Ægypti ab Ieruſalem, ſublatis theſauris domus Domini, & domus regis, omniaque ſecum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon:
10 Pro quibus fecit rex æneos, & tradidit illos principibus ſcutariorum, qui cuſtodiebant veſtibulum palatij.
11 Cumque introiret rex domum Domini, veniebant ſcutarij, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium ſuum.
12 Verumtamen, quia humiliati ſunt, auerſa eſt ab eis ira Domini, nec deleti ſunt penitus: ſiquidem & in Iuda inuenta ſunt opera bona.
13 * Confortatus eſt ergo rex Roboam in Ieruſalem, atque regnauit: quadraginta autem & vnius anni erat cum regnare cœpiſſet, & decem, & ſeptem annis regnauit in Ieruſalem, vrbe, quam elegit Dominus, vt confirmaret nomen ſuum ibi, de cunctis tribubus Iſrael: nomẽ autem matris eius Naama Ammanitis.

*1. Reg. 14. 21.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XII.

1 *ET fuit, cum confirmaſſet regnum Rechabham & cum roboraſſet illud, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael cum eo.*
2 *Et fuit, anno quinto regis Rechabham, aſcendit Siſac rex Ægypti contra Ieruſalaim (præuaricati enim fuerant in Dominum.)*
3 *Cum mille, & ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum: & non erat numerus populi, qui venerunt cum eo ex Ægypto Lubim, Succhijm, & Chuſijm.*
4 *Et cepit vrbes munitas, quæ erant in Iehudah, & venit vſque ad Ieruſalaim.*
5 *Semahaiah autem propheta venit ad Rechabham, & ad principes Iehudah, qui congregati erant in Ieruſalaim à facie Siſac, & dixit ad eos: Sic dixit Dominus: Vos dereliquiſtis me, & ego etiam dereliqui vos in manu Siſac.*
6 *Et humiliauerunt ſe principes Iſrael, & rex, & dixerunt: Iuſtus eſt Dominus.*
7 *Et cum vidiſſet Dominus, quòd humiliaſſent ſe, fuit verbum Domini ad Semahaiah, dicendo: Humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis paululum euaſionis, & non ſtillabit furor meus contra Ieruſalaim per manum Siſac.*
8 *Sed erunt ei ſerui, & ſcient ſeruitutem meam, & ſeruitutem regnorum terrarum.*
9 *Et aſcendit Siſac contra Ieruſalaim, & tulit theſauros domus Domini, & theſauros domus regis, omnia tulit, & tulit clypeos aureos quos fecit rex Selomoh.*
10 *Et fecit rex Rechabham pro eis clypeos æneos, & conſtituit ad manum principum curſorum, qui cuſtodiebant oſtium domus regis.*
11 *Et erat, ingreſſo rege domum Domini, veniebant curſores, & tollebant eos, & referebant eos ad thalamum curſorum.*
12 *Et quia humiliauit ſe auerſa eſt ab eo ira Domini, & non fuit ad diſperdendum ad conſumptionem: & etiam in Iehudah fuerunt bona.*
13 *Et roborauit ſe rex Rechabham in Ieruſalaim, & regnauit: quia quadraginta, & vnius annorum erat Rechabham, dum regnauit, & ſeptem, & decem annis regnauit in Ieruſalaim vrbe, quam elegit Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi ex omnibus tribubus Iſrael: nomen autem matris eius erat Nahamah Hammonitis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XII.

ET factum eſt, vt paratum fuit regnum Roboam, & vt inualuit; dereliquit mandata Dñi, & omnis Iſrael cum
eo. 2 Et factum eſt in anno quinto regni Roboam, aſcendit Suſacim rex Aegypti ſuper Hieruſalem (qm̃
peccauerunt coram Dño) 3 in mille, & ſexcentis curribus, & ſexaginta millibus equorum. Et non erat numerus
multitudinis, quæ venit cum eo de Aegypto, Libes, Trogoditæ, & Aethiopes. 4 Et obtinuerunt ciuitates munitas,
quæ erant in Iuda, & venerunt in Hieruſalem. 5 Et Samæas propheta venit ad Roboam, & ad principes Iuda,
qui congregati fuerant in Hieruſalem à facie Suſacim: & dixit eis: Sic dixit Dominus: Vos dereliquiſtis me;
& ego dereliquã vos in manu Suſacim. 6 Et confuſi ſunt principes Iſrael, & rex, & dixerunt: Iuſtus eſt Dominus.
7 Et cum videret Dñs, quia confuſi ſunt; & factum eſt verbum Dñi ad Samæam, dicens: Confuſi ſunt; nõ diſperdam
eos: & dabo eos, quaſi paululum ad ſalutem: & non ſtillabit furor meus in Hieruſalem: 8 qm̃ erunt in
pueros: & cognoſcent ſeruitutem meam, & ſeruitutem regni terræ. 9 Et aſcendit Suſacim rex Aegypti ſuper
Hieruſalem: & cepit theſauros, qui in domo Domini, & theſauros, qui in domo regis, omnia cepit. Et cepit ſcuta
aurea, quæ fecerat Salomon. 10 Et fecit rex Roboam ſcuta ænea pro eis: & conſtituit ſuper eum Suſacim principes
curſorum, cuſtodientes portam regis. 11 Et fiebat, in ingrediendo regem in domum Domini ingrediebãtur
cuſtodes, & curſores, & qui reuertebant in obuiam curſorum. 12 Et cum ipſe confuſus eſſet; auerſus eſt ab
eo furor Domini, & non ad perditionem in finem. Nam & in Iuda fuerunt verba bona. 13 Et inualuit rex Roboam
in Hieruſalem, & regnauit. Et quadraginta & vnius annorum Roboam, cum ipſe regnauit: & ſeptem & decem
annos regnauit in Hieruſalem, in ciuitate, quam elegit Dominus ad cognominandum nomen ſuum ibi de
omnibus tribubus filiorum Iſrael. Et nomen matris eius Noomma Ammanites.

Et fe-

## Vulgat. Editio.

14 Fecit autem malum, & non præparauit cor ſuum, vt quæreret Dominum.

15 Opera vero Roboam prima, & nouiſſima ſcripta ſunt in Libris Semeiæ prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter expoſita: pugnaueruntque aduerſum ſe Roboam, & Ieroboam cunctis diebus.

16 Et dormiuit Roboam cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in ciuitate David. Et regnauit Abia filius eius pro eo.

### CAP. XIII.

3. Reg. 15. 2. — 1 ANno octauodecimo regis Ieroboam, regnauit Abia ſuper Iudam.

2 Tribus annis regnauit in Ieruſalem, nomenque matris eius Michaia, filia Vriel de Gabaa: & erat bellum inter Abiam, & Ieroboam.

3. Reg. 15. 7. — 3 * Cumque iniſſet Abia certamen, & haberet belliсoſiſſimos viros, & electorum quadringenta millia: Ieroboam instruxit e contra aciem octingenta millia virorum, qui & ipſi electi erant, & ad bella fortiſſimi.

4 Stetit ergo Abia ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim, & ait: Audi Ieroboam, & omnis Iſrael.

5 Num ignoratis, quod Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael in ſempiternum, ipſi & filijs eius in pactum ſalis?

3. Reg. 11. 26. — 6 Et ſurrexit Ieroboam filius Nabat, ſeruus Salomonis filij Dauid: * & rebellauit contra dominum ſuum.

7 Congregatique ſunt ad eum viri vaniſſimi, & filij Belial: & præualuerunt contra Roboam filium Salomonis: porro Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit reſiſtere eis.

8 Nunc ergo vos dicitis, quod reſiſtere poſſitis regno Domini, quod poſſidet per filios Dauid, habetiſque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos.

3. Reg. 12. 31. — 9 * Et eieciſtis Sacerdotes Domini filios Aaron, atq; Leuitas: & feciſtis vobis Sacerdotes, ſicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiauerit manum ſuam in tauro de bobus, & in arietibus ſeptem, fit ſacerdos eorum, qui non ſunt dij.

10 Noſter autem Dominus, Deus eſt, quem non relinquimus, Sacerdoteſque miniſtrant Domino de filijs Aaron, & Leuitæ ſunt in ordine ſuo:

Ho-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Et fecit malum, quia non præparauit cor ſuum, vt quæreret Dominum.*

15 *Verba autem Rechabham prima & nouiſſima, nonne ſcripta ſunt in verbis Semahaiah prophetæ, & Iddo Videntis, dum recenſent ſeriem generationum, & bella Rechabham, & Iarobham omnibus diebus.*

16 *Et dormiuit Rechabham cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Et regnauit Abijah filius eius pro eo.*

### CAP. XIII.

1 *ANno octauo decimo regis Iarobham, regnauit Abijah ſuper Iehudah.*

2 *Tribus annis regnauit in Ieruſalaim, nomen autem matris eius Michaiahu filia Vriel de Ghibbah: & bellum fuit inter Abijah, & Iarobham.*

3 *Et ligauit Abijah bellum cum exercitu virorum belliсoſorum quadraginta millia virorum electorum: & Iarobham diſpoſuit cum eo bellum cum octingentis millibus viris electis, potentibus viribus.*

4 *Et ſurrexit Abijah è monte Semaraim, qui erat in monte Ephraim, & dixit: Audite me Iarobham, & omnis Iſrael.*

5 *Nonne veſtra intereſt ſcire, quòd Dominus Deus Iſrael dedit regnum Dauid ſuper Iſrael in ſæculum, ipſi, & filijs eius pacto ſalis?*

6 *Et ſurrexit Iarobham filius Nebath ſeruus Selomoh filij Dauid: & defecit contra Dominum ſuum.*

7 *Et congregauerunt ſe ad eum viri vacui, filij impij, & roborauerunt ſe contra Rechabham filium Selomoh: Rechabham autem erat puer, & tener corde, & non roborauit ſe ante eos.*

8 *Et nunc vos dicitis roborari vos coram regno Domini per manum filiorum Dauid, eſtis autem multitudo magna, & vobiſcum ſunt vituli aurei, quos fecit vobis Iarobham pro dijs.*

9 *Nonne expuliſtis Sacerdotes Domini filios Aharon, & Leuitas: & feciſtis vobis Sacerdotes, ſicut populi terrarum: omnis qui venit ad conſecrandum manū ſuam, cum tauro filio bouis, & arietibus ſeptem, erit ſacerdos ijs qui non ſunt dij.*

10 *Nos autem ſumus Domini Dei noſtri, & non dereliquimus eum, Sacerdoteſque miniſtrant Domino filij Aharon, & Leuitæ ſunt in opere:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

14 Et fecit malum; quoniam non direxit cor ſuum ad exquirendum Dominum. 15 Et verba Roboam prima & nouiſſima, nonne ecce ſcripta in verbis Samææ prophetæ, & Addò videntis, & actiones eius? Et Roboam impugnauit Hieroboam omnibus diebus. 16 Et mortuus eſt Roboam cum patribus ſuis: & ſepultus eſt in ciuitate Dauid Et regnauit Abia filius eius pro eo.

### CAP XIII.

IN octauo & decimo anno regni Hieroboam regnauit Abia ſuper Iudam: 2 tres annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Maacha filia Vriel de Gabaon. Et bellum fuit inter Abia, & inter Hieroboam. 3 Et inſtruxit Abia in virtute, bellatoribus virtutis, quadringentis millibus virorum potentium. Et Hieroboam inſtruxit aduerſus eum prælium in octingentis millibus: potentes bellatores virtutis. 4 Et ſurrexit Abia à monte Somoron, qui eſt in monte Ephraim, & dixit: Audite Hieroboam, & omnis Iſrael: 5 Nonne vobis noſſe, quia Dominus Deus Iſrael dedit regem ſuper Iſrael in ſæculum ipſi Dauid, & filijs eius, teſtamento ſalis? 6 Et ſurrexit Hieroboam filius Nabat, puer Salomonis ipſius Dauid: & receſſit à domino ſuo. 7 Et congregati ſunt ad eum viri peſtilentes, filij iniqui, & ſurrexit aduerſus Roboam, qui Salomonis: & Roboam erat iunior, & timidus corde: & non reſtitit ad faciem eius. 8 Et nunc vos dicitis reſiſtere ad faciem regni Domini per manum filiorum Dauid. Et vos multitudo plurima: & vobiſcum vituli aurei, quos fecit vobis Hieroboam in deos. 9 An non eieciſtis ſacerdotes Domini filios Aaron, & Leuitas, & feciſtis vobis ſacerdotes de populo terræ vniuerſæ? Qui accedit implere manus in vitulo de bobus, & arietibus ſeptem; & factus eſt in ſacerdotem ei qui non eſt Deus. 10 Et nos Dominum Deum noſtrum non dereliquimus: & ſacerdotes eius miniſtrant Domino filij Aaron, & Leuitæ: & in vicibus ſuis.

ado-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies mane, & veſpere, & thymiama iuxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in menſa mundiſſima, eſtque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur ſemper ad veſperam: nos quippe cuſtodimus præcepta Domini Dei noſtri, quem vos reliquiſtis.

12 Ergo in exercitu noſtro dux Deus eſt, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & reſonant contra vos: filij Iſrael nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum, quia non vobis expedit.

13 Hæc illo loquente, Ieroboam retro moliebatur inſidias. Cumque ex aduerſo hoſtium ſtaret, ignorantem Iudam ſuo ambiebat exercitu:

14 Reſpicienſque Iudas vidit inſtare bellum ex aduerſo, & poſt tergum, & clamauit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt.

15 Omneſque viri Iuda vociferati ſunt: & ecce illis clamantibus, perterruit Deus Ieroboam, & omnem Iſrael, qui ſtabat ex aduerſo Abia, & Iuda.

16 Fugeruntque filij Iſrael Iudam, & tradidit eos Deus in manu eorum.

17 Percuſſit ergo eos Abia, & populus eius plaga magna: & corruerunt vulnerati ex Iſrael quingenta millia virorum fortium.

18 Humiliatique ſunt filij Iſrael in tempore illo, & vehementiſſime confortati filij Iuda, eo quod ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum.

19 Perſecutus eſt autem Abia fugientem Ieroboam, & cepit ciuitates eius, Bethel & filias eius, & Ieſana cũ filiabus ſuis, Ephron quoque & filias eius:

20 Nec valuit vltra reſiſtere Ieroboam in diebus Abia: quem percuſſit Dominus, & mortuus eſt.

21 Igitur Abia, confortato imperio ſuo, accepit vxores quattuordecim: procreauitque viginti duos filios, & ſexdecim filias.

22 Reliqua autem ſermonum Abia, viarumque & operum eius, ſcripta ſunt diligentiſſime in Libro Addo Prophetæ.

### CAP. XIIII.

3. Reg. 15. 8.

1 DOrmiuit autem Abia cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitque Aſa filius eius pro eo, in cuius diebus quieuit terra annis decem.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et ſuffiunt Domino holocauſta ſingulis manè, & ſingulis veſperis, & ſuffimentum aromaticum, & propoſitio panis ſuper menſam mundam, & candelabrum aureum, & lucerna eius, ad accendendum ſingulis veſperis, cuſtodimus enim nos cuſtodiam Domini Dei noſtri, & vos dereliquiſtis eum.*

12 *Et ecce nobiſcum pro duce Deus, & Sacerdotes eius, & tubæ vociferationis ad taratantizandum contra vos: filij Iſrael, ne pugnetis cum Domino Deo patrum veſtrorum, quia non proſperabimini.*

13 *Iarobham autem circuire fecit inſidias. Vt veniret à tergo, & eſſent ante Iehudah, & inſidiæ à tergo eorum:*

14 *Et reſpexerunt Iehudah, & ecce eis bellum ante, & retro, & clamauerunt ad Dominum: & Sacerdotes clangebant tubis.*

15 *Et vociferati ſunt vir Iehudah: & fuit in clamando vir Iehudah, & Dominus percuſſit Iarobham, & omnem Iſrael ante faciem Abijah, & Iehudah.*

16 *Fugeruntque filij Iſrael à facie Iehudah, & tradidit eos Deus in manu eorum.*

17 *Et percuſſerunt eos Abijah, & populus eius plaga magna: & ceciderunt vulnerati ex Iſrael quinquaginta millia virorum electorum.*

18 *Et humiliauerunt ſe filij Iſrael in tempore illo, & roborati ſunt filij Iehudah, quia innixi ſunt Domino Deo patrum ſuorum.*

19 *Et perſecutus eſt Abijah Iarobham, & cepit ab eo ciuitates Bethel, & villas eius, & Ieſanah, & villas eius, & Ephron, & villas eius:*

20 *Et non valuit fortitudo Iarobham vltra in diebus Abijah, & percuſſit eum Dominus, & mortuus eſt.*

21 *Et roborauit ſe Abijah, & accepit ſibi vxores quattuordecim, & genuit viginti, & duos filios, & ſexdecim filias.*

22 *Reſidua autem Abijah, & viarum eius, & verborum eius ſcripta ſunt in Midras propheta Hiddo.*

### CAP. XIIII.

1 *ET dormiuit Abijah cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: & regnauit Aſa filius eius pro eo, in diebus eius requieuit terra decem annis.*

Quæ hic num. 1 notantur in translat. Sanct. Pagn. continentur ſuperiori capitulo.

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 adolent Domino holocauſtoma mane & veſperi, & thymiama compoſitionis, & propoſitiones panum ſuper
menſam mundam: & candelabrum aureum, & lucernæ accenſionis ad accendendum veſpere: quoniam cuſtodimus nos cuſtodias Domini Dei patrum noſtrorum. Et vos dereliquiſtis eum.
12 Et ecce nobiſcum in principio Dominus, & ſacerdotes eius, & tubæ ſignificationis ad ſignificandum ſuper nos. Filij Iſrael nolite bellare aduerſus Dominum Deum patrum noſtrorum, quia non proſpere ſuccedet vobis.
13 Et Hieroboam conuertit
inſidias ad veniendum ei à poſterioribus: & factus eſt ante Iuda, & inſidiæ à poſterioribus.
14 Et conuertit
ſe Iudas, & ecce eis prælium ab anterioribus, & à poſterioribus, & clamauerunt ad Dominum: & ſacerdotes clangerunt tubis.
15 Et clamauerunt viri Iuda. Et factum eſt in clamando viros Iuda, & Dominus percuſſit
Hieroboam, & Iſrael coram Abiâ, & Iuda.
16 Et fugerunt filij Iſrael à facie Iuda: & tradidit eos Dominus
in manus eorum:
17 & percuſſit in eis Abiâ, & populus eius plagam magnam, & ceciderunt vulnerati de
Iſrael quingenta millia viri potentes.
18 Et humiliati ſunt filij Iſrael in die illa: & inualuerunt filij Iuda,
quoniam ſperauerunt ſuper Dominum Deum patrum ſuorum.
19 Et perſecutus eſt Abiâ poſt Hieroboã:
& cepit ab eo ciuitates, Bethel, & pagos eius, & Ieſyna, & pagos eius, & Ephron, & pagos eius.
20 Et non habuit fortitudinem Hieroboam vltra omnibus diebus Abiâ, & percuſſit eum Dominus, & mortuus eſt.
21 Et inualuit Abiâ, & accepit ſibi vxores quattuordecim: & genuit filios viginti duos, & ſexdecim filias.
22 Et reliqua verba Abiâ, & actiones eius, & verba eius ſcripta in libro prophetæ Addô.

### CAP. XIIII.

ET mortuus eſt Abiâ cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid. Et regnauit Aſà filius eius pro eo. In diebus Aſà quieuit terra Iuda decem annos:

## Vulgat. Editio.

2 Fecit autem Aſa, quod bonum, & placitum erat in conſpectu Dei ſui, & ſubuertit altaria peregrini cultus, & excelſa:

3 Et confregit ſtatuas, lucoſque ſuccidit:

4 Et præcepit Iudæ, vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, & faceret legem, & vniuerſa mandata:

5 Et abſtulit de cunctis vrbibus Iuda aras, & fana, & regnauit in pace.

6 Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella ſurrexerant, pacem Domino largiente.

7 Dixit autem Iudæ: Ædificemus ciuitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & ſeris, donec à bellis quieta ſunt omnia, eo quod quæſierimus Dominum Deum patrum noſtrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædificauerunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit.

8 Habuit autem Aſa in exercitu ſuo portantium ſcuta, & haſtas de Iuda trecenta millia, de Beniamin vero ſcutariorum, & ſagittariorum ducenta octoginta millia, omnes iſti viri fortiſſimi.

9 Egreſſus eſt autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu ſuo, decies centena millia, & curribus trecentis: & venit vſque Mareſa.

10 Porro Aſa perrexit obuiam ei, & inſtruxit aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ eſt iuxta Mareſa:

11 Et inuocauit Dominum Deum, & ait: * Domine non eſt apud te vlla diſtantia vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es, non præualeat contra te homo.

* 1.Reg.14.

12 Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Aſa, & Iuda: fugeruntque Æthiopes.

13 Et perſecutus eſt eos Aſa, & populus, qui cum eo erat, vſque Geraram: & ruerunt Æthiopes vſque ad internecionem, quia Domino cædente contriti ſunt, & exercitu illius prælíante. Tulerunt ergo ſpolia multa:

14 Et percuſſerunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror inuaſerat: & diripuerunt vrbes, & multam prædam aſportauerunt.

15 Sed & caulas ouium deſtruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum: reuerſique ſunt in Ieruſalem.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et fecit Aſa, quod bonum, & rectum eſt in oculis Domini Dei ſui, & remouit altaria aliena, & excelſa:*

3 *Et confregit ſtatuas, & ſuccidit lucos:*

4 *Et dixit Iehudah, vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, & faceret legem, & mandatum:*

5 *Et remouit de cunctis vrbibus Iehudah excelſa, & ſimulachra, & requieuit regnum ante eum.*

6 *Et ædificauit vrbes munitas in Iehudah, quia requieuit terra, & non fuit cum eo bellum annis iſtis, quia requieſcere fecit Dominus eum.*

7 *Dixit autem ad Iehudah: Ædificemus ciuitates has, & vallemus muro, & turribus, portis, & vectibus, adhuc exiſtente terra coram nobis, quia quæſiuimus Dominum Deum noſtrum, quæſiuimus, & requieſcere fecit nos per circuitum. Et ædificauerunt, & proſperati ſunt.*

8 *Fuit autem Aſa exercitus portans ſcutum, & haſtam de Iehudah trecenta millia, & de Biniamin portantium clypeum, & tendentium arcum, ducenta, & octoginta millia, omnes iſti viri robuſti.*

9 *Egreſſus eſt autem contra eos Zerach Æthiops cum exercitu mille millium, & curribus trecentis: & venit vſque ad Mareſah.*

10 *Et egreſſus eſt Aſa contra eum, & diſpoſuerunt bellum in Valle Sephathah iuxta Mareſah:*

11 *Et clamauit Aſa ad Dominum Deum ſuum, & ait: Domine non eſt opus apud te, vt auxilieris cum multis et cui non eſt fortitudo: adiuua nos Domine Deus noſter: tibi enim innitimur, & in nomine tuo venimus contra multitudinem hanc. Dominus Deus noſter tu es, non præualeat contra te homo.*

12 *Et percuſſit Dominus Aethiopes coram Aſa, & coram Iehudah: & fugerunt Aethiopes.*

13 *Et perſecutus eſt eos Aſa, & populus qui erat cum eo vſque ad Gherar: & ceciderunt Aethiopes donec non eſſet eis vita, quia contriti ſunt coram Domino, & coram caſtris eius. Et tulerunt ſpolia multa valdè.*

14 *Et percuſſerunt omnes ciuitates per circuitum Gherar, quia pauor Domini fuit ſuper eos: & deripuerunt omnes vrbes, quia præda multa erat in eis.*

15 *Et etiam tabernacula gregum percuſſerunt, & ceperunt pecora in multitudine, & camelos: & reuerſi ſunt in Ieruſalaim.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 & fecit bonum, & rectum coram Domino Deo ſuo. Et remouit altaria alienorum, & excelſa, 3 & contriuit ſtatuas, & excidit lucos, 4 & dixit ipſi Iuda exquirere Dominum Deum patrum ſuorum, & facere legem, & mandata. 5 Et remouit de omnibus ciuitatibus Iuda altaria, & idola. Et pacem habuit 6 * ciuitates munitas in terra Iuda, quoniam pacem habuit terra: & non fuit ipſi prælium in annis his: quoniam quietem dedit Dominus ei. 7 Et dixit ad Iudam: Aedificemus ciuitates has, & faciamus mœnia, & turres, & portas, & ſeras coram terra dominabimur: quoniam ſicut exquiſiuimus Dominum Deum noſtrum, exquiſiuit nos: & quieſcere fecit nos in circuitu, & proſpere fecit nobis. 8 Et fuit virtus ipſi Aſà armigerorum leuantium clypeos, & lanceas in terra Iuda trecenta millia, & in terra Beniamin peltati, & ſagittarij ducenta, & octuaginta millia: omnes hi bellatores virtutis. 9 Et egreſſus eſt ſuper eos Zarè Aethiops in virtute in mille millibus, & curribus trecentis: & venit vſque Mareſà. 10 Et exiuit Aſà in occurſum ei: & inſtruxit prælium in valle ad Aquilonem Mareſà. 11 Et clamauit Aſà ad Dominum Deum ſuum, & dixit: Domine non eſt impoſſibile apud te ſaluare in multis, & in paucis. Conforta nos Domine Deus noſter, quoniam in te confidimus: & in nomine tuo venimus ſuper multitudinem plurimam hanc. Domine Deus noſter non præualeat aduerſus te homo. 12 Et percuſſit Dominus Aethiopes coram Iuda: & fugerunt Aethiopes: 13 & perſequutus eſt eos Aſà, & populus eius vſque Gedor. Et ceciderunt Aethiopes, ita vt non eſſet in eis reſiduum: quoniam contriti ſunt coram Domino & coram virtute eius. Et deprædati ſunt ſpolia multa: 14 & exciderunt pagos eorum in circuitu Gedor: quoniam factus eſt pauor Domini ſuper eos. Et deprædati ſunt omnes ciuitates eorum, quoniam multa ſpolia fuerunt eis. 15 Etiam tabernacula poſſeſſionum, & ipſos Alimazones exciderunt, & ceperunt oues multas, & camelos: & reuerterunt in Hieruſalem.

* Locus mutil.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XV.

1 AZarias autem filius Obed, facto in ſe ſpiritu Dei:
2 Egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei: Audite me Aſa, & omnis Iuda, & Beniamin: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo. Si quæſieritis eum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.
3 Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote doctore, & abſque lege.
4 Cumque reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominũ Deum Iſrael, & quæſierint eum, reperient eum.
5 In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, ſed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum:
6 Pugnabit enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni anguſtia.
7 Vos ergo confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro.
8 Quod cum audiſſet Aſa verba ſcilicet, & prophetiam Azariæ filij Obed prophetæ, confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra Iuda, & de Beniamin, & ex vrbibus, quas ceperat, montis Ephraim, & dedicauit altare Domini, quod erat ante porticum Domini.
9 Congregauitque vniuerſum Iudam, & Beniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & de Manaſſe, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Iſrael, videntes quòd Dominus Deus illius eſſet cum eo.
10 Cumque veniſſent in Ieruſalem menſe tertio, anno decimoquinto regni Aſa:
11 Immolauerunt Domino in die illa de manubijs, & præda, quam adduxerant, boues ſeptingentos, & arietes ſeptem millia.
12 Et intrauit ex more ad corroborandum fœdus, vt quærerent Dominum Deum patrum ſuorum in toto corde, & in tota anima ſua.
13 Si quis autem inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur, à minimo vſque ad maximũ, à viro vſque ad mulierem.
14 Iurauerúntque Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ, & in ſonitu buccinarum.

Om-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XV.

1 *SVper Hazariahu autem filium Hebed fuit ſpiritus Dei:*
2 *Et egreſſus eſt ante Aſa, & dixit ei: Audite me Aſa, & omnis Iehudah, & Biniamin: Dominus vobiſcum, eo quòd fuiſtis cum eo. Et ſi quæſieritis eum inuenietur vobis: & ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos.*
3 *Dies autem multi erunt Iſraeli abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, doctore, & abſque lege.*
4 *Et reuertetur in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael, & quærent eum, & inuenietur eis:*
5 *Et in temporibus illis non erit pax egredienti, & ingredienti, ſed occiſiones multæ in cunctis habitatoribus terrarum.*
6 *Et concident gens gentem, & ciuitas ciuitatem, quia Deus conturbauit eos in omni anguſtia.*
7 *Vos autem confortamini, & ne debilitentur manus veſtræ: quia eſt merces operi veſtro.*
8 *Et cum audiſſet Aſa verba hæc, & prophetiam Hebed prophetæ, confortatus eſt, & tranſire fecit abominationes de omni terra Iehudah, & Biniamin, & de vrbibus quas cepit de monte Ephraim, & ſanctificare fecit altare Domini, quod erat ante porticum Domini.*
9 *Et congregauit vniuerſum Iehudah, & Biniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & Menaſſeh, & Simhon: quia transfugerunt ad eum de Iſrael in multitudinem, cum viderent quòd Dominus Deus eius eſſet cum eo.*
10 *Et congregati ſunt in Ieruſalaim, menſe tertio, anno quintadecimo regni Aſa:*
11 *Et immolauerunt Domino in die illo de ſpolijs, quæ adduxerant, boues ſeptingentos, & oues ſeptem millia.*
12 *Et venerunt in pactum, vt quærerent Dominum Deum patrum ſuorum toto corde ſuo, & tota anima ſua.*
13 *Et omnis, qui non quæſierit Dominum Deum Iſrael morietur à paruo vſque ad magnum, à viro vſque ad mulierem.*
14 *Iurauerúntque Domino voce magna, & in iubilo, & in tubis, & in buccinis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XV.

ET Azarias filius Oded: factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini: 2 & egreſſus eſt in obuiam Aſà, & omni Iuda, & Beniamin, & dixit: Audite me Aſà, & omnis Iuda, & Beniamin: Dominus vobiſcum, dum vos eſtis cum eo. Et ſi exquiſieritis eum; inuenietur vobis: at, ſi dereliqueritis eum; derelinquet vos. 3 Et dies multi ipſi Iſrael in non Deo vero, & non ſacerdote monſtrante, & non lege. 4 Et conuertet eos ad Dominum Deum Iſrael: & inuenietur eis. 5 Et in illo tempore non eſt pax egredienti, & ingredienti: quoniam pauor Domini ſuper omnes, qui habitant regiones. 6 Et bellabit gens aduerſus gentem, & ciuitas aduerſus ciuitatem: quoniam Deus conturbauit eos in omni tribulatione. 7 Et vos confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ: quoniam eſt merces operationi veſtræ. 8 Et in audiendo verba hæc, & prophetiam Adad prophetæ, & confortatus eſt, & eiecit abominationes ab omni terra Iuda, & Beniamin, & à ciuitatibus, quas tenuerat Hieroboam in monte Ephræm: & dedicauit altare Domini, quod erat ante templum Domini. 9 Et conuocauit Iudam, & Beniamin, & proſelytos habitantes cum eo de Ephræm, & de Manaſſe, & de Symeon: quoniam appoſiti fuerant ad eum multi de Iſraël, in videndo ipſos, quia Dominus Deus eius cum eo. 10 Et congregati ſunt in Hieruſalem in menſe tertio in anno quinto, & decimo regni Aſà. 11 Et ſacrificauit Domino in die illa de ſpolijs, quæ tulerant, vitulos ſeptingentos, & oues ſeptem millia. 12 Et tranſiuit in teſtamentum quærere Dominum Deum patrum ſuorum, ex toto corde, & ex tota anima ſua: 13 & omnis, quicumque non exquiſierit Dominum Deum Iſrael, morietur, à iuniore vſque ad ſeniorem, à viro vſque ad mulierem. 14 Et iurauerunt in Domino in voce magna, & in tubis, & in corneis.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Omnes qui erant in Iuda cum execratione: in omni enim corde ſuo iurauerunt, & in tota voluntate quæſierunt eum,& inuenerunt: præſtititque eis Dominus requiem per circuitum.

16 Sed & Maacham matrem Aſa regis ex auguſto depoſuit imperio, eo quod feciſſet in luco ſimulachrũ Priapi: quod omne contriuit, & in fruſta comminuens combuſſit in Torrente Cedron.

17 Excelſa autem derelicta ſunt in Iſrael: attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus eius.

18 Eaque quæ vouerat pater ſuus,& ipſe,intulit in domum Domini,argentum,& aurum,vaſorumque diuerſam ſupellectilem.

19 Bellum vero non fuit vſque ad trigeſimum quintum annum regni Aſa.

### CAP. XVI.

1 ANno autem trigeſimo ſexto regni eius, aſcendit Baaſa rex Iſrael in Iudam, & muro circũdabat Rama,vt nullus tute poſſet egredi, & ingredi de regno Aſa.

2 Protulit ergo Aſa argentum, & aurum de theſauris domus Domini, & de theſauris regis, miſitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens:

3 Fœdus inter me,& te eſt,pater quoque meus, & pater tuus habuere concordiam:quam ob rem miſi tibi argentum, & aurum, vt rupto fœdere, quod habes cũ Baaſa rege Iſrael,facias eum à me recedere.

4 Quo comperto Benadad miſit principes exercituum ſuorum ad vrbes Iſrael: qui percuſſerunt Ahion,& Dan,& Abelmaim,& vniuerſas vrbes Nephthali muratas.

5 Quod cum audiſſet Baaſa deſijt ædificare Rama, & intermiſit opus ſuum.

6 Porro Aſa rex aſſumpſit vniuerſum Iudam, & tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparauerat Baaſa, ædificauitque ex eis Gabaa, & Maſpha.

7 In tempore illo venit Hanani propheta ad Aſa regem Iuda, & dixit ei: Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ,& non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua:

8 * Nonne Æthiopes, & Libyes multo plures erant quadrigis,& equitibus,& multitudine nimia: quos, cum Domino credidiſſes,tradidit in manu tua?

* Sup. 14. 9

Oculi

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et lætati ſunt omnis Iehudah ſuper iuramento, toto enim corde iurauerunt, & tota voluntate ſua quæſierunt eum,& inuentus eſt eis: & requiem præſtitit Dominus eis per circuitum.*

16 *Et etiam Mahachah matrem Aſa remouere fecit ab imperio, quia fecit in luco ſimulachrum, & comminuit ſimulachrum eius, & combuſſit in torrente Chidron:*

17 *Excelſa autem non remouerunt de Iſrael: attamen cor Aſa fuit perfectum omnibus diebus ſuis.*

18 *Et intulit ſanctificationes patris ſui, & ſanctificationes ſuas,in domum Dei,argentum, & aurum, & vaſa.*

19 *Et bellum non fuit vſque ad annum trigeſimum, & quintum regni eius.*

### CAP. XVI.

1 *ANno trigeſimo, & ſexto regni Aſa aſcendit Bahaſa rex Iſrael contra Iehudah,& ædificauit Ramah, vt non permitteret egredientem, & ingredientem de Aſa rege Iehudah.*

2 *Et protulit Aſa argentum, & aurum de theſauris domus Domini, & domus regia, & miſit ad Benadab regem Aram,qui habitabat in Dammeſech,dicendo:*

3 *Fœdus inter me,& te eſt,& inter patrem meum, & patrem tuum:ecce miſi ad te argentum, & aurum, vade,irrita fœdus tuum cum Bahaſa rege Iſrael,& aſcendere fac à me.*

4 *Et audiuit Benadab regem Aſa, & miſit principes exercituum, qui erant ſibi ad vrbes Iſrael, & percuſſerunt Hijon, & Dan, & Abelmaim, & omnes theſauros vrbium Naphthali.*

5 *Et fuit, cum audiſſet Bahaſa, deſijt ædificare Ramah,& ceſſare fecit opus ſuum.*

6 *Aſa autem aſſumpſit vniuerſum Iehudah, & tulerunt lapides Ramah, & ligna eius, quibus ædificabat Bahaſa, & ædificauit ex eis Ghebah, & Miſpah.*

7 *In tempore autem illo venit Chanani videns ad Aſa regem Iehudah,& dixit ei: Quia innixus es regi Aram,& non innixus es Domino Deo tuo, idcirco euaſit exercitus regis Aram de manu tua:*

8 *Nonne Æthiopes, & Lubin fuerunt in exercitu in multitudine,cum curribus, & equitibus, ad multiplicandum valdè, & cum innixus fuiſti Domino, tradidit eos in manu tua?*

Quia

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et lætati ſunt omnis Iuda de iuramento: quoniam ex tota anima iurarunt; & in omni voluntate quæſierunt
eum,& inuentus eſt eis: & dedit quietem Dominus eis in circuitu. 16 Et Maacha matrem ſuam remouit,
vt non eſſet miniſtrans ipſi Aſtartæ,& concidit idolum,& combuſſit in torrente Cedron. 17 Tantummo-
do excelſa non remouerunt: adhuc ſubſiſtebant in Iſrael Sed cor Aſa fuit plenum omnibus diebus eius.
18 Et intulit ſancta Dauid patris ſui,& ſancta domus Dei,argentum,& aurum,& vaſa. 19 Et bellum non
fuit cum eo vſque ad quintum,& trigeſimum annum regni Aſa.

### CAP. XVI.

ET in octauo & trigeſimo anno regni Aſa aſcendit rex Iſrael ſuper Iudam: & ædificauit Ramà ad non dan-
dum exitum,& introitum Aſa regi Iuda. 2 Et cepit Aſa argentum,& aurum de theſauris domus Do-
mini,& domus regis,& miſit ad filium Ader regis Syriæ habitantem in Damaſco,dicens: 3 Diſpone teſta-
mentum inter me,& te,& inter patrem meum,& inter patrem tuum. Ecce miſi tibi aurum, & argentum: Veni,&
diſſipa Baaſa regem Iſrael,& abeat à me. 4 Et audiuit filius Ader regem Aſa: & miſit principes virtutis
ſuæ ſuper ciuitates Iſrael: & percuſſit Aion,& Dan,& Abelmain,& omnia adiacentia Nephthali. 5 Et fa-
ctum eſt in audiendo Baaſa deſtitit ab ædificando amplius Rhama,& omiſit opus ſuum. 6 Et Aſa rex
accepit omnem Iudam,& cepit lapides Rhama,& ligna eius,quæ ædificarat Baaſa, & ædificauit in eis Gabae, &
Maſpha. 7 Et in tempore illo venit Anani propheta ad Aſa regem Iuda,& dixit ei: In eo,quod confidiſti
tu ſuper regem Syriæ, & non confidiſti tu ſuper Dominum Deum tuum; propterea ſaluata eſt virtus Syriæ à ma-
nu tua. 8 Nonne Æthiopes,& Lybes erant in virtute multa,in confidentia,in equitibus in multitudine plu-
rima? Et in confidendo te ſuper Dominum tradidit eos in manus tuas.

Quo-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram,& præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egiſti,& propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.

10 Iratuſque Aſa aduerſus Videntem, iuſſit eum mitti in neruum: valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus:& interfecit de populo in tēpore illo plurimos.

11 Opera autem Aſa prima, & nouiſſima ſcripta ſunt in Libro regum Iuda,& Iſrael.

12 Ægrotauit etiam Aſa anno trigeſimo nono regni ſui, dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.

13 Dormiuitque cum patribus ſuis: & mortuus eſt anno quadrageſimo primo regni ſui.

14 Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid: poſueruntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.

### CAP. XVII.

1 Regnauit autem Ioſaphat filius eius pro eo, & inualuit contra Iſrael.

2 Conſtituitque militum numeros in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris. Præſidiaque diſpoſuit in terra Iuda, & in ciuitatibus Ephraim, quas ceperat Aſa pater eius.

3 Et fuit Dominus cum Ioſaphath, quia ambulauit in vijs Dauid patris ſui primis: & non ſperauit in Baalim:

4 Sed in Deo patris ſui,& perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Iſrael.

5 Confirmauitque Dominus regnum in manu eius,& dedit omnis Iuda munera Ioſaphat: factæque ſunt ei infinitæ diuitiæ,& multa gloria.

6 Cumque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelſa,& lucos de Iuda abſtulit.

7 Tertio autem anno regni ſui miſit de principibus ſuis Benhail,& Obdiam,& Zachariā, & Nathanael, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda:

8 Et cum eis Leuitas Semeiam,& Nathaniam, & Zabadiam, Aſael quoque, & Semiramoth, & Ionathā, Adoniamque & Thobiam, & Thobadoniam Leuitas,& cum eis Eliſama,& Ioran Sacerdotes:

Do-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Quia Domini oculi luſtrant totam terram, vt roboret ſe cum corde eorum perfecto ad ſe. Stultè egiſti in hoc, quia ex hoc tempore erunt tecum bella.*

10 *Iratuſque Aſa aduerſus Videntem,& poſuit eum in domo carceris: quia fuit in ira cum eo propter hoc, & oppreſſit Aſa de populo in tempore illo.*

11 *Et ecce verba Aſa prima,& nouiſſima, ecce ipſa ſcripta ſunt in Libro regum Iehudah,& Iſrael.*

12 *Et ægrotauit Aſa anno trigeſimo, & nono regni ſui pedibus ſuis, vſque ad verticem fuit ægrotatio eius, & etiam in infirmitate ſua non quæſiuit Dominum, ſed fidit medicis.*

13 *Et dormiuit Aſa cum patribus ſuis: & mortuus eſt anno quadrageſimo & vno quo regnauit.*

14 *Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid: & accumbere fecerunt eum in lecto quem impleuerat aromatibus, & aromatibus confectis è diuerſis ſpeciebus aromatario opere, & combuſſerunt eum combuſtione magna vſque valdè.*

### CAP. XVII.

1 *Regnauit autem Iehoſaphath filius eius pro eo, & inualuit contra Iſrael.*

2 *Et poſuit exercitum in cunctis vrbibus Iehudah munitis. Et poſuit præſidia in terra Iehudah, & in vrbibus Ephraim quas ceperat Aſa pater eius.*

3 *Et fuit Dominus cum Iehoſaphath, quia ambulauit in vijs Dauid patris ſui primis,& non quæſiuit Bealim:*

4 *Sed Deum patris ſui quæſiuit, & in præceptis eius ambulauit,& non ſecundum opus Iſrael.*

5 *Confirmauitque Dominus regnum in manu eius, & dederunt omnis Iehudah munera ipſi Iehoſaphath: & fuerunt ei diuitiæ,& gloria copiosè.*

6 *Et eleuauit cor ſuum in vijs Domini, & adhuc remouere fecit excelſa,& lucos de Iehudah.*

7 *Anno autē tertio quo regnauit miſit principes ſuos Benchail,& Hobadiah,& Zachariah, & Nethanel, & Micheiahu, vt docerent in ciuitatibus Iehudah:*

8 *Et cum eis Leuitas Semahiahu,& Nethaniahu, & Zebadiahu,& Haſael,& Semiramoth, & Ionathan, & Adoniiahu,& Thobijahu,& Thobadoniiahu, & Leuitas, & cū eis Eliſamah, & Iehorā Sacerdotes:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Quoniam oculi Domini reſpiciunt in omnem terram ad confortandum in omni corde pleno erga eum: Igno-
raſti in hoc: à modo erit tecum bellum. 10 Et Aſá indignatus eſt prophetæ: & depoſuit eum in cuſto-
diam: quoniam iratus eſt in hoc. Et vaſtauit Aſá in populo in tempore illo. 11 Et ecce verba Aſá prima,
& nouiſſima, ſcripta in libro regum Iuda,& Iſrael. 12 Et languit Aſá in anno nono,& trigeſimo regni ſui
pedibus vſque valdè languit: & in languore ſuo non quæſiuit Dominum, ſed medicos. 13 Et dormiuit Aſá
cum patribus ſuis: & obijt in quadrageſimo anno regni ſui: 14 & ſepelierunt eum in monumento, quod
foderat ſibi in ciuitate Dauid: & accumbere fecerunt eum ſuper lectum, & impleuerunt aromatibus, & genera
vnguentorum vnguentariorum: & fecerunt ei funus magnum vſque valde.

### CAP. XVII.

Et regnauit Ioſaphat filius eius pro eo: & inualuit Ioſaphat ſuper Iſrael: 2 & dedit virtutem in omni-
bus ciuitatibus Iuda munitis: & cōſtituit duces in omnibus ciuitatibus Iuda,& in ciuitatibus Ephræm, quas
ceperat Aſá pater eius. 3 Et fuit Dominus cum Ioſaphat: & ambulauit in vijs patris ſui primis: & non ex-
quiſiuit idola: 4 ſed Dominum Deum patris ſui quæſiuit: & in mandatis patris ſui ambulauit, & non ſicut
opera Iſrael. 5 Et direxit Dominus regnum in manu eius: & dedit omnis Iuda munera ipſi Ioſaphat:
& factæ ſunt ei diuitiæ,& gloria multa. 6 Et exaltatum eſt cor eius in via Domini: & ſuſtulit excel-
ſa,& lucos de terra Iuda. 7 Et in anno tertio anno regni ſui, miſit duces ſuos,& filios potentum, Ab-
diam,& Zachariam,& Nathanael,& Michæam ad docendum in ciuitatibus Iuda. 8 Et cum eis Leui-
tæ, Samæas,& Nathanias,& Zabdias,& Aſiel,& Semiramoth,& Ionathan,& Adonias,& Tobias,& Tobadonias Le-
uitæ,& qui cum eis, Eliſamá,& Ioram ſacerdotes.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.

10 Itaque factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Ioſaphat.

11 Sed & Philiſthæi Ioſaphat munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arietum ſeptem millia ſeptingenta, & hircorum totidem.

12 Creuit ergo Ioſaphat, & magnificatus eſt vſque in ſublime: atque ædificauit in Iuda domos ad inſtar turrium, vrbeſque muratas.

13 Et multa opera parauit in vrbibus Iuda: viri quoque bellatores, & robuſti erant in Ieruſalem:

14 Quorum iſte numerus per domos, atque familias ſingulorum: In Iuda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robuſtiſſimi viri trecenta millia.

15 Poſt hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia.

16 Poſt iſtum quoque Amaſias filius Zechri, conſecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium.

17 Hunc ſequebatur robuſtus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum, & clypeum ducenta millia.

18 Poſt iſtum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum.

19 Hi omnes erãt ad manum regis, exceptis alijs, quos poſuerat in vrbibus muratis, in vniuerſo Iuda.

### CAP. XVIII.

1 FVit ergo Ioſaphat diues, & inclytus multum, & affinitate coniunctus eſt Achab.

2 Deſcenditque poſt annos ad eum in Samariam: ad cuius aduentum mactauit Achab arietes, & boues plurimos ipſi & populo qui venerat cum eo: perſuaſitque illi, vt aſcenderet in Ramoth Galaad.

3 Dixitque Achab rex Iſrael ad Ioſaphat regem Iuda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille reſpondit: Vt ego, & tu: ſicut populus tuus, ſic & populus meus: tecumque erimus in bello.

4 Dixitque Ioſaphat ad regem Iſrael: Conſule obſecro impræſentiarum ſermonem Domini.

5 Congregauit igitur rex Iſrael prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quieſcere? At illi: Aſcende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis.

Di-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et docuerunt Iehudah, & cum eis erat liber legis Domini, & circuierunt per vniuerſas vrbes Iehudah, & docebant populum.*

10 *Et fuit pauor Domini ſuper omnia regna terrarum, quæ erant in circuitu Iehudah, & non pugnauerunt cum Iehoſaphath.*

11 *Et de Peliſtim adducebant ad Iehoſaphath munus, & argenti vectigal, etiam Harabes adducebant ei pecorum arietes ſeptem millia, & ſeptingentos, & hircos ſeptem millia, & ſeptingentos.*

12 *Et fuit, Iehoſaphath vadens, & creſcens vſque ad ſublime: & ædificauit in Iehudah ædes, & vrbes theſaurorum.*

13 *Et opus multum fuit in vrbibus Iehudah, & viri bellatores, potentes viribus erant in Ieruſalaim.*

14 *Et iſti numeri eorum per domum patrum ſuorum: In Iehudah principes millium, Hadnah princeps, & cum eo potentes viribus trecenta millia.*

15 *Et ad manum eius Iehochanan princeps, & cum eo ducenti, & octoginta millia.*

16 *Et ad manum eius Hamaſiaiah filius Zichri ſponte oblatus Domino, & cum eo ducenta millia potentium viribus.*

17 *Et de filijs Biniamin, potens viribus Eliadah, & cũ eo armati arcu, & clypeo ducenta millia.*

18 *Et ad manum eius Iehozabad, & cum eo centum, & octoginta accincti ad militiam.*

19 *Hi erant parati ad obſequium regis præter eos, quos ponebat rex in vrbibus munitis in omni Iehudah.*

### CAP. XVIII.

1 *ET fuerunt Iehoſaphath diuitiæ, & gloria copioſæ, & affinitate iunctus eſt Achab.*

2 *Deſcenditque in fine annorum ad Achab in Samron: & mactauit ei Achab oues, & boues copioſe, & populo, qui erat cum eo: perſuaſitque ei, vt aſcenderet in Ramoth Ghilhad.*

3 *Dixitque Achab rex Iſrael ad Iehoſaphath regem Iehudah: Numquid perges mecum in Ramoth Ghilhad. Et dixit ei: Sicut ego ſic tu: & ſicut populus tuus, ſic populus meus: & tecum ero in bello.*

4 *Dixitque Iehoſaphath ad regem Iſrael: Conſule obſecro hodie verbum Domini.*

5 *Et congregauit rex Iſrael prophetas quadringentos viros, & dixit ad eos: Num pergere debemus in Ramoth Ghilhad ad bellum, an quieſcere? Et dixerunt: Aſcende, & tradet Deus in manu regis.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et docuerunt in Iuda: & cum eis liber legis Domini: & tranſierunt in ciuitates Iuda: & docebant populum.
10 Et factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terræ in circuitu Iuda: & non bellabant aduerſus Ioſaphat.
11 Et ab alienigenis afferebantur ad Ioſaphat munera, & argentum, & dona. Et Arabes afferebãt ei arietes ouiũ
ſeptem millia ſeptingentos. 12 Et fuit Ioſaphat procedens maior vſque in ſublime: & ædificauit in Iudæa
habitationes, & ciuitates munitas: 13 & opera multa facta ſunt ei in Iudæa. Et viri bellatores, potentes, fortes in Hieruſalem: 14 & hic numerus eorum ſecundum domos patriarum ſuarum. Et ipſi Iuda Chiliarchi,
Ednas princeps, & cum eo filij potentes virtutis, trecenta millia. 15 Et poſt eum Ioanan dux: & cum eo ducenta octuaginta millia. 16 Et poſt eum Amaſias, qui ipſius Zari, promptè ſe offerens Domino: & cum eo
ducenta millia, potentes virtutis. 17 Et de Beniamin potens virtutis & Eliada, & cum eo ſagittarij, & peltati, ducenta millia. 18 Et poſt eum Iozabad, & cum eo centum octuaginta millia, potentes belli.
19 Hi miniſtrantes regi, abſque ijs, quos dedit rex in ciuitatibus munitis in omni Iudæa.

### CAP. XVIII.

ET factæ ſunt ipſi Ioſaphat adhuc diuitiæ & gloria multa: & contraxit affinitatem in domo Achaab. 2 Et
deſcendit in fine annorum ad Achaab in Samariam. Et immolauit ei Achaab oues, & vitulos multos, & populo, qui cum eo: & diligebat eum, vt ſimul aſcenderet ſecum in Rhamoth Galaaditidis. 3 Et dixit Achaab
rex Iſrael, ad Ioſaphat regem Iuda: Si ibis mecum in Rhamoth Galaaditidis? Et dixit ei: Sicut ego; ita & tu: ſicut populus tuus, & populus meus tecum ad bellum. 4 Et dixit Ioſaphat ad regem Iſrael: Quære nunc hodie Dominum. 5 Et congregauit rex Iſrael prophetas quadringentos viros: & dixit eis: Si ibo in Rhamoth
Galaad ad bellum, an ceſſabo? Et dixerunt: Aſcende: & dabit Deus in manus regis.

Et di-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Dixitque Ioſaphat: Numquid non eſt hic prophe- 6
tes Domini, vt ab illo etiam requiramus?
Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat: Eſt vir vnus, à quo poſ- 7
ſumus quærere Domini voluntatem: ſed ego odi
eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum
omni tempore: eſt autem Michæas filius Iemla. Di-
xitque Ioſaphat: Ne loquaris rex hoc modo.
Vocauit ergo rex Iſrael vnum de eunuchis, & dixit 8
ei: Voca cito Michæam filium Iemla.
Porro rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda vterque ſede- 9
bant in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio: ſedebant autem
in area iuxta portam Samariæ, omneſque prophetæ
vaticinabantur coram eis.
Sedecias vero filius Chanaana fecit ſibi cornua fer- 10
rea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Sy-
riam, donec conteras eam.
Omneſque prophetæ ſimiliter prophetabant, atque 11
dicebant: Aſcende in Ramoth Galaad, & proſpera-
beris, & tradet eos Dominus in manu regis.
Nuncius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, 12
ait illi: En verba omnium prophetarum vno ore bo-
na regi annunciant: quæſo ergo te, vt & ſermo tuus
ab eis non diſſentiat, loquariſque proſpera.
Cui reſpõdit Michæas: Viuit Dominus, quia quod- 13
cumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.
Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debe- 14
mus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſce-
re? Cui ille reſpondit: Aſcendite: cuncta enim pro-
ſpera euenient, & tradentur hoſtes in manus veſtras.
Dixitque rex: Iterum, atque iterum te adiuro, vt 15
mihi non loquaris, niſi quod verum eſt in nomine
Domini.
At ille ait: Vidi vniuerſum Iſrael diſperſum in mõ- 16
tibus ſicut oues abſque paſtore: & dixit Dominus:
Non habent iſti dominos: reuertatur vnuſquiſque
in domum ſuam in pace.
Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat: Nonne dixi tibi, quod 17
non prophetaret iſte mihi quidquam boni, ſed ea,
quæ mala ſunt?
At ille, Idcirco, ait, audite verbum Domini: Vidi 18
Dominum ſedentem in ſolio ſuo, & omnem exerci-
tum cœli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris.
Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſ- 19
rael, vt aſcendat, & corruat in Ramoth Galaad? Cũ-
que diceret vnus hoc modo, & alter alio:
Proceſſit ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: 20
Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit,
decipies.

At

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Dixitque Iehoſaphath: Num eſt hic propheta Do-*
*mini adhuc, vt requiramus ab eo?*
7 *Et ait rex Iſrael ad Iehoſaphath: Adhuc vir vnus*
*eſt ad requirendum Dominum ab eo: ſed ego odi eũ,*
*quia non vaticinatur mihi bonum, ſed omnibus die-*
*bus ſuis malum: ipſe eſt Michaiehu filius Imla.*
*Dixitque Iehoſaphath: Ne dicat rex ſic.*
8 *Vocauitque rex Iſrael eunuchum vnum, & dixit:*
*Feſtina Michaiehu filium Imlas.*
9 *Rex autem Iſrael, & Iehoſaphath rex Iehudah ſe-*
*debant vnuſquiſque ſuper ſolium ſuum, induti ve-*
*ſtibus: & ſedebant in area ad oſtium portæ Semron,*
*& omnes prophetæ vaticinabantur coram eis.*
10 *Et fecit ſibi Sidchiiahu filius Chenahanah cornua*
*ferrea, & dixit: Sic dixit Dominus: His ventilabis*
*Aramæos, donec conſumas eos.*
11 *Et omnes prophetæ vaticinabantur, ſic dicendo: Aſ-*
*cende in Rameth Ghilhad, & proſperaberis, & dabit*
*Dominus in manu regis.*
12 *Nuncius autem, qui perrexerat ad vocandum Mi-*
*chaiehu, locutus eſt ad eum, dicẽdo: Ecce verba pro-*
*phetarũ ore vno bonũ annunciant regi: ſit q; obſecro*
*verbum tuum ſicut vnum ex eis, & loquaris bonũ.*
13 *Dixitque Michaiehu: Viuit Dominus, quia quod di-*
*xerit Deus meus illud loquar.*
14 *Et venit ad regem. Dixitque rex ad eum: Michah*
*num pergere debemus in Rameth Ghilhad ad bellũ,*
*an quieſcere? Et dixit: Aſcendite, & proſperabimi-*
*ni, & tradentur in manu veſtra.*
15 *Et dixit ad eum rex: Vſque ad tot vices, ego adiuro*
*te, vt non loquaris mihi niſi veritatem in nomine*
*Domini.*
16 *Et ait: Vidi vniuerſum Iſrael diſperſos ſuper mon-*
*tes, ſicut oues, quibus non eſt paſtor: & dixit Domi-*
*nus: Non domini ſunt iſtis: reuertatur vnuſquiſ-*
*que in domum ſuam in pace.*
17 *Et ait rex Iſrael ad Iehoſaphath: Nonne dixi tibi,*
*non vaticinabitur mihi bonum, ſed malum?*
18 *Et dixit: Ideo audite verbum Domini: Vidi Domi-*
*num ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnẽ exercitũ*
*cœli ſtantem iuxta dexteram eius, & ſiniſtrã eius.*
19 *Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſ-*
*rael, vt aſcendat, & corruat in Rameth Ghilhad? Et*
*iſto dicente ſic, & illo dicente ſic:*
20 *Egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait:*
*Ego decipiam eum. Et dixit Dominus ad eum, In*
*quo?*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et dixit Ioſaphat: Non eſt hic propheta Dñi adhuc, & inquiremus ab eo? 7 Et dixit rex Iſrael ad Ioſaphat: Adhuc vir vnus ad quærendum Dominum per eum, & ego odi illum: quoniam non eſt prophetans de me in bonũ: quoniam omnes dies eius in mala. Hic Michæas filius Iembla. Et dixit Ioſaphat: Ne loquatur rex ita. 8 Et vocauit rex eunuchum vnum, & dixit: Cito Michæam filium Iembla. 9 Et rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda ſedentes vnuſquiſque ſuper thronum ſuum, & induti ſtolas, ſedentes in platea oſtij portæ Samariæ. Et omnes prophetæ prophetabant coram eis. 10 Et fecit ſibi Sedecias filius Chanaan cornua ferrea & dixit: Hæc dicit Dominus: In his cornupetes Syriam, quoadusque conſummata fuerit. 11 Et omnes prophetæ prophetabant ſic dicentes: Aſcende in Rhamoth Galaad, & proſperaberis, & dabit Dominus in manus regis. 12 Et nuncius, qui iuerat ad vocandum Michæam, locutus eſt ei, dicens: Ecce locuti ſunt prophetæ in ore vno bona de rege. Et ſint nunc verba tua ſicut vnius eorum, & loqueris bona. 13 Et dixit Michæas: Viuit Dominus, quoniam quicquid dixerit Dominus ad me, id loquar. 14 Et venit ad regem: & dixit ei rex: Michæa, ſi vadam in Rhamoth Galaad ad bellum, an ceſſem? Et dixit: Aſcende, & proſperabis, & dabuntur in manus veſtras. 15 Et dixit ei rex: Quoties adiuro te, vt non loquaris ad me, niſi veritatem in nomine Domini? 16 Et dixit: Vidi Iſrael diſperſos in montibus, tanquam oues, quibus non eſt paſtor. Et dixit Dominus: Non habent ducem iſti: reuertant vnuſquiſque in domum ſuam in pace. 17 Et dixit rex Iſrael ad Ioſaphat: Non dixi tibi, quia non prophetat de me bona, ſed mala? 18 Et dixit: Non ſic: Audite verbum Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum ſuum: & omnis virtus cœli aſſiſtebat à dextris eius, & à ſiniſtris eius. 19 Et dixit Dominus: Quis decipiet Achaab regem Iſrael, & aſcendet, & cadet in Rhamoth Galaad? Et hic dixit ſic, & iſte dixit ſic. 20 Et egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit in conſpectu Domini, & dixit: Ego decipiam eum. Et dixit Dominus: In quo?



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

21 At ille reſpondit: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Dominus: Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita.

22 Nunc igitur, ecce Dominus dedit ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus eſt de te mala.

23 Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam tranſiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tibi?

24 Dixitque Michæas: Tu ipſe videbis in die illo, quando ingreſſus fueris cubiculum de cubiculo, vt abſcondaris.

25 Præcepit autem rex Iſrael, dicens: Tollite Michæã, & ducite eum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium Amelech.

26 Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, & date ei panis modicum, & aquæ pauxillum, donec reuertar in pace.

27 Dixitque Michæas: Si reuerſus fueris in pace, non eſt locutus Dominus in me. Et ait: Audite omnes populi.

28 Igitur aſcenderunt rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda in Ramoth Galaad.

29 Dixitque rex Iſrael ad Ioſaphat: Mutabo habitum, & ſic ad pugnam vadam, tu autem induere veſtibus tuis. Mutatoque rex Iſrael habitu, venit ad bellum.

30 Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus ſui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, niſi contra ſolum regem Iſrael.

31 Itaque cum vidiſſent principes equitatus, Ioſaphat, dixerunt: Rex Iſrael eſt iſte. Et circumdederunt eũ dimicantes: at ille clamauit ad Dominum, & auxiliatus eſt ei, atque auertit eos ab illo.

32 Cum enim vidiſſent duces equitatus, quòd non eſſet rex Iſrael, reliquerunt eum.

33 Accidit autem vt vnus è populo ſagittam in incertum iaceret, & percuteret regem Iſrael inter ceruicem, & ſcapulas, at ille aurigæ ſuo ait: Cõuerte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus ſum.

34 Et finita eſt pugna in die illo: porro rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros vſque ad veſperam, & mortuus eſt Occidente ſole.

### CAP. XIX.

1 Reuerſus eſt autem Ioſaphat rex Iuda in domũ ſuam pacifice in Ieruſalem.

Cui

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*21 Et dixit: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit: Decipies, & etiam præualebis: egredere, & fac ita.*

*22 Et nunc ecce dedit Dominus ſpiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum illorum, & Dominus locutus eſt contra te malum.*

*23 Et acceſſit Sidchijahu filius Chenahanah, & percuſſit Michaiehu in maxillam, & ait: Per quam viã tranſiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tecũ?*

*24 Dixitque Michaiehu: Ecce tu videbis in die illo, quo ingredieris cubiculum per cubiculum, vt abſcondas te.*

*25 Dixitque rex Iſrael: Tollite Michaiehu, & reducite eum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium Hamelech.*

*26 Et dicetis: Sic dixit rex: Ponite hunc in domo carceris, & comedere facite eum panem artum, et aquã afflictionis, donec reuertar in pace.*

*27 Et dixit Michaiehu: Si reuertendo reuerſus fueris in pace, non eſt locutus Dominus per me. Et ait: Audite populi vniuerſi.*

*28 Et aſcendit rex Iſrael, & Iehoſaphath rex Iehudah in Ramoth Ghilhad.*

*29 Dixitque rex Iſrael ad Iehoſaphath: Mutabo me, & ingrediar prælium, tu autem induere veſtibus tuis. Et mutauit ſe rex Iſrael, & ingreſſi ſunt prælium.*

*30 Rex autem Aram præceperat principibus curruum, qui erant ſibi, dicendo: Non pugnabitis cum magno, vel paruo, ſed cum rege Iſrael tantum.*

*31 Et fuit, cum vidiſſent principes curruum, Iehoſaphath, dixerunt: Rex Iſrael eſt. Et verſi ſunt contra eum ad pugnandum: & clamauit Iehoſaphath, & Dominus auxiliatus eſt ei, et recedere fecit eos ab eo.*

*32 Et fuit, cum vidiſſent principes curruum, quòd non eſſet rex Iſrael auerſi ſunt ab eo.*

*33 Et vir traxit arcum in ſimplicitate ſua, & percuſſit regem Iſrael inter iuncturas, & inter loricam, & ait aurigæ: Verte manum tuam, & educ me de caſtris, quia ægroto.*

*34 Et aſcendit bellum in die illo: & rex Iſrael ſtabat in curru contra Aram vſque ad veſperam, & mortuus eſt tempore quo occumbit ſol.*

### *CAP. XIX.*

*1 Reuerſus eſt autem Iehoſaphath rex Iehudah in domum ſuam in pacem in Ieruſalaim.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et dixit: Exibo, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit: Decipies, & poteris egre-
dere, & fac ita. 22 Et nunc ecce dedit Dominus ſpiritum mendacem in ore prophetarum tuorum horum: &
Dominus locutus eſt ſuper te mala. 23 Et appropinquauit Sedecias filius Chanaan, & percuſſit Michæam ſu-
per maxillam, & dixit ei: Quali via tranſiuit ſpiritus Domini à me ad loquendum ad te? 24 Et dixit Michæas:
Ecce videbis in die illa, in qua ingredieris cubiculum è cubiculo ad latendum. 25 Et dixit rex Iſrael: Capite
Michæam: & reducite ad Emer principem ciuitatis, & ad Ioas principem filium regis: 26 & dicetis Sic dixit
rex: Deponite hunc in domum cuſtodiæ: & comedat panem tribulationis; quoadusque reuertar ego in pace.
27 Et dixit Michæas: Si reuertens reuerteris in pace; non eſt locutus Dominus in me. Et dixit: Audite populi
omnes. 28 Et aſcendit rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda in Rhamoth Galaad. 29 Et dixit rex Iſrael ad Ioſa-
phat: Cooperi me, & ingrediar in prælium: & tu induere veſtimentum meum. Et cooperuit ſe rex Iſrael, & intra-
uit in prælium. 30 Et rex Syriæ mandauit principibus curruum, qui ſecum, dicens: Ne impugnetis paruum, &
magnum, ſed regem Iſrael ſolum. 31 Et factum eſt, vt viderunt principes curruum Ioſaphat; & ipſi dixerunt:
Rex Iſrael eſt. Et circumdederunt eum ad impugnandum. Et clamauit Ioſaphat: & Dominus ſaluauit eũ: & auer-
tit eos Deus ab eo. 32 Et factum eſt, vt viderunt principes curruum, quia non erat rex Iſrael; & auerterunt ſe
ab eo. 33 Et vir tetendit arcum bene collimans, & percuſſit regem Iſrael inter pulmonem, & inter thoracem.
Et dixit aurigæ: Conuerte manum tuam: educ me de prælio, quoniam laboraui. 34 Et profligatum eſt prælium
in die illa: & rex Iſrael erat ſtans ſuper currũ ex aduerſo Syriæ vſque ad veſperã: & mortuus eſt Occidente Sole.

### CAP. XIX.

ET reuertit Ioſaphat rex Iuda ad domum ſuam in Hieruſalem.

Et exi-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

Cui occurrit Iehu filius Hanani Videns, & ait ad 2
eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Do-
minum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem
Domini merebaris:
Sed bona opera inuenta ſunt in te, eo quod abſtu- 3
leris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum
vt requireres Dominum Deum patrum tuorum.
Habitauit ergo Ioſaphat in Ieruſalem: rurſumque 4
egreſſus eſt ad populum de Berſabee vſque ad mon-
tem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum
patrum ſuorum.
Conſtituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus 5
Iuda munitis per ſingula loca,
Et præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: 6
non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domi-
ni: & quodcumque iudicaueritis, in vos redun-
dabit.
Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cun- 7
cta facite: non eſt enim apud Dominum Deum no-
ſtrum iniquitas, * nec perſonarum acceptio, nec cu
pido munerum.
In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas, 8
& Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt
iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatori-
bus eius.
Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Do- 9
mini fideliter & corde perfecto.
Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtro- 10
rum, qui habitabant in vrbibus ſuis inter cognatio-
nem & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de le-
ge, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus
oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne ve-
niat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros: ſic ergo
agentes non peccabitis.
Amarias autem ſacerdos & pontifex veſter, in his, 11
quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porro Zaba-
dias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper
ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: ha-
betiſque magiſtros Leuitas coram vobis, conforta-
mini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum
in bonis.

* Deu. 10. 17. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephe. 6. 9. Col. 3. 25. Act. 10. 34. 1. Pet 1. 17 Sap. 6. 8. Eccl. 35. 16

### CAP. XX.

POſt hæc congregati ſunt filij Moab, & filij Am- 1
mon, & cum eis de Ammonitis ad Ioſaphat vt
pugnarent contra eum.

Ve-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et egreſſus eſt ante eum Iehu filius Chanani videns,*
*& dixit ad regem Iehoſaphath: Numquid impio*
*auxiliandum eſt, & odio habentes Dominum diliges?*
*& propter hoc ſuper te eſt ira à facie Domini.*
3 *Sed res bonæ inuentæ ſunt tecum, quia ſuccendiſti*
*lucos de terra, & præparaſti cor tuum, vt requireres*
*Dominum.*
4 *Et habitauit Iehoſaphath in Ieruſalaim, & reuer-*
*ſus eſt, & egreſſus eſt cum populo à Beerſabah vſque*
*ad montem Ephraim, & reduxit eos ad Dominum*
*Deum patrum ſuorum.*
5 *Conſtituitque iudices in terra, in cunctis ciuitatibus*
*Iehudah munitis, ciuitate, & ciuitate.*
6 *Et dixit ad iudices: Videte quid facitis: non enim*
*homini iudicabitis, ſed Domino, vt vobiſcum ſit ſe-*
*cundum rem iudicij.*
7 *Et nunc ſit pauor Domini ſuper vos, cuſtodite & fa-*
*cite, quia non eſt cum Domino Deo noſtro iniqui-*
*tas, & acceptio perſonarum, & acceptio mune-*
*ris.*
8 *Et etiam in Ieruſalaim conſtituit Iehoſaphath de*
*Leuitis, & ſacerdotibus, & de principibus familia-*
*rum Iſrael ad iudicium Domini, & ad cauſam, &*
*reuerſi ſunt Ieruſalaim.*
9 *Et præcepit eis dicendo: Sic agetis in timore Domi-*
*ni, in fide, & corde perfecto.*
10 *Et omnem cauſam quæ venerit ad vos de fratribus*
*veſtris qui habitant in vrbibus ſuis inter ſanguinem*
*& ſanguinem, inter legem & præceptum, & ſtatuta,*
*& iudicia, præmonebitis eos, & non peccabunt Domi-*
*no, & non erit ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros,*
*ſic facietis, & non peccabitis.*
11 *Ecce Amariahu ſacerdos ſummus ſuper vos in om-*
*ni re Domini, & Zebadiahu filius Iſmahel dux do-*
*mus Iehudah in omni re regia, & magiſtri Leuitæ*
*coram vobis: confortamini, & facite, & erit Domi-*
*nus cum bono.*

### CAP. XX.

1 *ET fuit, poſt hoc venerunt filij Moab, & filij*
*Hammon, & cum eis de Hammonim contra Ie-*
*hoſaphath ad prælium.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et exiuit in occurſum eius Iehu, qui ipſius Anani, propheta. Et dixit ei: Rex Ioſaphat, ſi peccatori tu au-
xiliaris, vel ei, qui odio habetur à Domino amicitiam iungis? Propter hoc facta eſt ſuper te ira Domini.
3 Veruntamen verba bona inuenta ſunt in te, quoniam ſuſtuliſti lucos à facie Iuda, & direxiſti cor tuum ad ex-
quirendum Dominum. 4 Et habuit Ioſaphat in Hieruſalem: & rurſus exijt ad populum à Berſabee
vſque ad montem Ephraem: & redire fecit eos ad Dominum Deum patrum eorum. 5 Et conſtituit
iudices in omnibus ciuitatibus Iuda munitis, in ciuitate. 6 Et dixit iudicibus: Videte, quid vos faci-
tis: quoniam non homini vos iudicatis, ſed Domino: & vobiſcum verba iudicij. 7 Et nunc fiat timor
Domini ſuper vos, & obſeruate, & facite. quia non eſt cum Domino Deo noſtro iniuſtitia, neque admirari per-
ſonam, neque accipere dona. 8 Et etiam in Hieruſalem conſtituit Ioſaphat de ſacerdotibus, & de
Leuitis, & de patriarchis Iſrael ad iudicium Domini, & ad iudicandum habitantes in Hieruſalem.
9 Et mandauit ad eos, dicens: Sic facietis in timore Domini, in veritate, & in pleno corde, 10 om-
nis vir, iudicium quod venit ſuper vos fratrum veſtrorum habitantium in ciuitatibus ſuis, inter ſanguinem ſan-
guinis, & inter præceptum, & mandatum, & iuſtificationes, & iudicia: & diſtinguetis eos: & non peccabunt Do-
mino: & non erit ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros. Sic facietis, & non peccabitis. 11 Et
ecce Amarias ſacerdos dux ſuper vos in omne verbum Domini: & Zabdias filius Iſmael dux in domum Iuda
ad omne verbum regis: & ſcribæ, & Leuitæ ante faciem veſtram. Confortamini, & facite: & erit Dominus
cum bono.

### CAP. XX.

ET poſt hæc venerunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Minæis aduerſus Ioſaphath ad bellum.

Et ve-

UVA. BSCH.

## Vulgat. Editio.

2 Veneruntque nuncij, & indicauerunt Ioſaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare ſunt, & de Syria, & ecce conſiſtunt in Aſaſonthamar, quæ eſt Engaddi.

3 Ioſaphat autem timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda.

4 Congregatuſque eſt Iudas ad deprecandum Dominum: ſed & omnes de vrbibus ſuis venerunt ad obſecrandum eum.

5 Cumque ſtetiſſet Ioſaphat in medio cœtu Iuda, & Ieruſalem, in domo Domini ante atrium nouum,

6 Ait: Domine Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua eſt fortitudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere.

7 Nonne tu Deus noſter interfeciſti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Iſrael, & dediſti eam ſemini Abraham amici tui in ſempiternum?

8 Habitaueruntque in ea, & extruxerunt in illa ſanctuarium nomini tuo, dicentes:

9 Si irruerint ſuper nos mala, gladius iudicij, peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac in conſpectu tuo, in qua inuocatum eſt nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies, ſaluoſque facies.

10 Nunc igitur ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir, * per quos non conceſſiſti Iſrael vt tranſirent quando egrediebantur de Ægypto, ſed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos:

* Deut. 2.

11 E contrario agunt, & nituntur eijcere nos de poſſeſſione, quam tradidiſti nobis.

12 Deus noſter, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

13 Omnis vero Iuda ſtabat coram Domino cum paruulis, & vxoribus, & liberis ſuis.

14 Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de filijs Aſaph, ſuper quem factus eſt Spiritus Domini in medio turbæ,

15 Et ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ieruſalem, & tu rex Ioſaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei.

Cras

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et venerunt, & nunciauerunt Iehoſaphath, dicendo: Venit contra te multitudo magna de transmare, de Aram, & ecce ſunt in Chaſeſontamar, ipſa eſt Henghedi.*

3 *Et timuit, & poſuit Iehoſaphath faciem ſuam ad quærendum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iehudah.*

4 *Et congregati ſunt Iehudah ad quærendum Dominum, etiam de vniuerſis vrbibus Iehudah venerunt ad quærendum Dominum.*

5 *Et ſtetit Iehoſaphath in cœtu Iehudah, & Ieruſalaim in domo Domini ante atrium nouum.*

6 *Et ait: Domine Deus patrum noſtrorum, nonne tu ipſe es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis Gentium, & in manu tua eſt fortitudo, & potentia, & non eſt qui tibi poſſit reſiſtere?*

7 *Nonne tu Deus noſter expuliſti habitatores terræ huius à facie populi tui Iſrael, & dediſti eam ſemini Abraham amici tui in ſeculum?*

8 *Et habitauerunt in ea, & ædificauerunt tibi in ea ſanctuarium nomini tuo dicendo:*

9 *Si venerit ſuper nos malum, gladius iudicij, & peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac, & coram te, quia nomen tuum eſt in domo hac: & clamabimus ad te in anguſtijs noſtris, & exaudies, & ſaluos facies.*

10 *Et nunc ecce filij Hammon, & Moab, & mons Sehir per quos non permiſiſti Iſraeli, vt venirent, dum venirent è terra Ægypti, ſed declinauerunt ab eis, & non diſperdiderunt eos.*

11 *Et ecce ipſi retribuunt nobis, veniendo ad eijciendum nos de hæreditate tua, quam hæreditate accipere feciſti nos.*

12 *Deus noſter, nonne iudicabis eos? Non enim eſt fortitudo in nobis coram multitudine magna hac, quæ venit contra nos. Nos autem neſcimus quid faciamus, ſed in te ſunt oculi noſtri.*

13 *Et omnis Iehudah ſtabant coram Domino, etiam paruuli eorum, vxores eorum, & filij eorum.*

14 *Iachaziel autem filius Zechariahu filij Benaiah filij Hiehiel, filij Matthaniah Leuites de filijs Aſaph fuit ſuper eum Spiritus Domini in medio cœtus.*

15 *Et ait: Attendite omnis Iehudah, & habitatores Ieruſalaim, & rex Iehoſaphat: Sic dixit Dominus vobis: Ne timeatis, & ne paueatis à facie multitudinis magnæ huius, quia non vobis eſt bellum, ſed Deo.*

*Cras*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et venerunt, & indicarunt ipſi Ioſaphat, dicentes: Venit ſuper te multitudo plurima de trans mare à Syria:
& ecce ſunt in Aſaſan Thamar, hæc eſt Engadi. 3 Et timuit, & dedit Ioſaphat faciem ſuam ad exquirendum
Dominum: & prædicauit ieiunium in omni Iuda. 4 Et congregatus eſt Iuda ad exquirendum Dominum:
& de omnibus ciuitatibus Iuda venerunt quærere Dominum. 5 Et ſurrexit Ioſaphat in Eccleſia Iuda in
Hieruſalem in domo Domini ad faciem atrij noui, 6 & dixit: Domine Deus patrum meorum nonne tu
es Deus in cœlo ſurſum, & tu dominaris omnium regnorum gentium. & in manu tua fortitudo potentatus, & nō
eſt aduerſus te reſiſtere? 7 Nonne tu Dominus, qui exterminaſti habitantes terram hanc à facie populi tui
Iſrael, & dediſti eam ſemini Abraham dilecto tuo in ſæculum? 8 Et habitarunt in ea, & ædificarunt in ea
ſanctificium nomini tuo, dicentes: 9 Si superuenerint ſuper nos mala, gladius, iudicium, mors, fames; ſtabimus coram domo hac, & coram te, quia nomen tuum in domo hac, & clamabimus ad te de tribulatione, & audies
& ſaluabis. 10 Et nunc ecce filij Ammon & Moab, & mons Seir (in quos non dediſti ipſi Iſrael tranſire per
eos, exeuntibus ipſis de terra Ægypti, quoniam declinauerunt ab eis, & non exterminauerunt eos) 11 &
nunc ecce ipſi aggrediuntur ſuper nos exire ad eijciendum nos ab hæreditate noſtra, quam dediſti nobis.
12 Domine Deus noſter non iudicabis in eis? Quoniam non eſt nobis fortitudo reſiſtendi aduerſus multitudinem plurimam hanc venientem ſuper nos: & non nouimus, quid faciamus eis, ſed ſuper te oculi noſtri. 13 Et
omnis Iuda ſtans ante Dominum, & pueri eorum, & vxores eorum. 14 Et ipſi Oziel filio Zachariæ, de filijs
Banææ de filijs Eliel Mathaniæ Leuitæ de filijs Aſaph factus eſt ſuper eum Spiritus Domini in Eccleſia,
15 & dixit: Audite omnis Iuda, & habitantes in Hieruſalem, & rex Ioſaphat: Hæc dicit Dominus vobis ipſis:
Ne timeatis, neque paueatis à facie turbæ multæ huius: quoniam non vobis eſt prælium, ſed Deo.

Cras

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

16 Cras deſcendetis contra eos: aſcenſuri enim ſunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Ieruel.
17 Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda, & Ieruſalem: nolite timere, nec paueatis: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.
18 Ioſaphat ergo, & Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorauerunt eum.
19 Porro Leuitæ de filijs Caath, & de filijs Core laudabant Dominum Deum Iſrael voce magna, in excelſum.
20 Cumque mane ſurrexiſſent, egreſſi ſunt per deſertum Thecue: profectiſque eis, ſtans Ioſaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Iuda & omnes habitatores Ieruſalem: credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient proſpera.
21 Deditque conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent: * Confitemini Domino quoniam in æternum miſericordia eius. *Pſal.135.1.
22 Cumque cœpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, filiorum ſcilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egreſſi fuerant vt pugnarent contra Iudam, & percuſſi ſunt.
23 Namque filij Ammon, & Moab conſurrexerunt aduerſum habitatores montis Seir, vt interficerent & delerent eos: cumque hoc perpetraſſent, etiam in ſemetipſos verſi, mutuis concidere vulneribus.
24 Porro Iuda cum veniſſet ad ſpeculam, quæ reſpicit ſolitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaueribus nec ſupereſſe quemquam, qui necem potuiſſet euadere.
25 Venit ergo Ioſaphat, & omnis populus cum eo ad detrahenda ſpolia mortuorum: inueneruntque inter cadauera varíam ſupellectilem, veſtes quoque, & vaſa pretioſiſſima, & diripuerunt ita vt omnia portare non poſſent, nec per tres dies ſpolia auferre præ prædæ magnitudine.
26 Die autem quarto congregati ſunt in valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum vallis benedictionis vſque in præſentem diem.

Re-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Cras deſcendite contra eos: ecce ipſi aſcendunt per gradum Sis, & inuenietis eos in fine torrentis contra ſolitudinem Ieruel.*
17 *Non vobis pugnandum eſt in hoc, ſtate, ſtate & videte ſalutem Domini vobiſcum Iehudah & Ieruſalaim, ne timeatis, & ne paueatis: cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.*
18 *Et incuruauit ſe Iehoſaphath in faciem in terram: & omnis Iehudah, & Ieruſalaim proſtrauerunt ſe coram Domino, incuruando ſe Domino.*
19 *Et ſurrexerunt Leuitæ de filijs Chehathim, & de filijs Chorchim, ad laudandum Dominum Deum Iſrael voce magna in excelſum.*
20 *Et ſurrexerunt mane, & egreſſi ſunt per deſertum Tecoah: & cum egrederentur, ſtetit Iehoſaphat, & dixit: Audite me Iehudah, & habitatores Ieruſalaim: credite in Dominum Deum noſtrum, & roborabimini, credite prophetis eius, & proſperabimini.*
21 *Et conſiliatus eſt cum populo, & conſtituit cantores Domini & laudantes in decore ſanctuarij, dum egrederentur ante accinctos ad prælium, & dicerent: Confitemini Domino, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
22 *Et in tempore quo cœperunt cum clamore, & laude, poſuit Dominus inſidias contra filios Hammon, Moab, & montem Sehir qui venerant contra Iehudah, & percuſſerunt ſe.*
23 *Et ſteterunt filij Hammon, & Moab contra habitatores montis Sehir, vt interficerent, & diſperderent: & cum conſumpſiſſent eos cum habitatoribus Sehir, auxiliati ſunt vnuſquiſque proximo ſuo ad interfectionem.*
24 *Iehudah autem venit ad ſpeculam ſolitudinis, & reſpexerunt ad multitudinem, & ecce ipſa cadauera ceciderant in terram, & non erat euaſio.*
25 *Et venit Iehoſaphath, & populus eius ad diripiendum ſpolia eorum: inueneruntque inter ea abundanter, & ſubſtantiam, & cadauera, & ſuppellectilia concupiſcibilia, & diripuerunt ſibi abſque pondere, & diebus tribus prædati ſunt ſpolia, quia multa erant.*
26 *Die autem quarta congregati ſunt in valle Berachah, quia ibi benedixerunt Domino, idcirco vocauerunt nomen loci illius vallem Berachah vſque hodie.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Cras deſcendite ſuper eos. Ecce aſcendunt ſecundum aſcenſionem Aſis: & inuenietis eos ſuper extremum fluuij deſerti Ieriel. 17 Non vobis eſt bellare. Hæc intelligite, & videte ſalutem Domini vobiſcum, Iuda, & Hieruſalem. Ne timeatis, neque paueatis cras exire in occurſum eis: & Dominus vobiſcum. 18 Et procumbens Ioſaphat in faciem ſuam, & omnis Iuda, & habitantes Hieruſalem, ceciderunt ante Dominum adorare Dominum: 19 Et ſurrexerunt Leuitæ de filijs Caath, & de filijs Core, laudem dicere Domino Deo Iſrael in voce magna in ſublime: 20 & euigilarunt mane, & exierunt in deſertum Thecoe. Et in exeundo ipſos, ſtetit Ioſaphat, & clamauit, & dixit: Audite me Iuda, & habitantes in Hieruſalem: Confidite in Domino Deo noſtro, & fideles eritis: confidite in propheta eius, & proſperabimini. 21 Et conſuluit cum populo: & ſtatuit pſalmorum cantores, & laudantes ad confitendum, & laudandum ſancta in exeundo ante virtutem, & dicebant: Confitemini Domino, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 22 Et in incipiendo eos laudationem & confeſſionem, dedit Dominus pugnare filios Ammon ſuper Moab, & montem Seir, qui egreſſi fuerant ſuper Iudam: & in fugam verſi ſunt. 23 Et ſurrexerunt filij Ammon, & Moab ſuper habitantes montem Seir, ad exterminandum, & atterendum eos. Et, vt conſummauerunt habitantes Seir; ſurrexerunt in ſe mutuo ad exterminandum. 24 Et Iudas venit ſuper ſpeculam deſerti, & inſpexit & vidit multitudinem: & ecce omnes mortui iacentes ſuper terram: non erat ſaluus. 25 Et exijt Ioſaphat, & populus eius prædari ſpolia eorum: & inuenerunt pecora multa, & apparatum, & ſpolia & vaſa deſiderabilia: & prædati ſunt in eis. Et facti ſunt dies tres, prædantibus ipſis ſpolia; quoniam multa fuerunt. 26 Et factum eſt die quarta, coadunati ſunt in vallem benedictionis: ibi enim benedixerunt Dominum. Propter hoc vocauerunt nomen loci illius, vallis benedictionis vſque in diem hanc.

Et re-

## Vulgata Editio.

27 Reuerſuſque eſt omnis vir Iuda, & habitatores Ieruſalem, & Ioſaphat ante eos in Ieruſalem cum lætitia magna, eo quod dediſſet eis Dominus gaudiū de inimicis ſuis.

28 Ingreſſique ſunt in Ieruſalem cum pſalterijs, & citharis, & tubis in domum Domini.

29 Irruit autem pauor Domini ſuper vniuerſa regna terrarum cum audiſſent quod pugnaſſet Dominus contra inimicos Iſrael.

30 Quieuitque regnum Ioſaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.

31 Regnauit igitur Ioſaphat ſuper Iudam, & erat triginta quinque annorum cum regnare cœpiſſet: viginti autem & quinque annis regnauit in Ieruſalem & nomen matris eius Azuba filia Selahi.

32 Et ambulauit in via patris ſui Aſa, nec declinauit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino.

33 Verumtamen excelſa non abſtulit, & adhuc populus non direxerat cor ſuum ad Dominum Deum patrum ſuorum.

34 Reliqua autem geſtorum Ioſaphat priorum & nouiſſimorum ſcripta ſunt in verbis Iehu filij Hanani, quæ digeſſit in Libros regum Iſrael.

35 Poſt hæc iniuit amicitias Ioſaphat rex Iuda cum Ochozia rege Iſrael, cuius opera fuerunt impiiſſima.

36 Et particeps fuit vt facerent naues, quę irent in Tharſis: feceruntque claſſem in Aſiongaber.

37 Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat, dicens: Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.

### CAP. XXI.

1 DOrmiuit autem Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid: regnauitque Ioram filius eius pro eo.

3. Reg. 22. 51.

2 Qui habuit fratres filios Ioſaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michael & Saphatiam; omnes hi, filij Ioſaphat regis Iuda.

3 Deditque eis pater ſuus multa munera argenti, & auri, & penſitationes, cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eo quod eſſet primogenitus.

4 Surrexit ergo Ioram ſuper regnum patris ſui: cumque ſe confirmaſſet, occidit omnes fratres ſuos gladio, & quoſdam de principibus Iſrael.

Tri-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

27 *Et reuerſi ſunt omnis vir Iehudah in Ieruſalaim, & Iehoſaphath in capite eorum, vt reuerterentur in Ieruſalaim cum lætitia: lætificauit enim eos Dominus de inimicis ſuis.*

28 *Et ingreſſi ſunt Ieruſalaim cum pſalterijs, & cytharis, & tubis in domum Domini.*

29 *Et fuit pauor Dei ſuper omnia regna terrarum, cum audiſſent quod pugnaſſet Dominus cum inimicis Iſrael.*

30 *Quieuitque regnum Iehoſaphath, & requieſcere fecit eum Deus ſuus per circuitum.*

31 *Et regnauit Iehoſaphath ſuper Iehudah: quinque, & triginta annorum erat cum regnauit, & viginti, & quinque annis regnauit in Ieruſalaim, & nomen matris eius Hazubah filia Silchi.*

32 *Et ambulauit in via Aſa patris ſui, & non declinauit ab ea faciendo rectum in oculis Domini.*

33 *Verumtamen excelſa non abſtulerunt, & adhuc populus non præparauerunt cor ſuum Deo patrum ſuorum.*

34 *Reſidua autem Iehoſaphath primorum, & nouiſſimorum, ecce ſunt ſcripta in verbis Iehu filij Chanani, vt depoſitum eſt in Libro regum Iſrael.*

35 *Et poſt hoc iunxit ſe Iehoſaphath rex Iehudah cum Achaziah rege Iſrael: ipſe impie fecit faciendo.*

36 *Et iunxit ſeipſum cum eo, vt faceret naues ad eundū in Tarſis: & fecerunt naues in Heſiongheber.*

37 *Vaticinatus eſt autē Elihezer filius Dodauahu de Mareſah Iehoſaphath, dicendo: Quia iunxiſti te cum Achaziahu demiſit Dominus opera tua: & contrita ſunt naues, & non valuerunt ire in Tarſis.*

### *CAP. XXI.*

1 *DOrmiuit autem Iehoſaphath cum patribus ſuis & ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid: & regnauit Iehoram filius eius pro eo.*

2 *Et ei erāt fratres filij Iehoſaphath Hazariah, & Iehiel, & Zachariahu, & Hazariahu, & Michael, & Sephatiahu. Oēs iſti filij Iehoſaphat regis Iehudah.*

3 *Et dedit eis pater eorum dona multa argenti, & auri, & precioſorum cum vrbibus munitis in Iehudah: regnum autem dedit Iehoram, quia ipſe erat primogenitus.*

4 *Et ſurrexit Iehoram ſuper regnum patris ſui, & roborauit ſe, & occidit omnes fratres ſuos gladio, & etiam de principibus Iſrael.*

*Tri-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

27 Et reuertit omnis vir Iuda in Hieruſalem, & Ioſaphat dux eorum in lætitia magna; quoniam lætificauit eos
Dominus de inimicis eorum. 28 Et ingreſſi ſunt in Hieruſalem in nablis, & citharis, & in tubis in domum
Domini. 29 Et factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terræ in audiendo eos, quia Dominus pugnauit
in aduerſarios Iſrael. 30 Et pacem habuit regnum Ioſaphat: & quietem dedit ei Deus in circuitu.
31 Et regnauit Ioſaphat ſuper Iudam, cum eſſet annorum triginta quinque in regnando ipſum: & viginti &
quinque annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Azuba filia Sali. 32 Et ambulauit in vijs patris
ſui Aſa: & non declinauit à faciendo rectum coram Domino. 33 Sed & excelſa adhuc ſubſiſtebant: &
adhuc populus non direxit cor ſuum ad Dominum Deum patrum ſuorum. 34 Et reliqua verba Ioſaphat
prima & vltima ecce ſcripta in ſermonibus Iehu filij Anani, qui conſcripſit Librum regum Iſrael. 35 Et
poſt hæc communicauit Ioſaphat rex Iuda erga Ochoziam regem Iſrael: & hic inique fecit in faciendo & eundo
ad eum ad faciendum nauigia ad eundum in Tharſis. 36 Et fecit nauigia in Gaſion Gaber.
37 Et prophetauit Eliezer filius Dodia de Mariſa ſuper Ioſaphat, dicens: Sicut amicitiam iunxiſti Ochoziæ,
quaſſauit Dominus opus tuum, & contrita ſunt nauigia tua: & non potuerunt ire in Tharſis.

### CAP. XXI.

ET dormiuit Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Et regnauit Ioram filius eius pro eo.
2 Et ei fratres, filij Ioſaphat ſex: Azarias, & Ieiel, & Zacharias, & Azarias, & Michael, & Zaphatias. Omnes
hi filij Ioſaphat regis Iuda. 3 Et dedit eis pater eorum dona multa, argentum, & aurum, & arma cum ciuitatibus
muratis in Iuda: & regnum dedit ipſi Ioram, quoniam hic primogenitus. 4 Et ſurrexit Ioram
ſuper regnum ſuum: & inualuit, & occidit omnes fratres ſuos in gladio, & de principibus Iſrael.

Cum

## Vulgata Editio.

Trigintaduorum annorum erat Ioram cum regnare 5
cœpiſſet : & octo annis regnauit in Ieruſalem.
Ambulauitque in vijs regum Iſrael, ſicut egerat do 6
mus Achab : filia quippe Achab erat vxor eius, &
fecit malum in conſpectu Domini.
Noluit autem Dominus diſperdere domum Dauid 7
propter pactum, quod inierat cum eo : & quia pro-
miſerat vt daret ei lucernam, & filijs eius omni
tempore.
In diebus illis rebellauit Edom, ne eſſet ſubditus Iu 8
dæ,& conſtituit ſibi regem.

Cumque tranſiſſet Ioram cum principibus ſuis, & 9
cuncto equitatu, qui erat ſecum, ſurrexit nocte, &
percuſſit Edom qui ſe circumdederat,& omnes du-
ces equitatus eius.
Attamen rebellauit Edom,ne eſſet ſub ditione Iuda 10
vſque ad hanc diem : eo tempore & Lobna receſſit
ne eſſet ſub manu illius. Dereliquerat enim Do-
minum Deum patrum ſuorum :
Inſuper & excelſa fabricatus eſt in vrbibus Iuda, & 11
fornicari fecit habitatores Ieruſalem,& præuaricari
Iudam.
Allatæ ſunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in 12
quibus ſcriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus
Dauid patris tui : Quoniam non ambulaſti in vijs
Ioſaphat patris tui,& in vijs Aſa regis Iuda,
Sed inceſſiſti per iter regum Iſrael,& fornicari feci- 13
ſti Iudam & habitatores Ieruſalem, imitatus forni-
cationem domus Achab, inſuper & fratres tuos do-
mum patris tui,meliores te occidiſti :
Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum po- 14
pulo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuerſaque ſub-
ſtantia tua.
Tu autem ægrotabis peſſimo languore vteri tui,do- 15
nec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos
dies.
Suſcitauit ergo Dominus contra Ioram ſpiritum 16
Philiſthinorum, & Arabum, qui confines ſunt Æ-
thiopibus.
Et aſcenderunt in terram Iuda, & vaſtauerunt eam, 17
diripueruntque cunctam ſubſtantiam, quæ inuenta
eſt in domo regis,inſuper & filios eius,& vxores : nec
remanſit ei filius, niſi Ioachaz, qui minimus natu
erat.
Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alui 18
languore inſanabili.

Cum-

## Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

5 *Triginta,& duorum annorum erat Iehoram cum re-*
*gnauit,& octo annis regnauit in Ieruſalaim.*
6 *Ambulauitque per viam regum Iſrael quemadmo-*
*dum fecerunt domus Achab : filia enim Achab fuit*
*ei vxor,& fecit malum in oculis Domini.*
7 *Et noluit Dominus diſperdere domum Dauid pro-*
*pter fœdus,quod pepigerat cum Dauid,& quemad-*
*modum dixerat : quod daret ei lucernam, & filijs*
*eius omnibus diebus.*
8 *In diebus eius præuaricatus eſt Edom ne eſſet ſub*
*poteſtate Iehudah & regnare fecerunt ſuper ſe*
*regem.*
9 *Et tranſiuit Iehoram cum principibus ſuis, & om-*
*ni curru cum eo : & ſurrexit nocte, & percuſſit E-*
*dom, qui circumdederat eum, & principes cur-*
*ruum.*
10 *Et præuaricatus eſt Edom, ne eſſet ſub poteſtate Ie-*
*hudah vſque ad diem hanc : tunc præuaricata eſt*
*Libnah in tempore ipſo ne eſſet ſub poteſtate eius,*
*quia dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum.*
11 *Etiam ipſe fecit excelſa in montibus Iehudah, &*
*fornicari fecit habitatores Ieruſalaim, & compulit*
*Iehudah.*
12 *Et venit ad eum ſcriptura ab Eliiahu propheta, di-*
*cendo : Sic dixit Dominus Deus Dauid patris tui :*
*Pro eo quod non ambulaſti in vijs Iehoſaphath pa-*
*tris tui,& in vijs Aſa regis Iehudah.*
13 *Sed ambulaſti in via regum Iſrael,& fornicari feci-*
*ſti Iehudah, & habitatores Ieruſalaim, ſicut forni-*
*cata eſt domus Achab, & etiam fratres tuos fami-*
*liam patris tui meliores te occidiſti.*
14 *Ecce Dominus percutit plaga magna populum tuum*
*& filios tuos, & vxores tuas, & omnem ſubſtantiam*
*tuam,*
15 *Tu autem eris in infirmitatibus multis, in infirmi-*
*tate viſcerum tuorum, donec egrediantur inteſtina*
*tua præ infirmitate per ſingulos dies.*
16 *Et ſuſcitauit Dominus contra Iehoram ſpiritum Pe*
*liſtim, & Harabum qui erant iuxta terminum Æ-*
*thiopum.*
17 *Et aſcenderunt in Iehudah,& ſciderunt eam,& di-*
*ripuerunt omnem ſubſtantiam, quæ inuenta eſt in*
*domo regia, & etiam filios eius, & vxores eius, &*
*non remanſit ei filius niſi Iehoachaz minor inter fi-*
*lios eius.*
18 *Et poſt totum hoc percuſſit eum Dominus in inteſti-*
*nis eius in infirmitate,cui non erat medela.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Cum eſſet ipſe triginta & duorum annorum, conſtitutus eſt Ioram ſuper regnum ſuum : & octo annos regna-
uit in Hieruſalem : 6 Et ambulauit in via regum Iſrael,ſicut fecerat domus Achaab : quoniam filia Achaab
erat eius vxor. Et fecit malum coram Domino : 7 Et noluit Dominus exterminare domum Dauid,pro-
pter teſtamentum,quod diſpoſuerat ipſi Dauid,& ſicut dixerat ei,dare ei lucernam,& filijs eius omnes dies.
8 In diebus illis receſſit Edom à Iuda : & regnare fecerunt ſuper ſe regem. 9 Et abijt Ioram cum princi-
pibus,& omnis equitatus cum eo. Et factum eſt, & ſurrexit nocte, & percuſſit Edom, qui circumdederat eum,&
principes curruum : & fugit populus ad tabernacula ſua. 10 Et receſſit à Iuda Edom vſque in diem hanc.
Tunc receſſit Lomna in tempore illo de manu eius : quoniam dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum.
11 Nam & ipſe fecit excelſa in ciuitatibus Iuda : & fornicari fecit habitantes in Hieruſalem : & errare fecit Iu-
dam. 12 Et venit ei in ſcriptura ab Eliu propheta, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui.
Pro eo,quod non ambulaſti in via Ioſaphat patris tui,& in vijs Aſà regis Iuda, 13 & ambulaſti in vijs re-
gum Iſrael,& fornicari feciſti Iudam,& habitantes in Hieruſalem, ſicut exfornicata eſt domus Achaab, & fratres
tuos filios patris tui bonos ſuper te occidiſti ; 14 ecce Dominus percutiet te plaga magna in populo
tuo, & in filijs tuis,& in vxoribus tuis,& in omni apparatu tuo : 15 & tu in languore malo,in morbo
ventris : quoadusque ; egrediatur venter tuus cum languore ex diebus in dies. 16 Et ſuſcitauit Do-
minus ſuper Ioram alienigenas,& Arabas,& confines Æthiopum. 17 Et aſcenderunt ſuper Iudam,&
oppreſſerunt : & auerterunt omnem apparatum, quem inuenerunt in domo regis, & filios eius, & filias eius, &
non remanſit ei filius niſi Ochozias minimus filiorum eius. 18 Et poſt hæc omnia percuſſit eum Do-
minus in ventrem languore, cui non eſt curatio.

Eſa-

## Vulgat. Editio.

19 Cumque dies ſuccederet dies, & temporum ſpatia
voluerentur, duorum annorum expletus eſt circu-
lus: & ſic longa conſumptus tabe, ita vt egereret
etiam viſcera ſua, languore pariter, & vita caruit.
Mortuuſque eſt in infirmitate peſſima, & non fecit
ei populus ſecundum morem combuſtionis, exe-
quias, ſicut fecerat maioribus eius.
20 Triginta duorum annorum fuit, cum regnare cœ-
piſſet, & octo annis regnauit in Ieruſalem. Ambu-
lauitque non recte, & ſepelierunt eum in ciui-
tate Dauid: veruntamen non in ſepulchro re-
gum.

### CAP. XXII.

4. Reg. 8. 24.

1 CONſtituerunt autem habitatores Ieruſalem
Ochoziam filium eius minimum, regem pro
eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fue-
rant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant
in caſtra: regnauitque Ochozias filius Ioram re-
gis Iuda.
2 Quadraginta duorum annorum erat Ochozias
cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnauit in
Ieruſalem, & nomen matris eius Athalia filia
Amri.
3 Sed & ipſe ingreſſus eſt per vias domus Achab: ma-
ter enim eius impulit eum vt impie ageret.
4 Fecit igitur malum in conſpectu Domini, ſicut do-
mus Achab: ipſi enim fuerunt ei conſiliarij poſt
mortem patris ſui, in interitum eius.
5 Ambulauitque in conſilijs eorum. Et perrexit cum
Ioram filio Achab rege Iſrael in bellum contra Ha-
zael regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraue-
runtque Syri Ioram.
6 Qui reuerſus eſt vt curaretur in Iezrahel: multas
enim plagas acceperat in ſupradicto certamine.
Igitur Ochozias filius Ioram rex Iuda, deſcendit vt
viſeret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotan-
tem.
7 Voluntatis quippe fuit Dei aduerſus Ochoziam, vt
veniret ad Ioram: & cum veniſſet, & egrederetur
cum eo aduerſum Iehu filium Namſi, quem vnxit
Dominus vt deleret domum Achab.
8 Cum ergo euerteret Iehu domum Achab, inuenit
principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui mini-
ſtrabant ei, & interfecit illos.

Ip-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et fuit ad dies ex diebus, & in tempore quo egreſſus*
*eſt finis dierum annorum duorum egreſſa ſunt inte-*
*ſtina eius cum infirmitate eius, & mortuus eſt in-*
*firmitatibus malis: & non fecerunt ei populus eius*
*combuſtionem ſecundum combuſtionem patrum ſuo-*
*rum.*
20 *Triginta, & duorum annorum erat cum regnauit*
*& octo annis regnauit in Ieruſalaim: ambulauit-*
*que abſque deſiderio. Et ſepelierunt eum in ciui-*
*tate Dauid, ſed non in ſepulchris regum.*

### CAP. XXII.

1 *ET conſtituerunt regem habitatores Ieruſa-*
*laim Achaziahu filium eius minimum pro eo:*
*omnes enim priores occiderat exercitus qui venit*
*cum Harabis ad caſtra: & regnauit Achaziahu fi-*
*lius Iehoram regis Iehudah.*
2 *Quadraginta, & duorum annorum erat Acha-*
*ziahu cum regnauit, & anno vno regnauit in Ie-*
*ruſalaim: nomen autem matris eius Hathaliahu*
*filia Homri.*
3 *Etiam ipſe ambulauit in vijs domus Achab: ma-*
*ter enim eius conſuluerat ei vt impie ageret.*
4 *Et fecit malum in oculis Domini, ſicut domus A-*
*chab: ipſi enim fuerunt ei conſiliarij, poſtquam mor-*
*tuus eſt pater eius ad perditionem ei.*
5 *Etiam in conſilio eorum ambulauit. Et perrexit cum*
*Iehoram filio Achab rege Iſrael, ad bellum contra*
*Chazael regem Aram in Ramoth Gilhad: & per-*
*cuſſerunt Aramæi Iehoram.*
6 *Et reuerſus eſt, vt curaret ſe in Izrehel, quia plagæ*
*erant ei quibus percuſſerunt eum in Ramah dum pu-*
*gnaret cum Chazael rege Aram. Et Hazariahu fi-*
*lius regis Iehudah deſcendit, vt videret Iehoram fi-*
*lium Achab in Izrehel quia ægrotabat.*
7 *Et à Deo erat conculcatio Achaziahu, vt veniret*
*ad Iehoram: & cum veniſſet egreſſus eſt cum Ie-*
*horam contra Iehu filium Nemſi, quem vnxit Do-*
*minus vt ſuccideret domum Achab.*
8 *Et fuit, cum iudicium faceret cum domo Achab,*
*inuenit principes Iehudah, & filios fratrum Acha-*
*ziahu miniſtrantes ipſi Achaziahu, & interfecit illos.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et factum eſt ex diebus in dies, & quando venit tempus dierum, duos dies, exiuit venter eius cum morbo; &
mortuus eſt in languore malo. Et non fecit populus eius funus, ſicut funus patrum eius. 20 Fuit tri-
ginta & duorum annorum, quando regnauit: & octo annos regnauit in Hieruſalem. Et ambulauit non in lau-
de: & ſepultus eſt in ciuitate Dauid, & non in ſepulchris regum.

### CAP XXII.

ET regem fecerunt habitantes in Hieruſalem Ochoziam filium eius paruum pro eo: quoniam omnes ſenio-
res occiderat ſuperueniens ſuper eos agmen latronum, Arabes, & Alimazones. Et regnauit Ochozias fi-
lius Ioram regis Iuda: 2 cum eſſet annorum viginti Ochozias, regnauit: & annum vnum re-
gnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Gotholia filia Ambri. 3 Et hic ambulauit in via
domus Achaab: quoniam mater eius erat conſiliatrix peccandi. 4 Et fecit malum coram Do-
mino, ſicut domus Achaab: quoniam ipſi erant ei conſiliarij, poſtquam pater eius mortuus fuerat, ad extermi-
nandum eum. 5 Et in conſilijs eorum ambulauit. Et iuit cum Ioram filio Achaab rege Iſrael
ad bellum ſuper Azael regem Syriæ in Rhamoth Galaad. Et percuſſerunt ſagittarij Ioram:
6 & reuertit Ioram, vt curaretur in Iezrael à plagis, quibus percuſſerunt eum Syri in Rhamoth in pugnando ip-
ſum aduerſus Azael regem Syriæ. Et Ochozias filius Ioram rex Iuda deſcendit ad videndum Ioram filium A-
chaab in Iezrael, quoniam ægrotabat. 7 Et à Deo facta eſt ſubuerſio Ochoziæ, vt veniret ad Io-
ram. Et in veniendo ipſum, exijt cum eo Ioram ad Iehu filium Namesſi vnctum Domini in domum Achaab.
8 Et factum eſt, quando vlcus eſt Iehu domum Achaab, & inuenit principes Iuda, & fratres Ochoziæ mini-
ſtrantes Ochoziæ, & interfecit eos.

Et di-

## Vulgata Editio.

9 Ipſum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad ſe, occidit, & ſepelierunt eum: eo quod eſſet filius Ioſaphat, qui quæſierat Dominum in toto corde ſuo; nec erat vltra ſpes aliqua vt de ſtirpe quis regnaret Ochoziæ.

4. Reg. 11. 10 * Siquidem Athalia mater eius videns quod mortuus eſſet filius ſuus, ſurrexit, & interfecit omnem ſtirpem regiam domus Ioram.

11 Porro Ioſabeth filia regis tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata eſt eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: abſconditque eum cum nutrice ſua in cubiculo lectulorum: Ioſabeth autem, quæ abſconderat eum, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ pontificis, ſoror Ochoziæ, & idcirco Athalia non interfecit eum.

12 Fuit ergo cum eis in domo Dei abſconditus ſex annis, quibus regnauit Athalia ſuper terram.

### CAP. XXIII.

4. Reg. 11. 4. 1 ANno autem ſeptimo confortatus Ioiada, aſſumpſit centuriones Azariam videlicet filium Ieroham, & Iſmahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, & Maaſiam filium Adaiæ, & Eliſaphat filium Zechri: & iniit cum eis fœdus.

2 Qui circumeuntes Iudam congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & principes familiarum Iſrael, veneruntque in Ieruſalem.

3 Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Ioiada: Ecce filius regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid.

4 Iſte eſt ergo ſermo quem facietis:

5 Tertia pars veſtrum qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, & Leuitarum, & ianitorum erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne vero reliquum vulgus ſit in atriis domus Domini.

6 Nec quiſpiam alius ingrediatur domum Domini, niſi Sacerdotes, & qui miniſtrant de Leuitis: ipſi tantummodo ingrediantur, quia ſanctificati ſunt: & omne reliquum vulgus obſeruet cuſtodias Domini.

7 Leuitæ autem circumdent regem, habentes ſinguli arma ſua: (& ſi quis alius ingreſſus fuerit templum, interficiatur) ſintque cum rege & intrante & egrediente.

Fe-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et quæſiuit Achaziahu, & comprehendit eum, (& ipſe latebat in Samron) & adduxerunt eum ad Iehu, & interemit eum, & ſepelierunt eum: dixerunt enim filius Iehoſaphath eſt, qui quæſiuit Dominum toto corde ſuo, & non erat potentia domui Achaziahu, ad obtinendum regnum.*

10 *Hathaliahu autem mater Achaziahu vidit quod mortuus eſſet filius ſuus, & interfecit omne ſemen regium domus Iehudah.*

11 *Et accepit Iehoſabath filia regis Ioas filium Achaziahu, & furata eſt eum è medio filiorum regis qui interficiebantur, & poſuit eum & nutricem eius in cubiculo lectorum: & abſcondit eum Iehoſabath filia regis Iehoram vxor Iehoiadah ſacerdotis: (ipſa enim erat ſoror Achaziahu) à facie Hathaliahu, & non interemit eum.*

12 *Et fuit cum eis in domo Dei abſconditus ſex annis: Hathaliah autem regnabat ſuper terram.*

### CAP. XXIII.

1 *ANno autem ſeptimo confortatus eſt Iehoiadah, & aſſumpſit centuriones Hazariahu filium Ierocham, & Iſmahel filium Iehochanan, & Hazariahu filium Hobed, & Mahaſaiahu filium Hadaiahu, & Eliſaphath filium Zichri ſecum in fœdere.*

2 *Et circuierunt per Iehudah, & congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iehudah, & principes familiarum Iſrael, & venerunt in Ieruſalaim.*

3 *Et percuſſit omnis cœtus fœdus in domo Dei cum rege, dixitque ad eos: Ecce filius regis regnabit ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid.*

4 *Hoc eſt quod facietis:*

5 *Tertia pars ex vobis qui venitis ad Sabbatum eritis cum Sacerdotibus, & Leuitis, & ianitoribus liminum: & tertia pars in domo regis, & tertia pars in porta fundamenti, & omnis populus in atriis domus Domini.*

6 *Et ne ingrediantur domum Domini niſi ſacerdotes, & miniſtri de Leuitis: ipſi ingrediantur, quia ſanctitas ſunt: & omnis populus obſeruent cuſtodiam Domini.*

7 *Et circumdent Leuitæ regem vndique vnuſquiſque, & inſtrumenta ſua in manu ſua: & qui ingreſſus fuerit domum, moriatur: & eſtote cum rege, eo ingrediente, & egrediente.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et dixit quærere Ochoziam: & ceperunt eum curantem ſe in Samaria: & duxerunt eum ad Iehu: & inter-
fecit eum: & ſepelierunt eum, quoniam dixerunt: filius Ioſaphat eſt, qui exquiſiuit Dominum in toto corde
ſuo. Et non erat in domo Ochoziæ ad obtinendam virtutem pro regno. 10 Et Gotholia mater Ocho-
ziæ vidit quia mortuus eſt filius ſuus, & ſurrexit, & perdidit omne ſemen regni in domo Iuda. 11 Et
tulit Ioſabeeth filia regis ipſum Ioas filium Ochoziæ, & furata eſt eum de medio filiorum regis, qui interficie-
bantur, & dedit eum, & nutricem eius in cubiculum lectorum: & occultauit eum Ioſabeeth filia regis Ioram, ſo-
ror Ochoziæ, vxor Iodae ſacerdotis: & occultauit eum à facie Gotholiæ: & non interfecit eum. 12 Et
fuit cum eo in domo Dei abſconditus ſex annos: & Gotholia regnauit ſuper terram.

### CAP. XXIII.

ET in anno octauo confortatus eſt Iodae, & aſſumpſit centuriones, Azariam filium Ioram, & Iſmael filium Ioa-
nan, & Azariam filium Obed, & Maaſiam filium Adia, & Eliſaphan filium Zachariæ ſecum in domum Do-
mini. 2 & circumierunt Iudam, & congregauerunt Leuitas de omnibus ciuitatibus Iuda, & principes patriarũ
Iſrael, & venerunt in Hieruſalem. 3 Et diſpoſuerunt omnis eccleſia Iuda teſtamentum in domo Dei cum rege.
Et oſtendit eis filium regis, & dixit eis. Ecce filius regis regnet, ſicut locutus eſt Dñs, ſuper domũ Dauid. 4 Nũc
verbum hoc eſt, quod facietis. 5 Tertia pars ex vobis ingrediantur ſabbatum ſacerdotum, & Leuitarum, & ad
portas introituũ: & tertia pars in domo regis: & tertia in porta media: & omnis populus in atriis domus Domini.
6 Et non ingrediatur in domum Domini, niſi ſacerdotes, & Leuitæ, & miniſtrantes Leuitarum. Hi ingredientur,
quoniam ſancti ſunt: & omnis populus cuſtodiat cuſtodias Domini. 7 Et circundabunt Leuitæ regem, viri
vas, vas in manu eius: Et ingrediens in domum morietur: & erunt cum rege, egrediente, & ingrediente eo.

Et ſe-

## Vulgata Editio.

8 Fecerunt ergo Leuitæ, & vniuerſus Iuda iuxta omnia, quæ præceperat Ioiada pontifex: & aſſumpſerunt ſinguli viros qui ſub ſe erant, & veniebant per ordinem ſabbati, cum his qui impleuerant ſabbatum & egreſſuri erant; ſiquidem Ioiada pontifex non dimiſerat abire turmas, quæ ſibi per ſingulas hebdomadas ſuccedere conſueuerant.

9 Deditque Ioiada ſacerdos centurionibus lanceas, clypeoſque & peltas regis Dauid, quas conſecrauerat in domo Domini.

10 Conſtituitque omnem populum tenentium pugiones à parte templi dextra, vſque ad partem templi ſiniſtram, coram altari & templo, per circuitum regis.

11 Et eduxerunt filium regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem, & conſtituerunt eum regem: vnxit quoque illum Ioiada pontifex, & filij eius: imprecatique ſunt ei, atque dixerunt: Viuat rex.

12 Quod cum audiſſet Athalia, vocem ſcilicet currentium atque laudantium regem, ingreſſa eſt ad populum in templum Domini.

13 Cumque vidiſſet regem ſtantem ſuper gradum in introitu, & principes, turmaſque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem atque clangentem tubis, & diuerſi generis organis concinentem, vocemque laudantium, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Inſidiæ, inſidiæ.

14 Egreſſus autem Ioiada pontifex ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra ſepta templi, & interficiatur foris gladio. Præcepitque ſacerdos ne occideretur in domo Domini,

15 Et impoſuerunt ceruicibus eius manus: cumque intraſſet portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi.

16 Pepigit autem Ioiada fœdus inter ſe, vniuerſumque populum & regem, vt eſſet populus Domini.

17 Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerunt eam, & altaria ac ſimulachra illius confregerunt: Mathan quoque ſacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

18 Conſtituit autem Ioiada præpoſitos in domo Domini, ſub manibus Sacerdotum, & Leuitarum, quos diſtribuit Dauid in domo Domini: vt offerrent holocauſta Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, in gaudio & canticis, iuxta diſpoſitionem Dauid.

Con-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et fecerunt Leuitæ, & vniuerſus Iehudah, iuxta omnia quæ præcepit Iehoiadah ſacerdos: & aſſumpſerunt ſinguli viros ſuos venientes ad ſabbatum cum egredientibus à ſabbato; non enim dimiſerat Iehoiadah ſacerdos diuiſiones.*

9 *Et dedit Iehoiadah ſacerdos centurionibus lanceas, & clypeos, & peltas quæ fuerant regis Dauid, quæ erant in domo Dei.*

10 *Et conſtituit omnem populum, & ſinguli gladios habebant in manu ſua à latere domus dextero vſque ad latus domus ſiniſtrum altari, & domui, iuxta regem per circuitum.*

11 *Et eduxerunt filium regis, & poſuerunt ſuper eum diadema & teſtimonium: & regem conſtituerunt eum Iehoiadah, & filij eius, atque dixerunt: Viuat rex.*

12 *Et audiuit Hathaliahu vocem populorum currentium, & laudantium regem, & venit ad populum in domum Dei.*

13 *Et vidit, & ecce rex ſtabat ſuper gradum ſuum in introitu, & principes, & tubæ iuxta regem, & omnem populum terræ lætantem, & clangentem tubis, & cantores cum inſtrumentis muſicis, & ſcientes laudare, ſcidit Hathaliahu veſtimenta ſua, & dixit: Coniuratio, coniuratio.*

14 *Egreſſus eſt autem Iehoiadah ſacerdos ad centuriones, & præfectos exercitus, & dixit ad eos: Educite illam extra ſepta, & qui iuerit poſt eam, moriatur gladio: dixit enim ſacerdos: Non interficiatis eam in domo Domini.*

15 *Et impoſuerunt ei manus, & venit ad introitum portæ equorum domus regiæ, & interfecerunt eam ibi.*

16 *Et pepigit Iehoiadah fœdus inter ſe, & vniuerſum populum & regem, ut eſſet populus Domini.*

17 *Et ingreſſi ſunt omnis populus domum Bahal, & deſtruxerunt eam, & altaria eius, & ſimulachra eius confregerunt, & Matthan ſacerdotem Bahal.*

18 *Et poſuit Iehoiadah præpoſitos domus Domini per manum ſacerdotum Leuitarum quos diſtribuit Dauid in domo Domini ad offerendum holocauſta Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Moſeh in lætitia, & cantico iuxta manus Dauid.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

8 Et fecerunt Leuitæ, & omnis Iuda iuxta omnia, quæcumque mandauit eis Iodae ſacerdos. Et aſſumpſerunt vnuſquiſque viros ſuos, à principio ſabbati vſque ad exitum ſabbati: quoniam non dimiſerat Iodae vices.
9 Et dedit Iodae gladios, & clypeos, & arma, quæ erant regis Dauid in domo Domini: 10 & ſtatuit populum omnem, vnumquemque in armis ſuis ab humero domus dextro vſque ad humerum ſiniſtrum altaris, & domus ſuper regem in circuitu. 11 Et eduxit filium regis, & dedit ſuper eum inſigne regale, & teſtimonia: & regem fecerunt, & vnxerunt eum Iodae ſacerdos, & filij eius. Et dixerunt: Viuat rex. 12 Et audiuit Gotholia vocem populi, currentium, & confitentium, & laudantium regem. Et intrauit ad regem in domum Domini; 13 & vidit: & ecce rex ſuper ſtationem ſuam & ſuper introitum principes, & tubæ, & principes circa regem: & omnis populus terræ lætatus eſt, & clanxerunt tubis: & canentes in organis cantores, & celebrantes laudem. Et diſcidit Gotholia ſtolam ſuam, & clamauit: coniurantes coniuratis. 14 Et exiuit Iodae ſacerdos: & mandauit Iodae ſacerdos centurionibus, & ducibus virtutis, & dixit eis: Ejicite eam extra domum, & intrate poſt eam, & moriatur gladio: quoniam dixit ſacerdos, non moriatur in domo Domini.
15 Et dederunt ei ſpatium: & tranſiuit per portam equitum domus regis: & interfecerunt eam ibi.
16 Et diſpoſuit Iodae teſtamentum inter ſe, & populum, & regem, vt ſit populus Domino. 17 Et intrauit omnis populus terræ in domum Baal, & diruerunt eam, & altaria eius, & idola eius comminuerunt, & Matthan ſacerdotem Baal interfecerunt ante altaria eius. 18 Et aggreſſus eſt Iodae ſacerdos opera domus Domini per manum ſacerdotum, & Leuitarum: & ſuſcitauit vices ſacerdotum, & Leuitarum, quas diſtinxit Dauid ſuper domum Domini, & ad offerendum holocauſtomata Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi in lætitia, & in canticis per manum Dauid.

Et ſte-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

19 Conſtituit quoque ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immũdus in omni re.
20 Aſſumpſitque centuriones, & fortiſſimos viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt deſcendere regem de domo Domini & introire per medium portæ ſuperioris in domum regis, & collocauerunt eum in ſolio regali.
21 Lætatuſque eſt omnis populus terræ, & vrbs quieuit: porro Athalia interfecta eſt gladio.

### CAP. XXIIII.

4 Reg. 11. 11. & 12.

1 SEptem annorum erat Ioas cum regnare cœpiſſet: & quadraginta annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Sebia de Berſabee.
2 Fecitque quod bonum eſt coram Domino cunctis diebus Ioiadæ ſacerdotis.
3 Accepit autem Ioiada vxores duas, è quibus genuit filios & filias.
4 Poſt quæ placuit Ioas vt inſtauraret domum Domini.
5 Congregauitque Sacerdotes, & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerſo Iſrael pecuniam ad ſartatecta templi Dei veſtri, per ſingulos annos, feſtinatoque hoc facite: porro Leuitæ egere negligentius.
6 Vocauitque rex Ioiadam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, vt cogeres Leuitas inferre de Iuda & de Ieruſalem pecuniam, quæ conſtituta eſt à Moyſe ſeruo Domini, vt inferret eã omnis multitudo Iſrael in tabernaculum teſtimonij?
7 Athalia enim impiiſſima, & filij eius deſtruxerunt domum Dei, & de vniuerſis, quæ ſanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim.
8 Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam: poſueruntque eam iuxta portam domus Domini forinſecus.
9 Et prædicatum eſt in Iuda & Ieruſalem vt deferrent ſinguli pretium Domino, * quod conſtituit Moyſes ſeruus Dei ſuper omnem Iſrael in deſerto.

* Exo. 30. 12.

10 Lætatique ſunt cuncti principes, & omnis populus: & ingreſſi contulerunt in arcam, Domini, atque miſerunt ita vt impleretur.
11 Cumque tempus eſſet vt deferrent arcam coram rege per manus Leuitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur ſcriba regis & quem primus ſacerdos conſtituerat: effundebantque pecuniam quæ erat in arca: porro arcam reportabant ad locum ſuum: ſicque faciebant per ſingulos dies, & congregata eſt infinita pecunia.

Quam

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

19 *Et conſtituit ianitores ad portas domus Domini, & non ingrediebatur immundus in qualibet re.*
20 *Aſſumpſitque centuriones, & magnates, & dominãtes populo, & omnem populum terræ, & deſcendere fecerunt regem de domo Domini, & intrauerunt per medium portæ ſuperioris in domum regiam, & ſedere fecerunt regem ſuper ſolium regni.*
21 *Et læti ſunt omnis populus terræ, & vrbs quieuit: Hathaliahu autem interfecerunt gladio.*

### CAP. XXIIII.

1 *SEptem annorum erat Ioas cum regnauit, & quadraginta annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Sibiah de Beerſebah.*
2 *Et fecit Ioas rectum in oculis Domini, omnibus diebus Iehoiadah ſacerdotis.*
3 *Accepit autem Iehoiadah ei vxores duas, & genuit filios, & filias.*
4 *Et fuit, poſt hoc fuit in corde Ioas, vt innouaret domum Domini.*
5 *Et congregauit Sacerdotes & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iehudah, & congregate de vniuerſo Iſrael argentum ad roborandum domum Dei veſtri per ſingulos annos, & feſtinabitis rem, & non feſtinauerunt Leuitæ.*
6 *Et vocauit rex Iehoiadah principem, & dixit ei: Cur non quæſiſti à Leuitis, vt afferrent de Iehudah, & de Ieruſalaim munus Moſeh ſerui Dei, & à congregatione Iſrael in tabernaculum teſtimonij?*
7 *Quia Hathaliahu impia, & filij eius deſtruxerunt domum Dei, & etiam omnes ſanctificationes domus Dei fecerunt ipſi Behalim.*
8 *Et dixit rex, & fecerunt arcam vnam, & poſuerunt eam in porta domus Domini forinſecus.*
9 *Et dederunt vocem in Iehudah, & Ieruſalaim, vt afferrent Domino munus Moſeh ſerui Dei ſuper omnem Iſrael in deſerto.*
10 *Lætati ſunt omnes principes, & omnis populus, & attulerunt, & proiecerunt in arcam donec implerent.*
11 *Et erat, tempore quo afferebat arcam ad præpoſitum regis per manum Leuitarum, cum videbant quod multum eſſet argentum, ingrediebatur ſcriba regis, & præpoſitus ſacerdotis primi: & effundebant arcam, & portabant eam, & reſtituebant eam in loco ſuo: ſic fecerunt per ſingulos dies, & congregauerunt argentum in multitudinem.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

19 Et ſteterunt ianitores ſuper portas domus Domini: & non ingredietur immundus ad omnem rem.
20 Et aſſumpſit patriarchas, & potentes, & principes populi, & omnem populum terræ: & aſcendere fecerunt regem in domum Domini: & intrauit per portam interiorem in domum regis: & ſedere fecerunt regem ſuper thronum regni. 21 Et lætatus eſt omnis populus terræ: & ciuitas quieuit: & Gotholiam interfecerunt.

### CAP. XXIIII.

ERat ſeptem annorum Ioas in regnando ipſum: & quadraginta annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Sabia de Berſabee. 2 Et fecit Ioas rectum coram Domino omnibus diebus Iodae ſacerdotis.
3 Et accepit Iodae duas vxores ſibi: & genuerunt filios, & filias. 4 Et factum eſt poſt hæc, & factum eſt ſuper
cor Ioas inſtaurare domum Domini: 5 & congregauit Sacerdotes & Leuitas, & dixit eis: Exite in ciuitates
Iuda, & congregate ab omni Iſrael argentum ad confirmandam domum Domini annum per annum: & feſtinate loqui. Et non feſtinauerunt Leuitæ. 6 Et vocauit rex Ioas ipſum Iodae principem, & dixit ei: Cur non viſitaſti de Leuitis, ad inferendum à Iuda, & Hieruſalem, quod decretum fuit à Moyſe homine Dei, quia conuocauit ipſum Iſrael in tabernaculum teſtimonij? 7 Quoniam Gotholia erat iniqua, & filij eius diruerant domum
Dei. Nam & ſancta domus Domini fecerunt ipſis Baalim. 8 Et dixit rex: Fiat capſula, & ponatur in porta domus Domini forinſecus: 9 & prædicent in Iuda, & in Hieruſalem, inferre Domino, ſicut dixit Moyſes puer Dei
ſuper Iſrael in deſerto. 10 Et dederunt omnes principes, & omnis populus, & intulerunt, & immiſerunt in capſulam, quoadvſque impleta eſt. 11 Et factum eſt, vt inferebant capſulam ad præſides regis per manum Leuitarum, & vt viderunt, quia abundauit argentum; & venit ſcriba regis, & præſes ſacerdotis magni, & euacuauerunt
capſulam, & reſtituerunt in loco eius. Sic faciebant diem ex die: & congregauerunt argentum multum.



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

12 Quam dederunt rex & Ioiada his, qui præerant ope-
ribus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæ-
ſores lapidum,& artifices operum ſingulorum vt in-
ſtaurarent domum Domini: fabros quoque ferri &
æris,vt quod cadere cœperat,fulciretur.
13 Egeruntque hi qui operabantur induſtrie, & obdu-
cebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac ſu-
ſcitauerunt domum Domini in ſtatum priſtinum,
& firmiter eam ſtare fecerunt.
14 Cumque compleſſent omnia opera,detulerunt corã
rege & Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua fa-
cta ſunt vaſa templi in miniſterium, & ad holocau-
ſta,phialæ quoque,& cetera vaſa aurea & argentea:
& offerebantur holocauſta in domo Domini iugi-
ter cunctis diebus Ioiadæ.
15 Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus eſt
cum eſſet centum triginta annorum.
16 Sepelieruntque eum in ciuitate Dauid cum regi-
bus,eo quod feciſſet bonum cum Iſrael, & cum do-
mo eius.
17 Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt princi-
pes Iuda,& adorauerunt regem, qui delinitus obſe-
quijs eorum,acquieuit eis.
18 Et dereliquerunt templum Domini Dei patrũ ſuo-
rum, ſeruieruntque lucis & ſculptilibus, & facta eſt
ira contra Iudã,& Ieruſalem propter hoc peccatum.
19 Mittebatque eis prophetas vt reuerterentur ad Do-
minum,quos proteſtantes, illi audire nolebant.
20 Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioia-
dæ ſacerdotem, & ſtetit in conſpectu populi, & di-
xit eis: Hæc dicit Dominus Deus: quare tranſgredi-
mini præceptum Domini, quod vobis non proderit,
& dereliquiſtis Dominum vt derelinqueret vos?
21 Qui cõgregati aduerſus eum, miſerunt lapides iux-
ta regis imperium in atrio domus Domini.
22 Et non eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ, quam
fecerat Ioiada pater illius ſecum, * ſed interfecit fi-  * Matt. 23. 35.
lium eius. Qui cum moreretur,ait: Videat Domi-
nus,& requirat.
23 Cumque euolutus eſſet annus, aſcendit contra eum
exercitus Syriæ: venitque in Iudam & Ieruſalem,&
interfecit cunctos principes populi atque vniuerſam
prædam miſerunt regi in Damaſcum.
24 Et certe cum permodicus veniſſet numerus Sy-
rorum, tradidit Dominus in manibus eorum infini-
tam multitudinem, eo quod dereliquiſſent Domi-
num Deum patrum ſuorum: in Ioas quoque igno-
minioſa exercuere iudicia.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et dedit illud rex,& Iehoiadah facienti opus mini-
ſterij domus Domini. Et conduxerunt cæſores,& ar-
tifices ad innouandum domum Domini, & etiam fa-
bros ferri, & æris ad fortificandum domum Do-
mini.*
13 *Et fecerunt facientes opus, & obducta eſt cicatrix
operis per manum eorum,& ſtare fecerunt domum
Dei,in diſpoſitione ſua,& roborauerunt eam.*
14 *Et cum conſummaſſent, attulerunt corã rege,& Ie-
hoiadah reſiduum argenti; & fecerunt ex eo vaſa
domus Domini, vaſa miniſterij & mortaria, & co-
chlearia, & vaſa aurea, & argentea: & offerebant
holocauſta in domo Domini iugiter cunctis diebus
Iehoiadah.*
15 *Et ſenuit Iehoiadah et ſaturatus eſt dieb⁹, et mortu⁹
eſt. Filius cẽtũ & trigita annorũ erat qñ mortu⁹ ẽ.*
16 *Et ſepelierunt eum in ciuitate Dauid cum regibus,
quia fecit bonum in Iſrael cum Deo, & domo
eius.*
17 *Poſtquam autem mortuus eſt Iehoiadah venerunt
principes Iehudah, & incuruauerunt ſe regi: tunc
audiuit rex eis.*
18 *Et dereliquerunt domum Domini Dei patrum ſuo-
rum,& ſeruierunt lucis,& ſculptilibus: & fuit ira
contra Iehudah,& Ieruſalaim, pp delictũ eorũ hoc.*
19 *Et miſit ad eos prophetas,vt conuerterent eos ad Do-
minum,& teſtificati ſunt eis,& non auſcultauerũt.*
20 *Et ſpiritus Dei induit Zachariah filium Ieho-
iadah ſacerdotis, & ſtetit ſuper populum, & dixit
eis: Sic dixit Deus: Vt quid tranſgredimini man-
data Domini? & non proſperabimini: quia dereli-
quiſtis Dominum, & derelinquet vos.*
21 *Et coniurauerunt aduerſum eum,& obruerunt eum
lapidibus,iuxta præceptũ regis in atrio domus Dñi.*
22 *Et non eſt recordatus Ioas rex miſericordia quam
fecit Iehoiadah pater eius cum eo, & interfecit fi-
lium eius. Et cum moreretur, dixit: Videat Do-
minus,& requirat.*
23 *Et fuit,in reuolutione anni aſcendit contra eum exer
citus Aram: & venerunt in Iehudah,& Ieruſalaim,
& perdiderunt omnes principes populi è populo, &
omnia ſpolia eorum miſerunt ad regem Darmeſech.*
24 *Quia cum paucis viris venit exercitus Aram, &
Dominus tradidit in manu eorum exercitum in mul
titudine vehementi, quia dereliquerunt Dominum
Deum patrum ſuorum, & cum Ioas fecerunt iu-
dicia.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

12 Et dedit illud rex,& Iodae ſacerdos facientibus opera ad operationem domus Domini Et mercede conduce-
bat lapicidas,& fabros ad inſtaurandam domum Domini,& fabros ferri,& æris ad inſtaurandam domum Domini.
13 Et faciebant facientes opera: & aſcendebat longitudo operum in manibus eorum: & ſuſcitauerunt domum
Domini ſuper ſtationem eius,& confirmarunt. 14 Et,vt conſummauerunt; attulerunt ad regem,& ad Iodae
reſiduum argenti: & fecerunt vaſa ad domum Domini,vaſa miniſtratoria holocauſtomatum,& mortariola aurea,
& argentea: & obtulerunt holocauſtoſes in domo Domini perpetuo omnibus diebus Iodae. 15 Et ſenuit Io-
dae plenus dierum: & obijt,cum eſſet centum & triginta annorum in obeundo ipſum. 16 Et ſepelierunt eum
in ciuitate Dauid cum regibus: quoniam fecerat bonitatem cum Iſrael,& cum Deo,& domo eius. 17 Et factũ
eſt poſt obitum Iodae,intrarunt principes Iuda,& adorauerunt regem. Tunc exaudiuit eos rex: 18 & dereli-
querunt domum Domini Dei patrum ſuorum: & ſeruiebant Aſtartibus,& Idolis. Et facta eſt ira ſuper Iudam,&
ſuper Hieruſalem in die iſta. 19 Et miſit ad eos prophetas ad reducendum ad Dominum: & non audierunt. Et
conteſtatus eſt eis:& non obedierunt. 20 Et ſpiritus Dei induit Azariam filium Iodae ſacerdotem: & ſurrexit
ſupra populum,& dixit: Hæc dicit Dñs: Quid tranſgredimini mandata Dñi?& non proſperabimini,qñ dereliqui-
ſtis Dñm,& derelinquet vos. 21 Et irruerunt in eum,& lapidauerunt eum per mandatum Ioas regis in atrio
domus Dñi. 22 Et Ioas non eſt recordatus miſericordiæ,quam fecerat Iodae pater eius ſecum: & interfecit fi-
lium eius. Et,dum moriebatur,dixit: Videat Dñs,& iudicet. 23 Et factum eſt poſt conſummationem anni,aſcẽ-
dit ſuper eũ virtus Syriæ,& venit ſuper Iudã,& ſuper Hieruſalẽ:& corruperunt omnes principes populi in populo
& omnia ſpolia eorũ miſerunt regi Damaſci: 24 qñ in paucis viris aduenit virtus Syriæ:& Deus tradidit in ma
nus eorum virtutem multam valde:qñ dereliquerunt Dñm Deum patrum ſuorum: Et cum Ioas fecit iudicium.

Et poſt-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

25 Et abeuntes dimiſerunt eum in languoribus magnis: ſurrexerunt autem contra eum ſerui ſui in vltionem ſanguinis filij Ioiadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt: ſepelieruntque eum in ciuitate Dauid, ſed non in ſepulchris regum.

26 Inſidiati vero ſunt ei Zabad filius Semmaath Ammanitidis, & Iozabad filius Semarith Moabitidis.

27 Porro filij eius, ac ſumma pecuniæ, quæ adunata fuerat ſub eo, & inſtauratio domus Dei ſcripta ſunt diligentius in Libro regum: regnauit autem Amaſias filius eius pro eo.

### CAP. XXV.

1 Viginti quinque annorum erat Amaſias cum regnare cœpiſſet, & viginti nouem annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Ioaden de Ieruſalem.

2 Fecitque bonum in conſpectu Domini: verumtamen non in corde perfecto.

3 Cumque roboratum ſibi videret imperium, iugulauit ſeruos, qui occiderant regem patrem ſuum,

4 Sed filios eorum non interfecit ſicut ſcriptum eſt in Libro Legis Moyſi, vbi præcepit Dominus, dicens: * Non occidentur patres pro filijs, neque filij pro patribus ſuis, ſed vnuſquiſque in ſuo peccato morietur.

* Deu. 24. 16. 4. Reg. 14. 6. Ezech. 18. 20.

5 Congregauit igitur Amaſias Iudam, & conſtituit eos per familias, tribunoſque & centuriones in vniuerſo Iuda, & Beniamin: & recenſuit à viginti annis ſupra, inuenitque trecenta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent haſtam & clypeum:

6 Mercede quoque conduxit de Iſrael centum millia robuſtorum, centum talentis argenti.

7 Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael: non eſt enim Dominus cum Iſrael, & cunctis filijs Ephraim:

8 Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei quippe eſt & adiuuare, & in fugam conuertere.

9 Dixitque Amaſias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Iſrael? Et reſpondit ei homo Dei: Habet Dominus vnde tibi dare poſſit multo his plura.

Sc-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et cum abirent ab eo, dereliquerant eum in languoribus multis: & coniurauerunt contra eũ ſerui ſui propter ſanguinem filiorum Iehoiadah ſacerdotis, & occiderunt eum in lecto ſuo, & mortuus eſt, ſepelieruntque eum in ciuitate Dauid: & non ſepelierunt eum in ſepulchris regum.*

26 *Iſti ſunt autem qui coniurauerunt contra eum: Zabad filius Simhath Hammonitæ, & Iehozabad filius Simrith Moabitæ.*

27 *Et filij eius, & multitudo donorum ſuper eum, & fundamentum domus Dei: ecce ſcripta ſunt in Midras Libri regum: & regnauit Amaſiahu filius eius pro eo.*

### CAP. XXV.

1 *Viginti & quinque annorum erat quando regnauit Amaſiahu: & viginti, & nouem annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Iehoaddan de Ieruſalaim.*

2 *Fecitque rectum in oculis Domini, verumtamen non corde perfecto.*

3 *Et fuit, quum roboratum eſſet regnum ſibi, occidit ſeruos ſuos, qui percuſſerunt regem patrem ſuum.*

4 *Filios autem eorum non interimere fecit, ſicut ſcriptum eſt in Lege in Libro Moſcheh: quia præcepit Dominus dicendo: Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus, ſed vnuſquiſque propter peccatum ſuum morietur.*

5 *Et congregauit Amaſiahu Iehudah, & conſtituit eos per domum familiarum tribunos, & centuriones in omni Iehudah, & Biniamin: & recenſuit eos à filio viginti annorum & ſupra, inuenitque eos trecenta millia electorum egredientium ad pugnam tenentium haſtam, & clypeum.*

6 *Et conduxit mercede de Iſrael centum millia fortium robore, centum talentis argenti.*

7 *Vir autem Dei venit ad eum dicendo: Rex ne veniat tecum exercitus Iſrael: quia non eſt Dominus cum Iſrael, cum omnibus filijs Ephraim.*

8 *Alioquin ingredere, tu fac, roborare ad bellum: cadere faciet te Deus coram inimico: Eſt enim fortitudo in Deo ad adiuuandum, & cadere faciendum.*

9 *Dixitque Amaſiah ad hominem Dei: Et quid faciendum eſt de centum talentis quæ dedi exercitui Iſrael? Et dixit vir Dei: Eſt Domino ad dandum tibi multum valde.*

Sc-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et poſtquam ipſi abierunt ab eo, in relinquendo eum in languoribus magnis, & coniurauerunt in eum pueri eius in ſanguinibus filij Iodae ſacerdotis: & interfecerunt eum ſuper lectum eius: & mortuus eſt: & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: & non ſepelierunt eum in ſepulchro regum. 26 Et coniurantes ſuper eum, Zabed ipſius Samaath Ammanites, & Iozabed ipſius Samareth Moabites. 27 Et filij eius omnes, & acceſſerunt ei quinque. Et reliqua ecce ſcripta ſuper ſcripturam regum. Et regnauit Amaſias filius eius pro eo.

### CAP. XXV.

CVm eſſet viginti & quinque annorum, regnauit Amaſias: & viginti nouem annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Iodaen de Hieruſalem. 2 Et fecit rectum in conſpectu Domini, ſed non in corde pleno. 3 Et factum eſt, vt conſtitutum eſt regnum in manu ipſius; & interfecit pueros ſuos, qui occiderant regem patrem ipſius: 4 & filios eorum non interfecit iuxta teſtamentum legis Domini; ſicut ſcriptum eſt, quomodo mandauit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filijs: & filij non morientur pro patribus: ſed vnuſquiſque ſuo ipſius peccato morietur. 5 Et congregauit Amaſias domum Iuda, & erexit eos ſecundum domos patriarum eorum in Chiliarchos, & centuriones in omni Iuda, & Hieruſalem. Et numerauit eos à vigeſimo anno, & ſupra: & inuenit eos trecenta millia ad exeundum in prælium potentes, tenentes haſtam, & clypeũ. 6 Et mercede conduxit de Iſrael centum millia, potentes fortitudine, centum talentis argenti. 7 Et homo Dei venit ad eum, dicens: Rex non ibit tecum virtus Iſrael: quoniam non eſt Dominus cum Iſrael, omnibus filijs Ephraim: 8 quoniam ſi exiſtimaris præualere in his; & in fugam vertet te Dominus coram inimicis: quoniam eſt à Domino præualere, & in fugam verti. 9 Et dixit Amaſias homini Dei: Et quid faciam centum talenta, quæ dedi virtuti Iſrael? Et dixit homo Dei: Eſt Domino dare tibi plura his.



UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Separauit itaque Amaſias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum ſuũ: at illi contra Iudam vehementer irati, reuerſi ſunt in regionem ſuam. | 10 | 10 | *Separauit autem Amaſiahu exercitum qui venerat ad ſe de Ephraim, vt iret ad locum ſuum: & iratus eſt furor eorum valde contra Iehudah, & reuerſi ſunt ad locum ſuum in ira furoris.* |
| Porro Amaſias confidenter eduxit populum ſuum, & abijt in vallem Salinarum, percuſſitque filios Seir decem millia. | 11 | 11 | *Amaſiahu autem roboratus eſt, & eduxit populum ſuum, & abyt in vallem Salis, & percuſſit de filÿs Sehir decem millia.* |
| Et alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiuſdam petræ, præcipitaueruntque eos de ſummo in præceps, qui vniuerſi crepuerunt. | 12 | 12 | *Et decem millia viuos ceperunt filÿ Iehudah, & adduxerunt eos ad verticem petræ, & proiecerunt eos à vertice petræ, & omnes hi crepuerunt.* |
| At ille exercitus, quem remiſerat Amaſias, ne ſecum iret ad prælium, diffuſus eſt in ciuitatibus Iuda à Samaria vſque ad Bethoron, & interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. | 13 | 13 | *Filÿ autem exercitus quem remiſit Amaſiahu, ne iret ſecum ad bellum diffuſi ſunt in vrbibus Iehudah à Someron vſque ad Bethchoron, & percuſſerunt ex eis tria millia, & diripuerunt prædam multam.* |
| Amaſias vero poſt cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, ſtatuit illos in deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum. | 14 | 14 | *Et fuit, poſtquam venit Amaſiahu à cædendo Edomæos adduxit deos filiorum Sehir, & ſtatuit eos ſibi in deos & coram eis incuruauit ſe, & eis ſuffiuit.* |
| Quam ob rem iratus Dominus contra Amaſiam miſit ad illum prophetam, qui diceret ei: Cur adoraſti deos, qui non liberauerunt populum ſuum de manu tua? | 15 | 15 | *Et iratus eſt furor Domini in Amaſiahu, & miſit ad eum prophetam, & dixit ei: Vt quid quæſiſti deos populi qui non eruerunt populum ſuum è manu tua?* |
| Cumque hæc ille loqueretur, reſpondit ei: Num conſiliarius regis es? quieſce ne interficiam te. Diſcedenſque propheta, ſcio, inquit, quod cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti conſilio meo. | 16 | 16 | *Et fuit, cum loqueretur, dixit ei: Numquid conſiliarium regis poſuerunt te? ceſſa, vt quid percutient te? Et ceſſauit propheta, & dixit: Noui, quod cogitauerit Deus perdere te, quia feciſti hoc, & non audiſti conſilium meum.* |
| Igitur Amaſias rex Iuda inito peſſimo conſilio, miſit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu, regem Iſrael, dicens: Veni, videamus nos mutuo. | 17 | 17 | *Et conſiliatus eſt Amaſiahu rex Iehudah, & miſit ad Ioas filium Iehoachaz filÿ Iehu regem Iſrael, dicendo: Veni, videamus nos facie.* |
| At ille remiſit nuncios, dicens: Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem: & ecce beſtiæ quæ erant in ſilua Libani, tranſierunt, & conculcauerunt carduum. | 18 | 18 | *Et miſit Ioas rex Iſrael ad Amaſiahu regem Iehudah, dicendo: Carduus, qui eſt in Lebanon, miſit ad cedrum quæ eſt in Lebanon, dicendo: Da filiam tuam filio meo vxorem: & tranſiuit beſtia agri, quæ erat in Lebanon, & conculcauit carduum.* |
| Dixiſti: Percuſſi Edom, & idcirco erigitur cor tuũ in ſuperbiam: ſede in domo tua, cur malum aduerſum te prouocas, vt cadas, & tu, & Iuda tecum? | 19 | 19 | *Dixiſti: Ecce percuſſi Edom, & leuauit te cor tuum ad honorificandum; nunc ſede in domo tua: vt quid prouocas in malum & cadas tu, & Iehudah tecum?* |
| Noluit audire Amaſias, eo quod Domini eſſet voluntas, vt traderetur in manus hoſtium propter deos Edom. | 20 | 20 | *Et non audiuit Amaſiahu, quia à Deo erat, vt traderet eos in manu: quia quæſierunt deos Edom.* |
| Aſcendit igitur Ioas rex Iſrael, & mutuos ſibi præbuere conſpectus: Amaſias autem rex Iuda erat in Bethſames Iuda: | 21 | 21 | *Et aſcendit Ioas rex Iſrael, & viderunt ſe facie, ipſe & Amaſiahu rex Iehudah in Bethſemes, quæ erat in Iehudah.* |
| Corruitque Iuda coram Iſrael, & fugit in tabernacula ſua. | 22 | 22 | *Et caſus eſt Iehudah coram Iſrael, & fugerunt vnuſquiſque ad tabernacula ſua.* |
| Por- | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

10 Et diſtinxit Amaſias virtuti, quæ venerat ad ſe de Ephræm, abire in locum ipſorum. Et indignati ſunt valde ſuper Iudam: & reuerterunt ad locum ſuum in ira indignationis. 11 Et Amaſias confortatus eſt, & aſſumpſit populum ſuum, & iuit in vallem Salinarum: & percuſſit ibi filios Seir, decem millia. 12 Et decem millia ceperunt viuos filij Iuda, & ducebant ſuper ſummitatem præcipitij, & præcipitabant eos à ſummitate præcipitij: & omnes diſrupti ſunt. 13 Et filij virtutis, quos redire fecit Amaſias, ne irent ſecum ad bellum, & impetum fecerunt ſuper ciuitates Iuda à Samaria vſque Bæthoron: & percuſſerunt in eis tria millia: & prædati ſunt ſpolia multa. 14 Et factum eſt, poſtquam venit Amaſias percuſſa Idumæa; & attulit ad ſe deos filiorum Seir: & ſtatuit eos ſibi in Deos: & coram eis adorabat, & ipſe eis adolebat. 15 Et facta eſt ira Domini ſuper Amaſiam; & miſit ei prophetam: & dixit ei: Quid quæſiſtis Deos populi, qui non exemerunt populum ſuum de manu tua? 16 Et factum eſt, cum is loqueretur ad ipſum, & dixit ei: Numquid conſiliarium regis dedi te? Attende ne flagelleris. Et tacuit propheta, & dixit: Quoniam cognoſco, quia voluit ſuper te ad diſperdendum te, quia feciſti hoc, & non exaudiſti conſilium meum. 17 Et conſultauit Amaſias rex Iuda, & miſit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu regem Iſrael, dicens: Veni, & conſpiciamur faciebus. 18 Et miſit Ioas rex Iſrael ad Amaſiam regem Iuda, dicens: Anchuch, qui in Libano, miſit ad cedrum, quæ in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo in vxorem: & ecce venient beſtiæ agri, quæ in Libano. Et venerunt beſtiæ, & conculcarunt Anchuch. 19 Dixiſti: Ecce percuſſi Idumæã, & extollit te cor tuũ graue. Nunc ſede in domo tua: & vt quid conijcis in malum, & cades tu, & Iudas tecum? 20 Et non audiuit Amaſias: quĩ à Dño factum eſt ad tradendum eum in manus: quoniam exquiſiuit deos Idumæorum. 21 Et aſcendit Ioas rex Iſrael: & conſpecti ſunt ſibi inuicem, ipſe, & Amaſias rex Iuda in Bæthſamys, quæ eſt ipſius Iudæ. 22 Et corruit Iudas ad faciem Iſrael, & fugit vnuſquiſque in tabernaculũ ſuũ.

Et Ama-

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

23 Porro Amaſiam regem Iuda, filium Ioas filij Ioachaz, cepit Ioas rex Iſrael in Bethſames, & adduxit in Ieruſalem: deſtruxitque murum eius à porta Ephraim vſque ad portam anguli quadringentis cubitis.

24 Omne quoque aurum, & argentum, & vniuerſa vaſa, quæ reppererat in domo Dei, & apud Obededom in theſauris etiam domus regiæ, necnon & filios obſidum reduxit in Samariam.

25 Vixit autem Amaſias filius Ioas rex Iuda, poſtquam mortuus eſt Ioas filius Ioachaz rex Iſrael, quindecim annis.

26 Reliqua autem ſermonum Amaſiæ priorum & nouiſſimorum ſcripta ſunt in Libro regum Iuda & Iſrael.

27 Qui poſtquam receſſit à Domino, tetenderunt ei inſidias in Ieruſalem. Cumque fugiſſet in Lachis, miſerunt, & interfecerunt eum ibi.

28 Reportanteſque ſuper equos, ſepelierunt eum cum patribus ſuis in ciuitate Dauid.

### CAP. XXVI.

4 Reg. 14. 21.

1 Omnis autem populus Iuda filium eius Oziam annorum ſedecim, conſtituit regem pro Amaſia patre ſuo.

2 Ipſe ædificauit Ailath, & reſtituit eam ditioni Iuda, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis.

3 Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem.

4 Fecitque quod erat rectum in oculis Domini iuxta omnia, quæ fecerat Amaſias pater eius.

5 Et exquiſiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.

6 Denique egreſſus eſt, & pugnauit cõtra Philiſthijm & deſtruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murumque Azoti: ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſthijm.

7 Et adiuuit eum Deus contra Philiſthijm, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas.

8 Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ: & diuulgatum eſt nomen eius vſque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.

Ædi-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et Amaſiahu regem Iehudah filium Ioas filij Iehoachaz, cepit Ioas rex Iſrael in Bethſemes, & adduxit eum in Ieruſalaim, & rupit murum Ieruſalaim à porta Ephraim vſque ad portam anguli quadringentis cubitis.*

24 *Et omne aurum, & argentum, & omnia vaſa quæ inuenta ſunt in domo Dei apud Hobededom, & in theſauris regis, & filios nobiles reduxit in Somron.*

25 *Vixit autem Amaſiahu filius Ioas rex Iehudah poſtquam mortuus eſt Ioas filius Iehoachaz rex Iſrael quindecim annis.*

26 *Reſidua autem Amaſiahu primorum, & nouiſſimorum, nonne ecce ſcripta ſunt in Libro regum Iehudah, & Iſrael?*

27 *A tempore autem quo receſſit Amaſiahu à Domino coniurauerunt contra eum coniurationem in Ieruſalaim, & fugit in Lachis, & interfecerunt eum ibi.*

28 *Et portauerunt eum ſuper equos, & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in ciuitate Iehudah.*

### CAP. XXVI.

1 *Tulerunt autem omnis populus Iehudah Huzziahu (& ipſe erat ſexdecim annorum) & regem conſtituerunt eum pro patre ſuo Amaſiahu.*

2 *Ipſe ædificauit Eloth, & reſtituit eam ipſi Iehudah, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis.*

3 *Sexdecim annorum erat Huzziahu cum regnauit, & quinquaginta, & duobus annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Iecholiah de Ieruſalaim.*

4 *Et fecit rectum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecit Amaſiahu pater eius.*

5 *Et quæſiuit Deum in diebus Zechariahu intelligentis viſiones Dei, & in diebus quibus quæſiuit Dominum proſperari fecit eum Deus.*

6 *Et egreſſus eſt & pugnauit cum Peliſthim, & rupit murum Cath, & murum Iabnel, & murum Aſdod, & ædificauit vrbes in Aſdod & in Peliſthim.*

7 *Et adiuuit eum Deus contra Peliſthim, & contra Harabas qui habitabant in Gurbahal & Mehunim.*

8 *Et dabant Hammonitæ munus ipſi Huzziahu, & iuit nomen eius vſque ad introitum Ægypti, quia robuſtus fuit vſque in excelſum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et Amaſiam regem Iuda filium Ioas filij Ioachaz cepit Ioas rex Iſrael in Bæthſamys: & induxit eum in Hieruſalem, & deſtruxit de muro Hieruſalem a porta Ephræm vſque ad portam anguli, quadringentos cubitos: 24 & omne aurum, & argentum, & omnia vaſa inuenta in domo Domini, & apud Abdedom, & theſauros domus regis, & filios commiſſionum: & reuertit in Samariam. 25 Et vixit Amaſias filius Ioas rex Iuda, poſtquam mortuus eſt Ioas filius Ioachaz rex Iſrael, annos decem & quinque. 26 Et reliqua verba Amaſiæ prima, & vltima, nonne ecce ſcripta ſuper Librum regum Iuda, & Iſrael? 27 Et in tempore, quo receſſit Amaſias à Domino; coniurarunt ſuper eum coniurationem, & fugit è Hieruſalem in Lachis: & miſerunt poſt eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. 28 Et aſſumpſerunt eum ſuper equos & ſepelierunt eum cum patribus eius in ciuitate Dauid.

### CAP. XXVI.

ET ſumpſit omnis populus terræ Oziam (& ipſe filius ſexdecim annorum) & regnare fecerunt eum pro patre ſuo Amaſia. 2 Ipſe ædificauit Ælath: ipſe reſtituit eam Iuda; poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis. 3 Filius ſexdecim annorum regnauit Ozias: & quinquaginta & duos annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matri eius Iechelia de Hieruſalem. 4 Et fecit rectum in cõſpectu Domini iuxta omnia, quæcumque fecerat Amaſias pater eius. 5 Et fuit exquirens Dominum in diebus Zachariæ intelligentis in timore Domini: & in diebus eius quæſiuit Dominum: & proſperauit eum Dominus. 6 Et exijt, & bellauit aduerſus alienigenas: & demolitus eſt mœnia Geth, & mœnia Iabner, & mœnia Azoti: & ædificauit ciuitates Azoti, & in alienigenis. 7 Et confortauit eum Dominus ſuper alienigenas, & ſuper Arabas habitantes ſuper petram, & ſuper Minæos. 8 Et dederũt Minæi dona Oziæ: & fuit nomen eius vſque ad introitũ Ægypti: qm̃ præualuit vſque ſurſũ,



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

9 Ædificauitque Ozias turres in Ieruſalem ſuper portam anguli,& ſuper portam vallis, & reliquas in eodem muri latere,firmauitque eas.

10 Extruxit etiam turres in ſolitudine,& effodit ciſternas plurimas,eo quod haberet multa pecora tam in campeſtribus,quàm in eremi vaſtitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus,& in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus.

11 Fuit autem exercitus bellatorum eius,qui procedebant ad prælia ſub manu Iehiel ſcribæ, Maaſiæque doctoris,& ſub manu Hananiæ,qui erat de ducibus regis.

12 Omniſque numerus principum per familias virorum fortium,duorum millium ſexcentorum.

13 Et ſub eis vniuerſus exercitus trecentorum & ſeptem millium quingentorum: qui erant apti ad bella,& pro rege contra aduerſarios dimicabant.

14 Præparauit quoque eis Ozias, id eſt, cuncto exercitui,clypeos,& haſtas,& galeas,& loricas, arcuſque & fundas ad iaciendos lapides.

15 Et fecit in Ieruſalem diuerſi generis machinas quas in turribus collocauit,& in angulis murorum vt mitterent ſagittas,& ſaxa grandia: egreſſumque eſt nomen eius procul eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet illum.

16 Sed cum roboratus eſſet,eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum,& neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis.

17 Statimque ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini, octoginta viri fortiſſimi,

18 Reſtiterunt regi, atque dixerunt: Non eſt tui officij Ozia vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum,hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.

19 Iratuſque Ozias,tenens in manu thuribulum vt adoleret incenſum,minabatur Sacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini ſuper altare thymiamatis.

20 Cumque reſpexiſſet eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinato expulerunt eum. Sed & ipſe perterritus, accelerauit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini.

Fuit

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

*9 Et ædificauit Huzzijahu turres in Ieruſalaim ſuper portam anguli, & ſuper portam vallis, & ſuper angulum, & roborauit eas.*

*10 Extruxitque turres in deſerto, & fodit ciſternas multas, quia grex multus erat ei, & in campeſtribus & in planicie agricolæ, & vinitores in montibus, & in Charmel, quia diligebat terram.*

*11 Fuit autem ipſi Huzzijahu exercitus facientium bellum ingredientium ad pugnam in exercitu ſecundum numerum numeri eorum per manum Iehiel ſcribæ, & Mahaſeiahu præfecti ad manum Chananiahu de principibus regis.*

*12 Omnis numerus principum familiarum fortium viribus duum millium, & ſexcentorum.*

*13 Et ad manū eorū exercitus militiæ trecentorū milliū & ſeptē milliū, & quingentorū facientiū bellū cum fortitudine roboris, ad auxiliãdū regi cōtra inimicū.*

*14 Et præparauit Huzzijahu cuncto exercitui clypeos, & haſtas, & galeas, & loricas, & arcus, & lapides fundarum.*

*15 Et fecit in Ieruſalaim machinas arte artificis, vt eſſent in turribus, & in angulis ad iaciendum ſagittas, & lapides grandes, egreſſumq́ue eſt nomen eius procul, quia mirificauit eum Deus auxiliando, donec roboratus eſt.*

*16 Et cum roboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius, ad corrumpendum, & præuaricatus eſt contra Dominum Deum ſuum, & ingreſſus eſt templum Domini, vt ſuffiret ſuper altare ſuffimenti.*

*17 Et ingreſſus eſt poſt eum Hazariahu ſacerdos: & cum eo ſacerdotes Domini octoginta filij robuſti.*

*18 Et ſteterunt contra Huzzijahu regem, & dixerunt ei: Non eſt tuum Huzzijahu ſuffire Domino ſed ſacerdotum filiorum Aharon (qui ſanctificati ſunt) eſt ſuffire: egredere de Sanctuario, quia præuaricatus es, & non erit tibi ad gloriam à Domino Deo.*

*19 Iratuſque eſt Huzzijahu, & in manu ſua erat ſuffimentum, vt ſuffiret. Et cum iraſceretur cum Sacerdotibus lepra orta eſt in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare ſuffimenti.*

*20 Et reſpexit eum Hazariahu Sacerdos ſummus, & omnes Sacerdotes, & ecce erat leproſus in fronte ſua & feſtinare fecerunt eum inde. Et etiam ipſe feſtinauit egredi, quia percuſſit eum Dominus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et ædificauit Ozias turres in Hieruſalem, & ſuper portam anguli, & ſuper portam vallis, & ſuper angulos, &
confirmauit. 10 Et ædificauit turres in deſerto: & effodit ciſternas multas: quoniam pecora multa erant ei
in Sephelà,& in campeſtri,& vinitores in montana,& in Carmelo: quoniam agricultor erat. 11 Et fuit Oziæ
virtus faciens bellum,& egrediens in aciem ad prælium,& ingrediens in aciem ad numerum:& fuit numerus eorum per manum Iiel ſcribæ,& Maaſiæ iudicis,per manum Ananiæ vicarij regis. 12 Omnis numerus pa-
triarcharum potentium ad bellum,bis mille ſexcenti, 13 & cum eis virtus bellatrix trecenta millia,& ſep-
tem mille & quingenti. Hi facientes bellum in virtute fortitudinis ad auxiliandum regi ſuper aduerſarios.
14 Et parauit eis Ozias,omni virtute clypeos,& haſtas,& galeas,& thoraces, & arcus, & ad lapides fundas.
15 Et fecit in Hieruſalem machinas fabrefactas excogitantis,vt eſſent ſuper turres, & ſuper angulos,ad iaciendū
iaculis,& ſaxis magnis. Et auditus eſt apparatus eorum vſque longe: quia mirificatus eſt habendo auxilium, quo-
adusque confortatus eſt. 16 Et poſtquam confortatus eſt,exaltatum eſt cor eius ad corrumpendum. Et in-
iuſte fecit in Dominum Deum ſuum: & intrauit in templum Domini ad adolendum ſuper altare thymiamatis.
17 Et intrauit poſt eum Azarias ſacerdos,& cum eo ſacerdotes Domini octuaginta filij potentes: 18 & ſte-
terunt ſuper Oziam regem,& dixerunt ei: Non tibi Ozia adolere Domino,ſed ſacerdotibus filijs Aaron ſancti-
catis adolere: Egredere è ſanctuario,quoniam receſſiſti à Domino:& nō erit tibi hoc ad gloriam à Domino Deo.
19 Et indignatus eſt Ozias: & in manu eius thuribulum ad adolendum thymiama in templo. Et in iraſcendo
eum aduerſus ſacerdotes,& lepra exorta eſt in fronte eius coram ſacerdotibus in domo Domini ſuper altare thy-
miamatum. 20 Et conuertit ſe ad eum Azarias ſacerdos primus,& ſacerdotes,& ecce ipſe leproſus in fron-
te. Et feſtinare fecerunt eum inde: nam & ipſe feſtinauit exire,quia arguerat eum Dominus.

Et Ozias

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

* 4. Reg. 15. 5.

21 * Fuit igitur Ozias rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porro Ioatham filius eius rexit domum regis, & iudicabat populum terræ.
22 Reliqua autem ſermonum Oziæ priorum & nouiſſimorum ſcripſit Iſaias filius Amos, propheta.
23 Dormiuitque Ozias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro regalium ſepulchrorum, eo quod eſſet leproſus: regnauitque Ioatham filius eius pro eo.

### CAP. XXVII.

4. Reg. 15. 32.

1 VIgintiquinque annorum erat Ioatham cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Ieruſa filia Sadoc.
2 Fecitque quod rectum erat coram Domino. Iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater ſuus, excepto quod non eſt ingreſſus templum Domini, & adhuc populus delinquebat.
3 Ipſe ædificauit portam domus Domini excelſam, & in muro Ophel multa conſtruxit.
4 Vrbes quoque ædificauit in montibus Iuda, & in ſaltibus caſtella, & turres.
5 Ipſe pugnauit contra regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederuntque ei filij Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filij Ammon in anno ſecundo & tertio.
6 Corroboratuſque eſt Ioatham eo quod direxiſſet vias ſuas coram Domino Deo ſuo.
7 Reliqua autem ſermonum Ioatham, & omnes pugnæ eius, & opera, ſcripta ſunt in Libro regum Iſrael & Iuda.
8 Vigintiquinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem.
9 Dormiuitque Ioatham cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: & regnauit Achaz filius eius pro eo.

### CAP. XXVIII.

4. Reg. 16. 2.

1 VIginti annorum erat Achaz cum regnare cœpiſſet: & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem: non fecit rectum in conſpectu Domini ſicut Dauid pater eius:

Sed

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

21 *Et fuit Huzzijahu rex leproſus vſque ad diem quo mortuus eſt, & habitauit in domo libera leproſus, quia exciſus fuerat à domo Domini. Iotham autem filius eius erat ſuper domum regis, & iudicabat populum terræ.*
22 *Reſidua autem primorum, & nouiſſimorum ſcripſit Ieſahiahu filius Amos propheta.*
23 *Et dormiuit Huzzijahu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in agro ſepulchri qui erat regibus: nam dixerunt leproſus eſt: & regnauit Iotham filius eius pro eo.*

### CAP. XXVII.

1 *VIginti, & quinque annorum erat Iotham cum regnauit, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris Ieruſah filia Sadoc.*
2 *Fecitque rectum in oculis Domini iuxta omnia quæ fecit Huzzijahu pater eius: verumtamen non eſt ingreſſus in templum Domini: & adhuc populus erat corruptus.*
3 *Et ipſe ædificauit portam domus Domini excelſam, & in muro arcis ædificauit multum.*
4 *Vrbeſque ædificauit in monte Iehudah, & in ſaltibus ædificauit palatia, & turres.*
5 *Et ipſe pugnauit cum rege filiorum Hammon, & roboratus eſt ſuper eos, & dederunt ei filij Hammon anno ipſo centum talenta argenti, & decem millia choros tritici, & hordei decem millia: hoc reddiderunt ei filij Hammon, & anno ſecundo, & tertio.*
6 *Roboratuſque eſt Iotham, quia præparauit vias ſuas coram Domino Deo ſuo.*
7 *Reſidua autem Iotham, & omnia bella eius, & viæ eius, ecce ſunt ſcripta in Libro regum Iſrael, & Iehudah.*
8 *Viginti & quinque annorum erat cum regnauit, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalaim.*
9 *Dormiuitque Iotham cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid, & regnauit Achaz filius eius pro eo.*

### CAP. XXVIII.

1 *VIginti annorum erat Achaz cum regnauit, & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalaim, & non fecit rectum in oculis Domini ſicut Dauid pater eius.*

*Abijt*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

21 Et Ozias rex fuit leproſus vſque ad diem obitus ſui: & in domo Apphuſoth ſedit leproſus; quoniam abſciſſus fuerat à domo Domini. Et Ioathan filius eius ſuper regnum eius, iudicans populum terræ. 22 Et reliqua verba Oziæ prima, & nouiſſima ſcripta à Ieſſia propheta. 23 Et dormiuit Ozias cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum cum patribus eius in campo ſepulturæ regum: quoniam dixerunt, quia leproſus eſt. Et regnauit Ioathan filius eius pro eo.

### CAP. XXVII.

FIlius viginti & quinque annorum Ioatham in regnando ipſum: & ſex & decem annos regnauit in Hieruſalem: & nomen matris eius Hieruſa filia Sadoc. 2 Et fecit rectum in conſpectu Domini iuxta omnia, quæ fecerat Ozias pater eius: ſed non intrauit in templum Domini: & adhuc populus corrumpebatur. 3 Hic ædificauit portam domus Domini excelſam: & in muro Opel 4 ædificauit multa in monte Iuda, & in ſaltibus, & habitationes, & turres. 5 Hic pugnauit aduerſus regem filiorum Ammon: & præualuit ſuper eum. Et dabant ei filij Ammon & per annum centum talẽta argenti, & decem millia cororum tritici, & hordeorum decem millia. Hæc afferebat ei rex filiorum Ammon per annum in primo anno, & in ſecundo, & tertio 6 Conſortatus eſt Ioatham; quoniam parauit vias ſuas coram Domino Deo ſuo. 7 Et reliqua verba Ioatham, & bellum, & actiones eius, ecce ſcripta in Libro regum Iuda, & Iſrael. 9 Et dormiuit Ioatham cum patribus ſuis: & ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Et regnauit Achaz filius eius pro eo.

Deſunt quæ reſpondere debebãt nu. 8. repetita enim vſſa ex his quæ initio cap. ſunt.

### CAP. XXVIII.

FIlius viginti & quinque annorum erat Achaz in regnando ipſum: & ſexdecim annos regnauit in Hieruſalem & non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut Dauid pater eius:



UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

2 Sed ambulauit in vijs regum Iſrael, inſuper & ſtatuas fudit Baalim.

3 Ipſe eſt, qui adoleuit incenſum in valle Benennom, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Iſrael.

4 Sacrificabat quoque, & thymiama incendebat in excelſis & in collibus,& ſub omni ligno frondoſo.

5 Tradiditque eum Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percuſſit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio,& adduxit in Damaſcum: manibus quoque regis Iſrael traditus eſt, & percuſſus plaga grandi.

6 Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores: eo quod reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum.

7 Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maaſiam filium regis,& Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoque ſecundum à rege.

8 Ceperuntque filij Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum,& puellarum, & infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam.

9 Ea tempeſtate erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egreſſus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum veſtrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus veſtris, & occidiſtis eos atrociter, ita vt ad cœlum pertingeret veſtra crudelitas.

10 Inſuper filios Iuda & Ieruſalem vultis vobis ſubijcere in ſeruos,& ancillas, quod nequaquam facto opus eſt: peccaſtis enim ſuper hoc Domino Deo veſtro.

11 Sed audite conſilium meum, & reducite captiuos, quos adduxiſtis de fratribus veſtris, quia magnus furor Domini imminet vobis.

12 Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanan, Barachias filius Moſollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amaſa filius Adali, contra eos, qui veniebant de prælio,

13 Et dixerunt eis: Non introducetis huc captiuos, ne peccemus Domino. Quare vultis adijcere ſuper peccata noſtra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum eſt,& ira furoris Domini imminet ſuper Iſrael.

14 Dimiſeruntque viri bellatores prædam, & vniuerſa quæ ceperant coram principibus, & omni multitudine.

Ste-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Abijt per vias regum Iſrael, & etiam ſtatuas fecit ipſi Behalim.*

3 *Et ipſe ſuffiuit in valle Benhinnom, & combuſſit filios ſuos igni iuxta abominationes gentium, quas expulit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

4 *Et immolabat, & ſuffiebat in excelſis, & ſuper colles,& ſub omni ligno viridi.*

5 *Tradiditque eum Dominus Deus eius in manu regis Aram, & percuſſerunt eum, & ceperunt ex eo prædam magnam,& adduxerunt Darmeſech, & et in manu regis Iſrael traditus eſt, & percuſſit eum plaga magna.*

6 *Occidit autem Pecach filius Remaliahu in Iehudah centum & viginti millia die vno, omnes filios robuſtos, eo quod reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum.*

7 *Et occidit Zichri potens Ephraim Mahaſeiahu filium regis, & Hazrikam ducem domus, & Elkanah ſecundum à rege.*

8 *Ceperuntque filij Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, filiorum & filiarum,& ſpolia diripuerunt ab eis,& adduxerunt ſpolia in Somron.*

9 *Ibi autem erat propheta Domini Hoded nomen eius, & egreſſus eſt coram exercitu, qui veniebat in Somron, dixitque ei: Ecce propter iram Dei patrum noſtrorum contra Iehudah tradidit eos in manu veſtra,& occidiſtis eos in furore, vſque ad cœlum peruenit.*

10 *Et nunc filios Iehudah, & Ieruſalaim dicitis ſubijcere in ſeruos,& ancillas vobis: nonne vere vobiſcum ſunt delicta Domino Deo veſtro?*

11 *Et nunc audite me, & reducite captiuitatem quam captiuam duxiſtis de fratribus veſtris, quia ira furoris Domini eſt ſuper vos.*

12 *Et ſurrexerunt viri de principibus Ephraim Hazariahu filius Iehochanan, Berechiahu filius Meſillemoth & Iechizkiiahu filius Sallum, & Hamaſa filius Chadlai contra venientes è pugna,*

13 *Et dixerunt eis: Non adducetis captiuitatem huc, quia delictum contra Dominum eſt ſuper nos. Vos dicitis addere ſuper peccata noſtra, & ſuper delicta noſtra: nam magnum eſt delictum nobis, & ira furoris ſuper Iſrael.*

14 *Et reliquit exercitus captiuitatem, & prædam coram principibus & omni cœtu.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 & ambulauit ſecundum vias regum Iſrael. Etenim ſculptilia fecit, 3 & idolis eorum in Ge Benennon: & traduxit filios ſuos per ignem ſecundum abominationes gentium, quas exterminarat Dominus à facie filiorum Iſrael. 4 Et adolebat ſuper excelſa, & ſuper ſolaria,& ſub omni ligno frondoſo. 5 Et tradidit eum Dominus Deus eius per manum regis Syriæ:& percuſſit in eo,& captiuauit de eis captiuitatem multam,& adduxit in Damaſcum. Et in manus regis Iſrael tradidit eum: & percuſſit in eo plagam magnam. 6 Et interfecit Phacee filius Romeliæ rex Iſrael in Iuda in vna die centum viginti millia virorum potentium fortitudine, in relinquendo eos Dominum Deum patrum ſuorum. 7 Et interfecit Zechri potens ex Ephræm Maaſiam filium regis,& Ezrican præfectum domus eius,& Elcana vicarium regis. 8 Et captiuauerunt filij Iſrael de fratribus ſuis trecenta millia mulieres,& filios,& filias. Et ſpolia multa prædati ſunt ex eis: & attulerunt ſpolia in Samariam. 9 Et ibi propheta Domini: Obed nomen ei. Et exijt in occurſum virtutis venientium in Samariam, & dixit eis: Ecce ira Domini Dei patrum veſtrorum ſuper Iudam: & tradidit eos in manus veſtras: & interfeciſtis in eis in ira: & vſque ad cœlos peruenit. 10 Et nunc filios Iuda,& Hieruſalem vos dicitis poſſidere in ſeruos,& ſeruas. Nonne ecce ego ſum vobiſcum ad conteſtandum Domino Deo veſtro? 11 Et nunc audite me; & reſtituite captiuitatem, quam captiuaſtis de fratribus veſtris: quoniam ira furoris Domini ſuper vos. 12 Et ſurrexerunt principes de filijs Ephræm, Vdias filius Ianu, & Barachias filius Moſolamoth, & Ezecias filius Sellem,& Amaſias filius Eldai ſuper aduenientes è bello, 13 & dixerunt eis: Non introducite captiuitatem huc ad nos: quoniam ad peccandum Domino ſuper nos, vt dicitis adijcere ſuper peccata noſtra, & ſuper ignorantiam noſtram: quoniam multum eſt peccatum noſtrum,& ira furoris Domini ſuper Iſrael. 14 Et dimiſerunt bellatores captiuitatem,& ſpolia ante principes & omnem Eccleſiam.

Et ſte-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Steteruntque viri, quos ſupra memorauimus, & apprehendentes captiuos, omneſque qui nudi erant, veſtierunt de ſpolijs: cumque veſtiſſent eos, & calceaſſent, & refeciſſent cibo, ac potu, vnxiſſentque propter laborem, & adhibuiſſent eis curam: quicũque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, impoſuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho Ciuitatem palmarum ad fratres eorum, ipſique reuerſi ſunt in Samariam.
16 Tempore illo miſit rex Achaz ad regem Aſſyriorum, poſtulans auxilium.
17 Veneruntque Idumæi, & percuſſerunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam.
18 Philiſthijm quoque diffuſi ſunt per vrbes campeſtres, & ad Meridiem Iuda: ceperuntque Bethſames, & Aialon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnan, & Gamzo, cum viculis ſuis, & habitauerunt in eis.
19 Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eo quod nudaſſet eum auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum.
20 Adduxitque contra eum Thelgathphalnaſar regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtauit.
21 Igitur Achaz ſpoliata domo Domini, & domo regum, ac principum, dedit regi Aſſyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.
22 Inſuper & tempore anguſtiæ ſuæ auxit cõtemptum in Dominum, ipſe per ſe rex Achaz,
23 Immolauit dijs Damaſci victimas percuſſoribus ſuis, & dixit: Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtijs, & aderunt mihi, cum e contrario ipſi fuerint ruinæ ei, & vniuerſo Iſrael.
24 Direptis itaque Achaz omnibus vaſis domus Dei, atque confractis, clauſit ianuas templi Dei, & fecit ſibi altaria in vniuerſis angulis Ieruſalem.
25 In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum ſuorum.
26 Reliqua autem ſermonum eius, & omnium operũ ſuorum priorum, & nouiſſimorum ſcripta ſunt in Libro regum Iuda & Iſrael.
27 Dormiuitque Achaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Ieruſalem: neque enim receperunt eum in ſepulchra regum Iſrael. Regnauitq; Ezechias filius eius pro eo.

CAP.

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et ſurrexerunt viri qui nominati ſunt per nomina, & apprehenderunt captiuitatem, & omnes nudos eorum veſtierunt de ſpolijs, & veſtire fecerunt eos, calceare fecerunt eos, & comedere fecerunt eos, ac bibere fecerunt eos, vnxeruntque eos, & duxerunt eos in aſinis omnem infirmum, & adduxerunt eos Iericho ciuitatem palmarum apud fratres eorum, & reuerſi ſunt in Somron.*
16 *In tempore illo miſit rex Achaz ad reges Aſſur, vt auxiliarentur ſibi.*
17 *Et adhuc Edomæi venerunt, & percuſſerunt de Iehudah, & ceperunt captiuitatem.*
18 *Peliſtim autem diffuderunt ſe per vrbes planitiei, & ad Meridiem Iehudah: & ceperunt Bethſemes, & Aialon, & Ghederoth, & Socho, & villas eius, & Timnah, & villas eius, & Ghimzo, & villas eius, & habitauerunt ibi.*
19 *Humiliauit enim Dominus Iehudah propter Achaz regem Iehudah, quia vleiſci fecit de Iehudah, & præuaricatus eſt præuaricationem in Dominum.*
20 *Et venit contra eum Tiglathphilneeſer rex Aſſur, & obſedit eum, & non roborauit eum.*
21 *Quamuis diuiſerit Achaz domum Domini, & domum regis, & principum, & dederit regi Aſſur, & non fuit ad auxilium ſibi.*
22 *Et tempore quo erat anguſtijs affectus addidit, vt præuaricaretur in Dominum ipſe rex Achaz:*
23 *Et immolauit dijs Darmeſech percutientibus eum, & dixit: Quod dij regum Aram adiuuant eos, eis immolabo, & adiuuabunt me, & ipſi fuerunt ei ad faciendum ruere eum, & omni Iſrael.*
24 *Et congregauit Achaz omnia vaſa domus Dei, & confregit omnia vaſa domus Dei, & clauſit oſtia domus Domini, & fecit ſibi altaria in omni angulo in Ieruſalaim.*
25 *Et in ſingulis vrbibus Iehudah fecit excelſa ad ſuffiendum dijs alienis, & iraſci fecit Dominum Dei patrum ſuorum.*
26 *Reſidua autem eius & omnium viarum eius, primorum, & nouiſſimorum, ecce ſcripta ſunt in Libro regum Iehudah & Iſrael.*
27 *Et dormiuit Achaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate, in Ieruſalaim: quia non adduxerunt eum ad ſepulchra regum Iſrael. Et regnauit Iechizchijahu filius eius pro eo.*

*CAP.*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et ſurrexerunt viri inuocati in nomine, & ſuſceperunt captiuitatem, & omnes nudos veſtierunt de ſpolijs: & induerunt eos, & calceauerunt eos, & dederunt comedere, & vngi: & ſuſceperunt etiam in ſubiugalibus omnem infirmum: & collocauerunt eos in Hiericho ciuitate palmarum apud fratres eorum: & reuerterunt in Samariam.
16 In tempore illo miſit rex Achaz ad regem Aſſur ad auxiliandum ſibi & in hoc:
17 quoniam Idumæi inuaſerunt, & percuſſerunt in Iuda, & captiuarunt captiuitatem.
18 Et alienigenæ inuaſerunt ſuper ciuitates campeſtres, & ab Africo Iuda: & ceperunt Bæthſamys, & (quæ in domo Domini, & quæ in domo regis, & principum: & dederunt regi) Ailon, & Galerò, & Sochò, & pagos eius, & Thãna, & pagos eius, & Gamzo, & pagos eius: Et habitauerunt illic.
19 Quoniam humiliauit Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda: quoniam diſceſſit diſceſſione à Domino.
20 Et venit ſuper eum Thalga Phallaſar rex Aſſur, & tribulauit eum.
21 Et cepit Achaz, quæ in domo Domini, & quæ in domo regis, & principum & dedit regi Aſſur: & non ad auxilium ei fuit:
22 ſed vt ipſe tribularetur. Et adiecit recedere à Domino, & dixit rex Achaz:
23 Exquiram Deos Damaſci, qui verberant me. Et dixit: quoniam dij regis Syriæ ipſi confortant eos. Ipſis igitur ſacrificabo, & ſuſcipient me. Et ipſi fuerunt ei in ſcandalum, & omni Iſrael.
24 Et remouit Achaz vaſa domus Domini: & concidit ea: & clauſit ianuas domus Domini: & fecit ſibi altaria in omni angulo in Hieruſalem:
25 & in omni ciuitate, & ciuitate in Iuda fecit excelſa ad adolendum dijs alienis. Et irritauerunt Dominum Deum patrum ſuorum.
26 Et reliqua verba eius, & actiones eius primæ, & nouiſſimæ, ecce ſcripta in libro regum Iuda, & Iſrael.
27 Et dormiuit Achaz cum patribus ſuis: & ſepultus eſt in ciuitate Dauid: quoniam non intulerunt eum in ſepulchra regum Iſrael. Et regnauit Ezecias filius eius pro eo.

CAP.

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

### CAP. XXIX.

4 Reg. 18. 1.

1 IGitur Ezechias regnare cœpit, cum vigintiquinque eſſet annorum & vigintinouem annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Abia, filia Zachariæ.
2 Fecitque quod erat placitum in conſpectu Domini iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.
3 Ipſe anno, & menſe primo regni ſui aperuit valuas domus Domini, & inſtaurauit eas.
4 Adduxitque Sacerdotes, atque Leuitas, & congregauit eos in plateam Orientalem.
5 Dixitque ad eos: Audite me Leuitæ, & ſanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de ſanctuario.
6 Peccauerunt patres noſtri, & fecerunt malum in conſpectu Domini Dei noſtri, derelinquentes eum: auerterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum.
7 Clauſerunt oſtia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incenſumque non adoleuerunt, & holocauſta non obtulerunt in ſanctuario Deo Iſrael.
8 Concitatus eſt itaque furor Domini ſuper Iudam, & Ieruſalem, tradiditque eos in commotionem, & in interitum, & in ſibilum, ſicut ipſi cernitis oculis veſtris.
9 En, corruerunt patres noſtri gladijs, filij noſtri, & filiæ noſtræ, & coniuges captiuæ ductæ ſunt propter hoc ſcelus.
10 Nunc ergo placet mihi, vt ineamus fœdus cum Dño Deo Iſrael, & auertet à nobis furoré iræ ſuæ.
11 Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt ſtetis coram eo, & miniſtretis illi, colatiſque eum, & cremetis ei incenſum.
12 Surrexerunt ergo Leuitæ Mahath filius Amaſai, & Ioel filius Azariæ de filijs Caath: Porro de filijs Merari, Cis filius Abdi & Azarias filius Ialaleel. De filijs autem Gerſon, Ioah filius Zemma, & Eden filius Ioah.
13 At vero de filijs Eliſaphan, Samri, & Iahiel. De filijs quoque Aſaph, Zacharias, & Mathanias:
14 Necnon de filijs Heman, Iahiel, & Semei: Sed & de filijs Idithun, Semeias, & Oziel.
15 Congregaueruntque fratres ſuos, & ſanctificati ſűt, & ingreſſi ſunt iuxta mandatum regis, & imperium Domini, vt expiarent domum Dei.

Sa-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

### CAP. XXIX.

1 IEchizkiyahu regnauit cum eſſent viginti, & quinque annorum, & viginti, & nouem annis regnauit in Ieruſalaim: nomen autem matris eius Abiyah filia Zechariahu.
2 Fecitque rectum in oculis Domini iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.
3 Ipſe anno primo quo regnauit menſe primo, aperuit valuas domus Domini, & roborauit eas.
4 Adduxitque Sacerdotes, atque Leuitas, & congregauit eos ad plateam Orientalem.
5 Dixitque ad eos: Audite me Leuitæ, nunc ſanctificate vos, & ſanctificate domum Domini patrum veſtrorum, & educite immunditiam de ſanctitate.
6 Quia prævaricati ſunt patres noſtri, & fecerũt malum in oculis Domini Dei noſtri, & dereliquerunt eum: & verterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & dederunt ceruicem.
7 Et clauſerunt oſtia porticus, & extinxerunt lucernas, ſuffimentumque non ſuffierunt, & holocauſtum non obtulerunt in ſanctitate Deo Iſrael.
8 Et fuit ira Domini ſuper Iehudah, & Ieruſalaim, tradiditque eos in commotionem, in deſolationem, & in ſibilum, quemadmodum cernitis oculis veſtris.
9 Et en corruerunt patres noſtri gladio, & filij noſtri, & filiæ noſtræ, & vxores noſtræ in captiuitatem propter hoc.
10 Nunc in corde meo eſt percutere fœdus cũ Domino Deo Iſrael, & auertet à nobis iram furoris ſui.
11 Filij mei nunc ne erretis: vos enim elegit Dominus, vt ſtetis coram eo ad miniſtrandum ei, & miniſtrantes & ſuffiatis.
12 Et ſurrexerunt Leuitæ: Machath filius Hamaſai, & Ioel filius Hazariahu de filijs Chahath: Et de filijs Merari, Chis filius Habdi, & Hazariahu filius Iehalellel. Et de Gherſunitis Ioah filius Zimmah, & Heden filius Ioah.
13 Et de filijs Seleſaphan, Simri, & Iehiel. Et de filijs Aſaph, Zachariahu, & Matthaniahu:
14 Et de filijs Heman, Iechiel, & Simhi: Et de filijs Iduthun, Semahaiah & Huzziel.
15 Congregaueruntque fratres ſuos & ſanctificati ſunt, & ingreſſi ſunt iuxta mandatum regis, iuxta verba Domini ad mundandum domum Domini.

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

### CAP. XXIX.

ET Ezecias regnauit, cum eſſet viginti & quinque annorum: & viginti nouem annos regnauit in Hieruſalem:
& nomen matri eius Abia filia Zachariæ. 2 Et fecit rectum in conſpectu Domini ſecundum omnia, quæ
fecit Dauid pater eius. 3 Et factum eſt, vt ſtetit ſuper regnum ſuum, in mẽſe primo aperuit ianuas domus Do-
mini, & inſtaurauit eas. 4 Et introduxit ſacerdotes, & Leuitas: & conſtituit eos in latere, quod ad Orientem:
5 & dixit eis: Audite Leuitæ: Nunc purificamini, & purificate domum Domini Dei patrum veſtrorum: & eijci-
te immunditiam e ſanctis: 6 quoniam rebellarunt patres noſtri, & fecerunt malum ante Dominum Deũ no-
ſtrum, & dereliquerunt eum, & auerterunt faciem ſuam à tabernaculo Domini, & dederunt ceruicẽ, 7 & clau-
ſerunt ianuas templi, & extinxerunt lucernas: & thymiama non adoleuerunt, & holocauſtomata non obtulerunt
in ſancto, Deo Iſrael. 8 Et iratus eſt ira Dominus ſuper Iudam, & Hieruſalẽ, & dedit eos in ecſtaſim, & in per-
ditionem, & in ſibilum, ſicut vos videtis oculis veſtris. 9 Et ecce percuſſi ſunt patres noſtri in gladio. Et filij ve-
ſtri, & filiæ veſtræ, & vxores veſtræ in captiuitate in terra non ſua: quod & nunc eſt. 10 Pro his nunc eſt ſuper
cor diſponere teſtamentum meum, teſtamentum Domini Dei Iſrael: & auertet iram furoris ſui à nobis. 11 Et
nunc non omittatis; quoniam in vobis elegit Dominus ad ſtandum ante ſe ad miniſtrandum, & vt ſint ſibi mini-
ſtrantes & adolentes. 12 Et ſurrexerunt Leuitæ Maath filius Amaſi & Ioel filius Azariæ de filijs Caath: Et de
filijs Merari, Cis filius Abdi, & Azarias filius Ilaelel: Et de filijs Gedſoni, Iodaad filius Iemmath, & Ioadam: hi fi-
lij Ioachi: 13 Et de filijs Eliſapham, Zambri, & Ieiel: Et de filijs Aſaph Zacharias, & Matthanias: 14 Et
de filijs Heman Ieiel, & Semei: Et de filijs Idithun, Samæas, & Oziel. 15 Et congregauerunt fratres ſuos:
& purificati ſunt iuxta mandatum regis per præceptum Domini, ad mundandam domum Domini.

Et in-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

16 Sacerdotes quoque ingreſſi templum Domini, vt ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in veſtibulo domus Domini, quam tulerunt Leuitæ, & aſportauerunt ad torrentem Cedron foras.

17 Cœperunt autem prima die menſis primi mundare, & in die octauo eiuſdem menſis ingreſſi ſunt porticum templi Domini, expiaueruntque templum diebus octo, & in die ſextadecima menſis eiuſdẽ, quod cœperant impleuerunt.

18 Ingreſſi quoque ſunt ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificauimus omnem domum Domini, & altare holocauſti, vaſaque eius, necnon & mẽſam propoſitionis cum omnibus vaſis ſuis:

19 Cunctamque templi ſupellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno ſuo, poſtquã præuaricatus eſt: & ecce expoſita ſunt omnia coram altare Dñi.

20 Conſurgenſque diluculo Ezechias rex, adunauit omnes principes ciuitatis, & aſcendit in domũ Dñi:

21 Obtuleruntque ſimul tauros ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda, dixitque ſacerdotibus filijs Aaron, vt offerrent ſuper altare Domini.

22 Mactauerunt igitur tauros, & ſuſceperunt ſanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum ſuper altare, mactauerunt etiam arietes, & illorum ſanguinem ſuper altare fuderunt, immolaueruntque agnos, & fuderunt ſuper altare ſanguinem.

23 Applicuerunt hircos pro peccato coram rege, & vniuerſa multitudine, impoſueruntque manus ſuas ſuper eos:

24 Et immolauerunt illos Sacerdotes, & aſperſerunt ſanguinem eorum coram altare pro piaculo vniuerſi Iſraelis: pro omni quippe Iſrael præceperat rex, vt holocauſtum fieret, & pro peccato.

25 Conſtituit quoque Leuitas in domo Domini cum cymbalis, & pſalterijs, & citharis ſecundum diſpoſitionem Dauid regis, & Gad Videntis & Nathã prophetæ: ſiquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum eius.

26 Steteruntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & Sacerdotes tubas.

27 Et iuſſit Ezechias, vt offerrent holocauſta ſuper altare: cumque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuerſis organis, quæ Dauid rex Iſrael præparauerat, concrepare.

Om-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et ingreſſi ſunt ſacerdotes intra domum Domini ad mundandum, & eduxerunt omnem immunditiam, quam inuenerunt in templo Domini, in atrio domus Domini, & tulerunt Leuitæ, vt educerent ad torrentem Chidron foras.*

17 *Cœperunt autem in vna menſis primi ſanctificare, & die octaua menſis ingreſſi ſunt porticum Domini, & ſanctificauerunt domum Domini diebus octo, & die ſextadecima menſis primi perfecerunt.*

18 *Et ingreſſi ſunt interius ad Chizkijahu regem, & dixerunt: Mundauimus omnem domum Domini, altare holocauſti, & omnia vaſa eius, & menſam diſpoſitionis, & omnia vaſa eius.*

19 *Et omnia vaſa, quæ elongare fecerat rex Achaz in regno ſuo, dum præuaricaretur, præparata ſunt, & ſanctificata ſunt, & ecce ſunt coram altari Domini.*

20 *Et manè ſurrexit Iechizkijahu rex, & cõgregauit principes ciuitatis, & aſcendit in domum Domini.*

21 *Et adduxerunt tauros ſeptem, & arietes ſeptem, & agnos ſeptem, & hircos caprarum ſeptem pro peccato, pro regno, & pro ſanctitate, & pro Iehudah, dixitque filijs Aharon ſacerdotibus, vt efferrent ſuper altare Domini.*

22 *Et mactauerunt boues, & ſuſceperunt ſacerdotes ſanguinem, & aſperſerunt ſuper altare, & mactauerunt arietes, & aſperſerunt ſanguinem ſuper altare.*

23 *Et applicuerunt hircos pro peccato coram rege, & cœtu, impoſueruntque manus ſuas ſuper eos:*

24 *Et mactauerunt eos Sacerdotes, & expiauerunt ſanguinem eorum ſuper altare ad expiandum vniuerſum Iſrael: quia pro omni Iſrael dixit rex holocauſtum, & ſacrificium pro peccato.*

25 *Et ſtatuit Leuitas in domo Domini cum cymbalis, pſalterijs, & citharis, iuxta præceptum Dauid regis, & Ghad Videntis regis, & Nathan prophetæ: quia per manum Domini præceptum, per manum prophetarum eius.*

26 *Steteruntque Leuitæ cum inſtrumentis muſicis Dauid, & Sacerdotes cum tubis.*

27 *Et dixit Chizkijahu, vt efferrent holocauſtum ſuper altare: & in tempore quo cœpit canticum Domini, & tubæ, & per manus inſtrumentorum Dauid regis Iſrael.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

16 Et ingreſſi ſunt ſacerdotes intus in domum Domini ad purificandam: & eiecerunt omnem immunditiam
inuentam in domo Domini, & in atrium domus Domini. Et ſuſceperunt Leuitæ eijcere in torrentem Cedron
foras. 17 Et cœperunt die prima, neomenia primi menſis purificare: & die octaua menſis intrauerunt in
templum Domini: & purificauerunt domum Domini in diebus octo: & die tertiadecima menſis primi conſum-
mauerunt. 18 Et ingreſſi ſunt intus ad Ezeciam regem, & dixerunt: Purificauimus omnia, quæ in domo
Domini, altare holocauſtoſis, & vaſa eius, & menſam propoſitionis, & vaſa eius: 19 & omnia vaſa, quæ pol-
luerat rex Achaz in regno ſuo in rebellione ſua, parauimus, & purificauimus: ecce ſunt ante altare Domini.
20 Et ſurrexit mane Ezecias rex, & congregauit principes ciuitatis, & aſcendit in domum Domini, 21 &
obtulit vitulos ſeptem, arietes ſeptem, agnos ſeptem, hircos caprarum ſeptem pro peccato, pro regno, & pro ſan-
ctis, & pro Iſrael. Et dixit filijs Aaron ſacerdotibus aſcendere ſuper altare Domini. 22 Et ſacrificauerunt
vitulos: & ſuſceperunt ſacerdotes ſanguinem, & effuderunt ſuper altare. Et immolauerunt vitulos, & effundebant
ſanguinem ſuper altare. Et immolauerunt agnos, & circumfuderunt ſanguinem altari. 23 Et adduxerunt
hircos, qui pro peccato, ante regem, & Eccleſiam: & impoſuerunt manus ſuas ſuper eos. 24 Et ſacerdotes
immolauerunt eos, & expiauerunt ſanguinem eorum ad altare, & expiauerunt pro omni Iſrael: quoniam dixit
rex, pro omni Iſrael holocauſtoſis, & quæ pro peccato. 25 Et ſtatuit Leuitas in domo Domini in cymbalis,
& in nablis, & in citharis iuxta mandatum Dauid regis, & Gad, qui erat videns regi, & Nathan prophetæ: quoniã
per mandatum Domini præceptum in manu prophetarum. 26 Et ſteterunt Leuitæ in organis Dauid, &
ſacerdotes tubis. 27 Et dixit Ezecias, offerre holocauſtoſim ſuper altare. Et in incipiendo offerre holocau-
ſtoſim, cœperunt cantare Domino, & tubæ ad organa Dauid regis Iſrael.

Et vni-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

28 Omni autem turba adorante, cantores, & ij, qui tenebant tubas, erant in officio ſuo donec compleretur holocauſtum.

29 Cumque finita eſſet oblatio, incuruatus eſt rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt.

30 Præcepitque Ezechias, & principes Leuitis, vt laudarent Dominum ſermonibus Dauid, & Aſaph Videntis: qui laudauerunt eum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt.

31 Ezechias autem etiam hæc addidit: Impleſtis manus veſtras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo vniuerſa multitudo hoſtias, & laudes, & holocauſta mente deuota.

32 Porro numerus holocauſtorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit, Tauros ſeptuaginta, arietes centum, agnos ducentos.

33 Sanctificaueruntque Domino boues ſexcentos, & oues tria millia.

34 Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant ſufficere, vt pelles holocauſtorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos, donec impleretur opus, & ſanctificarentur antiſtites: Leuitæ quippe faciliori ritu ſanctificantur, quàm Sacerdotes.

35 Fuerunt ergo holocauſta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocauſtorum: & completus eſt cultus domus Domini.

36 Lætatuſque eſt Ezechias, & omnis populus eo quòd miniſterium Domini eſſet expletum. De repente quippe hoc fieri placuerat.

### CAP. XXX.

1 MIſit quoque Ezechias ad omnem Iſrael, & Iudam: ſcripſitque epiſtolas ad Ephraim, & Manaſſen, vt venirent ad domum Domini in Ieruſalē, & facerent Phaſe Domino Deo Iſrael.

2 Inito ergo conſilio regis, & principum, & vniuerſi cœtus Ieruſalem, decreuerunt, vt facerent Phaſe menſe ſecundo.

3 Non enim potuerant facere in tempore ſuo, quia ſacerdotes, qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant: & populus nondum congregatus fuerat in Ieruſalem.

4 Placuitque ſermo regi, & omni multitudini.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Et omnis cœtus adorabant, & canticum canteris, & tuba clangebant omnes donec perficeret holocauſtum.*

29 *Et cum perfeciſſent offerre, incuruauerunt ſe rex, & omnes qui inuenti ſunt cum eo, & adorauerunt.*

30 *Et dixit Iechizchijahu rex, & principes Leuitis, vt laudarent Dominum verbis Dauid, & Aſaph Videntis: & laudauerunt vſque ad lætitiam, & incuruati ſunt, & adorauerunt.*

31 *Et reſpondit Iechizchijahu, & dixit: Nunc impleſtis manum veſtram Domino, accedite, & adducite victimas, & laudes in domo Domini. Et attulerunt cœtus victimas, & laudes, & omnis voluntarius corde holocauſta.*

32 *Et fuit numerus holocauſti, quod attulerunt cœtus, boues ſeptuaginta, arietes centum, agnos ducentos in holocauſtum Domino, omnia hæc.*

33 *Et ſanctificationes, boues ſexcentos, & pecudes tria millia.*

34 *Veruntamen ſacerdotes erant pauci, & non poterant excoriare holocauſta, & iuuarunt eos fratres eorum Leuitæ donec conſumaretur opus, doneque ſanctificarent ſe ſacerdotes: Leuitæ enim erant recti corde, vt ſanctificarent ſe præ Sacerdotibus.*

35 *Et etiam holocauſtum in multitudine cum adipibus pacificorum, & libaminibus ad holocauſtum: & præparatum eſt miniſterium domus Domini.*

36 *Et lætatus eſt Iechizchijahu, & omnis populus, eo quòd præparaſſet Deus populo. Quia repentè fuit res.*

### CAP. XXX.

1 *MIſit autem Iechizchijahu ad omnem Iſrael, & Iehudah: & etiam epiſtolas ſcripſit ad Ephraim, & Menaſſeh, vt venirent ad domum Domini in Ieruſalaim, vt facerent Peſach Domino Deo Iſrael.*

2 *Et conſiliatus eſt rex, & principes eius, & omnis cœtus in Ieruſalaim, vt facerent Peſach menſe ſecundo.*

3 *Non enim poterant facere illud tempore ipſo, quia ſacerdotes non erant ſanctificati ad ſufficientiam, & populus non erat congregatus in Ieruſalaim.*

4 *Et placuit verbum in oculis regis, & in oculis omnis cœtus.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

28 Et vniuerſa eccleſia adorabat, & cantores cantantes, & tubæ clangentes; quoaduſque conſummata eſt holocauſtoſis. 29 Et vt conſummauerunt offerentes, flexit ſe rex, & omnes inuenti, & adorauerunt. 30 Et dixit Ezecias rex, & principes Leuitis laudare Dominum in ſermonibus Dauid, & Aſaph prophetæ. Et laudabāt in lætitia, & procubuerunt & adorauerunt. 31 Et reſpondit Ezecias, & dixit: Nunc impleſtis manus veſtras Domino: adducite, & afferte ſacrificia laudationis in domum Domini. Et obtulit Eccleſia ſacrificia, & laudationes in domum Domini, & omnis promptus corde holocauſtoſes. 32 Et fuit numerus holocauſtoſis, quam obtulit Eccleſia, vituli ſeptuaginta, arietes centum, agni ducenti: in holocauſtoſim Domino omnia hæc. 33 Et ſanctificati vituli ſexcenti, oues ter mille: 34 Sed ſacerdotes fuerunt pauci, & non potuerunt excoriare holocauſtoſim: & adiuuerunt eos fratres eorum Leuitæ: quoaduſque conſummatum eſt opus, & quoaduſque purificati ſunt ſacerdotes: quoniam Leuitæ prompte purificabant præ ſacerdotibus. 35 Et holocauſtoſis multa in adipibus conſummationis ipſius ſalutaris, & libaminum holocauſtoſis. Et directum eſt opus in domo Domini. 36 Et lætatus eſt Ezecias, & omnis populus, quia parauerat Deus populo. Nam ſubito factum eſt verbum.

### CAP. XXX.

ET miſit Ezecias ad omnem Iſrael, & Iuda: & epiſtolas ſcripſit ad Ephræm, & Manaſſe, vt venirent in domum Domini in Hieruſalem, ad faciendum Phaſec Domino Deo Iſrael. 2 Et conſilium inijt rex, & principes, & omnis Eccleſia in Hieruſalem facere Phaſec menſe ſecundo. 3 Non enim potuerant facere illud in tempore illo; quoniam ſacerdotes non erant ſanctificati ſufficientes: & populus non conuenerat in Hieruſalem. 4 Et placuit verbum coram rege, & coram Eccleſia.

Et ſla-

## Vulgat. Editio.

5 Et decreuerunt, vt mitterent nuncios in vniuerſum Iſrael de Berſabee vſque Dan, vt venirent, & facerent Phaſe Domino Deo Iſrael in Ieruſalem: multi enim non fecerant ſicut lege præſcriptum eſt.

6 Perrexeruntque curſores cum epiſtolis ex regis imperio, & principum eius, in vniuerſum Iſrael, & Iudam iuxta id, quod rex iuſſerat, prædicantes: Filij Iſrael reuertimini ad Dominum Deum Abraham, & Iſaac, & Iſrael: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Aſſyriorum.

7 Nolite fieri ſicut patres veſtri, & fratres qui receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, qui tradidit eos in interitum, vt ipſi cernitis.

8 Nolite indurare ceruices veſtras, ſicut patres veſtri: tradite manus Domino, & venite ad ſanctuarium eius, quod ſanctificauit in æternum: ſeruite Domino Deo patrum veſtrorum, & auertetur à vobis ira furoris eius.

9 Si enim vos reuerſi fueritis ad Dominum: fratres veſtri, & filij habebunt miſericordiam coram Dominis ſuis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc: pius enim & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non auertet faciem ſuam à vobis, ſi reuerſi fueritis ad eum.

10 Igitur curſores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem per terram Ephraim, & Manaſſe vſque ad Zabulon, illis irridentibus, & ſubſannantibus eos.

11 Attamen quidam viri ex Aſer, & Manaſſe, & Zabulon acquieſcentes conſilio, venerunt Ieruſalem.

12 In Iuda vero facta eſt manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis, & principum verbum Domini.

13 Congregatique ſunt in Ieruſalem populi multi, vt facerent ſolemnitatem azymorum in menſe ſecundo:

14 Et ſurgentes deſtruxerunt altaria, quæ erant in Ieruſalem, atque vniuerſa, in quibus, idolis adolebatur incenſum, ſubuertentes, proiecerunt in Torrentem Cedron.

15 Immolauerunt autem Phaſe quartadecima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque, atque Leuitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in domo Domini:

16 Steteruntq; in ordine ſuo iuxta diſpoſitioné, & legem Moyſi hominis Dei: Sacerdotes vero ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Leuitarum:

Eo

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Et ſtatuerunt verbum, vt tranſire facerent vocem in vniuerſum Iſrael à Beerſebah vſque Dan, vt venirent ad faciendum Peſach Domino Deo Iſrael in Ieruſalaim: quia non propter multitudinem fecerunt ſicut ſcriptum eſt.*

6 *Perrexeruntque curſores cum epiſtolis de manu eius, & principum eius in vniuerſum Iſrael, & Iehudah, & iuxta præceptum regis, dicendo: Filij Iſrael reuertimini ad Dominum Deum Abraham, Iſchac, & Iſrael: & reuertetur ad eos, qui euaſerunt vobis è manu regis Aſſur.*

7 *Et ne ſitis, ſicut patres veſtri, & fratres veſtri, qui præuaricati ſunt in Dominum Deum patrum ſuorum, & tradidit eos in deſolationem, quemadmodum cernitis.*

8 *Nunc ne induretis ceruicem veſtram, ſicut patres veſtri: date manum Domino, & venite ad ſanctuarium, quod ſanctificauit in ſæculum: & ſeruite Domino Deo veſtro, & auertetur à vobis ira furoris eius.*

9 *Quia cum reuerſi fueritis ad Dominum: fratres veſtri, & filij veſtri miſericordiam conſequentur coram eis, qui captiuos duxerunt eos, vt reuertantur ad terram hanc: quia clemens, & miſericors eſt Dominus Deus noſter, & non remouebit faciem à vobis ſi reuerſi fueritis ad Dominum.*

10 *Et curſores tranſierunt de ciuitate in ciuitatem per terram Ephraim, & Menaſſeh, vſque ad Zebulun, & irridebant eos, & ſubſannabant.*

11 *Attamẽ viri de Aſer, & Menaſſeh, & Zebulun humiliauerunt ſe, & venerunt in Ieruſalaim.*

12 *Etiam in Iehudah fuit manus Dei, vt daret eis cor vnum ad faciendum præceptum regis, & principum iuxta verbum Domini.*

13 *Congregatique ſunt in Ieruſalaim populus multus, vt facerent ſolemnitatem infermentatorum menſe ſecundo cœtus multus valdè.*

14 *Et ſurrexerunt, & remouerunt altaria, quæ erant in Ieruſalaim, & altaria ſuffimenti remouerunt, & proiecerunt in torrentem Cedron.*

16 *Et immolauerunt Peſach quartadecima menſis ſecundi. Sacerdotes, & Leuitæ, pudore erant affecti, & ſanctificauerunt ſe, & adduxerunt holocauſta in domum Domini.*

15 *Et ſteterunt in loco ſuo ſecundum morem ſuum, ſecundum legem Moſeh viri Dei: Sacerdotes ſpargebant ſanguinem de manu Leuitarum:*

Quia

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

5 Et ſtatuerunt verbum ad tranſmittendum præconium in omnem Iſrael, à Berſabee vſque Dan, vt venientes fa-
cerent Phaſee Domino Deo Iſrael in Hieruſalem: qm multitudo non fecerat ſm ſcripturam. 6 Et iuerunt cur-
ſores cum epiſtolis à rege, & principibus in omnem Iſrael, & Iudâ iuxta præceptum regis, dicentes: Filij Iſrael re-
uertite ad Dñm Deum Abraham, & Iſaac, & Iſrael: & redire facite eos, qui euaſerunt, qui relicti ſunt à manu re-
gis Aſſur. 7 Et nolite fieri ſicut patres veſtri, & fratres veſtri, qui receſſerunt à Dño Deo patrum ſuorũ: & tra-
didit eos in deſolationem, ſicut vos videtis. 8 Et nunc nolite obdurare corda veſtra, ſicut patres veſtri: date glo-
riam Domino Deo: & introite in ſanctuarium eius, quod ſanctificauit in ſæculum: & ſeruite Domino Deo veſtro:
& auertet à vobis furorem iræ. 9 Quoniam in reuertendo vos ad Dominum, fratres veſtri, & filij veſtri erunt in
miſerationibus coram omnibus, qui captiuarunt eos, & redire faciet in terram hanc: qm miſericors, & miſerator
Dominus Deus noſter: & non auertet faciem ſuam à vobis, ſi reuerterimus ad eum. 10 Et fuerunt curſores trã-
ſeuntes ciuitatem è ciuitate in monte Ephræm, & Manaſſe, & vſque Zabulon. Et fuerunt ſicut irridentes eos, &
ſubſannantes. 11 Sed viri Aſer, & de Manaſſe, & de Zabulon confuſi ſunt: & venerunt in Hieruſalem, & in Iu-
da. 12 Et facta eſt manus Domini ad dandum eis cor vnum veniendi, ad faciendum ſecundum præcepta regis,
& principum in verbo Domini. 13 Et congregati ſunt in Hieruſalem populus multus ad faciendum feſtiuita-
tem azymorum in menſe ſecundo, eccleſia multa valde. 14 Et ſurrexerunt, & diruerunt altaria, quæ in Hieru-
ſalem: & omnia, in quibus adolebant falſis, demoliti ſunt, & proiecerunt in torrentem Cedron. 15 Et immola-
uerunt Phaſee quartadecima menſis ſecundi. Et ſacerdotes, & Leuitæ confuſi ſunt, & purificauerunt, & intulerunt
holocauſtomata in domum Domini. 16 Et ſteterunt ſuper ſtationem ſuam, iuxta iudicium ſuum, iuxta man-
datum Moyſi hominis Dei. Et ſacerdotes accipiebant ſanguinem de manu Leuitarum.

Quo-

## Vulgata Editio.

17 Eo quòd multa turba ſanctificata non eſſet: & idcirco immolarent Leuitæ Phaſe his, qui non occurrerant ſanctificari Domino.

18 Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manaſſe, & Iſſachar, & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit Phaſe, non iuxta quod ſcriptum eſt: & orauit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur

19 Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum: & non imputabit eis, quòd minus ſanctificati ſunt.

20 Quem exaudiuit Dominus, & placatus eſt populo.

21 Feceruntque filij Iſrael, qui inuenti ſunt in Ieruſalem, ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per ſingulos dies: Leuitæ quoque, & Sacerdotes per organa, quæ ſuo officio congruebant.

22 Et locutus eſt Ezechias ad cor omnium Leuitarũ, qui habebant intelligentiam bonam ſuper Domino: & comederunt ſeptem diebus ſolemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum ſuorum.

23 Placuitq; vniuerſæ multitudini, vt celebrarent etiã alios dies ſeptẽ: quod & fecerunt cũ ingenti gaudio.

24 Ezechias enim rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & ſeptẽ millia ouium: principes vero dederant populo tauros mille, & oues decem millia: ſanctificata eſt ergo ſacerdotum plurima multitudo.

25 Et hilaritate perfuſa omnis turba Iuda, tam Sacerdotum, & Leuitarum, quàm vniuerſæ frequentiæ, quæ venerat ex Iſrael; proſelytorum quoque de terra Iſrael, & habitantium in Iuda.

26 Factaque eſt grandis celebritas in Ieruſalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Iſrael in ea vrbe non fuerat.

27 Surrexerunt autem Sacerdotes atque Leuitæ benedicentes populo: & exaudita eſt vox eorum: peruenitque oratio in habitaculum ſanctum cœli.

### CAP. XXXI.

1 Cumque hæc fuiſſent rite celebrata, egreſſus eſt omnis Iſrael, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulachra, ſucciderũtque lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt, non ſolum de vniuerſo Iuda, & Beniamin, ſed & de Ephraim quoque & Manaſſe, donec penitus euerterent: reuerſique ſunt omnes filij Iſrael in poſſeſſiones, & ciuitates ſuas.

Eze-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Quia multi erant in cœtu, qui non ſanctificauerant ſe, & Leuitæ erant ſuper immolatione Peſachim pro omni non mundo ad ſanctificandum Domino.*

18 *Quia multitudo populi, multitudo de Ephraim, & Menaſſeh, Iſaſchar & Zebulun non mundauerant ſe, ſed comederunt Peſach non ſecundum quod ſcriptum eſt: ſed orauit Iechizchijahu pro eis, dicendo: Dominus bonus expiabit eum,*

19 *Qui omne cor ſuum parauit ad quærendum Deum, Dominum Deum patrum ſuorum: quamquã non eſt purificatus ſecundum purificationem ſanctitatis.*

20 *Et exaudiuit Dominus Iechizchijahu, & ſanauit populum.*

21 *Feceruntque filij Iſrael, qui inuenti ſunt in Ieruſalaim ſolemnitatem infermentatorum ſeptem diebus cum lætitia magna, & laudabãt Dominum per ſingulos dies Leuitæ, & Sacerdotes cum inſtrumentis ſonoris Domino.*

22 *Locutuſque eſt Iechizchijahu ad cor omnium Leuitarum intelligentium intellectum bonum Domino, & comederunt ſolemnitatem ſeptem diebus, immolantes victimas pacificorum, & confitentes Domino Deo patrum ſuorum.*

23 *Et decreuerunt omnis cœtus facere ſeptem diebus alijs: & fecerunt ſeptem diebus cum lætitia.*

24 *Quia Chizkijahu ſeparare fecit cœtui mille tauros, & ſeptem millia ouium: principes vero ſeparauerũt cœtui tauros mille, & oues decem millia: & ſanctificauerunt ſe ſacerdotes in multitudine.*

25 *Et lætati ſunt omnis cœtus Iehudah, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis cœtus, qui venerant de Iſrael, & peregrini, qui venerant de terra Iſrael, & habitantes in Iehudah.*

26 *Et fuit lætitia magna in Ieruſalaim, quia à diebus Selomoh filij Dauid, regis Iſrael, non fuit ſimilis in Ieruſalaim.*

27 *Surrexerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, & benedixerũt populo: & exaudita eſt vox eorũ: & venit oratio eorum ad habitaculum ſanctitatis eius ad cœlũ.*

### CAP. XXXI.

1 *Et cum perfeciſſent totum hoc egreſſi ſunt omnis Iſrael, qui inuenti ſunt in vrbibus Iehudah, & fregerunt ſtatuas, & ſucciderunt lucos, & demoliti ſunt excelſa, & altaria de vniuerſo Iehudah, & Biniamin, & in Ephraim, & Menaſſeh, donec conſumerent: & reuerſique ſunt omnis filij Iſrael vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam ad vrbes ſuas.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

17 Quoniam multitudo Eccleſiæ non erat purificata; & Leuitæ fuerunt ad immolandum Phaſec omni, qui non potuerat purificari Dño. 18 Qm plurima pars populi ab Ephræm, & Manaſſe, & Iſſachar & Zabulon non purificauerunt, ſed manducauerunt Phaſec præter ſcripturam. Hoc & deprecatus eſt Ezecias pro eis, dicẽs: Dominus bonus propitietur 19 pro omni, corde dirigente ad exquirendum Dñm Deum patrum ſuorum, & non ſm purificationem ſanctorum. 20 Et exaudiuit Dominus Ezeciam, & ſanauit populum. 21 Et fecerunt filij Iſrael, qui inuenti ſunt in Hieruſalem, feſtiuitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia magna, & hymnos dicentes Domino, diem per diem: & ſacerdotes, & Leuitæ in organis Domino. 22 Et locutus eſt Ezecias ad omne cor Leuitarum, & intelligentium intellectum bonum Domino. Et conſummauerunt feſtiuitatem azymorum ſeptẽ diebus, ſacrificantes ſacrificium ſalutaris, & confitentes Dño Deo patrum ſuorum. 23 Et deliberauit Eccleſia ſimul facere ſeptem dies alios: Et fecerunt ſeptem dies in lætitia: 24 Quoniam Ezecias primitias obtulit ipſi Iuda, ipſi Eccleſiæ mille vitulos, & ſeptem mille oues: & principes obtulerunt primitias populo vitulos mille, & oues decem mille, & ſancta ſacerdotum in multitudine. 25 Et læta eſt omnis Eccleſia, ſacerdotes, & Leuitæ, & omnis Eccleſia Iuda, & qui inuenti ſunt de Hieruſalem, & proſelyti, qui venerũt de terra Iſrael, & habitantes Iuda. 26 Et facta eſt lætitia magna in Hieruſalem. A diebus Salomon filij Dauid regis Iſrael non facta eſt talis feſtiuitas in Hieruſalem. 27 Et ſurrexerunt ſacerdotes Leuitæ; & benedixerunt populum: & exaudita eſt vox eorum: & venit deprecatio eorum ad habitaculum ſanctum eius in cœlum.

### CAP. XXXI.

Et poſtquã conſummata ſunt omnia hæc, egreſſus eſt omnis Iſrael, qui inuẽti ſunt in ciuitatibus Iuda: & contriuerũt ſtatuas, & exciderũt lucos, & diruerunt excelſa: & aras de omni Iudæã, & Beniamin, & de Ephraim, & de Manaſſe vſque in finem. Et reuerterunt omnis Iſrael, vnuſquiſque ad hæreditatem ſuam, & ad ciuitates ſuas.

Et or-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

2 Ezechias aũt conſtituit turmas Sacerdotales,& Leuiticas per diuiſiones ſuas, vnumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet,quàm Leuitarum ad holocauſta,& pacifica, vt miniſtrarent. & confiterentur,canerentque in portis caſtrorum Domini.

3 Pars autem regis erat, vt de propria eius ſubſtantia offerretur holocauſtum, manè ſemper & veſperè. Sabbatis quoque & Calendis, & ſolemnitatibus cęteris,ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.

4 Præcepit etiam populo habitantium Ieruſalem, vt darent partes Sacerdotibus,& Leuitis,vt poſſent vacare legi Domini.

5 Quod cum percrebuiſſet in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Iſrael frumenti, vini, & olei, mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus,decimas obtulerunt.

6 Sed & filij Iſrael,& Iuda, qui habitabant in vrbibus Iuda,obtulerunt decimas boum,& ouium,decimaſque ſanctorum,quæ vouerant Domino Deo ſuo: atque vniuerſa portantes,fecerunt aceruos plurimos.

7 Menſe tertio cęperunt aceruorum iacere fundamẽta,& menſe ſeptimo compleuerunt eos.

8 Cumque ingreſſi fuiſſent Ezechias, & principes eius,viderunt aceruos,& benedixerunt Domino, ac populo Iſrael.

9 Interrogauitque Ezechias Sacerdotes, & Leuitas cur ita iacerent aceruі.

10 Reſpondit illi Azarias Sacerdos primus de ſtirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo ſuo: reliquiarum autem copia eſt iſta, quam cernis.

11 Præcepit igitur Ezechias, vt præpararent horrea in domo Domini. Quod cum feciſſent:

12 Intulerunt tam primitias quàm decimas, & quæcũque vouerant,fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Leuita,& Semei frater eius,ſecundus:

13 Poſt quem Iahiel,& Azarias,& Nahath,& Aſael & Ierimoth,Iozabad quoque,& Eliel,& Ieſmachias,& Mahath,& Banaias, præpoſiti ſub manibus Choneniæ,& Semei fratris eius,ex imperio Ezechiæ regis, & Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant.

14 Core vero filius Iemna Leuites, & ianitor Orientalis portæ,prępoſitus erat ijs,quę ſponte offerebãtur Dño,primitijſq; & conſecratis in Sancta ſanctorum.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Et ſtatuit Iechizchijahu diuiſiones Sacerdotum, & Leuitarum in diuiſionibus ſuis vnumquemque ſecundum miniſterium ſuum, Sacerdotes, & Leuitas ad holocauſtum, & pacifica ad miniſtrandum, & confitendum,& laudandum in portis caſtrorum Domini.*

3 *Pars autem regis, de ſubſtantia eius ad offerendum holocauſta manè,& veſperè, & holocauſta ſabbatis, & Kalendis,& ſolemnitatibus, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.*

4 *Et dixit populo habitatoribus Ieruſalaim,vt darent partem Sacerdotum,& Leuitarum,vt confortarentur in lege Domini.*

5 *Et cum multiplicata eſſet res,multiplicauerunt filij Iſrael primitias frumenti,vini,& olei, & mellis, & omnis fructus agri, & decimam omnium in multitudinem adduxerunt.*

6 *Et filij Iſrael,& Iehudah, etiam ipſi decimam boũ, & pecudum,& decimam ſanctitatum,quæ ſanctificata erant Domino Deo ſuo adduxerunt, & poſuerunt aceruatim,*

7 *In menſe tertio cęperunt aceruos fundare,& in mẽſe ſeptimo conſummauerunt.*

8 *Et venerunt Iechizchijahu, & principes, & viderunt aceruos, & benedixerunt Domino, & populo eius Iſrael.*

9 *Et inquiſiuit Iechizchijahu à Sacerdotibus, & Leuitis de aceruis*

10 *Et dixit ad eum Hazariahu Sacerdos primus de domo Sadoc,& dixit: A tempore quo inceperunt oblationes adducere ad domum Domini comedimus, & ſaturati ſumus,& ſuperfuerunt vſque ad multitudinem, quia Dominus benedixit populo ſuo: & ſupereſſe fecit multitudinem hanc.*

11 *Et dixit Iechizchijahu,vt pararent gazophilacia in domo Domini. Et parauerunt:*

12 *Et adduxerunt primitias, & decimas, & ſancta fideliter. Et ſuper ea erat dux Chananiahu Leuita,& Simhi frater eius ſecundus:*

13 *Et Iechiel,& Hazariahu,& Nathath, & Hazahel, & Ierimoth, & Ioſabad, & Eliel, Iſmachiahu, & Machath, & Benaiahu præpoſiti de manu Chananiahu, & Simhi fratris eius, ſecundum imperium Iechizchijahu regis, & Hazariahu ducis domus Dei.*

14 *Chore vero filius Imnah Leuites ianitor ad Orientẽ erat ſuper ſpontè oblata, ad dandum primitias Domini,& ſancta ſanctorum.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

2 Et ordinauit Ezecias vices ſacerdotum & Leuitarum,& vices cuiuſque iuxta ſuum miniſterium, ſacerdotibus,
& Leuitis ad holocauſtoſim,& ad ſacrificium ſalutaris,& ad laudandum,& confitendum,& miniſtrandum in portis in atrijs domus Domini.
3 Et portio regis de ſubſtantia eius ad holocauſtoſes,matutinam, & veſpertinam, & holocauſtoſes in ſabbata,& in Neomenias,& in feſtiuitates ſcriptas in lege Domini.
4 Et dixerunt populo, habitantibus in Hieruſalem, dare portionem ſacerdotum,& Leuitarum,vt confortentur in miniſteria domus Domini.
5 Et poſtquam conſtituit verbum,abundanter dedit Iſrael primitias frumenti,& vini,& olei, & mellis: & omne genimen agri,& decimas omnes in multitudine attulerunt
6 filij Iſrael,& Iuda. Et habitantes in ciuitatibus Iuda etiam ipſi attulerunt decimas vitulorum,& ouium,& decimas caprarum: & ſanctificauerunt Domino Deo ſuo. Et intulerunt,& poſuerunt aceruos aceruos.
7 In menſe tertio cęperunt aceruі fundari: & in menſe ſeptimo conſummati ſunt.
8 Et venit Ezecias,& principes,& viderunt aceruos,& benedixerunt Dominum,& populum eius Iſrael.
9 Et percunctatus eſt Ezecias ſacerdotes,& Leuitas ſuper aceruis.
10 Et dixit ad eum Azarias ſacerdos princeps in domo Sadoc, & dixit: Ex quo cœperunt primitiæ afferri in domo Domini; manducauimus,& bibimus,& reliquimus vſque ad multitudinem: quoniam Dominus benedixit populum ſuum: & reliquimus ad multitudinem hanc.
11 Et dixit Ezecias adhuc parare paſtophoria in domo Domini. Et parauerunt:
12 & attulerunt illuc primitias, & decimas in fide: & ſuper eos præſes Chonenias Leuita,& Semei frater eius ſuccedens:
13 & Iciel,& Ozias,& Naeth,& Aſael,& Ierimoth,& Iozabad,& Eliel,& Samachia,& Maath & Banaias,& filij eius conſtituti per Choneniam,& Semei fratrem eius; ſicut ordinauit Ezecias rex,& Azarias Dux domus Domini.
14 Et Core filius Iemna Leuita ianitor ad Orientem ſuper dona ad dandum primitias Domini,& ſancta ſanctorum

per

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

15 Et ſub cura eius Eden, & Beniamin, Ioſue, & Semeias, Amarias quoque & Sechenias in ciuitatibus Sacerdotum, vt fideliter diſtribuerent fratribus ſuis partes, maioribus, atque minoribus.
16 Exceptis maribus ab annis tribus, & ſupra, cunctis, qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per ſingulos dies conducebat in miniſterio, atque obſeruationibus iuxta diuiſiones ſuas:
17 Sacerdotibus per familias, & Leuitis a vigeſimo anno & ſupra, per ordines, & turmas ſuas:
18 Vniuerſæque multitudini, tam vxoribus, quàm liberis eorum vtriuſque ſexus, fideliter cibi de his, quæ ſanctificata fuerant, præbebantur.
19 Sed & filiorum Aaron per agros, & ſuburbana vrbium ſingularum diſpoſiti erant viri, qui partes diſtribuerent vniuerſo ſexui maſculino de Sacerdotibus, & Leuitis.
20 Fecit ergo Ezechias vniuerſa, quæ diximus in omni Iuda: operatuſque eſt bonum, & rectum, & verũ coram Domino Deo ſuo.
21 In vniuerſa cultura miniſterij domus Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deum ſuum in toto corde ſuo: fecitque & proſperatus eſt.

### CAP. XXXII.

4 Reg. 18. 13. Iſa. 36. a. Eccl. 48. 20

1 POſt quæ & huiuſcemodi veritatem, venit Sennacherib rex Aſſyriorum, & ingreſſus Iudam, obſedit ciuitates munitas, volens eas capere.
2 Quod cum vidiſſet Ezechias, veniſſe ſcilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ieruſalem:
3 Inito cum principibus conſilio, viriſque fortiſſimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbẽ: & hoc omnium decernente ſententia:
4 Congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum, qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Aſſyriorum, & inueniant aquarum abundantiam.
5 Ædificauit quoque agens induſtrie, omnem murũ, qui fuerat diſſipatus, & extruxit turres deſuper, & forinſecus alterum murum: inſtaurauitque Mello in ciuitate Dauid, & fecit vniuerſi generis armaturam, & clypeos:

Con-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et ad manum eius Heden, & Biniamin, & Ieſuah, & Semahiahu, Amariahu, & Sechaniahu in ciuitatibus Sacerdotum fideliter, vt darent fratribus ſuis ſecundum diuiſiones, ſicut magno ſic paruo.*
16 *Præter progeniem eorum maſculis à filio trium annorum, & ſupra omni ingredienti domum Domini, per ſingulos dies ſecundum miniſterium eorum, ſecundum obſeruationes eorum in diuiſionibus ſuis:*
17 *Et progeniem Sacerdotum per domum patrum ſuorum, & Leuitarum à filio viginti annorum, & ſupra ſecundum obſeruationes ſuas in diuiſionibus ſuis:*
18 *Et progeniem in cunctis paruulis eorum vxoribus eorum, & filijs eorum, & filiabus eorũ, omni cœtui, quia in fide eorum ſe ſanctificabant in ſanctitate.*
19 *Et filijs Aharon Sacerdotibus in agro ſuburbano vrbium eorum, in ſingulis ciuitatibus viri, qui cognominati ſunt per nomina, vt darent partes omni maſculo, tam de Sacerdotibus, & omni progeniei, quàm de Leuitis.*
20 *Et fecit ſimile Iechizchijahu in omni Iehudah: & fecit bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo ſuo.*
21 *Et in omni opere, quod cœpit in miniſterio domus Dei, & in lege, & præcepto, vt quæreret Deum ſuum toto corde ſuo: fecit, & proſperatus eſt.*

### CAP. XXXII.

1 *POſt hæc, & veritatem horum venit Sancherib rex Aſſur, & ingreſſus eſt Iehudah, & caſtrametatus eſt contra ciuitates munitas, & dixit, vt diuideret eas ad ſe.*
2 *Et vidit Iechizchijahu, quòd venit Sancherib, & quòd facies eius eſſet ad bellum contra Ieruſalaim:*
3 *Et conſuluit cum principibus ſuis, & potentibus ſuis, vt obturarent aquas fontium, qui erant extra ciuitatem: & adiuuerunt eum.*
4 *Et congregati ſunt populus multus, & clauſerunt omnes fontes, & torrentem inundantem in medio terræ, dicendo: Vt quid venient reges Aſſur, & inuenient aquas multas.*
5 *Et confortatus eſt, & ædificauit omnem murum diruptum, & reparauit turres, & forinſecus murum altum: & roborauit Millo vrbem Dauid, & fecit gladios in multitudinem, & clypeos:*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 per manum Odom, & Beniamin, & Ieſus, & Semei, & Amarias, & Sechonias per manum ſacerdotum in fide ad dandum fratribus ſuis ſecundum vices, iuxta magnum, & paruum. 16 (præter fœturam maſculinorum à triennio, & ſupra) omni ingredienti in domum Domini, in verbo dierum in die ad miniſterium vicibus ordinationis ſuæ. 17 Hæc diſtributio ſacerdotum ſecundum domos patriarum: & Leuitæ in vicibus ſuis à vigeſimo anno, & ſupra in ordinatione, 18 ad diſtribuendum in omni fœtura filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, in omnem multitudinem: quoniam in fide purificauerant ſanctum. 19 Filij Aaron fungentibus ſacerdotio, & qui de ciuitatibus eorum in omni ciuitate, & ciuitate, viri, qui nominati ſunt in nomine, ad dandum partem omni maſculino in ſacerdotibus, & omni adnumerato in Leuitis.
20 Et fecit ſic Ezecias in omni Iuda, & fecit bonum & rectum coram Domino Deo ſuo. 21 Et in omni opere, quod cœpit in opificio in domo Domini, & in lege, & in præceptis exquiſiuit Deum ſuum ex tota anima ſua: & fecit, & proſperatus eſt.

### CAP. XXXII.

ET poſt verba hæc, & veritatem hanc venit Sennacherim rex Aſſyriorum: & venit ſuper Iudam: & caſtrametatus eſt ſuper ciuitates muratas: & dixit capi eas. 2 Et vidit Ezecias, quia venit Sennacherim, & facies eius ad bellandum ſuper Hieruſalem. 3 Et inijt conſilium cum ſenioribus ſuis, & potentibus, obſtruere aquas fontium, quæ erant extra ciuitatem: & ſimul confortauerunt eum. 4 Et congregauit populum multum, & obſtruxit aquas fontium, & flumen diſtinguentem per ciuitatem, dicens: Ne veniat rex Aſſur, & inueniat aquam multam, & confortetur. 5 Et confortatus eſt Ezecias, & ædificauit omnem murum dirutum, & turres, & foris antemurale aliud: & firmauit plenitudinem ciuitatis Dauid, & apparauit arma multa.

Et po-

UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

6 Conſtituitque principes bellatorum in exercitu: & conuocauit vniuerſos in platea portæ ciuitatis, ac locutus eſt ad cor eorum, dicens:

7 Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ eſt cum eo: multo enim plures nobiſcũ ſunt, quam cum illo.

8 Cum illo enim eſt brachium carneum: nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis. Confortatuſque eſt populus huiuſcemodi verbis Ezechiæ regis Iuda.

9 Quæ poſtquam geſta ſunt, miſit Sennacherib rex Aſſyriorum ſeruos ſuos in Ieruſalem (ipſe enim cum vniuerſo exercitu obſidebat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda, & ad omnem populum, qui erat in vrbe, dicens:

10 Hæc dicit Sennacherib rex Aſſyriorum: In quo habentes fiduciam ſedetis obſeſſi in Ieruſalem?

11 Num Ezechias decipit vos, vt tradat morti in fame, & ſiti, affirmans, quod Dominus Deus veſter liberet vos de manu regis Aſſyriorum?

12 Numquid non iſte eſt Ezechias, qui deſtruxit excelſa illius, & altaria, & præcepit Iuda, & Ieruſalem, dicens: Coram altari vno adorabitis, & in ipſo comburetis incenſum?

13 An ignoratis, quæ ego fecerim, & patres mei cunctis terrarum populis? numquid præualuerunt dij gentium, omniumque terrarum liberare regionem ſuam de manu mea?

14 Quis eſt de vniuerſis dijs gentium, quas vaſtauerũt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea, vt poſſit etiam Deus veſter eruere vos de hac manu?

15 Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana perſuaſione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium, atque regnorum liberare populum ſuum de manu mea, & de manu patrum meorum, conſequenter nec Deus veſter poterit eruere vos de manu mea.

16 Sed & alia multa locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam ſeruum eius.

17 Epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſrael, & locutus eſt aduerſus eum: Sicut dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu mea, & ſic Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta.

In-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

6 *Et poſuit principes bellorum ſuper populum: & congregauit eos ad ſe, ad plateam portæ ciuitatis, & locutus eſt ad cor eorum, dicendo:*

7 *Confortamini, & roboremini: ne timeatis, & ne paueatis à facie regis Aſſur, & à facie vniuerſæ multitudinis, quæ eſt cum eo: quia nobiſcum plures ſũt, quam cum illo.*

8 *Cum ipſo eſt brachium carnis: nobiſcum verò eſt Dominus Deus noſter, vt adiuuet nos, & pugnet bella noſtra. Et confirmauit ſe populus propter verba Iechizkijahu regis Iehudah.*

9 *Poſt hæc miſit Sancherib rex Aſſur ſeruos in Ieruſalaim, (& ipſe erat contra Lachis, & omnis poteſtas eius erat cum illo) ad Iechizkijahu regem Iehudah, & ad omnem Iehudah, qui erat in Ieruſalaim, dicendo:*

10 *Sic dixit Sancherib rex Aſſur: Cui fiditis, & manetis in obſidione in Ieruſalaim?*

11 *Nonne Iechizkijahu ſeducit vos, vt tradat vos ad moriendum fame, & ſiti, dicendo: Dominus Deus noſter eruet nos è manu regis Aſſur?*

12 *Nonne ipſe Iechizkijahu remouit excelſa eius, & altaria eius, & dixit ipſi Iehudah, & Ieruſalaim, dicendo: Coram altari vno adorabitis, & ſuper illud ſuffitis?*

13 *Nonne cognoſcitis quid feci ego, & patres mei omnibus populis terrarum? numquid potentes potuerunt dij gentium terrarum eruere terram ſuam è manu mea?*

14 *Quis fuit inter vniuerſos deos gentium iſtarum, quas occiderunt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuũ è manu mea, vt poſſit Deus veſter eruere vos è manu mea?*

15 *Et nunc ne ſeducat vos Chizkijahu, & ne perſuadeat vobis ſimile, & ne credatis ei. Si non potuit omnis Deus, omnis gens, & regnum eruere populum ſuum è manu mea, & è manu patrum meorum, quanto magis Deus veſter non eruet vos è manu mea.*

16 *Et adhuc locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Deum, & contra Iechizkijahu ſeruum eius.*

17 *Et epiſtolas ſcripſit probris afficiendo Dominum Deum Iſrael & dicendo contra eum, dicendo: Sicut dij gentium terrarum, qui non eruerunt populum ſuum è manu mea ſic non eruet Deus Iechizkijahu populum ſuum è manu mea.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et poſuit principes belli ſuper populum, & congregati ſunt ad eum ſuper plateam portæ vallis, & locutus eſt ad cor eorum, dicens: 7 Confortamini, & viriliter agite, & ne timeatis, neque paueatis à facie regis Aſſur, & à facie vniuerſæ gentis, quæ cum eo: quoniam nobiſcum plures, quam cum eo. 8 Cum eo brachia carnea: nobiſcum autem Dominus Deus noſter ad ſaluandum, & præliandum prælium noſtrum. Et fiduciam cepit populus ſuper verba Ezeciæ regis Iuda. 9 Et poſt hæc miſit Sennacherim rex Aſſyriorum pueros ſuos ſuper Hieruſalem: & ipſe ſuper Lachis, & omnis exercitus cum eo. Et miſit ad Ezeciam regem Iuda & ad omnem Iuda, qui in Hieruſalem, dicens: 10 Sic dicit Sennacherim rex Aſſyriorum: Super quo vos confiſi eſtis, & ſedebitis in obſidione in Hieruſalem? 11 Nonne Ezecias decipit vos ad tradendum vos in mortem, & in famem, & in ſitim, dicens: Dominus Deus noſter ſaluabit nos de manu regis Aſſur? 12 Nonne hic eſt Ezecias, qui circumabſtulit altaria eius, & excelſa eius, & dixit ipſi Iuda, & habitantibus in Hieruſalem, dicens: ante altare hoc adorabitis, & in eo adolebitis? 13 Nonne cognoſcetis, quicquid feci ego, & patres mei omnibus populis regionum? Nunquid valentes valuerunt dij gentium omnis terræ ſaluare populum ſuum de manu mea? 14 Quis in omnibus dijs gẽtium harum, quas exterminatunt patres mei? Nunquid potuerunt ſaluare populum ſuum de manu mea, quia poterit Deus veſter ſaluare vos de manu mea? 15 Nunc igitur ne decipiat vos Ezecias, & ne confidere vos faciat ſecundum hæc, & ne credatis ei: quia non poterit Deus omnis gentis, & regni ſaluare populum ſuum de manu mea, & de manu patrum meorum: quia Deus veſter non ſaluabit vos de manu mea. 16 Et adhuc locuti ſunt pueri eius ſuper Dominum Deum, & ſuper Ezeciam puerum eius. 17 Et librum ſcripſit ad exprobrandum Dominum Deum Iſrael, & dixit de eo, dicens: Sicut dij gentium terræ non eruerunt populos ſuos de manu mea; ſic non eruet Deus Ezeciæ populum ſuum de manu mea.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

18 Inſuper & clamore magno, lingua Iudaica contra populum, qui ſedebat in muris Ieruſalem, perſonabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatem.

19 Locutuſque eſt contra Deum Ieruſalem, ſicut aduerſum Deos populorum terræ, opera manuum hominum.

20 Orauerunt igitur Ezechias rex, & Iſaias filius Amos prophetes, aduerſum hanc blaſphemiam, ac vociferati ſunt vſque in cælum.

21 *Et miſit Dominus Angelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum, & bellatorem, & principem exercitus regis Aſſyriorum: Reuerſuſque eſt cum ignominia in terram ſuam. Cumque ingreſſus eſſet domum Dei ſui, filij qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio.

* Tob. 1, 21.

22 Saluauitque Dominus Ezechiam, & habitatores Ieruſalem de manu Sennacherib regis Aſſyriorum, & de manu omnium, & præſtitit eis quietem per circuitum.

23 Multi etiam deferebant hoſtias, & ſacrificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ regi Iuda: qui exaltatus eſt poſt hæc coram cunctis gentibus.

24 * In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuitque eum, & dedit ei ſignum.

* 4. Reg. 20. 1. Iſa. 38. 1.

25 Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum eſt cor eius: & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, & Ieruſalem.

26 Humiliatuſque eſt poſtea eo quod exaltatum fuiſſet cor eius, tam ipſe, quàm habitatores Ieruſalem: & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ.

27 Fuit autem Ezechias diues, & inclytus valde, & theſauros ſibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum vniuerſi generis, & vaſorum magni pretij.

28 Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium iumentorum, caulaſque pecorum:

29 Et vrbes ædificauit ſibi: habebat quippe greges ouium, & armentorum innumerabiles, eo quod dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis.

30 Ipſe eſt Ezechias, qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem Vrbis Dauid: in omnibus operibus ſuis fecit proſpere, quæ voluit.

Atta-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

18 *Et clamauerunt voce magna Iehudaice contra populum, qui erat ſuper murum, vt timerent, & terrerent eos, vt caperent ciuitatem.*

19 *Et locuti ſunt contra Deum Iſrael, ſicut contra Deos populorum terra opus manuum hominis.*

20 *Et orauit Iechizchijahu rex, & Ieſahaiahu filius Amos propheta contra hoc, & vociferati ſunt ad cælum.*

21 *Et miſit Dominus Angelum, & excidit omnem potentem exercitus, & ducem, & principem in caſtris regis Aſſur. Reuerſuſque eſt cum rubore vultus in terram ſuam. Et ingreſſus eſt domum Dei ſui, & egreſſi è viſceribus eius ibi interemerunt eum gladio.*

22 *Seruauitque Dominus Iechizchijahu, & habitatores Ieruſalaim è manu Sancherib regis Aſſur, & è manu omnium, & portauit eos, vt non timerent ab ijs qui erant in circuitu.*

23 *Et multi afferebant munera Domino in Ieruſalaim, & pretioſa Chizchijahu regi Iehudah: & exaltatus eſt in oculis omnium gentium poſt hæc.*

24 *In diebus illis ægrotauit Chizchijahu vſque ad mortem, & orauit ad Dominum: & dixit ei, & portentum dedit ei.*

25 *Et non ſecundum retributionem ſibi factam, reddidit Iechizchijahu, quia eleuatum eſt cor eius: & fuit contra eum ira, & contra Iehudah, & Ieruſalaim.*

26 *Et humiliauit ſe Iechizchijahu ab elatione cordis ſui, ipſe, & habitatores Ieruſalaim: & non venit ſuper eos ira Domini in diebus Iechizchijahu.*

27 *Et fuerunt ipſi Iechizchijahu diuitiæ, & gloria multa valdè, & theſauros fecit ſibi argenti, & auri, & lapidum precioſorum, & aromatum, & clypeorum, & omnium vaſorum concupiſcibilium.*

28 *Et apothecas ſructus frumenti, & vini, & olei, & præſepia ſingulis iumentis, & gregibus præſepia.*

29 *Et vrbes fecit ſibi: & greges pecudum, & boues in multitudinem, dedit enim ei Deus ſubſtantiã multam valdè.*

30 *Et ipſe Iechizchijahu obturauit exitum aquarum Gichon ſuperiorem, & direxit eas ſubter ad Occidentem vrbis Dauid: & proſperatus eſt Chizchijahu in omni opere ſuo.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

18 Et clamauit voce magna Iudaice ad populum Hieruſalem, qui ſuper murum ad auxiliandum ipſis, & deijciendum, vt capiant ciuitatem.
19 Et locutus eſt ſuper Deum Hieruſalem, ſicut & ſuper Deos populorum terræ opera manuum hominum.
20 Et deprecatus eſt Ezecias rex, & Eſaias filius Amos propheta pro his: & clamauerunt in cælum.
21 Et miſit Dominus Angelum, & attriuit omnem potentem, & bellatorem, & principem, & ducem in caſtris regis Aſſur. Et reuertit cum confuſione faciei in terram ſuam: & venit in domum Dei ſui. Et de ijs, qui exierant de ventre eius, deiecerunt eum in gladio.
22 Et ſaluauit Dominus Ezeciam, & habitantes in Hieruſalem de manu Sennacherim regis Aſſur, & de manu omnium: & requiem dedit eis in circuitu.
23 Et multi afferebant dona Domino in Hieruſalem, & munera Ezeciæ regi Iuda. Et exaltatus eſt ad oculos omnium gentium poſt hæc.
24 In diebus illis ægrotauit Ezecias vſque ad mortem, & deprecatus eſt ad Dominum: & exaudiuit: & ſignum dedit ei.
25 Et non ſecundum retributionem quam dederat ei, retribuit Ezecias: ſed exaltatum eſt cor eius: & facta eſt ſuper eum ira, & ſuper Iudam, & Hieruſalem.
26 Et humiliatus eſt Ezecias ab altitudine cordis ſui, ipſe, & habitantes Hieruſalem. Et non ſuperuenit ſuper eos ira Domini in diebus Ezeciæ.
27 Et factæ ſunt Ezeciæ diuitiæ & gloria multa valdè. Et theſauros fecit ſibi argenti, & auri, & lapides precioſi, & ad aromata, & armamentaria, & ad vaſa deſiderabilia,
28 & ciuitates ad genimina frumenti, & vini, & olei, & pagos, & præſepia omnis pecoris, & mandras ad greges,
29 & ciuitates, quas ædificauit ſibi, & apparatum ouium, & boum in multitudine: quoniam dedit ei Dominus apparatum multum valde.
30 Ipſe Ezecias obſtruxit exitum aquæ Gion ſupra: & direxit eas deorſum ad Africum ciuitatis Dauid. Et proſperatus eſt Ezecias in omnibus operibus ſuis.

Et ſic

UVA.BSCH

**Vulgata Editio.**

31 Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.

32 Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & miſericordiarum eius ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ filij Amos prophetæ, & in libro regum Iuda, & Iſrael.

33 Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid: & celebrauit eius exequias vniuerſus Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem: regnauitque Manaſſes filius eius pro eo.

CAP. XXXIII.

4. Reg. 21. 2. 1 DVodecim annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalem.

2 Fecit autem malum coram Domino iuxta abominationes gentium, quas ſubuertit Dominus coram filijs Iſrael:

3 Et conuerſus inſtaurauit excelſa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius: conſtruxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam.

4 Ædificauit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus:

* 2. Reg. 5. 10. 5 * In Ieruſalem erit nomen meum in æternum. Ædificauit autem ea cuncto exercitui cæli in duobus atrijs domus Domini.

6 Tranſireque fecit filios ſuos per ignem in Vallebennon: obſeruabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſeruiebat, habebat ſecum magos, & incantatores: multaque mala operatus eſt coram Domino, vt irritaret eum.

* 3. Reg. 8. 17. 7 Sculptile quoque, & conflatile ſignum poſuit in domo Dei, * de qua locutus eſt Deus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius, dicens: In domo hac & in Ieruſalem, quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum.

8 Et moueri non faciam pedem Iſrael de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat ſi cuſtodierint facere, quæ præcepi eis, cunctamque legem, & ceremonias, atque iudicia per manum Moyſi.

Igi-

**Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.**

31 *Et ſic propter legatos principum Babel miſſos ad eum, ad quærendũ de portento, quod fuerat in terra dereliquit eum Deus, vt tentaret eum, vt ſcirent omnia, quæ erant in corde eius.*

32 *Reſidua autem Iechizchijahu, & miſericordia eius, ecce ſcripta ſunt in viſione Ieſahiahu filij Amos prophetæ, in libro regum Iehudah, & Iſrael.*

33 *Et dormiuit Iechizchijahu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in excelſo ſepulchro filiorum Dauid. & gloriam fecerunt ei mortuo ipſo omnis Iehudah, & habitatores Ieruſalaim: & regnauit Menaſſeh filius eius pro eo.*

*CAP. XXXIII.*

1 *DVodecim annorum erat Menaſſeh quum regnauit, & quinquaginta, & quinque annis regnauit in Ieruſalaim.*

2 *Et fecit malum in oculis Domini iuxta abominationes gentium, quas expulit Dominus à facie filiorum Iſrael:*

3 *Et conuerſus eſt, & ædificauit excelſa, quæ diruerat Iechizchijahu pater eius, & erexit aras ipſi Behalim, & fecit lucos, & incuruauit ſe omni militiæ cœli, & ſeruiuit eis.*

4 *Et ædificauit altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus:*

5 *In Ieruſalaim erit nomen meum in ſæculum. Et ædificauit altaria cuncto exercitui cœli in duobus atrijs domus Domini.*

6 *Et tranſire fecit filios ſuos per ignem in valle filij Hinnom: & obſeruabat tempora, & augurabatur, & diuinationibus operam dabat, & fecit Pythones, & magos multiplicauit: vt faceret malum in oculis Domini, ad irritandum eum.*

7 *Et poſuit ſculptile, idolum quod fecerat in domo Dei, de qua dixit Deus ad Dauid, & ad Selomoh filium eius in domo hac, & in Ieruſalaim, quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſæculum.*

8 *Et non addam remouere pedem Iſrael à terra, quam ſtatui patribus eorum, dumtaxat ſi cuſtodierint, vt faciant omnia, quæ præcepi eis, omnem legem, & ſtatuta, & iudicia per manum Moſeh.*

*Et*

TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

31 Et ſic legatis principum de Babylone, qui miſſi fuerant ad eum ad percunctandum ab eo prodigium, quod factum fuerat ſuper terram, dereliquit eum Dominus ad tentandum eum, ad ſciendum, quæ in corde eius.
32 Et reliqua verborum Ezeciæ, & miſericordia eius, ecce ſcripta ſunt in prophetia Eſaiæ filij Amos prophetæ,
& in libro regum Iuda, & Iſrael. 33 Et dormiuit Ezecias cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum in aſcenſione ſepulchrorum filiorum Dauid. Et gloriam, & honorem dederunt ei in morte eius omnis Iuda, & habitantes in Hieruſalem. Et regnauit Manaſſes filius eius pro eo.

CAP. XXXIII.

ERat duodecim annorum Manaſſes in regnando ipſum: & quinquaginta quinque annos regnauit in Hieruſalem. 2 Et fecit malum in conſpectu Domini de omnibus abominationibus gentium, quos exterminauit
Dominus à facie filiorum Iſrael. 3 Et reuertit, & ædificauit excelſa, quæ diruerat Ezecias pater eius, & erexit
ſtatuas ipſis Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cæli, & ſeruiuit eis. 4 Et ædificauit altaria in
domo Domini, vbi dixit Dominus, in Hieruſalem erit nomen meum in ſæculum. 5 Et ædificauit altaria omni militiæ cæli in ambobus atrijs domus Domini. 6 Et ipſe traduxit filios ſuos in Ge Benennom. Et obſer-
uabat vaticinationes, & augurabatur, & inſeruiebat veneficijs: & fecit ventriloquos, & incantatores: & multiplicauit ad faciendum malum ante Dominum, ad irritandum eum. 7 Et poſuit ſculptile, fuſile, imaginem, quam
fecit in domo Dei, vbi dixit Deus ad Dauid, & ad Salomon filium eius, in domo hac, & Hieruſalem, quam elegi
ex omnibus tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſæculum: 8 & non adijciam commouere pedem
Iſrael de terra, quam dedi patribus eorum; tantummodo ſi cuſtodierint facere omnia, quæ mandaui eis ſecundum legem, & præcepta, & iudicia in manu Moyſi.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

9 Igitur Manaſſes ſeduxit Iudam,& habitatores Ieruſalem,vt facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubuerterat Dominus à facie filiorum Iſrael.

10 Locutuſque eſt Dominus ad eum, & ad populum illius,& attendere noluerunt.

11 Idcirco ſuperinduxit eis principes exercitus regis Aſſyriorum: ceperuntque Manaſſen, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem.

12 Qui poſtquam coangustatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum: & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum.

13 Deprecatuſque eſt eum, & obſecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ieruſalem in regnum ſuum, & cognouit Manaſſes, quòd Dominus ipſe eſſet Deus.

14 Poſt hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Gihon in conualle,ab introitu portæ piſcium per circuitum vſque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: conſtituitque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis:

15 Et abſtulit deos alienos, & ſimulachrum de domo Domini: aras quoque,quas fecerat in monte domus Domini,& in Ieruſalem, & proiecit omnia extra vrbem.

16 Porro inſtaurauit altare Domini, & immolauit ſuper illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitque Iudæ,vt ſeruiret Domino Deo Iſrael.

17 Attamen adhuc populus immolabat in excelſis Domino Deo ſuo.

18 Reliqua autem geſtorũ Manaſſe: & obſecratio eius ad Deum ſuum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Iſrael, continentur in ſermonibus regum Iſrael.

19 Oratio quoque eius, & exauditio, & cuncta peccata,atque contemptus,loca etiam, in quibus ædificauit excelſa, & fecit lucos, & ſtatuas antequam ageret pœnitentiam, ſcripta ſunt in ſermonibus Hozai.

20 Dormiuit ergo Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in domo ſua: regnauitque pro eo filius eius Amon.

21 Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpiſſet,& duobus annis regnauit in Ieruſalem.

22 Fecitque malum in conſpectu Domini, ſicut fecerat Manaſſes pater eius: & cunctis idolis, quæ Manaſſes fuerat fabricatus,immolauit atque ſeruiuit.

Et

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et errare fecit Menaſſeh, Iehudah, & habitatores Ieruſalaim, vt facerent malum præ gentibus, quas perdere fecit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

10 *Locutus eſt autem Dominus ad Menaſſeh, & ad populum eius,& non attenderunt.*

11 *Et adduxit Dominus ſuper eos principes exercitus, qui erant regi Aſſur: & ceperunt Menaſſeh in abditis,& vinxerunt eum compedibus,& abire fecerũt eum in Sabel.*

12 *Et cum anguſtijs eſſet affectus,orauit faciem Domini Dei ſui: & humiliauit ſe valdè à facie Dei patrum ſuorum.*

13 *Et orauit ad eum, & exorabilis fuit ei: & exaudiuit deprecationem eius, & reduxit eum in Ieruſalaim in regnum ſuum, & cognouit Menaſſeh, quòd Dominus ipſe eſſet Deus.*

14 *Et poſt hoc ædificauit murum extra ciuitatẽ Dauid ad Occidentem Gihon in torrente,& ad introitum in porta piſcium,& circumdedit muro arcẽ,& exaltauit eam valdè, & poſuit principes exercitus in cunctis ciuitatibus munitis in Iehudah.*

15 *Et remouit deos alienos, & ſimulachrum è domo Domini: & omnes aras, quas ædificauerat in monte domus Domini, & in Ieruſalaim, & proiecit extra vrbem.*

16 *Et ædificauit altare Domini, & immolauit ſuper illud victimas pacificorum,& confeſſionem: dixitque Iehudah,vt ſeruiret Domino Deo Iſrael.*

17 *Attamen adhuc populus immolabat in excelſis,dumtaxat Domino Deo ſuo.*

18 *Reſidua autem Menaſſeh: & oratio eius ad Deum ſuum: & verba vatum, qui loquebantur ad eum nomine Domini Dei Iſrael, ecce ſunt in verbis regum Iſrael.*

19 *Et oratio eius, & quomodo exorabilis fuit ei Deus, & omne peccatum eius,& præuaricatio eius, & loca in quibus ædificauit excelſa,& ſtatuit lucos,& ſculptilia antequam humiliaret ſe, ecce ſcripta ſunt in verbis Chozai.*

20 *Dormiuitque Menaſſeh cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in domo ſua: & regnauit Amon filius eius pro eo.*

21 *Viginti, & duorum annorum erat Amon quum regnauit,& duobus annis regnauit in Ieruſalaim.*

22 *Et fecit malum in oculis Domini, quemadmodum fecerat Menaſſeh pater eius, & cunctis ſculptilibus, quæ fecerat Menaſſeh pater eius immolauit Amon,& ſeruiuit eis.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

9 Et ſeduxit Manaſſes Iudam,& habitantes in Hieruſalem,ad faciendum malum ſuper omnes gentes,quas abſtu
lit Dominus à facie filiorum Iſrael. 10 Et locutus eſt Dominus ad Manaſſe,& ad populum ſuum: & nõ exau-
dierunt. 11 Et adduxit Dominus ſuper eos principes virtutis regis Aſſur: & ceperunt Manaſſe in vinculis, &
ligauerunt eum in compedibus,& adduxerunt in Babylonem. 12 Et vt tribulatus eſt,exquiſiuit faciem Dei
Domini ſui: & humiliatus eſt valde à facie Dei patrum ſuorum. 13 Et deprecatus eſt ad eum: & exaudiuit eũ,
& exaudiuit clamorem eius,& reduxit eum in Hieruſalem in regnum ipſius.Et cognouit Manaſſes,quia Dñs ipſe
eſt Deus. 14 Et poſt hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ab Africo ad Auſtrum in torrente,& ad in-
troitum,qui per portam piſcium egredientibus portam in circuitu,& in Opel,& exaltauit valde: & cõſtituit prin-
cipes virtutis in omnibus ciuitatibus muratis in Iuda. 15 Et circumabſtulit deos alienos, & ſculptile e domo
Domini,& omnia altaria,quæ ædificauerat in monte domus Domini,& in Hieruſalẽ,& extra ciuitatem. 16 Et
inſtaurauit altare Domini,& ſuper illud ſacrificauit ſacrificium ſalutaris,& laudationis.Et dixit ad Iudam,ſeruire
Domino Deo Iſrael. 17 Verumtamen adhuc populus ſuper excelſa ſacrificabat, dumtaxat Domino Deo ſuo.
18 Et reliqua verborum Manaſſe, & deprecatio eius ad Deum, & verba videntium, qui loquebantur ad eum in
nomine Dei Iſrael ecce ſuper verba 19 deprecationis eius,& exaudiuit eum,& omnia peccata eius,& rebel-
liones eius, & loca, in quibus ædificauit in eis excelſa, & ſtatuit ibi lucos,& ſculptilia,antequam reuerteret. ecce
ſcripta ſunt ſuper ſermones videntium. 20 Et dormiuit Manaſſes cum patribus ſuis: & ſepelierunt eum in
horto domus eius.Et regnauit pro eo Amon filius eius. 21 Erat annorum viginti & duorum in regnando
ipſum: & duos annos regnauit in Hieruſalem. 22 Et fecit malum in conſpectu Domini: ſicut fecerat Ma-
naſſes pater eius,& omnibus idolis,quæ fecerat Manaſſes pater eius,immolabat,& ſeruiuit eis.

Et

## Vulgat. Editio.

23 Et non eſt reueritus faciem Domini, ſicut reueritus eſt Manaſſes pater eius: & multo maiora deliquit.

24 Cumque coniuraſſent aduerſus eum ſerui ſui, interfecerunt eum in domo ſua.

25 Porro reliqua populi multitudo cæſis ijs, qui Amõ percuſſerant, conſtituit regem Ioſiam filium eius pro eo.

### CAP. XXXIIII.

4. Reg. 22. 1. 1 OCto annorum erat Ioſias cum regnare cœpiſſet, & triginta & vno anno regnauit in Ieruſalem.

2 Fecitque quod erat rectum in conſpectu Domini, & ambulauit in vijs Dauid patris ſui: non declinauit neque ad dextram, neque ad ſiniſtram.

3 Octauo autem anno regni ſui, cum adhuc eſſet puer, cœpit quærere Deum patris ſui Dauid, & duodecimo anno poſtquam regnare cœperat, mundauit Iudam, & Ieruſalem ab excelſis, & lucis ſimulachriſque & ſculptilibus.

4 Deſtruxeruntque coram eo aras Baalim: & ſimulachra, quæ ſuperpoſita fuerant, demoliti ſunt: lucos etiam, & ſculptilia ſuccidit, atque comminuit: & ſuper tumulos eorum, qui eis immolare conſueuerãt, fragmenta diſperſit.

5 Oſſa præterea ſacerdotum combuſſit in altaribus idolorum, mundauitque Iudam & Ieruſalem.

6 Sed & in vrbibus Manaſſe, & Ephraim, & Simeon, vſque Nephthali cuncta ſubuertit.

7 Cumque altaria diſſipaſſet, & lucos, & ſculptilia cõtriuiſſet in fruſta, cunctaq; delubra demolitus eſſet de vniuerſa terra Iſrael, reuerſus eſt in Ieruſalem.

8 Igitur anno octauodecimo regni ſui, mundata iam terra, & templo Domini, miſit Saphan filium Eſeliæ, & Maaſiam principem ciuitatis, & Ioha filium Ioachaz à commentarijs, vt inſtaurarent domum Domini Dei ſui.

9 Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregauerant Leuitæ, & ianitores de Manaſſe, & Ephraim, & vniuerſis reliquijs Iſrael, ab omni quoque Iuda, & Beniamin, & habitatoribus Ieruſalem:

10 Tradiderunt in manibus eorum, qui præerant operarijs in domo Domini, vt inſtaurarent templum, & infirma quæque ſarcirent.

At

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

23 *Et non humiliauit ſe à facie Domini, quemadmodũ humiliauerat ſe Menaſſeh pater eius: ſed ipſe Amon multiplicauit delictum.*

24 *Et coniurauerunt contra eum ſerui eius, & interfecerunt eum in domo ſua.*

25 *Et percuſſerunt populus terræ omnes, qui coniurauerant contra regem Amon, & regnare fecerunt populus terræ Ioſijahu filium eius pro eo.*

### *CAP. XXXIIII.*

1 *OCto annorum erat Ioſijahu quum regnauit, & triginta, & vno anno regnauit in Ieruſalaim.*

2 *Et fecit rectum in oculis Domini, & ambulauit in vijs Dauid patris ſui, & non declinauit ad dexteram, & ſiniſtram.*

3 *Octauo autem anno quo regnauit, & ipſo adhuc exiſtente puero, cœpit quærere Deum Dauid patris ſui, & duodecimo anno cœpit mundare Iehudah, & Ieruſalaim ab excelſis, & lucis, & ſimulachris, & ſculptilibus.*

4 *Deſtruxeruntque coram eo aras Behalim: & ſimulachra, quæ erant ſuper eis demoliri fecit: & lucos, & ſimulachra, & ſculptilia contriuit, & comminuit: & ſparſit in ſuperficie ſepulchrorum immolantium eis.*

5 *Et oſſa ſacerdotum combuſſit ſuper altaria, mundauitque Iehudah, & Ieruſalaim.*

6 *Et in vrbibus Menaſſeh, & Ephraim, & Simhon, vſque ad Naphthali, malleis ſuis per circuitum*

7 *Demolitus eſt altaria, & lucos, & ſimulachra contriuit comminuendo, & omnia ſimulachra excidit in omni terra Iſrael, & reuerſus eſt Ieruſalaim.*

8 *Anno autem octauodecimo quo regnauit, quo mundauit terram, & domum, miſit Saphan filium Aſaliahu, & Mahaſeiahu principem ciuitatis, & Ioach filium Ioachaz in commentarijs ad roborandum domum Domini Dei ſui.*

9 *Et venerunt ad Chilchijahu Sacerdotem magnum: & dederunt argentum illatum in domum Dei, quod congregauerant Leuitæ cuſtodes liminis de manu Menaſſeh, & Ephraim, & de vniuerſo reſiduo Iſrael, & ab omni Iehudah, & Biniamin, & habitatoribus Ieruſalaim:*

10 *Et tradiderunt manui facientium opus, qui præfecti erant in domo Domini, & tradiderũt illud factoribus operis, qui faciebant in domo Domini, vt ſarcirent, & ad roborandum domum.*

Et

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

23 Et non eſt humiliatus ante Dominum, ſicut humiliatus eſt pater eius: quoniam filius eius multiplicauit delictum. 24 Et coniurarunt in eum pueri eius, & percuſſerunt eum in domo eius. 25 Et percuſſit populus terræ eos, qui coniurarant ſuper regem Amon: & regnare fecit populus terræ Ioſiam filium eius pro eo.

### CAP. XXXIIII.

ERat octo annorum Ioſias in regnando ipſum: & triginta & vnum annum regnauit in Hieruſalem. 2 Et fecit rectum coram Domino, & ambulauit in vijs Dauid patris ſui, & non declinauit dextrorſum, & ſiniſtrorſum. 3 Et in octauo anno regni ſui (& ipſe adhuc puerulus) cœpit exquirere Dominum Deum Dauid patris ſui. Et in duodecimo anno regni ſui cœpit mundare Iudam, & Hieruſalem ab excelſis, & lucis, & ab aris, & à ſculptilibus. 4 Et diruit, quæ ad faciem eius, altaria ipſorum Baalim, & excelſa, quæ ſuper ea: & excidit lucos, & ſculptilia, & fuſilia contriuit, & comminuit, & proiecit ſuper faciem monumentorum ſacrificantium eis. 5 Et oſſa ſacerdotum combuſſit ſuper altaria: & mundauit Iudam, & Hieruſalem, 6 & in ciuitatibus Manaſſe, & Ephræm, & Symeon, & Nephthali, & locis eorum in circuitu: 7 & diruit altaria, & lucos, & idola concidit comminuta, & omnia excelſa excidit ab omni terra Iſrael: & reuertit in Hieruſalem. 8 Et in anno decimo octauo regni ſui mundando terram, & domum, miſit Saphan filium Eſelia, & Maaſa principem ciuitatis, & Iouach filium Ioachaz à commentarijs ipſius ad fulciendam domum Domini Dei ſui: 9 Et venerunt ad Chelciam ſacerdotem magnum: & dederunt argentum illatum in domum Dei, quod congregarunt Leuitæ cuſtodiẽtes portam de manu Manaſſe, & Ephræm, & principum, & de omni reſiduo in Iſrael, & de filijs Iuda, & Beniamin, & habitantibus in Hieruſalem. 10 Et dederunt illud in manum facientium opera, qui præfecti in domo Domini: & dederunt illud facientibus opera, qui faciebant in domo Domini ad parandam, & firmandam domum.



UVA.BSCH

## Vulgat. Editio.

11 At illi dederunt eam artificibus, & cæmentarijs, vt emerent lapides de lapicidinis,& ligna ad commiſſuras ædificij,& ad contignationem domorum, quas deſtruxerant reges Iuda.

12 Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpoſiti operantium, Iahath, & Abdias de filijs Merari, Zacharias,& Moſollam de filijs Caath,qui vrgebant opus: omnes Leuitæ ſcientes organis canere.

13 Super eos vero, qui ad diuerſos vſus onera portabant, erant ſcribæ, & magiſtri de Leuitis ianitores.

14 Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini,reperit Helcias Sacerdos Librum legis Domini per manum Moyſi.

15 Et ait ad Saphan ſcribam: Librum legis inueni in domo Domini: Et tradidit ei.

16 At ille intulit volumen ad regem, & nunciauit ei, dicens: Omnia,quæ dediſti in manu ſeruorum tuorum,ecce complentur.

17 Argentum, quod repertum eſt in domo Domini, conflauerunt: datumque eſt præfectis artificum, & diuerſa opera fabricantium.

18 Præterea tradidit mihi Helcias ſacerdos hunc librum.Quem cum rege præſente recitaſſet:

19 Audiſſetque ille verba legis, ſcidit veſtimenta ſua:

20 Et præcepit Helciæ,& Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha,Saphan quoque ſcribæ,& Aſaæ ſeruo regis,dicens:

21 Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquijs Iſrael,& Iuda,ſuper vniuerſis ſermonibus Libri iſtius, qui repertus eſt: magnus enim furor Domini ſtillauit ſuper nos, eo quod non cuſtodierint patres noſtri verba Domini, vt facerent omnia, quæ ſcripta ſunt in iſto volumine.

22 Abijt ergo Helcias, & hi qui ſimul à rege miſſi fuerant, ad Oldam prophetidem,vxorem Sellum filij Thecuath, filij Haſra cuſtodis veſtium: quæ habitabat in Ieruſalem in Secunda: & locuti ſunt ei verba,quæ ſupra narrauimus.

23 At illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro,qui miſit vos ad me:

24 Hæc dicit Dñs: Ecce ego inducã mala ſuper locum iſtũ,& ſup habitatores eius,cunctaq; maledicta,quæ ſcripta sũt ĩ Libro hoc,quẽ legerũt corã rege Iuda.

Quia

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

11 *Et dederunt artificibus,& cæmentarijs, vt emerent lapides excisos, & ligna ad commiſſuras, & ad contignandum domos, quas deſtruxerant reges Iehudah.*

12 *Et viri faciebant fideliter in opere: & ſuper eos conſtituti erant Iachath, & Hobadiahu Leuitæ de filijs Merari, & Zechariah, & Meſſullam de filijs Chehathim ad vrgendum, & Leuita omnis intelligens in inſtrumento muſico.*

13 *Et ſuper baiulos,& ſollicitatores, omnem facientem opus in quolibet opere erant de Leuitis ſcribæ, & præfecti,& ianitores.*

14 *Et cum educerent argentum,quod illatum fuerat in domo Domini,reperit Chilchijahu Sacerdos Librum legis Domini per manum Moſeh.*

15 *Et reſpondit Chilchijahu, & dixit ad Saphan ſcribam: Librum legis reperi in domo Domini: Et tradidit Chilchijahu librum ipſi Saphan.*

16 *Et adduxit Saphan librum ad regem, & retulit adhuc regi verbũ,dicendo: Omne quod datum eſt in manu ſeruorum tuorum faciunt.*

17 *Et conflauerunt argentum,quod inuentum eſt in domo Domini: & tradiderunt illud manui præpoſitorum,& manui facientium opus.*

18 *Et nunciauit Saphan ſcriba regi, dicendo: Librum dedit mihi Chilchijahu ſacerdos. Et legit in eo Saphan coram rege.*

19 *Et fuit, quum audiſſet rex verba legis, ſcidit veſtimenta ſua:*

20 *Et præcepit rex Chilchijahu, & Achicham filio Saphan, & Habdon filio Michah, & Saphan ſcribæ, & Haſaiah ſeruo regis,dicendo:*

21 *Ite, quærite Dominum pro me, & pro reſiduo in Iſrael, & in Iehudah ſuper verbis libri, qui repertus eſt: quia magnus furor Domini, qui ſtillauit in nos, eo quod non cuſtodierunt patres noſtri verbum Domini, vt facerent iuxta omne, quod ſcriptum eſt in libro hoc.*

22 *Et abijt Chilchijahu, & qui erant regis ad Chuldah prophetem vxorem Sallum filij Tocbath, filij Chaſrah,cuſtodis veſtium: & ipſa habitabat in Ieruſalaim in Secunda: & locuti ſunt ad eam iuxta hoc.*

23 *Et dixit eis: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro,qui miſit vos ad me.*

24 *Sic dixit Dñs: Ecce ego adduco malũ ſuper locũ iſtũ, & ſuper habitatores eius,oĩa maledicta, quæ ſcripta ſunt in Libro quem legerunt coram rege Iehudah*

*Pro*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

11 Et dederunt fabris,& ædificatoribus ad emendum lapides quattuor pedum, & ligna in trabes ad regẽdum domos,quas exterminarant reges Iuda. 12 Et viri in fide ſuper opera: & ſuper eos viſitatores Ieth, & Abdias Leuitæ ex filijs Merari,& Zacharias,& Moſollam ex filijs Caath ad viſitandum,& omnis Leuita, & omnis intelligens in organis canticorum. 13 Et ſuper baiulos & ſuper omnes facientes opera,opificio,& opificio. Et ex Leuitis ſcribæ,& iudices,& ianitores. 14 Et in efferendo ipſos argentum illatum in domum Domini, inuenit Chelcias ſacerdos librum legis Domini per manum Moyſi. 15 Et reſpondit Chelcias,& dixit ad Saphan ſcribam: Librum legis inueni in domo Domini. Et dedit Chelcias librum ipſi Saphan. 16 Et intulit Saphan librum ad regem: & retulit adhuc regi verbum: Omne quod datum eſt argentum in manu puerorum tuorum,qui faciunt, 17 & fuderunt argentum inuentum in domo Domini,& dederunt in manum viſitatorum,& in manum facientium opificum. 18 Et annunciauit Saphan ſcriba regi, dicens: Librum dedit mihi Chelcias ſacerdos. Et legit illum Saphan coram rege. 19 Et factum eſt, vt audiuit rex verba legis; & diſcidit veſtimenta ſua: 20 & mandauit rex Chelciæ,& Achicam filio Saphan, & Abdom filio Michææ,& ipſi Saphan ſcribæ,& Aſaia puero regis,dicens: 21 Ite,quærite Dominum,pro me, & pro omni,qui remanſit in Iſrael,& Iuda de verbis libri inuenti: quoniam magnus furor Domini accenſus eſt in nobis;eo quod non exaudierunt patres noſtri verba Domini ad faciendum ſecundum omnia,quæ ſcripta ſunt in libro hoc. 22 Et iuit Chelcias,& quibus dixit rex,ad Oldam propheteſſam vxorem Sellum filij Thecoe filij Araz, cuſtodiẽtem mandata: & ipſa habitabat in Hieruſalem in Maſanæ: & locuti ſunt ei ſecundum hæc. 23 Et dixit eis: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro,qui miſit vos ad me: 24 Sic dicit Dominus: Ecce ego induco ſuper locum hunc mala, omnia verba ſcripta in libro aperto coram rege Iuda,

pro

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

25 Quia dereliquerunt me,& ſacrificauerunt dijs alie-
nis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis
operibus manuum ſuarum, idcirco ſtillabit furor
meus ſuper locum iſtum,& non extinguetur.
26 Ad regem autem Iuda, qui miſit vos pro Domino
deprecando, ſic loquimini: Hæc dicit Dominus
Deus Iſrael: Quoniam audiſti verba voluminis:
27 Atque emollitum eſt cor tuum,& humiliatus es in
conſpectu Dei ſuper his, quæ dicta ſunt contra lo-
cum hunc, & habitatores Ieruſalem, reuerituſque
faciem meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti co-
ram me: ego quoque exaudiui te,dicit Dominus.
28 Iam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in
ſepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui
omne malum, quod ego inducturus ſum ſuper lo-
cum iſtum, & ſuper habitatores eius. * Retulerunt
itaque regi cuncta,quæ dixerat.

* 4. Reg. 23. 1.

29 At ille conuocatis vniuerſis maioribus natu Iuda, &
Ieruſalem:
30 Aſcendit in domum Domini, vnaque omnes viri
Iuda,& habitatores Ieruſalem,Sacerdotes, & Leui-
tæ, & cunctus populus à minimo vſque ad maximũ.
Quibus audientibus in domo Domini,legit rex om-
nia verba voluminis:
31 Et ſtans in tribunali ſuo,percuſſit fœdus coram Do-
mino,vt ambularet poſt eum,& cuſtodiret præcepta,
& teſtimonia, & iuſtificationes eius in toto corde
ſuo, & in tota anima ſua, faceretque,quæ ſcripta ſůt
in volumine illo,quod legerat.
32 Adiurauit quoque ſuper hoc omnes, qui reperti
fuerant in Ieruſalem, & Beniamin: & fecerunt ha-
bitatores Ieruſalem iuxta pactum Domini Dei pa-
trum ſuorum.
33 Abſtulit ergo Ioſias cunctas abominationes de vni-
uerſis regionibus filiorum Iſrael: & fecit omnes, qui
reſidui erant in Iſrael, ſeruire Domino Deo ſuo.
Cunctis diebus eius non receſſerunt à Domino
Deo patrum ſuorum.

### CAP. XXXV.

1 FEcit autem Ioſias in Ieruſalem Phaſe Domino,
quod immolatum eſt quartadecima die menſis
primi:
2 Et conſtituit Sacerdotes in officijs ſuis, hortatuſque
eſt eos, vt miniſtrarent in domo Domini.

Le-

## Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Pro eo quòd dereliquerunt me, & ſuffiuerunt dijs a-
lienis, vt irritarent me in cunctis operibus manuũ
ſuarum, & ſtillabit furor meus in loco iſto, & non
extinguetur.*
26 *Et ad regem Iehudah, qui miſit vos ad inquiren-
dum Dominum: Sic dicetis: Sic dixit Dominus Deus
Iſrael, ea verba quæ audiſti:*
27 *Pro eo quòd emollitum eſt cor tuum, & humiliaſti te
à facie Dei, quum audires verba eius contra locum
iſtum, & contra habitatores eius, & humiliaſti te
coram me, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti co-
ram me: & etiam ego audiui, dixit Dominus.*
28 *Ecce ego colligam te ad patres tuos, & congregabis
te ad ſepulchrum tuum in pace. & non videbunt
oculi tui omne malum, quod ego adduco contra lo-
cum iſtum, & contra habitatores eius. Et retule-
runt regi verbum.*
29 *Et miſit rex, & congregauit omnes ſeniores Iehu-
dah, & Ieruſalaim:*
30 *Et aſcendit rex in domum Domini, & omnis vir Ie-
hudah, & habitatores Ieruſalaim, & Sacerdotes, &
Leuitæ, & omnis populus à magno vſque ad paruũ.
Et legit in auribus eorum omnia verba libri fœderis,
qui repertus eſt in domo Domini.*
31 *Et ſtetit rex in loco ſuo, percuſſitque fœdus corã Do-
mino, vt ambularet poſt Dominum, & cuſtodiret
præcepta eius, & teſtimonia eius, & ſtatuta eius to-
to corde ſuo, & tota anima ſua, faceretque verba fœ-
deris, quæ ſcripta ſunt in libro hoc.*
32 *Et ſtare fecit omnem, qui repertus eſt in Ieruſa-
laim, & Biniamin: & fecerunt habitatores Ieruſa-
laim iuxta pactum Dei, Dei patrum ſuorum.*
33 *Et remouit Ioſijahu omnes abominationes de vni-
uerſis terris, quæ erant filiorum Iſrael: & ſeruire fe-
cit omnem, qui repertus eſt in Iſrael, vt ſeruirent
Domino Deo ſuo. Cunctis diebus ſuis non receſſe-
runt à Domino Deo patrum ſuorum.*

### CAP. XXXV.

1 *FEcit autem Ioſijahu in Ieruſalaim Peſach Do-
mino, & immolauerunt Peſach quartadecima
menſis primi:*
2 *Et conſtituit Sacerdotes in cuſtodijs ſuis, & confor-
tauit eos in miniſterio domus Domini.*

*Di-*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 pro eo quod dereliquerunt me, & ſacrificauerunt dijs alienis, vt irritarent me in omnibus operibus manuum ſuarum. Et accenſus eſt furor meus in locum iſtum,& non extinguetur. 26 Et ad regem Iuda,qui miſit vos ad exquirendum Dominum,ſic dicetis ei: Sic dicit Dominus Deus Iſrael: Verba quæ audiſti, 27 & confuſum eſt cor tuum,& humiliatus es à facie mea,in audiendo te verba mea ſuper locum iſtum,& ſuper habitantes eum, & humiliatus es ante me,& diſcidiſti veſtimenta tua,& ploraſti coram me; & ego audiui,dicit Dominus. 28 Ecce appono te ad patres tuos: & apponeris ad monumenta tua in pace: & non videbunt oculi tui in omnibus malis,quæ ego induco ſuper locum iſtum,& ſuper habitantes eum. Et retulerunt regi ſermonem. 29 Et miſit rex,& congregauit ſeniores Iuda,& Hieruſalem. 30 Et aſcendit rex in domum Domini,& omnis Iuda, & habitantes Hieruſalem,& ſacerdotes, & Leuitæ, & omnis populus à paruo vſque ad magnum: & legit in auribus eorum omnia verba libri teſtamenti inuenta in domo Domini. 31 Et ſtetit rex ſuper columnam,& diſpoſuit teſtamentum coram Domino ambulandi in conſpectu Domini,cuſtodiendi mandata eius,& teſtimonia,& præcepta eius in toto corde,& in tota anima,ad faciendum verba teſtamenti ſcripta in libro iſto. 32 Et fecit ſtare omnes inuentos in Hieruſalem, & Beniamin: & fecerunt inhabitantes Hieruſalem, teſtamentum in domo Domini Dei patrum ſuorum. 33 Et circumabſtulit Ioſias omnes abominationes de omni terra, quæ erat filiorum Iſrael: & fecit omnes inuentos in Hieruſalem,& in Iſrael ſeruire Domino Deo ipſorum, omnibus diebus ipſius,non declinauit à poſt Dominum Deum patrum ipſius.

### CAP. XXXV.

1 ET fecit Ioſias Phaſec Domino Deo ſuo: & immolauit Phaſec quartadecima die menſis primi. 2 Et ſtatuit ſacerdotes ſuper cuſtodias ipſorum: & confortauit eos ad opera domus Domini.

## Vulgat. Editio.

3 Leuitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Iſrael ſanctificabatur Domino,locutus eſt: Ponite arcam in ſanctuario templi,quod ædificauit Salomon filius Dauid rex Iſrael, nequaquam enim eam vltra portabitis : nunc autem miniſtrate Domino Deo veſtro,& populo eius Iſrael.

4 Et præparate vos per domos, & cognationes veſtras in diuiſionibus ſingulorum, ſicut præcepit Dauid rex Iſrael,& deſcripſit Salomon filius eius.

5 Et miniſtrate in ſanctuario per familias turmaſque Leuiticas,

6 Et ſanctificati immolate Phaſe: fratres etiam veſtros, vt poſſint iuxta verba, quæ locutus eſt Dominus in manu Moyſi facere,præparate.

7 Dedit præterea Ioſias omni populo, qui ibi fuerat inuentus in ſolemnitate Phaſe, agnos,& hædos de gregibus,& reliqui pecoris triginta millia,boũ quoque tria millia. Hæc de regis vniuerſa ſubſtantia.

8 Duces quoque eius,ſponte quod vouerant,obtulerunt,tam populo, quàm Sacerdotibus, & Leuitis. Porro Helcias,& Zacharias, & Iahiel principes domus Domini, dederunt ſacerdotibus ad faciendum Phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta,& boues trecentos.

9 Chonenias autem & Semeias,etiam Nathanael fratres eius,necnon Haſabias,& Iehiel, & Iozabad principes Leuitarum, dederunt cæteris Leuitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boues quingentos.

10 Præparatumque eſt miniſterium,& ſteterunt Sacerdotes in officio ſuo: Leuitæ quoque in turmis, iuxta regis imperium.

11 Et immolatum eſt Phaſe: aſperſeruntque Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Leuitæ detraxerunt pelles holocauſtorum:

12 Et ſeparauerunt ea,vt darent per domos, & familias ſingulorum, & offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi: de bobus quoque fecerunt ſimiliter.

13 Et aſſauerunt Phaſe ſuper ignem,iuxta quod in lege ſcriptum eſt : pacificas vero hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & feſtinatò diſtribuerunt vniuerſæ plebi:

14 Sibi autem,& Sacerdotibus poſtea parauerunt: nam in oblatione holocauſtorum, & adipũ vſq; ad noctẽ Sacerdotes fuerunt occupati : vnde Leuitæ ſibi, & Sacerdotibus filijs Aaron parauerunt nouiſſimis.

Por-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Dixitque Leuitis intelligere facientibus vniuerſum Iſrael,qui ſancti erant Domino: Ponite arcam ſanctuarij in domo quam ædificauit Selomoh filius Dauid rex Iſrael. non erit vobis onus in humero: nunc ſeruite Domino Deo veſtro, & populo eius Iſrael.*

4 *Et præparate vos per domum familiarum veſtrarũ in diuiſionibus veſtris,ſecundũ quod ſcripſit Dauid rex Iſrael & ſecundũ ſcripturã Selomoh filij eius.*

5 *Et ſtate in ſanctuario ſecundum diuiſionem domus patrum fratrum veſtrorum filiorum populi, & diuiſionem domus patris Leuitarum:*

6 *Et immolate Peſach, & ſanctificate vos: & præparate fratres veſtros, vt faciant iuxta verbum Domini,per manum Moſeh.*

7 *Et largitus eſt Ioſijahu filijs populi oues, & agnos, & filios caprarum,omnia pro Peſachim,omni qui repertus eſt ſecundum numerum triginta millia, & boum tria millia. Hæc de ſubſtantia regis.*

8 *Et principes eius ſponte populo,ſacerdotibus, & Leuitis largiti ſunt Chilchijahu,& Zecharjahu,& Iechiel duces domus Dei ſacerdotibus dederunt pro Peſachim duo millia, & ſexcenta, & boues trecentos.*

9 *Et Chonanjahu, & Semahiahu, & Nethanel fratres eius, & Chaſabiahu, & Iehiel, & Iozabad principes Leuitarum largiti ſunt Leuitis pro Peſachim quinque millia pecudes, & boues quingentos.*

10 *Et præparatum eſt miniſterium, & ſteterunt Sacerdotes in loco ſuo, & Leuitæ in diuiſionibus ſuis, iuxta præceptum regis.*

11 *Et immolauerunt Peſach: & aſperſi ſunt Sacerdotes ſanguine eorum, & Leuitæ decorticabant ea.*

12 *Et remouerunt holocauſtum vt darent ea ſecundum diuiſiones domus familiarum filiorum populi, vt offerrent Domino, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moſeh: & ſic de bobus.*

13 *Et coxerunt Peſach igne iuxta normam, & ſancta coxerunt in ollis, & ahenis, & lebetibus, & currere fecerunt ad vniuerſos filios populi:*

14 *Et poſtea parauerunt ſibi, & Sacerdotibus: nam Sacerdotes filij Aharon in offerendo holocauſtum, & adipes fuerunt vſque ad noctem: & Leuitæ parauerunt eis,& Sacerdotibus filijs Aharon.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

3 Et dixit Leuitis potentibus in omni Iſrael,vt ipſi ſanctificarentur Domino. Et poſuerunt arcam ſanctam in domum,quã ædificauerat Salomon filius Dauid regis Iſrael. Et dixit rex: Non eſt vobis ſuper humeros tollere quicquam. Nunc igitur miniſtrate Domino Deo veſtro,& populo eius Iſrael: 4 & paramini ſm domos patriarũ veſtrarum,& ſecundum vices veſtras, iuxta ſcripturam Dauid regis Iſrael,& per manum Salomon filij eius. 5 Et ſtate in domo ſm diuiſiones domorum patriarum veſtrarum fratribus veſtris filijs populi, & pars domus patriæ ipſis Leuitis. 6 Et immolate Phaſec,& præparate fratribus veſtris ad faciendum iuxta verbum Domini per manum Moyſi. 7 Et primitias dedit Ioſias filijs populi oues,& agnos,& hædos de filijs caprarũ, omnia ad Phaſec, & omnes iuuentos ad numerum,triginta millia,& vitulorum tria millia. Hæc de ſubſtantia regis. 8 Et principes eius dederunt primitias populo,& ſacerdotibus,& Leuitis. Dedit autem Chelcias,& Zacharias,& Ieiel principes ſacerdotibus domus Dei,& dederunt in Phaſec oues,& agnos,& hædos duo millia ſexcenta, & vitulos trecentos. 9 Et Chonenias,& Banæas,& Samæas,& Nathanael frater eius,& Aſabias,& Ieiel, & Iozabad principes Leuitarum dederunt primitias Leuitis in Phaſec oues quinque millia,& vitulos quingentos. 10 Et directum eſt miniſterium: & ſteterunt ſacerdotes ſuper ſtationem ſuam,& Leuitæ ſuper diuiſiones iuxta mandatum regis.
11 Et immolauerunt Phaſec,& effundebant ſacerdotes ſanguinem de manu eorum,& Leuitæ excoriabant.
12 Et parauerunt holocauſtoſim ad tradendum eis ſecundum diuiſionem per domos familiarum filijs populi, ad offerendum Domino,ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi. Et ſic in manè. 13 Et aſſauerunt Phaſec in igni iuxta iudicium:& ſancta coxerunt in æneis,& in lebetibus: & proſperatum eſt: & currere fecerunt ad omnes filios populi. 14 Et poſtquam parauerunt ſibi & ſacerdotibus: quoniam ſacerdotes in offerendo,holocauſtomata, & adipes vſque ad noctem: & Leuitæ parauerunt eis,& fratribus ipſorum filijs Aaron.

Et

UVA.BSCH

## Vulgata Editio.

15 Porro cantores filij Aſaph ſtabant in ordine ſuo, iuxta præceptum Dauid,& Aſaph,& Heman,& Idithun prophetarum regis: Ianitores vero per portas ſingulas obſeruabant, ita vt nec puncto quidem diſcederent à miniſterio: quam ob rem & fratres eorum Leuitæ parauerunt eis cibos.

16 Omnis igitur cultura Domini rite completa eſt in die illa vt facerent Phaſe, & offerrent holocauſta ſuper altare Domini, iuxta præceptum regis Ioſiæ.

17 Feceruntque filij Iſrael,qui reperti fuerant ibi,Phaſe in tempore illo,& ſollemnitatem azymorum ſeptem diebus.

18 Non fuit Phaſe ſimile huic in Iſrael à diebus Samuelis Prophetæ: ſed nec quiſquam de cunctis regibus Iſrael fecit Phaſe ſicut Ioſias, Sacerdotibus,& Leuitis,& omni Iudæ, & Iſrael qui repertus fuerat, & habitantibus in Ieruſalem.

19 Octauodecimo anno regni Ioſiæ hoc Phaſe celebratum eſt.

*4.Reg.23.29. 20 * Poſtquam inſtaurauerat Ioſias templum, aſcendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten: & proceſſit in occurſum eius Ioſias.

21 At ille,miſſis ad eum nuncijs,ait: Quid mihi & tibi eſt rex Iuda? non aduerſum te hodie venio,ſed contra aliam pugno domum,ad quam me Deus feſtinato ire præcepit: deſine aduerſum Deum facere,qui mecum eſt,ne interficiat te.

22 Noluit Ioſias reuerti, ſed præparauit contra eum bellum, nec acquieuit ſermonibus Nechao ex ore Dei: * verum perrexit vt dimicaret in campo Mageddo. *Zach.12.11.

23 Ibique vulneratus à ſagittarijs dixit pueris ſuis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum.

24 Qui tranſtulerunt eum de curru in alterum currum,qui ſequebatur eum more regio, & aſportauerunt eum in Ieruſalem, mortuuſque eſt, & ſepultus in mauſoleo patrum ſuorum: & vniuerſus Iuda & Ieruſalem luxerunt eum.

Iere-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et cantores filij Aſaph erãt in gradu ſuo, iuxta præceptum Dauid,& Aſaph, & Heman, & Iedithun vatis regis, & ianitores in ſingulis portis: non erat eis recedendum à miniſterio ſuo, quia fratres eorum Leuitæ parauerunt eis.*

16 *Et paratum eſt omne miniſterium Domini in die illa,vt facerent Peſach, & offerrent holocauſta ſuper altare Domini iuxta præceptum regis Ioſiahu.*

17 *Feceruntque filij Iſrael qui reperti ſunt Peſach in tempore illo,& ſolemnitatem infermentatorum ſeptem diebus.*

18 *Et non eſt factum Peſach ſimile in Iſrael à diebus Semuel vatis: & omnes reges Iſrael non fecerunt ſicut Peſach quod fecit Ioſiahu, & ſacerdotes & Leuitæ,& omnis Iehudah, & Iſrael, qui repertus fuerat,& habitatores Ieruſalaim.*

19 *Octauo decimo anno regni Ioſiahu factum eſt Peſach hoc.*

20 *Poſt totum hoc quod præparauit Ioſiahu domum, aſcendit Nechoh rex Ægypti,vt pugnaret in Charchamis, iuxta Perath, & egreſſus eſt in occurſum eius Ioſiahu.*

21 *Et miſit ad eum nuncios,dicendo: Quid mihi,& tibi rex Iehudah? Non contra te hodie, ſed contra aliam domum eſt bellum meum, & Deus dixit, vt feſtinarem: deſine à Deo qui mecum eſt, vt non perdat te.*

22 *Et non auertit Ioſiahu faciem ſuam ab eo,ſed vt pugnaret cum eo, mutauit ſe: & non audiuit verbis Necho ex ore Dei: & venit, vt pugnaret in campo Megiddo.*

23 *Et iaculis affecerunt ſagittarij regem Ioſiahu: dixitque rex ſeruis ſuis: Tranſire facite me,quia ægrotaui valde.*

24 *Et tranſire fecerunt eum ſerui eius de curru, & equitare fecerunt eum ſuper currum ſecundum, qui erat ei, & pergere fecerunt eum in Ieruſalaim, & mortuus eſt, & ſepultus eſt in ſepulchris patrum ſuorum,& omnis Iehudah, & Ieruſalaim lugebant ſuper Ioſiahu.*

*Et*

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

15 Et pſalmorũ cantores filij Aſaph ſuper ſtationẽ ſuã ſm mandata Dauid,& Aſaph,& Æman,& Idithũ prophetæ regis.Et principes,& ianitores portæ,& portæ non erat eis moueri à miniſterio ſanctorũ: quia fratres eorũ Leuitæ parauerant eis. 17 Et directũ eſt,& paratũ eſt omne miniſteriũ Dñi in die illa ad faciendũ Phaſec,& offerendũ holocauſtomata ſuper altare Dñi iuxta mandatũ regis Ioſiæ. Et fecerunt filij Iſrael,qui inuenti ſunt,Phaſec in tpe illo,& feſtiuitatẽ azymorũ ſeptẽ diebus. 18 Et non eſt factũ Phaſec ſimile ei in Iſrael à diebus Samuel prophetæ,& oĩs reges Iſrael,non fecerunt Phaſec,q fecit Ioſias,& ſacerdotes,& Leuitæ,& oĩs Iuda & Iſrael,qui inuẽtus eſt,& habitantes in Hieruſalẽ Dño. 19 Decimo octauo anno regni Ioſiæ factũ eſt Phaſec hoc. 20 Poſt hęc oĩa q̃ fecit Ioſias in domo,& ventriloquos,& gnoſtas,& Theraphim,& idola,& Careſim,q̃ erant in terra Iuda,& in Hieruſalẽ,cõbuſſit rex Ioſias,vt ſtatueret verba legis ſcripta ſuper librũ,quẽ inuenit Chelcias ſacerdos in domo Dñi.Similis ei nõ fuit ante eũ,q reuertit ad Dñm in toto corde ſuo,& in tota aĩa ſua,& in tota fortitudine ſua ſm oẽm legẽ Moyſi:& poſt eũ nõ ſurrexit ſimilis.Verumtñ nõ eſt auerſus Dñs ab ira furoris ſui magni,quo iratus erat furore Dñs in Iuda ſuper oẽs irritationes eius,quibus irritauit Manaſſes. Et dixit Dñs:Etiã Iudã amouebo à facie mea,ſicut amoui Iſrael:& repuli ciuitatẽ,q̃ elegerã Hieruſalẽ,& domũ,q̃ dixerã erit nomen meũ illic. Et aſcẽdit Pharao Nechao rex Ægypti ſup regẽ Aſſyriorũ ad flumẽ Euphratẽ.Et iuit rex Ioſias i occurſũ ei. 21 Et miſit ad eũ nũcios,dicẽs:Quid mihi,& tibi rex Iuda?Nõ ſup te venio hodie ad bellãdũ bellũ:& Deꝰ dixit feſtinare me.Attẽd Deo,q mecũ,ne corrũpat te. 22 Et ñ auertit Ioſias faciẽ ſuã ab eo:ſed ad ipugnãdũ eũ cõfortatꝰ ẽ:& ñ audiuit verba Nechao p os Dei:& venit ad pugnãdũ i cãpo Mageddo. 23 Et ſagittauerũt ſagittarij ſup regẽ Ioſiã.Et dixit rex pueris ſuis:Educite me,qm laboraui vald. 24 Et eduxerũt eũ pueri eiꝰ d curru:& aſcẽder fecerũt eũ ſup currũ ſm q erat ei:& adduxerũt eũ i Hieruſalẽ:& mortuꝰ ẽ,& ſepultꝰ ẽ cũ pr̃ibꝰ ſuis.Et oĩs Iuda,& Hieruſalẽ luxerũt ſup Ioſiã

Et Ie-

## Vulgat. Editio.

25 Ieremias maxime: cuius omnes cantores atque cantatrices, vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus.

26 Reliqua autem ſermonum Ioſiæ & miſericordiarum eius: quæ lege præcepta ſunt Domini:

27 Opera quoque illius prima & nouiſſima, ſcripta ſunt in Libro regum Iuda & Iſrael.

### CAP. XXXVI.

4.Reg.23.30. 1 TVlit ergo populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & conſtituit regem pro patre ſuo in Ieruſalem.

2 Viginti trium annorum erat Ioachaz, cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalem.

3 Amouit autem eum rex Ægypti cum veniſſet in Ieruſalem, & condemnauit terram centum talentis argenti, & talento auri.

*Mat.1.14 4 Conſtituitque pro eo regem, * Eliakim fratrem eius, ſuper Iudam & Ieruſalem: & vertit nomen eius Ioakim: ipſum vero Ioachaz tulit ſecum, & abduxit in Ægyptum.

5 Vigintiquinque annorum erat Ioakim cum regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnauit in Ieruſalem: fecitque malum coram Domino Deo ſuo.

Con-

## Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

25 *Et lamentatus eſt Irmeiahu ſuper Ioſiahu: & dixerunt omnes cantores & cantatrices in lamentationibus ſuis ſuper Ioſiahu vſque hodie, & dederunt ea in ſtatutum ſuper Iſrael: Et ecce ipſa ſcripta ſunt in lamentationibus.*

26 *Reſidua autem Ioſiahu, & miſericordia eius, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini,*

27 *Et res eius prima & nouiſſima, ecce ſcripta ſunt in Libro regum Iſrael, & Iehudah.*

### CAP. XXXVI.

1 *ET tulerunt populus terræ Iehoachaz filium Ioſiahu, & regem conſtituerunt eum pro patre ſuo in Ieruſalaim.*

2 *Trium, & viginti annorum erat Iehoachaz quum regnauit, & tribus menſibus regnauit in Ieruſalaim.*

3 *Et amouit eum rex Ægypti in Ieruſalaim, & condemnauit terram centum talentis argenti, & talento auri.*

4 *Et regem conſtituit rex Ægypti Eliachim fratrem eius ſuper Iehudah, & Ieruſalaim: & vertit nomen eius Iehoiachim, & Iehoachaz fratrem eius tulit Necho, & adduxit eum in Ægyptum.*

5 *Viginti, & quinque annorum erat Iehoiachim quum regnauit, & vndecim annis regnauit in Ieruſalaim, & fecit malum in oculis Domini Dei ſui.*

Con-

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

25 Et lamentatus eſt Hieremias ſuper Ioſiam: & dixerunt omnes principes, & dominatrices lamentationem ſuper Ioſiam vſque hodie: & dederunt eam in præceptum ſuper Iſrael: & ecce ſcripta eſt ſuper lamentationes. 26 Et fuerunt reliqua verba Ioſiæ, & ſpes eius ſcripta in lege Domini: 27 & verba eius prima, & nouiſſima ecce ſcripta in libro regum Iſrael, & Iuda.

### CAP. XXXVI.

ET aſſumpſit populus terræ Ioachaz filiũ Ioſiæ, & vnxerunt eum, & conſtituerunt eũ pro patre eius in regẽ ſuper Hieruſalẽ. 2 Filius viginti & triũ annorũ Ioachaz in regnando ipſum: & tres menſes regnauit in Hieruſalẽ: & nomen matris eius Amital filia Hieremiæ de Lobna. Et fecit malũ in conſpectu Dñi ſm omnia, quæ fecerant patres eius. 3 Et ligauit eũ Pharao Nechao in Deblatha in terra Æmath, vt non ille regnaret in Hieruſalẽ. Et tranſtulit eũ rex in Ægyptũ, & impoſuit tributũ ſuper terrã centum talenta argenti, & talentũ auri. 4 Et conſtituit Pharao Nechao ipſum Eliacim filiũ Ioſiæ regẽ ſuper Iuda pro Ioſia patre eius: & commutauit nomen eius Ioacim. Et ipſum Ioachaz fratrẽ eius cepit Pharao Nechao, & introduxit eũ in Ægyptũ, & mortuus eſt ibi. Et argẽtũ & aurũ dedit Pharaoni. Tũc cœpit in terra exigi argentũ ad dandũ argẽtũ ſuper os Pharaoni. 5 Erat viginti & quinque annorũ Ioacim in regnando ipſum, & vndecim annos regnauit in Hieruſalẽ. Et nomen matris eius Zechorã filia Neriæ de Rhamã. Et fecit malũ corã Dño iuxta oĩa, quæcũque fecerant patres eius. In diebus eius venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in terrã: & fuit ei ſeruiens tres annos: & rebellauit ab eo. Et miſit ſuper eos Dñs Chaldæos & agmina latronũ Syrorũ, & agmina latronũ Moabitarũ, & filiorum Ammon, & Samariæ: & receſſerunt poſt verbum hoc iuxta verbum Dñi in manu puerorũ eius prophetarum. Veruntamen furor Dñi erat ſuper Iudam ad remouendum eum à facie ſua propter peccata Manaſſe in omnibus, quæ fecerat, & in ſanguine innocente, quem effudit Ioacim, & impleuit Hieruſalem ſanguine innocente: & non voluit Dñs exterminare eos.

Et aſcen-

UVA.BSCH

| Vulgata Editio. | | | Transl. ex Heb. Sanct. Pagn. |
|---|---|---|---|
| Contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem. | 6 | 6 | *Contra eum aſcendit Nabuchadneſar rex Babel, & vinxit eum compedibus, vt pergere faceret in Babel.* |
| Ad quam & vaſa Domini tranſtulit, & poſuit ea in templo ſuo. | 7 | 7 | *Et ex vaſis domus Domini adduxit Nebuchadneſar in Babel, & poſuit ea in templo ſuo in Babel.* |
| Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum eius, quas operatus eſt, & quæ inuenta ſunt in eo, continentur in Libro regum Iuda & Iſrael. Regnauit autem Ioachin filius eius pro eo. | 8 | 8 | *Reſidua autem Iehoiachim, & abominationum eius quas fecit, & quod inuentum eſt in eo, ecce ſcripta ſunt in Libro regum Iſrael, & Iehudah, & regnauit Iehoiachin filius eius pro eo.* |
| Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus, ac decem diebus regnauit in Ieruſalem, fecitque malum in conſpectu Domini. | 9 | 9 | *Octo annorum erat Iehoiachin cum regnauit, & tribus menſibus, & decem diebus regnauit in Ieruſalaim: & fecit malum in oculis Domini.* |
| Cumque anni circulus volueretur, miſit Nabuchodonoſor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, aſportatis ſimul pretioſiſſimis vaſis domus Domini: * Regem vero conſtituit Sedeciam patruum eius ſuper Iudam & Ieruſalem. (* 4. Reg. 24. 15. Iere. 37. 1.) | 10 | 10 | *Et in reuerſione anni miſit rex Nebuchadneſar, & adducere fecit eum in Babel cum vaſis concupiſcibilibus domus Domini, & regem conſtituit Sidchijahu fratrem eius ſuper Iehudah, & Ieruſalaim.* |
| Viginti & vnius anni erat Sedecias cum regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnauit in Ieruſalem. | 11 | 11 | *Viginti, & vnius anni erat Sidchijahu cum regnauit, & vndecim annis regnauit in Ieruſalaim.* |
| Fecitque malum in oculis Domini Dei ſui, nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ, loquentis ad ſe ex ore Domini. | 12 | 12 | *Et fecit malum in oculis Domini Dei ſui, nec humiliauit ſe à facie Irmeiahu propheta ex ore Domini.* |
| A rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adiurauerat eum per Deum: & indurauit ceruicem ſuam & cor vt non reuerteretur ad Dominum Deum Iſrael. | 13 | 13 | *Et etiam contra regem Nebuchadneſar defecit, qui iurare fecerat eum per Deum, & indurauit ceruicem ſuam, & roborauit cor ſuum, ne reuerteretur ad Dominum Deum Iſrael.* |
| Sed & vniuerſi principes ſacerdotum, & populus, præuaricati ſunt inique iuxta vniuerſas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat ſibi in Ieruſalem. | 14 | 14 | *Et etiam vniuerſi principes ſacerdotum, & populus multiplicauerunt præuaricari præuaricationem iuxta omnes abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat in Ieruſalaim.* |
| Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nunciorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens: eo quòd parceret populo & habitaculo ſuo. | 15 | 15 | *Et miſit Dominus patrum ſuorum ad eos per manum nunciorum ſuorum mane ſurgendo, & mittendo, quia pepercit populo ſuo, & habitaculo ſuo.* |
| At illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantque prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio. | 16 | 16 | *Et ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant verba eius, & errabant in prophetis eius donec aſcenderet furor Domini in populum eius, donec non eſſet curatio.* |
| Adduxit enim ſuper eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorũ gladio in domo ſanctuarij ſui, non eſt miſertus adoleſcentis, & virginis, & ſenis, nec decrepiti quidem, ſed omnes tradidit in manibus eius. | 17 | 17 | *Et aſcendere fecit contra eos regem Chaſdim, & occidit iuuenes eorum gladio in domo ſanctuarij eorum, & non pepercit iuueni, & virgini, ſeni, & decrepito.* |
| Vniuerſaq; vaſa domus Domini tam maiora, quàm minora, & theſauros templi, & regis, & principum tranſtulit in Babylonem. | 18 | 18 | *Et vniuerſa vaſa domus Dei, magna, & parua, & theſauros domus Domini, & theſauros regis, & principum eius, omnia adduxit in Babel.* |
| Incen- | | | *Et* |

## TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

6 Et aſcendit ſuper eum Nabuchodonoſor rex Babylonis: & ligauit eum in æreis compedibus, & abduxit eum in Babylonem. 7 Et partem vaſorum domus Domini aſportauit in Babylonem, & poſuit ea in templo ſuo in Babylone. 8 Et reliqua verborum Ioacim, & omnia, quæ fecit nonne ecce hæc ſcripta in libro verborum dierum regibus Iuda? Et dormiuit Ioacim cum patribus ſuis; & ſepultus eſt in Ganozae cum patribus ſuis. Et regnauit Iechonias filius eius pro eo. 9 Octo annorum Iechonias in regnando ipſum: & tres menſes, & decem dies regnauit in Hieruſalem. Et fecit malum in conſpectu Domini. 10 Et vertente anno miſit rex Nabuchodonoſor, & intulit eum in Babylonem cum vaſis deſiderabilibus domus Domini: & regnare fecit Sedeciam fratrem patris eius ſuper Iudam, & Hieruſalem. 11 Annorum viginti filius, & vnius anni Sedecias in regnando ipſum: & vndecim annos regnauit in Hieruſalem. 12 Et fecit malum in conſpectu Domini Dei ſui: non eſt confuſus a facie Hieremiæ prophetę, & ex ore Domini. 13 in faciendo irrita erga regem Nabuchodonoſor ea, quæ adiurauerat eum per Deum: & indurauit ceruicem ſuam, & cor ſuum confortauit ad non reuertendum ad Dominum Deum Iſrael. 14 Et omnes glorioſi Iuda, & ſacerdotes, & populus terræ multiplicarunt præuaricari præuaricationes abominationum gentium: & polluerunt domum Domini, quæ in Hieruſalem. 15 Et miſit Dominus Deus patrum eorum in manu prophetarum ſuorum, ſurgens diluculo, & mittens nuncios ſuos, quoniam erat parcens populo ſuo, & ſanctuario ſuo. 16 Et erant ſubſannantes nuncios eius, & ſpernentes verba eius, & illudentes in prophetis eius; donec aſcendit furor Dñi in populũ ſuũ; quoadusque non fuit curatio. 17 Et adduxit ſuper eos regẽ Chaldæorũ: & occidit iuuenes eorũ in gladio in domo ſanctuarij eius: & nõ pepercit Sedeciæ, & virginũ eorũ non eſt miſertus: & ſeniores eorum abduxit: oĩa tradidit in manibus eorum. 18 Et oĩa vaſa domus Dei magna, & parua, & theſauros domus Dñi, & oẽs theſauros regis, & magnatum, oĩa intulit in Babylonẽ.

Et in-

UVA.BSCH